



ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVIII

ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO P. M.
JOANNE STILTINGO.

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

AUGUSTI TOMUS QUINTUS

QUO VIGESIMUS QUINTUS ET VIGESIMUS SEXTUS DIES CONTINENTUR



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1868



P. JOANNES BAPTISTA SOLLERIUS S.I.
OBIIT XXVII JUNII, ANNO MDCCXL, ÆTATIS LXXII.
Procurat sumptus Operi, calamoque laborat
Sollerius, magnus Scriptor et œconomus.

P. B. Bouttats sculp. Antv. 1740.

MARIÆ TERESIÆ

REGINÆ

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ,
SCLAVONIÆ,

ARCHIDUCI

AUSTRIÆ, MAGNÆ DUCI HETRURIÆ,

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI,
GELDRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, ETC.,

COMITI

HABSBURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, GORITIÆ, &c., &c.

DOMINÆ NOSTRÆ CLEMENTISSIMÆ

Tomus Operis nostri hic est tertius, SERENISSIMA REGINA, qui in lucem prodit nomini Tuo inscriptus. In primo, qui mensis Julii est sextus, affari nobis Te licuit tenellam quidem tunc temporis Archiducem, annum videlicet ætatis duodecimum nondum supergressam; sed tot tantisque naturæ ac gratiæ supra ætatem ac supra sexum condecoratam ornamentis, ut prodigii instar quodammodo videri possit, in unam solam id ætatis Virgunculam omnia illa coaluisse simul maximæ exspectationis argumenta, quæ in dicto tomo pluribus deducuntur. Enimvero non vana præsagitione ibidem diximus, præludia hæc esse eorum decorum, quæ Te Austriacis non solum heroidibus, sed et ceteris omnibus quamtumvis laudatissimis præteritorum seculorum feminis Principibus non erant exæquatura dumtaxat, verum longe etiam antelatura. Et vero ea omnia, quæ jam pridem prænuntiavimus, REGINA SERENISSIMA, perfectissime in Te jam impleta intuemur. Translato quippe in Te sceptro regnorum Hungariæ et Bohemiæ, aliarumque plurimarum ditionum dominio per mortem Augustissimi Tui Parentis Caroli VI, Romanorum Imperatoris, gloriosæ memoriæ, ac munificentissimi quondam Operis nostri

 Mœcenatis

Mœcenatis, tam multa et præclara sunt, quibus regiam Tuam Majestatem quotidie illustras et sustines, ut non Reginam tantum, sed Reginam magnam jure meritissimo prædicare Te quilibet possit ac debeat. Reginam magnam Te diximus : qualem te comprobant justitia, clementia, munificentia, aliæque plures dotes magnis regibus propriæ, quas si recensere singulas voluerimus, modum excedet oratio. Nonnullas itaque dumtaxat e multis delibabimus. Prudentia, quæ sapientissima est humanæ mentis rerumque gerendarum moderatrix, adeo præclare in Te refulget, adeoque stabilem ac perpetuam in Te fixit sedem, ut tamquam comes individua lateri se Tuo semper adjungat, in gravissimis regni negotiis optima quæque consilia suggerat, in rebus dubiis dirigat, in obscuris facem præferat, in arduis aperiat modum superandi intricatissimas difficultates. Eadem sane prudentiæ virtus, PRUDENTISSIMA REGINA, plurimas, easque admodum patheticas litteras, pro regnorum Tuorum ac subditorum incolumitate fortiter ac suaviter scriptas, Tibi dictavit. Eadem prudentiæ virtus concinnavit insignem illam orationem Tuam, eloquentiæ pariter et amoris plenam, quam Posonii habuisti ad regni Tui Hungarici magnates, ita ad motus animorum concitandos appositam, ut auditoribus lacrymas expresserit. Quid plura? Prudentia denique Tua plane singularis ita moderatur regia Tua effata omnia, cogitationes et actiones omnes, omnes oris, vultus, oculorum, gestuum conformationes, ut nihil in Te observari possit, quod a laudatissimæ istius virtutis regulis vel ad latum unguem deflectat. Atque hæc quidem breviter ac summatim a nobis perstricta manifestissime comprobant, Te in rebus prudenter agendis a rerum omnium Conditore ornatam esse perspicacissimo mentis discerniculo, in quo ars magna gubernandi regna consistit. Hanc a Deo expetiit et obtinuit regum sapientissimus Salomon, *Da mihi*, inquiens, *sedium tuarum assistricem sapientiam.., ut mecum sit, et mecum laboret.* De invicta animi Tui constantia et fortitudine quam multa sunt et varia, quæ disertum oratorem requirunt. Labitur quidem adhuc, REGINA MAGNANIMA, regnorum Tuorum annus secundus; sed cujus dies fere singuli amplissimam orbi universo præbent materiem prædicandi et admirandi constantissimam magni et excelsi animi Tui fortitudinem, durissimis rebus probatam, quibus occurristi citius ac felicius, quam multi exspectabant. Vulgabunt enimvero Annales et vix credet posteritas, valuisse tantum Reginam unam contra tot potentissimos Principes, quantum valere orbis universus miratur et obstupescit; dum Te videt arma armis, vires viribus tot gentium strenuissime opponentem, ut relictas Tibi ab Augustissimo Cæsare Parente ditiones retineas, protegas, defendas. *Mulierem fortem quis inveniet?* Invenimus Te, REGINA FORTISSIMA, non *procul et de ultimis* orbis *finibus* quæsitam; cujus invictam animi magnitudinem nec bellici horrores, nec tristes armorum turbines, nec temporum acerbitates ne vel tantillum quidem dimovere ab æquabili statu, nedum infringere potuerunt. Taciti porro præterire non possumus propensissimum Tuum erga commissos Tibi populos affectum, quo matris instar benevolentissimæ omnes et singulos diligis, ac foves. Nec vero alicui mirum videatur, matrem a nobis vocari Te, REGINA AMANTISSIMA : quando suavissimum illud et amabile matris nomen adeo Tibi in deliciis est, ut eodem nomine usa fueris Tu ipsa in regiis Tuis litteris, quas ad subditos direxisti, titulum hunc tamquam proprium et peculiarem assumens, ita ut eodem nomine ad Regium Tuum adscito quasi gloriari videaris. Hinc fit, ut subditi, exploratum habentes, non minus se nactos omnibus perfectionis partibus absolutissimam in Te Reginam,

quam

quam amantem simul et amabilem matrem, Te impensissime redamare non desinant. Loquantur hic pro nobis instructissimi ac lectissimi exercitus, loquantur bellici apparatus, loquatur mascula et vere martia Hungarorum, Austriacorum, aliarumque nationum Tibi subjectarum pubes, de præmio quasi inter se certantium, ut in amore Tibi deferendo primas ferant. Tanta et tam fortis, vitæque tam prodiga in ditionibus Tuis universis amoris est æmulatio. Notissima loquimur. Diceres, in omnibus Tuis regnis ac provinciis contendere imos cum summis, plebem cum nobilibus, quanam potissimum ex parte lectiores exercitibus Tuis submittantur copiæ militares. Quisnam tam excors et imbellis, qui fuso sanguine, AMABILIS REGINA, amorem in Te suum testatissimum non velit? Quisnam inter magnas opes tam inops amoris, qui huic non tribuat libentissime, quod illis subtrahit. Amore dulcescunt sumptus, labores, vigiliæ, expeditiones. Amant Te omnes, et quidquid suscipiunt oneris, leve videtur omnibus et amabile, quia susceptum pro Te. Eximium autem hunc amorem suscitat et accendit quam maxime spectatissima Tua in Deum ac ejus Sanctos pietas, qua subjectis Tibi populis præluces, nec non ad optima quæque eos pertrahis. Hæc vero dum loquimur, in eum incidimus sermonem, ut de sincera ac stabili Tua pietate, tamquam absolutissimo aliorum Regiorum decorum, quæ magnam Te faciunt Reginam, complemento tacere nobis non liceat. Illustris sane illa virtus, Domui Austriacæ veluti innata atque hereditaria, a teneris unguiculis Tibi insita, solertissima Augustissimorum Parentum Tuorum cura Tibi instillata, sublimia simul ac tenera in Te sensa produxerunt, quæ foves et auges in dies. Hinc fit, ut summa cum solicitudine reddas Deo, quæ Deo debes. Hinc tenerrimus ille affectus, quo Deum diligis; hinc reverentia illa, quando cum Deo agis, quam prima didicisti ætate, matura doces. Hinc mirabilis illa fiducia, quam in Divino auxilio secure collocas, Te totam, uti et regna Tua ac ditiones in paternæ providentiæ ejus sinum deponens. Hinc tota es in Deo, dum Te, aulamquê Tuam Regiam transfers ad templa Deo dicata, ut, seclusis aliis curis, soli Deo vacare possis. Ad Virginem Deiparam quod spectat; imitari satagis cum piissimos e Tua stirpe Cæsares, tum sanctissimum regem Stephanum, qui Christi fidem et regium nomen in Hungariam Tuam invexit, inter alia in eo memorabilis, quod amplissimum construxerit templum in Dei Genitricis honorem, Hungariæ Patronam instituerit, propagataque ab ipso fuerit apud Hungaros tanta Deiparæ veneratio, ut diem, Virgini in cœlum Assumptæ sacrum, quo etiam Rex sanctus ab ea in cœlum receptus est, Magnæ Dominæ diem per excellentiam appellarint. Reverentiam quoque Tuam singularem erga Dei Matrem perspicue ostendisti, dum Serenissimo Josepho Archiduce vix in lucem edito, Deiparæ memor ad celeberrimam ipsius imaginem Cellensem in Styria mitti voluisti infantem e solido auro ejusdem cum Regia Prole ponderis. Cum vero Sanctos alios non minus religiose ac impense venereris, quam relicta ab illis vestigia premas; speramus hunc tomum Tibi fore gratissimum, quia non modo plurimos Sanctos, illustriaque eorum gesta proponit, sed inter alios quoque continet perfectissimum Principum exemplar S. Ludovicum Francorum regem, e cujus etiam sanguine longa Progenitorum Tuorum serie descendis. Si per gravissima Tua negotia liceret Tibi, selecta quædam capita ex ipsius Actis evolvere, videres juvenem regem vel in ipsis regni sui primordiis acriter impugnatum a variis potentissimisque principibus; videres innumera inter pericula stantem, divina eum sustentante potentia, in qua spem

spem omnem collocaverat; videres summa cum gloria de hostibus suis omnibus triumphantem, ita ut cum Doctore gentium vere potuerit dicere : *Ex omnibus eripuit me Dominus.* Et Tu igitur, MAGNA REGINA, cui similia obtigerunt regni primordia, fiduciam omnem, uti fecisti hactenus, in divino auxilio collocare perge, et noli dubitare; quin Te ex omnibus erepturus sit Dominus exercituum, qui sicut modo prorsus mirabili ac manifesto favet hactenus armis Tuis, sic favere deinceps non desinet, relatisque jam victoriis novos adjiciet triumphos, donec desiderata pace regnorum Tuorum incolumitatem perfecte stabilitam videas. Deus Optimus Maximus Regiam Tuam Majestatem, Serenissimum Conjugem, Magnum Hetruriæ Ducem, qui regna Tua Tecum sapientissime moderatur, ac Serenissimum Archiducem, amborum delicium, diu conservet sospites et incolumes, victoriis compleat, ac cœlestibus semper favoribus prosequatur. Ita vovent, votis supplices apud Deum et Sanctos additori preces

SERENISSIMA ET CLEMENTISSIMA REGINA

REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

Devotissimi clientes

JOANNES PINIUS
JOANNES STILTINGUS

Societatis Jesu.

SYNOPSIS

TOMI QUINTI

DE ACTIS SANCTORUM

AUGUSTI

Designatus modo, atque publicam proditurus in lucem Tomus, mole quidem magnus, sed Sanctorum numero ac dierum parvus. Cælicolas enim dumtaxat continet LXXV, proprio nomine in Catalogis expressos, non numeratis anonymis, et nonnullis aliis, de quibus non satis constabat; dies autem tantummodo duos, videlicet XXV et XXVI Augusti, sine ullo hactenus exemplo ab Opere condito. Utramque paucitatem supplent illustriores quidam Cælites, tam copiosam nobis scribendi materiem subministrantes, ut dum his conati sumus persolvere, quod debemus, alios necesse fuerit differre in sequentem Tomum, ne hic nimis excresceret. Consueta porro nobis est partitio virorum in tres ordines seu status, *ecclesiasticum* videlicet, *monasticum*, et *secularem*, ultima classe sancto *femineo* sexui reservata. Adhibitus item hic, uti alias facere consuevimus, locorum seu regionum ordo, quo illos collocamus.

EX STATU ECCLESIASTICO,

In Oriente primum merito sibi locum vendicat Bartholomæus Apostolus. A Nathanaele eum non distinguimus. In iis, quæ dicimus de ipsius patria, vita seculari, doctrina, vocatione ad Christum, virtutibus, ac prædicationibus apostolicis; nec non de loco, occasione, ac modo martyrii; inveniet, uti confidimus, eruditus lector non pauca, quibus intelligentiam suam pascat. Acta, quæ circumferuntur, in fabuloso pseudo-Abdiæ Babylonii cerebro sunt fabricata. Melioris utcumque notæ sunt tres orationes panegyricæ, quas damus. Intricatissima Beneventanos inter ac Romanos controversia est de possessione corporis. Nos, utriusque partis litigantis argumentis non segniter discussis, uni æque ac alteri tribuimus Sancti reliquias, factamque aliquam censemus translationem; quæ majoremne an minorem corporis partem contineat, non decidimus. Tres exhibemus patriarchas Constantinopolitanos, *Gennadium I*, *Epiphanium*, et *Mennam* vel *Menam*. Hujus Acta damus e Græco versa. Illustre vero miraculum, quod ipsius tempore eadem scribunt accidisse in sanctissima Eucharistia, aliunde confirmamus.

In Italia claruit *Zephyrinus* PP., qui non satis probatur fuisse stricti nominis martyr, et vindicatur ab hæresi Montani. De *Elia* episcopo Syracusano, *Rufino* præsule Capuano, et *Felice* presbytero apud Pistorienses, etiam scribimus. Ex Hispania unus occurrit Italicæ *Geruntius* vel *Gerontius* episcopus, cujus antiquus est cultus; sed exigua gestorum notitia. Ad Angliam spectat *Brechwinus* episcopus Cantuariensis. Vita ejus, auctore Eadmero vel Edmero monacho, datur et illustratur. Tres Gallia suggessit præsules, *Victorem* seu *Victurum* Cenomanensem, variis triciis implicitum; *Gelasium* Pictaviensem, ac *Eulalium* seu *Euladium* Nivernensem, cum Æoladio non confundendum. Apud Helvetos emicuit *Theodorus I*, ep. Octodorensis vel Sedunensis; apud Belgas vero *Gregorius* presbyter, regio Francorum sanguine ortus, indefessus in laboribus apostolicis S. Bonifacii episc. et M. comes, atque ecclesiæ Ultrajectinæ rector, jurisdictione, non consecratione, episcopus. Vita ejus, auctore S. Ludgero episcopo, illustratur, variæque de hoc Viro controversiæ elucidantur.

EX

EX STATU MONASTICO.

Orientalibus accensemus *Tithoem* monachum apud Græcos. In Italia floruerunt *Liberatus de Lauro, Humilis* et *Pacificus* ex Ordine FF. Minorum. Ibidem in regno Neapolitano *Joannes a Caramola* Conversus apud Sagittarienses, Ordini suo Cisterciensi eximia decora conciliavit præclarissimis gestis et miraculis. Vita ejus conscripta est ab anonymo synchrono, uti et miracula : hæc autem e recentiore suppleta. *Joannes Bassandus*, ex Ordine PP. Cælestinorum, vivere desiit in cœnobio Collismadiensi apud Aquilam, vitæ integritate ac miraculis clarissimus. Vitam proferimus ex scriptore anonymo synchrono ejusdem Ordinis, Beatique discipulo, a nobis illustratam. Italis adde *Joannem eremitam* Ruselli in Aprutio. Quid de Gallia? Ad hanc spectant sequentes abbates, nimirum *Severus*, solenni cultu honoratus apud Agathenses, cujus Vita datur; *Aredius* Atanensis apud Lemovices, duplici Vita laudatus; *Martianus* in territorio Aptensi; *Gurloesius* Kemperlegiensis in Britannia minore, Ordinis S. Benedicti; de quibus plura videri possunt in ipso nostro Tomo.

EX STATU SECULARI.

Inter Orientales sunt *Julianus* M. in Syria, nec non *Adrianus* M. apud Nicomedienses, ut fertur. Ex Italia, *Eusebius, Pontianus; Vincentius* et *Peregrinus* MM. Romani; quorum Acta ab aliis probantur, ab aliis non item : sed a nobis non rejiciuntur. Romam quoque condecorat *Genesius* mimus, mirabili modo ad Christum conversus. Acta quidem brevia, sed bona. Eodem pertinent *Abundius* et *Irenæus* martyres. *Justus*, *Orontius* ac *Fortunatus* MM. tamquam patroni honorantur apud Lyciens s. Celebrior ex iis *Orontius*, mirabilibus plurimis ad ipsius invocationem patratis. Illorum Acta memorant multa, quæ non probantur. Sequentes Christi Pugiles in variis Italiæ locis annuntiamus. Marsi in Aprutio habent *Simplicium, Constantium* et *Victorianum;* Albintimelienses in Liguria *Secundum*, ex legione Thebæorum; *Alexandrum* alterum Brixienses; alterum autem synonymum Bergomenses : Hispani vero *Victorem* M. Ceresi in Castella veteri; *Maginum* vel *Maximum* etiam martyrem, Tarraconenses in Catalonia. In Gallia vitam pro fide dedit *Genesius* notarius apud Arelatenses, ab aliis synonymis distinctus. Acta ejus sincera; miracula a fide dignissimis conscripta.

Vastissimum autem scribendi campum nobis aperuit *Ludovicus* Francorum rex : cujus si solidas ac vere regias dotes consideres, sapientiam videlicet, justitiam, fortitudinem, Catholicæ fidei propagandæ studium, profusam in res pias munificentiam, Apostolicæ Sedis observantiam, aliaque plurima decora, quæ magnos faciunt atque exornant reges, cum summa vitæ integritate sanctitateque conjuncta, nec non tot tantisque adversis rebus tamquam aurum in fornace a Deo probata : dubius hæreas, majorne rex an Sanctus haberi debeat, in utroque nimirum genere maximus. Præter alia non pauca de hoc sanctissimo Principe collecta documenta, tres exhibemus Vitas, probatissimæ auctoritatis singulas Prima est Gaufridi, qui ei fuit a sacris confessionibus. Hanc supplevit Guilielmus Carnotensis, Regis sacellanus. Secunda est anonymi, Margaritæ reginæ confessarii, de virtutibus et miraculis, ex ipsis canonizationis Actis, hactenus inedita : cujus ecgraphum, e veteri exemplari Gallico a nobis Latine redditum, prodit. Tertia est Joannis Joinvillii, qui fuit Regis domesticus et familiaris, ex editis Gallicis in Latinum conversa. Quæ omnia operosissime elaborare conati sumus.

EX FEMINEO SEXU.

Ebba virgo et abbatissa in Coludensi Scotiæ monasterio fulsit : cui alia etiam virgo synonyma præfuit, cum multis sociabus martyrio insignita, atque adeo a priore secernenda. *Patricia*, virgo Constantinopolitana, colitur Neapoli ut patrona. Recentiores multa ei affricant, quæ nec tempori, nec loco conveniunt. Datur duplex Vita, cum duplici auctario miraculorum. *Villanæ Bottiæ* Florentinæ ratio a nobis habita est, uti et Vitæ, *Margaritæ* virginis Faventinæ, et abbatissæ, Ordinis Vallumbrosani, Vitam ad seriem chronologicam reducimus, et de revelationibus ejus ac miraculis agimus. *Maxima* V. et M. honoratur in territorio Carnutensi Galliæ. *Pelagiæ* viduæ, ibidem apud Lemovicenses, cultus asseritur. *Hunegundis* virgo in Veromanduis floruit. Bernerus abbas multa incerta refert in ejus Vita, melius de translatione ac

miraculis

miraculis meritus. Tomum hunc claudit *Rosa a S. Maria*, virgo Limana, mirificentissimus tertii Ordinis S. Dominici in America meridionali flosculus, cujus fragrantissimus odor longe lateque per Europam diffusus est. De ejus Vita, miraculis, aliisque cælestibus prærogativis prolixe tractamus. Habes, lector, Cælites præcipuos, de quibus agitur in hoc Tomo, solitis etiam indicibus instructo, nempe nominum Sanctorum, chronologico, historico, topographico, onomastico ac morali.

Anno MDCCXL, die XXVII Junii, naturæ debitum persolvit P. Joannes Baptista Sollerius reipublicæ litterariæ notissimus. Hoc autem anno, die 2 Februarii ereptus nobis est P. Guilielmus Cuperus, summo apud eruditos relicto vitæ longioris desiderio. Elogium prioris dabitur in hoc Tomo; in proxime sequenti posterioris. Hic vero non multis ante extremum morbum suum diebus in lucem dedit libellum hoc titulo : *Dissertatio de Guzmanico S. Dominici stemmate, in qua recentiora Bononiensium monumenta examinantur, et eruditis æquisque arbitris expendenda proponuntur, auctore Guilielmo Cupero, hagiographo Antverpiensi Societatis Jesu.* Decisa prorsus erit famosa de dicto stemmate controversia, si, ut impense petimus, genuina et sincera istorum monumentorum fides legitime comprobetur.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 *Decembris* 1692, *et* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et Opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;*

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Francisco Retz, concedo Bernardo Alberto vander Plassche *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum videlicet, Tomum quintum de Actis Sanctorum Augusti, collectis et illustratis per Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum piæ memoriæ, Joannem Stiltingum, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* XIII *Novembris* MDCCXLI.

PETRUS AMELOT.

SUMMA

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Pinii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die v Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Pinius Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto vander Plassche, ut Tomum quintum de Actis Sanctorum Augusti, meo permissu apud ipsum impressum publicet. Datum Antverpiæ XXV *Novembris* MDCCXLI.

APPROBATIO

ORDINARII

De Actis Sanctorum Tomum V mensis Augusti, quem non sine innumeris lucubrationibus ac pervigili studio, nec minori eruditionis laude RR. PP. Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus P. M. et Joannes Stiltingus, Societatis Jesu presbyteri hagriographi Antverpienses, tantillo temporis spatio elaborarunt, lectum prius ab A. R. D. Guilielmo Laurentio Engelgrave usque ad folium 427, ego dein de verbo ad verbum perlegi attentius, et, ne circa encomia meritorum videar adulari, eumdem cum adjuncto Elogio R. P. Joannis Baptistæ Sollerii, de Republica litteraria optime meriti, anterioribus Tomis meritissimo jure adnumerandum, ac erudito orbi typis evulgandum censeo. Datum Antverpiæ XVI *mensis Novembris anno* MDCCXLI.

G. A. J. DE BEZERRA
ecclesiæ cathed. Antverp. Presbyt. Can. Grad., Scholast., ejusdem diœcesis Officialis, Judex Synodalis, Decanus Christianitatis, Librorum Censor.

PROTESTATIO

AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc quintum Tomum Augusti denuo protestamur.

ELO-

A D

ELOGIUM

REVERENDI PATRIS

JOANNIS BAPTISTÆ SOLLERII

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ

Auctore P. Joanne Stiltingo ejusdem Societatis presbytero.

CAPUT PRIMUM.

Sollerii natales; studia; Societatis ingresus; reliquaque laboribus hagiographicis prævia.

Sollerius ex scriptis jam notus:

Quandoquidem acta virum probant, non verba, Sollerium nosse poterunt, vel tacente me, qui scripta ejus pervolvent: imo jam nunc non B ignotus est orbi erudito, qui lucubrationes ejus dudum legit et probavit. Verumtamen nec inutile, nec ingratum lectori futurum existimo, si virum de Actis Sanctorum optime meritum, summoque multorum dolore nobis nuper ereptum, brevi saltem prosequar elogio, summaque legens rerum vestigia, vitæ compendium conscribam, ut uno quasi intuitu clarius distinctiusque lectori innotescat, quem ex lucubrationibus non nisi obscurius posset cognoscere. More igitur majorum scribere aggredior, sed pauca, certoque comperta et probata.

dies et locus ei natalis, studia adolescentis:

2 Natus est P. Joannes Baptista du Sollier XXVIII Februarii, anno MDCLXIX in Herseau, ditionis Cortracenæ vico, inter Cortracum sito et Tornacum, ad cujus diœcesim spectat. Parentes nactus est honestos, a qui- C bus pie educatus, ac Cortracum missus est, ut ibidem sub disciplina Societatis Jesu litteris politioribus imbueretur. Ibidem adolescens præstanti ingenio, diligentiaque non mediocri, ac pari morum virtutumque commendatione ornatus, non modo sociis palmam in studiis præripuit; sed ingentem de se spem concitavit, quam postea, Societatem Jesu ingressus, vel implevit vel superavit. Sollerium nostrum in Societatem Jesu secutus est frater ejus junior, ingenio ac pietate insignis. Verum de eo non agimus. Ad nostrum itaque regrediamur.

ingressus in Societatem Jesu, studia philosophiæ,

3 Anno MDCLXXXVII, XXVIII Septembris tirocinium Mechliniæ ingressus, solida ibidem virtutum fundamenta jecit per biennium. Votis deinde emissis, Antverpiam superiorum jussu profectus est, ubi biennio altero philosophorum placita audivit, capacissimique ingenii documenta dedit tam in privatis disputationibus, quam in publicis, cum electas ex tota philosophia theses propugnaret. Philosophica egressus palæstra, atque ex discipulo E magister factus, latiorem nactus est campum, in quo non ingenii solum, sed prudentiæ quoque et industriæ majora daret specimina.

munus docendi litteras humaniores,

4 Quippe studiosam juventutem docere jussus, Grammaticamque primum, deinde Poeticam ac Rhetoricam explanare, eo in munere ita se probavit sexennio toto, ut vel hodiedum laudem ejus mire prædicent ipsius olim discipuli, et in docendo collegæ. Testantur illi, tanta fuisse in docendo diligentia, ut fatigari non posse videretur; tantaque valuisse auctoritate apud discipulos, ut hac sola eos facile in officio contineret, hac sola sine multa severitate consequeretur, quæ vix summa severitate, aut ne vix quidem obtineant alii. Neque id mirabuntur, qui eximiam viri prudentiam habuere perspectam. Attamen præcipua Sollerii in docendo laus fuit, quod una cum litteris pietatem, mundique contem- F ptum tenellis adolescentum animis instillaverit, tantumque hac industria profecerit, ut plurimi, rerum mundanarum vanitate perspecta, spretisque, quæ fucum faciunt, illecebris, ad Religiosa castra, tamquam ad tutissimum salutis suæ asylum, se receperint.

et doctrinam Christianam;

5 Dum hactenus memorata, quæ plerisque Societatis nostræ juvenibus, in provincia certe Flandro-Belgica, sunt communia, modo industriaque paucis imitabili obit, altera ejus cura fuit pueros puellasque rudes doctrina Christiana erudire, quo in munere semper versatus est pari diligentia, industriaque, non ignarus, quantum ex recta puerorum institutione toti Ecclesiæ nascatur bonum. Has tamen inter curas se ipse non neglexit Sollerius, neque ita alios docuit, ut ipse interim nihil disceret: verum, ut prætermittam Latini Græ-

A cique sermonis peritiam, quæ usu ipso atque exercitatione a magistro diligenti contrahitur, ea tunc jacere cœpit eruditionis historicæ semina, quæ uberrimam in messem excrescerent postea.

studia theologica;

6 Arduo docendi munere tanta cum laude perfunctum superiores provinciæ Romam miserunt anno MDCXCVII, sacris theologiæ dogmatis imbuendum in Urbe orbis Christiani principe. Gesta autem illo quadriennio minus comperta habeo, quod nullus hic supersit e nostris, qui cum Sollerio Romæ habitavit. Sacerdotio interim initiatus est anno seculari MDCC, XXVIII Octobris, festo SS. Apostolorum Simonis et Judæ, thesesque ex tota theologia selectas anno sequenti tueri jussus est, quod ibi præstitit summi ingenii doctrinæque non vulgaris commendatione. Degebat B tunc temporis Romæ, in collegio Germanico sub disciplina Societatis nostræ studiis intentus, perillustris juvenis Thomas Philippus de Alsatia, Mechliniensium nunc archiepiscopus Romanaque purpura insignis, quocum magnam consuetudinem ibidem contraxit Sollerius, quæ crevit semper, crescente ætate utriusque, atque integra perseveravit usque ad mortem Sollerii.

secessus ad tertiam probationem,

7 Theologicum feliciter emensus stadium, anno MDCCI in Belgium rediit, Liramque missus est; ut more Societati nostræ usitato evelleret et destrueret, siquid forte eatenus adhæserat pravæ consuetudinis, disperderetque penitus et dissiparet, siquid rursum mundani pulveris studiorum contentione contractum fuerat, ac demum ut super jacta in tirocinio virtutum fundamenta maturiori jam judicio firmiter ædificaret. Divinum id S. Ignatii inventum, qui suos semper quidem virtuti præcipue intentos esse voluit, at unice D illo tempore, quo aliæ occupationes intermittuntur. Tenet ea exercitatio plerosque annum fere integrum : at spectata satis viri virtus, et necessitas musei Antverpiensis moverunt superiores, ut citius inde dimitteretur.

ex qua evocatur ad Acta Sanctorum elucidanda.

8 Obierat anno MDCCI P. Franciscus Verhoeven, annis tantum duobus et mensibus aliquot Antverpiæ exactis, ubi magis ad Acta Sanctorum scribenda se paraverat quam scripserat, eo nimirum tempore sublatus, quo, perruptis primis difficultatibus, Opus egregie promovere potuisset vir eruditus, cujus breve elogium legitur ante tom. III Junii pag. CII. Gravior erat hæc jactura, quod nihil fere opis ad Acta illustranda deinceps allaturus videretur Papebrochius, tum ob gravem viri ætatem, E tum ob morbum, quo tantum non ad extrema deductus est eodem illo anno, tum ob cæcitatem, qua quinto jam anno laborabat, ut refertur in ejus elogio ante tom. VI Junii pag. XII, et XIII, ubi additur, quo demum modo præter spem ex utroque malo sit restitutus. Tota igitur Operis promovendi cura ad Janningum devoluta videbatur et Baertium, quorum aliæ multiplices curæ, et ætas paulatim ad senectam declinans socium expetebant atque adjutorem strenuum. Electus ex omnibus est Sollerius, atque Antverpiam missus VII Martii anni MDCCII. Prudentem electionem felix confirmavit eventus, ut mox videbimus. Agebat tunc ille annum ætatis XXXIV, ac deinde anno MDCCV, 2 Februarii solemnem quatuor votorum professionem emisit.

C F

CAPUT SECUNDUM.

Scripta Sollerii præcipua.

§ I. Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum : Acta B. Raymundi Lulli.

Primum texere orditur difficilem

Accitus Antverpiam Sollerius iis erat instructus subsidiis, ut brevi tempore ad difficillima tractanda, intricatissimaque enodanda se idoneum reddiderit. Nam cum ingenio summo robustam adeo corporis constitutionem nactus erat, ut senex quispiam maturi admodum judicii, qui aliquot annis litteras humaniores cum eo docuerat, frequenter coram me aliisque dixerit, sibi nullum umquam fuisse cognitum, qui vel corporis vel ingenii viribus Sollerio prævaleret : similia de eo judicia ex aliis non paucis audivi, priusquam Sollerius ipse mihi satis erat cognitus. Hisce cum par accederet diligentia, eo eruditionis brevi pervenit, ut æquali cum exercitatis veteranisque in scribendo procederet passu, si quos eorum non superaret. Primus viri eruditi labor versatus

est

A est in Historia Patriarcharum Alexandrinorum ordine chronologico deducenda. Opus sane arduum, tantisque obnoxium difficultatibus, ut eruditissimus in re quavis historica Papebrochius post inutilem aliquot annorum laborem nondum inveniret, ubi pedem tuto figeret, ac demum *suos de patriarchis Alexandrinis conatus* Sollerio *recensendos corrigendosque* commiserit, ut ipse Annales Antverpienses perficeret.

Chronologiam de patriarchis Alexandrinis,

10 Refert id ipse Sollerius in præfatione sua pag. VI, ubi de primo conatu suo addit sequentia : *Lubens obsecutus sum, omnem per aliquot menses conatum adhibens, si quo modo, quæ alienis oculis usus, aliena manu scripserat* (cæcus tunc) *Papebrochius, ad rectam chronologiæ normam exigi possent. Tenuit me aliquamdiu molestus in paucis et* B *tædiosus labor, cumque nihil proficerem, imo de componendis Arabicis characteribus* (ex quibus chronologiam ordinare tentarat) *penitus desperarem, eo animum adjeci, ut spretis illis calculis, alios veræ chronologiæ fontes consulerem. Itaque argumenti difficultate nequaquam absterritus, patriarchalem chronologiam ex integro condere aggressus, eos mihi auctores præhabendos putavi, quorum fides Arabicis fabulis, suo loco non semel referendis et refutandis, anteferenda videbatur.* Patet hinc, quantus in chronologia illa ordinanda esset labor, præsertim *ob incredibilem in computanda temporum ratione auctorum discrepantiam,* ut loquitur pag. IV; ubi aliam difficultatem huic chronologiæ propriam sic exponit : *Ad hæc coaptandæ inter se diversissimæ epochæ, Christiana, Alexandrina, Diocletianæa, Mahumetana; æquanda* C *annorum mensiumque opposita principia, ad eas sæpe angustias chronologum redigunt, ut quid potissimum decernat, nec per se satis dispicere, nec aliorum adjumento satis certo statuere possit.*

opusque exsequitur cum approbatione

11 Perrupit tamen has omnes difficultates Sollerius, atque ordinem Patriarcharum Alexandrinorum a S. Marco ad sua usque tempora deduxit : insuper historica parerga nec pauca nec contemnenda immiscuit, quibus tricarum chronologicarum levaret tædium. Huic Historiæ chronologicæ appendicem subjunxit bene longam, eademque diligentia atque eruditione conscriptam, de Coptis Jacobitis, ac eorum initiis, erroribus, moribus, institutisque. Utramque hanc lucubrationem primum edidit seorsum ab Actis Sanctorum anno MDCCVIII, ac dedicavit illustrissimo Brabantiæ Cancellario, baroni de Grysperre. Utramque anno D sequenti tomo V Junii præfixit. Meruerunt eruditorum approbationem primi hi labores Sollerii : nam, ut prætermittam ceteros, Eusebius Renaudotius, qui post Sollerium Historiam patriarcharum Alexandrinorum in lucem emisit, cum alibi sæpe honorificam de illo mentionem facit, tum in Præfatione sua paullo ultra medium hujusmodi de Opere illius fert judicium : *Miratus sum maximam Auctorum diligentiam, qui omnibus propemodum præsidiis litterariis Orientalibus destituti, tam multa obscura perplexaque in Elmacino Chronicoque Orientali illustrassent, et emendassent, illudque specimen Alexandrinæ Jacobitarum historiæ edidissent, quod alia omnia, quæ hoc in genere edita fuerantæ, longe superaret.*

eruditorum.

12 Addit quidem deinde Renaudotius, non omnia Sollerio fuisse monumenta, ex E quibus *plenior et accuratior rerum Alexandrinarum notitia compararetur :* at nec Sollerio propositum erat, plenam ecclesiæ Alexandrinæ historiam contexere, ad quam conscribendam monumenta illa fuissent necessaria : nec monumenta illa Arabica, quibus fuit destitutus, Chronologiæ, quam unice ordinandam susceperat, majorem aspergere poterant claritatem, ut ipse agnoscit Renaudotius in dicta Præfatione circa medium his verbis : *Majorem porro lucem afferri, obscuris chronologiæ quæstionibus, ex Orientalium libris posse si quis existimet, magnopere fallitur.* Ceterum quæstiones chronologicas tam *fuse et accurate tractatas* a Sollerio ibidem affirmat, ut ipse, iis prætermissis, lectores suos ad illum remittat : licet alioquin judicet, eum, quantumvis *magna diligentia* usum, hinc inde deceptum fuisse in- F concinna *librorum Arabicorum* chronologia, in qua fatetur *perpetuum* esse *errandi periculum in numeris, sifris præsertim mendosissime scriptis, unde nihil certi sæpe elici potest.* Habes, benevole lector, de prima hac, difficilique lucubratione judicium eruditissimi Renaudotii : quod afferre placuit, ut hinc conjectura fiat de ceteris Sollerii scriptis, de quibus omnibus agere longum foret et inutile. Etenim si ipso studiorum suorum initio implexas chronologiæ quæstiones tam feliciter tractare potuerit, historicasque præterea, licet aliud ageret, ac sufficienti monumentorum copia careret, illis tam scite admiscere, ut antecessores suos in difficili hac palæstra *longe superaret;* haud difficulter intelligimus, quid deinde, usu ipso doctior et

exercitatior,

A exercitatior, triginta annorum spatio præstare potuerit in Actis Sanctorum edendis atque illustrandis.

Acta B. Raymundi Lulli illustrata.

13 Eodem anno MDCCVIII seorsum edidit Acta B. Raymundi Lulli, dedicata magistratibus civitatis et regni Majoricensis, quæ tomo V Junii inserta sunt anno sequenti. Actis præmisit Commentarium satis prolixum, iisque subjunxit dissertationem accuratam, ad orthodoxiam Raymundi comprobandam, quæ dudum in controversiam vocata fuerat, acriterque impugnata ab eruditis non paucis, pluribus tamen eamdem defendentibus. Primus hic Sollerii in Actis Sanctorum illustrandis conatus placuit non Majoricensibus modo, sed eruditis passim omnibus : tantopere autem probatus est serenissimo principi Johanni Wilhelmo Electori Palatino, licet Opus ejus nomini inscriptum non esset, ut Sollerium antea
B ignotum mira humanitate ad se invitarit, summoque favore ac benevolentia susceperit, atque abeuntem demum digna tanto principe munificentia prosecutus fuerit. Insinuat hæc ipse Sollerius in epistola Usuardi Martyrologio præfixa, quod eidem serenissimo principi deinde dicavit.

§ II. Martyrologium Usuardi editum atque illustratum.

Martyrologium Usuardi monachi

Cum mihi propositum non sit, ut jam monui, omnia Sollerii scripta enumerare, progredior ad Martyrologium Usuardi illustratum, opus non labore minus quam mole magnum, in quo viri laboriosi plurimum desudavit industria.
C Erant in museo nostro editiones prædicti Martyrologii variæ, plures ad manum erant codices Mss. integri, plurimi aliqua sui parte mutilati. Verum, sicut in Martyrologiis passim usu venire solet, ut non pauca ad primum auctoris textum adjungantur a posteris, inter tot exemplaria nullum erat, quod nudum Usuardi textum exhiberet, nullum ab interpolationibus et additamentis purum. Quanta autem hinc oriretur Operis nostri difficultas, facile intelligi potest, si consideremus codices illos omnes, quorum vel sola cognitio ob diversitatem difficilis est, ad dies singulos excutiendos fuisse et consulendos. Difficultatem hanc ostendit Sollerius in præfatione sua pag. 2, hæc de se candide adjungens : *Fateri non erubesco, per annos mihi laborandum fuisse, priusquam vel solorum codicum proprios characteres satis dignoscerem :* videlicet utrum codices essent D
Hieronymiani, an Bedæ, Adonis, Usuardi, aliorumve : deinde utrum ex purioribus essent, aut ex magis interpolatis. Prima igitur ratio editionis Usuardi erat, ut suo posterorumque suorum commodo consuleret, quo nomine tantum nos Sollerio debere agnoscimus, ut optime de museo Sanctorum meritum censeremus, etiamsi vel id solum toto, quo hic fuit, tempore præstitisset. Altera erat ratio, ne lectores de auctoritate Martyrologiorum, quæ sæpe in Actis citantur, hærerent ambigui, ut latius exponit pag. III.

edit ac illustrat magno labore,

15 At vero editio ipsa, prout illam meditabatur, tam ingentis erat laboris, ut plane animo tanto opus fuerit, quanto erat Sollerius, ad Opus illud audendum, tantaque constantia, quanta illius erat, ad perficiendum. Etenim ut *Martyrologium Usuardi monachi*, quemad- E
modum habet titulus, ederetur *ad excusa exemplaria quatuordecim, ad codices Mss. integros decem et septem, atque ad alios ferme quinquaginta collatum, ab additamentis expurgatum, castigatum, et quotidianis observationibus illustratum,* magno primum labore codices Usuardini separandi erant ab omnibus aliis, quorum ingens erat copia, nec suas in classes hactenus digesta. Deinde ex codicibus Usuardinis inter se collatis, quorum ad singulos dies magna, propter additamenta, erat discrepantia, quærendus erat purus auctoris textus, isque observationibus illustrandus. Ac demum de singulis editionibus ac codicibus notandum quid in iis Usuardi textui esset additum detractumve, quid mutatum aliove ordine collocatum : atque hic labor ad singulos anni dies recurrebat. Præstitit hæc omnia accurate vir laboriosus non minus quam eruditus. Neque F
hæc modo; verum insuper in observationibus suis assignavit, unde sua hausisset Uusardus, an ex Hieronymianis, Beda, Adone, an aliunde : rursum, an Sancti ab Usuardo annuntiati a sequentibus quoque martyrologis, nimirum Rabano, Notkero, ac Wandelberto, eodem, aliove modo, fuerint memorati.

præmissa dissertatione erudita de Martyrologiis.

16 Præterea prolixam æque ac utilem præfationem toti Operi præmisit Sollerius, in qua fuse disputat de singulis antiquis martyrologis, eorumque inter se ordinem et connexionem assignat. Multæ ibidem refellendæ fuerunt opiniones virorum eruditorum, quas solide et feliciter refutavit, ut agnoverunt passim eruditi. Itaque Sollerio gratulati sunt non pauci felicem hujus laboris sui successum, animosque illi addidere, ut continuato labore Hieronymiana quoque Martyrologia ex Mss. codici-

bus

A bus recenseret ederetque. Insinuavit hæc ipse Sollerius in præfatione ad *Martyrologia Hieronymiana contracta*, quæ in Supplemento Junii impressa sunt.

Cum autem dubitasset, an codex Usuardi Pratensis

17 Verumtamen non defuit unus aliquis, qui hanc editionem iniquo ferret animo, quique eam susciperet impugnandam. Ratio hæc erat. Servatur Parisiis apud RR. PP. Benedictinos in abbatia S. Germani de Pratis codex antiquus Usuardi, quem autographum credunt, cujusque lituras permultas ab ipso Usuardo factas, ejusque correctiones esse, contendunt. Dubitavit Sollerius, an hæc ita se haberent, ob rationes, quas allegat cum in præfatione a pag. LI, tum subinde in observationibus; quamvis alioquin fateatur, codicem illum omnium, quos habebat, esse antiquissimum. Præterea existimavit, codi- B cem suum præcipuum, seu Heriniensem, memorato Pratensi puriorem esse, seu propius accedere ad ipsum Usuardi textum. Judicium hoc suum, multis rationibus fultum, ad veritatem certius indagandam proposuit, non recusans corrigi, si eruditus laliquis abbatiæ sancti Germani ostendere posset, codicem illum Pratensem non modo autographum esse, sed correctiones quoque illas, de quibus præcipua erat dubitatio, uni Usuardo adscribendas.

autographus sit, et correctus ab ipso Usuardo,

18 Sic enim disputationem suam de illo codice concludit pag. LIV : *Si fallor, errorem mihi et ceteris eximat ex ea celeberrima congregatione doctus aliquis, harumque rerum peritus; dubia mea, imo errata, in quæ, codice ipso privatus, incidi, explanet et diluat, primus ego promptissime retractabo, quidquid forte de autographo illo* C *iniquius sensisse dici possum. Satis equidem de republica litteraria meritus videbor, si id ab ipsis importunius extorsero, quod nemo hactenus precibus et exhortationibus impetrare valuit : puta, si id dubitationibus meis efficiam, ut Usuardum ipsi suum, nativa simplicitate, iisque, quibus voluerint, annotationibus vindicatum, publici juris aliquando faciant, imo si eodem impetu Usuardum nostrum succutere conentur : sic cecidisse, triumphus erit. Eumdem omnes scopum præfixum habemus, ut dissipatis tenebris, errores depellantur, eruatur veritas, antiquitas ecclesiastica vel æmulis studiis illustretur, ad majorem Dei Sanctorumque gloriam.*

19 Impleta fuerunt Sollerii vota : editum est anno MDCCXVIII ex codice Pratensi Martyrologium Usuardi per Jacobum Bouillart, ut docet Philippus le Cerf in Bibliotheca scriptorum Congregationis S. Mauri pag. 44 : D nam editor ipse nomen suum prodere noluit. Audiamus, quid Bouillartus in Sollerii editione probet, quid improbet. Epistolam ad Sollerium, Martyrologio præfixam, sic orditur : *Tandem persolvisti munus, quod septuaginta abhinc annis Bollandus dux vester pollicitus fuerat. Opus sane magnum et magni laboris. Erudita præfatio, tam utilis quam prolixa. Neque enim dubium est, quin doctis vehementer placeant, quæ disseruisti de Bedæ Martyrologio Flori diligentia aucto, tecumque tuis rationibus victi judicent, Henschenium et Papebrochium deceptos Bedæ adjudicasse, quod Bedæ et Flori erat; Floro tribuisse, quod incerto interpolatori adscribendum fuit. De Martyrologio Romano Rosweidi curis edito multum etiam tibi debet litteraria respublica : in quo vindicando tuus eo gloriosior est triumphus,quo plures tibi erant et formidolosiores adversarii, Henricus Valesius, Saussayus, Fronto, Florentinius. Nec laudare non possum tuam de secundo Flori libro conjecturam, eum esse purum putum Adonis Martyrologium, si conjecturam vocare licet sententiam tot tamque solidis argumentis fultam. Quod contra omnium eruditorum opinionem affirmas, Adonem ante Usuardum scripsisse, fuisseque modo non ab Usuardo exscriptum, id ita mihi videtur evidens, ut mirari satis non possim, quo modo a criticis negari potuerit. Neque etiam inutiles futuræ sunt observationes ... Denique auctaria aut Sanctorum ignotorum nomina suppeditant, aut notorum docent quo memoria pertinuerit; qui sane fructus haudquaquam est levis. Hæc omnia pulchre, bene, recte. Si tam præclaris principiis cætera responderent, o librum eximium! o Martyrologium nullis non laudibus extollendum!* F

anonymus quidam, laudatis vehementer reliquis,

illud judicium Sollerii impugnavit iracunde magis qaam solide,

20 Sic ille de omnibus, quæ pacato animo legere potuit in Usuardo Sollerii, non suam magis quam communem eruditorum de illis opinionem elocutus. Neque aliter, opinor, scripsisset Bouillartus de judicio, quod Sollerius tulit de codice Pratensi, nisi istud præconceptæ ipsius opinioni fuisset contrarium. Ego certe deprehendere non potui, Sollerium minori rationum pondere confirmasse dubitationem, sententiamque de illo codice prolatam, quam reliqua a Bouillarto tantopere mox laudata : deprehendere id, inquam, non potui, etiam post epistolam Bouillarti observationesque, quibus impugnat Sollerium, diligenter perlectas, seduloque cum rationibus Sollerii collatas. Itaque iratum fuisse putem : iram enim ubique pro-

dit,

A dit, iratumque se ipse fatetur pag. 190, usus hac phrasi philosophica : *Ulciscerer, nisi iratus essem ;* iratum, inquam, fuisse putem, iratoque animo verum non satis cernere potuisse, cum scripsit sequentia : *Verum in judicio, quod de codicibus tulisti, pace tua dixerim,.. nihil video quod tuam* κριτικὴν δύναμιν *referat ; nihil, quod tibi honori esse possit. Hinc pendebat tamen editionis et pretium et utilitas... Tu codicem omnium antiquissimum, integerrimum, reddendis Usuardi sententiis verbisque accommodatissimum, atque, ut verbo dicam, quod codicem commendat maxime, ipsummet Usuardi autographum, neglexisti nulla causa ; prætulisti codices, quorum nullus omnino purus, alii sunt aliis inquinatiores, quique nec ad judicium de Pratensi ferendum, nec ad edendum Usuar-*
B *dum utiles tibi esse poterant. Atque hæc culpa est, omnium, quas editor possit committere, gravissima, in quam te incidisse, demonstrare aggredior.* Deinde disputationem subjungit magna quidem verborum vehementia, sed iis fere rationibus instructam, quas jam ante Sollerius in præfatione sua cap. 3, artic. 4, § 1 consideraverat attente ac refutaverat.

cui ille ne respondere quidem dignatus est.

21 Misit scriptor ille anonymus Opusculum suum ad Sollerium cum epistola alia anonyma, quam præ manibus habeo una cum responsoriis Sollerii, datis XX Decembris anni MDCCXVIII. Excusaverat ille se, ob styli acrimoniam, opinor, adjungens se paratum esse ad satisfaciendum, si qua in re ipsum offendisset. Respondit ad hoc Sollerius, sibi satis futurum, modo editor ipse, illique, qui librum ejus legerent, conferre voluerint locos, quos ille per avulsas lacinias refutare conatus
C est, textu collato cum textu ; *Quod*, inquit, *labore te sequendi me liberavit, ac pro responsione erit, quam exspectare non debes.* Deinde, paucis interjectis, unicuique persuasum esse ait, se rectius judicium ferre non potuisse de codice Pratensi, idque fecisse majori moderatione, quam anonymus impugnasset editionem suam, *quæ tamen*, inquit, *tuta est ab omnibus censuris tuis, quæque stare poterit sine ulla apologia.* Ita vir prudens, ac melioribus occupatus negotiis, petulantes jocos anonymi illius contemnere maluit quam castigare, cum satis sciret, viris eruditis non tam facile persuasum iri, correctiones Pratensis codicis tam certo Usuardi esse, ut præferri debuerint iis, quæ certo illius erant.

et merito.

22 Nam, fatente adversario, Sollerius, ubi recedit a codice Pratensi, Usuardi expressit Martyrologium, sicut id ille Carolo Calvo obtulit. Audi anonymum seu Bouillartum pag. 36 : D
Neque tamen diffiteor Carolini autographi (sic mihi loqui liceat brevitatis causa, ut Martyrologium Carolo regi oblatum significem) Sollerianam fuisse lectionem. Idque passim agnoscas in ipso adversario. Addit ille : *Correcta* illa lectio *ab Usuardo in Pratensi fuit.* Id incertum erat Sollerio ; et mihi non modo incertum est etiam hodie ; sed vix credibile videtur, auctorem *quinquaginta circiter locis,* (fatente adversario pag. XX) correcturum fuisse exiguum libellum, postquam illum summa cura perpoliverat, ac principi limatum obtulerat. Quapropter nequeo assentiri laudato le Cerf, pag. 45 sic Gallice scribenti : *Martyrologium istud dicatum fuit et oblatum Carolo Calvo. Plausibile est, Usuardum ei non obtulisse originale, quod limavit postea, et in quo mutavit illa, quæ mutata in eo observantur. Interim omnia exemplaria de-* E
sumpta fuerunt ex manuscripto Caroli Calvi : hinc mirari non debemus, diversa esse a manuscripto, quod servatur in abbatia sancti Germani. Assentiri his, inquam, non possum : neque enim solent scriptores Opuscula sua primum in lucem dare, ac deinde limare. Corrigunt illi quidem subinde aliqua, in quibus se errasse deprehendunt : sed correctiones illæ minus sunt frequentes, quam mutationes, quæ occurrunt in Pratensi codice factæ post Martyrologium Carolo oblatum. Si quis dicat, Usuardum voluisse totum Opus suum ad limam revocare, quod monitus esset de erroribus quibusdam ; id mihi certum non erit, ac ne satis quidem verisimile : non enim voluisset Usuardus correctiones illas esse in uno suo codice ; sed, cum toti scriberet Ecclesiæ, curasset, ut correctiones tanta cura factæ aliis etiam innotescerent ; curasset, F
inquam, ut exemplaria deinde describenda ex codice suo correcto desumerentur, non ex primo illo Carolino, cum id facile efficere posset in Ordine saltem suo. Quocumque igitur cogitationem inflecto, semper verisimilius mihi apparet, Martyrologium post mortem Usuardi ab altero ad limam revocatum, aut paulatim correctum, jubentibus vel certe permittentibus domus superioribus. Neque hanc conjecturam destruit, quod idem ubique appareat character : nam si revera omnia ab eodem sint exarata : potuit ille, qui, dictante Usuardo, Martyrologium scripserat, altero deinde dictante, illud corrigere. Prudenter itaque Sollerius contenta in Martyrologio, quod editum constat ab Usuardo, dum illud Carolo dedicavit, prætulit incertis illis correctionibus in codice Pratensi privatim factis,

de

A de quibus merito dubitatur Usuardine sint, an alterius : præsertim cum nec illas correctiones omiserit, sed inter additamenta primo loco collocaverit. Verum hæc sufficiant de illo Martyrologio, cum mihi non lubeat vindicias scribere, quas Sollerius ipse sibi nequaquam putavit necessarias. Pluscula tamen de his videri possunt in Memoriis Trivoltianis in Maio anni MDCCXIX : et loca Sollerii oppugnata conferri cum objectionibus adversarii.

§ III. Reliqua in illustrandis Sanctorum Actis præstita.

Quid præterea Plurima postmodum Sanctorum Acta illustravit Sollerius, quæ decem sequentibus tomis impressa leguntur, nimirum septem tomis Julii, ac tribus primis Augusti, ubi egregii B scriptoris fuit laborum meta. Primum in illis omnibus tomis ejus studio in ordinem digesti sunt Sancti, statutumque, quinam illorum, ac quibus diebus, Operi inserendi, quinam vero aut penitus omittendi ob cultum non satis probatum, aut ad alios dies remittendi. Hi quidem Sanctorum, ac Prætermissorum catalogi, pauciores in tomis singulis replent pagellas : attamen non conficiuntur sine labore industriaque insigni, ob dubia de cultu aliisve de rebus frequenter occurrentia, hominemque requirunt in Martyrologiis aliorumque Sanctorum Fastis versatissimum, qualis certe post illustratum Usuardum erat Sollerius. Hic primus ipsius in decem memoratis tomis labor.

in Actis Sanctorum 24 Accedit in tomis singulis ingens Sanctorum numerus, quorum digessit Acta atque illustravit. Quinquaginta numeravi in primo C Julii tomo, ipsius labore majori ex parte confecto. Inter illos S. Rumoldum episcopum et martyrem, ac Mechliniensium patronum, prolixiori commentario illustravit. Opus autem illud multis ad Mechlinienses spectantibus auctum, ita ut brevem Mechliniæ historiam contineat, seorsum imprimi jussit, dedicavitque illustrissimo archiepiscopo, nunc Eminentissimo S. R. E. Cardinali, Thomæ Philippo de Alsatia de Boussu, ac deinde capitulo metropolitano, magistratuique Mechliniensi. Magnam quoque prædicti tomi partem occupant Acta S. Ottonis episcopi ac Pomeranorum apostoli, erudito Sollerii commentario elucidata. Accedunt ibidem alia satis diffusa, quæ lector curiosus poterit investigare.

25 Secundus Julii tomus Sanctos continet, de quibus scripsit Sollerius, ultra D *illustrandis præstiterit,* octoginta. Ex his imprimis commemoranda est S. Godeleva Virgo et martyr, cujus Acta ceteris prolixiora, separatoque Opusculo contenta, illustrissimo Brugensium antistiti, Henrico Josepho van Susteren, dedicavit : deinde Martyres Gorcomienses, quorum Acta accuratissime scripta : et S. Willibaldus Eystadiensis episcopus, cujus egregia gesta erudite et prolixe elucidata. Nec desunt alii, operosis Commentariis illustrati, quorum catalogum texere longum esset. Eadem Sollerii diligentia apparet in tomo tertio ejusdem mensis, in quo de sexaginta fere Sanctis more sibi consueto disputavit. Multorum ex his gesta operose et prolixe discussa, inter quos tamen eminent S. Amelberga virgo, in Flandria præcipue culta, quæ a synonymis Belgii Sanctis distinguenda fuit; S. Henricus imperator, cujus cum E S. Cunegunde servata in matrimonio castimonia egregie contra Leibnitium defensa, ac demum eximius Ecclesiæ doctor S. Bonaventura, cujus gesta, quo fuerant recentius litteris consignata, eo majori judicio fuere examinanda, elucidandaque.

26 Ingens ille numerus Sanctorum, ipsius *brevi enumeratione* studio illustratorum, quem ex tribus tomis pro exemplo dedimus, per omnes sequentes tomos deducitur. Ratio hæc est. Dum Sollerius ex Fastis quibuslibet discutiebat, quinam Sancti ad singulos dies Operi essent inserendi, eodem fere labore de Sanctis illis scribebat, quorum gesta minus nota, atque ex solis fere Martyrologiis deducenda. Hanc autem consuetudinem ad finem usque continuavit ita ut prolixiora Acta fere non susciperet discutienda, nisi expeditis brevioribus hisce elogiis. Hinc factum est, ut rarius deinde F diffusiores Sanctorum Vitas illustrare potuerit, cum breviores hæ collectiones, aliaque post memoranda, multum absumerent temporis, et tres tunc haberet socios, ætate vigentes usuque exercitatos, qui interim Acta longiora discuterent atque illustrarent. Quin imo dum hæc attente considero, aliasque Sollerii occupationes perpendo, non intelligerem, quo modo tempus invenire potuerit, ut prædictis aliquid adjiceret; nisi omnino constaret, quam expedite singula perficere, quantaque patientia studiorum labores soleret continuare.

27 Verumtamen vir maxime laboriosus in *præcipuorum* tomis quoque sequentibus difficilia non pauca feliciter expedivit, licet illa videantur mole minora. Sic in tomo quarto Julii S. Gumbertum

A tum confessorem ex multis confusionibus in lucem vindicare conatus est, S. Marinam virginem ab aliis distinxit, de S. Leone IV et de S. Symmacho, Romanis Pontificibus, erudite disseruit. In quinto dicti mensis tomo geminam de S. Maria Magdalena controversiam, multis difficultatibus obnoxiam, fuse pertractavit, reliquaque ad Sanctam spectantia illustravit : varias in eodem difficultates de S. Lewinna virgine expedivit. In sexto autem de S. Laurentio archiepiscopo Mediolanensi accuratum contexuit Commentarium historicum, quod Acta desiderarentur. Hujusmodi quoque Commentarium de S. Victore Papa composuit. Acta vero martyrum Cordubensium, S. Samsonis episcopi, aliorumque varia, Commentario prævio notisque explicavit. In septimo denique Julii tomo, præter brevio- B res collectiones, de quibus jam diximus, gesta S. Marthæ virginis; ac Christi Servatoris hospitæ, studioso innexuit Commentario : de S. Felice II Romano Pontifice ibidem disseruit, spinosasque difficultates dissolvit. Accedunt Acta multorum breviter elucidata. Hic finis Julii mensis, at necdum laborum Sollerii.

ostenditur

28 Necdum, inquam, laborum finis: nam tomo primo Augusti omnes Sancti, ad primum diem spectantes, id est, viginti et quinque, ejus opera illustrati, quorum non pauci Acta habent satis longa, ad disquisitionesque operosas. Inter hos S. Eleazarus cum septem fratribus Machabæis et horum matre; SS. Fides, D Spes, Charitas, et Sapientia; S. Justinus puer et martyr; S. Justa virgo et martyr; S. Bandaridus episcopus; S. Jonatus abbas, ac S. Etheldus abbas. Sequuntur in eodem tomo ad singulos dies alii, in quorum gestis colligendis elucidandisque viri laboriosi versata est industria. Continuavit hanc industriam, licet laboribus jam utcumque fractus, in tomo memorati mensis secundo, in quo de quinquaginta Sanctis disseruit, inter quos operosius elucidati sunt. S. Memmius primus Catalaunensis episcopus, S. Cassianus Augustodunensis antistes, ac S. Hormisda Romanus Pontifex : reliquorum gesta monumentorum defectu brevius examinata sunt. Demum in tertio Augusti tomo, cum ætate tum perpetuis studiorum laboribus exhaustus, post triginta circiter Sanctorum Acta brevi collectione illustrata, E scribendi finem fecit, sibi deinceps et Deo victurus. Habes, benevole lector, scripta Sollerii brevi compendio enumerata, ita tamen, ut in prioribus tomis tantum enumeraverim ea, quæ ceteris longe erant prolixiora, multaque ad tædium vitandum prætermiserim, in quibus summam diligentiam pari cum eruditione conjunxit. Tandem si omnia computare voluerimus ipsius scripta, plurima sane erunt; nec ullus hactenus in vasto Opere nostro tam multa collegit, digessit, elucidavit, si Henschenium excipiamus et Papebrochium.

CAPUT TERTIUM.

Reliqua gesta Sollerii ad Acta Sanctorum promovendum.

F

Varia præstita

Non scribendo dumtaxat Acta Sanctorum egregie promovit Sollerius, sed multa quoque alia præstitit quibus id effecit, ut multo jam tempore celerius solito provecta sint, eademque celeritate, divino aspirante favore, promovenda imposterum sperare liceat. Postquam anno MDCCXVI Baertius, hemiplexia correptus, senio et morbo ad labores factus erat inutilis sicut in ejus elogio relatum est ante tomum II Julii pag. VI, Operis sumptuosi procurationem, cujus dudum partem gesserat, totam suscepit Sollerius, tantaque diligentia, industriaque ac annos facile viginti illam administravit provinciam, ut hac quoque ex parte videatur Actis Sanctorum non minus profuisse, quam perpetuo scribendi labore illa promovendo. Rem paullo enucleatius declaro. Cum illustrissimus Mechliniensium archiepiscopus, Eminentissimus hodiedum S. R. E. Cardinalis de Alsatia, Viennam Austriæ cogitaret mense Augusto anni MDCCXV, Sollerium itineris comitem desideravit. Hic autem excellentissimi antistitis voluntati obsecutus, eodem anno Viennam attigit, ususque ea opportunitate, Acta Sanctorum Augustissimo imperatori gloriosæ memoriæ Carolo VI commendare decrevit, ut, quemadmodum subsidio augustissimæ domus Austriacæ dudum promota fuerant, ejusdem deinceps munificentia citius proveherentur. Rogata igitur impetrataque audientia, benigne a Cæsare exceptus est, expositaque supplicationis suæ causa, familiari etiam colloquio honoratus, ac demum cum spe optima ab Augustissimo imperatore remis-

sus.

A sus. Neque vero spem Sollerii fefellerunt munificentissimi principis usque ad obitum, toti Europæ luctuosissimum, subsecuta deinde subsidia, quibus suffragantibus ea efficere potuit, quæ plurimum ad celeriorem Operis promotionem conduxerunt.

ad Acta Sanctorum

30 Imprimis curavit, ut tomorum impressio facilior imposterum fuerit et expeditior. Etenim tantæ non raro impressioni difficultates fuerant injectæ a typographis, ut Opus ipsum morarentur, studiaque intermitti deberent ob curam quærendi typographum, difficultatemque inveniendi unum aliquem, qui sumptuosi Operis impressionem auderet suscipere. Ita Papebrochio, non sine magno studiorum detrimento, Amstelodamum proficiscendum fuit, multisque mensibus ibi hærendum, idque inutili demum labore, quod nemo unus inveniretur
B Antverpiæ, qui mensem Aprilem prælo vellet subjicere, ut refertur in ejus elogio ante tomum VI Junii pag. VII. Quapropter Sollerius, consideratis difficultatibus damnisque aliis, quæ progressum Operis impediebant, libellum supplicem nomine Janningi, suoque et sociorum, Cæsareæ Regiæque majestati obtulit in senatu Brabantiæ, ut liceret sibi sociisque Acta imprimenda curare per quoscumque typographiæ peritos, seu servos typographorum, ne typographi deinceps Opus nostrum proveherent solum, quantum e re sua esset, aliisque frequenter interrumperent. Obtinuit petitum privilegium Sollerius anno MDCCXVII, tomumque primum Julii mox prælo curavit subjiciendum. Absolutus fuit primus ille tomus post biennium, quem alii semper post biennium aliud secuti, serie hactenus non interrupta.

celerius

C 31 Porro, ut Opus laboriosissimum tam cito procederet, non satis erat typorum curatores ad manum semper habere: verum vel maxime curandum erat, ne umquam ad prælum versandum deesset materia. Egit igitur Sollerius cum superioribus Societatis, ut sibi sociisque ad scribendum destinatis vacare magis liceret ab aliis negotiis, iis præsertim, quæ plus temporis requirunt, vehementerque Actorum progressui obsistunt, qualis est dicendi ad concionem, sacrasque confessiones audiendi cura. Annuerunt benigne superiores, prudentis viri rationibus intellectis, atque ipsum et socios omni fere hac cura liberarunt, relictis solum pauculis, quæ ipsorum studia non magnopere videbantur impeditura. Locum insuper ad studendum aptiorem reddidit Sollerius: quippe, cum antea in uno omnes loco studerent, indeque frequentes orirentur distractiones, ob advenientes ad museum visendum hospites, aliosve, D qui cum uno ex illis quidpiam habebant negotii, curavit ille, ut singuli separatum haberent cubiculum, museo communi vicinum, ne, dum unus necessario distrahendus erat, alii quoque a studiis avocarentur.

promovendum.

32 Jam vero quanta diligentia, solertiaque studuerit colligere documenta omnia, tum impressa tum manuscripta, quæ ad Acta Santorum copiosius rectiusque illustranda conducere existimabat, mihi imprimis constat ex testimonio ejus collegarum, et abunde quoque colligitur ex notitia litterarum, quam præ manibus habeo. Etenim litterarum omnium, quas scripsit Antverpiæ, brevem servavit notitiam, describendo diem, qua datæ, personam ad quam missæ, verbuloque materiam, de qua scriptæ. Implevit brevibus E his titulis tomum unum in quarto cum dimidia parte alterius. Inveni ibidem frequentissime quinque aut sex epistolas eodem die missas, non raro etiam octo vel novem, imo subinde duodecim ejusdem diei numeravi, ita ut numerus omnium, quantum ex pagellarum enumeratione conjicio, ad duodecim circiter millia reducatur. Neque tamen in his numerantur breviores schedulæ, aut epistolæ, quas exaravit, dum domo aberat.

Obsequia varia multis præstita.

33 Porro, si hasce litteras vel ex solis illarum titulis attentius perpendere luberet, tantum in iis difficultatis inveniremus et laboris, ut hæ solæ occupare potuissent virum non instrenuum aut indoctum. Patet imprimis ex titulis, quam frequenter consueretur de rebus maxime variis, nec minus intricatis ac obscuris. Hinc sæpe notavit, epistolam fuisse scriptam *cum dissertatione* F *adjuncta*, *cum annotatis*, responsoriam fuisse *ad multa simul interrogata*, et hujusmodi alia. Ex hisce item aliisque abunde colligere possumus, quam varia multaque multis præstiterit obsequia, quamvis alioquin satis caverit, ne hinc intelligi possent, quæ volebat occulta. Atque hæc sufficiant de laboribus Sollerii litterariis, aliisque ad curam de Actis Sanctorum spectantibus. Licet multa sciens prudensque prætermiserim, quæ viri virtus soli Deo nota volebat, iisque, quorum causa fiebat, vel quibus non poterant non innotescere. Hinc tacitus etiam præterire statui, quantum operæ ac studii posuerit in vindicanda Ecclesiæ Catholicæ doctrina adversus recentiores heterodoxos. Requisitus aliquando fuit atque hinc alio evocatus a magno quodam Belgii antistite, ut operam suam

A conferret ad detegendas hæreticorum quorumdam fraudes. Quem laborem, sepositis tantisper Actis Sanctorum, tam indefesse suscepit ac strenue, tantaque obivit solertia, ut non minus se probarit idoneum ad versutias hæreticorum refellendas, quam utilem ad Acta Sanctorum illustranda. Norunt hæc viri summis dignitatibus conspicui, partim defuncti, partim adhuc viventes. Non defuerunt etiam aliqui, qui putaverunt, Historiam Congregationum de auxiliis divinæ gratiæ, editam a P. Livino de Meyer sub nomine Theodori Eleutherii, Opus esse Sollerii nostri. At hi multum aberrarunt a vero, cum nullam in ea Historia partem habuerit Sollerius. D

CAPUT QUARTUM.

Aliæ Sollerii occupationes : corporis animique dotes, et virtutes.

Pueros doctrina Christiana imbuit, concionatur ; multos

B Præter studia Actis Sanctorum impensa, non deerant Sollerio occupationes aliæ, quæ hominem minus laboriosum totum detinuissent. Pueros multis annis doctrina Christiana erudiit Dominicis quibuslibet diebus, partim sermone Belgico, partim Gallico : ad concionem quoque subinde dixit, sed rarius. Hæc tamen, licet fierent diligentissime summaque industria, minus afferebant laboris, quod obeunda non essent, nisi statutis temporibus. Verum cura confitentes de peccatis audiendi, quam ab initio susceperat, et numquam omnino deposuit, nisi laboribus fractus, plus facessebat negotii. Etenim perspecta viri prudentia, et mira in tractandis animis dexteritas, ingentem attraxerat hominum multitudinem, qui conscientiæ suæ arcana ei pandere cupiebant. Inter illos plurimi erant C viri primarii, ac dignitatibus ecclesiasticis aut civilibus magistratibus insignes, mulieres quoque non paucæ virginitatem sectantes, Deoque devotæ.

de peccatis confitentes audit diligentissime.

35 Hisce aures præbendæ erant non modo diebus festis et Dominicis, sed profestis quoque non raro; uti non ignorant, qui eximiam Antverpiensium pietatem, frequentissimumque ea in urbe Sacramentorum usum perspectum habint. Hisce insuper in morbis, mortisque periculis die noctuque assistendum, cum pauci in his regionibus alium admittant in supremo illo agone adjutorem, nisi consuetum conscientiæ suæ moderatorem, si ille ad manum esse possit. Obiit Sollerius munus illud charitatis multis annis tam sedulo, acsi aliud non habuisset administrandum; tantaque cum industria, ut instructiones ipsius, animarum morbis accommodatas etiamnum servari, et in pretio haberi sciam. Deinde tamen, E quod tempus ad scribendum illo officio videret nimis coarctari, vela contraxit, retentisque solum antiquis pœnitentibus, quos alio dimittere grave videbatur, novos non admisit.

Corporis animique dotes,

36 Quæ hactenus narravimus de Sollerio, abunde probant, virum fuisse corporis animique dotibus prorsus insignem. Satis igitur erit, si has perstringamus breviter. Corpus nactus erat robustissimum, et laborum quorumlibet patientissimum, ita ut valetudo ejus rarissime sit tenta. Cum hisce corporis viribus dederat ei divina liberalitas memoriam excellentem et tenacem, intellectum perspicacem, velocem, et ad quaslibet scientias expeditum, judicium acre et subtile. Hæc autem Dei dona tanto tamque perpetuo studio excoluerat, ut et memoria esset multarum rerum cognitione locupletata, et intellectus obscura quælibet prompte perspiceret, F intricataque facili negotio enodaret, et judicium dubia a certis, ac vera a falsis recte discerneret. Quin imo, si liceat breviter dicere, quod mecum censent, quotquot Sollerium intime cognoverunt, tantum erat illius viri ingenium, cum pari eruditione conjunctum, tanta ad scribendum, ad negotia quælibet expedienda, atque ad consilia suggerenda dexteritas, ut inter summos hujus seculi viros merito numerandus videatur.

cura servandi Regulas Societatis, meditandi,

37 Hasce corporis animique dotes nobilitarunt virtutes homine Christiano et Religioso dignæ. Internas soli Deo notas voluit, et conscientiæ suæ moderatoribus : de externis pauca accipe. Disciplinæ domesticæ semper fuit observantissimus, ad normam Regularum nostrarum mores suos componere, vitamque ordinare sedulo conatus. Hæc dum assevero, plura dico, quam multi sint percepturi :

cepturi :

cepturi : neque enim Regulæ nostræ servantur sine virtutum omnium exercitio. Attamen non lubet discurrere per singulas, quod illa enumeratio nimis esset prolixa. At duas illarum, ex quarum recta observatione reliquarum observantia solet oriri, solum expono. Homines Societatis nostræ de somno excitantur quarta post mediam noctem hora ubi signum ære domestico fuit datum, ut post mediam horam animum pascere incipiant pia meditatione, per horam integram continuanda. Sollerius autem, ne vel minimam particulam perderet pretiosi temporis, sed illud augeret potius, egerat cum Fratre, cui demandata erat alios excitandi cura, ut ad se veniret, lumenque portaret, priusquam signum ære esset datum. Ad vocem excitantis e lecto se proripiebat velociter, et quam poterat citissime animum incipiebat pascere.

annua exercitia obeundi ;

38 Altera Societatis lex est, ut singuli quotannis per dies octo vel decem ab externis occupationibus vacent, et spiritualibus S. Ignatii exercitiis se tradant. Hanc item legem observabat religiosissime, curasque quasvis alias, licet illæ alioquin laudabiles essent et bonæ, eo tempore seponebat. Non solum testantur istud, qui ei ante me convixerunt : verum et aliunde idem deprehendi non sine admiratione quadam. In libris ante memoratis, in quibus notatæ sunt ejus epistolæ, pauci reperiuntur dies, quibus nulla legitur data, numquam fere duo vel tres consequentes titulis epistolarum vacant. Attamen temporibus iis, quibus spiritualia obibat exercitia, totum octiduum passim invenias, quo nullæ notantur litteræ, et pro iis ad marginem scriptum legitur *exercitia*. Tanta vir occupatissimus solertia res suas disponebat, ut pietati instaurandæ libere vacare posset. Ex hisce de aliarum legum observatione, perpetuaque orandi consuetudine fieri potest conjectura.

diligentia in studiis quotidiana,

39 Miro flagrabat studio Dei Sanctorumque gloriam promovendi, illustrandis præsertim Sanctorum Actis; nec laboribus parcebat nec sumptibus, ut Opus proveheret. Verum cum hæc colligi possint ex ante dictis, hic dumtaxat referam; quo diem sibi divideret modo. Ubi horas aliquot menti pascendæ dederat, meditationi nimirum, horis canonicis, et sacrosancto Missæ sacrificio, mane studia inchoabat, eaque summo fervore continuabat toto matutino tempore, ex quo nullam sibi elabi sinebat particulam, nisi impedimentum aliunde interveniret. Multis quoque annis Missam distulit usque ad postremam ante meridiem horam, ut aliorum serviret commodo. Pomeridiani temporis partem primam negotiis externis seu domi seu foris impendebat, posteriorem studiis. Hæc Vir diligentissimus servavit, quamdiu per valetudinem licuit.

virtutes aliæ :

40 Cum summa animi magnitudine solidam conjunxerat humilitatem, ex eaque pullulantem obedientiam; cum mira erga superiores observantia animi libertatem, timoris aut adulationis ignaram. Hinc libere monebat viros etiam primarios, quosque reverebatur maxime, et ipse moneri poterat sine ullo offensionis periculo. Ingenio quidem erat præfervido, sed offensiones quaslibet tam cito tamque facile remittebat ex charitate Christiana, ut jure merito de eo dici potuisset, nullius oblivisci solitum, nisi injuriarum. Eximiam viri constantiam prædicant multi, testantes eodem semper vultu fuisse, et animo immutato, quem nec prospera elevarent, nec adversa deprimerent. Quod quam solidæ virtutis argumentum sit, in homine præsertim ingenii vividi, et gravibus negotiis occupato, facile intelligent, qui inter veram virtutem et umbratiles quasdam virtutis species norunt dijudicare.

ob quas summo in pretio fuit apud viros illustres.

41 Hæ, aliæque virtutes, quas brevitatis causa singulas non recenseo, cum summa eruditione conjunctæ, effecerunt, ut in pretio esset et amore apud summos quosque et infimos. Possem sane catalogum texere bene longum virorum illustrium, qui Sollerium eximia prosecuti sunt benevolentia, interque illos recensere plerosque Belgii nostri antistites, quorum defuncti sunt aliqui, aliqui superstites : possem non pauciores enumerare, qui vel in epistolis vel in libris typo editis eum suis honorarunt elogiis, inter quos primo loco nominandus esset, qui universalem hodiedum feliciter regit Ecclesiam, Benedictus XIV; sed vereor, ne limites excederem brevitatis mihi propositæ. Ad alia igitur progredior.

CAPUT QUINTUM.

Post celebratum jubilæum paulatim deficit : postremus morbus ac obitus.

Septuagenarius fere paulatim deficit :

Sub finem anni MDCCXXXVI cum annum inchoasset quinquagesimum vitæ Religiosæ, Jubilæum de more celebravit Sollerius, vigens etiam tum, et corpore satis robusto pro ætate,

sed

A sed asthmate subinde vexatus. Increvit paulatim istud pectoris malum, atque eo deduxit Senem optimum, ut anno sequenti MDCCXXXVII moriturus videretur, atque extremis Ecclesiæ subsidiis ad luctam fuerit munitus. Convaluit tamen utcumque ex morbo, sed iisdem corporis animique viribus numquam futurus, nec studia consueta resumpturus. Quippe ab eo tempore, sive id ortum fuerit ex corpore male affecto, sive ex perpetua studiorum contentione, memoria ante firmissima vacillare paulatim cœpit, summumque istud ingenii acumen hebescere, ita ut imposterum a munere scribendi fuerit amovendus, ipseque agnosceret, non eumdem se esse, qui fuerat.

obit tamen semper consueta pietatis exercitia,

43 Ab anno igitur MDCCXXXVII ad finem vergente usque ad obitum sibi uni vixit et Deo Senex emeritus. At, qui semper fuerat occupatus, ne illo quidem tempore umquam erat otiosus; sed vel ordinaria pietatis obibat exercitia, B vel legebat aliquid, vel rosarium, ut vocant, recitabat, quod semper fere habebat in manibus. Abstinuit etiam deinceps ab offerendo incruento Sacrificio, ne aberraret vacillans memoria, at diebus quibuslibet Dominicis et festis sacrosanctum Domini Corpus in sacello valetudinarii suscipiebat magna reverentia et tenerrimo pietatis sensu. Miratus sum frequenter incensum optimi viri desiderium erga cælestes hasce epulas, quod, cum ejus ea in re plerumque essem minister, passim me interpellaret pridie festorum de Sacro dicendo in valetudinarii sacello, ut angelico ibidem Pane reficeretur; eamque servavit consuetudinem, donec supremo decumberet morbo. Summa quoque erat piissimi viri cura, ut Missæ C sacrificio interesset quotidie. Hinc non raro contingebat, ut duabus interesset vel tribus, quod oblitus esset, se uni mane adstitisse. Imo ne tunc quidem umquam neglexit annua spiritus exercitia, sed ea inchoaturus undecim simul adferri jubebat libros asceticos, ut illorum ope exercitia obiret, si non pari mentis vigore, quo id D ante fecerat, pari certe diligentia.

et mira patientia tolerat corporis fatiscentis incommoda:

44 Senex erat minime morosus aut querulus, mire patiens et fraternæ charitatis amantissimus. Numquam de ullo incommodo conquerentem audivi, ne in supremo quidem morbo; numquam male loquentem de aliquo. Cum in illam subinde incidebat cogitationem, quod nihil jam opis adferre posset, ad Acta Sanctorum illustranda, *hominem inutilem* se nominabat, indeque non nihil doloris pati videbatur, sed brevissime: namque vix pauca verba audierat de divina providentia, suas singulis metas statuente, quin continuo manus conjunctas ad cælum elevaret, seque totum divinæ permitteret dispositioni. Sic placide et sine cura vixit Senex emeritus toto fere triennio, donec placuerit divinæ bonitati perpetuos ipsius labores, E quibus corporis animique vires exhauserat, cælesti, ut merito confidimus, gloria coronare.

supremus morbus et obitus.

45 Anno MDCCXL, mense Aprili, lectum tenere cœpit valida correptus febri. Prima die Maii, præmissa confessione de peccatis, supremum Viaticum pie suscepit, nostris præsentibus; quibus itidem assistentibus, postridie Sacro Oleo fuit inunctus, uti ipse petierat, a Superiore domus ea de re interrogatus. Remisit deinde vis morbi, ita tamen, ut maligna febricula rediret semper, et, quidquid restabat virium, paulatim consumeret. Exhaustis tandem corporis viribus, postquam decubuerat ultra tres menses, animam placide, uti vixerat, Creatori reddidit XXVII Junii natus annos 71, et menses fere 4: ex quibus annos 35 et ultra impenderat Actis Sanctorum illus- F trandis. Hæc habui, quæ de Sollerio posterorum memoriæ commendarem, partim visa, partim ex iis, qui viderant, audita. Tribuat Dominus Viro, de Actis Sanctorum optime merito, pro exantlatis hic laboribus æternam cum Sanctis requiem.

NOTITIA FIGURARUM

ornantium hunc tomum.

INDEX



Victor Palmé, Editeur, Paris. Imp. Lrev[te] George Huelrel. pl. S[t] André des Arts 11 Paris

INDEX

SANCTORUM

IN TOMUM V AUGUSTI

A

B

STICA,

E

F

G

Gesta

statutus

M

auctore

Virgo

S

T

V

Z

INDEX

CHRONOLOGICUS

SECULO X.

SECULO XI.

SECULO XII.

SECULO XIII.

SECULO XIV.

SECULO XV.

SECULO XVI.

SECULO XVII.

SECULO XVIII.

A D

ACTA SANCTORUM

AUGUSTI

TOMUS QUINTUS

VIGESIMA QUINTA DIES

SANCTI QUI VIII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR

B E

Sanctus Bartholomæus apostolus, Albanopoli in Armenia vel Albania.

S. Gerontius ep. Italicæ in Hispania.

S. Eusebius, S. Pontianus, S. Vincentius, S. Peregrinus — MM. Romæ.

S. Maginus vel Maximus M. apud Tarracone̲nses in Catalonia.

S. Genesius notarius ac M. Arelate in Gallia.

S. Genesius mimus ac M. Romæ.

S. Maxima V. et M. in territorio Carnutensi Galliæ.

C

S. Rufina, S. Eutica, S. Julianus et forte Julius, S. Hermes, S. Justus, SS. Milites XVIII — Martyres.

S. Julianus M. in Syria.

S. Joannes eremita Ruselli in Aprutio Italiæ.

S. Victor seu Victurus ep. Cenomanis in Gallia.

S. Gennadius I, patriarcha Constantinopolitanus.

S. Severus abbas Agathæ in Occitania Galliæ.

S. Epiphanius patriarcha Constantinopolitanus.

S. Mennas vel Menas patriarcha Constantinopolitanus.

S. Aredius abbas Altanensis, apud Lemovices in Gallia.

S. Ebba V. et abbatissa in Coludensi Scotiæ monasterio.

S. Patricia V. Constantinopolitana, Neapoli.

S. Hunegundis virgo, in cœnobio Humolariensi in Veromanduis.

S. Gregorius Ultrajectinæ ecclesiæ rector, Ultrajecti in Belgio.

F

S. Ebba abbatissa, SS. multæ ejusdem sociæ — MM. in Coludensi Scotiæ monasterio.

S. Martianus abbas Aptæ Juliæ in Provincia Galliæ.

S. Gurloesius abbas, Ordinis S. Benedicti, in Kimperlegiensi monasterio Britanniæ minoris.

S. Ludovicus Francorum rex, prope Tunetum in Africa.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

A D

Sancti Titi episcopi Gortynæ in Creta *solennitas celebratur hac die apud Græcos; apud Latinos vero annua ejus memoria recolitur, et apud nos de eo actum est* IV Januarii.

In Bremensibus sancti Libentii episcopi et confessoris. *Textus est Galesinii : quem auctorem citat Ferrarius hac die in notis, nec non Canisium (apud quem tamen nihil tunc invenio de hoc Sancto in editionibus anni 1573, et 1599.) Idem Ferrarius eumdem præsulem retulerat die, quo nos de illo egimus,* IV Janua.

Posterior translatio Blanduno Tornacum ad templum S. Mariæ, corporis S. Eleutherii episcopi Tornacensis anno MLXIV *ponitur in Ephemeride seu Kalendario SS. Virginis Mariæ, quod edidit Antonius de Balinghem. De translationibus hujus Sancti adisis diem, quo ejus Acta illustravimus* XX Februarii.

S. Lucii Papæ et martyris *festum ac translationem recoli in aliquot Kalendariis hac die,* B *monuimus jam pridem ad diem* IV *Martii, quo Acta ipsius elucidavimus. Adi ergo eumdem diem* IV Martii.

Elevatio sancti Martyris Gaii, quando in Daniam delatus fuit; de quo latius die IV Martii. *Canisii est annuntiatio. Die* IV *Martii egerat de* Caio Palatino, *de quo etiam nos ad istum diem : sed nihil ibi invenio de ista elevatione ac translatione ad dictum diem* IV Martii.

Translatio sancti Adelberti episcopi et martyris *est apud Grevenum; de qua etiam Florarium nostrum Ms. sanctum hunc præsulem Pragensem ac martyrem dedimus, ac de translatione ejus meminimus, quæ apud varios hodie signatur, ad diem* XXIII Aprilis.

In Tuscia, civitate Florentia translatio S. Zenobii, ejusdem urbis *(episcopi)* et confessoris. *Lege quæ diximus die* XXV Maii.

S. Hildeverti episcopi Meldensis translatio Gornacum. *Consule Commentarium historicum hujus Sancti apud nos* XXVII Maii.

In Luca civitate beati Vincentii episcopi *meminerunt Additiones Bruxellenses Mss. ad Usuardum Greveni. Adeat lector, quæ de SS.* Vincentio episcopo, C *Benigno diacono et sociis, martyribus Mevaniæ in Umbria, habentur ad diem* VI Junii.

In Cimbris Echarii confessoris et apostoli, qui ad Euangelii opus cum SS. Guthagono et Macra se accinxit. *Hæc habet Dempsterus in Menologio Scotorum. Quisnam hic Confessor annuntietur, non est mihi compertum. Nec novi socios, quos ei adjungit. Notus tamen est* S. Guthagonus *confessor, de quo egimus die* III Julii.

Turribii, et Gundanisoli episcoporum Cenomanensium et confessorum *mentio fit apud Grevenum.* Secundum alios vero, *ut ibidem additur,* IX Kalen. Augusti. *Die* XVI *Aprilis, tomo* II *ejusdem mensis, pag. 415 de* S. Thuribio ep. Cenomanensi *scripsimus. Ad diem vero* XXIII *Julii. tom.* V, *pag. 398, de* S. Gundanisolo *nonnulla notata sunt. Consule itaque dictos dies* XVI Aprilis et XXIII Julii.

In Hispaniis civitate Compluto, sanctorum Justi et Pastoris martyrum *memoria inter Auctaria ad Usuardum nostrum signatur e codice Centulensi. Adde Martyrologium a Florentinio editum, Florarium nostrum Ms., Maurolycum, et alia exemplaria. Martyrologium Reginæ Succiæ in lapsum topographicum impingit, dum hac die, postquam mentionem fecisset de* provincia Syriæ, *item* Campaniæ, *ac de* Arelato, *subdit :* Et in eadem provincia, natalis sanctorum Justi et Pastoris, *ut licet videre inter Martyrologia Hieronymiana contracta, et a nobis edita. Habentur in Martyrologio Romano, et apud nos die* VI Aug.

Bartholomæus *cognomento* Parvus *(vulgo* Piccioli) Dominicanus Bononiensis, archiepiscopus Armeniæ, *hac die cum titulo* beati *notatur apud Masinum in Bononia perlustrata; diciturque a Deo accepisse miraculose donum loquendi, ac intelligendi omne genus linguarum, et martyrio affectus fuisse in Armenia 1335. Gaspar Bombaci in libro de Bononiensibus sanctitate illustribus pag. 69 illud affigit circa annum 1318, die* XV *Augusti : et agens de loco sepulturæ ejus, addit, ibidem per continuatorum miraculorum seriem pro* E *sancto illum agnitum, ac Officio particulari honoratum a Fidelibus Armeniæ, ejusque tumbam, longo ordine tabellarum, ac votorum ornatam, resplendere continuis cereis, et lampadibus accensis; ipsosque Turcas, eo concurrentes in suis infirmitatibus, salutem consequi. Clemens Galanus in Opere Conciliationis ecclesiæ Armenæ cum Romana, anno 1650 Romæ edito, parte prima, cap. 30 agit de rebus a* beato, *uti eum vocat,* Bartholomæo *in Armenia præclare gestis; sed ibidem pag. 512,* qui tandem, *ait,* virtutibus ac meritis opimus migravit ad Dominum anno salutis MCCCXXXIII; *ubi vides, nullam fieri mentionem de ejus martyrio. Adduntur autem ista :* Ejus sepulcrum, innumeris hactenus clarum miraculis, in Armenia ab ipsis etiam infidelibus magna colitur veneratione. *Verum hæc, quæ publicam Viri venerationem utcumque videntur indicare, non satis possum combinare cum iis, quæ habentur post Martyrologium, juxta ritum sacri Ordinis Prædicatorum S. Dominici, auctoritate Apostolica reformatum et approbatum, ac jussu reverendissimi P. F. Seraphini Sicci, totius præfati Ordinis Generalis Magistri editum Romæ anno 1616, ut* F *præfert editio, quæ apud nos est : nam post illud Martyrologium præter alia ponuntur Viri sanctitate insignes ejusdem Ordinis, et pag. 92 beati confessores, sed in his observo, quibusdam, sed paucis admodum addi titulum* beati, *in plerisque autem ab eodem abstineri : inter quos est pag. 95* Fr. Bartholomæus Armeniæ episcopus, *qui* vita sanctissima, et miraculorum dono resplenduit. *Jam vero si sufficienter constitisset de legitimo cultu* Bartholomæi; *an verosimile est, publicum illud Ordinis instrumentum nomini ejus non appositurum fuisse dignitatem* beati, *si hæc ipsi fuisset debita? Nec video, quo pacto hic possit præsumi ignorantia. Alia plura, quæ nos retinuerunt, ne* Bartholomæum *in Opere nostro collocaremus, indicata sunt inter Prætermissos ad diem* XV *Augusti, tomo* III *ejusdem mensis pag. 200. Interea dum Sedis Apostolicæ oraculum in hac re aliquid pronuntiasse noverimus, vel eruditi PP. Dominicani certiora nobis documenta de vero ac publico cul-*

tu

A *tu hujus venerabilis Viri ab immemorabili tempore ante famosum decretum Urbani PP. VIII subministraverint, locus ei dari poterit in Operis nostri Supplemento. Consulat itaque lector diem modo assignatum* . XV Augusti

SS. episcoporum et conf. Theobaldi et Theodoli *commemoratio est in nostro Florario Ms. Ad diem* XVI *Augusti apud nos habetur* S. Theodolus *ep. et conf. Seduni in Gallia.* Theobaldi *forte hic scribitur pro* Ubaldi; *cujus Vitam in Mss. Belgicis sub nomine* Theobaldi *scriptam esse indicavimus ad diem* XVI *Maii: de quo vide etiam inter Prætermissos die* I *Julii sub littera* C. *De* S. Theobaldo *autem archiepiscopo Viennensi in Gallia, egimus die* XXI *Maii. Suspicaremur, ab auctore Florarii supra indicari hunc ultimum, quia cum* Theodolo *conjunctus est. Quocumque modo se res habeat, inspici possunt dies* XVI et XXI Maii etc., ac XVI Augusti.

Ludo conversus in Hemmenrode *refertur in Kalendario Ordinis Cisterciensis, Divione edito anno 1617. Vide Prætermissos ad diem* XVII Aug.

B Bernardus abb. *ex variis Kalendariis signatur hac die in nostro indice Ms. Sanctorum, quem Bollandus exaravit. Puto hic indicari* S. Bernardum abbatem *Claravallensem : cujus Acta illustrata sunt* XX Augusti.

Aureæ Virginis et martyris *meminit Florarium nostrum Ms. Indicari hic suspicor hesternam synonymam, alias* Chrysen. *Alia autem V. et M., Cordubæ apud Hispanos, data est ad diem* XIX *Julii. Consuli itaque possunt dies* XIX Julii, et XXIV Augusti.

Aptati presbyteri *dum mentio fit inter Apographa Hieronymiana apud Florentinium in notis ad hanc diem, ponitur individuum, ut ita loquar, vagum, præmisso ipsius annuntiationi adverbio loci indeterminati* alibi : *ut non facile sit assequi, quis, et cujas sit ille* Aptatus : *nisi forte sit* Eptadius, *de quo actum est* XXIV Augusti

Sancti Sandradi abbatis *meminit Beda Plantinianus. Nos de illo egimus inter Prætermissos ad diem* XXIV Augusti.

Interiit Lugduni impie necatus Gratianus pius imperator, cujus præclaras dotes, et egregia C in Ecclesiam merita sancti Patres, sacrique historici altis encomiis prædicarunt, *inquit Saussayus, ponens eum hac die post textum suæ hodiernæ annuntiationis una cum aliis, quos minoribus litteris refert. De morte jam dicta scribunt Baronius et Pagius ad annum Christi 383.*

Vita sancti Micheæ *apocrypha, et e fabulis absurdis consuta exstat apud nos inter Vitas alias Mss. Sanctorum Hibernorum, quas habemus in involucro signato* ✠ *Ms. 167 A, per P. Fitzsimon huc missas, fol. 20 et seqq. Qualis vero hæc Vita sit, e speciminibus intellige, quæ ex illa extraho. Pater ejus dicitur rex Chananæorum, nomine Obeth, filius Eliud: mater regis Arabiæ filia, nomine Alipia: quæ dum annos viginti sterilis esset, prædicitur ab angelo proles parentibus nascitura, dum ter in fonte balneati essent Eliopoli : puer Micheas portatur baptizandus ad episcopum Alexandriæ Magonium, uti vult. Decimo septimo ætatis anno offertur ei post mortem patris, regnum Chananæum : sed illud recusat. Proficiscitur ad civitatem Alexandrinam, habitum monachalem ab episcopo suscipit; sacerdotio initiatur anno ætatis trigesimo : deinde ad natale solum digressus creatur episcopus : expletis autem in episcopali regimine annis 22, hinc discedit, angelo duce :* inde perveniens ad ripam Nili fluminis, sociis LX sibi assecutis, fluminis impetum benedictionis appositione constringens, cum omni comitatu suo securus pertransiit. Deinde ad littus maris Rubri cum sociis veniens, secundum illud Israelitici populi, ab expugnatione Pharaonis per Dominum salvati, sic * vestigio transitum fecit. *Transacto autem bimestri, Hierosolymam : ubi patriarchale ministerium per annos septem rexerit. Ad hæc, ab Angelo ei apparente mittitur in montem Sion, et eodem profecto ostensa ipsi refertur ab angelo arbor illa, de qua pretiosum lignum præscissum erat : e quo ad vocem angeli tres excidit baculos, et angelus quartum. En nova scena : mittitur ab angelo Constantinopolim : cujus cathedræ præficitur. Quid plura? Septem in ea transactis annis Alpes transcendit etc. Denique septem sociorum millibus se comitantibus, totam Galliam, angelo duce, transit,* E *et ad mare Anglicum transfretandum non repertis navibus, cum suis, siccis pedibus permeat illud. Sed jam satis et abunde nugarum ac ineptiarum est. Omitto alia. In fine est:* Iste sanctus sepelitur Dubliniæ in ecclesia sua parochiali . . . et obiit octavo Kalendas Septembris. ORATIO : Deus, qui beatum Micheam pontificem tuum inter innumera mirabilia spatiosum mare sicco vestigio transire fecisti : concede, quæsumus, nos ejus interventu ab omnibus nequitiis peccaminum liberatos esse, secum in æterna lætitia congaudere. Per Dominum nostrum etc. *Præter hæc, nihil novimus de isto qualicumque* Michea, *quo vel historiam ejus a fabulis expurgemus, vel cultum ipsius comprobemus.*

S. Joannis archiepiscopi Constantinop. *mentio fit in Menologio Sirleti, ac Menæis magnis Græcorum. Quisnam sit* Joannes *hic, compertum non habemus. Legi interim possunt quæ de Joanne II, cognomento Cappadoce apud nos observata sunt in Historia chronologica patriarcharum Constantinopol. a pag. 56*.*

Depositio venerabilis Lamberti, piissimæ memoriæ episcopi Lingonensis . . . cui mole carnis gravato Robertus rex Christianissimus ob reverentiam sanctitatis, in consessu episcoporum suppedaneum memorabili omne in ævum regiæ pietatis exemplo ministravit. *Hæc Saussayus in supplemento. Agitur de illo præsule tomo 4 Galliæ Christianæ, editionis novissimæ col. 552 et seqq.; ubi de isto facto nihil invenio.* F

.. Kal. Sept. sancti Quadrati *mentio habetur in Kalendario antiquissimo ecclesiæ Carthaginensis, quod Mabillonius vulgavit tomo 3 Veterum analectorum, anno 1682 Parisiis impresso, pag. 399 post* Massam candidam, *de qua heri actum est apud nos. Verum cum nec huic, nec* S. Quadrato *apponatur, ibi dies mensis; non constat nobis, an ad hodiernum diem, an ad alium referendus sit. Nec vero Mabillonius in Observationibus ad laudatum Kalendarium a pag. 411 cognitum ac perspectum habuit Sanctum istum : quem nos etiam non novimus.*

Depositio S. Romadi confessoris, in Dolensi cœnobio Bituricensis diœcesis honorati, *notatur*

tatur

A *tatur a Saussayo in Supplemento. Castellanus in Martyrologio universali* S. Romadium *vocat, vulgo* S. Romaize, *ac* Burgidoli in Bituricensi provincia eum annuntiat. *Catherinotus in Sanctuario Bituricensis pag. 34 de* S. Romado *meminit ; cetera nobis ignota, sive cultum, sive res gestas spectes.*

Ronnanus *titulo* sancti *donatur a Camerario in Menologio Scotorum, citante* Dempsterum in Mendicabulis repressis, et alios. *Dempsterum cursim lustravi; sed* Ronnanum *non reperi : nec operæ pretium videtur, singillatim perlegere totum illum libellum; cum Dempsterus æque ac Camerarius sint valde exiguæ, ne dicam nullius, auctoritatis in suis Fastis Sanctorum. Si ad* alios *addidisset eorum nomina; consuli potuissent.*

Piligrimi archiepiscopi Coloniensis elevatio et translatio *nota nobis est e duplice instrumento Ms., quod habemus. Ac primum quidem refert gesta anno 1643, die* XVII *Augusti circa translationem primam : secundum vero agit de expurgatione ossium, ac translatione e*
B *sacristia in mausoleum lapideum ad cornu Euangelii principis aræ SS. Apostolorum, et expurgationem factam signat die* X *Decembris ; translationem autem die* XII *ejusdem mensis anno supra notato. Verum ex hac clausula* protestatus est admodum R. D. Decanus, idque mihi notario, ut signanter exprimerem, imperavit, quod ego hoc ipso scripto notum omnibus esse manifestumque volo, nihil hic aliud gestum esse, quam corpus archiepiscopi Piligrimi de loco in locum digniorem, qui fundatori ecclesiæ debetur, translatum consuetis ab Ecclesia præscriptis ritibus, nullo cultu religioso reliquiis ejus exhibito : donec aliud quidpiam a Sede Apostolica circa ejus beatificationem statuatur : *ex hac, inquam, clausula patet, nullum tunc temporis publicum cultum ei exhibitum fuisse, atque adeo illum inter reliquos hujus diei Cœlites non collocandum : cum nesciamus, an postea apud Sedem Apostolicam aliquid tentatum sit. Mentionem vero facimus de eo hac die, qua dicitur obiisse in inscriptione, quæ profertur in primo instrumento. Plura de hoc Viro sug-*
C *gerunt Gelenius lib. 3 Coloniæ suæ, syntagmate 6, a pag. 298, et editio nova Galliæ Christianæ tomo 3, col. 655 et sequentibus. Gelenius autem lib. 4 in Fastis, die* XXV *Augusti, pag. 717 titulum* venerabilis *ipsi dumtaxat tribuit.*

Sanctorum Aredii abbatis, et Justini presbyteri ac confessoris *mentio habetur inter Auctaria ad Usuardum ex editione Lubeco-Coloniensi, ac Greveno : quos etiam annuntiat Martyrologium vulgo Canisianum. S. Aredium abbatem dabimus hac die : quisnam vero sit Justinus ille, incompertum nobis est, atque adeo illum prætermittimus, donec plura de eo resciamus.*

Michanus *aliquis notatur ex variis Kalendariis in nostro Ms. indice Sanctorum, de quo supra.*

Hac die, prima dedicatio ecclesiæ Laubiensis *scribitur apud Ferrarium in Novo Catalogo Sanctorum.*

Item Pactis, dedicatio ecclesiæ cathedralis.

Denique, Apud Vicentiam in M. Berico, dedicatio ecclesiæ B. M. V. *De hac postrema annuntiatione,* Abest, *ait,* ab urbe M. P. Ibi cœnobium Fratrum Ord. Servorum, et imago B. M. V., innumeris miraculis, uti vota tot D
appensa testantur, fulgens, ob duas ejusdem Virginis apparitiones : quarum altera in diem VII Martii; altera in 2 Augusti incidit. Sed præsenti die solemnitas et apparitionis et dedicationis agitur.

In Petrogorica provincia S. Riberus *(vulgo* S. Rabier) confessor *scribitur apud Castellanum : aliunde nobis ignotus.*

Lindisfarnæ S. Egredi episcopi. *Ita Ferrarius : de quo etiam Dempsterus. Nos majores de illo notitias desideramus.*

Toleti, beati Martini Ruizii confessoris, miraculis clari. *Annuntiatio est Arturi a Monasterio in Martyrologio Franciscano. Sed cautius ab illo titulo* beati *abstinent Waddingus et Hueberus. Hic enim in Menologio ejusdem Ordinis* Martinum *a virtutibus et miraculis laudat : ille vero in Annalibus Minorum tomō 8, anno 1733 Romæ edito, ad annum 1364, num. 20, in egregio elogio, quo illum condecorat, inter alia sic scribit :* Obiit sanctissime in veteri Conventu S. Francisci Patrum Conventualium, qui postea datus est E
sororibus instituti sanctissimæ Conceptionis, ibique conspicitur ejus sepulcrum in muro arcuato supra cratem sanctimonialium ad latus Euangelii, et ex alia parte altare, in ejus honorem erectum, imposita tabula, quæ aliquot ejus miracula repræsentat; *sed nihil ibidem invenio, quo publicus Viri cultus sufficienter probetur. Liceat interim mihi quærere, cujus auctoritate, et quo tempore illud altare erectum fuerit; ad hæc, an, et quidnam in eodem altari ad honorem ejus fiat. Enimvero de hoc altari nihil lego apud citatos Arturum ac Hueberum. His itaque consideratis, non audemus hactenus* Martino *isti alium dare locum, quam inter venerabiles. Vitam ejus habet Benignus Fremaut, Ordinis FF. Minorum Recollectorum, in Generali Legenda Ordinis S. Francisci, Flandrice edita, ad diem* XXV *Augusti. Alios, qui de ipso agunt, recitat Arturus in notis.*

Huic nonnullos alios subjungimus e Fastis Franciscanis.

Ludovicus Sotellus, *apud Facum in Japonia pro fide combustus*
Gerardus, *Mutinæ in Italia* F
Quidam Sanctus *in Monte Compatre in Latio*
Mariartus, *Teugmolagii in Hibernia*
Archangelus de Messana, *in Sicilia*
Francisca ab Andrea, *Fulginii in Umbria*
} *ex Fastis Franciscanis apud Arturum et Hueberum.*

Additur ab Arturo : Florentiæ, Catharinæ de Pazzis, virginis, *cum titulo* beatæ; *quo etiam annuntiat* Joannem Numantinum conf., *in India Orientali, ac* Petrum a Fonte, *Abulæ.* Mariartum *et* Archangelum *inter hodiernos non habet. Alios supra recitatos vocat etiam* beatos. *Hueberus dicit,* SANCTUS colitur; *sed dictum non probat. Castellanus in suo Martyrologio universali,* Sotello *jam laudato, quem* prope Omuram in Japonia *annuntiat, duos Fratres laicos ejusdem Ordinis; anonymum ex Ordine FF. Prædicatorum, et alium e nostra Societate, adjungit, apposito anno 1624; qui etiam signatur in Menologio Societatis Jesu Ms., quod habemus, ad diem* XXV *Augusti, et in quo Pater ille,* in civi-

tate

A tate Omurana, *sicut ibi indicatur, diuturno igne combustus, vocatur* Michael Carvaglio, *ac dicitur natione* Lusitanus, *patria* Bracarensis; *laudaturque a vita angelica, et afflictationibus corporis etc.*

Vita venerabilis fratris Petri Vasquez, gloriosi fidei Christi confessoris *datur hac die apud Marchesium in Sacro diario Dominicano. Vide quæ dixi statim de anonymo ex Ord. Prædicatorum et aliis.*

Vita sororis Dominicæ Vorræ, *quæ cum opinione sanctitatis obiisse refertur in monasterio S. Catharinæ Senensis Neapoli, habetur hac die in eodem Sacro diario.*

In Hemmenrode depositio beati Arnoldi de Sancto-Severino *notatur ab Henriquezio.* Beati *titulum ipsi dat consueta liberalitate sua : nam subdit :* Qui ... pie obdormivit in Domino.

In Gallia Paulus *titulo* beati *donatur in Menologio Cisterciensi apud Henriquezium, qui eum laudat, et sub Hugonis abbatis Bonavallensis magisterio novitium obiisse memorat.*

Item In Gallia Narbonensi beatæ memoriæ Joannes Marionus *in eodem Menologio laudatur.* B *Utrumque etiam refert Saussayus, at minoribus litteris, hac die post textum annuntiationis suæ.*

Incendium oppidi Tuitiensis, in quo Corpus Dominicum a flamma circumfusa intactum remansit, *memorat Molanus in editione anni 1573, hac die accidisse. De hac re etiam scribunt Wionus, Dorganius, Menardus.* Tuitium *autem, vulgo* Duitz, pagus *est* Germaniæ cum cœnobio, ad ulteriorem Rheni ripam, contra Coloniam Agrippinam, *ex Baudrando.*

Historiam admirabilem vitæ ac mortis miraculosarum beati Fratris Rayneri a Burgo sancti sepulchri, Religiosi Capucini, in Italia anno MDLXXXIX mortui, die XXV Augusti, *habemus in folio expanso Gallice editam Leodii (sed annus impressionis non additur) cum approbatione R. Vicarii generalis Leodiensis, ac consensu superiorum. Virum hunc veneramur tum propter singulares ejus virtutes, tum propter res mirabiles, quæ de illo in dicta Historia commemorantur; sed sub* beati *titulo aliis* C *hujus diei Cœlitibus in hoc Opere illum non annumeramus, donec Sedis Apostolicæ oraculum loquatur. De eo etiam agit Hueberus in Menologio Franciscano ad diem* XXVI *Martii, apposito ibidem anno 1581 : ubi et recte a titulo* beati *abstinet, et narrationem suam ita concludit :* Superiorum authoritate formantur pro eo . . . processus ad finem canonizationis.

Pistorii in Thuscia S. Felicis presbyteri *memoria exstat hac die in utroque Catalogo Ferrarii, et in Martyrologio universali apud Castellanum. Habetur in Romano* XXVI Augusti

Joannes Bassandus *cum titulo* beatæ memoriæ, *hoc die tamquam ejus emortuali laudatur a Saussayo in Supplemento. Eum quoque annuntiat Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum, et* beatum *vocat. Quidnam ei debeatur, dispiciemus* XXVI Augusti.

Aletii in Salentinis S. Orontii primi ejusdem urbis episcopi et martyris. *Ita Ferrarius in Novo catalogo SS. Ast in Catalogo Sanctorum Italiæ, de eo agit die* XXIV. *Adisis dicta inter Prætermissos die* XVI, XX *et* XXIV *hujus mensis, ac dicenda ad diem ejusdem mensis* XXVI Aug.

Justus episcopus Aletinus et martyr *habetur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ. At* D *nos de eo acturi sumus die* XXVI Augusti.

Simplex quædam femina, Ermina nomine, Remis claruit, paupercula quidem censu, at patientia et humilitate locuples, variisque ac portentosis apparitionibus sibi factis probata a Deo, quas auctor quidam synchronus, cujus Ms. exstat apud Sanvictorianos Parisienses, fideliter retulit, edidítque nuper R. P. de Foigny, sacræ theologiæ doctor, Gallico idiomate. *Hæc, et plura alia de* Erminæ *visionibus refert Guilielmus Marlot in Metropolis Remensis historia tom. 2, lib. 4, cap. 26, a pag. 679.* Vivere desiit XXV mensis Augusti . . . anno MCCCXCVI, *qui ibidem signatur in ejus epitaphio Gallico.* Tumulata *dicitur apud Marlotum* in navi ecclesiæ S. Pauli, ubi nunc chorus est monialium, sub albo lapide, qui incisa cernitur ejus effigies cum brevi hoc epitaphio, *de quo jam memini. Deinde subdit, historicam visorum et ostensorum* Erminæ *narrationem a Joanne Morellio, Sandionysiano apud Remenses canonico Regulari, Parisios missam esse at Gersonium academiæ cancellarium,* quatenus, eadem prius E discussa, et diligenter examinata cum Petro d'Ailly, Navarræi collegii archimagistro, demum episcopo Cameracensi . . , edicere velit, an seculi mores permittant, ut prælo committeretur. *Quale vero Gersonius super hac re judicium tulerit, patet e tribus conclusionibus ejus, quæ ibidem pag. 681 et sequentibus legi possunt. Porro conclusiones Gersonii, ac Vitam* Erminæ *valde diffusam in Ms. habemus. Sed quod huc potissimum spectat; deberet probari publicus ejus cultus. Gersonius in conclusione tertia meminit quidem* de mirabili hujus devotæ ac piæ mulieris vita ; *et in prologo ad Vitam Ms., de qua dixi,* Christi fidelis ancillæ Erminæ *nomine vocatur. Deinde sequitur :* Incipit Vita Christi fidelis ancillæ Erminæ venerabilis viduæ. *Post Vitam denique hæc ponitur clausula :* Explicit historia Erminæ, Christi fidelis ancillæ, quam fecit primo in Gallico frater Radulphus supprior Vallis scolarium Remis, confessor prædictæ famulæ Dei, et hanc dominus Joannes de Balayo supprior canonicorum Regularium S. Augustini Remis apud S. Dionysium translulit de F Gallico in Latinum. *Marlotus post* Erminæ *gesta, quæ addit pag. 681,* quæ omnia a directore Johanne le Graveur scripto mandata sunt, stylo quidem simplici, sed vero, ut ab infimæ conditionis femina narrabantur. *Itaque non satis concipio, primo, quo nixus fundamento hanc* Erminam *Castellanus cum titulo* beatæ *referat die* XXVI *Augusti : secundo, qua ratione ibidem faciat Gersonium Vitæ ipsius auctorem. Vide inter Prætermissos ad eumdem diem* XXVI Augusti.

Festum omnium reliquiarum sanctorum Martyrum collegii Vratislaviensis Societatis Jesu in Silesia, *celebratur ibidem Dominica post festum S. Bartholomæi. Testimonium recognitionis et approbationis istorum sacrorum pignorum, die* XII *mensis Julii, anno 1663 signatum, apud nos est; videlicet* reliquiæ S. Luciani martyris cum integro capite, ossa grandiora complura; S. Maximæ virginis et M. capitis pars anterior cum majoribus corporis ossibus; S. Benedictæ virginis et M. ossa magna in magna quantitate. Denique SS. Nili,

Victo-

A Victoriani, Euticii, Ericii et Demetrii MM. notabiles reliquiæ. *Observa 1°.* Corpora SS. Luciani, Maximæ et Benedictæ, a P. Nicolao Lancicio allata, testimonium habent, cum istis nominibus ea esse inventa. Imo audivi P. Lancicium affirmantem, suas reliquias, quascumque distribuit, esse ejus nominis proprii, non arbitrarie dati, cujus esse asserebat, *sicut testatur* P. Theodorus Moretus *noster, cujus verba transcripsi. Laudantur Nicolaus Lancicius, ac Theodorus Moretus in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu.* 2° Testimonium reliquiarum SS. Nili etc. Martyrum a P. Goswino Nickel datum, *qui deinde ejusdem Societatis fuit decimus Generalis,* seorsim est missum, *uti notat laudatus P. Moretus, et assignat istos tribus e dictis Martyribus dies;* S. Maximæ V. M. Romæ 2 Septembris : S. Luciano Rom. M. XXVIII Maii : S. Benedictæ V. M. Rom. V Maii. *De hac facta mentio inter Prætermissos die* V *Maii : de illo* XXVIII *Maii.* S. Maxima martyr, *sive hæc sit illa, sive alia, signatur* Romæ *in Mar-* B *tyrologio Romano ad dictum diem* 2 Septem.

S. Grata *a die* I *Maii ad hunc remissa, quo tunc colebatur. Nunc vero colitur die* IV *Septembris. In utroque Ferrarii Catalogo ad præsentem diem dicitur* vidua. *Dabitur* IX Sept.

Corpus S. Osmannæ virginis est in quodam sacello prope ecclesiam S. Dionysii : ac in ejusdem breviario Vita ipsius succincte descripta est die XXV Augusti. *Ex Breulio in Theatro antiquitatum Parisiensium lib. 4, pag. 1107. Sed Castellanus in suo Martyrologio universali, ac novissimum Martyrologium Parisiense hanc sanctam Virginem annuntiant alio die, quo et apud nos de ea tractabitur,* IX Sept.

S. Thomæ confessoris, et episcopi Herfordiensis depositio Monte-Flasconis in Tuscia, *refertur in Martyrologio Anglico Joannis Wilsoni, anno 1608 edito. Habetur in Romano hic Præsul* 2 Octobris.

Transitus sanctæ Alveræ virginis *refertur apud Saussayum tomo 2, pag. 1249. De ea apud nos tomo 3 Aprilis, die* XXV, *pag. 366 mentio facta est ex* Martyrologio Ms. monasterii S. Sabini in agro Tarbiensi. *Ibidem etiam a* C *nobis obiter dictum de* reliquiis S. Alvertæ virginis et martyris Aginnensis, quæ germana fuit S. Fidis, et cum hac potest referri ad VI Octobris, *et indicatus etiam ibi fuit istarum reliquiarum locus* apud Petrocorios. *Castellanus in Martyrologio universali ad diem* IX *Martii sequentem ponit annuntiationem :* In Petrocoricensi provincia S. Alvera *(ad marginem vocatur* Alvenera) virgo : cujus caput honoratur in ecclesia sui nominis prope *locum vulgo* Limeil. *Habemus hic* Alveram *virginem diverso die notatam; habemus virginem* Alvertam *ac martyrem, ad* VI *Octobris relatam. An vero, et quot sint distinguendæ, non scimus. Videri interim poterit, an major notitia his accessura sit* VI Octobris.

Translatio sanctæ Hedwigis Ducissæ Slesiæ, de qua postea, *ex Additionibus Bruxellensibus* D *Mss. ad Usuardum Greveni. In Florario autem nostro Ms. notatur alio modo :* Translatio sanctæ Hadewigis viduæ, anno salutis MCCLXVIII. *Hæc sancta habetur in Martyrologio Romano die* XV *Octobris, a quo festum ejus transfertur ibidem ac diem* XVII Octobris.

Romæ, passio sanctorum Nemesii diaconi, et Lucilliæ filiæ ejus, quos Usuardus habet pridie Kalend. Novembris, die scilicet, quo corpora eorum a sancto Sixto sunt elevata, *ex Greveno.* S. Lucillæ, filiæ Nemesii martyris *meminit hodie Florarium nostrum Ms., et Castellanus. Sed inter Prætermissos ad diem* XXV *Julii distulimus eos ad diem* XXXI Octob.

Quinque fratrum martyrum, videlicet Benedicti, Joannis, Matthæi, Isaac, et Christini *annuntiatio signatur apud Grevenum, et in Martyrologio Germanico, quod vulgo sub nomine Canisii citari solet. Heri inter Prætermissos dilati sunt ad diem* XII Novembris.

Hilda abbatissa in Anglia *habetur apud nos inter Prætermissos ad diem* V *Martii, et dicitur coli* XXV *Augusti : quo die de illa agunt Flo-* E *rarium nostrum Ms., nec non Auctaria ad Usuardum a nobis editum : ubi recte observatum est, ab aliis eam poni die* XVII *Novembris, quo* natalis *ejus* colitur, *uti habet in notis Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum ad* XXV *Augusti.* Hac vero die, *inquit,* aliqua illius translatio celebratur. *Nos inter Prætermissos ad diem* V *Augusti abbatissam illam remisimus ad* XVII *Novembris, quo refertur obiisse apud Capgravium in Legenda Angliæ, Londini edita anno 1516, fol. 180 verso, et apud Mabillonium in Actis Sanctorum Benedictinorum seculo 2, pag. 776. Exspectet itaque lector quæ de ista Sancta dicentur* XVII Novembris.

Mercurii martyris et militis *commemoratio notatur in nostro Florario Ms. Exstat synonymus martyr, ac miles in Martyrologio Romano* XXV Novembris.

Colonia Agrippina, translatio brachii sancti Annonis episcopi et confessoris, a monte Sibergensi ad ecclesiam sancti Georgii, *exstat apud Grevenum. De Translatione hac etiam agitur ex editione Usuardina Lubeco-Colonensi apud* F *nos hac die inter auctaria ad Usuardum nostrum. Colitur* S. Anno *in Martyrologio Romano* IV Decembris.

Romæ, S. Euticiani *(voluit dicere* Eutychiani) Papæ et martyris sepultura, anno salutis CCLXXIX. *habetur in nostro Florario Ms. Annuntiatur hic Sanctus in Martyrologio Romano, et a nobis differtur ad diem* VIII Decemb.

Historia translationis SS. Saviniani, Potentiani, sociorumque Martyrum, in Senonense sancti Petri cœnobium, *narratur in Actis Benedictinis, a Mabillonio vulgatis, sec. 6, parte* I, *a pag. 254. Usui hæc translatio esse poterit alias, quando duo nominati Martyres dabuntur cum Romano Martyrologio ad diem* XXXI Decembris.

DE

A D

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO

ALBANOPOLI IN ARMENIA VEL ALBANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Proposita controversia an S. Bartholomæus sit idem qui Nathanael; probatur rationibus ex SS. Litteris desumptis Nathanaelem fuisse apostolum.

SECULO I. *Cum disputetur, an S. Bartholomæus sit Nathanael,*

Acta sancti Bartholomæi *obscura sane et dubia illustraturi, discutiendam omnino censuimus controversiam, inter eruditos dudum agitari cœptam, utrum* S. Bartholomæus *idem sit qui* Nathanael, *Joan.* I *a Philippo ad Christum adductus. Variæ hac de re, planeque* B *invicem oppositæ sunt eruditorum sententiæ. Eminentissimus Baronius ad annum Christi 31 num. 28 ita scribit:* Putarunt aliqui, Nathanaelem eumdem esse cum Bartholomæo, levibus quibusdam conjecturis permoti : quibus minime assentimur; sed Augustino tutius inhæremus, dum ait, idcirco Nathanaelem non fuisse a Domino electum inter Apostolos, quod esset legis doctor. *Non miror Baronium, re nondum penitus discussa, Augustino inhærendum censuisse. Contraria tamen opinio eodem fere tempore placuit Cornelio Jansenio Gandensium episcopo in Concord. euang. cap. 7, et Cornelio a Lapide in Joan. cap. 1, aliisque eruditionis laude præstantissimis.*

et alii negent, alii affirment, editis dissertationibus,

2 *Rem magis illustrare conati sunt Bartholomæus Gavantus Dissertatione post sacros ritus edita, et Joannes Roberti Dissertatione Duaci impressa anno Christi 1610; in quibus multis rationibus contendunt Nathanaelem non esse alium a* S. Bartholomæo *apostolo. Erudissimus Calmetus in Mat. cap. 10 præcipuis horum rationibus commemoratis, ita pronuntiat :* Omnes hæ rationes, quæ separatim sumptæ vim magnam non haberent, inter se unitæ argumentum formant, cui resistere foret difficile. *Verum Bailletus ad diem* C XXIV *Augusti in* Bartholomæo, *Hanc illorum sententiam non nisi tenui conjectura nixam affirmat, secutus in hoc Tillemontium, Monum. eccles. tom.* I, *pag. 642, qui nota* I *in* Bartholomæum, *nullum huic sententiæ dicit esse fundamentum. Quin Ambrosius Gardebosc Historiæ ecclesiasticæ tom.* I, *pag. 120* errorem Ruperti *vocat, censura temeraria forte magis, quam solida. Miror viros adeo eruditos ne verbo quidem probare conatos esse prætensam harum conjecturarum levitatem, quippe non ignorarunt alia aliorum de his fuisse judicia. Nituntur illi quidem auctoritate S. Augustini, eumque secuti S. Gregorii, qui Nathanaelem fuisse apostolum negant; sed contendunt alii, eas esse rationes, quibus eumdem demonstrant fuisse apostolum, ut auctoritati horum patrum in re historica sint præferendæ. Hic igitur nodus, hoc examinandum.*

res proponitur examinanda.

3 *S. Augustinus, qua fuit animi modestia, nobis, ut spero, hanc dabit veniam, qua ipse se semper usum profitetur. Audi ipsum in epist. ad S. Hieronymum tom. 4 operum S. Hieron. editionis. Pariensis ultimæ part. 2 col. 630 :* Alios *(auctores præter canonicos, de quibus fuerat locutus)* ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, E quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt : nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo; prorsus, inquam, non te arbitror sic regi tuos libros velle, tamquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni lerrore careant, dubitare nefarium est. *Hæc, pro omni etiam materia ab Augustino enuntiata in qua in errorem labi facilius est et frequentius. Non invito itaque S. Augustino, probare primo conabimur, Nathanaelem fuisse Apostolum ex duodecim unum; quod si evicerimus, haud difficulter probabimus, non alium fuisse, quam* S. Bartholomæum. *Argumenta adferemus præcipua ex auctoribus supra laudatis, neglecta quidem ab aliquibus, sed minime refutata, nec pauca ad ulteriorem probationem adjungemus.*

Probatur ex vocatione,

4 *Joan. cap.* I, *describitur quomodo* Nathanael *ad Christum fuerit vocatus : hinc primum nobis, illudque multiplex, suggeritur argumentum, quod ita deducit laudatus Joannes Robertus :* E duodecim Apostolis si quatuor Euangelistas consulas, non omnium vocationem descriptam invenies, sed eximiorum tantum. Primi merito censentur nobile illud par fratrum Petrus, et Andreas; et alterum Jacobus, et Joannes. Re- F stant Philippus, et Matthæus, de quibus inter omnes constet, fuisse Apostolos. Jam vide, si Petri, et Andreæ vocationem seponamus, sitne ullius alterius vocatio majore studio, et accuratione descripta, quam a dilecto Discipulo est Nathanaelis; lege, inquam, primum caput Euangelii secundum Joannem, initio facto a versiculo 45, et exceptis iis, quos dixi, attende, ecquid in aliorum vocatione conferendum invenias. *Ita ille. Liceat hic mihi uti forma magis dialectica. Nullius nisi Apostolorum apud Euangelistas vocatio descripta legitur, nomine illius, qui vocabatur, addito : legitur autem* Nathanaelis *descripta ibidem vocatio nomine, multisque circumstantiis additis ; igitur fateamur necesse est, vel Nathanaelem fuisse Apostolum, vel singularem] prorsus ab Euangelistis Nathanaeli honorem habitum, quod ultimum ex postea dicendis minime est verisimile.*

ordine Apostolorum,

5 *Adverte præterea, si placet, ordinem ab Euangelistis in enumerandis Apostolis servatum ; invenies ubique Petrum, Andream, Jacobum, et Joannem, qui simul a Christo vocati legun-*

tur

AUCTORE J. S.

tur Mat. 4, primo commemoratos : sequuntur ubique Philippus et Bartholomæus. Quæ ratio, obsecro, dari potest, nisi ut ne narratio disjungeret, quos vocatio conjunxerat. Sicut igitur simul vocati sunt Petrus et Andreas, Jacobus, et Joannes; ita tamen ut Petrus per Andream fuerit adductus; ita et simul vocati videntur Philippus et Bertholomæus, ita tamen ut Bartholomæus (apud Joannem Nathanael) per Philippum fuerit adductus. Matthæus deinde, cujus vocatio post sex jam numeratos descripta legitur apud Marcum cap. 2, et Lucam cap. 5, ubique commemoratur post Bartholomæum, nisi quod seipse modestiæ, ut videtur, causa, Thomæ etiam postposuerit. Dic sodes, cur Bartholomæus Matthæo præponitur, nisi quod prior Matthæo post Philippum sit a Christo vocatus? Nam in commemorandis apostolis hunc fere ordinem servasse videntur Euangelistæ, ut qui priores Christum erant secuti, primos numerarent, ubi nulla ratio hunc ordinem invertere suadebat. Hæ duæ rationes non modo apostolum, sed et Bartholomæum fuisse probare videntur, de B quo postea latius.

similitudine cum Petro,

6 Nunc ad aliud argumentum progrediamur, quod ex similitudine, quæ reperitur in vocatione Petri, et Nathanaelis ita format Robertus : Alteram rationem mihi suggerit Parallelum, quod studiose, et velut data opera descriptor Joannes fecit, et sedulo lectori proposuit in duobus illis paribus; hinc Andrea, et Petro; inde Philippo et Nathanaele. Inspice, sodes, mecum, et vide, an ovum ovo, lac lacti sit similius Joan. cap. I.

℣. 41. INVENIT ANDREAS FRATREM SUUM SIMONEM.

℣. 45. INVENIT PHILIPPUS NATHANAEL.

℣. 41. DICIT ANDREAS SIMONI : INVENIMUS MESSIAM.

℣. 45. DICIT PHILIPPUS NATHANAEL : INVENIMUS JESUM.

℣. 42. ANDREAS ADDUXIT SIMONEM AD JESUM.

℣. 46. PHILIPPUS NATHANAELI : VENI, ET VIDE.

℣. 42. INTUITUS PETRUM JESUS.

℣. 47. VIDIT JESUS NATHANAEL.

℣. 42. TU ES SIMON FILIUS JONA, TU VOCABERIS C CEPHAS.

℣. 47. ECCE VERE ISRAELITA, IN QUO DOLUS NON EST.

Tum, paucis interjectis, Petri et Nathanaelis confessionem sic exhibet similem. Mat. 16 ℣. 16 Petrus Christo : TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. Joan. I. ℣. 49. Nathanael Christo : RABBI, TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL. Agnovit similem utriusque confessionem S. Augustinus in Euang. Joan. trac. 7 : Talem vocem protulit (Nathanael) TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL, qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait; BEATUS ES SIMON BAR-JONA etc. Sed prosequamur parallelum. Sic pergit Robertus : Habes utriusque confessionem et professionem, iisdem fere verbis conceptam. Audi jam vicissim Christi responsum, et promissionem, non quidem eamdem, sed tamen utrimque magnam. Mat. 16 ℣. 17. Christus Petro BEATUS ES SIMON BARIONA, QUIA CARO, ET SANGUIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEUS QUI IN CÆLIS EST. Joan. I ℣. 50, 51. MAIUS HIS VIDEBIS : VIDEBITIS CÆLUM APERTUM, ET ANGELOS DEI ASCENDENTES, ET DESCENDENTES SUPRA FILIUM HOMINIS, ait idem Nathanaeli. D

promissione ei facta,

7 Habes perfectissimam similitudinem in Petri et Nathanaelis vocatione, confessione, promissis utrique a Domino factis, laude utriusque veridico Christi ore prolata. Constanter etiam Christo adhæsisse Nathanaelem patebit, quando eum cum Petro aliisque Apostolis post Christi Resurrectionem postremæ Domini mensæ admotum videbimus. Ex his facile colliges ad familiarem Domini convictum, adeoque ad apostolatum Nathanaelem fuisse admissum. Quod si nondum his acquiescas; pressius tecum sic ratiocinabor. Majora Christus promisit Nathanaeli, quam ulli ex discipulis, qui non fuerit Apostolus, igitur et Apostolum fuisse credamus necesse est : maxime cum multa alia concurrant, quæ id persuadeant. Deinde promisit Christus Nathanaeli simul et Philippo apostolo : Videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra filium hominis. Vel, ut Origenes contra Celsum lib. I, et alii volunt, dum Nathanaeli loquitur et Philippo, hæc omnibus promisit apostolis. Cur ergo apostolorum numero excludamus eum, cui E eadem quæ apostolis promissa legimus? Denique hæc promissio impleta a multis statuitur in horto Gethsemani : Ubi, ait Gavantus, certe non convenere nisi apostoli, octo remotius, tres propius Christo Domino.

ex apparitione Joan. 21,

8 Aliud argumentum non minus fertile idem Joannes suppeditat cap. 21, ubi describit, quomodo Christus apparuerit discipulis suis ad mare Tiberiadis. Verba Euangelistæ accipe : Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic : Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael; qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Tum piscationem describit, ac prandium discipulis a Domino in maris litore præparatum : demum subjicit Euangelista ℣. 14 : Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. Hi septem, inter quos tertius nominatur Nathanael, omnes videntur fuisse apostoli. Primo enim hanc apparitionem post duas præcedentes, solis Apostolis factas subjicit Joannes; ac eodem in hac apparitione discipulorum nomine utitur, quo F usus fuerat in præcedentibus. Deinde nomine discipulorum non alios quam Apostolos designat Joannes; ut advertit sæpe laudatus Robertus, vel, ubi designat alios, adjungit continuo ex quo pateat apostolos non fuisse, quos ita nominat. Sic cum cap. 6. ℣. 61, 62, 67 quosdam discipulos murmurasse, et retro dixisset abiisse : mox ℣. 68 eos a DUODECIM alios ostendit. Item cap. 19 ℣. 38 JOSEPHUM AB ARIMATHÆA DISCIPULUM dicit, sed addit occultum propter metum Judæorum. Cum igitur in hac nobili piscatione discipulos Joannes simpliciter nominet; APOSTOLOS utique intelligere debemus : eo etiam argumento, quod qui nominatim, præter Nathanaelem, recensentur, notissimi sunt, atque etiam magni nominis Apostoli. Gavantus argumentum desumit ex eo, quod apparitio hæc vocetur tertia discipulis facta : nam si discipuli quicumque hic intelligantur, quinta dicenda esset aut certe quarta, cum et euntibus in Emmaus apparuerit Dominus, tertia autem est, si soli intelligantur apostoli.

9 Lubet hic etiam pauca interrogare adversarios;

A *sarios; priusquam præcipuum ex hoc loco argumentum proponamus. Cur, obsecro,* Nathanael *hic Jacobo præponitur et Joanni, si non fuerit apostolus? Deinde, unde tantà* Nathanaeli *cum Petro aliisque apostolis familiaritas, quanta hic insinuatur;* Vado piscari. Venimus et nos tecum? *Quippe, si ob legis peritiam ab apostolatu fuerit prohibitus, nec inter 72 discipulos erit numerandus, ut postea pluribus probabitur. Scribit Chrysostomus in hunc locum :* Cum nihil ergo haberent, quod facerent, piscatum se contulerunt, et hoc nocte faciebant quod formidarent. *Dic, sodes, cur nihil habet, quod agat Nathanael, cur formidat, si Christi discipulorum numero fuerit exclusus, quia legis peritus. Hæc breviter : quibus fortasse utcumque responderi poterit, non ita tamen ut non maneat longe verisimilius piscatorem potius fuisse Nathanaelem, aut similis artis professorem, quam legis doctorem. De quo plura, cum ad auctoritatem S. Augustini erit respondendum. Nunc ad aliud argumentum properamus.*

rationibus inde desumptis.

B 10 *Numquam Christus Dominus familiariter egit post Resurrectionem suam, nisi cum solis Apostolis; sed vel aliena specie, vel, ubi innotuerat, brevissime. Apparitiones excutiamus singulas. Apparet Magdalenæ Joan. 20. Aliquamdiu ludit amantem sui mulierem, sed incognitus. Tandem se manifestat; sed ecce a sui contactu prohibitam, e vestigio mittit ad discipulos. Hæc cum Magdalena, quacum ante mortem suam tam familiariter egerat, quæ mortuum tanto studio quæsierat, redivivum tanto gaudio invenerat. Mat. 28* ℣ *9* Occurrit *piis mulieribus* Jesus. *Nec mora :* Ite, *inquit,* nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. *Luc. 24 adjungit se Dominus euntibus Emmauntem discipulis, sed,* Oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent : *interrogat illos, arguit, increpat, instruit, mensæ etiam accumbit semper ignotus. Tandem* Aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. *Quid deinde?* Et ipse evanuit ex oculis eorum. *Viden' quam parce, quam severe cum omnibus his egerit gloriosus jam Dominus? At non ita cum solis Apostolis, quos* Principes super omnem terram *constituit, quosque adeo et blandis verbis consolari, et multis ad Ecclesiam* C *spectantibus instruere oportebat. Luc. 24* Stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Ego sum, nolite timere.... Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et pedes. *Quin et cibum cum eis sumpsit, ut ibidem est legere. En, ut benevole, ut amice, ut familiariter agat; sed cum soli aderant Apostoli. Joan. 20 præsentibus rursum solis Apostolis, amicissime Thomam ad fidem invitat.* Infer, *inquit Thomæ,* digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. *Quid his dici potest amicum magis et familiare? Cæcus igitur sit, qui non videat immensum discrimen inter agendi modum, quem tenuit cum apostolis Dominus jam gloriosus, illumque quo usus est cum discipulis inferioribus. Sed quorsum, inquies, hæc tam late deducta? Ut luce clarius pateat, hanc, de qua agimus, apparitionem, non aliis, quam apostolis, fuisse factam. Ipsam modo apparitionem inspiciamus propius. Joan. 21.* ℣ *4* Stetit Jesus in littore. ℣ 5 dixit eis Jesus : Pueri numquid pulmentarium habetis? ℣. 6. Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. *Mox* ℣ *7 ex captura piscium immensa Joannes Petro :* Dominus est. ℣. 9 viderunt prunas *a Domino* positas, et piscem superpositum, et panem. ℣. 12 *dicit eis Jesus :* Venite, prandete. ℣ 13 Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. *Quandonam vel ante mortem suam familiarius cum suis egit Dominus, quam hic agit? Ostendit se illis, interrogat de captura piscium, docet ubi sint capturi, prandium iis parat, discumbentibus ministrat. Quis credat cum aliis, quam cum apostolis hæc acta esse, qui quam parcum erga alios, et severum se exhibuerit gloriosus Dominus, recte perpenderit? Ostende vel unum præter apostolos, quocum familiariter post resurrectionem egerit Dominus; et imbelle fatebor argumentum. Quem si exhibere non potes; fatere mecum, minime credendum esse* Nathanaeli, *aliisque duobus, hic datum esse, ut cum Christo mensæ accumberent tam familiariter, nisi fuissent apostoli; cum memineris Magdalenæ, tantæ Christi dilectrici, tantaque antea cum* E *eodem necessitudine conjunctæ, severe dictum esse :* Noli me tangere? *Neque hic dici potest, propter Petrum, aliosque tres apostolos, iis hunc honorem habitum : hoc enim neutiquam est verisimile ex eo, quod in aliis duabus apparitionibus non alii fuerint quam apostoli. Præterea: vel Apostoli post Christi resurrectionem sæpe cum aliis erant discipulis, vel erant plerumque soli : si primum; Christus igitur studiose occasionem captavit, ut, cum soli essent, familiariter cum ipsis ageret. Si postremum : neque hic cum aliis eos fuisse credendum est; neque videtur accessurus fuisse Dominus eo præcise tempore, cum adessent alii. Solis scilicet Apostolis dixerat Dominus Joan. 6* ℣ *71 :* Nonne ego vos duodecim elegi? *Soli hi dicturi erant Act. 10 :* Qui manducavimus, et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. *Soli hi audierant ;* Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. *Hic locus aliud mihi suggerit argumentum, præcedenti non minus efficax.*

AUCTORE J. S.

ex familiari Christi convivio,

11 *In hac apparitione, absoluto prandio, Christus Petro contulit principatum Ecclesiæ, Mat. 16 promissum, ut passim docent doctores et interpretes. Audi Chrysostomum Hom. 88 in illud,* Pasce oves meas. Si amas, *inquit,* me, F fratrum præfecturam suscipe. *Toletus in Commentario hujus loci sic habet :* Prandio peracto, Dominus gubernationem omnium suorum fidelium, et totius Ecclesiæ curam, et regimen committit Petro : impletque quod ante passionem promiserat Matth. 16 : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum; ecce nunc tradit, et eum in caput totius Ecclesiæ inter omnes apostolos elegit. *Nunc quisquis alios hic adfuisse, quam apostolos contendis; ostende ubi Christus egerit de rebus ad Ecclesiæ regimen spectantibus, nisi cum solis apostolis. Mat. 16 præfecturam promittit Petro. Ubi alii quam apostoli? In ultima ante mortem suam cœna, præter alia multa, sacerdotes instituit :* Hoc facite in meam commemorationem. *Nullus interfuit præter Apostolos. In apparitione Joan. 20 :* Sicut misit me pater et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit : et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis : et quorum retinueritis retenta sunt. *Soli hic iterum præsentes Apostoli.*

ex eo quod Petrus hic constitutus sit caput Ecclesiæ,

AUCTORE J. S.

Petrum hic creat summum Pontificem. Cur alios præsentes fuisse putem, quam Apostolos?

quia cum Matthia, et Barsaba non fuit propositus, ad locum Judæ implendum.

12 *Aliud argumentum hic habet Gavantus, neque sane ineptum. Si Nathanael non erat de duodecim apostolis*, Cur *in locum Judæ* neque nominatur cum Matthia et Barsaba? *Primo sane loco videretur nominandus, qui Christo et Apostolis constanter adhæserat, ac omni ex parte vir erat laudatissimus. Ratio itaque hæc una videtur fuisse*, quia, *inquit*, jam erat ille de duodecim.

§ II. Respondetur rationibus SS. Augustini et Gregorii, quorum auctoritati aliorum Patrum auctoritas opponitur.

Ratio S. Augustini

N*unc ad auctoritatem S. Augustini respondendum : hæc enim sola varios in contrariam* B *traxit opinionem; hanc unam quasi murum inexpugnabilem omnibus telis nostris opponunt. Trac. 7 in Joan. Euang. post laudatum mirifice Nathanaelem, ita scribit :* Quid ergo facimus, fratres? Deberet iste primus esse in apostolis? Non solum primus non invenitur in apostolis, sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanael est, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei, dicens : Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Quæritur causa? Quantum Dominus intimat, PROBABILITER invenimus. Intelligere enim debemus, ipsum Nathanaelem eruditum, et peritum legis fuisse : propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere; quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. *Quod deinde probat ex Apostolo.* I *Cor. 1. Audiamus etiam quomodo probet magnus Pater, Nathanaelem doctum fuisse, et peritum legis. Facit hoc in psal. 65 his verbis :* Unde intelligimus, quod ille *(Nathanael)* peritus erat legis? Quando audivit ab uno ex eis, qui locuti erant Dominum, dicente : Invenimus Messiam, quod interpretatur Christus : quæsivit unde et dictum est; A Nazareth : et ille : A C Nazareth potest aliquid boni esse. Procul dubio qui intellexit, quia a Nazareth potest aliquid boni esse, peritus erat legis, et bene Prophetas inspexerat. Novi esse in illis verbis aliam pronuntiationem, sed a prudentioribus non est approbata, ut quasi desperasse videretur ille, cum audiens dixisset, A Nazareth potest aliquid boni esse? id est, Numquid potest? Sic pronuntiando quasi desperaret. Sequitur autem ibi : Veni et vide. Hæc verba, id est, Veni et vide, utramque possunt pronuntiationem sequi. Si dicas, quasi non credens, A Nazareth potest aliquid boni esse? Respondetur; Veni et vide quod non credis. Rursus si dicas confirmans, A Nazareth potest aliquid boni esse; respondetur; Veni et vide, quam verum sit bonum quod nuntio a Nazareth; et quam recte credas, veni et experire. Hinc tamen existimatur doctus ille in lege fuisse, quia non est electus inter discipulos ab illo, qui stulta mundi prius elegit, cum tantum ei perhibuerit testimonium Dominus dicens : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. *Habes sensum S. Patris, fideliter relatum. Quædam tamen notanda. Nam nec ipsos, qui S. Augustino gloriantur, adversarios hic eum in omnibus* D *sequi existimo.*

14 *Primo manifestum est, meram hic a S. Augustino dari conjecturam, dum asserit legis peritum fuisse Nathanaelem, ideoque non electum. Id ipse significat, dum dicit :* Probabiliter invenimus. *Rursus id innuit, dum in Psal. cit. ait :* Hinc tamen existimatur doctus ille in lege fuisse, quia non est electus *etc. Ac si diceret : sive legendum sit :* A Nazareth potest aliquid boni esse, *interrogando. Sive:* A Nazareth potest aliquid boni esse, *affirmando : ex eo tamen, quod non fuerit electus apostolus, conjicio in lege fuisse doctum. Hoc igitur modo in sententiam illam, quam obiter asseruit in concione ad populum, abductus videtur fuisse S. Augustinus. Nullum inveniebat in duodecim apostolorum catalogo Nathanaelem nomine; hinc illorum numero non fuisse putavit; rationem quæsivit; nec aptiorem invenit, quam quod legis peritus fuisset, ideoque non electus.*

examinatur,

15 *Nunc audiamus sæpe laudatum Joannem Robertum :* Primum, *inquit,* tota res, et scribendi modus ostendit, Augustinum (quod de E aliis quoque, *puta Gregorio*, siqui antiquorum cum eo sentiunt, dictum volumus) hanc rem non ex professo egisse, ut examinaret, fuissetne Nathanael apostolus, non dubitasse, non existimasse, esse, qui fuisse apostolum sentirent : sed, supposito, ut in scholis loquimur, apostolum non fuisse, rationem affert, quam audisti. Non igitur æquum est, ea in re auctoritatem ejus adeo urgere, quam non nisi obiter asseruit. Deinde, non quamvis Augustini sententiam ejusmodi esse, ut eam pro oraculo habere debeamus, optimus testis est ipse, et ejus retractationum libri. Neque recte dixeris, illud necessario ab omnibus tenendum, *(maxime in re historica)* quod Augustinus asseruit, nec retractavit. Nam ut ab argumento, quod in manibus est, non recedam, in illum Psalmum scribens, quem ante dixi, verba Nathanaelis *(habes totum contextum in psal. 65 superius)* A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE; asseveranter posita vult; non cum interrogatione : cum vulgo omnes iis verbis Nathanaelem interrogasse velint, et emendatiores codices omnes interrogationis notulam iis addant. Neque tamen quisquam veretur Augustini additam ibidem censuram : Novi esse F in illius verbis, inquit, aliam pronuntiationem (nempe cum interrogatione) sed A PRUDENTIORIBUS NON EST APPROBATA.

et ostenditur, S. Augustinum

16 *Juvat hic audire Toletum, qui propter S. Augustini auctoritatem nobis est contrarius. Ita notat annot. 78 in Joan. cap.* I *circa eumdum hunc locum :* Aug. tract. 17 superiorem sententiam duobus modis dictam esse posse affirmat. Unus est interrogandi. Alter est affirmandi. Ipse Aug. affirmanter dictam esse magis probat, quasi Nathanael Philippo consentiens, asserat a Nazareth posse exire Christum. At Cyril. lib. 2, cap. 15, et Chrys. Hom. 19 per modum dubitationis, et interrogationis sententiam legunt, et ea videtur legitima expositio. *Cur igitur Augustini sententiam adeo contra nos urget Toletus, quam ipse in eodem loco deserit? Quin et fundamentum, quo contra apostolatum Nathanaelis nititur Augustinus, destruit, et refutat his verbis :* Si ratio Augustini in universum probaret, nec Paulus eligendus videretur; qui doctior multo Nathanaele erat.

in multis hic etiam deseri ab ipsis adversariis.

17 *Sed pergat Robertus :* Quid, quod ratio,

quam

Ratio S. Augustini refutatur ex Scriptura,

A quam Augustinus affert, ex ipsa divina Scriptura infirmari potest? « Nullus doctus, inquit, primo electus est. » Atqui, O sancte, O admirande vir, SAULUS sane electus est. At quis homo? NUTRITUS SECUS PEDES GAMALIELIS, ERUDITUS JUXTA VERITATEM PATERNÆ LEGIS. (Act. 22 ℣. 3) Quis homo? Qui profecerat IN JUDAISMO SUPRA MULTOS COETANEOS SUOS (Gal. 1 ℣ 14) . . . Atqui, ait sanctus Doctor : « Infirma mundi elegit Deus. » Sic est, fatemur. Sed non abjecit potentes. Recte Apostolus, et provide : Non MULTI sapientes, (1. Cor. 1 ℣. 26) Non dixit, NULLOS sapientes, qui ipse erat sapiens. *Neque dixeris exemplum Sauli minus recte adferri, quia non fuit de numero duodecim Apostolorum : nam ratio, quam affert Apostolus, cur potentes, et docti non fuerint electi, hæc est 1 Cor. 1 ℣. 29 :* Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. *Non minus autem locum habet in Paulo hæc ratio, quam in aliis apostolis. Imo fortasse magis : Paulus enim vas electionis de se ipse ait :* Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis Apostolis, *2 Cor. 11*
B ℣. 5. *Paulus* imperitus quidem sermone, sed non scientia, *ibidem* ℣. 6, Abundantius illis omnibus *laboravit 1 Cor. 15 ℣. 10.* Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum *repleverit* Euangelium Christi, *Rom. 15 ℣, 19. Non itaque universim abstinuisse videtur Dominus ab eligendo legis Judaicæ utcumque peritos, aut sacræ Scripturæ studiosos, sed ab eligendo magni nominis philosophos, aut oratores, qui videri potuissent sua potius doctrina, vel eloquentia, quam virtute crucis Christi, mundum ad fidem attraxisse. Hæc, quantum mihi videtur, mens Apostoli : quod clarius ex dicendis patebit.*

ab exemplo Philippi.

18 *Pergit porro Robertus :* Illud etiam, si licet, disquiramus, unde tandem Augustinus, et alii quidam, Nathanaelem adeo eruditum, et peritum fuisse colligent? An ex eo, quod interrogat, possitne a Nazareth aliquid boni esse? Sive id affirmat, ex Augustini mente? Sed velim mihi dici, cur id majus peritiæ signum in Nathanaele sit, quam in Philippo illud, quod ait : « Quem scripsit Moyses in lege, et Pro» phetæ, invenimus Jesum, filium Joseph a Na-
C » zareth? » Quod si dicas, ex iis recte argui, etiam Philippum peritum fuisse Scripturarum ; jam nihil virum erit, doctum Nathanaelem fuisse ad apostolatum vocatum, quando vocatus est nihilo indoctior Philippus. *Suffragatur dictis S. Chrysostomus Hom. 20 in Joan. editionis novæ Parisiensis, quam semper citabimus, in verba Philippi :* Quem scripsit Moyses in lege et Prophetæ invenimus, *ita scribens :* Viden' quam vigilaret, et quam frequenter Moysis scripta meditaretur? *Si frequenter meditabatur Moysis scripta Philippus, non erat legis, et Scripturæ imperitus. Arcta etiam amicitia, quæ inter Philippum, et Nathanaelem fuisse videtur, innuit, utrumque iisdem ferre studiis fuisse addictum. Hæc sufficere putamus, ut pateat, non esse hic inhærendum auctoritati S. Augustini; neque ipsum Augustinum a nobis hac in parte dissensurum fuisse putamus, si et rem per otium examinare, et argumenta postmodum inventa ei videre licuisset.*

Respondetur S. Gregorio.

19 *At dissentit etiam a nobis S. Gregorius in Job lib. 33, cap. 16, ubi hæc scribit :* Unde in Euangelio Dominus Nathanaelem laudat, nec tamen in sorte prædicantium numerat : quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil habebant. *Veneror auctoritatem Patris sanctissimi juxta ac doctissimi; verum rationem hic allatam probare non possum, maxime cum obstet auctoritas gravissima aliorum Patrum mox proferenda. Quid? cunctosne, qui ad apostolatum vocati sunt laudatæ vitæ fuisse negem? At Andreas certe Joannis Baptistæ erat discipulus; idem de Petro, Philippo, Jacobo, Joanne sentiunt varii. Non est igitur, cur hos improbos fuisse putem. Sed neque de aliis id mihi suspicari integrum, unum si excipias Matthæum publicanum, nam quisque præsumendus est probus, donec probetur improbus.* AUCTORE J. S.

Ex Chrysostomo.

20 *Nunc vero, ne sine auctoritate antiquorum, a doctissimorum Patrum opinione recedere videamur, proferemus Patres numero plures, et litterali S. Scripturæ intelligentia neque Augustino inferiores, neque Gregorio. S. Chrysostomus variis locis insinuat Nathanaelem inter apostolos numerandum. Pauca accipe. Hom. 20 in Joan. sic habet :* Assumptis ergo discipulis, *primo scilicet vocatis*, ad reliquorum venatum proficiscitur, ac Philippum, et Nathanaelem attrahit. *Agit de vocatione Apostolorum, ut clarissime patet ex antecedentibus et consequentibus. Nam subdit :* De hoc (Nathanaele) autem non tam mirabile fuit, . . . sed mirum erat quod Petrus, et Jacobus, et Philippus secuti sint. *Præterea in tota hac, et præcedenti Homilia, non aliter de vocatione, et instructione* Nathanaelis *loquitur, quam de vocatione Petri, aliorumque apostolorum. Hom. 87 septem illos, quibus ad mare Tiberiadis Christus apparuit, apostolos fuisse insinuat, dum in illud Joan. 21,* Postea manifestavit se discipulis ad mare Tiberiadis, *sic commentatur :* Viden' quomodo non frequenter cum illis versetur, neque sicut antea? Apparuit enim vespere *(Apostolis, absente Thoma)* et evolavit. Deinde post dies octo semel *(iisdem præsente Thoma)* et rursum avolavit. Postea ad mare, et rursum cum multo timore. *Nonne clarissime significat hos septem eos esse, quibus bis jam apparuerat Dominus? Atqui non alii hi erant quam Apostoli : mens igitur Chrysostomi est, hos septem, inter quos* Nathanael, *fuisse apostolos. Rursus id insinuat Hom. 88, ubi rationem investigans cur solum Petrum de dilectione interrogaverit Christus, hæc scribit :* F Et cur aliis prætermissis, de his hunc *(Petrum)* alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et cœtus illius caput. *Si non omnes putasset apostolos, dixisset utique, Cur Jacobo, Joanne et Thoma prætermissis. Sed omnes putabat apostolos sanctus doctor, neque de hoc dubitare poterit, qui citatas a nobis Homilias diligenter pervolverit. Sentit igitur nobiscum,* Nathanaelem *fuisse apostolum, Græcorum Patrum litterali Scripturæ interpretatione facile princeps Chrysostomus.*

Cyrillo Alexandrino.

21 *Neque aliter sentit Cyrillus Alexandrinus, celeberrimus itidem sacræ Scripturæ interpres. Primo enim in prædictam apparitionem ad mare Tiberiadis lib. 12 in Joannem sic loquitur :* Dominus noster Jesus Christus discipulis suis denuo dat optatissimo sui conspectu frui largiter, ac jam tertio iis supervenit, ut firmum constantemque erga se fidei sensum indueret. Nam qui non semel, sed tertio jam eum spectaverant, quomodo non omni ex animo credulitate excussa piorum dogmatum veri aliis prædicatores existerent? *Supinæ Cyrillum, ut et superius Chrysostomum,*

AUCTORE J. S.

sostomum, *negligentiæ arguas oportet, si, non omnes putaverint esse apostolos, qui tertio apparuisse his Dominum dicunt, cum non nisi tribus ex septem tertio jam apparuisset. Prosequitur Cyrillus :* Exit ergo Petrus piscatum una cum aliis : ei quippe se comites adjungunt : per hæc quoque Servatore nostro Christo utile quiddam disponente, atque ordinante. Dixit enim ad eos alicubi, cum ad apostolatus dignitatem eos vocaret : (Mat. 4 ℣. 19) Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. *Quibus, obsecro, hoc dictum nisi apostolis? Neque vero hic objicias, id non nisi Petro et Andreæ dictum legi. Quippe dum Petro loquitur Christus et Andreæ, de omnibus id dicit Apostolis : quemadmodum Joann. 1 ℣. 5 dum* Nathanaeli *dicit et Philippo :* Videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis, *id omnibus promittit Apostolis, ex mente ejusdem Cyrilli, aliorumque. Pluribus mentem suam Cyrillus aperit eodem loco, sed his prætermissis, aliud quid adjungam ex lib. 9, ubi scribit in illud Joan. 14 ℣. 7.* A modo co-
B gnoscetis eum et vidistis eum, *quod solum sufficere possit, ut certissime constet Nathanaelem a Cyrillo inter duodecim Apostolos numeratum. Probat ibidem ex confessione Nathanaelis Joan. 1, ex adoratione discipulorum Mat. 14, et ex testimonio Petri Mat. 16, Christi divinitatem apostolis non fuisse incognitam : atque ita disserit.* Illos *(apostolos)* etiam credidisse Dominum vere esse Dei Filium, nequaquam dubium est recte sentientibus. Alioquin quomodo Nathanael ille Israelita, simul ac audisset : « Priusquam te » Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi » te » fidei confessionem statim intulit, dicens : « Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel? » *Aera profecto verberat Cyrillus, nisi apostolum putaverit* Nathanaelem *e duodecim unum; probat enim de Nathanaele, quod de solis erat probandum Apostolis. Nam explicat sermonem Christi in ultima cœna ad solos apostolos habitum, ex quo dubium oriebatur, utrum illi cognovissent Christum esse Filium Dei, Certum itaque esse debet et indubitatum, Nathanaelem Cyrillo esse apostolum.*

Origene.

22 *His accedit Origenes lib. 1 contra Celsum num. 48 edit. Paris., ubi ita scribit :* Salvator
C suis apostolis prædicens fore, ut cælos apertos et ipsi cernerent, ait : Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes super Filium hominis. *Promissio hæc facta est Nathanaeli Joan. 1. ℣. 51, et Philippo : Origenes vero dicit hoc prædictum apostolis; quia videlicet id omnibus promissum censet, licet his duobus dictum non ignoraret : at vero promissionem hanc Apostolis communem non recte putaret, nisi Nathanaelem ad quem Dominus sermonem præcipue dirigebat, censeret fuisse apostolum.*

Epiphanio. juvenco.

23 S. *Epiphanius, jam a Roberto citatus Hæresi 51, quæ est Alogorum, in editione Petavii tom. 1, pag. 439, et sequentibus, eodem modo narrat vocationem Petri, Andreæ, Joannis, Jacobi, Philippi, ac Nathanaelis. Num. 17.* Quo tempore Petrus Andreæ vocatus est opera : tum Philippus, et per Philippum Nathanael. *Atqui illi vocati sunt ad munus apostolicum. Ad idem itaque ex sententia Epiphanii vocatus videtur Nathanael. Imo num. 15 agens de invitatis cum Christo ad nuptias, adeo apostolis inferiorem non facit, ut eum Philippo priorem nominet. Additur a Roberto antiquissimus testis,* D *isque Latinus, cum ceteri fere sint Græci,* Juvencus, *ait,* Presbyter, NOBILISSIMI GENERIS Hispanus, inquit S. Hieronymus, Christum cum Nathanaele sic loquentem facit (lib. 2 Histor. Euang.) Ante etiam quam te vocitarent verba Philippi, vidit, et elegit COMITEM te spiritus author. Quid per COMITEM, nisi apostolum intellexit, apostolos enim eosque solos, Christi comites, et domesticos fuisse, tota Euangelia clamant. *Videtur Juvencus exprimere voluisse illud Marci cap. 3 ℣ 14 :* Fecit ut essent duodecim cum illo. *Unum itaque ex duodecim Christi comitibus facit Nathanaelem.*

Ruperto

24 *Nefas sit Rupertum Tuitiensem abbatem prætermittere, qui omnium maxime hanc quæstionem examinasse videtur, et non apostolum modo, sed et* Bartholomæum *apostolum Nathanaelem putavit, tacito nomine Augustino etiam respondens :* Et quis, *inquit,* non optaret, ut lucerna tantæ charitatis nequaquam sub modio lateret, sed supra candelabrum poneretur, et omnibus, qui in domo Ecclesiæ sunt, luceret? Quis rogo non cuperet, ut tantus confessor Filii E
Dei, computaretur inter magnos apostolos Christi? Quid enim amplius Petrus confessus est, qui non solum apostolatum, sed et præ ceteris claves meruit regni cælorum? Quærenti hoc forte dicat aliquis : Petrus piscator erat : Nathanael legis peritus erat. Propositum autem Deo fuerat, ut per infirma et contemptibilia mundi fortia confringeret, et per ea, quæ stulta fuerant, confunderet sapientes. Igitur in proposito persistens, piscatoris Petri fidem, et confessionem non solum apostolatu, sed et cælorum clavibus remuneravit. Nathanaelis autem confessionem, nec apostolico remuneravit ordine; quia legis peritus erat, inferius dereliquit.

Nathanaelis apostolatus probatur.

25 Cum hoc dixerit quis, non sic omnino satisfaciet studioso lectori, quia videlicet spiritus scientiæ, qui unus est de septem spiritibus Dei, cum sit honorabile donum Dei, nullo modo fidei veritatem, vel meritum diminuit. Imo docta sanctitas, sanctam rusticitatem præcellit (testante angelo) qui ad Danielem dicit : Quia docti fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in F
perpetuas æternitates. *Tum allato Pauli exemplo confirmat doctos a Christo non fuisse rejectos; ac demum fuisse putat* Bartholomæum *Apostolum. Nunc prætermissis recentioribus Cornelio a lapide, Jansenio Gaudensium episcopo, Benedicto Aria Montano, aliisque plurimis doctoribus, qui partim citantur a Roberto, partim postea scripsere, pro apostolatu Nathanaelis, consensum proferemus quasi orbis universi.*

§ III. Probatur idem apostolatus consensu orbis Christiani fere universi.

Apostolum dicunt Armeni, Chaldæi, Syri

Armeni, *et Chaldæi, apud quos Euangelium prædicasse* S. Bartholomæum *ac mortem gloriosam obiisse postea probabimus,* Nathanaelem *non alium putant quam* Bartholomæum *Apostolum : uti multis locis videre est apud Josephum Simonium Assemanum Syrum Maronitam tom. 3, part. 1, art. 2 Bibliothecæ orientalis Romæ non ita pridem impressæ. Tom. 3, part. 2,*

A *part. 2, pag. 4, citatur* Marsi Salomonis filius *(hunc tom. 3, part. 1, pag. 554 claruisse dicit anno Christi 1135) ita scribens :* Nathanael Bartholomæus, et Lebæus etc. . . Orientem fide imbuerunt. *Ibidem* Ebidjesus Sobensis *in Armenia metropolita (quem ab eruditione multum laudat, ac obiisse dicit anno 1318, tom. 3, part. 1, pag. 325,) hoc habet :* Bartholomæus qui et Nathanael. *Pag. 5* Elias episcopus Damascenus, *(seu Metropolita creatus anno 893 apud eumdem tom. 3, part. 1, pag. 513) hæc scribit :* Quos secutus est ex duodecim apostolis Nathanael, qui et Ebn-Tholmai; *id est, filius Tholmai, sive* Bartholomæus. *Ibidem* Amrus *(claruit hic anno 1340, eodem teste tom. 3, part. 1, pag. 380)* Nathanael qui et Bartholomæus. *Eadem pag. scribit Assemanus ipse;* Nathanaelem cum Bartholomæo confundunt Chaldæi.

in hac quæstione non contemnendi :

27 *Idem Assemanus tom. 3, part. 1, pag. 321, de Salomone Bassoræ, qui* Bassorensem ecclesiam metropolita regebat anno Christi MCCXXII, *inquit pag. 300, hæc notat :* Nathanaelem eumdem cum Bartholomæo Apostolo facit : quod B et plures alii Syri affirmant. Verum Salomon sibi ipsi contradicit, qui duobus præcedentibus capitibus Nathanaelem inter discipulos 70 retulerat. *At responderi potest Salomonem putasse, duos fuisse* Nathanaeles, *Apostolum alterum, eumque* Bartholomæum, *alterum ex septuaginta discipulis unum : quod et Gavanto placuit in dissertatione sæpius laudata. Hæc quidem opinio exiguum habere videtur fundamentum, sed verisimile non est, Salomonem in eodem fere loco sibi contradicere voluisse. Hæc auctores Chaldæi, Armeni, Syri etiam multi, Nestoriani quidem illi, adeoque, ubi de fide agitur, quibus credamus indigni; at in hac controversia non omni auctoritate destituti, cum et antiqui sint et docti, et illarum fuerint provinciarum incolæ, quas* S. Bartholomæus *sudore suo rigavit et sanguine : ex traditione enim majorum suorum hæc habere potuerunt. Jam vero universæ gentis hanc esse communem sententiam probatur ex eo, quod in Synaxariis duobus ad finem partis 1 tom. 3 a pag. 645 Bibliothecæ suæ ab Assemano adjectis, nulla* Nathanaelis *fiat mentio, cum sanctos in Scriptura commemoratos* C *diligenter ibidem expressos reperias.*

ut etiam Abassyni, Ægyptii,

28 Æthiopes, *teste Roberto sæpius citato,* in Missa sua, sive canone universali, cum pro antiquo Catholicæ Ecclesiæ ritu, Sanctorum meminerunt, eorumque intercessionem petunt, inter Apostolos S. Nathanaelem ponunt, Apostolum nominant, tribus aliis e duodecim præmittunt. *Habet hanc Missam Wicelius. Videntur autem Æthiopes* Nathanaelem *confundere cum Simone Chananæo, ut colligitur ex eo, quod et in hac liturgia, et in fastis sacris* Ecclesiæ Alexandrinæ, nempe Coptitarum Ægypti, et Æthiopum regni Habessinorum, quos ex eorum Menologiis, et Calendariis diligenter *excerpsit Jobus Ludolfus, ac typis edidit Francofurti anno Christi 1691, nulla Simonis Chananæi Apostoli fiat mentio; at in fastis* x *Julii ponatur* Nathanael Chananæus.

Græci, Mosci,

29 *Æthiopibus et Ægyptiis consonant Græci, qui in Menologio suo ad diem* XXII *Aprilis ita habent :* Eodem die S. Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes; hic fuit ex Cana Galilææ. *Et die Maii* x S. Apostoli Simonis Zelotæ. Hic Simon est Nathanael appellatus. *Mosci, Græcos, a quibus Christi fide imbuti fuere, sequi ubique soliti, Simonem Apostolum ponunt in Calendario suo eodem die* x *Maii apud Possevinum in Apparatu tom. 2, pag. 367, uti et in Ephemeridibus figuratis, a Papebrochio ante tomum* I *Maii impressis, sed nihil de* Nathanaele *addunt, brevitatis, ut apparet, causa, uno nomine contenti. Habemus itaque pro Apostolatu* Nathanaelis *nobiscum sentientes Chaldæos, Armenos, Syros, Æthiopes, Ægyptios, Græcos, Moscos, id est orbem Christianum fere universum, quamvis eorum multi in persona designanda fallantur, ut probabimus § sequenti. Restat ut Latinam Ecclesiam ab his non dissentire ostendamus; quod nunc aggredior.*

AUCTORE J. S.

ac tacitus Ecclesiæ Latinæ sensus,

30 *Sanctum esse* Nathanaelem, *atque dignissimum, qui in Sanctorum Fastis locum habeat, idque satis constare ex Euangelio fatebuntur, puto, etiam adversarii. Neque enim fallit Christi testimonium :* Ecce vere Israelita, in quo dolus non est *Joan. 1 ℣. 47. In quem locum hæc scribit S. Augustinus trac. 7 :* Magnum testimonium : hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaele : « Ecce vere Israelita in quo dolus » non est. » *Et Paullo ante :* Audite qualis E fuerit, Dominus ipse perhibet testimonium. Magnus Dominus cognitus testimonio Joannis : beatus Nathanael cognitus testimonio veritatis. *Chrysostomus itidem multis Nathanaelem laudat, et Cyrillus, aliique patres, quorum hic ponere verba longum esset. Perpendi etiam potest qualia ipsi a Christo Domino, et quanta sint promissa, Joan. 1 ℣* 51. Majus his videbis . . . Videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis. *Adde, quod constanter Dominum secutus, ultimoque Christi jam gloriosi prandio cum Apostolorum præcipuis sit adhibitus. Tillemontius ipse fatetur, quod constanter Christum secutus sit :* Quia, *inquit,* virtus ipsius erat vere sincera, et humilis. *Unde igitur esse dicam ut nomen* Nathanaelis *omnibus Latinorum fastis sit incognitum? Perscrutare martyrologia præcipua : puta Hieronymiana, Bedæ a Floro auctum, Romanum vetus a Rosweydo editum, Adonis, Usuardi, Rabani, Notkeri, Romanum modernum, aliaque ex his conflata; altum ubique de* Nathanaele *silentium. Quid hujusce silentii causæ esse dicam?* F *Nam neque Ecclesia, neque martyrologi virtutem viri ignorare potuere, aut merita; et aliunde, quotquot in scriptura paullo sunt celebriores, diligenter martyrologiis reperiuntur inserti. Non aliam profecto causam invenio, quam quod existimarent Martyrologi, existimarent Ecclesiæ moderatores,* Nathanaelem *alio nomine sacris fastis esse insertum.*

qui pro Nathanaelis apostolatu exponitur.

31 *Hoc si negaveris, Ecclesiam totam summæ accusabis socordiæ, atque negligentiæ, quæ virum sanctissimum omnibus sacris fastis sciens prudensque exulare permiserit. Neque dixeris, insertum quidem esse martyrologiis, sed nomine nobis ignoto : adeoque inde non sequi fuisse Apostolum. Hoc enim non est verisimile. Quod sic ostendo. Martyrologi solent Sanctos sacris fastis adscribere nomine magis celebri, et noto. Jam vero nullum ostendere poteris nomen, quod sit magis celebre, et notum in Scripturis, et Patribus, quam sit nomen* Nathanael, *sola si Apostoloram nomina excipias. Ratio itaque nulla est, cur suspicemur Nathanaelem alio, quam alicujus Apostoli nomine sacris fastis esse insertum. Restat igitur ut existimemus Apostoli cujusdam,*

nempe

AUCTORE J. S.

nempe Bartholomæi, (ut § seq. probabitur) nomine in sacris fastis locum habere, quod hoc nomine orbi toti sit notissimus, et in quatuor Apostolorum catalogis celebretur Mat. 10. Mar. 3. Luc. 6. Act. 1. Accipe ratiocinationem illam forma fere dialectica. Non potuit Ecclesia fastis sanctorum Nathanaelem virum laudatissimum non inserere. At nomen non inscripsit: ergo censet eum jam alio nomine inscriptum. Atqui non potest censere nomine minus noto, et celebri inscriptum esse; ergo eum censet inscriptum nomine alicujus Apostoli, adeoque et esse Apostolum ex duodecim unum. Hæc mea de Ecclesiæ silentio est conjectura. Si quis certiora docere potest, aut magis verisimilia, lubens amplectar.

Vel apostolus Nathanael, vel etiam a 72 numero segregandus.

32 Habes consensum universi fere orbis pro Apostolatu Nathanaelis, partim expressis verbis declaratum, partim tacite insinuatum. Quod si his non acquiescas; edissere, obsecro, utrum eum in numero 72 discipulorum habendum censeas; an vero penitus a Christi discipulis segregandum. Si omnino segreges, ut exigit ratio S. Augustini, nam difficulter reperies, cur doctos eligere vo-
B luerit ad prædicandum Dominus inter discipulos septuaginta duos, noluerit autem inter apostolos. Si, inquam, ne quidem inter septuaginta duos tibi est Nathanael, toti Ecclesiæ, eruditis omnibus eris contrarius, qui, prælucente Scriptura sacra, semper inter Christi discipulos numerarunt Nathanaelem. Sin vero inter minores discipulos eum habendum opineris, rationem destruis, cur eum ab apostolorum numero exclusum existimes. Patet itaque adversariorum præcipuum fundamentum se ipso destrui, ac prorsus concidere.

Refutantur Petrus de Natalibus,

33 Non lubet dissimulare quid stabilitæ modo sententiæ obstare videatur. Nam Petrus de Natalibus episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 1, cap. 9, de Nathanaele agens, affirmat ejus corpus apud Treugren. civitatem servari. Verum non explicat qua in provincia sit civitas illa omnibus ignota. Monachus San-Sulpitianus anonymus in Patriarchio Bituricensi apud Labbeum in Bibliotheca Mss. tom. 2, pag. 5 legit Tungrensem civitatem, quæ satis antiqua, et nota est in Belgio nostro. At ignotum Tungrensibus Nathanaelis corpus, nec ulla in antiquo
C eorum Kalendario de Nathanaele memoria. Et vero non magis constitisse Equilino, ubi quiesceret corpus Nathanaelis, quam id norint Tungrenses, omnino mihi persuadeo. Etenim si notum fuisset Equilini tempore, ubi corpus viri sanctissimi servaretur, quis credat tam negligentes futuros fuisse tanti thesauri possessores, ut nec festum illius curassent celebrandum, nec orbi manifestassent corpus viri sanctissimi apud se esse depositum. At, inquies, qua ergo ratione ad id scribendum induci potuit Equilinus? Id ego quidem non magis me assequi profiteor, quam cur multa alia plane fabulosa Operi suo inseruerit, nisi quod subdat: Hæc frater Vincentius, Bellovacensis, opinor: apud quem tamen hæc diu frustra quæsivi. Suspicari tamen quis posset, Nathanaelem cum sancto quopiam alio confusum fuisse ab Equilino; prout factum videbimus in hisce, quæ subnecto, quæque ipse rejicit Equilinus.

Andreas Saussayus,

34 Inventum fuit seculo VI corpus S. Ursini, seu Ursicini, primi Bituricensium episcopi per revelationem ipsius sancti, ut scribit S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria confessorum cap. 80. Hunc eumdem esse cum Nathanaele finxerunt scriptores quidam, ex quibus id defluxit D
in martyrologia quædam Usuardi a posterioribus aucta, quemadmodum invenies in Usuardi nostri auctariis ad diem IX Novembris, in quibus ea opinio bis repetitur. Eadem placuit Carolo Saussaio in Martyrologio Gallicano pag. 846. Refutavit olim hanc opinionem memoratus supra monachus anonymus loco citato. Tillemontius, qui tom. 4 Monumentorum pag. 477, et rursum pag. 726 agit de S. Ursino, ne referre quidem eam voluit, nedum refutare. Novissimi item Galliæ Christianæ editores tom. 2, col. 4, ubi de S. Ursino, disputant, commentum hoc contemnere maluerunt quam confutare. Etenim vel solo S. Gregorii Turonensis silentio satis refellitur fabella: unde enim didicerunt posteriores illi scriptores Ursinum esse Nathanaelem a Christo laudatum, qui ne Ursinum quidem ipsum novissent, nisi corpus suum hic revelasset? Quippe laudatus Turonensis asserit omnem ejus memoriam fuisse sublatam usque ad tempus corporis per revelationem inventi. Cum itaque non revelaverit se Nathanaelem fuisse: sed Ursinum primum Bituricensium episcopum, commentitiis fa- E
bellis adnumeranda venit memorata opinio.

et Hispani quidam fabulatores.

35 In Hispaniam etiam pertrahere Nathanaelem voluerunt fabulatores quidam, dum supposititio Flavii Lucii Dextri Chronico ad annum 105 hæc inseruerunt: Nathanael, unus de 70 Domini discipulis, requiescit in urbe Treuga, prope Legionem Septimam-Geminam. Aliis dicitur ad Trigundum oppidum prope Brigantium in Gallæcia jacere, nunc vero turrestrium ignobile. Addit Bivarius in Commentario: Haud dubium quin in Hispaniarum provinciis prædicationi instanter incubuerit. Nec minus confidenter Joannes Tamayus Salazarius in Martyrologio Hispano ad diem XXX Novembris eum Treguæ in Hispania annuntiat: verum cum addit in Actis, quæ ex Dextro, atque Equilino conflata recitat, memoriam ejus prorsus obliteratam esse aut Suevorum, seu Alonorum * irruptione, seu Saracenorum excidio, omnem, siquam alias mereretur, fidem sibi abrogat. Etenim, si corpus ejus, ut præmittit, in Hispania olim honorifice sepultum, et per plura secula veneratum quievit, quomodo viri tanti memoria adeo excidit, ut diem festum Apostoli sui numquam deinde ce- F
lebrarint Hispani? Plura non addo: nam injurius sim Hispanorum in Sanctos pietati, si illos ipsos Tamayo, aliisque fidem habuisse existimem, quod cultum Apostoli scilicet sui numquam curarint restituendum.

* Alanorum

§ IV. Probatur S. Nathanaelem non alium esse a S. Bartholomæo Apostolo.

Ostenditur Nathanaelem non fuisse alium,

Quoniam sufficienter, ut confidimus, probatum a nobis est, S. Nathanaelem apostolum fuisse ex duodecim unum, minoris erit laboris quis potissimum ex duodecim fuerit demonstrare. Ac primo quidem de Petro, Andrea, Jacobo Zebedæi, Joanne, Philippo, Thoma, quos Joannes eodem loco cum Nathanaele commemorat, nullum potest cuiquam suboriri dubium. Matthæum vocatio satis ostendit a Nathanaele diversum. De Juda autem Jacobi, sive Thaddæo, Simone Chananæo seu Zelote, ac Jacobo

A *cobo Alphæi, aliquod quidem possit oriri dubium, sed facile eximendum. Primo enim prænomina his sunt apud Judæos vulgaria* Jacobus, Judas, Simon. *Duplex igitur fuisset* Nathanaeli *prænomen, quod certe minus est usitatum. Deinde, inter postremos ubique ponuntur illi tres in omnibus apostolorum catalogis; cum* Nathanael *cum Philippo inter primos ad apostolicam dignitatem a Domino fuerit vocatus.* Judas *præterea a Joanne Euangelista nominatur cap. 14 ℣. 22; nec ratio est, cur suspicemur quod Euangelista eumdem modo* Nathanaelem, *modo* Judam, *nominare voluerit.* Jacobum Alphæi *publicanum fuisse, ac Matthæi Apostoli fratrem, multis probavit Henschenius tom. 1 Maii, pag. 19, quod minime convenit* Nathanaeli *nostro. Neque ullum suspicatum fuisse putem de Jacobo Alphæi, aut Juda, Nathanaelem fuisse.*

ex numero apostolorum,

37 *De Simone vero id Græci senserunt, suoque inseruerunt Menologio, cum aliis, quos § præcedenti dedimus : hac, ut putamus conjectura permoti, quod ex eadem cum* Nathanaele *Cana Galilææ fuisse videatur. Verumenimvero conjectura hæc est levissima, neque ipsorum, quod* B *non admodum antiqui sint, auctoritas tanta in designando Simone, quanta est cum dicunt* Nathanaelem *fuisse Apostolum; nam in hoc Patres suos Chrysostomum, Cyrillum, Epiphanium, aliosque a nobis § 2 citatos, duces habent; in illo mere divinare videntur. Fateor tamen non tam convincentia esse argumenta, quæ Simonem evincant a* Nathanaele *distinctum, quam ea sint, quæ id demonstrent de aliis apostolis. Verum sufficere debent jam data; nempe prænomen* Simonis, *quod sine probabili ratione dici non debet* Nathanaeli *fuisse; et ordo in recensendis apostolis ab Euangelistis servatus; cum neutiquam fiat verisimile, Nathanaelem virum Christi Domini testimonio laudatissimum, et inter primos ad Christum sequendum vocatum, ab iis semper inter postremos fuisse recensendum, Majorem hæc lucem accipient ex sequentibus.*

quam S. Bartholomæum, Syrorum, Chaldæorum, Armenorum, Latinorum.

38 *Unus ergo superest* Bartholomæus, *quem et Scriptura, et ratio, et major auctoritas,* Nathanaelem *fuisse clamant. Ab auctoritate ducam exordium. Chaldæi, Armeni, et Syri multi a seculo Christi nono* Nathanaelem *eumdem esse cum* Bartholomæo *scripserunt. Et vero quis non videat,* C *multa illos scire potuisse de* Bartholomæo *apostolo suo, quæ Latinos latuerunt, et Græcos? Horum itaque auctoritas in hac controversia Græcorum auctoritati longe præponderat. Rupertus, Latinique ipsum secuti, qui* Nathanaelem *dixerunt Apostolum, omnes in* Bartholomæum *consentiunt. At mihi hic non lubet longum doctorum catalogum texere. Siquis scire desideret quibusnam hæc placuerit sententia, consulat laudatas ante dissertationes Joannis Roberti, et Bartholomæi Garanti : ad hæc Joannem Stephanum Menochium nostrum in Historia Italice scripta part. 3, cap. 55, pag. 91 et 92.*

ac Nicetæ Paphlagonis Græci auctoritate.

39 *Unum e Græcis addo Nicetam Paphlagonem, qui in Oratione de* S. Bartholomæo *infra Latine danda mentem suam non obscure insinuat. Quippe num. 3 ea de juventute, virtutibus, et doctrina* Bartholomæi *memorat, quæ de* Nathanaele *Scriptura sacra Joan. 1 insinuat, quæque SS. patres Augustinus præsertim et Chrysostomus de* Nathanaele *tradunt : tum intento quasi digito in vocationem* Nathanaelis *Joan. 1, ubi Christus de eo dicit :* Ecce vere Israelita; Bartholomæi *vocationem his verbis describit :* Tunc etiam tunc, inquam, et verum hunc Israelitam vocavit Bartholomæum. *Deinde num. 9,* Bartholomæi *mortem referens, clarissime alludit ad promissionem* Nathanaeli *a Christo factam Joan. 1 :* Videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes. *Hisce enim utitur verbis :* Hinc quidem angeli e cælo super eum descendentes et ascendentes, augustissimum ei parabant ascensum; superne vero apertum ei erat cælum. *Quibus sententiam suam de* Bartholomæo *satis declarare videtur, præsertim cum in Simonis, aliorumque apostolorum vocatione ac morte enarranda hasce ad gesta* Nathanaelis *allusiones non habeat Nicetas, ut dubitare vix possimus quin studiose id fecerit, ut significaret eumdem sibi esse* Bartholomæum et Nathanaelem. *Hactenus auctoritas : nunc eadem sententia rationibus e Scriptura petitis est confirmanda.*

AUCTORE J. S.

Idem ostenditur rationibus,

40 *Ratio prima, quam e Scriptura hausit Rupertus, sic traditur a sæpe citato Roberto num. 26 :* Matthæus cap. 10, Marcus cap. 3 Lucas cap. 6, dum diligenter duodecim Apostolorum catalogum texunt, et eos fere studiose conjungunt, qui simul vocati, ut Petrum cum Andræa, Jacobum cum Joanne : semper ibidem cum Philippo jungunt Bartholomæum. Cur hoc, nisi quia hoc etiam par simul vocati? Nec tamen simul, nisi Bartholomæus est Nathanael. E *Huic rationi occurrit Eminentissimus Toletus, annotatione* LXXXI *in Joan.* Quod dicunt, *inquit,* post Philippum in numero Apostolorum describi Bartholomæum, ex quo ipsum esse Nathanaelem colligunt, nihil probat; nam. Act. 1 dissociantur. *At patet inspicienti, et notavit Tostatus in Matth. cap. 10 ℣. 3, ordinem vocationis a Luca in Actibus Apostolorum esse neglectum : namet Petrum ab Andrea disjungit, et Joannem a Jacobo, et Thomam conjungit cum Philippo; ita ut videatur eos hic primo recensere voluisse Lucas, qui majori cum Domino familiaritate fuerant conjuncti. Primus etenim hoc etiam ordine, et Princeps Petrus. Secundus Joannes* Discipulus quem diligebat Jesus. *Tertius Jacobus in monte Thabor, in horto Gethzemani, aliisque occasionibus familiariter cum Petro, et Joanne ad arcana Domini admissus. Ex his de reliquis non inepta fieri potest conjectura. Nam qui sequuntur Andreas, Philippus, Thomas præ ceteris a Joanne cum Jesu commemorantur. At vero in* F *Euangeliis ordo vocationis ubique videtur servatus, ut. observat Tostatus loco citato, in eo saltem quod simul commemorantur, qui simul a Domino fuerant vocati. Hac itaque objectione non infringitur vis argumenti.*

ex sacra Scriptura

41 *Altera ratio itidem Ruperti, a Roberto commemoratur ibidem his verbis :* Nisi hæc duo nomina ejusdem hominis sunt, nusquam reperias Bartholomæi vocationem. *Fatetur hoc argumentum non omnino concludere. Vim majorem accipit ex eo, quod omnium, qui* Bartholomæum *præcedunt in catalogis Apostolorum ab Euangelistis datis, uti et Matthæi, qui sequitur, vocatio legatur descripta, quamvis quinque postremorum vocatio, addito saltem nomine, scripta non habeatur, ut diximus. Alia adfertur ratio, quod Joannes* Bartholomæum *numquam nominet; reliqui autem Euangelistæ taceant* Nathanaelem. *Hæc fateor, rem non probat; sed, concurrentibus aliis argumentis, magis facit verisimilem, et destruit rationem, quæ pro contraria opinione ex diverso nomine posset objici.*

42 *Argumentum præterea efficacissimum, si*

supponas

AUCTORE J. S. *desumptis.*

supponas Apostolum fuisse Nathanaelem, quod jam probavimus, desumitur ex nominibus Nathanael, *et* Bartholomæus. *Quippe* Nathanael *proprium nomen, sive prænomen est;* Bartholomæus *cognomen. Primum probatur a Gavanto ex Num. cap. 1, 2, 7, 10; et 1 Paral. 2, 15, 24, 26; 2 Paral. 17, 35, 1 Esd. cap. 10, quibus locis nomen Nathanael reperitur ut proprium.* Quod interpretatum, *inquit*, significat donum Dei. *Secundum probatur ab eodem;* Quia BARTHOLMAI est idem ac FILIUS THOLMAI, vel THOLOMAI. Certum est autem THOLMAI esse viri nomen Num. 13, Jos. 15, Judic. 1, 1 Paral. 3 : item THOLMAI 2 Reg. 13, et fortasse, *inquit*, pater Nathanaelis vocabatur Tholmai, vel THOLOMAI. *Ostende, quisquis nobis adversaris, vel unum in sacris literis, cujus prænomen* Bartholomæus. *At Respondet huic argumento laudatus Toletus loco citato :* Dicunt, *inquit*, rursus BARTHOLOMÆUM nomen esse commune, quod si aliquid probaret, nec BARNABAS, nec BARSABAS essent nomina propria. *Per* nomen commune *videtur Toletus intelligere* cognomen; *nam alioqui ad argumentum non responderet.* B *Assentior itaque viro doctissimo, qui argumentum nostrum adeo hic non destruit, ut confirmet magis. Admittere enim videtur argumentum concludere, si* Barnabas, Barsabas, *et similia sint nomina communia, sive cognomina. Atqui id ita esse, manifestum est ex Scripturis. Audi Gavantum citatum :* Similia, *inquit*, cognomina habes inter Apostolicos viros. BARIONA seu BARIOANNA, filius Joannis. Simon Joannis diligis me? Joan. 21. BARNABAS, qui vocabatur JOSEPH Act. 4, cognominabatur BARNABAS, ait Lucas. BARSABAS, qui et Joseph Act. 1. BARTIMÆUS, filius Timæi, Mar. 10. Quid apertius? ELYMAS etiam magus cognominabatur BARIESU, Act. 13. Ergo pari modo BARTHOLOMÆUS cognomen erat. *Audi textum totum de Barnaba Act. 4 ℣. 36.* Joseph autem, QUI COGNOMINATUS EST BARNABAS ab Apostolis, quod est interpretatum Filius consolationis. *De Barsaba Act. 1.* JOSEPH, qui vocabatur BARSABAS. *Patet itaque clarissime utriusque nomen fuisse* Joseph, *nomina autem* Barnabas, et Barsabas *additia esse ad nomen primum, quod et de reli-* C *quis a Gavanto citatis est manifestum. Nullum itaque potest esse dubium, quin et nomen* Bartholomæus *primo nomini fuerit adjectum. Atqui tamen nomina illa addititia* Barnabas, et Barsabas *ita invaluerant, ut primum fere fuerit obliteratum : non est igitur, cur miremur Apostolum hunc a tribus Euangelistis* Bartholomæum *esse nominatum. Neque itidem mirum videri debet, a Joanne* Nathanaelem *vocari, qui apostolorum neminem solo cognomine appellavit.*

Solvuntur objectiones

43 *Ne quid omnino, quod adversarii pro se afferunt, neglexisse videar; reliqua apponam, quæ habet laudatus Toletus : nam hic unus omnia fere contra nostram sententiam militantia argumenta collegit, nostraque conatus est dissolvere. Probavimus* § 1 *Nathanaelem fuisse Apostolum ex apparitione Christi ad mare Tiberiadis Joan. 21.* Quasi, *inquit Toletus*, non apparuerit, etiam aliis discipulis, qui Apostoli non erant. *Sic est, apparuit et aliis discipulis. Sed aliis discipulis non apparuit tam familiariter, aliis discipulis prandium non apparavit, coram aliis discipulis res ad Ecclesiæ regimen spectantes non ordinavit; ut probavimus, et factum esse in hac apparitione ostendimus. Prosequitur Toletus :* Non habent robur rationes hæ, ad rem tam gra- D vem, et contra communem sententiam confirmandam. *At nostram sententiam apud eruditos longe esse communiorem, abunde patet ex dictis omnibus; et confirmat Florentinius in Indiculo Apostolorum ante Martyrologium exercit. 4 de Simone Chananæo pag. 166, ubi recensitis variis de* Nathanaele *opinionibus hæc subdit :* Plurimi tamen in Bartholomæum concordant : *eum scilicet fuisset* Nathanaelem.

Cardinalis

44 *Audiamus modo Eminentissimi contra nos argumenta.* Plus, *ait*, roboris contra illorum sententiam habet, quod in novo Testamento quater ponitur apostolorum catalogus. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1, et nullibi mentio Nathanaelis facta est, quod si fuisset binomius, explicassent Euangelistæ, sicut et fecerunt in Thoma, et Matthæo : maxime Joannes, qui ultimus, et ejus historiam narravit. *Nonne* sagittæ parvulorum *sunt, quibus hic contra nos pugnat vir eruditissimus? In nullis apostolorum catalogis* Nathanael *ponitur : igitur non est apostolus. Quid ergo? Ut Barjonam, Didymum, Lebbæum prætermittam, ignota in catalogis apostolorum nomina, ita telum hoc retorqueo. Nullis* E *in apostolorum catalogis* Levi *commemoratur : ergo* Levi *non est apostolus, ut putarunt pauci, ab omnibus aliis refutati. Respondebis, aliunde probari,* Levi *eumdem esse cum Matthæo. Idem et nos respondemus, qui sufficienter probavimus,* Nathanaelem *eumdem esse cum* Bartholomæo. Quod si, *inquit*, fuisset binomius, explicassent Euangelistæ, sicut et fecerunt in Thoma, et Matthæo : maxime Joannes etc. *De Matthæo id nullibi explicatum invenio : nam in apostolorum catalogis, et in vocatione Matth. 9, constanter* Matthæus *vocatur : in vocatione vero et convivio Luc. 5* Levi; *in vocatione Mar. 2* Levi Alphæi *nominatur : nusquam* Matthæi *simul et* Levi *nomine commemoratur, aut binomius fuisse dicitur. Quod de* Thoma *dicitur verum est; at a Joanne in omnibus neutiquam observatum. Nam in* Juda, *qui Matth. 10 et Marc. 3* Thaddæus, *Luc. 6* Judas Jacobi *dicitur, id prætermittit Joannes cap. 14 ℣. 20, ubi eum sic memorat.* Dicit ei Judas, *inquit*, non ille Iscariotes. *Cur igitur in* Juda *prætermittere licuit* F *Joanni, non licuit in* Nathanaele? *Licuit utique in utroque. Neque enim omnia ubique dicenda, aut explicanda sunt. Addi potest, nullibi a Joanne explicatum, sibi, fratrique suo Jacobo* Boanerges *a Christo nomen fuisse impositum.*

Toleti.

45 *Redeamus ad Toletum, qui disputationem suam ita concludit :* Quod autem ad Apostolatum vocatus non fuerit, Dei judicio relinquamus. *Recte, nisi probaretur vocatum fuisse.* Nulla enim ratio plena hujus rei dari potest. *Viden', ut non nitatur ratione S. Augustini, a doctrina Nathanaelis desumpta? Illam jam superius ab eo refutatam ostendimus. Deinde sic pergit :* Satis magnum beneficium accepit, quod de numero eorum fuerit, qui Christum confessi sunt, et æternum meruit suæ confessionis accipere præmium, nomenque ejus in Ecclesia factum est gloriosum, et illustre. *Unde nomen ejus gloriosum in Ecclesia, et illustre; si Apostolus non fuerit : cum omnibus sacris fastis exulet, omni cultu sit destitutus? Habes argumenta doctissimi Toleti, quæ quam infirma sint nemo non videat. Ex quo non parum firmatur sententia nostra, quæ a viro etiam eruditissimo non aliis*

potuit

A *potuit rationibus oppugnari.*

Bailletus refutatur. 46 *Non possum non mirari in hac controversia crisim Bailleti. Quippe ad diem* XXIV *Augusti in* S. Bartholomæo *num. 1 sic scribit.* Illa opinio, *quæ statuit* Nathanaelem *eumdem cum* Bartholomæo, non aliud habet fundamentum quam debilem quamdam conjecturam. *Antea ad diem* XXII *Aprilis in* S. Nathanaele *ita definiverat :* Ipsorum (*qui* Nathanaelem *dicunt* Bartholomæum) rationes speciosæ procul dubio sunt : sed vellemus convincentes contra auctoritatem S. Augustini, et S. Gregorii magni; aut potius contra silentium Scripturæ. *Non quæro quam apte hæc inter se cohæreant :* Quelque foible conjecture, *ut ait,* Raisons specieuses. *Illud peto, cur silentium Scripturæ nobis objiciat, qui rationes pro hac sententia allatas, quas* procul dubio speciosas *fatetur, ex S. Scriptura depromptas esse non ignorat; quamvis argumenta quædam ab auctoritate Patrum et Martyrologorum sint adjecta. De* Nathanaele XXII *Aprilis ita concludit.* Nomen ipsius in Latinorum martyrologiis non invenitur. *Nonne hic* B *haud inepte quis ex Bailleto quærat, cur eum sanctum vocet, interque sanctos commemoret? Nam rationes, quibus sanctitas ejus probatur,* speciosæ *quidem* sunt; at convincentes volumus *contra Martyrologorum omnium, totiusque Ecclesiæ silentium. Neque enim Græci prosunt Bailleto, qui cum Simone Chananæo, contra ipsius sententiam, eumdem faciunt* Nathanaelem. *Neque rationes, quibus sanctitatem* Nathanaelis *probaret Bailletus, adeo convincentes sunt, ut, si cui malignari lubeat, non facile eas destruere possit. Dici enim poterit, initia quidem ejus in Scriptura commemorari laudabilia, at finem sileri. Atqui, ut recte S. Hieronymus in Epist. ad Furiam, quæ habetur tom. 4 edition. ultimæ Parisien. col. 556 :* Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit : sed bene finivit. Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatnr. *En, si Bailleti crisim sequamur, non modo apostolatum, sed et sanctitatem* Nathanaelis *in dubium vocatam. Qua igitur auctoritate Bailletus sanctum vocat Nathanaelem, contra silentium, ut putat, Ecclesiæ? Ipse viderit. Nos duce Scriptura sacra, viam monstrantibus Patribus, comitante doctorum* C *agmine bene longo, non modo sanctum dicimus; sed et apostolum et* Bartholomæum *esse existimamus.*

§ V. Sancti Patria et vitæ conditio ante vocationem.

Patria Apostoli Cana Galilææ. Q*uæ duobus sequentibus paragraphis disputabimus, pleraque sub nomine* Nathanaelis *de sancto Apostolo nostro relata leguntur; siquis igitur non assentiatur sententiæ nostræ in præcedentibus probatæ, hæc de* Nathanaele *dicta accipiat. Patriam Apostoli manifeste nobis declarat Joannes cap. 21 ℣. 2 his verbis :* Nathanael, qui erat a Cana Galilææ. *Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ in tribu Zabulon pag. 138 hanc ita describit :* Cana, alias Chana, Galilææ civitas est, quæ ob id in Euangelica historia Cana Galilææ, ac teste Hieronymo, Cana minor vocitatur, ad distinctionem Canæ majoris, quæ est in tribu Aser. Sita est a Ptolomaide versus Eurum quarto milliario, ab urbe Sephori versus Corum, tertio; et a villa Rama versus Septentrionem, secundo. Ab Aquilone autem montem habet altum, et rotundum, in cujus declivo a latere ædificata est. Porro contra Austrum, amplum, fertilem, et amœnum campum habet, qui vallis Carmelon appellatur. Ex hac civitate fuerunt D. Simon Apostolus, et Nathanael verus Israelita Salvatoris testimonio comprobatus. Hic Dominus noster in nuptiis... initium fecit miraculorum, aquam convertens in vinum... Adhuc Hieronymi ætate Cana hæc oppidum erat. *Hactenus Adrichomius.*

AUCTORE J. S.

quæ duplex, utra ex his non constat; 48 *Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom. 2, lib. 7, cap. 6, non consentit in omnibus Adrichomio : nam* Apud Nazarethas, *inquit,* et alios proximos habitatores, duplicis Canæ Galilææ fit mentio; (excepta illa majori) alterius, quæ CANA GALILÆÆ simpliciter, alterius, quæ SEPHER CANA dicitur. CANA GALILÆÆ describitur in occidentali plaga Nazareth parum ad Aquilonem vergendo, in colle supra pulchram, et spatiosam planitiem Zabulon; dissita a Sephori ad sex, a Nazareth decem circiter milliaribus : villula est exigua pauculas continens E domos, nullam ecclesiam, nec signa ecclesiæ, ut cum aliis observavi : ibi non sunt vineæ, nec multæ arbores, sed paucæ oleæ. SEPHER CANA distat a Nazareth quatuor milliaribus : in ejus Aquilonari plaga inclinando ad Orientem est in monte sita; circa spatiosam habet planitiem, ubi multæ arbores : continet multas domos; ibique ecclesias esse accepi... Forte tempore Christi civitatula erat, postea in vicum redacta. *Deinde inquirit utra sit Cana Galilææ, in qua Dominus nuptiis interfuerit, vinumque ex aqua fecerit. Neque rem definit : quamvis in* Sepher Canam *sit propensior, quia minus hæc a Nazareth est remota. Illud tamen* Canæ, *quæ simpliciter* Galilææ *dicitur, favere videtur, quod eodem plane nomine in Euangelio memoretur. Quidquid sit, hoc certum videtur, Canam* Nathanaelis *patriam, illam esse, in qua Dominus aquam in vinum mutavit. Hæc de Apostoli patria dicta sufficiant.*

parentes ignoti : aliqui regia stirpe natum tradunt, 49 S. Bartholomæi *parentes ignoti sunt in sacris Literis, neque apud auctores fide dignos commemorantur. Sunt tamen aliqui, qui* Bartholomæum *nobili, aut regia etiam stirpe oriundum scribunt. Apud Cotelerium Operum SS. Patrum tom. 1, pag. 272 editionis anni 1698 in* F *notis ad lib. 2, cap. 63 Constitutionum Apostolicarum hæc verba proferuntur ex supposititia epistola de morte S. Hieronymi.* Duodecim fatemur Christum Apostolos elegisse : quorum omnium solus Bartholomæus carnis origine fuit nobilis. *Petrus de Natalibus Equilinus episcopus in Catalogo sanctorum lib. 7 cap. 103 hæc habet :* Bartholomæus Apostolus natione Syrus, et nepos fuit regis Syrorum ex patre, solusque ex omnibus apostolis secundum carnem nobilitate decoratus, unde et propter ipsum solum in cœna Domini facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major. Cum enim Christus apostolis dixisset : quod unus ex eis ipsum traditurus esset : apostoli suspicati sunt : quod proditor ille hoc facere vellet, quatenus regnum Israel, quem (*lege* quod) sperabant carnaliter Christum obtenturum, sibi usurpare cuperet. Et cum nullus inter eos esset, qui ad talem dignitatem aspirare putaretur, nisi Bartholomæus propter nobilitatem regiam; ideo habuerunt cum de tali proditione suspectum, et quæstionem de majoritate

AUCTORE J. S.

joritate fecerunt Hæc Damascenus, *inquit, sed locum non indicat; neque operæ pretium esse putavi omnia Damasceni opera perlegere, ut scirem, an hæc revera scripserit. Quæsivi tamen in S. Damasceni scriptis, neque quid simile inveni. Suspicor itaque ex suppositis Damasceno desumpta esse. Subdit Equilinus :* Unde in quibusdam ecclesiis Euangelium in hoc festo de dicta contentione inter discipulos facta legitur. *Hæc quam inepta sint, et ab omni veri specie aliena, nemo non perspiciat. Ineptiora etiam, quæ ibidem sequuntur.* Legitur autem in quadam historia, licet apocrypha; quod dum pervenisset ad Bartholomæum, regis Syriæ filio carentis nepotem, adhuc juvenem, de doctrina et miraculis Christi, apud Judæam prædicantis, misit ad eum nuntium, quod libenter ejus discipulum se faceret; si Jesus gratiam unam illi concederet. Audierat enim quod discipuli ejus pauperes in abjecto habitu incedebant. Si ergo propter honorem regiæ dignitatis sibi concederet, ut purpura indutus uteretur, ipsum perpetuo sequeretur. Cui Christus optata libere concessit : dixit tamen nuncio ut ex parte sua B diceret Bartholomæo; quod qui materialem chlamydem deponere recusaret, adhuc pro ejus amore naturalem vestem; hoc est corporis cutem dimitteret. Et sic Christus Bartholomæum in Apostolum suum recepit : et ille semper purpuræ usum retinuit. *Ineptias has ad longum describere volui, ut hinc manifestum fiat lectori, quam male sibi cohæreat tota illa de* Bartholomæi *regia stirpe fabella. Ineptus sim, si operose hæc refutare velim. Lubet tamen pauca delibare.*

quod cum aliis fabulis.

50 *In primis inepte Christi tempore* Rex Syrorum *fingitur* Bartholomæi *avus, cum Syria dudum in Romanorum provinciam fuerat redacta. Deinde, quomodo Apostoli suspicari potuerunt, quod* Bartholomæus *Dominum tradere vellet, ut sibi regnum Israelis occuparet contra Romanorum potentiam, qui viribus ad id omnibus erat destitutus? Vel insanos fingas apostolos oportet, qui id suspicentur vel mente captum ipsi putaverint* Bartholomæum, *qui id moliretur. Adde alias omnino fuisse rationes hujus contentionis, quæ plus vice simplici fuit inter Apostolos, a Patribus esse assignatas, quas, quia huc non pertinent, vide apud interpretes.* C *Tertium, quod observo, fatetur desumptum ex historia apocrypha, nec tamen censura notat necessaria :* Bartholomæum, *inquam, ea conditione ad apostolatum admissum, ut purpuratus semper incederet; et purpuræ usum perpetuo ab Apostolo retentum. Quis Euangelia legit, qui non facile perspiciat, quam hæc Christi, et apostolorum paupertati, et humilitati sint contraria, quam a moribus eorumdum absona; ne dicam in* S. Bartholomæum *injuriosa? Hujus itaque fabellæ inventores conficta illa nobilitate adeo non honorant* S. Bartholomæum, *ut eum potius dedecorent, dum ut superbum nobis depingunt, et ambitiosum. Sed quænam hujus fabellæ fuerit occasio, videamus.*

Ex falsa nominis interpretatione ortum, refutatur :

51 *Eruditi non aliam assignare solent causam, quam falsam nominis* Bartholomæi *interpretationem, et recte. Audiamus Eminentissimum Baronium in notis ad Martyrologium Romanum, ubi ad diem* XXV *Augusti docte hanc fabulam proponit, et refellit.* De Bartholomæo, *inquit,* apud nonnullos ea invaluit opinio, ut fuerit Syrus genere, atque a rege Ptolomæo originem duxerit, dictusque Bartholomæus, quasi filius Ptolomæi. Sed perperam quidem : nam D Ptolomæi in Ægypto, non in Syria regnarunt : præterea apostolos omnes Galilæos fuisse, docet divina Scriptura, quæ ait Act. Apost. cap. 1. Viri Galilæi, etc. et cap. 2 : Ecce omnes, qui loquuntur Galilæi sunt, etc. Ceterum si Bartholomæum hic genere Syrum dixerimus, quod Galilæa est in Palestina, et Palestina in Syria; eadem quoque ratione ceteros etiam apostolos Syros esse, dicere debemus... Ad hæc addimus etiam, Bartholomæum non a Ptolomæo esse dictum; sed sicut Judæus erat genere, ab Hebraicis vocibus sic appellatus, Bar Tholmai, Filius Tholmai. Est Tholmai nomen proprium Hebraicum, et in divinis Scripturis repetitum, *(Vide locos assignatos § 4; nam apud Baronium numeri perturbati sunt.)* Quod autem pro Bartholmai dicamus Bartholomæum, mirum videri non debet, cum et in ceteris Hebraicis vocibus id ipsum contingat, ut eadem Latine, vel Græce reddita, non eodem modo pronuncientur.

nomen Bartholomæi Syriacum.

52 *Libenter assentior viro doctissimo. Unum tamen observo ex S. Hieronymo, quia facit ad nomen Sancti, de quo agimus, exponendum.* E *Lib. de Nominibus Hebraicis, de Matthæo sub littera B, ita scribit laudatus Pater :* Bartholomæus, Filius suspendentis aquas, vel filius suspendentis me. Syrum est nomen, non Hebræum. *Et paulo inferius in* Bariona : Bar quippe lingua Syra filius. *Et si placuerit advertere locis citatis; invenies* Tholmai *nomen esse incolarum terræ priorum, non Hebræorum. Verum ex hac observatione, non minuitur vis argumenti; nam eo tempore lingua Syriaca erat Judæis usitata, et multi Syriaca habebant nomina, ut in S. Hieronymo libro citato videri potest. Satis itaque refutata est fictitia S. Apostoli nobilitas, quæ Patribus Augustino, Chrysostomo, aliisque antiquis ignota, tantisque fabulis adornata penitus eliminanda est.*

Piscatorem fuisse Bartholomæum.

53 *Unum Baronii argumentum, quia ad aliam ducit disputationem superius prætermissum, hic adnecto.* Theodoretus, *inquit,* in præfat. de Euang. verit. cum agit de lib. de legibus, Bartholomæum, sicut ceteros, nullum excipiens fuisse piscatorem affirmat, idque etiam Metaphrastes testatur : *(in oratione Josephi cujusdam inferius danda)* quod quidem verius mihi probatur : nam secundum Paul. 1 ad Corinth. cap. 1. Ignobilia F mundi, et contemptibilia elegit Deus. *Hæc Apostoli sententia, nobilem non fuisse* Bartholomæum *probat, non probat piscatorem fuisse. Favet quidem huic opinioni, quod* Nathanael, *nobis* Bartholomæus, *Joan. 21 cum Petro aliisque piscatus fuerit; sed facile responderi potest, id ex amicitia, et mutua familiaritate factum, consentiente S. Chrysostomo Hom. 87 in Joannem :* Alii, *inquit,* discipuli sequebantur, quod una de reliquo conjuncti essent, et simul vellent piscantes videre, atque hoc otio placide frui. *Hæc igitur infirmiora sunt argumenta, quam ut piscatorem fuisse* Bartholomæum *evincant.*

non probant satis, qui id asserunt.

54 *Piscatorem autem non fuisse colligi videtur ex patria Cana Galilææ, quæ remotior a mari erat, et fluviis saltem insignioribus; ita ut vel nulli videantur ibidem fuisse piscatores, vel certe pauci admodum, qui in lacubus forte quibusdam piscarentur. Ne tamen Theodoreti auctoritas quemquam moveat, ipsa Theodoreti verba adducamus. Loco a Baronio citato sic habet :* Magnum... me operæ pretium facturum existimavi,

A mavi, si celeberrimis apud Græcos legumlatoribus, Christianæ religionis duces conferrem, nostros inquam piscatores, nostrum sutorem, nostrum publicanum. *Per* sutorem, *haud dubie* Paulum *intelligit; per* publicanum, Matthæum. *An, quia reliquos Christianorum duces* piscatores *vocat, omnes omnino apostolos, exceptis jam dictis, piscatores fuisse contendit? Non facile crediderim. Nam in ipsa disputatione, cujus hæc est præfatio, sive lib. 9, qui est de legibus, tom. 2, pag. 623 editionis Coloniensis, plures publicanos facit.* At legum, *inquit*, quas nostri piscatores, nostri publicani, quasque sutor tentoriorum tulerunt. *Et post pauca :* Piscatorum tamen, nostrique sutoris abolere leges non potuit. *Quin in Psalmum 67 ℣. 7 ita habet :* Talis fuit Matthæus, talis Jacobus Alphæi, talis Zacchæus, qui a peccati vinculis liberati. *Cur, obsecro, Jacobum Alphæi cum publicanis illis a peccati vinculis liberatum dicit, nisi quia et ipsum publicanum putavit, secutus S. Chrysostomum in cap. 10 Matth. ℣. 5? Perspicuum hinc esse puto, Theodoretum non voluisse B hic docere, apostolos omnes fuisse piscatores; nam modo plures publicanos facit, modo publicanos omittit. Verum, quia notum erat, varios ex apostolis piscatores fuisse, idcirco eo præcipue nomine fuisse usum; reliquorum artificia, utpote ignota, tacere debuisse. Hæc de Theodoreto. Quod apud Metaphrastem habetur ex laudatione Josephi, exigui etiam est momenti. Verba, lector, accipe :* Videamus... quemadmodum ex piscium piscatore hominum piscator factus sit. *Alludit auctor ad verba Christi ad Apostolos dicta Matth. 4 ℣. 19 :* Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. *Hinc forte, quia hominum piscator constitutus a Christo fuerat* Bartholomæus, *verisimile putaverit Josephus ille, piscium piscatorem antea fuisse, illudque ut probabile enuntiaverit; non etiam existimo, notum fuisse Josepho illi, quod antiquioribus patribus fuit incognitum, ut postea probabimus. Non itaque opinor piscatorem fuisse* S. Bartholomæum.

An agri cultor? 55 *Cotelerius num. 49 laudatus pag. 272 profert Indiculum Apostolorum, sumptum, ut testatur, ex antiquis Mss. Christianissimi regis* C *num. 1789, 1026; in quo de* S. Bartholomæo *hæc habentur, ex Græco translata :* Bartholomæus, de patre Sosthene, matre vero Urinia, cultor pascui, seu olerum sator. *In Constitutionibus etiam apostolicis apud eumdem ibidem dicitur de apostolis :* Alii agricolæ. *Addi potest ad qualemcumque horum confirmationem Epistola scripta a Damiano episcopo Ticinensi, ut probat Labbeus Tom. 6 Conciliorum col. 577, sub nomine Mansueti archiepiscopi Mediolanensis, seu synodi Mediolanensis anni 679 ad Constantinum Pogonatum imperatorem,* quæ, *teste ibidem Paulo diacono,* non mediocre suffragium tulit *in synodo* VI *œcumenica, in qua hæc leguntur apud Labbeum citatum col. 603 :* Nam si relegas (*regulas fidei*) insignissime imperator, non cum dialecticis, non cum rhetoricis, non cum grammaticis, sed cum ruricolis, et piscatoribus Dominus posuit rationem, et his tradidit sui secreta consilii, quos et principes ordinavit, quibus ligandi solvendique tribuit potestatem. *Hic satis aperte insinuatur, apostolorum aliquos fuisse agricolas, nec video, cui ex apostolis id melius conveniret, quam* Bartholomæo; *Cana enim oppidulum, quod, ut ex ejus descriptione superius vidimus,* amplum, fertilem, et amœnum campum habet, *haud dubie multos ex incolis habuit agricolas; multos, qui vel hortos colerent, vel greges pascerent.* Auctore J. S.

56 *Potuit igitur* Bartholomæus *aut horti, aut agri paterni cultor, quietam sibi, Deoque vitam ducere. Hæc, fateor, non displicerent, si melioribus, niterentur testimoniis. Verum Indiculus ille Græculi cujusdam esse videtur, et quædam habet aperte falsa. Constitutiones Apostolicæ quam fidem mereantur, norunt eruditi. Quod autem in epistola illa synodali dicitur, videtur ex his Constitutionibus desumptum, nec tam antiquus est istius epistolæ auctor, ut assensum nostrum hac in re extorquere debeat. Siquidem obstat silentium antiquorum Patrum, et auctoritas Origenis, qui lib. 1 contra Celsum num. 62 editionis Parisiensis, post Petri, Andreæ, Joannis, Jacobi, et Matthæi commemoratam conditionem, hæc subjungit :* Qua vero arte cæteri, priusquam discipuli Jesu fierent, victum sibi comparaverint, nobis incompertum est. *Malim itaque cum Origine fateri, incognitum mihi esse, qua fuerit ante Apostolatum vitæ conditione,* E *quamve artem exercuerit, ut sibi victum compararet, quam incertis hisce traditionibus præbere assensum. Hactenus de vitæ conditione; nunc qua fuerit doctrina* Nathanael Bartholomæus *investigandum.* *id incertum.*

§ VI. Doctrina, vocatio, virtutes, et alia quædam.

Videntur aliqui S. Augustinum locis § 2 citatis ita intellexisse, ac si asservisset, Nathanaelem *fuisse legis* Doctorem. *Nam Baronius ad annum Christi 31 num. 28 hanc rationem allatam dicit ab Augustino, cur non fuerit electus inter apostolos* Nathanael : Quod esset legis DOCTOR. *Cornelius a Lapide in cap. 1. Joan. eamdem Augustini rationem assignat;* Quod Nathanael videatur fuisse legis DOCTOR. *At ego in S. Augustino omnino hoc non invenio. Verba ejus, quia ad præsens institutum simul conducunt, referam fideliter. Tractatu 7 in Joan. col. 254.* Nathanaelem eruditum, et peritum legis *vocat.* F *Paullo inferius :* Doctissimus legis *dicitur. In psalmum 65, col. 480.* Doctus... in lege : *post pauca :* Peritus erat legis. *Rursus infra* Doctus ille in lege. *Nusquam, locis citatis,* Doctorem *legis fuisse affirmat, vel se existimasse doctorem fuisse insinuat. Chrisostomus Hom. 20 in Joannem, doctum itidem* Nathanaelem, *et sacræ Scripturæ studiosum agnovit. Col. 116 :* Quia, *inquit,* Nathanael peritus erat, et veritatis studiosus sectator. *Eadem col. inferius.* Quia hic magis quam Philippus in propheticis versatus erat. *Adstipulatur Cyrillus in Joan. cap. 1 ℣. 45 his verbis :* Norat quippe *Philippus* studiosissimum illum esse (Nathanaelem) ac valde eruditum. *Nec non S. Gregorius Nyssenus in Cantica hom. 15 dicens :* Quod peraccurate ex libris vaticiniorum de Domini mysterio edoctus esset. *S. Augustinus non legis doctorem, sed peritum legis, seu doctum*

58 *Colligunt eam Apostoli doctrinam ex eo, quod Philippus dixerit* Nathanaeli *Joan. 1 :* Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. *Et responderit* Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse? *Verum id colligunt diversimode.* *cum aliis Patribus dixit : qui id ex Scriptura collegerunt diversimode.*

Augustinus

AUCTORE J. S.

Augustinus quidem putat, assensum fuisse Nathanaelem *Philippo, ex eoque doctrinam ejus, et in lege peritiam consequi existimat. Rectius meo judicio Chrysostomus eamdem ex ejus dubitatione deducit. Audi ipsum loco citato :* Audierat enim ex Scripturis Christum ex Bethleem oriturum esse, et ex vico in quo fuerat David. Ea itaque fama apud Judæos obtinebat, et Propheta olim prædicaverat his verbis : « Et tu Bethleem nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. » Cum audisset ergo a Nazareth esse, turbatus est, et dubitavit, quod Philippi verba cum prophetica prædictione non consonare videret. *Sunt, qui doctrinam* S. Bartholomæi *colligunt ex Theologia mystica sub nomine S. Dionysii Areopagitæ citari solita, ubi cap. 1 hæc habentur :* Ita divinus Bartholomæus dicit : « Et multam theologiam esse et minimam, et Evangelium latum, et magnum, et rursus concisum. » *Verum cum ex eo non satis probetur doctrina, quæ fuit ante vocationem, sufficit mihi attulisse tot Patrum testimonia, Scri-* B *pturamque ipsam, quæ diligentem legis, et prophetarum scrutatorem fuisse* Nathanaelem *insinuat.*

An fuit Joannis Baptistæ discipulus?

59 *Mirabitur quis fortasse hanc doctrinam in homine tenui, et simplice, qualis erat* Nathanael Bartholomæus. *Sed considerare debet, frequentem fuisse sacræ Scripturæ lectionem apud Judæos Act. 15 ℣. 21 :* Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur. *Et Joan. 5 ℣. 39 Christus dixit Judæis :* Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. *Idque tanto diligentius fecit* Nathanael, *quanto salutis suæ studiosior, Deique erat amantior. Cornelius a Lapide in cap. 1 Joan. ipsum etiam sub disciplina S. Joannis Baptistæ profecisse putat, ejusque vel discipulum, vel certe auditorem fuisse.* Responderi potest, *inquit,* Nathanaelem fuisse legis studiosum, non doctorem; æque ac erat Philippus, cum eo de adventu Messiæ ex lege differens, ac Petrus, et Andreas. Videntur enim hi omnes fuisse Joannis Baptistæ discipuli, vel auditores, atque ab eo transmissi ad Christum.

id non est improbabile.

C 60 *Favet huic conjecturæ S. Epiphanius Hæresi 51 citata num. 14, ubi socium Andreæ, qui cum ipso primus ad Christum accessit, et Joannis Baptistæ erat discipulus Joan. 1 ℣. 37, Philippum putat fuisse, vel Joannem, aut Jacobum. Censet itaque Epiphanius, plures Joannis Baptistæ discipulos Christo adhæsisse. Et certum videtur, Joannem Baptistam ad Christum transmittere voluisse, quoscumque ex discipulis suis ad id noverat magis idoneos. Hæc igitur Cornelii conjectura non videtur mihi improbanda, sed conjectura est, adeoque rem non facit omnino certam. Ceterum, sive discipulus fuerit Joannis, sive auditor tantum, sive ne auditor quidem; studium sacrarum Scripturarum, mediocremque saltem earum peritiam,* Nathanaeli *omnino adjudicandam existimo : profanarum vero scientiarum, philosophiæ puta, et eloquentiæ studium, et vel mediocrem earum peritiam penitus adjudicandam; non enim oratores elegit Dominus, aut Philosophos; sacræ Scripturæ lectores, et auditores non abjecit. Nunc quomodo sub Christi disciplinam se tradiderit exponendum.*

Vocatio Apostoli, et virtutes.

61 *Vocationem* Nathanaelis *luculenter describit Joannes cap. 1 a ℣. 45 :* Invenit Philippus D Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus : Veni et vide. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael : Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis. Et dicit ei : Amen, amen, dico vobis, videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis. *De his multa disseruimus in præcedentibus, quæ hic omittentur; quædam tamen ad virtutes* Nathanaelis *declarandas subjungemus ex Chrysostomo. Hom. 20 in illud :* A Nazareth potest aliquid boni esse? *S. Pater modestiam ejus ita prædicat, et prudentiam :* Animadverte autem ejus in ipsa dubitatione prudentiam, modestiamque. E Non enim statim dixit, Me fallis, o Philippe, et mentiris. Non credo, non adibo : a Prophetis didici Christum a Bethleem venturum esse; et tu dicis, a Nazareth. Ergo non is ipse est. Verum nihil simile dixit. Sed quid? Adit illum et ipse, ac dum non admittit eum a Nazareth esse, accuratum Scripturarum studium ostendit, et mores suos fallaciæ non obnoxios; quod autem hæc nunciantem non respuat, magnum Christi adventus desiderium exhibet. Cogitabat enim potuisse Philippum circa locum errare. Animadverte item, quam moderate fidem ipsi neget, et interroget. Neque enim dixit; Nihil boni fert Galilæa. Sed quomodo? « A Nazareth potest aliquid boni esse? » *Audi et alias ejus virtutes. Candorem ita subnectit :* Ideoque ait Christus : « Ecce vere Israelita in quo dolus non est. » Itaque potest Israelita mendax esse : sed non hic vir talis, ejus quippe judicium nullam habet personarum acceptionem, nihil ad gratiam, nihil ad odium loquitur. *Constantiam post pauca :* Vide mihi, *inquit,* hominem constantem, et firmum. Cum dixisset enim Christus, « Ecce vere Israelita, » non laudibus emollitus F est, non encomiis raptus, sed perstat inquirens, et accuratius explorans, vultque clarum quidpiam ediscere. *Fervorem ejus confessionis inferius idem Pater quasi penicillo delineat, in hæc scribens verba :* Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Irael. Viden', *inquit,* animam gaudio exsultantem, et verbis Jesum amplexantem? Tu es, inquit, ille exspectatus, et desiratus. Viden' stupentem, mirantem, exsultantem, salientem præ voluptate? *Hactenus Chrysostomus de egregiis* Nathanaelis *virtutibus. Utrum autem hic verum Deum confessus fuerit per hæc verba* Tu es Filius Dei, *quod hom. 21 negat Chrysostomus; Cyrillus, aliique quidam affirmant, S. Scripturæ interpretibus examinandum relinquo. Videri potest Toletus in cap. 1 ℣. 49 Joannis annotatione 79.*

Quotus ex Apostolis vocatus?

62 *Ambiguum hic est, quotus inter apostolos vocatus a Domino fuerit* Nathanael. *Si Joannis Evangelium solum consulamus, quarto loco vocatus videtur; post Andream nempe, Petrum, et Philippum. Verum ordo in recensendis apostolis, ab Evangelistis servatus, insinuat, ante Philippum et* Nathanaelem *vocatos esse Jacobum,*

et

A *et Joannem; et id opinatur S. Epiphanius Hæresi 51 num. 14. Postquam enim suspicatus erat, socium illum Andreæ, cujus nomen tacetur Joan. 1 ℣. 37, fuisse Philippum, ita se corrigit :* Nisi forte Joannem mavis, aut Jacobum Zebedæi filium. Primos enim vocari illos oportuit : tum deinceps Philippum, quo in Euangeliis ordine numerantur. *Atque ita sexto loco vocatus fuerit* Nathanael, *quo in Apostolorum catalogis ab Euangelistis ponitur* Bartholomæus. *Dicam conjecturam ex verbis S. Epiphanii mihi suggestam, quam quisque ut lubet accipiat, quia parum faciet ad laudem* S. Bartholomæi. *Suspicor, socium illum Andreæ anonymum, ipsum esse Joannem Apostolum, per eumque Jacobo fratri Christum innotuisse, sicut innotuit Petro per Andream,* Nathanaeli *per Philippum : verum hæc omnia Euangelistam silentio involvisse modestiæ causa, sicut nomen* Boanerges *sibi fratrique suo impositum siluit, multaque alia ad laudem suam spectantia. Ut ut est, aut quarto, aut sexto loco numeranda venit vocatio* Nathanaelis Bartholomæi.

An in nuptiis Canæ Galileæ ei Bartholomæi nomen inditum ?

B 63 *Post vocationem* Nathanaelis *subjiciuntur a Joanne cap. 2 nuptiæ, factæ in Cana Galilææ.* Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et disciputi ejus, ad nuptias. *S. Epiphanius Hæresi citata num. 15 his verbis ista subjungit :* Ubi ex enucleatis utrimque minutisque verbis ac sententiis colligitur, Christum alios secum adduxisse discipulos, qui cum eo remanserant. Cujusmodi forte Nathanael fuit, et Philippus, aliique nonnulli. *Recte mea quidem sententia :* Nathanaelem *enim nuptiis his cum Jesu interfuisse vix dubitare permittit et recens vocatio, et patria Cana, in qua nuptiæ celebratæ sunt. Invitatum ad has nuptias Christum occasione* Nathanaelis *suspicatur Rupertus, indeque ei nomen* Bartholomæi *inditum. Sic enim habet in Joan. cap. 1, pag. 36 editionis Coloniensis :* Constat, quia Bartholomæus non Hebraicum, sed Syrum nomen est, quod Latine est Filius suspendentis aquas. Nathanael autem Hebraicum, et interpretatur Donum Dei. Fortasse ergo hic ipse Nathanael, qui erat a Chana Galilææ, Bartholomæus est, quod interpretatur Filius suspendentis aquas : C quia tertia die cum nuptiæ fierent in illo vico suo Chana Galilææ, forte per occasionem ejus Dominus invitatus ad nuptias, aquas in vinum convertens in admirationem omnium illas suspenderat. *Ruperti conjecturam exemplo illustrat Gavantus in dissertatione sæpe citata :* Sicuti, *inquit,* Jacobus et Joannes dicti sunt Boanerges, filii tonitrui : quamquam hi a Christo cognominati fuere, ille a civibus; eo quod Christo addictus fuit ex multis ejusdem loci incolis. *Conjecturam hanc viri sancti ut subtilem, et ingeniosam non improbo, sed incertam existimo, cum nomen* Bartholomæi *a patre facile habere potuerit* Nathanael. Nathanaelem *autem nuptiis interfuisse omnino puto, ejusque occasione Jesum fuisse invitatum, satis apparet verisimile.*

An fuerit unus ex duobus euntibus in Emmaus ?

64 *Post hæc nihil in Euangeliis de* S. Bartholomæo *occurrit usque ad mortem Christi, nisi quod cum aliis undecim apostolis in eorum catalogis sexto ubique loco post Philippum numeretur. S. Epiphanius Hæresi 23 num. 6, pag. 67 scribit;* Salvatorem a mortuis excitatum Nathanael, ac Cleophæ in via apparuisse; *euntibus scilicet in Emmaus Luc. 24. Verum alii Patres Epiphanio non consentiunt. Neque ullum in Scripturis est fundamentum, ex quo* Nathanaelem *fuisse colligamus. Videsis Calmetum in cap. 24 Luc. ℣. 13. In reliquis apparitionibus, ubi vel maxima ex parte, vel omnes aderant apostoli, adfuit etiam* Bartholomæus, *neque unquam se videtur ab aliis segregasse. Sed hæc satis disputata sunt, neque hic pluribus explicanda.* AUCTORE J. S.

§ VII. Prædicatio Apostoli Indica.

Variæ prædicationi Bartholomæi assignatæ provinciæ,

Prædicationi S. Bartholomæi *tam variæ assignantur provinciæ, tam obscure, nulla ordinis, aut temporis nota distinctæ indicantur, ut difficile sit invenire, unde exordium ducam, ubi finiam. Quippe alii Indiam; alii Armeniam, Chaldæam, Persidem; alii varias minoris Asiæ provincias, ejus doctrina illuminatas scribunt. Et vere hi quidem, ut existimo, neque enim dubitari potest, quin provincias orbis varias prædicando peragraverit, et fidei luce illustraverit, sicut et alios constat fecisse apostolos;* E *sed obscure admodum, ut dixi. Quapropter, ut probabili saltem disputatione lux aliqua affulgeat, aliquis ordo appareat : primum auctorum testimonia afferam, ut constet quibus in provinciis prædicaverit. Deinde examinabo ubi probabiliter prius, ubi posterius fidei semina jecerit.*

inter quas India,

66 *Indiam, de qua primo agendum, nobis describit Christophorus Cellarius tom. 2 Geographiæ antiquæ lib. 3, cap. 23, pag. 523 his verbis :* India, ἡ Ἰνδικὴ, amplissima Orientis regio, secundum flumina, quorum duo maxima sunt, Indus et Ganges, in duas magnas partes dividitur, quarum altera dicitur, India intra Gangem. . . Altera, India extra Gangem. . . Indiæ intra Gangem terminos ab Occasu constituit *(Ptolomæus)* Paropanisadarum regionem, Arachosiam, et Gadrosiam : a Septemtrionibus Imaum montem : ab Oriente Gangem fluvium : a Meridie Oceanum. Quæ extra flumen Gangem est, terminatur ab Occasu illo flumine : a Septemtrionibus Scythia et Serica : ab Ortu Sinarum regione : a Meridie Oceano. *Utrum in India, modo descripta, prædicaverit Apostolus,* F *disceptatur ab eruditis. Nam Indiam martyrologi multi, multi itidem historici designant. Sunt tamen, qui Indiam latissime, et improprie sumptam volunt. Menæa Græca* XI *Junii asserunt prædicasse* Indis, qui felices vocantur, *Euangelio secundum Matthæum ibi tradito. Freculphus lib. 2, cap. 4 in Bibliot. Patrum sec. 9, par. 1, pag. 505 edition. Coloniens. hæc scribit :* Bartholomæus apostolus. . . Lycaoniam in sortem prædicationis accepit, atque Euangelium juxta Matthæum apud Indos in eorum linguam convertit. *Martyrologia item varia Indicam prædicationem adstruunt. Consonat Fortunatus lib. 8, cap. 4 :* Inde triumphantem fert India Bartholomæum. *Et S. Anselmus hom. 1, pag. 158 editionis anni 1721,* Bartholomæum in Indiam *a Christo destinatum scribit. Atque, ut alios prætermittam, Eusebius lib. 5 Historiæ ecclesiasticæ cap. 10, et S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis in Pantæno, scribunt, Euangelium S. Matthæi apud Indos a* S. Bartholomæo *relictum, ibique a Pantæno inventum esse. Quapropter satis certum existimo,* S. Bartholomæum *in India prædicasse, ibique S. Matthæi Euangelium*

reliquis-

AUCTORE J. S.

reliquisse. Neque id negant hodiedum eruditi; verum per Indiam varii intelligi volunt Arabiam felicem, quæ ab antiquis etiam nominata fuit India. Id præ ceteris contendit, et multis erudite probare conatur laudatus sæpe a nobis Assemanus.

quam improprie intelligunt aliqui,

67 *Tom. 3, par. 2, pag. 568, et seqq. ostendit felicis Arabiæ incolas, qui uno postea Homeritarum vocabulo innotuere, et Æthiopes, et Indos etiam fuisse dictos ab antiquioribus; ipsamque Arabiam felicem et Indiam, et Æthiopiam ab aliquibus fuisse cognominatam. Uti et de Æthiopia Africana probat Pagius, Indiam ab aliquibus fuisse dictam, ad annum Christi 327 a num. 9 : neque hac de re ulla inter nos erit controversia. Laudatus Assemanus pag. 592 hinc ulterius deducit sequentia :* Ex eodem Menologio, et ex iis, quæ supra de Æthiopibus, et Indis diximus, palam fit, Homeritas, Arabiæ felicis populos fuisse Æthiopas, Indosque illos, quibus Bartholomæus, Matthæus, et Matthias, fidem Christi annuntiarunt. Bartholomæum *ibidem Christi fidem annuntiasse (nam de Matthæo, et Matthia hic non disputo) satis mihi* B *fit verisimile ex eo, quod prædicasse dicatur Indis, qui* felices *nominantur, quod et infra confirmabitur ex Niceta Paphlagone. Non æque mihi probatur, quod post pauca subjicit his verbis :* De Æthiopibus, Indisque Arabiæ felicis intelligendum, quod Hieronymus. . . *scribit,* Pantænum philosophum ad Indos peregrinatum memoriam de Bartholomæi prædicatione virentem adhuc reperisse. *Nam ostendam hæc intelligenda esse de Indis, Indiam proprie et communiter dictam incolentibus. Confirmat Assemanus sententiam suam ex Philostorgio lib. 2, cap. 6. Quem ut hominem Arianum, et impostorem libenter ei concedo. Sed audi, quid ipsius editor Jacobus Gothofredus in hunc locum notet. Dissertatione ad cap. 6, lib 2, pag. 59, postquam probavit, narrationem Philostorgi ab aliorum historicorum narrationibus multum differre, concludit :* Igitur et hæc Philostorgianæ κρὺψεος et ψευδολογίας structura est; qua causa Photius in ingressu hujus narrationis eum δυσπεβῆ vocat. *Affert etiam pro sua sententia Rufinum, et Socratem, in quo ex* C *parte saltem consentientem habet Pagium, de quibus postea. Nam prius ostendam* S. Bartholomæum *in India, etiam proprie dicta, prædicasse, ibique relictum Matthæi Euangelium a Pantæno inventum esse; ut scribit Baronius ad annum Christi 185.*

sed probatur, fuisse proprie dictam variis

68 *Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 10 ita scribit :* Pantænus. . . disciplina philosophorum, qui Stoici appellati sunt, institutus eodem temporis momento, cum primis excelluisse traditur. Quem amore ardentissimo erga sacram Scripturam flagrantem, tantum studii in illa propaganda potuisse ferunt, ut præco Euangelii GENTIBUS, QUÆ ORIENTEM INCOLEBANT ordinatus AD INDORUM USQUE REGIONES sese conferret. Erant autem erant, inquam, ad id temporis complures verbi prædicatores et fideles nuncii, qui DIVINO APOSTOLORUM IMITANDORUM STUDIO inflammati, magna adjumenta cum ad verbum Dei in animis hominum exædificandum, tum ad idem augendum afferebant. Quorum e numero unus erat Pantænus ille, quem ad Judæos *(lege* Indos *ut est in Græco)* perrexisse diximus : ubi (ut fertur) Euangelium Matthæi (quod ante ejus adventum ibi fuerat receptum) in manibus quorumdam, D qui in illis locis Christum profitebantur, reperit : quibus Bartholomæum, unum ex apostolis prædicasse, illisque Matthæi Euangelium litteris Hebraicis scriptum reliquisse, et illud ipsum ad monstratum tempus reservatum constat. *Hæc sane verba non Arabiam felicem, ut vult Assemanus : non Nubiam Æthiopiæ partem, ubi Pantænum prædicasse vult Pagius ad annum 327 num. 22; sed Indiam orientalem nobis designant; ut recte Baronius loco supra citato. Non enim perspicio quomodo Arabiæ, aut Nubiæ incolæ recte vocari possint gentes,* quæ Orientem incolebant, *cum Nubia Australis sit Alexandriæ, et Ægypto; Arabia Orientalis quidem, sed contermina : gentes autem nobis finitimas Orientem incolere, ubi supersunt aliæ longe magis ad Orientem a nobis remotæ, non congrue dicimus. Atqui tamen* Præco Euangelii gentibus, quæ Orientem incolebant, ordinatus *fuisse dicitur Pantænus : Indis igitur ad Orientem maxime remotis, non Arabibus, non Nubiis. Deinde, cur tantopere commendatur divinum ipsius Apostolos imitandi studium, ut* ad Indorum usque regionem *se conferret, nisi* E *multum dissita aliqua regio designetur, qualis India Orientalis; non Arabia, non Nubia. utraque Ægypto propinqua, quin et contermina, ut fatentur adversarii?*

argumentis ex Eusebio.

69 *Hæc quamvis Eusebii mentem abunde declarare videantur : quia tamen adversarios habeo maxime eruditos, lubet et ex aliis ejus scriptis eam ulterius demonstrare. Lib. 4 de Vita Constantini, cap. 50 hæc ad propositum nostrum scribit :* Eodem fere tempore aderant ab Indis Orientalibus legati, qui dona imperatori afferebant : in quibus erant omnia prope clarissimarum et pretiosissimarum gemmarum genera, animantia etiam tota natura ab hisce nostris discrepantia : quæ omnia ad imperatorem deferebant, ut significarent ejus imperium usque ad ultimam Oceani oram pertinere, principesque Indorum, picturarum, et statuarum muneribus declarare, se illum cum summa potestate omnium imperatorem et regem agnoscere, et profiteri. Ita accidit, ut ei primum ad imperium venienti, initio Britanni ad ultimas fere Occidentis solis oras Oceano cincti parerent, nunc vero postremum Indi in extremis Orientis partibus siti. *Hic Indos significari proprie dictos fatebuntur, puto, adversarii;* F *et clarissime patet ex muneribus allatis, et addita voce* Orientalibus. *Quod et superius declaratur hoc modo :* Gentibus, quæ Orientem incolebant, *cui statim additur :* Ad Indorum usque regionem sese conferret. *Nam iidem procul dubio sunt* Indi Orientales, et Indi, qui Orientem incolunt. *Sed satis sit de Eusebio, cujus mens minime mihi videtur dubia.*

Hieronymo.

70 *Non minus clare Indiam proprie dictam designat S. Hieronymus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 36 in Pantæno ita scribens :* Pantenus Stoicæ sectæ philosophus, juxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi a Marco euangelista semper ecclesiastici fuere doctores, tantæ prudentiæ et eruditionis, tam in Scripturis divinis, quam in seculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriæ episcopo mitteretur; ubi reperit Bartholomæum de duodecim apostolis, adventum Domini Jesu, juxta Matthæi Euangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum detulit. *Nunc peto ab eruditis adversariis,*

qui

A *qui operose desudant, ut ostendant ab aliquibus, geographiæ vel ignaris, vel negligentibus, Arabiam cum India nomine confusam esse, confusam quoque Æthiopiam; peto, inquam, an putent peritissimum in omni literatura Hieronymum nihil inter istas regiones discrevisse, an putent nihil discrevisse Eusebium? Nam quamdiu non ostendunt apud Eusebium et Hieronymum Indiæ nomine intelligi Felicem Arabiam, vel Æthiopiam, nihil omnino agunt. Cum enim commune apud geographos harum provinciarum nomen non sit India, ostendere debent ab Eusebio et Hieronymo Indiam vocatas esse, ut evincant per Indicam Pantæni peregrinationem ab Eusebio, et Hieronymo descriptam, intelligendam esse Arabicam, vel Æthiopicam. At ego ostendam luculenter, ab Hieronymo dictas regiones ab India fuisse distinctas. In Epistola enim 50 ad Paulinum 2, quæ habetur tom. 4, par. 2, a col. 568 editionis Parisiensis, Apollonii magi peregrinationem ita describit :* Apollonius... intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna B penetravit : et ad extremum latissimo Physon amne transmisso, pervenit ad Brachmanas... inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, et famosissimam solis mensam videret in sabulo. *Numquid non disertissime Arabes, et Æthiopiam ab opulentissimis Indiæ regnis secernit Hieronymus, de cujus mente hæc instituitur controversia? Hæc sane mihi sufficere videntur, ut de mente S. Hieronymi nobis constare possit. Quam tamen et alio argumento manifestam facio.*

qui Pantænum in Indiam ad Brachmanas missum scribit.

71 *Brachmanas in India proprie dicta agnoscit Hieronymus, dum ait :* Latissimo Physon amne transmisso, pervenit ad Brachmanas. *Et lib. 4 in Ezechielem cap. 13 itidem, ut superius, Indiæ Brachmanas, Æthiopiæ Gymnosophistas adscribit :* Indorum Brachmanes, et Æthiopum Gymnosophistæ. *Neque vero alibi Brachmanas, ut opinor, quærent adversarii. Pantænus autem ex mente Hieronymi Brachmanas docuit. Audi ipsum in Epistola ad Magnum, quæ in dicta editione est 83, col. 656 tomi citati.* Pantænus, C *inquit,* Stoicæ sectæ philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam, a Demetrio Alexandriæ episcopo, missus est in Indiam; ut Christum apud Brachmanas, et illius gentis philosophos prædicaret. *Nonne eo missum hic significat Pantænum, quo supra profectum dixerat Apollonium? Ad Brachmanas puta Indiæ Orientalis philosophos. Dubium itaque superesse videtur nullum, quin in India Orientali Pantænum docuisse voluerit S. Hieronymus, ibique relictum a* S. Bartholomeo *Matthæi Euangelium reperisse. Si modo Rufinum, et Socratem, quos objiciunt, adversariis concederem, nihil profecto haberent, quod cum auctoritate Hieronymi, et Eusebii esset comparandum. Verum ne hos quidem adversariis favere, nunc ostendere aggredior.*

quibus Rufinus et Socrates

72 *Rufinus lib. 10, cap 9 hæc scribit :* In ea divisione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per apostolos celebrata est : cum aliæ aliis provinciæ obvenissent; Thomæ Parthia, et Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media; sed longo interior tractu India ulterior jacet, multis variisque linguis et gentibus habitata. Quam velut longe remotam, nullus apostolicæ prædicationis vomer impresserat. Quæ tamen tempore Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus inspiciendorum locorum, et orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo invitatus etiam Meropius quidam Tyrius philosophus simili ex causa adire Indiam voluit. *Socrates lib. 1, cap 15 eadem fere habet :* Cum apostoli sortito iter ad gentes suscepissent, Thomas Parthiam.... obtinuit : Matthæus Æthiopiam : Bartholomæus Indiam, quæ huic finitima est, sortitione accepit. India autem interior, quam permultæ gentes barbaræ accolunt linguis inter ipsas discrepantes, non ante tempora Constantini verbo Christi, et ejus religione illustrata est. Quæ vero causa eos ad Christi fidem amplectendam impulerit, jam dicturus venio. Meropius quidam philosophus, genere Tyrius, studio Indorum regionem pervidendi incensus fuit : exemplo credo Metrodori philosophi ad eam rem provocatus, qui eamdem regionem ante lustraverat. *Assemanus loco citato, per Indiam citeriorem, et ulteriorem sive interiorem intelligi* E *vult Arabiam Felicem, et Æthiopiam. Pagius num. 8 Æthiopiam Ægypto viciniorem, et remotiorem. At ego contendo Indiam Gangeticam, seu proprie dictam, in citeriorem et ulteriorem distinctam etiam hic intelligendam esse; quod jam ostendo.*

AUCTORE J. S.

consentiunt.

73 *In primis nomen* Indiæ *non aliam designare videtur, quam celeberrimam illam citra et ultra Gangem in provincias et regna multa divisam. Hæc enim sola proprio Indiæ nomine nota est apud geographos. Neque alius horum auctorum sensus, qui accurate Indiam distinguunt ab Æthiopia, dum hanc Matthæo, illam* Bartholomæo *forte obtigisse scribunt. Quod autem Æthiopiæ finitimam, et adjacentem dicant, minus se geographiæ peritos ostendunt, non aliam tamen designant, quam illam Indiæ partem, quæ citra Gangem sita, prima se ex Æthiopia in Indiam navigantibus offert. Secundo Indiam ulteriorem Rufinus, et Socrates illam agnoscunt, quam adivit Metrodorus, ejusque exemplo Meropius. At Metrodorum non aliam adivisse Indiam, quam proprie dictam constat, et fatetur Pagius, ex Cedreno num. 16 hæc addens :* F Metrodorus quidam Persa, sub prætextu philosophandi in Indiam se ad Brachmanas contulit. *Viden' ad Brachmanas se contulisse? atqui Brachmanes ultra Gangem inventi sunt ab Apollonio, ut ex Hieronymo supra citato patet :* Latissimo Physon *(Gange)* amne transmisso pervenit ad Brachmanas *Apollonius. Ergo non aliam nobis Indiam per ulteriorem, vel etiam interiorem describunt, quam Indiam ultra Gangem vasto terrarum spatio extensam. Neque aliter sensit Carolus a S. Paulo in Geographia sacra pag. 260, ubi sola Socratis lectione opus esse asserit, ut hæc veritas intelligatur.*

Respondetur argumento Pagii ex geographia desumpto.

74 *Attamen se opponit Holstenius in notis ad hunc Caroli locum, quem secutus est Pagius : maluerunt hi varios sibi in Socrate errores fingere, quam simplicem ejus verborum sensum commoda interpretatione, qualem jam dedimus, retinere. Verba Holstenii accipe, sic ratiocinantis :* Socrates totam hanc narrationem a Rufino accepit, sed neuter Gangem nominat, ut de Indis intra vel extra Gangem sitis hic locus accipi possit. *Hoc sane frivolum est, nec longiori refutatione dignum. Nam neque Nilum Rufinus nominat,*

AUCTORE J. S.

minat, aut Socrates, cur igitur Æthiopiam Nilo intersectam potius designatam vult Holstenius? Aliud ex geographia subjicit argumentum hoc modo. Nam cum interiorem Indiam ratione citerioris appellent, interior hic necessario pro exteriore, sive pro India extra Gangem accipienda foret : quia India extra *(lege intra Gangem, ut sensus intelligibilis sit et verus)* Gangem nobis citerior est : atque hoc absurdum, et contra omnem veræ geographiæ rationem. Itaque cum citeriorem Indiam hic appellent eam, quæ Æthiopiæ adhæret, in qua Bartholomæus Euangelium prædicavit, quam Æthiopiam sub Ægypto esse nemo dubitavit (quia rubrum mare attingit ad Adulin, et ostium sinus Arabici) India interior nulla alia intelligi potest præter Æthiopiam interiorem, cujus metropolis erat Auxumis, quo antea nemo præconum Christi penetraverat. *Hæc Holstenius obscure admodum, sed veritas explicata offusas tenebras facile dissipabit.*

ex quo multa sequuntur incommoda,

75 *Dico itaque : India citerior Rufino et Socrati India est citra Gangem, sive illæ Indiæ provinciæ, Ægypto et Æthiopiæ viciniores, quas Indiam intra Gangem vocant geographi.* B *India ulterior, sive interior, India est ultra Gangem sita : quam passim vocamus Indiam* extra Gangem. *Totus ergo Holstenii scrupulus in eo consistit, quod vox* India interior *pro India extra Gangem non recte videatur intelligi. At, cum auctores illi satis indicent, se per Indiam* Interiorem *intelligere idem, quod per* ulteriorem, *quid contra rectam geographiam peccent non video. Nam sicut Æthiopiam interiorem Holstenius ipse vocat eam Æthiopiæ partem, quæ intra Æthiopiam magis a nobis est remota, ita Rufinus remotiorem a nobis Indiæ partem modo Indiam interiorem, modo ulteriorem vocat. At fallitur cum Holstenio Pagius, ex eo quod* Bartholomæum *non in vera India prædicasse vult, sed in Æthiopia, idque contra proprium Rufini verborum sensum, contra apertissimam Hieronymi, et Eusebii sententiam. Quam multa autem hinc sequantur plane absona, attende. Primo Æthiopiam obtigisse Matthæo,* Bartholomæo *Indiam clamant auctores. Illi Matthæum in Æthiopia remotiore ab Ægypto,* Bartholomæum C *statuunt in parte Æthiopiæ Ægypto magis vicina. Secundo verbis vim inferre coguntur, dum Æthiopiam Ægypto finitimam etiam* Indiam *vocatam volunt, cum omnes Pagii probationes tantum evincant, remotissimam Æthiopiæ partem, aut potius regiones supra* Catadupa *positas* Indiam *a quibusdam vocari. Audi verba ipsius num. 11 :* Quare manifestum est, Lucianum eam regionem, quæ supra Catadupa sunt, Ἰνδίαν appellare. *Vides hic non viciniorem Æthiopiam, sed regionem supra Catadupa, seu remotiorem ab Ægypto Æthiopiam, Indiam vocari. Idem tantum sequitur ex Virgilii versu, quem allegat, de Nilo ita scribentis :* Usque coloratis amnis devexus ab Indis. Ubi vides, *inquit*, populos, quos Nilus alluit, Indos appellari. *Imo vero video Indos appellari, populos illos, apud quos Nilus oritur; non omnes, quos Nilus alluit, Indos appellari video, ne et ipsos tandem Ægyptios, Indos appellari velit Pagius, nam et hos Nilus alluit.*

qui Rufinum perperam reprehendit,

76 *Tertio errat Pagius, dum errasse vult Rufinum Metrodori itinere scribendo num. 16.* Præterea inquit fallitur in eo *(Rufinus)* quod Metrodorum Indiam, quam ulteriorem appellat, seu Æthiopiam hodiernam penetrasse scribit. D Metrodorus enim non Æthiopiam, seu Indiam respectu nostro citeriorem, sed veram Indiam, seu Idiam ulteriorem (ut a viro qui in imperio Romano scribebat vocari debuit) perlustravit. *Accipe sensum verborum :* Fallitur. Rufinus, *inquit*, quod Metrodorum Indiam, quam ulteriorem appellat... penetrasse scribit. Metrodorus enim... veram Indiam, seu Indiam ulteriorem... perlustravit. *Indiam ulteriorem perlustratam scribit Rufinus : Indiam ulteriorem perlustratam dicit Pagius : quomodo ergo Rufinus fallitur? Indiam vocare debuit vir in Romano scribens imperio : vocavit Indiam. Sed et Indiam intelligere debuit Pagius, non Æthiopiam; præsertim cum et Socrates supra citatus, et Theodoretus Histor. eccles. lib. 1, cap. 23, et Sozomenus lib. 2, cap. 23 eamdem historiam scribant, et* Indiam *ubique nominent, non Æthiopiam. An Historicos hos omnes, in Romano scribentes imperio, tam oscitantes fuisse putat, ut cum Æthiopiam nobis designare volunt, nominent Indiam? Plura ex tota hac Pagii disputatione addere possem, ex quibus pateret, quam multos in Rufino errores agnoscere maluerit,* E *quam proprium ipsius verborum sensum sequi. Legat eam, qui voluerit a num. 7 : et intelliget, Pagium non minus cum Rufino, ex quo oppugnat Baronium, quam cum ipso Baronio hoc loco pugnare. Sed audiamus tamen prudens viri eruditi monitum, quod si ipse secutus fuisset, a Baronio hac in re non dissentiret.*

suumque tandem ipse deseruit argumentum.

77 Non hinc, *inquit*, discedam quin monuero, non opera veræ geographiæ Rufinum ejus parum peritum, sed propriis ejus verbis, cum antiquis collatis intelligendum esse. *Placet Rufinum intelligendi modus, sed non putaveram hunc proponendum ab eo, qui ex geographia Rufini sua deduxit argumenta : quidquid enim operose ex Holstenio contra sententiam nostram struxit, hic uno calami tractu destruit. Nam hac posita regula, Pagium ita convinco. Rufinus Indiam* Bartholomæi *prædicationi assignat : atqui* India, *si proprie sumatur, secundum antiquos tum historicos, tum geographos, significat provincias citra, et ultra Gangem positas : imo et juxta Pagium ipsum num. 16, ubi has provincias vocat,* veram Indiam. *Ergo Rufinus* F *de India vera seu Gangetica intelligi debet. Quid Pagium in hæc abrupta deduxerit, ut relicta propria verborum significatione Indiam,* S. Bartholomæi *prædicatione illustratam, in Æthiopiæ exigua parte sibi fingeret, non perspicio : nam neque sibi satis hic constat, cum ad annum Christi 42 num. 2 ita Apostolorum prædicationem per totum terrarum orbem extendat, ut ne Americam quidem excipiat : hic vero ne Auxumitanos quidem Æthiopias non adeo ab Ægypto remotos, verbum Dei ab apostolis audivisse velit. Hæc paullo fusius disputata, ne auctoritas tantorum virorum veritati officeret. Ceterum de Frumentio, cujus occasione huc illi delapsi sunt, hic ego non disputo : dabitur de eo disputandi locus, cum Acta ipsius venient examinanda. Nunc pauca Assemano, qui Indicam* Bartholomæi *prædicationem Homeritidi, seu Arabiæ felici includit, respondenda. Fateor ipsius sententiam mihi minus improbabilem videri, quam refutatam modo Pagii; non pauca tamen et ex illa sequuntur incommoda.*

Assemanus refutatur.

78 *Primo enim cum Matthæo decreta fuerit Æthiopia,* Bartholomæo *India, utrumque uni*

includit

A *includit Arabiæ. Audi ejus verba :* Æthiopia vero, cujus Apostolatum Matthæus sortitus est, cuique confinis India Bartholomæi, hoc est, Sabæa, dicitur, non Abissinia est, ut nonnulli autumant : .... sed Arabia ipsa Petræa, qua parte Felici seu Sabææ potius adhæret *Hæc, fateor, concoquere non possum. Quid ? Apostoli, quibus dictum erat a Domino :* Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ *Marc. 16, tam arctas sibi ad prædicandum designaverant provincias, ut duobus una assignata fuerit Arabia ? Neutiquam id mihi fit verisimile. Deinde verbis Rufini etiam hic vis infertur ; qui Indiam nominat, et Æthiopiam ; non Arabiam Felicem et Petræam ; quæ his nominibus apud paucissimos, qui nec geographi sunt, designatæ leguntur ; cum contra India Orientalis, et Æthiopia Africana apud historicos, et geographos quoscumque, suis nominibus notissimæ sint, et celeberrimæ. Itaque* S. Bartholomæum *in Arabia prædicasse non inficior, sed et in India Orientali verbum Dei annuntiasse satis puto superius ex Eusebio, et Hiero-* B *nymo demonstratum est, et adeo ex Rufino et Socrate non infirmatum, ut potius multis modis confirmatum fuerit, et stabilitum. Sequor ergo sententiam Nicetæ Paphlagonis in Oratione encomiastica hic postea danda, ubi de S. Apostolo nostro hæc scribit :* Ad Arabes, quos Felices vocant, profectus Vir beatissimus ; neque ad illos solum, sed et Indis posthæc et Æthiopibus orientalibus, ut sermo Dei, ut lumen scientiæ, ut vitæ æternæ doctrina et informatio transmissus. *Primum itaque Arabes docuit, ex Arabia aut, terrestri itinere per Persidem, aut, quod magis credo, trajectu brevi Oceani Arabici, in Indiam profectus est.*

§ VIII. Apostoli in aliis provinciis prædicatio.

Bartholomæus cum Philippo Hierapoli

A*b India in minorem Asiam regredior : nam et ibidem prædicasse S. apostolum* Bartholomæum, *ex variis auctoribus constat. Henschenius tom. 1 Maii a pag. 7 dedit Acta S. Philippi* C *apostoli, ex quibus multa habemus spectantia ad Asiaticam* S. Bartholomæi *prædicationem. Ea huc igitur transferam, et aliunde, ut potero confirmabo. Num. 7 ex Menologio seculo* x *Basilii imperatoris Porphyrogeniti auctoritate conscripto, profert elogium Philippi, quod etiam invenies in Anecdotis Ughellianis post tom. 10 Italiæ sacræ col. 293, ex quo hæc delibo :* Philippus...... Trajano imperatore profectus est Hierapolim, cum septem filiabus et Mariamne sorore sua, et Bartholomæo Apostolo ; ubi Jesu Christi verbum nusquam non disseminando, deducebat ab idolorum vanitate multitudinem gentilium, qui eodem in loco, simul cum Nicanora uxore proconsulis, hominis inter suos primarii, serpentem dignabantur cultu et honore divino. Quare cum proconsulis jussu Bartholomæus et Philippus sublimibus e muro pedibus penderent : orante Philippo gentiles omnes cum proconsule, cum vipera, cum sacerdotibus ejus, repentino terrarum hiatu hausti sunt. Verum omnes singulari Dei beneficio, præter proconsulem cædis Sanctorum auctorem, et viperam, emersere in apertum aerem : solutoque Bartholomæo, Philippus eo cruciatu consumptus est.

Auctore J. S. *prædicasse, crucique cum eo affixus,*

80 *Ibidem num. 8 ex pervetusto Græco Synaxario ecclesiæ Constantinopolitanæ ad* IV *Novembris datur epitome Vitæ S. Philippi, ex qua decerpo in rem nostram sequentia :* Philippus Hierapolim (quæ tunc Ophioryme, quasi serpentinus impetus dicebatur) accessit cum Mariamne sorore sua, et Bartholomæo apostolo. Docebat autem euangelium Christi, persuadens infidelibus ut ab errore idolorum discederent : viperam namque instar Dei habebant. Multi autem fidem Christi suscipiebant, inter quos erat Nicanora uxor proconsulis, qui eos magna ignominia prosequebatur, volens plurimum ulcisci. Quare captum, calcaneis pedum perforatis, mandavit inverso capite de ligno suspendi, una cum apostolo Bartholomæo, cui idem supplicium inflictum. Cum Philippus ita suspensus preces funderet, subito terra aperta absorpsit omnes infideles Hierapoli existentes, una cum proconsule et vipera, hujusque sacerdotibus. Verum miserante Christo omnes, excepto proconsule et vipera, liberati sunt, et mox Bartholomæum dissolverunt. Philippus autem eorum repressit conatum, atque ita in ligno vitam finivit. E Hujus corpus cum Bartholomæus et Mariamne sepulturæ tradidissent, in Lycaoniam discesserunt. *In Menæis Græcis ad eumdem diem* XIV *Novembris aliqua diverso modo referuntur, quæ hic fideliter translata adjungam. Dicitur ibi cum Philippo ejusque sorore Mariamne Mysiæ et Lydiæ civitates prædicando euangelium obiisse, multasque afflictiones ab infidelibus pertulisse, flagellis et virgis cæsus, carceribus inclusus, lapidibus appetitus, iisdem comitibus. Additur deinde tertius Joannes apostolus in Asia prædicans. Nihil de cultu serpentis, nihil de morte proconsulis ibi refertur. Mors vero Philippi, et* Bartholomæi *liberatio, hoc modo commemoratur :* Philippus vero per plateam tractus, deinde talis trajectis, in lignum sublatus est : atque ita orans Deo tradidit spiritum. Continuo terra concussa motu, sonitumque emittens, scissa est : ac multos infidelium absorpsit. Reliqui vero terrore correpti, Bartholomæo et Mariamnæ adhuc pendentibus fiunt supplices : ipsisque solutis veram fidem amplectuntur. *Sequitur sepultura S. Philippi : dicitur Stachys, cujus domus memoratur combusta a proconsule et populo, creatus Byzantinus episcopus ; quod an verum sit discutietur* XXXI *Octobris, quo die colitur. Postremum dicitur* Bartholomæus *cum Mariamne in Lycaoniam profectus. Eadem quoad substantiam narrantur in Actis Philippi, quæ ex Metaphraste dedit Henschenius a pag. 12, ubi in fine hæc adduntur :* Bartholomæus autem et Mariamne, modico ibidem *(Hierapoli)* commorati tempore, cum iterum venerando illi corpori (Philippi) hymnorum atque exequiarum justa spendidius persolvissent, et præsentes amplius confirmassent in fide, ad propria reversi sunt, prædicando ubique euangelium Christi. F

et facto terræ motu,

81 *Nicetas Paphlago in Oratione encomiastica de Philippo apud Combefisium in Auctario PP. novissimo a pag. 383 eadem fere narrat de viperæ apud Laodicenos cultu, de morte Philippi, de* Bartholomæi *suspensione, et depositione, cui similiter sororem Philippi adjungit, sed mariam nominat ; in quibusdam tamen a præcedentium narratione differt nam et viperam Philippi precibus necatam refert ante supplicium, et apostolos suspendio damnatos non a proconsule, sed a primoribus civitatis narrat, et terræ motum verisi-*

AUCTORE J. S.

verisimiliori hoc modo memorat : Terræ motu subito locus quatitur, totusque ille succussus chorus alta voragine subsidebat, quo tota fere civitas, Jesu homines theatro traductura, concesserat : omnemque populum unus cum solo hiatus absorbebat *(id est absorpturus videbatur.)* Jam itaque gravi salutis, vitæque pulsante periculo, Philippum cum sociis inclamabant : atque ea se ratione ab errore abscessuros, veroque Deo credituros, etiam atque etiam pollicebantur. At Philippus sociique ferventibus Deum supplicationibus placare; orantibus Dominus confestim apparere, moxque terram, ne mergeretur, hiatuque subsideret, confulcire; vir denique divina instar scalæ pereuntibus submissa, iter ad salutem munire. Hæc incredulis fidei occasio. *Subjicit tum Nicetas mortem Philippi, ac* Bartholomæi *liberationem, reliquaque, prout supra narrata sunt. Eadem habemus fere relata in Oratione de* Bartholomæo *infra edenda Josephi, et apud Nicephorum Callistum lib. 2, cap. 39, quæ hic brevitatis causa prætermitto.*

mortuo Philippo, liberatus dicitur.

82 *Expectas, opinor, lector, ut edicam quid in his narrationibus verum videatur, quid fictitium. Ego quid sentiam candide eloquar : qui meum judicium sequi non voluerit; per me licet, sequatur suum. Omnes hæ narrationes (Nicetam excipio) multum Græcæ amplificationis et fictitii ornatus videntur habere admixtum. Deum enim proconsulem in scenam inducunt, ejusque uxorem ad fidem conversam, dum solum cum vipera proconsulem hiatu terræ absumptum scribunt, antiquum obtinere. Græci, id est veram historiam fictitiis fabulis ornare mihi videntur. Ratio est, tum quia hæc a Niceta prudenter sunt prætermissa, tum quia proconsules Asiæ non residebant Hierapoli, neque reorum suppliciis præsentes, ut plurimum, erant. Nicetæ vero narratio a verisimilitudine non recedit. Sicui cultus ille viperæ displicet, legat in Epitome Livii decadis 2 lib. 1, quæ scribit Florus de angue, cui Æsculapii divinitatem inesse putabant, ex Epidauro Romam traducto, temploque ibidem ei erecto : neque soli Epidaurii, et Romani serpentes coluerunt, sed et multæ aliæ gentes. De Hierapolitanis autem id probabiliter colligi potest ex iis, quæ scribit in Notitiis orbis antiqui Christophorus Cellarius tom. 2, pag. 93 de Hierapoli Phrygiæ :* Sed cui Deo præcipue devota hæc civitas fuerit, incertum est : nummi varias figuras referunt, Apollinis, Dianæ Ephesiæ, Æsculapii etc. *Videntur ergo in serpente Æsculapium colere voluisse, ut Romani, et Epidaurii. Liberatum itaque* S. Bartholomæum *suspendio, ut Nicetas scribit, verisimile puto, ut absolute verum asserere non audeo. Prædicasse vero in minori Asia Philippo comite* Bartholomæum, *tot testibus id asserentibus, quamvis non ejusdem sint fidei, credendum omnino puto; multaque et gravia ab infidelibus perpessum esse, non dubito.*

Prædicat in Lycaonia,

83 *Post mortem Philippi* Bartholomæus, *rebus Hierapoli compositis, in Lycaoniam profectus memoratur. Id confirmatur ex Oratione de 12 Apostolis, edita inter Opera Chrysostomi spuria tom. 8, pag. 11, ubi hæc habentur :* Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam instituit. *Agnoscunt hanc in Lycaonia* Bartholomæi *prædicationem Baronius ad annum Christi 44, num. 34, et Natalis Alexander ad seculum Christi primum cap. 8, num. 7, sed uterque addidit errorem geographicum, dum Lycaonas majoris Armeniæ populos dicit :* Lycaonia *enim minoris Asiæ provincia,* inter Pamphyliam, *(inquit sæpe laudatus Cellarius tom. 2, lib. 3, cap. 4, pag. 120)* Cappadociam, Pisidiam, Phrygiamque contenta est, *in quam ex Phrygia, in qua Hierapolis sita est, profectum vidimus. Ceterum, non pertransiisse cursim Lycaoniam, sed longo satis tempore fidei, morumque documenta Lycaonibus tradidisse, ipso loquendi modo auctor ille significat, qui eos ad temperantiam institutos dicit. Verum relicta minori Asia, in Armeniam nunc Apostolum comitemur.*

Armenia

84 *Clemens Galanus Surrentinus, S. Sedis Apostolicæ ad Armenos missionarius, scripsit superiori seculo Conciliationem ecclesiæ Armeniacæ cum Romana, in qua tom. 1, pag. 4, sic loquitur :* Inter illustres totius Asiæ regiones clarissima multis nominibus existimata jure fuit Armenia. *Quod et late ibidem probat. Laudatus supra Cellarius ejus terminos nobis describit tom. 2, lib. 3, cap. 11, pag. 228 in hunc modum :* Armeniæ majoris terminos secundum Strabonem lib 11, pag 363 hos ponimus : a Meridie Taurus est, quo a Mesopotamia dirimitur : ab Ortu Media tam magna quam Atropatia : a Septemtrione illa Caucasi abscissa pars, quæ Albaniam et Iberiam meridianam utramque ambit; aut ipsa Iberia, et Albania : ab Occasu solis minor Armenia, seu Paryadres montes, et gentes quædam Ponticæ, et Euphrates. Ita etiam Ptolomæus lib. v, cap. XIII, nisi quod ab Occasu etiam Moschicos montes nominat : ab Ortu partem maris Caspii a Cyri ostiis, maxime illam, quæ circa Araxis sit ostia. Pars enim illa, quam Ptolomæus inter utriusque fluminis alveos, antequam in mare exonerentur, interceptam posuit; et inde in Austrum nonnihil in ora procurrit, quo referenda sit dubitatur, quum Strabo, ut vidimus, videatur Albaniæ sub Caspianæ nomine adjunxisse, Ptolomæus Armeniæ; quam etiam Atropateni, quos stringit, sibi vindicare possint.

majore,

85 Talem igitur regionem *(inquit pag. 5 Galanus)* majorem nimirum Armeniam, post gloriosam Christi Domini Ascensionem in cælum, Bartholomæo ad euangelium Christi prædicandum obgisse, affirmat etiam Baronius; *ad annum Christi 44 num. 34. S. Theodorus Studita, cujus de* Bartholomæo *sermonem infra damus, Armeniam etiam Apostolo attribuit :* Ei autem *inquiens,* qui nunc celebri fama laudatur, sors et portio Armeniæ locus, qui est ab Evilath usque Gabaoth, et in multis gentibus, et civitatibus est distributus. *Quid hac phrasi,* Ab Evilath usque Gabaoth, *designatum terrarum voluerit S. Pater, est obscurissimum. Videtur in Indiam usque, ut terminum Orientalem, Armeniam, et prædicationem* S. Bartholomæi *extendere. Nam per* terram Evilath, *seu* Hevilath, *quam Gen. 2, ℣. 11* Phison *unus ex paradisi fluviis circuire dicitur, antiqui pene omnes* Indiam *intelligunt intra Gangem sitam, sicut per* Phison, Gangem *intellexerunt : an recte, hic non disputo. Videsis aut Calmetum, aut a Lapide in cap. 2 Gen. Per* Gabaoth *haud dubie terminum Occidentalem significat. Quem autem ? Hoc nec ullibi explicatum invenio, nec sine fundamento divinare volo. Porro luce euangelii Armeniam a* Bartholomæo *illustratam confirmat Martyrologium, et Breviarium Romanum, aliique auctores quam plurimi.*

aliis Asiæ majoris provinciis.

86 *Scriptores Armeni, citati apud Assemanum tom. 3, par. 2, non modo Armeniacam*

S. Bar-

A S. Bartholomæi *prædicationem pro comperta habent, sed et multas addunt Asiæ provincias. Unum ex multis referam. Pag. 5 Amrus ante laudatus sic loquitur :* Nathanael qui et Bartholomæus, una cum Thoma, et Lebæo ex XII, et cum Adeo, Mari, et Aghæo ex septuaginta, docuit Nisibin, *(urbem Mesopotamiæ)* Mesopotamiam, Mosul *(Assyriam teste Assemano supra)* Babyloniam, Chaldæam, Arabiam, Orientem, Nabathæam, Huzitidem *(hæ duæ provinciæ sunt Arabiæ)* et Persidem : tum in Armeniam majorem profectus, ejus incolas Christiana religione imbuit, ibique ecclesiam ædificavit, demum ad Indos et ulteriores Sinas migravit, eique pellis detracta est. *Subjicit Assemanus ipse :* Quod de Indis Sinisque dicitur, suspicor ad Thomam referendum esse, et Bartholomæo apostolo ex amanuensis incuria, aut Amri oscitantia tributum. *Assentior viro erudito in eo, quod non putem post diuturnos in Armenia labores, in Indiam amplius pervenisse, ibique martyrio coronatum. Potuit tamen ea intentione, ut In-*
B *diam repeteret, ad partes Asiæ magis Orientales accedere, fructuque prædicationis retentus in via, puta in Albania, ubi probabilius gloriosa morte sublatum dicemus, subsistere. Ceterum in omnibus his provinciis quasi in transitu aliquamdiu fidei semina jecisse Apostolum mihi non improbatur, diu in illis substitisse non existimo : nam præcipuæ provinciæ a* S. Bartholomæo *fidei luce illustratæ, India esse videtur, minor Asia, et major Armenia, addi fortasse potest finitima Armeniæ Albania, ut patebit, cum de morte Apostoli erit agendum. Nicetas in Oratione sæpe citata etiam Æthiopas orientales a Bartholomæo fide imbutos scribit, quamvis id in Latina versione Combefisii sit prætermissum. Verum non Africanos Æthiopas intelligendos putem, sed Indos ipsos orientales. Nam et auctor sermonis de duodecim Apostolis supra citatus, idem de Thoma affirmat :* Thomas baptismate Æthiopas dealbat. *Potuerunt illi Indiæ populi Æthiopes vocari, vel a colore nigro cum Æthiopibus communi, vel quia ex Æthiopia profecti, ibidem sedes locarunt. Audi doctissimum*
C *Petavium in notis ad S. Epiphanium tom. 2, pag. 371 :* Multiplex, *inquit,* apud antiquos erat Æthiopia. Altera in Asia ad Indum, sive ut alii volunt, Gangem fluvium. Altera in Africa etc. *De hac itaque Æthiopia, de his Æthiopibus Nicetas intelligendus, qui forte per Æthiopas, non nisi nigro homines colore significare voluit. Sed tempus est ut inquiramus, ubi, quoque mortis genere laborum suorum mercedem consecutus sit gloriosus Apostolus.*

§ IX. Ubi, qua occasione, et quomodo martyrii palmam adeptus sit S. Bartholomæus. Ordo prædicationis usque ad mortem probabiliter assignatus.

Apostolus mortuus Albanopoli, forte in Albania.

Unde, *et quo mortis genere ad cælos transmigraverit* Bartholomæus *apostolus, non nisi probabili conjectura dici potest. Quod ad locum spectat, multi martyrologi Indiam assignant, ut Usuardus, Ado, Florus Bedam amplificans Indiam interiorem ; Florentinius ad* XXIV *Augusti etiam Indiam habet, quamvis ad* XIII *Junii Persidem assignet. Plurimi tamen auctores Majorem Armeniam Apostoli morte nobilitatam scribunt, quibus Martyrologium et Breviarium Romanum accedunt : verba alia occasione infra dabimus. Ne longior sim auctores singulos recensendo, ponam verba Tillemontii, cujus mihi placet conjectura :* Omnes recentiores Græci, et Latini unanimi voce dicunt, martyrium subiisse in urbe Albana, vel Albanopoli dicta, quandoque per corruptionem Urbanopoli, quam statuunt in magna Armenia seu Indica, ut vocant. Putem esse fortasse urbem Albanam in Albania ad litus maris Caspii, quæ finitima est Armeniæ. *Placet, inquam, hæc mihi conjectura : cum quia nullam in Armenia civitatem invenio hujusmodi nominis, tum quia auctores ita discrepant in provincia assignanda, in qua civitas hæc fuit sita. Sic enim aliqua hujus discrepantiæ ratio dari potest : quippe Armeniam dicere potuerunt, quia huic est finitima ; Persiam, quia latissimum Persarum imperium totam fere* E *Asiam complexum, et notissimum erat, et non longe dissitum ab hac urbe ; Indiam, quia remotiores sibique ignotas provincias hoc fere nomine indigetabant, et in India constabat prædicasse Apostolum. Denique ipsi etiam Armeni doctores huic favere videntur sententiæ. Amrus certe supra citatus scribit, ædificata in Armenia Ecclesia, in Indiam profectum esse, neque alii, ibidem apud Assemanum citati, ejus in Armenia ipsa mortem collocant. Diligens autem Armeniacæ historiæ investigator supra laudatus Galanus,* Præterea, *inquit,* liquido constat, utrumque apostolum *(Bartholomæum et Thaddæum)* circa regiones illas *(Armeniæ)* martyrium subiisse, *quod cum hac opinione optime convenire, per se patet. Hæ rationes sunt, cur cum Tillemontio suspicer Albanopoli in Albania* S. Bartholomæum *martyrio coronatum. Siquis tamen meliora assignet, discere hic malim, quam docere. Quod autem Nicephorus Callistus lib. 2, cap. 40, Urbanopoli in Cilicia passum scribat, singularis est ; nec tanta ipsius auctoritas, ut nos morari debeat.*

Martyrii occasio dicitur

88 *Occasionem necis Apostolo illatæ, ejusque auctorem Breviarium Romanum hoc modo memorat in lectionibus* XXIV *Augusti :* Venit *(Apostolus)* in majorem Armeniam : ibi Polymium F regem, et conjugem ejus, ac præterea duodecim civitates, ad Christianam fidem perduxit. Quæ res in eum magnam invidiam concitavit illius gentis sacerdotum. Nam usque adeo Astyagem Polymii regis fratrem in Apostolum incenderunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jusserit, ac caput abscindi, quo in martyrio animam Deo reddidit. *Consonat fere martyrologium Galesinii ad nonum Kalendas Septembris :* Deinde in Armeniam minorem profectus, Polemonem regem, ejusque conjugem, tum civitates præterea duodecim religioni Christianæ adjunxit. Cujus rei invidia commoti idolorum sacerdotes, regis Polemonis fratrem in Apostolum usque adeo concitarunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi, tum caput abscindi jusserit. *Videtur hic* minor Armenia *pro* majori *per errorem irrepsisse, et reguli conversi nomen mutatur aliquantulum, ut patet : cetera plane conveniunt. Romanum Martyrologium, quod hodiedum in usu est, tantum ait :* Cum ibi plurimos ad fidem convertisset : *Polymium,*

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

mium, ejusque conjugem, et duodecim civitates ad fidem conversas tacet. Et vero, quo hæc confirmem, non habeo, præter fabulosa Pseudo-Abdiæ Acta, aliaque ejusdem furfuris ex iis desumpta, ubi hæc fusius referuntur, multaque adjunguntur fictitia, de quibus suo loco.

conversio Polymii regis.

89 *Galanus supra citatus pag. 6 inquirit sub quo Armeniæ rege hæc contigerint. Ubi enim dixerat, martyrium subiisse* Bartholomæum, postquam . . . Polymium quemdam Armeniæ regulum ad fidem convertit; ut communiter omnes, *recentiores puta, Abdiam secutos; ita post pauca subjicit :* Quomodo autem sub Sanatrugho, qui Armeniorum rex nominetur *(tempore* Bartholomæi *occisi)* ista potuerint contingere, in dubium vocari posse videtur; cum nos, Bartholomæum jussu potius Astyagis, fratris Polymii regis, capite mulctatum legamus. *Audiamus an hoc dubium satis removeat Galanus. Enumeratis duobus a Christo regibus Armeniæ, ita prosequitur pag. 9 :* Tertius fuit Sanatrughus filius sororis Abagari, *(quem Christi tempore regnasse dixerat)* cujus imperio sanctos apostolos Bartholomæum, et Thaddæum in regionibus illis interfectos fuisse, narrant Armenii : a quibus tamen minime discrepant historici nostri, quamvis Bartholomæum, jubente Astyage, regis Polymii fratre, ab idololatris sacerdotibus neci traditum asserant : nam Polymius, et Astyages quarumdam Armenarum provinciarum esse reguli potuerunt sub imperio Sanatrughi, totius Armeniæ regis. Et quidem, quod Astyages, frater Polymii regis, rex quoque fuerit, affirmat Martyrologium Romanum : ac ultro, singularium tantum provinciarum regulos eos fuisse, colligimus ex Abdia Babylonio, aliisque gravibus auctoribus. *Hæc Galanus.*

ejusque auctor Astyages rex Polymii frater.

90 *Verum objectum dubium adeo non eximit hæc responsio, quamvis satis apta, si constaret ab Astyage neci datum* Bartholomæum, *ut nomen tyranni, cujus imperio occisus est Apostolus, incertius sit quam ante : Galanus enim pro gravi auctore obtrudit nobis Abdiam, qui fabulator est ineptissimus, aliosque, qui forsan ex impuro Abdiæ fonte id imprudenter hauserunt : neque enim alios assignandos putem quam Abdiam, sive auctorem, qui Passiones scripsit Apostolorum, hujusque sectatores, qui Astyagis nomen memoriæ prodiderint. Qui vero nihil cum Abdia habent commune, et auctores sunt melioris certe notæ, quam Abdias, nomen illius tyranni non exprimunt. Tacet Astyagem S. Theodorus Studita; tacet Nicetas Paphlago; tacet Josephus a Metaphraste editus ; tacet Freculphus, editus in Bibliotheca Patrum sec. 9, par. 1, pag. 505 : denique tacent alii plurimi, quos uti et Græcorum Menologia et Menæa prætermitto. Armeni etiam Astyagem nesciunt, Sanatrughumque tunc Armeniæ regem asserunt. Præterea observo hos omnes fere auctores quoad locum consentire, exceptis iis, qui locum non nominant. Cur igitur locum mirifico consensu exprimunt, auctorem cædis tacent? Nimirum quia locus innotuerat, auctor latebat. Quid, quod illorum aliqui alios omnino a rege nominant. Nicetas coram primoribus civitatis accusatum, illorumque jussu occisum scribit. Josephus loci præsidem auctorem cædis nominat. Alii generali nomine barbaros, aut impios vocant.*

91 *In tanto veterum de Astyage silentio solos ex antiquioribus martyrologis invenio Florum et Rabanum, qui Astyagem nominant, ita ut hæc videantur vel ex ipso Abdia, vel ex Abdiæ sectatoribus transcripsisse. Abdiam certe liberaliter descripsit Bellovacensis in Speculo lib. 9, cap. 83, et seqq., ita ut mirari non possimus cædis auctorem, etiamsi fictitius esset, inde ad alios auctores derivatum. Ex his autem, vel aliis Abdiam secutis, in Romanum Martyrologium et Breviarium videtur hoc irrepsisse, cum antiquiores et melioris notæ auctores, ut supra ostensum, illud non habeant. Hinc toti huic cædis occasioni modo narratæ, toti, inquam, historiæ de Polymio, ejusque uxore, et duodecim civitatibus, ac de nece per Astyagem illata, tantum quisque fidei tribuerit, quantum Romano Breviario, dictisque martyrologiis tribuendum esse putaverit; quorum auctoritas licet non sit contemnenda; non tantam tamen esse existimo in hisce circumstantiis, ut dictæ historiæ firmum teneamur præbere consensum. Sed tempus est, ut inquiramus, qua tandem morte gloriosus Pugil fidei suæ confessionem, et prædicationem firmaverit, pro qua satis certum est occubuisse.*

quod videtur ex Pseudo-Abdia sumptum, adeoque incertum.

Alii crucifixum scribunt,

92 *Mors itidem, ut cetera Apostoli, varie a variis auctoribus refertur. Græci plerique in crucem actum scribunt, Latini fere excoriatum habent, addunt aliqui et capite minutum. Nicetas Paphlago :* Hæc, inquam, cum audissent impii, orationis novitate attoniti, atque adversus crucifixum indignati, continuo illius præconem virgis cæsum in crucem agunt. *Quoad crucem consentit Josephus his verbis :* Crucis supplicio et ipse condemnatus est. *Verumtamen addit inferius modum diversum, a Niceta prætermissum :* Rogavit carnifices illos, ut verso in terram capite in cruce suffigeretur : nec rectus, quemadmodum ejus magister, in crucem ageretur : ita et in ipsis cruciatibus suam in magistrum reverentiam conservabat. Quin etiam in cruce suffixus cum fratribus loqui non destitit, quoad sanctissimam illam animam Deo tradidit. *Dissentit ab his in speciem certe (nam sunt, qui omnia conciliare volunt) S. Theodorus Studita, et ipse tamen Græcus, hæc scribens num. 4 :* Postquam vivus decoriatus est, capite plectitur. *Freculphus loco supra citato :* Ad ultimum in Albano majoris urbe Armeniæ vivens a barbaris decoriatur, sicque terræ conditur. *Latini plerique, uti et Amrus Armenus supra citatus, his assentiuntur; Græci vero passim, cum Niceta et Josepho, cruci affixum scribunt. Utri rectius? Difficile sane et ambiguum id determinare.*

alii vero excoriatum.

93 *Ex his tamen sententiis verisimilior mihi apparet Latinorum, et Studitæ, qui excoriatum dicunt, quam Græcorum, qui crucifixum, cum quia majori nititur auctoritate, tum quia ratio id magis suadere videtur. Theodorus enim Studita cum Latinis et Armenis, qui melius de his quam Græci potuere esse instructi, auctoritate Græcis præponderant : adde communem in Ecclesia Latina de pelle* Bartholomæo *detracta traditionem esse, quam ex Abdia certe non habuit, cum ille de hac altum sileat. Rationem etiam Latinis favere dixi; nam crucis supplicium ab ignorantibus mortis speciem facilius fingi potuit, utpote satis eo tempore vulgare, vel cum prima in crucem sublatione, quam iidem Hierapoli factam scribunt, confundi. Non tam facile fingi potuit excoriatio, minus commune supplicium, quamvis apud populos Orientales non inusitatum.*

94 *Verum utrumque supplicium in* S. Bartholomæo

A tholomæo *adhibitum fuisse, quidam neoterici ostendere conati sunt, ut auctores modo memoratos inter se conciliarent. Neque inficior modum eos conciliandi non omnino defuturum, si scriptores illi, qui inter se discordant, tantæ essent auctoritatis, ut ab eorum dictis nefas esset recedere : nam vel in cruce pellis detrahi potuit, vel post pellem detractam cadaver ad ignominiam in crucem tolli, quod Orientalibus usitatum fuisse scribit Lipsius lib. 3 de Cruce, cap. 12. Verum cum nullus ex auctoribus discordantibus innuat, utrumque supplicium fuisse adhibitum, id factum revera esse suspicari non possum, nedum affirmare. Neque enim tanta est dictorum scriptorum auctoritas, ut ad eos conciliandos necesse sit tam inusitata confingere, præsertim quod nullum istius opinionis ipsi suggerant fundamentum. Itaque probabilius existimo, pelle nudatum fuisse Sanctum : in crucem fuisse sublatum, ut certo falsum non abjicio, sed ut minus verisimile habeo; utrumque conjungendum non autumo.*

fingunt alii utrumque factum :

B 95 *Quod vero aliqui auctores addunt, post cutem detractam, caput Sancto fuisse amputatum, nullo modo pugnat cum excoriatione, ideoque facilius admitti potest, cum auctorem habeat S. Theodorum Studitam. At merito contemnitur, quod ad hoc exornandum lib. 7, cap. 103 addit Equilinus :* Cumque pelle nudatus adhuc vivus permansisset : et excoriatus Dominum prædicaret : et multos tantum cernentes miraculum convertisset : jussu regis decollatus est die sequenti videlicet VIII Calend. prædicti mensis *(Septembris.)* Propter hoc quidam ejus festum celebrant die præcedenti, agentes memoriam martyrii excoriationis; quidam die sequenti agentes memoriam decollationis. *Subtilem scilicet rationem reddit hujus diversitatis, sed illis ipsis, opinor, qui diversos hosce dies* S. Bartholomæo *sacros esse voluere, incognitam. Nunc totum prædicationis cursum ad mortem usque probabili conjectura describam, ne cui tot regiones ab Apostolo obitas, ut supra diximus, incredibile videatur.*

quid ex his magis verisimile sit, explicatur.

96 *Primum in Judæa cum cæteris Apostolis prædicavit sanctus* Bartholomæus ; *donec Apostoli invicem divisi in suas quique profecti sunt provincias. Qua divisione facta anno, ut putamus, ab Ascensione Christi duodecimo, in Indiam* C S. Bartholomæum *profectum existimo, ita tamen ut in transitu varias regiones Christi fide imbuerit; neque enim ita in longe dissitas regiones abierunt Apostoli, ut eas, per quas iter instituebant, omnino negligerent. Itaque in itinere, ad Indias suscepto, fide illustratas putem supra nominatas Arabiæ provincias, Huzitidem, Nabathæam, Arabiam felicem, seu Homeritidem,* Huzitis *enim, sive* terra Hus, *licet situs ejus incertus sit, prima tendentibus ex Judæa in Orientem se offerre videtur, secundum Calmetum in Dictionario biblico, ubi ita suam sententiam profert, ad vocem Hus :* Censemus, certum ejusdem regionis situm in Idumæa constituendum ad Orientem Jordanis, et Galaaditidis, non longe a Bozra, et a regione, veteri nomine Ausitide appellata. *Hinc progressus fuerit in Nabathæam, de cujus incolis Cellarius Geographiæ plenioris tom. 2, lib. 3, cap. 14 :* Nobile quoque nomen in Arabia est Nabatæorum : quod Hieronymus Quæst. in Genes. xxv a Nabajoth, Ismaelis primogenito deducit. « A Nabajoth, inquit, » omnis regio, ab Euphrate usque ad mare ru» brum, Nabatena usque hodie dicitur. » Desertam sic Arabiam cum magna parte Petrææ comprehendit. *Ex hac in Homeritidem, sive Arabiam felicem, etiam Sabæam dictam pervenitur; in qua Apostolum prædicasse dictum est. Scio iter a me descriptum non esse in Indiam brevissimum, nec ab Occidente recta in Orientem ducere, sed ad Austrum parumper vergere. Verum cum hæ provinciæ Apostoli prædicatione scribantur illustratæ, non video ubi hoc commodius collocem, quam in itinere ad Indos suscepto; nam ex Arabia felice facili per mare trajectu in Indiam citeriorem penetrare potuit. Per has itaque Arabiæ provincias in transitu saltem, forte etiam longiori mora, illustratas, in Indiam intra Gangem, ubi nunc vastissimum magni Mogoris imperium, ubi Bisnagar, aliaque regna sunt, pervenire potuit.*

Prædicationis ordo in Judæa, variis Arabiæ provinciis.

AUCTORE J. S.

97 *Quanto autem tempore amplissimum illum Indiæ agrum excoluerit S. Apostolus incertum est. At plures Indicis laboribus annos tribuendos, Ecclesiamque ibidem recte constitutam, ex eo colligi videtur, quod tanto post tempore* E *Pantænus memoriam Apostolicæ prædicationis vigentem deprehenderit, Euangeliumque Matthæi, apud fideles ibi relictum, non in Indorum linguam conversum, ut perperam supra scribit Freculphus, sed Hebraicis litteris exaratum, ut Eusebius testatur, et Hieronymus. Non enim discedens, relicturus ibidem videtur fuisse Euangelium, nisi Ecclesia recte constituta fuisset, et spes affulsisset ulterioris Indorum conversionis. Quod autem jactum in agrum Indorum fidei semen in uberiorem messem, post Apostoli discessum, non excreverit, præter judicia Dei, quæ scrutari non oportet, gentis pertinacia, vel principum tyrannide contingere potuit. Nunc Apostolum in minorem Asiam deducemus, ubi aliqui primam prædicationem ponunt. Verum his obstat Rufinus, aliique, qui Indiam* Bartholomæo *decretam scribunt : et tempus ipsum horum sententiæ repugnat, nam in Asia minore cum Philippo ex Scythia reduce, usque ad mortem ipsius prædicasse dicitur* Bartholomæus; *et post mortem Philippi ex Phrygia in Lycaoniam profectus : commodius ergo Indica prædicatio prior videtur collocata, ne dicere cogamur* Bartholomæum *ab Apostolorum divisione usque ad Philippi mortem semper in minore Asia mansisse, quod minus est verisimile.* F

India,

98 *India itaque relicta, per obscuriores aliquot intermedias provincias in Persidem regressus videtur* Bartholomæus ; *inde Babyloniam lustrarit et Assyriam, vicinas provincias; atque in Mesopotamiam fuerit progressus, quas itidem regiones* Bartholomæo *attribuunt Armeni : unde in Terram sanctam, vel in Asiam minorem, hodiedum Natoliam, potuit pervenire. Hoc per conjecturam descriptum iter : nam potuit deinde etiam hasce lustrare provincias. In minori Asia Philippo conjunctum esse, cum eoque Mysiam, et Lydiam percurrisse, in Phrygia multa passum; ac, Philippo Hierapoli in cruce mortuo, in Lycaoniam profectum, ex Græcis auctoribus narratum est. Lycaonas dein multo tempore docuisse videtur, egregiumque laborum suorum fructum in ea provincia collegisse. Hæc in Asia minori, provincia a pluribus auctoribus memorata. Ultimam modo* Bartholomæi *palæstram, Armeniam, inquam, majorem invisemus. Hæc ideo a me statuitur ultima, quia in illa, saltem paullo latius sumpta, non modo, ut cum*

Asia minore,

Aposto-

AUCTORE J. S.

Apostolo loquar, bonum certamen certavit, sed et cursum consummavit; repositam sibi justitiæ coronam a justo Judice consecutus.

Armenia majore.

99 *Ex Asia minore in majorem Armeniam profectus Apostolus, amplissimum rursus nactus est laboribus suis campum. Multis ibidem annis prædicasse est verisimile ; nam, ut scribit Amrus Armenus doctor, num. 86 citatus*, ejus incolas Christiana religione imbuit, ibique Ecclesiam ædificavit, *quod brevi tempore non videtur peractum. A partibus Occidentem versus sitis ad Orientem paulatim progressum putem, donec ad finitimam Armeniæ Albaniam pervenerit, ubi probabiliter gloriosa morte defunctum, supra diximus. Quod quo anno factum, incertum est. Labbeus tamen in Compendio chronologico ad annum Christi 71 ita scribit :* Aliqui hoc anno ponunt martyrium S. Bartholomæi Apostoli. *Si ad illum annum pervenerit Apostolus, imo si etiam decennio citius defunctus fuerit, satis profecto temporis habuit, ut descriptas a nobis provincias perlustraret, et singulas Christiana fide illuminaret. Nunc te, lector, monitum velim, hunc prædicationis ordinem a me* B *non esse assignatum, ut necessario ita factum credas, sed ut perspicias, non esse incredibile, omnes hasce provincias visitatas ab Apostolo, et fide imbutas. Quippe si tres illas provincias, Indiam dico, minorem Asiam, et majorem Armeniam, quæ pluribus testibus a* Bartholomæo *dicuntur excultæ, quam ut id negare prudenter possimus, fateamur illi tribuendas : ratio fere itineris exigit, ut et eas, quas Armeni auctores adjiciunt, ei non abjudicemus. Quod ad itineris ordinem attinet, magis quid fieri commode potuerit, quam quid factum fuerit ostendere volui; nisi quod Indiam ante minorem Asiam; Armeniamque post reliquas, ab Apostolo fide imbutas existimem.*

§ X. An aliquid scripserit Apostolus?

C

Pseudo-euangelium secundum Bartholomæum : quem quædam scripsisse putant aliqui.

H*æretici antiquiores finxerunt Euangelium aliquod secundum* Bartholomæum, *de quo meminit S. Hieronymus prologo Commentariorum super Matthæum, quod et ibidem refutat ex quatuor animalibus Ezech. 1, quatuor Euangelistas significantibus. Gelasius Papa illud olim inter apocrypha rejecit, apud Labbe tom. 4 Concil. col. 1264. Fuerunt etiam Catholici, qui quædam a* S. Bartholomæo *scripta esse putaverunt, quia in mystica vulgo S. Dionysii Theologia, quædam ejusdem Apostoli sententia citatur hoc modo :* Οὕτω γοῦν ὁ θεῖος Βαρθολομαῖός φησι, καὶ πολλὴν τὴν θεολογίαν εἶναι καὶ ἐλαχίστην· καὶ τὸ εὐαγγέλιον πλατὺ καὶ μέγα, καὶ αὖθις συντετμημένον. *Quam ita Latinam reddit Corderius noster Operum S. Dionysii tom. 2, pag. 3.* Hac utique ratione divus Bartholomæus ait, et copiosam esse theologiam, et minimam, atque Euangelium amplum et magnum, et rursus concisum. *Ex quo ita colligit § 3, pag. 10 laudatus Corderius :* Unde colligitur, S. Bartholomæum aliqua etiam Theologica scripsisse, uti et alios Apostolos verosimile est, de rebus ac quæstionibus divinis per epistolam pro occasione interrogatos, de iisdem brevi saltem scripto respondisse, et sublimissima, quæ ex ipso Deo hauserant oracula, tradidisse, quæ aliquamdiu, ut solent epistolæ, asservabantur; et Catholicis D communicabantur, sed postmodum temporum injuriis interciderint. *Idem ante in scholiis ad S. Dyonisium collegerat S. Maximus, apud citatum Coderium pag. 15, ita in dictum locum scribens :* Σεμείωσαι καὶ ἐντεῦθεν τὸ ἄπλαστον τοῦ εἶναι ταῦτα τὰ θεῖα συντάγματα τοῦ μεγάλου Διονυσίου. Πρὸς οἷς γὰρ ἐν τοῖς προτέροις λόγοις τινῶν τῶν συνόντων τοῖς Ἀποστόλοις μνήμην χρήσεων ἐποιήσατο, νῦν παραπλησίως τοῦ θείου Βαρθολομαίου χρῆσιν ἄγει, ὡς δηλοῖ τὸ φησίν. Εἰ γὰρ ἀγράφως ἦν διδάξας, εἰρήκει ἂν Ἔφη. *Hæc S. Maximi verba genuine interpretatur Corderius hoc modo :* Hinc etiam nota, hæc divina Opera sine fictione esse magni Dionysii. Præterquam enim quod in prioribus libris quorumdam dicta citaverit, qui Apostolis convixerant, modo similiter divi Bartholomæi sententiam adducit; uti verbum AIT declarat. Nam si absque scripto id tradidisset, utique dixisset AIEBAT.

inter quos S. Maximus, cujus locum corruptum vult Combefisius.

101 *Combefisius in Auctario novissimo part. 1, pag. 496, in hunc maximi locum errorem irrepsisse putat; emendandum, ut ait,* ex ipsa serie, et ex Pachymere. *Non gravabor viri eruditi rationes expendere. Ita sententiam suam probare aggreditur :* Probat Maximus esse genuinum opus Areopagitæ, ex simplicitate, qua in superioribus citavit auctoritates χρήσεις, quorumdam, qui cum Apostolis vixerunt; et νῦν παραπλησίως E *etc. ut supra. Hic sane Combefisius a mente Maximi aberrat longissime, Græcorum verborum vim non assecutus. Non enim* τὸ ἄπλαστον, *quod* simplicitatem *interpretatur, refertur ad modum citandi auctoritates, ut refert Combefisius, sed ad esse Opera S. Dionysii. Audi verba :* Σημειῶσαι, *inquit,* καὶ ἐντεῦθεν τὸ ἄπλαστον τοῦ εἶναι ταῦτα τὰ θεῖα συντάγματα *etc. Quod sic barbare vertas :* Nota et hinc non fictum *(sive* non fictionem) essendi hæc divina Opera *etc. Quodque eleganter expressit Corderius :* Hinc etiam nota, hæc divina Opera sine fictione esse magni Dyonysii. *Audiamus an meliora sint cetera Combefisii. Prolatis verbis Græcis, hæc subjungit :* Ubi Cord. « Modo similiter D. Bartholomæi sen» tentiam adducit, uti verbum AIT declarat. Nam » si absque scripto id tradidisset, utique dixisset, » Dixit » (Aiebat *habet Corderius)* Quasi nimirum velit Maximus, Bartholomæum aliquid F scripsisse, atque id sibi videatur ex Dionysio ipso colligere. Nec aliter Lancel.; quod ita sensisse, vel inde voluisse colligere Maximum virum sapientissimum, perridiculum est. *At ridiculum mihi profecto non videtur virum etiam sapientissimum, prout verba ejus sonant, intelligere. Substituendam tamen putat, aliam sententiam Combefisius, quia Pachymeres, quem adducit, hæc de traditione quadam* Bartholomæi *non scripta intelligit, quemque* non Dyonysii magis, quam ipsius Maximi *fidissimum vocat paraphrastem. Non video cur Pachymerem Maximi velit interpretem, nam Maximo, quem ne nominat quidem hoc loco, Pachymeres est prorsus contrarius : unde hic nihil prodest ad mentem Maximi intelligendam. Accipe nunc, quam substituit sententiam.* Sic ergo, *ait,* et Max. « Χρῆσιν ἄγραφον ἄγει, ὡς δηλοῖ τὸ, φησιν· εἰ » γὰρ ἐγγράφως ἦν διδάξας, εἰρήκει ἂν Ἔφη. Sen» tentiam non scriptam adducit, uti verbum, » AIT, declarat : nam si scripto id tradidisset, » utique dixisset, DIXIT. » Est id quidem subtilius, *inquit,* quam verius. *At ne subtiliter quidem substitutum. Rationem substitutionis suæ*

dat

A *dat magis ridiculam, sic prosequens.* Aliquid tamen momenti habens ad conjecturam; ut quod viva voce; quasi de præsenti, et rumor volans significetur; quod vero scriptum est, de præterito, quasi ratum, eo quod libris et chartæ, seu tabulis insertum est. *Fallor si hæc placitura sint eruditis; at ne ipsi quidem Combefisio placuerunt. Idcirco post pauca:* Ne sic leviter existimemus lusisse Maximum, *(quis leviter ludentem inducit Maximum nisi Combefisius?) pro* ἔφη .. *scripserit* γράφει, *in quo* subtiliter mentem venatur Dyonysii. Nempe si sententiam scriptam Bartholomæi citasset, dicturus erat γράφει, SCRIBIT, ut in ejusmodi solet. *En lector, quot corruptiones sint necessariæ, ut tandem ridicule disputantem inducat Maximum. Nam neque Dionysium, neque Maximum ipsum in citationibus suis id servasse, ut cum scriptam sententiam citarent, semper dicerint* γράφει *scribit, manifestum est ipsorum scripta legentibus. Passim enim dicunt* φήσιν, ait, *etiam de scripta sententia, rarius,* γράφει, scribit. *Nonne igitur ridicule*
B *ex voce* φησίν, ait, *quæ frequentius etiam est usitata, cum scripta adducitur sententia, colligeret Maximus, sententiam* Bartholomæi *adduci ore prolatam, non scriptam?*

102 *Nunc, ne quis putet collectionem Maximi æque esse ridiculam, si verba ipsius servantur integra, sique, prout verba sonant, colligere voluerit, sententiam* Bartholomæi *scriptam citatam fuisse a Dionysio, quia citata fuit per* τὸ dicit, *non* dicebat *aut* dixit; *collectionem illam paullo prolixius exponam, quæ nihil certe habet inconcinni, nihil ridiculi, prout putabat Combefisius. Audi verba Maximi:* Modo, *inquit,* similiter D. Bartholomæi sententiam adducit: uti verbum, AIT, declarat. Nam si absque scripto id tradidisset, utique dixisset, AIEBAT. *Quod sic expono. Qui scriptam alicujus sententiam citat, quamvis uti possit et præterito, recte utitur præsenti* dicit, *quoniam litera scripta manet; et auctor præsenti tempore in scriptis suis adhuc loquitur. Qui vero ore prolatam sententiam adfert, uti passim debet præterito perfecto vel imperfecto; nam auctor præsenti tempore sententiam illam non dicit; sed dicebat, vel dixit, dum viveret. Id quidem non*
C *servatur, quando personam quasi præsentem inducimus per prosopopœiam, nec quando ejusdem personæ dicta vel facta describimus. Servatur tamen plerumque, quando ad dicta nostra confirmanda celebrem alicujus sententiam ore prolatam adducimus. Audi quomodo Act. 20, ℣. 35 dictum Christi, antea non scriptum, citetur:* Quoniam ipse DIXIT. « Beatius est dare magis » quam accipere. » *Audi et Hieronymum in cap. 6 ad Galatas, ubi dictum Joannis celebre, non scriptum, adducit:* Beatus Joannes Euangelista... nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: « Filioli diligite alterutrum ». *Minus recte, minusque proprie in priori sententia dictum fuisset* Dicit; *in secunda,* Profert, *vel* solet proferre, *ut patet ex sensu. Qui plura exempla desiderat, legat veterum philosophorum vel Patrum apophthegmata, a variis collecta. Sic itaque et Maximus contendit, Dionysium non dicturum fuisse* Ait, *si sententiam oretenus prolatam citasset, quia id eo tempore, quo scribebat Dionysius non dicebat* Bartholomæus: *sed dicturum fuisse* Aiebat, *quod magis fuisset proprium et genuinum. Habes, lector, collectionem Maximi, quæ certe ridicula videri non debet, quoniam a consuetudine citandi passim recepta argumentatur: an autem rem plane conficiat, non examinandum.*

sed integer probatur:

103 *Si omnino constaret Opus illud de Theologia mystica esse magni Dionysii Areopagitæ, argumentum S. Maximi probabiliter satis evinceret verba* Bartholomæi *adducta, ex aliquo ipsius scripto esse desumpta: verum cum de auctore istius Operis maxima inter eruditos sit controversia, multique contendant Opus esse auctoris longe posterioris, idque ex hac ipsa* S. Bartholomæi *auctoritate allata probare conentur, tota hæc Maximi ratiocinatio incerto nititur fundamento: ita ut ne quidem certo inferre possumus, sententiam hanc* S. Bartholomæo *tribuendam, tamquam apophthegma aliquod, scripto ab eo non exaratum, sed sæpius dictitari solitum. Dicam itaque breviter quid de re tota sentiam. Qui Theologiæ mysticæ S. Dionysium Areopagitam statuunt auctorem, admittere necessario debent hanc* Bartholomæi *esse sententiam, vel ex scriptis ejus desumptam, vel ut apophthegma Sancto familiare. Qualia apophthegmata tum veterum philosophorum, tum antiquorum Patrum reperiuntur* E *multa, variorum scriptis posterorum memoriæ commendata. In dicta autem suppositione probabilius mihi videtur, sententiam illam ex scripto quodam Apostoli productam, quam oretenus ab eo traditam. Nam modus citandi Dionysii id magis indicat, ut recte colligit Maximus; neque incredibile videtur,* Bartholomæum, *uti et alios Apostolos, de rebus divinis consultum fuisse, et vel brevi scripto, vel epistola mentem suam aperuisse; quæ scripta temporis injuriis, tyrannorumque persecutionibus intercidere potuerunt: sicut intercidisse videtur quædam Pauli ad Corinthios epistola, cujus ipse meminit in priori ad Corinthios cap. 5 ℣. 9. Quamvis non omnino improbabile putem, Dionysium intelligendum esse de sententia* Bartholomæi *oretenus tradita, ut intelligit Pachymeres in paraphrasi Dionysii, in citata Corderii editione tom. 2, pag. 22, cum ille modus citandi celebria dicta non ita universalis sit, ut a Dionysio non potuerit negligi. Hæc in supposito, quod mystica Theologia sit S. Dionysii, cum vero quæstioni celebri de Scriptis S. Dionysii me hic immiscere nolim, de re tota nihil certi statuendum judico. Sunt, qui illam,* F *de qua disputatur, sententiam ex Pseudo-euangelio secundum* Bartholomæum *depromptam putent, quod verisimile est, si alius a magno Areopagita Theologiæ mysticæ sit auctor. Ceterum apud Labbeum tom. 1 Conciliorum col. 489 ex lib. 8 Constitutionum apostolicarum cap. 19, et 20, habetur quædam Constitutio de diaconissa nomine* Bartholomæi. *Verum cum hæ Constitutiones sub Clementis nomine sint confictæ, pluribus de his agere supersedeo. Nunc quæ, et qualia sint quæ de* S. Bartholomæo *circumferuntur Acta, necessario discutiendum.*

an scripserit S. Bartholomæus incertum.

§ XI. Scriptores Actorum varii.

B*aronius in Martyrologio Romano ad diem* XXV *Augusti de Actis* S. Bartholomæi *hæc memorat:* Gestorum autem ejus quædam feruntur Abdiæ nomine; quædam incerto auctore in libro qui inscribitur, Passiones apostolorum, habentur: alia his similia extant in antiquis codicibus

AUCTORE J. S.

cibus manuscrip. : alia, quæ scripta a Josepho recitat Metaphrastes : edidit et alia Perionius, in quibus omnibus (secundum apostoli sententiam) sic omnia probet lector, ut quod bonum est, teneat. *Recte Baronius non omnia quæ de* S. Bartholomæo *scripta leguntur, pro veris habenda, sed singula examinanda monet : verum non æque promptum erit omnibus, qui scripta illa legent, verum a falso secernere : idcirco pro instituto nostro quantum singuli auctores, qui* S. Bartholomæi *gesta scripsere, fidei mereantur, paullo prolixius examinabimus, ut fabulæ, quæ hic occurrunt multæ, eliminentur. Abdias vulgo Babylonius ceteris prior tempore, ut videtur, quamvis ætas ejus definiri non possit. Cæteris autem priorem fuisse inde colligo, quod alioquin non prætermisisset translationem Liparitanam aliorum ævo notissimam. Unde perperam seculo* X *eum vixisse vult Oudinus tom. 2, de Script. Eccl. col. 420, cujus argumento non probatur, quidquam ex Usuardo sumpsisse Abdiam. De hoc Sixtus Senensis lib. 2 Bibliothecæ sanctæ pag. 43 ita scribit :* Apostolorum duodecim Vitæ, has, ut referunt

B Jacobus Archiepiscopus Genuensis in libro Annuarum solemnitatum, et Petrus episcopus Equilinus libro 9 Catalogi Sanctorum, Hebraice scripsit Abdias primus Babylonis episcopus, ab ipsis Apostolis ordinatus, quas Eutropius Abdiæ discipulus, transtulit ex Hebræo in Græcum, et Julius Africanus in Latinum : verum ut opinor, Julius non Latine, sed Græce scripsit. Nuper ex Germania sub titulo hujus Abdiæ prodiere libri decem de Historia certaminis apostolici, Oporini typis excusi, quos ut fide indignos, Paulus Papa quartus inter scripta a se damnata rejecit. *Hæc Sixtus, cum imposturæ Pseudo-Abdiæ nondum erant penitus detectæ.*

Abdiæ fabulosa

105 *Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis in Abdia pag. 69 editionis anni 1613, de Vitis apostolorum ejusdem Pseudo-Abdiæ dicit :* Vitæ apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. *Nec melius critici moderni de Pseudo-Abdia pronuntiant. Audi unum ex omnibus Remigium Ceilier tom. 1 Historiæ generalis auctorum sacrorum lib. 3; cap. 2, art. 3, pag. 489 :* Acta Apostolorum, Abdiæ tributa, rejecta sunt communi consensu, ut supposita et fa-

C bulis plena. Impostor, qui hæc Acta composuit, se venditat pro episcopo, ab ipsis Apostolis, cum in Persidem irent, consecrato. Opus suum in linguam Latinam translatum dicit per Julium Africanum et Hegesippum secundi seculi scriptorem citat, quem, si fuisset primi seculi, aut temporis Apostolorum, videre non potuisset. Acta illa in duos libros distributa sunt. Multi ibidem repeneriuntur modi loquendi, qui manifeste probant, Opus ab initio Latine scriptum fuisse, non Hebraice, ut auctor nobis persuasum cupit. *Recte itaque Tillemontius dixit tom. 1 Monument. pag. 596, nota 3 in Jacobum Majorem; quod non nisi in hoc auctore reperitur, non majoris esse ponderis, quam si nullibi reperiretur, Addo ego, hoc ipso quod aliqua in Pseudo-Abdia habeantur, eadem mihi suspecta fieri, si in recentioribus auctoribus inveniam, cum videantur ex impuro hoc fonte profluxisse.*

multi recentiores seculi. ideo edenda :

106 *Hac de causa statueram a figmentis Abdiæ prorsus abstinere ; sed re maturius perpensa mutavi consilium. Vidi enim ex recentioribus biographis nullum fere esse, qui multa ex Abdiæ fabulis scriptis suis non admiscuerit, adeo-*

D *que fabulas has magis jam invaluisse, quam ut solo silentio sepeliri possint : quapropter tota hæc Acta fabulosa lectorum oculis objicienda putavi, ut videat quisque, nihil simile in sinceris utcumque* Bartholomæi *Actis, post illa subjiciendis, reperiri. Hinc eadem opera manifestum fiet, quid fidei mereatur Petrus Equilinus episcopus, Jacobus Januensis, Perionius, aliique auctores, in illis, quæ ex Abdia liberaliter descripserunt. Hactenus de omnibus Pseudo-Abdiæ scriptis dictum est. Audiamus nunc etiam quid maxime circa Acta* S. Bartholomæi *notaverint eruditi quidam. Molanus in Martyrologio Usuardi ad nonum Kalendas Septembris inter alia hæc notat.* De passione autem ejus quæ incipit, INDIÆ TRES : *(est hoc initium Actorum* Bartholomæi *per Abdiam)* præclare scripsit Radulphus de Rivo ab hinc annis fere ducentis : Passiones sanctorum Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, periculose in officio divino leguntur : de Canonum observantia proposit. 11.

de his Hesselii censura.

107 *Post Molani Martyrologium citatum, impressa legitur historiarum Censura Joannis*

E *Hesselii, ubi cap. 8 hæc de* Bartholomæi *Actis habentur.* Passionem sancti Bartholomæi, quæ incipit : Indiæ tres esse apud historiographos dicuntur, non recipio, quamvis sciam magni fieri *(illo scilicet tempore.)* Non solum quia domon de eo dicit, quod Angeli non permittunt eum fatigari, aut esurire : et quod dicit eum purpura, et gemmis vestiri ; quæ incredibilia sunt, eo quod Christus non per eum, qui tamquam nobilem se gessit in vestibus, convertit mundum, sed per contemnentes ornatum externum. Nec discipulus major est Domino, qui fessus fuit, et esurivit. Neque solum ob verba diaboli, quæ possent mendacia dici, rejicio historiam ; sed quia ipse Apostolus ex sua persona dicit, quod nulla ab initio seculi votum virginitatis obtulit ante Mariam. *(An hæc ratio satis sit solida hic non disputo : eam multis probare conatur Hesselius, verum non pauciora possent reponi. Qui hæc cupit, videre potest in Responsionibus Papebrochii part. 2, articulum 15.)* Item dicit S. Bartholomæus quod sicut accipiter accipit avem, ita diabolus rapuit Christum, et posuit inter feras in deserto, cum expresse dicant Lucas, Matthæus, et Marcus, Christum a proprio spiritu ductum in desertum. Et dicit hæc Historia Domi-

F num dixisse ad diabolum in prima tentatione : Ego ejiciam te de dominatione, quam per dejectionem primi hominis usurpasti. Certe si hæc dixisset, diabolus scivisset eum esse Filium Dei : nec secundo tentasset dicens : Si Filius Dei es. Deinde dicit, diabolum alterum angelum apostolicum sibi sociasse, qui dicitur Mammona : quasi videlicet diabolus non sit ipse Mammona, aut quasi ipse solus non possit satis tentare. Deinde ponit unicam tentationem diaboli, qua dicit eum Christum tulisse in montem excelsum, et supra pinnam templi, cum Matthæus et Lucas expresse distinguant tentationem factam in pinna templi ab ea, quæ facta est in monte excelso. *Hæc Hesselius. Plura observabo in notis, ubi etiam assignabo, unde multa Abdias videatur mutuatus.*

orationes encomiasticæ de S. Bartholomæo

108 *Præter fabulas Abdiæ habemus de* S. Bartholomæo *tres Orationes encomiasticas Græcorum auctorum; nempe S. Theodori Studitæ, Josephi cujusdam incogniti, et Nicetæ Paphlagonis, de quibus agit Tillemontius tom. 1 Monument. pag. 643 nota in* Bartholomæum *tertia. Pag. 644 ita eorum fidem elevat :* Prælerquam quod tempus

quo

A quo Josephus, S. Theodorus, et Nicetas vixerunt, non magnam ipsis tribuit auctoritatem, videmus quod se invicem destruant, in facto principali, id est, morte Sancti. *Ita Tillemontius, in dictos auctores iniquior, quos eodem fere cum Abdia loco habere videtur. At vero, etiamsi conciliari vix possit, quod de morte* S. Bartholomæi *scripserunt, non omnes errasse sequitur, sed unum ex illis. Quæ præterea objicit, ad translationem corporis spectant, in gloria Sancti posthuma examinandam. Idem auctor pag. 643 putat, Josephum S. Theodoro antiquiorem esse; at contrarium mox ostendam esse probabilius. Antiquior ergo inter illos, uti auctoritate major, videtur esse S. Theodorus Studita, de quo ita Bellarminus de Scriptor ecclesiast. ad annum 820.*

S. Theodori Studitæ,

109 Sanctus Theodorus Studites, vir admirandus, et potens opere et sermone... Miraculis clarus migravit in cælum anno Domino DCCCXXVI. *Porro sanctissimum fuisse Theodorum et doctissimum, apud omnes in confesso est; ita ut nulla possit esse suspicio, fabulas eum scribere voluisse: prudenter* B *autem processisse, ex eo probatur, quod maluerit pauca narrare, eaque sibi probata, quam multa et incerta scribere. Mihi itaque, quidquid critici aliqui senserint, religio est, tali viro fidem non adhibere in iis, quæ de gestis* S. Bartholomæi *memoriæ tradidit; ut et de corporis translationibus postea ostendam.*

interprete S. Berthario,

110 *Sermonem S. Theodori edidit jam pridem Acherius tom. 2 Spicilegii recusi pag. 124, et seqq., sicut eum interpretatus est Anastasius Bibliothecarius. Habemus nos eumdem ex variis codicibus Mss. : primo ex codice 696 reginæ Sueciæ, dein ex vetusto Passionario Ms. Neapolitani monasterii S. Mariæ montis Oliveti; tertium Ms. apographum Capua Bollando transmissum est a P. Silvestro Acosta Capuano, rectore ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani de Quadropanis. Horum porro posteriora duo quam aptissime inter se consentiunt etiam quoad voces; ab Anastasiana vero interpretatione quoad phrasim sæpe dissentiunt, ita ut dubitari non possit quin alterius sint interpretis. Interpres autem ille in tertio dicitur fuisse S. Bertharius abbas Casinensis, de quo Leo Ostiensis in Chronico* C *Casiniensi lib. 1, cap. 33:* Hic apprime litteratus, nonnullos tractatus, atque sermones, nec non et versus in Sanctorum laude composuit. Cujus et Anticimenon de plurimis tam veteris quam novi Testamenti quæstionibus hic habetur : aliquot etiam de arte grammatica libri, etc. *Creatus est abbas, ut ibidem in notis dicitur, anno 856 vel 857, quo etiam tempore Anastasius Bibliothecarius floruit.*

qui addidit Translationem corporis alteram;

111 *Ex hujus igitur interpretatione Berthari Studitæ Orationem edam collatis inter se manuscriptis. Præfigitur Orationi præfatio, quæ etiam habetur apud Acherium, sed mutila, quæ ejusdem videtur esse auctoris. Subditur etiam Orationi Studitæ narratio translationis Beneventum, quæ subjecta legitur apud Acherium, unde dubium puto, an Anastasio narratio istius translationis tribuenda sit, an Berthario; quin imo potius Berthario, quam Anastasio adjudicandam existimo, tum quia Anastasius in epistola sua ad Aionem Beneventanum antistitem nullam adjunctæ a se narrationis mentionem facit, tum quia in festo ipsius translationis dicta videtur ex his verbis, partim apud Acherium omissis:* Qua deinceps occasione, quove sit ordine de eadem insula Beneventum translatum, UNDE HODIERNA FESTIVITAS CELEBRATUR, EVESTIGIO PROMENDUM EST. *Jam vero Anastasius Orationem Studitæ interpretatus est, ut ad episcopum Beneventanum eam mitteret, non ut pro concione recitaret. Bertharius autem eam ad suos declamare potuit, aut certe prælegendam in festo translationis tradere. Tum denique quia hæc narratio in duobus manuscriptis cum Oratione versa a Berthario conjuncta legitur : an autem cum interpretatione Anastasii eam conjunctam invenerit Acherius, mihi est incertum. Hæc, si uni tantum adscribenda sit dicta translationis Historia : verum, cum inter se discrepent variis locis editio Acheriana et nostra Mss., maxime in diebus, quo Sanctus colitur, assignandis, fieri potest, ut uterque auctor hanc Historiam interpretationi suæ subjunxerit.*

AUCTORE J. S.

Josephi, forsan Hymnographi,

112 *Sequitur anonymi Josephi sermo, quem ex Metaphraste Latine edidit Surius tom. 3 ad diem* XXIV *Augusti; quemque ab Allatio de Simeonum scriptis pag. 103 notatum invenio hoc titulo :* Josephi εγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον Βαρθολομαῖον τὸν Ἀπόστολον. *Quis ille sit Josephus non constat; per conjecturam tamen probabilem putem fuisse* E *S. Josephum Hymnographum, qui eodem cum S. Theodoro seculo nono floruit, eo tamen posterior; atque itidem, ut ille, egregie contra Iconoclastas hæreticos decertavit. Acta ejus edidit Papebrochius tom. 1 Aprilis a pag. 265, ex quibus cum prædicto Papebrochio hanc conjecturam desumo. Narratur ibidem in Vita, a Joanne diacono conscripta, Josephum ab aliquo donatum fuisse reliquiis* S. Bartholomæi, *ei sacellum extruxisse, ab eo multa edoctum, atque inter cetera sacros hymnos pangendi facultatem accepisse. Quæ omnia probant patronum Josepho singularem fuisse* Bartholomæum. *Unde non inepte laudatus Papebrochius in notis ibidem litera B, ita scribit :* De sancto Bartholomæo extat... Oratio Joseph τοῦ ταπεινοῦ καὶ ἐλαχίστου humilis et minimi : quem Hymnographum esse merito judices. Et XXV Augusti ad diem translationis invenitur canon ad hanc acrostichidem compositus :

Ὕμνοις γεραίρω τὸν καλόν μου προστάτην.

Ubi quod Προστάτην præsidem, patronum, protectorem suum appellet Bartholomæum poeta, idque in acrostichide, Josephum auctorem possis agnoscere, quamvis nomen nusquam exprimatur. F *Cum igitur Oratio illa circa idem tempus scripta videatur, et auctor ubique singularem erga* S. Bartholomæum *amorem prodat, probabile puto, huic Josepho, qui ab hymnis pangendis Hymnographus dictus est, eam tribuendam; quamvis et alius eodem seculo floruerit Josephus frater S. Theodori Studitæ, et archiepiscopus Thessalonicensis, cujus Acta dedit Pinius tom.* III *Julii a pag. 710, cujus et epistola quædam extat apud Baronium ad annum 808 num. 18, et Oratio de cruce apud Gretserum tom. 2, pag. 1200. Ceterum quiscumque hujus Orationis fuerit auctor, pauca de* S. Bartholomæo *scivisse videtur, ideoque et pauca scripsisse : quæque de morte Sancti tradit, minus videntur probabilia. Quæ in eo reprehendit Baronius ad annum 54, num. 3, de cultu serpentis apud Hierapolitanos, examinata sunt* § 8, *et ulterius in notis discutientur.*

et Nicetæ Paphlagonis.

113 *Subjiciam denique quarto loco Orationem encomiasticam Nicetæ Paphlagonis, quam Græco-Latinam edidit Combefisius in Auctario novissimo Patrum part. 1 a pag. 392, notisque illustravit. Satis hæc convenit cum præcedenti,* nisi

AUCTORE J. S.

nisi quod plura et distincta magis narrat Sancti gesta. Si quid minus probabile appareat, in notis observabo. Sed lectorem monitum velim, nihil in tribus his Orationibus fere occurrere, quod in commentario nostro non pertractavimus; volui tamen eas hic exhibere, ut omnia, quæ ad sanctum Bartholomæum *spectantia, fide utcumque digna, invenire potui, haberentur conjuncta. Orationem porro exhibere statueram, uti eam Latine reddidit memoratus Combefisius, verum dum Græca cum Latinis accuratius confero, quandoque aberrantem invenio interpretem, ubique vero obscurum adeo, ut judicarem Orationem Latinis auribus minime placituram, nisi nova adornaretur interpretatio. Manum itaque operi admovi, atque totam ex Græca Latinam feci, prout eam curiosus lector infra inveniet.*

ACTA

B

FABULOSA

Auctore Pseudo-Abdia Babylonio.

Ex Ms. S. Martini Treviris, collato cum aliis Mss., et editis exemplaribus.

CAPUT I.

Bartholomæi in Indiam adventu Astaroth mutus redditus, Berith consultus, dæmones ejecti, mysteria fidei Polymio regi exposita.

C

Bartholomæi in India præsentia

Indiæ *a* tres esse ab historiographis asseruntur. Prima est India, quæ ad Æthiopiam mittit: secunda, quæ ad Medos: tertia, quæ finem facit: nam ex uno latere tenebrarum regionem *b* gerit, ex alio latere mare Oceanum. In hanc *c* ergo Indiam veniens Bartholomæus apostolus, ingressus est templum, in quo erat idolum nomine Astaroth *d*, et quasi peregrinus ibi manere cœpit. In hoc idolo dæmon talis erat, qui diceret se curare languentes, et cæcos, sed sine dubio quos ipse lædebat, illuminare. Erant enim sine Deo vero, unde necesse erat, ut a deo falso ludificarentur: deus enim falsus hac arte illudit eos, qui Deum verum non habent: facit eis dolores, infirmitates, damna, pericula, et dat responsa, ut sacrificent ei, et cum non læduntur ab eo, hoc videtur stultis, quasi sanantur ab eo: ille autem non sanando, sicut credunt, subvenit; sed a læsione cessando, et cum desinit lædere, curasse creditur.

obmutescit idolum Astaroth,

2 Unde factum est, ut Sancto Bartholomæo apostolo ibi manente nulla responsa daret Astaroth, et nulli poterat ex his, quos læserat, subvenire. Cumque jam plenum esset languentibus templum et quotidie sacrificantibus nullum daret secundum consuetudinem responsum; infirmi ex longinquis regionibus adducti jacebant, et sacerdotes, qui ibi erant, eidem idolo sacrificabant. Sed cum in ipso templo, ut dictum est, nullum posset dare dæmon responsum, et neque sacrificando, neque seipsos more suo laniando proficerent, perrexerunt in aliam civitatem, ubi aliud dæmonium colebatur, cui nomen erat Berith *e*; et illic sacrificantes cœperunt inquirere, quare deus eorum Astaroth non eis daret responsa. D

cujus causam rogatus dæmon in alio idolo Berith, Bartholomæi adventum dicit,

3 Respondens autem Berith, dicit: Deus vester sic captivus et religatus catenis igneis strictus tenetur, ut neque suspirare, neque loqui audeat, ex illa hora, qua illic apostolus Bartholomæus ingressus est. Dicunt illi, et quis est iste Bartholomæus? Respondit dæmon: Amicus Dei est omnipotentis, ideo huc venit in istam provinciam, ut omnia numina, quæ colunt Indi, evacuet.

quem ipsis ex signis notum facit,

4 Dixerunt autem cultores ad Berith idolum: Dic nobis signa Bartholomæi, ut possimus invenire eum, quia inter multa millia hominum non possumus eum agnoscere. Respondit dæmon: Capillo nigro capitis est, et crispo: caro candida; oculi grandes; nares æquales, et directæ; aures coopertæ crine capitis; barba prolixa, habens paucos canos; statura æqualis, quæ nec longa possit nec brevis adverti. Vestitur colobio *f* albo clavato *g* purpura; indutus est pallio albo, habente per singulos angulos gemmas *h* purpureas. Viginti sex anni sunt, ex quo ipsa, quæ nunc gestat, vestimenta indutus est: numquam sordidantur, numquam veterascunt; similiter et ejus sandalia per XXVI annos numquam veterascunt *i*. Centies flexis genibus per diem, centies per noctem orat Deum *k*. Vox ejus quasi tuba vehemens est. E

ejusque privilegia narrat.

5 Ambulant cum eo angeli Dei, qui non eum permittunt fatigari, non esurire, non sitire, sed semper eodem vultu et animo perseverat. Omni hora hilaris et lætus permanet, omnia providet, omnia novit, omnem linguam omnium gentium loquitur, et intelligit. Et ecce hoc quod interrogastis, et quod ego do responsum, ille jam novit. Angeli enim Dei famulantur, et nuntiant ei; et cum cœperitis eum quærere, si vult, ostendet se vobis; si non vult, non poteritis eum invenire *l*. F

Quæsitus Bartholomæus, dæmoneque ejecto repertus,

6 Rogo autem vos, ut dum eum inveneritis, rogetis eum pro me, ne huc veniat, et hoc mihi faciant angeli, qui cum eo sunt, quod fecerunt collegæ meo Astaroth: et hæc dicens dæmon conticuit. Revertentes autem cœperunt circuire, et inquirere omnium peregrinorum vultus et habitum, et per duos dies non invenerunt eum. Factum est autem, ut quidam plenus dæmonio clamaret, et diceret: Apostole Dei Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ. Tunc Apostolus dixit ei *m*: Obmutesce et exi ab eo; et statim liberatus est homo, qui per multos annos fuerat fatigatus ab eo.

accersitur a Polymio Rege, cujus filiam etiam dæmonio liberat:

7 Polymius *n* autem rex civitatis (*al.* provinciæ) ejusdem cum haberet filiam lunaticam, nuntiatum est illi de hoc dæmonioso: et misit, et rogavit eum dicens: Filia mea male vexatur, peto ut sicut liberasti Spenstium, qui per multos annos passus est, ita et filiam meam liberes. Exurgens autem perrexit ad eum: at ubi vidit eam Apostolus catenis strictam, quia omnes morsu attrectabat, et, quos poterat tenere, scindebat, et cædebat, adeo ut nullus ausus esset accedere ad eam; tunc Apostolus jussit eam solvi. Dicunt ei

A ei ministri : Et quis est ausus manum mittere ad eam ? Dicit ei Apostolus : Jam ego vinctum teneo inimicum, qui in ipsa erat : et vos adhuc timetis eam ? Ite et solvite eam, et levate eam, et reficite eam : et crastina die adducite eam ad me. Exeuntes autem fecerunt sicut jussit Apostolus, et ultra non potuit eam vexare dæmon.

Polymio, muneribus recusatis, Christum natum o p

8 Tunc rex oneravit *o* camelos auro, argento, gemmis, vestibus, et cœpit quærere Apostolum, et penitus non invenit eum : et reportata sunt omnia ad palatium ejus. Factum est autem, cum transisset nox, et aurora futuri diei inciperet, apparuit Apostolus solus cum solo rege, ostio clauso *p* in cubiculo ejus : et dixit ei : Ut quid me quæsivisti tota die cum auro, et argento, gemmis, et vestibus ? Ista munera his sunt necessaria, qui terrena quærunt : ego autem nihil terrenum, nihil carnale desidero. Unde scire te volo quia Filius Dei dignatus est per uterum Virginis nasci cum homine, ita ut homo Virginis vulva conceptus, secum in ipsa secreta Virginis haberet Deum, qui fecit cælum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt. Hic simul cum ho- B mine natus ex utero Virginis, cœpit habere initium ut homo esset, qui numquam habuit initium; sed ipse semper initium fuit, et omnibus initium dedit, sive visibilibus, sive invisibilibus creaturis.

ex Virgine,

9 Hæc autem Virgo cum execraretur omnem virum, ipsa servandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vovit : primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio seculi, nulla ante eam hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter fœminas hoc constituit in corde suo ut diceret Deo : Domine, offero tibi virginitatem meam : cum hoc a nullo homine nec verbo didicisset, nec per exemplum ad imitationem invitata constituit, ut virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Huic subito, in suo cubiculo clausæ, splendens sicut sol Gabriel angelus Dei apparuit : quæ cum terrore perculsa expavesceret ; ait ad illam angelus : Noli timere, Maria ; invenisti gratiam ante Deum : ecce concipies et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesum. At illa timore deposito, constanter ait : Quomodo fiet hoc ? Quoniam virum non cognosco : id est hoc constitui, ut non cognoscam. Cui angelus respondit : Propter hoc Spi- C ritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur, Filius Dei sanctus vocabitur.

tentatum a diabolo,

10 Hic ergo cum natus esset, passus est se tentari a diabolo illo, qui primum hominem vicerat, suadendo ut de arbore vetita a Domino manducaret. Ipsum ergo permisit ad se accedere, et sicut dixerat Adæ, id est primo homini, per mulierem : Manduca, et manducavit ; et ideo de paradiso projectus primus homo in isto mundo exiliatus genuit omne hominum genus ; ita et isti diceret : Dic lapidibus istis ut panes fiant, et manduca, ut non esurias. Cui respondit : Non in pane tantum vivit homo ; sed in omni verbo Dei. Hic ergo diabolus qui per manducantem hominem vicerat, victoriam suam per jejunantem et se contemnentem amisit. Par enim erat, ut qui filium virginis vicerat, a Filio Virginis vinceretur.

victorem,

11 Dicit ei rex : Et quomodo dixisti, primam hanc esse Virginem, ex qua natus est homo cum Deo ? Apostolus respondit : Ago Deo gratias, quia sollicite audis. Primus ergo homo Adam dictus est, hic de terra factus est : terra autem mater ejus, ex qua factus est, virgo erat ; quia nec sanguine humano polluta erat, nec ad sepulturam alicujus hominis mortui fuerat aperta. Par ergo erat, ut dixi, ut qui filium virginis vicerat, a Filio Virginis vinceretur : et sicut ideo vicit ; quia egit arte callida ut manducaret contra vetitum, et de paradiso pelleretur, et pulsus homo clausum haberet paradisum : ita egit iste Virginis Filius, ut artem diaboli ad se venire permitteret. Ars autem ejus talis fuit, ut sicut accipiter rapit avem, quam potuerit, ita raperet Filium hominis Virginis, et poneret eum inter feras in deserto ; et per quadraginta dies non dixit ei : Manduca : quia non vidit eum esurientem : hoc enim ipse diabolus statuerat in corde suo, ut si XL diebus transactis non esurisset, pro certo nosset quia verus esset Deus. Deus autem verus erat, immo et est, sed sic creditur verus Deus, ut etiam homo verus permanens, non se intelligere permitteret nisi ab his, qui puro corde, et piis operibus *q* perseverant. Hic autem sathanas, ubi vidit post quadraginta dies eum esurire, quasi securus effectus, quod Deus non esset, dixit ei : Quare E esuris ? Dic, ut lapides isti panes fiant, et manduca. Et Dominus ad eum : Audi, diabole, si ideo hominibus dominaris, quia omnium pater hominum Adam, suasioni tuæ obtemperans, Dei legem sibi positam contempsit : ecce ego legem Dei custodiens, non manducabo, ut te superem. Ego homo ad hoc veni, ut ejiciam te de dominatione, quam tibi per dejectionem primi hominis usurpasti. Tunc vidit se diabolus exclusum, et alterum sibi angelum apostaticum, qui Mammona dicitur, sociavit : et protulit immensa pondera auri, et argenti, et gemmarum, et omnem gloriam, quæ est in hoc seculo : et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si adoraveris me. Dicit ei : Vade retro satanas ; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies. Fuit et alia tentatio superbiæ, quam in excelso super pinnam templi exercuit, ut qui semel vicerat hominem, terræ virginis filium, a sanctæ Virginis Filio homine tripliciter vinceretur.

A. Pseudo-Abdia.

missionem Apostolorum,

12 Et sicut qui victor extiterit tyranni, mittit comites suos, ut in omnibus locis, ubi tyrannus possidet, titulos regis sui victoris ac trium- F phatoris imponant : ita hic homo Christus Jesus, qui vicit, misit nos in omnes provincias, ut expellamus ministros diaboli, qui per templa in statuis habitant, et homines, qui eos colunt, de potestate ejus, qui victus est, auferamus. Ideo aurum et argentum non accipimus, sed contemnimus, sicut ipse contempsit : quia ibi esse cupimus divites, ubi solum ejus regnat imperium ; ubi nec languor, nec morbus, nec tristitia, nec mors locum aliquem habere noscuntur ; ubi felicitas perpetua, ac beatitudo perennis est ; et gaudium sine fine, et sunt delitiæ sempiternæ : et ideo templum vestrum ingressus, dæmonem, qui in idolo dabat responsa, ab angelis ejus, qui me misit, religatum obtineo. Qui si baptizatus fueris, et permiseris te illuminari, faciam te videre, et cognoscere quanto malo carueris.

et dæmonis fraudes prædicat.

13 Nam omnes illi, qui jacent in templo ægrotantes, audi qua arte videbatur curare eos diabolus, qui primum hominem vicit, et, sæpe jam dixi, per ipsam victoriam pessimam potestatem habere videtur, in aliis vero majorem, in aliis minorem ; in his, qui minus peccant ; majorem in his, qui plus peccant. Ipse ergo diabolus facit homi-

A. Pseudo-Abdia.

homines arte sua ægrotare, et suadet eis credere idolis, ut animas eorum potestate obtineat. Cessat nunc lædere eos, cum dixerint lapidi, aut metallo cuicumque : Tu es Deus meus. Sed quia ipse dæmon, qui in ipsa statua erat, a me victus tenetur, sacrificantibus, et se adorantibus nullum potest dare responsum. Sed si vis probare ita esse, jubebo illi ut ingrediatur statuam suam, et faciam eum confiteri hoc ipsum, quod sit religatus, et responsa dare non possit. Dicit ei rex : Crastina prima hora diei parati erunt pontifices sacrificare ei, et ego illuc superveniam, ut videam hoc factum mirabile.

ANNOTATA.

a *Mira hæc Indiarum divisio. Videtur Abdias noster non melior esse geographus, quam historiographus. Etenim hanc trium Indiarum ita divisarum assertionem non magis, ut opinor, invenias apud historiographos, quam reliquas ipsius fabulas ante ipsum scriptas reperias. Hoc* B *itaque cum ceteris inepte videtur confictum.*

b *Quid per tenebrarum regionem velit, obscurum est. An forte imperitus geographus putavit Indiam illam,* quæ, *ut dicit,* finem facit, *orbis simul ac lucis esse terminum?*

c *Postremam, seu tertiam, ut vocat, Indiam videtur designare :* Tò hanc *enim in omnibus Mss. invenio.*

d Astaroth. *Adverte hic, lector, Palæstinorum seu Sidoniorum deam Astarten, plurali* Astaroth, *ut sæpius in sacris Literis vocatur, ad Indos translatam. Idem inferius observare poteris in idolo* Berith, *de quo mentio habetur Judic. 9, ubi et* Baal-berith *vocatur, quod significat* deum fœderis. *Hinc viri ingenium ad fingendum cognosce; idola ab Apostolo destructa in scenam inducere volebat, sed non attendebat ineptus fabulator, alia Indorum idolis esse nomina, alia Phœnicum, et Palæstinorum. Ceterum* Astarten *communiter interpretes Venerem fuisse putant. Qui plura de his cupit, adeat dissertationem Calmeti de Diis Phœnicum, præfixam Commentario ipsius in minores Prophetas a pag. 47.*

C e Berith : *Sunt, qui legunt* Beerith : *Basileensis editio habet* Beireth. *Vide de* Berith *notam præcedentem.*

f Colobio. *Colobium, teste Cangio in Glossario, est* tunica absque manicis, vel certe cum manicis, sed brevioribus, et quæ ad cubitum vix pertinerent.

g Clavato purpura. *Videtur vestimentum describere purpura, minutis clavis artificiose intexta, distinctum, quod sane est splendidius, quam ut conveniat pauperi Christi discipulo.*

h *Hic regiam plane vestem affingit Apostolo : regum enim est vestes purpura, gemmisque distinctas gestare, non Apostolorum; sed difficile est mendaci, unicuique personæ convenientia fingere.*

i *Deuter. 29 ℣. 5 dicit Moyses Israelitis :* Adduxit vos *(Dominus)* quadraginta annis per desertum : non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. *Magis insigne erat hoc Israelitis datum beneficium, quam ut idem* Bartholomæo *non affingeret impostor Abdias. Sed, inquiet aliquis, cur eadem gratia* Bartholomæo *dari non potuit? Dari potuisse non inficior : datam fuisse non credendum puto fabulatori, cujus ubique figmenta* D *tam manifesta sunt.*

k *Et hoc meliori eget auctore, ut fidem inveniat.*

l *De his omnibus vide Censuram Hesselii* § XI, *et attende quam diversa de se scripserit Paulus 2 ad Corinth. cap 11 :* In labore et ærumna,.. in fame et siti. *Et cap. 1 ℣. 8 :* Quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. *Tales voluit Dominus Apostolos, quibus calicem suum bibendum obtulit quosque sui in laboribus, et vitæ incommodis perferendis imitatores esse voluit; non angelorum eis talem famulatum promisit, quo omnia ab eis mortalis vitæ incommoda arcerentur; hoc enim beatorum est, in cælo regnantium, non in terris militantium Apostolorum. Hæc itaque omnia ut nugas, ut ineptias, ut mera Abdiæ figmenta prudens lector abjiciat, in quocumque demum post Abdiam auctore fuerint reperta.*

m *Hic ex Scriptura Marc. 1 Christi miraculum transfert ad* Bartholomæum. *Blandiens ibidem dæmon, a Christo ejicitur his verbis :* Obmutesce et exi de homine. *Hic itidem* Bartholomæo E *adulatus dæmon, ejicitur similibus verbis :* Obmutesce, et exi ab eo.

n Polymius, Polomius, Polimius, Polemon, *ita diverse nomen hoc exprimitur. At incognitus ille omnibus antiquis historicis Polymius, exceptis Abdia, ejusque sectatoribus, videtur in Abdiæ nostri cerebro natus; quin et Scripturam edoctus, nam mox eum his Scripturæ verbis loquentem inducit :* Filia mea male vexatur *Mat. 15 ℣.* 22. *Totum autem hoc miraculum ex variis Euangelii locis huc translatum est, ut facile advertet studiosus lector.*

o *Viden' lector, ut Indiæ monarcham nobis exhibeat? Camelos auro, argento, gemmis, vestibus onerat. At tantus, tantisque pollens opibus morte liberare non potuit Apostolum, a quo fidem edoctus fingitur; sed contentus fuit cum reliquis ipsum sepulturæ dare : quæ sane non satis inter se cohærent. Neque modus offerendi hæc munera minus inepte confictus. Quid enim necesse erat, ut camelos oneraret? An non poterat ad se vocare Apostolum, præsentique ex thesauris suis offerre quantum placebat? At legerit 4 Reg. 10, reginam Sabæ ad Salomonem venisse :* Camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas. *Ita et Poly-* F *mium ad* Bartholomæum *mittere voluit.*

p *Modo* Bartholomæum *ingressum ostio clauso exhibet, ut Christus ingressus est ad Apostolos, sicut mox quæsitum frustra* Bartholomæum *induxerat, uti* Judæi quærebant *Jesum* in die festo.

q *Multa ex his tentationibus omissa sunt in editione Basileensi, quia, ut opinor, parum Euangelio videbantur consona. Vide Censuram Hesselide hac tentatione* § XI. *Quod autem hic dicere fingitur Apostolus, quod Christus,* non se intelligere permitteret nisi ab his, qui puro corde, et piis operibus perseverant, *absurdissimum est, et hæreticum : omnia etiam, quæ sequuntur tam inepta sunt, ut dicere debeamus, fabulatorem hunc Scripturam quidem legisse, quod ubique apparet, sed minime intellexisse.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Idola fracta, templum consecratum, Polymius cum suis conversus, mors Apostoli etc.

Dæmon se vinctum fatetur.

Factum est autem altero die, prima hora diei, sacrificantibus eis cœpit clamare dæmon : Cessate, miseri, sacrificare mihi, ne pejora patiamini, quam ego, qui catenis igneis religatus sum ab angelis Jesu Christi, quem Judæi crucifixerunt, putantes eum posse detineri a morte : ille autem ipsam mortem, quæ regina nostra est, captivavit; et ipsum principem nostrum, maritum mortis, vinculis ignitis vinxit : et tertia die victor mortis, et diaboli resurrexit : et dedit signum crucis suæ Apostolis suis, et misit eos per universas partes sæculi, ex quibus unus hic est, qui me vinctum tenet. Peto vos ut rogetis eum pro me, ut dimittat me ire ad alteram provinciam.

B

fraudesque suas aperit.

15 Tunc sanctus Bartholomæus ait : Confitere, immundissime dæmon, istos omnes, qui hic ægritudines patiuntur, quis est qui eos læsit. Respondit dæmon : Princeps noster diabolus, sic quomodo religatus est, ipse nos mittit ad homines, ut lædamus. Primo quidem carnem eorum, quoniam in animabus hominum non possumus habere potestatem, nisi sacrificaverint : at ubi sacrificaverint, pro salute corporis sui nobis, cessamus nocere eis, quia jam in animabus eorum potestatem habere incipimus. Jam ergo per hoc, quod ab eorum læsione cessamus, videmur curare eos, et colimur quasi dii, cum pro certo simus dæmones, ministri ejus, quem in cruce positus Jesus Filius Virginis religavit. A die ergo, qua discipulus ejus huc venit apostolus Bartholomæus, ardentibus catenis strictus consumor; et ideo loquor, quia jussit mihi : nam ausus non essem loqui eo præsente, nec ipse princeps noster. Dicit ei Apostolus : Quare non salvas hos omnes, qui ad te convenerunt? Dicit ei dæmon : Nos quando corpora lædimus, nisi animas læserimus *a*, corpora in sua læsione perdurant. Dicit ei Apostolus : Et quomodo animas

C

læditis? Respondit dæmon : Cum crediderint nos esse deos, et sacrificaverint nobis, tollit se Deus ab his, qui sacrificant, et nos vulnera corporum non tollimus, sed migramus ad animam.

Apostolus populo Deum prædicat :

16 Tunc dicit Apostolus ad plebem : Ecce quem deum putabatis curare vos. Audite nunc verum Deum creatorem nostrum, qui in cælis habitat, non in lapidibus vanis : et, si vultis ut orem pro vobis, et omnes hi sanitatem recipiant, deponite idolum hoc et confringite, et cum hoc feceritis, templum hoc Christi nomini consecrabo, tum vos omnes in isto templo Christi baptismate consecrabo.

evertuntur idola ;

17 Tunc jussu regis omnes populi miserunt funes, et trochleas, et simulacrum non poterant evertere. Tunc Apostolus dixit eis : Solvite vincula ejus, et cum exsolvissent omnia; dicit ad dæmonem, qui in eo erat : Si vis, ut non te faciam in abyssum mitti; exi de isto simulachro, et confringe illud, et vade in terram desertam, ubi nec avis volat, nec arator arat, nec vox hominis resonat. At ille statim egressus, comminuit omnia genera idolorum, nec solum ipsum majus idolum, sed et minora, ubicumque pro ornamento templi singillatim erant posita, minutavit, ita ut picturam omnem deleret. Tunc omnes una voce clamare cœperunt : Unus Deus omnipotens, quem prædicat Bartholomæus.

A. Pseudo-Abdia.

et orante Apostolo, apparet Angelus mundans templum,

18 Tunc expandens Bartholomæus manus suas ad cælum, dixit : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, qui ad redemptionem nostram unigenitum tuum Filium, Dominum nostrum, direxisti, ut nos omnes, qui eramus servi peccati, suo sanguine redimeret, et tibi filios faceret. Qui verus Deus ex hoc cognosceris, quia semper idem es, et immutabilis perseveras, unus Deus cum Filio Pater, unus etiam cum Spiritu sancto, vere trinus, et vere unus, unus Pater ingenitus, unus Filius unigenitus Dominus noster Jesus Christus, unus Spiritus sanctus illuminator, et ductor animarum nostrarum, qui ex Patre procedit, et est in Patre et Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, qui in suo nomine nobis dedit hanc potestatem, ut infirmos salvaremus, cæcos illuminaremus, leprosos mundaremus, paralyticos absolveremus, dæmones fugaremus et suscitaremus mortuos, et dixit nobis : Amen dico vobis, quæcumque in nomine meo

E

petieritis a Patre meo, dabit vobis. Peto ergo in ejus nomine, ut omnis hæc multitudo salvetur, ut cognoscant omnes, quia tu es Deus unus in cælo, et in terra, et in mari, qui salutem recuperas per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum et cum Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Cumque omnes respondissent, Amen *b* : apparuit angelus Domini splendidus sicut sol, habens alas, et per quatuor angulos templi circumvolans, digito suo in quadratis saxis sculpsit signum crucis, et dixit : Hæc dicit Dominus qui misit me : Sicut vos omnes ab infirmitate vestra mundamini, ita mundavi templum hoc ab omni sorde, et habitatore ejus, quem jussit Apostolus Dei ire in locum desertum ab hominibus : et jussit ut eum prius ostendam vobis, quem videntes nolite expavescere ; sed quale signum ego sculpsi in his saxis, tale vos digito vestro facite in frontibus vestris, et omnia mala fugient a vobis.

b

qui et dæmonem populo ostensum dimittit :

19 Tunc ostendit eis ingentem Ægyptium, nigriorem fuligine, facie acuta cum barba prolixa; crines usque ad pedes, oculos igneos sicut ferrum ignitum, scintillas emittens; ex ore ejus, et naribus egrediebatur flamma sulphurea :

F

habens alas spineas, sicut *c* strix, erat vinctus a tergo manus, ignitis catenis strictus. Et dixit ei angelus Domini : Quoniam audisti vocem Apostoli, et omnium pollutionum genera de isto templo mundasti, secundum promissum Apostoli solvam te, ut vadas ubi nulla conversatio hominum est, vel esse potest, et ibi sis usque ad diem judicii. Et cum exsolvisset eum, ille ululatum teterrimum diræ vocis emittens, evolavit, et nusquam comparuit. Angelus autem Domini videntibus cunctis evolavit ad cælum.

c

convertitur Polymius Rex cum suis;

20 Tunc rex una cum uxore sua et duobus filiis et cum omni exercitu suo, et cum omni populo, qui salvatus est, civitatis suæ, et vicinarum urbium, quæ ad ejus regnum pertinebant, credens baptizatus est, et deposito diademate capitis, et purpura cœpit Apostolum non *d* deserere.

d

quibus auditis Astyages rex

21 Interea colligentes se universorum pontifices templorum, abierunt ad Astyagem *e* regem, fratrem ejus majorem, et dixerunt : Frater tuus discipulus factus est magi hominis, qui templa nostra sibi vindicat, et deos nostros confringit.

e

Cum

A. PSEUDO-ABDIA.

Cum hoc flentes referrent, ecce et aliarum civitatum pontifices eadem cœperunt flentes referre.

jubet comprehendi Bartholomæum :

22 Tunc rex Astyages indignatus, misit mille viros armatos cum pontificibus, ut ubicumque invenirent Apostolum, vinctum illum perducerent ad eum : quod cum fecissent; dixit ad eum Astyages rex : Tu es qui evertisti fratrem meum? Cui Apostolus dixit : Ego non everti eum, sed converti. Dicit ei rex : Tu es qui Deos nostros fecisti comminui? Dicit ei Apostolus : Ego dedi potestatem dæmonibus, qui in eis erant, ut ipsi conquassarent idola vana, in quibus degebant, ut omnes homines relicto errore crederent omnipotenti Deo, qui in cælis habitat. Dicit ei rex : Sicut tu fecisti fratrem meum, ut relinqueret Deum suum, et Deo tuo crederet; ita et ego faciam te relinquere Deum tuum, et deo meo credere, et ipsi sacrificare. Dicit ei Apostolus : Ego Deum, quem colebat frater tuus, religatum, et vinctum ostendi; et ipsum feci, ut frangeret simulachrum suum : si potueris tu hoc facere Deo meo, poteris me ad sacrificium provocare : si autem tu nihil potueris Deo meo B facere, ego omnes deos tuos comminuam, et tu crede Deo meo. Hæc cum diceret nuntiatum est regi, quod deus ejus Baldat *f* cecidisset, et minutatim abiisset.

g *et occidi.*

23 Tunc rex scidit *g* purpuream vestem, qua indutus erat : et fecit fustibus cædi sanctum apostolum Bartholomæum, cæsum autem jussi decollari.

h *Polymius sepulto Bartholomæo sit episcopus.*

24 Venientes *h* autem innumerabiles populi duodecim civitatum, qui per eum crediderunt una cum rege, abstulerunt cum hymnis, et cum omni gloria corpus ejus, et construxerunt ei basilicam miræ magnitudinis et in ea posuerunt corpus ejus. Factum est autem tricesimo die depositionis ejus, acceptus est a dæmonio rex Astyages, venit ad tumulum ejus, et omnes pontifices pleni dæmoniis, confitentes apostolatum ejus, sic sunt mortui. Factus est autem timor et tremor super omnes incredulos, et crediderunt universi, atque baptizati sunt a presbyteris, quos ordinaverat apostolus Bartholomæus. Factum est autem per revelationem acclamante universo populo, et omni clero, ordinatur rex Polymius episcopus, et cœpit in nomine Apostoli signa facere : fuit autem in episcopatu annis xx; et perfectis omnibus, atque bene compositis, et bene C constabilitis, migravit ad Dominum; cui honor est et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hic iterum multæ ineptiæ in editione Basileensi prætermissæ : quasi non satis læsissent animas suas, qui accedunt ad dæmonem, ut ab eo curentur. Nec sui memor est, ut solent mendaces : nam ante causam, cur non curaret eos dæmon, fuisse dixit adventum* Bartholomæi, *nunc quod non sacrificarent, cum mox sacrificantes dæmoni induxerit sacerdotes. Sed similia in posterum non observabo, cum omnia æque fere sint inepta.*

b Amen. *Scilicet omnes subito modum orandi, et respondendi in Ecclesia noverant, qui numquam vel verbum de Christo, et Ecclesia, vel ejus orandi modo audierant : quam belle hæc conficta!*

c Strix, *alii habent* stirps; *Basileensis* histrix : *verum* histrix *alas non habet.* Strix *forte non habet alas spineas, sed horrendam volucrem voluit in similitudinem adducere; est autem* strix D *avis nocturna ab horrendo stridore dicta, et mali ominis; sed non satis cognita. Tota hæc dæmonis descriptio, ut cetera Abdiæ, ridicula, et inepta non minus est, quam horrenda.*

d *Importuna hæc regis pietas inepte hic fingitur : neque enim permisisset Apostolus, ut Polymius in regno converso adeo necessarius, quo fides Christiana firmas ageret radices, continuo se regno abdicaret, Apostolumque, omnesque recenter conversos ethnicorum libidini exponeret, vel trucidandos, vel rursum pervertendos. Neque minus ridicule totum simul regnum, duodecim civitates, ut postea ait, et populus innumerabilis conversus fingitur; cum postea scribat, mille tantum viros missos, qui* ubicumque invenirent Apostolum, *utique in regno Polymii,* vinctum illum perducerent *ad Astyagem. Scio dici hic posse, Polymium forte fuisse fratris sui Astyagis proregem; sed nec modus loquendi hoc satis permittit; et divitias majores ante affinxit Polymio, dum eum camelos auro, argento, gemmis, vestibus pretiosis onerasse dixit, quam proregi videantur convenire.* E

e Astyagem. *Scribitur a quibusdam* Astriges, Astiarges, Astraiges. *De quo vide, quæ dicta sunt in Commentario* § 9.

f Baldat, *alii* Vualdath; *nihil refert quomodo scribatur, quia nomen haud dubie fictum est, nisi voluerit nomen unius ex Jobi amicis huc transferre.*

g *Mos ille scindendi vestimenta in magno luctu, maxime usitatus fuit Hebræis, et vicinis populis Orientalibus, ut ex multis Scripturæ locis est compertum. Legitur etiam apud Virgilium :* It scissa veste Latinus. *Idem de Lacedæmoniis scribit Herodotus lib. 1. De Indis id mihi non est compertum. Putem id ex more Hebræorum in Scripturis notissimo, ad Indos a fabulatore nostro translatum.*

h *Hoc nimirum passus fuisset Astyages, ut et tanta pompa sepelirent corpus, et basilicam tantam ei extruerent? Sed pulchram fabulæ totius catastrophen subnectit. Arrepti a dæmone Astyages, et pontifices omnes, veniunt ad tumulum Apostoli, (alia Mss. habent* templum) *confitentur apostolatum ejus, moriuntur omnes, fere ut Antiochus Epiphanes 2 Machab. cap. 9. Deinde infideles omnes convertuntur, baptismate abluuntur omnes : Polymius consecratur episcopus. At* F *a quo? Neque enim ullius in India episcopi facta est mentio. Viginti annis episcopatum administrat. Cujus urbis, obsecro, aut provinciæ? Quod ignorare non debuit aut silere, qui annos episcopatus non siluit. Rebus bene stabilitis, moritur. Unde igitur factum, ut India tam cito ad idola sua reverteretur? Ut nulla Polymii apud alios antiquos Scriptores sit memoria? Id scilicet non curat Abdias noster, ad fingendum quidem audacissimus, ad figmenta vero sua verisimili modo exponenda non satis idoneus. Habes hic, lector, totam S.* Bartholomæi *fabulosam Passionem, prout apud nos extat in variis Mss., ex qua colliges, quid fidei mereantur, quæ Petrus Equilinus, Jacobus Januensis, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, aliique cum his fabulosis Actis habent communia : nam dubitare non possum, quin ex impurissimo hoc fonte profluxerint. Nihil certe ex his omnibus legitur in tribus Orationibus mox subjiciendis, nihil in ullo auctore antiquo, et probato : unde ad ea refutanda, quæ ipsi hinc desumpserunt,*

præter-

A *prætermissis quibusdam, quæ nimis videbantur absurda, sufficere existimavi, si hunc, ex quo hauserunt, fontem assignarem.*

ORATIO

ENCOMIASTICA,

Auctore S. Theodoro Studita,

Ex tribus Mss. pervetustis, collatis cum editione Acherii.

PRÆFATIO INTERPRETIS, UT VIDETUR.

Præfatio de S. Theodoro Studita

Beati Bartholomæi apostoli venerabile, omniumque laudum solemni attollendum corpus præconio, qualiter de Armenia, Indorum *a* provincia, post decessum Polimii regis, atque B pontificis, aliquot elabentibus annis, per iniquorum, atque infidelium perfidiam, imo divinæ dispositionis nutum, Lipareos mirabiliter sit evectum in insulam, cujusdam Theodori reverendissimi sacerdotis veridica est relatione reseratum. Qui videlicet Theodorus apud Constantinopolitanam urbem, temporibus fuit *b* Adriani, et Leonis *c* Romanorum Pontificum, vir valde mirabilis, qui dum non solum scientia, sed et signorum polleret virtutibus, imperialium, insigniumque cœnobiorum, Studii *d* videlicet, et Saccudiorum *e*, constitutus est abbas. Qui semper in apostolicæ Sedis communione persistens, hæreticorum minas, et imperatorum vesaniam, etiam tormentis affectus, mentis virtute repressit, necnon et sancti Spiritus gratia plenus opuscula nonnulla composuit, inter quæ et sermonem de beato Bartholomæo satis utilem Græco edidit famine, qui Græco vocabulo Encomion dicitur, quod latine Præconium, sive laus, exprimitur, qui ad Latinitatis notitiam fideliter translatus, ut scrupulum omnem de nutantium pectoribus auferat, et improbas invidorum, ac detrahentium linguas comprimat, atque ignorantiam instruat C insciorum, consequenter legendus est: habet enim se hujusmodi narratio illius.

ANNOTATA.

a *Armeniam non esse proprie Indorum provinciam norunt geographiæ periti : ita tamen vocavit interpres, quia omnes provinciæ longe dissitæ et parum cognitæ, a quibusdam antiquis India vocantur. Porro sermo Theodori non tantum translationem enarrat, sed et gesta* S. Bartholomæi *quædam complectitur. De Polymio vide dicta nostra § 9.*

b Adriani, *primi illius nominis ad pontificatum evecti anno 772, ut ad illum annum num. 1 habet Pagius.*

c Leonis. *Tertius hic fuit, suffectus Adriano anno 795, ut idem Pagius ad dictum annum num. 3 scribit. Hinc colligitur, Theodorum jam floruisse seculo octavo ad finem vergente; quamquam obierit tantum anno 826, ut ibidem probat Pagius num. 17.*

d Studii. *Monasterium præclarum Constantinopoli structum per quemdam, Roma Constantinopolim profectum,* Studium *nomine; a quo monasterium* Studium, *et ejus ascetæ* Studitæ *dicti sunt, multis laudibus insignes. Videsis Vitam S. Theodori Studitæ tom. 5 Operum Sirmondi a pag. 17, vel apud nos tom. 1 Feb. pag. 538.*

e Saccudiorum. *Aliud monasterium non longe a Constantinopoli* Sacudion *nomine, structum est a S. Platone, cujus Vita data est tom. 1 Aprilis a pag. 364. Sub S. Platone avunculo suo Theodorus religiosæ vitæ tirocinium posuit, ab eodem Sacudioni præfectus est, demum ad Studii præfecturam translatus. Vide Vitam Theodori citatam a pag. 8 apud Sirmondum; et vitam S. Platonis apud nos assignatam. Nunc Orationem ipsam Studitæ, lector, accipe.*

A. THEODORO STUDITA.

Laudandus S. Bartholomæus :

Maximum quidem certamen, ut ita dicam, gloriæ, qua meritorum laus contexitur, sed majori devotione martyr quisque debet attolli, in cujus beatificatione omnis sermo non sufficit. At vero et Apostolum irreprehensibiliter collaudare, quantæ putas esse poterit etiam in- E signium magistrorum industriæ; scilicet quem Spiritus sanctus ad omnium contemplationem plausibus et modulatis vocibus extulit? Cujus enim sonus in omnem terram exivit, ut verborum virtute fines ordinaret orbis, oportebit utique, ut et laus ejus ex æquo audiatur, et intellectu percipiatur. Et ad hæc quis idoneus? quis sufficiens? quis robustus? Numquidnam quia nec princeps Apostolorum *a* est, ut Petrus; nec, ut Joannes, Christo dilectus, Bartholomæus, idcirco paucioribus sermonibus prædicandus, et, quasi non sit multi præconii, minus aliquid efferendus? Discipulum Christi audis ex toto, et non pertimescis eum, qui misit illum? Testem veritatis sensu capis, et non miraris eum, qui est digne canendus? Quin etsi multorum unus erat, nullo tamen famulorum Dei minori est laude promendus.

quotus in numero Apostolorum :

3 An quia est duodenarii numeri medius, non amplius aliquid obtinebit in laudibus? Est enim duodenarius numerus in se cytharæ harmoniæ similis, æquum ab utraque parte sonum divinæ sermocinationi similem dans. At vero si volueris, sicut in annuali circulo, ut uniuscujusque mensis ex æquo utilis omnibus modis conferatur numerus, et propria alter ab altero quantitate, F et qualitate suam habeat differentiam; non plane nobis is, qui laudatur, exiguus; sed nimis sublimis virtute spiritus apparebit, habens quid in ipsa supputatione mysticum Dei verborum secundum arithmeticam artem : solus enim senarius numerus a monade perfectus est partibus suis, complens ex his ipsis medietatem quidem suam, quæ est tria, tertiam vero partem suam perficit ex duobus, sextam autem monadem consummans. Porro si et secundum Actus Apostolorum dinumerabimus, septimum ponemus Bartholomæum; eritque ipse iterum principium et vertex secundæ hexados, ita ut hinc possimus argumentari eum ad Petrum habere relationem, dum ex prima quidem hexade principium reputatur in termino, ex secunda vero summitas est eorum, qui post ipsum dinumerantur.

confertur cum Petro, ubi et mortis genus.

4 Nota diligentissime : Petrus docet nationes, sed Bartholomæus consequenter paria investigat. Petri speciosi pedes bona evangelizantis, sed et Bartholomæi æque jucundi, sublimia de Deo loquentis. Petrus operatur prodigia magna, sed et Bartholomæus facit miracula valida. Petrus deor-

sum

A. Theodoro Studita.

sum capite crucifigitur, sed et Bartholomæus e diverso pœnas sustinens, postquam vivus decoriatus est, capite plectitur. Quot Petrus agit, totidem operatur Bartholomæus, ad quot valet Petrus mysteria capessenda, ad tot Bartholomæus sufficit penetranda. Æqualiter exequitur divini verbi rationem, æqualiter Ecclesiam fundat, æqua lance habuit et cætera divina charismata. Veni ergo placatus, esto ferax verbi, o Beate, resera linguam meam mutam, da mihi materiam præconium tuæ magnitudinis enarrandi, non ut ipse proficias aliquid, habens intrinsecus beatitudinis plenitudinem, sed ut quomodo declaretur amor circa te divinitus prædestinatus, et ut ego pauperrimus puer tuus tuis paternis orationibus fruar in laude celebritatis tuæ. Non enim poterit sine illuminationis participatione manere, qui ad splendorem radii solis *b* pupillam erexerit.

Quo ad prædicandum missus :

5 Alius igitur Apostolorum hic, alius vero alibi percepit partem orbis, in prædicatione Dei cognitionis, et omnes universitatem sibi dispertientes, prædicatores regis regum Christi constituti sunt. Constitues enim eos principes super omnem terram, pronuntiavit littera. Ei autem, qui nunc celebri fama laudatur, sors et portio fuit Armeniæ locus, qui est ab Evilath *c* usque Gabaon *d*, in multis gentibus, et civitatibus destributus. Iste ergo cum mitteretur, hoc mystice pronuntiante, ut opinor, audivit a Domino: Vade discipule ad prædicationem, exi ad pugnam, capax esto periculorum, consule figmento meo, cujus misertus Homo factus sum, et pro quo dedecus mortis elegi. Ego paternum opus consummavi, primus testis veritatis factus : vos, quod necessarium est, implete, et quæ verbis meis desunt, ad similitudinem meam supplete. Imitare Magistrum tuum, æmulare Dominum tuum, æqua passiones passionibus, pro sanguine sanguinem pone, pro carnibus carnes trade; patere, quæ sustinui pro te passus, ostende in te ipso manifestam cognitionem characteris mei, arma tibi sint benignitas in sudoribus, mansuetudo inter maledicos, patientia in his, qui te presserint, ut ovis in medio luporum efficere, ut *e* leo fortitudine armare. Non recusavit Apostolus, non dixit : Quomodo lupos *f* fugare poterit agnus, unus decem millia, peregrinus primos cives, exul duces, regum multiplicem purpuram is qui unam possidet tunicam? Sed ut famulus fidelis, Dominico acquiescens præcepto, pergit gaudens, nihil adferens secum, nisi tantum Christi pretiosum nomen pro omni armatura.

quæ in prædicando præstiterit :

6 Itaque apprehendens solum sorte præceptum, quanta illic gesserit, quanta subiens pertulerit, sermo depingit : quorum quædam secundum traditionem antiquæ relationis acta, quædam vero secundum rationem doctrinarum evangelicarum gesta consistunt. Si enim lux mundi est, profecto ea, quæ lucis sunt, operatus est in his, qui illuminati non erant : et si sal terræ consistit, manifestum est, quia gentes irrationabiles saliens emundavit : et si operator nominatur, consequenter et agriculturam spiritualem perfecit. Quod autem communiter dicitur, et per singulas personas rationabiliter accipiendum est. Igitur vide eum secundum allegoriam, aliquando quidem terram arare non bobus quidem trahentibus ferrum, sed linguæ aratro rationabilia rura sulcantem, jugo videlicet contemplationis, et actionis, nec seminantem aliquid diffluentium, et corruptibilium, sed fidei verbum in profundo cordis recondentem, aliquando vero plantantem paradisos, et vineas Domini; illos videlicet, qui jam receptione verbi ad meliora incrementum fecerunt, et ab ineunte ætate per singula tempora fructus multiplices dederunt; et aliquando medicinaliter exhibita singulis passionum remedia conferentem. Et, ut universalius dicatur, cæcos oculis illuminantem, leprosos mundantem, febres expellentem, claudis gressum, surdisque auditum præbentem, atque reliquorum languorum multimodas species sanitatibus incorruptibilibus naturæ propriæ refrænantem; et certe pastoralem morem suscipientem, et semitas Dei perficientem, deducentem, revocantem, pugnantem, propellentem bestias hæreseos, dæmonumque phalangas; imperfectos jugiter rigare manu doctrinæ, crescentes in ætate Christi verbi lacte nutrire, spinas cruentantes evellere, silvas impietatis secare, sepes dogmaticas circumponere, et quidquid deesse constiterit eorum, quæ opportuna sunt ad sequendum, facile providere. Ipse autem ædificator est, et architectus ædificii et fabricationis non manufactæ, templorum videlicet Domini, quæ per spiritum, et veritatem construuntur, ac perficiuntur in populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

fructus prædicationis labores, mors :

7 Intuere mecum, o homo, civitates, et habitacula, quæ olim populus seductus infidelitate possedit, nequitiæ turrem ponens in Dei cognitione, et adversariorum insidias facile dimissas, campos florentes, vineas condensitate pullulantes, hortos odorem dantes, ægrotantes, omni languore, et omni infirmitate depulsa, sanitati pristinæ reformatos. Talia sunt, ut ita quis dicat, prima spolia, et hæ exuviæ tanti agonis : et hi labores in fame, et siti, in frigore, et nuditate, in contumeliis, et opprobriis, in carceribus, et vinculis, in persecutionibus, et abductionibus de loco in locum, de civitate in civitatem, et de theatro ad theatrum, in tormentis, et verberibus, ad extremum in occisione et gladio. Propter *g* quæ oportebat eos remunerari Magistrum, salvatorem et medicum; pro his operantur atrocia, convitiantur, detrahunt, percellunt, torquent, tradunt; quid non dicentes, quid non agentes, quid non excogitantes, quid non adinvenientes eorum, quæ ad acriorem afflictionem, et tribulationis ejus augmentum proficere crediderunt? O pravam crudelitatem! O feralem persecutorum insaniam! Quales mercedes curatori obtulerunt, qui visum, qui auditum receperunt, qui ædificati ab eo, qui instructi fuerant, pro honore inhonorantiam, pro benedictione maledictionem, pro muneribus pœnas, pro requiescibili vita amarissimam reddiderunt mortem. Ferunt *h* enim de eo, quod postquam multa et intolerabilia tormenta subiit, decoriatus ab impiis, in *i* morem follis, fuerit, et postea decollatus : sicque demum a fidelibus defunctum corpus intra arcam conditum extiterit; quibus et in vita patronus, et post obitum apparuit magnus Dei prædicator.

miracula post mortem Corpus pelago injectum :

8 Non enim vel postquam migravit ex hoc mundo neglexit occisores, sed ut pastor bonus, quantum temporis erat, in vita hac miraculis perditos et prodigiis immutabat adversos. Sed et bestialem mentem et inhumanum cor, nil erat, quod compesceret, nihil quod retraheret, usquequo in profunda malorum decideret. Quid ergo de cætero faciunt? Insaniunt contra sacrum illud corpus, furunt contra diversos præstantem sanitates jugiter arcam : respuunt remedium ægroti,

orbi

A orbi manum ducentem, cæci lucis datorem, naufragi gubernaotrem, morte affecti vivificantem, et per prædicationem suam æternam vitam dantem: et hoc quomodo? Hanc ipsam projiciunt in pelagus, tamquam eis tantus Apostolus nulla præstiterit beneficia. Invidorum etenim vitium hujusmodi est, ut voluntaria perditione sua nec aliorum salutem fieri patiantur.

9 Sed is, qui per David longe ante clamavit: « In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis » multis, et vestigia tua non cognoscentur » et hic tumidum mare pervium arcæ constituit, et Petrus magnus, clamante ad eum Christo, in matri ambulasse dignoscitur, et divinus Bartholomæus similiter arcæ, corpus suum gestanti, vim gradiendi contra fluctus exhibuit. O insigne miraculum; o opus magnificum! Mota est enim in impetu arca de regionibus Armeniæ, cum quatuor aliorum martyrum arcis, quæ similiter, dum signa operarentur, cum ea fuerant in mare projectæ. Et per tantum spatium maris quatuor his ambulantibus, et præcedentibus, et obsequium quodammodo Apostolo facientibus, venerunt in ulteriores partes Siciliæ, in insulam, quæ vocatur Liparis, per revelationem sanctissimo Agathoni, qui illic erat episcopus *k*, ostensæ. Quis audivit tanta prodigia? Quis didicit tam magnificum opus, miraculum in miraculo? Liparis enim, id est pinguescens, quodammodo insula ferens ipsa sibi pinguedinis nomen, et hoc forsitan ineffabilibus vocibus clamans: Veni ad me pauperculam, Thesaure ditissime sanctissimi Spiritus: veni ad me, quæ sum inhonorabilis, pretiosissima margarita: veni ad me supplicem, qui ab aliis es ejectus iniquissime: inhabita me, et multipliciter inhabitabor; salva me, et populosa ero; nomine tuo fungar *m*, et ubique personabo *n*. Si lumina tua alii a se repulerunt, sed ego splendorem tuum desidero tristis et mœsta, si alii mensa vivorum eloquiorum tuorum potiti sunt, sed ego reliquiarum tuarum, ut catellus, micas colligere gestio.

et miraculose Liparim delatum:

B

k

l

m

n

10 Ad hæc, quemadmodum quosdam ministros, alium martyrum huc, alium illuc retrorsum relinquens Apostolus; Papinum quidem in civitatem Siciliæ *o* Mylas, et Messinam *p* Lucianum nomine destinavit: reliquos vero duos in Calabritidem terram direxit, Gregorium quidem in civitatem *q* Columnam, Acatium autem in civitatem, quæ vocatur *r* Squillace, quatenus quisque in unaquaque civitate protector esset habitatorum, qui etiam usque hodie splendent suffragiis eorum. Ipse præterea, veluti Rex, et Dominus, propria requie potitus, profectus est ad civitatem, ad quam provocabatur, et susceptus est præclare cum multis candelis, odoribus, atque hymnis, cunctis ei obviam, qui illic aderant, occurrentibus in exultatione.

comitantibus id quatuor Sanctorum corporibus: o p

C

q

r

11 De cætero vero, non progrediebatur arca. Quidam enim trahebant, quidam lamentabantur, quidam vero orabant, illa autem erat immobilis. Resumpsit tamen gaudium tristitia, et cum esset in multa dementatione populus, obtinuit tandem, quod invenerat: prope enim est Dominus omnibus invocantibus eum. Honore igitur arca illa inde sublata condebito cum thesauro, quem gerebat, reposita est, ubi sacrum templum ejus protinus est locatum: facto etiam cum consummatione miraculo illo præcipuo. Denique cum mons, qui Vulcanus *s* vocatur, pene contiguus esset insulæ, nocivus erat his, qui circumquaque morabantur: tunc recessu invisibili motus est, quasi stadiis septem circa mare suspensus, ita ut usque hodie appareat videntibus, quasi figuratio tractus fugientis ignis.

immobile primum, dein mobile delatum in urbem: recedente prodigiose monte Vulcano.

s

A. THEODORO STUDITA.

12 Porro quot, et quanta deinceps operatus sit, aut mira faciens operetur circa eos, qui diversis languoribus et infirmitatibus obstricti, ad ipsum fide confugiunt, nec nostrum est dicere ob prolixitatem tractatus, nec incredibile videri debet audienti, cum pignus credulitatis ex uno habeant aliorum exhibitiones miræ gestorum. Sed ave, o Beate beatorum, ter beate Bartholomæe; ave, qui es Dei imitator, boni scilicet magistri: ave, qui es divinæ lucis splendor sanctæ Ecclesiæ: ave, qui es bene sonans organum spiritus melodiæ: ave, qui es multi saporis, et dulcis fructus palmes Christi, vividæ et Paternæ culturæ vitis: ave, digne meritis famule Domini universorum: ave, merito desiderabilis amice supercælestis Sponsi: ave, qui es sapientia effluentis et multiplicis potationis, lumen spiritualis paradisi: ave, qui es peritæ capturæ piscator rationabilium piscium: ave, qui es divina virtute vulnerator diaboli, mundum suo latrocinio vulnerantis: ave, artificiose rhetor veræ sapientiæ: ave, multipliciter apparens mundo lucifer Dei cognitionis. Gaudeas, divinitus illustrata, et ignea columna orthodoxiæ; gaudeas, qui ab Oriente ad Occidentem per mare gloriose ambulasti; gaudeas, sol orbis terræ, qui cuncta illuminasti; gaudeas, os Dei sapientiæ linguam habens ignitam; gaudeas, jugiter emanans fons sanitatum; gaudeas, dæmonum terribilis insecutor; gaudeas, qui es multipliciter optabilis formositas Armeniæ; gaudeas, qui es Lipareos salutaris et multipliciter adorabilis gloriatio; gaudeas, qui mare sanctificasti meabilibus gressibus; gaudeas, qui terram purpuream fecisti rubore castissimi sanguinis tui; gaudeas, qui aerem suavitatis odoribus replesti, sacris spiraminibus divinorum eloquiorum tuorum; gaudeas, qui ad cælos commeasti, et medius in choro divinæ aciei tuæ refulges in gloriæ inaccessibilis splendore, exultationis insatiabili jucunditate.

Miracula et laus Apostoli,

E

13 Illinc nos benignissime intuearis, illinc benedicas te beatificantibus, illinc glorifices te canentes, illinc concordes orbem terræ placatum; sacerdotes justitia in sanctitate induantur, reges bonis operibus in orthodoxia contra barbaros armentur; monasticam vitam tenentes conversationem æqualem angelorum, et sine dolore custodiant, viri mulieribus, et rursum mulieres viris, competentem legem conservent; patres cum filiis, dominos cum servis, prælatos cum subditis, mutuum dantes cum debitoribus, venumdantes cum ementibus, omni benevolentiæ tuæ affectu ad utilitatem reipublicæ protege; et cuncta, quæ secundum beneplacitum Dei dirigi debent, patrocinio tuo defende; et præcipue alumnos decoratæ Lipareos, pastorem quoque, ac gregem, qui construxit sacrum templum tuum, et eum, qui te, licet breviter, ecce laudare præsumit.

cui se aliosque commendat auctor.

F

ANNOTATA.

a *Ms. reginæ Sueciæ:* Quia nec Petrus nec Joannes est. *Aliud:* Quia nec Petro nec Joanne divinior.

b *Legitur in Ms. reginæ Sueciæ,* accesserit, vel pupillas erexerit, *ut est apud Acherium, quocum illud Ms. recte consentit, ex quo colligo illud esse Anastasii Bibliothecarii, ut monui* § XI.

A. THEODORO STUDITA.

c *Per* Hevilath *diximus probabiliter Indiam designari, in Commentario prævio § 8.*

d Gabaon, *aliud Ms.* Gabaoth. *Consule § 8 Commentarii prævii.*

e *Alia Mss.* Ut armatus fortitudine acuere.

f Fugare, *Mss. alia habent,* nancisci *minus recte. Minutias has tamen non notabo deinceps.*

g *Hoc loco secutus sum Ms. cum Dacherio fere consentiens, quia sensus aliorum passivus plane erat imperfectus.*

h *Apud Dacherium hic quædam adjuncta sunt, quæ in Mss. non reperio, ne in illo quidem, quod in omnibus fere cum ipso consentit. Sunt autem sequentia :* Legitur etiam in gestis ejus antiquioribus et emendatioribus, quod Lycaoniæ verbum vitæ prædicavit. Dehinc Indiæ euangelizans, ad ultimum in Armenia majori, quæ ejusdem est provinciæ, in Albano ipsius Armeniæ urbe, *usque ad illud :* Postquam multa. *Unde oritur mihi dubium, an hæc Theodoro, an interpreti Anastasio, an potius interpolatori cuiquam sint tribuenda. Potuere enim ad marginem ab aliquo hæc notari; itaque deinde in textum* B *irrepere, quod mihi verisimilius videtur; cum sine his sensus sit perfectior : nam postquam ingratam persecutorum crudelitatem retulit, eam his probat :* Ferunt enim de eo *(al.* Fertur enim) quod postquam multa et intolerabilia tormenta subiit, decoriatus ab impiis in modum follis fuerit, et postea decollatus. *Ad probandam autem hanc crudelitatem nihil fecit prædicatio in Lycaonia et India. Hinc notet lector, Armeniam non dici Indiæ provinciam a Theodoro, ut eruditi quidam, hanc interpolationem secuti, crediderunt.*

i In morem follis. *Phrasis est obscurissima. Combefisius in Auctario novissimo pag. 496 hanc* phrasim, *inquit,* vellem essent imitati, qui a barbaris vivum excoriatum, et jussu Astyagis capite truncatum dixerunt ; *insinuans aliquid minus hic intelligendum, quam vivi excoriationem, quam ipse minus putat probabilem. At vivum excoriatum fuisse* Bartholomæum *jam supra dixerat Theodorus, ita ut vivi excoriatio necessario et hoc loco veniat intelligenda. Quis autem phrasi hac excoriationis modus significetur, plane incertum, et obscurum. Conjecturas accipe.* Follis *varia significat, instrumentum ventum excitandi, pilam ludo aptam, marsu-* C *pium ex corio factum; quandoque sumitur pro sacco, unde et* follitus *dicitur corio obvolutus. An igitur voluit, ita pellem detractam* Bartholomæo, *uti saccus detrahitur illi, qui eo obvolutus est? An sicut pilæ corium detrahitur, ita cutem abstractam esse? An forte Græce fuit* Φολὶς *quod squamam significat; et dicere voluit, ita pelle exutum esse Sanctum, quemadmodum squama exuuntur serpentes? An potius inflatum instar follis fuisse corpus Apostoli carnem inter et pellem, uti oves jugulatæ inflari solent, quo pellis facilius detrahatur?*

k Ostensæ. *Acherius habet,* episcopus Hostensis, *quod mendum est manifestum, nec id in ullo invenio Ms. Quis porro fuerit hic Agatho, dicetur in Gloria posthuma, ubi et de Lipari agitur.*

l *Nota tum hic, tum per totum sermonem, quædam oratorie describi, quæ minus ad litteram accipienda sunt.*

m Fungar, *id est, utar in bonum meum.*

n *Alia Mss.* personabor.

o Mylas. *Octavius Caietanus tom. 1 Vitarum Sanctorum Siculorum pag. 135 de his* Bartholomæi *comitibus agens, dicit* Mylas, Siciliæ oppidum, Liparim insulam contra sitas. *Et post pauca :* In litore, qua parte Chersonesus in Occasum flectitur *(nam Mylæ Chersoneso impositæ)* extat vetus ædicula D. Pappiano *(ita ab aliis vocatur, qui hic Papinus)* sacra : illuc loculum ejus ejectum, conditumque fama est. *Refert et miracula, et tandem concludit :* Porro D. Pappianus Mylensis urbis patronus habetur. *Agit de eo Papebrochius tom. v Junii ad diem 28 ejusdem mensis pag. 360, in eo tamen forte non sequendus, quod corpus S. Pappiani aliunde Mylas adnatasse putet, lapsu memoriæ existimans nomen ipsius a S. Theodoro non fuisse expressum.* D

p Messinam Lucianum; *de quo Laudatus Caietanus :* Divi Luciani memoria penes Messanenses maxime Saracenorum cladibus extincta, nuper restaurata est. *Eum simul cum S. Pappiano ad 28 Junii commemorat Franciscus Carrera noster in Pantheo Siculo pag. 166.*

q Columnam. *Columna Rhegia, vel Rhegina, civitas fuit maritima, ut habetur ex Cellario tom. 1 Geographiæ antiquæ pag. 585, in extrema Brutiorum parte,* ad fretum Mamertinum, *ait Caietanus,* e E regione urbis Messanæ, turriculæ instar erecta, Scyllæum inter et Rhegium Julium; *quam hic designari, non videtur dubitandum. Memoriam autem et cultum S. Gregorii, uti et Acacii cum urbe ipsa abolitum opinor Saracenorum in istis partibus dominio.*

r Squillace, *ita Ms., quod maxime secutus sum : alia duo Mss. habent* Chale, *aliud cum Acherio* Cale : *Græca Menæa cum Paphlagone* Ἀσχάλους. *Quænam inter tot lectiones præferenda sit non omnino constat : nullam tamen ex omnibus puto genuinam, nisi forte hanc, quam secutus sum. Namque apud Cluverium tom. 2 Italiæ antiquæ pag. 1305, et Cellarium tom. 1, pag. 588 est oppidum maritimum in Brutiis, quod olim* Scylacium *vel* Scylaceum, *ante etiam* Scylletium *dictum fuit, nunc* Squillaci *vulgo appellatur, situmque est in sinu ejusdem nominis. Hoc ergo oppidum hic designatum existimo, nam* Asculum *sive in Piceno, sive in Apulia, cum utrumque mediterraneum sit, designari non potuit.*

s *De hoc monte, prodigioque consule in Gloria posthuma cap. 1 § 2.* F

TRANSLATIO

CORPORIS BENEVENTUM,

Auctore, ut videtur, S. Berthario abbate Casinensi.

Ex duobus Mss.

Ossa S. Bartholomæi Liparæ dispersa

Hæc de beati Bartholomæi laudibus, ejusque mirabili adventu corporis in Liparim Theodorus fama sanctitatis, ac sacerdotii dignitate conspicuus, fido relatu explicuit. Qua deinceps occasione, quove sit ordine, de eadem insula Beneventum translatum, unde hodierna festivitas celebratur, e vestigio promendum est. Cum igitur in eadem insula Liparitana usque ad annum *a* octogentesimum trigesimum octavum ab *a* incar-

A incarnatione Domini nostri Jesu Christi requiesceret corpus ejusdem beati Bartholomæi apostoli; supervenientes Saraceni deprædati sunt, atque depopulati sunt prædictam insulam, et rumpentes sepulcrum Bartholomæi beati, dispertierunt ossa ejus per loca diversa.

15 Mox illis recedentibus, per visionem apparens Apostolus Dei cuidam Græco monacho, qui fuerat custos ecclesiæ illius, ait illi : Surge, et collige ossa mea, quæ dispersa sunt. Cui ille respondit : Quare ossa tua *b* debemus colligere, aut aliquem tibi honorem facere, cum tu dimiseris nos, et populum istum a paganis deleri, et non nos adjuvisti ? At ille dixit : Per longa annorum curricula pro hoc populo Deum deprecatus sum, et meis eum precibus concessit Deus, unde usque nunc constiterunt securi. Sed quia multiplicata sunt mala illius, et crevit iniquitas ejus nimis, non jam impetrare potui a Domino, quod pro eo rogavi, et ideo periit. Tu surge tantum, et collige ossa mea, et reconde, ut tibi præcipio. Cui ille monachus ait : Et quomodo ea invenire potero, qui nescio ubi dispersa sint? Dicit ei Apostolus : Nocte vade ad colligendum ea, et ubi aliqua videris splendere, ut ignem, hæc leva, quia ipsa sunt ossa mea. Qui statim surgens perrexit ad locum, et invenit ea, sicut ei Apostolus dixerat, et collegit ea indubitanter, et recondita in vase abscondit; et abiit, relicto ibi socio suo.

eo jubente collecta, *b*

B

16 Cumque pro exquirendis Saracenis illuc Longabardorum irent navigia, inventum ibi prædictum monachum, et sancti Apostoli corpus tulerunt, et abierunt. Supervenientes autem Saraceni circumdederunt navem illam, ubi sanctum ducebatur corpus Apostoli, ita ut ei spes evadendi non esset. Tunc subito factæ sunt densissimæ tenebræ circa navem Saracenorum, ita ut nescirent quo pergerent, et liberata est navis illa. Quibus adhuc in mari degentibus, unum ex nautis ejusdem navis, a gravi infirmitate pressum, per orationem Apostoli salvavit Dominus. Exeuntes autem in terram, cum omni honore Beneventum duxerunt sanctum corpus Apostoli Dei, et in altario recondiderunt, anno ab incarnatione Domini octingentesimo trigesimo nono, vigesimo quinto die mensis Octobris. Cujus prior quidem ex Indorum parte transvectio in Liparitanam insulam celebratur *c* nono Kalendas Septembris, dormitionis vero ejus festiva celebritas colitur quinto decimo Kalendas Julii. Sicque ter in anno ejus sacratissima celebratur festivitas. Regnante Domino nostro Jesu Christo, quem decet omnis honor et gloria, omnisque adoratio, cum omnipotente Patre, ac sanctissimo, et vivifico Spiritu, nunc et semper in secula seculorum. Amen.

ac Beneventum translata.

C *c*

ANNOTATA.

a *Ita tempus signant omnia Mss. nostra. De tempore porro hujus translationis, ceterisque ejus circumstantiis fuse disputabimus cap. 1, § 4 et 5 Gloriæ posthumæ, ubi et miracula dabimus eam secuta.*

b *De hac phrasi parum reverenti consule § 5 assignatum.*

c *Tria, hoc loco memorata, festa celebrata fuisse Casini existimo, quod et Beneventi observari testatur Marius de Vipera in Catalogo Sanctorum ecclesiæ Beneventanæ : sed ad 25 Augusti diem mortis, die vero 17 Junii translationem Liparitanam celebrari testatur ad dictos dies : quod cum hoc nostro auctore non consentit. Cum neutro etiam consonat Relatio hujus translationis apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 126, ubi sic legitur :* Cujus prior quidem ex Indorum parte transvectio in Liparitanam insulam celebratur decima tertia die mensis Junii : dormitionis vero ejus festiva celebritas colitur ... nono Kalendas Septembris. *De hac diversitate vide in Gloria posthuma num. 2.*

A. BERTHARIO ABBATE.

ORATIO ALTERA

Auctore Josepho forsan Hymnographo.

Ex editione Surii.

Hujus concionis author, et diei festi jucunditatem spiritualem nobis afferentis hilaritas, est beatus apostolus Bartholomæus : qui cum divinus sit Apostolus, et luminis splendore, purisque sancti Spiritus fulgoribus tantum illustretur, quantum verbis explicari non potest, nobis etiam lumen suggerit, qui sacram et gloriosam ejus memoriam celebramus. Age igitur, divinis vocibus illum collaudantes quam maxime possumus, divina ipsius narratione delectemur, et laudationibus honoremus Virum, quovis honore superiorem. Laudemus Apostolum, a Deo ipso laudatum. Beatum prædicemus eum, qui semper beatus est. Ejus gloriam celebremus, quem extulit divina gloria. Videamus quisnam ante fuerit, et qualis postea evaserit : quemadmodum qui prius idiota *a* erat, et pauperem vitam agebat, omni ex parte sapiens effectus, et omnium bonorum divitiis ornatus fuerit : quemadmodum e terrestri cælestis evaserit, e minimo maximus, et ex piscium *b* piscatore, hominum piscator factus sit.

Laudandus S. Bartholomæus. E *a* *b*

2 Itaque cum Deus ipse homo factus, propter misericordiæ suæ viscera nostrum corpus gestaret, et discipulorum delectum haberet, is, inquam, qui prænovit omnia, priusquam generentur, celeberrimum apostolum Bartholomæum delegit, amicumque sibi verum et fidelem cooptavit. O divinæ vocationis præstantiam ! o magnam et singularem felicitatem ! o qualem hic invenit Magistrum, qui maximis mysteriis eum initiavit, et sapientem effecit! o beatam illam animam, dignam habitam, quæ cum Deo versaretur, cum Deo et omnipotente Domino cibum sumeret, et sacra doctrina, orationem et facultatem omnem superante, instrueretur!

Electio ejus ad apostolatum; F

3 Postea vero, quam Magistrum suum in cruce suffixum, eumdemque sepultum, et post resurrectionem ad cælos ascendentem vidit, et sanctissimi Spiritus dono æque, ac reliqui Apostoli, donatus est, tamquam generosus aliquis miles, validissimis armis undique munitus, adversus hostile bellum prosiluit : et ipsos quidem hostes validissime percussit, his vero, qui ad vitam ipsam venire studebant, salutem conciliavit. Tetendit orationis suæ retia, et gentes ipsas e profundo ereptas, illas quidem captivas, sed ad vitam tamen ductas, conservavit : evertit idolorum templa, et Dei ecclesias erexit, humana corda in sterilitatem conversa, cælestis doctrinæ

res ab eo præclare gestæ;

aratro

A. JOSEPHO. aratro renovavit : eaque ita excoluit, ut tamquam feraces campi, fructum ferre possent : accendit miraculorum facem, et affectuum humanorum caliginem profugavit : in quascumque] partes permeabat, velut stella quædam justitiæ solem prædicans, illustremque fulgorem emittens, fallaciæ tenebras destruebat : et oratione quidem dæmones ipsos fugabat, precibus autem morbos insanabiles curabat, leprosos mundos faciens, cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos reddens, corda denique et animos imbecilliores confirmans.

prædicatio Hieropoli, et alibi :

4 Erat una cum Bartholomæo et beatus ille apostolus Philippus, quocum multo tempore divinum Euangelium prædicavit. Hi cum in urbem Hierapolim venissent, cui prius nomen erat *c* Ophioryme, multas ærumnas, et cruciatus non mediocres sustinuerunt, cum ejus civitatis homines violenti essent, et valde inhumani : quippe qui *d* viperam colere consueverant, venenum pestiferum et lethale, tamquam fructum aliquem percipientes. Illi cum divinos apostolos vidissent, dicebant novum quemdam Deum ab illis nuntiari, et a vetere cultu ipsos B averti, atque a paternis traditionibus abalienari. Quamobrem cum manus in eos injecissent, admirandæ sanctitatis virum apostolum Philippum cruce condemnaverunt. Divinus autem Bartholomæus, instar alicujus bovis aratoris, a suo compare separatus ingemiscebat, ac lamentabatur quidem, sed non desinebat tamen suavem illum sulcum ducere, qui animarum agricolæ Deo uberes fructus allaturus esset : quinimmo ita ut consueverat, huc atque illuc obibat, fidei sermonem disseminans, pravam zizaniam evellens, et quidquid salutare iis esset, qui eum suscipiebant, diligenter declarans. O beatos illos pedes, euangelicis gressibus speciosos factos, et ad infinitarum animarum adeptionem recta via progredientes! o linguam illam divinam, ex qua salutaris potus effluxit, qui ab impietatis æstu multos liberavit! o manus, quæ violentos hostes expugnarunt, et animas ipsas e diaboli manibus eripuerunt! o divinos et illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati!

mors in cruce.

C 5 Cum igitur regiones illas ita peragraret, venit ad urbem quamdam, cujus cives cum idolorum superstitione liberasset, ab ejus loci præside crucis *e* supplicio et ipse condemnatus est. Ad quam dum Beatus ille accederet, totus gaudio perfusus : Salve, inquit, crux, per quam humanum genus gaudio affectum est : salve, ejus crucis imitatio, per quam mors mortem dissolvit, et mortales ipsos immortalitate donavit : salve crux, in quam cum Christus ascendit, terrenos homines cælestes effecit : salve crux, quæ mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad cælos perduci possim; quæ denique mei Præceptoris imitatorem me fecisti. Ad te ascendo, neque moram duco : jam enim tempus meum completum est. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : opus, quod mihi Christus magister meus tradidit, perfeci. Hæc cum dixisset, et Deum precatus esset, rogavit carnifices illos, ut verso in terram capite, in cruce suffigeretur : nec rectus, quemadmodum ejus Magister, in crucem ageretur : ita et in ipsis cruciatibus suam in Magistrum reverentiam conservabat. Quinetiam in cruce suffixus, cum fratribus loqui non destitit, quoad sanctissimam illam animam Deo tradidit. Cujus ascensum angeli applausu exceperunt, aer purgatus est, D et divinorum Apostolorum chorus exultavit.

Corpus mari injectum, f

6 Cum vero multum temporis præteriisset, ejus regionis tyranni *f*, vitæ pravitatem exercentes, et multorum deorum ebrietate debacchantes, cum viderent loculos illos, in quibus beati apostoli Bartholomæi reliquiæ conditæ erant, splendida quædam et illustria miracula edere, et eos a morbis liberare, qui eo accedebant, pravum consilium et suo proposito dignum inierunt. Venite, inquiunt, in profundum mare corpus hoc demergamus. Sed, o miseri, ejusne corpus in mare demergetis, qui profundum illum draconem in altum demersit, qui salutaris aquæ fontem aperuit, et abunde cælestia dogmata hominibus impertivit? Venite, inquiunt, mari obruamus. Eumne vos obruetis, qui veritatem antea obrutam detexit, et infidelitatis salsedinem exterminavit? Venite, inquiunt, et temerarium furorem effundentes, in maritimas undas hoc corpus projiciamus, ne ex eo, tamquam e rationali aliquo flumine, salus ad eos defluat, qui morborum angustiis comprimuntur.

miraculo Liparim delatum

7 Hæc cum dixissent, quod cogitarant, aggressi sunt, et una cum quatuor aliorum martyrum loculis, beati Bartholomæi reliquias in E mare dejecerunt. Martyres autem illi gloriosi, apostolum Bartholomæum valde inclytum, duo a dextera, et duo a sinistra parte, medium habentes *g* Pontum, ipsum sine fluctuatione aliqua transmittebant : cumque ad Bosphorum Thracium in Propontidem venissent, Hellesponti angustias transierunt : deinde transmisso Ægeo et Ionio mari, ad Siciliam applicuerunt : et Syracusas ad sinistram derelinquentes, atque Occidentem versus tendentes, ad insulam Liparim pervenerunt. Itaque celeberrimus ille Apostolus ad eam insulam deductus est. Divini autem illi martyres cum di complevissent, quod Deus voluerat, quam celerrime redierunt in eam viam, in quam unumquemque divina providentia direxit. Statim autem is, qui ecclesiam Liparis insulæ gubernabat, per divinam revelationem didicit, Christi Apostolum ad maris litus appulisse.

ibique revelatione agnitum, et reverenter acceptum.

8 Erat ejus ecclesiæ gubernator Agatho ille, cujus gloria longe lateque apud omnes celebrabatur. Cum ille igitur properasset, et loculos ad continentem appulsos vidisset, stupore et gaudio repletus, summa voce : Bene, inquit, quod F huc venisti, ut portus salutaris, ad eos, qui pelagi fluctibus periculosis agitamur. Bene, quod venisti, divinum Spiritus paracleti flumen, ex quo veritatis aquæ scaturiunt, et pietas multa redundat. In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur. Veni, et animas nostras irriga, affectuum nostrorum fervorem reprime, cordium januas patefactas gratiarum tuarum muneribus repleas. Hoc a te Liparis insula supplex petit, quam habitare feliciter voluisti. Hæc, inquam, insula his verbis te alloquitur : Tu, qui multo lumine illustris es, et illius divini Orientis vere amicus, quomodo factum est, ut talis tantusque apud meæ paupertatis Occidentem diversatus sis, ab Orientis partibus commotus, et per maritimos sinus nobis ostensus? Dives facta sum, quæ antea paupertate laborabam, thesaurum magnum hodie sum consecuta : neque ulla in re Roma illa ipsa urbe decantata, beatos apostolos Petrum et Paulum habitatores tenente, inferior ego sum : Bartholomæum enim habitatorem possideo. Omnes insulæ mihi gratulemini, omnes urbes, quæ ubique

A que estis, mecum una exultate. In vobis multorum sanctorum corpora posita sunt : mihi satis est unus pro omnibus.

Laudes Apostoli. 9 Sed, o beatissime, et divinis angelis par factus Apostole, quis tua præclara facta pro dignitate laudaret? Quis pericula, pro Christo a te suscepta, enumerare posset? Quæ cum quotidie subires, a tristibus periculis mortales liberasti. Tu vere sal illud es, quod corda illa, quæ evanuerant, atque insipida evaserant, condivisti : et inscitiæ salsedine purgata, putredinem ex multorum deorum superstitione contractam, expurgasti. Tu es rationale illud flumen, ex divina sede profectum, juncorum plenum torrentem abluens, Ecclesiæ vero sulcos replens, pravitatis rivos exsiccans, ipsius denique terræ faciem irrigans. Tu es sagena illa solidissima, quæ rationales pisces, in erroris profundo natantes, comprehendisti, eosque supernæ illi mensæ obsonium obtulisti. Tu es aureum illud candelabrum, in quo paracleti Spiritus ignis, tamquam fax quædam, adveniens, multiplicis vitii zizania combussit, et divinæ cognitionis splendorem emisit. B Tu es divini Solis lucidus radius, qui a summo cælo usque ad extremum percurrens, et erroris tenebras imminuens, et iis, qui sedebant in umbra mortis, hoc est, in malis lethalibus, effulgens, per lavacrum regenerationis Dei filios mortales homines effecisti. Tu es pretiosus ille lapis, ab angulari lapide illo missus, in quo Ecclesiam Christus ipse ædificavit, quæ nullo umquam tempore quassari aut concuti poterit. Tu es purissimum illud aurum, et cælestis Dei pretiosissimum munus, lucis columna, Ecclesiæ fundamentum, Spiritus sancti diversorium, magniloquentiæ præco, aquila in altum volans, suave canens luscinia, cælestis cicada *h*, angelus denique in humano corpore versans, aurea columna, stella lucidissima, florens paradisus, Spiritus sancti myrothecium, ægrotantium medicus, divinæ gratiæ tuba, vitis fœcundissima, olea fructifera, fluctuantium portus, peccantium patronus, defessorum recreatio, oppressorum refugium, miraculorum fons, dæmonum profugatio, Apostolorum gloria, angelorum civis, qui prophetis sublimior, et martyrum consors fuisti, ejus denique gloriæ, quæ revelanda est particeps sempiternorum bonorum hæres, mundi lumen, C omnium (ut summatim dicam) bonorum thesaurus.

quem in fine invocat auctor. 10 Itaque salve, Bartholomæe, illius magni tonitrui fulgur, quod in rota mundi hujus apparuisti, et idolorum insaniam ac noctem extinxisti. Salve, Bartholomæe, ille Spiritus sancti calamus celeriter scribens, qui legem in tabulis cordis pulcherrime descripsisti : legem, inquam, illam non veterem, sed valde novam. Salve, Bartholomæe, potentis verbi sagitta acutissima, quæ hostium corda vulnerasti, dæmonum per aerem vagantium turmas percussisti, et mortalium animas vitio vulneratas, sanas effecisti. Salve, Bartholomæe, qui idolorum templa solo adæquasti, et homines ipsos viventis Dei templa reddidisti. Salve Spiritus sancti gladius, qui alienigenarum turmas sermonis acie, et omnes mentes ad Christi obedientiam captivas duxisti. Salve concinna sancti Spiritus paracleti cithara, rationalis tibia, Christi instrumentum, quod cælestia dogmata nobis cecinisti, et pravæ impietatis modulationes confudisti. Salve cælum perpulchrum, divinis splendoribus illustre, in quo ille Sol justitiæ requiescit, et orationis dux, quo tu innixus, fallaciam omnem evertisti. Te quidem laudationibus extollere vellem, sed rerum multitudine confundor, et dictionis infirmitate opprimor : nam vel hi, qui oratoria facultate maxime præstant, inferiores sunt, quam ut te laudare possint : neque quisquam est, qui pro dignitate laudes tuas narrare valeat. Tuis igitur precibus Deum ipsum nobis propitium facias, et peccatorum perturbationem, qua vexamur, sedare velis, quique tuum diem festum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam, et cælestis gaudii participationem tuis orationibus impetres, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen. A. JOSEPHO.

ANNOTATA.

a Idiota *vocatur, quia idiotæ electi sunt ad munus apostolicum : fuisse tamen utrumque in Scripturis versatum probavi § 6 Commentarii prævii.*

b *Piscatorem probabilius non fuisse* S. Bartholomæum, *probatum est in Commentario prævio § 5.* E

c Ophioryme. *Illud Hierapolis nomen apud auctores alios, præterquam in Synaxario Constantinopolitano citato § 8 Commentarii, non invenio : crediderim nomen vulgare non fuisse, sed per ludibrium a Christianis impositum propter insanum viperæ cultum. Recte ejus etymologia exponitur in dicto Synaxario* Serpentinus impetus : *deducitur enim ab* ὄφις *serpens, et* ὁρνυμαι, *impetu feror.*

d *Displicuit hic vieperæ cultus Baronio tom. 1 Annalium ad annum 54 num. 3, quia scilicet alios Phrygum deos scribit Eusebius de Præparatione Euangelica lib. 2, cap. 4. At non videtur argumentum illud, ab Eusebii silentio deductum, sufficiens, ut omnibus auctoribus, qui hoc asserunt, fidem abjudicemus : præsertim cum Eusebius ibidem non omnes ex professo Phrygum deos enumeret, sed aliquos solum ad eorum deliria refutanda commemoret. Vide itaque hunc viperæ cultum a variis assertum § 8 Commentarii prævii, et rationibus etiam utcumque probatum.*

e *De martyrio Sancti agitur § 9 in Commentario prævio, ex quo disces ea, quæ hic scribuntur, ut oratoria sunt, ita minus esse probabilia.* F

f *Nota, lector, neque ab hoc auctore, neque a Studita asseri, corpus permansisse semper eo, quo primum sepultum fuit, loco, usque ad translationem Liparitanam : nam tantum volunt, corpus pelago injectum, eaque ratione Liparim delatum, idque post multum temporis, et ab ejus regionis tyrannis : de quo consule, quæ probabiliter disputabimus in Gloria posthuma cap. 1, § 1 et 2.*

g *Corporis sacri iter hic scribitur, ut commodius fieri potuit : an ita re ipsa factum sit, nec scivit, opinor, auctor, nec certo tradere potuit.*

h Cicada *insecti genus est canorum. Hinc Virgilius lib. 3. Georg.*

Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Utitur hac metaphora, quo exprimat eloquentiam Apostoli, et perpetuum divina dogmata prædicandi studium. Reliqua, quæ hic occurrere possunt dubia, notata sunt ad Orationem præcedentem.

ORATIO

A

ORATIO TERTIA

Auctore Niceta Paphlagone

Ex editione Græca Combefisii Latine reddita, interprete J. S.

Arduum laudare S. Bartholomæum,

Incensum desiderium, at ingenium infirmum: fervens amor, at tenuis oratio: etenim spiritus quidem promptus est, ac properat, ardetque Apostolorum quemlibet debito prosequi laudationis præconio; at mens fatiscit, non habens unde digna proposito argumento sensa inveniat; quin et sermo labascit, an rerum laudandarum præstantiam dicendo assequi possit incertus. Et quidem cum dicendorum excellentiam intuetur animus, digitum ori imponit, ac, veluti quid di-
B sertissimum, silentium sibi indicit: cum vero spiritus fervore, tamquam interno igni, succenditur, quasi imbecillitatis suæ oblitus, continere se nequaquam potest, quin concitetur ad impositam sibi laudationem. Quonam igitur modo perplexa hæc difficultas amovenda, nisi opem orationi flagitando ab illis ipsis, qui laudandi sunt? Quippe in aliis quidem argumentis nihil subsidii ab ipsis accedit, nisi a se ipse abunde instructus accesserit orator, in sacris vero sanctisque Dei filiis secus apparet. Etenim mentem sapientissimam inopem consilii fieri, orationemque disertissimam perplexam hærere necesse est, nisi gratia ab ipso, qui laudatur, largiter fuerit subministrata.

cujus opem auctor implorat.

2 Cum igitur magnus nos hodie Bartholomæus, in annua sua memoria, ad gratiæ suæ claritatem laudibus celebrandam convocarit, proponensque et sanctitatis suæ excellentiam, et varia prodigia, tum et perpessiones suas, et crucem amore Crucifixi toleratam, nostrum in se amorem accenderit; quin et inflammet etiam ad mirabilia ipsius prædicanda; flagitemus ipsum gratiæ illustrationem, viresque ab ipsius spiritu sincera fide et fervida prece attrahamus: hoc au-
C tem modo sacrum illud, Christique gratiis reverendum caput, laudibus rite, velut floribus, coronantes, utcumque, opinor, solari poterimus desiderium nostrum; nulla enim adeo re divinus divinorum amor, ac eorum, qui amantur, laudibus, lenimen nanciscitur, ac solamen. Adsis igitur o Colendissime, et Clarissime; adsis mihi, assiste spiritu, utpote qui spiritus es purissimus est sanctissimus, sanctique et divini Spiritus progenies et similitudo: inspira intellectum, inspira orationem; intellectum, qui divinæ sanctitatis tuæ perspiciat magnificentiam; orationem, quæ mirificam tuam proferre valent præstantiam; quo utrumque, intellectus scilicet et oratio nobis, mirabilia tua cogitantibus, et enarrantibus, sanctius evadat atque illustrius: cum vel sola tui memoria sanctitatem præstet atque illuminationem, non minus nobis, qui sipiritu dumtaxat, velut in speculo relucentem formam, intuemur, quam illis, qui olim sacro viderunt corpore versantem in terris.

3 Etenim ab infantia totus Deo consecratus, pietatisque forma, religionis cultu, legis meditatione, mandatorum observantia, ad perfectio-
rem præparatus fuit Dei cognitionem. (Novit D
Pueritia Sancti, et vocatio ad apostolatum,
enim Dominus suos ab utero sanctificare, a prima statim formatione iis illabi, illis invisibili modo se comitem præbere, eosque ad se dirigere et deducere.) Ubi vero princeps consummatorque fidei apparuit Christus, atque omnem Judæam, Galilæam omnem peragrabat, regnum cælorum annuntians; et verbis mirabilibus, operibus mirabilioribus Euangelio fidem concilians, oves Israelis, quæ perierant, ad se congregabat; tunc etiam, tunc inquam, et verum *a* hunc Israelitam vocavit Bartholomæum. Quid igitur ille? Num vocantem respuit? Aut credit quidem, at non sequitur? Aut sequitur quidem, sed ad tempus? Aut in finem usque sequitur, verum uti unus e vulgo turbaque fidelium? Num relatus quidam in album discipulorum, at illorum, qui secundi ordinis erant apud Magistrum? Nequaquam. Quin potius simul atque bonum Pastorem vidit, et hic illum usque ad intima mentis agnovit *b*, ab eo itidem agnitus est, ita ut et suprema primaque electione dignus haberetur, et principibus Apostolorum aggregaretur, et sacrum venerandumque duodecim cum aliis E compleret chorum. Exinde rerum omnium terrenarum possessione abdicata, patriæ nempe, parentum, cognatorum, amicorum, omniumque, quæ hominibus bona videntur, ac summo studio prosequenda: adhæc abnegata etiam anima sua, Vir admirandus omnem corporis libidinem, omnem proprii cordis voluntatem abjecit, ut Jesu amicitiæ, ac scientiæ perfectioris fieret particeps. Inde destinatum persequens scopum, ac comprehendens, velut qui sincere spiritu viveret, spiritu incederet et ambularet, Dei quidem amicus et adoptione filius, gratiæ vero dono Unigeniti frater est constitutus. Et vero quomodo ille Christi socius non esset ac contubernalis, ejusdem cum ipso tecti, mensæ, conversationis, viæ, et vitæ rationis particeps; quocum funda omnia atque infanda mysteria; quocum opera et verba Dei, quæ Pater luminum mortalibus manifestavit, fuere communicata?

et familiarem Christi convictum:

4 Beatos igitur prædico oculos tuos, o Verbi Spectator ac mysteriorum conscie, et Theologe *c* Discipule, quod inaccessi decoris, plusquam cælestis pulchritudinis Speciosi forma præ filiis hominum jucundissimo aspectu per- F fruitus es. Beatas prædico aures tuas, quod verbis ore Dei prolatis, sacra auditione, Christi colloquio non mediocriter impletus es. Complector in spiritu beatissima labra atque os tuum: deosculor et malas et linguam, ut quæ supremum Numen sæpe sunt deosculatæ, illius deliciis impletæ, et sanctitate imbutæ. Beatum dico gustum, olfactum, tactumque tuum: gustum quidem, quod ejusdem cum Verbo mensæ, ejusdem salis fueris particeps; iisdemque cum Servatore tum sensus tum mentis epulis, sæpius quam dici possit, fueris saturatus: olfactum autem, quod purissimis unguentis ac spirituali summi omnium Regis scientiæ fragrantia fueris delibutus: tactum vero, quod frequenter purissimum ab omni macula corpus caste contrectaveris, tremendumque Cherubim, ac Seraphim maxime reverendum, propriis, ut par erat, manibus, ministrans, appropinquans attigeris, itaque omnibus omnino sensibus sanctitatem contraxeris, dum appropinquas ei, qui superat omnem sensum, ejusque familiari in corpore uteris conversatione. Magis etiam te laudo et beatum prædico, quod non de-

feceris

A feceris mente, in tentationibus non hæsitaveris animo, non vacillaveris cogitatione : at immotus cum Magistro manseris, varia opprobria sustinueris, condemnato damnationis, patienti perpessionis, dolenti doloris participem et consortem te exhibueris. Etenim mente quodammodo cum Crucifixo crucifixus es, cum moriente mortuus, cum sepulto animi proposito sepultus : unde et cum resurgente resurrexisti, et revixisti; ejusdemque Domini fœdere tibi firmatum est, ut in regno cælorum ad eumdem cum principibus convictum, quin et ad idem cum iis solium, in regeneratione sis evehendus.

accepto Spiritu sancto quantus evaserit; et quanta passus :

5 Sane quemadmodum Jesu patientis, resurgentis, et in cælum ascendentis spectator cum primis Apostolis fuisti et particeps, ita cum iisdem pariter vivifico Spiritus sancti impletus es dono. Etenim prius Domini verbis, ut cælum quoddam mente præditum, mundoque superius firmatus; victu sanctis congruo corpore mundatus, sanctis repræsentationibus anima insigniter illuminatus, divinis illustrationibus ad quamdam quasi divinitatem mente supra naturam evectus, ac ut B solium quoddam gloriæ præcellens, et sanctitatis requies interiori homine præparatus, Spiritum sanctum de cælo descendentem linguarum ignearum specie suscepisti. Hic vero totum te penitus adimplens, divina tibi sua charismata supra modum impartiens, in te consistens, in te firmatus, et instrumentum suæ potestatis concinnum, et os Deum loquens, et linguam divina sonantem sibi formavit : ad hæc veluti vas quoddam sacrum et pretiosum de gente ad gentem deducens, transferensque, dispensationis doctrinam, salutiferam, inquam, Jesu incarnationem, resurrectionem, et regnum, disertissime cunctis mortalibus per te elocutus est. Quis igitur fontis instar manantem in te S. Spiritus virtutem pro meritis laudet? Quis exundantem theologiæ scientiam dicendo assequatur? Quis virtutem ex illis secutam ac honestatem ? Quis occulto mentis tuæ simul absconditam perfectionem digno prosequatur elogio? Quis sermonum sublimitatem? Quis operum excellentiam? Quis morum lenitatem, suavitatem, Christi similitudinem? Quis tandem inaccessam, reverendam, Deique similitudine lucentem spiritus præstantiam? Jam vero quonam quis modo cognoscat, ut egressus Jero- C solyma atque Judæa ad gentes divinæ pacis Euangelista? Quas passus Euangelii causa in cunctis locis et urbibus seditiones, jactationesque? Quis circuitus, itinera, pericula, labores, fugas, plagas, carceres, flagellationes, lapidationes, opprobria, valeat enumerare? Quis abductiones ad præsides, coram magistratibus accusationes, contra fidelium institutum *d* calumnias, convicia, vexationes, ustiones, verbera, flagra, lacerationes, ac laniatus recensere? *d*

in crucem actus Hierapoli: dona cœlestia; c

6 Quis referat quanta et qualia Philippo socius Hierapoli perpessus sit, puta primam in crucem *e* sublationem, omnemque ibidem infidelium insultum et impetum, omnes cruciatus, labores, ærumnas? Quæ vero mens intelligat, quæ oratio explicet auxiliorum Christi copiam, cælestium illustrationum, illuminationum, fulcimentorum abyssum? Contemplationis porro eminentiam, theologiæ sublimitatem, immensam divinæ sapientiæ Bartholomæi latitudinem quis aptus investigare? Etenim qui ipsam substantialiter Dei sapientiam, infinitam illam, perfectam, divinissimam firmiter habet cordi suo insidentem, omnia quidem Spiritu scrutatur etiam profunda Dei; ipse vero a nullo eorum, qui versantur in terra, comprehenditur : atque ipse quidem dijudicat omnia, spiritualis enim est; dijudicatur vero a nemine, spiritu enim Christi agitur : quis autem cognovit sensum Domini, qui instruat eum *f*? *f*

A. Niceta Paphlagone.

provinciæ peragratæ, institutæ ecclesiæ,

7 Nunc autem quis litteris exequatur facta per ipsum portenta magnifica, quibus digito Dei perpetratis, ad conversionem Deique cognitionem alienos a fide inducebat? Namque ad Arabes, quos Felices vocant, profectus Vir beatissimus; neque ad illos solum, sed et Indis posthæc, et Æthiopibus *g* orientalibus, ut sermo Dei, ut lumen scientiæ, ut vitæ æternæ doctrina et informatio, transmissus, ipsis illorum linguis diserte Christum annuntiavit. Adhæc quemcumque fugans dæmonum contra homines impetum; quemcumque morbum, quemcumque in Jesu nomine sanans languorem, quin et mortuis non paucis ejusdem nominis virtute vitam restituens, innumeros quotidie credentes, fidei rudimenta edoctos, Christo adjungebat; hos regenerationis lavacro emundans, sanctoque Spiritu *h* illorum corda inflammans, digniores ex ipsis, E majorique gratia donatos, episcopos consecrabat et presbyteros admirandus maxime sacrorum Antistes : quos et sacris quibusvis ritibus exornans, et sacrarum Litterarum doctrina, et mysteriorum traditione pro captu illorum instituens, immaculatas Christo ecclesias in provinciis et urbibus, quas peragrabat, excitavit. Hujusmodi Bartholomæi præclare gesta; hujusmodi magni Ecclesiæ Præconis facinora; hunc in modum longo tempore apud immanissimas versatus gentes, non modo nihil ab illis feritatis mutuatus est, sed et suam illis adspersit humanitatem : non modo vel minimam omnino erroris illorum vel malitiæ conversatione cum ipsis contraxit labem; sed potius præcellenti benignitate, Deique imitatione, maximam impietatis illorum ac sævitiæ partem correxit, soli non absimilis, qui in cœnum dimittit radios, neque sordescit tamen, sed magis fœtorem emacerat, exterminat, atque imminuit.

postrema in Armenia prædicatio, F

8 Postquam cursu præclare consummato, fideque servata, innumeros ad Dominum converterat, multisque salutis causa extiterat, cupiebat tandem finem nancisci laboribus dignum, gravi jam senectute corpore fatiscens, atque ad Christum emigrare, Deique requie frui insatiabili desiderio cupiens. Neque vero neglexit Justi desiderium Dominus, neque illud exaudiens minora, quam flagitabat, concessit. Verum uti in omnibus Christo similis erat Vir beatissimus, uti in omnibus vitam instituerat adeo Christo dignam, ut recte intuentibus alter ipse Christus et esset, et se vivendi norma exhiberet, ita et finem toti vitæ congruum subsequi oportebat. Quæ itaque consummationis occasio? Videamus quam et illa Christo digna. Versabatur in civitate quadam majoris Armeniæ (Urbanopolim *i* vocant) sacer Theologus, magnifice ibidem pro more suo, divineque Deum prædicans, atque omnes deos, dæmones omnes nihili faciendos, solum vero Jesum colendum proponens, solum hunc ut cognoscerent obtestabatur Deum verum, Deum perfectum, solum sanctum, temporis principii expertem, æternum, incomprehensibilem, lumen æternum ex æterno natum lumine, seu manantem ex Deo patre splendorem, lumen principio carens, ac pariter cum eo carens principio,

pio, qui ineffabili ratione, quæ verbis exprimi nec possit, nec mente percipi, hujus ipsius luminis est principium. Hic quidquid est nostræ naturæ assumens, similiterque nobiscum, ex sancta ac veneranda Virgine, ut veritas fidei nostræ docet, factus Homo, ac trium annorum spatio et sermonibus Deo dignissimis, et operibus maxime præcellentibus nobiscum conversatus cum esset, cruci deinde, divina dispensante providentia, ac morti traditus, tertia vero die a morte excitatus, atque ad cælum, nobis in eum intuentibus, evectus, ad dexteram Dei consedit. Hic etiam veniet orbem juste judicaturus, atque unicuique mercedem daturus secundum opera ejus. Ab illo et nos, inquiebat, missi, hortamur atque obsecramus vos, fratres, credite, ac salutarem in ejus nomine baptismum suscipite : quin et Spiritus sancti dono percepto vitæ æternæ atque immortalis regni heredes evadetis in Christo Jesu. Amen.

martyrium in cruce consummatum.

9 Talia, atque his longe plura, ac magis divina, cum placido blandoque alloquio sacratissimus Bartholomæus adstantibus ipso illorum idiomate declamaret, atque alii quidem crederent, verboque B veritatis adstipularentur ; alii vero exacerbarentur, ac dæmoniaca adversus eum æmulatione concitarentur ; scelestissimi quidam derepente Senem divinissimum corripiunt, sublatoque contra ipsum clamore, ad urbis primores deferunt. Hi autem temere hunc Ducem discutientes, assertamque doctrinam audientes, videlicet Deum, cum sit ante secula, hominem factum in tempore, crucifixum, tertia die a morte suscitatum, in cælum assumptum, venturum ad Judicandum vivos et mortuos : hæc, inquam, cum audissent impii, orationis novitate attoniti, atque adversus Crucifixum indignati, continuo illius Præconem, virgis cæsum, in crucem agunt, æquum esse exclamantes, ut Crucifixi Sacerdos crucis subiret supplicium. Ille autem alacri animo adibat lignum, lætitiaque, qua poterat maxima, illi affigebatur. Hinc quidem angeli e cælo super eum descendentes et ascendentes *k*, augustissimum illi parabant ascensum; superne vero apertum ei erat cælum, omnesque cælestium virtutum hierarchiæ se præparabant, quo susciperent ac salutarent dilectissimum Domini Discipulum. Hic vero, ubi gratiarum actionem supplicationi C conjunctam, ut thymiama fragrantissimum, cum confessione ad Deum Patrem, præmisisset; deinde placide ac libenter carnis vinculis solutus, Deique Spiritui, e terra in cælum evehenti, conjunctus atque coagmentatus, omnino corpore evolat, atque cum gloria migrat ad Dominum : et, ut vere Filius, ineffabili cum exultatione ad Patrem cælis celsiorem adductus, immaculatam longævamque hereditatem, divinas delicias, supremum primumque cum Petro et Paulo apud summum omnium Regem honorem consequitur.

Laudes Apostoli.

10 Ad te igitur me converto pretiosissimum apud Deum et sanctissimum caput. Salve lapis pretiose, qui ex duodecim unus, angulari Lapide dignus, dignus pretiosissima illa Margarita, illique proxime connexus, coagmentatus, contextus, ac coædificatus in habitaculum Dei in spiritu.

Salve stella lucidissima ac spectabilis, pulcherrimaque ac late conspicua, quæ cum undecim illis apte concinnata, cum iisdem ordinata es atque inserta plexæ e stellis gloriæ coronæ, quam cælestis Sponsus, ut sacrum habet Eloquium, sponsæ capiti aptatam imposuit. D

Salve angelorum voluptas, archangelorum delinimentum, principatuum odoris fragrantia, potestatum splendor, dominationum decus, cum thronis solio æqualis, sodalis cherubim, seraphim contubernalis. Salve Apostolorum ornamentum, martyrum lumen, Divorum omnium sanctimonia et splendor, res Deo digna, nomen desiderabile : qui digne divineque Bartholomæus nuncupatus; qui vere Filius suspendens aquas *l*, id enim nomen significat.

Salve, quia Deum etiam imitatus, quemadmodum Filius Dei verbo aquas suspendit aerias, atque a terra elevat, quibus etiam, juxta sacram Scripturam, « tegit cœnacula ejus » : ita et tu aquas multas, nimirum humi repentes animas eorum, qui per te Christo crediderunt. Euangelio in sublime extulisti ; ex quibus spirituales magis, ab omni prorsus terreno avulsos sensu, suspendens, perfectiusque ad Deum elevans, iisdem illorum fidelium, qui, in secundo constituti ordine, velut cœnacula sunt, animas tegis.

cui se suosque auctor commendat.

11 Salve, Vir beate, magnifice, admirande : qui docuisti magnum et parvum, amplum et angustum esse salutare Euangelium *m* : magnum quidem, quia cujusvis mentis, naturæque ratione E præditæ, superat intellectum : parvum vero, quia de dignitate sua multum remittens, qui cælis celsior est, ad humilitatem, et similitudinem terrigenarum se accommodavit. Vel, magnum ob divinitatis majestatem, parvum ob extremam humanæ naturæ tenuitatem; quarum nova mixtio *n* et temperatio summam Euangelii constituit. Jam vero amplum est, quia amplam in se atque immensam intelligentiæ ac sapientiæ in arcanis mysteriis continet altitudinem : angustum rursus, quia brevem atque concisum compendio tradit de Deo sermonem. Gaude, ac lætare clarissime, regiaque dignitate ornatissime Dei Fili; quia solium tibi in cælis apud Regem gloriæ præparatum est Christum, in quo et sedebis cum senioribus Verbi, cum primariis sectatoribus Christi, judicaturus Israelem, ut divina Veritatis æternæ habet promissio.

Salve denique; sed et nos, divinioribus invisens accessibus, ab omni miseria, procella, cordis dolore, ac tentationibus eripe : esto nobis turris fortitudinis a facie inimici : esto nobis sequester, F esto apud Christum bonus reconciliator, qui nos illi adducas spe nostra nequaquam cum pudore frustratos, summoque omnium Regi concilies : ad gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vocationem* Nathanaelis *hic apte descriptam videas, ut Joan. 1 ℣. 47 :* Ecce vere Israelita. *Adi § 4 Commentarii prævii num. 39.*

b *Id est, se cognoscere ostendit. Ostendit Jesus se intima* Nathanaelis *cognoscere, dum dixit :* In quo dolus non est. Nathanael *vero Jesum agnovit dicens :* Tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. *Porro* Nathanaelem *eumdem esse cum* Bartholomæo, *probavimus ab initio Commentarii prævii, quem consule. Hallucinatum esse in hoc loco Combeficium facile videbit lector linguæ Græcæ peritus, qui ejus interpretationem consuluerit : nam ejus errores assignare mihi non est propositum.*

c *Græce* θεηγόρε : θεηγόρος *vero* Theologus *exponitur*

A *ponitur a Suida et aliis passim.*

d Institutum *Græce* ὁδὸς, *ita sumitur Act. 9 ℣. 4, et sæpe alibi in novo Testamento.*

e *De hac in crucem sublatione agit itidem Nicetas in Oratione encomiastica de Philippo, et nos in Commentario prævio § 8, quem lector potest consulere.*

f *Producit auctor Pauli apostoli auctoritatem 1 Cor. 2, ut ostendat S. apostoli* Bartholomæi *virtutes comprehendi non posse ab homine.*

g *De prædicatione in Arabia et India actum est § 7 Commentarii; quinam per Æthiopes orientales videantur hoc loco intelligendi, dictum § 8 in fine.*

h *Sacramento Confirmationis.*

i *De hac egimus in Commentario § 9, uti et de mortis genere.*

k *Alludit ad promissionem Christi, factam* Nathanaeli *Joan. 1 ℣. 51 :* Amen amen dico vobis videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. *Quo rursum insinuare videtur* Bartholomæum *eumdem esse cum* Nathanaele, *ut hoc loco observat* B *Combefisius, et nos observavimus § 4 Commentarii prævii.*

l *Ex* bar *filius,* thola *suspendit, et* maim *aquæ. Alii interpretantur* Filius suspendentis aquas. *Utraque quidem interpretatio est legitima; videtur tamen ei nomen datum potius a patre* Tholmai *vel* Tholomai, *adjuncto* Bar, *filius.*

m *Hanc* Bartholomæi *sententiam Paullo aliter in Mystica Theologia S. Dionysio vulgo adscripta assignatam, an scripto tradiderit Apostolus, an aliter docuerit, disputatur § 10 Commentarii, quem potes, lector, consulere.*

n *Cavendum ne hic Euthychiana naturarum mixtio intelligatur, hoc enim a mente auctoris est alienum; summam vero in una Christi persona dignitatem, cum summa humilitate conjunctam intelligit.*

GLORIA

C

SANCTI POSTHUMA

Ex cultu, variis sacri corporis translationibus, miraculis, reliquiis, etc.

CAPUT I.

De cultu, et gemina corporis translatione,

§ I. Cultus : sacrum corpus Anastasiopolim delatum; deinde in Liparim insulam; utraque translatio conciliata.

C*ultus* S. Bartholomæi *toto orbe celeberrimus omnium gentium sacris fastis innotescit, diebus tamen et mensibus maxime diversis. Armeni Apostolum suum celebrant* XXV *Februarii, et* VIII *Decembris; uti videre est in duobus ipsorum Kalendariis, quæ Assemanus tom. 3, part. 2 Bibliothecæ Orientalis edidit a pag. 645. Coptitæ Ægypti et Æthiopiæ seu regni Habessinorum in Kalendario, quod Jobus Ludolphus edidit, ejus memoriam annuntiant ad* XVIII *Junii, et* XX *Novembris. In Typico Græco Sabæ* Bartholomæus *cum Barnaba conjungitur* XI *Junii, et* XXV *Augusti reliquiarum relatio ponitur, ad insulam Liparim, opinor. Hoc plane sequuntur Græci in Ephemeridibus metricis, et Mosci in figuratis, quas Papebrochius lectorum oculis objecit ante tomum 1 Maii, addunt tamen,* XI *Junii diem esse obitus, quod Typicum tacite insinuare videtur : verum id certius vellem probatum. Porro Mosci præter morem aliorum apostolorum* Bartholomæum *pingunt pallio episcopali indutum; at, cur id faciant, se non divinare, ait ibidem Papebrochius. Cetera Græcorum Menologia et Menæa hisce fere consentiunt, nisi quod longiora texant elogia, quæ aptius alibi discutientur. Ne Latinorum quidem fasti sacri eodem die commemorant* S. Bartholomæum. *Hieronymiana enim martyrologia apud* E *Florentinium ad* XIII *Junii eum his verbis annuntiant :* In Perside natalis S. Bartholomæi apostoli. *At vero die* XXIV *Augusti, mutato mortis loco, ejus memoriam ita celebrant :* In India sancti Bartholomæi apostoli. *Hunc autem* XXIV *Augusti diem ceteri plerique ejus memoriæ adscribunt, ut Florus Bedam augens, brevi elogio adjecto, quod sive locum mortis spectes, sive genus, sive auctorem, totum redolet pseudo-Abdiam. Verba accipe :* In India natale Bartholomæi apostoli, qui decollatus est in India interiore pro Christo jussu regis Astyagis. *Brevius Ado :* In India beati Bartholomæi apostoli.

Auctore J. S. Festum S. Bartholomæi apud varias gentes variis diebus

2 *Usuardus eodem die hisce Apostolum verbis laudat :* Natalis beati Bartholomæi apostoli, qui apud Indiam Christi Euangelium prædicans, decollatione martyrium complevit. Hujus Apostoli sacratissimum corpus, primum ad insulam Liparis, deinde Beneventum translatum pia fidelium veneratione honoratur. *Hisce fere consonant Rabanus, Wandelbertus, ceterique martyrologi Latini, si genus mortis excipias, aliaque, quæ jam discussa sunt, aut suo loco disputabuntur. Porro, licet in plerisque ecclesiis Latinis dies* XXIV *Augusti memoriæ* S. Bartholomæi *sit sacer, Romana tamen ecclesia die sequenti ejus festivitatem celebrat, quo et memoria ejus Martyrologio Romano adscripta legitur his verbis :* Sancti Bartholomæi apostoli, qui in India Christi Euangelium prædicavit : inde in majorem Armeniam profectus, cum ibi plurimos ad fidem convertisset, vivus a barbaris decoriatus est, atque Astyagis regis jussu capitis decollatione martyrium complevit. Ejus sacrum corpus primo ad Liparam insulam, deinde Beneventum, postremo Romam ad insulam Tiberinam translatum, ibi pia fidelium veneratione honoratur. *Quædam in hoc elogio minus certa partim jam excussa sunt, partim examinabuntur inferius. Videt, opinor, lector, quam variis diebus hujus Sancti memoria celebretur : quis autem ex omnibus illis sit obitus dies, determinari non potest. Tribus vicibus summa celebritate agi festum Apostoli Beneventi, alisque Italiæ locis, jam notavimus ad Translationem Beneventanam lit. c, et dicetur num. 61 : verum hinc quidem patet, cum die martyrii geminam translationem coli; constat item, translationem* F

et mensibus celebratur sed dies martyrii incertus.

AUCTORE J. S.

Beneventum celebrari XXV *Octobris ; translationem vero Liparim alibi* XXIV, *alibi* XXV *Augusti agi , probabilius apparet , quia eo die relatio reliquiarum ponitur; quamvis Vipera loco citato dissentiat cum adducto ibidem translationis Beneventanæ auctore. At ne sic quidem certam assignare possumus martyrii diem , cum variis mensis junii diebus mors ejus celebretur apud varios, neque illorum auctoritas tanta sit , ut tuto acquiescere valeamus. Ceterum ex dicendis manifestum fiet , maxima solemnitate Apostolum coli Romæ, Beneventi et Liparæ. Hisce breviter de cultu disputatis, ad quæstiones admodum intricatas de variis sacri corporis translationibus gradum facio.*

Translatio corporis Liparam ab aliquibus in dubium vocata,

3. *Tillemontius tom 1. Monum. pag. 387 in* Bartholomæo *de sacri corporis translationibus hæc scribit* : Theodorus lector, qui scribebat seculo VI , asserit imperatorem Anastasium , extructo circa annum DVIII oppido Dara in Mesopotamia, illuc transferri jussisse corpus S. Bartholomæi apostoli. Procopius loquitur de ecclesia S. Bartholomæi Daræ sub Justiniano. Aliis relin-
B quimus hæc concilianda cum iis , quæ scripta videmus a Gregorio Turonensi , quod eodem seculo asserant se habere in insula Lipara prope Siciliam corpus ejusdem Apostoli , quod eo , inquiebant , translatum erat ex loco , ubi fuerat passus : ibique ædificatum erat templum magnificum , ipsius nomini dicatum , ubi varia dicebantur fieri miracula. Si nulla fuerit fraus nec ab una, nec ab alia parte, necesse est error intervenerit , reliquiæque alterius cujusdam S. Bartholomæi sumptæ fuerint pro iis , quæ sunt Apostoli. Traditio ecclesiæ Liparitanæ videtur communi consensu recepta fuisse a seculo IX tum a Græcis, tum a Latinis. Verum illud molestum accidit , quod modus , quo asserunt se accepisse corpus S. Bartholomæi , sit hujusmodi , ut eum referre non ausim , ne offendam omnes , qui fabulas oderunt , majorique eas odio prosequuntur in rebus religionis, quam in aliis. *Hæc Tillemontius timide quidem, et, ut videri possit, modeste; ita tamen, ut et viros omni exceptione majores, sive sanctitatem spectes , sive eruditionem, pro fabulatoribus habeat, et communem Ecclesiæ Latinæ et Græcæ traditionem de corpore* S. Bartholomæi, *Beneventi tamdiu cul-*
C *to , in dubium non modo vocet , sed et satis aperte impugnet ; ita ut, judice Tillemontio, de corpore plane incerto , et forsan supposititio , tamdiu disceptaverint Romani , et Beneventani. Bailletus tom. 2. Vitarum sanctorum adhæret Tillemontio suo fidelis Achates. At vero , non erat cur viri hi eruditi tantopere commoverentur , ac si ea , quæ scripsit Theodorus lector lib. 2. Collectan. conciliari non possent , cum corpore* S. Bartholomæi *Liparæ asserto a S. Gregorio Turonensi , etiamsi idem tempus illi designassent : poterat enim Theodorus intelligi de reliquiis quibusdam, vel de parte aliqua corporis, cum vocet* τὸ λείψανον *quod non minus recte de reliquiis quibusdam, quam de toto corpore potest exponi. Verum necesse non est ad hanc distinctionem confugere : nam et corpus Daræ fuisse depositum ab Anastasio verum existimo , deinde et Liparam fuisse translatum ostendam , et quomodo duo hæc amico inter se nexu concilientur, ex dicendis patebit.*

4 *Euagrius lib. 3 Histor. ecclesiast. cap. 37, de Dara, sive Anastasiopoli condita hæc scripsit :* Hoc bello confecto , Anastasius locum quem-
dam Mesopotamiæ , qui Daras dicitur , in ex- D
tremis imperii Romani finibus situm , et velut terminum, quo altera respublica ab altera distinguitur , ex agro in civitatem mutavit : ac primo muro fortissimo circumdedit , deinde varia ædificia , eaque eximia in illo extruxit , ut ecclesias et alias sacras ædes : ut regales porticus, balnea publica , et alia id genus, quibus illustres urbes magnifice , et egregie adornari solent. Ferunt autem nonnulli locum illum ideo DARAS appellatum , quod Darius ibidem ab Alexandro rege Macedonum , Philippi filio, penitus devictus fuit. *Idem narrat Procopius lib. 1. de Bello persico cap. 10 , ubi addit* : Distat Nisibi stadis C minus duobus , a limite autem utriusque imperii circiter XXVIII ; *aliique apud Baronium et Pagium citati ad annum Christi 507 in fine, qui et addunt, anastasiopolim fuisse dictam a conditore Anastasio. Adjungit ad hæc Nicephorus lib. 16, cap. 37 sequentia :* Urbe ea condita, postquam inde discessit , in somnis ei Bartholomæus apostolus assistens , per oraculum commissam sibi a Deo mœnium eorum tutelam esse significavit. Anastasius vero visionem eam ad rem contulit : E
nam reliquias ejus repertas ibi reposuit. *Eminentissimus Baronius loco mox citato id refutare voluit ex Theodoro Lectore lib. 2, quem his verbis citat :* Anastasius condidit Daram ; et cum condidisset , vidit in somnis Bartholomæum apostolum dicentem , subvertisse ipsum civitatis custodiam , quod reliquias suas illo missas reprobasset. *Atque ita habet versio Theodori per Wolfangum Musculum facta ; verum Musculus hæretica fide locum Theodori hic expressit, translationem reliquiarum* S. Bartholomæi *supprimere conatus. Audi Greca Theodori verba :* Ἀναστάσιος ὁ βασιλεὺς ἔκτισε τὸ Δάρας, καὶ κτίσας, ὄναρ τεθέαται Βαρθολομαῖον λέγοντα τὸν ἀπόστολον, ὡς αὐτὸς τὴν φυλακὴν ἐπετράπη τῆς πόλεως· διὸ τὸ λείψανον αὐτοῦ ἐκεῖ πέμψας ἀπέθετο. *Quod fideliter interpretatur Henricus Valesius hoc modo :* Anastasius imperatore urbem Daras ædificavit. Ea vero jam ædificata , Bartholomæum apostolum in somnis vidit, dicentem suscepisse se urbis custodiam. Quare Anastasius Bartholomæi reliquias illuc misit, et in ea urbe deponi præcepit *Eruditissimus itaque Baronius, infideli Musculi ver-*
sione deceptus, perperam reprehendit Nicephorum, F
qui Theodoro Lectori hic plane consonat. In eumdem impegit scopulum Florentinius , re etiam paullo amplificata , dum in Indiculo Apostolorum ante Martyrologium pag. 158 hæc refert : Theodorus Lector .... auctor est , ab Anastasio Daræ munitiones restauratas concidisse , quia illo missas D. Bartholomæi reliquias reprobasset. *Etenim ne in Musculi quidem versione hoc legitur.*

quia illud sub Anastasio imperatore

Anastasiopoli depositum. Narratur illa ex Turonensi

5 *Depositum hoc modo est Anastasiopoli sacrum* Bartholomæi *corpus, acceptum vel a loco, ubi primo fuerat sepultum, vel quo fuerat deinde translatum ; quod non constat. Factum id verosimiliter anno Christi 507, Anastasii imperatoris 17, quo Daras memoratur condita a Baronio, et Pagio , vel certe non diu post. Justinianus dein imperator templum ibidem Apostolo extruxit, ut refert Procopius lib. 2 de Ædificiis Justiniani cap. 2, qui etiam ibidem narrat, urbem bis frustra a Persis obsessam, Apostolo, ut videtur, suos protegente. Verum neque perpetua fuit ea protectio, neque sacer ille thesaurus ibidem usque ad finem ejusdem seculi permansit. Quippe S. Gregorius Turonensis episcopus lib. 1*

de

A *de Gloria martyrum, cap. 33, ante finem hujus seculi scribens, Liparam translatum testatur, cujus narrationem, quam cum modo narratis collidere voluit Tillemontius, ex iis potius verisimiliorem fieri, nunc ostendam. Sed audiamus prius ipsum Gregorium loco citato editionis Ruinartianæ col. 757 :* Bartholomæum apostolum, *inquit,* apud Indiam *(alii legunt* Asiam) passum, agonis ipsius narrat Historia. Post multorum vero annorum spatia de passione ejus, cum iterum Christianis persecutio advenisset, et viderent gentiles omnem populum ad ejus sepulcrum concurrere, eique deprecationes assidue, et incensa deferre, invidia inlecti, abstulerunt corpus ejus, et ponentes in sarcophagum plumbeum, projecerunt illud in mare, dicentes : Quia non seduces amplius populum nostrum. Sed providentia Dei cooperante per secretum operis ejus, sarcophagum plumbeum a loco illo aquis subvehentibus sublevatum, delatum est ad insulam, vocabulo Liparis; revelatumque est Christianis, ut eum colligerent : collectumque ac sepultum, ædificaverunt super eum templum ma- B gnum. In quo nunc invocatus, prodesse populis multis virtutibus ac beneficiis manifestat. *Hactenus Gregorius, res suo tempore gestas narrans, ut colligitur primo ex eo, quod dicat,* in quo nunc invocatus; *insinuat enim templum illud recenter fuisse extructum, templum autem protinus, delato Liparam corpore, conditum fuisse, narrat Studita. Secundo, quia in prooemio librorum de miraculis, quorum hic unus, præmonet, quod* aliqua de miraculis, quæ hactenus latuerunt, pandere *desideret; si latuerat hactenus illud miraculum, id est, si a nemine scriptum erat, unde illud didicit Gregorius, nisi ipsius tempore factum fuerit : nam neminem citat, et sine ullo dubio, ut rem manifestam, illud refert. Tertio, toto Justiniani imperatoris tempore corpus sacrum Anastasiopoli permansisse videtur, neque enim ulla ratio dari potest, cur illud inde dicamus ablatum. Quarto translatio facta narratur, cum Liparitanam ecclesiam regebat Agatho, qui S. Gregorio fuit coævus, et eodem, quo ille, tempore episcopus. Quintam rationem subministrabit occasio, qua sacrum illud pignus verosimiliter Anastasiopoli amotum, et in Liparam devectum* C *fuit, quæ incidit in ipsam Gregorii Turonensis, qua floruit, et scripsit, ætatem : sed hanc pluribus oportet investigare.*

auctore verosimilius coævo;

6 *Baronius, et Pagius ad annum Christi 574, Justini junioris 10; narant ex variis auctoribus, quomodo Anastasiopolis, seu Daras a Persis fuerit capta, bello inter Romanos, et Persas orto, quia hi Christianos persequebantur, indeque Armeni ad Romanos defecerant. Rem, in quantum ad institutum pertinet, subjiciam ex Euagrio, interprete, et editore Henrico Valesio. Ille autem lib. 5, cap. 7, ita scribit :* Incolæ majoris Armeniæ, quæ nunc Persarmenia dicitur,... fidem Christianam professi, cum a Persis graviter vexarentur, præcipue iis in rebus, quæ ad religionem ipsorum pertinebant. *(Habes hic illud Gregorii supra :* Cum iterum Christianis persecutio advenisset) clam legatos ad Justinum miserunt, rogantes ut Romanorum ditioni subjicerentur, quo libere absque ullo impedimento, divini cultus cæremonias peragerent. Quam legationem cum admisisset Justinus... Armenii præfectos suos necarunt, et universi Romano imperio sese adjunxerunt. *Hinc bellum inter Romanos, et Persas. Torpentibus Romanis discurrunt per Orientem Persæ Antiochiam usque, quæ pluribus apud Euagrium descripta reperias. Cap. 9 Chosdroes Persarum rex Romanos milites* intra oppidum Daras *concludit. Cap. 10 auctus ducis sui copiis urbem vi expugnat, quod ibidem sic narratur :* His rebus gestis, Adaarmanes ad Chosdroem venit, qui urbem Daras nondum expugnaverat. Ejus igitur copiis conjunctus, maximum rebus momentum attulit... Hoc modo Chosdroes hiberno tempore urbem illam vi cepit. Obsederat autem urbem illam Chosdroes quinque et amplius menses, nemine eam defendente. Cum igitur universos ex urbe eduxisset, immensam hominum multitudinem : et quosdam ex iis crudeliter illic mactasset, reliquos vero vivos servasset, urbem quidem, utpote opportune sitam, præsidio imposito munivit : ipse vero in regionem suam reversus est. *Hic dubitari non potest, quin in sacrum* S. Bartholomæi *corpus, quod facile audire potuit pro urbis munitione ibi positum, pieque a Christianis cultum fuisse, debacchatus sit homo ferox, et Christi sacrorum hostis acerrimus : cum et aliunde satis notum sit, Persas sacra* E *Christianorum pignora diripere, secumque auferre solitos fuisse.*

AUCTORE J. S.

et probatur nihil involvere repugnantiæ,

7 *Verum unus hic occurrit scrupulus, quo pacto scilicet in mare Sancti corpus projicere potuerint Persæ : sed et hunc ex Euagrio amovere conabor, ut Gregorii narratio ne in adjunctis quidem a verisimilitudine recedere videatur, nam aliorum hac de re narrationes hic nondum expendo. Vidimus superius ex Euagrio, Persas liberrime Antiochiam usque vagatos fuisse, quam et adorti sunt; ex quo intelligimus, Syriam ad mare usque Mediterraneum ipsorum incursibus patuisse, nemine resistente : hæc autem libertas, capta Anastasiopoli, adeo certe non fuit diminuta, ut majoribus jam copiis toto illo hyberno tempore potuerint excurrere. Cur igitur in simili quadam excursione invisum sibi* Bartholomæi *corpus secum ducere non potuere, illudque in mare Mediterraneum demergere, ne umquam deinceps Christianorum pateret oculis? Quid factum fuerit non dico : quid fieri potuerit inquiro. Deinde laudatus Euagrius cap. 14 de Chosdroe :* Qui post captam, *inquit,* urbem Daras, confestim æstivo tempore in Armeniam irruperat, F atque inde Cæsaream, Cappadociæ et reliquarum illic urbium metropolim, invadere meditabatur : Romanorum autem imperium tantopere despiciebat, ut cum cæsar legatos ad eum misisset, eos ad conspectum suum minime admiserit, sed usque ad urbem Cæsaream sequi ipsum jusserit. Illic enim eorum legationem auditurum esse aiebat.

soluta objectione præcipua.

8 *Quantum tum undique terrorem per minorem Armeniam, Pontum, et Cappadociam ejus adventus attulerit, discimus ex vita S. Eutychii Patriachæ Constantinopolitani ab Eustatio presbytero ejus domestico scripta, et illustrata ab Henschenio tom. 1 Aprilis a pag. 548, in qua cap. 7 hæc leguntur :* Impiorum Persarum incursum in rempublicam nostram, quo novus Nabuchodonosor Chosroes Sebastem venit, et Melitenem, norunt omnes. Cum igitur in magnas angustias, atque discrimen res essent adductæ, vicini fere omnes Nicopoli, Neocæsarea, Comanis, Zela, aliisque ex civitatibus finitimis Amaseam *(ubi exul degebat Eutychius)* se conferebant, tamquam in munitissimum locum, confisi non tam præsidio urbis, quam viri sancti

preci-

AUCTORE J. S.

precibus : omnes enim tam indigenæ, quam advenæ inquilini, qui magna ex parte erant Iberes, et hospites reliqui spes suas secundum Deum in illo collocarant. *Ex his colligimus, omnem illum tractum minoris Armeniæ, et Ponti, ad Pontum Euxinum usque, infestis Persarum armis tunc pervium fuisse. Cur in hac expeditione traductum Anastasiopoli sacrum corpus Ponto Euxino non potuit demergi? Nam Ponto Euxino injectum fuisse, plerique tradunt auctores, quamvis id Gregorii narratio non exigat. Potuit ad hoc incitari tyrannus tum quia religionis causa Armenii defecerant, bellumque fuerat incholatum, tum quia Armenos patrono suo omni modo spoliare satagebat, reliquosque Orientales, cui illos multum confidere procul dubio intellexerat. Sed, inquies, jam thesauro illo spoliati erant : quid igitur necesse erat mari injicere? Ut scilicet in perpetuum illo carerent, amputata sibi, suisque posteris facultate corpus sacrum, facta demum pace, restituendi. Adde, quod nihil sibi a Romanis metueret, milite in Europa legendo occupatis, ideoque et libere vagari, et odio in* B *Christianorum sacra indulgere posset. Neque hic recte dicant adversarii, nihil de his ab historicis memoriæ proditum esse : nam hoc neutiquam mirari possumus; quod ab infidelibus hæc gesta Christianos latuerint. Satis nobis esse debet, quod a præclaris auctoribus scriptum sit, aquis injectum fuisse sacrum corpus, atque eo quidem tempore, cum iterum persecutio adversus Christianos fuisset exorta, quod huic tempori recte congruit. Quod, si minus verisimile putes, in Pontum Euxinum venerandum hunc thesaurum fuisse projectum, non desunt in Cappadocia fluvii, qui sese in idem mare exonerant : si in unum ex his sacrum corpus projectum putes, itaque in Euxinum delatum, minus proprie locuti fuere auctores, vel, si omnino ita velis, in levi errarunt circumstantia. Certe venerandum corpus injuria ab impiis affectum, Christianorumque oculis subductum fuisse, dubitare non possumus : cur igitur ita aqua demersum tot testibus non credamus?*

et ex ipsius Tillemontii principiis,

9 *Juvat nunc Tillemontium ipsum, qui receptam communi, ut fatetur, concensu a Latinis pariter, et Græcis traditionem, in dubium vo-* C *cavit, auxilio advocare. Quippe si a principiis alibi positis non recessisset, non videtur de hac traditione fuisse dubitaturus. Nam in præfatione sua tom. 1. Monum. pag. 15 ita loquitur :* Fatemur in toto hoc opere magis consultam esse auctoritatem, quam ratiocinationem. Convicti sumus multis exemplis, res, quæ apparent maxime improbabiles, quandoque tamen inveniri veras. *Quod exemplo S. Scripturæ confirmat, ex qua exempla hujusmodi plurima dari possent.* Videmus similiter, *inquit,* res, quæ primo videntur maxime contrariæ, facillime tamen conciliari, quando adjuncta illarum singula cognoscuntur... Hoc principio inducti, cum vidimus res assertas per auctores antiquos et præstantes, quorum testimonium Ecclesiæ Catholicæ filii revereri debent, non putavimus illos deseri posse, saltem nisi viderimus ad hoc rationes gravissimas. *Et eodem tom. pag. 631 nota 13 in Jacobum Minorem :* Non infrequens est in historiis maxime veris reperiri id genus improbabilia. *Rationem, cur id fieri solet, assignat pag. 632.* Modus, quo aliqui res narrant, verissima etiam sæpe suspecta facit et incredibilia, quia non referunt nisi quædam facta invicem separata, D omissis iis, quæ illa conjungunt, et illorum ostenderent possibilitatem vel probabilitatem. *Hæc egregie Tillemontius, quæ locum in primis habere in translatione corporis* S. Bartholomæi *potuit ipse advertere; nam rei adjuncta, quæ illam omnino redderent probabilem, omissa sunt, non auctorum culpa, qui illam retulerunt, sed quia minus poterant esse cognita.*

ut vera admittenda decernitur.

10 *Cur itaque Tillemontius traditionem Liparitanam a Latinis pariter ac Græcis, ut fatetur, receptam gravissimorumque virorum testimonio nixam, in dubium vocavit? Cur illam cum translatione Anastasiopolim facta collidere voluit? Cur ab una vel alia parte dolum, aut errorem fuisse contendit? Illane, quam affert, tam gravis est ratio? Corpus nimirum eodem seculo Anastasiopolim translatum fuisse dicitur, eodem seculo in insula fuisse Liparitana; ut hic fraudem, vel errorem suspicari necesse sit? Acsi initio seculi transferri non potuisset Anastasiopolim, adulto fere seculo Liparam deportari? Non uni modo translationi, sed et pluribus tempus sufficiens reperire hic potuit Tillemontius. Verum, inquit, translatum dicitur* E *a loco, ubi Apostolus fuerat passus. Non hoc dicitur a S. Theodoro Studita, non a Josepho, quamvis hi loquantur obscurius : non certe a Gregorio Turonensi, cujus narrationem translationi Anastasiopolitanæ contrariam insinuat Tillemontius. At, inquies, ab aliis, qui idem narrant, asseritur. Hos igitur aggredi oportuit, hos erroris convincere, non rem ipsam, illiusque Scriptores primos cum translatione prima Anastasiopolim facta collidere. Nam posteriores quidam imprudenter id addiderunt, quorum auctoritate translatio Liparitana non nititur. Translatio ergo corporis Liparitana, quamvis propter circumstantias omissas, minus probabili modo fuerit narrata, certa manere debet et indubitata, stante pro ea consensu Græcorum et Latinorum, interque eos Gregorio Turonensi viro sancto et docto, et, quod præcipuum est, scriptore coævo; S. Theodoro Studita, viro sanctitatis notissimæ, atque eruditionis tantæ, ut infensissimus in eum, propter sacras imagines defensas, Guilielmus Cave heterodoxus, fateri fuerit coactus, in Historia Script. ecclesiast. pag. 359 :* Vir erat supra communem litteratorum sortem eruditus, in quovis fere scientiarum genere F non mediocriter versatus; *Anastasio Bibliothecario, viro Græce et Latine docto, et erudito; Josepho, ut videtur, Hymnographo, aliisque, quorum texere catalogum longum foret. Hæc de translatione quoad substantiam. Nunc examinandum, an modus ejus tam fabulosus sit, quam visus fuit Tillemontio.*

§ II. Quomodo corpus fuerit Liparam transportatum?

Modus translationis per mare

S*eptem Italiam inter et Siciliam inter jacent insulæ,* Æoliæ *dictæ, quia Æolus in illis regnasse dicitur, et* Vulcaniæ *ab ignibus, quos eructant. Media fere harum, et princeps Lipara,* quæ urbem eodem nomine tenuit, *inquit Cellarius Geographiæ antiquæ tom. 1, lib. 2, cap. 12, pag. 652,* tantæque fuit potentiæ, ut classem haberet, ceterisque Æoliis imperaret. *Hanc* S. Bartholomæi *corpore ditatam jam vidimus. An autem hoc modo, ut passim traditur, miraculoso factum sit, hic inquirimus Modum*

A *dum hunc jam dedimus ex Gregorio Turonensi § præcedenti; ex Josepho, et Theodoro Studita in ipsorum Orationibus. Breviter autem ad hæc contrahitur, in quibus auctores jam dati, et infra dandi, consentiunt. Corpus sarcophago inclusum, pelagoque ab infidelibus injectum, divina regente providentia Liparam delatum fuit, ibique per revelationem cognitum, ac honorifice extructo templo depositum, multis miraculis inclaruit. Hæc rei totius substantia primo examinanda, deinde et circumstantiæ, quæ ab aliquibus adjunguntur, discutiendæ. Mirabilis hæc historia, grande miraculum, non diffiteor. Verum, siquis hoc ipso, quod mirabilia legat, ea falsa existimat, sæpe impingat necesse est, neque satis agnoscere videtur, mirabilem esse in Sanctis suis Deum. Non negamus tamen eo firmiora afferenda esse testimonia, quo magis mirabilia, et a veri specie abhorentia sunt, quæ narrantur. Hic itaque expendendum, an hujusmodi sint testimonia, quæ afferuntur, ut iis rem tantam credere possimus, ac debeamus.*

a testibus omni exceptione majoribus assertus,

B 12 *Honoratus a S. Maria in Animadversionibus ad regulas et usum critices tom. 1, part. 2, diss. 6, art. 6, pag. 230 æquissimam statuit regulam, qua et veritatem alicujus historiæ relatæ cognoscamus, et eum, qui retulit, non esse, illius inventorem; cujus eam partem, quæ veritatem historiæ agnoscendam continet, hujus examinis ponam fundamentum.* Vix, *inquit,* est regula critices magis falli nescia, ut nos certos reddamus de veritate alicujus historiæ, a scriptore quodam relatæ . . . , quam si alii auctores, quibuscum primus nullam habuit connexionem, confirmant, quod ille asserit. *Minus etiam fallet hæc regula, se auctores illi vel vixerint eo tempore, quo res debuit esse peracta, vel acri fuerint ingenio, et magna eruditione, qua facilius verum a falso poterant secernere. At hæc, de qua agimus, translatio tales habuit assertores. Nam S. Gregorius Turonensis hanc suo tempore, ut probavimus, factam Latine scripsit in Gallia; S. Theodorus Studita, aliique, qui Gregorii historiam numquam, ut opinor, viderant, illam seculo nono descripserunt Græce in Græcia; alii Liparæ, infra referendi; S. Bertharius abbas Casinensis et Anastasius Bibliothecarius dignam putarunt, quam ex Græco sermone Latine* C *redderent; ut recentiores plurimos prætermittam, qui dignam eamdem judicaverunt, quam scriptis suis insererent; ut taceam Ecclesiæ Latinæ et Græcæ seculo* IX *consensum in Liparitana traditione admittenda. Adde quod antiquiorum nullus reperiatur, qui translationem modo superius explicato peractam esse, fuerit inficiatus. Habemus itaque testes omni exceptione majores Gregorium Turonensem coævum, doctum, sincerum : Theodorum Studitam eruditum egregie et sanctum, qui nec fabularum amans umquam audiit, vel e credulitate nimia suspectus fuit, quorum unus alterum non descripsit : habemus multos ejusdem fere temporis viros eruditos, consensumque Ecclesiæ iis adhærentem, neminem, qui circa illa tempora vixit, dissentientem. Fidem itaque tot tantisque testibus abnegare non possumus, nisi ea scriberent, quæ aperte falsa esse convinceremus.*

neque talis ut credi non possit,

13 *At talis non est hæc translatio, ut breviter hic ostendo. Quippe initio seculi* VI *sub imperio Anastasii corpus sacrum in urbe Darensi depositum, capta sub Justino juniore elapsis plusquam sexaginta annis urbe, multis pelago injici potuit modis, ut docuimus § præcedenti. Cur itaque divina providentia illud Liparam deferre, ibidemque fidelibus revelare non potuit? Quid hic, obsecro, absurdi, quid absoni? Unum asseritur miraculum, quo arca lapidea, vel plumbea aquis supernataverit, revelatio una, qua illa Liparensibus fuerit manifestata. Tam multa in Actis Sanctorum, etiam maxime authenticis, leguntur similia, ut exemplis supersedendum putem, ne nimium excrescat hæc disputatio. Satisfaciendum est tamen Tillemontio, ne hujus auctoritas veritati officiat.*

admitti debet ut verus, nequidquam obstante Tillemontio,

14 *Non ausus est hunc translationis modum referre Tillemontius, ne offenderet osores fabularum. At dignum putavit, quem encomiis celebraret, cumque Petri super aquas ambulatione conferret,* vir supra communem litteratorum sortem eruditus, in quovis fere scientiarum genere non mediocriter versatus, *S. Theodorus Studita. An, quæ in illo translationis modo videri possunt fabulosa, Tillemontius videre potuit, non potuit Theodorus? Id sane mihi non fit verisimile. Ut enim par fuerit eruditio Tillemontii, ætas certe favet Theodoro, qui initio seculi* E *noni melius scire potuit, quid sub finem seculi sexti peractum fuerit in insula Liparitana, cum corpus inde nondum esset amotum, quam id scire potuit Tillemontius seculo præterito. Unius itaque S. Theodori auctoritati comparatus Tillemontius, longe erit inferior. Quid si nunc addam Gregorium Turonensem, quem ipse Tillemontius tom. 4. Monum. nota 2 in Dionysium pag. 708 sequitur pro tempore missionis S. Dionysii et aliorum, ut auctorem ceteris meliorem, quamvis ibidem scribat de re tribus, ut minimum, seculis præterita : quid, inquam, si hunc addam, ut auctorem res sui temporis scribentem? Quid si auctores alios relatos, et Græcorum omnium et Latinorum consensum; nam nullus umquam corpus Sancti Liparam alio modo venisse memoriæ prodidit; communi tamen consensu a seculo nono Græci et Latini Liparitanam traditionem admittunt, fatente Tillemontio.*

qui non satis hic sui similis.

15 *Horum, inquam, omnium si auctoritatem adjungam, non modo longe erit inferior Tillemontius, sed nec sui satis apparebit similis, quod alibi magna erga sanctos Patres et antiquos auctores reverentia eorum testimonia recipiat, etiamsi varia adducantur, quæ obstare* F *possint; hic vero tantopere eorum auctoritatem aspernetur, ut non modo ab eis recedat, sed et tantarum fabularum scriptores asserat, ut eas ipse referre non ausit, ne omnes, qui fabulas oderunt, offendat. Timuit hic certe vir eruditus, ubi non erat timor; ubi timendum fuerat, non timuit. Ceterum, quod magis miror, post verba citata tom. 1, pag. 388, continuo minus timidus, narrat reliquiarum Apostoli recollectionem, Liparæ a monacho Græco factam, uno nixus Anastasii Bibliothecarii testimonio; atqui in illa recollectione et divina revelatio, et cæleste lumen, quo ossa demonstrata sunt, et miracula narrantur facta, ita ut non minus apparere possit mirabilis, quam hæc, de qua disputamus, translatio : si ergo unum hic Anastasii sufficiat testimonium, cur nobis in translatione Liparitana ejusdem Anastasii testimonium, tot aliis conjunctum, non sufficiat? Sufficere sane debuisset et Tillemontio, nisi ipsam etiam corporis Liparæ præsentiam suspectam habuisset, suo nixus paralogismo, quod corpus eodem seculo Anastasiopolim translatum, eodem seculo Li-*

paræ

AUCTORE J. S.

paræ esse non posset, illuc ut dicebatur, Albanopoli transportatum, cui satisfecimus § præcedente. Nunc ex aliis eamdem translationem referamus, ut circumstantias quasdam, ab iis adjunctas, examinemus.

In alia hujus translationis narratione,

16 *Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom. 2, pag. 660, et Ferdinandus Ughellus Italiæ sacræ tom. 1, col. 773 editionis anni 1717, uterque in Agathone primo, juxta ipsos, Liparensium episcopo sub Decio et Valeriano imperatoribus, proferunt vetustum manuscriptum, in quo se legisse testantur sequentia, quæ ex Pirro describam, nulla alicujus momenti re mutata apud Ughellum :* Quod cives, ac incolæ Albanopolis tot, tantisque beneficiis a Bartholomæo quotidie acceptis ingrati, ejus corpus in arca lapidea inclusum ejecerunt in profundum maris; mox in eos divina ultio sævivit, et ab hostibus civitas vastatur : accolæ vero servituti subjiciuntur; pietas tamen divina easdem Bartholomæi exuvias in Liparim insulam vexit, ad eum sane locum haud longe ab ea urbe; ubi adhuc sub aquis lapidea arca visitur, uti mihi ibidem agenti narraverunt Liparenses ex traditione manuducta B ad nostra hæc tempora accepisse. De corporis sacri appulsu ab angelo monitus noster Agatho in locum adiit, et cælestem thesaurum invenit, procumbit in genua, veneratur sacras exuvias, atque quo potuit honore tractavit : intellexit scilicet divinitus id suæ insulæ munimentum dari, e mari in Cathedrale templum presbyterorum humeris invehi jussit, sed tanto civium plausu ac gestantis lætitiæ significationibus ea gesta sunt, ut Agatho suggestum ascendens, concionem ad populum habuit in ipso die translationis : his fere verbis. *Tum oratio subditur apud Pirrum, non qualem Agatho habuit ad populum, sed qualem in simili occasione habere congrue potuit, ut auctor ipse innuit, cum dicit :* His fere verbis; *quam idcirco hic describendam non putavi.*

quam non recte sub Decio,

17 *Uterque auctor factam statuit translationem tempore hujus Agathonis, idque sub imperio Decii vel Valeriani, sive seculo tertio, sed mox apertissimus additur anachronismus. Audi iterum Pirrum, cui quoad rem consentit Ughellus :* Tunc, *inquit,* accidit S. Bartholomæi apostoli sacri corporis translatio; quo fuerat in pri- C mis illustrata Daras civitas in finibus Persidis, ut scribit Theod. lector. *Quo pacto sacro corpore illustrata in primis fuerat Daras, quæ non nisi seculo sexto sub Anastasio imperatore sacro hoc thesauro ditata est, auctore citato Theodoro; si jam seculo tertio Liparam fuerat translatum? Hic error apertior est, quam ut longiori refutatione indigeat. Nicolaus Coletus ad locum Ughelli, quem edidit, ita notat :* Dubito, an revera illo ævo Liparitana insula episcopum habuerit Agathonem. Nominatur quidam Agatho Liparitanus episcopus in Oratione de corpore S. Bartholomæi, in istam insulam advecto, eumque Rocchus Pyrrhus vult esse, cujus in Actis SS. Alphii etc. habeatur Vita (et de quo hic Ughellus :) sed eam translationem libentius crediderim ævo S. Gregorii, quo Liparitanus episcopus erat Agatho, quam Decii factam : ideoque adhuc requiro certius de alterius Agathonis existentia testimonium. Talem enim Liparitani verosimiliter inter patronos suos colerent, si habuissent. *Tum citat Operis nostri tom.* II *Maii pag. 548; ubi illa notat Papebrochius, qui ante ostenderat, Acta illa SS. Alphii, Philadelphi,* D *et Cyrini martyrum, in quibus frequens illius Agathonis fit mentio, esse fabulosa, ideoque tom.* V *Junii pag. 248 Agathonem illum inter prætermissos collocavit. Sed parum interest ad rem nostram fueritne tunc Agatho aliquis Liparitanus episcopus, necne : sufficit, fuisse aliquem sub finem seculi sexti, ad cujus tempora translatio est referenda, quam Gregorius Turonensis satis denotat suo tempore esse factam, quamque capta a Persis Daras illo tempore peractum esse persuadet.*

vel Constantino factam dixerunt aliqui,

18 *Porro quo anno translatio facta fuerit, non liquet. Nam neque quo anno Agatho factus sit Liparitanus episcopus constat, sed solum habemus, eum per S. Gregorium ab episcopatu amotum circa annum 592, ut ex epistolis Gregorii probat Ughellus citatus col. 774, neque dici potest, an Persæ sacrum corpus post captam Daram statim abjecerint, an aliquanto post; neque item quanto tempore in mari fuerit. Statui tamen debet translatio inter annum 574, quo capta Daras secundum Baronium et Pagium, et annum 592, quo Agatho ab episcopatu est depositus. Morari nos hic non debet manuscriptum Florarium* E *Sanctorum, in quo translatio facta dicitur anno Christi 331. Etenim auctor ille, qui seculo 15 demum scripsit, junior est, quam ut de tempore istius translationis nos certos reddere possit : maxime cum nullus tunc Agatho Liparitanus videatur fuisse episcopus, neque cum depositione corporis Daræ, per Anastasium facta, hæc epocha possit conciliari. Hæ porro recentiorum in assignando translationis tempore hallucinationes causam videntur præbuisse Tillemontio eam impugnandi, sed advertere oportuit, hæc ab antiquis scripta non esse, ideoque recentiores potius corrigendos, quam translationem ipsam negandam.*

quædam corrigenda.

19 *Jamvero quæ narrantur de corpore ab Albanopolitanis pelago injecto, ex populari traditione sumpta sunt, uti et de civitate eorum ab hostibus diruta, ideoque non admittenda. Neque enim hæc a Gregorio, neque a Studita, aut Josepho scripta sunt, quamvis hi duo ultimi ita loquantur, ut, si res esset omnino dubia, hoc videri possent insinuare. Hic autem error inde profluxisse videtur, quod hoc unum divina revelatione esset cognitum, corpus ab infidelibus* F *mari immersum; cumque ignorarunt primam translationem, putarunt ab iis abjectum, apud quos ab initio fuerat sepultum : minus potuerunt errare circa corpus eo delatum, quod ipsi poterant præsentes intueri, ideoque error ille, etiamsi ab initio fuisset, quod non videtur, minuere non debet fidem, quoad ipsam translationem ipsis adhibendam. Accipe nunc et Menæa Græcorum, prout Latine reddita sunt a Radero nostro, in quibus et aliæ hujus translationis adjunguntur circumstantiæ.*

Amplior ex Menæis Græcis.

20 *Ad diem* XXV *Augusti ita habent :* Opportune nunc et mihi licet exclamare. Quam admirabilis Deus in Sanctis suis! ut qui statuerim explicare rarum, et plane formidandum prodigium. Sanctus apostolus Bartholomæus, diversis in locis nomen Domini mortalibus aperuit, et prædicavit. Actus est in crucem in magna Armenia Orientis regione. Hunc fideles in fine vitæ ipsius repertum deposuerunt in arcam lapideam. Ut autem illa urna perennes sanitatum fontes profundebat, concurrerunt populi, et ab omnibus morborum suorum molestiis sunt liberati. Quod cum viderent satellites, diaboli, cœperunt furere et

insanire

A insanire contra illam tumbam. Itaque explorata re et tempore, hunc sarcophagum, qui S. Apostoli continebat corpus, una cum quatuor aliorum martyrum arcis in mare abjecerunt. Hoc autem totum eo factum est, ut totus ille maris tractus, per quem corpora transierunt, et loca omnia, per quæ gratia divina Sanctos diviserat, consecrarentur et benedicerentur. Cum enim sanctus Apostolus magnos Ponti sinus, et Hellesponti angustias, ac fretum trajecisset, in mare Ægæum et Adriaticum pervenit, relicta nobili et inclyta magna Siciliæ insula a sinistris. Habebat autem comites dictorum martyrum urnas, quæ S. Bartholomæum sequebantur, Pappiani inquam, Luciani, Gregorii et Acacii, et in Liparam insulam appulerunt. Quam mirabilia opera tua, Domine, et quæ oratio sufficiat ad explicandas laudes mirabilium tuorum? Et inclyti quidem martyres magnum Apostolum veluti imperatorem, quo loco illi placuit, requiescere reliquerunt, et statim illuc navigarunt, ubi quemque divina sors tabernaculum figere volebat. Pappianus ergo Ancillam Siciliæ urbem, Lucianus Messanam, B Gregorius Colimnam Calabriæ oppidum, Acacius Ascalis civitatem ita appellatam delatus est.

ejusdem translationis narratio.

21 Sanctus autem Apostolus seipsum Agathoni Liparæ episcopo aperuit, qui statim ad locum, ubi arca quieverat, accurrit, et spectato ingenti et tremendo prodigio, præ stupore attonitus: Et unde, inquit, o Lipara, tantus et tam magnus thesaurus? Profecto nimium magnificata es, et singulari gloria illustrata, salta, exulta, excipe tuis manibus hoc sacrum pignus et exclama; Bene et feliciter ades, o Domini Apostole. Hæc atque alia episcopus præfatus, cum et Apostolum et insulam beatos prædicasset, conticuit. Ubi vero sancta arca ad illustrem locum deferenda erat, in quo et divinum ad gloriam laudatissimi Apostoli templum excitandum erat, multi quidem admoverunt manus, ut sacrum loculum traherent; sed ille non paruit, nec loco moveri poterat, quoad divinitus edoctus Agatho geminas sub jugo admoveret buculas, quæ tenuibus alligatam funibus ingentem arcam, quo Apostolus, qui in illa servabatur, volebat, nullo negotio pertraxerunt.

quæ ex Niceta Paphlagone videtur sumpta.

C 22 Hic miris miriora successere, quæ multis fortasse cælestium prodigiorum insuetis incredibilia videbuntur. Parva insula est, cui Vurcanos nomen; fontem habet, qui dies noctesque perenniter scaturit. Hæc insula quasi sola adventum Apostoli sensit: nam cum sua vicinitate Liparæ noceret, statim cælesti quadam vi ad septem stadia a Lipara recessit, tractu illo veluti flumine aliquo distincto, miraculum hodieque ostendente et prædicante. O miraculum miraculorum! o prodigium prodigiosissimum! Ubi simile quid umquam sub sole cognitum est? Postquam autem episcopus elegans et illustre templum Apostolo excitavit, in eoque pretiosissimum thesaurum, corpus, inquam, sacrum cum ipsa arca deposuit: quis assequatur oratione, quot ibi quotidie miracula sint perpetrata? *Tota hæc narratio Menæis inserta auctorem habere videtur Nicetam Paphlagonem, nam hujus nomine citatur a variis, cumque Oratione ipsius encomiastica sive stylum spectes, sive mortem Sancti in ea relatam, recte consentit. Nunc quædam, quæ prodigiosa maxime sunt, vel in speciem contraria expendenda.*

Auctore J. S.

An corpus impositum arcæ lapideæ, an plumbeæ?

23 *In omnibus fere relationibus arca, cui sacrum corpus fuit inclusum, dicitur fuisse* lapidea. *Turonensis tamen* plumbeum *vocat* sarcophagum, *quod et Combefisius in suo Menæorum codice haberi, testatur in Auctario nota 2 ad hanc translationem pag. 496, quæ ipse ibidem hoc modo conciliare conatur :* Num, quod fere usus habet, in arca lapidea urna plumbea erat, ac utrumque in mare projecerunt inofficiosi homines; nequa Apostoli memoria, etiam vacuo tumulo, apud eos extaret, et qua confoveri posset populi in eum devotio? *Hanc conjecturam non improbo. Potuit etiam arca lapidea plumbo fuisse munita, vel obtecta, ut nonnemo putavit. Non nego tamen, facile quoad hanc circumstantiam errorem obrepere potuisse Turonensi, sed nihil hoc ad rei substantiam.*

An insulæ

24 *Majorem difficultatem habet, quod hic, et apud Studitam narratur, stupendum plane prodigium de insula, quæ Græce hic* Βουρκάνος *dicitur, ab Anastasio dicta est* Vulcanus *in versione Latina Studitæ, designarique putatur communiter insula, quæ Siciliam inter et Liparam sita, alio nomine* Hiera, *quia sacra Vulcano est, nominatur, de quo Virgilius lib. 8. Æneid.* E

Insula Sicanium juxta latus, Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.

Eadem et Thermissa *vocatur a Strabone, et* templum Vulcani, *ut videre est apud Cellarium in Notitia orbis antiqui tom. 1, pag. 653. Insula porro ad septem stadia recessisse dicitur a Lipara, cui propter continuas ignium eructationes noxia erat ejus propinquitas. Prodigium hoc ita verisimile reddere conatur Octavius Caietanus noster in Animadversionibus ad Vitas Sanctorum tom. 1, pag. 136:* Insulam vero Vulcanum, Lipari pene contiguam, ad D. Bartholomæi corporis appulsum stadiis septem procul cessisse, sanctissimi Apostoli benevolentia erga Liparæos, factum intellige: enimvero ut ignium periculis, qui e proximo Vulcani cratere damno accolarum erumpebant, insula longius pulsa illos eximeret. Nec mirum, divinitus semotam, quæ naturæ miraculo haud cum orbe enata, sed e pleago repente emerserat, Coss. Posthumio Albino, et Fabio Labeone, ut memorant Plinius (lib. 2, cap. 87) Eutropius, Paulus Orosius, Isidorus. *Habet id etiam Ado in Chronico ad quintam ætatem post annum mundi 4588 his verbis:* Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente in mari orta est. *At hæc certo admitti non possunt ut vera, cum auctores longe antiquiores hujus insulæ mentionem faciant, sed de alia forte hæc erunt intelligenda, uti et ipsum, de quo disputamus miraculum, si vere contigerit.* F

et quænam

25 *Philippus Cluverius Siciliæ antiquæ lib. 2, cap. 14, pag. 409 Fazellum, qui eosdem pro enata e mari Hiera, seu Vulcano insula, adduxerat auctores, ita refutat :* Ingens error, vel memoriæ lapsus. Quippe jam annis fere CC ante urbis Romæ annum IↃL *(quo anno consulibus Sp. Posthumio Albino, et Q. Fabio Labeone insulam enatam scribit Fazellus)* meminit ejus Thucydides; ut supra perspectum: et post hunc C circiter annis Aristoteles. *Tum citat inter alia hæc ex Orosio lib. 4, cap. 20:* In Sicilia tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente in mari edita cum miraculo omnium, usque ad nunc manet. *Et illa ex Isidoro lib. 14, cap. 6:* Æoliæ insulæ Siciliæ: . . . Ex iis quædam ab initio non fuerunt: quædam, postea mari

AUCTORE: J. S.

ri editæ, usque nunc permanent. *Adductis et Plinii verbis, sic colligit :* Ex illis Orosii verbis, proxime perscriptis, colligo hanc insulam prope Hieram sive Vulcaniam emersisse : et est hodieque hoc situ exigua quædam insula, vulgari vocabulo VOLCANELLO, ac variante incolarum dialecto BOLCANELLO ac BORCANELLO. *Recte Cluverius, neque enim plus indicant auctores citati, neque de Hiera ipsa intelligi possunt, dudum ante memorabili. De hac autem ipse Fazellus, apud Cluverium ibidem citatus, sic loquitur Decade 1 lib. 1, cap. 1, pag. 3:* Tertia insula Vulcanellus tenuissimo euripo a Vulcania recedit : quæ et ignem ipsa aliquando evomuit. Euripus ad ætatem usque meam pervius, ac fida navigiis statio. Nunc interjecta ex Vulcaniæ caminis cinerum, ac lapidum mole præclusus est. *Hanc itaque pelago emersisse credibile est, ut emerserunt multæ aliæ, quod de Hiera aperte falsum est, saltem pro tempore ab auctoribus assignato.*

loco mota?

26 *Nunc similiter ostendo, hanc designatam esse a S. Theodoro Studita, et Menæis, cum*
B *dicunt ad adventum corporis* S. Bartholomæi *recessisse, neque intelligi posse Hieram. Nam a Menæis vocatur* νησίδιον, *ac si Latine diceretur* Insulula. *At Hiera, si cum Lipara compararetur, ita inepte vocabitur, cum ex præcipuis sit inter Æolias. A Studita vero vocatur* Mons, *quod nomen Hieræ neutiquam quadrare potest. Adde quod manifeste falsum sit, Hieram Liparæ umquam fere contiguam fuisse, ut fuisse dicunt montem illum, quem aiunt recessisse. Ita ut de Hiera miraculum illud nullo modo intelligi possit, quæ semper inter Siciliam et Liparam, quo nunc est loco, sita fuisse videtur. Verum de Vulcanello illud incertum; potuit propinquior fuisse Liparæ, potuit et recessisse, cum antiqui de illa non meminerint. Neque tantum hoc in monte, seu exigua insula, ex pelago orta, est prodigium, ut credi non possit, viris fide dignis id sine ulla dubitatione, et tamquam rem exploratam asserentibus : neque tamen illorum testimonio id tam certum redditur, ut dubium videri non possit, cum in similibus falli facile possint etiam eruditi, maxime cum scribunt ea, quæ ipsi oculis subjicere non potuerunt. Hoc itaque,*
C *cum ab omnibus scriptum non sit, inter minus certa Sancti miracula habendum existimo, non inter fabulas adjiciendum. Nam auctoritas qua hoc miraculum nititur, certa est, et minime contemnenda; difficultates vero, quæ contra moventur, non evincunt aut fieri non potuisse, aut factum non esse.*

An arca facta sit immobilis?

27 *De reliquis hujus translationis circumstantiis, de comitibus Sancto adjunctis, de templo extructo Liparæ, de itinere, ac modis quibusdam loquendi oratoriis minus stricte intelligendis, egimus in notis ad Orationes Theodori ac Josephi. Unum adhuc hoc loco observo in narratione ex Pirro superius data, ubi dicitur corpus a mari ad cathedrale templum presbyterorum humeris invehi jussum ab Agathone episcopo; cum Studita, prout editus est tom. 2 Spicilegii, pag. 125 hæc scribat :* De cætero cum perventum esset ad urbem, non progrediebatur arca; quidam enim summopere trahebant; illa autem erat immobilis. Et cum esset populus in multa dementatione, resumpsit tandem gaudium tristitia, quia obtinuit quod petierat a Domino : prope est enim Dominus invocantibus eum. Super duas itaque vitulas castas assumpta, reposita (est) ubi sacrum ejus templum protinus est locatum. D
Additur in Menæis; immotam fuisse arcam, Quoad divinitus edoctus Agatho geminas sub jugo admoveret buculas, quæ tenuibus alligatam funibus ingentem arcam, quo Apostolus, qui in illa servabatur, volebat, nullo negotio pertraxerunt. *Hæc minus inter se conciliari possunt, nihilque de hoc miraculo Turonensis, nihil Josephus; ita ut dubium videri possit hoc prodigium, præsertim cum, dissentientibus hic Studitæ Mss., in eo, quod in editione secuti sumus, nihil legatur de admotis vitulis.*

Quid de re tota sentiendum?

28 *Erunt fortasse, qui putent, propter qualescumque has in circumstantiis quibusdam diversitates, totam translationis historiam minus esse certam; quibus ego nequaquam consentio. Cum enim optime inter omnes conveniat de corpore per pelagus Liparam advecto, eo majorem in hac advectione auctoritatem habere debent, quo minus circa minoris momenti circumstantias consentiunt. Quippe ex eo discimus, unum sua non descripsisse ex alio, ut sæpe in similibus solet contingere. Fateor magnas huic translationi opponi difficultates, non eas tamen, ut cum auctoritate, qua translatio nititur,* E
conferri valeant, quemadmodum tota hac disputatione me ostendisse confido. Sequenda itaque hic est regula ad recte judicandum aptissima, quam profert Honoratus a S. Maria in Opere jam laudato part. 2, pag. 298, his verbis: Quando accidit, ut factum sufficienter sit testatum testimonio alicujus auctoris auctoritate præditi, quique se clare explicat, et non ambigue; cui ab aliis scriptoribus non contradicitur, quique erroris convinci non potest : auctoritas conjecturis prævalere debet. *Fallor, nisi omnes, qui hanc critices regulam sequivolunt, translationem, de qua egimus, ut veram sint admissuri.*

§ III. Reliqua ad liparam spectantia.

Templum Liparæ structum,

Reliqua, *quæ Liparæ in honorem Apostoli gesta sunt, ex auctoribus juvabit hic describere, antequam referamus, quomodo sacrum* F
corpus Beneventum fuerit translatum. Vidimus supra ex Theodoro Studita, templum in honorem Apostoli protinus *esse extructum, simul ac sacræ reliquiæ Liparam fuere perlatæ. Templum autem illud jam ædificatum erat ante finem seculi sexti, cum scribebat S. Gregorius Turonensis, ex quo lib. 1 de Gloria martyrum cap. 34 hæc habemus:* Ædificaverunt super eum templum magnum; in quo nunc invocatus, prodesse populis multis virtutibus ac beneficiis manifestat. *Quoad miracula non abludit a Turonensi loco citato Studita :* Porro, *inquiens,* quot et quanta deinceps mirabiliter operatus sit; aut mira faciens operetur hactenus circa eos, qui a diversis languoribus, et infirmitatibus obstricti, ad ipsum fide confugiunt, nec necessarium est dicere ob prolixitatem tractatus, nec incredibile audienti. *Vides, perennem illum prodigiorum, et beneficiorum fontem post ducentos et amplius annos, cum hæc scriberet Studita, nondum exaruisse. Consentiunt utrique auctori Menæa Græca; et manuscripta varia.*

ubi plurima patrata miracula :

30 *Verum miraculorum Liparæ factorum relatio an scripta aliquando fuerit, an Saracenorum incursione, vel injuria temporis interierit,*

an

A *an lateat alicubi, mihi incertum est: ad manus certe nostras nondum pervenit. Ceterum plurima fuisse atque eximia, undique est manifestum. Nam et in Antiphona, quam ex Officio veteris Breviarii ecclesiæ Beneventanæ deprompsit Marius de Vipera, in Catalogo Sanctorum ejusdem ecclesiæ pag. 33 ita legitur :* Armenia prædicat gloriam tuam, Liparis miracula, Beneventum laudes tuas Bartholomæe beatissime, et universa creatura gratiam tuam. *Cum miracula Apostoli Lipari præ Benevento attribuant ipsi Beneventani, quamvis et apud illos in ipso jam corporis adventu patrata sint plurima, ingenti plane numero Liparæ facta fuisse, dicamus necesse est. Accipe itaque quæ in hanc sententiam habet manuscriptum quoddam Lugdunense, quod scriptum dicitur ex relatione episcopi cujusdam, qui translationi Beneventanæ adfuerat, de quo plura deinde :* In hac, *inquit,* insula, quæ inter Siciliam et Beneventum brevi freto interjacet, cum in basilica miri operis, quæ in ejus honorem a fidelibus condita præfulgebat, debita veneratione præfatus Dei Apostolus coleretur, mul- B tisque virtutum ac beneficiorum operibus ad Dei gloriam, et salutem Christiani populi per plurima annorum curricula declararetur. *Hæc de eximiis Apostoli Liparæ patratis miraculis dicta sufficiunt, quando singulorum enarrationem dare non possumus.*

Novum templum

31 *Ut sanctus* Bartholomæus *in Liparitanos largus erat atque beneficus, ita et illi haud dubie pio cultu Apostolum sibi benevolum reddere studuerunt. Verum Saracenis deinde in Lipara rerum potitis, reliquiisque Apostoli Beneventum translatis, ut referemus, intermissus quidem est ibidem Sancti cultus, ita tamen, ut pulsis postmodum per Nortmannos Saracenis, continuo revixerit. Quo hoc anno factum, operæ pretium non existimo operosius investigare; rem gestam narrant Rocchus Pirrus tom. 2 Siciliæ sacræ a pag. 664, et Ferdinandus Ughellus tom. 1 editionis citatæ in episcopis Liparitanis a col. 775, qui non templum tantum in honorem* S. Bartholomæi *ædificatum, sed et cœnobium exstructum, eidemque Apostolo dicatum scribunt.*

per Nortmannos Apostolo exstructum,

32 *Audi Ughellum col. 775 :* Quamquam autem ab anno MLXXX Saracenis superatis, Robertus, et Rogerius Northmanni eam insulam Christianis restituissent, ubi statim a Rogerio templum C D. Bartholomæo erectum est, teste Fazello *(decad. 1, lib. 1, pag. 3)* et ab aliquibus monasticam profitentibus cœnobium est ædificatum, cui Ambrosius præfectus est. *Fuit idem cœnobium* S. Bartholomæo *sacrum, ut infra patebit, egregieque dotatum liberalitate eorumdem principum, ut sequitur apud Ughellum :* Eo tempore comes ex diplomate, quod confirmatum fuit a Rogerio II, ejus filio, anno MCXXXIV concessit Liparam, Vulcanum, Salinam, Panariam, Strangulon, Arcuri, et Feliculi insulas : *Æolias has omnes esse non dubitem, quamvis aliquarum nomina non parum corrupta sint. Ita eo tempore vocatas fuisse lingua tum Siculis vulgari, verisimile est. Quem autem in finem hæ insulæ monasterio sint concessæ colligimus ex Ughello, qui de his ait col. 771 :* Inter omnes Æolias hæc sola *(Lipara)* hodie habitatur, soli natura ferax, magno aluminis proventu, fructuumque domesticorum copia clara. *Ad agros itaque colendos, fructusque colligendos cœnobio* S. Bartholomæi *videntur attributæ. Neque hic tamen stetit comitum liberalitas. Nam ita prosequitur. Ughellus :* Deinde ab eodem comite Rogerio multa fuerunt data prædia in Calabria eidem abbati Ambrosio, et monasterio Liparensi ex diplomate hoc anno MLXXXVIII. *Accipite ipsum diploma, prout illud recitat laudatus Ughellus.*

AUCTORE J. S.

et monasterium eidem dicatum, cui insulæ Æoliæ.

33 Rogerius comes Calabriæ, et Siciliæ adjutorium Christianorum XXVI mensis Julii, XI Indictione anno ab initio mundi 6596 *(ex ipsorum scilicet computatione.)* Postquam cum filiis meis ex Francia veni in Militum. *(Videtur designari* Miletus, *η in i Latinum deflexo, quæ urbs quidem parva hodiedum in Calabria ulteriori, episcopalis tamen; vulgo nunc* Melito *vocatur, ibi et bullam Urbani II, hæc confirmantis datam videbimus inferius)* dedi abbati Ambrosio pro monasterio S. Bartholomæi Liparensis terragia * infrascripta pro salute animæ meæ, et remissione omnium peccatorum meorum, quæ terragia sunt prope faciem castri Militi, limitata cum finibus infrascriptis, quæ terragia do tibi D. Ambrosio abbati, ut habeas, et in tua dominatione possideas, et quod nullus contradicere possit ullo modo. Si quis vero vellet contradicere prædicto privilegio nostro, et E dictæ benevolæ donationi nostræ aliquo modo, maledictionem trecentorum et decem octo sanctorum Patrum *(concilii Nicæni)* anathema... ab eis, et maledictionem Judæ Ischariotis habeat in æternum, et in seculum seculi. *Hactenus Rogerius.* Easdem, *inquit Ughellus ibidem,* largitiones, et insulam ipsam Liparensem monasterio Liparensi, omniaque bona ei data suo privilegio confirmavit Urbanus Papa II. *Bullam Urbani, quia non modo has donationes confirmat, sed et translationem Liparitanam docet, et monasterium sub speciali Sedis apostolicæ protectione constituit, partim hic ex Pirro, transcribendam duxi, his verbis conceptam :*

* *i. e.* terras

confirmante Pontifice, donatæ.

34 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto fratri Ambrosio abbati Liparitano, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum universæ insulæ secundum instituta regalia juris publici sint; constat profecto, quia religiosi imperatoris Constantini privilegio in jus proprium B. Petro, ejusque successoribus Occidentales omnes insulæ condonatæ sint, maxime quæ circa Italiæ oram habentur, quarum multæ, peccatis exigentibus accolarum, a Saracenis captæ, Christiani nominis gloriam amiserunt : F inter quas Liparis, B. Bartholomæi apostoli corpore quondam insignita, eremi instar redacta cognoscitur : quam multis annorum curriculis evolutis, cum Saracenorum vires divinæ misericordiæ potentia repressisset, religiosi fratres divinæ servitutis studio eamdem ingressi insulam, monastica illic domicilia construere curaverunt; et plurimos in eamdem insulam colonos sua industria constituerunt. Nos itaque, quibus ex divinæ arbitrio voluntatis per apostolicæ Sedis culmen cunctarum sollicitudo imminet ecclesiarum, licet in eadem insula episcopatum quondam fuisse in sanctæ Gregorianæ paginæ registris agnoscamus; quia tamen episcopi dignitatem nunc ipsius loci exiguitas, et accolarum raritas non meretur; monasterium tamen illic haberi, et totius insulæ ambitum possidere præsentis paginæ auctoritate sancimus. Ipsum etiam monasterium, cui fraternitas tua, auctore Domino, præsidet, in B. Bartholomæi honore, et nomine consecratum, in sanctæ Romanæ, et apostolicæ Sedis gremio fovendum speciali protectione suscipimus. *Reliqua bullæ ad hæc confirmandum de more ad-*

AUCTORE J. S.

jecta videri possunt apud Pirrum pag. 665, vel Ughellum col. 776, quæ sic demum concluditur: Datum Militi per manus Joannis S. R. E. Diac. Cardinalis III Nonas Junii Ind. XIV Incar. Dom. MXCI Pont. vero domini Urbani Papæ II an. IV.

et alia.

35 *Multa alia eidem* S. Bartholomæi *monasterio donata invenies, lector, apud auctores citatos, uti et Pactense monasterium eidem conjunctum, ac demum episcopalem dignitatem illi concessam: quæ, ut minus ad institutum nostrum spectantia prætermitto. Hæc vero afferre volui, ut constaret apostoli* Bartholomæi *in illa insula cultum protinus post superatos Saracenos resumptum esse, quem et deinde semper ibidem viguisse non dubito, uti et hodiedum viget egregie.*

CAPUT II.

De translatione sacri corporis Beneventum, ceterisque ea occasione factis.

B

§ I. Translationis occasio, tempus, auctor.

Occasio translationis fuit vastatio Liparæ.

Sacrum S. Bartholomæi *corpus seculo nono Lipara Beneventum transportatum esse, in confesso est: verum circa translationis hujus circumstantias non paucæ occurrunt difficultates, diligenter pro instituto nostro examinandæ. Ut itaque res tota clarius innotescat, inquiremus primo qua occasione, secundo quo anno, tertio quibus cooperantibus, translatio facta sit: quarto denique translationem ipsam cum miraculis in ea factis, deindeque secutis subjiciemus. Occasio hujus translationis summo omnium consensu memoratur, irruptio Saracenorum, per quos sacra Apostoli ossa sunt dispersa. Bertharius abbas in Relatione istius translationis Sermoni Studitæ addita hæc scribit:* Supervenientes itaque Saraceni deprædati sunt et depopulaverunt prædictam insulam, et rumpentes sepulcrum Apostoli disperserunt ossa ejus per diversa. C *Manuscriptum Lugdunense num. 30 citatum ita habet:* Nuperrime a Saracenis vastata ac perversa Sicilia, etiam eadem insula *(Lipara)* hostili clade oppressa, penitusque depopulata est. Cumque et episcopum loci, et clerum cum plebe seu monachis sorte miserabili vel captivitati, vel gladio destinarent, irruentes etiam monasterio, ubi venerabile corpus Apostoli quiescebat, invadunt monachos, diripiunt omnia, ipsa quoque veneranda ossa Apostoli, aliis immixta ossibus, instigante zelo diaboli in mare dispergunt, ne videlicet usquam ejus reliquiæ reperiri vel agnosci possent. *Nescio an fidem mereatur anonymus hic in eo, quod addit, ossa sacra aliis immixta, et in mare dispersa fuisse: nam et alias deinde circumstantias adjungit translationi, quas apud nullos adjunctas invenio.*

et sacrorum ossium dispersio:

37 *Manuscriptum aliud ex membraneo Legendario Vallicellensi num. 1, fol. 247, recte Berthario consonat, occasionem translationis exponens his verbis:* Dum in insula Liparitana... requiesceret corpus B. Bartholomæi apostoli, supervenientibus Saracenis, deprædaverunt atque depopulaverunt prædictam insulam, erumpentes D sepulcrum B. Bartholomæi, disperserunt ossa ejus per diversa. *Habeo præterea quoddam manuscriptum ex Lectionario Ms. bibliothecæ Medicææ S. Laurentii pluteo 20, in quo eodem prorsus modo hæc narrantur: verba accipe:* Saraceni Siciliam invadentes, Liparitanam insulam, ubi corpus S. Bartholomæi quiescebat, vastaverunt, ac ejus sepulcrum confringentes, ossa ejus disperserunt. *Consentit Sigebertus in Chronico ad annum Christi 831 his verbis:* Saraceni, Siciliam incursantes, etiam Lyparim insulam devastant, ubi corpus Bartholomæi apostoli quiescebat... Cujus ossa modo a Saracenis huc illucque dispersa, et a quodam monacho, ipso revelante, collecta, Beneventum transferuntur. *Assentitur etiam Tillemontius tom. 1 Monum. pag. 388 in* Bartholomæo, *aliique recentiores, ita ut res illa, tot testibus nixa, minime videri debeat dubia. Quare corrigendi sunt recentiores quidam, qui scripserunt translatum corpus, ne in Saracenorum manus veniret, cum antiquiores communi consensu illud non modo in Saracenorum manus venisse, sed et ab iis injuria affectum fuisse memoriæ prodiderint. Hæc itaque translationis occasio.* E *Addi hic posset, quomodo sacra ossa a monacho quodam collecta sint; sed illud inferius cum ipsa translatione enarrabimus.*

38 *Quo autem anno ossa sacra fuerint Beneventum translata, non æque convenit inter auctores. Tillemontius loco supra citato ex Anastasio Bibliothecario, prout ille editus est ab Acherio tom. 2. Spicilegii, editionis anni 1723 pag. 126; et Bailletus tom. 2, col. 369 in* Bartholomæo, *annum assignant vastationi Liparæ, et sacrorum ossium dispersioni 808; translationi 809: cujus, inquiunt, anni* XXV *Octobris sacra ossa Beneventi sub altari quodam locata fuere. Idem annus 808 assignatur in brevi Chronico Remensi, quod extat tom. 1 Bibliothecæ Labbeanæ, ut etiam notat Pagius citandus. Verum hi longe a vero aberrant, neque aliud habent fundamentum, quam errorem librarii alicujus, ut patebit inferius.*

annus non 809,

39 *Sigebertus in Chronico translationem illam ponit anno 831; quo itidem anno statuitur in manuscripto bibliothecæ Medicææ S. Laurentii supra laudato; Pirrus tamen sæpe memoratus pag. 664, et Ughellus itidem aliquoties adductus col. 772 Sigebertum citant pro anno 832.* F *Hæc chronologia non omnino improbabilis videri potest: Nam et Saraceni Siciliam jam aliquot annis incursaverant, et Theophilus imperator Græcis præerat, sub cujus imperio translatio facta traditur a Menæis, sive Niceta Paphlagone, ut Pagius, aliique hanc Menæorum relationem citant: non esse tamen sequendam patebit inferius. Baronius ad annum 840 in fine ex Leone Ostiensi cumdem annum 840 statuit, minus quidem a vero aberrans, aberrans tamen. Baronio quoad omnia consonat Ughellus tom. 8 Italiæ sacræ in Urso archiepiscopo, Beneventano col. 40, quamvis alibi, ut mox dictum, Sigeberti sententiam non improbet. Pagius denique ad annum Christi 840 num. 12 verum hujus translationis annum ostendit 839, quem Bollandus tom. 2 Februarii pag. 320, et Labbeus in Epitome chronologica jam assignarant, quemque et nos confirmabimus.*

neque 831, aut 840;

40 *Ut rem clarius intelligas, lector, adverte, a Leone Ostiensi expressum non esse annum Christi 840, sed tertium ordinationis Bassacii abbatis*

sed 839,

A *tis Casinensis, ex quo alii hunc Christi annum putaverunt deducendum. Nunc Pagium loco citato audiamus :* In Chronico, *inquit*, Casinensi Leo Ostiensis lib. 1, cap. 25, et seq. asserit Bassacium abbatem Casinensem ordinatum fuisse anno Christi DCCCXXXVII, post Authpertum, x Kal. Martii demortuum. Quare annus præfecturæ Bassacii tertius, quo idem Leo asserit, corpus S. Bartholomæi apostoli ex Lipari insula Beneventum esse translatum, sub Sicardo duce Beneventano, in annum superiorem Christi (839) convenit, quo ideo ea translatio secundum istum chronographum peracta. *Inenuctabile est hoc argumentum ad vindicandam nostræ sententiæ auctoritatem Leonis Ostiensis, præsertim cum Bassacius abbas fuerit ordinatus mense Martio, translatio vero facta sit mense Octobri. Nititur dein hæc confirmare ex Niceta Paphlagone, cujus narratio Menæis inserta, ex quo hæc verba producit :* Longa itaque decursa serie, extremis temporibus, in diebus Theophili imperatoris capto ab Agarenis ob plura nostra scelera, in quo sanctus Apostolus jacebat, præsidio, omnique Lipara B insula manente desolata, Beneventanæ urbis regulus, Apostoli perceptis miraculis, ferventi erga Sanctum fide excitatus, Amalphitanæ urbis nautis aliquot convocatis, ac, quantas par erat, pecunias dare pollicitus, ire jussit, ac pretiosum illum thesaurum ad se deferre, quod et contigit. *Ex his habemus, translationem factam imperante Theophilo, quod convenit anno 839; non tamen pugnat cum anno 840, neque cum 831, contra quos frustra adduceretur, cum omnibus his annis imperaverit Theophilus. Pugnat tamen validissime contra annum 809, cum eo anno Theophilus ab imperio abesset longissime.*

41 *Objicit dein sibi Pagius auctoritatem Anastasii Bibliothecarii ab Acherio editi, in quo, ut supra diximus, exprimitur pro irruptione Saracenorum annus 808, pro translatione 809 : atque ita concludit :* Ex his patet, Nicetam Paphlagonem, Leonem Ostiensem, et Anastasium, quoad tempus, quo hæc translatio facta, inter se convenire; sed librarium in utroque loco Anastasii citato numerum XXX omisisse, quod numeri VIII et IX manifeste innuunt. *Fatetur tamen in Chronico Remensi supra citato translationem illam poni ad annum* DCCCVIII : Quare, *inquit*, ille librariorum error antiquus; nam vix C mihi persuadere possum Anastasium hac in re lapsum esse. *Hactenus Pagius, veram quidem conjecturam de omisso numero* XXX *afferens non sufficientem tamen vel hujus conjecturæ, vel cur tres illi auctores Leo Ostiensis, Nicetas Paphlago, et Anastasius in annum 839 consentiant, rationem assignans, ita ut ratiocinatio ipsius videri possit nec clara, nec solida. Rem itaque totam paucis expedio.*

ut probatur

42 *Habeo hanc Anastasii Bibliothecarii, seu potius S. Bertharii, ut probavimus in Commentario prævio* §. XI, *enarrationem in duobus manuscriptis. Primum accepimus Neapoli, missum a P. Antonio Beatillo Societatis nostræ* XVIII *Septembris anni 1638, desumptum ex vetusto Passionario Mss. Neapolitani monasterii S. Mariæ montis Oliveti, ut in margine notatur. Aliud, vetustate pene consumptum, missum est Bollando anno 1660 a Silvestro Acosta Capuano, rectore ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani de Quadropanis. In his manuscriptis annus, quo sacra ossa dispersa sunt, dicitur fuisse Christi 838, quo translata 839, et additur :* Vigesimo quinto die mensis Octobris, *quo narrant sacrum corpus* in altario *reconditum : nostra igitur manuscripta corrupta sunt, vel corrupta sunt, quæ secutus est Acherius. At nostra corrupta esse, quæ Leoni Ostiensi, et Nicetæ Paphlagoni recte consonant, neutiquam est credendum : ergo numerum* XXX *ex Acheriano manuscripto excidisse, dicamus necesse est. Hinc itaque sententia, quæ statuit annum 809 sufficienter refutata est.*

ex manuscriptis,

Auctore J. S.

43 *Neque magnopere laborandum est, ut refutetur sententia Sigeberti, qui annum Christi 831 statuit. Nam repugnat auctoritas Leonis Ostiensis, et coævi rei gestæ S. Bertharii, vel, si velis, Anastasii. Præterea sub Sicardo Beneventano principe translationem factam videbimus : atqui hic principatum adeptus est anno tantum 833, ut Pagius, aliique scribunt : itaque non anno istius seculi 31, multo minus 9, verum, ut auctores supradicti asserunt, 39 corpus* S. Bartholomæi *Beneventum translatum est. Denique hanc sententiam confirmat Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi tom. 1 Bibliothecæ Labbeanæ pag. 120, ubi hæc habet :* Anno Domini DCCCXXXIX *corpus sancti* Bartholomæi Beneventum delatum est. *Hæc de tempore.* E

aliisque auctoribus :

44 *Nunc videndum, cujus potissimum pietate sacrum hunc thesaurum acceperit Beneventum. Marius de Vipera in Chronologia episcoporum Benaventanorum pag. 52 in Urso episcopo ita scribit ad propositum nostrum :* Ursus electus episcopus XL, eodem Pontifice Gregorio IV. Quo præsule principis Sicardi pietate, ac diligentia corpus gloriosissimi apostoli Bartholomæi fuit ex Lipari insula Beneventum translatum, et a Beneventanis magno cum gloriæ apparatu receptum, et inter eorum protectores adscriptus an. Do. MXXXIX die XXV Octob., et in ecclesia beatissimæ Virginis, quæ hodie metropolitana est, honorifice collocatum. Quæ translationis dies quotannis cum octava, et synodo litaniarum colitur. *Et post pauca hæc subdit :* Ecclesiam in apostoli Bartholomæi honorem, a principe Sicardo inceptam, episcopus noster Ursus perfecit, et dicavit. *Ita Beneventanus archidiaconus, laudem translati corporis Sicardo principi attribuens, quamvis in honorando Sancto episcopus suis partibus non defuerit. Ughellus tom. 8 editionis citatæ col. 42 maluit præcipuam hujus translationis laudem episcopo adscribere,* Ursonis quoque, *inquiens*, pietate ac diligentia corpus gloriosissimi apostoli Bartholomæi fuit ex Lipari insula Beneventum translatum. *Credibile est hortante episcopo id fecisse Sicardum. Quod spectat ad corpus receptum, templumque dicatum; consentit Viperæ Ughellus. Leo Ostiensis supra citatus tantum ait, id factum* superstite adhuc principe Sicardo. F

auctor translationis

45. *Herempertus vero id Sicardo principi tribuit tom. 5 Scriptorum rerum Italicarum pag. 32 hæc narrans :* Interea factum est, ut Tyrrheni æquoris insulas, Ausoniæque universa loca Sicardus princeps circumiret, et quotquot corpora Sanctorum invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Liparitana insula B. Bartholomæi apostoli corpus Beneventum magno cum tripudio deferri jussit. *Neque alium designat Nicetas Paphlago in Auctario Græcorum patrum novissimo Combefisii p. 400, ubi rem narrat hoc modo :* Longa itaque annorum decursa serie, extremis temporibus, in diebus Theophili imperatoris, capto ab

Sicardus princeps Beneventanus,

AUCTORE J. S.

ab Agarenis, ob plura nostra scelera, in quo sanctus Apostolus jacebat, præsidio, omnique Lipara insula manente desolata, Beneventanæ urbis regulus, Apostoli perceptis miraculis, ferventi erga Sanctum fide excitatus, Amalphitanæ urbis nautis aliquot convocatis, ac, quantas par erat, pecunias dare pollicitus, ire jussit, ac pretiosum illum thesaurum ad se deferre; quod et contigit. Quem dicebam itaque regulus longo procul a mari intervallo, accito loci episcopo, multisque aliis, tum ex clero, tum ex plurimo populo, *(Græce* καὶ τοῦ πλείστου λαοῦ, *quod perperam verum est,* ex vulgi plebe) in occursum Apostoli exivit; adductumque Beneventum sacrum pignus, in venerabili æde *(Græce* τόπῳ) deposuit : ubi etiam oppidanis omnibus sanitates præstans clarescebat magnus Apostolus, in Dei nostri gloriam, qui omnem boni rationem excedit. *Hæc ejusdem seculi scriptor Nicetas.*

hortante verosimiliter episcopo.

46 *Ex dictis itaque colligo primo, gloriam translati Beneventum sacri corporis Sicardo principi tribuendam, nec tamen omnino adjudicandam Urso vel Ursoni, ut alii vocant, episcopo,*
B *qui ad id videtur consilio et monitis concurrisse. Secundo, non casu Liparim delatas Longobardorum naves, sacrum pignus abstulisse; sed ut id facerent a Sicardo missas fuisse. Tertio, id factum esse, postquam Saraceni vastatam atque expilatam undique Liparam deseruissent. Quarto, hinc colligi potest, quod coævorum scriptorum auctoritate jam satis firmatum est, sacrum corpus avectum non esse metu Saracenorum adventantium, neque enim id Liparitani permisissent, qui Sicardo non erant subjecti. Nunc tandem quomodo facta sit translatio, quæque eam secuta sint miracula, subjiciendum.*

§ II. Translatio : miracula eam secuta.

S. Bartholomæus apparens

T*otam hujus translationis historiam jam dedimus post Orationem S. Theodori Studitæ : ne tamen quibusdam, qui miraculis et visionibus difficulter fidem adhibere solent, non satis unius testimonio firmata videatur, aliorum quorumdam de ea ex manuscriptis variis adjungam*
C *testimonia. In Ms. Lectionario bibliothecæ Mediceæ, ante citato, sequentia reperio :* Cum igitur Saraceni ejus ossa dispersissent; illis recedentibus apparuit Apostolus cuidam monacho, *(monachus hic a recentioribus passim Theodorus vocatur)* dicens : Surge collige ossa mea, quæ dispersa sunt. Cui ille : Qua ratione ossa tua colligere, aut aliquem honorem tibi exhibere debemus, cum nos deleri permiseris, nec auxilium nobis impenderis? *Hæc verba minus crude velim lector accipiat : nam videri possunt, et sunt revera, parum erga sanctum Apostolum reverentia : sed accepi possunt posteriora, ut pia querela, ex nimio tamen dolore, et simplicitate profecta; fere ut illa Psalmi 43 a ℣. 10 :* Nunc autem repulisti, et confudisti nos : et non egredieris Deus in virtutibus nostris, *et quæ sequuntur usque ad ℣. 18. Priora vero per modum admirantis, non vero nolentis sacra ossa colligere : sicut Joan. 4 ℣. 9 verba mulieris Samaritanæ ad Christum :* Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? *Ac si diceret : Quomodo, o Apostole, petis tibi a nobis honorem exhiberi, quos*
D *aversari videris, nullo nobis contra infideles præstito auxilio? Hæc de querela simplicis istius monachi, quæ durius forte, quam dicta fuit, ab auctoribus est descripta, quamvis eodem fere modo in quinque diversorum auctorum manuscriptis habeatur.*

monacho, jubet eum,

48 *Nunc quid responderit Apostolus audiamus :* Cui ille, *prosequitur auctor :* Per multum temporis meritis meis Dominus populo huic pepercit, sed eorum peccatis nimis invalescentibus, et usque ad cælum clamantibus, jam pro eis non potui veniam obtinere. Sed cum monachus diceret : Quomodo inter tot aliorum ossa sua invenire posset; ait : Nocte ad ea colligenda ibis, et ea, quæ ut ignem splendentia videris, protinus levabis. Qui omnia, ut dixerat, inveniens, Apostoli ossa levavit, et super quamdam navem conscendens, Beneventum, quæ est metropolis Apuliæ, ea transtulit. *A recentioribus dicuntur Salernum primo, inde mox Beneventum translata; quod unde acceperint, me latet. Prædicta omnia in quatuor manuscriptis, partim a coævis, partim ex coævorum testimonio exaratis, firmata habentur, additis tamen in quibusdam circumstantiis aliis, hic prætermissis.* E

sua ossa dispersa colligere,

49 *Verum non lubet accumulare cum tædio lectoris relationes ejusdem rei plane similes. Quapropter, omissis aliis, duorum tantum subjiciam auctorum coævorum testimonia. Ms. auctorum Lugdunensium, qui se omnia didicisse testantur ex Narbonensi episcopo, Beneventi tunc agente, post relatam sacrorum ossium dispersionem, sic pergit :* Verum omnipotentis Dei clementissima providentia, relicti sunt ibi tres, sive quatuor senes monachi, quos præ ætate vel miseratione vel contemptu dignos barbari judicaverant, quibus desolatis atque lugentibus per visum se beatus Apostolus ostendere dignatus est, eosque blanda consolatione refovens, ut sua ossa ad litus rejecta *(nam in mare projecta narraverat, de quo § superiore)* solliciti perquirere, atque colligere studerent, admonuit. *Uni monacho revelationem factam scribunt alii : plures tamen in insula monachos superfuisse habet etiam Ms. quoddam Ultrajectinum S. Salvatoris.*

quæ, signo splendoris collecta, Beneventani

50 Cumque illi ab eo quærerent, quo pacto illa a ceteris discrenere ossibus valerent? Ite, inquit, secreto noctis silentio per ora litoris, et ubicumque ad stellæ instar lucis radium coruscare videritis, ea fidenter legite, et diligenter F fidelibus profutura recondite. Jerunt itaque, et promissi splendoris indicio collecta, rursus sub altaris secreto cum omni gaudio, ac diligentia locaverunt. Interea dum hoc solo fruuntur solatio, nec quidquam aliud sibi agendum, nisi ad tanti Patroni gremium moriendum esse decernerent; adfuit divino nutu navis Beneventanorum, quæ ad exploranda hostium molimina fuerat definita : qui egressi, cum totam late insulam depopulatam vacuamque reperissent, pia stimulante cura locum Apostoli corporis properantes adeunt, quem sibi notissimum et votiva frequenter visitatio, et pervulgata Apostoli virtus effecerat, cupientes videlicet, si illud inibi reperirent, sicut ex longo jam tempore optaverant, multisque precibus sive etiam muneribus expetierant, tam gloriosi pignoris patrocinium ad propriam urbem transferre.

transferunt per mare Beneventum.

51 Inventis autem senibus illis lugentibus, et Christiana pietate consolatis, poscunt obnixe, ut sibi desideratum munus ostenderent. Cumque excusarent, nec locum illum tanto patrocinio privari pateren-

A paterentur, Beneventani illi severius imminentes, districtis gladiis præsens eis exitium minabantur, nisi summa celeritate, quod petebant, ostenderent. Victi ultimæ necessitatis articulo, divinum thesaurum pandunt, id summopere deprecantes, ut quocumque ille transferretur, sibi quoque pariter peregrinari, et commorari liceret : quod illi citissime, et libentissime annuentes, ac juramento firmantes, arrepto reverendi pignoris loculo, hostium metuentes insidias, velocissime discedunt. *De vi monachis illata alii auctores non meminerunt.*

juvante miraculo.

52 Verum ubi ascensa navi, flatu venti congruo pelagus sulcare cœperunt; subsecuta continuo inimicorum puppis, periculosissime adpropinquare cœpit; sed illis Apostoli præsidium implorantibus, mira omnipotentis Dei virtute, mox unus ille flatus venti, qui et fidelibus ad fugiendum, et perfidis ad insequendum indiscrete suffragari videbatur, in semet divisus, cœpit illos optabili celeritate ad litus impellere, istos vero impetu violento retrorsum agere, ac stupentes longius propulsare. *Alii narrant tenebras ortas, qui-* B *bus hostium visus fuit impeditus.*

et Apostoli apparitione iterata :

53 Cumque jam, beato Apostolo famulante, ad locum quemdam tuti litoris perlati essent, ibique ob reparationem virium paululum quiescentes, somnum caperent; ecce iterum clementissimus Patronus nauclero dignatus assistere; Ocius, inquit, abscedite, nam inimicorum navis propinquat. *(Hanc apparitionem omittunt alii.)* Expergefactus ille accelerat abscessum, et patrium feliciter cum sociis ingreditur portum. Itaque omnis Beneventi civitas tam pio et jucundo nuntio gavisa, simul cum pontifice et populis cælestem alacriter excepit Patronum, ac fide promptissima, et devotissima templo eximii operis ædificato, ad perpetuam sibi tutelam, sacra pignora locaverunt.

ut retulit episcopus, tunc iis in partibus agens :

54 Erat iisdem diebus illis in partibus, quorumdam iniqua insectatione peregrinus, vir valde fidelis, et venerabilis vitæ, Narbonensis episcopus, qui, rogante præfatæ urbis antistite, novam Apostoli basilicam Domino dedicavit, beatas reliquias condidit, et ex more Missarum solemnia celebravit; nec non et partes piorum pignorum, multis per Gallias locis ex benedictione Christi impertivit, præcipue Lugdunensium civitati, ubi C jam venerabilis Apostoli memoria, in venerabili martyrum crypta, reverenter excolitur, a quo minimi omnium fidelium hæc omnia certa relatione didicimus, quæ ad ædificationem legentium, opitulante Domino, memoriæ mandare curavimus. *Hæc quidem Lugdunensium relatio non in omnibus consentit cum aliis aliorum auctorum : addit enim quædam ab aliis omissa, quædam narrat modo paupulum diverso : neque ideo tamen absolute videtur falsitatis arguenda : quippe episcopus ille hæc discere potuit vel ex monachis ipsis, vel ex aliis, qui Lipari fuerant, sacrumque corpus Beneventum advexerant. Ceterum, cum mutationes illæ, quas suis locis notavi, rei substantiam non mutent, judicium de iis lectorum permitto arbitrio.*

quis ille fuerit exponitur.

55 *Episcopus autem Narbonensis, ex cujus relatione hæc scripta, quique ecclesiam* S. Bartholomæi *dedicasse hic dicitur, fuisse videtur Bartholomæus primus hujus nominis archiepiscopus Narbonensis, qui Lotharii partibus adhæsit contra Ludovicum pium imperatorem ipsius patrem, ut Sammarthani tom. 1 Galliæ Christianæ pag. 369, aliique historici Galli referunt, eaque de causa in Italiam fugit, quodque inimicus esset etiam Caroli Calvi Ludovici filii, sub illius imperio in episcopatum suum non est restitutus, ut narrat Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 844, num. 36. Romæ ille circa annum 844 per Pontificem restitui petiit, sed frustra. Potuit igitur hic Beneventi eo tempore degere, ac templum mandante episcopo Beneventano dedicare, aliquasque demum Sancti reliquias, ut narratur, in Galliam portare. Habes, lector, cujus fide nitantur, quæ in Lugdunensium relatione aliis sunt adjecta, quæ ideo ab aliis differre videtur, quia scripta est, sicut rem totam memoria retinuerat ille episcopus.*

AUCTORE J. S.

Alius item narrat sacra ossa dispersa,

56 *Demum subjicio historiam totam cum miraculis subsecutis, fidelissime, ut videtur, scriptam a teste in multis oculato, sed minus Latine docto, cum solœcismos immisceat non paucos. Habemus illam ex Legendario Ms. Vallicellensi, num. 1, fol. 247; habuerunt et illam iidem Lugdunenses Benevento, ut testantur, acceptam, ac suæ relationi subjecerunt, correctis tantum utcumque solœcismis et barbarismis, ex quorum* E *correctione illam hic subjicio :* Capta ac vastata Sicilia, supervenientes Saraceni, deprædaverunt atque depopulaverunt Lypparim, insulam vicinam; et rumpentes sepulchrum S. Bartholomæi, disperserunt ossa ejus per diversa. Tunc per visionem apparens idem Apostolus Dei cuidam Græco monacho, qui fuerat custos ecclesiæ illius, ait illi : Surge, collige ossa mea, quæ dispersa sunt. Cui ille respondit : Quare ossa tua debemus colligere, aut aliquem tibi honorem facere; cum tu dimiseris nos, et populum istum a paganis deleri, et non nos adjuvisti? At ille dixit : Per longa annorum curricula pro hoc populo Deum precatus sum, et meis precibus concessit Deus; unde usque nunc constiterunt securi; sed quia multiplicata sunt mala ipsius, et crevit iniquitas ejus nimis, non jam impetrare potui a Deo, quod pro eo rogavi, ideo periit. Tu surge tantum, et collige ossa mea et reconde, ut tibi præcipio. Cui ille monachus ait : Et quomodo ea invenire potero, qui nescio ubi dispersa sunt? Dicit ei Apostolus : Nocte vade ad colligenda ea, et ubi videris aliqua resplendere ut ignis, hæc leva, quia ipsa sunt ossa mea. F

jussuque Apostoli collecta, ac Beneventum portata,

57 Qui statim surgens, perrexit ad locum, et invenit sicut ei Apostolus dixerat, et collegit ea indubitanter, et recondita in vase, abscondit, et abiit, relicto ibi socio suo. Cumque pro exquirendis Saracenis illuc Longobardorum irent navigia, inventum ibi prædictum monachum, et S. Apostoli corpus tulerunt, et abierunt. Supervenientes autem Saraceni, circumdederunt navem illam, ubi sanctum ducebatur corpus Apostoli; ita ut spes evadendi non esset. Tunc subito factæ sunt densissimæ tenebræ ante Sarracenorum naves, ita ut nescirent, quo pergerent, et liberata est navis illa. Cum adhuc in mari navigarent, unum ex nautis ejusdem navis a gravi infirmitate salvavit Deus. Exuentes autem in terram, cum magno honore Beneventum duxerunt sanctum corpus Apostoli Dei, et in altario recondiderunt anno ab Incarnatione Domini octingentesimo trigesimo nono, vigesimo quinto die mensis Octobris.

ubi suavis odor, et multi sanati,

58 Ante vero quam in altario conderetur, ut scrupulum dubitationis de corde omnium auferret Deus, facta sunt miracula curationum plurima ab eodem Apostolo; e quibus aliquanta ad confir-

AUCTORE J. S.

confirmanda corda audientium enarramus. Cum enim corpus beati Bartholomæi apostoli in ecclesia S. Laurentii foris Beneventum adhuc inhumatum servaretur, die secundo postquam adductum est, subito factus est ibi odor nimiæ suavitatis, et dum iste odor maneret, sanata est ibi mulier, quæ acrius a dæmonio vexabatur.

Interposito autem die uno iterum unus puer, qui longo tempore graviter a spasmo lacerabatur, sanatus est ibi.

Deinde quidam clericus, qui gravem dolorem capitis diuturne patiebatur, illic effectus est sanus.

Inde etiam alius clericus, cujus unum oculum album totum infirmitas a longo tempore fecerat, per orationem beati Bartholomæi apostoli, statim illic sanitatem recepit, ita ut nulla ei macula in eodem oculo remaneret : sed similem alteri sano oculo effectum inde reportavit, agens gratias Deo.

repetitus odor, et sanationes;

59 Post hæc iterum odor magnus effectus est, et manente eodem odore, quidam adolescens, qui illic jacebat præ infirmitate sua, quoniam B longo tempore fuerat claudus, nec aliter incedere poterat, nisi alienis manibus portaretur; subito ita sanus effectus est, ut surgeret et ambularet, et nullum pristinæ infirmitatis haberet indicium.

Iterum quidam homo, cui per longum tempus nimie doluerat una coxa, veniens ante corpus ejus, jacuit postulans sanitatem ab eo, qui media nocte, divina gratia sanus effectus, recessit.

Deinde unus puerulus ex nobili genere ortus, qui fortiter ab immundo spiritu vexabatur, sero veniens jacuit ibi, et mane sanus recessit.

. Nec non et quædam mulier cum nimia febre illuc veniens, ante corpus Apostoli se projiciens, postulabat misericordiam Dei, quæ intercessione sancti Bartholomæi sana recessit, gratiam dans Deo.

Iterum quidam clericus, qui acriter fatigabatur a dolore coxæ, illic salvatus est.

Alter quoque claudus adductus est ad corpus S. Bartholomæi apostoli, qui devote se ante corpus ejus clericavit *, et statim sanus effectus recessit.

* Auctor Beneventanus, Devotavit se clericatui

Quidam presbyter per annum integrum gra- C vem dolorem renum patiebatur, qui devote veniens, jactavit se in oratione illic, et sanus inde surrexit.

Similiter et alteri presbytero de diuturno capitis dolore evenit.

Venit etiam quidam adolescens cum nimia febre, et solutione, et vomitu, jam morti proximus, et clericavit se ibi, postulans sanitatem ab Apostolo Dei, qui statim sanus factus est, et recessit valens.

Quædam sanctimonialis fæmina illuc veniens, oculos lippos habens, jacuit ibi aliquibus diebus, et salvara est.

Altera sanctimonialis fæmina, quæ laborabat nimia febre, et tinnitum gravem patiebatur capitis per longum tempus, et unum brachium læsum habebat, ita ut illam manum non valeret sibi ad os ducere; jacuit ante corpus Apostoli, et de omnibus recessit sanissima, agens gratias Deo.

Post hæc quidam Græcus, et unus puer cum febribus venientes, jacuerunt ibi, et sani effecti recesserunt.

Iterum quædam mulier præ dolore oculorum diu non videns, adducta est illuc, quæ aliquamdiu illic jacens, illuminata, et sine dolore recessit. D

Quædam etiam puella, quæ longo tempore fuerat paralytica, et omnibus membris dissoluta, projecta est ante corpus. S. Apostoli, cui divina gratia per meritum beati Bartholomæi apostoli, ita integerrimam præstitit sanitatem, ut nec signum pristinæ infirmitatis in ea reperiri posset : sed valens ac læta recessit, exiliens et laudans Deum.

oleum recusatum miraculose;

60 Quadam die venit mulier quædam deferens oleo plenum vas fictile, et erat cauma, et oleum in eo liquatum erat. Petiit, ut ex eo mitteretur in lampadem, quæ juxta corpus Apostoli ardebat. Sumentes ministri vas, inclinabant illud, ut ex eo in lampadem mitterent, et penitus nil exibat de vase. Mittebant digitos suos in vas, et palpabant plenum esse liquato oleo, similiter aspicientes, videbant illud plenum liquato oleo, et inclinantes super lampadem nil decurrebat ex eo. Quidam vero ex ministris ait : Puto non est acceptum beato Bartholomæo de hoc oleo fundi in lampadem suam; evacuetur in aliud vas. Inclinatum autem in aliud vas, sub omni celeritate (ut olei liquati mos est) evacuatum est vas, de quo prius exire super lampadem nil valebat. E

sanati auctori cogniti.

61 Possumus namque veracius et nomina eorum, in quibus prædictæ virtutes divinitus sunt operatæ, dicere; et ubi habitant, innotescere; ut, quia omnes vivunt, qui hoc legerint inquirentes, agnoscant quia vera sunt, non solum hæc; sed et multa alia, quæ hic scripta non sunt. Sed quia, qui præsto sunt, bene sciunt, quia vera sunt, etiam et illos noscunt, in quibus peracta sunt, futuris non ingeramus fastidium, computando vocabula hominum et locorum, sed credant scriptis, et credentes referant Deo et Domino Jesu Christo laudes et gratias, qui magna per Sanctos suos ad nostram salutem operari dignatur, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

§ III. Facta Beneventi ad honorem Sancti : aut ad eum spectantia.

F

Cultus Sancti Beneventi :

Marius de Vipera in Catalogo Sanctorum ecclesiæ Beneventanæ refert, tribus vicibus per annum festivitatem S. Bartholomæi ibidem celebrari; nimirum XVII *Junii translationem ex India, ut vocant, in Liparam insulam;* XXV *Octobris translationem Beneventum, et* XXV *Augusti, quo eum die et Romana celebrat Ecclesia. Ad diem autem* XXV *Augusti hæc de ejus solemnitate exaravit :* Cujus sancti Apostoli natalem colit ecclesia Beneventana solemni pompa cum octava, et synodo diœcesana, et per archiepiscopum cum suo capitulo fit cappella in condigno templo eidem Apostolo excitato, ubi non absque magno populi concursu celebrat, et per quindecim dies solemnes nundinæ Beneventi habentur. Et in die octava ibidem fit cappella per canonicos, et clerum cathedralis. Quod templum fuit a Sicardo principe quinto Beneventano magnifice inceptum anno Domini DCCCXXXIX, et ipso de medio sublato, fuit ab Urso· electo Beneventano augustissime perfectum. Et in hac eadem die fuit solemni ritu consecratum ab Arnaldo archiepiscopo Beneventano, et in eo corpus

A pus gloriosi Apostoli (quod in insigni basilica Genitricis Dei Mariæ, quæ hodie cathedralis est, asservabatur) translatum anno salutis MCCCXXXVIII de licentia Benedicti Papæ XII, ut per ejus bullam sub datum Avinioni quarto Idus Maii ejusdem prædicti anni, Pontificatus sui anno quarto. Cujus sacrum corpus multis quoque fulget miraculis, et præsertim in liberandis energumenis, maximaque populi frequentia veneratur. *Hactenus Marius, quoad cultum Sancti eadem fere referens in festo translationis ad* XXV *Octobris. Verum quod de templo Sancti narrat, neque clare est expositum, neque videtur verum.*

quæ prima S. Bartholomæi ecclesia?

63 *Nam templum, ab Arnaldo archiepiscopo dedicatum, non est illud, quod struere cœpit Sicardus, et Ursus episcopus perfecit, cum illud ab eodem Urso dedicatum, sanctique* Bartholomæi *corpore ditatum ipse scribat Marius num. 4 citatus, non satis hic sibi consentiens. Templum autem a Sicardo incohatum, perfectumque ab Urso, non fuit separatum ædificium, sed sacellum magnificum in ipso cathedrali templo S. Apostolo erectum, ut recte eminentissimus Cardinalis Ursinus, postea Benedictus Papa XIII, in bulla de* S. Bartholomæi *reliquiis infra edenda, his verbis :* Capellam cathedrali in ecclesia statuere cœpit *(Sicardus,)* quam morte præventus imperfectam reliquit, et Ursus Beneventanus tunc Pontifex absolvit, in eamque corpus transtulit die XXV Octobris anno DCCCXXXIX. *Huic sacello donata quædam ab imperatrice Flora Lotharii uxore, scribit in historia Italica regni Neapolitani Franciscus Capece Latro, ac simul dicta nostra confirmat, cujus verba lib. 1, pag. 33, sic reddo Latine :* Post hæc Flora imperatrix uxor Lotharii multa cum magnificentia intravit Beneventum, pretiosaque dona dedit sacello S. Bartholomæi, ædificato magnifice a Sicardo principe quinto istius civitatis. . ., in quo sacello non conspicitur aliud visu dignum, dignumque pro ornatu et reverentia corporis Apostoli, ibi quiescentis, præter magnificentiam antiqui ædificii. *Falco in Chronico Beneventano ad annum 1137 hanc refert historiam, et* Floridam *vocat imperatricem, quæ, inquit,* Missarum solemnia ibi audiens, pallium quoddam super altare B. Bartholomæi, et libram unam argenti obtulit. *Hoc igitur in sacello in ipsa cathedrali ecclesia sacrum pignus servatum per annos fere quingentos, nempe usque ad annum 1338. Hinc mirum videri non debet, sacellum illud, licet magnificum initio, lapsu temporis minus dignum fuisse, ubi sacrum Apostoli corpus servaretur.*

Archiepiscopus Beneventi in honorem Apostoli constitutus.

64 *Anno Christi 969 Joannes XIII, concilio Romæ habito, episcopum Beneventanum, tum temporis Landolphum, ad archiepiscopi dignitatem promovit,* Quoniam, *inquit in bulla sua,* sancta sedes est, ubi beati Bartholomæi Apostoli corpus requiescit. *Bullam habes apud Ughellum tom. 8 a col. 61, et Harduinum in Actis conciliorum tom. 6, part. 1, col. 679 cum omnibus Cardinalium et episcoporum subscriptionibus. Hactenus retulimus ea, quæ facta sunt, cum Sancti corpus certo erat Beneventi. Nunc quædam referemus, quæ contigerunt postquam illud inde ablatum fuisse Romani contendunt, de qua controversia agemus inferius. Non lubet tamen quascumque principum virorum aut feminarum ad istud peregrinationes, neque indulgentias sacello concessas latius prosequi, ne nimium excrescat hic commentarius; quædam de his tamen referenda erunt, cum modo dictam de corpore controversiam enarrabimus. At, quod proprius ad Sanctum spectat, miraculum quoddam, seu apparitio, quæ a quibusdam narratur, hic inferenda.*

AUCTORE J. S.

Apparitio S. Bartholomæi cum aliis :

65 *Vipera mox memoratus in Chronologia episcop. Benevent. pag. 121, relata clade, qua Fridericus II imperator Beneventum affixit circa annum 1240, hæc subdit :* Et non propterea ex prædictis iniquissimus imperator furorem extinxit, imo peior effectus, adeo ut aliquot post annos in talem rabiem devenerit contra Beneventanam urbem, quod per suum irrevocabile decretum mandavit dirui omnes ecclesias, quæ Beneventi erant, nec non civium reliquias, quæ ex prædicto excidio evaserant, ad alia loca transferri. Sed divina succurente misericordia, dum prædictum executioni demandare se accingebat, miraculum memoriæ dignum Beneventi successit. Vir quidam ex Beneventanis, quosdam viros abbates, et fulgentes invenit in platea, qui ad invicem loqui, et intra se aliqua tractare videbantur. Qui cum vehementer admirans, quinam essent interrogasset? Unus eorum respondit : Iste est Bartholomæus apostolus cum ceteris Sanctis, quorum in hac urbe ecclesiæ habebantur, ut inter se inquirerent, et tractarent quali pœna esset ille plectendus, qui eos de habitaculis suis ejecit. Et inter eos inviolabili sententia est firmatum, ut ille sine mora ad judicium Dei accedat, de his omnibus in ejus judicio responsurus. Post modicum vero tempus imperator a Manfredo spurio filio fuit miserabiliter extinctus anno Domini MCCL. *Hæc Vipera, citans in margine* Claudium de Rota, et Jacobum de Voragine, *qui idem narrant in Actis* S. Bartholomæi. *Ughellus autem col. 138 :* De miraculo, *inquit,* quod Vipera refert ex Voragine in Actis S. Bartholomæi apostoli, puto non esse ambigendum.

nova S. Bartholomæi structa basilica, cui corpus illatum

66 *Anno Christi 1338, extructa Beneventanorum liberalitate nova, eaque propria* S. Bartholomæo *ecclesia, templo cathedrali contigua, in eam sacrum corpus translatum, honorificeque depositum fuit per Arnaldum de Brusacco ex ordine Minorum archiepiscopum Beneventanum, consentiente ad id Benedicto XII Romano Pontifice. Horum bullas recitat Ughellus col. 146, et dabuntur in Bulla Cardinalis Ursini, inferius subjicienda. De templo autem hoc, quod satis amplum fuit atque magnificum, ita scribitur in epistola quadam eminentissimi Cardinalis Ursini Benevento huc missa* XIX *Junii anni 1699 :* Per civitatem, ac etiam cleri et fidelium collatis oblationibus, ampla basilica, cum tribus tholis, sive hemisphæriis, et ex his uno Romani Pantheonis instar circumacto, constructa, in capite ejusdem decentissima per Arnaldum archiepiscopum ornata fuit capella, non solum contigua, sed ita adjuncta ecclesiæ cathedrali, ut in eam per ostium pateret aditus ; et e cathedrali ad S. Bartholomæi basilicam, e basilica in cathedralem, sacerdotes cœlestem hostiam immolaturi, sacris vestibus induti, quotidie accederent, licet tres aliæ fores in templi fronte, ubi etiam excelsa surgebat porticus, haberentur. *Ingentem porro fuisse ad hoc templum populi,* S. Bartholomæum *venerantis, confluxum, patebit ex variis Pontificum bullis per decursum citandis. Porro antequam translatio facta est, sacra ossa coram provinciæ episcopis fuere recognita, et arca marmorea, cui catenus sacrum corpus fuerat inclusum, imposita fuit alteri arcæ ex ære conflatæ, ut infra latius enarrabitur.*

67 *Anno*

Auctore J. S.

in collegiatam erigitur : corpus decentius locatum,

67 *Anno 1350 Stephanus Beneventanus archiepiscopus,* Consentiente capitulo, *inquit Ughellus col. 148,* ecclesiam ipsam S. Bartholomæi in collegiatam erexit, et capellanos ejusdem in canonicos, et capitulum; ubi perpetuo stabilivit duodecim clericos divinis laudibus servientes. *Bullam, in qua hoc factum legitur, tradit ibidem Ughellus. Anno 1672 rursus sacra ossa decentius locata, ut eidem Ughello additum ab editore Nicolao Coleti, hoc modo :* Joannes Baptista Foppa *(archiepiscopus,)* in insigni D. Bartholomæi apostoli, ac præcipui patroni templo, suo, aliorumque collato ære, nobilem confessionem, instar illius Vaticanæ basilicæ, pretioso marmore ditatam, extrui curavit, atque in eleganti ejusdem confessionis ara, sacra Apostoli præfati lipsana MDCLXXII recondidit, *translata scilicet ex sacello, in quo per Arnaldum fuerant recondita. Hoc in loco sacra lipsana permansere usque ad annum 1688, quo terræ motu concussa civitas Beneventana, tota fere corruit una cum templo* S. Bartholomæi, *cujus tamen arca servata inter ruinas est integra, et*
B *post septem menses e ruderibus eruta. Ruinam hanc, ex qua non sine miraculo evasit incolumis, refert Cardinalis ipse Ursinus, tum Beneventanæ ecclesiæ præsul, in epistola dedicatoria ante dissertationem pro corpore* S. Bartholomæi *Benevento asserendo editam, hoc modo :*

basilica terræ motu collapsa, arca continens corpus

68 Notum certe factum est omnibus, quantus terræ, memoria mortalium, acciderit motus die V mensis Junii anni MDCLXXXVIII, quo non aliquæ domus solum, aut familiæ periere; sed civitas hæc universa, 1367 e suis interemptis, subversa est in momento. Nihil immune, et innoxium fuit. Metropolitana partim quassata, partim eversa, archiepiscopium funditus dirutum extitere. Basilica vero S. Apostoli Bartholomæi in aliis hujusmodi motibus indemnis, et toties defuncta metu, vasta convulsa ruina dissiluit. In tanta rerum clade, a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris, ut arca, in qua gloriosissimi apostoli Bartholomæi pretiosissimum corpus reconditur, etsi basilicæ parietes, a suis sedibus revulsi, in illam deciderint, marmoreas circumstantes columnas confregerint, tantumque lapidum superinjectum acervum reliquerint, ut ante diem septimum Februarii subsequentis anni MDCLXXXIX
C extrahi non potuerit; eo tamen die integra prorsus reperta est. Accurrere quotquot residui fuerant, ut post ruinarum diluvium, arcam, non in montium jugis positam, sed e ruderibus erutam, lacrymis, præ lætitia obortis, perfusi intuerentur. *Qualis sit arca describit laudatus Cardinalis, ut sequitur :*

integra reperta : qualis hæc?

69 Ea est ex ære cyprio, alteram continens marmoream arculam, aliquantulum acuminatam, et in quatuor lateribus liliorum floribus incisam, altitudinis palmi unius, et unciarum trium cum dimidia, latitudinis vero unciarum decem, cannabinis alligatam chordulis, aliqua ex parte nimia præ vetustate attritis, singulis desuper suo modo collectis, et super nodos extant in capite sigilla quinque in cera Hispanica impressa, nempe tria magna, et duo parva : nec non alia duo item parva supra eamdem, quamdam quasi crucem efformantia, et circumcirca alia tria sigilla magna cum effigie B. Virginis, et ejus, qui arculam obsignaverat, archiepiscopi, in quorum uno aquilæ velut effigies apparet, in reliquis nulla impressionis vestigia ob vetustatem reliqua sunt. Quibus visis, et in publicas tabulas relatis, arca exterior ex ære cyprio, ut prætulimus, rursus D
clausa et obsignata nostro sigillo, recondita fuit sub altare marmoreum in capite quintæ navis nostræ metropolitanæ ecclesiæ, ubi nunc extat.

Basilica reædificata,

70 *Eruta autem e ruderibus et in metropolitana ecclesia deposita sacrarum Apostoli reliquiarum arca, laudatissimus Cardinalis diligentissimam navavit operam, ut* S. Bartholomæi *basilica quam primum restauraretur. Hoc ipse narrat in præfata epistola his verbis :* Somnum tamen non dedimus oculis nostris, et palpebris nostris dormitationem, et requiem temporibus nostris, donec inveniremus nostro Patrono locum, tabernaculum Apostolo Domini. Jacto itaque per nos stato ritu primario lapide, die XIII Martii MDCXCII, Deo auxiliante, ejusque beatissimo Apostolo solatium præbente, basilicam ipsam nostris, cleri, et populi impensis non solum inchoatam, sed et in altitudinem incrementum accipientem, in hanc metropolitanam ad præfatum provinciale concilium *(celebratum anno 1693 mense Aprili)* convenientes vidistis, et ea, qua polletis, humanitate, qua commendastis, qua ad expeditam consummationem nos impulistis, sacrarum reliquiarum translationi interesse quam primum concupientes. E
Hæc Ursinus anno 1694 die XIX *mensis Martii, quando, ut ait,* Chorus prope ad fastigium perductus *erat,* sacristiæ perfectæ, opus in dies assurgebat.

corpusque in ea repositum.

71 *Tenuit tamen hæc templi, utpote magnificentissimi, structura occupatum virum eminentissimum usque ad annum 1698 ; quando, perfecta basilica, omnibusque ad solemnem translationem paratis, concilium provinciale secundum habuit, in quo sacra ossa per juratos anatomicos diligenter recognita, et numerata, deindeque urnæ porphyreticæ imposita, magna cum veneratione in novum templum translata, et ibidem* in principis æræ camera *per Cardinalem archiepiscopum locata sunt. Quæ, aliaque in hoc concilio peracta, uti et pleraque hoc § disputata, abunde docet ejusdem eminentissimi Cardinalis Bulla,* XV *Maii anni 1698 in lucem emissa, quam integram hic subjicere visum est. Titulus autem bullæ hic præfigitur :* Bulla elevationis, recognitionis, ostensionis, repositionis, translationis, et consignationis sacri corporis gloriosissimi apostoli S. Bartholomæi in nova ecclesia, Beneventi eidem erecta, decreto sacri F
concilii provincialis secundi, anno Domini MDCXCVIII mense Majo, præsidente emin. Cardinale Ursino archiepiscopo metropolita cum aliis quatuordecim episcopis comprovincialibus, aliisque inferioribus ordinariis, nec non quatuor absentium episcoporum suffraganeorum procuratoribus, novemque exteris episcopis, sacras prædictas functiones honestantibus. *Quia vero bulla longior est, in quatuor eam partes divisi, quidque in singulis partibus tractetur, brevi apposito titulo, et in margine adjectis additionibus indicavi : en itaque bullam ipsam.*

PARS.

A

PARS I

Continens ea, quæ facta sunt usque ad annum MDCLXXXVIII.

Divinas miserationes confitetur;

Frater Vincentius Maria, ordinis Prædicatorum, miserat. D. tit. S. Sixti, S. R. E. presb. Card. Ursinus, S. Beneventanæ ecclesiæ archiep. metropolita, de assensu, et consensu reverendissimorum DD. coepiscoporum nostrorum, qui in nostram S. provincialem synodum convenerunt. Ad perenne rei monimentum. Benedictus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui ita consolatus est nos in omni tribulatione nostra, ut potuerimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura fuerunt, ob civitatem hanc nostram, decem ab hinc annis, non solum concussam, et terræ moventis tempestatibus jactatam, sed et in ruinam, et pulve- B rem redactam; idem namque misericors, et miserator Dominus, juxta divitias bonitatis suæ, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, quinimo nos erigens elisos, omnia quæ corruerant allevavit, et multis ærumnis, et calamitatibus afflictos, multiplici etiam gaudio, ex apostoli sui Bartholomæi gloria, consolatus est.

quod terræ motu

73 Nemo quippe est, qui nesciat terræmotu diei quintæ mensis Junii anni MDCLXXXVIII, tantam accidisse huic nostræ civitati cladem, quantam neque majores nostri meminerunt, cum nihil integrum remanserit, excepta metropolitanæ campanaria turri, in qua, juxta tunc exortum proverbium, inscribi poterat: Beneventum hic fuit. Quæ urbis facies, quis aspectus tunc rerum undequaque luctuosus, et miserabilis; quæ civium MCCCLXVII interemptio; quæ ædificiorum prope universorum pernicies! Metropolitana quinque naves quassata, transversam vero navim cum choro, secretariis, et bibliotheca, dejecta, et prostrata, archiepiscopio funditus diruto, basilica S. Bartholomæi apostoli, aliis motibus inconcussa, a fundamentis eversa, nec C sine acerbissimo doloris sensu commemorari potest, nec certe commemorare necesse est, cum non desint qui oculis suis perspexerint, et passi sint, et nos etiam e ruderibus eruti, licet oculis calcario pulvere læsis, et vidimus, et omnium miserias paterna miseratione complexi sumus.

sacrum Apostoli corpus illæsum:

74 Sed in tanta calamitate dives in misericordia sua Deus magnam tribuit spiritualis lætitiæ materiam, futuris omnibus generationibus prædicandam. Ipse namque, qui Sanctorum suorum ossa custodit, glorisissimi apostoli Bartholomæi sacratissimum corpus, sub basilicæ suæ dirutis parietibus menses circiter novem alte sepultum, ita custodivit, ut, quo modo Arnaldus de Brusacco ordinis Minorum prædecessor noster collocaverat, eodem prorsus aptatum, et servatum invenerimus.

illud Lipara Beneventum translatum,

75 Quod ut clarius innotescat, rem altius repetendam ducimus. Anno siquidem post Christum natum DCCCXXXVIII Liparitana insula ab Saracenis occupata, inter cæteras clades, illa cumprimis omnem excessit sævitiam, qua S. Bartholomæi corporis ossa, ex urna, qua condebantur, extracta, nefarii viri dispersere: Theodorus au- D tem monachus, qui fuerat sacri depositi custos, per quietem ab Apostolo ipso monitus, dispersa collegit, et Samnitium classe, quæ seram opem allatura advenerat, Salernum petit, et Sicardo V. Samnitium principi cælestem tribuit thesaurum, quem ille Beneventum detulit, ac pro eo decenter servando capellam cathedrali in ecclesia statuere cœpit, quam morte præventus imperfectam reliquit, et Ursus Beneventanus tunc pontifex absolvit, in eamque corpus transtulit die XXV Octobris anno DCCCXXXIX, qui dies publica diœcesani cleri prece (quam litaniarum synodum vocant) quotannis celebratur.

Otho III petens, accipit corpus S. Paulini.

76 Cum autem pretiosissimum Apostoli corpus multis miraculis Beneventi fulgere fama ubique terrarum referret, Otho III imperator « anno » ab Incarnatione Domini millesimo, Beneven- » tum venit » (Leonis Ostiensis verbis, juxta accuratiorem Angeli de Nuce Archiepis. Rossanensis lectionem, utimur) « et causa pœni- » tentiæ, quam illi beatus Romualdus injunxe- » rat, abiit ad montem Garganum. Reversusque » consequenter Beneventum, petiit a civibus E » corpus S. Bartholomæi apostoli, qui nihil » tunc illi negare audentes, habito cum archi- » episcopo, qui tunc eidem urbi præerat, con- » silio, callide illi pro corpore Apostoli, cor- » pus B. Paulini Nolani episcopi, quod satis » decenter apud episcopium ipsius civitatis erat » reconditum, ostenderunt, et eo sublato, re- » cessit, tali fraude deceptus. Quod postquam » rescivit, nimium indignatus, corpus quidem » confessoris, quod detulerat, honorifice satis » apud insulam Romæ recondidit, sequenti ve- » ro tempore perrexit iterum super Beneventum, » et obsedit eam undique per dies multos: sed » nihil adversus eam prævalens, Romam rever- » sus est. Unde vix ad sua reverti incipiens, » mortuus est apud oppidum, quod nuncupatur » Paternum. »

Basilica propria S. Bartholomæo erigitur,

77 Cum itaque S. pontifex Paulinus, qui seipsum vivum pro viduæ filio Wandalis tradidit, seipsum quoque mortalitate functum pro beatissimo Bartholomæo apostolo Othoni III, ne tanto thesauro Beneventum viduaretur, tradidisset, civitas nostra omni defuncta metu, cælesti recondendo thesauro propriam ecclesiam erigen- F dam curavit, in quam recolen. mem. Arnaldus de Brusacco ord. Min., archiepiscopus prædecessor noster, sacrum Apostoli corpus translaturus, a felic: record: Benedicto PP. XII hanc facultatem petiit, et obtinuit, acceptis Apostolicis litteris tenoris, qui sequitur:

annuente per bullam Pontifice

78 « Benedictus Episcopus servus servorum » Dei venerabili fratri Arnaldo archiepiscopo » Beneventano salutem, et Apostolicam bene- » dictionem. Qui suscepta de manu Domini su- » pernæ benedictionis palma in perennitate con- » sistunt laudis, et gloriæ devoto metuendi sunt » animo, et omni veneratione colendi, ut ipsi » apud divinam clementiam, cujus visione fru- » untur, tanto promptius intercedant pro pec- » catoribus, quanto eorum animos devotiores » ad laudandum in Sanctis suis Dominum per- » spexerint, et ad exercitium bonorum operum » magis aptos. Sane fraternitatis tuæ petitio no- » bis nuper exhibita continebat, quod tu atten- » te considerans, quod corpus B. Bartholomæi » apostoli, quod olim ad tuam Beneventanam » ecclesiam extitisse dicitur miraculose transla- » tum, in loco indecenti, et minus indoneo ipsi » eccle-

A » ecclesiæ contiguo conservatur, et propterea » cupiens illud in loco honesto, et honorabili » collocari, zelo devotionis accensus in quadam » speciosa capella ecclesiæ prædictæ similiter con» tigua, quam venerando ipsius Apostoli voca» bulo insignitam cives Beneventani jam dudum » ab antiquis temporibus in honorem ejusdem » Apostoli construxerunt, locum aptum, devo» tum, et idoneum tuis fecisti sumptibus con» strui, ac etiam præparari, ubi corpus ipsius » Apostoli, et nonnullorum aliorum Sanctorum » venerandas reliquias, quæ similiter in despe» ctis locis, et minus decentibus conservantur, » ad laudem divini nominis, ac ejusdem Apo» stoli, et totius Curiæ cælestis honorem, de» votionemque fidelium, et animarum suarum » salutis augmentum cum reverentia debita, et » congrua solemnitate transferre desideras, ac » etiam collocare. Quare nobis humiliter sup» plicasti, ut transferendi ad dictam capellam » corpus ejusdem Apostoli, et reliquias memo» ratas cum debita reverentia, et honore, illa» que in dicto loco per te in prædicta capella
B » præparato, ut prædicitur, collocandi licentiam » concedere dignaremur.

ut in hanc transferatur corpus,

79 » Nos igitur devotionem, et propositum » tuum in hac parte multipliciter in Domino » commendantes, et illam de tua sinceritate ge» rentes fiduciam, quod ad Dei laudem, et » gloriam dictorum Apostoli, et Sanctorum re» verentiam, et honorem, ac devotionis, et » consolationis augmentum populi catholici stu» debis exequi supradicta, licentiam tibi conce» dimus postulatam. Ut autem fideles Christi, » quos sicut nobis ex debito pastoralis incumbit » officii acceptabiles reddere desideramus Altis» simo, et libentius ad eorumdem Apostoli, et » Sanctorum reverentiam invitentur, eoque fre» quentius, et devotius ad dictam capellam ad » implorandam ibidem divinam misericordiam » pro peccatis, velut ad portum confluant saluta» rem, quo se potioris ubertate gratiæ senserint » fœcundari, de omnipotentis Dei misericordia, » et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus » auctoritate confisi, omnibus vere pœnitenti» bus, et confessis, qui capellam ipsam in » festo præfati Apostoli visitaverint annuatim » unum annum, et quadraginta dies de injunctis
C » eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Da» tum Avinioni IV Maii anno tertio » *(scilicet pontificatus.)*

arca ærea paratur, cui includatur marmorea.

80 Qua facultate accepta, Arnaldus in arca ex ære cyprio affabre elaborata, de qua inquit: Pro eodem pretioso corpore collocando, et recondendo in quadam capsa procurata, et excogitata diutius pro causa memoriali perenni: marmoream antiquam arculam inclusit, et ante inclusionem, sacrum corpus in ipsa jacens recognovit coram Beneventanæ provinciæ episcopis, sive ut ipse inquit: Corpus etc. quod hodierna die sub testimonio dominorum episcoporum Beneventanæ provinciæ, publicarum, et aliarum innumerabilium personarum inventum est, et ostensum, cum reverentia debita transtulimus, et recondimus: prout latius ex infrascripta ejus bulla tenoris subsequentis:

Arnaldi archiepiscopi bulla

81 « Arnaldus miseratione Divina archiepi» scopus Beneventanus. Universis Christi fideli» bus præsentes litteras inspecturis, salutem in » eo, qui est omnium vera Salus. Rex excelsus, » et in majestate mirabilis, cujus ineffabilis alti» tudo prudentiæ, recti censura judicii, cæle» stia pariter, et terrena disponit, etsi cunctos D
» ejus ministros magnificet, et cælestis efficiat » beatitudinis possessores; illos tamen, ut dig» nis digna rependat, potioribus attollit insig» nibus dignitatum, et præmiorum ulteriori » retributione prosequitur, quos digniores agno» scit, et commendat ingentior excellentia me» ritorum, sic et alma mater Ecclesia, ejusque » fideles, sequendo ejus sancta vestigia, et exem» plo laudabili ducti, licet universos in regnis » cælestibus constitutos studiis honorare sollici» tis, et sonoris efferre præconiis non desistant, » gloriosissimos tamen Christianæ fidei principes, » athletas Dei electos, justos seculi judices, lu» mina vera mundi, videlicet, Christi Redem» ptoris Apostolos numero duodeno contentos, » qui viventes in carne prædictam Ecclesiam suo » pretioso sanguine plantaverunt, ipsam erigendo » sublimiter, et disciplinis sanctissimis diri» gendo, laudibus personare præcipuis, et spe» cialibus honoribus disposuerunt, et consueve» runt, prout tenentur, specialius venerari. In » quorum consortio, et numero gloriosus Bar» tholomæus apostolus, cujus corpus sanctissi- E
» mum in hac Beneventana civitate quiescit, suis » exigentibus meritis, divina dispositione extitit » aggregatus, et demum post ejus vitam san» ctissimam, et angelicam, et recolendam pas» sionem ipsius, longi curricula temporis, in » translatione ipsius pretiosi corporis miraculosa a » Lipari Beneventum. Tunc in ejus jucundo in» troitu ad civitatem ejusdem, principes, anti» stites, clerus, et populus, et condecens taber» naculum sibi construere, in quo reconderetur » corpus ipsius, et alias spirituales, et tempora» les subjectiones devotas, et honorificentias » permiserunt.

refert basilicam structam.

82 » Et licet ad recipiendum, et collocan» dum condigne tam pretiosissimum corpus, nec » nos, nec clerus, vel populus civitatis ipsius » sumus, vel fuerimus sufficientes, aut digni; » studuit tamen eadem civitas totis conatibus, » divina semper auxiliante clementia, sub vo» cabulo ejusdem Apostoli erigere basilicam, seu » tabernaculum, utcumque, sicut apparet, spatio» sum, et pulchrum. Et quia corpus ipsius glo» riosum extra tabernaculum ipsum post ejus » miraculosam translationem prædictam in loco » minus decenti posuit; tamen nunc, prout me- F
» lius potuit, extitit collocatum. Nos sollicite, » digneque considerantes, et debita perlustran» tes meditatione ad divini nominis, ejusdem» que Apostoli gloriam, et honorem, et quantum » nobis possibile fuit, in loco magis congruo, » et electo, ejusdem tabernaculi capellam, quan» tum scivimus, pro eodem pretioso corpore » collocando, et recondendo in quadam capsa » procurata, et excogitata diutius pro causa me» moriali perenni, petita tamen, et obtenta prius » licentia de translatione, seu mutatione hujus» modi facienda a Sanctissimo in Christo Patre, » et Domino, D. Benedicto divina providentia » PP. XII, qui in hujusmodi translatione, seu » festo Apostoli supradicti devote venientibus ad » ecclesiam ipsam unum annum, et quadraginta » dies de indulgentia annis singulis gratiose con» cessit per suas litteras speciales.

corpus recognitum, et translatum,

83 » Verum quia condecens est, et æquum, » ut tam sanctissimi corpus Apostoli recondatur, » et permaneat in loco sacrato, tam ipsam basi» licam, seu tabernaculum, quam eamdem ca» pellam, seu locum, ubi corpus ejusdem A» postoli

A » postoli recondi, et manere debet, quod hodierna die sub testimonio dominorum episcoporum Beneventanæ provinciæ, publicarum, et aliarum innumerabilium personarum inventum est, et ostensum, cum reverentia debita transtulimus, et recondimus de licentia domini summi Pontificis supradicti, prius pro dicti Apostoli reverentia, et honore mandavimus, et fecimus cum solemnitate debita consecrari. Et ut tantæ solemnitatis, translationis videlicet corporis ejusdem Apostoli, et consecrationis ipsius basilicæ, et præter quotidianam memoriam festi ejus, quam de ipso generaliter faciunt ecclesiæ, et fideles solemniter, et specialiter annuatim memoria celebretur, et devotæ turbæ fidelium, tam in die præsenti, quam aliis diebus subscriptis ad eamdem ecclesiam, et corpus ejusdem Apostoli visitandum affectuose concurrant, et ad Christi servitium inflammentur;

84 » Nos Christi fideles ad visitandum tam pretiosum corpus, capellam, et ecclesiam ejusdem, donis volentes specialibus frui, et in futurum etiam animare : de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, atque Bartholomæi meritis ea authoritate confisi omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, qui hujusmodi consecrationi ecclesiæ, et capellæ factæ de nostro mandato, ac præsentibus nobis, et tantis venerabilibus patribus dominis episcopis Beneventanæ provinciæ, et ad hoc eorum consensum, et auctoritatem, ac indulgentiam, quam poterant concedentibus, et ipsa die eamdem ecclesiam, et capellam devote curaverint visitare, unum annum, et quadraginta dies pro consecratione ejusdem ecclesiæ; tantumdem, prout melius possumus, pro ejusdem capellæ consecratione dictam indulgentiam unius anni, et quadraginta dierum concessam, ut supra dicitur, per apostolicam Sedem, ob reverentiam ejusdem translationis, et festi, ultra alias indulgentias per apostolicam Sedem, vel legatos ipsius, aut Beneventanos antistites, vel pontifices, alias olim concessas, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus; et omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, qui anno quolibet in eodem die, et festo B. Bartholomæi apostoli, et qui in festivitatibus solemnibus omnibus Domini Jesu Christi, B. Mariæ Virginis matris ejus, beatorum Apostolorum omnium, et præcipue dicti Apostoli patroni nostri, singulisque diebus Dominicis, Lunæ, et Veneris anni cujuslibet in futurum, dictam ecclesiam B. Bartholomæi apostoli, aut capellam, in qua venerabile corpus hodie est translatum, devote curaverint visitare, ultra alias indulgentias supradictas, tam per prædictum dominum summum Pontificem, ratione dictæ translationis, et festi ejusdem Apostoli, quam per nos, et alios dominos episcopos Beneventanæ provinciæ, ut a jure, ratione dictæ consecrationis seu consecrationum concessas, in die festo quolibet prædictorum quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum testimonium, et certitudinem singulorum, præsentes nostras patentes exinde fieri mandavimus, et nostri sigilli appensione muniri. Dat. Beneventi die XXV mensis Augusti VI Indictionis, anno Dom. MCCCXXXVIII, pontificatus prædicti summi Pontificis, domini Benedicti divina providentia PP. XII anno quarto. » D

indulgentias concessas. B C

85 Sacrum itaque corpus in arcula marmorea, quam in majori arca ærea Arnaldus composuit, in peculiari sacello, quod erat in capite chori basilicæ prædictæ reconditum, crateque ferrea tribus clavibus munita custoditum extitit usque ad annum MDCLXXII : quo anno die XI Junii rec. mem. archiepiscopus Foppa, prædecessor noster, arcam prædictam cum sacro corpore, prout extabat, transtulit, et sub stipite altaris martyrii, seu confessionis, quæ erat sub ara maxima, ab ipsomet archiepiscopo elegantissime constructæ, reposuit, ut ex publico Instrumento per acta notarii Josephi de Pompeio, die, mense, et anno, quibus supra, ibidemque perseveravit usque ad diem septimum Februarii MDCLXXXIX.

Translatio alia anno 1672.

PARS II

E

Terræ motu templum S. Bartholomæi collapsum; corpus ad metropolim translatum; nova basilica ædificata; restitutio corporis in concilio decreta.

Anno siquidem MDCLXXXVIII, die V Junii terræmotu, ut prætulimus, antiqua basilica dejecta, tota ruina in confessionem præfatam incubuit, et in tantam ruderum crevit congeriem, ut usque ad diem septimum Februarii omnino eruderari non valuerit; quo die supra omnium spem arca integra apparuit, et extracta est, omnibus præ lætitia collachrymantibus, et fore sperantibus, ut tanto fœderis signo inter Deum, et nos permanente, civitas denuo consurgeret, et immensis ærumnis non impar subsidium accederet. Die igitur VII Februarii MDCLXXXIX sacrum depositum e ruinis levatum, et in metropolitanam ecclesiam, de nostro speciali mandato, translatum fuit, præsente vicario nostro generali, nostro metropolitano capitulo, dignitatibus, et canonicis nostri collegii S. Bartholomæi, nec non magistratu civitatis, aliisque quam plurimis ex ordine nobilium, et populo fere innumero. F

Arca e ruderibus collapsi templi eruta.

87 Coram quibus recognita fuit integra arca sacri depositi ex ære cyprio longitudinis palmorum trium cum dimidio, et uno digito, latitudinis palmorum duorum, dempto quarto : altitudinis palmorum duorum cum dimidio; formaque arcæ oblonga, in summitate acuminata, et in parte anteriori figuris ex eodem metallo ornata, scilicet figura Salvatoris inter duos angelos, candelabra manibus gestantes, inferius vero figura divi Bartholomæi inter duos angelos genuflexos, thuribula in manibus habentes; et in hac parte duabus seris ferreis muniebatur, nec aperiri poterat, quia claves non reperiebantur. Ex parte vero posteriori ornata tribus episcoporum infulatorum, et vestibus pontificalibus indutorum figuris, quorum nomina tunc legi non poterant : similiter et episcoporum duæ figuræ, singulæ in singulis lateribus : supra arcam vero

et hic descripta,

inventæ

A inventæ fuerunt duæ statuæ parvulæ, nempe B. Mariæ Virginis, et divi Joannis ex eodem metallo cyprio; nec non duo flores cum pomis, et statuis parvulis ejusdem materiæ.

defertur ad templum metropolitanum

88 Quæ quidem arca, assistentibus omnibus præmemoratis, processionali ritu cum interventu confraternitatum, cleri urbani, collegiorumque S. Spiritus, et S. Bartholomæi, ac nostro metropolitano capitulo cum intorticiis accensis, et populo prope innumero, deducta fuit in metropolitanam ecclesiam, et intra altare marmoreum ad hoc destinatum in capite quintæ navis ad ipsius ecclesiæ dexteram, ad sinistram vero ingredientis positum, et proprie quod turrim respicit campanariam, inclusa fuit per modum provisionis, et non aliter etc., quod altare fuit undequaque fabrica munitum, ita ut arca prædicta minime amoveri posset, nisi amoto altari, ut clarius legitur ex publico instrumento, rogato notario canonico Martio Lizza dicta die VII Februarii MDCLXXXIX. Quoniam vero hoc, sacro corpori, ut ita dicamus, datum hospitium, longius quam vellemus protrahendum erat, ipsum altare marmoreum in nobiliorem formam construendum B mandavimus; cujus rei gratia necesse fuit arcam ipsam removeri, ac decenti loco per aliquot dies conservari; quocirca die prima mensis Augusti MDCXCI dignitatibus, et canonicis sacræ basilicæ S. Bartholomæi instantibus, coram vicario nostro generali, quibusdam ecclesiæ metropolitanæ capitularibus, ipsisque dignitatibus, et canonicis præfatæ basilicæ, magistratu civitatis, aliisque nobilibus, remota fuit mensa lapidea, claudens stipitem prænominati altaris, et quatuor canonici sacræ basilicæ S. Bartholomæi canonicalibus insigniis induti, arcam extraxere, et super mensam nuceam, holoserico ornatam, statim apposuerunt, præsentibus supradictis; ipsa autem capsa illico observata, compertum fuit, quod duæ seræ ferreæ, quæ arcam muniebant, et aperiri non poterant sine clavibus, quæ desiderabantur, e suo loco, in quo fixæ extabant, erant sejunctæ : et peritorum consilio statim adhibito, sententia fuit, quod parvuli clavi, ipsas seras configentes, temporis antiquitate, et ærugine corrosi, ob varios motus terræ, et ruinæ, nec non aperitionis altaris martyrii, et hu- C jus secundi altaris, ubi arca loco depositi asservabatur, defecerint.

qua aperta invenitur in ea minor marmorea,

89 Cum vero ex tali eventu ipsa arca ex ære cyprio amplius munita non remaneret, per nostrum vicarium generalem mandatum fuit interius observari; qua aperta, visum, et compertum fuit in eadem extare aliam antiquissimam capsulam, seu arculam marmoream parum acuminatam, et circumcirca ab omnibus quatuor lateribus marmoreis incisam liliis. Arcula vero prædicta erat altitudinis palmi unius, et unius unciæ : longitudinis similiter palmi unius, et unciarum trium cum dimidio : latitudinis vero, unciarum decem, alligata chordulis parvi fili cannabis agglomeratis, pluribus in partibus cursu temporis consumptis, et super eisdem chordulis, scilicet in capite sigilla quinque in cera Hispanica, nempe tria magna, et duo parva, nec non alia duo parva sigilla supra eamdem per modum crucis, et circumcirca alia sigilla tria magna cum effigie B. Mariæ Virginis, et archiepiscopi pro tempore cum parva mitra, in quorum uno observatum fuit adesse quamdam aquilam impressam, cætera vero non poterant cognosci ob temporis vetustatem.

clausa denuo.

90 His peractis, arca ex ære cyprio fuit denuo clausa, et tribus in partibus alligata, in medio scilicet, et a duabus extremitatibus tribus vittis sericis, albi, rubri, et nigri coloris, et super nodis sigillata tribus parvis sigillis in cera Hispanica, nempe in medio sigillo nostri vicarii, a latere dextero sigillo nostri capituli, a sinistro communitatis, quæ arca sic obsignata statim recondita fuit in quadam capsa nucea, tribus munita clavibus, nempe una, qua vicarius noster clausit, et penes dilectum filium priorem collegii S. Bartholomæi deposuit : altera, qua bibliothecarius nostræ metropolitanæ ecclesiæ clausit : tertia, qua et ipse clausit primus ex civitatis consulibus. Hæc itaque capsa sic munita, ad modum altaris cum candelabris, et lampadibus aptata fuit, et publicæ venerationi exposita in prima capella dictæ quintæ navis, dies, et noctes custodita per dignitates, et canonicos dictæ sacræ basilicæ divi Bartholomæi, prout latius ex publico instrumento, rogato eodem notario canonico Lizza, die prima Augusti MDCXCI.

in altari reponitur, munita

91 Die vero nona ejusdem mensis Augusti, cum altare prædictum elegantius constructum fuisset nostris sumptibus, idem noster vicarius generalis, præsentibus nonnullis ex nostro metropolitano capitulo, et canonicis divi Bartholomæi, facto accessu ad cathedralem, mandavit diligenter observari dictam capsam nuceam, et inventa fuit bene clausa; aperta deinde per supra memoratos, qui claves custodierunt; visa, et reperta fuit capsa ex ære cyprio, ut prætulimus, obsignata, et suis sigillis munita : quæ rursum pro majori custodia ferreis filis, iisque duplicatis munita fuit in medio, et in duabus extremitatibus, super quibus tres facti fuerunt nodi ex ipso ferro, et in unoquoque nodo impositum fuit plumbeum sigillum, v 3 * in medio sigillum nostrum, a latere dextero nostri capituli, et a sinistro communitatis, et ipsa tria sigilla conglutinata fuerunt stamno *, ne arca de cætero amplius aperiretur, et sic denuo recondita fuit in altari noviter constructo in capite quintæ navis, ubi prius; et mensa ita firmata, ut nullo modo abstrahi posset, prout latius ex publico Instrumento, rogato præfato notario canonico Lizza, dicta nona die mensis Augusti MDCXCI.

* *i. e.* videlicet

* *forte* stanno

sigillo archiepiscopi.

92 Cum autem hæc fierent, nos Romæ degebamus, ubi de prædictis certiores facti, mandavimus attentatum de sigillis, aliis quam nostris, removeri; quocirca reverendiss. P. dominus Pompejus Sarnellius episcopus Vigiliensis, tunc noster generalis auditor, vocatis, et præsentibus capitularibus, et consulibus civitatis, amota mensa, amoveri, et deleri fecit alia sigilla, et loco illorum nostrum item impressit, et altare rursus clausum, et bene firmatum fuit, ut plenius ex instrumento præfati notarii Lizza sub die IV mensis Septembris MDCXCI.

Nova basilica structa,

93 Ubi autem nostra civitas caput e ruinis extollere cœpit, inter cætera cordis nostri desiderabilia, id intensis a Deo affectibus postulavimus, ut ecclesia præfati Apostoli denuo erigeretur, et, Deo dante, primarium lapidem stato ritu imposuimus die XIII Martii MDCXCII. Metropolitanam interim ecclesiam restitutam, et ornatam solemni ritu dicavimus eodem anno die XXVI Maii, S. Philippi Nerii natalitio, cujus precibus quam vitam vivimus, acceptam referimus; archiepiscopio quoque a fundamentis erecto, provinciale concilium commode celebravimus mense Aprili anni MDCXCIII. Cum autem omni studio, et

A et contentione novæ basilicæ opera duceretur, ad eum tandem statum, etsi non quem tanti Apostoli majestas, sed quem nostra valuit tenuitas, perducta est, ut divinis inibi officiis sedulo incumbatur, ideoque sacratissimi Apostolici corporis, in metropolitana depositi loco asservati, restitutio amplius differenda visa non fuit.

canonici S. Bartholomæi petunt

94 Congregato igitur secundo provinciali concilio, collegium nostrum S. Bartholomæi suppliciter pro restitutione institit, ejusque petitioni metropolitanum capitulum nostrum, et civitatis magistratus adhæsere, porrecto supplici libello in prima synodali congregatione, habita die II Maii currentis anni. Placuitque patribus, ut causa cognita procederetur; quocirca electi fuerunt in ponentem reverendissimus pater dominus Dominicus Morelli episcopus Lucerinus, et in promotorem fiscalem reverendissimus pater dominus Michael Pitirrus episcopus Thermulanus, in causæ notarium dilectus filius rev. dom. canonicus Paduanus Sanctorius, qui servatis servandis procederent, et referrent. Ab ipsis itaque compulsatæ fuerunt scripturæ antiquæ, et B bullæ summorum Pontificum, et aliorum notariorum copiæ extractæ; facta demum de omnibus relatione in publica congregatione synodali coram omnibus patribus infrascriptis, ex quibus tantum defuit, ægræ valetudinis causa, reverendissimus pater dominus Emilius de Cavaleriis episcopus Trojanus eligens, citata parte, die x Maii latum fuit decretum tenoris, qui sequitur :

restitutionem corporis :

95 « In causa vertente in secundo sacro concilio provinciali inter MM. RR. DD. dignitates, et canonicos collegii S. Bartholomæi apostoli hujus civitatis, et reverendissimum capitulum metropolitanum, et illustrissimum magistratum, et communitatem civitatis ejusdem illis adhærentes, actores ex una parte; et illustrissimum, ac reverendissimum dominum episcopum Thermulanum promotorem fiscalem, in præsenti causa deputatum, ex altera, de, et super restitutione petita sacri corporis divi Bartholomæi apostoli, causa depositi, a memorata sacra basilica ejusdem Sancti, ob terræmotum anni MDCLXXXVIII funditus collapsa, ad ecclesiam metropolitanam ejusdem civitatis asportati, et reconditi sub altari S. Mariæ Majoris intus ipsam metropolitanam, et aliis, C prout ex actis, etc.

in concilio congregati

96 » Die x mensis Maii MDCXCVIII in congregatione publica synodali, habita in aula magna archiepiscopii, intervenientibus in ea sanctissimis patribus, nempe eminentissimo, et reverendissimo in Christo patre, et domino, domino fratre Vincentio Maria, ordinis Prædic. miserat. divina Tit. S. Sixti S. R. E. presbytero Cardinali Ursino, S. Beneventanæ ecclesiæ archiepiscopo metropolita præside, et illustrissimis, et reverendissimis dominis episcopis comprovincialibus, hoc est : P. Cælestino de Labonia episcopo Montis-Marani : P. Josepho de Lazara episcopo Aliphano : P. Francisco Scanegata episcopo Abellinensi, Frequentino, Aquæputridæ, seu Mirabelli, et Quintodecimi : P. Angelo Ceraso episcopo Bibinensi : P. Francisco Antonio Punxi episcopo Asculano, et Hordonensi : P. Francisco Antonio Jannone episcopo Bujanensi, et Sæpinensi : P. Josepho Catalano episcopo Larinensi : P. Dominico Morelli episcopo Lucerino, Florentino, et Turtibulen. : P. Michaele Pitirro episcopo Thermulano : P. Pompejo Sarnellio episcopo Vigiliensi, ad votum decisivum admisso, te vice D metropolitani capituli abbatis oppidi sancti Lupi nullius : P. Francisco Protonobilissimo episcopo Trivicano : P. Blasio Gammaro episcopo Thelesino : P. Hiacyntho de Calce episcopo Arianen.: P. D. Vito Antonio Pastorale, abbate generali Montis virginis : M. R. D. Augustino Fantetta vicario generali oppidi Alberoni nullius, votum decisivum habentibus; et procuratoribus episcoporum absentium, hoc est M. R. D. primicerio Jacobo Antonio de Antonellis procuratore P. Jacobi Circi episcopi S. Agathæ Gothorum, et Sessulæ : M. R. D. Antonio America archipresbytero oppidi Mottæ, procuratore P. Dominici Surrentini episcopi Vulturariensis, et Montis-Corbini : ven. presbytero Nicolao Scorza, procuratore P. Caroli Felicis Matta, episcopi S. Severi, Civitatensis, et Dragonariensis : R. D. Jacobo Antonio canonico Florentino, procuratore P. Philippi de Corduba episcopi Guardiæ Alferiæ : nec non adm. reverendis theologis synodalibus, hoc est D. Joanne Jordano protonotario apostolico canonico Abellinensi : D. Michaele Ramomondi E prot. apostolico theologo P. episcopi Trojani : patre Nicolao Squillante congregationis Oratorii : patre Joanne Baptista Mongio ord. S. Benedicti congregationis Cælestinorum priore : patre magistro Fr. Joanne Baptista Spada Ursino, exprovinciali ord. Prædicatorum : P. magistro Fr. Joanne Michaele de Cavaleriis ord. Prædicatorum : patre magistro Fr. Petro Antonio Caballo ord. Prædicatorum : patre Fr. Sebastiano Jascone ord. Minorum S. Francisci de Observantia exprovinciali, et lectore jubilato : patre magistro Fr. Anselmo Sabbatino exprovinciali ord. Minor. Conventualium : patre magistro Fr. Alberto Annubba exprovinciali ord. Carmelitarum : patre Fr. Hieronymo a S. Nicolao exdiffinitore ord. Carmelitarum Discalceatorum : patre Dominico Viva Societatis Jesu.

decernunt, ut corpus recognoscatur, et restituatur.

97 » Viso libello porrecto per oratores, visis scripturis omnibus ad formam juris compulsatis, et extractis, visa monitione facta super expeditione causæ, referente P. Dominico Morelli episcopo Lucerino causæ ponente : audito P. Michaele Pitirro episcopo Thermulano promotore fiscali, consideratis, et rimatis omnibus F in jure, et in facto considerandis, auditisque votis consultivis, et concordibus supradictorum RR. theologorum, sancta synodus plenis votis, et nemine penitus discrepante, decrevit, quod sacrum corpus divi Bartholomæi apostoli in ecclesia metropolitana, depositi causa, asportatum anno Domini MDCLXXXIX die VII Februarii, prout ex publicis instrumentis in actis, etc., elevetur ab altari S. Mariæ Majoris, sub quo reconditur, canonice recognoscatur, deinde reponatur in tutiori urna, et tandem stato ritu, sacræ basilicæ, in honorem ejusdem sancti erectæ, restituatur, et pro effectu prædicto cætera alia fiant juxta sacros canones, sacrosque ritus, et ecclesiasticas cæremonias in his præscripta, et ita etc. omni etc. Ita ego Fr. Vincentius Maria Card. archiepiscopus metropolita de consensu, et assensu reverendissimorum dominorum coepiscoporum meorum pronuntiavi, et diffinitive sententiavi. P. Can. Sanctorius curiæ archiepis. cancellarius, et causæ not. dep. »

A

PARS III

Apertio arcarum : quæ cum ossibus inventa : ossa per juratos anatomicos recognita et numerata, et vitreis ampullis imposita.

Archiepiscopus cum aliis

Pro cujus decreti executione, XI Maii die Dominico, una cum dominis episcopis enuntiatis, quibus accessit reverendissimus dom. Carolus Cutillo episcopus Minoren., qui ad concilii functiones honestandas advenerat, nec non procuratoribus quatuor dominorum episcoporum absentium, capitulo nostræ metropolitanæ, collegio S. Bartholomæi, theologisque enumeratis, itemque domino gubernatore, et magistratu, una cum B notariis concilii, de quibus infra, et testibus specialiter vocatis, accessimus ad metropolitanam ecclesiam, et proprie ad altare sub titulo S. Mariæ Majoris, in quo corpus S. Bartholomæi apostoli pro deposito reconditum extabat, prout ex publicis instrumentis jam relatis, rogato notario canonico Lizza sub diebus VII Februarii MDCLXXXIX, prima, et nona Augusti MDCXCI, et IV Septembris ejusdem anni, et ante ipsum altare una cum eisdem dominis episcopis, dignitatibus, et canonicis, domino Joanne de Effectibus utriusque signaturæ referendario, gubernatore, et magistratu, suis locis adstantibus, septem psalmos pœnitentiales recitavimus; quibus absolutis, cum supradictis omnibus ad secretarium processionaliter accessimus, ubi nos, et domini episcopi Bibinen., Thermularum, et Vigilien. pontificaliter induti, ad memoratum altare S. Mariæ Majoris eodem processionali ritu reversi fuimus, et debitis persolutis orationibus, assistentibus nobis dominis episcopis Lucerino ponente, et Thermulano promotore fiscali, altare a peritis fabris recognitum fuit, et integrum omnino inventum.

C

aperit arcam æream,

99 Qua recognitione peracta, nos, assumpto scalpello, aperitionem inchoavimus, et deinde de nostro mandato fabri prosecuti sunt. Aperto altari, compertisque omnibus, prout in relatis Instrumentis descripta erant, apparuit capsa ærea sacrum continens depositum, quam quatuor ex mansionariis nostris extraxere, ex quorum manibus nos, et domini episcopi Bibinen., Thermularum, et Vigilien. accepimus, illamque super mensam extra cancellos paratam, et ornatam apposuimus. Domini interim ponens, et promotor fiscalis capsam eamdem recognoverunt, et omnia ad amussim invenerunt, prout in instrumentis usque ad diem IV Septembris MDCXCI. Facta igitur omnium, et singulorum recognitione, arca ærea aperta fuit, et in ea inventum velum temporis vetustate denigratum, quod erat ex gossipio, et in extremis filo aureo contextum, quodque fortassis arculam marmoream contegebat. Moneta insuper argentea ibidem erat formæ rotundæ, magnitudine Romanum julium adæquans, cum imagine ex una parte regis cum sceptro liliato in dextera, et orbe in sinistra, leonibus duobus insidentis, et cum inscriptione KAROLUS DEI GRATIA HIERUSALEM ET SICILIÆ REX, et ex altera cum imagine S. crucis liliis circumquaque D ornata, et inscriptione : HONOR REGIS JUDICIUM DILIGIT.

et marmoream; in qua sacra ossa,

100 Inde deventum est ad recognitionem arculæ marmoreæ, et inventam clausam cum suis chordulis, et sigillis juxta descriptionem in relatis instrumentis factam, sic clausam, ut erat, manibus nostris elevavimus, et super feretro, holoserico ornato, imposuimus, alligantes eam vittis, ad hoc in eodem feretro appositis, clero interim canente psalmos, et processionali ritu cum DD. episcopis, cæterisque prædictis incedente, nos, dominique episcopi Bibinen., Thermularum, et Vigilien., feretrum humeris nostris ad secretarium detulimus, et hic supra mensam mappis, et sericis ornatam, capsulam ipsam deposuimus, et solvimus : deinde nobis ad nostram sedem accedentibus, tres domini episcopi paramenta pontificalia exuerunt. Nos deinde de nostra sede descendentes, et ad prædictam mensam accedentes, deposita mitra, inchoavimus hymnum VENI CREATOR SPIRITUS; quo persoluto, videntibus omnibus patribus, aliisque enumeratis, capsulæ operculum elevavimus, et statim visa E sunt sacra ossa corporis divi Bartholomæi, supra quæ aderat lamina plumbea, mox describenda.

et laminæ plumbeæ nomine Apostoli inscriptæ :

101 Tunc quasi in mentis excessu præ thesauri inventi lætitia, vocem extollentes, exclamavimus potius quam cantavimus hymnum TE DEUM : et dum hymnus caneretur, thure imposito, et benedicto, sacra lipsana nive candidiora, et lacte ipso nitidiora adolevimus, prout successive fecerunt episcopi omnes, canonici, et reliqui presbyteri, qui aderant. Absoluto hymno, versiculo, et oratione pro actione gratiarum, reassumpta mitra, in faldistorio e regione adstantium sedentes, videntibus omnibus plumbeam laminam extraximus, in qua Longobardis litteris incisum erat : SCS BARTHOLOMEUS APLS. Qua remota, sacra ossa singillatim elevare cœpimus, et statim apparuit altera lamina plumbea antiquissima, quam extraximus, et invenimus vetustate corrosam, et sua spuma, sive ærugine coopertam; ita ut tunc legi minime posset; qua deinde expolita, in eædem litteræ apparuerunt, quæ in recentiori lamina, sed charactere Latino antiquissimo in hæc verba : F SCS BARTHOLoMEUS A : nam in extrema parte videbatur abrupta, prout revera exstitit : alia etenim ossa elevantes, particulam ruptam invenimus; continentem alias litteras PST.

ossium numerus. et laminarum antiquitas :

102 Sacrorum itaque ossium elevationem prosequentes, computatis magnis, et parvis, invenimus usque ad numerum DLXXXV, præter innumera ossium fragmenta, quæ ob tenuitatem numerari non potuere, et alia in pulverem redacta : quæ omnia pro decreta recognitione facienda supra papyros ad id aptatas exposuimus. Interim inventas laminas a peritis metallariis recognoscendas mandavimus, qui priorem, majoremque quadringentis ab hinc annis confectam, minorem vero septingentis annis longe antiquiorem, ex ipsius plumbi deficientia dixere. Capsam insuper æream observantes, quadringentis quoque ab hinc annis excusam retulerunt. Fabri deinde marmorarii, in sculptura marmorum periti, lapideam arculam inspicientes, dixerunt, septingentos annos excedere, prout sculptura illius, et linea quædam in fundo vetustate aperta, quæ non penetrat, ostendebant. Deinde peritos anatomistas, de quorum peritia facti fuimus certiores,

tiores,

A tiores, et qui ossium enumerationi interfuerunt, pro recognitione ad amussim facienda juramento adstrinximus, et serio monuimus.

ossa in sequentem diem reclusa.

103 Quoniam vero nox imminebat, tempusque sacris reliquiis minutatim discernendis minime idoneum existimatum fuit; interim vasa vitrea ad hunc effectum parata, stato ritu benediximus, et in eisdem ossa omnia recondi fecimus, quibus vasa novem referta sunt. Quæ vasa suis operculis clausa, recondi jussimus in arcula serico elaborata, cum sua sera, et clavi: qua munita clavi, hæc penes dominum promotorem fiscalem remansit, et pro majori custodia capsulam eamdem vittis sericis alligatam sigillis nostro, et promotoris ejusdem, in conspectu omnium obsignavimus: eamdemque sic obsignatam in tuto armario, quod est retro altare dicti secretarii, ubi aliæ reliquiæ in suis thecis asservantur, reposuimus: hac quoque armarii clave penes dominum promotorem relicta, animo recognitionem continuandi, cæteraque faciendi, quæ executionem decreti lati die x Maii concernunt. Quibus peractis, pontificales vestes deposuimus, et de- B inde super faldistorio cum patribus aliquantulum oravimus; qua oratione expleta, patres ipsos comiter dimisimus, et nos in secretario mansimus, sacris vigiliis sedulam operam cum fratribus nostri ordinis dantes, quod et reliqui regulares, prout ipsis præscripsimus, successive persolverunt: ut latius ex publico instrumento, rogatis tribus concilii notariis apostolicis Paduano canonico Sanctorio, canonico Lizza, et clerico Dominico Fontanella die xi ejusdem mensis Maii.

Postridie ossa populo ostensa.

104 Subsequenti die, qui xii fuit, inchoatam recognitionem prosecuturi, post vesperas una cum præfatis dominis patribus comprovincialibus, quorum numerum subsequentes, qui honoris gratia accesserunt, auxere, nempe Timotheus Agnellini archiepiscopus Mardinen. in Mesopotamia, Nicolaus Antonius Tura episcopus Sernen., Alphonsus Pacelli episcopus Muranus, et enuntiatus Carolus Cutillo episcopus Minoren., unaque cum duobus ordinariis inferioribus enuntiatis, absentium episcoporum quatuor procuratoribus, theologis synodalibus, gubernatore, et magistratu, nec non notariis, et C testibus, ad secretarium accessimus, et ubi se quisque ad sua loca recepit, nobis, magistratus nomine, suppliciter instatum fuit, quatenus excitatæ populi pietati annuentes, sacra lipsana, etsi nondum in suis vasis clausa, et obsignata, eidem populo ostenderentur. Hujusmodi instantiam patribus proposuimus, qui, devoti populi fervore moti, responderunt, esse annuendum, placuitque pro hac die petitam ostensionem fieri, decretam vero recognitionis prosecutionem, cum tempus non suppeteret, in crastinum differendam. Sancitum insuper fuit, ut præfata recognitio ad futuræ identitati consulendum ad amussim fieret, et juxta peritorum anatomistarum sensum, omnia ossium, quæ discerni possent, nomina describerentur: cujus decreti executionem S. synodus nobis, dominisque episcopis ponenti et promotori, cum facultate alios episcopos in casu legitimi impedimenti, sive in aliqua synodali actione occupationis, substituendi; nec non, his executioni demandatis, vasa, in quibus sacri corporis ossa, sic discreta, et descripta, et cineres segregandi, recondenda erant, claudendi, et obsignandi. Quapropter ad petitam ostensionem debito ritu faciendam, devenientes, pontificalia D paramenta nos, et tres alii reverendissimi domini episcopi, videlicet Muranus, Bibinen., et Vigilien., suscepimus, et capsulam novem reliquiarum sacri corporis ampullas continentem, alligatam et obsignatam, ex assignato armario, quod est post altare secretarii, extractam et recognitam, et a domino promotore rursus apertam, post thurificationem, et cantica, et post prædictorum vasorum patribus ostensionem, et in eadem repositionem, consueto feretro cum suo ornatu imposuimus, et nos una cum tribus præfatis episcopis eidem humeros supposuimus, et processionali ritu cum cantu ad aram maximam detulimus, ibique rursus apertam thurificavimus; et pontificalem ambonem cum duobus episcopis Murano, et Bibinen., relicto ad aram Vigilien., et Thermulano, ascendimus; et habita ad populum homilia, ampullas singulas, ad nos delatas, eidem ostendimus, schedulas, quibus ampullæ inter se distinguebantur episcopo Bibinen. legente: duas quoque plumbeas laminas, cum sacro corpore inventas, legimus, et monstravimus. E

et nova urna benedicta:

105 Quibus persolutis, ampullisque in sua capsula, stato ritu, repositis, cantato hymno, Te Deum: capsulam clausam, eidemque feretro impositam, ordine, et modo, quo veneramus, in secretarium retulimus. Ubi super consueta mensa capsula collocata, nos ad altare novam urnam porphyreticam, pro sacrosancti Bartholomæi corpore recondendo, orationibus in pontificali præscriptis initiavimus; capsulam deinde in mensa repositam, alligatam, et sigillis coram omnibus munitam, in sæpe dicto armario reposuimus, hujus clavi domino promotori consignata. Sacris denique vestibus depositis, patribusque comiter dimissis, nocturnis excubiis super corpore Apostolico persolvendis, una cum religiosis viris designatis, incubuimus; prout latius in Instrumento confecto eodem die xii Maii, rogatis notariis eisdem.

jurati anatomici

106 Die vero xiii ejusdem mensis Maii hora decima circiter, nos una cum reverendiss. DD. Dominico Morelli episcopo Lucerino ponente, Michaele Pitirro episcopo Thermulano promotore, Alphonso Pacelli episcopo Murano, et Fr. Vincentio de Magistris nostri ordinis Præ- F dic. episcopo Cassanen., adhibitis etiam, et vocatis patre Nicolao Squillante congregationis Oratorii, et patre Dominico Viva Societ. Jesu, theologis synodalibus, nec non consuetis notariis, et testibus, accessimus ad secretarium nostræ metropolitanæ, ubi vocati aderant dilecti filii Antonius Volpe, et Angelus de Auria, artium et medicinæ doctores, testesque in anatomia periti, probati, et jurati, et continuando executionem decretorum nostri sacri provincialis concilii, deventum fuit ad actum canonicæ recognitionis, numerationis, et specificationis anatomicæ ossium corporis divi Bartholomæi. Quocirca a domino promotore aperto armario sæpe dicto post altare secretarii, extracta capsula ejusque clausura recognita, consuetis quoque orationibus recitatis, periti in anatomia rursus in manibus nostris juramentum de fideliter se gerendo, et de veritate dicenda præstitere: super itaque mensa consueta, de capsula, ruptis sigillis, aperta, extractæ fuerunt ampullæ, in quibus sacra pignora condebantur, et super eamdem mensam expositæ, et coram nobis, DD. episcopis, et theologis, notariis, et testibus,

prædicti

A prædicti in anatomia periti omnia ossa, de ampullis extracta, supra quasdam largas papyros in extremitatibus plicatas, et pro debita cautela, ne quid dilaberetur, elevatas, exposuere.

sacra ossa recognoscunt:

107 Et deinde manu tecta velis separaverunt ossa, illaque, illorumque partes, separata ad amussim per nomina propria cujusque ossis, et cujuslibet partis ipsorum specificaverunt, et sic separata, et specificata reposuerunt in separatis ampullis, multaque alia ossium fragmenta, quæ ob exiguitatem neque numerari, neque specificari valuerunt, in præcipua ampulla posita sunt, quemadmodum et ipsorum ossium pulveres suam ampullam complevere. Inventa quoque sunt inter sacra corporis lipsana nonnullæ piscium spinæ, lapilli, et tabularum ex abiete fragmenta, quibus ossa adhuc exstare, prout in insula Lipara collecta fuere, ostendebatur: una itaque ampulla piscium spinas, altera lapillos, et tabularum fragmenta recepit. Dum hæc agerentur, nos, et domini episcopi Lucerinus, et Thermulanus ad secretam synodalem congregationem vocati fuimus, et juxta datam substituendi facultatem, nostras vices domino Murano episcopo dedimus, Lucerinus B vero sibi dominum episcopum Cassanen. subrogavit; Thermulanus autem promotor huic suo ministerio congregationem prædictam posthabuit.

inveniunt omnes corporis partes, exceptis brachiis, claviculis, et sterno:

108 Congregatione synodali absoluta, nos, et dom. Lucerinus episcopus, cum dom. episc. Trojano ad secretarium revertimus, et adhuc recognitionem facientibus astantes, specificationem, et nominationem diligenter observavimus; qua peracta coram nobis, aliisque prænominatis episcopis, anatomistæ distinctæ super prædicta ossium specificatione per propria nomina, et separatione in novem ampullis, deposuerunt, asserendo insuper se juxta suum sensum, et peritiam cognovisse in eisdem ossibus adesse singulas partes totius corporis, exceptis humeris, sive brachiis, claviculis, et sterno. Præfata igitur sacrorum ossium per propria nomina specificatio, et in novem ampullis facta separatio, hujusmodi est:

novem ampullis imponuntur: quid in tribus primis:

109 In primo vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quatuor et semiunciæ, diametri unciarum duarum, et dimidiæ, Bona pars cranii. Decem ejusdem cranii particulæ grandiores. C Septemdecim ejusdem cranii particulæ minores. Septem aliæ ejusdem cranii particulæ exiguæ. Tres partes grandiores ossium organi auditus, appellatæ incus, orbiculare, et stapes. Duæ partes minores ex malleo. Septem dentes cum dimidio, id est, duo molares, unus caninus, quatuor incisorii integri, et unus dimidius. In secundo vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quinque, diametri unciarum trium. Duæ partes grandiores vertebrarum lumborum. Novem aliæ earumdem vertebrarum particulæ minores. Pars vertebræ colli. Novem particulæ spathulæ. In tertio vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum octo, diametri quatuor. Septem partes capitum articulorum. Decem aliæ particulæ eorumdem. Septem et viginti particulæ ossis innominati. Grande os femoris ultra dimidium palmum. Tria alia femoris ossa paulo minora. Novem partes femoris item grandes. Viginti partes femoris minores. Centum sexaginta particulæ ossium femoris, et tibiæ. Grande os anterius tibiæ. Sex aliæ partes ejusdem tibiæ item grandes. Particula suræ, et proprie caput, quod facit malleolum exterius integrum. Pars cubiti. Duæ bonæ partes radii. Alia pars ejusdem radii minor. Particula D articuli cubiti. Decem capita diversorum articulorum grandium. Quindecim articulorum particulæ. Quatuordecim suræ particulæ. Quinque et quinquaginta particulæ tibiæ. Octo particulæ ossis ulnæ. Quatuor minores particulæ ejusdem ossis. Tres particulæ patellæ genu.

quid in sex reliquis:

110 In quarto vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quinque, et dimidiæ, diametri unciarum trium. Novem partes metacarpi, duæ majores, reliquæ minores. Octo integra carpi ossa. Tria et viginti digitorum manuum ossa, alia integra, alia fracta. Sex tarsi, seu pedis ossa integra. Decem metatarsi ossicula partim integra, partim fracta. Septem integri articuli ossium grandium digitorum pedum. Octo articuli minores digitorum pedum integri, et alii quatuor minutiores. Duodecim particulæ ossium tarsi innominatæ. Os scapulæ. Septem partes diversarum costarum, duæ majores, reliquæ minores. Quinque partes costarum cum vertebrarum portionibus. Duodecim aliæ costarum particulæ minores. Viginti aliæ costarum particulæ exiguæ. Quatuor et viginti aliæ particulæ ossis indiscernibilis. In E quinto vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum octo et dimidiæ, diametri quatuor. Innumerabiles, diversæque ossium particulæ, quæ ob exiguitatem specificari non valuerunt. In sexto vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quinque, et trium diametri. Cineres, sive pulveres ossium. In septimo vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quatuor, diametri vero trium. Os grandius metacarpi integrum. In octavo vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum trium, diametri duarum. Decem particulæ spinarum piscium, quæ inter ipsa sacra ossa commixtæ repertæ sunt. In nono vase figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quinque, et trium diametri. Varia lapidum, et ligni fragmenta, quæ pariter inter sacra ossa inventa sunt permixta.

ampullæ obsignatæ reponuntur.

111 Absoluta igitur specificatione, nominatione, et in singulis vasis repositione prædicta, prosequentes decreti exsecutionem, quoad vasorum præfatorum obsignationem, hoc pacto, in omnium conspectu, obsignavimus. Unumquodque vas vitreum suas continens reliquias, ut prætulimus, suo operculo item vitreo clausum fuit, interposito gossipio, ut operculum ipsum firmius adhæreret: deinde transmissæ fuerunt singulæ vittæ sericæ rubri coloris e sin- F gulis operculis ad singula ora ampullarum per duos annulos vitreos, tam operculis, quam ampullis hinc inde firmiter inhærentes, quæ vittæ sic transmissæ supra cujusque ampullæ opercula conversæ fuerunt, et in binos nodos firmiter alligatæ, quibus nobis, cera Hispanica illitis, sigillum nostrum parvulum impressum fuit; singulis pariter ampullis singulæ additæ fuerunt schedulæ papyraceæ, ossium continentes specificationem, donec consimiles de pergameno sufficerentur. Qua obsignatione peracta, ampullæ sic obsignatæ in eadem capsula sæpe dicta repositæ fuerunt, et clausæ a domino promotore fiscali: ipsa vero capsa alligata, et duobus sigillis nostro, et promotoris prædicti munita, in consueto armario custodita fuit clavi, quam ipse promotor servabat. Prout latius in instrumento, rogatis prædictis concilii notariis eo dem die XIII currentis Maii.

A

PARS IV.

Facta in secunda sessione synodi : corpus relatum et repositum in templo novo.

Secunda sessio synodalis,

Die vero XIV ejusdem mensis Maii habita fuit in nostra metropolitana secunda sessio synodalis, intervenientibus nobiscum reverendissimis DD. comprovincialibus episcopis jam enumeratis, excepto P. Francisco Scanegata, qui ægræ valetudinis causa in archiepiscopio se continebat, nec non aliis novem reverendissimis DD. episcopis, qui honoris gratia ad cessionem accesserant, videlicet Timotheo Agnellini archiepiscopo Mardinen. in Me-
B sopotamia, Francisco Vignola episcopo Minerbinen., Nicolao Antonio Thura episcopo Sarnen., Alphonso Pacelli episcopo Murano, Jo. Francisco de Laurentiis episcopo Venusino, Fr. Marcello de Cavaleriis ord. Prædic. episcopo Gravinen., Fr. Vincentio de Magistris ord. Prædic. episcopo Cassanen., Carolo Cutillo monacho sancti Benedicti congregationis Montis Virginis episcopo Minoren., Josepho Schinosi episcopo Casertano, nec non duobus ordinariis inferioribus, procuratoribus quatuor episcoporum absentium, theologis, aliisque in concilio congregatis.

in qua decreta translationis lecta,

113 Cumque in ipsa sessione, synodi secretarius ex ambone decreta synodalia usque ad tit. VI inclusive legisset, de mandato nostro addidit lectionem, solemnioremque publicationem decreti super translatione sacri corporis divi Bartholomæi, lati in publica congregatione synodali, habita die X currentis mensis : quod ubi patres, aliique, superius descripti audiere, iterum alta voce dixerunt : Deo gratias, qui dignatus est nobis concedere, ut videremus, et manibus contrectaremus corpus divi Bartholomæi, eo modo, quo nobis per sacras constitutiones, et publica documenta nuntiatum fuerat. Legit insuper instrumentum elevationis dicti sacri corporis, con-
C fectum die XI currentis mensis, nec non alterum ostensionis sacri corporis elevati, factæ patribus, et populo, una cum decreto per ipsam synodum lato : ossa scilicet numerari, recognosci, specificari, et describi per anatomistas, et sigillari, sub rogatu diei XII mensis ejusdem. Legit demum, et publicavit instrumentum numerationis, recognitionis, et specificationis ossium per propria nomina, per anatomistas factæ, et inclusionis ejusdem sacri corporis in vasis vitreis, et obsignationis eorumdem sub rogatu diei XIII ejusdem mensis.

mandante synodo,

114 Qua lectione, et publicatione peracta, dominus ponens sanctæ synodo retulit, æquum, et congruum esse, ut præfatæ sacræ reliquiæ sic selectæ, et in suis vasis repositæ, et obsignatæ, tum dominis episcopis, qui ad sacrum nostrum consessum cohonestandum pro sua egregia pietate, nuper advenerant, tum innumeris ferme Christi fidelibus, qui e variis regionibus ad sacrum Apostoli corpus venerandum confluxerant, ut omnium religioni satisfieret, ostenderentur; cumque omnes responderent, Placet : mandavimus sacrum corpus e secretario asportari, prout DD. episcopi ponens, et promotor, a pluribus
D dignitatibus, et canonicis nostræ metropolitanæ comitati, recognito coram eisdem armario, exsecuti sunt, capsulam sacra Lipsana continentem suis ulnis ad aram maximam processionali ritu, et cum canticis deferentes.

sacra ossa rursus populo ostensa.

115 Apertis interim ecclesiæ januis de nostro mandato, ecclesia innumero pene populo repleta est. Capsulam deinde obsignatam, coram patribus, cæterisque resignandam mandavimus; cumque nos ambonem nostrum ascenderimus, ipsi DD. episcopi ponens, et promotor capsulam sic apertam ad nos detulerunt in ambonem, quæ ostensio ut notior fieret, mandavimus, ut synodi a secretis de ambone altero, qui e regione extat, catalogum reliquiarum recognitarum, et specificatarum cum propriis nominibus, per peritos anatomistas factum, alta voce legeret : quo illum legente, nos singulas ampullas in catalogo designatas, et ab eo expressas e capsula extrahentes ostendimus, ut erant, obsignatas populo, qui in lacrymas præ cordis lætitia erumpentes, ora, manusque in cælum tendebant, Deo de tanto munere gratias agentes, beatissimique Apostoli patrocinio sese commendantes.

E
et os metacarpi extra urnam servari decretum.

116 Qua religione moti proposuimus patribus, si placeret, os integrum metacarpi in septimo vase inclusum, extra urnam, in qua reliqua recondenda erant, ut confluentibus devotis deinceps ostendi posset, asservari : et patres conjunctis animis, ita fieri dixerunt. Quibus peractis, de ambone descendimus, capsulam cum reliquiarum vasculis reportantes ad aram maximam, in qua, spectantibus omnibus, de more clausa, et obsignata, ab eisdem DD. episcopis eodem ritu, quo venerant, cum canticis ad secretarium delata, et in armario sæpe dicto sub promotoris clavi reposita fuit, animo actionem continuandi, schedulasque de pergameno vasis affigendi, easdemque reponendi in urna porphyretica, ut prætulimus, jam benedicta. Omnibus deinde e secretario ad sacrum consessum reversis, stato ritu sessio absoluta fuit, prout fusius in instrumento, rogatis eisdem concilii notariis die XIV Maii.

Archiepiscopus cum suis

117 Eodem die XIV ejusdem mensis Maii ante vesperas, nos una cum enuntiatis tribus et viginti reverendissimis DD. episcopis, cum quibus nos numerum quatuor et viginti complebamus,
F nec non cum duobus ordinariis inferioribus, quatuor absentium episcoporum procuratoribus, theologis, domino gubernatore, et magistratu, anatomistis, notariis concilii, et testibus, ad secretarium nostræ metropolitanæ pro absolvenda canonica sacrarum reliquiarum corporis S. Bartholomæi apostoli recognitione cum schedularum de pergameno vasis vitreis appositione accessimus, ibique oratione peracta, unusquisque ad sua loca se recepit, et nos in nostra sede pontificalia paramenta accepimus, capitulares suas sacras vestes induerunt.

sacras reliquias ampullis inclusas ostendit,

118 Nos igitur pontificaliter induti una cum DD. episcopis ponente, et promotore ad secretarii armarium sæpe memoratum adivimus, quo a D. promotore, qui de mane clauserat, aperto, capsulam clausam, et duobus sigillis munitam, extraximus, et ostensam patribus sic clausam, et munitam, super secretarii altare collocavimus; et fractis sigillis, spectantibus omnibus, aperuimus, et vitrea vasa, quibus S. Bartholomæi corpus condebatur, extraximus, canticis, et thurificatione de more adhibitis; tunc mandavimus in schedulis de pergameno summatim nomina reliquiarum

A juxta anatomistarum sensum, et peritiam annotari, eisdemque vasis pro perenni memoria firmiter annecti. Ad hoc exsequendum patres DD. episcopos ponentem, et promotorem deputarunt. Proinde nos cum patribus, et canonicis processionali ritu ad chorum pro vesperis solemnibus de translatione canendis, accessimus. Interim præfati episcopi ponens, et promotor deputati una cum notariis concilii, et testibus, ac anatomistis remanserunt, coram quibus dilectus filius R. D. canonicus Martius Lizza, unus ex notariis, ad tenorem catalogi per anatomistas facti, et jam relati, schedulas de pergameno confecit, et reliquiarum nomina, summatim tamen, ut mandavimus, in eis exaravit, et singulas singulis vasis vitreis gummi, quam Arabicam vocant, tenaciter agglutinavit.

singulis ampullis apponitur inscriptio

119 Tenor autem schedularum est qui sequitur juxta vasorum vitreorum ordinem, quem ita exhibemus, ut remoto septimo, in urna juxta decretum synodale non reponendo, huic translato numero, reliqui sequentes subrogentur, ita ut octo deinceps in urna mox apponenda
B numerentur. In primo igitur vase annexa de pergameno schedula hæc habet : Numerus I. Ossa cranii, et organi auditus, dentes molares duo, incisorii quinque cum dimidio S. Bartholomæi apostoli, hic reposita die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In II vase schedula sic inscribitur : Numerus II. Vertebræ, et spathulæ S. Bartholomæi apostoli, hic repositæ, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In III vase hæc extat schedula sic inscripta : Numerus III. Ossa articulorum, femoris, tibiæ, suræ, ulnæ, radii, patellæ, et os innominatum S. Bartholomæi apostoli, hic reposita, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In IV vase hæc legitur schedula : Numerus IV. Ossa carpi, metacarpi, et digitorum manuum, tarsi, metatarsi, digitorum pedum, costarum, et alia indiscriminabilia S. Bartholomæi apostoli, hic reposita, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In V schedula hæc continet : Numerus V. Fragmenta ossium S. Bartholomæi apostoli, hic reposita, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In VI vase schedula sic inscripta : Numerus VI. Sacri pulveres ossium S. Bartholomæi apostoli, hic repositi, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In VII vase apposita schedula sic habet : Numerus VII. Spinæ piscium
C confusim repertæ cum sacris lipsanis S. Bartholomæi apostoli, hic repositæ, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. In VIII vase schedula sic legitur : Numerus VIII. Particulæ lapidum, et lignorum confusim repertæ cum sacris lipsanis S. Bartholomæi apostoli, hic repositæ, die XIII mensis Maii MDCXCVIII. Quod autem in catalogo septimum erat vas, modo nonum, et extra urnam, juxta enunciatum patrum decretum asservandum, suam quoque habet schedulam annexam tenoris, qui sequitur : Os magnum integrum metacarpi S. Bartholomæi, hic repositum, die XIII mensis Maii MDCXCVIII.

ampullæ includuntur urnæ porphyreticæ :

120 Absolutis vesperis, nos cum patribus ad secretarium reversi, octo vasa, obsignata, et suis schedulis de pergameno, ut prætulimus, specificata, in urna porphyretica jam benedicta reposuimus, aptantes inter ea gossipium, ne, altero alterum urgente, frangerentur. Septimum vero vas, modo nonum, in quo repositum est os magnum metacarpi, extra urnam relictum, obsignatum, et inscriptum ut erat, in sæpe dicto armario sacrarum reliquiarum secretarii reponendum, servata forma sæpius repetiti synodalis decreti, mandavimus, prout illud reposuit, et armarium D
clausit dominus episcopus promotor, qui clavem tradidit thesaurario Mariella, sacrarum reliquiarum in hac nostra metropolitana existentium custodi. Urnam vero porphyreticam, octo prædicta continentem vasa, thurificavimus, et suo deinde clausimus operculo item porphyretico, quod vasi ita conjungitur : vasis labrum circulus ferreus circumdat, et de eo ad operculum tres radii item ferrei protenduntur, ejusdemque operculi fastigio clavis ferreis sinuosis, quos vites vocant, firmantur. Hoc tamen pacto urna nunc clausa non fuit, cum artifex nondum perfecisset tres laminas plumbeas, nunc pariter in ea ad perpetuam hujusce præsentis sacræ actionis memoriam reponendas, pollicitus tamen est ipsas in crastinum ante vesperas omnino absolutas exhibere. Tenor autem inscriptionis, tribus laminis incidendæ, hac die dictatæ, est, qui sequitur.

inscriptio tribus laminis æreis incidenda :

121 » Anno Domini MDCXCVIII XI Maii, Do-
» minica die, Ego Fr. Vincentius Maria ord.
» Prædic. miseratione divina tit. S. Sixti S. R. E.
» Presbyter Cardinalis Ursinus, hujus sanctæ
» metropolitanæ ecclesiæ archiepiscopus, in se- E
» cunda mea provinciali synodo, de ejusdem syn-
» odi mandato coram Patribus elevavi, et re-
» cognovi corpus hoc S. Bartholomæi apostoli,
» quod erat in urna lapidea, in qua inveni duas
» laminas plumbeas, alteram antiquissimam, et
» in extrema parte ruptam, his verbis : † SCS.
» BARTHOLoMEUS APST., alteram item an-
» tiquam, priorem sic exprimentem : † SCS.
» BARTHOLOMEUS APLS. : et corpus ipsum
» reposui in vasis vitreis VIII; et eadem vasa die
» XIV Maii collocavi in hac urna porphyretica,
» præsentibus sanctissimis, et reverendissimis pro-
» vinciæ episcopis, nempe Fr. Cælestino Labonia
» ord. Erem. S. Augustini, episcopo Montis-
» Marani; Josepho Lazara clericorum Minorum,
» episcopo Aliphano; Francisco Scanegata epi-
» scopo Abellinen., et Frequentino; Angelo Ce-
» rasio episcopo Bibinen.; Francisco Antonio
» Punii episcopo Asculano, et Hordonen.; Fran-
» cisco Antonio Giannone episcopo Boianen.;
» Josepho Catalano episcopo Larinen; Domi-
» nico Morelli episcopo Lucerino; Michaele
» Pitirro episcopo Thermulano; Pompeio Sar-
» nellio episcopo Vigilien. ad votum decisivum
» admisso, et vice metropolitani capituli abba- F
» tis oppidi S. Lupi nullius; Francisco Protono-
» bilissimo episcopo Trivicano; Blasio Gambaro
» episcopo Thelesino; Emilio Jacobo de Cava-
» leriis episcopo Troiano eligente; Hiacyntho
» de Calce clerico regulari, episcopo Arianen.,
» ordinariis : P. Vito Antonio Pastorale ord.
» S. Benedicti congregationis Montis-virginis ab-
» bate generali nullius; Augustino Fantetta
» vicario Alberoni nullius. Sacras prædictas
» functiones honestantibus Timotheo Agnellini
» archiepiscopo Mardinen. in Mesopotamia; Fran-
» cisco Vignola episcopo Minerbinen.; Nicolao
» Antonio Thura episcopo Sarnen.; Alphonso
» Pacelli episcopo Marano; Joanne Francisco
» de Laurentiis episcopo Venusino; Fr. Marcello
» de Cavaleriis ord. Prædic., episcopo Gravi-
» nen; Fr. Vincentio de Magistris ord. Præd.,
» episcopo Cassanen.; D. Carolo Cutillo monacho
» S. Benedicti congregationis Montis-virginis, epi-
» scopo Minoren.; Josepho Schinosi episcopo Ca-
» sertano ».

122 Cum itaque, ut prætulimus, artifex incisionem præfatæ inscriptionis nondum absolvisset,

urna obsignata defertur ad aram maximam :

A set, urna interim porphyretica alligata fuit vitta serica rubri coloris tam circa labrum, quam supra operculum, et obsignata tribus sigillis nostris in cera Hispanica, supra eamdem vittam liquata impressis : deinde cum psalmis, et canticis urna sic obsignata imposita fuit feretro, ad hoc egregie elaborato, flosculis sericis, quasi per areolas distributis, undequaque mirifice exornato, quod processionali ritu, capitulo parato procedente, et patribus, nos, et DD. episcopi Montis-Marani, Muranen., et Bibinen., pontificalibus similiter induti, ad aram maximam nostræ metropolitanæ bajulavimus, domino gubernatore, et magistratu cum intorticiis accensis subsequentibus. Ibi urnam populo ostendimus, et publicæ adorationi cum thurificatione, et orationibus exposuimus. Demum ordine, quo veneramus, ad secretarium revertentes, inibi sacras vestes deposuimus, et brevi oratione ante secretarii altare persoluta, patres comiter dimisimus, nosque ad chorum reversi fuimus, sacris excubiis super sacro Apostoli corpore initium daturi, invenimusque populum à prædicto
B nostro recessu B. Virginis Mariæ Psalterium, sive rosarium decantantem. Noctem interim verterunt in diem, civitate universa innumeris luminibus illustrata, campanariis turribus frequentes festivos sonitus edentibus, populoque turmatim ad sacras confluente vigilias. Actio vero præfata latius habetur in instrumento, rogatis tribus concilii notariis superius relatis, die XIV currentis Maii post vesperas.

cantatis vesperis,

123 Die tandem XV mensis ejusdem nos una cum reverendissimis DD. episcopis comprovincialibus, aliisque novem, qui ad honestandas sacras functiones advenerant, quorum nomina retulimus, quique nobiscum quatuor, et viginti pontificum numerum complebant, nec non cum duobus ordinariis inferioribus, quatuor absentium episcoporum suffraganeorum procuratoribus, theologis, et decretalistis synodalibus, domino gubernatore, et magistratu, tribusque notariis concilii, et testibus rogatis, ac specialiter vocatis, ad nostram metropolitanam accessimus, ibique solemnes vesperas solemni ritu decantavimus : et primo psalmo inchoato, processioni solemni, ob magnum confraternitatum quatuor et quadraginta, nec non cleri, ex universa pe-
C ne archidiœcesi, numerum, initium datum fuit. Absolutis vesperis, patres omnes pontificalia, cæteri sua paramenta sibi convenientia induerunt, paratis jam canonicis pro assistentia vesperis a nobis decantatis præstita. Omnibus sic indutis, antiphonam : Cum gaudio exibitis, præintonavimus, et imposito in thuribulis incenso, urnam apud altare thurificavimus.

apertæ urnæ imponuntur tres laminæ.

124 Interim recognita, spectantibus patribus, urna, corpus divi Apostoli continente, et reperta eisdem sigillis, quibus hesterna die munita fuerat, firmata, de nostro mandato, videntibus cunctis, fractis sigillis, rursus aperta fuit, et in eadem pro perenni hujusce novæ translationis monimento prius tres novas laminas plumbeas jam absolutas cum inscriptione, quam supra retulimus, reposuimus. Sunt autem hæ tres laminæ in extrema parte conjunctæ vittis sericis rubri coloris, per foramina immissis, quæ vittæ e duobus pendent lateribus, et super eisdem in cera Hispanica impressa sunt novemdecim ex tribus et viginti episcopis præsentibus sigilla, nempe Montis-Marani, Aliphani, Abellinen., Bibinen., Asculani, Bojanen., Larinen., Luceri- D
ni, Thermulani, Vigilien., Thelesini, Trojani, Arianens., Minerbinens., Sarnens., Murani, Venusini, Gravinen., et Minoren., reliquorum vero quatuor episcoporum, et duorum inferiorum ordinariorum non fuerunt impressa, quia secum e suis residentiis sigilla non detulerant.

bulla archiepiscopi, et alia,

125 In media vero prædicta inferiore laminarum, sic conjunctarum, parte, est transmissa chordula serica rubri, et albi coloris, ex qua pendet nostra archiepiscopalis consueta plumbea bulla, habens ex una parte impressas imagines capitum B. Mariæ Virginis a dextris, et S. Bartholomæi apostoli a sinistris cum cruce intermedia, et supra caput S. Mariæ adsunt litteræ : S. M., hoc est : S. Maria : et supra caput divi Bartholomæi extant litteræ : S. B. : hoc est : S. Bartholomæus : infra imagines incisus legitur annus MDCXCVIII. Ex altera parte ejusdem plumbeæ bullæ adest inscriptio : Fr. Vinc. Maria Ord. Præd. Card. Ursinus Archiepus Bnus. Insuper in eadem urna reposuimus numisma argenteum, habens ex una parte imagines capitum B. E
Mariæ, et S. Bartholomæi, prout de plumbea retulimus, altera nostram habet imaginem mitra, et pallio decoratam, cum eadem inscriptione in gyro : Fr. Vinc. Maria Ord. Præd. Card. Ursinus Archiep. Bnus.

uti et duæ laminæ antiquæ :

126 Subinde in eadem urna duas laminas plumbeas, cum ipso sacro corpore in capsula marmorea repertas, et in primo instrumento elevationis dicti sacri corporis confecto sub die XI currentis mensis descriptas, et exemplatas inclusimus : quarum laminarum minorem, in extremitate ruptam, cum separata particula, involvimus schedula de pergameno nostra manu subscripta tenoris sequentis : « Lamina plumbea » antiquissima fuit recognita a peritis juridice examinatis, excedere annos septingentos, XIV Maii » A. D. MDCXCVIII. Fr. Vinc. Maria Card. archiep. » Quibus sic repositis, aptato novo gossipio, ne, quæ intra urnam erant, mutuo se urgerent, coram omnibus patribus, ipsisque videntibus, urnæ impositum fuit operculum, et circa ejusdem urnæ labrum circulus ferreus appositus est, ex quo circulo tres radii ferrei protenduntur ad operculi fastigium, ut circa illud breviori fer- F
reo circulo inhærentes firmentur, licet nunc totaliter firmati non fuerint ; hujusmodi enim actus post hujus translationis processionem peragendus erat in basilica divi Bartholomæi in actuali consignatione prædictæ sacræ urnæ, et collocationis ipsius in camera sub ara maxima ejusdem basilicæ.

instituta supplicatione, urna

127 Interea urna sæpe dicta firmiter alligata fuit vitta serica, et postea super nobile feretrum jam descriptum imposita, quod quippe feretrum cum sacra urna, donec solemnis processio ad sacram basilicam pervenit, semper humeris nostris dulce pondus incubuit, quod et alii tres pontifices, qui feretrum nobiscum comportabant, fecissent, nisi et aliis suas vices, et honoris, et pietatis gratia concessissent. Quod vero ad processionem attinet, methodus pro ejus directione impressa, ne hic justo longiores simus, in actis hujus sacri concilii exhibetur. Ubi vero processio ad sacram basilicam, terminum ei designatum, pervenit, ad illius ingressum, hymno : Te Deum : decantato, sacra tecta reboarunt : deposita igitur statis ritibus urna, exposita fuit super aram maximam vario, et pretioso marmore,

A re, etiam in camera pro urna ibidem recondenda, nempe intus, et foris elegantissime nostris sumptibus, si non pro tanti Apostoli dignitate, pro nostra tamen tenuitate elaboratam.

ad templum S. Bartholomæi delata;

128 Postquam igitur et thurificationem, et orationes debitas exhibuimus, populo solemniter benediximus, publicata per archidiaconum nostrum indulgentia plenaria a sanctissimo domino Innocentio Papa XII concessa visitantibus hodie hanc novam sancti Apostoli basilicam. Subinde nos in faldistorio super altare sedentes, oblationem intorticiorum a magistratu, aliis nobilibus, et ab aliquibus de clero foraneo pro servitio hujus sacri altaris, in sanctissimi Apostoli reverentiam suscepimus. Quo facto, sacra urna, de nostro mandato, firmiter obserata fuit, apposito operculi fastigio ferreo circulo breviori, qui clausus fuit clavo ferreo sinuoso, quem vulgus vitem appellat, cui clavo caput incisum fuit : ad ipsum vero breviorem circulum reducti fuerunt tres radii ferrei e majore urnæ circulo, quo labrum circumdatur, protensi, et in eodem breviori circulo tribus consimilibus clavis affixi, quibus pariter clavis capita incisa fuerunt : et super B quatuor prædicta incisionum vestigia, cera Hispanica infusa, quatuor nostra parva impressimus sigilla. Sic igitur dicta urna coram patribus obserata, munita, et obsignata, nos patres eosdem ob tarditatem horæ comiter dimisimus, qui processionali ritu cum cæteris de clero ad secretarium nostræ metropolitanæ pro sacrarum vestium dimissione recesserunt.

ibique obsignata, et in principis aræ camera deposita.

129 Nos vero cum DD. episcopis ponente, et promotore, canonicis hujus sacræ basilicæ, ministris, et capellanis, nec non et magistratu, remansimus pro eadem urna, sic obsignata, dignitatibus, et canonicis collegii nostri, S. Bartholomæi consignanda; prout fecimus collocando propriis manibus, dictis DD. episcopis assistentibus, sacram urnam in principis aræ camera. Hæc autem urna est, ut sæpe diximus, ex marmore porphyretico, studiosissime elaborata, altitudinis palmorum duorum, latitudinis per gyrum ductæ palmorum quatuor, et dimidii, valoris ducatorum ultra mille, elegantissimo opere pretiositatem marmoris exæquante. Urna itaque in dicti altaris camera collocata, eadem camera munita fuit crate ferrea in orbem ducta, et ex aurichalco C exterius affabre composita, choro interim psalmorum cantibus personante. Cumque in nostra pontificali sede in medio chori sedissemus, DD. episcopis, et sacræ basilicæ canonicis in eodem choro considentibus, ad eosdem canonicos verba exhortationis, ut tantis muneribus digno servitio responderent, habuimus; mandantes eisdem, ut in hujusce sacræ translationis memoriam, infra bimestre inscriptionem marmori incisam, verba, in tribus laminis in urna porphyretica inclusis exarata, continentem, apponendam curarent : interim vero pro debita Deo gratiarum actione per octo dies continuos integrum Davidicum Psalterium in tribus diversis horis distinctum, quotidie persolverent. Peracto demum sermone, ante altare oravimus et processionaliter cum DD. episcopis Lucerino, et Thermulano, dictæque sacræ basilicæ canonicis, ad ejusdem secretarium accessmus, uibi, sacris depositis vestibus, huic terminum actioni imposuimus.

130 Quibus sic peractis, ad perpetuam rei memoriam, hanc nostram paginam, petitionis, decreti, elevationis, recognitionis, ostensionis, repositionis, translationis, restitutionis, consi- D gnationis, sigillo nostro sub plumbo expediendam jussimus. Reliquum est, ut pro tam insigni beneficio, omnes cum omni humilitate benedicamus, et glorificemus eum, quem decet omnis benedictio, et gloria in secula seculorum. Confiteamur Domino in omnibus mirabilibus ejus, et cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes ejus, qui quamvis, peccatis nostris exigentibus, visitavit nos in virga indignationis suæ, non tamen continuit in ira misericordias suas : lætati enim sumus pro diebus, quibus non humiliavit, annis, quibus vidimus mala, dum in afflictionibus nostris gloriosissimi apostoli sui Bartholomæi omni laude dignissimi præsidio munit, ipsiusque meritorum, et intercessionum suffragiis protegit, ac defendit. Assiduis denique precibus ab eo postulemus, ut tanto Apostolo intercedente, a peccatis nostris faciem suam avertens, misereatur nostri, et respiciat nos, ac immittat timorem suum super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut agnoscant, qui non est alius Deus, nisi Deus noster. Dat. Beneventi in secunda nostra pro- E vinciali synodo anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, die vero XV mensis Maii, Indict. VI, Pontificatus nostri Beneventani anno XIII, ordinationis vero nostræ XXIV.

Conclusio ad Dei laudem hortatur.

Lumen ex sacris ossibus visum :

131 *Hactenus Bulla Eminentissimi. Qui plura de his cupit, adire potest Ephemerides P. Dominici Viva Societatis nostræ, qui rei gestæ interfuit, ac singula exacte narravit sermone Italico. Discet ex iis præsertim, quanta omnium, ac præ ceteris sanctissimi antistitis Ursini pietate, quanto populi cujuscumque conditionis concursu res tota fuerit peracta, quæ brevitatis causa prætermitto. Duo tamen, ad gloriam Sancti præcipue conducentia, nefas est præterire. Pag. 33 narrat,* testatum sibi esse illustrissimum quemdam singularis æstimationis atque virtutis episcopum, vidisse se ex arcula marmorea, cum primum aperiretur. . . ingentem splendorem ex splendentibus ossibus egressum. Et tam certo, *inquit,* asserebat, non fuisse oculorum hallucinationem, ut juridice cum juramento declarasset ad gloriam Sancti, si modestia ipsum non retinuisset, prohibens mihi etiam ne nomen suum manifestarem. *In memoriam hujus prodigii hos Viva adjecit versiculos :* F

Quæ nova fax oculis splendet, sacra lipsana monstrat.
Tune polum spectris fallere posse putas?
Si quæ sunt reliquæ : pellit lux alma tenebras,
Mens dubium posthac ponat, et urat amor.

rota rhedæ ter transit

132 *Aliud pag. 41 narrat miraculum, cui pauca præmittit de tempore pluvio in serenum, cum supplicatio incederet, mutato; hoc modo :* Non habuit infernus, quo turbaret tam bene ordinatam supplicationem : quin potius, ubi tempus et antea et postea perpetuo fuit pluviosum, die illo sol jam exul venit, ut spectator esset officiosus tanti triumphi. Studebat dæmon alio modo funestare diem, quippe in magna populi pressura circa templum patrum Dominicanorum, ubi magnum erat theatrum cum altari pensili, filius Antonii Todisci, Joannes nomine, unius vix lustri infantulus, humi prolabitur, per cujus crus alterum agitur rota minor rhedæ, multis personis onustæ. Tolluntur in cælum clamores contra aurigam; ille, quo rem restitueret, vehementius loris restringit equos, ut velociter recedentes, rotam iterum per tenellum illud crus agerent,

crus pueri illæsum.

A agerent : cumque rursum excitati progrederentur, tertia etiam vice per illud transit. Creverunt parentum et clamores et planctus, putantium, se infantulum jam contritum inventuros.

133 Verum Sanctus potens suum patrocinium, et in infernum dominium volens ostendere, ipsi pro munimine fuit : nam infans sublevatus, inventus est omnino incolumis, exiguo tantum livore in loco, quem rota tetigerat, apparente, ad gratiæ cælestis testimonium, clamantibus tum omnibus : Miraculum ! miraculum sancti Apostoli ! qui a multis tum fuerat invocatus. De quo jam juridica informatio fuit instituta : et testati sunt omnes, tum seculares, tum reverendi admodum patres Dominicani, facti testes oculati, cum medici, et chirurgi, qui crus lividum observarunt, non potuisse id naturaliter contingere, nec sine evidenti miraculo : quod cælum voluit, ut authentice prodigio hoc, tamquam signo characteristico, ostenderet, hæc vere esse ossa illius Sancti, qui se amore Domini sui, pelle exui permisit. *Hæc Viva, qui in miraculi memoriam hoc adjecit distichon :*

B Ter pueri premit acta pedem rota; nec terit ossa,
Sed pellem, Divi glubiti ut ossa probet.

CAPUT III.

An corpus S. Bartholomæi Romam translatum ?

§ I. Cultus Romæ : controversia Romanos inter ac Beneventanos de sacro corpore.

Cultus Romæ: controversia de corpore diuturna,

R*omæ magna veneratione coli* S. Bartholomæum *testatur Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ad diem* XXV *Augusti, ubi scribit, festum ejus grandi solemnitate, populique concursu, per octiduum celebrari in ecclesia Sancto dicata in Insula Lycaonia, seu* S. Bartholomæi. *De ecclesia* C *hac Floravantes Martinellus in Roma sacra pag. 77 et seq. post duas alias* S. Bartholomæi *ecclesias memoratas, hæc scribit :* Altare majus sustentatur quatuor columnis ophitinis. Ibidem labrum porphyreticum, cui imposita alba tabula marmorea pulcherrima. Intus S. Bartholomæi apostoli corpus spectabile. Paulus IV, cum dictum S. Apostoli corpus inter ruinas sui templi ob inundationem collapsi anno MDLVII repertum fuisset, illud magna et solemni pompa ac supplicationibus in templum D. Petri comportandum curavit : quod postea Pius IV restitui mandavit, ut vidi in instrumento consignationis die XXVII Julii MDLX in archivo Vaticanæ basilicæ. Fruitur quoque *(eadem ecclesia)* sacro sancti Paulini episcopi Nolani corpore. . . Olim erat collegiata, ut ex lapide sepulcrali in ecclesia sancti Jacobi in Septimiano. Est titulus Cardinalis sub cura fratrum Minorum de Observantia. *Hi auctores non minus Romæ indubitanter asserunt sacrum* S. Bartholomæi *corpus, quam illud Benevento tribuunt Beneventani. Hinc diuturna viguit controversia, numquam fortasse terminanda, Romanos inter ac Beneventanos, utri sacrum.* S. Bartholomæi *corpus possideant. Plurima hinc inde scripta, argumenta producta plurima. Egregiam pro Beneventanis hac de re dissertationem edidit anno 1636 Annibal Mascambrunus Stabiensis episcopus : alteram præcedenti prolixiorem anno 1694 in lucem dedit eminentissimus Cardinalis Ursinus, quam Italice reddidit aliquanto auctiorem Basilius Janellus anno 1695. Neque in Ephemeridibus, quas de translatione corporis jam relata scripsit Dominicus Viva Societatis nostræ, Beneventanorum causam neglexit.*

AUCTORE J. S.

necdum pro Beneventanis decisa,

135 *Eruditis his dissertationibus, atque ipsa in primis reliquiarum recognitione, quæ argumentum est Beneventanis omnium maximum, sacri corporis possessio videri quibusdam possit abunde Benevento vindicata; neque immerito victoriam cecinisse Pompeius Sarnellius episcopus Vigiliensis hoc epigrammate Janelli dissertationi præfixo :*

Romanos pugna Beneventum distinet annis
Centum : sed tandem dat studiosa manus.
Bartholomæus adit Beneventum : pugna revixit.
Per tot sæcla; manus det modo Roma suas. E

Sed in nobis videri non debet, parte inaudita altera, neque ita visum est Emmanueli Caietano Sousa, qui tom. 2 de Expeditione Hispanica S. Jacobi Majoris pag. 1229 ait, Sarnellium immerito cecinisse victoriam. Quia, *inquit*, pro Roma, insulaque Lycaonia prodiit Francisci Dini Dissertatio historico-critica de translatione, et collocatione corporis S. Bartholomæi apostoli Romæ in insula Lycaonia, seu vindiciæ Breviarii Romani adversus dissertationes episcopi Mascambruni, Marii Viperæ vicarii capitularis Beneventani, aliorumque recentissimorum, ac decreta in concilio Beneventano coram eminentissimo, ac reverendissimo Vincentio Maria Cardinali Ursino archiepiscopo lata, quæ impressa fuit Venetiis typis Dominici Lovisæ anno MDCCI *(imo 1700)* in quarto. Et tantum abest, ut Roma dederit manus suas, ut Sarnellius sperabat, quin potius Clemens XI Pontifex Maximus silentium imposuerit eidem Cardinali Ursino, aliisque negantibus corpus S. Bartholomæi apostoli extare Romæ. Unde sarta tectaque remansit auctoritas Breviarii Romani id asserentis, et quod magis est, obser- F vationeque dignissimum, ipse Cardinalis Ursinus ad summum Pontificatum evectus, assumpto nomine Benedicti XIII, nullam mutationem fieri jussit in Romano Breviario, qui licet Pontificatum tenuerit usque ad sextum annum, fueritque Pontifex rerum ecclesiasticarum maxime sollicitus, nullique labori parcens in iis, quæ ad sacros ritus, ecclesiasticamque disciplinam spectant. *Hactenus laudatus Sousa.*

quibus tamen silentium non videtur imposuisse Clemens XI,

136 *Verum, quod scribit silentium a Clemente XI impositum fuisse Cardinali Ursino, vix, aut ne vix quidem, fidem apud me obtinere potest. Primo enim neque verba Pontificis commemorat, neque tempus, quo silentium fuisset impositum. Secundo Cardinalis Ursinus ab anno 1698, quo absoluta sunt, quæ retulimus, omnia, jam siluisse videtur et nihil ultra movisse, cur igitur silenti silentium imponat Clemens Pontifex, creatus sub finem anni 1700 die* XXIII *mensis Novembris ? Tertio nihil de illo silentio majores nostri, similia diligentissime notare soliti, mihi reliquerunt, cum tamen alia minoris etiam momenti diligenter notata invenerim, maxime circa hanc controversiam, de qua Papebrochius*

aliquid

AUCTORE J. S.

aliquid in Vita S. Paulini dicere statuerat; prout dixit tom. IV *Junii, anno 1707 impresso, pag. 233, sed nihil de hoc silentio. Quarto illustrissimus Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus in Disceptationibus in Martyrologium Romanum Clementi XI dicatis, et Beneventi impressis anno 1716, pag. 389, controversiam hanc refert prolatis utriusque partis argumentis; qui, si silentium fuisset impositum, id scire debuisset et commemorare; at ne verbum quidem de silentio ibidem legitur; quin potius in partes Beneventanorum inclinat, atque ita corrigi posse Romanum Martyrologium ait, si scribatur :* Relatio sanctarum reliquiarum beati apostoli Bartholomæi, additis his : Quæ Beneventi et Romæ in insula Tiberina pia fidelium devotione honorantur.

ut Sousa asserit minus in scribendo accuratus.

137 *Accedit quod prædictus Sousa alia quædam Operi suo inseruerit, quæ manifeste falsa sunt. Unum profero exemplum, ut et vera esse quæ dico, lector intelligat, et labem integerrimo viro adspersam, quantum possum, abstergam. Tom. 1 Expeditionis Hispanicæ citatæ* B *pag. 878 ita scribit de Papebrochio nostro :* Sed movere nos non debet Papebrochius, qui in Hispania nullius est auctoritatis, cum a supremis sanctæ Inquisitionis tribunalibus sint prohibita ea, quæ scripsit in Actis Sanctorum, non solum in nostra Lusitania, sed in tota Hispania. *Hæc Sousa anno 1727 : reliqua, quæ adjungit prætermitto, ut ad propositum nostrum non necessaria. Atqui Opera Papebrochii in Lusitania numquam damnata sunt : deinde ignorare non poterat, censuram contra Opera Papebrochii anno 1695 latam in Hispania, æquissimo judicio relaxatam fuisse anno 1715 ab eadem Inquisitione generali, decreto de hac re edito, quod videri potest tom.* VII *Junii pag. 34. Qua ergo seu æquitate seu veritate scribit anno 1727, Opera Papebrochii de Actis Sanctorum in Hispania et Lusitania esse prohibita? Hinc igitur, concurrentibus rationibus supra allatis, fidem habendam non existimo asserto per Sousam silentio.*

Status controversiæ

138 *Secutus itaque exemplum illustrissimi de Aste, expendam argumenta hinc a Beneventanis inde a Romanis allata, et si quid uni vel alteri parti favens invenero, fideliter sine ullo partium* C *studio adjiciam. Verum, ut vis argumentorum melius innotescat, clare explicandum est, in quo sita sit controversia. In confesso est utrimque, corpus* S. Bartholomæi *fuisse Beneventi usque ad finem fere decimi seculi. Illud ibidem permansisse contendunt Beneventani nec paucis, nec levibus nixi argumentis : abductum fuisse, Romamque translatum ad insulam Lycaoniam sive Tiberinam, affirmant Romani, et passim Germani scriptores, multis itidem rationibus, et auctoritatibus subnixi. De auctore tamen et tempore hujus translationis inter hos non convenit : quidam enim id tribuunt Ottoni II imperatori, quod et Baronio placuit in Martyrol. Roman. ad* XXV *Augusti, atque ita in Breviario legebatur olim : alii Ottonem III hujus translationis auctorem faciunt, uti hodiedum habet Breviarium Romanum, quod et eminentissimus Baronius ad annum Christi 1000 num. 8 asseruit, prioris sententiæ auctores erroris insimulans. Franciscus Dinus, acerrimus Romanorum vindex, Ottoni II rem initio attribuit, verum ne de trecentis, quos jactat, auctoribus magnum cogatur detrahere numerum, in decursu omnes, qui pro Ottone III steterunt, ad suas partes trahit, quin et aliquos, qui non minus Beneventanis favent, quam* D *Romanis. Nunc videndum, quomodo pars quælibet suam sententiam explicet.*

expositus :

139 *Beneventani aiunt, Ottonem III petiisse corpus* S. Bartholomæi, *cui cum nihil negare auderent, dolo usos fuisse majores suos, ne sacrum thesaurum amitterent, eique pro corpore* S. Bartholomæi *substituisse corpus* S. Paulini *Nolani episcopi : quo deinde comperto, Ottonem Beneventum cum exercitu rediisse, urbemque obsedisse; at re infecta abscedere fuisse coactum. Hoc Beneventanorum fundamentum ex Leone Ostiensi, infra citando. Romani vero quidam, qui Ottoni III translationem tribuunt, substitutionem corporis sancti Paulini non negant; verum adjiciunt, reversum Ottonem Benevento potitum esse, et corpus* S. Bartholomæi *etiam transtulisse. Prætensam fraudem omnino negant eorum aliqui. Qui autem Ottonem II translationis auctorem volunt, ita rem narrant : Otto, inquiunt, accepta clade, quod a Romanis et Beneventanis in pugna desertus esset, cum in Romanos animadvertere non auderet, iram in Beneventanos exercuit, nam imparatos, nihilque tale timentes adortus, urbem cepit, spoliavit,* E *incendit, ac* S. Bartholomæi *reliquias Benevento ablatas, Romam transtulit, ubi et paullo post ex morbo obiit.*

quomodo veritas hic indaganda.

140 *Jam vero, ut partium momenta melius expendantur; notandum est, non numero historicorum translationem vel affirmantium vel negantium, veritatem hujus historiæ investigandam esse, sed considerandum in primis quanta fide polleat, qui primus translationem vel asseruit vel negavit : neque hoc tantum, verum vel maxime unde hauserit, quæ literis mandavit, an non potuerit bona etiam fide scribere, quæ falsa erant, populari fama deceptus. Etenim cum neutra pars scriptores rei gestæ contemporaneos afferat, asserta utriusque partis ortum duxerunt ex fama et traditione populi : expendendum itaque quæ traditio appareat magis verisimilis, quænam melioribus rationibus sit suffulta. Non itaque ad examinanda hujus controversiæ momenta, omnes auctores, qui de ea scripserunt, adducam; sed utriusque partis præcipua fundamenta quanti valeant, quasque patiantur difficultates, expendam, unico veritatis, quantum possum, illustrandæ studio.* F

§ II. Præcipuum Beneventanorum fundamentum; sive Leonis Ostiensis relatio examinata, oppugnata, et defensa.

Leonis Ostiensis relatio :

Beneventani tamquam Achillem pro se prima in acie collocant auctoritatem Leonis Marsicani Cardinalis et episcopi Ostiensis, qui in Chronico Casinensi lib. 2, cap. 24, prout nuperrime editus est inter Scriptores rerum Italicarum tom. 4, pag. 354, ita scribit : Hujus abbatis *(nempe Joannis)* anno tertio, qui est millesimus ab Incarnatione Domini, supradictus imperator Beneventum venit, et causa pœnitentiæ, quam illi beatus Romualdus injunxerat, abiit ad montem Garganum. Reversusque consequenter Beneventum, petiit ab eis corpus sancti

A cti Bartholomæi apostoli. Qui nihil tunc illi negare audentes, callide illi pro corpore Apostoli, corpus beati Paulini Nolani episcopi, quod satis decenter apud episcopium ipsius civitatis erat reconditum, ostenderunt, et eo sublato recessit tali fraude deceptus. Quod postquam rescivit, nimium indignatus; corpus quidem confessoris, quod detulerat, honorifice satis apud insulam Romæ recondidit : sequenti vero tempore, perrexit iterum super Beneventum, et obsedit eam undique per dies multos : sed nihil adversus eam prævalens, Romam reversus est. Unde vix ad sua reverti incipiens, mortuus est apud oppidum, quod nuncupatur Paternum. *Hactenus Ostiensis.*

et ejus auctoritas stabilita:

142 *Leonis in hac historia auctoritatem magni faciendam his rationibus contendunt Beneventani : quia prius et omnium antiquissimus est, qui hanc litteris mandavit historiam : quia* sinceræ fidei scriptor, suique temporis integerrimus, *ut eum vocat Baronius : quia verisimile est, secretiora hujus facti documenta in Casinensibus scriniis extitisse, dum scripsit Ostiensis : quia Matthæus Lauretus nihil in hac relatione mu-* B *tandum duxit. Post quæ ita prosequitur Dissertatio Ursini :* Confirmatur Leonis Ostiensis narratio ex immemorabili institutione festi S. Bartholomæi in Cava, quotannis celebrari consueti, Beneventi die IV Septembris, quod aliunde non effluxit, quam a Cava, in qua latuit B. Apostoli corpus, ne pia civium fraus, qua Otto III deceptus fuerat, detegeretur. Qui locus ad annum usque MDCLXXXVIII, quo terræ motus vi tota cum basilica subversus est, summa omnium veneratione habitus fuit. *Hoc primum Beneventanorum argumentum præ ceteris diligenter expendendum est, ut pateat, quo illi fundamento suam tueantur sententiam. Producam itaque primum, quæ Franciscus Dinus ad hoc respondit, quamvis majore verborum apparatu, quam rationum pondere tum hic, tum in tota sua Dissertatione, rem agere videatur.*

Francisci Dini inepta.

143 *Dinus itaque in Dissertatione historico-critica de translatione corporis* S. Bartholomæi *pag. 31 ad argumentum ita respondet :* Leo e vivis excessit ad annum MCXVI : igitur historiam protulit CXXX annos post præmissam translationem, si hæc Othoni II juxta veriorem, probatissimamque opinionem tribuatur, ut nec contempora- C neus, nec certe primus censeri possit, cum ad eam ætatem esset in humanis Otho anno MCXXXVIII episcopus renunciatus teste Vossio, qui plura aggerat de Othonis Frisingensis fide, et auctoritate. *Verumenimvero in limine responsionis suæ gravissime offendit Dinus, et forsan non inepte hinc colligent eruditi, eum nihil adversariis velle concedere, sive verum id sit, sive falsum. Quæ enim hæc ratiocinatio : Leo obiit anno 1116, id est annis 22 antequam episcopus creatus sit Otto; ergo Leo non scripsit ante Ottonem? Hoc tamen est ipsum Dini ratiocinium; etiamsi verum esse concederemus Leonem ante annum 1116 non esse mortuum, de quo, licet incertum sit, vitilitigare non lubet. Nam manifestius est, quam ut prudenter negari vel debeat vel possit, Leonem Ostiensem Ottone Frisingensi, mortuo anno 1159 judice Bellarmino de Script., pag. 342, vel 1158, secundum Labbei Chron. ad illum annum, scriptorem esse antiquiorem. Primus itaque hujus historiæ scriptor est Leo Ostiensis, sed non contemporaneus, qui tamen non scripsit 130 annos post rem gestam, ut perperam asserit Dinus, cum ante mortem Chronicum suum exaraverit.*

Auctore J. S. et iniqua in Ostiensem responsio :

144 *Deinde Dinus multa accumulat in Leonem Ostiensem parum æqua, multa quibus ostendere nititur Leoni Ostiensi hæc esse supposita, neque veretur adulationis dicam, an imposturæ, crimen imponere integerrimæ famæ antistiti; pag. 33 ita scribens :* Igitur Leo a pueritia in Cassino oblatus a vulgo accolarum deceptus, ut principi populo adularetur, ne provinciam tanto munere orbatam fateretur, translationem negare adortus est. *Modestius vellem scripsisset Dinus de Leone Ostiensi, de quo bibliographi passim non male sentiunt. Ne autem multorum accumulare oporteat testimonia : unum pro omnibus audi Muratorium, qui ejus Opera nuperrime recudit inter Scriptores Italiæ tom. 4, in Præfatione ad Chronicon Casinense pag. 153 de eo loquentem :* Quod est, *inquit,* ad Chronicon monasterii Casinensis, cujus nunc novam editionem damus, omnium, eruditorum calculo Opus maximi faciendum est tum quod complectitur res celeberrimi istius cœnobii ab ipsius sancti Benedicti fundatoris Vita, . . . tum etiam quod Leo magnæ gravitatis et auctoritatis vir ad ipsum conscribendum simul E archivo Casinensi, aliisque antiquitatis venerandæ monumentis est usus. *Hisce auctoritatem Leonis satis vindicatam existimo contra dicteria Francisci Dini, quæ alioquin parum sunt probabilia. Cur enim Beneventanis potius adulari voluisset Leo, quam Romanis, qui priusquam Chronicon suum exararet in Romani Pontificis obsequio occupatus erat, ut ipse testatur in Prologo pag. 244, et plura sperare poterat a Romanis quam a Beneventanis? Nihilo validiora sunt, quæ de interpolatione et mutilatione Chronici Casinensis subtexuit Dinus. ut probaret hæc Ostiensi fuisse deinde adjecta. Nam, quamvis Chronicon toties recusum sit, atque ad fidem Mss. codicum exactum, numquam hæc historia fuit prætermissa, numquam dubitatum, opinor, ab aliquo editore, quin hæc vere esset Leonis. Quod demum ait Dinus, Ostiensem in his ab omnibus deseri, falsum patebit ex dicendis, cum multi quidem ei refragentur, sed nec pauci consentiant. Reliqua Dini dicta contra Ostiensem prætereo, quod nihil præterea afferat, quo se expediat : atque ad alia quædam contra Leonis auctoritatem argumenta transeo, quæ unico veritatis investigandæ studio fuere proposita.* F

argumenta alia conera hanc narrationem.

145 *Miserat Eminentissimus Cardinalis Ursinus Dissertationem suam ad majores nostros, hortatus etiam, ut, siquid circa illam controversiam haberent dubii, id libere expromerent. Fecit id Janningus primo circa quædam, quæ ad templum* S. Bartholomæi *spectabant, ad quæ ita respondit eminentissimus, ut omne circa punctum illud sibi dubium exemptum fateretur Janningus. Verum, alia missa epistola, difficultates proposuit magis urgentes, circa auctoritatem, aut potius relationem Leonis Ostiensis, de qua agimus. Omnes autem ipsius rationes eo fere tendunt, ut ostendat, verisimile magis esse, Beneventanos deceptos fuisse per suos, qui ne civium Beneventanorum indignationem et odium incurrerent, hujus fraudis famam spargere in vulgus poterant, quam deceptum fuisse imperatorem, quem sine gravi periculo decipere non potuissent. Hæc itaque argumenta per modum dubiorum eminentissimo Ursino proposita, et in scriniis nostris servata, ipsis Janningi verbis erudito lectori hic exhibebo. Et responsum Benevento missum fideliter subtexam, ut, quantum tribuendum*

AUCTORE J. S.

buendum sit relationi Ostiensis, lectoris permittatur arbitrio. Epistola Janningi Roma, ubi tunc ipse degebat, missa VII *Novembris 1699, sic habet :*

EMINENTISSIME PRINCEPS, REVERENDISSIME DOMINE.

ex epistola Janningi ad Ursinum ;

Ex quo non ita pridem, imperio potius Dominationis vestræ, quam sponte mea, exponere ausus fui quiddam dubitationis super translatione corporis S. Bartholomæi apostoli ; cui mox a Dominatione vestra abunde satisfactum fuit : recurrit identidem animo aliud quidpiam, quod tunc etiam tetigi obiter ; et hactenus me sollicitum habet ; quid respondere possim, aut debeam, si quis Romanus civis, opinionis, ac traditionis suæ urbis tenax, ut sit, negare pergeret, corpus S. Bartholomæi superesse modo, aut fuisse Beneventi post annum Christi millesimum ; sustinens pro suo in patriam amore, corpus illud anno millesimo vere translatum fuisse ab Ottone III imperatore Romam, ibidemque B hodiedum in veneratione esse. Ut probet, allegabit ipsam, quam convincentem putat, Romanæ urbis traditionem.

traditio Beneventana,

147 Opponere quidem hic ego possum traditionem contrariam Beneventanorum ; atque etiam addere ex Leone Ostiensi, traditionem Romanorum falso niti principio. Cives quippe Beneventanos prædictum imperatorem, corpus S. Bartholomæi apostoli petentem, callide decepisse ; atque ei pro corpore S. Bartholomæi apostoli, tradidisse corpus S. Paulini episcopi.

ex qua scripsit Ostiensis,

148 Verum quid opponam, haud scio, si Romanus idem contendat, traditionem Beneventanorum potius niti falso principio, quam traditionem Romanorum : et Leonem Ostiensem, ex tali Beneventanorum traditione scribentem, nihil traditioni addere auctoritatis, aut fidei majoris.

fraude nixa :

149 Principium quippe, dicet Romanus ille, quo nititur traditio Beneventana, corpus sancti Bartholomæi mansisse Beneventi, est sola relatio, et prætensa infidelitas illorum, qui reliquias imperatori tradentes, eum decepisse perhibentur. Aliunde enim sciri non potuit, deceptum fuisse C imperatorem, quam ex illis ipsis, qui deceperunt : cum nemo alius id scire potuerit. Principium autem, quo nititur traditio Romana, est auctoritas imperatoris, qui certo scitur, Beneventi existens, petiisse corpus S. Bartholomæi ; et fidelitas proborum virorum (tales etenim credendi sunt, nisi probentur fuisse mali) qui consentientes, certe visi consentire, petitioni imperatoris, tradiderunt ei reliquias, utique quas rogati ab ipso fuerant, quasque nemo bonus suspicari potest alias fuisse.

deceptio imperatoris periculosa,

150 Similiter quid opponam Romano, si pergat porro quærere ex me ; quo pacto cives Beneventani, qui nihil tunc imperatori negare audebant, uti loquitur Ostiensis, ausi fuerint ipsum decipere? An deceptio illa non erat periculosæ plenum opus aleæ? An non erat injuriosa majestati cæsareæ? An erumpere non poterat facile? Quid si erumpebat? Nonne secum trahebat ruinam publicam civium, et civitatis ab imperatore, juvene, bellicoso, armato, et irritato inferendam?

difficilis,

151 Quid opponam, si deinde quærat ; quomodo potuerit imperator decepi, cui præsenti, et videnti reliquiæ fuerunt traditæ in ipso episcopio, uti testatur ipse Ostiensis? An tam obscuro loco et negligenter habebant cives Beneventani venerabile sancti Apostoli corpus, et carum sibi pignus, ut dignosci non posset ; aut nesciretur passim, etiam ab imperatore, qui illud petebat ; et ab aulicis ejus, sagaci hominum genere, ubi conditum servaretur, et a fideli populo honoraretur ? D

per quos peracta ?

152 Si quærat 3, quinam cives Beneventani, cujus Ordinis, aut gradus, quam multi, aut pauci, deceperint imperatorem, aut conscii fuerint deceptionis faciendæ ?

an a multis peccatis possit excusari ?

153 Si quærat 4 ; quo pacto possint excusari deceptores illi, a temeritate, infidelitate, impietate, et sacrilegio ? A temeritate quidem, qua, decipientes imperatorem, exposuerunt se et civitatem suam periculo ruinæ ? Ab infidelitate vero, qua, quod signis promittebant, et monstrabant se daturos imperatori, non dederunt ? Ab impietate autem et sacrilegio ; dum S. Paulinum, corpus ejus sub nomine S. Bartholomæi alienantes, privant omni illo cultu, et veneratione, quibus deinceps a fidelibus in corpore suo honoratus fuisset : atque tantumdem faciunt, acsi corpus ejusdem S. Paulini e mundo eliminarent, deleta inter homines memoria ejus? E

an excusandus archiepiscopus ?

154 Si quærat 5, qua ratione eximi culpa possit archiepiscopus Beneventanus, cujus scitu, et consilio, si credimus Ostiensi, imperator deceptus fuit ?

An deceptoribus credendum?

155 Si quærat 6, quam prudenter credere cives potuerint deceptoribus imperatoris ; qui dicentes se imperatorem decepisse, fatebantur ipsi, et annuntiabant civibus, se deceptores esse? deceptoribus autem notis, quam prudenter creditur ?

An non potius

156 Si quærat 7 ; an qui deceperunt, ut prætenditur, imperatorem Romanum, et quidem in rebus sacris, et cum periculo præsenti superventuræ ab illo vindictæ in caput suum, et totam civitatem : an illi scrupulo sibi duxerint, decipere cives suos, a quibus nihil propterea timere debebant ; imo sperare etiam præmium, laudem, et applausum poterant ; si decipiebant, persuadentes ipsis, non esse datum imperatori corpus S. Bartholomæi, quod datum erat : si vero non decipiebant, timere sibi debebant, F propter ablatum corpus S. Bartholomæi, saltem indignationem civium, si non et gravius aliquid ab inconsiderato, et præcipite vulgo?

deceptus populus,

157 Si quærat 8 ; an non multo facilius fuerit persuadere populo, tunc, cum reliquiæ tradebantur, absenti ; et quales traditæ essent, ignoranti ; non fuisse traditum imperatori corpus sancti Bartholomæi : quam imperatori cum suis præsenti, et omnia inspectanti, non tradere corpus illud, quod petierat, ac unice desiderabat ?

quam imperator,

158 Si quærat 9, quomodo persuadere sibi possint Beneventani, deceptum fuisse imperatorem, et non se, cum prætensi deceptores tunc saltem, quando imperatori reliquias tradiderunt, censebantur adhuc veri, et fideles : at vero, quando civibus suis dixerunt se imperatorem decepisse, jam constabat improbos, atque infideles esse ?

quod crimen minus?

159 Si quærat 10 : an non magis debeant opinari, et credere cives Beneventani, se a deceptoribus illis deceptos fuisse ; quam cupiunt credere, et credi, deceptum ab iis fuisse imperatorem : præsertim cum deceptio civium in ca-

su

A su præsenti minus crimen sit variis ex capitibus, quam sit deceptio imperatoris?

Quid fuerit utilius, et gloriosius Benevento.

160 Si quærat 11, an operæ pretium fuerit Beneventanis, per tot discrimina, malasque artes perdere, cum conscientia proborum virorum, sanctissimi et celeberrimi episcopi corpus unum, ut aliud S. Apostoli retineatur? Si quærat denique 12, quid gloriosius Beneventanæ civitati sit, ipsam, ut beneficam, et bene meritam de imperatore Ottone tertio, ac Romana urbe, carere corpore S. Bartholomæi; quam per fraudem illud sibi retentum contendere?

Responsum Benevento missum:

161 *Responsum Benevento missum die* XI *Junii 1700, hoc prænotatum titulo :* Responsio ad solidas, doctasque objectiones Adm. Rev. Patris Conradi Janningi e Soc. Jesu adversus Beneventanorum traditionem super existentia corporis S. Bartholomæi apostoli Beneventi; *ita sonat.*

traditio Beneventanorum probata

162 Antequam responsum detur dubiis, tam ingeniose propositis, duo firmanda sunt puncta, e quibus illorum opportuna pendet solutio. Primum id est, quod Beneventanorum traditio B longe a Romanorum traditione distat. Pro prima etenim plura concurrunt consectaria, ac fere inenodabilia argumenta, quæ eamdem credibilem reddunt : secus vero pro secunda. Sufficit Dissertationem typis editam percurrere, ut hoc pro certo habeatur. Primo pro Beneventana traditione affertur bulla Leonis IX de anno MLIII, et altera Stephani item IX de anno MLVII, asserentes in S. ecclesia Beneventana pretiosissimum corpus beatissimi Bartholomæi requiescere. Hoc itidem habetur in bullis Clementis VI anni MCCCXLVII, Bonifacii IX MCD, et aliorum Romanorum Pontificum. Et hæc abbatem Ughellum tom. VIII, col. CX Ital. sacræ, Romæ tunc typis excudentem, et oppositam prius sectantem sententiam, ad se plene victum declarandum coegere. Secundo habetur auctoritas Leonis Card. Ostiensis, qui eodem sæculo scripsit, quo Otho III imperator sacrum corpus a Beneventanis habitum transtulit. Et cardinalis Baronius, licet his adversetur, tamen Ostiensem sinceræ fidei scriptorem, sui temporis integerrimum prædicat. Lauretus, qui exacte cribravit nonnulla illius sæculi gesta, et a præfato auctore enarrata, C licet nodum in scirpo quæsiisset, nihilominus nihil prorsus hac in re adnotavit. Imo archiepiscopus de Nuce, qui toto pectore Laureti opus impugnavit, in hoc eum oppugnare non est ausus. Tertio habetur Historia Eadmeri in illa Dissertatione legenda. Quarto Ladislai regis attestatio anni MCDXIV. Quinto Martyrologia Usuardi, Wandelberti, Florentinum, ac Beneventanum in medium efferuntur.

variis argumentis, et recognitionibus,

163 Verum enim vero præ ceteris pondus obtinet suum provinciale concilium, anno MCCCXXXVIII celebratum, in quo Fr. Arnaldus de Brusacco archiepiscopus, Benedicti XII Pontificis maximi facultate, ad antiquam, et vere augustam basilicam, anno MDCLXXXVIII terræmotus causa dirutam, corpus gloriosissimi Apostoli transtulit, recognitum prius, ac in ærea urna recunditum, ac nuper anno MDCXCVIII aperta. Et si duabus plumbeis laminis in urna repertis lumen adjiciatur, ac peciolis spinarum, et sassulis cum sacris ossibus inventis, tum etiam si perpendatur, quod non fuerunt reperta inter hæc lipsana ejusdem Sancti brachia, cum sit compertum, quod unum Carpineti colatur, dono datum a Bernardo Leoduni comitis Pennæ filio anno CMLXII; alterum vero Cantuariæ, Immæ Anglorum reginæ dono datum ab Al- D phano III nostro archiepiscopo anno circiter MXVII. Tum etiam si habeatur ratio varietatis litterarum, seu characterum, qua nomen Apostoli erat scriptum, nempe Latinis literis in lamina antiqua apposita, cum e Liparitana insula huc advenit urna, et Longobardis in altera, cum dictus archiepiscopus de Brusacco in citato concilio anno MCCCXXXVIII, sacrum corpus recognovit, nulla major probatio ad finem, moralem rei, hucusque sedulo perquisitæ, evidentiam habendi, desideranda videtur.

præ Romanorum,

164 Altera vero ex parte pro Romana traditione affertur dumtaxat Othonis Frisingensis auctoritas, qui anno MCLVIII ex humanis profectus est, quique scripsit : « Tradunt Romani, se corpus D. Bartholomæi habere : nec Romæ haberi asseruit.

cujus præcipua fundamenta refutantur.

165 Ex quo clare dignoscitur, quodnam discrimen intercedat inter auctoritatem Ostiensis, qui eodem sæculo traditionem Beneventanorum scripto consignavit, et illam Frisingensis, qui sequenti sæculo Romanorum dicta conscripsit illis verbis : « Tradunt Romani » cum evidenti E errore in re, in persona, et in tempore. Sed quid de Roberto de Monte dicendum? Hic poetæ magis, quam historici munus, ac formam exhibuit. Refert enim quamdam Tyberis inundationem anno MCLVII, cujus nemo unus memoriam posteritati commendavit. Scribit insuper S. Apostoli corpus fuisse integrum inventum, excepta pelle, quæ remansit Beneventi. Et quomodo integrum reperiri poterat corpus, si tot corporis reliquiæ in variis orbis partibus distributæ habebantur? Quisnam umquam Apostoli pellem Beneventi extitisse asseruit? Huc ossa tantum translata fuere, quæ Theodorus monachus in Liparitana insula non sine miraculo collegerat, ubi a Saracenis in psamathone, seu sabulo fuerant dispersa. Præterea Frederici I imperatoris auctoritas habetur. Verum quam sit hæc nullius æris, ac momenti, ex citata Dissertatione plura menda, quam verba eamdem continere clare liquet. Quod vero majus pondus portendit, ex Romanis Breviario, ac Martyrologio effertur. Attamen in utroque fuit hoc additum, præterito sæculo occidente, juxta Romanam fidem, ex supradictis conjecturis desumptam. Legatur, quod dicitur super hoc, in eadem Dissertatione, et liquido constabit fun- F damenti imbecillitas; et firmatum remanebit primum punctum, nempe, quod longe magis sint solida, ac valida argumenta credibilitatis, quæ in favorem Beneventanæ traditionis militant.

Fraus Beneventanis fuit licita;

166 Secundum punctum decernendum id est, nempe quod licite potuerint Beneventani, eorum archiepiscopi accedente consilio, fraudem illam obducere eodem prorsus modo, quo licitissime in casu, quo per vim ingenti baccatus pyropo exhibendus est annulus, pyropus in amethystum, et in vitrum adamas vertitur, ut qui annulum rapere exoptat, decipiatur. Et certe accidere potuit fraus absque mendacio, infidelitate, sacrilegio, temeritate, ac injustitia, et absque eo, quod ulla prorsus læderetur virtus; imo laudabili sagacitate, ac solertia, perinde ac deceptus se tantum fraudem merentem, non quidem deceptorem, qui suas partes solerter exolvit, doleret.

ac sine mendacio et sacrilegio;

167 Equidem primo a fraude exulavit mendacium, cum licite potuerint adhiberi æquivocæ voces, et ambiguæ. Nulla infidelitas imperatori.

A ratori exhibita, sed potius fidelitatem magistratus et archiepiscopus civibus exhibuere, dum imperatori minime erant obstricti, nec ulla præcessit promissio. Civibus se fideles exhibere debebant totis viribus, tantum thesaurum custodiendo : eumque hac fraude prorsus licita optime custodiere. Nullum adfuit sacrilegium, quia cultui verum corpus exposuere; nec debitum cultum corpori S. Pontificis Paulini debitum sustulere, illud pro corpore S. Apostoli tradentes; quia in votis habuere fraudem aperire post imperatoris discessum, prout effecerunt, urbem prius munientes, ut decepti imperatoris iram evaderent, ac vires. Et quod ita se res habuerit, optime ex citato Ostiensi lib. 2, cap. 24, post factum immediate scribente, elicitur in illis verbis : « Quod postquam (imperator) rescivit, » nimium indignatus, corpus quidem confessoris, » quod detulerat, honorifice satis apud insulam » Romæ recondidit. » Igitur Beneventani non retinuere Apostoli corpus, ut semper abditum haberent, sed ut publicæ exponerent venerationi post imperatoris discessum, et amoto illud B amittendi periculo; et sic quo tempore patefacere licebat Apostoli corpus retinuisse, tunc etiam S. Paulini corpus exhibuisse patefacerent; ac proinde ejus loci, ubi ipsius. S. confessoris corpus coli debuisset, universum orbem redderent certiorem.

temeritate et injustitia.

168 Procul fuit temeritas, dum tali modo tradiderunt, ut fraudis aperitio esset difficilis : et cum tandem aliquando esset aperta, muniti cæsaris iram eluderent, prout realiter immediate contigit, dum fraude aperta, imperator indignatus, illatam sibi ulturus injuriam : « Sequen» ti tempore (sunt verba prælaudati Ostiensis, » ubi supra) perrexit iterum super Beneventum, » et obsedit eam undique per dies multos : sed » nihil adversus eam prævalens, Romam rever» sus est. » Tandem injustitiæ notam evaserunt, aliamque labem, qua maculari possent cives, vel reddi posset fraus laude non digna. Et si omnes uno ore, ac exquisitis laudibus Judith extollimus, ac convestimus, eo quod sua fraude, licet periculosa, tantam populo attulerit utilitatem ; quare Beneventanum magistratum laudibus debitis exspoliabimus, cum fraude tam perspicaci Benevento non fabulosum servaverit palC ladium? Firmatis itaque duobus præmissis punctis, facilis videtur duodecim propositorum dubiorum solutio.

Responsio

169 Itaque quoad primum, ubi dicitur. « Prin» cipium, quo nititur traditio Beneventana, » corpus S. Bartholomæi mansisse Beneventi, est » sola relatio, et prætensa infidelitas illorum, » qui reliquias imperatori tradentes, eum dece» pisse perhibentur. Aliunde enim sciri non po» tuit deceptum fuisse imperatorem; quam ex » illis ipsis, qui deceperunt : cum nemo alius » id scire potuerit. Principium autem, quo ni» titur traditio Romana, est auctoritas impe» ratoris, qui certo scitur Beneventi existens » petiisse corpus S. Bartholomæi; et fidelitas pro» borum virorum (tales etenim credendi sunt, » nisi probentur fuisse mali) qui consentientes, » certe visi consentire, petitioni imperatoris, tra» diderunt ei reliquias, utique quas rogati ab » ipso fuerant, quasque nemo bonus suspicari po» test alias fuisse. »

ad primum

170 Respondetur, verum esse, quod tam Beneventanus, quam Romanus traditionibus suis se tuentur, sed non æqua lance decertant; dum credibilitatis motiva, quæ in favorem Beneventanæ traditionis militant, excellunt ea, quæ pro Romana belligerant traditione. Eodem prorsus modo, quo Catholicus, schismaticus, Turca, et Hebræus eorum fidem astruunt in Verbo Dei scripto, et tradito. Attamen alia sunt motiva credibilitatis, quæ Catholicum muniunt, et quæ alios; ideoque solus Catholicus non decipitur. Verum est, quod Ostiensis Beneventanorum scribens traditionem, nullum pondus directe adjicit ei, quod est credendum; cum tantum credere debeamus magistratui, piam fraudem se commisisse asserenti. At sicuti credibilitatis nostræ fidei motiva nullum addunt directe pondus ei, quod credendum est, cum Deo loquenti tantum sit credendum, reddunt tamen ad evidentiam credibile, Deum locutum fuisse : ita Ostiensis relatio credibilem reddit illam, quam se commisisse fraudem testatam voluit magistratus. D

dubium :

171 Beneventana traditio roboratur bullis tot Pontificum illis temporibus propinquorum, et forsan tunc temporis viventium : stipatur ab Ostiense auctore non tantum probatissimo, sed Italo, et coævo : per totum orbem Catholicum E in tot Martyrologiis fuit decantata : item recognita a viris summæ æstimationis, sanctimoniæ causa vel dignitatis, qui vel Beneventi sacrum Bartholomæi corpus religiose visitarunt, vel reliquias habendas curarunt; et, quod caput est, oculato testimonio duorum provincialium conciliorum visa, et comprobata est illius veritas, adeo ut prudenter dubitari nequeat. Contra Romana traditio innititur assertione scriptoris non coætanei, sed exteri, adeoque rerum Italarum inscii : solo edicto imperatoris excommunicati, et judicis incompetentis : Actis apocryphis Lateranensis concilii, et quæ Romano Breviario post sex sæcula, tantisque adhibitis mutationibus, vix, ægreque fuit inserta. Traditio Beneventana una semper, et eadem per viam regiam hactenus incessit, et impræsentiarum incedit. Romana vero contradictionum inexplicabili labyrintho sese involvit, dum asserentes Romani, D. Paulini corpus Romæ quiescere, suppositionem unius corporis pro alio tacite fatentur, cum nulla habeatur memoria translationis corporis S. Paulini Romam, quod procul dubio Beneventi quiescebat, a Sicardo V Principe translatum. Neque F hoc affirmari potest, nisi mediante suppositione a Beneventanis relata. Non itaque dicatur : Principium, quo nititur traditio Benventana, est sola relatio, et infidelitas deceptorum : etenim respondetur, niti hac relatione, circumvallata tot signis credibilitatis, quæ illam innegabilem reddunt, dum Romana nititur tantum relatione imperatoris, et solidis credibilitatis motivis destituitur. Addimus Beneventanæ traditioni fidem adhiberi non eo tantum ex capite, quod eam innocentis fraudis auctores deposuerint; verum etiam quia cum vix imperator abiisset, aperientes fraudis telam, claris signis ostenderint, Beneventi remansisse corpus Apostoli, idem prorsus, quod prius colebatur; alias iram non contraxisset imperator, nec sequenti anno Beneventum injuriam ulturus rediisset. Contra Romana traditio nullam meretur fidem, quia licet ab initio deposuisset imperator se D. Apostoli corpus recepisse : illo deinde se a Beneventanis illusum declarante, eo quod sibi D. Paulini corpus pro corpore Apostoli tradiderint, et credentibus Romanis se habuisse in Othonis persona S. Paulini corpus, clare infertur (*pauca verba*,

eaque

A *eaque non necessaria hic omisi);* eorum traditionem adulterinam habendam esse, ac depravatam. Advertatur demum traditionis Romanæ auctorem esse imperatorem deceptum, et rei ab altero gestæ testem : auctores Beneventanæ traditionis esse ipsosmet principales, qui rem ab ipsis gestam deposuerunt; et archiepiscopum, cui ejus canonicum facultatem præbet testandi, ac authenticas reddendi sacras reliquias, et viros cordatos Beneventanos, qui in hoc facto se piissimos exhibuere, ac prudentissimos : piissimos, dum innocenti astu corpus S. Patroni servarunt : prudentissimos, quia specie cæsaris voluntatem foventes, eumque verbis lactantes, ipsius iræ se minime dederunt; cæsarem factis veneno imbuerunt *, ac cives, tunc impotentes, utpote inermes ad eorum tutelam tuendam innoxios servarunt : et cum in periculo versarentur, vel in cæsaris iram incidendi, si corpus negarent; vel magnum thesaurum amittendi, si vere traderent; scylla, et charybdi superatis, media via optatum portum tenuere.

* *i. e.* fefellerunt,

172 Ad Secundum quæsitum : « Quo pacto » cives Beneventani, qui nihil tunc imperatori » negare audebant, uti loquitur Ostiensis, ausi » fuerint ipsum decipere? An deceptio illa non » erat periculosæ plenum opus aleæ? An non » erat injuriosa majestati cæsareæ? An erumpere non poterat facile? Quid si erumpebat? » Nonne secum trahebat ruinam publicam civium, et civitatis, ab imperatore juvene, » bellicoso, armato, et irritato inferendam? » Respondemus, quod ideo deceperunt, quia non valebant ei tunc se opponere, prout in more positum est cum eo, qui vim infert. Verum est, quod fraus subjacebat periculo, quod posset aperiri : sed periculum erat valde remotum, cum ad secretum custodiendum quælibet prudens, ac solers cautio fuisset adhibita. Et cum erat aperienda fraus, civitas prius optime fuisset vallata, ita ut imperatorem iratum illudere potuisset, prout illusit. Itaque prudentiæ effectus fuit licita fraude injustam vim eludere, cum tunc nullum præsentissimum esset remedium. Imo magnæ fuit fortitudinis, ac magnanimitatis trophæum, non resilire ob metum alicujus valde remoti periculi. Addatur, quod Beneventani universe nihil imperatori palam, et aperta facie negare audebant; C attamen a perpetranda fraude neque archiepiscopum, neque paucos prudentes removit ulla consideratio; ab omni enim periculo tutos illos reddebat paucorum rei consciorum integritas, et secretum inviolabile, quod rei complices promittebant. Itaque Beneventani collective accepti non ausi sunt negare : distributive dissensi sunt, et negavere. Hinc eruitur, possibile fuisse suppositionem unius sacri corporis vice alterius peragere absque datæ fidei defectu; neque materialiter, etiamsi Beneventani S. Apostoli corpus spopondissent; cum necesse minime fuisset, quod identice, qui promiserant, hi fraudem adhibuissent; cum hi duo actus a pluribus peragi potuissent. Sed etsi materialiter fidei defectus intercessisset, formaliter non intercessit, ut dictum fuit, dum promissio, utpote metu extorta, nullæ obligationi erat obnoxia. Nec referunt Historiæ, imperatorem petiisse a Beneventanis juramentum, quod non esset ab eis decipiendus; adeoque ob reverentiam Numinis invocati, fidei servandæ obligationem contraxissent. Imo eadem petentis magnitudo, qui sua innixus potentia, ac majestate nihil sibi posse, aut debere negari existimabat, reddit verisimile, quod extraordinarias D non adhibuerit cautiones, nec ullum curaverit juramentum.

ac secundum. B

173 Additur : « Quomodo potuerit imperator » decipi, cui præsenti, et videnti reliquiæ fuerunt traditæ in ipso episcopio, uti testatur » Ostiensis? An tam obscuro loco, et negligenter habebant cives Beneventani venerabile » S. Apostoli corpus, et carum sibi pignus, ut » dignosci non posset, aut nesciretur passim » etiam ab imperatore, qui illud petebat, et ab » aulicis ejus, sagaci hominum genere, ubi » conditum servaretur, et a fideli populo honoraretur? » Primum respondetur, quod Ostiensis minime dicat, in episcopio datas fuisse imperatori reliquias, sed tantum : « Callide illi pro » corpore Apostoli corpus B. Paulini; quod satis » decenter apud episcopium ipsius civitatis erat » reconditum » ostendisse, et eo sublato recessisse tali fraude deceptum. Præterea quid tam facile, quam tradere in urna occlusa corpus alterius Sancti pro altero? Ad finem illudendi cæsarem, ejusque aulicos satis, superque erat conventio magistratus, qui in re tanti momenti E secreto se fidelissimum subjiciebat. Modus in hoc facto adhibitus infertur ex hoc, quod in narrata Dissertatione dicitur vigere Beneventi traditio vetustissima celebrandi pridie Nonas Septembris festum S. Bartholomæi in cavea, ubi Apostoli corpus fuit occlusum, ne pia fraus ab imperatore aperiretur. Et hic sacer locus a Beneventano populo intus S. Apostoli basilicam, anno MDCLXXXVIII dirutam, colebatur. Pro facili habetur, quod magistratus in hac cavea sacrum corpus recondiderit, et in loco, ubi prius colebatur, consilio et consensu archiepiscopi, noctu in eodem loco, et vase seu lipsanotheca, S. Paulini corpus reposuerit, eo adhibito modo, ut nemo fraudis odorem hauserit : et post imperatoris discessum non solum archiepiscopus, et magistratus ostenderint Beneventanis, quod sapienter peregerant, sed debitis, ac indubitatis signis deceptum ostenderint imperatorem. Nec est credibile, archiepiscopum, et magistratum potuisse decipere cives, dicendo imperatorem decepisse, absque eo quod deceperint imperatorem. Poterant equidem absque culpæ labe illudere imperatorem, qui thesaurum non suum vi suum F volebat; at absque culpa cives decipere non valebant, eis negando sacri corporis traditionem imperatori factam. Ideo est tantum credibile, quod traditio affert, nempe imperatorem deceptum fuisse, non cives; eo vel maxime, quod imperator fraudem noscere non poterat; cives vero nullo negotio valebant cognoscere, an fuissent decepti, circumstantias, eaque omnia, quæ veritatis tutos ipsos reddere potuissent, perpendentes.

quomodo, potuerit decipi imperator?

174 Ad tertium quæsitum : « Quinam cives » Beneventani, cujus ordinis, aut gradus, quam » multi, aut pauci deceperint imperatorem, aut » conscii fuerint deceptionis faciendæ? » Respondetur prius supponendum esse, quod in hujusmodi rebus evenire solet, nempe quod pauci e magistratu, consulto tantum archiepiscopo, deceptionis conscii fuerint. Nec est verisimile, quod omnes cives fraudem callerent, quia fraus perdifficile abdi potuisset, ac tegi. Ergo dici debet, quod fuerint conscii ii tantum, qui civitatem regebant, et quibus imperatoris petitio fuit directa. Hi quippe, qui probatæ fidei, magnæ probitatis, ac prudentiæ erant, pro certo arcanum operuissent usque eo, quod operire fas esset:

ad tertium.

A esset; et poterant exinde testes idonei, et opportuno in numero coram archiepiscopo haberi, cum post cæsaris discessum divulganda erat suppositio corporis S. Paulini pro corpore S. Bartholomæi. Nec valebant alii Beneventani invidere paucis illis e magistratu, utpote qui consensum præstitissent (uti tunc credebatur) imperatoris petitioni; dum pro comperto erat, non posse tunc per vim imperatori præsenti obsistere.

175 Ad quartum quæsitum : « Quo pacto possint excusari deceptores illi a temeritate, infidelitate, impietate, et sacrilegio? A temeritate quidem, qua decipientes imperatorem, exposuerunt se, et civitatem suam periculo ruinæ? Ab infidelitate vero, qua, quod signis promittebant, et monstrabant se daturos imperatori, non dederunt? Ab impietate autem, et sacrilegio; dum S. Paulinum, corpus ejus sub nomine S. Bartholomæi alienantes, privant omni illo cultu, et veneratione, quibus deinceps a fidelibus in corpore suo honoratus fuisset : atque tantumdem faciunt, acsi corpus ejusdem S. Paulini e mundo eliminarent, deleta inter homines memoria ejus. » *ad quartum*

B Sufficiens satis fuit responsio in 2 puncto præmisso, cum prætulimus, potuisse hoc peragi, non solum absque culpa, verum etiam magna cum laude. Ostendere signis, exhibere corpus S. Bartholomæi, et non tradere, fidelitati minime obsistit; dum nulla præsupponitur promissio; et ubi nulla promissio, nulla est infidelitas. Et licet hæc adfuerit, attamen, quia non plene libera, sed ob gravem timorem extorta, non erat obligatoria. Si vero per infidelitatem velit significari quamdam insinceritatem, neque hæc in hoc casu adstipulatur; dum simulationes non sunt sinceritati inimicæ, cum ad bonum finem ordinantur. Scimus ipsum Redemptorem, discipulos alloquentem Emmaus, finxisse se longius ire; non quia volebat ire (ut doctus quidam subdit interpres) sed quia volebat audire : « Mane nobiscum Domine. »

dubium 176 Quod vero temeritatis notam evaserint, clarum est ex supra præmissis, dum prudenter putavere rem fore occultam, quousque imperator ad propria rediisset. Nam deinde, urbe munita, cæsaris potentiam nihili habebant. Neque hoc magna indiget probatione. Ex antiquis enim

C habetur historiis, Beneventanos cives parvi fecisse cæsares, cum eis ita libuit. Anno MXLVI cum Beneventum advenisset Henricus II imperator, Beneventani (sunt verba Lupi Protospatæ) ad ejus injuriam absciderunt sternutas equi ejus. Anno MXLVII, idem Henricus, Beneventum adveniens (refert Leo Ostiensis in sua Chronographia) cum noluissent eum cives recipere, tam ob suam, quam ob patris injuriam, totam civitatem a Clemente Papa II, qui cum illo tunc erat, excommunicari fecit. Otho III in Beneventanum archiepiscopum a Silvestro II Pontifice maximo Alicem, seu Aiacem ejusdem ecclesiæ diaconum creari fecit, et Beneventani recipere noluerunt. Idem Otho Beneventi principem Ademerium creavit, dejecto Laidolpho, et cives recusavere, et in ejus locum Landulphus II subrogatus fuit.

responsio : 177 Præterea est considerandum, quod civitas Beneventana anno millesimo non enumerabat octo mille animas, ut in præsens enumerat, sive decem et octo mille, ut anno MDCLVI, in quo accidit pestis; sed erat maximo populo referta, et licet magnitudinem illam, ac potentiam non ostentaret, quam portendit tempore, quo erat D vel insignis, ut aliqui ferunt, Samnitium metropolis, aut saltem inter Samnii primas urbes, urbs nulli secunda, quæque unius sæculi spacio Romanis bellum indixit, eosque victos sub Caudinis furcis transire coegit, vel cum serenissimorum Longobardorum principum regia amplissimo præerat principatui; nihilominus erat civitas magna situ, viribus potens, rebus gestis præclara, muris vallata, populo onusta, nobilitate tanta dives, ut anno MCII centum nobiles oratores ad Urbanum II summum Pontificem pro publicis negociis transmiserit; ex quo ipsius urbis magnitudo facile conjici potest, (verba sunt nostræ ecclesiæ archidiaconi Marii de Vipera in Chronologia antistitum Beneventanorum, qui e Falcone nostro itidem chronista desumpsit.) Itaque non debet, aut temeritas, aut ausus æstimari fraus illa, a Beneventanis parata cæsari. Præterquam quod cum jactet Beneventum sanguinis mixtionem a quatuor inclytis nationibus, nempe Græca, Samnite, Romana, et Longobarda, tamquam nobile Græcorum jus patronatus, astum jactabant. Celebris aper Diomedi Ætoliæ regi, E nostroque primo fundatori, seu restauratori (teste Procopio de bello Goth. lib. 1, pag 38) dono datus a Meleagro Oenei Calydoniæ regis filio, et quem Beneventum suum insigne, seu stemma ostentat, Beneventanis infuderat animi concordiam, conjunctamque unionem, fortitudinem, ac constantiam, majestati cæsaris jure merito opponendas. Quod additur, nempe quod alienato S. Paulini corpore sub nomine D. Bartholomæi privatus fuisset D. Paulinus omni illo cultu, ac veneratione, quibus a fidelibus deinceps in corpore suo honoratus fuisset, jam fuit responsum, quod, cum post discessum imperatoris esset aperienda fraus, tunc fuisset, prout fuit ex præcitata Ostiensis narratione, satis evulgatum universo, quod Romæ thus erat adhibendum D. Paulino, Beneventi D. Bartholomæo : ergo non extra mundum eliminatum fuit a Beneventanis corpus S. Paulini, nec inter homines deleta veneranda D. Bartholomæi memoria.

178 Ad quintum quæsitum : « Qua ratione eximi culpa possit archiepiscopus Beneventanus, cujus scitu, et consilio imperator deceptus fuit. » *ad quintum,* Jam factum fuit satis, cum diximus, laudabilem in modum se gessisse tantum, ac numquam satis F laudatum antistitem.

179 Ad sextum quæsitum : « Quam prudenter credere cives potuerint deceptoribus imperatoris, qui dicentes, se imperatorem decepisse, fatebantur ipsi, et annunciabant civibus se deceptores esse? Deceptoribus autem notis quam prudenter creditur? » *ad sextum.* In responso ad 2 quæsitum luculenter fuit dictum : Prudentissime; tum quia declarantes, se illusisse imperatorem, non ideo se fide indignos reddebant, dum absque defectu malæ fraudis imperatorem decipere poterant; sed non poterant absque hoc defectu cives decipere. Tum etiam, quia ex circumstantiis, et e signis valebant explorare, percipere, ac discere, utrumne ipsi deciperentur a magistratu, qui imperatorem decepisse asserebat. Addimus, quod tunc militaret argumentum, cum archiepiscopus, et pauci cives, reliquis reluctantibus civibus, morem imperatori gessissent. Sed si petitio fuit porrecta civibus, et hi palam negare non audentes cæsari, inviti sacrum corpus concessere, quam ob causam poterat archiepiscopus fabulam narrare, ne cives irritaret? Et advertatur

A tatur qualis, quantique meriti fuerit hic archiepiscopus. Sufficiat dicere, fuisse Alphanum II, tanti meriti virum, ut a Gregorio V anno CMXCVIII, præter privilegiorum suæ ecclesiæ confirmationem, hoc pro suo nepote tunc clerico privilegium obtinere meruerit : « Concedimus autem Alphano clerico vestro nepoti integrum » ipsum archiepiscopatum, post decessum tuum » habendum. »

180 Ad septimum quæsitum : « An qui deceperunt, ut prætenditur, imperatorem Romanum, et quidem in rebus sacris, et cum periculo præsenti superventuræ ab illo vindictæ » in caput suum, ac totam civitatem : an illi » scrupulo sibi duxerint, decipere cives suos, a » quibus nihil propterea timere debebant; imo » sperare etiam præmium, laudem, et applausum poterant ; si decipiebant, persuadentes » ipsis, non esse datum imperatori corpus S. » Bartholomæi, quod datum erat : si vero non » decipiebant, timere sibi debebant, propter » ablatum corpus S. Bartholomæi, saltem indignationem civium, si non et gravius aliquid » ab inconsiderato, et præcipite vulgo ? » Re- *ad septimum.*
B spondetur, quod equidem magistratus, et multo magis archiepiscopus maximo scrupulo tribuissent decipere cives, et asserere, se retinuisse cum fraude corpus Apostoli, si jam concessissent. Hoc certe fuisset mendacium impium, et sacrilegum, ut consideranti patet. Nec a tanto magistratu, et multo minus a tanto antistite tanta impietas præsumi valebat. Præterquam quod poterant se tueri a civium indignatione in medium afferendo impotentiam resistendi viribus imperatoris, et si causam habuissent, non erat tam facile negotium eos decipere ob multa signa, quæ poterant investigare.

181 Ad octavum quæsitum : « An non multo facilius fuerit, persuadere populo, tunc, » cum reliquiæ tradebantur, absenti; et quales » traditæ essent ignoranti, non fuisse traditum » imperatori corpus S. Bartholomæi : quam imperatori cum suis præsenti, et omnia inspectanti, non tradere corpus illud, quod petierat, ac unice desiderabat ? » Respondetur, quod negative demonstravimus. Poterat enim facili negotio decipi imperator, qui exterus non valebat dignoscere, an datum corpus esset unius, *ad octavum.*
C aut alterius Sancti, cum cæteroqui nullam somniaret fraudem : sed cives, qui audientes fraudem imperatori exhibitam, poterant et ipsi se deceptos suspicari, rite ac diligenter potuerunt omnia signa cognoscere, ac perpendere, ut veritas appareret; et facile erat universo populo opportuna signa percipere, dum sua res agebatur, et suarum rerum erat scientissimus.

182 Ad nonum quæsitum : « Quomodo persuadere sibi possint Beneventani deceptum » fuisse imperatorem, et non se, cum prætensi » deceptores tunc saltem, quando imperatori reliquias tradiderunt, censebantur adhuc veri et » fideles : aut vero quando civibus suis dixerunt, se imperatorem decepisse, jam constabat » improbos ac infideles esse ? » Respondetur quod in primo puncto fuit firmatum, quod sagacitas in decipiendo imperatorem fuit adhibita exquisita cum laude, et absque infidelitate, et culpa; qua de causa Beneventani non exinde poterant animi pendere ac hæsitare, se a talibus viris deceptos fuisse. Et si id suspicati fuissent, poterant signa exquirere, ut omnem hæsitationem exuere ac deponere valuissent. *ad nonum.*

183 Ad decimum quæsitum : « An non magis D » debeant opinari, et credere cives Beneventani, se a deceptoribus illis deceptos fuisse, » quam cupiunt credere, et credi, deceptum » ab iis fuisse imperatorem, præsertim cum deceptio civium in casu præsenti, minus crimen » sit variis ex capitibus, quam sit deceptio imperatoris ? » Respondetur, satis superque fuisse probatum, quod potuerit facilius et absque ulla culpa decipi imperator, cujus injusta vis tunc oppugnari non poterat. At deceptos fuisse cives opinari ipsi non possunt, præter id quod communiter corpus D. Apostoli Beneventi coli peroptabant, credendum volunt archiepiscopo, et magistratui piam fraudem propalantibus, eamque tot evidentibus probabilitatis signis confirmantibus. Dum e contra tali mendacio cum sacrilegio illos maculari necesse haud erat, cum eos imperatoris potentiæ tunc obsistere non valuisse noverint : nec qualibet ex causa præsumendum est hujusmodi sacrilegium ab illo archiepiscopo, et ab illo magistratu. E converso necesse erat omnem rem non illicitam sequi, ne tantus amitteretur Tutelaris. Nobis exploratum habetur a Ca- E millo Tutino in Vita D. Januarii nostri civis, et episcopi, ac totius regni præsentissimi patroni, quod cum Card. Oliverius Carrafa, insignis monasterii Montis-Virginis commendatarius, enixis precibus Ferdinandi I de Aragonia Neapolitani regis dudum sibi porrectis, obtinuisset ab Alexandro VI summo Pontifice quoddam breve directum Alexandro Carrafa Neapolitano archiepiscopo, et præfati Card. Oliverii germano, cum facultate transferendi corpus ejusdem D. Januarii a præfato monasterio Neapolim, et cum dictus Alexander Neapolitanus antistes se ad monasterium præfatum anno MCDXCVII contulisset, et brevi exhibito corpus petiisset, monachi illud tradere renuerunt; adeoque quingentis militibus a Frederico tunc regnante habitis Montem, nedum cœnobium, obsidere opus fuit. Hinc per vim et metum, parito * brevi Apostolico, fuit sacrum corpus a monachis traditum. Verum sagax, et prudens archiepiscopus, veritus, ne sibi accideret, quod Othoni cum Beneventanis acciderat, sequentes adhibuit diligentias. Prius jurejurando super sacra synaxi exhibito singulos monachos obstrinxit ad affirmandum, illud vere et realiter esse D. Januarii nostri antistitis corpus. F Deinde ut omnis abigeretur hæsitatio, singula ossa mensuranda curavit, nempe dexterum brachium cum sinistro, dexteram manum cum læva, et sic successive reliqua membra, cum omnia in corpore sint proportionis ejusdem, ac mensuræ. Quid difficilius videtur et incredibilius, factumne Beneventanorum, an audire quod inter monachos reperiantur, qui renuant exhibere corpus Cardinali Commendatario, Apostolico brevi suffulto, et adversentur voluntati regis, in cujus regno vivebant ? Hoc talpæ oculi, nedum aquilæ perspiciunt. Scribit Matthæus Villanus cap. 16, lib. 3, relatus a Ferdinando de Marra duce Guardiæ, disserente de nobili familia de Baucio, quod comes Fran. de Baucio Theani dominus ob memoriam conjunctionis, quæ inter Florentinos, et comitem novellum ejus parentem intercesserat, concedendum curavit Florentinorum oratori anno MCCCXII brachium S. Reparatæ, quod in asceterio sanctimonialium Theani servabatur, et quod solemni pompa Florentiam delatum, ac in principe templo die XXII Junii ejusdem anni repositum, et præcipuo cul- *ad decimum.* *i. e. cum parerent*

tu

A tu habitum, quadriennio post cum auro et argento ornatum vellent Florentini, ab eis deprehensum est, abbatissæ Theanensis astu, vice veri brachii, brachium ex gypso compactum traditum fuisse. Et fraudibus hujuscemodi affatim redundant Historiæ.

ad undecimum,

184 Ad undecimum quæsitum : « An operæ » pretium fuerit Beneventanis, per tot discrimi» na, malasque artes perdere, cum conscien» tia proborum virorum, sanctissimi et celeberrimi episcopi corpus unum, ut aliud S. » Apostoli retineatur ? » Respondetur, quod licet laudabilius fuisset (quod tamen damus, et non concedimus) retinere D. Paulini corpus, non ideo potest dici, quod grave sacrilegium deinde perpetrarint, cum populo S. Apostoli corpus se retinuisse dixerunt. Sed aperte negatur, quod melius fuisset corpus D. Paulini, quam illud tam magni Apostoli ac præstantissimi Patroni, etiam in conspectu illorum discriminum, et illa fraude et astu retinere, non quidem malis artibus, cum omnino procul hæ fuerint a facto. Cæterum excusare possemus nostros Be- B neventanos eo ex capite, quod innumeris Sanctorum corporibus in ecclesiis civitatis, ac præsertim in ipsa metropolitana existentibus ditati, attamen cum alios Sanctos subrogare potuissent, D. Paulinum supposuere, fidentes, quod qui vivus in Africa se loco filii viduæ captivum tradidit, mortuus pro corpore D. Bartholomæi suum Beneventi corpus Othoni exhiberi non dedignaretur. Quod vero melius sit ac jucundius Benevento corpus S. Apostoli possidere, quam illud D. Paulini, cum ambos retinere non posset, non est qui adversetur. Quod deinde pericula, et hæsitationes nil ponderis addant, exploratum habetur a sapienti consideratione, quod periculum aperitionis fraudis remotissimum erat, cum non possent ab archiepiscopo, et ab iis de magistratu tantum rei consciis, et quorum commune commodum agebatur, proditionem ullam ac insidias metuere. Periculum cæsaris iram provocandi, cum piæ fraudis certior fieret, nullius æris habetur : enimvero urbs deinde diligenter munita cæsareas copias indubitanter elusit, ut ex prælaudato Ostiensi habetur ibi : « Sequenti » vero tempore etc. » Subsequentes hæsitationes, C « credendumne esset magistratui fraudem asseren» ti, et » si vere Beneventi corpus Apostoli remansisset, tunc temporis non prævidit magistratus, cum prudenter crederet fore, ab oculis, ac omnium conspectu abituras, debitis exhibitis signis, ac indicibus. Et licet fuissent præcognitæ, satius erat, retinere pro se corpus S. Apostoli ejus fisos patronicio, quod nempe veritatem elucescere faceret, ne ejus reliquiis debitus defraudaretur honor ac cultus. Ne dicere malimus, Deum diu has hæsitationes permisisse, ut magis, magisque Beneventanorum ac Romanorum amor ac pietas erga Apostolum incenderentur. Post tamen tot, tantasque hæsitationes placuit omnia bonum in lumen vergere, cum in ultimo provinciali concilio, anno MDCXCVIII habito, sacra lipsana ita claruerint, ut non possit amplius ambigi, an ipsa sint vera et propria D. Bartholomæi. Et indubitanter constat ex circumstantiis in Actis concilii, et in Ephemeride patris Viva Societ. Jesu enarratis, et ex miraculis, quibus Beneventanorum fidem Deus obfirmatam voluit ; cum dici non valeat naturale lumen illud, quod ex sacris reliquiis visum est fulgescere, dum urna aperiretur; et ultra naturæ vires contigit præservatio pueri, super cujus crure ter quadrigæ rota innocens pertransiit tempore translationis sacrarum reliquiarum ad novam basilicam. Et hic denuo ponderetur oportet, quod traditio Romanorum, se habuisse cum S. Paulini corpore, etiam illud D. Bartholomæi, forsan oriri potuit ex silentio imperatoris, qui noluit se aperte deceptum declarare. Traditio Beneventanorum fundanda erat in positiva assertione archiepiscopi, et magistratus, qui imperatorem deceperant, quod claris signis comprobare debebant ; quamobrem hæc nostra traditio, non illa adversariorum maximum obtinet pondus. Imo etiamsi imperator deposuisset, se non fuisse deceptum, non ideo Beneventanis fide dignior esset, qui fraudem asserebant. Imperator enim conscius esse non poterat rei a Beneventanis gestæ, dum sacrum corpus exhibuere, et hi proprium factum perquam belle callebant.

ad duodecimum :

185 Ad duodecimum et ultimum quæsitum : « Quid gloriosius Beneventanæ civitati sit, ipsam, » ut beneficam, et bene meritam de imperatore » Othone III, ac Romana urbe, carere corpore E » S. Bartholomæi ; quam per fraudem illud sibi » retentum contendere ? » Respondetur primo, quod hoc est dubium mere speculativum, et nihil prorsus officit, aut proficit rebus nostris. Secundo quid gloriæ lumen Benevento accederet, si diceretur per vim magni sui Tutelaris corpus præbuisse, quod retinere cives poterant, licet maximis, proximisque periculis expositi ? Tertio, si libenti animo dedissent, ob prodigalitatem, et paucam Sancti æstimationem omni ignominia digni habiti fuissent Beneventani, et haberentur. Quam itaque gloriam comparassent, si per vim dedissent ? Asserere se retinuisse cum fraude non est aliud, quam fateri, se tunc temporis immunitos non potuisse obsistere. At deserere tam gloriosi Patroni cultum Beneventi, et velle traditioni Romanæ, tam imbecilliter fundatæ, cedere, et assentiri, indicibilis esset irreverentia, et ingens dedecus redoleret ; cum falso, uti falso cognito, cederetur. Hæc, ut dubiis pro modulo nostro respondeamus, dedimus. Cæterum qui ea subtiliter, et ingeniose gemino veluti nodo adstrinxit, solvere poterit, et explicare. F

eadem fraus alibi usitata

186 *Hactenus Beneventanorum ad dubia Janningi responsio, quæ erudita certe est et ingeniosa : an autem omnem omnino exhauriat difficultatem, judicium meum non interpono. Puto tamen difficultates illas facilius solvendas, si admiserint Beneventani, aliquas* S. Bartholomæi *reliquias una cum S. Paulini corpore fuisse traditas, ut facile advertet eruditus lector. Porro, quod factum Beneventi de corpore* S. Bartholomæi *narratur ab Ostiensi, factum legitur Cameraci de sacris SS. Gaugerici et Autberti corporibus, ab Ottone I imperatore petitis, pro quibus alia substituta sunt ab episcopo Cameracensi Fulberto. Vide hæc pluribus narrata tom. 11 Augusti in Actis S. Gaugerici pag. 667 : addit tamen, qui hæc Acta illustravit, antecessor meus Boschius, quasdam verosimiliter petitorum corporum reliquias fuisse adjunctas, ut evitarentur scilicet memorata superius incommoda. Ceterum auctoritatem Ostiensis contra Dini objectiones uberius defensam inveniet lector in nupera Historia abbatiæ Cassinensis Erasmi Gattula tom. 1, pag. 906 et seqq. Nunc quæ-*

nam

A *nam præterea pro se allegent Beneventani examinandum, licet eorum aliqua jam in præfato responso perstricta sint.*

§ III. Reliqua Beneventanorum argumenta, et Dini ad hæc responsa exponuntur.

Testimonium Eadmeri Angli;

Argumentum secundum, quo Beneventani probant traditionem suam, sumitur ex Eadmero scriptore Anglo; qui in Historia sua, uti et in Vita S. Anselmi apud nos tom. III *Aprilis pag. 917, narrat, ab archiepiscopo Beneventano brachium* S. Bartholomæi *in Angliam portatum, reginæque Emmæ donatum anno 1017; quam historiam contra Dini objectiones vindicabimus, et latius enarrabimus, ubi agendum erit de reliquiis per varias provincias dispersis. Dicitur autem, quod* Brachium ipsum in ipsa ecclesia a reliquo corpore servabatur remotum. *Ex* B *quo inferunt, etiam reliquum corpus in eadem ecclesia tum fuisse servatum. Negat hanc consequentiam Dinus pag. 46, et hæc dicta fuisse contendit.* Quod corpus alibi, nimirum in Urbe. . . adservaretur, aliquod vero os venerabile in ea ecclesia inesset. *Responderi forte commodius posset, Eadmerum, dum hæc scriberet de corpore, secutum fuisse traditionem Beneventanorum, ideoque nullum huic traditioni pondus addere, quamvis putaverit corpus etiam Beneventi fuisse servatum; quod et ad reliqua omnia Beneventanorum argumenta reponi potest; an autem satis solide, non disputo.*

visitatum corpus a Sugerio abbate, et Florida imperatrice;

188 *Tertium desumunt argumentum ex eo quod Sugerius abbas San-Dionysiani monasterii anno 1122, inter cetera Sanctorum veneratione religiosa loca, adierit Beneventum, ut* S. Bartholomæum *veneraretur,* ut ipse testatur in Vita Ludovici Crassi, *inquit Ursinus. Simile argumentum subditur de Florida imperatrice Lotharii uxore, quæ itidem templum* S. Bartholomæi *Beneventi visitavit, et donis honoravit anno 1137, ut narrat ad illum annum Chronicon Beneventanum Falconis tom. 5 Scriptorum rerum Italicarum pag. 123. De Sugerio respondet Dinus pag. 47 et seq. :* Sugerius tamen, nec C alius quisquam professus est adorasse corpus, sed visitasse ecclesias, et loca S. Bartholomæi. *Deinde,* Et nos insuper adducere possumus innumerabiles magnos viros, qui Romam adeuntes ad basilicam hujus Apostoli confluentes, et ecclesiam, et simul sacrum corpus venerantur. *Verum non credent Beneventani, pro seculo* XI *aut* XII, *hos a Dino produci posse, nisi adduxerit nominatim, cum satis appareat ex tota ejus Dissertatione, vagas ipsius expressiones non magni faciendas esse. Primum ipsius responsum jam præoccupaverant Beneventani in Supplice libello pro restitutione corporis provinciali synodo oblato § 3 his verbis :* Dicendum est per necesse, quod abbas ille habuit pro vero, sacrum hoc corpus non adesse Romæ, quia visitasset ibi, sed adesse hic Beneventi, quo venit ad visitandum. *Nam qui corpus ipsum Romæ venerari posset, cur Beneventum adiret, ut solam ecclesiam visitaret? De Florida imperatrice idem fere respondet Dinus, et adjungit nullibi exprimi, Sugerium et Floridam corpus ipsum visitasse. Sed quamvis hoc non dicatur expressis verbis, satis ex dictis videtur consequi. Et hos igitur Beneventanorum traditioni assensos fuisse, dicamus necesse est.*

AUCTORE J. S.

testimonium S. Antonini;

189 *Quartum argumentum petunt ab auctoritate Jacobi de Voragine episcopi Januensis, et S. Antonini, qui parte 1 Historiæ tit. 6, cap. 12 hæc tantum habet ad propositum :* Communiter tenetur corpus ejus haberi Beneventi; licet et Romani asserant se illud habere. *Unde solum probatur, quæ opinio tunc magis fuerit communis, quod utique facile scire potuit Florentinus archiepiscopus, et sincere scribere. Frustra igitur hic auctoritatem S. Antonini deprimere conatur Dinus. Quod spectat ad Januensem, favet hic Beneventanis, maxime propter apparitionem* S. Bartholomæi *Beneventi ab eo relatam, et a nobis supra commemoratam numero 65.*

S. Brigittæ peregrinatio Beneventum.

190 *Afferunt etiam Beneventani S. Brigittam, quæ ut lib. 2 Vitæ Italicæ cap. 21 narratur, reliquias* S. Bartholomæi *Beneventi visitavit. Respondet quidem Dinus, nullibi dici, veneratam fuisse corpus Sancti, sed hoc satis videtur ex dictis erui, maxime cum Romæ multas ecclesias invisisse scribatur ejusdem libri cap. 2, neque ulla mentio fiat* S. Bartholomæi. E

sententia Ughelli:

191 *Testimonia recentiorum auctorum prætermitto præter unam Ughelli sententiam, quæ eo majus pondus habere debet, quo maturiori præmisso examine illam auctor exprompsit, tom. 8 Italiæ sacræ col. 73 editionis novæ ita scribens :* Quæ autem sit circa hoc mea sententia diu hæsitavi illam aperire; ubi autem incidi in diploma quoddam originale Leonis IX suo loco transcribendum, haud me continere potui, quin illam propalarem, corpus sancti hujus gloriosissimi Apostoli adhuc Beneventi asservari; siquidem illa translatio, sive facta fuerit Benevento Romam anno CMLXXXIII, ut asserit Baronius *(in notis ad Martyrologium)* sive anno M, ut alii volunt *(et ipse Baronius in Annalibus ad illum annum)* tamen me magis movent verba illa Leonis IX, in quibus asserit, prædictum corpus asservari adhuc ipso vivente in ecclesia majori Beneventana, quam testimonium ullum Sigeberti, aut Ottonis Frisingensis, præcipue cum a translatione asserta ad pontificatum prædicti Leonis IX vix intercurrerint quinquaginta anni. *De bulla Leonis agemus inferius. Quæ hic respondet Dinus, maxime contra bullam intorta sunt, suoque loco discutienda.* F

Martyrologia nihil fere probantia;

192 *Pugnant deinde Beneventani argumentis, ex variis Martyrologiis adductis, quæ mihi parum ad rem facere videntur. Nam Usuardum et Wandelbertum, quos adducunt, fatentur ante prætensam vixisse translationem; hi igitur tamquam inutiles milites e pugna dimittendi. Quod autem aiunt, Molanum nihil ad ipsorum locum notasse, nihil probat, nisi Molanum se huic controversiæ immiscere noluisse. Adonem, quem tertio loco ponunt, Trevirensem volunt archiepiscopum, et post disputatæ translationis tempus vixisse : verum, cum plurimi contra sentiant, hoc ipsis fuerat probandum. Martyrologium Pulsanensis cœnobii manuscriptum (si post dubiam hanc translationem exaratum fuit, licet hoc non constet ex eo, quod meminerit obitus B. Joannis Pulsanensis abbatis, defuncti anno 1139, cum similia manuscriptis Martyrologiis soleant adjici) tantum probat traditionem hanc Beneventi fuisse, quod aliunde satis confirmatum est. Nihil præterea probant Martyrologium Beneventanum*

AUCTORE J. S.

tanum, et Florentinum, quæ subjiciunt. Hæc igitur brevitatis causa missa facio.

bulla Leonis IX:

193 *Varias etiam Pontificum bullas producit eminentissimus Ursinus § 3 Dissertationis suæ, quibus possessionem sacri corporis Benevento asserere nititur. Primo loco adducitur Bulla Leonis IX, quam recitat Ughellus citatus col. 78, in qua post privilegia multa Beneventanæ ecclesiæ concessa, subjungitur:* Ubi pretiosissimum corpus beatissimi Bartholomæi apostoli requiescit. *Et inferius:* Pretiosissimis Sanctorum corporibus ditata, videlicet Bartholomæi apostoli, atque Januarii martyris *etc. Data legitur bulla* anno D. Leonis noni Papæ V, Indict. VI, *id est anno Christi 1053. Multis hanc bullam suspectam de suppositione reddere conatur Dinus. Primo quia data dicitur Beneventi: verum nulla ea est ratio, cum Pontifex eo anno Beneventum post infaustam militum suorum cum Normannis pugnam profectus fuerit; cur igitur Beneventi non potuit bullam illam concedere? At inquit; Leo Ostiensis nullam de bullis Leonis aut Stephani facit mentionem: neque Desiderius abbas Casinensis, in Dialogis:* Et Falcon, qui sæpe agit de S. Bartholomæo, hæc omnia penitus non omisisset, si vera fuissent. *Addit silentium Arnaldi, Donati in Hymnis, et sequentium Pontificum, qui de* S. Bartholomæo *fuere locuti. His adjicit verba quædam Papebrochii de argumento negativo, sed adulterata, et mutila. Dabo igitur ipsa Papebrochii verba ex Responsionibus art. 3 § 15, a num 154, ubi sic habet:* Habes hic scriptores omnes Carmeliticos ejus ætatis, qui tacuerunt de bulla ista: non omissuri, si scivissent: sciturі autem si fuisset. *Tum subdit:* Non est quidem vis negativi argumenti eadem ubique; sed pro diversis circumstantiis, in aliis prægnans et valida, in aliis straminea et nulla. *Tunc autem vis argumenti istius major est, quando auctores rei, quam tacuerunt, meminisse potuerunt et debuerunt; quod hic locum habere non video. Cur enim Leo Ostiensis, cur Desiderius abbas, bullæ Beneventanis datæ debuerunt meminisse? Cur reliqui apud Dinum citati, qui longo post tempore in humanis fuere, bullam illam ignorare non potuere? Et si sciverunt, cur non potuere silentio præterire? Cum, præter citata de corpore* S. Bartholomæi *verba, in dicta bulla nihil contineatur, nisi privilegia Beneventanæ ecclesiæ concessa, quæ quamdiu in dubium non vocabantur, necesse non erat bullæ illius meminisse.*

et Stephani IX illam confirmans,

194 *Sed et bullæ illius meminit Stephanus IX, anno 1058 totam confirmans, eademque de corpore* S. Bartholomæi, *Beneventi servato commemorans, ut volunt Beneventani, et Ughellus sæpe laudatus col. 80, qui hoc modo pro Beneventanis disserit:* Hic idem Pontifex *(Stephanus)* asserit apud Beneventanos requiescere corpus beati Bartholomæi, Januarii, et Barbati, quod ad corroborationem dico, nam cum hic Pontifex fuerit abbas Casinensis, et valde vicinus, imo vixerit tempore Othonis imperatoris, probe poterat ei constare de translatione corporis sancti Bartholomæi Benevento Romam, si vere facta fuisset per eumdem Othonem. *Hoc sane argumentum tam validum est, ut opus fuerit Dino et hanc Bullam suspectam reddere, et suppositam contendere; sed argumenta, quæ hactenus adduxit negativa, non satis ad hoc sunt solida. Audiamus quid proferat ulterius: Imo, inquit,* hujus bullæ arguitur falsitas, quod Romæ lata dicatur Idibus Julii, ut ait Mascambrunus: die XII Julii in Urbe datam anno MLIV, Indict. V, asserit Vipera. *Verum hæc non militant contra bullam, cum in ea nullibi legatur Romæ datam esse, aut Beneventi; sed solum ostendit falsam esse eorum opinionem, qui Romæ anno 1054 bullam datam putaverunt. Quem errorem correxit Ughellus, qui probabilius Beneventi datam existimat. Hæc autem sententiarum diversitas orta est ex eo, quod in bulla non exprimatur locus, ubi data sit, uti et in aliis contingit ejusdem Leonis. Neque obstare debet, quominus bulla habeatur legitima, quod quædam initio habeantur, quæ ex Dini sententia rectius potuerant dici: nam cum initium, ut testatur Ughellus, plane fuerit corrosum, quæ minus recte ibi posita, primis bullæ editoribus imputanda sunt, non bullæ auctori. Neque rursum ad rem facit, quod in bulla habeantur voces quædam barbaræ; nam hoc potius arguit bullam eo tempore datam, cum barbaries linguæ Latinæ late dominabatur, quam postea confictam esse. Neque tertio, quod quædam diverso modo a diversis editoribus fuerint lecta, quod in ipsis sacris Literis contingit sæpissime.*

quas suppositilias esse,

195 *Denique, quo bullam supposititiam ostendat Dinus, quædam adducit ex Mabillonio de Re diplomatica, sed nihilo fidelius citata, quam quæ sæpe producit ex Papebrochio; nam cum locos ab ipso citatos, et multa alia in Mabillonio summo labore pervolvissem, non nisi quædam citatorum ab ipso verborum vestigia deprehendi, ut antea mihi contigerat in quærendis citatis Papebrochii locis. Lib. 2, cap. 14 de re Diplomatica ita loquentem inducit Mabillonium:* « Nedum bullæ, quod sint corrosæ, vel aliqua » rasura notatæ, inefficaces esse ad fidem promerendam, sed etiam, si deficiant signa plumbea, » de quibus uti cœperunt Stephanus III ac » Adrianus I. » *Subdit Dinus:* Referens, qualiter cum in quibusdam bullis desiderarentur signa plumbea, suspectas evasisse. *Horum, inquam, non nisi quædam vestigia in Mabillonio reperio: nam cap. citato num. 7 hæc habet:* At quando plumbearum *(bullarum)* usus inceperit, controversum inter eruditos. Polydorus Virgilius id refert ad tempora Stephani III, et Hadriani I. *Deinde refert aliorum sententias, et rem relinquit incertam. Non ergo dicit Mabillonius, uti cœpisse bullis plumbeis Stephanum III, ac Adrianum I. Dein num. 14 ex Innocentio III refert novem modos, quibus bullæ falsari possunt. Ubi falsificandi species hæc recensetur;* Quinta, cum literis bullatis et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. *Tertio num. 7 refert privilegia quædam Cantuariensis ecclesiæ in dubium vocata, quod* in eis bullæ plumbeæ desiderarentur. *Hæc illorum, quæ citat Dinus, vestigia in Mabillonio inveni, quæ non parum abludunt a citatis Dini verbis, nec quidquam ad rem faciunt.*

ostendere nititur Dinus.

196 *Ne autem putem, alibi haberi in Mabillonio, facit, tum quia eadem fide solet citare Papebrochium, tum quia phrasis Mabilloniana multo est elegantior, quam sint citata verba. tum denique quia hæc vestigia citato loco inveniuntur. Videamus, an quæ deinceps citat, sint fideliora. Ita prosequitur:* Et adverto ab verba, BENE VALETE in bulla supposititii Leonis transcripta, cum Leo IX, ut ait versatissimus idem P. Mabillonius, « Semper habeat in bullis » PERPETUAM IN DOMINO SALUTEM. *Citatur autem in margine*

A *margine lib. 6 corollarium primum. Excussi diligenter hoc corollarium. Pag. 622 sub littera* e *varias affert variorum Pontificum clausulas, et inter alia hæc dicit :* In eo itaque Bullario *(Cluniacensi)* multa inveniuntur diplomata pontificia ante Leonem IX cum titulo IN PERPETUUM. *Tum relatis variis clausulis, prosequitur :* Silvester II, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM, quam formulam Leo IX, aliique subinde præferunt, aut aliam, IN PERPETUUM ; nisi quod Leo semel habet, PERPETUAM IN DOMINO SALUTEM. *Nota lector,* Semel *dixit Mabillonius,* Semper *Dinus ex Mabillonio citat. Pergit hoc modo Mabillonius :* Salutatio in fine expressa his verbis, BENE VALETE, integris (ut suo loco diximus, *nempe lib. 2, cap. 14, num. 10)* legitur in bullis ante Leonem IX, qui hæc verba in monogramma redegit. *Non itaque omisit illud* Bene valete *Leo IX, sed alio modo expressit, quam Pontifices præcedentes, qui illud scribebant integris vocibus, Leo vere in monogramma contractum, prout exhibet Mabillonius pag. 445. Adde quod idem citata pag. 622 sub litera* c
B *habet Mabillonius :* Deinde difficile est statuere, quas formulas prætulerint antiquiores Pontifices, quoniam in vulgatis eorum litteris inscriptiones passim aut penitus rescissæ sunt, aut diminutæ. Ad hæc in eis, quæ nobis integræ relictæ sunt, non constantes formulas adhiberi, sed varias esse pro diversis Pontificibus, immo pro diversis plerumque rescriptis, (notare juvat, *ut habet initio sensus.)*

sed id non evincit ;

197 *Non video itaque quid bullæ huic Leoninæ obstet, quod de Stephani itidem bulla dictum volo, quominus haberi possit legitima, præter solum antiquiorum silentium, quod infirmum est argumentum, cum tam multæ ab eruditis e tabulariis et scriniis productæ sint bullæ, de quibus tacuerunt veteres, quæque ea de causa non minus habentur legitimæ. Labbeus tom. 9 Conciliorum col. 1001 profert bullam ejusdem Pontificis Leonis IX* ad Sicenolphum abbatem S. Sophiæ Beneventi, *datam anno 1052. Conferat utramque curiosus lector, et satis, ut opinor, inter se conformes reperiet, maxime in subscriptione, quæ apud Labbeum plane est eadem cum illa, quam edidit Ughellus, mutato tantum anno. Excutiat regulas Mabillonii, cui-*
C *cumque id lubuerit, nec quidquam, puto, inveniet, quod suppositionem manifestet. Hæc prolixius, quam statueram, tractanda fuere, ne quis putaret præcipuum Beneventanæ traditionis fundamentum a Dino eversum esse, cujus sphalmata, quæ sane frequentia sunt, ubi de summa rei non agitur, lubens brevitatis causa prætereo, at in præcipuis argumentis non putari prætermittenda. Objicit deinde quod bullæ laudatæ ad alium finem sint latæ, ideoque in hac controversia levis auctoritatis. Fortasse hic aliquid diceret, si prædicti Pontifices multis post seculis vixissent; at cum non nisi medio circiter seculo, aut paullo amplius post disputatam translationem pontificatum obtinuerint, non videntur eam ignoraturi fuisse, si facta fuisset, neque Benevento sacrum corpus asserturi.*

bulla Benedicti XII,

198 *Allegant præterea Beneventani bullam Benedicti XII, qua anno 1337 facultatem concedit transferendi sacrum corpus in novam basilicam his verbis :* Quare nobis humiliter supplicasti, ut transferendi ad dictam capellam corpus ejusdem Apostoli licentiam concedere dignaremur; nos igitur devotionem et propositum tuum in hac parte multipliciter in Domino commendantes, et illam de tua sinceritate gerentes fiduciam, quod ad Dei laudem, et gloriam dictorum Apostoli et Sanctorum reverentiam et honorem, ac devotionis et consolationis augmentum populi catholici, studebis exequi supradicta, licentiam tibi concedimus postulatam. *Adjungit et indulgentias Pontifex visitantibus ecclesiam prædictam, ut videre est apud Ughellum col. 145, ubi totam recitat Pontificis bullam.* Hinc, *inquiunt Beneventani in Dissertatione sæpe citata* Arnaldus *(archiepiscopus in tempore Beneventanus)* ipsius basilicæ consecratione paracta, luculentissimum de sacrarum reliquiarum existentia dedit testimonium ; accitis namque Samnii episcopis, eas extraxisse dicit, et ante translationem ostendisse amplissimo in diplomate. *Diploma ipsum, in quo hæc late enarrantur, videsis apud Ughellum a col. 145.*

AUCTORE J. S.

quam fustra in alium sensum trahit,

199 *Non ausus est hanc bullam negare sæpe memoratus Franciscus Dinus. Nodum tamen quærit in scirpo propter aliqua in bulla Pontificis asserta, quæ in alium, quam dicta sunt, sensum pertrahere nititur. Postquam enim citavit* E
hæc Pontificis verba : Nos igitur devotionem, et propositum tuum multipliciter in Domino commendantes, *(Alii habent* considerantes) et illam de tua sinceritate gerentes fiduciam; *subsistit, sequentia addere minus sibi tutum ratus ; atque subjungit :* Hæc postrema diplomatis verba clare evincunt, nihil certo asseri per summum Pontificem, sed hunc potius annuere supplici libello, ac in præsulis sinceritate acquiescere : *acsi Pontifex propter sinceritatem Arnaldi credidisset corpus Apostoli quiescere Beneventi. At non hanc esse mentem Pontificis patet ex textu supra citato, ex quo verum hunc sensum accipe :* Et illam de tua sinceritate gerentes fiduciam, quod ad Dei laudem *etc....* studebis exequi supradicta. *Itaque Pontifex ex sinceritate Arnaldi confidit omnia ad Dei et Sanctorum gloriam peragenda; at circa corpus Beneventi servatum non dicit se in præsulis sinceritate acquiescere.*

sibique favere vult Dinus:

200 *Respondet deinde ad argumentum Dinus, Benedictum, Pontificem Gallum, minus circa permanentiam corporis Romæ fuisse informatum. Tertio ex bulla Benedicti sibi contra Beneventanos argumentum depromit, quia corpus dicitur tunc servatum fuisse in loco indecenti, atque ita* F
ratiocinatur pag. 76 : Eadem bulla est mihi argumento ad comprobandam confictitiam sacri corporis translationem, siquidem ex ea elicitur corpus mansisse in locis despectis, et indecentibus, ut inde colligas nullam famam rei veritate, et integritate suffultam a dignitatibus, et gravibus viris, nec posteris traditionem demandatam... de actuali permanentia sacri corporis, dum hujus urna in loco despecto posthabita haberetur a Beneventanis, quamvis his reliquiæ Apostoli patroni pretiosissimæ extitissent, si fuissent, et decentiori semper loco collocandæ. *Nescio, an Romanæ traditioni hic jugulum non petat imprudens Dinus, de quo postea : Beneventanos certe non ferit. Nam quia locus, sive sacellum* S. Bartholomæi, *injuria temporis, quo pretiosissima quæque paulatim consumuntur, viluerat; diligens adhibita est cura, ut nova eidem Apostolo, eaque magnifica exstrueretur basilica, in qua sacer ille thesaurus decentius collocaretur : unde minime inferri potest, sacrum corpus in oblivione fuisse apud Beneventanos. Uti neque ex iis, quæ subjungit dictus auctor, multos scili-*

AUCTORE J. S.

cet Pontifices Beneventi fuisse, neque de sacro hoc corpore meminisse. Neque enim aliquorum silentium quidquam officere potest, ubi tam multi loquuntur. Quæ præterea adjungit, tamquam minus ad rem facientia prætermitto.

bullæ Pontificum variæ.

201 Addunt Beneventani bullam Clementis VI anni 1347, quam recitat Janellus pag. 102; et Bonifacii IX anni 1400, quam idem tradit pag. 104 : in quibus asseritur, corpus S. Bartholomæi in basilica ejusdem Beneventi quiescere, et indulgentiæ conceduntur dictam basilicam modo in bullis præscripto visitantibus. Nihil ad has responsi invenio datum, nisi quod ibi corpus quiescere dicatur, ubi vel exigua est corporis particula. Sequitur apud laudatum Janellum pag. 106 bulla Urbani V anni 1363; et pag. 108 alia ejusdem Pontificis eodem anno data; pag. 110 bulla Pii II anni 1459, in quibus asseritur corpus B. Bartholomæi, Beneventi quiescere, ait laudata Ursini Dissertatio. Additur tamen in his bullis, ut asseritur, dicitur. Quapropter fatetur eminentissimus Ursinus non probari his bullis, tamquam immediata Romani Pontificis auctoritate traditionem Beneventanam; sicut superioribus bullis probari asserit. At solerter advertit, si Pontifices hi judicassent falsam esse traditionem ecclesiæ Beneventanæ, aures eidem non fuisse præbituros. Quod confirmat exemplo Clementis IV, Qui, inquit, consimili in re talia rescripsit anno 1268 serenissimæ Isabellæ, S. Ludovici noni Galliarum regis sorori : Quod si forsan caput B. Pauli apostoli apud te esse putas, depone conscientiam ne fallaris, ne ponas scandalum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non æquanimiter toleraret.

bullæ quibus usus pallii conceditur.

202 Adjiciunt denique bullas Romanorum Pontificum, quibus conceditur Beneventanis archiepiscopis usus pallii in die translationis S. Bartholomæi. Puta Sergii IV anni 1011, editam apud Janellum pag. 112; Anastasii IV anni 1153, apud eumdem pag. 116; et Adriani IV ibidem pag. 120 : ex quibus hoc deducunt argumentum. Pallium concedi non solet nisi in festis solemnioribus, atqui festum translationis S. Bartholomæi non esset solemne, si corpus inde fuisset ablatum; ergo dicendum omnino, corpus Apostoli eo tempore in ecclesia Beneventana adhuc quievisse. Ad concessionem pallii respondet Dinus, usum pallii pro more antiquo concessum, quod solemni supplicatione festum translationis... celebraretur. Quæ responsio mihi satis videtur probabilis, si æque aliis Beneventanorum argumentis posset responderi; præsertim si dicantur quædam reliquiæ Beneventi post corporis ablationem permansisse.

quid omnibus bullis respondeat Dinus.

203 Addit deinde ad omnes simul bullas Pontificias : Ad fovendam supplicis populi devotionem, apud quem aliqua corporis particula remanserit, corpus (ut in precibus proponebatur) appellare indignati non sunt. Quæ responsio forte probabilius a Beneventanis regeri poterit ad omnia fere Romanæ traditionis argumenta, § sequenti proponenda. Ait deinde, Papam non esse testem coævum, nec re discussa firmiter asserere. Quibus addit lacinias quasdam Papebrochii, ut ait, in Responsionibus supra citatis art. 3, num. 109. Verum in Papebrochio, eo saltem loco, non nisi primam partem invenio num. 108, ubi ait, Viros prudentes etiam errare subinde in factis est notorium. At cum Papebrochium libenter citet laudatus auctor, sed in sensu plerumque alieno, quanta sit, judice Papebrochio, fides bullis Pontificiis tribuenda, hic subjicio ex eodem art. 3 Responsionum, § 2, num. 16, ubi hæc habet : Bullis, brevibus, constitutionibus, decretis summorum Pontificum etc., etiam extra casum et materiam fidei, aut morum salutarium emanatis, maximam, saltem intra lineam auctoritatis humanæ, universi Catholici debent deferentiam, fidem, ac observantiam. Non itaque satisfacit auctoritati bullæ, qui dicit, Pontificem non esse testem coævum, maxime si pro contraria sententia testes coævos non adducat, prout non adduxit Franciscus Dinus. Non tamen vult Papebrochius, quævis Romani Pontificis diplomata ab omni etiam facti errore prorsus immunia esse censenda : verum, ut habet num. 110, Semper præsumuntur nihil præter veritatem continere, nisi oppositum probetur, vel ob fundamentum non leve suspicio prudens ingeratur. Hactenus de bullis Pontificiis, quæ pondus Beneventanæ traditioni adjiciunt non leve.

Bullæ archiepiscoporum Beneventanorum, et epistola Ladislai regis,

204 Adducunt deinde Beneventani bullas quasdam suorum antistitum, quibus præsentiam corporis S. Bartholomæi urbi suæ confirmant. Videlicet Romani Capoferri archiepiscopi Beneventani, anno 1273 datam, et apud citatum Ughellum col. 136 editam, in qua hæc de S. Bartholomæo leguntur : Qui in præfata civitate (Beneventana) sacratissimum suum corpus voluit præservari. Dein instrumentum quoddam authenticum anni 1346, in quo de Guilielmo tunc archiepiscopo hæc dicuntur : Cupiens... quod in capella, in qua ipsum sacratissimum corpus quiescit, divinus cultus jugiter observetur. Hoc instrumentum dicunt servari in bibliotheca Beneventana num. 500. Tertio epistolam Ladislai regis Neapolitani, anno 1414 die VI Februarii scriptam ad archiepiscopum Beneventanum, ejusdemque ecclesiæ capitulum, qua reliquias S. Bartholomæi petit Carolo de Malatesta, ex qua desumo hæc verba : Cum magnificus Carolus de Malatesta præcipuus noster amicus carissimus, ad D. Bartholomæum apostolum magnum gerens singularis devotionis affectum, aliquid ipsius reliquiarum habere desideret : cumque gloriosi illius Apostoli sanctum ipsum corpus in ipsa Beneventana servetur ecclesia etc. Epistolam totam tradit Janellus pag. 134.

epistola Donati archiepiscopi,

205 His adjungunt epistolam Donati archiepiscopi eodem anno die XVI Februarii ad canonicos Beneventanæ ecclesiæ hac super re scriptam, qua narrat quomodo se regi excusaverit. Ex hac autem epistola quædam, quia ad S. Bartholomæum spectant propinquius, paullo latius judicavi hic describenda : Nos, inquit, reverenter, sicut decuit, responsum dedimus rationabile, inducendo excusationes debitas, qualiter nobis non erat possibile, vota ipsius majestatis adimplere absque scandalo gravi, enarrandoque qualiter corpus B. Bartholomæi reconditum fuerat, et translatum, ubi hodie jacet cum maxima solemnitate, et auctoritate Apostolica, sine cujus licentia non possumus in totum, nec in partem ipsius gloriosissimi corporis tangere, nec cives permitterent, nec consentirent; cum nullum thesaurum, nec protectorem habere reputent, præterquam subsidium ipsius gloriosissimi Apostoli, et quod reclusum est tribus vinculis indissolubilibus, clavibus, et vectibus ferreis, a tempore reconditionis, seu translationis affati corporis gloriosi, et qualiter alias fuit tentatum ante reconditionem ipsius corporis clam rapere certam parti-

A particulam reliquiarum supradicti corporis, et judicio Dei, et corporis prælibati Apostoli, tanta supervenit aeris tempestas, quod modo aliquo * valuit, qui rapuerat partem ipsam reliquiarum, quemdam pontem fluminis decurrentis prope mœnia civitatis Beneventanæ transferre, qui agnito, quod miraculo ipsius Apostoli tota procella aeris supervenerat, ductus conscientia suum reatum publice patefecit, et illam particulam, quam abstulerat, quam citius devotissime restituit. *Totam epistolam exhibet Janellus pag. 126. Ad duo prima testimonia respondet Dinus, horum archiepiscoporum dictum facile explodi;* cum coævi non sint. *Quæ methodus sane facilis est quævis argumenta solvendi. Addit et alia quædam nihilo firmiora, quæ brevitatis causa prætermitto.*

* *addendum videtur* non

206 *At contra litteras præsertim Donati archiepiscopi difficultates objicit non plane contemnendas. Nam primo contendit ex Vipera, Donatum archiepiscopum anno 1412 esse mortuum : quod Vipera in Chronologia archiepiscoporum Beneventanorum pag. 141 asserit, et probat,* B *ut sequitur :* Anno MCDXII, die VIII Aprilis, Indict. V, archiepiscopus *Donatus obdormivit in Domino, . . . ut ex bibliotheca Beneventana in codice emortuali, signato num. CXLVIII, et exsequenti inscriptione suæ sepulturæ *(intelligitur :)*

contra quam difficultates quædam objectæ,

Præsulis egregii requiescunt ossa Donati.
Hic tumulata mei. Querar heu te Samnis in ævum !
Alta domos genuit regni domus inter Aquinas
Hunc, sed eum melius genuerunt stegmata * morum.
Quid queror o mortale genus ? Quid plasma caducum ?
Cum mens æterna melior pars gaudeat aura;
Cursus et annorum placeat; dic versibus illum :
Mille quadrincentosque decem jungenda duobus,
Inter quos annos Indictio Quinta notatur.

* *i. e.* stemmata

207 *Versus ex Ughello dedi col. 161, qui ibidem Viperam refutare conatur, at non sine errore aliquo :* Verum, *inquit,* error deprehenditur in his versibus, quibus addendi sunt C anni XIV, qui conficient annum MCDXXVI, in quem cadit Indictio quinta. *Sed fallitur Ughellus, nam Indictio quinta cadit in annum 1412, et 1427, : quarta vero in 1426, ut deprehendet quiscumque novit Indictiones enumerare, vel chronographos voluerit consulere. Argumenta tamen Ughelli videntur evincere, diutius superfuisse Donatum, quam usque ad annum 1412, ut statuit Vipera. Forte usque ad 1427, quo fuit Indictio quinta, quoque ejus successor, ut vult Ughellus,* XVI *Kalendas Julii electus est. Argumenta autem Ughelli hæc sunt : quod* Ex diplomate Martini V in electione Pauli clare appareat, Donatum de Aquino successorem immediate habuisse Paulum Capranicam, *anno 1427, ut vult, electum. Vellem bullam dedisset Ughellus, ut lector de re melius posset judicare. Præterea ante protulerat col. 160 bullam quamdam Donati anno 1418 datam, post quam et alia ejus monumenta reperiri asserit; tum ex libro emortuali tabularii Beneventani, signato num. 148 pag. 6 hæc recitat :* Anno Domini MCDXXVI quintæ Indictionis, ista die XII Aprilis fuit sepultus in ecclesia majori D. Donatus de Aquino archiepiscopus Beneventanus, et obiit in Gripta Mainarda *(Beneventanæ diœcesis oppido, ut ait col. 160)* die VIII dicti mensis, et stetit in sede sua annis XLI. *Ex his omnibus concludo, circa mortem Donati Ughello potius adhærendum quam Viperæ, licet annus 1427, qui cum Indictione quinta concurrit, videatur anno 1426 præferendus. Neque assentiri possum Dino pag. 85, propter epitaphium supra citatum, Ughello his verbis insultanti :* Ego magis defero veteri marmoreo loci monumento, et bibliothecæ auctoritati, quam decem scripturis Ughellianis. *Non possum, inquam, his assentiri; nam quod de bibliotheca jactat, utrique est commune, cum uterque codicem citaverit emortualem num. 148 notatum. Epitaphium autem illud unicum non tanti est, quanti sunt omnia alia simul Ughelli argumenta, quibus addi debet hæc ipsa Donati, de qua agitur epistola : præsertim cum non constet, quo tempore epitaphium fuerit marmori incisum, licet antiquum esse non negaverim.*

quibus respondetur ex Ughello;

AUCTORE J. S.

208 *Quidquid autem de his sit verius, nihil facit ad veritatem epistolæ Ladislai regis,* S. Bartholomæi *reliquias petentis; cum epistola dumtaxat inscripta fuerit* archiepiscopo Beneventano, E *sive Donatus is fuerit, sive alius quiscumque, ut videre est apud Viperam pag. 142, et Ughellum col. 159. Verum objicit contra Ladislai epistolam Dinus, non negaturos fuisse Beneventanos sacras reliquias regi humane petenti;* Apud quos, *inquit,* memor vigebat metus, Ladislao detestabili anathemate interdicto, maxima incommoda passam fuisse civitatem, ut prodit Vipera, *(pag. 141, id factum dicens anno 1409.)* Cum membra, *ait paullo ante,* hujus Apostoli passim reperiantur diffusa, et etiam privatis viris missa. *Verum ad varios quidem reperio missas* S. Bartholomæi *reliquias ante translationem anno 1337 factam; non itidem post id tempus. Denique suspectam reddit Dino epistolam, quod magna in ea insinuetur amicitia inter Ladislaum, et Carolum Malatestam, quæ minus et videtur verisimilis, quod Ladislaus paullo ante* marchionem Estensem, *ut ait,* ad Romandiolam oppugnandam delegerat, ... in qua provincia dominabantur Carolus et Andreas Malatesta Ariminensium domini. *At inter Malatestam et Ladislaum bellum fuisse non probat; et forte hoc beneficio hic illum ad partes suas pertrahere voluit. Non* F *video itaque, cur epistola ut vera admitti non possit, quamvis hoc seculi 15 monumentum sit efficacius ad ostendendum, quanto viri principes* S. Bartholomeum *in honore habuerint, quam ad traditionem Beneventanam comprobandam : attamen et hæc antiquioribus nixa monumentis, hinc etiam utcumque confirmatur.*

objectiones contra Ladislai epistolam solutæ.

209 *Probant denique Beneventani, sacrum* Bartholomæi *corpus in urbe sua requiescere, ex iis, quæ præterito seculo ibidem facta narravimus. Primo ex eo, quod collapso templo arca ærea, sacrum corpus continens, reperta fuerit integra. Ex laminis in arca repertis, indicantibus esse corpus* S. Bartholomæi; *ex lumine e sacris ossibus emicare viso, et miraculo in translatione facto, ut retulimus; ex piscium spinis et lapillis cum sacris ossibus inventis; unde colligunt eadem esse ossa, quæ Liparæ dispersa, et dein collecta fuere. Denique ex judicio totius synodi provincialis, quæ corpus Beneventi servatum, esse corpus* S. Bartholomæi, *probationibus, et signis, quæ retulimus, visis, judicarit, ac pro eo coluit. Quæ ad hæc respondet Romanæ traditionis defensor, non magni momenti sunt. Primo :*

Argumenta ex nupera corporis visitatione desumpta.

Hi,

AUCTORE J. S.

Hi, *quiuit*, magni viri non præbent fidem factis antiquis. *Attamen gravissimum horum judicium magni faciendum est. Deinde suspicionem ingerit, laminas ab aliquo olim confictas esse, postquam corpus fuerat Romam translatum, reliquo fortasse Beneventi corio. At antiquarii judicarunt, unam ex iis septingentis annis esse longe antiquiorem.*

quibus frustra fidem detrahere nititur Dinus.

210 *Tertio contendit, ingentem illum ossium numerum non posse* uni corpori Apostoli congruere : Et admirationem, *inquit*, peperit, te ingentes propemodum nobis longinquis obtulisse ossium acervos in arcula unius palmi, ut dicitur, contentos, et adeo magnificis verbis descriptos. *Quod objicitur de arcula unius palmi, explicandum est ex bulla eminentissimi Ursini, in qua arculæ istius magnitudo sic describitur :* Arcula vero prædicta erat altitudinis palmi unius, et unius unciæ : longitudinis similiter palmi unius, et unciarum trium cum dimidio : latitudinis vero unciarum decem. *In qua omnia ossa fuisse, quæ in bulla descripta sunt, credere potius debuisset Dinus viris fide dignissimis, quam exaggerata arculæ parvitate, et ossium magnitudine,* B *rem quasi incredibilem in suspicionem vocare. Nescio an satis perpenderit memoratus dissertator, quam exiguam ille apud prudentes fidem mereatur, qui omnia carpit, omnibus fidem detrahit. Quæ itaque præterea affert, ut dubium ingerat de reliquiis in arca repertis non commemoro : nam quæ per sanctissimum antistitem Ursinum, et congregatos in provinciali synodo episcopos gesta sunt, nullis cavillationibus apud prudentes rerum æstimatores fient dubia.*

Supra relatis argumentis subjungimus testimonium

211 *Huc usque argumenta, quibus maxime nititur traditio Beneventanorum de corpore* S. Bartholomæi *fideliter exponere, quæque iis non recte objici videbantur, removere sum conatus : sed velim lector intelligat, non omnia Francisci Dini responsa a me producta esse, sed ea tantum, quæ aliquid difficultatis vel habebant, vel saltem difficultatem continere videri poterant; reliqua qui desiderat, ipsum poterit consulere. Nunc pauca quædam, mihi dum versor in perscrutandis Sancti Actis, ultro oblata, his adjungenda duxi. In Bibliotheca Mss. Labbeana tom. 1 quædam fragmenta recensentur Bernardi Guidonis,* C *inter quæ pag. 638 hæc reperio ad propositum nostrum :* Domnus Aubertus quiescit in ecclesia seu monasterio Beneventi, ubi sunt canonici regulares, ad cujus tumulum multi febricitantes sæpe curantur. Hic cum esset magister Parisius *(i. e. Parisiis,)* et canonicus Lemovicensis, tandem soli Deo vacare desiderans, cum licentia et assensu capituli Lemovicensis in manso quodam parochiæ de Saliniaco, nomine Segundelas, ecclesiam in honore S. Mariæ Magdalenæ ædificavit : sed postea per episcopum Lemovicensem Jordanum in manso, qui dicebatur Segundeletas, translatus est : ad quem locum translatis reliquiis B. Bartholomæi de Benevento civitate Italiæ, quo tunc temporis corpus beati Apostoli allatum fuit de Lipari insula, domnus Apostolus *(videtur mendum, et legendum* episcopus, *vel* Aubertus) ecclesiam in ipsius honore fundavit, et locum Beneventum deinceps appellari mandavit... Attulerunt autem illas reliquias quidam magni viri de terra, qui sancti Apostoli limina visitaverunt, et divino cursu eodem die, et ipsa hora, qua episcopus prædicabat, eas episcopo obtulerunt. Ideo dixit Beneventum... appelletur hic locus.

ex Historia monasterii anno 1028 constructi,

212 *Tom. 2 Galliæ Christianæ col. 619 ita scribitur de abbatia Beneventi :* Beneventum sancto Bartholomæo sacrum, ordinis S. Augustini, inchoatur anno MXXVIII in loco de Secondelas, duabus leucis ab urbe Lemovicensi, sumptibus Roberti canonici Lemovicensis. *Præfuit eo tempore Jordanus ecclesiæ Lemovicensi, uti videre est apud auctorem citatum col. 515, per quem Aubertus ad locum secundum translatus supra dicitur; ita ut omnia satis consonent, nisi quod nomen loci antiquum a Bernardo Guidonis vocetur* Segundeletas, *ab auctore vero Galliæ Christianæ* Secondelas, *quæ differentia rei ipsius obstare non potest veritati. Ex his itaque habemus, reliquias has Benevento missas esse circa annum 1028, ibique tum temporis corpus* S. Bartholomæi *fuisse. Scrupulus quidem hic aliquis esse potest, quia dicitur :* Quo tunc temporis corpus beati Apostoli allatum fuit de Lipari; *sed et ætas Jordani episcopi, etconstructio ecclesiæ satis manifestant, hoc improprie dictum esse, pro* Ubi tunc erat corpus, antea de Lipari allatum. E *Ceterum parumne an multum Beneventanorum causam juvare possit hæc Historia pro asserendo eisdem post annum millesimum* Bartholomæi *corpore, lectorum relinquo judicio, rem ipsam retulisse contentus.*

et argumentum ex epistola Clementis IV,

213 *Edmundus Martene tom. 2 Thesauri anecdotorum col. 306 recitat epistolam Clementis IV, anno 1266, ut notat, scriptam ad Carolum Andegavensem Siciliæ regem, qua eumdem reprehendit de excessibus per ipsius exercitum commissis in urbe Beneventana, atque inter alia hæc scribit :* Cum enim suffragante procul dubio beato Bartholomæo, qui ejusdem civitatis *(Beneventi)* patronus existit, de suis et tuis hostibus *(Manfredo, quem prope Beneventum eodem anno vicerat)* incredibiliter triumphasses : erat profecto ejus ecclesia regiis decoranda muneribus. *Primo solus* Bartholomæus *vocatur* patronus *Beneventi, solius ipsius favori adscribitur victoria, ipsius decorandam Pontifex dicit fuisse ecclesiam; quæ cur dixerit Pontifex vix intelligi potest, nisi judicaverit* S. Bartholomæi *corpus ibidem requiescere.*

item testimonium ex testamento Ludovici Andegavensis;

214 *Idem auctor citati Operis tom. 1, a col. 1594 edidit testamentum Ludovici Andegavensis, Siciliæ itidem regis, anno 1383, ut notat, factum : in quo sermone Gallico hæc leguntur col. 1605 :* Similiter volumus fundatum anniversarium et Missas pro defunctis, ut supra, F Beneventi in ecclesia, ubi requiescit benedictum corpus ... sancti Bartholomæi. *His plura non addo. In commodum tamen lectoris, ut, quibus testimoniis traditio Beneventana nitatur, melius intelligat, omnia hic breviter ordine temporis exhibeo.*

argumenta omnia summatim exhibita.

215 *Anno 1028 Beneventum monasterium conditum, ac* S. Bartholomæo *dicatum, reliquiis ejus Benevento acceptis. Anno 1053 bulla Leonis IX, asserens corpus Benevento. Anno 1057 bulla Stephani IX, id confirmans. Circa finem ejusdem seculi testimonium Leonis Ostiensis. Eodem fere tempore scripsit Eadmerus Anglus, supra etiam adductus. Quinque itaque monumenta seculo undecimo traditionem Beneventanam confirmant. Seculo duodecimo duo invenio monumenta, puta peregrinationem Sugerii abbatis Beneventum ad* S. Bartholomæum *anno 1122, ut habet Dissertatio Ursini; et dona ab imperatrice Florida eidem Sancto Beneventi oblata anno 1137. Seculo decimo tertio favet probabiliter*

Clemens

A *Clemens IV anno 1266 : adstipulatur omnino archiepiscopus Beneventanus Romanus Capoferrus anno 1273; favet itidem Jacobus Januensis episcopus 1298, præsertim cum referat apparitionem cap. 2, § 3, num. 64 a nobis narratam. Seculo* XIV *Benedictus XII anno 1337; eodem anno Arnaldus archiepiscopus cum episcopis Samnii; anno 1346 Guilielmus archiepiscopus; anno 1348 Clemens VI eamdem traditionem firmant : cui Urbanus V anno 1362 itidem favet; et S. Brigitta anno 1372 : eamdem affirmat Ludovicus Siciliæ rex anno 1383. Seculo* XV *anno 1400 Bonifacius IX; anno 1414 Ladislaus rex, et Donatus archiepiscopus traditioni adstipulantur. S. Antoninus communiorem affert sententiam, anno 1459 mortuus : Pius II favet traditioni anno 1459 : quibus adjiciunt, quos ego cum multis recentioribus prætermisi, anno 1474 Angelum Catonem; Robertum Caracciolum de Liccio, episcopum Aquinatensem, anno 1495 mortuum; Zenobium Acciaiolum bibliothecarium vaticanum anno 1515; Mascambrunum et Ughellum. Habes, lector, catenam perpetuam testium pro Beneventana traditione* B *pugnantium, a primo post disputatam translationem seculo ad nostra usque tempora serie non interrupta deductam. Nunc etiam, quibus Romanorum traditio nitatur fundamentis, fideliter enarrandum.*

§ IV. Argumenta pro Romana traditione, maxime quæ Ottoni II translationem attribuunt.

Romanorum argumenta :

F*ranciscus Dinus Romanis* S. Bartholomæi *corpus vindicaturus, ita pag. 6 argumenta sua proponere aggreditur :* Othonen II e Benevento sacrum Apostoli corpus transtulisse, ultra antiquissima monumenta, tercentos habeo auctores, curiose quidem lectos, signatosque fideliter; ne tamen opus hoc purpuratorum quorumdam principum jussu vulgandum excresceret, probabiliores hic adduxi, penitus omissis, vel brevi epilogo indicatis quibusdam eorum C verbis, ne nauseam legentibus parerem; quorum tamen omnium nomina in alia (si res ita exigat) vehementiori replicatione non prætermittenda censui, ut hanc veritatem universi orbis scriptoribus patentissimam, conviciosis adversariorum diffugiis vindicatam, in medium proferam luculentius. *Magnifica enimvero verba, si facta dictis respondeant. Verum ne lector minus eruditus, et ad verba magis quam ad rationes solidas attendere solitus, perpetua hujus auctoris jactantia in fraudem inducatur, Thrasonicam illam vanitatem modeste quandoque retundere, necessarium existimavi. Quod tamen Romanorum causæ obesse non debet : nam potest illa solidis subnixa stare fundamentis, etiamsi ejus defensor illa nimium exaggerare fuerit conatus.*

traditio utrique parti communis,

217 Primum, *inquit ibidem,* hujus rei fundamentum est inconcussa Romanorum traditio, ab Ecclesia in Martyrologiis, ac Breviariis probata, auctoribus omnium seculorum fusissime referendis confirmata, reique signis ad oculum verificata. *Hoc fundamentum utrique parti commune; quibus illud confirmetur rationibus et auctoritatibus audiamus.*

218 Et I., *inquit,* adducitur testimonium Othonis episcopi Frisingensis, et ex Germanis, qui XI seculo non exacto fuit in humanis, scribens. *Otto non scripsit seculo undecimo, ut verba intelligi possunt, in humanis tamen esse potuit sub finem istius seculi. Verba autem Ottonis lib. 6 Chronici, cap. 25 hæc sunt :* Tradunt de ipso *(Ottone II)* Romani, quod Benevento capta, beati apostoli Bartholomæi ossa inde asportarit, ac Romæ in Lycaonia insula, in tumba porphyretica ea collocaverit, in terramque suam per Tiberim, et mare in præfato sarcophago deportare cogitaverit : sed, eo in brevi vita exempto, pretiosum thesaurum ibidem remansisse. *Ottonis fidem commendat pag. 7 his verbis :* Otho integritate laudatissimus, teste Trithemio, ab his, qui a coævis valuerunt accipere, Romanorum retulit traditionem. *Multis ad hanc auctoritatem respondent Beneventani, ex quibus ea referam, quæ videntur solidiora. Ursinus in Dissertatione art. 2 ita loquitur :* Respondeo primo, Othonem Frisingensem S. Bartholomæi translationem, ut certam non asserere; sed ut obscuram, ac dubia Romanorum traditione jactitatam. *Id patet ex eo, quod dicat :* Tradunt Romani; E *quodque illam Ottonis in Beneventanos expeditionem non scripserit, sed leviter hac occasione tantum perstrinxerit. Ad quod tamen reponi potest, multa alia Ottonis II gesta ab hoc auctore prætermissa, de quo non nisi paucissima enarravit.*

AUCTORE J. S. testimonium Ottonis Frisingensis,

quod erroris arguunt Beneventani.

219 *Præterea erroris arguunt hanc relationem Ottonis (si tamen Ottonis dicenda est, cum tantum referat, quid Romani tum dicerent, in quo ipsum deceptum fuisse non existimo) atque ita ratiocinantur :* Error in eventu est, cum dicat Othonem II, capta Benevento, B. Bartholomæi ossa inde asportasse, quod falsissimum est; Otho II enim numquam Benevento arma intulit. *Probant id illi primo argumento quidem negativo, sed hoc loco satis efficaci : ex silentio* scilicet Hermanni Contracti, qui anno MLIV scripsit;... Lamberti Schafnaburgensis, qui rerum Germanicarum perduxit Historiam ad annum MLXXVII, quo vivebat; Mariani Scoti, qui Chronicon ad annum MLXXXIII edidit, triennio ante suum obitum : qui omnes Othonis II res ab imperii exordio usque ad extremum diem accuratissime describentes, nullam de Beneventano bello; aut Apostolica translatione memoriam reliquerunt. Imo..... Lupus F Protospata, qui Chronicon accuratissimum edidit, de rebus in regno Neapolitano gestis ab anno DCCCLX ad annum MCXI, quo florebat ipse, ubi quam diligentissime, atque ex instituto narrat exterarum gentium in Neapolitanum regnum irruptiones, prælia, illatas acceptasque clades : nihil tamen de illa Othonis II in Beneventanos expeditione, dirutaque atque incensa urbe, prorsus habet. *Quod hic de diruta atque incensa urbe idcitur, Frisingensis non habet, sed Blondus, eamdem referens historiam, postea citandus; ut etiam quod de fuga Beneventanorum jamjam refutabit auctor, sic prosequens :* Nec Sigebertus, qui ad annum CMLXXX Othonem II navali prælio fusum, ac partim natatu, partim subveniente scapha, liberatum refert : Romanos quidem hac occasione terga vertisse innuit : verum Beneventanos, vel in partem ignaviæ venisse, vel ab imperatore idcirco captos, atque deletos, ne quidem verbo significat. Quin etiam Baronius ipse nihil hujuscemodi de Othone II in Annalibus memorat.

220 *Neque Pagius, quæ Baronius omittit supplere*

AUCTORE J. S.

variisque rationibus infirmant,

supplere solitus, neque auctores ab eo ad annum 983 citati, licet infaustam Ottonis in Calabria pugnam referant, quidquam habent de his omnibus. Atqui auctores tempore tam propinqui rei gestæ, si gesta sit, non videntur ignoraturi fuisse expeditionem illam Beneventanam, neque, si scivissent, omissuri. Itaque existimandum videtur, Frisingensem de hac in Beneventanos expeditione, et reliquiarum translatione nihil omnino cognovisse, nisi quod Romani aliqui incerta fama de his jactabant; eaque de causa scripsisse; Tradunt Romani; *non autem,* Ossa transtulit, Beneventum cepit; *quod ne ipse quidem credidisse videtur, licet id Romæ ab aliquibus creditum fuisse scripserit. Hanc autem ex proposito argumento consecutionem deducere malui, quam credere de Ottone Frisingensi, quod aiunt Beneventani,* Eam in Beneventanos expeditionem venditasse, ut aliqua veritatis specie suam de translatis Bartholomæi reliquiis fabulam obduceret. *Plures contra Ottonis relationem difficultates proferemus, ubi exposuerimus mentem eorum, quos Frisingensi succenturiatos proferunt* B *Romani.*

testimonium Godefridi Viterbiensis,

221 *Sic itaque prosequitur pag. 7 Franciscus Dinus:* De qua *(Romanorum traditione)* deinde testis est Goffredus a Viterbo; *cujus hæc citat verba ex Chronici lib. 5, cap. 25 :* Tradunt Romani, quod ipse Otho II, capto Benevento, ossa S. Bartholomæi asportaverit : *auctoritatem vero ejus his verbis commendat :* Hic fuit a sacris scriniis Conrado III, et Frederico primo, in peregrinatione L annorum bibliothecas omnes excussit. *Pro quibus citat Vossium lib. 2, cap. 54, qui 40 annos ejus peregrinationi attribuit, non 50. Addam quæ ulterius habet ad propositum nostrum Viterbiensis. Chronici part. 17 in Ottone II, ubi et præcedentia quærenda ; ita post citata verba prosequitur :* Et ea Romæ in insula Tiberis, quæ dicitur Lycaonia, in ecclesia, quæ nunc vocatur S. Bartholomæi, in concha porphyretica collocaverit, et postmodum easdem reliquias cum eodem sarcophago, per Tyberim in mare, et per mare in suam Franciam deducere cogitasset : eo autem morte prævento reliquiæ Romæ sic remanserunt.

Martini Poloni, et aliorum,

222 Accedit, *inquit Dinus,* Martinus Polonus archiepiscopus, *cujus hæc sunt verba ad annum 979 in Ottone II :* Demum exercitum congregans, Beneventum obsedit : qua capta, ossa C beati Bartholomæi (ut dicitur) inde apportavit. *Reliqua, quæ sequuntur, consonant præcedentium relationi. Ne hunc quidem illaudatum præterit dissertator, nam Oudinum citat in Supplemento de script. eccles., eumque his verbis loquentem inducit :* Codicem Martini, qui manibus litteratorum teritur, promereri indubiam fidem *etc. Fallor, si vel umbram horum verborum in memorato Oudini Opere inventurus sit lector : imo agnoscit pag. 550, Chronicon Martini scatere fabulis,* sed quas jam, constat, esse immissas ab hæreticis, *inquit ipse tum Catholicus, at deinde factus apostata. Itaque et Bellarminum audi de Scriptoribus ad annum 1250 :* Fuit, *inquit,* Martinus vir simplex, et fabellas pro historiis obtrudit. *Hæc de Martino Polono, quem tamen in hac errasse historia ex dictis non sequitur. Nam et multi recentiores huic relationi assentiuntur, ut fatentur Beneventani his verbis :* Ex his hauserunt seculo XIV, et XV Flavius Blondus, Petrus de Natalibus, Jacobus Philippus Bergomensis, Joannes Baptista Egnatius, Carolus Sigonius, Joannes Nauclerus, D et alii recentiores bene multi. *Audi citatum ab ipsis Blondum :* Cum Romani Beneventanique ex acie profugi, non solum detractassent prælium, sed signa deseruissent, et quia copiarum præsidio destitutus, in desertores signorum Romanos animadvertere non auderet, iram in Beneventanos exercuit, et Beneventanos adortus imparatos, et nihil tale timentes, urbem cepit, spoliavit, incendit, per eamque occasionem asportatas B. Bartholomæi apostoli reliquias, Romæ in insula Jovis primo dicta, et postmodum Lycaonia, locatas ferunt : Othonem, Benevento deleta, in urbem Romam reversum, ibi defunctum, et in Petri apostoli basilica sepultum, Ptolomæus, et Guillelmus sunt auctores. *Reliquorum, qui rem modo jam dicto gestam esse referunt, verba non recenseo; nam ingentem eorum esse numerum fatentur Beneventani.*

respondent Beneventani ad numerum auctorum.

223 *Respondent itaque hi ex Baronio ad annum 1125 num. 12 :* Non numero historicorum veritatem historiæ consuevimus æstimare : sed quanta fide polleat primus dictor cujuslibet assertionis : nam reliquos primum sequi auctorem, et E ejus vestigiis inhærere, frequentiori usu in more positum reperimus. *Tum contendunt, magis credendum Ostiensi, quam Frisingensi; quod ille antiquior, et rei gestæ propinquior : quod vero sublestam dicunt fidem Frisingensis, non omnibus probatum iri existimo.*

et opponunt Leonem Ostiensem antiquiorem ceteris.

224 *Deinde Frisingensis narrationem evertere nituntur contraria Leonis Ostiensis relatione lib. 2, cap. 9, qui hæc scribit :* Anno Domini nongentesimo octogesimo tertio *(Otto II,)* iterum magno exercitu congregato, cum Saracenis in Calabriam dimicaturus descendit : sed divina permissione superatus ab illis, vix ipse cum non multis evadere potuit. In quo etiam prælio Landulphus princeps *(Beneventanus et Capuanus, ut habet Vipera pag. 74)* filius principis Pandulphi, cum fratre suo Atenulpho, et aliis pluribus mortuus est. Imperator autem Capuam reversus, firmavit principatum relictæ Pandulphi principis Aloaræ, et filio ejus Landenulpho. Ipse vero pro recolligendo milite, ac certamine restaurando, Romam rediens eodem tempore defunctus est. *Ex his ita ratiocinantur in laudata sæpius Dissertatione art. 2, pag. 13 :* Ostiensis inter scriptores, qui adducuntur, antiquissimus, veracior F censendus est, atque præstantior; sed is nec verbum quidem pronunciat *(ut nec multi alii supra citati)* de Benevento capta, spoliata, incensa. Fabulæ itaque loco censendum est, quod Otho Frisingensis, ejusque gregales de suo tantum cerebro dixerunt. *Malim dicere, Quod illi ex incerta Romanorum fama hauserunt.*

ex quo quædam sumunt argumenta;

225 *Tum ita prosequitur :* Imo ex iis verbis Cardinalis Ostiensis tria petuntur adversus istiusmodi fabulatores argumenta. Primo, quia Othonis exercitu ita profligato, ut vix ipse cum nonnullis evadere potuerit, natando aufugiens.... eas vires deinde habere non poterat, quibus Beneventum, munitissimam tunc urbem expugnaret. *Ad hoc utcumque responderi potest, imparatos aggressum esse, postquam reparasset exercitum.* Secundo, *inquiunt,* quia incredibile est, Othonem ferro, flammisque in Beneventanos rependisse occisionem Landulphi eorum principis. Tertio, quia principatum Beneventanum confirmans viduæ Aloaræ, ejusque filio Landenulpho, gratum potius, quam iniquum animum erga Beneventanos Otho indicavit. *Tandem Beneventanos*

A *nos ex acie se non subduxisse, ut alii scribunt, sic probare conantur ex Landulphi eorum principis, ejusque fratris cæde :* Nam Beneventanos suorum principum signa secutos esse indubium est : unde fit, ut absque eis prælium deserere nequiverint ; sed principes strenue dimicantes occubuerunt : ergo verum non est Beneventanos defecisse. *Ita illi probabiliter quidem concludunt, siquis tamen putaret relationem, quam oppugnant, satis aliunde firmatam; facili negotio hæc evertentur, si dixerit non raro principes a suis militibus desertos in acie occubuisse, idque hoc loco videri factum; unde et Otto se in principis uxorem et filium æquissimum exhibuit, in Beneventanos vero offensum. Hæc, inquam, dici possent, si Frisingensis, et sequacium ipsius narratio certa fide subsisteret : at non pauca in illorum relatione, præter jam dicta, incommoda mihi occurrunt, quæ veri studioso lectori candide proponenda censui.*

aliæ contra Frisingensis narrationem

226 *Primo enim hæc Beneventi obsidio facta scribitur post cladem a Græcis simul, et Saracenis in Calabria acceptam. At illo tempore debebat se potius contra hostes præmunire imperator,* B *quam amicos male officio functos ulcisci, quod, repressis hostibus, commodius fieri potuisset postea; imprudentem igitur videntur nobis describere imperatorem, qui eum illo tempore Beneventum aggressum fuisse scribunt. Deinde, vastata urbe Beneventana, Romam detulisse corpus* S. Bartholomæi *dicitur : Romanos autem in eadem cum Beneventanis culpa fuisse volunt : non videntur igitur Romani imperatorem in urbem admissuri fuisse, qui sævientem in Beneventanos audierant, neque meliora ab eo poterant exspectare, utpote ejusdem culpæ participes. Tertio, ea intentione sacrum corpus Romam translatum narrant, ut illud per Tiberim, et mare in Germaniam deferretur; neque considerant, quam incommodum nobis iter, quotque periculis expositum describant. An non erat Gallia et Hispania circumnaviganda? An non transeundum fretum Herculeum? An non Rheni deinde ostia subeunda, et adverso flumine ab Hollandia in Germaniam usque sacrum onus deportandum? Quot autem in illo itinere pericula, dominantibus in Hispania et Africa Saracenis? Quam immen-* C *sus in subeundo adverso flumine labor? Denique quam multa in toto hoc itinere non credenda? At si imperator cupiebat omnino sacrum hunc thesaurum in Germaniam deferre, id longe tutius et commodius terrestri itinere facere potuisset. Verum putem post tantam ignominiam cladem que ab hostibus acceptam bellicis magis consiliis intentum fuisse tunc temporis imperatorem, quam cogitasse, qua ratione sacra Sanctorum pignora in Germaniam deportaret. Hæc itaque mihi nec verisimilia videntur, nec satis congrueexcogitata.*

difficultates propositæ.

227 *Superest et alia difficultas, quæ hujusmodi mihi apparet, ut translationem sacri corporis Romam Othoni II adjudicare prudenter non possimus. Corpus, ut asserunt, depositum est in ecclesia S. Adalberti, quæ deinde tractu temporis* S. Bartholomæi *vocari cœpit. Atqui S. Adalbertus, dudum post hunc annum superstes, templum Romæ habere non poterat, in quo* S. Bartholomæi *corpus deponeretur. Non igitur per Ottonem II illud translatum videtur, nec* Romæ in Lycaonia insula in tumba porphyretica *collocatum, ut narrat Frisingensis, eumque secuti auctores. Vidisse hanc difficultatem Baronium existimo, eaque maxime de causa priorem sententiam mutasse tom. 10 Annalium ad annum Christi 1000 num. 8, ubi* manifesti erroris *ait* redargui *eos, qui translationem Ottoni II attribuunt, illamque Ottoni III tribuendam variis argumentis contendit, quæ suo loco referemus. Franciscus Dinus aliquid quidem profert alia occasione, quod etiam pro hac difficultate solvenda assumi posset : nempe translationem factam per Ottonem II, depositionem vero in dicta ecclesia per Ottonem III : sed neminem ex trecentis, quos jactat, auctoribus afferre poterit, qui hoc asseruerit, nisi recentiores forte, qui hanc difficultatem tollere sunt conati. Quin contra auctores citati Frisingensis, Viterbiensis, Polonus, aliique, expressis verbis affirmant, corpus eo loco mansisse, ubi fuerat ab Ottone II collocatum. Ex dictis colligo, translationem, si facta fuit, Ottoni III potius cum Baronio, quam Ottoni II adjudicandam. Pro qua sententia quæ et qualia militent argumenta, nunc enarrandum.*

AUCTORE J. S.

E

§ V. Argumenta ejusdem traditionis, quæ translationem fere tribuunt Ottoni III ; quædam adjecta, quæ Ottoni II.

Inscriptio ecclesiæ Tiberinæ.

Ad *fertur pro translatione, ab Ottone III facta, primo inscriptio ecclesiæ Tiberinæ, ubi sacrum corpus dicitur quiescere, posita* Tempore Paschalis II Papæ, anno Dominicæ incarnationis MCXIII, Indictione septima, mense Aprili, die quarta. *Inscriptionem autem factam per ipsum Pontificem, dicit Baronius ad annum 1000 num. 8 his verbis :* Qui restituit eamdem ecclesiam, Paschalis II post centum et tredecim annos, hos versus in superliminari portæ majoris ejusdem ecclesiæ inscribendos curavit, qui hodie quoque ita leguntur :

Tertius istorum rex transtulit Otto piorum
Corpora, queis domus hæc sic redimita viget.
Quæ domus ista gerit si pignora noscere quæris : F
Corpora Paulini sint credas Bartholomæi.

Ad hæc Franciscus Dinus, non satis memor se antea trecentis auctoribus fultum Ottoni II translationem tribuisse, pag. 9 : Panditur, *inquit*, antiquitas, reique veritas, tum certæ diei mensisque appositione, tum stylo carminum prorsus barbaro ; et fides augetur, quod duo postrema carmina fuere in marmore satis antiquo litersi Longobardis in superliminari ejusdem ecclesiæ relata, et adhuc manent, vetustiori inscriptione, instaurato atrio, ac ipsamet sæpe ecclesia, incuriose deperdita.

multis rationibus oppugnata ab Ursino,

229 *Multa contra antiquitatem hujus inscriptionis objiciunt Beneventani, quæ ipsorum verbis hic referam. Eminentissimus Ursinus ait art. 3 :* Respondeo, memoratam restitutionem fictitiam esse, sicut etiam, quæ legitur, inscriptionem . . . Probatur id omnium, quotquot scripserunt, tum antiquiorum, tum recentiorum historicorum silentio : si enim ita se res habuisset, nec Fredericus imperator suis id literis (si tamen, ut Baronius autumat, veræ sunt) siluisset

anno

AUCTORE J. S.

anno MCLXVII. Nec Godefridus Viterbiensis, nec Martinus Polonus, prætensa restitutione posteriores, nec Egnatius, nec Platina, nec Sigonius, nec Nauclerus, aliique recentiores translationem ab Othone II factam asseruissent, nec Baronius ipse, in notis ad Martyrologium die XXV Augusti (si ea tunc vera judicasset) in tam splendidam incidisset contradictionem, *(id est, non tribuisset translationem Ottoni II, quod postea tacite retractat.)* Præterea si Paschalis II judicio, anno MCXIII de S. Bartholomæi corpore decretum fuerat : quare Suggerius abbas San-dionysianus anno MCXXII, novennio scilicet post, Roma relicta, Beneventum contendit ad Apostoli reliquias colendas ? Quare tot insequentium Pontificum diplomata . . . corpus Apostoli Beneventi quiescere confirmarunt ? Numquid enim eos Paschalis II decretum, ac publicam illam epigraphen ignorasse potius effutiemus ? absit. Nihilominus, qui Paschalis II res prosecuti sunt, omnem quoad ecclesiarum consecrationes, restitutiones, ac reliquiarum inventiones translationesque diligentiam adhibuisse constat ; ut in
B
Platina, et Ciaconio videre est ; verum nec quidquam de hac restitutione scripserunt. Hanc Oldoinus in suis ad Ciaconium Additionibus nuper retulit : at unde illam, quove ex monumento eruerit, non admonuit. *Arguit deinde Indictionem eo anno fuisse sextam, cum septima scripta sit.*

aliisque difficultatibus obnoxia ;

230 *Nullus, ut opinor, negabit, quæ proposita sunt contra inscriptionem illam, in quantum ibi servari dicitur corpus* S. Bartholomæi, *argumenta esse non contemnenda ; licet tantum negativa sint, quatenus restitutionem ecclesiæ a Paschali factam oppugnant, adeoque eatenus minus valida. Quid autem præter jam dicta, minus certam faciat istius inscriptionis fidem, erudito lectori aperiam. Videntur mihi hæc carmina non uno et eodem tempore ibidem posita : non enim percipio, cur primo hexametro subjecissent pentametrum ; secundo autem hexametro aliud hexametrum addidissent, si hæc pariter fuissent superliminari insculpta. Adde, quod primi duo versiculi faciant sensum integrum, uti et duo ultimi. Quod confirmari videtur ex eo, quod Franciscus Dinus referat, postremos duos versiculos mansisse, sublatis ceteris. Si itaque*
C
conjecturæ locus est, potuere prima carmina, quæ nihil habent Beneventanæ traditioni contrarium, tempore Paschalis II posita esse, posteriora vero postmodum adjecta. Ut ut est, id mihi manifestum satis videtur, inscriptionem non esse positam per ipsum Pontificem, cum hoc non fuisset in ipsa inscriptione prætermissum, adjectusque fuisset Pontificatus annus. Aliud etiam infra subjiciam argumentum, quod mihi contra omnia Romanorum fundamenta non levem videtur continere difficultatem. Sed alia prius Romanæ traditionis argumenta sunt referenda.

carmina quædam vetusta,

231 *Subjicit Franciscus Dinus huic inscriptioni pervetusta quædam carmina,* Quæ, *inquit pag. 9,* ante ecclesiæ, ac sacelli ejusdem Apostoli restaurationem legebantur in capella S. Bartholomæi, quæ inveni in scriptura quadam characteris ferme duorum seculorum exscripta, *in quibus hæc de* S. Bartholomæo :

India decoriat, tenet insula Bartholomæum.

Hæc carmina scripta fuisse anno 1180, videtur ex primo satis probari, si fideliter omnia per Dinum citata sunt ; sed carmina ipsa inter se fere cohærent velut ægri somnia, ita ut videantur ab homine prorsus indocto, nec minus inepto D *fuisse composita : quapropter nihil hæc magnopere carmina ad rem faciunt. Progredior igitur ad auctoritatem Frederici primi imperatoris.*

constitutio Frederici I imperatoris.

232 *Anno 1167 Fredericus I dicitur constitutionem edidisse pro dubio, de quo agimus, dirimendo. Totam hanc refert in Dissertatione sua Cardinalis Ursinus, verum tam multos in illa errores, et lapsus historicos ostendit, ut Franciscus Dinus eam maluerit nominare tantum, quam lectorum oculis exhibere ; respondens pag. 114 :* Fridericum non fuisse historicum, nec annalistam, et nihil de his asseruisse præterquam ex magni Frisingensis fide. *Ex quo responso, et ipsis constitutionis verbis, facile colligit lector, sive Frederico tribuenda sit constitutio, sive abjudicanda, per eam nihil addi ad auctoritatem Ottonis Frisingensis, quem sequitur :* Nos, *inquit,* pro inquirenda hujus rei veritate, et removenda de cordibus hominum omni dubietate, annales prædecessorum nostrorum catholicorum imperatorum revolvimus, et ipsorum Annalium sexto libro *(utique Ottonis Frisingensis, quem lib. 6, cap. 25 supra citavimus)* invenimus, E
qualiter imperator Otho II venerandum corpus sanctissimi apostoli Bartholomæi a Benevento Romam detulerit, et insula Lycaonia, . et in tumba porphyretica gloriosissime collocaverit. *Et post pauca rem narrat, sicuti narravit Frisingensis ; cujus relationem videtur sequi voluisse imperator, ut dolorem inureret Beneventanis ; quod laudatus Ursinus advertit his verbis :* Quod si causam hujusmodi perscribendi literas in Friderico quæras, recens in Beneventanos odium occurret ; eodem namque anno MCLXVII Alexandrum III Pontificem maximum honorifice receperant, postquam nefarius imperator, pseudopapæ studens, omne scelerum genus adversus apostolicam Sedem, ejusque Pontificem moliri cœpit, ut anonymus Casinensis, et Romualdus Florentinus apud Baronium num. V ad annum MCLXVII perhibent.

Acta synodalia Alexandri III insinuata a Baronio, sed numquam producta,

233 *Baronius ad annum 1000 num. 6 insinuat de hac controversia actum fuisse ab Alexandro III in concilio quodam : nam post memoratas Frederici imperatoris litteras,* Accedunt, *inquit,* his Acta synodalia sub Alexandro III, de quibus suo loco inferius dicendum. *Verum non* F
præstitit vir eruditissimus, quod promisit ; ita ut videatur nihil in his Actis invenisse, quod ad hanc controversiam spectaret, vel siquid invenerit, non probasse. Eminentissimus Ursinus art. 6, postquam ostendit nihil ex his Actis productum esse, quod huc pertinet, neque Baronium, qui Acta utriusque concilii, ab Alexandro III celebrati, accurate descripsit, vel meminisse Bartholomæi, *ita concludit :* Cum itaque ille *(Baronius)* non protulerit *(Acta synodalia)* ea certe etiamnum desiderari aperte demonstrat ; nec talia umquam iis in conciliis esse meditata.

scheda quædam referens consecrationem ecclesiæ

234 *Profert tamen Franciscus Dinus pag. 12, et 13, non Acta quidem synodalia, sed tabulam quamdam antiquam ecclesiæ* S. Bartholomæi, *ex qua, quia vetustate erat oblitterata, novam dicit tabulam confectam, cujus quædam recitat monumenta : verum, ut mihi apparent, tam ruinosa, ut ea hic non describerem, nisi conjicerem, ex iis forte Baronium putasse, de hac re actum fuisse in concilio Lateranensi sub Alexandro III. Ita porro habet prima ejus tabulæ memoria apud Dinum citatum :*

A In Dei nomine Amen.

Anno Domini MCLXXIX Indictione XII mensis Martii Alexander Papa III celebravit Romæ synodum in majoris ecclesiæ basilica Lateranensi. Omnes archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, et infinita clericorum multitudo; qui diversis partibus orbis in hac inclyta urbe in prædicta synodo congregati erant, venerunt ad ecclesiam D. Bartholomæi, ibique reverenter super corpore Apostoli Missæ officium celebrans, sacrificium solenniter obtulit Deo, et dictam ecclesiam beati Bartholomæi apostoli consecravit, et maximam indulgentiam ibi posuit. Post prædicationem vero in pulpito ab eo publice in populo factam, in confessione jussit apostoli Bartholomæi nomen a magno celebrante diacono Cardinale S. Mariæ in porticu enixe nominari, ipse quoque summus Pontifex in absolutione Apostoli memorati nomen honorifice nominavit, et post Missæ celebrationem stationem singulis annis in festo S. Paulini concessit.

S. Bartholomæi, aliaque continens minus verisimilia,

235 *Contra hoc monumentum ita Ursinus :* Quanti ea *(scheda)* sit facienda, illorum, qui e vestibulo tantum sacros ritus salutarunt, judicio stet; cum a Pontifice prius Missam celebratam fuisse, deinde dicatam ecclesiam commentetur. *Advertat studiosus lector, quam multa hic uno* B *tempore facta fingantur : Pontifex solenniter celebrat. dedicat ecclesiam, indulgentiam concedit, ad concionem dicit, Missa deinde celebrata, stationem singulis annis in festo S. Paulini indicit; verisimilia hæc sint eis, qui putant tam cito hæc fieri posse, quam fingi; mihi non sunt verisimilia.*

similes quædam lasciniæ fide indignæ.

236 *Sequitur pag. 13 hæc lacinia nihilo præcedenti melior :* Alexander episcopus servus servorum Dei confirmavit omnes indulgentias concessas per prædecessores suos, ac etiam ipse summus Pontifex concessit magnam indulgentiam venientibus ad ecclesiam S. Bartholomæi apostoli vere pœnitentibus et confessis, eo quod vidit et osculatus fuit corpus SS. Bartholomæi apostoli, et Paulini confessoris. *Post quam alia additur nomine Cælestini III, et alia rursus Anacleti II antipapæ, huic non absimiles, quas siquis recte perpenderit, comperiet scriptas esse ab homine imperito. Hæc, aut similia monumenta,* C *vidisse Baronium suspicor, sed fide indigna putasse; quamquam hinc sperare potuerit, se ipsa Acta synodalia, et Pontificum diplomata inventurum. At si illi tam negligenter privilegiorum suorum bullas servare studuerint, non merentur ut similibus laciniis fidem lector adhibeat. Subjicit deinde pag. 14 præfatus Dissertator ex eodem, ut inquit, fasciculo hæc verba :* Ex codice Ms. Vitæ Sanctorum, qui habetur in bibliotheca congregationis Oratorii, S. Paulini corpus videtur esse conjunctum S. Bartholomæo in insula, in ecclesia S. Adalberti, quæ nunc vocatur S. Bartholomæi, quorum trium Sanctorum meritis ibique præstantur beneficia plurima. *Quæ quam fideliter sint citata mihi non liquet, at non multum ad rem facere, facile lector intelliget.*

Aliæ difficultates contra Romanam traditionem :

237 *Dissimulare hoc loco non licet difficultatem, quam omnibus argumentis opponere possunt Beneventani. Baronius ad annum 1000 num. 5 ita scribit :* Hoc eodem anno Otto imperator ex Polonia, quo pietatis ergo... fuerat peregrinatus, ad visitanda sacra pignora S. Adalberti martyris *(Martyrio coronati anno 997, ut idem ad illum annum, et Pagius habent)* Romam rediens sacras reliquias secum detulit ejusdem martyris, quibus, ubi collocarentur, erigendam curavit ecclesiam in insula Tiberina. *Hæc sacra pignora fuisse* Manus *martyris, ex appendice ad ejus Vitam refert ibidem. Num. 6 ait :* Otto vero, quo inchoatam a se Romæ ecclesiam, quam plurimis posset, sacris Sanctorum reliquiis exornaret, consilium iniit, ut corpus S. Bartholomæi apostoli Beneventi consistens, illinc Romam deduceret. *Et num. 8 :* Factum est autem, ut illatione corporis S. Bartholomæi in ecclesiam sub titulo S. Adalberti martyris inchoatam, transierit ipsa in nomen et cultum ejusdem Apostoli, memoriaque Adalberti hoc modo fuerit paulatim oblivione deleta, *Hæc relatio viri eminentissimi, si res omnino facta est, omnium mihi videtur optima. Sed non caret difficultatibus; quarum unam tangit, et solvere conatur laudatus auctor num. 9 hoc modo :*

AUCTORE J. S.

quod ecclesia S. Bartholomæi minori forma structa,

238 At si quæras, *inquit,* cur tanti Apostoli corpus non in aliqua amplissimarum basilicarum sit reconditum, sed in ecclesia nullo modo patriarchalibus basilicis comparanda : plures possunt afferri causæ, vel quod, ut plerique aiunt, delaturus F illud Otto in Germaniam, illic ad tempus dumtaxat voluit collocasse : vel quod, quam extruere inchoavit ecclesiam, eam, ut audisti, quam plurimis quærens nobilitare reliquiis, et Apostolico pignore reddere celeberrimam; si vixisset, in longe augustiorem formam extruxisset. *Primo hoc responso difficultatem sibi non solvit Baronius, nam ipse nec credidit, nec scripsit, ea intentione Ottonem III sacra ossa Benevento abstulisse, ut ea transferret in Germaniam, sed ut iis S. Adalberti ecclesiam locupletaret. Alii hoc scripserunt quidem de Ottone II, nullus vero, quem vidi, antiquorum de Ottone III. Secundum Baronii responsum minus mihi videtur probabile : cum enim multa Sanctorum corpora, ut ipse Baronius narrat, in eam intulerit ecclesiam Otto, ipso adhuc vivo ad fastigium videtur perducta fuisse ecclesia; nec video cur eam minori forma prius ædificare voluisset, postea vero augustiori exstruere; nisi forte ornamenta quædam ecclesiæ addenda intelligi voluit Baronius, quod eum facere voluisse est verisimile, sed difficultatem de minori ecclesiæ forma non dissolvit.*

et S. Adalberto, non Bartholomæo, initio sit dicata.

239 *At alia hic superest difficultas. Anno enim millesimo dicitur ecclesia S. Adalberti inchoata, eodem anno translatum* S. Bartholomæi *venerandum corpus, atque in dicta ecclesia collocatum. Nunc ego non intelligo cur Otto voluerit* F *eo deferri* S. Bartholomæi *corpus, et ecclesiam interim alteri exstruere, alteri dedicari voluerit, cujus non corpus, sed partem corporis aliquam, puta manum, vel, ut vocant alii, brachium, eo detulerat. Adeone igitur Apostolum coluit imperator, ut ejus corpus Beneventanis vel maxime invitis auferret? Adeone rursum contempsit, ut eum sub umbra martyris, cui ecclesiam exstruebat, latere voluerit? Si tanti faciebat* Bartholomæum, *cur ejus nomine ecclesiam dedicari non jussit? Si tam parvi, cur Beneventanis Patronum suum non reliquit? Hæc mihi in hoc facto occurrit difficultas, quam egomet mihi eximere non possum, nisi suspicari velim, non ipsum corpus, sed aliquas* S. Bartholomæi *reliquias ecclesiæ S. Adalberti illatas fuisse, quæ postmodum, crescente fama, ut fit, corpus vocari cœperunt. Scio quidem hujusmodi subtilitates non magni faciendas esse, ubi veritas historica satis aliunde habetur probata, at* transla-

AUCTORE J. S.

translationem hanc non satis probatam esse contendunt Beneventani. Nunc ad aliud argumentum, quod magni fecisse videtur Baronius, transeundum.

Testimonium Roberti Montensis,

240 *Eminentissimus hic auctor ad annum citatum num. 7 scripsit sequentia :* Porro coegit necessitas, ut post multum temporis eædem Apostoli sacræ reliquiæ detegerentur, quod Robertus, qui ad Sigebertum adjecit Appendicem,... sic enarrat. *Accipe Roberti Montensis verba ex Appendice ad annum 1157 :* Circa hoc tempus, *ait,* inundatione Tyberis facta non modica, Romæ in quadam insula ejusdem fluminis in ecclesiola antiqua inventum est in quodam sarcophago corpus beati Bartholomæi apostoli totum integrum, excepto corio, quod remansit Beneventi, quando Otto imperator capta eadem civitate corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut tabulæ æreæ demonstrant, scriptæ literis Græcis et Latinis, quæ repertæ fuerunt in corpore Apostoli. Repertum est etiam in eadem ecclesia corpus Paulini Nolani episcopi. *Hæc Robertus, non exprimens utrum Ottoni II, an tertio translatio* B *sit adscribenda. Valide, ut solent, atque acriter, hanc Roberti relationem oppugnant Beneventani art. 4, quorum rationes in compendium redigam.*

Beneventanorum ad hoc responsa.

241 *Primo negant hanc Tiberis inundationem umquam fuisse, quia a nemine legitur scripta. Reponit autem Dinus pag. 107, potuisse inundationem minorem esse, quam fuerunt illæ, quæ scriptæ sunt. Secundo falsitatis arguunt, quod dicit* totum integrum *corpus repertum esse, cum a Saracenis in insula Lipara sacra ossa dispersa sint :* Quod si, *inquiunt*, integrum dicere malueris, quia nullum ex ossibus deerat, neque etiam a falsitate extricaberis : deerat namque brachium, quod Landulphus Beneventanus archiepiscopus dederat Bernardo filio Leoduni Pennarum comiti anno CMLXII. *Hanc brachii donationem, aliarumque in Galliam reliquiarum translationem, factam ante disputatam hanc Romam translationem, probabimus suo loco. Subtiliter tamen se hic extricare conatur Dinus pag. 107, explicans illud :* Totum integrum, Hoc est exundatione intactum, nec dispersum,... sine ullo pristini status detrimento. *Verum an ita Roberti* C *locum intellecturus sit lector, partium studio vacuus, vehementer dubito. Reliquas porro Dini replicationes, quoties inutiles mihi videbuntur, brevitatis causa prætereibo :* Tertia, *inquiunt*, falsi ratio, quod corium Beneventi remansisse ait. Ubinam, quæso, Roberte, de corio legisti in Liparitana translatione? Tuus ipse Sigebertus ossa tantum per agros dispersa annotavit. *Ad laminas, quas cum corpore inventas narrat Robertus, dicunt :* Beneventanos... illas apposuisse ad fidem ab Othone pia in fraude captandam non ambigimus. *Denique coarguunt eum, quod scripserit etiam Paulini corpus inventum. Verum hoc etiam translatum ab Ottone III contendit Dinus, quamvis id antiquorum neminem, excepto Roberto, habere sciam. Hæc fere eminentissimus Ursinus.*

aliæ in illo testimonio difficultates.

242 *Sed et alia quædam in hac Roberti relatione mihi videntur parum verisimilia, quæ erudito lectori paucis exponam. Hunc ego locum intelligendum puto, sicut intellexit supra Baronius, ut velit, reliquias ignotas fuisse, et tum demum detectas, quod satis liquet ex his verbis :* In ecclesiola antiqua inventum est in quodam sarcophago corpus B. Bartholomæi. *Vel igitur numquam Romani cognoverant, ubinam sacrum corpus fuisset depositum, vel si noverant, id deinde* D *exciderat. At neutrum est verisimile, aut credibile. Primum hoc modo facio manifestum. Narratur translatio Benevento facta post captam urbem; magno itaque cum strepitu, ita ut Romani eam non potuerint ignorare; neque porro ignorarunt, si facta sit; nam ex Romanorum traditione eam jam scripserat Frisingensis, et locum, ubi corpus dicebatur depositum, assignarat : qua igitur veritatis specie corpus anno 1157 primum innotuisse Romanis scriberet Robertus? Restat itaque ut dicere voluerit, corpus oblivioni traditum, rursus hac occasione inventum esse. Quis autem credat thesaurum tantum, tantaque contentione acceptum, tam negligenter fuisse custoditum? Ego certe animum inducere non possum, ut hoc existimem. Deinde cur Viterbiensis, cur Fredericus imperator, circa hæc tempora scribentes ea, quæ jam recitata sunt, nihil horum produxerunt? Uno ut absolvam verbo, vel hæc Romanorum probatio deserenda, vel, quotquot jam allatæ sunt, expungendæ; neque enim video hanc Roberti relationem cum produ-* E *ctis aliorum locis recte conciliari posse. Hæc ad Robertum.*

Breviarium et Martyrologium Romanum;

243 *Militat etiam pro Romana traditione auctoritas Breviarii et Martyrologii Romani, in quibus, prout hodiedum leguntur, dicitur sacrum* Bartholomæi *corpus Romam ad insulam Tiberinam translatum; atqui id non videtur Breviario et Martyrologio insertum sine maturo examine virorum eruditorum : ergo non videtur ab auctoritate tanta recedendum. Quid ad hoc argumentum eminentissimus Ursinus respondeat, exponam ipsius plerumque verbis, quibusdam tamen brevitatis causa prætermissis.*

ad quæ reponit Ursinus non esse ab omni errore immunia,

244 Respondeo primo, *inquit art. 7,* maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per sese ad cultum ecclesiasticum attinent : minoris tamen ponderis esse in privatis factis, aut gestis, quæ in Vita Sanctorum ex occasione referuntur ita, ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim ecclesia ipsa, quæ iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat quæcumque breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus, varia ex occasione ea mutaverit, correxeritque; *uti ibidem probat. Et deinde ad Martyrologium ita reponit :* Respondeo idem de Martyrologio Romano, ac de Breviario ferendum judicium, cum si quæ in uno sint, quæ eruditis negotium facessant, in alterum transfundantur. Hujus generis permulta in illo etiamnum extare, consentiunt viri historicæ rei peritissimi... Nec obstat ecclesiasticus usus, quasi ab omnibus omnino maculis pura censenda sint Martyrologia, quibus Romana utitur Ecclesia, cum illorum auctores humani semper aliquid patiantur. *Hæc omnia quibusdam exemplis firmare nititur, quorum tamen quædam inter eruditos etiamnum controversa sunt. Hoc primum eminentissimi viri responsum.*

et sæpius in hac historia mutata.

245 *Præterea* Respondeo, *inquit*, secundo, inconstantissimum esse in D. Bartholomæi translatione Breviarium Romanum, atque adeo minus urgere auctoritatem ejus, ut ex triplici illus immutatione liquido constat. I. quia Breviaria Romana anno MCDLVIII Pii II auctoritate, MCDLXXXII, MDXLV, MDLII, MDLVII, MDLXI, MDLXIV nec per umbram quidem sacra Bartholo-

mæi

A mæi ossa Romam asportata, et in Tiberina insula reposita fuisse referunt. 2. Breviarium anni MDLXVIII auctoritate Pii V approbatum, a veteri lectione deflexit, additaque translatio est, in hæc verba : « Ejus corpus . . . postremo Romam ab Othone II imperatore, Gregorio V » Pontifice Maximo, portatum, in Tiberis insula in Ecclesia ejus nomine Deo dicata, collocatum fuit. » . . . 3. in novissimo Breviario Clementis VIII anno MDCII edito, quod de Gregorio V dicebatur expunctum fuit, et repudiato Othonis II nomine, Otho III translationis auctor suffectus est . . . Hinc in tot illis Breviarii editionibus triplex animadvertitur immutatio, in re, in persona, in epocha : cui ergo ex tot, tam variis, tam recentibus, tam manifestis scatentibus mendis, epochæ scilicet et personæ, assertionibus animum potius inclinemus? *Et in fine ad Martyrologii auctoritatem :* Respondeo, *inquit,* secundo, in Martyrologio Romanam Benevento translationem anno MDLXXXIV primo adjectam esse sub Gregorio PP. XIII; atque ideo contra Beneventanos adduci non posse, cum in B historia temporis diuturnitati stetur.

Dinus, ut moderni Breviarii vindex videatur, inepte sensum exponit,

246 *Franciscus Dinus, qui dissertationem suam vocat vindicias Romani Breviarii, pag. 125 contendit in moderno Breviario nihil haberi contrarium antiquiori Pii II, in quo Ottoni II tribuitur translatio, atque hoc modo verba Breviarii moderni interpungit :* Ejus corpus Albani . . . sepultum est : quod postea ad Liparim insulam : inde Beneventum translatum est : postremo Romam : *(Hic interpunctionem vult poni, quam nullibi, putem, invenit, nec sensus admittit)* ab Othone tertio imperatore portatum, in Tiberis insula, in ecclesia ejus nomine Deo dicata collocatum fuit. *At, qui non omnino cæcutiunt, facile advertent meram hanc esse cavillationem, nec sententiam Francisci Dini, cum moderno Breviario conciliari posse : neque ipse hoc non vidit; nam continuo superaddit hæc verba :* Vel procederet *(Breviarium)* juxta non satis digestam Baronii opinionem in Annalibus; *quam pag. 126 vocat primam Baronii opinionem: constat tamen hanc esse Baronii opinionem postremo scriptis mandatam, retractata saltem tacite priore; Baronius itaque consentit Breviario, non Dinus.* C

Sousæ argumenta pro Breviario Romano.

247 *Emmanuel Cajetanus Sousa in nupero Opere de Expeditione Hispanica S. Jacobi apostoli tom. 2 gravissime reprehendit illos, qui ab auctoritate Breviarii vel latum unguem recedunt, eosque morosos appellat criticos. Porro Breviarii auctoritatem maximam ostendere nititur a pag. 1157.* Ex quinque causis ipsius Breviarii, nempe ex causa materiali, ex causa formali, ex causa finali, ex causa efficiente, et denique ex causa exemplari. *Audiamus quomodo argumentetur ex causa Breviarii formali. Pag. 1159* Lectio, *inquit*, Breviarii quatenus est historia, debet constare veritate, alias enim esset fabula, non historia, cujus prima lex est (teste Cicerone lib. 2 de Oratore) ut nihil falsi dicere audeat. Ergo Ecclesia in lectionibus Breviarii nobis veras historias proponit, non vero confictas fabulas obtrudit. Ergo ecclesia judicat esse vera, quæ in lectionibus Breviarii collocari jussit. Qua ergo prudentia, quove jure poterit quispiam judicio ecclesiæ reluctari? Deinde lectio Breviarii, ut lectio est, continet materiam prædicandam et credendam, quamque ipsa ecclesia prædicari et credi jubet, ut mox ostendam. Quis autem Catholicus non perhorrescit dicere Ecclesiam præcipere, ut prædicetur mendacium, jubere, ut credatur mendacio? . . . *Ex quibus denique infert :* Ergo quidquid in Breviario relictum est, tamquam verum retentum est, ac proinde extare quampiam historiam in Breviario, signum certissimum est, illam ab Ecclesia judicatam fuisse veram. AUCTORE J. S.

quæ ipse alibi destruit,

248 *Hæc si legitime deducta est conclusio, merito reprehendendus Eminentissimus Ursinus, qui Breviario in hac controversia non acquievit. At paucis saltem ab imprudentia vindicandus vir laudatissimus, et immerito inter morosos criticos numerandus : neque id erit difficile, cum ipse Sousa sufficientem ad hoc præbeat materiam, una scilicet manu ædificans, altera, quæ struxit, destruens. Dicat, obsecro, vir eruditus, si hæc vere dicta putet de Breviario Urbani VIII jussu correcto, an eadem non sint dicenda de Romano Breviario anteriori?* Lectio Breviarii continet materiam prædicandam et credendam : Quis autem catholicus non perhorrescit dicere, Ecclesiam præcipere, ut prædicetur mendacium, jubere, ut credatur mendacio. *Si hæc,* E *inquam, vera putet de Breviario moderno, cur eadem vera putare non debeat de Breviario ante ducentos annos usitato, non intelligo; neque enim magis hoc tempore, quæ Breviario inserta sunt, credenda proponit Ecclesia, quam ante ducentos annos proponebat. Quomodo igitur laudatus auctor non cohorruit totus, quando de Breviario Romano ante ducentos circiter annos usitato pag. 1174 ex Josepho Silos scripsit sequentia :* Quod vero Romæ tunc temporis Breviarium terebatur nullis non erroribus ac mendis plenum. Damnatæ ab Ecclesia memoriæ auctorum homiliæ : incertæ, nulliusque fidei passim historiæ, *in illo nempe legebantur. Prætermitto reliqua, quæ exaggerans Breviarii illius corruptiones, scripsit memoratus auctor, vehemens nimis in utramque partem. Illud tamen adverto, omnia illius argumenta, quæ a causa finali, formali, materiali, exemplari, quin et efficiente, deducta sunt, ab eo hic destrui : cum omnia aptari possint Breviario antiquiori non minus, quam moderno, si vera sunt. Pro exemplo habe, quæ scribit pag. 1162, argumento deducto a causa finali, hoc modo :* Mendaciis Deus non colitur, sed F offenditur : ergo liber, quo Deus colitur, omni caret mendacio : sed Deus breviario Urbani *(adde et antiquioribus)* colitur, non offenditur; ergo in Urbani breviario *(quidni et antiquioribus?)* omnia sunt vera, nullumque mendacium invenitur.

non probant illud ab omni errore immune,

249 *Hæc itaque argumenta, aliaque Emmanuelis Sousa, quæ omnia adferre longum esset, et supervacaneum, cum jam refutata sint, postquam hæc scripseram, ab eruditissimo auctore Hispano, Didaco del Corro, in Dissertatione Theologico-critica, quam Hispali anno 1739 edidit de valore argumenti ex Breviario Romano petiti : hæc, inquam, argumenta non probant, Breviarium modernum ita ab omni errore immune esse, ut in eo leviusculum erratum, vel historia quædam minus probabilis reperiri non possit : nam quædam inseri potuere quando videbantur probabiliora, quæ, aliis postmodum erutis monumentis, minus probabilia reperta sunt : ut eruditi hodiedum passim agnoscunt, et agnovit etiam Baronius. Quod satis esse existimo ad opinionem eminentissimi Ursini a temeritate vindicandam. Neque hinc fiet, ut omnibus Breviarii*

historiis

AUCTORE J. S.

historiis fides abrogari possit, ut pag. 1166 contendit Sousa. Quis enim omnibus S. Augustini scriptis fidem abroget, quia unum aliquod, aut plura etiam errata historica in doctore maximo agnoscit? Verum, omisso hoc auctore, quanti valeat in factis hujusmodi auctoritas Breviarii Romani, erudite exponit et probat eminentissimus Cardinalis Prosper de Lambertinis in Opere doctissimo de Beatificatione et Canonizatione servorum Dei tom. 4, part. 2, cap. 13, num. 5, ubi vitato utrimque extremo, ita loquitur : Sed quatenus per mediam viam, quæ tutior est, incedendum sit, videtur quidem, tuto pede asseri posse, non modicum auctoritatis pondus factis historicis accrescere, quæ relata sunt, et approbata in Breviario Romano . . . Attamen ita, ut vetitum existimari non possit, debita cum modestia, et non sine gravi fundamento, quæ contingunt in factis historicis, difficultates exponere, easque judicio Sedis apostolicæ supponere, ut eorum subsistentiam perpendat in hypothesi, quod manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem. *Quod deinde multis exemplis ostendit.*

B

bulla Sixti V Corpus Romanis asserens.

250 *Præter memorata jam argumenta, recentiorum auctorum sententias affert Franciscus Dinus : sed hos mihi prætereundos censui, cum tanti facienda sit illorum auctoritas, quanti rationes, quas allegant; nihil autem allegent præter jam dicta, quod alicujus sit ponderis. Unam hic itaque adjungam auctoritatem Sixti V Pontificis Maximi, de quo pag. 20 hæc tradit memoratus auctor :* Plurimum vero pro verificandis his, quæ diximus, confert bulla Sixti V a PP. insulæ mihi communicata. *Bullam recitat, ut sequitur :* Sixtus PP. V. Ad perpetuam rei memoriam. Cum dilectus filius noster Antonius tituli S. Bartholomæi in insula S. R. E. presbyter Cardinalis, sanctæ Severinæ nuncupatus, altare majus in ecclesia ejusdem tituli S. Bartholomæi, quod superioribus annis magna Tiberis inundatione simul cum ecclesiæ parte collapsum, atque confractum fuerat, post ejusdem ecclesiæ instaurationem de novo ædificaverit, et decentiori forma constructum ornaverit, illudque die Dominico proximo, qui erit XVIII hujus mensis, solemni dictæ S. R. E. more, et ritu consecrare, ac in eo ipsius S. Bartholomæi apostoli, et aliorum Sanctorum corpora, ac reliquias reponere in animo habeat *etc. Sequuntur dein indulgentiæ a Pontifice concessæ dictam ecclesiam visitantibus; et data ponitur bulla,* Die XV Augusti MDLXXXV Pontificatus nostri anno primo. *Addit Dinus :* Hæc autem bulla motu proprio, et certa rei scientia, tot elogiis patentissima evulgata, est ingens hujus veritatis testimonium. *At ego de motu Pontificis proprio et certa scientia nihil in bulla reperio. Ceterum quanta sit bullæ hujus authentia, quamque fideliter ipsa recitata, mihi non liquet.*

C

memoriæ quædam Cardinalis sanctæ Severinæ :

251 *Subjicit huic bullæ sæpe jam memoratus auctor ex eodem, ut ait, libro archivii PP.* S. Bartholomæi *transumptum quoddam ex Diario Santorii Cardinalis S. Severinæ, ejusdemque Memoriam alteram, in quibus reliquiæ sub ara majori ab eodem Cardinali repositæ leguntur. Verum in Diarii transumpto hæc adduntur :* Propter quod adeo laboravi insudavique, ut ob grave feretri pondus saucia remanserit caro lateris sinistri, cujus dolor toto vitæ decursu fuit a me toleratus apposito medicamento, ac plastra ferrea. *Quæ verba scriptum illud mihi suspectum faciunt; neque enim credibile est ob grave pondus carnem* lateris *sauciam fuisse, aut sanari non potuisse, si læsa fuisset. Deinde in eodem scripto leguntur hæc verba :* Corpora S. Bartholomæi apostoli, SS. martyrum Adalberti *etc. At certum est corpus S. Adalberti ibi non esse totum. Hæc itaque Cardinalis scripta omittenda duxi, quæ ipsam etiam Sixti bullam, ex eodem penu depromptam, apud prudentes forte minus certam reddent.*

D

monumenta omnia compendio data :

252 *Hæc sunt præcipua, quibus Romanorum civium traditio nititur, argumenta, quorum nullum invenire potui, quod non toto seculo et ultra sit dubia hac translatione posterius. Accipe omnia breviter. Seculo duodecimo primus pro Romanorum traditione testis citatur Otto Frisingensis, cui eodem seculo adstipulatur Godefridus Viterbiensis. Addunt Romani anno 1113 inscriptionem Tiberinam, Friderici imperatoris constitutionem anno 1167, Alexandri III Acta synodalia anno 1179; verum hæc instrumenta acerrime impetunt Beneventani. Seculo* XIII *pro Romanis testatur Robertus de Monte, et Martinus Polonus. Posterioribus seculis auctores accedunt plurimi inter quos Flavius Blondus, Jacobus Philippus Bergomensis, Joannes Baptista Egnatius, Carolus Sigonius, Joannes Nauclerus, et eminentissimus Baronius cum Breviario et Martyrologio Romano, bulla etiam Sixti V, si genuina sit. Denique minoris notæ auctores ingenti numero; quamvis illi inter se non consentiant in translationis auctore assignando, ut notavimus.*

E

quid de re tota sentiendum.

253 *Nunc si monumenta utriusque partis inter se conferamus. Prævalebunt Beneventani antiquitate testium et auctoritate, Romani numero : multa in Beneventana traditione, præsertim si relatione Leonis Ostiensis standum sit, reperies, quæ difficultatem pariant; plura etiam in Romana, sive cum Baronio Roberto Montensi fidem habeas, sive cum Francisco Dino Ottoni Frisingensi adhæreas. Ex quibus mihi omnino persuadeo, utroque loco haberi reliquias Apostoli, translationemque factam esse aliquarum : quæ an majorem, an minorem corporis partem constituant, meum non est dijudicare. Illustrissimus Franciscus Maria de Aste in Disceptationibus ad Martyrologium Romanum ad* VIII *Kal. Septembris pag. 392, relatis utriusque partis argumentis, ita concludit :* Quum actus hujus cultus continuati appareant tam pro Benevento quam pro Roma, utrobique sacrum illud corpus, donec aliter per supremos censores decretum fuerit, in illa veneratione habendum erit, qua hactenus habitum, ut pluries eminentissimi Patres S. Romanæ Ecclesiæ decrevere. *Et post pauca :* Colatur Romæ, et Beneventi ; et quibus causa definienda, cordatus lector videat, pro cujus scitu hæc indicata. *Addo verba Papebrochii tom. 4 Junii ad Acta S. Paulini pag. 233 :* Si sacra congregatio rituum, causæ cognitione suscepta, sacras utriusque loci capsas aperiri jubeat, et quid utraque contineatur fideliter referri; fortassis invenietur utrobique pars magna ejusdem esse corporis. Certe si Beneventum ea causa repetiit Otto, urbemque obsedit, ut scribit Ostiensis; verosimile non est, obsidione dimissa, omnino vacuum rediisse; nec etiam Beneventanos eo terrore compulsos totum dimisisse; sed potius tam carum pignus cum imperatore partitos, retento apud se veteri scrinio cum præcipuis aliquot ossibus, et epigraphis, quales erant, servatis ; alteram partem Romæ depositam fuisse velut cor-

pus

A pus integrum, ut passim in talibus fieri assolet.

CAPUT IV.

De reliquiis undequaque sparsis, miraculisque variis locis factis.

§ I. Reliquiæ in varias Provincias portatæ; ubi et miracula quædam Apostoli patrocinio facta.

S. Bartholomæi reliquiæ in Oriente datæ S. Josepho Hymnographo,

Uti *multas orbis provincias vivus adiit, fideique lumine illustravit* S. Bartholomæus, *ita varias sacro suo corpore urbes et provincias post mortem honorasse vidimus : restat ut enarremus, quantum quidem diligenti investigatione assequi potuimus, quæ præ ceteris urbes, quæ* B *regna, sacris gloriosi Apostoli pignoribus fuerint locupletata. Ac primo quidem quasdam hujus Apostoli reliquias per Orientem fuisse sparsas, antequam sacrum ejus corpus Liparim, aut certe Beneventum, fuit delatum, omnino existimo. Exemplum invenio in Vita S. Josephi Hymnographi apud nos tom. 1 Aprilis pag. 274, ex qua hæc delibo :* Porro in Thessaliæ finibus jam pridem versans *(Josephus)* a divino quodam homine, scientiaque incomparabili, sacratissimis magni apostoli Bartholomæi reliquiis forte donatur. Igitur huic templum ædificare constituit, multa miracula quotidie patranti; quem per quietem sæpenumero vidit cælestia sibi mysteria aperientem, ac sacræ paginæ difficultates explanantem. Cum vero ingenti aliquando desiderio æstuaret sanctum Apostolum versibus exornandi, tamen continebat se, metuens ne forte minus acceptum, gratumque a se illi eveniret, ac instar Moysis quadraginta dies carnem macerans, ut divinarum cantionum tabulas acciperet; occlusisque sensuum januis, ac mente ab omni evagatione in se col- C lecta, sancti Apostoli corpus pie reverenterque complectitur.

cui apparens Apostolus confert facultatem

255 Nec frustratus est hominem suus labor : nam pridie ejus diei, quo divi Bartholomæi memoria celebratur, videt virum linea veste circumamictum, cujusmodi in Palæstina vulgo utuntur, sacras templi valvas tenentem, ac Josephum ad se advocantem. Is sacræ mensæ velamen *(Græce* ἀράχνιον, Velum accipio, *inquit in notis Papebrochius,* quo.. altare et omnis altaris suppellex, extra divini officii tempora contegi solet) pulsans, tollit sancti Euangelii codicem, et ejus pectori imponens : Benedicat tibi, inquit, præpotentis Dei manus, influant in linguam tuam cælestis sapientiæ maria, fiat cor tuum sancti Spiritus sedes, tuique cantus universum terrarum orbem demulceant : ut quisquis iis fruetur, et verborum et rerum suavitate captus, spirituales sirenas appellare possit. His dictis visum evanuit; sed verba in imos præcordiorum sulcos defossa, ac seminata, uberem postmodum segetem tulere. Atque hæc fuit divini charismatis incitatio, hæc divitiarum dona, hoc incomparabile beneficium. Itaque simul ad scribendos versus manum admovit, mirum quantum et soni suavitate aures demulceret, ac blanda sententiarum vi animos percelleret ac commoveret.

Auctore J. S.

sacros hymnos componendi plane eximiam.

256 *Multis prosequitur idem auctor mirabilem S. Josephi in hymnis componendis facilitatem et elegantiam, quæ loco citato in Actis legi possunt : nam insignem prorsus ea in arte fuisse, facile colligitur ex eo, quod* Hymnographus *per excellentiam fuerit nominatus. Notat tamen ad hunc locum Papebrochius, in Synaxario Claromontano haberi* τοῦ Ἀνδρέου, *ac si ad S. Andream hæc omnia referenda essent, in margine tamen ejusdem Synaxarii notari :* In aliis Synaxariis legitur S. Bartholomæi reliquiam, *atque ita potius legendum esse probat etiam ex eo, quod nihil de S. Andrea scripsisse legatur Hymnographus, quædam vero de* S. Bartholomæo *probabilius scripserit, ut in Commentario prævio notavimus. Porro idem miraculum brevius ex Synaxario Claromontano narratur tom. citato pag. 267 his verbis :* Invenerat, cum adhuc esset in finibus Thessalonicæ, sancti apostoli Bartholomæi reliquiam. Hanc igitur accipiens, sub illius nomine ædificavit sacellum; cœpitque multa cum sollici- E tudine versare animo, quomodo festivitatem ejus sacris canticis componendis ornaret, cum lacrymis atque singultibus supplicans, ut hujus desiderii sui compos effici mereretur. Et vero compos ejus effectus est. Noctu enim virum quemdam reverendum conspicatus est ad latus epistolæ, qui videbatur sacra e mensa Euangelium tollere, ipsumque Josephi imponens pectori, sua eum benedictione impertiri. Ex tunc autem gratiam componendorum hymnorum et facultatem habuit tam expeditam, ut quidam existimarent, eum melodias sacras non proferre ex se ipso, sed aliunde acceptas, et memoriæ commendatas pronuntiare, et præbere postulantibus. Itaque Ecclesiam universam suis illustravit hymnis, cœpitque omnium ore celebrari, et cunctis haberi amabilis, non tantum idiotis, sed etiam principibus et imperatoribus ipsis. *Hactenus de beneficio plane eximio, cultori suo præstito a* S. Bartholomæo. *Ceterum plura id genus miracula in Oriente facta esse, sacrasque Apostoli reliquias aliis locis fuisse sparsas, non dubito.*

Reliquiæ Lugduni, ubi quis temere martyrum cryptam ingressus,

257 *Cap. 2 § 2 hujus Commentarii narravi ex Ms. Lugdunensi, Apostoli reliquias in Galliam delatas fuisse per episcopum quemdam, quem dixi probabiliter fuisse Bartholomæum, primum istius nominis Narbonensium archiepiscopum, quod elucidandum in hunc locum servavi. Dicitur autem ibidem :* Partes piorum pignorum, multis per Gallias locis ex benedictione F Christi impertivit, præcipue Lugdunensium civitati, ubi jam venerabilis Apostoli memoria, in venerabili martyrum crypta reverenter excolitur. *Hanc martyrum cryptam multis illustrat Franciscus Chiffletius in Opere nostro tom. 1 Junii ad Vitam S. Claudii, ubi pag. 678 hæc habet ad* S. Bartholomæum *spectantia :* Pius quidam ac præpotens miles, Bartholomæus nomine, sacrarum reliquiarum cultui addictissimus, cum jam plures provincias peragrasset, tum ut religiosa loca viseret, tum etiam ut Sanctorum reliquias, quascumque posset consequi, sibi compararet; nactus aliquando patroni sui Bartholomæi apostoli partem capitis inferiorem, quam maxillam vocant, Lugdunum venit : ubi cognito, quod Septimii Severi tempore, sub episcopo Irenæo multa Christianorum millia martyrium fecerant, et sanguine suo Ararim in Sagonam

AUCTORE J. S.

nam verterant, quorum corporibus in profundissimum antrum conjectis, S. Patiens duo templa sub uno tecto imposuerat : adito loco, visoque adhuc patente antro, quod ad putei speciem crepidine ambiebatur, pia motus temeritate, intro se dimisit. Tum vero repentina perculsus cæcitate, factusque eo casu perspicacior, intellexit ingentem illum martyrum exercitum divino consilio æternis gloriæ triumphis reservari; eaque de causa sic occludendum, ut nec mortalium conspectibus pateret.

et cæcitate percussus, voto facto visum recipit, et altare Apostolo erigit.

258 Voto igitur se obligavit, si Dei beneficio visum reciperet, daturum se operam, ut sacro puteo operculum induceretur, super quod erecto altari, suas apostoli Bartholomæi reliquias includendas traderet, fundatis a se officiis ac sacrificiis in posterum cohonestandas : quod et implevit. Qua ex causa collegium cathedralis ecclesiæ Lugdunensis, singulis annis in festo S. Bartholomæi, in cryptam S. Irenæi convenire ad Missam et ad vesperas, ritu solenni decantandas consuevit. *Post hæc de altari* S. Bartholomæi *ita loquitur :* Exinde usque ad novorum hæretico- B rum *(Calvinistas intelligit)* devastationem, in crypta S. Irenæi sex fuere altaria... Sextum S. Bartholomæi, quod in medio cryptæ choro sacræ speluncæ operculo incubabat. De tempore erecti hujus altaris sub S. Bartholomæi nomine, visus sum mihi aliquid deprehendisse in bulla Innocentii Papæ IV, data Lugduni xv Kalendas Decembris, pontificatus anno tertio, adeoque Christi anno MCCXLV; qua omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui S. Bartholomæi et S. Irenæi festis diebus ipsam S. Irenæi ecclesiam religiose viserent, quadraginta dies indulgentiarum concessit. Haud enim multo ante opertus fuisse videtur martyrum puteus, eique instrato pavimento altare superpositum : cum sit verisimile, ad primam S. Bartholomæi reliquiarum expositionem, fuisse illis hoc Pontificis indulto conciliatam venerationem. *Hæc de Sancti reliquiis Lugdunum portatis, miraculoque ibidem facto.*

Leodium missæ reliquiæ;

259 *Ex Chronico Ms. abbatiæ S. Jacobi Leodii, deducto ad annum 1194, auctore Lamberto parvo, quædam nobis transmissa de reliquiis Sanctorum eo missis, in quo* Stephanus IX, *aliis* X, *transmisisse dicitur* Theodwino episco- C po Leodiensi... duo brachia sanctorum apostolorum Jacobi Alphæi et Bartholomæi; quas reliquias Godefridus frater ejusdem Papæ in castro Bulloniensi recipiens, portavit easdem prædicto episcopo in castro Hoiensi : quas episcopus reverenter accipiens duxit eas navigio ad ecclesiam nostram *(prædictæ abbatiæ)* ibique coram clero et populo civitatis Missam celebrans... tradidit *deinde* ecclesiæ S. Bartholomæi brachium S. Apostoli. *De ecclesia* S. Bartholomæi *Leodii scribit Bartholomæus Fisen noster in Historia Leodiensi lib. 7, pag. 260 ad annum 1015 :* Tertio post die *(a festo Simonis et Judæ)* S. Bartholomæi ædem pariter dedicarunt; quam vir nobilis Godescalcus Morialmæus S. Lamberti præpositus extra urbis pomœrium extruxerat, addixeratque vectigalia duodenis canonicis alendis. *Laudatus Fisen ad annum 1056 pag. 304 memorat reliquias* S. Bartholomæi *transmissas ex Hispania cum reliquiis S. Jacobi Majoris. Foullonius itidem in Historia Leodiensi ad eumdem annum tom. 1, pag. 238 harum meminit reliquiarum tum ex Hispania acceptarum, tum ex Italia per Stephanum summum Pontificem transmissarum, licet* S. Bartholomæum *non nominet : citatum vero supra manuscriptum, missas ex* D *Hispania et ex Italia reliquias narrat, et utrisque aliquid* S. Bartholomæi *adfuisse insinuat. Ut ut est, mihi satis probatur, reliquias* S. Bartholomæi *sive ex Italia, ut narravimus, sive ex Hispania, ut alii magis insinuant, puta particulam brachii, Leodium missas fuisse circa medium seculi undecimi.*

ubi cohibitum incendium ab Apostoli collegio et domo mulieris ei devotæ.

260 *His subjungo miraculum a memorato Fiseno relatum lib. 10 Historiæ pag. 376, ad annum Domini 1142 his verbis :* Horrendo... incendio civitatis optima pars conflagravit... Prodigium inter hæc sane memoria dignum accidit. Matronæ cujusdam ædes, quamquam ligneæ, manserunt ab hoc incendio prorsus illæsæ. Ardebant in proximo omnia, nec ignem ferebant lapideæ domus, ipsumque S. Georgii contiguum templum : male materiatam, et cariosam domum unicam innocui adlambebant ignes, quorum ardore saxa quoque dissolverentur. Nota erat fœminæ probitas. Neque dubitatum est in virtutis præmium, renovata primorum seculorum prodigia; quibus Chaldæa fornax adstantes improbos absumpsit, immissos non attigit tres pueros E insontes. Piæ huic matronæ S. Bartholomæum præsidio fuisse crediderunt nonnulli, quem proprio quodam studio colebat; eique nuper præclarum aliquem basilicæ ornatum consecrarat. Et vero mira B. Apostoli virtus emicuit tanta illa calamitate. Ad ejus collegii tabernas horrendæ alicujus tempestatis instar devenerat incendium : repente substitit, non secus ac rapidus torrens, præcelsi montis objectu. Attollebantur interdum globi flammarum, quasi si teneri indignarentur; et ædificium invadere certabant : relabebanturque in semet, ac in fumos abibant. S. Apostoli vis illa fuit sua tegentis. *Hæc Leodii.*

Structo Carpinetensi S. Bartholomæi monasterio ejus brachium infertur;

261 *Ughellus tomo 6 Italiæ sacræ inseruit Chronicon monasterii* S. Bartholomæi *de Carpineto, ex quo translationem reliquiarum ejusdem Apostoli hic referam. Col. 1237 editionis veteris narrat dictum Chronicon, episcopum Beneventanum a consanguineo suo Bernardo comite Pennensi consultum, utrum acceptius sit Deo* Sepulcrum Dominicum visitare, an monasterium construere, *monasterii constructionem prætulisse, atque hæc addidisse :* Ego dabo tibi de oculis Domini, id est de reliquiis Apostolorum, qui fuerunt oculi Domini. Reversus igitur in honore F gloriosi apostoli Bartholomæi monasterium construe, cujus te postmodum sacris ditabo reliquiis. *Memoratus comes constructo atque egregie dotato monasterio Carpinetensi* in provincia Piceno in territorio Pennensi ad radicem montis Apennini, *ut ibidem refertur, reversus est ad episcopum, tunc temporis Landolphum, ut habet Ughellus tom. 8 in episcopis Beneventanis ad annum 962, quo hæc notat contigisse, atque promissas reliquias petiit :* Qui *(col. 1238)* ut cognovit salutiferi sui consilii semen messem uberem protulisse,.. videns se illum lucratum fuisse in Domino, in eodem lætus et gaudens, donavit ei brachium dexterum a cubito ad humerum gloriosissimi apostoli Bartholomæi, quod eo tempore, quo, disponente Deo, almifici corpus Apostoli de Lippari fuit Beneventum translatum, principante Sicardo quinto filio Siconis principis, ad roborandam fidem videntium, ut illic Apostoli corpus quiesceret, super altare in argentea capsa fuit locatum. Tunc ille... pretioso ditatus thesauro, cum exultatione magna remeavit ad propria. Et convocatis postmodum episcopis,

Pennensi,

A Pennensi, Aprutino, Theatino, Valvensi, et Marsicano, fecit ipsum sacratissimum brachium, in majori altario hujus ecclesiæ consecrari, ipsamque totam ecclesiam solenniter dedicari, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, VI Kal. Septembris.

ut incredulo revelat ipse Apostolus:

262 *Præsentiam reliquiarum suarum in monasterio Carpinetensi confirmare dignatus est ipse Apostolus, prout refertur lib. 4 dicti Chronici col. 1250 sequentibus verbis :* Quadam die, cum quidam monachus, nomine Berardus de Carapelle, diceret se nullo modo fidei assensum præbere, quod brachium beati apostoli Bartholomæi esset in hoc monasterio reconditum ; subsequenti nocte, dum se sopori dedisset, et coram altari beati Bartholomæi per visionem astaret, vidit ipsum Apostolum coram eodem altario stantem, dextrumque humerum suum in manibus tenentem, ac dicentem : Numquid non credis brachium meum esse in hoc monasterio? Amodo scias, et ultra exinde nullatenus dubites, quia hic proprie humerus meus est, in hoc meo altario reconditus. Ex tanta itaque visione prædictus monachus pavore correptus evigilavit, et narravit abbati, et ceteris fratribus quæ viderat, B et ego ipse hæc eadem eum postea narrantem audivi.

cujus altaris supellectilem constare ausi puniuntur.

263 *Narravimus supra piam Leodiensis feminæ liberalitatem egregie remuneratam ab Apostolo: hic vero videbimus audax in supellectilem, eidem Apostolo sacratam, facinus non impune dimissum. Rem narrat memoratus chronographus lib. 3, col. 1247. Abbas dicti monasterii, ut nepoti suo castellum quoddam conservaret, quod alterius familiæ viro nobili erat vendendum, argenteam altaris* S. Bartholomæi *supellectilem constari jusserat, Adducta in medium argentea altaris tabula, cum eam nullus auderet confringere, monachus ceteris audentior* nomine Joannes Bonihominis . . . argenteam crucem Salvatoris malleo duro confregit, quem præsumptionis excessum evidentissimum postea est subsecutum miraculum, quia crus illius audacissimi monachi totum scaturiens putruit, et sic horrido languore interiit . . . Procedente autem tempore idem abbas ægrotavit ad mortem, tunc fecit ad se gentilem suum nepotem venire, et cum singultu longa trahens suspiria cum lacrymis aiebat : Heu, heu dura sunt mihi parata infernorum supplicia, eo C quod apostoli Bartholomæi sum novus ego decoriator, acrius eum, quam antiqui carnifices pro te, dulcissime nepos, decoriavi. *At, debita damni restitutione petita, et obtenta, abbatem hunc felicius, quam præsagiebat, obiisse sperare fas est. Discere hinc possunt quibus ecclesiarum thesauri sunt concrediti, quanti sit periculi in res Deo, Sanctisque dicatas, sacrilegas manus injicere.*

Marinus Comacli comes hostium manibus elapsus.

264 *Juvat his adjicere aliud* S. Bartholomæi *beneficium, templumque in gratiarum actionem eidem erectum. Refert id Ughellus in episcopis Ferrariensibus tom. 2 Italiæ sacræ col. 557 et seq., ex quo rem in pauciora contractam hic exhibeo. Marinus Comacli comes, bello a Venetis impetitus, et Comacli obsessus,* Postquam bellica inclyta facinora explicuisset sustinendæ hostium glomeratæ multitudini impar, sese in aquas conjecit, ac natatu in quasdam piscatorias cymbas applicuit. A suis agnitus, amantissime exceptus Ferrariam productus est, ubi jam illum Lada comitissa mater veluti extinctum lugebat. Cumque ad civitatem accederet die S. Bartholomæo sacro, eodem anno DCCCLIV, in suavissimos obviæ matris amplexus eodem in loco se effudit, ubi nunc ecclesia cœnobii S. Bartholomæi spectatur, milliari uno a Ferraria dissita. Stabat ibi tunc temporis humilis, et angusta ecclesiola, quam Sabinus nobilis Ferrariensis e Givalorum stirpe sanctitate conspicuus incolebat, eoque se ex hominum commercio subduxerat, ut liberius cælo animum transfunderet, rebusque divinis operam daret. Lada ergo post exceptos amantissimi filii amplexus, Numinique, ac D. Bartholomæo gratias actas, monasterium templumque ibi erigere, Viatoris episcopi *(Ferrariensis)* auctoritate decrevit, consiliumque citissime in opus perducere cœpit, cum die octava Septembris, magna populi frequentia circumfusa, ubi ad Sabinum accessisset, proxime alveo, cujus hactenus vestigia extitere, primum lapidem jecit.

AUCTORE J. S.

cum matre templum S. Bartholomæo struit.

265 *At non diu post defuncta, opus absolvere non potuit, jusserat tamen, ut putat Ughellus, ante mortem prope ecclesiæ fores in magna marmoreæ columnæ basi subjectum monumentum incidi; quod post mortem ipsiuspositum facile videbit lector.*

Eripiens Veneto periturum marte Marinum
 Neptunus matri reddidit incolumem.
Hic ubi Verbigenæ magno assertoris alumno E
 Stat templum, abjecta qui tenet astra cute.
Latta parens profugam sobolem complexa recepit,
 Quam vexit tactis fida carina vadis.
Ipsi sacra dies Heroi illuxerat, ergo
 Et templum hic, sacra et surgere jussa domus.
Virgineo a partu sæcla octo evolvit olympus,
 Quarta decem lustris addita messis iit.
Principe digna viro conjux, ast dignior astris,
 Interque Estenses gloria rara nurus.
Piscosi imperium dederat fortuna Comacli
 Latta tibi, virtus clarior astra dedit.

Ibidem aliud, *inquit Ughellus,* spectabatur marmoreum monumentum, . . quod sequitur :

D. O. M.

Latta Comacli comitissa, Othonis primi Estensis uxor, ob Marini filii charissimi sospitatem, quam eodem ab exercitu Veneto prope obsesso, enixe a Deo flagitaverat, impetratam, cum ipso die, qui sacer est S. apostolo Bartholomæo, filio per fossam, canale scapha clam evecto, in ripam hoc eodem in loco, ubi templum hoc est, occurrisset, seu grati animi causa, seu F etiam voti rea, templum in hoc loco, ac monasterium in honorem S. Bartholomæi apostoli describi, atque excitari jussit anno salutis humanæ DCCCLIV.

Plura qui desiderat de templo ac monasterio memorato, adeat Ughellum loco citato.

§ II. Brachium in Angliam portatum : reliquiæ variis locis cultæ.

Brachium S. Bartholomæi

E*admerus monachus Cantuariensis ordinis S. Benedicti, occasione concilii Barensis, cui ipse cum S. Anselmo interfuit, narrat translationem brachii S. Bartholomæi in Angliam, prout eam puer a senioribus Cantuariæ primo, deinde vero in concilio a Beneventano archiepiscopo audiverat. Historiam hanc, utpote traditioni,*

AUCTORE J. S.

tioni, quam defendendam susceperat, minus commodam, multis suspectam reddere, atque evertere conatur Franciscus Dinus in Dissertatione sæpius adducta : cujus viri auctoritatem, utpote certissima sæpe negantis, licet non magni faciendam putem, ostendam tamen breviter ejus objectiones majori molimine, quam robore, contra hanc translationem fuisse intortas. Factum prius, lector, accipe. Tradit illud prædictus auctor lib. 2 Historiæ novorum, post Anselmi editionem anni 1721, etiam recusæ, pag. ibidem 54 hoc modo : Tempore, aiunt *(seniores Cantuarienses, qui rem Eadmero narrarunt,)* quo ipsa Domina, sicut regina *(Immam ante dixerat)* in regno Anglorum magna et præpotens habebatur, pontifex ecclesiæ Beneventanæ venit in Angliam, quem sicut ipse ferebat, immanis fames certis præsagiis totam Apuliam afflictura, illo deduxerat : cupiens aliquo modo si non posset toti provinciæ, saltem suis civibus tantum malum propulsare. Is iter ingressus brachium S. Bartholomæi apostoli secum tulerat, spe sibi certa promittens, se per illud multa lucraturum. Idem quippe brachium, ob hujusmodi necessitudinum contrahenda subsidia in ipsa ecclesia B Beneventi a reliquo corpore servabatur remotum . .

in Angliam portatum,

267 Pontifex igitur Angliam veniens, ipsam reginam adiit, et illius allocutione potitus, quid detulerit, quam ob causam tam remotas orbis adierit partes, insinuavit. At illa hominis charitativo labore ad misericordiam flexa, de suis ei copiose largita est, et illum patriam remeare, nec non eis, quibus imminens famis periculum formidabat, subvenire hortata est. Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium quæ habebat, eos, quos magis familiares in curia ipsi dominæ esse acceperat, percunctatus est, utrum os, quod attulerat, dato pretio, reginæ in jus proprium transferre curæ esset. Quid multa ? Investigatur de re animus dominæ, et invenitur promptissimus esse ; certam se tantummodo episcopus faceret, ipsum os nominati Apostoli revera fuisse, et taliter, ut ipsamet testaretur sibi, sublata omni ambiguitate, satisfactum. Ad quod ille : Quo, inquit, modo ? Super Corpus, ait, Dominicum, et super Sanctorum reliquias, quas ei proponam, jurejurando, reliquias, de quibus agitur, veraciter esse de corpore beati Bartholomæi, et C id remota omni æquivocatione atque sophismate, faciat. Hoc, inquit episcopus, secure me facturum polliceor.

et ecclesiæ Cantuariensi donatum :

268 Veniens itaque Cantuariam cum brachio ipso, prout illi rex et regina dictaverant, decenter susceptus est. Astante igitur ipsa, monachorum quoque ac clericorum immenso agmine eam vallante, inter quos etiam supra memorati viri, a quibus hæc accepimus, se præsentes fuisse testati sunt, numerosaque utriusque sexus et ætatis multitudine ob hoc convolante et audiente, jurando super altare et corpus Christi nec non Sanctorum reliquias. . . asseveravit ipsum os, de quo sermo habebatur, beati Bartholomæi apostoli proprium fuisse, nec ipsi assertioni suæ aliquid omnino sophismatis, aut æquivocationis inesse. Quo facto, memorabili domina quamplures argenti libras antistiti contulit, et osse potita, illud ecclesiæ Christi Cantuariensi solemni donatione ex parte regis Cnudi, suaque concessit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum omnibus sæculi rebus anteferre. Pontifex quippe sedis ipsius Ageluothus nomine, inter reliqua, quæ homini dedit, cappam illi valde pretiosam aurifrigio ex D omni parte ornatam dedit, quæ et illius ecclesiæ decori, et ecclesiæ Cantuariensis futuris temporibus tantæ rei existeret testimonio et probationi. Ego igitur, cum, ut dixi, concilio præsens antistitem Beneventanum cappa reliquis præstante ornatum viderem, et eam ex his, quæ olim audieram, optime nossem, non modice lætatus, et cappam, et verba mihi puero exinde dicta, patri Anselmo ostendi. Mox celebrato concilio, ubi Beneventanum ipsum adii, et inter alia mutuæ dilectionis colloquia cœpi de eadem cappa loqui, et unde illam haberet quasi nescius interrogavi ; summam rei exposuit, et eam ordine, quo descripsi, suam ecclesiam ab ecclesia Cantuariensi adeptam esse declaravit. Qua de re certior effectus, putavi aliquibus gratum, hoc ipsum huic opusculo indere, licet propositum narrationis tramitem me hoc agendo non nescirem excedere. *Hactenus auctor, in cujus verbis candida simplicitas elucet, atque sincera fides.*

contra hoc factum quædam objecta

269 *Attamen Franciscus Dinus pag. 44 ita loquitur :* Hujus enarratio suspectissima habetur, quam idem profitetur Eadmerus adjunctam extra ordinem temporum, et tramitem suarum le- E ctionum, quod putaret aliquibus gratum futurum, his nimirum, qui a puriori catholicæ fidei cultu extorres, de simonia notare adoriuntur præsules Italos, quæ plane in hac hypothesi esset apertissima. *Duplex hæc est objectio, utraque imbellis. Nam idcirco alieno loco et tempore retulit hoc factum Eadmerus, quia historiam temporis, quo res facta est, numquam scripsit, ita ut suo eam inserere loco non potuerit. Quod de simonia hic dicit, latius probat, sed inutili labore : namque non negamus, si verba Eadmeri in rigore sumantur, venditionem fuisse simoniacam; sed non probat, neque facile probari potest, venditionem proprie dictam intelligendam esse, sive verba auctoris, quibus dicit,* Percunctatus est utrum os, quod attulerat, dato pretio in jus proprium regina transferre vellet, *prout ad literam sonant, sumenda esse. Vitilitigare tamen hic nolim, cum parum ad rem faciat, sive contractus materialiter, ut loquuntur, simoniacus revera intervenerit, sive auctor ita rem exposuerit, ut intervenisse videatur, cum neutrum pro temporis illius simplicitate et ignorantia F sit mirandum. Audi Mabillonium de re Diplomatica lib. 6, coroll. 1, pag. 623 :* De simoniaco, *inquit,* contractu diversæ etiam fuerunt pro tempore sententiæ, ac diversa disciplina. Fuit tempus, cum Sanctorum reliquias nundinari liceret impune. *Quidni ergo utamur hoc loco S. Augustini dicto lib. 22, cap. 47 contra Faustum,* Quando mos erat, crimen non erat; *non quia ex se turpis non est, ac lege naturæ vetita reliquiarum nundinatio, sed quia bona fide putabant tum temporis homines, eam sibi non esse illicitam ; sicuti licitam semper fuisse sciebant earum ab infidelibus redemptionem.*

solvuntur.

270 *Quod autem dicit Franciscus Dinus eam historiam ab Anglis confictam esse ad simoniæ notam inurendam episcopis Italis, ne verisimile quidem est. Perpende hæc verba relationi inserta :* Hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum omnibus sæculi rebus anteferre, *considera, quanto in honore reliquias habitas fuisse auctor narraverit. Hæccine Angli, heu quantum ab illis mutati! confinxerint? Sibine vulnus mortiferum inflixerint, ut vel leviter perstringerent adversarios? Aliis sane argumentis opus est, ut hoc*

fiat

A *fiat probabile. His itaque rationibus non* evincitur has narrationes uti aniles explodendas, *ut ait auctor ad explodendum promptior, quam in ratiocinando subtilior. Quæ præterea objicit, vim nullam habent; nam frustra contradictionem quærit in tempore, quo res peracta dicitur, cum tempus non assignet Eadmerus : circa annum 1020 rem contigisse scribit Alfordus ad eumdem annum tom. 3 Annalium ecclesiæ Anglicanæ, num. 20 et seq. Neque efficacius est, quod ait variis locis duo vel tria Apostoli brachia servari, quibus etiam plura mox superaddam, nec enim integra ubivis brachia intelligenda sunt, sed os aliquod brachii pro more brachium vocatur, ita ut mirum videri non debeat si vel decem alicujus Sancti brachia assignentur. Deinde brachia alibi assignata minus solido nituntur fundamento, si unum excipias Carpineti servatum, quam hoc, de quo agitur :* Quibus omnibus sedulo expensis, *non* evanescit penitus anilis fabula Eadmeri, *ut perperam concludit Dinus, sed fidelis auctoris præclari relatio neglectis Dini cavillationibus,*
B *omnino ut vera videtur admittenda.*

Sacra Apostoli lipsana

271 *Hactenus de reliquiis egimus, quarum translationem memoriæ proditam in variis auctoribus reperimus. Nunc adjungemus plurimas plurimis locis sparsas, quarum translatio nos latet; quas tamen varii auctores variis urbibus et ecclesiis assignant. Non ausim sperare, fateor, multas me non prætermissurum, neque asserere omnes, quas recensebo, tam certo esse* S. Bartholomæi, *ut de quibusdam suboriri non possit dubium; illud unum assevero, nihil fidelium pietati aut merito descessurum, si forte alterius Sancti sacra pignora pro reliquiis* S. Bartholomæi *coluerit, ut sæpe in hoc Opere ostensum est. Breviter itaque rerum vestigia legam, ab Italia ducturus exordium.*

in Italia.

272 *Mabillonius in Itinere Italico pag. 86 hæc scribit :* Sabbato die festo sancti Bartholomæi, ejus ecclesiam invisimus, in insula Lycaonia (quæ modo S. Bartholomæi dicitur) sitam, ubi corpus Apostoli sub majori altari, et cacabus in quo recepta ejus cutis, asservantur. Ipso die nomina eorum, qui paschali communioni non fe-
C cerunt satis, quotannis in tabella describi solent, atque in ejusdem ecclesiæ atrio exponi, ut pro nominatim excommunicatis habeantur. *Pellem Apostoli servari Romæ scribit etiam Piazza ad* XXV *Augusti, dicens id haberi ex traditione Idem assignat Sancti reliquias in templo* S. Bartholomæi *Bergomensium, et* S. Bartholomæi Coriariorum : *item in templis SS. Apostolorum, S. Eusebii, S. Laurentii extra muros, S. Mariæ angelorum, S. Crucis in Hierusalem, S. Sabinæ, S. Praxedis, et S. Pudentianæ. Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. 3, cap. 3 reliquias* S. Bartholomæi *Casini ait servari, et cap. 34 hæc scribit :* Hæc ubi, cooperante Domino, prout optaverat, consummavit *(Desiderius abbas;)* beati Bartholomæi apostoli basilicam, cum fratrum universo conventu tertio Nonas Januarias a Joanne, hujus ante cœnobii monacho, post Sorano episcopo, fecit solemniter dedicari. In cujus altari Apostolici corporis partem non exiguam in argentea recondidit capsa. *Hæc Casini. Mascambrunus in Dissertatione de corpore* S. Bartholomæi *pag. 27 scribit :* Auctor etiam est Paulus Regius, ejusdem Apostoli caput Neapoli coli in monasterio monialium S. Mariæ D. Reginæ, *partem capitis crediderim. Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, ad vocem* Reliquiæ, *pag. 303 reliquias* S. Bartholomæi *haberi dicit Neapoli* in ecclesia S. Mariæ de sapientia : *et pag. 304* in S. Catharina de Sena. *Ughellus tom. 7, pag. 243 editionis primæ ecclesiam sanctimonialium sanctissimæ Trinitatis Amalphitanam exornari dicit* Brachio sancti Bartholomæi apostoli. *In Ms. Itinere Romano Henschenii et Papebrochii, ab eodem Papebrochio accurate descripto, pag. 271 dicitur servari* magna pars de pelle D. Bartholomæi *in cœnobio Franciscanorum prope Assisium, dicto* Rio torto. *Idem Papebrochius in Reditu item Ms. pag. 224 Genuæ apud patres Barnabitas, præter alias Sanctorum reliquias,* S. Bartholomæi *pedem sibi ostensum ita enarrat :* S. Bartholomæi apostoli pes integer in carne et pelle siccatus, auro munitus vetusti operis, et crystallo inclusus, pyxidique eburneis signis admodum vetustis ornatæ, a cujus cultu loco nomen, cognomen vero DE ARMENIS, quod primi isthic monachi forte Armeni fuerint. *Armenos fuisse, et Basilianos docet in Historia Gallica ordinum religiosorum Hippolytus Helyot tom. 1, pag. 243 et* E
seqq. Potuerunt itaque primi illi monachi hunc Apostoli pedem, jam ante translationem corporis in Europam, in Armenia accipere. Masinus in Bononia perlustrata ad XXIV *Augusti, pag. 428, editionis anni 1666, reliquias* S. Bartholomæi *assignat ecclesiæ parochiali prioratus ejusdem Apostoli patrum Theatinorum : notabiles item reliquias ait servari in ecclesia S. Joannis in monte, uti et dentem ejusdem Sancti in ecclesia S. Mariæ Liberatricis ; reliquias item esse in confraternitate septem gaudiorum beatæ Virginis. Bucelinus in Sacrario Benedictino ad* IX *Kalendas Septembris pag. 22 de sacris Apostoli reliquiis hæc inter alia :* Pars pellis non modica in S. Blasii de Cataldo Venetiis. *Demum tom.* III *Julii Operis nostri, in Prætermissis ad diem* XII, *reliquiæ* S. Bartholomæi *delatæ dicuntur ad templum Societatis Jesu Genuæ. Hactenus de reliquiis Apostoli in Italia.*

in Gallia, ubi prodigium in Sylva majori;

273 *Neque paucis locis hæ inveniuntur in Gallia; aliquas jam assignavimus, alias breviter accipe. Guilielmus Marlot in Historia metropolis Remensis tom. 2, lib. 1, pag. 27 inter sacra lipsana, quibus gazophylacium monasterii S. Theodorici prope Remos ornatur, numerat reliquias* S. Bartholomæi apostoli, titularis ac primi ecclesiæ patroni; in cujus annua festivitate maximus fit e Rhemorum civitate, et pagis adjacentibus, ad montis-Hor populi concursus, plenarias indulgentias lucraturi. *Idem auctor* F
lib. 2, cap. 21, pag. 240 in collegiata S. Symphoriani ecclesia Remensi servari dicit, Partem corporis S. Bartholomæi apostoli. *De reliquiis item* S. Bartholomæi *in Sylva majori, cœnobio ordinis S. Benedicti in diœcesi Burdigalensi ex eodem cœnobio scripta lego ad Papebrochium anno 1669 sequentia :* Secundum est, quod quamdiu aliquæ e reliquiis S. Bartholomæi apostoli fuerunt inclusæ in gallo plumbeo, campanilis summitati superposito, (ibi autem erant collocatæ ab antiquis temporibus) istud monasterium nullum umquam expertum est a fulgure nocumentum, ex quo autem inde a quodam tecta reficiente ablata sunt (quod a quadraginta circiter annis contigit) pertulit non modica, quorum præcipuum est, quod unus e monachis nostris, idemque subprior, dum die XXVI Februarii anni MDCLXVII serotinis horis in choro vacaret orationi-

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

tioni, ab eo media corporis sui parte exustus, vitam sequenti die finierit : (adde quod idem artifex brevi misero exitu extinctus est) unde et factum est, ut reverendus pater dominus Gabriel Bellordeau, tunc temporis, nec non etiamnum hujus monasterii prior, eidem gallo alias immiserit reliquias prædicto anno MDCLXVII, et ex illo tempore a fulgure huc usque permansimus incolumes. Tertium est, quod circa festum sancti Bartholomæi advolat infinita pæne alatarum formicarum in idem campanile multitudo, ibique omnes moriuntur : et hoc singulis accidit annis : quando autem inceperit id prodigii, incognitum : asserunt enim capulares senes majorum suorum temporibus id esse actitatum. *Hæc monachus dicti cœnobii. Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano ad* XXIV *Augusti pag. 544 de sancti* Bartholomæi *sacris lipsanis hæc scribit :* Cujus pretiosum caput Tolosæ in sacrario basilicæ S. Saturnini... ea, qua decet, religione servatur : brachium vero alterum, cui manus hæret in Gersiacensi monialium cœnobio, ordinis sancti Benedicti, episcopatus Parisiensis,
B præclare conditum, prorsusque adhuc integrum (pelle dumtaxat detracta) ostenditur piis cultoribus, qui illuc hodie magna frequentia confluunt. *De brachio hoc Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod Menologio subjunxit, pag. 22 Saussaio consonat. Quæ, uti et sequentia, curiosius discutere non est animus. Huc usque in Gallia.*

in Belgio

274 *Hinc in vicinum Belgium progredior, qua cœpi brevitate, servatas multis ibidem locis Sancti reliquias indicaturus. Adductus modo Saussaius ita prosequitur :* Porro alterum gloriosi hujus Apostoli brachium servatur carne et ossibus adhuc amictum Bethuniæ in collegiata ipsius ecclesia, conditum in ferculo argenteo, optime ad tam pretiosi pignoris cultum condecorato. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 83 ejusdem ecclesiæ reliquias enumerans, his verbis Saussaium præcessit :* Brachium S. Bartholomæi, carne et ossibus plane amictum, oculato teste me... Adservatur hoc brachium in theca argentea optime ad hoc condecorata reclusum. *Henschenius etiam in prætermissis ad* XV *Junii, seu tom.* II *dicti mensis, pag. 1011 translationis hujus brachii meminit*
C *hoc modo :* S. Bartholomæi translatio brachii in Bethunia indicatur in Mss. additionibus Carthusiæ Tornacensis hoc die. *Putabit fortasse quisquam, hæc cum tot brachiis ante memoratis conciliari non posse; maxime quod brachia hæc dicantur carne amicta. In quibus tamen nihil est repugnantiæ : nam si duo hæc brachia integra supponamus esse a manu usque ad cubitum, reliqua, quæ memorata sunt, brachia ex ossibus reliquis a cubito usque ad humerum constare possunt. Laudatus Rayssius ejusdem Apostoli reliquias adscribit pag. 41 ecclesiæ collegiatæ S. Amati Duaci : pag. 216 Flinensi ordinis Cisterciensis virginum cœnobio, sesqui milliari a Duaco sito ; pag. 294 Marchianensi S. Benedicti monasterio ad Scarpam fluvium, tertio fere milliari a Duaco; uti et Quercu-cincto, vulgo* Querchin, *uno ab eodem urbe milliari dissito. In Maricollensi vero, ejusdem ordinis in Hannonia cœnobio, ait pag. 297 servari* de articulo pedis sancti Bartholomæi apostoli. *De ecclesia S. Petri insulis pag. 425 hæc tradit :* Visitur etiam in hac nobili collegiata ecclesia non leve frustum pellis D. Bartholomæi apostoli, quod argento exornavit, donavitque Joannes Bawet D
ejus loci canonicus, qui magnam olim Bethuniæ operam impendit, eruendo et componendo ejusdem Apostoli brachio, dum illic inter canonicos degeret. *Pag. vero 279 brachium, juncturam pedis integram, et os integrum corporis assignat abbatiæ Lætiensi ordinis S. Benedicti in Hannonia.*

plurimis locis ex Rayssio,

275 *Idem pag. 219* partem calvariæ S. Bartholomæi apostoli *numerat inter reliquias, quibus nobilitatur Floressiense cœnobium S. Norberti ad Sabim, secundo a Namurco milliari situm. Pag. 387 reliquias ejusdem Apostoli haberi pronuntiat Ogniaci ad Sabim in sancti Nicolai cœnobio ordinis canonicorum regularium S. Augustini. Quo itidem teste pag. 429,* Phanopinense *ejusdem ordinis cœnobium,* brachii nobilem portionem ossis S. Bartholomæi apostoli, argenteo brachio egregie confecto, decentissime conservat : *et, pag. 451, Rutilensis Cartusia ad ripam Mosæ* juncturam unam digitorum. *Testatur præterea sæpe memoratus auctor pag. 396 in Oratorio aulæ Bruxellensis brachio argenteo reclusas esse* reliquias brachii S. Bartholomæi E
apostoli : *pag. vero 222 in Vorstiensi ordinis S. Benedicti virginum prope Bruxellas cœnobio sacros ejusdem* cineres *haberi : pag. 463* ossa *servari Brugis in ecclesia collegiata S. Salvatoris. Cujus denique pag. 402 reliquias assignat Parco, ordinis Præmonstratensis abbatiæ, juxta Lovanium ; pag. 329 collegiatæ ecclesiæ B. Mariæ Tungrensi; et pag. 260 bis Ultrajecto. Multas Rayssius, at non omnes in Belgio S. Bartholomæi reliquias assignat. Quapropter quæ ad notitiam meam pervenerunt, aliunde subjungam.*

aliæ ibidem.

276 *Andreas Bouwens scripsit Thesaurum Servatianum, in quo exponit reliquias, quas pervetusta S. Servatii collegiata ecclesia Trajecti ad Mosam veneratur. Inter has pag. 18* S. Bartholomæi *reliquias ita enumerat :* De scapula, digito, ossibus. *Extat et alia Trajecti collegiata ecclesia B. Mariæ Virgini sacra, quæ particulam cranii* S. Bartholomæi *apostoli notabilem possidet, servatque breve Innocentii VIII Pontificis, anno* MCDLXXXVII, *Pontificatus* IV, *die* XIX *Decembris ad Decanum et capitulum ejusdem ecclesiæ datum, quo eam cranii particulam argenteo capiti includi, et publicæ venerationi exponi permittit. Hujus brevis habeo apographum* F
descriptum, mihique transmissum per R. P. Petrum Dolmans Societatis nostræ, qui adjungit sequentia : Vidi et ipse VIII Martii *(anni 1738)* particulam Cranii S. Bartholomæi, inclusam capiti ex argento conflato : et quamquam pars, quæ apparet, satis sit notabilis, aiunt tamen totam videri non posse. *Partem scapulæ et ossium, in D. Servatii servatam, se itidem vidisse testatur. Reliquias in utraque hac Trajectensium collegiata ecclesia servatas, etiam memorat Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ ad vocem* Reliquiæ, *sed minus accurate. Franciscus Dierickx abbas cœnobii S. Salvatoris ordinis Cisterciensis Antverpiæ anno 1674 tractatum edidit de reliquiis in abbatiæ suæ ecclesia publicæ venerationi expositis, inter quas pag. 262 numerat* Bina ossa S. Bartholomæi apostoli, *de quorum approbatione, suæque ecclesiæ donatione, fuse disputat, quem lector potest consulere. In catalogo reliquiarum domus nostræ professæ Antverpiensis, in qua hæc scribo, numerantur* menti partes duæ S. Bartholomæi *apostoli. Masaci frustum pellis ejusdem Apostoli servari legitur in libello Flan-*

drico

A *drico Ms., auctore Pr. Arnoldo Hertsworm, priore S. Crucis Venlonæ.*

§ III. Reliquiæ in Germania, et Hispania.

Sacra lipsana Coloniæ.

E*x Belgio gradum facimus ad proximas Germaniæ provincias, olim Belgio annumeratas, ad ulteriores deinde progressuri. Colonia, multis Sanctorum reliquiis maxime nobilitata, prima hic occurrit præ ceteris urbibus memoranda. Ægidius Gelenius de Magnitudine sacra et civili Coloniæ Agrippinensis plurimas sparsim assignat S.* Bartholomæi *reliquias; pag. 275 in collegio S. Severini* de pelle S. Bartholomæi; *pag. 298 in ecclesia collegiata Sanctorum Apostolorum,* Geminus dens S. Bartholomæi *apostoli; pag. 326 in thesauro basilicæ B. M. V. in capitolio numerat* Brachium S. Bartholomæi : *pag. 372 in SS. Medicorum Panthaleonis etc.* partem Brachii *cum reliquiis : pag. 456* ossicula duo *in Cartusia ibidem : pag. 492 in ecclesia PP. Augustinianorum :* Maxilla, *ait,* S. Bartholomæi apostoli, item particula unius digiti ejusdem; *pag. 510 in thesauro collegii Societatis Jesu,* Maxilla et quinque particulæ, quarum una est digitalis magnitudinis, aliæ magnitudine conchæ marinæ communis, reliquæ minutæ : *pag. 549 in monasterio* SS. Bartholomæi, *et Apri, quod virginum est ordinis Cisterciensis,* brachium S. Bartholomæi apostoli, formæ argentei brachii inclusum, et ejusdem Apostoli digitus inclusus argento : *pag. 584* ossiculum *in monasterio S. Vincentii; pag. 646 in collegio Steinfeldensi ordinis Præmonstratensis* mandibula S. Bartholomæi apostoli *ab auctore eodem memoratur : qui et ejusdem Apostoli reliquias memorat. Pag. 238, 264, 266, 268, 274, 289, 292, 409, 412, 442, 445, 463, 560, quibus non addit, de qua corporis parte habeantur, quem lector curiosus poterit consulere : aliquas porro ex his notatas itidem invenio in Beyerlinck ante assignato, ad vocem* Reliquiæ.

et aliis pluribus Germaniæ locis,

278 *Reverendus dominus Joannes Waxweiler pastor in Altpfeidt diœcesis Trevirensis hujusmodi anno 1673 transmisit testimonium :* Testor in ecclesia mea parochiali asservari a tempore immemoriali notabilem reliquiam S. Bartholomæi, serico inclusam cum inscriptione vetusta, quæ hactenus sine alio speciali cultu in ciborio inclusa permansit, ego autem ad ejusdem Sancti venerationem majorem, capsulæ intus et foris serico inductæ, et eleganti opere et acu elaboratæ, imponendam curavi. *Beyerlinck in Opere memorato, sub voce* Reliquiæ, *pag. 283 scribit de S. Stephani templo Moguntiæ hæc inter alia :* Ibidem de cultris, quibus decoriatus S. Bartholomæus, monstratur unus : *pag. autem 285 in Monte Andechs monasterio Benedictinorum in Bavaria, particulam corporis servari ait. Bucelinus in Sacrario Benedictino pag. 22 :* Brachium, *inquit,* et aliquot ossa in Andechs. *Fuit aliquando rumor de ipso* S. Bartholomæi *corpore in Bavariam translato, ut cognoscet lector ex epistola episcopi Frisingensis Erchanberti, quam edidit Bernardus Pez tom. 6 Anecdotorum col. 76; utrum occasione reliquiarum quarumdam illuc delatarum mihi incertum est; famam vero illam fuisse mendacem, satis constat. Papebrochius in Itinere Romano jam memorato, pag. 45 inter memoranda Francofurti visa hæc habet :* In templo majori videramus sinciput S. Bartholomæi. *Thomas Joannes Pessina de Czechorod in Metropoli Pragensi pag. 516 scribit, in dicta metropoli, D. Vito sacra, sequentes servari reliquias :* S. Bartholomæi apostoli, *inquit,* superior pars capitis, et pars mandibulæ : item seorsim in pyxide argentea inaurata dens : et alia tria satis magna ossa : unum de crure vel brachio inter Carsteinenses, quæ omnia obtinuit Carolus IV in monasterio S. Gebhardi Constantiæ : ita refert martyrologium ecclesiæ Pragensis. *Carsteinenses reliquiæ sunt, quas dudum in arce regia Carsteina servatas, Ferdinandus III ad metropolitanam Pragensem transferri jussit : in quarum catalogo impresso tria hic memorata ossa itidem nominantur.*

Auctore J. S.

ubi et prodigium;

279 *Bucelinus loco assignato, præter jam memoratas, alias hoc modo* S. Bartholomæi *reliquias commemorat :* Sacrum ejus caput in Augia divite, *cœnobio ordinis S. Benedicti in insula Rheni, prope Constantiam Alemanniæ, vulgo* Richenow. Os bene magnum, *ait idem,* in divi Trudperti asservatur : *situm est cœnobium* in pago Brisgoia, et diœcesi Constantiensi, *ut colligo ex Mabillonio tom. 3. Annalium Benedict. pag. 317.* Mandibula inferior S. Bartholomæi apostoli tota in Murbach, *ejusdem ordinis in Alsatia cœnobio :* Articulus ossis et alia insignis portio in Weingartten, *diœcesis Constantiensis monasterio. Hæc Bucelinus ad Germaniam spectantia. Quibus annecto ex Cæsario Heisterbacensi lib. 8, cap. 60 miraculum in dente sancti* Bartholomæi *factum, quod refert hoc modo :* In monte S. Salvatoris juxta Aquasgrani *(Aquisgranum)* nuper inclusa quædam defuncta est, quæ inter suas reliquias, etiam dentem habuit sancti Bartholomæi apostoli. Hoc cum scisset sacerdos, qui ei Missas celebrabat, cumque postulasset, et illa non annuisset, recessum minabatur, nisi saltem mediam ei partem donaret : illa vero dentem illum diligens, et sacerdote carere nolens, ut divideretur consensit, licet invitissime. Mira res; mox enim ut sacerdos cultellum denti supposuit, ac si denuo Sanctus pateretur, guttatim de illo sanguis erupit : quo viso sacerdos territus est, dentemque inclusæ dimisit integrum. Ego vero eumdem dentem anno præterito vidi apud sanctimoniales in Porceto; *cœnobio virginum ordinis Cisterciensis prope Aquisgranum. Aquisgranenses etiam inter reliquias numeratur quid de capillis* S. Bartholomæi. *Hæc de reliquiis in Germania.*

eadem in Hispania,

280 *Hispaniam denique invisamus, quædam et ibidem de* S. Bartholomæi *venerandis reliquiis collecturi. Bucelinus aliquoties jam adductus loco assignato hæc tradit :* Aliquot ossa cum frusto cutis in S. Dominici de Silos, *Toletano virginum cœnobio :* Costa in D. Virginis de Naxara *abbatia, cujus meminit Mabillonius tom. 3 Annalium Bened. pag. 379. Ornatur etiam pretiosis Apostoli nostri lipsanis Scorialense S. Laurentii monasterium Hieronymianorum, ex cujus Lipsanologio Ms. anno 1722 ibidem degens Pinius descripsit Hispanice, quæ Latine hic reddo :* Os brachii S. Bartholomæi apostoli sine junctura, sexta ulnæ parte latum, cum inscriptione antiquo charactere in pergameno exarata. *Adjunctum est instrumentum authenticum Laurentii episcopi Cyrenensis, suffraganei Coloniensis anno 1597,* XXIV *Novembris signatum, quo testatur*

reliquias

AUCTORE J. S.

reliquias illas ex monasterio S. Dionysii in Mollembach ad Visurgim, *prævalente ibidem hæresi, acceptas, instituto examine* verissimas atque sanctas *repertas*, et pro talibus . . . veneranter semper habitas fuisse. Idcirco, *inquit*, zelum ejusmodi sanctas reliquias vindicantium multum laudantes, episcopali auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus eidem R. P. Delgado *(regis Catholici in istis partibus procuratori)* dicta sacratissima munimenta, in amplificationem divini cultus, ad bene memoratam Catholicam majestatem transferendi, et ibidem exaltandi. *Hoc modo dictæ reliquiæ in Hispaniam delatæ, debito ibidem in honore et veneratione habentur. Præterea hæc numerantur in dicto Lipsanologio :* Frustum pellis, latum quatuor digitis cum dimidio : costa integra, larga quartam ulnæ partem et ultra. *Notabiles quoque* S. Bartholomæi *reliquias in ecclesia cathedrali Lugensi Ægidius Gonzalez Davila Theatri ecclesiastici tom. 3, pag. 173 scribit asservari.*

quomodo dicta de reliquiis intelligenda :

281 *Sisto hic gradum lector, longius progressus quam statueram : quamquam non dubitem, quin alia etiamnum alibi ejusdem sancti Apostoli reperiantur sacra lipsana : verum omnia omnino* B *recensere humanæ non est diligentiæ, neque id exigit institutum nostrum. Siquis forte miratur, tam multas unius Sancti ubique fere locorum haberi reliquias, et præsertim brachia tam multa enumerata esse, secum ille perpendat, in his sæpe partem sumi pro toto, et os brachii, vel capitis, non adeo magnum, brachium nominari, vel caput, quod et in ceteris partibus usuvenit. Hæc qui recte consideraverit, facile deprehendet, quæ recensuimus, sacra lipsana et inter se, et cum traditione etiam Beneventana, cum* D *reliquiis, inquam, in citata cap. 2 § 3 Ursini bulla enumeratis, conciliari posse; quæ minus ad hæc attento lectori inter se pugnare viderentur. Ceterum nos commovere non debet, quod scribit apud Assemanum tom. 3, part. 1, pag. 306 Jesujabus, Nisibis seculo* XIII *episcopus, corpus* Nathanaelis *seu* Bartholomæi *apostoli haberi in Armenia : nam et multa alia apud suos haberi Orientales gloriatur Nestorianus ille, puta paradisum, in eoque Enochum et Eliam, et animas SS. Petri et Pauli, tantaque hæc asserit confidentia, acsi cum prædictis Sanctis in paradiso egisset familiariter : quæ ut falsa sunt et ridicula, ita ostendunt hæreticum illum contemptu magis, quam longiori refutatione esse dignum.*

singularis S. Bartholomæi excellentia.

282 *Monasteria et ecclesias, toto orbe* S. Bartholomæo *sacra, non enumero ; cum plura sint, quam ut breviter commemorari possint. Illud tamen ad gloriam S. Apostoli, cui primitias hujus laboris mei consecravi, observo, in omnibus fuisse magnum et prorsus eximium : nam et antequam ad Dominum sequendum vocaretur lau-* E *datissimus erat, teste æterna et falli nescia Veritate ; et in munere Apostolico summus, uti testantur innumeræ totius pene Asiæ provinciæ ejus prædicationibus illustratæ; et in morte perferenda fortissimus, cum in ea pertulisse videatur tormenta pene inaudita ; et post mortem in sacro suo corpore admirandus non minus, quam omnium votis expetitus, ita ut, quamvis multa hujus Apostoli gesta sint obscura et incognita, gloriæ ejus magnitudo et excellentia certa sit et indubitata.*

DE S. GERUNTIO VEL GERONTIO EPISCOPO

ITALICÆ IN HISPANIA

SYLLOGE HISTORICA

G. C. C F

Antiquus hujus Sancti cultus, ætas qua floruit aut obiit, locus mortis et exigua gestorum notitia.

SECULO I. *Sanctus iste Præsul*

Inter veteres Martyrologos, quorum notitiam habemus, hodie solus Usuardus in editione nostra hunc Antistitem sic annuntiat : In Hispania civitate Italica, sancti Gerontii episcopi, in carcere quiescentis. *Unde Sollerius noster hac die ad Martyrologium Usuardi illustratum monet sequentia* : Gerontius vel Geruntius antiquioribus omnibus Martyrologis incognitus est, nec satis perspicio, unde eum Usuardus accipere potuerit, nisi in Hispanico itinere notitiam ejus aliquam nactus sit, quam subinde dignam censuerit, quæ in Fastis sacris locum obtineret. Tempore Apostolorum vixisse aut prædicasse, nusquam innuit; unde a Martyrologii Romani reformatoribus, ex aliis documentis id adjectum fuisse oportet, de qua re videri tantisper potest Baronii notatio.

relatus in antiquis codicibus Usuardinis

2 *Ceterum huic annuntiationi consentiunt varii codices Usuardini, quos Sollerius ibidem recenset. At codex Pratensis, quem Benedictini Parisienses autographum esse contendunt, eraso Hispaniæ nomine, tantummodo urbem, in qua hic sanctus Præsul obiit, assignat his paucis verbis :* Civitate Italica sancti Geruntii episcopi in carcere quiescentis. *Quare anonymus hujus codicis Pratensis editor, qui autographum Usuardi San-Germanensis monachi Martyrologium Parisiis anno 1718 primum prælo subjecit, et ab observationibus Sollerii nostri vindicavit, ad illam annuntiationem hodiernam hæc notat :* Delevit Usuardus in suo codice IN HISPANIA. Qua de causa, quis dixerit ? An quia de urbe satis nota loquens, inutile judicaverit regionem appellare, in qua sita erat ? *Porro editor ille circa annuntiationis hujus originem cum Sollerio concordat, aut eum secutus est, dum ibidem*

mox

A *mox hæc subjungit :* De sancto Geruntio nihil apud Martyrologos, qui Usuardum ætate superant. Illius cultum in Hispania dubio procul accepit.

ac hodierno Martyrologio Romano.

3 *Haud dubie* S. Gerontius *ex Martyrologio Usuardino relatus est in modernum Romanum, quod illum hac die sic memorat :* Italicæ in Hispania sancti Geruntii episcopi, qui tempore Apostolorum Euangelium in ea provincia prædicans, post multos labores in carcere quievit. *Cur autem in hoc Martyrologio Romano dicatur iste sanctus Præsul Euangelium prædicasse* tempore Apostolorum, *quod in Martyrologio Usuardino non legitur, facile colligimus ex notis eminentissimi Baronii, qui hodie ad illam Martyrologii Romani annuntiationem observat sequentia :* Hujus Acta describuntur sacro hymno, quem legimus in antiquo Breviario Toletano : quæ miramur præteriisse eos, qui res Hispanicas novissime sunt prosecuti, et jejune admodum de eo scripsere.

etiam colitur inveteri Breviario Mozarabico.

4 *Eminentissimus scriptor hac annotatione designat hymnum proprium veteris Breviarii Mozarabici, quem Toleti anno 1722 transcripsi, et qui, sublatis librarii mendis, ita sonat :*

B

Sacratum Christi antistitem
Gerontium confessorem
Dignis canamus laudibus,
Et celebremus vocibus.
Hic fertur Apostolico
Vates fulsisse tempore
Et prædicasse supremum
Patrem * potentis filii *.
Quique dum per Occiduam
Percurreret clarus plagam,
Tandem ira gentilium
Ad passionem trahitur.
Sed mox præcepto præsidis
Nodis gravatus ferreis,
Horrendis umbris carceris
Datur in jus carnificis.
Quem ferunt vinctum vinculis
Inter pallentes tenebras
Raptam e sacro corpore
Dedisse cælo animam.
Sic inter Apostolica
Locatus jam consortia
Gaudet cælesti gloria
Et clara Christi gratia.
Namque infulatus gemino
Fulget et nitet præmio;
Sacerdotali titulo
Et confessionis præmio.
Gloria Patri personet
Christoque unigenito,
Paraclito Spiritui
In seculorum secula. Amen.

C

* *forte* Patris potentis Filium.

et jam seculo 7 basilicam suo nomine insignitam habuit.

5 *Ex hoc veteri Mozarabum Breviario imprimis patet, annuam* S. Gerontii *festivitatem solenniter ab immemorabili tempore celebratam fuisse. Sed adhuc antiquiorem distinctioremque cultus ejus notitiam eruimus ex Vita S. Fructuosi præsulis Bracarensis, qui seculo* VII *floruit. In ea biographus suppar apud Mabillonium seculo secundo Benedictino pag. 586 et sequente miraculum ad rem nostram narrat his verbis :* Quadam die ipse beatissimus Fructuosus devotionis implendæ gratia de civitate Spalensi * ad basilicam sancti Gerontii navigio profectus est. Dum ibidem desiderii sui vota, adnitente Domino, devotus persolvisset, et vesperascente die iterum redire, unde venerat, disposuisset, nautæ ipsi, qui per longa spatia pelagi navem gubernaverant, fessi labore navigii, non solum vires ad gubernandam navim non habere se dixerunt, verum etiam, quod diei pars extrema jam superesset, cœperunt querimoniari. *Deinde antiquus ille scriptor exponit, quomodo navis ista ultro, nautis dormientibus, et S. Fructuoso Officium ecclesiasticum recitante, celeriter ad ulteriorem amnis ripam et statutum locum sine remis appulerit. Hic ad propositum nostrum pertinet, quod eo jam tempore* S. Gerontius *ibi basilicam vel ecclesiam nomini suo dedicatam habuerit, eamque sanctus Fructuosus devotionis gratia visitaverit. Hæc de immemorabili et antiquo sancti Præsulis hodierni cultu dicta sufficiant.*

* *Id est* Hispalensi

AUCTORE G. C.

Videtur floruisse seculo primo.

6 *Etiam ex hymno jam relato discimus, quod Mozarabes ex vulgari traditione tunc putaverint,* S. Gerontium *temporibus Apostolicis floruisse. Tamen Joannes Vasæus in Chronico Hispaniæ apud nos pag. 279 eumdem sanctum Antistitem recenset inter eos, qui in persecutione Diocletiani et Maximiani Herculei martyrium subierunt, ut manifestum fiet lectori curioso, qui citatum Vasæi Chronicon a pagina 271 usque ad paginam 183 percurrere voluerit. Verum opinioni recentioris hujus scriptoris præferenda est antiqua Mozarabum traditio, quæ maxime confirmaretur, si genuinum esset epigramma, quod Joannes Tamayus de Salazar S. Isidoro Hispalensi adscribit, et in Martyrologio suo Hispanico ex Mss., si lubet asserenti credere, ad diem* XXV *Augusti sic refert :* E

Hoc templum tenet ossa diu sacrata Geruntí
Præsulis Italicæ, qui fuit urbis amor.
Hic et Apostolicum perauxit vomere germen,
Christiferæque Crucis, qua fides alma cluet.
Denique sub gladio pateris indigna Neronis
Supplicia, Antistes, carceris, atque famis.

licet ætas ejus non confirmetur ficto Tamayi epigrammate.

7 *Jam superius dixi, chronologicam Mozarabum traditionem maxime confirmandam esse ex hoc epigrammate, si genuinum foret, et ab ipso sancto Isidoro Hispalensi scriptum : nam ex illo prudenter concluderemus, Sanctum nostrum sub imperio Neronis prædicasse ut in carcere mortuum esse, cum antiquiora monumenta huic chronologiæ non contradicant. Sed hunc Martyrologum Hispanum jam toties tamque evidenter imposturæ convicimus, ut ei similia testimonia proferenti fidem non adhibeamus. Quare potius assentimur Nicolao Antonio erudito Hispano, qui in Bibliotheca veteri Hispana tom. 1 pag. 267 de scriptis hujusmodi a Tamayo Salazario allatis tale fert judicium :* In Martyrologio Hispano Joannis Tamaii nunc denuo producta videmus quædam sancti Patris *(nimirum Isidori Hispalensis, cujus veras lucubrationes a suppositititis Antonius ibi secernit)* carmina, quæ ex Mss. se dare ait; cujus liberalitati occinere libet Virgilianum illud : TIMEO DANAOS ET DONA FERENTES. Non enim tales sunt, quales videri volunt, Tamaji codices. Quod quidem a me haud calumniose dici, sæpius testatum facimus. *Certe Nicolaus Antonius id sæpe per decursum Operum suorum demonstrat, ac præcipue tomo 2 ejusdem Bibliothecæ pag. 20 similes Tamayi fraudes detegit.* F

cui anonymus Usuardi Pratensis editor

8 *Igitur anonymus Usuardi San-Germanensis editor hunc auctorem non satis noverat, quando post alia superius relata, confidenter in observatione ad hodiernam Sancti nostri annuntiationem hæc addit :* Quod antiquius habetur de illo Geruntio, est epigramma Isidori Hispalensis, quod manu

AUCTORE G. C.

manu exaratum legit, et suo Martyrologio Hispanico intexuit Joannes Tamayus Salazar. In illo epigrammate Geruntius dicitur carceris famisque supplicia passus sub Nerone. Unde colligit Salazar, passum esse circa annum LXVIII, quo vehementius in Hispania sæviebat Neronis crudelitas. *Hac occasione possent in illum codicis Pratensis editorem retorqueri eadem verba, quibus ipse pagina* XL *Præfationis suæ Sollerium nostrum sic alloquitur:* Ea tibi facile condono. Qui enim potuisses de illo codice recte judicare, qui alienis oculis, iisque non admodum perspicacibus, utebaris... Persuasum habeo, multo benignius acturum te fuisse cum Pratensi codice, si tuis oculis illum perlustrare licuisset.

nimis leviter credidit.

9 *Paucis vocibus mutatis, hæc anonymo Martyrologii Usuardini San-Germanensis editori haud difficulter aptari possent: nam vir ille eruditus et criticus non tam affirmate de authentica hujus epigrammatis fide pronuntiare poterat, qui alienis oculis, iisque admodum fallacibus, utebatur. Nimis leviter nimirum statim fidem adhibuit Tamayo, qui epigramma istud S. Isidoro* B *Hispalensi adscribebat, ac in Ms. se vidisse jactabat. Certe mihi persuadeo, editorem illum non tam cito crediturum fuisse huic Martyrologo Hispano, si Nicolai Antonii vel eminentissimi Cardinalis Aguirrii judicium de Joanne Tamayo Salazario legisset. Quamvis ex epigrammate illo tempus mortis assignare non audeam, tamen propter auctoritatem Breviarii Mozarabici probabiliter existimo,* S. Gerontium *tempore Apostolorum floruisse, et propterea superius initio hujus sylloges in margine ætatem illius seculo primo alligari. Jam de loco mortis et cathedræ ejus pauca subjungam.*

Quamvis hic Sanctus obierit Italicæ in Hispania,

10 *De palæstra ultimi agonis sive martyrii late dicti Papebrochius noster in vita S. Ferdinandi regis ad diem* XXX *Maii, seu tomo* VII *istius mensis pag. 340 sic disserit:* Porro pergendo, secundum fluminis ejusdem fluxum *(scilicet Bætis, de quo ibi sermo est)* eadem tabula ostendit amphitheatri amplissimi rudera, cum monasterio S. Isidori locisque nomen a sanctis Brigitta et Pontio sortitis; additurque epigraphæ SEVILLA VIEJA id est HISPALIS VETUS. * Hinc aliquando mihi visum est verosimile, quod Mauri, qui vix ullam Hispaniæ civitatem, aut ne C vix quidem ullam dimiserunt, quam non aut aboleverint penitus, aut alio transtulerint; eam, quæ sub Romanis Gothisque fuerat, Hispalim a dextero Bætis fluminis latere ad sinistrum transportarint. Verum eruditi omnes Hispani appellationem istam SEVILLÆ VETERIS rident, ut insulsum rudis vulgi commentum, certisque argumentis docent, veteris Italicæ, non Hispalis reliquias esse, amplissimorum, quæ istic adhuc reperiuntur, ruderum vestigia. Nam et frequentes istic effodiuntur nummi ITALICÆ nomen inscriptum habentes in aversa facie; et quem vulgus vocat SANTIPONCE, videtur esse S. Gerontius Italicæ in Hispania episcopus et martyr, XXV Augusti inscriptus Romano Martyrologio. Itinerarium autem Antonini imperatoris, AB HISPALI ITALICAM P. M. VI constituit, idque trans flumen occidentem versus. Est autem ibidem adhuc locus TALCA dictus, in partitione territorii Hispalensis a sancto Rege decreta, qui propius nomen veteris ITALICÆ repræsentat.

11 *De situ veteris Italicæ ipsi scriptores Hispani inter se disceptant, ut Ludovicus Nonius ostendit in topographia sua Hispaniæ, ubi cap. 17 tradit sequentia:* Quamvis Italica nihil D præter deformes ruinas et divulsa rudera ostendat, optimorum tamen imperatorum manibus pauca hæc dentur; ut natale illorum solum cunctis innotescat: multis enim situs ejus priscus ignoratur. Auctor est Appianus Alexandrinus in Ibericis, a Scipione Africano conditam, peracto bello Hispanico, ubi emeritos et mutilatos membro aliquo milites reliquit; quo tamen loco illam condiderit, non exprimit. Ptolomæus illam in Bætica collocat; ex Plinio vero ILIPAM prius vocatam colligunt aliqui...... Auctor est Vasæus, ignorari a plurimis antiquum situm; alii NIEBLAM esse putant; Ambrosius Morales SIVILLA LA VIEJA ostendit esse et Hieronymus Surita. *Deinde etiam meminit de loco hodiedum* Talca *dicto, cujus nomen ab* Italica *corruptum derivari videtur, et post alias ejusdem destructæ civitatis notitias tandem caput istud concludit his verbis:* Episcopalis urbs fuit elapsis seculis; primum episcopum D. Geruntium confessorem habuit. *Quidquid sit de vero veteris Italicæ situ, nobis sufficit, eam urbem olim in Bætica Hispaniæ provincia non procul ab Hispali exstitisse,* E *ibique* S. Gerontium *habuisse basilicam suo nomine insignitam, quemadmodum supra ex Actis S. Fructuosi retulimus.*

de cujus urbis situ auctores dissentium.

tamen de episcopatu ipsius Italicensi

12 *Ambrosius Morales aliique sinceri rerum Hispanicarum scriptores de gestis sancti hujus Antistitis pauca tradunt, eo quod antiquitas vix ulla posteritati reliquerit. Unde Thomas de Trugillo Dominicanus tomo 2 Thesauri concionatorum col. 1586 illum exornat hoc brevi elogio:* Beatus Gerontius fuit episcopus Italicæ civitatis prope Hispalim. Cumque in carcerem conjectus esset propterea, quod Christi fidem profiteretur, ibidem mortuus est. *Imo dubitari potest, an* S. Gerontius *fuerit episcopus Italicensis, etiamsi Italicæ comprehensus in carcere obierit: nam illis temporibus designabantur varii præsules apostolici vel regionarii, ut ad prædicandam Christi fidem diversas provincias aut civitates percurrerent, etsi nullam certam cathedram tenerent. Nos saltem in conciliis Hispaniæ nullum episcopum Italicensem hactenus invenimus ante Eulalium, qui subscripsit synodo Toletanæ tertiæ, quæ anno 589 celebrata est, ut apud eminentissimum Cardinalem de Aguirre tomo 2 conciliorum Hispaniæ pag. 350, et apud Harduinum nostrum* F *tomo 3 col. 485 videre est.*

aliisque gestis nihil certi scimus.

13 *Quapropter eruditis Hispanis antiquiores hujus cathedræ præsules indagandos relinquimus, et non omnino temere suspicamur,* S. Gerontium *fuisse forsan unum ex istis episcopis Apostolicis, qui primis Ecclesiæ seculis fixam sedem non habebant, et in quadam regione vel provincia ministeriis episcopalibus fungebantur. Quidam scriptores hunc sanctum Præsulem cognominant martyrem, nonnulli confessorem, cum inter tormenta non exspiraverit, et tamen pro fide Christi in carcerem detrusus ibi obierit. Unde uterque hic titulus facile conciliatur, ut Ambrosius Morales in Historia Hispaniæ lib. 10, cap. 28 demonstrat. Si quis ergo hunc Sanctum appellare voluerit martyrem late dictum, non refragabor. Hæc sunt omnia, quæ de* S. Gerontio *probabiliter asserere possumus: nam nihili facimus Acta, quæ Tamayus amplificavit. Si quis tamen plura, eaque verosimiliora repererit, libenter ei novam notitiam gratulabimur.*

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

EUSEBIO, PONTIANO, VINCENTIO, PEREGRINO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Cultus : Actorum notitia.

1 SUB COMMODO. *Nomen in martyrologiis :*

Pleraque *Martyrologia annuntiant hoc die quatuor SS. Martyres, Romæ sub Commodo imperatore passos, videlicet* Eusebium, Pontianum, *(quidam* Potentianum *vocant)* Vincentium, *et* Peregrinum. *Breviter rem exsequitur Romanum parvum, seu* B *vetus his verbis :* Romæ quatuor martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, et Vincentii. *Ado vero :* Eodem die Romæ, natale sanctorum quatuor martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, atque Vincentii, imperante Commodo, Vitellio judice. *Post quæ Actorum subdit compendium, quod, quia consonat Actis infra edendis, hic prætermitto. Tormenta, quibus cruciati sunt hi Martyres, brevius tradit Usuardus, qui eos ita memorat :* Romæ, natalis Sanctorum martyrum Eusebii, Pontiani, Vincentii, et Peregrini, sub Commodo imperatore, qui primo in equuleum levati, nervis quoque distenti, ac deinde fustibus cæsi sunt, flammis circa eorum latera appositis; sed cum in laude Christi fidelissimi permanerent, plumbatis usque ad emissionem spiritus mactati sunt. *Usuardo consonat Romanum modernum. Reliquos martyrologos non adduco, cum nullum de cultu horum Martyrum suboriri possit dubium.*

Acta ab aliis probata, impugnata a Tillemontio :

2 *Acta horum Martyrum varie a variis accepta sunt. Baronius, qui ad annum Christi 192 num. 2 se ea manuscripta legisse testatur, minime suspecta habuisse videtur; neque illius temporis,* C *aut præcedentium seculorum scriptor ullus, quod sciam, de illorum fide dubitavit. At recentiores quidam critici, rigidius singula examinare soliti, Actorum illorum fidem suspectam habuisse videntur, dum ab iis referendis abstinent. Tillemontius vero aperte impugnat, iis tamen rationibus, quæ, quod intendit, non satis videntur evincere. Illa certe, quæ objicit, exigui ad hoc sunt momenti, ut deinde ostendam. Verum cum omnia illorum Actorum manuscripta non omnino inter se consentiant, et alia aliis majores contineant difficultates, potuit Tillemontius incidere in manuscriptum illud, quod translationem reliquiarum in Galliam annexam habet, et quædam continet cum historia temporis, quo passi leguntur hi Martyres, nequaquam consentientia. Quapropter, ut ostendam Acta horum martyrum, quamquam minus certa, apertæ saltem falsitatis convinci non posse, rem paullo altius repetendam duxi.*

mores Commodi imperatoris, et status religionis

3 *Defuncto, anno Christi 180 secundum Pagium, Marco Aurelio imperatore; ejus filius Commodus Romani imperii clavum suscepit; homo, ut scriptores consentiunt, immani crudelitate, tantaque morum turpitudine, ut sub illius imperio facta legamus plurima, quæ fieri potuisse nullus crederet. Hinc, si quæ in Actis horum Martyrum facta legimus, quæ moribus Romanorum minus videntur consona, mirari non debemus, cum apud Dionem, Herodianum, Lampridium, aliosque, multa alia inveniamus, quæ a Romanorum gravitate magis abhorreant, ut ad singula, quæ in* E *Actis miranda occurrunt, annotabimus. Nunc quomodo se res Christianorum habuerint, hoc hominis monstro imperante, ex Eusebio videamus. Lib. 5 Historiæ eccles. cap. 20 ita scribit :* Commodo imperium Romanum gubernante, nostra religio ad pacatum et tranquillum statum traducta fuit, et pax, divina gratia largiente, omnes ecclesias in toto terrarum orbe occupavit. Quo quidem tempore salutaris Dei sermo hominum mentes cujusque generis adeo attraxit ad piam Dei omnium rerum conditoris religionem cultumque, ut jam Romæ complures, et genere illustres, et rerum affluentia admodum locupletati, una cum omni familia, et cognatione sua, se ad suam ipsorum salutem amplexandam reciperent. Verum istud virtutis hosti, et invidia natura sua exæstuanti, diabolo minime ferendum videbatur : et propterea varias de integro machinas contra nos astute fabricare aggressus est.

sub ejus imperio.

4 *Quænam fuerint hæ machinæ diaboli, declarat uno Apollonii senatoris Christiani exemplo. Hic cum a servo de Christiana religione accusatus esset; servo crura confringuntur, Apollonio caput amputatur, utrique juxta leges, a* F *præcedentibus imperatoribus latas. Ex quo discimus, leges contra Christianos latas vim suam retinuisse sub Commodo, quamvis ipse a novis promulgandis contra illos legibus abstinuerit, neque eos investigare laboraverit. Itaque imperator, et præfecti illius, contra Christianos agere poterant, vel ut illorum bona invaderent, vel ut aliunde invisos de medio tollerent, ut sub aliis imperatoribus, qui Christianos alioqui non curarunt persequi, non raro factum constat. Hæc prænotasse oportuit, ut intelligamus, quænam horum Martyrum Acta utcumque sint tolerabilia; quænam adjectis deinde fabulis certo sint interpolata.*

Ex Ms. quinque tria sibi consentientia, non omnino rejicienda :

5 *Quinque habeo horum Actorum manuscripta exemplaria, quorum duo in novem lectiones distributa, apte inter se consentiunt. Alterum horum Mss. notatur desumptum ex codice basilicæ S. Petri, alterum est anonymum. Tertium Ms., transumptum ex Passionali pergameno Bodecensis cœnobii, ordinis Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, acceperunt majores nostri a P. Joanne Gamansio. Hoc autem cum præcedentibus non male consonat, nisi quod facta*

AUCTORE J. S.

cta quædam, quæ in illis leguntur, in hoc sint prætermissa; quodque hoc adjunctam habeat translationem corporum SS. Eusebii et Pontiani in Galliam, ex quo colligo duobus memoratis esse posterius. Quid autem in hoc omissum sit, lectorem in notis ad præcedentia docebo. Jam vero quid in his Actis, prout in Mss. memoratis leguntur, tantopere displicere debuerit Tillemontio, sane non perspicio. Etenim meminisse oportet, Acta martyrum quandoque exarata esse ab hominibus minus eruditis; ideoque, etiamsi et bona fide et vere fuerint scripta, in iis quædam occurrere, quæ propter omissas circumstantias, ex quibus rei veritas enitesceret, vel dubia videantur vel falsa, aut etiam omnino incredibilia. Audiamus igitur an objectiones Tillemontii tam efficaces sint, ut omnem his Actis fidem detrahant; nam pro veritate standum est, ubi non ostenditur falsitas.

objectioni Tillemontii respondetur,

6 *Multa, ait tom. 3 Monument. pag. 59, in iis occurrere, quæ quomodo sustineat non perspicit : etiamsi vel nihil esset prætcrea, quam quod aiunt, S. Julium senatorem adeo fustibus*
B *cæsum, ut mortem oppetierit. Non ita exceptum S. Apollonium senatorem docet Eusebius, supra scilicet citatus. Hanc Tillemontii objectionem jam diluit Sollerius in Actis S. Julii tom.* III *Augusti pag. 701, sequentibus verbis :* Non video, *inquit*, quid tantopere sæviat Tillemontius in illa, quæ de S. Julii martyrio memorantur, quasi senatoribus Christianis varia supplicia inferri non potuerint, æque ac ceteris: præsertim sub insano imperatore Commodo. Verum equidem esse admitto, non usque adeo sævitum fuisse in virum senatorem Apollonium, de quo pridem a majoribus actum est ad XVIII Aprilis; ast hic præfectus describitur Commodi insania dignissimus, nempe animo ferus, opere crudelis, omnibusque vitiis obsessus, ut facile concedi possit, immanem illum Vitellium in exosum sibi senatorem S. Julium fustibus sæviisse. *Addo, S. Apollonium a senatu condemnatum fuisse, hac tantum de causa, quod Christianus esset :* Quippe, *inquit Eusebius,* vetus lex apud illos extabat, Christianos, qui semel in judicio comparuerant, nisi professionis suæ sententiam mutarent, non omnino liberos dimit-
C tendos esse. *At S. Julius libere respondendo et imperatoris, et Vitellii in se animum exacerbaverat.*

et ostenditur

7 *Crudelius etiam in nobiles Christianos sævitum esse sub variis imperatoribus, allatis exemplis jam docuit Sollerius memoratus. At minus hoc mirandum sub Commodo, senatus hoste, et persecutore. Etenim quam ille senatum oderit pariter atque contempserit, Herodianus, et Dio abunde docent. Odium, odiique in senatum causam ex Herodiano lib. 1 intelliges. Narrat ibidem conspirationem quorumdam senatorum in Commodum, dato ipsum occidendi negotio Quintiano senatorii ordinis juveni :* Ille, *inquit,* in aditu amphitheatri subsistens, quippe obscuro loco facile se occultum sperabat fore, nudato confestim pugione, ac magna voce proclamans : Hunc tibi senatus mittit : dum loquitur nudumque ostentat pugionem, comprehensus a militibus, pœnas amentiæ dedit.... Hæc igitur prima maximaque odii causa adolescenti *(Commodo)* adversus senatum extitit. Ita namque animum verba illa sauciarant, ut omnes hostium loco haberet, semperque ejus memoriæ vox illa irruentis in se juvenis inhæreret.

8 *Contemptum senatus audi ex Dionis, oculati testis, Epitome, in Commodo ita belluæ* D
hujus crudelitatem enarrantis : Omnes, *inquit,* qui in urbe morbo, aut alia de causa pedibus carebant, unum in locum conduxerat, cumque eorum genua quibusdam rebus, serpentibus simillimis complicavisset, dedissetque eis spongias, quas jacerent pro lapidibus, omnes clava, ita ut si gigantes essent, percussit atque interfecit. Is timor nobis erat cum ceteris communis : nam et nobis senatoribus id fecit; cujus causa certissimum interitum expectavimus. Abscisso enim capite strutocameli, quem occiderat, eo venit, ubi sedebamus : cumque id caput sinistra, dextera gladium cruentum porrigeret, nihil dixit; tantum caput suum ferox movit, ut ostenderet idem se nobis facturum. *Itane igitur mirabimur, senatorem fustibus usque ad mortem cæsum sub homine, cui sanguis humanus ludus erat, cui nomen senatorium execratio, ut hoc vel solum sufficere existimemus, ad Acta Martyrum repudianda? Adeo sane id me non mirari fateor, ut mirarer potius, si mitius cum senatore, imperante Commodo, esset actum.* E
Hæc ad inanem Tillemontii scrupulum penitus evellendum sufficere existimavi. Discursus itidem quosdam sibi displicere dicit : verum cum nullum designet, quidquid occurret, in notis observabimus. Hæc igitur Acta ex dictis Ms. edam, non quidem ut probatissima, ut fide tamen non indigna.

scrupulum esse prorsus inanem.

Ms. aliud interpollatum :

9 *Quartum, quod habeo manuscriptum, transmisit olim Chiffletius noster, in variis Galliæ bibliothecis repertum. Verum illud ex prioribus quidem conflatum, sed auctum et interpolatum esse, facile intelligimus, quia præfationem habet præfixam, translationemque reliquiarum in Galliam subjunctam, et initio parum cum historia Eusebii congruit. Audi quomodo post præfationem rem narrare aggrediatur :* Temporibus Commodi regis sæva persequutio Christianorum innotuit orbi; ita ut circumquaque Christiani perquirerentur, morteque turpissima multarentur, si nollent sacrificare idolis. *Quod falsum esse patet ex Eusebio, num. 3 citato. Quibus similia quædam sequuntur, et* Pontianus *semper in hoc Ms. vocatur* Potentianus. *Quare ab eo abstinendum duxi, etiamsi aliis quoad reliqua satis congruat : si quando tamen pro translatione reliquiarum* F
adducendum veniet, citabo sub nomine Ms. Gallici. *Hoc Ms. habuisse Vincentium Bellovacensem, videtur manifestum. Primo, quia sævientem sub Commodo persecutionem in Christianos memorat. Secundo, quia nomen* Pontiani *in* Potentianum *mutat, quod utrumque in hoc solo Ms. invenio. Ex Bellovacensi porro sua edidit Surius ad* XXV *Augusti : quæ ille lib. 10 Speculi Histor. a cap. 119 dederat.*

aliud magis etiam corruptum,

10 *Quintum Ms. ex cœnobio S. Pontiani Lucensi acceptum, donavit museo nostro Ferdinandus Ughellus. Habet illud annexam historiam translationis corporis* S. Pontiani *Lucam, seculo* X, *ut volunt, factam. Manuscripto hoc usus est Cæsar Franciottus in Historia Italice scripta de miraculosis imaginibus, vitisque et corporibus Sanctorum, Lucæ servatis, a pag. 276, ubi de* S. Pontiani *martyrio, et translatione tractat : patet id ex utriusque collatione, quamvis Franciottus non omnes hujus manuscripti fabulas historiæ suæ inseruerit. Porro dictum Ms. ceteris longe est corruptius : nam et martyrii, et translationis historia apertas quasdam continet fabulas;*

A *las; et tota translationis relatio tam inconcinna est et absona, ut verum a falso separari nequeat. Pauca e multis accipe. Narrata Martyrum morte, hæc subdit :* Tunc Vitellius vicarius abiit, et nunciavit hæc omnia imperatori Commodo, qui eum ipsa hora strangulatum invenit in domo Vestaliani. Cœpit autem Vitellius ipsa hora clamare : O sancti Martyres, cur me catenis igneis colligastis; et hæc dicens expiravit. *Pulchre enimvero, et concinne. Quin et paullo post ait, Commodum a dæmone strangulatum inventum esse. Neque meliora sunt quæ de translatione* indubitanter *se dicit cognovisse, et* videndo in veritate *reperisse.*

cui annexa translationis S. Pontiani relatio, fabulis plena.

11 *Pauca speciminis gratia subjungo. Refert corpus* S. Pontiani *acceptum a Joanne summo Pontifice,* Cujus, *inquit,* præsulatus dignitas nono loco extitit a beato Gregorio, *magno scilicet; quod quadrat in Joannem IV, cujus et res gestas præcipuas describit. Attamen in fine narrationis translationem anno 904 (alii 926 ex eodem dixere) contigisse asseverat; videlicet cum Joannes IV trecentis fere annis jam obierat. Hæccine scribere potuit, qui rem* indubitanter B *cognoverat, qui* in veritate videndo *repererat? Fabulosum quoque videtur, certe Actis contrarium est, quod narrat,* Caput S. Pontiani, quod ab impiis crudeliter fuit obtruncatum, ita integrum atque incorruptum *repertum esse,* veluti si *tunc* ab ipso corpore fuisset truncatum : *et libellum inventum esse, in quo inter alia habebatur, linguam* S. Pontiano *præcisam esse. Nam neque de sectione capitis, neque de linguæ* S. Pontiani *præcisione quidquam Acta meminerunt. Placuit hoc tamen Franciotto, uti et quod refert, Hugonem ex Arelatensi, seu Provinciæ comite, Italiæ regem (quem et imperatorem coronatum vult) ad sepulcrum* S. Pontiani, *cum esset* toto contractus corpore, *sanitati restitutum, quod mallem ego ab auctore fide digniore narratum legere, ut fidem adhiberem. Miracula præterea refert plurima, sed omnino ad fidem faciendam incongrue. Quapropter dignam non existimavi hanc translationis narrationem, quam Actis nostris insererem; de translatione vero ipsa agam § seq.*

C

§ II. Corpora SS. Martyrum translata; reliquiæ.

Corpora SS. Eusebii, et Pontiani in Galliam translata dicuntur :

Ado *in Martyrologio ad* VIII *Kalend. Septembris, post Martyrum elogium, subdit sequentia :* Multo post tempore beatorum martyrum Eusebii et Pontiani (largitione Papæ Nicolai, *primi utique*) membra ad Gallias translata, in monasteriis, S. apostolo Petro voto religioso collatis, reverenter tumulata venerantur. *Sigebertus in Chronico ad annum Domini 865 id factum collocat, hoc modo :* Corpora sanctorum Eusebii et Potentiani martyrum, dono Nicolai Papæ ad Gallias translata, in monasteriis, voto religiosorum sancto Petro collatis, honorifice tumulantur. *Consentit his Ms. Gallicum, in quo* S. Pontianus *itidem vocatur* Potentianus. *In Ms. Bodecensi, de quo num. 5, res ita narratur :* Transacto deinde multo tempore, corpora beatorum martyrum Eusebii et Pontiani largitione Nicolai Papæ ad Gallias translata, et in monasterio quodam, in honore beati Petri apostoli dedicato, reverenter collocata, signis et virtutibus fulgent. *Hæc illi. Tillemontius loco ante assignato, loquens de quatuor his Martyribus,* Illorum *corpora ait per Nicolaum Papam Galliæ monasteriis donata, testemque citat Adonem, et manuscriptum. At jam vidimus, id non omnibus quatuor, sed de duobus dumtaxat affirmari.* AUCTORE J. S.

sed incertum quibus monasteriis donata;

13 *Quibus vero Galliæ monasteriis donata sint sacra horum Martyrum corpora, non dicunt auctores hactenus adducti. Autissiodorensis Monachus in Chronologia ad annum 865 rem narrat distinctius :* Anno, *inquit,* DCCCLXV corpora sanctorum martyrum Eusebii et Pontiani comes Girardus de Rossilione largitione Papæ Nicolai ab urbe Roma in Gallias transtulit, et B. Eusebium Pulleriaci, Pontianum vero Verzeliaci, in monasteriis scilicet, quæ ipse fundaverat in Lingonensi diœcesi, ubi hodie requiescunt, honorifice composuit. *Huic repugnant monachi Prumienses in diœcesi Trevirensi, qui corpora* SS. Eusebii *et* Pontiani *Roma ad se perlata fuisse existimant. Etenim in Sacrario ecclesiæ suæ, quod habeo manuscriptum, et impressum, cap. 5 ita scribunt :* Marcuardus comes, et abbas monasterii Prumiensis III, ecclesiam S. Salvatoris E Sanctorum patrociniis condecorari, et muniri desiderans, accepta imperiali epistola a gloriosissimo imperatore Lothario, *(obiit hic in Prumiensi cœnobio anno 855)* Romam profectus, a Sergio Papa *(videlicet II)* quadraginta sex Sanctorum corpora accepit. *Inter hæc numerantur* Corpora SS. martyrum Eusebii et Pontiani,... qui passi sunt Romæ sub Commodo imperatore, et Vitellio judice... una cum SS. Vincentio et Peregrino, quorum festum altera D. Bartholomæi.

Prumienses monachi sibi ea donata putant.

14 *Quæ si vera sunt, jam neque anno 865, ut Sigebertus scribit, neque dono Nicolai Pontificis, horum Martyrum corpora in Galliam sunt perlata. Consultus hac de re Matthæus Klefferus, Prumiensis monachus,* X *Aprilis 1623 ita rescripsit, inter cetera :* Omnino certum est, corpora SS. Eusebii et Pontiani ante tempus ab ipso *(Sigeberto)* assignatum, cum ceteris, quæ fuerunt numero XLVI, Roma Prumiam esse translata per abbatem Prumiensis cœnobii tertium, sub Lothario imperatore et Sergio Pontifice, a quo donata fuere reverendo Marquardo abbati, cum F esset in comitatu domini Ludovici, filii Lotharii imperatoris... quando a patre missus in regem ibi unctus fuit. *Contigit id anno 844, teste Pagio ibidem num. 2, ubi et invenies multos episcopos et abbates cum Ludovico Romam profectos esse.* Nam, *ut prosequitur,* cum omnia Sanctorum corpora suis nominibus nota non sint, hæc tamen sunt. SS. Marii, Marthæ... Eusebii, Pontiani *etc.* Unde, *inquit,* testimonium illud Sigeberti vel ex quadam scientia, vel notitia obscura procedere autumo, vel secundum partem intelligendum, quod quædam dictorum Sanctorum residuæ reliquiæ pro corporibus traditæ fuerint. *Rem ego lectoris arbitrio decidendam permitto, cum ad testimonium Sigeberti alia supra memorata accesserint, quæ Prumiensibus repugnant.*

et corpus S. Eusebii aiunt Arnhemium translatum :

15 *Narrat idem Klefferus, quomodo corpus* S. Eusebii *ex cœnobio Prumiensi anno 1451 translatum sit Arnhemium, Geldriæ urbem, ad Rhenum sitam.* Translatio autem, *ait,* S. Eusebii, quæ facta est sub abbate nostro XLI domino Joanne ab Eps anno Domini MCDLI, sic describitur, ac descripta invenitur apud nos : Corpus

AUCTORE J. S.

pus S. Eusebii ad instantiam Arnulphi ducis Geldriæ, summo Pontifice consentiente, hinc in Arnheim translatum, infinitis claruit miraculis, et argenteæ tumbæ impositum, in festo ipsi dicato a quatuor sacerdotibus ante sectam Calvini processionaliter, et honorifice circumferebatur. Nunc vero Daventriæ asservatur. *Urbs est ad Isalam, primaria Transisalaniæ provinciæ. Translationem sacri corporis Arnhemium, confirmat instrumentum Germanicum, datum anno 1453 die festo S. Remigii, quo consules ceterique magistratus urbis Arnhemiensis, eam omnibus notam facere voluerunt. Hactenus de reliquiis in Galliam translatis, aut Germaniam.*

Corpus S. Pontiani Lucam translatum

16 *Sed, quod spectat ad corpus* S. Pontiani, *vehementer his reclamant Lucenses, qui illud in urbe sua requiescere contendunt. Translationis quidem historiam, prout eam manuscriptam habemus, multis fabulis inquinatam videri, supra diximus : at inde inferre nolumus, corpus* S. Pontiani *Lucam non fuisse delatum. Quippe festum* S. Pontiani XXV *Augusti Lucæ celebrari, ecclesiamque ibidem haberi ejusdem Sancti nomine* B *insignitam, satis constat; hoc autem non temere, nec sine ratione factum credimus. Ughellus certe tom. 1, in episcoporum Lucensium catalogo, col. 803 editionis Venetæ, de hac translatione ita scribit :* Nec prætermittendum videtur, sub ejusdem Petri episcopatu Lucam fuisse delatum corpus S. Pontiani martyris a Jacobo cathedralis archidiacono anno CMXXVI. Ille ipse est, qui post Petrum episcopum Lucensem sedem est assecutus : quam ille reverendam reliquiam a Joanne Pontifice X dono acceperat. S. Pontiani autem festum concelebratur Lucæ die XXV mensis Augusti. *Hinc corrige Tillemontium, qui Ughellum in historia episcoporum Lucensium de hac translatione non loqui asserit. Consentit Ughello quoad translationem factam, quoad tempus vero dissentit, Florentinius in Martyrologio vetustiori ad* XXV *Augusti, ubi ita habet :* Corpora S. Pontiani, et Eusebii tempore Nicolai Papæ translata fuisse in Galliam affirmat Ado in Martyr. : quod de parte tantum reliquiarum accipiendum esse crederem, saltem quoad S. Pontianum. Sigebertus enim scribit in Chron. id accidisse anno DCCCLXV, quando jam Lucam trans- C latum fuerat ipsius S. Pontiani M. corpus a Jacobo diacono, qui deinde episcopus fuit anno DCCCII, ut ex monumentis ecclesiæ S. Pontiani, et tabulario secretiori episcopatus Lucensis constat.

credunt auctores probati : sed incertum quo anno.

17 *Uterque translationem attribuit Jacobo diacono, qui postea fuit episcopus : verum cum duo ejusdem nominis diaconi episcopi facti legantur in Ughelli catalogo, res æque manet incerta. De primo Ughellus hæc scribit col. 797 :* Jacobum archidiaconum Lucensem fratri Joanni defuncto suffecere anno DCCC. *Quæ epocha, si justa sit, non potuit anno 802* S. Pontiani *corpus transferre adhuc diaconus. At editor Ughelli notat in margine annum* DCCCIII; *quæ correctio, si vera est, facit, ut, ex mente Florentinii, id anno 802 præstare potuerit. Alterum Jacobum, cui Ughellus corpus* S. Pontiani *acceptum refert, episcopum creatum dicit anno 934, ita ut id diaconus facere potuerit anno 926, quando Joannes X erat Pontifex. Manuscripta translationis relatio, siquid ea auctoritatis habere debeat, eamque secutus Franciottus, favent Ughello, cum a Joanne Pontifice corpus acceptum dicant; nullus enim Joannes erat Pontifex anno 802,* D *erat 926 : sed alia secutus est instrumenta Florentinius. Quapropter rem relinquimus lectoris judicio decidendam. Ex dictis colliget lector, corpus* S. Pontiani *tribus locis a diversis auctoribus adscribi; quorum autem potiora sint jura, omnino esse ambiguum. Possunt singuli partem habere notabilem, nisi forte alia Martyrum corpora pro aliis sint accepta.*

Quædam S. Vincentii reliquiæ in Hispaniam feruntur translatæ:

18 *De sacris* S. Vincentii *reliquiis in Hispaniam translatis Joannes Tamayus Salazarius tom. 4 Martyrologii Hispani pag. 587 hæc scribit :* Postmodum sacra Vincentii martyris pignora Hispaniam adlata, et collegio Complutensi fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis applicata fuere, ubi honorifice conduntur, et venerantur. *Quibus subjungit :* Quatenus ad translationem sacrarum exuviarum S. Vincentii martyris Roma Hispaniam, et quod iisdem R. P. F. Joannes ab Annunciatione ex ordine Excalceatorum SSS. Trinitatis cum aliis Sanctorum corporibus abs Urbano VIII Pont. Max. fuerit donatus, multis superius diversis in locis diximus, et authenticis diplomatibus probavimus, illasque Complutensi collegio applicatas retulimus tom. II, fol. XLV. E *Hactenus ille. Legi a pag. 45 authentica illa diplomata, sed ne nomen quidem* S. Vincentii *in illis reperire potui : unde relatio Tamayi non parum fit suspecta, cum ejus nomen prætermitti non debuisset, si corpus ipsum fuisset translatum. Verumtamen cum præter corpora Sanctorum in illis relata, reliquiæ quædam aliorum adfuisse dicantur, potuere et* S. Vincentii, *Romæ passi, quædam adesse exuviæ, quæ Complutensi sint donatæ collegio, quamvis id ibidem non habeat.*

conjectura de corpore S. Peregrini:

19 *Henschenius in prætermissis ad diem* XVI *Maii, seu tom.* III *ejusdem mensis pag. 560, affert sequentem de* S. Peregrini *corpore conjecturam :* S. Peregrini corpus in ecclesia Vaticana, quia nuper credi cœpit esse Autissiodorensis episcopi et martyris, a Carolo magno allatum Romam ad S. Leonem Papam III, ideo ibidem hodie colitur cum officio de martyre pontifice : sed quia oratorium S. Peregrini ante Leonis hujus tempora Romæ fuit, omnino credo ex Romanis martyribus unum esse, ac verosimiliter eum, cujus ibidem gloriosa passio inscribitur Martyrologiis ad diem... XXV Augusti. *Porro Octavius* F *Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romæ pag. 516, et Floravantes Martinellus in Roma sacra pag. 279, dicunt quidem oratorium illud ædificatum a Leone III, et* S. Peregrino *dedicatum : verum contrarium probatur ex Anastasio Bibliothecario, quem citant : hic enim in Leone III pag. 203 ita scribit :* Verum etiam et in oratorio S. Peregrini, quod ponitur in hospitali Dominico ad Naumachiam, fecit canistra ex argento pendentia libras quinque et unciam unam. *Unde cum dictum oratorium muneribus honorare dicatur, non autem dicatur ædificasse, illud jam ante exstructum fuisse colligitur. Hac de causa Henschenius in S. Peregrino episcopo Autissiodorensi pag. 563 dicti tomi, rursum suspicatur illud oratorium fuisse* S. Peregrini *martyris unius e quatuor, de quibus agimus : quod si verum est, videtur idem esse, qui colitur in ecclesia Vaticana S. Petri, sub cujus jure hoc oratorium esse affirmat laudatus Martinellus. At, fateor, conjectura mihi apparet non satis certa ad rem decidendam.*

20 *Ceterum, non obstantibus hisce, quæ de corporum translatione jam disputavimus, laudatus*

A *datus Pancirolus pag. 438 scribit, corpora quatuor horum Martyrum Romæ servari in ecclesia S. Laurentii in Lucina, eo, ut vult, translata anno Christi 1112 sub Paschale II Pontifice, idque per Benedictum quemdam canonicum, et laicos quosdam ex ecclesia S. Stephani vetustate collapsa. Quæ omnia eruit ex inscriptione lapidis ejusdem ecclesiæ; at certum magis vellem rei testimonium, priusquam infirmarem prædicta. Si tamen vera sunt, quæ Pancirolus memorat, fieri potuit, ut de corporibus alio translatis servarentur Romæ ossa quædam, eaque in dictam ecclesiam pro ipsis corporibus, ut in his contingit frequenter, fuerint translata. Plura de horum Martyrum sacris reliquiis non addo, licet alibi inveniam sacra pignora ejusdem nominis Martyrum, cum discernere non possim, hisne an aliis synonymis Martyribus sint adscribenda.*

corpora item Romæ servari dicuntur, at non satis id probatur.

ACTA

B

auctore anonymo.

Ex Ms. codice Basilicæ S. Petri, collato cum aliis Mss.

Ex Commodi insania capta occasione a b c d e f

Lectio i. Regnante iniquissimo *a* Commodo, hujus præceptione sic divulgatum est, ut die natalis hujus omne vulgus ad agonem *b* convenirent; et hoc declaravit in curione *c* dicens, ut universitas plebis Romani cœtus Herculis *d* potentis, vel Jovis in laudem adclamarent; ita ut ipse Commodus induisset pellem leonis, et accipiens mitram *e* suam, ante sedem suam simulacrum aureum Jovis *f*, et in agone coram omni hoc cœtu, sedens fluctuabat. Cui omnis populus acclamavit, dicens : Protector Hercules reipublicæ, et defensor libertatis Romanæ audaciæ, quod clamatum est septuagies quinquies.

Sancti fidem prædicantes, g

2 Eodem tempore erant viri Christiani, in quodam loco, in vico qui appellatur *g* Lannarius ; inter quos erant viri religiosi, Eusebius, Vincentius, Peregrinus, et Pontianus servi Dei, et C Domini nostri Jesu Christi, qui facultatem suam pauperibus erogaverant, et Domino servire contulerant. Hi, cum audissent quod Commodus fecisset, deridebant, et per omnem civitatem prædicabant populo, Dicentes : Date honorem Domino Jesu Christo, et recedite a fallacia diabolica, et credite in Deum cæli, Patrem omnipotentem, et Jesum Christum, Filium ejus, unicum Dominum nostrum; et agite pœnitentiam, et baptizemini in nomine ejus, ut deleantur vestra peccata, ne simul pereatis cum Commodo domino vestro.

convertunt Julium senatorem, quem Commodus h

3 Lectio ii. Audiens quidam senator, nomine Julius *h*, hoc publice prædicantes, vocavit eos in domum suam, et instanter audiens prædicationem eorum, credidit; et cœpit facultates suas pauperibus per manus eorum distribuere : et dum omnia erogasset, rogavit ad se quemdam presbyterum, nomine Rufinum, et petiit se baptizari, et percepto baptismo cum omni domo sua, cœpit et ipse publice prædicare nomen Domini, et omnem reditum suum dare, et distribuere pauperibus. Hoc cum nunciatum fuisset Commodo; iratus jussit eum teneri. Qui cum ei fuisset præsentatus, dixit ad eum : Juli, quomodo amens factus es, ut deseras Deum Jovem et Herculem : et quæras *i* amentiam vanam? Cui respondit viriliter : Simul cum eis pereas *k*, qui simul ore mentiris. A. Anonymo. i k

libere respondentem tradit Vitellio, cujus jussu fustibus necatur. l m n o p

4 Lectio iii. Eodem tempore tradidit eum cuidam Vitellio exmagistro peditum, cui præcepit, ut omnes facultates ejus requireret, et coactaret eum, ut sacrificet Deo Herculi : quod si non acquieverit, et sacrificaverit, non vacet *l*, diutius vivere. Suscipiens denique eum Vitellius vicarius, fecit eum in custodia coarctari, et post triduum jussit sibi tribunal parari in *m* tellure, et ante conspectum suum præsentari. Et cum præsentatus fuisset, his verbis eum alloquitur, dicens : Julium reum introduci præcipimus nudum *n*, catenis munitum. Et conversus ad eum Vitellius dixit : Cognoscis præcepta principum, qui jusserunt, ut deponas pertinaciam tuam, et adores, et sacrifices Deo Herculi, et Jovi? Respondit Julius libere, et dixit : Et tu, et princeps tuus simul pereatis *o*. Vitellius vicarius dixit : In quem tamen præsumis, quia jam damnatus es? Respondit Julius : In Domino nostro Jesu Christo, qui te damnat, et principes tuos, in interitum æternum. Hoc audiens Vitellius jussit fustibus cædi, qui dum cæderetur *p* emisit spiritum. Cujus corpus præcepit ante amphiteatrum jactari. Noctu vero collegerunt corpus ejus Eusebius, Pontianus, Peregrinus, et Vincentius, et sepelierunt in cœmiterio Calepodii, sub die quarta decima Calendas Septembris per Jesum Christum Dominum nostrum. E

Capti Sancti quatuor interrogantur. q r

5 Lectio iv. Eodem quoque tempore hoc audiens Vitellius, quia Eusebius, Pontianus, Peregrinus, et Vincentius collegissent corpus beati Julii, præcepit ut tenerentur, et adducerentur ante conspectum suum. Et dum præsentati fuissent, dixit ad eos : Vos diripuistis facultates Julii, cum et corpus ejus vos constet collegisse. Respondit Eusebius : Nos fecimus, et quia *q* meruimus. Vitellius dixit : vere meruistis thesauros alienos diripere, et facultates *r* vobis non traditas abstrahere. Date facultates Julii, ne pereatis, sicut ille periit. Respondit Eusebius, dicens : Nos ita optamus. Vitellius dixit : Date facultates Julii, et sacrificate diis. Respondit Vincentius, et dixit; Non sunt dii, sed dæmones, qui vobiscum torqueri habent in æternum. F

ac variis tormentis cruciantur:

6 Lectio v. Eadem vero hora jussit, in equuleo facie ad faciem levarentur; et extendi nervis, et cædi fustibus, sub voce præconia dicens : deos, et principes nolite blasphemare. Et jussit cessare tormenta : et dicit Vitellius : Parcite vobis ipsis, et sacrificate diis. Respondit Eusebius : Miser, fac quod facis, noli cessare; quia si nos speras a fraternitate domini nostri Julii separari, perdis horas tuas. Vitellius dixit : Isti confidunt de magia, ut in tormentis gaudeant. Respondit Vincentius; Nos et gaudemus, et exultamus in Domino nostro Jesu Christo. At ille iracundia plenus, jussit ut flammæ ad latera eorum applicarentur; illi autem voce clara dixerunt : Gloria tibi Domine, qui nos visitas.

quorum sanguinem detersum ab Angelo videns Antonius carnifex convertitur.

7 Unus autem de carnificibus *s* vidit oculis suis stantem juvenem cum spongia, et tergentem latera eorum, et cœpit clamare voce clara : Vere Deus est Christus, quem ii prædicant. Ego vero video angelum stantem, et lavare eos. Respondit Vitellius cum clamore, dicens : O seducto-

A. ANONYMO.

s seductores! O magica ars! Qui seduxerunt hominem clarissimum, approbatum reipublicæ. Eadem hora carnifex nomine Antonius credidit, qui tamen occulte fugit ad sanctum Rufinum presbyterum, quem suscipiens beatus Rufinus, baptizavit cum in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.

Lingua S. Eusebius præfecta loquitur: Antonius martyrio coronatur:

8 Lectio vi. Tunc Vitellius deposuit eos de equuleo, et dixit ad eos: Quare crudeles estis vobis ipsis, et non deponitis insanias falsas, et adoratis deos cum sacrificiis, et vivetis? Respondit Vincentius; Miser, tu crudelis es, qui tibi non *t* parcis: et nobis dicis, Crudeles? Vitellius dixit: Quomodo? Quia derelinquis Deum cæli, et terræ et quæris mortem perpetuam; et vos, et illi, qui in hac condemnatione constituti estis. Vitellius dixit: Ego quæro mortem perpetuam, an vos, qui hæc tormenta patimini? Eusebius dixit: Nos in gloria constituti sumus, tu vero in condemnatione cum principe tuo diabolo, cum quo periturus es in gehenna æterna. Iratus Vitellius jussit Eusebio linguam præcidi: et ejecta lingua ex ore beati Eusebii: ecce currens B Antonius clamabat: Miser Vitelli, quid facis hominibus sanctis? Tunc cœpit Vitellius *u* sanguinem per os evomere. Clamabat vero Eusebius sine lingua, voce clara: Gloria tibi Domine Jesu Christe, qui dignatus es me cum servis tuis ad gloriam pervenire. Eadem hora quidam Christianus, nomine Faustus, collegit linguam beati Eusebii, et misit in tunicam suam in sinu suo, et fugit. Eadem hora jussit Vitellius Antonium capitis subire sententiam, qui ductus in via Aurelia juxta formam *x* Traiani decollatus est undecimo Calendas Septembris: per Jesum Christum Dominum nostrum.

sacerdos Capitolii cæcus Martyres visitat, et baptismum petit,

9 Lectio vii. Beatum vero Eusebium, Vincentium, Peregrinum, et Pontianum, maceratos plagis, jussit in carcerem recludi. Reclusi vero cœperunt omni die, ac nocte in hymnis Deo gratias agere: ad quos veniebant multi Christiani, et confortabantur ab eis. Post triduum vero veniens ad eos beatus Julius *y* quasi in corpore, visitavit eos, quibus videntibus dixit: Salvate custodem carceris. Et post aliud adducebantur ad beatos Martyres cæci etiam et infirmi, et eorum orationibus salvi fiebant. Veniens autem quidam C sacerdos capitolii cæcus, rogabat ut baptizaretur. Cui dixerunt: Si credis ex toto corde, et illuminaberis et vita æterna frueris. Respondit Lupulus sacerdos, et dixit: Ego credo, et ideo ad vos confugi, etiam et vobiscum desidero in his vinculis mancipari.

qui baptismo suscepto visum recipit, quo miraculo custos carceris convertitur.

10 Lectio viii. Tunc rogaverunt ad se sanctum Rufinum, qui veniens ad carcerem interrogavit Lupulum cæcum: Si credis ex toto corde? Ille autem clamavit dicens: Credo in dominum Jesum Christum, Filium Dei Patris, quem cognovi in sacrificio dæmones confiteri, et catechizavit eum, et benedicens aquam, deposuit eam in pelvem, et baptizavit. Cui ita dicebat: Credis in Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, et in Christum, et in Spiritum sanctum? Cui respondit Lupulus: Credo, domine. Et dixit: Si credis, fiat tibi quod desideras. Tunc voce clara exclamavit: Credo, illumina me Domine Jesu Christe. Eodem vero clamante, cucurrit custos carceris, et vidit illuminatum Lupulum, qui fuerat ab annis quatuor cæcus, et misit se ad pedes Sanctorum, ut baptizaretur, quem beatus Rufinus in ipsa hora baptizavit nomine Simplicium: eadem hora Simplicius post baptismum suum cum lacrymis declaravit corpus Antonii D martyris, ubi jaceret. Post sextum vero diem inventum corpus sanum et illæsum rapuit beatus Rufinus presbyter, et sepelivit in cœmiterio Calepodii in crypta die octavo *z*.

mors et sepultura martyrum.

11 Lectio ix. Vitellius intimavit omnia gesta imperatori Commodo de Sanctis, et quomodo loqueretur Eusebius sine lingua. Cui ita præcepit, dicens: Extingue eos. Ipsa autem die jussit sibi tribunal parari in Tellure, et adduci ad se Eusebium, Vincentium, Peregrinum, et Pontianum: sub voce præconia *aa* introducti sunt. Vitellius dixit: Introducantur rei. Qui venientes in conspectum ejus; dicit Vitellius: Afferte tripodam, ut sacrificent ii. Illi autem exspuentes deriserunt eum. Respondit Eusebius: O miser, cujus cor implevit diabolus. Eadem hora dedit sententiam, dicens: Ante amphitheatrum plumbatis exhalent. Qui ducti ad petram sceleratam *bb* cum plumbatis *cc* sub voce præconia necati sunt. Quorum beatorum martyrum corpora; Eusebii videlicet, Vincentii, Peregrini, et Pontiani collegit beatus Rufinus, et sepelivit non longe ad urbe Roma miliario sexto, in arenario inter viam Aureliam, et E triumphalem, *dd* octavo Calendas Septembris. Quos perduxit quædam matrona impositos, in birotis *ee* vehiculo, ubi florent orationes eorum usque in hodiernum diem, ad laudem, et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat nunc et semper in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Solus post patrem imperavit ab anno 180 usque ad 192, ut vult Pagius. De impiis ejus moribus quædam diximus § 1 Commentarii prævii. Plura Herodianus, Dio, Lampridius, et alii.*

b Ad agonem, *ita Ms. Bodecense. In aliis additur* martyrii, *quod videtur redundare. Eusebius in Chronico ad annum 192 scribit:* Commodus multos nobilium interficit, et spectacula populo Romano præbet insignia. *Horum sæpius meminere Herodianus, et Dio in Commodo, sed quo præcise anno non exprimunt.*

c Curia *Ms. Bodecense.*

d *Sibi scilicet acclamaret, et patri suo Jovi: nam se Herculem, Jovis filium, dici volebat.* F *Audi Herodianum lib. 1:* Eoque vecordiæ petulantiæque processit, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio, Herculem se Jovis filium jusserit appellari: depositoque principum Romanorum cultu, leonis pellem substerneret, manuque clavam gestaret. *Lampridius in Commodo:* Accepit, *ait,* statuas in Herculis habitu, eique immolatum est, ut Deo. *Dio in Commodo:* Multa cognomina sibi sumpsit Commodus, sed præsertim Herculis. *Et post pauca, quam insigniter ei adularentur, declarans:* Pleræque, *inquit,* statuæ habitu Herculis ei collocatæ sunt, decretumque fuit, ut id tempus, quo principatum teneret, nominaretur seculum aureum, idque in omnibus litteris scriberetur. Hic vero aureus, hic Hercules, et Deus (jam enim audiebat hæc nomina) *etc.*

e *Mitra vario modo sumitur, ut videre est in Glossario Cangii. In primis muliebre erat capitis tegumentum:* Erat autem, *inquit Cangius tom. 4, pag. 842,* mitra tæniæ species, qua mulieres caput cingebant; quod ornamentum ita ipsis proprium existimabatur, ut viris probrosum

esset,

A esset, iisque non nisi in desidiæ insimulationem concederetur. *Non abhorrebat hoc tamen a moribus Commodi, qui muliebrem etiam ornatum adamavit. Audi Herodianum citatum supra, ubi sic prosequitur :* Simul purpureas sibi atque auro intextas vestes circumdaret, non sine omnium irrisione : quippe eodem schemate et fæminarum luxum, et heroum virtutem repræsentabat. *Lampridius clarius significat, quam non abhorruerit ab habitu muliebri,* Clava, *inquiens,* non solum leones in veste muliebri et pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. *Hæc itaque significatio mitræ non male huic loco congruere videtur. Quamvis etiam accipi possit alia significatione, a Cangio his verbis indicata :* Mitram denique vocabant nostri capitis tegumentum, quod imperatorum, et regum coronis substernitur.

f *Sensus est minus perfectus : adde* habens, *aut quid simile. Ms. Bodecense ita habet :* Ita ut ipse rex Commodus indueret pellem leonis, et accipiens mitram suam ante propriam sedem, simulacrum aureum Jovi statueret, et in agone coram
B omni cœtu sedens, illud adoraret.

g Lannarius, *duo Mss.* Canarius, *Bodecense* Chanarius, *Bellovacensis et Surius,* Carnarius. *Rectius, ut videtur, Baronius ad annum 192 num. 2,* Lanarius, *quod probat hoc modo, explicans simul hunc locum :* Accidit, ut Christiani quidam tantam impietatem, imo stultitiam Commodi, cum deus Hercules dici vellet, æquo animo ferre non valentes, palam per urbis publicas vias istæc Commodi ludicra riderent, subsannarent, atque damnantes detestarentur : unde et suppeditata est illis occasio subeundi martyrium. Fuerunt hi Eusebius, Pontianus, Vincentius, et Peregrinus : quos Romæ habitare consuevisse in vico Lanario, scripta Acta eorum, quæ legimus, docent : licet, quæ sunt typis excusa, habeant, sed depravate, vicum Carnarium, cujus nominis nullum vicum Romæ fuisse legimus, sed bene Lanarium; imo ejus nominis duos, quorum alter in tertia regione erat, quæ Isidis, et Monetæ dicta est; alter vero in regione septima, Via lata, qui dictus est Lanarius vicus ulterior, ut ex Publio Victore, et Sexto Rufo constat.

h *Actum est de S. Julio ad diem 19 Augusti.*
C *Baronius num. 6 :* Sed quod ad Julium, *inquit,* senatorem a Commodo occisum pertinet, æque suspicio mentem pulsat, num hic ille ipse sit Julius Proculus senator, quem Lampridius inter senatores ab eodem imperatore occisos adnumerat, eumque a Commodo necatum esse cum suis tradit : eos enim omnes cum ille recenseat, privatam cujusque necis causam prætermittit. *Eumdem esse mihi admodum est verisimile, nihil tamen certi cum Baronio statuere possum.*

i Amentiam, *ita pleraque Mss. Aliud,* Amicitiam.

k *Crediderim, honestioribus verbis imperatori insinuatum fuisse, periturum cum diis suis, si in eorum cultu perseveraret. Ms. Bodecense ita solum habet :* Adhæc constanter respondens Julius. *Ms. Gallicum, ut et Bellovacensis fere, et Surius :* Tu simul pereas cum diis tuis, quos vario errore deos esse temerario ore mentiris. *Scio responsa Martyrum similia displicere severioribus criticis, nec dubito quin huc etiam respexerit Tillemontius citatus § 1. cum dixit, discursus quosdam in his Actis reperiri, qui sustineri non possint. Duplici itaque modo ostendo hinc Acta non repudianda, ut fabulosa. Primo, si responsa durius ab auctore expressa sint, quam a Sancto fuere prolata, non idcirco facta, quæ tradit, historica rejicienda sunt; uti facta, quæ narrat Livius, Curtius, et similes Historici, non negamus, etiamsi sciamus multos ab ipsis discursus fuisse aliter scriptos, quam fuere prolati. Secundo erudite ostendit Honoratus a S. Maria in Animadversionibus ad regulas critices diss. 4, art. 8 duriora hæc Martyrum responsa inveniri etiam in Actis maxime sinceris, atque adeo ex his infirmum duci argumentum, ad ostendendum Acta esse corrupta, aut fabulosa. Et vero cur non credamus sanctos Martyres durius quandoque tyrannis respondisse; qui novimus S. Paulum apostolum Act. 23 dixisse :* Percutiat te Deus, paries dealbate? *Quibus similia non desunt in sacris Litteris. Hæc ad objectionem Tillemontii ex discursibus desumptam.*

l Vacet, *sensus exigere videtur* sinat, *aut quid simile. Potest tamen exponi hoc modo :* Non vacet ei diutius vivere. *Ms. Bodecense habet :* Quacumque vellet morte occideret.

m In tellure : *ita Mss. duo. Alia cum im-* E
pressis habent, In Tellude. *Templum Telluris variis locis apud Panvinium in Urbe Roma reperio. Martinellus in Roma sacra pag. 38 de hoc templo ita scribit :* In Telluris seu Telludis templo, quod ex Actis martyrum conjicitur fuisse inter amphitheatrum, et templum Palladis, quod erat proximum ecclesiæ S. Sebastiani in Palladio, ac prope Solis simulacrum. *In hunc locum sæpe senatum cogi consuevisse, jam notarunt majores nostri locis variis. Plurium Martyrum tormentis hunc locum nobilitatum invenies apud Martinellum laudatum. Videri potest Rosweydus in annotatis ad Martyrologium Adonis ad* VI *Idus Maii.*

n *Non prorsus nudum fuisse existimo, sed vestibus senatoriis exutum. Quamvis ne quidem incredibile esset sub Commodo, omnino nudum introductum fuisse, ut facile possem ostendere, si vocis* nudus *significatio id exigeret.*

o Pereatis. *Alia Mss.* peribitis. *Consule dicta ad litteram* i.

p *Videsis dicta in Commentario a num. 7, ubi ostendi, id non esse incredibile sub Commodo. De cœmeterio Calepodii lit.* x.

q *Mira apparet responsio. At videntur ita* F
respondere, quia negare non poterant opes S. Julii senatoris sua opera pauperibus esse erogatas. In Ms. Bodecensi responsio est mutata, hoc modo : Corpus quidem ejus sepelivimus, sed de facultatibus ejus nihil prorsus abstulimus, nisi quantum per manus nostras, ipso adhuc vivente, pauperibus erogavimus. *Videtur auctor sensum facere voluisse probabiliorem, ut quandoque alibi. Sed, mea quidem sententia, præferenda sunt Mss. Romana.*

r *Mss. Romana hic prorsus erant mendosa. Sensum itaque suppleri ex Lucensi, quod aliis præplacet hoc loco. Gallicum habet :* Quia meruistis thesauros alienos diripere, difficultas vobis non sit reddi.

f *Hujus infra narratur martyrium. Antonius in Mss. omnibus vocatur : Antoninum vocavit Bellovacensis, sub quo nomine Martyrologio Romano insertus est* XXII *Augusti, ubi de eo actum.*

t *Ms. Bodecense :* Miser, tu potius crudelis es, qui nec tibi parcis, nec nobis.

u *Potuit hoc fieri præ nimia iracundia : uti contigisse Valentiniano imperatori ex historiis constat.*

x *Arin-*

A. ANONYMO.

x *Aringhus in Roma subterranea lib. 2, cap.* XI *viam et portam Aureliam describit : in qua docet fuisse formam Trajani, de qua ita :* Sane in beatorum Martyrum Actis frequens admodum mentio habetur Trajanæ cujusdam formæ, aquæductus videlicet, qui inibi extabant. Quin imo et in vetusto quodam lapide, et apud Publium Vict. de aqua Trajana mentio incurrit. Quocirca verisimile nobis fit, Trajanum imperatorem hujuscemodi aquæductus, viamque cum eis pariter instaurasse, iisdemque restitutis suum utrique nomen imposuisse : *viæ scilicet, quam communius Aureliam dictam, Trajanam etiam vocari dixerat, et formæ seu aquæductibus. Cap. 12 in eadem via Aurelia situm cœmeterium S. Calepodii, ubi supra sepultus dicitur S. Julius, fuse describit, atque a S. Calepodio presbytero et martyre nomen sortitum esse docet. De S. Antonio diximus lit.* f.

y *Hæc apparitio prætermissa est in Ms. Bodecensi.*

z Die octavo, *nempe a martyrio ejus.*

B aa Sub voce præconia, *seu præconis, ut scilicet omnibus causa innotesceret.*

bb Petra scelerata, *inquit laudatus Martinellus pag. 39,* erat locus in Urbe, unde supplicia de reis sumenda exprimebantur voce per præconem, ut omnibus causa notesceret, licet etiam aliquando id fiebat per inscriptionem. *Fuisse prope amphitheatrum ex eodem pag. 27 clarescit, et ex his Actis confirmatur. Petram quamdam, quam hanc ipsam credunt, in qua multi Martyres occisi sunt, in cryptis Vaticanis religiose servari scribit memoratus modo Aringhus lib. 2, cap. 4, qui nomen* Sceleratæ *isti petræ odio Christianorum a gentilibus impositum fuisse existimat. Neque multum ab his abludit Baronius ad annum 192 num. 5.* D

cc *Ex Antonio Gallonio de Martyrii instrumentis pag. 47, Plumbatæ sunt lora ex pluribus funibus, superius in nodum colligatis, quibus inferius globi innexi sunt plumbei, glandium instar : his collum humerosque percutiebant. Notat auctor, his percussos tantum fuisse homines ignobiles, et, licet legibus vetitum esset, ne id fieret usque ad mortem, variis tamen de causis id non raro factum.*

dd *De porta et via triumphali consuli potest Aringhus lib. 2, cap. 3. Inter hanc et viam Aureliam in arenario seu crypta subterranea Sanctorum corpora sepulta sunt.* E

ee Birotum *est vehiculum constans duabus rotis. Aliud Ms. habet* birotis vehiculis, *plura enim videntur adhibita.*

DE S. MAGINO VEL MAXIMO M.

APUD TARRACONENSES IN CATALONIA

J. P.

Sylloge de cultu, miraculis, et Actis.

SUB MAXIMINO, UT FERTUR. *Ejus memoria in Martyrologio Romano,*

Tarraco, *urbs est Hispaniæ in Catalonia, in cujus territorio certavit ac vicit* S. Maginus, *vel, ut alii eum nominant,* Maximus, *martyrii laurea, ac publico decoratus cultu. Refertur in Martyrologio Romano hac die :* Tarracone sancti Magini martyris. *Joannes Mariana de Rebus Hispaniæ lib. 4, cap. 9, ad annum 236,* Maximus, *inquit,* et socii hoc tempore pro religione sanguinem profudisse memorantur, ad Bufragani montis specum, a Tarracone viginti quatuor millibus passuum. Unde is ad necem extractus est, eo loco templo dicato colitur; et fortassis Maximus hic est, quem cives Tarraconenses vulgo sanctum Magi nuncupare soliti sunt. *Ambrosius de Morales in Chronico Hispaniæ libro 9, cap. 43 scribit, nullam de* S. Maximo *haberi mentionem in Martyrologiis, nec in episcopo Equilino, neque in breviariis, quorum multa se affirmat vidisse in Hispania. Sanctum vero illum censet esse eumdem, quem Tarracone communiter vocant* S. Magi, *multis etiam hominibus idem nomen habentibus, e pio patrum affectu ad se traductum.* C

ædes sacra:

2 *Domeneccus in Historia Sanctorum Cataloniæ varia collegit de* S. Magino *a folio 78 verso, et inter alia vult, eum canonizatum fuisse, atque hanc de ea re testificationem,* Magini martyris in montibus Brufaganiæ pro Christo passi, *in Catalogo Sanctorum scriptam invenisse Sagarram, qui Alexandro VI erat a secretis, eamdemque misisse ad locum S. Colomæ, patriam suam. Dicta testificatio seu scriptura apud Padillam parte 1 Historiæ ecclesiasticæ Hispaniæ, centuria 3, cap. 4, fol. 103 sic incipit :* Canonizatio Magini martyris; *quæ non habet ullam veri speciem. Domeneccus memorat, corpus ejus in eodem loco, in quo capite truncatus fuit, sepultum esse, in sacello videlicet ecclesiæ infra altare : item Deo non placere, ut idem corpus conspiciatur, ac publicæ venerationi exponatur, manibus eorum, quibus commissa erat cura illud effodiendi, dum excavata esset terra usque ad lapidem sepulcralem, paralysi correptis, ac deinde adstantium precibus ad priorem statum reductis, sicut refert idem Domeneccus. Superest, ut narremus, quæ de aliis Sancti prodigiis circumferuntur.* F

miracula quædam

3 *Moralesius ex Ludovici Icarti libro de Magnitudine ac rebus memorabilibus Tarraconensis civitatis affirmat, in caverna Sancti (dicitur enim solitariam in ea vitam duxisse, ut postea videbitur) et in ejusdem ecclesia accidisse multa miracula, sufficienter approbata. Verum cum auctor ille non sit nobis in promptu, aliunde contrahemus quædam miracula, sive sint eadem sive diversa. Domeneccus postquam generatim dixisset, cæcos, surdos, febricitantes, morbo contagioso, aliisque infirmitatibus laborantes in ejus sacello sanari, Deumque indidisse virtutem fonti ipsius, varias curandi infirmitates, subdit ista singillatim.*

referuntur.

4 *Paulus Ferrerius e loco S. Colomæ de Querald, ut vocat Domeneccus, ex magna infirmitate prorsus visu privatus, ac duobus mensibus cæcus, ad cavernam ac sepulturam sancti Martyris,*

A *tyris remedium quærit, ac perfectum oculorum usum adeptus est.*

Michael Mercerus, ex loco Benicarlo, captus fuerat a Mauris, et, quia male ab eisdem tractabatur, infirmus, ac auditu privatus. Sed a captivitate redux, invocato S. Magino, *usum sensus istius recuperavit.*

Bernardus Folgarus, natus ad S. Clarum in regno Galliæ, morbo Gallico miserrime conflictatus est. Novenam instituit in sacello Martyris, lavit se aqua fontis ejus, ac perfectam sanitatem obtinuit.

Uxor domini Lordi, e loco, qui dicitur Borriana, in regno Valentiæ contraxerat luem pestiferam, ac febrim admodum gravem: dumque jam cum morte luctaretur, maritus ipsius aquam e fonte Martyris potandam ei præbuit, ac certo voto se obstrinxit: et eadem hora, qua biberat dictam aquam, reliquit eam febris, et intra dies quatuor convaluit.

Mulier quædam contracta ac paralytica, facto voto tam a se quam a suo marito, sospes fuit die quinta.

B *Uxor Joannis Morati e loco Olot in episcopatu Gerundensi, per annos septemdecim sterilis erat: applicat sibi Sancti mensuram (forte cingulum hic indicatur) magna cum devotione, et in fine mensium novem parit filium.* Denique Sanctus iste tot patrat miracula, *sicuti addit Domeneccus*, ut quasi sint infinita. *Hæc nos in fide Domenecci, superiora de eo referentis.*

Acta. 5 *Quæ de Martyris Actis memorant Marieta, Domeneccus, ac Moralesius, nullius vel exiguæ nobis sunt auctoritatis, quia non ostenditur monumentum aliquod antiquum, e quo transmissa fuerint ad posteros a seculo Christi tertio, quo vixit Maximinus, et quo imperante fertur hic sanctus Pugil martyrii coronam consecutus. Reddimus tamen Latine, quæ habentur apud Moralesium Hispanice ex Icarto in hanc sententiam: Sanctum, inquit, degentem in montibus, quibus nomen Bufraganiæ, sex leucis a civitate (de Tarraconensi est sermo) distante, ac in cavernam abditum, ut Deo serviret, quia Christianus erat, ad civitatem adduci jussit præses quidam imperatorum; dumque a fide Christiana amovere eum non posset, duræ custodiæ eum addixit. Ubi filiam præsidis a dæmonio possessam sanavit: ac postea per miraculum carcere solutus rediit ad cavernam suam in monte: quem præses ibidem quæri mandavit; et post cruciatus tandem caput ei amputatum est, multis miraculis in ista caverna, et in ecclesia Sancti, quæ ibi est, patratis, prout comperiet, inquit, sufficiente cum approbatione, qui in dicto auctore videre id voluerit.* AUCTORE J. P.

et nonnulla apocrypha eisdem assuta. 6 *Narrat Domeneccus ex relatione populari, quod in locis, ubi guttæ sanguinis ceciderunt, nascantur rosæ, unam alteramve maculam coloris sanguinei in foliis suis habentes, in testimonium illius sanguinis, quem ibidem Martyr effudit; sed hodiedum, uti addit, paucas ex hisce rosas reperiri ob rationes, quas subdit. Verum relatio ista nobis displicet, tum quia popularis est, tum quia multum videtur habere de phantasia. Tamayus hoc die agens de sancto* E *nostro Martyre, aperit more sibi consueto officinam falsitatum, quæ ex eadem prodierunt, plaustris infamem. Etenim præter personatum Flavium Dextrum, ac Luitprandum, quos allegat; profert Acta metrica, quæ a S. Orentio episcopo Illiberitano scripta fuisse affirmat. Apud Harduinum quidem tomo 2 Conciliorum columna 1044* Orontius episcopus Illeberitanæ civitatis, *qui concilio Tarraconensi, anno Christi 516 habito, subscribit; sed additur ad marginem* forte Ilerditanæ ex Tarraconensi provincia; *alium vero alterutrius cathedræ præsulem non novimus; nedum sanctum ac biographum, qui a Tamayo obtruditur, larvatis auctoribus assueto, et de quo pluribus agit ad diem* VII *Julii: ubi fictitius Maximus cum suis commentatoribus in scenam prodit. Consuli possunt, quæ addictum diem habentur apud nos inter Prætermissos.*

DE S. GENESIO MIMO ET MART.

C F

ROMÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

Mira Sancti conversio, memoria in antiquis Martyrologiis, tempus martyrii, Acta, et diversa eorum exemplaria

EXEUNTE SECULO III AUT INEUNTE IV. *Hic Sanctus mirabiliter*

Prodigiosam divinæ gratiæ virtutem evidenter agnoscimus in hoc Sancto, qui tunc ad fidem Christianam subito conversus est, quando sacra ejusdem fidei mysteria publice ludibrio gentilium exponebat, et hinc discimus, quam incomprehensibilia sint judicia Dei et absconditæ viæ ejus, quibus homines nonnullos ad æternam salutem perducit. Duo similia divinæ gratiæ miracula jam occurrerunt in Opere nostro ad diem XXVII *Februarii et* XIV *Aprilis, quibus addi poterit ad diem* XV *Septembris subita conversio* sancti Porphyrii mimi, qui coram Juliano apostata per jocum baptismum suscipiens, Dei virtute derepente mutatus, Christianum se esse professus est; ac mox, jubente eo, securi percussus, martyrio coronatur, *ut Martyrologium Romanum illo die annuntiabit.*

ex histrione Martyr factus 2 *Haud dubie Theodoretus Cyri episcopus hæc mirabilium conversionum exempla designat, dum Sermone* VIII *de Martyribus in editione Jacobi Sirmondi nostri tomo 4 Operum suorum pag. 606 varias Martyrum conditiones exponit his verbis:* Examinemus, quinam fuerint, et unde orti, qui hac gratia donati sunt. Num clari forsitan et illustres quidam, qui se generis nobilitate jactarent, aut divitiarum copia circumfluerent, aut potentatu aliquo celebres facti essent?

Minime

AUCTORE G. C.

Minime gentium, o viri! Nihil horum illi habuerunt; sed privati homines gregariique fuerunt. Nonnulli vero ipsorum famuli etiam et ancillæ, quæ infirmis in corporibus generose certarunt; alii matrimonii jugum caste trahentes; aliæ nuptias nondum expertæ. Audio ego vero, nonnullos etiam in scena educatos, repente in athletarum ordinem transiisse, victoresque factos, coronam esse consecutos, et postquam renuntiati fuerunt, magno dæmones terrore concussisse, quibus olim subditi fuerant. Multi quin etiam sacerdotes et neocori * contra impietatem trophæa sustulerunt. Ex tal'bus ergo viris ac feminis Martyrum chori constituti sunt. *Videtur hic Theodoretus alludere ad* S. Genesium *similesque histriones, qui repente in Martyrum ordinem transierunt, et e scena vel theatro ad cælum migrarunt.*

* id est æditui

die 24 Augusti vel sequente;

3 *Quidquid sit de intentione Theodoreti, hodiernus ille Martyr noster in antiquissimis Ecclesiæ Fastis ad diem* XXIV *vel* XXV *Augusti celebratur Martyrologia Hieronymiana, apud Florentinium, et Wandelbertus in Usuardo illustrato apud Sollerium nostrum die* XXIV *hujus* B *mensis* Romæ sancti Genesii Martyris *memoriam annuntiant. Sed Ado, Usuardus, et vetus Martyrologium Romanum Rosweydi, festum ejus ad diem sequentem differunt, quorum vestigiis insistimus cum Martyrologio Romano hodierno, quod eumdem sanctum Martyrem exornat hoc elogio :* Item Romæ, sancti Genesii martyris, qui primum sub gentilitate mimus, cum in theatro, spectante Diocletiano imperatore, mysteriis Christianorum illuderet, a Deo inspiratus, repente conversus ad fidem et baptizatus est. Mox imperatoris jussu fustibus crudelissime cæsus, deinde in equuleo suspensus, et ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide Christi persisteret dicens: Non est rex præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis; martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit.

in antiquis Martyrologiis celebratur,

4 *Nescimus, an eodem die hic Martyr in vetustissimo Kalendario Carthaginensi colatur, cum dies annuæ festivitatis ibi erasus sit, et locus ejus apud Mabillonium tomo 3 Analectorum pag. 412 punctis expleatur hoc modo : . . .* C KAL. SEPT. SANCTI GENESI MIMI. *Sed expressius die* XXV *Augusti* NATAL. S. GENESI *celebratur in veteri Kalendario Romano, quod Joannes Fronto Canonicus Regularis anno 1652 Parisiis edidit, et cujus antiquitas ante annum Christi 731 collocanda est, ut ibidem laudatus editor in Prænotatis § 2 probat. Cum Frontone aliisque verosimilius opinamur, in hoc Kalendario Romano potius annuntiari* S. Genesium *Romanum, quam Arelatensem ejusdem nominis martyrem, de quo inferius agemus. Hæc autem opinio nobis longe probabilior videtur, eo quod* S. Genesius *Romanus a multis seculis Romæ habuerit ecclesiam suo nomine appellatam, cujus tectum Gregorius III Pontifex ante annum Christi 741 noviter restauravit, ut in novissima Romana editione Anastasii Bibliothecarii tomo 4 pag. 202 vel sect. 199 legitur.*

et adhuc hodiedum in Italia

5 *Etiam probabilius ad* S. Genesium *Romanum ex histrione martyrem spectat ecclesia, de qua Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum die* XXV *Augusti narrat sequentia :* Solemnis dies est sancti Genesii, sive Romani sive Arelatensis hoc ipso die XXV Augusti in pago Lucensi BARGECCHIA nuncupato, ubi ecclesia est ejusdem nomini dicata, et anniversarium prodigium ætate nostra a me etiam visum perdurat; nec illud breviter hic adnotare ad sancti Martyris gloriam alienum duxi. In pervigilio festi sancti Genesii (mimum signare ibi videntur vetustæ imagines, et mimum recolit hoc die Rabanus) magnus fit ex convicinis populis ad ecclesiam illam concursus : qui enim epileptico morbo laborant, familiaribus vel propinquis stipati ad sanationem vel miranda soli circumpositi ad ecclesiam alacres pergunt. D

prope urbem Lucensem colitur.

6 Vix terram sacram illam attingunt, qui hujusmodi morbo laborant, cum statim epileptico insultu apprehenduntur, et in terram delapsi piorum manibus ad ecclesiæ porticum devehuntur, totaque pervigilii nocte aliorum auxilio a porticu ad crucem in extremo sacræ illius telluris appositam vehuntur et revehuntur, creberrimis morbi paroxismis vexati. Plurimi integram sanitatem adipiscuntur; reliquos constans fama est per annum a morbo ulterius non apprehendi. Omnia hæc quotannis omnium adstantium oculis obvia sunt, digna ut inter miranda ea referantur, quæ tamquam genuinæ Ecclesiæ signa voluit Deus esse perennia. Epilepsiam inde circumstantes populi vocant MORBUM SANCTI GENESII, et in illum, qui stare loco nescit, parœmiam jactant : TETIGIT TERRAM SANCTI GENESII. *Nos hac in re Florentinio testi oculato fidem adhibemus, et alibi per intercessionem Sanctorum similia annua miracula contingere non ignoramus. Hæc ad immemorabilem et hactenus perseverantem sancti Martyris nostri cultum dicta sufficiant. Jam tempus hujus martyrii præterpropter assignare conabimur.* E

Inquiritur tempus Passionis,

7 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis martyrium hujus* S. Genesii *ad annum Christi 303 num. 118 refert his verbis :* Tunc etiam egregium spectaculum Urbi præbuit Genesius mimus, qui in theatro, imperatore spectante, cum mysteriis Christianorum illuderet, repente Dei virtute mutatus, serio agere cœpit, quod jocis antea actitabat; usque adeo, ut perfecte factus Christianus, Christumque alta voce confessus, tormentis exagitatus, consecutus fuerit tandem coronam martyrii. *Erravit itaque Pagius, dum in Critica historico-chronologica in Annales Baronii ad annum Christi 303 num. 10 sic scripsit :* De hoc sancto Genesio nullum verbum habet Baronius in Annalibus, licet de eo loquatur in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem XXV Augusti, quo, sicuti alter sanctus Genesius Arelatensis, de quo statim, colitur. Hinc, ut opinor, factum, ut Mombritius et quidam alii ex duobus Genesiis unicum fecerint, quod eo proclivius fuit, quo Arelatensis hoc etiam seculo passus sit. *Præter evidentem errorem, quem Pagius hoc loco circa silentium Cardinalis Baronii committit, etiam non obscure innuit,* S. Genesium *Romanum ineunte seculo* IV *vel anno Christi 303 passum esse.* F

de quo chronologi disceptant,

8 *Sed huic Baronii chronologiæ manuscripta quædam Actorum exemplaria contradicunt, et martyrium* S. Genesii *Romani collocant sub quarto Diocletiani consulatu, qui in annum Christi 290 incidit. Verum Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 695 contendit, his Actis interpolatis et longioribus non multum fidei tribuendum esse, cum Diocletianus anno Christi 290 Romæ non fuerit. Quamvis autem Diocletianus anno Christi 303 Romæ vicennalia cele-*

braverit,

A *braverit, tamen Ruinartius in admonitione prævia ad Passionem hujus* S. Genesii, *quam Parisiis anno 1689 inter Acta Martyrum sincera et selecta edidit, ibidem pagg. 282 et sequente hunc annum timide rejicit his verbis :* Sancti Genesii mortem ad annum CCCIII refert Cardinalis Baronius; sed quamvis non omnino certum sit et exploratum, quo anno contigerit, eam tamen citius accidisse veri similius videtur.

et quod præter propter assignamus,

9 *Tillemontius loco proxime citato chronologiam eminentissimi Baronii impugnat quibusdam ratiunculis non contemnendis, licet hæ rem non satis evidenter evincant, et ex aliquibus conjecturis gloriosum* S. Genesii *certamen anno Christi 285 vel 286 affigit. Cum Diocletianus anno Christi 284 imperator a militibus electus fuerit, huic chronotaxi Tillemontianæ videtur obstare benignitas aut lenitas, quam imperator ille primis imperii sui temporibus erga Christianos ostendit, ut Eusebius Cæsariensis lib. 8 Historiæ ecclesiasticæ cap. 1 testatur. Unde Ruinartius in Præfatione ad Acta sincera Martyrum pag.* LVIII *supradictæ editionis Parisiensis initium primæ* B *persecutionis Diocletianeæ anno Christi 293 consignat. Quandoquidem inter has tricas chronologicas incerti hæremus, initio hujus Commentarii superius in margine martyrium* S. Genesii *nostri circa finem seculi tertii vel exordium quarti lato modo collocavimus. Nunc superest, ut curiosum lectorem de variis impressis ac manuscriptis Actorum exemplaribus præmoneamus.*

omissisque longioribus ejus Actis,

10 *Laurentius Surius in Vitis Sanctorum ad diem* XXV *Augusti typis vulgavit longiora* S. Genesii *Acta, quæ severis censoribus non placent, et ab eruditis passim interpolationis accusantur. Tillemontio displicet in illis exordium, quod apud Surium sic sonat :* Diocletiano imperatore, cum per annos quatuor ecclesiæ omnes clausæ essent, Romæ mimus quidam fuit, Genesius nomine. *Ad hæc Actorum verba Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 694 observat, immanissimam Diocletiani persecutionem, quæ anno Christi 303 cœpit, non nisi duobus annis durasse, et eo tempore ecclesias Christianorum non tantum clausas, sed destructas fuisse. Si vero quis hæc ad anteriorem Diocletiani persecutionem referre velit, ibidem criticus allegatus* C *illum interrogat, unde noverit, ecclesias Christianorum tunc ubique per quatuor annos clausas fuisse, quemadmodum Acta ista innuunt : si enim persecutio illa tam diu durasset, inquit, et omnes ecclesiæ clausæ fuissent, Eusebius Cæsariensis id in Historia sua ecclesiastica non tacuisset.*

quæ videntur interpolata,

11 *Præterea Tillemontius improbat aliam de* S. Genesio *narrationem, quæ in iisdem Actis ita legitur :* Cum jam autem omnia divinorum mysteriorum secreta completa essent, indutus est vestibus albis, panemque et dulciaria, cereosque elargiebatur. *Clausula hujus periodi supponit, tempore Diocletiani apud Christianos in more positum fuisse, ut recens baptizati panem, cereos, aliaque distribuerent. At Tillemontius opinatur, has cæremonias tantum usurpari cœpisse sequentibus seculis, quando Christiani plena mysteriorum religionis suæ celebrandorum libertate fruebantur. Hæc et similia, quæ Tillemontium offendunt, etiam in plerisque Mss. Musei nostri codicibus et apographis occurrunt, in quorum uno, sicut etiam in apographo Trevirensi sancti Maximini, Acta ejusdem* S. Genesii *sic incipiunt :* Imperante Diocletiano, cum cessassent per annos quatuor Ecclesiæ episcopi, et sacerdotes *etc. Florentinius in Annotationibus ad Martyrologium Hieronymianum pag. 775 ex codice quodam suo similem lectionem assignat, eamque alteri præfert. Sed istud Actorum initium Tillemontio magis displicet, quam alterum supra relatum, cum semper Ecclesia habuerit episcopos et sacerdotes, ac numquam Romæ tales Christianæ religionis administratores omnino per annos quatuor cessaverint.*

AUCTORE G. C.

breviora ex tribus Mss. codicibus

12 *Hæ difficultates Actis Surianis aliisque similibus oppositæ, quæ satis graves videntur, non occurrunt in brevi ejusdem Martyris Passione, quam Ruinartius anno 1689 Parisiis a pag. 283 inter Acta Martyrum sincera et selecta vulgavit ex tribus Mss. Codicibus, ut in admonitione prævia declarat his verbis :* Hujus beati Martyris Acta in pluribus quidem codicibus Mss. invenimus, sed in tribus solummodo pura et sincera, quæ fere integra Ado in suo Martyrologio descripsit. Trium autem codicum, quibus usi sumus, primus est bibliothecæ Colbertinæ; secundus ex bibliotheca RR. PP. Carmelitarum excalceatorum Parisiensium; tertius denique nostræ bibliothecæ sancti Germani dono datus a viro clarissimo Antonio Herovallio. *Omnes æqui* E *vetustatis æstimatores hæc Acta Ruinartii laudant, et ex iis colligimus, hodiernam Adonis annuntiationem ex genuinis* S. Genesii *Actis desumptam esse.*

a Ruinartio edita recudemus,

13 *Attamen in Passione Ruinartiana et Martyrologio Adonis occurrit aliquis loquendi modus, qui cum chronologia Tillemontii conciliari vix potest : nam in ambobus illis Actis Diocletianus appellatur* sævissimus tyrannus, cui Christiani exosi erant. *Verum in systemate chronologico Tillemontii aliorumque, qui martyrium* S. Genesii *anno Christi 285 vel 286 affigunt, ista appellatio tunc non conveniebat Diocletiano, qui primis imperii sui temporibus lenem sese et mansuetum erga Christianos exhibebat, ut superius ex testimonio Eusebii Cæsariensis obiter indicavimus. Hinc ipse Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 695 sponte concedit, illud sævissimi tyranni et osoris Christianorum cognomen hic forsan additum fuisse ab iis, qui primigenia* S. Genesii *Acta postmodum transcripserunt.* F

et cum Ms. Ultrajectino conferemus.

14 *Inter diversa Actorum exemplaria, quæ passim Surianis Actis similia sunt, in Museo nostro conservavimus apographum breve, quod Rosweydus olim ex Ms. codice Cartusianorum Ultrajectensium describi curavit. In isto apographo Ultrajectino, quod ad Acta Ruinartiana et Adoniana proxime accedit, nulla fit mentio de crudelitate vel odio Diocletiani adversus Christianos, ita ut illud ceteris exemplaribus in hac parte purius videri possit. Cum tamen in eodem referatur unum alterumve episodium, quod in Actis sinceris omittitur, istud apograghum Ultrajectinum prælo non subjiciemus; sed Ruinartianam ejusdem Passionis editionem cum apographo nostro collatam recudemus, eamque consuetis observationibus illustrantes, etiam varias majoris momenti lectiones in Annotatis aut in margine assignabimus.*

A

PASSIO

auctore anonymo,

Ex editione Ruinartiana, quam cum Ms. apographo Cartusianorum Ultrajectensium contulimus.

Genesius mysteria Christianorum publice ludibrio exponens,

Beatus Genesius cum esset in urbe Roma magister mimithemelæ *a* artis, qui stans cantabat super pulpitum, quod themele vocabatur, et rerum humanarum erat imitator : et quadam die cum vellet Diocletiano Imperatori ludum exhibere de mysteriis Christianæ observantiæ, utpote sævissimo tyranno, cui Christiani exosi erant *b*, et B hujus rei gratia, spectante Imperatore et omni populo, in medio theatri quasi ægrotus decumbens se posceret baptizari, mimum in hæc verba proposuit; Eja, nostri, gravem me sentio, levem me fieri volo. Illi responderunt : Quomodo te levem facimus, si gravis es? Numquid nos fabri sumus, et ad runcinam te missuri sumus? Hæc verba exhibuerunt populo risum.

subito ad horum fidem convertitur,

2 Genesius iterum : Vesani, Christianus desidero mori. Quare? inquiunt. Quibus Genesius : Ut * in illa die veluti fugitivus in Deo * inveniar *c*. Evocato autem presbytero et exorcista *d*, repente, Deo inspirante, credidit. Nam illi juxta lectum ipsius cum resedissent, dicunt ei : Quid ad nos misisti, filiole? Genesius, jam non simulate ac ficte, sed ex puro corde respondit : Quia accipere cupio gratiam Christi, per quam renatus liberer a ruina iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum mysteria complessent, et indutus vestibus albis esset; veluti per ludum a militibus raptus, et ad similitudinem Sanctorum martyrum, de Christi discutiendus nomine, Imperatori fuisset exhibitus, stans in editiori loco *e*, ita concionatus est.

* al. Ne
* al. a Deo

eamque serio professus,

C 3 Audi Imperator, et omnis exercitus, sapientes et populi hujus urbis. Ego quotiescumque Christianum vel nominatum audivi, exhorrui, et in confessione permanentibus insultavi. Ego etiam parentes meos, et affines *f*, causa nominis Christiani exsecratus sum, et in tanta derisione habui Christianos, ut mysteria eorum diligenti examinatione perquirerem, ut ex eorum sanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, et interrogatus credere me respondi, vidi super me manum cælitus venientem, et angelos radiantes super me stetisse, qui omnia peccata, quæ ab infantia feci, recitaverunt de libro; quæ *g* mox in ipsa aqua laverunt, in qua in conspectu vestro perfusus sum, et mihi candidiorem nive postmodum ostenderunt. Nunc igitur, inclyte Imperator, et vos omnes populi, qui de his mysteriis risistis, mecum credite, verum Dominum esse Christum, hunc esse lumen, hunc esse veritatem, hunc esse pietatem, et per ipsum vos ad indulgentiam posse pertingere.

4 Ad hæc Imperator *h* Diocletianus vehementissime indignatus, statim eum fustibus crudelissime cæsum Plautiano præfecto tradidit ad sacrificia D compellendum : a quo in equuleo suspensus, et ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide persisteret dicens : Non est rex præter eum, quem vidi; et adoro, et colo eum; et pro ejus cultura si millies occidar, ipsius ero, ut cœpi. Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre tormenta non poterunt. Valde enim pæniteo me errasse, quod ante nomen sanctum in hominibus sanctis exhorrui, et satis tardius ad adorandum verum Regem superbus miles accessi. Martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit *i*. Tunc Plutianus *k* præfectus hæc audiens, jussit eum illico decollari. Et decollatus est beatus martyr Genesius VIII *l* Kal. Septembris *m*, præstante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

laurea martyrii coronatur.

ANNOTATA.

a *Derivatur* a Græco Θυμέλη, quod locum editiorem significabat, in quo gesticulatores saltare vel gestis ridiculis adstantes recreare solebant, E *ut Ruinartius in notis observat. Sanctus in Ms. nostro Ultrajectino clarius* magister artis mimicæ *vocatur.*

b *Quæ de sævitia et odio Diocletiani contra Christianos hic eo tempore memorantur, in Ms. apographo Ultrajectino non leguntur, et forsan his Actis ab aliquo postmodum addita sunt, ut num. 13 Commentarii prævii monuimus.*

c *In aliis Mss. codicibus et apographis subinde hæc periodus ita exprimitur :* Ne illa die velut fugitivus a Deo inveniar. *Quamvis hæc primo intuitu contraria videantur, tamen ita intelligi possunt, ut eumdem fere sensum efficiant : nam* Genesius *forsan significare vult, se petere baptismum, ne in die judicii fugitivus aut alienus a Deo, sine baptismo inveniatur, vel ut per baptismum consepultus cum Christo, sicut Apostolus in epistola ad Romanos cap. 6 ℣. 4 scribit, ab infidelitate vel gentilitate fugitivus in Deo inveniatur.*

d *Id est, evocati sunt alii histriones, qui mimice partes presbyteri et exorcistæ agerent, ut Tillemontius aliique monent.*

e *In Ms. Ultrajectino et aliis apographis hoc* F *ita legitur :* Ascendens super basim, ubi statua fuerat Veneris, ita concionatus est.

f *Cum* Genesius *habuisset parentes et affines Christianos, nihil mirum, quod cæremonias baptismi nosset, ut Ruinartius notavit.*

g *Videtur sensus exigere, ut* quem *pro* quæ *legatur, ita ut istud relativum referatur ad librum, quem angeli postea nive candidiorem ei ostenderunt. Hæc lectio confirmatur ex apographo Ultrajectino, quod eamdem rem narrat his verbis :* Cum ergo aqua baptizatus fuissem, similiter et liber ille perfusus, nive candidior effectus est, ita ut etiam signum scripturæ præteritæ non demonstraret.

h *Hic in Ms. Ultrajectino interseritur sequens episodium :* Tunc imperator accensus furore jussit omnes, qui cum eo lusus meditati fuerant, ante se adduci et virgis fortiter cædi, æstimans eos similiter credere. At illi cœperunt nomen sanctum blasphemare cum exprobratione dicentes : Nos aliter meditati sumus. Iste autem insanus factus, lætitiam suam dimisit et planctum sibi Christianitatis assumpsit, ac propter hoc solus experiatur, quod solus fecit. Tunc imperator

A tor sæviens in Genesium *etc. Quamvis hoc episodium legatur etiam in Actis longioribus, tamen nobis non videtur satis verosimile, et propterea Ms. nostrum Ultrajectinum typis edere noluimus, ut in fine Commentarii prævii breviter indicavimus.*

i *Hic terminantur Acta in apographo Ultrajectino, et Ruinartius in notis monet, sequentem clausulam in solo Codice PP. Carmelitarum Parisiensium inveniri.*

k *Ille præfectus supra vocatur* Plautianus; *in apographo autem Ultrajectino* Plusianus *appellatur.*

l *Nonnulli codices et apographa habent, hunc* Sanctum nono, *alii* octavo Kalendas Septembris *laurea martyrii coronatum fuisse, et hinc quædam Martyrologia illum alterutro die memorant, ut num. 3 Commentarii prævii diximus.* Ex editis.

m *Hic in aliquibus Mss. codicibus et ecgraphis additur quartus Diocletiani consulatus, et in aliis nullus exprimitur. Cum vero Diocletianus tempore quarti sui consulatus non fuerit Romæ, Tillemontius contendit, illam temporis notam vitiosam et nihili faciendam esse, sicut in Commentario prævio num. 8 retulimus.*

DE S. GENESIO NOTARIO & M.

ARELATE IN GALLIA

G. C.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Distinctio hujus Sancti ab aliis martyribus homonymis, antiquus ejusdem cultus apud Gallos et Hispanos; qua occasione duo Genesii, qui perperam Martyrologio Hispanico inscripti sunt, obiter examinantur.

Circiter an. ccciii aut cccviii. *Scriptores aliqui hunc Martyrem Arelatensem*

Petrus *de Natalibus episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 7, cap. 110 duos distinctos ejusdem nominis Martyres hodiernos in unum conflavit, et Acta unius alteri perperam tribuit, ut patet ex sequenti Passionis initio, quod apud ipsum loco proxime citato sic sonat :* Genesius martyr apud Arelatensem urbem passus est sub Diocletiano imperatore : qui ex eadem civitate oriundus artem mimostellam * exercens Christianos pertinaciter irridebat. *Deinde narrat Acta* S. Genesii *Romani, quæ superius ex Ruinartio dedimus, et iis æque ineptum finem imponit hoc modo :* Decollatus est, et in civitate Arelatensi sepultus viii C Calendas Septembris. *Petrum Equilinum errantem secutus est Mombritius, qui apud nos tomo 1 fol. 333 eamdem Passionem exorditur his verbis :* Imperante Diocletiano, cum cessassent per annos quatuor ecclesiæ apud omnes episcopus et sacerdotes, fuit quidam in civitate Arelato mimus temeleæ * artis, nomine Genesius. *At saltem postea Mombritius apud nos eodem tomo, folio 341 verso genuina* S. Genesii *Arelatensis Acta contraxit, de quibus Equilinus nullam mentionem facit.*

* *id est* mimicam

* *id est* thymelicæ

2 *Non adeo mirum est, hos viros simpliciores tam turpiter errasse iis temporibus, quibus ars critica negligebatur. Sed magis miramur, eruditissimum Joannem Savaronem præterito seculo in eumdem crassum errorem incidisse, dum notas scribit in duos libellos anonymos seculi decimi de Sanctis, ecclesiis et monasteriis Claromontanis, ubi pag. 37 inter alios sanctos Genesios ab ipso recensetur imprimis* Arelatensis ille, qui ex thymelico Christianus et martyr apud omnes celebris est. *Ex hoc loquendi modo liquet, ab incauto Savarone* S. Genesium *Arelatensem notarium et martyrem cum* S. Genesio *thymelico vel mino et martyre Romano confusum fuisse. Hunc Savaronis errorem etiam indicavit Heribertus Rosweydus noster in notis ad Opera S. Paulini Nolani, quæ anno Christi 1622 Antverpiæ typis Plantinianis edi curavit, ubi pag. 834 varios hujus nominis Sanctos assignat, eosque ab hodierno* S. Genesio *martyre Arelatensi breviter ita distinguit :* Alius est Genesius mimus, thymelicæ artis magister, cujus eodem quoque die Martyrologia meminere; quem non rite Savaro lib. 1 de ecclesiis Claromontanis cap. xvii cum priore confundit : nam thymelicus Romæ fuit; exceptor ille Arelate. Alius item Genesius martyr, qui notus Martyrologio Romano xi Octobris, cum Anastasio presbytero et Placido aliisque sociis. F

cum Romano ejusdem nominis martyre perperam confundunt.

3 Sunt et alii duo Genesii extra Romanas tabulas, in suis tamen ecclesiis in Arvernia celebres. Prior est Genesius martyr juxta castellum Tigernense, qui in albis positus per martyrium ad cælum migravit, de quo Gregorius Turonensis lib. 1 de Gloria Martyrum cap lxvii, cujus festum, teste Savarone supra, v Calendas Novembris celebratur. Posterior fuit episcopus Claromontensis XXV, et celebris ejus memoria iii Junii, *ad quem diem tomo 1 Junii pag. 322 et sequentibus Acta ejus ab Henschenio illustrata sunt. His ego superaddo sanctum Genesium Beorritanum seu Bigorritanum martyrem, qui variis Martyrologis ignotus est, et de quo S. Gregorius Turonensis in libro de Gloria Martyrum cap. 74 narrat sequentia :* Est alius Martyr infra terminum urbis Beorritanæ *(codex Floriacensis annorum sexcentorum exprimit in ipso contextu proprium hujus Sancti nomen, quod alii codices passim in titulo habent, ut Ruinartius inter addenda et emendanda ad suam Gregorii Turonensis editionem col. 1398 testatur)* presbyterii honore

et ideo hic accurate distinguitur

AUCTORE G. C.

honore præditus, cujus passionis historia apud loci incolas legitur.

ab aliis Sanctis homonymis.

4 Hic dum esset in corpore, castaneum diu aridum suis orationibus obtinuit in viriditatem redire : in cujus basilica cum plerumque super infirmos mirabilia ostendantur, illud præ ceteris est admirabile, quod lilium dudum collectum et siccum in ejus solennitate denuo revirescit, ita ut intueantur illa die populi flores novos, quos pridem viderant arefactos. Ad hujus enim sepulcrum plerumque sacramentum mendax prolatum a perfidis, virtute Martyris confutatur, ut qui temeritate elatus advenerat, emendatus abscedat. *Utinam Gregorius Turonensis ætatem et annuam hujus S. Genesii Bigorritani festivitatem indicasset ! Denique adhuc memoratur in Gallia late dicta S. Genesius monachus et martyr, quem Saussayus in Appendice ad Martyrologium suum Gallicanum tomo 2 pag. 1223 annuntiat his verbis :* Sanctus Genesius monachus impie occisus a Danis, cum Bezuense monasterium, quatuor leucis a Divione distans, ab iis eversum fuit anno salutis DCCCLXXXVIII. *Hæc de variis Ge-*

B *nesiis referre volui, ne quis forsan istos homonymos Galliæ Martyres inter se vel cum aliis etiam confundat. Igitur ex omnibus hactenus relatis certum maneat, hodiernum* S. Genesium *Arelatensem ab histrione Romano aliisque jam recensitis ejusdem nominis Martyribus distinguendum esse.*

et improprie Romanus cognominatur.

5 *Vix intelligo, quid sibi velit Joannes Roberti noster, dum inter Elogia Sanctorum quinquaginta Juris peritorum pag. 35 elogio hodierni sancti Notarii vel Exceptoris, quod ex genuinis ejus Actis excerpsit, hunc præfigit titulum :* SANCTUS GENESIUS MARTYR ARELATENSIS, ROMANUS. *Qua de causa Martyr ille hic* Romanus *cognominatur? Hinc certe dubium subortum est Juris-peritis Romanis, quod Fridericus Ampring noster, anno 1680 Romæ commorans, decessoribus nostris ita proposuit :* Ignoscat R. V. brevi incommodo, quod in re præsenti nemo melius expedire novit. Notarii Romani libenter vellent scire, quomodo probetur, S. Genesium martyrem Arelatensem fuisse Romanum, uti P. Joannes Roberti in Elogiis sanctorum quinquaginta juris peritorum illum nominat. De san-

C cto Genesio mimo certum est, fuisse Romanum; sed de altero nullum fundamentum in Actis apud Surium die XXV Augusti relatis haberi potest, quod fuerit Romanus. *Papebrochius Ampringio nostro respondit, istam expressionem verosimiliter attribuendam esse erranti memoriæ, nisi forsan auctor memorati Opusculi illum Martyrem improprie Romanum vocare voluerit, eo quod urbs Arelatensis olim fuerit colonia Romana, et ab Ausonio Gallica vel potius* Gallula Roma *appelletur, ut apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 38 videre est. Nos etiam non novimus aliud effugium, quo hæc impropria locutio excusari possit. Quapropter ad antiquum et celebrem hujus sancti Martyris Arelatensis cultum demonstrandum pro gredimur.*

Martyrologia aliaque vetera scriptorum testimonia indicant

6 *In vetustissimis Hieronymiani Martyrologii apographis* S. Genesius *Arelatensis hac die annuntiatur, ut apud Florentinium videre est. Accedit vetus Romanum Rosweydi nostri Martyrologium, quod eodem die memoriam* sancti Genesii Arelatensis *breviter indicat. Sed has breves annuntiationes Ado, qui procul dubio genuina ipsius Acta vidit, hodie ampliavit in hunc modum :* Ipso eodemque die, natalis sancti

D Genesii Arelatensis, qui ante tribunal judicis, exceptoris functus officio, cum impia, quibus Christiani puniri jubebantur, edicta nollet excipere, projectis in publico tabulis, se Christianum esse testatus, abscessit; et post modicum intervallum deprehensus ab apparitoribus, atque in ripa fluminis Rhodani decollatus, martyrii gloriam proprio cruore baptizatus accepit. *Hoc elogium Usuardus ex Adone contraxit, ut indicant eadem fere verba, quæ in Martyrologio illius ita leguntur :* Eodem die beati Genesii Arelatensis, qui exceptoris functus officio, cum impia, quibus Christiani puniri jubebantur, edicta nollet excipere, comprehensus atque decollatus, martyrii gloriam proprio cruore baptizatus accepit. *Ut alios Martyrologos recentiores omittam, Wandelbertus eumdem Martyrem nostrum exornat hoc versiculo :*

Octava hinc Arelas celebrat te, sancte Genesi.

Nimirum quotannis VIII *Kalendas Septembris aut die* XXV *Augusti celebratur inclytum hujus Sancti martyrium, et aliis diebus recolitur annua memoria nonnullarum rerum, quæ ad honorem ejusdem Sancti spectant, ut jam videbimus.* E

immemorabilem ejusdem Martyris cultum.

7 *Christiani Arelatenses ab immemorabili tempore ad gloriam sancti sui Popularis ædificarunt altare et templum, quorum anniversaria dedicatio die* XVI *Decembris apud Florentinium pag. 1032 refertur ex veteribus Martyrologiis, ubi unum apographum sic habet :* Arelato dedicatio basilicæ et altare sancti Genesii *Alterum vero Corbeiense eamdem commemorationem ibidem emendatius exprimit his paucis verbis :* Arelati dedicatio basilicæ et altaris sancti Genesii martyris. *Unde Saussayus etiam die* XVI *Decembris hanc annuam dedicationis festivitatem Martyrologio suo Gallicano inseruit. Arbitramur, hanc Arelatensem* S. Genesii *ecclesiam jam celebrem fuisse seculo quarto exeunte, quando Prudentius poeta Hispanus in Opere de Coronis Martyrum, hymno 4 post alia sic cecinit :*

Teque præpollens Arelas habebit,
sancte Genesi.

Certe seculo sequente Venantius Fortunatus Carmine quarto libri octavi videtur Prudentium imitatus esse, et publicum S. Genesii *Arelatensis cultum indicasse hoc versu hexametro :*

Porrigit ipsa decens Arelas pia dona Genesi.

Verum illa S. Genesii *martyris veneratio, quæ apud Arelatenses ab immemorabili tempore initium habuit, ex ipsis Actis aliisque monumentis infra edendis non parum confirmabitur.* F

qui confirmatur ex antiquis peregrinationibus

8 *Interea vetus hujus Arelatensis ecclesiæ celebritas etiam colligitur ex Actis sancti Quinidii præsulis Vasionensis, qui post medium seculi sexti obiit, et cujus gesta Bollandus noster ad diem* XV *Februarii illustravit. In his Actis num. 2 de matre istius episcopi Vasionensis ad rem nostram leguntur sequentia :* More Christianæ religionis festivitas beati Genesii martyris Christi, Arelas * pro ejus confessione passi, agebatur. Et ecce inter turbam, quæ undecumque ad limina beati Martyris colligebatur, Quinidii mater mox futura, gravata sinu, felici puerperio onerata, ardore pietatis ducta pervenit : nam et ipsa familiarius locum amplectebatur. Obseratis januis ecclesiæ, cum pro amore Martyris vigilias factura foris substitisset, affectu pio lacrymis suffusa, ut in amorem Dei rapitur, orationem continuat, illico audit, propter memoriam sancti Martyris, angelorum dulcissimum stupendumque concentum. *Post hæc ibidem narratur, quomodo fores ecclesiæ Arelatensis huic mulieri patuerint,*

* *id est* Arelate

rint,

A *rint, et ab angelo felix S. Quinidii nativitas ei prædicta fuerit. Ex hoc magno populi concursu manifeste concludimus, antiquitus annuam* S. Genesii *festivitatem in ecclesia Arelatensi solenniter celabratam fuisse.*

ad ecclesiam Arelatensem institutis.

9 *Eodem seculo floruit sanctus Apollinaris, Valentinus in Gallia episcopus, cujus Vitam Edmundus Martene Benedictinus in Collectione sua amplissima veterum monumentorum tomo 6 col. 779 et sequentibus ex Ms. codice reginæ Sueciæ non ita pridem vulgavit. In his Actis, quæ ab auctore coævo ac teste oculato conscripta sunt, ibidem col. 781 fit mentio de itinere, quod sanctus ille præsul Valentinus ad urbem Arelatensem instituit, ut sese sisteret* tam liminibus sancti Genesii martyris, quam conspectibus pontificum, atque affectibus propinquorum. *Deinde coævus ille biographus narrat, se ad urbem Arelatensem pervenisse cum sancto Apollinare, quando S. Cæsarius ibi erat episcopus. Ex hoc auctoris synchroni testimonio confirmatur, ante medium seculi sexti, quo S. Cæsarius Arelatensis obiit, jam pias peregrinationes ad Arela-*B *tensem* S. Genesii *ecclesiam frequenter institutas esse. Hæc chronologia distinctius indicari poterit ad diem* v *Octobris, qua S. Apollinaris Valentinus episcopus in Martyrologio Romano collocatur. Interim satis mirari non possumus, quod eruditissimus hujus Vitæ editor Marteneus ibi ad nomen* S. Genesii *martyris apposuerit annotationem sequentem :* Hic Arelate cum sacra Christianorum in theatro irridendo repræsentaret, divino lumine illustratus, et ex mimo factus Christianus, Salvatoris fidem suo sanguine obsignavit. *In hac annotatione videmus manifestam duorum Martyrum confusionem, quæ superius abunde refutata est, et inde discimus, interdum viros etiam circumspectissimos turpiter hallucinari, quod humanum est, et ideo a nobis alienum non putamus.*

et inde propagatus est ad ecclesiam Lodovensem.

10 *Jam revertimur ad immemorabilem* S. Genesii *Arelatensis cultum, qui paulatim ad alias Galliæ ecclesias extensus est, ut colligimus ex Vita sancti Fulcranni præsulis Lodevensis, de quo Bernardus Guidonis apud nos die* XIII *Februarii num. 15 sic scribit :* Consummato autem opere basilicæ sancti Genesii, quo ipsam C erexit, ampliavit et roboravit, tandem eam honorifice dedicare studuit, convocatis ad dedicationem viris, reverendissimo domino Imerico archipræsule Narbonensi, Ryquino Magalonensi et Deusdedit Ruthenensi episcopis reverendissimis; quæ facta est anno Dominicæ Incarnationis CMLXXV. *Illustrissimus Joannes Plantavitius de la Pause, elapso seculo Lodovensis episcopus, in Chronologia præsulum Lodovensium pag. 60 asserit, hanc ecclesiam dudum antea titulum* S. Genesii *habuisse, et a sancto Fulcranno dumtaxat instauratam esse, sicut ex proprio ecclesiæ Lodovensis Officio ibi refert his verbis :* Ecclesiam cathedralem ex vili materia ab aliquot seculis in honorem sancti Genesii Arelatensis martyris exstructam a fundamentis ita instauravit et auxit, ut eam de novo construxisse dicatur. *Unde Lodovenses* S. Genesium *Arelatensem agnoscunt primarium ecclesiæ suæ patronum, et annuam dedicationis festivitatem solenniter celebrant Dominica prima Octobris sub ritu duplici cum Octava, sicut in directorio præscribitur.*

11 *Hæc Lodovensium pietas erga suum Patronum verosimiliter adhuc crevit post acceptas ejusdem reliquias, de quibus Petrus Saxius Arelatensis ecclesiæ Canonicus in suo Pontificio Arelatensi apud Joannem Burchardum Menckenium inter scriptores Rerum Germanicarum tomo 1 col. 288 sic meminit :* Demum composito cum civibus Arelatensibus decimarum jure, *Joannes Baucianus antistes Arelatensis (de hoc enim ibi sermo est)* ecclesiæ Lodovensi beati Genesii Arelatensis martyris reliquias concessit, brachium videlicet et sanguinem pixide inclusum, moriturque anno MCCLVII. *Illustrissimus Joannes Plantavitius in Opere supra laudato hanc reliquiarum translationem inter annum Christi 1245 et 1246 refert, et narrationem Saxii de parachronismo accusat his verbis :* Circa idem tempus reliquias sancti Genesii martyris Lodovensium protopatroni, brachium videlicet et sanguinem pixide inclusum concessit Guillelmo nostro *(erat hic Guillielmus de Casellis, qui ab anno Christi 1241 usque ad annum 1259 in cathedra Lodovensi sedit)* ex eodem concilio redeunti et Arelate transeunti (non autem anno MCCLVII, ut notavit Saxius in Pontificio Arelatensi) Joannes Baucianus octuagesimus quartus Arelatensis archiepiscopus in ejusdem Saxii nomenclatura, quas in ejus Sancti basilica E solenni ritu reposuit. *At salva illustrissimi Plantavitii pace, Saxius hoc loquendi modo fortasse tantum significare voluit, illam reliquiarum translationem factam esse tempore Joannis Bauciani præsulis Arelatensis, qui anno Christi 1257 e vivis excessit.*

AUCTORE G. C. ubi solenni Officio festum ejus celebratur.

et verosimiliter ad alias Galliæ ecclesias.

12 *Quidquid sit de hac Saxii chronologia, Lodovenses adhuc hodiedum celebrant annuam hujus translationis commemorationem sub ritu duplici, sicut in Officiis propriis ecclesiæ Lodovensis præscribitur, et Saussayus in Martyrologio suo Gallicano ad diem undecimam Aprilis testatur his verbis :* Lodevæ decimo quinto die post Pascha fit in majori ecclesia festum translationis sancti Genesii martyris, ejusdem ecclesiæ patroni. *Porro Lodovensis ecclesia ad diem* XXV *Augusti martyrium* S. Genesii *quotannis recolit Officio proprio primæ classis cum Octava, et tunc per octo dies ex antiquis auctoribus gesta et miracula sancti sui Patroni solenniter decantat. Non dubitamus, quin aliæ multæ Galliarum ecclesiæ venerentur hunc sanctum Martyrem propter sacras ejus reliquias aliasve causas, quamvis distincta earum notitia ad nos non pervenerit.* F

Quinimo veneratio illius extensa est ad Hispanos,

13 *Neque illa solennis veneratio sese continuit intra limites Galliæ; sed montes Pyrenæos superavit, et ab aliquot seculis in Hispaniam transiit, quemadmodum liquet ex veteri Breviario Mozarabico, cujus partem Toleti commorans anno 1722 transcripsi. In illo venerandæ antiquitatis Officio celebrari* S. Genesium *Arelatensem, luce clarius evincit hymnus proprius, cujus barbarum stylum nonnihil ex conjectura corrigam vel in margine explicabo. Antiquus autem iste hymnus inter alia ad propositum nostrum non pertinentia de sancto Martyre Arelatensi hæc habet :*

Genesius igitur ille juvenculus,
Civis eximius Arelatis oppidi,
Ætatis peragens floscula primulæ
Injuncto paret ordini.
Exceptor igitur dum nitesceret *,
Ac jussa tabulis publica scriberet,
Afflatus subito munere cælico,
Quo vota cumulat pia,
Extemplo officium abnuit impium,
Et ceris renuit imprimere manum
Cælestis cupiens effici accola *

* *id est* claresceret

* *id est* incola

Vita,

AUCTORE G. C.

Vita, votisque, moribus.
Post, Euangelicus sermo ut intonat *;
Diversas latebras per loca appetens,
Sese occulte recipit in abditis
Horrore ministerii.
Quem quærens valide turba satellitum,
Nec hunc, ut cuperet, reperit uspiam,
Vastis reboans rictibus arbiter *,
Ferrum sumite, clamitat :
Festinis propere pergite gressibus,
Inventum refugam plectite, percutite,
Qui nostra monita temnere ausus est,
Nec sacros deos incolit *.
Quod fama referens Martyris auribus,
Ablutum neque se nosceret æquore *,
Ferventi Rhodanum spiritu appetit,
Quo sordes queat ablui *.
Auro lucidior inde regrediens,
Repertus jugulus sternitur impetu *,
Cæli agminibus illico jungitur,
Comptus vertice laurea.

* *id est*, ut Euangelium monet

* *id est* judex

* *id est* colit.

* *pro* aqua baptismi

* *pro* abluere

* *id est* caput amputatur

Ex his evidenter patet, Hispanos antiquitus in patria sua S. Genesium *Arelatensem solenniter* B *coluisse. Quinimo libenter credimus, ambos hodiernos ejusdem nominis Martyres in Hispania immemorabilem cultum obtinuisse, quandoquidem in veteri Breviario Burgensi, quod anno 1502 impressum est, hac die communis utrique legitur sequens oratio :* Deus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum Genesii atque Genesii solennitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, provocemur exemplis. Per *etc. Lectiones autem propriæ, quæ ibi recitantur ad* S. Genesium *Arelatensem tantummodo pertinent. Attamen communis lectio de pluribus martyribus ad* Genesium *Arelatensem, et Mimum Romanum videtur referenda.*

14 *Sed postmodum quidam pseudo scriptores his addiderunt alios ejusdem nominis martyres, eosque in Hispania passos volunt, ut jam breviter ostendemus. Joannes Tamayus de Salazar exemplo Pseudo-Dextri et Pseudo-Juliani confinxit duos alios Genesios martyres Hispanos, ex quibus hac die* XXV *Augusti unum in Martyrologio suo Hispanico sic annuntiat :* Cordubæ in Bætica Hispania, sancti Genesii militis et martyris, qui cum, et Domino militaret, abjecto C militari baltheo, Catholicum indueret thoracem, in prima apud Hispaniam persecutione Neronis comprehensus, nec a fide desisteret, ad gloriam egregius agonista Christo loricatus adscendit. *Alterum vero cum sociis martyribus incerto loco passum fraudulenter ex Martyrologio Romano subripuit, et Mantuæ Carpetanorum sive Matriti collocavit, sicut in Hispanico Martyrologio suo ad diem* XI *Octobris audacter indicat hac annuntiatione :* Mantuæ in Carpetanis Hispaniæ sanctorum Anastasii presbyteri, Placidi et Genesii martyrum, qui, sæviente imperatoris Juliani immanissimi apostatæ in Christi ascetas persecutionis procella, propter Crucifixi nomen comprehensi, cum nec minis a Numine, nec blanditiis a nomine dimoveri valuissent, martyrio coronati, gloriam promeruerunt æternam.

ex quibus tamen aliqui fabulatores

15 *Inter posthuma eruditissimi Nicolai Antonii manuscripta, de quibus jam sæpius alibi mentio facta est, habemus prolixam dissertationem tum Latinam tum Hispanicam, qua sincerus ille scriptor Hispanus ambos istos Genesios popularibus suis adjudicat, ac solidis argumentis probat, ecclesias aliaque publicæ venerationis indicia, quæ adhuc in Hispania supersunt, ad solum* S. Genesium *Arelatensem pertinere.* D *Sed nobis nec lubet nec vacat, longam istam disputationem transcribere, cum præsertim singulis fere diebus in Martyrologio Tamayi similes occurrant fabellæ, quas jam sæpe nimis operose refutavimus. Quapropter hac de re prudens Nicolai Antonii judicium breviter excerpemus ex Bibliotheca Hispana veteri, in qua lib. 6, cap. 20, num. 451, sive tomo 1 pag. 399 quemdam incautum fabularum defensorem refellit his verbis :* Quidquid tamen is dicat de quatuor Genesiis, primo Arelatensi, secundo Romano, tertio Barcinone nato Mantuæque Carpetanorum cæso, cujus Acta profert, quarto demum Cordubensi, de quo nunc agimus; certissimum haberi debet, non alteri quam primo Arelatensi exceptori sive notario publico oblatum ab Hispanis cultum in dedicatione ecclesiarum fuisse.

alios duos ejusdem nominis martyres

16 *Deinde ibidem numero sequente Nicolaus Antonius opinionem suam confirmat ex Officio proprio Mozarabico, quod Toleti de* S. Genesio *Arelatensi celebratur, et post exhibitum hymni supra relati fragmentum, sic adversarium interrogat :* Putasne ad alterum olim directum E cultus solennis Officium, alteri autem Genesio dicata fuisse sacra templa, non Matriti tantum Toletique aut Cordubæ; sed et Hispali et Salmanticæ ac forsan alibi ? Credant Bivarius, Ramirezius, Tamajus (qui carmen quoddam Cypriani sui Cordubensis hypobolimæi adducit) Argaiziusque superstitiose his falsis historiæ numinibus assurgentes; non ceteri, quibus intimatum jam sæpius fuit devitare hos scopulos, quibus jam fere universæ antiquitatum nostrarum auctoritatis navem allisimus. *Certe Pseudo-Dexter aliique impostores in Historiam Hispanicam tot fabulas induxerunt, ut vix vera a falsis secerni possint, sicut in paragrapho sequente experiemur.*

temere et fallaciter patriæ suæ adscripserunt.

§ II. Indagatur, quis aut qualis fuerit sanctus Genesius, qui in Carthaginensi Hispaniæ provincia apud PP. Minoritas Sciarenses hodie colitur.

F

Illustrissimus *Franciscus Gonzaga in Opere de origine et progressu Seraphicæ Religionis, locum, in quo Sanctus hic hodiedum colitur, et a quo vernacule ab Hispanis* San Gines de la Xara, *id est, sanctus Genesius Sciarensis appellatur, Conventu* XVI *provinciæ Carthaginensis apud nos fol. 972 verso describit his verbis :* Quod hic Conventus, in loco deserto ac vastæ solitudinis ad decem millia passuum a nova Carthagine, atque ad tria millia ab Oceano mari situs, divo Genesio dicatus evaserit, in causa est circum-vicinorum populorum ad ipsum Sanctum ob recepta ab eo beneficia devotio : nam ex summi Pontificis Innocentii VIII, qui inclyto heroï Joanni Ciaconio olim ejus ædificandi facultatem anno a partu Virgineo MCDXCI fecit, mandato sanctissimæ virginis Mariæ Annuntiationi sacrandus veniebat. His accessit præexistens eodem in loco ædicula, in ejusdem sancti Genesii honorem erecta, quæ præfatis populis commendatissima erat.

In Carthaginensi Hispaniæ provincia

18 Extitit igitur ædificatum hoc monasterium,

a

A a viginti Fratribus frequentius inhabitatum, statim ab anno Domini MCDXCI a præfato heroe Joanne Ciaconio, idque ex Apostolica Innocentii VIII auctoritate; ea tamen posita lege, ut Franciscanis Amadeis deserviret, immediateque generali totius Minoritici Ordinis Ministro subesset. Eidem legi subscripsit Alexander VI Pontifex maximus anno Domini MCDXCIII. Habentur amborum Pontificum summorum diplomata in hujusmet loci archivis. Hæc tamen lex ob plurima, quæ sequebantur, incommoda executione caruit; imo Conventus ipse a prima sui erectione hujus provinciæ Patribus paruit. Est locus hic Carthaginensibus celeberrimus, præcipue vero in mari periclitantibus, quod sanctus Genesius Rolandi magni Francorum regis ac Olivæ reginæ olim filius, cujus corpus occulto in loco in præsentis monasterii ecclesia sepultum creditur, illis opportune quacumque in necessitate adsit.

colitur quidam S. Genesius.

19 *Quod hoc loco illustrissimus Gonzaga de parentibus istius S. Genesii pronuntiat, id haud dubie simpliciter hausit ex quadam populari Sciarensium accolarum traditione, quæ non magni* B *facienda est : quis enim est Rolandus ille magnus Francorum rex ac Olivæ reginæ maritus, qui sanctum Genesium progenuit? An forsan indicatur famosus iste Rolandus heros, qui fabulosæ Pseudo-Turpini narrationi in Vita Caroli Magni copiosam materiam præbuit? At is numquam regnum Francorum administravit. Adde quod hic Sanctus ex alia ejusdem loci traditione* frater Rolandi *vocetur in Hispanica Vita, quam Melchior Huelamus anno 1607 Murciæ edidit, et variis episodiis suspectisque historiis amplificavit. Igitur exiguam fidem meretur hæc incerta populi traditio, quæ sibi non constat, et nullis antiquis instrumentis stabilitur.*

cujus historia est incerta.

20 *Securius ac certius explodi potest Joannes Tamayus de Salazar, qui in Martyrologio suo Hispanico nomen et Acta S. Adelhardi Corbeiensis in Gallia abbatis huic S. Genesio affinxit, et die secunda Januarii illum sanctum abbatem pro S. Genesio Sciarensi annuntiavit his verbis :* Corbeiæ in Gallia natalis sancti Adelhardi cognomento Genesii, episcopi, ut creditur, Urcitani in Hispania, qui a Ludovico pio Francorum prinsipe exculatus, prope Carthaginem Spartariam degens eremitorium struens, Corbeiæ post re- C diens sanctissime diem clausit extremum. *Deinde ibidem in notis ex Melchiore Huelamo Hispanicam S. Genesii Vitam Latine contraxit, et alia ejusdem Sancti Acta pro arbitrio suo concinnavit, eaque commiscuit, ut S. Adelhardum Corbeiensem prorsus in S. Genesium Sciarensem transformaret. Sed hæc omnia ad inducendam confusionem gratis ab ipso excogitata esse, facile deprehendet cautus lector, qui vel levi oculo percurrere voluerit antiqua S. Adelhardi Corbeiensis Acta, quæ Bollandus noster ad diem secundam Januarii vulgavit, et in quibus de nomine vel cognomine Genesii, quod hic sanctus abbas umquam gesserit, nulla fit mentio.*

et quem Tamayus Hispanus.

21 *Si Tamayum interroges, ubi cognomen istud sancto Adelardo Corbeiensi datum invenerit, confidenter allegat suos pseudo-magistros Julianum et Luitprandum, et his duobus oraculis omne dubium sublatum arbitratur. At nos horum duorum testium, quos sæpe mendaces experti sumus, auctoritatem tanti facimus, acsi neminem citasset, et hos duos Sanctos inter se longe diversos existimamus. Si autem ad hanc diversitatem probandam dicas, eos diversis diebus celebrari, Tamayus intrepide respondet hoc modo :* Licet ibidem festivitas sancti Genesii ad diem XXV Augusti referatur, non ex hoc nostram conturbat ecphrasim; quia cum majores nostri penitus sancti Adelhardi Acta perdidere, nec, quid tenendum foret quoad diem transitus cognovere, attracti ex sinonome * nominis sancti Genesii Arelatensis, cujus illo die festum concelebrat Ecclesia, ejus itidem appinxerunt, cum revera hodie *(nimirum die secunda Januarii, de qua agit)* indicendum esset. *At imperitus ille fabulator non advertit, ipsam mortis diem in antiquis S. Adelhardi Corbeiensis Actis exprimi, et hunc Sanctum propterea ab omnibus fere Martyrologis ad diem secundam Januarii referri, sicut ipse Tamayus antea imprudenter fassus fuerat.*

fretus auctoritate pseudoscriptorum.

AUCTORE G. C.

* *forsan* synonymia

22 *Accolæ Sciarenses ex qualicumque traditione putant, adhuc apud se sacras S. Genesii reliquias occulto vel ignoto loco quiescere, quemadmodum in Vita ejus Hispanica apud Melchiorem Huelamum cap. 4 legi potest. Cum vero supradictus Tamayus videret, hanc vulgarem Sciarensium traditionem non satis apte convenire sancto Adelhardo abbati Corbeiensi, qui in Gallia mortuus fuerat, et quem cum S. Genesio confuderat, cœpit excogitare modum, quo factam illam confusionem defenderet, et sacras hujus abbatis Corbeiensis exuvias in Hispania collocaret. Itaque cum pseudo-Juliano finxit, ossa hujus sancti Abbatis ex Corbeia Galliæ, ubi ante centum annos obierat, in Hispaniam translata fuisse, et in Martyrologio suo Hispanico hanc translationem die* XXI *Maii confidenter annuntiat hoc modo :* Prope Carthaginem Spartariam ad montem Larinum translatio sacrorum pignorum beati Adelhardi cognomento Genesii abbatis ex urbe Corbeia Galliæ, ubi ejus sanctitas insigni mirabilium frequentia floret. E

cum Adelhardo abbate Corbejensi confundit,

23 *Majores nostri illam Martyrologi Hispani fraudem detexerunt, et ideo inter Prætermissos ad diem* XXI *Maii rotunde suam hac de re sententiam indicarunt his verbis :* Sancti Adelardi abbatis translatio sacrorum pignorum ex urbe Galliæ Corbeia ad montem Larinum prope Carthaginem Spartariam inscripta est Martyrologio Hispanico Tamayi Salazar, citatis Juliani Petri Adversariis et Chronico, nuper adornatis. F Imo de eo secunda die Januarii egerat, et ubique dat cognomentum Genesii ac titulum episcopi, ut creditur, inquit, Urcitani in Hispania; aitque, quod a Ludovico Pio in exsilium actus in dicto monte Larino delituerit, pro quibus citatus Usuardus, eo multo junior, ad hunc XXI Maii. Quæ omnia impudenter conficta sunt. Exsul vixit Adelardus abbas in Herio insula Aquitaniæ, et corpus ejus fuisse Corbeiæ adhuc seculo XII constat; proinde non fuit in Hispaniam translatum circa annum DCCCI. Consule Acta illius varia et miracula cum translationibus a nobis edita secunda Januarii.

ut Majores nostri jam diu observarunt.

24 *Propter has Tamayi fabulas et incertam Sciarensium traditionem dubitamus, aut potius ignoramus, quid de Actis hujus sancti Genesii tuto credi possit. Eadem dubitatio vel ignorantia suspensum tenuit Waddingum, qui in Annalibus Minorum ad annum Christi 1437 num. 48 de origine Conventus Sciarensis ita scribit :* In registro Ordinis lego, Ministrum Generalem hoc anno die XVIII Maii facultatem dedisse fratribus Alphonso Rubeo Conchensi et Francisco de

Nos cum Waddingo Minorita fatemur.

AUCTORE G. C.

de Molina, provinciæ Castellanæ alumnis, ut ad eremitorium sancti Genesii, diœcesis Carthaginensis transirent, et sub obedientia Guardiani illius Conventus morarentur. Quare censendum est, ædem non tam factam, quam refectam vel ampliatam ab illustri heroe, a quo primitus constructam anno MCDXCI sub Innocentio VIII videtur sentire Gonzaga. Ad hunc etiam refert originem hujus cœnobii Melchior Huelamus peculiari libro, quem de Vita et miraculis sancti Genesii scripsit, inconcinne congestis multis, quæ ad destinatum sibi historiæ argumentum minime conducunt. Tres legi, qui de hoc sancto Viro scripserunt, duos prædictos Gonzagam et Huelamum, tertium Joannem Marquez; sed omnes circa parentes discordant: postremus Adelardum Genesium, nescio quo fundamento, appellat, et cum Adelardo abbate Corbeiensi ex aliorum conjecturis confundit. Ego nihil certum circa parentes, mortis tempus, aut constantem vitæ statum deprehendi.

res gestas hujus Sancti nobis ignotas esse.

25 *Præter istos tres auctores, quos Waddingus hoc loco citat, etiam legimus Franciscum de Cascales, qui in Discursibus historicis de Regno Murciano, quos Hispanice anno 1621 Murciæ vulgarit, fol. 451 et sequentibus traditio-* B *nem de S. Genesio Sciarensi fusius exponit. Hic Hispanus ejusdem Carthaginensis provinciæ scriptor etiam sanctum Genesium suum cum sancto Adelhardo abbate perperam confundit, et omnes Tamayi aliorumve pseudo-scriptorum fabulas adoptat. Hinc colligimus, quam parum fidere oporteat huic traditioni, quæ tam vitiosa et diversa deprehenditur. Quapropter ingenue fatemur, incerta vel ignota nobis esse omnia, quæ de sancto Genesio illo passim circumferuntur, si proprium ejus nomen, immemorabilem cultum, et aliqua recentioris ævi miracula vel beneficia excipias.*

et quamvis Sciaræ pro confessore coli dicatur

26 *Imprimis nomen ejus et titulum sancti reperimus in diplomate Alexandri VI Pontificis, qui anno Dominicæ Incarnationis 1493 concessit facultatem construendi vel instaurandi Conventum Fratrum Minorum* in eremitorio sancti Genesii de la Xara nuncupato, in quodam loco deserto, et a civitate Carthaginensi per decem milliaria vel circa distante, et circa littus maris consistente, C *quemadmodum in Regesto Pontificio post tomum septimum Annalium Waddingi pag. 96 et sequente legitur. Hunc immemorabilem sancti Genesii cultum confirmavit et auxit Clemens VIII Papa, cujus Bulla apud Melchiorem Huelamum post Hispanicam S. Genesii Vitam fol. 168 verso refertur in hunc modum:* Cum, sicut accepimus, in ecclesia sancti Genesii de la Sciara Carthaginensis [diœcesis] una pia utriusque sexus Christi fidelium confraternitas, non tamen unius artis specialis, cordigerorum sancti Francisci nuncupatorum canonice instituta existat, quæ se in bonis operibus exercere consuevit; Nos, ut confraternitas prædicta majora indies suscipiat incrementa, ... tam ipsis nunc et pro tempore confratribus, quam aliis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui prædictam ecclesiam in festo ejusdem sancti Genesii CONFESSORIS, quod celebratur vigesima quinta mensis Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis hujusmodi devote visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. *Clemens VIII dedit hanc* D *Bullam anno Pontificatus suo octavo, qui anno Christi 1599 respondet, ut ibidem in fine indicatur.*

ex populari et incerta Sciarensium traditione

27 *Quamvis in hac Bulla S. Genesius cognomine* confessoris *appelletur, tamen hæc appellatio non habet majorem certitudinem, quam ipsa vacillans traditio Sciarensium, qui procul dubio illum titulum Pontifici Romano suggesserunt. Quis autem spondeat, illam Sciarensium traditionem de gestis S. Genesii confessoris a sesqui-seculo non prodiisse ex fabulosis illis Chronicis aliisque similibus figmentis, quibus aliqui pseudo-scriptores Hispani totam antiquitatem Hispanicam contaminarunt et obscurarunt, ut supra demonstravimus? Nos saltem ante ducentos annos in instrumentis fide dignis nullam S. Genesii confessoris mentionem invenimus, quamvis tunc et antea cultus* S. Genesii *martyris Arelatensis in Hispania celeberrimus esset, ut ex veteri Breviario Mozarabico ostendimus. Huc accedit, quod Cordubense S. Genesii templum, de quo divus Eulogius in Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 10 circa finem meminit,* S. Genesio *martyri tribuendum sit, idque Nicolaus Antonius etiam* E *de aliis ejusdem nominis ecclesiis in Hispania judicandum censeat.*

tamen cum Papebrochio nostro dubitamus,

28 *Unde Papebrochius noster in scheda ante vitam Hispanicam S. Genesii Sciarensis successores suos ita monuit:* Examinandum, an non sit fabula: forte enim cultus S. Genesii martyris istic ab aliquo pio eremita inductus occasionem ejusmodi fictioni dedit, ita ut miracula ad Genesium martyrem vere spectent, qui etiam XXV Augusti colitur. *Quapropter eruditos Carthaginensis provinciæ viros hic rogatos volumus, ut hunc scrupulum nobis adimant, et traditionem suam de gestis et ætate S. Genesii confessoris ex antiquis documentis stabiliant. Hæc Papebrochii nostri suspicio non est prorsus temeraria, cum Waddingus etiam post editam Clementis VIII Bullam, quam partim supra retulimus, in Annalibus Minorum ad annum Christi 1397 num. 2 hunc eumdem S. Genesium Sciarensem cognomine martyris appellaverit, ubi Acta B. Joannis de Cetina sic exorditur:* Joannes patre Joanne Laurentii Cetinæ (oppidum est in confinibus Aragoniæ Castellam versus) natus, adolescentiori ætate inservivit cuidam heroi Aragonio; inutiliter tamen, neque majori fructu, quam F temporis et virtutum jactura. Divino quodam igniculo resipiscens, hero et mundo valedixit, eremumque petiit sancti Genesii MARTYRIS non prope * a civitate Murciana diœcesis Carthaginensis, ubi aliquot annis pie vixit. *Deinde gesta et martyrium hujus Joannis enarrat.*

* *lege* procul, *ut mox dicetur.*

an hæc Martyris in confessorem mutatio.

29 *At Waddingus (inquient Sciarenses suæ traditionis defensores) in iisdem Annalibus Minorum ad annum Christi 1437 num. 48 priorem opinionem suam revocat his verbis:* Confessorem omnes dicunt; unde corrigendus est locus, ubi alias ex Vita nostri beati Joannis Cetinæ MARTYREM appellavi et ædem prope Murciam, leucis decem distantem, constitui. Unde ita legendum est; EREMUMQUE PETIIT SANCTI GENESII, NON PROCUL A CIVITATE CARTHAGINENSI. *Equidem fateor, hæc a Waddingo sic correcta esse. Sed utinam simul expressisset urgentes rationes, ob quas sententiam mutarit! Videtur autem ab ipso hæc unica causa allegari, quod illum S. Genesium omnes Sciarenses accolæ* confessorem *dicant. Forte Waddingus ex Fratribus suis Sciarensibus intellexit, hanc esse vulgarem*

A *rem loci traditionem de suo S. Genesio, et ideo priorem sententiam suam de martyrio istius S. Genesii revocavit. Quidquid sit de illa revocationis causa, nos tam facile non movemur communi plebis opinione, cujus originem et antiquitatem ignoramus. Si porro Sciarenses ostenderint, hanc traditionem suam esse antiquam, et solido fundamento niti, Waddingum retractantem imitabimur.*

non sit orta ex fabulosis Hispanorum chronicis,

30 *Quamvis autem Waddingus loco supra citato fateatur, se nihil certi deprehendisse circa parentes illius sancti Genesii, mortis tempus, aut constantem vitæ statum, tamen ex populari traditione mox ibidem subjungit sequentia :* Multis referunt Divum florere miraculis, consanguineum fuisse Gallorum regum, et Caroli Magni nepotem, ibique jacere sepultum. Plurimi eo confluunt veneraturi et beneficia impetraturi; eaque ille frequenter exhibet præsertim in mari periclitantibus. *Verum hæc tanta generis nobilitas aut regia consanguinitas non parum nobis suspecta est, tum quod antiqui scriptores Galli et Hispani de illa nusquam meminerint, tum quod* B *recentiores fabulatores Hispani similem generis claritatem tribuant Adelhardo abbati Corbeiensi, quem Genesium cognominant, et cum S. Genesio Sciarensi perperam confundunt, ut supra vidimus. Unde non immerito veremur, ne traditio Sciarensium circa nobilem sui sancti Genesii stirpem ex illa fabulosa confusione prodierit, et ab his pseudo-scriptoribus originem suam acceperit.*

adeoque utrum miracula,

31 *Quod attinet ad miracula, quibus hic S. Genesius in Carthaginensi provincia coruscare dicitur, iis faciliorem fidem adhibemus, quia recentiora sunt, et ab auctoribus coævis aut subæqualibus conscripta : nam Melchior Huelamus in Hispanica S. Genesii Vita cap. 14 et sequentibus diffuse narrat aliqua, quæ non diu ante ætatem suam contigerunt. Sive hæc miracula spectent ad S. Genesium confessorem, sicut Sciarenses existimant, sive ad* S. Genesium *martyrem Arelatensem, quemadmodum Papebrochius noster superius allegatus suspicabatur, illa breviter memorabimus ad honorem alterutrius Sancti, cum hodie mentio fiat de utroque illo Genesio (si duo distincti sunt) et de neutro sese alias oblatura sit opportunior agendi occasio. Tamayus* C *hæc miracula vel beneficia satis fideliter ex Hispanico Melchioris Huelami libro Latine contraxit, et in Martyrologio suo ad diem* XXI *Maii retulit, quamvis ea ibidem S. Adelhardo Corbeiensi perperam adscripserit.*

quæ Tamayus ex Hispanico Huelami libro

32 *Latina ipsius interpretatio, quam hic brevitatis causa transcribimus, tomo 3 Martyrologii Hispanici pag. 266 sic sonat :* Anno MDLIII navis e portu solvens Carthaginensi, a ventis impetita validis, ultimam ruinam exspectabat, cum navarchi famulus particulam lapidis de sepulcro sancti Genesii extrahens, illamque, nomine ejus invocato, in mare projiciens, protinus tempestas sedata est. Anno Domini MDLXI Franciscus Xorquera et alii tres socii, qui piscatione victum quærebant, paratis a Mauris insidiis, in captivitatem redacti sunt. Illi, invocato sancti Genesii nomine et auxilio, sese in mare projicientes, liberi ad portum, postquam per quatuor fere leucas absque periculo et anxietate natassent, reversi sunt.

33 Fere simile obtigit miraculum sexdecim civibus Carthaginensibus anno MDLXIII : nam cum ipsi e portu solverent et littus quærerent Numidicum, ut, excursionibus factis, in patriam spoliis redirent onusti, evenit, quod a Maurorum celoce intercepti, libertatem deplorarent deperditam; sed oratione ad Deum meritis sancti Genesii facta, extemplo validus exsurgens ventus sic Maurorum arripuit celocem, ut nec amplius fuerit a quoquam visa, et illi in Hispaniam pervenere lætantes. Quidam equitis Murciensis filius anginæ morbo laborans, brevi intervallo decessit; cujus pater dolore mortis filii compunctus, Deo et sancto Genesio promisit (si filius hujus vitæ luce frueretur) se per annum, filium vero per sexennium in cœnobii ministeriis continuo servituros. Hoc peracto voto, filii cadaver in lectica poni jubens ad ecclesiam, in qua sancti Abbatis *(Adelhardum abbatem Corbeiensem perperam intelligit, ut supra monuimus)* pignora quiescunt, pergens, et illud super aram imponens, repetita per triduum oratione, eleemosynis et voto adolescentem filium vivum recepit. *Noluimus hoc loco vitiosam Tamayi latinitatem vel luxatas ejus periodos corrigere, cum saltem satis intelligatur substantia rei, quam narrat.*

Auctore G. C. Latine in compendium redegit,

E

sancto Martyri Arelatensi non sint adscribenda.

34 *Ex his aliisque miraculis, quæ Melchior Huelamus Hispanice verbosis episodiis exponit, nemo confidenter inferat, ibi corpus S. Genesii sepultum esse, sicut Sciarenses ex traditione sua contendunt : nam tale argumentum proponens acciperet a nobis eamdem responsionem, quam S. Gregorius olim dedit cuidam Petro quærenti, cur Sancti majora signa facerent, ubi minime per semetipsos jacent. Nimirum S. Gregorius Papa lib. 2 Dialogorum cap. 38, in novissima Operum suorum editione Parisiensi tomo 2 col. 276 ad hanc quæstionem sic respondet :* Ubi in suis corporibus sancti Martyres jacent, dubium, Petre, non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto magis habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exauditione. F *Ceterum hæ sunt conjecturæ nostræ de S. Genesio Sciarensi, quas eruditis in tanta veterum documentorum penuria proposuimus, libenter eas revocaturi vel opinionem mutaturi, si quis certiora nos docuerit. Nunc ab hac necessaria digressione ad* S. Genesium *Arelatensem revertimur.*

§ III. Sincera sancti Martyris Arelatensis Acta, dubius eorum scriptor, incertus martyrii annus et duplex Arelatensium traditio refutata.

De vero Actorum scriptore,

Quamvis apud eruditos nondum sit omnino certum, quis Acta S. Genesii *Arelatensis posteritati reliquerit, tamen omnes etiam severissimi veterum monumentorum censores ea pro genuinis habent, et communi consensu affirmant, istud inclytum martyrium ab auctore sincero fideliter*

AUCTORE G. C.

liter ad posteros transmissum fuisse. Certe pius hujus Passionis scriptor, qui forsan ineunte seculo quinto floruit, in prologo suo lectores monet, ideo sese adhuc tempestive hæc Acta collegisse, ne ea, quæ adhuc viva recordatione rerum, ut sunt gesta, referuntur, evanescente per tempus vel tradentium vel accipientium fide, fabulosa credantur. *Idcirco Ruinartius ante Passionem hujus sancti Martyris Arelatensis, quam Parisiis inter Acta Martyrum sincera et selecta vulgavit, pag. 601 istius editionis ita præfatur :* Cum persecutionis tempore nemo beati Genesii Arelatensis martyrium descripsisset, pace tandem Ecclesiæ reddita, hæc jactura alicujus fidelis et pii scriptoris calamo resarcita fuit, qui Genesii Passionem, quam modo exhibemus, litteris mandavit. Hanc sub beati Paulini Nolani episcopi nomine vulgavit Laurentius Surius, cui plerique auctores consentiunt, nec adversantur codices manuscripti. Et sane quamquam nonnulli dubitant, an verus sit beati Paulini fœtus, nemo tamen inficiari potest, quin ab ipsius ævi auctore descripta fuerit.

B 36 *Deinde Ruinartius ibidem testatur, in tribus aut quatuor Mss. codicibus ante hæc Acta nomen* Paulini episcopi *expressum legi, et propterea sese illud etiam editioni suæ præfixisse. Sed hinc non sequitur, illam lucubrationem Nolano hujus nominis antistiti tribuendam esse: nam Rosweydus noster in notis ad Antverpiensem suam S. Paulini Nolani editionem pag. 834 innuit, eam probabilius adscribi posse Paulino episcopo Biterrensi, qui post initium seculi quinti cathedram tenuit, ut apud Sammarthanos in Gallia Christiana veteris editionis tomo 2 pag. 408 videre est. Forte Rosweydus judicabat, hanc narrationem de Martyre Galliæ verosimilius episcopo Gallo, quam Italo convenire. Tamen istud opusculum S. Paulino Nolano tribuunt plerique recentiores critici cum nupero Paulinianarum lucubrationum editore Gallo, quem Tillemontius tomo 5 Monument. eccles. pag. 569 vernacule* le Brun *cognominat. Hic editor illud martyrium* S. Genesii *Arelatensis reliquit inter Opera S. Paulini Nolani, quæ Parisiis anno 1685 vulgavit, et in notis tomo 2 pag. 114 monet sequentia :* Dubitat Rosweydus, an sancti Genesii martyris historia sit genuinus Paulini nostri fœtus ; eam Paulino cuidam Biterrensi episcopo,

C qui anno CDXX sedit, adjudicari posse existimat. Hæc tamen Paulino Nolano vulgo tribuitur ; nec sane aliquid obstat, quo minus ei adscribatur, licet non videamus, quam occasionem illius texendæ narrationis habuerit.

qui seculo V floruit,

37 *Quidquid sit de vero illius historiæ scriptore, qui certe magnam fidem meretur, nos defectu notitiæ certioris hanc litem indecisam relinquimus exemplo Ruinartii, qui post assignatum ex Mss. suis codicibus* Paulini episcopi *nomen, in laudata admonitione prævia ad eamdem Passionem pag. 602 Parisiensis editionis ita anceps hæret :* Sed quis fuit ille Paulinus? Nolanus an Biterrensis episcopus, an alius, plane incertum est. *Igitur ob auctoritatem veterum codicum, quos Ruinartius allegat, his Actis nomen Paulini episcopi præmittemus, et ex ipso post Commentarium prævium recudemus eamdem* S. Genesii *Passionem, de qua editor ille lectorem sic præmonet :* Hanc autem, quam ex Surio edidit novæ editionis Operum sancti Paulini collector *(Ruinartius hic designat illum collectorem Gallum, cujus cognomen ex Tillemontio superius*

inter eruditos disceptatur,

indicavi) cum aliquot codicibus manuscriptis D denuo collatam exhibemus. Verum cum in ea editione, et in unico codice Colbertino quandoque occurrant integræ sententiæ, quæ in aliis codicibus manuscriptis non habentur, nec tamen videantur omnino respuendæ, eas ansulis inclusas reliquimus.

38 *Præter hanc brevem Passionis historiam adhuc superest Homilia, quæ ad laudem* S. Genesii *Arelatensis eodem seculo quinto recitata est, et cujus auctor adhuc magis, quam præcedens, apud eruditos in controversiam adducitur, ut colligi potest ex sequente Ruinartii ratiocinio, quod in jam sæpe citata admonitione prævia exprimitur his verbis :* Paullo post Faustus Regiensis episcopus, aut Eucherius Lugdunensis, sive alius auctor, cujus Homiliæ aliquot cum aliis aliorum auctorum sub nomine Eusebii Emisseni seu Eusebii Gallicani editæ sunt tomo quinto Bibliothecæ Patrum, homiliam de beato Genesio edidit, in qua sæpius Passionis hujus non solum sententiis, sed et ipsis verbis utitur, ut ex aliquot locis, quæ in notulis proferemus, patebit . . . . Porro Papirius Massonus in Descri- E ptione Franciæ per flumina laudat Patientis Lugdunensis episcopi homiliam elegantem de sancto Genesio Arelatensi, quam cum videre non licuerit, an diversa sit ab ea Passione, quam sub sancti Paulini nomine editam diximus, aut ab homilia Eusebii Gallicani laudata, sub cujus nomine aliquot Eucherii Lugdunensis opuscula edita sunt, judicare non possumus; siquidem certum est, alios etiam auctores de sancti Genesii laudibus scripsisse. Inter alios sermones sanctorum Augustini, Cæsarii, Fausti, aliorumque ejusdem ævi scriptorum, qui Romæ in codice manuscripto num. 3836 bibliothecæ Vaticanæ habentur, duo exstant de sancto Genesio absque auctoris nomine. *Sed Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 38 mavult hanc Homiliam tribuere sancto Hilario Arelatensi, sicut ibidem indicat his verbis :* Auctor Homiliæ de sancto Genesio martyre, urbis Arelatensis indigena et patrono (sive is Paulinus Nolanus episcopus, sive Paulinus Biterrensis, sive Patiens Lugdunensis antistes, sive, ut potius reor, Hilarius Arelatensis fuit) docet urbem hanc geminam seu duplicem fuisse ætate sua. *At Valesius Homiliam confundit cum Passione, ut patet ex verbis Actorum,* F *quæ hoc loco allegat.*

sicut etiam de auctore Homiliæ,

39 *Theophilus Raynaudus noster in Hagiologio Lugdunensi pag. 76 hanc Homiliam sancto Patienti episcopo Lugdunensi tribuit, et a Passione* S. Genesii *Arelatensis clarius distinguit hoc modo :* Facundiam sancti Patientis indicat florulenta homilia in sancti Genesii laudem, quæ legitur in miscella nomine Eusebii Gallicani aut Eucherii prænotata : eam enim homiliam Papyrius Massonius in Galliæ descriptione per flumina agens de urbe Arelate tribuit sancto Patienti, constatque habitam extra Arelatem, ut legenti erit perspicuum. Non videtur autem Massonius agere de illa alia scriptione, quæ apud Surium legitur tomo IV, die XXV Augusti, et habetur immista Operibus sancti Paulini Nolani, titulo Martyrii sancti Genesii : nec enim ea scriptio dicenda est homilia, aut confundenda cum illa de sancto Genesio vere homilia, quæ exstat in miscella Eusebiana (ut perperam factum est ab Auberto Miræo in Auctario de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 118) cum ea quam dixi scriptio, sit narratio historica modi, quo sanctus Gene-

quam ex Ms. apographo edimus,

sius

A sius passus est. *In pergameno Musei nostri codice, qui* ✠ *Ms. 201 signatur, habemus hanc homiliam sermonibus Eusebii Emisseni vel Eucherii Lugdunensis immixtam, quam Surius die* XXV *Augusti post Acta et miraculum* S. Genesii *Arelatensis etiam prælo subjecit.*

40 *Quandoquidem igitur hæc homilia continet et illustrat aliqua sancti Martyris istius gesta, cum quibus Acta post hunc Commentarium prævium recudenda conferri poterunt, hic illam cum Suriana editione collatam vulgabimus ex memorato Ms. codice nostro, qui folio 68 et sequente sic habet :* Hodie natale sancti Genesii celebramus; et merito beatorum Martyrum passiones, natales vocamus dies, quando eos martyrii vita et gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, et perpetua gaudia brevi dolore parturiit. Merito plane dicendi natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miseriam, subito renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine sumentes. Etenim si istos dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis et doloribus nascimur B ad dolores, quibus in hunc mundum cum fletu infantiæ vagitantes ingredimur, omnis homo quasi futuræ per totam vitam propheta * miseriæ et infelicitatem naturæ prima illa lacrymabili voce testatur; siquidem primo statu vita nascentium, quæ ad omnem suscepta * cursum, in tribulatione agitur. Justius ergo isti celebrantur natales, quibus Sancti ex corruptibili luce in novam illam futuri seculi veniunt claritatem, et filii hominum in adoptionem divinæ paternitatis ascendunt, et consortes paulo ante mortalium subito cives incipiunt esse angelorum.

et in qua narratur,

* *Sur.* prophetia

* *Sur.* suspecta

41 Ex eorum numero erat Beatus ille, cujus hodie præclarum gloriosi agonis celebramus trumphum; qui adhuc catechumenus, adhuc a divinis legibus peregrinus, adhuc alienus, omnia in se subito mandata pietatis fidei plenitudine consummavit. Catechumenus ad confessionis certamina progreditur; non tingitur fonte, sed abluitur passione; non vivificatur baptismate, sed morte regeneratur; et quid tandem crederet, vel quid pro eo Redemptori suo deberet, profusione sanguinis confitetur. Non potest quidem dicere; Consepultus sum Christo per baptismum C in mortem; sed potest dicere, Per mortem illi jungor in baptismo, id est, in morte. Ipse enim Dominus mortem suam baptismum pronuntiavit dicens : Baptismate habeo baptizari, quod vos non scitis. Beatus ergo et inclytus Christi testis hanc Domini sui mortem, etsi non edidit mysterio, plus est quod imitatur exemplo.

quomodo S. Genesius Arelatensis,

42 O quantum agit ille in pectoribus humanis divinus ignis! Catechumenus æternam comperit vitam. Nondum profectus ad Christi militiam, et jam dignus ad amicitiam. Nondum assumptus ad famulatum, et jam idoneus ad testimonium. Nondum intromissus Ecclesiæ januam, subito ipsam penetrat cæli regiam. Nondum miles Dei, et jam coheres. Nondum domesticus in domo Dei, et jam filius in regno Dei. Et sane meruit hanc gloriam inconcussa illa in tanto Martyre animi virtus et fidei magnitudo occulto diu * Christi amore nutrita, et subitis approbata documentis. Nam cum secretus adhuc Dei Famulus in exceptorum ordine militaret, et ante tribunal pagani Cæsaris assisteret, audiens eum in caput Christianorum cruentas pronuntiare sententias, piam dexteram ab excipiendo tamquam sacrificando revocavit, et imprimere * sacrilega verba contremuit, quia Christum paginis cordis gerebat inscriptum.

adhuc catechumenus,

* *Sur.* (dico)

* *Sur.* implere

AUCTORE G. C.

43 Projectis itaque codicibus ante oculos profani judicis, nefarias ejus voces et edicta impia atque decreta tota jam martyris libertate condemnat. Tormenta in oculis erant, dolor eorum, quos pœna laceraverat, usque ad metum carnificum, usque ad tremorem torquentium perveniebat; et inter hæc ille Christianum se esse tota exultatione clamabat, tamquam Christiani non ad supplicia, sed ad præmia quærerentur. Quanta et quam nova spectacula Deo atque angelis suis præbuit fides piorum! Ecce in sacrilegi tyranni ministerio militem suum Christus invenit. Solebat Ecclesia ad tribunalia persecutorum martyres mittere; ecce nunc stupendo genere Ecclesiæ martyrem tribunal persecutoris emisit. Pronuntiat itaque : Christianus sum. Omnis insania persecutoris, verso in illum furore, consurgit; æstuat dolore et confusione judex cruentus; plus erubescit, cultorem fidei de parte emersisse perfidiæ.

publicam fidei Christianæ professionem

44 Incumbente itaque persecutionis mole, insequentibus diaboli ministris, Rhodani se immittit fluentis. In ulteriorem ripam de civitate E in civitatem, flumine obsequente, transgreditur; non ut gloriosam mortem fugeret, sed ut de martyrii ordine nil deesset, dicente ipso Domino : Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Illic apprehensus Christo immolatur, et triumphali cruore perfunditur. Unda pretiosi sanguinis baptismi sacramenta complentur. Cadit in pretium veritatis hostia * pietatis. Sub ipsa itaque felicissimæ civitatis mœnia fidelium humeris funus inclyti Victoris infertur. Unde nunc inter utrasque urbis illius partes gemino honore gloriosus, illam ripam triumpho sanctificat, hanc sepulcro; illam sanguine illustrat, hanc corpore.

fuso sanguine firmaverit,

* *Sur.* hostis

45 Fideles itaque populi peculiarius exultantes de perpetui propugnatoris auxilio, ferunt ad tumulum vota, de tumulo votorum referunt gaudia. Pulsant hi precibus, respondet ille virtutibus : vincuntur per quotidiana Martyris beneficia alumnæ urbis obsequia. Unde merito in prosperis colunt, quem præsentem in periculis cognoverunt. Frequentibus itaque tribulationibus approbarunt, quantum apud Deum possit proprius Suffragator. Quam pretiosa sunt martyrum F vulnera! Quam gloriosa certamina, inter quæ tormentis viventes et mortibus triumphantes, vexati in paucis, bene disponentur in multis. Coram hominibus afflicti, coram angelis glorificandi, brevem Deo vitam sub æternitatis commercio fœneraverunt : et ideo sicut aurum in fornace ignis, ita illi in camino tribulationis probati, fulgebunt sicut sol; de quibus per beatum Joannem vox divina testatur : Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni; propter hoc stabunt in conspectu throni.

cujus exemplo auditores

46 Hos ergo, charissimi, ita miremur, ut homines fuisse meminerimus; hos, inquam, ita miremur, ut eos nostri similes noverimus, et sub eadem, qua nos sumus, carnis fragilitate vixisse; et per hoc sequamur, in quantum possumus, fidem illorum; sectemur animi virtutem, qua terrena ac præsentia respuentes, vim regnis cælestibus intulerunt. Superaverunt illi corporum dolores, nos superemus morum et cordium passiones; vicerunt illi tormenta, nos vitia; illi sacrificare dæmoniis horruerunt, nos mali-

ad spirituale martyrium excitantur.

AUCTORE G. C.

malitiam, invidiam, obtrectationes, contentiones, tamquam profana sacrificia, detestemur; ut inter hujus mundi conflictationes, vitia, persecutores virtutis probent, esse nos martyres. Persequamur in nobis peccata et iniquitates nostras. Expugnemus superbiam, debellemus iracundiam. Ipsi in nobis et persecutoris partes exsequamur et martyrum per castigationem vigiliarum, per contritionem jejuniorum, per custodiam castitatis. Exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, placentem Deo. Acquiramus nobis novum, non carnis morte, sed carnalis vitæ mortificatione martyrium, ut de nobis quoque etiam viventibus dici possit: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Ergo in quantum fieri potest, exstinguatur in nobis quidquid peccati est; mortificetur morti, quod seculi est, ut pretiosa perficiatur in conspectu Domini mors viventium, ut animositates, cupiditates, atque præsentium blandimenta rerum, sicut ea mors extorquebit invitis, ita ea nobis veritas fidei et Dei auferat timor; et non necessitas ea a nobis separet, sed voluntas, ut terminum vitiis, ut
B finem concupiscentiis ac delictis nostris non interitus faciat, sed profectus.

Ex hac Homilia quidam annum Passionis assignat,

47 *In hac homilia dicitur* S. Genesius *Arelatensis publice generosam fidei Christianæ professionem edidisse, cum* ante tribunal pagani Cæsaris assisteret. *Hinc Adrianus Bailletus in Gallicis ejusdem* S. Genesii *Actis colligit, imperatorem tunc in urbe Arelatensi præsentem fuisse, quamvis nomen istius imperatoris aut Cæsaris non exprimatur. Cum autem Maximianus Herculeus anno Christi 308 resumpserit Arelate diadema Romani imperii, quod antea invitus abdicaverat, inde Bailletus ulterius infert, martyrium* S. Genesii *Arelatensis huic anno probabiliter affigi posse. Licet hæc conjectura non sit omnino improbabilis, tamen nobis videtur incerta, cum Diocletianus et ipse Maximianus Herculeus in Gallia, et forsan Arelate, fuerint ante aliquot annos, quibus hoc* S. Genesii *Arelatensis martyrium ex simili conjectura collocari posset. Adde, quod anno Christi 308 talis esset Maximiani Herculei status, ut ei non multum luberet Christianos persequi, sicut facile intelliget, qui Romanam istius temporis histo-*
C *riam consulere voluerit.*

quem tamen incertum putamus,

48 *Eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 303 num. 130 varios in Gallia martyres hoc anno sub præside Rictio Varo collocat, et inter illos hodiernum* S. Genesium *memorat his verbis:* Arelate tunc quoque passus est Genesius Actorum publicorum exceptor; hic quidem jussus coram tribunali excipere decretum in Christianos, pertæsus sceleris, abjectis tabulis ante pedes judicis, aufugit atque delituit, divinoque afflatus Spiritu baptismum ab episcopo sibi impartiri rogans, Dei voluntate accidit, ut antequam illius compos fieri posset, a præsidis ministris præventus, proprio fuerit sanguine baptizatus, atque coronam martyrii consecutus, celebrique memoria, qua passus est die, adscriptus tabulis sanctorum martyrum. *Verum Tillemontius tomo 5 Monument. eccles. pag. 3 et sequente putat, Rictium Varum præfectum prætorii ante finem seculi tertii mortuum esse. Ruinartius et alii judicant, incertum esse annum, quo* S. Genesius *Arelatensis martyrium subiit. Hisce postremis auctoribus adhæremus, donec alicunde major certioris chronologiæ lux affulserit. Interea ta-*
men initio Commentarii hujus in margine annum 303 vel 308 notavimus, ut saltem tempus aliquod istius martyrii præterpropter assignaremus. Nunc examinabimus unam alteramve civium Arelatensium traditionem, quæ ad hoc martyrium spectat. D

et duas populares Arelatensium traditiones

49 *Supra laudatus Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi, quod apud Menckenium inter scriptores Rerum Germanicarum nuper recusum est, ibidem tomo 1 col. 123 primam popularem Arelatensium traditionem exponit his verbis:* Porro cives, Genesium, cum cervicem a tyranni crudelitate subduceret, velletque in eam urbis partem transmeare, in qua hodie suburbium est TRENCATAILLE, undis Rhodani recedentibus, sicco vestigio trajecisse existimant. *Oportet hanc traditionem non adeo recentem esse, cum vetus Officium Mozarabicum mentionem ejusdem rei faciat in oratione seu collecta propria, quæ sic recitatur:* Omnipotens Domine, qui beatissimum Genesium martyrem tuum passionum stimulis et imminentium fluctuum cumulis probari non obrui permisisti, cum eum dimicantem nec pœna superaret, nec immersum unda suppprimeret; quia E ei et illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur, et hic præstitisti, ut contra naturam fluctibus portaretur, miraculis tantis fidem omnibus præsta, ut vota celebrantibus devotissime conferantur. Amen. *Videntur hic Mozarabes illam Rhodani trajectionem pro miraculo habere.*

antiquis testimoniis destitutas.

50 *Tamen antiquissimi Passionis ejus et miraculorum scriptores in ea fluminis trajectione nullum miraculum agnoscunt: nam sanctus Gregorius Turonensis lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 69 simpliciter indicat, hunc sanctum Martyrem in Rhodano* natasse, *sicut alia occasione postmodum referemus. Quinimo primus Actorum scriptor in Passione, post hunc Commentarium ex Ruinartio recudenda, apud nos num. 5 diserte asserit, Sanctum nostrum periculo comprehensionis proximum, instinctu Domini sese in Rhodanum præcipitasse, et sic* natandi adminiculo *ad alteram fluvii ripam pervenisse. Si* S. Genesius *erat natandi peritus, ut hic supponi videtur, nullum in ea fluminis trajectione quærendum est miraculum, cujus etiam vetustissimi scriptores nullum suo silentio indicium præbent.*

aut potius iis contrarias F

51 *Quidam Mss. codices hæc paullo aliter exprimunt, et exemplum sancti Petri Apostoli super aquas ambulantis addunt in hunc modum:* Atque hæc causa profecto exstitit, ut natandi adminiculo perveniret, qui exemplo beatissimi Petri ad Christum tendens, per summa gurgitum ambulare potuisset. *Quid si Mozarabes ex hac periodo male intellecta putaverint,* S. Genesium *exemplo beatissimi Petri contra naturam fluctibus portatum fuisse, quemadmodum in sua collecta innuunt? Forsan Arelatenses nonnulli propter alibi allatam populi Israelitici prodigioso modo mare rubrum transeuntis comparationem existimarunt, etiam sanctum Martyrem,* undis Rhodani recedentibus, *hunc fluvium* sicco pede trajecisse, *ut Saxius supra testatur. Hinc popularis et inconstans illa traditio apud Arelatenses oriri, et ad Mozarabes transire, ac paulatim invalescere potuit. At undecumque hæc originem vel incrementum habuerit, nos absque manifesto veterum scriptorum testimonio miracula multiplicare non audemus.*

propter Actorum silentium rejicimus.

52 *Loco superius citato Petrus Saxius alteram Arelatensium traditionem sic refert:* Affirmant, Genesium e flumine egredientem a servo

publico

A publico percussum, caput præ manibus gestasse, ut alterum Dionysium, ad illum usque locum, ubi morus sanguine Martyris irrigatus excreverat. *Verum ipse Saxius Canonicus Arelatensis ecclesiæ de ista capitis gestatione ibidem breviter et caute sic pronuntiat :* Caput vero gestasse cum nullibi legero (licet ita illum pictores et statuarii effingant) non assero; celebrem tamen miraculis agnoscit ecclesia. *Juvat hac de re audire Henschenium nostrum, dum ad diem* XXV *Maii occasione SS. Maximi et Venerandi martyrum Ebroicensium, qui in Actis fabulosis etiam capita sua gestasse dicebantur, tomo* VI *istius mensis pag. 38 illam capitis gestationem explicat his verbis :* Ad hæc aliud nihil habemus dicere, quam, recepta semel per Galliam consuetudine, omnes eos Sanctos, qui capite minuti fuisse credebantur, exprimendi in statuis picturisve cum eodem capite intra manus ante pectus sublato; invaluisse popularem errorem, quo crediti sunt illi decisa capita post mortem sustulisse, et ad locum suæ venerationi dicatum deportasse. Potuit id semel iterumque revera contigisse; sed B agnito semel illo, quod tam multos in errorem induxit, fallaci principio; de nullo Sancto potest prudenter credi, cujus Acta non sint omnino sincerissima, et ab omni interpolationis suspicione, propter auctorum indubitabilem fidem, remotissima. *Nos confirmetionis gratia hisce addimus, Acta* S. Genesii *nostri quidem sincera esse, sed in iis de hac capitis gestatione nullum verbum fieri, adeoque istam Arelatensium traditionem nobis prorsus improbabilem videri. Ceterum cum Saxio et ecclesia Arelatensi agnoscimus alia præclari hujus Martyris miracula, quæ jam paragrapho sequente ex testibus omni exceptione majoribus colligemus.*

§ IV. Diversa miracula patrocinio Sancti post martyrium ejus patrata, et ab auctoribus fide dignissimis conscripta.

C *Testis oculatus narrat,*

Ante annum Christi 429, quo S. Honoratus antistes Arelatensis ad Superos migravit, intercessione S. Genesii *contigit insigne miraculum, quod S. Hilarius oculatus testis et immediatus sancti Honorati Arelatensis episcopi successor litteris mandavit, ut eruditi passim tradunt. Attamen famosus Quesnellus contra torrentem nititur, et in editione Operum sancti Leonis Papæ tomo 1 pag. 730 hoc opusculum sancto Hilario Arelatensi abjudicat his verbis :* Narrationem de miraculis sancti Genesii, quæ apud Surium Hilarii nomine decorata legitur, abhorret ab ejus facundia, stylumque prorsus redolet Honorati Massiliensis, quem et testatur Gennadius plura ad Vitas sanctorum Patrum pertinentia scripsisse. *Verum hæc levis ratiuncula vel temeraria. Quesnelli conjectura corruere videtur ex sola chronologia : nam anno Christi 427 vel 428 patratum est istud* S. Genesii *miraculum, cui scriptor ipse præsens adfuit, ut in sua narratione testatur. Honoratus autem Massiliensis adhuc vivebat anno Christi 494, quod ingens temporis intervallum memoratam Quesnelli conjecturam prorsus improbabilem reddit. Porro Tillemontius et alii severi lucubrationum censores in historia hujus miraculi nihil sancto Hilario Arelatensi indignum inveniunt, ut apud Benedictinos in Historia litteraria Galliæ nuper edita tomo 2 pag. 269 videre est.* AUCTORE G. C.

quomodo plurimi cives Arelatenses,

54 *Joannes Salinas Canonicus Regularis Lateranensis anno 1731 Romæ hanc miraculi narrationem inter Opera S. Hilarii Arelatensis ex Surio recudit, eamque cum aliis codicibus aut editionibus videtur contulisse. Nos hic eamdem cum impressis exemplaribus collatam transcribemus ex Ms. apographo Chiffletiano, quod ita sonat :* Opera Domini enarrare honorificum est. Ergo operæ pretium est miracula divini operis, ad sancti martyris Genesii gloriam referenda, narrare : natali enim ipsius die frequens ille in civitate Arelatensi casus, pontis abrupti periculo, urbem totam nimio tremore concussit, et animis subiti pavoris discrimine concussis, solemnitatis lætitiam recepta salutis gratia lætiorem reddidit, jucunditate duplicata : nam cum suos in hac celebritate plus etiam quam suos Arelas populus coegisset, quorum in illa die gaudiis agendis ipsa civitas angusta erat, semitæ et spatia E camporum, et ideo hærente in se agmine et laborantibus cunctis sua densitate, ibat in ulterioris fluminis ripam in honorem Martyris Christo devotus exercitus cum charis conjugibus, dulcibus pignoribus, plura simul beneficia habere festinans, nec contentus uno in loco vota profundere, in ecclesia pervigil, antelucanus ad locum cædis et sanguinis festinabat; item ad sepulcrum, gaudiorum immolans hostias, quasi occupaturus aures Martyris properabat; nec Clericorum officia solemniter ordinata, nec ipsum denique lucis tempus exspectabat : splendor siquidem festivitatis, collucente tota urbe, omnem omnimodis pepulerat noctis horrorem.

disrupto Rhodani ponte

55 Interim via illa navalis, qua inter confœderatas sibi urbes, illius terribilis Rhodani terga calcantur, subito aut sub injusto fasce aut nimio materiarum pondere, aut per obliquos amnes, in lapsum * prona diffusa est. Incertum est, quo casu (certum tamen cujus insidiis) pretiosum onus, hoc est, fidelium turmam in mediis fluctibus male pendula strata deposuit, adstante me, quod veraciter loquor, et pedem ab ipso, ut ita dixerim, ponte referente. Ingens F illico fragor populi tam ruentis, quam circumstantis exoritur; pavor tota urbe percurrit. Hic conjugi, ille filiis, alii propinquis, alii amicis, omnes simul diversis affectibus metuunt. Inter hæc sanctæ recordationis antistiti Honorato, quo tunc ille populus pastore gaudebat, uni pro omnibus metuenti omne cladis pondus incubuit. Quos tunc illa pietas stimulos accepit? Quam subita animi ægritudine ægro se ægrior * fuit? Erectis confestim ad cælum oculis, et exæquata cordis intentione luminibus, ita a nobis circumstantibus mentis excessu totus abscessit, ut nemo dubitaret, quin tribunalibus Christi cum sancto Genesio opem præsentis mali impetraturus adstaret.

* al. obliquum amnis illapsum

* al. ægris præsto

maximum submersionis discrimen adierint.

56 Agebantur interim grandi tumultu miseranda naufragia, mixti hominibus phalerati equi, impedito indignantes natatu, altis pectoribus crura jactabant; quidquid obvium fuerat, seu admoniti periculo, seu pavidi instinctu proculcantes : pavida virtute implicitæ charis oneribus matrum ulnæ, et pressi caveis * matronalibus famuli, et tota itineris sui immixta fragminibus pompa solennis. Nemo hoc loco malus interpres

* id est, onerati sarcinis dominarum

occur-

AUCTORE G. C.

occurrat, nemo tantam Martyris gloriam maligna obtrectatione obscure, et ripam vicinam nullus alleget; nemo vadis exceptos asserat, quos palam dextera divina salvavit. Depressa peregrinorum littorum mercibus quotidie iisdem ripis inæstimabilium onerum navigia junguntur: navem illic ferendis pontibus, tamquam jacere fundum desperaret aggeribus, ordinatio antiqua constituit. Tantum in hoc vasto gurgite stipati populi pondus exposuit, quantum longissimis, validissimis, eodemque confractis pondere trabibus acceperat.

et ope S. Genesii

57 Occurrat nunc animis atque oculis ista replicantium simul totum, Rhodanus, ruina, naufragium, implicanda turba miserorum diversa, in unum diaboli insidiis conglomerata pernicies. Nihil periculo defuit, ut ad gloriam Martyris nil deesset. Quando enim alumnos ipsius mergeret fluvius, quem eodem die piis natatibus * consecrasset? O magna Dei, gloria! Erupit e vasto gurgite gloriosus exercitus. Jordanem iterum crederes, rupto divinitus amne, patuisse; aut iterum maria populo Dei, sicut sub Moyse quondam duce, in virgæ imperio iter inter fluenta solidum præbuisse. Neminem ruina quassavit, neminem gravatum vestibus fluvius involvit, nemini haustum suum fluvius ingessit; B illæsos omnes incolumesque vernacula ac familiaris ripa suscepit. Pompa omnis, sicut ingressa fuerat, egressa est. Matres familias e profundo famulorum suorum cervicibus mobilium cubiculorum secreta vexerunt * : comptæ in honorem Dei virgines nulla fluitantium monilium detrimenta senserunt: acus ipsæ, ut ita dixerim, sicut affixæ fuerant maternis manibus, hæserunt. Nemo damnum aliquod rei, nemo dispendium salutis accepit.

* *al.* natalibus

* *al.* viderunt

præsens illud mortis periculum

58 Occurrunt pignora chara pignoribus; unusquisque proximum suum, cui plurimum timuerat, lætus amplectitur. Cujus hæc, nisi Christi, per intercessionem Martyris sui, præsens virtus operata est? Convenit itaque episcopus Martyrem, et Dominum Martyr. Ostensum est salute dignum populi fidelis officium. Et denique plurimi (quod mecum forsitan et qui fecistis agnoscitis) illico, ne vel leviter turbare devotionem sanctam liceret inimico, vestibus ut erant madidis, navigia conscendunt, et matutinum rigorem fluvii, spe fervente, contemnunt; festini, quo intenderant, ad C locum scilicet cædis, animo victore perveniunt, alacritate majori post periculum recens vota fusuri.

omnes incolumes prodigiose evaserint,

59 O dignæ audiri preces, quæ non fractæ injuriis imputare nesciunt, quod periclitati sunt, grates referre sciunt, quod evaserant. Omnes gaudio tripudiant; assistunt denique solemnibus læti; interfuisse periculis juvat, quia conspicabile interfuisse miraculis. Tanti cuique fuit de salute dubitasse, ut salutem suam mirabiliter acquireret. Integro suorum numero Honoratus pastor exultat; qui quidem hæc manu politiori majorique gratia mansuris perpetuo seculo scriptis mandare potuisset, nisi divini muneris conscius, in legatione sancti Martyris particeps designatus, quod se præsule Dominus hæc contulisset, insolentius exultare timuisset. Et quidem ad nos beneficia per plures diffusa parveniunt. Ceterum quanti in se privata cognoscunt? Quod soli Deo adscribimus, qui oomnium conditor et conscius, colitur et vivit cum Filio et Spiritu sancto, per infinita secula seculorum. Amen.

ad quam narrationem nonnulla observamus,

60 *Nunc ad illam miraculi narrationem quædam notanda occurrunt. Primo ex episcopatu* D *sancti Honorati Arelatensis patet, hanc prodigiosam populi Arelatensis conservationem differri non posse ultra annum Christi 429, quo sanctus ille præsul e vivis excessit. Secundo ex variis hujus historiæ locis liquet, narratorem illius fuisse simul oculatum ejusdem miraculi testem; ex qua sola temporis et præsentiæ ratione contra Quesnellum sequitur, hanc lucubrationem improbabiliter adscribi Honorato Massiliensi, qui adhuc anno 494 inter vivos degebat, ut supra monuimus. Tertio in ipsa lectione jam experti sumus, hanc narrationem subinde non satis claram esse. Sed hanc obscuritatem partim stylo istius seculi, partim imputamus imperitis librariis, quiperiodos aliquas luxarunt, ut satis apparet ex variantibus lectionibus, quas ad marginem posuimus. Denique curioso lectori ad gloriam sancti Martyris exhibere voluimus istud historiæ sacræ fragmentum, quod magis fide et antiquitate, quam facundia sua venerandum est.*

et eidem alia ejusdem Martyris miracula

61 *Huic addimus alia ejusdem sancti Martyris miracula, quæ Gregorius Turonensis haud dubie ex antiquioribus monumentis vel fideli traditione collegit: postquam enim sanctus ille scri-* E *ptor lib. 1 de gloria Martyrum cap. 67 meminerat de translatis quibusdam* sancti Genesii Arelatensis reliquiis, *ut in Actis S. Aviti præsulis Arvernii ad diem* XXI *Augusti superius pag. 447 hujus tomi notavimus, in editione Ruinartiana cap. 68 de eodem sancto Martyre Arelatensi narrat sequentia :* Hic vero martyr Genesius decisione cervicis agonem pro Christi nomine apud eamdem Arelatensem scilicet urbem, pollente fervore fidei, consummavit. Est autem ibi arbor, ubi dicitur decollatus fuisse, genere morus, ex qua infirmis multa plerumque beneficia, impartiente Martyre, sunt concessa. Sed decursis temporibus, cum rami cortexque ejus pro salvatione a multis detraherentur, arefacta est. Verumtamen adhuc fideliter petentibus vivit, similia præbens medicamina, quod superest de columna.

ex S. Gregorio Turonensi

62 *Tum capite sequente contrahit miraculum, quod ex Hilario præsule Arelatensi jam supra retulimus, et huic alia nonnulla ibidem subjungit in hunc modum :* Sed et pons quondam super Rhodanum fluvium, ubi beatus Martyr F natasse fertur, in die solemnitatis ejus, disruptis catenis, quia super naves locatus erat, nutare cœpit, ac præ nimio pondere populorum ipsæ naves dehiscentes, in alveo fluminis populum submergebant. Tunc omnes simul in discrimine positi una voce clamaverunt dicentes : Genesi beatissime, eripe nos propriæ sanctitatis virtute, ne pereat plebs, quæ fideliter advenit tua devote solemnia celebrare. Mox flante vento, vulgus omne ad littus reductum miratur, se virtute Martyris esse salvatum. Nam et cancelli beati sepulcri sæpius a Langobardis vel reliquis hostibus confracti sunt. Sed arrepti a dæmone homines, aut comprehensi rabie, debacchantes aut propriis se dentibus lacerantes nihil de iis, quæ violenter ceperant, abstulerunt.

subjungimus

63 Ferunt etiam in hac urbe fuisse mulierem, cui a viro crimen impactum, nec omnino probatum, a judice ut aquis immergeretur, dijudicata est; cui cum ad collum lapis immensus funibus colligatus fuisset, in Rhodanum de navi præcipitata est. Illa vero beati Martyris auxilium precabatur, et nomen ejus invocans aiebat : Sancte Genesi, gloriose martyr, qui has aquas na-

tandi

A tandi pulsu sanctificasti, erue me juxta innocentiam meam; et statim super aquas ferri cœpit. Quod videntes populi susceperunt eam in navi, et ad basilicam Sancti deduxerunt incolumem; nec ulterius a viro vel a judice est quæsita. *Quandoquidem jam sæpe laudatus Petrus Saxius Canonicus Arelatensis loco superius citato testatur, plurima superesse miracula, quibus non vult immorari, non dubitamus, quin hic sanctus Martyr alia multa beneficia clientibus suis contulerit. Cum tamen illa ad notitiam nostram non pervenerint, hunc Commentarium finimus, et Passionem Sancti ex Ruinartio recusam consuetis annotationibus illustramus.*

ACTA

auctore Paulino episcopo.

B

Ex Actis Martyrum sinceris et selectis, quæ Ruinartius anno 1689 Parisiis edidit, et quæ cum aliis Mss. contulimus, pag. 603 *et sequentibus.*

Præmisso prologo. Proprium atque indigenam Arelatensis urbis beatissimum Genesium martyrem, alumnum ejusdem jure nascendi, patronum virtute moriendi, celebrare jam a principio atque extollere, omnium fidelium studia, omnes religiosorum litteræ debuerunt; ut tanti meriti gloriosa documenta consignata scriptorum fide, et vivacibus commendata monumentis, illibata atque integra ad posteros pervenirent; quæ admiratio semper faceret nova, et veneratio probaret antiqua. Sed quoniam succedentes sibi per incertum vitæ tempus ætates tradere hæc invicem memoriæ mutuæ, quam mandare litteris, maluerunt; vel nunc oportet eadem fidelibus scriptis in tempora secutura transmittere, ne ea, quæ adhuc viva recordatione rerum, ut sunt gesta, referuntur; evanescente per tempus C vel tradentium vel accipientium fide, fabulosa credantur *a*.

scriptor Actorum narrat. 2 Sanctus itaque Genesius in juventutis flore primævo, provincialis militiæ *b* tirocinia suscepit [eam officii partem studio et arte complexus, quæ patronorum verba vel nova signorum velocitate, vel dextræ, sonum vocis æquaret *c;* spiritualem futuræ gloriæ imaginem præfigurans, ut qui præcepta divina celeriter audiret, ea fidelibus notis piæ mentis exciperet.] Accidit autem, ut, eodem ante tribunal judicis exceptoris muns implente, impia atque sacrilega mandatæ persecutionis jussa legerentur; quæ cum *d* devotus Deo repudiaret auditus, et imprimere ceris manus sancta respueret.

qua occasione S. Genesius, 3 Abjectis ergo ante pedes judicis tabulis, triste ministerium sacrata jam Deo mens refugit. Et ut in nullo a præceptis Euangelicis actus martyrii deviaret, quibus declinare persecutionis impetum vel permittimur vel jubemur, [alia atque alia non solum latebra, verum etiam civitate mutata, cum et alio loco scriptum sit, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma] ab ira se furentis judicis paulisper occuluit. Qui cum eum corripi protinus offerrique jussisset, neque facilis investigatio ad procuratam latebram perveniret; crudelissimis pœnæ ministris, ut ubi repertum gladio interficerent, imperavit. Quod ubi beato Genesio, vel occultis nuntiis, vel rumore compertum est, diversa latendi loca, ut exitus docet, non infirmitate spiritus, sed carnis trepidatione mutavit.

notarius Arelatensis. 4 Atque interim, licet superfluo, de præsumptæ fidei confirmatione sollicitus, quoniam nondum erat ex aqua et Spiritu sancto renatus, per fidos internuntios a Catholicæ religionis antistite donum baptismatis postulavit. Sed ille fortasse temporis angustiis impeditus, [vel juvenili ætati diffidens, ardentia vota distulit] huic fideliter indicavit, quod plenam consummationem etiam hujus muneris daret prompta pro Christo cruoris effusio. [Et hæc quidem cunctatio sacerdotis, divino, ut æstimo, prompta nutu atque judicio provocata dispositaque est; ut circa ejus solemnem consecrationem officia humana cessarent, cui unius baptismatis duplex gratia, ex utroque *e* scilicet Christi latere et aqua et sanguis, parabatur.] E

generose fidem Christianam professus, 5 Itaque cum jam Dominus, per Spiritum sanctum futuri martyris scrutans arcana, non pateretur differri coronam, ubi videbat paratam esse victoriam, percussoribus eum suis obtulit, et iis, quorum in eumdem avida crudelitas inhiabat, ostendit. Atque is, ubi se perspicit deprehensum, instinctu Domini Rhodanum petiit, et sancta fluento membra committit, [ut eum illic a contagio mortali, velut alterius Jordanis undis, occultus baptista purgaret; et mutuo alternoque mysterio, et aquis corpus, et aquas corpore consecravit. Atque hæc causa profecto exstitit,] ac sic natandi adminiculo cum ad alteram ripam pervenisset, [qui exemplo beatissimi Petri ad Christum tendens, per summa gurgitum ambulare potuit * *f*.]

* *al.* potuisset

pro ea martyrium subierit. 6 Transgressum continuo in ulteriora fluminis, et de subeundæ passionis præmiis Christo sponsore securum in eo beatum Martyrem loco, quem effusioni sanguinis gloriosi Dominus elegerat, quique nunc oratione assidua, et votis numquam irritis frequentatur, percussor assequitur, exoptatoque gladii ictu festinantem ad Deum animam vinculis corporis, quibus tenebatur, F absolvit; et utraque substantia propriæ originis elementa repetente, terrena interim terris membra commendat, et cælestem spiritum emittit ad cælum. Providerunt tamen fideles temporis illius Dei servi, ut utramque fluminis ripam geminatis urbibus ambiendam *g* unius Martyris tutela muniret. Nam in ipso beatæ passionis loco, consecrati cruoris vestigia relinquentes, in alterum fluvii latus honoratas reliquias transtulerunt, ut utrobique præsens sanctus Genesius, illic sanguine haberetur, hic corpore.

et lectores ad venerationem hujus Martyris hortatur. 7 Hæc omnia fideliter, atque ut gesta sunt, vel comperta, vel dicta, libentibus devotisque animis, qui noveratis, recognoscite; qui ignorabatis, agnoscite; et gloriam tanti Martyris, per singula annorum spatia crescentem, et in sæcula æterna victuram, mentis oculis contuentes, unusquisque pro viribus ad similia, si simile se tempus obtulerit, animos præparate; et ut beatus Genesius, throno Domini usque ad vindictæ suæ tempus assistens, sacerdotibus ac ministris, clero, vobisque omnibus, et ei, qui instructioni vestræ ista composuit, patrocinetur, orate. Amen.

ANNO-

A. PAULINO EPISC.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num. 35 ex his prologi verbis asseruimus, auctorem sincerum et antiquum hæc Acta collegisse ex recentiore adeoque puriore traditione, quamvis certus eorum scriptor assignari non possit.*

b *Nomine* provincialis militiæ *hic non intelligitur aliquod officium militare seu bellicum, sed ministerium curiale, sicut sæpe alibi significatur, ut in auctiore Cangii Glossario ad vocem* militia *videre est.*

c *Itaque S. Genesius fungebatur illo officio, quod M. Manilius poeta ethnicus trecentis annis ante istud martyrium lib. 4 Astronomici descripsit his versibus :*

Hic et scriptor erit velox, cui littera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursumque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

Hinc paullo post sanctus Martyr ille exceptor *vocatur, et alibi in ordine exceptorum militasse* B *dicitur.*

d *Videtur hoc loco conjunctio* cum *abundare. Unde in alio apographo nostro hæc periodus ita legitur :* Accidit autem, ut, cum ante tribunal exceptoris fungeretur officio, injusto atque sacrilego mandato persecutionis jussa ederentur, quæ devotus Deo repudiaret auditus, et imprimere ceris manus sancta respueret.

e *Noster Cornelius a Lapide citat veteres, qui utrumque Christi latus perfossum fuisse putant, ut in Commentariis ejus ad cap. 19 Joannis ℣. 34 videre est.*

f *Forsan ex male intellecta hac comparatione sancti Petri apostoli super aquam ambulantis ortum habet illa Mozarabum vel Arelatensium traditio, quam § 3 Commentarii prævii num. 49 et sequentibus rejecimus.* D

g *Recte scriptor Actorum hoc loco dicit, utramque Rhodani ripam geminata civitate* ambiendam, *cum tempore* S. Genesii *nondum utramque fluminis istius ripam ambiret* duplex Arelas, *ut eam urbem epistola* XXIII *vocat Ausonius poeta Burdigalensis, qui etiam in Carmine de Claris urbibus situm illius ætate sua sic describit :*

Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus.
Gallula Roma Arelas; quam Narbo Martius, et quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis :
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.

Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 38 et sequente solerter hanc martyriographi nostri phrasin observavit, et inde ibidem de origine pontis et alterius urbis Arelatensis ita disserit : Arelatum quidem primo simplex fuit, ac totum in sinistra Rhodani ripa positum; sed postea Constantinus maximus Augustus in dextra fluminis ripa novam e regione veteris urbem statuit, atque ambas ponte navali conjunxit . . . . E Cum igitur Arelatum nec duplex interfluente Rhodano, nec ponte navali decoratum fuerit sub Diocletiano et Maximiano Augustis, cum Genesius occubuit; fuerit duplex, pontemque navalem habuerit sub Valentiniano Majore, sive ætate Ausonii, hoc est annis post depositam a Diocletiano et Maximiano purpuram circiter sexaginta; cum utraque fluminis Rhodani ripa geminatis urbibus AMBIENDA fuerit ætate Genesii, AMBITA fuerit ætate Ausonii, medium inter Maximianum et Valentinianum principes imperatorem neminem alium reperio, quam Constantinum maximum Augustum, cui pons iste navalis et nova ista urbs Arelatensis jure tribui possint.

DE S. MAXIMA VIRG. ET MART.

IN TERRITORIO CARNUTENSI GALLIÆ

C F

J. P.

Sylloge de Actis, translatione, et cultu.

INCERTO TEMPORE. *Castigantur Acta*

Tria *potissimum consideranda propono de hac Sancta : ac primum quidem de ejus historia seu Actis : secundum de ipsius translatione : tertium de publico, quo honoratur, cultu. Ad primum quod spectat; die* VII *Maii apud nos inter Prætermissos jam pridem insinuatum fuit, diem hunc natalem indicari in Actis Mss., sed plane fabulosis : ad hæc, dici, quod dies translationis apud Carnotenses celebretur, quo, si quid certius nobis compertum fuerit, posse de ea agi indicavimus hac die* XXV *Augusti. Apographum nostrum, quod Daniel Papebrochius propria manu transcripsit, hoc titulo prænotatur :* Historia de vita et origine ac passione sacra beatissimæ martyris Maximæ : *quæ, ut mox subditur, desumpta sunt* ex lectionibus Officii ipsius, quod hymnis, Missa, prosa, cæterisque propriis repertum inter schedas P. Joannis a S. Martino, Bernardini Fuliensis, ab eodem fabulosa judicata, et merito. *Historia vero prædicta sic incipit :* Operæ pretium est lectioni inserere mira præclaraque gesta, nec non et originem beatissimæ Maximæ virginis et martyris *etc. Sive autem fabulosus ille, incertique nominis ac temporis auctor voluerit qualemqualem stylum suum exercere in hoc argumento; sive, cum nihil haberet in promptu, quod de hac Sancta vere ac historice diceret, ut tamen aliquid diceret, lectorem voluerit ducere nugis a se confictis, vel alibi inventis, et aliquam de eadem Sancta sibi prorsus ignota notitiam suggerere; utcumque res se habeat; quam male cohærentia effutiat, planum fiet ex nonnullis fragmentis, quæ speciminis gratia ex istius fabulatoris historia delibare visum est.*

2 Fuit quondam hujus loci accola quidam rex, nomine Dordanus, nobilis genere, divitiis et opibus opulentus, tamen paganus : qui secundum seculi pompam geminos generavit, quorum *e variis*

A rum alter Maximinus nominatur; qui post multas Christianorum persecutiones, et diras cruces, nutu divino instinctus, et pœnitentia ductus, nec non fonte sacro regeneratus; quamvis in dira Christicolarum obsidione unicam sororem, B. Maximam scilicet, decollaverit; tamen bonis operibus insistens, postea in Aurelianensi cathedra episcopali, auspice Deo simul et juvante, sublimatur, et tandem post labores cum Christo in pace requievit. Altera fuit B. Maxima virgo et martyr veneranda, *quæ usque ad annum ætatis decimum quartum idola coluisse in domo paterna refertur, ac Dordanus quemdam Christianum macerasse pro Christi nominis confessione, quem B. Maxima clam patre ac familia ejus invisebat, et ab eodem instructa fidem Christi admisit.*

3 *Ad hæc, diabolus Virginis patrem in somniis adversus illam instigat. Deinde* Dordanus, suis primatibus accersitis, quam plurimos consuluit . . de *hoc* somnio . . Qui statim consilio inito Dordano responderunt : Huc diversarum regionum in omni sapientia peritissimi humana adducantur oratores et philosophi, qui hujusmodi inauditæ visionis sciant modum interpretari, et certis disponere verbis. Tunc Dordanus . . misso nuntio in diversarum partes regionum, hominum ludificatores duo sathanæ accersiti et reperti venerunt, qui sub specie humana latitantes *etc. Ne pluribus lectorem morer; mitto blanditias, quibus pater animum filiæ mutare tentavit, dicens, quod illam daturus esset* nuptui magno ac celebrato magnati Castilliæ regis filio : *nec memoro supplicia, quæ eidem infligi jussit. Denique ut aliis supersedeam,* tunc Maximinus frater puellæ, arrepto evaginatoque gladio, ulla sine mora in eam animadvertere festinavit. . Tunc ipsa propriis manibus comam colligens ense fratris cecidit. *Pauca hæc e fabulosa ista historia extraxisse sufficiat speciminis gratia, quibus subjungo meas de illa cogitationes.*

sublestæ fidei,

4 *Ac primo quidem, quando dicit auctor,* Quidam hujus loci incola, *non intelligo alium ab eo indicari locum, quam tractum vel urbem Carnotensem, conformiter ad titulum supra narrationi huic prænotatum. Secundo, Dordanus, Maximinus, ac Maxima pagani; et quæ de eisdem narrantur, videntur referenda ad tria vel quatuor prima Christi secula. Tertio, quisnam Dordanus ille rex? Haud equidem invenire illum potui, atque adeo in animum induco, personam esse fictam, donec discere mihi liceat, ubi, quando, quibuscum vixerit. Quarto, personatus etiam mihi est Maximinus ille, Maximæ frater, ejusdemque in morte lictor, ac deinde episcopus Aurelianensis : nam inter istius sedis præsules nullum hujus nominis invenio apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 2, pag. 235 et sequentibus. Quinto, convocatio illa oratorum ac philosophorum, quid est, nisi scenicum episodium? Sexto, ejusdem furfuris sunt isti ludificatores duo satanæ, qui sub humana specie dicuntur latitasse. Septimo, adde his epimetri loco* Castilliæ regis filium. *Hactenus cogitationes meas exposui de apocrypha illa historia. Nunc superest dispiciendum, an melius aliquid sperare liceat de* S. Maximæ *translatione.*

speciminibus.

5 *Hanc sua manu etiam transcripsit Papebrochius noster hoc titulo :* In translatione reliquiarum B. martyris Maximæ, omnia sicut in die passionis præter lectiones. *Post finem vero historiæ ejusdem translationis, hanc eidem apponit censuram :* Prosæ et hymni (in quibus pro Maxima semper Mama nominatur) eodem omnino tenore ipsam illam narrationem continent, quæ lectiones pro festo, et iisdem figmentis referta eumdem quoque videntur habere auctorem. *Inter alias autem magnas, quas magno conatu profert nugas, ne quidem nosse sese indicat, unde et a quo reliquiæ S. Maximæ fuerint transportatæ; immo ne quidem transportatas affirmat, sed promissas dumtaxat :* Cum ita jam, *inquit,* tam sedulo hæc tractaret mentis arbitrio præfata nobilis *vidua;* ecce eminus nutu divino quemdam ex longinquo terrarum climate adventasse conspicit, qui se, quas diu desideraverat, reliquias daturum repromisit.

Ejusdem furfuris

AUCTORE J. P.

6 *En tibi nunc, lector, alia, quæ ex qualicumque translationis instrumento delibo :* Tempore illo, videlicet Incarnationis Dominicæ MDXXXIX, quo divinæ Majestati placuit, Patronæ nostræ, scilicet sanctissimæ Maximæ martyris, sacras huc asportare reliquias, dicendorum series et ordo præcurrat. . Fuit siquidem præfato tempore illo quædam nobilis vidua Anno *, genere et opibus clara, sed moribus et famositate clarior, quæ. . . E ecclesiarum limina summopere frequentans, inter suas preces. . . . hoc summe exoravit, quatenus, antequam *moreretur*, . . conspicere, oreque tangere solo, et devota mente venerari S. Maximæ reliquias in hoc templum reportandas digne mereretur. Cum ita jam tam sedulo hæc tractaret *etc. Quæ numero præcedente jam diximus;* post hæc instinctu salubri admonita, quid his super rebus cunctis actura esset, voluit sapientium rationes, consilia et oraculum admittere, ne in aliquo. . tam magnæ rei gestæ eventus periclitaretur. Interim, missis Romam legationibus, summum Pontificem super his rebus eventis debite consuluit, et. . summi Pontificis. . concessum expectavit.

et narratio

* f. Anna

7 Quibus præfatis omnibus a Summo Præsule cognitis, ac. . approbatis, bis quini Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnibus utriusque sexus, qui [in] honorem beatissimæ martyris Maximæ hoc suum templum devote visitaverint, et pro ipsius reparatione quid temporalium bonorum erogaverint in festis sequentibus, videlicet in sacra solennitate translationis hodiernæ, F quod festum apud nos tamquam mobile et solenne celebratur et colitur Dominica secunda post Assumptionem beatissimæ Virginis Mariæ; in Nativitate et Annuntiatione ipsius Virginis Mariæ; in decollatione sacra S. Maximæ, quod festum annua revelatione Nonis Maii mater nostra colit ecclesia, et in festo beatissimæ Annæ matris Virginis Mariæ, singuli eorum Cardinalium auctoritate Apostolica plenarie centum dies indulgentiarum salubriter relaxarunt. Præterea Ludovicus. . Carnotensis episcopus præfatas indulgentias. . cum quadraginta diebus. . indulgentiæ. . VII Kal. Junias tempore et anno prædictis decenter approbavit.

translationis;

8 Insuper venerabilis Bartholomæus abbas D. Carauni Carnotensis diœcesis, et ejusdem episcopatus tunc temporis suffraganeus, in absentia antistitis Carnotensis, hæc sancta reliquiarum solennia magna cum reverentia, præsentibus utriusque sexus diversarum partium populis, solenniter dedicavit, et loco, quo nunc adorantur VIII Kal. Sept. anno et tempore prænotatis, ad laudem et gloriam Dei, et suæ sanctæ Maximæ martyris humiliter reclinavit. Unde nos ergo, dilectissimi Fratres, . . sanctissimæ martyris Maximæ

prout conficitur ex fragmentis ejusdem,

AUCTORE J. P.

ximæ translationem divinis Officiis celebremus *etc. Atque hæc quidem sunt, quæ ex qualicumque translationis instrumento extrahenda putavi, in quo non pauca occurrunt, quæ materiem præbent ulteriorum observationum.*

quæ hic examinantur. Videtur tamen translatio aliqua

9 *Nam præter ea, quæ antea sunt indicata contra illud documentum, displicet primo, quod translatio illa affigatur anno 1539 : quia inde colligitur, ejusdem auctorem nimis esse recentem, quam ut fidem mereatur; hanc sanctam Maximam virginem ac martyrem esse eamdem, quæ colitur apud Dordincum in Gallia, et cujus ætas nescitur, uti inferius dicetur, quando agetur de ipsius cultu. Displicent secundo, et neutiquam videntur probabilia, quæ scribit de modo ejusdem translationis : nam nec ecclesiæ nomen, ad quam vult asportatas S. Maximæ reliquias, exprimit, nec indicat, quales hæ fuerint, nec unde venerint, nec ponit nomen summi Pontificis, nec Cardinalium, quos in scenam producit, imo vero ne vel ipsam quidem istius sacri pignoris traditionem factam fuisse declarat. De his itaque quid credas, quid non* B *credas? Quid de legatis Romam missis? Quid de indulgentiis concessis a decem Cardinalibus? Interim, nisi translationis scriptor splendide imponat, videtur probabile, hanc aliquando factam fuisse, si non* S. Maximæ virg. et mart. *diei* VII *Maii; alicujus saltem synonymæ, cujus reliquiæ vel ex cryptis Romanis fuerint extractæ sub hoc nomine, vel aliunde sub eodem in Gallias, ac deinde ad ecclesiam* S. Maximæ, *quæ annuntiatur die* VII *Maii, delatæ, quas scriptor translationis in unam confuderit. In hanc vero conjecturam inducunt me episcopi duo, quos nominat, quosque indulgentiis* S. Maximæ *translationem ditasse affirmat : quorum alter* Ludovicus Carnotensis episcopus; *alter* Bartholomæus abbas D. Carauni. . , et ejusdem episcopatus tunc temporis suffraganeus.

facta fuisse.

10 *Apud Sammarthanos tomo 2 Galliæ Christianæ, in episcopis Carnotensibus fol. 493 verso indicatur,* Ludovicum Guillard *promotum fuisse ad episcopatum Carnotensem anno 1527 : de quo præsule etiam ibidem agitur in episcopis Cabilonensibus fol. 453 verso. In eodem autem* C *Opere tomo 4, pag. 216 inter abbates* S. Carauni *(abbatia est juxta urbis Carnotensis suburbia) occurrit* Bartholomæus Simon episcopus Sebastiensis, suffraganeus Carnotensis; abbas autem anno MDXXV præfuit annis XVI. *Hinc apparet verosimile, translationem aliquam* S. Maximæ, *quæcumque ea fuerit, factam fuisse tunc temporis, hoc videlicet die* XXV *Augusti, ad quem dilata est, ut aliqua certiora de ista* S. Maxima, *inter Prætermissos ad diem* VII *Maii, ut dicebam supra num. 1, notata, nancisceremur. Ea jam in promptu habemus, pauca quidem; sed sufficientia tamen, quantum nobis videtur, ut, illæso Urbani PP. VIII decreto famoso, Sanctæ isti locum demus hac die in Opere nostro.*

11 *Castellanus, ecclesiæ Deiparæ Virginis apud Parisienses canonicus, ad dictum diem* VII *Maii, hæc scribit in suo Martyrologio universali :* Prope Dordincum *(vulgo* Dourdan) in diœcesi Carnotensi S. Maxima (Ste Même) tamquam virgo et martyr honorata in loco, qui gerit ejus nomen, unius diei itinere Parisiis distante. *Hanc Castellani annuntiationem postea confirmavit novum Martyrologium Parisiense, anno 1727 sub Eminentissimo Noaillio ejusdem urbis archiepiscopo editum, quod ad dictum quidem diem de hac Sancta nihil habet; sed inter addenda et emendanda pag.* VIII *ad Nonas Maii, satis indicat, illam tunc perperam fuisse omissam, defectum illum his verbis ibi supplens :* In territorio Carnutensi, sanctæ Maximæ virginis et martyris, cujus memoriam usque hodie vicus cum ecclesia prope Durdincum sub ejus nomine Deo dicata custodit. *Collectores vero hujus Martyrologii satis innuunt, nihil se habuisse comperti de ætate ipsius, quando in notula marginali eidem apponunt* inc. temp. *Ex his itaque certo conficitur,* S. Maximæ, *quam hodie damus, exhiberi publicam in isto loco venerationem; in qua re attendi potest ad circumstantiam ejusdem loci, in quo ipsa colitur, et ad urbem Parisiensem, in qua testimonium perhibent de cultu auctores citati, hunc vel visu, vel certa relatione edocti, cum* Durdinco *non distarent amplius quam* unius diei itinere.

Sanctæ cultus probatur.

D E F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

RUFINA, EUTICA, JULIANO, & FORTE JULIO, HERMETE, JUSTO, AC MILITIBUS XVIII

J. P.

Ex apographis Hieronymianis.

DIE XXV AUGUSTI.

Dantur variæ

Apographa Hieronymiana a Florentinio edita novas hic iterum, uti alias identidem assolent, tricas obtrudunt nobis, quas si non satis enodare potuerimus; cogitationes tamen nostras super iis proferre, et aliquid saltem lucis præferre conabimur obscuræ annuntiationi huic, quæ in textu hodierno apud laudatum Florentinium sic sonat : In Capua civitate Campaniæ natalis sanctorum Rufinæ, Euticæ cum sociis eorum. *Consonat Martyrologium reginæ Sueciæ apud nos inter Martyrologia Hieronymiana contracta :* Capua Campaniæ, natalis sanctorum Rufinæ, Euticæ : *sed socios non addit. Rhinoviense vero ac Richenoviense :* Romæ Euticetis. *Richenoviense addit :* In Capua civitate, sanctorum Rufini, Eutici. *Augustanum :* Juliani, Rufini. Romæ Gerasii martyris, Hermetis. *Labbeanum :* Juliani, Rufinæ. Romæ, Genesi, Hermetis. *Quibus adde Corbeiense brevius :* In provincia Syriæ, natalis S. Juliani, Rufini; *et aliud sub nomine Venerabilis Bedæ, quod habemus exceptum e Ms. membranaceo S. Lamberti Leodii :* Item Rufini, Etitici *, Ermetis, Justi. *Denique inter additiones ad Martyrologium Bedæ*

* f. Eutici.

a

A *a nobis vulgatum ante tomum* II *Martii, hæc sunt :* In Capua civitate Campaniæ, natale SS. Rufini et Julii. Hermetis. *Sed hi duo sic memorantur in ipso textu Martyrologii a Florentinio editi :* Arelato natalis sanctorum Genesii martyris, Juli, Hermetis.

de intricatis 2 *Vides hic, lector, merum chaos, in quo nec nomina, nec numerus, nec ordo, nec loca conveniunt. De* S. Genesio *Romano (supra mendose* Gerasio) *agimus hodie cum Martyrologio Romano. Si* Rufinus *ille, qui* Capuæ *modo annuntiabatur, sit idem cum synonymo martyre, qui ibidem, sed titulo* episcopi *donatus, exstat in eodem Romano, spectat ad* XXVI *Augusti; sin alius sit, uti videtur esse, quia nullibi superius vocatur* episcopus; *plura de illo comperta haud novimus. Hodie autem cum Martyrologio Romano tractatur de* S. Juliano M. in Syria. *Alia controversia est e textu Martyrologii apud Florentinium, antea citati, an videlicet* Rufina, *et* Eutica *sit legendum, ac de feminis agatur; an scribendum* Rufini, *et* Euticetis, *seu rectius* Eutychetis. *Lectionem femininam præfert* B *Florentinius in notis; sed non satis persuadet.* Sanctas martyres, *inquit,* Rufinam, et Euticam; non Rufinum, ut legit Martyrologium Corbeiense, recolunt hâc die libri nostri, quibus consonat Ms. reginæ Sueciæ VIII Cal. « Capuæ » Campaniæ, natalis sanctarum Rufinæ, Euticæ. » *Sed lectioni masculinæ favent annuntiationes, quas aliunde retulimus supra : ita ut vix scias, cui lectioni adhæreas potius in tanta, tamque assidua, dicamus quotidiana, apographorum Hieronymianorum corruptione.*

horum Martyrum annuntiationibus 3 Additur in libris nostris, *sicut pergit Florentinius,* CUM EORUM SOCIIS, sicut in M. Corbeiensi : de quibus ex aliis hagiologiis nihil mihi addere licuit. *Si vera ibi lectio sit masculina* eorum; *videtur esse falsa lectio* Rufinæ *et* Euticæ *feminina; utra autemt si genuina; et an pro* eorum *legi debeat* earum, *quis tuto statuat? Novam difficultatem creant* milites XVIII, *qui in textu apud Florentinium sequuntur :* In cimiterio ejusdem Via Nomentana milites XVIII. *Præterquam enim, quod non sit nobis notum, quales isti sint, textus hic etiam est mutilus.* Verba hæc, *ut affirmat Florentinius in notis,* neque in Martyrologio Antverpiensi, neque in Corbeiensi prostant : et aliquem Romæ certum martyrem veneratum hic deficere, monstrant illa, IN COEMETERIO EJUSDEM. Viam enim Nomentanam ex urbe Roma Nomentum versus ortum duxisse, certum est. Et fortasse Eusebius, ac reliqui S. Pontiani socii, omnibus fere Latinorum memorati, hic desiderantur, qui Romæ agonem compleverunt. AUCTORE J. P.

4 Exinde anonymi milites XVIII Via Nomentana, in ejusdem Viæ Arenario, seu cœmeterio recoli potuerunt. Celebrius Viæ illius cœmeterium, sanctæ Agnetis erat : sed eadem Via decimo quarto ab Urbe lapide ad Arcus Nomentanos erat Arenarium, ubi sepulti sunt Primus et Felicianus martyres, cujus meminit liber Pontificalis in Theodoro. Erat et cœmeterium, sine alia additione vocatum, cœmeterium Martyrum, Via Nomentana : cujus meminit Beda Ms. Vaticanus apud Aringium lib. 4, cap. 26, num. 2; et in hoc SS. Milites venerari cum aliis martyribus potuisse, nihil vetat. *Nos interim conjecturis hisce, ac aliis superioribus observationibus valere jussis, cum præsens materia sit talis, ut probabilis ex ea exitus sperari non possit; in titulo superiore, quem eidem præmisimus, nomina expressimus, prout habentur in dicto textu, ita tamen, ut addita a nobis sint nomina eorum, qui alibi, etiamsi non sint in isto textu, exprimuntur. Dixi tamen* Juliano et forte Julio, *quia cum illa nomina sint fere similia, facile accidere potuit, ut unus idemque bis positus fuerit.* *notæ.* E

DE S. JULIANO MARTYRE

C

IN SYRIA

F

Cultus ex antiquis Martyrologiis.

G. C.

XXV AUG. *Hic Sanctus in Syria passus,* *Martyrologium Romanum hodie assignat* in Syria sancti Juliani martyris *memoriam, et eminentissimus Baronius in notis ad hanc annuntiationem asserit, de eo agere* vetera manuscripta, *et recentiores adstipulari. Utinam eminentissimus ille Martyrologii explicator nos aperte docuisset, quæ et qualia sint hæc vetera manuscripta! Si enim per ea intelligat antiquos Martyrologiorum codices, ultro fatemur, hunc sanctum Martyrem in variis exemplaribus Hieronymianis et Auctariis Usuardinis hac die annuntiari. Si vero vetera manuscripta Vitæ vel Martyrii monumenta indicare velit, illa nec habemus, nec invenire possumus. Videtur etiam iis caruisse Castellanus, qui hodie in Martyrologio suo universali ad marginem dubitat, an hic* S. Julianus *non sit idem cum eo, qui die* XII *Augusti cum S. Macario socio in Syria annuntiatur. At nullam suæ dubitationis rationem reddit.*

antiquis Martyrologiis inscribitur, 2 *Forte Castellanus ad hanc suspicionem inductus est ob clausulam fere similem, quæ utrique annuntiationi tunc additur : nam die* XII *Augusti apud Florentinium annuntiatur* in Syria vico Magarato natalis sanctorum Macharii, Juliani; ubi multa regio convenit monachorum. *Die autem* XXV *Augusti solus* S. Julianus *hodiernus ita memoratur :* In provintia Syriæ natalis sancti Juliani, ubi magnus fit conventus monachorum, qui meruit fide coronari. *Florentinius in notis ad utramque annuntiationem densas hasce tenebras divinando frustra dissipare conatur. Interim de veteribus utriusque vel alterutrius Martyris Actis nihil subministrat.*

licet tempus et adjuncta martyris non inveniantur. 3 *Petrus de Natalibus hos duos* Julianos *in Syria martyres satis inter se distinguit, dum lib.* XI *Catalogi Sanctorum num. 214 priorem cum socio sic refert :* Macarius et Julianus eodem die *(nimirum* XII *Augusti)* in Syria coronantur. *Deinde ibidem num. 224 martyrium alterius cum sacerdotio ita conjungit :* Julianus

martyr

AUCTORE G. C.

martyr et presbyter in provincia Syriæ VIII Kalen. Septembris passus est. *Igitur hodiernus* S. Julianus *propter diversum venerationis diem ac dignitatem sacerdotii videtur ab altero ejusdem nominis et regionis martyre distinctus. Dum eminentissimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum dicit, recentiores adstipulari, verosimiliter indicare voluit Martyrologos recentiores, inter quos Bellinus de Padua in duplici* D *Martyrologii sui editione hunc sanctum Martyrem collocat* in provincia stiriæ *pro* Syriæ, *quod forsan est mendum typographicum. Porro nobis non lubet in his tenebris diutius palpare, donec alicunde quædam lux affulserit : nam jam inde nimis diu tempus et circumstantias martyrii frustra quæsivimus.*

DE SANCTO JOANNE EREMITA

J. P.

RUSELLI IN APRUTIO ITALIÆ

XXV AUG.

F*errarius in Catalogo Sanctorum Italiæ eum sic laudat ad hanc diem :* Joannes eremita Ruselli pago Aprutii citerioris, Triventinæ diœcesis, apud quem vitam B solitariam duxisse, ac miraculis coruscasse fertur, venerationem habet hac die : *cujus corpus ibidem asservatur. In Catalogo autem Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ita denuo ipsum annuntiat :* Ruscelli in Aprutio S. Joannis eremitæ. *In notis autem rem confirmat* ex ejus Vita Ms., quæ in ecclesia Ruselli, pago Aprutii, Triventinæ diœcesis, ubi is quiescit, et venerationem habet, asservatur. *Castellanus in suo Martyrologio universali illum etiam refert hoc modo :* In diœcesi Triventina in confiniis Aprutii ac Comitatus Molisini, S. Joannes de Rusello, solitarius. E *Vitæ a Ferrario supra memoratæ frustra apud nos quæsivi exemplar : in ejusdem tamen hagiologi fide asserentis Eremitam hunc coli, Operi nostro inter alios præsentis diei cælites dandum ei locum duxi, etiamsi aliunde mihi prorsus sit ignotus.*

DE S. VICTORE SEU VICTURO EP.

CENOMANIS IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Duo Victores, seu Victor et Victorius, Cenomanensium episcopi, ibidem culti : horum successio probata.

CIRCA ANNUM CDXIX. *Nomen Sancti ejusque filii:*

D*uos ecclesiæ suæ sanctos Episcopos, Patrem et filium, vel ejusdem, vel certe similis nominis, colunt Cenomanenses. Patrem communius* Victo- C rem *nominatum invenio, filium modo* Victorem, *modo* Victorium, *alibi etiam* Victorinum. *Hic tamen sæpius* Victorius *dictus legitur, atque ita ipse nomen suum subscripsit concilio Turonico 1; unde probabilius videtur* Victorium *proprie vocatum fuisse, simili cum Patre nomine, non eodem. Unde in uno Actorum Mss. exemplari, etiam cum baptismus describitur, constanter* Victorius *nominatur. Utut est, nos patrem* Victorem, *filium* Victorium *appellabimus. In Gestis autem episcoporum Cenomanensium, editis a Mabillonio anno 1682, tom 3 veterum Analectorum pater* Victurus *filius* Victurius *vocatur, a voce Gallica* Victeur *Latina, ut apparet, mutuata, atque iisdem semper nominibus in illo episcoporum Catalogo, seu gestorum Historia nuncupantur, quod pro citandis ex Gestis memoratis semel monuisse sufficiat. Hæc de nominibus, quorum similitudine factum videtur, ut duo hi Sancti a quibusdam fuerint in unum confusi.*

uterque confusus a Baronio:

2 *Moderni quidam critici dubitaverunt, an revera distincti fuerint* Victor, *et* Victorius, *filiusque Patri in episcopatum successerit, qua de re paullo post agetur pluribus. Distinctos autem, fuisse, vel ex iis solis patebit, quæ de cultu utriusque dicentur. Martyrologium Romanum ad Kalendas Septembris* Victorium *annuntiat hoc modo :* Apud Cenomanos sancti Victorii episcopi. F *Sive nomen, sive diem hic considerem, filius, qui* I *Septembris colitur, venit intelligendus : nam Patris memoria celebratur* XXV *Augusti. At nota eruditissimi Baronii Patrem omnino designat; sic enim in prolata verba commentatur :* Successit hic S. Liborio ejusdem sedis episcopo, quintus ordine, seditque annos XXIV, menses VII, dies XIII, ut constat ex tabulis ejus ecclesiæ. *Omnia hæc* Victori *patri recte convenire patebit ex sequentibus. Quemadmodum et illud, quod subjungit Baronius :* Claruit temporibus Theodosii imperatoris, notissimus S. Martino, ut apparet ex his, quæ de eo hic Beda scribit in Martyrologio. *Filio vero verosimilius tribuendum, quod modo citatis interjicit,* Agit de eo Greg. Turonensis, *in Actis* S. Victorii *probabimus. Unde colligo neutrum Romano Martyrologio excludere*

voluisse

A *voluisse Baronium, sed illi non nisi unum innotuisse, atque ex eo utriusque gesta confudisse.*

utriusque nomen

3 *Præiverat Baronio Galesinius, atque utrique Usuardus eodem die : sub nomine tamen* Victoris. *Audi Usuardum :* Cenomannis sancti Victoris episcopi. *Ad quæ in Usuardo suo notat Sollerius :* De Victore agunt Florus et Rabanus, quorum elogia plane dissimilia. *Neque hoc mirum; quippe alter Patrem, alter filium annuntiat, aut certe alter ex Patris, alter ex filii gestis elogium suum contexuit. Rabanum ad Kalendas Septembris loquentem audiamus :* Cenomannis, *inquit,* civitate Galliæ natale Victoris episcopi. Nam dum sanctus Martinus Turonensis episcopus perrexit ad sepeliendum Leporium *(Liborium)* pontificem supradictæ urbis, et venisset ad oppidum, respiciens, vidit hominem operantem in vinea, eratque clericus, subdiaconi officium adeptus : revelatumque est Sancto Dei, eo quod ipse esset successurus in episcopalem locum : vocavitque illum sanctus Martinus ad se dicens illi : Benedic me domine Victor. Cui ille : Benedic tu mihi, domine mi, et benedictus B sermo tuus. Sicque jussu sancti viri secutus est eum, quem, convocata plebe atque coadunata, ordinavit episcopum, ejusque filium Victorinum nomine baptizavit, et secum ad nutriendum ad Dei servitium tulit : quem etiam post obitum Patris defuncti eidem civitati ordinavit episcopum. *Hæc de* Victore *patre dici, atque ex Actis, quæ edemus, deprompta esse, patet ad oculum. Quæ de* Victorio, *quem* Victorinum *vocat, non omnino recte hic dicuntur, suo loco corrigemus.*

in fastis diversis :

4 *Florus elogium ex Turonensi desumpsit lib. de Gloria conf. cap. 56, atque ita eum celebrat :* Cenomanis, depositio S. Victoris episcopi et confessoris : qui dum civitas ipsa cremaretur incendio, et validis globis flammæ huc illucque, impellente vento, propellerentur; quasi pastor bonus non perferens ecclesiasticas caulas ab insidiis sathanæ devastari, obviam se turbinibus obtulit, elevataque manu facto signo crucis econtra, illico omne cessavit incendium. *Hæc Florus, prout ante tomum 2 Martii apud nos est editus. Ruinartius in notis ad locum Turonensis, unde hæc desumpta dixi, de* Victorio *filio intelligit,* C *quod, non quidem certum, probabilius tamen puto, quia nomen* Victorii *patri tributum vix lego, Turonensis autem* Victorio *rem attribuit. Ex dictis habemus certe cultum* Victoris *patris, distinctumque ab eo filium apud Rabanum, licet ille filium fastis non inscripserit, ut sanctum. Nunc utriusque cultum antiquissimum ostendemus.*

cultus utriusque antiquus,

5 *Gesta Pontificum Cenomanensium, quæ seculo* IX ultra medietatem progresso *compilata, existimat Papebrochius in S. Innocentio tom. 3 Junii pag. 855, quæque anno 1682 edita a Mabillonio tom. 3 Analectorum, variis locis* Victurum *et* Victurium *sanctos vocant et beatos. Pag. 46 in episcoporum catalogo,* Beatus Victurus, *et* Beatus Victurius, *quem titulum iis, qui cultum non habent, non apponit. Pag. 79 sanctum Innocentem sepultum dicit* juxta corpora S. Victuri et sancti Victurii, *atque eodem honoris titulo eosdem nominat aliis locis. Cultum jam seculo* VI *solemni festivitate sanctum* Victorem, *colligimus ex instrumento S. Domnoli, qui ejusdem urbis seculo* VI *erat episcopus, pag. 102 dictorum Analectorum, ubi sic loquitur :* Cum evocassem domnum, et fratrem meum Audoveum episcopum Andegavæ civitatis visitare sancta limina patroni peculiaris mei Victoris episcopi, immo et sollemnitatem ipsius celebrare *etc. Quod et de sancto* Victorio *videtur dicendum. Quippe tom. 1 Annal. Bened. pag. 159 ita scribit Mabillonius :* Idem etiam Domnolus *(jam dictus)* antiquum sancti Victurii monasterium prope fluvium Sartæ... et censuum et monachorum numero auxit. *Videtur hoc monasterium* Victorio *filio sacrum fuisse, nam Pater* Victurius *non solet appellari. Itaque de cultu antiquissimo utriusque dubitare non possumus, quamvis id pro seculo* VI *de utroque non omnino certum putem, cum nomina potuerint confundi.* AUCTORE J. S.

et nomen in recentioribus Martyrologiis.

6 *Recentiores martyrologi* S. Victorem *patrem a* Victorio *filio distinxerunt, at ne inter illos quidem omnino convenit. Claudius Castellanus in Martyrologio universali ad* I *Septembris :* Cenomanis, *inquit,* sanctus Victor episcopus. *In margine autem notat sequentia :* In Rabano Victor, in gestis episcoporum Cenomanensium Victurius. *At Rabanus patrem* Victorem *vocat, filium* Victorinum, *ut vidimus : Gesta vero Cenomanensium episcoporum filium* Victurium, *patrem* Victurum *nominant; itaque idem non fuit a Rabano* Victor, *in Gestis* Victurius *appellatus. Designat tamen filium Castellanus; nam inter Sanctos, quorum obitus dies ignoratur,* (Aemeros *vocat) pag. 903 Patrem sic annuntiat :* Sanctus Victurus, episcopus Cenomanensis, mortuus inter XXII Januarii, et XVIII Februarii; qui successorem habuit sanctum Victorem filium suum, I Septembris cultum, cujus *(filii)* ecclesia est apud moniales Pratenses. *Unde hoc* S. Victoris, *seu* Victuri *mortis tempus collegerit Castellanus, non invenio; omnes enim auctores, quos consului, vel diem mortis tacent, vel* XXV *Augusti assignant. Præferendum igitur hoc loco Martyrologium Parisiense, anno 1727 luci datum; quippe et nomen utriusque, et cultus diem recte distinguit; dum ad* XXV *Augusti Patrem ita memorat :* Cenomannis sancti Victoris episcopi. *Ad* I *Septembris filium paullo prolixius :* Cenomannis, sancti Victurii, qui interfuit conciliis Andegavensi, et primo Turonensi. *Hisce consonant Mothier in nota ad* I *Septembris Martyrologii Romani, Corvaisier, et Bondonnet in Chronologia episcoporum Cenomanensium; atque hæc de cultu sufficiant.* E F

Ordo primorum episcoporum Cenomanensium in dubium vocatus.

7 *Gesta episcoporum Cenomanensium jam laudata hunc episcoporum statuunt ordinem. Primum S. Julianum, II S. Turibium, III S. Pavacium, IV S. Liborium, V* S. Victurum, *seu* Victorem, VI S. Victurium *seu* Victorium, VII S. Principium, VIII S. Innocentem. *Tillemontius tom. 4 Monument. nota 77 in S. Dionysium fatetur, hunc ordinem niti monumentis seculi* IX, *ideoque non facili ratione immutandum : multis tamen contra dictum ordinem disputat, contenditque vel duos fuisse* Turibios; *vel Turibium, qui secundo loco ponitur, septimo, nempe post* Victorium, *statuendum. Dubitat idem an* Victorius *filius patri* Victori *successerit nullo intermedio : demum ex Cointio inter* Principium *et* Innocentem *alium* Victorem *ecclesiæ Cenomanensi præfuisse existimat. Hæc omnia dubie quidem disputat, ita tamen, ut non obscure in sententiam modo expositam inclinare videatur. Bailletus in Vitis Sanctorum tom. 3, ad* I *Septembris, in* S. Victore, *dubitantem circa* Victorem *et* Victorium *sequitur Tillemontium, dubiumque esse asserit, an* Victorius, *quem patri*

filium

AUCTORE J. S.

filium successisse habent Acta, non statuendus sit inter Principium *et* Innocentem *medius. At memoratus Tillemontius tom. 16, nota 3 in S. Perpetuum, quæ est de* Victore *et* Victorio, *vela utcumque contrahit, neque distinctionem* Victoris *et* Victorii *se oppugnare velle asserit, quia potius ad catalogum primorum episcoporum Cenomanensium adjiciendos aliquot putat, quam ex eo delendos :* Quamvis, *inquit,* duo nomina adeo similia, quæ nullo intermedio sibi invicem subjunguntur, satis causæ præbeant existimandi, non esse nisi unum episcopum. Quin et alius admitti debet Victor Cenomanensis episcopus circa annum DXXX, qui in catalogis illius ecclesiæ annotatus non fuit.

ad quos, præter alios, Victorem quemdam adjiciendum putant aliqui.

8 *Cointius in Annalibus Francorum tom. 1, ad annum Domini 513, num. 1* Victorem *hunc, ab alio* Victore *et* Victorio *distinctum, inter* Principium *et* Innocentium *omnino collocandum contendit, atque eodem anno 513 illius ingressum statuit, obitum vero anno 531, ut ibidem videre est num. 22. Nuperus quidam episcoporum Cenomanensium chronographus non modo* B *hunc* Victorem, *sed et* Severianum *quemdam dictis* Principio *et* Innocentio *interponit,* Turibiumque *secundum* Principio *præmittit. Rationem, cur* Victorem *illum catalogo episcoporum Cenomanensium adjiciendum putent Tillemontius, Cointius, aliique, assignant ex Vita S. Melanii Rhedonensis episcopi, pridem a Bollando illustrata tom. 1 Januarii a pag. 327, ubi num. 21 et seq., et rursum num. 31, in exsequiis S. Melanii, memoratur quidam* Victor *episcopus, quem Cenomanensem fuisse ex adjunctis erui videtur. Ut res clarius elucidetur, tria discutiam. Primo an fuerit* S. Victor *successor, S. Liborii a S. Martino ordinatus. Secundo an huic successerit filius, sanctus* Victorius. *Tertio quid sentiendum sit de* Victore, *quem laudati auctores episcoporum Cenomanensium catalogo adjiciendum putant.*

S. Victorem a S. Martino ecclesiæ Cenomanensis

9 *Primum itaque,* S. Victorem *a S. Martino episcopum fuisse ordinatum, tot testibus probatur, ut ea de re dubitare non possimus, nisi rationes obstarent gravissimæ. Quatuor S. Liborii Vitas, tom. 5 Julii a pag. 407 editas, lector inveniet; in omnibus his dicitur a S. Martino* C *sepultus Liborius, atque in quarta ita res narratur a num. 16 :* Eodem tempore S. Martinus episcopus Turonensem regebat ecclesiam, vir apostolicis clarus omnino virtutibus : cui inter illa, quibus assidue frui solebat, angelicæ collocutionis mysteria, etiam hoc ex divina revelatione præceptum est, ut ad urbem Cenomanicam pergeret, atque ibidem, in infirmitate positum Dominum visitaret. Unde animadvertens, hanc Domini infirmitatem de aliquo membrorum suorum intelligendam, de quibus ipse dicturus est in judicio, Infirmus fui, et visitastis me ; cœpit illico festinus ad memoratam pergere civitatem.

episcopum ordinatum, ex variis

10 Cui cum jam appropinquans, juxta vineam quamdam iter ageret, vidit eminus in ea stantem clericum gradu subdiaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcumque ibi agendum erat, studiosius insudantem, sed nihilominus frequentatione psalmodiæ laudes Domini decantantem. Hic erat discipulus S. Liborii, atque in ipsa suæ continentiæ, mentisque, et habitus humilitate, bonæ institutionis magistri optimi clarum præbebat indicium. Quem intuens S. Martinus, revelante sibi Spiritu sancto, hunc esse futurum ibi episcopum, his cum verbis salutavit, D dicens : Ave noster pontifex. Dehinc illi baculum suum dedit, atque ita concito gradu in urbem properavit. *Relatis deinde S. Liborii obitu, et sepultura, sic auctor prosequitur :* Sequenti vero die vir Dei Martinus populum omnem, qui ad tanti viri exsequias copiosus nimis et innumerabilis convenerat, et internum amorem erga pastorem suum largissimis lacrymarum fontibus testabatur, in ecclesiam convocans, sanctæ admonitionibus doctrinæ consolabatur, eisque præfatum Victurium ordinavit episcopum. *Hanc Vitam, quæ tribus aliis prolixior est, graviter et bona fide sub finem seculi* IX *scriptam esse, colliges facile ex Bollandi ad eam Commentario § 2. Quod autem* Victorem *seu* Victurum *hic vocet* Victurium, *vel Patris nomen cum filii nomine confudit, vel describentium vitio fieri potuit.*

auctoribus

11 *Idem testantur Acta sancti* Victurii *in episcoporum Cenomanensium Gestis tom. 3 Analectorum a pag. 68, quæ tum ad rei probationem, tum ad gloriam Sancti, in quantum ad propositum nostrum spectant, huic loco juvabit in-* E *serere :* Domnus Victurus, *inquit auctor,* Cenomannicæ urbis pontifex, successorque beati Liborii, ejusdem urbis episcopi, qui ut ægrotare cœpit, et finis vitæ beati Liborii appropinquavit, sanctus Martinus, Turonicæ urbis archiepiscopus, divinitus ammonitus, ad visitandum eum atque sepeliendum venire non tardavit. Antequam autem in prædictam urbem adveniret ad visitandum, et ad animam jam dicti pontificis Domino commendandam... cœpit cogitare beatus Martinus quid de futuro fieret episcopo. Sedente vero illo, et equitante super asello suo, et hæc meditante, divinitus illi ostensus est quidam clericus, et subdiaconus nomine Victurus, procul ab urbe in vinea sua laborans, et cum fodesorio * suo eam fodiens, exparsus capite et pedibus pulvere, et totis viribus vineam suam, preces et hymnos Domino psallendo, exercebat et colebat. Quem ut cognovit antedictus dominus Martinus, gratia Domini illuminatus, futurum fore pontificem; vocavit eum ad se, et salutans eum dixit : Ave domne pontifex. Cujus verba prædictus Victurus benigne suscipiens, et prono vultu se contra eum humilians, sperabat quod irrideret eum beatus F Martinus : quia nullo modo se credebat pontificem umquam fore. Beatus enim Martinus dedit illi baculum suum, quo sustentari solebat, et deduxit eum secum usque ad urbem. *Subdit obitum S. Liborii, et exequias eidem a S. Martino factas; tum pergit :*

*idest, ligone,

contra quosdam de eo dubitantes,

12 Hoc autem facto, in civitatem properavit (*S. Martinus,*) et populo de futuro pontifice allocutus, beatum Victurum prædictum subdiaconum in eadem civitate episcopum ordinavit; et ejus conjugem, Mauram nomine, sacro velamine Domino consecravit, eorumque filium beatum Victurium nomine baptizavit, et a fonte propriis suis manibus deprecantibus Patre et matre suscepit, et in filium sibi eum adoptavit. *Post pauca de filio, de Patre ita prosequitur :* Prædictus Victurus, pater Victurii, pontifex in jam dicta Cenomannica urbe pontificatus ministerium condigne, et devote exercens, multos suis prædicationibus atque exhortationibus ad Dominum convertit, et magnum lucrum in sancta Dei Ecclesia fecit. Hi vero, sive ceteri actus sui, plenius in ejus Vita inscripta reperiuntur. Hic autem sedit in prædicta sede annos

XXIV

A xxiv, et menses vii, diesque xiii, presbyteros cccv, diaconos ccxii, et reliquos ministros in sacro ordine sacravit, quantum necesse fuit. Qui et in pace obiit, et in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua dominus Liborius requiescit in corpore, honorifice a suis sepultus est, et vivit æternaliter cum Christo. *Paullo uberius hæc citavi, quam ad rem, qua de agitur, probandam, erat necessarium : ut Sancti gesta una opera lector intelligat.*

probatur;

13 *Tertio loco testis accedat Vita a nobis edenda, in qua ordinatio* S. Victoris *per S. Martinum eodem fere modo, at paullo fusius enarratur. Quartus ejusdem veritatis testis est Rabanus, cujus verba, num. 3 producta, brevius quidem sed eodem plane modo rem enarrant. Addo demum testimonium Martyrologii, sub Bedæ nomine diu circumlati, ad 1 Septembris, sed nomina non parum luxata sunt, ut facile lector deprehendet :* Scinomannis, *inquit, (Cenomannis)* civitate Galliæ, natale Victoris episcopi. Nam dum sanctus Martinus Turonis episcopus pergeret ad sepeliendum Leporinum *(Liborium)* episcopum supradictæ urbis, et venisset ad oppidum, respiciens vidit hominem operantem in vinea, B (eratque subdiaconus) revelatum est sancto Dei, eo quod ipse successurus esset in episcopalem locum. Vocavitque illum S. Martinus ad se, dicens illi : Benedic domine Victor. *Reliqua, quæ prorsus Rabano consonant, prætermitto, uti et recentiores auctores, qui eadem scribunt. Habemus itaque tot testibus probatam* S. Victoris *ordinationem a S. Martino factam, ut iis merito acquiescere possimus, cum nulla cujusquam ponderis ratio in contrarium fuerit allata.*

uti et filium Victorium patri successisse

14 *Filium patri successisse, secundo loco me probaturum dixi. Id testantur auctores omnes modo adducti, exceptis S. Liborii Actis, ad cujus Vitam nihil attinebat hæc commemorare. Confirmatur hæc successio ex conciliis, Andegavensi, et Turonico primo, quibus interfuit* Victorius *Cenomanensis episcopus, tum etiam ex Venetico, quod ad ipsum scripsit epistolam synodalem: nam cum hæc concilia post medium seculi* v *celebrata sint, non videtur ætas patris* Victoris *eo usque extendenda, quo filius jam senex erat;* C *præsertim contra aperta tot auctorum testimonia. Cum autem hoc negaturi non sint, qui primum admiserint, pluribus supersedeo, atque ad 1 Septembris, quæ spectant ad* Victorium *latius disputabo. Ad tertium itaque progredior, nimirum an et alius* Victor *seculo* vi *post.* S. Principium *ecclesiæ Cenomanensi præfuerit episcopus, quod præcedentibus magis est dubium.*

§ II. An alius a S. Victore et Victorio Victor seculo VI Cenomanensis episcopus? Tempus episcopatus Victoris et Victorii : Acta.

ratio, cur alius Victor catalogo videatur adjiciendus:

In *Vita S. Melanii Rhedonensis episcopi tom. 1 Januarii pag. 330 ita legitur :* Eodem fere tempore convenerunt simul vir Dei Melanius, et electus Dei Albinus, sanctusque Victor, atque Launus, et S. Marsus in Andegava civitate. *Porro* Victor *hic num. 22 vocatur episcopus; cumque singuli rediissent* ad propriam sedem *num. 22, Marsus* venit Cenomannis ad B. Victorem : *unde recte videtur concludi sedem propriam* Victoris *fuisse sedem Cenomanensem. Iidem deinde episcopi cap. 6 interfuisse dicuntur exsequiis S. Melanii : at obitum Melanii recte collocavit Bollandus num. 9 Commentarii prævii intra annum 530 et 549 : ergo, cum vita S. Victorii eo usque extendi non possit, necessario dicendum videtur, alium quemdam* Victorem *ecclesiæ Cenomanensi seculo* vi *præfuisse, eumque inter* Principium *et* Innocentem *collocandum. Ita visum Bollando in notis ad Vitam S. Melanii, quem secuti Cointius, Tillemontius, aliique. Fateor tale esse hoc argumentum, ut prædicti auctores non temere existimaverint hunc* Victorem *circa annum 530 Cenomanensi præfuisse ecclesiæ : obstant tamen huic opinioni difficultates non contemnendæ, quæ me ab assensu absterrent, remque magis examinandam suadent.*

AUCTORE J. S.

Argumenta quædam contra hanc opinionem,

16 *Primo enim mirum videtur, hunc episcopum, quem et* sanctum *et* beatum *vocat Vita memorata, ita fuisse oblivioni traditum, ut in Catalogo episcoporum, qui seculo* ix *formatus est, nullus ipsi locus fuerit assignatus. Deinde, quamvis circa id tempus varia in Gallia habita fuerint concilia, nulli omnino hic* Victor *subscriptus legitur. Tertio* S. Principius *Cenomanensis episcopus anno 511 subscripsit concilio Aurelianensi. Anno 533* Innocentius *subscripsit concilio Aurelianensi* ii, *non addito sedis suæ nomine : at* S. Innocentium *Cenomanensem esse, locorum vicinitas facit verisimile, qui et Aurelianensi* iv *anno 541 subscriptus reperitur. Ex his necesse est concludamus,* S. Innocentium *inter annum 511 et 533 factum esse episcopum, dicitur autem sedisse apud Mabillonium pag. 74* tempore Anastasii imperatoris... Chlodovei... et Childeberti *regum, idque pag. 79* annos xlv, menses x, dies xx. *Hos annos episcopatus Innocentii, ad dimidiam partem et ultra contrahunt, qui* Victorem *admittunt : et revera magnopere minuendi sunt in illorum sententia, cum Domnolus successor ejus anno 566 vel 567 concilio Turonensi legatur subscriptus, interque illum et Innocentium sedes longo tempore vacaverit. Hæc itaque incommoda obstant, quo minus hunc* Victorem *censeam episcopis Cenomanensibus annumerandum.* E F

cujus fundamentum

17 *Et vero Acta illa S. Melanii non incommode explicari poterunt, etiamsi non admittamus* S. Victorem, *de quo agitur, Cenomanensem fuisse episcopum; totumque, quo* Victor *hic nititur, argumentum corruet.* Convenerunt Melanius *Rhedonensis,* Albinus *Andegavensis,* Launus, *Bollando* S. Laudus, Lautus *vel* Lauto *Constantiensis;* Marsus *Bollando* Marcus, Marcius, *vel* Martinus *Aurelianensis, aliis Nannetensis, et* Victor. *Cur, nomine paullulum mutato, legi non poterit* Vigor? *Non enim video, cur nomen* S. Vigoris *æque luxari non potuerit, quam præcedentium episcoporum. Quid ergo, si intelligamus* S. Vigorem, *qui eodem tempore Bajocensis erat episcopus, Constantiensi vicinus? Cur non potuit* S. Vigor, *ut Andegavo rediret Bajocam, Cenomanum pertransire, ibique aliquot dies subsistere, atque a* Marso *episcopo conveniri? Nihil sane in toto hoc responso non verisimile, nihil non probabile invenio. Quapropter nullum ego episcoporum Cenomanensium catalogo ausim adjicere, malimque suspicari* Victorem *hunc fuisse* S. Vigorem *Bajocensem, do-*

nec

AUCTORE J. S.

nec quid afferatur, quod sit probabilius. Suspicio mea augetur primo, quod Victor *ille* sanctus *vocetur in Vita* S. Melanii, *sanctum autem* Victorem *non alium colunt Cenomanenses ecclesiæ suæ episcopum, præter* S. Victorem, *et filium ejus* Victorium, *de quibus egimus.*

evertitur.

18 *Deinde in Actis S. Paterni per Henschenium illustratis tom.* II *Aprilis pag. 429 hæc leguntur :* Ad eum *(Paternum)* venientes in visione, qui ad Deum migraverant Melanius *(Rhedonensis)* Leontianus *(Constantiensis)* et Vigor *(Bajocensis)* episcopi, cum per revelationem ordinaverunt antistitem. *Ad* Vigorem *hæc notat laudatus Henschenius :* S. Vigor fuit episcopus Bajocensis, colitur Kalendis Novembris. Saltem ante annum DXXXVII mortuus, quia tunc Leucadius episcopus Bajocensis interfuit Aurelianensi III concilio. Perperam a Surio Beor, in Mss. etiam Vehor et VICTOR legitur. *Quidni ergo etiam in Vita S. Melanii* Victor *vocari potuerit? Quidni cum S. Melanio et aliis in urbe Andegavensi potuerit convenire? Certe ejus cum Melanio necessitudo ex hac etiam visione insinuatur.* B *Præter rationem hanc, satis, ut opinor, jam refutatam, memoratus supra num. 8 episcoporum Cenomanensium Chronographus anonymus ex Actis episcoporum per Mabillonium datis tom. 3 Analect. pag. 74, ubi de* S. Innocentio *agitur, probare nititur, hunc* Victorem Principio *et* Innocentio *interponendum. Verum cum illius rationes nihil omnino probent, lubet paucis ejus in ratiocinando vitium ostendere. Ut ostendat tertium* Victorem *Catalogo episcoporum addendum,* Victurium, *de quo sæpe loquuntur Acta S. Innocentii, aliquando sumit pro* S. Victurio S. Victoris *filio, aliquando pro* Victore, *quem catalogo cupit adjectum, prout in rem suam vidit esse commodius; quod si licitum est, quidvis facili ratione poterit probare. Sumat igitur ille auctor verba sua pag. 37 prolata :* Omnia hæc falsa sunt, quia illorum nihil in Actis reperitur, *ex iisque concludat,* Victorem, *aliosque a se falso catalogo episcoporum adjectos, quia de eorum episcopatu nihil in Actis legitur.*

Ordinatio S. Victoris quo tempore facta:

19 *Ordinatum a S. Martino* S. Victorem *vidimus : quo id præcise anno factum, determinari exacte non potest. Varii quidem auctores chronologiam episcoporum Cenomanensium ordinare* C *conati sunt, sed et in varias abiere sententias. Acta dictorum episcoporum, a Mabillonio edita, notas quasdam chronologicas assignant, sed confusas admodum, et sibi non satis consentientes, neque Acta illa tam accurate conscripta sunt, ut iis tuto assensum in omnibus præbere possimus. Quapropter, prætermissis aliorum opinionibus, dicam, quid, consideratis omnibus, mihi videatur probabilius. Mors S. Martini statuitur communius anno 397, ab aliis etiam serius, aliquot autem annis ante mortem S. Martini factam esse* S. Victoris *consecrationem, dicendum videtur, si Actis mox edendis fidem habeamus. Quippe in iis quædam narrantur de* Victorio, *S. Martini post ordinationem Patris discipulo, quæ annum unum et alterum videntur exigere. Confirmant hanc opinionem Gesta pontificum Cenomanensium sæpe citata apud Mabillonium pag. 68, ubi Gesta* S. Victoris *hunc præferunt titulum :* Gesta domni Victuri..., qui fuit temporibus Theodosii et Arcadii imperatorum. *Si, ut naturalis ordo exigit, Theodosium seniorem intelligamus, vivente adhuc Theodosio magno ordinatus est* Victor *secundum hæc Acta. Obiit autem Theodosius initio anni 395 : si itaque ingressum* Victoris *statuamus circa annum 394, Actis a nobis edendis, et editis a Mabillonio, consentiemus.* D

quamdiu sederit : quoque anno successerit filius:

20 Hic autem, *inquiunt memorata apud Mabillonium Acta pag. 69,* sedit in prædicta sede annos XXIV, et menses VII, diesque XIII. *Quos si ad 394 annum adjiciamus, perveniemus ad annum 418, vel 419. Jam vero si filium* Victorium *patri suffectum dicamus anno 419 circa* XVIII *Februarii, ejusque obitum statuamus cum Actis memoratis pag. 70, anno 490, Kalendis Septembris; (Quippe* Obiit, *ut habent Acta,* prædictus vir beatus Victurius Kalendis Septembris, plenus dierum, Fausto juniore, et Longino bis Conss. : *quorum consulatus incidit in annum 490) duo tantum erunt in tota hac epocha, quæ difficultatem pariant, eamque non insuperabilem, neque multum ab Actis recedemus. Primum est, quod suspicari debeamus errorem esse in numeris, et pro annis 41 episcopatus, cum mensibus 6, et diebus 10, annos ei assignare debeamus 71 cum mensibus et diebus memoratis. Potuit enim hic error unius cyfræ mutatione contingere.* E

si obiit Victorius anno 490, centenario major fuit : at longævum fuisse acta asserunt :

21 *Alterum est, quod ætas* S. Victorii *in hac epocha nimium videatur protrahi : cum enim, ex Actis edendis,* duo fere *essent* lustra a nativitate Victorii, *quando post Patrem ordinatum baptizatus est a S. Martino; si, ab anno 394 usque ad 490, 96 annos adjungamus, jam annum 106 attigerit, cum obiit; quæ ætas videtur fere inusitata. Vidit hoc Mabilonius, ac pro monstro habuit; quippe in annotationibus ad Analecta pag. 393 ita de hac re loquitur :* Sed illud monstri simile, quod Victurius, quartus a Turibio episcopus, pag. 70 B. Martini discipulus, idemque mortuus fertur Fausto juniore et Longino bis consulibus, qui consulatus anno CDXC respondet. Neque enim fieri potest, ut qui Martini discipulus fuit, ad hunc annum pervenerit. *Fateor ætatem esse, ad quam pauci admodum pertingunt, monstrosam esse non video, aut sine fundamento assertam : cum et hodiedum aliqui annum centesimum superent, et Acta ipsa ad ætatem prorsus longævam præbeant fundamentum, ut breviter ostendo. Dicitur obiisse* Victorius plenus dierum. *Hoc non asseritur in Actis de ejus antecessoribus vel successoribus,* Liborio, Victore, *Principio, Innocentio, Domnolo;* F *quamvis illi etiam senes, aut decrepiti vitam cum morte commutarint, ut ex diuturno episcopatu per se manifestum est, et facile ostendi potest. Si enim Liborius sedit* annos undequinquaginta, *ut Acta habent pag. 67, octogesimum ætatis annum supergressum esse facile conjicere possumus. Si Innocentius, ut aiunt Acta pag. 74,* a S. Victorio *fuit enutritus, et aliquibus sacerdotii gradibus ordinatus, si post* XXIX *annos episcopatus* Principii, *interjecta alicujus temporis vacatione, successerit, ut pag. 74, atque in episcopatu sederit annos* XLV, *menses* X, *dies* XXVI, *ut pag. 79 dicitur, annum ille nonagesimum multum excesserit. Cur itaque de solo* Victorio *dicitur,* plenus dierum, *nisi, quia ad senectutem plane insolitam vitam produxit?*

cum Acta minus sint accurata : nihil certi statui potest.

22 *Hæc probabiliter dici possunt, siquis Actis illis Cenomanensibus inhærere velit : sed fateor illa minoris esse ponderis, quam ut ex iis res omnino fiat certa. Quapropter si cui ætas illa minus videatur probabilis, epocham illam mortis* Victorii *necessario debet deserere, mortemque*

Victorii

A Victorii *ad aliquot annos citius collocare : potuit enim illa epocha consularis morti* S. Victorii *annecti, quia illo anno successit* Principius, *quamvis ille multis etiam annis citius obiisset, sedesque post illius obitum vacasset; potuit etiam auctor per errorem hos consules apponere. Certe non plane improbandam puto illorum sententiam, qui* Victorium *dudum ante hunc annum mortuum putavere : at si obierit citius, non nisi divinando ejus obitus certo anno alligari poterit. Ut ut est, satis mihi est ostendisse, quid secundum Acta dici possit ac debeat; malimque unius episcopi ætatem longævam admittere, quam ecclesiæ Cenomanensis fastos episcopales omnino perturbare. Nam, ut fatetur Tillemontius tom. 4 Monument. pag. 731,* Molestum est ordinem episcoporum alicujus ecclesiæ invertere . . . Quin imo ille ordo magis servandus est in ecclesia Cenomanensi, quam in aliis : quia saltem nititur monumentis IX seculi, quod in paucis aliis invenitur. *Hæc itaque a me disputata sunt, ut ordo episcoporum Cenomanensium, qualis a multo tempore fuit, servetur integer :* B *nam singulorum episcoporum anni ex actis incertis, et aberrantibus difficulter sine erroribus determinari possunt.*

Acta, quæ habemus,

23 *Acta* S. Victoris, *quæ ad manus nostras pervenere, filio ejus* S. Victorio *sunt communia, sed pauca admodum utriusque gesta complectuntur. Dubium est, an hæc eadem sint cum Vita* S. Victoris, *de qua in Actis apud Mabillonium pag. 69 mentio fit his verbis :* Hi vero sive ceteri actus sui, plenius in ejus Vita inscripta reperiuntur. *Et pag. 70* in Victurio : Cujus actus ideo non inseruimus, quia in libello, quem de ejus vita et moribus composuimus, plenius et uberius descripsimus. *Nam citata verba insinuare videntur separatim Vitam* Victoris, et Victorii *fuisse conscriptam; deinde longiora et enucleatiora videntur Acta designare, quam illa sint, quæ habemus præ manibus. Contra, si ad modum loquendi illius temporis, quo scriptum etiam non longum, libellum non raro vocabant, advertamus animum, perpendamusque, apud Mabillonium compendio tradita esse, quæ in Actis nostris paullo fusius exponuntur; non alia citatis verbis Acta memorata esse, quam* C *quæ edituri sumus, facile nobis persuademus; præsertim, quia hæc variis locis reperiuntur; alia vero ab his nullibi comparent. Nostra igitur cum illis eadem esse probabilius existimo.*

seculo IX., *ut videtur, scripta,*

24 *Mabillonius, in annotationibus ad Acta a se edita, pag. 392 primam illorum Actorum partem, quæ usque ad Aldricum, seculo* IX *episcopum, extenditur, ejusdem esse auctoris putat :* Idem enim, *inquit,* in omnibus genius, ac stylus, idemque scopus. *Cujus opinio mihi est omnino probabilis; quippe, quæ deinde in contrarium sibi objicit argumenta, facile solvi possunt ex eo, quod auctor ex variis sua hauserit. Hinc deducimus etiam, Acta nostra ad seculum* IX *referenda, quæ datis a Mabillonio non multo sunt priora, si eadem sint cum memoratis ab illorum auctore Actis, ut diximus esse verisimilius. Sunt et alia, quæ ad* VIII, *vel* IX *seculum hæc Acta pertinere suadeant, quæ brevitatis causa prætermitto; cum satis ex modo scribendi pateat, auctorem nec coævum esse, nec supparem. Paucas enim res gestas commemorat, easque sine ulla temporis nota, quas forsan in schedulis quibusdam invenit, vel ex populi traditione hausit.*

AUCTORE J. S.

ex tribus dantur Mss.

25 *Tria dictorum Actorum præ manibus habeo Mss. exemplaria, sensu quidem sibi consentientia, at verbis non raro dissona. Primum desumptum est ex codice 469* S. Germani; *alterum transmisit olim Chiffletius, tertium ex Ms. S. Maximini Trevirensis, quod cum duobus aliis, in Germania exstantibus, fuit collatum. Nullum ex his adeo correctum est, ut sensum quandoque non habeat imperfectum, neque facile dixero quodnam ex iis sit correctius. Quapropter, cum re conveniant, verbis tantum dissentiant, quæ in uno sunt vitiosa ex aliis corrigam, modo sensum in iis reperiam correctiorem; sequar tamen præcipue primo loco nominatum : ubi operæ pretium videbitur, discrepantiam indicabo; at tanti hæc Acta non putem, ut quamcumque verborum mutationem necesse sit indicare. Restat itaque ut Acta ipsa, notationibus pro more nostro illustrata, lectorum oculis subjiciam.*

ACTA

E

auctore anonymo.

Ex tribus Mss.

S. Martinus Cenomanum pergens ad sepeliendum S. Liborium,

Tempore illo cum Liborius *a* pontifex urbis Cenomannicæ *b* ab hac luce forte migrasset *c* ; hoc audito vir apostolicus Martinus, Turonicæ episcopus civitatis, continuo illas in partes ad sepeliendum fratrem ire non tardavit, ut fratrem sepultum relinqueret, et successorem inquireret talem, qui honorem deberet accipere pastoralem. Cumque venisset ad oppidum civitatis, respexit, et vidit hominem operantem in vinea, eratque clericus subdiaconi *d* ordinem adeptus. Revelatum est in aurem ipsius Sancti divinitus, eo quod ipse esset successurus in episcopalem locum.

Victorem, in vinea laborantem, salutat;

2 Descendensque vir Dei de asino suo, stetit in loco, et misit ad eum, ut veniret : qui ipse cœpit venire fossorium * habens in manu, caput pulvere aspersum, et calceamenta in pedibus jam usitata, ut decet operarium; cumque F appropinquasset, salutavit eum Martinus pontifex, et ait, Benedic me domine Victor. At ille inclinavit se pronus in terram, et adoravit eum, dicens : Benedictus tu, domine mi, et benedictus sermo tuus; quia pauperem tali dignatus es interpellare sermone. Cui ait vir Dei : Adhuc majora pronuntiabo; quia honor gratiæ expectat te episcopalis officii.

* Ligonem

prædictoque episcopatu, secum ducit :

3 Ille vero nesciens erat, an in veritate diceret, aut fortasse joculariter loqueretur. Cui dixit : Perpetuis temporibus delectetur animus vester lætificari gaudio magno *e* ; et ego revertar *f*. Gratia vestra sit mecum, et vadam post vos. Tunc vir Dei apprehendens eum, tulit fossorium de manu ejus, et dedit illi sustentacula *g*, super quæ solent sacerdotes fusis orationibus incumbere : qui et angariavit ipsum a via sua quinque et mille passus *h*, quo usque festinantes ad civitatem transiissent.

deinde populum convocat ad electionem episcopi,

4 Post hæc ierunt ad visitandum, et sepeliendum corpusculum domini Liborii quondam episcopi, et, ut consuetudo exposcebat, facta oratione, ipsum humatum reliquerunt. Altera au-

 tem

i

tem die abscondit se Victor *i* vir Dei in civitate. Martinus autem, sequente eum turba populi, ingressus ad locum orationis, oravit diutissime. Impleta autem oratione, dixit ad populum : Non oportet nos ire de hac civitate, et inordinatam relinquere, priusquam inquiramus successorem vestra electione, qui possit splendide pontificalem gubernare honorem. At illi respondentes dixerunt : Quodcumque voluerit manus tua facere, fac, quia Dominus est tecum.

qui rem Martino committit ; hic Victorem elegit, *k*

5 Tunc vir Dei posuit manum super sacerdotem Domini Victorem *k* nomine dicens ; Iste est, quem elegit Dominus sancti Liborii successorem, et accipere pastoralem honorem. Cui ipse respondens, ait : Quomodo potest hoc verbum fieri ; quia conjugatus sum, et sobolem habeo? Tunc vero miserunt nuntios ad ipsius conjugem, nomine Mauram, ut veniret. Illa vero nullas ad veniendum moras induxit, sed festinans stetit coram sancto Domini, et adoravit eum.

et uxore consentiente ,

6 Cui dixit vir Dei : Fœmina, vis ut fiat vir tuus pontifex urbis Cenomannicæ? At illa pavefacta dixit : Non sum ego digna, Domine mi, B ut videant oculi mei magnalia Domini. Dixitque vir Dei ad eam : Tamen si contigerit ut fiat, quid vis postea? Respondens igitur, ait : Si meruero videre hanc virtutem Domini, sit mihi vir meus ut frater, et ego illi sicut soror : et serviamus Domino soli. Complacuit ergo sermo iste in oculis sacerdotis Domini, et jussit eum sedere in cathedra, et locutus est ad populum : Ecce pastorem magnum sedentem in loco dignitatis, magnumque sacerdotem, quem elegit Dominus. Diligite, et amate eum; quia Dominus est cum ipso. Timuitque populus verbum sacerdotis, et adoraverunt eum dicentes : Magnum pastorem, et dignum in opere suo nobis divina potentia donare dignata est. Sit nobis pater et pastor, et nos illi subditi, et diligamus eum tamquam nos ipsos.

eum consecrat : Mauræque ejus conjugi, continentiam promittenti, benedicit :

7 Tunc benedixit eum ipse pontifex cælesti benedictione, et tradidit illi pontificalem honorem. Sed dum hæc omnia ancilla Dei Maura facta esse cognovisset, gaudio magno repleta est, et ait : Domine descendat de manu vestra mutabilis vestis super caput meum, ut placeam Christo, et sit innovatus spiritus rectus in visceribus C meis, et lavet me manus tua sancta ab immunditiis meis. Cui ait vir Dei : Impleat Dominus desiderium tuum secundum petitionem cordis tui. Et factum est ita. Cumque accepisset benedictionem, quam postulaverat, projecit se denuo ad pedes ejus dicens :

filium vero eorum Victorium baptizat.

8 Domine, peto ut baptisetur filius meus de manu tua, et sit spiritualis filius tuus, et serviat tibi cunctis diebus vitæ suæ, quia prope duo lustra sunt a nativitate ejus. Tum vero pontifex repletus est gaudio magno, eo quod baptismi gratiam postulasset, et jussit puerum venire ad se, et stetit in medio, et baptisavit eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac testimonium perhibuit, vocavitque nomen ejus Victorium *l*, ut assimilaret eum nomini patris sui Victoris. Tradito autem in Christi nomine baptismo, deosculatus est eum, et oravit ad Dominum, dicens : Pater cæli et terræ, da puero isti signum tale, ut vivat : da illi Domine intellectum, scientiam, sapientiam, moderationem, charitatem, castitatem, sobrietatem, subtilitatem, humilitatem, quia tu Domine humilibus dabis gratiam, et superbis resistis. Infunde super eum Domine cælestem benedictionem, ut post impletos D dies genitoris sui honorem dignitatis accipiat, et patris sui sedem ei judicare permittas. Et dixerunt circumstantes. Amen.

S. Martinus rediens secum ducit Victorium : eumque in via mittit ad cæcum illuminandum ; *m*

9 Post hæc vero prædicti pontifices (*erant*) communicantes ad invicem, et valedicentes alterutrum, quia vir Dei Martinus pontifex ad suam jam desiderabat iterum pergere civitatem. Puerum vero spiritualem filium Victorium, quem relevatum a sacro susceperat fonte, præcepit ire secum. Cumque accessissent post diem tertiam ad littora Ligeris *m*, respexit vir Dei, viditque hominem cæcum stantem super ripam fluminis, quærentem transire ultra, ut alimonias quæreret. Tunc Præsul dixit ad puerum : Fili, vade ad hominem, quem vides stantem, lava faciem, et oculos ejus ab aqua Ligeris, et dic ei : Accedè huc usque ad me. Abiit ergo puer, et locutus est cum eo : Amice, vocat te dominus pater Martinus pontifex ire ad se. Qui respondit : Quia cæcus sum, nisi apprehenderis manum meam non possum te sequi. Cui ait puer : Prius lavabo faciem tuam, et oculos ab aqua Ligeris, et postea vade. Et intinxit manus suas in aquam, tetigitque faciem suam, et oculos, et confestim E aperti sunt oculi ejus ; et vidit cælum, terram, et aquas, vel quodcumque voluit : et gaudio magno repletus exaltavit vocem suam, dicens : Gratias tibi ago, Deus cœli et terræ, quia per puerum ad me missum, te jubente, illuminati sunt oculi mei.

quem, recepto visu, ducit et eleemosynis juvat : *n*

10 Currensque quoad usque veniret ad sacerdotem, devolutus cecidit ad pedes ejus, dicens : Domine, tuis orationibus tenebrosi oculi mei meruerunt cernere lucem, quia puer ille coronatus in albis *n*, qui mihi denuntiavit ut venirem ad te, lavit oculos meos de manu sua sancta, et vidi. Et cœpit pauper magis clamare, quam oportebat exaltare vocem suam. Dixitque ad eum vir Dei : Homo, non oportet te amplificare sermones tuos ; sed sede, et veni huc, ascende in naviculam mecum, et ibimus pariter ultra. Transeuntes autem abierunt in civitatem, et stetit pauper ipse coram sancto Domini tribus diebus et tribus noctibus, et quocumque ad vescendum delectabatur, per manum pueri ei ministrabatur assidue. Tum sufficienter refectus dapibus, simulque indutus vestibus sufficienter F pauperi, abiit in viam suam cum gaudio magno.

Victorius virtutibus, et studiis crescens tonsura clericali insignitur a S. Martino :

11 Denique puer Victorius crescebat in opere Dei, quia incessanter Dominum meditabatur quotidie, quin etiam ex hoc, quod a senioribus illi fuisset injunctum, procul dubio facere non recusabat. Ergo diligebat eum vir Dei et paterno provocabat amore, in tantum, ut a sua non liceret illi ullo modo sequestratum esse præsentia, sed sub regimine et potestate prædicti pontificis omni tempore consistebat. Sed ubi cognovit eum apostolicus pater litteris eruditum, et in omnibus esse perfectum, et totis viribus Deum sequi, continuo onus clericatus ei tradere non dubitavit. Etenim suis manibus comam capitis illius præcisam quidem deposuit; sed cum primum sacerdotale *o* promeruit signum, erat gaudens tam de honore, quam de gratia et amore pontificis, et magis delectabatur illi amplificare servitium, dum se sentiebat provocatum esse ut filium.

jubente Martino ægros sanat :

12 Tunc vir Dei arguebat et catechisabat eum suis dogmatibus, corripiebat, castigabat et docebat eum suis doctrinis, hoc est, ut ipse per angustam portam transiret ad cæleste regnum. Idcirco

A circo quisquis pro sua, suorumque necessitate, expetisset a viro Dei veniam postulare ex permisso et ordinatione pontificis, illuc Victorius accedere non tardavit, et suis orationibus unumquemque, Domino præstante, ad suam pristinam revocabat protinus uberrimam sanitatem.

Martino diœcesim percurrenti ministrat:

13 Sed cum beatissimus Martinus ad reprimendam hæresim, et sublevandum Christianorum nomen, vel pauperibus alimonias tribuere, sacerdotali affectione ascenso asino per diversas regiones haberet discursum, Victorius famulus Christi sequebatur eum pedibus ad quemcumque voluisset pergere locum, ut et ministeria necessaria procuraret, et vigiliis, orationibusque attentius coram sancto Domini singulis noctibus non piger psallentium minister adesset *p*. Unde etiam suæ provocationis *q* meruit vestigium obtinere, dum vigore firmatus præcepta Domini intentus valuit custodire.

Victorii vita pia usque ad obitum patris:

14 Fuit igitur commoratus cum magno sacerdote Turonicæ ecclesiæ *r* plures quidem annos, hoc est quousque genitor suus Victor pontifex a sæculo transiisset. Sed ipse semper die noctuque B intentus Dominum meditabatur, et se in cinere et cilicio prosternens, esse confessorem Domini testabatur, contraque adversantem circumdatus scuto fortiter certavit in palam. Obtenta itaque victoria, fugatoque adversario, ipse sine plaga illæsus stetit in gratia.

nuntiata patris morte, eligitur Victorius,

15 Post hæc vero cum accessissent viri festinantes nuntiare ejus genitorem fuisse defunctum, valde contristatus est, ac doluit fortiter, et flevit amarissime. Cui dixit pontifex urbis: Noli, fili, contristari, nec conturbetur cor tuum, non enim te oportet angorem animi pati, quia felix dicendus est pater, qui Deo dicatum reliquerit superstitem filium. Tu vero accipe benedictionem tibi repromissam, et servies Domino soli: paratus te locus expectat ut glorificeris in sæculum. Tunc congregati sunt sacerdotes plerique, et clerus, et plebs populi in unum, stetitque Victorius Christi famulus in medio eorum, et clamaverunt unanimi voce dicentes: Magnus sacerdos, et dignus in opere suo non immerito benedicitur pontificali honore, qui totis viribus per dies plures pro Christi nomine visus est sustinuisse laborem.

et consecratur episcopus. In itinere ægrum sanat,

C 16 Tunc vir Dei impositis manibus appropinquavit cum eo ad sanctum altare, et tradidit illi benedictionem pontificalem. Accepto itaque honore dignitatis, stetit coram sancto Domini, et non dimisit eum priusquam per loca Sanctorum orantes accessissent, et cum magno psallentium, ut decuit, choro fluvium Ligeris navigantes pariter transierunt. Post hæc communicantes invicem et valedicentes a seniore usque ad parvum, et oscula pacifica inter se conferentes, pontifex Turonicæ urbis permisit eum ire ad locum desideratum. Cumque abiisset cum suis ministris, transeunte eo per loca, ubi invenisset infirmum, qui per Christum pro sua necessitate expetisset auxilium, confestim divina potentia per ipsum dignata est operari virtutem, ut effugato languore æger ad suam reverteretur pristinam sanitatem.

gratulatione summa Cenomani excipitur: vincti ruptis catenis liberantur:

17 Sed cum accessissent in oppidum civitatis, exeunt plebes populique, et omnis clerus, convocati in unum, occurrentes susceperunt eum, laudantes Dominum cum magno psallentium choro, quoad usque ingressi sunt civitatem: levaveruntque eum in cathedram honorifice, ut consuetudo exposcebat. Cumque transiret, tenebantur plures homines in ergastulo, quorum reputabatur iniquitas. Cum quidem insonuit civitas, et cognovissent transire hominem Dei, clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, ut de eorum necessitatibus liberaret eos. Igitur confractæ sunt catenæ, et argumenta et tormenta, in quibus tenebantur, diminuta sunt, et custodes pavefacti; exeuntes foras, cucurrerunt ad sacerdotem Domini clamantes: Miserere nobis. Qui pacificavit cum illis, et jussit eos silere. A. Anonymo.

ac multi ad fidem convertuntur.

18 Ipsi vero ponentes manus ad cathedram sustinuerunt eum, et deferentes deposuerunt ante altare Domini. Jussit autem eos appropinquare ad se et dedit illis singulos aureos, et castigavit eos, ut non iterum peccarent. Quin etiam pacificati sunt cum adversariis eorum. Sed cum hæc plebs populi facta esse cognovisset, continuo hæretici *s*, qui non fuerant credentes, petierunt baptismum, et conversi sunt non minima pars populi, et baptisati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ille vero pontifex stetit juxta altare Domini, et post consecratum divinum mysterium communicavit populum, et benedixit eos cælesti benedictione. Illi vero humilitantes se adoraverunt eum, dicentes: Vivat E pontifex urbis Victorius, et salvet nos manu sua sancta, protegat atque defendat, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, gloria, virtus, et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De sancto* Liborio *actum est ad 23 Julii.*

b Cenomanum, *ait in Lexico Geographico Baudrandus (Gallice Le Mans)* urbs Galliæ, ampla et culta, alias Vindinum dicta, Cenomanensis provinciæ *(vulgo le Maine)* caput, ad Sartam fluvium, ubi recipit Huisnam, episcopalis sub archiepiscopo Turonensi.

c *In Vita S. Liborii citata num. 9 hæc paullo aliter referuntur. Dicitur enim ibidem S. Martinus, ante mortem Liborii ab angelo monitus, ipsum invisisse, moribundoque adstitisse, ac demum sepeliisse defunctum.*

d *Ex hoc loco, cum sequentibus de uxore* Victoris *collato, patet legem continentiæ subdiaconis ubique in ecclesia Latina nondum fuisse latam, aut observatam. Quod itidem discimus ex epistola S. Gregorii ad Petrum subdiaconum Siciliæ, quæ lib. 1 olim 42, nunc 44.* F

e *Hæc* Victor *existimans jocari S. Martinum.*

f Revertar *ad laborem in vineam.*

g *Pedum episcopale videtur intelligere.*

h Passus, *in alio Ms.* pedes, *in alio* dexteras.

i *Ms. S. Germani hoc loco habebat;* Victorius, *uti et alio loco semel eum vocat. Sed plerumque* Victor *etiam in illo Ms. vocatur, uti in aliis.*

k *Adductum nempe, nam ante se absconderat.*

l Victorem *habent Mss. duo. Tertium habet* Victorium. *Consule Commentarium prævium num. 1. Ubi intelliges, cur nos eum vocemus* Victorium. *Deinde malui unum Ms. hic sequi præ duobus, quia alterum ex iis mox eum incipit vocare* Victorium, *atque usque ad finem eodem semper nomine utitur.*

m Liger *seu* Ligeris *flumen Galliæ est satis notum, cui urbs Turonica adjacet ad partem Cenomanicæ provinciæ oppositam.*

n Coronatus in albis. *Nam baptizatus a paucis diebus* Victorius *videtur etiam tum gestasse vestes candidas cum corona, quas post baptismum*

acce-

A. ANONYMO. *acceperat pro more antiquo Ecclesiæ. Audi Maxentium Aquileiensem patriarcham in epistola ad Carolum magnum de ritibus baptismi, edita a Bernardo Pez tom. 2 Anecdot. part. 2, col. 16, qui post alios baptismi ritus expositos, ita scribit :* Tunc albis induuntur vestimentis propter gaudium regenerationis ad præfigurationem vitæ angelicæ, ut ejusdem splendore decorentur. Candor etenim vestium, gaudium commorantium in illa cælesti Jerusalem mystice præfiguratur.... Tunc sacro chrismate capita perunguntur, et mystico teguntur velamine, *(in modum coronæ facto, ut ex aliis auctoribus, et verbis sequentibus clarum fit)* ut intelligant, se diadematici regni, et sacerdotii dignitatem portaturos : talibus enim per beatum apostolum Petrum dicitur : Vos estis genus electum, regale sacerdotium. *Hæc ille, quæ ex aliis facile confirmari possunt.*

o *Agi hic tantum de tonsura clericali tum ætas* Victorii, *tum modus loquendi satis innuunt.*

p *Sensum hunc, in omnibus Mss. luxatum, restitui quantum potui.* D

q *Aliud Ms.* meditationis.

r *Nequeunt hæc intelligi de S. Martino, qui obiit diu ante* S. Victorem Victorii *patrem. In uno quidem exemplari Ms. S. Martinus nominatur usque ad finem, at in duobus aliis, phrasi mutata, semper deinceps nominatur* Pontifex urbis. *Existimo itaque auctorem non scripsisse,* Victorium *S. Martino usque ad obitum Patris sui adfuisse, ab eoque in locum Patris episcopum ordinatum; sed nomen* Martini *ab homine indocto in unum exemplar Ms. intrusum. Latius hæc exponam ad diem 1 Septembris, ubi separatim agam de* Victorio.

s *Ariani, ut videtur. Nisi existimare malimus paganos designari, quod verisimile fit, quia petierunt baptismum : quamvis etiam non defuerint hæretici, quorum baptismus propter formam illegitimam erat invalidus.*

B

DE SANCTO GENNADIO PRIMO

E

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO

SYLLOGE HISTORICA

J. P.

§ I. Cultus; naturæ ac gratiæ dotes ; scripta contra S. Cyrillum Alexandrinum non recte intellectum; episcopatus, et favor erga Constantinopolitanum clerum.

ANNO CDLXXI. *Publica ejus veneratio ex Fastis:*

Tot inter præsules Constantinopolitanos, quos ecclesia Græca tamquam sanctos veneratur, egregium locum meretur S. Gennadius, *vitæ ac morum integritate, nec non episcopalis dignitatis partibus sedulo adimplendis laudem consecutus singularem, prout planum fiet ex ejus gestis.* C *His tamen præmittimus e Fastis sacris confirmationem publici cultus ejus. Martyrologium Arabico-Ægyptiacum, a Gratia Simonio pro nobis ex Arabico Latine redditum, sic eum refert hac die :* Memoria SS. Gennadii et Joannis episcoporum civitatis reginæ urbium, *id est, urbis Constantinopolitanæ. In Menæis magnis typo editis, ac in Menologio Sirleti etiam inscribitur noster Patriarcha. Consule, quæ hoc die a nobis dicuntur in S. Epiphanio, ejusdem cathedræ archiepiscopo. In exemplari Taurinensi Ms. etiam habetur hac* XXV *Augusti* Μνήμη τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν Γενναδίου καὶ Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπων ΚΠ. *Id est :* Memoria sanctorum Patrum nostrorum Gennadii, et Joannis, archiepiscoporum CP. *De* Joanne, *consule Prætermissos hodiernos. Laudata Menæa iterum colunt* S. Gennadium *die* XVII *Novembris, eumque hoc modo annuntiant :* Eadem die sanctus Gennadius, patriarcha Constantinopolitanus, in pace consummatur. *Sequuntur hi versus Græci, quos Latine sic interpretor :*

Ὁ Γεννάδιος εὗρε τὴν Ἐδὲμ στέφος,
Φανεὶς νοητὴν πρὸς παλαίστραν γεννάδας.

Reperit coronam Gennadius aulæ poli.
Qui se palestra strenuum mentis probat.

Allusio est ad nomen proprium Gennadius, *et ad nomen adjectivum* γεννάδας, *id est,* strenuus, egregius. *Jam vero cum non certo nobis constet, utro die potius coli Sanctus debeat, an hoc die* XXV *Augusti; an* XVII *Novembris; et an alterutro; liberum nobis esse censemus hodiernum eligere. Baronius ad annum Christi 471 num. 2 scribit ista :* Inter Sanctos relatum ipsum habent Græci in Menologio die XXV mensis Augusti, honorifico cultu annuatim ejus memoriam F merito prosequentes.

2 *Quo anno sedere cœperit, et quando sedere desierit ad Superos evocatus, inveniet lector in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, tomo primo hujus mensis prævia, pag. 44 *. De hac tamen re obiter dicetur sub finem hujus sylloges. Pergamus itaque ad alia, quæ tum ad naturæ ac gratiæ dotes, tum ad ejus gesta ante patriarchatum, tum ad decursum ejusdem spectant. In Vitis Patrum lib. 10, cap. 145, pag. 905 secundæ editionis a Rosweydo vulgatæ, ita laudatur apud Joannem Moschum in Prato spirituali sanctus noster Patriarcha :* Accessimus in cœnobium, quod dicitur Salama, nono ab Alexandria milliaro distans, invenimusque illic duos presbyteros senes, qui dixerunt nobis, Constantinopolitanæ ecclesiæ se esse presbyteros, narrabantque nobis de beato Gennadio Constantinopolitano patriarcha, quod fuerit mitissimus, et mundus corpore, multumque continens.

laudatur ob varias naturæ ac gratiæ dotes.

3 *Gennadius Massiliensis presbyter in Bibliotheca ecclesiastica apud Miræum cap. 90,* Gennadius,

A nadius, *inquit*, Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus, vir lingua nitidus, et ingenio acer, tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Danielem prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit. Moritur Leone seniore imperium tenente. *Pauca hæc, quæ hactenus protulimus, laudationis specimina, non obscure indicant, qualis fuerit* S. Gennadius, *et quam egregie comparatus, ut cathedræ Constantinopolitanæ præesset. Sed priusquam de rebus in illa dignitate ab eo gestis loquamur, juvat nonnulla præmittere, quæ antea contigerunt.*

Gennadius præter modum

4 *Famosum, si credimus auctori mox dando, est scriptum contra S. Cyrillum Alexandrinum (cujus gesta apud nos illustrata sunt die* XXVIII *Januarii) in quo acri ac mordaci calamo in eumdem invectus est, ac injuriosis terminis illum pupugit, quod putaret, sanctum virum, dum contra Nestorium scriberet, in errorem Apollinaris incidisse. Addet aliquis ista ad elevandam culpam ab eo hic commissam : Flagrabat* Gennadius *ardentissimo desiderio defendendi fidem Ca-* B *tholicam : S. Cyrilli sensum non intelligebat : cum orthodoxa fide conciliari eumdem non posse existimabat : hinc orta discordia : hinc scriptum acrimonia respersum, quod ex bona quidem intentione, sed ex errore tamen adversus S. Cyrillum exaravit. Verum nos hanc materiam æqua lance librare postea conabimur. Interea temporis res illa, de qua hic, videtur innecti posse anno Christi 431 vel 432, quando fervebat adhuc controversia inter S. Cyrillum ac Joannem episcopum Antiochenum. Consule Baronium ad annum 431. Verum nunc juverit rem gestam ex auctore antiquo, sed schismatico, proponere et expendere.*

invectus

5 *Facundus, episcopus Hermianensis provinciæ Africanæ, libros 12 direxit ad Justinianum imperatorem pro defensione trium Capitulorum concilii Chalcedonensis, quos in lucem edidit Parisiis Sirmondus anno 1629 : ubi lib. 2, cap. 4, a pag. 76 indicat, cujusmodi hoc scriptum exstiterit :* Quale vero illud est, quod jactant, ideo se damnasse hanc epistolam, quod ejus conscriptor videatur in ea de beato Cyrillo quod male sensisset, cum scripserit adversus eum- C dem sanctum Cyrillum, et 12 ejus capitula beatæ quoque memoriæ Gennadius hujus regiæ civitatis episcopus, nec ab istis reprehensus in hac condemnatione denominetur, qui multo vehementius et contumeliosius eum in sua responsione tractavit? Nam sic adversus eum dicit : « Væ » mihi a malis. Heu, heu! Unde enim quis» quam in præsenti aliunde sumat exordium? » Quales Cyrilli Ægyptii, et quantas blasphe» mias.. audivi! Quis revera det capiti meo a» quam, et oculis meis fontem lacrymarum? » et plorabo istud die et nocte : quoniam exten» dit lingua ejus mendacium, et non fidem : » confortatus est super terram. Ex certo pax » peccatoribus deceptio : propter hoc enim obti» nuit eos, inquit, superbia eorum in finem : co» gitaverunt et locuti sunt in malignitate. Ini» quitatem in altum locuti sunt : posuerunt in » cælo os suum, et lingua eorum transivit super ter» ram. Psalmistæ ista sunt...

inscripto contra S. Cyrillum Alexandrinum;

6 « Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, et » proprio jam isti secundo. Quæ corrupta plore» mus, quæque corrumpit. Ex toto jam myste» rium iniquitatis, et vereor, ne forte num» quam, qui tenet, de medio fiat.. Quid enim » minimum, aut quid mediocre in illis? Om» nem supereminentiam blasphemiæ jaculatus est » adversus sanctos Patres, adversus eorum prio» res Apostolos, adversus ipsum Salvatorem, in » resurrectionem meditatus est. Assumptam qui» dem humanitatem ex nobis et pro nobis inju» riat : divinam ejus naturam, et impassibilem « passionibus subjacere contendit. » Ecce, *ait Facundus*, quanta et qualia sanctus Gennadius in beatum Cyrillum effudit, et nulla hinc fit nominis ejus invidia, quoniam ipse non interfuit Calchedonensi concilio. Quin etiam respondens primo ejusdem S. Cyrilli capitulo, quo dixit : » Si quis non confitetur Deum esse secundum » veritatem Emmanuel, et propterea Dei Geni» tricem sanctam Virginem, genuit enim carnali» ter carnem factum Dei Verbum, anathema sit » ita [in] eum invectus est : « Anathematizatu» rus est te Deus, paries dealbate... » et cætera, quæ in eodem Opere, si quis volet, inveniet.

AUCTORE J. P.

an sit excusandus;

7 *His in causa* Gennadii *contra S. Cyrillum relatis ex ipsis ejusdem* Gennadii *verbis, citatus Facundus episcopus sic prosequitur, ac* E *vult illa non obstare, quo minus habendus sit orthodoxus :* Cur igitur, *ait*, in hac ultione, sicut dicunt, injuriarum beati Cyrilli, non magis sancti Gennadii nomen, et pro sui loci auctoritate, quasi regiæ civitatis episcopi, et pro maledictionum atque contumeliarum magnitudine ventilatur? Quod si hoc consideraverunt, quoniam talia Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intellexisset; hanc prudentem et piam considerationem ego quoque suscipio. Potuit enim et ipse de Christiana religione quæ recta sunt credens, non intellectum beatum Cyrillum bona intentione culpare : et bonam damnare intentionem, damnabile crediderunt. Quod si hoc etiam consideraverunt, quoniam si ea, quæ ante centum annos a beato Gennadio scripta sunt, modo condemnarentur, in reprehensione totius Ecclesiæ fieret, quæ hoc ante non fecit; hoc quoque sapienter atque modeste consideratum esse, si quis sapiens et modestus, agnoscet.

quem errorem postea eluit, et orthodoxum se probavit.

8 *Tillemontius infra citandus in* S. Gennadio, *pag. 68 dicit, potuisse eum non habere, nisi sensa maxime Catholica, et potuisse tamen Cyrilliana vituperare bona intentione. At vero* F *erronea ipsius sensa quomodo tam liberaliter excusari possint ex bona intentione, non concipimus : præsertim si consideremus virulentam ipsius execrationem, quam evomit contra capitulum primum, ut modo dictum est, S. Cyrilli; maxime si eam scripserit post concilium Ephesinum : ut alia fortasse plura hujusmodi omittamus; cum addat Facundus*, et cætera, quæ in eodem Opere, si quis volet, inveniet. *Credimus facile,* Gennadium *tunc contra S. Cyrillum fuisse abreptum juvenili quodam impetu; quem forsan etiam accenderit amor erga Nestorium, e sede dejectum. Sed errorem suum retractasse, et eluisse* Gennadium, *persuadent ea, quæ postea egit orthodoxe. Quid, quod alioquin ad sedem Constantinop. numquam fuisset promotus.*

Creatur patriarcha CP.

9 *Presbyterum Constantinopolitanum fuisse illum constat, dum ad ejusdem urbis cathedram eveheretur. Audi Theodorum Lectorem, sive Excerpta ex ejus historia ecclesiastica, quæ una cum Euagrio Scholastico etc. Parisiis edita sunt a Valesio, pag. 553 :* Mortuo Anatolio, Gennadius presbyter ecclesiæ CP. in ejus locum substitui-

AUCTORE J. P.

substituitur. *Adde Nicephorum Constantinopolitanum archiepiscopum in Chronographia brevi, Lutetiæ Parisiorum typis regiis excusa, pag. 414. Ceterum non omnium calculis eum fuisse electum ad patriarchalem dignitatem, indicat laudatus modo Theodorus, dum de* simul *ad hanc* nominato quorumdam suffragiis Acacio, orphanotrophii præposito *meminit. Sed Deus ista vice pepercit ecclesiæ Constantinopolitanæ. Nam qualis fuerit Acacius, qui* S. Gennadio *mortuo postea suffectus est, narratur in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, de qua superius, a pag. 44*. Acta vero S. Anatolii, de quo jamjam injecta est mentio, apud nos illustrata sunt ad diem* III *Julii, pag. 651 et sequentibus, ubi indicavimus, eum vita functum anno 458, quo ei successit* S. Gennadius, *ut videre licet in mox citata Historia pag. 44* :*

favores ecclesiæ Magnæ extendit ad omnes ecclesias urbis CP.

10 Porro Gennadius œconomum ecclesiæ constituit Marcianum, qui ex Catharorum secta ad Ecclesiam Catholicam transierat, *teste Theodoro Lectore supra designato, qui addit :* Hic simul atque œconomus factus est, decrevit, ut quæ in unaquaque ecclesia B offerebantur, clerici ejusdem ecclesiæ acciperent : cum ad id tempus Magna ecclesia, universa accipere soleret. *Id cum acciderit vel jubente, vel saltem sciente, et sine dubio approbante nostro Patriarcha, indicio est, eum in hac re potius extendere voluisse munificentiam ecclesiasticam ad cleri Constantinopolitani commune bonum, quam ad bonum particulare cleri ecclesiæ Magnæ ac patriarchalis, quia forte huic aliunde erat satis prospectum de congruis proventibus ad honestam sustentationem; illi vero non item. Quidquid sit non sine causa hæc mutatio facta fuerit, quando contraria consuetudo* ad id *usque* tempus *reclamabat. Porro de ecclesia Magna, seu S. Sophiæ plura dicentur hac die in S. Menna vel Mena patriarcha Constantinopolitano* § *2.*

§ II. Acta adversus impium Timotheum Ælurum ; res gestæ cum S. Daniele Stylita, et nostræ super illis observationes.

C

Sanctus noster

Sanctus *Leo PP. Domitianum et Geminianum episcopos misit Constantinopolim, ut apud imperatorem, nomine etiam Leonem, impetrarent punitionem Timothei Æluri, qui dum esset schismaticus, a communione Ecclesiæ abscissus, et Eutychiana hæresi infectus, cathedram tamen Alexandrinam invaserat, S. Proterium, legitimum ejusdem episcopum, occiderat, idque agebat obnixe, ut in universa Ægypto pessumdaret Catholicam fidem. Omnes Orientis præsules, quos consuluerat imperator, se Timothei hostes denuntiarant. Hic tamen persistebat, Asparis Ariani, cui Leo debebat imperium, auctoritate fultus. Argumentum hoc, quod in compendio contractum est, pluribus deducitur apud Tillemontium tomo 15 Monumentorum ecclesiasticorum, in S. Leone PP., articulo 156 et sequentibus, rerum gestarum serie partim anno Christi 457, partim 458 intexta, quo S. Anatolio patriarchæ successit Sanctus noster, sicut antea indicatum est.*

egregiam navat operam

12 *At quid tum postea?* Gennadius *S. Leoni PP. adversus impium Ælurum porrexit adjutricem manum, qui Alexandria expulsus, et Gangras Leonis imperatoris jussu relegatus est, sicut testatur Theophanes in Chronographia pag. 96 editionis regiæ Parisinæ, his verbis, quæ in versione Latina sic reddita ibi sunt e textu Græco :* D Ad hæc, ut quæ nefarie perpetrata condignæ subjicerentur ultioni, studium omne penes imperatorem Gennadius adhibuit, adversæ licet parti faveret oppositus Aspar Arianus. Porro pientissimus imperator Gangras, quo Dioscorus ejus magister fuerat deportatus, Ælurum relegavit. Is vero conventicula celebrare, et turbas illic movere denuo cœpit : quorum certior factus imperator, hominem in Chersonem relegavit. Alius autem Timotheus, cognomento Leucus, qui et Salophacialus, vir de rebus fidei recte sentiens, et ob morum probitatem omnibus charus, in prioris locum episcopus Alexandriæ ordinatus est. *Tillemontius supra citatus plura collegit de hac historia articulo 172.* Gennadius *itaque se probavit egregium orthodoxæ fidei pugilem, impigrum infamis Thimothei hostem, ac* E *sedulum S. Leonis PP. in re tanti momenti adjutorem.*

fidei Catholicæ.

13 *Quæ ut magis appareant, et confirmentur, observari cupimus, Æluro permissum fuisse, ut Constantinopolim adiret; de qua re Patriarcha noster certiorem fecit S. Leonem; qui in epistola 138, al. 100 ad* S. Gennadium *data de hoc permissu conqueritur, vigilantiam ejus requirit, ac illum laudat, uti ex ipso epistolæ textu, quem damus, intelligitur :* Dilectionis tuæ litteris, et fratrum coepiscoporumque nostrorum Domitiani et Geminiani sermone agnovi, Timotheum, postquam ecclesiæ Alexandrinæ civitatis expulsus est, Constantinopolim (nonnullis hoc fidei adversariis agentibus) venire permissum, ut, quantum datur intelligi, quia universorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus, invitus saltem ad Catholicum se dogma convertat, ut, tamquam propter hanc tantummodo culpam videatur ejectus, hæreticæ perversitatis errore damnato, doctrinæ Apostolicæ, ut ad Alexandriam redeat, acquiescat : cum illi, etiamsi Catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quod, vivente episcopo, tantæ sedis invasor est, et autor apparuit inauditæ crudelitatis F admissæ.

ac sancto Leoni PP.

14 Et ideo dilectio tua solicitudine, qua claret, eniti et elaborare debebit, ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim, vel publice misceatur, neve sub specie correctionis ejus quorumdam conventui præbeatur occasio : ne redeundi integram capiat libertatem, de quo jam edictis suis princeps Christianissimus judicavit. Omni igitur labore et circumspectione pervigili unitati ecclesiasticæ profuturus enitere, frater charissime, ut spes suffragatoribus ipsius adimatur, et Alexandrinis ex clero suo Catholicus episcopus secundum morem veterem per orthodoxos episcopos consecretur : quia parricida ille non alias a suis defensoribus deseritur, nisi Alexandrina ecclesia, quæ patrum honori et suæ restituenda est libertati, rectorem sanandis omnibus, quæ male gesta sunt, probatissimum fuerit consecuta. Datum XV Kalend. Julias, Magno et Apollonio Consulibus, *id est, anno Christi 460. S. Leonis desiderio fecit satis Archiepiscopus noster : Ælurus quippe nihil obtinuit Constantinopoli, vel ne quidem eo venit, et priusquam*

S. Leonis

A *S. Leonis litteræ ad* Gennadii *manus pervenissent, Timotheus Salophaciolus, quem supra laudavimus, electus erat jam tum episcopus Alexandrinus.*

contra impium Ælurum

15 *Etenim S. Leo recitatam modo epistolam dedit die* XVII *Junii; ineunte autem mense Julio, vel paullo post acciderit ordinatio Timothei Salophacioli episcopalis; cum idem Christi in terris Vicarius hanc ipsi sit gratulatus die* XVIII *Augusti ejusdem anni in epistola 139 al. 101, postquam eamdem ordinationem factam esse tum ex Timothei præsulis, tum ex presbyterorum et diaconorum ecclesiæ Alexandrinæ scriptis intellexerat. In epistola enim 140 al. 102, eodem die ac anno notata hos ita alloquitur :* Gaudeo exultanter in Domino de piissimo, quem inter vos habetis affectu, dum, sicut scripta vestra manifestant, et pastor gregem, et grex ostenditur amare pastorem. *In epistola autem gratulatoria, quam modo designabamus,* Cum ergo, *inquit,* scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua utatur, extiterint, sicut necessarie, et ex more fecisti, ut per filios nostros Danielem presbyterum,
B et Timotheum diaconum ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres, ita omni tempore in hoc officio perseveres. *Scripta itaque S. Leonis prior ad* Gennadium *epistola die* XVII *Junii; deinde Salophacioli, et aliorum, de quibus âctum, scripta, quæ accepit S. Leo, et quibus rescripsit* XVIII *Augusti; argumento nobis sunt, a* Gennadio *factum fuisse satis sanctissimi hujus Pontificis desiderio, quando per singularem vigilantiam ac impensum studium boni publici et Catholicæ religionis, antequam priorem hujus epistolam accepisset, illud exsecutioni mandari curavit.*

Refertur

16 *En tibi, lector, quæ gesta sunt eodem circiter tempore inter Patriarcham nostrum et S. Danielem Stylitam, de quo tractandum erit pluribus ad diem* XI *Decembris, quo eum refert Martyrologium Romanum. Apud Surium hæc de utroque Sancto historia exstat ad eumdem diem in Vita S. Danielis Stylitæ cap. 16 occasione columnæ, quam idem Daniel ascenderat :* Cum loci *(erat is apud Constantinopolim)* dominus ad horum venisset cognitionem (erat autem illi nomen Gelasius) inconsiderate ira animo perturbatus, aut potius dæmonis importunitate commotus, et adversus sanctum virum furore percitus
C (causa autem prætexebatur, quod non eam *columnam* posuisset voluntate illius) imperatori quidem renuntiat id, quod factum fuerat. Renuntiat autem etiam Gennadio (is enim constitutus fuerat episcopus Constantinopolitanus post decessum Anatolii) : atque ab imperatore quidem dicens non fuit exauditus : episcopus vero invidia motus, seu ei, qui rogarat, concedens, non solum censebat Sanctum e columna dejiciendum, sed etiam pœnæ subjiciendum. Redit ergo Gelasius totus ira percitus, alios quoque multos secum assumens, et e columna Sanctum volens detrahere. *Deinde narrat Vita, quo modo Deus Danielem defenderit.*

narratio historica eorum,

17 *Ibidem cap. 24 et 25 sequuntur ista :* Magnam quidem certe urbem magnas adorturas esse minas, cum a Superis accepisset revelationem, eam episcopo significat Gennadio, jubens contentiore uti precatione. Quinetiam imperatori Leoni prædicit similia, et bis in hebdomada jubet communes fieri supplicationes. Sic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ii quidem Sancti præceptis contemptui habitis, erant ipsa intellecturi experientia ea, quæ multitudo peccatorum effecit, ut ad effectum deducerentur... *(Verosimiliter hic prænuntiat Daniel incendium urbis CP., quod accidit anno 465.)* Quoniam autem divini quoque Agni sacrificatorem oportebat esse Danielem, qui jam ei prius sacrificaverat et corpus et animam, e Superis quidem movet imperatorem spiritus; movet autem Gennadium quoque imperator, et ad eum scribit, ut acceptis multis ex ecclesia veniat ad magnum Danielem, et eum consummet ordine sacerdotali.

AUCTORE J. P.

18 Cum is vero hæc fecisset, qui prævidendi quidem futura magnam habebat potestatem, primum quidem spiritu præcognoscit futurum ad se adventum. Deinde cum ille jam venisset ad columnam, dixit se jam pridem desiderasse ad eum ascendere : sed curas prohibuisse ecclesiasticas, ne finem imponeret suo desiderio; nunc autem venire, ut et ipsum videret, ejusque precibus frueretur et sermonibus. Rogabat vero, ut scalæ quoque adhiberentur. Frustra, inquit ei prædicendi magna vi præditus Daniel, hunc laborem ut susciperes, procuravit, qui te ad nos E movit. Hoc simul et stuporem et metum affert Sacerdoti : stuporem quidem quonam modo sic ejus cognovit adventum : timorem autem, quod mens ejus magno erat Danieli manifesta : neque enim, nisi coactus fuisset ab imperatore, ad eum umquam venire annuisset.

quæ inter S. Gennadium

19 Cum autem et episcopus, et qui sequebantur episcopum, multum rogavissent, ut admoverentur scalæ, ut ad eum ascenderet, prohibebat vero invictus Daniel : imminebat autem jam sol mediis eorum capitibus, calidis eos feriens radiis, et videbat Episcopus multitudinem siti et æstu torreri, jubet inferius quidem archidiacono preces dicere consuetas : ipse autem cum esset precatus, ordinat magnum Danielem, etiam non præsentem, presbyterum, et simul multitudo de eo, qui erat vere dignus, clamabat : Dignus. Cum sic patriarcha Gennadius Danielem nominasset sacerdotem, et Ecce, dixisset, et tibi populus justam de more propterea emisit vocem, et Deus desuper tibi per me manum imposuit, et omnia, ut semel dicam, suscepisti signa sacerdotii. Restat ergo, ut scalæ admoveantur columnæ, ut sis etiam sacri particeps Sacrificii, et Deo vocanti omnino cedas. F

ac S. Danielem Stylitam

20 Tunc cum beatus cognovisset Daniel, hæc non fieri sine Dei numine, sed ei quoque grata esse et accepta, quæ facta sunt, jubet poni scalas, et cælestem margaritam, divinam, inquam, communionem et dat et accipit. Deinde cum etiam fecisset alia omnia, quæ solent fieri a sacerdotibus, et precatus esset pro multitudine, eos dimisit lætantes simul et admirantes, partim quidem propter præscientiam, et vere laudabilem timiditatem; partim autem quod vix quidem, persuadetur tamen ipse quidem accipere sacerdotium, illis vero præbere preces et benedictionem. Hæc imperatori quoque significantur, et simili eum replent lætitia et admiratione.

acta fuisse dicuntur.

21 *Hæc narrantur in Vita S. Danielis Stylitæ, et apud Surium edita sub nomine Simeonis Metaphrastæ. Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 129, inter plures alias Sanctorum Vitas, tamquam Metaphrastæ proprias, ponit* Vitam S. Danielis Stylitæ, *hoc principio vel characterismo :* Ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀριστέων, *quæ consentiunt exordio Vitæ Latinæ apud Surium :* Quemadmodum viris fortibus. *Hæc vero in*

Variæ observationes

AUCTORE J. P.

in causa sunt, cur istius scriptoris Vitæ plenam auctoritatem tribuere non audeamus, in iis præsertim rerum adjunctis, quæ inter utrumque Sanctum contigisse commemorat. Nam displicet primo illud, quod supra in propositione disjunctiva de S. Gennadio *ponit :* Episcopus vero invidia motus. *Cur enim invidiæ hic fit mentio? cum Vir sanctus potuerit ob aliam causam judicare, S. Danielem a columna amovendum, quia videlicet modus ille vivendi erat adeo singularis, quia vanitatis periculo subjectus, quia non tam ex divino impulsu, quam e propriæ voluntatis motu exortus : quæ incommoda etiamsi in S. Daniele non habuerint locum; habere tamen, suspicatus forte sit sanctus Patriarcha : ut nihil dicam de aliorum, quæ fortasse ad* S. Gennadium *delatæ sint, querelis, quarum saltem una, eaque gravissima exponitur in propositione disjunctiva, de qua jam mentionem fecimus. Utcumque sese hæc habeant, quæ retulimus per conjecturas, non videtur Vir sanctus esse accusandus de invidia, dum aliunde excusari potest. Aliud etiam est superius, de quo* B *dictæ Vitæ scriptorem conveniendum arbitramur.*

quare

22 *Displicet enim secundo ille mirus sacerdotii modus, quod S. Danieli contulisse* S. Gennadius *fertur his verbis :* Ordinat magnum Danielem, etiam non præsentem, presbyterum, *cui inter alia eum narrat dixisse :* Deus desuper tibi per me manum imposuit... Restat ergo, ut scalæ admoveantur columnæ *etc. Displicet, inquam, hæc ordinatio, quæ nobis esset probabilior ac verosimilior, si diceret biographus, S. Danielem absentem a* S. Gennadio *designatum quidem fuisse ad sacerdotium; sed deinde ab eodem sancto Patriarcha Danieli præsenti impositas fuisse manus, eaque peracta, quæ necessaria sunt ad consecrationem sacerdotis, quidquid sit de accidentibus. Cogitationem hanc meam confirmo sequente facto S. Gregorius Nyssenus in Vita S. Gregorii Thaumaturgi, quæ anno 1615 edita est Parisiis, quæque ibi habetur tomo 2 Operum ejusdem sancti Patris, narrat pag. 976 et sequente simile exemplum de laudato Gregorio :* Cum Phædimus, *inquit,* cui divinitus a Spiritu sancto præscia (futurorum) vis quædam inerat, inerat, in illo tempore Amasæensium ecclesiæ antistes esset, et omni studio laboraret, ut magnum C Gregorium in potestatem redactum, ecclesiæ administrationi præficeret, . . . ut hic sacerdotem id agitare atque conari sensit, cogitare cœpit, qua ratione latere posset, alias ad aliam solitudinem transiens. . .

quædam in hac historia

23 *Dum vero* uterque inter se studio certarent, illo quidem capere, hoc vero persequentis manus effugere cupiente..., impetu quodam divino Phædimus ad propositum studium provectus, nihil curans interjectum spatium, quo ab Gregorio dirimebatur, (quippe ille aberat itinere tridui) sed ad Deum suspiciens, precatusque ut et ipse et ille pariter in illa hora ab Deo respicerentur, loco manus impositionis, Gregorio adhibet sermonem, Deo consecrans eum, qui corpore coram non adesset, et illam ei civitatem destinans et attribuens, quam contigerat ad illa usque ipsa tempora adeo simulachrorum errori deditam esse... Sic igitur jugum subire coactus, OMNIBUS POSTHÆC QUÆ FIERI SOLENT, SOLENNIBUS IN EO PERACTIS, cum exiguum tempus ad mysterium exactius cognoscendum ab eo, qui sacerdotium ipsi assignaverat, petiisset *etc. Potuisset dicere Latinus hic interpres :* Omnibus post hæc LEGITIME in eo D peractis : *nam in Græco textu est :* Πάντων μετὰ ταῦτα τῶν νομίμων ἐπ' αὐτῷ τελεσθέντων. *Ex his concludo, hoc vel simili modo verosimilius ratiocinandum esse de sacerdotio S. Danielis Stylitæ, ne ob tantillam Metaphrastis, vel alterius, quisquis fuerit, biographi auctoritatem, ad modum tam inusitatum et extraordinarium accepti ab eodem Sancto sacerdotii recurramus.*

a nobis improbentur.

24 *Displicet tertio, quod auctor Vitæ S. Danielis affricet* S. Gennadio *mendacium officiosum. Hunc quippe affirmat dixisse S. Danieli,* se jam pridem desiderasse ad eum ascendere ; sed curas prohibuisse ecclesiasticas, ne finem imponeret suo desiderio... *Cui Daniel :* Frustra, inquit, .. hunc laborem ut suspiceres, procuravit, qui te ad nos movit. *Quibus subdit ista biographus :* Neque enim, nisi coactus fuisset ab imperatore, ad eum umquam venire annuisset. *Hæc si vera sunt, mentitus est* S. Gennadius : *et quamvis viri etiam sancti habeant suos nævos, eorumque sanctitati nihil isti officiant; hunc tamen* S. Gennadio *imputare non ausim, quia circumstantiæ aliæ, de quibus dixi, in superiore biographi istius historia videntur esse suspectæ fidei : an vero* E *plures aliæ hujusmodi sint in Vita S. Danielis Stylitæ, examinari poterit ad diem* XI *Decembris.*

§ III. Collecta a Viro sancto synodus contra simoniam ; epistola encyclica ; vigilantia pastoralis ; miraculum ; clericus facinorosus miro modo punitus ; ecclesiæ tempore hujus Patriarchæ Constantinopoli exstructæ ; reliquiæ ab ipso translatæ ; visiones.

Laudatur Sanctus, congregat synodum ac epistolam encyclicam scribit contra simoniacos :

E*minentissimus Cardinalis Baronius laudat* S. Gennadium, *tamquam de orthodoxa fidem atque ecclesiastica disciplina cumulatissime meritum : nam ad Christi annum 459 num. 1 de illo scribit, tamquam de* fidei Catholicæ et ecclesiasticæ disciplinæ acerrimo vindice atque custode : qui inter alias deformitates cum nactus esset ecclesiam illam *(Constantinopolitanam)* simoniaca labe deturpatam, ad eam penitus evellendam, aliosque pravos mores extirpandos, synodum colligi festinavit. *Quæ breviter quidem, sed magnifice tamen de eo a Baronio pronuntiata, quam apte ac merito Viro sancto conveniant, planum fiet ex iis, quæ jam dicturi sumus. Superest etiamnum nobis illustre monumentum implacabilis istius odii, quo idem sanctus Præsul perniciosissimam hanc pestem persequebatur, in epistola encyclica seu circulari, quæ inter Commentaria vel scholia Theodori Balsamonis in canones etc., anno 1620 Parisiis Græco-Latine edita, habetur pag. 1084, hoc titulo, qui e Græco ibidem Latine redditus, sic sonat :* Gennadii patriarchæ Constantinopolitani, et sanctæ cum eo congregatæ synodi ad sanctissimos omnes metropolitanos, et ad Papam urbis Romæ epistola circularis *etc. Tillemontius proxime jam citandus movet pag. 71 difficultates adversus ea, quæ*

A *quæ Baronius ad annum 459 num. 1 et 2 scribit, dicens, quod concilio isti interfuerint Domitianus et Geminianus episcopi, ac sedis Apostolicæ legati; item quod concilium illud convocatum fuerit e proximis provinciis. Quænam vero opponat Baronio collector ille, supersedemus hic referre. Nam concilium ipsum Constantinopolitanum anno 459 vel circiter, non refragante eodem collectore, celebratum fuit : e quo discimus veras ac solidas* S. Gennadii *laudes; idque sufficiat ad nostrum institutum.*

vult ut ordinandi sciant memoriter Psalterium; miraculum; clericum facinorosum,

26 *Decorem ecclesiasticum sanctus Patriarcha impense etiam cordi habuit, quando, teste Theodoro lectore, quem supra citavi, pag. 554,* neminem ordinabat, qui Psalterium non sciret memoriter. *Quid pro clericis fecerit, narravimus superius num. 10 ex eodem auctore, qui pag. 554 modo designata refert miraculum a Præsule nostro patratum.* Sub eodem, *ait,* Gennadio, pictoris cujusdam manus exaruit, qui Christum Jovis specie depingere ausus fuerat. Sed Gennadius pictorem precibus suis mox sanavit. *Vigilantia quoque Viri adversus depravatos*
B *mores ibidem indicatur his paucis verbis :* Eleutherio martyri ob quemdam ejus clericum Gennadius scripsit in hunc modum : Miles tuus disciplinam non servat. Tu igitur aut emenda illum, aut dele : statimque mortuus est clericus, utpote qui malis moribus esset præditus.

quem emendare non poterat,

27 *Factum hoc, quod brevissime ibi perstringitur, pleniore oratione exponitur in Vitis Patrum loco antea a nobis indicato, cujus facti historia ut clarius ac distinctius intelligatur, illam huc transcribendam curavi. Sic itaque habet :* Dicebant et hoc nobis de ipso *(de nostro* Gennadio *sermo est)* quod, cum molestaretur a pluribus de quodam clerico nimis delinquente, Charisio nomine, accersivit eum Patriarcha ipsumque emendare conatus est. Cum vero nihil increpando proficeret, permisit illum paterna et ecclesiastica censura flagellari.

S. Eleutherio committit emendandum vel puniendum.

28 Postquam vero didicit in nullo meliorem fieri, neque per verba, neque per flagella (vacabat enim homicidiis et magicis præstigiis) misso quodam apocrisiario suo jussit, ut diceret sancto martyri Eleutherio (erat enim lector in ipsius oratorio Charisius) Miles tuus, sancte Dei
C Eleutheri, multum peccator est : aut emenda illum, aut excide. Venit igitur apocrisiarius in oratorium, stansque ante altare, ac intendens ad sepulcrum martyris, extendensque manum suam, ait martyri : Patriarcha Gennadius significat vobis, sancte Christi martyr Eleutheri, per me peccatorem, quia miles tuus multum peccat. Aut emenda illum, aut præcide eum. In crastinum vero mortuus inventus est scelerum opifex Charisius, et omnes obstupefacti glorificaverunt Deum. *Hinc conficitur, sanctum Patriarcham, etiamsi* fuerit mitissimus, *ut superius § 1 num. 2 dictum est, justam tamen severitatem etiam exercuisse, quando bonum commune et disciplina ecclesiastica hoc exigebant. Tillemontius tomo 16 in* S. Gennadio *pag. 70 refert Constantinopoli fuisse ecclesiam S. Eleutherii martyris, verosimiliter, uti vult, senatoris Byzantini; quem Græci, inquit, honorant* IV *Augusti, et ad cujus ecclesiam censet spectare historiam superius narratam. At non hujus, sed alterius synonymi Eleutherii episcopi ac martyris ædem sacram Constantinopoli tribuendam, ostendere conati sumus tomo 1 Augusti, die* IV *ejusdem mensis, ubi illustravimus Acta S. Eleutherii M. Tarsiæ in Bithynia, a pag. 318.*

AUCTORE J. P.

Novis ecclesiis ornatur Constantinopolis ipsius tempore :

29 *Tempore ejusdem sancti Patriarchæ novis ecclesiis urbs Constantinopolitana fuit condecorata.* Hujus Gennadii temporibus, Studius ecclesiam S. Joannis exstruxit, et monachos ex Acœmitensibus in ea collocavit, *teste Theodoro Lectore pag. 454. Theophanes in Chronographia, anno 1655 Parisiis edita, pag. 97 illam fuisse indicat S. Joannis Baptistæ, nam* Præcursoris templum *eam vocat. Codinus De Originibus Constantinopolitanis, mox dicto anno ac loco excusis, pag. 51 addit ista de Studio istius monasterii fundatore :* Plurimis *illud* ditavit possessionibus, atque monachos mille in eo instituit. *De S. Alexandro Acœmetorum fundatore, eorumque origine, primis monasteriis, ac nominis illorum ascetarum etymo, consuli potest tomus 1 Januarii, die* XV, *pag. 1018, et seq.; ubi etiam laudantur Studitæ. De Pluribus ecclesiis, tempore* S. Gennadii *conditis Constantinopoli, Tillemontius tractat inter ea, quæ collegit de eodem Sancto : sed cum illud argumentum nihil magnopere demat vel addat sanctitati ejus, vel rebus ab eo gestis, illud pluribus huc transcribere supersedemus, ad* E *alia perrecturi, quæ propius ad eumdem Patriarcham spectant.*

Sanctorum reliquiæ

30 *Apud Surium in Vita S. Danielis Stylitæ cap. 34 dicuntur reliquiæ S. Simeonis Stylitæ solenni ritu translatæ ac delatæ ad eumdem S. Danielem, hanc rem curante imperatore Leone, quem Daniel ita allocutus ibidem narratur :* Si velis facere mihi rem gratam, festina huc adducere illius reliquias, et rem mihi gratissimam, acceptam tibi feram . . . Cum autem qui missi fuerant Antiochiam, sic jubente imperatore, reliquias attulissent, significabat quidem magnus Daniel Episcopo urbis, ut prædicet et publice annuntiet exportationem tabernaculi, et ut ipse sedeat in vehiculo imperatoris, sinu tenens reliquias, et sic iter faciat cum psalmis et hymnis, et cum eas deduxerit ad templum militiæ principis Michaelis, illic divinam celebrent mystagogiam.

ab eo translatæ :

31 Quæ cum peragerentur, et magno et splendidissimo comitatu deducerentur, multa per ipsas in transitu facere miracula conspectus est Dominus . . . Postquam autem finem acceperunt ea, quæ pertinebant ad reliquias, et ipse Sacerdos, et omnes qui simul consequebantur, F cum gaudio ad Sanctum ascenderunt, maximas suavissima anima in eos verbis effudit gratias. *Hæc ibi. Acta istius Sancti jam pridem apud nos illustrata sunt tomo 1 Januarii, die* V, *a pag. 261. Si autem per reliquias, de quibus jam egimus, intelligas non totum corpus, sed partem aliquam notabilem, facile conciliabis ea, quæ modo de reliquiis Constantinopolim translatis exposita sunt, cum Vita tertia, sub nomine Simeonis Metaphrastis ibidem edita : cujus videri potest caput 15, pag. 285. Imperante eodem Leone, et* S. Gennadio *cathedram patriarchalem gubernante, alias reliquias Constantinopolim fuisse translatas, affirmat Theodorus Lector pag. 568 his verbis : Eo (videlicet Leone augusto)* regnante, et Gennadio patriarchatum administrante, allatæ sunt Sirmio *(Pannoniæ inferioris urbe)* reliquiæ sanctæ Anastasiæ, et depositæ sunt in martyrio *(id est, in æde sacra)* ejusdem, quod est in porticu Domnini. *Legi possunt, quæ de hac æde collegit Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ a pag. 141.*

duæ ipsius

32 *Fertur* S. Gennadius *sub finem vitæ habuisse*

Auctore J. P.

buisse visionem quamdam, qua jussus fuerit destruere sanctæ martyris Irenes ecclesiam, quæ nihil spectatu dignum habebat, sub successore ejus reædificandam : re autem ipsa istam ecclesiam jussu ejus fuisse destructam; ipso vero mortuo, magnifice conditam sub dicto ejus successore, per S. Marcianum : in cujus Vita, quæ apud nos sub nomine Simeonis Metaphrastis edita est tomo 1 Januarii, die X, *hæc res pluribus narratur pag. 614. Suidas autem in suo lexico quod anno 1619 Coloniæ Allobrogum excusum notatur, ad nomen* Ἀκάκιος, Acacius *(fuit is* S. Gennadii *successor) pag. 118 scribit,* totum illud opus sub Gennadio fuisse perfectum. *Quidquid sit, nos huic rei gestæ majorem haberemus fidem, si antiquiorum scriptorum testimonio fulciretur.*

visiones.

33 *Illud vero majore attentione ac fide dignum est, quod de Sancto nostro sub finem vitæ contigisse perhibet Theodorus Lector pag. 555 :* Gennadius, *inquit,* cum noctu orandi gratia ad altare descendisset, dæmoniacum quoddam spectrum vidit. Quod cum objurgasset, audivit illud exclamans in hæc verba; se, ipso quidem B superstite, quiescere : postea vero ecclesiam penitus vastaturum. Quod metuens Gennadius, cum Deum ardentissime precatus esset, paullo post e vita discessit. *Hanc autem visionem fuisse veram, et non phantasticam, suadent tot et tanta mala, quæ sub Acacio, ipsius successore, ac perfido hæreticorum fautore, acciderunt, de quibus tractatur in Historia chronologica Patriarcharum CP. a pag. 44 *. Verum Sanctus Præsul noster alia egregia specimina edidit, antequam e vita excederet, studii, quo erga orthodoxam fidem flagrabat, plane singularis; ut patebit e proximo paragrapho.*

§ IV. Acta pro orthodoxa fide; tempus episcopatus; dies mortis; S. Macedonius dicitur fuisse nepos S. Gennadii; hujus scripta.

Varia dantur quæ præclare egit.

F*uit sine dubio* S. Gennadius, *qui una cum* C *S. Marcello Acœmetorum abbate ducem se ac primipilum exhibuit in tumultu illo populi Constantinopolitani, ea de causa exorto, ut Leonem imperatorem absterreret, ne cæsaris titulum daret Patricio, Asparis filio, Arianæ hæresis labe infecto, nisi orthodoxam fidem prius amplecteretur. Res hæc gesta scribitur accidisse anno Christi 468, de qua tractat Baronius ad annum 469. Nos interim audiamus pauca e laudati abbatis Vita apud Surium, ad diem* XXIX *Decembris, ubi cap. 34, pag. 354 sunt ista :* Ea res vero non parum conturbabat ecclesiam, si rursus sit imperium Arrianus invasurus. Aspar enim, et ejus filii, et tota domus, Arrii insaniam mirandum in modum amplectebatur. Cum itaque essent pleni tumultu, communiter convenerunt, et ducibus Geladio et Marcella venerunt ad Hippodromum, ut ab inhonesto et indigno hoc cœpto arcerent imperatorem . . . Cum ergo sic paratus esset Christi exercitus, eis quoque Deus ostendit ducem, *Marcellum videlicet, de quo ibi plura. Tillemontius per* Geladium *illum,* sine dubio *censet indicari* Gennadium.

35 *Quamvis vero in duabus diversis editionibus, quas consului, Surianis scribitur* Geladius; *in Vita tamen Græca Ms., quam habemus in codice* ✠ *Ms. 195, quæque, sicut eidem Vitæ adscripsit Papebrochius noster, desumpta est* ex Ms. Medicæo R. Fr., *habetur* Γεννάδιος, *adeo ut,* Gennadium *patriarcham strenue in re tanti momenti egisse partes suas pro bono ecclesiæ suæ et fidei Catholicæ conservatione non inviti admittamus, etiamsi hoc vellemus videre confirmatum ex antiquiore ac melioris notæ scriptore, quam sit Simeon Metaphrastes, sub cujus nomine Vita S. Marcelli, archimandritæ monasterii Acœmetorum, apud Surium excusa est. Hanc laudat quidem auctor Monumentorum ecclesiasticorum tomo 16 a pag. 51; indicat tamen, vadem se esse non posse, quod nihil sit in circumstantiis Metaphrasticæ inventionis. Porro historicum de isto abbate compendium concinnavit idem auctor Monumentorum tomo citato a pag. 52 : sed posteri nostri Acta ejusdem Sancti illustrabunt ad diem* XXIX *Decembris, quo inscribitur Martyrologio Romano.* D

sanctus hic Patriarcha

pro fidei Catholicæ

36 *Alia duo sunt facta notatu dignissima, in quibus* S. Gennadius *verum sese ac egregium fidei Catholicæ propugnatorem comprobavit. Primum accipe. Anno 470 vel 471 Petrus Fullo, Eutychianæ hæreseos peste corruptus, sed Zenonis, qui erat gener imperatoris Leonis, auctoritate fultus, invaserat cathedram Antiochenam, extruso ex ea Martyrio. Sed* Gennadius *auctoritate sua, qua valebat plurimum, apud imperatorem interposita effecit, ut ab eodem gratiose fuerit dimissus Martyrius. Ita vero impense causam ejus egit sanctus Patriarcha, ut sedi suæ restitutus sit. Sed verba Theodori Lectoris recitemus pagg. 554 et 555 :* Martyrius cum ad imperatorem venisset, honorifice dimissus est studio atque hortatu Gennadii. Reversus autem Antiochiam, cum Antiochenses turbis ac seditionibus delectari, et Zenonem iis favere animadverteret, episcopatui renuntiavit coram universa ecclesia, his verbis usus : Clero conumaci, et populo immorigero, et ecclesiæ contaminatæ renuntio, servata mihi sacerdotii dignitate. *Quamdiu vero sederit Martyrius, quando hæc renuntiatio facta sit, et quibus laudibus hic præsul condecoratus; inveniet lector in Historia chronologica patriarcharum Antiochenorum ante tomum* IV *mensis Julii pag. 79 et 80.* E F

incolumitate :

37 *Factum aliud priori subjungimus,* S. Gennadio *pariter gloriosum. Postquam laudatus Martyrius sponte sua, sicut vidimus, episcopatu se abdicasset, in eumque Petrus Fullo se rursus intrusisset;* S. Gennadius *certiorem de hac re fecit imperatorem : ejectus fuit Petrus, ac Julianus legitime electus præsul.* Post abscessum Martyrii, *prout testatur Theodorus Lector pag. 555,* Petrus in sedem episcopalem tyrannice invasit. Statimque Joannem quemdam, qui antea depositus fuerat, episcopum Apamiæ ordinavit. Quæ cum didicisset Gennadius, cuncta imperatori significavit. Imperator vero Petrum in exilium mitti jubet. Qui cum id præscisset, fuga elapsus exilium devitavit. Ejus autem loco Julianus communi omnium consensu ad episcopatum promotus est. *Si quis desiderat pleniorem harum rerum notitiam, adeat dictam Historiam chronologicam Patriarcharum Antiochenorum pag. 80 et 81, ubi de Petro Cnapheo seu Fullone, et Juliano agitur.*

38 *Habes, lector, satis pauca de tam illustri*

A *quibus addi alia, etiamsi scripta non sint* *stri Patriarcha, quæ ad posteros transmisit historia, quæque huic Commentario intexere visum est. Suspicamur, multo plura vel olim scripta, vel certe scribenda fuisse in laudem istius Viri, quæ obsoleta antiquitatis memoria nobis inviderit. Quidquid sit; rebus ab eo præclare gestis annumerari merito posse videntur leges omnes, quas Leo imperator pro Ecclesia Catholica condidit tempore episcopatus* Gennadii, *cum probabile videatur admodum, ab hoc Præsule easdem illi vel prius suggestas fuisse, vel hujus calculo approbatas antequam ederentur. Hanc rem Eminentissimus Baronius ad annum Christi 471 declarat et confirmat hisce verbis :* Reperiuntur Leonis imperatoris constitutiones diversis temporibus sub Gennadio datæ de rebus ad cultum religionis spectantibus, quarum auctor idem illi creditur fuisse Gennadius. Ad arbitrium enim episcoporum ejusmodi sanctiones edere consuevisse ipsum Leonem imperatorem, quæ post hæc, suggerente Acacio novo episcopo, promulgavit, facile demonstrabunt.

39 *De publico Sancti cultu apud Græcos, diximus supra num. 1. Quibus addi potest, quod a Facundo episcopo Hermianensi vocetur* bonæ memoriæ *et* Sanctus, *ut licet videre inter ea, quæ supra § 1, num. 5 et 7 ex isto scriptore recitavimus. Sedit Patriarcha noster ab anno Christi 458 ad 471 secundum Historiam chonologicam ibidem num. 2 assignatam : utra vero dies, nimirum an hodierna, an* XVII *Novembris concurrerit cum ejus obitu, vel an alterutra eidem conveniat, non satis nobis compertum esse indicavimus in eadem Historia pag. 44*. Pro die tamen* XVII *Novembris videtur aliquid lucis suggeri ex Menæis magnis, quia tunc memorant de Viro sancto :* Ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται, *id est,* in pace consummatur, *quo videtur indicari, eum tunc in Domino requievisse. Macedonius, qui postea ad sedem Constantinopolitanam evectus est, fuitque hujus nominis secundus, dicitur* S. Gennadii *nepos fuisse apud Theodorum Lectorem pag. 559, et ibidem laudatur his verbis :* Porro hic Macedonius erat summæ districtionis atque abstinentiæ et sanctitatis, utpote educatus sub Gennadio, cujus etiam nepos ex sorore fuisse dicitur. *De isto sancto Patriarcha*

Cultus, dies mortis, anni episcopatus, nepos sancti : B

Historiam chronologicam paullo ante citatam consule a pag. 54, et diem* XXV *Aprilis tomo* III *istius mensis, pag. 369 et sequentibus, ubi de illo jam pridem tractavimus.* AUCTORE J. P.

40 *Reliquum jam est, ut aliquam de* S. Gennadii *lucubrationibus notitiam lectori subministremus. Præter ea, quæ scripsit contra doctrinam S. Cyrilli, de qua re nobis fuit sermo superius § 1, a num. 5 : item præter Commentationes in Danielem, ac homilias multas, quas composuisse eum retulimus ibidem num. 3 ex Gennadio Massiliensi; Marcellinus Comes in Chronico, quod accurante Sirmondo editum est Lutetiæ Parisiorum anno 1619; dum pag. 36 ad annum 470, per Indictionem ac consules ibidem indicatum,* Pauli, *inquit,* epistolas omnes exposuit. *Ast alia quædam etiam ab ipso conscripta fuisse, colligitur e notis Sirmondi ad Facundum episcopum Hermianensem, de quo supra num. 5; nam ad paginam 76 Facundiani textus hæc observat :* Hujus locum alterum ex libro 2 ad Parthenium profert Leontius in locis communibus de origine animarum, Γενναδίου Κωνσταντινουπόλεως ἐκ τοῦ πρὸς παρθένιον δευτέρου λόγου. *Ita Sirmondus. Verum cum texus ille Græcus ita sonet,* Gennadii Constantinopolitani e SERMONE secundo ad Parthenium, *suspicari forte quis possit, an illud scriptum homiliis annumerari non debeat, quas composuit* S. Gennadius. *De epistola ejus adversus simoniacos locuti sumus § 3.* *Recensentur* E

41 *Usserius de Britannicarum ecclesiarum Antiquitatibus cap. 16, pag. 773 censet, hunc nostrum Patriarcham citari a Sedulio, qui collectanea scripsit in epistolas S. Pauli. Hæc opinio non apparet improbabilis, quia præter scriptoris* Gennadii *nomen, concurrit argumentum scriptionis, teste Marcellino Comite modo citato. Porro* Sedulius *ille notus est bibliographis. Fertur claruisse anno 818 apud Caveum heterodoxum :* id tamen, *inquit,* haud adeo certum. *Alibi vocatur* junior, *et scribitur floruisse circa annum 820. De Seduliis disserit Labbeus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis tomo 2, pag. 324 et seqq. Multus etiam est in hac materia Usserius, quem modo allegabamus. Hisce finem imponimus syllogæ nostræ historicæ.* *lucubrationes ipsius.*

C F

DE SANCTO SEVERO ABBATE

AGATHÆ IN OCCITANIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in Martyrologiis, solennis cultus apud Agathenses.

J. P.

ANNO CIRCITER D. *Notitia loci,*

Agatha, urbs Galliæ Narbonensis Straboni et Plinio, nunc AGDE, urbs Galliæ in Occitania, episcopalis sub Archiepiscopo Narbonensi, estque elegans et culta in ora maris Mediterranei seu sinus Lugdunensis, paullo supra ostia Arauris fluvii, vix una leuca distans a Blascone in septemtrionem, 7 a Narbone in ortum (*alibi lego 8* leucis Gallicis) uti 4 a Bliterris Montem Pessulanum versus 10 in Occitania inferiori, *teste Baudrando, cujus verba sunt, quæ recitavi, excepta parenthesi. Plura inveniet curiosus lector in nova editione Galliæ Christianæ tomo 6 in ecclesia Agathensi pag. 664. Urbs porro hæc* S. Severi *virtutum, ac miraculorum theatrum exstitit, e Syria post varios maris tractus, comite ac duce divina providentia, eo advecti, ut vitæ solitariæ suavissimum diffunderet odorem in ejusdem urbis territorio, ac deinde in ipsa urbe conderet monasterium, cui laudatissime præfuit. Illud vero ad clericos seculares transiisse, apud infra citandum Mabillonium dicitur in annotatione pag. 568.*

2 *Nullam de celeberrimo hoc Viro memoriam reperio*

AUCTORE J. P.

memoria in Fastis :

reperio in Martyrologiis Adonis et Usuardi. Inter Auctaria tamen Usuardina a nobis cum Martyrologio laudati Usuardi edita, annuntiatur die XXV *Augusti e Greveno :* Apud civitatem Agathensem, sancti Severi abbatis, qui regali Syrorum genere ortus, divitiis magnis contemptis, arctissimæ vitæ se dedit apud præfatam urbem. Factus deinde multorum monachorum pater, plenus sanctitatis, beato in Domino fine quievit. *Nihil opus est annuntiationes plures aliorum recentiorum Fastorum congerere, videlicet Canisii, Maurolyci, Ferrarii, Saussayi in Supplemento pag. 1161, Castellani; quibus adde novissimum Martyrologium Parisiense : in quibus annua* S. Severi *memoria notatur hac die. Et vero de immemorabili ipsius cultu tam certo aliunde nobis constat, ut ad hunc probandum suppetiæ peti neutiquam debeant e Martyrologiorum consensu, ut jam dicemus.*

publicus

3 Officia peculiaria ecclesiæ et diœcesis Agathensis... edita anno a partu Virginis MDCXVI, *sub illustrissimo D. Ludovico de Valois, Agathensi episcopo, apud nos sunt; in quibus ad* B *diem* XXIV *hujus mensis ponitur festum* S. Severi confessoris. Duplex 2 class. Agathæ eadem die celebratur. In tota vero diœcesi prima die minus occupata. *In primis Vesperis præscribuntur recitandæ antiphonæ propriæ e laudibus; psalmi vero, capitulum, hymnus, ac versiculus de communi.* AD MAGNIFICAT ANTIPHONA : Agathensis gaude diœcesis ob Severi patris solemnia, tranquilletur bellorum phrenesis, regnet fides, pax et concordia, conquiescat mater Ecclesia, relegetur dolus, fraus, hæresis, nostra Deum collaudet phronesis *, Confessoris narrans præconia. ORATIO. Deus, qui es mirabilis in sanctorum tuorum confessionibus : præsta, quæsumus, ut intercedente beato Severo confessore tuo, cujus annua solemnitate gaudemus, a malis omnibus eruamur, et æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum.

* i. e. intelligentia, sensus

ac solennis

4 AD MATUTINUM INVITATORIUM *de communi.* IN PRIMO NOCTURNO ANTIPH. Sancti Severi Syria, natalis fuit patria, cujus regali gloria fulserunt natalitia. Psalmus. Beatus vir. ANTIPH. In annis pueritiæ vitans cœnum lasciviæ, recta se dedit acie literali scientiæ. Psalm. Quare fre- C muerunt. ANTIPH. Sacris vacans apicibus, mores ornat virtutibus, pernox in Dei laudibus, genus transcendit moribus. Psal. Domine quid. ℣. et ℟. *de communi.* Tres primæ lectiones leguntur de libro Sapientiæ : Justus si morte, ut in communi conf. non pont. ℟. I. Dum teneret antistes Beticus Agathensis sedis regimina, animarum fidelis medicus pia suis præstans solamina : en ad patris ejusdem famina se direxit Hospes theoricus *. ℣. Redditur hic lætus senis almi famine fretus. En ad patris. ℟. II. Perorante pio pontifice, sacris paret Severus monitis, et sub tanto salutis judice pedem figit in Dei semitis : et per hujus verbum antistitis, charitatis firmatur apice. ℣. Hac virtute foris emittitur aura timoris. Et per hujus. ℟. III. Confirmatus Severus propere viro Dei censum exhibuit, quem susceptum in turba paupere dispergendo bene distribuit. Sic quod mente jam dudum tenuit, venerando complevit opere. ℣. Præmia debentur his, qui miseris miserentur. Sic quod mente. Gloria. Sic quod mente.

* i. e. contemplativus

Sancti cultus

5 IN II NOCTURNO ANTIPH. Multo fractam jejunio carnem subegit ratio, cujus datur officio spiritalis refectio. Psalm. Cum invocarem. ANTIPH. Cilicino velamine contentus * absque stra- D mine, crudo pastus legumine, puro potatur flumine. Psalm. Verba mea. ANTIPH. Paternis rebus venditis, suis prorsus postpositis, intrat cum paucis subditis salum Ægei gurgitis. Psalm. Domine Dominus noster. ℣. Os justi *etc.* ℟. Et lingua ejus *etc. Deinde sequuntur tres lectiones propriæ* ex Breviario Agathensi, Petro de Natalibus, et veteri codice manuscripto. *Has non transcribimus, cum Sancti Vitam habeamus; sed Responsoria ac versiculos tantum damus.* ℟. *sextum :* Jam impensis thesauris omnibus, semet volens superimpendere, domum brevem cannis et sudibus ad manendum sategit struere : ibi curans præsenter serere quod futuris prodesset messibus. ℣. Orationibus se totum dabat, cilicina veste atque jejuniis membra domabat. Ibi curans. ℟. *septimum :* Brevi diu clausus tugurio multum Deo quæsivit populum, nulla veste nisi cilicio despicatum velans corpusculum. Raro carnis assumens pabulum maceratur longo jejunio. ℣. Sumpta solet rare motus cutis esca domare. Rara carnis. ℟. *octavum :* Ne lateret in tenebris ultra vas plenum lumine, fit Sancto domus celebris, ut sub ejus regimine, plures in Dei E nomine starent pulsis illecebris. ℣. Gratia fraterna viget in bonitate paterna. Plures. Gloria. Plures.

* f. contectus

apud Agathenses

6 IN III NOCTURNO ANTIPH. Tyrrhena sulcans æquora, subit Arauri littora. Hic fixa stetit anchora, fessa respirant pectora. Psalm. Domine, quis habitavit. ANTIPH. Post navale periculum Christus dilectum Famulum misit salutis bajulum ad Agathensem populum. Psalm. Domine in virtute tua. ANTIPH. Hæc urbs in fauce Gothica, licet situ sit modica, fide tamen Catholica regna fatetur cælica. Psalm. Domini est terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. Tres ultimæ lectiones de Homilia super Euangelium : Sint lumbi vestri præcincti, ut in communi conf. non pont. ℟. VII. Cum senator urbis Salustius vivens sibi sepulchrum foderet, edocetur, quod ejus filius hic defunctus prior quiesceret : ut Severus per hoc claresceret futurorum fuisse præscius. ℣. Dona prophetiæ dedit illi Pneuma sophiæ * : ut Severus. ℟. VIII. Prædicatur in Dei Ecclesia, quod Severus claret ex actibus. Nam de trium panum F compendio sexaginta trecentis fratribus cibum dedit esurientibus, et divini doni refectio mancipatis Christi servitio per tres dies suffecit omnibus. ℣. Qui turbas pavit, sua munera multiplicavit. Gloria. Cibum dedit.

* i. e. Spiritus sapientiæ :

ostenditur

7 AD LAUDES ET PER HORAS ANTIPH. Prophetiæ doctus scientia, futurorum solvit mysteria, per susceptum Severus triticum ampliavit penu Dominicum. Psalm. Dominus regnavit. ANTIPH. Venerando confectum senio Confessorem purgat confessio, et futurum pavescens exitum, suum Deo commendat spiritum. Psalm. Jubilate Deo. ANTIPH. Cæli cives procedunt obviam deducentes Sanctum ad patriam, et ingressus regna clarissima, jam cum Christo regnat in anima. Psalm. Deus, Deus meus. ANTIPH. Benedictus rex summæ gloriæ, qui Severum cælestis curiæ gaudiorum fecit participem, contemplando supremum principem. Psalm. Benedicite. ANTIPH. Hymnus sanctus * debetur omnibus, qui Severum plenum virtutibus asciverunt ad cælos hodie decoratum corona gloriæ. CAP. Beatus vir. HYMNUS. Jesu corona celsior. ℣. Justum deduxit. AD BENEDICTUS ANTIPH.

* l. Sanctis

A TIPH. Ad sepulchrum Patroni nobilis larga Christi virtus exuberat. Ibi claudo pes datur agilis, lingua muti se sponte reserat. Hic colorem leprosus alterat, ad videndum fit cæcus habilis, in æternum Deus laudabilis benedictus, qui cuncta prosperat. Psalm. Benedictus. ORATIO ut supra. AD HORAS ANTIPHONÆ de laudibus : capit. et ℟ brev. de communi confess. non Pont.

ex Officio proprio.

8 IN SECUNDIS VESPERIS ANTIPHONÆ et psalmi, ut in primis. A capitulo fit de S. Bartholomæo cum comm. S. Severi. ANTIPH. O Severe, cælestis viola, paradisi conserte liliis, angelorum effecte accola, sempiternis indute gaudiis, tuis tuos fove consiliis, hanc ad urbem frequenter advola, et emundans a labe subdola permansuris muni præsidiis. ℣. Justum. ORATIO, ut supra. *Ex his probatur publicus ac solennis admodum cultus* S. Severi *in urbe ac diœcesi Agathensi. Dies vero ejusdem cultus verosimiliter anticipatur in dicta urbe propter festum S. Bartholomæi, quod ibidem celebratur die* XXV *Augusti, qui Sancto nostro emortualis fuisse fertur.*

B

§ II. Sancti discipulus, tempus mortis, Acta, et eorum scriptor; monasterii, cui S. Severus præfuit, ignotum institutum ; locus in Vita castigatus.

S. Maxentius seu Adjutor discipulus Sancti nostri :

P*ræter illa, quæ de Abbatis nostri sanctimonia memorantur in Vita ejus, considerari etiam merentur Acta S. Maxentii presbyteri, abbatis in agro Pictavensi, discipuli ejus, qui Adjutoris etiam nomen habuit. Sanctus porro ille ac sapiens discipulus gloria magistri fuit. Vita ejus apud nos exstat ad diem* XXVI *Junii, in qua Vita, quam præclare* S. Severus *de eo meritus fuerit, argumento sunt sequentia, quæ dicuntur pag. 170 :* Traditur imbuendus, ut in eo proficeret erud itio divina, et ipse utcumque ad legitime certantium pervenire mereretur coronam. Interea salubri ac sedulo a sancto Severo C commonetur alloquio; id est, ut fugiens vitansque secularia, clericalem sub regulari institutione, Christo donante, valeret assequi disciplinam.. Cumque ejus dictis aurem accommodaret, ejusque in eo prævaleret ubertim doctrina, ita se divino cœpit operi mancipare, ut cunctis se cernentibus, velut jam futurus in Ecclesia præsul, forma fieret et exemplum. *Deinde in laudata Vita, postquam actum esset de ipsius adventu in Pictavense monasterium, ac præfectura ibidem abbatiali; dotes, quibus ad eamdem sese dignum exhibuit, ad* S. Severum *tamquam ad fontem merito referuntur his verbis :* Nec mirum, si in monasterio magister et doctor eligitur, qui sanctissimi ac in omnibus prudentissimi Severi, omnium bonorum operum sectatoris, per annos aliquot fuisse discipulus comprobatur. *Hæc in Vita, ab* auctore *coævo conscripta, ut eidem apud nos præmissum est.*

S. Severus videtur vixisse usque ad an. circiter 500 :

10 Tempus obitus S. Severi, *inquit Mabillonius in notatione ad ejus Vitam, de qua statim plura dicemus,* quod ex Betici episcopi Agathensis ætate non satis nota colligi nequit, ex Vita S. Maxentii abbatis Pictavensis inferius referenda utcumque conjicitur . . . Anno Christi DVII a Chlodoveo post Vocladensem pugnam invisitur, tandemque aliquot post annis septuagenarius obiit. Hinc Severum ad seculi sexti initium pervenisse credimus. *Hactenus Mabillonius. At legi possunt, quæ habentur apud nos in Commentario ad ipsius Vitam supra allegatam, in quo indicatur pag. 169 tomi* V *mensis Junii, e vita migrasse* circa annum DXV, *in margine signatum. Ceterum de Betici tempore, quocum vixit Sanctus noster, sicut mox referetur in ejus Vita, hæc scribunt Sammarthani tomo 2 Galliæ Christianæ a pag. 57 prioris editionis :* Beticus floruit in Agathensi pontificatu an. CDLIII., uti affirmat vetus Legenda Vitæ S. Severi abbatis et confessoris, cujus fragmentum inseritur Breviario ecclesiæ Agathensis, et in Catalogo Sanctorum Petri Veneti episcopi Equilini. *Nec distinctiora hujus episcopi tempora proferunt auctores novæ editionis Galliæ Christianæ : nam ex iis, quæ habent tomo supra citato col. 666, colligunt eum floruisse circa annum 450, nihil addentes de ipsius morte. Nos interim Sancti nostri obitum, dum certiora de eo documenta non ha-* E *bemus, circa annum Christi quingentesimum supra fiximus, fere cum Mabillonio.*

AUCTORE J. P.

præter alias Vitas

11 *Vitæ compendium habet Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 7, cap. 113, quod Gononus Vitis Patrum Occidentis intexuit lib. 3, a pag. 151. Apud nos est etiam Vitæ apographum* ex Petri Calo, *ut eidem prænotatur,* p. 2, f. 138. *De Petro Calo seu Calotio Ordinis FF. Prædicatorum alumno consule nostrum tomum* III *hujus mensis pag. 14. Hic scriptor cum floruerit sub seculi tertii decimi finem, ac similia referat in substantia, quæ anonymus narrat apud Mabillonium longe illo antiquior, non dabimus ejus Vitam, quæ incipit :* Severus ex regali Syrorum progenie ortus *etc. In eadem Sanctus dicitur* in S. Marci basilica debito cum honore quinto Kal. Septembris sepultus. *Sed de loco sepulturæ adisis Annotata ad Vitam anonymi. Deinde sequitur hoc miraculum :* Millesimo ducentesimo nonagesimo primo Arnaldus Pepary de Blauin, Burdegalensis diœcesis, cum longo jam tempore oculorum lumine fuisset privatus, ad ejus sepulchrum deductus est. Qui cum ibi devote orasset, et fideliter Sancti auxilium postu- F lasset, videntibus cunctis, qui aderant, visum statim recepit, et gratias Deo et S. Severo agens, lætus inde recessit.

exstat una apud Mabillonium : de cujus auctore.

12 *Apud Mabillonium in Appendice ad seculum primum de Actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti, pag. 563 producitur* Vita S. Severi abbatis Agathensis ex Mss. adversariis D. Perez. *Ejusdem Vitæ auctor videtur fuisse monachus : nam sic incipit suum Prologum :* Religiosam sancti ac beatissimi Severi Vitam . . . Fratribus fideli narratione dignum duximus indagare. *Nomen vero ejus ignotum nobis est. Locus ille in Vita apud nos cap. 1, num. 6 ab eodem scriptus,* sicut continetur in Regnorum libris diversarum gentium, quos pretiosissimo dictamine, et in luculento sermone insignis historiographus edidit nomine Roterius, *meretur parvam etiam observationem. Guilielmus enim Catellus in Historia Occitaniæ lib. 2, cap. 4, pag. 280 perperam affirmat, Vitam* S. Severi *ab isto auctore, quem vocat* Proterium, *scriptam fuisse, qui error refellitur e mox citato loco.* Roterium *porro istum, qui supra a biographo tam impense laudabatur ; hactenus non inveni apud bibliographos*

AUCTORE J. P.

graphos alios, quam in Historia litteraria Franciæ per Benedictinos vulgata Parisiis anno 1735; sed quæ ibidem de illo memorantur tomo 3 ejusdem Operis, a pag. 403, fundamentum habent ex elogio ejusdem biographi, quod indicat illum floruisse circa finem seculi sexti, temporibus *videlicet* Reccaredi, hujus *(de Agatensi urbe est sermo)* et Gothorum regis *in Hispania : cui, uti observatur in dicta Historia litteraria,* Agatha, et nonnullæ aliæ urbes littoris provinciæ ejusdem, etiamnum tunc parebant. *(Consule Vitam* S. Severi *apud nos infra cap. 1, num. 6.)*

ac de tempore, quo vixit

13 *Non videtur autem biographus admovisse manum scribendæ Vitæ* S. Severi, *nisi post duo et amplius secula ab ejus morte, quia, dum meminit Roterii historici, loquitur de illo tamquam de auctore, qui tunc a se remotus admodum fuerit, uti vult eadem Historia litteraria tomo 4, pag. 50, quæ addit, sicut nihil dicit de Saracenis, serius illum collocari non posse, quam versus annum 720. Sed ego tantam temporis distantiam scriptoris Vitæ a Roterio, e terminis quibus de hoc ille meminit, extundere* B *non possum, qui, sicut mihi quidem videtur, ita scribere de eodem Roterio poterat annis quinquaginta post mortem ejus. Nec placet Jacobus Longueval in Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo 2, qui, postquam compendium exhibuisset Vitæ* S. Severi, *pag. 108 affirmat, eamdem pauco post ipsius mortem tempore conscriptam fuisse; saltem asserere biographum, quod suo etiamnum tempore videretur navis, qua sanctus hic abbas in Gallias vectus fuerat. (Vide Vitam apud nos num. 8.)*

inquirimus.

14 *Nam non satis intelligo, inde elici recte posse, quo tempore vixerit biographus ille, multo minus, quod adeo vicinus vixerit morti abbatis* Severi, *cujus Vitam scripsit. Navis quippe illa quamdiu post Sancti obitum spectabilis permanserit, nescimus. Et quippe ni potuerit longo etiam tempore conservari, tamquam pretiosum monumentum antiquitatis, si aliquo modo suspecta non sint, quæ de* navicula *illa narrat Vita, ut mox dicetur? Enimvero si Sancto adeo propinquus fuisset tempore; dubito an ita scripturus fuisset in suo Prologo :* Vitam . . . Fratribus fideli narratione dignum duximus INDAGARE. C *Nam quid opus erat indagatione, quando ipsemet, si tunc vixisset, plurima videre et audire potuerat, et quæ non viderat vel audierat, e Fratribus senioribus et Sancti synchronis intelligere? Sed Longuevallius maxime refellitur infra ex notatione ad cap. 1 Vitæ lit.* i. *Liceat interim nobis conjicere, quod biographus potuerit scripsisse post medium seculi septimi.*

Regula monasterii Agathensis incerta.

15 *Cujusmodi vero regula seu vivendi ratio in Agathensi Abbatis nostri monasterio observata fuerit, sicut non prodit biographus, sic nobis aliunde affirmare in promptu non est : nec porro fuit Mabillonio : nam in sua præfatione, quæ seculo primo Actorum Ordinis S. Benedicti præmittitur, § 1 postquam investigasset monachorum originem et progressum in partibus occidentis ; de primariis eorum regulis subdit paucula et incerta.* Aliis, *inquit,* pro regula erat abbatis voluntas; aliis modus vivendi Majorum usu et traditione confirmatus ; aliis leges scriptæ imponebantur. In uno eodemque cœnobio plures insimul regulæ scriptæ non raro observatæ, detractis vel assumptis, quæ pro locorum ac temporum conditione opportuna videbantur. *Hinc fit, ut incompertum maneat, an et quænam ex jam dictis regulis apud monachos Agathenses sub præfectura* S. Severi *usitata fuerit.* D

Locus quidam biographi expenditur

16 *Apud Biographum nostrum num. 9 nostræ divisionis narrantur ista :* Statimque naviculam, cum qua longius a patria exsul exteras nationes contigerat, sicut hodie conspicitur ab intuentibus, in ipsius fluminis alveo in profundum submersit, ut per cuncta coæquaretur Hermogeni, qui cum Jacobo . . . apostolo in Dominum credendo tabernas * codicibus maleficiorum plenas, cum ingenti pondere plumbi in altitudine maris demersit. *Hermogenem hunc esse, qui est apud S. Paulum apostolum, indicat Calmetus in ejus epistolam scribens, de qua mox : sed hoc nobis non constat : ea vero quæ scribit, nos pluribus post ipsum hic deducimus. Apostolus gentium 2 Timoth. cap. 1, ℣. 15* Scis hoc, *inquit,* quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, et Hermogenes. *Tertullianus, a nostro Joanne Ludovico de la Cerda illustratus, tomo 2, libro 1, qui est De præscriptionibus adversus hæreticos, cap. 3, pag. 9 sic memorat :* Minus est, si et Apostolum ejus aliqui Phigellus et Hermogenes . . . reliquerunt : E ipse traditor Christi de Apostolis fuit. *Ibidem libro 5, qui est De resurrectione carnis, cap. 24, pag. 608 indicat Phigellum et Hermogenem non credidisse eamdem resurrectionem. Auctor Commentariorum in epistolas tredecim S. Pauli, quod Opus olim adscriptum S. Ambrosio fuit, nunc autem in editione Operum ejusdem sancti Patris Parisina anni 1690 rejectum est in Appendicem, tomo 2, columna 306 in locum epistolæ superius indicatæ observat ista :* Hi, *(Phigellus videlicet et Hermogenes)* quos memorat *Apostolus,* fallacia pleni erant : simulabant enim amicitias Apostoli, ut adhærentes ei addiscerent, unde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Qui posteaquam viderunt manifestatos se, recesserunt ab eo. *Sed ad biographum redeo.*

* zabernas, *i. e. cistas vel capsas*

et castigatur

17 *Pseudo-Abdias episcopus Babyloniæ, infamis impostor, ac notissimus nugarum ac fabularum collector, inter alia plura, quæ de Hermogene obtrudit apocrypha, Historiæ apostolicæ lib. 4, qui est historia S. Jacobi Majoris, fol. 46 verso editionis Parisiensis anni 1571 hæc scribit :* Dicit ei Hermogenes : Ecce novi iras dæmonum : nisi mihi dederis aliquid, quod mecum geram, tenebunt me, et diversis cruciatibus interficient me. Cui beatus Jacobus : Accipe (inquit) baculum itineris mei, et cum eo perge securus quocumque volueris. Qui accipiens baculum Apostoli, abiit ad domum suam. Et haud mora, collectis libris magicis, zabyras * plenas ad Apostolum attulit, cervicibus et suis et discipulorum impositas : et cœpit eos ignibus coram eo comburere. Sed Jacobus prohibuit : Ne forte odor incendii (inquit) vexet incautos, appende zabyris lapides et plumbum, et mitte in mare. Quod cum fecisset Hermogenes, reversus cœpit tenere plantas Apostoli *etc. Sed affatim nugarum est. Porro personatus iste Abdias pluribus a nobis convenitur hac die* XXV *Augusti in S. Bartholomæo. Hinc digressio præsens nostri biographi purum putum nobis commentum est, quod vel ipsemet accepit et fætentibus fabulosæ antiquitatis lacunis ; vel alius deinde hoc ipsius narrationi assuit. Enimvero comparatio illa* S. Severi *cum Hermogene, de qua nuperrime dixi, tam ipsi Sancto honorifica non est, quam biographo nostro, siquidem scripta sit ab illo, valde digna. Nihil in hac invenisse piaculi Mabillonium,* F

* *al.* Zabernas

A *nium, ex eo videtur colligi, quod in notationibus ad Vitam* S. Severi *intactum relinquat locum hunc, quem castigavimus. Quid, quod* navicula *illa, de qua ex Vita superius loquebamur, videatur aliquid habere suspecti; cum hujusmodi itinera marina non conficiantur naviculis. Reliquum est, ut exhibeamus Vitam, quam more nobis usitato divisimus, et notationibus illustrare conati sumus.*

VITA

Auctore anonymo,

Ex Mss. adversariis D. Perez a Mabillonio edita in Appendice ad seculi primi Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag. 563 *et sequentibus.*

B

PROLOGUS.

Auctor Sanctum laudat. Religiosam sancti ac beatissimi Severi vitam, quam in Christo duxit plenam virtutibus, Fratribus fideli narratione dignum duximus indagare. Hic etenim confitendo Christum Jesum germinavit ut lilium, atque ardore fidei flagrando, non ut sub modio lucerna, sed super candelabrum posita universis Christicolis clarissimum sui boni operis præbuit lumen. Hic velut oliva speciosa virore pudicitiæ circumseptus, carnis vitia, pugione arrepto fidei, multifaria litteratione transfodere nullatenus titubabat. Hic, ut palma florida in domo Dei permanens fructifera, cunctis recte viventibus singulis temporibus plenitudinem detulit spiritualium charismatum. Hic sicut cedrus in Libano exaltata, odoriferam famam; suavem virtutum ubique spargens, putredinem et fœtorem peccandi cœnulentis et spurcissimis abstulit hominibus.

2 Hic tamquam bonus palmes vineæ veræ, *ac suam tenuitatem fatetur.* id est Christo adhærens, fructum attulit in perpetuum non marcescentem, cujus liquor avidissime exhaustus, applicatus Deo mentes sobrias et C purissimas offert animas delinquentium. Hic ceu cypressus, provectionem ob multorum, in speculationem Dei positus, et in sublime erectus, pompam sæcularem et vanam hujus mundi extemplo postposuit gloriam; ceteris insinuans, qualiter de immanissimo præcipitio se exuere possent. Hic non solum sibi et illis valuit, quos de cavea ereptos perditionis ad gaudia secum æternæ felicitatis, clementia Dei operante, pertraxit; verumetiam et cunctis, qui ejus suffragium expetierunt: necnon et illis prodesse poterit, qui ejus vestigiis inhærendo in quotidiana conversatione imitari eum tota mentis intentione concupierint. Veniam interim deposco ab omnibus lectoribus, ne me velut temerarium in hoc labore judicent, quoniam erga hunc Virum beatissimum devictus nimio amore, ac caritatis inflammatus ardore, aggressus sum istud parvissimum cudere Opusculum.

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, peregrinatio in Galliam, vita solitaria.

Cap. I. S. Severi patria, genus, ac parentes: a Salvatore itaque nostro apparente in mundo, ut filii Chore *a* vaticinarunt, de terra orta est veritas, et justitia de cælo prospexit supra terrigenas. Multi etiam ex tunc longe lateque lucis filii effulsere, qui suis doctrinis et exemplis universum mundum splendidissimum reddiderunt: ex quibus oriens sol justitiæ Christus singulos, aut certe binos, vel ternos, seu et quamplurimos per quadra dignatus est mittere orbis climata, sua videlicet pro capitali clementia, cunctarum provinciarum illis distribuendo principatum, seu hereditatum privilegium, ut sibi plebes hereditatis conservarent, perpetualiterque munirent. De quorum venerabili collegio, velut sidus novum mirabiliter prodiens, magni meriti confessor cum gratiarum actione nominandus E a nobis Severus effulsit. Hunc regalis Syrorum provincia ex prosapia nobili gignere meruit; sed urbs felix Agathensis, tamquam a Deo sibi præstitum singulare beneficium, congaudet, se eum peculiarem acquisivisse Patronum; cujus, ut superius est patefactum, non infimi parentes variis divitiis affluentes, divinæ legis erant fautores, dignitatisque locum inter turbas populares continebant non exiguum. Sed quod Propheta canente novimus, quod in generatione justa est Dominus, semper in laude proficiat Severi, quod genus suum quot modis valuit ad sublimia erigendo potentissime decorare studuit. Terrigenarum quippe dignissimo germine dignissima proles in hujus mundi procedens lucem, nobilitatem sui generis spiritalis vitæ meritis ornavit, dum in annis constitutus modernioribus, exemplum factus est senioribus.

4 Parentes quoque ab hujus cosmi * lumine *sæculum spernit:* recedentes, terrenis rebus nimium locupletatum, ** i. e. mundi* eumdem suum carissimum pignus superstitem reliquerunt: qui cum se in libero positum arbitrio F conspiceret, pia intentione animi cœpit scrutari in tenera ætate, qualiter soli Deo posset militare, et obsequium piæ devotionis exhibere. Considerabat enim Pauli Apostoli vocem dicentis: Præterit figura mundi hujus, quoniam in maligno est positus. Idcirco et ipse transibit, et concupiscentia ejus. Enimvero Dominum audierat in Euangelio credentes in se præmonuisse: Qui non bajulat crucem suam et sequitur me, non potest meus esse discipulus. Ideoque sæcularem Severus beatissimus deserendo solicitudinem, ut excessit infantiam, adeptus pueritiam, Deum cœpit magnanimus totis amare viribus. Animadvertebat, quoniam ipsorum tantummodo vocabula in libro vitæ tenentur adnotata, qui in terris positi, nil præponendo amori Christi spiritualibus inhærent studiis, civibus se coæquando angelicis, secundum quod Jacobus Apostolus astruit: Qui, inquit, in lege perfecta libertatis prospexerit, et permanserit, non obliviosus factus auditor, sed operis factor, hic erit beatus in suo facto. Timens namque, ne præ terreno patrimonio in antiquo hostis decideret laqueo, mundialis vitæ maluit esse contemptor: sicque

A. ANONYMO. sicque carnales affectus procul a se pellendo, philosophiæ operam dedit. Inter hæc illi ad memoriam redit, quid ad egregium cunctorum patriarcharum Abraham Dominus fuerit locutus: Egredere tu, ait, de terra tua et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi: faciamque te crescere in gentem magnam. Fidelem vero cernens Dominum in verbis sanctis permanere, et sanctum in suis operibus consistere: sciebat eum proculdubio non solum quod olim Abrahæ promiserat complevisse, verum etiam universis illius sequacibus usque ad consummationem sæculi similia contulisse.

II. *patriam deserit.*

5 Quadrifaria igitur meditatione vexatus est genitale relinquere solum, statimque repentino succensus ardore fidei, ut verus comprobaretur esse cultor evangelici præcepti dicentis: Qui reliquerit domum, aut agros, vel possessiones, necnon et omnia, quæ sua sunt propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit: tamquam divini muneris trapezita effectus magno assumpto pretio patriam postponit, et cum nonnullis ex familia sua vernaculis navali evectione mare Ægæum *b* conscendit. Denique ex tota mente voluntati se et arbitrio Domini committens exorabat, ut eum summus gubernator ad locum opportunum deduceret, ut cum voce Psalmistæ canere posset: Deduc me Domine in via tua, et in veritate lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Exhinc immensam vastitatem illius sulcando pelagi per fretum Siculum *c* Tyrrhena *d* transcendit æquora; sicque pontum supergrediendo, horrendas nimium atque expavescendas (in quibus multorum involvi plerumque solet genus mortalium) diversas marinorum fluctuum expertus est naufragationes, ut sonora voce clamando ad Cunctipotentem diceret: Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis; ipsi viderunt opera tua, Domine, et mirabilia ejus in profundo.

In Galliam appulsus subsistit * Arauris, *l'Eraut, fluv.*

6 Famulante exhinc prospera navigatione, in Gothorum delatus est terram, in fauce quadam Araurica *, quæ ab Agathensi urbe duobus ferme millibus distat. Quæ urbs in Septimania *e* posita quondam exstitit opulentissima et nimium populosa: sed exigentibus piaculis incolarum, a rege Wandalico Geiserico, qui universam pæne Africam invasit, incendio conflagrata est miserali. Deinde ab Hunnerico principe Alanico crudelissimum pertulit excidium. Postmodum vero subsequenti tempore Attila *f* Avarorum *g* rex profanus, et nimium truculentus, qui quasi omnes Gallias debellavit, sicut et innumerabiles urbes reliquas, et hanc a fundamentis evertit, sicut continetur in regnorum libris diversarum gentium, quos pretiosissimo dictamine et in luculento sermone, insignis historiographus edidit nomine Roterius *h*. Hic etenim temporibus Reccaredi *i* hujus et Gothorum regis honestissime floruit tam in divinis, quam in mundialibus disciplinis. Memorata vero urbs, quamvis his et aliis inæstimabilibus semper malis succubuerit, tamen ad instar parvissimi oppidi redacta, nunc etsi prisca ingenuitate perdita raris incolitur habitatoribus, gloria tamen ex hoc referatur Altissimo et propitiatori Deo consolatori Fidelium suorum, nunc et semper et per indeficientia æterna sæculorum. Amen.

III. *in Agathensi territorio: cujus episcopus*

7 Virtutis igitur lampade non obscurus, quid post hæc noster Sanctus, de quo agitur, fecerit, ad medium deducamus. Dum itaque veloci impetu in alveo Arauri fluminis qui quasi juxta prædicti oppidi murum defluit, impegisset, felici remigratione usus, haud procul a mœnibus cum suo navigio perveniens, optabilem et sempiternum consecutus est portum. Regebat per idem tempus strenuissime sanctæ Agathensis matris ecclesiæ sedem vir per cuncta laudabilis, claro stemmate ortus, antistes eximius, in cujus providentia omnis ipsius providentiæ cura persistebat. Hic spe et dilectione Christi roboratus, plurimorum mentes hominum suæ virtutis instinctu ad cælestia desideria erigens, theoriticis studiis mancipavit, et honestis moribus decoravit. Qui etiam pro suorum meritorum magnitudine ab universis civibus, ut pater patriæ dignus est electus Dominici gregis pastor, et præsul gloriosus. Noverant enim non sua propria eum quærere, sed quæ Jesu Christi sunt fideliter velle, investigare, et ex adverso iniquissimis hostibus occurrere, et aeriarum potestatum catervas acriter debellare, atque inexpugnabilem murum pro veritatis defensione sagaciter opponere.

insigni elogio hic laudatur.

8 Hoc quoniam plurimum non solum fieri ejus declamabat sanctitas, verum et matura ipsius morum profitebatur probitas, quoniam quidem exsecrando carnis voluptatem fugiebat, ludibria ac mentis levitatem sapienter declinabat; talium virtutum gemmis clarus, pontificali apice sublimatus, in suo grege munere divino resplendebat ut sol, atque cunctis Dei voluntati parere volentibus, ipsis semper serviendo sanctis operibus se præbebat in exemplum. Jejunio vero præcipuis vigiliis propensus, oratione laudabilis, misericordia singularis, instabat tamquam bonus pastor cura pervigil, sollicitus ne de ovibus sibi creditis quolibet modo inferre posset damnum hostis veternus. Demulcebat pios, ut magis ac magis dietim in Deum proficerent: terrebat improbos, ut resipiscerent a suis iniquis moribus, et secundum Apostolum, duros, superbos, contumaces, et invidos arguebat, obsecrabat, increpabat, permiscens temporibus tempora, terroribus blandimenta. Eratque valde pius, et caritate fervidus, ita ut compatiendo diversis calamitatibus afflictorum, oculus esset cæcorum, auris surdorum, lingua mutorum, manus aridorum, et spes claudorum. Quantum vero qualemque se præbuerit in visitatione languentium, in susceptione peregrinorum, in consolatione mæstorum, in consolatione miserorum, in defensione suorum civium, et in redemptione captivorum, nullius explicare valebit lingua mortalium. Omnia sane omnibus factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. Talis namque ecclesiæ Catholicæ merebatur esse rector, qui caste sobrieque vivendo patientiam et misericordiam, mansuetudinem ac justitiam seu benignitatem suis subjectis præmonstrans gereret de omnibus curam.

IV. *Illi se, ac sua omnia resignans Severus, tugurium construit,*

9 Severus ergo sanctissimus memorati præsulis nectariam comperiens famam, cum fide ac devotione accessit ad eum, et cuncta quæ erga se habebat, causamque tanti itineris in propatulo ei retulit. A quo de contemptu mundi sermonem audiens, Dei timore compunctus, metalli fulvi, quod apud se maximum habebat pondus, ad ejus sancta detulit vestigia; magnis eum precibus obsecrans, ut egenorum necessitati ipsum partim erogaret, partim in captivorum redemptione distribueret pretium; reliqua rursum quæ habere potuit, ejusdem beati antistitis Betici curæ commisit, et ut pro suo remedio animæ in eleemosynis pauperum expenderet, cum lacrymis

A lacrymis flagitavit. Dehinc pro Dei honore mancipia libertati restituit, ut proinde mercedis copiosæ fructum posset percipere in futura gaudia æternæ vitæ. Sed cum nec talia sufficerent eidem, versabat illud euangelicum in pectore, quod mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, non aptus est regno Dei; statimque naviculam, cum qua longius a patria exsul exteras regiones contigerat, sicut hodie conspicitur ab intuentibus, in ipsius fluminis alveo in profondum submersit, ut per omnia coæquaretur Hermogeni, qui cum Jacobo Apostolo... in Dominum credendo tabernas codicibus maleficiorum plenas, cum ingenti pondere plumbi in
k altitudine maris demersit *k*. Capitis siquidem ablata cæsarie, leni jugo Christi colla submittens, cælestis militiæ meruit tyrocinium adipisci. Posthæc artiorem, quam inter monachos duceret, deligens vitam, Vir Dei litus naufragum petens fragilem arundinem legit, ex qua in artissimo loco latenter parvissimum tugurium erexit.

ac solitariam vitam incipit.

10 Assumpto sancto schemate * in angustissimam ingreditur domunculam, aditum obstruens, ac demum ardore fidei concalescens, solo prosternitur, polum devotis pulsando precibus. Interim fidelis Servus intrinsecus viginti dierum

* *i. e.* habitu

B confecto spatio non absque nimia amaritudine animi a suis requiritur : et requisitus vix tandem in eodem, quo latebat tugurio, pavimento inhærens reperitur : cujus provoluti genibus explorabant cum lacrymis, quæ esset tam repentina apud eum exorta immutatio dexteræ Excelsi. Quibus arcanum suæ devotionis, et integritatem mentis aperiens, declaravit quomodo propter desiderium supernæ hereditatis, et præmia justorum, iter assumpsisset tam arduum. Valefaciens ergo illis, precabatur, ne ultra solitariam, quam arripuerat, vitam inquietare præsumerent. Considerate, quæso, hunc perbeatum Virum, qualiter vestigia prosequutus est Apostolorum, de quibus sermo refert euangelicus, quod mox ut vocem Domini jubentis audierunt, relictis retibus et navi secuti sunt Dominum pariter Salvatorem. Ita namque perfectissimus in Dei opere illico apparuit Severus, ut nec unius quidem diei reservaret victum. Gaudebat namque et exsultabat in Domino, quia per ejus gratiam in eorum se esse adscribendum noverat numero, de
C quibus ait humani generis Redemptor : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

ANNOTATA.

a *Psalmus 84 hoc titulo prænotatur :* In finem, filiis Core, Psalmus. *Versu autem 12 hæc sunt :* Veritas de terra orta est : et justitia de cælo prospexit.

b Mare Ægæum, *immo Syriacum, vel Mediterraneum, cujus illud est pars.*

c *Jacet inter Siciliam et Calabriam, hanc ab illa dirimens.*

d Tyrrhena æquora *sive Tusca abunde nota.*

e Septimania, *quæ et Gothia, Occitania, et Languedocia vocatur, quomodo a Visigothis occupata, breviter indicat Jacobus Longueval tomo 2 Historiæ ecclesiæ Gallicanæ, ante librum 4 ejusdem Historiæ pag. 6, ubi agit de mutationibus, quæ evenerunt in provinciis Galliæ sub dominatu nationum barbararum, quæ sedem ibi fixerunt. Consuli etiam potest Hadriani Valesii* Notitia Galliarum in voce Septimania.

A. Anonymo.

f *Eorum tragœdiæ seculo Christi quinto exhibitæ narrantur ab historicis.*

g *Id est,* Hunnorum, *quos postea* Abares vocatos fuisse, *scribit Ortelius in suo Thesauro geographico ad voces* Huni, sive Hunni : *qui etiam inspici potest in voce* Abares.

h *Auctor hic non scripsit Vitam* S. Severi, *ut quidam affirmavit. Adisis Commentarium prævium num. 12.*

i Recarredus, *Leovigildi filius, ac S. Hermenegildi martyris frater, floruit seculo 6 : qui ab Ariana hæresi ad orthodoxam fidem conversus, Visigothorum gentem perduxit ad eamdem fidem. Præclara ejusdem pii regis gesta refert Joannes Mariana lib. 5 Rerum Hispanicarum cap. 14 et 15 : de obitu autem ipsius, quem affigit anno 601, scribit lib. 6, cap. 1.*

k *Historiam hanc tamquam apocrypham castigavimus supra in Commentario prævio* § 2.

CAPUT II.

E

Virtutes, monasterium, ascetarum in eo numerus, miracula, vaticinia, obitus.

Superna denique clementia eum præveniente ac subsequente, die noctuque melius atque plenius conversationi suæ saluberrimum satagebat implere famulatum, et Deo semper jejunando, et adorando semper adsistens. Ita namque aggrediebatur impugnantem inimicum propugnare, ut hostem, qui sibi repugnabat, exstingueret, et unde se solus tunc affligebat, inde cunctis spes maxime subveniret. Sed quia, testante sacro eloquio, civitas supra montem posita abscondi non potest, et lux in tenebris latere minime valet, immensa illius sanctitas paulatim se diffundens, felicibus pennis cuncta pervolans occupavit. Extunc de vicinis partibus non parvus concursus virorum fidelium ad eumdem Dei Servum erat, et ex illo tempore a multis frequentabatur. Ipsius enim abstinentiæ rigor inauditus ubique diffamabatur : quoniam tantum diebus
F Dominicis post perceptam Eucharistiam sumebat escam. Beatæ vero recordationis antistes pretiosissimus Beticus, cujus superius mentionem fecimus, agnoscens ejus frugalitatem, celebratis rite Missarum solemniis unum paximatium panem *a* famulo Christi dirigere consueverat, in quo crux Dominica videbatur impressa *b* : quam cum sua crustula integra auferens, duobus cum digitis in eos velut eulogiam *c* cum summa reverentia intermittens sumebat, ex illo pane sibi ab episcopo directo cibum capiens, usque ad alterius diei Dominicæ productionem jejunium extendebat. Illius sane gratia sustentabatur, qui manna cælesti quadragenis annis in solitudine constitutum Israeliticum suum pavit populum. Hujus plane crucis artonæ *d* comestio * non puto vacare mysterio. Qui enim, ait Paulus, Christi Jesu sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis : et ideo crucem panis primitus antecedendo corruptibilem cibum sumebat Severus, quia corpus cruce perpetim edomabat : et ut cuncta mystica brevi sermone perstringam, crux esca erat edentis, et ipsa abstinentia jejunantis; crux contritio corporis, et ipsa solamen laboris.

V. *Propter austeritatem et jejunia,*

a b c

* *l.* comestionem

d

A. ANONYMO. laboris. Talis quippe usque ad consummationem vitæ beati Viri rara et insatiabilis refectio, omnem, ut profiteor, videtur excessisse equuleum et crucis supplicium : quia tunc visa magis est famem inflammare, quando debuit sedare.

12 Severus vero nominis sui servans auctoritatem, districtione austera carnis resecando illecebras, erexit se contra se : et quamvis persecutoris non senserit gladium, ipse tamen in se truculentus tortor et crudelis carnifex exstans, propter angelicæ vitæ munditiam Deo dignissimus inventus est, gloria martyrii non privatus. Duo autem martyrii genera esse demonstrantur, quorum unum in palam, alterum vero in occulto esse perhibetur : sed quod exterius agitur, veloci cursu finitur; quod interius, diu protrahitur, et prolongatur, et usque in ipso mortis confinio terminatur. Non ergo sanguinis tantum effusione martyrium, sed declinando a malis et adhærendo præceptis Dei expletur. Quid vero ad hæc de Severo confessore piissimo dicendum erit? Martyrem illum dicemus an non? certe utrumque dici potest, et martyr et confessor. Martyr vero tunc exstitit, quando in terris positus ab admissione iniqui operis se sequestrando, tamquam hostia viva cor contritum Deo quotidie offerebat : nunc autem idcirco confessor colitur et veneratur, quia in pace Ecclesiæ laudabili senio confectus, feliciter migravit ad Dominum.

martyris et confessoris nomen meretur.

B

13 Opinatissimus dum virtutum floreret meritis, apud memoratum Agathense oppidum, Domini præcipuum membrum Severus a multitudine populorum visitabatur. Sed quia undique angustissimum esse considerabant illud, in quo degebat, tugurium, conspirati divina gratia, necnon et zelo armati fidei, cum communi consensu et devotione cella congrua benigniter ab omnibus construitur juxta basilicam, quæ usque in præsens beatissimi Andreæ Apostoli reliquiis decoratur *e* in qua non exiguo vitæ suæ commoratus tempore, non tam pro se quam etiam pro stabilitate universalis Ecclesiæ Catholicæ, quæ sub axe cæli consistit, die noctuque orationis munus devotissimo Domino obtulit cum gemitibus et suspiriis. Vestem nullam omnino præter cilicinam habuit : stramentum lectuli marmor frigore constrictum glaciali præbuit. Cœperunt namque de circuitu quoque ad eum nobiles confluere cupientes conversationis ejus in primis æmulatores fieri, et velut apes prudentissimæ volitando ad alvearium spiritale poscentes Viri Dei magisterio et eruditione informari et Jesu Christi legibus obtemperare. Quid plura? trecentorum ferme vel eo amplius in commune viventium fratrum auctoritate Severus pastor * expeditus rector, et pius pastor invitus præficitur. Artiorem denique normam recte vivendi in cœnobio cum cæteris adinveniens afficiebat carnei suam crudeli inedia, calescebatque simul universorum membrorum compages afflictione continuo : in oratorio vero sive lectioni vacans aut psalmodiæ insistens, pedibus nudis tabulatu marmorei generis gelido substrato, stare consueverat.

VI. *Monasterium ejus in urbe Agathensi, vitæ asperitas, monachorum numerus.*

c

C

* *f.* pater.

14 Et, ecce, Servi sui sanctitatem volens Deus non latere mortalibus, spectabili miraculo hanc voluit clarescere. Nam ut comprobaretur quoniam mansuetus mitisque et humilis corde erat, passer quidam ex improviso advolans in ejus illico sedit dextera, cui dulcissimam humanitatem exhibens, milium seu triticum porrigens manu, escam illi præbere satagebat, quam noverat divini muneris largitate in mansuetudinem conversam ob solamen auspicii sibi a Domino fuisse transmissam. Sed cum per aliquantos dies de ejus novitate miraculi non mediocriter Vir Dei gratularetur, antiquus hostis ex hoc invidiam extulit non minimam. Nam quidam vicinorum militum haud procul a cœnobio agrum seruerat milii, quod in culmo succrescens ad maturitatem venerat. Sed dum a multitudine passerum devastaretur, custos agri de damno condolens milii, lapides ad dispergendos passeres cum impetu dirigit, ceterisque volucribus pennigero volatu evadentibus, insidiante adversario, unius lapidis jactu passeris illius contrivit pedem, qui sancti Viri famulabatur obtutibus. Statim ergo fenestram cellulæ petiit, porrecta sibi ex more dextera insedit, deinde suspendium contritumque pedem conspectui ingerens, suam debilitatem deflet voce flebili, et, ut opem inferat, exposcit. At Severus pater fonte pietatis exundans, sanitati pristinæ reformat. Signum ergo tantæ virtutis per beatum Virum in volucrem demonstratum, ne ridiculosi infamare audeant, admonemus, quia licet Deus sit magnus et omnipotens, tamen operatur mirabilia gloriosus in minimis : quoniam idem ipse in Sanctis suis semper permanet mirabilis.

Contritum passeris pedem sanat:

D

E

15 Nec illud quidem est omittendum, quomodo divinitus prophetiæ in eo spiritus effulserit. Salustius in terra urbis Agathensis senator cum in medio hujus vitæ limine se constitutum conspiceret, et valde jam senio fessum ad obitum declinare sentiret; memor humanæ fragilitatis, sepulcrum sibi collocare studuit in monasterio, beati Andreæ Apostoli. Hic causa familiaritatis ad cellulam sancti Severi adveniens, eidem beato Viro occurrit, et benedictione postulata cum communis sermo misceretur, sanctissimo Patri cur venisset narravit. Quod audiens Vir Dei, ab imo pectore alta trahens suspiria lacrymasse perhibetur. Salustius vero genibus beati Severi advolvitur, postulans cum ingenti supplicatione sibi referri hujusmodi planctum * tam repentinum. Dans pater Severus gemitum, tandem in locutionem prorumpens; Mysteriorum, ait ad eum, immensam tibi, virorum optime, fletuum ubertatem a me humili tibi narrare deposcis : sed, obsecro te, ne gravioribus la mentis afficiam, quoniam horror membra percellit, singultus verba intercipit, et quamvis hæc ita se habeant, sepulcrum, quod tuum esse arbitraris, non tibi, sed filio tuo præparasti, quem bonorum tuorum omnium optabas effici heredem. Lacrymas tamen, ut dixi, rationabiliter compesce, et quæ Arbiter tunc tuarum rerum jubet fieri, tu libenter disce amplecti. Respice Job inæstimabilem copiam divitiarum perdidisse, et numerositatem filiorum una clade percussam fuisse, grates Domino referentem : et David, amisso filio, usum lavacri recepisse, negatumque diu convivium reparavisse.

VII. *prædicit mortem Salustii senatoris filio:*

* *id est*, causam hujus modi planctus.

F

16 Aliud vero beati hujus Confessoris insigne miraculum et inusitatum prodigium dignum ducimus fidelium intimare auribus. Quodam tempore dum mensis Maii æstas inciperet prima, et adolescentiores calogeri *f* tam quotidiani operis, quam labore jejunii victi lassescerent, et. hoc beatus perpenderet senex Severus eorumdem ergumenus *g*, cum vespertinalis Officii persolveretur synaxis, vocans unum de fratribus, cui cura fuerat pæne commissa cellarum, præcepit ei, ut, quos lassos esse conspiceret, reficeret. Cui respon-

rem familiarem miraculo multiplicat:

f

g

A respondens œconomus ait : Ad refectionem. Pater, trecentorum sexaginta fratrum tres nobis tantummodo panes sunt, et nihil omnino præter eos habere paterna tua agnoscit veritas pietatis. Cultor itaque Trinitatis Severus vasa monasterii in suo conspectu deferri jubet, quibus aqua impletis benedictionem protulit, panesque in frusta minutatim comminuens, eorum fragmenta introrsus injecit. Mira ibidem virtus Christi apparuit, cum in immensum cœpissent crescere cumulum; ista ut vasa singula plena abundantia eructarent. In hoc ergo stupore miraculi, universi cœnobitæ obstupefacti, Deum largitorem cunctorum bonorum benedicendo magis fidei expleta est aviditas, quam famis miserabilis necessitas. Per triduum vero beato cœtui eadem augmentatio fragmentorum copiosam substantiam præbuit, dum multiplicarentur fragmenta confracta, et levia detrimenta sentirentur expensibilia. Potens est per servos talia agere Jesus magnus Redemptor orbis terrarum, qui coram suis discipulis de quinque panibus, duobusque piscibus, exceptis parvulis et mulieribus, quinque satiavit B millia hominum.

prævidet frumenti copiam divinitus allatam,

17 Præstat* adhuc et unum non parvum beati operis testimonium. Nam, ut supra patefactum est, cum perfecta spiritum haberet professio, quarta die post peracto superiori miraculo, vespertinali Officio expleto, vocat ad se œconomum, cui et dixit : Egredere velociter extra januam, trecentos etenim modios tritici deferri conspicies in vehiculis, de quibus jubeo annonæ quantitatem, quæ cœnæ fratrum sufficere possit, ad molendina statim deportari, panesque esui præparari : quod vero reliquum fuerit, horreo inferatur Dominico. Nulla ad hæc in medium mora egressus Frater prophetisata vera esse agnovit, et sui spiritualis ergumeni præcepta complevit.

Mortuus clarescit miraculis

18 Tantis igitur ac talibus virtutum floribus adornatus, longævo confectus senio, Vir Domini Severus viam universæ carnis arripiens, mense Augusto, die vicesima mensis V, quod est IX Kal. Septembris *h*, flentibus monachorum et clericorum catervis cum numerosa multitudine populi, plaudentibus angelis, animam Deo carissimam ad cælos emisit : sepultusque est in basilica sancti confessoris Martini *i*, cum honore et laude, C quam talis defensor et patronus civium Agathensium merebatur habere : ubi, operante divina clementia, virtutes efficiuntur multæ; ita ut quicumque fidelis petitor ad eumdem locum accesserit, devota mente, puroque corde quidquid petierit, meritis suffragantibus ipsius, se impetrasse gaudebit. Energumeni vero, obsessi a dæmonibus, statim ut ibi perducti fuerint, auxilio illius mundantur. His et consequentibus infinitis miraculis, etsi membra in sepulcro recumbant tanti Confessoris, tamen per Dei gratiam in æterna sæcula vivunt merita ipsius suffragatoris, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et S. Spiritu vivificatore vivit et regnat per cuncta sæcula Deus. A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a Paximatius panis *est vel panis subcinericius, vel recoctus. Plura de eo Cangius in Glossario : ubi etiam de nominis istius etymo agit.*

b Panes crucis charactere signare, moris olim fuit. Gregorius M. in lib. 1 Dial. cap. 11 : « Dum quadam die Fratres illius (Martyrii monachi) panem subcinericium fecisset, eique » obliti essent signum crucis imprimere, sicut in » hac provincia crudi panes ligno signari solent, » ut per quadros quatuor partiti videantur. » *Notatio est Mabillonii hic.*

c *Per* Eulogiam *hic intelligi panem benedictum, colligo ex sensu.* E

d Id est paniciæ, *ut dicitur apud Mabillonium in notula marginali, ubi respexerit editor ad vocem* ἄρτος, panis.

e *Gregorius Turonensis lib. 1 Miraculorum cap. 79, columna 810 editionis Ruinartianæ,* Ecclesia, *inquit,* Agathensis urbis, quæ sancti Andreæ apostoli reliquiis plaudit, plerumque gloriosis inlustratur miraculis.

f Calogeri *sunt monachi, præsertim senio et ætate venerandi, sicut vult Cangius. Hoc autem loco significantur* adolescentiores *monachi. At tu plura vide tomo 3 Julii, die 13 ejusdem mensis in Annotatis ad cap. 1 Vitæ S. Stephani Sabaitæ pag. 534 lit.* b.

g Id est exercitator, *uti habet notula marginalis apud Mabillonium. Sed forte legendum* Egumenus, *vel, ut rectius scribi debet,* Hegumenus, *quæ vox abbatem, seu monasterii præfectum significat, et formata est e voce Græca* ἡγούμενος. *Consuli potest Cangii Glossarium Græcum.*

h *Pro hisce dierum calculis, qui secum pugnant, ponitur in notula marginali apud Mabillonium* vicesima quinta VIII Kal.; *sed non additur aliqua auctoritas pro ista mutatione. Nos vero hac etiam die 25 Augusti* S. Severum *dedimus conformiter ad Fastos sacros in Commentario nostro prævio allegatos num. 2.* F

i *Scribitur alibi* in S. Marci basilica. . sepultus, *uti retulimus in Commentario prævio num. 11. Sed cum auctor ille tot seculis sit posterior nostro biographo, potiores huic partes deferimus in loco sepulturæ notando, qui forte etiam fuit binominis.*

A D

DE SANCTO EPIPHANIO

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO

J. P.

Cultus e Fastis Græcis : observatio.

ANNO DXXXV. *Alibi actum de hoc Patriarcha Epiphanio;*

Actum agerem, si collectionem historicam rerum ab hoc Patriarcha gestarum, si decessorem ejus, si exordium sedis, si laudes, annumque ac mensem mortis, nec non tempus in gubernatione transactum, hic retexerem. De his enim instruitur lector in Historia Chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, ante tomum primum Augusti data, pag. * *63, et sequente. Solus itaque nobis relictus est scribendi locus de publico Viri cultu, et inspiciendi an hodiernis Cælicolis accenseri* B *merito possit. Fatemur candide, in arcto nos esse positos, ut cultum illum sufficienter probemus : quia tamen cum in Menæis magnis excusis, tum in Menologio a Cardinale Sirleto Latine reddito, diserte cultus ipsi tribuitur, neque aliquid aliunde novimus obstare, quo minus illa duo testimonia sequamur; probabilius nobis videtur, eum e sua possessione, quam habuit a tempore immemorabili ante Decretum Urbani PP. VIII, non esse amovendum, sed, quoad possumus, ipsi favendum.*

sed hic probatur cultus ejus.

2 *Menæa prædicta Patriarcham nostrum simul cum aliis, de quibus vide inter hodiernos Prætermissos, hoc modo memorant hac die :* Memoria sanctorum Patrum nostrorum Epiphanii, Menæ, Gennadii, et Joannis archiepiscopi Constantinopolitani. *Subditur elogium S.* Menæ; *ac dein sequuntur ista :* Una etiam celebratur festum *(in Græco est* συνεορτάζονται*)* prædictorum sanctorum Patrum. Sanctis ipsorum intercessionibus *etc. Menæis consonat Menologium Sirleti :* Una cum S. Mena, et sanctorum Patrum, qui upra dicti sunt, dies festi celebrantur, quorum intercessionibus adjuvemur. *Mitto dicere, quod in Supplemento nostro Ms. ad Menæa typis edita Sirmondo-Chiffletiano, memoria hujus Patriarchæ habeatur ad diem* VI *Junii, non addito tamen titulo* sancti. Καὶ μνήμη Ἐπιφανίου πατριάρχου. Et memoria Epiphanii patriarchæ. *Martyrologium Arabico-Ægyptiacum, quod pro nobis ex Arabica lingua in Latinam transtulit Gratia Simonius, collegii Maronitarum Romæ alumnus : anno autem* MDCLXXXII *archiepiscopus Tripolitanus in Syria; dictum, inquam, Marty-* E *rologium hac die* XXV *sic scribit.* Memoria Epiphanii. *Versus, qui ei accinuntur in Menæis, nihil habent singulare.*

Observatio de alio synonymo qui ante patriarcharum CP. idem nomen habuit.

3 *Cum in laudata Historia Chronologica signetur unus dumtaxat* Epiphanius, *difficultas moveri non potest, an ea, quæ superius de illo dicta a nobis sunt, alteri patriarchæ synonymo conveniant. Neque objicias, seculo decimo vixisse sedis Constantinopolitanæ episcopum, qui antequam promoveretur ad istam dignitatem, Epiphanii aliquando nomen habuit. Respondemus quippe eum monasticæ vitæ instituto aggregatum, dimisso Epiphanii nomine, aliud assumpsisse, ut videsis in Commentario prævio ad Vitam S. Andreæ Sali, qui habetur tomo* VI *Maii in Corollario ad diem* XXVIII *ejusdem mensis pag. 1* * *et sequentibus : ubi tametsi fuerit indicatum pag. 2* *, *non certo quidem constare, quale nomen Epiphanius assumpserit; conati tamen sumus suadere, illud* Polyeucti *fuisse, de quo Sancto agitur in dicta Historia chronologica pag.* * *119; cujusque Vitam e Græcis historicis collegit Bollandus ad diem* V *Februarii pag. 706 et seqq.*

C F

DE SANCTO MENNA VEL MENA

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO

J. P

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Laudatur, et patriarcha consecratur a S. Agapeto PP.; a Vigilio mulctatur pœna ecclesiastica ; an hanc, ut quidam volunt, in illum retorserit.

ANNO DLII. *S. Mennas e præposito xenodochii CP.*

Tertius hic est Patriarcha Constantinopolitanum, qui hodierna die a nobis illustratur : cujus biographus pauca commemorat de rebus ab eo gestis, sicut patebit ex narratione, quam huic Commentario subjiciemus, adeo ut plurima præterierit vel ignorarit, quæ supplere ac illustrare conabimur. Imprimis biographus ille num. 1 recte scribit, Sanctum nostrum ex presbyteratu urbis Constantinopolitanæ assumptum fuisse ad ejusdem urbis archiepiscopatum. Quibus adde ista ex Liberato Diacono inferius citando : Fuit iste Mennas præpositus xenodochii majoris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Calchedonensem synodum. *Titulus ille confirmatur e documento, quod allegavimus in Historia*

A *storia nostra chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, quæ identidem in hoc Commentario memorabitur : nam ibi pag. * 65 sunt ista :* Exemplar libelli Mennæ presbyteri et xenodochi *etc. De xenodochio Sampsonis varias notitias suppeditat Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ § 9, pag. 164. Biographus etiam supra indicatus recte memorat, in cathedra patriarchali* Menam *Anthimo substitutum esse, ut in dicta Historia chronologica apud nos edita ante tomum primum hujus mensis Augusti licet videre; utrumque vero proxime processit Epiphanius. Adisis eamdem Historiam a pag. * 63; ubi ostenditur, a vero aberrasse Euagrium Scholasticum lib. 4 Historiæ ecclesiasticæ cap. 36, quando Anthimo successisse Epiphanium perperam asserit, qui illum antecesserat. Cæterum, quæ noster biographus ibidem de hoc Anthimo, pluribus pertractantur in laudata Historia Patriarcharum CP.; ubi lector inveniet, hypocritam fuisse, cathedram Constantinopolitanam fraudulenter invasisse, ac ab Agapeto PP. propter hæresim ab ea amotum fuisse, postquam aliquot* B *mensibus illam occupaverat.*

sit patriarcha, et a S. Agapeto egregie laudatur,

2 Ei substituitur Menas, *inquit brevissime biographus. Sed nimia ejus brevitas ex citata mox Historia merito debet suppleri. Et vero ad tempus quod attinet; electionem ejus mense Martio anni 536 factam esse, e chronologicis Consulum characteribus eruere conati sumus pag. * 65. Egregiis autem laudum præconiis Virum hunc ab Agapeto PP. condecoratum fuisse, discimus ex ejusdem sancti Pontificis epistola ad Petrum Hierosolymitanum, quæ recitatur in prima actione quintæ synodi Constantinopolitanæ sub* Menna *habitæ anno 536, exstatque apud Labbeum tomo 5 Conciliorum a columna 47. Insignis vero illa laudatio quoniam apud nos habetur in citata Historia, illam denuo huc non transcribimus. Sequentia tamen, quæ sanctus ille Christi Vicarius in hac epistola de nostro Patriarcha scribit, digna videntur aliqua explanatione.*

ac ordinatur ejus manibus,

3 Et hoc, *inquit,* dignati ejus additum esse credimus, quod a temporibus Petri Apostoli, nullum alium umquam orientalis ecclesia suscepit episcopum manibus nostræ sedis ordinatum. C Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad repellendos inimicorum insultus res tanta contigit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit. *In quibus illud* manibus nostræ Sedis *videtur dubii aliquid relinquere, an videlicet ordinatio ista immediate peracta sit manibus ipsiusmet S. Agapeti PP., an mediate, alterius videlicet episcopi, qui illum e Romana Sede Constantinopolim proficiscentem comitari facile potuerit. Sed dubio isti occurrit Liberatus Diaconus auctor synchronus, quando in suo Breviario apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 774, hanc ordinationem ab ipso Agapeto PP. immediate factam ita describit cap. 21 :* Tunc Papa *(Agapetus,)* principis favore Mennam pro eo *(Anthimo videlicet)* ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica sanctæ Mariæ. *De ædibus Deiparæ sacris agit Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 4, § 2; quænam autem hæc fuerit, in qua contigit prædicta consecratio, non est nobis exploratum.*

ob rationes graves Constantinopolim profecti: Auctore J. P.

4 *Idem qui supra biographus duas assignat rationes itineris Constantinopolitani ab Agapeto suscepti, nimirum* ut ecclesiis prospiceret, et Anthimum aboleret. *Liberatus autem Diaconus loco citato postquam meminisset de ejusdem PP. Agapeti ordinatione, hæc memorat :* Quo tempore Theodatus rex Gothorum scribens ipsi Papæ, et senatui Romano, interminatur, non solum senatores, sed et uxores et filios filiasque eorum gladio se interempturum, nisi egissent apud imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoveret. Sed Papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est. *Deinde idem auctor scribit ibidem de Anthimo sede pulso :* Patentibus, *ait,* principibus, ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet; ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam prcmittente munera multa, et rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns se sede pulsum, pallium, quod habuit, imperatoribus reddidit et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. *Hæc non modice elucidant locum biographi, quem paullo ante* E *ex ipso proferebam. Si quis autem plura desiderat de rebus gestis Constantinopoli a S. Agapeto, illa inveniet apud Anastasium Bibliothecarium de Vitis Pontificum Romanorum in eodem S. Agapeto.*

quo deinde etiam tetendit Vigilius PP..

5 *Jam vero, ut ad* S. Mennam *redeat oratio, peculiari explanatione indiget narratio biographi num. 2, ubi nimis breviter ac jejune hæc refert, quæ inter Vigilium PP. ac* S. Mennam *transacta sunt :* Hic Vigilius post aliquod tempus Constantinopolim venit, magnoque honore affectus ab imperatore et ab Augusta, animo effertur alta sapiente. Unde dum casu quodam in Patriarcham invectus esset, pœna ecclesiastica in eum animadvertit. *Franciscus Pagius in Breviario historico-chronologico-critico Pontificum Romanorum tomo 1 in Vigilio PP. num. 21 agens de profectione ejus e Sicilia ad urbem Constantinopolitanam ;* Sed tandem, *inquit pag. 297,* anno DXLVI, jam, ut videtur, multum provecto, acta in Peloponeso exscensione, terrestri itinere Constantinopolim perrexit : nam per Helladem et Illyricum eumdem iter habuisse, tradit Facundus lib. 4, cap. 3 . . . Ingressus est autem F Constantinopolim Vigilius die XXV Januarii anni DXLVII, ut habet Continuator Marcellini ad eum Christi annum. *His declarantur, quæ de adventu Constantinopolitano Vigilii PP. obiter scribit biographus.*

ubi Patriarchæ nostro intulit sententiam pœnæ ecclesiasticæ.

6 *Quæ vero idem cursim perstringit de honore, quo Vigilius ibidem exceptus est, nec non de pœna ecclesiastica, qua hic in Patriarcham nostrum animadvertit, ita etiam breviter Theophanes in Chronographia, Lutetiæ Parisiorum typis regiis edita.* Tantis, *inquit a pag. 190,* honorum et cultus indiciis ab imperatore decoratus *Vigilius PP.*, adeo animatus est, ut a communione exclusionem menses quatuor sustinendam Menæ Constantinopol. episcopo in pœnam imponeret : et ex adverso Menas parem animadversionem in eum constitueret. *Hoc ultimum videtur suspectum, vel* Menæ *affictum ob rationes, quas indicabimus inferius, atque adeo rectius de eo non meminisset ipsius Vitæ scriptor: sed tam hic, quam Theophanes corrigi merentur, dum magnis Vigilii animis tribuunt illatam* Mennæ *ab ipso sententiam, et non addunt, quænam ratio impulerit Vigilium ad illam inferendam*

ferendam

AUCTORE J. P.

ferendam. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum hac die XXV *Augusti, hanc istius pœnæ causam indicat Patriarchæ nostro inflictæ :* Hic ad tempus adhæsit Theodoro episcopo Cæsareæ Cappadociæ, ob quam causam a Vigilio Romano Pontifice sacris est interdictus, ut ejusdem Vigilii literæ indicant.

et quam ob causam.

7 *Tomo quinto Conciliorum apud Labbeum in Fragmento damnationis Theodori prædicti a Vigilis PP. factæ, sunt ista in rem nostram a columna 336 :* Teque Mennam Constantinopolitanæ sedis episcopum, qui non dissimili culpa constringeris, cum omnibus metropolitanis et micropolitanis episcopis, ad tuam diœcesim pertinentibus; sed et tuos orientales, vel diversarum provinciarum majorum minorumque civitatum episcopos, qui his excessibus, pro quibus Theodorum Cæsareæ Cappadociæ quondam episcopum condemnavimus, præbuistis assensum, humaniore sententia, pro Dei consideratione, tamdiu a sacra communione suspendimus, donec unusquisque vestrum errorem suæ prævaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam
B competenti satisfactione diluerit. *Suscriptio sic habet :* Deo juvante, et ipsius gratia, Vigilius episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ, huic damnationi atque excommunicationi Theodori Cæsareæ Cappadociæ, et huic communicantis Mennæ Constantinopolitanæ urbis episcopi, vel aliorum præfectorum subscripsi. Data XIX Kalendas Septembris, imperante domino Justiniano perpetuo augusto anno 25, post consulatum Basilii viri clarissimi anno 11 *, *id est anno Christi 551. Quænam vero Theodorus intolerabili audacia et impudentia adversus Tria famosa capitula patraverit, et quænam alia scelera perversis hisce molitionibus adjecerit; narratur in citato Fragmento columna 334; ut non sit necesse pluribus ea huc transcribere. Videri etiam possum, quæ de hoc argumento scribunt Baronius ac Pagius, nec non Binius in notatione ad dictum Fragmentum col. 337.*

* *l.* X.

Quod Mennas

8 *Hoc magis expendi a nobis meretur, an Patriarcha noster sententiam ecclesiasticam, a Vigilio PP. in se latam, contra eumdem Vigilium retorserit. Affirmat Theophanes, ut supra relatum est : negat Baronius ad annum Christi 552, num. 16, ubi contra Nicephorum Callistum in Historia ecclesiastica lib. 17, cap. 26 hæc scribentem,* Eo *Vigilius* insolentiæ progressus est, ut et Menam a communione quatuor mensibus excluserit. Idem sane et Menas adversus illum fecit, *rotunde pronuntiat, eum* mendacissime *hoc* asserere. *Credi facile posset, id ab isto historico schismatico, atque adeo parum æquo in Vigilium PP., confictum esse, nisi tot ante istum auctorem seculis, idem tradidisset Theophanes, et sanctus quidem. Ad cujus auctoritatem quid responsurus fuisset Baronius, cum nullam de eo faciat mentionem, non habemus exploratum. Respondisset fortasse idem, quod profert ibidem adversus Nicephorum :* Quod si ille *(Mennas videlicet)* ausus fuisset, necessario plane et præcipue de his habenda mentio erat in ejusdem Vigilii epistola circulari, *seu encyclica, quæ habetur apud Labbeum citatum col. 328 et sequentibus.*

C

intortam sibi

9 *Sed Antonius Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 552 num. 4 huic Baronii argumento opponit sequentia :* Perperam scribit *Baronius,* Nicephorum lib. 17, cap. 26 male tradere, Mennam Constantinopoli episcopum a Vigilio communione suspensum fuisse, et Mennam in Vigilium parem sententiam tulisse; quod hujus rei in laudata encyclica nulla mentio sit. Nicephoro enim suffragatur Theophanes, eo longe antiquior, cujus verba anno DXLVII in medium adduximus : quia cum eo anno ea peracta fuerint, non debuit Vigilius horum in sua encyclica meminisse. *At vero neque Theophanis aberrantis auctoritas; neque ratio Pagii errore Theophanis nixa Baronii argumentum evertunt. Theophanem itaque loquentem audiamus pag. 190 :* Tantis honorum et cultus indiciis ab imperatore decoratus *Vigilius PP.*, adeo animatus est, ut a communione exclusionem menses quatuor sustinendam Menæ Constantinopol. episcopo in pœnam imponeret : et ex adverso Menas parem animadversionem constitueret. Ob irrogatam itaque pœnam hujusmodi, tum quod ea, quæ de ecclesiarum unione et concordia consulta decretaque fuerant, a Vigilio non adimplerentur, imperator indignatus, misit qui ipsum detinerent. Ille imperatoris iram veritus, ad Sergii martyris altare quod in Hormisdarum monasterio erectum, confugit : a quo vi revulsus, apprehensas altaris suffulcientes columnas, ceu gravi proceroque corpore validus, secum taxit et omnino evertit. Demum imperator facti pœnitens, Papam Vigilium in gratiam recepit. Vigilius pariter a Theodora augusta rogatus, Junii die vigesimo nono, qui sanctis Apostolis sacer, patriarchæ Constantinopol. Menæ pacem restituit.

D

E

a Vigilio PP.

10 *Pagius ad annum Christi 552 num. 4 observat, duos a Theophane et Nicephoro commissos hic esse errores, et alterum quidem temporis, alterum vero loci, ita scribens :* In eo itaque tam Theophanes, quam Nicephorus falluntur, quod quæ gesta sunt anno superiori, scribant contigisse anno, quo Vigilius Constantinopolim adventavit : eumque anno elapso, dum milites persequerentur, sancti Sergii martyris columnas evertisse; cum id in ecclesia sancti Petri accidisse, ipsemet Vigilius prodat, ut anno superiori vidimus.

Recte agnoscit Pagius errasse Theophanem, quod eam Vigilii fugam, et alia ipsi violenter illata anno 551, ad annum 547 retulerit. At non satis intelligo, cur idem Pagius, quæ Theophanes conjunxit, ad annos quatuor sejunxerit, et Mennæ *excommunicationem voluerit accidisse anno 547, Theophane hanc et alia ad unum eumdemque annum referente. Norisius idem ante Pagium affirmarat in Dissertatione historica de Synodo quinta pag. 18 : quem deinde secutus est Franciscus Pagius in Breviario gestorum Pontificum Romanorum tomo* I *pag. 297. Verum cum omnes errantem hic Theophanem ducem sint secuti, nihil in eorum auctoritate erit momenti, si planum fecerimus, excommunicationem, de qua Theophanes, ad annum 551 debere removeri.*

F

excommunicationem

11 *Repetamus itaque verba Theophanis paullo ante recitata :* Ob irrogatam itaque pœnam hujusmodi *(excommunicationis Mennæ)* . . . imperator indignatus, misit qui ipsum detinerent. Ille imperatoris iram veritus *etc. fugit. Cum autem ira illa imperatoris, et fuga Pontificis, uti ipsimet fatentur adversarii, inciderint in annum 551; quomodo accidere potuerunt ab excommunicationem anno 547 latam, et sublatam post menses quatuor? Facta itaque hæc sunt occasione excommunicationis, quæ anno 551* Mennæ

in-

AUCTORE J. P.

A *inflicta est; atque adeo dicendum, tam in hac, quam in reliquis ejusdem adjunctis Theophanem aberrasse a recto chronologiæ tramite. Jam vero quo tempore sententiam illam ecclesiasticam contra* Mennam *aliosque tulerit Vigilius, ob quam hic, irato imperatore, ad ecclesiam confugit, discimus ex ipsomet Vigilio. Refert enim hoc ipsum cum in Fragmento damnationis, tum in Epistola encyclica, editis tomo 7 Conciliorum apud Labbeum a columna 328. Hæc Vigilii Encyclica data fuit Nonis Februarii anno 552, sicut Norisius et uterque Pagius recte colligunt ex anno* XXV *Justiniani imperatoris : Fragmentum autem damnationis scriptum est* XIX *Kalendas Septembris anno 551 : excommunicatio vero voce prolata scriptam sententiam præcessit diebus triginta,* XV *Julii anno 551, prout habet Fragmentum col. 336 his verbis :* Et licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolicæ vos communionis removissemus consortio *etc. Incidit ergo excommunicatio in diem* XV *Julii anno 551.*

in eumdem retorserit,

12 *Porro* Mennam *huic excommunicationi una cum ceteris implicitum fuisse a Vigilio, non negant adversarii, et facile probari potest. Nam* B Mennas *cum omnibus Theodoro adhærentibus a communione suspenditur in Fragmento, uti patet ex dictis num. 7 : Vigilius autem in Epistola encyclica etiam testatur, eosdem antea verbo suspensos a sua communione, dum col. 329 ita loquitur :* Ea enim, quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis episcopis, presbyteris, et diaconibus, aliisque clericis Constantinopolitanæ ecclesiæ voce publica dixeramus, postea etiam die XIX Kalendarum Septembrium nuper præteritarum, in beati Petri Basilica in Ormisda scripto firmavimus. *Hæc igitur sententia verbo prolata ipsissima est, ob quam tantopere indignatus fuit Justinianus, quamque Theophanes memorat tempore non suo : nec aliam anno 547 præcessisse, colligitur ex Fragmento, in quo col. 335 Vigilius ita scribit :* Nos vero longanimitatem nostram divina largitate concessam, tam circa te, quam circa seductos abs te, pene hoc quinquennio elapso monstravimus : *id est a tempore, quo Constantinopolim venerat, ubi quinto jam anno degebat. Quæ cum ita se habeant, merito concludimus, argumentum Baronii, e silentio Epi-* C *stolæ encyclicæ desumptum, non solum contra Nicephorum, sed etiam contra Theophanem valere : tantumque abesse ut illud a Pagio sit eversum, ut potius ejusdem vis roboretur ex eo, quod in Fragmento damnationis nihil etiam legatur de retorta per* Mennam *sententia : neque enim in Epistola, neque in damnationis instrumento hæc sileri debuissent, si facta fuissent, cum in utroque isto documento commemorentur tam gesta Constantinopoli, quam sententia Vigilii ore prolata.*

valde nobis suspectum, ac non probabile.

13 *Pro his, quæ hactenus contra adversarios deduximus, faciunt etiam sequentia, quæ epimetri loco opponi possunt facto, quod* Mennæ *imputant. Primo, quia elogium Synaxarii, quod ex Menologio Basilii imperatoris jussione collecto est desumptum, quodque infra dabitur, hoc non asserit, dicens :* Pœnam intulit *(Vigilius)* sanctissimo Menæ non sacrificandi. Et hic quidem gaudens suscepit pœnam. *Secundo, quia, si hæc, quæ de sententia illa ecclesiastica a* Menna *in Vigilium revibrata referuntur apud Theophanem, sint vere ipsius Theophanis, et non intrusa in ipsius textum ab hæreticis vel schismaticis in odium Vigilii PP.; si, inquam, hæc sint Theophanis; tunc suspicio suboriri poterit, an Theophanes hac in re non sit usus scriptis spuriis hæreticorum. Enimvero ante Theophanis ætatem multa apocrypha et indigna afficta fuisse gestis* S. Mennæ *ac Vigilii, discimus e concilio Constantinopolitano tertio, quod fuit generale sextum, atque anno Christi 680 celebratum est. Vide Labbeum tomo 6 Conciliorum columna 980. Breve est illud ibidem col. 984 et sequente :* Sanctum concilium exclamavit : Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, et qui eum finxerunt sive scripserunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divæ memoriæ, qui et sunt falsi demonstrati. Anathema simul omnibus, qui falsaverunt Acta sancti et universalis quinti concilii. *Atque hæc quidem, quæ satis diffuse disseruimus hactenus de controversia præsenti inter Vigilium PP. et Patriarcham nostrum, omnino nobis persuadent, quod sententia a Vigilio in* Mennam *vibrata, ab hoc adversus illum revibrata non fuerit.*

E

§ II. S. Mennas pœnitens in gratiam recipitur a Vigilio PP. ; tempus mortis, annuntiationes in Fastis sacris, elogium, scriptor Vitæ, illustre miraculum sanctissimæ Eucharistiæ.

Mennas imprudenter subscribit edicto imperatoris

Sicut Patriarcha noster, exorta gravi discordia inter orientales et occidentales occasione Trium Capitulorum famosorum, edicto Justiniani imperatoris, quo damnata hic volebat eadem Tria Capitula, non ex pertinacia, sed vel ex humana fragilitate, vel ex formidine potius, invito tamen Vigilio PP., imprudenter subscripsit; sic mirum non est, eum pœnitentiam egisse, a Vigilio PP. veniam petiisse de injuriis ipsi illatis, ac obtinuisse Catholicam cum eodem Pontifice communicationem, sublata sententia, qua idem Vigilius PP. eum a sacris suspenderat. Quod vero non ex pertinacia, sed vel ex timore, vel ex fragilitate humana, imprudenter isti decreto adversus Tria Capitula condito subscripserit, exposuimus ex verbis Facundi Hermianensis in Africa episcopi, qui tunc vixit, et ad F *Justinianum imperatorem pro defensione Trium Capitulorum scripsit. Textum ejus recitavimus in Historia chronologica, quæ pluries jam assignata fuit, pag. *65.*

adversus Tria famosa capitula :

15 *Observari per transennam hic potest, quod Vigilius latam in Theodorum depositionis sententiam, et communionis suspensionem contra* Mennam, *scripto publice tunc promulgare noluerit, ne, sine dubio, Justiniani animum magis exasperaret, ut colligimus ex ipsiusmet verbis in epistola encyclica apud Labbeum tomo 5 col. 333 :* Nunc quoque suggerimus, *inquit,* et rogamus pro pace, quam per pietatem tuam pridem Deus donavit Ecclesiæ, ut eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas : nec auctorem totius scandali Theodorum ultra vexare fidem Catholicam patiaris : quoniam ante sex menses a nobis inter alios communione sacra privatus est, et ab episcopatu pro sua pravitate depositus, per eam videlicet paginam, quam adhuc pro mansuetudinis vestræ intuitu, et spe conversionis ejus, sicut dictum est, publice proferre distulimus.

16 *Vigilii*

AUCTORE J. P.

sed aboleri illud jubet idem imperator, ac Mennas facti pœnitens in gratiam redit cum Vigilio PP.

16 *Vigilii ergo constantia victus Justinianus edictum, quod publicari jusserat, sustulit, ac integram Trium Capitulorum cognitionem futuræ synodo reliquit; sicut volebat Vigilius.* Mennas *itaque, Theodorus, et alii factionis ejusdem episcopi, fidei ac pœnitentiæ libellos ediderunt, ac veniam petierunt de injuriis Vigilio factis. In primæ professionis exemplari, quod inseritur Constituto Vigilii Papæ de Tribus Capitulis apud Labbeum tomo 5, inter alia plura sunt hæc col. 338 :* Libellum autem in causa trium capitulorum, de quibus quæstio nata est, contra constitutum piissimi principis et Beatitudinis vestræ, ego quidem nullum feci; sed volo atque consentio, ut omnes libelli, qui facti sunt sub hac forma, Beatitudini vestræ reddantur. De injuriis autem, quæcumque Beatitudini vel Sedi vestræ factæ sunt, eas quidem non feci : sed quia pro pace Ecclesiæ modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiæ excommunicatos vel non receptos a Beatitudine vestra, in communionem suscepi, pariter veniam postulo. *Et*
B *sequitur ibidem :* In hac forma fecerunt Mennas Constantinopolitanus episcopus, Theodorus Cæsaræ Cappadociæ episcopus, *et alii. Sed nunc ad alia progrediamur.*

Annus ac dies obitus, annuntiationes in Fastis sacris,

17 *Quod anno Christi 552 Sanctus noster ex hac vita migrarit, satis convenire inter auctores indicavimus in Historia chronologica nostra pag. 66*, ubi etiam actum de tempore sedis ejus, ac de die emortuali, quem incidisse non in Decembrem circiter ineuntem, uti placuit Norisio, ibidem pag. 67* citato, sed in mensem Augustum, probabilius existimavimus. An vero obierit hac die* XXV *Augusti, non certo constat. Etenim tametsi tunc annuntietur in Martyrologio Romano, et in variis Fastis Græcis; alibi tamen aliis diebus refertur. Romanum Martyrologium sic habet :* Constantinopoli sancti Mennæ episcopi. *Præcesserat Menologium Sirletianum, in quo eadem die laudatur. Adde Menæa magna Græcorum, ut videre est hac die apud nos in S. Epiphanio patriarcha CP., quæ* S. Mennam *his versibus celebrant :*

Quæ Latine in hanc reddimus sententiam :

Ὁ κόσμος ἐκλέλοιπε τῆς ἐκκλησίας,
C Μηνᾶς γὰρ ἐκλέλοιπε ἐκ τῶν ἐνθάδε.

Ecclesiæ defecit egregium decus,
Menas enim defecit e vita migrans.

et elogium,

18 *Sed in nostro apographo Vitæ, quam infra daturi sumus, differtur ad* XXVII *Augusti. In Synaxario autem e Menologio Basilii imperatoris jussione collecto, apud nos ad calcem tomi primi mensis Augusti pag. 667 signatur die* XXIV *ejusdem mensis :* Μηνὶ τῷ αὐτῷ κδ' Μνήμη τοῦ ὁσίου Μηνᾶ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *Id est :* Eodem mense *(Augusto, die)* XXIV. Memoria sancti Menæ archiepiscopi Constantinopolitani. *Elogium ejus Græcum, quod ibidem excusum fuit, more nobis usitato ita interpretamur Latine :* Sanctus pater noster Menas, ex quo imperavit Justinianus senior, exstitit presbyter ecclesiæ Constantinopolitanæ; sed ob virtutem suam electus est patriarcha Constantinopolitanus, et consecratus ab Agapeto Romano pontifice, qui tunc temporis profectus erat Roma, ut controversiis ecclesiasticis medelam afferret, Anthimumque hæreticum anathematizavit, et e solio exegit.

19 Verum postquam hic denuo reversus esset Romam, ac paullo post mortuus, alius fuit consecratus, et post tempus aliquod profectus etiam D
ipse Constantinopolim, ab imperatore ac Patriarcha in honore habitus et benigne susceptus est : ac levitate elatus sanctissimo Menæ pœnam intulit non sacrificandi : qui pœnam suscepit gaudens tamquam Dei pontifex. Imperator vero iratus Papam dimisit Romam injuriis affectum. Et post hæc sanctus Menas dum gregem suum bene rexisset, ad Deum migravit. *Qua de causa Vigilius PP. hanc sententiam* Menæ *intulerit, diximus § 1; ubi alia quoque nonnulla in hoc elogio narrata illustrantur. Ex supra dictis annuntiationibus conficitur, verum ac legitimum cultum nostro Patriarchæ deberi.*

ex Synaxario Basilii imperatoris

apographum Vitæ ;

20 *Acta porro nostri sancti Patriarchæ damus ex apographo Græco, quod e Ms. codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Sanctos mensis Augusti complectente, desumptum est : de hoc autem codice plura hic non addimus, cum sæpius alias per hujus mensis decursum inciderit de eodem sermo. Prænotatur vero hisce Actis* KZ, *id est, dies* XXVII *hujus mensis. Auctor anonymus est, ac valde jejunus in narratione rerum; quæ ad ipsum Sanctum spectant : cujus utpote dimidiam Actorum partem implet narratione celeberrimi miraculi. Quandoquidem vero meæ sunt partes, producere ea, quæ dictus biographus ad posteros scripta transmisit, et nihil in eisdem truncare; gaudeo enimvero oblatam mihi ab ipso esse opportunitatem illustrandi ac confirmandi insigne illud miraculum, quod inter tot alia mirabilis Sacramenti Eucharistiæ, egregium certe sibi locum vendicat, ac narratur a scriptore Vitæ infra num. 4 et sequentibus.* E

in quo narratur, et hic confirmatur illustre miraculum SS. Eucharistiæ.

21 *Miraculum hoc idem in substantia, etiamsi diversum in circumstantiis, memorat S. Gregorius Turonensis, qui eodem seculo floruit, in libro De gloria Martyrum cap. 10 editionis Ruinartianæ col. 732 et proxime sequenti. Ut vero alias discrepantias, quæ ibidem legi possunt, prætereeam hoc loco, una potissimum observari meretur, ut dicam infra in Annotatis. Euagrius Scholasticus, qui tunc etiam vixit, miraculum hoc inseruit suæ Ecclesiasticæ historiæ ab Henrico Valesio vulgatæ, lib. 4, cap. 36, pagg. 410 et 411; adde Nicephorum Callistum, qui lib. 17 suæ historiæ, cap. 25 illud etiam prodigium narrat. Plura vide in Annotatis de lectionibus variantibus. Ad tempus hujus insignis miraculi quod attinet; Baronius illud narrat ad annum 552 ex Euagrio : an vero tunc acciderit, non habeo in promptu, unde confirmem vel infirmem. Sed quandoquidem versamur in illustrandis rebus, quæ memorantur a biographo, occurrunt in eo alia nonnulla, quorum juvat hic meminisse.* F

Alia quædam in auctore Vitæ

22 *Quæ narrat de Magna ecclesia, jussu imperatoris ædificata, et a sancto Patriacha nostro dedicata, nec non de Sanctorum reliquiis ab eodem solenni ritu circumlatis, paulo latius declaranda videntur. Cangius lib. 3 Constantinopolis Christianæ pag. 5 et sequentibus multa ac varia curiose collegit de ista ecclesia, e quibus nonnulla delibabo.* Sanctæ, *inquit,* Sophiæ, seu divinæ Sapientiæ augustissimum templum, diuque vulgari Magnæ ecclesiæ appellatione donatum, cæteris, quæ in urbe Constantinopolitana excitata sunt, semper præcelluit, quod patriarchæ præsertim sedes, ac proinde primarium, et totius Orientis præcipuum haberetur. *Deinde scribit idem auctor, Magnæ isti ecclesiæ indita etiam fuisse variorum imperatorum nomina, et,*

quod

A *quod facit ad nostrum propositum, Magnam ecclesiam Justinianeam appellatam; quia* absumpta, *uti narrat pag. 9,* in seditione Victoriatorum, *de qua meminerat pag. 8,* Majore ecclesia Constantiniana, seu Constantiana, Justinianus imperator composita civitate, et punitis seditionis auctoribus, novam et longe ampliorem cœpit eodem anno exædificare...

a nobis declarantur

23 Conflagravit Magna ecclesia primo seditionis die, quæ in quintum usque protracta est, a quo ad dedicationem, quæ facta est xxvi * Decembris anno Christi DCXXXVII *(immo 537) etc. Prima ejus encænia, de quibus Cangius pag. 9, quæque etiam intelligit biographus, ita notantur in Chronico Marcellini Comitis ad annum 537 :* Ecclesia major Constantinopoli ab imperatore Justiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die vi Kalend. Januarias. *Theophanes pag. 184,* Hoc anno, *ait,* mensis Decembris die vigesimo septimo, Indictione prima, priora Magnæ ecclesiæ peracta sunt encænia. *Hæc de tempore : de solenni autem eorumdem ritu hæc ibidem subdit :* Processit vero supplicantis populi cœtus e B sanctæ Anastasiæ templo, patriarcha Mena in imperatoris curru sedente, et ipso imperatore inter plebem procedente. *Dicit hic Theophanes* e sanctæ Anastasiæ templo, *de quo Cangius lib. 4, pag. 141; at noster biographus scribit* e templo sancti Platonis : *uter autem verius, non mihi certo constat. De hac porro ecclesia scribit Cangius lib. 4, pag. 133.*

* *l.* xxvii

ac aliunde

24 *Reliquum est, ut suppleam hoc loco, quæ Vitæ auctor non habet. Baronius ad annum Christi 552;* Respirante, *inquit,* jam populo, atque optata pace lætante, immensæ ubique et ab omnibus gratiarum actiones Deo redduntur : quando et publica festa parantur, quæ triumphi quamdam speciem præ se ferant. Etenim hoc ipso anno Mennas... vigesima nona Junii die encænia celebravit basilicæ sanctorum Apostolorum, cum sacræ reliquiæ curru aureo circumvectæ ab eodem Menna reconditæ sunt. *Rem ex Theophane pag. 192 proferamus :* Julii mensis die vigesimo octavo, tertia feria, sanctorum Apostolorum ædis facta est consecratio, et sanctarum reliquiarum Andreæ, Lucæ et Timothei, qui sancti Apostoli, depositio. Episcopus vero Menas una cum sanctis reliquiis progressus est, vehiculo aureo imperatoris gemmis exornato vectus : tres autem sanctorum Apostolorum gestabat loculos supra genua, atque ita dedicationem celebravit. *Qua autem occasione fuerint detecta ista corpora, memorat Procopius de Ædificiis Justiniani imperatoris lib. 1, cap. 4.*

AUCTORE J. P.

supplentur.

25 *Pagius in Critica Baroniana ad annum 552, num. 17, observat primo, legendum in textu Theophanis proxime recitato* xxviii die Junii. *Secundo, hanc dedicationem retrahit ad annum* E *550 his verbis :* Anno autem DL, quo ea dedicatio peracta, Justinianus quinta Quinquennalia dedit, et dies xxviii Junii in feriam tertiam incidit, et vigilia festi sanctorum Petri et Pauli insignitur : *de quorum celeberrima ecclesia diffuse tractat Cangius lib. 4, pag. 105 et sequentibus. Habes, lector, de quibus præmonendum te censui. Reliquum nunc est, ut Vitam exhibeam, præter quam non invenio aliam apud nos. Hanc Annotatis etiam elucidare conabor.*

VITA

auctore anonymo,

Ex Ms. codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, interprete J. P.

Οὗτος ὁ ἀοίδιμος Μηνᾶς ὑπῆρχεν ἐπὶ Ἰουστινια- C νοῦ τοῦ βασιλέως πρεσβύτερος τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἐκκλησίας, ἐνάρετον βίον καὶ εὐλάβειαν κεκτημένος. Ὅθεν διὰ τὴν αὐτοῦ ἔνθεον πολιτείαν, καὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν προεχειρίσθη ἀρχιερεὺς, καὶ ποιμὴν τῶν λογικῶν προβάτων τοῦ Χριστοῦ ἔτη ἐννέα, χειροτονηθεὶς ὑπὸ Ἀγαπητοῦ Πάπα Ῥώμης, ἀνελθόντος ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπὶ διορθώσει τῶν ἐκκλησιῶν καὶ καθαιρέσει Ἀνθίμου. Οὗτος γὰρ ὁ Ἄνθιμος πρότερον μὲν ἦν ἐπίσκοπος Τραπεζοῦντος· μετατεθεὶς δὲ ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἠλέγχθη αἱρετικὸς, τὰ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου καὶ Σευήρου φρονῶν. Διὸ, ὡς διαταράξας τὴν ἐκκλησίαν, ὑπὸ τοῦ μακαρίου Ἀγαπητοῦ καθαιρεῖται, καὶ ἀντικαθίσταται Μηνᾶς. Διατρίβοντος δὲ ἐν Κωνσταντινουπόλει Ἀγαπητοῦ, καὶ κοιμηθέντος ἐκεῖσε, χειροτονεῖται ἀντ' αὐτοῦ Βιγίλιος.

II Οὗτος ὁ Βιγίλιος μετά τινα χρόνον ἀνελθὼν ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ πολλὰ τιμηθεὶς παρά τε τοῦ βασιλέως καὶ τῆς Αὐγούστης, ἐπήρθη εἰς ὑψηλοφροσύνην. Ὅθεν κατά τινα συντυχίαν διενεχθεὶς τῷ πατριάρχῃ Μηνᾷ, δέδωκεν αὐτῷ ἐπιτίμιον. Ὁ δὲ βασιλεὺς καὶ πᾶσα ἡ σύγκλητος σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἐκκλησίας ἠγανάκτησε κατὰ Βιγιλίου ἐπὶ τῇ ὕβρει τοῦ πατριάρχου Μηνᾷ. Ὅθεν φοβηθεὶς ὁ Βιγίλιος τὴν ὀργὴν τοῦ βασιλέως, ἔφυγεν ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἁγίου

Famosus hic Menas ecclesiæ Constantinopolitanæ, Justiniano imperante, presbyter fuit, virtute ac pietate præditus. Unde ob divinum vivendi modum atque orthodoxam fidem constitutus est F archiepiscopus, ac ovium rationalium Christi pastor fuit annis novem *a,* consecratus ab Agapeto Papa Romano *b,* qui Constantinopolim se contulerat *c,* ut ecclesiis prospiceret, et Anthimum amoveret. Anthimus enim hic primo quidem erat episcopus Trapezuntinus; sed ad cathedram Constantinopolitanam translatus, de hæresi fuit convictus, ut qui Eutychetis, Dioscori, et Severi dogmata sectaretur. Idcirco tamquam ecclesiæ perturbator a beato Agapeto expellitur e sua dignitate, ac ei substituitur Menas. Dum vero Agapetus Constantinopoli moratus esset, et ibidem mortuus, sufficitur ipsi Vigilius *.

Sanctus ob præclaras dotes ordinatur arch. CP.

a

b c

* post Silverium

2 Hic Vigilius post aliquod tempus *d* Constantinopolim venit, magnoque honore affectus ab imperatore, et ab Augusta, animo effertur alta sapiente. Unde casu quodam in Patriarcham Menam infensus, pœna ecclesiastica in eum animadvertit. Imperator idcirco, ac senatus omnis, cum omni ecclesiæ multitudine, indignati fuere Vigilio propter injuriam Menæ patriarchæ illatam : atque adeo Vigilius iram veritus imperatoris, ad altare

difficultates cum Vigilio PP.

d

A. ANONYMO. sancti Sergii M. in tractu Hormisdæ confugit : sed imperator inde eum ejici jussit ab altari avulsum : qui viribus obnixus (erat enim procera statura, ac robusto corpore) columnas, quæ altare fulciebant, evertit. Dein e civitate eum exegerunt, Romamque ire compulerunt invitum * e.

** immo potius permiserunt volentem*

e transfert sanctorum MM. reliquias :

3 Celebris hic Menas magnam etiam ecclesiam, quam imperator ædificavit, postquam populus in seditione priorem ecclesiam combussisset, dedicavit, supplicatione e templo S. Platonis illuc deducta, et sanctorum Martyrum reliquias, quæ in magna sancta ecclesia sanctæ Sophiæ erant depositæ, circumtulit, imperatorio currui insidens, imperatore ac gubernatoribus civitatis ipsum præcedentibus.

insigne miraculum Eucharistiæ, f g h i

4 Sub hoc beato Mena miraculum accidit valde memorabile. Antiquus in ecclesia Constantinopolitana mos obtinuit *f*, ut, dum e particulis pretiosi corporis et sanguinis remanserit aliquid, quod distributum non fuerit *g*, pueri incorrupti *h* ex iis, qui ludum litterarium frequentant, mittantur, qui *i* illud comedant. Id dum accidisset, una cum pueris venit vitriarii secta Hebræi puer, qui, parentibus causam moræ sciscitantibus, rem gestam exposuit, et quidnam cum aliis pueris comedisset. Pater autem ejus ira correptus, in accensam, in qua vitrum efformabat, fornacem immittit puerum. Mater vero dum puerum quæritaret, ac invenire non posset (ipsam quippe latebat quod factum fuerat) totam circuibat urbem quiritans, ac vehementer *k* flens.

B

k

quod ipsius tempore accidit.

5 Post tertium vero diem, dum ad ostium officinæ mariti staret, puerum nominatim inclamabat, lamentis sese lanians. Hic autem, intellecta matris voce, responsum e fornace reddebat. Illa vero dum effregisset fores, et introgressa fuisset, videt puerum in mediis ignis carbonibus stantem, qui ipsum non attigerat. Interrogatus autem, quomodo permansisset illæsus; dixit, mulierem purpureo amictu indutam crebro ad se ventitasse, et aquam porrexisse, eaque carbones appropinquantes exstinxisse; cibumque sibi præbuisse, dum esuriret.

exponitur. l m n

6 Hac re ad Justinianum delata *l*, puerum quidem ac matrem, a Mena illuminatos lavacro regenerationis, adscripsit clero *m* : patrem vero, qui Christianis annumerari nolebat, tamquam parricidam apud Ficos *n* in crucem egit. Atque hæc quidem sic gesta sunt. Mortuo autem beato Menæ suffectus est in episcopatu Eutychius, ecclesiæ Amaseensium apocrisiarius, vir sanctus, ac gratia Dei plenus *o*. Quorum precibus, Domine, salvos fac nos omnes, animasque nostras libera ab omni infestatione adversarii, quia benedictus es in secula. Amen.

C

o

D μάρτυρος Σεργίου, τοῦ ἐν τοῖς Ὁρμίσδου, τοῦ βασιλέως προστάξαντος ἐκβληθῆναι αὐτὸν συρέντα ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου. Ὅστις βιαζόμενος τοὺς κίονας κατέστρεψε, τοὺς βασταζοντας τὸ θυσιαστήριον· μέγας γὰρ ἦν τῇ ἡλικίᾳ, καὶ βαρὺς τῷ σώματι· ὃν ἐξαγαγόντες τῆς πόλεως, καὶ μὴ βουλόμενον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἀπήγαγον.

III Οὗτος ὁ ἀοίδιμος Μηνᾶς καὶ τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν, ἣν ὁ βασιλεὺς ᾠκοδόμησε, τοῦ δήμου ἐν τῇ στάσει καύσαντος τὴν προτέραν ἐκκλησίαν ἐνεκαίνισε, τὴν λιτὴν ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πλάτωνος ἐξαγαγὼν, καὶ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων μαρτύρων, τῶν ἐναποκειμένων ἐν τῷ ἁγίῳ μεγάλῳ ναῷ τῆς ἁγίας Σοφίας, βαστάζων ἐπὶ ἅρματος βασιλικοῦ καθεζόμενος, τοῦ βασιλέως καὶ πάσης τῆς πολιτείας προπορευομένων αὐτοῦ.

IV Ἐπὶ τούτου τοῦ μακαρίου Μηνᾶ καὶ θαῦμα γέγονε, λόγου πολλοῦ ἄξιον. Ἔθος παλαιὸν ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει συμβαίνει γίνεσθαι, ὅτ' ἂν τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος, ἐναπομείνοι μὴ μεταδοθὲν, παῖδας ἀφθόρους μεταπέμπτους γίνεσθαι παρὰ τῶν εἰς χαμαιδιδασκάλου φοιτώντων, καὶ ταῦτα κατεσθίειν. Ὅπερ ἐπειδὴ γέγονεν, ἦλθε μετὰ τῶν παιδίων, ὑαλουργοῦ παῖς Ἑβραίου τὴν δόξαν· ὃς τοῖς γονεῦσι τὴν αἰτίαν τῆς βραδύτητος πυνθανομένοις, ἐξεῖπεν τὸ γεγονὸς, καὶ ὅπερ ἀποφαγὼν σὺν τοῖς ἄλλοις παισὶν εἴη. Ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ θυμωθεὶς, ἐν τῇ καμίνῳ ἔνθα τὴν ὕαλον διεμόρφου, τὸν παῖδα καθίησιν ἀνάψας. Ὡς δὲ τὸν παῖδα ἡ μήτηρ ζητοῦσα, εὑρεῖν οὐκ ἴσχυε (λεληθυίας γὰρ αὐτῆς τοῦτο γέγονε) πανταχοῦ τῆς πόλεως περιήει ποτνιωμένη καὶ λύγιον * κωκύουσα. E

** f. λυγρῶς*

V Μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν παρὰ τὴν θύραν τοῦ ἐργαστηρίου τοῦ ἀνδρὸς ἑστῶσα, ὀνομαστὶ ἀνεκάλει τὸν παῖδα, τοῖς θρήνοις σπαραττομένη. Ὁ δὲ τῆς φωνῆς τῆς μητρὸς συνεὶς, ἐκ τῆς καμίνου ἀνταπεκρίνατο· ἡ δὲ τὰς θύρας διατεμοῦσα, εἴσω τε γενομένη, ὁρᾷ τὸν παῖδα τῶν ἀνδράκων μέσον ἑστῶτα, τοῦ πυρὸς αὐτοῦ μὴ προσάψαντος· ὃς ἀνερωτώμενος ὅπως ἀπαθὴς ἐμεμενήκει, γυναῖκα ἔφη πορφυρὰν ἀμπεχομένην ἐσθῆτα, συχνὰ φοιτῶσαν παρ' αὐτὸν ὕδωρ ὀρέγειν, καὶ τούτῳ τοὺς πλησιάζοντας τῶν ἀνθράκων κατευνάζειν, σιτίζειν τε αὐτὸν, ὁσάκις πεινῴη.

VI Ὅπερ ἐπειδὴ, εἰς Ἰουστινιανὸν ἠνέχθη, τὸν μὲν παῖδα, καὶ τὴν μητέρα τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας διὰ Μηνᾷ φωτισθέντας ἐκλήρωσε· τὸν δὲ φύσαντα, οὐκ ἀνασχόμενον Χριστιανοῖς ἐναριθμηθῆναι, ἐν συκαῖς ὡς παιδοφόνον ἀνεσκολόπισεν. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὕτως γέγονεν. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ μακαρίου Μηνᾶ, προεχειρίσθη εἰς τὴν ἐπισκοπὴν Εὐτύχιος, ἀποκρισιάριος τῆς ἐκκλησίας τῶν Ἀμασέων, ἀνὴρ ἅγιος, καὶ πλήρης χάριτος Θεοῦ· ὧν ταῖς εὐχαῖς, Κύριε, σῶσον πάντας ἡμᾶς, καὶ ῥῦσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀπὸ πάσης ἐπιβουλῆς τοῦ ἀντικειμένου, ὅτι εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν. F

ANNOTATA.

a *Sedit ab anno Christi 536 usque ad annum 552, atque adeo annos sedecim (Vide Comm. præv. num. 2 et 17 :) quibus in Historia Patriarcharum CP. apud nos adduntur menses sex incompleti.*

b *Adisis, quæ ibidem dicta sunt num. 2 et 3.*

c *Cur S. Agapetus Constantinopolim se contulerit, ibidem invenies num. 4. Habetur in Martyrologio Romano ad diem 20 Septembris.*

d *De Vigilio plura sunt præmissa in Comm. præv. § 1.*

e *Ibidem etiam pluribus tractatur de difficultatibus inter Vigilium PP. ac nostrum Patriarcham exortis : quomodo autem hic facti pœnitens ab eodem Vigilio in gratiam sit receptus, dictum est ibidem § 2.*

f *Morem hunc Constantinopoli multis deinde seculis invaluisse, conficitur ex Ecclesiastica historia Nicephori Callisti, qui vixit seculo 14 : nam ibidem lib. 17, cap. 25,* Quod quidem mihi quoque, *inquit,* sæpenumero, quum puer admodum essem, et maxime a prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit. *Editione utimur Parisina anno 1630 excusa, interprete Joanne Lango.*

g *Euagrius*

A. ANONYMO.

A g *Euagrius Scholasticus ab Henrico Valesio editus ita habet Ecclesiasticæ historiæ lib. 4, cap. 36 :* ὅτ ἂν 'πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐναπομείνοι, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri, magnus numerus superfuerit. *Apud Nicephorum Callistum citatum dicitur* ὡς ἐπειδὰν πολύ τι *etc.*, ut cum plusculum de partibus immaculati divinique corporis Domini *etc. Agunt ergo de sola specie panis Eucharistiæ.*

h *Valesius* pueri impuberes.

i *Addit Nicephorus* νήστεις, jejuni.

k Λύγιον *etiam legitur in editione Valesii, cujus tamen vocis nullum vestigium in lexicis offendere potui. Nec porro proprium ejusdem significatum reddidit Latine Valesius per* τὸ plorans atque ejulans. *Forte scribendum* λυγρῶς..

l *Hoc miraculum etiam narrat S. Gregorius Turonensis, idem quidem in substantia, sed in circumstantiis diversum, sicut indicavi in Comm. prævio num. 21. Ut alias discrepantias omittam, quæ legi apud ipsum possunt; observo, historicum hunc prorsus differre in catastrophæ supplicii, quod a Justiniano imperatore inflictum alii memorant Judæo patri, qui filium suum injecerat in fornacem ardentem. Hæc enim narrat Gregorius in libro de Gloria Martyrum cap. 10 editionis Ruinartianæ columna 733 :* Conclamabant etiam, ut auctorem hujus sceleris in ipsas projicerent flammas. Projectum autem ita totum ignis absorbuit, ut vix de ossibus ejus parvum quodammodo relinqueretur indicium. *Sed non video cur, relicto Euagrio, qui hanc rem gestam melius rescire potuit, præferenda sit narratio Gregorii Turonensis.*

m *In editione Euagrii apud Valesium sic legitur de Justiniano imperatore :* τὸν μὲν παῖδα καὶ τὴν μητέρα τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας φωτισθέντας ἐκλήρωσε. Puerum simul ac matrem regenerationis lavacro initiatos, clero adscripsit. *In Annotationibus vero ad libri 4 Euagrii caput 36, hæc exponit pag. 108 :* Joannes Langus, *ait*, hunc locum ita vertit : Puerum cum matre divino regenerationis lavacro adhibuit, Deoque dicavit. Musculus vero et Christophorsonus longe pejus verterunt. Nam Musculus quidem vertit SERVAVIT : Christophorsonus vero sic interpretatus est : « Puerum cum matre lavacro regenerationis tingendos dicernit. » Ego vero locum ita vertendum esse non dubito : « Puerum simul ac matrem regenerationis lavacro initiatos clero adscripsit. » Quod ita intelligendum est, ut imperator puerum quidem illum inter lectores Ecclesiæ censeri jusserit : matrem vero diaconissam ordinari præceperit. *Hæc Valesius : cui respondeo, duo illa clericatus ecclesiastici officia potuisse matri ac puero baptismi lavacro ablutis conferri ; sed quod vere illis collata sint, non videri sufficienter confici ex verbo* ἐκλήρωσε, *quo forte Euagrius nihil aliud voluerit indicare, quam puerum ac matrem in cælestis hereditatis sortem adlectos fuisse per baptismum.* B E

n *Joannes Langus, Nicephori supra citati interpres, illa Nicephori* ἐν συκῇ *etc. ita reddit :* Veluti parricidam in ficum arborem, perinde atque in crucem egit. *Sed male se torquet interpres, quia nescivit per* τὸ ἐν συκῇ, *seu* ἐν συκαῖς, *prout a biographo nostro et ab Euagrio, nec non ab aliis communius scribitur, significari locum prope Constantinopolim, in quo supplicia reis inferebantur.* Sycense suburbium *vocatur a prædicto Valesio : qui in Annotationibus de hoc loco suppliciorum etiam meminit. Plura habet Gangius lib.* I *Constantinopolis Christianæ sectione 22 a pag. 66.* Sic porro, *inquit,* nuncupatas Sycas volunt ab arborum ficos ferentium copia. *Nam* συκῆ *ficum arborem significat.*

o *Acta hujus sancti Patriarchæ illustravit Henschenius ad diem 6 Aprilis a pag. 548. De eo etiam Historia Chronologica Patriarcharum CP., identidem a nobis superius allegata, tractat pag. * 67.*

C DE S. AREDIO ABBATE ATANENSI F

APUD LEMOVICES IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

§ I. Immemorabilis et publicus hujus Sancti cultus ex Martyrologiis et antiquis corporis ejus translationibus.

AN. DXCI. *Hic Sanctus, quem Fortunatus adhuc viventem laudat,*

M*agnopere miramur, hunc Abbatem fama sanctitatis inclytum hodierna die classicis seculi noni vel decimi Martyrologiis inscriptum non fuisse, cum probabilius die* XXV *Augusti obierit, et sanctus Fortunatus episcopus Pictaviensis illum adhuc viventem tanti fecerit, ut apud Browerum nostrum lib. 5 carmine 22 suam de pietate ejus existimationem in epistola metrica* ad Aredium abbatem *data sic expresserit :*

Opto, benigne Pater, verbo tibi ferre salutem,
Si minus hinc oculo cernere te valeo.
Est etenim vestri tantus mihi cultus honoris,
Ut pro me occurrat hinc tibi missus apex.
Quæso, beate, tamen per dulcia pabula Christi,
Me quoque commemores, cum dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, pastor Aredi,
Si Fortunati sis memor, alme, tui.
Pro me etiam sanctam genitricem, chare, salutans,
Cum redit iste puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, Pater ample, salutant

AUCTORE G. C.

lulant

Agnes amore pio cum Radegunde simul.

Præterea sanctus Gregorius Turonensis aliique veteres scriptores eximia ejusdem sancti Abbatis gesta et miracula litteris mandarunt, ut infra videbimus.

die 25 Augusti inscribitur variis Martyrologiis,

2 *Inde magis etiam miramur, hunc celebrem Virum in hodierno Martyrologio Romano non memorari, quamvis ideo non dubitemus, quin ab immemorabili tempore legitimum cultum habuerit : nam sanctus Odo Cluniacensis abbas jam seculo decimo in Vita S. Geraldi Comitis Auriliacensis, quam Martinus Marrier in Bibliotheca Cluniacensi edidit, ibidem col. 68 illum titulo* beati *donavit. Insuper apud novissimos Galliæ Christianæ editores inter instrumenta ad tomum secundum istius Operis spectantia occurrit diploma anni 1062, quod ibi col. 180 ducentos solidos* in festivitate sancti Aredii *solvendos decernit. Hinc colligimus, annuam hujus Sancti festivitatem tunc temporis celeberrimam fuisse. Denique hic sanctus Abbas annuntiatur in antiquis additionibus Usuardinis et auctariis* B *Flori aliorumque, quæ ad hanc diem in Usuardo nostro illustrato et Martyrologio venerabilis Bedæ ante tomum primum Martii apud nos consuli possunt. Hæc sufficiunt ad probandum immemorabilem* S. Aredii *cultum, cujus perseverantiam ex recentioribus instrumentis infra demonstrabimus.*

et ab Usuardo ad diem sequentem differtur.

3 *Initio hujus Commentarii prævii vere diximus,* hodierna die *hunc sanctum Abbatem classicis Martyrologiis non inscribi : nam die* XXV *Augusti nomen ejus apud Adonem, Usuardum, Notkerum, aliosque istorum temporum Martyrologos frustra quæsivimus. Sed die sequente Sollerius noster in observationibus ad editionem suam Usuardi recte monet, illum in tribus aut quatuor antiquis codicibus Usuardinis eo die referri. Quinimo in codice San-Germanensi seu Pratensi, quem Benedictini Parisienses autographum esse contendunt,* VII Kalendas Septembris, *id est, die* XXVI *Augusti sanctus iste Abbas annuntiatur his verbis :* In territorio Lemovicensi, sancti Aredii presbyteri et confessoris. *Profecto miramur, hunc præclarum Virum deesse Carolino Usuardi autographo, quemadmodum fatetur* C *ultro scriptor ille Benedictinus, qui Parisiis anno 1718 edidit autographum Usuardi Martyrologium, quod in abbatia San-Germanensi conservatur.*

quamvis die 24 vel 25 istius mensis obierit.

4 *Etiam satis mirum est, quod* S. Aredius *ab Usuardo annuntietur ad diem* XXVI *Augusti, cum ex antiquis ipsius Actis constet, eum die* XXIV *vel* XXV *ejusdem mensis ad Superos migrasse. Unde laudatus editor ad hanc Usuardi annuntiationem in observatione lectorem sic monet :* Quod ad sanctum Aredium spectat, Usuardum deceptum fuisse oportet Actis quibusdam illius Sancti diversis ab iis, quæ juris publici fecit nostri sodalitii præcipuum decus Mabilio tomo 1 Actorum pag. 349 : hæc enim narrant, Aredium IX Calendas Septembris convocatis discipulis, eos de proxima sua morte monuisse ; et hora secunda noctis animam reddidisse : quæ secunda noctis hora si secundam post mediam noctem significet, mortuus fuerit Aredius VIII Calendas Septembris; sin tantum secundam ab occasu solis indicet, IX Calendas obierit. *At cujuscumque sit hic error, Mabillonius et plerique Menologi recentiores ab Usuardo San-Germanensi recedunt, et annuam* S. Aredii *festivitatem die* XXV *Augusti annuntiant. Quapropter hos secuti sumus, et Acta Sancti istius hodie illustramus.* D

ac die 25 vel 26 in Breviariis colitur.

5 *Tamen non ignoramus, in quibusdam Galliæ Breviariis eumdem Sanctum die* XXVI *Augusti solenniter celebrari propter festivitatem S. Ludovici regis Galliæ, quæ die* XXV *ejusdem mensis occurrit. Sic in ecclesia sancti Martini Turonensis, cujus Breviarium anno 1635 editum habemus,* S. Aredius *ad diem* XXVI *Augusti colitur Officio novem Lectionum propriarum, et ibidem recitatur sequens oratio seu collecta :* Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam, et tribue, ut beatus Aredius confessor tuus, cujus nos dedisti patrociniis adjuvari, majestatem tuam exoret pro nobis. Per Christum. *Eodem die sanctus hic Abbas colitur in Officiis propriis ecclesiæ et diœcesis Sarlatensis, quæ Parisiis anno 1677 impressa sunt, ibique etiam habet orationem propriam, quæ sic sonat :* Beati Aredii abbatis, Domine, natalitia celebrantes, supplices te rogamus, ut quem cælesti gloria sublimasti, tuis adesse concedas fidelibus. Per Dominum nostrum. *Sed Breviarium Lemovicense anni 1625* E S. Aredium *quotannis die* XXV *Augusti recolendum præscribit, et festivitatem S. Ludovici regis ad diem sequentem differt. Haud dubie plura Galliæ Breviaria nobis ignota agunt annuum ejusdem Sancti festum, cum Simon Peyronettus parochus Tolosanus in notis ad suum Catalogum Sanctorum pag. 307 testetur, in diœcesi Vabrensi ecclesiam quamdam parochialem ei sacram exstare, et ibidem quotannis illum Officio duplici celebrari. Laudatus parochus huic notitiæ addit, in diœcesi Vabrensi hunc sanctum Abbatem vernacule* saint Isaire *vel* Isere, *et apud Lemovices* saint Yrier *vel* Yrieis *ac* Yrié *vulgo nominari. Ceterum ex his omnibus abunde stabilitur antiquus et adhuc perseverans* S. Aredii *cultus, quem tamen ex honorifica sacri corporis sepultura et solicita reliquiarum ejus conservatione jam confirmabimus.*

Corpus hujus Sancti

6 *In utrisque Actis antiquis, quæ post hunc Commentarium prævium recudemus, adeo ambigue sepultura Sancti nostri narratur, ut dubitari possit, utrum hic eximius Vir in ecclesia S. Hilarii, an in ecclesia S. Juliani martyris tumulatus fuerit. Unde posteriores Actorum interpretes in diversas opiniones abierunt, ita ut unus in ecclesia S. Hilarii collocet eumdem tumulum, quem alter in ecclesia S. Juliani martyris assignat. Codex Ms. Pragensis, in quo vetera* F S. Aredii *Acta contrahuntur, et cujus apographum Joannes Scholtz noster anno 1642 ad Bollandum Praga misit, primum sepulturæ locum indicat hac aperta narratione :* Lemovicensis urbis pontifex Ferreolus, nuntio de transitu ejus accepto, celeriter occurrit, et super Viri sancti corpus diutissime flevit ; et maxime, quia vivum eum in hoc seculo non invenisset. Cum autem corpus sancti Viri ad ecclesiam sancti Juliani martyris, quam ipse e fundamentis ædificaverat, deferendum et ibidem tumulandum decrevissent, feretrum in quo jacebat, movere seu levare nullatenus potuerunt : decreverat enim vir Dei Aredius in ecclesia sancti Hilarii, quam ipse summopere non longe a prædicta sancti Juliani ecclesia ædificaverat, corpus suum sepeliri.

in sacello sancti Hilarii,

7 Tunc Ferreolus pontifex stupens et tristis effectus triduanum indixit jejunium, atque a Domino petendum admonuit, quænam esset voluntas

A luntas ejus, et sancti sui Aredii super tumulatione corporis sui. Peracto itaque jejunio, rursus ad levandum et portandum corpus accedunt. Et ait episcopus : Si Domini est voluntas aut Sancti hujus, ut illic quo ego et hæc plebs cupimus, eat, sine ulla dilatione levetur. Erat autem locus in secretiori parte ecclesiæ, in quo volebant eum sepelire. Cumque accessissent ad feretrum, tanta mox celeritate levatur, ut facile a duobus portaretur, qui antea nec a pluribus movebatur : sicque digno cum honore IN ECCLESIA SANCTI HILARII, sicut ipse vivens decreverat, est sepultum, ubi multis et crebris miraculis mirificavit Dominus Sanctum suum. *Hic igitur aperte dicitur Sanctus noster* in ecclesia sancti Hilarii *sepultus esse. Nunc audiamus duos recentiores et eruditos viros, qui narrationem veterum Actorum aliter intelligunt ac explicant.*

vel sancti Juliani

8 *Primus est Hadrianus Valesius, qui lib. 15 Rerum Francicarum sive tomo 2 istius Operis pag. 437 mortem et sepulturam* S. Aredii *exponit his paucis verbis :* Tandem Turonos venit post diem festum beati Martini quartumve B Nonas Julias, quo die translatio corporis beati Martini, ordinatio episcopatus, et dedicatio basilicæ ejus celebrari consuevit, ibique paullulum commoratus, gratias egit, quod antequam ex hac vita migraret, sepulcrum antistitis osculari sibi permisisset, ac Gregorio Turonico episcopo valedicens, cellulam suam repetiit, ordinatisque omnibus, Martinum et Hilarium beatos episcopos testamento heredes bonorum instituit, sub tutela ac patrocinio Martini vivere Atanenses voluit ac jussit, ac paucis post diebus, nimirum VIII Kalendas Septembris dysenteria oppressus decessit, atque in monasterii sui, ubi obierat, BASILICA JULIANO MARTYRI DICATA sepultus est, ita ut exsequiæ ejus virtutibus illustrarentur.

sepultum est;

9 *Valesium secutus est Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ubi ad annum Christi 591 sive lib. 8, cap. 31 sic scribit :* Turonos profectus ad celebritatem sancti Martini, quæ IV Nonas Julii celebratur, Gregorio episcopo dixit, se brevi moriturum. Inde in cellulam suam (sic Gregorius Atanense monasterium vocat) reC vertit, ordinatisque omnibus, sanctos Martinum et Hilarium testamento hæredes bonorum instituit; Atanensesque monachos sub sancti Martini tutela et patrocinio vivere jussit. Paucis post diebus, nimirum VIII Kalendas Septembris dysenteria oppressus decessit, octogenario major; ejusque corpus in monasterii sui oratorio, quod beato Juliano martyri sacratum erat, a Ferreolo episcopo Lemovicensi humatum est. *Hic iterum audis, in oratorio sancti Juliani martyris collocari sacrum* S. Aredii *corpus, quod codex Ms. Pragensis in ecclesia sancti Hilarii diserte superius assignavit. Hinc ancipites hæremus ob penuriam certioris notitiæ, et ex diversis illis opinionibus tantum concludere possumus, sanctum Abbatem sepultum fuisse in alterutro istorum Sanctorum sacello vel oratorio, quod utrumque* S. Aredius *antea ædificaverat.*

at certe quievit in Atanensi monasterio,

10 *At certe sepulcrum istud erat in Atanensi cœnobio, cum Gaufredus Prior Vosiensis et seculi duodecimi scriptor in Chronico suo apud Labbeum nostrum tomo 2 Bibliothecæ manuscriptorum librorum pag. 286 de tumulo* S. Aredii *breviter ita meminerit :* Atano monasterio magnus ille quiescit Aredius, cujus corpus ad testimonium urbanæ nobilitatis per plateam cerdonum deferri nequivit. *Miraculum illud de corpore* S. Aredii, *quod per plateam cerdonum deferri non potuit, nobis ignotum est, et adhuc obscurius indicatur a Bernardo Guidonis, qui apud laudatum Labbeum tomo 1 ejusdem Bibliothecæ pag. 631 de Sancto illo scripsit sequentia :* Sanctus Aredius alter heros, Jocundi principis Lemovicæ civitatis et beatæ Pelagiæ filius unicus, in Attano monasterio (sic enim antiquitus vocabatur, quod nunc ex nomine Sancti, VILLA S. AREDII nominatur) tamquam in proprio alodio requiescit in capsa argentea miræ pulchritudinis super altare suum decentissime collocata. Qui in testimonium munditiæ atque urbanæ nobilitatis per terram Sardonum transferri nequivit. Hujus insignia gesta in quatuor libris digesta stylo perpulcro et altos, atque magnis sensibus pleno habentur et leguntur ibidem. Hujus etiam Aredii magnam mentionem facit in libris suis beatus Gregorius Turonensis. Festum sancti Aredii agitur octavo Kalendas Septembris. *Quædam in hac Bernardi Guidonis narratione occurrentia postmodum discutientur.*

AUCTORE G. C.

E

quod in Collegium Canonicorum mutatum est,

11 *Interea originem et mutationem cœnobii Atanensis, de quo mentio sæpius recurrit, ex Valesio in Notitia Galliarum pag. 49 sic transcribimus :* Locus, in quo Aredius monasterium condidit, villa ejus erat in pago Lemovicino, et ATANUS vocabatur; nunc ab auctore SAINT IRIER DE LA PERCHE. Postea cum Atanense omnasterium desolatum et ad paupertatem redactum esset, monachorum in locum triginta duo Canonici sunt substituti, abbasque et decanus eis præpositi. Nunc cœnobium Atanense in Lemovicibus ab auctore MONASTERIUM SANCTI AREDII dicitur, decanumque habet, ac subjicitur basilicæ sancti Martini, et circumposito oppido nomen idem ac originem dedit. *Novissimi editores Galliæ Christianæ tomo 2 col. 547 situm ejusdem monasterii paulo distinctius assignant, et tempus monastici status in Canonicum mutati præterpropter indicant his verbis :* Atanense sancti Aredii cœnobium, ab auctore suo sic appellatum cum oppido circumposito, situm est in finibus pagi Lemovicensis versus Petrocorios... Processus temporis conversa est hæc abbatia in collegium triginta duorum Canonicorum secularium Turonicæ sancti Martini basilicæ subjectum; qua de re vide præceptum Caroli Magni inter instrumenta. F

ut patet ex diplomate Caroli Magni.

12 *In diplomate hic assignato, quod inter instrumenta ad tomum secundum Galliæ Christianæ spectantia col. 178 et sequente totum legi potest, Carolus Magnus imperator occasionem hujus mutationis post alia sic exponit :* Serenissimus ac pius genitor meus Pippinus adiens hunc locum, consilio suorum primatum voluit eum restitui in pristinum gradum, quem invenerat, jam olim omnibus bonis pene desolatum ac destitutum. Volens igitur ibi restituere monachorum normam, sed nonnulli obnixe acclamantes, melius illic urgere * Canonicorum regulam; dicunt enim inibi deficere victus monachorum, abundantiam aquarum sive piscium, deesse flumina, deesse stagna, ac alia quamplura monachis necessaria. Quid moror? Vicit maxima pars, ac Ordo Canonicorum devotus, cui etenim triginta duas præbendas mancipavit, unde quotidie triginta duo alerentur Fratres, quibus denique apposuit quatuor adstare columnas, videlicet abbatem, decanum, cantorem, et mona-

* *forsan* vigere

sterii

AUCTORE G. C.

sterii sacristam *etc. Deinde Carolus recenset privilegia huic Canonicorum collegio concessa, eaque confirmat his verbis :* Unde ego relegens pie genitoris mei Pippini testamenta, volo ac judico, ut in perpetuum sint rata ac perpetualiter firma cum stipulatione subnixa, nullo contradicente. *Tunc illis Canonicis una cum monasterio videtur relictum seu traditum fuisse corpus* S. Aredii, *quemadmodum colligimus ex quibusdam posterioribus ejus translationibus, quas confusas aut obscuras distinguere vel illustrare jam conabimur.*

Sacræ ejus reliquiæ

13 *Gaufredus Prior Vosiensis in Chronico apud Labbeum nostrum tomo 2 Bibliothecæ manuscriptorum librorum pag. 284 quamdam sacri corporis translationem indicat his verbis :* Vivente adhuc Henrico rege, et Iterio præsule, Canonici S. Aredii Ransoliæ monasterium, favente Guillermo Arvernensi Comite, recuperavere ; quam possessionem Clerici solemniter invisere disponentes, inclyti Abbatis glebam illic deferre ac referre studuerunt. Verumtamen ibi divina non defuere miracula ad declaranda B merita præcelsi Confessoris. *Cum præsul Lemovicensis Iterius anno 1073 mortuus fuerit, oportet hanc translationem ante annum 1074 contigisse. Videntur autem novissimi Galliæ Christianæ editores tempus hujus translationis circiter assignasse, dum tomo 2 Operis sui col. 516 de Iterio præsule Lemovicensi inter alia sic scribunt :* Hoc episcopo annuente, Rainaldus cessit sancto Aredio et sancto Martino Ranzoliæ monasterium a suis majoribus destructum, ex Baluzio in Historia Arverniæ; quod factum anno circiter MLXX conjicimus.

alio translatæ

14 *Laudatus Gaufredus Vosiensis apud Labbeum tomo 2 proxime citati Operis pag. 326 aliam posteriorem ejusdem corporis translationem memorat his verbis :* Dominica post Rogationes, XVI Calendas Junii a Saibrando episcopo, Guillermo Vosiensi, Odone Brantomensi, Stephano de Castris abbatibus, Bartholomæo de Cassanis seu de Escalanis, et de Artigia Prioribus, beati Aredii corpus a proprio elevatur mausoleo, imminente constructione parietum novorum basilicæ. Vicecomes Ademarus cum aliis innumeris, simulque principes de Turribus pro consuetudine ejusdem corpus bajulant Patris. *Supradicti Gal-* C *liæ Christianæ editores eodem tomo secundo col. 525 conqueruntur, Gaufredum more suo hic non annotasse annum, quo translatio illa facta sit. Itaque tempus istud utcumque colligi debet ex episcopatu Saibrandi, qui anno Christi 1177 cathedram Lemovicensem ascendit, et eamdem anno 1197 moriens reliquit, ut apud laudatos Galliæ Christianæ editores ibidem col. 525 et sequente licet videre. Sed hæc eadem sacri corporis translatio legitur in apographo nostro Pragensi, de quo superius mentionem fecimus.*

et in novam ecclesiam reductæ sunt,

15 *Juvat igitur hanc translationis historiam transcribere ex Ms. codice Pragensi, ubi distinctius et fusius refertur hoc modo :* Post multorum annorum curricula cum ecclesia sancti Aredii esset tanta vetustate confusa, ut quasi ruinam intrantibus minaretur, Clerici ejusdem ecclesiæ, convocato super hoc consilio, decreverunt, ut dictam ecclesiam de novo ad honorem Dei et beati Aredii patroni sui reædificarent, et corpus ejusdem transferrent, et populis illud videre desiderantibus demonstrarent. *Hæc, et numero præcedente allata spectant ad primam translationis partem, ut ita dicamus, aut clarius* D *ad remotionem sacri corporis ab antiquo tumulo, dum ecclesia construeretur vel instauraretur. Verosimiliter hæc remotio seu prior sacrarum reliquiarum translatio non diu post inchoatum Saibrandi episcopatum differenda est, ut colligimus ex earumdem reductione, cujus annus in memorato codice Pragensi exprimitur, et de qua nunc agemus.*

ut discimus ex Chronico Gaufredi

16 *Jam sæpe allegatus Gaufredus in Chronico suo apud Labbeum tomo proxime citato pag. 337 sine certa temporis nota illam reliquiarum reductionem breviter attingit his verbis :* Patris Aredii beatissimi corpus loco pristino solemniter refertur a Guillelmo Vosiensi abbate, Bartholomæo Priore de Chalax, Beraldo, Seguino, et Gulpherio de Turribus præsente et Vicecomite et populo universo. *Codex autem Pragensis in apographo nostro fusius eamdem, ni fallimur, sacri corporis reditionem cum patratis in ea miraculis ita prosequitur :* Reædificata itaque ecclesia, et postmodum die ad hoc statuta, convenerunt ex diversis partibus [utriusque] sexus homines in multitudine copiosa, non solum de E Lemovicensi diœcesi, sed etiam de Petrogoricensi, Engolismensi, et Xantonensi diœcesibus cernere cupientes ea, quæ per sanctum Aredium Deus mirabilia operatur. Igitur anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo, videlicet XV Kalendas Junii convenit cleri et populi multitudo, affuitque Sebrandus venerabilis antistes Lemovicensis, et decanus Aredii sancti cum religiosis viris et personis nobilibus et insignibus patriæ.

et Ms. Codice Pragensi,

17 Indicto autem populis jejunio, de communi consilio electi sunt spectabiles viri, qui corpus almi confessoris Aredii quærerent et contrectarent cum omni reverentia et timore, inventumque illud populis videre cupientibus ostenderent. Interim autem populus exspectans cum timore et reverentia [in ecclesia] beati Hilarii, quam sanctus Aredius ædificaverat, et reliquiis multis illustraverat, orationes Deo persolverat, ut, invento sancti Aredii corpore, cum gaudio ad ipsius ecclesiam remearent. Viri igitur electi cum diligentia et reverentia quærentes in loco, ubi esse merito credebatur, invenerunt sacrum corpus sancti Aredii in quodam F sarcophago nexibus ferreis admodum constricto. Erant autem in prædicto sarcophago duo vasa, quorum unum ossa sancti Aredii capiebat; alterum vero commendatum corporis ejus cinerem honorabiliter retinebat; inter quæ erat sigillum Pipini regis Francorum repositum, cujus inscriptio tituli talis erat : GRATIA DEI PIPINUS REX HIC REPOSUIT CORPUS BEATI AREDII.

in quo etiam miracula tunc patrata narrantur;

18 Quibus peractis, populum convocaverunt, et sacros artus et membra almi confessoris Aredii cum devotione et reverentia, qua oportebat, populis ostenderunt. Totum ergo diem illum et noctem clerus et populus celebrem deduxerunt. Transacta autem noctis illius prima vigilia, [cum] Matutinæ in honore ipsius Confessoris a clericis celebrarentur, et ille versus hymni, videlicet AD SACRUM CUJUS TUMULUM FREQUENTER . MEMBRA LANGUENTUM MODO SANITATI, QUOLIBET MORBO FUERINT GRAVATA, RESTITUUNTUR, a clericis cantaretur, ecce quidam nervis omnibus sui corporis debilitatus, qui ibidem coram sacro corpore fuerat asportatus, sanus ex integro subito factus proclamavit : Ecce ego, qui ex multo tempore infirmus fueram,

A ram, jam nunc per Dei misericordiam et beati Aredii preces et merita sum sanatus.

sed præsentem earum statum ignoramus.

19 Deinde decantatis in Matutinis novem lectionibus ex more, cum TE DEUM LAUDAMUS inciperetur, quidam alius ægrotus, membris omnibus destitutus, et longo tempore morbo incurabili fatigatus, concepta ad sanctum Aredium devotione, subito ejusdem Sancti meritis sanus et incolumis est effectus. In ipsa quoque translatione ad declarandum ejusdem Sancti merita, multa alia miracula dignatus est omnipotens Deus ostendere, quæ enarrare esset longum. *Propter aliquas hujus narrationis circumstantias suspicamur, utramque hujus translationis partem, sive remotionem et reductionem reliquiarum inter se confusas esse. Porro nos distinctioribus documentis destituti locum et tempus harum translationum clarius explicare non possumus, et hanc curam Canonicis Atanensibus merito relinquimus. Hi quoque testimonium reddere poterunt de præsenti sacrarum reliquiarum statu, quem prorsus ignoramus, et tamen scopum nobis præfixum attigimus : nam ex Martyrolo-* B *giis et his translationibus immemorabilem et diu perseverantem* S. Aredii *cultum dumtaxat ostendere voluimus, et nunc ad Acta ejus examinanda progredimur.*

§ II. Duplicia Sancti Acta, compendium eorum ex Gregorio Turonensi, et dubium de testamento, quod nomine illius Sancti matrisque ejus editum est.

Mabillonius edidit duas Sancti Vitas,

Eruditissimus Mabillonius in lucem dedit duas antiquas S. Aredii *Legendas, quarum unam breviorem, quam Fiacrius Aubry Benedictinus ex Ms. codice Majoris-monasterii eruit, inter Acta sanctorum Ordinis Benedictini seculo primo vulgavit; alteram vero longiorem postea tomo 4 Analectorum pag. 194 et sequentibus edidit, ibidemque pag. 193 lectorem de utraque sic præmonet :* Huic Vitæ *(prius egerat de bre-* C *vi Legenda S. Hieronymi presbyteri)* aliam subjicere visum est, quæ est sancti Aredii abbatis Atanensis, Gregorio episcopo Turonensi [adscriptam] in vetustissimo codice sancti Galli, ex quo eam in nostri gratiam excepit amicus noster Hermannus bibliothecarius. Aliam ejusdem Abbatis Vitam edidimus in seculo primo Benedictino; sed hæc amplior et probabilior est. *Dein pagina sequente veterem titulum, amplioribus his Actis in Ms. codice sancti Galli præfixum, ita exhibet :* In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit Prologus sancti Gregorii Turonici episcopi de vita beati Aredii Lemodicini abbatis.

quarum prima perperam tribuitur S. Gregorio Turonensi,

21 *Ex hoc titulo facile quispiam cum Mabillonio suspicari posset, prolixiorem illam Vitam S. Gregorio Turonensi adscribendam esse. Sed Theodericus Ruinartius Benedictinus, qui eamdem Vitam post authentica S. Gregorii Turonensis Opera recudi curavit, in præfatione ad Parisiensem suam istorum Operum editionem num. 81 de suspicione illa sic disserit :* Vitam sancti Aredii abbatis Atanensis Gregorio Turonensi tributam, aliam ab ea, quæ seculo primo Actorum sanctorum Ordinis Benedictini edita est, eruit noster domnus Johannes Mabillonius e vetusto codice sancti Galli in Helvetia, quæ quidem Gregorio haud indigna videtur, nec multum ab ejus genio aliena : nisi quod aliquæ phrases in ea passim occurrant ex Gregorio Magno, immo et ex beati Benedicti regula contra Gregorii morem mutuatæ. Deinde Gregorius Aredii miracula et res gestas passim celebrat; nusquam tamen illius Vitæ a se scriptæ, quod alias solet, ipse meminit. AUCTORE G. C.

sicut variis argumentis

22 Quamvis momentis istis reponi possit, Gregorium hanc Vitam post suum ex itinere Romano reditum scripsisse, proindeque nihil esse mirum, si in aliis Operibus, quæ antea exaraverat, nullam Vitæ sancti Aredii fecerit mentionem, loquendique modos Gregorii Magni non adhibuerit : qui Roma reversus, ubi, sicut de illo rerum ecclesiasticarum curiosissimo indagatore conjicere licet, Gregorii libros viderat, sicut et beati Benedicti regulam, quæ jam tunc erat celebris, eorum loquendi morem imitari potuisset : sunt tamen alia indicia, quæ suadeant, hanc Vitam Gregorio tribuendam non esse, sed E monacho potius alicui Atanensi, qui eam potissimum ex Gregorii Operibus collegerit; quod ansam præbuerit posteris eam Gregorio adscribendi : ipse enim Gregorius Aredium passim laudat, ejusque Vitæ breviarium descripsit sub finem libri decimi Historiæ.

evincit Ruinartius,

23 Et quidem miracula, quæ Vitæ sancti Aredii subjunguntur, stylum Gregorii non sapiunt. Ita loquitur auctor, acsi episcopus aliquis in Brivatensi vico sedisset : alio in loco de episcopo Turonensi, qui tunc Gregorius erat, eo modo scribit, quo non scripsisset ipse Gregorius. Denique hæc Vita, uti ex ejus prologo patet, scripta est, ut in festo sancti Aredii anniversario legeretur in conventu fidelium. Quæ omnia et alia, quæ legentibus occurrent, innuunt alium a Gregorio fuisse hujus Vitæ auctorem. Hunc tamen paullo post Aredii exitum scripsisse, tum ex rebus narratis colligimus, tum ex capite ultimo, ubi testatur, ea, quæ a se scripta sunt, intra PAUCUM TEMPUS contigisse. Unde concludit, multo numerosiora fore, quæ in posterum scribentur PER PROLIXA SPATIA TEMPORUM, quæ subsequentur, cum frequentia ad Sancti TUMBAM fierent miracula. Ex his autem F omnibus colligere licet, sancti Benedicti regulam jam tunc, id est, seculo sexto labente aut initio sequentis, in monasterio Atanensi receptam fuisse, quam adeo familiarem habuit ille auctor.

cujus opinionem amplectuntur recentiores Benedictini,

24 *Ruinartio consentiunt scriptores illi Benedictini, qui nuper Historiam litterariam Franciæ idiomate Gallico ediderunt, dum tomo 3 istius Operis pag. 499 argumentantur in hunc fere modum : Auctor hujus Vitæ diffusioribus innuit, se fuisse testem oculatum miraculorum, quæ ad tumulum* S. Aredii *recenter defuncti* pauco tempore *patrabantur. Ibidem quoque generatim meminit de miraculis, quæ* deinceps per prolixa spatia temporum, *sive plurimis annis post obitum* S. Aredii *coram sepulcro ejusdem Sancti contigerunt, eaque propter multitudinem singillatim a se narrari non posse significat. At utraque hæc assertio non convenit Gregorio Turonensi, qui forte tumulum* S. Aredii *numquam vidit, et tantum quatuor annis ac paucis mensibus eidem Sancto superstes fuit. Denique ex his et aliis adjunctis conjiciunt, hanc lucubrationem*

nem

AUCTORE G. C. *qui utramque Vitam aliis auctoribus antiquis*

nem potius monacho Atanensi tribuendam esse.

25 *Quidam eruditi viri opinantur, breviorem* S. Aredii *Legendam ex his Actis fusioribus contractam fuisse. Sed e contrario proxime laudati Benedictini existimant, breviorem Vitam prius exaratam esse, et alteri prolixiori scribendæ materiam vel occasionem præbuisse. Duas hujus opinionis suæ rationes allegant, quarum una est, quod auctor brevioris Vitæ simplici et minime quæsito stylo utatur, ubi contra scriptor amplioris eruditionem ab amplificatoribus passim usitatam affectat, suamque lucubrationem textibus sacræ Scripturæ ac sanctorum Patrum exornat. Alteram suæ sententiæ rationem proponunt hoc fere modo : Si brevis Legenda esset compendium longioris, haud dubie breviator etiam contraxisset aliqua miracula, quæ in Vita prolixiore narrantur, et quæ tunc temporis magnopere placebant, ut probatur exemplo S. Fortunati Pictaviensis, qui Vitam S. Remigii Rhemensis in compendium redegit. At compendiosa* S. Aredii *Vita nullum memorat miraculum, quod post exsequias illius Sancti patratum fuerit.*

B

ac fide dignissimis adscribunt.

26 *Denique ex his omnibus argumentis concludunt, non diu post mortem* S. Aredii *forsan ab aliquo monacho Atanensi primam hanc Vitam litteris mandatam fuisse; alteram vero probabiliter ab alio monacho Atanensi operosius compositam esse quindecim vel viginti annis post obitum ejusdem Sancti, quando jam scripta sanctorum Gregorii Magni et Gregorii Turonensis ubique ferme nota erant, et manibus eruditorum terebantur. Quidquid sit de certa biographorum conditione vel determinato scriptionis tempore, ex communi eruditorum consensu liquet, hæc esse duo venerabilia antiquitatis monumenta, quæ severiores etiam critici pro genuinis habent ac merito venerantur. Quamvis autem ea circa substantiam seu præcipua Sancti viventis Acta et miracula inter se concordent, tamen unum ex altero transcriptum non videtur, ut facile curiosus lector observare poterit post hunc Commentarium prævium, ubi utrumque recudetur et Annotatis illustrabitur.*

Tamen S. Gregorius Turonensis

27 *Hic interea dabimus aliud eorumdem Actorum compendium, quod certe tribuendum est S. Gregorio Turonensi, qui in Historia Francorum lib. 10, cap. 29 pleraque* S. Aredii *gesta et miracula summatim ita narrat :* Aredius quoque hoc anno *(nimirum Christi 591, ut chronologi jam consentiunt)* terras relinquens, vocante Domino, migravit ad cælum. Lemovicinæ urbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuus. Hic Theodoberto regi traditus, aulicis palatinis adjungitur. Erat enim tunc temporis apud urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius episcopus, non solum in prædicatione admirabilis facundiæ, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe : qui intuens puerum in regis palatio, nescio quid in vultu ejus cernens divinum, præcepit ei se sequi. At ille, relicto regis palatio, secutus est eum. Cumque ingressi in cellulam de iis, quæ ad Deum pertinent, confabularentur, expetiit Adolescens a beato sacerdote se corrigi, ab eo edoceri, ab eo imbui, ac in Divinis voluminibus ab eodem exerceri.

C

in Historia Francorum et alibi

28 Cumque in hujus studii flagrantia cum antistite memorato degeret, tonsurato jam capite, quadam die psallentibus clericis in ecclesia, descendit columba e camera, quæ leviter volitans circa eum, resedit super caput ejus; illud indicans, ut opinor, eum Spiritus sancti gratia jam repletum : quam cum ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paullulum circumvolans, iterum super caput ejus, aut super scapulam residebat; quæ non modo ibi, sed etiam cum in cellulam episcopi ingrederetur, jugiter comitabatur cum eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione episcopus intendebat. Exinde Vir Dei Spiritu, ut diximus, sancto repletus ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. D

breviter narravit

29 Deinde cum jejuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, ut omnis cura domus, id est, sive correctio familiæ, sive exercitium agrorum, sive cultus vinearum ad eam adspiceret; ne huic Viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret; unum sibi tantum privilegium vindicans, ut ad ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? Construxit templa Dei in honore Sanctorum, expetiitque eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere, in Dei laudibus perstrepebat; sed assidue, etsi quiddam operis exerceret, semper orationem Domino, tamquam odorem incensi acceptabilis offerebat. E

miracula nonnulla.

30 Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat : quorum si singillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Unum tamen novi, quod quicumque ad eum æger advenit, sospes abscessit. De majoribus quoque miraculis parva proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, et sancti Juliani martyris ad basilicam properaret, venerunt vespere in quodam loco. Erat autem locus ille aridus, et absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater ejus : Fili, aquam non habemus, et qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus? At ille prostratus in orationem, et diutissime preces fudit ad Dominum; et erigens se defixit virgam in terra, quam manu gerebat, eamque cum bis aut tertio in gyrum vertisset, ad se lætus exstraxit; moxque unda aquæ secuta est tam valida, ut non solum ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus affatim deinceps pocula ministraret. F

quæ intercessione hujus Sancti Abbatis

31 Nuperrimo autem tempore iter carpens, nimbus ad eum pluviæ advenire cœpit; quem ille cernens, paullulum super equum, in quo sedebat, caput inclinans manus extendit ad Dominum. Consummata vero oratione, divisa est nubes in duabus partibus, ac in circuitu eorum immanis descendit pluvia; super eos tamen nulla, si dici fas est, gutta descendit. Wistrimundo quoque, cognomento Tattonis, civi Turonico dentes gravem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod cum beato Viro questus fuisset, manum super locum doloris imposuit, statimque dolor fugatus, nusquam deinceps ad injuriam hominis excitatus est. Hæc ipse, qui passus est, retulit.

tum in vita

32 De his vero signis, quæ per virtutem

sancti

A sancti Juliani martyris, Martinique confessoris beati in ejus manibus Dominus operatus est, pleraque in libris miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus. Post has vero et multas alias virtutes, quas Christo cooperante complevit, advenit Turonis post festivitatem sancti Martini, ibique paullulum commoratus dixit nobis, se haud longævo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certe velocius dissolvi; et vale dicens abscessit, gratias agens Deo, quod priusquam obiret, sepulcrum beati antistitis osculari promeruisset. Cumque ad cellulam suam accessisset, testamento condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarioque antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteriæ morbo gravari.

33 Sexta quoque ægrotationis ejus die mulier, quæ ab spiritu immundo sæpius vexata a Sancto emundari non poterat, ligatis per se a tergo manibus, clamare cœpit ac dicere: Currite cives, exsilite populi, exite obviam martyribus confessoribusque, qui ad exsequium beati Aredii conveniunt. Ecce adest Julianus a Brivate, B Privatus ex Mimate, Martinus a Turonis, Martialisque ab urbe propria. Adest Saturninus a Tholosa; Dionysius ab urbe Parisiaca, nonnulli et alii, quos cælum retinet, quos vos ut confessores et Dei martyres adoratis. Hæc cum in exordio noctis clamare cœpisset, a domino suo revincta est. Sed nequaquam potuit contineri; quæ rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit; moxque beatus Vir spiritum tradidit non sine testimonio veritatis, quod sit susceptus ab angelis.

tum post obitum ejus

34 Mulierem quoque in exsequiis suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata, ut est sepulcro tectus, a nequitia infesti dæmonii emundavit. Et credo, ob hoc Dei nutu easdem in corpore positus non potuit emundare, ut exsequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum vero funus mulier quædam rictu patulo, sine vocis officio ad ejus accessit tumulum; quo osculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium. *Nihil hic dicimus de altero Actorum compendio, quod in supradicto Ms. codice Pragensi legitur : id enim recentius et ex antiquis biographis contractum est, ut ipse collector* C *anonymus in fine testatur his verbis :* Hæc ex gestis antiquis sancti Aredii sub compendio sunt excerpta. *Si quid tamen in ea synopsi notatu dignum occurrat, illud alia occasione observabimus. Cum vero S. Gregorius Turonensis hoc loco fecerit mentionem testamenti, quod* S. Aredius *condidit, istud jam breviter examinabimus.*

contigerunt.

35 *Mabillonius tomo 2 Veterum analectorum pag. 48 et sequentibus testamentum* S. Aredii *edidit, notisque illustravit, et de illo in Annalibus Benedictinis ad annum Christi 572 num. 48 sic disserit :* Hoc eodem anno Aredius, nobiles inter Lemovices nobilissimus, cum Pelagia matre sua testamentum condidit in gratiam basilicæ sancti Martini apud Turonos, cui Atanense monasterium, paullo ante ab se conditum, in primis commendavit anno undecimo regis Sigiberti..... Jam erectum erat Atanense monasterium, cum Aredius testamentum suum condipit, anno, ut mox dicebam, undecimo Sigiberti, qui Arvernis et Lemovicibus dominabatur. Hoc testamento, vivente ac comprobante Pelagia matre, res suas omnes contulit cœnobio Atanensi, quod Turonicæ sancti Martini basilicæ ejusque Præposito subjectum voluit.

Mabillonius edidit Sancti hujus testamentum,

Aliud testamentum morti jam proximus condidit Childeberti Austrasiorum regis anno sexto-decimo, Christi [quingentesimo] nonagesimo primo, ut priori testamento robur adderet. Posterioris tantum mentionem Gregorius facit. In priori, quod a nobis editum est, heredem constituit sancti Martini basilicam Turonensem, ita ut per ejus Præpositum omnia ordinarentur, præcipue Atanense monasterium, cujus abbatem absque ejus procuratione ordinari vetat. *Ruinartius post Opera S. Gregorii Turonensis col. 1308 et sequentibus* ex archivio sancti Martini Turonensis *istud idem testamentum* nunc primum integrum *dedit, ut in titulo monet, illudque cum notis recudit.*

AUCTORE G. C.

36 *Jam dudum antea Sammarthani tomo 4 Galliæ Christianæ pag. 99 compendium ejusdem testamenti vulgaverant, in quo tempus illius ita exprimitur :* Aredius in Christi nomine peccator presbyter testamentum nostrum scripsi, relegi, sub die pridie Calend. Novembris anno XVII regni domni nostri Sigeberti regis. *At Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 591 num. 6 hanc testamenti* E *synopsin et alia hujusmodi instrumenta pro supposititiis habet, ut ibidem tomo 2 istius Operis pag. 393 innuit his paucis verbis :* Supersedemus genealogiæ, testamento, ac donationibus Aredii, ejusque matris Pelagiæ, quæ describuntur a Labbeo inter Miscellanea curiosa, et a Sammarthanis in Gallia Christiana : nullius enim sunt fidei, fastidiumque pariunt erudito lectori. *Saltem Cointius debuisset aliquas hujus judicii sui rationes afferre. Præterea miramur, novissimos Galliæ Christianæ editores inter instrumenta ad tomum secundum sui Operis col. 177 et 178 eamdem testamenti synopsin recudisse, et hanc Cointii censuram non refutasse.*

quod Cointius rotunde suppositium pronuntiat,

37 *Fortasse Cointius hoc testamentum rejecit, quia conditum dicitur* anno septimo-decimo regni domini Sigeberti, *in quem numerum certocertius irrepsit error, cum Sigibertus tot annis non regnaverit. Sed hanc aliasque difficultates, quæ in illo testamento occurrunt, Mabillonius tomo 2 Analectorum pag. 61 in notis ad hoc instrumentum sic solvere nititur :* Præferenda lectio codicis Vosidensis, in quo legitur ANNO XI REGNI SIGIBERTI. Nam Sigibertus Austrasiorum F rex, Chlotarii magni filius, solidos annos dumtaxat quatuordecim regnavit. Hic suboritur duplex difficultas. Prima est, cur Aredius Lemovix tempus conditi testamenti designet per annos Sigiberti Austrasiorum regis. An tum indiscriminatim numerabantur tempora per annos cujusvis e tetrarchis, qui Gallicanum imperium inter se divisum regebant? An Lemovices Austrasiorum regibus parebant? Certe Brunechildis Sigiberti uxor Lemovicam civitatem aliasque a Gailesuinda germana sua, superstitibus Chilperico et Sigiberto regibus, acquisiisse dicitur in exemplari pactionis relato apud Gregorium Turonensem episcopum in Historiæ Francicæ lib. 9, cap. 10. Et Aredius ipse in aula Theodeberti Austrasiorum regis educatus est, in qua palatina officia exercuit.

ideoque nos authenticam ejusdem fidem

38 Altera difficultas petitur ex tempore conditi testamenti : quippe Aredius, referente eodem Gregorio in libro 10, cap. 29, paullo ante obitum suum, qui anno Childeberti sextodecimo, Christi DXCI contigit, edidit testamentum, mox ut e Turonica urbe reversus est . . . Atqui jam tum ab obitu Sigiberti anni sexdecim

et difficultates in eo occurrentes

AUCTORE G. C.

cim effluxerant. Verum facile est solvere hunc nodum : Aredius enim ex aula Theodeberti reversus, ut se totum rebus divinis traderet, rerum suarum curam in Pelagiam matrem rejecit, ne sibi aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret, unum sibi tantum privilegium vindicans, ut ad ecclesias ædificandas præesset, inquit Gregorius. Postea construendo Atanensi cœnobio manum admovit; tumque simul cum Pelagia matre dotando monasterio testamentum conscripsit; quod postea sub vitæ exitum ratum esse jussit. Itaque duo testamenta scripsit Aredius, sive potius unum idemque testamentum bis edidit. Primum anno XI Sigiberti, Christi DLXXI, vivente ac comprobante Pelagia ipsius matre, ut scilicet monasterio Atanensi, quod tum construebat, res suas omnes conferret. Secundum Childeberti Austrasiorum regis anno XVI, Christi DXCI, paullo ante obitum suum, quo primo testamento robur accederet. De solo posteriori loquitur Gregorius.

eruditis lectoribus

39 *Eruditis examinandum relinquimus hoc prolixum* S. Aredii *testamentum, quod apud Mabillonium tomo 2 Analectorum pag. 48, et*
B *in appendice ad novam editionem Operum S. Gregorii Turonensis invenient. Attamen curioso lectori hic exhibemus aliquod ejusdem testamenti compendium, quod ab editoribus novissimis Galliæ Christianæ post tomum secundum inter instrumenta ecclesiæ Lemovicensis col. 177 et 178 refertur hoc modo :* Ego Aredius presbyter et Pelagia, sana mente, integroque consilio, donamus tibi, sancte Martine, per hujus testamenti paginam, medietatem Gricicuris cum omni jure suo; aliam vero medietatem cum omni jure suo, in Attano consistentes monachi nostri in perpetuo, te S. Martine defensante, possideant; ea videlicet rotione, ut monasterium, quod, Domino inspirante, nos fecimus, et monachos, quos ibi Deus per nos peccatores esse ordinavit, aut inantea Deus ordinare jusserit, id est tam de ingenuis, quam de servis nostris tibi, domne Martine, fecimus ordinandos.

examinandas relinquimus.

40 Commendamus cellam quoque nostram in honore S. Medardi dedicatam, quæ sub Gaudamnaro sita esse videtur, et vulgo Exidolium appellatur, cum omnibus suis pertinentiis monachi Attanenses, te domne Martine defensante,
C possideant. Aredius in Christi nomine peccator presbyter testamentum nostrum scripsi, relegi sub die pridie Calend. Novembris an. XVII regni domni nostri Sigeberti regis. Alidius, rogante domno meo Aredio et Pelagia, testamentum nostrum confirmavit. Pelagia testamentum nostrum relegi et subscripsi. Calpurnus, rogante domno meo Aredio et Pelagia, testamentum hoc confirmavi. Leo rogatus a domno Aredio et Pelagia, testamentum hoc confirmavi. Nectarius testamentum hoc confirmavi, rogante domno Aredio et Pelagia. Sig. Adelfi subdiaconi. S. Nectarii testis. *Hæ subscriptiones nonnihil differunt ab aliis duabus editionibus prolixioris testamenti, sicut illas inter se conferre volenti manifestum fiet. Mabillonius hæret ad* cellam in honore S. Medardi dedicatam, *et pag. 64 circa hanc rem notat sequentia :* Mirum est, jam tum oratoria et ecclesias fuisse conditas in honorem sancti Medardi, qui vix ante annos XXV ad Superos abierat. *Forsan aliqui veterum hujusmodi instrumentorum peritiores reperient alias difficultates in hoc testamento, de quo ipsi cum Cointio (solidas tamen rationes allegari cupimus) liberum judicium ferre poterunt. Nos interim* D *utraque Sancti Acta jam prælo subjiciemus, eaque consuetis annotationibus illustrare non gravabimur.*

VITA PRIMA

auctore coævo

Ex editione Mabilloniana inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini, seculo primo pag. 349 et sequentibus.

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, pueritia vel adolescentia, virtutes et miracula. E

Sanctus a nobilibus parentibus

Aredius igitur beatissimus in Aquitaniæ provincia, ultima pene Occidentalis plagæ Gallia; ex urbe Lemovica *a* oriundus, tantæ nobilitatis inter proceres militiæ Christianæ futurus, secundum sæculum quoque nobilissima, videlicet regia *b*, quodque sublimius, bene Christiana prodiit parentela. Pater illius Jocundus *c*, mater est appellata Pelagia *d* : quorum tanta perhibetur fuisse religiositas vitæ, tanta Christianæ observatio disciplinæ, ut de eis quoque merito dici posset, quod de Zacharia et Elisabeth ait Euangelista : Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.

pie educatus

2 Itaque natum Aredium qualiter in Dei timore ac sinceritate fidei erudiri studuerit talium cura parentum, satis evidens est ipsa eorum religiositas argumentum : quorum studio accessit et curæ tanta pueri docilitas, bonitasque naturæ, ut jam tunc spem de se præberet in futurum magnificam, qui puer tam ingeniosus esset, et animam cerneretur habere tam bonam. F Proinde bonitas eadem in ipsis puerilibus annis multimodis scintillabat indiciis, tum capacitate tum quoque mansuetudine ingenii, morum pariter dulcedine et amore discendi omnino postremo, quantum intelligere poterat dilectione virtutis, atque odio totius vitiositatis.

aulico ministerio addicitur,

3 Itaque puerili levitate calcata adolescentiæque deinceps propulsa lascivia, eruditionum studiis insistebat litterarumque doctrinis. His atque istiusmodi pluribus, tam in virtutibus animi quam probis actibus; ipsa tamen generosissimæ nobilitas parentelæ, et illius prædicabilis strenuitas de domo illum parentum regiam transire coegit in aulam, et sub rege Theodeberto *e* palatinis se mancipavit officiis. Denique cancellarii sortitus officium, fideliter ac sapienter ministerium adimplebat injunctum.

quo relicto, perfectiorem vitam ducit.

4 Interea dum cum ætatis incremento divinus in eo jugiter increscerct timor, amorque sanctitatis magis magisque penetraret intima cordis, puram ac nitidam habere cupiens coram Deo conscientiam, memorans illud Psalmistæ Domino supplicantis : Delicta juventutis meæ,

et

A et ignorantias meas ne memineris; omnes actus adolescentiæ suæ, qui conscientiam illius remordere poterant ac fuscare, optimum necessariumque duxit cuidam Christi sacerdoti, sancto scilicet Nicetio *f*, Trevirensi episcopo confiteri, ut illius judicio acta de transactis pœnitentia, tanto liberius tantoque licentius sanctiorem deinceps tentaret agere vitam, quanto de præteritis mundam habere posset conscientiam ac securam. Cujus piæ intentioni, ac optimæ voluntati, adhortatio quoque prædicti sanctissimi sacerdotis accessit. Instanter namque illum admonere curavit, ut vanissimam sæculi deserat penitus pompam; inutiliaque reputans (ut vere erant) palatina declinaret officia, et jocos ac fabulas omniaque ludicra gesta, quæ in aula regia jugiter agebantur, quantum noxia essent ac perniciosa perpendens, fugeret penitus, et modis omnibus evitaret.

et sanctitas ejus indicatur a columba,

5 Interea Viro beatissimo in tali cursu vitæ forti constantia perseverante, accidit quadam die, ut per plateam illo transeunte, columba de camera aulæ regalis egressa super caput illius insi-
B deret, nec eam ille a se abigere ulla ratione valeret, quousque pontificis domum, ad quam tunc forte tendebat, intraret. Sed nec tunc quidem eo, unde venerat, rediit, quousque nox imminens concludere diem cœpit. Tum vero regressa, nocte transacta, die iterum reddito, ipso ad ecclesiam properante cum clero, advolans rursus pari modo capiti insedit illius. Ita per continuatos triginta dies agens, hoc est quotiescumque ille de domo ipsa egrederetur, quousque regrederetur, nulla territatione recedens sancto quidem Viro verecundiam non modicam ingerebat.

quod indicium biographus mystice explicat.

6 Sed ut creditur, ejusmodi res per tot dies non frustra fiebat. Fortasse enim per hoc, illud effectum ostendebatur, quod idem sanctus Dominum, ut intimatum est superius, instantissime precabatur; integre scilicet sibi esse reformatam illam sancti Spiritus gratiam, quam in baptismatis regeneratione perceperat, in quantum videlicet illam postea aliquibus fortasse delictis amiserat. Quod enim per columbæ speciem gratia spiritualis intimari soleat, nullus, qui Euangelium fideliter audivit, ignorat: ubi legitur super Do-
C minum baptisatum in specie columbæ ipsum descendisse Spiritum sanctum. Sed et numerus triginta dierum numero congruere videtur annorum, quem Dominus tunc agebat, quando venit ad baptismum; et quando super eum Spiritus sanctus in ea specie est ostensus: in quo etiam numero quia perfectio quædam denarii numeri videtur tripliciter contineri, potest quoque per eum intimari perfectio vitæ ac sanctitatis in fide recta sanctæ Trinitatis.

Sanctus cæcum illuminat,

7 Homo quidam caligantibus oculis ad cæcitatis deductus ærumnam, desistente terrena, cælestem quæsivit ab Aredio beato medelam: quam idem hominis miseria animique proprii misericordia compellente, mox precibus ad Christum fusis obtinuit, cæcoque petenti protinus impertivit. Itaque gavisus rediit videns, qui mœstus advenerat cæcus.

g

alium dolore dentium statim liberat,

8 Alius nomine Guiestremondus *g* pessimo dolore dentis attritus, et aliquamdiu dirissime tortus, fortuito occurrit eidem sancto a Turonis revertenti, a sepulcro scilicet beati Martini, quod orationis gratia sæpius expetere solitus erat: qui cum unam hominis maxillam, altera in sui tenuitate manente, tumefactam cerneret, qua sibi causa id obtigisset, eumdem interrogavit: ille quanto dolore dentis unius ex illa faciei parte attereretur, multum inde conquerens indicavit. Tum Sanctus doloris locum tumoremque illum sacra manu compalpans; Modo, inquit, sanaberis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et virtute beati Martini, cujus sacratissimi corporis præsentiam licet indignus, devotus tamen adivi. Quo dicto, vexilloque Crucis super locum doloris ejus (ut sibi mos erat) effigiato, dolor protinus conquievit, immo vero totus abscessit, tumorque subsidens pristinam ambarum æqualitatem decoremque maxillarum mira celeritate reduxit.

Ex impressis.

oleum mirabiliter auget,

9 Et quia mentionem fecimus itineris, quo sæpe Turonum adibat ad revisendum beati Martini sepulchrum; parum quiddam, quod ibidem aliquando egit, non putamus omittendum. Uxor cujusdam Turonici monetarii, nomine Rigovera, ampullam cum oleo fere dimidiam sancto obtulit Viro, sua idem oleum deposcens benedictione sanctificandum. At ille jactantiæ quantum plures alii studiosi assequendæ, tantum ipse semper cupidus fugiendæ, ne aliquid sanctificationis, virtuti E
adscriberetur propriæ benedictionis, aliam potius de chrismario suo protulit ampullam, oleum quod de sancti Martini ecclesia tulerat continentem; ex quo cum guttulam aliquam alteri illi infudisset, ampulla Dominica prius cruce signata, quæ ut jam diximus non plus videbatur esse quam dimidia, subito ad summum est usque repleta, atque insuper redundans adhuc oleum in vase alio necessario est exceptum, nec aliquid favente Deo sacri liquoris perditum, atque effusum *h*. Ita Vir *h*
sanctus facile videntibus persuasit, virtutem ibi operatam esse, solamque admirari debere sancti Martini, cum certe fides humilitasque ipsius, quia et de virtute non præsumebat, et gloriam præferebat illius, tantæ expers esse non posset operationis effectus.

visione et voce energumeni absens innotescit,

10 Alio rursum tempore ad festivitatem ejusdem beati Martini more sibi solito Turones properavit: quo cum pervenisset, et nocturno tempore episcopo cum clericis in ecclesia psallentibus, ipse illum gratia orationis expeteret, accidit, quemdam ex diaconibus aspiciente episcopo ipso somno gravari: a quo excitatus, et cur dormitaret blande correptus ita respondit: Videbam te, pater, modo per somnum ecclesiæ fores egredientem, et beato F
Aredio Lemovicensi abbati honorifice occurrentem. Vix clericus verba compleverat, et ecce per quemdam ex energumenis dæmon exclamat, Aredii se præsentiam ferre non posse. Quo audito, episcopus tam ex somno clerici quam ex voce arreptitii non habuit ambiguum, proximum esse Aredii beati ad ecclesiam properantis adventum; statimque cum abbatibus, qui secum erant, et universo clero, pluribus luminaribus accensis, cum ingenti honore præ foribus ecclesiæ vere honorando occurrit Aredio. Ita cum lætitia magna gaudioque multo ecclesiam ingressi, in Dei laudibus sacrisque noctem magnifice pariter deduxere vigiliis. Denique gaudium divinitus revelatæ occursionis plurimum adauxit virtus divinæ per virum beatissimum operationis, dum infirmi ac debiles orationibus illius sanitati restituti complures et sibi et aliis cum admiratione ingentem protulerunt exultationem.

varios ægros sanitati restituit,

11 Item ad aliam nihilominus beati Martini festivitatem, Turonicam Aredius beatus expetiverat civitatem: cui cum quidam paralyticus cruribus contractis per terram manibus reptans et

pedibus

Ex impressis. pedibus occurrisset, ille supernam invocans majestatem Martinique satis expertam omnibus sibimetque sæpe virtutem, blanda manu arida attrectare cœpit paralytici crura; mox salubrem tactum restrictio restitutioque dissolutorum subsecuta membrorum, firmis fecit vestigiis hominem consistere sanum. Fatebatur autem ille Beatissimus, sancti Martini manum, velut cum sua, debilia contrectantem hominis crura : ac si totum asseberat illius reputandum esse meritis et virtuti, quidquid ipse in reformatione debilis i valuerat operari *i*. Neque vero hunc solum, sed per ingentem illam sibi collatam gratiam sanitatum nullum pene occurrentem sibi infirmum, non statim reparato vigore remisit ad propria sanum. Ex energumenis quoque tot ereptos dæmoniacæ potestati sensibus propriis, et antiquæ reddidit libertati, ut personarum numerus aut nomina per singula nequeant annotari.

aliisque miraculis coruscat. 12 Dum vice quadam idem Sanctus, nocturnis vigiliis in ecclesia celebratis, inde fuisset egressus, visus est illi velut quidam igneus globus super suam cælitus descendere cellam. Sed cum B manifestus, quidnam esset, nondum agnovisset, ait uni ex discipulis secum comitanti : Quisnam ille est, qui tali hora ardentem quam cerno faculam gestat? Interea illo rem admirante, globus ille, qui apparuerat, velut a tecto cellæ conscendens remeavit ad sidera. Tum manibus expansis ad cælum magnificentiæ divinæ gratias cœpit immensas laudesque Deo referre, quæ se suumque locum dignata esset visitatione superni luminis illustrare. Discipulus vero, qui lumen idem viderat cum ipso, quidnam esset hoc curiosius perquirebat ab eo, quodque tantum cælitus revelatum beatissimo Viro mysterium. Cui Sanctus leniter increpans; Sile, inquit, sile, mysterii cælestis ignare, beatumque Martinum dignantissima sua miseratione, nostrum hunc visitasse locellum addisce, sidereaque luce micantem ad sedem remeasse cælestem.

ANNOTATA.

a *Lemovicum vel Lemovica vulgo* Limoges *est passim nota Galliæ civitas, quæ alibi Latine* C Lemodia *appellatur. Deinceps ad tam celebres civitates nihil annotabo, nisi nomen earum ita exprimatur, ut vix agnoscantur.*

b *Habeo præ manibus quamdam Ms. genealogiam* S. Aredii, *in qua majores et consanguinei ejus recensentur. Sed nescio, quam fidem istud instrumentum mereatur, cum Cointius genealogiam et testamentum ipsius rotunde rejiciat, ut § 2 Commentarii num. 36 retuli. Certe ex antiquis biographis constat, illum ex illustri stemmate ortum esse, quod nobis sufficit, quamvis singulos ejus avos et abavos confidenter enumerare non audeamus.*

c *In aliquibus editionibus apud S. Gregorium Turonensem lib. 2 de miraculis S. Martiani cap. 39* Rinoscindus pater ejus *vocatur. Sed mendose, sicut ad hunc textum monet Ruinartius in sua editione, qui in aliis Mss. codicibus legit* Renosindus *frater ejus, et ideo ad ampliorem* S. Aredii *Vitam, quam in Appendice ad Opera S. Gregorii Turonensis recudit, iterum notat, se ex Mss. codicibus et utrisque Sancti Actis hoc mendum correxisse.*

d *Gregorius Turonensis in libro de gloria confessorum cap. 104 matrem* S. Aredii *eodem nomine appellat, eamque meritis laudibus ibidem* D *ornat, ut die sequenti videbimus.*

e *Anno Christi 534 Theodebertus regnum Austrasiæ adeptus est, illudque quatuordecim annis administravit, ut chronologi passim tradunt.*

f *In Martyrologio Romano hic sanctus antistes Trevirensis annuntiatur die 5 Decembris, quo plura de gestis ejus dicenda occurrent.*

g *Hic vir in Gregoriano Actorum compendio, quod § 2 Commentarii prævii exhibuimus, vocatur* Wistrimundus, *ex cujus testimonio Gregorius Turonensis ibi num. 31 idem miraculum refert.*

h *Sanctus Gregorius Turonensis lib. 3 de miraculis S. Martini cap. 24 etiam istud prodigium narrat his verbis :* Sed revertamur ad Aredium nostrum, immo etiam peculiarem, ut ita dicam, beati confessoris alumnum, cui sæpius de suis pignoribus cernere miracula præstat. Hic ad festivitatem Sancti cum illa, qua solitus est, benignitate, humiliter et caritate pervenit. Regrediens vero ampullam parvulam de oleo sancti sepulcri completam secum detulit dicens : Forsitan infirmus aliquis in via adest, qui a beati E Martini æde benedictionem corde compunctus accipere desideret. Denique in quodam loco devota mulier accessit ad eum exhibens ampullam aliam cum oleo, dicens : Rogo te, serve Christi, ut tua hoc oleum benedictione sanctifices. At ille, ne vanitati subjectus videretur, ait : Parva est virtus mea; sed, si placet, oleum de sepulcro beati Martini habeo, ex quo hoc oleum perfundatur. Tu vero, si credis ejus virtutem magnam, ex hoc salutem hauries. At illa gaudens petiit expleri, quæ presbyter loquebatur : vas etenim illud medium erat. Cumque de hoc liquore, qui a basilica sancti assumptus fuerat perfunderetur, protinus ebulliens oleum ampullam usque ad summitatem implevit. Quod matrona cernens, admirans virtutem confessoris beati, domum regressa est gaudens.

i *Laudatus Gregorius lib. 4 de miraculis S. Martini similia narrat de muliere paralytica,* quæ per octo annos carrucæ superposita, in atrio beati confessoris decubuerat. *Sed id aliquo modo conciliari potest, cum ibidem mentio fiat de pluribus viris paralyticis eo tempore sanatis.* F

CAPUT II.

Ultimus Sancti morbus, notitia mortis imminentis, pia monita, obitus, et locus sepulturæ mirabiliter assignatus.

Cum jam ad senilem Aredius beatissimus pervenisset ætatem post labores innumeros viriliter ac fortiter toleratos, cum jam amplius octoginta esset annorum, prænoscens jam sui corporis imminere dissolutionem, quadam die suis monachis tristem satis ita inde intulit mentionem : Velim sciatis, fratres carissimi, quod me Dominus de laqueis deque laboribus hujus vitæ, in proximo dignabitur liberare. Quo illi audito, mœstis a cordis profundo suspiriis atque gemitibus tractis, orare cœperunt, ne se adhuc *Sanctus senex, obitu suo prænuntiato,*

desereret,

A desereret, sed ad salvationem tam suarum animarum quam et aliarum multarum a Domino sibi vitæ peteret commeatum. Quorum ille compatiens mœrori, ipse quoque in lacrymas resolutus, ita dehinc dolentium mentes relevare cœpit atque consolari : Si me, dilectissimi, veraciter amatis, gaudere debetis potius ac lætari, quia colligendorum mihi fructum tot laborum tamdiu desideratum, miserante Deo, tempus advenit *a*.

a

14 Igitur non longa intercesserat mora, cum infusa corpori febre gravissima, angustiari graviter cœpit. Tum puero quodam accito talia per eum nobili cuidam ac religioso viro mandavit, nomine Astedio *b*; Dic illi, inquit, ut ad me festinanter venire deproperet : quia me de hac vita migrante, ipse pastoralem hujus cœnobii curam, Domino volente ac jubente, suscipiet. Qui si ullam veniendi fecerit moram, in hac luce viventis ulterius non videbit faciem meam. Quæ quidem ut mandata, ita sunt et completa. Namque ipso aliquantum remorante Astedio, ubi tandem venit, Sanctum jam defunctum invenit.

in morbum incidit.

b

B

15 Cum vero jam desiderata dies, nono scilicet Kalendas Septembris *c*, adesset, convocatis novissime discipulis, hujusmodi illos allocutus est verbis : Ego, fratres, ut prædixeram, communem patribus universis ingredior viam. Vos moneo, vos rogo, vos visceribus totius affectionis adhortor, ut mandata quamprimum Domini amore intimo affectuque integro illibata servetis, ac deinde caritatis mutuæ inter vos ipsos pacta fidelia sincerissime custodire curetis. Requiem post mortem jam nunc et ego opto præsentem, et de Dei ac Domini nostri bonitate, misericordiaque confidens, dissolvi cupio, et esse cum Christo : et eamdem requiem Christique consortium idem vos quoque jugiter optare, ac bonis operibus incessabili moneo labore conquirere : harum monitionum mearum meique ipsius memoriam habete, quæso, perpetuam.

et post pia monita

c

16 Talibus Patris beatissimi dictis amarissime rursum circumstantium filiorum luctibus concitatis et lacrymis, in hanc omnes erumpunt vocem luctuosi clamoris : Cur, pater piissime, filios mœrentes deseris ac desolatos? Diuturna quidem nobiscum tua conversatio fuit, sed tam desiderabilis, tam dulcis, ut amissa nec recuperanda, merito videatur fuisse brevissima. Porro tibi diuturnitas laborum, etsi tardaverit, præmia augmentabit, dum procurabit recipiendorum quandoque merita præmiorum. Totam ergo sollicitudinem tuam ad nostræ, quæsumus, salvationis impendito curam, quibus noxia tua erit absentia, cum tibi præmiorum interim nequaquam sit dilatio nocitura. Domini, ait ille Beatus, voluntas ex hoc principaliter impleatur : verum si me ille corpore a vobis jam nunc voluerit separare, nequaquam vel hinc vos oportebit tristiores existere, cum præsentior atque valentior vobis adjutor, favente Deo, spiritu possim esse, quam carne. Quapropter non amplius me, quæso, vestris jam lacrymis, vel luctibus fatigetis, vestrique afflictione mœroris cor meum diutius affligatis : omnem sollicitudinem vestram, ut dudum monueram, in Deum omnipotentem misericordemque projicite; cui curam esse de vobis juxta assertionem Apostolicam confidentia tota sperate.

discipulis suis data,

C

17 His præmissis, in ultimo dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Ita beatissima illa anima audiens intus vocem dicentis Domini : Surge amica mea et veni, corruptibilis carnis vinculis absoluta, et de mundanis tenebris in auras cælestis libertatis educta, evocanti se atque educenti vocibus respondens æternæ gratulationis : Dirupisti, ait, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Denique cum jam hora videretur noctis esse secunda, globus lucis immensæ super cellulam, in qua Sanctus decumbebat, de cælo visus est descendisse, ac statim ad cælum nihilominus ascendisse.

Ex impressis. feliciter ex hac vita migrat,

18 Tum deinde corpore ex more composito atque in feretro collocato, totam in Psalmis et Hymnis pervigilem beati Magistri deduxere discipuli noctem. Mane autem facto, ingens convenit populi multitudo, sed et Lemovicensis Pontifex urbis, in superioribus memoratus, nomine Ferreolus *d*, nuntio de transitu ejus accepto, cum omni festinatione iter eo properavit accelerare. Quo tandem perveniens, et super carissimi sibi Sancti corpus cum multis lacrymis ac lamentationibus procumbens, eo quam maximum sibi fatebatur incumbere dolorem, quod eum in postremis positum nequivisset invenire superstitem. Dein cum sacratissimum corpus ad ecclesiam beati martyris Juliani *e*, quam a fundamentis exstruxerat idem Vir beatus, deferendum decrevissent et ibidem tumulandum, feretrum, quo jacebat, movere non potuerunt.

ac locus sepulturæ ejus

d

E

e

19 Cum igitur ob impossibilitatem movendi corporis Ferreolus Pontifex stupidus pariter factus esset et tristis, tam sibi ipsi clericisque suis, quam universæ, quæ convenerat, multitudini jejunium triduanum indixit, atque a Domino petendum admonuit, ut quænam esset sua, Sanctique ipsius super sui tumulatione voluntas, omni remoto designaret ambiguo. Tertio itaque peracto jejunio, rursus ad levandum ac deportandum sacrum corpus accedunt. Tum vero a duobus tantum summa cum levitate sublatum est atque delatum ad sepulturam, vocibus immensis gaudiisque magnificis Dei mirabilia et Sancti virtutem magnificantibus universis. Et vere magnificanda totisque fidelium votis, dignis præconiis attollenda, et in morte virtus illius claruit, et in vita. Glorificatus est itaque coram hominibus in terris, glorificatus est etiam coram Deo, immo cum Christo gloriatur in cælis; qui cum Deo Patre vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

mirabili modo assignatur,

F

ANNOTATA.

a *Gregorius Turonensis in compendio Actorum testatur, sese ab ipso* S. Aredio *prædictionem imminentis mortis etiam audivisse, sicut num. 32 Commentarii prævii relatum est.*

b *Hic Astedius post mortem* S. Aredii *præfuit monasterio Atanensi, quemadmodum apud novissimos Galliæ Christianæ editores tomo 2, col. 547 videre est.*

c *De alterutro die, quo Sanctus obiit, num. 4 Commentarii prævii sententiam anonymi editoris Usuardini Martyrologii retulimus.*

d *Castellanus in Martyrologio suo universali inter ahemeros pag. 930 hunc Ferreolum episcopum Lemovicensem ornat titulo* venerabilis, *et corrigit Adrianum Bailletum, qui in Legenda sua Gallica eumdem numero Sanctorum adscripsit. Sed ipse Castellanus videtur hoc loco corrigendus,*

EX IMPRESSIS. *gendus, cum sanctus ille præsul ad diem 18 Septembris in Breviario Lemovicensi habeat Officium et publice colatur.*

e *De ambiguo sepulturæ loco sat multa diximus in Commentario prævio, num. 6 et sequentibus.*

VITA ALTERA

auctore anonymo synchrono vel subæquali

Ex veteribus analectis, quæ Mabillonius anno 1685 Parisiis edidit, tomo IV, *pag.* 194 *et sequentibus.*

B

PROLOGUS.

Auctor asserit, exempla Sanctorum

Quotiens Sanctorum gesta narramus, et in eorum actibus et exemplis mentem figimus, vel imitatores esse desideramus, ne in hujus exsilii ærumna laqueo capti teneamur. Tantum igitur a superna gratia illustramur, quantum humiliato corde ad alta Dei contemplatione conscendere valemus. Ideoque libere non audemus cum possimus sermone vel tenui ædificationis pandere historiam plebi : præsertim cum apostolica admonemur auctoritate de Sanctorum vita seu virtutibus nonnulla commemorare, ut scriptum est; « Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt » regna mundi, ut sit memoria eorum in bene» dictione, et nomen illorum permaneat in » æternum. » Et illud : « Memoria Sanctorum » cum laudibus. » Cum ergo anniversario *a* curriculo Sanctorum solemnia celebramus, aliqua ex eorum gestis ad ædificationem convenientibus Christianis in laudibus Christi recitare debemus. Quomodo igitur omnium pæne miracula Confessorum, et multiplices Martyrum victoriæ jam monimentis litterarum habentur inditæ; nos modo juxta qualitatem ingenii, vel exiguum aptare tentavimus hunc libellum; in quo de ortu, vel vita, seu et de glorioso sancti ac beatissimi Aridii Confessoris obitu, adjuvante gratia Christi, explicare curamus : ut cujus est vita cum Christo, memoria ejus cum gloria celebretur in mundo.

C

ad imitationem populo proponi.

2 Sancti scilicet Patres nostri studuerunt in sæculo nihil amare, ut legaliter ac perfecte proximos diligerent, ut in una caritate conglobati coheredes Christi efficerentur et participes. Plerique vero a primæva ætate, nonnulli in adolescentia vel in juventute, multi in senectute militantes, Domino adhærere conati sunt : ut qui dudum testamenta mundi toleraverunt, quandoque ad Christum sine macula remearent. Plus namque ædificat exemplum boni operis cum simplicitate vigoris, quam multa prædicatio cum tumore vanæ gloriæ. Prædicator vero egregius, Doctor gentium perhibet dicens : « Stulta mun» di elegit Deus, ut confundat fortia. » Et illud : « Sapientia hujus mundi stultitia est apud » Deum. » Electi vero in prosperis mundi non elevantur, ut adprehendere valeant post triumphum coronam. Quia si consideremus, quæ et quanta nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo, quæ cernuntur in terris *b*. D

ANNOTATA.

a *Ex illo loquendi modo suspicor, hanc Vitam* S. Aredii *in anniversaria ejus festivitate populo recitatam vel prælectam fuisse. Hinc etiam antiqua ipsius veneratio confirmatur.*

b *Hæc est phrasis S. Gregorii Magni Pontificis, ut eruditus lector facile observat. Biographus etiam alibi phrasibus ejusdem S. Gregorii et S. Benedicti utitur, ut Mabillonius in margine notavit.*

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, educatio, ministerium aulicum, conversio ad perfectiorem vitam, variæ virtutes, et publicum sanctitatis indicium. E

Sanctus nobili stirpe ortus Lemovici.

Igitur beatissimus Aridius Aquitaniæ provinciæ, in ulteriore Gallia, quæ ad plagam respicit occidentalem, parentela nobili generatus Lemodiæ *a* civitatis oriundus fuit, ut esset lucerna cunctis fidelibus, Domino condonante, militibus suis. Pater vero ejus, cognomento Jocundus *b*, genitrix vero beata Pelagia *c* vocitata est : quibus vita testatur esse religiosa, ut imitantes exemplum Zachariæ et Elisabeth, nisi quod Johannes in medio non erat *d*, incedentes in mandatis Dei, ut essent sine querela.

et a parentibus pie educatus,

4 Natus ergo Aridius atque nutritus est in fide recta, denique a parentibus Christianis catholica religione imbutus, jam pueritiæ annos excedens, ævum adolescentiæ cum magna industria gerebat. Cum autem cernerent parentes ejus, in adolescentia filium salubrem viam adeptum, studio religionis ornatum, tradunt litteris erudiendum : qui mox in tantum divina gratia inlustratus est, ut multi mirarentur ejus eloquentiam in ejus verbis, cujus sermo dulcis ore mellifluo flagrabat cunctis. Cor senile gerens, nulli animum voluptati dedit, ne captus ærumna sæculi teneretur obnoxius. F

aulam Theodeberti regis deseret,

5 Interea regi præcellentissimo Theothberto *e* commendatur, ut eum instrueret eruditione palatina. Invenit ergo Aridius gratiam coram Domino, et coram rege, et ferebatur ejus testimonium ab omnibus, in tantum, ut Cancellarius *f* prior ante conspectum regis adsisteret; crescebatque honor cum magno favore de die in diem. Omni ex parte probatus vernabat in aula. A quo tanta familiaritate habitus est, ut pluris felicitas ejus ingens gigneret odium. Oderat quippe superbiam, diligebat veritatem : sed plane illum boni admirabantur. Sectabatur itaque indeficienter caritatem, mansuetudinem, et humilitatem. Diligebat enim Dominum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente sua. Erat quoque serenus conspectu, tranquillus moribus, semper opera bona factis amplius quam verbis ostendebat, spem suam semper Christo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens, semperque

mens

A mens ejus præcepta cælestia meditabatur.

et ab episcopo Trevirensi

6 His ita gestis non post multum temporis, cum jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Domino exhibere sanctificatum, ac metuens futura tremendaque judicia, ut ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspectu viri beatissimi Nicetii *g* episcopi confessus est. Denique commonitus interea divinitus per præfatum Nicetium Trevirorum civitatis Episcopum, sæculi pompam fugiens, mundi oblectamenta, ac regalis palatii vanas superstitiones, et indisciplinatas sociorum fabulas declinando, se sub Regulæ censura, ad contemplandam cælestis patriæ palmam contulit. Sicque sibi austeram imponens pœnitentiam, cœpit viriliter colluctationi carnis, spiritus fervore resistere. Proponebat namque sibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicii ignes. In laboribus scilicet, secundum Apostolum, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in suavitate, in patientia multa, atque in caritate non ficta.

ad perfectionem vitæ normam excitatus,

7 Precabatur igitur Dominum pro donis cælestibus, orabat Christum diebus ac noctibus, adimebat sibi saturitatem panis, ut posset cælestem sibi promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpusque ejus valde aridum B marcescebat, sed mens ejus æternorum æstuabat desiderio. Semper autem præsentis vitæ terminum intuens, ac futuram Domini sententiam, seu metuenda judicia formidabat, sciens quod scriptum est : « Beatus homo, qui est semper pa- » vidus. » Nec non et illud, quod a Job dictum est : » Semper enim quasi tumentes super » me fluctus timui Dominum. » Et illud Apostoli : « Cum timore et tremore vestram salutem » operamini. » Ante Dei namque conspectum noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis rigans, oculis ad cælum elevatis, illum semper respiciebat, quem fortasse vel in minimis delinquendo se offendisse timebat : ac cum lacrymis Davidica voce hæc verba enixius deprecabatur : « Tibi soli peccavi, miserere mei Domine » secundum magnam misericordiam tuam. » Et semper ad illud tendens quod Apostolus dixit : « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor » hominis ascendit, quod præparavit Dominus di- C » ligentibus se. »

varias virtutes exercet,

8 Hæc igitur meditando, quanto plus proficiebat tanto amplius humiliabatur, juxta quod Veritas in Euangelio dicit : « Qui se humiliat » exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabatur », quanto plus humiliatus fuisset, tanto amplius proficeret; et ut etiam quanta fuit ei mœstitia, tanta fieret venia. O profunda benignitas Domini, o simplex pœnitentia! frequentique jejunio, misericordiam quam poscebat, a Domino impetrarat. De talibus quippe per Prophetam Dominus dicit : « Dedi ei timorem, et timuit me, » et a facie nominis mei pavebat. » Hinc iterum scriptum est : « Qui timet Dominum nihil » trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse » est. » Et rursus : « Timor Domini expellit » delictum. » Inter hæc autem Dominum pleno vigore deprecatus est, ut ejus pœnitentia ante Christi conspectum esset accepta. Deinde his initiatus armis, in Christi militia se artius stringens, ad normam irradiabat Ecclesiæ.

ejusque sanctitas publico indicio innotescit.

9 Quadam die dum cursum tenens *h* purissimæ conscientiæ, veniens columba delapsa de camera, considens super ejus caput, pergebat cum eodem, comitata par plateam. Quam removere a se vir Dei Aridius non poterat, donec sui pontificis ingrederetur cellulam. Cum vero declinaret dies ad vesperam, redibat ipsa qua venerat. Mane autem facto, revertente jam clero ad ecclesiam, ipsa super caput ejus, sicut prius fecerat, descendebat. Qua per dies XXX, sicut ipse secrete locutus est, non cessante columba, hanc verecundiam Vir Dei pertulit, datam supernam gratiam præsagiebat, ut aperte daretur intelligi, jam tunc divina largitione semel super eum Spiritum descensurum. Unde et Veritas discipulis testatur dicens : « Si quis dili- » git me, sermonem meum servabit, et Pater » meus diliget eum, et ad eum veniemus, et » mansionem apud eum faciemus »; quia dignum erat ut innocentiam mentis custodisset, ei visitatio Spiritus sancti adesset. A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Hoc urbis nomine significatur* Lemovicum *vel* Lemovica *clara Galliæ civitas, vulgo dicta* Limoges, *ut in Annotatis ad Vitam primam monuimus.* E

b *Hinc confirmatur opinio Ruinartii recte corrigentis mendum, quod in aliquas Gregorii Turonensis editiones circa illud nomen irrepserat.*

c *Hic observari meretur, quod mater Sancti ab antiquo illo biographo vocetur* beata. *Sed hunc titulum examinabimus die sequente, quo ista Pelagia in recentioribus quibusdam Martyrologiis annuntiatur.*

d *Ista biographi observatio tam obscura et ambigua est, ut vix intelligam, quid har phrasi significare velit. Itaque conjecturis agendum est. Quispiam forte dicet, hos Sancti parentes Zachariæ et Elisabethæ similes fuisse, si excipias, quod habuerint filium, non* Joannis, *sed* Aridii *vel* Aredii *nomine appellatum. At nimis frigida videtur allusio ad hanc dissimilitudinem. Alius suspicari posset, similitudinem in eo consistere, quod mater* S. Aridii *esset antea sterilis, et ambo processissent in diebus suis, adeoque filium non haberent, ut in Euangelio S. Lucæ de Zacharia et Elisabetha legimus. Verum in his Actis nulla fit mentio istius sterilitatis, et jam supra filius eorum* parentela nobili generatus *dicebatur. Forsan auctor indicare voluit, hos parentes in eo dissimiles fuisse Zachariæ et Elisabethæ, quod his unicus Joannes in medio erat, et illi plures filios haberent : nam ex correctione Ruinartii et supra memorato testamento apud Mabillonium tomo 2 veterum analectorum pag. 55 et 65 colligimus, Rinoscindum et Eustadium germanos S. Aredii fratres fuisse. Hæc ultima conjectura magis placet, licet aliam quamlibet probabiliorem libenter amplexuri simus.* F

e Theothbertus *vel* Theodebertus *Austrasiæ rex factus est post mortem patris anno Christi 534, quemadmodum supra ad Vitam primam rursus annotavimus.*

f *De hoc munere passim noto consuli potest auctius Cangii Glossarium tomo 2 col. 131 et sequentibus, ubi nominatim recensentur illi cancellarii, qui sub secunda regum Francorum stirpe floruerunt.*

g *Die 5 Decembris de hoc sancto præsule agendum erit cum Martyrologio Romano, quamvis Acta ejus apud Surium die prima Octobris referantur.*

h *Pro* tenens *legendum esset* teneret, *ne vitiosa sit periodus. Plures hujusmodi luxati sensus*

A. ANONYMO.

sus in his Actis occurrunt, qui forsan ab imperitis amanuensibus corrupti sunt. Cum non habeamus alia ejusdem Vitæ apographa, et Ruinartius pleraque hæc et similia menda in secunda horum Actorum editione reliquerit, nos ex solis conjecturis ea corrigere noluimus, dummodo mens auctoris utcumque intelligatur. Hoc semel lectorem monuisse sufficiat.

CAPUT II.

Sancti reditus ad patriam, vita solitaria, constructio monasterii, et quædam miracula.

In patriam reversus, ereminicam vitam ducit,

Tum deinde audita Vir beatissimus morte patris, pro matris suæ consolatione Lemovicum regressus est. Igitur beata Pelagia, mutato sæculari habitu, induitur sanctimoniali vestimento, efficitur in Dei amore religiosa, filium bene B conversum Dei hortatur ad præmium. Qui mox Vir beatus eremum petiit, et in concavum saxum se retrudens, ibique diebus ac noctibus sine cessatione Domino supplicabat, et hostem invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; precibus, non ferro; orationibus, non telo. Cunctis horis, cunctisque momentis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi laborem posset pervenire ad bravium. Cum per aliquot dies inibi esset cum magna abstinentia, auditis his ejus genitrix, ad pedes filii provolvitur, rogavitque eum, exinde egredi, ut monasterii cellulam, ubi prospere aspiceret, in villis amœnis ædificaret.

et monasterio ædificando

11 Tunc et locum amœnum vir Dei Aridius repperit, de eodem saxo, in quo erat, reversus, fere trium millium, ibique monasterii cellulam ædificare cum magna industria cœpit, quod cœnobium nuncupatum Atano *a*, ibique orationi intentus, et incumbens lectioni, quo vacabat venerabilis mater ejus, laborans per agros, alimoniam corpori C quærebat : quæ vero post conversionem vita acta sit. . . *b*. Deinde pollebat Vir beatus magis magisque in vigiliis, et jejuniis, vel in orationibus, atque in caritate. Cœpitque ejus fama divulgari, confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenæ, vel monachi.

opes suas impendit,

12 Multitudo etiam pauperum, sicut apes ad alvearium, ita conveniebant ad eum, in tantum, ut quanticumque pauperes confluebant ad eum, nullus vacuus ab eo recederet. Quid plura? Quidquid ex possessione parentum nobilium habuit, totum in pauperibus, vel in cœnobiis, præcipue ad beati Martini Turonensis, vel ad sancti Hilarii Pictavensis ecclesiam, seu per diversas ecclesias, vel etiam monasterio suo omnem possessionem distribuit; auri vero argentique metalla in pauperibus dispersit, sciens Apostoli præceptum : « Habentes autem victum et » vestitum, his contenti simus. » Et. « Qui vo» lunt divites fieri in hoc mundo, incidunt in » tentationem et laqueum diaboli. » Et. « Desi» deria multa inutilia et nociva, quæ mergunt » hominem in interitum et perditionem. » Considerans quippe quod scriptum est : « Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis. » Et Veritas ait : « Centuplum accipiet, et vitam D » æternam possidebit. » Et alibi scriptum est : « Eleemosyna a morte liberat, et qui eam fecerit, » non ibit in tenebras. » Hæc autem quotidie adimplebat; semper ad eleemosynam largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humilitate profusus, in caritate perfectus.

ac otium maxime vitat.

13 Numquam otio indulsit, quo non aut lectioni vacaret, aut opus Christi perficeret, aut certe manibus opus aliquod ageret, aut denique sacros codices scriberet. Maxime autem decreverat, ut in vicinas diœceses sacros codices quos ipse manibus suis scripserat, distribueret; memorans illud, quod Apostolus dixit, quia « Otio» sitas inimica est animæ. » Ad ista igitur omni tempore non cessabat. Cum autem jam monasterii cellulam ædificasset, quo opus cœptum peregisset, necesse est, ut de ipsius miraculis aliquid, Christo auxiliante, explicare valeamus. Qualiter eleemosynis, vigiliis et orationibus se Dei Servus indulserit, prædicanda miracula publicaverimus alacriter : de quibus multis brevissime credidimus pauca narrare.

In arido loco fontem elicit.

14 Accidit homini Dei, Arvernis *c* iter ut ageret, eo irruente nocte, aquam non inveniret, ut E ad manendum se conderet. Cumque quærerent ministrii ejus huc atque illuc, et non invenissent, tum Aridius defixit in arena baculum. Quo retracto, de terræ foramine fons abundans exsilivit, ut fluenta aquæ undantis sufficerent, et in tantum postea irrigarent, ut illic pecora biberent. Sic Vir iste magnus fuit in miraculis, et Moysi typum gerens, qui percutiens petram, aquam populis in solitudine præbuit.

et per intercessionem S. Juliani martyris

15 Dedit deinde operam, comitesque sui itineris, quos religio claros reddebat, elegit. Collecto sane cœtu omnium orationum suffragia postulat, ut venturo itineri solamen largitor pietatis tribuat; et sic cum eisdem, Christo duce, ad locum ubi sancti Dei martyris Juliani *d* membra sancta fuerant sepulta, accedit, agnitis, qui secum clementis judicis voluntate adessent. Cumque ad eum locum pervenissent, postulat, ut reliquias sancti Martyris votiva mente suscipere mereretur; sed custos basilicæ beatissimi Martyris petenti denegavit. Moratus ibi paululum, et quærens, nec prorsus inveniens, progressus exin accedit ad locum, ubi venerabilis F Martyr a persecutoribus, transactis jam longævis temporibus *e* docollatus fuerat, et cum plenissima devotione de eodem loco parvissima saxorum, quod vulgo sabulum dicitur, in chrismarium, quod collo suo gestabat, læto animo pro sacratis sancti Martyris reliquiis condidit. Cumque de eadem provincia remeare cœpisset, tanta horum multitudo, qui a malignis spiritibus vexabantur, ejus vestigia cum magnis clamoribus prosequebantur, ut tantorum vix scribantur tot nomina.

patrat miracula.

16 Pervenit ergo fama beati Viri ad aures pontificis civitatis illius *f*. Qui ilico cum suis sancti Viri vestigia prosecutus, et mox ejus pedibus provolutus, cœpit ab eo petere, ut tandem ad tumulum sancti Martyris remearet, et sacras ejus reliquias deportaret. Tunc ille ait : Hoc quod mihi omnipotens Deus largitus est munus, cum eodem iturus, ipso comitante pergam. Nam Creator omnium Dominus duo virtutum miracula in eodem loco ostendere dignatus est. Cumque vir Dei suum chrismarium aperuisset, reperit diversos pretiosos lapides de saxis, quæ de fonte abstulerat, ut mira virtus

sancti

A sancti Martyris per diversa terrarum loca declararetur, et viri Dei fides probaretur, et multis ostenderetur. Cumque ad locum hunc, ubi Vir Dei oratorium condiderat, sacrum munus cum magno gaudio condidit, ibi quoque omnipotens Deus multa signa et mirabilia declarare dignatus est.

A se suisque sociis, * *vox* non *abundat*

17 Nec non * prætermittendum est, quod Christi famulo collatum est. Quadam die viator dum iter arreptum incederet, flante ventorum turbine, cum pluvia talis circa Aridium sic fremeret, ut rivis imber efflueret, et ipsum agmen ac suos ministros gutta nec una perfunderet : quo divisa tempestate, alicubi turbo se verteret, et ipsa nubila aerem fugarent, dum pavescunt viatorem. Si igitur Conditori omnium mare et venti obedierunt in fluctibus, et facta est tranquillitas magna, immo et fideli suo jussit hanc virtutem cunctis videntibus ostendendam.

et agris

18 Quodam tempore cum ad maturitatem segetes aristas armassent, et jam se aggravatæ meti poscerent a cultore; innormitas erupit pluviæ, ne quisquam fruges colligeret, ut in suis spicis grana latentia B germinarent. Interea suggeritur ipsi a populo, facit vigilias intercessor. Sequenti igitur die reliquiis sanctorum apprehensis, opportune et venerabiliter coopertis de palliolo serico, Diacones in albis exeunt ad processum : plebs clamat pro nimborum incursu. Quibus Vir sanctus respondit : Qui jussit aquam creari, potens est hunc imbrem sedare. Tunc mox de templo progressi sunt, subito nubes excisæ sunt, sol in claritate reducitur, serenitas cæli mundo redditur, ad opera cultor trahitur, et ad manipulos colligendos messor frugibus invitatur.

inundantiam pluviæ avertit. g

19 Nec illud prætereundum est in simili causa, quod gestum est. Dum Nonjaco colonica *g* sua in honore beati Juliani martyris oratorium conderet, et imber gravis irrueret; ipso vero orationem Dominicam memorante, nimbus impetum detorsit, tempestas reppulit turbinem, pluvia abscessit, locum vel sanctum virum Aridium cadens gutta non tetigit.

puerum mortuum suscitat, C

20 Addatur hoc in pagina, quo rerum crescunt miracula. Quadam die eodem sancto Viro in oratorio orante, Actardus quidam Nivardi filius adolescens exanimatus deportatur, et ante sacrum altare in oratorio beati Juliani martyris deponitur a parentibus. Rogatur, ut vivus reformaretur a Domino. Tunc Vir reverentissimus pietate scilicet motus, lacrymis vim ingerens, aspiciens ad cælum, Dominum deprecatur. Dehinc appellat infantulum, sed corpus jacet exanime. Hora fere transacta, exsuscitatur puerulus, clausos aperit oculos, et loqui posse incœpit redivivus. Sic fidelis Miles tantis virtutibus pollens, et gratia divina accinctus, ut sicut Creator omnium rerum filium viduæ adolescentem resuscitavit de grabato, et reddidit matri suæ inlæsum, ita vir Dei Aridius valuit obtinere orationibus suis apud Dominum adolescentem esse vivificatum.

et variis ægris succurrit.

21 Quædam mulier grande vulnus habens in facie, occurrit sancto Aridio sanari exorans. Tum illa vexillo crucis signata, illico circumstante populo, tumor vulneris aperitur, et in similitudine nucis minoris velut petra de ipso progreditur; quæ sine dilatione sana domi revertitur.

Adjiciatur operi res adjecta mysteriis. Filius Dulcissimi quidam, Ingratius nomine, in grabato jacens, funeri exhibitus a patre, tantum distentus tumore, ut intra se sua lumina ablata fuissent. Tum vir Domini Aridius, oratione pro eo data, de oleo benedicto perungit oculos ejus : quos cum inliniret ex fide, mox quidquid morbi fuerat, tacto fugit ab unguine. A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Hoc monasterium postea transiit ad Canonicos seculares sub jurisdictione Capituli S. Martini Turonensis, ut in Commentario prævio diximus.*

b *Hic aliqua desunt, ut punctis illis indicatur, quæ aliunde supplere non possumus.*

c Arvernis, *id est, in Arverniam Galliæ provinciam, sicut ex sequentibus liquet.*

d *Julianus ille martyr in Martyrologio Romano annuntiatur die 28 Augusti, quo Acta et miracula ejus illustrabuntur.*

e *In Martyrologio Romano dicitur hic S. Julianus sub persecutione Diocletiani martyrium subiisse, quod die 28 hujus mensis examinandum erit.* E

f *Hoc loco indicatur episcopus Arvernensis, in cujus diœcesi tunc reliquiæ S. Juliani quiescebant, ut ex antecedentibus et consequentibus patet.*

g Colonica *idem est quod* colonia, *quæ vox significat prædium, quod sufficit ad alendum colonum seu familiam rusticam, sicut in auctiore Cangii Glossario fusius licet videre.*

CAPUT III.

Alia diversi generis miracula, quæ Sanctus adhuc vivens patravit

Captivos mirabiliter liberat,

Dum ad profectum sancti Viri atque ad altam Dei contemplationem se sublevant quantum possunt, divinitus eos [agi] credendum est. Quodam tempore affectu pietatis Lemovicum civitatem veniens, audit complures nuper mortis sententia damnatos teneri in carcere vinctos. Aridius ergo memor Verbi Domini dicentis : « In carcere eram et venistis ad me. F » Et : Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, » mihi fecistis », cogitavit si quomodo possit liberare eos. Cumque ad requirendos reos appropinquasset carceri, confestim divino nutu, velut magno ferientis impulsu confractæ seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, et omnia vincula compeditorum resoluta sunt. Eadem nocte quasi solis claritas intus apparuit, et lux in tenebris emicabat, custodes pressi a somno, et ad tumulum sacratissimum S. Martialis *a* Antistitis cuncti fugerunt de ergastulo. Sicque orationibus beati Viri de carcere vel de morte liberati sunt. a

puellam cæcam illuminat,

23 Prosit auribus populi Dei quæ profuit lumini. Nivardi præfati filia; nomine Actefledis, lumen oculorum perdiderat, ut nullatenus videre potuisset. Quadam die deducta ad virum Dei Aridium a parentibus suis, ut inluminaretur, exoratur. Cumque prosternerent se ad Sacerdotis vestigia, tunc Vir sanctus signatis ejus oculis atque intra se Dominum rogans, mox incolumis reddita, quæ fuerat duce pertracta, ductrix redit ad patriam.

 24 Exem-

A. ANONYMO.

alteram morti vicinam sanat,

b

24 Exempla quoque justorum avidius instruunt sequaces, quam sermo prædicationis multorum. Cum quadam vice properaret vir Dei Burgundiam ad regem pietatis pro causa, invitatur sedulo a Duce Antestio *b*, ut diverteret ad ejus domum, cui semiviva filia decubabat in lectulo. Quæ cum ad extremum exhalaret spiritum, ingressus vir Dei Aridius domum, data oratione pro ea, lætificata domum adipiscendo remedium puella redit de transitu. Ille etenim qui jussit filiam archisynagogi intra cubiculum resuscitari, mortuam petenti se tribuit, ut hæc de morte reverteretur ad vitam.

et plures utriusque sexus personas

c

25 Quædam mulier nomine Bessa pro infirmitate debilitatis membris, digitis attractis, incurvatis articulis, suis gressibus imbecilla, prona precatur se sanari, devota supplex attenuata : mox Aridius cruce a sancta manu tacta crurum tendit in pagina *c*, nervi laxantur in organa, et diutius præstolata, tandem sese membra recognoscere meruerunt ; sicque orationibus sancti Viri sana facta est.

Adscribantur præconia quæ juste referuntur ad palmam. B Quædam mulier prope jam morti credita, vulnus in collo gestabat : occurrit sancto Viro obsecrans, ut super hoc sanctæ Crucis armaret vexillum, mori timens. Cumque super vulnus Christi signum deprimeret, repente mortui sunt vermes, femina rediit incolumis.

contractionem membrorum

d

26 Dum majora miracula Sanctorum conspicimus, et amplius in amore Dei enixius convertimur. Puella namque de urbe Petrocoria *d* ad Dei hominem veniens taliter contracta, ut de suis calcaneis adhæsa sibi tangeret crura, longo jam tempore gressibus condemnata : quam vir sacratissimus non prius dimisit quam languor eam dimitteret, et pedibus incederet, quæ prius manibus ambulabat. Igitur sciscitans studiose, an haberet in Christo spem, si se crederet sanandam quandoque. Illa autem in omnibus fidem dante, fixit genua Aridius in terra, et prolixe oravit : deinde oculos pariter et manus ad cælum tendens, Dominum Jesum Christum fide plenissima promissionis suæ admonuit, quæ dicit : « Quid» quid credentes petieritis, fiet vobis. » Et : « Si » habueritis fidem, non solum hæc signa facie» tis, sed majora horum facietis. » Cumque hæc C pleno vigore ac devotione deposceret, conversus ad puellam dixit : Si fideliter credis in nomine Domini Jesu Christi, surge et sta super pedes tuos : et mox surrexit, et solidati sunt pedes et membra ejus, et sana facta est ex illa hora.

aliisque morbis afflictas,

27 Item de eadem urbe, altera ad eum venit femina simili infirmitate condemnata : cumque sancti Viri manu attrectata fuisset, directa rediit ad propria, et senior cucurrit viam, quam non transcendit juvencula.

Quotiens ad alta Dei omnipotentis animum elevamus, vilescunt animo, quæ in terris conspicimus, ut accepta gratia divinitus supernam patriam penetremus, ut puta Vir iste, qui tantis virtutibus adornatur, terreno contagio non obfuscatur. Quidam vir cognomento Addo, filius cujusdam Proculi, ad beatissimi Viri venit præsentiam sic debilis, ut de vestigiis calcaneum faceret, nec potuisset separari res infeliciter glutinata, tunc quærens a sancto Aridio remedia. At ille signo crucis superimposito, qui claudus genibus venerat, directus pedibus ambulans, basium suarum reductus est vestigiis.

28 Adjiciantur virtutes operum, quibus vera esse creduntur. D Vir aliquis de territorio Betorico *e* contractis nervis vestigio debilitatus occurrit, ad monasterium concitus venit, et ut sibi Vir sanctus succurreret, deprecabatur suffragia : suscepit vir Dei Aridius causam mercedis, oratione pro eo fusa cum benedictione rediit incolumis sancta manus quod tetigit.

signo crucis sanitati restituit.

e

Adquiratur pagina quod præstet gratia. Leonacter quidam insania corporis ita demens effectus, ut aliud non esse crederetur quam rabies, cujus furor horribilis nimis non ferebatur, etsi nimis vinctus manibus ac pedibus alligaretur in vinculis, et violentia oppressus adhuc catenas * constringeretur, hoc superadditus dolor pœnæ collideret, et sic crudeliter fremens tandem ad sanctum Dei Aridium perductus est : nec mora aliqua, facto signo crucis fronte armatus, in momento ab hoste antiquo liberatur simul et vinculo. Qui postea Clericus effectus est, et ad meliora opera cum cantico Christo dependit servitium. Sed mira dispositione omnipotentis Dei agitur, ut quos præmia divina ad meliora non invitant, temporalia flagella erudiant.

* *forte* catenis

Etiam sanctus Abbas

f

29 E Eodem vero tempore, quo Miles Christi degebat in terris, Ferreolus Pastor *f*, ad gubernandam plebem sibi commissam Lemovicum civitate Præsul venerandus aderat; sed quotiens ipse pontifex febribus urgebatur, aut aliqua ægritudine in gravi dolore atterebatur, ad virum Dei Aridium dirigebat nuntios, ut pro eo plenius ad Dominum intercederet. Qui celebratis pro eo vigiliis obtinebat pro Pastore, venerabilis Abba pro Antistite, et abjectus et humilis pro sublime.

Et quia crescens pagina majora tegit miracula, proferatur in medium de quodam cæco claro mysterium. Vir aliquis lumine deceptus, longo jam tempore tenebris pressus, crassa caligine nubilus, ad beati Viri cellulam pede tendente deducitur; quem vir sanctus miseratus ut vidit, ei visum orando restituit, et remeat ad regionem, claro jam lumine illustratus.

aliis miraculis,

* *lege* quod

30 Jocundum est proferre, quid * gloriosum fuit memoriæ. Quidam vir nomine Witrimundus, cognomento Atto, tam crudeliter dolorem dentium incurrerat, ut nulla intercedente venia dolor eum imminens non relaxaret : tunc ad sanctum Virum, cum beato Martino occursum devote redderet, veniens, et interrogatus, cur F ejus una maxilla videretur inflatior, et ille se torqueri dolore dentium gravissimo responderet; tum vir Dei faciem turgidam palpavit tactu mollissimo, dicens; Sanaberis a Domino, obtinente Martino, famulo Dei fidelissimo. Itaque mox ut a justo inchoatus sermo compleretur, salus denti refunditur, dolor cum tumore curatur.

Quædam mulier Ricovera nomine, conjunx Turonici monetarii, cum sancto Viro mediam ampullam cum oleo benedicendi causa fideliter obtulisset; tunc Aridius facto crucis signaculo, et alteram ampullam, in qua de oleo beati Martini continebatur, proferens de chrismario *g*, superjecta gutta ampullæ mediæ tanta inundatione olei virtus exsilivit, ut repletæ ampullæ alibi oleum tolleret, nec aliquid de redundanti benedictione periret. Quæ utrisque benedictio æquanimiter profecit, et ille qui petenti dedit, et petens quæ meruit.

g

quadam diaconi revelatione,

31 Hoc quoque paucis conceditur, ut tantis miraculis miles Christi ametur. Decreverat quippe Vir reverentissimus, ut pro lucranda cæ-

lestis

A lestis patriæ palma, Turonos ad beati Antistitis festivitatem occurreret. Denique quodam tempore accidit, ut ad præfatam urbem Vir sanctus properaret. Igitur cum Pontifex civitatis illius cum Clero in ecclesia psallendi Officium nocturno tempore enixius ageret, Diaconus ejus dum in ecclesia caneret, somno gravatus est. Cumque eum Episcopus cerneret dormientem, ait ad eum, Quare obdormis frater? Qui de somno evigilans ait: Videbam te, Domne mi, egredientem foras ecclesiam, et in obviam beati Viri Aridii properantem. Cumque Diaconus vix sermonem complesset, statim nequam spiritus in quodam homine exclamavit, se sancti Aridii præsentiam ferre non posse. Quo audito Episcopus cognovit, quod Vir Domini Aridius adveniret: moxque in obviam Abbatis episcopus cum cereis accensis præ foribus ecclesiæ occurrit, ac cum magno gaudio et exsultatione in ecclesiam ingressi sunt, et pæne tota nocte in divinis Officiis perdurarunt. Nam multi ægri vel diversis infirmitatibus adstricti sano vigore orationibus vel intercessionibus ejus ad propria regressi sunt.

B *publica dæmonum expulsione,*

32 Alio rursus tempore cum ad eamdem festivitatem Turonos occurrisset, et alicujus paralytici crura blanda adhibitione contrectaret vir Dei Aridius, testabatur, quod sancti Martini manum vidisset, qualiter debilia membra dirigeret, et sic paralyticus sancti dextera tangente se suis vestigiis protinus direxisset. Tanta vero curationum virtus divina gratia illi collata præmicuit, ut quisquis infirmus advenisset, pleno vigore sanatus incolumis recederet. Energumenis vero tam celeris salus est reddita, ut ingentis multitudinis non præscriberentur tot nomina.

et cælesti lumine magis inclarescit.

33 Si per singula recenseantur miracula, valde incongruum non est, ut credantur tantæ virtutis alloquia. Quodam tempore vir Dei egressus de basilica, peractis nocturnis vigiliis, vidit globum luminis de cælo descendisse super ejusdem cellulam, credensque splendorem ipsum ab homine fieri, interrogat Vir Dei a suo discipulo, Quis est ille, qui cum facula per hortum hora tali ambularet. Interea cum ad* admiraretur, protinus globus ipse, qui apparuerat desuper cella, revolvitur ad sidera; ipse vero cum metu et tremore expansis manibus divinæ potestati luminis

** lege id*

C gratiam deferebat. Scilicet interrogatur a monacho, qui hoc cum eodem videbat, quid esset hoc miraculum tantæ claritatis visio, ut taliter revelarentur beatissimi sacerdotis mysteria. Cui respondit Vir sanctus: Sile, sile insipiens; cognosce quia beatissimus Martinus visitat hanc cellulam dignatione præcipua; et ad cælos remeat cum lucis fulgidæ gloria. Sed quem divina gratia protegebat, dignum erat, ut illustrante Spiritu sancto acciperet visitationem; sed amicus Dei cavens jactantiæ vitium, præcepit discipulo, ut nulli hanc visionem diceret, quousque migraret ad Dominum. Sic fidelis Miles regulam Magistri Mediatoris Dei tenuit, qui transfiguratus in monte discipulis præcepit, ut nemini visionem, quam viderant, dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Perpende igitur, quanto igne amoris Dei et proximi Vir iste accensus erat, qui tale revelante Spiritu divinitus meruit accipere donum. Quia Deus ignis consumens est, Jacobo attestante qui ait: « Omne datum optimum et » donum perfectum desursum est descendens a » Patre luminum. »

ANNOTATA.

a *De S. Martiale Lemovicensium apostolo Majores nostri egerunt ad diem 30 Junii, sive tomo 5 istius mensis, pag. 535 et sequentibus.*

b *Verosimiliter hic idem est Antestius, de quo S. Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. 8, cap. 27 sic meminit :* Desiderius vero Dux cum aliquibus episcopis, et Aredio abbate, vel Antestio ad regem Guntchramnum properavit.

c Pagina *interdum significat agrum seu fundum mensura sua definitum, ut in auctiore Cangii Glossario ad hanc vocem exemplis probatur. Suspicor, hic simili modo significari locum certæ mensuræ, ad quem membra istius contracti extendebantur.*

d Petrocoria *recentioribus* Petrocorium, *vernacule* Périgueux, *urbs Aquitaniæ ad Illam fluvium sita, Petrocoricensis provinciæ caput, de qua plura apud Valesium et Baudrandum legi possunt.*

E e *Istud territorium Betoricum apud geographos frustra quæsivi. Forsan est corruptum ejus nomen, vel ignotus minoris momenti vicus, cujusmodi plures in his Actis memoratos invenire non potui.*

f *Novissimi Galliæ Christianæ editores tomo 2 col. 503 et 504 asserunt, S. Ferreolum jam anno Christi 575 vel 579 in cathedra Lemovicina sedisse, et anno 595 ex hac vita migrasse. Hæc chronologia accuratius examinari poterit ad diem 18 Septembris, quo præsul iste in Breviario Lemovicensi colitur.*

g Chrismarium *hoc loco significat thecam sacrarum reliquiarum, quam significationem Cangius exemplis probat, et quæ hic infra rursus ex ipso sensu confirmabitur.*

CAPUT IV.

F *Commiseratio Sancti erga afflictos, iter Parisiense, et variæ rerum futurarum prædictiones per Spiritum prophetiæ.*

Beneficus omnibus.

His ita gestis Vir sanctus jugiter intentus manebat divinis officiis. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Erat quippe in eleemosynis largus, in oratione devotus, in vigiliis sedulus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone pacatus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus, inter odia beneficus, in prosperis etiam et adversis semper in cælum intentus. In caritate, quod est vinculum perfectionis, Christi perfectus, sinceritatem quidem mentis vultus serenitate monstrabat, et pietatem cordis ostendebat in lenitate sermonis. Nihil ejus risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius, nihil quippe ejus animo clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Si pauperem vidisset, sustentabat, si divitem, ad bene agendum cohortabatur,

A. ANONYMO.

batur, Deum invocans testem pro ipsius nomine cuncta hæc agere, illud jugiter memorans quod Veritas in Euangelio dicit : « Beati misericordes » quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Nec non et illud : « Verumtamen date eleemosynam, et » ecce omnia munda sunt vobis. » Et alibi : « Sicut » aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit » peccatum. »

ac præsertim pauperibus,

35 Hæc præcepta jugiter memorans enixius adimplebat, eratque pes claudorum, et oculus cæcorum, orphanorum pater, viduarum consolator. Quem autem cæcum non suum vocavit heredem, aut quem debilem non ejus sustentavit manus? Hoc jugiter comitatus incedebat exercitu, in his etiam Christum conspiciens se amplectere gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat : et ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens, substantiam suam gaudebat cum Christo sociare, ut Christus faceret eum cælestium sibi regnorum coheredem. Sciens namque scriptum, quod illa bona hereditas, quæ Domino custode servatur. Ejus namque monita apud suos nihil fuerunt aliud, quam divina magisteria, et fundamenta sacrarum Scripturarum. Dignum est enim, ut eum boni diligant et imitentur, moxii timeant, quem divina virtus inlustravit, ut donum a Deo perceptum cum doctrina melliflua et sancto Spiritu condita, de Christi desiderio salsa et de æterna beatitudine semper sollicita.

B

apud regem Franciæ pro populo intercedit, a

36 Si consideremus quæ et quanta omnipotens Deus per Sacerdotem suum operatus est, prolixior pagina stili promulgatur. Solent plerumque pessimi, male blandientes consiliis regibus terrenis corda subvertere, juxta Salomonis *a* vocem : « Colloquia mala corrumpunt bonos mores. » Quodam tempore accidit, ut populis tributa vel census a regibus fuissent descripta, quæ conditio universis urbibus per Gallias constitutis summopere est adhibita. Scilicet pro hac re Vir reverentissimus, pietate motus, ad regis præsentiam properavit, ut suggestionem daret pro civibus, qui gravi censu publico fuerant edicto adscripti. Sed cum scriptum sit : « Cor Regis in manu Do- » mini » quidquid petiit sanctus Vir a rege devotus obtinuit.

C

et in reditu energumenam liberat. b

37 Accidit igitur ut revertente eo de itinere, quodam vico Catuliaco *b* veniens, eodem scilicet die, quo resurrectionis Dominicæ celebrarentur sancta mysteria, invitatus a populo cœpit sanctis vacare officiis. Celebrante autem eo divina sollemnia, puella quædam, quæ a dæmonibus graviter urgebatur, exclamavit, se sancti Viri non posse ferre præsentiam, quæ tamen nomen ipsius incognita invocabat. Qui videlicet juxta morem solitum exercens opera pietatis, peractis divinis mysteriis ad orationis portum profugiens, ut ne diutius ab antiquo hoste puella vexaretur, intercessor adsisti. Erant enim in ea septem nequissimi spiritus, qui dum orationi incumberet, statim quinque dæmonia expulit deprecando. Residentibus adhuc duobus, præcepit Vir beatissimus parentibus puellæ, ut ab ecclesia non discederet, donec, quod residuum fuerat maligni adversitatis, expelleretur e corpore. Igitur veniens Vir sanctus ad ecclesiam, ubi eam stare præceperat, adhibitis secum monachis suis prostratus orationi, a Domino valuit obtinere, ut duo dæmonia, quæ residerant, expulsa fuissent, qualiter mente sincera, sensuque firmato remearet ad propria.

D

Iterum Parisios profectus, cives c

38 Alio quoque tempore cum Vir Dei pro hujuscemodi conditione quasi occulto adventu regis expeteret præsentiam, properavit itinere. Cumque Parisii civitatis claustra fuisset ingressus, populus urbis hujus gravi febre, dissenteria et morbo pessimo laborabat *c*, ita ut nec numerus corporum præ multitudine morientium diebus singulis, præcipue infantium turba, æstimari potuisset. Quadam vero die dum a Pontifice civitatis illius non immerito venerabatur affectu, petiit, ut eum secum paucis diebus caritatis officio retineret, ut intercessor pro populo exsisteret ad Dominum. Igitur dum petitionibus ejus vir Dei Aridius obtemperare voluisset, contigit aliquibus e suis in eodem tædio pessimo graviter incidisse, scilicet vir beatissimus confidentiæ tenore in Domino securus, solita prece pro plebe civitatis illius exorabat, quos blanda exhortatione suis scilicet sermonibus consolare non desiit, ut nullus de pietatis Dominicæ misericordia desperaret. Qui videlicet jussit sibi oleum benedictum exhiberi, et singulorum cum crucis signaculo manu propria ora naresque perfudit, dicens ad eos : Consolamini in Domino, et vicissim vos adhortamini fratres, omnes vos incolumes restituit dextera Christi. Et ad suos ita locutus dicens : Nolite quæso vos, fratres mei, nolite contristari, sed potius vos viriliter confortamini, et de misericordia Domini enixius confidite, quia omnes vos divina potentia restituit incolumes regioni propriæ.

E

ac ipsum regem morbis liberat,

39 Interea revolvens in animo suo ubi regis sciret esse præsentiam, ut scrutatus deberet expetere. Relictis igitur fratribus in eadem civitate, cum paucis comitantibus properans tenus [locum] cognomento Brinnaco carpebat iter. Dum procul dubio viator adsisteret, sequentibus se dixit : Regem cognoscite gravi febre *d* perurgeri, et pæne vitæ ipsius hactenus finem imminere; sed clementia Domini pro respectu pauperum nobis eum salubriter visitantibus liberabit. Hoc quoque secretius retinete; Post hos vero paucos dies proles ipsius, quæ adhuc sospites esse videntur, migrant a sæculo. Per Spiritum scilicet prophetiæ cognovit vir Dei Aridius, quod postea probavit eventus. Cum vero ad locum memoratum sanctus Dei famulus pervenisset, cognito rex ejus adventu, cubiculum suum eum introduci præcepit, credens se ejus orationibus in Domino adjuvandum. Quapropter cum introgressus fuisset, reddito salutationis officio, cœpit eum manibus suis palpare, qui intra se Dominum precibus postulabat, ut petitionibus suis rex præberet assensum. Qui dum commodius de anxietate suæ infirmitatis inter sacras manus beatissimi Viri cœpisset habere, suæ causam conditionis exposuit : sed favente Deo, qui cuncta regit et omnia disponit suaviter, quidquid Dei Sacerdos apud regem poposcit, facili obtentu potuit promereri. Adjiciensque rex, ut libros ipsos, quibus inscriptus pro gravi censu populus regni ejus tenebatur afflictus, sancti etiam viri pro respectu, vel stabilitate sua, manibus ejus tradidit, ut ipsos sui auctoritate incendio concremaret. Tunc Aridius receptis libris, jussit prunas parari, quo facto, apprehensos manibus suis ipsos libros, multis etiam circumstantibus, in incendio concremavit. Obtenta ergo petitionis suæ causa, post diem tertium Principi valedixit. Quodam vero die priusquam Parisiis perveniret, hoc quod suis comitibus non longe ante dixerat, illic comprobavit eventus.

d

F

Referente

A Referente procul dubio nuntio cognovit Vir Dei, regis obiisse filios, quos jam ante ipse prædixerat, et cum magna funeris turba Parisiis deportandos, qui dum aliquatenus ad præfatam urbem rediens pervenisset, repperit populum civitatis illius jam a dissenteriæ morbo divino auxilio liberatum.

ibique variis miraculis

40 Invenit etiam quemdam de suis collegis, nomine Constantinum, gravi mortis periculo subjacentem. Nonnullos vero, quos mortuos fuisse comperit, orationibus suis incolumes reddidit. Tum deinde hortatur a suis, ut ille qui pessimo succubuerat tædio, in loco aliquo commendaretur tali personæ, ut cum de hac luce transiret cespitis humi tumulo clauderetur : ita dumtaxat jam fuerat vicinæ morti propinquus. Sed Vir beatissimus miseratione motus, solita pietate promptus, allevans eum supra vehiculum, quod sedere consueverat, regimine ducitur alieno. Qui cum videlicet jam in tertia die itineri insisteret, afflictus tædio, mortis ictu percussus, corruit exanimatus in terram : quod dum cerneret beatissimus Vir, compuncto corde cum gemitu et B lacrymis enixius orationi vacare cœpit. Qui cum ab oratione surgeret, conversus ad corpus, dum manibus suis eum palparet, cœpit oculos suos aperire ; et non post longum horarum spatium, præda mortis evicta, redditur luci jam pristinæ incolumis, qui fuerat desperatus de vita, restituitur sanitate continua : qui igitur lento sermone aquam sibi poposcit expendi, cum vagantes cuncti huc atque illuc anxie quærerent, minime invenirent, quia ille locus aquæ erat procul dubio sterilis : sed sanctus Dei Sacerdos paullisper se declinans, percutiensque ictu baculi terram, aqua prosiliit abunde. Qui mox petenti in vasculo detulit. Sic sitis ardor deprimitur, pallor a facie fugatur, vultus in rubore mutatur, erigitur pedibus; et qui fuerat mortis occasu damnatus, sospes patriæ præsentatur; qui postea multorum annorum duxit curriculum.

et spiritu prophetiæ clarus,

41 Adnectendum est virtutum miraculis, quod corda audientium inlustrentur exemplo. Cum jam e vicino patriæ jungeretur vico quodam Argentomao e, ibidem Artemius quidam unus de monachis opportune suggessit, ut alimonia fratribus parari deberet. Cui ille ait : « Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur C vobis. » Et illam Psalmistæ vocem : « Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. » Sed hæc a me accipe, frater carissime, cum fluminis hujus alveum pertransieris, leva oculos in partem dexteram, opportunum invenies locum, ubi possumus nos vel vehiculi nostri famis inopiam temperare. Cumque ad locum eumdem sibi præceptum venisset, repperit ibidem duos miræ magnitudinis pisces adhuc maxime vivos. Quibus assatis, vir Dei Aridius ex ipsius in refectionem partem accepit, et plerique ex ipsis usque ad satietatem visi sunt comedisse. Sed ille in cujus nomine retia laxaverunt Apostoli in fluctibus, et illa trahere non valebant præ multitudine piscium, et his distribuit esurientibus cibum.

in itinere dæmones expellit.

42 Dum iterantur virtutes Sanctorum, fidelium mentes velut sitientes profunda Dei mysteriorum satiari desiderant. Quodam tempore dum positus in itinere carperet viam, appropinquans cuidam vico Argentomao, concionatus est se sequentibus dicens : Tacite transeamus, ne nobis inducatur mora itineris. Scilicet erat hic locus profanus, superstitionis antiquæ dæmonum cultibus consecratus. Quo in loco populus Christianus inhabitans non potuit ferre miseriam, quia infirmitatibus variis subjacent, vel etiam ab ipsis dæmoniis assidue agitantur. Cumque voluisset vir Dei Aridius latenter fugere a populo, et ille secrete oraret, commota est infirmantium multitudo populi, proprium nomen ipsius invocantes, quia procax dæmonum turba se a sancti Viri adventu celare non poterat. Igitur dum eum sequeretur populi multitudo languentium, respiciens post tergum stetit, et protinus ad orationis studium se in terram prostravit, rogans pro illis Dominum, ut juxta fidem illorum essent salvati. Cumque ab oratione fuisset erectus, crucis vexillum ilico super singulos impressisset, tum hi qui languoribus variis detinebantur, vel illi, qui a spiritibus immundis vexabantur, adjiciens oleum cum benedictione, Domino gratias referentes, sanitati pristinæ ab infirmitatibus vel a dæmonibus liberati sunt. A. ANONYMO.

res futuras prævidet,

43 Quos elegit Deus ante constitutionem mundi, hos despicit sublimitas reproborum. Hic Vir sanctus abjectus fuit inter homines, et minimus a sæculi conspectibus, sed maximus inter Sanctorum agmina prælatus. E Quodam tempore in itinere positus, die quadam declinante ad vesperam, nec procul a vico, cui vocabulum est Mœno, jussit ut itineri terminus poneretur, et sarcinas, quæ jumenta vehebant, loco congruo relaxarent; cumque locum amœnum, aspectuque delectabile manendi spatium vidissent, cognoscens Vir beatissimus per spiritum prophetiæ, quæ essent illi postmodum ventura, hortatur paterno alloquio collegas suos, quibus sciebat maximam injuriam imminere, et allocutus est dicens : Viri Fratres et filii, multam credite nos hac nocte injuriam perpessuros; sed confortamini et confidite, nos cælesti auxilio liberari. Nec aliqua mora, cum cælum sidereo splendore serenissimum cerneretur, subito in tonitruo commovetur terra, quasi a stabilitate sua præ sonitu gravi in tremorem convertitur ; denique conturbantur nubes in aere, apparent tetro colore per sidera; et quæ fuerant candore perlucidæ, vertuntur in pluviam concitæ, crebrius micat coruscus e cælo quod fuerat obfuscatum : videlicet non longe ab ipsis erant tria idola cultu gentili dicata, cum aera fulgoribus urgerentur, in F impetu tonitrui ita eversa sunt cælitus, ut nulla exinde in crastinum fundamenta idolorum reperirent. Eodem ictu fulguris igne micante, silvam, quæ ab ipsis eminus cernebatur, ingens ignis ex parte exustam concremavit, et arbusta eruta ventorum impulsio prostravit. Sed tali timore, qui cum Dei homine erant, perterriti sunt, ut nullus se posse evadere crediderit, metuentes, ut plaga Dei super eos descenderet. Inde frequenter hortabatur suos orationi insistere, et tota nocte in psallendi officio perdurare. Locus enim ille, ubi vir Dei Aridius ad manendum diverterat, humiliori loco aliis videbatur, quo ceteri sua tentoria fixerant. Ita enormitate aquæ cuncti sunt madefacti, ut nihil remansisset in vestibus, ubi aquæ impetus non percurrisset; sed sanctus Dei Sacerdos capsulam, quam cum sacris reliquiis collo suo appensam portabat, circumspiciens comites, superpositio palliolo, et stratorio ubi requiescere debuerat tamquam si solis ardore attactus, ut nullum sensisset locus ille humorem.

ac prænuntiat diversa,

44 Neque silendum est illud, quod virtuti congruit. Accidit quodam tempore, orto inter

duos

A. ANONYMO. duos Principes bello, Lemovicum populus regionis civitatis ipsius formidantes mœnia rumpere, et in desolatione redigere et destruere : quibus directis nuntius a rege missus, quorum ditioni populus subderetur, et jam depopulata urbs esset in obsidione. Igitur quidam ex ipsis, Domaricus nomine, qui cum aliis ad occupandam civitatem venerat, sanctum Dei Virum aggreditur, sollerti cura sciscitans eum, ut quidquid per revelationis spiritum cognoverat, futura prædiceret. Quibus silentio ita locutus est : Quamquam sciam vos regem metuere Theodebertum, hoc scitote, quod regnum ipsius nuper aufertur, sed hactenus citius interimitur. Rex autem vester multarum scilicet gentium augmenta adversus illum commovebit, super quem victoria ei donabitur : obtenta videlicet pugna victoriæ fraudulenter decipitur, sed a filiis nepotibusque suis regnum ipsius traditur gubernandum. Ceteri vero reges, quibus stabilitate regnum stare videtur, interveniente articulo mortis pressi in ignobilitate rapiuntur a sæculo. Sed præfatus Domaricus ad bellatores regressus est. Nam quod vir B Dei Aridius prædixit, ita postea rei probavit eventus. Sed inter hæc cetera bona, sermo quoque ei sapientiæ atque scientiæ affluenter collatus erat, caritatem et humilitatem super omnia possidebat, famulos quoque non ut servos affligebat, sed benigna caritate diligebat. Quid pluribus immorer? In omni conversatione sua quasi lucifer inter astra cæli refulgens instar magni lampadis micabat. Semper enim perfectos æmulabatur ad bonum, semperque aliorum virtutes sibi proponebat exemplum. Tardus erat ad loquendum, et velox ad audiendum, eratque eleemosynis dives, caritate longanimis, humilitate sublimis, sermone subtilis, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio, utile nempe vas in Christi domo.

quorum veritatem eventus probavit,

45 Plerisque Sanctorum convenit esse credendum, ut futura prophetantes per spiritum prophetiæ aperta consideratione divinitus gesta narrentur. Ita et hic Vir Dei, illustrante superna gratia, per revelationem sancti Spiritus annuntiabat, quæ hominibus essent ventura. Quidam vir ex civibus Lemovicum civitatis, cognomento Nectarius, non inops rebus, sed locuples divitiis, unicum habens filium, intelligente C beato Dei Famulo subito illi mortis imminere incursum. Quapropter Vir reverentissimus nuntium direxit parentibus suis, ut antea quam morti puer occumberet, suo præsentaretur aspectui. Tum audito genitrix nuntio, prorupit in lacrymis pro sobolis internecione. Interea cum paucis sibi famulantibus B. viri obtemperat jussioni : cumque proficisceretur viam, ut prædictoris veritas probaretur, vi febrium ingenti attacta pueri membra solvuntur. Et demisso capite, clausisque oculis pæne mortuus esse videbatur. Et cum Vir sanctus hujus rei exspectaret eventum, cernentes adolescentem esse exanimem, ilico erumpentes in fletum vociferantes famuli, qui cum summa festinatione venientes ad Dei hominem properant. Scilicet pietate motus suscipiens puerum exanimem, ad reliquias sacratas B. Hilarii antistitis credidit exponendum, qui pro eo magnis orationibus et precibus Domino commendavit, ut qui quatriduanum Lazarum reddidit vivum de sepulcro, huic quoque puero subveniret propitius. Consummata igitur oratione, qui exanimis esse cernebatur, statim restituitur matri incolumis : et quem crediderat mortuum tradere sepulturæ, cum eodem magno D gaudio exultantes domum revertuntur alacres. Hæc igitur sed et alia quamplurima his similia, quæ per singula prosequi longum est, plerumque vir Domini Aridii prophetiæ gratiâ ornatus prænuntiavit.

et quibus omnibus enarrandis auctor se imparem fatetur,

46 Multa etenim sunt, quæ per beatissimum virum omnipotens Deus virtutum opera declaravit, quæ dum sæpius revolvuntur, semper accrescunt quæ miraculis intueantur. Sed hæc videlicet quæ superius pauca de pluribus comprehensa sunt. In terris degens ut incola, postquam cælestem adquisivit palmam, ad Christum remeans a sæculi laqueo eductus, non minimum referendum nobis reliquit exemplum, quam vivens potuisset operari in mundo. Sed nunc longum est per singula virtutum ejus miracula verbis enarrare, præsertim cum liber jam supra modum refertus postulans finem sermonem rejiciat, et ariditas sermonis nostri attenuata, vel longo tramite pæne defessa succumbat : non quod omnia, quæ de eo narranda erant, explicavimus, qui nec ad centesimum quidem ejus virtutum operum attingere potest, quanta in virum beatum operum bonorum ornamenta, quæ sunt E maxima et pretiosa supernæ remunerationis contulerit prærogativa. Hoc igitur restat ut ad finem termini valeamus pervenire. O vere imitabilem Virum! O quam præferendum omnibus ejus exemplum! O semen secundum Abraham benedictum, nempe Abrahæ benedictio meruit filium, Aridius vero benedictus transfertur in cæleste regnum; Abraham tradit heredem, hic nihilominus hereditatem; postremo Abraham quod habuit pignus exhibuit, Aredius vero totum quod potuit habere in mundo, Domini scilicet arbitrio jurique commisit. Sufficiat ergo hæc dixisse. Jam vero, ut spero, etsi rustico sensu, sermonem prolixum duximus, quamquam ejus meritis digna præconia nullatenus narrare sufficeremus. Nunc vero tam ad audientium ædificationem dignum esse puto, quam et legentium, si quomodo ex hac vita ad Dominum migravit paucis verbis explicare curavero, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA. F

a *Hæc non est sententia Salomonis, sed Apostoli Pauli, qui illam ex Menandro poeta desumpsit, ut notat S. Hieronymus, eamque in Epistola prima ad Corinthios cap. 15 ℣ 33 protulit. Alias auctoris citationes non tam scrupulose indagavi, dummodo scirem, illas in sacra Scriptura præterpropter contineri.*

b Catuliacus vicus *est locus Galliæ prope Sequanam fluvium, et sex leucis a Lutetia Parisiorum distat in Septemtrionem. Nunc Dionysiopolis vulgo* saint Denis *appellatur, ut Baudrandus et Valesius tradunt.*

c *Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. 5, cap. 35 inter alias populi calamitates de hac dysenteria meminit.*

d *Laudatus Gregorius hunc regis Chilperici morbum, et subsecutam filiorum ejus mortem loco proxime citato commemorat. Sed ibidem nullam* S. Aridii *mentionem facit.*

e *Valesius in Notitia Galliarum pag. 41 de situ et nomine hujus vici fuse disputat. Sed Mabillonius in indice ad tomum 4 veterum Analectorum situm et famam ejus breviter assignat his verbis :*

A *verbis :* Argentomaus vicus non longe a Lemovicensi patria, idolorum cultu famosus.

CAPUT V.

Prædictio mortis imminentis, ultimus Sancti morbus, pia monita, felix obitus, et sepultura.

Sanctus instantem obitum suum

Igitur cum jam vir Domini Aridius senilem ageret ætatem, cum jam mundi adversa, cunctosque labores æquanimiter tolerasset, postquam fidelissimæ dispensationis creditæ sibi undique merita commolavit *, post multiplicia misericordiæ opera, post monachorum cœnobiorumque mancipatum, post dulcia vitæ exempla, post bonorum omnium et virtutum miracula declarata; vergente jam ætate, cum autem esset annorum amplius octoginta, sciens jam dissolutionem sui corporis imminere, dixit ad suos monachos: Scitote, carissimi Fratres, quia me Dominus de laqueo hujus sæculi in proximo liberare dignabitur. Cum hæc audissent, ex eo sermone cuncti tabefacti atque in angorem conversi cœperunt mœrentes dicere : Non contingat, domine, hoc famulis tuis videre, sed magis annis multis ad ornatum ecclesiæ beatitudinem tuam Christus hic vernare permittat. At ille cum lacrymis vel longis suspiriis dixit ad eos : Non nostra, sed potius Domini ex hoc fiat voluntas. Porro ad hæc verba cunctis mœrentibus ait : Nolite, quæso, fratres mei, nolite contristari; sed magis gaudete et exultate; quia olim hoc tempus desiderabam, hanc remissionem percipere cupiebam. Illis itaque in angorem conversis atque suspirantibus, nihilominus et rei ambiguitate detentis, a colloquio cessatum est.

* forte cumulavit

prædicit discipulis,

48 Igitur nec mora aliqua, post hæc levissima febri infusa corpori tædiari cœpit. Deinde vocato quodam puero præcepit dicens : Festina, fili mi, perge cito ad virum illustrem Astidium *a*, dicesque ad eum, ut celeri cursu veniat, quia hujus cœnobii regiminis curam post dies obitus mei ipse recipiet. Et rursus ait : Quoniam si moram aliquam fecerit, faciem meam in hac vita jam non videbit. Nuntius quippe jussa complevit, sed præfatus Astidius veniendi causa tarde occurrit. Cum autem adfuisset, Virum Dei jam superstitem in hoc sæculo non invenit. Itaque ut Vir Dei prædixit, ita postea rei probavit eventus. Interea, ut dicere cœperam, cum Vir beatus ultimam decumberet ægritudinem, nec quidem a Dei opere cessabat. Bonam hanc consummationem virtutum suarum existimans, si ad finem usque perduceret. Pernox enim in orationibus et vigiliis, membris fatiscentibus, Deo spiritum et mentem servire cogebat, et nimium lætus cupitum iter exspectabat. Igitur cum jam propinquum diem sentiret, congregatis IX Kalendas Septembris discipulis suis, quos jam corpore non, spiritu incipiebat relinquere, dixit ad eos : Utinam, dilectissimi fratres, parvitatis meæ audire sententiam [velitis.] Si vere mei amatores estis, Christi monita amate, Dei tremenda judicia jugiter formidate, quales eritis in die judicii præsentandi sollicita consideratione cavete : ego enim jam gradior viam meam, sed et ego cupio dissolvi; et si Dominus permiserit, esse in requie.

eosque mœstos consolatus

49 His ita dictis, cum omnes flerent et ejularent, ait ad eos : Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum : mementote ergo admonitionem meam, et cogitate omnes de vobismetipsis : Hæc quæ dico assidue agite, hæc sapite et retexite, et memoriam meam semper vobiscum retinete. Jam ultra Aridius non erit in hoc sæculo vobiscum. Cum hæc audissent omnes, qui circumstabant, ingenti gemitu et fletu levatis, consona voce omnes flebant dicentes : Cur nos Pater deseris, vel cur tam cito a nobis recedere cupis? Scimus quidem te desiderare Christum, sed salva tibi sunt tua præmia, nostri quoque miserere, quos deseris : absentiam tuam ferre non possumus, quia similem tui numquam postea habebimus. Doleat tibi Pater, ne tam cito relinquas nos orphanos. Talia quippe eis deflentibus, piissimus ille Pastor faciem ubertim lacrymis rigabat : et cum esset pius, nec hos deserere, nec a Christo volebat diutius separari. Tandem ergo inter amaras lacrymas resumens verbum dixit : Nolite ex hoc contristari, et ne quæso nolite amplius fletu vexari de abscessu meo; gaudere vos magis oportet, quam mœrere, quia etsi corpore absens fuero, spiritu præsens ero. Ego vero si quid agere potui, profectibus vestris militavi; et quamquam ego infelix sim, Dominus autem semper est, illi vos commendo ipsique curam vestram committo. Scio quidem quia inutilis servus non gessi, quod debui; Dominus autem scit, quomodo volui. Post hæc quoque verba, vergente jam die, subito procidit in pavimento, et elevatis ad cælum oculis orabat suppliciter gemens atque suspirans : Commendo tibi, Domine Jesu, oves, quas mihi credidisti. Commendans igitur Domino cum fœnore quod ab ipso acceperat talenti munere.

ac paternis monitis instruens; pie moritur,

50 Jam vero in extremis positus, vocatis ad se discipulis, amplexusque per singulos flens, valedicensque omnibus ait : Jam ultra non loquar ad vos, et faciem meam amplius non videbitis, ideoque valete in pace, etiam me sentite quiescere. Hi itaque qui circumstabant audientes, nullo quiverant genere temperare a fletu. Vix tamen inter amaras lacrymas, hæc verba solummodo resonabant. Dolemus quidem nostri causa, quod nos solatio abscessus tui destituis, sed tui causa, Pater optime, consolamur; quia post mundi hujus laborem ad requiem vadis æternam. Tunc ille oculis ad cælum elevatis tacitam precem fudit, deinde cum lacrymis ait : Memento mei Domine, qui solus sine peccato es, Redemptor mundi, et educ me corpore mortis, et salvum me fac in tuum regnum cæleste : tu es protector meus Domine, in manibus tuis commendo spiritum meum. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, et non confundas me ab exspectatione mea; sed adjuva et auxiliare exitum animæ meæ. Aperi mihi Domine properanti januam regni tui, et principes tenebrarum non occurrant mihi, sed clementia tua protegat et defendat ac manus tua perducat me in locum refrigerii et consolationis, et vel in ultimo tabernaculo, quod præparasti timentibus nomen sanctum tuum. Inter hæc etiam addidit dicens : Nunc dimitte servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Et his dictis, inter verba orationis emisit spiritum.

et honorificæ traditur sepulturæ. b

51 Cum sancta illa anima carnis sarcina fuisset abjecta, statimque cum esset hora secunda noctis *b*, visus est globus nimia claritate resplendens

A. ANONYMO. dens super ejusdem cellulam de cælo descendisse, et subito ad sidera desuper penetrare. Hoc igitur ordine sancta ejus anima terrenis contagiis liberata, deducentibus Angelis sanctis, ad suum auctorem revolavit læta. Vir quidem spiritum emiserat, luctus et fletus ad cælum resonabat. Compositum quidem ex more corpus, feretroque impositum, ibidem in Psalmis et hymnis totam noctem pervigilem ducunt. Cum autem lux diei fuisset exorta, convenit populi multitudo; et jam cum et ad notitiam Pontificis urbis Lemovicinæ pervenisset, quo audito cum magno fletu celerique cursu occurrens, super corpus sancti Viri diutissime flevit, quod eum vivum minime in sæculo invenisset: et mox cum ad ecclesiam sancti Juliani martyris, quam vir sanctus ædificaverat, ubi corpus sacrum jacebat, deportare voluisset, nullo modo feretrum vel paucum levare potuerunt. Decreverat autem vir Domini Aridius in ecclesia sancti Hilarii antistitis, quam et ipse suo opere ædificaverat, corpus suum sepulturæ tradere.

B

cujus locus mirabiliter indicatur,

52 Tunc tristis valde Ferreolus Pontifex effectus, indixit jejunium triduanum celebrare cum psallentio. Quod cum ita fieret, ipse cum suis indesinenter per illud triduum celebravit jejunium. Interea cum peractum est jejunium, ait: Si Domini est voluntas, aut Sancti hujus, ut illic eat, quo ego vel plebs hæc cupimus, sine ulla dilatione elevetur. Erat autem locus in secretiori parte. Cumque accessissent ad feretrum, ut eum levare conarentur, tanta mox celeritate levatum est, ut facile a duobus portaretur, quod antea nec a plurimis movebatur. Quod omnes qui aderant cum eodem pontifice cernentes, cum magna exsultatione Christi gloriam magnificabant dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Cumque jam deportatum fuisset corpus ad sepulcrum, omnes qui aderant nullo genere temperabant a fletu; Patrem se perdere clamabant, et inter fletus et singultus vix hæc verba promebant: Cur nos Pater deseris? et cui alumnos tuos tradis regendos? Igitur corpore ex more tradito sepulturæ, præfatus episcopus reversus est ad propria.

et cujus gloriam biographus exsequiis reproborum opponit.

53 Comparetur itaque, si placet, exsequiis hujus sancti Viri, non dicam funeris, sed potius triumphi, inanis gloria sæculi: conferatur si potest etiam virorum divitum pompa huic Sacerdoti defuncto æquanda. Illos confusis plausibus

C

turbarum honorat insania; Aridium mundi ærumna exutum Angeli cum cælestibus laudibus perferunt ad regna perpetua. Illi post sæculi pompas in tartara truduntur: hic post mundi adversa, sinu Abrahæ lætus excipitur. Illi divitiarum opibus oppressi, et defuncti præcipitantur in gehennam; Aridius vero eleemosynis sublimatus cum sanctis resurget in gloria. Illi postremum lugent in inferno damnati; Aridius laureatus exsultat ecclesiæ cum cunctis a sæculo sanctis. Gratias tibi Deus noster, qui reddidisti ei magna pro parvis, et quiescere eum fecisti in gloria sempiterna, et illa Euangelica promissione, ubi ait: « Euge serve bone et fidelis, quia super » pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam. » Hic meruit audire: « Intra in gaudium Domini » tui »: et sicut de talibus per Salomonem scriptum est: « Justus de angustia liberatus est. » Et per Hieremiam scriptum est: « Benedictus vir » qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. » Hinc et David dicit: « In lege » Domini voluntas ejus et erit quasi lignum quod » plantatum est secus decursus aquarum. » Hinc D

etiam per Isaiam Prophetam Dominus dicit: « Ego vocavi eum et benedixi ei, et directa est » via ejus. » Hinc quoque in libro Ecclesiastico dicitur: « Timenti Dominum bene erit in » extremis, in die defunctionis ejus benedicetur. » Hinc et alibi scriptum est: « Bonorum » laborum ejus gloriosus erit fructus, et in perpetuum corona ejus triumphat. » Hæc nos de obitu sancti Viri sufficiat narrasse, ut ne legentibus fastidium ingeram. Verum et ejus vita terminetur, noster quoque terminetur et sermo.

ANNOTATA.

a *Patruus hujus Astidii erat* S. Aredius, *ut novissimi Galliæ Christianæ editores tomo 2 Operis sui col. 547 affirmant.*

b *Cum S. Abbas* IX Kalendas Septembris *convocaverit discipulos suos, nescimus, utrum obierit* hora secunda *post occasum solis eadem die, an vero* hora secunda *sequentis diei, qui post horam duodecimam nocturnam incipiebat, ut num. 4 Commentarii prævii indicavimus.*

E

CAPUT VI.

Quædam miracula, quæ post obitum sancti Abbatis contigerunt.

Theca sacrarum reliquiarum,

Nunc de multis miraculis quæ ad sacratissimum ipsius corpus Dominus assidue ejus meritis operatur, vel pauca de pluribus, quæ in calce ejus obitus ibi Jesus Christus declaravit, pro legentium oportunitate aggrediar: ideoque non valet mens humana in verbis erumpere, quantis mysteriis milites suos superna gratia illustrat. Quidam monachorum de Viri sacratissimi cellula, nomine Baudenus, cum instrumentis chartarum, quibus monasterii possessio firmabatur, regionem Burgundiæ adire non distulit. Qui igitur expetens venerabilem et egregium Antistitem Syagrium Eduæ civitatis Episcopum *a*, eumque suis precibus imploravit, eo quod honore a

F

dignissimus præ omnibus in regis palatio habebatur, ut ejus patrocinio a diversorum æmulorum insidiis cellula tueretur. Qui scilicet petitionibus præfati monachi annuens, quæ petivit, vir reverentissimus non negavit: sed etiam auctoritate regali instrumenta munivit, et ad regionem remeandi tribuit libertatem. Cumque transissent dies plurimi, et obtenta petitione festinaret, oppidum Lemovicæ regionis ingressus est.

quam Sanctus in vita gestare consueverat. b

55 Quodam die in vico quodam, nomine Ricomago *b*, virum magnificum Nectarium ibidem repperit; et quidquid petitionibus suis eventus præstiterat, omnia patefecit. Qui dum interea percunctaretur ab ipso, cœpit sermonibus suis vacillare, menteque lapsa ac furibundo vultu, statimque prorumpens in vocem, causam sui operis silere non potuit, quod adulterii vitio fuerat ludibriose inquinatus. Qui dum frenderet dentibus, et se suis morsibus laniaret, chrismarium, quod vir beatissimus Aridius gestare consueverat, et reliquias habere Sanctorum, a se concitus excutiens, projecit in terram. Et dum furor ingens illius sedari nullatenus poterat, vinctus custodiæ mancipatur. Interea unus e famulis

præfati

A præfati viri, apprehenso chrismario, quod a se projecerat, nesciens inter vestimenta reposuit. Qui, dum hoc ageretur, constipatis in unum rebus, onerare jumentum cœperunt. Nam cum super ipsum onus elevatum fuisset, sacro pondere constipatus, in terra corruens gressum ultra movere non potuit. Quid plura? Supponitur in alio, qui scilicet suscepto pondere, pari conditione idemque similiter in terra procubuit; qui dum multis stimulis cruentatus urgeretur, nullatenus reddidit animos erigendi, quo usque daretucausa intellecti culpa facinoris patefieri.

ab adultero gestata eum in rabiem agit,

56 Igitur dum artius furoris impetu suæ vesar niæ ageretur, exclamavit quod chrismario, quod se indigne deportasse dicebat, cum suis vestimentis esset adstrictus : et ideo vehiculum non movetur, nisi hactenus tollatur, ubi positus est, negligentiæ culpa. Quod videlicet scrutato marsupio illico repererunt, et pro veneranda devotione ac religione Vir sublimis Nectarius puero innocenti cum reverentia honoris superimponit; statim horarum solvuntur spatia. Præfatus namque Baudenus, cum antequam spiritu perturbaretur (utpote nec alio potest æstimari, qui suo B sensu non regebatur) coram omnibus extensis gressibus fugam iniit. Qui dum in unius spatio horæ pene duodecim millia suis pedibus velociter curreret, fatigato corpore, semianimis corruit in terram : cumque a custodibus adsecutus fuisset, apponitur mansioni. Exacta namque nocte diluculo consurgens, ad sacratissimum tumulum sancti Martialis, cogente immundo spiritu, se obtulit præsentandum; ibique, ut professionem sui operis patefecit, expulso maligno spiritu, medeam meruit recipere sanitatis.

et hæc eadem mulierem moribundam sanat.

57 Sunt multa et alia, quæ post transitum sancti Viri omnipotens Deus operatus est. Hujuscemodi causa populis exspectantibus, unus e familiaribus ad virum magnificum antedictum velocissimo cursu perveniens, nuntiavit conjugem suam gravi mortis periculo detineri : quem vero admonuit ut festinus adesset, si vellet eam reperire vivam. Qui interea confidens de Domini miseratione, puerum qui chrismarium sancti viri secum detulerat, jussit concitus in antea properare. Cumque domum fuisset ingressus, omnis familia in luctu et lamentatione vacabant, eo quod tam repentinæ mortis articulo subjaceret. C Quæ scilicet oculis clausis indicium morituræ ostentu gutturis apparebat, ubi gravissimus exortus fuerat nodus. Quæ etiam jam vocis officio obserato, ac caligantibus oculis, nec virum suum agnoscere poterat. At ubi chrismarium sancti Viri collo morientis suspenditur, mors ilico fugatur, statim oculi solvuntur in lumine, spiritus halitus saluti pristinæ reformatur. Quæ eructans fortiter, ablato gutturis nodo, quod esu non acceperat, revomuit, et restituitur vitæ, cui mors imminebat in januis. Ipsum vero chrismarium, vocatis sacerdotibus, venerabiliter ad monasterium sancti Viri deportatum est.

Paralyticus usum membrorum recuperat,

58 Sed quis singillatim omnia mirabilia quæ ad sanctum ejus sepulcrum Dominus Jesus Christus operatur, assidue verbis valeat enarrare? Quadam die decreverat mulier se sancti Viri præsentia esse videndam, ut referret gratias. Nocturnas vigilias celebrantibus monachis, Babolenus quidam habens filium nomine Babolenum, qui gravi fuerat membrorum vulnere addictus *, deportatus a parentibus, ad tumulum sancti Viri exponitur : qui dum in pavimento jaceret, nocte fere media puer prorumpens in vocem, sensit membrorum compages locis, quibus fuerant dissolutæ, adjungi : qui videlicet se erigens e pavimento, solidatis membris stetit super pedibus suis : et qui fuerat manibus exhibitus ad sepulcrum, gressu proprio cum ipso suo parente gavisi, gratias Christo referentes, revertuntur ad propria. A. Anonymo.

* *forte* afflictus

energumenus liberatur,

59 Intuendum summopere est, quanta omnipotens Deus sanctis suis in hac vita gratiæ suæ contulit dona, ut ad majorem gloriæ cumulum ad supernam patriam remunerentur post triumphum. Itaque quidam ex monachis, nomine Gaudomeres, de monasterio Ambiacini *c*, quod non longe ab urbe situm est. Ipse vero a maligno spiritu detentus, ita ut visu quem cerneret, morsu vellet decerpere; et in duabus vinctus catenis deducitur ligaminibus, quasi reus ad judicem. Quadam namque die ad tumulum sancti Viri deductus est, ibique redditus sanitati pristinæ, ab adversario hoste, a quo vexabatur, ereptus est, [et] in servitio omnipotentis Dei plerosque convertit. Nam catenæ, quibus miser adstringebatur, sponte solutæ sunt, ut miraculo duplici patefaceret, quod in uno momento catenæ constipatæ E confringerentur, atque a dæmonio obsessum divina gratia absolveret, ut liber Deo serviret, cui creatura omnis ingemiscit. Nam si quis exigente causa, quamcumque fuerit ob culpam vinctus vel catenis' adstrictus, si contigerit, ut per agrum publicum, qui basilicæ ipsius proximus est, ducatur ligatus; mox ut contra eamdem ecclesiam ventum fuerit, confestim disruptis omnibus vinculis solvitur reus, nec patitur ulterius teneri adstrictus.

duo muti et quatuor cœci sanantur,

60 Mirandis rebus plus adhuc miranda succedunt. Quadam vero die duo muti venientes ad tumulum sancti Viri, licet lingua rogare non valebant, sed fide : peruncti igitur oleo, mox solvitur imperante Domino lingua mutorum, et loqui cœperunt adorantes : et qui effecti fuerant elingues, protinus sermocinantur ad plebem. Electi quippe hoc in munere acceperunt, ut quanto magis virtutibus polleant, tanto etiam indignos se judicent, ne ad inanem gloriam rapiantur, ut dono non priventur superno. Igitur quatuor viri de diversis provinciis venientes, una cæcitate damnati, tunc prostrati in oratorio exspectabant lumen, eventu quærentes sancti Viri remedium. Interea dum preces ad sacratum tumulum offerunt, unanimiter postulantes, ilico cæcorum oculos aperit, qui longo jam tempore fuerant F clausi, claro lumine adepti, poscentes limina templi.

et ad tumulum sancti Viri *d*

61 Multa quidem et alia ibidem jubente superna gratia ejus meritis operantur signa atque virtutes : inter quæ etiam et cicindelus *d* exundante ubertim oleo superfunditur. Ex quo etiam sancto liquore multi illic peruncti a diversis sanantur infirmitatibus, et benedicitur ibi jugiter nomen Domini Dei æterni. Sed et ad ejus nihilominus lectum, qui situs est in monasterii sui prædio, multæ virtutes similiter declarantur. Sed et per diversa loca, ubicumque sacræ ejus reliquiæ deportantur, vel quo etiam delatæ fuerint, plurima signa virtutum, ejus merita revelante gloria Christi, enixius efficiuntur. Quæ omnia ex ordine onerosum duximus verbis prosequi : et idcirco ea his paucissimis syllabis complexi sumus, quia jam cessare a collocutione festinamus. Quæ vero si per singula, ut gesta constant, nunc enodare curaverimus, et modum paucissimi voluminis excedimus, et pro ipsa forsitan prolixitate

A. Anonymo.

tate fastidium legentibus ingerimus. Quæ vero nos minus enarravimus, palam omnibus fidem præstant, conspicientibus illa multimoda vincula compeditorum, quæ ad ejus sepulcrum in argumento rerum cernuntur appensa. Ex quibus etiam nos aut certe pauca, aut pæne nulla commemoravimus, per id dumtaxat quod in conspectu omnium apposita, velut nos locum, ita et omnes non ambigimus nosse.

innumerabilia alia miracula patrantur.

62 Hæc quidem quamplura infra pauco tempore constant acta. Illa scilicet quæ deinceps per prolixa spatia temporum agenda sunt, qualia vel quanta fiant, quis modo æstimatione comprehendere valet, cum numquam a Præsulis tumba hodieque restent fieri miracula. Sed quotidie ægri ad tumulum sancti Viri veniunt, et ibi excubantes sani efficiuntur : cæci veniunt, et inluminantur : dæmoniaci veniunt et liberantur : perjuri veniunt, et aut moriuntur, aut etiam a diabolo vexantur : ferro vincti confugiunt, et solvuntur : claudi carrucis advecti, consolidatis gressibus ad propria incolumes revertuntur. Multæ quidem sanitates ex eo, qui illic crescit, olei liquore perficiuntur. B Quanti rursus a frigoribus, vel diversis infirmitatibus detenti liberati sunt, post transitum beatissimi Viri, qui fuerant ab hoste captivi : nam libelli pagina singillatim non potest adnecti, ut ne infirmioribus fide fastidium præparet, et dubitantibus sermo prolixior promulgetur. Hæc igitur pauca de pluribus dixisse sufficiat, ut quasi de diversis floribus in sanctæ Ecclesiæ sinu redolentes repleta multorum corda credentes, ut carpere perfectos fructus valeant, D quos mundialis delectatio non inquinat. Non potest enim et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo ; nec duobus dominis servire, Deo scilicet et mammonæ. Deponentes igitur opera tenebrarum induamus arma lucis, quia Creator omnium est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hic est Syagrius, qui ecclesiæ Æduensi vel Augustodunensi diu præfuit, et cujus Acta ad diem 27 hujus mensis illustranda erunt, ut novissimi Galliæ Christianæ editores tomo 4 col 346 asserunt.*

b Ricomagus *nunc est urbs Galliæ in Arvernia vulgo dicta* Riom, *cujus etymologiam et situm vide apud Valesium in notitia Galliarum* E *pag. 476 et sequente.*

c *Novissimi Galliæ Christianæ editores tomo 2 col. 548 tradunt, hoc monasterium jam pridem subjectum esse Benedictinæ abbatiæ S. Augustini extra muros Lemovicenses.*

d Cicindelus *hoc loco significat lampadem, quemadmodum patet ex Gregorio Turonensi et aliis, qui in auctiore Cangii Glossario citantur.*

DE S. EBBA VIRG. & ABBATISSA

IN COLUDENSI SCOTIÆ MONASTERIO

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Antiquus hujus Sanctæ cultus, Acta, eorum supplementum, et tempus mortis.

C

Anno DCLXXXIII. *Diversis diebus apud Martyrologos,*

Hodie nobis agendum est de duabus sanctis ejusdem nominis ac monasterii abbatissis et virginibus, quarum una lilium virginitatis cum laurea martyrii conjunxit. Majores nostri die secunda Aprilis inter prætermissos vel ad alium diem dilatos de ambabus istis abbatissis habent sequentia :* Sancta Ebba, filia Ethelfridi regis Northumbrorum, et soror sancti Oswaldi regis, abbatissa Coldinghamensis inscripta est Martyrologio Anglicano Wilsoni primæ editionis et catalogo generali Ferrarii. At Camerarius ejus loco substituit sanctam Ebbam, ejusdem monasterii Coldinghamensis abbatissam et martyrem, a Danis cum suis sanctimonialibus occisam ; quæ in dicto Martyrologio et Ferrario refertur XXV Augusti. In secunda editione Martyrologii Anglicani sancta Ebba abbatissa martyr collocatur secunda Aprilis ; et altera Ebba XXV Augusti. Reperimus Romæ in bibliotheca Ducis Altempsii Ms. Martyrologium Usuardi, in Anglia olim auctum, in quo ad diem XXIII Augusti est sancta Ebba, abbatissa in Scotia, cujus ad dictum diem etiam meminit Grevenus in auctario Usuardi. Quare, quia arbitramur, F aliquam Ebbam solum ad hunc secundum Aprilis collocatam, quod alius Sanctus deesset, poterit de utraque agi XXIII vel XXV Augusti. *Nos ad illustranda earum Acta hunc diem elegimus, ac primo quidem agemus de* S. Ebba *tantum virgine, quæ seculo septimo floruit ; postmodum autem de altera, quæ seculo nono præterea palmam martyrii obtinuit.*

et ab immemorabili tempore,

2 *Primam temporis ordine Sanctam memorant Martyrologi recentiores, quos hic transcribere supervacaneum arbitror, et quibus Altempsianum Usuardi codicem, Grevenum, Witfordum, nostrum Ms. Florarium, aliosque veteres scriptores Anglos superaddo. Ex his antiquis Martyrologis et historicis colligo immemorabilem* S. Ebbæ *virginis cultum, qui olim in Anglia vel Scotia tam celebris erat, ut ipse Camdenus heterodoxus in Britannia sua, quam Londini anno 1607 edidit, in topographia episcopatus Dunelmensis pag. 606 sic scripserit :* Ad Derwentum, qui prope Trianguli apicem fontes habet, nihil insigne adjacet, nisi Ebchester quem nunc vocant, viculus, ab Ebba virgine, regio Northumbrorum sanguine nata, quæ

tanta

Auctore G. C.

A tanta sanctitatis opinione circiter annum salutis DCXXX claruit, ut solemni apotheosi in Divas relata, plura in hac insula templa sibi dicata habeat, quæ S. Tabbs, pro sanctæ Ebbæ vulgus vocitat. *Deinde auctor ille Merchiam Scotiæ provinciam describens, pag. 686 et sequente ejusdem editionis hanc sanctam Virginem rursus ita memorat :* In vicinia est Fastcastle Humiorum castrum a firmitate ita nominatum, ad promontorium sanctæ Ebbæ illius, quæ filia Edilfredi regis Northumbriæ, patre capto, arrepta scapha in Humbro, huc per furentem Oceanum sospes delata, vitæ sanctitate inclaruit, et loco nomen reliquit.

testantibus historicis Anglis,

3 *At potius consulamus antiquos et Catholicos hujus publicæ venerationis testes, qui ab immemorabili tempore Virginem illam titulo* sanctæ *exornarunt. Ex istis Radulfus de Diceto Decanus Londinensis, qui inter decem Angliæ scriptores anno Christi 1652 Londini primum typis vulgatus est, in Abbreviationibus chronicorum ad annum Christi 674 apud nos col. 440 sic scribit :* Regina Northanhimbrorum Ætheldreda diu postulans maritum suum regem Ecg- B fridum, ut relictis seculi curis in monasterio regi Christo servire permitteretur, ubi vix aliquando impetravit, monasterium sanctæ Ebbæ, sancti Oswaldi germanæ intravit, et velamen sanctimonialis ab antistite Wilfrido suscepit. *Florentius Wigorniensis monachus in Chronico suo ad annum Christi 672 similia narrans, eamdem Virginem nostram nomine* sanctæ *appellat. Hæc testimonia cum annuntiationibus veterum Martyrologiorum conjuncta sufficiunt ad immemorabilem* S. Ebbæ *cultum confidenter asserendum, qui tamen per decursum confirmabitur ex ipsis Actis, de quibus nunc aliqua præmonebimus.*

colitur hæc nobilis Virgo,

4 *Joannes Capgravius ex Ordine Augustiniano in Catalogo Sanctorum Angliæ gesta hujus* S. Ebbæ *collegit ex variis antiquis monumentis, quæ apud venerabilem Bedam et biographos sancti Cuthberti ac sanctæ Etheldredæ reginæ reperiuntur. Tamen ille collector initio Actorum movet quæstionem genealogicam, quam operosius examinare nolumus, cum nobis sufficiat, venerabilem Bedam in Vita S. Cuthberti apud nos tomo 3 Martii pag. 102 scripsisse se- C quentia :* Cum ergo sanctus vir in eodem monasterio virtutibus signisque succresceret, famaque operum ejus circumquaque crebresceret, erat sanctimonialis femina et mater ancillarum Christi, nomine Ebba, regens monasterium, quod situm est in loco, quem Coludi urbem nuncupant, religione pariter et nobilitate cunctis honorabilis; namque erat soror uterina regis Oswini *(Mss. quædam perperam legunt* Oswii, *sicut majores nostri ibidem in Annotatis observarunt.) Clarius itaque Thomas Elyensis monachus in Vita S. Etheldredæ apud nos tomo 4 Junii pag. 505 de consanguinitate* S. Ebbæ *hæc tradit :* Potens regina intravit monasterium sanctæ Ebbæ abbatissæ (quæ erat amita regis Egfridi, et sancti Oswaldi martyris et Oswini regum germana) positum in loco, quem Coludi nominant urbem. *Denique venerabilis Beda eamdem Sanctam nostram in Historia ecclesiastica gentis Anglorum lib. 4, cap 19 etiam* amitam regis Ecgfridi *appellat.*

cujus Acta collegit Capgravius,

5 *Præterea Capgravius in Actis post hunc Commentarium edendis num. 3 dubitat, utrum Sancta nostra hoc loco normam monasticæ vitæ prima instituere cœperit, an ab aliis antea institutum invenerit. Idem dubium tomo 2 Monastici Anglicani col. 1050 proponitur, ubi monasterium Coludense vel Coldinghamense inter cœnobia Scotiæ primo loco recensetur. Non sunt nobis ad manum certa documenta, quibus hanc dubitationem dissolvere possimus. At saltem Hector Boethius indicat, hoc monasterium vetustius esse, dum in Historia Scotorum lib. 9 apud nos folio 172 hæc refert :* Ebba unica Edelfredi filia capta raptorem divina evadens ope, scapha arrepta, per Humbrum in mare absque humana ope devecta est, ac tandem in Fortheæ ostiis ad promontorium, quod ab ea Ebbæ nomen ad nos tulit, in terram exposita, sacro ab antistite loci accepto velo, inter sanctimoniales ibidem degentes est numerata. Mater tandem ac antistita sacrarum virginum effecta, sese virtutum exemplar cunctis imitandum præstans, probatis moribus ac sancto vivendi instituto ad vitæ exitum feliciter perseveravit.

qui tamen omisit

6 *Supradictus Actorum collector nullum verbum facit de memorabili quodam* S. Ebbæ *facto, quod legitur inter quindecim scriptores Anglos,* E *quos Thomas Gale anno Christi 1691 Oxoniæ vulgavit, ubi Heddius Stephanus coævus in Vita S. Wilfridi I præsulis Eboracensis cap. 38 habet sequentia :* Interim rex cum regina sua per civitates et castella vicosque quotidie gaudentes et epulantes, in pompa sæculari circumeuntes, quodam tempore ad cœnobium, quod Colodesburg dicitur, pervenerunt, cui præsidebat sanctissima mater-familias, nomine Æbbe, soror Oswini regis sapientissima. Illic enim regina ea nocte abrepta a dæmone, sicut uxor Pilati, multis flagellis defatigata, vix diem vivens exspectavit. Crastina vero die elucente, mox sapientissima mater-familias veniens ad reginam, contractis membris simul in unum stricte alligatam et sine dubio morientem videns, regem adiit, regique memorat lacrymabili voce, unde hoc miserabile malum secundum suam intelligentiam ei evenisset, dicens audaciter : Ego scio, et vere scio, quod Deo amabilem Wilfridum episcopum sine alicujus sceleris piaculo de sede episcopatus abjecisti, et exsilio expulsus Sedem Apostolicam adiit; et inde reversum cum scriptis Apostolicæ Sedis, quæ habet cum sancto Petro apostolo potestatem F ligandi et solvendi, insipienter contemnens spoliasti, dum et mala malis addens, in carcerem Sanctum conclusisti.

illustre ipsius factum;

7 Et nunc, fili mi, secundum consilium matris tuæ fac; disrumpe vincula ejus, et sanctas reliquias, quas regina de collo spoliati abstraxit, et in perniciem sui, sicut arcam Dei, per civitates ducens, per fidelem nuntium mitte ei; et si nolueris (quod optimum est) illum in episcopatu habere, dimitte ei liberum de regno tuo cum suis, quocumque voluerit, abscedat. Tunc secundum meam fidem vita vivet regina et non morietur; sin vero hoc renueris, Deo teste, non eritis impuniti. Jam enim rex obediens matri castissimæ factus est, et sanctissimum sacerdotem nostrum resolutum, cum sanctis reliquiis et suis sociis congregatis a se libere discedere concessit; et regina sanabatur.

quod aliunde eruimus;

8 *Eadmerus monachus Cantuariensis in Vita S. Wilfridi, quam Majores nostri die* XXIV *Aprilis in Opere nostro solam ediderunt, cum tunc adhuc carerent lucubratione Heddii Stephani scriptoris coævi, tomo* III *Aprilis pag. 304 eamdem rem aliis verbis exponit ; sed ibidem*

istud

AUCTORE G. C.

istud consilium videtur perperam tribuere carnali regis matri, dum ibi post alia sic scribit : Rex aderat oppido conturbatus, et ingenti furoris igne succensus, ventum maribus quasi fumum emittebat; quem etiam mater sua tali voce est allocuta : Jam tandem, fili, jam tandem memor esto tui. Ultio divina tuam, quam nimis diligis, conjugem, ut cernis, affligit. Et fateor, crede mihi, quia bene promeruit tali supplicio fatigari, eo quod diabolica indignatione succensa, servum Domini Wilfridum non timuit miris afflictionibus insectari. *Eadmerus biographus recentior propter nomen matris et filii, quod utrumque in antiquis S. Wilfridi Actis etiam exprimitur, haud dubie per errorem putavit, hanc monitionem ab ipsa carnali regis matre datam fuisse, cum tamen eam dederit* S. Ebba *abbatissa et Ecfridi regis amita, quæ spiritualis ipsius mater dici potest, et quæ initio Vitæ infra edendæ* mater regni *vocatur.*

et confirmamus.

9 *Itaque propter auctoritatem Heddii Stephani testis synchroni confidenter sanctæ Virgini nostræ adscribimus hoc egregium facinus, quod* B *in Actis ejus omissum est, et quod Willielmus Malmesburiensis in Opere de Gestis pontificum Anglorum lib. 3, apud nos pag. 264 editionis Francofurtensis inter gesta S. Wilfridi confirmat his verbis :* Quid interim regina Ermenburga, totius mali fomes et incentrix? Continuabat dies ac noctes conviviis, ducebatque triumphali pompa chrismarium * antistitis, opimis gavisa spoliis. Sed cum nocte quadam hospitata fuisset apud abbatissam Ebbe amitam mariti, totis medullis diabolo infuso, cœpit aliena sapere, insana dicere. Vocibus ejus excitata Abbatissa accurrit, quid morbi haberet, blande interrogans. Illa nihil contra (nam jam angustia valetudinis vocem præcluserat :) tum Dei Famula causam intelligens, auctor nepoti fuit, ut beatissimi viri redderet chrismarium; ipse suis omnibus secundum Apostolica præcepta revestiretur; quod præstaret, si collateralem suam salvam vellet. Si vero regia in malo perseverandum putaret animositas, quæ tulerat, redderet, ipsum liberum abire sineret. Actum est, et regina tunc quidem pulchre convaluit, et post obitum mariti, habitu mutato, religiose de facto pœnituit. *Nunc breviter aliquid dicendum superest de tempore, quo Sancta nostra e vivis excessit.* C

* *id est* lipsanothecam

Hæc Sancta obiit anno Christi 683.

10 *Capgravius in Actis infra edendis num. 12 annum mortis ejus aperte assignat his verbis :* Sancta tandem virgo Ebba, virtutibus et operibus bonis plena, ante memoratum patrem sanctum Cuthbertum quatuor annis migravit ad Dominum octavo Kalendas Septembris, anno Domini sexcentesimo octogesimo tertio. *Hæc chronotaxis optime concordat cum morte S. Cuthberti, quam Majores nostri ad diem* XX *Martii, alios auctores secuti, anno Christi 687 affixerunt. Hinc etiam Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini in notis ad Vitam S. Etheldredæ, quam seculo secundo sui Ordinis edidit, mortem hodiernæ sanctæ Virginis anno 683 alligavit. Cum vero incendium Coludensis aut Coldinghamensis monasterii post obitum* S. Ebbæ *contigerit, ut venerabilis Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum lib. 4, cap. 25 testatur, erravit Usserius in indice chronologico ad Antiquitates ecclesiarum Britannicarum, ubi illud incendium anno Christi 681 collocat. Nos quoque superius initio hujus Commentarii prævii ad marginem morti nostræ sanctæ Virginis* D *assignavimus annum Domini 683, de quo inter plerosque chronologos convenit, etiamsi illam collector Martyrologii Anglicani in utraque editione usque ad annum sequentem distulerit.*

licet morti ejus assignentur varii dies,

11 *Non est tanta auctorum concordia circa diem obitus, si Martyrologi annua sua annuntiatione emortualem* S. Ebbæ *diem indicare voluerint : nam in editione prima Martyrologii Anglicani ad diem secundam Aprilis, in altera autem ad diem vigesimam quintam Augusti refertur. Præterea Menardus et Bucelinus annuam* S. Ebbæ *memoriam die* XXIX *Augusti celebrant. Quidam aliis Augusti diebus eamdem Sanctam memorant, ut inter prætermissos aut ulterius dilatos in præcedente hujus mensis tomo videre est. Porro nescimus, utrum Martyrologi diversis his diebus indicare voluerint emortualem Sanctæ diem, an vero annuam memoriam cujusdam translationis aut elevationis sacrarum reliquiarum, de qua in Actis infra agetur.*

ex quibus hunc præsentem elegimus.

12 *At quiscumque sit verus mortis dies, nos promissioni Majorum nostrorum satisfacere voluimus, et hodie duplicem ejusdem nominis ac monasterii sanctam Abbatissam illustramus exemplo Arturi du Monstier, qui in Gynæceo suo utramque illam sanctam Virginem die* XXV *Augusti sic annuntiat :* E Apud Coldingense Ordinis Benedictini monasterium in Northumbria Angliæ provincia, sanctarum virginum et martyrum Ebbæ abbatissæ et reliquarum ejusdem loci monialium, quæ mira constantia et ingenti Spiritus fervore, pro castitate servanda et religione tuenda decertantes, victores ad cælos evolarunt... Coldinghamiæ natalis sanctæ Ebbæ virginis abbatissæ ejusdem Ordinis, sororis sancti Oswaldi regis Angliæ et martyris, quæ tanta sanctitatis gloria refulsit, ut hac commotæ undique pietatis amantes ad eam, ceu ad animatum totius religionis speculum, concurrerent, quas in portum salutis vexit salvas. *Jam tantum restat, ut Vitam* S. Ebbæ *senioris, consuetis annotationibus illustratam, huic Commentario prævio subjungamus, gesta alterius Sanctæ homonymæ ac junioris hac die postmodum examinaturi.*

F

VITA

collectore Joanne Capgravio

Ex nova Legenda Sanctorum Angliæ, quæ Londini anno 1516 impressa est, fol. XCIX *et frequentibus.*

Hæc nobilis Virgo,

Sancta virgo Ebba ex regali progenie orta, soror regis Oswi *a* Northanhumbrorum, et Egfridi regis amita extitit. Quorum temporibus velut mater regni, et decus tantæ nobilitatis enituit. Tradunt enim historiæ Ethelfridum filium Ethelrici filii Yde regis Berniciorum ex Acca filia Elle regis Deirorum septem suscitasse filios, et unam filiam, scilicet sanctam Ebbam abbatissam. Alii vero et verius, sicut superius in vita sancti Oswaldi habetur, asserunt, Eansfridum et Oswaldum ex Acca regina progenitos, Oswi vero et ceteros ex concubinis fore procreatos *b.*

2 In

A

conjugium regis Scotorum fugiens,

2 In diebus illis summa nobilium ingenuitas habebatur, in qua Christi servitus probaretur, nec aliquam celsitudinis gloriam se credebant attigisse, quos humilitatem Dominicæ Crucis non constitit induisse. Utraque tunc Domini familia, virorum scilicet sacræ multitudinis conventus, et innumerabilis virginum chorus sparsim per Angliam militabant, et in uno loco sub unius patris sive matris regimine diversis divisi monasteriis degentes, contra potestates tenebrarum gladio spiritus accincti, prælia castitatis exercebant. Horum beata virgo Ebba indefessis gressibus sequens vestigia, regnum mundi et omnem ornatum seculi cum flore juventutis contempsit, propter amorem filii Dei, quem mundo corde dilexit, et a sancto Finano *c* Lindisfarnensi episcopo sanctæ conversationis velamen accepit. Dominicam servitutem nobilitati prætulit, spiritualem paupertatem divitiis, honoribus spontaneam abjectionem. Claris siquidem orta natalibus, mundum fide et formam moribus, et sexum virtutibus vicit.

c

3 Petebatur autem a quodam Scotorum tyranno rege Eadano *d* in uxorem. Quo demum ob sui contemptum raptum meditante, et amodo simul, et violentia eam persequente, traditur ad montem Coludi *e*, id est, Coldingham confugisse, et ad preces ejus a meridie in altum mare se erigens, subjectæ vallis alveum transcurrens hosti triduo continuis fluctibus obstitisse, et cooperante Domino munitionis præsidium virgini præstitisse. Habet enim mons ille fontes duos ad suæ solitudinis, et eremiticæ conversationis solatium. Unus enim ad radices ejus latice perpetuo madet; alter in cacumine ejus ad calores æstivos quandoque arescit. Horum haustu salubri meritis sanctæ Ebbæ, multi debiles, et infirmi pristinam sanitatem consecuti sunt : ex his enim beata virgo Ebba, et suæ congregationis cives, potare consueverunt. In hujus vastitate deserti utrum Spiritu sancto præventa religionis cultum prima instituerit, an ab antecessorum studiis institutum invenerit, incertum est *f*. Nihil autem verius, quam quod ibi sobrie juste et pie conversata sit, et beatum cælo spiritum, relicta terræ sancti corporis gleba, intulerit.

B

Vitam monasticam amplectitur,

d

e

f

4 Aliud autem monasterium feminarum ex dono fratris sui Oswi juxta ripam Dorwentionis *g* fluminis construxit, eique ex nomine suo Ebbecestre, id est, castrum Ebbæ vocabulum dedit. Quod quale quantumque in se olim fuerit, dum staret, ex ruinis suis manifeste nunc docet. Mutato namque, ut assolet, statu temporum, interfectis habitatoribus suis a nefandis principibus Ynguar, et Hubba subversum est, et in plurimam nemorum vastitatem, et animalium pascua, sicut hodie videtur, commutatum.

et aliud monasterium fundat,

g

C

5 In Coludi enim monasterio virorum et virginum congregationi præfuit, et contigua utrique habebant ibidem habitacula, qui divino conducti fœdere cum summa animæ et spiritus jucunditate sub ea gaudebant vivere, quæ se admirabili discretionis gratia, et puellis matrem exhortationis instantia, et viris patrem animi constantia exhibuit. Hujus enim sanctæ Ebbæ virgo illa nobilis Etheldreda olim fuit discipula, nunc Eliensium gloria *h*, tantæ magistræ rudimentis se subdidit. Beatus quoque pater Cuthbertus *i*, licet consortia mulierum velut pestem quamdam ab infantia vitaverit, ad hujus colloquia venire, et ad habitantium informationem aliquot dies manere consuevit.

variisque virtutibus fulget.

h

i

Ex Capgravio.

Cum incolæ monasterii Coludensis

6 Tandem vero instigante totius mali incentore, habitacula, quæ ad orationum, lectionum, et alia spiritualis vitæ exercitia fuerant facta, in commessationum, confabulationum, et aliarum illecebrarum mutata sunt cubilia. Virginum species viros allexit, et inquieta virorum cupido virgines attraxit, et quasi stellæ de cælo cadentes in cœno voluptatum involuti sunt. Hæc autem offensionum Dei Ebbam sanctam quasi omnino latebat injuria. Anno autem ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo *k* monasterium virginum, quod Coludi urbem cognominant, id est,* Coldingham per culpam incuriæ flammis absumptum est. Quod tamen a malitia inhabitantium in eo, et præcipue illorum, qui majores esse videbantur contigisse, omnes, qui novere, facillime potuerunt advertere.

k

Deum peccatis suis graviter offenderent,

7 Non defuit tamen puniendis admonitio divinæ pietatis, qua correcti per jejunia et fletus et preces iram a se instar Ninivitarum justi judicis avertissent. Erat enim in eodem monasterio vir eximiæ sanctitatis, nomine Adamnanus *l*, genere Scotus, qui in adolescentia sceleris aliquid commiserat, quod, si sibi reconciliatio sacertodis, et pœnitentiæ non subveniret remedium, æternis cruciatibus gravius a Deo novit puniendum. Quemdam ergo magnæ religionis presbyterum consuluit, et scelus suum cum gemitu ostendens, dixit : Adolescentior, inquiens, sum, vegetus corpore : quidquid mihi imposueris libenter feram, dummodo in die Domini salvus fiam; si totam noctem stando precibus continuare, si integram septimanam abstinendo jubeas pertransire. Cui ille : Multum est; seb biduanum aut triduanum satis est observare jejunium. Hoc facito, donec redeam, et quod deinceps agere debeas tunc plenius ostendam.

l

E

S. Adamnanus ex divina revelatione cognovit,

8 Abiit igitur sacerdos in Hiberniam, unde originem duxit, et eodem anno humanis rebus excessit. Quo comperto, Adamnanus, quoad vixit, die Dominica et quinta feria solum cibum sumpsit, hoc insuper ex propria voluntate adjiciens, quod noctes integras obsecrationibus Domino cum multa devotione sæpe vigilando transegit. Et quod causa divini timoris semel ob reatum cœperat, jam divini amoris causa delectatus, imposterum semper agebat, et quod ex necessitate emendandæ pravitatis evenerat, in voluntariæ consuetudinis usum convertebat. Hic tandem monasterii ædificia sublimiter erecta considerans, in lachrymas resolutus, tristitiam cordis vultu indice demonstrabat. Quod intuens comes, quare fleret, inquisivit; et ille : Cuncta, inquit, hæc, quæ cernis, ædificia in proximo est, ut ignis absumens in cinerem convertat.

F

istud cœnobium flammis absumendum esse,

9 Quod cum frater ille sanctæ Ebbæ retulisset, advocato Adamnano; unde hæc nosset, inquirebat. Qui ait : Nuper nocturnis vigiliis, et psalmis occupatus, astitit mihi quidam vultus incogniti præcipiens, ne timerem, et quasi familiari me voce alloquens dixit : Bene facis, inquit, qui tempore nocturnæ quietis non somno indulgere, sed vigiliis et orationibus maluisti insistere; et ego novi, inquit, multum mihi esse necessarium vigiliis salutaribus insistere et pro meis erratibus sedulo Dominum deprecari. Verum, inquit ille, dicis, quia tibi et multis opus est peccata sua bonis operibus redimere, et cum cessatum est a laboribus rerum temporalium, tunc pro appetitu æternorum liberius laborare : hoc tamen paucissimi facere curant. Siquidem modo totum hoc monasterium ex ordine perlustrans,

Ex Capgravio.

lustrans, singulorum casas ac lectos inspexi, et neminem ex omnibus, præter te, erga sanitatem animæ suæ occupatum reperi. Sed omnes prorsus viri et feminæ aut sommo torpent inerti, aut ad peccata vigilant : nam et domunculæ, quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in commessationum, potationum, fabulationum et ceterarum sunt illecebrarum cubilia conversæ.

sicut revera contigit

10 Unde habitatoribus loci hujus et loco gravis de cælo vindicta flammis sævientibus præparata est. Cui abbatissa ait : Et quare non citius hoc mihi revelare voluisti? Et ille : Timui propter reverentiam tuam, ne forte nimium turbareris, et tamen hanc consolationem habes, quod in diebus tuis hæc plaga a Deo supervenire permissa non est. Qua divulgata visione, aliquantulum loci incolæ paucis diebus timere, et seipsos intermissis facinoribus castigare cœperunt. Ecce enim propter unius meritum universitatis protelatur exitium. Magnum nimirum illius sanctæ Matris fuit coram Deo meritum, ad cujus consolationem de loci sui desolatione per servum suum Dominus dignatus est edocere. Translata demum ad cælos Virgine sancta, ad pristinas sordes reversos præfatæ ultionis clades involvit *m*.

B

m

post mortem Sanctæ abbatissæ,

11 Hæc ideo in hoc loco inserere decrevi, ut lectorem operum Domini admonerem, quia terribilis est in consiliis super filios hominum, ne forte nos tempore aliquo carnis illecebris servientes, minusque Dei judicium formidantes, repentina ejus ira corripiat, et vel temporalibus damnis juste sæviens affligat, vel ad perpetuam perditionem districtius examinans tollat. Conversus est exinde in eremi solitudinem locus ille, et qui remanserant corde soluti, per loca diversa sunt metu compellente dispersi. Et quod eis contigit ad ruinam, multis ad castigationem profuit, et medelam. Liquet itaque, quam vitanda sit bonarum etiam cohabitatio mulierum. Perpendite quanta servis Dei prælia malignus spiritus earum familiaritate intulerit, quot urbes incenderit, quot monasteria subverterit, quot dæmum corda sublimia et ad cælum per contemplationem erecta, earum solo conspectu ad iniquitatis profundum inclinaverit.

quæ anno Christi 683 obiit,

12 Beatus itaque Cuthbertus in insula Fernensi tunc degens, intellecta confusione in domo Domini, per feminas facta, creditur, etsi non legitur *n*, celebre condidisse decretum lege perpetua servis suis observandum, quo non solum eis sui corporis præsentia, consortia fæminarum inhibuit, verum etiam introitus earum, et accessus et aspectus abscidit. Sancta tandem virgo Ebba virtutibus et operibus bonis plena ante memoratum patrem sanctum Cuthbertum quatuor annis migravit ad Dominum, octavo Kal. Septembris, anno Domini sexcentesimo octuagesimo tertio *o*, et in monasterio suo cum magno honore corpus ejus terræ commendatur.

C

n

o

et cujus reliquiæ diu post honorifice col locatæ sunt in ecclesia,

13 In urbe enim Coludi a pastoribus post multa temporum curricula, sepulchrum ejus repertum est. Quod cum tangentes aperire tentarent, repentina cæcitate percussi et insanis motibus diutius agitati sunt. Loci igitur incolæ illud in ecclesia sanctæ Mariæ tulerunt, et ad meridianam altaris partem reverenter deposuerunt. Erat autem sepulchrum illud ligneum, quo a parte pedum per quemdam fratrem confracto, immissa manu linteum et ossa tangens, subito membrorum dolore correptus, infra paucos dies ad extrema deducitur. Quo fratres agnito, lapide illud undique concluserunt, ne in futurum similia præsumens, indignationem sanctæ Virginis et iram subire contingeret. Apparuit autem beata Virgo cuidam fratri præcipiens, ut sine timore ossa sua de tumulo levarent, et in loco noviter constructo, cum omni honore transferrent. Confracto itaque sepulchro, ossa maxima ex parte in cineres redacta colligentes, in loco, quo Virgo sancta præcepit, honorifice collocarunt.

D

ubi ægrotis et afflictis,

14 Quædam juvencula fantastica, dæmonum vexatione unius oculi visum, auris unius auditum, linguæ penitus quindecim diebus perdidit officium. Hæc in oratorio sanctæ Virginis præ tædio dormiens, culumbam niveam super altare descendere, et stare vidit. Evigilans autem, perfecte sanatam se sensit. Cum quædam mulier cæcitate percussa ad oratorium Virginis adducta fuisset, apparuit ei in somnis virgo quædam albis vestibus induta dicens : Graves ex cæcitate molestias usque nunc perpessa es; sed ad fontem meum descendens, lavari ne differas, ut saneris. Quo facto, sanata cum gaudio recessit. Osse cujusdam aucæ in guttur juvenis infixo, et collo in tumorem verso, cum lotus de fonte Virginis in oratorio preces fudisset, subito sanus effectus, quo os illud devenisset, penitus ignorabat.

E

patrocinium ejus implorantibus,

15 Cuidam contracto Virgo sancta apparens in somnis membra debilia manibus suis tam fortiter attrectavit, acsi membrum aliquod avelleret. Unde præ nimio dolore clamans et evigilans sanatum se invenit. Quamdam mulierem mutam et colli inflatione vexatam, Virgo sancta apparens digitos suos immisit in os ejus, et tangens linguam ejus, sanavit. Alteri surdo et muto auditum, et loquelam reddidit. Mulierem a dæmone vexatam liberavit, et alteram cæcitate percussam lumen cœli videre fecit. Venerunt ad fontem Coludi mulieres quædam, sicut e diverso loco, sic erant et merito : aliis quidem aquam in fonte non reperientibus, ceteræ vasa sua implere meruerunt. Et cum reliquæ non credentes cum indignatione aquam ostendi peterent, inclinatis vasis vacua inventa sunt. Et cum domi venissent, omnia vasa sua aqua repleta viderunt. Cuidam muto loquelam, et mulieri cæcæ lumen oculorum dedit : hydropicam in specie columbæ apparens, et crebro alarum verbere ventrem perlustrans sanavit : alteram hydropicam valetudini restituit, claudum erexit, et tres cæcos illuminavit.

F

variabeneficia conferuntur.

p

16 Puella muta et contracta ad beatam Margaretam *p* reginam delata, gressum recepit. Cui beata regina apparens præcepit, ut ad sanctam Ebbam pergens, loquelam reciperet. Quo cum venisset, beata Ebba sibi apparens, blanda manu oculos ejus et faciem palpans, atque per labia trahens ait : Surge, quia loquelam recepisti. Et sanata surgens benedixit Deum. Juvenis quidam multis annis mutus et mirabiliter inflatus, ad tumbam sanctæ Margaretæ reginæ de ventris inflatione medelam recepit, et ad oratorium sanctæ Ebbæ venienti beata virgo nimis speciosa ei apparens, digitum suum in os ejus posuit, et discessit. Evigilans ille cum sanatum se vidisset, apparuit ei iterum sancta Ebba præcipiens, ut beatum Thomam martyrem *q* peregrinando festinus adiret. Est autem mons Coludi, sive monasterium Coludi antiquitus famosum, locus quidam in Scotia a Berewico versus boream sex milliaribus distans, supra mare situs, ab incolis temporibus nostris Coldingham vocatur, et a monachis Dunelmensis *r* ecclesiæ inhabitatur.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Alibi melius legitur* Oswaldi *vel* Oswini, *sicut Majores nostri in Annotatis ad Vitam S. Cuthberti tomo 3 Martii pag. 104 observarunt.*

b *De hac genealogia consuli potest Vita S. Oswaldi regis, quæ ad diem* v *Augusti in Opere nostro illustrata est.*

c *Henschenius noster ad diem* xvii *Februarii gesta hujus sancti præsulis Lindisfarnensis Commentario historico illustravit.*

d *Alii hunc Scotorum regem appellant* Aidanum *vel* Ædanum, *de quo Hector Bœthius aliique rerum Scoticarum scriptores passim meminerunt.*

e *Ita venerabilis Beda appellat illum locum, cujus situs in fine Actorum clarius assignatur.*

f *In Commentario num. 5 opinionem Hectoris Boethii de hoc dubio monasterii exordio retulimus.*

g *Est hujus nominis flumen et oppidum in Britannia, de quibus Lexicon geographicum Ferrarii, anno 1657 Londini recusum, habet sequentia :* Derventio oppidum et fluvius Albionis in Anglia. Fluvius Derwent adhuc nominatur Anglice, Britannice Dorgwyn, et in Trentam funditur.... Camdeno Derventio est oppidum in Orientali parte Eboracensis Comitatus; nunc Auldby, ad fluvium etiam Derventionem. B

h *Cum S. Etheldreda postmodum præfuerit celebri monasterio Eliensi, sicut in Vita hujus sanctæ abbatissæ ad diem 23 Junii fusius videri potest, inde hic* Eliensium gloria *vocatur.*

i *Gesta hujus Sancti in Opere nostro ad diem* xx *Martii relata sunt.*

k *Hic aliquid deest, cum incendium hujus monasterii anno Christi 680 contingere non potuerit ut num. 10 Commentarii prævii demonstravimus.* Ex Capgravio.

l *Majores nostri Acta hujus S. Adamnani ad diem 31 Januarii ex venerabili Beda exhibuerunt, eumque ab altero ejusdem nominis abbate distinxerunt.*

m *Istud monasterii Coldinghamensis incendium post mortem Sanctæ nostræ contigit, et propterea anno Christi 680 vel 681 perperam adscribitur, ut in Commentario prævio et supra rursus monuimus.*

n *Hoc S. Cuthberti decretum tamen legitur apud Turgothum Priorem Dunelmensem in Historia episcoporum Dunelmensium, quemadmodum Alfordus noster in Historia ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad annum Christi 683 num. 10 testatur, et ubi Turgothi verba referuntur.*

o *Hanc mortis epocham, tamquam verosimiliorem, cum aliis plerisque scriptoribus secuti sumus.*

p *Haud dubie hæc est sancta Margarita Scotorum regina, cujus Acta ad diem* x *Junii tomo 2 istius mensis, pag. 320 et sequentibus Papebrochius illustravit.* E

q *Verosimillime hic indicatur S. Thomas antistes Cantuariensis, cujus eximium martyrium die* xxix *Decembris a successoribus nostris examinandum erit. Porro ex ætate S. Margaritæ et S. Thomæ Cantuariensis colligimus; hæc miracula recentiore seculo contigisse.*

r *De fundatione cœnobii Dunelmensis ejusque donationibus consule Monasticon Anglicanum tom. 1 pag. 38 et sequentibus.*

DE SANCTA PATRICIA VIRGINE

CONSTANTINOPOLITANA, NEAPOLI

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

C § I. Recentiores biographi, aliique scriptores, qui de S. Patricia agunt : Acta antiqua duplicia. F

Seculo vii. *Vitam S. Patriciæ scripserunt neoterici varii,*

Præter scriptores antiquos, qui mirabilia S. Patriciæ *gesta litteris mandaverunt; illius Vitam conscripsere recentiores varii; quorum præcipui Paulus Regius episcopus Aquensis, Joannes Baptista Mansus, Cleantes Torbizius : accedunt, qui acta quædam commemorarunt, Bartholomæus Chioccarellus in episcoporum Neapolitanorum Catalogo pag. 36, Joannes Antonius Summontius tom. 1 Historiæ Neapolitanæ a pag. 341 editionis secundæ, Franciscus de Magistris in Statu ecclesiæ Neapolitanæ variis locis, Antonius Bulifon in Annalibus Neapolitanis pag. 46, Nicolaus Parthenius Giannettasius tom. 1 Historiæ Neapolitanæ pag. 24; quorum mentem ut breviter intelligas, compendium dabo ex Ferrario, qui in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* xxv *Augusti, hoc modo* S. Patriciæ *Vitam enarrat :*

2 Patricia Constante Constantini magni filio nata, post patris excessum Constantinopoli sub Constantio patruo educata est. In liberalibus disciplinis erudita, Lactantium Firmianum præceptorem habuisse fertur; *(cui et alios adjungunt alii.)* Cum illam Constantius invitam (quod virginitatem Deo voverat) cuidam nobilissimo adolescenti despondisset, adveniente nuptiarum tempore, navi clam cum aliquot ancillis et eunuchis conscensa, Neapolim appulit : ubi ecclesias aliquot sacris reliquiis, pretiosisque muneribus exornavit. Romam profectæ fores basilicæ S. Petri sibi ab angelo reseratas, et oranti Constantii patrui mortem nunciatam fuisse, et ipsam a Liberio Papa sacrum capitis velamen accepisse ferunt. Inde in Palæstinam ad sacrosanctum Domini sepulcrum venerandum discedens Constantinopolim venit, (ubi multa ex thesauro pauperibus distribuit) ac navigationem prosequens vi tempestatum, et ventorum jactata non Hierosolymam, ut optarat, sed Neapolim rursus delata est. Non multo post ægrotans, cum se

quæ compendio datur, prout ab illis est scripta,

AUCTORE J. S.

se ad discessum e vita diligenter præparasset, et quo loco condi vellet, significasset; migravit ad Sponsum, voce de Cælo illam invitante a circumstantibus audita, VIII Kal. Septembris an. post Christum natum CCCLXV. Cujus corpus plaustro impositum, a duobus indomitis juvencis (de eo enim orta fuerat controversia) in ædem SS. Nicandri et Marciani mirabiliter delatum est : ubi cœnobium virginum ab Aglaa ejus nutrice exstructum una cum ecclesia S. Patriciæ nominari cœpit. Ad cujus tumulum plures dæmoniaci, variisque morbis oppressi curati sunt. *Hactenus Ferrarius, cui auctores supra laudati, quoad præcipua saltem capita, consentiunt, aliique, quos vidi, bene multi.*

multa correxit Antonius Caracciolus ex veteri Ms.,

3 *Antonius Caracciolus in Opere posthumo de Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ cap. 30 memoratis scriptoribus rectius et verius de Actis* S. Patriciæ *disputare aggressus est, multaque correxit ab aliis non recte, neque ex veterum fide asserta; plura etiam, ut existimo, correcturus, si antiquorum omnium Acta præ manibus habuisset. Audi quomodo disputationem suam* B *exordiatur :* Sunt, qui asserunt, a nescio quo Græco auctore sanctæ Patritiæ Vitam fuisse conscriptam. Utinam autem ad nostras manus, venerandæ antiquitatis ea scriptio pervenisset. Certe a purissimo fonte deduceremus ipsius gesta. Quando, vel Villanum non admodum fidum scriptorem, vel recentiores, uti sunt Regius, Summontius, Mansus, et ille, qui appellari vult Cleantes Torbirius, sequi debemus. At ego certe nolo inter illos numerari, de quibus Seneca, lib. de Vita beata cap. 1 : Qui antecedentium gregem sequuntur, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. Quod si Græco illo caremus, altero non sumus destituti. Hic est Leo ille monachus monasterii SS. Nicandri, et Martiani, in quod beata illa societas Patritiæ commigravit. Habemus ab ipso conscriptam Vitam apud nos Ms. Hæc inde nobis investiganda.

plura correcturus, si et alteram habuisset Vitam Ms.

4 *Viri candorem laudo, ipsumque, quod promittit, præstitisse et perspicio, et gaudeo, ne omnibus recentioribus unus ego cogar contradicere. Quam porro desiderabat Vitam a Græco auctore scriptam, mihi obtigisse una cum Leonis presbyteri scriptione, quam habuit Caracciolus, percommodum accidit. Cum enim recentiores* C *illi biographi non alios assignent auctores, ex quibus sua hauserint, quidquid in antiquioribus illis non legitur, addititium esse, recte, ut opinor, concludemus; præsertim cum aliunde probetur, fieri non posse, ut additamenta illa sint vera. Neque mirabitur lector, multa de* S. Patricia *scripta esse, quæ in antiquis non reperiuntur, imo antiquis sunt contraria, si consideraverit scriptores aliquos conjecturas suas leviter fundatas pro veris obtrudere historiis, quas dum alii avide arripiunt, figmenta illa ita invalescunt, ut plures etiam fallant historicos, alioqui non malos. Nunc quæ, et qualia de* S. Patricia *habeamus Acta, paucis declarabo antiqua.*

Acta antiqua e Græco translata:

5 *Primum nobis transmisit Neapoli P. Antonius Beatillus vir de Actis Sanctorum præclare meritus, sæpiusque in Opere nostro laudatus, anno 1637, descriptum ex vetusto manuscripto in folio litteris Longobardicis exarato ecclesiæ* S. Patriciæ. Auctor, *ut notat Beatillus* est anonymus, dicitque initio se ex Græco in Latinum hanc Vitam vertisse. *Incipit, ut idem testatur :* Etsi mundanæ cogitationes. *Dubium mihi non est, quin hæc Vita sit, quam a Græco auctore scriptam recentiores quidam habuere biographi,* D *cum multa ex hac in Officium de* B. Patricia *mox memorandum iisdem plane verbis sint translata. Ms. hæc Vita, prout ad nos fuit transmissa, videtur mutila; nam procemio caret, et educatione Virginis puerili, si tamen hæc ab hoc auctore fuere conscripta. Auctor, ut characterem hominis Græci agnoscas, sæpe loquentem inducit* Patriciam, *aliosque more Græcis usitato, non quibus illi usi sunt verbis, sed quibus utendum scriptor existimavit; quo fit, ut non raro de fictione et ornatu oratorio fiat suspectus. Hæc Acta, licet non admodum sint probata, quia necdum edita inveni, primo loco edenda censui, castigandaque, ubi auctor exorbitat.*

alia Latine scripta: supplementum miraculorum: Officium.

6 *Alter auctor antiquus, qui* S. Patriciæ *gesta memoriæ posteritatis commendavit, se vocat Leonem presbyterum, servum SS. Nicandri et Marciani. Vir est, ut videtur, sincerus, qui se impulsu Virginum, cœnobium* S. Patriciæ *incolentium, animum ad scribendum appulisse testatur, multaque scripsisse, quæ a dictis virginibus didicerat, præsertim miracula post obitum facta, quæ virgines illæ* suis oculis, *ut loquitur,* E *viderant. Brevior hic est in gestis describendis auctore Græco, minus habet compositionis, ideoque plus meretur fidei; præsertim quod, quæ hic brevius narrat, ab alio itidem narrata inveniantur. Leonis hujus lucubrationem habeo in tribus Mss. : unum est ex collectione laudati supra Antonii Caracciolì, quod cum Ms. Longobardico Cardinalis S. Severinæ fuit collatum. Alia duo transmisit anno 1638 idem, qui supra, Beatillus ex vetustis monumentis monasterii* S. Patriciæ *eruderata. Tertio adjunctum est Auctarium quoddam, in quo narrantur miracula recentius facta, auctore anonymo, quod post Vitam Leonis secundo loco edendam, nomine supplementi miraculorum, subjiciam. Adhæc Officium habeo de* B. Patricia, *anno 1556 Neapoli impressum, quod ex antiquis his Actis totum est compositum. nihil enim in eo inveni, quod in alterutra Vita non reperiatur. Unde colligere possumus his non caruisse recentiores biographos, at nec alia etiam habuisse videntur, ut jam dictum est.*

F

§ II. Tempus, quo Sancta floruit : familia : patria : institutio.

S. Patricia, de qua multa recentiores,

Dolemus sane meritoque conquerimur, quod scriptores non pauci, qui ex antiquis monumentis sua se hausisse profitentur, multa litteris mandarerint, non modo in antiquis non reperta, sed iis prorsus contraria. Hinc in Actis S. Patriciæ *tam multa inveniuntur apud recentiores, nec suis temporibus, nec locis congrua, ut possent suspicionem ingenerare erudito lectori, totam illius Vitam esse fabulosam. Accipe præcipua, lector, quæ ut certa a recentioribus relata sunt de* S. Patricia *sine ullo in Actis antiquis fundamento, imo iis non obscure repugnantibus. Constantini magni neptem, Constantii imperatoris filiam, S. Helenæ pronepotem, Lactantii, Athanasii, Nazarii Rhetoris discipulam, a Liberio Papa veste religionis indutam, Constantii imperatoris, ejus, ut aiunt, patrui, mortem eidem revelatam, scribere non dubitarunt.*

AUCTORE J. S.

A *runt. Mortem anno 365 illigant, quin et imperatricem aliqui nominarunt. Hæc partim ex auctore Græco § 1 memorato, partim ex Leone presbytero hausisse se profitentur; neque enim alios assignarunt auctores antiquos, unde ea discere potuerint. At hæc omnia iis auctoribus incognita esse, et contraria, nunc, qua possum, brevitate ostendam; a tempore, quo floruit virgo, ducturus exordium.*

floruit sub imperio Constantis Monothelitæ.

8 *Tempus, quo vixit illustris* Patricia, *ejus biographus Leo presbyter non obscure designat his verbis :* Tempore, quo Constantinus, qui et Constans est appellatus, Constantinopolitanum regebat imperium, fuit quædam illustris fæmina nomine Patricia ex imperiali genere orta, ex Bysantio urbe. *Hæc sola sufficiunt, ut intelligamus sub quo floruerit imperatore* Patricia. *Solus enim Constantinus, seu Constans Monothelita, Heraclii nepos, invenitur, in cujus nomine sic passim variant auctores, ut modo* Constantinum, *modo* Constantem, *aliquando etiam* Constantium *appellatum inveniamus. Quod, ne multis adductis auctoribus sim longior, ex Baro-* B *nio ad annum Christi 641 num. 1 breviter confirmo :* Collato, *inquit,* imperio filio Constantini, quem alii Constantem, Constantium alii, alii nominant Constantinum : nos vero secuti Theophanem, Constantem appellabimus. *Duo hujus imperatoris nomina expressit Leo presbyter, tertium illi tribuit auctor Græcus, qui num. 1 Vitæ vocat* Constantium.

non sub Constantino magno,

9 *Deinde Constans ille, sub quo* Patricia *vixisse in Actis dicitur,* Constantinopolitanum regebat imperium, *quod aperte nos deducit ad ea tempora, quibus imperatores Græci, toto fere imperio Occidentali spoliati, Constantinopoli residere solebant; non ad tempora Constantini magni, aut ejus filiorum, qui inepte dicerentur Constantinopolitanum rexisse imperium. Quippe Constantinus magnus totum Romanum imperium post æmulos superatos administravit : ex tribus autem Constantini magni filiis Constantinus et Constans in Occidente imperaverunt : Constantius vero solus primum in Oriente dominatus est, at deinde, mortuis fratribus superatisque tyrannis, totum adeptus est imperium. Jam vero si* Patricia *Constantis, ut volunt, fuisset filia, nubilis illa esse non potuisset ante obitum patris,* C *circa trigesimum ætatis annum occisi : Constantius igitur auctoris verbis designari non potuit, qui Romanum tunc regebat imperium, non Constantinopolitanum, ut omittam quod Constantius ille non reperiatur* Constans *appellatus; neque imperium, etiam Orientale, illo tempore vocaretur* imperium Constantinopolitanum.

nec Constantio ejus filio,

10 *Opinionem illorum, qui sub Constantino magno, aut Constantio ejus filio floruisse voluere* Patriciam, *refutat ulterius laudatus Caracciolus sect. 1 variis argumentis, ex quibus pauca seligam.* Patricia *Neapolim appulsa, refertur ab antiquis æque ac recentioribus accessisse monachos SS. Nicandri et Marciani; quos Basiliani fuisse instituti consentiunt Neapolitani. Venit eo, vivente etiam tum imperatore, ut volunt, Constantio, anno aiunt 361. At S. Basilius circa annum 358 vel 359 cum S. Gregorio Nazianzeno in eremo Pontica degens, paucis monachis regulam et vivendi normam præscribere cœpit, quam postea uberius explicavit, ut discere poteris ex Actis ejusdem Sancti tom.* II *Junii pag. 831. Quomodo igitur anno 361 jam monasterium Basilianum Neapoli erat constitutum? Quid quod ante annum 361 Neapolim venerit* Patricia, *si sub Constantio vixerit. Nam eodem illo anno mortuus est Constantius, quem illa, postquam Neapoli Romam, indeque Constantinopolim profecta est, vivum adhuc reperit Constantinopoli : Græcus enim num. 6, reversa Constantinopolim* Patricia, *imperatorem conscientiæ remorsu abstinuisse a cogenda ulterius ad nuptias Virgine insinuat. Itaque qui monachos Basilianos quærunt Neapoli, dum eo sub Constantio* Patricia *pervenit, a vera chronologia multum aberrare necesse est.*

ut variis argumentis probatur:

11 *In Actis, per Leonem presbyterum scriptis, dux fuisse dicitur Neapoli, quando ibidem mortua est* Patricia; *principem vocat Græcus. Hinc rursum ad tempus Longobardorum, quo duces habuere Neapolitani, non ad imperium Constantii imperatoris deducimur. Sunt, qui ex his Actis probare volunt, Neapolitanos semper habuisse duces suos; at ante probandum fuerat, hæc Acta ad Constantii tempora referenda, cujus cum ne umbra quidem in Actis appareat : rectius ex duce hic asserto concludimus, hæc ad tempora Longobardorum, ad imperium,* E *inquam, Constantis, Constantini itidem nominati, esse referenda. Plura argumenta videri possunt apud Caracciolum assignatum.*

ex qua temporis epocha multa simul corruunt.

12 *Ad Constantis itaque imperium, qui anno Christi 641 illud adeptus est,* Patricia *reducenda. Sic enim belle omnia inter se congruunt : nomen scilicet* Constantis *apud quosdam, apud alios* Constantini, *vel etiam* Constantii; *imperium* Constantinopolitanum, *monachi* Basiliani *in Italia stabiliti,* dux Neapolitanus : *omnia denique, quæ in Actis antiquioribus asseruntur cum hoc tempore conveniunt, ut ex subjectis infra Actis eruditus lector facile perspiciet. Porro ex hac temporis epocha sponte corruunt ea, de quibus nihil in Actis antiquioribus reperiri supra diximus : ut quod de Helena confinxere, cui* S. Patricia *admodum fuerit chara; de Lactantio, Athanasio, Nazario magistris* Patriciæ, *quæ jam a Caracciolo fuere refutata, et tam absona sunt aliunde, ut ne quidem fierent verisimilia, si Constantini magni aut Constantii ætate vixisset* Patricia. *Nunc quo orta genere Virgo celeberrima, discutiendum.*

Nata est stirpe imperatoria,

13 *Constantini magni neptem, Constantis filiam voluere recentiores, primo, ut ait Caracciolus, hujus opinionis auctore Villano; at hæc* F *sponte corruunt ex dictis. Constantis Monothelitæ neptem esse potuisse, assentitur Caracciolus, ratus, ut opinor, aliquid ea de re in Actis Græcis, quibus carebat, inventum fuisse ab iis, qui eam Constantini magni neptem fingebant. At nihil in Actis antiquis reperitur, unde Constantis aut Constantini alicujus neptis fuisse comprobetur, neque ea fuit ætate Constans imperator, ut longo adhuc ante obitum suum tempore, neptem habere potuerit nubilem. Audiendi igitur soli de familia* S. Patriciæ *veteres ejus biographi. Leo presbyter dicit,* ex imperiali genere ortam ex Byzantio urbe; *nec quidquam præterea de ejus genere. Potuit igitur ortum duxisse ex genere Heraclii imperatoris, avi Constantis : namque ille multam post se prolem reliquit; atque adeo fuerit consanguinea Constantis, quo autem in gradu, an tertio, vel quarto, non est promptum divinare. Unum itaque illud ex veterum auctoritate dicimus, familia natam fuisse imperatoria, filiam fuisse alicujus imperatoris negamus; nam si Græco biographo fides, vi-*

AUCTORE J. S.

vebant ejus parentes, dum eam sponsam petebat adolescens Patricius, ut infra patebit. Ex quo manifestum est, non fuisse Constantis filiam. Ex posteris Heraclii imperatoris fuisse, suspicari possumus, ut jam dixi, licet et hæc conjectura parum firma sit, cum etiam ex præcedentium imperatorum stirpe potuerit esse nata. Patriam vero Virgini fuisse Constantinopolim, ex biographis manifestum est.

et liberalibus artibus instituta:

14 Patriciam *ab ineunte ætate liberalibus disciplinis institutam fuisse, ac scientia etiam theologica supra sexum femineum excultam, volunt recentiores varii; et, nequid ad institutionem desit, magistros ei attribuunt plane excellentes, ut jam diximus, puta Lactantium, Athanasium, Nazarium. Quod de magistris illis dicitur, sponte sua ex temporis ratione concidere, supra observavimus, et refutatur ulterius a laudato Caracciolo. Quod de* Patriciæ *eruditione theologica tradiderunt, si ab antiquioribus affirmatum legerem, facile ut verum admittendum censerem. At cum nihil de illa Virginis eruditione theologica habeat Leo presbyter, hæc solum* B *tradens de ejus pueritia :* Ab ipso vero juventutis suæ tempore Deum secuta est, orationibus, eleemosynis, et jejuniis diu, noctuque assidue insistendo, non cessabat. *Cumque in auctore Vitæ Græco de ejus institutione nihil inveniam, nisi quod fuerit artibus liberalibus instituta : videntur etiam illa, quæ de Sanctæ doctrina theologica jactantur, firmiori egere fundamento, ut pro veris et indubitatis haberi valeant. Sæpe quidem biographus ille Græcus loquentem inducit* Patriciam, *ac multa etiam S. Scripturæ exempla proferentem; sed, ut monui, Græcus ille non Virginis ore prolatas, sed meditatas a se sententias, et orationes nobis obtrudit, ut ex iis pro eruditione* Patriciæ *theologica nihil concludi posse videatur. Credibile tamen est Sanctam pro dignitate familiæ suæ institutam fuisse artibus sexui suo congruis, et liberalioribus quoque disciplinis.*

petita ad nuptias et cogenda.

15 *Veniunt et aliqua circa parentes* S. Patriciæ *illustranda. Si Græco Vitæ scriptori fides debeatur, vivebant etiam tum parentes Virginis, dum illa ad matrimonium fuit sollicitata : dicitur enim de ejus proco, quod* Virgini non C fidens, nec ejus parentibus, *adierit imperatorem, ut sibi eam peteret sponsam. Et num. 5 narrat obitum parentum suorum Virgini Romæ revelatum. Favet huic opinioni Leo presbyter, cum refert in Vita,* Patriciam *Roma Constantinopolim reversam, patrimonium suum ibidem vendidisse. Quæ sane insinuare videntur mortuos tunc fuisse ipsius parentes, ac Constantinopolim reversam, ut de hereditate sua disponeret. Rem tamen dubiam facere videtur idem Leo, dum continuo subdit, eam secunda vice Constantinopoli discedentem* parentibus et amicis *valedixisse, ex quo sequi videtur, ne tunc quidem ejus parentes fuisse mortuos. Sed improprie locutus Leo, per* parentes *eo loco* consanguineos *intellexit, uti et alibi eadem voce usum notabimus ad Vitam. Dicendum itaque est, si antiquis fidem adhibemus,* Patriciæ *parentes vixisse, dum illa, ne cogeretur ad matrimonium, clam aufugit Constantinopoli. Ex quo manifeste sequi videmus imperatoris cujusdam filiam non fuisse. Deinde sequitur, merum esse figmentum, quod referunt recentiores, Constantii imperatoris obitum Romæ fuisse Sanctæ revelatum; non enim imperatoris, sed parentum suorum obitum Romæ revelatum narrat Græcus biographus.* D

fuga sibi consulit, voto, ut videtur, virginitatis adstricta.

16 *Procus* S. Patriciæ *ab aliquibus vocatur* Patricius, *acsi id nomen ei fuisset proprium. Verum rectius alii cum antiquis dignitate patricium fuisse, aut filium potius* cujusdam *dignitate* patricii, *ut loquitur Leo presbyter, fuisse scribunt. Petiit ille ab imperatore, ut juberet* Patriciam *sibi uxorem dari, et obtinuit : quod mirari non debemus in imperatore hæretico, maxime si* Patricia *fuerit imperatoris consanguinea. Porro videtur* Patricia *ab illo tempore virginitatis voto fuisse obstricta; Græcus enim excusans utcumque imperatorem, ait :* Imperator . . . . . S. Virginis propositum serviendi soli Deo ignorans, præcepit hoc fieri matrimonium. *Et paullo post ita* Patriciam *inducit loquentem :* Scitis etiam firmiter, qualiter a mea pueritia desponsata fui sponso incorruptibili, Domino nostro Jesu Christo : absit ergo, ut nunc ab eo separer, et conjungar sponso corruptibili. *Hæc votum castitatis aperte declarant. Et quamvis hic auctor non magnam apud me fidem obtineat, ubi quædam narrat ab alio prætermissa, fuga ipsa Virginis votum illud omnino reddit verisimile.* E

Quid in actis antiquis habeatur fide dignum,

17 *Accipe nunc breviter, lector, totum vitæ decursum; omnia, inquam, quæ ab utroque biographo narrata, fidem, si non indubitatam, aliquam certe merentur : nam quæ nugator ille Græcus, ut scenam exornaret quam pulcherrime, sæpe immiscuit, in notis observabo. Nata Constantinopoli* Patricia, *pie a parentibus educata est, et a tenera ætate voto virginitatis, ut videtur, se Deo sacravit. Nubilis matrimonium ab imperatore inire jussa, periculo se fuga eripuit, comitantibus virginibus et eunuchis aliquot. Neapolim mari delata, ibidem monachis SS. Nicandri et Marciani prædixit, se in illorum seu monasterio seu templo sepeliendam, illosque locum virginibus cessuros. Neapoli Romam profecta vestem ibidem deposuit profanam cum suis sequacibus, et* sanctæ religionis velamen, *inquit Leo presbyter,* indutæ sunt; *sumpto, ut opinor, habitu modesto, et virginitatem profitentibus congruo, non ita tamen ut religiosæ cuidam familiæ se aggregaret. Deinde cum suis reversa est Constantinopolim; qua ratione ad hoc sit mota, non satis constat. Revelatam parentum mortem, causam fuisse vult* F *Græcus, sed, ut monui, fide parum dignus. Potuit eo redire, vel quia ab initio non nisi ad limina Apostolorum peregrinari voluerat, bona fortasse parentum suorum venia, ut interim animus adolescentis defervesceret. Potuit, quia videbat egestatem sibi imminere, nisi reverteretur, nec sibi suppetere, quo diu comitatum suum aleret. Potuit etiam edoceri variis modis periculum matrimonii jam esse sublatum. Quidquid fuerit, Constantinopolim dicitur reversa; ubi cum sua omnia distraxisset, quo sibi et ad itinera, et ad pia opera compararet subsidium, rursum se itineri dedit, atque non multo post contracto morbo ad Dominum transmigravit. Hæc omnia fusius in Actis relata lector inveniet. Addit Græcus auctor, voluisse* Patriciam, *cum secunda vice Neapolim delata est, Hierosolymam proficisci, quod verisimile quidem est in femina peregrinationum piarum studiosa, at Leonis presbyteri relationi parum congruum, qui eam data opera Neapolim profectam scribit. At potuit Leo ignorare Virginis Hierosolymam proficiscendi animum; potuit et Græcus, ut multa*

alia,

A *alia, id quoque comminisci, ita ut res sit omnino dubia.*

dein mors sanctæ, ejusque locus exponitur,

18 *Demum ad mortem Sanctæ illustrandam accedimus. Locus, ubi mortalem vitam cum immortali commutavit sancta Virgo, vocatur Insula S. Salvatoris, a templo, inquit Græcus, Salvatori sacro. Leo vero sic habet :* Pervenerunt in insulam, ubi situm est monasterium in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et commendavit se fratribus, et fecit ibi confessionem, et accepto viatico salutis, vocata a Domino sancta anima ejus cælo recepta est. *Simplex hæc relatio, atque, ut videtur, vera. Græcus multa more suo facta, et dicta a Virgine comminiscitur, que ne verisimilia quidem esse, in notis breviter ostendam : at nunc locum inquirimus. Insulam vocant antiqui; recentiores castrum seu castellum malunt appellare, brevi intervallo a continente separatum. Consentiunt omnes designari castrum Lucullanum, olim Megarim dictum, quod Itali communius nunc vocant* Castello dell' ovo, *sive Castrum ovi, ob ovi formam, quam refert. Caracciolus laudatus sect. 3, præter ecclesiam S. Salvatoris memoratam,* B *alias, quæ ibidem fuere, ecclesias recenset. In hoc itaque castrum, Neapoli vicinum, ingressa* Patricia, *ex contracto in itinere morbo obiit, priusquam Neapolim ingressa sit, defuncta demum illuc delata modo plane mirabili, ut nunc dicemus.*

§ III. Corpus Sanctæ miraculose ad templum SS. Nicandri et Marciani vectum : monachorum recessus ad monasterium S. Sebastiani : monasterium S. Patriciæ.

Aglais nutrix in somno divinitus monita.

M*irabilem corporis* S. Patriciæ *ad sepulturam avectionem tradit uterque biographus antiquus, Latinus more suo breviter et sincere, prout rem contigisse credidit; Græcus fusius nec sine ineptiis, quas ad Vitam notabo.* C *Audiamus Leonem presbyterum, virum, ut ex tota Vita apparet, candidum et sincerum. Post mortem Virginis relatam, sic pergit :* Tunc beata Aglais, nutrix sua, cœpit plorare amarissime, et cogitans ubi sanctissimum corpus poneret, præ nimia angustia obdormivit. Cumque obdormisset, vidit in somnis angelum Domini, dicentem sibi : Surge, et vade, ingredere civitatem, et dic duci civitatis, et accipies ab eo duos tauros indomitos, et carrucam, in qua posito sanctæ Virginis venerando corpore, dimitte tauros ire, ubi ipsi voluerint, et ubi steterit carruca, in ipso loco sepelite sanctum corpus. *Non est cur hanc revelationem piæ mulieri oblatam negemus, si rem, quam auctor ex revelatione factam narrat, admittamus. Amentium enim fuisset simile quid tentare, nisi de voluntate divina satis constitisset. Factum modo ipsum prosequamur.*

tauros indomitos a Duce impetrat, a quibus sacrum corpus

20 Cumque evigilasset *(Aglais)* a somno surrexit velociter, et abiit in civitatem ad ducem, et prosternens se ad pedes ejus cum lacrymis, dixit ei omnia, quæ ab angelo ei per visionem narrata sunt. Dux vero cum hæc audisset, gaudio repletus, et benedicens Dominum, jussit fieri, quod petiit. *Crediderim maturo consilio, et re bene examinata, peracta omnia; sed hæc auctor, ut sibi incomperta prætervolat : neque ineptientem Græcum hic lubet audire.* Cumque oblati ei fuissent tauri, *ducti procul dubio per viros statutos ad locum, ubi Sacrum corpus quiescebat :* Omnis populus congregati sunt, cum cereis, et oblationibus, et aromatibus, et tollentes sanctum corpus, *ex castro Herculano, ut opinor, ad continentem perlatum,* ponentes illud in carruca, cum hymnis et confessionibus benedicentes Dominum sequebantur, ut viderent, si verum esset, quod angelus locutus fuerit ad Aglais.

AUCTORE J. S.

ad templum SS. Nicandri et Marciani vectum,

21 Tunc tauri illi abierunt per mediam civitatem, et pervenerunt in monasterium SS. Nicandri, et Marciani, et steterunt in locum, ubi beatissima Patricia, ut diximus, signum sanctæ crucis fecerat, *dum prima vice Neapolim appulsa, se ibi sepeliendam monachis prædixit, quam prædictionem nullus magnopere tunc curasse videtur :* Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo, et glorificaverunt sanctum corpus, et cum magno honore sepelierunt illud gaudentes, et glorificantes Dominum Jesum Christum, E cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

quod non videtur fabulis annumerandum.

22 *Erunt fortasse non pauci, qui hanc historiam, quia plane mirabilis est, explodendam putent, ut fabulam; ceterisque de* S. Patricia *conscriptis fabulis annumerandam. At considerent illi oportet, quanta inter hanc historiam, et alia, quæ de sancta hac Virgine fabulose scripta sunt, sit discrepantia. Fabulosa multa diximus, quia ab auctoribus recentioribus, nullo veterum testimonio subnixis, conficta manifeste deprehendimus; commentitia, quæ Græcus biographus narrat, multa ostendemus; quia ubique ineptientem, ubique sua admiscentem, ubique poetam potius agentem, quam historicum, probabimus. At alia hic est ratio. Hæc enim historia narratur a viro sincero, cujus nullum dictum falsitatis convincere possumus : narratur ea in urbe, ubi res facta dicitur, narratur iis, qui per traditionem majorum suorum, si non etiam per se ipsos, rem potuerant cognoscere. Accedit ad fidem hujus historiæ roborandam cœnobium virginum institutum, discessus monachorum locum prius incolentium. Nam neque monachi discessuri fuisse videntur, neque* Patriciæ *nomini dedicatum fuisset cœnobium, nisi* F *mirabilia præcessissent; neque monachus ille scripsisset rem tam mirabilem, nisi veram credidisset, et vel certis documentis, vel constanti Neapolitanorum traditione sibi compertam. Hæc pro mirabili* S. Patriciæ *Neapolim deportatione dicta sufficiant. Facta similia videri possunt apud Caracciolum sect. 4.*

Pietate mulierum, S. Patriciæ sepulcrum visitantium.

23 *Multa continuo facta miracula, post sepultum* S. Patriciæ *corpus, narrat Græcus, more suo rem non parum, ut videtur, exaggerans, et amplificans; at illa in notis examinabimus. Nunc vero explicandum, quod post sepulturam peractam, contigisse scribit Leo presbyter de recessu monachorum SS. Nicandri et Marciani, deque exorto paulatim* S. Patriciæ *cœnobio. Narrata enim sepultura sic prosequitur :* Igitur postquam B. Patricia migravit ad Dominum, tumulum in quo venerabile corpus ejus positum est, beata Aglais custodiebat die, noctuque in vigiliis, et orationibus serviens Deo, et beatæ Patriciæ. *Videtur pia mulier cum suis hospitium aliquod, seu domum conduxisse non longe a tem-*

plo,

AUCTORE J. S.

plo, in quo S. Patricia *sepulta, ut ibi dies suos pie ad sepulcrum Virginis transigeret; ubi etiam quædam mulieres Neapolitanæ se illi adjunxisse videntur, donec monachi et mulierum pietate, et prædictione* Patriciæ *moti, forte et illarum precibus sollicitati, ad alium locum recesserunt, monasterio suo piarum mulierum congregationi relicto, ut subditur :*

motus abbas monasterium virginibus cedit:

24 Tunc abbas monasterii cernens gloriosum certamen ejus, et mulieres multas venientes, velamine sanctæ religionis indutas in eadem ecclesia; recordatus sermonis, quem B. Patricia dixit in vita sua, quia videlicet viri inde migraturi ad locum alium forent, intellexit vir Deo plenus, quia placuit Domino, ut jam amplius non esset ipsorum congregatio in loco sanctorum Nicandri et Marciani, convocatis fratribus ait : Eamus ad ducem, ut ostendat nobis locum, in quo congregatio nostra fiat. Et abierunt, et narraverunt ei omnia, quæ beata Patricia dixit, dum viveret : et petierunt ab eo locum, sicut pixerunt. Dux vero jussit, ut ubi illis placeret, acciperent locum ad ædificandam ecclesiam Dei. B Tunc ministri donaverunt eis locum, juxta murum civitatis, ubi modo monasterium beati Sebastiani martyris situm est. *Græcus vero adjungit :* In quo ab eisdem factum est monasterium S. Sebastiani. *Hic locus diligenter exponendus est: nam ex eo peti potest argumentum contra ætatem* S. Patriciæ *supra stabilitam, quod dissimulare non licet veritatis studioso.*

et ad S. Sebastiani monasterium

25 *Neapolitani scriptores Franciscus de Magistris in Statu ecclesiæ Neapolitanæ lib. 1, num. 140, pag. 337, et Carolus de Lellis in Supplemento Neapolis sacræ pag. 223, scribunt ecclesiam S. Sebastiani jam inde a Constantino magno fuisse ædificatam. Verum hi nostræ de tempore, quo floruit* Patricia, *non magis, quam propriæ suæ sententiæ sunt incommodi; namque, illis fatentibus, post tempora Constantini magni monasterium S. Sebastiani a monachis, qui prius in monasterio SS. Nicandri et Marciani degebant, inhabitari cœptum. Aliud nostræ sententiæ incommodat, et certius monumentum. Nam S. Gregorius lib. 10, epist. 61 (prout ordo epistolarum in nova editione restitutus est) mentionem facit monasterii S. Sebastiani Neapoli,* C *ad ejus abbatem Adeodatum ita scribens :* Quorumdam monachorum ejusdem monasterii ad nos relatione pervenit, monachos monasterii Gratterensis *(al.* Gazarensis), quod situm in Plaia est, monasterio S. Sebastiani, quod Neapoli in domo quondam Romani constructum est, ubi Deo miserante, sicut dictum est, abbatis geris officium, se monasteriumque suum uniri magnopere poposcisse. *Quam unitionem fieri ad tempus saltem jubet, ordinaturus, ubi Neapoli constitutus esset episcopus, an foret perpetua. Ex quo concludi necesse est, monasterium S. Sebastiani jam fuisse ante imperium Constantis, sub cujus imperio floruisse* Patriciam *supra diximus. Cum itaque monachi SS. Nicandri et Marciani ecclesiam S. Sebastiani construxisse dicantur et monasterium, idque post mortem* Patriciæ, *videtur illa dudum ante Gregorii tempora, adeoque sub Constantio imperatore floruisse.*

cum suis recedit.

26 *Hæsi, fateor, ad memorata Gregorii verba, ac, nisi tam multæ rationes, ex Vita* Patriciæ *desumptæ, eam serius vixisse persuaderent, propter allatam rationem, in illorum opinionem concederem, qui eam sub Constantio. Constantini magni filio, vixisse putarunt, quamvis non ideo Constantis filiam, aut Athanasii,* D *Lactantiique discipulam dicerem. Verum cum ab epocha tot rationibus stabilita recedere non liceat, ob dicta minus clara biographorum, qui multis locis non satis exacte sunt locuti : quid hi sibi velint exponendum est, prout jam exposuerunt Neapolitani varii. Laudatus supra Carolus de Lellis cum aliis passim ecclesiam S. Sebastiani non primo ædificatam, sed restauratam putat a dictis monachis, idem de monasterio dicendum. Neque id magnam patitur difficultatem, nam paullo post verba assignata eodem loquendi modo ecclesiam* S. Patriciæ *ædificatam scribit Leo presbyter, cum tamen manifestum sit, illam non a fundamentis structam, sed veterem SS. martyrum Nicandri et Marciani ecclesiam restauratam,* Patriciæque *sacratam fuisse. Etenim si monachi illi novam a fundamentis ecclesiam, novum ædificassent monasterium, videntur illam potius dedicaturi fuisse antiquis suis præsidibus SS. Nicandro et Marciano, quam S. Sebastiano. Hæc de hoc monasterio, in quo hodiedum degunt Sanctimoniales Ordinis S. Dominici, dicta sufficiant; siquis plura desiderat, adire potest assignatos auctores Neapolitanos.* E

Aqua dulcis beneficio Sanctæ impetrata :

27 *Post verba superius memorata sic prosequitur Leo presbyter :* Beata vero Aglais congregavit virgines innumerabiles in monasterio, ubi sancta Patricia requiescebat, et ornaverunt ecclesiam omni ornatu, sicut decet ecclesiam Dei, et fecerunt in eodem loco puteum, et invenerunt aquam dulcissimam. *Aquam hanc inventam beneficio* S. Patriciæ *adscribit Græcus biographus his verbis :* Aqua tamen carebat monasterium, quod non parum sanctimonialibus erat laboriosum, atque inconveniens de longe aquam haurire. Sed et hic voluit ostendere suam gratiam, qui dixit : Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum ego. Nam B. Aglais fide corroborata, habensque spem in orationibus beatissimæ Patriciæ virginis, vocans ad se omnes sanctimoniales, facta oratione locum eis, accepto fossorio * demonstravit : Hic fodite, dicens illis, et aquam Deo donante inveniemus. Quo facto. . . . aqua fuit inventa statim potabilis et nimium pretiosa, quæ usque ad præsens cernitur. *Aquam divino beneficio inventam, fit etiam verisimile ex eo, quod ex illa duci* F *Neapolitano miserint, ut subjungit Leo :* Tunc impleverunt de illa aqua vas vitreum, et direxerunt illam duci propter benedictionem. Dux vero accepit aquam, et bibit ex ea, et benedixit Dominum cæli, et offerebat eis centum solidos : *aureos, opinor, quorum varius variis locis fuit valor.*

* *i. e.* ligone

mors et sepultura ejus comitum.

28 Beatissima autem Aglais cum accepisset munera illa, cœpit ædificare ecclesiam honore B. Patriciæ : cumque constructa fuissent loca Sanctorum, atque complevisset omnia, quæ inchoavit, B. Aglais in oratione prostrata obdormivit in Domino, et sepelierunt eam in ecclesia prope murum illius. *Plura Græcus biographus his verbis :* His igitur sic peractis, B. Aglais ad Dominum migravit, cujus venerabile corpus, et alterius virginis, et eunuchorum *(duorum)* reposita fuerunt juxta tumulum B. Patriciæ. *Breviter hic notandum; quamvis Aglais nutrix sæpe a biographis his beata vocetur, nullum tamen illius cultum extare, nullo in martyrologio illius nomen reperiri. Franciscus de Magistris in Opere supra memorato pag. 323 inter*

corpora

A *corpora in ecclesia* S. Patriciæ *servata, socios* Patriciæ *numerat hoc modo :* Duo ex eunuchis beatis, qui fuerunt aliti cum S. Patricia, apostolica veste induti, et nutricis Aglayæ, *scilicet corpus : quibus prope aram majorem in tabula marmorea positam dicit hanc inscriptionem :*

Hic duo eunuchi, et nutrix Aglaya quiescit :
Patriciæ felix terque quaterque chorus.

§ IV. Templum novum Sanctæ ædificatum : corporis translatio duplex, ejus reliquiæ ibidem servatæ.

Alia S. Patriciæ structa ecclesia :

V*irgines, quas in monasterio* S. Patriciæ *congregatas vidimus, S. Benedicti regulam amplexæ sunt postmodum, quo autem id anno factum non invenio. Præter ecclesiam SS. Mar-* B *tyribus Nicandro et Marciano prius sacram, constructa est et alia ecclesia* S. Patriciæ, *priori magnificentior, quam interiorem vocant :* In quam, *teste Francisco de Magistris pag. 322,* prohibitum est ingredi, nisi bis in anno, scilicet in die vigiliæ, et sequenti die S. Bartholomæi apostoli, in qua celebratur festus dies S. Patriciæ, et in die Cœnæ Domini, et feriæ sextæ Parasceves : ceteris vero diebus fit sacrum in alia parva ecclesia exteriori, erecta in honorem ipsius Sanctæ, et SS. Nicandri et Marciani. *Fuit hæc ecclesia interior magnis sumptibus renovata anno 1549, ut idem auctor scribit pag. 44, cujus ornatum pag. 322 breviter describit hoc modo :* Habet hæc ecclesia pulcherrimum tabernaculum, sive custodiam æneam, auro ornatam, variis temperatam lapillis maximi valoris, ad pretium ducatorum quinque mille. *Idem breviter de monialibus* S. Patriciæ *hæc tradit :* Sanctimoniales hujus loci sunt sexaginta circiter, quæ nihil habent in proprium, sed vivunt in communi juxta reformationem Clementis VIII, et pro C divino cultu octo habent sacerdotes, et clericos duos.

ad quam translatum corpus

30 *Quando anno 1549 renovatum fuit templum* S. Patriciæ, *corpus Sanctæ a loco sepulturæ translatum fuit ad sacellum de Capeciis, eidem ecclesiæ inclusum. Laudatus de Magistris pag. 44 refert,* Sacrum corpus inventum *fuisse* intactum, *ab eoque exivisse* suavissimum et miraculosum odorem, . . . et cum jam fuisset renovata ecclesia ejusdem Sanctæ, quæ hodie dicitur ecclesia interior. . . placuit RR. Dom. abbatissæ, et monialibus ejusdem dicta sacra pignora sub die IX Septembris MDLI tempore præsulatus Card. Jo. Petri Carafæ, postea Pauli IV summi Pontificis, ad altare majus ejusdem novæ ecclesiæ transferre : reposita ea ibi intus capsulam plumbeam dempto capite, quod fuit asservatum intus capsulam cristallinam, pro illo collocando intus statuam argenteam, sicut fuit postea exequutum. *Hæc ille. Utriusque translationis publicum instrumentum dedit post Vitam* S. Patriciæ *Joannes Baptista Mansus, ex quo status sacri corporis certius cognosci potest, quod ad rei confirmationem visum est hic totum inserere, prout sequitur :*

AUCTORE J. S.

Bulla translationis secundæ

31 Pateat universis quod nos Scipio Rebiba Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Motularum, reverendissimi, et illustrissimi in Christo patris et domini domini Joannis Petri Carrafæ, miseratione divina episcopi Tusculanensis, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Neapolitani, et archiepiscopatus Neapolitani perpetui administratoris in spiritualibus et temporalibus vicarius, et officialis generalis, etc. Personaliter nos contulimus ad venerabilem ecclesiam venerandi monasterii monialium sanctæ Patriciæ, conventualium S. Benedicti, ad requisitionem, et preces nobis oretenus factas pro parte reverendarum ipsius monasterii abbatissæ, et monialium de nobilibus sedilis Capuanæ, et sedilis Nidi civitatis Neapolis, videlicet, reverendæ Hieronymæ de Summa abbatissæ, et infrascriptarum reverendarum monialium, scilicet Vannellæ de Loffredo, Juliæ Carrafæ, Gasparæ Minutulæ, Violantis Marramaldæ, Lucretiæ Caraziolæ, Camillæ Piscicellæ, Paulæ Caraziolæ, Aureliæ Brancaciæ, Caraziolæ Piscicellæ, Beatricis de Sangro, Thomasiæ Garganæ, Victoriæ Caraziolæ, Loisiæ Ayossæ, Carmosinæ Caraziolæ, Loysiæ Carrafæ, Hippolytæ Piscicellæ, Margaritæ de Tocco, Margaritæ Capycis, Lauræ de E Sangro, Elienoræ de Loffredo, Joannæ de Loffredo, Juliæ Caraziolæ, Margaritæ Caraziolæ, Juliæ Caraziolæ, Sarræ Galeotæ, Portiæ Dentice, Elienoræ de Tolfa, Lombardellæ de Sangro, Lauræ Guinnaciæ, Portiæ Caraziolæ, Liviæ Caraziolæ, Elienoræ de Sangro, Martiæ Caraziolæ, Laudomiæ della Tolfa, Lauræ Brancaciæ, Andrianæ Piscicellæ, Elienoræ Caraziolæ, Catherinæ Caraziolæ, alterius Catherinæ Caraziolæ, et Catherinæ Caraziolæ, Silviæ Capicis, Verdellæ Piscicellæ, Constantiæ Garloniæ, Victoriæ Capicis, Victoriæ de Summa, Corneliæ Muscectulæ, Lauræ Caraziolæ, Lucretiæ Galeotæ, Victoriæ Piscicellæ, Lucretiæ Minutulæ, Mariæ de Summa, Antoniæ Brancaciæ, Isabellæ Denticis, Lucretiæ Capicis, Lucretiæ de Bologna, Dianæ Caraziolæ, Sabbæ Bozulæ, Victoriæ Galeotæ, Hieronymæ Caraziolæ, Lucretiæ de Loffredo, Violantis Carrafæ, Elienoræ Caraziolæ, et Juliæ Caraziolæ. Et dum essemus ibidem una cum reverendis in Christo patribus Leonardo de Magistris, et Joanne Thoma Casello eadem gratia Alexanen. et Caven. respective episcopis, ac etiam infrascriptis reverendis canonicis Cathedralis ecclesiæ Neapolitanæ, videli- F cet, rever. dominis Joanne Francisco Gramatico, primo diacono, Simone Gattula primicerio, Leonardo Antonio de Angrisanis, Fabricio Grasso, Nicolao Milano, Paulo Ricio, Pyrrho Loisio de Avitabulo, Galterio Calamacia, Sabatino de Angrisanis, dicto domino Leonardo de Magistris episcopo Alexano, et canonico, Jacobo Hieronymo Cannavaziolo, Leonardo Campanili, Felice de Dominico, Thoma Suprano, Mattheo de Arpadio, Benedicto de Ariano, Lucio Bozavotra, Francisco Antonio Romano, Joanne Baptista Coppula, Joanne Mattheo Pansulio, Ferdinando Caraziolo, Joanne Leonardo Rendina, Jo. Baptista Pulverino, Joanne Antonio Rotundo, Carolo de Amato, Scipione Salernitano, et Astorgio Bellante, comparuerunt coram nobis excellens dominus Jacobus Maria Cayetanus comes Morconi pro se, et magn. Thoma Caraziolo, protectores ejusdem monasterii deputati per nobiles eorumdem Capuanæ, et Nidi respective sedilium, ac etiam egregiorum Jo. Francisci de Guido, et Leonardi Caputi procuratorum ejusdem monasterii, et cum instantia petierunt nomine earumdem reverendarum

AUCTORE J. S.

rum abbatissæ, et monialium, corpus gloriosæ virginis S. Patriciæ a cappella de Capicibus nuncupata, in qua alias annis non longe decursis fuit depositatum, donec aptatum fuisset altare majus dictæ ecclesiæ, ad dictum altare majus jam aptatum, commodum, et honorificum transferri, et cum debita reverentia asportari, et ibi perpetuo permanendum collocari ad honorem, et gloriam omnipotentis Dei, et ejusdem gloriosæ virginis Patriciæ. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, et devote annuentes, de præmissis tamen certam notitiam non habentes, sed volentes plenarie de circumstantiis universis informari, reperimus nonnulla acta, ac testium depositiones, et sententiam originalem, alias per rever. abbatem Antonium Soriceum, tunc vicarium Neapolitanum latam, existente penes infra sriptum nostrum, et curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ actorum magistrum, per quem hujusmodi sententiam legi, et iterum publicari coram omnibus supradictis mandavimus, tenoris sequentis, videlicet.

Bulla primæ translationis alteri inserta.

32 In Dei nomine. Amen. Pateat universis, et nos Antonius Soriceus V. I. D. canonicus, et primicerius major ecclesiæ Beneventanæ reverendiss. et illustrissimi Domini Raynutii Farnesii, B miseratione divina tituli S. Angeli S. Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis, et archiepiscopatu Neapolitani perpetui administratoris in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis etc. Visa petitione alias nobis porrecta pro parte reverendarum dominarum abbatissæ, et monialium monasterii S. Patriciæ de Neapoli, cujus tenor est, videlicet : Reverenter exponitur coram vobis reverendo domino vicario, et vestra curia ex parte reverendarum abbatissæ, et monialium monasterii sanctæ Patriciæ hujus civitatis Neapolis, et dicitur, qualiter ex devotione maxima, quam habent ad Deum, et gloriosos Sanctos ejus, et pro debito officii sui, et commoditatis dicti monasterii, diebus elapsis cœpit fabricare fabricam necessariam in dicto monasterio, et mutare chorum de uno loco ad alium, ut in eo possint facilius divino cultui inservire. Et quia a latere dicti chori extat quædam cappella, in qua quidem reconditum permanet corpus beatissimæ S. Patriciæ : quæ quidem cappella cum supradicto corpore, propter mutationem prædictam C remaneret quasi destituta, et in maxima incommoditate, et deformitate dictæ ecclesiæ, propterea ipsa exponens ad gloriam, et honorem Dei omnipotentis, et præfatæ S. Patriciæ, desideraret dictam cappellam, et corpus a dicto loco removere, et ad alium meliorem, et honoratiorem deponere, et collocare, petit omni qua decet instantia, sibi licentiam concedi, ac consilium, auxilium, et favorem præstari, ut possit illud libere facere, et ita, et omni alio modo meliori petit etc. Unde nos qui supra, Antonius primicerius, et vicarius prænominatus visa etiam informatione desuper capta super tenore præinsertæ petitionis, visisque nonnullis scripturis antiquis, et libris ad id productis, et fidem facientibus, in litera, et caracteribus Longobardis descriptis : ex quibus manifeste apparet corpus gloriosissimæ S. Patriciæ, delatum fuisse, ac reconditum in venerabili monasterio sanctorum Nicandri, et Martiani, tunc apposito, nunc vero sub vocabulo ejusdem S. Patriciæ.

33 Visoque etiam cathalogo Sanctorum, in quo præfata S. Patricia veneratur, ac diligenter consideratis testium examinatorum depositionibus, affirmantium corpus præfatæ S. Patriciæ fuisse D reconditum in quadam cappella supra chorum ecclesiæ dicti monasterii a parte sinistra in introitu dicti chori, illudque ex relatione antiquorum dicentium ab aliis antiquioribus id illud intellexisse, ac pariformiter eosdem veneratos fuisse, testificantium, omnibusque aliis consideratis considerandis per ea quæ vidimus, et oculata fide inspeximus, et ex supradictis informationibus consideravimus, invenimus corpus prædictum fuisse, et esse gloriosissimæ virginis S. Patriciæ ibidem sepultum, et ut supra reconditum ad laudem, et gloriam omnipotentis Dei, et decorem dicti venerabilis monasterii, propterea Christi nomine repetito, de cujus vultu omne rectum procedit judicium, oculique judicantium respiciunt veritatem ; per hanc eamdem nostram diffinitivam sententiam, quam pro tribunali sedentes ferimus in his scriptis, et etiam promulgamus, dicimus, decernimus, et diffinitive pronunciamus, et sententiamus, dictum corpus fore, et esse ab omnibus Christi fidelibus pie in Christum venerandum, ac venerari debere, prout præsenti nostra diffinitiva sententia venerari mandamus : necnon licere dictis reverendis Abbatissæ, E et monialibus pro majori veneratione dicti corporis gloriosi in aliquam cassam plumbeam, et aptam recondi, atque reponi cum ea qua decet reverentia, et devotione similiter et illud sic reconditum ad alium locum meliorem, ac magis honoratum, et commodum dictæ ecclesiæ transferri, et honorifice collocari præviis prius orationibus, ac letaniis per dictas reverendas abbatissam, et moniales ad Dei gloriam, et honorem exhibitis : hanc eamdem nostram diffinitivam sententiam in his scriptis, taliter proferentes, omnibus melioribus modo, via etc. Antonius Soriceus qui supra vicarius. Die quarto mensis Septembris, octavæ Indictionis, millesimo quingentesimo quadragesimo nono.

Veritas corporis declarata, et concessa translatio.

facto ea de re instrumento publico :

34 Neapoli lecta, lata, et promulgata fuit præsens supradicta diffinitiva sententia per eumdem reverendum dominum vicarium Neapolitanum ad hunc actum sedentem pro tribunali, instante venerabili donno Boffillo Manco cappellano, et procuratore dicti monasterii, et dictam sententiam laudante, et de ea fieri petente F publicum instrumentum pro futura cautela dicti monasterii. Præsentibus reverendo domino Leonardo de Magistris episcopo Capritano, venerabili domino Federico Regale hebdomadario, et comito ecclesiæ Neapolitanæ, ac magn. domino don Raymundo de Luna, et aliis. Eodem die quarto mensis Septembris, millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Neapoli, pro ipsius sententiæ exequutione reverendus pater dominus Leonardus de Magistris episcopus Capritanus, ad preces dicti rever. dom. vicarii personaliter se contulit ad dictum venerabile monasterium S. Patriciæ, stante legitimo impedimento ipsius R. D. vicarii. Et dum esset ibidem, convocatis in unum reverendis dominis abbatissa, et monialibus dicti monasterii in eodem choro fuit iterum lecta, et publicata dicta diffinitiva sententia alta voce per me infrascriptum notarium : qua audita per easdem reverendas abbatissam, et moniales principales, eamdem sententiam laudaverunt, et de ea fieri petierunt publicum instrumentum.

35 Et subsequenter præfata reverenda abbatissa, et reverendus episcopus mandaverunt tu-

mulum

elevatio, status corporis, et translatio prima:

A mulum, ubi reconditum est corpus ejusdem gloriosissimæ S. Patriciæ, aperiri per magistros fabricatores : et sic per dictos fabricatores tumulum hujusmodi, seu sepulcrum apertum fuit, in quo idem rever. episcopus, et dictæ reverendæ abbatissa, et moniales invenerunt dictum corpus gloriosum S. Patriciæ consistens in ossibus, et reliquiis carnium minutim *, et siccis : quæ quidem ossa, et carnes, ac reliquiæ, collocatæ, et repositæ fuerunt intus cassam plumbeam, a parte interiori ornatam sericea rubea, taffetta nuncupata : quod quidem corpus, ut supra, reconditum, et repositum, fuit processionaliter translatum, et asportatum, mediantibus orationibus, et letaniis, de dicto loco antiquo ad cappellam delli Capici, vulgariter nuncupatam, constructam intus ecclesiam dicti monasterii, ibidem permanendum, et loco depositi standum donec, et quousque aptetur altare maius dictæ ecclesiæ, ubi postmodum perpetuo stare, et permanere collocatum, et repositum debeat, ad honorem omnipotentis Dei, et gloriam, juxta formam supradictæ sententiæ. De quibus omni-B bus, et singulis publicum petierunt fieri instrumentum ad futuram rei memoriam, certitudinem, et cautelam, a me notario publico infrascripto, præsentibus venerabilibus donno Francischello Zopparello hebdomadario ecclesiæ Neapolitanæ, domino Federico Regali hebdomadario, et comito ejusdem ecclesiæ, D. Jacobo de Egipto, D. Angelo Policastro, D. Buffillo Manco, D. Joanne Magno, D. Leonardo de Valdo, D. Jacobo Surrentino, donno Simone de Marinis, D. Joanne Paulo de Paris, egregio Leonardo Anello de Messinis, et magistro Mattheo Jovene fabricatore de Neapoli, testibus ad prædicta omnia vocatis, et rogatis.

* forte minutis

translatio secunda ad altare majus.

36 Nos autem audito tenore dictæ præinsertæ sententiæ, et visis quoque omnibus hujusmodi actis, ut supra compilatis; ac etiam per relationem nonnullorum antiquorum nobilium, et fide dignorum, plenarie informati, et certiorati de dicto corpore glorioso, in pontificali processionaliter una cum eisdem reverendis dominis episcopis, canonicis, et capitulo, ac nonnullis venerandis fratribus, religionum videlicet sanctæ Mariæ de Carmelo, S. Francisci, S. Augustini, et S. Dominici, Orfanorum S. Mariæ de C Loreto, una cum populo, et clero, et utriusque sexus, personaliter nos contulimus a sacristia dictæ ecclesiæ, ad dictam cappellam de Capicibus, ubi reperimus dictum corpus gloriosæ virginis S. Patriciæ reconditum, et loco depositi conservatum intus eamdemmet cassam plumbeam, consistens in ossibus, et aliis reliquiis, prout in præinserta sententia, et inventione prima continetur : caput vero ejusdem gloriosæ S. Patriciæ reperimus separatum ab eadem cassa, et conservatum in quodam vase vitreo, ex eo quia dictæ reverendæ abbatissa, et moniales intendunt illud ornari facere argento, et aliis solennitatibus pro majori decore : quod quidem corpus, et caput accensis multis facibus, et candelis ab eadem cappella elevandum, et sustollendum duximus, illudque sub humeris multorum religiosorum sic processionaliter, maxima cum devotione asportandum, et transferendum mandavimus circumcirca dictum monasterium a parte S. Mariæ de Populo, alias Incurabilium deambulantes; et demum per portam magnam dicti monasterii a parte plateæ, summæ plateæ iterum ingredientes præviis orationibus, et letaniis, aliisque solennitatibus, hujusmodi gloriosum corpus, et caput intus dictam cassam, et vas vitreum respective in tumulo honorifico in eodem altari majori ad hoc opus confecto, reponi, et collocari fecimus, ibidem perpetuo permanendum, et venerandum ad omnipotentis Dei, et Sanctorum ejus honorem, et gloriam. In quorum omnium, et singulorum fidem, ac testimonium præmissorum, ad perpetuam rei memoriam has præsentes nostras testimoniales, et patentes literas nostra propria manu subscriptas, per infrascriptum nostrum, et curiæ prædictæ notarium fieri, et subscribi mandavimus, sigillique curiæ prædictæ jussimus, et fecimus impressione communiri. Datum, et actum Neapoti in dicto monasterio, sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, die vero Dominico, vigesimo nono mensis Novembris, decimæ Indictionis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Julii, divina providentia Papæ tertii, anno secundo, præsentibus ibidem omnibus supradictis, et aliis multis in numero copioso, testibus ad id vocatis, et rogatis. E

AUCTORE J. S.

Scipio episcopus, et Vicarius, qui supra.

Locus sigilli.

Et ego Jo. Mattheus Venetia de Neap. publicus Apostolica auctoritate notarius, curiæque archiepiscopalis Neapolitanæ prædictæ actorum magister, quia prædictæ sententiæ prolationi, ac translationi, et omnibus, et singulis aliis prædictis, dum sic, ut præmittitur, dicerentur, agerentur, et fierent, una cum prænominatis testibus præsens pro notario publico rogatus interfui, eaque omnia sic fieri vidi, audivi, et publicavi; ideo has præsentes patentes literas, sive hoc præsens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum, ac propria manu prædicti R. D. vicarii, et sigilli ejusdem curiæ subscriptum, et impressione munitum confeci, subscripsi propria manu, signoque nomine, et cognomine meo solitis, et consuetis signavi in fidem prædictorum rogatus, et requisitus.

Corpus in altari majori depositum:

37 *De venerando Sanctæ corpore, aliisque reliquiis, prout servantur in templo hoc novo, idem auctor pag. 323 tradit sequentia, quæ itidem apud alios scriptores inveniuntur :* Adest F integrum corpus *(exceptis nempe partibus, quas seorsim servari dixerat)* in ara majori S. Patriciæ, *in capsa crystallina, ut ante dictum,* ubi legitur :

Hoc Constantini neptis translata sepulcro
Patriciæ divæ virginis ossa cubant.

Hoc sanctum corpus legitur velo aureo perfectissime confecto involutum, dato inter cetera munera per Joannam Calabriæ ducissam, postmodum Neapolitanam reginam, quæ fuit filia regis Catholici, super sacrum corpus imposito per Leonardum de Magistris felic. record. tunc temporis vicarium generalem Neapolitanum . . . In loco, ubi per prius quieverat corpus dictæ Sanctæ, sic legitur :

Hic olim corpus nequievit virginis almæ
Patriciæ, major nunc habet ara tamen.

aliæ S. Patriciæ reliquiæ:

38 *Alias Sanctæ reliquias sic enumerat :* Ex capillis S. Patriciæ in capsula eburnea : cingulus de Ottone dictus, quo dicta utebatur pro pœnitentia agenda. (Ottone *vox Italica est, Latine aurichalchum.)* Et ejusdem sanctæ manna. *Manna illud et alii memorant, at non exponunt, quid per illud intelligant. Exponit illud Joannes Baptista Mansus in miraculis post Vitam*

AUCTORE J. S.

tam Sanctæ, Italico sermone scriptam, subjectis, ubi sic habet : Unum ex majoribus miraculis erat, quod perpetuo conspiceretur ex ejus sepulcro stillare purissimus liquor instar aquæ crystallinæ, aut potius crystalli in aqua liquefacti; qui liquor nominatus fuit manna : quemadmodum et illi, qui scaturiunt ex beatis corporibus S. Andreæ Apostoli Amalphi, S. Matthæi euangelistæ Salerni, S. Nicolai episcopi Barii, S. Felicis episcopi in cœmeterio Nolano, et quorumdam aliorum Sanctorum. Moniales S. Patriciæ sacrum hunc liquorem magna conservabant reverentia, magnaque pietate dabant infirmis, et dæmoniacis, quibus, eo sumpto, integra confestim restituebatur valetudo. *Hæc ille Italice. Plura de eo liquore dabit infra Leo presbyter. Pergamus nunc cum memorato de Magistris, in sacris pignoribus enumerandis.*

sanguis miraculosus, qui evulso post mortem dente

39 Dens, *inquit,* molaris S. Patriciæ, et duæ ampullæ sanguinis ejusdem, quæ emanarunt post annos centum ejus in Domino obdormitionis, ex quo quidam eques Romanus Sanctæ devotus, ex ejus ore devotionis causa dentem extraxerat : qui sanguis, quoties conjungitur cum dente, liquefit, rubescit, crescit, et vivificatur, quasi de recenti esset gladio extractus, et singula quaque sexta feria; imo omnibus diebus cernitur distillare, quoties Sacrificium offertur in honorem ipsius Sanctæ in ejus ara, et postmodum durescit. *Miraculosum hunc sanguinis fluxum fuse in Vita relatum invenies a Leone presbytero, qui tamen non addit, quo post obitum* S. Patriciæ *anno miraculum illud patratum, nec equitem fuisse dicit, cui id contigit, sed hominem divitem. Unde itaque illas facti circumstantias cognoverint Neapolitani, mihi est incompertum, Rem narrant auctores varii Neapolitani, sed omnium, ut mihi quidem videtur, optime Antonius Caracciolus aliquoties jam laudatus in Monument. eccl. Neapol. cap. 30 sect. 4, cujus relationem hic subjicio :*

B

effluxit, et liquefieri solet:

40 Excitus fama miraculorum ipsius (*S. Patriciæ*) Romanus quidam, generis nobilitate, ac divitiis præpollens, quem malus genius obsederat, veneraturus ejus sepulchrum, opemque ipsius imploraturus, Neapolim petiit, et ad Patricianum templum accessit. Accessit, et valido Beatæ imperio exagitatus dæmon, injusta possessione decessit. Plusculos ille dies ibi in gratiarum actione moratus, cum postridie reditum ad Urbem meditaretur, aditum ad Beatæ sepulcrum suspicione vacuum, tamquam pernox ibi oraturus, facile obtinuit : aliud tamen callida cogitatione machinatus, ut aliquid scilicet e sacro illo corpusculo posset auferre, amuletum suum, ne denuo fieret mali hòspitis inquilinus. Vel forte, ut in Urbe orbis principe, liberatrici suæ basilicam excitaret : verius, permissu Dei, gloriam Virginis suæ manifestiore testimonio exaltaturi. Intempestæ itaque noctis silentio, lapide illo, sub quo beata pignora tegebantur, audacter elevato, Virginis dentem abscidit, sacro furto lætissimus. Et ecce profluus e gingivis sanguis ac vividus, furacem manum, ac loculum purpurat. Obriguit ille, motus, et ambulationis impos : quoad illucescente die, accurrentibus virginibus, sacerdotibus, innumeroque populo, suffurati thesauri restitutione, fuit motui quoque restitutus. Profluum postea sanguinem virgines, binis vitreis vasculis religiose concluserunt. Hic est mirificus ille cruor, qui e regione evulsi dentis appositus, ad hunc usque diem

C

liquescere videtur, spumescere, et ebullire. Cumque per aliquot annos negata fuisset sacrorum pignorum præsentiæ ea liquescentia, reddita postea fuit uberior, et fœnore multiplicato. Quandoquidem ad capitis quoque aspectum, et cum incruento Sacrificio Deo in Beatæ honorem litatur, et singulis sextis feriis sub horam nonam, manifeste cernitur, experimentoque indubio, nihil hic naturam posse, sed Dei nutu potentiaque totum effici. *Hoc miraculum illustrandum hic fuit occasione servati sanguinis : reliqua, ubi quid dubii occurrerit, in notis ad illa elucidabimus.* D

An aliæ, ibidem servatæ reliquiæ, a S. Patricia eo portatæ?

41 *Franciscus de Magistris loco assignato refert, in eadem* S. Patriciæ *ecclesia multas alias servari reliquias, quarum aliquas ab ipsa Sancta Neapolim allatas putat, quin et a sancta Helena Constantini magni matre* Patriciæ *donatas. Potuere quidem illæ a* Patricia *Neapolim deferri; at nullum, quo hoc affirmem, in Vita reperio fundamentum. Quod vero aiunt ab Helena* Patriciæ *donatas, refutari non meretur, namque jam diem obierat S. Helena, antequam nata potuit esse* Patricia, *etiamsi illa Constantis, ut volunt, fuisset filia. At hinc illarum reliquiarum veritatem non impugno, id enim hoc loco non agitur : potuerunt illæ aliunde atque ab aliis eo deferri, etiamsi a* S. Patricia *non fuerint allatæ.* E

§ V. Nomen in Fastis : cultus Neapoli, ubi patrona electa.

Nomen in Fastis.

Memoriam S. Patriciæ *Martyrologium Romanum annuntiat ad* XXV *Augusti his verbis :* Neapoli S. Patriciæ virginis. *Eodem prorsus modo Arturus in Gynæceo sacro. In Catalogo Sanctorum ecclesiæ Neapolitanæ, edito jussu Cardinalis Carafa achieviscopi Neapolitani, et impresso anno 1619, ad diem* XXVI *Augusti ita* S. Patriciæ *cultus memoratur :* S. Patricia virgo. Duplex. Omnia de communi Virginum. Missa de communi sine credo. *Atque notantur hæc inter alia :* Obiit XXV Augusti, qua die ejus monasterii sacræ virgines, quæ sanctum illius corpus possident, festum solenniter celebrant. Nos postera celebrabimus, ne S. Bartholomæi apostoli festivitatem quotannis transferre cogamur. F

et cultus Sanctæ,

43 *Celebratur itaque* XXV *Augusti a monialibus, idque solenni pompa per octiduum, ut habet vetus Officium ei proprium, impressum Neapoli anno 1556 : per totam vero diœcesim Neapolitanam die sequenti. Celebrari itidem festum translationis apud dictas sanctimoniales* IX *Julii testatur Franciscus de Magistris pag. 44, illiusque Officium proprium cum mox memorato simul fuit impressum; cujus orationem hic subjicio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem translationis gloriosissimæ virginis Patriciæ ad tui laudem et honorem dedicare dignatus es : concede nobis famulis tuis in hac celebritate lætitiam, ut quemadmodum ejus corpus veneramur in terris, ita sua intercessione sublevemur in cælis. *Plura ex Officio non appono, cum omnia, quæ in eo leguntur, ex Actis sint desumpta; hæcque ad cultum Sanctæ probandum abunde sufficiant.*

patrona urbis et regni electa.

44 *Verum non modo debita pietate colunt Neapolitani* S. Patriciam, *sed et ejus patrocinio urbem suam, totumque regnum Neapolitanum,*

communire

A *communire voluerunt, idque factum communi primatum consilio anno 1625, die* XXVIII *mensis Octobris, re publico instrumento omnibus manifestata: quod instrumentum, ut testem insignis Neapolitanæ urbis erga sanctam hanc Virginem pietatis, lectorum oculis subjicio, prout illud post Vitam Sanctæ a Torbizio jam editum fuit. Siquid in eo circa* Patriciæ *parentes occurrerit, quod cum ante dictis minus consentiat, poterit rationes allegatas æquus lector consulere.*

cujus electionis datur instrumentum:

45 In Dei nomine. Amen. Anno Jubilei, a Circumcisione Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, die vero vigesima octava mensis Octobris, Indictione nona, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, et domini nostri domini Urbani Papæ octavi anno tertio, regnante catholico, et invictissimo domino nostro domino Philippo quarto de Austria, Dei gratia rege Castellæ, Aragonum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, ac Bortugalliæ, etc. anno ejus quinto feliciter. Amen. Nos Joannes Leonardus de Aulisio de Neapoli, regius ad contractus judex, Franciscus B Antonius Stinca de eadem civitate Neapolis publicus ubilibet per totum prædictum regnum Siciliæ citra Farum regia, et ubique per totum orbem Apostolica authoritatibus notarius habens amplam potestatem, mea acta publica quæcumque per aliorum quorumcumque ad id per me eligendorum manus poni, scribi, et in publicam formam redigi, et assumi faciendi, ut infra, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati, atque rogati, præsenti scripto publico declaramus, notum facimus, et testamur, quod prædicto die, cum licentia ad majorem cautelam obtenta a reverendissimo vicario generali illustrissimi, et reverendissimi domini Decii Cardinalis Carrafæ archiepiscopi Neapolitani constituti in nostri præsentia Neapoli in templo divæ Patriciæ, quod incolunt adm. reverendæ dominæ moniales Ordinis, et regulæ sancti Benedicti, et proprie ante altare majus, ubi asservatur pretiosissimum Christi Domini Corpus, infrascripti deputati a singulis quibuscumque nobilium hujus fidelissimæ civitatis ordinibus, seu sedilibus, nec non a fidelissima platea populi ad præsentem actum, ut infra videlicet, pro platea C sedilis Portænovæ Marcus Antonius Mormilis, Carolus de Ligorio, et Annibal Capuanus; pro platea sedilis Montaneæ, don Alonsus Sanchez, don Joannes Serius Sanfelicius, Cæsar Coppola, Joannes Baptista Surgente, Joannes Baptista Pudericus, et Joseph Muscettula; pro platea sedilis Capuanæ, Carolus Filomarinus, Lutius Caracciolus, Andreas Piscicellus, Fabritius Bozzutus, Don Leonardus Toccus, Despotus Romaniæ, et Attæ, et Horatius Caracciolus quondam Hectoris; pro platea sedilis Portus, don Ferdinandus Paganus, don Hieronymus Severinus, Joannes Franciscus de Alexandro, et Franciscus Antonius Mele; pro platea sedilis Nidi, Carolus Brancatius, Ascanius de Bononia, Joannes de Guevara dux Bovini, et Magnus Senescal, et Ascanius Carrafa; pro platea Fidelissimi Populi, V. I. D. Joannes Baptista Apicella electus, et deputatus, V. I. D. Petrus Antonius Castrovillari, Ferdinandus de Ferdinando Procurator dictæ Fidelissimæ Plateæ, Ar. M. D. Julius Cæsar Porcelli, Jacobus Pintus Actorum magister magnæ curiæ vicariæ, et thesaurarius, notarius Franciscus de Rinaldo, Joannes Hieronymus Magliulo, Joannes Andreas Bassus, Joseph Palmiscianus, et Joannes Dominicus Perronus.

AUCTORE J. S.

in quo vitæ compendium:

46 Omnes deputati prædicti ut supra publice declaraverunt, qualiter diva Patricia, de qua præmittitur, originem trahit a sanguine, et imperiali progenie, quippe quia unica exstitit filia Constantis nati ex Constantino magno imperatore, quæ quidem post obitum sui genitoris, relicta hæres paternorum bonorum sub tutela Constantii sui patrui, dum volebat idem conjugio ipsam copulare, fugam clanculum inde maturavit, quoniam virginitatis votum susceperat, et sic a civitate Constantinopolitana cum universa familia discedens, navim conscendit, pervenitque Neapolim, et ad ædes SS. Nicandri, ac Marciani se recepit, amplas relinquens eleemosynas monachis divi Basilii, in affatis ædibus existentibus, in quorum sane templo suum digito monumentum designavit, voce promens: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Cæterum quoniam civitas hæc, et regnum hæreditario successere * ad illam spectabant, divini cultus fervore accensa, initio E sui adventus virginum prima monasterium funditus erexit, ubi religiosissime ac sanctissime degens, verbis et exemplari vita omnes ad cælestia contemplanda animavit, ac inde postea Romam petiit, et limina SS. apostolorum Petri et Pauli, ut cum maxime devote adiit, sacrataque monialis a summo Pontifice Liberio, volens postea ad sanctissimum Domini nostri sepulcrum se (devotione mota) conferre; ac propterea navim iterum conscendens Hierusalem versus, ventorum vi, divino nutu rejecta, * Parthenopem rediit, ubi religiosissime degens, ignita referta charitate, virtutum cumulis insignis, sanctissimorumque repleta operum, diem suum feliciter clausit extremum, et a duobus juvencis miraculose ad præscriptum relata fuit monumentum, in quo miraculis illustrata innumeris, inter quæ potissimum extat illud, quod post centum fere annos, dum devoto affectu, dens e suo capite extrahitur (o mirum!) præter omnem naturæ vim, vivus inde sanguis scatens opipare manavit ad plenam usqus ampullulam, qui quidem in festo die sui felicis obitus, donec juxta corpus asservatur, liquide ebulliens inspicitur, F quibus, et aliis innumeris ipsa fidelissima civitas mota miraculis, et quia etiam vivificæ Crucis Redemptoris nostri clavum, multasque alias ad eamdem civitatem sanctas attulisse fertur reliquias:

* *forte* successore

* *id est* Neapolim

electio qualis.

47 Tandem sanctam virginem Patriciam in tutelarem civitatis ipsius, ac regni patronam, et protectricem eligit, ac suscipit, ut hactenus habuerunt sanctos præsules Januarium, Aspren, Athanasium, Euphebium, Agrippinum, et Severum, necnon et Agnellum abbatem, et Ecclesiæ lumen Thomam Aquinatem, beatum Andream Avellinum, et beatum Jacobum de Marchia; eamdemque obnixe humiliterque rogant, ut potentissima sua apud Deum intercessione, tum ut civitatem eamdem in avita religione, et vero Dei cultu, quo ab Apostolo Petro, dum Antiochia Romam peteret, imbuta fuit, conservare, et manutenere dignetur, tum ut Catholicum regem Philippum quartum fidei propugnaculum diu servet incolumem, civitatem postea ipsam in antiqua erga regem suum fidelitate corroboret, bella, famem, pestilentiam, morbos omnes quam longissime avertat ab ea, civium inter se dissidia conciliet servetque, erumpentem

AUCTORE J. S.

tem forte seditionem quamcumque funditus extirpet, magistratuum juri reddendo præpositorum mentes illuminet, et omnia denique præstet juxta debitum ei erga nos maternum patrocinium. Quam electionem, et susceptam protectionem prædicti deputati juramento confirmarunt, tactis sanctis Dei Euangeliis, et me prædictum Franciscum Antonium Stinca publicum apostolica, et regia authoritatibus dictæ fidelissimæ civitatis notarium rogaverunt, ut hæc omnia ad futuram memoriam meis tabulis consignarem. Unde ad requisitionem adm. reverendarum matrum abbatissæ, et monialium dicti monasterii sanctæ Patriciæ factum est exinde de præmissis hoc præsens publicum instrumentum per manus alterius scribæ ad id per me electi fideliter scriptum, signoque, et subscriptione mei, qui supra, judicis, et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, vigore, et authoritate cujusdam regii decreti, et licentiæ mihi concessæ describi faciendo omnia instrumenta, et contractus per me stipulatos, et stipulandos, ac stipulata, et stipulanda per manus aliorum scribarum per me eligendorum, prout ex dicto decreto, et licentia mihi concessa sub
B die ultimo mensis Januarii MDCXVIII penes Joannem Antonium Giselmum regium scribam mandati, apparet.

Præsentibus judice, et testibus in numero copioso.

Lælius Tastius Vicar. Gen.

S. Patriciæ locus honoratior præ B. Andrea Avellino datus.

48 *Ubi patrona regni Neapolitani electa fuit* Patricia, Debebat, *inquit Franciscus de Magistris pag. 131*, tractari de asportandis sacris reliquiis ipsius Sanctæ solenni pompa, et processione ad thesaurum cathedralis pro possessione ad patrocinium : orta fuit quæstio, an ipsius reliquiæ debebant collocari cum ejus statua in loco decentiori respectu ad reliquias et statuam B. Andreæ Avellini, jam prius in possessione patrocinii recepti respective ad nostram electionem civitatis. *Locus honoratior per sacram rituum congregationem die* XXVIII *Februarii anni 1629 adjudicatus fuit reliquiis B. Andreæ Avellini; sed reclamantibus monialibus, Urbanus VIII summus Pontifex* S. Patriciæ *reliquias et statuam loco præcedere voluit, suumque judicium confirmavit decreto Apostolico, dato 2 Octo-*
C *bris anni 1641, Pontificatus sui anno 19 : quod totum exhibet prædictus auctor pag. 132; qui et pag. sequenti fuse describit solennem supplicationem, quæ die* VI *Aprilis anni 1642, ad honorem* S. Patriciæ *urbis jam patronæ, fuit Neapoli instituta. Nos eo curiosum similium rerum lectorem remittimus, atque Acta subjungimus.*

D

VITA PRIMA

auctore Græco anonymo, ab anonymo itidem Latine reddita.

Ex vetusto Ms.

CAPUT I.

Sanctæ fuga, ne cogatur ad nuptias : adventus Neapolim, ac Romam : reditus Constantinopolim, indeque Neapolim.

E

S. Patricia ab imperatore nubere jussa,

Postquam *a* sic fuit nutrita crevit B. Patricia, et petita fuit in uxorem a quodam nobili viro, qui cum multum diligeretur ab imperatore Constantio *b*, potens erat in curia, et in aula ipsius. Fulgebat autem vir ille *c* Patricii dignitate, et virgini non fidens, nec ejus parentibus *d* nullam eis fecit de proposito suo mentionem, sciebat enim virginis amorem in Deum. Verumtamen ad imperatorem accedens, flexis genibus coram eo, sic eum deprecatur : Si gratiam inveni, domine, apud vestram fulgentissimam curiam, et excelsissimam magnitudinem ego vester in omnibus, et per omnia famulus : jussu vestro, sive præcepto detur mihi Patricia virgo pulcherrima in uxorem, ita enim eam diligo, ut, si hoc non impetrem, sim ex vita discessurus. Hæc audiens imperator, illius petitionem adimpleri voluit, et S. Virginis propositum serviendi soli Deo ignorans, præcepit hoc fieri matrimonium. Verum deceptus est ille vanus juvenis, nam Deus Famulæ suæ auxilium præstitit.

clam fugam adornat,

2 Audiens enim omnia virgo Patricia, statim quinque, quos habebat, eunuchos ad se vocavit, et alias quinque virgines, quæ ejus erant
F pedissequæ, eisque sui cordis secreta manifestare consueverat. Omnibus igitur convocatis præceptum imperatoris contra se factum annunciavit, dicens : Cum vos aperte sciatis omnia mea facta, scitis etiam firmiter, qualiter a mea pueritia desponsata fui sponso *e* incorruptibili, Domino nostro Jesu Christo, absit ergo ut ab eo nunc separer, et conjungar sponso corruptibili. Communiter igitur excogitemus ab omnibus, fratres, atque sorores, consilium imperatoris manus evadendi, ne ejus præceptum in nobis habeat complementum. Hæc cum dixisset B. Patricia, tam virgines, quam eunuchi promiserunt ei usque ad mortem eam non dimittere. Unde cum vellet currenti furori tam imperatoris quam juvenis eam in uxorem petentis cedere, navem Romam *f* veterem ituram inveniri præcepit, dicens consanguineis suis, olim se vovisse Deo, pro peccatis suorum parentum et suis remittendis visitare, ac osculari limina beatorum apostolorum Petri et Pauli. Deum vero precabatur, ut qui cognoscebat sui cordis abscondita, ipse se duceret quocumque vellet.

3 Hæc

A 3 Hæc cum fecisset B. Patricia, de paternis *g* rebus non parvam sortem accipiens, se suaque commendans tutelæ, et procurationi divini auxilii, cum eunuchis, et quinque pedissequis exivit latenter de civitate, navimque conscendens, signavit se signo crucis, et statim requievit in mari *h* perversus motus aquarum, et procellosus. Habitoque vento habili versus Romam leniter cum amœnitate deportabatur. Patricius vero, hoc est, juvenis ille, qui eam volebat in uxorem, hæc audiens cucurrit ad imperatorem, eique citissime suum infortunium exposuit, pêtiitque cum querela, ne se a virgine deludi pateretur. Quare ab imperatore tres galeæ * missæ fuerunt ad navigandum aptæ, ut ubicumque eam comprehenderent, et ad imperatorem reducerent. Sed incassum nititur aliquis omnipotentis Dei resistere voluntati. Ubi enim ipse est operator, et actor, nullus est, qui possit resistere. Nam B. Patricia ingrediens *i* quamdam insulam, sub protectione Dei servabatur. Nuncii vero missi ab imperatore æquor illud transcurrentes, nil viderunt, et per tres menses in mari detenti modo B huc, modo illuc, flatu ventorum impulsi, tandem post multam maris verberationem reversi sunt, nihil se omnino de ea nec vidisse, nec audisse referentes.

et fugit conducta navi Romam: g

h

* *i. e.* triremes

i

4 Santa vero de insula exiens, mari, immo ipsi Deo se credens, nutu Dei disponentis Neapolim appulit. Ubi de navi egressa civitatem ingressa est, nec sibi domum ad quiescendum requisivit, non balneo cogitavit corpus suum reficere, sicut mos est nobilium, et in gloria cum deliciis nutritorum, sed ad templum ivit ad orationem, et sic sacra loca Neapoli sæpe visitavit, et cum introiisset portam, manus ejus aperta fuit omnibus indigentibus, et abundanter in caritate dedit omnibus de rebus, quas adduxerat secum de paterno lare. Venit igitur ad ecclesiam SS. martyrum Nicandri, et Marciani, ubi erat virorum sanctorum monasterium, et cum templum introisset, et de more suo orasset, abbatem ceterosque monachos ad se vocari fecit, eisque convocatis, aspiciens locum, ubi nunc requiescit corpus ejus, scripsit in silice hoc elementum Græcum π *k*, quod fidem significat, vel ejus nomen quod incipit ab illa littera; monachisque ait : Unum vobis notifico, sancti patres C et venerabiles, locus ille quidem mihi datus est in sortem ad habitandum in secula, vos vero locum habitandi diligenti cura vobis alibi requiratis. Et hoc dixit vaticinans, fulgore divinitus illustrata. Monachi autem hoc audientes statim colloquium dissolverunt. Patricia vero partem pecuniæ, quam detulerat, monachis obtulit, et exivit de Neapolitana civitate, quam plurimis a se in ea peractis miraculis *l*, statimque ascendens naviculam, iter Romam ducens, auxilio divino gubernante, peregit.

Neapolim appulsa, prædicit se ibi sepeliendam:

k

l

5 Romanam ergo ingrediens civitatem, non est oblita facere consueta pauperibus, indigentibus, viduis, et orphanis, dispergens suas divitias abundanter. Insuper valde mane una dierum, quæ fuit Dominica, in qua Christus resurrexit a mortuis, orto jam sole *m*, surrexit B. Patricia cum suis eunuchis omnibus, et pedissequis, ad audiendum matutinale Officium in ecclesia beatorum Apostolorum. Sed cum adhuc essent clausæ *n* jaunæ, angelus *o* eis eas divinitus adveniens reseravit. Et cum esset intus et orationibus insudaret, vox de cælo audita est, dicens ei : Patricia Dei dilecta famula, assume vitam angelicam, et habitum monialem : hodie namque parentes *p* tui solventes carnis commune debitum mortui sunt ad Dominum transmigrantes. Statim ergo B. Patricia una cum famulabus suis hæc audiens, Deo summo patri gratias referens cum pedissequis suis, disposito super hoc officio celebrato a summo Pontifice *q*, et capillis in circuitu tonsis, sacram monasticam induit sibi vestem ab antistite benedictam, licet prius vitam monasticam, immo potius angelicam sequeretur. Sic igitur B. Patricia operans, Romanos radiis meritorum illuminavit, et eleemosynis adjuvit.

Neapoli Romam profecta, vestem assumit religiosam : m

n o

A. GRÆCO ANONYMO. p

6 Postea Constantinopolim iterum est reversa, affectans maternas, atque paternas facultates dispergere spiritualiter pro remissione peccatorum ipsorum. Veniens igitur et intrans in suam civitatem, non splendens, ut prius, et fulgens apparuit, sed omnibus nigra et obfuscata, et sine specie, licet esset formosa. Quare vanæ cogitationes imperatoris, et Patricii contra eam ad nihilum sunt redactæ : cum illis conscientia remorderet, videndo in ea tantam sanctitatis gratiam abundare. Illa vero non in dilationem opus E faciendum proposuit, sed statim in unum bona sua patrimonialia congregans, magnam partem quidem in Constantinopolitana civitate egenis distribuit, reliquam vero secum asportavit, volens ad visitandum sepulcrum *r* Domini nostri ire, et ad alia loca sancta. Accidit autem præter spem, ut navim ingressa, iterum ad Neapolitanas oras allaberetur.

Roma Constantinopolim revertitur, indeque Neapolim.

r

ANNOTATA.

a *Loco principii abrasi, substituit, nescio quis, notas quatuor sequentes.* 1. Nata est Constantinopoli. *Hoc recte.* 2. Unica fuit parentibus, qui imperiali erant sanguine creti, eamque ab anno septimo ætatis, litteris, et liberalibus actibus erudiri fecerunt; et illa omnia apprehendit egregie, et brevi ob acumen ingenii, et etiam theologiam. *Hæc scientia theologiæ non satis fundata est in Actis.* 3. Eligens ipsa a tenellis unguibus Christum, et sub lenissimo jugo suo collum ponere, diu noctuque in lege Domini sollicite cogitabat, et per templa sacraque loca quotidie ambulans, semper in bonis operibus confortabatur. Vestis pretiosa non erat ei curæ, F non terrena gloria, non inanis delectatio, seu deliciosa cogitatio balnearum : sed hæc mundanis relinquens, ipsa jejuniis, et vigiliis, et sanctarum Scripturarum cogitationibus insistebat. *Hæc a S. Virginis Vita non abhorrent.* 4. Floruit temporibus Constantii tertii filii Constantini magni imperatoris, qui imperator fuit, et patri successit. *Hic manum cujusdam recentioris facile agnoscas. Videsis Commentarium prævium* § 2.

b Constantii, *qui et* Constantinus *et* Constans : *nepos videlicet Heraclii imperatoris, ut probavimus.* § 2 *assignato.*

c Patricii dignitate. *Patricii dignitatem a Constantino magno institutam tradunt auctores varii. Summa erat post imperatoriam, et perpetua, ita ut cum consulatu, aliisque præfecturis conjungi posset. Pauci initio fuisse hac dignitate ornati leguntur; deinde paulatim ad plures devenit, atque exteris etiam regibus non paucis fuit concessa, uti videre est in Glossario Cangii ad vocem* Patricius. *Porro hic adolescens deinde etiam vocatur Patricius, non nomine proprio, ut opinor,*

nor, sed dignitate. Pater item S. Patriciæ *dignitate patricius fuisse dicitur num. 15.*

d *Vivebant igitur parentes* Patriciæ, *itaque nec imperator erat ejus pater, seu Constans Constantini filius; sed patricius dignitate, ut modo dictum.*

e *Ex hoc loco diximus videri, jam voto castitatis fuisse obstrictam.*

f *Ita vocatur, quia Constantinopolis dicebatur* Roma nova.

g *Videtur fugisse Sancta, non ignorantibus quid ageretur parentibus; sed id metu imperatoris dissimulantibus. Suspicor id propter comites, et bona paterna ad fugam commodius instituendam accepta.*

h *Multis ubique miraculis, et visionibus ornatur hæc Vita, quæ mihi exiguam fidem mereri videntur, tum quod ab alio biographo non memorentur, tum quod sæpe inepte conficta esse, appareat.*

i *Minus certus videtur hic in quamdam insulam ingressus; sic enim fortasse periculum auxisset potius, quam minuisset. Nec quid post discessum suum Constantinopoli ageretur, scire*
B *potuit sine revelatione divina.*

k *Prædictionem hanc itidem narrat Leo presbyter, sed cum differentia aliqua. Nam signum a Beata scriptum, fuisse signum crucis, refert ille : noster vero litteram Græcam* π, *qua vel* πίστις *significetur, id est fides, vel* Patricia, *scriptam narrat. Vacillat utcumque hac varietate prædictionis fides, non tamen idcirco prorsus sit incredibilis : nam potuit utrumque scribere; potuit et alteruter in circumstantia signi exarati decipi; etiamsi in ipsa prædictione neuter fuerit deceptus.*

l *Nihil de his miraculis Leo presbyter.*

m *Inepte alludit hoc loco ad cap. 16 ✝ 2 Marci. Nam quamvis recte ibidem intelligi possit, quomodo mulieres* valde mane *egressæ, pervenerint ad sepulchrum Domini* orto jam sole : *non ita intelligitur quomodo* S. Patricia valde mane *surrexerit, si surrexerit* orto jam sole : *idque in Dominica Resurrectionis non multum ab æquinoctio remota. Verum hoc imputetur modo loquendi minus proprio; non fiet idcirco verisimile, quod paullo post sequitur.*

C n Cum adhuc essent clausæ januæ, *basilicæ scilicet Apostolorum, quam adibat* ad audiendum matutinale officium. *Quis enim credat post ortum solis in Dominica Resurrectionis Domini Officium nondum fuisse inchoatum, templum nondum apertum? Unde quod subjungit :*

o Angelus eis eas divinitus adveniens reseravit, *Græcum potius ornamentum, quam vera videtur historia.*

p *Neque revelationi de morte parentum assertæ multum admodum fidei habendum existimo; tum ob rationes dictas, tum quia nihil de his Leo presbyter. Mortem Constantii imperatoris* S. Patriciæ *Romæ revelatam narrarunt recentiores, quod fictitium esse ex hoc loco manifeste evincitur.*

q *Vestem religiosam a* S. Patricia *Romæ assumptam narrat etiam Leo presbyter; at non addit id factum per summum Pontificem, quod dubium saltem videri debet, si non fictitium. Recentiores id a S. Liberio Pontifice factum scribunt, quod abunde § 2 ex tempore, quo Virgo floruit, est refutatum.*

r *Hanc Sanctæ voluntatem dubiam esse, quia contrarium habet Leo presbyter, notavimus in Commentario prævio § 2 num. 18.* D

CAPUT II.

Postremus Sanctæ morbus et pia mors.

Ægrotans corpus Domini sumit, a

Sic ergo B. Patricia Neapolim *a* per mare iterum ducta, tum propter nimiam abstinentiam, tum propter jejunia, tum etiam propter subversionem humorum in mari, vel, ut dicatur res verius, quia frumentum erat in spica, et tempus propinquum erat, ut reconderetur in horreo cum plurimo fructu, et necessarium ei erat mori, incidit in febrim acutam, statimque desiderio desiderare incepit, ut a nexibus corporis absoluta ante tribunal veri Judicis sisteretur. Fertur itaque in parvam quamdam insulam *b*, in qua *b*
venerabile Corpus Domini nostri Jesu Christi E
Salvatoris colebatur, et colitur, sumens ipse locus denominationem ab ecclesia, SALVATOR nomine proprio appellatur. Ad hanc insulam deportata B. Patricia, ibidem, ut de sua erat consuetudine, celebrato Sacrificio, cum devotione maxima, et maximo desiderio petiit assumere corpus Christi. Quo facto, et in ecclesia aliquantulum trahens moram, vocans ad se virgines, et totam familiam suam se sequentem, sic orsa est :

multisque verbis c

8 O meæ sorores *c* et dominæ, et vos alii, quos non voco famulos sed filios, nimium humili prece flagito vestram benevolentiam, ut aliquantulum mecum sitis solliciti in hac parte ad vigilandum : spero etenim in hac nocte, intercessionibus beatissimæ Dei Genitricis Mariæ me commendans, et B. Michaelis archangeli, et Sanctorum omnium, ad Dominum transmigrare. Moneo vos ergo, carissimi, meas intuitu caritatis celebrantes exequias, vos vanitas non decipiat hujus mundi. Præ manibus habeatis semper accensas lampades, ut cum sponsus advenerit ad nuptias, cum eo possitis alacriter introire. Cavete ne juventutis flos de crastino in crastinum sedu- F
cendo vos inopinate ad senectutem transire faciat steriles, et immemores paradisi. Considerate post mundi creationem, et casum primi parentis, qualiter Deus multifariam multisque modis, ut homines a peccato cessarent, eos admonendo per prophetas, et eos pestilentiis affligendo est allocutus. Habeatis itaque in vobis innatam obedientiam, recordantes per inobedientiam Adam et Evam expulsos esse de paradiso. Scitote quoniam per inobedientiam mandatorum, et illicitas voluptates, mundus universus aquis deluvii devastatus est semel, et nisi, quia Noe cum sua familia innocens inventus fuit, in antiquum chaos hæc omnia forsitan nunc laterent.

ad virtutis amorem, peccatorumque fugam

9 Insuper ne credatis, carissimi, tumore aliquo aliquave superbia vos posse manus effugere summi Dei, cum audieritis multoties turrim fabricantes in Babylone post diluvium, Deo cogitantes posse resistere, qualiter fuerunt linguarum confusione dispersi. Libido fœda vos non supprimat, Sodomæ considerantes destructionem, atque Gomorræ. Ebrietas in vobis non dominetur, cum Noe prius, secundo Loth, tertio Esau vitio istarum redarguantur. Audivistis quot,

et

A et quantas afflictiones, et pestilentias mittens Deus Ægyptiis, obedientem sibi populum Israel potenti manu extraxit de servitute. Deum ergo toto corde diligite, toto animo cum timore, corporea cogitatione cibi et indumenti terrentes minime corda vestra. Nam qui novas quotidie creat animas, et infundit eas corporibus novis, quemadmodum antiquitus in deserto manna suum populum nutriebat, non patietur vos affligi fame neque siti, calore neque frigore, et sicut non dimisit suum Jonam prophetam, sic nec vos dimittet mori famulos suos. Insuper auditis quotidie quot et quanta sustinuit pro nobis peccatoribus ipse Filius Dei. Videns enim quod nos corrumpebamur instinctu diaboli morbo pessimo, nec poteramus sine perfectissimi medici adjutorio ab illa perhorribili ægritudine liberari, ut nostras tolleret ægritudines manu propria, et humeris suis portaret infirmitates, exinanivit semetipsum accipiens formam servi.

suos hortatur comites;

10 Missus est enim ab arce Patris, qui mundi machinam sustinet et gubernat, in uterum Virginis, qui cum natus esset ineffabiliter, in sua Genitrice virginitatis gloria permanente, B prædicationibus et miraculis illuminavit orbem terrarum. Postmodum usque ad mortem pro nobis factus obediens, in crucem levatus est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Moriens igitur et morte sua mortem supprimens, a mortuis post triduum resurrexit. Apparensque iterum et iterum ante suam ascensionem suis discipulis, præcepit eis, ut post infusionem Spiritus sancti Euangelium prædicarent per universum orbem omni creaturæ. Pacem suam igitur donans illis, et patientiam, ut in ea scilicet patientia suas animas possiderent, ascendit in cælum. Vos ergo in vobis istam patientiam habeatis, et pacem. Caritas, quæ sustinet omnia, et humilitas in cordibus vestris habeant principatum. Abhorreatis loqui superflua, silentium diligentes. Quod vestra manus dextera fecerit, nesciat læva, et cum jejunaveritis vitantes hypocrisim, capita vestra oleo ungite. Illud igitur studeatis facere in abscondito, ut cum in aspectu cuncta spectantis Judicis eritis, in manifesto vocem illam, quæ super Sanctos, et electos ab ore Omnipotentis procedet, audiatis : Venite benedicti Patris mei, C possidete regnum, quod a constitutione mundi vobis est paratum. Quod vobis concedat per suam clementiam, qui vivit et regnat in secula seculorum.

deinde Deum precata,

11 Hæc et alia plura cum dixisset B. Patricia, eunuchos et virgines admonendo, aliosque secum in illa nocte vigilantes, erigens in cælum manus suas et oculos, taliter Deum oravit : Domine Jesu Christe rex gloriæ, qui dignatus es sola clementia humanam carnem assumere, ut chirographum rumperes primi parentis, quique ut humanum genus eriperes faucibus primi draconis, sustinuisti mortem in cruce, exemplum tuis derelinquens discipulis salutare, te suppliciter deprecor, ut meas exaudire preces, non meis meritis, quæ nulla sunt, sed tua sola digneris misericordia. Fac Domine, ut sicut tua pietate segregasti me a terrenis, et carnalibus consanguineis, sic a pœnis inferni meam animam liberes, et in consortio electorum tuorum colloces eam. Corpore vero meo, ubi tibi placitum fuerit, collocato, infundere super ipsum dignare divinam gratiam, ut ab omnibus ad ipsum accedentibus, et meum obitum celebrantibus ad laudem tuam cum fide, spe, et caritate, in infirmitatibus medicina sit probatissima *d*, vivus fons sanitatis, sit fuga dæmonum, civitatis suffragium, animarum passionum sit liberatio, remissio peccatorum, salutaris portus sit naufragium patientibus, cælorum regni aditus, adversitatum expulsio, captivis sit liberatio, in tribulationibus positis mitis sit consolatrix, omnibus petentibus paratum fiat auxilium, et juvamen, ut nomen tuum, Domine, benedictum et gloriosum exaltetur et collaudetur in secula seculorum. Amen.

A. GRÆCO ANONYMO. *d*

voceque cælesti invitata, *e*

12 Hæc cum dixisset B. Patricia, vox ab omnibus illic existentibus est audita : Veni, dicens, Benedicta in regnum meum *e*. Videntes autem illam in extremis laborare, ad laudes et orationes conversi sunt ad exequias pertinentes, et ore simul, et spiritu concordantes proferebant melodias, et spoliati quasi a corpore in intellectu, simul ac ea exire *f* de ista vita. Sed quia eam omnes plorandi desiderium, ac debitum solvebant lacrymandi, coronam facientes tamquam de variis floribus et diversis, de spiritualibus cantilenis et laudibus, ab ea receperunt benedictionem, tamquam thesaurum donatum eis a Deo. E Tunc ad invicem cœperunt referre, qualiter egreditur e corpore anima, et mundus ille plenus corruptione quomodo finietur : narrabant etiam aliquid de secretis bonorum futurorum vitæ secundæ.

data suis benedictione, placide moritur.

13 Tunc B. Patricia supra suum pectus brachia plicans in modum crucis, humili voce ait : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Suscipe ad te meam dilectam animam, quam semper in tua conservasti confessione, tibi trado etiam corpus meum, quod illæsum et incorruptum conservare dignatus es per virginitatem a corporali contagione. Tu meis astantibus carissimis fratribus ac sororibus sis consolator meæ mortis, a te habeant benedictionem per impositionem manuum mearum; ac super illos manus imponens, ac benedicens eos, dixit illis : Dominus amodo sit vobiscum. Hæc dicens audit a Deo, quæ suis operibus erant audiri digna : Surge proxima mea, columba mea, et veni; jam hyems transiit, imber abiit; et recessit, tempus messionis advenit, formosa mea, proxima mea, macula non est in te : odor unguentorum tuorum est super omnia aromata. Et hoc cum audisset B. Patricia emisit spiritum. F Tunc, ut dignum erat, chori angelorum duxerunt ipsius animam in conspectum Altissimi.

ANNOTATA.

a *Neapolim hac vice non fuit ingressa, sed in castro Lucullano, antequam eo perveniret, obiit. Vide num. 18.*

b *De hoc mortis loco actum in Commentario num. 18.*

c *Tota hæc, quam S. Virgini adscribit, oratio auctoris est, non* Patriciæ. *Inserta hæc est lectionibus Officii Neapoli impressi, uti et, quæ post pauca sequitur, ad Deum precatio. Utraque inepte conficta, neque mulieri ad mortem se præparanti congrua.*

d *Hic sane orandi modus humilitati Sanctorum parum est conformis.*

e *Nihil de his omnibus Latinus biographus : neque difficile est agnoscere Græcum sui ubique similem; qui omnes has, ut breviter dicam, mortis circumstantias confinxisse videtur.*

f *Aliquod hic verbum videtur omissum.*

CA-

CAPUT III.

Mira corporis translatio ad templum SS. Nicandri et Marciani; miracula; monasterium, ubi sepulta, virginibus concessum.

Post mortem Sanctæ nutrix divinitus monita,

Adstantes vero illi sacro ac venerabili corpori cum affectu, timore, et exultationis lacrymis pretiosum illud feretrum circumstantes, manus et pedes et etiam indumenta beatissimæ Patriciæ adorantes osculabantur, assumentes sanctificationem et gratiam sensu tactus. Tunc infirmitates fuerunt plurimæ curatæ, et catervæ dæmonum *a* etiam ab humanis corporibus recesserunt ad tartarum fugientes. Aer ille sanctificatus est a sensu spiritus; terra vero corporis illius B potitione, aqua etiam, cum qua sanctum illud corpus ablutum fuit, magis purificata est ab eodem, quam illud purificaret. Postmodum corpore involuto pretiosis linteaminibus ac splendidis, præparaverunt virgines lampades, et circa corpus illud sanctissimum erant sollicitæ vigilare. Verum, quia nolente B. Patricia, ei non dixerant præ nimio dolore, atque angustia, post mortem suam ubi voluisset suum corpus sepeliri, ascendit coram Deo planctus et ululatus. Nam post multam illorum lamentationem, quod solet in afflictionibus positis sæpius evenire, unam illarum virginum somnus rapuit, nomine Aglais, vel fuit hoc, ut de dicta extraherentur angustia, voluntas et providentia summi Patris. Nam illico divinitus ei dormienti est revelatum, ut summo mane surgens, iret ad principem civitatis Neapolitanæ, et ei facto narrato, peteret ab eo duos tauros indomitos, et carrucam. Et ubi post impositionem corporis in carruca, tauri illam trahentes sisterent, sepulto ibi corpore, ipsa cum una alia quatuor virginum, et cum tribus eunuchis servientibus Deo, ibidem vitæ residuum complerent, tribus aliis virginibus, et C duobus eunuchis reversis Constantinopolim, ut consanguineis beatissimæ Patriciæ factum narrarent.

ducem Neapolitanum accedit,

15 Somnum itaque abjiciens Aglais, narravit revelationem astantibus, ex oculis lacrymis manantibus dolorosis. Et quia noctis tenebræ impediebant ambulare volentes, cœperunt interim Deum cantilenis, et laudibus excelsa voce magnificare. Postmodum Aglais socias assumens duas illarum virginum, velocissimis pedibus, antequam princeps surgeret, ad ostium domus ejus cœperunt misericorditer exclamare: Surge princeps *b*, expelle somnum, surge cito, et indue te vestibus: et audi divinum opus. Surge et sume cum reverentia thesaurum de longe tibi missum, surge suscipe lampadem, quæ supra candelabrum posita tuam civitatem tecum, et omnem regionem illuminabit lumine meritorum. Suscipe lapidem pretiosum, et fulgentissimum, quem amisit Patricius, et etiam imperator. His verbis princeps excitus, surgens voluit omnia per omnia sibi dici, coram quo virgo Aglais flectens genua, talia loquebatur: Domine, nos tres, et aliæ duæ virgines, et eunuchi quinque in domo crescentes cujusdam principis Constantinopolitani, qui D fungebatur dignitate patricii, et a sanguine creatus erat imperiali, a nostra pueritia ei præstitimus famulatum. Hic cum haberet unicam filiam nomine Patriciam, cui assistebamus cum diligenti, ac studiosa cura, tamquam in singulari ejus oculi speculo in ea delectabatur. Credebat enim, licet non spiritualiter, ea mediante, quod nunc fit divino spiramine, post mortem suam ejus memoriam permanere.

atque ab eo duos tauros indomitos et carrucam petit,

16 Igitur postquam studuit Puella prænominata, et in habitu habuit continentiam, et intellectum artium liberalium, a nobili viro quodam Patricio petebatur in uxorem de consensu imperatoris. Illa vero, quia divina gratia tota dedita erat orationibus, eleemosynis et jejuniis, Romam veniens quasi causa orationis hoc seculare conjugium evitavit, quæ in habitu moniali, assumpta ratione a summo Pontifice, una nobiscum Constantinopolim est reversa. Credensque ire iterum Hierosolymam post mortem parentum, quæ fuerat ei revelata, huc inopinata, maris fluctibus, vel nutu Dei, secunda vice una nobiscum est ducta. Jacet ejus igitur corpus in insula, quam vocatis SALVATORIS, ibi enim ejus E anima de corpore recessit. Unde cum de sepultura ejus, et etiam de nostra peregrinatione cogitaremus, quasi dormienti mihi fuit illico revelatum, quod deberem ad vos venire, ut daretis mihi duos tauros indomitos cum carruca, et ubi corpore imposito, vestri tauri cornibus dissolutis consisterent, illic corpus ejus reponeretur, et nos ibidem postmodum commorari deberemus toto tempore nostræ vitæ.

qui corpus carrucæ impositum vehunt ad templum SS. Nicandri et Marciani,

17 Hæc et alia cum audiret princeps ab ea, recordatus est de primo etiam Virginis adventu Neapolim, et de miraculis ibi ab ea factis, et affectans hoc etiam videre miraculum de tauris indomitis, carrucam, et tauros, sicut petierat Aglais, ad locum ubi jacebat corpus, statim jussit adduci. Ipse vero princeps et episcopus cum toto clero, et populus totius civitatis, cum Aglai, sociabusque suis ad illum locum postea venientes, et corpus illud sanctum imponentes supra carrucam, psalmis et laudibus boves illos indomitos sequebantur ferentes carrucam. O quam mirabilis est Deus in Sanctis suis! tauri nequaquam ducti ab aliquo, recto tramite, et vigoroso pede in ecclesiam SS. martyrum Nicandri, et Marciani *c* applicuerunt, figentes in ea F pedes suos. Monachi vero una cum eorum abbate videntes hæc, valde fuerunt exterriti: causam vero subiti adventus tam taurorum, quam populi multitudinis requirentes, et facta per ordinem audientes, recordati sunt verba, quæ B. Patricia dixerat eis, et ea cum magna voce prædicaverunt populo. Tunc eucharistiæ mysteria Deo celebrata, et laudes, cantilenæ, hymni sacri recitati, et lacrymæ cum multis sudoribus profusæ ex desiderio nimio, et affectu videndi. Videbantur tunc ibi ex maxima defatigatione membrorum, in multitudine populi, et ex contritione cordis conculcatio, sive confusio sudorum et lacrymarum.

ubi illud, multis factis miraculis, sepelitur.

18 Tunc ibi facta est non modica multitudo miraculorum: nam surdis auditus *d*, cæcis visus, mutis loquela expedita, ad tactum virginei corporis donabantur. Chiragram patientes atque podagram, claudi ac laborantes paralysi; spasmo, lepra, vel aliquo alio morbo pessimo, et horribili cum fide, ac devotione partem aliquam sancti corporis amplectentes, et osculantes, subito curabantur. Dæmoniaci in illam ecclesiam depor-

A deportati, fugatique a corporibus dæmones, cum maxima exclamatione nominis B. Patriciæ, ejusque corpus laudabant liberati, et Deum colebant, et adorabant debita, et congrua veneratione. Peccatores insuper ad illud cum fide accedentes, revertebantur cum contritione peccatorum, chirographis ruptis, et deletis, abrenunciantes diabolo, suisque suasionibus, et in ortodoxa fide postea vivebant. Taliter ergo in silice, ubi π, Græcum elementum ipsamet Beata scripserat digito suo, sepelientes ejus gloriosum et sanctum corpus virgines, et eunuchi, episcopo urbis, totoque clero assistentibus, cum principe, dederunt gloriam Deo.

monachi monasterium suum virginibus cedunt.

19 Monachi vero accedentes ad principem genu flexo misericorditer locum alium ab eo petebant, in quo deinceps possent religiose morari. Princeps igitur tum ob reverentiam beatissimæ Patriciæ, tum ob rogamina monachorum, locum eis concessit, in quo ab eisdem factum est monasterium S. Sebastiani *e*. Beata autem Aglais tres virgines, et duos eunuchos, secundum quod ei fuerat revelatum, cum navicula B remisit Constantinopolim, ibique omnes finierunt vitam in monasterio *f* beatissimæ Patriciæ a suis consanguineis ibi constructo splendido, atque ditissimo. Ipsa vero beata Aglais cum sociis, et sociabus suis perseverans ad sepulcrum B. Patriciæ, prudentium mulierum multitudinem congregavit, largeque expendens de rebus beatissimæ Patriciæ, monasterium illud refecit ad nomen ejus, et ad honorem. Quod licet in aliis esset ædificatum cum aptitudine, aqua tamen carebat, quod non parum sanctimonialibus erat laboriosum, atque inconveniens de longe aquam haurire. Sed et hic voluit ostendere suam gratiam qui dixit : Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum ego. Nam B. Aglais fide corroborata, habensque spem in orationibus beatissimæ Patriciæ virginis, vocans ad se omnes sanctimoniales, facta oratione, locum eis, accepto fossorio demonstravit : Hic fodite, dicens illis, et aquam, Deo donante inveniemus. Quo facto, O quam admiranda tua opera Jesu Christe! aqua fuit inventa statim, potabilis, et nimium pretiosa, quæ usque ad præsens cernitur. His igitur sic peractis B. Aglais ad Dominum migravit, cujus venerabile corpus, et alterius C virginis, et eunuchorum reposita fuerunt juxta tumulum B. Patriciæ ad laudem Domini nostri Jesu Christi.

ANNOTATA.

a *Poetam, id est fictorem, et hic agnosce. Quis enim credat integras mox dæmoniacorum turmas ad corpus defunctæ Virginis fuisse adductas?*

b *Hic vero, si ullibi, est ineptissimus, nam bacchantem videtur delineare mulierem, non sanctæ Virginis nutricem.*

c *De tota hac historia egimus in Commentario prævio* § *3.*

d *Oratorem hic agit, non historicum; facta tamen quædam miracula, non est incredibile.*

e *Quæ sequuntur usque ad finem disputata invenies in Commentario* § *3.*

f *Monasterium illud, ut quæ notavimus multa, in cerebro suo struxisse videtur Græcus ille : alioquin mirandum esset, quod nulla de* S. Patricia *in Græcis Martyrologiis habeatur memoria.*

D

VITA ALTERA

auctore Leone presbytero.

Ex tribus antiquis Mss.

PRÆFATIO.

Auctor in præfatione opem Dei implorat. a

Pius *a*, et misericors Deus, tu qui es sine numero omni misericordia plenus, qui dixisti : Petite, et dabitur vobis, pulsate, et aperietur vobis, tibi ego Leo indignus presbyter flecto genua mea, et prosterno me cum lacrymis toto corde meo ad ineffabilem clementiam, et peto a te, Deus omnipotens, gratiam simul et adjutorium, ut tu Deus omnipotens dones mihi sapientiam, et sermonem loquendi, ut ego enarrare, et dicere possim aliquam divinam rationem E de beatissima Patricia, quæ multis bonis operibus per inspirationem tui nominis operata est. Vide humilitatem meam, Domine, et laborem meum, et illumina oculos cordis mei, et intellectum divinæ misericordiæ et gratiæ tua claritate. Quid ego a te, Domine, petivi jussionis, qui amplas habes misericordiæ regulas, per intercessionem beatæ Mariæ Matris tuæ, et beatissimorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum tuorum? Quia omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

et quibus rogantibus docentibusque scripserit, exponit. b c

2 Quod ego Leo indignus presbyter servus Sanctorum Nicandri *b*, et Marciani multum devitans, vobis me sæpius rogantibus, fratres [et sorores] Christi *c* amabiles. Dico vobis hoc, quod assensum præbui, et propter devotionem, quam vos erga sanctissimam Dei famulam Patriciam habetis, vitam, vel obitum, atque miracula, quæ per eam Dominus gessit, Latinis explicavi sermonibus, quod dicere audivi per os de multis virginibus Christi, sancto velamine indutis, quæ oculis suis viderunt miracula, quæ F per eam Dominus gessit ad templum sanctum, et gloriosum beatissimæ Patriciæ; sed tamen deprecor vos, fratres, ut omnes pariter oremus ad Dominum, ut dignemini mihi aperire sensum, ut propter vestram orationem una cum Dei adjutorio, qui aures surdorum dignatus est aperire, et os mutorum loqui, et linguas infantium disertas facere, qui dixit : Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. Sane nativitatem Sanctæ hujus, et vitam, et laudem, quæ Deo est prosecuta, summatim, breviterque studuimus carpere. Cetera miracula ejus ab aliis doctoribus sumentes, sensum magis quam verba protulimus.

ANNOTATA.

a *Hæc præfatio in aliis Mss. omissa est. Monitum velim lectorem, Mss. quoad voces multis locis non consentire; quamvis quoad sensum satis inter se congruant. Longum esset has vocum differentias ubique notare; quapropter ubi sensus non mutatur, voces eorum Mss. dabo, quæ sensum melius explicent; cum vel sic difficile sit in auctore minus Latine docto, ubique sensum et*

phrasim

A. LEONE PRESBYT.

phrasim exhibere non vitiosam.

b *De SS. Martyribus Nicandro et Marciano, quorum se servum profitetur auctor, actum est in Opere nostro ad diem 17 Junii.*

c *A fratribus et sororibus se rogatum etiam in alterius Ms. præfatiuncula testatur : at phrasis prorsus vitiosa fuit hoc loco juvanda, additis his verbis,* et sorores, *quæ e Ms. excidisse videntur.*

CAPUT I.

Gesta in vitæ; beata mors; mira corporis translatio ad sepulturæ locum.

Tempus, quo floruit, locus natalis, pueritia pia :

a

Tempore quo Constantinus, qui et Constans *a* est appellatus, Constantinopolitanum regebat imperium, fuit quædam illustris virgo nomine Patricia, ex imperiali genere orta; ex Byzantio urbe : ab ipso vero juventutis suæ tempore
B Deum secuta est, orationibus, eleemosynis, et jejuniis diu noctuque assiduo insistendo non cessabat : sed Deus omnipotens, qui vult omnes salvos fieri, et neminem vult perire, dignatus est ad se vocare beatissimam Patriciam; illa namque toto corde conversa ad Dominum, intimas preces cœpit effundere Deo, ut corpus suum immaculatum virginitate servaret, una cum nutrice sua Aglay.

nubere ab imperatore jussa fugam meditatur.

b

c

4 Tunc juvenis Patricii *b* cujusdam filius amore virginis captus, petiit, ut Patricia sibi uxor daretur. Tunc Pater *c* ejus una cum parentibus suis abiit ad imperatorem, et petiit ut Patriciam daret filio suo uxorem; imperator vero jussit fieri petitionem eorum. Beata vero Patricia una cum præfata Aglay custodiens præcepta Dei, qui dixit : Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me, inspirante Christo concilium habuerunt, ut pergerent Romam ad limina apostolorum Petri et Pauli : et hæc illa cogitante nunciatum est ei, quod imperator annuisset illam dare sponsam patricii filio. Tunc misit silentio, et fecit venire
C ad se virgines quinque, et eunuchos quinque, et narravit eis omnia, quæ gesta sunt ab imperatore, et post hæc omnia concilium inierunt, ut pariter pergerent Romam.

Neapolim delata, prædicit, se ibi sepeliendam :

5 Inito concilio abierunt juxta mare et emerunt navem, in qua ingrederentur, et introeuntibus in navem cœperunt naucleri navigare, navigantes vero pervenerunt in portum Neapolitanum. Descendentes autem de navi, ingressi sunt in civitatem, et adoraverunt loca Sanctorum, qui in eadem urbe requiescunt, offerentes munera, et eleemosynas dantes pauperibus; tunc divina inspiratione ingressæ sunt etiam in monasterium sanctorum Nicandri, et Marciani, et ibidem oraverunt, et post orationem beata Patricia Spiritu sancto repleta, dixit ad abbatem monasterii, simulque ad fratres ejus : O caterva sanctorum, electi Dei, auribus percipite, domini mei, et intelligite sermones meos : scire vos volo, quia in hoc loco, ubi manibus meis signum crucis Domini mei fecero; post meum obitum ibi sepeliendum est corpus meum, et vos enim de loco isto exibitis, et in alium locum ibitis, non longe hinc, in quo et vos iterum congregabimini. Et cum hæc dixisset beata Patricia, commendaverunt se in orationem eorum, D
et inclinato capite petierunt benedictionem et abierunt.

Romæ vestem mutat : inde Constantinopolim reversa, ad iter se parat :

6 Egressi vero de civitate, pervenerunt in portum, et ingressi navem pervenerunt Romam : et introeuntes limina Apostolorum, ibidem oraverunt, et post orationem completam totonderunt capita sua sanctæ virgines in ecclesia beati Petri apostoli, ibique sanctæ religionis velamen indutæ sunt, et fecerunt eleemosynas multas, et commendantes se in prece Apostolis, ingressæ sunt navem, ut reverterentur Constantinopolim. Cumque reversæ fuissent vendiderunt omnia sua, quæ habere potuerunt, cunctisque servis suis libertate donatis, dona multa censuum impenderunt. Tunc beata Patricia, vendito patrimonio, congregavit divitias multas in calicibus, et pateris aureis, et sindonibus multis, et sericis vestibus.

contracto in via morbo, pie decedit prope Neapolim.

d

7 Et vale dicens parentibus *d*, et amicis reverti disposuit cum Aglay nutrice sua, et cum aliquantis de servis suis, qui secuti sunt eam ad præfata loca sanctorum, ut supra diximus, ubi manibus suis signum sanctæ crucis fecerat. Ingressi sunt navem, placuit Deo ut sanctam E
animam ejus tunc reciperet : in via, in qua ibat, in ægritudinem validam incidit. Inter hæc pervenerunt enim in insulam *e*, ubi situm est monasterium in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et commendavit se fratribus, et fecit ibi confessionem, et accepto viatico salutis, vocata est a Domino, sancta anima ejus cælo recepta est.

e

Nutrix divinitus monita, tauros indomitos, et carrucam impetrat,

f

8 Tunc Beata Aglay nutrix sua cœpit plorare amarissime, et cogitans ubi sanctissimum corpus poneret, præ nimia angustia obdormivit. Cumque obdormisset vidit in somnis angelum Domini *f*, dicentem sibi : Surge, et vade, ingredere civitatem, et dic duci civitatis : et accipies ab eo duos tauros indomitos, et carrucam : in qua posito sanctæ Virginis venerando corpore, dimitte tauros ire, ubi ipsi voluerint, et ubi steterit carruca, in ipso loco sepelite sanctum corpus. Cumque evigilasset a somno, surrexit velociter, et abiit in civitatem ad ducem et prosternens se ad pedes ejus cum lacrymis, dixit ei omnia, quæ ab angelo ei per visionem narrata sunt. Dux vero, cum hæc audisset, gaudio re- F
pletus, et benedicens Dominum, jussit fieri, quod petiit.

a quibus vehitur corpus Sanctæ ad templum SS. Nicandri et Marciani.

9 Cumque oblati ei fuissent tauri; omnis populus congregati sunt, cum cereis et oblationibus, et aromatibus : et tollentes sanctum corpus ponentes illud in carruca, cum hymnis et confessionibus benedicentes Dominum sequebantur, ut viderent, si verum esset, quod angelus loquutus fuerit ad Aglay. Tunc tauri illi abierunt per mediam civitatem, et pervenerunt in monasterium sanctorum Nicandri et Marciani, et steterunt in locum, ubi beatissima Patricia, ut diximus, signum sanctæ crucis fecerat, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo, et glorificaverunt sanctum corpus, et cum magno honore sepelierunt illud gaudentes, et glorificantes Dominum Jesum Christum, cui est honor, et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Constantinus, *qui et Constans, Heraclii nepos. Consule § 2 Commentarii, ubi exposuimus, quo tempore Virgo floruerit.*

b *De*

A b *De dignitate patriciorum quædam diximus ad Vitam præcedentem ad cap. 1, lit. c. Ubi etiam invenimus patrem* S. Patriciæ *similiter dignitate fuisse patricium.*

c *Pater scilicet adolescentis cum parentibus, id est consanguineis suis. In sequentibus siquid dubii occurrerit; vide annotata ad Vitam præcedentem, in qua hæc omnia eodem fere modo narrantur.*

d Parentibus, *id est consanguineis; ut ea voce supra usus est. Jam enim mortui erant parentes, alioqui non vendidisset patrimonium suum.*

e *De loco, ubi obiit Sancta, consule § 2 numero 18.*

f *Vide quæ de hac historia diximus § 3.*

CAPUT II.

Monasterium virginum Sanctæ sacrum : varia post mortem miracula.

B

Monachis SS. Nicandri et Marciani cedentibus,

Igitur postquam beatissima Patricia ex hoc mundo migravit ad Dominum, tumulum, in quo venerabile corpus ejus positum est, beata Aglay custodiebat die noctuque in vigiliis, et orationibus serviens Deo, et beatæ Patriciæ. Tunc abbas monasterii cernens gloriosum certamen ejus, et mulieres multas venientes, velamine sanctæ religionis indutas, in eadem ecclesia, recordatus sermonis, quem beata Patricia dixit in vita sua, quia videlicet viri inde migraturi ad locum alium forent, intellexit vir Deo plenus, quia placuit Domino, ut jam amplius non esset ipsorum congregatio in loco sanctorum Nicandri et Marciani, convocatis fratribus, ait : Eamus ad ducem, ut ostendat nobis locum, in quo congregatio nostra fiat, et abierunt, et narraverunt ei omnia, quæ beata Patricia dixit, dum viveret; et petierunt ab eo locum, sicut dixerunt. Dux vero jussit, ut ubi illis placeret acciperent locum ad ædificandam ecclesiam Dei. Tunc ministri donaverunt eis locum juxta murum civitatis, ubi modo monasterium beati Sebastiani *a* martyris situm est. *a*

C

monasterium illud virgines obtinent : aqua divinitus ibi impetrata :

11 Beata vero Aglay congregavit virgines innumerabiles in monasterio, ubi sancta Patricia requiescebat, et ornaverunt ecclesiam omni ornatu, sicut decet ecclesiam Dei, et fecerunt in eodem loco puteum, et invenerunt aquam dulcissimam. Tunc impleverunt de illa aqua vas vitreum, et direxerunt illam duci propter benedictionem : dux vero accepit aquam et bibit ex ea, et benedixit Dominum cæli, et offerebat eis centum solidos. Beatissima autem Aglay cum accepisset munera illa, cœpit ædificare ecclesiam in honore beatæ Patriciæ. Cumque constructa fuissent loca sanctorum, atque complevisset omnia, quæ inchoavit, beata Aglay in oratione prostrata obdormivit in Domino, et sepelierunt eam in ecclesia prope murum illius.

oleo lampadis multi curati:

12 Carissimi fratres, redeamus ad miracula beatæ Patriciæ quæ Dominus post obitum ejus dignatus est operari, ut lucernam, quæ sub modio latebat, super candelabra poneret, ut luceret omnibus : et Dominus omnipotens, qui lumen erat corpori beatæ Patriciæ virginis, omnibus innotesceret. Exibat per universam terram illam fama bonitatis ejus; et ubicumque ægroti erant, veniebant ad ecclesiam beatæ Patriciæ, et adorantes ad tumulum ejus, statim sanabantur. Sed quia Deus non dimisit sanctitatem, et opera, quæ beata Patricia operata est in vita sua; (ipse namque Deus, qui quotidie glorificat glorificantes se, et voluntantem ejus facientes, ille sanctificavit famam beatæ Patriciæ virginis) multitudo languentium veniebant ad tumulum beatæ Patriciæ virginis, cæcorum, surdorum, aridorum, et qui vexabantur ab spiritibus immundis, et ipsi sancto liquore peruncti statim sanabantur. Oleum illud, quod diximus, unde languentes sanabantur de cicindelo *b*, quod supra tumulum beatæ Patriciæ pendebat, auferebatur, et qui uncti de eo fuerant, statim sanabantur per intercessionem beatæ Patriciæ virginis. Crescebat quotidie fama bonitatis ejus per universum orbem, et omnes veniebant, cum oblationibus, et cereis, et muneribus, adorantes sanctum, et gloriosum templum ejus. *b*

A. LEONE PRESBYT.

Romanus quidam dæmone liberatus,

13 Quodam tempore fuit quidam vir Romanus, et ipse vexabatur ab spiritibus immundis, audiens miracula, quæ per eam Dominus faciebat. Tunc velociter currens, venit ad ecclesiam beatæ Patriciæ, et prostravit se cum lacrymis ad ejus gloriosum tumulum, ibique diutius orans, et flens, confitens peccata sua : et descendens Spiritus sanctus liberavit eum ab immundo spiritu per intercessionem beatæ Patriciæ virginis. Tunc omnis populus, qui illic aderat, videns mirabilia, quæ per eam Dominus fecit, glorificavit Deum in hymnis, et confessionibus : vir autem ille, cum vidisset se absolutum, clara voce coram omnibus cœpit glorificare, et benedicere Deum cæli, qui eum liberavit per intercessionem beatæ Patriciæ virginis. Tunc homo ille cœpit quotidie ibi psallere, et confiteri Domino, et benedicens beatam Patriciam, timens ne eum iterum dæmon vexaret. Cumque vidissent sorores monasterii, quod vir ille moram faceret in monasterio, dixerunt ei : Ecce sanus factus es, frater, per virtutem Christi, et beatæ Patriciæ virginis, revertere in pace in domum tuam, quia non licet tibi nobiscum esse. Vir ille cum vidisset, quod illum foras expellerent, inclinato capite cum humilitate dixit : Rogo vos, dominæ meæ, ut dimittatis me in hac nocte requiescere juxta tumulum beatæ Patriciæ virginis, quæ me sanum fecit, ut cum toto corde meo benedicam Deo, et beatæ Patriciæ famulæ suæ.

E

F

clanculum dentem ex ore Sanctæ evellit cum fluxu sanguinis.

14 Et cum hæc dixisset, data est ei licentia a sororibus manendi : nam Dominus omnipotens ostendit miraculum in eodem loco, et misit in corde homini illi, ut aliquid de corpore Sanctæ auferret, ut cum honore in terram nativitatis suæ reverteretur, et in ejus nomine ecclesiam construeret, et cum honore in sempiternum eam veneraretur. Cumque intempesta noctis hora in cœnobio degeret; et vidit quia omnes siluerunt : surrexit homo ille, et abiit ad sepulcrum beatæ Virginis, et tulit lapidem, qui superpositus erat ibi, et abstulit cum virtute unum de dentibus ejus. Quomodo ille ausus fuit tangere caput sanctum, quod quotidie miracula faciebat? Spiritus sanctus *c* instruxit eum : et statim factum est miraculum magnum in eadem hora. Cumque tulisset unum de dentibus sancti capitis, subito effusus est sanguis de ipso loco, ita ut locus sanctum caput tenens, plenus erat sanguine vivo. Mira et inaudita res, ut os siccum, *c*

A. LEONE PRESBYT.

cum, et sine carnis tegmine in sepulcro jacens, sanguinem funderet. Sed tamen, carissimi, hoc quod dictum est, nulli inde incertum sit: quia non cessat miracula facere quotidie Deus, sicut ab initio fecit, et usque hodie, et in sempiternum. Nam legimus, quod virga Aaron *d* fronduerat, et floruit, et fructificavit nuce, figura Trinitatis. Ille, qui fecit cælum, et fundavit maria, ipse creavit omnia. Ipse in vetere Testamento, et in novo quotidie non desinit in Sanctis suis miracula facere, et quotidie ordinat, et dispensat omnia, quando vult, et quomodo vult.

quod territus narrat virginibus:

15 Redeamus ad præfatum virum, qui illum dentem gloriosissimæ Virginis tulit. Videns se deprehensum et confusum, timore mortis perculsus, ita ut de illo loco movere se non posset, statim obstiterat sicut statua, et obstupescit. Tunc surrexerunt omnes in vigilia matutina, orationem, et matutinum canendo, invenerunt virum illum stantem, ita ut petram *e*, ut nec movere se posset, nec loqui. Tunc surrexerunt virgines illæ, et cœperunt eum inquirere, quid esset? At ille non B poterat eis loqui præ nimio timore. Sanctæ illæ cogitaverunt, ut dæmon vexaret illum, sicut antea solitus erat, et cœperunt orare pro eo. Tunc homo ille reversus est incolumis, et cœpit confiteri, et dixit eis quæ fecit, et ostendit ipsum dentem, quem de capite sanctæ Virginis tulerat; et narravit eis, quia de illo loco, unde sanctum dentem excusserat, sanguis vivus manavit. Audientes virgines illæ, timore Domini repletæ, abierunt orantes, et psallentes, cum lacrymis clamantes: Kyrie eleison.

quæ sanguinem duobus vasculis inclusum custodiunt,

16 Et properantes ad sepulcrum, invenerunt de loco, unde dentem excusserat, sanguinem vivum manantem, et impleverunt de sanguine ipso vasa vitrea *f* duo, et tulerunt dentem illum, et fecerunt ei locellum argenteum, et reposuerunt illum ibi, et cum gloria hymnorum cooperuerunt sanctum sepulcrum, et nunciaverunt episcopo loci illius omnia, quæ acciderant. Tunc episcopus audiens hoc factum mirabile, gratias egit Deo, qui dignatus est visitare plebem suam. Vir ille, qui sanus factus est, erat magno decore, et dives nimis, gratias agens Deo, et sanctæ Patriciæ virgini, abiit in regionem suam laudans, et benedicens Dominum, et beatam Patriciam virginem, narrans C omnia miracula, quæ fecit ei Deus per ipsam. Cumque reversus fuisset in terram suam, direxit sericam vestem ad ornamentum sanctæ ecclesiæ ejus, et multa alia munera, et stolam candidam ad sacrificium Deo vivo et vero offerendum.

Monialis ex venæ sectione de vita periclitans,

17 Fuit quædam puella de nobili prosapia, ab infantia sancto velamine induta, manens in eodem monasterio infirma nimium, et pro medicina corporis de brachio suo sanguinem *g* excusserat: ipse flebotomus *h* ferro, cum quo sanguis excussus fuerat, nervum ejus percussit, et brachium ejus tumens factum est, et totum corpus ejus variis languoribus tenebatur. Tunc medici abierunt, et fecerunt ei medicinam, et non potuerunt sanare eam. Et patefacta sunt vulnera ejus, et cœpit fundere putredinem, sicuti aquam vivam. Tunc illa fecit venire medicum ad se, et cœpit medicus medicinam imponere diebus multis, et nihil profecit. Reliquit eam, et abiit. Post hæc vulnus clausum est, et cœpit tumere, et dolere magis, quam antea, et iterum apertum est, et fundebat putredinem. Et ita per menses septem, et dies viginti claudendo se, et aperiendo quotidie vulnus periclitantem de doloribus affligebat: D dimissa namque a medicis erat, dicentibus inde morituram esse.

S. Patriciam pro sui curatione deprecatur.

18 Illa prosternens se cum lacrymis in oratione deprecabatur Dominum, ut ille, qui liberavit illam mulierem de sanguinis fluxu, ille daret medicinam corporis, et animæ suæ: post unum horarium spatium erexit se cum lacrymis, et orando perrexit ad tumulum beatæ Patriciæ virginis, et cœpit cum lacrymis dicere: Sancta, et sponsa Christi, virgo Patricia, quæ honorem seculi pro nihilo habuisti, et dereliquisti omnia propter Christum, et ipsum Lumen secuta fuisti, non me derelinquas, neque despicias me in tribulatione ista, et in hac validissima infirmitate; sed tu Domina, per cujus virtutem multi infirmi sanati sunt, dona mihi ancillæ tuæ sanitatem, ut ego una cum omnibus, qui per te sanati sunt, glorificem Jesum Christum filium Dei tui, et te virgo Domina. Et cum complesset orationem, obdormivit.

a qua jussa lampadis oleo brachium inungere, curatur:

19 Et apparuit ei virgo pulchra nimis, gemmis ornata; et dixit ei: Ut quid tristitia in te talis, et tam fortis fletus est? et illa ostendit ei brachium vulneratum, et narravit, quomodo non poterat sanitatem recipere a medicis: et dixit ei E virgo illa, quæ ei apparuit: Medicinam carnalem corpori tuo numquam adhibeas; sed surge citius, et de oleo, quod in cicindelo est, qui pendet super tumulum meum, linies brachium tuum, et sanaberis. Cumque evigilasset a somno, gaudio repleta abiit, et fecit omnia, quæ ei dicta sunt per visionem a virgine illa, et sana facta est in octavo die, et benedixit Dominum, et beatam Patriciam, per quam sanata est.

energumena liberata:

20 Quadam namque die dum puella venisset in monasterium virginum propter causam discendi plummare *i*; cujusdam nobilis feminæ ancilla ab immundo spiritu vexata volutabat se per terram, et stridebat dentibus, et per os ejus clamabat diabolus: O Patricia cur venis quotidie, et laceras me? Cumque vidissent puellæ monasterii, quod diabolus vexabat eam, apprehenderunt eam, et ligaverunt eam ante tumulum Virginis, et dereliquerunt eam ibi; et statim discessit ab ea dæmon.

humor seu oleum ex sepulcro Sanctæ manans.

21 Fratres carissimi, glorificemus Deum excelsum, qui quotidie non cessat miracula facere in servis suis. In ipso templo beatæ Patriciæ juxta altare, ubi quintanæ *k* factæ sunt marmoreæ in F ædificio, una de præfatis quintanis posita est in angulo ejus marmoris, ubi foramen est. Ingressa est congregatio puellarum ad laudem referendam *l* in templum Virginis; et respicientes viderunt marmor illud fundere oleum sanctum, et videntes glorificaverunt Deum omnipotentem, et beatam Patriciam famulam suam in hymnis, et confessionibus. Nulli Christiano incredibile sit de effusione olei; quia ego Leo presbyter, qui vitam, et obitum beatæ Patriciæ scripsi, oculis meis illud vidi, et cernens glorificavi Deum, et beatam Patriciam. Quia non credentes similes sunt impiissimis judæis, quos Deus omnipotens liberavit de jugo servitutis, et de domo Pharaonis per Moysen famulum suum, et per mare rubrum siccis pedibus transire fecit, et columna nubis in cælo per diem apparuit eis, et ignis per noctem; et sic non credentes mortui sunt. Ipse namque Deus, qui est, et qui erat, ipse est in secula seculorum, et cuncta creavit ipse. Namque multa mirabilia dignatus est operari per beatissimam Patriciam famulam suam.

Omnes

A Omnes attendite, et videte, et credite in Dominum nostrum Jesum Christum, et faciamus dicta, et jussionem ejus, et non faciamus, sicut fecerunt illi *m*, sculptile adorantes, quando sequebantur filios Israel, et Dominus immittebat eis vindictam : et ad jussionem Dei descenderunt de loco suo, et increverunt duritia cordis eorum, et mortui sunt in mare Rubrum. Sic de illo marmore, ut diximus, potuit fundere oleum, ut credamus, quia et petræ Christum prædicant, et credunt *n* in eum. Sic, carissimi, et nos, qui scimus, et intelligimus, prædicemus, et glorificemus Deum cæli, qui dedit nobis in hoc tempore beatam Patriciam virginem, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De recessu monachorum, monasterio S. Sebastiani, ceterisque hic memoratis, tractavimus* B *§ 3.*

b Cicindelo, *aliud Ms.* Cicindello, *aliud* Lampade, Cicidelum *legit Caracciolus. Porro per cicindelum lampadem significat. Uti S. Gregorius Turonensis lib. 4 Histor. cap. 31, et cap. 36 editionis Ruinartianæ, ubi hæc habet, in elogio S. Nicetii Lugdunensis episcopi :* Nam de oleo cicindeli, qui ad ipsum sepulcrum quotidie accenditur, cæccrum oculis lumen reddidit *etc. Perperam in indice præfati editoris* cicindelus *exponitur* cereus; *nam hic oleum non fundit. In Vita S. Eligii Noviomensis episcopi cap. 47 (habetur tom. 5 Spicilegii Acheriani)* Cecindillus *scribitur, ac lampadem esse manifeste itidem insinuatur :* Cecindillus, *inquit,* qui ad caput beati viri dependebat, cum die quadam pæne constaret semivacuus, repente subita inundatione repletus, atque ex semetipso divinitus lumine gignente accensus, plerumque deinceps et ardet et superfunditur. *Si vacuus, si repletus cecindillus, non videtur cum candelabro confundendus, ut ibidem paullo post videtur confundi.*

c *Spiritus sancti instinctum non satis recte hic agnoscere videtur auctor in facto temerario. Potuit tamen temeritatem illam Deus permittere, ut* C *inde major Virginis sanctæ resultaret gloria.*

d *Num. cap. 17 ℣ 8 :* Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi : et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. *An in eo figura sit SS. Trinitatis, consuli possunt interpretes. Neque enim tam clara est, ut ultro in oculos insiliat.*

e *Hæc non videntur ipsi obventura fuisse, si impulsu Spiritus sancti, ut auctor putavit, rem fuisset aggressus.*

f *Sanguinem illum etiamnum servari, et conjunctum cum dente liquefieri narravimus § 4, ubi et factum ipsum expositum.*

g *Id est venam sibi per chirurgum aperiri jusserat. Aliud Ms. habet :* Sanguinem de brachio suo sibi excuti fecit.

h Flebotomus *est venæ sector, ut flebotomia venæ sectio. Ferrum, ut vocat, est scalpellum, quo vena secta.*

i Plummare, *id est* acu pingere.

k *Quintana pro variis circumstantiis varias habet significationes. Hic videtur sumi pro annulis seu circulis e marmore sructis : nam id etiam significationis habet apud Italos. Ita* Joannes diaconus aureas quintanas vocavit aureos vel inauratos circulos, quibus ditatum memorat altare S. Stephaniæ, *inquit Cangius in Glossario ad vocem* quintana. A. LEONE PRESBYT.

l *Ad laudes, opinor, decantandas.*

m *Ægyptii cum Pharaone.*

n *Fide scilicet petris congrua ; ita loquitur auctor, quia inanima ita Deo obediunt, ac si intellectu cum cognoscerent. Phrasis tamen est durior.*

PRÆFATIO DE MIRACULIS SEQUENTIBUS.

Habeo, lector benevole, ut ante monui, tria Mss. hujus Vitæ. Illud secutus sum hactenus præ ceteris, quod stylo erat maxime simplici, ratus illud aliis magis esse genuinum. Alterum e tribus stylo est, non quidem puro admodum, et eleganti; minus tamen simplici et barbaro. In hoc autem miracula quædam invenio, quæ in duobus aliis non leguntur, quædam etiam sub finem adjecta, quæ Leone presbytero certo sunt E *posteriora. Unde existimo anonymum quemdam tempore posteriorem, et stylum Leonis utcumque correxisse, et miracula illa adjecisse. Quapropter hæc ab aliis distinguenda, et tamquam auctaria quædam subjicienda judicavi. Priori auctario dabo ea, quæ modo relatis miraculis legebantur immixta, de quibus dubitari potest, an Leone sint posteriora : posteriori alia, quæ subjecta erant, et serius sunt facta, ut ex apposita temporis epocha est manifestum.*

AUCTARIUM

MIRACULORUM PRIMUM

auctore incerto.

Ex vetusto Ms. in folio ecclesiæ S. Patriciæ.

F

Britones duo corporis tremore ad sepulcrum Sanctæ liberati :

Erant septem fratres de Britannia insula suorum civium non ignobiles, qui inobedientes matri, obitu patris eorum destitutæ, et injuriam sibi ab eis factam iniquissime ferenti, ab ea maledicuntur, et ob tale maledictum divinitus sunt coerciti, ut horribiliter paterentur omnes tremorem capitis. In qua fœdissima specie suorum civium oculos non ferentes, huc atque illuc decurrentes erant, semper vagi *a*, et numquam stabiles toto pæne vagabantur orbe Romano. Ex his duo Neapolim venerunt, Ugo nempe et Guido, qui cum per multa Sanctorum oratoria ejusdem civitatis perambularent, tandem ad prædictum monasterium virginum, in quo corpus B. Patriciæ requiescit, devotissime pervenerunt. Qui cum ad ejus sepulcrum prostrati jacerent, et cum lacrymis diutius orarent, adstantibus omnibus virginibus ejusdem cœnobii, subito lux divina super eos effulsit, et intervenientibus meritis B. Patriciæ, de pessima illa passione liberati, ad pristinam sanitatem reversi sunt. Ad quod miraculum intuendum tota pæne convenit civitas, et nonnulli etiam, qui eos alibi

viderant,

A. INCERTO.

viderant, causamque tremoris eorum noverant, aliis, utcumque poterant, indicabant. Plena erat ecclesia et personabat vocibus gaudentium, et Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Quis enim ibi clamantium, atque gratulantium se tenuit a laudibus Dei? Interrogabant autem eos omnes, qui aderant; quomodo sanati fuissent, et cum omnia ab eis per ordinem audissent, glorificabant Dominum, et dicebant : Benedictum sit nomen tuum, Deus Israel, qui facis mirabilia magna solus, et benedictum sit nomen majestatis tuæ in æternum, et in seculum seculi. Et hæc dicentes unusquisque reversus est in domum suam. Nam et Britones, qui sanati fuerant, reversi sunt in terram nativitatis suæ laudantes, et glorificantes Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre etc.

dæmoniaca ibidem curata:

2 Quædam fæmina nomine Zutia, quæ a patris cognomento Mortifera dicebatur, a dæmonio vexabatur, et cum per multa loca Sanctorum portata fuisset, nullam meruit sanitatem recipere, scilicet Deo non permittente, ut in ea B merita famulæ suæ Patriciæ ostenderet. Tandem audientes parentes ejus, quod Virgo Domini multos infirmos curaret, cum magna fiducia ad tumulum ejus eam adduxerunt, qui venientes cœperunt cum gemitu clamare, et dicere : Sancta et gloriosa Christi virgo Patricia, magno amore nominis tui moti venimus ad te; subveni et succurre nostræ tribulationi. Jam cognovimus tuam virtutem per multorum hominum salutem, propterea festinavimus venire ad tuum corpus : sentiamus ergo et nos, quæsumus, dulcem consolationem tuam, ut læti effecti de salute hujus fæminæ, semper benedicamus nomen Domini nostri Jesu Christi, qui te ad gloriosa miracula facienda perducere dignatus est. Talia cum lacrymis dum repeterent, ecce S. Patricia apparuit nocte sequenti jam dictæ infirmæ, cujus corpus nequam torquebat, et dixit : Audivit Dominus gemitum parentum tuorum, viditque lacrymas eorum, idcirco misertus est tui : nam crastina die sana, et hilaris ad propria reverteris. Evigilans autem a somno humilis, et læta surrexit, nihilque mali, aut inepti, sicut prius, loquebatur, aut motu corporis torque- C batur. Talem cum illam parentes ejus conspicerent, cœperunt illam interrogare, quomodo ex infirmitate se haberet : quæ cum omnia per ordinem, sicut a Sancta audierat, retulisset, omnes virgines ejusdem cœnobii una cum parentibus ejus de tristitia in gaudium conversæ sunt : et glorificabant Dominum dicentes : Benedictum sit nomen tuum Jesu Christe Domine, qui audis voces sperantium in te, et confitentium nomini tuo. O gloriosa Virgo Christi, ecce tuis intervenientibus meritis, quod optavimus, vidimus; quod petivimus, accepimus : et nunc memor nostri sis, et digneris nos, ut tuis precibus adjuti æterna gaudia habere mereamur : et hæc dicentes cum magno gaudio ad propria sunt reversi, laudantes et benedicentes nomen Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre etc.

item alia, cum apparitione Sanctæ.

3 Puella quædam nomine Gemma de castello, quod Argenti dicitur, orta, cum esset septennis, valde a dæmonio cœpit vexari, quæ cum a parentibus suis ad civitatem Neapolitanam perducta, et per multa Sanctorum oratoria deportata fuisset, tandem ad ecclesiam B. Patriciæ, ubi ejus venerabile corpus humatum est, cum magna devotione pervenit. Et cum ante ejus sacrum tumulum deposita esset, orantibus D virginibus ejusdem cœnobii, et lugentibus una cum aliis, qui aderant, subito obdormivit : et ecce apparuit illi B. Patricia, veste splendentissima induta, et gemmis ornata, præbens sibi poculum aquæ, et dicens : Hanc aquam bibe, et salva eris. Quæ mox, ut bibit, sana et alacris a somno surrexit, et cœpit statim cum magna voce clamare, et dicere : Gratias ago tibi, omnipotens Deus, qui me per famulam tuam Patriciam a laqueo diaboli liberare dignatus es : et tibi, o Domina mea, sanctissima Virgo, quas laudes referre possum, et gratias, per quam de morte revocata sum ad vitam. Laudes sint tibi semper, Jesu Christe Deus, et homo, qui me de fauce diaboli liberare dignatus es, sit nomen tuum benedictum in secula seculorum. Cumque omnes, qui convenerant, puellam sanam vidissent, egerunt gratias Deo, et reversi sunt cum laude magna nimis quisque in propria sua. Parentes vero præfatæ puellæ una cum ipsa ad prænominatum castellum reversi sunt cum magna laude et exultatione laudantes, et benedicentes nomen Domini nostri Jesu Christi, qui vivit, E et regnat Deus per omnia secula seculorum.

ANNOTATIO.

a *Discere hinc possunt filii debitam parentibus suis exhibere venerationem; atque vicissim parentes, quantopere in se pariter ac liberos suos peccent, dum maledictis eos prosequuntur, et imprecationibus, quas sæpe in malum utrorumque audit Dominus.*

AUCTARIUM II.

Miracula S. Patriciæ serius facta,

auctore anonymo, ut videtur, eodem.

Ex Ms. memorato. F

Puer surdus, mutus, et scabiosus,

Tempore Henrici *a* Romani imperatoris, qui regnum sibi Siciliæ nitebatur subjicere, residente in urbe Roma Papa Cælestino III *b*, et Anselmo *c* antistite cathedram Parthenopensem tenente, nec non et Malegayca sanctæ Patriciæ cœnobium gubernante, puer quidam de partibus Adversæ *d* oriundus, nimia paupertate urgente, Neapolim pro vitæ sustentatione advenerat, sed tam variis tantisque premebatur languoribus, ut a cunabulis non solum aurium officio, et linguæ dignitate caruerit; sed ex processu temporis ita per totum corpus maculis erat scabiosis infectus, ut præ sui fœditate ab omnibus despectui haberetur. Hic etiam tanta laborabat inedia, tantaque miseria ducebatur, ut etsi quotidie ostiatim sui corporis necessaria peteret, quid ederet non haberet : dum vero sic mendicando eleemosynam quæreret, et corporis necessaria ab hominibus posceret; accidit, imo Spiritu sancto inspirante evenit, ut ad B. Patriciæ monasterium subsidia petiturus veniret.

Sed

A Sed cum abbatissa monasterii cum suis sororibus, eum tam miserum, ac despicabilem cerneret, illi non modicum condolentes, cœperunt erga eum misericordiæ visceribus commoveri. Et juxta Apostoli dictum : Quis infirmatur, et ego non infirmor? ei compatientes intra monasterii habitaculum eum commorari fecerunt : in quo Christum Dominum venerantes, gaudebant ita ei, in quibus poterant, providere, ut singulæ pro magno haberent, si una aliam tali beneficio prævenirent.

virginum cura a scabie curatus.

2 O sancta invidia! O contentio gloriosa! Quædam enim ejus curam vulneribus exhibebant, quædam corpori necessaria ministrabant : hæ curam unguentorum, et balneorum habebant, illæ ciborum et potus. Dum hæc ab illis, et his similia fierent, dum taliter indigenti proximo providerent, Dei opitulante misericordia, caro contracta resiluit, scabies ipsa conjacuit, et totum corpus redditur sanitati; et ita factum est, ut quæ ex infirmitate temporali acciderant, in brevi tempore salutari antidoto curarentur. Restabat autem in eo nativa debilitas, quia et auditum B amiserat, et loquela carebat : non enim erat hominis morbum naturalem subducere, non erat hominis, quod natura intulerat, abdicasse. Videns autem puer se pustulis scabiosis liberatum, attendens se quotidie rebus monasterii sustentatum, Creatori omnium gratias referens, monasterii servitio desudabat. Et licet verba imperantium sibi audire, vel explicare nequiret, signis tamen et nutibus, quod poterat, faciebat. Interea, dum talia agerentur, quadam die, dum ante tumulum S. Patriciæ virginis sanctimoniales orationi insisterent, dum Deum devotissime exorarent, prædictus puer, velut domesticus, ipsum locum orationis adivit, cumque huc, atque illuc puerorum more oculorum aciem dirigeret, et hinc inde picturas diversas inspiceret, subito ad B. virginis Patriciæ imaginem, et picturam oculos circumducendo devenit.

et patrocinium Sanctæ implorans,

3 Sed dum ipsius imaginis caput vitta serica coopertum, et auro gemmisque cerneret decoratum, dum ejus pectus respiceret monili aureo adornatum, nutu divino tactus, quasi futuræ suæ medicatricis præsagus, quæ hæc esset, modo, quo poterat, cœpit a satrice monasterii indagare. C Illa vero admirans pueri factum, et videns eum anxium sciendi, quæ esset, quam sic ornatam conspexerat, ei, quibus valuit, signis, quæ hæc fuerat, indicavit. Quam dum modo, quo valuit, agnovisset, mox genua flectens, caput inclinans, et caput et frontem sibi signo crucis consignans, Sanctam pro suo modulo precabatur. Mira jam cerneres : nam qui loqui non poterat, qui auditu et loquela carebat, a Deo, et S. Virgine veniam postulabat, et ita eum ipsa oratio delectabat, ut eum, ne sæpe in die hoc ageret, nemo tenere posset. Verumtamen quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, et voluntatem timentium se faciet, orationesque eorum exaudiet : noluit devotione sua Dominus puerum defraudari, noluit eum diutius cruciari, qui per B. Patriciam credebat, se ab ipso Domino sanitati donandum.

ab ea sæpius apparente

4 Sed ei oranti, ac de salute sui corporis cogitanti quadam die Virgo apparuit, et se in mulieris specie, quam pictura gerebat, visibiliter demonstravit. Quam puer ex insperato respiciens, timore perterritus, magnum educitur in stuporem. Cui admiranti, ac stupenti Virgo sic ait : O puer, vis sanus fieri? Et ille, qui erat animo pavidus, capite annuit hoc se velle, et toto corde desiderare. Quo dicto evanuit Virgo ab oculis ejus. Aliquot autem transactis diebus, nocte quadam puero dormienti, et in suo lectulo quiescenti visa est Patricia virgo in ea specie, et figura, qua eam viderat, cum se illi visibilem ostenderat. Sed cum in eam puer admirans intenderet, cum eam mente tota desideraret, vidit angelum Domini circa eam manentem, et ante eam coronam auream gestantem. Quem Sancta excitans, dixit ei : Surge puer et sede in lectulo tuo. Qui statim surrexit, et sedit. Cui Sancta : Aperi os tuum. Quod cum aperiret, complicatam vittam, quam capite suo gestaverat, posuit sub lingua illius, et tenens eam, cœpit ipsam extendere : auribus ejus digitis suis impositis, auditum illi reddidit, et linguæ officium restauravit. Verumtamen, dum sancta Virgo pueri linguam extenderet, dum suis digitis ejus auriculas aperiret, tantam ei molestiam intulit, tantumque dolorem incussit, ut voces ingentes puer emitteret, et suis clamoribus circumjacentes a somno excitaret. Et licet pueri clamantis voces attenderent, quid tamen E fieret, et quid puer ageret, dignoscere non valebant, donec clamores emittens cum testimonio sanguinis, qui de ore suo, et aure manaverat, cuncta, quæ sibi acciderant, cum surgeret, enarravit *e*.

A. Anonymo.

omnino sanatus :

5 Videntes autem sanctimoniales tantum miraculum in puero a B. Patricia patratum, cœperunt præ gaudio pariter in Domino exsultare, et in jubilo mentis laudes Domino, et ejus Virgini decantare. Quod factum mox ut auribus vicinorum insonuit, Deo gratias referentes, passim ad cœnobium properabant, ut viderent loquentem, quem mutum agnoverant, et cernerent audientem, quem surdum fuisse sciebant. Et omnes unanimiter laudes Domino dantes, et B. Patriciæ virgini mente devotissima supplicantes ad propria remeabant. Puer autem gratias Deo, et S. Virgini referens, noluit tanti beneficii esse ingratus, sed multo tempore monasterio serviens, tandem sanus, et hilaris ad propria repedavit.

abbatissa monasterii leprosa sanitati reddita : f

6 Monialis quædam, Maria nomine, istius cœnobii abbatissa, sic erat affecta pustularum *f* vulneribus, ut vulnere vulneri addito, medici penitus de ejus vita desperarent. Hæc videns horrorem F se generare intuentibus, rogavit moniales, ut eam ponerent ante tumulum B. Patriciæ : ad quem post completorium deportata, suppliciter exorabat, ut ipsa B. Patricia, quam sequebatur in semitis mandatorum Dei, a suæ infirmitatis molestiis se liberaret, voto firmans et jurans, quod liberata scribi faceret sui beneficii seriem inter alia miracula, ab ea Sancta prius facta. Et quoniam prædicta abbatissa debilitate, et vigiliis affecta erat, correpta somno est, et vidit in somnis se stare in majori ecclesia Neapolitana, in gradibus altaris S. Athanasii, olim Neapolitani episcopi, et quemdam quasi ecclesiæ ipsius episcopum se dulciter alloquentem, et dicentem sibi : Surge, vade, quia sana facta es intercessionibus B. Patriciæ. Illa vero expergefacta, sanitatis integritati donata surrexit, et miraculi, testiumque seriem scribi fecit, ad laudem illius, qui est gloriosus in secula in Sanctis suis.

aliqui misero carcere detenti g h i

7 Cum Theotonisi *g* civitatem Acerrarum *h* possiderent *i*, quidam eorum postposito Dei timore, rapinam exercebant per circumstantes villas :

A. ANONYMO. las : et aliquando accidit, ut in villa, quæ dicitur Centuria, juxta Acerras, maximam rapinam facerent hominum, et pecudum. Divisis autem inter se pecudibus, homines Acerras vinculis ferreis vinctos inhumane pertraxerunt, et tenebroso, ac horribili carceri manciparunt. Qui tum horribilitate carceris, tum famis inedia, cum etiam frigoris austeritate multiplicata, mortis amaritudinem quodammodo expectababant, se Domino singulariter pro sua devotione commendantes. Inter hos quidam devotus S. Patriciæ, exhortans alios vinctos ad devotionem ipsius Virginis, clara voce clamare cœpit, et dicere : Virgo Christi Patricia, miserorum miseratrix, et domina, succurre nobis miseris, omni spe humani auxilii destitutis, refove debiles, juva pusillanimes, et nos te vocantes attende, ut tuis meritis liberati, ad sacrum tuum cœnobium cum muneribus veniamus.

ope Sanctæ liberati : 8 Verum, quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum, fusas cum singultibus lacrymas, et preces B. Patricia coram eo, qui Petrum liberavit de carcere, obtulit; et ipsis ad B gratiam exauditionis admissis, B. Patricia captivis apparuit, et solutis, quibus tenebantur, vinculis ferreis, eos carceris liberavit immanitate, præbensque ipsis ducatum, eos usque ad nativitatis propria duxit, admonens, ne quod voverant, negligerent. Petierunt ergo quænam esset, quæ tanti remedii cum tantis periculis opem sic miraculose tulerat, et ferebat. Respondit ergo eis : Ego sum Patricia, quæ, dum vos carceris angustiæ vexarent, preces vestras exaudivi. Et hoc dicto statim evanuit ab eorum oculis. Præfati vero libertate donati cum tot siclis argenteis processerunt ad tumulum Virginis gloriosæ, quot ipsius cœnobii cinxerunt altare. Ibique cum sanctimonialibus, quibus super ordinem rei gestæ narraverunt miraculum, cantaverunt : BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL, usque ad finem. Sicque devotioni satisfacto, ad propria cum gaudio rediere, extollentes laudes, et virtutes Dei in Sanctis suis, qui vivit et regnat in secula seculorum.

fluxus olei ex sepulcri marmore diu intermissus, k 9 Tempore, quo regni Siciliæ rex Fredericus *k* gubernaret habenas, residente in Sede apostolica Innocentio Papa, Anselmo quoque Neapolitanum pontificatum obtinente, miraculum, C quod olim in ecclesia S. Patriciæ Deus solitus fuerat annuatim ostendere, et quod jam multis labentibus annis erat sopitum, dignatus est iterum suis Deus fidelibus revelare. Quadam namque die, scilicet Iduum Septembris, quæ est ante Dominicæ crucis Exaltationem, quintana marmorea, quæ [conjuncta *l*] est cum capite tumuli, in quo sacrum corpus præfatæ Virginis requiescit, cantatis vesperis, per suum foramen guttatim ad instar olei cœpit liquorem emittere, quem nulla sanctimonialium prædicti cœnobii percepisset, nisi quædam sanctimonialis velamen sui capitis, quod in præfata quintana posuerat, hujus liquoris infusione intinctum invenisset. Quæ mox, cum velamen, quod nitidum reliquerat, invenisset intinctum, vocatis aliis monialibus, ipsum eis ostendens, dixit : Quid putatis, o dominæ, hoc esse, quod meum velamen, quod in ista quintana reliqui, intinctum oleo invenerim, cum nulla super eam lampas pependerit, ex qua potuerit ita fœdari? At illæ hinc inde prospicientes, et diutissime inter se, qualiter accidere potuisset, pertractantes, quid dicerent, penitus ignorabant.

10 Tandem reminiscentes consueti miraculi, D quod Deus in eadem basilica hactenus operabatur, insimul adeuntes, atque eamdem quintanam subtiliter discutientes, illius foramen crebris distillationibus circumquaque perfusum repererunt. Quo viso, Creatori omnium laudes innumeras reddiderunt, dicentes : Gloria, magne Deus, tibi sit per secula cuncta. Deinde pulsatis tintinnabulis per totam urbem hujusmodi fama miraculi divulgabatur. Cumque aurora alterius diei tenebras effugasset, præfatæ urbis concives, audito tanti miraculi mysterio, quod Deus fecerat per B. Patriciam, ad ejus ecclesiam communiter incedebant, qui singillatim sacro liquore suscepto, magno cum gaudio ad propria remeabant. Qui mox ut per varias infirmitates perungerent, annuente clementia Salvatoris, salutis medelam omnes percipere meruerunt. Inter hæc, dum talia ad notitiam jam dicti archiepiscopi pervenissent, cum magna clericorum pompa ad præfatam ecclesiam accedens, ibique sacra mysteria devotissime celebrans, ad honorem Dei, et S. virginis Patriciæ, omnibus qui annuatim in eadem die ad ejus tumulum visitandi gratia cum oblationibus accesserint, de peccatis quadraginta dierum veniam E perenniter instituit. *ac iterum deprehensus.*

ANNOTATA.

a *Factum itaque hoc miraculum sub finem seculi* XII : *quo tempore memorati hic principes floruerunt. Henricus imperator, quem Baronius hujus nominis quintum, Pagius sextum nominat, coronatus est a Cælestino Pontifice anno 1191, imperium cum vita deposuit 1197, ut habent dicti auctores, qui etiam de bellis ab eo pro regno Siciliæ subjiciendo gestis, consuli possunt.*

b *Cælestinus III Pontificatum anno 1191 adeptus, obiit anno 1198 die octava mensis Januarii.*

c Anselmus gestorum gloria, et propria virtute clarus successit Sergio *(in sede Neapolitana)* circa annum Domini MCXCII, *inquit Ughellus tom. 6 in archiepiscopis Neapolitanis; mortuum dicit anno 1215.*

d Adversa, *communius Aversa*, Urbs regni Neapolitani, in provincia Terræ Laboris, episcopalis sub archiepiscopo Neapolitano, sed ab ejus F jurisdictione exempta, *ut habet Baudrandus in Geographia.*

e *Quæret hic aliquis unde idioma, quo loquebatur, didicerit. Ad quod respondeo ex Actis S. Bernardi tom. 4 Augusti pag. 332, ubi inter miracula S. Bernardi, a testibus oculatis relata, puer surdus et mutus ab utero recte loquebatur : cumque objiceret aliquis :* Unde ei verba, quæ numquam audierat? *Respondit episcopus :* Ab eo, qui linguas infantium facit disertas. *Hoc itidem in hoc facto responsum oportet, ita ut geminum hic sit miraculum.*

f *Pustularum hæc vulnera lepram significare videntur; quemadmodum scabis eprædicti pueri.*

g Theotonisi, *id est Germani, ut discimus ex epistola quadam Urbani IV Pontificis, edita ab Edmundo Martene tom. 2 Anecdotorum, a col. 9, in qua regnum Germaniæ frequenter vocatur* regnum Theotoniæ. *Iidem quandoque* Theotisci, *et* Tuitisci *et* Theotonici *nominati reperiuntur in Glossario Cangii.*

h Acerrarum *civitas est in regno Neapolitano*

episco-

A *episcopalis ad Clanium fluvium.*

i *Factum id videtur seculo* XIII : *cum principes Suevi regnum utriusque Siciliæ occupabant, ac bella gerebant cum Pontificibus. Nam Acerrarum dominum, seu comitem amicum fuisse principibus Suevis in historia Neapolitana illius temporis reperio; inimicum vero Pontificibus fuisse ex variis illorum epistolis colligo. Apud laudatum Martene col. 302 Clemens IV scribit legato suo, Acerrarum comitem pacem fecisse cum Carolo Andegavensi, utriusque Siciliæ rege a Pontifice constituto. Epist. 298 apud eumdem col. 340 idem Pontifex scribit :* Virum sanguinum comitem Acerrarum ad nos venire noluimus, non ut parceremus eidem, sed nobis potius, quia gravis nobis existeret ad videndum, et haberet vel sibi faceret aliquos amicos in curia, qui diabolo cras assisterent cum muneribus venienti. *Epist. 315 col. 356 idem Pontifex eidem episcopo Albanensi, legato suo, scribit :* Casertanum et Acerrarum comites vidimus et recepimus, non ut comites, sed ut vere vel ficte conversos. *Ex his puto comitem Acerrarum Gibilinæ factionis hominem fuisse, atque vexasse Guelphos, seu Pontificios, usumque ad hoc Germanorum militum auxilio : eos vero, quos hic captos, miserrimeque habitos describit auctor, Pontifici fuisse addictos; rem suspicor accidisse sub Manfredi tyrannide; licet etiam sub illius antecessoribus contingere potuerit. Hæc de loco hoc admodum obscuro.* A. ANONYMO.

k *Id est circa initium seculi* XIII : *Fredericus enim, dein imperator hujus nominis II, in regno Siciliæ defuncto patri successit anno 1197 : Innocentius III anno 1198 summo Pontificatui admotus, eumdem tenuit usque ad annum 1216 : Anselmum archiepiscopum obiisse jam diximus anno Domini 1215.*

l *Vox hæc legi non potuit in Ms. De quintana, et liquore hoc, vide quæ dicta sunt ad Vitam secundam num. 21.*

B E

DE S. HUNEGUNDE VIRGINE

IN CŒNOBIO HUMOLARIENSI IN VEROMANDUIS

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J S

§ I. Cultus Sanctæ : Acta et Translationes.

SEC. VII. *Nomen Sanctæ in Fastis :*

Nobilibus *orta natalibus, at vitæ sanctitate nobilior,* Hunegundis *virgo annuntiatur hodie in Martyrologiis variis, licet in Martyrologio Romano nulla ejus habeatur memoria. Usuardini Martyrologii codex antiquus Heriniensis Virginis memoriam ita celebrat :* In pago Viromandensi, natale S. Hunegundis virginis. *Ejusdem Martyrologii codices tres, videlicet Antverpiensis, Ultrajectensis, et Leydensis eodem fere modo :* In pago Viromandensi, natale
C S. Hunegundis pretiosæ virginis Christi. *Ejusdem Sanctæ memoriam in quinque aliis Usuardi codicibus additam reperies in Usuardo nostro per Sollerium illustrato; nam in Martyrologio Usuardi, prout ab auctore conscriptum est, non invenitur. Lucas Acherius tom. 10 Spicilegii a pag. 130 vetus edidit Kalendarium, quod in præfatione pag. 15 scriptum fuisse putat ab anno 826; in hoc autem* VIII *Kal. Septembris notatur,* Natalis sanctæ Hunegundis. *Neque prætermittunt* S. Hunegundem *recentiores Martyrologi Wion, Menardus, Balingem, Ferrarius, Kalendarium Benedictinum, Ms. Florarium, Arturus in Gynæceo, Castellanus in Martyrologio universali, Martyrologium denique Parisiense anno 1727 editum, quorum verba commemorare longum esset. Accipe tamen, lector, longiusculum quamvis, Andreæ Saussayi de* S. Hunegunde *elogium, quod pro Actorum compendio subnectam :*

ejus elogium, seu Actorum compendium,

2 Quintinopoli, *inquit,* in Viromanduis, sanctæ Hunegundis virginis : quæ claris orta natalibus, atque a sancto Eligio Noviomensi præsule e sacro fonte suscepta, in ipsis incunabulis cuidam desponsata fuit, qui pari erat generis claritudine. Quo Dei nutu ex humanis subducto, postquam Virgo adolevit, jamque vultu eleganti niteret : invita (nam Christo jam mente nupserat) Eudaldo cuidam præpotenti viro, parentum jussu conjugio illigata est : cui pia fraude suasit antequam mariti jure potiretur, simul Romam devotionis, qua obstricta erat, causa pergere ad apostolorum Principis patrocinia promerenda. Quod ubi consecuta fuisset, Romæ die quadam ad pedes summi Pontificis provoluta, voti secreta pandens, sacrum velamen devote flagitatum F accepit. Qua de re Eudaldus exacerbatus, ea sine ullo subsidio relicta, a qua se censuit contemptum, in Gallias rediit. At illa humano destituta solatio, viriliter egit, et seipsam in Domino confortans, Sanctorumque suffragiis, sola in patriam tenera Virgo repedavit. Ibat per viam perinde ac si jam in monasterio degeret, pane cineribus permixto, et herbarum arborumque pastu defessum refovebat corpusculum, diebus solum festis modico pane, ac aqua parcissime utebatur. Interim Eudaldus odio incensus, puellæ patrimonium distrahere, hancque ad necem quærere incipit. Verum divinitus Christi Sponsa ab illius insidiis evasit libera, veniensque in patriam, omnia sua (priusquam ea Eudaldus diriperet) pio voto sanctæ Mariæ de Humbleriis cœnobio, seque simul, ut concupierat, religioso munere dedicavit.

apud Saussayum :

3 Tantæ pietatis virtute concussus Eudaldus, non diu post ex Virginis adversario, in amicum ac admiratorem mutatus est : a qua veniam supplex poposcit, orans ut quem noluisset habere sponsum, servum saltem habere dignaretur. Factus

Ctus

AUCTORE J. S.

ctus igitur, ut petierat, cœnobii procurator, Virgini quæque posceret necessitas affluenter suppeditabat : instituloque xenodochio, quod censu congruo instruxit, in operibus sanctis vitam transigens, demum feliciter carnis nexibus exemptus est. Pro cujus anima beata virgo Hunegundis per sacerdotum manus Sacrificium salutare Deo obtulit, corpus defuncti suo in cœnobio tumulavit honesto funere. Deinceps vero se astrinxit severiori vitæ, fœdas cogitationes haud secus atque mala opera declinans, carnemque macerans crebris jejuniis et vigiliis. Atque adeo in sancta animi meditatione, et devota fidei operatione, sanctæ conversationis exacto decursu, sanctæ unctionis oleum et divinam Eucharistiam sibi petiit ministrari : quibus magno cum pietatis sensu susceptis, erigens caput paululum ex cilicio et cinere, suavissimo odore immensoque lumine perfusa, ad Sponsi cælestis læta properavit conspectum. *Hactenus Saussayus.*

cultus celebris seculo X *post inventum corpus :*

4 *Cultum habuit* S. Hunegundis *seculo* X *maxime celebrem; postquam scilicet sacrum ejus corpus inventum fuerat et honorifice translatum. Corporis inventionem et translationem anno* B *946 factam, Baronius notat ad dictum annum num. 8 his verbis :* Eodem anno apud Noviomum in Gallia reperitur, et elevatur venerandum corpus S. Hunegundis virginis, quæ egregia claruerat sanctitate sub S. Eligio ejusdem civitatis episcopo : rei gestæ admirandæ satis historiam ejus temporis auctor scriptis mandavit. *Consentit Pagius num. 6, remque paullo distinctius explicans, ait :* Corpus S. Hunegundis virginis Humolariensis hoc anno e terra elevatum, uti narrat Bernerus Humolariensis abbas, auctor coævus . . . Berta Humolariensis abbatissa hujus translationis auctor fuit. *Ipsam translationis Historiam leges post Vitam. Mabillonius seculo 5 Benedict. pag. 213 in observationibus præviis illam confirmat instrumento authentico, dato anno 947 quarto Idus Aprilis, ex quo sequentia verba desumo :* Et quia corpus S. Hunegundis tam venerabilis virginis hoc anno, Deo volente, coruscantibus miraculis, de terra levatum est. Hoc anno, *inquit decreti auctor, id est nondum anno integro a corporis translatione evoluto, ut recte observat Mabillonius, nam facta est septimo Idus Novembris anni 946. Anno 954,* C *ut vult Baronius, ad hunc annum num. 7,* celebrata est a Rudolpho Noviomensi episcopo synodus, et inter alia in ea stabilitum de feriando die sanctæ Hunegundis virginis, cujus corpus haud pridem inventum fuerat. In non servantes autem sanctæ synodi decretum divina sunt ostensa prodigia. *Collegit hanc synodum Baronius ex memorata translationis Historia, ubi dicta prodigia fuse narrata inveniet lector. Festum* S. Hunegundis *a Rudolpho Noviomensi episcopo celebrari jussum, itidem notant Sammarthani tom. 3, pagina 814 in episcopis Noviomensibus. Officium novem lectionum insertum est Breviario Quintinopolitano.*

corporis translationes aliæ:

5 *Reliquos venerandi corporis translationes breviter memorat Mabillonius seculo 5 Benedict. pag. 214 in observationibus præviis num. 4 hoc modo :* Alia ejus Virginis translatio, seu corporis mutatio, quarto Idus Junias anni MLI a Macario Humolariensi, Gerardo Insulano apud Augustam Veromanduorum, Rainero S. Prajecti, et Waleranno S. Quintini de Monte prope Peronam abbatibus celebrata est. Rem fusius narrat anonymus ejus temporis scriptor, qui Berneri Historiam persecutus est. Post hæc, id est anno D MCCCLXXVIII (MCDLXXVIII *ut habent Sammarthani)* duodecimo Kalendas Septembris, Petrus eo nomine secundus abbas Humolariensis, conflata exquisitissimi operis theca, S. Hunegundis reliquias in eam inferri curavit per illustrissimum Guilielmum Marafinium, episcopum Noviomensem, cui Joannes abbas S. Quintini Insulanus, Johannes Præjectensis, Johannes Aroasianus, Johannes Vermandensis, aliique cum ex clero, tum ex militibus viri primarii adstabant.

reliquiæ aliis donatæ :

6 Tum Petrus abbas Humolariensis unam e sanctæ Virginis costis Ludovico XI Francorum regi, aliam Guillelmo Noviomensi episcopo, tertiam denique decano et canonicis collegiatæ S. Quintini ecclesiæ concessit. Confectum hac de re instrumentum anno MDCLXXIX in ejusdem sanctæ Hunegundis theca repertum est, cum Humolariensibus suis redditas S. Virginis reliquias, quæ ob bellorum tempestates diu apud Augustam Veromanduorum detentæ fuerant, illustrissimus Franciscus Claromontius Noviomensis antistes ejusdem anni VI Kalendas Julias aperta theca detexit, et habita solemni concione atque supplicatione populo venerandas exhibuit. E *Hæc de sacri corporis translationibus Mabillonius. Ex quibus, aliisque supra dictis, cultus* S. Hunegundis *a seculo saltem* X *abunde probatus est, et stabilitus. Nunc et de Vitæ scriptoribus paucis agendum.*

Auctor Vitæ,

7 *Vitæ suæ scriptorem nacta est* S. Hunegundis *Bernerum primum Humolariensis cœnobii abbatem seculo* X. *Quippe cum moniales ob mores corruptos auctoritate regia, et confirmatione Pontificia ex cœnobio Humolariensi circa medium seculi* X *fuissent ejectæ, ut constat ex diplomate Ludovici Transmarini Francorum regis, et Joannis XII Romani Pontificis (utrumque recitat Mabillonius seculo 2 Benedictino pag. 1025 :) ducta Humolarias Monachorum S. Benedicti colonia, Bernerus ibidem abbas fuit constitutus. Hunc autem* S. Hunegundis *res gestas litteris consignasse, probat Mabillonius ex auctore anonymo, qui secundam Sanctæ translationem, miraculaque in ea facta conscripsit. Breviter rem ita ostendo. Idem auctor est Vitæ ac primæ translationis; etenim in Historia translationis num. 12 ita habet :* His præmissis de Vita et actibus supradictæ gloriosæ Virginis, ratum F duximus pauca subsequendo describi miraculorum insignia. *Atqui translationis primæ miraculorumque Historiam a Bernero scriptam esse, testatur auctor secundæ Translationis seu mutationis corporis, his verbis num. 2 :* Cujus inventionis nec non et translationis descriptionem, simulque miraculorum insignia, inibi divinitus declarata, volentibus agnoscere, claro stilo, luculentoque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ domnus abbas Bernerus, qui Deo disponente primus huic successit locello, *etc. Hæc fere Mabillonius seculo 5 pag. 213, ubi subdit :* Et sane idem utrobique stilus ac genius, nisi quod in translatione ac miraculis, quæ testis auritus aut oculatus scripsit, certior est ejus auctoritas, quam in Vita, quæ trecentis ab Hunegunde annis ab eo scripta est.

in qua multa incerta :

8 *Prudenter sane monet, majorem Berneri auctoritatem esse in translatione, et miraculis, quam esse debeat in Vita. Verum quantam in Vita fidem mereatur paullo accuratius investigandum. Unde maxime hauserit, quæ de gestis* S. Hunegundis *scripsit Bernerus, insinuat ipse in*

præfatione

A *præfatione his verbis :* Cujus aggredior Vitæ, gestorumque pauca describere, prout comperi a fidelibus enarrari. *Traditionem hic designat fidelium, famamque vulgarem, veris plerumque falsa miscentem; præsertim post longiorem temporis intercapedinem : neque meliorem, ex quo hauserit, assignat fontem. Quapropter vel ex sola hac ratione non ausim ut certa, et indubia tradere, quæ de vita* S. Hunegundis *hic auctor enarrat. Accedit quod quædam referat modo parum probabili, ut cum Virginem inducit longa pariter et docta oratione coram summo Pontifice disserentem; cum refert eam a sponso desertam, ab omnibus derelictam in Galliam remeasse, ibique sua omnia distraxisse ac monasterio tradidisse, quasi parentes non habuisset, qui tamen eodem auctore, eam paullo ante ad matrimonium coegerant. Similia observabimus plura suis locis.*

Acta translationum bina melioris notæ: B

9 *Post Vitam idem Bernerus memoriæ mandavit corporis inventionem atque translationem, in cujus relatione, ut testis coævus, summam procul dubio fidem meretur. Hæc autem* Berneri lucubratio de S. Hunegundis translatione desinit in descriptione, quæ ante annum CMLXV patrata sunt, *ut jam observavit Mabillonius num. 3. Aliam corporis sacri translationem anno 1051 factam, seu mutationem, ut vocat, descripsit auctor quidem anonymus, sed, ut videtur, coævus : in cujus narratione cum nihil occurrat, quod legentium aures possit offendere, aut dubium ingerere; hujus etiam Historiam fide dignam existimamus.*

omnia jam edita.

10 *Tres modo dictas lucubrationes luci jam publicæ dedit sæpe laudatus Mabillonius, priorem seculo 2 Benedictino a pag. 1018, duas alias seculo 5 a pag. 214. Duas priores itidem habemus in codice Ms. pergameno musei nostri, notato ✠ Ms. 48, recte cum editione Mabillonii consentiente, paucissimis exceptis, quæ sensum non mutant. Accepimus easdem ex Ms. Abbatiæ Claromariscanæ in Artesia, in quo voces hinc inde aliter sunt ordinatæ, sensu ubique eodem et immutato. Ultimum hoc Ms., in capita et numeros more nostro divisum, prælo subjiciam; siquid autem notatu dignum occurrat, in quo hoc ab aliis dissentiat, id indicabo : ita curiosus lector intelliget, quæ inter Mss. sit discrepantia. Tertiam dabo ex editione Mabillonii.*

C *Alia Vita Rhythmica.*

11 *Præter memorata* S. Hunegundis *Acta, Vitam illius habeo Rhythmice scriptam : quam olim ex Ms. Cartusiæ Coloniensis submisit Gamansius noster. Hæc cum ante dicta fere in omnibus consentit, ita ut videatur eam auctor hic anonymus præ oculis habuisse, dum Rhythmos suos componeret. Adjungit tamen aliqua, alia tradit paullo distinctius; testaturque se quædam ex charta antiqua accepisse. Remotum fuisse longo intervallo a Virginis ætate, et Bernero etiam posteriorem, colligo ex ejus verbis sub finem, ubi dicit :*

Hoc natale celebratur
Plurimis proficuum.
Virtutes et signa multa,
Quæ per ipsam Dominus
Operari est dignatus
In multis temporibus,
Vendicant sibi privatam
Operis industriam.

Natalis enim celebratio, miraculorumque variis temporibus patratio videntur tempus insinuare translationibus posterius. Cum itaque non magnam auctoritatem huic scripto inesse videam, non judicari hoc præcedentibus Actis, ex quibus fere consarcinatum est, adjiciendum. Quæ tamen in eo reperiam ad propositum nostrum conducentia, suis locis aut Commentario inseram, aut notis ad Vitam. AUCTORE J. S.

§ II. Sanctæ patria, natales, ac gesta præcipua examinata.

Sanctæ patria:

Patriam S. Hunegundis *Bernerus abbas num. 3 ita declarat :* Ergo tellus Franciæ, pagus scilicet Vermandensis, præpollentissimi martyris Quintini decrata suffragiis, anhelabat totis viribus ut offeret Domino munus gratum in odorem suavitatis. Quo in pago atque villa, quam Lembaidis nominant, sancta virgo Hunegundis generosa nata est prosapia. *Vita Rhythmica paullo brevius :*

Hunegundis nominata
Alta de prosapia
Vermandensi nata pago,
Sui ruris prædio,
Quod Lembaidis vocat turba
populorum rustica. E

Nata itaque est Sancta in villa Lembaide, vel Lambaide, sita in agro Veromanduorum, in Picardia Galliæ provincia. Hemeræus in Augusta Viromanduorum lib. 2 ad annum 650 binis milliaribus ab Augusta Veromanduorum, seu Fano S. Quintini, distare hanc villam asserit, Lambaidem vocans : Lambais, *subdit post pauca,* ab illo ævo pertinuit ad Humolarienses, a parentibus Hunegundis, ut credimus, donata... Fuit et ecclesia in Lambaide consecrata anno MCLIX. *Hæc de loco natali sufficiant.*

familia nobilis: miraculosus fons:

13 *Nobili Francorum stemmate prognatam facile ex dictis intelligimus : nata enim dicitur* generosa, *nata dicitur* alta prosapia. *Paullo post Bernerus :* Dum nobilibus et Christum colentibus prodiit parentibus. *Præterea auctor Vitæ Rhythmicæ ita loquentem inducit, cum de stirpe et gente sua interrogata esset a summo Pontifice :*

Horum *(Francorum)* sum de stirpe nata
Serie non infima.

Nobilem igitur stirpem clare edicunt biographi, at parentes tacent. Hemeræus vero mox laudatus ortam affirmat Lambaidis domicellis; *quod unde hauserit non significat. Refert auctor Vitæ metricæ fontem enatum, dum nasceretur* S. Hunegundis, *quod cum Bernerus non habeat, ipsius fide hic adjungo, prout sequitur :* F

In exortu cujus sacro
Magnum fit miraculum :
Nascitur fons juxta portam,
Aquam vomens optimam :
Et adhuc ubertim scatet,
Miro fluens ordine;
Ubi ante nullus umquam
Sperare posset aquam.
Qui fons nimis frequentatur
Rusticorum populo;
Et candelis illustratur
Virginis pro merito :
Quo devote abluuntur
Infirmorum corpora,
Atque ubi perfruuntur
Sanitatis gratia.

Hæc ille auctor, penes quem rei fidem relinquo, cum ad manum non sit, quo eam confirmem.

14 *Tempus, quo nata est* S. Henegundis, non

Auctore J. S.

nata seculo septimo.

non designant biographi. Natam seculo septimo ex iis facile colligitur, non item, quo præcise seculi illius anno. Ut hoc pateat, notæ quædam Chronologicæ, quas Vitæ auctores exprimunt, discutiendæ sunt. Uterque biographus asserit famam esse, Hunegundem *a S. Eligio Noviomensi episcopo de sacro fonte levatam. Bernerus num. 3 :* Hanc e sacro fonte ferunt elevatam ab Eligio pontifice. *Alter vero :* Sanctus præsul Eligius. . . hanc, ut fertur, baptizatam sancto suscepit fonte. *Ex timida hac relatione auctorum, alioqui in factis asserendis nequaquam timidorum, colligo obscuram admodum hujus rei famam fuisse : neque illi multum fidei tribuendum. Si tamen id factum a S. Eligio, contigisse illo nondum episcopo, mihi est probabilius, propter ea, quæ dicentur continuo.*

sed annus natalis.

15 *Altera temporis nota in Vita occurrit, sed ut prior, nec certa satis, nec ad annos præcise determinandos sufficiens. Hanc tradit Vita metrica, ubi narrat quid Romæ egerit Sancta, hoc modo :*

Extitit vir gloriosus
B His prope temporibus
Romanæ Sedis Martinus
Pontifex eximius :
Qui Martinus Papa sanctus,
Et martyr egregius,
Sicut scriptum invenitur
In gestis Pontificum,
Centum quinque episcoporum
Congregavit synodum.

Plura subdit de damnatis a Martino Monothelitis, ita ut dubium esse non possit, quin S. Martinum primum designet. Hic autem anno 649 ad Pontificatum evectus, ac 653, ut probat Pagius ad annum 650 num. 6, Constantinopolim jussu Constantis imperatoris ductus, dein in exsilium missus est. Eumdem Pontificem designat ecclesia San-Quintinensis lect. 4 Breviarii, atque ex eo Breviario recentiores alii. Martinus itaque ex horum sententia velum imposuit S. Hunegundi : *quod si verum est, non potuit S. Eligius jam episcopus eam de sacro fonte levare; cum episcopatus Eligii non tanto tempore præcesserit exsilium S. Martini, ut nubilis tum fuisset Hunegundis. Verum quod auctor scribat :*
C His prope temporibus, *quibus verbis se divinare innuit; et Breviarii memorati auctores id fortasse ex eo hauserint : res mihi videtur non satis certa.*

aliarumque rerum tempus in certum.

16 *Tertiam temporis notam idem Vitæ metricæ auctor tradit his verbis :*

Tunc Francorum gubernabat
Optime imperium,
Sicut scriptum est in charta
Quadam vetustissima,
Clotarius, pater magni
Dagoberti principis.

Si regnante Clotario II, patre Dagoberti magni seu primi, Romam profecta est Hunegundis, *ut se in charta vetustissima scriptum reperisse, auctor testatur, velum a S. Martino accipere non potuit; nam mortuus dicitur Clotarius anno 628, diu scilicet ante Pontificatum Martini. Vides, opinor, lector, quam male hæc omnia inter se cohæreant. Quapropter ab annis Sanctæ definiendis abstinendum putavi, dixisse contentus, eam sub initium seculi* VII *natam videri, eodem seculo floruisse, et demum defunctam esse.*

17 *Visum est hoc loco tradere, quod de* S. Hunegundis *pueritia refert laudatus supra Claudius Hemeræus, quamvis auctorem, ex quo id habeat, non nominet. In Augusta Viromanduorum pag. 65 ad annum 650 ita scribitur :* Illustre fuit in Hunegunde, quod ætate adhuc tenella, per noctes singulas quantumvis infestas et graves, Humolarias domo ad primas precationes progrediente, quem toga gestabat, ad usum nocturni luminis, titio ardescens nihil læderet institam virginalem; et qua toties iret, rediretque, semita immortali viriditate floreret, etiamnumque anni quacumque tempestate florescat. Nempe ut ille castitatem in Hunegunde, nullo carnalis affectus æstu corrumpendam : hæc immarcessibilem laureolam eidem in cælis donandam esse illibatæ virginitatis ostenderet. *Illustre sane hoc est; sed quo illustrius hoc factum, eo magis hoc vellem apud auctorem antiquiorem legere. Rei itaque fides maneat penes auctorem.* D

Pietas sanctæ in tenera ætate miraculo probata fertur.

An fuerit tantum desponsata, an etiam matrimonio juncta?

18 *Refertur in utraque Vita Sanctam ætate jam nubili desponsatam fuisse Eudaldo, adolescenti nobili, et diviti. Verum ex verbis auctorum dubium oritur, an sponsalia solum contracta fuerint de futuro, ut loquuntur theologi, an etiam de præsenti, seu ipsum matrimonium. Multa sunt, quæ suadeant matrimonium reipsa fuisse contractum. Primo enim dicitur tentasse sponsum* ab amplexibus omnino divellere, *cui paullo post dicit :* O amantissime conjunx. *Accedit iter Romam cum Eudaldo susceptum, quod non decebat sponsos, matrimonio nondum contracto. Postremo ita alloquitur Pontificem num. 8, ut matrimonium fuisse initum omnino insinuet.* Contra velle meum, *inquit,* sponso tradita sum juvenculo, quem postpono, et devito Christi devincta charitate : quo ducente atque favente toto sum integra corpore. *Sane sponsa sponso promittitur tantum per sponsalia, traditur per matrimonium; atqui se traditam dicit, adeoque et matrimonio devinctam. Si itaque verbis auctoris standum est, matrimonio cum sponso fuit conjuncta, quod solvi per professionem religionis, quamdiu consummatum non est, norunt theologi. Solvi itidem per dispensationem Pontificis plurimi docent, quamvis repugnent aliqui. Fateor tamen non omnino certum mihi videri, matrimonium fuisse contractum, tum quia Bernerus minus in loquendo est accuratus, tum quia quædam habet, quæ magis favent sponsalibus. Hinc factum ut recentiores alii desponsatam, alii matrimonio junctam scripserint.* E F

Quædam in Vita modo incredibili relata :

19 *Cap. 3 narrat Bernerus, et consentit auctor metricus,* S. Hunegundem *a sponso Romæ derelictam, omnibusque ad reditum necessariis spoliatam; ita ut sola et incomitata per devia et avia coacta fuerit in patriam remeare. Addit eo animo Eudaldum reditum suum maturasse,* Ut omnia patrimonia et jura hereditaria Virginis venderet, et quæ vendere non posset, in nihilum redigeret, et sic funditus eam cum omni supellectili, et mancipiis extirparet. *At illa,* ut erat pedes cunctis equitibus velocior. . . prior in terram suæ nativitatis pervenit, *ac bona sua monasterio Humolariensi, si fides auctori, sponso nondum reduce, tradidit. Incredibilia hæc sunt, ut breviter dicam. Primo enim quis credat nobilem Virginem ita prorsus ab omnibus deserendam? Quis in animum inducat summum Pontificem ejus curam habiturum non fuisse, quam tam gratiose, ut vult auctor, susceperat? An non poterat iracundiam Eudaldi prævidere Virgo, sibique ad reditum procurare necessaria? præsertim cum indecens fuisset Virgini Deo sacratæ,*

si

A *si vel amicus fuisset Eudaldus, cum ipso in Galliam remeare? Præterea, quid in patrimonium Sanctæ poterat Eudaldus, quid ipsa poterat* Hunegundis, *viventibus ejus parentibus, bonaque sua distrahi non passuris? Plura dici possunt, verum id minime necessarium judico. Ex hoc uno exemplo colligat æquus lector, quam exiguam fidem mereantur plurima ab hoc auctore de* S. Hunegunde *tradita. Quod ipsius tamen sanctitati obesse non debet, quæ ex miraculis abunde probata habetur, et minime dubia.*

cujus instituti fuerit, et an abbatissa, incertum.

20 *Reliquis de Sancta relatis certius est, quod monasticam vitam amplexa sit in Humolariensi virginum monasterio. De hoc monasterio ita Mabillonius seculo 2 Benedictino pag. 1018 in observatione prævia :* Est autem Humolariense monasterium, vulgo Humblieres, prope muros Augustæ Veromanduorum ad Suminam, cujus monasterii primordia et auctores ignorantur. *Ignoratur itaque etiam, cujus fuerit instituti tempore* S. Hunegundis, *quamque ipsa regulam fuerit professa. Monasterium sanctæ Dei Genitrici fuisse sacrum habetur ex Bernero num. 15. Abbatissam ejusdem monasterii* S. Hunegundem *vo*B*cant recentiores varii. Abbatissam fuisse mihi quidem fit verisimile ex vitæ sanctitate; at apud antiquos non invenio. Mortuam* S. Hunegundem *circa annum 690 putat Mabillonius : id æque est incertum. Quapropter ab iis abstineo, et siquid præterea observandum fuerit, in notis breviter observabo.*

VITA

auctore Bernero abbate.

Ex Ms. Claro-Mariscano, collato cum nostro et editione Mabillonii.

PROLOGUS.

Præfatio cum invocatione Spiritus sancti.

C Beatorum ac venerandorum patrum memoranda descriptio, qui membra et versutias callidi hostis euangelico perculerunt gladio, interiorem nostrum hominem divino perflat alloquio; nec minus exteriorem, et corruptibilem nostrum gravi affectum elogio, materna, ac virginalis inclita vegetat collatio. Nempe ex his genus victoriæ extitit egregium, quo diabolus cum suis armis omne perdidit dominium; et per quod primi parentes vitæ sensere dispendium, per id rursus in augmentum sui supernum dilatatum est imperium. Eadem ergo natura, quæ viro gustum necis obtulit, etiam per sanctas virgines omnibus vitiis parsimoniam propinavit, et quæ primum facile consensit, ut caderet, et mater calamitatis existeret, per Christi gratiam fortiter restitit, ut zabulum prosterneret, sororque et mater Domini Salvatoris gratis electa feliciter fieret. Hujus igitur divinæ gratiæ sortem adepta gloriosa virgo Hunegundis, ab immaculato divini fontis utero renata prodiit, educata catholicæ sinu matris Ecclesiæ, cujus aggredior vitæ gestorumque pauca describere, prout comperi a fidelibus enarrari. Obsecro itaque me principem peccatorum, et sacerdotum ultimum vestris precibus suffragari, quatenus mihi sanctus dignetur adesse Spiritus, qui et facinorum meorum maculas diluat, et linguam ad enarranda quædam Virginis gesta disertam efficiat. A. BERNERO ABB.

CAPUT I.

Sanctæ patria, natales, educatio; desponsata ab incunabulis, sed morte adolescentis liberata, desponsatur alteri adolescenti invita, quocum, ut tempus protrahat, Romam proficiscitur.

Fides Christi, licet serius apud Francos recepta, multos ibidem Sanctos produxit.

Summa et incomprehensibilis providentia Divinitatis, cum ex sua omnipotentia mundi principem debellaret, ejusque versutias penitus extirpare disponeret, eum non solum potenter superavit, atque arma ejus abstulit, verum etiam ipsis armis misericorditer tam præclaram contulit virtutem *a*, ut fugarent ac delerent sordidissimi principis do- E minia, fierentque Christi luminaria, quæ fuerant pridem arma tenebrosa. Tali igitur ordine mundi sceptra crudelissima immutantur, omnisque portio tenebrarum cum suis satellitibus tanto jubare restinguitur, oriturque per pagella nova lux et gaudium submittentibus *b* colla regi regum, et paulatim a solis ortu usque ad occasum Christi divulgatum est imperium. Inter quos gens Francigena multis actuum insignibus splendida, ac triumphis multis famosissima, licet Christo sancta fide tardius occurreret : tamen ut persensit Domini clementiam, cœpit passim pullulando novam atque sanctam Deo Patri prolem gignere. Ex cujus jam sacratissimo consortio sancta mater atque virgo Christi dilatata est Ecclesia, quæ oblita domum patris, atque populum, unitati Trinæ sinum cordis obtulit, unde sibi immaculatus Dominus impollutam consecraret familiam.

Hunegundis nobili stirpe nata, fertur a S. Eligio de fonte levata :

3 Ergo tellus Franciæ, pagus scilicet Vermandensis, præpollentissimi martyris Quintini *c* decorata suffragiis, anhelabat viribus totis, ut offerret Deo munus gratum in odorem suavitatis. Quo in pago atque villa, quam Lembaidis *d* nominant, sancta virgo Hunegundis generosa est nata prosapia, quæ processit velut virgula fumi ex aro- F matibus myrrhæ, et thuris, et universi generis pigmentarii : dum nobilibus, et Christum colentibus prodiit parentibus. Hanc e sacro fonte fertur* *e* elevatam ab Eligio *f* pontifice Noviomensis ac Vermandensis ecclesiæ, ubi sumpsit veri Sponsi arrham, simulque vestem preciosam, immortalitatis signo candidatam, et triumpho passionis perlustratam, atque castæ charitatis ordine regiam, et sacerdotalem coronam mysticam. Ubi etiam in septem gradibus baptismalis septem comprehendit dona Spiritus sancti, episcopali benedictione confirmata et sancto chrismate *g* delibuta. Quibus undique fulta, vivere studuit juvencula per septena dierrum curricula, ut septem septies augmentatis et monade superposito jubilei fructum in præsenti acquireret vita, hocque duplicato corpore, et anima post peractum vitæ cursum, fructum carperet centesimum sacratissimis virginibus consecratum. Unde quia erat gloriosæ indolis progenie,

* al. ferunt

A. BERNERO, ABB.

genie, ipsis incunabulis fertur esse desponsata *h* coæqualibus natalibus, sed dilecta magis Sponso cælesti, terrestris confunditur, occultoque judicio mortis confinio clauditur.

invita adolescenti nobili desponsata.

4 Postquam vero cœpit sancta Virgo esse adolescens corpore, candidoque vultu, atque flava facie, desponsatur rursum a quodam, nomine Eudaldo, generosæ stirpis homine, a quo variis est dotata sponsalibus, cum mancipiis, et villulis. Quæ omnia, licet a parentibus coacta, vultu tamen placido, et mente casta perferens, meditabatur jam in animo, qualiter se, et sua Christo sponso traderet dotalia, fieretque sanctimonialis femina, sub tutela sanctæ Matris virginis, insignita velamine capitis, ut cum adolescentulis veri Regis valeret edicere : Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum. Et iterum : Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Talis intentio, et tam præclarum exercitium versabatur sedulæ in præcordiis Puellæ, flosque genitricis virginalis in hac redolebat Virgine, radiabantque plurimæ virtutum B gratiæ et virgineis successibus.

illi persuadet, ut Romam proficiscantur, sacra loca invisuri.

5 Deinde cum sanctum mentis suæ propositum ad effectum piæ operationis vellet perducere, sapienti usa consilio, sponsum, qua potuit arte, tentavit suaviter emollire, ac demulcendo subtilitate ingenii ab amplexibus omnino divellere. Cui talia blandis alloquens vocibus dixit : O dulcissime, atque amantissime conjunx, quoniam Christianissimis, et orthodoxis parentibus geniti sumus, non decet nos coinquinari ac libidinosis commixtionibus pollui, velut gentes, quæ ignorant Deum, et sicut equus, et mulus, in quibus non est intellectus : placeat tibi precor, et contestor per Dominum, meum salutare consilium, meisque te accommoda dictis; et quæramus mutuo qualiter nostra conjugia Deo efficiamus placita, ut de nobis non terrena, sed cælestis progenies emergat. Decet enim, nimiumque valet nos Apostolorum principem Petrum expetere, atque loca sancta circuire, ut saltem fusa super nos benedictione Apostolica, fiat nobis vita longa, salus continua, in rebus opulentia, fœcunditas in propagine, in pace diuturna tranquillitas. O Virgo beata, o superni Regis Sponsa, quam devota diceris! Ecce dicis quasi optes tibi mundum efflorescere, quem in C corde jam despectum funditus spreveras, et velut stercus marcidum penitus calcaveras. Quid plura? Ita quidem est delusa sollicitudo nuptialis, atque protelata dies matrimonii. Et cum debuerant præparari nuptialia, præparantur sumptus, et vehicula tanto itineri necessaria. Nam quia virgo tenerrima, et tam voluntate quam ætate innuba, idemque sponsus timoratus et Christicola, acquievit placido animo. Et ut cognovit non esse fas resistere, etiam ipse cœpit auctor itineris esse, optans et exorans ita sibi cuncta provenire, ut didicerat affatibus Virginis beatissimæ.

ANNOTATA.

a *Aliud Ms. cum Mabillonio,* flagrantiam.

b Submittentibus, *Mabillonius,* submittentes *minus recte. Verum leviuscula hæc imposterum non notabo.*

c *Adscriptus est Martyrologio Romano 31 Octobris, ubi de eo agetur. De patria Sanctæ consule § 2 Commentarii.* D

d *De loco, quo nata est Sancta, consule Commentarium § 2 ab initio, ubi et nobilitas stirpis probata.*

e *Hoc non admodum certum esse diximus eod. §.*

f *Episcopatum ejus anno 640 orditur Pagius ad eumdem annum num. 13 : alii putarunt non nisi anno 646 episcopum creatum. De eo amplissimus agendi locus dabitur ad 1 Decembris, quo colitur.*

g *Idem habet Vita metrica; uti et quod sequitur de desponsatione ejus prima, et sponsi obitu.*

h *Dubium videri an matrimonium fuerit contractum diximus § 2 : id tamen esse verisimilius, ibidem probavimus.*

CAPUT II.

Romam profecta quid egerit : velum virginum de manu Pontificis susceptum.

E

Pietas Sanctæ in itinere, et Romæ :

His rite peractis, et paratis omnibus, quæ ad usum, vel ad victum, forent congrua cunctis itinerantibus, gratias agentes Deo, viam pergunt publicam. Sponsus pompa seculari hilaris, et alacer extrinsecus, Virgo autem Christi multo gaudentior lætabatur intrinsecus. Cuncta quippe ei Christus tribuebat prospera, cui jam cum fide vera, spe, et charitate integra, famulari semper suam devovebat animam; poscens Dominum Jesum Christum tacitis precibus custodire cor ejus, et corpus immaculatum, ne confunderetur illecebrosis voluptatibus. Ore tacito mens orabat, et Dominum se protegentem cordis oculis conspiciebat. Suavissimis alloquis sanctas angelorum legiones in suum evocabat auxilium, et cum lachrymis sibi adesse poscebat omnem chorum cælestium agminum. Exauditur Dei Famula, et comitante illi divina misericordia, superni respectus promeruit majora solatia, sacrosancta utique præsidia sibi mox adesse persensit : quæ defensam omnibus incommodis Romæ præsentarunt Apostolicis conspectibus cum omni integritate fidei et corporis. Cumque percunctarentur loca urbis Romæ, et F superbo fastu sponsus cum sodalibus undique circumseptus multa Sanctorum circumiret pignora : illa vitans arrogantiæ speciem sola ibat ad Apostolorum limina. Sponsus eam æstimabat repausare præ nimia viæ lassitudine, illa velut mente renovata, ac robustior effecta, omnia foris et intus urbis Romæ circuibat oratoria. Ille ergo ruitura oculo corporeo mirabatur ædificia urbis Hiericontinæ : hæc in perpetuum mansura mentis intuitu invisebat clara mœnia cælestis Hierosolimæ. Semper ob amorem patriæ cælestis in orationibus, et vigiliis, ac jejuniis ante Apostolorum limina solo recubans, et vix ad hospitium rediens.

ubi velum virginitatis petit a summo Pontifice.

7 Inde, spretis rebus transitoriis, relictoque sponso cum suis omnibus, pernox erat in orationibus, corpus vigiliis, et inedia macerans : et omnia, quæ habere poterat, pauperibus erogans; sicque monacha efficitur, quæ sponsa putabatur, et terrestris copula cum omni pompa dejicitur; cum a superis castitas virtutum regina diffunditur. Erat certe gaudens, quasi quod diu optaverat possidens, unde nec ad momentum poterat relinquere, quæ cum tanta celeritate meruit invenire.

A venire. Adveniente denuo die stationis Apostolicæ, provoluta est pedibus Antistitis *a*, sanctæ Catholicæ matris Ecclesiæ, offerens protectam virginitatem Christo Domino ad exemplum Genitricis virginis, et expostulans se sacrari sigillo castimoniæ, et capitis velamine, sub tutela, et servitio incomparabilis Virginis Mariæ. Cujus benignissimam intentionem, et devotionem pius pater audiens, et a Domino ejus mentem illustratam intelligens, voce lachrymabili admirans tantam in puella sapientiam, dixisse fertur: Benedictus es Domine Deus omnium, qui in toro virginali mentis castæ et corporis tuum locas domicilium, et in sexu fragilis materiæ numerosa operaris mirabilia. Laudem ergo tibi loquatur lingua omnium, quia dignum est in talibus gestis attollere te Dominum universorum. Equidem te, Domine, super his in æternum laudabo, et glorificabo nomen tuum in secula.

a quo interrogata, nomen, patriam, etc. indicat:

8 Et conversus ad castam Dei Virginem infit, ita inquiens: Cujas es puella, vel a quibus oris advenisti, replica, nomenque tuum et fidem tuæ gentis pariter designa. Æstimo enim te nobilissima stirpe progenitam, et ab ipsis infantiæ B cunis ecclesiasticæ disciplinæ litteris eruditam. Ad hæc illa mente, et facie serenissima, submisso vultu, tali alloquio est orsa: Si de gente quæris, Pater et Domine, ego gentis sum Francicæ, atque Hunegundis dicor nomine, et in pago nata Vermandensi, a quo delata huc veni. Educata equidem sum parentibus Christicolis, et contra velle meum, et, ut credo, Dei placitum, sponso tradita sum juvenculo, quem postpono, et devito Christi devincta charitate: quo ducente, et favente, toto sum integra corpore, atque impolluta mente. Illi me devoveo, qui creavit universa, atque fidem, quam requiris, ipsi servo integram. Quam si plane vis audire, pandam tibi, Pater optime, quia licet barbara sim natione, tamen hanc fatemur fidem veram atque sanctam, quæ nobis in fine temporis est delata, ab hac sancta Sede Apostolica, et catholica matre Ecclesia.

longaque præmissa disputatione,

9 Ecce etenim tua sanctitas, dum a nobis fidem exigit, videtur nobis, quasi Christus a Samaritana aquam fontis postulet. Qui dum tali dignatus est perfrui alloquio, innuit latenter, quod C neminem a fide ulla potest regio repellere. Unde nos, quia fidem non erubescimus, de provincia nequaquam confundimur, cum David præcipiat omnes gentes plaudere manibus, et jubilare Deo in voce exultationis *b*. Et alibi nostram conversionem idem rex et Propheta ita præcinit: Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur omnium. Hoc et ipse Dominus ad Moysen, cum pro adorato vitulo deprecaretur, ut parceret populo peccatori, respondit: Propitius ero illis. Verumtamen vivo ego, et vivet nomen meum, quia implebitur gloria mea universa terra. Et iterum: A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. Et expressius nos, licet veneficos, et bestiales, tamen ad se conversuros per prophetam Isaiam denunciat, dicens: Ne memineritis, inquit, priorum, et antiqua ne intueamini, quia ecce ego facio nova. Ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabunt me bestiæ agri, dracones, et struthiones. Proinde nos Dei misericordia vocati, et ejus gratuita pietate redempti, atque renati, etsi patriam secundum carnem novimus, sed jam nunc non novimus. Quin potius semen Abrahæ desiderantes fieri in fide, terram nostram omnemque cognationem antiquam repellimus. Incolas et peregrinos nos fatemur, velut extiterunt patres nostri, qui nobis terram viventium suo sanguine, vel sancta conversatione pepererunt. Idcirco quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino, quia regionem nostram paradisum scimus esse, quam acquisivimus nascendo in baptismate cum sanctæ et individuæ Trinitatis professione.

A. Bernero B.

fidei professionem facit:

10 Verumtamen quoniam Apostolicis institutionibus monemur; ut omnibus poscentibus rationem de spe, et charitate, quæ in nobis est, proferamus, non moremur diutius gloriam fidei nostræ tuæ beatitudini paucis verbis demonstrare. Credimus quippe, et confitemur absque principio temporis, et fine, summum, et incircumscriptum spiritum unum omnipotentem esse Deum, juxta quod ait Moyses: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Unus est, inquam, Deus Pater ingenitus, unus Filius unigenitus, unus Spiritus sanctus ab utroque procedens, Patri et Filio coæternus, sed semper E idem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; a quo omnia, per quem omnia, et in quo sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Hæc tripartita conjunctio, et conjuncta divisio, et in personis excludit unionem, et in personarum distinctione obtinet unitatem. Non autem sicut tres Personas, ita et tres Deos credimus, sed in tribus Personis unam Deitatem confitemur. Trinitatem sanctam credimus in subsistentibus Personis, unitatem vero in natura, et majestate, ac substantia Deitatis. Omne igitur, quod est, in duo dividimus. At absque sola nempe Trinitate omne, quod in cælis, terrisque, et mari potentatur, vel agitur, vel movetur, creaturam esse ducimus, et fatemur: Deum vero solum Creatorem. Filium Dei quoque credimus in novissimis temporibus conceptum esse de Spiritu sancto, et natum ex Maria virgine, carnemque naturæ humanæ, et animam suscepisse. In qua carne crucifixum, et sepultum, ac resurrexisse a mortuis credimus, et fatemur: et in eadem ipsa carne, licet alterius gloriæ, post resurrectionem ascendisse in cælum; unde judicem venturum expectamus vivorum et mortuorum. F Carnisque nostræ resurrectionem fatemur integram, atque perfectam, in qua nunc vivimus, et movemur in præsenti vita, et in ipsa aut pro bonis actibus consequi bonorum præmia, aut pro malis sustinere pœnarum supplicia. Pœnitentiam peccatorum plenissima fide profitemur, ac velut secundam gratiam suscipimus, juxta quod Apostolus dicit ad Corinthios: Volui per vos venire ut secundam *c* gratiam haberetis. Hic est nostræ fidei thesaurus, quem signatum ecclesiastico symbolo custodimus, quod in baptismate suscepimus. Sic coram Deo corde credimus, sic coram omnibus hominibus ore confitemur, ut cunctis fidem sua cognitio faciat, et imago sua Deo testimonium reddat.

quam Pontifex exhortatus.

11 Hæc et alia hujusmodi innumera fidei sacramenta palam omnibus replicans Hunegundis virgo devotissima, auribus testantium salubre commercium præstitit, et faucibus virgineis optabile silentium. Tunc venerabilis Pontifex summæ Sedis Apostolicæ reputans non sonare hominem, sed potius intelligens sanctum resonare Spiritum castis in visceribus virginis Hunegundis; coram cunctis

A. BERNERO AUB.

cunctis ita fatur : Benedicta filia tu a Domino Deo exercituum, quæ in tua mente pura jucundum Deo præparasti habitaculum. Non oportet ergo sanctum contristari Spiritum, cujus mens pudica creditur esse sacrarium. Apostolus etenim dicit, quia caste viventes templa sunt Spiritus sancti : et ideo quisquis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Multum enim est venerandus in te ille Artifex summus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Eia Virgo casta, eia mens pudica, suscipe quod amori æterno proficiat : oblata etenim tibi a viro corruptibili sub specie pietatis munuscula projecisti : unde suscipe nunc per nostram benedictionem tibi a Domino concessa dotalia, per quæ sponsam Christi te in æternum recognoscas, et transitoria contemnens, sempiterna gaudia comprehendas. Ille enim in tua mente quid facias prospicit, et quam decenter ejus virgines comiteris attendit. Propterea ut ab adolescentulis ipsius diligaris, vehementer decerta, et post odorem unguentorum illius currere festinanter anhela, semper pro concessis Domino gratias referens, et pro concedendis humiliter exorans. Hortorque te habere in memoria, quæ possidere concupiscis in vita æterna, ut cujus te sponsam fateris in terra, ejus amplexibus perfrui merearis in perenni gloria.

Virginem Deo consecrat.

12 His dictis, velum capitis, ac reliqua indumenta in humilitate, castitatem cordis ac corporis, et contemptum mundi significantia super sanctum altare composita sanctus Papa benedixit, atque more sancto consecrans, effusa benedictione, eam Christo servituram, ut poposcerat, jure dedicavit; et conversus ad Dominum exorans dixit : Respice Domine super hanc famulam, ut sanctæ virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, gravis lenitas, casta libertas : in charitate ferveat, et nihil extra te diligat : laudabiliter vivere studeat, et laudari non appetat. Te timendo super omnia amet, et amando in omnibus timeat. Tu ei, Domine, sis gaudium, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium. Defensio ei sis in injuria, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. Quod est professa custodiat, et hostem antiquum devincat, et vitiorum sordes expurget, quatenus centesimo fructu cum decore virginali, ac virtutum lampadibus exornetur, et ad electarum virginum consortium pervenire mereatur. Cumque omnes respondissent, Amen; sanctus antistes deosculans *d* caput sanctæ virginis Hunegundis, dimisit eam in pace.

ANNOTATA.

a *S. Martinum primum fuisse hunc Pontificem scribi a quibusdam diximus § 2. Bailletus Vitalianum dicit, nullo, ut opinor, auctore. Res non est satis certa.*

b *Sequentia usque ad fidei professionem prætermisit Mabillonius, ut inepta, credo, nec Puellæ convenientia. Videbit facile eruditus lector totam hanc disputationem Berneri esse, non* Hunegundis; *majorique diligentia compositam, quam judicio Puellæ coram summo Pontifice disserenti attributam. Quid, quod omnia, quæ a Pontifice facta narrantur, mihi non tam certa videntur, ut fidem indubitatam adhibere debeamus.*

c *2 Cor.* I ℣ *15* : Volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis. *An hoc recte ad pœnitentiam detortum, alii inquirant. Aliter certe locum communiter explicant interpretes.*

d *Meliori sane opus est testimonio, ut hoc factum a summo Pontifice prudenter credi possit.*

CAPUT III.

Virgo a sponso relicta redit in Galliam, ubi se suaque monasterio tradit : reconciliatur Sanctæ sponsus, ac monasterii fit procurator : morbus supremus, et pia Virginis mors.

Indignatus sponsus Sanctam derelinquit.

Hæc audiens Eudaldus, qui pridem vocatus fuerat sponsus, cum cognovisset contemptum se a Virgine, indignatus est animo, et cunctis sensibus anxiari cœpit, volvens in animo cum nimia æstuatione, ut eam gladio transverberaret. Sed timens incurrere periculum homicidii, territusque audita sententia, quam retulimus, sermonis Apostolici, quia non oportet sanctum constristari Spiritum, cujus sancta Virgo erat domicilium, juxta Pauli vocem, ubi dicit, quod caste viventes templa sunt Spiritus sancti : ideoque quisquis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus : pœnitentia ductus, non est ausus eam contingere diutius. Missis itaque nuntiis, sanctam Virginem sprevit a consortio, et comitatu suæ reversionis, derelinquens illam solam, in via publica, et subtrahens illi omnia tanti itineris necessaria.

quæ pedes in Galliam velocissime reversa.

14 Privata Virgo humano solatio, cœpit viriliter agere, et confortare se in Domino, dicens ista Psalmigraphi cantica : Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit. Deducet me super semitas justitiæ propter nomen suum. Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt : parasti in conspectu meo mensam. Rursumque Dominum exorans dixit : Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Impinguasti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians quam præclarus est. Deduxisti enim me in portum voluntatis tuæ. Misericordia tua, Christe, obsecro præcedat, et subsequatur me, ut merear pervenire ad optatum sanctæ Mariæ Virginis servitium, et ut inhabitare valeam in habitaculo tuo in secula. Protegar, rogo, in velamento alarum tuarum. Igitur hac expleta oratione, cœpit sola *a* proficisci, et ad voluntatem Dei Gallias remeare, lustrans devia, et pervia; atque poscens sibi semper adfore Sanctorum præsidia; solatio quidem humano derelicta; sed suffulta, et protecta Christi comitante gratia. Erat namque pergens in itinere, quasi jam sub monastico degens regimine, vel, ut altius dicam, quasi sanctus heremicola Christo famulans in remota heremi solitudine. Diebus quippe festis utens pane solo, et aqua parcissima; reliquis pane cineribus commixto,

A et herbarum, arborumque pastionibus defessum refovebat corpusculum. Unde quod per sanctam Virginem Dominus dignatus est operari miraculum, non est nostro silentio transeundum.

sua omnia, seque monasterio tradisse narratur.

15 Cum prædictus Eudaldus nimia indignatione stomachatus, se contemptum omnimodis comperisset, et in sanctam vellet Virginem, sed non auderet gladio insurgere, accepto consilio a quodam, quem secum duxerat, itineris socio, concite ad paternam remeare disposuit hereditatem, vendens, et distribuens onerosa, ut citius transmigraret ad propria. Hoc itaque pertractans, volvebat in animo, ut omnia patrimonia, et jura hereditaria Virginis venderet, et quæ vendere non posset, in nihilum redigeret; et sic eam funditus cum omni supellectili, et mancipiis extirparet. Itaque cum velocissimis equitibus expeditam cœpit carpere viam; efferens se totum perficere in opere, quod olim conceperat doloso corde. Quod sanctam Virginem latere nequaquam potuit, quæ Deum scientem omnia in cordis hospitio locare curavit. Itaque Dei Ancilla divino instinctu permota, atque afflatu sancti B Spiritus vigorata, ut erat pedes cunctis equitibus et curribus velocior efficitur; immo per aliam viam gradiens, omnes et antevolans, veloces præcesserat currus. Denique prior ad terram suæ nativitatis pervenit, et omnia sua pro voto, et libitu, in loco, quem vulgo dicunt Humolarias, sanctæ Dei Genitrici Mariæ, seque simul, ut optaverat, servituram inibi Christo, dum adviveret, contradidit.

Eudalbus his visis placatur.

16 Non post multum vero temporis prosecutus idem Eudaldus ad votum explendum devenit, seque omnium rerum Virginis possessorem, et dominum prætulit, nesciens quod jam transissent omnia in cultum Dei, et sanctæ ejus Genitricis tutamina. Qui cum cognovisset eventum rei, et tam auditu, quam visu didicisset acta Virginis veridica, reversus in semetipsum, secum tacitus mirari cœpit, et venerari, recolens quæ et quanta per sanctam Virginem Dominus sit operatus miracula. Unde quales potuit mox Deo laudes, et gratias retulit, qui ab actu, et tactu malo eum custodivit, ne peccaret in sanctam Virginem, et furentem in reversione non permisit merito occumbere. Dignos igitur fru- C ctus pœnitentiæ peragens super his, quæ gesserat in Virginem, non poterat invenire, quibus eam laudibus extolleret, vel quibus muneribus ejus faciem complacaret; ut vel ab ea videri mereretur, et ut ipsa pro eo preces Christo fundere dignaretur. Tandem ergo salubri reperto consilio, semetipsum in humilitate cordis, corporisque ei obtulit; ac prostrato corpore, coram sacro altari Dei Genitricis Mariæ, veniam de commissis expoposcit: conversoque vultu, quo residebat Virgo celebs, poscit sibi misereri; multumque precatur, ut quem pridem voluerat habere sponsum, saltem tunc dignaretur suscipere servum.

multisque monasterio traditis, se ei offert procuratorem:

17 Quoniam, inquit, me ad injuriam corruptibilis amatoris non postposuisti, nec mihi qualemcumque personam potentem, aut infimam præposuisti, sed Regem seculorum, et Creatorem omnium mihi prætulisti, tibique Sponsum cælestem in toro Virginali adscivisti: ecce memet, atque mea gratanter offero illi, et quæ tibi olim dotalia contuli, trade Sponso vero Jesu Christo in sororum, egenorumque alimoniam. Ego, inquam, dum advixero, dumque hoc corpus gestavero, tuus procurator in exterioribus esse curabo: et post mortem omnem meam supellectilem, cum rebus, et mancipiis per hoc authoritatis testamentum perpetuo trado, in honorem Dei omnipotentis, atque sanctæ virginis Dei Genitricis. Et confirmans testamentum, hujuscemodi voce palam dixit: Hæc a me nunc suscipe, Virgo castissima, meumque cadaver in hoc loco tumulandum tuis precibus impetra, ut cum te Rex supernus ac cælestis sponsus in thalamum transtulerit virginum; ego veste nuptiali circumdatus, atque agni vellere niveo succinctus, inter convivas mensæ Regis, particeps vitæ cælestis apparere merear vel ultimus.

A. Bernero abb.

ubi post pium obitum sepelitur.

18 Obtinuit ergo quod expetiit, et cum sancta animi devotione, incolumis ad propria remeavit. Cui Dominus bene vivendi contulit efficaciam, ejusque votum ad optabilem perduxit effectum. Nam devotus Deo ultra quam fuissent necessaria sacratissimæ studuit subministrare Virgini, pariterque in statuto xenodochio victus et vestitus præbuit alimoniam. Fultus deinde multimoda Christi virtute, ac deducens tempus vitæ in hujuscemodi operatione, exutus est præsentis seculi contagio, ac perfunctus luce transitoria, audivit de supernis vocem sibi alloqui: E Euge *b* serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, eris princeps decem civitatum. Tunc beata virgo Hunegundis mentem sanctam cum oblatione Sacrificii per sacerdotum manus Regi regum Christo obtulit, deprecans, et exorans subvenire illi sanctos angelos, ac locari ejus spiritum inter choros agminum cælestium. Corpus vero poni jussit in feretro, ac deferri ad se fecit infra monasterium, et in condigno et optato tradidit sepulturæ loco.

Pietas Sanctæ in cœnobio, ad mortem anhelantis.

19 Post cujus abscessum arctiori se submisit vitæ, et Christi servitio puniens atque deflens cogitata, seu nociva jam peracta opera, crebrisque jejuniis, ac vigiliis macerabat corpus fatigatum; memorans quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. In hac denique sancta animi meditatione, ac devota fidei operatione moriens mundo, et vivens Christo, totum tempus vitæ suæ duxisse fertur; adeo ut plerumque videretur causari, et dicere illud propheticum: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitans cum habitantibus Cedar multum peregrinatur anima mea a regni cælestis patria. F Cupio dissolvi pro certo, et esse cum Christo, multo melius aiebat. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Dominum fontem vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? Introduxisti enim me, Christe rex æternæ gloriæ, in cellam vinariam, hoc est, in misterium gloriosæ passionis tuæ, et ordinasti in me charitatem: dum per proximi amorem, me ad tuam venire fecisti dilectionem. Et quia lævam, id est, præsentem vitam, te opitulante mihi subjectam habere conspexi, amplexetur me obsecro dextera tua, quæ est æterna beatitudo, ut videri merear, et videre te in Sion. In toto namque corde meo exquisivi te, ne repellas me diutius a mandatis tuis. Non me permittas, Domine, a te separari, sed præcipe venire ad te, quia largiente tua gratia, et ineffabili misericordia flores apparuerunt in terra, et tempus putationis advenit. Dormire corpus meum, et a labore quiescere temporaliter oro, sed vigilare de luce animam meam ad te, Deus meus, æternaliter exposco. Adhæsit quippe anima mea post te, me

suscipiat

A. BERNERO ABB.

suscipiat dextera tua, quia in te speravi, Domine. Cujus longanimem sanctamque peregrinationem superna considerans clementia, ejus petitioni desiderantissimæ satisfacere disposuit, ut quod hactenus viderat per speculum, et in ænigmate, jam tunc inciperet facie ad faciem cernere.

morbus, et pia ad mortem præparatio :

20 Quadam namque die, dum solo recubans, manus extensas teneret in oratione, percussa est nimia corporis gravedine, ac magno æstu infirmitatis corporeæ; sed consolari meruit angelorum præsidio, et Sanctorum omnium suffragio, quos invocare non cessabat, etiam in ægroto corporis ergastulo. Verum astantibus circumquaque utriusque sexus Christo famulantibus, qui ad decessum tantæ Matris atque virginis convenere ex vicinis, et longinquis regionibus : dolor ingens, mœror, et singultus erat omnibus : quoniam videbant se frustrari nimio solatio; licet essent fidentes, quod ejus semper in cælis devotissimo tuerentur patrocinio. Inter hæc conversa ad eos, qui assidebant sibi, presbyteros, unctionis oleum, et communionem sanctam expetiit sibi dari, Dominumque suimet misereri totis B viribus exoravit. Sic tandem Dominici Corporis et Sanguinis viaticum sumens, roseo vultu, et decora facie, velut præsentanda Regi regum in cælesti thalamo, imperat cunctis personare dulce melos, et hymnidicos psalmodiæ : dicebatque inter cætera quasi prominens ex cilicio et cinere : Adsum ergo, Christe, tua famula, veni rogo, Rex piissime, atque benigne me suscipe.

mors Sanctæ.

21 Cumque in hujuscemodi voce ab ora noctis media, usque ad horam diei tertiam persisteret; ilico cum immenso lumine odor suavissimus astantium ora perculit, ita ut vix possent subsistere præ lumine, licet essent vigorati balsami, et aromatum spiramine. Namque vox cum magno lumine etiam *c* fertur descendisse, quæ dum omnibus terrorem intulit, minus ulli se cognoscibilem præbuit. Sed quid aliud videtur edicere, quam quod fertur proloqui cuique sanctæ animæ? Infit enim : Surge propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni : amica videlicet per amorem, columba per simplicitatem, formosa per morum pulchritudinem. Jam enim hyems transiit, id est præsentis vitæ tribu- C latio abscessit, imber abiit, et recessit. Et iterum : Surge amica mea, sponsa mea, et veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, quod est in Christo, et in protectione ipsius subtilissima. Et item : Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum. Ideoque tota pulchra es, dilecta mea, et macula non est in te. Itemque post pauca : Vende Libano, sponsa, veni de Libano, veni : hoc est de candidatione sacri baptismatis sanctam Trinitatem confitendo, quia coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon : hoc est de lumine lucernæ, et corona consecrationis, quod est Christus. Vulnerasti quippe cor meum soror mea, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Ac si aperte dicat : Inclinasti majestatem ad te in illo uno oculo, quo plus cælestia, quam terrena prospiciens elegisti; et in illo uno crine, quo magis te ornari invisibilibus quam temporalibus studuisti. Ergo quia optimam partem elegisti, dignum est, ut non auferatur a te; intra in gaudium Domini tui, percipiens in præmio, quod optasti diu absque tædio. His et aliis hujuscemodi, sancta atque felix anima dulcorata solaminibus, octavo Kalendas Septembris migrasse cre- D ditur ad Dominum, qui est solus sine principio regnans in unitate, et Trinitate perfecta, unus, idemque Deus nunc, et semper, et in omnia seculorum secula. Ipsi gloria, laus, et jubilatio, honor et imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Non esse verisimile, Virginem solam in Galliam reversam diximus § 2 : unde quæ de toto hoc itinere referuntur fidem non merentur.*

b *Hujusmodi res non creduntur, nisi meliori nituntur testimonio.*

c *Fidem suam liberat auctor, dum dicit* fertur.

TRANSLATIO

Corporis una cum miraculis, E

Auctore Bernero abbate.

Ex Ms. Clare-Mariscano, collato cum codice Ms. et editione Mabillonii.

PROLOGUS.

Dicit cur, et quomodo sit scripturus.

Magnalia divinæ pietatis, quibus omnipotens Deus merita justorum propalare dignatur, dum fideli devotione mens humana scrutatur, a sui torporis ignavia erigitur animus; et quia ejusdem conditionis, qua et ipse subsistit, fuisse conspicit quos miratur, quibus nulla meritorum prærogativa, sed sola divini muneris gratia, tanta virtutum insignia superna concessi clementia, ad hæc promerenda fidem excitat, spem roborat, atque circa divini cultus exercitia ad bene agendum forti annisu exerit brachia; tantoque fidentius prorumpit ad fortia, quanto gloriosius perspicit sexum fragiliorem clara signorum luce splendentem. Aggrediamur ergo modis, qualibus valemus, quædam perspicua narrare mi- F racula, quæ Dominus in beatissimæ virginis suæ Hunegundis translatione dignatus est demonstrare. Utile quidem duximus, quatinus lucidiorem reddamus hujus descriptionis textum, ut hujus officii nomina personarum, causas rerum, annorum numerum, simul etiam seriem temporum intimemus. Sicque fit, ut personarum gravitas levitatis notam abjiciat, certissimæ rationis causa temeritatis maculam diluat, finitus annorum numerus aliquid nobis in eodem numero mysticum innuat, temporum quoque series miraculorum gloriam augeat.

CAPUT

A

CAPUT I.

Corporis quærendi occasio : ejus : inventio : translatio : ac mirabilia tum facta.

Berta laudabilis abbatissa monialium mores tentat corrigere, *a* *b*

Erat *a* igitur quædam sanctimonialis femina Berta nomine, quæ in juvente sua parentibus, ut ferunt, cogentibus cum viro juncta fuerat. Quo ab hac luce subtracto statuit in corde suo non amplius mortali servire marito. Nam multis nobilibus et ditissimis viris ad ejus conjugium anhelantibus, vix amicorum manibus elapsa, in urbem Remorum *b* ad beatissimæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ tutelam confugiens, capitis velamen devota suscepit. Cui postmodum Deo disponente contigit huic præesse locello, ubi nostris temporibus cunctis imitabilem diutius peregit vitam. Fuit namque miræ abstinentiæ, victricis patientiæ, amatrix paupertatis, devotæ humilitatis, misericordiæ operibus dedita, jejuniis, vigiliis, et orationibus convenienter intenta : verumetiam quasdam sanctimoniales, quæ inibi per misera carnalis desiderii lenocinia turpissime volutabantur, crebris exhortationibus ad sui imitationem juxta monita Apostoli, arguendo, obsecrando, necnon etiam increpando, continuo *c* invitabat.

B

c

unde sacri corporis quærendi nascitur occasio.

3 Sed sicut semper contraria esse solet vita justorum moribus reproborum, gravis eis facta est etiam ad videndum. Unde per multa opprobria et maledicta atque insidiarum jacula, quæ et intorserant, quia amore sanctissimæ virginis Hunegundis hoc in loco detineri videbatur, de ejus sacri corporis absentia quædam ausæ sunt commentari figmenta *d*. Hujus namque rei gratia ad requirendum tanti corporis sanctissimum thesaurum fidelis intentio provocatur, dicens sibi non eam ibi oportunum esse amplius manere, si locus isdem fraudatus esset tam sancta et gloriosissima Matre.

d

Berta corpus inventum levare cogitat; *e*

4 Igitur anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo sexto, Ludovico *e* regnante, quinto die Nonarum Octobris, post plurima jejunia, post crebras vigilias, post multas lacrymas, eamdem noctem cum his omnibus, quos vel quas ad hoc provocare potuit, insomnem ducens, per uberes et immensos imbres lacrymarum omnipotentis Domini clementiam humiliter imploravit, ut ei sanctæ Virginis suæ sacratissimum corpus revelare dignaretur : factoque mane post peracta Missarum sollemnia, fidelis ac Deo devota femina, pretiosam sacri corporis gemmam studiose quæsitura, sarculum arripuit : factumque est annuente omnipotentiæ Divinitatis, quæ se in veritate petentibus nihil negare consuevit, ut quod fideliter quærebat, feliciter inveniret. Læta siquidem et gaudens, omnipotenti Domino gratias retulit, qui concessit ei, quod cum tanta animi anxietate jam diu postulaverat. Ibat itaque multum hilaris et nimis exsultans, et quasi quadam immensitate lætitiæ absorpta, totius consilii gravitate postposita *f*, superni Regis æternalibus ornamentis perenniter inserendam subito levare moliebatur cælestem margaritam.

C

f

5 Sed affuit divini dispositio consilii, quæ circa beati corporis pignora aliquid inconsiderate vel leviter non esse agendum declaravit. Nam mox advenit, non casu, sed Dei providentia, venerandus presbyter Giso, sanctorum martyrum Quintini et Victorici pignorum custos idoneus, qui jam dictæ præcipitationi vix finem imposuit, et eorum moliminia vehementissima increpatione coercuit : Non, inquiens, rationabile videtur, ut sine auctoritate et consensu hujus diœceseos pontificis levari debeat corpus tam beatissimæ Virginis : videlicet ne, quæ multo jam tempore fama virtutum longe lateque plurimis clara exstiterat, hujus subitaneæ ac velut furtivæ translationis elogio vilescat. Tali vero ordine eorum nisibus terminum posuit, atque per triginta et duos dies ita apertum scrinium, in quo beatissimum corpus jacebat, intactum observantes, sacrisque vigiliis die noctuque incubantes, episcopi adventum præstolati sunt. Non utique sine causa hanc dilationem omnipotens Deus fieri vo'uit, sed ut, quam coram angelis cunctisque justorum spiritibus jam cum Christo in cælis regnantibus clarificaverat, eam etiam in terris hominibus adhuc carne corruptibili et peccatorum mole gravatis venerabilem designaret.

A. Bernero abb. *sed rem usque ad episcopi consensum differt.*

E

Corpus apertum, fugatis imbribus, ingenti luce coruscat,

6 Erat profecto per idem tempus tanta pluviarum inundatio, ut præ nimia aquarum effusione nequaquam valerent agri cultores terram excolere, neque sementem nisi cum desperatione jactare. Eadem vero hora eodemque momento, uto perculum levatum est de sarcophago, sese per fenestram, quæ sita erat secus locum sancti sepulcri, splendidissimus infudit radius solis, qui mirabiliter effulsit super corpus beatissimæ Virginis : sicque fugata omni nubium densitate, cum tanta celeritate rediit serenitas aeris, ac si pro corpore almificæ Virginis alius quasi sol oriri videretur in terris : ac velut sol iste visibilis suis vocibus proclamaret, se non posse ei non ministrare instabilem lucem in terris, cui stabiliter in cælis splendet lumen æternitatis. Tanta denique claritate perfusus est locus sanctissimi corporis, ut incertum foret intuentibus, utrum radio solis istius materialiter fulgeret, an lumine divinæ claritatis. Factumque est cunctis diebus, quibus ita reserato jacuit mausoleo, pie quærentibus conspicabilis, ut numquam omnino recederet vis tanti fulgoris. Nam a pectore et sursum, pro minutiis et sordibus pulveris, nitentia resplendebant fragmina margaritarum; et quibusdam clarissimis scintillis erumpentibus aspicientium reverberabantur obtutus.

F

miraque odoris fragrantia perfusum, sanat morbos :

7 Cum eodem etiam lumine tanta adspersa est miri odoris fragrantia, ut omnium adstantium nares ineffabili suavitate replerentur. Quæ omni tempore, quo ita jacuit, quotiescumque variis infirmitatibus oppressis ad videndum revelabatur (nam quicumque hanc videre poterant, quacumque infirmitate detinerentur, ilico sanabantur) isdem prædictus suavissimus odor sese suavior, et semper in melius reparatus præsentium replebat olfactus. In hac ergo tantæ Matris inventione factum est magnum gaudium in omni vicina regione. Lætabatur tellus se tam clarum diu sidus texisse : exsultat aer tantæ Virginis gratia cæli serena se adeptum fore nubila; gaudet solis radius obsequium præbens sacri corporis artubus; gratulatur supercælestis beatorum turma spirituum, quod videlicet, de cujus jam animæ gaudent societate, ejus profecto sancta membra, ineffabili lætitia in die resurrectionis omnium pro meritis glorificanda, fideliter venerari conspiciunt adhuc in angusta tumuli spelunca.

A. Bernero abb. curatus ad apertum sepulcrum dæmoniacus :

8 Ad laudes itaque referendas valere credimus omnium Conditori, si tradantur posterorum notitiæ, quæ Dominus miracula operari voluit in inventione sanctissimæ Hunegundis virginis suæ. Nam quidam dæmoniacus per manus amicorum, qui spem curandi eumdem, quem ducebant, in sancta Virgine firma fide locaverant, adductus, reluctans et proprium iter totis viribus impediens, tandem cum magno labore multis prementibus in ipsius beatæ Virginis ecclesiam impulsus est. Qui dum per manus et brachia versus altare traheretur, quanto magis eisdem adpropinquabat, tanto majori vesania arreptus, impellentium nisibus resistebat. Qui diu luctantes, ad ultimum vesanum superant, et coram altari statuunt. Quem inde promoventes ad aspiciendum sanctissimi corporis tumulum oculos inflectere cogunt. Quorum desiderio subvenire cupiens sæpe dicta sanctimonialis Berta scilicet, retecto sepulcro, videndum velum, quod supra sancta membra jacebat, eis copiam tribuit. Quo viso, qui torquebatur, continuo sensui et omni pristinæ saluti est redditus; moxque jam nullo cogente, in terram prostratus omnipotentis Domini clementiam per beatæ Virginis meritum exoravit, de recepta salute gratias referens, de futura custodia deprecans : qui ad perfectæ sanitatis indicium, non post multum tempus cum luminaribus reversus, sanctæ Virgini honorem detulit, atque in testimonium receptæ salutis, plures ex vicinis suis secum adduxit, seque omni anno, quamdiu adviveret, eumdem locum cum luminaribus, et amicorum turba visitaturum promisit.

item surdus, cæca, morti vicinus,

9 Hoc quoque intervallo quidam rusticus, nomine Lupus, qui adhuc superest, et moratur in castro, quod dicitur Perona *g*, accessit cum naturali filia, quæ vocabatur Affindis *h*, ambo pro ægritudinis suæ molestia istius sanctissimæ Virginis postulaturi suffragia. Nam pater obtusis auribus auditum perdiderat; filia vero per non modicum tempus oculorum corporalium lumen amiserat. Supplices igitur et cum nimia amaritudine flentes omnipotentis Domini misericordiam implorabant, quatinus per meritum beatissimæ Virginis eis proveniret remedium salutis : quod et factum est. Ab illo namque die et pater auditum, et filia melius habere meruit visum. Eadem quoque hora suprascriptæ inventionis, quidam pauper spiritu, nomine Adhelboldus *i*, jacebat omni membrorum officio destitutus, et pro exitus sui vicinio, die transacta, Corporis et Sanguinis Dominici sacramentis munitus, cunctis quoque videbatur morti contiguus : mox ut audivit signis concrepantibus tanti somatis orama *k* perspicuum, surgit a lectulo, nullum in motu membrorum ostendens infirmitatis indicium, curritque ad templum sanctæ Virginis, gestiens videre sepulcrum, et arreptam suis unam ex ovibus hanc sanctæ Virgini obtulit in munus, et ab infirmitate protinus convalescens, nullam deinceps transactæ molestiæ sensit injuriam.

mulier ad extrema deducta, aliique multi.

10 Eodem vero adhuc reboante tripudio, quædam vidua, nomine Wiburgis, jacebat nimis ægrota, quæ paullo ante pro exitus sui exspectatione, divinis perceptis Sacramentis, per pœnitentiam et lacrymabilem confessionem a sacerdotibus divinæ pietati fuerat reconciliata. Hæc populi exsultantis plenas lætitiæ voces persentiens, interrogat quid ille sibi strepitus vellet, vel cujus causa festivitatis tanta in populo lætitia personaret : quæ statim circumstantium relatu didicit, quod sacri corporis inventione talis in plebe lætitia sit. Illa vero, nomine sanctæ Virginis audito, dicto citius caput a lecto erigit, membra componit, vestem induit, ecclesiam celeriter petiit. Cumque ad se reversa superna virtute fugatam infirmitatem comperiens, et sibi subito redditam sanitatem, secum tacita volvens miraretur, omnipotentiæ divinæ gratias et laudes retulit, atque ilico unam suæ proprietatis ancillam, nomine Isigildam, beatissimæ virgini Hunegundi pro percepto beneficio sanitatis, multis astantibus tradidit *l* : sicque ab illa infirmitate convaluit, et postmodum diutius vixit. His demum peractis, aliisque non paucis miraculorum signis, quibus Dominus declarari voluit gloriam suæ Virginis, quæ pro multiplicitate sui incongruum existimo huic pictaciolo *m* ad unguem inseri. Nam omnipotens Deus ut ostenderet cunctis, quantam suæ famulæ concessit gratiam curationis, tantus eodem tempore in hac eadem villa nimiæ infirmitatis grassabatur morbus, ut nulla pæne remaneret domus, in qua non jaceret infirmus : qui omnes in prædicta sollemnitate tanta sunt celeritate sanati, ut beatissima Virgine levata de tumulo, nullus eorum infirmus remoraretur in lectulo.

Translatio a quibus peracta.

11 Arcessito denique Rodulfo, Noviomensis ecclesiæ episcopo *n* devoto; et ex congregatione beatissimi martyris Christi Quintini, convocatis patribus Gisone *o*, Rotberto, aliisque plurimis magna devotione repletis, diu dilatum festinatur ut fiat officium. Peractis itaque Missarum sollemniis, mente humili ac devotis animis acceditur ad tumulum, in ipso adhuc jam dicto divinitus infuso lumine circa caput et pectus beatæ Virginis tam clare radiante, ut pro nimietate sui nequaquam pleniter posset intueri. Levatur autem sanctissimum corpus de sepulcro septimo Idus Novembris. Nobis autem, fratres carissimi, quibus hæc beatæ Virginis Hunegundis gesta, aliorumque Sanctorum perplurima exempla ostenduntur ad legendum, proponuntur *p* ad imitandum, sollerter intuendum, fortiter satagendum est, ne ipsorum expertes operum in illa perenni vita alieni efficiamur a communi lætitia Sanctorum omnium. Pulsemus ergo intimi cordis suspiriis aures piissimi Conditoris, quatinus ipso nobis donante, quod jubet, efficaciter complere valeamus, quod salubriter monet : ut venturus in illo districti examine judicii, non in nobis inveniat quod damnet, sed quod cum suis redemptis misericorditer coronet Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat et gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Duas aut tres circiter lineas, quæ ex Mss. nostris exciderant, et omnino ad sensum erant necessariæ, supplevi ex editione Mabillonii.*

b *Consecratam Deo Remis* In S. Petri parthenone *ex recentiori monacho Humolariensi, tradit in observationibus prævìis num. 2 Mabillonius.*

c *Mabillonius,* continere invitabat.

d *Ut abscederet Bertha, solutiusque possent vivere, fingebant corpus* S. Hunegundis *in monasterio suo non quiescere.*

e *Ludivico, scilicet Transmarino, cujus regnum ab anno 936 usque ad 954 statuit Labbeus tom. 3 Compendii chronologiæ pag. 629.*

f Post-

A f Postposita. *Ita utrumque Ms.; Mabillonius*, proposita, *minus recte, ut ex re ipsa facile colligitur.*

g Perona, *Mabillonius* Parrona. *Perona est urbs munita in Picardia ad Somonam fluvium: castrum vocatur, ut sæpe urbes munitæ illo tempore reperiuntur nominatæ.*

h Affindis. *In codice nostro Ms.* Aflindis, *Mabillonius* Afflindis.

i Adhelboldus, *ita Ms. Aliud*, Adelboldus; *Mabillonius* Adelbodus.

k Σώματος ὅραμα, *Latine* corporis aspectus.

l *Eam videlicet libertate donans.*

m Pictaciolo, *id est schedulæ, scriptiunculæ. Vide Cangium ad vocem* Pittaciolum, *quod idem est.*

n Episcopo, *ita Mss. Mabillonius:* Arcessito denique Rodulfo Noviomensis ecclesiæ archidiacono, postea ejusdem ecclesiæ episcopo. *Recte quidem ad expositionem loci, an etiam ita in Mss. inventum, me latet. Rodulphus certe anno 946, quo facta translatio, nondum ecclesiam Noviomensem regebat episcopus, ut probatur ex diplomate Transmari ecclesiæ Vermandensis ac Noviomensis episcopi, quod datum est anno 947, et recitatur a Mabillonio in Observationibus ad hanc translationem præviis pag. 213. Recte itaque scribit idem Mabillonius tom. 3 Annal. Benedict. pag. 484, curam sacri corporis elevandi et transferendi ab episcopo Transmaro commissam* Rodulfo Noviomensis ecclesiæ tum archidiacono, postea ejusdem ecclesiæ episcopo, qui, adjunctis sibi e congregatione S. Quintini Gisone, et Rotberto presbyteris, id hoc anno (946) executus est VII Idus Novembris. *Suspicor tamen scriptum esse a Bernero, prout in Mss. inveni, episcopumque vocari Rodulphum, quia postea, anno scilicet 950, ut ex Flodoardo tradunt Sammarthani in episcopis Noviomensibus, episcopus ejusdem ecclesiæ factus est.*

B

o *Giso S. Quintini ecclesiæ thesaurarius, Rotbertus decanus fuisse dicitur ab Hemeræo in Augusta Viromanduorum ad annum 947, pag. 92.*

p *Hic pauca verba ex Mabillonio fuere sumenda, quæ deerant in Mss.*

C

CAPUT II.

Miracula quædam post translationem facta.

Quidam suis porcis sylvam monasterii vastantes, a

His præmissis de Vita et actibus sæpedictæ gloriosæ virginis Hunegundis, ratum duximus pauca subsequendo describi miraculorum insignia, quæ Dominus *a* per merita dilectæ suæ Famulæ operari dignatus est. Nam ea, quæ aggressi sumus describere, quibusdam nostræ ætatis referentibus vix valuimus agnoscere: fuerunt etiam innumera virtutis facta, quæ si per incuriam oblivioni tradita non essent, satis digne litteris mandari potuissent. Unum namque signum, quod constat mirabiliter esse factum, consequenter brevi locutione est narrandum. Denique cum quodam tempore homines perversi sua fortiori potestate fidentes, audaci temeritate silvam ipsius sanctæ Virginis, quæ sita est secus fluvium Sambram *b*, in villa, quæ dicitur Dediniacus, ingressi, cam suis porcis edendam pervaserunt, et censum sive aliquod servitium pro eadem silva eidem sanctæ Virgini esse deferendum, nulla ratione consenserunt.

A. BERNERO ABB.

iis mirabili modo multantur:

13 Quos per seipsam beata Virgo increpare, atque a tanta audacia coercere curavit. Nam dum libere tanta silvarum copia læti potirentur, subiit eadem Dei Virgo, pastoribus terribili specie apparuit, eosque cur sibi fructum subriperent silvæ interrogans, virga, quam manu gestabat, percussit: sicque omnis illa porcorum multitudo huc illucque diffusa, versus Humolariense monasterium præcipiti cursu iter arripuit. Unde factum est, ut ex quibus domina redditus silvæ habere prius non poterat, hos postmodum familia ipsius jure quieto possideret. Nam cum magno impetu villam ingressi, circa monasterium per plateas et curtes *c* a se invicem divisi, a nullo umquam postea sunt requisiti. Hujus rei plurimi testes exsistunt, ex quibus quædam mulier nomine Dodisma nuper ab hac luce subtracta est, quæ se tantæ rei interfuisse, ac ex eis suam portionem percepisse veraci assertione fatebatur.

libidinem militis Sancta reprimit.

E

14 Eodem fere tempore erat quidam miles nobiliori genere exortus, nomine Magenerus, qui cujusdam sanctimonialis ipsius monasterii pulcritudine illectus, nequaquam se abstinere potuit ab ejus amplexibus. Dum igitur quadam die more solito monasterium peteret, ut suæ et ipsius carnis voluptati satisfaceret, ei sancta virgo Hunegundis in atrio ejusdem monasterii visibilis apparuit, eumque vehementer increpans, quo pergeret requisivit. Qui ad vocem increpantis valde confusus erubuit; et se ab opere nefario compescens, ab accessu simul et ab actu nefando ad tempus subtraxit. Prædicta autem sanctimonialis, velut labilis et lasciva, se a viro contemptam putans, dum acerrimo dolore fatigata, quasi se abominatam dum ingemisceret, antiqui hostis insidiis armata, eumdem virum calliditate, qua potuit, ad se revocare tentavit: Affabilis, inquiens, amice, cur me spernendam putasti? Non te visio, quam vidisti, absterreat, quia non fuit præsentia Hunegundis, sed aliqua de æmulis meis, cupiens te avertere a me. Ita dato indicio, aliorsum clanculum præparato ostiolo, is spurcissimus vir intermissum nefas iterare temptavit.

F

crimenque repetentem punit, spretis pro eo oblatis muneribus:

15 Cui mox pervigil custos sancta virgo Hunegundis obviam venit, et baculo, quem manu tenebat, in inguine percussit: qui mox exsanguis effectus corruit, et in manibus elatus, coxa ejusdem intumescente, eodem dolore vitam finivit; cujus coxa anno integro ante obitum suum in terra computruit. Pro cujus tamen curatione amicorum studio maxima donaria ad offerendum sanctæ Virgini præparantur, quæ velut immundissima stercora rejiciuntur. Nam, iisdem plurimum nummorum offerentibus, turbo cælitus irruit, qui tanta exagitatione prædictam oblationem exsufflans dispersit, ut nulli deinceps mortalium quidquam de ea appareret. Verum nulli incredibile videri debet, quod sanctam Dei Virginem suis hostibus visibiliter apparuisse retulimus, cum simile quid de beato Petro Apostolorum principe, in libro Dialogorum tertio sub capitulo vigesimo quarto sanctus Papa referat Gregorius. Ait enim quod isdem venerabilis Petrus, cuidam Theodoro suæ ecclesiæ mansionario, solito citius surgenti, atque in ligneis gradibus ad refovenda luminaria stanti, deorsum in pavimento stans in stola candida apparuit, cumque

A. BERNERO ABB.

que cur tam cito surrexisset, increpavit *d*.

Cæcus ad templum Sanctæ curatus, 16 His breviter tractatis, postremo ad ea, quæ ad horam intermisimus, quod superest, narraturi redeamus. Quidam vir, Guntardus nomine, oculorum lumine privatus, causa audiendi Missam, ad sanctæ Virginis divertit ecclesiam : sed cum Missarum sollemniis ibidem officiose peractis, mediante jam die januas inveniret obseratas ecclesiæ, in porticu foris se prostravit in terram, diutius orans adesse sibi Dei misericordiam. Surgens autem post multas lacrymas ab oratione, cœpit oculos manu tergere, restituto visus sibi officio, vidit *e* clare omnia, obtentu sanctæ et piissimæ Hunegundis virginis. Qui mox lætus, mulieri gressus suos regenti ait : Mulier, dimitte me; nunc enim te trahente non indigeo, quoniam, Deo gratias, recepto lumine perfecte video, quod mihi pie obtinuit intercessio meæ dilectissimæ dominæ Hunegundis. Itaque ingenti lætitia perfusus, laudando Deum reversus est ad propria.

claudus gressum recipit: multa miracula omissa. 17 Est et aliud magnæ virtutis miraculum, quod abscondi silentio non esse congruum æstimo. Quidam quoque vir, Rotbertus nomine, pedum officio destitutus, scabellis, ut moris est talium, ejusdem Dei Virginis sollemnitati gloriosæ, prout potuit, festinavit interesse. Qui in eadem ecclesia diu remoratus, gratiam sospitatis infundi sibi petiit suis miserabilibus membris. Tandem, Deo miserante, meritis beatæ virginis Hunegundis et intercessione, perfectæ incolumitati palam cunctis meruit restitui : sicque factum est, ut qui contractis nervis curvus advenerat, eorumdem compagibus satis apte solidatus, postmodum cum gaudio est reversus. Sufficiat nos pauca narrasse : calamus autem nostræ descriptionis plura dicere posset, si licentia temporis permitteret, quamvis multa miraculorum opera per incuriæ culpam sunt negligenter omissa. Agamus ergo gratias Deo nostro, qui dilectam virginem et famulam suam Hunegundem ita glorificavit in mundo, cujus meritis et obsecratione pervenire mereamur ad gaudia cælestis patriæ, in qua ipsa feliciter exsultat, et cum choris virginum canticum novum Domino cantat. Ipsi gloria, honor, virtus, et potestas. Amen.

Sequens miraculum vidit auctor: f 18 In narrandis divinæ operationis mirabilibus *f*, ille tota mentis virtute est utique laudandus, cui cantat Propheta gratulabundus : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus. Unde nos totis viribus laudemus et benedicamus eum, qui sibi fideliter servientium gloriam perire non patitur meritorum : sed sicut æternaliter eos gaudiis facit interesse cælestibus, ita etiam temporaliter per quædam mira eorum merita ad memoriam reducit hominibus. Narraturi siquidem, quod oculis nostris vidimus, magnum miraculum divinæ virtutis, non dubitamus in quorumdam mentibus generari scrupulum dubitationis, quod est, proh nefas! pessimum genus infidelitatis. Caveant ergo derogatores divinorum operum, ne damnentur cum his, de quibus loquitur Scriptura : Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Qui cum viderent Dominum Jesum innumera facientem mirabilia, et ea a notitia populi occultare non possent, hæc pessima mente calumniari temptabant dicentes : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Nos vero falsiloquos et mendaciis suis infeliciter vacantes, quorum secundum Apostolum cor insipiens obscuratum est, et evanuerunt in cogitationibus, recepturos, nisi forte corrigantur, erroris sui mercedem, postponentes, ad propositum redeamus, et piis ac fidelibus animis, quod oculis nostris vidimus, fideliter referamus.

metentibus in festo Sanctæ sanguine madent spicæ, g 19 Anno igitur ab Incarnatione Domini nongentesimo sexagesimo quarto, die octavo Calendarum Septembris, festivitate scilicet beatæ virginis Hunegundis, hoc, de quo loquimur, divina virtute factum est miraculum. In territorio namque cujusdam villæ, quæ dicitur Sasnulficurtis *g*, messores in ipsa festivitate frumentum secabant; quos presbyter eorum, nomine Lantfridus, frequenter pro hac temeritate redargueraf, dicens se synodo interfuisse, in qua ab episcopo Noviomensis ecclesiæ Rodulfo *h* hæc festivitas devotissime celebrari jussa fuerit. Sed ipsi suorum vicinorum errorem secuti, dicebant se solos non posse hanc festivitatem celebrare, dum cunctos suos vicinos viderent necessitates suas operando implere. Unde contigit, ut quædam puella, Rotgildis nomine, prædicti presbyteri, sicut ipse nobis retulit, ex sorore neptis, jam dictos messores prosecuta est, et spicas, quæ de manibus eorum ceciderunt, colligebat. Cumque se inclinasset, ut spicas studiose colligeret, unam, dum a terra levaret, recenti sanguine madidam invenit. Tunc mirans, unde sanguis ille veniret, projecit; aliam nihilominus colligens, eodem cruore madentem, sic tertiam, quartam et quintam, et deinceps usque ad fastidium omnes, quas collegerat, sanguine plenas videbat. Unde tremens et nimis pallida ad patrem suum, qui tunc forte in campo erat, cucurrit, et quid ei contigerat, indicavit. Quam pater velut puellaris levitatis verba narrantem durius increpavit, et ad opus suum redire admonuit. Sed illam trementem, atque ita, ut dixerat, se rem habere affirmantem, ejus pater per campum secutus est, et ejusdem cruoris plurimas spicas inundatione madentes collegerunt : et quæsierunt si forte in eodem campo aliquis ex messoribus manum sibi aut digitum incidisset, unde sanguis ille profueret.

quæ ad ecclesiam delatæ plus sanguinis emittunt: 20 Quod omnibus stupentibus, atque cum magna adtestatione negantibus, quasdam ex eisdem spicis ad ecclesiam detulerunt; et presbyterum ante altare stantem invenientes, ei spicas sanguine plenas dederunt; et quid eis in campo contigerit per ordinem indicaverunt. Sed Presbyter refugiens tantæ famæ auctor exsistere, dixit : Si super hoc, quod dicitis, amplius aliquid non videro, populo incredibile hoc prædicare non audeo. Cum *i* hæc diceret, grossiores quasi lacrymæ ex summitatibus granorum fluxerunt sanguinis guttæ, et ante pedes ejus in terram stillarunt. Quo viso, presbyter tanto tremore perculsus est, ut deficiente spiritu vix genibus trementibus stare poterat : et quod prius timebat indicare, postmodum plus timuit, ne sua negligentia tardius ad notitiam populi perveniret. Signis his factis, populum ad ecclesiam convocavit, et pro sua inobedientia eos increpans, hoc divinum eis miraculum patefecit. Quos pro insolito miraculo nimius timor invasit, et ad pœnitentiam pro sua temeritate agendam promtissimos reddidit. Egressi denique ab ecclesia per campos, per rura, per agros, per viarum exitus circumquaque discurrentes, cunctis vicinis suis nuntiabant, ne amplius cœpto operi insisterent; sed ad ecclesiam venirent, et divinum miraculum

cernerent.

A cernerent. Quibus omnibus nimium exterritis, fama celeriter pervolante, acsi paganos fugientes *k*, ex opere proprio exturbabantur, et ne super se cælitus ira Domini veniret suppliciter precabantur.

alterius, in opere progressi, brachium diriguit.

21 Quidam itaque rusticus, Rotbertus nomine, in eadem villa frumentum in area virga cædebat : qui hæc audiens, proprium opus se relicturum promisit, flagellum projecit : sed stultus, quasi hoc levius esset, scopam arripuit, et circa aream verrens, frumentum adunare cœpit : quam vesaniam statim ultio divina subsecuta est. Nam mox ejus brachium diriguit, et divino verbere tactus in terram cecidit, clamans se reum, se miserum, sese sub omni celeritate esse moriturum : quod factum prædictum timorem auxit. Presbyter vero circumquaque discurrens, sanguinolentas spicas in manibus ferens, vicinarum ecclesiarum presbyteris, quod fuerat factum, nuntiavit. Qui omnes tantæ novitatis signo turbati, convocatis suarum parochiarum populis, cum crucibus et cereis, uno facto agmine, nudis pedibus cum supplicibus votis, cum illo, B cujus brachium diriguerat, et cum puella spicas sanguinolentas in manibus ferente, ad monasterium sanctæ Mariæ et sanctæ Hunegundis celeriter pervenerunt; et suam culpam confitentes, in terram prostrati, ut fratres pro se orarent, humiliter petierunt : quod et factum est. Eant ergo, qui non credunt huic signo, et calumniam faciant illi, quod similiter in sanguine factum est in Ægypto sub Pharaone. Nos vero benedicamus eum, qui mirabilis est in Sanctis suis, Deus Israel dans virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Mabillonius cum codice nostro Ms.* Quæ Dominus ob tantam sui famulam pie dignatus est operari per gratiam. *Sed in idem recidit.*

b Sambram. *Sabis est, Gallice* Sambre. *Fluvius hic oritur in Picardia, prope Capellam arcem, inde per Hannoniam fluens, prope Namurcum Mosæ miscetur, ut habet Baudrandus.*

c Cortis, Curtis, cors, est atrium rusticum, *inquit in Glossario Cangius,* stabulis et aliis C ædificiis circumdatum. *In hac significatione, licet alias habeat plures, hic sumi videtur.*

d *Lib. 3 citato cap. 24 hæc habet S. Gregorius, a cujus mente auctor videtur aberrare; ille enim verba Petri ad Theodorum :* Conliberte, quare tam citius surrexisti? *non pro increpatione habuit, sed pro approbatione operis, ut patet ex his sequentibus Gregorii verbis :* Qua in re quid idem beatus Apostolus servientibus sibi voluit, nisi præsentiam sui respectus ostendere : quia quidquid pro ejus veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret?

e *Hic rursum in verbis differt editio Mabillonii, sed idem est sensus.*

f *Videtur sequens miraculum postea præcedentibus additum, quod ex hac in illud præfatione facile lector colliget.*

g Sasnulphicurtis, *ac si diceret : in villa Sasnulphi; curtis enim pro villa etiam sæpe sumitur ab illius ævi scriptoribus,*

h Rudolfo; *hic idem, qui archidiaconus corpus Sanctæ elevavit. Statutam hanc festivitatem anno 954 diximus § 1 Commentarii num. 4.*

i *Ita Ms. etiam in sequentibus. Mabillonii editio in verbis dissidet, et sensum habet imperfectum.* A. BERNERO ABB.

k Fugientes, *mendose Mabillonius* rugientes.

TRANSLATIO

Altera cum miraculis,

auctore anonymo,

Ex editione Mabillonii.

Præfatio brevis auctoris.

Sanctorum miracula describere, eorumque facta insignia ob posterorum notitiam chartulis imprimere, fidelibus non pigrum judicari ab omnibus adprime debet, honorificum simulque necessarium. Nam fabularum næniæ dum recitando fatuorum auribus in malum pronis ingeruntur, illectus E animus torpet, mens hebet, et propria luce relicta deorsum fluit, corruptionis perniciosa lenocinia concupiscens, probitatis tramitem derelinquens; sicque fit ut cor insipientium auditis fatuitatibus per proclivia gradiens, nectat catenam, qua valeat trahi, tartarumque demum immergi. Verum Sanctorum merita dum divulgata in auditum populi proferuntur, virtutesque eorum profectus gratia nuntiantur, fidelis mens de mortis somno exsurgens ad vitam, de tenebris infidelitatis exerit brachia ad studia sanctitatis : consurgensque ad prospera, inardescit ad fortia, malignitatis præcipitia præcavet, piæ intentionis iter arripiens. Taliterque perditionis nodis absoluta, libero pede festinat ad gaudia cælestis vitæ, qualinus Deum deorum valeat videre in Sion, id est in specula pacificæ visionis. Quocirca vestræ, fratres, dilectionis caritatem quoddam non pigeat audire miraculum, quod Dominus noster Jesus Christus in mutatione corporis suæ sanctissimæ virginis Hunegundis sua dignatione voluit demonstrare : de qua videlicet mutatione, quia occasionis articulus e vicino sese nobis obtulit, non fiat tædiosum aliquantisper obtentu reverentiæ immorari, ut qualiter facta, vel consummata F sit ipsa mutatio, ad fidelium notitiam litteris licet imperitis queat pervenire. Habet enim mercedem suam piæ devotionis affectuosa intentio.

Consilium ineunt monachi de corpore honoratiori thecæ includendo:

2 Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo primo, regni Francorum monarchiam gubernante optimo principe Henrico *a*, Philippi regis genitore, abbate quoque Macario *b* Humolariensis cœnobii curam administrante, visum est fratribus beati Benedicti sub regula Domino militantibus, quatenus corpus dominæ suæ Hunegundis, si facultas suppeteret, mutari debuisset, ut cujus scilicet non ambigebant animam inter virginum choros honorari in cælesti thalamo, ejus gloriosum soma non negligerent in terris condere honorabili mausoleo. Erat enim id ætatis sacra margarita ligneo tantum involuta scriniolo, forinsecus aspicientibus vile præbente domicilium; sed intrinsecus servante admodum carissimum thesaurum. Ipsum vero ædificiolum laminis ferreis adeo fuerat circumseptum atque præclusum, cui introrsus inhærebant ossa devotissima, ut vix aliquibus pateret apertionibus præter admodum paucis artis mechanicæ

A. Anonymo.

mechanicæ machinationibus. Eidem quoque aliud majusculum superpositum exstabat scrinium haudquaquam minori sollertia constructum, ligaminibus identidem ferreis et clavis quamplurimis munitum attentius, sagaci cura ac industria altrinsecus vallatum, ne videlicet facile pateret captiosis, fraudulentisve ingeniolis. Prædari quippe minime cupit, qui sic thesaurum suum occultis atque firmissimis tectis recondit. Tali siquidem modo corpus Deo amabilis virginis Hunegundis fuisse conditum ab his, qui viderunt nobisque retulerunt, accepimus a tempore scilicet inventionis atque translationis ejusdem virginis, quæ celebrata est anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo sexto, Ludovico regnante, Berta femina Deo sacrata tunc temporis Humolariensem regente abbatiam. Cujus inventionis necnon et translationis descriptionem simulque miraculorum insignia, inibi divinitus declarata, volentibus agnoscere, claro stilo luculentoque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ domus abbas Bernerus, qui Deo disponente primus huic successit locello, pulsis ob obscena
B carnalis voluptatis lenocinia, quæ ibi erant, monialibus. At nos ista interim omittentes, cœptum opusculum, prout valemus, intendamus. Cum igitur cœnobitæ, ut præmisimus, simul cum patri spirituali ad invicem pertractarent, si quo modo ad effectum perducere possent, quod quidem summo affectabant desiderio, nec tamen inchoare præsumebant; fortuna loci summissius arridente, Dei providentia omnia prævidente contigit quemdam virum de burgo sancti Quintini gloriosi martyris, mercimoniis atque mercationibus vitam suam deducentem, nomine Balduinum, causa devotionis animæque profectu nostrum adiisse cœnobium, qualinus mutuæ dilectionis obtentu fratres dignarentur sibi suam largiri societatem.

quod promovet Balduinus monachus;

3 Quam petitionem fratres cum patre libenti animo amplectentes propter illud Domini præceptum, quo dicitur : Date et dabitur vobis; et, Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis; et : Omne quod ad me venit non ejiciam foras, societatem et beneficia loci, ut moris est monachis, ei gratanter impenderunt. Nam vir ille, licet sæcularis, religioni erat intentus, mi-
C sericordiæ operibus operam dans, fidei devotionem cordis intentione servabat, sicut rei postmodum patefecit exitus. Sumpto enim habitu eodem in loco, postea devotus exstitit monachus. Hac denique familiaritate inlectus homo, monasterii frequentare curabat claustra, utpote quasi alter Adam factus ex fratribus. Unde accidit ut sæpe veniens fratres susurrare super memorato negotio frequentius animadverteret. Sed quia incipere pavebant, ceu dictum est, ne videlicet juxta Euangelium inluderent eis dicentes : Quia hi cœperunt ædificare et non potuerunt consummare; divino, ut est humana opinio, instinctu commotus præfatus homo (cupiebat enim et ipse honorare sanctæ Virginis artus) convocavit seniorum cœtum, hujus allocutionis primordia libans : Quoniam, inquit, patres venerandi, perpendo ex vobis quosdam vicissim serere colloquia, velle corpus sanctissimæ virginis Hunegundis nostræ dominæ, si facultas subpeteret, lautiori ponere loculo, corde exhilaresco, opemque meam pro posse promitto, opusculum dumtaxat concupitum initiare ne moremini. Sin autem nequaquam tale inceptare audetis opificium, ipse ego super me totum negotium accipio, Deique omnipotentis auxilio fretus ad finem D
usque perducam, concessa mihi tantum populi oblatione. Quod cum audissent monachi, ultra modum exhilarati, grates Creatori universorum reddiderunt, et in promissione sua virum benedixerunt, divinitatis prærogativam venerantes cum hoc tanto tam repentino tamque insperato gaudio.

composita theca invitantur episcopus et abbates.

4 Quid opus est verbis? Sumpto siquidem vir ille negotio, componi fecit loculum opere anaglifario *c*, in longum mensura duorum semicubitorum, altitudine continua ab utraque fronte cubitali, utrimque ab lateribus semicubitali, reliqua structura in altum decentissime vergente, instar tabularum expressa, cælato atque sculpto elaborata opificio. In cujus superficie opusculi sanctorum Apostolorum atque Prophetarum imagines cernuntur expressæ, perpulcris atque politis tabulatis fulgentis auri et splendentis argenti, ter ternis utrobique in ordinem digestis iconibus. Sed et in una frontium imago sanctæ Hunegundis, sanctique Eligii Noviomensis antistitis, ejusdem Virginis in baptismo patroni, conspicitur dignius elevata; in altera vero Christi Domini E
nostri majestas cernitur satis eleganter expressa, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula. Quid plura? Accelerato denique, simulque, ut dictum est, laute consummato opere, domnus abbas Macarius, qui ea tempestate, veluti prælibatum est, loci Humolariensis res administrabat, domnum episcopum Noviomensem *d* invitare curat, vicinosque adsciscit abbates, domnum videlicet Girardum *e* Insulanum, domnum Rainerum sancti Præjecti vicarium, atque domnum Bonifacium Walerannum de Monte sancti Quintini, necnon et alios quamplures Viromandensis territorii satrapas et milites. Monachos quoque ac clericos huic actui interesse commonet, ne scilicet tam carum pignus absque notita testimonioque honestarum religiosarumque porsonarum tamquam furtivum vel ignotum tractari mutarive clanculum videretur. Ut ventum est ergo ad constituti termini diem, in quo agi habebant hæc, fama volante, qua alter non est velocior nuntius, fit conventus seniorum, occursus nobilium virorum, rusticorum ac feminarum turba cum parvulis confluit gratulabunda. Nec immerito : existimabant etenim pro reverentia et honore debito tantæ Matri impendendo, simulque intercessione se patrocinandos, et pro F
forfactis *f* suffragia postulantes, veniam se fore consecuturos. Interea loci reseratur gloriosi gazophylacii aditus, sublevantur adhibitis malleis cum cunctis ferreis ligamina sagaci cura innexa, evelluntur opercula, panduntur pretiosi somatis cunabula.

Dum aperto corpore episcopum expectant.

5 Ceterum omnipotens Dominus volens suæ Sponsæ honorare membra, occulta dispositionis suæ prærogativa differri fecit mutationem ossium felicium diem usque in tertium, hujus apologiæ, id est occasionis, eventu. Episcopus quippe, in cujus diœceseos procinctu situs est locus, nomine Humolarias, regio impeditus obsequio atque negotio ad præfatum diem constitutum minime venit : quam ob rem compulsi sunt eum præstolari per triduum. Collocatur ergo venerandum scrinium, sicut erat reseratum, super geminas bases ligneas intra sancta sanctorum, inter altare videlicet Dei genitricis semperque virginis Mariæ, et altare sanctæ Hunegundis in honore dedicatum. Inter tot denique devotæ multitudinis millia ad tam claram celebritatem con-

currentia,

A currentia, plurimi corporea mole debiles nituntur huic sanctæ actioni interesse, utpote rogaturi Domini misericordiam suo quisque pro incommodo.

epileptica puella sanitati redditur.

6 Unde accidit divina, quemadmodum fati sumus, voluntate, quamdam puellam, nomine Emelinam, epileptico morbo invasam, cum amicorum auxilio, spe recuperandæ sanitatis ad monasterium deductam esse, in vico natam, qui Herleius dicitur, super Somenæ ripam situs, medius stans inter sancti Quintini castrum et Humolariense monasterium (epileptiam autem Græci vocant appensionem mentis et corporis, quæ passio, spasmos, id est contractiones membrorum generat, fit autem morbus iste ex melancholico humore, id est ex abundantia fellis fusi per membra, contingit autem per phantasiam.) Ceterum dum puellula pro sibi reddendo remedio templo fuisset injecta, sistitur coram altario sanctæ Mariæ virginis incomparabilis, quatinus ejus interventu, sanctæque Hunegundis intercessu, pristinum consequi mereretur sospitatis gradum. Erat enim ipsa, de qua loquimur, puella adeo epilepsi oppressa, B ut cujusvis quietis non admitteret moras, vim vexationis corporeo monstrans gestu. Profitebatur enim se præ nimia gravedine morti adpropinquare, spiritumque propemodum exhalare. Qua de re confluentia populi in admirationem conversa, pietate simulque compassione compuncta, lacrymarum imbres fundebat, pugnisque pectus tundens, Omnipotentem cum devota mente implorabat pro miserandæ mulieris liberatione. At puellula, inæstimabili pœna multata, nec ad momentum cessabat, diris vocibus oratorium spargens, seseque manibus feriens, capite vacillante mirandum cunctis per biduum, nulla occurrente requie, spectaculum præstans. Plebs ergo fidelium supero afflata spiritu, abbates cum fratribus exorat, quatinus caritatis obtentu miserandæ mulierculæ darent copiam visendi almæ virginis Hunegundis ossa, si forte, favente Christi clementia, aliquo modo mitigaretur incommoditas tanta. Concesserunt igitur eadem et ipsi permoti humanitate. Quid ergo? Dicam an sileam? quin immo pandam prædicandæ virtutis evidentiam. Nam statim ut oculus ossa conspexit, intromisso vertice, totius corporis compago recepit optatam salutem, C interiit dolor, sopitus est languor, avulsus est luctus, rediit pristinus corporis status. Quod cum vidissent, qui adstabant populi, benedicentes gratias persolverunt Domino Deo universorum, qui suos mirificat Sanctos sicut vult, et quando vult. Hujus autem divinæ operationis, quam Jesus Christus Dominus et Deus noster dignatus est ostendere per merita gloriosæ virginis Hunegundis ad laudem et gloriam suam, tot revera exstiterunt testes, quot contigit tunc adesse fideles.

Translatio in novam thecam facta per abbatem:

7 Igitur super hoc facto abbates cum monachis congaudentes conferebant ad invicem, conveniens non esse mutationem ulterius differri, aut episcopalem præsentiam præstolari, viso præcipue hoc tanto dignoque relatu miraculo, ne scilicet populus longa jam mora protractus, diutinaque exspectatione jam lassus, pascere spes videretur inanes. Communi siquidem consilio atque decreto feruntur beata pignora in cryptam sanctæ et individuæ Trinitatis in honore dedicatam, retro ejusdem ipsius monasterii tribunal fabricatam atque contiguam. Hoc equidem gemina pro causa actitare studuerunt, scilicet ne vel in aliquo casu offenderent sanctitatis munera, nimio tumultu sexus utriusque imminente ac premente, vel ne fragmina margaritarum coram idiotis atque imperitis hominibus, pensare nescientibus, homines propter homines contrectarent, eo quod dicitur : Nolite sanctum dare canibus, et ne spargatis margaritas vestras ante porcos. Unde ait Isaias : Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Obseratis ergo firmiter ostiis, quæ a dextris et a sinistris cancelli eamdem cryptam petentibus aditum paudunt, circumdant beata munera pavitantibus animis ob exhibendam reverentiam. Hæsitabant enim, quisnam eorum dignius contingere haberet a Christo concessa tam pretiosa donaria : sed demum consueti hanc tradere curam * administrationem domno Gerardo abbati Insulano, quoniam erat natu major, ætate provectior, moribus gravior, religione devotior, piisque actibus proclivior. Ut quid moras innectimus? Suscipiens itaque abbas prædictus cum humilitatis subjectione confratrum imperia, exerit lacertos, seseque præparat sollemnius adversus votiva officia. Mutantur summa cum reverentia ossa felicia, locanturque decentiori in cuna. O felix Virgo, quæ quoniam in cælo fulgida degis in gloria, sic veneraris in terrena aula! O vere felix Virguncula, E cui Sponsus ille cælestis arridens locutus est in Salomonis epithalamio : Veni, soror mea, in hortum meum, ut comedas fructum pomorum meorum, sponsa mea, columba mea, immaculata mea, veni de Libano, veni coronaberis. O felix, inquam, Virgo, quæ Sponso vocanti reciproca voce cum virginum choris adplaudens, respondere meruisti : Curremus post te in odore unguentorum tuorum, id est, in fragrantia tuarum virtutum.

* curant, opinor.

munera Sanctæ oblata:

8 Igitur duo militares viri, qui aderant, sollemnia peragunt munuscula. Nam hi summopere efflagitaverant, ut eis concederetur mutationi adesse, sanctaque ossa propriis conspicere oculis. Alter igitur eorum, nomine Godefridus, senior, pallium decentissimum sanctæ Virgini contulit in munus; alter vero, nomine Rothertus, cognomento Anguillula, seipsum ob devotionem per cervinam corrigiam *g* servum obtulit, atque in exhibitione servitutis hortum jure prædii tradidit in villa, quæ Marceia fertur. Fratres autem non terrena, sed divina persolvunt officia, et venerationi, ut decebat, satis idonea. Clauso igitur tandem cum dili- F gentia solertiaque honorabili ergasterio *h*, cum cereis et thuribulis et crucibus de crypta erumpunt lætis adprime mentibus, byssinis poderibus, id est albis, palliatis monachis, more patrum feretrum bajulantibus.

sacrum corpus, ingruente populo, extra ecclesiam deportatur,

9 Verum quia basilicæ capacitas non ad hoc erat sufficiens, ut confluentis vulgi multitudinem recipere posset, in tantum quippe copiosa utriusque sexus exstabat ecclesia referta confluentia, utpote præstolante, pro quo venerat, sanctitatis dona, quod nec gestantes devotionis pignora valebant egredi, per quæ fuerant ingressi, ostiola. Qua de re consilio inter se habito, per ostium ejusdem cryptæ in latere dispositum, quod est pervium euntibus ad capellam sancti Nicolai episcopi, miræ sanctitatis confessoris, per claustrellum efferunt venerationis loculum; sicque per quamdam posterulam ejusdem claustrelli, in maceria factam, ejectum per pomerium atque cimiterium fratrum, ad alium identidem aditum ignorante populo perducunt. Sed rursus atrio, quod est pro foribus ecclesiæ, gente rusticana redundante, vix cum ingenti luctamine per portam secus capellam sancti archangeli Michaelis

sitam

A. ANONYMO.

sitam extrahunt. Tandemque impenso multo et grandi labore, jamque defessi in campum cultum, prope xenodochium monachorum jacentem, deferunt : quo in loco quadam providentia mensa lignea extensa, sanctum thesaurum in eum deponere atque locare festinant, cum reverentia tamen, ut dignum erat, quatinus ab omni exspectantium, sed et desiderantium multitudine adiri et venerari absque gravedine potuisset. Siquidem tanta pullularat frequens populatio, quod nec totius villæ capacitas ad capiendum sufficiens erat, sed circumquaque populi per agros vagabantur incerti, quo pacto vel ingenio, quave ex parte templum adire quirent.

relatumque vesperi, pyramidi retro altare imponitur.

10 Cum ergo dies jam inclinata esset ad vesperum, sole a meridiano fervore tepente, rursus patres cum fratribus resumtis ceroferariis et crucibus, induti vestimentis albis, sicut prius, gloriosum revisere satagunt loculum. Nam in principio reversi fuerant necessitate cogente, perpaucis inibi relictis, qui feretrum observarent, et eulogias atque oblationes susciperent, utpote populo plurimum gravedinis simulque molestiæ B inferente. Sumto igitur cum diligentia pretioso gestatorio, etiamt umvulgo in vota grassante, cum honore digno et hymnidica pompa, non modica turba eos comitante, sanctas reliquias referentes in sanctam Dei ecclesiam inthronizant, ac in sacro peribolo retro altare sanctæ virginis Hunegundis intra pyramidem, quod nos oraculum dicimus, digno cum obsequio componunt, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, qui cum coæterno Patre et sancto Flamine vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. D

ANNOTATA.

a Henrico, *filio Roberti regis, a quo in regni societatem adlectum anno 1027, probat Pagius ad annum 1028 num. 4 et seq. Regnavit deinde post patrem usque ad annum 1060, quo eum obiisse vult laudatus Pagius ad annum 1059 num. 17 : cum antea Philippum filium regni fecisset consortem.*

b Macario. Multa præstitit Humolariensi monasterio suo commoda abbas Macarius, quæ ex ejusdem loci chartario alias Deo dante publicabimus, *inquit ad hunc locum Mabillonius. Qui tom. 4 Analium Bened. pag. 528 eum Bernardo successisse scribit, sed annum non indicat. Omnino autem prætermissus est apud Sammarthanos in Catalogo abbatum Humolariensium.*

c Anaglifario, *id est, sculptorio.*

d *Episcopus impeditus translationi non adfuit.*

e *De reliquis hæc notat Mabillonius :* Abbas Insulanus est S. Quintini de Insula ad muros quondam, nunc intra muros Augustæ Veromanduorum. Abbatia S. Præjecti prope urbem; abbatia de monte S. Quintini prope Peronam. E

f Forfactis, *id est criminibus.* Forefactum *enim,* forfactum, *Gallis* forfait, *crimen significat.*

g *Cervinam corrigiam collo suo imponendo in signum servitutis : uti factum alias invenies apud Cangium, ad vocem* Corrigia.

h Ergasterio, *id est, theca.*

DE S. GREGORIO CONFESSORE

ULTRAJECTINÆ ECCLESIÆ RECTORE

ULTRAJECTI IN BELGIO

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus; Acta, stirps, patria; an monachus?

C

ANNO DCCLXXVI.

S. Gregorii cultus:

Sanctum Gregorium *Trajectensis ad Rhenum ecclesiæ moderatorem, natalium splendore illustrem, virtutibus ac meritis illustriorem varii Sanctorum Fasti memorant ad diem* XXV *Augusti. Nec modo natalis, seu mortis dies, sed etiam corporis translatio, Martyrologiis inscripta legitur ad diem* III *Junii, sicut observarunt majores nostri in prætermissis ad dictum diem. Verum, cum de legitimo Sancti cultu nullum suboriri possit dubium, annuntiationes varias ex Martyrologiis hic non accumulabo. Prætermitto itaque additamenta ad Usuardum varia, alia occasione partim deinde adducenda, in quibus sex locis diversis ejus recurrit memoria, ut videre est in Usuardo nostro per Sollerium edito ad diem memoratum : atque unum profero Martyrologium Romanum, in quo breviter Sancti natalis sic annuntiatur :* Trajecti S. Gregorii episcopi.

scriptor Actorum,

2 *Vitæ scriptorem nactus est* S. Gregorius *doctum, sanctum, contemporaneum, atque in multis testem oculatum, sanctum videlicet Ludgerum seu Liudgerum, Mimigardefordensem (Monasteriensem nunc vocant) in Westphalia episcopum, discipulum olim suum. Docet id Altfridus Monasteriensis itidem episcopus in Vita S. Ludgeri per majores nostros edita tom. 3 Martii pag. 649 his verbis :* Erat S. Liudgerus in Scripturis sacris non mediocriter eruditus : sicut in libro ab eo composito de Vita venerabilium ejus doctorum, Gregorii scilicet et Albrici, aperte probatur : sed et primordia S. Bonifacii adventus atque ordinationis, quæ fuerant in alio Opusculo prætermissa, pulchro sermone ipse conscripsit. *Molanus item ad diem* XXV *Augusti in Usuardo aucto de* Gregorio *ita habet :* Qui fuit instructor sancti Ludgeri episcopi Monasteriensis *(subdens)* primi, qui ejusdem Gregorii Vitam conscripsit. *Manifestum id facit ipse Ludgerus in Vita, quam daturi sumus, in qua sæpe* Gregorium *præceptorem suum vocat, et tandem num. 28 se Vitæ scriptorem his verbis indicat :* Et mihi modico Ludgero *(Gregorius)* librum S. Augustini tradidit, quem Enchiridion, id est Manuale, ipse nuncupavit. F

3 *Vitam hanc ex manuscripto ecclesiæ Fuldensis*

A

quæ jam edita; sed rursus edenda ex Mss.

densis primus edidit Christophorus Browerus Societatis nostræ, notisque illustravit : ex quo illam denuo typis subjecere Surius ad XXV *Augusti, et Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo 3 Benedictino, part. 2, a pag. 319, edidit et partem primam ad S. Bonifacium maxime pertinentem Henschenius in Actis S. Bonifacii ad diem* V *Junii; ita ut fere superfluum videri possit eam hic recudere, nisi id Operis nostri institutum omnino exigeret, et quædam aliunde adjungenda occurrerent, ad Sancti memoriam illustrandam conducentia. Dabimus itaque illam pro more nostro in capita divisam, additionibusque marginalibus, et observationibus illustratam, ex eodem Ms. nobis communicato, atque collato cum alio Ms. exemplari pergameno cœnobii Bodecensis Ordinis Regularium S. Augustini diœcesis Paderbornensis, quod exemplar initio quidem mutilum est, et in contextu sæpe contractum, interdum tamen auctius et non raro concinnius, quam Fuldense.*

Acta alia non edenda.

4 *Aliam* S. Gregorii *Vitam habemus in duobus codicibus Mss., belle inter se consentientibus, quæ ex priori, per S. Ludgerum scripta,* B *videtur contracta; nam pleraque continet, quæ prior, sed brevius, nec quidquam fere superaddit. Quapropter inutile existimavi illam edere, siquid tamen priore Vita clarius enuntiet, in notis poterit id indicari. De* S. Gregorio *agunt præterea auctores varii, quorum non pauci in Commentario hoc erunt citandi. Quibus prænotatis, ad illustranda quædam ad Sanctum pertinentia, quæ Vitæ auctor vel prætermisit, vel obscurius indicavit, accedimus.*

Genus Sancti regium,

5 *Stirpe natus est* S. Gregorius *regia Francorum, ut variis locis a majoribus nostris probatum est. Henschenius tom.* I *Februarii pag. 231 in Actis S. Sigeberti Francorum Austrasiorum regis, qui Dagoberti primi filius, pater vero erat Dagoberti secundi, eam ab eodem S. Sigeberto usque ad* Gregorium *deducit hoc modo. S. Sigebertus filium habuit Dagobertum secundum. Hic, præter reliquam prolem, filias habuit S. Irminam virginem, monasterii Horrei apud Treviros primam abbatissam, et Adelam seu Addulam* S. Gregorii *aviam, quæ post obitum mariti Palatiolo monasterio, de quo in Vita, Abbatissa præfuit. Addula autem hæc antea Albe-* C *ricum peperit filium; qui S. Vastradæ matrimonio junctus, Sanctum, de quo agimus, genuit* Gregorium, *aliosque plures, ut ex Vita patebit inferius. Porro horum unus aliquis pro creasse videtur Albericum* Gregorii *in sede Ultrajectina successorem; hic enim in Vita S. Ludgeri* nepo Gregorii *vocatur ab Altfrido. De sancta Vastrada* Gregorii *matre actum tom.* V *Julii pag. 180. Reliqua ab Henschenio probata videri possunt loco supra assignato, vel in Diatriba de tribus Dagobertis lib. 2, § 14, item in Exegesi præliminari ante tom.* III *Martii cap. 4, pag. 20. Eamdem genealogiam tradunt Cointius tom. 5 Annalium Francorum pag. 517, et Mabillonius in notis ad Vitam* Gregorii *pag. 321. Hæc itaque pluribus firmare supersedeo, ne actum agam. Ceterum Joannes Georgius ab Eckhart tom. 1 de Rebus Franciæ Orientalis lib. 15, num. 11 scribit,* Gregorium *primum* Albericum *nominatum fuisse, idque colligi ex ejus Vita per S. Ludgerum scripta; at ego in Vita* Gregorii *nihil hujusmodi me invenire fateor.*

et patria.

6 *Patria Germanum fuisse* S. Gregorium *scribunt alii, Francum alii : neutrum a vero aberrare videtur, modo recte intelligatur. In Vita Ms. paullo ante indicata hæc leguntur ad propositum nostrum :* Quæsitus est lector *(dum Bonifacius in monasterio Palatiolo mensæ accumbebat)* et juxta Dei providentiam inventus est electus puer Gregorius, alto ejusdem patriæ sanguine procreatus. *Quæ præ oculis habuisse videtur Joannes Gerbrandus a Leidis, dum lib. 4 Chronici Belgici cap. 1 hæc scripsit :* Quæsito lectore, inventus est puer egregius quindecim annorum, alto ejusdem patriæ sanguine procreatus, nomine Gregorius. *Hinc cap. 2 dicit :* Beatus ergo Gregorius, Almanus genere, diœcesis Trevirensis. *Wilhelmus Heda in Historia episcoporum Ultrajectensium in* Gregorio *pag. 38 hæc habet :* Gregorius successit natione Francus, gente Trevir, alto procreatus sanguine. *Hæc me dubitare vix sinunt, quin vel Treviris, vel certe in illis partibus natus fuerit* Gregorius, *maxime cum et Adela avia, hujusque soror S. Irmina in eodem tractu fuerint abbatissæ. Porro Trevirim olim ad Galliam Belgicam pertinuisse norunt eruditi; tempore autem, quo natus* Gregorius, *regni Francorum Austrasiorum pars erat,* E *nunc vero Germaniæ adjuncta est. Si itaque pro illorum temporum usu loquamur, Francum in Gallia Belgica natum dicere necesse est; sin prout modo distributæ sunt provinciæ, Allemannus seu Germanus dici potest. Ex dictis facile perspicias errorem illorum, qui eum ex Anglia vocatum putavere a Bonifacio, quod et Baronius existimavit ad annum Christi 725 num. 11. Hæc autem opinio etiam confutatur ex Vita tertia S. Bonifacii per Henschenium edita tom.* I *Junii, in qua pag. 482, num. 4 inter socios Bonifacii ex variis provinciis collectos numeratur* beatus Gregorius ex nobili prosapia Francorum. *Hæc de Sancti patria dicta sufficiant.*

Monachum fuisse probare conatur Mabillonius :

7 *Nunc et de Vitæ instituto dubium quoddam venit examinandum, priusquam rerum gestarum contexamus chronologiam. Mabillonius supra laudatus in observationibus ad Acta* S. Gregorii *prævii num. 2 probare conatur,* S. Gregorium *monachum fuisse, Ordinique suo adscribendum. Præclaro Ordini virum sanctissimum non invideo, neque nego rationes esse, quæ id suadeant; cum tamen alii dissentiant, pro instituto nostro examinandum est, an id omnino persuadeant. Quod dum ago, ipsius Mabillonii* F *sequar vestigia :* Gregorium, *inquit,* monachum ac monachorum patrem seu abbatem fuisse argumenta non pauca persuadent, tametsi in subjectis ipsius Actis nulla monasticæ professionis mentio fiat. *Id sane argumentum non leve est contra Mabillonium, cum monasticam professionem silere non soleant biographi. Verum ille opinionem suam sic probat :* Quippe is adolescens rudis et litterarum expers S. Bonifacio adhæsit, institutusque videtur in monasticis rebus, sive in comitatu Bonifacii, et sociorum monachorum, sive in cœnobio Ordorfensi, quod primum S. Bonifacius ædificasse dicitur; sive in Fritislariensi. Nam in monasteriis ab ipso conditis pueros fuisse educatos, patet ex epistola 17, in qua jubet, ut post mortem Wigberti abbatis Fritislariensis Wigbertus presbyter et Megingordus diaconus magistri sint infantium. *Hoc primum Mabillonii argumentum, ad quod tantisper subsistam.*

cujus primo argumento respondetur;

8 *Adolescentem adhæsisse Bonifacio* Gregorium *patet ex Vita cap. 1. At eo non videtur animo Bonifacium secutus, ut ab eo sejunctus*

AUCTORE J. S.

cœnobio includeretur; nam Addula abbatissa, Gregorii *avia,* dedit illi pueros et equos, et dimisit eum ire cum sancto magistro in opus, quod compleverunt simul, usque ad sanctum martyrium ejus. *Quid opus erat pueris et equis, si tirocinio includendus erat* Gregorius? *In comitatu Bonifacii institutum fuisse* Gregorium, *certum est, ad virtutes scilicet Euangelii præconi necessarias. Non æque certum est, ad vitam institutum fuisse monasticam : nullum enim illius institutionis in Vita apparet vestigium; ut non dicam inusitatum esse per labores apostolicos ad vitam monasticam quemquam erudire. Quod forte in cœnobio institutus dicitur, non tantum fundamento caret in Vita, sed plane videtur Vitæ contrarium; nam ubique exhibetur in opere apostolico Bonifacii adjutor, ubique comes, in ipso etiam itinere Romano. Hæc igitur monachatum* Gregorii *mihi non videntur evincere. Verum audiamus sequentia.*

argumentum aliud Mabillonii.

9 Certe, *inquit,* Gregorius in ecclesia Trajectensi abbas, et pater fuit monachorum, quos ipse instituebat, informabatque. Sic enim auctor libri de Vita S. Liudgeri apud Browerum cap. 6 : Gregorius Liudgerum paterna in monachorum monasterio sollicitudine erudiisse fertur. *Fallitur Mabillonius, nam ibidem ita Ludgerum erudiisse dicitur Alcuinus, non* Gregorius. *Ad* Gregorium *vero pertinet quod subdit ex Altfrido in Vita S. Ludgeri in Actis nostris tom.* III *Martii, pag. 664, cap. 2 :* Illi (parentes scilicet Liudgeri) commendaverunt eum viro venerabili Gregorio, discipulo et successori S. Bonifacii martyris, Domino nutriendum : qui libenter eum suscepit; et comperta sagacitate pueri, studiose illum erudiebat. Crevit itaque Ludgerus proficiens in timore Domini, et deposito seculari habitu (notanda, *inquit,* hæc verba) in Trajecto monasterio totum se contulit ad studium artis spiritalis. *Ut intelligamus quale monasterium illud, subjungo sequentia :* Erant, *ait auctor,* in illa schola Gregorii et alii condiscipuli nobiles et prudentes. *Monachine Benedictini* condiscipuli *vocabantur eo tempore? Illorumne monasterium* schola? *Plura occurrunt hujusmodi, sed nolim hic esse prolixior. Subdit Mabillonius :* Unde patri Gregorio et ceteris tanto dignior et acceptior, quanto fuit et monasticis eruditionibus illustrior. *Advertendum est, hæc post adducta mox Altfridi verba non legi subjuncta in Vita Ludgeri : sed dici de Ludgero ab Alcuini institutione ex Anglia reverso. Audi Vitam memoratam num. 10 :* Tunc Alchuinus necessitate compulsus direxit Ludgerum . . . Directus itaque Ludgerus prospero cursu pervenit ad patriam suam, bene instructus, habens secum copiam librorum : eratque patri Gregorio et ceteris tanto tunc dignior et acceptior, quanto fuit et in monasticis eruditionibus illustrior. *Vellem suo quæque loco dedisset Mabillonius, et quæ ad Alcuinum referenda erant, ad* Gregorium *non detorsisset. Sic enim non intulisset* in cœnobio Trajectensi *hæc Ludgerum didicisse; verum sub Alcuini disciplina. Una igitur hic manet ratio, quod* abbas *vocetur* Gregorius, *quod schola ipsius* monasterium : *altera, quod Ludgerus sub ejus disciplina deposuerit habitum secularem, de quibus mox agam.*

et tertium;

10 *Postremum Mabillonii argumentum est, quod in diplomatis Pippini et Caroli magni, quibus ecclesiæ Trajectensis privilegia confirmantur,* Monachorum *æque ac* Canonicorum *fiat mentio; quod verum omnino est, sed* Gregorii *monachatum non probat; neque evincit monasterium Trajectense cœnobium fuisse Benedictinum. Erant in ecclesia Trajectensi monachi Benedictini ad conversionem Frisonum destinati, erant et clerici et canonici non pauci ad idem opus accincti : præerat omnibus* Gregorius *ecclesiæ administrator, erudiebat omnes, singulos ad opera apostolica, ut magis ad Dei gloriam judicabat expedire, huc illuc destinabat : totum hoc facile admisero : verum ex eo satis certo inferre non possum,* Gregorium *Ordini S. Benedicti fuisse adscriptum.*

quibus monachum fuisse

11 Abbas *quidem vocatur* Gregorius, *et monasterio præfuit Ultrajectino : neque ex eo tamen certum fit, monachum fuisse, seu Benedictinum. Quippe canonicorum præpositi eo tempore etiam* abbates *vocabantur, et* monasteria *vocabantur, ubi in communi vivebant canonici. Quod, ne sim longior, una tantum exemplo ostendo, quamvis plura non desint. Concilii Turonensis* III *(tomo 2 editionis Sirmondi pag. 300) canon* XXIV *hoc notatur titulo :* De CANONICIS, qui sub ABBATE vivunt in MONASTERIIS. *Ita autem habet :* Simili modo et ABBATES MONASTERIORUM, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicite suis provideant CANONICIS *etc. Celebratum est hoc concilium sub imperio Caroli magni anno Christi* DCCCXIII, *ut notat Sirmondus. Quod igitur monasterio abbas præfuit* Gregorius, *monachum fuisse non evincit.*

non satis ostenditur.

12 *Simile mihi fuisse videtur monasterium Ultrajectinum Mimigardefordensi, de quo Monachus anonymus Werthinensis apud Bollandum tom.* III *Martii pag. 625 ita cecinit :* Et (S. *Ludgerus)* episcopium, dictum monasterium, clericis fundavit Vado Mimigardis. *Monasterium hoc clericorum erat non monachorum : fundavit id* S. Gregorii *discipulus Ludgerus : cur igitur monasterium, cui præfuit* Gregorius *abbas, monachorum fuisse concludere necesse est? Quod autem Ludgerus deposuerit secularem habitum sub* Gregorio, *nullum est argumentum : nam et clerici quilibet habitum deponunt secularem. Cum itaque, fatente Mabillonio, in Actis* Gregorii nulla monasticæ professionis fiat mentio; *cum* uno, eodemque æquali cum ceteris vestimento, et victu semper contentus *esset, ut in Vita legitur num. 24, monachum fuisse* Gregorium *ex allatis rationibus deducere non possum; nec aliæ, quibus id probem, ad manum sunt. Colant interim religiosi viri* Gregorium, *ut Bonifacii sui discipulum; ut suum etiam, si velint, non refragabor. Quin et certam esse professionem Sancti monasticam lubens admisero, ubi certis documentis probatam videro.*

§ II. Utrum S. Bonifacius 13 annis in Frisia prædicaverit, antequam nactus est discipulum Gregorium? Ubi etiam examinatur quo anno Bonifacium secutus Gregorius; et hujus ætas.

In *Vitæ* S. Gregorii *num. 3 ita scribitur :* Cum ipse electus Dei Bonifacius martyr post

tredecim

S. Bonifacius tredecim annis in Frisia prædicasse scribitur,

A tredecim annos peractæ in Fresonia prædicationis, quibus in Australi parte laci Almari, pauper euangelicus, et propemodum solitarius sanctam sessionem suam tribus in locis peregisset, quorum vocabula locorum sunt hæc. Primus vocatur Wyrda, in ripa fluvii Rheni, ubi septem annis habitavit. Secundus vocatur Attingohem juxta amnem Fehta, ubi habitavit annis tribus: quo in loco primum cœpit habere discipulum nomine Gembertum. Tertius locus appellatur Felisa, qui propior erat gentilibus et paganis, ubi tribus similiter annis mansit. Post hos inquam tredecim annos, dum admonitus a Deo ad Hassos et Thuringeos Orientales regiones Francorum iter agere cœpisset *etc. Subdit his verbis conversionem* Gregorii *in Palatiolo monasterio prope Trevirim.*

quod multi putant cum ejus Actis pugnare:

14 *Torsit hic locus eruditos non paucos, quod eum cum scripta a Willibaldo et Othlono Bonifacii Vita conciliari non posse existiment. Difficultatem perspexit Nicolaus Serarius noster in Moguntiacis lib. 3, notatione 54, quam tamen erudite conatus est submovere, ac tredecim hos Frisicæ prædicationis annos S. Bonifacio* B *asserere. Fecit id brevius Aubertus Miræus in Fastis Belgicis ad diem* V *Junii, et Alfordus in Annalibus Anglo-saxonicis ad annum 697 num. 11. At Carolus le Cointe tom. 4 Annalium Francorum ad annum 715, a num. 64 operosa disputatione Serarium refutare, atque hos tredecim prædicationis Bonifacianæ in Frisia annos evertere conatur, eo denique rem deducens, ut totum hunc locum ab interpolatore quodam corruptum, atque amputandum judicet, pro* tredecim *vero* tres *annos restituendos. Pagius ad annum 716 num. 16 Serarium* solide *a Cointio refutatum pronuntiat. Mabillonius in Actis S. Bonifacii sec. 3 Benedictino part. 2, pag. 14 idem notat. Licet hic aliis locis dubius hæserit. Henschenius etiam tom. 1 Junii in Chronologia vitæ Bonifacii pag. 454 hos tredecim annos non admittit. Magni quidem facio tantorum virorum judicium; non tamen induci potui, ut sine examine diligenti illorum sententiæ subscriberem, atque pro* tredecim, tres *annos substituendos continuo pronuntiarem, quamquam Pagius confidenter dicat:* Quæ emendatio videtur certa, quia C Liudgerus auctor coævus vix hac in re errare potuit. *Veniam itaque dabit lector, si paullo fuerim prolixior; namque de re agitur, quam prætere non licet, utrum scilicet Acta, quæ editurus sum, interpolata sint, an sincera.*

ad rem examinandam quædam prænotanda.

15 *Priusquam Cointii rationibus respondeam, ea colligam, quæ persuadere videntur, tredecim hos annos sine scrupulo admittendos: pauca tamen velim prænotata, quo res clarius elucidetur. Primo Willibaldum Vitæ S. Bonifacii scriptorem, sive episcopus is fuerit Eistatensis, ut vult Cointius, sive presbyter Moguntiæ sub Lullo archiepiscopo, ut Henschenius, Vitam S. Bonifacii scripsisse,* sicut discipulis ejus, secum diu commorantibus, *vel illis ipsis, ad quos scribebat, referentibus, compererat, ut testatur in prologo; quibus similia sæpe per decursum commemorat, ut patet ex Commentario Henschenii ad Acta S. Bonifacii die* V *Junii. Secundo non videri umquam in Frisia fuisse Willibaldum, ut de Willibaldo episcopo perspicies ex ejus Actis tom.* II *Julii a pag. 485, adeoque circa primam præsertim Bonifacii in Frisia prædicationem minus instructum, eam perstrinxisse potius, quam enarrasse. Tertio S. Ludgerum Trajecti diu commoratum, nihil ignorare potuisse eorum, quæ illis partibus a Bonifacio fuere gesta, ut facile admittent adversarii. Hinc colligo, si vel a Willibaldo recedendum sit, vel a Ludgero, in rebus ad Frisiam spectantibus adhærendum potius Ludgero, quam Willibaldo; præsertim cum memoriæ lapsus duos in Willibaldo notet Henschenius. Quarto Frisiam, in qua eo tempore Trajectum, ubi ab Radbodum accessit Bonifacius, omnino distinguendam a Francia. His præmissis, hanc tredecim annorum prædicationem probare aggredior, Serarium secutus.*

AUCTORE J. S.

Hi tredecim anni clare ab auctoribus asserti,

16 *Hosce tredecim annos tam distincte asserit Ludgerus supra adductus, ut non invenerit Cointius, quid reponeret, nisi totum hoc ab audaci interpolatore fuisse Ludgero adjectum; neque vero aliud reponi potest: nam testis est omni exceptione major, nec mendum irrepsisse potuit, ut patet textum inspicienti. At vero hæc omnia opusculo Ludgeri, atque in diversis quidem exemplaribus, adjecta esse, non fit verisimile: quis enim in Germania, unde Ms. Vita producta est, simile quid in Vitam* Gregorii *gratis intrudat, ut moram Bonifacii in Frisia fingat longiorem?* E *Hoc, inquam, credibile non est, etiamsi omnia alia deessent argumenta. Multo minus corruptio illa verisimilis apparet, cum hi tredecim anni asserantur quoque in Vita Bonifacii, tertio loco ab Henschenio ex tribus codicibus Mss. edita tom. 1 Junii a pag. 481. An tres quoque hosce codices corruptos dicemus, quia num. 2, narrato Bonifacii ad Willibrordum ex Anglia adventu, hæc in iis leguntur verba:* Cujus *(Willibrordi)* salubri consilio ac paternæ jam admonitionis præcepto sanctus vir confestim devotus obtemperat, secumque TREDECIM ANNOS IMPRÆTERMISSE Tricht *(Trajecti)* ecclesiæ sibi commissæ moderamina gubernans, idolorum spurcitias ubicumque potuit extirpat. *Pseudo-Marcellinum in Vita S. Swiberti, Joannem de Beka, et Wilhelmum Heda, tredecim itidem annos asserentes, non allego; hos, quia recentiores sunt; illum, quia suppositilius.*

consentiunt cum secunda Bonifacii Vita;

17 *Ab his auctoribus non dissentit Vita Bonifacii secundo loco per Henschenium data a pag. 477. Conscripta ea est per presbyterum Ultrajectinum non diu post Bonifacii tempora, ut in prologo num. 4 ait:* At vero non multo ante F nostra tempora missus est a Deo quidam sapientissimus architectus, et reipsa et nomine Bonifacius. *Cap. autem 1, num. 7 primos Bonifacii in Frisia labores his verbis enarrat:* Cum ergo tantis bonorum divitiis abundasset; cœpit agere secum, ut exiret de terra nativitatis suæ, et properaret ad locum, in quo immolari Domino potuisset. Et tandem occasionem nactus, mare transfretavit, Frisonum insulis advectus est, Trajecto oppido applicuit; ubi evangelizavit gentibus regnum Dei, multosque idololatriæ deditos convertit ad Christum. Sed cum plerique procaciser repugnassent, sentiens athleta Dei nondum tibi tempus passionis adesse, reversus est in patriam suam, ut curam interea suorum gereret, donec eidem Spiritus sanctus revelaret, ubi et quando martyrii coronam percepturus esset a Domino. *Tredecim quidem anni non exprimuntur hoc loco; at tempus insinuatur multo longius quam vult Cointius, qui sequenti mox anno rediisse in patriam; ac Pagius, qui eodem, quo venerat anno, reversum esse contendit. Neque enim verisimile est tantillo tempore multos convertisse; neque stationem suam tanto ambitu petitam,*

AUCTORE J. S.

titam, in qua fructuose laboraverat, mox desertu- rum fuisse.

nec negati a Willibaldo sed prætermissi,

18 *Audiamus nunc ipsum Willibaldum, cujus auctoritate maxime nituntur adversarii. Ille apud Henschenium pag. 463, cap. 2, num. 17, ita scribit :* Prospero ventorum flatu pervenit ad Dorstat *(tunc temporis Frisiæ annumeratum)* ibique aliquamdiu commoratus, debitum Domino Deo exsolvit diu noctuque præconium. Sed quoniam gravi ingruente paganorum impetu, hostilis exorta dissensio, inter Karolum principem gloriosumque ducem Francorum, et Radbodum regem Fresorum, populos ex utraque parte perturbabat; maximaque pars ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Fresia subjectæ erant imperio, Radbodi incumbente persecutione, ac servorum Dei facta expulsione, vastata erat ac destructa; idolorum quoque cultura, extructis delubrorum fanis, lugubriter renovata; tunc vir Dei perspecta perversitatis nequitia pervenit ad Trecht *(Trajectum)*, ibique aliquantis expectatis diebus, advenientem regem Radbodum allocutus est, ut multis illarum circumvallatis ac B conspectis terrarum partibus, utrum sibi in futurum prædicationis uspiam patesceret locus, perquireret. *Post pauca sic reditum in Angliam enarrat :* Sanctus vir, dum sterilem aliquamdiu Fresorum terram inhabitaret, et æstatis autumnique aliquantulum tempus præteriret; jam arida cælestis rore fœcunditatis reliquerat arva; et ad natale... solum migravit : ac monasterii sui secreta petens, etiam ibidem, secundi anni hyemem, tripudiantium fratrum amore susceptus, hiemando transegit.

quod gesta in Frisia minus haberet comperta,

19 *Hæc, fateor, Willibaldi relatio tredecim annorum moræ parum videtur consona : sed meminisse oportet, quod ante monui, Willibaldum hæc leviter potius perstringere voluisse, quam enarrare. Quod itaque prætermisit Willibaldus, ex relatis modo auctoribus supplendum est; namque non hoc tantum, sed et multa alia Bonifacii gesta a Willibaldo silentio involuta esse, facile perspiciet, qui Acta Bonifacii omnia ab Henschenio data evolverit. Porro adversarii in rem suam in primis assumunt hæc verba :* Sed quoniam gravi ingruente paganorum impetu *etc. Nam Pagius loco assignato contendit, con-* C *tinuo post Bonifacii in Frisiam adventum hoc bellum persecutionemque fuisse exortam; ex quo deducit, non nisi anno Christi 716 in Frisiam venisse Bonifacium, quod ipsi etiam Willibaldo est contrarium, cum sic non expleverit Bonifacius 40 peregrinationis annos, quos habet Willibaldus, anno scilicet 754 vel 755 defunctus. Cointius, ut 40 hos annos inveniat, in Frisiam appulisse contendit anno 715, et consequenter inter adventum et persecutionem exortam annum saltem incompletum interponere debet. Verum non perspicio, cur æque plures anni interponi non possint, cum aliorum auctorum id exigat relatio. Totum itaque locum sic exponendum existimo. Adventum Bonifacii memorat Willibaldus, eumque deducit Dorestadium, locum eo tempore satis celebrem, de quo in notis. Quid egerit in Frisia, quantoque ibidem tempore substiterit, cum non satis haberet compertum, omnino transilit. Denique occasionem reditus, ipsumque reditum, quæ ex ipso Bonifacio, vel ejus discipulis discere potuit, exacte describit. Morem hunc Historiographorum transiliendi quædam minus comperta norunt eruditi omnes. Si autem ita intelligimus Willibaldum; ab aliis* D *non dissentit : quod si dissentiret, aliis potius quam Willibaldo hac in re standum esse, ante probavimus. Nunc ex ætate Bonifacii sententiam nostram probare conabimur, aut certe ætatem ejus nobis non adversari ostendemus.*

congruunt item cum ætate Bonifacii.

20 *Anno 722, post resumptos cum S. Willibrordo in convertenda Frisia labores, cum ab eodem Willibrordo ad episcopatum postularetur Bonifacius, non longe aberat ab anno ætatis quinquagesimo, si hunc non inchoaverat, ut colligo ex Willibaldo, cap. 2, num. 26 sic scribente :* Qui *(Bonifacius)* etiam humiliter respuens, minime se dignum esse episcopatus gradu referebat; et ne sibi tantæ dignitatis fastigium, adolescentiæ adhuc in annis constituto, imponeret, deprecatus est : et quoniam quinquagesimi anni, juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum PLENE reciperet ætatem, testatus est, ut omni se penitus excusationis tergiversatione ab hujus gradus celsitudine declinaret. *Adolescentiam vocat omnem ætatem ante annos quinquaginta, ut sensus exigit : nam adolescentem non fuisse fatetur in notis Mabillonius, qui annos ei hoc tempore tribuit 42, quod ego cum his verbis com-* E *ponere non possum. Cur enim dicit necdum* plene *quinquagesimi anni ætatem se recipere, et non potius se multum ab ætate memorata distare? Cur, inquam, illud* plene, *nisi post breve tempus quinquagesimum annum esset ingressurus, aut jam tunc esset ingressus? Confirmat id Serarius ex eo, quod anno mox sequenti a Gregorio II Romano Pontifice ordinatus episcopus, nullam ætatis excusationem protulisse legatur, quinquagesimo scilicet tunc anno impleto, aut certe inchoato. Si itaque anno 704 in Frisiam venerit, peregrinationem suam inchoaverit circa annum ætatis 31 vel 32, anno uno alterove postquam presbyter fuerat ordinatus. His quidem obstare videtur legatio quædam ad Berctwaldum Cantuariensem archiepiscopum, quam a Bonifacio obitam narrat Willibaldus cap. 2. Verum respondeo, legationem hanc, quam ex aliorum relatione, ut fatetur, narrat Willibaldus, cum rebus in Anglia gestis, rectius collocandam post reditum e Frisia in Angliam : minus namque verisimile est vixdum presbytero rem tantam fuisse impositam, quam impositam fuisse, ubi industriam suam in Euangelio prædicando jam probaverat.* F *Ex quo responso corruit argumentum, quod Mabillonius in notis pag. 10 contra nostram sententiam intorquet, ex eo quod Berwaldus, hujus legationis Bonifacio demandandæ cum aliis auctor, abbas Glastoniensis tantum factus sit anno 705. Recte itaque cum ætate Bonifacii sententia nostra congruit; non ita adversariorum, cum inepte dixisset, se necdum* plene *quinquagesimum annum attigisse, si tantum, quantum illi volunt, ab ea ætate abfuisset.*

Vixit Gregorius

21 *Ultimum argumentum, quod me coegit hanc rem penitius examinare, desumitur ab anno, quo* Gregorius *secutus est Bonifacium, eo accuratius proponendum, quanto ad chronologiam vitæ* S. Gregorii *stabiliendam magis est necessarium. Vixit Gregorius annos 75, sed incompletos. Repugnant quidem varii recentiores, at res mihi videtur minime dubia. Accipe verba S. Ludgeri ex Vita num. 28 :* Talibus, *inquit,* successibus, et vitæ meritis beatus abbas meus, et præceptor Gregorius, dum semper in melius crescendo proficeret, et prope jam septuaginta annorum ætatem.... perveniret, adfuit dies in qua militem suum Dominus adhuc

melio-

A meliorando subvehere vellet ad sublimiora; *pre morbum videlicet triennalem, quem continuo subjungit. Mabillonius ad hunc locum in notis intellexit primo, septuagesimo ætatis anno morbo correptum fuisse, uti et Bollandus in Actis S. Ludgeri tom.* III *Martii pag. 631. Resiluit tamen Mabillonius in additionibus ad sec. 4 part. 2, pag. 599 et septuagenarium obiisse putavit.*

annos 73;

22 *At septuagesimo ætatis anno fuisse morbo correptum, ac tribus aliis supervixisse dubitare non sinit Vita alia, quam in duobus codicibus Mss. habeo; dum rem ita enarrat:* Talibus successibus et vitæ meritis beatus Gregorius dum semper in melius crescendo proficeret, et jam ad LXX annorum venisset ætatem, tamque carus Deo quam cunctis justis hominibus haberetur in omnibus; venit dies in qua militem suum Dominus subvehere vellet ad sublimia remunerationis præmia, quæ meritis ejus debebantur. Tactus ergo molestia corporis, quam paralysim medici vocant *etc. Tam clare hæc significant, septuagesimo ætatis anno paralysi tactum fuisse, ut nulla indigeant explicatione, sublata particula* B prope, *quæ apud Ludgerum addita, rem utcumque dubiam relinquebat. Post pauca vero additur:* Tribus ergo annis ante obitum suum tentus est illa infirmitate. *Obiit itaque anno ætatis septuagesimo tertio. Neque aliter intelligendus Wilhelmus Heda in Historia episcoporum Ultrajectensium in* Gregorio *hæc scribens:* Tandem LXX ætatis suæ anno gravatus paralysi, et continuo triennio per summam patientiam illa exhaustus, instante jam resolutione sua, per triduum mortem suam ante prædixit, et ad altare ductus sumpta Eucharistia statim expiravit VIII Kalend. Septembris. *Hæc* Gregorii *ætas aliunde etiam firmabitur in sequentibus.*

secutus est Bonifacium anno Christi 719,

23 *Jam vero mortuum esse* Gregorium *anno 776 probabimus § 4, et admittunt adversarii. Ex quo deducimus, natum fuisse anno 704; nam obiisse septuagesimo tertio inchoato tantum, non autem completo, evincit illud* prope, *apud Ludgerum additum, ex quo patet alium biographum de 70 annis inchoatis intelligendum esse, dum dicit paralysi triennali correptum, cum* jam ad LXX annorum venisset ætatem. *Gregorius autem adhærere cœpit Bonifacio anno ætatis decimo* C *quinto, ut iterum clarius exponit Vita memorata in codice Ms. Ultrajectino, his verbis:* Qui per idem tempus nuper a schola et palatio reversus, laicali adhuc habitu quasi quintum decimum ætatis suæ annum agens, Dei instinctu venit *etc. Atque in hunc ætatis tempore conversionis annum consentiunt eruditi. Hinc itaque deduco,* Gregorium *Bonifacio adhæsisse anno Christi 719, eodem plane ratiocinio, quo illi anno 722 adjunctum volunt, qui Gregorium anno ætatis septuagesimo defunctum putaverunt. Quapropter quidquid aliunde adferri potest, quo probetur hoc anno adhæsisse Bonifacio, id etiam ætatem 73 annorum confirmat.*

dum prima vice Thuringiam adivit;

24 *Nunc ex Vita* Gregorii *ostendo, eum S. Bonifacii discipulum factum anno Christi 719. Num. 3 ita habet S. Ludgerus:* Post hos inquam tredecim annos *(prædicationis in Frisia ante relatos)* dum admonitus a Deo ad Hassos et Thuringeos Orientales regiones Francorum iter agere cœpisset lucrandorum Deo populorum causa, pervenit ad Palatiolum monasterium virginum prope Treviris civitatem, *ubi discipulum acquisivit* Gregorium, *ut ibidem refertur. Non memorat auctor, unde venerit Bonifacius, utpote cujus Vitam non scribit: id ergo aliunde colligere debemus. Tempus autem designat, dum* ad Hassos et Thuringeos... iter agere COEPISSET: *quibus verbis non obscure primum ad illas provincias iter insinuat. Quod confirmatur ex num. 6:* Tunc, *inquit,* electi Dei iter desideratum peragentes venerunt Thuringiam. Porro ad augmentum boni sui, et ad comprobandam mentis eorum constantiam et longanimitatem, in tanta paupertate INVENERUNT populum illum, ut vix ibi ullus haberet unde viveret. *Ex voce* invenerunt *satis colligas, Bonifacium adhuc ibidem fuisse peregrinum: nam si ante ibidem prædicasset, jam aliqua haud dubie habuisset subsidia, notos aliquos, uti revera habuisse constat in itinere secundo anni 722, cum paullo post Amanaburgi monasterium extruxerit, ut narrat Willibaldus in ejus Vita cap. 3: omnino ergo admittendum videtur in primo ad Thuringos itinere* Gregorium *sub disciplinam Bonifacii se tradidisse.*

AUCTORE J. S.

neque idcirco multum a via deflectere debuit.

25 *Atqui primum Bonifacii in Thuringiam iter contigisse anno 719 ex Bonifacii Vita constat, atque admittunt passim omnes: illo etenim anno a Gregorio II mense Maio Roma missus* E *in Germaniam, per Longobardiam, Alpium juga,* incognitosque *(ut loquitur Willibaldus cap. 2)* Bajoariorum, et confines Germaniæ terminos... in Thuringiam progressus est. *Telum ex his verbis, sed obtusum, intorquet Cointius num. 79, ubi ex viarum ratione probare nititur de secundo ad Hassos itinere locum intelligendum:* A civitate, *inquit,* Treverica monasterioque Palatiolensi longissime absunt Roma, Longobardia, Alpes, Bajoaria. *Sic est; at non longe adeo ab Hassia et Thuringia Hassiæ proxima, eoque tempore multo latius quam hodiedum extensa, abest Treviris, dictumque monasterium, ut eo venire non potuerit priusquam in Hassiam Thuringiamque perveniret. Nam transitis Bavariæ finibus ad Rhenum deflectere potuit, per eumque descendere Spiram usque aut Moguntiam; indeque ad dictum sui Ordinis monasterium excurrere, aut per Alsatiam et Lotharingiam hodiernam eo devenire; imo id eum fecisse suadet itineris commoditas. Deinde in secundo ad Thuringos itinere ex Frisia suscepto, non minus a via deflectere debuisset: nam cap.* F *3 id iter ita describit Willibaldus:* Qui statim proficiscens, pervenit ad locum, cui nomen inscribitur Amanaburch. *Si itaque, ut vult Cointius, tunc excurrisset ad Palatiolense monasterium, non minus a recto itinere deflectendum erat, quam in præcedenti. Nihil itaque hoc argumento pro utravis sententia concluditur. Præterea num. 31 probabimus,* Gregorium *anno 723 cum Bonifacio Romam profectum, ibique gessisse quædam, quæ cum ætate non conveniunt 16 annorum, quot annos natus tum erat, si 722 Bonifacio se addidit comitem. Ex quibus omnibus concludo anno 719* Gregorium *Bonifacii factum discipulum. Hac igitur epocha stabilita, manifestum sit pro tredecim prædicationis in Frisia annis, non esse tres illos, quibus secunda vice in Frisia prædicavit, subsituendos, sed addendos omnino, cum hi ab illis sint distincti.*

Primum in Franciam venit Bonifacius sub Carolo Martello.

26 *Nunc ad argumenta Cointii reliqua respondendum: nam quædam in præcedentibus jam sunt dissoluta. Non lubet tamen omnia ipsius verba huc transferre, ne in immensum crescat disputatio; vim eorum non declinabo, uti decet veritatis*

AUCTORE J. S.

ritatis studiosum. Num. 82 argumentum desumit ex ipsa Gregorii *Vita, quod adeo placuit Pagio ad annum Christi 716 num. 16, ut hoc uno prolato certum videri asserat, pro annis* tredecim, tres *esse substituendos. Est autem ejusmodi. Num. 2 in Vita* Gregorii *ait Ludgerus de Bonifacio :* Qui in diebus nobilissimi principis Francorum regis Karli *(Martelli)* de Britannia et gente Anglorum clarissimum quoddam sidus Franciam veniens *etc. Ergo, inquiunt, non venit in Frisiam anno 704, quo Carolus Martellus puer erat. Hic Ludgeri locus, judice Cointio,* litem omnem dirimit. *At, me judice, nihil facit ad rem, qua de agitur. Non enim in Frisiam citius venisse negat, verum id aperte num. 3 asserit Ludgerus, cum jam tredecim annis in Frisia laborasse affirmat.*

citius tamen venit in Frisiam, quæ a Francia distinguenda.

27 *Frisia igitur distinguenda a Gallia, utpote extra fines Gallorum posita, ac dominanti tunc ibidem Rodbodo Francorum inimico subjecta. Siquem moveat, quod de Britannia venisse dicatur, verum id est : nam post reditum in Angliam, ea rursum egressus est, dum Carolus* B *principatum obtinebat in Gallia; at ne hoc quidem significare voluit Ludgerus. Quid ille igitur his verbis, inquies, voluit? Unum illud profecto, Bonifacium gente Britannum, tempore Caroli principis venisse Trevirim in Galliam, ibi* Gregorium *ei adhæsisse discipulum, atque ab eo tempore Bonifacium Francis innotuisse. Plura ad hunc paralogismum non repono, quamvis non desint; nam, quod mirere, mox num. 84 Cointius ipse se refutat his verbis :* Beatus Ludgerus, ubi Winfridum *(mutato deinde nomine,* Bonifacium) in Franciam venisse scribit in diebus Caroli, manifestissime testatur loqui se de posteriori adventu. *Hic igitur locus* litem omnem *de primo adventu in Frisiam non* dirimit, *ut supra volebat Cointius; neque ex hoc loco de correctione facienda* trium *annorum pro* tredecim *certam notitiam haurire potuit Pagius, ut existimavit ad annum 716 num. 16; sed nihil facit ad propositum nostrum. Quod objicit præterea citatus Cointius num. 78 :* Altum apud auctores silentium *esse de rebus, tredecim his annis a Bonifacio gestis, falsum esse, patet ex prolatis supra ex 2, et 3 apud Henschenium Bonifacii* C *Vita. Ex Vita 3,* Idolorum spurcitias ubicumque potuit extirpat. *Ex Vita 2,* multos idololatriæ deditos convertit ad Christum.

Argumentum, quod sumunt adversarii ex 40 annis peregrinationis.

28 *Validius pro sua sententia argumentum, unumque sententiæ nostræ non satis commodum, proponit num. 66 ex Willibaldo et Othlono, Vitæ Bonifacianæ scriptoribus. Ad unum respondebo Willibaldum, quem Othlonus longo post tempore fideliter secutus est, ita ut ad auctoritatem ipsius nihil adjiciat ponderis. Narrat Willibaldus Bonifacium martyrio coronatum esse anno 755* quadragesimo ejus peregrinationis anno revoluto, *inde deducit peregrinari cœpisse anno 715. Consequentia est legitima, non inficior, modo antecedens non sit erroneum, eoque modo, quo vult Cointius, necessario sit intelligendum. Respondeo itaque calculos Willibaldi esse erroneos tam peregrinationis Bonifacianæ, quam episcopatus. De episcopatu id ita ostendo. Scribit Willidaldus apud nos tom. 1 Junii pag. 472, cap. 4, num. 59 :* Sedit... in episcopatu annos XXXVI, menses sex, et dies sex; *obiit autem die* v *Junii, anno 754, vel 755, ut Willibaldus multique alii volunt, de quo non lubet disputare, cum maxime sit ambiguum, variantibus* D *auctorum etiam antiquorum sententiis. Episcopus creatur, ex Willibaldo apud nos cap. 3, num. 32, die* XXX *Novembris, anno autem 723, ut omnibus in comperto est; ergo in episcopatu sedit præter menses et dies recte a Willibaldo assignatos, annos 31, vel, si obiit anno 754, annos tantum 30.*

corrupto nititur calculo : nam et anni episcopatus

29 *Viderunt eruditi adversarii episcopatum Bonifacii breviorem fuisse quam Willibaldi calculus describit. At vero ut eum ab errore excusarent, alio confugerunt. Unum pro omnibus audire lubet Pagium ad annum 719, num. 3, ita scribentem de hoc Willibaldi et Othloni calculo :* Uterque episcopatum pro concionandi munere improprie usurpant, eumque episcopum dicunt, quem Gregorius II præconem fidei, legatumque Sedis apostolicæ per Germaniam creavit, quia Euangelii prædicatio est inter præcipua episcopi munia, et quandoque apostolatus vocatur. *Subtilis sane interpretatio, modo Willibaldo conformis sit, et vera. At ego in primis non intelligo, cur dicat* sedit in episcopatu, *si legationem apostolicam significare velit; hic certe loquendi modus non est proprius, aut a quoquam, quod scio, usitatus.* E *Deinde cur peregrinationis annos distinguit ab annis episcopatus, si a prima in Germaniam missione episcopatus enumeret annos? Dicunt quidem adversarii ad annos peregrinationis pertinere primum iter in Frisiam; at non videtur eo respexisse Willibaldus, maxime in Pagii sententia, qui illud iter paucis mensibus circumscribit, cum inde reversus sit ad monasterium suum Bonifacius, ibique anno circiter cum dimidio permanserit. Quid, quod ne sic quidem 40 peregrinationis annos evolutos inventurus sit Pagius ab anno 716, quo eum vult discessisse, usque ad 755, quo obiisse, ut patet. Tertio Willibaldus cap. 3, num. 32 episcopum consecratum refert* pridie Kalendarum Decembrium : *ergo dubium non videtur, quin ab eo tempore episcopatus annos numerare velit, præsertim cum menses et dies ab ultima Novembris usque ad* v *Junii recte enumeret; hæc sola ratio ad mentem auctoris perspiciendam sufficere potest. Quid enim clarius? In decursu Vitæ describit initium peregrinationis, initium describit episcopatus, sub finem enumerat annos peregrinationis, enumerat et annos episcopatus; quo igitur respiciemus nisi ad episcopatum ante de-* F *scriptum, cum ait,* sedit in episcopatu; *sicuti ad peregrinationem ante indicatam respicimus, cum dicit,* Quadragesimo peregrinationis ejus anno revoluto? *Adde quod apostolatus desumi non possit ab anno 719,* XXX *Novembris; nam literæ, quibus Bonifacio potestatem prædicandi per Germaniam tribuit Gregorius II, notantur anno 719 mense Maio : quod autem dicit Pagius viva voce datam Bonifacio potestatem* XXX *Novembris 718, plane est fictitium. Aberrat igitur episcopatus calculus annis 5 aut 6, uti etiam in notis observat Henschenius.*

Bonifacii non recte numerantur a Willibaldo.

30 *Peregrinationis anni etiam non recte subducti sunt, ut jam diximus. Dubium tamen esse potest, quam peregrinationem intelligat Willibaldus. Mihi, ut breviter dixi, videtur postremam illam, quæ Romæ inchoata est, in Germaniam peregrinationem intelligere, tum quod alia fuerit interrupta, tum quod error chronologicus in peregrinationis annis subducendis commissus, idem sic fere sit qui in annos episcopatus irrepsit. Nam peregrinatio hæc quatuor annis præcessit episcopatum, quatuor item annis statuitur*

longior,

A *longior, si tamen menses exacte subducas, uno anno minus in peregrinatione, quam in episcopatu fuerit erratum. Ut ut est, erratum fuisse non dubito, ex erroneo autem computu tanta auctoritas, quantam pro tredecim prædicationis Bonifacianæ annis protulimus, convelli non potest. Ex quo deducimus, nihil obstare, quo minus concludamus, tredecim hos annos Bonifacio Frisiæ æque ac Germaniæ apostolo omnino adjudicandos. Porro Willibaldum in annis Bonifacii numerandis in errores quosdam incidisse chronologicos, mirum videri non debet, quamvis hi errores postea etiam potuerint irrepere per audacem quemdam interpolatorem, cum numquam per decursum Vitæ, quid quolibet anno gestum sit, Willibaldus meminerit, res ipsas sine temporis nota retulisse contentus. Similem lapsum chronologicum notat Henschenius ad cap. 2 num. 27, ubi Bonifacium de Gregorio II tamquam defuncto loquentem inducit, qui multis postea annis supervixit. Hæc paullo longius deduximus, tam ut ostenderemus non esse corrigenda Acta* Gregorii, *quam ut chronologiæ* S. Gregorii *fun-*
B *damentum poneremus, atque etiam ut S. Bonifacio vindicaremus gloriosum 13 annorum laborem, perperam a multis expunctum. Nobis autem in omnibus prævivit Operis nostri parens Bollandus, in Commentario ad Acta S. Ludgeri tom.* III *Martii pag. 631, sed ille rem breviter tantum indicavit. Ceterum juvat monere, hunc Commentarium non recte a Pagio aliisque citari nomine Henschenii.*

§ III. Chronologia vitæ S. Gregorii usque ad episcopatus administrationem.

Natus 704, conversus 719, a quo tempore in laboribus Apostolicis

Hujus *chronologiæ fundamenta quædam memoravimus § præcedenti. Probavimus vixisse annos 73 sed incompletos, mortuum anno 776 hic ulterius probabimus. Natus itaque est anno, ut videtur, 704; S. Bonifacium secutus 719, natus annos fere 15, quos in domo paterna partim, ut verisimile est, partim in palatio,*
C *ut habet Vita, transegit. Eodem anno 719 cum Bonifacio in Thuringiam profectus, gravem ibidem paupertatem, ac labores pertulit plurimos, vitæ sic apostolicæ jaciens fundamenta. Anno 720 Bonifacius Willibrordo suppetias laturus in Frisiam, audita Radbodi morte, tetendit comite* Gregorio, *ut suadet Vita, quæ ubique magistro adhærentem exhibet, initio scilicet conversionis. Præterea in Vita num. 13 dicitur :* Beatus Gregorius Trajectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad, cum illa irradiavit parte Fresoniæ, quæ tunc temporis christianitatis nomine censebatur; *quod quidem postea factum, attamen verisimile facit, nunc eo cum Bonifacio profectum. Anno 722 sub finem, vel initio 723 cum magistro reversus est in Thuringiam, tribus in Frisia peractis annis, quos incompletos puto propter multa et magna, quæ in Thuringia perfecisse dicitur Bonifacius, antequam Romam sit profectus.*

fit comes Bonifacii, etiam in itinere Romano anno 723 :

32 *Anno 723 magistrum Bonifacium, episcopum ordinandum, Romam comitatus est* Gregorius *annum ætatis agens 19. Clare id habet Ludgerus in Vita num. 17 :* Et in illo quoque itinere, dum S. Martyr Bonifacius Romæ, sicut superius dictum est *(consecrationem Bonifacii narraverat num. 16)* sacro gradu sublimatus est, B. Gregorius præcepter meus, electo magistro infatigabilis comes permansit; intrans et egrediens et pergens ad imperium ejus, sicut semper solebat in omni opere bono. *Quid Romæ egerit* Gregorius, *supra ætatem maturus, ita commemorat idem auctor :* Et non solum in hoc eodem itinere, meritum humilitatis et obedientiæ suæ peregit, ut dignum est juniores subdi senioribus, et majoribus suis in omnibus; sed etiam plura volumina sanctarum Scripturarum, largiente Domino, illic acquisivit; et secum inde ad profectum proprium discipulorumque suorum, non modico labore, advexit domum. Sed et pueros duos cum consensu magistri, in discipulatum suum, Marchelmum videlicet et Marcuvinum de gente Anglorum secum inde adduxit. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 2 pag. 173 hæc ad tertiam Bonifacii in Urbem profectionem referenda existimat, non ad hanc secundam :* Quo tempore, *inquit,* Gregorius nondum annorum quindecim, discipulos habere non poterat. *At, pace tanti viri dixerim, si-* E *bi in eodem numero repugnat : nam paullo ante dixerat,* Gregorium *anno 722 conversum,* quindecim fere annorum *adolescentem. Quomodo igitur sub finem anni 723, cum ordinatus est, teste etiam Mabillonio, Bonifacius, nondum quindecim erat annorum? Dein falso nititur principio, quod nempe non citius adhæserit Bonifacio* Gregorius ; *et aperte cum Ludgero supra citato pugnat; ut patet ex verbis ipsis : nam in tertio Romam accessu non est* sacro sublimatus gradu *Bonifacius, sed in secundo. Ex hoc itaque tam claro Ludgeri testimonio, quo* Gregorium *juniorem adhuc Romam cum Bonifacio profectum significat, firmatur epocha nostra de conversione* Gregorii *anno 719 stabilita : etenim qui anno ætatis 15 comitari potuit Bonifacium in arduo apostolici laboris itinere, potuit post quadriennium, jam juniores quosdam habere discipulos, secumque condiscipulos Bonifacii.*

Auctore J. S.

Romæ reversus multis annis operatur in Germania :

33 *Sub finem ejusdem anni 723, vel initium sequentis, reversus cum Bonifacio, litteris Pontificis commendatitiis ad Carolum Martellum Francorum principem, variosque Germaniæ populos instructo, eumdem cum magistro principem accessit ; cujus impetrata protectione labores* F *apostolicos in Hassia et Thuringia repetiit Bonifacius, comite et adjutore* Gregorio. *Namque ad hoc circiter tempus referendum putem, quod dicit Ludgerus in Vita num. 7 :* Cœpit quoque et electus adolescens Gregorius in discipulatu ejus proficere, ætate et sapientia; et in tantum amabilis fieri magistro, ut quasi unicum filium cum diligeret : jam adjutorem fidelem illum habens in omni opere bono. *Tenuerunt hi labores* Gregorium *annos plures, usque ad obitum saltem Caroli Martelli, quem ex communi auctorum calculo anno 741 contigisse dicit Pagius ad eumdem annum. Interea temporis presbyterum a Bonifacio consecratum esse* Gregorium *omnino existimo. Quo autem id factum anno, non memorat Ludgerus; non est tamen inverisimile, consecratum circa annum ætatis 30, Christi 734. Quo referendum puto, quod ait Lugderus num. 7 in fine :* Similiter et fidelis discipulus ejus Gregorius adjutor infatigabilis in opere Dei cum magistro permansit in custodia et educatione gregis Christi, factus secundus pastor : *cui maxime gregis sui curam commisisse videtur Bonifacius,*

quando

AUCTORE J. S.

Deinde Ultrajectum missus citeriorem Frisiam excolit :

quando tertio Romam profectus est anno 738.

34 *Post continuatos plurimis annis in Germania labores, excolenda* Gregorio *data est Frisia citerior, occasione, ut videtur, obitus S. Wilbrordi, egregii istius gentis apostoli, ac primi episcopi Trajectensis. De cujus anno emortuali, inter eruditos controverso, hic non lubet disputare, ne abducar longius : examinabitur ille suo loco. Prædicationem* Gregorii *in illis partibus ita enarrat Lugderus num. 13 :* Ad hæc autem universa, non modice adjutus est *(Bonifacius)* ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis prædicatoribus, et columnis Ecclesiæ Dei : quorum unusquisque civitatem, et regionem suam, sicut lucifer mane oriens, illuminavit exemplis et doctrina sua. B. Gregorius Trajectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad, cum illa irradiavit parte Fresoniæ, quæ tunc temporis Christianitatis nomine censebatur. Id est *(alii* idem) usque in ripam Occidentalem fluminis, quod dicitur Lagbeke, ubi confinium erat Christianorum Fresonum ac Paganorum, cunctis diebus Pippini

B regis. *Tempus, quo missus in Frisiam, seu Bataviam* Gregorius, *utcumque insinuatur ultimis verbis,* cunctis diebus Pipini. *Verum necesse non est, rem usque ad coronationem anno 752 factam differre, cum jam ante Pippinus a multis rex vocaretur, uti pater ejus Carolus Martellus. Videtur enim missus in Frisiam non diu postquam Carolomannus ecclesiam illam Bonifacii curæ, ad constituendum episcopum commendaverat, circa tempus, quo idem Carolomannus, monasticam vitam ducturus, principatum reliquit; cum nominet Pippinum hic solum, et num. 11 principatum Carolomanni et Pippini agnoscat, sub quo sæpius cum Bonifacio aulam a* Gregorio *frequentatam memorat. Secessum Carolomanni anno 747 illigat Pagius : quapropter circa eumdem annum 747 missionem hanc* Gregorii *ad ecclesiam Ultrajectinam contigisse existimo, aut uno fortasse aut altero anno citius, quod definiri exacte non potest. Verum alia hic oritur difficultas examinanda.*

An episcopus a Bonifacio designatus :

35 *Bonifacius in epistola 97 ad Stephanum Pontificem sic scribit :* Princeps autem Francorum Carolomannus commendavit mihi sedem illam *(Ultrajectinam)* ad constituendum et ordi-

C nandum episcopum, quod et feci. *Quis fuerit ille, quem Bonifacius a se constitutum dicit episcopum Ultrajectensem, non explicat. Adulphum, quem* XVII *Julii dedit Papebrochius cum Botulpho, ordinatum a Bonifacio suspicatus est Henschenius, quia in Vita tom.* III *Julii pag. 402 Trajectensis ecclesiæ episcopus* intronizatus *dicitur : at mihi hoc minus est verisimile, tum quia nulla hujus Adulphi inter episcopos Trajectenses est mentio, tum quia quisquis ille fuerit, nisi fuerit ipse* Gregorius, *non videtur unquam pacificam possessionem adeptus; contradicente nimirum episcopo Coloniensi, sibique ecclesiam Ultrajectensem subjectam esse contendente, ut narrat in memorata epistola Bonifacius. Existimo igitur ipsum* Gregorium *a S. Bonifacio designatum episcopum Ultrajectensem, additumque ei S. Eobanum ad munia episcopalia exercenda, quia a consecratione* Gregorii *abstinendum sibi putabat, ob litem cum episcopo Coloniensi, qui consentire in consecrationem episcopi Ultrajectensis renuebat, quod Ultrajectum et Frisiam ad sedem suam pertinere contenderet. Omnia hæc intelliges ex epistola Bonifacii ad Stephanum Papam mox assignata, ex qua etiam deducemus successionem primorum episcoporum Ultrajectensium. Bonifacius itaque post verba modo relata sic pergit :* D

cui se Coloniensis episcopus opposuit,

36 Nunc autem Coloniensis episcopus illam sedem præfati episcopi Clementis *(Willibrordi ante, uti et nunc sæpius, nominati, quem Trajecti ad Rhenum sedem episcopalem constituisse initio epistolæ dixerat)* a Sergio Papa ordinati sibi usurpat, et ad se pertinere dicit, propter fundamenta cujusdam destructæ a paganis ecclesiolæ : quam Willibrordus dirutam usque ad solum in castello Trajecto reperit, et eam proprio labore a fundamento construxit, et in honore S. Martini consecravit. Et refert, quia ab antiquo rege Francorum Dagobertho castellum Trajectum cum destructa ecclesia ad Coloniensem parochiam donatum in ea conditione fuisset, ut episcopus Coloniensis gentem Fresorum ad fidem Christi converteret, et eorum prædicator esset : quod et ipse non fecit. Non prædicavit, non convertit Freseos ad fidem Christi, sed pagana mansit gens Fresorum, usque quo venerandus Pontifex Romanæ sedis Sergius supradictum E servum Dei Willibrordum episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit. Qui illam gentem, ut præfatus sum, ad fidem Christi convertit. Et modo vult Coloniensis episcopus sedem supradicti Willibrordi prædicatoris sibi contrahere, ut non sit episcopalis sedes subjecta Romano Pontifici, prædicans gentem Fresorum. Cui respondebam, ut credidi, quod majus et potius fieri debeat præceptum apostolicæ Sedis, et ordinatio Sergii Papæ, et legatio venerandi prædicatoris Willibrordi, ut et fiat sedes episcopalis subjecta Romano Pontifici, prædicans gentem Fresorum, quia magna pars illorum adhuc pagana est, quam destructæ ecclesiolæ fundamenta diruta, et a paganis conculcata, et per negligentiam episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit. Sed modo paternitatis vestræ judicio mihi intimare dignemini : et si hoc justum sit responsum, et vobis placeat, quod illi Coloniensi episcopo reddidi, vestra auctoritate roborare, ut præceptum Sergii Papæ, et sedes illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos, si vobis placet, adjuvare, si de scrinio ecclesiæ vestræ exemplare jubetis, et mihi transmittere quidquid præfato episcopo Willibrordo F ordinato sanctus Sergius præciperet et conscriberet, ut ex auctoritate sanctitatis vestræ contradicentes convincere, et superare valeam. Si autem aliter justius sanctitati vestræ videatur, consilium paternitatis vestræ mihi insinuare dignamini, ut sequar. *Hæc Bonifacius circa annum 753 aut 754, cum scribat ad Stephanum anno 752 creatum Pontificem.*

et de quo Bonifacius Stephanum

37 *Ex recitata epistola, collatis aliunde subsidiis, implexa episcoporum Trajectensium successio evolvenda est. Hinc enim primo manifestum est, post Willibrordi obitum curam illius ecclesiæ commissam Bonifacio, utpote legato Apostolico, non ut ipse eam perpetuo ut episcopus regeret, sed ut episcopum ibi constitueret et ordinaret. Rem ille aggressus est, (quo præcise anno non liquet) episcopum designavit, sed injecto mox obice per episcopum Coloniensem, ab eodem ordinando abstinens, donec lis terminaretur : ipse interim ut legatus Apostolicus administrare perrexit ecclesiam, tum per se, tum per* Gregorium, *quem episcopum fuisse designatum probabimus aliunde, Vicarium suum, eidemque adjunctum S. Eobanum ad functiones episcopales exercendas*

con-

A *consecratum. Secundo clarum videtur ex epistola, S. Bonifacium nunquam proprie fuisse episcopum Ultrajectinum, quamvis ita nominatus fuerit a multis, sed auctoritate legati Apostolici eam ecclesiam administrasse. Quippe clare dicit in epistola, episcopum a se constitutum; eum jure statutum putabat, de illius confirmatione interpellabat Sedem apostolicam : quomodo ergo illam ecclesiam tamquam propriam sibi usurpasset, non exspectato Pontificis responso? Responsum autem Pontificis venit post mortem Bonifacii, vel quod litteræ Bonifacii serius perlatæ sint ad Pontificem, qui anno 753 in Galliam profectus legitur, vel quod Pontifex antequam responderet, audire voluerit episcopum Coloniensem, vel quacumque alia de causa.*

Pontificem consuluit?

38 *Venisse post mortem Bonifacii responsum Stephani, colligitur ex Vita Gregorii num. 20, ubi ita scribit Ludgerus :* Sed et hoc silentio minime tegendum est, quod Marchelmo venerabili viro narrante, didici . . . quod post martyrium sancti magistri . . . . . ipse quoque B. Gregorius a Stephano apostolicæ Sedis præsule, et B ab illustri et religioso rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia; *videlicet dum ad epistolam Bonifacii respondens Stephanus, eatenus saltem Bonifacio assensus est, quod* Gregorium *confirmaverit in episcopatu Ultrajectino, relicto forte adhuc dubio, an a Coloniensi ordinari deberet, eique subesse, quod demum evicit Coloniensis; nam Albericus* Gregorii *successor ab episcopo Coloniensi consecratus est. Pagius ad annum 755 num. 10 successionem episcoporum Ultrajectensium ita ordinat. Post Willibrordum sedem vacasse vult usque ad annum 753, quia* S. Bonifacius, *ut ait num. 11,* post Willebrordi mortem alium ei episcopum ob gentis ferocitatem subrogare non potuit, *quæ ratio aperte falsa est, quia* Gregorius *Trajecti et in vicinis regionibus toto fere illo tempore fidem promulgavit. Quod idem auctor scribit, Bonifacium factum episcopum Ultrajectinum anno 753, refutatum est. Jam vero probandum est, ut me probaturum dixi,* Gregorium *fuisse, quem Bonifacius statuere volebat episcopum Ultrajectinum.*

Gregorium fuisse designatum probatur ex variis auctoribus,

C 39 *In Actis S. Bonifacii tom. 1 Junii per Henschenium editis id clare dicitur in Vita 3 pag. 482, num. 6 :* Sanctus vero Bonifacius, ut prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, procurans gregis commissi providentiam; ne nullo pastore protegente, post ejus discessum, lupi rapaces invaderent ovile Dominicum, beatum Gregorium . . . ejusdem Trajectensis ecclesiæ sedi præfecit pastorem. *Othlonus apud Mabillonium seculo 3 Benedictino part. 2 pag. 52 clarius, et ad tempus accommodatius, rem explicat :* Tunc Gregorium ad Triech episcopali ordine consecratum direxit. *Quod dicit consecratum ordine episcopali, corrigetur postea. In supplemento ad Vitam S. Bonifacii a presbytero Moguntino exarato, apud Henschenium pag. 476, cap. 3 ita scribitur :* Statimque in ipso tempore, ut sanctus vir *(Bonifacius)* pro Domino carne occubuit, Trajectensis ecclesiæ clerici cum suo episcopo *(Gregorio, ut recte notat Henschenius)* rapuerunt sanctum corpus, et voluerunt illud omnino apud se retinere. *Non video, quomodo id recte intelligam, nisi jam episcopus designatus esset ante mortem Bonifacii. In Vita* S. Gregorii *Ms. hæc lego :* Cum sanctus Bonifacius diem sibi præscivisset imminere extremum, beatum Gregorium Trajectensi ecclesiæ præfecit episcopum. *Tot testibus fides videtur adhibenda. His adjungo, quod supra ex Ludgero retulimus, ubi civitas commissa* Gregorio Trajectum *dicitur, sicuti Lullo* Moguntia. *Sicut igitur Lullum Moguntinum creavit episcopum vivus adhuc, et ætate quidem* Gregorio *minorem, sic et* Gregorium *statuere voluit episcopum; sed injecto obice, post mortem ejus tantum est confirmatus.*

Auctore J. S.

uti etiam ex epistola S. Lulli ad Gregorium :

40 *Rem abunde jam probatam, quia multorum persuasioni contraria est, lubet ulterius verisimilem facere ex epistola S. Lulli Moguntini dein archiepiscopi ad* Gregorium, *quam patet vivente adhuc Bonifacio esse scriptam. Eam, quod lectu dignissima sit, et laude* Gregorii *plena, totam juvabit inserere. Edita illa habetur inter Bonifacianas 45, hac inscriptione præfixa :* Claræ Christi Ecclesiæ lampadi luciferæ, meoque in doctrina divinæ legis devotissimo adjutori, Gregorio duplici presbyteratus abbatisque honore cum præcedente propriorum meritorum suffragio decorato Lullus extremus orthodoxæ matris videlicet Ecclesiæ alumnus immarcessibilis charitatis, in angulari Lapide utriusque Testamenti, salutiferam salutem. E *Ex hac inscriptione colligo 1°, Lullum fuisse presbyterum, dum hæc scriberet, alioquin enim solet scribere* Lullus antistes, *ut in 47 et 62 videre est. Hinc certum est ante mortem Bonifacii exaratam esse; 2°, titulum abbatis et presbyteri* Gregorio *tribui, qualis ei post mortem Bonifacii tributus est, dum ecclesiam Ultrajectinam regebat; unde probari videtur, eam jam vivente Bonifacio rexisse, auctoritate tamen Bonifacii legati Apostolici, et curatoris illius ecclesiæ. Ipsam nunc audiamus epistolam, ex qua id ipsum fiet manifestius :*

in qua gratiis actis de muneribus a Gregorio missis.

41 Fido gestante gerulo munera largitatis tuæ ad me usque delata pervenerunt : sed et suavissimæ benevolæ caritatis tuæ salutationes omne munus vincentes more solito pariter comitabantur, quibus auditis et perceptis, uberes Deo piissimo primitus egi gratias, ut decuit; et deinde fraternitati tuæ debitas reddidi grates, quia te in minore potestate fidelem sciebam, in majore citius fideliorem comprobavi. Comperto igitur prosperitatis tuæ successu, æger animus utrumque egit : gaudebat de ascensione cari sodalis, sed contristabatur de divisione, quia hoc F intolerabile apud homines videtur, dum is, qui præ cæteris plus diligitur, repente subtrahitur, quamvis pro certo sciam, quod nulla terrarum spatia illos dividere possunt, quos verus Christi amor indisrupto germanitatis vinculo nectit. Teste Deo, ne videar adulando fallere, quia te, pater, quantum mentis possibilitas attribuit, interni affectus amore diligo. Hoc autem subnixa prece humiliter obsecro, ut nunquam semel in Christo cœptam caritatem desidia torporis in nostro pectore frigescere sinamus, velut parvam scintillam tenuis ignis furva cinerum favilla suffocatam, ne in derisum veniamus a prætereuntibus, cœptum ædificium considerantibus turris. Dicit scriptura : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, nec quilibet artifex de cœpto opere laudatur, sed de perfecto. Hoc autem meam mediocritatem quamlibet ætate juniorem, *(Hinc mirari non possumus* Gregorium *a vivente Bonifacio designatum ecclesiæ Ultrajectinæ episcopum, cum Lullus ab eodem subrogatus sit Moguntinæ)* merito graduque minorem,

AUCTORE J. S.

rem, *(itaque adhuc presbyter hæc scribens Lullus)* scientia inferiorem, absque ullo dubitationis scrupulo et servasse, et servaturam esse scito. De tua vero vitæ gravitate, mentisque stabilitate nihil dubito.

eum hortatur

42 Muniamus non spiritali armatura juxta Apostoli præceptum, orantes pro invicem ut salvemur, quia multum deprecatio justi assidua, Jacobo attestante, apud Deum valet; et eo diligentius huic insistamus, quo vehementius nos variis tentationum telis impugnari non ignoramus. Dextera scilicet fortior lævam infirmiorem adjuvare non cessat; et læva dexteræ, sicut ancilla dominæ, deservire non desinet : id est, meam instabilitatem bonæ vitæ tuæ exemplis castigando, corrigendo, admonendo, quamvis absentem corpore, spiritu tamen præsentem, sicut tibi moris est, ad melioris vitæ perfectionem deducere non desinas, et ego tibi humili devotione, quantum vires suppeditant, fidelem famulatum in omnibus præbebo. Exhortatoria mediocritatis meæ verba, quamvis fatua et superflua videantur, obsecro, ut non moleste a tuæ caritatis collegio *(a te collega)* recipiantur, quæ B sola caritas exigebat scribens sine dictandi materia, quæ omnia vincit, sicut scriptum est : Amor omnia vincit, et nos cedamus amori, ablata omni tumoris superbia. *Quæ sequuntur aperte indicant, scribi hæc ad episcopum designatum, et ecclesiæ rectorem : namque per terrenam potestatem, non aliam intelligi quam episcopalem, patebit inferius.*

ad contemptum temporalium bonorum, et virtutes varias,

43 Hæc sunt suasoria verba, quæ sine meo periculo dicere non possum, ut in hac temporali potestate *(administrandi episcopatus bona)* et terrestri ditione, qua auctore Deo, jam nunc uteris, Dominicæ sententiæ semper memor sis sonantis : Regnum meum non est de hoc mundo. Et illud Apostoli : Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Quibus verbis quid aliud innuitur, nisi aperte dixisse illum intelligimus : In illum nolite oculum mentis vestræ figere, quem quotidie ipsa ruina sua cernitis cadere; sed in illum tota mentis intentione aspicite, illumque totis viribus diligite, qui ante omnia secula est, et per omnia secula immutabilis manet, qui futuro et præterito tempore caret, sed esse sibi semper essentialiter est. Quid C est enim hujus mundi fugitiva felicitas, et caduca prosperitas, nisi vapor et fumus? Inter temporalem prosperitatem, et æternam felicitatem multum distare quis peritorum ignorat? Discamus igitur hac temporali potestate frui præter æternam felicitatem, et in cujus comparatione nobis omnia vilescant. Vestimenta pretiosa, caballos farre pastos, accipitres, falconesque cum curvis unguibus, latrantes canes, scurrarum bacchationes, cibi potusque exquisitæ dulcedinis sapores, argenti aurique rutilantis pondera spernamus, ne sit mollis culcitræ pausatio, molliaque cervicalia a viris potius exhibeantur, quam a flammeis puellis. Ante omnia, incauta familiaritas extranearum fæminarum abscindatur, quia sæpe seducimur incauta securitate peius quam aperta tentatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandestina divinarum Scripturarum eloquia expellant, quia illa fovea omni custodia cavenda est, per quam plurimos miserabili ruina conspicimus corruisse. Nam sæpe robustus miles infestissima telorum jaculatione eo fortius impugnatur, quo invictus videtur. *Utinam episcopi omnes tam liberos haberent monitores, tamque fideliter monita sequerentur! quæ* Gregorio *minus* D *necessaria, sed ad cautelam data, ipse exactissime secutus est, ut ex tota Vita est manifestum. Pergat interim Lullus :*

variis locis insinuans, se ad rectorem ecclesiæ scribere,

44 Quamvis hoc iniisse te negotium *(administrandi episcopatum)* liquido noverim occasione lucrandarum animarum, et pro studio multiplicius serviendi Deo : tamen memento, quia mollem manum durus capulus exasperat. Quapropter, care collega jam dudum, et nunc pie præceptor, *(clarum hinc iterum, ante Lullum,* Gregorium *curam suæ ecclesiæ suscepisse)* in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Festinatio autem ad te veniendi, propter multiplicem tribulationem, quam jugiter, Deo gratias, sustinemus, mihi undique denegata est. Hujus muneris magnitudinem noli intendere, sed devotam mentem dirigentis intuere. Antiquæ familiaritatis fiducia fretus libet mihi hac epistiuncula quamdam sententiam frequenter apud nos habitam, quando limpida dicta Dei communiter rimabamur breviter tangere; nequaquam tamen ad tuæ puræ religionis personam pertinentem, cujus bene recordaris dum legitur, sed ad quemdam schismaticum nefandissimum pertinebat, qui semper jurare solebat, nihil se terreni accepturum : cum subito ex improviso, velut novum phantasma, episcopus apparuit, hoc jam maxima ex parte futurum esse formidabo. *(Videtur tacite dehortari a consecratione episcopali suscipienda, nec omnino approbare regimen ecclesiæ a* Gregorio *assumptum, forte quia sæpe invicem declaraverant, quantum ab episcopali fastigio abhorrerent. Verum ut* Gregorius, *ita et ipse Lullus onus hoc in se suscipere tandem debuit. Porro quod hic episcopum fieri, insinuet esse aliquid terreni accipere; declarat se per* terrestrem ditionem *supra significasse* ditionem episcopalem.) Longioris sermonis prolixitas legenti fastidium ne gignat, (nam sapiens paucis utitur verbis, stultus autem multis fatigatur, sicut et ego) obsecro istius epistolæ rubiginem emendando absterge, meique erroris indulgentia detur. Deus tibi quod ad salutem tuam pertineat, clementer inspirare dignetur : et cum grege tibi commisso *(aperte hic gregis pastorem, seu episcopatus rectorem constitutum dicit)* incolumem Pastor pastorum te custodiat. Propria manu scripsi hæc. Observa quæ F præcipiuntur, et salvus eris. *Hactenus S. Lullus pie juxta ac libere.*

ex quo deducitur, Gregorium a Bonifacio designatum fuisse episcopum.

45 *Ex longiori hoc monumento nunc demonstro, episcopum illum, quem a se in sede Ultrajectina statutum scribit Bonifacius, non alium esse a* S. Gregorio. *S. Lullus designatus est archiepiscopus Moguntinus ante obitum Bonifacii, ut omnes consentiunt, anno, ut videtur, 753. Cum autem scripsit hanc epistolam, nondum erat designatus episcopus : ergo illam scripsit saltem non serius, quam anno 753 : potuit autem scripsisse aliquot annis citius. Atqui ex tota epistola patet, gregem Ultrajectinum, illusque ecclesiæ regimen ab aliquo jam tempore commissum fuisse* Gregorio, *dum hæc scriberet Lullus. Ergo Bonifacius, qui anno 753 vel 754 scripsit ad Stephanum, Ultrajecti episcopum a se statutum, de alio id scribere non potuit, quam de* Gregorio, *cui et temporalium bonorum administrationem, et gregis curam commiserat : quamvis pacificam episcopatus possessionem tantum adeptus sit* Gregorius *post mortem Bonifacii, auctoritate Stephani Pontificis in sede confirmatus;*

atque

A *atque ideo nomine Bonifacii, qui ut legatus Pontificius ecclesiæ curam gerebat, eam hoc tempore videatur administrasse, ut jam diximus. Hæc paullo prolixius deducere oportuit, quia a nemine hactenus, quod sciam, fuere explicata. Ceterum quo anno designatus fuerit a Bonifacio* Gregorius, *est incertum. Videtur id factum ante annum 753, quo Lullus constitutus est archiepiscopus Moguntinus ex memorata Lulli epistola : neque tamen multo citius contigisse videtur, quod auctores alii insinuent id factum non esse multis annis ante mortem Bonifacii.*

§ IV. Gesta in munere episcopali, tempus obitus.

Mortuo Bonifacio, confirmatus in episcopatu,

Sanctus *Bonifacius, glorioso coronatus martyrio, transivit ad Dominum anno 755, si ejus Vitæ scriptore standum est; licet alii graves itidem scriptores id anno 754 contigisse affirment, de quo, cum ambiguum admodum sit,* B *nec res certo definiri possit, disputare pluribus supersedeo. Mortuo autem Bonifacio confirmatus demum in episcopali jurisdictione est* Gregorius; *uti habemus ex Vita num. 20 :* Sed et hoc silentio minime tegendum est.... quod post martyrium sancti magistri, a quo per gratiam Christi, et meritum sanctitatis ejus, omnes confines nationes illuminatæ sunt, ipse quoque B. Gregorius a Stephano apostolicæ Sedis Præsule, et ab illustri et religioso rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia : in qua, primus S. Willibrordus cognomento archiepiscopus in conversione gentis illius initiavit rudimenta christianæ fidei cum discipulis suis : deinde senescente illo in opere Dei, et stabilito episcopatu in loco, qui nuncupatur Trajectum, et alio nomine Wiltaburg, et migrante ad Dominum de hac luce, successit S. Bonifacius, idem archiepiscopus et martyr.., *(ecclesiæ nempe Trajectensis ut legatus apostolicus curam gerens :)* cui et successit *(Gregorius)* pius hæres ejusdem gentis Fresonum pastor et prædicator ordinatus a Domino, et a principibus supradictis ecclesiæ Dei. Eademque charitate, sicut et fidei firmitate, qua prædecessores sui sanctus videlicet Wil- C librordus archiepiscopus et confessor, et Bonifacius martyr atque archiepiscopus, larga et melliflua eruditione, populum irradiavit simul cum chorepiscopo et adjutore suo Aluberto. *De Aluberto agemus in notis.*

jurisdictione et munere fuit episcopus, non consecratione :

47 *Ex his patet* Gregorium *vere fuisse Ultrajectinum episcopum munere scilicet et jurisdictione episcopali; alioquin chorepiscopum ad munera episcopalia exercenda assumere sibi non potuisset. Numquam tamen episcopus vocatur a Ludgero, quia a consecratione episcopali abstinuit. Abstinuisse a consecratione suscipienda* Gregorium *docet Altfridus in Vita S. Ludgeri cap. 2 his verbis :* Non enim fuerat idem Gregorius ad gradum episcopalem ordinatus, sed presbyterii perseveravit in gradu. *Et in vita S. Lebuini Ms. dicitur :* Beatus Lebuinus Gregorium sacerdotem adiit; qui tunc temporis Trajectum castrum. . . episcopi vice presbyter rexit. *Idem fere in alia Ms. Lebuini Vita asseritur. Plura non congero, cum res clara sit ex ipso Ludgero, qui idcirco numquam vocat episcopum. Ratio, cur numquam consecrari voluerit, videtur fuisse lis memorata cum episcopo Coloniensi, cui tempore Willibrordi ecclesia Ultrajectina non fuerat subjecta, quique eam sibi subjectam esse debere contendebat, ut ante enarravimus.* AUCTORE J. S.

S. Lebuinum et Marchelmum

48 *Quam præclare* S. Gregorius, *in jurisdictione episcopali post mortem Bonifacii confirmatus, munus suum exercuerit tum per se, tum per discipulos et adjutores suos, ad ulteriorem Frisonum conversionem laborans strenue, traditur in Vita. Provincia in primis Frisonum trans Isalam, quæ nunc Transisalania, vulgo* Overysel, *dicitur, ac Daventriam habet metropolim, sub* Gregorii *pontificatu luce Euangelii illustrata est per S. Lebuinum seu Liafwinum, et Marchelmum, alio nomine Marcellinum, istuc a* Gregorio *missos. Res tota narratur in Vita S. Lebuini Ms., quam accepimus ex bibliotheca monasterii Canonicorum Regularium S. Augustini prope oppidum* Segeberge, *quam etiam Hucbaldus narrat in Vita ejusdem Sancti. Quæ ad S. Lebuinum attinent, perstringam breviter, in Actis ejus latius exponenda. Dicitur hic, triplici visione a Deo monitus, Trajectum ad* S. Gregorium *venisse, ab eoque cum gaudio exceptus, revelatione itidem prævia; atque ad illas* E *gentes dimissus. At spectantia ad* Gregorium *latius ab auctore Vitæ audiamus :* Venit igitur *(Lebuinus)* prospero cursu ad Trajectensem civitatem, adventum ejus præcedenti nocte hoc modo S. Gregorio, qui pro tunc sede vacante Trajectensi ecclesiæ vicarius præsidebat *(ita loquitur, quia non erat consecratus* Gregorius, *quamvis sedes proprie non vacaret, ut ante diximus)* Domino revelante : visum est enim B. Gregorio, quod quidam vir ætatis grandævæ habitu decorus, et placidus vultu beato Marcellino discipulo quondam S. Willibrordi, viro utique non contemnendæ auctoritatis, onus quoddam grave bajulandum imponeret, ac juberet cum tanta mole procedere : quod cum Marcellinus facere tentavisset, cespitantibus sub onere hinc inde vestigiis, ad lapsum parabatur. Vidit ergo Gregorius juvenem quemdam forma pulcherrimum festinato cursu accedere, oneri terga præbere, ac ne tantus vir sub mole laberetur, satagere; quo factum est, ut impositam molem unitis viribus quocumque liberet deveherent, sub qua paulo ante beati Marcellini virtus succumbere properabat. F

mittit ad fidem prædicandam in Transisalaniam,

49 Suam visionem cum altera die S. Gregorius B. Marcellino narraret, ambigerentque uterque, quidnam hujusmodi visio novi insinuaret, beatus Lebuinus vir utique adhuc juvenis, forma procerus, venustus aspectu, eloquentia illustris, et admodum gratus introiit. Et cum sanctis illis et apostolicis viris causam ordinemque suæ legationis intimasset ; B. Gregorius præ mentis lætitia totus resolutus in lacrymas, proruit in amplexus ejus, et madidos oculos in Marcellinum intorquens; Hic, inquit, est formosus juvenis ille, qui te sub onere convertendæ gentis Saxonicæ lapsurum erexit! Hic est, qui id, quod tu tuis viribus fretus nequiveris, sua sanctitate, eloquentia, probitate valebit ! Hic est, qui suis exemplis pervium præbebit iter exulibus, qui paradisi patria spoliatum populum æternis castris felix revehet. Et osculans S. Lebuinum; Benedictus sit, inquit, per æva Deus, qui per tot terrarum mariumque vastissima spatia te ad plebis suæ salutem destinavit. Et sic, S. Marcellino sibi in sodalem adjutoremque præstito, ad locum destinatum transmisit, adhortatus eum ut fortiter ageret, nec paganicæ gentis au-

daciam

AUCTORE J. S.

daciam formidaret, quin potius, anchora spei suæ in Deum translata, ab ipso se adjuvandum fore confideret, præmiumque laboris expectaret in æternum.

qui id egregie præstiterunt.

50 *Hanc* Gregorii *visionem apud alios auctores non legi, et oratorem utcumque redolere videtur, ex quo quidem minus certa videri potest, falsam tamen esse non recte concludes. Gens porro, ad quam missus Marcellino comite Lebuinus, vocatur Saxonica; nam Westphali, pars Saxonum, etiam nunc Transisalanis contermini, eam tunc provinciam videntur inhabitasse. Quam egregie in sua se missione gesserit Lebuinus, quoque modo ecclesiam Daventriæ ædificaverit, combustamque reædificarit, dicetur latius in ejus Actis ad diem* XII *Novembris, ac refertur breviter in Vita S. Ludgeri, Lebuini in illa missione successoris, tom.* III *Martii pag. 645. Bollandus ad Acta S. Ludgeri memorata pag. 631, num. 15 hanc Lebuini missionem contigisse putat circa annum 765, cui non repugno. Alios insuper habuit adjutores* Gregorius *sanctitate illustres, quales fuere S. Willibadus, postea pri-*
B *mus episcopus Bremensis, qui, quo* Gregorius *Trajectensi ecclesiæ præerat tempore, in Frisia prædicasse legitur; S. Ludgerus ejus discipulus, S. Albericus discipulus et in episcopatu successor, aliique, de quibus suis locis actum, vel agendum.*

Rexit ecclesiam Ultrajectinam annis 22:

51 *Quot annis ecclesiam Ultrajectinam rexerit Gregorius, non explicat in Vita S. Ludgerus. Wilhelmus Heda in Historia episcoporum Ultrajectensium in* Gregorio, *eidem tribuit annos 22; quos completos fuisse necesse est, si obitus Bonifacii contigerit anno 754, sin anno 755 mortuum statuamus Bonifacium, incompletos, ut ex obitus* Gregorii *tempore colligimus, de quo nunc agendum.*

mortuus anno 776.

52 *Mortem* S. Gregorii *anno 776 innexuit Bollandus in Actis S. Ludgeri sæpe memoratis pag. 631, quam in tota hujus Vitæ chronologia ducem secuti sumus, ceteris, ut existimamus, tutiorem. Bollandum (quem Henschenium putarunt) secuti sunt in hac parte Cointius ad dictum annum num. 30, et Mabillonius in notis ad Acta S. Ludgeri sec. 4 Benedict. part. 1, pag. 23, quamvis hi primo aliam ingressi fuissent viam. Pagius ad eumdem annum num. 13 hæret dubius inter annum 776 et 777. Verum,*
C *(ut taceam illationem prorsus inversam, nam si 22 anni completi sumantur, infert obiisse anno 776; si incompleti, 777, cum contrarium inferri debeat) fundamentum pro anno 777 leve est; nam contendit diem obitus esse incertam, cum prorsus verisimile sit, obiisse* XXV *Augusti, quia ejus memoria illo die celebratur. At diem obitus incertum esse ponamus : unde evincet Pagius ante mensis Junii diem* V, *Bonifacii emortualem, quo episcopatus* Gregorii *statuitur inchoatus, mortuum esse* Gregorium, *quod necessario erat probandum, ut pro anno 777 aliquod haberetur fundamentum. At ne hoc quidem rem faceret certam, cum dubium sit an anno 754, an 755 Bonifacius sit martyrio coronatus. Laudatus supra Cointius duas affert rationes, cur anno 776 mors* Gregorii *videatur affigenda, quibusque inductus priorem mutavit sententiam. Prima sumitur ex privilegio Caroli magni, dato ecclesiæ Ultrajectinæ* VII Idus Junii, anno *regni sui* nono, *id est Christi 777, in qua dicitur :* Ubi venerabilis vir Albricus presbyter atque electus rector præesse videtur : *ergo ab anno præcedenti obiisse videtur* Gregorius, *cum jam in locum illius successisset Albericus, quod certum est, si* XXV D
Augusti obierit. Altera ratio est, quæ et Mabillonium movit, quod S. Ludgerus septem fere annis in Ostergoa Frisiæ parte laborasse scribatur. Terminantur hi anno 784. ut in ejus Actis tradit Bollandus pag. 632; neque eo profectus videtur nisi anno post mortem Gregorii *uno, cum prius Daventriam profectus, ecclesiam ibi reædificaverit, aliaque confecerit, quæ brevi tempore non poterant confici. Hæc fere Cointius recte quidem, non ita tamen ut satisfaciat Pagio.*

ut contra dubitantem Pagium

53 *Quapropter ex ipsius Pagii principiis rem deduco. Ad annum 784 num. 6 ita scribit :* Hic est annus septimus, ex quo Ludgerus in Ostergoam ab Albrico directus est. *Recte. Ad annum 777 num. 2 admittit consequenter per autumnum ejusdem anni Ludgerum consecratum presbyterum Coloniæ, et in Ostergoam missum. Eodem num. 2 ex Vita Ludgeri scribit, eum adhuc diaconum missum esse Daventriam ab Alberico* Gregorii *successore. Nunc audiamus quanta fecerit Ludgerus ante ordinationem suam anno 777, juxta ipsum etiam Pagium factam. Altfridus in Vita S. Ludgeri tom.* III *Martii* E
pag. 645, cap. 2, a num. 16 hæc tradit : Sed et abbas Gregorius migravit ad Dominum, et suscepit curam pastoralem Albricus nepos ejus, qui venerabilem Liudgerum cum magno diligebat affectu atque eum ita allocutus est, dicens : Nunc, quia frater meus dilectissimus es, peto ut desiderium meum impleas : locus enim, in quo S. Liafwinus presbyter, quem nosti, in opere Domini usque ad mortem persistendo laboravit, ubi sacrum ejus corpus sepultura tegitur, in solitudinem est redactus. Quam ob rem peto ut eum restaurare studeas, et super corpus Sancti ecclesiam reædifices.

ex principiis ab eo admissis ostenditur.

54 Dei igitur famulus Liudgerus, magistri jussis obtemperans, quæsivit in loco prænominato corpus sancti, et non invenit : sed tamen intra spatium loci, quo putavit illud esse, cœpit construere ecclesiam. Cumque posuisset bases, et parietes conaretur erigere, apparuit ei sacerdos Domini Liafwinus in somnis, dicens : Frater dilectissime Liudgere, bene fecisti restaurando Dei templum jam dudum deletum a gentilibus. Sed et corpus meum, quod quæsisti, invenies sub Australi, quem erexisti, pariete F
humatum. Liudgerus igitur mane, Domini laudibus expletis, invenit corpus Sancti in loco sibi in visione prædicto : et collecta multitudine fecit transvehi bases ejusdem ædificii in partem Australem; et ita infra ecclesiam collegit sepulcrum viri Dei : perfecta est itaque ipsa ecclesia et consecrata. *Post pauca, hæc sequuntur cap. 3 :* Post hæc misit Albricus Liudgerum, et cum eo alios servos Dei, ut destruerent fana deorum, et varias culturas idolorum in gente Fresonum. At illi jussa complentes, attulerunt ei thesaurum magnum, quem in delubris invenerant : ex quo imperator Carolus duas partes acceperat, tertiam vero partem præcepit Albricum ad usus recipere suos. *Hæc peracta ante ordinationem Ludgeri, quæ statim ibidem subjungitur, admittit Pagius. Nec credibilia igitur, nec principiis suis consona scribit ad annum 776 num.* XIII, *dum dicit :* Cum Gregorium usque ad initium mensis Junii sequentis Christi anni (777) vixisse, eique eodem mense Albricum successisse sit verosimilius *etc. Sic enim omnia, quæ memoravimus, a mense Junio usque ad autumnum ejusdem anni peracta oportuit, quod fieri non*

potuisse

A *potuisse, patebit legenti. Si quis dicat, ut probabiliter dici potest, ordinationem Ludgeri peragi potuisse mense Decembri, vel etiam initio anni sequentis, cum septem anni, quibus in Ostergoa fuit Ludgerus, non fuerint completi; ne sic quidem verisimile fiet, hæc omnia tempore intermedio fuisse peracta. Quapropter non est cur a stabilita ab eruditis chronologia recedamus, mortemque* Gregorii *removeamus ab anno 776, diemque emortualem alium quæramus, quam* XXV *Augusti. Vixisse autem annos 73 saltem incompletos probavimus* § 2.

§ V. Corpus Sancti utrum translatum Ultrajecto in Susterense cœnobium : reliquiæ locis aliis : apparitio post mortem.

Corpus sacrum aliqui translatum volunt ad cœnobium virginum Susterense,

B Ludgerus *num. 30 scribit,* Gregorium *ad ecclesiam S. Salvatoris sub finem vitæ portatum, ibique diem obiisse. Sepultum in eadem ecclesia scribit Joannes de Beka jam memoratus; consentit Wilhelmus Heda in* Gregorio; *at subdit :* In Annalibus tamen Leodiensis ecclesiæ habetur, quod sepultus sit in ecclesia Susterensi, ejusdem diœceseos sacris virginibus dedicata : ubi et S. Wastradis mater ejusdem Gregorii requiescit. *Bartholomæus Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad* XXV *Augusti, hæc de Gregorii corpore memorat :* Sacrum corpus in Susterenensem parthenonem avectum est. Eum locum, quamquam in Leodiensi diœcesi, cum viveret, amaverat, ibique frequens fuerat, ob eximiam sanctimoniæ dignitatem in illo cœnobio jam tum emicantem. *Idem auctor in Historia ecclesiæ Leodiensis lib. 6 ad annum 900 :* In eadem, *inquit,* æde Zusteriensi terræ conditi coluntur sancti præsules Ultrajectini Gregorius et Albricus . . . et multa miracula perpetrant. *Id etiam affirmat Arnoldus Hertswormius § 4 in Ms. Opere aliquoties in Actis nostris laudato, quod de reliquiis ibidem servatis composuit. Neque aliter fere loquuntur in epistolis suis Susterenses ac Ruræmun-* C *denses quidam, a nostris majoribus ea de re consulti, qui pro certo habere videntur* S. Gregorii *corpus servari in dicto monasterio, loculumque etiam ostendunt, in quo putant depositum. Addunt, illius brachium ad templum nostrum Rurœmundense fuisse translatum : Sanctum autem colunt ut patronum Officio singulari* XXV *Augusti, atque iterum cum S. Alberico* XXII *Septembris. Accipe, quæ ea de re scripsit P. Cornelius de Moor Societatis nostræ, tunc habitans Rurœmundæ, a qua Sustera oppidum modicum quatuor tantum leucis Belgicis distat :* Quod ad reliquias SS. Gregorii et Alberici; et hujus et illius integrum habemus os sive tibiam, e crure aut fœmore distinguere non possim. Accepimus olim e cœnobio Susteriensi nobilium virginum, ubi aliquando mihi in parvo tabulato retro summum altare in choro, ostensæ fuere capsæ ligneæ duæ, rudes et inornatæ, quales communes sandapilæ mortuales, in quibus Sanctorum illorum reliquiæ servantur.

56 *Sacra tamen* Gregorii *ossa sibi vendicant Ultrajectini, cum in Batavia sacra, tum in Fœderato Belgio, sive unus utriusque auctor sit, sive diversus, idem certe de* Gregorii *reliquiis uterque tradit. Auctor Fœderati Belgii pag. 5 in* Gregorio, *asserit ejus ossa condita in templo* S. Salvatoris, *aliquando etiam* S. Mariæ, *et communius* S. Bonifacii *nuncupato, vulgo* Oud-munster, *ut ait pag. 58. His autem rationibus rem confirmat :* Elevata Ultrajecti D. Gregorii ossa anno MCDXXI, et in capsula lignea reposita honorifice. Lustrata anno MDXCVII, IV Junii a Folcardo Montzima ecclesiæ decano; sic enim habet ecclesiæ ejusdem memoriale. *Quod ex ipso subjicio :* Anno MCDXXI, mensis Aprilis die XVII, hora completorii inventæ et extractæ fuerunt per venerabiles dominos Houberg decanum, Laurentium, Wilhelmum, Andream Veer, Gerardum Zelinghen, canonicos ecclesiæ S. Salvatoris Traject. reliquiæ sive ossa S. patris Gregorii episcopi Trajectensis a S. Willebrordo tertii, de et ex tumba lapidea subter gradus septentrionales chori ipsius ecclesiæ, et deinde mensis Junii die quarto, qui fuit pro festo S. Bonifacii, hora vesperarum, fuerunt per reverendum patrem D. Matthiam Biduanensem episcopum in capsa lignea decenter reposita, præsentibus DD. E Henrico decano, Laurentio, Andrea, et Gerardo prædictis, Henrico de Compostelle, et Waltero Grauwert, canonicis ecclesiæ supradictæ. Qui quidem reverendus pater D. Matthias episcopus pro majori dictarum reliquiarum reverentia, omnibus vere pœnitentibus, confessis et contritis, eas cum tribus PATER NOSTER, et totidem AVE MARIA venerantibus, totiens quotiens, XL dies indulgentiarum, de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. *Eadem habentur in Batavia sacra pag. 90.*

Auctore J. S. Ultrajecti ejus Ossa servari scribunt alii:

videtur utroque loco servari pars corporis.

57 *Hæc quidem cum præcedentibus pugnare videntur. Attamen non video cur Ultrajectinos, vel Susterenses mendacii accusem, aut etiam deceptos putem. Non enim dicunt Ultrajectini totum* Gregorii *corpus ibidem servari, sed eodem modo de ossibus* S. Gregorii *loquitur auctor, quo ante locutus fuerat de reliquiis S. Bonifacii pag. 58. At constat corpus S. Bonifacii Fuldam esse translatum, ibique honorifice depositum, ita ut Ultrajectini non nisi ossa quædam, minorem certe corporis partem, possidere possint. Sic itaque et* S. Gregorii *sacra quædam ossa habere possunt, præcipua venerandi corporis parte ad* F *memoratum virginum cœnobium translata. Suadet id singularis* Gregorii *in illo cœnobio cultus, qui non aliunde ortus videtur, quam ex reliquiis eo translatis. Certiora tamen dare non possum documenta, quod illa, dominante in illis partibus hæresi, fuere deperdita. Quapropter rem in ambiguo relinquendam existimo. Piazza in Hemerologio Romæ Christianæ ad* XXV *Augusti scribit, maxillam* S. Gregorii *exponi publicæ venerationi in sacello Paulino ecclesiæ S. Mariæ majoris. Gelenius de Coloniæ Agrip. magnit. pag. 616 in thesauro sacro sacelli SS. Willibrordi et Bonifacii, recenset reliquias* de brachio S. Gregorii episcopi Ultrajectini. *Miraculis itidem coruscare* Gregorium *scribunt locis assignatis Heda, et Fisen; at nullius in particulari faciunt mentionem; neque ulla ad meam pervenere notitiam.*

Apparet post obitum S. Ludgero Gregorius.

58 *Subnecto denique apparitionem Gregorii in Vita S. Ludgeri relatam cap. 3, num. 15 his verbis :* Liudgerus igitur in ordine vicis suæ *(dum scilicet curam per vices habebat monasterii Ultrajectini)* nocturnis temporibus post psalmodiam, et orationes speciales, quas semper amaverat,

AUCTORE J. S.

verat, in solario ecclesiæ sancti Salvatoris, quam S. Willibrordus construxerat, membra quieti dare solebat : ubi ei nocte quadam venerabilis abbas Gregorius per visionem apparuit, dicens : Frater Liudgere, sequere me. Quem dum sequeretur, ascendit ipse in locum eminentiorem; jactavitque coram eo particulatim quasi membranæ et vestimentorum partes, et dixit : Collige ex eis acervos. Cumque congregasset ex eis tres cumulos, dixit ei : Distribue ista bene in opere Domini, et ego tibi satis dabo. Et signavit eum signaculo crucis, et abscessit. Cumque mane facto somnium retulisset præposito monasterii, Haddoni nomine, et ecclesiæ custodi sanctitate prædicto Marchelmo... Confestim ad hæc Marchelmus, ea, quæ postea rei probavit eventus, exorsus est, dicens : Tres cumuli, quos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc pastorali te oportet præesse regimine. At ille dixit : Utinam in loco mihi credito aliquem Domino fructum faciam. *Quo hæc apparitio anno contigerit determinate dici non potest, contigit tamen post presbyteratum a Ludgero sus-* B *ceptum, quem ea dignitate auctum diximus sub finem anni 777, vel initium sequentis.*

VITA

auctore S. Ludgero episcopo.

Ex Ms. Fuldensi et editione Broweri collata cum Ms. Bodecensi.

PROLOGUS.

Spirituales patres honorandi.

Sacrarum Scripturarum præceptis monemur, ut diligamus Dominum ex toto corde, diligamus et proximum tamquam nos ipsos, et ut illos proximos nostros veraciter arbitremur, qui spiritalibus magis intenti sunt, quam carnalibus, C atque ad eorum se promissa, usque in diem novissimum, piis operibus præparare non cessant. Quos non carnalis generatio extollit inaniter sed spiritalis regeneratio fructificare facit et proficere. Caritas ista, quamvis omnibus domesticis Catholicæ fidei, quæ per dilectionem operatur, maxime tamen sanctis patribus et præpositis nostris exhibenda est, sicut sanctus Apostolus adhortatur dicens : Rogo vos fratres ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum; pacem habete cum eis. Quæ est ista notitia, qua præpositos nostros plus cæteris nosse præcipimur, nisi ut eis et viventibus debitum honorem, et obsequium sincera intentione impendamus; et eorum pia et profutura exempla post obitum illorum non solum a memoria nostra numquam recedant, sed ea etiam ad aliorum ædificationem indesinenter sermonibus repetere et dilatare non cessemus? Quatenus id veraciter fieri valeat, quod idem Apostolus alio loco de ipsis spiritalibus patribus nostris hortatur et dicit : Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem; ut qui in præsenti mortalitate vestigia illorum et exempla et mente retinemus et actu, in D futura immortalitate, secundum Euangelii dictum, gaudium Domini nostri simul cum eis mereamur intrare. Ad illud pervenientes, dum largiente gratuita gratia Christi intraverimus felicitatem perennem, nemo tollet a nobis in sempiternum : quoniam ad illud in initio, pio Conditoris proposito conditi sumus, et post lapsum primi hominis in mortem, Redemptoris nostri misericordi visitatione ad idem revocati, ad quod perventuri in die novissimæ necessitatis, si certissima spe in diebus mortalitatis hujus, et hortamenta sequimur spiritualium patrum, et semper nobis maxima gaudendi causa sit ipse Deus. Igitur quoniam, ut dixi, clare testimoniis sanctæ Scripturæ, spiritalibus patribus honorem merito impendendum, et post præcepta Dominica eorum jussis nihil præferendum, paucis jam aperire curabo, ob cujus reverentiam et dignam memoriam, hanc præfatiunculam præmiserim, pauca de innumeris benefactis ejus, donante gratia Christi, et meritis ipsius suffragantibus, scribere incipiens.

E

CAPUT I.

Gregorii conversio; labores Apostolici cum S. Bonifacio in Thuringia et Hassia.

Gregorius Bonifacio

Est enim mihi sermo iste de domno Gregorio abbate, et præceptore meo ab infantia : qui de nobili stirpe *a* Francorum progenitus, nobilitate morum et sapientiæ documentis nobilitatem seculi ornavit *b* in omnibus ac superavit. Quam utique spiritualem nobilitatem et prudentiam assecutus est a S. martyre Bonifacio archiepiscopo et magistro suo; qui in diebus nobilissimi principis Francorum regis *c* Karli de Britannia et gente Anglorum clarissimum quoddam sidus Franciam veniens, sub regibus Karlmanno *d* et Pippino ejusdem regis Karli gloriosissimis filiis, quasi sol rutilans in sanctitate *e*, expandit radios virtutis suæ et prædicationis, omniaque prope regna, vivens in corpore, largissimis dapibus F doctrinæ suæ reficiens, et fide melioravit et vita. Atque post transitum suum de hoc mundo per sanctum martyrium, eadem Francorum regna per electa grana discipulorum suorum, in exemplum Dominici seminis fructificare fecit, et proficere usque in hodiernum diem. Inter quos B. Gregorius columna Ecclesiæ Dei inventus est : qui in diebus religiosissimi Francorum *f* regis Pippini succedens magistro, genti Fresonum *g* missus est prædicator; cui magistro, et Bonifacio martyri B. Gregorius hoc modo adhærere cœpit et discipulatum *h* ejus subire.

post prædicationem in Frisia ad monasterium

3 Cum ipse electus Dei Bonifacius martyr post tredecim annos *i* peractæ in Fresonia prædicationis, quibus in Australi parte Laci Almari *k*, pauper Euangelicus, et propemodum solitarius sanctam sessionem suam tribus in locis peregisset, quorum vocabula locorum sunt hæc. Primus vocatur Wyrda *l*, in ripa fluvii Rheni, ubi septem annis habitavit. Secundus vocatur Attingohem juxta amnem Fehta *m*, ubi habitavit annis tribus : quo in loco primum cœpit habere discipulum nomine Gembertum. Tertius locus appellatur Felisa *n*, qui propior erat gentilibus et

paganis,

A ganis, ubi tribus similiter annis mansit. Post hos inquam tredecim annos, dum admonitus a Deo *o* ad Hassos *p* et Thuringeos Orientales regiones Francorum iter agere cœpisset lucrandorum Deo populorum causa, pervenit ad Palatiolum *q* monasterium virginum prope Treveris civitatem, in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat abbatissa nomine Addula religiosa valde et timens Deum. Quæ, cum vidisset athletam Dei peregrinum et egentem, gratulabunda suscepit eum in hospitium suum, implens Dominicam adhortationem : Hospes eram et collegistis me. Cumque ille sacer sanctus viator Bonifacius secundum solitum morem suum Missarum mysteria peregisset, ut propemodum omni die agere consuevit, sederunt ad mensam ipse scilicet et ancilla Dei Addula abbatissa cum familla sua. Cœperunt autem ad ipsum sanctum convivium plus quam epulas, solatium sanctæ Scripturæ expetere, quo fieret fides audientium accensa, spesque et charitas renovata in Deum, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

Palatiolum venienti super mensam prælegens,

B 4 Tunc quæsitus est lector : et juxta Dei voluntatem *r*, inventus est electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper a schola et palatio reversus, sub laico adhuc habitu, quasi quartum decimum, aut decimum quintum agens ætatis annum, Dei instinctu venit ad aviam suam, id est, ad matrem patris sui Albrici *f* supradictam abbatissam Deum timentem Addulam ; datusque est ei liber, qui accepta benedictione cœpit legere, et juxta modum ætatis suæ bene perlegere. Intelligens vero magister sagacem mentem pueri bonamque indolem, cœpit eum consummata lectione, his verbis moderate laudare et dicere : Bene legis, fili, si intelligis quæ legis. Ipse autem adhuc temporis sapiens ut parvulus, et loquens ut parvulus, se scire professus est, quæ legebat. Dic mihi, inquit, quomodo intelligis quæ legis? Ipse vero repetebat ab exordio lectionem suam, volens legere sicut prius. Præceptor autem sanctus distulit eum paululum; et dixit : Non ita, fili : quæro ut dicas mihi lectionem tuam, sed secundum proprietatem linguæ tuæ, et secundum naturalem parentum tuorum loquelam, edissere mihi, quæ legis. Hac ille ratione convictus, confessus est, quia non C posset facere. Sanctus vero ait Bonifacius : Vis, fili, ut ego tibi dicam? Volo, inquit. Tunc B. Bonifacius, Repete, ait, ab exordio lectionem tuam; et discrete lege. Quod dum faceret, exorsus est sanctus magister, et clara voce cœpit prædicare, et matri et omni familiæ. Quæ prædicatio ex quo fonte processerit, claret in conversione Gregorii ingeniosi pueri et sagacis, quia non ab humana facundia, quæ frequenter ad tempus deludit, sed ex Spiritus sancti gratia, secundum promissum Euangelii in modum fluminis aquæ vivæ de ventre fluxit doctoris : et cor prudens ac docile pueri Gregorii tanta virtute et velocitate penetravit, ut ad unam incogniti eatenus magistri exhortationem et prædicationem, oblivisceretur et parentum et patriæ, ipsaque hora, dum complesset magister sanctus prædicationem suam, nolens ab eo ultra disjungi, ivit ad aviam suam prædictam abbatissam venerabilem Addulam, dicens; se velle cum homine pergere, et ad discendos divinos libros discipulatum ejus subire. At ipsa, carnali affectu constricta, ilico repulit eum, et omnimodis hoc fieri posse renuit; quia utique non nosset hominem, neque quo iret. Sed sicut scriptum est : Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem; puer Gregorius in proposito suo permansit et dixit ad Addulam aviam suam : Si non vis mihi dare equum, ut equitare possim cum eo, pedibus ambulando absque dubio vadam cum illo. Sic ergo altercando de ignoto itinere diutius disceptabant ad invicem : sed tandem prævaluit caritas electi pueri Gregorii, et, ut dignum erat, carnalem amorem vicit dilectio spiritalis. Videns ergo famula Dei Addula, quia prudens erat fæmina, animum inflexibilem pueri, dedit illi pueros et equos, et dimisit eum ire cum sancto magistro in opus, quod compleverunt simul *t*, usque ad sanctum martyrium ejus.

Auct. S. Ludgero episc.

ejusdem sit discipulus:

5 Intelligis, lector pius et prudens, quem secutus sit electus puer Gregorius in hoc facto, ut inconsultis parentibus, omnibusque propinquis, et ipsa, quæ præsens erat, resistente avia, tam subito mutaretur. Idem enim spiritus videtur mihi in hoc tunc operari puero, qui Apostolos Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ad illud inflammavit, ut ad unam vocem Domini, relictis retibus et patre sequerentur Redemptorem. E Contemptis igitur parentibus et patria, omnibusque retro relictis, quæ carnaliter blandiri poterant menti adolescentis, secundum Psalmistæ dictum B. puer Gregorius propter verba labiorum Dei secutus est vias duras. Durum namque erat, et valde asperum, ut qui in patris domo multum divitis in jocis et deliciis erat nutritus, unum peregrinum et pauperem hominem sequeretur, nesciens quo iret; et in tantum ei obediret, ut omnes alios homines et potentes sæculi, et proprios parentes tamquam surdus non audiret, dummodo illius præceptis obsecundaretur in omnibus. Quanta enim auctoritas lucebat jam tunc in futuro martyre Bonifacio, æstimare quis poterit, quæ cor pueri tam subita immutatione incitavit? Aut quis ardor caritatis ad obediendum ignoto magistro mentem juvenis inflammavit, ut subito oblitus sui, secutus sit Christi pauperem, omnis mundanæ substantiæ inopem? Non hoc fecit amor auri et argenti, non cupido prædiorum et superba jactantia, quorum nihil erat in causa, sed hoc fecit artifex summus, unus atque idem Spiritus Dei, qui omnia operatur in omnibus dividens singulis prout vult. F

labores utriusque

6 Tunc electi Dei iter desideratum peragentes venerunt Thuringiam. Porro ad augmentum boni sui, et ad comprobandam mentis eorum constantiam et longanimitatem, in tanta paupertate invenerunt populum illum, ut vix ibi ullus haberet, unde viveret, nisi de longinquo parum quid colligeret, ut ad modicum tempus sustentaret penuriam suam. Nam tota illa regio, in confinio paganorum rebellium posita, illo tempore incensa erat, et hostili manu vastata; quæ tamen penuria nequaquam terrere poterat, ministros Christi, ut ob id subterfugerent, quo minus annuntiarent eis omne consilium Dei : sed juxta exemplum apostolicum, cœperunt laborare manibus suis, quæ opus erant sibi, et eis, qui cum illis erant; atque cum illo populo in tentationibus suis firmiter permanere; et circumquaque prædicando invitare ad cælestia regna. In his ergo studiis perseverantes secundum formam primitivæ Ecclesiæ, erat eis cor unum et anima una; et augebat Deus quotidie multiplici numero, qui salvi fierent in idipsum.

7 Tunc fama sancti magistri et futuri martyris

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

ris Bonifacii cœpit dilatari, per omnia Orientalia regna Francorum. Cœpit quoque et electus adolescens Gregorius in discipulatu ejus proficere ætate et sapientia; et in tantum amabilis fieri magistro, ut quasi unicum filium eum diligeret, jam adjutorem fidelem illum habens in omni opere bono. Hic autem tantus profectus electorum Dei non est initiatus per opulentiam et mundanas delicias; neque per securitatem et prosperitatem vitæ mortalis; sed in fame et nuditate, et laboribus multis. In quibus omnibus et opere manuum vivere cogebantur; et nonnumquam vicinam paganorum persecutionem ob metum mortis cum populo simul in civitatem fugere; ibique *u* in atro pane et angustiis, per dies plures habitare, donec collecta multitudine sua, cives manu validiore eos iterum effugarent. Hoc ergo certamen, quoniam per innumeros vicos inter Paganos et Christianos gerebatur, idcirco hinc et inde magna pars regionem illarum redacta erat in solitudinem.

Apostolici in Thuringia,

u

8 In tam forti autem, et periculosa in diebus illis decertatione, in tanta pugna, et perturbatione dimicantium *x* populorum, electus pastor B Bonifacius numquam cessare potuit a custodia, et instructione gregis sui : verum tanto fuit constantior et paratior pro ovibus suis animam suam ponere, quanto rabiem luporum frequentius vidit et atrocius imminere. Similiter et fidelis discipulus ejus Gregorius adjutor infatigabilis in opere Dei cum magistro permansit in custodia et educatione gregis Christi, factus secundus pastor. Eo usque autem hæc ita gerebantur, donec per gratiam Christi triumpharet Christiana manus; et pax plena Dei ecclesiis redderetur. Et erant magis ac magis crescentes ac proficientes in opere Domini, sicut in præsentiarum cernitur considerantibus regiones illas. Sed quid nos miseri, pigri et inertes in pace Ecclesiæ Dei dicturi sumus, qui non gregis lucra, sed commoda nostra semper quærentes, vix umquam in custodia ovium contra rabiem luporum vel unum latratum minimi sermonis emittimus? qui, sicut dixi, in pace Ecclesiæ pigri sumus, et somnolenti in custodia gregis, in lucris vero carnalibus nimium strenui et pervigiles? Isti autem, de quibus loquimur, in tanta perturbatione, et bellorum C certamine, non solum in sui intima et casta custodia mundis cordibus permanserunt, sed etiam in lucro gregis et discipulorum documentis tanta benedictione Dei dilatati sunt, et propria vigilantia per Dei adjutorium multiplicati.

atque in iis constantia : x

9 Tunc priores et prudentiores Francorum, qui electum Dei martyrem Bonifacium, ejusque discipulos venerabilem Gregorium et socios ejus, in tanta virtute operum, et fortitudine constantiæ, nosse et intelligere potuerunt, cœperunt eis et sua offerre diligentius de die in diem, et laudem tantæ beatitudinis et unitatis, apud regem Francorum seniorem *y* videlicet Karlum, non celare. Cœpitque et ipse rex virum Dei Bonifacium velle videre; jussitque eum venire ad se. Qui cum venisset, non statim in initio honore sibi condigno receptus est a rege, sed sic competenter dilatus; quia fuerant quidam pseudo doctores et adulatores, qui famam sancti viri, et discipulorum ejus obfuscare, et impedire conati sunt apud regem. Verumtamen ex illo die crevit amor et honor hominis Dei *z*, et discipulorum ejus, apud omnes qui fidem illorum et vitam scire, et investigare interius desiderabant : et, juxta dictum Euangelii, Justificata est sapientia a filiis suis *aa*. D

vocati ad Carolum Martellum, ejusque favore usi.

y

z

10 Redierunt electi Dei iterum ad sua, et in cœpto opere sine ulla hæsitatione permanentes in Thuringis et in Hassis, ubi tunc temporis maxime opus erat doctrina illorum, ob vicinitatem paganorum et indoctam plebem. Ibique cœperunt offerentibus, propter amorem Dei et salutem animarum suarum, modica loca territoriaque suscipere, et in eis ecclesias construere, et in hoc quoque opere, sicut et in prædicatione sua, cum benedictione Dei multum proficere. De quibus locis est unus in Thuringia, nomine Erpesford *bb*, et alius in Hassis Frideshlar cum cæteris nonnullis, quos initiaverunt electi Dei, et excoluere cultu divino. Tunc creverunt loca divitiis, crevitque numerus discipulorum, ac virtute operum proficiebat. Crevit etiam beatus adolescens Gregorius cum suo magistro in omni operum virtute, et decore sapientiæ divinæ; secundum formam magistri, a quo didicerat. Et sic in his omnibus secundum Psalmistæ dictum, qui electis Dei legem dedit in virtute operum, dedit et benedictionem in multiplicatione et profectu discipulorum; et sic E ibant de virtute in virtutem cotidie in melius proficientes, et crescentes in omni opere bono.

aa redeunt ad labores in Thuringiam et Hassiam magno cum fructu.

bb

ANNOTATA.

a *Stirpem dedimus* § *1 Commentarii num. 4.*

b In omnibus, *quod omissum erat in impressis, additur in Ms. Fuldensi.*

c *Carolus hic intelligitur Martellus, qui licet rex non fuerit, sed major domus, rex tamen et hic et sæpe alibi vocatur, quia regnum auctoritate quasi regia gubernavit.*

d *Carolomannus et Pippinus Martelli filii post mortem patris regnum administrarunt, donec Carolomannus post multa præclara facinora nuntium seculo remisit : Pippinus vero deinde ad regnum elevatus est.*

e *Ms. Fuldense* in virtute.

f Francorum *habet Ms. dictum, quod rursus in editis omissum.*

g *Quibus Frisiæ gentibus prædicaverit* Gregorius, *et quomodo Bonifacio successerit, dictum in Commentario* § *3, et 4.* F

h *An ita Bonifacii discipulus factus sit, ut et Ordinem Benedictinum ingressus sit, discussimus* § *1 Commentarii.*

i *De his tredecim annis fuse egimus in Commentario, toto* § *2 : qui inchoandi videntur ab anno 704 usque ad finem fere 716, ita ut sint incompleti. Sicut autem rationes nostræ non satisfaciant, potest aliquot annis serius inchoare prædicationem in Frisia, et 13 hos annos quærere ex temporibus variis, quibus in Frisia prædicavit Bonifacius : sed hoc menti auctoris minus videtur conforme.*

k *Lacus* Almari *in Vita Bonifacii cap. 4 a Willibaldo vocatur* Elmere, *quasi* mare nobile, *ut notat Henschenius. Sinus est maris Germanici inter Hollandiam maxime borealem, quæ alio nomine Frisia occidentalis nuncupatur, et Frisiam hodiernam : ab austro vero habet provinciam Ultrajectinam, in qua aut ejus vicinia his tredecim annis laboravit Bonifacius.*

l Wyrda, *nunc* Wurda *aut* Woerda *vulgo* Woerden, *duabus circiter leucis infra Ultrajectum sita ad Rhenum veterem, angusto nunc al-*

veo

A *veo ibi fluentem, quod aquæ Rheni per Vahalim, Isalam, et Leccam maxime in mare decurrant. Mabillonius Werdam putavit designari inter Coloniam et Wesaliam,* sed hæc extra Frisiam sita est, *ut recte notat Henschenius: quin et longiori intervallo a lacu memorato dissita.*

m Attingohem, *ait Henschenius,* fuit in parte Hollandiæ, quæ jam vulgo Goedelandia dicitur, ubi oppidum Wesopum Fihta seu Vecta *(vulgo* Vecht) fluvio in duas partes secatur, qui fluvius dein ad Mudam influit in mare Australe. *Mabillonius vero :* Fehta amnis non procul Vollenhovio oppido influit in Flevum lacum, qui Frisios a Batavis dirimit. *At Vollenhovium oppidum et Fehta amnis ille sunt in illa Transisalaniæ parte, quæ Frisiæ modernæ est proxima : quousque illo tempore necdum videtur penetrasse Bonifacius. Adde quod ad partem potius Orientalem dicti lacus hæc sita sint.*

n Felisa nonnemini videtur Wilsen esse in hodierna Transisalania : malim ego intelligere Velsen prope Harlemum, *ait Henschenius. Nomen fortasse excidit.*

B o *Diximus § 2 hæc contigisse anno 719. Auctor Vitæ secundæ apud Henschenium cap. 2 num. 7 ita habet:* Post aliquantum temporis, *a reditu scilicet in Angliam,* angelica, ut creditur, visione præmonitus, Romam perrexit. *Indeque, ut subdit, in Germaniam, postea ad Willibrordum in Frisiam. Vide dicta § 2, ubi probavimus hæc contigisse, cum Roma in Thuringiam profectus est.*

p *Hassia provincia Germaniæ est satis nota. Thuringia vero multo latius olim extensa fuit, quam hodiedum; regesque habuit, qui primis Francorum regibus non parum negotii facessivere. Fuerat religio Christiana jam iis in provinciis promulgata; sed multi in hæresim lapsi, vel in idololatriam fuerant relapsi.*

q Palatiolum, locus amœnus, ab urbe Trevirorum passuum circiter tria millia in Septemtrionem, olim virginum Benedictinarum cœnobium, nunc oppidum et collegium canonicorum sæcularium, quos Poppo archiepiscopus eo induxit circiter annum MXXXVII, testante Browero. *Ita Mabillonius sec. 3 Benedict. part. 1 pag. 531 ; ubi plura de pia hac abbatissa videri possunt.*

C r *Ms.* providentiam.

s *De Alberico et stirpe regia* Gregorii *consule commentarium § 1.*

t *Non ita hoc intelligendum, ac si semper fuissent conjuncti; nam Ultrajectum missus est postea* Gregorius, *non manente ibidem Bonifacio; et hic in Frisiam hodiernam sine* Gregorio *profectus, ibidem Martyrio coronatus est, ut omittam cetera. Vult itaque conjuncto animo ad conversionem infidelium laborasse, etsi loco quandoque separati. Initio tamen conversionis semper Bonifacio adhæsisse videtur* Gregorius.

u *Ms. Bodecense,* ibique in arcto loco aliquo per dies plures habitare compellerentur.

x *Ms. Fuldense,* dimicatione pugnantium.

y Videlicet *omissum erat in editis, sed legitur in Ms. Carolus porro hic est Martellus, a multis, ut diximus, rex nominatus.*

z *Ms. Bodecense hic interponit sequentia :* In curia regis, quia plures ibidem erant, qui fidem illorum *etc. Facta autem hæc sunt postquam anno 723 Bonifacius Romæ ordinatus est episcopus : sed non omnia ordine temporis retulit Ludgerus.*

aa *Rursum Ms. Bodecense interponit :* Postquam igitur notificati sunt in conspectu regis, redierunt.

AUCT. S. LUDGERO EPISCOPO

bb *Cœnobium tunc Ordinis S. Benedicti condidit Ordorpense, quod structum scribit Willibaldus cap. 3* in loco qui dicitur Ordorp. *Ad quod ita Mabillonius in notis :* Ordorpense, seu Ordorffense monasterium Ordinis S. Benedicti in Thuringia ad Oraham seu Oram fluvium, haud longe ab Erfurt *(quod hic vocatur* Erpesford) oppido, qua occasione in S. Michaelis honorem a S. Bonifacio dedicatum fuerit, discimus ex Othloni lib. 1 cap. 23. *Nempe propter Michaelis archangeli apparitionem factam Bonifacio; ut ibidem refertur. Hoc cœnobium structum anno 724 in Annal. Benedictinis Mabillonii narratur. Fritislariæ item in Hassia ejusdem Ordinis cœnobium condidit, quod ad annum 732 refert Mabillonius in dictis Annalibus; alia alibi, sed jam Acta Bonifacii non illustramus : de his itaque satis.*

CAPUT II.

E

Bonifacii archiepiscopatus : labores illius et Gregorii aliorumque ejus discipulorum : ordinatio Bonifacii Romæ, quo cum comitatus Gregorius.

Gratiosus apud Francorum principes Bonifacius. a

Interea, dum hæc ita geruntur ab electis Dei Bonifacio, et discipulis ejus, successerunt in regno patri Karlo religiosi filii Carlmannus et Pippinus *a* patre debitum universæ carnis persolvente, et transeunte de hoc mundo. Tunc pii filii patri succedentes in regnum, quia eis undique per gratiam Christi major quies erat largita bellorum, quam fuisset patri, cœperunt in regno suo, inspirante Deo, religionis officia intentius quærere, et meliorare. Cœpit et hoc audire B. Bonifacius futurus martyr et discipuli ejus; cœperuntque frequentius approximare palatio quam fecissent, et loqui cum regibus, et prædicare secundum datam sibi a Deo gratiam *b* populum Dei in ipso palatio. Et in tantam gratiam venerunt apud reges supradictos, et omnem populum Francorum, ut omnes una voce dicerent, et concordarent B. Bonifacium dignissimum esse episcopatu *c* et omni honore, exceptis illis pseudo-doctoribus et adulatoribus, quos superius dixi; qui et eum interficere aliquando moliti sunt; sed non dimisit eum Dominus protector ejus venire in malevolas manus eorum, donec annuntiaret, secundum dictum Psalmistæ, brachium et potentiam Dei generationi, quæ ventura erat.

F

nequidquam obsistentibus æmulis, designatur archiepiscopus : d

12 Igitur ipsi soli cœperunt contradicere, et eum blasphemare, quantum potuerunt : atque affirmare, non esse eum dignum episcopatu, quod *d* peregrinus erat. In tantum erant tunc sanioris consilii laici, quam clerici, videntes sapientiam Dei et gratiam esse in homine illo, ut quo amplius perversissimi illi, non dico episcopi, quibus nomen illud datum est immerito, eum vituperare conati sunt, tanto amplius diligeretur ab omnibus, et laudibus efferretur, quoadusque in certamen venirent coram regibus, et coram universo senatu populi Francorum. Sed quid opus est dicere de illa disceptatione, quam habuerunt

Auct. S. Ludgero episcopo

runt tunc ad invicem, illi scilicet perversissimi, quos nominare nolo, ex una parte, et sanctus Bonifacius ex altera, cum discipulis suis Gregorio, et sociis ejus; dum confusi, et refutati ab omni senatu, et ab ipsis regibus, inde discederent adversarii; et S. Bonifacius futurus martyr ad hoc perveniret, ut absque ullius contradictione, una omnium voce eligeretur in episcopatus sublimissimum gradum, et Maguntiæ sedes *e* metropolitana ecclesia ei daretur a regibus providenda et regenda. Ex eo die, quantum claruerit sapientia ipsius omni regno Francorum, quantasque synodos cum religiosis regibus ad correctionem populi postea instituisset, non in isto Opusculo modo dicendum est, dum in modum solis effulserit in templo Dei; ac prædicatione sua, et exemplis, omnes nebulas effugarit infidelitatis et hæreticæ pravitatis, quoniam et ista omnia in libello de passione ipsius scripto, plene et lucide manifestantur.

Labores Gregorii in Frisia, et aliorum

13 Ad hæc autem universa, non modice adjutus est ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis prædicatoribus, et columnis Ecclesiæ Dei: quorum unusquisque civitatem et B regionem suam, sicut lucifer mane oriens, illuminavit exemplis, et doctrina sua. B. Gregorius Trajectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad *f*, cum illa inradiavit parte Fresoniæ, quæ tunc temporis Christianitatis nomine censebatur; *g* id est usque in ripam Occidentalem fluminis, quod dicitur Lagbeki *h*, ubi confinium erat Christianorum Fresonum ac Paganorum, cunctis diebus Pippini regis. Lullus *i* Maguntiam metropolitanam civitatem cum maxima parte Orientalium Francorum, qui in parochia urbis illius constiterunt, incoluit. Megingodus *k* venerabilis pater et pastor gregis sibi commissi civitatem Wirzeburg cum suis adjacentiis in sua sorte sale sapientiæ doctrinæ suæ condivit et custodivit Willibaldus *l* electus Dei antistes episcopatum, quod nuncupatur in Hehstedi in parte proxima nobis Baguariorum; id est *m* in Nordgoe similimodo, ut pius pater a fundamentis illud erigens melioravit et custodivit. Nec non et germanus prædicti Willibaldi nomine Winnibaldus *n* presbyter, magistro meo B. Gregorio valde carus, et ipse locum et regionem suam sancte et feliciter illustravit, qui post obitum suum, quid vivens fecerit, magis mi- C raculis ostendit.

Bonifacii discipulorum variis locis:

14 Sturmi *o* vero venerabilis abbas, unus ex numero illo electorum Dei, quantum profecerit in eremo sua post martyrium S. Magistri, Bocanna *p* silva in testimonio est: quæ prius omnimodis inculta erat ac desertum *q*, nunc autem ab Oriente usque ad Occidentem, a Septentrione usque ad Meridiem, ecclesiis Dei et electis palmitibus monachorum repleta est. Qui etiam Sturmi abbas hoc meruit privilegium a Deo et S. magistro præ condiscipulis suis, ut ipsum locum, quem magister sanctus elegit ad sepulturam corpori suo, possidere mereretur, et initiare; et sanctum corpus ejus martyrizatum in eodem suscipere: et in tantum provehere et glorificare eundem locum, ut ante obitum suum de hoc mundo quadringentorum circiter monachorum, exceptis pulsantibus et aliis minoribus personis, quorum numerus multiplex erat valde in ipso monasterio, posito juxta fluvium Fulda, pater extiterit et præceptor. Duo autem ex illis electi *r* Dei, Wigbertus *s*, et Burghardus, ante magistrum migrarunt a seculo. Sed non sunt illi absque palma electionis suæ, dum ad regna D cælestia magistrum præcedere meruerunt, et in regionibus suis, pro sanctis Dei habentur, et coluntur ab omnibus, qui vitam illorum et virtutem cum Deo nosse potuerunt. Cernis, o lector intelligens et diligens, quanta charismata in uno homine fuerint; et quid pauper ille, qui solitarius dudum in Fresoniæ partibus fuerat, per tempus ostensionis suæ fecerit ad fructum Ecclesiæ Dei. Non autem ipse hæc per se potuit sed secundum Apostolum, gratia Dei cum eo fecit hæc universa, et stabilivit. Igitur, quia paululum, propter communem laudem discipulorum S. magistri Bonifacii, a proposito itinere narrationis elapsus sum, nunc iterum ad id redeam, unde digressus sum.

Bonifacius Romæ ordinatur archiepiscopus,

15 Tunc B. Bonifacius martyr futurus *t*, lubentibus religiosis regibus, cum consensu omnis senatus, et *u* populi Francorum, missus est Romam ordinandus in episcopatus gradum ad Gregorium Papam tertium *x* a primo; ibique ei nomen suum modo omnibus notum et divulgatum, simul cum benedictione et gradu episcopatus, ob facundiam linguæ, et gratiam labiorum, a Deo sibi donatam, inditum est ab apostolico E Pontifice Bonifacius, qui antea Winfridi *y* vocabulo censebatur. Sicque sanctus vir, et gradu decoratus, et nomine, coram omni clero et familia beati Petri principis apostolorum, et coram ipso Gregorio Papa prostravit se, et oravit, ut propter Deum, et amorem S. Petri ibidem ilico in ipsa ecclesia, cum supplici devotione pro se flecteret genua omnis clerus, qui præsens aderat, et unanimiter omnes orarent Dominum, beatumque Petrum intercessorem invitarent et auxiliatorem orationis suæ, ut bono fine et Deo placabili terminare mereretur et concludere dies suos. Qui etiam omnes, inspirante Deo, unanimiter cum summa devotione, inclinantes se coram reliquiis B. Petri principis apostolorum, compleverunt petitionem ejus, sacra oratione et pastoris et gregis fusa ad Deum. Quæ oratio cum sanctis meritis ipsius conveniens, quantum valuerit apud Deum omnipotentem testatur sanctum martyrium ejus, peractum in diebus senectutis, etiam tunc nimiæ imbecillitatis corporis sui, dum in decrepita ætate positus, vivere in hoc mundo non valeret diutius.

F

cujus omnis spes in Deo, et Sanctorum intercessione:

16 Ecce quomodo sapiens architectus et electus Dei pontifex Bonifacius, non super fluidam arenam humani consilii, et superbæ contumaciæ, sed super tutissimam petram divini consilii et apostolicæ humilitatis, ædificavit domum suam. Et idcirco, dum venirent flumina humanæ adversitatis, ac perturbationis, flarentque venti diabolicæ tentationis, et calliditatis; et impingerent in domum ejus, non potuerunt eam movere; quia, secundum Domini dictum, fundata erat super firmam petram, quæ petra erat Christus. Noster modo intercessor, et certissimus patronus apud Deum, consideravit perpendens, in quanto periculo et miseria, humana constituta sit infirmitas, non in semetipso posuit fiduciam suam, juxta morem superborum partis adversæ, sed ad humilitatem apostolicam, et filiorum Dei recurrit in largitate *z* divinæ misericordiæ, et devota supplicatione ecclesiæ Dei, solidavit spem suam. Sic enim et Apostoli Christi eorumque successores et cohæredes in regno Dei, in omni labore, et tribulatione sua, oratione ecclesiæ Dei sine intermissione adjuti, omnia potuerunt implere, quæ eis præcepta erant a Domino. Eia, præsules et prædicatores

popu-

A populi Dei, eodem honore, et pari gradu in hoc seculo decorati, aspicite, et intelligite, et adsumite exemplum justi hujus *aa* hominis; ut, cum vocati a Deo, et electi ab Ecclesia Dei, non muneribus obcæcati, ad gradum episcopatus, et ad regimen sanctum accesseritis, juxta formam ejus vos instituere, fructumque adferre valeatis permansurum in vitam æternam.

aa

comes ejus Gregorius aliquos sibi aggregat Romæ discipulos.

17 Et in illo quoque itinere; dum S. martyr Bonifacius Romæ, sicut superius dictum est, sacro gradu sublimatus est, B. Gregorius præceptor meus, electo magistro infatigabilis *bb* comes permansit; intrans, et egrediens, et pergens ad imperium ejus, sicut semper solebat in omni opere bono. Et non solum in hoc eodem itinere meritum humilitatis, et obedientiæ suæ peregit, ut dignum est juniores subdi senioribus, et majoribus suis in omnibus; sed etiam plura volumina sanctarum Scripturarum, largiente Domino, illic acquisivit; et secum inde ad profectum proprium, discipulorumque suorum, non modico labore advexit domum. Sed et pueros B duos, cum consensu magistri, in discipulatum suum Marchelmum *cc* videlicet et Marcuvinum germanos *dd* de gente Anglorum, secum *ee* inde adduxit. De quorum seniore Marchelmo religiosissimo et sancto viro, ut dignum est, donante Deo, suo loco aliquid plenius dicam. Tunc felix comitatus, magister videlicet sanctus, et discipuli ejus electi, et propriis meritis intercessione omnis cleri ac familiæ S. Petri commendati Deo, et sanctis ejus, reversi sunt domum, crescentes, et proficientes ex illo die, in omni opere bono; docentes et instruentes in via Dei, qua ipsi ibant, non solum populum et proceres Francorum, sed etiam ipsos reges religiosos sale sapientiæ divinæ non mediocriter condierunt. Et sic in consensu, et unanimitate regum, et cuncti populi, per omne regnum Francorum *ff* cœperunt quotidie magis magisque detrimenta fieri diabolo, et incrementa Ecclesiæ Dei; hæreticæ pravitates non apparere, et Catholica fides in omnibus rutilare, ac religio munda et immaculata longe lateque clarescere.

bb *cc* *dd ee* *ff*

ANNOTATA.

C a *Mortuo Carolo, anno 741 successerunt in majoratum domus Carolomannus et Pippinus, hic postea rex, ille monachus.*

b *Ms.* sapientiam.

c *Jam ab anno 723 episcopus erat, sed agitur de certa sede ei assignanda.*

d *Ms.* qui.

e *In Ms. nostro*, et Maguntiæ metropolitana sedes *etc. Factum id anno 745. Accipe breviter, quibus gradibus ad metropolim Moguntinam promotus sit Bonifacius. Anno 719 presbyter missus in Germaniam a Gregorio II, ab eodem anno 723 consecratur episcopus nulli sedi affixus, archiepiscopus dein incertæ sedis per Gregorium III, demum anno 745 ad Moguntinam sedem, metropolim constitutam, electus a Franciæ principibus, atque a Zacharia Pontifice confirmatus. Disputat de his fuse Serarius in Moguntiacis notatione 25, 26, et 33.*

f *Qua auctoritate tum in Bataviam missus* Gregorius, *diximus in Commentario prævio § 3.* Dorstad, *olim, ut quidam volunt,* Batavodurum, *nunc vulgo* Wyck te Duerstede, *celebre erat* Gregorii *tempore, postea vero a Nortmannis sæpe vastatum fuit et eversum. Modicum nunc oppidum est ad Leccam, situm in provincia Ultrajectina, quatuor circiter leucarum spatio Ultrajecto distans. De eo agit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 76 : at in eo corrigendus, quod oppidum hoc cum castello* Batenburg *confundat; cum Batenburg castellum sit in Geldria ad Mosam sex fere leucis inde dissitum.*

AUCT. S. LUDGERO EPISCOPO.

g Id est, *in editis legebatur* idem, *sed minus recte.*

h Lagbeki. *Putant interpretes omnes, hic* Leccam *designari. At mihi, qui illas partes sæpius perlustravi, hoc probari non potest. Non enim ripam Occidentalem habet Lecca, ab Oriente fluens in Occidentem; nec Lecca Christianos Frisones separabat a paganis. Adde, quod nomen rivi, Belgice* Beeck, *Leccæ minime conveniat, flumini utique satis spatioso et magnarum navium patienti. Quærendum itaque ad Orientalem partem ditionis Ultrajectinæ hoc flumen: occurrit autem fluvius modicus, etiamnum* de lange beeck, *id est,* rivus longus, *vulgo nominatus, quem corrupto, ut in aliis solet, paululum nomine ab auctore designari non dubito. Oritur ille ex variis fontibus, conjunctisque* E *aquis non longe a pago* Scharpezeel, *atque a Meridie in Boream decurrit versus* Amersfordiam *Ultrajectinæ ditionis oppidum, quam eo tempore sub ditione paganorum fuisse existimo, quod nulla illius fiat mentio.*

i *Hic locus hactenus corrupte videtur fuisse editus, omnes enim habebant :* Cum maxima parte Christianorum Fresonum. *Quis autem credat Christianos Frisones pro maxima parte migrasse Moguntiam? Restitui igitur, prout inveni in Ms. nostro Fuldensi*, Orientalium Francorum. *Ms. vero Bodecense alium habet sensum :* Lullus maximam partem Orientalium Francorum prædicando convertit. *Quæ lectio forte ceteris est præferenda. Porro Lullus hic, cujus § 3 litteras recitavimus, S. Bonifacii fuit in archiepiscopatu Moguntino successor. De eo agit Mabillonius sec. 3 Bened. part. 2, a pag. 392, et nos agemus suo loco.*

k Megingodus, *in Ms. Bodecensi* Megingotlus. *Illum S. Burchardo in episcopatu Wirceburgensi successisse, scribit Eckhartus ante laudatus in Commentariis de rebus Franciæ Orientalis tom. I a pag. 220, ac Megingaudum vocat; ubi* F *plura de eo inveniet curiosus lector. Huic una et Lullo Vitam S. Bonifacii inscripsit Willibaldus, sed* Megingozum *vocat.*

l *Hujus Acta dedit Sollerius ad diem 7 Julii, quo colitur. Civitas, cujus episcopus fuit, hic vocatur* Hehstedi. *Alias* Eystadium, Eystetum, Eystettum, Eichstadium, *vel* Aichstadium. *Sita est hæc urbs* in Franconiæ circulo ad Alemannum fluvium, episcopalis sub archiepiscopo Moguntino; *teste Baudrando. Itaque Bajoarii, seu Bavari (qui hic Baguarii) latius sumuntur; Bavariæ tamen est proxima.*

m Id est, *ita Ms. nostrum, alii legerunt* idem, *non recte; explicat enim anteriora dicta. In parte Bavariæ nobis proxima, id est, in provincia Nortgovia* (Nortgoe). *Audi Baudrandum :* Nortgovia, Northgoew, Germaniæ provincia, inter Bohemiam, Franconiam, et Danubium fluvium extensa, in qua nunc Palatinatus superior seu Bavariæ, comitatus Cambensis, et pars Franconiæ ad ortum, trans Rednitium fluvium, ubi pars burgraviatus Nuremburgensis, quamquam nunc ejus veri limites perierint.

n Winnebaldus, *aliis* Wunebaldus, *abbas fuit*

Hey-

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

Heydenheimensis in diœcesi Eystadiensi : cujus Acta dedit Mabillonius sec. 3 Bened. part. 2 a pag. 176; nos dabimus ad 18 Decembris, quo ejus celebratur memoria.

o Sturmi *alias* Sturmius, *abbas Fuldensis, de quo laudatus Mabillonius tomo assignato a pag. 267; nos de eodem agemus ad 17 Decembris, cultui ejus sacrum.*

p *Ms. Bodecense,* Buchonia *rectius : ita enim vocatur silva illa, in qua ad ripam fluminis Fuldæ conditum Fuldense cœnobium.*

q *Ms. Bodecense* deserta.

r Electi, *ita Ms. In editis habetur* electis.

s *S. Wigbertus, abbas aliquando Fritislariensis, dein Ordorfensis, privatus obiit. Vide Acta illustrata per Sollerium tom. 3 Augusti a pag. 132. Hujus uti et S. Burchardi episcopi Herbipolensis seu Wirceburgensis, cui Megingodum successisse diximus, Acta dat etiam Mabillonius sec. 3, part. 1. Colitur S. Burchardus die 14 Octobris, ad quem ejus Acta apud nos dilata sunt.*

t *Ms. Bodecense* jubentibus.

u Senatus et populi *habet Ms. nostrum Ful-* B *dense, et tamen omittitur in editionibus, quas habemus.*

x *Lapsus memoria est auctor; nam a Gregorio II ordinatus est Bonifacius.*

y *Mendosum hoc putat in notis Mabillonius; quia jam ante* Bonifacius, *vocatus legitur; nempe in litteris Pontificiis anno 719 eis datis, et inscriptis* Bonifacio religioso presbytero. *Ita laudatus auctor in Annalibus Benedict. ad annum 719, ubi ab illo anno nomen* Winfridi *mutatum putat. Confirmatur hoc ex inscriptione epistolæ inter Bonifacianas 35, ubi legitur :* Venerando Dei famulo . . . Bonifacio sive Wimfredo . . . presbytero. *Jam itaque a prima in Germaniam missione nomen ei datum* Bonifacii. *Dici tamen potest, jussisse hoc tempore Pontificem, ut solo Bonifacii nomine passim uteretur, idque ab auctore significatum. Res non magni est momenti.*

z In largitate . . . et supplicatione. *Ita Ms., editiones habent* in largitatem *etc.*

aa Hujus *ab aliis omissum, habet Ms. nostrum.*

bb *Bailletus ad 25 Augusti in* Gregorio *num. 3 scribit,* Gregorium *bis cum Bonifacio Romam profectum esse, et quæ hic facta subjunguntur, ad* C *iter secundum refert. Quo auctore non indicat, neque divinare possum, cum biographi veteres nihil ea de re habeant. Conjecturam, opinor, secutus est, quod junior in primo itinere videretur* Gregorius, *quam ut discipulos sibi aggregare posset. At manifeste significat Ludgerus,* In eodem hoc itinere *omnia facta esse,* dum . . . Bonifacius Romæ . . . sacro gradu sublimatus est, *id est, episcopus consecratus anno 723 die 30 Novembris. Ostendimus etiam in Commentario jam ultra quatuor annos sub disciplina Bonifacii fuisse* Gregorium, *dum hæc facta sunt. Vellem itaque duplex hoc iter Romanum, ut conjecturam in sua de ætate* Gregorii *sententia non improbabilem proposuisset; non ut rem certam sine antiquorum auctoritate enarrasset.*

cc Marchelmum. *Alio nomine* Marcellinus *dicitur, eique apocrypha S. Swiberti Vita supposita est. Egit de eo Sollerius tom. 3 Julii a pag. 702. Idem ille est, quem cum S. Lebuino in hodiernam Transisalaniam missum narravimus § 4, idque circa annum 765, aut paullo forte serius, perperam ab eodem distinctus in prætermissis seculi 3 Benedictini part. 2 apud Mabillonium. Laudatus Sollerius, Bollandum in Actis* D *S. Swiberti tom. 1 Martii secutus, putavit Marchelmum anno 738, cum tertia vice Romam profectus est S. Bonifacius,* S. Gregorii *discipulum factum, et Ludgerum duo S. Bonifacii itinera confudisse; favet illi sententiæ quod Gregorius III hic nominetur Pontifex; neque tamen sequendam puto. Rem explicabo paucis. In Vita S. Ludgeri sæpe memorata cap. 2, num. 11, dicitur :* Misit *(Gregorius)* etiam cum eo *(Lebuino)* et Marchelmum servum Dei, de genere ortum Anglorum, et a S. episcopo Willibrordo a pueritia sanctis instructum moribus, ut eum præponeret populo. *Hinc Willibrordi discipulum fuisse, utrimque dicimus. At Bollandus in Actis S. Swiberti memoratis pag. 70, num. 12 opinatur, instructum a S. Willibrordo Ultrajecti usque ad annum circiter 15 ætatis, dein Romam missum, ibidem* Gregorio *anno 738 adhæsisse. Ego vero existimo ex Anglia Romam venisse, ibique* Gregorio *adjunctum anno 723, ab eodem ad Ultrajectinam scholam missum, ubi a S. Willibrordo ab anno circiter 724 bonis moribus sit institutus a pueritia, id est, an-* E *no ætatis 15, aut 16 : mortuo autem S. Willibrordo ibidem sub* Gregorii *disciplina mansisse, laboribusque apostolicis ab eodem adhibitum, non est dubium. Rationes cur ita sentiam, sunt variæ, quas breviter explicabo. Primo, sic recte intelligitur, cur potius a Willibrordo institutus dicatur, quam a* Gregorio, *quod ab hoc statim ad Willibrordum sit missus. Deinde non videtur S. Willibrordus adolescentem, seu puerum, ut vocatur, Romam missurus fuisse, quem, ut supra dicitur, instituebat,* ut eum proponeret populo. *Tertio, sic omnia inter se, et cum dictis Ludgeri belle consentiunt, nec necesse est dicere Ludgerum duo Bonifacii itinera confudisse. Quarto, ætas Marchelmi hoc ipsum exigere videtur. Etenim, ut diximus § 4, circa annum 765 Marchelmus a* Gregorio *missus est trans Isalam; atqui ibi num. 47 insinuatur, Marcellinum tunc fuisse* grandævæ ætatis : *non fuisset autem grandævæ ætatis anno 765, aut paucis annis etiam posterius, si anno 738 puer circiter 15 annorum* Gregorio *adhæsisset; namque adhuc multum abfuisset ab anno quinquagesimo ætatis, ut patet numeros subducenti. Si vero dicamus* Gregorii *discipulum factum anno 723, decimo quinto æta-* F *tis anno : jam anno 765, si non serius trans Isalam fuit missus, annum agebat quinquagesimum septimum, de qua ætate dici potest, esse grandævam. Habes rationes, cur putem Marchelmum anno 723* Gregorio *adhæsisse, posteaque Willibrordi discipulum factum. Quibus addi potest, quod episcopus tot curis et laboribus distentus, qualis fuit Willibrordus, per se non videatur eum instituturus fuisse ante annum ætatis 14, aut 15, cum ante illam ætatem vix solida virtutis poni possint fundamenta.*

dd Germanos, *ita Ms. : omissum hoc erat ab editoribus.*

ee *Ms. Bodecense,* Et eos secum ibidem assumpsit.

ff *In Ms. Bodecensi adjungitur* Prædicantibus illis.

CAPUT

A

CAPUT III.

Insignis Gregorii in condonandis injuriis lenitas : episcopatus Ultrajectensis ei datus : varii ejus discipuli : eorum egregia institutio : virtutes aliæ.

Sed quia adhuc usque communiter et mixtim nunc de S. magistro et martyre Bonifacio, nunc de B. Gregorio electo discipulo ejus, modica, quæ potui, ex magnis, de sancta eorum conversatione, ob utilitatem audientium, et exemplum futurorum literis commendare curavi, deinceps specialiter B. Gregorii facta, et virtutes, et salutiferæ prædicationis documenta, quibus erudiri, licet indignus, et interesse merui ab infantia, paucis aperire non negligam. Et primo dignum et memorabile opus, ab eo euangelice peractum, intimandum existimo, quod de remissione et indulgentia inimicorum *a*, mirabili caritate, et posteris profuturo exemplo, implevit. Fuerunt ei fratres nobiles, et eximii de patre generati, et de matre ejus nati alii fratres, et tempore et viribus secundum sæculi dignitatem minores; quibus necesse erat in obsequio esse majorum. Factum est autem, ut aliqui ex majoribus fratribus honorati a rege, mitterentur in longinquiora regna Galliarum; illuc et subsequi, et inhærere necesse erat junioribus. Dum vero post spatium temporis peracti, et parentes visitare placeret et patriam, accepta licentia a senioribus suis, duo uterini fratres præceptoris mei Gregorii cœperunt ire, et propositam carpere viam, ut ad Franciam, id est, naturale solum pervenire potuissent. Qui dum irent in via, juvenili audacia amplius securi, quam oporteret, in quadam silva latronum crudeli manu circumdati, et occisi sunt. Quod statim tam lugubre nuntium dominos eorum celari non potuit, qui in illis diebus principatum non modicum ipsis in locis habuerunt.

Fratres Gregorii : ex quibus uterini duo occisi a latronibus.

B

a

C

19 Quod ut audierunt, miserunt circumquaque satellites suos, qui eosdem latrones et carnifices exquirerent et comprehenderent. Qui et inventi, et comprehensi, et ligati statim adducti sunt : et licet digni haberentur omni pœna, et crudelissima mox *b* morte interfici; tamen ob reverentiam et amorem fratris eorum domni Gregorii, cogitabant, ut eum aliquid in hoc consolarentur, post mortem carorum, si ipsos homicidas et interfectores eorum ad ejus dominium et præsentiam pervenire facerent, ut ad satisfactionem et mitigationem doloris sui, quali vellet morte ipse eos interfici juberet. Quod et fecerunt; duos ex illis *c* ei præsentari jubentes, carnaliter dumtaxat cogitantes secundum stultam sapientiam sæculi hujus, quæ inimicis pie parcere non novit. Ipse vero, ut erat vir spiritalis, doctus a Domino Jesu Christo, et sancto Euangelio ejus; in quo didicerat scriptum : Diligite inimicos vestros; bene facite his, qui oderunt vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, spiritaliter eos et gratanter suscepit; cogitans utrimque, et de sua salute sempiterna, et de fratrum interfectorum absolutione *d*, exemploque posteris profuturo : et jussit eos absolvi, et balneari, vestibus indui mundis, atque cibis refici. Tunc ad se ductis præcepit dicens : Ite in pace; et cavete, ut non ulterius tale malum perpetretis, ne deterius vobis aliquid contingat. Et jussit in pace deduci, admonens paterna caritate, ut a cæteris propinquis suis caute se custodirent. Quid nos modici et infirmi ad hæc dicturi sumus, qui nec minimi verbi læsionem absque ultione, ubi facultas suppetit, ferre valemus? Dum de perfectis talia cognoscimus, pensemus, ubi nostra infirmitas prostrata jaceat, quæ numquam tale aliquid vel mente concepit : ut flere magis libeat, quam aliquid dicere. Forsitan obtinebunt nobis veniam lacrymæ apud pium judicem Deum, qui in meritis fiduciam habere non possumus.

quos captos, suæque voluntati traditos, dimittit incolumes :

b

c

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

d

20 Sed et hoc silentio minime tegendum est, quod Marchelmo venerabili viro narrante, didici, cujus superius memoriam feci. Quia post martyrium sancti magistri, a quo per gratiam Christi, et meritum sanctitatis ejus, omnes confines nationes illuminatæ sunt, ipse quoque B. Gregorius a Stephano apostolicæ Sedis Præsule, et ab illustri et religioso rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia : in qua primus S. Willibrordus, cognomento archiepiscopus *e*, in conversione gentis illius initiavit rudimenta Christianæ fidei cum discipulis suis; deinde, senescente eo in opere Dei, et stabilito episcopatu in loco, qui nuncupatur Trajectum, et alio nomine Wiltaburg *f*, et migrante ad Dominum de hac luce, successit S. Bonifacius *g* idem archiepiscopus et martyr, quem oculis meis ipse vidi candidum canitie et decrepitum senectute, plenum virtutibus et vitæ meritis. Quo tempore in ejus discipulatu, sicut superius memoravi, B. Gregorius præceptor meus ab ineunte ætate fuerat enutritus, cui et successit pius hæres ejusdem gentis Fresonum pastor et prædicator ordinatus a Domino, et a principibus supradictis Ecclesiæ Dei. Eademque charitate, sicut et fidei firmitate, qua prædecessores sui sanctus videlicet Willibrordus archiepiscopus *h* et confessor, et Bonifacius martyr atque archiepiscopus, larga et melliflua eruditione populum irradiavit simul cum chorepiscopo et adjutore suo Aluberto *i*, qui de Britannia et gente Anglorum veniebat magnis vitæ meritis pollens, et eadem benevolentia juxta vires Domino studuit animarum lucra acquirere.

designatur episcopus Ultrajectinus;

E

e

f

g

h

F

i

21 Quod etiam et in discipulorum multiplici benedictione ditatus est B. Gregorius, nemo dubitat a Deo ei datum fuisse, qui ejusdem electi Viri et vitæ meritum pensare voluerit, et pretiosissimum sapientiæ ejus thesaurum investigare. Propterea et hoc dignum esse memoria videtur, qualiter discipulos suos simul cum eis communi vita conversando, ut pater filios educarit, et dilexerit; singulisque tanto charitatis glutino jungeretur; ut apostolicum illud sanctum et præclarum testimonium, non tantum ex ore proferret ad ædificationem audientium, sed opere et veritate ad imitandum cunctis ostenderet; quod de vocatione, et electione omnium gentium a B. Petro apostolo dictum constat, Quomodo in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Non enim ex una qualibet gente ejus erant discipuli congregati; sed ex omnium vicinarum nationum floribus adunati; et tanta familiaritate et mansuetudine lætitiaque

varii Gregorii discipuli,

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

k

que spiritali illuminati sunt, ut luce clarius daretur agnosci, quia de uno patre spiritali, et de matre omnium charitate *k* generati sunt et coadunati. Quidam enim eorum erant de nobili stirpe Francorum; quidam et de religiosa gente Anglorum; quidam vero et de novella Dei plantatione diebus nostris inchoata, Fresonum et Saxonum; quidam autem et de Baguariis, et Suevis *l*, vel de quacumque natione et gente misisset eos Deus; quorum minimus ego sum modicus et infirmus alumnus.

ejusque de his cura:

22 Quibus omnibus undecumque, quasi ad unum ovile collectis, pius pater et pastor Gregorius et spiritalia nutrimenta doctrinarum et eloquiorum Dei, et corporalia alimenta eadem devotione procuravit et donavit: et ita, inspiratus a Deo, exarsit in amore et institutione discipulorum, et nullus pene præteriret dies, quo non primo mane paterna solicitudine consedens singulis quibusque venientibus, prout quisque quæsivit, poculum vitæ propinaret et irrigaret eloquio Dei. Ipsorum quoque discipulorum ejus plurimi tam nobiles erant, tantoque B præditi ingenio et doctrina Dei, ut ad arcem episcopatus et merito vocarentur, et venirent; plurimi vero eorum, æqualiter edocti et disciplinati, et si non tanto gradu sublimati sunt, meritis tamen non erant exigui; sed scientia et charitate Dei eximii. Operæ pretium et dignum esse videtur, ut quoquo modo valeam, singulorum testimonia, suis in locis, et signa charitatis *m* non abscondam. Interim tamen de B. Gregorio, quæ cœperam pauca de multis, ad profectum audientium, proferre conabor; quoniam peccati reus esse pertimesco, si de cognitis tanti viri *n*, et tam profuturis bonis, vel extrema quædam narrare non incipiam.

divitiarum contemptus, cura pauperum,

23 Erat enim vir ille venerabilis secundum Sapientiæ dictum, Qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Ideo stabilita sunt bona illius in Deo, et eleemosynas ejus divulgat ecclesia sanctorum. Noverat utique scriptum; et opere noverat, et veritate, non sermone casso; Quia radix est omnium malorum cupiditas: et idcirco eam quasi immane præcipitium, et inferni foveam exhorruit; et præcavebat in omnibus. Sicut enim cupidi pecuniarum, et avari, qui animam suam venalem habent, timent ne C prodant, et perdant lucra terrena; sic metuit Vir ille sanctus, ne forte abscondendo ea, et custodiendo perderet cælestia. Et idcirco, quotiescumque auri vel *o* argenti in potestatem ejus aliquid devenerat, statim expendere curavit, et pauperibus distribuere; ut Vir euangelicus, secundum Euangelii mandatum faceret; et thesaurizaret sibi thesauros in cælo, ubi nec erugo nec tinea demolitur, et fures non effodiunt nec furantur. Et quoniam totam spem suam tam firmiter et expedite collocavit in cælestibus, nihil eum nocere potuit nec inretire, quod de terrenis et caducis delectabile esse videbatur in mundo. O virum venerabilem et electum, mansuetum et pium, cælestibus semper intentum, et de caducis et terrenis minus curantem! quod et habitu monstrabat et actu.

vestis, sermonis, et potus temperantia:

24 Nullum in eo locum invenit superfluitas vestium *p* et ciborum; non jactantia, et detractio, non otiositas sermonum; sed uno, eodemque æquali cum cæteris vestimento, et victu, semper contentus erat: et ex hac linguæ, et vitæ munditia foris innotuit, quantæ puritatis dilectione cor ejus interius plenum erat. Ex simplici vero vestimentorum usu, atque ciborum, D monstravit exemplo auditoribus suis, quod sermone docuit ex præceptis Dei, et Sanctorum ejus. Nam legerat scriptum, B. Petro apostolo admonente, Non in veste pretiosa: et coapostolo ejus Paulo adhortante didicerat, quoniam Esca et potus non est regnum Dei, sed justitia, pax, gaudiumque in Spiritu sancto. De potu vero ejus quid dicam? in quo ei tantum erat temperamentum, ut vix umquam, secundum Apostoli dictum, modico vino uteretur, quod non esset aqua mixtum. Et non tantum in semetipso hoc adimplevit apostolicum dictum; sed et omnes sibi subjectos vehementer semper admonuit, ut numquam ebrietatis malum incurrerent; sed velut inferni foveam præcaverent atque vitarent.

quædem ejus monita.

25 Et de vitiorum omnium destructione, virtutumque ædificatione, in sua prædicatione propheticum illud frequenter proferre solebat: Posui te, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes; volens auditores suos omnes dictum hoc intelligere, quia numquam virtutum decor et bonorum operum ædi- E ficium surgit, nisi vitiorum labes et immunditia destruatur. Sed et apostolicum illud gloriosum, et omni laude dignum testimonium, propter incitamentum charitatis Dei et proximi, atque desiderium regni cælestis, frequentissime in conclusione prædicationis suæ solebat aptare: Quod oculus non vidit nec auris audivit neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sciens igitur prædicator pius, his duobus testimoniis, prophetico scilicet et apostolico, intentis auditoribus multum conferri, per charisma absconditum Spiritus sancti, quod et Prophetam implevit et Apostolum, et idcirco tam sedulo in cælesti prædicatione sua hoc usus est oraculo, et hortamento virtutum.

ANNOTATA.

a *Ms. Bodecense adjungit* suorum.

b Mox *in Ms.; omissum ab aliis.*

c Ei *in Ms., non in editis.*

d Absolutione *ex pœnis scilicet purgatoriis per heroicum charitatis actum, ad ipsorum refrigerium Domino offerendum.*

e *In Ms. Bodecensi:* Cognomento Clemens F archiepiscopus; *quod videtur præferendum.*

f Wiltaburg, *quasi* civitas Wiltorum. *Ita nominatum prius fuisse Ultrajectum testantur auctores varii.*

g *De successione primorum episcoporum Ultrajectensium egimus § 3 Commentarii; qui hic non exprimuntur, ut Dadanus, Eobanus, et forte Adulphus, tantum fuere coepiscopi, seu episcoporum adjutores.*

h Archiepiscopus. Eodem sensu, *inquit in notis Henschenius,* quo Bonifacius, necdum ulli sedi affixus, ab ipsomet Pontifice, ut vidimus, vocatur archiepiscopus, quia ad gentium conversionem ordinatus, nullique alteri subjectus. *Bonifacius ita etiam vocatur, quia archiepiscopus Moguntinus. Nam sedes Ultrajectina ab initio archiepiscopalis non fuit, ad illum honorem tandem elevata a Paulo IV per bullam datam anno Domini 1559, 4 Idus Maii. Sed breve fuit gaudium. Utinam qui illam ecclesiam nunc infestant, præclara Willibrordi, Bonifacii,* Gregoriique *exempla respiciant, illorumque erga Romanam Ecclesiam imitentur reveren-*

tiam

A *tiam et obedientiam.*

i Aluberto. *Ms. Bodecense* Adalberto : *sed* Alubertus *etiam vocatur in Vita S. Ludgeri, in qua cap. 2, num. 9 hæc de eo traduntur :* Venit interea vir quidam venerabilis de terra Anglorum, Alubrecht nomine, ad abbatem Gregorium, cupiens Domino cooperante plebi partis illius in doctrina prodesse; erant enim rudes in fide. Quem abbas Gregorius libenter suscepit; et comperto quod esset vir bonus et doctus, suasit sibi coepiscopus fieri : non enim fuerat idem Gregorius ad gradum episcopalem ordinatus, sed presbyterii perseveravit in gradu. Vir igitur prudens Alubertus ad hæc : Ut scias, inquit, me cum licentia et consilio episcopi mei huc transmeare, mitte mecum fratres fideles... ad episcopum meum, ut ab eo ordiner ego et illi : tali enim modo consensum præbeo. Quod abbas Gregorius libenter audiens direxit eum, et cum eo Liudgerum, aliumque fratrem fortiorem ætate, Sigebodum nomine, ad episcopum, de quo Alubertus dixerat. Qui eumdem Alubertum ordinavit episcopum, Sigebodum presbyterum, Liudgerum diaconum; et manserunt illic anno uno... Post anni vero circulum revertentes, qui missi erant, Domino gubernante, pervenerunt ad abbatem Gregorium; qui benigne suscepit eos, gavisus valde in adventu eorum; et mansit cum eo Alubertus collaborans in opere Domini.

B

k *Ms. Bodecense* omnium virtutum charitate.

l *Ex Suevia scilicet provincia Bavariæ proxima et satis nota.*

m *Ms. nostrum* Claritatis.

n Tanti viri *legitur in Ms. Bodecensi, non item in aliis.*

o Vel *in Ms. : alii habent* etc.

p *Dedi hunc locum ex Ms. Bodecensi, cujus sensus concinnior est et amplior. Alii cum Ms. Fuldensi habent* superstitilio vestium, *et omittunt,* non otiositas sermonum.

CAPUT IV.

Aliæ virtutes : triennalis paralysis ; futura prædicta : obitus.

C

Eximia Sancti erga obtrectatores lenitas :

Et quoniam superius, uno operis testimonio, quod tam religiose vir Dei Gregorius, secundum Dominicam orationem de remissione implevit, multa bonorum operum insignia demonstrantur, libet et illud referre, qualiter fecit in quotidiana conversatione sua de omnibus obtrectatoribus suis, qui ei aliquando derogabant propriis vitiis instigati; qualiter eos non quasi pro detractoribus exhorruit, et odivit, sed quasi amicos et adjutores semper amavit, et adiit; et secundum Psalmistæ dictum, Tamquam surdus eos non audiens, et quasi mutus non aperiens os suum, benigne cum eisdem conversatus est; nihilque eis negavit, quæ amicis impendere debuit. Unde hoc ei, nisi gratia superna largiente, præ munditia mentis egregiæ venire potuit, quod tamquam parvulus tam obliviosus injuriarum, tam tenax virtutum fieri valuit? Sagitta enim sermonis Domini non tantum ejus corporis aures tetigit, sed etiam cordis aures veraciter penetravit, et illuminavit : ubi in Euangelio, parvulo ad se vocato, adhuc rudes Apostolos suos, et cum ipsis simul omne hominum genus, viam regni cælorum qualiter intrare debeant admonuit, dicens : Amen dico vobis nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hoc ergo, et cum familiaribus, et cum extraneis non semel exercuit; sed assidue, nisi ubi districtio disciplinæ, et correctionis inter subjectos aliud exigebat. Sed dum Vir iste tam humilis et patiens, pro amore divino tam contemptibilia, et suæ personæ indigna, et ferre voluit æquanimiter et potuit, evenit hoc, quod in diebus ejus pene omnibus, qui eum noverant, incognitum non erat, quia pene omnes hi, qui tanto viro honorem debitum impendere noluerunt, ultione divina percussi sunt, et ad cognitionem *a* sui, licet coacti et inviti, reducti : ut palam daretur intelligi scire volentibus, quia sub divina custodia fortiter intus protegebatur, quamvis interdum ante oculos hominum superborum ferre videretur indigna opprobria. Sed, qui hoc attendere voluerit, et imitari, non mediocriter ei proficiet ad introitum regni cælestis; dum omnes, qui eamdem viam præcesserunt, talia paterentur, secundum dictum et formam Apostolorum, qui ibant flagellati a conspectu concilii gaudentes et dicentes, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei *b.*

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

a

E

b

eleemosyna :

27 Verum, quia inter virtutes maximas, opus eleemosynarum ab ipso Domino et redemptore nostro est ordinatum, et omnes Scripturæ sanctæ novi Testamenti et veteris, hoc opus salutiferum laudant, et glorificant, de largiflua eleemosynarum datione B. Gregorii ad memoriam posteritatis et imitationis exemplum, pauca sunt proferenda *c.* Floruit enim Vir ille virtutibus aliis multis, sed maxime in eleemosynarum sacra purificatione fuit semper intentus, in tantum, ut nihil sibi auri, nihil argenti præter ecclesiæ necessaria ministeria umquam reservari voluisset. Sed et de alia substantia sua, eadem benignitate largus habebatur et dilatatus; pauperibusque Christi semper proficuus, et pius : nihilque sibi ex ea, excepto victu quotidiano, et vestitu simplici, voluit reservare, ponens spem suam totam magis in tremendi examinatione judicii, quam in præsenti locupletatione thesaurorum et divitiarum mundi. Ideoque tam facile pro amore Christi omnia largiri potuit, quæ habebat, ex cujus ore et exemplo eadem didicerat, quæ faciebat. Ait namque *d :* Quod superest vobis date eleemosynam; et, ecce, omnia munda sunt vobis. Consideravit eadem fide et charitate sanctos Patres in veteri Testamento a Deo donatos, eadem spe remunerationis sempiternæ, de eleemosynarum operibus fructuosis semper fuisse sollicitos : unde et in Psalmo S. Propheta pro beatitudinis testimonio hujus operis devotionem posuit, dicens : Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. Sed et alius Propheta de eodem opere sancto laudabiliter canit et dicit : Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Dominus quoque ipse pro hoc opere in die tremendo, Sanctos suos gratia sua et benedictione sempiterna effert et extollit, dicens : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi : quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus fui, et operuistis me etc. Talia B. Gregorius de utroque Testamento, in

c

F

d

AUCT. S. LUDGERO EPISC.

e in quibus doctissimus erat, intelligendo et penetrando præcepta, divinam Scripturam legens *e* vertit in opera: et non auditor obliviosus factus, sed factor operis, in lege Dei semper erat. Eia milites Christi, audite et intelligite, et assumite exempla Patris hujus rectissima et præ-
f clara, ut nobis *f* etiam adhuc in corpore viventibus, et intuentibus ac diligentibus ea, inde crescat gratia Dei, largiens vulnerum nostrorum remedia, unde illi creverunt tantarum virtutum ornamenta.

prope septuagenarius paralysi corripitur;

28 Talibus successibus et vitæ meritis beatus abbas meus et præceptor Grogorius, dum semper in melius crescendo proficeret, et prope jam ad septuaginta annorum *g* ætatem tam carus Deo,
g quam cunctis hominibus perveniret, adfuit dies, in qua militem suum Dominus adhuc meliorando subvehere vellet ad sublimiora, et remunerationis ei præmia largiri, quæ meritis ejus debebantur, et operibus fructuosis. Tactus itaque est ea molestia corporali in sinistro latere, quam
h paralysin medici *h* vocant; et crescente eadem molestia et ingravescente per dies singulos, se-
B cundum Scripturæ testimonium, flagellavit Deus filium suum in hac peregrinatione, quem e vicino erat recepturus ad patriam cælestium mansionum: tribus enim annis ante obitum suum, arreptus est illa infirmitate. Sed erat langnor talis,
i ut in primis *i* ambulare posset, vel manu deduci ad profectum proprium et subditorum suorum; et loqui, quæ ad ædificationem pertinebant. Quod utique agere non est oblitus; sed sicut semper solebat, tradere non destitit auditoribus suis libros divinæ legis, et monita salutis æternæ. Nam et condiscipulis, melioribusque meis in eadem molestia plures tradidit libros;
k et mihi modico Ludgero *k* librum S. Augustini tradidit, quem Euchiridion, id est Manuale, ipse nuncupavit.

membra ægroti albent: reditus Alberici prædictus.

29 Hæc ita agendo B. homo Gregorius, et a profectu spiritualium successionum in ipsa ægritudine sua numquam desinendo, auxit per singulos dies sanæ mentis sapientia, licet imbecilli corpore, quod sibi suisque ad ingressum regni cælestis et gaudium proficeret sempiternum. Tertio tandem anno inchoatæ ægritudinis, quasi auri more, quod per ignem transiit, corporis fati-
C gatione purgatus, ad id pervenit, ut ubicumque opus erat, inter discipulorum manus portare necesse esset. Et nec tunc quidem Vir venerabilis ab opere Dei umquam cessavit, sed aut divinos libros legere coram se, aut pro eadem mentis suæ exercitatione, ad cælestia psalmos cantare assidue fecit: sicque ad extrema perducto imbecilla membra corporis, quæ jam tunc lecto semper sustentare necesse erat, candida facta sunt, ac nitida, ad instar lactis vel lanæ albæ, ut innotesceret videntibus in quanta munditia spiritus intus haberetur coram oculis Dei. Tunc cœperunt conqueri et contristari, qui ibidem adfuerunt utriusque sexus necessarii amici, tam de ejus transitu citius imminente, quam de tarda-
l m tione electi filii ejus Albrici *l*, in quo totius *m* domus spes magna incubuit; qui tunc temporis in Italia erat regali servitio occupatus, et nemini notum quando esset venturus. Hæc audiens pater, Deo dilectus Gregorius, cœpit condolere mœrentibus de seipso securus, et de filio solicitus, et consolatus eos, cœpit sicut frequenter sanus corpore ante solebat, inter communia
n colloquia, propheticum *n* aliquid proferre ac dicere: Nolite timere, non transibo, inquit, antequam ipse veniat. Quod quam veraciter spi- D
ritu prænosceret, rei probavit eventus. Nam triduo vel quatriduo ante transitum ejus, venit diu optatus et electus filius ejus Albricus inopinate, cunctis nescientibus, excepto Patre spirtali, qui ejus adventum longe ante prædixi.

pius obitus, suscepto ante Corpore Domini.

30 Tunc continuos illos tres dies aut quatuor, in communi utilitate, et totius familiæ *o* o salubri negotio, dum ducerent, sano sensu quæcumque desiderabant invicem conferentes; venit ei dies extremus mortulitatis hujus, ad ingressum regni et perpetuæ saluti prædestinatus. Circumsteterunt eum discipuli ejus, desiderantes adhuc quamvis infirmum Patrem diutius secum habere, et de eo optando dicere ad invicem: Non moritur hodie; non moritur hodie. Ipse vero, viribus adsumptis, quibus valuit: Hodie, inquit, volo licentiam habere. Et his dictis, jussit se ante oratorium sancti Salvatoris a discipulis portari, et ostium aperiri, ibique oratione facta, et communione sacri Corporis et Sanguinis Domini accepta, aspiciens ad altare, mente cælestibus intentus, ad Dominum perrexit; cui tanto tempore sincera mente ser- E
vivit: præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ms. Bodecense* venerationem ipsius.

b Dei *ita Ms.* Cælorum *legitur in editis.*

c *Adjungit Ms. Bodecense*, et memoriæ fideliter commendanda.

d *Ms. dictum sententiæ Christi præponit:* Ait namque, *quod deest in aliis.*

e *Ms. Fuldense* legens, *ut posui. Alii ediderunt*, legem vertit in opera. Et *etiam omittitur in utroque Ms.*

f Nobis *in Ms.* Vobis *alii habent, non recte; ut patet ex* nostrorum, *quod paullo post sequitur.*

g *Inchoato scilicet, sed nondum impleto anno septuagesimo, ut probavimus in Commentario prævio* § 2.

h *In Ms. Bodecensi* Physici.

i Ambulare *Ms. Fuldense, Bodecense* deambulare, *utrumque sine etc., quod ab aliis adjunctum.* F

k *Ms. Bodecense:* Mihi omnium minimo Luitgero. *Aliud Ms.* Liudgero. *Hoc loco auctor se manifestum facit.*

l *Albericus hic nepos* Gregorii, *non recte a quibusdam Scotiæ aut Angliæ adscriptus, successor* Gregorii *fuit in episcopatu Ultrajectino administrando, Coloniæ consecratus episcopus. Cultum habere dicitur die 14 Novembris, ubi de eo pluribus agendum.*

m Domus. Nempe stirpis ac generis sui, *inquit in notis Mabillonius. At ego domum seu monasterium Ultrajectinum intelligo, omnesque* Gregorii *discipulos sperasse, Albericum in regimine recto ecclesiæ Ultrajectinæ* Gregorio *successurum, uti revera successit.*

n Aliquid, *ut habet Ms. Fuldense, editores hactenus posuerunt* illud, *minus congrue. Adjungitur in Ms. Bodecensi:* Spiritu sancto revelante: *ex quo colligas, sæpius futura prædixisse* Gregorium.

o *Familiam intellige Ultrajecti in Domino congregatam: nam de carnali familia minor cura tunc fuit Sancto.*

DE

A D

DE S. EBBA MART. & ABBATISSA

CUM MULTIS EJUSDEM MARTYRII SOCIABUS

IN COLUDENSI SCOTIÆ MONASTERIO

G. C.

SYLLOGE HISTORICA

§ I. Distinctio hujus sanctæ Martyris ab alia synonyma ejusdem cœnobii abbatissa, tempus et modus martyrii.

ANNO DCCCLXIX AUT DCCCLXX. *Hæc sancta Martyr, quam Wionus* *cum alia virgine synonyma turpiter confudit,* *et quam Camerarius Scotus*

Arnoldus Wionus hanc sanctam Martyrem cum altera ejusdem nominis abbatissa et virgine perperam confundit, dum lib 4 Ligni vitæ cap. 28, apud nos parte B *secunda istius Operis pag. 516 sic scribit :* Sancta Ebba Ethelfridi Northumbriæ regis filia, patre occiso, monasticæ regulæ in cœnobio Coldingensi, quod est in finibus Scotiæ, colla submittens, in eo ita se gessit, ut tandem in abbatissam eligi, et ob sanctitatis suæ opinionem, anno circiter DCXXX a Romana Sede inter Sanctos referri, pluraque illa in insula templa sibi dicari meruerit. Hæc ne in Danorum infidelium libidinem incurreret, nasum et superius labrum sibi cultro præscindit; quod ejus exemplum reliquæ moniales pro casta religione tuenda fortiter sequuntur. Tandem omnes monasterio inclusas ignis ab hoste injectus, tamquam immaculatas hostias absumit.

2 *Wionus in hoc perturbato elogio committit multos errores, qui inter se conciliari vel excusari non possunt : nam primo præter alios hujus elogii testes ibidem citat Bedam in Historia ecclesiastica gentis Anglorum lib. 4, cap, 19, ubi sanctus ille scriptor meminit de* S. Ebba *seniore, cujus Acta superius illustravimus. Quomodo autem venerabilis Beda mentionem facere potuisset de hac* S. Ebba *juniore et martyre, quæ plus quam centum annis post obitum Bedæ* C *palmam martyrii consecuta est? Præterea allegat Matthæum Westmonasteriensem, qui martyrium hujus* S. Ebbæ *junioris anno Christi 870 affigit, ut infra videbimus. Quomodo igitur hic annus 870 sanctæ Ebbæ seniori convenire potest? Quomodo denique Wionus asserit, S. Ebbam seniorem anno 630 propter publicam sanctitatis famam ab Apostolica Sede inter Cælites relatam fuisse, cum tunc temporis adhuc juvenis esset, et usque ad annum Christi 683 vitam protraxerit, ut in Commentario prævio ad ejus Acta superius ostendimus.*

3 *David Camerarius in Opere de Fortitudine aliisque virtutibus Scotorum melius utramque hanc Sanctam distinguit, dum ibi lib. 3 ad diem secundam Aprilis, apud nos pag. 122, prius de hodierna Martyre ejusque sociabus ita scribit :* Sancta Ebba virgo et martyr, abbatissa, dono castitatis et martyrii in Scotia celeberrima; quippe quæ incredibili animi magnitudine, et erga castitatem affectu non impari, Danorum infidelium ut effugeret intemperantiam, sibi ipsi arrepta novacula nasum labrumque præscidit; idque suo exemplo ceteræ virgines omnes constanti fecere animo : quo facinore duplici laureola virginitatis et martyrii a cælesti Sponso donatæ sunt. Rem totam narrat Matthæus Westmonasteriensis in historia Angliæ, *cujus verba nos postmodum referemus.*

E *ab altera melius distinxit,*

4 *Deinde Camerarius ibidem pag. 124 et 125 de S. Ebba seniore hæc subjungit :* Fuit, scio, alia Ebba virgo et abbatissa Northumbria orta, Oswaldi et Oswi regum soror, quæ apud Scotos, relicta idololatria, fidem Catholicam edocta fuit sub annum DCXXIV, de qua Boethius : « Ebba unica Elfredi filia capta raptorem divi» na evadens ope, scapha arrepta, in mare » absque humana ope evecta est, ac tandem in » Forthææ ostiis ad promontorium, quod ab ea » Ebbæ nomen ad nos tulit, in terram exposita, » sacro ab antistite loci accepto velo, inter san» ctimoniales ibidem degentes est numerata. Ma» ter tandem ac antistita sanctarum virginum » effecta, sese virtutum exemplar omnibus imitan» dum præstans, probatis moribus ac sancto » vivendi instituto ad vitæ exitum feliciter perse» veravit. » Ebbæ autem virginis illius et martyris fit etiam commemoratio ad XXV Augusti diem. *Etiam Ferrarius, Menardus, Bucelinus aliique Menologi duas hasce Sanctas homonymas passim distinguunt, ac diversis diebus annuntiant, ita ut hic manifestus Wioni error ulteriori refutatione non indigeat.*

F *ab aliquibus perperam collocatur seculo undecima :*

5 *At Bucelinus in crassum parachronismum prolapsus est, dum die* XXIX *Augusti elogium S. Ebbæ senioris concludit, eamque ab hodierna sancta Martyre sic distinguit :* Migravit ad Sponsum quarto ante obitum sancti Cuthberti anno, Christi nimirum DCLXXXIV sive LXXXV; cujus historiam nonnulli confundunt cum gestis sanctæ Ebbæ II, ejusdem cœnobii abbatissæ et martyris. quæ claruit anno Christi MLXX ; de qua superius egimus IX Calendas Septembris. *Sed dum nono Calendas Septembris aut die* XXIV *Augusti legimus elogium* S. Ebbæ *junioris et martyris, ad quod Bucelinus nos remittit, ibidem bis eumdem annum Christi 1070 diserte expressum invenimus. Utrum hic repetitus parachronismus typographo an auctori imputandus sit, hactenus ignoramus. At cujuscumque sit error ille chronologicus, errantem typographum vel Bucelinum incaute secutus est Antonius de Heredia Benedictinus Hispanus, qui non solum numeris Arabicis hunc eumdem annum 1070 in margine expressit, sed etiam vocibus Hispanicis ad longum positis hoc martyrium* S. Ebbæ *et sociarum*

AUCTORE G. C.

anno Christi millesimo septuagesimo * *affixit. Verum iste chronologicus aut typogra phicus ducentorum annorum error ultro mox in oculos incurret ex iis, quæ jam de probabiliore martyrii illius anno referemus.*

* *Hispanice* mil y setenta

num anno Christi 869. 6 *Michael Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum Christi 869 num. 1 tempus hujus martyrii sensim investigat hoc modo :* Auctores plerique confuse narrant, et in unum annum multa miscent, quæ rerum circumstantiis accurate perpensis, melius distinguuntur. Dicturus sum modo de illustrissimo plurimorum martyrio, monachorum præsertim et sanctimonialium; qui pro orthodoxa fide, et instituti sui professione a paganis occisi, omni merito in classes suas et ordinem dividuntur. Ut hoc distinctius fiat, exploranda sunt Danorum vestigia; ubi anno octingentesimo sexagesimo nono, ubi sequenti pedem vel sedem fixerint. Hoc illi non videntur observasse, qui in sequentem annum multa retulerunt, quæ cum rebus hoc anno gestis stare non possunt. Ita peccare videntur Wigorniensis et Westmonasteriensis, qui annum DCCCLXIX paucis
B transeuntes, in annum DCCCLXX omnium fere martyria retulerunt.

vel 870 cum sociabus subiit martyrium. 7 *Deinde numero sequente rem suam prosequitur his verbis :* Sed quoniam illi fatentur, quod est verissimum, Danos, relicto Nottingamiensi agro in Northumbriam hoc anno perrexisse, ibique hiemasse, et anno integro mansisse; bene inde possumus eorum crudelitatis argumenta accipere : nam otiosos ibi non mansisse, nec absque provincialium injuria, quæ mox dicentur, satis ostendent. Danus itaque superiore anno ex arce Nottingamiensi pulsus, Eboracensem provinciam ingreditur, et anno sequenti, qui est octingentesimus sexagesimus nonus, ibidem mansit, donec navigandi tempus illum ad prædam alio invitavit. *Tum præter alios antiquos Angliæ scriptores opinioni suæ faventes, ad hanc chronologiam probandam allegat verba Rogeri Hovedeni, qui in editione Francofurtensi apud nos pag. 416 de Danis hæc narrat :* Anno DCCCLXIX exercitus prædictus rursus ad gentem Northimbrorum profectus est, ibique anno integro permansit debacchans et insaniens, occidens et perdens plurimos viros ac mulieres. *Ex his denique postea concludit, istud monialium*
C *Coldinghamensium martyrium probabilius anno Christi 869 alligandum esse. Tamen alii eamdem sanctimonialium cædem usque ad annum sequentem differunt. At nos propter exiguum unius anni discrimen de hac chronotaxi diutius disputare nolumus, et ideo superius ad marginem in principio hujus sylloges utrumque hunc annum notavimus.*

cujus occasionem et modum 8 *Porro Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum, anno 1601 Francofurti impressis, pag. 161 occasionem et modum hujus cædis ita exponit :* Anno gratiæ DCCCLXX applicuerunt in Scotia Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt Hinguar et Hubba diræ perversitatis homines et fortitudinis inauditæ; qui totius fines Angliæ in exterminium adducere conantes, pueros et senes quosque sibi obvios jugulabant, matronasque sanctimoniales seu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumque per omnes regnorum fines tanta tyrannorum immanitas disseminata fuisset, Ebba sancta Collinghamensis cœnobii abbatissa metuens, ne et ipsa, cui solicitudo regiminis et cura pastoralis commissa fuerat, cum sibi subjectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, ut pudicitiam D
amitteret virginalem, convocatis sororibus in capitulum universis, in hanc vocem prorupit dicens : Advenerunt nuper (inquit) ad partes nostras pagani nequissimi, et totius humanitatis ignari, qui loca regionis hujus singula perlustrantes, nec sexui muliebri nec parvulorum quidem parcentes ætati, ecclesias et personas ecclesiasticas destruunt, feminas sanctimoniales, et obvia sibi quæque consumunt. Itaque si consiliis meis acquiescere decreveritis, spem certam de clementia divina concipio, quod et barbarorum rabiem effugere valebimus, et perpetuæ virginitatis pudicitiam custodire.

9 Cui cum universa virginum congregatio certis promissionibus spopondisset, sese maternis velle in omnibus obtemperare præceptis, illa admirandæ animositatis Abbatissa palam cunctis sororibus exemplum castitatis præbens, non solum sanctimonialibus illis proficuum, verum etiam omnibus succedentibus et successuris virginibus æternaliter amplectendum, arrepta novacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes usque præcidens, horrendum de se spectaculum E
adstantibus præbuit universis. Quod factum memorabile cum congregatio tota videns admiraretur, simili de se opere a singulis perpetrato, materna sunt vestigia insecutæ. Et his ita gestis, cum mane crastinum illuxisset, supervenerunt tyranni nequissimi, ut feminas sanctas et Deo devotas ludibrio traderent, simul et ipsum monasterium spoliatum ignibus concremarent. Sed conspicientes Abbatissam illam et sorores singulas tam enormiter mutilatas, et in suo sanguine a planta pedis usque ad verticem tabefactas, cum festinatione recesserunt de loco illo, dum nimis longum sibi videretur vel ibidem etiam per breve temporis spatium demorari. Sed inde recedentes duces prædicti, præceperunt satellitibus suis nefandis, ut injecto igne monasterium cum omnibus officinis et ipsis sanctimonialibus concremarent. Sicque executione completa a ministris iniquitatis, sancta Abbatissa et omnes cum illa Virgines sanctissimæ ad martyrii gloriam pervenerunt. *Huc usque Matthæus Westmonasteriensis, ex cujus testimonio colligimus immemorabilem harum Martyrum venerationem vel publicam sanctitatis famam, quam tamen paragrapho sequente confirmabimus.* F

Matthæus Westmonasteriensis exponit.

§ II. Vindicata harum Martyrum sanctitatis, incertus earum numerus, et controversa natio.

Sanctis adscribuntur hæ Virgines. W*itfordus in Martyrologio Sarisburiensis ecclesiæ, quod anno 1526 Londini editum est, martyrium harum monialium die* XXV *Augusti Anglice annuntiat, easque titulo sanctarum exornat. Hunc Ferrarius, Wilsonus, aliique recentiores Martyrologi passim sequuntur. His adde Nicolaum Harpsfeldium archidiaconum Cantuariensem et invictum fidei. Catholicæ defensorem, qui seculo* IX *Historiæ ecclesiasticæ Anglicanæ cap. 14 duas synonymas ejusdem monasterii abbatissas recte distinguit, et hujus posterioris stratagema ad conservandam virginitatem sic obiter indicat :* De commemorati Collingamensis cœnobii præside Ebba jam ante diximus; cui jam et altera valde memorabilis Ebba præfuit, quæ cum aliis sanctis virginibus toto-

que

A que cœnobio, igne a Dacis * submisso, conflagrarunt : de quibus quidam stratagema quoddam magna admiratione dignum tradunt, quod ab illis petendum relinquo. *Tunc in margine assignat Flores historiarum Matthæi Westmonasteriensis, ex quo nos hanc historiam supra retulimus. Præcipue in hac brevi narratione observamus, illas moniales (haud dubie ex veteri historicorum testimonio vel traditione majorum) appellari* sanctas *ab hoc intrepido Catholicæ fidei defensore, qui sub duro Catholicis Elisabethæ regno post vigesimum captivitatis annum Londini in carcere mortuus est, ut apud Joannem Pitseum in Opere de illustribus Angliæ scriptoribus pag. 781 licet videre.*

* id est Danis

11 *Quinimo sanctitas illarum Virginum apud Scotos et Anglos adeo pervulgata est, ut postea ipsi heterodoxi istarum regionum scriptores hoc egregium facinus suspexerint, et ex pia majorum suorum consuetudine Abbatissam hujus facti ducem nomine* sanctæ *appellaverint, quemadmodum Richardus Smitheus episcopus Calchedonensis in Floribus historiæ ecclesiasticæ gentis* B *Anglorum lib. 3, cap. 5, sect. 2, sub Ethelredo rege pag. 180 testatur his verbis :* Hujus etiam regis tempore accidit illud memorabile facinus sanctæ Ebbæ abbatissæ Coldingamiæ, quæ sororibus suis et verbo et facto persuasit, ut ad servandam pudicitiam suam a Danis, et nasum et labia sibi præciderent, ob quod a Danis una cum monasterio flammis absumptæ sunt, quas Baronius anno DCCCLXX asserit fuisse Christianæ fortitudinis exemplum incomparabile, et esse inter martyres receptas et cultu martyrum ab Ecclesia celebratas.... Hoc sanctæ Ebbæ facinus refert ex Protestantibus Bakerus in Ethelredo, et Stous anno DCCCLXX, qui eam vocat SANCTAM.

quæ virginitatis suæ conservandæ causa

12 *Insuper ex heterodoxis Guilielmus Camdenus hoc heroicum sanctimonialium facinus videtur laudare, dum in descriptione Britanniæ pag. 686 de illo sic obiter mentionem facit :* Inde Coldingham cernitur, Bedæ urbs Coldana et Coludi urbs, Ptolomæo fortasse Colania, multa ante secula virginibus velatis sacra, quarum pudicitia litterarum monumentis consignatur, quod cum Ebba, quæ præfuit, sibi nasos et labra præciderint, dum pudicitiæ potius quam formæ C consulerent contra Danos, qui tamen ipsas cum monasterio iisdem flammis involverunt. *At alius auctor hæreticus in Historia Britannicæ ecclesiæ, quæ anno 1605 Hanoviæ recusa est, apud nos pag. 71 de cura servandæ virginitatis altum silet, et ibi tamen eamdem Danorum crudelitatem exponit his verbis :* Eodem anno Danorum injuria monasterium de Coldingham in australibus finibus Scotiæ situm, sex mille passibus a Berwico versus boream distans, spoliatum. Hoc feminæ incolebant, quæ omnes cum Ebba ejus loci abbatissa Danorum præcepto incendio traditæ sunt. *Forsan hic scriptor hæreticus illam memorabilem Virginum fortitudinem prætermisit, eo quod pudicitiæ virginalis inimicus esset, aut istud monialium facinus improbaret. At quæcumque fuerit causa silendi huic hæretico, cujus auctoritatem nihili facimus, potius audiamus, quid doctores Catholici de factis hujusmodi sentiant.*

se ipsas mutilarunt,

13 *Cum Gothi victores Romam invasissent, et varia libidinis flagitia perpetrassent in direptione hujus urbis, ea occasione sanctus Augustinus Hipponensis libros de civitate Dei conscripsit, et libro primo istius Operis per aliquot capita disputat, an feminis aut virginibus Romanis licuerit se ipsas occidere, ut hostium libidinem evitarent ac impedirent. Primo sanctus doctor videtur hærere dubius, et cap. 16 libri primi tamquam angustiis quibusdam coarctatus, ut ibidem loquitur, ita disserit :* Sed quia non solum quod ad dolorem, verum etiam quod ad libidinem pertinet, in corpore alieno perpetrari potest, quidquid tale perpetratum fuerit, etsi retentam constantissimo animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit; ne credatur factum cum mentis etiam voluntate, quod fieri fortasse sine carnis aliqua voluptate non potuit. Ac per hoc et quæ se occiderunt, ne quidquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignosci? Et quæ se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc crimini dederit, ipse crimine insipientiæ non carebit.

etiamsi sanctus Augustinus

AUCTORE G. C.

14 *Deinde sanctus præsul variis argumentis probat, etiam violato per stuprum corpore, castitatem mentis illæsam servari posse, et ideo mulieres Christianas in direptione Romana vim passas, quæ exemplum Lucretiæ gentilis imitari* E *noluerunt, cap. 19 ejusdem libri primi laudat his verbis :* Non hoc feminæ Christianæ fecerunt, quæ passæ similia vivunt. Tamen nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in se ipsis homicidia erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ; habent autem coram oculis Dei sui, nec requirunt amplius, ubi quid recte faciant, non amplius habent, ne devient ab auctoritate legis divinæ, cum male devitant offensionem suspicionis humanæ.

variis argumentis ostendat,

15 *Denique ex sequentibus capitibus concludit, occisionem sui ipsius ad evitandum quodvis corporis damnum prorsus illicitam esse, et cuidam speciosæ objectioni eorum, qui in periculo consentiendi peccatis alienis illam licitam putant, tandem cap. 25 sic subtiliter respondet :* Quis ergo tam malus error obrepit, ut homo se occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus, cum vel peccatorem vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum? At enim timendum est et cavendum, ne F libidini hostili subditum corpus illecebrosissima voluptate animum alliciat consentire peccato. Proinde, inquiunt, non jam propter alienum, sed propter suum peccatum, antequam hoc quisque committat, se debet occidere. Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut consentiat libidini carnis suæ, aliena libidine concitatæ *, qui Deo potius ejusque sapientiæ, quam corporis concupiscentiæ subjectus est.

occisionem vel mutilationem sui ipsius

* *al.* concitante

16 Verumtamen si detestabile facinus et damnabile scelus est, etiam se ipsum hominem occidere, sicut veritas manifesta proclamat, quis ita desipiat, ut dicat : Jam nunc peccemus, ne forte postea peccemus; jam nunc perpetremus homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quam certum de præsenti homicidium? Nonne satius est, flagitium committere, quod pœnitendo sanetur, quam tale facinus, ubi locus salubris pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos vel eas, quæ non alieni, sed proprii peccati devitandi causa, ne sub alterius libidine etiam

prorsus illicitam esse,

excitatæ

AUCTORE G. C.

excitatæ suæ forte consentiant, vim sibi, qua moriantur, inferendam putant. Ceterum absit a mente Christiana, quæ in Deo suo fidit, in eoque spe posita, ejus adjutorio nititur; absit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat; præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? *Vides, hic ab Hipponensi præsule directos sui ipsius infectores aut interfectrices de gravi peccato condemnari, et iis omne excusationis effugium præcludi.*

nisi fiat instinctu sancti Spiritus,

17 *Attamen S. Augustinus ibidem cap. 26 sibi unicum casum objicit, eoque posito, exceptionem a generali præcepto admittit in hunc modum :* Sed quædam, inquiunt, sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut infectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his
B nihil temere audeo judicare : utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio; et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuet? Sed non ideo sine scelere facit, quisquiss Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam et miles cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii; imo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur, si fecerit injussus, inde punietur, nisi fecerit jussus. Quod si ita est, jubente imperatore, quanto magis, jubente Creatore? *In illo casu excepto versantur hodiernæ Martyres nostræ,*
C *sicut ex infra dicendis apparebit.*

quem Raderus noster.

18 *Cum nemo magis membrorum suorum quam vitæ suæ sit dominus, eodem præcepto prohibetur mutilatio sui ipsius, nisi hæc ad conservationem totius corporis necessaria fuerit. Unde Raderus noster in Viridario Sanctorum part. 2, cap. 5 sive pag. 166 licitam sui ipsius mutilationem ab illicita distinguens, illud ipsum sanctarum Virginum nostrarum exemplum profert, et hac de re sic disserit :* Damnatum ergo Origenis factum, quamvis se ob castitatis amorem viro privarit, et aliorum, qui vel Origenem præcesserunt vel secuti sunt; et consentiunt sacrarum Litterarum interpretes cum juris divini et humani consultis, illos gravissime peccare, qui se quacumque corporis parte seu oculis, seu manibus, seu aliis membris truncant, nisi id Spiritus sancti impulsu factum constet, penes quem potestas est vitæ et necis, non unius tantum membri, sed corporis totius. Sed illud singulare est et extra communis legis sortem, ut is, qui ligatus præmorsam sibi linguam in faciem exspuit effrontis meretricis; uti et illud, quod narrat Joannes Eviratus de virgine Alexandrina, quæ sibi oculos exsculpsit, et Jacobus de Vitriaco de virgine idem facinus ausa : uti et Eufemia quæ- D
dam fuit, et aliæ complures, quæ os sibi denasarunt, aut ut beata Ebba, quæ cum virginibus præter nasum etiam labra sibi præscidit. Quæ omnia in communem legem non cadunt, nec passim imitanda proponuntur, quamquam magnum est inter has et illos discrimen, quos nulla vis externa premebat; has præsens periculum urgebat; illos error aut etiam hæresis impellebat; has Spiritus sanctus trahebat firmabatque, ut quid supra sexum tentarent.

et eminentissimus Baronius hisce Martyribus tribuunt.

19 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 870 martyrium* S. Ebbæ *sodaliumque refert ex Matthæo Westmonasteriensi, et postmodum num. 41 sanctas illas Virgines defendit hac apologia :* Erit fortasse audaculus quispiam, qui sanctas Virgines Christianæ fortitudinis exemplum incomparabile inter martyres receptas, et cultu martyrum ab Ecclesia celebratas audeat sugillare, quod cum nemo sit dominus membrorum suorum, ipsæ de illis adeo prodigæ fuerint. Cui modo sat illud, dijudicari ab Ecclesia, quando quid divini fit impetu Spiritus, vel humana tantum audacia; quæ non has tantum recensuit inter martyres, quæ E
membris suis, virginitatis salvandæ causa non pepercere, sed alias, quæ sive præcipitio, sive aquarum vorticibus, sive etiam ignibus dedere corpus pudicitiæ servandæ gratia, quas uno consensu tam occidentalis quam orientalis ecclesia colit martyres, et sanctissimi utriusque orbis Patres defendunt et prædicant. Vox illa apud sanctum Ambrosium adhuc clamans auditur sanctæ Pelagiæ virginis Antiochenæ eadem necessitate constrictæ, ut virginitatis dispendium pateretur : Moriatur scilicet, vel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, et facinus fides abluit. Fecit illa quod dixit; et sorores id ipsum facere persuasit. Prætermittimus relegere singulas in diversis totius orbis ecclesiis, quæ simili animi fortitudine similique facto conciliaverunt sibi coronam martyrii. Sed cum vix paucas spicas ex diversis colligere liceat, ex fertili tamen agro martyrum, ipsa nobili fœcunda martyribus ecclesia Anglicana amplam messem in tanto examine es nactus sanctarum Virginum, quæ tunc instar apum monasterii alveari contentæ, jam cælo cum sponso duplici insignitæ corona F
lætantur. *Ex hoc eminentissimi doctissimique Cardinalis ratiocinio concludimus, has Moniales Coldinghamenses ab Ecclesia ante tempus immemorabile pro veris Martyribus haberi ac celebrari.*

Ignoratur harum Martyrum numerus,

20 *Ex narratione Matthæi Westmonasteriensis aliorumque quidem eruimus, omnes Moniales illas Coldinghamenses exemplum* S. Ebbæ *abbatissæ suæ fortiter imitatas fuisse; sed inde necdum scimus, utrum tunc temporis numerus earum magnus an exiguus fuerit. Attamen David Camerarius lib. 3 de Pietate Scotorum in elogio* S. Ebbæ *pag. 123 contendit, istam sanctimonialium congregationem tunc numerosam fuisse, et hanc opinionem suam probare nititur hac ratione :* Porro quæ fuerit harum Virginum et Martyrum multitudo, *inquit*, ex eo videre est, quod hæc Coldingamiæ abbatia (quæ ab urbe Scotiæ antiquissima Coldingam, Ptolomæo COLONIA nomen accepit) ut erat a multis retro seculis virginibus velatis sacra, omnium totius Scotiæ fuit una ex amplissimis ambituque maximis, quam Edgarus Scotorum rex ordine LXXXIX anno regni sui septimo, licet jam satis amplam,

regie

A regie auxit extenditque. *Non video, quid hic ad probandam Monialium istarum diu præcedentium multitudinem faciat Edgarus octogesimus nonus Scotorum rex, qui seculo undecimo monasterium istud amplificavit : hinc enim non sequitur, illam monialium congregationem seculo nono, quo Virgines nostræ martyrium subierunt, valde numerosam fuisse. Præterea seculo septimo idem monasterium divina vindicta deflagravit,* discedentibus inde ob desolationem plurimis incolarum, *sicut venerabilis Beda lib. 4 Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 25 testatur, et nos in Vita alterius S. Ebbæ senioris supra retulimus. Igitur ingenue fatemur, numerum harum Martyrum hodiernarum nobis ignotum esse.*

et disputatur, utrum sanctis Anglis.

21 *Nunc alia minoris momenti quæstio movetur, utrum scilicet hæ Martyres Scotis an Anglis accenseri debeant. Alfordus noster Anglus in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum Christi 869 num. 4 situm cœnobii Coldinghamensis assignat, et has sanctas Virgines nostras popularibus suis ita vindicat :* Dixi supra, cœnobium B illud ad Coludi urbem positum (ita Beda locum vocat) illustri sacrarum virginium collegio floruisse. Est autem in Northumbriæ regni extremis, et Merchiæ provinciæ, spectabatque hoc omni tempore ad Northumbriæ principes; jam Scotiæ annumeratur. Unde qui recentius scripserunt, volunt, Danos in Scotiam etiam profectos esse; sed intelligi debent, eo profectos, quod tunc Northumbriæ regno accensebatur (nemo enim antiquorum dixit, Danos hoc anno ultra progressos) nunc autem ad Scotos pertinet. Quod ideo adverti cupio, ut selectissima lilia, quæ mox Danorum manu cadent, non aliunde, quam ex Anglicanæ ecclesiæ horto in cælum hoc anno missa cognoscantur : sicut enim supra ad annum sexcentesimum octogesimum tertium Ebbam Ethelfridi Northumbrorum regis filiam, Coldingamensis monasterii abbatissam, et plurimas ibi Deo sacras Virgines Saxonum flores fuisse, sine controversia diximus; sic eodem jure Anglorum juris erit Ebba altera, quæ hoc anno, ut virginem castam exhiberet Christo, obliteravit crudeli pietate pulcritudinem suam.


AUCTORE G. C.

an Scotis adscribenda sint.

22 *Verum laudatus Camerarius easdem Martyres Scotis suis adscribit, et post contractam Baronii apologiam, quam nos supra recitavimus, lib. 3 de Pietate Scotorum pag. 124 eminentissimum illum scriptorem refellit his verbis :* Unum addo, Baronium deceptum dubia de his Virginibus Westmonasteriensis narratione, qui ut lectori persuadeat, has Virgines Anglas fuisse, Danos illos applicuisse quidem in Scotiam scribit, sed Scotia veluti prætermissa, Angliam aggressos, Angliæque monasteria solo æquasse. Sed fallitur, cum constet, Constantinum II Scotorum regem etiam secundo cum hisce Danis Hengar et Stubba * manus conseruisse, et ab iisdem martyrio coronatum, Coldingamiæ etiam abbatiam (in qua Virgines fuere) in Mercia Scotiæ provincia fuisse semper, et adhuc ejusdem ibidem superesse vestigia. *Nobis videtur hæc esse quæstio de tempore ac nomine, quam operosius indagare non lubet : si enim cœnobium* E *Coldinghamense* semper *Scotiæ annumeratum fuerit, ut vult Camerarius, hæ Martyres Scotis adscribendæ erunt; sin vero provincia Merchiæ tunc ad Angliam pertinuerit, ut contendit Alfordus, eædem Virgines Sanctis Anglis accenseri poterunt. Sive igitur eas Anglas sive Scotas appellaveris, non refragabimur. Utinam tota Scotorum Anglorumque natio has sanctas Virgines et Martyres (sive Anglæ sive Scotæ fuerint) antiquo et pio majorum suorum more veneraretur, earumque patrocinium imploraret! Cum de sacris harum Martyrum reliquiis, aliisque ad posthumam illarum gloriam spectantibus nihil amplius sciamus, huic syllogæ jam finem imponimus.*

* al. Hubba

C F



DE

A D

DE S. MARTIANO ABBATE

APTÆ JULIÆ IN PROVINCIA GALLIÆ

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, ætas, tempus mortis, Vita unde eruta.

ANNO CIRCITER *Præmissa loci notitia,*

Apta Julia, *vulgo* Apt, *antiqua urbs Galliæ Narbonensis, et episcopalis sub hodierna Aquensi metropoli in Provincia, ad Calvonem fluvium, vulgo le Coulon, sita est, et leucarum aliquot intervallo vicinas habet Aquas-Sextias, Avenionem, ac Cavellionem. Hæc pauca sufficienter indicant situm loci, in cujus territorio* S. Martianus *abbatialem suam præfecturam* B *virtutibus ac meritis exornavit. Siquis autem plura nosse desiderat de ista civitate; adeat Notitiam Galliarum Hadriani Valesii, et tomum primum novæ editionis Galliæ Christianæ pag. 349. Lectore itaque breviter instructo de loci hujus situ, proxime agendum nobis videtur de publico* S. Martiani *cultu, quo in ipsa Aptensi civitate, ac in territorio ejusdem solenni ritu honoratur.*

probatur solennis cultus, quo in ecclesia ac diœcesi Aptensi

2 *Ut nihil dicam de annuntiationibus quorumdam recentiorum Martyrologorum, Saussayi videlicet in Supplemento pag. 1161, Ferrarii in Novo catalogo Sanctorum, ac Castellani in Supplemento pag. 703; publica hujus Sancti veneratio probatur apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo sexto, parte prima, pag. 94, ubi hæc leguntur :* Beati Martiani reliquiæ etiamnum in ecclesia cathedrali Aptensis urbis religiose asservantur; ubi, sicut et in tota diœcesi, festivitas ejus sollemniter celebratur die xxv Augusti. Unde mirum est, *sicut ibidem additur ac merito,* nomen ejus non solum in Martyrologio Romano, sed neque in ullo Benedictino recenseri. *Typis editum Breviarium Aptense anni, ut manu adscribitur, 1532, sancti Abbatis* C *nostri festum recitandum præscribit ritu duplicis minoris, cum Octava : ac subjungit ejusdem Officium. Inter Officia autem propria cathedralis ecclesiæ, nec non diœcesis Aptensis, anno 1664 impressa Aquis-Sextiis, festum* S. Martiani *abbatis evectum legitur ad ritum duplicem primæ classis cum Octava : unde sequentia delibare visum est in rem nostram.*

Sanctus hic

3 Hymnus *ad primas Vesperas sic habet :*

Ex sterili conjugio,
Multisque fusis precibus
Mirandus infans oritur
In oppido Provinciæ.
Hic Martianus solidæ
Perfectionis cupidus,
Dat luculenta prædia,
Et vana spernit gaudia.
Intentus exercitio
Humilitatis providæ
E morte natum viduæ
Signo crucis exsuscitat.
Patri perennis gloria etc.

Ad Magnificat Antiph. Sanctitatem servi sui Martiani multis Deus testari voluit prodigiis. Oratio. Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut beatus Martianus abbas, tua adjuvante potentia, mortuum ad vitam excitavit; ita in nobis, tua vivificante gratia, spiritalem resurrectionem efficiat. Per Dominum nostrum.

quotannis celebratur.

4 Ad Matutinum Hymnus.

Defecit Abbas viribus,
Dum peteret cœnobium,
Et quod erat incognitum,
Hoc indicat prodigium.
Ubi jacet demortuus E
Sub rupe stratus concava,
Ejus ibi formosior
Videtur oris dignitas.
Clerus eo progreditur,
Multo sequente populo,
Pignus sacrati corporis
Ut portet in basilicam.
Virtus, honor, laus etc.

Lectiones quarti nocturni in ipso festo, pro die infra Octavam non impedita Officio novem lectionum, ac in die Octava, indicantur desumptæ ex monumentis Aptensis ecclesiæ, continentque historiam vitæ ejus ac miracula.

Inquiritur,

5 *Etiamsi de ætate* S. Martiani *non satis determinate nobis constet ex Vita ejus : aliunde tamen notas quasdam chronologicas eruere conabimur, quarum subsidio statui præterpropter possit de tempore, quo vixit. In nova editione Galliæ Christianæ tomo primo, columna 376 et sequentibus tractatur de abbatia S. Eusebii, ac de serie abbatum, qui eidem præfuerunt. Primus vero isti monasterio abbas assignatur ibidem* S. Marcianus *noster : cujus tempus eruere utcumque licet e tempore fundationis abbatiæ* F *ejusdem; de qua sic disseritur in laudata editione :* De hujusmodi monasterii exordiis nihil certi nobis suppetit. Vir nobilis et eruditus D. de Remerville a S. Quintino, ejus primordia putat referenda saltem ad finem seculi viii. Quippe nomen sancti Marciani, primi ejusdem loci abbatis, inscribitur pervetusto Martyrologio, in quo nullus Sanctorum seculi noni, aut posterioris continetur. Vero propius tamen est, hoc monasterium non diu postea stetisse, sed in Saracenorum procella, quæ tot aliis sacris locis excidium attulit, destructum fuisse, et in manus laicorum devenisse. *Admittitur ergo ibi tacite vel supponitur, hoc monasterium tunc temporis saltem stetisse. Sed Mabillonius Annalium Benedectinorum tomo 4, ad annum Christi 1004, num. 61 ad Remervillii argumentum, ac confirmationem ejusdem, quam ibi affert, ita respondet :* Verum etsi hæc probabilia sint, non tamen tanti videntur, ut S. Eusebii monasterium ejus esse antiquitatis evincant. Quapropter vulgatam sequimur opinionem, dum certiora nobis argumenta suppetant.

6 *In*

A

qua ætate vixerit,

6 *In Actis vero Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ supra indicavimus, a pag. 93 has suæ opinionis profert rationes :* In *Vita* licet tempus diserte non exprimatur, quo beatus iste Vir ad Superos abiit, ipsum tamen seculi... undecimi initio e vita excessisse, præter Aptensis ecclesiæ traditionem, probant quoque vetera instrumenta monasterii sancti Eusebii, cujus conditor ac primus abbas fuisse memoratur. Certe ipsam LOCI DONATIONEM anno MIV factam fuisse, indicat vetus fragmentum, quod Sammarthani in Gallia Christiana ex chartario ejusdem monasterii vulgarunt. *Illud mox subjungit Mabillonius; in nova autem editione Galliæ Christianæ idem etiam habetur col. 377.* Hanc donationem *(ita pergit Mabillonius)* Martiano adhuc vivente factam fuisse conjicimus, quod donatores LOCI FUNDATORES dicantur, ii, si bene judico, præcipui inter illos, quos laudat Vitæ auctor, FIDELES, quorum ADJUTUS OPE Vir sanctus COEPIT CONSTRUERE MONASTERIUM etc. *Hæ sunt conjecturæ, quibus obscuræ* S. Martiani *ætativir eruditus conatur aliquid lucis afferre : deinde vero superaddit sequentes de tempore*

B *mortis.*

et quo circiter anno mortuus fuerit.

7 Haud tamen diu postea vixit Martianus, cum Durandus, qui primus post ipsum abbas fuit, anno MXV episcopus Venciensis electus sit. Quare Martiani obitum circa annum MX contigisse putamus. Durandi quippe regiminis tempus annis circiter quinque concludimus : brevem enim fuisse ejus administrationem inde conjicimus, quod ad annum usque saltem MLVI ecclesiæ Venciensi præfuerit. Si quidem ipse idem sit, qui eo nomine concilio apud sanctum Ægidium pro confirmanda treuga et pace, interfuerit cum aliis viginti et uno diversarum provinciarum antistitibus Gallicanis. *Jacobus Longueval tomo septimo Historiæ ecclesiæ Gallicanæ, lib. 19, inter alia plura, quæ sine dubio quia ad annum determinatum accommodare non potuit, accidisse scribit anno circiter 1010, ponit pag. 149 monasterium S. Eusebii Aptensis restauratum fuisse per dominos quosdam populares ; quod, sicut subjungit, conditum fuerat a* S. Martiano, *primo ejusdem abbate : sed sciri haud posse, quo determinate tempore hic sanctus Abbas vixerit. Debuit vixisse, inquit, ante ultimas Saracenorum grassationes, sub finem seculi noni. Ex his perspicuum*

C *fit, tempus determinatum vitæ ac mortis* S. Martiani *tam obscuris obsoletæ oblivionis tenebris involutum esse, ut si modicum aliquid lucis adhibere eisdem tentaveris, solis conjecturis agenda res sit. Hinc accidit, ut, quandoquidem certiora documenta non habemus, sancti nostri Abbatis obitum supra affixerimus anno circiter millesimo decimo, cum Mabillonio.*

Vita ejus unde eruta.

8 *Vitam Sancti edidit Mabillonius e Gonono, ac notationibus aliquot elucidavit. Eam vero se accepisse* ex antiquo Breviario ecclesiæ Aptensis, *indicat idem Gononus lib. 4 de Vitis Patrum occidentis, ubi illam profert. Porro auctorem istius vitæ synchronum non fuisse Sancto, non obscure ipsemet indicat infra apud nos num. 5, dum dicit,* in loco qui etiam nunc Petra sancti Martiani dicitur. *Cum vero præter ea, quæ modo diximus, et quæ dicentur in Annotatis, nihil occurrat singulare, quo lectorem detineamus; reliquum est ut illam producamus.*

D

VITA

Ex Breviario Aptensi apud Benedictum Gononum edita lib. 4 de Vitis Patrum occidentis, et apud Mabillonium recusa in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, seculo VI, *parte* I, *a pag.* 94.

Sancti pueritia, ac parentes :

Martianus, religiosus Benedictinus, vir eximiæ fuit sanctitatis, qui ortus ex castro Sanione, diœcesis Aptensis, regni Arelatensis, ex parentibus plurimis opibus, sed amplioribus virtutibus abundantibus fuisse dicitur. Est enim Sanio *a* castrum olim fortissimum et inexpugnabile, et ab Apta circiter duobus distans stadiis *b*. Parentes igitur sancti Martiani sine liberis degentes, virtutibus pollentes, et temporalibus bonis competenter locupletati, continuis precibus prolem potius virtutis, spiritualiumque bonorum quam temporalium heredem futurum a Domino crebris orationibus, eleemosynis, gemitibus et lacrymis poposcerunt. Et non sunt fraudati a desiderio eorum. Nam tandem Martianum nomine, diu optatum, talem qualem decebat, sanctitas et opera eorum merebantur, genuerunt. Erat autem infans Martianus facie rutilans, aspectu hilaris et jucundus, sermone et moribus ornatus. Decebat enim, ut eum, quem divina perfuderat gratia, interius exteriusque relucere faceret. Tanta denique præventus erat gratia, tantisque ornatus gratiis, ut ab omnibus singulariter amaretur.

E

pia ejus opera, et secessus in eremum.

2 Transactis igitur ablactationis suæ, atque puerilibus annis innocenter decursis, totum spiritum suum transtulit in Deum suum. Nemo tempore suo in visitandis liminibus ecclesiarum et sacrorum locorum attentior, nemo in oratione ferventior et devotior. Scholis adhibitus non solum condiscipulis, sed etiam magistris propter egregium ingenium et sapientiam superantem ætatem, stuporem inferebat. Liberalibus igitur disciplinis sufficienter edoctus, cogitavit ex talento duplici sibi credito, videlicet naturæ et gratiæ, duplicatum illud Domino suo referre. Considerans autem se Domino, sicut desiderabat, non ita perfecte posse adhærere in sæculo, captus amore vitæ solitariæ, clam relictis parentibus, deserta loca petivit et incoluit, pauperem et nudum Christum pauper ipse et nudus sequi cœpit. Non est hujus loci edicere quantos in illis desertis æstus frigoris, famis, et sitis, dæmonumque illusiones et molestias sustulerit; eas meditandas relinquimus iis, qui non ignorant et experti sunt, quanto odio prosequitur diabolus solitarios, hominum consortia fugientes, et quodam modo in terris vitam angelicam exercentes.

F

Construit monasterium :

3 Postquam Vir Dei per multorum annorum curricula solus in eremo habitasset incognitus, tandem divinitus inspiratus, considerans quod sibi ipsi solummodo prodesset, fidelium adjutus ope cœpit construere monasterium *c*. Portabat ipse lapides, aquam et alia necessaria latomis ministrabat. Cum ergo sex monachos religione et

sanctitate

A sanctitate conspicuos secum assumsisset, secundum sancti patris Benedicti instituta eos vivere docuit. Ipse vero duriorem et austeriorem vitæ modum sectabatur. Asperrimo enim cilicio semper utebatur, super nudam jacebat humum, pernoctabat in orationibus, et denique solitudinem et silentium, aliasque austeritates et pœnitentias, quas in eremo exercuerat, in monasterio non intermisit. Licet monasterii pater esset, nihilo minus pro victu fratrum cum magno labore sarcinulam gestans, eleemosynam petebat, aliaque vilia et abjecta officia exercere non dedignabatur.

mortuo vitam reddit: d

4 Quadam die cum Aptam proficisceretur, contigit eum in domo cujusdam optimæ viduæ hospitari *d*, quæ elegantem puerum et hunc unicum habebat. Quem cum vir sanctus vidisset optime morigeratum, petiit matri quatenus permitteret ut eum monachi veste indueret. Illa, quæ unicum hunc tantum habebat filium, tam elegantem et bonis moribus ornatum, quemque valde diligebat, baculumque senectutis fore exspectabat, honeste recusavit. Paucis mensibus B transactis, dum pro quibusdam negotiis ad dictam civitatem se contulisset, contigit puerum infirmari et mori. Mater lacrymabunda et gemens per vicos filii mortem lamentabatur. Verum cum rescivisset beatum Martianum esse in urbe, non ignorans viri Dei sanctitatem, fide plena, mortuum puerum in platea posuit, et cum diu Virum Dei quæsiisset, tandem eum inveniens, multis lacrymis et precibus coactum, ad locum, ubi puer mortuus jacebat, adduxit. At ille dixit ei : Si quando petieram tibi, dedisses mihi filium tuum, modo non fuisset mortuus. Tunc miseratione motus, præmissa oratione cum lacrymis, mortuum vitæ restituit, et matri tradidit. Tunc omnes admirari, tunc Deum benedicere et laudare cœperunt, qui tantum miraculum per servum suum operatus fuerat. Statimque mater, quæ antea Viro Dei postulanti filium recusarat, nunc suppliciter rogat, ut eum accipiat, et monachorum ei habitum tradat. Quem benigne suscipiens Vir Dei, eum secum in monasterium duxit, et tonsurato capite monachum fecit.

obitus, ac depositio corporis.

C 5 Beatus interea Martianus cum multos collegisset monachos, et jam senex esset, ei vires corporis deficere cœperunt. Quadam die cum reverteretur a civitate Aptensi, simplici baculo, sua onustus sarcina ad victum fratrum ordinata, circiter circa mediam viam constitutus, deficere cœpit, et brevi interpolatione facta, in loco, qui etiam nunc Petra sancti Martiani *e* dicitur, feliciter exspiravit. Qui licet humano solatio destitutus esset, angelorum tamen comitatus est choris. Nam et campanæ circiter per tria milliaria sine humano adminiculo, sed potius divina actæ potentia personuerunt. Concurrunt fratres, scire cupientes quidnam esset : venientesque ad locum, patrem mortuum deferre ad monasterium voluerunt. Tunc superveniunt et Aptenses cives, sed corpus a nullo potuit moveri, donec et Aptensis *f* antistes advenit, qui una cum clero in basilica sanctorum Auspicii et Castoris *g*, ejusdem D civitatis quondam episcoporum et martyrum, sacrum corpus deposuit. Nec defuere plurima miracula. Nam febricitantes, aliique variis languoribus vexati, ad sancti Confessoris corpus concurrentes, curati sunt, et plene liberati. Ejus festivitatem *h* ecclesia Aptensis celebrat vigesimaquinta Augusti cum octavis et Officio proprio. Hic Vir sanctus semper virginitatis lilium illibatum custodivit.

ANNOTATA.

a Sanionis castrum ecclesiæ Aptensi assertum est variis diplomatibus, quæ in catelogo pontificum Aptensium a Sammarthanis laudantur, *ut observat Mabillonius.*

b *Dictionarium Gallico-Latinum, quod anno 1704 Trevoltii editum signatur, tomo 3 in voce* stade *habet varia, quorum hic meminisse, non abs re fuerit. Observat itaque stadium esse mensuram Græcam, quæ contineat passus 125 geometricos in longitudine, vel 625 pedes : opus esse octo ad conficiendum milliare Italicum.* E *Deinde duos nominat auctores, quorum unus computat, stadia 20 conficere unam leucam Gallicam; alter vero computavit stadium continere 600 pedes Athenienses, qui paulo plus conficiant quam pedes 566 regios mensuræ Gallicæ, atque adeo stadium non contenturum nisi passus geometricos 113. Denique hisce superaddit, fuisse stadia diversarum mensurarum pro ratione loci ac temporis.*

c *Sub titulo vel patrocinio S. Eusebii, et in territorio Sanionis castri. Vide Commentarium prævium.*

d *Locus, in quo hoc miraculum accidit, nominatur in lectione quinta diei octavæ Officii proprii* S. Martiani, *de quo mentio facta in Commentario prævio, videlicet* in suburbio sanctæ Marthæ.

e *In Officii proprii proxime indicati lectione sexta dicitur :* Impræsentiarum extat sacellum in ea territorii regione, ubi ipse mortem obierat.

f An Stephanus, vir sanctus, qui anno MX hanc sedem iniit, aut certe decessor ejus Theodoricus, qui canonicos duodecim communem vitam agentes in ecclesia Aptensi instituit. *Nota est Mabillonii. De utroque hoc præsule agitur in nova editione* F *Galliæ Christianæ tomo 1, columna 355. Stephanum cum titulo beati signat Castellanus ad diem 6 Novembris.*

g Auspicium gentis suæ apostolum et primum episcopum agnoscunt Aptenses, cui post Quintinum successisse dicitur Castor initio seculi IV. Eorum reliquiæ hodieque in ecclesia cathedrali asservantur, *prout hic notat Mabillonius. Consuli potest nova Galliæ Christianæ editio mox allegata, columna 349 : uti etiam quæ de S. Auspicio dicta sunt apud nos tomo 1 Augusti, die 2, a pag. 155. S. Castor habetur apud Castellanum die 21 Septembris.*

h *De ea egimus in Comm. præv.*

DE

A D

DE S. GURLOESIO ABBATE

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

IN KEMPERLEGIENSI MONASTERIO BRITANNIÆ MINORIS

SYLLOGE

J. P.

Notitia loci, Sancti præfectura, tempus, ac cultus.

ANNO MLVII. *Notitia hujus monasterii,* B

Sammarthani tomo 4 Galliæ Christianæ pag. 551 monasterii hujus locum ita describunt :* Armoricæ inferioris civitas Kemperlegium *(vulgo* Kemperlé,) inter duos amnes, Elegium scilicet, et Idol, constructa.., in qua monasterium Ordinis S. Benedicti diœcesis Corisopitensis. *Mabillonius in Actis Sanctorum ejusdem Ordinis seculo* VI, *parte 2, pag. 107 et sequentibus varia de hoc sancto Abbate collegit, eademque occasione tractat de memorati monasterii initiis, ac restauratione :* Monasterium, *inquit,* sanctæ Crucis Kemperlegiensis, quod a multis retro seculis exstitisse volunt, hoc undecimo seculo ineunte reparatum ac de novo ædificatum fuisse, nemo non agnoscit. De prima ejus fundatione, quæ ad seculum sextum revocari solet, nihil certi constat, nisi quod Guthiernus, seu Gurchiernus, qui eidem loco primus præfuisse dicitur, inter Sanctos etiamnum loci patronos recensetur : sed ejus Acta prorsus ignota sunt, aut certe talia, quæ non merentur, ut lucem aspiciant. Ecclesiam sub ejus nomine anno MLXXXIX a Benedicto Corisopitensi episcopo dedicatam fuisse, discimus ex Chronico Kemperlegiensi, quod a V. C. Stephano Baluzio editum est tomo I Miscellaneorum pag. 520. Circa idem tempus inventæ dicuntur reliquiæ C ejusdem Sancti « cum parte capitis sancti Guemnoloei, et reliquiis Paulennani, et Symphoriâni, et Tenennani, et Guediani, et Guenhaeli, » et Idinaeli, et aliorum. » Qui Sancti fere omnes ignoti sunt. *Hæc Mabillonius.*

restauratio, etymon ; Sancti in eo præfectura ;

2 *Scribit deinde de monasterii Kemperlegiensis reparatione seculo* XI *facta, ejusque auctore Alano. Cur vero inditum monasterio fuerit nomen* sanctæ Crucis, *inde accidisse memorat, quod Alanus ille* a gravissimo morbo, quo afflictatus fuerat, virtute sanctæ crucis, cujus speciem per somnium viderat, liberatus fuisset. *Et mox producit idem auctor instrumentum, ex Gurherdeni monachi Kemperlegiensis brevi historia laudati monasterii, quæ sibi videtur conscripta seculo* XII ; *ubi etiam memorantur donaria, quæ eidem cœnobio concessa sunt. Primus itaque in eo præfecturam gessit Sanctus noster, sicut e dicto instrumento narrat Mabillonius his verbis :* Ad præsidendum igitur huic monasterio, vir summæ honestatis et disciplinæ sanctus Gurloesius electus est de cœnobio sancti Salvatoris, abbate Cantuvallono ipsius loci et fratribus assentientibus, et in ejus ordinatione alacriter exsistentibus. Quem oblatum cum ineffabili prædictus Consul *(Alanus)* exsultatione suscipiens, præsente Orscando episcopo fratre suo, et optimatibus Cornugalliæ, dedit ei, sicut mente conceperat, totam insulam Guedel *etc.* E

ejusdem initium,

3 *Quo anno acciderit ordinatio* S. Gurloesii *perhibet Chronicon Kemperlegiense apud Baluzium supra citatum pag. 521. Hæc enim habet ad annum 1029 :* Cœnobium sanctæ Crucis Kemperlegii ab Alano Cornugalliæ comite ædificatur, atque inibi Guorloesius abbas ab Orscando pontifice benedicitur. *Huic Chronico, sicut testatur Mabillonius pag. 109,* consentit Gurherdenus in data, quam donationibus ab Alano factis subjungit. Quamquam in hoc graviter lapsus fuit, quod hunc annum, sicut et Indictionem XII, atque Roberti regum cum Leonis IX pontificatu conjunxerit. *Orscandus seu Auriscandus consecratus episcopus Corisopitensis anno 1022, mortuus anno 1074, dicitur apud Albertum de Morlaix in Opere de Sanctis Britanniæ Armoricæ, seu in Catalogo, qui eidem Operi attextus est, præsulum Corisopitensium pag. 172; sed in Gallia Christiana tomo 2, fol. 551 scribitur* consecrasse... ecclesiam sancti Guttbierni circiter MLXIV, quo anno ab humanis migravit. *Uter annus sit verus, an neuter; examinandum relinquimus auctoribus novæ editionis Galliæ Christianæ. De cœnobio sancti Salvatoris, seu Rothanensi, vulgo* Redon, *vel* Rhedon, *in diœcesi Venetensi, ac abbate ejus, quorum superius injecta fuit mentio, consuli possunt Sammarthani in Gallia Christiana tomo 4, a pag. 798, et Annales Benedictini tomo 4 pag. 510, et tomo 2, pag. 543.* F

ac finis :

4 *Porro, ut ad* S. Gurloesium *revertamur, Mabillonius in Actis, quæ supra designavimus, pag. 109 fatetur incompertum sibi esse, quid egerit, exceptis vitæ sanctitate ac miraculis, quibus fulsit. Utrumque probatur primo ac breviter e Chronico Kemperlegiensi, quod antea est citatum : pag. 522,* MLVII. Transitus sancti Guorloesii abbatis monasterii sanctæ Crucis Kemperlegiensis. *Secundo ex Gurherdeno, quem sic de eo scribentem recitat ibidem Mabillonius :* Sanctus igitur Gurloesius, sanctæ Crucis ecclesiæ primus abbas exsistens, eam annis viginti quinque in quiete et pace bona gubernavit, per quem in vita Deus multa ostendit miracula, nunc quoque in morte usu quotidiano plura declarantur. *De hujus autem Viri gestis plura sibi non licuisse*

AUCTORE J. P.

se rescire, affirmat idem Actorum conditor, quam sequentia, quæ refert ex Gurherdeno, quem agentem de societate inita, *ut præmittit idem Annalista,* inter Rotonenses et Kemperlegienses, quam Herveus Rotonensis abbas seculo sequenti violare tentavit, *sic recitat :* Sciendum est autem, quod Catuvallonus abbas sancti Salvatoris coadjutor fundationis ecclesiæ sanctæ Crucis exstiterit. Ipse enim Priorem suum sanctum Gurloesium Comiti ad abbatem transmisit. Qui etiam fraternitatem, quam ab abbate et fratribus in vita et in morte recepit, atque eis quoque donavit : quod pactum usque hodie scriptum inter utrosque reservatur.

annus emortualis :

4 *Annum emortualem sancti Abbatis modo signavimus e laudato Chronico Kemperlegiensi. At difficultas aliqua se obtulit Mabillonio circa annos præfecturæ ejus, quam sic proponit ac solvit :* Tamen viginti et quinque annos regiminis solummodo concedit Gurloesio Gurherdenus. At inter annum XXIII *(immo* XXIX,) quo Gurloesius abbas institutus dicitur, et annum MLVII, viginti et octo anni intercedunt. Sed hæc difficultas nullum facesset negotium, si Gurloesius B dicatur tribus ante obitum annis monasterii regimen abdicasse, ut liberius Deo vacaret : quod ab ipso fuisse præstitum ex eo conjicimus, quod Johannes, et nonnulli ejus proximi successores idem fecerint, uti ex laudato Chronico facile colligitur.

veneratio

6 *Superest, ut publicum Viri cultum ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII probemus. Primo, sacrum ejus corpus elevatum fuit anno 1083, ut perhibet Chronicon, quod toties jam allegavimus, quodque ad istum annum sic habet pag. 523 :* Beati Guorloesii corpus de tumulo erigitur. *Adde ex Mabillonio, rem accidisse eo* tempore, *quo* Benedictus, Hoelis comitis frater ex monacho Landevenecensi abbas Kemperlegiensis simul, et Namnetensium episcopus erat. Huic sollemnitati interfuisse dicitur D ipse Hoel comes cum duobus ejus filiis, Alano et Mathia. *Secundo, de* Gurloesio *in Cælitum numerum referendo actum quidem fuit; sed an, et quid in hac re peractum sit, latet, teste Mabillonio :* Quin et sollemnem, *ait,* a Romano Pontifice sancti Gurloesii canonizationem efflagitasse Benedictum, discimus ex Urbani II ad eum datæ epistolæ fragmento, in quo Pontifex, se id præstare non posse respondet, nisi adsint testes idonei, qui de vita et miraculis Sancti, cujus canonizatio petitur, testimonium ferant. « Porro, inquit Pontifex, quod de beati Gurloesii celebratione ab auctoritate nostra judicium expetisti, non eadem potuit facilitate concedi. Non enim Sanctorum quisque debet canonibus admisceri, nisi testes adsint, qui ejus visa miracula suis oculis attestentur, et plenariæ synodi communi firmetur assensu. » Quid de hac re factum fuerit, nobis incompertum est. *Hæc ille. Observare hic juvat, Sanctum nostrum, causa solennis canonizationis ejus necdum inchoata, a laudato Pontifice nominari cum titulo* beati.

E *publica.*

7 *Tertio,* beati Gurloesii cultus, *ut affirmat Mabillonius,* apud Britannos, et potissimum in monasterio Kemperlegiensi intermissus non est, hodieque celebris perseverat. Ejus tumulus a terra eminens in sacello peculiari cernitur, cum ejus effigie, quæ illum sacerdotalibus vestimentis ornatum repræsentat. Sacra vero beati Abbatis ossa simul cum aliis loci patronorum reliquiis, in thecis reposita, maximo fidelium concursu celebrantur, maxime die XXV Augusti, quo sollemnis ejus est festivitas. *Merito itaque Castellanus in Supplemento ad suum Martyrologium universale, hac die, pag. 703 annuntiat* S. Garloesium, *vulgo* S. Urloux, *uti Latine et Gallice ipsum vocat.*



DE

A D

DE SANCTO LUDOVICO
CONFESSORE
FRANCORUM REGE
PROPE TUNETUM IN AFRICA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

§ I. Notitia primorum trium Vitæ auctorum.

B

Anno MCCLXX. Primus Vitam S. Ludovici composuit Gaufridus ejus confessarius,

Sancti Ludovici, *Regis vere Christianissimi juxta ac maximi, res præclare gestas illustraturus; scriptaque de iis, partim jam edita, partim omnino inedita, vel Gallico tantum idiomate antiquo vulgata, Latino sermone editurus, lectorem præmonendum censui de Actorum scriptoribus; ut quantum singuli mereantur fidei, in ipso operis limine intelligat. Primus Vitam* S. Ludovici *scribere aggressus est frater Gaufridus de Bello-loco, quo nullus id præstare potuit, circa ea certe, quæ commemoravit, aut fidelius, aut rectius: nam ad annos circiter viginti conscientiæ ejus moderator, arcanorum omnium conscius, utriusque peregrinationis transmarinæ comes, atque in supremo agone adjutor, nihil ignorare potuit, quod ad egregias sancti Regis virtutes, sanctaque ejus opera attineret. Vir item fuit vitæ sanctæ, sicuti testatur Guilielmus Carnotensis apud Chesnium tom. 5 Scriptorum Historiæ Gallicæ pag. 466, qui et præcedentia, ex ipso Gaufrido nota, partim confirmat his verbis:* Licet autem ad honorem et gloriam Conditoris, ad ipsius commendationem gloriosi Regis, et ejusdem testimonium sanctitatis, satis sufficere videtur odor sanctissimæ famæ ejus ubique per
C orbem diffusus; ac ea, quæ sanctæ memoriæ pater noster, totius religionis speculum, frater Gaufridus de Bello-loco, Ordinis Prædicatorum, ejus confessor, et conscius secretorum circa finem vitæ suæ ad mandatum domini Papæ Gregorii, sicut patuit, propria manu subscripsit, et scripta reliquit ipsi domino Pontifici destinanda *etc. Jacobus Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom. 1, pag. 70: Virum certe, inquit,* magnarum partium probat sancti Regis Ludovici IX judicium, qui suæ eum voluit arbitrum, moderatoremque conscientiæ.

mandante Gregorio X, ut id faceret sine exaggeratione,

2 *Verendum itaque non est, ne fabulas nobis obtrudere voluerit Gaufridus: sed nec exaggerare quidem voluisse præclara sancti* Ludovici *facinora eruitur ex litteris Gregorii X Pontificis summi, scribendi provinciam eidem demandantis. Litteras has recitat Odoricus Raynaldus ad annum Christi* MCCLXXII, *num. 59 in hunc modum:* Gregorius electus Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Gaufrido de Belloloco salutem etc. Claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum præcelsa merita recolentes, de beatitudine vitæ suæ, quæ ceteris principibus orthodoxis beate vivendi præbebat exemplum, tanto majoris adhuc percipimus suavitatis odorem, E quanto ipsum, quem vivum pura mente dileximus, revocatum ad patriam recentiori memoria retinemus. Verum licet de vitæ modo, quem sui Redemptoris beneplacita prosequendo servabat, habuerimus in parte notitiam; cupientes tamen, quod modus hujusmodi nobis plenius innotescat, in iis potissime, quæ secretius agebantur, devotionem tuam rogamus, et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus satisfaciens devota solicitudine votis nostris, prædictum vivendi modum in omnibus et singulis actibus, et observantiis suis, nil ultra quam fuerit addito, sed veritatis puræ servata substantia, seriatim nobis, et secreto sub tuo sigillo, quam citius poteris, per certum nuncium scribere non postponas. Volumus autem, quod apud te verbum remaneat nemini referendum. Dat. Viterbii IV Non. Martii suscepti a nobis Apostolatus officii anno I. *Satisfecit mandato Pontificis vir pius Vitam conscribendo, neque dubitare possumus quin etiam ipsius voluntati obtemperaverit, singula enarrando,* Nil ultra quam fuerit addito, sed veritatis puræ servata substantia. *Hæc ad auctoritatem hujus Vitæ demonstrandam abunde sufficiunt: qui plura de Gaufrido scire* F *desiderat, adeat Echardum loco supra assignato. Nos interim videamus, quando scripserit, quibusque maxime scribendis intenderit hic biographus.*

virtutes enarrans, atque opera pia, omissai ex his quædam

3 *Recitata Pontificis epistola, ut vidimus, scripta est mense Martio, anno primo ejus Pontificatus, id est anno Christi 1272; neque dubium videtur quin Gaufridus manum operi mox admoverit. Eodem igitur anno 1272 inchoata videtur Vita, sequenti fortasse absoluta, quod pluribus prosequi nihil attinet. De materia vero ab hoc auctore tractata Guilielmus Nangius, de quo mox agemus, apud Chesnium tom. 5 pag. 326 in proœmio ad gesta* S. Ludovici *ita habet:* Frater Gaufridus de Bello-loco Ordinis Prædicatorum ea, quæ ad mores pertinebant, Vitam ipsius Regis sanctissimam, absque gestis præliorum et negotiorum secularium, prudenter ac religiose scribere procuravit. *Patet id Vitam perlegenti; licet enim breviter quandoque attingat ex illis aliqua, iis tamen non inhæret, ac ne perstringit quidem nisi pauca admodum. Sed ne præclara quidem virtutum exercitia ita exacte*

recen-

AUCTORE J. S.

recensuit, ut nihil aliis fecerit reliquum. Testatur id citatus num. 1 Guilielmus Carnotensis, qui relatis ibi verbis hæc subjungit : Quia tamen de quibusdam aliis dignis memoria, quæ gessit in vita, tam in prosperitate regiminis, quam in adversitate carceris, et in angustia suæ mortis, aliqua sunt vel dimissa penitus, vel omissa; ac de miraculis, quæ circa ejus sepulcrum, et alias ad divinæ laudis, et meritorum ipsius Regis declarationem accidisse noscuntur; de iis pauca recolligere studui, et præsumpsi adjicere stylo brevi.

supplevit Guilielmus Carnotensis, Regis sacellanus,

4 *Hæc verba sponte me deducunt ad alterum* S. Ludovici *biographum, eumque proximum, ut videtur, a Gaufrido, ex iis certe, quorum scripta ad nos pervenerunt. Quippe eum scripsisse non multo post mortem Gaufridi existimo, mortuum autem esse Gaufridum ante Gregorium Pontificem patet ex citatis num. 1 Guilielmi verbis, ubi de Gaufrido uti defuncto, de Pontifice vero ut etiam tum vivo loquitur : ex quibus ulterius deduco, eum scribere aggressum esse ante mortem Gregorii, anno 1276 ineunte defuncti, secun-* B *dum Raynaldum ibidem, aut certe antequam mortem ipsius cognovisset; sed hoc satis de tempore. De Guilielmo modo audiamus Echardum in Opere memorato pag. 381 :* Frater, *inquit,* Guilielmus Carnutensis Gallus, e Carnutibus civitate episcopali clarissima ortus, priores vitæ annos in aulæ regiæ Gallicæ sequela consumpsit, fuitque Ludovico IX sancto illi Regi a sacris, et, ut aiunt, capellanus. Unde in priori ejusdem Regis expeditione sacra, in ipso carcere ei fuit comes individuus, et cum uno ex nostris Arabice perito officia divina coram eo, seu etiam cum eo persolvebat. E Terra sancta cum Rege reversus ab eadem thesaurariam pinguiorem in quadam ecclesia obtinuit, quam ei concedens Rex, ceu per jocum, dixit : Iste D. Guilielmus ludet modo de ista sua thesauraria per quinque vel sex annos, et post religionem intrabit. Sed jocus verum fuit vaticinium. Nam eo beneficio quinque annos et dimidium potitus, licet dictum Regis non animo tum obversaretur, seculo nuncium remittens Ordinem Prædicatorum amplexus est, nec nisi post plures a votis Deo nuncupatis annos verborum Regis est recordatus. *Narrat hæc ipse Guilielmus num. 14.* Cæterum nec sic C sanctum Regem reliquit : nam nostri Gaufridi de Bello-loco socius adscitus, cum eodem Rege semper secutus est. In expeditione Tunetana morienti individuus astitit ac ministravit, et ad ejus ossa sacra a Tuneto toto per Italiam et Galliam itinere ad S. Dionysium usque, donec sepulturæ data fuere, cum fratre Gaufrido indefesse orans vigilavit. *Ex his, quæ ex ipso Guilielmi deducta sunt Opusculo, facile intelligas, non pauca de sancto Rege scire potuisse Guilielmum, quæ vel Gaufridum latebant, vel ejus memoriæ exciderant : adeoque et summam fidem mereri quæ per hunc auctorem litteris sunt consignata. Fallitur tamen Echardus, dum dicit Guilielmum cum Gaufrido in itinere per Italiam et Galliam ad ossa sacra vigilasse : nam constat, utrumque in Galliam fuisse missum a Philippo rege, priusquam rex ipse cum ossibus paternis ex Africa discederet. Vide num. 1122.*

quorum Opuscula edentur cum appendice miraculorum.

5 *Utriusque auctoris memorati Opusculum primus in lucem publicam emisit typis Parisiensibus anno 1615 vir clarissimus Claudius Menardus cum aliis scriptis ad sanctum* Ludovicum *spectantibus : utrumque deinde tomo 5 Historiæ Gallicæ Scriptorum inseruit Chesnius a pag. 444 :* D *ex quorum editione denuo utrumque exhibebimus, atque in capita, numerosque divisum annotationibus illustrabimus. Cum autem Guilielmus Carnotensis Sancti Vitam scribendam non susceperit, sed ea tantum enarranda, quæ noverat a Gaufrido prætermissa, vel non satis exposita ; ejus lucubratiunculam non ut Vitam alteram, verum ut appendicem ad Vitam primam, prælo dabimus. Porro laudati Menardus et Chesnius, post horum Opuscula, ediderunt relationem quorumdam miraculorum sub hoc titulo :* Miracula facta in domo fratrum Prædicatorum Ebroicensium præsidio B. Ludovici confessoris : quæ fuit prima ecclesia in regno Franciæ dedicata in nomine sancti Regis, anno Domini MCCXCIX. *De hac autem ita loquitur Echardus tom. 1 dicti Operis pag. 381 :* An appendix. . . *illa* Guillelmi lucubratio sit, me latet, et vix credam ad eum annum usque pervenisse : unde Ebroicensium nostrorum diligentiæ videtur potius acribenda. *Hæc Echardi conjectura verisimilis mihi apparet : præsertim quia Guilielmus Carnotensis non recensetur inter testes pro canonizatione* S. Ludovici *interrogatos, quos recenset Vita secundo* E *loco edenda a num. 17 : ex quo suspicio mihi est, mortem obiisse ante annum 1282, quo inquisitio ad canonizationem facta. Invenitur quidem Guilielmus aliquis Carnotensis inter sacelli ministros Philippi IV, qui per errorem III scribitur apud Martenium tom. 1 Anecdotorum col. 1205 : at, cum nomen illud satis esset commune, alius hic esse potest a nostro. Quidquid sit, miracula illa edam, nomine auctoris incerti, pro appendice altera ad Vitam primam.*

Guilielmus Nangius, auctor item synchronus.

6 *Non multo tempore post prædictos auctores uberius de præclaris* S. Ludovici *rebus gestis scripsit Guilielmus de Nangiaco, seu de Nangis, uti se vocat in procemio, nos Nangium vocabimus. Monachus hic erat Benedictinus celeberrimæ abbatiæ S. Dionysii in Francia, contemporaneus item* S. Ludovico, *ætate tamen ipso minor, nisi ad senectam omnino decrepitam pervenerit. Evincitur id ex mortis ipsius tempore : nam Michael Felibien in Historia Gallica abbatia S. Dionysii pag. 260 eum obiisse existimat circa initium anni 1301, deducta ex eo conjectura, quod Chronicum suum finierit anno* F *1300 : quæ quidem conjectura est minus certa; at certum hinc ducitur argumentum, ante prædictum annum non esse defunctum, quod satis est ad dicta nostra confirmanda : ab anno enim natali* Ludovici *usque ad 1301 anni numerantur 86 vel 87, adeoque vel illos explevit Nangius, vel junior fuit* Ludovico, *etiamsi certum esset anno 1301 diem obiisse. Annum, quo* S. Ludovici *gesta conscribere cœpit memoratus auctor, exacte determinare non possumus : opus certe absolvit, antequam anno 1297* Ludovicus *Sanctorum catalogo fuit adscriptus, cum a titulo* Sancti *abstineat, quo utitur in Chronico post hanc Historiam absoluto. Quin illud jam absolvisse videtur ante annum 1282, quo examen de virtutibus et miraculis* S. Ludovici *institui cœptum, ut ipse eodem anno in Chronico memorat tom.* XI *Spicilegii Acheriani pag. 571 his verbis :* Solemnis inquisitio fit de vita et miraculis sancti regis Franciæ Ludovici : *neque enim illam inquisitionem tacuisset in Historia, si jam fuisset facta. Existimare igitur licet, circa annum Christi 1280 gesta* S. Ludovici *per Nangium litteris fuisse consignata, aut forte etiam citius.*

7 *Nunc*

A *uberius scripsit gesta S. Ludovici,*

7 *Nunc ex ipso auctore audiamus, qua de causa, quibusque adjumentis Historiam suam conscripserit. Apud Chesnium tom. 5 pag. 326 hunc in modum præfatur :* Regum et principum gesta recordatione dignissima, qui antiquis temporibus segnaverunt, ne ab humana memoria viderentur excidere, et edaci vetustate ea contingeret aboleri, labor et diligentia historiographorum studuit litterarum traditionibus tradere ad exemplum. Cum enim modernorum regum ac principum talia recitantur auribus, quid aliud agitur, nisi brevis quædam et tacita exhortatio, ut ipsi per actus consimiles efficiantur magnanimi, et ipsis moribus et vita se conforment. Ideo ego frater Guillelmus de Nangis ecclesiæ sancti Dionysii in Francia indignus monachus, prædictorum historiographorum vestigia sequi desiderans, quia tamen scholasticus non eram, imo pauper et modicus in scientia litterarum, ad instar illius recolendæ mulieris Ruth ad agros cucurri scripturarum, spicas inde recolligens metentium doctorum, quas nobis post tergum suum de industria reliquerunt. Congregato igitur, B quod collegi, placuit mihi unius libelli manipulam de gestis sanctæ recordationis, et bonæ memoriæ Ludovici Regis Franciæ gloriosi, cujus inclita vita extat in Ecclesia bonorum operum forma, in exemplum mihi et posteris præparata *(componere)*.

ex monumentis diligenter conquisitis, et fide optima,

8 Dominus enim Gilo de Remis commonachus noster principia gestorum ejus inchoans, quia morte præventus est, terminare non potuit. Frater vero Gaufridus de Bello-loco Ordinis Prædicatorum ea, quæ ad mores pertinebant, Vitam ipsius Regis sanctissimam, absque gestis præliorum et negotiorum secularium, prudenter ac religiose scribere procuravit. Et quia de prædicto Rege nonnulli alia aliqua scripserunt, quæ ad multorum notitiam non venere, ego omnium ac prædictorum, quorum potui, fragmenta in unum studui colligere, ne perirent. *Auctores autem, quibus præcipue usus est hic auctor, fuere Gaufridus jam laudatus, et Vincentius Bellovacensis,* S. Ludovico *item familiaris, ut dicemus : quidquid enim illi de sancto Rege scripsere, Nangius iisdem plerumque verbis Historiæ suæ intexuit. Præterea epistolas non paucas* C *habuisse videtur, de gestis Sancti in expeditionibus transmarinis exaratas : nam illis litteris, quas nobis Gallorum diligentia servavit, ejus Historia ubique reperitur satis consona, ut appareat, ex iis fuisse compositam. Ex his lector colliget, non defuisse Nangio instrumenta idonea, ad Historiam* S. Ludovici *recte conscribendam. Sincerum quoque fuisse, ac fidelem in factis referendis, ex consensu ejus Historiæ cum instrumentis, quæ supersunt, authenticis fit manifestum.*

sed chronologia minus exacta : cujus Opere utemur in commentario.

9 *Voluit insuper hic historicus facta pleraque suis consignare temporibus : at in chronologia recte ordinanda non æque felix fuit, quam in gestis vere enarrandis : patebit enim ex decursu hujus commentarii, aberrasse frequenter anno uno alterove a recta chronologia. Hinc factum, ut historici non pauci ejus auctoritate in errores chronologicos abducti sint. Edita primum est Nangii Historia Francofurti anno 1595 ex bibliotheca Petri Pithœi : deinde a Chesnio inter Historiæ Francorum scriptores tom. 5 a pag. 326. Quapropter ab ea integre recudenda abstinebo : attamen plurimum utar hac Historia, cum ad referendum ea, quæ in auctoribus edendis desiderantur, tum ad confirmandum elucidandumve, quæ confirmatione indigeant aut elucidatione. Idem auctor scripsit Chronicon de rebus per orbem gestis, quod subinde etiam adducemus. Ceterum habetur memorata Nangii Historia antiquo etiam Gallorum idiomate expressa, eaque Ms. servatur in Bibliotheca regia Parisiensi. Monuit nos ea de re vir orbi litterario notus R. P. Stephanus Souciet, qui illam cum Nangii Historia contulit, ac describendam curasset, si ab hac fuisset alia. Hæc de Nangii scriptis sufficiant : ad alia progrediamur.*

AUCTORE J. S.

§ II. Notitia Vitæ Ms., secundo loco edendæ : item Historiæ a Joinvillio conscriptæ, quæ huic subjungetur pro vita tertia.

Miratus sum vehementer, cum magna sit E *Gallorum in antiquis monumentis eruderandis diligentia, publici juris hactenus factam non esse Vitam* S. Ludovici, *quam constat a confessario reginæ Margaritæ fuisse conscriptam. Ea dudum usi sunt historici varii, ut opinor, quod facta quædam referant, quæ ex illa videntur desumpta. Præ ceteris tamen hac Vita usus est dominus de la Chaize ad Historiam* S. Ludovici *componendam. Jacobus le Long in Bibliotheca historica Franciæ pag. 358, num. 7138 assignat Vitam Ms. in bibliotheca Colbertina, quæ hodiedum regiæ conjuncta est, quam hanc ipsam esse suspicatur; recte, opinor : eam enim in bibliotheca regia conservari, nos docuit ante laudatus P. Souciet, qui eamdem nobis jam aliunde curaverat describendam. Auctor hujus Vitæ nomine quidem ignotus est : at liunde ita innotescit, ut dubia esse non possit ejus in scribendo fides. Fuisse ex Ordine Minorum, omnino persuadent varia : nam in fronte Opusculi Ms., ex quo apographum nostrum desumptum dicetur inferius, habitu depictus est Franciscano, et in præfatione narrat, se monumenta, quibus ad Vitam componendam usus est, apud Minores* F *Parisienses deposuisse. Confessarius fuit reginæ Margaritæ octodecim annis : ac deinde Blanchæ,* Ludovici *et Margaritæ filiæ, quæ cum matre sua regina Margarita apud Clarissas in suburbio sancti Marcelli sibi elegerat domicilium.*

Vita alia, scripta a confessario reginæ Margaritæ

11 *Electus itaque videtur ad confessiones reginæ viduæ excipiendas circa annum 1277, septennio fere post mortem* S. Ludovici, *defunctaque anno 1295 Margarita, idem munus habuisse apud Blancham, a qua ad hanc Vitam exarandam impulsus fuit, ut refert in præfatione. Hinc tempus, quo scripsit, utcumque eruitur : nam Acta canonizationis ex quibus Opusculum suum composuit, accipere potuit anno 1297, vel sequenti : nec dubium videtur, quin Blancha, Actis Roma transmissis, continuo hortata sit confessarium suum, ut Vitam inde conscriberet. Conjicere igitur possumus eam inchoatam fuisse circa annum 1298. At parum interest annum exactius cognoscere, cum hujusce Vitæ auctoritas ex monumentis maxime, modoque, quo iis usus est scriptor, sit petenda.*

brevi post canonizationem S. Ludovici

12 *Quibus autem ad Vitam enarrandam usus sit instrumentis, quamque illa fuerint certa,*

ex ipsis canonizationis Actis :

auctor

AUCTORE J. S.

auctor ipse abunde declarat. Narrat enim num. 4 Acta omnia examinis instituti de virtutibus et miraculis Sancti, a multis in curia Romana, atque ipso etiam Bonifacio VIII, examinata sæpius ac probata, partim Parisiis se accepisse, partim Roma fuisse transmissa. Quin et nomina testium juratorum num. 7 producit, quos inter duo reges, episcopi multi et abbates, aliique fide dignissimi, Regisque olim domestici ac familiares, quos lector loco citato videre poterit. Ex quibus facile perspicias humana industria haberi non posse monumenta certiora, quam ea fuerunt, ex quibus hæc S. Ludovici *Vita fuit composita: utpote quæ ex testimoniis juratis virorum præstantissimorum, testiumque oculatorum fuere conflata. Restat ut videamus, an recte monumentis tam authenticis scriptor fuerit usus.*

quæ fideliter secutus est auctor.

13 *Quam in scribendo secutus sit regulam num. 5 ipse exponit his verbis:* In descriptione autem rerum, quas omnipotens Dominus noster per venerabilem sanctum Ludovicum operari dignatus est, non visum est mihi opus esse ut coner elaborata uti ac compta scribendi methodo; B quin etiam (prout intelligi cupio) ut quid adjiciam aut subtraham: verum ut ea, quæ reperi, fideliter scribam, quemadmodum inquisita sunt, descripta, probata, examinataque a curia Romana, et approbata, quo certiorem apud probos omnes fidem obtineant. *Hanc secutum esse scribendi methodum ex ipsis scriptis elucescit, maxime ubi describuntur miracula, in quorum relatione ubique agnoscas inquisitorum interrogationes, eorum, qui examinabantur, testimonia, adductas probationes, quæ objici poterant soluta: quin illa etiam, quæ miraculi evidentiam videbantur minuere: ita ut existimem ea, quæ in examine miraculorum a libellionibus fuerant Latine exarata, ab auctore solum Gallico idiomate reddita fuisse, eodem quo examinata fuerant ordine; ordinem enim in scribendis miraculis se secutum docet in prologo ad miracula num. 166 his verbis:* Quorum miraculorum ordo fideliter hic descriptus est, et subjectus; *non alius utique ordo quam examinis, ut miracula perlegenti erit manifestum. Itaque ipsa canonizationis Acta, ipsa eorum, qui interrogati fuerunt, jurata testimonia fideliter ab* C *auctore expressa in hac Vita existimo, nec quidquam extra præfationes de suo addidisse, nisi ordinem qualemcumque in virtutibus enarrandis. Ex his summa hujus Vitæ auctoritas abunde mihi videtur probata.*

Acceptum Vitæ hujus ecgraphum,

14 *Unde hujus Vitæ ecgraphum acceperimus, docet, qui id anno 1737 transmisit. R. P. Stephanus Souciet, adjectis sermone Gallico notationibus, quas partim hic Latine reddo:* Hæc Vita S. Ludovici Franciæ Regis transcripta est ex manuscripto pulcherrimo, quod pertinet ad D. de Senicourt causidicum in supremo senatu Parisiensi. Hic illud perquam humaniter commodavit P. Stephano Souciet Societatis Jesu, eique illud reliquit quamdiu voluit ad ipsum examinandum, describique curandum. Manuscriptum hoc est in 4°. in membrana pergamena, nitidissime exaratum characteribus Gothicis, qui videntur esse temporis ipsius auctoris. Fronti operis scite appictum est topiarium emblema; majusculæ per quam elegantes coloribus auroque distinctæ capitum initia exornant, ita ut vix dubitem quin illud ipsum sit exemplar, quod oblatum fuit principi, cujus mandato Vita hæc fuit composita. In emblemate fronti appicto delineatus est auctor habitu Franciscano genibus nixus D offerens librum suum Pontifici, qui in solio considet thiara capiti imposita. *Hactenus laudatus Soucietus, vir in hisce versatissimus, cujus humanitate et industria multum adjuti sumus.*

ex idiomate Gallorum antiquo

15 *Porro conscripsit hanc Vitam auctor idiomate Gallorum antiquo, suoque tempore usitato. Dictio ejus non multum recedit a phrasi, qua conscriptam a Joinvillio Historiam habemus, editoribus Menardo et Cangio: at orthographia est longe corruptior. Contuli quoque hujus Vitæ idioma cum Historia Villehardouini per Cangium edita, scriptaque sub initium seculi* XIII, *a cujus barbarie cum phrasi tum orthographia multum recedit. Ex quibus colligo Gallorum idioma jam eo seculo non minus mutatum fuisse, quam postremis hisce seculis mutatum cernimus: nec inutile erit id observasse ad discussionem styli Joinvilliani, quam mox aggrediemur. Stylus autem hujusce Vitæ simplicissimus est, ita ut vere dixerit auctor, se magis laborasse, ut omnia in Actis inventa exprimeret, nihilque de suo adjiceret; quam ut singula eleganti sermone exprimeret: unde factum est, ut ipsius lucubratio* E *minus leporis habeat; at plus fidei mereatur.*

Latine redditum, edemus

16 *Vitam igitur hanc Latine redditurus, mox perspexi id fieri non posse, quin immiscerentur quædam, quæ Latinas aures quandoque offenderent, nisi recedere vellem a simplici auctoris relatione, ejusque phrasim mutarem frequenter. Hoc mihi putavi illicitum, præsertim quod Gallicam auctoris lucubrationem non edamus, ne lector frequenter dubitaret, an sensus auctoris fideliter sit Latine expressus. Itaque delicatas nimis aures offendere subinde malui; atque elegantiæ jacturam facere, quam simplicitatis et fidei; ratus id prudentes non offensurum, neque præclara* S. Ludovici *gesta minus splendoris habitura, si stylo efferantur simplici, quali usus est auctor Gallus, quam si comptiori aut elegantiori. Hoc ipsum de versione Latina Joinvillii, de quo mox agam, lectorem hic præmoneo. Ceterum hæc Vita, quam secundam* S. Ludovici *Vitam vocabo, quod edenda sit loco secundo, præcipue virtutes Sancti continet et miracula; verum res ejus præclare gestas ordine non enarrat, quamvis historica non pauca hinc inde recenseat.* F

Historia S. Ludovici a Joanne Joinvillio summa fide composita:

17 *Circa idem tempus, sub initium videlicet seculi* XIV *Historiam de gestis* S. Ludovici *composuit Joannes Jovisvillæ dominus, Regi, dum viveret, admodum familiaris, ac primæ expeditionis transmarinæ comes. Non lubet hic enarrare egregii istius viri gesta, quia id ad Vitam* S. Ludovici *minus pertinet: siquis genealogiam ejus, ac gesta nosse desideret, adeat Cangium, qui ea præmittit observationibus in Historiam* S. Ludovici *a Joinvillio conscriptam. Ea tamen, quæ ostendunt, quanta ejus Historiæ sit fides adhibenda, non judicavi prætermittenda. Vita secunda, de qua jamjam egimus, inter testes examinatos de Vita* S. Ludovici *profert Joinvillium; atque ipse Joinvillius num. 265 narrat, se ab inquisitoribus Dionysiopolim vocatum, ibique de Vita sancti Regis biduo interrogatum: ex quo intelligimus non latuisse inquisitores, de* S. Ludovico *multa Joinvillio fuisse cognita. Memorata Vita secunda num. 140 Joinvillii testimonium recitatura, de ejus cum Rege familiaritate ita loquitur:* Qui cum beato Rege fuit per annos triginta quatuor * et ultra satis familiariter, ejusque familiæ adscriptus: *quod ex tota Joinvillii historia fiet manifestum. Jam vero*

* *de annis vide notata ibidem in Vita.*

A *vero quanta cum cautione scripserit, ipse sæpe insinuat. Num. 258,* De via, *inquit,* quam tenuit Tunetum profecturus, nihil scribam; quia illi non adfui : neque ponere volo aut scribere in hoc libro quidquam, de quo certus non sum. *Non quod nihil scribere voluerit, nisi quod præsens vidisset : patet enim frequenter contrarium : sed quod scribere non voluerit nisi ea, quæ vel ipse viderat, vel ex aliorum relatione, quam putabat veram, acceperat. Hinc lectores monet sub finem Operis his verbis :* Et notum facio omnibus exigui hujus libelli lectoribus ea, quæ dico me vidisse, atque ex eo (Ludovico) cognovisse, vera esse, eisque firmiter credenda. Et alia, quæ non nisi ex auditu testor, bono ea sensu excipite, si placeat. *Ita vir candidus, de cujus in scribendo fide dubitare non possumus : quamvis in primis Sancti gestis minus sit accuratus, quæ ipse non viderat, et senex enarrabat.*

cujus stylum mutatum putant aliqui cum Cangio :

18 *At non desunt, qui dubitant, an hodiedum habeamus Historiam Joinvillii, qualis ab ipso fuerat composita. Existimant enim exstare nunc stylo elegantiori, quam illius congruat ætati.* B *Quia hac opinione auctoritas Historiæ Joinvillianæ non parum labefactatur; operæ pretium videtur, ut res accurato examine discutiatur. Edidit primus hanc Historiam Petrus Antonius de Rieux, qui in epistola ad Franciscum I Galliæ regem, citata apud supra memoratum Jacobum le Long pag. 358, fatetur, se ordinem Historiæ mutasse, et stylum. Menardus anno 1617 eamdem Historiam ex manuscripto edidit, atque eo quidem stylo, uti existimavit, quo a Joinvillio fuerat composita. Cangius anno 1668 Menardi editionem prælo Parisiensi subjecit denuo, atque observationibus uberioribus, quam Menardus fecerat, ac dissertationibus etiam illustravit : verum in præfatione ad lectorem monet, se animum inducere non posse, ut credat hanc Historiam a Joinvillio fuisse conscriptam idiomate, pro tempore, quo vivebat auctor, tam polito, idque propter rationes, quas in elogio Joinvillii part. 2 Operis pag. 19 et 20 assignarat. Seu auctoritas, seu rationes Cangii induxerunt auctorem Diarii eruditorum, ut ad* XXIII *Januarii anni 1668, agens de hac Cangii editione pronuntiaret, certum esse Historiam memoratam a Joinvillio non fuisse compositam eo statu, quo eam* C *hodiedum habemus. His assentitur Bailletus tom. 2 in tabula critica Auctorum ad* XXV *Augusti, Jacobus le Long loco assignato, aliique multi. At vero, expensis Cangii rationibus, quibus nihil inveni additum, eorum opinioni nequeo acquiescere.*

at prima ratio nihil probat :

19 *Primum ait Cangius, id inferri posse ex eo, quod dominus de la Croix du Maine in Bibliotheca scriptorum Francorum asserat, sibi esse hanc Historiam antiquo idiomate scriptam. Verum, id argumentum nihil prorsus evincit contra editionem Menardi. Etenim, Bibliotheca illa domini de la Croix du Maine Parisiis impressa est anno 1584, id est, annis 33 ante editionem Menardi, factam anno 1617. Cur igitur dicere non potuit, visa editione Pictaviensi, in qua stylus erat mutatus, sibi esse Historiam Joinvillii veteri idiomate conscriptam, etiamsi vel ipsum Menardi manuscriptum habuisset? Certe Menardus dicit in ipso libri titulo se Historiam illam tradere* secundum antiquum auctoris originale, *suivant l'original ancien de l'Autheur. Cur igitur idem Francisci Grude de suo manuscripto simili non potuit esse judicium?*

AUCTORE J. S.

altera ratio, ad quam

20 *Aliud argumentum mox subdit Cangius, quo rem plane confici existimat, assentiente jam memorato Diarii eruditorum auctore. Vis argumenti hæc est. Scripsit anno 1315 Joinvillius ad Ludovicum Hutinum Franciæ regem epistolam, quam profert : atqui illa epistola alio scripta est stylo, atque idiomate magis antiquo quam Historia* S. Ludovici: *hæc igitur a Joinvillio stylo atque idiomate tam polito, quam nunc extat, non fuit composita. Fateor eam ratiocinationem non esse contemnendam. Experiamur tamen, an nodus sit omnino insolubilis. Rem paullo altius repeto. Claudius Fleury in discursu ante tomum* XVII *Historiæ ecclesiasticæ pag.* IV, *agens de studio grammaticali seculi* XII *et* XIII, *docet studium grammaticale eo tempore adeo fuisse neglectum pro sermone vernaculo, ut voces nunc hoc, nunc alio modo scriberentur etiam ab eodem auctore; uti videre est in Historia Villehardouini de Constantinopoli capta. Idem observavi in Vita* S. Ludovici *per reginæ confessarium scripta : id etiam lector mecum perspicere poterit ex variis instrumentis in notis Menardi ad Vitam* S. Ludovici *citatis. Unum lubet adducere exemplum.* E *Pag. 356 profert documenta per* S. Ludovicum *filiæ data. Consideremus quam diversis modis vox maxime obvia,* Deus, *Gallice sit exarata. Primum* Diu, *tum* Dieu, *iterum* Dieu, *demum* Diex. *Eadem vox in epistola Joinvillii a Cangio objecta scribitur* Dex, *ut et frequenter alibi. Hanc scribendi differentiam in multis aliis vocibus facile est observare. Neque id usitatum erat eo dumtaxat tempore : sed etiamnum, in litteris præsertim, tum idiomate Belgico, tum Gallico scriptis, frequenter deprehendas magnam in vocibus quibusdam scribendis varietatem, seu ex orthographiæ ignorantia vel neglectu, seu quia voces quædam diversa litterarum conjunctione solent exprimi. Hoc primo prænotatum oportuit.*

penitus diluendam

21 *Alterum, quod observari velim, affirmat idem dominus Fleury loco assignato : videlicet tantam iis temporibus fuisse litterarum ignorantiam in viris secularibus etiam nobilibus, ut pro majori parte nec legere nossent, nec scribere : eaque de causa, cum epistola quædam scribenda esset, id fecisse per virum quemdam ecclesiasticum, qui eorum nomine scribebat. Probat id ex* F *epistolis Petri Blesensis, in quibus non paucæ occurrunt principum virorum ac mulierum nomine conscriptæ. Ex quo dubium mihi non videtur, quin illi, qui plusculum litterarum cognoverant, neque tamen orthographiæ satis erant periti, cum quid scribere vellent, quod eruditorum subire debebat oculos, ecclesiastico quodam, vel alio, siquis esset, præ ceteris orthographiæ perito, usi fuerint ad defectus orthographicos, quam possent rectissime, corrigendos : quod et hodiedum fieri a viris etiam eruditis nemo, ut opinor, negaverit.*

observantur varia

22 *Tertio adverto, Historiam Villehardouini, cui aliqui videntur Historiam Joinvillii similem velle, toto circiter seculo ante hanc esse scriptam, eoque tempore magnam accidisse mutationem in idiomate Gallico scribendo. Siquis conferre voluerit phrasim Villehardouini cum phrasi auctoris, qui Guilielmum Tyrium Gallice reddidit, et prosecutus est usque ad annum* MCCLXXV, *videbit quanta inter utrumque auctorem sit differentia. Edidit hujus anonymi Opus Edmundus Martene tom. 5 Collectionis veterum scriptorum a col. 583. Porro anonymus hic, quem inter annum 1275 et 1295. Opus suum*

absol-

AUCTORE J. S.

absolvisse probat Martenius, uti multum distat a barbarie Villehardouini, sic antiquiori utitur orthographia quam Joinvillius. Medius tum tempore, quo scripsit, tum orthographia, qua utitur, est confessarius reginæ in Vita S. Ludovici *ante memorata. Qui has idiomatis Gallici mutationes breviter utcumque cupit cognoscere, inspiciat codicem diplomaticum Leibnitii, anno 1693 Hannoveræ editum : discet ex instrumentis ibi collectis præter mutationem idiomatis, in litteris ac diplomatis eodem fere tempore scriptis magnam styli varietatem; quin et deprehendet non pauca ibidem reperiri circa idem tempus scripta, quo Opus suum absolvit Joinvillius, quæ magis fortasse, quam Joinvillii Historia ad hodiernum scribendi et loquendi modum videantur accedere.*

de stylo

23 *Accipe speciminis causa partem instrumenti* XXXVII, *quod primum profert anni 1315, quo Historiam suam regi obtulit Joinvillius. Pag. 69 ita inchoatur fœdus trium populorum :* Au nom de Dieu, Amen. Comme il soit, que la memoire de l'homme soit debile et transitoire de sorte que facilement l'on oublie les choses, B qui doibvent long temps durer, estant utile et necessaire, que ce qui est pour la paix et tranquillitè, et pour l'honneur et proffict des peuples soit redigè par escript ; à cette cause Nous les Paysans d'Ury, de Schuitz, et d'Underwalden faisons à sçavoir à tout ceux, qui liront et oirront ces presentes, que considerans et prevoians les occurrences du temps, et pour mieux demeurer en paix et union, aussi pour tant mieux asseurer, et deffendre nos personnes, et nos biens : nous nous avons perpetuellement et inviolablement par notre bonne foy et serment ensemble conjoincts et asseurez, promis et jurez de nous assister, favoriser et ayder les uns les autres avec corps et biens à nos despens dedans et dehors nos pais contre tous ceux, qui usent de force ou voudroient user à l'endroit des personnes et biens de nous ou des nostres; et si aucun dommage advenoit à aucun de nous à son corps, et à son bien, nous lui assisterons tant, que faire pourrons, à ce que cela luy soit recompensè amiablement ou par justice. *Quæ sequuntur ejusdem sunt styli, ejusdemque orthographiæ. Fallor tamen vehementer, nisi hæc* C *æque, aut magis etiam accedant ad modum scribendi Gallorum hodiedum usitatum, quam scripta Joinvillii, qualia nunc extant.*

ejus ætate usitato,

24 *Lubet ex editis ab ipso Cangio specimen apponere. Dedit hic post Historiam, aliaque ad* S. Ludovicum *spectantia, a pag. 169 Vitam Elisabethæ* S. Ludovici *sororis, scriptam ab Agnete de Harcourt, idque, ut opinor, antequam Historiam suam exaraverit Joinvillius, ut ex verbis adducendis probabili saltem conjectura inferri potest. Audiamus itaque an abbatissæ illius idioma magis sit barborum quam Joinvillii. Hoc modo orditur :* Nous avons proposè d'ecrire la vie de nostre saincte et benoiste dame et mere madame Isabeau de France, à la requeste de monsieur le roy de Sicile son frere germain, selon ce que Dieu nous donnera sa grâce à l'honneur de nostre seigneur Jesus-Christ, et de cette benoiste sainte, et à l'edification de la saincte eglise. Premierement nous dirons qui elle fut, et de quelles iens extraicte. Nostre saincte mere et dame madame Isabeau fust exstraicte de royale lignée, et fust fille de tres-noble Roy Louis de France, qui fust fils du roy Philippes, et fust fille de la tres noble reine de France, madame D la reine Blanche, qui fust fille du roy d'Espagne. Le pere et la mere n'avoient plus de filles, et merveilleusement l'aimoient, et avoient chere, et la tenoit l'on à la plus noble dame, qui fust en terre. *Conferamus nunc cum phrasi horum auctorum initium Historiæ, de cujus stylo disputamus, nec difficulter deinde solvemus argumentum Cangii.*

a quo ejus phrasis non abhorret ;

25 *His verbis ille Historiæ suæ præfatur apud Menardum :* On nom de la tressainte et tressouveraine Trinitè, le Pere, le Filz, et le saint Esperit, Amen. Je Jehan de Jonville grant seneschal de Champaigne, foys escripre, et rediger en memoire la vie et tressaints faitz, et ditz de tresdigne et tressainte memoire monseigneur saint Loys roy de France, ce que i'en vys et ouy le temps et espace de six ans entiers, moy estant en sa compaignie ou saint veage et pelerinage d'outremer, et depuis apres que fusmes revenus. Lequel livret est divisè en deux parties. La premiere partie parle, et enseigne comment ledit seigneur Roy saint Loys soy regit et gouverna selon Dieu, et nostre mere sainte Eglise, E et au prouffit et utilitè de son royaume. La seconde partie parle de ses grans chevalleries et faiz d'armes, affin de trouver l'un apres l'autre, et pour esclercir et eslever l'entendement de ceulx, qui le liront et oyrront. Par lesquelles choses on pourra veoir et congnoistre clerement, que jamés nul homme de son temps vivant dés le commencement de son regne et jusques à la fin n'a vesqu si saintement, et justement qu'il fist. *Oculos nunc lector consulat et aures, utrum præcedentium auctorum phrasis durior, orthographia deterior, idioma denique magis antiquitatem redolens, quam quæ ex Joinvillio adduximus : id certe mihi non apparet. Unde consequi videtur, non defuisse quosdam ætate Joinvillii, qui noverant phrasi non magis dura, orthographia non magis corrupta, idiomate non magis jam barbaro, historiam conscribere. Quibus præmissis ad rationem Cangii facilis est responsio.*

et Cangii rationi respondetur.

26 *Stylus epistolæ objectæ non differt a stylo historiæ nisi sola orthographia ; easdem enim utrobique reperias voces, eosdem se exprimendi modos, ita ut major similitudo styli epistolaris* F *cum historiali desiderare non debeamus. At differt orthographia, eaque deterior est in epistola quam in Historia. Quid itaque hinc concludemus? Id unum, mea quidem sententia, Joinvillium, minus orthographiæ peritum, non habuisse curam, ut vitia orthographica corrigerentur in epistola, qua regi, ejus litteris acceptis, mox eadem die se respondisse dicit : diligentem vero curam adhibuisse ut orthographia Historiæ suæ, quæ multorum oculos subire debebat, esset quam fieri posset exactissima, operaque correctoris cujusdam ad id usum fuisse : neque enim defuisse eo tempore, qui id facere possent, jam ostendimus. Hæc responsio sufficit, siquis existimet dictam Historiam a Joinvillio manu propria fuisse exaratam. Verum longe mihi verisimilius videtur, eam ab alio quopiam, eo dictante, conscriptam, quod breviter nunc ostendam.*

quæ altero responso plane concidit.

27 *Joinvillius in epistola ad regem Ludovicum X, apud Menardum Historiæ præmissa, pag. 2 dicit, se rogatum a regina, ut curaret componendum, scribendumque libellum de factis, dictisque dignissimis ac sanctissimis sancti Ludovici :* Quod humillime, *inquit*, facturum

me,

A me, ac pro viribus meis impleturum promisi. *Deinde in præfatione Historiæ id se facere asserit his verbis :* Ego Joannes Jovisvillæ dominus, magnus Campaniæ senescallus scribi curo, atque memoriæ commendari Vitam, factaque, dictaque sanctissima domini sancti Ludovici. *Viden', lector, Joinvillium aliena manu scripsisse? Mirari igitur non debemus, aliena itidem usum esse orthographia in Historia conscribenda. Scripserit itaque epistolam illam ad regem honoris causa manu propria, aut certe libellione usus fuerit alio, eoque minus perito, quam quo usus fuit ad Historiam conscribendam, jam argumentum Cangii plane corruit. Præterea ne verisimile quidem esse, stylum Joinvillii esse mutatum brevi ratiocinio ostendam.*

ulterius probatur Joinvillii stylum non videri mutatum.

28 *Tota Joinvillii lucubratio, qualis nunc habetur, eodem conscripta est stylo, eadem orthographia : siquis igitur stylum mutaverit, vel etiam orthographiam tantum emendaverit; necesse est, id factum sit studio magno, magnaque industria ab homine non imperito. Jam vero id factum fuisset vel eodem, quo Joinvillius scripsit,* B *seculo* XIV, *vel seculo* XV, *vel serius. At nihil horum mihi sit verisimile, aut credibile. Neque enim seculo* XIV *aures habebant tam delicatas, ut vir quispiam eruditus laborem tantum sumpsisset corrigendi librum non diu ante scriptum. Si quis suspicetur idem seculo* XV, *aut serius factum : neque hoc erit credibile. Si enim id eo tempore factum esset a viro quopiam erudito, non tot relicta essent orthographiæ vitia, quæ seculo* XV, *non facile in eruditorum Operibus invenias. Ceterum objici quidem potest, in Joinvillii Historia non inveniri particulas quasdam, eo tempore usitatas; et voces quasdam antiquas, quæ in instrumentis istius temporis occurrunt, ab illa exulare. Verum respondeo, et in aliis quibusdam ejusdem temporis monumentis eas non inveniri : adeoque id orthographiæ aut dialectorum varietati adscribendum. Cum igitur non probetur, in editione Menardi stylum Joinvillii mutatum; idque ne verisimile quidem appareat : habenda est Historia ejus labore edita, ut vera et genuina Joinvillii lucubratio, qualem Menardus eam existimavit, qui illam ex Ms. edidit, ut editioni Pictaviensi interpolatæ ac depravatæ opponeret.* C *Menda tamen hinc inde aliqua in hanc etiam editionem irrepsisse, probabimus suis locis. Nunc tempus conscriptæ hujus Historiæ examinemus.*

Tempus conscriptæ hujus Historiæ, tertio loco edendæ.

29 *Cangius in memorato Joinvillii elogio pag. 21 ostendit, Historiam* S. Ludovici *ab eo conscriptam sub regno Philippi pulchri, ex verbis ipsius num. 12 :* Post hæc bonus Rex *(S. Ludovicus)* vocabat. . . Philippum (III) regnantis nunc regis *(utique Philippi* IV *cognomento pulchri)* patrem. *Ulterius probat laudatus Cangius, perfectam certe fuisse Historiam post annum 1305, quod meminerit mortis Guidonis de Dampierre eodem illo anno 1305 defuncti. Hæc satis certa. Annum autem, quo absolvit Historiam, non eadem quidem certitudine determinare possumus, probabiliter tamen assignabimus. Apud Menardum Historiæ præmittitur epistola dedicatoria, Ludovico regi Franciæ et Navarræ inscripta, quem filium vocat* S. Ludovici. *Non potest hic alius esse quam Ludovicus Hutinus, seu decimus, modo vera sit inscriptio : veram autem videri probabimus in notis ad epistolam, infra cum Historia Joinvillii dandam, ubi et objecta diluemus. Cum itaque Ludovicus Hutinus regnum adeptus sit sub finem anni 1314, potuit Joinvillius Historiam suam novo regi offerre circa initium anni 1315, ut ex ea disceret abavi potius sui, quam patris gesta imitari. Hæc breviter : nam ad fidem Historiæ conciliandam parum faciet, sive aliquot annis citius scripta sit, sive serius. Ceterum Historiam Joinvillii, uti tertiam sancti* Ludovici *Vitam, duabus præcedentibus subjicienius, ita Latine redditam ut facile animadversurus sit lector, nos curam majorem habuisse omnia Joinvillii dicta exprimendi, quam stylum expoliendi.*

AUCTORE J. S.

§ III. Aliæ quædam Vitæ posterius scriptæ : auctores alii, qui gesta ejusdem Sancti memoriæ prodiderunt.

Vitæ S. Ludovici posterius scriptæ, E

P*ræter Vitas modo assignatas, alia insuper edita est apud Chesnium tom. 5, a pag. 395. Auctor illius est anonymus sancti Dionysii monachus : tempus, quo Vita hæc scripta est, ignotum; at non diu post canonizationem conscriptam esse conjicio : auctor certe videtur parum a* S. Ludovico *abesse, si modum scribendi consulas. Ceterum gesta Sancti pauca complectitur, quorum partem Commentario inseremus : nam auctor est fide dignus, at vix aliquid habet, quod in Vita secunda non legatur expositum. Habemus et aliam Vitam Ms. auctoris anonymi, cura R. P. Stephani Souciet nobis transmissam, de qua Jacobus le Long in memorata jam aliquoties Bibliotheca pag. 359, num. 7147 sic habet :* Sancta Vita et præclara gesta domini sancti Ludovici, Galliæ regis. *Hic Vitæ titulus, quam impressam docet Parisiis in octavo anno 1666. Notat deinde in hac Vita multas reperiri circumstantias*, quæ alibi non reperiuntur : idioma, *inquit*, illius antiquum fuit servatum. *Non notat hic auctor, quo circiter tempore hæc Vita fuerit conscripta; neque id ego determinare possum. Attamen ex idiomate satis colligitur, hunc auctorem* S. Ludovico *non fuisse coævum, nam et stylus et orthographia multo magis accedit ad* F *hodiernum scribendi modum, quam stylus et orthographia Joinvillii, ita ut integro seculo videri possit posterior. Porro, ut singularia quædam continet, quæ in aliis non reperiuntur, ita et quædam non satis certa, quin et contraria auctoribus magis probatis. Quapropter hac Vita dumtaxat utar in commentario, vel annotatis, ubi id expedire videbitur; cum autem impressam habere non possim, citabo eam ex Ms. sub nomine Vitæ Ms. auctoris anonymi. Laudatus le Long pag. 359 recenset etiam biographos* S. Ludovici *varios, qui seculo* XVI *et* XVII *illius Vitam exararunt, inter quos unum subinde adducam Ludovicum Lassere, qui Vitam* S. Ludovici *Gallice conscriptam cum Vita S. Hieronymi conjunxit, quæ simul Parisiis impressæ sunt anno 1541, ac rursum anno 1588, quam editionem citabo. Reliquos curiosus lector ibidem inveniet, nam ad eos mihi recurrendum non puto, ubi non desunt coævi.*

postremi duo biographi.

32 *Seculo demum præcedente Historiam seu Vitam* S. Ludovici *composuerunt præ reliquis omnibus diligentius, ac nitore Gallico perpoliverunt D. Filleau de la Chaize, et D. Franciscus*

AUCTORE J. S.

ciscus Timoleon de Choisy, quorum lucubrationes in Gallia satis notæ sunt. Primus usus est monumentis a Tillemontio diligentissime conquisitis, ex quibus Historiam regis Ludovici IX *diligenter conscripsit, immixtis non paucis, quæ in variis mundi partibus circa eadem tempora contigerunt : verum virtutes Sancti, quæ spectant ad Vitam privatam, aliis enarrandas reliquit. Edidit hanc Historiam Parisiis anno 1688 duobus voluminibus in quarto, at nomen suum non præfixit. Alter anno 1690 Vitam* S. Ludovici *typis item Parisiensibus emisit in publicum. Brevior hæc est præcedenti, et minus exacta in referendis Sancti gestis : nam virtutes, etiam vitæ privatæ, præcipue describere voluit hic auctor, eamque ob causam se animum ad scribendam hanc Vitam appulisse, monet in præfatione, quod hanc historiæ partem Chaizius ipse fateretur prætermissam. Horum opera utar in hoc commentario, maxime prioris : at eorum sententiam cæce non sequar. Hactenus de biographis. Nunc et breviter examinabimus, quam auctoritatem habere debeant historici quidam coævi,* B *quorum scripta frequentius adducemus per decursum.*

Alii scriptores coævi : auctor Chronici sub nomine Alberici.

33 *Godefridus Guilielmus Leibnitius* Hannoveræ *(non* Lipsiæ *ut perperam notat le Long) anno 1698 edidit* Chronicon, *sub nomine* Alberici monachi trium Fontium *ab Adamo usque ad annum Christi 1241 perductum. Hujus Chronici auctorem non fuisse monachum Ordinis Cistertiensis in monasterio trium Fontium contendit a pag. 355 memoratus le Long, eumque canonicum regularem fuisse Hoii ad Mosam in diœcesi Leodiensi variis rationibus probare nititur, quibus sane difficulter potest resisti. Idem fere jam fuerat judicium editoris Leibnitii, qui in præfatione Chronico præmissa ita disserit :* Ejus Opus in codice bibliothecæ Augustæ inscribitur : ALBERICI MONACHI TRIUM FONTIUM DIOECESIS LEODIENSIS CHRONICON ; ex conjectura opinor viri docti. At codex Claræmontanus apud Parisios habet : DIOECESIS CATALAUNENSIS, forte ex Bibliotheca Cistertiensi Caroli de Visch. In Leodiensi tamen diœcesi vixisse judico, et mecum judicabit credo quisquis librum leget : usque adeo multa habet et minuta circa res Leodienses, Hoienses, et vicinas. *Quidquid sit de* C *loco, quo hic auctor scripsit, coævus certe fuisse videtur* S. Ludovico. *Id colligitur utcumque ex eo, quod anno 1241 scribendi finem faciat. Sed quia Operi potuisset esse immortuus, certius id probatur ex eo, quod ab anno 1223 nullum amplius auctorem citet, cum antea citasset varios, atque alia fere Chronica compilasset, ut asserit memoratus le Long. Si enim vixisset serius, non defuissent auctores, quos citasset post dictum annum 1223. Unde concludo, in rebus ad* S. Ludovicum *spectantibus, eam ipsi fidem deberi, quæ debetur auctori coævo; licet in rebus anterioribus non eamdem ei auctoritatem omnes tribuant. Ceterum citabo illud Chronicon sub vulgari jam nomine* Alberici.

Vincentius Bellovacensis S. Ludovico familiaris :

34 *Prætereundus hoc loco non est Vincentius Bellovacensis, historicus ex sacra Prædicatorum familia,* S. Ludovico *item contemporaneus, familiaris insuper et charus, uti sufficienter eruitur ex epistola, quam ad Regem dedit, consolatoria de morte filii Ludovici, quodque Rex ejus studia promovere ipse sategerit, ut dicetur suis locis. Defunctum hunc esse anno 1264 conjicit Echardus tom.* I *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag. 214, quod exactius investigare nostra non interest. Quamvis igitur Bellovacensis auctoritatem in rebus, ætatem suam diu præcedentibus, non magnam habeat apud eruditos; in rebus ad* S. Ludovicum *spectantibus eam obtinere debet fidem, quam adhibere solemus auctori synchrono, pio, et sincero : quod notasse oportuit, quia Nangium multa ex eo hausisse jam diximus. Qui plura de eo desiderat, adeat Echardum citatum.* D

Matthæus Parisius, cujus Historia

35 *Floruit item* S. Ludovici *tempore Matthæus Paris Anglus, monachus Benedictinus, et non pauca de gestis Regis sancti Historiæ suæ inseruit. Verum notare hic juvat mirabilem hujus viri in scribendo varietatem, et inconstantiam paucis observare, ne ipsius maledicentia lectorem incautum decipiat. Laudat frequenter* S. Ludovicum, *tum a justitia, tum a pietate, tum ab eximia sanctitate : idem tamen, si incorrupta ad nos pervenerit ejus Historia, verbis subinde in eumdem invehitur acerbissimis. Audiamus eum pag. 383 :* Eodemque, *inquit,* tempore, Rex Francorum usus odientium regnum Angliæ consilio, dedit comitatum Pictaviæ Amphulso E fratri suo... qui ad regem Angliæ, vel ad fratrem ejus ex dono ipsius, de jure spectare dignoscitur... parvi pendens, imo potius vilipendens comitis Richardi, qui Deo fideliter in Terra sancta militavit, et Francos captivos liberavit, jus vel vendicationem. Unde multi non satis potuerunt admirari de Francorum nobilitate hoc permittentium et consulentium, qui mala pro bonis tam ingratanter et impudenter reddiderunt. *Hæc, similiaque, Parisius de Rege, quem meritis sæpe laudibus exornat, cujusque præclara facta dictaque crebro commemorat. Refutabuntur illa suis locis, nec desunt auctores Galli, qui illa jam confutarunt, non magni ponderis in hisce auctoritatem Parisii existimantes; et merito quidem, utpote qui tam diversa de eodem Rege enarrat, ut si ejus tantum scripta legas, modo injustum putes, modo justissimum.*

nimis maledica, et forsan corrupta :

36 *Quemadmodum in Regem sanctissimum non satis æquus subinde Parisius, ita et in summos Pontifices, eorumque administros frequenter bilem exonerat; nec raro hac de causa vapulat apud Baronium, aliosque scriptores Catholicos. Verum non satis constat, utrum hæc* F *omnia ipsi Parisio imputanda sint; an ejus Historiæ a malevolo quopiam deinde fuerint inserta. Certe Joannes Pitseus de Illustrib. Angl. scriptoribus ad annum 1259, quo ejus ponit obitum, pag. 338 dubium suum hac de re ita declarat :* Hæc tamen et similia utrum ab ipso sic scripto, an ab aliis illi falsa adscripta fuerint, nihil ausim certo affirmare, maxime cum quorumdam sit opinio, multa ejus scripta recentius edita, incorrepta, imo corrupta, et nonnihil depravata in lucem prodiisse. *Jam vero ne quis existimet, Parisium solummodo maledicæ calumniandi licentiæ accusari ab amantibus Romanorum Pontificum scriptoribus, lubet de ejus hoc vitio loquentem audire heterodoxum, quem nullus de nimia in Romanam Ecclesiam indulgentia suspectum habere potest. Casimirus Oudinus tom. 3 de Scriptoribus ecclesiasticis col. 209 de eo sic habet :* Omnes enim secat, universos pungit, ac si nulli omnino mortalium aut parcere aut condonare, rigidissime sibi proposuisset : non episcopis scilicet, non magnatibus, non regibus, non imperatoribus, imo nec ipsi Papæ,

nec

A nec abbati proprio. At tanquam furiosus quispiam in quadrivio, ex quacumque plaga viator supervenerit, Tros, Rutulusve ferat *, hospes an hostis: si illi non placuerit, flagris misellum adoritur, lorisque male mulctatum, procul arcet et abigit. Porro, *inquit post pauca,* excusare hominem, ac dealbare quem putant æthiopem, nititur Willielmus Vuats Anglus presbyter. *Cujus productis verbis ita respondet inter alia :* Unum dicam, unde vix a quoquam excusari umquam possit, Matthæum Parisiensem fuisse ingratissimum, ac superbum monachum. *Quod probat deinde ex infami plagio, quo Chronicon Rogeri de Wendover pro suo descripserat. Hæc ille et plura hujusmodi. Hinc colliget lector, non omnia pro certis habenda, quæ in Historia Parisii de* S. Ludovico *reperiuntur scripta, præsertim ubi de controversiis agitur Gallos inter et Anglos; aut de modo agendi cum summo Pontifice.*

* fuat

37 *Ceterum quæ de sancto Rege Historiæ suæ inseruit bile vacuus, ac partium studio; quamvis non ea simplicitate verborum scripta sint,* B *qua reliqui fere auctores, quos enumeravimus hactenus, res gestas* S. Ludovici *referunt, non tamen videntur omnino rejicienda; cum auctor sit coævus, nec suspicari possimus, illa fuisse a quopiam deinde adjecta. Verumtamen ne hæc quidem omnia proferemus sine delectu aliquo, cum longas quandoque referat personarum sermocinationes tanta fiducia, ac si rei gestæ ipse affuisset, verbaque omnia præsens litteris consignasset; quamvis in iis non a vero tantum, sed a verisimilitudine quoque subinde aberret. Magna igitur cautela opus est, ut recte utamur Historia Parisii, ne insulsas ejus meditationes pro veris historiis incauto lectori obtrudamus. Qua prævia, utemur editione Operis Parisiensi anni 1644; cui subjecta sunt ejusdem auctoris additamenta, seu instrumenta, quibus etiam subinde utemur.*

qua ideo caute utemur :

38 *Inter auctores* S. Ludovico *synchronos, qui ejus præclaras virtutes, gestaque heroica posteritatis memoriæ commendarunt, numerandi etiam sunt poetæ duo Galli, Philippus Mouskes, et Guilielmus Guiart, qui Historiæ suæ metro alligatæ non pauca de sancto* Ludovico *inseruerunt. Extat historia Philippi Mouskes in bibliotheca regia, uti ex Labbeo habet le Long pag.* C *356; inchoatur a raptu Helenæ, deduciturque usque ad annum 1242 : partem illius edidit Cangius post Historiam Villehardouini de capta Constantinopoli, apud quem plura de hoc auctore in præfatione pag. 211 lector inveniet. Laudatus modo Cangius item edidit post Historiam* S. Ludovici *per Joinvillium scriptam, totam illam partem Historiæ Guilielmi Gujart, quæ spectat ad* S. Ludovicum. *Usui itaque nobis esse poterit etiam hæc Historia; quamvis enim metro alligata sit, sancti Regis virtutes, resque præclare gestas historice prosequitur ab initio regni ad mortem usque. Docet in præfatione ad lectorem initio tomi memoratus Cangius, auctorem finem Operi suo imposuisse ad annum 1307,* quo, *inquit,* vivebat : *annis videlicet 37 post mortem* S. Ludovici, *ita ut cum eodem Sancto vixisse ad aliquot certe annos censendus sit. Quod si Guilielmus forte non ea erat ætate, ut Sancti gesta spectare ipse potuerit, supererant certe non pauci eo tempore, qui viderant, ex quibus ea poterat discere : licet etiam præ oculis habuisse videatur Vitam ex Actis canonizationis conscriptam, cui in virtutibus Regis sancti referendis præ ceteris consentit. Hanc itaque metricam seu Vitam, seu Historiam fide omnino dignam existimamus.*

Philippus Mouskes, Guilielmus Guiart poetæ Galli :

AUCTORE J. S.

39 *Præter auctores huc usque memoratos, non desunt adhuc alii* S. Ludovico *coævi, aut suppares : adsunt præterea instrumenta quam plurima eaque maxime authentica; veluti bulla canonizationis Vitæ compendium complexa, litteræque multæ iis temporibus scriptæ, tum per ipsum* Ludovicum, *tum per alios : verum hæc omnia hic enumerare prætermitto, quod singula suis locis sim indicaturus. Ex his itaque ordine chronologico supplebimus in hoc commentario ea Sancti gesta, quæ in Vitis edendis minus accurate sunt exposita, vel omnino prætermissa : ex his controversias hinc inde occurrentes tractabimus; ac denique Acta* S. Ludovici, *quantum poterimus elucidabimus, quod jam aggredimur.*

aliique multi, quibus accedunt instrumenta.

§ IV. S. Ludovici parentes, fratres, et sorores : an precibus S. Dominici, recitatoque rosario obtentus?

E

Gloriosissimus sanctus Ludovicus, quondam Galliæ Rex, *inquit Vita secunda num. 10,* patrem habuit christiana religione præstantissimum, ac Galliæ regem nomine Ludovicum, *ejusdem videlicet nominis vulgo octavum, quamvis septimus perperam dicatur in Vita Ms. anonymi; et revera undecimum fuisse probet Spondanus ad annum Christi 1223 num. 6 hoc modo:* Fuit autem *(Ludovicus, de quo agitur,)* sui nominis rex octavus vulgo dictus; initio numeri sumpto a Ludovico pio rege et imperatore, filio Caroli magni : cum tamen revera dicendus sit undecimus, quod qui prima regum stirpe Merovingia tres Clodovei regnarunt, iidem sint et Ludovici, sive HLudovici, aut HLudovei, vel etiam Luduini priscis auctoribus nuncupati. *Gaufridus num. 4 eum vocat,* Christianissimum atque sanctissimum. *Auctor incertus apud Chesnium tom. 5 pag. 288 ejus continentiam conjugalem laudat his verbis :* Vir utique catholicus, et miræ sanctitatis, omnibus diebus vitæ se non maculavit, præterquam cum unica uxore sua, sibi legitimo matrimonio copulata. *Eadem tradit Bellovacensis lib. 30 cap. 129. Hæc sufficiant ad pietatem Ludovici VIII commendandam, quæ maxime posterioribus vitæ annis in expeditionibus contra Albigenses susceptis apparuit. Qui plura de patre* S. Ludovici *desiderat, ea inveniet apud auctores Gallos, nos obitum ejus paucis referemus suo loco.* F

Pater S. Ludovici Ludovicus VIII, rex pius;

41 Matrem, *ut num. 10 habet Vita secunda,* nactus est beatus Rex reginam Blancham, filiam honoratam regis Hispaniæ, *nimirum Alphonsi X Castellæ regis. Hæc Ludovico jam nupta fuerat ab anno 1200, ut tradit Chronicon Alberici ad eumdem annum pag. 418 his verbis :* Anno MCC... Ludovicus filius regis Franciæ duxit Blancham filiam Alphonsi regis Castellæ, neptem ex sorore regum Angliæ Richardi et Joannis. *Miris laudibus hanc reginam exornant auctores passim,* Quæ, *inquit Gaufridus num. 5,* vere extitit dilecta Domini, et amabilis Deo, et hominibus utilis et accepta. *Nangius apud Chesnium tom. 5, pag. 329 prudentiam ipsius his verbis* com-

mater Blancha, mulier præstantissima ;

AUCTORE J. S.

commendat : Hæc fuit omnium mulierum sui temporis prudentissima, veneruntque omnia bona regno Franciæ pariter cum illa. *Plura de præstantissima hac* S. Ludovici *matre hic non addo, frequenter enim de illa sermo recurret, atque ad annum piissimæ ipsius mortis non dimittemus omnino illaudatam. Hisce parentibus natus est sanctus* Ludovicus.

fratres

42 *Fratres ipsius et sorores breviter item investigemus. Fragmentum Vitæ Ludovici VIII, ex veteri codice Ms. editum a Chesnio tom. 5 pag. 289, enumerat sequentes hoc modo :* Hujus Ludovici fuit uxor nomine Blancha, filia regis Castellæ, ex qua genuit plures filios, Philippum scilicet primogenitum, qui in pueritia est defunctus, sanctum postea Ludovicum, Robertum Atrebatensem comitem, Alphonsum comitem Pictavensium, et Johannem qui puer obiit, et Carolum Provinciæ comitem, postea Siciliæ regem, et filiam Elizabeth. *Scripsit hujus fragmenti auctor saltem post canonizationem* S. Ludovici, *nam sanctum vocat : adeoque mirari non debemus, si prætermiserit aliquos in pueritia de-* B *functos. Memorati auctoris vestigia sequitur Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2 pag. 309, sic scribens :* Plures liberos ex Blancha regina suscepit; Philippum, qui in pueritia decessit; Ludovicum, qui postea regnavit...; Robertum, qui Atrebatensis comes fuit; Alphonsum, qui Pictavensis comes extitit; Joannem, qui puer morte defunctus; Carolum, qui primum comes Provinciæ *(immo Andegavensis, deinde et Provinciæ)* deinde Siciliæ regnum adeptus est; et Elizabetham filiam. *Unus certe in hac enumeratione est prætermissus, quem Albericus* Dagobertum *vocat, alibi* Philippus Dagobertus *est nominatus.*

habuisse dicitur

43 *Audi itaque Albericum in chronico ad annum 1226 pag. 522 fratres* S. Ludovici, *qui vivebant, dum ille corona regia insignitus est, suo ordine enumerantem :* Fratrum ejus, *inquit,* hæc erant nomina, Robertus, Joannes, Alphonsus, Dagobertus, Carolus, et soror Isabella. *Philippus omnium natu maximus, de quo idem meminit ad annum 1214 pag. 485, jam obierat ante patrem, ac sepultus erat in ecclesia beatæ Mariæ Parisiensi, ut patet ex litteris Ludovici VIII a memorato domino du Bois recitatis loco* C *citato, in quibus ita loquitur idem Ludovicus :* Noverint universi præsentes et futuri, quod nos pro salute animæ nostræ, et Blanchæ reginæ uxoris, et Philippi primogeniti nostri, instituimus unam capellaniam in ecclesia beatæ Mariæ Parisiensis, in qua sepultum est corpus ejusdem filii nostri Philippi. *Duos alios mors immatura abstulit anno 1232, ut ibidem pag. 542 memorat laudatum Alberici Chronicon hunc in modum :* Duo de fratribus regis Ludovici Franciæ, Joannes scilicet et Dagobertus moriuntur.

octo, sorores duas. Non fuit

44 *Hos item* S. Ludovici *fratres numerat Chaizius in Historia* S. Ludovici *pag. 51. At plures enumerant alii : nam filiam anno 1205 natam, et filium Stephanum nomine adjungunt præcedentibus fratres Scævola et Ludovicus Sammarthani in Historia domus Francicæ tom.* I *a pag. 505. Labbeus autem noster, quem et alii sequuntur, in Tabulis genealogicis domus regiæ Franciæ a pag. 54, undecim omnino enumerat Ludovici VIII ex Blancha liberos, filios novem hoc ordine. Philippum ,* Ludovicum, *Robertum, Philippum et Joannem gemellos, Alphonsum, Carolum, Stephanum, Philippum cognomine Dagobertum : et filias duas, natu maximam ignoti nominis, et Isabellam. Ceterum de* D *tribus, qui ad ætatem virilem pervenerunt, Roberto nempe, Alphonso, et Carolo suis locis dicentur plura : uti et de B. Elizabetha, seu Isabella sanctissima femina, quæ et in Opere nostro locum habebit ad* XXXI *Augusti. Scriptores quidam ex Ordine Prædicatorum, aliique multi, quos citat Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano pag. 390, quibus et alii deinde accessere, volunt* S. Ludovicum *precibus S. Dominici, recitatoque a Blancha matre rosario impetratum fuisse, quod, ut Vitæ scriptoribus prorsus ignotum est, ita facile ex dictis corruet. Collega meus Cuperus in commentario prævio ad Acta S. Dominici tom.* I *Augusti pag. 404 post Echardum Dominicanum ostendit, id cum gestis S. Dominici connecti non posse, atque ex Alano de Rupe, auctore fabuloso, incaute a recentioribus desumptum, quod satis erat ad fabulam confutandam.*

ex improli matre precibus obtentus.

45 *Neque vero hæc minus pugnat cum Actis* S. Ludovici. *Audiamus breviter aliqua ex Thoma Malvenda, qui in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi 1245 cap. 24, pag. 136 plu-* E *ra de his narrat :* Erat, *inquit,* Blancha in matrimonio Ludovici annis jam ultra duodecim sine prole, *quod anno 1212 vel 1213 affigit. At vero prole non caruisse Blancham eo tempore, clarum est auctoritate scriptorum synchronorum : Albericus enim in Chronico pag. 485 refert Philippum Ludovici VIII primogenitum, et fratrem* S. Ludovici *natu maximum, anno 1214 filiæ comitis Nivernensis desponsatum fuisse, quod fieri certe non potuit, si prole tunc destituta fuisset Blancha, et* intra breve tempus *natus fuisset* Ludovicus, *ut inferius habet Malvenda. Plura non addo; nam imperitus hujus fabellæ auctor, qui Malvendam, aliosque fefellit incautos, occasionem illius confingendi hausit ex ignorantia : quod putaret* S. Ludovicum *filium fuisse natu maximum, ejusque parentes diu prole caruisse : quæ cum falsa sint, structura hoc fundamento nixa per se concidit. Hinc tamen piissimam rosarium recitandi consuetudinem non improbamus; nec negamus* S. Ludovicum *dono Dei singulari Franciæ concessum.*

F

§ V. Annus Sancti natalis veterum auctoritate stabilitus.

Dissensio veterum de anno natali,

Dies S. Ludovici *natalis certus est, communique historicorum consensu receptus : natum enim Sanctum die S. Marci Euangelistæ, seu* XXV *Aprilis, tradunt auctores cum antiqui tum neoterici. De anno tamen, quo illustre hoc Sidus Franciæ exortum, non eumdem reperio consensum. Quamvis enim scriptores, qui postremis hisce temporibus floruerunt, in unam fere abierint sententiam; credantque hodiedum eruditi plerique, natum esse* S. Ludovicum *anno 1215 : id tamen non inveni satis firmatum, idoneisque rationibus stabilitum. Quapropter ignoscant mihi velim eruditi Galli, quod sententiam illam nuper receptam ad novum examen revocem, statuamque ex antiquorum auctoritate, quis videatur sanctissimo Regi annus fuisse natalis : ab hoc enim totius Vitæ dependet chronologia.*

nam alii 1215, alii 1214 statuunt.

47 *Duo tantum anni videlicet 1215, et 1214 in disceptationem veniunt, aliis auctoribus hunc, aliis illum* S. Ludovico *natalem statuentibus :*

nam

A *nam licet quidam, etiam antiqui, annum 1213 designare videantur, illorum sententia satis ex dicendis refutatibur. Jam vero pauci sunt ex antiquis, qui de ipso natalium anno loquuntur; plures vero illum insinuant, dicendo qua esset ætate, dum regnum est adeptus, regiaque corona redimitus. Diligenter igitur notandum, coronatum esse anno 1226, ut apud omnes nunc in confesso est, Dominica prima Adventus : itaque illi omnes, qui plusquam duodecim ætatis annos tribuunt* Ludovico, *dum coronabatur; adversantur anno 1215; qui eo tempore duodecim necdum annos implevisse affirmant, eidem anno patrocinantur : qui vero duodecim annos tribuunt simpliciter, neutri admodum favent sententiæ, cum incertum sit, an illos completos velint, an incompletos. His prænotatis proferam, quæ pro utraque opinione inveni, veterum testimonia, non solo tamen testium numero rem acturus, sed vel maxime consideraturus, qui quibus, etiam inter antiquos, hac in re sint præferendi.*

B

Nangius in Vita favet anno 1215 ; in Chronico adversatur :

48 *Nangius in Vita* S. Ludovici *apud Chesnium tom. 5, pag. 327 patrocinatur anno 1215, his verbis :* Ludovicus ejus filius, qui nondum ætatis suæ annum duodecimum attigerat, regni Francorum fastigium est adeptus, *idque anno 1226, ut mox addit : huic consona in eadem Vita inveniet lector variis locis, ubi de ætate Regis loquitur. Ponderis aliquid haberet Nangii sententia, nisi ipse deinde scripsisset contraria. Audi quid scribat in Chronico posterius exarato : nam in eo* Ludovicum *Sancti titulo condecorat, quod non facit in Vita. In Spicilegio Acheriano editionis novæ, quam in decursu semper allegabo, pag. 31, relato ad annum 1226 Ludovici VIII obitu, hoc modo prosequitur :* Cui successit in regnum Ludovicus filius ejus, et per industriam et prudentiam venerabilis matris suæ Blanchæ.. coronatur, anno ætatis suæ quarto decimo non impleto. *Nangius igitur, qui in procemio ad Vitam asserit, se* spicas metentium doctorum *collegisse, sive ex aliorum scriptis suam composuisse Historiam, in alios incidit doctores, quando gesta* S. Ludovici *colligebat, in alios dum scriberet Chronicon suum; atque hos posterius visos in ætate novi Regis designanda demum prætulit illis, quos in Vita Sancti componenda fue-*

C *rat secutus. Quamvis itaque secunda scriptoris sententia priori, quam deseruit, sit præferenda; adeoque Nangius adversari magis videatur recentiorum opinioni, quam prodesse : non nitar tamen auctoritate hujus scriptoris, cujus chronologiam sæpe aberrantem inveniemus. Hæc de Nangio, cujus prior opinio multos forsan movit ad annum 1215* S. Ludovico *natalem statuendum, quod non legissent ipsius Chronicon diu post Historiam editum, lapsusque ejus chronologicos non satis haberent perspectos.*

anonymus in Chronico S. Dionysii designat annum 1215,

49 *Sententiam recentiorum historicorum clarissime tradit Chronicon breve S. Dionysii, scriptum ab anonymo monacho Benedictino ejusdem abbatiæ, atque editum ab Acherio tom. 2 Spicilegii a pag. 495, in qua pag. 496 ad annum* MCCXV *hæc leguntur :* Hoc anno natus est Ludovicus Rex filii (filius *voluit dicere)* Ludovici regis, in festo sancti Marci Euangelistæ. *Nihil hoc testimonio clarius, modo auctor talis sit, ut ejus testimonio tuto stare possimus : hoc itaque investigandum. Produxit anonymus ille Chronicon suum breve admodum usque ad annum 1292, ex quo conjectura fieri potest, circa illud tempus scripsisse, sub finem videlicet seculi* XIII, *postquam Nangius Gesta* S. Ludovici *conscripserat, aut eodem fere tempore. Hic ergo auctor Nangium sequi potuit; vel si eum secutus non est, tam propinquus non erat anno natali, ut aberrare in eo non potuerit.* AUCTORE J. S.

alter ejusdem abbatiæ anonymus annum 1214 :

50 *Potuit certe hic anonymus inter fratres* S. Ludovici *prætermittere Philippum natu maximum, aliosque, quos omnino ignorasse videtur, cum aliorum nativitatem memoret, horum vero omittat. Cum igitur hic auctor non satis idoneus sit, cujus testimonio hanc rem definiamus, illius testimonio opponimus testimonium alterius ejusdem abbatiæ monachi, item anonymi, cujus Opusculum de gestis* S. Ludovici *edidit Chesnius tom. 5 a pag. 395, ubi sic exorditur in procemio :* Sanctus iste Ludovicus nonus, filius Ludovici supra dicti ex Blancha regina, filia regis Hispaniæ, XIII ætatis suæ anno patri successit in regno. *Et mox finito procemio :* Sanctus igitur iste Ludovicus, XIII annorum juvenis patre suo Christianissimo orbatus. *Vides, opinor, lector, quam parum de natali anno* S. Ludovici *concordent monachi abbatiæ S. Dionysii : ex quo colligo illorum auctoritatem ab hac controversia amandandam, aliosque quærendos auctores, qui magis de hac re fuere instructi.* E

anno 1215 consentit Guilielmus Gujart :

51 *Guilielmus Gujart apud Cangium pag. 133 asserit,* S. Ludovicum *necdum habuisse annos duodecim, quando coronatus est : favet itaque hic auctor anno 1215, seu recentiorum sententiæ. Verum, cum scripserit tantum initio seculi* XIV, *per se cognoscere non potuit annum natalem* S. Ludovici, *sed illum accipere debuit ex aliis; neque improbabile est priorem Nangii sententiam hac de re fuisse secutum. Deinde erravit Guilielmus Gujart in enumerandis filiis Ludovico VIII superstitibus; nam mox initio Poematis scribit, quatuor filios a defuncto Ludovico VIII relictos,* S. Ludovicum, *Robertum, Alfonsum, Carolum : at vivebant etiam tum Joannes, et Philippus cognomine Dagobertus : securi ergo esse non possumus, non item erravisse in anno natali* S. Ludovici *designando. Præsertim quod non paucos errores chronologicos in hoc auctore ostendere possemus, si operæ pretium videretur. Huic igitur testimonio opponam auctores alios, qui facile tantum adversabuntur recentiorum sententiæ, quantum prodest poeta memoratus.*

F

sed eidem adversantur Nicolaus Trivettus, Guilielmus de Podio,

52 *Nicolaus Trivettus Ordinis Prædicatorum Chronicon suum produxit usque ad annum 1307, quo usque Gujartum Poema suum produxisse ex Cangio diximus num. 37 : obiisse Trivettum circa annum 1328, natum annos circiter septuaginta, putat Echardus tom. 1 de Script. Prædicat. pag. 561; ita ut ætas utriusque fere fuerit æqualis, ac æqualis saltem Chronographi cum Poeta debeat esse auctoritas. Is autem tom. 3 Spicilegii pag. 189 ad annum 1226 ita scribit :* Moritur Ludovicus Francorum rex, et successit eidem filius ejus S. Ludovicus, coronatus in Regem cum esset annorum quatuordecim. *Accipe et contemporaneos* S. Ludovico. *Guilielmus de Podio Laurentii, qui Chronicon suum produxit usque ad annum 1271, quod edidit Catellus post Historiam de comitibus Tolosanis, pag. 85 relata Ludovici VIII morte, sic pergit :* Cui Ludovicus primogenitus suus successit in regnum. Erat autem ætatis quatuordecim annorum, quando cœpit regere. *Consentit huic fere incerti auctoris Chronicon, præcedenti subjectum, his verbis :* Cui Ludovicus filius primogenitus, ætatis fere annorum quatuordecim, successit in regno. *Fi-*

AUCTORE J. S.

Finem hic auctor imponit Chronico ad annum 1312.

Vincentius Bellovacensis, et anonymus Vitæ scriptor.

53 *Antiquior utroque Vincentius Bellovacensis, et* S. Ludovico *familiaris, de quo egimus num. 34, lib. 30 Speculi historialis cap. 129 de morte Ludovici VIII, et ætate succedentis in regnum* S. Ludovici, *ex qua annus ejus natalis eruitur, ita scribit :* Anno Domini MCCXXVII migrat ibidem ad Christum *(Ludovicus VIII.) Hoc erroris convincemus suo loco. Post pauca de filio adjungit :* Ludovicus itaque primogenitus ejus... coronatur in Regem, qui XIV annum ætatis suæ completurus erat in festo sancti Marci euangelistæ proximo sequenti. *Vincentio plane consentit biographus anonymus Gallus, de quo egi num. 32. Errat uterque hic auctor in tempore coronati Regis, attamen natum censent anno 1214, ut ex calculorum subductione patet, neque certo sequitur ex hoc errore, quod item in anno natali erraverint. Præcedentes, Trivettus scilicet, et Guilielmus natales Regis sancti deducunt ad annum 1213, quod contrarium est auctoribus multis, qui duodecim annos simpliciter dicunt, adeoque et illi errasse censendi,* B *ut postea magis patebit, sed uno potius anno, quam duobus. Hi itaque auctores præponderant facile unius Gujarti testimonio : sed neque horum tanta videtur hac in re auctoritas, ut tuto rem determinare possimus; nec plures hujusmodi chronographos lubet adducere, cum solo auctorum numero non sit dirimenda controversia : hos autem adducere placuit, ut pateret, quam facile errare potuerint, qui pro anno 1215 sunt producti, cum erraverint etiam illi, qui rei gestæ, seu natalibus* S. Ludovici *magis fuere propinqui.*

Tres auctores maxime probati statuunt annum 1214 :

54 *Hactenus æqualibus fere utrimque momentis librata controversia. Nunc cum plures mihi ad manum non sint auctores alicujus ponderis, qui pro natalibus* S. Ludovici *anno 1215 affigendis testimonium dicere possunt; producam testes, quibus fidem negare vix possumus, quique voce consona testantur, sanctum Regem anno 1214 mundo fuisse natum. Edmondus Martene tom. 5 Collectionis amplissimæ veterum scriptorum a col. 917 ex Ms. codice bibliothecæ re-* C *giæ edidit Chronicon Turonense auctoris quidem anonymi, sed ut editor observat ibidem,* Canonici cujusdam Turonensis ecclesiæ S. Martini, *qui* ab ipsa mundi creatione incœptum ad annum MCCXXVI, quo vivebat, protraxit, *inquit Martenius : sed pro anno* MCCXXVI *legendum* MCCXXVII, *quo usque protractum legitur. Auctor vero in præfatione col. 919, postquam exposuit, quos in rebus antiquioribus secutus sit auctores, ita subjungit :* Ceterum ea, quæ subjunximus, partim alibi digesta reperimus, alia quædam a nobis visa sunt, et alia certa relatione comperta. *Cum itaque paullo ante asserat idem auctor, se ad sua usque tempora temporum seriem texere studuisse, eaque, quæ de* S. Ludovici *coronatione, secutaque mox anno 1227 regni turbatione memoriæ mandavit, postrema sint, quæ exaravit; facile intelligimus ea, quæ de ætate et coronatione* S. Ludovici *retulit, inter* visa, *aut* relatione certa comperta *computari. Hunc igitur auctorem præferendum reliquis omnibus, quos citavimus hactenus, in anno natali* S. Ludovici *designando, clarius ex dictis est, quam ut pluribus probari debeat.*

55 *Audiamus itaque quid hic statuat, et tuto sequamur. Col. 1069, relato ad annum 1226 Ludovici VIII obitu, sic pergit :* Quo sepulto, Ludovicum puerum, filium ejus primogenitum *(ex viventibus,)* anno ætatis XIII in vigilia S. Andreæ Apostoli, per manus Jacobi Suessionensis episcopi, vacante sede Remensi, ad regnum Franciæ solemniter coronarunt. *Plures coronationis circumstantias, quas hic auctor exactius prosequitur, quam ullus alius, dabimus suo loco. Cum itaque natus sit* S. Ludovicus XXV *Aprilis, natus item est anno 1214, ut patet numeros subducenti a* XXV *Aprilis anni 1214, usque ad* XXIX *Novembris anni 1226. Hic ergo testis sit primus : cujus verba ex Chronico Turonensi in Chronicon Britannicum translata lector inveniet tom. 2, col. 359 Historiæ Britanniæ domini Lobineau.* D

auctor Chronici Turonensis,

auctor vitæ secundæ.

56 *Alterum testimonium, idque irrefragabile, dicet Margaritæ reginæ confessarius, adeoque* S. Ludovico *synchronus : quamvis hujus testimonium irrefragabile non putem ab ætate sola auctoris, sed vel maxime quia ea secutus est monumenta, quibus hac in re fidem negare non possumus : diximus enim § 2 hunc auctorem Vitam scripsisse ex Actis canonizationis secundum jurata virorum præstantissimorum testimonia, nihilque de suo addidisse præter ordinem, ut ipse testatur ibidem. Quis autem credat, de ætate Sancti aliquid Actis canonizationis insertum fuisse, nisi certum omnino, et minime dubium? Quis dubitet, quin consulta fuerint ipsa instrumenta authentica, in quibus dies et annus natalis erat annotatus, priusquam in Actis canonizationis aliquid de ætate Sancti scriberetur, juratoque testimonio confirmaretur? Nescit profecto quanta cum cautione hac in re procedatur, qui vel leviter de eo dubitandum existimat. Hic igitur auctor quid dicat de ætate* S. Ludovici, *dum pater ejus anno 1226 mortem oppetiit, audiamus :* Rege, *inquit,* Galliæ patre venerabilis sancti Ludovico modo, quo diximus, defuncto, solus hic mansit beatus Rex, annos natus paullo plusquam duodecim, sub tutela... matris suæ. *Consentire hunc auctori præcedenti, seu mortem Ludovici VIII contigisse, dum* S. Ludovicus *annum agebat ætatis decimum tertium, clarum est et manifestum. Itaque ad tertium progredior testem.* E

et Bernardus Guidonis, qui exactum dedit compendium vitæ chronologicum :

F 57 *Edmundus Martene tom. 6 Collectionis amplissimæ varia edidit Opuscula illustrissimi Bernardi Guidonis, episcopi Lodevensis, ex Ordine Prædicatorum, viri pro tempore suo doctissimi, quem Jacobus Echardus tom. 1 de Scriptor. Prædicat. a pag. 576 jam floruisse ostendit sub finem seculi* XIII, *quamvis anno tantum 1331 supremum diem septuagenarius circiter obierit. Post memorata Opuscula Bernardi a col. 539 Martenius edidit ex Ms. bibliothecæ regiæ Numerum monasteriorum monialium Ordinis fratrum Prædicatorum, ab ipso etiam Bernardo scriptum, sed auctum deinde ab anonymo, ut docet R. P. Matthæus Texte in Dissertatione erudita de loco natali* S. Ludovici *pag. 9 : eadem jam ediderat Echardus ante Opus memoratum pag.* VI *ex Ms. Bernardi, sine augmento dein addito : Sed cum ibi occurrant menda quædam typographica, Martenii potius editionem citabo. Itaque col. 541 agens de monasterio Pisciacensi, in honorem* S. Ludovici *fundato, brevem dat chronologiam præcipuorum Sancti gestorum, quam totam huic loco inseram, ut videat lector, quam exacte omnia sint chronologice deducta, ac simul habeat chronologicum compen-*

dium,

A *dium, quod secuturi sumus suisque locis confirmaturi.* Monasterium, *inquit,* de Pyssiaco prope Parisios, quod incœpit fundari in honore gloriosissimi confessoris B. Ludovici Regis, piissimi quondam Regis Francorum, a domino rege Philippo, tam insigniter quam regaliter et potenter, anno Domini MCCXCVII audita canonizatione S. Ludovici piissimi Regis Francorum quondam avi sui, qui apud Pyssiacum natus est in hoc mundo, et sacrum baptisma suscepit. Natus est vero in festo B. Marci Euangelistæ anno Domini MCCXIV. Coronatus autem fuit in Regem Dominica prima Adventus, anno Domini MCCXXVI, ætatis vero suæ anno XIII, quem completurus erat in sequenti festo S. Marci Euangelistæ. Crucem autem assumpsit pro primo passagio * transmarino anno Domini MCCXLIV, ætatis vero suæ anno trigesimo jam completo. Transfretavit autem prima vice anno Domini MCCXLVIII, cum jam XXXIV annum attigisset ætatis. Rediit autem inde exacto jam septennio inter moras anno Domini MCCLIV. Transfretavit autem secunda vice anno Domini MCCLXX, ubi et pertransiit mare

* *id est,* expeditione

B præsentis seculi in exercitu Domini, in castris apud Tunicium VIII Calendas Septembris, anno Domini prætaxato, ætatis vero suæ anno LVII. Fuit autem canonizatus, et sanctorum Confessorum catalogo annotatus per Bonifacium Papam VIII III Idus Augusti, dicto die, in Urbeveteri, Pontificatus sui anno secundo, anno Domini MCCXCVII.

quos omnino putamus sequentos.

58 *Vides, opinor, lector, hoc compendium chronologicum studiose esse compositum, omniaque aptissime sibi invicem esse connexa : ita ut vel has notas chronologicas alibi descriptas invenire debuerit, vel impigro studio in singulas inquirere. Si autem singula suo tempore invenerit notata, nullum fuit errandi periculum : sin ipse investigaverit singula, quod videret Vitæ* S. Ludovici *rectam deesse chronologiam, ne sic quidem suspicari possumus, virum doctum, ætati* S. Ludovici *tam propinquum, atque in id unice intentum, ut exactam daret chronologiam, in gestis unius hominis ordinandis fuisse deceptum. Habemus igitur tres testes, omni exceptione majores, quibus tuto credimus* S. Ludovicum *mundo natum fuisse anno 1214 : uti jam dudum scripsit*

C *Ludovicus Lassere in Vita ejusdem Sancti, Vitæ S. Hieronymi adjuncta, pag. 168. Quod autem eruditi Galli, aliique contrarium scripserint, factum existimo, quia hos auctores, nuper e tenebris erutos, non viderant, aut certe maluerant trita jam vita incedere, quam operosa disputatione in verum inquirere. At vero mihi ita agere non licuit, ac ne paucis quidem rem absolvere, ne sine sufficienti ratione a doctissimorum virorum sententia viderer recessisse.*

§ VI. Locus Natalis Pisciacum, contra paucos hodiernos, ex veterum testimonio firmatus.

Notitia brevis Pisciaci, loci natalis S. Ludovici,

Alteram hic ingredimur disceptationem, præcedenti non absimilem, de loco videlicet natali. Nullus de eo dubitare videbatur ante hæc nostra tempora, asserentibus passim eruditis, S. Ludovicum *mundo datum esse Pisciaci, quod olim non nisi castrum fuisse regium, ubi reginæ pariebant, ac regii educabantur infantes, scribit Chesnius in Antiquitatibus urbium Galliæ pagina 218. Verum excrevit deinde in oppidum modicum, quod Baudrandus in Geographia ad vocem* Pisciacum, *ita breviter describit :* Pisciacum, Poissy, oppidum Galliæ, in provincia insulæ Franciæ, cum ponte lapideo ad Sequanam fluvium, sex leucis distans a Parisiis in ortum æstivum Rothomagum versus, . . . estque una leuca infra confluentes Oesiæ fluvii in Sequanam. *Ac ne tempore quidem* S. Ludovici *Pisciacum fuisse, quale describitur a Chesnio, satis colligitur ex Helgaldo in Vita Roberti regis apud Chesnium tom. 4, pag. 65, ubi memoratus auctor sic loquitur :* Sedes regalis Pisciacus dicta, supra Sequanam posita, Francorum regibus satis est opportuna. In ea monasteria tria ab antiquis viris didicimus facta : unum in honorem sanctæ Mariæ, aliud sancti Joannis, tertium sancti Martini confessoris. E quibus unum in honore sanctæ Mariæ Matris Domini rex bonus *(Robertus)* assumens, et a novo ædificans, illud in ornamentis et clericis, auro et argento satis honorabile reddidit. *Hæc*

E *circa initium seculi* XI, *quo regnavit Robertus, itaque, etiamsi a Gaufrido et Nangio* castrum, *alibi* villa *vocetur, pro usu temporis, quo oppida modica his nominibus appellabantur, videtur jam tum Pisciacum fuisse oppidum ea fere amplitudine, qua nunc cernitur, dictaque Chesnii de tempore longe anteriori sunt intelligenda. Porro oppidum Pisciacum spectabat ad diœcesim Carnotensem, atque etiamnum spectat, quod in dubium vocari non posse ait pag. 7 epistolæ suæ mox laudandus Textius, atque infra juvabit meminisse. Qui plura cupit de hoc oppido, adire potest Mabillonium lib. 5 de Re diplomatica cap. 115, et Adrianum Valesium in Notitia Galliarum ad vocem* Pinciacum, *sic enim potius nominari contendit; at nos recepto magis hodiedum vocabulo* Pisciacum *nominabimus.*

qui nuper in dubium vocari cœpit.

60 *Nullus, ut dixi, dubitare videbatur, quin memoratum oppidum natalibus* S. Ludovici *esset nobilitatum : at nostro hoc demum seculo res in dubium vocari cœpta est : quidam enim eruditi existimarunt, se locum Sancti natalem invenisse in diœcesi, atque agro Bellovacensi, ubi natum volunt in pago quodam*

F *comitatus Claromontii, quem* Neuville, *seu* Neufville-en-Hez *Gallice dictum,* Novam-villam *vocitabo. Ratio recedendi a recepta dudum sententia explicatur a Montfauconio tom. 2 Monumentorum monarchiæ Francicæ pag. 121, ubi fatetur posteriores scriptores Pisciaci statuisse natales* S. Ludovici : *verum Dominum Maillart causidicum Parisiensem in dissertatione Ms. ostendere asserit,* Nullum auctorem synchronum dicere, eum Pisciaci esse natum. *Hæc prima ratio. Altera eorum ratio petitur ex tribus veteribus chartis, ingenti tamen temporum intervallo ab ætate* S. Ludovici *remotis, per quas incolis loci memorati immunitas conceditur a vectigalibus in gratiam nati apud ipsos* S. Ludovici, *qua item immunitate gavisi dicuntur majores eorum, quibus id privilegium conceditur,* Quod nullum, *inquit Montfauconius,* relinquere videtur dubium. *Tale fuit viri illius judicium, cum fundamenta sententiæ communis nondum noverat. Porro judicium viri tam eruditi, quod natum erat et alios in eam opinionem pertrahere, movit R. P. Matthæum Texte virum eruditum ex Ordine Prædicatorum, ut Epistolam,*

seu

AUCTORE J. S.

seu Dissertationem Gallicam scriberet, qua natales S. Ludovici *assereret Pisciaco. Data est hæc epistola* XV *Octobris anni 1735, qua fundamenta adversæ partis prorsus enervantur. Verum cum quidam ex adversariis, minus forsan decorum rati, tam facile manus dare, aliqua reponerent; alteram dedit Epistolam ad litteras Domini Maillart responsoriam,* VIII *Septembris anni 1736; ac tertiam* I *Junii anni 1737, qua respondet ad objectiones quasdam domini le Beuf : hisce et aliæ postea accesserunt, quas in Mercurio historico curiosus lector inveniet. Qui itaque rem fuse pertractatam videre desiderat, memoratas consulere potest Epistolas, ex quibus ea nos mutuabimus, quæ sufficere videbuntur ad natales sancti Regis Pisciaco asserendum, quanta poterimus claritate et brevitate.*

Ostenditur S. Ludovicum Pisciaci natum

61 *Baptizatum esse* S. Ludovicum *Pisciaci in ecclesia S. Mariæ biographi asserunt varii, iique coævi : at negant adversarii inde consequens esse, ut et ibidem sit natus, quod fatemur hinc omnino certum non esse. Experiamur tamen an ex modo, quo illud referunt Gaufridus de Bello-loco, Regis conscientiæ arbiter, atque ex eo Nangius, probabili certe conjectura illud non possit deduci. Gaufridus num. 53 laudat pietatem Regis, quod diceret præcipuum honorem sibi contigisse Pisciaci ex sacro baptismate ibi suscepto, et mox subdit verba sequentia :* Unde etiam cum secretas litteras alicui familiari mittebat, et ex causa aliqua volebat supprimere nomen Regis, Ludovicum de Poissiaco, sive dominum Poissiaci se vocabat : potius eligens a loco baptismatis denominari, quam ab aliqua sua civitate famosa. *Plus hisce verbis insinuat auctor, quam clare edicit. Clare dicit, nomen* Ludovicus de Poissiaco *Regi fuisse usitatum quandoque, et gratum propter baptisma Pisciaci susceptum,* Eligens a loco baptismatis denominari. *Insinuat vero eumdem* Ludovico *fuisse baptismatis et nativitatis locum : namque a baptismatis loco Pisciacensem se usitato vocabulo dicere non poterat, nisi idem esset locus nativitatis. Quis enim, obsecro, Parisiensem se dicat, quia Parisiis salutaribus undis ablutus, si Romæ fuerit natus? Itaque nec* S. Ludovicus *se Pisciacensem propter solum baptisma dixisset, si natus fuisset in agro Bellovacensi. Cur igitur, inquies, Gaufridus hanc solam istius nominis rationem allegat? Quia scilicet hæc sola conducebat ad pietatem Regis ostendendam, quam hoc exemplo commendabat; deinde quia sola fortasse hæc ratio impellebat Sanctum ad utendum eo nomine. Nam etiamsi id nomen ei conveniret ob nativitatem, non ob baptisma; fieri poterat ut gratia baptismatis sola Regem impelleret ad eo utendum, a quo alias abstinere potuisset. Sicui hæc subtiliora appareant, videat clariora, quæ mox sequentur, argumenta. Nunc ex eodem baptismate argumentum desumo contra adversarios.*

et non in pago Novavilla

62 *Fatentur illi baptisma Pisciaci susceptum, natum interim volunt in Nova-villa agri Bellovacensis, quindecim leucis Pisciaco distante, ut ait Textius laudatus in Epistola prima pag. 17 : at quam parum hæc probabiliter dicantur, etsi deesse finxerimus probationes alias, paucis accipe. Vel natum esse* S. Ludovicum *circa id tempus, quo passim infantes nasci solent; vel citius eo, aut serius, dicamus necesse est. Si consueto fere tempore, aut eo serius, in lucem editus est : quis credat Blancham, matrem piissimam, tanto intervallo abfuisse a loco, ubi filium suum baptizari volebat : parere voluisse, loco potius ignobili, quam destinato sibi ad pariendam oppido, et palatio : domi alienæ potius, quam suæ? Nam locus, ubi natum volunt* Ludovicum, *in comitatu erat Claromontii, nondum coronæ annexo, ut ostendit Textius pag. 16. Hæc itaque sunt incredibilia. Si fingas natum esse* S. Ludovicum *multo citius, quam reliqui passim nascantur infantes, atque hanc esse causam, cur Blancha domo abfuerit : ne vel sic quidem res fiet credibilis. Quis enim credat adeo salutis filii sui negligentem fuisse Blancham, ut natum ante consuetum tempus filium, adeoque majori moriendi periculo obnoxium, ad quindecim leucas transferendum curaret, ibi demum salutaribus undis abluendum, cujus baptismum accelerandum suasisset partus præmaturus? Adeone sui dissimilem fuisse prudentissimam principem credi potest, ut quæ deinde mortuum maluit filium, quam mortifero peccato in salutis discrimen adductum, modo salutis discrimen negligat, ipsaque discrimini objiciat eumdem filium? Hæc sane incredibilia sunt; adeoque et incredibile, natum fuisse in comitatu Claromontii* S. Ludovicum, *baptizatum vero Pisciaci. Plures hujusmodi rationes in laudatis Textii epistolis lector inveniet, nos ad alia argumenta progredimur.*

variis rationibus :

63 *Guilielmus Carnotensis, num. 25 refert, sanctum Regem jejunare solitum omnibus Apostolorum vigiliis, etiamsi in diœcesi Parisiensi, aliave, ubi degebat, non esset jejunium : cumque quidam interrogarent, cur id faceret, quod præceptum jejunandi in quibusdam vigiliis ibidem non esset, Regem ait reposuisse :* Quod de Carnotensi diœcesi oriundus existebat, in qua hujusmodi vigiliæ jejunantur. *Hoc auctor ille ex ipso procul dubio audivit Rege : itaque clarum est,* S. Ludovicum *non esse natum in Nova-villa diœcesis Bellovacensis, sed in diœcesi Carnotensi, in qua erat Pisciacum : nam vocem* oriundus, *hic idem significare cum voce* natus, *seu* ortus, *facile advertet lector, et jam ostendit Textius Epist. 2, pag. 4, et Epist. 3, pag. 8, quem potest consulere : ne, dum ad objectiunculas quaslibet respondemus, tædium pariat disputatio, et in molem nimiam excrescat.*

et testimonio Philippi IV,

64 *Memoratus Textius Epist. 1, pag. 10 aliud producit testimonium ex litteris Philippi IV cognomento pulchri, datis* Nealphæ mense Julio, anno Domini MCCCIV, *quibus in honorem* S. Ludovici *avi sui fundat monasterium regium Pisciacense, quarum autographum se vidisse testatur, atque ex quibus hæc citat verba :* Hinc est, quod nos ad memoriam revocantes eximiæ dilectionis affectum, et intimæ affectionis zelum, quem egregius confessor beatus Ludovicus, olim Rex Francorum avus noster, ad ecclesiam beatæ Mariæ villæ Pissiaci, in qua renatus fonte baptismatis, Christianæ fidei et salutis nostræ primordia suscepisse dignoscitur, et villam ipsam ORIGINIS SUÆ locum, dum præsentis vitæ commodis fungeretur, habebat *etc. Amabat* S. Ludovicus, *teste nepote ipsius, Pisciacensem* ecclesiam, . . . in qua renatus fonte baptismatis : *amabat et oppidum, seu* Villam ipsam originis suæ locum. *Hæc clariora sunt, quam ut locum* S. Ludovici *natalem relinquant dubium. Scio quidem huic laudati Textii argumento quædam ab adversariis esse opposita circa vocem* originis, *quædam etiam circa versionem Gallicam non omnino exactam; sed versio Gallica ad nos non spectat, cum verba Latina satis*

clara

A *clara sint : nec objecta circa vocem* Originis *tanti sunt ponderis, ut hic commemorari debeant. Similia fere verba ex alia Philippi Pulchri epistola refert Textius Epist. 3, pag. 10, qui et litteras hasce humanissime ad nos transmisit.*

ac Bernardi Guidonis.

65 *Præterea ad controversiam dirimendam vel sola sufficere debent verba Bernardi Guidonis num. 57 data :* Qui apud Pyssiacum natus est in hoc mundo, et sacrum baptisma suscepit. *Hoc de* S. Ludovico *auctor pius, doctor, et coævus, de quo satis diximus § præced. Tali viro fidem abrogare non possumus de re, in qua non facile errant auctores synchroni. Accedit ad hanc veritatem confirmandam monasterium ipsum in honorem* S. Ludovici *fundatum, non in agro Bellovacensi, sed Pisciaci in diœcesi Carnotensi. Quæ mihi sufficere videntur ad natales* S. Ludovici *sine ullo dubio Pisciaco asserendos, nec plura necesse est addere; plura tamen lector inveniet in laudatis Textii epistolis. Restat ut breviter respondeamus ad argumenta adversariorum.*

Respondetur argumento adversariorum.

66 *Tria proferuntur diplomata, quorum primum est anni 1468, alterum 1475, tertium 1601, quibus pro tempore aliquo a vectigalibus eximuntur incolæ Novæ-villæ in gratiam* B S. Ludovici *ibidem nati; additur et majores illorum eadem immunitate fuisse gavisos. Duo prima diplomata sunt Ludovici XI, tertium Henrici IV. Quam, obsecro, vim habere possunt hæc instrumenta adversus probationes jam adductas, receptamque communi consensu sententiam? Etenim primum duobus seculis cum dimidio natalibus* S. Ludovici *est posterius; deinde memorata diplomata solum narrant, quam rationem allegaverint incolæ ad exemptionem hanc impetrandam : quæ autem solum narrantur hoc modo in principum diplomatis, factum aliunde improbabile probabile non reddunt. Unde ex diplomatis tantum consequitur, id jactitatum fuisse eo tempore ab incolis Novæ-villæ, qui, quod nimis cupiebant, facile videntur credidisse. Quis enim nescit quæ sibi somnia ex levissima sæpe occasione non fingat amor patriæ immoderatus? Si itaque Ludovicus XI exemptionem concessit incolis memoratis, si eam gratiam præstitit Henricus IV, magis eorum inopiæ consuluisse videntur, quam fidem eorum relationi, certe omnimodam, habuisse : quod ipsi citatis* C *apud Textium verbis satis innuunt, dum solum dicunt, rem sibi ita fuisse relatam; non autem probatam. Accipe factum simile ex Joinvillio num. 155 :* Fuit, *inquit*, pauper quidam piscator, qui comitis Pictaviensis uxori dictum venit, se comitem Pictaviensem liberasse Saracenorum manibus, atque illa tradi ei jussit viginti libras Parisienses. *An credent adversarii persuasum fuisse piæ principi, maritum suum Saracenorum manibus ab hoc paupere fuisse ereptum? Non opinor id credituros. Sic itaque nec ego existimo, persuasum omnino fuisse regibus memoratis,* S. Ludovicum *in Nova-villa comitatus Claromontii natum fuisse; sed potius allegatum, bona fortasse fide, titulum non repudiasse, ut incolarum paupertati pie succurrerent. Quod si omnino contendant adversarii, id persuasum fuisse Ludovico XI, et Henrico IV; probare ulterius debebunt, ipsos hac in re errori non magis fuisse obnoxios, quam fuerint auctores a nobis allegati; quod numquam efficere poterunt.*

§ VII. Pia Sancti pueritia, et adolescentia : præclara educatio, et institutio.

Sancta Ludovici pueritia :

De *pueritia* S. Ludovici *pauca occurrunt in Vitæ scriptoribus, aliisque illius temporis auctoribus, ex quibus tamen abunde intelligemus, sanctam eam fuisse, reliquæque vitæ conformem. Bonifacius VIII in Bulla canonizationis de ea sic breviter loquitur :* Ab ineuntis ætatis primordiis Dei Filium tenera mentis affectione dilexit. *Vitæ scriptores, infra edendi, omnes commendant sanctam* Ludovici *pueritiam, sed illorum verba huc non transferam ; nam ex uno Joinvillio satis colligere possumus, quantum jam profecisset in scientia Sanctorum anno ætatis suæ decimo tertio, quando corona regia fuit insignitus. Narrat num. 27 maximam Regi fuisse de Dei ope fiduciam, quando in sacrosancto Missæ Sacrificio hæc audiebat verba :* Ad te levavi E animam meam, Deus meus, in te confido. Cum, *inquit*, de semet ipse hæc diceret propter ingens onus, quod suscipiebat. *Si verba Latina, breviter prælecta, adeo ad Deum rapiebant Puerum, quod ex ipsius ore audivisse videtur Joinvillius, necesse est jam doctus esset a Domino ascensiones in corde suo disponere, solicite cum Deo suo ambulare, conversationemque suam in cælo habere. Quod etiam ex sequentibus Joinvillii verbis fit manifestum :* Maxima, *inquit*, ipsi fuit in Deo spes ab infantia. *Spem enim maximam non invenies sine fide viva, sine amore flagranti, sine humilitate, aliisque virtutibus.*

diligens piæ matris eum præclare instituendi cura.

68 *Eximias hasce virtutes* Ludovici *ætate pueri, sed moribus jam senis, primum quidem divinæ benignitati, atque eximiæ in eum liberalitati acceptas referre oportet, deinde et institutioni præclaræ ac sanctæ prudentissimæ matris, uti agnoscunt biographi : quibus et alii auctores consentiunt. Innocentius IV summus Pontifex in epistola ad Blancham reginam apud Chesnium pag. 412 sic loquitur de cura ipsius filios præclare instituendi :* Propter quod omnium fidelium linguæ ipsorum *(filiorum tuorum)* laudem cum exultatione loquuntur, tuæ pariter bonitatis F resonantes præconium, cum sic eos ab infantia in timore Domini erudieris, et amore, quod semper recta et salutaria diligentes in ipsius fuerint beneplacitis continue delectati. *Hæc communis et vera fidelium vox de institutione omnium Blanchæ filiorum. Attamen pia mater* Ludovicum *præ ceteris diligenter instituit, erudiendumque curavit, quod ei ob administrationem regni aliquando futuram, magis necessaria esset tum humana, tum divina sapientia. Habet id Vita secunda numero 13 : cui anonymus S. Dionysii monachus consentit pag. 396 his verbis :* Hæc igitur attendens prudens domina Blancha regina, mater istius gloriosi regis Ludovici, ipsum, qui tanti regni regimini præesse debebat, quemque etiam præ cæteris suis filiis ardentius diligebat, fecit ante et post obitum patris attentius nutriri, diligentius custodiri, in omni bono magis sollicite informari. Ipsamet namque eum per exempla ac bona documenta informabat in iis, quæ Deo placere credebat, et per quæ bonus princeps in suo regimine placere debeat, et ejus voluntati contraria evitare. Ipsum etiam informan- dum

AUCTORE J. S.

dum in prædictis committebat illis, quos ad præmissa esse sufficientes et idoneos æstimabat.

quæ uberes laboris sui

69 *Insignes hujusce institutionis fructus subnectit auctor, mores sancti Adolescentis describens usque ad vigesimum circiter vitæ annum, quos et mihi hic prosequendos esse censui, ne regni negotia harum rerum narratione deinde essent interrumpenda. Sic itaque pergit :* Bonæ autem indolis adolescens Ludovicus, Spiritus sancti jam edoctus magisterio, sciens bonum esse homini cum ab adolescentia sua portaverit jugum Dei, se virtutum studio totum dedit, in tantum proficiens, ut licet esset juvenis in regni administratione, nihil tamen juvenile gessit in opere, quin potius cum adolescens esset, et ætatis jubentis adhuc sentiret ardores, spolians juvenem, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat. Cœpit namque in primis adolescentiæ annis et litterarum notitia sub cura magistri humiliter proficere, et in morum honestate gratiosus omnium oculis apparere. Libenter etiam frequentans ecclesiam, devote Dei servitio sedulus assistens, omni die Missam, et Horas canonicas cum cantu audiens, quas et ipse etiam dicebat cum capellano, ad hoc sibi tam clerico deputato, cantilenas mundanas nec dicens, nec audire volens, vitabat ludos illicitos, et ab omnibus inhonestatibus et turpitudinibus abstinebat, nulli verbis vel factis injuriatus, nullum vituperans, eos, qui eum offendere videbantur, dulciter reprehendens, loquens cuilibet in plurali, *quod apud Gallos observantiæ est indicium,* nihil per juramentum asserens, humano sermone communiter utebatur. *Demum ita concludit auctor :* Longum munus esset exponere hujus sancti Regis sancta primordia, qui sic in operibus sanctitatis incepit, sicque consummare meruit, ut nullatenus dimittens legem matris suæ, sibi pluries ingerentis, se plus velle eum mortem incurrere temporalem, quam ipsum suum per mortale peccatum offendere Creatorem, perhibeatur in omni vita sua criminis letalis contagio caruisse. *Hactenus auctor ille anonymus quidem, sed sincerus.*

fructus tulit :

70 *Nangius apud Chesnium pag. 327 sancta* Ludovici *primordia hoc modo enarrat :* Qui summæ ingenuitatis puer, velut surculus ex dulciflua abscissus arbore, in primævo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ flores emittere, et sub disciplina egregiæ, et venerabilis matris suæ Blanchæ, quæ eum sub protectione curatoria prudenter et diligenter educabat, liberalem animum ad sapientiam informare. Ab illicitis vero pectoris sui motus nobili reprimens continentia, spretis imbecillis ætatulæ discursibus, sapientum tractatibus corde ultroneo inhærebat. Si quid vero probitatis vel prudentiæ aure captabat, prout tempus dictabat, sagaci memoriæ protinus committebat. Unde ab initio regni sui sapientia a Deo sibi divinitus inspirata, consiliarios et assessores tam clericos, quam laicos electissimos, tam fidelitate quam vita et sapientia habere voluit, et undecumque poterat, eligi faciebat. Audierat quidem de quodam imperatore, qui fertur dixisse, minus fore malum, imperatorem seu regem habere malum, quam consiliarios malos : quia de facili plures unum attrahunt, non plures unus. *His addit Vita secunda singularem erga matrem observantiam; honestamque subinde animi relaxationem, in qua tantopere ab omni levitate abhorrebat, ut armigero cuidam vetaret profana canere, eumque jusserit hymnos quosdam de beata Virgine perdiscere, quos et ille coram Rege caneret, quosque et Rex ipse quandoque cum eo concineret : quæ ibidem cap. 1 a num. 13 latius exposita lector inveniet.*

præceptor S. Ludovici, et insignis Regis erga eum observantia:

71 *Quibus magistris Blancha demandaverit curam educandi, litterisque instituendi* S. Ludovicum, *auctores coævi non explicant. Circa annum ætatis decimum quartum præceptorem habuit sibi uni deputatum, qui adolescentis Regis lateri ubique adhærebat, quemque ipse reverebatur ut discipulus magistrum. Habemus id ex Bulla Canonizationis citata pag. 487, in qua sic loquitur Pontifex :* Cumque per incrementa temporum, idem Rex ætatis annum quartum decimum attigisset : prædicta regina *(Blancha)* sibi magistrum proprium deputavit, qui eum scientia litterarum imbueret, ac bonis moribus informaret. Ipseque Rex sub ejusdem magistri ferula positus, sic ei obediens et reverens existebat, sicque illius humiliter recipiebat disciplinam, quod superna præventus gratia profecit laudabiliter in utrisque.

magistri alii.

72 *Quamvis ante annum circiter ætatis decimum quartum præceptorem habuisse non videatur sibi uni deputatum : hinc tamen inferre non debemus, eo tantum tempore scientia litterarum imbui cœptum. Quippe jam anno ætatis decimo tertio, dum coronatus est Rex, non ignarus fuisse videtur linguæ Latinæ, quod verba Missæ Latina, citata num. 67, mentem ejus ad Deum elevarent, quodque jam hoc tempore Horas canonicas recitaret. Habuisse igitur videtur ante hoc tempus magistros cum fratribus suis communes, qui pueros regios tum liberalibus artibus, tum scientia litterarum imbuerent; at ætatis suæ anno decimo quarto proprium accepisse, qui ad institutionem adolescentis Regis unice incumberet. Ceterum Waddingus in Annalibus Minorum nuper recusis tom. 2 pag. 162, cum multis aliis recentioribus, magistros* S. Ludovico *attribuit Prædicatores et Minores, quod antiquorum auctoritate confirmare non possum, quamvis non ignorem Blanchæ reginæ charos fuisse Prædicatores et Minores, nec minori deinde in pretio fuisse apud* S. Ludovicum.

§ VIII. Mors Ludovici VIII : ejus ante mortem cura de successione filii : testamentum : S. Ludovici coronatio.

Ludovicus VIII, rediens ab expeditione

B*audrandus in Geographia ad vocem* Monpenserium *ita scribit :* Monpenserium (Monpensier) castrum fuit Galliæ in Alvernia inferiori, prope Aquas Sparsas, in quo obiit Ludovicus VIII rex Franciæ anno MCCXXVI die VII Novembris; nunc omnino dirutum jacet in colle, ubi tantum ejus visuntur vestigia, ducali tamen titulo etiamnum insignitur. *Matthæus Parisius ad annum 1226, pag. 230 locum, ubi obiit Ludovicus VIII* Abbatiam *dicit,* Muntpansier appellatam; quæ non multum ab obsidione *(Avenionis)* distabat. *Sed fallitur manifeste in eo, quod Monpenserium prope Avenionem collocet, cum omnes etiam coævi scriptores dicant fuisse in Alvernia. Hæc de loco, quo obiit Ludovicus*

A *dovicus* S. Ludovici *pater. Nunc breviter postremam ejus in Albigenses expeditionem, et mortem audiamus ex scriptoribus coævis. Chronicon Alberici ad annum Christi 1226, pag. 520 rem ita refert :* Cardinalis Franciæ Romanus, *sedis scilicet Apostolicæ legatus*, cruce signavit regem Ludovicum cum exercitu valido pro via Albigensium. Rex Ludovicus cruce signatus super Albigenses cum exercitibus suis abiit, civitatem Avenionem obsedit, ac post multam de suis amissionem, et multa pericula, civitatem ipsam potenter obtinuit, de ea et habitatoribus ejus, sicut voluit, triumphavit. Tota provincia circa Tolozam subjugata fuit et subjecta, duos etiam episcopos dominus Rex, unum in Avenione, et unum in Carcassona renovavit.

contra Albigenses suscepta, ex morbo occumbit,

74 *Deinde, cum reverteretur in Franciam, obsidione Tolosæ dilata,* Relicto, *ut narrat Guilielmus de Podio Laurentii cap. 36*, custode terræ domino Imberto de Bello-ioco viro bellicoso, et labori disposito cum manu maxima bellatorum : venerunt rex et legatus per Alverniam B viam suam. Præventus autem rex ægritudine, quam, ut postea dictum fuit, gestabat occultam, apud Montem Pancerium præsentis vitæ cursum complevit, Domino sic volente, tempore autumnali, *videlicet* septimo Idus Novembris die Sabbati, *ut habet pag. 522 Albericus. Veneno regem potatum ope comitis Campaniæ, scribit loco citato Parisius,* ut fama refert, licet alii asserant, ipsum non veneno, sed morbo dysenterico expirasse. *Contendit et ante captam urbem jam mortem oppetiisse : verum in tota hac narratione tot seu errores seu mendacia miscuit Parisius, ut omnem sibi fidem detrahat : eum refutatum videbit lector apud Catellum in Historia comitum Tolosanorum a pag. 327. Hæc paucis commemoranda duxi, tum quia illorum in Actis fit mentio, tum ut perspiciat lector, quo in statu filio suo* S. Ludovico *reliquerit bellum contra Albigenses diu gestum, sed necdum ad finem perductum, Ludovicus VIII,* Cujus, *inquit laudatus Guilielmus de Podio,* erat propositum reverti ad terras istas vere, si viveret, subsequenti. *Addit idem auctor factum pio rege dignum, quo Ludovici continentia conjugalis egregie commendatur, hunc in modum :*

C

relicto sub finem vitæ egregio continentiæ exemplo :

75 Erat autem quod revelari posset, ut dicebatur, usu fæminæ ægritudo; quod, sicut audivi a viro fide digno, referri sentiens vir nobilis Arcambaldus de Borbonio, qui in ejus erat societate, posse juvari regem amplexu fæminæ, quæsitam virginem speciosam ac generosam, atque edoctam, qualiter regi se offerret, ac loqueretur, quod non libidinis desiderio, sed auditæ infirmitatis auxilio advenisset, dormiente rege a cubiculariis ejus de die fecit in thalamum introduci, quam rex evigilans cum vidisset aspirantem, quæsivit quæ esset, et qualiter introisset; quæ, sicut edocta erat, ad quid advenerat reseravit; cui gratiatus rex ait : Non ita erit, puella, non enim peccarem mortaliter ullo modo; et convocato dicto viro domino Arcambaldo mandavit eam honorifice maritari. Rex autem iste, et re, et nomine dignus alios regere, qui tanta virtute se regebat, qui si possibile esset mortem corporalem per peccatum noluit evitare. *Irrisit prudenter rex sapiens insanam stulti lenonis prudentiam, qui certa animæ pernicie spem vitæ offerebat incertam : cum vel millies sit corporis vita offerenda, ut mors animæ arceatur. Nunc videamus, quo pacto Ludovicus filio suo et successori ante mortem consuluerit.*

AUCTORE J. S.

Ludovicus ante mortem juramento obstringit proceres,

76 *Non ignorabat quosdam ex præcipuis regni proceribus fœdere nuper junctos esse in regni perniciem : hac de causa paucis ante obitum diebus juramentum exegit ab omnibus, qui ægrotanti aderant, proceribus : quod quale fuerit, et a quibus præstitum, docent ejusdem regis litteræ apud Cangium in observationibus ad Historiam* S. Ludovici *pag. 53, quas huc transfero :* Ludovicus D. G. rex Francorum, universis amicis et fidelibus suis, ad quos litteræ præsentes pervenerint, salutem et dilectionem. Noverit universitas vestra, quod dum nos apud Monpencier gravi valetudine corporis laborare contigisset, timentes de periculo regni post decessum nostrum, provida deliberatione, et præhabito salubri consilio, mandavimus dilectos et fideles nostros prælatos et barones, Bituricensem et Senonensem archiepiscopos, Belvacensem, Noviomensem, et Carnotensem episcopos, comitem Boloniæ, comitem Montisfortis, comitem de Sacro-cæsare, et Joannem de Nigella, eosque E rogavimus adjurantes, ut jurarent coram nobis, se quam citius posset, si de nobis humanitus contingeret, Ludovico majori filio nostro fidelitatem et homagium tamquam domino et regi bona fide facturos, et quod procurarent, quod ipse, quam citius fieri posset, coronaretur in regem, etc. Actum apud Monpancier anno MCCXXVI, mense Novemb. *Hæc prudenter ad securitatem filii sui moribundus Ludovicus.*

qui testamentum jam ante condiderat,

77 *Testamentum jam condiderat anno præcedenti 1225, quod memoratus sæpe Chesnius inseruit tom, 5 Scriptorum Franciæ a pag. 324, ex quo illa describam solum, quæ ad* S. Ludovicum, *ejusque fratres spectant :* Primum, *inquit,* volumus et præcipimus quod filius noster, qui nobis succedet in regnum, habeat totam terram, quam charissimus genitor noster Philippus piæ recordationis tenuit, et sicut eam tenuit et nos tenemus in feodis, et domaniis, exceptis illis terris, et feodis, et domaniis, quæ per præsentem paginam excipimus. *Hæc* S. Ludovici *hereditas : post quam subdit portionem trium filiorum,* Ludovico *ætate proximorum, in hunc* F *modum :* Volumus siquidem et ordinamus quod filius noster secundus natu habeat totam terram Attrebatesii in feodis et domaniis, et totam aliam terram, quam ex parte matris nostræ Elisabeth possidemus, salvo dotalitio matris suæ, si superviveret. Quod si idem, qui Attrebatesium tenebit, sine hærede decederet, volumus quod tota terra Attrebatesii, et alia terra, quam teneret, ad filium nostrum regni nostri successorem libere et integre redeat. *Obtinuit hanc portionem suam Robertus, at filio suo reliquit moriens, atque hinc ortus Artesiæ comitatus, ut probabilius putat David Lindanus lib. 1, cap. 6 de Teneramunda, licet jam a Philippo Augusto hunc comitatum erectum, aut etiam citius, velint alii.*

ex quo recitantur aliqua

78 *Tertio filio legavit sequentia :* Item volumus et ordinamus quod tertius filius noster habeat totum comitatum Andegaviæ, et Cænomanniæ in feodis et domaniis cum pertinentiis suis. *Erat hic Joannes, quem hac dote desponsatum videbimus suo loco. Aberrat itaque Dominus de Choisy in Vita* S. Ludovici *pag. 3, qui, quod fratres* S. Ludovici *non omnes novisset,*

AUCTORE J. S.

set, hæc Carolo legata scribit. Obtinuit quidem hunc comitatum Carolus post mortem Joannis, sed liberalitate S. Ludovici, *non testamento patris. Alphonso, quarto tum filio, hæc legavit Ludovicus :* Item volumus et ordinamus quod quartus filius noster habeat comitatum Pictaviæ, et totam Alverniam in feodis, et domaniis cum pertinentiis suis. *Obtinuit hunc comitatum Alphonsus, sed mortuo illo sine prole, ad coronam mox rediit. Audiamus quid de aliis filiis statuerit Ludovicus :* Item volumus, *inquit*, et præcipimus quod quintus filius noster sit clericus *(erat hic Philippus cognomine Dagobertus, defunctus in pueritia)* et omnes alii, qui post ipsum nascentur. *Natus est autem post quintum, factumque testamentum, solus Carolus anno 1226* in exitu Martii, *ut habet Chronicon S. Dionysii apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 496. Verum non placuit fortasse Carolo clericalis vita; quapropter pia* S. Ludovici *liberalitas devolutam ad se defuncti Joannis portionem Carolo concessit, ut videbimus suo loco. Qui reliqua hujus testamenti legata videre desiderat, illud adire potest loco assignato.*

B

Blancha, regnum administrare jussa, convocat magnates ad coronationem Filii :

79 *Non caverat in testamento suo Ludovicus VIII, cui post obitum suum regni administratio deberet incumbere, donec ea ætate esset filius suus, ut illud per se administrare posset : verum ante obitum suum coram archiepiscopo Senonensi, episcopis Bellovacensi, et Carnotensi declaravit, velle se ut regina Blancha regnum pro filio suo minorenni administraret, quod illi litteris suis testati sunt, ut ex antiquis monumentis scribit P. Gabriel Daniel in Historia Franciæ tom. 2, col. 2. Blancha, virili animo mulier, luctu ex mariti morte contracto non præpedita, mox regni proceres convocari jubet Remos, ut coronationi* Ludovici *filii sui Dominica prima Adventus assisterent. Verum non iisdem animis reginæ mandatum excepere proceres,* Sed, *ut scribit coævus auctor Chronici Turonensis apud Edmundum Martene tom. 5 Collectionis amplissimæ veterum scriptorum col. 1070,* Campaniæ et Britanniæ comites, comes Marchiæ, et alii Pictavienses ad coronamentum regium evocati, nec venerunt, nec nisi verborum contumeliis excusaverunt. Immo cum nuntiis regis Angliæ de die in diem conventicula faciebant, et ad destruendum Regem et regnum Franciæ, et submittendum auxilium, suumque consilium, regi Angliæ promittebant.

C

at multi eorum adesse renuunt,

80 *Matthæus Parisius ad hunc annum 1226 pag. 231 rationes recenset, ob quas optimates plerique adesse coronationi recusarent, et plures abfuisse refert. Verba ejus subdo :* Defuncto itaque Francorum rege Lodovico, regina ejus Blancha fecit convocare generaliter archiepiscopos, episcopos, et alios ecclesiarum prælatos cum magnatibus ad coronam spectantibus; ut venirent ad coronationem Lodovici filii sui et regis defuncti Parisios pridie Calendas *(imo Remos tertio Kalendas)* Decembris. Sed pars maxima optimatum, ante diem præfixum, petierunt de consuetudine Gallicana omnes incarceratos, et præcipue comites, Flandrensem Ferrandum, et Bononiensem Reginaldum, a carceribus liberari; qui in subversionem libertatum regni jam per annos XII sub arctiori custodia in vinculis tenebantur. Petierunt insuper quidam eorum terras suas sibi restitui; quas pater ejus Lodovicus, et avus illius Philippus, multo jam tempore injuste detinuerant occupatas. Adjiciunt etiam, quod nullus de regno Francorum debuit ab aliquo jure suo spoliari, nisi per judicium duodecim parium; nec aliquis bello premi, nisi prius denunciaretur per annum, et præmuniretur. Et cum hæc omnia sibi fuerint emendata, tunc primum ad coronationem venire non tardabunt. Regina vero, de consilio legati, metuens ne mora periculum pareret, convocato regni clero, et paucis ex proceribus, quos habere poterat, fecit Filium suum, puerum scilicet vix decennem, in Regem die S. Andreæ Apostoli coronari. Subtraxerunt se quidem ab hac coronatione, dux Burgundiæ, comes Campaniæ, comes de Bar, comes de S. Paulo, comes Britanniæ, et fere omnes, ut breviter dicatur, nobiles ad coronam spectantes : qui sese potius præparaverunt ad pugnam, quam ad pacis et concordiæ unitatem. *Hactenus ille.* D

adsunt tamen non pauci.

81 *Vincentius Bellovacensis lib. 30 Speculi Hist. cap. 129 brevius declarat procerum majorem partem abfuisse his verbis :* Plures majorum baronum Franciæ ad coronationem vocat *(regina,)* sed venire recusant. Præ dolore enim patris, et desolatione regni non vacant ibi gaudio, sed magis ibi intendunt lacrymis et mœrori. E *Hic scilicet erat speciosus prætextus eorum, qui modestius agebant : nam alios tantum non classicum cecinisse, patet ex præcedentibus dictis. Vides hic, lector, initia turbarum, quæ latius explicabimus § seq. Verumtamen non obstante hac quorumdam principum absentia, aulicorum numerosam satis turbam inaugurationi* S. Ludovici *interfuisse contendit Chaizius lib. 2, num. 1 : et num. 2 inter proceres, qui adfuerunt, recenset Joannem de Brienne regem Hierosolymitanum, patriarcham Hierosolymitanum, cardinalem legatum Pontificis, comitem Bononiensem patruum novi Regis, comitem Drocensem, comitem Blesensem, tres fratres dominos de Couci, comitissam Flandriæ et Campaniæ Regis consanguineas : quin et ducem Burgundiæ, ac comitem Barrensem, quos adesse noluisse scribit Parisius. Addit ex Philippo Mouskes, comitem Campaniæ jam in via fuisse, ut adesset; sed mandato Regis, et reginæ, præsentiumque principum consilio recedere coactum, quod odio omnibus esset ob recessum ab obsidione Avenionis, sublatique ab eo Ludovici VIII suspicionem. Hæc quidem non consonant omnino citatis ante auctoribus, at res est minoris momenti, neque facile determinari potest, veriorane sint dicta Philippi Mouskes, an Matthæi Parisii. Unum pro certo haberi debet, multos ex præcipuis abfuisse.* F

Ludovicus, Suessione militiæ cingulo donatus,

82 *Hæc procerum absentia, turbarum in regno oriturarum prænuntia, non morabatur reginam, quo minus inaugurationem statuto tempore peragendam curaret. Præmittenda tamen erat alia cæremonia, eo tempore a viris principibus non negligi solita : quippe* Ludovicus *ob ætatem immaturam militiæ cingulo nondum erat donatus. Factum id in urbe Suessionensi ante coronationem, habemus ex Chronico Andrensi apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 866 :* Ludovicus, *inquit*, adhuc duodennis dicti Ludovici filius Suessionis promotus in militem, Remis a domino Jacobo Suessionum episcopo, quia sedes Remensis vacabat, in regem solemniter consecratur. *De cæremoniis, quibus viri nobiles creabantur milites, seu equites, multa habet Cangius in Glossario vocum Latino-barbararum ad vocem* Miles, *quædam etiam in dissertatione 22 ad Joinvillium : ex quibus intelligimus non*

easdem

A *easdem semper fuisse observatas. In memorato Glossario tom. 4, col. 743 hæc habet circa personas, quæ creabant militem :* In hisce sacris cæremoniis cingulum militare conferebatur novo militi ab aliquo principe aut magnate, data, ut solemne erat, alapa militari, sacra faciente episcopo, aut sacerdote, ensemque benedicente... Interdum militiæ cingulum ab episcopis et abbatibus ipsis conferebatur in ipsa ecclesia sacris vestibus indutis... Neque tamen semper in hisce occasionibus gladius ab ipsis pontificibus militi accingebatur; sed ipsemet interdum miles de altari acceptum lateri suo aptabat, siquidem majoris dignitatis esset princeps. *Cum itaque non exprimatur, a quo* S. Ludovicus *militiæ gladium acceperit, verisimile est, vel ab episcopo Suessionensi traditum esse, vel ab ipso Rege de altari fuisse acceptum.*

Remis ungitur et coronatur ab episcopo Suessionensi.

83 *Militiæ cingulo donatus* Ludovicus, *Remos inungendus se contulit. Sacram ampullam, cujus chrismate inunguntur reges Franciæ, ab abbatia S. Remigii usque ad ecclesiam beatæ Virginis recenti stiparunt equites armati, cum ad* B *securitatem, tum ad magnificentiam ait Chaizius pag. 59 : sed cum eam ibidem ab abbate traditam ait in manus archiepiscopi Senonensis, id errori Philippi Mouskes attribuendum videtur, qui putavit* S. Ludovicum *auctum fuisse et coronatum ab archiepiscopo Senonensi, cum constet, id præstitisse Jacobum de Basoches Suessionensem episcopum, suffraganeum archiepiscopi Remensis, ut hodiedum omnes admittunt. Cæremonias sacræ unctionis et coronationis late describit Ludovicus Lassere a fol. 169, ubi eas curiosus lector inveniet. Unum hic observo cum Joinvillio num. 27, pium Regem, non ignarum, quantum opus humeris suis imponeretur, quantaque ad regnum recte administrandum indigeret sapientia, omnem in Domino collocasse fiduciam, atque animo in Deum fixo repetisse verba Missæ ex Psalmis desumpta :* Ad te levavi animam meam, Deus meus in te confido. *Et sane, sicut* nullus speravit in Domino, et confusus est. *Eccli. 2, ita nec sua* Ludovicum *spes fefellit, uti ex dicendis fiet manifestum.*

Dominica prima adventus, 29 Novembris anni 1226 anno ætatis decimo tertio.

84 *Annus, quo coronatus* S. Ludovicus, *certus est, quamvis in ea designando erraverint auctores aliqui, etiam Synchroni. Recte Nangius pag. 327 :* Infra mensem post patris obitum Remis prima Dominica Adventus per manum venerabilis patris domini Jacobi Suessionensis C episcopi, vacante sede Remensi, coronatus et inunctus fuit, anno videlicet ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto. *Cui consonant quoad omnia Albericus pag. 522, et Chronicum Turonense loco jam assignato, aliique plurimi antiqui. Præterea, qui annum 1227 assignant morti Ludovici VIII, et coronationi* S. Ludovici, *ut Bellovacensis lib. 30, cap. 129, et Chronicon Andrense loco num. 82 citato, cum quibusdam paullo posterioribus, refutantur ex epistolis ad* S. Ludovicum, *et Blancham anno 1227 scriptis, multisque instrumentis et gestis, ad illum annum referendis, ita ut ea de re nullum debeat esse dubium. Dies æque certa est : nam cum fuerit Dominica prima Adventus, ut Joinvillius, aliique asserunt, illaque eo anno inciderit in* XXIX *Novembris, seu pervigilium S. Andreæ Apostoli; necesse est coronatum esse in pervigilio S. Andreæ Apostoli* XXIX *Novembris, ut cum Chronico Turonensi assertum invenio in Chronicis variis. Corrigendi itaque recentiores quidam, qui primam Decembris designarunt. Neque obstare debet nummus, quem Jacobus de Bie exhibet in Francia metallica fol. 24 hunc in modum :*

AUCTORE J. S.



Etenim tot auctoribus coævis cedere debet auctoritas nummi, de cujus ætate non constat : nisi quis credere malit, sacram unctionem biduo post coronationem, seu 1 Decembris, sicut in nummo notatur, peractam esse, quod eruditis Gallis discutiendum relinquo. Ceterum ætas Regis hoc tempore deducitur ex disputatis § 5 de anno natali, quam uti et cetera, citatus num. 57 Bernardus Guidonis recte exprimit his verbis : E Coronatus autem fuit in Regem Dominica prima Adventus, anno Domini MCCXXVI, ætatis vero suæ anno XIII, quem completurus erat in sequenti festo S. Marci Euangelistæ.

§ IX. Potentes S. Ludovici adversarii initio regni : origo turbarum, et conspiratio principum adversus Regem.

Multos S. Ludovicus cum regno nactus est hostes :

Gesta S. Ludovici *in regno descripturi, ingentes mox turbas, dissensiones, bella, majoraque his omnibus Regis pericula referemus. Quapropter paucis lectorem ad singula minus attentum præmonere oportet, hæc* Ludovici *culpa* F *non fuisse exorta, adeoque nec ejus laudi obesse; quin potius ad summam Regis gloriam magnopere conducere, quod regnum adeptus externorum hostium bellis agitatum, subditorum et clientium principum conspirationibus scissum, illud ita demum pacaverit, ut nec hostes externi nec interni quidquam ultra movere ausi sint, eamque reduxerit concordiam non suo, sed hostium suorum impendio. Verumtamen, quod spectat ad primos regni annos, tumultibus hisce magis agitatos, fatemur gloriam conservati* Ludovico *imperii Blanchæ reginæ majori ex parte attribuendam esse, cujus mandato gerebantur omnia : ita tamen ut nec adolescentem Regem omni laude oporteat spoliare; hunc enim videbimus ubique cum matre agentem, ubique præsentem, ubique strenue et prudenter suas partes exsequentem. Hisce præmonitis, breviter item referendum est, quos simul cum regno hostes nactus sit* S. Ludovicus.

præcipui erant rex Angliæ,

86 *Præcipuus Franciæ hostis erat multo jam tempore Anglus, intentus in omnem occasionem recipiendi amissas in Gallia provincias. Quippe cum Normanniam, multasque trans Ligerim*

provincias

AUCTORE J. S.

provincias possedisset rex Angliæ, iis fere omnibus per Philippum Augustum S. Ludovici avum privatus erat Joannes, Henrici III hoc tempore in Anglia regnantis pater. Angli eas injuste ereptas contendebant; Galli vero asserebant jure occupatas, quod Joannes Angliæ rex Galliæ regis pro dictis provinciis vassallus, duodecim Franciæ magnatum, quos pares vocant, judicio damnatus, iisque mulctatus esset. Bellum quidem ex hac contentione ortum, induciis quandoque fuerat interruptum; sed pax necdum coaluerat; nec desinebant Angli quaslibet arripere occasiones recuperandi provincias olim suas. Hæc breviter ad lucem sequentium hoc loco deducta, plenius enarrata inveniri possunt in historicis variis, qui illa pertractant tempora; uti et ea, quæ dicentur de aliis principibus.

comes Britanniæ Armoricæ;

87 Secundus S. Ludovici hoc tempore hostis erat Petrus Britanniæ Armoricæ comes, cognomento Mauclerc seu malus clericus, frater comitis Drocensis, ac regia Ludovici VI stirpe natus, qui comitatum Britanniæ conjugio comitissæ Adeleidis obtinuerat tempore Philippi Augusti. B Vir erat, ut eum depingit pluribus Lobineau in Historia Britanniæ tom. 1, pag. 207, ad arma natus, ingenio summo, sed ad malum sæpius quam ad bonum proclivi; parum sincerus in verbis, in fœderibus inconstans, juris sui atque auctoritatis studiosus, ac submissus tantum, ubi id exigebat necessitas. Possidebat præter Britanniam civitates quasdam vicinas, ita ut et fortitudine, et ingenio vafro, et opibus, et commerciis cum rege Angliæ esset metuendus. Ceterum Rex ipse agnovit apud Joinvillium num. 31, nullum sibi fuisse magis inimicum Petro Britanniæ comite : rationes autem, cur in regnum cum aliis conspiraverit, mox explicabuntur.

comes Campaniæ,

88 Tertius erat Theobaldus Campaniæ comes, ac deinde Navarræ rex, Regis item consanguineus, opibus ac provincia lata potens. Hunc principem atris passim coloribus depingunt historici : quin et jactitatum fuit eo tempore, Ludovicum VIII ejus opera veneno sublatum, ut vidimus. Verum præcipui auctores coævi id non habent, neque ullam hujus suspicionis mentionem inveni apud scriptores antiquos, præterquam apud Matthæum Parisium, rumores quoslibet malignos Historiæ suæ inserere consuetum, C et Philippum Mouskes poetam. Crediderim itaque hanc famam ab inimicis ipsius sparsam fuisse, quando ab eorum recessit fœdere, atque apud paucos fidem invenisse. Rex certe reginaque ea videntur suspicione caruisse, quod susceperint eum postea contra confœderatos principes defendendum. Ceterum, quamvis Theobaldus comitatum Campaniæ obtinuisset favore Philippi Augusti, ac protectione Ludovici VIII, ut ait Chaizius pag. 46, retinuisset contra patruelem suam, quæ eum ad se pertinere contendebat, de quo plura dicenda sunt inferius; tamen iteratis jam vicibus se minus obsequentem præbuerat Ludovico VIII, ita ut occasionem quærere videretur eximendi se prorsus ab ejus imperio.

comes Marchiæ, comes Barri, nobiles Pictones, et comes Tolosanus cum Albigensibus.

89 Ad hos accedebat Hugo de Lusignan Marchiæ comes, qui viduam Angliæ regis Joannis, eamdemque matrem Henrici III in Anglia tunc regnantis, duxerat uxorem, amplamque trans Ligerim, tum ex parte sua, tum ex parte uxoris, habebat ditionem : videlicet præter comitatum Marchiæ, provinciam Santonensem, et Engolismensem, cum parte provinciæ Pictaviensis. His accessit, ut infra patebit, Barri comes, uti et magnates Pictones. Præterea bellum etiam D tum vigebat contra comitem Tolosanum, et Albigenses, qui sæpe quidem victi, magnaque ditionum suarum parte spoliati erant; at penitus superari a tot tamque numerosis exercitibus necdum potuerant. Principes hi omnes classicum canebant contra Ludovicum, nec prætermittebant sollicitare alios; qui si necdum plane in partes eorum transierant, certe jam vacillabant, cumque iis se demum conjuncturi erant, quorum fœdus sibi existimabant utilius. Cum horum principum potentia si conferantur vires Regis, quales eo tempore erant in Francia, manifeste apparebit vera dixisse Joinvillium num. 28 cum aliis biographis, cum affirmarunt omnino necessariam adolescenti Regi fuisse singularem Dei protectionem et opem, ut tot, tamque potentibus hostibus non succumberet. Nunc examinemus quando hæc conspiratio fuerit primum exorta, quaque de causa principes contra dominum suum, et Regem videantur insurrexisse.

Comes Britanniæ studet procurare divortium inter comitem et comitissam, Flandriæ,

90 Prima ac præcipua ratio conspirationis non alia fuisse videtur, quam ut auctoritatem, potentiamque Regis, quæ mirifice aucta erat sub Philippo Augusto, S. Ludovici avo, imminuerent, illiusque depressione suam augerent potentiam. Hinc terras sibi quasdam, injuste, ut jactabant, ablatas volebant restitui, regnique E jura læsa esse a præcedentibus regibus conquerebantur; uti habet Parisius num. 80 citatus. Præter hanc tamen et alia ratio invenitur ex ambitione comitis Britanniæ, quam tradit scriptum eodem tempore Chronicon Turonense; sed res paullo altius repetenda. Chronicon Alberici pag. 468 ita habet : Anno MCCXIII comitatum Flandriæ sortitur Ferdinandus de Hispania regis Portugalliæ filius, cui data est prima filiarum comitis et imperatoris Balduini, Joanna nomine, in uxorem, ad petitionem et instantiam veteris comitissæ Flandrensis (Mathildis) amitæ istius Fernandi. Prædictus autem Ferdinandus, Fernandus, seu Ferrandus, ut vocant alii, obtenta per uxorem Flandria, cum Ottone IV imperatore, aliisque principibus confœderatus, bellum gessit adversus Philippum Augustum Francorum regem, a quo anno 1214 celebri prælio cum principibus confœderatis victus; captusque cum Boloniæ comite et carceri mancipatus fuit, ut ad eumdem annum 1214 narrat Albericus, aliique plurimi. F Noluit hos comites carcere liberare Philippus Augustus, noluit aliquamdiu Ludovicus VIII ejus filius, donec carcer comitis Flandriæ occasionem dedit comiti Britanniæ Petro comitatum Flandriæ ambiendi. Solebant eo tempore matrimonia, quæ bona fide fuerant dudum contracta et consummata, non raro solvi propter impedimentum aliquod, quod latuerat, deinde detectum. Porro simile quoddam impedimentum, quo invalidum esset conjugium Flandriæ comitis Ferrandi cum comitissa Joanna, aut invenisse se putabat, aut certe fingebat Petrus Britanniæ comes : obtinuerat enim litteras a Pontifice Honorio III, non quidem, ut infra probabo, quibus matrimonium jam solveretur, sed ut examen institueretur de illius valore : accusabat matrimonium, ut invalidum, et comitissam Joannam sibi consentientem ducere uxorem meditabatur, comitatum Flandriæ hoc conjugio adepturus.

91 Innotuit totum hoc negotium Ludovico VIII, qui, ut molimina hæc disturbaret, agere cœpit de comite Flandriæ e carcere dimittendo :

ut comitissam ducat uxorem, obtentis a Pontifice litteris

A *do : at intercedente regis morte, post obitum Ludovici VIII dimissum videbimus. Hanc conspirationis horum principum causam assignat auctor citati Chronici Turonensis. Audi itaque quo ipse pacto rem enarret apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ, col. 1069, ubi ait exspectandam fuisse Avenionensibus urbis suæ ruinam, Ludovico VIII muros eorum assiduis assultibus oppugnante;* nisi a baronibus Franciæ, qui contra regem occulte conspiraverant, turbaretur negotium... Nam cum Petrus comes Britanniæ ab Honorio Papa litteras impetrasset super divortio inter Ferrandum comitem et Johannam comitissam Flandriæ celebrando, et etiam matrimonium accusaret, eamque consentientem sibi desponsandam præordinasset; rex iratus hoc audiens, nec operi nefando consentiens, Ferrandum comitem XL millibus librarum Parisiensium redemit, eumque in sequenti nativitate Domini, receptis ab eo et baronibus Flandriæ munitionibus et obsidibus, a carcere liberavit *(Blancha pactum illius exsequente, ut dicemus :)* ob hoc Petrus comes Britanniæ cum Campaniæ et Marchiæ comitibus, multisque aliis baronibus, contra omnes, rege non excepto, B conspiraverant, sicuti dicebatur, Avenionenses et comitem Tholosanum in tantum fovens et adjuvans, quod ad eos suos nuntios cum muneribus transmittebat, eorumque munera, nuntiosque recipiens, sese suspectum regi et omnibus exhibebat.

ad valorem matrimonii examinandum : impedito per regem divortio,

92 *Chaizius pag. 65 hanc conspirationis causam non amplectitur, quam in recentioribus solum auctoribus legerat, admissurus, ut opinor, si hoc Chronicon considerasset. Cur enim non credamus auctori synchrono et sincero, in re præsertim, quæ nec ab usu illius temporis, nec a vafro comitis Britanniæ abhorret ingenio? Etenim, ut alia prætermittam exempla, Alphonsus rex Legionensis a duabus uxoribus Tharasia primum, deinde et Berengaria Castellana* S. Ludovici *amita, non ita pridem pontificio mandato fuerat separatus. Porro assentiri non possum opinioni Lobineau, qui in Historia Britanniæ pag. 219 verba citata,* Cum... literas impetrasset super divortio... celebrando, *ita accepit, acsi Pontifex matrimonium jam declarasset irritum. Cum enim addat auctor hæc verba :* Et C etiam matrimonium accusaret, *matrimonium necdum erat examinatum, necdum a Pontifice mandatum divortium : alioqui accusatione matrimonii opus non fuisset Britanniæ comiti. Idem rei exitus declarat, cum juncti permanserint. Itaque mea quidem sententia nihil impetraverat comes Britanniæ, nisi ut matrimonium examinaretur, ac procederetur ad divortium, si post legitimum examen repertum fuisset invalidum. Ceterum qua de causa matrimonium dictum Britanniæ comes invalidum esse contenderit, auctor non exprimit.*

cum aliis principibus contra regem conspirat :

93 *Litteras hujusce fœderis, signatas anno 1226 Gallice dat memoratus Lobineau loco assignato, quas asserit eodem tempore fuisse exaratas. Priores sunt comitis Britanniæ, quibus se comiti Campaniæ jurejurando obligatum docet, ad opem ei ferendam contra quemlibet,* qui vivere potest et mori. *Alteræ comitis Marchiæ, quibus se similiter obligat contra quemlibet, comite Britanniæ excepto. Hi itaque tres comites, totius factionis duces, jam conspiraverant vivente Ludovico VIII, vel in ipsa obsidione Avenionensi, vel antea : accesserunt, mortuo Ludovico, magnates Pictonum, et comes Barrensis. Audi memoratum Chronicum Turonense col. 1070 :* Regno, *inquit,* Franciæ sic in manu mulieris et pueri derelicto, Savaricus de Malo-Lione et alii, consilio, sicuti dicebatur, magnatum Pictaviæ, nulli ordini, sexui, vel ætati parcentes, quemcumque terra et mari capere poterant, rapiebant; in tantum se regi Angliæ submittentes, quod Richardum fratrem ejus ad Rupellam, aliamque terram regis Franciæ destruendam, in auxilium vocaverunt, eumque factis homagiis in suis oppidis receperunt. *Et inferius :* Theobaldus comes Campaniæ, et Henricus Barrensis comes, qui contra regem conspiraverant, et in conductu Regis ad parlamentum venerunt, ibique cum Richardo fratre regis Angliæ, et aliis ejusdem regni nuntiis, baronibusque Pictaviæ multa nefanda, et acerba consilia contra regem Franciæ tractaverunt.

AUCTORE J. S.

agunt item cum Anglis de fœdere : molimina regis Angliæ.

94 *Hæc cum Richardo, qui jam ante fuerat in ducatu Aquitaniæ ad Anglos spectante, tractabantur quidem, et pars utraque fœdus cupiebat contra Regem; at non tam cito de conditionibus fœderis Richardum inter et prin-* E *cipes convenire potuit, quod illi jam intercedebat cum Pictonibus. Interea Rex Angliæ Henricus, hac procerum rebellione audita, occasionem arripuit tentandi magnates provinciarum, quas suas esse contendebat. Rem narrat Parisius ad annum 1226 pag. 231 hoc modo :* Rex autem Anglorum, audiens dissidium procerum prædictorum, misit ad partes transmarinas archiepiscopum Eboracensem Walterum, et Philippum de Albineto militem, cum aliis solemnibus legatis, ad optimates Normanniæ, Andegaviæ, Britanniæ, et Pictaviæ, qui sibi subjici de jure tenebantur : postulans cum magnis pollicitationibus, quatenus ad eos ipsum venire cupientem, fideliter admittere dignarentur. *Hæc Anglus hoc tempore moliebatur, ut amissa recuperaret. Et sane ingens regno malum imminere videbatur : sed Dominus, qui dissipat consilia gentium, dilectum sibi* Ludovicum *a ruina servavit, totaque hæc tempestas brevi evanuit, ut jam narrare aggredimur.*

F

§ X. Protectio summi Pontificis a Rege postulata et obtenta : comes Flandriæ vinculis exemptus : principum conspiratio dissipata : Anglorum conatus elusi : induciæ cum iisdem.

Protectionem summi Pontificis Rex petit, et obtinet :

R*ex ac regina pari pietate, prudentia, ac fortitudine præditi, visa procella capiti suo imminente, nihil prætermiserunt, quod prudentia, ac fortitudo suggerere poterant ad periculum amovendum. In primis protectionem petierunt Sedis apostolicæ, cujus favor quantum eo tempore prodesset apud Christianos, non erant ignari. Annuit postulatis non sine laude regum Francorum Gregorius IX summus Pontifex, data ad Regem, reginamque epistola, quæ apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ, col. 1210 ita sonat :* Gregorius episcopus servus servorum Dei carissimis in Christo filiis Ludovico

illustri

AUCTORE J. S.

illustri Regi Francorum ac B. matri et fratribus suis salutem et Apostolicam benedictionem. A memoria nostra non poterit, sicut nec debet, excidere fidei et devotionis sinceritas, quam reges et regnum Franciæ ad Deum et sacro-sanctam Ecclesiam noscuntur hactenus habuisse : quorum sinceritatem Sedes apostolica favorabiliter prosecuta, reges ipsos et regnum studuit semper multipliciter honorare. Vos quoque, propter commune debitum, quod debet prospicere viduis et pupillis, affectu tenemur prosequi speciali, ex eo quod tu, fili Rex, devotione sicut sanguine tuorum successor et hæres, negotium fidei prosequi diceris. . . contra Albigenses hæreticos. .. Hujusmodi ergo consideratione inducti, supplicationibus vestris clementer annuimus, et personas vestras cum ipso regno, familiis, et omnibus bonis vestris sub beati Petri et nostra peotectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus *etc.* Datum Lateranis VI Idus Maii Pontificatus nostri anno primo, *Christi 1227. Aliam eodem die epistolam dedit Pontifex ad Romanum sancti Angeli Cardinalem, legatum in Gallia Pontificium, qua idem negotium* B *ejus curæ committit : quamque ibidem col. 1211 lector inveniet. Porro legatum Pontificium egregie partes suas implevisse, etiam ante acceptam hanc epistolam, Regisque lateri ubique adhæsisse, in decursu patebit. Credibile est non parum valuisse ejus auctoritatem, tum ad reducendos rebelles, tum ad animos nutantium in fide confirmandos.*

comitem Flandriæ e carcere dimittit

96 *Aliud contra seditiosos præsidium sibi prudens regina paravit, dimittendo e carcere comitem Flandriæ : de cujus liberatione Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum 1226 ita scribit :* Hic *(S. Ludovicus)* interventu præcipue Blanchæ matris Ferdinandum comitem sobrinum suum vinculis solvit, post annos duodecim ac quinque menses quam fuerat captus. Dimissus autem est ad Epiphaniam Domini, ideoque qui morem servant Romanum, conferunt ejus redemptionem in annum vigesimum septimum. Sunt qui Alphonsi fratris, qui regnum ea tempestate in Lusitania obtinebat, simul Joannæ principis auro liberatum putant. Alii (quod propius vero sit) Blanchæ reginæ tantummodo precibus, quæ ejus erat matertera regisque mater, condonatum C memorant, postquam ipse, uxorque in leges pacis, cujus supra meminimus, religiose jurassent. *Auro redemptum habet Chronicon Turonense citatum num. 90. Neque hoc dubium videtur, cum fateatur Joanna comitissa in charta sua, edita apud Martenium Collectionis amplissimæ tom. 1 col. 1205, se adjutam fuisse in redimendo marito suo auro abbatis et conventus S. Vedasti.*

conditionibus hic memoratis :

97 *Conditiones autem, quibus eum Ludovicus VIII dimittere statuerat, has memorat ad annum præcedentem Meyerus :* Ut si rursus Ferdinandus a rege defecisset, ipse motus per Pontificem Romanum piorum communione regno expelleretur, Flandriæ, per episcopos Laudunensem Sylvanectensem sacrificiis interdiceretur, Duacum oppidum aliquot adhuc annos remaneret in manu Regis, omnis nobilitas præfecturæque Flandriæ *(jurarent,)* si in posterum comites hanc pacem violassent, se comites deserturos, regisque tutaturos partes, donec per XII megistanes Galliæ pax foret composita. Quod si quispiam forte nobilis hunc in modum se obligare detrectasset, comes illum Flandria pelleret, bona ejus omnia in fiscum cogeret, neque eum umquam reduceret nisi per gratiam ac voluntatem Regis. Adhæc comitibus Flandriæ oppida sua eis Scaldim restituere aut novas alicubi munitiones educere, nisi assensu ac voluntate regum numquam liceret. *Addit has conditiones factas mense Aprili, sed comitem in carcere mansisse usque ad tempus supradictum, quia Flandri in has conditiones jurare recusarunt, quod ne postea quidem facere voluerunt. Verum sufficiebat* Ludovico *comitem ejusque uxorem jurasse, ut eum hisce pactis firmiter sibi adversus hostes conjungeret : neque comes in secutis deinde turbis spem ejus fefellit. Ceterum instrumentum comitis, factum Insulis mense Januario, in quo hæc omnia fusius leguntur, invenies apud Leibnitium in Codice juris gentium pag.* XI. D

collecto exercitu progreditur ad partes Pictaviæ ;

98 *Nunc exponamus quanta celeritate, prudentiaque Rex ac regina totam conspirationem procerum ante dictorum dissiparint, motusque excitatos sedarint. Nangius apud Chesnium pag. 327 ita rem narrare aggreditur :* Eodem anno *(1226 more Gallorum veterum)* quo coronatus fuit Ludovicus Rex, Hugo comes Marchiæ, et E Theobaldus comes Campaniæ, nec non et Petrus comes Britanniæ, contra ipsum Regem et dominum suum conspirantes, fœdus ad invicem inierunt. Unde comes Britanniæ ex consensu comitis Campaniæ, qui absque licentia imo contra voluntatem et præceptum regis jam defuncti Ludovici de terra Albigensium redierat, castellum *(in Normannia)* quod sanctum Jacobum de Beveron nominant, quod una cum alio *(in Pertico,)* quod Belesmum dicitur, sibi rex defunctus Ludovicus diu ante in custodia tradiderat, prout melius poterat firmabat, et victualibus muniebat. Sed confœderationem et in regnum suum eorum machinationem pessimam novus Rex adhuc juvenis peragnoscens, asseruit jurans in brachio fortitudinis suæ, quod defenderet se de omnibus : habitoque cum suis consilio, contra illos incredibilis multitudinis ducens exercitum, usque ad Quarerriam de Curcetio * quantocius properavit. Rex siquidem Romanum Cardinalem sedis Apostolicæ tunc legatum in Francia, comitemque Boloniæ avunculum * suum, nec non Robertum comitem Drocensem fratrem comitis Britanniæ in suo habebat comitatu. Cum autem vidisset F comes Campaniæ exercitum Regis mirabilem, dominumque suum naturaliter pertimescens, adhærensque Regi Franciæ a comitum Marchiæ et Britanniæ consortio celeriter resiluit. Quem Rex benignissimus ad amicitias pristinas hilari vultu recepit.

* la Charriere de Curçei

* *id est* patruum

ubi ei reconciliatur comes Campaniæ cum Barri comite.

99 *Primus ad obedientiam regressus comes Campaniæ cum Barrensi tamen comite, ut mox videbimus, quamvis de eo non meminerit Nangius, auctores varios in errorem deduxit. Chaizius pag. 67 aliique recentiores putarunt, Regem cum exercitu primo in Campaniam profectum ; hinc terrorem comiti injectum, armaque ab eo deposita. Verum nec in Campaniam Rex movisse legitur apud auctores illius temporis, nec Regi adhuc reconciliatus erat Campaniæ comes, cum jam ille circa Martium procul a Campania cum exercitu degeret trans Ligerim in Pictaviensi provincia, ut dicendum sit, hoc iter in Campaniam ex fallaci conjectura fuisse confictum. Choisy pag. 12 amoribus comitis hanc reconciliationem attribuit, ac si, visa regina Blancha, ejus pulchritudine attonitus, arma mox de manibus projecisset. At vero neque hoc*

anti-

A *antiquis auctoribus notum, neque credibile : etenim fingamus comitem, insano hoc amore flagrasse, similem erga se, hominem conjugatum, in Blancha regina integerrima sperare non poterat affectionem. Veram igitur hujus reconciliationis rationem ex auctore, cujus fere sub oculis res gesta est, mox assignabimus, ubi cum eodem Regis progressum exposuero exactius, quam supra describitur a Nangio.*

qui ab Anglis dissentiebant.

100 *Auctor Chronici Turonensis, qui eidem hoc anno finem imponit, motum Regis reginæque cum exercitu sic exponit :* Anno MCCXXVII, x Cal. Martii, scilicet die Sabbati, venit Turonis Rex Franciæ Ludovicus cum Blancha matre sua et infinito armatorum exercitu. *Nihil hic moratus, ad partes Pictaviæ, ubi quidam ex rebellibus degebant, movit exercitum :* In crastino autem, *inquit auctor,* apud Cainonem * profectus, et deinde apud Lodunium * *(in Pictaviensi provincia)* cum Britanniæ et Marchiæ comitibus, eorumque fautoribus; apud Charreiam Curcaii *(quod Nangius supra* Quarerriam de Curcetio *nominat, neque longe Loduno abest)* B fere per xx dies intervenientibus nuntiis tenuit parlamentum. *Hoc loco haud dubie ad se invitavit omnes confœderatos principes, sed Britanniæ et Marchiæ comites adesse recusarunt, ac per nuntios cum Rege egerunt. Venerunt autem ad Regem Campaniæ et Barri comites, quos ibidem ad concordiam revocavit. Narrat hæc idem auctor, qui ita prosequitur :* Theobaldus enim comes Campaniæ, et Henricus Barrensis comes, qui contra regem conspiraverant, et in conductu Regis *(seu obtenta securi accessus promissione)* ad parlamentum venerunt, ibique cum Richardo fratre regis Angliæ, et aliis ejusdem regni nunciis, baronibusque Pictaviæ multa nefanda et acerba consilia contra Regem Franciæ tractaverunt. Sed Dominus cujuslibet eorum mentem ita mutavit, et divisit ab alio, quod singuli pro se, aliis inconsultis, infecto negotio *(fœderis)* desolati apud Thoartium *(in Pictavia)* remanserunt. Interea Richardus frater regis Angliæ, et Savaricus de Malo-leone *(e præcipuis Pictonum magnatibus,)* qui diu expectaverant, comitem Campaniæ et comitem Barrensem, qui extra muros Thoartii morabantur, capere tentaverunt; sed compertis eorum insidiis, clam a C Thoartio fugientes, se in omnibus homagiis Regi Franciæ submiserunt. *Hæc illorum perfidia nutantes impulit, imo coegit se Regi conciliare : non immerito enim sibi metuebant, quod hinc perfidiam, inde florentissimum Regis exercitum ante se positum vererent.*

* Chinon
* Loudun

Comites Britanniæ et Marchiæ bis a Rege citati, moras nectunt,

101 *Hoc vulnere Regis celeritate, qui tantum hiemali tempore tam cito et collegit et duxit exercitum, rebellium fœderi inflicto, expeditior erat ad alios subigendos via. Sed maluit id sine sanguinis effusione Rex facere, quam vi et armis. Audiamus itaque quo pacto id consecutus fuerit. Nangius, post relatam reconciliationem jam expositam, hoc modo prosequitur :* Deinde duos prædictos comites, videlicet Marchiæ et Britanniæ, fecit regali edicto ad suum parlamentum convocari, *adhuc agens in partibus Pictaviæ, ut patebit ex sequentibus. Quid illi? Moras nectunt, regiumque exercitum longius amovere cupiunt :* Sed, *inquit auctor,* qui jam adversus eum et reginam matrem ejus confœderati fuerunt, Regis mandatum vilipendentes, et ad ejus parlamentum venire penitus contemnentes, *(nempe quamdiu ibi cum exercitu subsisteret)* mandaverunt ei quod apud Chinonium *in Turonensi Provincia,* si suæ placeret voluntati, adventarent; *ut eo scilicet reduceret exercitum. Fecit id Rex, relictis tamen præsidiis, ad limites circa provinciam Pictaviensem tutandos, ut habet Chronicon Turonense :* Sed hoc incassum, *inquit Nangius,* nam ad diem præfixam nec personaliter accesserunt, nec per se ipsos sufficienter mittere voluerunt. Unde secundo citati, et a suis affinibus persuasi, quod ad Regis domini sui parlamentum accederent, mandaverunt ei quod Turonis coram ipso libenti animo comparerent, sed mandatum de die in diem adimplere differentes, *quod nimirum sincere non agerent, sed exercitum magis cuperent amovere.*

AUCTORE J. S.

tertio citati, eum accedunt Vindocini, ac reconciliantur

102 *Non poterant id non perspicere Rex, ejusque consiliarii, voluit tamen omnem juris formam servare. Sic enim pergit Nangius :* Rex nobilis iratus vehementer, communicato cum suis baronibus consilio, ne aliquid contra jura agere videretur, tertio jussit eos suo parlamento interesse. Et tunc primo stultam suam superbiam, et domini sui Regis clementiam perpen- E dentes, mandaverunt ei humiliter et devote, quod apud Vindocinum *, si vellet, in suam præsentiam comparerent, et de omnibus, quæ ipsi forefecerant *, emendarent. Quod ut ore promiserunt, opere compleverunt. Rex vero prout erat innatæ mansuetudinis, nolens malum pro malo reddere : ipsis pœnam conspirationis et inobedientiæ misericorditer relaxavit. *Chronicon vero Turonense post relatam comitum Campaniæ et Barri submissionem, sic pergit :* Quo facto Rex Vindocinum rediit, *itinere jam dicto, citationibusque præmissis,* munitionesque muniens, ad defensionem terræ ducentos milites, *(qui singuli habebant aliquot* servientes, *ut vocabant, id est gregorias milites,)* reliquit. Dumque sic Rex rediret, Britanniæ et Marchiæ comites videntes, quod universi et singuli eos unanimiter dereliquerant, loquebantur labiis et movebant caput, in conductu Regis *(seu salvo conductu Regis muniti)* XVII Calendas Aprilis Vindocinum pervenerunt, ibique coram legato, factis homagiis, in hunc modum pacis devenerunt.

* Vandôme
* *id est,* deliquerant

conditionibus hic memoratis.

103 Rex Franciæ Ludovicus Johannem fratrem suum puerum octennem Yolendi filiæ Petri comitis Britanniæ desponsandum promisit, eique Andegaviæ comitatum concessit, dictoque F comiti Britanniæ urbem Andegavensem, Bougeium * et Bellum-fortem *, et Cenomanicum * post mortem reginæ Berengariæ cum pertinentiis, exceptis homagiis, usque ad XII annos prædicto puero dereliquit, et insuper sanctum Jacobum de Bevronio *, et Lapidariam *, et Belisma * castrum cum eorum appendiciis eidem comiti et hæredibus suis donavit in perpetuum et quittavit *. *Quæ Comiti hoc pacto concessit Rex, servanda fratri suo Joanni, donec is ea esset ætate, qua per se regere posset, pars erant hereditatis Joanni relictæ testamento patris Ludovici, recitato num. 78 : alias urbes ad ejus hereditatem spectantes Rex ipse servare voluit. Comes vero ex parte sua quædam itidem oppida filiæ suæ se daturum promisit, uti ex monumentis antiquis docet dominus Lobineau in Historia Britanniæ tom. 1, pag. 221. Porro matrimonium illud impeditum fuit morte Joannis haud multo post secuta. Reliquas hujus pacti conditiones vide apud laudatum Lobineau loco assignato.* Comiti vero Marchiæ, *ait citatum Chronicon Turonen-*

* Baugé
* Beaufort
* le Mans
* S. James de Beuvron
* la Petriere
* Belesme
* *i. e.* abdicavit

AUCTORE J. S.

Turonense, dotalitium uxoris suæ reginæ quondam Angliæ, nec non et pactiones regis Franciæ Ludovici patris sui, remittenti penitus et quittanti, infinitam pecuniam erogavit, et sic eos schismaticos, pœna remissa, recepit in gratiam et absolvit. *Martenius tom.* I *Collectionis amplissimæ, a col. 1214 edidit conditiones, quibus pax cum comite Marchiæ sancita, quæ initio sic habent :* Ludovicus.... nos de assensu et voluntate carissimæ matris nostræ B. reginæ Francorum dilecto et fideli nostro Hugoni de Lesignano comiti Marchiæ concessimus, quod carissimus frater noster Alphonsus comes Pictavensis Elizabeth filiam dicti comitis Marchiæ, si Romana Ecclesia concesserit, habeat in uxorem, et Hugo primogenitus ipsius comitis ducat in uxorem Elisabeth carissimam sororem nostram. *Verum conjugia numquam coaluerunt; quod ante ætatem nubilem horum puerorum aliæ exortæ sint discordiæ. Reliquas pacis conditiones lector ibidem potest consulere. Pacta item cum comitissa Marchiæ de ejus dotalitio habes ibidem col. 1207, quæ facta signantur* mense Martio
B *anni 1227. Col. autem 1209 litteræ extant quorumdam nobilium, qui eodem tempore Vindocini jussu Marchiæ comitis Regi clientelam juraverunt. Ex quibus intelligimus quanta celeritate tota hæc conspiratio sit sopita; namque* X *Kalendas Martii Rex primum cum exercitu Turones venit; ante finem vero Martii quatuor potentes comites Campaniæ nempe, Barri, Britanniæ, et Marchiæ, non modo ab Anglorum fœdere, de quo tractabant, avulsi, sed et Regi* Ludovico *jurata clientela obstricti, et cum Anglis tractare erant prohibiti. Ita tempestas hæc, quæ regno ruinam minabatur, brevissimo tempore sopita, Deo dilectum sibi Regem protegente.*

Henricus Angliæ rex nihil ex his regni turbis lucratus;

104 *Restat ut enarremus, quem Anglorum molimina hoc anno habuerint exitum. Speraverant illi ex hac regni Gallici perturbatione ingens sibi lucrum. Vidimus enim num. 94 missos ab Henrico Angliæ rege legatos ad solicitandas provincias, quas sui juris esse contendebat. Quid hi effectum dederint, narrat Parisius ad annum 1227 pag. 232 his verbis :* Per idem tempus instante solemnitate paschali, archiepiscopus Eboracensis, et episcopus Karleolensis, cum Philippo de Albeneio milite, nuncii regis, reversi
C sunt in Angliam de partibus transmarinis. Missi quidem erant ad magnates illarum regionum, qui de jure antiquo ad regem Angliæ spectare tenebantur. Quibus propositum fuerat ex parte regis, ut blandis exhortationibus cum promissionibus magnis eos inducerent, quatenus dictum regem ad illos venire cupientem reciperent, et recognoscerent ut dominum naturalem. Sed ne diu et inaniter verba protrahamus, antequam nuncii regis ad partes illas pervenissent, Francorum Rex, matre ejus partes suas interponente, cum baronibus illis pacem fecerat, et eorum homagia susceperat; distribuens ipsis affluenter terras, et castella, ad jus Regis pertinentia, faciens sibi de mammona iniquitatis amicos. Comes vero Britanniæ, cujus filiam nuncii petebant regi per matrimonium copulandam, nunciis regis dedit in responsis, quod ipse cum Rege Francorum pacis fœdus composuerat, quod nullo modo potuit violare. *Ex quibus facile intelligas, necesse fuisse* Ludovico, *ut ne severe nimis cum Britanniæ et Marchiæ comitibus ageret, ad melius eludendos regis Angliæ conatus.*

105 *Quid tandem Richardus, regis Angliæ frater cum Pictonibus consecutus est? Albericus* D *in Chronico ad annum 1227 pag. 523 hæc commemorat :* Frater regis Angliæ comes Richardus, qui ante biennium Reolam (Riolam *) et partes circa Burdegalam contra regem Franciæ saisiverat *, per cognatos Regis Humbertum Bellijoci dominum, et Britanniæ comitem Petrum victus est in bello, et sic in Angliam revertitur. *Videtur Britanniæ comes post pacem cum Rege initam mox fidem suam hoc modo probare voluisse, ita ut hæc mense Aprili contigisse videantur. Crediderim tamen non nisi velitationes quasdam fuisse, cum de hac victoria taceat Chronicon Turonense, solum referens inducias cum Richardo et Pictonum magnatibus pactas, easque mox subjiciens paci cum comitibus a Rege sancitæ, his verbis :* Quo facto Rex per nuncios cum Richardo fratre regis Angliæ, et Savarico de Malo-Leone usque ad festum sancti Johannis, et cum Hugone Thoartii vicecomite, usque ad quindenam ejusdem festi, treugam, datis hinc inde sacramentis, firmavit. *Verum Hugo Thoartii vicecomes non modo inducias cum Rege pepigit, sed et ei se omnino subjecit, ut patet ex* E *clientela, seu homagio ligio, ut vocant, quam Regi juravit mense Aprili anni 1227, apud Martenium tom.* I *Collectionis amplissimæ col. 1210. Fieri tamen potest, ut primo inducias, deinde et pacem iniverit, auctorque, qui hic scribendi finem fecit, nihil adhuc de pace intellexisset.* Et post, *inquit,* in Franciam remeans, milites, quos ad tuendam terram reliquerat, revocavit. *Itaque postquam Richardus velitationibus quibusdam, ut videtur, inferiorem se advertebat, inducias cum Rege pactus est, ac deinde in Angliam reversus, de cujus reditu Parisius loco mox citato hæc habet :* Eodem tempore, mense Maio Richardus frater regis venit in Angliam. *Ita non Henrici modo regis, sed et Richardi spes hoc anno elusa.* Ludovicus *vero, pacatis omnibus, cum matre sua Parisios est reversus, vi aperta hostium suorum repulsa, at occultis eorum insidiis necdum liberatus.*

et Richardus post pactas inducias in Angliam est reversus.
* la Reole
* *i. e.* occupaverat

§ XI. Gesta contra Albigenses; decimæ Regi concessæ : fœdus cum Frederico imperatore : abbatia Regalis-montis fundata : nova procerum in Regem conspiratio, occultaque ad eum capiendum machinatio. F

Comes Tolosanus intercipit castrum Altæ ripæ;

Anno, *in quo versamur, 1227 gestum etiam fuit bellum contra Albigenses hæreticos, sed remissius propter alia regni negotia. Memoratus ante Guilielmus de Podio Laurentii pag. 85 de gestis hujus anni in eo bello scribit sequentia :* Anno eodem, quo supra *(id est 1226 more Gallorum, qui annum tunc inchoabant a Paschate, more autem Romano et hodierno sub initium anni 1227)* sequenti hyeme, munitio, quæ erat in castro Altæ ripæ * invaditur a comite Tolosano, et antequam venisset succursus reddidit se eidem comiti, salva vita, et ibi mortuus est ictu quadrelli * Stephanus Ferreoli,

* Hauterive
* *i. e.* telo balistarum

A reoli, homo nobilis diœcesis Agennensis de parte comitis supradicti. *Imbertus de Bello-joco, qui a Ludovico VIII ibi relictus fuerat, videtur eo tempore abfuisse, cum parte forsan copiarum militarium; siquidem vidimus hunc circa mensem Aprilem occupatum fuisse contra Richardum Anglum, quem ab eo victum retulimus num. 105. At vir bellicosus, post inducias cum Richardo pactas eo reversus, mox damnum reparavit.*

Imbertus vero dux Regis Bessedam. * i. e. muniebat * la Bessede

107 *Sic enim pergit dictus auctor :* Ipso quoque tempore tuebatur * castrum, quod dicitur Besseda *, quod dominus Imbertus in æstate sequenti obsedit, cum jam computaretur annus Domini MCCXXVII, in quo comes Tolosanus posuerat munitionem viros strenuos, Pontium de Villanoca, et Oliverium de Terminis, et alios bellatores multos. Erantque in exercitu dominus archiepiscopus Narbonæ, et episcopus Tolosanus, quem quadam die transeuntem cum pluribus circa villam illi de intus clamantes, Diabolorum episcopum infideliter vocitabant. Et qui cum eo erant; Auditis, inquiunt, quod vos appellant, Diabolorum episcopum? Utique, re- B spondit ipse, et verum dicunt : ipsi enim sunt diaboli, et ego sum episcopus ipsorum. Quod *(castrum)* cum machinis expugnatum fortiter capitur, et militibus et peditibus nocte fugientibus non paucis, ceteri, qui inventi sunt, partim gladio, partim sudibus ceciderunt. Parvulis autem et mulieribus pius episcopus dabat operam eruendis. Hæretici vero Geraldus de Mota diaconus eorum, et alii ejus socii, flammis ignium sunt combusti. *Hæc posteriora et quæ deinde de bello Albigensium referemus ex Guilielmo, habet etiam Bernardus Guidonis in Vita Gregorii IX tom. 3 Scriptorum Italiæ pag. 571. Et liber* Præclara Francorum facinora *inscriptus, apud Chesnium tom. 5, pag. 775. Reliqua anno sequenti.*

Ecclesiastici Galli, decimas ne solvant, appellant Pontificem;

108 *Porro occasione hujus belli orta est in regno Galliæ non exigua obmurmuratio contra reginam, legatumque Pontificium. Rem narrat ex litteris Pontificiis Odericus Raynaldus ad annum 1227 a num. 56, quam summatim accipe. Decretæ erant in concilio Bituricensi decimæ, Ludovico VIII persolvendæ ab ecclesiasticis ad bellum* C *contra Albigenses promovendum : hasce ad eumdem usum* S. Ludovico *exigebat Cardinalis legatus, atque auctoritate sua compellebat ecclesiasticos ad earumdem solutionem. Quidam id ægre ferentes, appellarunt ad Pontificem, ad quem et litteras dederunt, querelis acerbissimis refertas. Emollitus hisce lamentis cleri Gallicani Gregorius IX, legatum, gravibus verbis objurgatum, desistere jussit a cœptis. Verum re deinde maturius considerata, auditisque legati rationibus, mutavit sententiam, decimasque* S. Ludovico *in usum belli, contra Albigenses gerendi, concessit, datis ad eum litteris, quas ad confirmationem dictorum ex Raynaldo num. 61 huc transfero :*

verum hic eas jubet Regi persolvi. * Bourges

109 Illustri Regi Franciæ. Cum dilectus filius noster Romanus S. Angeli diaconus Cardinalis, tunc A. S. L. in concilio Bituris * pro negotio pacis et fidei convocato, consilium accepisset, quod si claræ memoriæ rex Franciæ pater tuus negotium ipsum sibi assumeret, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum suæ legationis usque ad quinquennium, si tantum duraret negotium, offerret eidem; et rex ipse divinitus inspiratus assumpsisset negotium supradictum, idem legatus ei obtulit et promisit usque ad prædictum tempus, si negotium tantum duraret, decimam memoratam expendendam pro voluntate sua, quamdiu per se, vel per suos, sicut negotium exigeret, illud curaret prosequi bona fide. Cum autem hujusmodi facto legati quædam capitula trium provinciarum Rhemense videlicet, Turonense, et Rhotomagense se opposuerint, et ne compellerentur dictam decimam solvere, ad Sedem Apostolicam pro se, et sibi adhærentibus duxerint appellandum : nos auditis super hoc quibusdam capitulorum procuratoribus, et Cardinale prædicto; considerato etenim quod pro tam evidenti necessitate, et tam utili negotio Ecclesiæ Dei, dictus legatus tum jure legationis statuere vel ordinare potuit, quod expedire videbat; tum etiam ex eo, quod specialem potestatem ab Ecclesia Romana receperat ordinandi et statuendi, quæcumque secundum datam sibi a Deo prudentiam videret negotio expedire, ordinationem ipsius ex ordine legitimam, et sanctam ex causa, nec non et promissionem factam regi de consilio pene totius Bituricensis concilii, de fratrum nostrorum consilio duximus approbandam, et non solum firmam, sed ratam, et E gratam habemus eamdem; volentes et statuentes auctoritate præsentium, ut tibi secundum dictam promissionem a memorato legato eidem patri tuo factam, decima integre persolvatur. Dat. Later. Id. Novemb. an. 1, *id est Christi 1227. Pontificem recte utilitatem Ecclesiæ prætulisse exaggeratis quorumdam lamentis, exitus belli suo loco referendus abunde docuit.*

AUCTORE J. S.

Ludovicus fœdus init cum Frederico imperatore ;

110 *Hoc item anno* S. Ludovicus, *curante matre prudentissima, fœdus cum Frederico imperatore a patre initum, renovavit mense Junio, cumque ejus filio Henrico Romanorum rege mense Augusto; hoc autem statuebantur quædam utrique parti utilia, cavebaturque ne imperator se cum Anglis contra* Ludovicum *conjungeret; uti tradit tom. 2, pag. 179 du Tillet in Collectione tractatuum. Utile id erat ad tranquillitatem regni, aliunde satis perturbati hoc tempore; velim tamen advertat lector, rem peractam fuisse, priusquam Fredericus anathemate percuteretur a Gregorio Pontifice, quod eodem quidem anno factum tradit Raynaldus ibidem num. 29, sed festo S. Michaelis. Notare id volui, ne quis putet* S. Ludovicum *cum homine,* F *fidelium communione privato, fœdera iniisse : idem observari poterit ad annum 1232, quando hæc fœdera renovata.*

fundat abbatiam Regalis-montis,

111 *Ad hunc annum 1227 revocanda quoque videtur fundatio abbatiæ Regalis-montis, Regis adolescentis illustre pietatis monumentum; quamvis de tempore auctores non omnino consentiant. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus eam hoc anno refert tom. 3, pag. 346, ubi sic loquitur :* In Chronologia quatuor abbatiæ, hunc annum concernentes, memorantur sequenti ordine. *Tum hæc citat verba :* Anno MCCXXVII sexto Kalendas Martii fundata est abbatia Regalis-Montis. *Annum non inchoari hic more Gallico a Paschate, indicant sequentes fundationes, quæ dicuntur* eodem anno *factæ mense Maio et Junio. Unde non satis perspicio, cur Chaizius pag. 78 fundationem narraverit anno 1228; nisi id in aliis monumentis invenerit. Nangius mox citandus exstructionem abbatiæ refert ad annum Christi 1230. Quæ ita inter se conciliare conatur laudatus Manrique :* Forte ædificia hoc anno construi cœpta, per triennium

adulta,

AUCTORE J. S.

adulta, etsi nondum omnino consummata, tunc primum monachos accipere potuerunt. *Hæc de tempore. Nunc etiam discutiendum suone, an patris ære hæc fecerit Sanctus.*

non ex bonis paterno testamento ad id deputatis,

112 *Ludovicus VIII apud Chesnium pag. 325, in testamento suo hæc statuit :* Præterea volumus ut omnes lapides nostri pretiosi, qui sunt in coronis nostris, vel extra coronas, vendantur, et de pretio eorum construatur nova abbatia de Ordine sancti Victoris in honore beatæ Mariæ Virginis, et omne aurum, quod est in coronis, vel annulis, vel aliis jocalibus, similiter vendatur ad opus prædictæ abbatiæ. *Huic ultimæ patris suæ voluntati satisfecisse* S. Ludovicum *fundando abbatiam Regalis-montis, scribunt cum fratribus Sammarthanis tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 776, Chaizius pag. 78, et Choisy pag. 48 : quod si verum est, Ludovico VIII potius, quam* S. Ludovico, *fundatio referetur accepta. Verum dubitat Gerardus du Bois, hanccine, an aliam abbatiam vi paterni testamenti condiderit* S. Ludovicus : *quippe in Historia Parisiensi tom. 2, pag. 299 ita loquitur post verba testamenti citata :* Illa porro *(abbatia)* exstructa est a Ludovico IX ejus filio in B diœcesi Bellovacensi anno MCCXXX, Regalisque mons dicta est; aut, ut alii existimant, in Briegio pago prope Liciniacum. Locus dicebatur Ivernetum, seu Hibernale, unde nomen sumpsit abbatia. *Hæc Gallice vocatur* Iverneaux, *de qua brevis mentio fit in Gallia Christiana mox citata pag. 514 his verbis :* De Hibernali, Ordinis sancti Augustini, diœcesis Parisiensis. *Utrum hæc abbatia ex testamento Ludovici VIII fundata sit, investigandum ulterius relinquo editoribus Galliæ Christianæ hodiernis, cum mihi ad id probandum monumenta non suppetant. Abbatiam vero Regalis montis munificentiæ regiæ* S. Ludovici *potius deberi, quam testamento paterno, hæ rationes persuadent.*

sed munificentia propria,

113 *Credibile non est,* S. Ludovicum *usurum fuisse bonis paterno testamento relictis ad condendam abbatiam Ordinis Cisterciensis, cum ille condi ex illis voluerit abbatiam Ordinis S. Victoris; præsertim cum abbas S. Victoris inter exsecutores testamenti fuerit statutus. Deinde auctores coævi gloriam fundatæ abbatiæ Regalis montis* S. Ludovico *tribuunt, imo et ipse* C Ludovicus *in Charta inferius citanda sibi uni fundationem attribuit, nulla paterni testamenti mentione facta. Quid? quod Gaufridus de Belloloco relicta præfato testamento bona ab hujus abbatiæ fundatione excludat? Verba ejus accipe num. 29 :* Præterea, ab ineunte ætate domus et monasteria religiosorum cœpit ædificare quamplura : inter quæ specialiter illud præclarum beatæ Mariæ Regalis Montis Cisterciensis Ordinis monasterium, et ecclesiam admirandæ pulcritudinis de proprio suo construxit, et copiosos redditus assignavit. *Quis dicat* S. Ludovicum *de proprio suo construxisse abbatiam, si patris sui monilibus, quæ sua non erant, ad id usus est? Denique Cistercienses fundatorem Regalis-montis* S. Ludovicum *solum agnoscunt, uti videre licet in Menologio Cisterciensi Claudii Chalemot pag. 280; neque alium ego agnoscendum existimo, licet fundator præcipuus dicendus esset Ludovicus VIII, si ex testamento ipsius abbatia esset fundata. Hæc de auctore fundationis, quæ ex sequentibus etiam confirmantur : nunc modum fundationis accipe.*

114 *Nangius pag. 330 de ea sic loquitur :* Anno Domini MCCXXX, regni sui quarto, Ludovicus Rex Franciæ, juvenili ardens casto amore, utpote cujus anima, sicut cervus ad fontes aquarum, desiderabat ad Dominum, construxit sumptuosam et admirandi operis abbatiam in episcopatu Belvacensi prope Bellimontem, in loco qui Cuimont dicebatur, quæ modo a Regis nomine nominatur Monsregalis. In qua ab initio novitatis suæ abbatem cum XX monachis de Ordine Cisterciensi ad serviendum Domino ibidem instituit, et ecclesiam intrinsecus constructam ornamentis ecclesiasticis mirifice decoravit. Et ut divinis laudibus monachi Dei cultores, in eadem assidue commorantes, per inconvulsa tempora liberius devotiusque vacarent, eidem loco plurima et ingentia prædia, unde possent sustentari, misericorditer erogavit. *De sumptibus huic abbatiæ condendæ impensis hæc tradit Vita secunda num. 48 :* In qua abbatia tantum est operis, ut credatur fieri non potuisse per quemcumque alterum illarum partium, nisi per Regem; creduntur que sumptus et expensa solorum ædificiorum excessisse centum millia librarum Parisiensium : *quæ ingens erat eo tempore summa.* D

atque ingentibus expensis;

auget frequenter reditus abbatiæ,

E 115 *Reditus annuos ejusdem abbatiæ auxit deinde* S. Ludovicus *eo usque, ut sexaginta saltem monachi iis sustentari possent. Litteras hujusce augmenti, et ipsius fundationis testes, accipe ex Martenio tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1267 :* Ludovicus etc. Notum facimus quod cum nos ob remedium animæ claræ memoriæ Ludovici genitoris nostri, et ob remedium animæ nostræ, illustris reginæ Blanchæ matris nostræ, et etiam antecessorum nostrorum, monasterium Regalis-montis Cisterciensis Ordinis fundari fecimus, et ædificia pro majori parte construximus, reditibus eidem monasterio assignatis addimus quingentas libras Parisienses singulis annis apud templum Parisius * in tribus compositis persolvendas, videlicet in festo Omnium Sanctorum tertiam partem, in Candelis (id est in festo Virginis purificatæ, in quo solemni ritu candelæ benedicuntur, *ut notat editor)* tertiam partem, et in Ascensione Domini tertiam partem, donec assignaverimus eidem monasterio dictas quingentas libras in reditibus, vel in terra ad æstimationem virorum bonorum, quos ad hoc instituemus. Subtrahetur autem tantum de solutione prædictarum D librarum, quantum eis in reditibus vel in terra fuerit assignatum. Intelligimus siquidem quod de prædictis quingentis libris, et aliis reditibus jam a nobis dicto monasterio assignatis, sexaginta monachi ad minus sustententur, qui resideant in monasterio prædicto..... Actum Parisius anno Domini MCCXXXV mense Octobri. F

* *i. e.* Parisiis

etiam dum esset transmare : atque in ea præclara virtutis dat exempla.

116 *Tanto hanc abbatiam amore prosecutus est* Ludovicus, *ut ne in expeditione quidem transmarina ejus fuerit oblitus : nam et anno 1249 in castris prope Damiatam ejus reditus auget, prædia quædam abbatiæ donando; et anno 1250 Accone pro eadem abbatia ad matrem scribit litteras; utrumque instrumentum edidit laudatus Martenius, hoc col. 1306, illud col. 1303, ex quo item lector intelliget sæpius a sancto Rege reditus abbatiæ auctos fuisse. Ceterum in laudata abbatia, quam frequentissime adibat Sanctus, illustria edidit charitatis, humilitatis, omniumque virtutum specimina, uti in Actis edendis, præsertim in Vita secunda, refertur locis variis. Leges ibidem* Ludovicum, *majestate regia tantisper seposita, monachis ad mensam*

A *sam non raro ministrantem, ægris servientem etiam flexis humi genibus, cum fratribus lapides calcemque gestantem, lectionibus sacris, concionibus, officiis divinis die noctuque assistentem: omnia denique Religionis exercitia pari pietate ac modestia obeuntem: hisce enim exercitiis pro venatione ac ludo ad animum relaxandum Rex sanctus utebatur. Hæc de fundatione hujus abbatiæ, qua pietas ac liberalitas* S. Ludovici *in ipsis regni turbis enituit, dixisse sufficiat : nam ad novam procerum conspirationem etiam hoc anno revocamur.*

Philippus Boloniæ comes cum aliis proceribus conspirat in Regem,

117 *Regi sanguine proximus erat Philippus Bononiæ maritimæ comes, utpote filius Philippi Augusti et* S. Ludovici *patruus : obtinuerat ille comitatum Bononiæ nuptiis Mathildis filiæ Reginaldi seu Raynaldi comitis, qui cum Flandriæ comite captus fuerat, eoque dimisso in carcere retentus, quamvis, ut Albericus affirmat in Chronico anno 1227, multi pro eo liberando laborarent. Factum id videtur in gratiam Philippi comitis, ne Reginaldus e carcere dimissus comitatum repeteret. Noverat ipse haud dubie* B *Philippus, quam facili negotio ditione sua spoliari posset vivo Reginaldo, nec quidquam movisse videtur contra Regem aut reginam, quamdiu ille viveret. At Reginaldus, teste Alberico citato,* Circa sequens Pascha *(post dimissum Flandriæ comitem, id est anni 1227)* voluntaria, ut dicitur, vitam morte finivit. *Quo fræno jam liberatus Philippus, mox in partes rebellium concessit, fœderis dux factus, ut ait Joinvillius num. 28. Ratio hujusce conspirationis non alia videtur fuisse, quam ut Blancham reginam ab administratione regni deturbarent: quippe satis perspexerant conatus suos ejus prudentia atque constantia semper eludendos, quamdiu illa cum filio regnum administraret. Scribunt quidem auctores aliqui, regnum ipsum comiti Bononiæ promisisse proceres, alii etiam illud oblatum fuisse volunt Engelramo Cociaci* * *domino, Regis consanguineo, comitumque Britanniæ et Drocensis avunculo : verum credibile non est, id sincere ab iis actum fuisse, cum coævi auctores ea de re sileant. Si itaque talia quandoque ab uno alterove forsan jactata fue-* C *rint, id principum consilium fuisse existimare non possumus.*

* de Couci.

quem tentant capere: sed detectis insidiis, Parisios reducitur.

118 *Proceres congregati sunt Corbolii, ut scribit memoratus Joinvillius. Verum cum advertetent ex præcedenti conspiratione, vim apertam minus sibi profuturam; occultis insidiis utendum rati, Regem tentaverunt capere, facile videlicet extorsuri quidquid vellent, si eum haberent in potestate. Excurrerat, ut habet Vita Ms. anonymi,* Ludovicus *comitatu non magno Aureliam versus, cum insidias sibi strui monetur ab aliquo cura, ut videtur, comitis Campaniæ, nam in eum omnes deinde maxime fuere exacerbati,* Quod, *inquit Nangius,* eorum nefandissima consilia Regi denudasset. *Monitus hac de re* Ludovicus, *festinus regreditur; progressus vero usque ad Montem-Letherici* *, *misit Parisios, ut sibi matrique suæ suppetias venirent Parisienses. Illi, audito Regis periculo, mox armati ingenti multitudine Regem, reginamque non sine faustis acclamationibus reduxerunt Parisios, uti fere narrat Joinvillius num. 28. Audi et Nangium pag. 328 :* Invidebant, *inquit, (principes)* quod regina Blancha mater Regis tutelam regni et Filii videbatur habere. Unde quadam die cum Rex esset apud Castra * sub Monte-Leterici, sciens fere omnes barones Franciæ in malum suum machinari, cum paucis militibus, quos secum duxerat, noluit remeare. Sed congregans undecumque exercitum, vallatus multitudine armatorum, cum armis et bellico apparatu Parisiis honorabiliter repedavit. *Tanta fuit Parisiensium lætitia, Rege recepto, ut illam cuso nummo testari voluerint, illiusque memoriam conservare. Nummum hunc ex Jacobo de Bie fol. 26 huc transfero :*

* Montlhery

AUCTORE J. S.

* Chatres



E

Porro nummum, licet in eo nullum tempus signetur, ad hunc Regis reditum, non autem ad reditum ab expeditione transmarina, referendum esse, colligitur ex duobus. Primum quia, teste Jacobo de Bie, pag. 95 nummum interpretante, ab altera parte habetur effigies Blanchæ reginæ, regnique administratricis, quæ defuncta erat redeunte ab Oriente Ludovico. *Deinde Lutetia, quæ figura mulieris magno metu defunctæ Regis pedibus advolvitur, insinuat factum modo relatum, in quo Parisienses, Regis periculum edocti, illum reduxerunt incolumes. Quid principes deinde moliti sint, suo loco exponemus : nam hic finem huic anno imponimus, quo duplici periculo Rex sanctus divino favore feliciter est ereptus, quod perperam confudit du Pleix ad annum 1227, ratus has insidias Regi structas ante pacem cum Marchiæ et Britanniæ comitibus initam.*

F

§ XII. Gesta anni MCCXXVIII; nimirum induciæ annuæ cum Anglis : gesta contra Albigenses : pax cum comite Tolosano composita.

Donationes piæ: statuta contra Judæos

A*nno 1228 quibusdam donationibus liberalitatem suam* S. Ludovicus *ostendit. In primis abbatiæ Ordinis Præmonstratensis, quam Latini* Gaudiumvallis, *Galli* Joyenval *nominaverunt, fundatæ ab aliquot annis* a Bartholomæo de Roya Franciæ camerario *(ut notat Martenius, et fuse probant Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ a pag. 457) haud procul ab oppido S. Germani in Laya, concessit locum ad molendinum construendum : uti invenies ex Charta hac de re data apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1219. Deinde suis et monachorum hospitibus in oppido S. Germani in Laya debitum subministrandi* culcitras et cuissinos

Auctore J. S.

sinos, *ut vocat, remisit. Vide chartam ejus ibidem col. 1221. Præterea statuta Ludovici VIII patris sui contra usuras Judæorum confirmavit et auxit, adjungens quibus terminis Christiani debita Judæis deberent persolvere. Litteras ejus hac de re habes apud citatum Martenium a col. 1224. Quæ de his notasse sufficiat, cum ad alia sit progrediendum.*

induciæ cum Anglis in annum renovatæ :

120 *Exspiraverant induciæ anno præcedenti cum Anglis pactæ. Verum hæ ut renovarentur, petiit a* S. Ludovico *Henricus Angliæ rex, litteris apud Martenium editis tom. 1 Collectionis amplissimæ, col. 1221, in quibus ait id sibi a Gregorio IX Pontifice mandatum. Eas a* Ludovico, *rogante item Pontifice, concessas in annum, docent litteræ ibidem col. 1223, et 1224 editæ, quæ datæ signantur mense Junio anni 1228. Hujusmodi inducias item factas reperio cum Guilielmo archiepiscopo Parteniaci domino, cliente comitis Marchiæ, ex litteris col. 1224 editis : unde intelligimus magnates Pictonum Anglis adhuc adhæsisse. Porro negotia non defuerunt* S. Ludovico *etiam hoc, et sequentibus annis :* B *nam tribus deinde regni partibus bellum gerendum fuit, quo Adolescenti sancti constantiam exercuit divina providentia. Auctores vero qui hasce turbas referunt, adeo inter se discrepant, ut quamvis a pluribus hæc enarrata sint, vix aut ne vix quidem duos invenias, qui sibi in omnibus consentiant. Neque id magnopere mirandum, cum eadem ab auctoribus antiquis minus exacto temporis ac rerum gestarum ordine sint enarrata. Præ ceteris Joinvillium huic confusioni occasionem dedisse ostendemus ad annum sequentem, ad quem spectare bellum in Campania, bellumque contra Britanniæ comitem et Anglos gestum, ibidem ostendemus. Nunc prosequemur bellum pro fide Catholica contra Albigenses promotum, felicemque pariter ac gloriosum ipsius exitum subjungemus.*

bellum contra Albigenses, hortante Pontifice, promotum :

121 *Pax domestica, post elusas procerum insidias parta, occasionem dedit* Ludovico *hoc bellum ad exitum perducendi. Nam pacem hoc anno fuisse cum proceribus, licet infida illa esset, ac brevi in bellum gravissimum eruptura, suo loco probabimus. Gregorius Pontifex etiam hortabatur sanctum Regem ut in id bellum incumberet, et Cardinalem S. Angeli legatum suum* C *ad Regis postulationem in Galliam remittebat. Intelliges id ex litteris Pontificis apud Raynaldum ad annum 1228 num. 20, quibus sic Regem alloquitur :* Negotium, quod agitur adversus Albigenses hæreticos, negotium est pacis, et fidei orthodoxæ, pro qua semper stetit regnum Francorum tamquam in ipsius soliditate fundatum; et progenitores tui personas posuerunt et bona, causam ad honorem Dei, ac regni prædicti gloriam prosequentes, ita quod ejus devotio universo mundo specialiter existere nunciatur. Hujusmodi autem devotionis fervore succensus, recordationis inclytæ pater tuus, tamquam verus Israelita, prosecutus est negotium memoratum, et illud feliciter prosequendo, de terrenis ad superna migravit. Tu quoque imitator devotionis ejusdem, primitias tuas eidem negotio dicare cœpisti, charitatis zelo submittens viriliter humeros, ut posses perficere, quod a patre tuo laudabiliter extitit inchoatum. Super quo omnipotentem Dominum collaudamus, qui tibi tam pium inspiravit affectum, et suppliciter deprecamur, ut felicem exitum per suam misericordiam largiatur. Et quidem cum D principes terrarum purgare debeant malis omnibus terras suas, magnificentiam* decuit, ut cor, et manum apponeres ad profligandam de partibus Albigensium hæreticam pravitatem, quæ cum sint intra terminos regni tui, famæ tuæ ac honori expedit, ut tam potenter, quam celeriter pestem exstirpes eamdem, ne si diutius differas, fides ibi omnino depereat, et terra, quam tenent Catholici, amittatur, ac pestis hujusmodi ad loca magis proxima se transfundat. Denique Nabuchodonosor rex legitur decrevisse, ut periret quicumque blasphemaret Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, et domus ejus interiret. Si ergo rex alienigena, ne Deus Israel blasphemaretur, desævit, tu princeps Christiane, et Christianissimorum progenitorum successor, et hæres, cui forte Dominus alto et secreto suo judicio consummationem negotii reservavit, contra blasphemos ipsius devoti principis officium non implebis? *Addit se remittere petitum a Rege S. Angeli Cardinalem, latiori quam ante potestate. Hisce currentem sua sponte* Ludovicum *stimulis excitabat Pontifex.*

* regiam

oppida duo a comite Tolosano capta :

122 *At vero comes Tolosanus nihil interim* E *prætermittebat, quo rem suam, suorumque Albigensium restitueret. Damna utrimque illata narrat memoratus ante Guilielmus de Podio Laurentii cap. 37 hoc modo :* In sequenti vero hyeme *(id est circa initium anni 1228)* castrum sancti Pauli redditur comiti Tolosano Itemque circa tempus paschale succedens, comes recuperavit castrum Saracenum * obsessa et conclusa munitione in capite castri, et licet festinatus fuisset succursus per terrarios, et alios, qui cominus haberi poterant (nam dominus Guido de Monte-forti saucius sagitta apud Varellas * interierat paulo ante) ad obsessos pertingere nequiverunt. Exterius vero eos comes Tolosanus palo grandi concluserat, cum propugnaculis faciem defensionis habentibus ad utrosque venientes extrinsecus et inclusos; quo etiam Narbonæ archiepiscopus, et Tolosanus, et Carcassonæ episcopi convenerunt : reversusque est dominus Imbertu de Bello-joco, qui post captionem Bessedæ cesserat in terram suam : ad tempus accurrit etiam archiepiscopus Bituricensis collecta manu armatorum, qui venerat suam provinciam visitatum. *Verumtamen obsidionem solvere non potuerunt.* F *Quin et Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 240 missos ad solvendam obsidionem a* S. Ludovico *Gallos a comite cæsos scribit, idque ter eadem hac æstate : sed fidem non meretur Parisius in iis, quæ refert de bello contra Albigenses gesto; nam ubique se Gallis iniquum, hæreticis vero faventem exhibet, multaque narrat aliis prorsus ignota, ita ut hæc videri possint ejus Historiæ ab hæreticis postea intrusa.*

* Chasteau-Sarrasin

* Vareilles

aliud contra a Gallis expugnatum :

123 *Quo porro se Galli verterint, ubi viderunt obsidionem dicti oppidi se solvere non posse, paullo inferius sic memorat Guilielmus :* Inciditque consilium prælatis et baronibus, ut, ex quo inclusis suis non poterant subvenire, ibidem castrum vicinum Montegium * obsiderent, quod obsessum, cum diebus aliquot expugnassent *, in deditionem ceperunt : fuitque nobilis vir Otho de Cauda, cum Othone de Linaris, et aliis militibus ibi captus. Ceteri autem, qui erant in capite castri Saraceni inclusi, cum nihil prorsus, quod comederent, superesset, tradentes se salva vita, castrum hostibus resignarunt. Eratque consilium quod deberent castrum sancti Pauli protinus obsidere, et propter illud vene-

* Montech

i. e. oppugnassent

runt

A runt apud Vaurum. *Hactenus auctor : ad quorum intelligentiam notandum per* castra *hic oppida munita significari, per* capita castri, *loca oppidi munitiora, quæ proprie castra dicimus.* Vaurum *autem Gallice* Lavaur, *quo cruce-signatos ait venisse, oppidum est quinque leucis Tolosa dissitum, postea episcopali dignitate ornatum.*

ratio temporis.

124 *Postquam eo venerunt cruce-signati, mutato consilio, Tolosam ipsam aggredi statuerunt, non quidem quod urbem ipsam protinus voluerint oppugnare, quam ab ipsis expugnatam fuisse perperam scripserunt aliqui. Verum illius incolas continua agrorum vastatione defatigare aggressi sunt, ut vexatio daret intellectum, quod et feliciter sunt consecuti. Vastationem hanc factam esse anno 1228 tempore æstivo, clarum est ex iis, quæ præmisit auctor : nam cap. 37 Besedam dicit expugnatam a Gallis tempore æstatis anni 1227 ; sequenti vero hieme Castrum S. Pauli, deinde post Pascha Castrum Saracenum comiti Tolosano redditum. Quo facto circa Tolosam agros vastare cœperunt cruce-signati. Hoc notandum fuit, quia auctor ambigue locutus, in* B *errorem induxit aliquos, cum circa tempus hujus vastationis, tum circa pacem secutam, quam factam initio anni 1229 probabimus inferius. Nunc rem ipsam ex auctore memorato audiamus.*

quo omnia circa Tolosam,

125 Verum, *inquit cap. 38,* quod magis urgebat, anno Domini MCCXXVII qui disposuerant talare *(id est scindendo vastare)* vineas Tolosæ civitatis a primo proposito recesserunt. *Annus assignatus, nisi mendum irrepserit, non debet intelligi de vastatione, quam refert, ne sibi auctor contradicat, sed de consilio seu dispositione vineas vastandi, ut omnia sibi cohæreant :* Et convocatis, *inquit,* viribus, undecumque advenientibus prælatis de Vasconia, archiepiscopo * Auxitano, et Burdegalensi, nec non et quibusdam episcopis, atque baronibus, cum plebibus suis cruce-signatis circa festum Nativitatis sancti Joannis versus Tolosam dirigunt iter suum, et castrametati sunt in loco versus Orientem, qui dicitur Podius Aymerici, et inchoarunt a parte superiori vineas demoliri. Quibus a primo latere demolitis, ad locum, qui dicitur Mons Audrani, transferunt castra sua, et triplici labore et damno adversarios infestabant ; C habebant enim viros plurimos, qui segetes defalcabant, item alios, qui turribus et muris fortiarum *(seu munitionum extra urbem sitarum)* destruendis picas ferreas applicabant. Item et plures alios, qui terendis vineis insistebant.

* *legebatur :* Archiepiscopus Auxitanus et Burdegalensis : *quod ex sensu, et Chronico vulgo Monfortio, correxi.*

vastarunt cruce-signati.

126 Quibus hæc erat quotidie disciplina. In aurora, audita celebratione Missarum, sobrie prandebant, et præmissis balistariis, ac subsequentibus præparatis in prælium et militiam aciebus, ad propinquiores civitatis vineas accedebant, vix adhuc e somno excitatis civibus, et inchoantibus * inde, versa ad castra facie conterendo vineas remeabant, quos paulatim sequebantur acies militares, et hoc ordine quotidie procedebant, donec fere trium mensium completo tempore ex omni pene latere fuit consummatum. Memini quod dicebat pius episcopus, dum talando quasi fugientes redirent, miro modo fugiendo nostros adversarios superamus : ad conversionem enim invitabantur, et humilitatem, quibus subtrahebatur propter quod consueverant superbire ; sicut salubriter subtrahitur ægrotanti, quod nimietate poterat nocuisse. Hoc affectu pius pater in filios agebat, qui tamquam imitator Dei non mortem, sed conversionem af-

* inchoantes

fectabat, ut viverent peccatores. Et hoc quidem, quod factum erat, multum ad propositum episcopi, virorumque similium pertinebat, ut ista vexatio adversæ partis daret auditui intellectum, quod et de facto sequutum est.

AUCTORE J. S.

Dein invadunt ditionem comitis Fuxiensis.

127 *His contra Tolosanos peractis, Galli arma sua verterunt contra comitem Fuxiensem, fœdere junctum comiti Tolosano, abscedentibus tamen cruce-signatis, qui ex Vasconia se copiis* S. Ludovici *adjunxerant. Quod ita refert idem auctor cap. 39 :* Peracto igitur talæ *(seu vastationis)* hujus negotio, prælati, barones, milites, et plebes Vasconiæ ad propria redierunt, residui autem manu forti versus Apamiam * ascenderunt, terram usque ad passum Barræ Fuxensis comitis invadentes, et juxta locum, qui dicitur sancti Joannis de Virginibus in illa planitie figentes tentoria sua multis noctibus jacuerunt, et positis munitionibus, ubi erat expediens, revertentur. *Porro* Passus Barræ *locus est angustus intra montes, quem defendere facili negotio poterat comes, uti ait Chaizius pag. 99. Hinc factum ut non processerint ulterius. Quo autem pacto comitem Fuxiensem post pacem cum* E *comite Tolosano factam, ad concordiam adegerint, infra breviter dicetur. Nunc vero narrabimus, quo modo pax sit composita, qua jugulata hæresis Albigensium, summa adolescentis* Ludovici *gloria, quamvis hæc peracta non sint ante annum 1229.*

* Pamiers

Pax Tolosanis oblata : illius conditiones Meldis inchoatæ,

128 *Reversus Roma hoc anno 1228, ut ibidem affirmat Albericus, Romanus S. Angeli Cardinalis ; misit abbatem Grandis-silvæ, consentiente procul dubio Rege, ad pacem Tolosanis offerendam, quam illi avide sunt amplexi. Rem narrat laudatus Guilielmus de Podio cap. 39 his verbis :* Interea venerabilis abbas Grandis-sylvæ, dominus Helias Guarini venit de Francia, auctoritate legati pacem offerens Tolosanis, qui quassati multis vexationibus prælibatis paci consentiunt faciendæ, et sumptis treugis * miscentur colloquia circa Vasegiam *, et quod sit in Franciam ordinatur eundum, et locus ad conveniendum primo fuit Meldis in Bria, civitate comitis Campaniæ assignatus, affueruntque tam jussi quam spontanei archiepiscopus, ejusque suffraganei provinciæ Narbonensis, veneruntque illic comes Tolosanus, et alii viri, et cives Tolosæ, qui in forma pacis, seu aliis instrumentis inde formatis nominantur ; eratque ibi legatus, pluresque alii prælati, qui fuerunt evocati, ubi tractando pacis modum diebus pluribus est moratum. *Adfuit etiam comes Campaniæ tamquam arbiter pacis conciliandæ, sicuti patet ex Charta abbatis Grandis-silvæ de pactis inter Regem et comitem, quam edidit Martenius tom.* I *Anecdotorum a col. 943, ubi res peracta dicitur* cum consilio comitis Campaniæ. *Instrumentum autem notatur factum* mense Januario *anni 1228 more videlicet Gallico, id est anni 1229, si annum a prima Januarii inchoemus.* F

* *i. e.* induciis

* Basiege

perfectæque Parisiis per Petrum de Collemedio.

129 *Verum pacta Meldis non videntur Regi satisfecisse, multaque iis adjecta esse Parisiis, quæ ad hæresim extirpandam visa sunt efficaciora. Quippe instrumentum a Martenio editum pauciora continet, quam quod factum est Parisiis mense Aprili sequenti, quodque infra ex Catello subjiciemus. Prælerea instrumentum Martenii non memorat omnia, quæ Guilielmus de Podio, et Albericus ad annum 1229 conditionibus pacis inserta fuisse affirmant, quæ tamen*

exacte

AUCTORE J. S.

exacte leguntur in instrumento Parisiis facto. Existimo etiam pacta Parisiensia non per abbatem Grandis-silvæ, sed per Petrum de Collemedio fuisse composita; id enim scribit Albericus in Chronico ad annum 1229, pag. 528 his verbis : Hæc est forma pacis, quæ fuit pertractata per magistrum Petrum de Collemedio, et disposita inter Regem, et comitem Tholozæ. *Post quæ præcipuas pacis conditiones subnectit, quas integras dabimus. Pacta autem Parisiis absoluta tradit citatus Guilielmus de Podio hunc in modum :* Deinde profecti sunt Parisiis, ut in præsentia Regis deberunt omnia consummari, omnibusque ad calcem dictis et sigillatis, reconciliatus fuit comes in die Parasceves. *Porro Petrum de Collemedio, cujus maxime opera perfectas fuisse pacis conditiones diximus,* Virum venerabilem, et magnæ litteraturæ *vocat Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 710, ubi et archiepiscopatum Turonensem, aliasque cathedras ab eo recusatas fuisse asserit, et* Apostolica auctoritate ad Albigenses occupatum *fuisse* in partibus
B Tolosanis scribit, *ita ut ei cum ob doctrinam, tum ob rerum notitiam hoc negotium commissum fuisse videatur. Natione Italus erat ex oppido de Collemedio, factusque deinde est archiepiscopus Rotomagensis, ac Cardinalis creatus ab Innocentio IV, uti scribunt Sammarthani fratres tom.* I *Galliæ Christianæ pag. 586.*

§ XIII. Pacta inter Regem et comitem Tolosanum.

Hæretici investigandi, iisque ditio comitis expurganda ;

Pacta hæc edidit Guilielmus Catellus in Historia comitum Tolosanorum a pag. 332, quæ deinde tom. XI *Conciliorum inseruit Labbeus a pag. 415 : ea et nos hoc loco recudemus, ut intelligat lector, quanta severitate cum hæreticis, eorumque fautoribus agendum judicaverit* S. Ludovicus. *Sunt autem hujusmodi :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi, præsentes pariter et futuri, quod cum Raimundus filius Raimundi quondam comitis Tolosani, diu in excommunicatione persistens
C Ecclesiæ et Dei, volens esse longo tempore contumax et rebellis, ad cor tamen rediens, Domino faciente, ad mandatum Ecclesiæ, et charissimi amici nostri Romani sancti Angeli diaconi Cardinalis, apostolicæ Sedis legati, et nimium venit humiliter et devote absolutionem suam petens, gratiam et misericordiam Ecclesiæ et nostram, et non judicium postulando. Promisit autem dicto legato nomine Ecclesiæ Romanæ, et nobis, quod Ecclesiæ, et nobis, et hæredibus nostris de cætero erit devotus, et usque ad mortem fideliter adhærebit, et quod hæreticos, et eorum credentes, fautores, et receptatores in terra, quam ipse, et sui tenent et tenebunt, semper totis viribus expugnabit, non parcens in hoc proximis, vassallis, consanguineis, nec amicis, et terram tandem purgabit ab hæreticis, et hæretica fœditate, et juvabit etiam purgare et deffendere terram, quam nos tenebimus; et promisit quod justitiam debitam faciet sine mora de hæreticis manifestis, et fieri faciet per Bailivos suos viriliter et potenter. Inquiret etiam diligenter, et inquiri faciet de inveniendis hæreticis, credentibus, fautoribus, et receptatoribus eorumdem secundum ordinatio- D nem, quam super hoc faciet dictus legatus : et ut facilius et melius hæretici valeant inveniri, promisit quod solvet usque ad biennium duas marchas argenti, et ex exinde in perpetuum unam, et * qui hæreticum ceperit, et per episcopum loci vel alium, qui potestatem habeat, ille qui captus erit, fuerit de hæresi condemnatus, ita quod si plures ceperit pro singulis dabit, vel dari faciet tantumdem. De aliis non manifestis, et credentibus, et receptatoribus, et fautoribus hæreticorum servabit, et servari faciet secundum quod dictus legatus, vel Romana Ecclesia ordinabunt.

* ei

ruptarii expellendi jura Ecclesiæ defendenda :

131 Item servabit, et servari faciet pacem in terra, quam ipse, et sui tenebunt, et juvabit servari in terra, quam nos in manu nostra tenebimus, et Ruptarios * expellet, et puniet animadversione condigna et debita, et receptarios eorum : ecclesias et viros ecclesiasticos deffendet et deffendi faciet a suis, et jura, libertates, et immunitates, quas habent, conservabit eisdem, et faciet firmiter conservari : et ne de cætero in terra ista claves Ecclesiæ contemnantur, E sententias excommunicationis servabit, et a suis servari faciet, et per suos. Excommunicatos vitabit, vel vitari faciet, sicut in sacris constitutionibus continetur.

* *i. e.* prædones ex rusticis collectos

excommunicati ad satisfactionem cogendi : prætores catholici statuendi:

132 Et si aliqui in excommunicationem per annum contumaciter permanserint, ex tum idem Raimundus ad mandatum Ecclesiæ ipsos ad sinum matris Ecclesiæ redire compellet, occupando omnia bona sua mobilia et immobilia, et tenebit ea, donec ad plenum satisfaciant de causa, pro qua fuerunt excommunicationis vinculo innodati, et de damnis datis occasione excommunicationis prædictæ faciet omnes Bailivos suos institutos, et instituendos in ipsa institutione jurare, quod omnia supradicta fideliter observabunt, ita quod, si negligentes in his reperti fuerint, pro modo delicti punientur, et si culpabiles extiterint omnium, puniantur amissione bonorum. Instituet etiam Bailivos non Judæos, sed Catholicos in terra, et nullius hæresis suspicione notatos, et tales prohibiti non possunt admitti ad emendum reditus civitatum, et villarum, vel castrorum, vel pedagiorum *, et si forte talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum, et puniet, dum super hoc fuerit certificatus. F

* *i. e.* vectigalium

bona et jura ecclesiastica restituenda : decimæ solvendæ:

133 Item promisit idem Raimundus, quod omnia bona immobilia et jura ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum ad præsens restituet, et restitui faciet ad plenum a suis in tota terra, quam ipse, et sui tenebunt; illa videlicet, quæ ecclesiæ vel personæ ecclesiasticæ tenebant ante primum adventum cruce-signatorum, vel de quibus constabit eos spoliatos. De aliis autem stabit juri coram ordinariis, vel coram dicto legato, vel a Sede apostolica delegatis. Promisit etiam quod ipse solvet imposterum integre decimas, et solvi faciet integre a suis bona fide, et quod milites et alii laici non habeant decimas in terra, quam ipse et sui tenent et tenebunt, nec permittet eos habere, sed ad ecclesias juxta dispositionem ipsius legati, vel Ecclesiæ Romanæ integre revertentur.

pro damnis Ecclesiæ illatis in rebus mobilibus

134 Pro damnis vero illatis a se, vel a suis, ecclesiis, vel viris ecclesiasticis super rebus mobilibus vel destructione castrorum, vel villarum, vel aliarum rerum, exceptis immobilibus, de quibus fieri debet restitutio, sicut superius di-

ctum

A ctum est, solvet decem millia marcharum argenti assignanda bonis personis, idoneis, et fidelibus, quos ipse legatus eliget, vel Ecclesia Romana, quæ quantitatem prædictam de bonorum virorum consilio proportionaliter, et fideliter divident, juxta quantitatem damnorum, nec poterunt ipse, vel ipsi pro damnis mobilium, vel destructione domorum, vel villarum, sicut expressum est superius, ultra summam illam amplius conveniri.

restitutio facienda :

135 Item solvet abbatiæ Cisterciensi duo millia marcharum argenti, ut emantur inde reditus pro refectione abbatum et fratrum in capitulo generali. Abbatiæ Clarevallis quingentas marchas ad emendos reditus pro refectione abbatum et fratrum, qui conveniunt in festo Nativitatis B. Virginis : abbatiæ Grandis-silvæ mille marchas : abbatiæ Bellæ-perticæ trecentas marchas, abbatiæ Candeli ducentas marchas, ad dicta monasteria construenda, tam pro damnis eisdem illatis in rebus mobilibus, quam pro salute animæ suæ.

B

item pecunia danda ad custodienda oppida, doctoresque alendos :

* i. e. muniendum

136 Item sex millia marcharum solvet, quæ retinebuntur ad muniendum, infortiandum *, et custodiendum castrum Narbonense, et alia castra, quæ nos pro Ecclesiæ, et nostra securitate tenebimus usque ad decennium, prout inferius continetur, et sicut visum fuerit expedire : supradicta vero viginti millia marcharum solvet hinc ad quatuor annos. Item quatuor millia marcharum deputabuntur ab ipso Raimundo duobus magistris Theologiæ, duobus Decretistis, sex magistris liberalium artium, et duobus magistris grammaticis, regentibus Tolosæ, quæ dividentur hoc modo. Singuli magistrorum Theologiæ habebunt singulis annis quuinquaginta marchas usque ad decennium scilicet, annuatim uterque magistrorum decretorum habebunt triginta marchas usque ad decennium, singuli magistri artium habebunt viginti marchas usque ad decennium. *Observare lubet hoc loco, universitatem Tolosanam ex his legibus ortam esse, confirmatamque anno 1245 ab Innocentio IV summo Pontifice, ut habent Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, pag. 194. Hinc nummum cuderunt Galli, cujus alterum latus Blancham reginam regni moderatricem, alte-*

C *rum Tolosam docentem exhibet. Hoc Jacobus de Bie in Francia metallica fol. 26 repræsentat hoc modo :*



militandum quinquennio in Terra sancta :

137 *Redeamus ad pacta :* Item, statim post absolutionem suam assumet pro penitentia crucem de manu Domini legati contra Sarracenos, et ibit ultra mare infra biennium, ibidem per quinquennium integre continuum moraturus. Illos autem, qui adhæserunt Ecclesiæ, nobis, patri nostro, comitibus Montisfortis, et adhærentibus eis, occasione hujusmodi, quod adhæserunt Ecclesiæ, nobis, patri nostro, comitibus Montisfortis, et adhærentibus eis, non gravabit, sed benigne tractabit idem Raimundus eos tamquam amicos, ac si ei contrarii non fuissent, exceptis hæreticis, et credentibus ipsorum : et Ecclesia et nos humiliter faciemus illud idem de illis, qui ipsi Raimundo, contra nos, et Ecclesiam adhæserunt, exceptis illis, qui ad pacem Ecclesiæ, et nostram non veniunt cum eodem Raimundo.

AUCTORE J. S.

filia comitis cum fratre Regis matrimonio jungenda :

* Guidonis de Levis

138 Nos autem attendentes humilitatem ejusdem Raimundi, et sperantes quod in devotione Ecclesiæ, et fidelitate nostra perseveret fideliter, volentes sibi facere gratiam, filiam suam, quam nobis tradet, trademus in uxorem uni de fratribus nostris per dispensationem Ecclesiæ, et dimittemus eidem Raimundo totum episcopatum Tolosanum, excepta terra Marescalli *, quam Marescallus tenebit a nobis : post mortem autem ejusdem Raimundi, Tolosa et episcopatus Tolosanus erit fratris nostri, qui habebit filiam suam E in uxorem, et filiorum susceptorum ex ipsis duobus : si autem frater noster, quod absit, moreretur sine filiis ex ipsa, Tolosa et episcopatus Tolosanus revertentur ad nos, et hæredes nostros, et filia, vel alii filii, vel filiæ, vel hæredes ipsius Raimundi nihil juris in ipsis poterunt reclamare : etsi ipsa filia sine filiis ex fratre nostro moreretur, Tolosa similiter, et episcopatus Tolosanus ad nos, et hæredes nostros revertentur : ita quod omni casu contingente, ad nos et hæredes nostros Tolosa, et episcopatus Tolosanus revertentur, et nulli poterunt ibi jus aliquod reclamare, nisi filii, aut filiæ descendentes ex fratre nostro et filia ejus, sicut est supradictum.

ditionis pars comiti relinquenda ad vitam :

* Tarnim
* Galliaci, oppidi ad Tarnim

139 Item dimittimus eidem Raimundo Agennensem, et Caturcensem episcopatus : de episcopatu Albiensi, dimittimus eidem Raimundo quicquid est de episcopatu Albiensi citra fluvium de Tarn *, videlicet ex parte de Gaillac * : et civitas Albiensis remanebit ex parte nostra, et quicquid est ultra fluvium illum versus Carcassonam in eode mepiscopatu Albiensi, et nos habebimus ripam et aquam ex parte usque ad medium flumen, et idem Raimundus similiter habeat ripam et aquam ad medium flumen ex parte F sua, salvis juribus et hæreditatibus aliorum, dummodo de iis, qui ex parte Raimundi, faciant quod debebunt, et similiter ex nostra. Episcopatum Caturcensem dimittimus eidem Raimundo excepta civitate Caturcensi *, et feudis, et aliis, quæ habuit in eodem episcopatu rex Philippus avus noster tempore mortis suæ : et si dictus Raimundus sine filiis de legitimo matrimonio procreatis decesserit, tota terra remanebit filiæ suæ, quam habebit frater noster in uxorem, et hæredibus susceptis ab ea, ita quod dictus Raimundus ut verus Dominus habeat plenum jus, et liberum Dominium in supradicta terra, quæ dimittitur ei, salvis conditionibus supradictis tam de civitate Tolosæ, et episcopatu Tolosano, quam de terra alia superius nominata, ut in morte pias eleemosynas facere possit, secundum usum, et consuetudines aliorum baronum regni Franciæ : supradicta omnia dimittimus ei, salvo jure Ecclesiæ et ecclesiasticorum virorum, sicut superius est expressum.

* Cahors

alia Regi, alia Ecclesiæ cedenda :

* Verfeil

140 Unde Viridifolium * cum pertinentiis suis et villam de Lasbordes cum pertinentiis suis dimitti-

AUCTORE J. S.

dimittimus, secundum ordinationem bonæ memoriæ patris nostri Ludovici regis, et comitis Montisfortis, episcopo Tolosano, et filio O. de Luers, ita tamen quod episcopus Tolosanus pro Viridifolio faciat Raimundo, quod debebat facere comiti Montisfortis, et filius ejusdem faciat, quod debebat facere bonæ memoriæ regi Ludovico patri nostro. Donationes aliæ a nobis, vel a patre nostro, vel a comitibus Montisfortis factæ non teneantur, nec idem Raimundus vel sui ad eas teneantur in terra, quæ ipsi Raimundo dimittitur. De omnibus supradictis dictus Raimundus faciet nobis homagium ligium, et fidelitatem secundum consuetudinem baronum regni Franciæ. Totam aliam terram, quæ est citra Rhodanum in regno Francorum, et omne jus, si quid ipsi Raimundo competit, vel competere posset in ea, precise et absolute quitavit nobis, et hæredibus nostris in perpetuum. Terram autem, quæ est in imperio ultra Rhodanum, et omne jus, si quod ipsi Raimundo competit, vel competere posset in ea, precise et absolute quitavit dicto legato nomine Ecclesiæ in perpetuum.

B

exsules causa Ecclesiæ vel Regis restituendi: rebelles bello persequendi: * *id est*, proscripti

141 Item, omnes indigenæ, qui fayditi * fuerunt de terra illa pro Ecclesia, pro patre nostro, et comitibus Montisfortis, et adhærentibus eis, vel propria voluntate recesserunt ab eadem terra, nisi inveniantur hæretici ab Ecclesia condemnati, integre restituantur in statum pristinum, quoad hæreditates, et possessiones, propter illa, si qua ex causa donationis a patre nostro, vel a nobis, vel a comitibus Montisfortis habuerunt. Si vero aliqui hominum, qui remanebunt in terra, quæ dimittitur Raimundo, noluerint redire ad mandatum Ecclesiæ, et nostrum, specialiter comes Fuxensis, et alii, idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem cum ipsis faciet, vel treugas, sine assensu Ecclesiæ et nostro, et si terræ eorum occupabuntur, remanebunt eidem Raimundo, destructis tamen prius omnibus munitionibus, et fortalitiis, muris, et fossatis *, nisi vel pro securitate Ecclesiæ, et nostra voluerimus ea retinere usque ad decennium post acquisitionem, et tunc cum reditibus et proventibus ipsorum castrorum retinebimus ipsa.

* *i. e.* fossis

C

muri Tolosæ, et triginta castrorum diruendi: * Fan-jaux * Castelnau * Avignonet * Puy Laurent * Rabasteins * Montagut * Pechcelsis * Verdun * Moissac * Montauban * Agen * Condom * Sabardun * Chasseneuil * i. e. munimenta

142 Item idem Raimundus faciet dirui muros civitatis Tolosæ omnino, et fossata impleri juxta mandatum, voluntatem, et ordinationem legati. Item diruentur funditus, et replebuntur fossata tringinta villarum, et castrorum per ipsum Raimundum: videlicet de Fano Jovis *, de Castronovo *, de la Besseda, de Avinioneto *, de Podio Laurentii *, de Sancto Paulo, de Vauro, de Rabastentiis *, de Gaillaco, de Monte-acuto *, de Podio-celsis *, de Verdueno *, de Castro-Sarraceno, de Moyssaco *, de Monte-Albano *, de Monte-acuto, de Agenno *, de Condomio *, de Saverduno *, de Alta-Ripa, de Cassanolio *, de Pugeolis, de Alta-villar, de Villa Petrutii, de Layrac, et de quinque aliis ad voluntatem ipsius legati, nec poterunt reædificari sine voluntate Ecclesiæ, et nostra, nec alibi fient novæ fortiæ *. Villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem Raimundus, si voluerit, in terra, quæ dimittitur ei: si vero aliqua villarum, vel castrorum, quæ debent dirui, ut dictum est, essent hominum * suorum, et nollent quod diruerentur, idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem vel treugas sine assensu Ecclesiæ, et nostro cum eis faciet, donec diruantur muri, et impleantur fossata omnia supradicta. D

* *i. e.* Vassallorum

nisi pacta servantur subditi comitis juramento absoluti;

143 Promisit et juravit nobis, et dicto legato præfatus Raimundus, se firmiter et perpetuo servaturum bona fide, et sine fraude, et malo ingenio; et quod faciet bona fide ab hominibus, et vasallis, et fidelibus suis firmiter observari: faciet etiam illud idem jurare omnes cives Tolosanos, et alios homines terræ, quæ dimittitur ei, et addet juramento illorum, quod ipsi dabunt operam efficacem, quod ipse Raimundus servet ea: et si idem Raimundus venit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ipso facto de voluntate ejus sunt absoluti, et ex nunc ipse eos absolvit a fidelitate, et hommagio, et omni alia obligatione, quibus ipsi tecentur ei, et adhærebunt Ecclesiæ, et nobis nontra ipsum, nisi infra quadraginta dies, postquam fuerit monitus, hoc emendaverit, vel juri steterit coram Ecclesia de iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, et jure coram Rege de his, quæ ad Regem pertinent.

et terra ejus in commissum cadet:

144 Et tota terra ipsa, quæ dimittitur ei, incidet in commissum Regis, et erit idem Raimundus in eo statu, in quo nunc est, quoad Regem, et quoad excommunicationem, et omnia alia, quæ fuerunt statuta contra ipsum, et patrem suum in concilio generali vel postea. Addetur etiam in juramento ipsorum, quod juvabunt Ecclesiam contra hæreticos, credentes, fautores, et receptatores eorum, et contra omnes alios, qui occasione hæresis, vel contemptus excommunicationis Ecclesiæ, contrarii existerent in terra, quæ dimittitur eis, et in terris aliis supradictis, et Regem juvabunt contra omnes, et eis facient vivam guerram donec ad mandatum Ecclesiæ revertantur, et Regis; renovabuntur autem prædicta juramenta de quinquennio ad quinquennium ad mandatum Regis. E

oppida et castra Regi ad decennium tradenda,

145 Ut autem omnia supradicta adimpleantur, et Ecclesiæ, et nobis plenius et melius observentur, tradet pro securitate Ecclesiæ, et nostra, in manibus nostris castrum Narbonense, quod tenebimus usque ad decennium, muniemus, et infortiabimus, si visum fuerit expedire. Item, tradet nobis pro securitate Ecclesiæ, et nostra, manibus nostris caput castri Vauri, castrum de Monte-acuto, Penam * de Agenesio, Rupeperusii, castrum de Cordis *, castrum de Verduno, castrum de Villo Muri *: et usque ad decennium tenebimus ea, ita quod primis quinque annis solvet idem Raimundus nobis pro expensis custodiæ, quolibet anno mille quingentas libras Turonenses, non computatis in iis sex millibus marcharum supradictis: in aliis quinque annis, si voluerimus tenere, faciemus expensis propriis custodiri. F

* Penne en Agennois * Cordes * Villemur

quorum quatuor Rex potest diruere, si velit:

146 Nos tamen poterimus, si placuerit Ecclesiæ, et nobis, diruere quatuor castra de prædictis, videlicet castrum Vauri, caput Castri novi, de Villo muro, et Verdunum, et propter hoc non diminuetur prædicta summa mille, et quingentarum librarum Turonensium reditus, et proventus castrorum; et omnia quæ jure dominii percipiuntur, erunt Raimundo, et nos ad sumptus nostros tenebimus capita ipsorum castrorum, et Corduam, et dictus Raimundus habebit ibi Bailivos suos non suspectos Ecclesiæ, et nobis, qui faciant justitiam hominibus, et recipiant reditus, et proventus prædictos. Post decennium autem restituemus dicta capita castrorum, et Corduam dicto Raimundo libere, sal-

vis

A vis conditionibus supradictis, et si prædicta omnia quantum ad Ecclesiam, et nos fuerint observata. Penam autem de Albigesio * tradet nobis infra Kalendas Augusti proximas cum aliis castris detinendam a nobis usque ad decennium.

* Penne en Albigeois

147 Si vero illam non poterit habere usque ad terminum illum, tunc obsideri faciet, et vivam guerram fieri tamdiu, quousque eam habeat, nec pacem, nec treugam cum ipso faciet; qui tenet eam, vel tenebit, donec ipsam habeat, non tamen propter hoc retardetur a peregrinatione transmarina, de qua superius est ordinatum : et si usque ad annum integrum post ipsas Kalendas Augusti tradiderit nobis prædictam Penam de Albigesio, erit in conditione supradictorum castrorum, scilicet quod reddemus ei, quando reddemus alia castra : si vero post annum prædictum ipsam Penam de Albigesio non poterit assignare, ex tunc eam tradet Templariis vel Hospitalariis, sive aliis religiosis in eleemosynam perpetuo, salvis hæreditatibus eorum, qui se tenent ex parte nostra, possidendam ad voluntatem legati, vel Ecclesiæ Romanæ : tali conditione, quod ipsi non alienent ipsam de manu sua, B nec de ea faciant guerram dicto Raimundo, nisi de mandato Ecclesiæ.

aliud castrum Regi

148 Et, si non poterunt aliqui religiosi inveniri, qui velint eam habere, diruatur omnino, nec possit reædificari sine voluntate Ecclesiæ Romanæ, et nostra, et ipsius Raimundi. Item donec dictam Penam de Albigesio tradat nobis, vel Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, sicut dictum est : tenebimus propter hoc obligatam Penam de Agenesio, et castrum Narbonense. Et si etiam infra duennium * det Penam de Albigesio Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, ut dictum est : tanto tempore post decennium sumptibus nostris tenebimus, si voluerimus, illa duo castra prænominata, quanto tempore distulerit tradere Penam. Et si post decennium Pena de Albigesio non esset acquisita, tamdiu post tempus memoratum tenebimus post decennium illa duo castra, quousque ipsa esset restituta, et esset assignata, sicut superius est expressum.

aut Templariis Hospitalariisve tradendum, aut diruendum.

* *forte*, decennium

C 149 Et nos absolvimus, quantum ad nos pertinet, cives Tolosanos, et alios homines terræ, quam ipsi Raimundo dimittimus, a juramento, et aliis obligationibus factis nobis, et patri nostro, et comitibus Montisfortis, vel aliis pro eis, a pœna, et incursibus, quibus nobis, vel patri nostro, vel episcopo Tolosano, vel aliis prælatis, vel comitibus Montisfortis, se obligaverant, si umquam in dominium ipsius Raimundi vel patris ejus reverterentur : salvis in omnibus et per omnia conditionibus supradictis. Ut autem prædicta omnia rata maneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate et Regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisiis anno Domini MCCXXVIII, mense Aprilis, regni vero nostri anno III, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt, et signa. Dapifero nullo. Signum Roberti buticularii, signum Bartholomæi camerarii, signum Matthæi constabularii. Datum vacante cancellaria, explicit. *Hactenus pacta, in quibus hærere diutius nolui explicandis urbibus et castris ibidem memoratis : nam omnia sita esse in Occitania lector facile intelliget, licet eorum aliqua difficulter inveniri possint, quod voces quædam luxatæ sint, et fortasse quædam vel nomen mutaverint, vel omnino interierint.*

Rex subditos comitis solvit juramentis sibi factis.

150 *Annum tamen, quo hæc peracta sunt, breviter accipe; quia varii in eo designando hallucinati sunt.* Actum Parisiis, *inquit*, anno Domini MCCXXVIII mense Aprilis, regni vero nostri anno tertio. *Ex tertio regni anno, qui tantum inchoatus est mense Novembri anni 1228, clarum fit, annum 1228 hic signari more Gallis tunc usitato, qui annum a Paschate exordiebantur, atque errasse cum aliis post Bernardum Guidonis, quem citat, Odericum Raynaldum, dum ad annum 1228 num. 25 hæc scripsit :* Reconciliatus fuit Raymundus . . . in die parasceves sancta in fine præcedentis anni Domini prætaxati MCCXXVIII, inchoante vero anno Domini MCCXXVIII, ab incarnati enim Verbi divini die annos auspicatur auctor. *Neque id solum evincitur ex annis regni, sed etiam aliunde manifestum est. Cum enim, ut num. 128 ex Alberico diximus, Cardinalis S. Angeli anno tantum 1228 Roma in Galliam sit reversus, quomodo fieri potuerunt tres ad pacem congressus, Basegiæ nimirum, Meldis, et Parisiis ante mensem Aprilem ejusdem anni? Quomodo congressui Meldensi interesse potuit dictus legatus ante annum* E *1228, aut certe circa ejus initium, cum pacta Meldensia mense Januario sint signata? Hic igitur annus clarior est et certior, quam ut pluribus probari debeat. Error autem natus videtur ex loco Guilielmi de Podio male intellecto, quem num. 125 exposuimus, quamvis alioquin clare hunc annum designet cap. 40 his utens verbis :* Post pacem autem Parisiis celebratam in fine anni, *(utique Gallici paucis diebus ante Pascha)* in sequenti anno Domini MCCXXIX mense Julii, per magistrum Petrum de Collemedio, gerentem vices legati, fuit reconciliata civitas Tolosana, comite nondum reverso de Francia. *Itaque dubium non est, quin hæc pacta, reconciliatio comitis, secutumque Tolosæ concilium, peracta sint anno Domini 1229, si annum a mense Januario exordiamur.*

AUCTORE J. S.

quo anno hæc sint peracta.

§ XIV. Comes Tolosanus Ecclesiæ cum suis reconciliatus : comitis Fuxiensis submissio : leges ad exstirpationem hæresis, et pro libertate Ecclesiæ per S. Ludovicum latæ. F

Conditionibus supradictis utrimque firmatis, comes Tolosanus cum suis ritu solemni excommunicationis vinculo solutus, atque Ecclesiæ reconciliatus fuit ipso die Veneris hebdomadæ sanctæ. De quo ita sæpe laudatus Guilielmus de Podio Laurentii cap. 39 : Deinde profecti sunt Parisiis, ut in præsentia Regis deberent omnia consummari, omnibusque ad calcem dictis *, et sigillatis, reconciliatus fuit comes in die Parasceves, et qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati. Eratque pietas *(seu res commiseratione digna)* virum tantum videre, qui tanto tempore, et tot nationibus poterat restitisse, duci nudum in camisia * et braccis, et nudis pedibus ad altare. Erant præsentes ad hæc duo Romanæ Ecclesiæ Cardinales, unus legatus noster in regno Franciæ, et alius in regno Angliæ episcopus Portuensis. *Porro comes Raimundus, hoc modo Ecclesiæ restitutus, se ultro*

Raimundus comes Tolosanus ritu solemni absolutus,

* *l.* ductis

* *i. e.* indusio

obtulit

AUCTORE J. S.

obtulit servandum in turre Luparæ Parisiis, donec præcipua pactorum capita essent exsecutioni mandata, ut memoratus auctor habet cap. 40. Docent id etiam litteræ Regis apud Catellum pag. 338 ; verum cum hæ apud Catellum in nominibus obsidum mutilatæ sint, easdem ex Annalibus Cisterciensibus Manrici tom. 3, pag. 352 subjungo :

custodiendum se cum aliis obsidibus Regi tradit,

152 Ludovicus *etc.* Noverit universitas vestra quod Raymundus, filius Raymundi quondam comitis Tolosani remansit in prisione * nostra Parisiis apud Luparam ad petitionem suam, et de propria ipsius voluntate pro pleniori Ecclesiæ securitate, et nostra, donec idem Raymundus filiam suam in potestate nostra apud Carcassonam nunciis nostris tradiderit, et decem castra, videlicet castrum Narbonense, Pennam in Agen * , Rupem etc. . . . nostris similiter nunciis assignaverit, ita quod cum filiam suam, et dicta castra, sicut præmissum est, tradiderit, et de hoc nobis, et Romano sancti Angeli diacono Cardinali, apostolicæ Sedis legato constiterit, idem Raymundus libere revertetur. Eo B autem revertente, Guido de Cavellione, Raymundus de Castro novo, Bertrandus de Montibus, Hugo de Rois, Hugolinus de Ponte, Ernaldus de Calquino, Pontius Ortolanus, Ernandus Burranus, Raymundus Isanus, Bernardus de Miromonte, Raymundus de Ponte, Hispanus Garini, Bertrandus de Ganingues, Petrus de Cociano, Petrus de Montibus, Bernardus de Villa nova, Petrus de Tolosa Moranensi, Raymundus, filius senescalli Hugonis de Alfairo, et filius Hugonis Joannis, qui ad majorem securitatem Ecclesiæ, et nostram remanserant obsides cum eodem penes Nos, in hostagio remanebunt donec nobis, et eidem legato constiterit, quod de muris Tolosanis dirutum sit usque ad quingentas taysias * . . . . in parte illa videlicet, quæ circuit castrum Narbonense. Ita quod ad ipsum castrum liber pareat accessus, et repleta sint ibidem ad plenum fossata. Quod cum C factum fuerit, et de hoc nobis, *(et)* dicto legato constiterit, iidem obsides libere revertentur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini MCCXXVIII mense Aprilis. *Eodem videlicet tempore, quo pacis conditiones firmatæ sunt, hæ sunt adjectæ, ut illæ implerentur certius. Ex his porro intelligimus comitem ipsum obsidem fuisse ; neque ei liberum fuisse post assumptam hanc conditionem discedere Parisiis, priusquam filia ipsius, et castra Regis nuntiis essent tradita.*

* i. e. carcere

* Agennesi

* mensura est sex pedum.

ejus homagium Rex sub conditione suscipit,

153 *Addit ibidem laudatus Catellus, servari in tabulario Carcassonensi litteras Raimundi comitis, quibus declarat viginti cives Tolosanos a se datos fuisse Regi obsides, donec memorata pars murorum Tolosanorum dejecta esset, fossæque impletæ ; eosque obsides jurasse, se, simul ac Tolosam reversi essent, curaturos ut reliqua pars murorum dejiceretur, fossæque implerentur :* Quod jam factum est, *inquit pag. 529 Albericus. Subjungit deinde Catellus alias Regis litteras eodem tempore datas, quibus declarat se juratam comitis clientelam suscepisse sub conditione, ut servet conditiones pacis præscriptas :* Si autem, *inquit,* prædictus Raimundus dicta omnia quantum ad Nos, et Ecclesiam non servaret, vel in aliquo contraveniret, Nos ipsum ex tunc de voluntate sua in eo statu reponimus, in quo fuit, antequam homagium reciperemus ipsius, et ipso facto ex tunc in eo statu omnimodo erit D quoad nos et regnum nostrum, in quo tunc fuit, ita quod pro nullo habeatur homagium præstitum, et Nos et nostri facere possemus currere contra eum, et occupare terram, quam per pacem dimisimus ei. *Addit se castra, per comitem sibi tradenda, omnino servaturum ad Ecclesiæ ei regni sui securitatem. Hæc Parisiis statuta, factaque.*

comes cum Tolosanis pacta se servaturum jurat in concilio Tolosano.

154 *Porro Guilielmus de Podio cap. 40 refert, quid deinde Tolosæ peractum :* Post pacem, *inquit,* Parisius celebratam in fine anni, in sequenti anno Domini MCCXXIX mense Julii, per magistrum Petrum de Collomedio, gerentem vices legati, fuit reconciliata civitas Tolosana, comite nondum reverso de Francia, qui de voluntate propria remansit in prisione Regis Parisius, donec muri Tolosæ corruissent, et castra et villæ, prout in pace fuerat ordinatum, et esset tradita filia ejus Joanna, novem annos habens, Regiis nunciis Carcassonæ, quam postea duxit Alphonsus, frater Regis, comes Pictaviæ in uxorem. Factus ergo miles idem comes a domino Rege in festo Pentecostes, mox impletis, quæ pacta fuerant, ad propria est reversus, quem non post multos dies legatus sequitur, præmissis ad terras pro diruendis castris cruce signatis cum indulgentia infinitis, qui venturi erant cum armis nisi pax intervenisset. Idemque legatus ibidem Tolosæ post æstatem concilium celebravit, cui interfuerunt Narbonensis, Burdigalensis, Auxitanensis archiepiscopi, et episcopi multi, et alii prælati. Item adfuerunt comes Tolosanus, et alii comites præter Fuxiensem, barones et seneschallus Carcassonæ, et consules Tolosani duo, unus de civitate, et alius de burgo, qui statuta pacis in totius universitatis animam juraverunt, et tam comes, quam ceteri illud approbaverunt et fecerunt, et idem fecit postea tota terra. *Statuta in hoc concilio pro exstirpatione hæresis, et libertate Ecclesiæ, mense Novembri facta, vide apud Labbeum tom.* XI *Conciliorum a col. 426. Acta* F *vero Tolosæ a legato contra suspectos de hæresi invenies breviter apud citatum Guilielmum de Podio enarrata.*

Proceditur contra Albigenses et comitem Fuxiensem ;

155 *Juratis a comite Tolosano ejusque subditis pacis conditionibus, supererat, ut reciperentur loca ab hæreticis occupata, ac comes Fuxiensis domaretur, ne qua in parte tutum esset hæreticis receptaculum. Rex, ut hoc facilius pos-* F *set perficere, comiti Tolosano donavit omnia, quæ comiti Fuxiensi jam erepta erant anno 1228, donec ille Regi esset reconciliatus. Narrat id Guilielmus de Podio cap. 40 hoc modo :* Ad hoc adjicio, quod comes Fuxi, qui olim per se cum patre ipsius Regis pacem exquisierat sine domino suo comite Tolosano, nec invenerat, ut volebat, remansit in guerra, tradente Rege beneficio pacis terram, quæ olim usque ad Passum Barræ fuerat acquisita, comiti Tolosano, quam quidem comes tenuit, et posuit ibi bajulos suos, donec processu temporis, postquam comes Fuxi cum rege composuerat, datis sibi a Rege mille libris terræ in Carcassesio, idem comes Tolosanus dictam terram a Passu Barræ inferius eidem comiti Fuxensi tenendam tradidit ex commenda, reddendam ei quandocumque requireret sine mora, et eam in vita sua tenuit usque modo.

156 *Brevi tempore subsidio Tolosanorum subjectos fuisse Albigenses, comitemque Fuxiensem * ad pacem coactum, intellegimus ex Chronico Al-*

* de Foix

berici

A *berici ad hunc annum pag. 530 :* Dehinc, *inquit,* in ista æstate profecti sunt exercitus cruce signatorum contra Albigenses, et omnes viri equites et bellatores de Tholoza, recepto episcopo Fulcone, nostris adjuncti sunt, et licet per aliquas difficultates, et assultus, et gravamina, quæ sustinuerunt ante castrum de Tabara, tota tamen terra Deo dante recuperata est. Comes quoque Fuexensis, qui erat fortissimus adversarius, videns se non posse evadere manus Tholozanorum, qui sciebant omnia latibula ejus, et ipse tandem paci consensit, et ad consilium principum catholicorum se habuit. *Quin imo se suaque misericordiæ Regis commisit, ut discimus ex charta* S. Ludovici *de pace cum comite Fuxiensi facta, quam edidit Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ, a col. 1232, cujus hoc est exordium :* Ludovicus Dei gratia etc. Notum facimus, quod cum Rogerius Bernardi comes Fuxensis, tractatu habito cum dilectis nostris magistro de Collemedio, et Matthæo de Malliaco, supposuisset se, et suos, et sua, et suorum, quæ tenet et habet nunc, et tenuit ipse et pater suus, bonæ miserationi nostræ, secundum tenorem litterarum suarum super hoc confectarum, et jurasset se mandatum nostrum super hoc per omnia servaturum : nos *etc. Hæc de comitis subjectione.*

illi subjiciuntur, hic se misericordiæ Regis committit:

B

157 *Quas autem leges* S. Ludovicus *comiti Rogerio dederit, mox subjungitur : sufficiet eas compendio hic tradere :* Nos, *inquit,* misericordiam talem de consilio nostro pro se, et suis ei fecimus ad præsens . . . videlicet quod ei et heredibus suis dedimus in perpetuum pro hereditagio mille libras Turonenses annuatim, . . . et ipse propter hoc homagium ligium nobis fecit, et tenetur facere heredibus nostris, et heredes ejus similiter. *Deinde comes tradere debebat duo castra, scilicet* Montem Garnerii * et Lordatum *, *quæ Rex retinere poterat quamdiu expedire sibi videbatur, sed cum vellet reddere, reddere debebat in eo statu, in quo comes tradiderat : castrum etiam Fuxi ad quinquennium, sed eodem modo restituendum, eoque quinquennio annuatim comiti concedit* Ludovicus *quingentas libras Turonenses. Præterea non licebat comiti munitiones novas erigere, nec veteres restaurare, nec inimicos Ecclesiæ vel Regis recipere. Notantur autem hæc acta* apud Melodunum anno Domini MCCXXIX mense Septembri. *Hæ sane conditiones multo mitiores sunt, quam quæ comiti Tolosano impositæ. Porro eodem tempore ad Regis misericordiam confugit Atto Ernaudus de castro Verdunensi, quod* Ludovico *traditum erat vi tractatus Parisiensis supra memorati; huic quinquaginta libras in annos singulos concessit per chartam apud Martenium citatum col. 1234; similiter Guidoni de Gornaio, ab Albigensibus excæcato, pensionem annuam assignavit col. 1230, quæ liberalitatis Regiæ munera breviter hic putavi insinuanda.*

conditiones pacis Fuxiensi comiti a Rege datæ.

* Mongrenier

* Lordat

C

158 *Neque prætermittenda videntur, quæ Guilielmus de Podio Laurentii prudenter observat circa finem bello impositum, pacemque cum Tolosano comite factam, agnoscens singularem Dei, protegentis regnum* S. Ludovici, *in his providentiam :* In primis enim, *inquit,* ipsius regni auspiciis de tam prolixa guerra ipsius comitis, sic Deus ejus pueritiam honoravit, quod de pluribus conditionibus in prædicta pace contentis et obtentis, unaquæque per se sola sufficeret quasi id redemptionis pretium, si Rex eumdem comitem invenisset adversum se in campestri prælio, et cœpisset : ut est quod Tolosam, et episcopatum Tolosanum sibi in vita concessum tantum, nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque ejus hæres, vel filiæ suæ ullum posset ibi jus reclamare, nisi soli ex ipsa filia, et fratre ejusdem Regis tantummodo descendentes. Item sufficeret ad pœnam, eum esse quinquennio ultra mare. Item quod se ad solvendum viginti septem mille marcas argenti obligavit. Item quod totam aliam terram ultra episcopatum Tolosanum versus Orientem, infra Rhodanum et ultra Regi quitavit, et Ecclesiæ dimisit. Taceoque de cæteris, quorum se supposuit gravitatibus, quibus, si captus esset, multatus plurimum videretur, ut, quod factum est, seu fuit, factum credatur non per hominem, sed per Deum. *Ita ille, et recte. Tanti sane momenti hæc pax non immerito visa est Gallis, ut ejus memoriam conservare voluerint cuso numismate, cujus pars una exhibet Blanchæ effigiem, quod illa esset regni moderatrix : alterum latus pacem ipsam repræsentat hoc modo apud Jacobum de Bie fol. 26 :*

Animadversio ad pacta cum Tolosano,

AUCTORE J. S.

E



159 *Chaizius pag. 104 aliquid dubitationis temere insinuat de jure per Regem hac occasione acquisito : verum cum fateatur Pontifices, episcopos, conciliaque rei justitiam agnovisse, non existimo plura de his Chaizio fuisse cognita. Adjudicaverat olim concilium Lateranense comitatum Tolosanum Simoni Montis-fortis comiti, exauctorato Raimundo seniore : in patris jura successerat Amalricus Montis-fortis comes, qui cum jura sua per se defendere non posset defectu virium, ea transtulit in Ludovicum patrem* S. Ludovici, *uti scribit sæpe laudatus Guilielmus de Podio cap. 34 : quod et ipsum declaravit eodem mense Aprili litteris a Martenio editis tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1225, quæ sic habent :* Amalricus comes Montisfortis *etc.* Noverit universitas vestra, quod nos libere ad absolute quittavimus claræ memoriæ domino nostro Ludovico Francorum regi illustri, et heredibus ejus in perpetuum, quidquid nobis juris competebat, vel competere poterat in comitatu Tholosano, vicecomitatu Biterrensi, et in tota conquesta * de Albigesio : promittentes quod in rebus sæpedictis nihil juris nos, vel heredes nostri de cetero poterimus reclamare, nec etiam pro pace, quam dominus noster Ludovicus Rex Francorum illustris filius supradicti domini nostri regis fecit cum R. comite Tholosæ, vel facturus sit in posterum cum aliis de terra, nec ipse dominus Rex nobis propter hoc teneatur in aliquo, nisi ipse prædictam quittationem et fidele servitium nostrum respiciens de gratia et liberalitate sua nobis velit aliquid elargiri. *Ita*

et jura per Regem acquisita cedente Montfortio :

F

* *i. e.* terra bello acquisita

Amalri-

AUCTORE J. S.

Amalricus. Hinc intelligimus, cur Raimundus in tractatu pacis numquam nominetur Comes Tolosanus, *sed* Filius Raimundi quondam comitis Tolosani, *quodque Rex per pacta cum comite nihil juris acquisiverit novi, sed jus, quod habebat in comitatum Tolosanum, majori ex parte Raimundo cesserit ad vitam ipsius, ejusque filiæ, indeque descendentibus heredibus in perpetuum, si prolem illa habuisset. Addit Chaizius pag. 105, Regem ex ditione, cujus pacificam possessionem hisce pactis consequebatur, nihil sibi retinuisse præter urbem Albiensem, cetera dedisse Philippo Monfortio Amalrici probabilius patrueli, indeque enatum comitatum Castrensem.*

nova discordiæ semina præcisa.

160 *Catellus sæpe jam memoratus ad hunc annum 1229, pag. 342 scribit ex tabulario Carcassonensi, controversiam quamdam ortam esse Regem inter et comitem Tolosanum circa exsecutionem pactorum, sed compositam illam fuisse arbitrio legati Pontificii, et comitis Campaniæ mense Junio ejusdem anni, adjudicata Regi urbe Cadurcensi cum feudis inde dependentibus, ac Fano S. Antonini *, remissis vero comiti* B *mille quingentis libris, quas ad quinquennium Regi pendere tenebatur. Præterea Amilhanum * Ruthenensis provinciæ oppidum comiti a Rege restitutum refert, ex ejusdem comitis declaratione in dicto tabulario inventa. Addit et alias quasdam controversias inter Regem et episcopum Biterrensem ejusdem legati arbitrio finitas. Obortæ sunt etiam difficultates nonnullæ in exstirpatione hæreticorum, ac postquam inde legatus discesserat ab hæreticorum fautoribus interfecti fuere aliqui,* Pro quibus et consimilibus, *inquit Guilielmus de Podio hæc narrans cap. 40,* quæ in illis diebus commissa fuere per ministros diaboli credentes hæreticorum, comes Tolosanus de crassa negligentia, et apud Sedem apostolicam, et Regem Franciæ fuit multipliciter diffamatus, et etiam redargutus . . . hæc enim committebant qui vellent redire ad guerræ vomitum, et malorum præteritorum reducere recidivum, quo pace turbata ipsi possent rapinas solitas exercere, et hæreticis favere. *Verum nihil magnopere profecerunt malevoli illi : nam quamvis non semper æque diligentem se præberet* C *comes in hæreticis persequendis, integrum tamen ei non erat, nec tutum ad bellum redire, quamdiu præcipua ejus castra occupabat præsidium Regium.*

* S. Antonin

* Milhaud

Bello hoc finito efficacius hæretici exstirpari cœpti:

161 *Hoc igitur modo* S. Ludovicus *pari nominis sui gloria ac operæ pretio, finem imposuit huic bello : quo ad finem perducto, felicius majorique cum emolumento promoveri potuit bellum aliud contra hæreticos principum favore jam destitutos. Cœptum id fuerat initio hujus seculi :* In provincia Narbonensi, et Albiensi, Ruthenensi, Caturcensi, Agennensi diœcesibus, et quibusdam terris ultra Rhodanum domini comitis Tolosani, *ut ait in prologo Guilielmus : verum ut adjungit,* Vix intra 70 annorum spatium finem dignoscitur habuisse. *Tanta vis erat mali, cujus causam cum peccatis populi, tum prælatorum ac principum negligentiæ attribuens dictus auctor, illud hoc modo describit ibidem :*

qui quorum culpa, ac quantum invaluissent,

162 Dormientibus enim olim, qui vigilare debuerant, latenter hostis antiquus in terras illas miseras, homines perditionis filios introduxit, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, quorum sermo, ut cancer serpens, infecit plurimos et seduxit, sicque nemine opponente se in murum pro fide ascendentibus ex adverso, adeo profecerunt in peius D ipsi hæretici, quod per villas, et oppida habere sibi hospitia, agros, et vineas inceperunt, domos latissimas, in quibus hæreses publice prædicarent suis credentibus venditantes. Erantque quidam Arriani, quidam Manichæi, quidam etiam Waldenses, sive Lugdunenses, qui licet inter se dissides *, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conspirabant, et illi quidem Waldenses contra alios acutissime disputabant. Unde in eorum odium alii admittebantur a sacerdotibus idiotis : propter quod terra, tamquam reproba et maledictioni proxima, pauca præter spinas et tribulos germinabat, raptores et ruptarios, fures, homicidas, adulteros, et usurarios manifestos.

* *i. e.* dissidentes

quamque contemnerent ecclesiasticos.

163 Capellani autem tanto contemptui habebantur a laicis, quod eorum nomen, ac si Judæi essent, in juramentum a pluribus sumebatur. Unde sicut dicitur ; Mallem esse Judæus, sic dicebatur : Mallem esse capellanus, quam hoc vel illud facere. Clerici quoque, si prodirent in publicum, coronas modicas prope frontem pilis E occipitis occultabant. Milites enim raro suos liberos clericatui offerebant : sed ad ecclesias, quarum tunc ipsi decimas percipiebant, hominum suorum filios præsentabant : Et episcopi, quales pro tempore poterant, clericabant *. Ipsi quoque milites, dominationem contemnentes, prout libebat, nemine prohibente, his aut illis hæreticis adhærebant, et hæretici in tanta reverentia habebantur, quod habebant cimeteria, in quibus, quos hæreticaverant *, publice tumulabant, a quibus lectos integros, et vestes recipiebant, quibus et largius quam personis ecclesiasticis legabantur : ipsi nec ad excubias, nec ad talias * cogebantur. Siquis etiam homo de guerra gradiens cum eis inveniretur, ab hostibus tutus erat; sic pro magna parte diabolus per illos terram in pace sua, velut suum atrium possidebat : erant enim positæ tenebræ, et facta erat nox ignorantiæ, et in illa bestiæ sylvæ diaboli pertransibant. *Hactenus auctor; quæ vidit atque audivit commemorans.*

* *i. e.* clericos consecrabant

* *i. e.* in hæresim induxerant

* *i. e.* vectigalia

Leges S. Ludovici contra prædicta mala :

164 *Hæc mala ut efficaci remedio exstinguerentur, exscinderetur hæresis, libertas ecclesiastica, miserum in modum a laicis oppressa, in splendorem pristinum vindicaretur, atque excommunicationes non contemnerentur, ut solebat* F *tunc fieri, præclaras leges condidit* S. Ludovicus. *Hic tamen notandum, has leges ecclesiasticis non esse datas, quod sui fori non esse putabat* S. Ludovicus, *ut suo loco videbimus : sed impositas esse laicis, et eorum magistratibus, ne ecclesiasticorum jura opprimerent vel opprimi paterentur. Id manifestum est tum ex iis, quæ præmittuntur apud Catellam et sequuntur, tum ex inscriptione, tum ex legibus ipsis, in quibus jurant* barones, et vassalli, et bonæ villæ, *se has leges servaturos : nullibi jurare debent ecclesiastici, quos ne quidem in his legibus Rex umquam alioquitur. Quomodo autem ecclesiastici se gerere deberent in exstirpandis hæreticis, apostolicæ Sedis legatus ordinarit cum concilio Tolosano, uti invenies apud Labbeum tom.* XI *Conciliorum a col. 425. Porro hæc* S. Ludovici *statuta missa sunt ad eos, quibus propter hæresim Albigensium erant necessaria. Cossartius cum Labbeo editor de iis notat sequentia :* Hæ Ludovici Regis litteræ datæ sunt non ad Narbonenses tantum, sed etiam a paribus ad Cadurcenses,

A ses, Rutenenses, Aginnenses, Arelatenses, ut ex variis exemplaribus agnovisse se docet Catellus : addo ego, et ad Nemausenses, ut intelligo ex Sirmondi nostri manuscripto. *Imo, et ad alias civitates* S. Ludovico *subjectas, quas Albigensium hæresis infecerat, missas esse existimo, sola in singulis exemplaribus inscriptione mutata.*

quas se observaturos jurare debebant magistratus aliique laici.

165 *Catellus pag. 340 ipsis statutis præmittit declarationem juramenti a Narbonensibus præstiti, his verbis conceptam :* Quoniam ea, quæ spectant ad solidationem fidei, et ad salutis æternæ præmium promerendum, diligentissime promovenda sunt et procuranda, ut possint consequi salutarem effectum, quilibet fidelis debet ad hoc studiosius laborare. Hinc est quod cum dominus Ludovicus illustris Rex Francorum contra hæreticam pravitatem extirpandam in partibus Albigesii, et pro reformanda fide, et pace tenenda, pro libertate et immunitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ firmiter et integre observanda; de solita clementia majestatis suæ litteras universis civibus Narbonensibus, et aliis fidelibus per Narbonensem diocesim constitutis destinasset secundum formam infra scriptam; domino P. de
B Collomedio gerente vices domini Romani tunc apostolicæ Sedis legati præsente et requirente : Dominus Aimericus vice-comes Narbonæ, et consules, et alii cives, et milites Narbonensis patriæ infrascripti, in præsentia domini P. Dei gratia Narbonensis archiepiscopi, et capituli sui corporali juramento præstito, se omnia et singula, quæ infrascriptis litteris continentur, promiserunt firmiter et fideliter, et inviolabiliter ad honorem Dei, et Ecclesiæ perpetuo observare.

uti jurasse Narbonenses cum vice-comite suo hic refertur.

166 *Tum recitatis Regis statutis, subditur juramentum in hunc modum :* Nos itaque Aimericus Dei gratiâ vice-comes Narbonæ per nos et successores nostros, terram nostram de voluntate, et expresso mandato et auctoritate D. Matthæi de Rachino tenentis vices domini Regis Francorum in partibus Albigesii, qui ex parte domini Regis mandavit omnia prædicta jurari, et firmiter observari, hæc omnia prædicta et singula, sicut in prædictis litteris D. Ludovici illustris Regis Francorum continentur; visis etiam et perlectis, atque plenarie intellectis iisdem litteris, in manu domini Petri de Collo-medio
C gerentis vices domini Romani apostolicæ Sedis legati, præsente etiam domino Petro Dei gratia archiepiscopo Narbonæ et capitulo suo, promittimus bona fide nos observaturos in perpetuum et nullatenus umquam contraventuros, tactis sacrosanctis Euangeliis, gratis et bona fide juramus, et nos consules, et milites, et probi homines civitatis et burgi Narbonæ, pro nobis et universitate nostra, et milites Narbonenses de mandato et voluntate eorumdem supradictorum, hæc omnia prædicta et singula, sicut in prædictis litteris domini Regis Francorum continentur, visis etiam iisdem litteris et perlectis, atque plenarie intellectis, nos observaturos in perpetuum, et nullatenus umquam contraventuros, tactis corporaliter sacrosanctis Euangeliis juramus teneri, sicut nonnulli consules, milites, et probi homines prædicti qui juraverunt, Bernardus de Latis *etc. Hoc modo et juratum esse in aliis civitatibus, ad quæ Regis statuta fuere missa, ambigere non possumus. Accipe nunc ipsam* S. Ludovici *constitutionem laudatissimam, prout eam ex variis inter se collatis exemplaribus ediderunt Labbeus et Cossartius tom.* XI *Conciliorum a col. 423 :*

AUCTORE J. S.

Ut libertatibus et immunitatibus fruantur ecclesiastici ;

167 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis civibus Narbonensibus, et aliis fidelibus suis per Narbonensem diœcesim constitutis, salutem et dilectionem. Cupientes in primis ætatis et regni nostri primordiis illi servire, a quo regnum recognoscimus, et id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, et tribulationibus innumeris conquassata, in nostro dominio honoretur, et feliciter gubernetur. Unde de magnorum et prudentium consilio statuimus, quod ecclesiæ, et viri ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus, et immunitatibus utantur, quibus utitur ecclesia Gallicana, et eis plene gaudeant secundum consuetudinem ecclesiæ memoratæ.

hæretici, per potestatem ecclesiasticam damnati, puniantur ;

168 Et quia hæretici longo tempore virus suum in vestris partibus effuderunt, Ecclesiam matrem nostram multipliciter maculantes : ad ipsorum extirpationem statuimus, quod hæretici, qui a fide Catholica deviant, quocumque nomine censeantur, postquam fuerint de hæresi per episcopum loci, vel per aliam ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, condemnati, indilate animadversione debita puniantur. E

eos nemo recipiat vel defendat, bonis omnibus priventur ;

169. Ordinantes etiam, et firmiter decernentes, ne quis hæreticos receptare, vel defensare quomodolibet, aut ipsis favere, aut credere quoque modo præsumat. Et si aliquis contra prædicta facere præsumpserit, nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cætero admittatur; nec possit facere testamentum, nec successionem alicujus hæreditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia et immobilia, quæ sint ipso facto publicata, decernimus ad ipsum, vel ad posteritatem ipsius, nullatenus reversura.

magistratus laici hæreticos quærant, et ecclesiasticis sistant ;

170 Statuimus etiam et mandamus, ut barones terræ, et bailivi nostri, et alii subditi nostri, præsentes et futuri, soliciti sint, et intenti terram purgare hæreticis, et hæretica fœditate. Et præcipientes, quod prædicti diligenter ipsos investigare studeant, et fideliter invenire; et cum eos invenerint, præsentent sine moræ dispendio personis ecclesiasticis superius memoratis; ut eis præsentibus de errore et hæresi condemnatis, omni odio, prece, precio, timore, gratia, et F amore postpositis, de ipsis festinate faciant, quod debebunt.

capienti hæreticum pecunia solvatur ;

171 Verum quia honorandi sunt, et muneribus provocandi, qui ad inveniendum et capiendum hæreticos solicite diligentiam suam exercent : statuimus, et volumus, et mandamus, ut bailivi nostri, in quorum bailiviis capti fuerint hæretici, pro quolibet hæretico, postquam fuerit de hæresi condemnatus, usque ad biennium solvant duas marchas integre capienti, post biennium autem unam.

ruptarii expellantur

172 Sane quia ruptarii solent devastare, ac demoliri terram prædictam, et quietem Ecclesiæ, et ecclesiasticorum virorum turbare : statuimus, ut omnino ruptariis illis expulsis, pax perpetuo servetur in terra : ad quam servandam dent omnes operam efficacem.

excommunicati vitentur, et compellantur absolutionem petere

173 Ad hæc, quia claves Ecclesiæ consueverunt in terra illa contemni, statuimus, ut excommunicati vitentur, secundum canonicas sanctiones : et si aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad ecclesiasticam unitatem : ut quos a malo non retrahit timor Dei,

saltem

AUCTORE J. S.

occupatione bonorum :

saltem pœna temporalis compellat.

174 Unde præcipimus, quod bailivi nostri omnia bona talium excommunicatorum mobilia et immobilia post annum capiant : nec eis aliquo modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint, et Ecclesiæ satisfecerint : nec tunc etiam, nisi de nostro speciali mandato.

laici decimas non habeant :

175 Decimæ sane, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus et ordinamus, quod restituantur ecclesiis : et amplius laici decimas non detineant, sed Ecclesiæ eas libere habere permittant.

hæc ab omnibus magistratibus jurentur.

176 Hæc statuta inviolabiliter servari jubemus : mandantes quod barones, et vassalli, et bonæ villæ, jurent ista servare, bailivis nostris ad hoc executoribus deputatis : qui infra mensem, postquam fuerint in bailiviis constituti, publice, et in loco publico, et die solenni, jurent quod hæc servabunt; et facient ab omnibus bona fide servari. Quod si non fecerint, pœnam bonorum omnium, et corporis, poterunt formidare. Noveritis etiam, quod ista statuta sic volumus observari, quod etiam quando frater noster terram ipsam tenebit, jurabit hoc servare, et quod faciet a suis fidelibus observari. Ut autem hæc statuta firma et inconcussa permaneant, ea sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum Parisius anno gratiæ MCCXXVIII mense Aprili. *Id est, more nostro, anno* MCCXXIX.

Laudatus ob hæc statuta S. Ludovicus.

177 *Hanc* S. Ludovici *constitutionem citat concilium Valentinum, anno 1248 celebratum, can.* XIII *his verbis :* De contemptoribus excommunicationum, quantum ad eos, qui sunt in regno Franciæ, observetur illa constitutio, CUPIENTES. *Eumdem articulum urget Innocentius IV in epistola ad Blancham reginam, edita a Baluzio in appendice ad Concilia Galliæ Narbonensis tit.* XIX, *a quo hac de causa* S. Ludovicus *vocatur,* verus Ecclesiæ zelator honoris, et fidei conservator. *Sane in omnibus his gestis, statutisque contra Albigenses mirifice elucet sancti Regis ardor ad fidem Catholicam conservandam, restituendamque libertatem Ecclesiæ, per laicos magistratus in illis partibus misere tunc vexatam. Unde Gaufridus de Belloloco, qui* Ludovicum *in multis similem exhibet Josiæ regi, hinc comparationem suam non incongrue confirmasset: nam sicut adolescens etiam tum Josias idola, atque idololatras exterminavit; ita et adolescens* Ludovicus *hæresim, atque hæreticos exstirpare aggressus est, feliciterque exstirpavit, ut et de eo dici possint verba Eccl. 49 de Josia prolata :* Et tulit abominationes impietatis. *Utinam florentissimum Galliæ regnum, uti multos hactenus habuit, atque etiamnum habet, ita semper habere pergat hac in re seu Josiæ seu* S. Ludovici *successores.*

§ XV. Anno MCCXXIX constructa domus et ecclesia S. Catharinæ Vallis-scholarium : alia quædam : dissensio universitatis Parisiensis, quæ deinde exstincta.

Templum Vallis-scholarium ab aliis inchoatum,

Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis lib. 15, cap. 2, num. 5 ita scribit : Anno MCCXXIX exstructa est ecclesia sanctæ Catharinæ Vallis scholarium. *Tum, commemorato hujus Ordinis initio, num. 7 docet, ecclesiam memoratam liberalitate et sumptibus* S. Ludovici *maxime constructam esse, quamvis alii, voto ad id obstricti, suam etiam operam contulerint. Occasionem voti faciendi repetit a pugna Bovinensi, et Philippi Augusti in ea periculo :* Forte, *inquit,* quidam viri ad custodiam regis ex officio addicti, quos usitato his temporibus vocabulo servientes regis vocitabant, dum Philippum Augustum regem in Bovinensi pugna comitabantur, ad custodiam pontis Bovinensis positi intellexerunt regis periculum, qui in acie vitæ discrimen adierat; et voverunt, si salvus et victor evaderet, exstructuros se ecclesiam Deo sub nomine sanctæ Catharinæ. Paulo post, rege incolumi et victore, voti rei facti sunt. Neque tamen his fidem liberare adeo promptum fuit, seu voti persolvendi immemores fuerint, seu fidei exsolvendæ facultas non suppeteret; certe res ad tempora Ludovici IX protracta est. Aiunt enim, quod milites adierunt Regem, qui eis potestatem exstruendæ ecclesiæ sub nomine sanctæ Catharinæ fecerit, et ipsis locum indicaverit et canonicos Vallis-scholarium, quibus ministerium illius ecclesiæ committerent.

S. Ludovici liberalitate promotum.

178 *Deinde productis litteris Guilielmi Parisiensis episcopi, quibus concedit facultatem ecclesiam construendi, eam Regis potissimum liberalitate constructam esse, ex verbis Necrologii sequentibus, ostendit :* Imprimis orare debemus pro animabus illustrissimorum regum Philippi, et Ludovici; pro gaudio et victoria, quam habuerunt de inimicis regni in conflictu ad pontem Bovinarum anno MCCXIV. Ludovicus, filius prædicti Ludovici, Rex sanctissimus, qui primus in Francia refulsit sanctitate, gratia simul et virtute, voluit et ordinavit anno MCCXXIX, quod pro animabus regum prædictorum construeretur ecclesia nostra. *Hisce auctor subjungit sequentia :* In memoriam hujus fundationis ad portam ecclesiæ visuntur duo lapides, in quorum altera parte insculpta est imago sancti Ludovici hinc et inde duobus satellitibus, qui clavas gerunt, stipati; et in altera cernitur canonicus regularis cappa indutus; hinc et inde cataphracti milites, quibus haud dubium est designatos esse hos servientes, quos supra memoravimus. In hac porro domo canonicorum de Valle-scholarium constitutum est velut publicum totius Ordinis musæum. Solebant enim mitti in eam juvenes canonici duodecim numero ex pluribus locis, qui communibus domorum sumptibus alerentur. Ii vero Parisios ventitabant, illicque ad litteras sacras addiscendas commorabantur, iique ad gradus et honores academiæ admittebantur. *Ita de pia hac fundatione dictus auctor.*

179 *Hippo-*

non tamen ex voto Philippi Augusti, qui id pridem im pleverat:

A 179 *Hippolytus Helyot in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum et Militarium tom. 2, pag. 393 scribit prioratum ipsum S. Catharinæ Vallis-scholarium hoc anno fundatum fuisse a* S. Ludovico *in gratiarum actionem de victoria memorata, adjungens voto per Philippum regem emisso satisfactum jam fuisse a Ludovico VIII fundatione abbatiæ in honorom beatæ Mariæ Virginis prope Silvanectum erectæ, quam* Victoriam *nominavit. Verum, si voto satisfactum fuit memorata abbatia constructa, votum jam pridem expleverat ipse Philippus abbatiam dictam condendo, ut ex citata Gallia Christiana patet pag. 923, ubi instrumentum Ludovici VIII citatur, quo expressis verbis dicitur, abbatiam Victoriæ per Philippum fundatam. Hinc corrigenda videntur dicta Historici Parisiensis de voto usque ad tempora* S. Ludovici *non impleto, nisi ea proferri possint instrumenta, quibus tuto credamus votum duplex fuisse factum, a rege Philippo alterum, alterum ab ejus militibus. Porro quod attinet ad fundationem prioratus, Helyoto adstipulatur Vita Gallica anonymi, qui* B *inter fundationes* S. Ludovici *numerat* Ecclesiam et prioratum sanctæ Catharinæ Vallis-scholarium.

simul cum templo domus constructa:

180 *Adstipulantur etiam utcumque litteræ episcopi Parisiensis supra memoratæ, apud laudatum du Bois his verbis :* Universitati vestræ notum fieri volumus, quod nos dilectorum in Domino fratrum et filiorum de Ordine Vallis-scholarium piis et devotis petitionibus annuentes divinæ pietatis intuitu, domum construendi, et ecclesiam ædificandi in parochia S. Pauli, plenam et liberam concessimus potestatem, præcipue cum pium sit et salubre pro defunctis exorare, et pro eorum salute pias eleemosynas erogare; et hoc facimus ad petitionem servientium domini Regis Ludovici, arma ferentium, qui saluti animæ Philippi nobilis regis et præcipue filii ejus Ludovici defunctorum providentes, unam pro eorum redemptione fabricaverunt ecclesiam ad opus dictorum fratrum; ut in eadem Domino famulantes nobiliorum regum jam dictorum orationibus et divinis officiis animabus teneantur subvenire, per hoc unum exhibentes argumentum, quod sicut in vita sua eos fideliter dilexerunt, ita et post mortem ab eorum amore C non sunt separati. *Ex his colligo una cum ecclesia domum novam constructam fuisse dictis canonicis; adeoque ad utriusque constructionem Regis munificentiam concurrisse. Deinde ne ecclesiæ quidem fundationem uni* Ludovico *attribuendam esse. Existimo igitur fundationem cum prioratus, tum ecclesiæ ab aliis cœptam,* S. Ludovici *liberalitate promptius fuisse perfectam, indeque factum esse, ut auctores coævi de hac fundatione non meminerint, quod nec ab eo inchoata sit, nec ab ipso solo ad exitum perducta. Dominus Choisy pag. 22 ex Ms. Vallis-scholarium refert, Regem fuisse rogatum, ut primum templi lapidem poneret, quæ occasio fuisse videtur liberalitate sua fundationem promovendi.*

alia quædam ejusdem anni gesta.

181 *Hoc item anno* S. Ludovicus *Theobaldo de Blazon* quasdam nundinas *concessit* apud Mirabellum, *in provincia Pictaviensi oppidum*, ad usus et consuetudines nundinarum Andegavensium, annis singulis per dies octo duraturas. *Confirmavit compositionem cujusdam controversiæ* inter Guilielmum de Calviniaco, et burgenses Castri-Radulphi *ejus subditos : est autem Castrum Radulphi,* Casteau-Raoul, *in Biturigibus, ac vulgo nunc vocatur* Castrum-Rufum *seu* Chasteau-Roux. *Præterea novas præbendas, in ecclesia Senonensi auctoritate Pontificis erectas, ex reditibus parochiarum quarumdam augeri permisit. Donationem etiam Simonis Montfortii dudum defuncti, factam monialibus Cisterciensibus S. Pontii in diœcesi Massiliensi, confirmavit. Juramentum fidelitatis viduæ memorati mox Theobaldi de Blazon pro castris, quæ obitus tempore vir ejus tenuerat, suscepit. Quæ breviter enarrata, chartis confirmata invenies apud Martenium tom.* I *Collectionis amplissimæ a col. 1226 usque ad col. 1235.*

AUCTORE J. S.

Dissensio gravissima in universitate Parisiensi,

182 *Nata est hoc anno gravissima dissensio in universitate Parisiensi, quam perperam ad annum sequentem retulit Nangius. Narrat illam fuse Cæsar Engassius Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, a pag. 132 : nos eam paullo brevius referemus, et quamquam ad aliquot annos protracta sit, totam hic usque ad finem enarrabimus. Albericus in Chronico ad hunc annum pag. 530 :* Bellum, *inquit*, pessimum nimis et crudele ortum est Parisiis intrante Quadragesima inter clericos et laicos satis pro nihilo, et qui tenebantur illud extinguere et reprimere, ferocius illud instigatione sua in odium clericorum incitaverunt, et inde culpantur ipsa regina et dominus Cardinalis *(S. Angeli, legatus Apostolicus :)* sed quot sunt capita, tot sunt sententiæ. *Hæc postrema verba indicant, culpam non ab omnibus in reginam et legatum, quibus episcopum Parisiensem addit Parisius, conjectam fuisse. Sed pergamus cum Alberico :* Post multos tractatus, cum non possent in integrum ad pacem reformari, paucis remanentibus in civitate, exierunt omnes alii, maxime eminentiores magistri, quibusdam ad patriam suam reversis, quibusdam in itinere Romano mortuis, tandem infra triennium reversi sunt quicumque voluerunt, omnibus dissentientibus pacificatis. *Hæc breviter auctor synchronus : at notandum, clericorum nomine intelligendos esse academicos, uti et in sequentibus patebit.* E

ex levi occasione nata.

183 *Matthæus Parisius causam dissensionis narrat distinctius, omniaque fusius prosequitur; sed cavendum lectori, ne aculeata ejus dicta in reginam et legatum Pontificium pro oraculo habeat : nam perpetuum est Parisii vitium, ubi quid minus recte factum existimat a principibus* F *viris, id verbis in immensum augere, jactataque a malevolis quibusdam conscribere, ac si communi fere omnium voce probata essent. Hac igitur cautione præmissa, accipe quæ hac de re narrat ad hunc annum a pag. 243 :* Eodem anno, *inquit*, feria secunda et tertia ante Cineres, quibus solent diebus clerici scholares ludis vacare, exierunt quidam clerici ab urbe Parisiacensi versus sanctum Marcellum, propter aeris commoditatem, ut ludis ibi intenderent consuetis. Quo cum pervenissent, et in ludis componendis aliquamdiu se recreassent, invenerunt ibi casu vinum optimum in taberna quadam, et ab bibendum suave. Ubi inter clericos potantes et caupones de pretio vini contentione suborta, cœperunt ad invicem alapas dare, et capillos laniare, quousque homines villæ accurrentes; caupones liberaverunt de manibus clericorum; sed et vulnera repugnantibus clericis infligentes, bene fustigatos et egregie, eos in fugam compulerunt. *Hactenus ambiguum, utra pars majori injuria fuerit affecta : nam cum academici hospites suos invaderent, ægre ferre non debuerunt*

AUCTORE J. S.

quod seditionem ortam per satellites compescere juberet regina;

subsidium illis a vicinis fuisse allatum :

184 Illi autem lacerati in civitatem revertentes, commoverunt sodales in ultionem suam. Qui in crastino cum gladiis et fustibus ad sanctum Marcellum venientes, et domum cujusdam cauponis violenter ingredientes; vasa omnia vinalia confringentes, vinum per domus pavimentum diffundunt. Et procedentes per plateas, quoscumque invenerunt viros aut mulieres acriter invadunt; et plagis impositis semivivos relinquunt. Prior vero sancti Marcelli, cum tantam hominibus injuriam cognovisset illatam, quos defendere tenebatur; querimoniam coram Romano legato et episcopo Parisiacensi deposuit, qui simul ad reginam, cui tunc regni dispositio commissa fuerat, properantes, rogabant eam, ut talem injuriam præciperet vindicari. *Non licebat quidem reginæ hic segniter agere : attamen egisse non crediderim, prout eam egisse describit Parisius, utpote quæ mulier erat non prudens minus quam fortis :* At illa, *inquit,* muliebri procacitate simul et impetu mentis agitata, præpositis civitatis et quibusdam ruptariis suis dedit B illico in mandatis; ut sub omni celeritate armati ab urbe exeuntes, hujus violentiæ auctores, nulli parcentes punirent. *Imo mandatum crediderim, ut turbas sedarent, et seditiosos caperent, non vero punirent indicta causa.*

indeque innocentes essent occisi.

185 *Verum illi ultra progressi sunt, dum innocentes etiam invadunt, vulnerant, occidunt. Audi Parisium :* Illi autem, qui proni erant ad omnem crudelitatem exequendam, portas civitatis cum armis egressi, invenerunt extra urbis mœnia clericos multos ludis intendentes, qui in violentia præfata nullam penitus culpam habuerunt. Qui enim seminarium tumultuosi certaminis moverunt, erant de partibus conterminis Flandriæ, quos vulgariter Picardos nominamus. Sed hoc non obstante, lictores in eos irruentes, quos inermes viderant et innocentes; alios occiderunt, alios vulneraverunt, atque alios plagis impositis spoliantes, immisericorditer tractaverunt. Quidam vero ex eis per fugam evadentes, in vineis et cavernis latitabant. Inventi sunt autem inter vulneratos, duo clerici divites, et magnæ auctoritatis interfecti; quorum unus erat genere Flandrensis, et alius natione Normannus. *Credibile est id factum esse, quod eos ca-* C *pere tentarent satellites, illique resisterent. Porro hanc cædem quorumdam academicorum perpetratam fuisse præcipue ab incolis S. Marcelli, qui se satellitibus regiis videntur conjunxisse, intelligimus ex litteris Gregorii IX ad canonicos S. Marcelli, apud Bulæum editis pag. 144, in quibus sic loquitur Pontifex :* Cum intersit reipublicæ ne crimina maneant impunita, eo quod facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, immane flagitium, quod decanus, et alii quidam de villa S. Marcelli Parisiis in occisione scholarium perpetrasse dicuntur, nolentes relinquere indiscussum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, ut inquiratis super hoc solicite veritatem, quam si inveneritis, nobis per vestras litteras fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum.

Conquesti doctores, Parisiis abeunt,

186 *Quid vero doctores, rectoresque universitatis egerint, his perpetratis, sic narrare pergit Parisius :* Hujus autem transgressionis enormitas, cum ad aures magistrorum universitatis pervenisset, convenerunt omnes in præsentia reginæ et legati, suspensis prius lectionibus et disputationibus universaliter, instanter postulantes D de tali injuria sibi justitiam exhiberi. Indignum enim sibi videbatur, quod tam levi nacta occasione, quorumdam contemptibilium clericulorum transgressio, in præjudicium totius redundaret universitatis; sed pœnam daret in ultione, qui culpam perpetravit in transgressione. Sed cum tandem omnimoda eis justitia denegata fuisset, facta est universalis discessio magistrorum, et scholarum dispersio: cessant doctorum doctrina, et discipulorum disciplina; ita quod nec unus famosus in civitate remanserit. *Non explicat hic auctor, quid petierint magistri, quidque eis denegatum fuerit a regina : verum id eruere utcumque possumus ex litteris Pontificis ad episcopos Cenomanensem ac Silvanectensem et archidiaconum Catalaunensem, quos controversiæ hujus arbitros dabat Gregorius, in quibus apud Raynaldum ad annum 1229, num. 55 hæc eos curare jubet :* Ut magistris, et scholaribus antedictis, de datis damnis, et irrogatis injuriis congrue satisfiat, restituta ipsis solita libertate, ac a claræ memoriæ Philippo rege Francorum concessa. *Concesserat Philippus Augustus occa-* E *sione similium turbarum privilegia universitati, quibus foro laicorum eximebantur academici, atque ipsorum securitati egregie consulebatur; (videsis Bulæum a pag. 2.) Hæc revocata fuisse videntur in pœnam tumultus ab academicis excitati, cum ea restitui cupiat Pontifex, cumque conquererentur apud Parisium mox citatum doctores; Indignum esse . . .* quod . . . quorumdam . . . transgressio in præjudicium totius redundaret universitatis. *Cum vero impetrare non possent, ut hæc renovarentur, communi consilio discesserunt, facto etiam juramento non redeundi Parisios, nisi satisfactione obtenta. De quo juramento Pontifex in citata mox epistola :* Studium Parisiis revocetur, non obstante alicujus vinculo juramenti, cujus ex tribus comitibus, quos debet habere, duo videntur deesse, justitia videlicet, et judicium, e quibus videtur minime processisse præstare hujusmodi juramentum. *Ita Pontifex.*

ad provincias varias,

187 Tunc recesserunt, *inquit Parisius,* famosi Anglici, magister Alanus de Becoles, magister Nicolaus de Frenham, magister Joannes Blundus, magister Radulphus de Maidenston, magister Willielmus de Dunelmo, et multi, quos F longum esset numerare. *Ex his de aliis nationibus fieri potest conjectura. Quo autem recesserint breviter accipe :* Quorum tamen maxima pars civitatem Andegavensium metropolitanam ad doctrinam elegit universalem, *ait Parisius. Alii alias urbes et regiones adjungunt. Audi Bernardum Guidonis, prout nuper editus est inter Scriptores Italiæ tom. 3, pag. 573 :* Alii quidem Remis, alii Andegavis, alii vero in Angliam, alii vero Italiam, vel Hispaniam, sive in alias mundi provincias causa studii sunt profecti. Multi quoque magistri, et scholares Tholosam venerunt et rexerunt ibidem. *Habes, lector, dispersionem florentissimæ universitatis : quæ cujus culpa contigerit, non adeo clarum est, nec meum est definire : acria utrique contendentium parti placuere consilia, cum moderata magis profuissent. Nullus certe* S. Ludovicum *hac in parte accusavit antiquorum; multi vero reginam, legatum, et episcopum Parisiensem, ipsi fortasse non minori reprehensione digni.*

188 *Nunc breviter referamus, quomodo dissensio hæc sublata sit, studiaque Lutetiam revocata,*

A *Gregorius IX urget restitutionem universitatis;* *cata, quamquam anno tantum 1231 res fuerit peracta, ut auctores consentiunt, et patet ex litteris Pontificis hac de re scriptis. Matthæus Parisius hæc solum memorat :* Tandem procurantibus discretis personis, elaboratum est, ut factis quibusdam pro tempore exigentibus utrobique culpis, pax est clero et civibus reformata; et scholarium universitas revocata. *Laudem restitutæ universitatis præcipuam* S. Ludovico *tribuunt quidam scriptores ejus Vitæ : at negari non potest, partem non minimam hujusce gloriæ Gregorio IX Pontifici tribuendam esse. Etenim Pontifex, audito academicorum discessu, varias mox scripsit epistolas ad studia restituenda : Regem et reginam ad id hortatus est, arbitros componendæ controversiæ dedit, episcopum Parisiensem graviter redarguit.* Quod, *inquit Bulæus pag. 136,* discordias aleret et foveret, occasionemque alio transferendæ academiæ injecisset. *Sed parum initio profecit. Causam hanc assignat Bulæus citatus :* Episcopus, cancellarius, et capitulum Parisiense iniquo ferentes animo suam in multis capitibus ab academia jurisdictionem, et licentiam limitatam fuisse, malebant eam alio B transferri, quam sibi ab ea imperari. Itaque revocationi et restitutioni in integrum moram diu soli attulerunt. *Ita quidem Bulæus. At vero, si, ut æquum est, tantorum virorum mentem mitius interpretari volumus et rectius : censebant illi severitate potius ad reditum cogendos, quam benignitate attrahendos : hinc moram Regis clementiæ injecerunt, censuras, aliaque adhibuerunt, quæ invenies apud Bulæum loco assignato, sed incassum illa omnia. Quo autem modo res demum confecta sit, audiamus.*

189 *Bulæus pag. 140 hæc memorat :* Anno *illique leges præscribit :* MCCXXXI cœperunt musæ Parisienses reflorescere post bienne exilium, et disciplina revocari. Non ante tamen redire voluerunt magistri, et pristino labori incumbere, quam sibi satisfieret de injuriis illatis. Et quia episcopum et cancellarium Parisiensem præcipuos dissidii authores esse credebant, eorum potestatem certis finibus coerceri a summo Pontifice petierunt. Simul quoque reformata est universitas, et multæ constitutiones circa licentias omnium facultatum, lectiones, disputationes, hospitia, bona scholarium, turbatores academiæ, et aliæ ejusmodi ab eo- C dem Pontifice Gregorio conditæ sunt, quæ deinceps legum vices obtinuerunt. *Id saltem boni ex malo illo profluxit. Leges istas subdit Bulæus, ex quibus facile est perspicere, aliquid utriusque partis querelis datum a Pontifice. Exemplum accipe :* Præcipimus autem, *inquit*, ut Parisiensis episcopus sic castiget excessus, quod scholarium servetur honestas, et maleficia non remaneant impunita : sed occasione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes. Imo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honeste detentus, idonea cautione præstita, cessantibus carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commisit, quod incarceratione sit opus, episcopus culpabilem in carcere detinebit : cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. *Patet id datum esse querelis doctorum. Neque minus est manifestum ad querelas alterius partis mandata esse, quæ post pauca sequuntur :* Inhibemus autem expressius, ut scholares per civitatem armati non incedant, et turbatores pacis et studii universitas non defendat. Et illi, qui simulant se scholares, nec tamen scholas frequentant, nec magistrum aliquem profitentur, nequaquam scholarium gaudeant libertate. *Ita Pontifex, qui arbitrum agere maluit quam judicem, ut ipse præmonuerat ibidem his verbis :* Unde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta, studium enormiter disturbante, quæstiones ad nos delatas audiremus, diligenter eas potius provisionis moderamine, quam judiciali sententia de fratrum nostrorum sententia duximus sopiendas. AUCTORE J. S.

190 *Varias præterea epistolas scripsit Pontifex, ut academicorum quieti consuleret, quas apud Bulæum citatum invenies. Accipe tamen, quid Regem præstare voluerit ad sopiendam discordiam :* Serenitatem tuam rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, quatinus progenitorum tuorum secutus exemplar, exhibeas te scholaribus favorabilem et benignum, privilegium claræ memoriæ Philippi regis avi tui eis innoves et observes, et facias ab aliis observari. Hospitiorum quoque taxationem per duos magistros et duos burgenses ad hoc de consensu magistrorum electos juramento præstito fideliter faciendam : sive, si burgenses non curaverint interesse, per duos magistros, sicut fieri consuevit, eis sine difficultate concedas, cum alias nimis cara hospitia conducere cogerentur. Et quia honor regis est, ut justitiam diligens, injuriis adverseris, emendam, quæ pro injuriis illatis scholaribus dicitur ordinata, facias adimpleri; preces et monita taliter impleturus, quod propitiationem divinam exinde uberius merearis, et nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare. *Acquievit recte monenti Pontifici Rex sanctus, mutatoque non sine magna modestiæ laude consilio, quod magnorum virorum auctoritate secutus initio fuerat, florentissimam universitatem, quam præceps aliorum iracundia dissipaverat, mansuetudine sua, et clementia restauravit. Hoc autem quo modo exsecutus sit audiamus.* *Regem hortatur, ut faveat academicis, eorumque privilegia renovet :* E

191 *Nangius apud Chesnium pag. 330 hæc in rem nostram memorat :* Videns autem Rex Franciæ Ludovicus, quod studium litterarum et philosophiæ, per quod thesaurus scientiæ, qui cunctis aliis præminet et prævalet, acquiritur, recessisset Parisius... graviter cœpit dolere : metuensque Rex piissimus ne tantus ac talis thesaurus a regno suo elongaretur... supra dicto, jam clericos mandans redire, redeuntes clementissime recepit, et ab ipsis Burgensibus quidquid ante clericis forefecerant, fecit ipsis celeriter emendari. *Ita fere et alii. Privilegia etiam a Philippo Augusto universitati concessa renovavit, et confirmavit. Audi ejus verba apud Bulæum pag. 131 :* Noverint universi præsentes pariter et futuri, Nos chartam inclytæ recordationis Philippi avi nostri quondam Franciæ regis illustris inspexisse in hæc verba. *Tum recitato Philippi diplomate, quod tradit Bulæus a pag. 2, subjungit Ludovicus :* Nos autem prædicta omnia approbamus et volumus, et sigilli nostri auctoritate et regii nominis charactere inferius annotato præcipimus confirmari. *Verum occurrit hic notandus error in anno, quo* Ludovici *diploma datum ponitur :* Actum, *inquit*, apud Fontem-Bleaudum anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII mense Augusti, regni vero nostri an. 3. *Hinc putavit Bulæus privilegia dicta a* S. Ludovico *confirmata fuisse anno 1228. At in primis annus tertius regni tantum inchoatus fuit mense Novembri anni 1228 : itaque non concurrit cum mense Augusto ejusdem anni. Deinde non intelligo, cur Pontifex, qui in variis epistolis mentionem* *quibus a Ludovico benigne præstitis, pax restituta.* F

AUCTORE J. S.

tionem facit horum privilegiorum, numquam significet ea confirmata fuisse a S. Ludovico, *si id ipse jam fecerat anno 1228; præsertim cum id non parum conduxisset ad* Ludovicum *inducendum, ut confirmata semel privilegia renovaret. Existimo igitur errorem irrepsisse in subscriptionem diplomatis, atque hoc demum anno 1231 privilegia dicta a* S. Ludovico *renovata fuisse et confirmata, quæ in pœnam excicitatarum ab academicis turbarum videntur fuisse abrogata. Ceterum de ordinato pretio hospitiorum nihil quidem invenio apud veteres, existimo tamen hac etiam in parte morem gestum fuisse Pontifici.*

§ XVI. Utrum anno MCCXXVIII Rex bellum habuerit cum Britanniæ comite? bellum Campanicum anno MCCXXIX inchoatum, factisque induciis interruptum.

B

Bellum anno 1228 contra comitem Britanniæ gestum memorant historici hodierni,

Bellum a magnatibus Galliæ aperte quidem contra Theobaldum Campaniæ comitem, occulte vero contra Regem, gestum enarraturus: deinde et bella prosecuturus, quibus Petrus Britanniæ comes, Anglorum opibus adjutus, S. Ludovicum *impetiit, diligenter examinandum existimavi cum tempus, quo hæc fuere gesta, tum etiam quoties hæc bella resumpta. Etenim, ut breviter, quod sentio, eloquar, videntur hac in re auctores recentiores non parum ab antiquis dissidere, bellaque plura, quam revera gesta sint, describere. Narravimus num. 118 occultas procerum insidias ad Regem in via capiendum, quas detectas diximus a comite Campaniæ, atque a Rege elusas. Non quievere hic proceres, qui reginam Blancham omnino ab administratione regni volebant amotam, sed vim fraudi miscere statuerunt, ut Regem sibi subjicerent. Accipe verba Joinvillii, hæc describentis num. 29:* Accidit, *inquit,* ut barones Franciæ in unum coirent Corbolii, communique consensu inter se id C efficere machinarentur, ut comes Britanniæ in Regem insurgeret: atque ut bonum Regem insigniter proderet, promiserunt ipsi, se ad Regis mandatum ituros, sique illos contra hunc Britanniæ comitem ad bellum vellet mittere, singulos se secum non deducturos, nisi duos equites, ut comes facilius Regem, ejusque matrem... superare posset. Quemadmodum promiserunt memorato Britanniæ comiti barones illi, ita etiam præstiterunt. Et audivi a multis, quod comes subvertisset, et subjugasset Regem, ejusque matrem, nisi adfuisset divinum auxilium, quod eum numquam destituit. Quippe divina quasi permissione, in magna boni Regis necessitate, grandique ejus angustia, comes Campaniæ Theobaldus motus est ad invisendum Regem: et revera profectus est cum trecentis omnino equitibus corpore prævalidis, et venerunt in tempore, Deo sit gratia. Nam hujus Campaniæ comitis suppetiis, comitem Britanniæ opportuit se Regi dedere, ejusque inclamare misericordiam. Rex bonus, qui vindictam minime appetebat, considerabat victoriam quam fuerat consecutus, opus esse Dei potentiæ favorisque, qui fortem Campaniæ comitem permoverat ut ipsum inviseret, comitemque Britanniæ recepit in gratiam. Et D tunc Rex tuto incedebat per regionem suam. *Ita auctor pie magis quam dilucide.*

193 *Nihil præter hæc Joinvillius memorat de bellis cum comite Britanniæ gestis, quæ auctores recentiores, mea quidem sententia, in errorem induxerunt. Notandum itaque diligenter, puerum fuisse Joinvillium aut infantem, dum hæc gesta sunt: deinde eum scripsisse, quæ audierat vel viderat, nullibi, ut videtur, quæ ab aliis scripta perlegerat, cum neminem citet, ipseque profiteatur in prologo se scribere, quæ de* S. Ludovico *viderat vel audierat. Hinc mirari non debemus, quod de bello, cum Britanniæ comite ad annos aliquot gesto, nihil memoria retinuisset senex, quam superatum fuisse a Rege ope maxime comitis Campaniæ, ventaque tandem donatum, quod Campanus ipse sæpe in Campania procul dubio referri audiverat. Itaque errasse omnes illos existimo, qui ex his Joinvillii verbis bellum confinxerunt anno 1228 gestum, brevique finitum, quod comes se imparem viribus cerneret. Neque enim virisimilia narrat Joinvillius hoc sensu intellectus: si enim Regem* E *certo superasset comes Britanniæ, nisi suppetias venisset cum trecentis equitibus comes Campaniæ, quomodo credibile est hoc comitis Campaniæ subsidio ad tantas angustias redactum fuisse Britanniæ comitem, ut se cum exercitu ne recipere quidem potuerit ad loca tutiora? Quomodo tot proditores, qui erant in castris regiis, adventum Campanorum ei non significarunt in tempore?*

verum id ostenditur

194 *Sed frustra hæc quærimus: nam Joinvillium loqui de bello, quod contra comitem Britanniæ Rex gessit ab anno 1229, annoque 1230 maxime viguit, persuadet ipse Joinvillius: nam alioqui nihil de bello hoc narrasset, quod verisimile non est: deinde finito bello addit:* Tunc Rex tuto incedebat per regionem suam, *quod verum est post bellum in Britannia finitum, cui pax aliquot annorum successit; non item post bellum, quod anno 1228 gestum fingitur: tunc enim magis quam ullo alio tempore a proditoribus Regi metuendum erat, bellaque nata sunt sequenti mox anno gemina. Demum ex Chronico Alberici, in quo ne verbum quidem de fictitio hoc bello anni 1228, omnino evincitur, idem hic bellum referri a Joinvillio, quod* F *ipse refert ad annum 1230 pag. 535 contra regem Angliæ et comitem Britanniæ gestum, addens hæc verba:* Nullus autem fideliter juvit Regem Franciæ, sicut comes Campaniæ, ut dicitur. *Itaque annus 1228 a bellis domesticis vacavit* S. Ludovico: *nam bellum Campaniæ, cui successit rebellio comitis Britanniæ, tantum inchoatum est anno 1229, ut mox probabimus.*

ex intellecto male Joinvillio confictum.

195 *Albericus, qui hoc tempore floruit, aliisque exactior fuit in temporibus designandis, primam in Campaniam principum expeditionem collocat anno 1229* post quindenam S. Joannis. *Parisius ait anno 1230 viguisse illam principum discordiam, jam ante nimirum cœptam. Chronicon Andrense, cujus auctor his gestis item coævus fuit, anno etiam 1229 memorat comitem Flandriæ invasisse ditionem comitis Boloniensis, qui Campaniam devastabat. Itaque Nangius, qui id bellum alligat anno 1228, hic lapsus est in chronologia, ut sæpe alibi: nam quæ narravimus de pace cum Albigensibus, sub finem anni 1228 Trecis, præsente comite Campaniæ, fieri cœpta, etiam persuadent, Campaniæ comitem*

Bellum Campanicum cœptum anno 1229

A *mitem eo tempore necdum bello fuisse implicitum. Hæc de tempore, quæ mihi certa satis videntur, nec pluribus probanda, etiamsi auctores aliqui paullo remotiores circa id tempus non conveniant : confirmabuntur etiam ex serie rerum gestarum deducenda. Attamen jam anno 1228 præparabant se ad bellum principes : nam comes Bononiæ, qui factionis erat antesignanus,* Calasium * burgum maritimum castro munitissimo munivit, et muro firmissimo circumcingere cœpit, *uti memorat anno 1228 Chronicon Andrense tom. 2 Spicilegii Acheriani pag. 867 : sic et alios se muniisse verisimile est. Accipe nunc auctores hujusce belli.*

* Calais

cujus causa et auctores ex coævis

196 *Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud Martenium tom. 3 Adecdotorum pag. 708* Robertenses, *seu posteros Roberti Druidum comitis hujus tumultus auctores vocat, qui* Philippum, *inquit*, Regis avunculum * Boloniæ comitem ad se traxerunt, promittentes sibi regnum Francorum : qui verbis eorum frivolis minus prudens assensit, et simul in comitem Campaniæ Theobaldum insurgunt. *Causam auctor ille subjungit, prætextumque, quo utebantur, his*
B *verbis :* Imaginabantur enim illo devicto, se regnum faciliter posse obtinere, quia ipse potentior erat totius regni, qui non consenserat eis, et imponentes ei mortem Ludovici regis nuper defuncti, in eum et in terram ejus irruunt, ferro et igne cuncta vestantes. *Guilielmus de Podio cap. 39 hoc bellum item vocat, motum* Robertensium, consentientium Philippo. *Verum nullus accuratius explicat, quinam e proceribus in comitem Campaniæ steterint, quinam vero pro eo, quam Albericus ad hunc annum pag. 532, cujus verba subjungo :* Siquidem hoc eodem tempore quibusdam occasionibus adinventis comes Boloniæ Philippus, et comes Robertus prædictus (de Brana, *ut eum vocarat, seu Drocensis)* et frater *(seu* fratres ejus, *inter quos comes Britanniæ, ab Iperio etiam recensitus)* , et cognatio eorum Ingelrannus de Cocy, et Thomas frater ejus, comes Hugo de sancto Paulo, et omnis illa cognatio, comes etiam Nivernensis, et omnes fere barones et magnates de Francia, comiti Campaniæ adversabantur, et quoniam dux Burgundiæ filiam accepit prædicti comitis,
C factus est de illorum sorte. *His annumerat paullo ante Barri comitem.*

* i. e. patruum

scriptoribus recensentur.

197 *Matthæus Parisius eos hoc modo enumerat ad annum 1230 pag. 251 :* Habebant quoque hoc tempore guerram ad invicem omnes fere magnates Galliæ, sicut dux Burgundiæ, comes Bononiæ, comes de Drius *, comes de Mascu *, comes sancti Pauli, comes de Bar, Engeramus de Curcy *, Robertus de Curtenei, et multi alii, qui jurati et confœderati erant, ut dicebatur, regi Angliæ, et comiti Britanniæ Henrico *(Petrum vocare oportuit)* bellum induxerunt comitibus Campaniensi et Flandrensi, *An Marchiæ comes fuerit inter fœderatos, ambiguum mihi videtur : eum quidem nominat citatus Joannes Iperius, sed prætermittunt Parisius et Albericus. Jam vero quinam comitem Campaniæ adjuverint tradit Albericus loco assignato :* Comes tamen Campaniæ habebat in sua parte Fernandum comitem Flandriæ, qui detrimenta inferebat comiti Boloniæ; Regem et reginam Franciæ. *Ante dixerat pag. 531 :* Insuper dux Lotharingiæ Matthæus, cum haberet discordias contra comitem Barri avunculum suum, alligatus est comiti Campaniæ per homagium, et Conrardus de Rista alligatus est duci in comitis Barri præjudicium. *Hisce satis consentit Joinvillius, qui hæc narrat a num. 32. Verum erravit in belli causa assignanda, cum allegat nuptias comitis Campaniæ cum filia comitis Britanniæ a Rege impeditas, quod factum est postea, ut suo loco probabimus.*

* Drocensis, de Dreux.
* Matisconensis
* Couci

AUCTORE J. S.

Fœderati principes vastant Campaniam,

198 *Fœdere utrimque sic conflato, quid hoc actum sit anno, breviter perstringit Albericus his verbis :* Post quindenam itaque sancti Johannis, *id est initio mensis Julii*, hinc inde congregati sunt principes cum sua parte, apud Tornodorum * resederunt, et circa sanctum Florentinum * concurrerunt *, *ex parte videlicet Burgundiæ Campaniam ingressi.* Comes vero suum exercitum congregavit in civitate Trecensi, ubi ad eum Rex et regina mater sua venerunt, et licet utraque pars multa expenderit, mediantibus tamen abbatibus et religiosis personis, et ipso Rege et regina matre ejus, et insuper orationibus, non omnia mala, quæ facere intendebant, perfecerunt, et sic de die in diem inducias dando et accipiendo motus suos cohibere videntur ad tempus. *Sed plura memorat ad annum se-* E
quentem, quo motus hic gravius erupit. Contigisse tamen hoc anno videntur, quæ narrat de hoc bello Nangius, quamvis vastationem et oppidorum conflagrationem, quæ majora fuere anno sequenti, amplificare videatur, quod ea facta fuisse intelligeret, ignoraret vero bellum deinde recruduisse. Rem narrat pag. 328 hoc modo : Quidam barones Franciæ, dolentes quod comes Campaniæ contra comitum Marchiæ et Britanniæ voluntatem, ac fœdus, quod cum ipsis inierat, Regi Ludovico adhæsisset, et eorum nefandissima consilia Regi denudasset, infinitum exercitum collegerunt, et intrantes terram comitis Campaniæ in fortitudine gravi, castella, villas, vicos, et municipia igne conflagrantes vastaverunt. Et ita terram illam debacchando destruentes usque Chaursiam *, quæ sita est inter Barrensem villam super Sequanam *, et urbem Trecensem, *imo Barrum inter et Tornodorum magis)* perrexerunt, cœperunt eam obsidentes fortiter impugnare. *Hic finis expeditionis hujus anni in Campaniam. ex quo colligo ea, quæ narrat de hoc bello Joinvillius, quamquam multorum annorum res gestas in unam confuderit narrationem, ad hunc annum non pertinere, sed* F
anno sequenti facta esse, ut ibidem ostendemus.

* Tonnerre
* St-Florentin
* i. e. se conjunxerunt
* Chaourse
* Bar-sur-Seine

sed Rege cum exercitu appropinquante,

199 *Causa, cur recesserint ex Campania fœderati principes, præter intercessionem quorumdam, duplex assignatur : Regis cum exercitu properantis mandatum, cui aperte necdum audebant resistere, et vastatio ditionis comitis Bononiensis per comitem Flandriæ. Utramque ex antiquis auctoribus ad clariorem rerum notitiam subjicio :* Videns autem comes Campaniæ, *inquit Nangius*, baronum tyrannidem increvisse, nuntios ad Regem Ludovicum dominum suum tempestive mittere procuravit, significans ei mala, quæ sibi barones Franciæ inferebant, et rogans eum, ut dominum suum Regem, quatenus se ipsum et terram suam, quam in ejus dedecus vastantes intraverant, defendere dignaretur. Unde Rex cogitans quod eadem fidelitate, qua subditus ad dominum, et dominus ad subditum teneretur, auxilium ei de jure non valuit denegare. Qua de causa ad barones transmisit nuntios, mandans eis per suas litteras patentes, ne ultra aliquo modo comitem Campaniæ præsumerent infestare. Sed quasi semiapertis auribus

et

AUCTORE J. S.

et semiclausis oculis Regias litteras videntes et audientes, ab obsidione prædictæ villæ recedere noluerunt. Quod ut audivit Rex, animo audaci, sicut decuit, collecta multitudine militum armigerorum ac satellitum armatorum, iter arripiens, cœpit adversus dictos barones in manu forti et brachio extento cum indignatione animi properare. Cujus adventum agnoscentes, sed ipsum minime exspectantes, a sede * quantocius recesserunt. Quod Rex ut veraciter comperit, Parisiis remeavit. *Consonat Nangio Joannes Iperius citatus, quædam tamen addens non prætermittenda. Accipe ejus verba col. 709 :* Tandem Theobaldus Campaniæ comes contra tantam inimicorum potentiam resistere non valens, ad Regem, et ejus matrem confugit, sicut vasallus ad dominum, petens eorum auxilio defensari. Confestim in civitate Trecensi cum Rege regina mater advenit, mandans omnibus et singulis, qui contra comitem Campaniæ guerrabant, ut a guerris desisterent, et si quis eorum contra Theobaldum Campaniæ comitem vellet deponere querelas, ipsum Theobaldum paratum per omnia stare judicio;
B Rex quoque se paratum offerebat facere de suo vassallo justitiæ complementum.

* *id est* obsidione

200 *Alteram, quam dixi, rationem ibidem tradit Iperius : sed juvat eam describere ex Chronico Andrensi, cujus auctor omnino coævus, et relatio paullo uberior, quamvis alioquin quoad rem sibi consentiant. Spicilegii tom. 2, pag. 868 ita habet ad annum 1229 :* Eodem tempore Fernandus comes Flandriæ et Hainoniæ, collecta multitudine equitum et peditum, curruum et quadrigarum, ante Augustum per Greveningam * transitum faciens, terram comitis Boloniensis nimis hostiliter intravit. Nam castrum de Merch cum tota villa subjacente incendit, curtem de Capella sitam in Oya conflagravit, in pastum equorum consumens segetes solo tenus, ubicumque exercitus fecit transitum, domos incendio, homines et eorum bona direptioni, fruges vastationi fideliter exposuit : totum castrum de Calais cum recenti munitione incendio consumsisset, et in odium comitis et suorum solotenus prostrasset, nisi mediantibus quibusdam viris pacificis et discretis, pretio mille quingentarum librarum et viginti doliorum vini ejus ferocitas
C mitigata fuisset. Abbatia quoque de Capella pro bonis ibidem allatis enormiter læsa fuit, et illos tamen, quibus fuerat præsidio, ingratos invenit. Denique transito amne de Newena, terram comitis Gisnensis... intrare et demoliri disposuit; sed deficientibus sibi nobilibus et potentibus, qui erant in exercitu, comitis Gisnensis propinquis, mutato consilio, exercitum reducens ad propria remeavit, acceptis prius a burgo de Withsand quadringentis libris ne combureretur a Flandrensibus... Hæc autem omnia, sicut dicitur, Blantia * Franciæ regina ejus compatriota, in odium Boloniensis et Gisnensis comitum machinata fuit, pro eo quod super terram comitis Campaniensis, ea invita, aciem comes Boloniensis direxit. *Subdit mox similem expeditionem comitis Flandriæ in ditionem comitis S. Pauli, verum minus felicem, quod dum nimis libere prædarentur Flandri, non pauci fuerint ab incolis intercepti et occisi. Hæc ille : ad Iperium redeo.*

et comite Flandriæ ditionem Boloniensem populante,

* Grevelingen, *Gallis,* Gravelines

* Blancha

201 Philippus Boloniæ comes, *inquit loco assignato col. 709,* videns quod si contra Regis justitiam et mandatum plus guerram duceret, non esset ei bene tutum, nec esset ei bene honestum contra dominum suum Regem, cujus etiam erat avunculus, calcitrare. Videns etiam D terram suam jam per Ferrandum Flandriæ comitem valde læsam, percipiensque se a Robertensibus circumventum atque deceptum, pœnituit, et a Rege veniam petens in gratiam est receptus; reliqui vero Robertenses dispersi quilibet in sua redierunt. *Hactenus Iperius, tempora non satis distinguens : nam post primam hanc expeditionem pax nondum secuta est cum comite Campaniæ, sed bellum sequenti anno recruduit. Itaque induciæ hoc anno solum factæ sunt cum Theobaldo Campaniæ comite, ut supra dicit Albericus, causaque illius ad Regium tribunal rejecta. Non item cum Rege induciæ factæ : nam arma in eum aperte non sumpserant. Mox itaque videbimus dictos principes conjunctis copiis Regi militantes, sed animo plane diverso, cum quidam serio* Ludovici *causam agerent, quidam comitarentur solum ad ejus mandatum, ne aperte viderentur rebelles. Ceterum litteras Pontificis de hisce turbis, datas 3 Kalendas Decembris, invenies apud Raynaldum ad annum 1229, num. 56, quibus confirmari potest ratio temporis a nobis data.* E

factis induciis Campaniam deserunt.

§ XVII. Bellum contra comitem Britanniæ, Anglis fœderatum, sub finem anni MCCXXIX excitatum, anno MCCXXX geri cœptum.

Comes Britanniæ Anglis junctus apertum molitur bellum :

D*um turbæ modo relatæ ad tempus intermittuntur in Campania, bellumque, quod aperte contra comitem, occulte tamen in Regis perniciem gerebatur, quiescit, apertum jam parabatur* Ludovico *bellum præcedenti non minus grave, nec minus periculosum. Moliebatur id Petrus Britanniæ comes, principibus, qui Campaniam vastaverant, fœdere conjunctus, quamvis memoratæ Campaniæ vastationi probabilius non adfuerit, quod ita videatur inter fœderatos principes convenisse, ut dum illi Campaniam vastarent aut subigerent, Petrus Anglorum subsidio suffultus, ditionem invaderet Regiam. Finitæ erant induciæ, quas mense Junio anni 1228* F *a* S. Ludovico *in annum pactas cum Henrico Angliæ rege narravimus num. 119 : neque recte scripsit Chaizius pag. 89, tempore dictarum induciarum opem ab Anglis comiti Britanniæ fuisse præstitam : verum in errorem lapsus est cum ex chronologia Nangii, primis* S. Ludovici *annis ubique fere erronea, tum ex confuso rerum narratione apud Joinvillium, qui omnes fere auctores Gallos in varios deduxit errores circa prima* S. Ludovici *tempora, ut patebit locis variis, ubi ex irrefragabili aliorum scriptorum auctoritate disjungentur, quæ Joinvillius ex confusa rerum memoria male conjunxit. Porro comitem Britanniæ nec adjutum ab Anglis fuisse, nec Regi bellum intulisse ante annum 1229, probatur ex ipso, qui errandi occasionem dedit, Nangio, cum dicat bellum a comite Britanniæ illatum fuisse post motum Campanicum eodem tamen anno, quem ipse 1228 dicit, cum sequentem dicere debuisset, ut de bello Campanico demonstratum est supra, et fatetur Chaizius. Ceterum id bellum induciis tantum interruptum fuisse, non autem pace facta abruptum, patebit*

ex

A *ex rerum narrandarum decursu, indeque manifestum fiet, errare illos cum Chaizio, qui tres, quatuorve comitis Britanniæ rebelliones fingunt, cum non nisi unicum bellum, sed diuturnum, induciisque intermissum, cum* S. Ludovico *gesserit, post primam videlicet conspirationem, quæ ad sanguinis effusionem non pervenit, ut vidimus § 10. Nunc rem ipsam narrare aggrediamur.*

apparatus Anglorum ad invadendam Galliam ;

203 *Henricus Angliæ rex, conspirationem Gallorum procerum edoctus, rursus in spem inductus est recuperandi provincias in Gallia amissas. Fœdere itaque junctus cum Petro Britanniæ comite, uti et fortasse cum aliis fœderatis; (nam id varii scribunt, etiamsi minus certum sit, an fœdus solenne juramentoque firmatum, quod pactum cum Britanno, cum aliis item pepigerit) ad bellum* Ludovico *inferendum se paravit anno 1229. Apparatum ingentem describit Matthæus Parisius ad dictum annum pag. 249 hoc modo :* Sub eisdem diebus, instante festo S. Michaelis, rex Anglorum Henricus congregavit apud Portesmue * totam nobilitatem regni Angliæ : comites videlicet, barones, et

* Portsmouth

B milites, cum tanta equitum ac peditum turba, quantam nullus antecessorum suorum aliquo creditur tempore congregasse. Ubi etiam venerunt ad eum de regionibus Hyberniæ, Scotiæ, Walliæ, et Galæ Walliæ tanta militum et armatorum multitudo, quod admirationi omnibus habebantur. Proposuit namque rex cum tanta armatorum copia transfretata, ut terras, quas pater amiserat, in suum dominium revocaret. Demum cum principes et mareschalli militiæ regis ad naves venissent, ut victualia ingererent et arma, adeo paucas invenerunt naves, ut non sufficerent ad medietatem exercitus transferendum. Quod cum ad regis notitiam pervenisset, iratus est vehementer; et crimen totum in Hubertum de Burgo justitiarium refudit. Et audientibus cunctis, vocavit eum VETEREM PRODITOREM; improperans ei quod hunc, sicut prius, procuravit defectum, pro quinque millibus marcis, quas a regina Francorum acceperat, ut suum propositum impediret : et gladium, quasi furia invectus, rex educens, voluit justitiarium interficere. Sed comes Cestrensis Ranulphus, et alii, qui

C aderant, sese interponentes, ipsum a mortis discrimine servarunt. At ille a regis se præsentia subtraxit, donec ira regis deposita animum mitigaret. *Accusatur idem Hubertus de Burgo a variis, quod pecunia reginæ Blanchæ corruptus, conatus regis Angliæ impediverit, quod dixisse sufficiat : nam id examinandum non suscepi. Redeamus ad Parisium, qui ita prosequitur :*

cui mora injicitur, Britannus Anglo clientelam jurat :

204 Applicuit interea in portu illo comes Britanniæ Henricus, *(ita Petrum perpetuo errore vocat hic auctor)* vir quidam animo seditionem parturiens, VII Idus Octobris, qui regem conducere debuit in terram sub salvo conductu, sicut condictum fuerat inter eos, et sacramento firmatum. Sed idem comes cum aliis de exercitu dederunt regi consilium, ut negotium differret usque ad sequens Pascha, quia periculosum erat tempore hyemali iter tam arduum expedire. Quo audito, rex licentiam dedit omnibus ad propria revertendi. Et justitiarius cum rege pacificatus est. Comes autem Britanniæ regi fecit homagium contra omnes homines de Britannia : et rex reddidit ei totum jus suum in Anglia. Et datis ei quinque millibus marcarum, ad custodiam terræ suæ, remisit eum in regionem suam. *Vides ex hoc apparatu, quantum* Ludovico *bellum pararetur : ex tempore autem, quo comitem Britanniæ in Angliam venisse dixit Parisius, collegi supra, eum bello Campaniæ probabilius non interfuisse, quamvis id aliquo modo fieri potuerit, si, factis induciis, citato cursu in Britanniam, indeque in Angliam se contulerit. Porro, quidquid ea de re sit, redux ex Anglia, et pecunia accepta, et transfretaturo Angliæ rege ferocior redditus, ad bellum se paravit; imo si Nangio credimus, licet ex dicendis id minus sit verisimile, ditionem Regis prior infestare cœpit, at non impune, uti ex sequentibus fit manifestum.*

AUCTORE J. S.

hinc citatur Ludovico, et mulctatur :

205 *Non latebat Regem audax comitis facinus, neque id inultum sivit : sed illum citari jussit Melodunum, ubi ibidem rationem factorum redderet coram judicibus a Rege assignatis Dominica post Natalem Domini. Misit ad judices congregatos Petrus, qui significarent terminum, ad comparendum assignatum, nimis brevem esse; quique pro consuetudine regni Gallicani quadraginta dierum terminum postularent; videlicet ut tempus sic produceret. Addidit tamen scriptum, quo explicabat querelas suas, injuriasque, ut vocat, sibi a Rege reginaque illatas. Verum neque exspectarunt judices, neque regina scriptum comitis ostendere voluit proceribus Franciæ, si vera comes loquitur in litteris post describendis. Et vero necessarium id non erat ad ferendum judicium adversus comitem, quale in hisce comitiis fuit latum. Etenim cum constaret, comitem cum rege Angliæ fœdus inivisse, quod ei non licebat per tractatum Vindocini cum Rege factum, ut diximus num. 103 : satis erat manifestum, eum excidisse jure per dictum fœdus acquisito, Regique licitum esse occupare omnia, quæ memorato tractatu comiti erant concessa. Itaque cum nihil statutum sit in hoc judicio contra comitem, nisi eum excidisse omnibus, quæ in Andegavia dicto fœdere a Rege acceperat, non erat cur postea conquereretur sibi terminum comparendi non fuisse prorogatum, querelasque suas principibus, quibuscum adversus Regem conspirabat, non fuisse exhibitas. Hæc firmabuntur ex litteris comitis suo loco inserendis.* E

decerniturque obsidio Bellismi :

206 *Cum itaque judicatum esset, comitem spoliari posse omnibus, quæ a Rege acceperat in provincia Andegavensi, imo omnibus, quæ fœdere Vindocinensi consecutus fuerat, interque hæc esset oppidum munitum et non ignobile in Pertico, quod* Belesinum, Belesmum, *alias etiam* Bellismum, *vel* Bellissimum *vocant auctores, Gallice* Bellesme, *illius obsidio decreta est : quamvis aliqui recentiores id jam captum anno præcedenti per errorem scripserint. Audiamus nunc Nangium, cujus præposterum narrandi modum ex dictis facile corrigemus. Pag. 328 apud Chesnium ita rem enarrat :* Evoluto siquidem postea *(id est post motus procerum in Campania modo relatos)* non longo dierum ejusdem anni curriculo, Petrus comes Britanniæ fretus auxilio et consilio baronum Franciæ ad tantam devenit superbiam, quod contra dominum suum Regem Ludovicum iterum insurgens, Henricum regem Angliæ in auxilium suum cum maxima multitudine Anglicorum adversus Regem Franciæ pugnaturus, mare fecit transmeare. Et tunc juxta vires suas exercitum colligentes, terram Christianissimi Regis Francorum Ludovici hostiliter intraverunt. *Hæc illi jam statuerant facere, sed*

exsequi

AUCTORE J. S.

exsequi tantum potuerunt post ea, quæ subjicit de capto Bellismo, ut ex rei serie patebit :

quod brevi expugnatur :

207 Sed ad tantæ præsumptionis execrandæ vindictam Rex æstuans zelo justitiæ, et fervore animatus, primo comitem Britanniæ, qui illius malitiæ caput esse videbatur, disponens debellare, bellicosorum militum Franciæ phalanges robustissimas ad se regali edicto ocius convocavit. Quibus circumseptus et vallatus, adversus prædictum comitem, ut ejus repelleret tyrannidem, usque ad castrum, quod Belesinum dicitur, properavit. Illud autem castrum a Rege Ludovico defuncto, ut dictum est, idem comes acceperat in custodia, sed reddere non volebat, affirmans illud ad suam jurisdictionem pertinere. *Imo ad comitem revera pertinebat per fœdus Vindocinense, si hoc ille non violasset.* Rex ilico castrum celeri obsidione cingens, erectis petrariis * grossos lapides jacientibus, ipsum cœpit fortiter expugnare. Unde paucis diebus revolutis, factum est, ut ii, qui intus ad defendendum castrum prius erant promptissimi, Regis B exercitus fortitudinem admirantes, videntesque quod diu ejus non possent resistere potestati, et quod nulla evadendi facultas eis ex aliqua parte poterat subvenire, rogantes ea quæ pacis sunt, prædictum castrum in brevi tempore necessitate coacti Regiæ excellentiæ reddiderunt. Jam enim castrum ictibus tormentorum concussum in aliqua sui parte ruinam imminenten minabatur, et ideo obsessi pavitantes et formidolosi reddebantur ..... Sic igitur castrum contra spem plurimorum, eo quod inexpugnabile videbatur, tum propter situm naturalem, tum propter murorum et turrium fortitudinem, tum propter defendentium probitatem, paucis diebus Rex Ludovicus sibi regia fortitudine subjugavit. Quidquid vero castri defensores in regiam majestatem deliquerant, Rex benignitate sua inclyta eisdem misericorditer condonavit. Hoc etenim totum factum fuit tempore hyemali, quo adeo vehemens algor frigoris increverat, quod ex præcepto reginæ Blanchæ matris domini Regis, mulieris admodum callidæ et ingenii perspicacis, quæ ibi erat, ignis in circuitu equorum fuit accensus non modicus, ne præ multitudine frigoris interirent. *Ita Nangius, sed erravit, dum* C *de rege Angliæ hæc interposuit :* Et tunc rex Angliæ cum pudore et ignominia versus Angliam cum suis Anglicis, Regem Franciæ pertimescens, velociter transfretavit. *Hoc etenim tempore nondum mare transmiserat.*

* i. e. machinis

Andegavum aliaque per Regem occupata.

208 *Capto Bellismo, processisse videntur Galli, ut occuparent reliqua omnia, quibus per sententiam prædictam mulctatus erat Britanniæ comes, nisi illa eodem jam tempore per alias copias militares occupata essent. Certe Andegavum eodem fere tempore Regi restitutum cum tota, opinor, provincia Andegavensi. Urbem enim Andegavensem anno 1230 per Regem occupatam, testatur Chronicon Andrense num. 213 citandum. Deinde Matthæus Parisius num. 211 ita referet expeditionem Regis, æstate proxima secutam, ut videatur innuere Andegavum jam tunc* Ludovico *fuisse subjectum. Tilletius quoque in Collectione tractatuum pag. 174 scribit Andegavum, Bellismum, aliaque oppida hiemali tempore per* Ludovicum *intercepta. Demum Chaizius pag. 126 Andegavum cum aliis oppidis hac hieme occupatum refert, quamvis Bellismi occupationem male retulisset ad annum præcedentem. Hæc autem, quæ de occupatione Andegavi et Bellismi sunt dicta, confirmantur* D *ex numismate de his cuso, quod apud Jacobum de Bie fol. 24 captas has urbes sic exhibet :*



Altera filiarum, quibus urbes significantur, notatur nudato humero, quia Bellismum per machinas Regis munitionibus magna ex parte erat denudatum : altera integre vestita, quia Andegavum sine pugna aut murorum ruina Regi E *traditum. Annus notatur 1229, quod res peracta sit ante Pascha anni 1230, quo usque 1229 currebat Gallis. Nunc prætermissis Chaizii aliorumque in his erroribus, videamus quid egerit interim Britanniæ comes.*

comes Britanniæ Regi bellum inducit.

209 *Ille quasi injuria affectus, Anglorumque fœdere ferocior, litteras ad Regem misit, quibus ab ejus clientela recedit, ac bellum indicit. Edidit has litteras Cangius in notis ad Joinvillium pag. 44, quas ad præcedentium etiam confirmationem huc transfero :* Universis præsentes litteras inspecturis P. dux Britanniæ, comes Richemond. sal. *Notamus hic breviter Ducis titulum sumi a Petro, cum Rex comitem vocasset. Non ignoro hunc ducis titulum ejus temporis Britanniæ principibus a quibusdam tribui : verum cum plerumque ab illius temporis historicis comitem nominari inveniam, et ducis titulus multo post tempore a Philippo Pulchro Britanniæ principi sit concessus, hoc eum nomine vocavi hactenus, et deinceps vocabo. Nunc litteras ipsas audiamus :* Noveritis quod nos mittimus Regi Franciæ per T. Templarium latorem præsentium has præsentes litteras. Rex adjornaverat * comitem Britanniæ ad Dominicam post natale apud Melo- F dunum, cui diei ipse dominus Rex noluit interesse. Comes illuc misit, et Regi mandavit, quod terminus, quem ei posuerat, non erat competens, quia non erat de quadraginta diebus, et propter hoc requisivit alium terminum competentem ab illis, qui erant loco Regis ibidem ad faciendum quod debent, et propter hoc comes fecit scribi omnes querimonias suas et injurias, quas Rex et mater sua et sui ei fecerant, et scriptum illud super quærimoniis traditum fuit illis, qui erant loco Regis. Quod scriptum, sicut factum fuit intelligi comiti, noluit regina quod ostenderetur baronibus et probis hominibus Franciæ, imo aliter eis fecit intelligi voluntatem suam. Comes numquam potuit habere emendationem de injuriis, et malis sibi factis per Regem et suos : nisi hoc quod ipse Rex fecit desaisiri * eumdem comitem de eo, quod ab ipso tenebat in Andegauia, unde erat homo suus, et castrum suum de Belismo, quod similiter ab ipso tenebat, obsedit, et terram suam fecit destrui, et homines suos fecit interfici. Hæc mala cum aliis malis fecit ei Rex sine defectu juris, quem

* i. e. citaverat

* i. e. spoliari

comes

A comes fecisset, et sine eo quod numquam fuisset adjornatus per Regem, nec ante, nec post, nisi ad dictum diem. Propter has injurias, et propter alias, de quibus comes non potuit habere emendationem, mandat ipse comes Regi, quod se non tenet plus pro homine * suo, imo ab homagio suo recedit, et in hoc recessu intelligit comes diffidationem, *(id est bellum indicit.)* Actum anno gratiæ MCCXXIX die Dominica in octavis B. Hilarii. *Vides, opinor, lector, arrogantiam hominis, qua primus e proceribus bellum aperte indicit : tanta erat fiducia Anglorum, procerumque occulte conspirantium in Regem. Et vero periculosissimum hoc fuisse* S. Ludovico *bellum, facile intelligimus, si consideremus nullum fere ipsi a principibus sperandum fuisse subsidium, cum fideles Regi Campaniæ et Flandriæ comites satis haberent negotii ad se defendendum. Videamus itaque quid post hæc ab utrisque gestum.*

* i. e. vassallo

B
§ XVIII. Prosecutio belli Britannici anno MCCXXX : judicium contra comitem Britanniæ.

Angliæ rex cum exercitu transfretat

Bello indicto, utrimque magnis animis opibusque se præpararunt ad id strenue gerendum. Qui quibus essent adversarii ex præcedentibus notum est. Breviter hic tantum moneo, inter adversarios S. Ludovici *numerandos non esse, quos Raynaldus ad annum 1230 num. 30 nominat ex Bernardo Guidonis, comites nempe Tolosanum et Campanum, ac ne Marchiæ quidem comitem, qui mense Maio fœdus cum Rege renovavit, ut videbimus; quamvis hic magis intentus fuisse videatur ut potentiam suam augeret, quam ut sinceram Regi opem præstaret, uti et alii erant plurimi. Matthæus Parisius ad annum 1230, pag. 251 regis Angliæ res gestas ita describit :* Rex Anglorum Henricus in solemnitate Paschali, apud Radingum * congregavit exercitum copiosum valde, omnium videlicet nobilium regni, qui sibi debebant servitium C militare, et aliorum innumerabilium ex regionibus diversis. Qui inde castra movens, ad portum de Portesmue pridie Cal. Maii, cum universa multitudine sua naves ascendit. *Lubet hic interponere verba Walsinghami in Ypodigmate Neustriæ ad hunc annum :* Anno, *inquit*, MCCXXX Henricus Anglorum rex transfretavit in Britanniam, suadente Petro duce Britanniæ, ut a Rege Francorum terras per patrem ejus et avum sibi et progenitoribus suis injuste ablatas repeteret. Qui die, quo naves ascensurus erat, pauperes et infirmos humiliter visitans, leprososque exosculans, largas eis eleemosynas erogavit. *Hæc omittere nolui, ut intelligat lector non minori pietate quam potentia ad hanc expeditionem se paravisse Henricum; indeque non dubitet similia item facta fuisse a* S. Ludovico, *cujus tota vita hisce pietatis officiis conspersa est, quique pietate non minus quam gloria bellica Henricum longe superavit. Verum ab hoc non injucundo diverticulo ad Parisii narrationem regredior :*

* Reading

211 Rex autem, *inquit*, procurantibus nautis suis, in Britannia applicuit apud sanctum Machutum *(ita Maclovium, vulgo* saint Malo *vocat auctor)* quinto Nonas Maii. Multi quoque de exercitu, regem sequi non valentes, diversis applicuerunt in locis : sed Deo id procurante, absque læsione, ac rerum diminutione, omnes ad regem in Britannia pervenerunt. Comes autem Britanniæ regem reverenter et cum honore suscipiens, tradidit ei municipia regionis illius, et castella : nobilesque Britanniæ multi, ad eum venientes, homagia fecerunt, et fidelitatem ei juraverunt. Andreas tamen de Viteri, et alii viri nobiles pauci, ad fidelitatem regis venire contemnentes, munierunt castra sua alimentis, et ad pugnam viriliter sese præparabant. Rex autem Francorum, cum de adventu regis Anglorum certitudinem didicisset, congregavit exercitum valde copiosum : atque micantibus undique scutis et vexillis, ad Andegavensem pervenit civitatem. Ubi castra metatus, ibi moram protraxit non modicam, ut progressum regis Anglorum in Pictaviam præpediret. Rex vero Anglorum, dum apud urbem Nannetensem majorem expectabat adhuc numerum ex diversis partibus armatorum, Rex Francorum cum exercitu suo quoddam debile muncipium Hodum appellatum obsedit, quod ab urbe Nannetis quatuor leucis vix distabat, atque levi conatu illud cœpit et subvertit, et ad Andegavensem rediit civitatem. E *Ita auctor Anglus, extenuans res ibidem a* Ludovico *gestas.*

AUCTORE J. S.

in Britanniam, ubi a comite excipitur : his se opponit

212 *Accipe itaque quæ in hac expeditione brevi tempore Rex gessit. Convocatis ad arma regni proceribus, iis etiam, qui occulte favebant comiti, sed Regis imperio non audebant resistere, inter quos præcipuam Regi opem tulit comes Campaniæ, ut habet Albericus pag. 535, suam videlicet fortunam a Regis fortuna dependere existimans; convocatis, inquam, proceribus, exercituque florentissimo congregato, ad partes Britanniæ accedit, vel antequam eo pervenerat rex Angliæ, vel certe eodem fere tempore : nam mense Maio apud Clichionem * castrum in finibus Pictonum (quod Britanniæ attribuitur, teste Valesio in Notitia Galliarum pag. 147) cum Hugone Marchiæ comite fœdus renovavit, prout illud descriptum invenies apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ a col. 1236, Deinde castrum Oudon, quod* Hodum *supra* F *vocat Parisius, expugnat; uti et Castrum-celsum, vulgo* Chasteauceaux, *a situ ita dictum, quod in monte positum sit, in diœcesi Namnetensi ad flumen Ligerim, ait Valesius citatus pag. 134, addens celebre olim fuisse. Hæc* Ludovicus *in conspectu fere Henrici, qui apud Nannetes otiosus desidebat cum exercitu. Præterea judicium contra comitem Britanniæ instituti curat, quo jure et tutela comitatus exuitur : ac regem Angliæ simul et comitem Britanniæ observat, ne quid cum tanto exercitu, quantum iis fuisse audivimus, moliri audeant. Verum hæc compendio dicta ex coævis auctoribus nunc veniunt deducenda.*

cum exercitu Ludovicus, ac rem bene gerit.

* Clisson

213 *Chronicon Andrensis monasterii apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 868 ad annum 1230 ita habet :* Eodem anno, soluto satana, et in regno Franciæ debacchante, principes regni et optimates Regi Ludovico adhuc juveni, et matris consilio potius quam eorum monitis adhærenti, fœdus debitum et fidelitatem subtrahunt, cum rege Anglorum Henrico fœdus ineunt, et cum copioso exercitu in Britanniam adducunt. Et contra Rex Ludovicus aciem copiosam

Capta a S. Ludovico oppida.

AUCTORE J. S.

piosam de omnibus finibus sui regni colligens viriliter instruit, et thesaurum a patre et avo collectum militibus et aliis stipendiariis exponit. Urbem Andegavensem cum quibusdam castris invadit, et comiti Britannico ea auferens pro eo quod totius proditionis diceba-tur exequutor, licet Regis Francorum esset propinquus, Anglorum exercitui, ne fines Britanniæ transiret, potenter resistit. *Verum hic auctor ea, quæ tempore hiemali gesta erant, miscet cum aliis in æstate factis. Quænam autem castra æstivo tempore sint capta, memorat Nangius pag. 329 his verbis :* Rex . . . magno exercitu congregato . . . usque ad castrum, cui Adou * vocabulum est, ire citius cum apparatu regio festinavit. Quod obsidens circumquaque, in brevi tempore per fortitudinem suam expugnavit. Quo capto, ad aliud, quod Castiauciaus * nominatur, duxit exercitum. Sed qui illud paulo ante defendere conabantur, videntes Regis Franciæ exercitum fortem, nimis timuerunt : unde claves castri afferentes, seipsos cum castro Regis benevolentiæ tradiderunt. B Quos statim recipiens, quidquid in se deliquerant, eisdem, ut pius et misericors condonavit : sed castrum muniens sua gente, longo postea tempore custodivit. *Lobineau in Historia Britanniæ tom. 1, pag. 228 inter capta hoc tempore oppida etiam numerat Ancenisium * Britanniæ oppidum ad Ligerim, novem leucis, si Baudrando credimus, Andegavo dissitum versus Nannetas, citatque ad marginem Nangium. Verum cum neque apud Nangium, neque apud ullum auctorem antiquum id inveniam, affirmare non ausim : quin potius existimo Ancenisii dominum cum aliis Britanniæ proceribus* Ludovico *adhæsisse, ut ipse Lobineau refert, et nos suo loco referemus.*

* Oudon
* Castrum-celsum
* Ancenis

Judicium contra Britanniæ comitem prolatum.

214 *Judicium, quod supra diximus contra Britanniæ comitem institutum, edidit Martenius sæpe memoratus tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1239, ex Ms. Colbertino, sub hoc titulo :* Judicium factum in castris juxta Ancenisum contra comitem Britanniæ anno Domini MCCXXX mense Junio. *Atque ita sonat :* Galterus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, Galterus eadem gratia C Carnotensis, et Guilielmus Parisiensis episcopi, F. * comes Flandriæ, Th. * comes Campaniæ, comes Nivernensis, comes Blesensis, comes Carnotensis, comes Montisfortis, comes Vindocinensis, comes * Rout. Matthæus de Monte-Morenciaco Franciæ constabularius, Johannes de Suessione, Stephanus de Sacro-Cæsare, vice-comes Belli-montis, et alii barones et milites, quorum præsenti scripto supposita sunt sigilla, universis tam præsentibus quam futuris, ad quos pervenerit præsens scriptum, salutem in perpetuum. Notum facimus, quod nos coram carissimo domino nostro Ludovico rege Francorum illustri judicavimus unanimiter, quod Petrus quondam comes Britanniæ, propter ea, quæ eidem domino Regi forifecerat, quæ pro majori parte coram omnibus nobis ibi dicta fuerunt, ballum Britanniæ per justitiam amisit, et quod barones Britanniæ et alii, qui eidem fecerant homagium vel fidelitatem ratione illius balli, sunt penitus absoluti et quitti ab illa fidelitate et illo hominagio, nec tenentur ei obedire vel aliquid pro eo facere, quod pertineat ad rationem illius balli. In cujus rei testimonium præsens scriptum fecimus consignari nostris impressionibus sigillorum. Actum in castris juxta Ancenisum anno MCCXXX mense Junio. Ballum D *idem hic est quod* tutela, *qua eum excidisse pronuntiant judices, quia jure uxoris comitatum possidebat, in quem filius ei debebat succedere.*

* Fernandus
* Theobaldus
forte * Rauciacensis

Fœdera cum proceribus Britanniæ contra comitem inita.

215 *Prolato hoc judicio, mox quidam e magnatibus Britanniæ partes comitis deseruerunt, Regique clientelam ac fidelitatem juraverunt, salvo tamen jure Joannis, filii exauctorati nunc Petri, qui, simul ac ætatem debitam attigisset, Britanniam comes administraret. Argentræus in Historia Britanniæ lib. 4, cap. 12 hos enumerat toparchas, Andream Vitriaci *, Radulphum Filgeriarum *, Gaufridum Castri Brientii *, Henricum de Avaugour, Gilduinum Dolæ, Gaufridum Ancenisii, Richardum Mareschallum, Oliverium de Coetquent seu Coiquen, quibus adjungit Lobineau loco mox assignato Guidemarum Leonensem *, et cum Joanne Dolensi, ejusdem urbis episcopum. Verumtamen non omnes illi eodem tempore* Ludovico *clientelam et fidelitatem juraverunt, sed citius alii, alii serius; quidam hoc anno, alii sequenti. Homagium Andreæ Vitriaci domini dat Martenius statim post memoratum contra comitem judicium,* E *factumque est in castris apud Ancenisium eodem mense Junio; homagium vero Radulphi Filgeriarum domini, quod ibidem habetur col. 1246, anno sequenti mense Martio; Guidemari Leonensis, et Henrici de Avaugour mense Maio ejusdem anni 1231 factum est, uti ibidem invenies a col. 1248, quibus et juramentum fidelitatis mense Junio factum a nobili quodam,* Tinger *nomine, mox subjicitur. Litteras quoque Oliverii de Quoquen, terram suam Regi subjicientis die Veneris ante Purificationem beatæ Mariæ Virginis, invenies apud Lobineau tom. 2 Historiæ Britanniæ col. 402. Hæc simul hoc loco commemorare visum est, licet quædam posterius, ut dixi, peracta sint. Ceterum laudatus Argentræus scribit, Regem usum esse opera Guilielmi episcopi Parisiensis ad dictos nobiles sibi conjungendos, quod non negaverim; sed missum ad eos episcopum non existimo, priusquam judicium contra comitem esset prolatum : quænam autem cum singulis pacta fuerint, videri potest locis assignatis.*

* Vitrè
* Fougeres
* Chasteau Briant
* Leon

Dum Ludovicus a proceribus desertus abscedit

F
216 *Hæc summa celeritate, parique fortitudine, prudentia, ac felicitate intra spatium duorum mensium ab adolescente sexdecim annorum* Ludovico *gesta sunt. Quin et plura effecturus videbatur, nisi eum e medio rerum bene gerendarum cursu retraxisset perfidia plerorumque principum, qui ad pompam potius comitabantur, quam ut sincerum Regi præstarent auxilium. Verum hæc postmodum enarrabimus latius, nunc dixisse sufficiat, Regem coactum fuisse inde cum exercitu recedere, quia post quadraginta dierum servitium a vassallis suis deserebatur, iique novum in Campaniam moliebantur bellum, quod Britannico magis hoc tempore erat metuendum. Itaque mense Junio inde videtur recessisse, relicto ad fines tuendos præsidio, eodemque mense in castris apud Pontem de Say * pensionem annuam assignavit Raymundo vicecomiti Thoarcensi, donec ille castrum Marolii recuperasset, quod vel a Pictonibus vel ab Anglis erat interceptum : chartam hujus donationis edidit Martenius col. 1242. Nunc Regem abeuntem ad tempus relinquemus, ut videamus quid Angli, quibus, recedente* Ludovico, *commodior jam oblata videbatur proficiendi occasio, tanto suo apparatu effectum dederint.*

* le Pont de Sè

217 *Mat-*

A

Henricus invitatur in Normanniam, quod negligit:

* Painel

217 *Matthæus Parisius, relato Regis* Ludovici *abitu, pag. 252 occasionem invadendi Normanniam Henrico Angliæ regi oblatam, ab eoque neglectam narrat hoc modo :* Eodem tempore Fulco Paganellus * de Normannia vir nobilis, et Willielmus frater ejus, relictis castellis suis ac terris, venerunt ad regem Anglorum in Britanniam, fidelitates ei et homagia facientes. Venerunt etiam cum eis sexaginta milites viri strenui et potentes, qui omnes persuaserunt regi, ut hostiliter Normanniam intraret, sub spe certa terram subjugandi. Quorum rex consiliis libenter adquievisset, sed Hubertus de Burgo id fieri non permisit, dicens, periculosum fore hoc modis omnibus attentare. Quod audientes milites prædicti, postulaverunt regem propensius, ut assignaret eis ducentos milites de exercitu suo, cum quibus Normanniam intrarent: certissimis ei assertionibus promittentes, quod omne genus Francorum de Normannia exturbarent. Nec etiam id fieri permisit Hubertus justitiarius, asserens regi non expedire, ut traderet milites suos ad mortem ultronea voluntate. Sicque nobiles illi miserabiliter illusi fuere, quia Rex Francorum in continenti exhæredavit eos, castella, et omnia, quæ illorum erant, potenter in sua jura convertens. *Sane non videbatur hæc occasio negligenda, cum* Ludovicus *eo tempore fuisse videatur in Campania. Porro cum castella Fulconis Paganelli occupata fuisse dicat Parisius, videtur hoc loco collocandum, quod paulo citius inter incidentia ponit Nangius pag. 329 his verbis :* Eodem tempore, quo Rex Franciæ Belesinum castrum expugnavit, Joannes de Vineis homo fidelissimus, et in armis strenuissimus, colligens exercitum in Normannia, et ducens a la Haye Paenel, eam infra paucos dies domino suo Regi Franciæ Ludovico potenter subjugavit. *Ceterum videtur Fulco Paganellus, cujus id castrum fuisse puto, brevi in gratiam* Ludovici *rediisse, cum anno 1231, mense Martio apud Martenium col. 1247 prædem se Regi præstiterit pro Radulpho Filgeriarum domino; idem de fratre ejus Guilielmo, seu Willielmo affirmat Chaizius pag. 135.*

B

Mirabellum occupat, dein redit in Angliam :

* Mirebeau

218 His ita gestis, *inquit Parisius*, rex Anglorum, per consilium Huberti de Burgo, cum exercitu suo ex Britannia per Andegaviam in Pictaviam transiens, profectus est in Gasconiam, *provinciam videlicet suam.* Ubi acceptis homagiis, et regione sub securitate disposita, rediit in Pictaviam, ubi multorum homagia suscepit. In hac quoque equitatione obsedit rex Mirebelli castrum, et cepit laudabili virtute Anglorum, qui assultus audacissimos iterantes, violenter inclusos subegerunt, et recedentes, omnes in vinculis abduxerunt. *Mirabellum,* * *quod unicum in tota hac expeditione oppidum cepit Henricus, in Pictaviensi provincia situm est. Post hæc Parisius, Henrici cum tanto exercitu, absente etiam* Ludovico, *nihil agentis desidia acriter perstricta, ejus reditum ita describit :* Tandem rex Anglorum mense Octobri, dispositis rebus necessariis ad custodiam terræ illius, dimisit ibi milites quingentos, et mille servientes stipendiarios, super quos principes constituit comitem Cestriæ Ranulphum Willielmum, et Willielmum Albemarliæ comitem, cum quibusdam aliis viris bellatoribus, et in opere martio præelectis. Sicque rex naves conscendens, post plurima maris pericula, apud Portesmue applicuit VII Cal. Novembris; consumpta pecunia infinita, et nobilibus innumerabilibus vel morti datis, vel infirmitate et fame attenuatis, vel ad extremam redactis paupertatem. *Consonat Chronicon Andrense in miseriis Anglorum describendis apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 869 :* Sicque Angli in angulo Britanniæ coangustati, calore æstatis arctati, et tam cibis quam potibus dissuetis expositi, morbis multiplicibus variisque eventibus pœnas dederunt, et ad propria ulterius non redierunt; mortuis prius equis innumeris, et victualibus omnino consumptis, thesauris etiam, quos de Anglia attulerant, frustra erogatis; tandem rex Anglorum, qui cum multis advenerat, cum paucis ad propria revertitur. *Ita Dominus pro* Ludovico *pugnavit, cum ipse adesse non posset, concordiamque inter suos stabilire studeret.*

C

AUCTORE J. S.

relicti ab Henrico duces populabundi excurrunt.

219 *Restat ad res gestas hoc anno in bello memorato absolvendas, ut referamus quid a præfectis Henrici post ejus discessum fuerit factum. Narrat id citatum Parisius hunc in modum :* Post recessum regis Anglorum ex partibus transmarinis, comes Cestriæ et alii principes militiæ regis, cum toto ejus exercitu fecerunt equitationem per Andegaviam, et per dies quindecim moram fecerunt in ea : et ceperunt castellum Gunner, et complanaverunt illud et villam combusserunt. Deinde ceperunt novum super Sartam, et illud subvertentes, villam incendio tradiderunt. Sicque cum impreciabilibus spoliis, et prædis in Britanniam sunt reversi. Nec multo post Normanniam hostiliter ingressi, ceperunt ibi castellum Pontursum, et eo complanato, villam combusserunt, et absque rerum dispendio in Britanniam redierunt. *Hactenus Matthæus Parisius, quocum hoc anno finem imponimus bello Britannico, quod anno sequenti resumptum narrabimus. Et redimus ad* S. Ludovicum, *ut quem bis hoc anno jam vidimus urbes hostium expugnantem, modo in tertia expeditione, hostes auctoritate sua comprimentem intueamur.*

E

§ XIX. Prosecutio belli in Campania; gesta Regis ibidem : concordia demum secuta in comitiis principum, ubi et quædam contra Judæos statuta.

F

Discordiæ principum et ditionum vastationes :

N*arravimus* § XVI *gesta contra comitem Campaniæ a principibus fœderatis, damnaque his illata a comite Flandriæ, post quæ secutas diximus, procurante* Ludovico, *inducias; sed breves illæ fuerunt, animis adhuc ira æstuantibus, et spirantibus vindictam. Recruduit itaque bellum hoc anno 1230, uti ex Alberico, aliisque auctoribus coævis manifestum est. Accipe breviter ex memorato Alberico ad hunc annum, quæ utrimque damna fuerint illata :* Comes Barri, *inquit pag. 535, (adversus)* nepotem suum, *(ducem nimirum Lotharingiæ, Campaniæ comiti fœdere, ut diximus, junctum)* statim post Natale Domini combussit villas septuaginta, ut dicitur, ultra.

cujus

AUCTORE J. S.

Dux vero cum comite Campaniæ, et Simone de Jovevilla *(pater is erat Joannis Joinvillii, cujus dabimus Historiam)* et multis aliis vel tantum mali vel amplius operati sunt super comitem Barri, et quoddam castrum in villa, quæ dicitur monasterium super Sauz, contra eum firmaverunt, quod comes Barri eodem anno penitus abrasit. Item Metenses duci Matthæo confœderati pontem de Maidieres contra comitem Barri confregerunt; comes autem Campaniæ et comes Flandriæ comitem sancti Pauli damnificaverunt in multis. *Hæc facta ante bellum in Britannia a* Ludovico *gestum, seu eo fere tempore, quo Bellismum a Rege expugnatum : ex quo dubium videtur, an* Ludovicus *vassallos suos vocaverit ad illam expeditionem tempore hiemis susceptam : certe illi non videntur adfuisse.*

fœderati, deserto rege,

221 *At vero cum cognovisset* Ludovicus *regem Angliæ transfretaturum, tanta principes omnes auctoritate ad arma vocarat, ut resistere Regis imperio non sint ausi. Secuti itaque sunt in Andegaviam, sepositis tantisper inimicitiis, ne ut rebelles puniri possent : verum evoluto* B *quadraginta dierum intervallo, quo tantum Regi militare tenebantur vassalli,* Ludovicum *deseruerunt primo illi omnes, qui occulte cum Britanniæ comite conspiraverant. Porro illos jam decessisse mense Junio, colligi videtur ex eo, quod nullus ex iis, quos decessisse a Rege scribit Matthæus Parisius, judicio contra Petrum Britannum lato subscripserit, nisi quis existimare maluerit, eos subscribere recusasse. Post horum recessum, latumque contra Petrum judicium, comites Flandriæ et Campaniæ, ditioni suæ metuentes, veniam redeundi ad sua petierunt a Rege, et impetrarunt, quos Rex ipse, dispositis prius omnibus, cum exercitu secutus est circa finem, ut videtur, mensis Junii. Hæc ita exposita coævorum scriptorum auctoritate nunc sunt confirmanda. Matthæus Parisius pag. 251, rem hoc modo describit :* Habebant quoque hoc tempore guerram ad invicem omnes fere magnates Galliæ, sicut dux Burgundiæ, comes Boloniæ, comes de Drius, comes de Mascu, comes sancti Pauli, comes de Bar, Engeramus de Curci, Robertus de Curtenei, et multi alii, qui jurati et confœderati erant, ut dicebatur, regi Angliæ, et comiti Britanniæ, . . . bellum induxerunt co- C mitibus Campaniensi et Flandrensi. Qui omnes impetrata licentia a Rege Francorum, completis in obsidione Andegaviæ quadraginta dierum excubiis, reversi sunt in patriam suam. Quos Rex cum illos retinere non potuit, secutus est, ut, si possibile esset, eos discordes ad concordiam revocaret.

Campaniam duabus ex partibus invadunt.

222 *Auctor Chronici S. Medardi Suessionensis, qui item est synchronus, apud Acherium tom. 2 Spicilegii a pag. 490 hæc et præcedentia quædam confirmat his verbis :* MCCXXX Henricus rex Angliæ cum magno exercitu Anglorum in Britanniam minorem contra Regem Francorum Ludovicum puerum, Petro dicto Mauclerc hoc faciente, transfretavit, sed nihil profecit : multis siquidem ex suis amissis diversis generibus morborum, in Angliam reversus est, febre quartana laborans. Philippus comes Boloniæ, avunculus Regis Ludovici pueri, cum Roberto comite Drocarum, et aliis baronibus Francorum fere cunctis, Rege Ludovico puero in terram Britanniæ minoris contra regem Angliæ, et comitem Britanniæ, et cæteros inimicos illius, cum exercitu quorumdam Francorum prædicto Regi adhærentium, tamquam D crudeles et impii, dereliclo, contra comitem Campaniæ Theobaldum, qui Regi adhærebat, arma moverunt, et quasdam munitiones suas captas destruxerunt. Dameriacum vero, Cergiacum, Faverias, et quasdam villas et domos ecclesiæ beati Medardi Suessionensis, ferro et igne vastaverunt, villis et domibus, et munitionibus militum intactis permanentibus et integris cum rebus universis. *Hæc ille auctor, intentus præcipue, ut describat damna ecclesiasticis illata ; sed gesta in hoc bello ex aliis magis dilucide prosequemur.*

urbesque varias populantur, et incendunt :

223 *Joinvillius, cujus dicta de hoc bello, ad hunc annum commemoranda dixi, num. 32 ita inter principes convenisse ait, ut plerique per Franciam invaderent Briam et Campaniam, dux vero Burgundiæ partem Burgundiæ suæ oppositam ingrederetur, ut, vastatis oppidis plerisque, Trecas convenirent, illamque Campaniæ metropolim conjunctis viribus oppugnarent. De iis, qui ex parte Franciæ, ut loquitur Joinvillius, seu Picardiæ potius, per tractum Retelianum Campaniam invaserunt, hæc leguntur in Chronico Fiscanensi ad hunc annum apud* E *Labbeum tom. 1 Bibliothecæ pag. 327 :* Eodem anno facta est discordia inter comitem Campaniæ, et Philippum comitem Boloniæ, et comitem Robertum *(Druidum,)* et alios nobiles Franciæ, qui transierunt Matronam *, et combusserunt totas villas de Sparnaco *, de Virtutibus *, et de Sesanna *, et fugarunt comitem Campaniæ, et in reditu obsederunt castra de . . . . et de Fimes, et ceperunt ea, et succensa est turris de Fimes. *His consonat Albericus pag. 535, dicens :* Cæteri autem principes cum comite Barri adunati, quorum caput erat comes Boloniensis Philippus, incenderunt Sparnacum, Sezanniam, et Virtutum, et quasdam villas in Campania, et turrim de Fimiis * obsederunt, et in multis locis terram Campaniæ vastaverunt prædando et spolia abducendo : sed et ipse comes Campaniæ villas suas timore eorum, antequam illi advenirent, incendebat. *De urbibus ab ipso comite incensis consentit Joinvillius num. 32, qui et tria supra memorata oppida, videlicet Sparnacum in Campania ad Matronam, Vertusium in eadem provincia ad Briæ confinia, et Sesanam in Bria, ab eodem* F *igni tradita affirmat, sed malim ea in re aliis auctoribus credere, qui ea referunt ab hostibus combusta.*

* la Marne
* Espernay
* Vertus
* Sesane

* Fimes

comitem Theobaldum fugant :

224 *Hæc ab iis peracta sunt, priusquam Rex cum exercitu Campaniam ingredi posset, non tamen antequam ibidem esset comes ipse Theobaldus, cui animus ad sua defendenda non defuit, sed vires contra tot hostes defuerunt. Audi Matthæum Parisium pag. 251, post recitata ex eo superius, sic prosequentem :* Sed cum idem Rex nobiles ad pacem reducere nullatenus potuisset, ingressi sunt cum equis et armis hostiliter comites terram comitis Campaniæ, atque illam igne et ferro depopulari cœperunt. Comes vero Campaniæ, in ingenti armatorum copia hostibus occurrens, prælium campestre commisit. At comites tam sibi quam suis agminibus viriliter resistentes, ex militibus illius ducentos sub captione concluserunt, et tresdecim peremerunt. Quod cum comes Campaniensis cognovisset, campum per fugam deseruit, omni commilitonum suffragio destitutus. Quem fugientem hostes acriter insequentes, et quoscum-

A quoscumque attingebant in ore gladii prosternentes, non cessabant donec ipsum comitem infra portas Parisiacæ civitatis cursu rapido intruserunt. Tunc nolentes ulterius insequi illum, reversi in Campaniam, spoliaverunt eam totam, castra et municipia complanantes, vites et pomeria succidentes, extra ecclesias intactum nihil reliquerunt. *Porro prælium hic a Parisio narratum, etiamsi fuga comitis Theobaldi, hostiumque in persequendo pertinacia nonnihil videatur exaggerata, confirmatur ex verbis Chronici Fiscanensis supra adductis :* Et fugarunt comitem Campaniæ. *Deinde tanta hostium in urbibus evertendis licentia verisimile facit, Comitem campo fuisse pulsum. Ceterum, quæ de causa odii in comitem subnectit Parisius, alibi refutata sunt.*

Trecas oppugnant: quo Rex properat cum exercitu.

225 *Pervastata omni fere Campania, ad urbem Trecensem accesserunt fœderati principes : verum Trecenses, adventu eorum cognito, opem petierunt a Simone Jovisvillæ domino, ut narrat num. 32 ejus filius Joannes Joinvillius. Adfuit ille in tempore cum suis,* B *urbemque defendit tam fortiter, ut principes oppugnatam nequidquam civitatem coacti sint præterire, castraque conjungere in pratis cum castris ducis Burgundiæ, qui vastatis item, qua transibat, omnibus, eo ex Burgundia accesserat. Hæc compendio ex relatione Joinvillii.* Ludovicus *interim ex Andibus in Pictaviam transierat, ubi circa mensem Julium, ut pag. 133 habet Chaizius ex instrumento antiquo, apud Fanum S. Maxentii * privilegia confirmavit incolis Niorti *, ejusdem provinciæ oppidi, ab Anglis antea concessa, auditaque vastatione Campaniæ properabat cum exercitu opem laturus. In Campaniam autem pervenit, dum fœderati principes circa Trecas haberent castra,* et postquam . . . novit eos ibidem esse, *inquit Joinvillius num. 33,* cum suis recta ad eos tetendit, ut prælio cum ipsis decerneret. Proceres, hoc perspicientes, ipsum prece et supplici libello rogarunt, ut dignaretur se recipere post agmen suum, se paratos pugnam inire contra Campaniæ comitem et ducem Lotharingiæ, omnesque eorum milites, trecentis equitibus numero inferiores C iis, quos ipse, comes, duxque haberent. Respondit iis Rex, neutiquam eos cum suis dimicaturos, se non præsente. Quod ut perceperunt proceres, derepente fere confusi, ei significarunt, se libenter inducturos reginam Cypri ad pacem cum Theobaldo Campaniæ comite ineundam.

* S. Maxant

* Niort

quem reveriti Campania excedunt.

226 *Videtur hic rursum Joinvillius disjuncta tempore per errorem conjungere : nam serius finitam esse litem Theobaldi cum Cypri regina suo loco ostendemus : itaque intelligendus est de pace, quam ipsi principes cum Theobaldo inirent. Subdit auctor citatus :* Ad quod bonus Rex iis reposuit, se nulla de pace auditurum, neque passurum, ut de ea audiret comes Campaniæ, donec comitatu Campaniæ excessissent. *Paruerunt fœderati principes mandato Regis, ut pergit narrare Joinvillius. Qui hisce turbis subjungit pacem Theobaldi cum regina Cypri : verum cum regina Cypri hujus belli causa fuisse non videatur, pactumque Theobaldi cum Cypri regina sit posterius, pacem inter Theobaldum, principesque ejus adversarios subjungimus : namque hanc constat hoc anno factam.*

227 Circa eosdem dies, *inquit pag. 252 Matthæus Parisius,* mense Septembri, convenerunt ad colloquium Rex Francorum et regina mater ejus, cum honorabilibus viris et magnatibus illius regni, qui post mortem Ludovici regis guerram habuerant ad invicem, ut est superius dictum. Ubi de pace tractantes, talem concordiam firmaverunt. Provisum est autem communiter a proceribus præfatis, ut comes Campaniensis, qui hujus discordiæ causa principalis extiterat, cruce signatus peregrinationem Terræ sanctæ subiret ad militandum ibidem cum centum militibus contra inimicos Crucifixi. Et præterea Rex Francorum et mater ejus, tactis sacrosanctis Euangeliis, juraverunt, quod singulis redderent jura sua, et quod omnes homines terræ illius secundum rectas consuetudines, et singulis debitas judicarent. *Chaizius pag. 136 monumentis ex variis, quæ citat, quædam particularia explicat circa hæc regni comitia atque asserit, pacem ibi conciliatam inter comites Flandriæ Campaniæque, et Bononiæ comitem : deinde comiti Bononiæ omnia fere, quæ postulabat, concessa esse, ac nominatim magnam pecuniæ summam pro vastitate territorio* E *ejus per comitem Flandriæ illata : ducem item Lotharingiæ et comitem Barri controversiam suam arbitrio comitum Campaniæ et Bononiæ permisisse, quibus regina Blancha erat adjuncta : Joannem comitem Cabillonensem duci Burgundiæ domino suo reconciliatum. Hæc Chaizius : atque ita bello Campanico finis fuit impositus, licet odia necdum essent ablata.*

Auctore J. S.

Pax inter principes, Rege adnitente, facta :

228 *Eodem hoc anno 1230, vel in iisdem his comitiis, vel in aliis, ut præplacet Chaizio pag. 140, mense Decembri Meloduni coactis, quædam rursum contra Judæos a Rege principibusque fuere statuta. Edidit hæc statuta Albericus in chronico, factaque asserit Meloduni mense septembri, quo memorata mox comitia fuere habita : edidit et Acherius tom. 3 Spicilegii a pag. 606, apud quem facta notantur mense Decembri : utra verior sit epocha, non satis apparet. Statuta interim ipsa ex Acherio, ubi pleniora sunt, huc transferre lubuit :* Ludovicus Dei gratia Rex Francorum. Noverint universi præsentes pariter et futuri, quod nos pro salute animæ nostræ, et inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, et ante- F cessorum nostrorum, pensata etiam ad hoc utilitate totius regni nostri, de certa voluntate nostra, et de consilio communi baronum nostrorum statuimus, quod nos et barones nostri Judæis nulla debita de cætero contrahenda faciemus haberi : nec aliquis in toto regno nostro poterit retinere Judæum alterius dominii : et ubicumque aliquis invenerit Judæum suum, ipsum licite capere poterit tanquam proprium servum, quantamcumque moram fecerit Judæus sub alterius dominio vel alio regno. Debita vero, quæ usque nunc Judæis debentur, solventur tribus terminis, videlicet in instanti festo Omnium Sanctorum tertia pars, in sequenti festo Omnium Sanctorum tertia pars, et in alio sequenti festo Omnium Sanctorum residua tertia pars.

statuta contra Judæos,

229 De Christianis vero statuimus, quod nullas usuras de debitis contrahendis eos faciemus habere nos, seu barones nostri : usuras autem intelligimus quidquid est ultra sortem. Hæc autem statuta servabimus, et faciemus servari in terra nostra, et barones nostri in terris suis. Et si

a Rege, consentientibus proceribus,

AUCTORE J. S.

si aliqui barones noluerint hoc servare, ipsos ad hoc compellemus, ad quod alii barones nostri cum posse suo bona fide nos juvare tenebuntur. Et si aliqui in terris baronum invenirentur rebelles, nos et alii barones nostri juvabimus ad compellendum rebelles prædicta statuta servare. Hæc autem in perpetuum illibata volumus servari a nobis et heredibus nostris; et barones nostri similiter concesserunt, se et heredes suos hoc perpetuo servaturos. *Subscripserunt omnes eadem forma, qua sequitur prima subscriptio in hunc modum :* Ego Philippus comes Boloniæ ea, quæ præmissa sunt, volui, consului et juravi. *Altera :* Ego Hugo comes Marchiæ eadem volui, consului, et juravi. *Sequuntur* Hugo Dux Burgundiæ; Theobaldus comes Campaniæ; Amalricus comes Montis-fortis, Franciæ constabularius, *defuncto Monmorencio nuper suffectus;* Robertus de Cortenaio, Franciæ buticularius; Henricus comes Barri; Hugo comes S. Pauli; Radulphus comes Augi; Joannes comes Cabilonensis; Ingerramus de Cociaco; Guillelmus vice comes Lemovicensis; Archembaldus de Borbonio; Guillelmus de Domnopetro; Guido de Domnopetro; Joannes de Nigella; Guillelmus de Vergiaco. Hæc autem, *inquiunt,* voluimus, consuluimus, et juravimus pro salute animarum nostrarum, et antecessorum nostrorum.

Meloduni condita.

230 *Post quæ Rex ita prosequitur:* Adjunctum est insuper, quod omnes Judæi literas, quascumque habent de debitis suis, ostendant dominis suis infra instans festum Omnium Sanctorum, alioquin non valebunt literæ illæ nec eis ex tunc uti poterunt Judæi ad petenda debita sua. Nos autem, ut prædicta omnia rata in perpetuum permaneant et inconcussa, in eorum perpetuam memoriam et testimonium, sigilla nostra præsentibus literis fecimus apponi. Actum apud Melodunum, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, mense Decembri. *Hæc contra usuras, aliasque Judæorum injurias, statuta non mediocrem insinuant* Ludovici *solicitudinem ad regnum suum recte administrandum, malaque omnia inde eliminanda : præsertim cum facta sint vigente adhuc bello Britannico, quod hujusmodi procul dubio erat, ut omnem Regis curam sibi uni deposcere videretur. Ceterum ad res hoc anno a Rege gestas addi potest mandatum, quo Heraclio de Monte lauro præcipit, ut* pro castro de Albenaco *, et de S. Laurentio *, et de Vicello * quæ, *inquit,* movent de feudo ecclesiæ Aniciensis *, *homagium episcopo Aniciensi faciat, donec Alphonsus Regis frater, qui, desponsata eidem comitis Tolosani filia, in comitatum Tolosanum debebat succedere post mortem Raymundi, id per ætatem ipse præstare posset, sicuti eum facturum declarat* Ludovicus. *Litteras hac de re geminas* S. Ludovici *habes post tom. 2 Galliæ Christianæ nuper recusæ inter instrumenta ecclesiæ Aniciensis col. 233.*

* Aubenas
* S. Laurent
* Vissaux
* Le Puy

§ XX. Prosecutio belli Britannici anno 1231 : induciæ triennales : templum S. Dionysii restauratum : urbes munitionibus auctæ : canonici S. Laudi ad aliam ecclesiam translati : nuptiæ comitis Campaniæ impeditæ : cetera anni 1232.

Ludovicus, habilis comitiis ac induciis faciendis.

Ingredimur *annum 1231, præcedentibus quidem minus turbulentum, non omnino tamen quietum* S. Ludovico. *Parabat se Henricus Angliæ rex ad bellum in Gallia promovendum exactione pecuniarum ingenti, idque jam mense Januario, quemadmodum ex Matthæo Parisio disces ad hunc annum pag. 252.* Ludovicus, *hisce auditis, principes rursum convocavit post Pascha, ut et pacem inter principes regni sui firmaret, et eos de bello Anglo-Britannico consuleret. Tradit hæc Albericus in Chronico pag. 540 his verbis : Rex* Franciæ juvenis Ludovicus consilium suum habuit Parisiis Dominica Jubilate *(seu tertia post Pascha)* de pace regni et principum, et de comite Britanniæ et rege Angliæ, et firmatæ sunt treugæ in triennium. *Dubium esse potest, quibuscum firmatas inducias velit Albericus, suspicor tamen eum intelligendum esse de induciis cum rege Angliæ et comite Britanniæ in triennium factis mense Julio sequente, nihilque aliud velle, quam in hisce comitiis sumptum consilium de induciis faciendis, suadentibus eas cum Drocensi comite Britanni fratre, tum aliis principibus, qui ægre videre poterant, partes comitis Britanniæ nimium labefactari, precibusque saltem, cum alias non auderent, ejus causam agebant, Huic conjecturæ consentit Chaizius pag. 150.*

invadit tamen Britanniam :

232 *Attamen certum est, inducias cum Anglo et Britannio hoc tempore factas non esse, sed posterius : quippe* S. Ludovicus *tempore æstivo cum ingenti agmine Britanniam legitur ingressus, in campo inducias initurus. Audi Matthæum Parisium, expeditionem* Ludovici *secutasque inducias describentem pag. 253 :* Circa eosdem dies, *inquit,* mense Junio, Rex Francorum promovit exercitum copiosum, ut Armoricanam Britanniam expugnaret. Sed cum ejus adventum Henricus * Britanniæ et Ranulphus Cestriæ comites, qui in finibus illis militiæ regis Anglorum præerant, cognovissent, Regi paraverunt insidias venienti. Et a tergo rhedas ejus et vehicula, quæ arma ferebant cum alimentis et machinis, invadentes, ceperunt omnia, et machinas igne concremantes, lucrati sunt ibidem equos sexaginta. Deinde Franci, cum Britanniam cognoscerent quasi inexpugnabilem, simul et debile principium suum habentes suspectum, procurantibus ex parte Regis Francorum archiepiscopo Remensi et Philippo comite Bononiensi, atque ex parte regis Anglorum comitibus Britanniæ et Cestriæ in hoc consentientibus, statutæ sunt treugæ, et juramento firmatæ triennales, inter dictos reges III Nonas Julii. *Hæc Parisius, cui consentiunt Argentræus in Historia Britanniæ pag. 230, et Lobineau pag. 230.*

* Petrus

233 *In-*

A *ubi inducias in triennium concedit :* * S. Aubin du Cormier

233 *Inducias in castris factas prope Fanum S. Albini *Britanniæ oppidum, ex antiquis monumentis refert laudatus Lobineau : addit in triennium conclusas esse, a festo nimirum S. Joannis Baptistæ hujus anni 1231 usque ad idem festum anni 1234 : tum conditiones recitat, quibus induciæ factæ : inter quas præcipuæ sunt, quod comiti Britanniæ induciarum tempore ingredi non liceret ditionem Regis vel comitis Marchiæ, quod septem nobiles Britanniæ jurarent se obedientiam comiti negaturos, si violaret inducias, quod Fanum S. Albini traderet comes in manus comitis Bononiensis, qui illud Regi consignaret, induciis per comitem infractis. Verum mortuo deinde Bononiensi comite, comes Britanniæ ante finem induciarum possessionem hujus oppidi recuperavit. Addita sunt quædam in favorem Marchiæ comitis, quæ aliaque latius videri possunt apud memoratum Lobineau loco assignato. Ceterum induciæ hæ juramento utrimque firmatæ sunt, easque rex Angliæ ratas habuit, ac juramento firmari jussit, sicut videre licet apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ a col.* B *1251, ubi litteras regis Angliæ ejusque ministrorum hac de re scriptas publici juris fecit. Sic quies aliquot annorum* S. Ludovico *parta.*

abbatem S. Dionysii ad templum restaurandum inducit,

234 *Otium itaque a rebus bellicis consecutus, majorem ad pia opera nactus est opportunitatem, quamvis in ipso etiam tumultu bellico hæc nequaquam prætermitteret. Non referam itinera varia, quæ ad vicina Parisiis loca, ad urbes etiam ac provincias paullo remotiores instituere solebat, in quibus eximia semper dabat cum pietatis, tum liberalitatis documenta : quia hæc in Actis infra edendis abunde descripta sunt, neque ad certum chronologiæ ordinem reduci possunt. Verum enarranda hoc anno occurrit restauratio templi S. Dionysii ejus consilio, munificentiaque facta. Nangius in Chronico ad annum 1231, tom. 3 Spicilegii Acheriani pag. 32 hac de re memorat sequentia :* Consilio Regis Franciæ Ludovici sancti, et religiosorum virorum monasterium sancti Dionysii in Francia renovatur sub abbate Odone Clementis; hoc enim antea monachi facere non audebant propter dedicationis mysterium, quod idem mo- C nasterium noscitur a Domino suscepisse. *His consentit auctor anonymus, de quo egi num. 31, additque consultum a* S. Ludovico *hac de re fuisse Gregorium IX Pontificem maximum, qui templum, non obstante memorato dedicationis scrupulo, jusserit restaurari. Porro in modo loquendi Nangii observandum, per* monasterium *non intelligendam esse domum monachorum, sed eorum templum, ut ex dedicatione, quæ scrupulum movebat, satis enitescit : vocem autem* monasterium *non raro pro templo sumi, videre licet in Glossario Cangii ad eamdem vocem.*

atque impensis juvat.

235 *Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 227 frivolum hunc scrupulum de dedicatione templi per Christum abbati excussum ait a viris prudentibus, eumdemque a* S. Ludovico, *ejusque matre Blancha ad restaurationem aggrediendam inductum : addit dubium non esse, quin partem sumptuum præstiterit Rex sanctus, quod abbatia quantumvis dives sumptus ferre non posset operis tanti tamque magnifici,* Quo, *inquit,* comprehendebatur pars ecclesiæ choro postica, chorus, et pars laterum. *Hinc ubique fere in choro, in transversa templi cruce, imo et in suppedaneis altarium partis choro posticæ, conspici testatur Castellæ insignia Franciæ insignibus conjuncta. Demum novum hoc ædificium, per Eudonem abbatem hoc tempore inchoatum, sub Matthæo Vindocinensi ad finem perductum, duorum illius temporis auctorum testimonio confirmat.*

AUCTORE J. S.

Urbes quasdam munit, damnaque exacte compensat;

236 *Pietas* S. Ludovici *juxta ac liberalitas elucet in opere modo relato, exacta vero justitia cernitur in eo, quod jam enarrabimus. Abrincas, incolis* Avranches, *urbem Normanniæ juxta limites Britanniæ minoris, munierat Rex sanctus; fossæ autem castri ducendæ fuerant per hortum episcopi Abrincensis, qui ut ne damnum ex hoc pateretur, Rex justissimus illud, assignata pecuniæ summa in annos singulos recipienda, mox resarcire studuit. Accipe partem litterarum, quas dedit Parisiis mense Novembri, quasque Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1254 inseruit :* Noverint, *inquit,* universi, quod nos in recompensationem damni illius, quod dilectus et fidelis noster Guilielmus episcopus Abrincensis incurrit in jardino * suo apud Abrincas sito, in quo fossata castri nostri ad eamdem villam infortiandam fieri fecimus, eidem E dedimus et assignavimus duodecim libratas Turonensis monetæ, percipiendas ab eodem et ejus successoribus libere et quiete singulis annis apud Abrincas, in præpositura nostra Abrincatensi, ipsa die festi S. Michaelis, per manum præpositi nostri Abrincatensis. *Hoc item anno, præter alias civitates, Andegavum, ejusque castrum novis munitionibus auctum cura* S. Ludovici, *narrat Chaizius pag. 155 ex monumentis Andegavensibus, additque damna omnibus exacte restituta, nominatim duabus parochiis, quæ fuerant demoliendæ. Ex quibus conjecturam faciat lector de æquitate et justitia* Ludovici *in operibus id genus aliis : exemplis certe innumeris ejus Vitæ docemur, diligentissime semper cavisse, ne commoda sua in alienum cederent incommodum.*

* horto

canonicos S. Laudi transfert ad locum commodiorem

237 *Porro degebant id temporis circa castrum memoratum canonici S. Laudi, ad quorum quietem cum locus ille non satis esset commodus, eos ad ecclesiam S. Germani, dependentem ab abbate S. Albini Andegavensis, transferendos curavit. Factum id consentiente abbate S. Albini, ejusque conventu, quorum hac de re litteras recitat* F *laudatus Martenius col. 1263, ex quibus huc transfero sequentia :* Noveritis quod, cum decanus et capitulum ecclesiæ S. Laudi Andegavensis in ecclesia sua, quæ est infra clausuram castri Andegavensis, sine ejusdem castri periculo et divini officii detrimento, non possent commode commorari, excellentissimus dominus noster Ludovicus Dei gratia Francorum Rex illustris, utilitati totius terræ et divinis officiis volens super hoc providere, dictos canonicos ad ecclesiam nostram S. Germani transtulit, nobis consentientibus, quibus super hoc porrexerat preces suas; et nos eidem suisque successoribus de communi assensu capituli nostri concessimus easdem libertates, et eumdem patronatum præbendarum et donum, et idem posse per omnia in dicta ecclesia S. Germani, et in canonicis et in aliis personis, quæ ipse et antecessores sui in ecclesia S. Laudi hactenus habuerunt. *Ceterum litteræ datæ notantur anno 1234, mense Aprili : verum migratio canonicorum jam præcesserat, quam hoc anno ponit Chaizius. Ad gesta hujus anni demum addenda duo; nimirum abbati Alciacensi in Flandria pro annua pensione, quam*

ci

AUCTORE J. S.

ei assignaverat olim Ludovicus VIII, terræ quædam in comitatu Hesdini datæ, apud citatum Martenium col. 1253 : et comes Pontivensis, factis quibusdam conventionibus, Ludovico *reconciliatus, apud Chaizium pag. 147. Verum similibus non vacat immorari, ad annum itaque sequentem progredior, quo item non multa veniunt enarranda.*

Mortua anno 1231 uxore comitis Campaniæ,

238 *Contigisse anno 1232 oportuit, aut certe sub finem præcedentis, quæ Joinvillius narrat num. 31 de matrimonio comitis Campaniæ cum filia comitis Britanniæ tentato, Regisque auctoritate impedito : quamvis auctores non pauci, aberrantem Joinvillium secuti, id aliquot annis citius contigisse existimaverint, eamque dixerint causam fuisse belli Campanici, qua de re jam egimus. Error eorum manifeste ostenditur ex morte Agnetis, Theobaldi Campaniæ comitis uxoris, de qua Albericus in Chronico ad annum 1231 pag. 540 ita scribit :* Obiit Agnes comitissa Campaniæ quinto Idus Julii. *Sequenti autem anno 1232 de novo comitis matrimonio hæc habet pag. 541 :* Comes Campaniensis duxit B in uxorem Margaretam filiam Erchembaldi de Borbon, et hac de causa quorumdam baronum incurrit odia. *At vero dubium esse non potest, quin matrimonium, quod comes inire meditabatur cum filia comitis Britanniæ, medium fuerit inter obitum uxoris ipsius, sequensque conjugium : itaque vel sub finem anni 1231, vel anno 1232 id tentatum fuerit necesse est, adeoque causa non fuerit belli Campanici jam finiti. Chaizius pag. 153 factum collocat anno 1231 : malui ego ad annum 1232 referre, quod res post mortem Agnetis vix eo deduci potuisse videatur paucis mensibus, quo eam deductam fuisse videbimus. At parum refert hoc anno contigerit an præcedenti, nec ulla temporis nota adjungitur qua id certum fieri potest. Rem ipsam itaque audiamus ex Joinvillio, cujus relationem summatim hic proferam.*

ducere meditatur filiam Britanniæ comitis, quod prohibet Ludovicus :

239 *Proceres Galli, qui non nisi metu coacti deseruerant causam comitis Britanniæ, ægrisque oculis videbant Campaniæ comitem Regis partibus adhærere, studuerunt hunc cum Britanniæ comite conjungere. Defuncta itaque Agnete Theobaldi uxore, de nuptiis agere cœperunt* C *Theobaldi comitis cum Jolanda Petri Britanniæ comitis filia : accepta fuit conditio, dies nuptiis celebrandis statuta. Ducenda erat nobilis mulier ad abbatiam Vallis-secretæ (quamvis* Valserre *mendose legatur apud Joinvillium) ubi eam duceret uxorem Theobaldus : eo proficiscitur, deducente illustri consanguineorum comitatu. Res interim, quantocumque studio celata, Regi* Ludovico *innotuerat, qui probe intelligens, in quantam regni perniciem hæ nuptiæ pararentur, continuo misit ad Theobaldum comitem litteras majori auctoritate quam elegantia scriptas hunc in modum :* Domine Theobalde Campaniæ, intellexi contraxisse te, et promisisse filiam Petri Britanniæ comitis uxorem te ducturum. Quapropter tibi mando, ut quam tibi charum est quodcumque in Galliæ regno amas, tam id ne facias. Rationem satis nosti : nunquam inveni, qui malum mihi inferre voluit, illo deteriorem. *Attulit has comiti litteras Godefridus de la Chapelle, cum ille jam discessisset Castro-Theodorico nuptiis illigandus. Verum his intellectis, teste Joinvillio,* Castrum-Theodoricum, unde discesserat, repetiit. *Hinc lector colligat, quantam jam sibi peperisset auctoritatem juvenis* Ludovicus.

240 *Disturbatis hoc modo hisce nuptiis, aliaque a comite Theobaldo uxore ducta, nimirum Margarita, ex Alberico supra memorata; mirum non est, eum incurrisse odia procerum, qui has nuptias machinati, eum partibus Regis abducere moliebantur. Hinc revocata in memoriam jura reginæ Cypri in Campaniam, quæ jam videbantur oblivioni tradita, ipsaque in Galliam vocata, ut litem moveret Theobaldo. Originem hujusce controversiæ Theobaldum inter et Cypri reginam Adeleidem, qui patrueles erant, breviter accipe ex Joinvillio num. 30, et Chaizio a pag. 197. Henricus cognomento largus comes. Campaniæ filios habuit Henricum natu majorem, et minorem natu Theobaldum patrem Theobaldi, de quo agitur. Henricus junior patri Henrico in comitatum successit, profectusque in Terram sanctam, ibidem obiit duabus relictis filiabus, quarum major natu hæc, de qua agitur, Cypri regina. Deberi huic videbatur paterna ditio, sed objectabatur natalium defectus : quippe pater ipsius Henricus uxorem duxerat Isabellam Almarici regis Hierosolymitani filiam, quæ, deserto marito primo Humfrido de Thoron, nupserat Conrado Marchioni Monferratensi, eoque defuncto, sed vivente marito primo, ad tertias hasce cum Henrico Campaniæ comite nuptias transierat. Qua de causa matrimonium id habebatur illegitimum, ac post mortem Henrici comitis, præterita Adeleide ipsius filia, Theobaldus Henrici frater in comitatum Campaniæ successerat, eoque defuncto Theobaldus hic, prioris filius. Faverant hisce Galliæ reges contra prætensiones Adeleidis ejusque sororis. Verum hoc tempore, molientibus id Galliæ principibus odio Theobaldi, lis renovata est, nec nisi anno demum 1234, agente* Ludovico, *finita, ut ibidem narrabimus.*

D *hinc nova in Theobaldum odia, cui lis movetur de comitatu.*

E

241 *Hoc item anno duos fratres defunctos, Joannem videlicet et Dagobertum luxit* Ludovicus, *de quibus num. 41 jam egimus : fœdus cum Friderico imperatore renovavit, de quo num. 110 : Missam, horasque canonicas quotidie dicendas in sacello quodam Nogenti fundavit, apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1259 : eleemosynam annuam valetudinario Parisiensi assignavit in perpetuum, apud laudatum Martenium col. 1260. Verum pauca hæc sunt liberalitatis* S. Ludovici *specimina, quæ, quod legitimis habeantur consignata instrumentis, omnino prætermittere nolui, alioquin tam frequentia in Actis ejus reperiuntur hisce longe majora, ut ad commendationem munificentiæ suæ his nequaquam indigeat.* F

Reliqua anni 1232 compendio data.

§ XXI. Controversia Regis cum Theobaldo archiepiscopo Rotomagensi, ejusque successore Mauritio.

Gravis controversia exoritur

P*ræter bella, quibus principes Galli exercuerunt juvenem* Ludovicum, *aliæ ei cum episcopis fuere controversiæ, quæ pii Adolescentis animum non minori affecere molestia. Prior fuit cum archiepiscopo Rotomagensi Theobaldo, cœpta ab anno 1227, quæ cum ejus successore Mauritio deinde recruduit, atque hoc anno probabilius finem accepit. Res narratur in Chro-*

A *Chronico Rotomagensi, edito a Labbeo tom. 1. Bibliothecæ manuscriptorum, atque hoc modo exponitur ad annum 1227, a pag. 374 :* Hoc anno cum dominus Theobaldus Rothomagensis archiepiscopus voluisset adducere marennum *(seu lignum ædificiis construendis idoneum)* apud Rothomagum, quod fecerat fieri in foresta* sua de Loviers, ballivus de Valle Rodulii* marennum illud arrestavit*, cujus rei facta denunciatione episcopo loci, episcopus illum excommunicavit. Ex hac occasione seu excommunicatione dominus Rex Francorum traxit eumdem archiepiscopum in curiam coram se, dicens quod injuriatus erat ei, eo quod fecerat ballivum suum excommunicari eo inrequisito*. Item conquerebatur de eo, quod idem archiepiscopus ceperat foagium de Villeta, quæ est in parochia de Loviers, cum illud foagium ad se pertineret ratione feodi, quod de ipso tenebatur, et miles, qui illud tenebat, ipsum advocabat dominum. *Hanc accusationem ut intelligat lector, quædam occurrunt notanda.* Foagium, *aliis* focagium, census *est in Normannia præcipue usitatus*, qui exigitur a domino feudali pro singulis focis, seu domibus subditorum, ac tenentium suorum, *inquit ad hanc vocem Cangius in Glossario, variisque exemplis probat.* Villeta *autem, seu* villata, *eidem auctori est,* adunatio plurium mansionum, seu villa major. *Conquerebatur itaque Rex, quod archiepiscopus exegisset censum memoratum a domino villæ cujusdam majoris in parochia de Loviers, qui census non archiepiscopo sed Regi deberetur, quod dictæ villæ dominus Regis esset vassalus. Nunc ad auctorem redeamus, qui sic prosequitur :*

* i. e. silva
* Vau-de-Reüel
* i. e. detinuit.
* i. e. non præmonito

243 Item dicebat dominus Rex, quod archiepiscopus non debebat facere marennum in foresta de Loviers, ad usus aliorum maneriorum, nisi tantummodo ad usus manerii de Loviers. Manerium, *inquit Cangius laudatus*, habitatio cum certa agri portione a manendo dicta, Gallis Manoir : quomodo in consuetudinibus nostris municipalibus vulgo accipitur pro præcipua feudi domo. *Itaque ratio, cur Regis minister lignum archiepiscopi detinuerit, procul dubio fuit, quod illud Rotomagum veheretur : unde non deerunt, qui existiment, consultius facturum fuisse archiepiscopum, si probasset id sibi licitum esse, priusquam ad excommunicationem processisset. Sed pergat auctor Chronici :* Item conquerebatur dominus Rex de dicto archiepiscopo, eo quod excommunicaverat decanum, et quosdam canonicos de Gornaco*, qui sunt sub protectione ejus, et de patronatu ipsius. Citari fecit Rex eumdem archiepiscopum, quod responderet, quare non veniebat ad scacarium responsurus, et juri pariturus de his, quæ ei objiciebantur, sicut alii episcopi, et barones faciebant in Normannia. Scacarium *autem in Normannia vocabatur suprema curia, Gallice* Eschiquier, *quæ bis in annum considebat ad controversias dirimendas. Verum redeamus ad Chronicon :* Propter istas causas fuit archiepiscopus citatus coram Rege apud Vernonem, et comparuit, et dixit quod non tenebatur respondere in curia ipsius de istis, tum quia quædam earum erant spirituales, tum quia feodale nihil tenebat de eo, pro quo teneretur respondere in curia sua : de qua responsione Rex et regina valde irati fuerunt, et recessit archiepiscopus iis non pacatis; unde Rex convocavit pluries barones suos, et consuluit eos, quid esset agendum super tali responsione Rothomagensis archiepiscopi. Item citatus fuit idem archiepiscopus, et præsentibus baronibus quæsitum fuit ab eo, si de aliqua re responderet in curia domini Regis, et responsum fuit, quod nihil audierat, de quo teneretur respondere, quia nihil tenebat nisi propriam ecclesiam, unde dominium suum tenebat. Unde iratus Rex per consilium suorum baronum confiscavit omnes archiepiscopi possessiones sæculares : unde archiepiscopus habito tractatu cum episcopis suis omnia dominia et castella, quæ Rex tunc habebat in archiepiscopatu suo interdicto conclusit, exceptis tantummodo civitatibus : et inde exulavit ad curiam Romanam profecturus, et infirmitate detentus Remis, misit ad curiam Romanam. Impetrato autem, quod legatus nomine Romanus, qui tunc veniebat ad partes Gallicanas, causam audiret, archiepiscopo prius restituto per rigorem justitiæ, per legatum archiepiscopus plenariam habuit restitutionem mobilium et immobilium, cum fructibus inde perceptis, et reportato in civitate Rothomagensi marenno per capellanum de Valle Rodolii, quod ipse arrestaverat, et archiepiscopo reddito, ita remansit archiepiscopus de omnibus istis querelis in pace ad laudem Domini nostri Jesu Christi : *Hactenus dictum Chronicon.*

inter Regem et archiepiscopum Rotomagensem.
* Gournay
Auctore J. S.

244 *Verumtamen controversia suspensa potius fuit, quam finita, etiamsi finitam fuisse scribat Claudius Fleury in Historia ecclesiastica ad annum 1232, § 16. Id probatur ex ipso Chronici auctore, qui ad annum 1234 refert, bona archiepiscopi, hujus successoris rursum a Rege occupata fuisse hisce iisdem de causis, quibus et novæ accesserant. Idem manifeste evincitur ex litteris Romani legati, quas edidit Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1226 : hasce itaque totas hoc loco describam, ut pateat, quo in statu controversia fuerit relicta, sublatis hinc censuris, inde bonis archiepiscopo restitutis :* Romanus miseratione divina S. Angeli diaconus Cardinalis apostolicæ Sedis legatus, omnibus præsentes inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum Ludovicus Rex Francorum illustris bona temporalia venerabilis patris Th. Rothomagensis archiepiscopi saisiri * fecisset, occasione quarumdam causarum, quæ vertebantur inter ipsos, ad preces nostras bona prædicta, procuratoribus archiepiscopi præsentibus nomine ipsius archiepiscopi, in præsentia nostra recredidit : ita quod ex hac recredentia nullum jus, nec aliquod damnum vel præjudicium Regi prædicto, nec archiepiscopo vel ecclesiæ Rothomagensi generetur. Utetur autem dictus archiepiscopus rebus suis. Si vero contigerit, quod Rex vellet res memoratas rehabere, non tenebitur archiepiscopus restituere res, quibus usus fuerit, et tunc omnia tam ex parte Regis, quam ex parte ipsius archiepiscopi, quantum ad interdicti et excommunicationis sententias, erunt in eo statu, in quo erant, antequam ab archiepiscopo suspensum fuisset interdictum, et excommunicationis relaxata sententia sub spe pacis, salva in omnibus jurisdictione nostra, videlicet quod per hoc non videamur approbare vel reprobare sententias memoratas, sed si causa ventiletur coram nobis, quod justum fuerit, faciemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum, de consensu partium, præsentibus litteris

at omnia in integrum restituit legatus Pontificis, lite indecisa :
* i. e. occupari

AUCTORE J. S.

ris duximus apponendum. Datum apud Melodunum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo octavo, XII Kalendas Novembris.

exorta nova dissidii causa,

245 *Causa itaque non terminata, sed prudentia legati suspensa fuit, amotis hinc inde incommodis : quamvis ita facile mansura fuisse videatur, si novæ non intervenissent dissensiones. Interim anno 1229, ut ibidem habet memoratum Chronicon Rotomagense*, Theobaldus de Ambianis Rothomagensis archiepiscopus in Festo sancti Firmini... in confinio diei et noctis, diem clausit feliciter extremum. *Huic, cum duo fuissent electi, cedente altero, successit anno 1231 Mauritius episcopus Cenomanensis, quocum discordia fuit renovata, hac, ut apparet, occasione, quam tradit laudatum Chronicon ad annum 1232 :* Post decessum Aliciæ abbatissæ Monasterii-villaris, * celebrata fuit electio in eodem monasterio, et fuerunt duæ electæ, et repræsentata fuit electio Mauricio archiepiscopo, qui electionem examinavit, prout debuit, et comperto, quod non fuit servata forma concilii in eligendo, electionem de utraque factam cassavit, * et capitulum jure eligendi ea vice privavit, assignavitque eidem capitulo abbatissam Leciam de Vonsemoncel : sed ipsa non obtinuit abbatiam propter contradictionem Regis, et ipse archiepiscopus excommunicavit omnes moniales adhærentes Regi in hoc facto, et contradicentes prædictæ Abbatissæ. *En novas discordias.*

Montivilliers

* i. e. irritam reddidit

B

controversia gravius recrudescit

246 *Deinde anno 1233, ut prosequitur auctor*, In mense Julii saisivit dominus Rex Ludovicus junior regalia domini Rothomagensis archiepiscopi propter causas, quæ expressæ sunt superius in tempore Theobaldi archiepiscopi, et propter quasdam alias causas, propter quod dominus archiep. Roth. Mauricius supposuit totam diœcesim Rothomagensem interdicto, et incepit interdictum a vigilia S. Michaelis, et duravit usque ad festum sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani anno revoluto. Quia tunc ei reddita sunt bona sua cum omnibus, quæ recepta inde fuerant tempore intermedio. *Sic breviter hic auctor, quæ aliunde magis sunt explicanda. In primis ex litteris Pontificis liquet, Mauritium coram Rege respondere recusasse, ut supra vidimus de Theobaldo, indeque ad occupationem bonorum ejus processum.*

C

Audi ipsum Pontificem hac de re conquerentem apud Raynaldum ad annum 1232 num. 26 : Gravem siquidem venerabilis fratris nostri Rothomagensis archiepiscopi recepimus questionem, quod cum in spiritualibus et temporalibus nullum post Deum præter nos judicem habeat, de antiqua Rothomagensis ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus observata, tu quorumdam ductus, et utinam non seductus, consiliis, contra prædictorum progenitorum tuorum consuetudinem, qui ecclesias et viros ecclesiasticos pio semper et prompto venerabantur affectu, ipsum ad tuam præsentiam evocans, eum inducere voluisti, ut super eo, quod in quosdam excommunicationis sententiam promulgarat, ac quibusdam aliis articulis sub tuo examine responderet. Et quia ipse non solum juri suo periculum, verum etiam subversionem metuens ecclesiasticæ libertatis, id efficere denegavit, se ac bona ipsius ecclesiæ, protectioni Sedis Apostolicæ supponendo, motus ex hoc graviter contra eum, ipsum domibus, villis, terris, redditibus et possessionibus ad ecclesiam suam spectantibus pro tuæ voluntatis arbitrio spoliasti, ea per ministros tuos faciens detineri. *Hæc Pontifex aliaque, ex quibus intelligimus bona archiepiscopi occupata fuisse, quia ipse se Regis examini submittere recusabat.*

D

cum archiepiscopo sequente :

247 *Nunc explicemus, quibus gradibus ad generale diœcesis suæ interdictum processerit Mauritius archiepiscopus. Discimus id ex epistolis ejus hac de re scriptis, quas tom. 3 Spicilegii inseruit Acherius a pag. 614. Primum, quod Rotomagensis ecclesia beatæ Virgini esset sacra, hanc bonorum ejus occupationem in Virginis injuriam cedere contendens, omnes ipsius imagines, loco suo amotas, humiliori loco in navi ecclesiæ deponi, spinisque circumdari jussit, idem de imaginibus Domini nostri Servatoris post quindecim dies faciendum monens, nisi aliud juberet. Deinde sacris interdixit omnia Regis sacella in diœcesi Rotomagensi sita, nisi Rex ipse præsens esset vel regina : omnes insuper Regis ministros, eorumque familias. Tandem divina cessare jussit per totam diœcesim : Itaque, ait,* nullum ibi divinum officium celebretur, nullum ibi ministretur eucharisticum Sacramentum, præter baptisma parvulorum, et pœnitentias morientium. In qualibet tamen parochiali ecclesia permittimus, ut sacerdotes semel in hebdomada, januis clausis, exclusis interdictis, diebus non festis, et voce submissa legant populo Introitum, Epistolam, Evangelium, et dent populo panem benedictum, et eis mandata ecclesiastica exponant. *Hæc eo in statu fuere mensibus circiter tredecim, nempe a vigilia S. Michaelis, seu* XXVIII *Septembris, usque ad* XXV *Octobris sequentis anni, ut narrat Chronicon Rotomagense.*

E

sed curante Gregorio IX,

248 *Allaboravit præ ceteris diligentius Gregorius IX Pontifex maximus, ut hanc discordiam tolleret; citavimus jam primam ejus hac de re ad Regem epistolam, in qua, improbata bonorum episcopi occupatione, hortatur, ut ea restituat, hæc subnectens verba :* Si quid autem juris in præmissis, et aliis adversus eumdem archiepiscopum regalis excellentia se habere proponit, faciemus ei justitiæ plenitudinem exhiberi. Significat *deinde, ait ibidem Raynaldus supra citatus*, a se Parisiensi, et Sylvanectensi episcopis datam provinciam, ut regios administros ad restituenda archiepiscopo, quæ occupata erant, censuris cogerent. *Porro hæc Pontificis epistola notatur scripta* III *Kal. Decemb. anno* VI *Pontificatus Gregorii, id est Christi 1232. Quæ si vera sit subscriptio, ut verisimile fit ex eo, quod secunda Gregorii epistola data legatur Kalendis Septembris anni sequentis, adeo ut prima ad mensem Novembrem istius anni referri non possit, necessum est, Chronicon Rotomagense uno anno rem serius narraverit, quam gesta sit, finisque controversiæ anno 1233 sit impositus : sed minoris momenti hæc est discrepantia, quam ut pluribus eam pertractare lubeat : ad Gregorium itaque redeo pacis auctorem.*

F

lis tandem finitur.

249 *Hisce ad Regem litteris, acriori stylo exaratis, alias deinde addidit Pontifex mitiores, datas, ut jam diximus, Kalendis Septembris anni 1233, quibus laudata præcedentium regum in Ecclesiam pietate, ad eorum sectanda vestigia hortatur* Ludovicum, *hisce demum verbis concludens epistolam :* Ergo ut anima nostra tibi benedictionis filio benedicere delecte-

tur,

A tur, animum tuum deputans operibus pietatis, ut quem magnum natura genuit, etiam edidisse magnificum videatur, vota nostra circa reverentiam matris Ecclesiæ devotione prosequere filiali, preces et monita, quæ pro venerabili fratre nostro archiepiscopo Rothomagensi tuæ celsitudini secura fiducia replicamus, sic efficaci promptitudine completurus, ut absque moræ dispendio sibi et ecclesiæ suæ per te restitutio fiat omnium sublatorum. Hactenus Gregorius, *inquit hæc recitans Raynaldus ad annum 1233, num. 62*, qui aliis literis reginam Blancam, regiosque consiliarios solicitavit, ut pium Regem ad erepta restituenda adducerent. *Optatum videntur habuisse successum hæ litteræ opera maxime episcoporum Parisiensis et Silvanectensis, quibus Pontifex concordiam conciliandam delegaverat. Illustrissimus Angelus Manrique tom. 3 Annalium Cisterciensium ad annum 1233, cap. 3 binas recitat litteras, alteras episcopo Tornacensi, et abbati Pontigniacensi; alteras abbati Sabigniacensi, et priori fratrum Prædicatorum Parisiensium in-*
B *scriptas, quibus Gregorius præcipit ut illi Regem inducant ad bona archiepiscopo restituenda,* Si forte illi, *Parisiensis et Silvanectensis episcopi,* mandatum Apostolicum infra præfixum sibi terminum exequi neglexerint. *Dedit has litteras Pontifex* x *Kalendas Novembris anni 1233 : indeque laudatus Manricus existimat rem suis Cisterciensibus adscribendam. At ego probabilius opinor, triduo post scriptas hasce a Pontifice litteras, seu* XXV *Octobris, festo sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, anni 1233 concordiam initam, qua Rex bona archiepiscopo restituenda curavit, archiepiscopus vero interdictum sustulit. Ceterum quidquid in hac controversia ex parte Regis actitatum, non ei, sed ejus consiliariis, reginæque adscribendum, cum* Ludovicus *liberam regni administrationem necdum per ætatem esset adeptus.*

§ XXII. Controversia cum Episcopo Bellovacensi de jurisdictione illius urbis civili.

C

Controversia Ludovici cum episcopo Bellovacensi

Necdum *finita erat discordia cum Rotomagensi archiepiscopo, quando altera cum Bellovacensi episcopo* Ludovicum *excepit, præcedenti nec minor, nec segnius agitata. In hanc piissimum Regem, atque ecclesiasticorum virorum cultorem eximium, induxit acre studium scelera vindicandi. Rem summatim ac breviter narrat auctor illius temporis ac loci Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib. 30, cap. 137 his verbis :* Anno Domini MCCXXXIII facta est dissensio inter burgenses Belvacenses, minoribus insurgentibus contra majores. Unde plures ex majoribus occisi sunt. Plurimi vero de minoribus capti, et per diversa regni loca carceri mancipati, ad ultimum vero multa pecuniæ summa redempti. Namque Milo ejusdem urbis episcopus tanquam faveret minoribus in hoc facto suspectus habebatur. Rex autem Ludovicus tanquam superior judex manum ultricem adhibuit, et ob hoc episcopatus pluribus annis sub interdicto fuit. Milo vero præfatus episcopus Romam proficiscens, in itinere obiit. Sed et ejus successor Gaufridus eidem causæ contra Regem insistens, dies paucos et malos, id est, afflictione plenos in episcopatu peregit, cui succedens Robertus pacem cum Rege composuit, et sic ab interdicto diœcesim absolvit. *Hæc paullo latius deducenda : verum pauca prius circa tempus inchoatæ controversiæ.* AUCTORE J. S.

251 *Illustrissimus Spondanus in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1231, num. 8, eodem illo anno primum concilium hac de re celebratum scribit apud S. Quintinum : quem una cum Hemeræo, idem scribente in Augusta Viromanduorum illustrata pag. 220, refutat Gabriel Cossartius noster tom.* XI *Conciliorum col. 445 sequentibus verbis :* Quod autem anno MCCXXXI hoc concilium assignent tum Spondanus, tum Hemeræus, parum probabile videtur : cum in instrumento inquisitionis hac de re factæ anno MCCXXXV, editæ a Louvetio in Histor. Bellovac. testes omnes dicant seditionem Bellovacensem, quæ occasionem his conciliis præbuit, accidisse anno MCCXXXII. Qui conciliari ista possunt? Neutiquam certe, nisi dicamus alios secutos esse Romanam anni rationem, alios Gallicanam : in Galliis enim (ubi annorum initium ducebatur a festo Incarnationis, aut Paschæ) adhuc labebatur annus MCCXXXI tempore hujus concilii, quod celebratum esse oportuit post paulo quam Bellovacum Rex ingressus est, ut a seditiosis pœnas repeteret : quod pridie Purificationis B. Virginis factum esse, discimus ex inquisitione, cujus ante mentionem feci. *Ita Cossartius recte quidem annum 1231 improbat, at annum seditionis Bellovacensis, primique ea de re concilii non recte assignat. Nam præter Nangium in Chronico anno 1233, et Vincentium Bellovacensem jam citatum, etiam Albericus in Chronico pag. 543 signat annum 1233, quorum auctorum sententia standum omnino videtur, tum quod duo posteriores hoc tempore floruerint, tum quod illorum dicta consentiant cum citato a Cossartio instrumento : etenim cum seditio contigerit ante Pascha anni 1233, adhuc latebatur in Gallia annus 1232, quem testes Galli in memorata inquisitione designant. Confirmabitur hæc temporis ratio ex epistola archiepiscopi Remensis post pauca recitanda.* *initium habuit anno 1233,* E

252 Aliud, *inquit Cossartius,* mirari subit, quod in illa inquisitione, nulla sit mentio Quintinopolitani hujus concilii, in qua tamen accurata et minutissima omnium narratio fit a testibus : sed statim a Noviomensi ducatur initium. Hinc suspectum mihi haberetur primum istud hac in causa concilium, nisi Sirmondinarum schedarum ex Remensi tabulario excerptarum fide muniretur. *At, quidquid sit de schedis illis, prorsus fictitium esse concilium, quod hac in causa Quintinopoli primo dicitur congregatum, evincunt litteræ mox recitandæ : in illis enim non modo omittitur illud concilium, sed satis ostenditur in Noviomensi concilio primum querelas suas contra Regem exposuisse episcopum Bellovacensem. Fuerit igitur in Fano S. Quintini concilium celebratum anno 1231, ut etiam Marlot significat in Metropoli Remensi tom. 2, pag. 515, non repugno : verum hac de controversia in eo actum esse, id solum nego. Nunc qua occasione hæc contentio orta sit audiamus.* *non autem anno 1231 :* F

253 *Marlotus mox laudatus eam ita exponit :* Interim Rege Belvacum profecto, ut pœnas sumeret de seditiosis quibusdam, qui emergente tumultu civem Creliensem * ex invidia peremerant, quod a Rege major urbi constitutus *quia Rex seditiosos Bellovacenses suo nomine punit,* * Creil

AUCTORE J. S.

tutus esset, cum viginti juratis, qui ei auxilio esse debebant, Milo de Nantolio Belvacensis episcopus supplex ab eo petiit, ut pœna ab officiariis suis exigeretur, quo jus episcopale illæsum et illibatum permaneret. Rex suprema utens potestate precibus flecti nequit. *Verum, quod episcopus partibus suis defuisset in detinendis seditionis auctoribus, id suo nomine fieri jussit, aliaque fecit, de quibus mox conquerentem audiemus episcopum. Quæ enim post hæc secuta sunt hoc anno 1233, narrantur in epistola Henrici archiepiscopi Remensis eodem anno scripta Dominica ante Natalem Domini, quam edidit Martenius tom. 1 Anecdotorum* a col. 975, quamque huic loco majori ex parte innectam, observationibus tamen quibusdam elucidatam, quia scripta a parte* Ludovico *contraria, nata est sinistram generare de ejus facto suspicionem. Sic itaque habet post breve exordium :*

episcopus Regem accusat in concilio ;

254 In præterita . . . prima septimana Quadragesimæ nobis, totique provinciali concilio apud Noviomum * congregato, fuit ex parte episcopi et ecclesiæ Belvacensis, gravis exposita contra dominum Regem querimonia, videlicet quod cum episcopus Belvacensis, ejusque prædecessores in civitate Belvacensi *, et in singulis, et in omnibus hominibus civitatis omnem jurisdictionem habeat, prout apparet ex carta bonæ memoriæ Ludovici * quondam regis Francorum, et ea usus fuisset publice ac manifeste ipse ac prædecessores sui per se, ac per baillivos suos hactenus pacifice et quiete ; dominus Rex circa festum Purificationis beatæ Virginis nuper ante præteritum, occasione cujusdam maleficii a quibusdam hominibus civitatis ibidem perpetrati, cum multis communiis ad civitatem Belvacensem accedens, licet idem episcopus paratus esset idem maleficium facere per baillivos suos juxta facinoris qualitatem puniri ; post multas supplicationes et monitiones eidem domino Regi ab ipso episcopo factas, ne idem Rex episcopum et ecclesiam suam justitia et jurisdictione ad ipsum plenius pertinente, et quam hactenus pacifice possederat, spoliaret ; homines civitatis mille quingentos et plures capi fecit, et alios exbannivit *, domos dirui fecit, catalla ** hominum * episcopi publicavit, eumdem episcopum jurisdictione et justitia spoliando, ibique per quinque dies existens sibi expensas quinque dierum usque ad octingentas libras Parisienses ab eodem episcopo persolvi petiit. Et licet episcopus brevem diem peteret, tanquam de re gravi et penitus inaudita, ut super hoc cum suo capitulo pertractaret ; idem tamen dominus Rex hoc facere denegans, eumdem episcopum civitate, reditibus, et proventibus ad ipsam ecclesiam spectantibus, exceptis paucis mobilibus, spoliavit : quare petebat idem episcopus pro se et ecclesia sua a nobis et toto concilio, quatenus super his concilium apponere curaremus.

* Noyon

* Beauvais

* VII

* i. e. exilio relegarit

* i. e. bona mobilia

* i. e. vassallorum

Rex vero in curia hanc controversiam tractandam asserit

255 *Hæ episcopi adversus Regem querelæ, acri, ut fit in similibus, stylo exaggeratæ, non ita occupare debent lectoris animum, ut non attendat pariter ad rationes, quæ Regem impulere, ut tanta cum severitate procederet, ac nihil remitteret de jure suo. Neque enim jura episcopi se usurpasse existimavit bona procul dubio fide, et fortasse ratione non minus bona. Audi* S. Ludovicum *de causa sua loquentem in epistola ad decanum et capitulum Laudunensis ecclesiæ, apud Marlotum in Metropoli Remensi tom. 2, pag. 517 :* Quod episcopus, *inquit*, Belvacensis in baronia, et in feodum homagii legii de nobis teneat, quod habet apud Belvacenses, et quod par sit ex eo Franciæ, vos credimus non latere, vel paucissimos ignorare : circa factum illud siquidem Belvacense, ubi diabolica rabies in stragem hominum ita horribiliter ebullivit, et horribilius et in damnum villæ, et personarum detestabilius ac inæstimabile ebullisset, nisi providente Domino regale apposuissemus remedium, qualiter sit processum, et quomodo de facto illo, de quo si ipse episcopus inculpatus est, Deus novit, erga ipsum nos habuerimus, et qualiter in principio, et postea frequentissime in curia nostra jus obtulerimus eidem, prout debuissemus, et per quos debuissemus, sine omni subterfugio faciendum, vellemus vos universos et singulos seriatim per singula totum scire. *Tria hinc colligimus : primo Regem, ut supremum Dominum, Bellovaci seditiosos compescuisse et punivisse, quod id facere, ut certe contendebat, prætermisisset episcopus. Secundo videtur tam severe episcopum tractasse in exigendis expensis, quod ipse in facto esset suspectus, adeoque gratiam non mereretur. Tertio, et maxime, Regem de facto suo respondere non detrectasse coram judicibus curiæ suæ, detrectasse coram episcopis rationem facti sui reddere, quod ageretur de temporali jurisdictione urbis Bellovacensis, de qua judicare non erat episcoporum. Hisce observatis, redeamus ad epistolam archiepiscopi Remensis, ex qua discemus, quid in concilio Noviomensi hac de re fuerit statutum :*

mittuntur episcopi, qui Regem moneant :

256 Unde, *inquit*, nos tractatu habito diligenti, licet factum esset notorium, tamen tres episcopi nostri, videlicet Suessionensis, Laudunensis, et Catalaunensis episcopi, auctoritate concilii, ad dominum Regem, et civitatem Belvacensem, ut et ipsi Regi denuntiarent, quod Belvacensem urbem accedebant, ad inquirendum ex abundanti de justitia, et usu, et spoliatione episcopi Belvacensis, exposita certa die, et ibidem inquirerent de omnibus diligenter, destinati fuerunt. Qui vocatis illis, qui erant ex parte Regis in civitate, et civibus in communia tunc administrantibus, mandatum sibi injunctum fideliter adimplentes, inquisitionem nobis et concilio apud Laudunum * circa Dominicam, qua cantatur LÆTARE JERUSALEM, congregato, sub sigillis propriis reportarunt. *Habemus hic secundum hac de re concilium, tribus hebdomadis post primum, Lauduni coactum. Quid autem ibi sit actum, mox ita subdit epistola :*

* Laon

iterantur monitiones frustra : episcopi

257 Unde rei evidentiam attendentes, nihilominus episcoporum relationem considerantes, vidimus quod dominus Rex, prædictis omnibus, contra justitiam spoliaverat episcopum et ecclesiam Belvacensem : propter quod tres episcopi missi fuerunt ad dominum Regem monendum ex parte concilii, quod episcopum et ecclesiam restituere dignaretur : quod ipse monitus facere recusavit. *Videlicet quod episcoporum judicio se nunquam subjecisset, nec eos hac in controversia judices agnosceret competentes. Sed prosequatur epistolæ auctor :* Verum cum postmodum eidem domino Regi fuisset per nos ipsos supplicatum pluries, quod misereretur ecclesiæ memoratæ, ipsum auctoritate concilii monuimus, et moneri fecimus iterum atque iterum, quod episcopum et ecclesiam restitueret supradictam : quod cum facere noluisset, tandem in concilio apud Silvanectensem * urbem postmodum congregato *(en tertium concilium)* inter

* Senlis

ter

A ter me archiepiscopum et consuffraganeos Remensis ecclesiæ, conditum extitit, et firmiter promissum a singulis episcopis, quod si dominus Rex infra vindemias nuper præteritas episcopum et ecclesiam non restituissent eamdem, ex tunc provincia interdiceretur. Et exinde sicut eramus ibi, ad dominum Regem accessimus, et ipsum omnes monuimus, ut eumdem episcopum et ecclesiam restituere dignaretur : et cum nec monitiones, nec supplicationes aliquas exaudiret :

totam provinciam sacris interdicunt:
* S. Quentin

258 Tandem in concilio *(quarto in hac causa)* apud sanctum Quintinum * congregato, præsentes Suessionensis, Catalaunensis, Noviomensis, Tornacensis, Attrebatensis, Belvacensis, Morinensis, (et aliis tribus, videlicet Ambianensi, Sylvanectensi, et Cameracensi litteratorie excusatis, et Laudunensi absente, qui curiam Romanam adierat pro negotiis suis procurandis) firmiter promiserunt omnes et singuli, quod nisi dominus Rex se emendaret erga ecclesiam Belvacensem post octavam Omniumsanctorum, in provincia Remensi poneretur interdictum : dantes mihi archiepiscopo potestatem B auctoritate totius concilii, dictandi formam interdicti, et secundum formam a me dictatam, ipsi ad mandatum meum in suis diœcesibus ponerent interdictum, et facerent observari, sicut ego in mea diœcesi ponerem interdictum. Et cum interim plures dies ad tractandum de pace fuissent a domino Rege et eodem episcopo recepti, tandem apud Bellum-montem * in crastino sancti Martini hyemalis interfuimus ego, et Suessionensis, Catalaunensis, Silvanectensis, et Cameracensis episcopi, ubi habito tractatu de pace utrimque, tandem non potuit provenire. Unde habito tractatu cum dictis fratribus, qui ibi aderant, quia Rex se non emendaverat erga episcopum et ecclesiam Belvacensem, ex potestate, quam auctoritate concilii habebam, interdictum in diœcesi mea ponens, auctoritate prædicta mandavi singulis suffraganeis Remensis ecclesiæ, ut interdictum ponerent. *Formam interdicti ibi curiosus lector inveniet, ego, illa omissa, prosequor cum epistola :*

* Beaumont sur Oyse

at repugnant interdicto aliqui,

259 Qui omnes interdictum ponentes, excepto Noviomensi, qui voluntate propria ductus, contra promissum suum veniens, mandato C sibi facto noluit obedire, ipsum interdictum ad mandatum meum, mihi auctoritate concilii ab eis concessum, auctoritate sua posuerunt, servaverunt, et præceperunt in suis diœcesibus observari. Verum quia capitula cathedralium ecclesiarum Remensis provinciæ contra interdictum, quibusdam expressis causis, Sedem Apostolicam appellarant, feci concilium convocari apud sanctum Quintinum die Dominica ante Natale Domini; *(quod quintum hac in causa, ex eoque scriptæ hæ litteræ)* ibique cum sperarem de capitulorum et episcopi Noviomensis animadversione tractare, quidam de coepiscopis nostris, licet interdictum posuissent et servassent, et a suis subditis præcepissent observari, ad retractationem interdicti cœperunt instare, licet litteræ Sanctitatis vestræ ad ipsos directæ, ex quibus ad jus et justitiam ecclesiæ conservandam debuerunt unanimiter effici fortiores, exhibitæ et perlectæ fuissent ibidem, quasdam occasiones prætendentes.

illudque tollitur, repugnante Belvacensi,

260 Quod præsentiens episcopus Belvacensis, coram nobis et concilio, ne interdictum pro se et ecclesia sua latum, et ab ipsis observatum, nulla sibi et ecclesiæ suæ a domino Rege satisfactione facta vel restitutione, revocaretur vel relaxaretur, Sedem Apostolicam appellavit, se et ecclesiam suam, et interdictum pro ecclesia sua latum, et statum, in quo erat negotium, sub domini Papæ protectione ponendo. Catalaunensis tamen episcopus post appellationem Belvacensis pro se, Ambianensi, Silvanectensi, et Attrebatensi episcopis, pro suæ voluntatis arbitrio coram nobis et coepiscopis proposuit, quod interdictum relaxarent prædictum : et ne propter hoc contra ipsos procederem in aliquo, in vocem appellationis prorupit, spreta appellatione a Belvacensi episcopo ante facta : et cum nobis, inter has angustias positis, quidam alii episcopi adhærerent, eisdem nunc post multos tractatus eum * temperamento interdicti, vel alio modo possemus eos ad unitatem reducere, tandem eorum instantia devicti, dictum relaxavimus interdictum.

AUCTORE J. S.

* forte cum nec

Rex causam suam agit,

261 *Audivimus supra, capitula cathedralia interdictum admittere noluisse. Hinc* S. Ludovicus *gratias egit capitulo Laudunensi per epistolam superius recitari cœptam, in qua post verba jam citata mentem suam de hoc inter-* E *dicto sic exprimit :* Unde quam plurimum admiramur, quod suffraganei Remensis provinciæ, nobis a nullo jure deficientibus, tantæ contra nos malitiæ acquieverint aliquorum, quod in nostrum, et regni præjudicium, interdicti sui præcipitantes sententiam, ita contra nos, et jus nostrum perperam processerunt. Et utinam quanto zelo, quanta affectione moveantur eorum aliqui in hoc facto, bene attenderitis singuli atque omnes. In quo tamen vos, qui saniore ducti estis consilio, jura nostra opprimere non duxistis, sed juri regio favorabiles, et eorum injuriis contrarios vos gessistis, ex quo vobis et ecclesiis vestris regalem gratiam merito obtinuisse debetis. Rogamus igitur universitatem vestram, et in amore, quo nobis et regno tenemini, exhortamur, ut viam istam conservandi jura regia, qua incedere cœpistis, constanter atque viriliter teneatis . . . scientes quod nos pro facto isto paramus nuntios providos et discretos incunctanter per hoc ad Romanam curiam destinandos, ne procedat in tantum regni nostri detrimentum ista malitia, prout aliqui contra nos conceperunt. Actum apud Compendium anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo ter- F tio, mense Decembri. *Hactenus* Ludovicus. *Ex quibus perspicias, Regem non minus conquestum fuisse jura sua lædi ab episcopis, quam illi quererentur id factum a Rege. Ratio* Ludovici *huc reduci potest. Jurisdictio civilis Bellovacensis res est regni feudalis : at vero lis de re feudali agitari debet apud feudi dominum : cum itaque rationem reddere non renuerim in curia regni, injurii mihi sunt episcopi, qui ea de re sibi arrogarunt judicium.*

quæ defertur ad Pontificem : observantur aliqua

262 *Porro, uti Rex nuntios suos se quam primum Romam missurum dicit, ita et episcopi causam suam Gregorio Pontifici commendant his verbis :* Unde Sanctitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus desolationi Belvacensis ecclesiæ, quæ in partibus nostris manifesta est, paterno compatientes affectu, celeri remedio salubriter dignemini providere, scientes pro certo, quod non potest oppressioni dictæ ecclesiæ, nisi per supremum Sanctitatis vestræ remedium subveniri. Actum apud sanctum Quintinum Dominica ante Natale Domini, anno Domini MCCXXXIII. *Ita archiepiscopus Remensis ad Pontificem.*

AUCTORE J. S.

ficem. Porro has duas epistolas recitandas censui, quia totius controversiæ historia ex illis elucescit magis, quam ex aliis instrumentis hactenus prolatis. Verum ne qui ex epistolæ verbis quibusdam, quæ plus significare videntur, quam revera significant, in errorem ducantur, illa paullo accuratius sunt exponenda. Num. 254 dicitur episcopus omnem jurisdictionem habuisse in civitate Bellovacensi. Id verum est, et declaratum a Ludovico VII per chartam, quam edidit Antonius Loisel in Monumentis agri, urbis, etc. Bellovacensis pag. 275 : verumtamen non sine restrictione aliqua. Verba regis accipe : Sancimus igitur ex regiæ majestatis excellentia, quod semper ad episcopum querimoniæ perferentur, et nemo sit tam præsumptuosus, ut de jure episcopi et ecclesiæ, scilicet de facienda justitia, se intromittat apud Belvacum, quamdiu, ut fiat, in episcopo non remanserit. Sed si forte in eo, quod absit, remanserit, tunc ipsi cives habeant licentiam suis concivibus faciendi : quia melius est tunc ab eis fieri, quam omnino non fieri. *Cum itaque Rex Bellovacum* B *accessisse dicatur ibidem,* cum multis communiis, *quibus incumbebat Bellovaci sontes punire, id non faciente episcopo; vix dubium relinquitur, quin illi Regis opem implorarint, quod sibi vires deesse perspicerent ad seditiosos comprimendos et puniendos.*

circa epistolam archiepiscopi :

263 *Deinde eodem num. 254 dicitur episcopus paratus fuisse ad seditiosos puniendos. Verum se tantum paratum exhibuit, cum Rex adveniret ad id ejus loco præstandum : neque* Ludovicus *manum admovit, priusquam, inquisitione facta, ipsius consilium declarasset episcopum partibus suis defuisse, quod fontes non jussisset apprehendi, ut refert Chaizius pag. 170. Hic itaque erat nodus controversiæ; an vere officio suo defuisset episcopus, quod Rex contendebat, ille vero negabat. Hanc autem controversiam in curia seculari examinandam dicebat* Ludovicus, *non in episcoporum concilio. Tertio ubi dicitur* Ludovicus episcopum jurisdictione *spoliasse. Non ita id intelligendum, sicut perperam intellexit Raynaldus ad annum Christi 1234, num. 12, ac si* S. Ludovicus *episcopum jurisdictione, urbisque dominio in perpetuum exuisset : at dumtaxat quod jurisdictionem et* C *facultatem liberam non reliquisset ad seditionis præteritæ auctores suo nomine puniendos. Similiter verba paullo inferiora, quibus dicitur Rex* episcopum civitate *spoliasse, nolim accipias, sicuti accepit Raynaldus ad annum 1236, num. 37, ac si episcopum civitate ejecisset; id enim aperte falsum est : nam episcopus libere ad urbem veniebat, quoties ipsi erat lubitum. Verum intellige, urbem regio præsidio servatam fuisse ad tempus; nimirum donec venditis quibusdam minoris momenti episcopi bonis, receptisque episcopatus reditibus, soluta esset pecuniæ summa, quam pro gisto, ut vocant, seu sumptibus quinque dierum Rex exegerat, ac solvere detrectabat episcopus. Unde episcopi in monitione Regi facta, apud Harduinum tom. 7 Conciliorum col. 200, nihil ab eo exigunt, nisi ut* justitiam, *seu jus puniendi seditiosos illos episcopo reddat, damna restauret, in exilium missos revocet, captivos restituat,* regalia *item, seu summam gisti nomine exactam, refundat : non vero ut episcopum urbi, urbisve dominium episcopo restituat.*

264 *Num. 258, et 259 refertur, quomodo interdictum fuerit revocatum : quam narrationem supplendam censui ex inquisitione hac de re facta anno 1235, apud memoratum Harduinum col. 198, ubi testis octavus hæc narrat :* D In sequenti die Lunæ vel die Martis fuerunt congregati omnes episcopi, et capitula : et surrexit M. Simon de Arceia *(decanus Ambianensis)* et proposuit ex parte capitulorum, ut dicebat, in pleno concilio prædictas causas, et quasdam alias : inter quas fuit, quod negotium Belvacense tempore mandati facti ab archiepiscopo de ponendo interdicto, relatum fuit ad curiam : et dicebat, quod archiepiscopus in concilium ulterius se intromittere non debebat. *Hinc habemus, litem in Regis curia examinari saltem cœptam : quid autem ibidem actum fuerit, non invenio. Attamen suspicor id causæ regiæ non parum profuisse, atque episcopos plerosque hinc melius de re tota fuisse instructos : certe idem testis post pauca ita prosequitur :* Item dicit, quod appellavit Simon de Arceia pro capitulis cathedralium ecclesiarum provinciæ Remensis apud S. Quintinum, ubi erat concilium provinciale congregatum die Dominica E proxima ante festum Natalis Domini : ubi suffraganei archiepiscopi Remensis, exceptis archiepiscopo, episcopo Suessionensi, et Cameracensi, dixerunt, quod male posuerant interdictum in suas diœceses : et melius volebant revocare per se, quam revocaretur per superiorem. Et episcopus Catalaunensis pro se ac pro aliis dixit, quod ipsi revocarent interdictum : et ne archiepiscopus nomine suo, vel auctoritate concilii, in aliqua re contra eos procederet, appellabat pro se ac pro aliis ad Dominum Papam. *Hactenus de iis, quæ anno 1233 circa hanc controversiam actitata sunt, quæ prolixius exponere visum est, tum quod ea hactenus non inveni satis accurate exposita, tum vel maxime, quod aliqui quædam hac de re scripserunt* S. Ludovico *parum honorifica. Nunc brevius describemus, quo tandem modo controversia fuerit finita.*

cur revocatum sit interdictum, exponitur.

Pontifex arbitrum assignat ad litem componendam

265 *Pars utraque ad Pontificem suos destinaverat nuntios, ut supra vidimus. Juvat itaque audire, quid Pontifex, post acceptas tam acres contra* Ludovicum *episcoporum litteras, Regisque nuntios auditos, hac in re agendum, Regique rescribendum censuerit : ut hinc etiam* F *utcumque elucescat, quid Pontifex de tota hac controversia, factoque Regis judicarit. Epistolam recitat magna ex parte Odoricus Raynaldus ad annum 1234, num. 12, in qua laudata regum Franciæ pietate,* Ludovicum *horum* non minus in devotione quam regno *successorem mirificis laudibus extollit, eumque demum ad pacem cum ecclesia Bellovacensi hortatur hisce verbis :* Cum omni regno desiderabilis sit tranquillitas, qua et populi proficiunt, et honor regius custoditur, ad concordiam cum Belvacensi ecclesia faciendam, animi tui mansuetudinem inclinare procures, per quod misericordia, quæ tecum coaluit, clarius, et conspectius enitescat. Nos enim dilectum filium magistrum P. * de Collemedio capellanum nostrum præpositum ecclesiæ S. Audomari * virum notæ probitatis, et circumspectionis expertæ, quem honoris tui zelatorem tibi fidelem novimus, et devotum, et de sua prudentia, et industria plenam habet notitiam celsitudo regalis, mediatorem inter te et dictam ecclesiam duximus deputandum, cujus consiliis acquiescens, januam benevolentiæ consuetæ

* Petrum

* S. Omer

A suetæ paci clementer aperias, eam, et libertatem ecclesiasticam, quibus regni solium plus firmitatis accipit, plus splendoris, tamquam Rex Christianissimus amplectendo, ita quod in te paratum videatur ecclesiis antidotum pietatis etc. Datum Later. VIII Idus Aprilis Pontificatus nostri anno VIII, *id est Christi 1234. Ita misericordiam potius Regis inclamat pro episcopo, quam jura episcopi læsa queratur, acerrimus alioquin ecclesiasticæ libertatis vindex Gregorius.*

quæ demum composita.

266 *Jam autem quid statutus a Pontifice pacis sequester, Petrus de Collemedio profecerit, non liquet. At constat pacem necdum secutam fuisse, Milonemque Bellovacensem episcopum Romam profectum, in itinere obiisse. Mortem ejus scribit cum aliis Albericus in Chronico ad annum 1234, pag. 554 his verbis :* Milo Belluacensis episcopus apud Camerinam civitatem Italiæ moritur : post quem Gaufridus in episcopum eligitur. *Cum Milone contentio finem non habuit, ab ejus successore renovata ; sed nec hic effecit quidquam, nisi quod subditos suos sacrorum usu interdixerit. Obitum autem Gaufridi, ejusque successorem memorat Albericus ad annum* B *1236 hunc in modum :* Mortuus est episcopus Belluacensis, post quem Robertus decanus fit episcopus. *De quo Gallia Christiana Sammarthanorum fratrum in episcopis Bellovacensibus pag. 396 inter alia hæc habet :* Robertus de Cressonsart... demum concordiam ac pacem iniit cum S. Ludovico, et anathema per decessores in diœcesim promulgatum revocavit, ac cum ipso Rege composuit super gistis, aliisve juribus, quæ sibi ab omni ævo vindicabat. *Subdit dein diploma regium, quo* Ludovicus *circa jus gisti cum episcopo composuit. Ceterum ex litteris Gregorii, apud Lucam Waddingum post tom. 1 Annalium Minorum in Regesto Pontificum a pag. 32 conjicio, concordiam coaluisse anno 1237. Nam interdictum, quod, ut ait in epistola ad Regem,* nimis præpropere, et ex abrupto *fuerat* repositum, *suspendit Pontifex* ad octo menses pro fine pacis et concordiæ ineundæ, *inquit ex epistola ad episcopum Bellovacensem ejusque capitulum Waddingus : suspicari ergo merito possumus intra octo illos menses concordiam stabilitam. Itaque cum memoratæ Pontificis litteræ scriptæ* C *sint mense Septembri anni 1236, ad annum sequentem pax videtur referenda, nisi sub finem anni 1236 jam fuerit sancita, quod minus est verisimile. Discordia igitur, quæ* Ludovico *sub tutela constituto diu viguerat, eo ad regni habenas admoto, brevi exstincta est : nec lites cum episcopis tam diuturnas dein videbimus.*

§ XXIII. Reliqua anni 1233 : anno 1234, mortuis quibusdam principibus, concordia inter Campaniæ comitem et Cypri reginam mediante Rege facta : alia quædam ad annum 1234 spectantia.

Jura ecclesiæ Brivatensis restituit S. Ludovicus :

Q*uam jura ecclesiarum illæsa vellet et illibata* S. Ludovicus, *testantur litteræ Archembaudi Borbonii domini, ac Regis in Arvernia procuratoris, hoc ipso anno 1233 mense Junio datæ, atque editæ post tomum 2 Galliæ Christianæ nuperrime recusæ inter instrumenta a col. 137 : quippe ex hisce litteris discimus servientem quemdam, ut vocabant tunc temporis, a regio procuratore prædicto in oppido Brivatensi * statutum fuisse tempore Ludovici VIII, quod Brivatenses querebantur privilegiis ecclesiæ suæ contrarium. Re discussa, veras esse Brivatensium querelas repertum est, servientemque amovere jussit Ludovicus VIII. Verum morte ejus interveniente, id facere distulit procurator regius. Recurritur igitur ad* S. Ludovicum. Ipse autem Rex, *inquit procurator*, benignitate regia motus, et justitiæ et æquitatis debito volens mandatum patris ratum et firmum haberi, et ecclesiam Brivatensem cum suis possessionibus in ea libertate observari, in qua manserat temporibus retroactis, mihi viva voce præcepit, et etiam super hoc suas litteras patentes direxit, ut secundum inquisitionem prædictam, a villa Brivatensi præfatum servientem amoverem, et ecclesiam Brivatensem cum suis possessionibus in prædicta libertate conservarem... Actum anno MCCXXXIII, mense Junio. *Sic qui nec minis cedebat nec terroribus, ubi iniqua jurique suo con-* E *traria peti existimabat, faciles justitiæ manus dabat, rei æquitate comperta.*

AUCTORE J. S.

* Brioude

doleta missum sacrum clavum,

268 *Pietatem item, qua sacras prosequebatur reliquias, hoc anno, ut sæpe alias, egregie declaravit Rex sanctus in amissione et inventione sacri clavi, quem ut thesaurum pretiosissimum custodit ecclesia S. Dionysii in Francia. Res contigit anno 1233 ex Chronico Alberici ad eumdem annum pag. 543, licet eam more Gallico ad annum 1232 retulerit Nangius, quod ante Pascha fuerit peracta. Porro laudatus Nangius apud Chesnium pag. 330 factum enarrat hoc modo :* Sequenti anno sanctissimus clavus Domini, unus de illis, ex quibus corpus Dominicum cruci affixum dicitur extitisse, qui a tempore Caroli Calvi regis Franciæ et imperatoris Romani, in eadem sancti Dionysii ecclesia dono ipsius permanebat, cecidit de vase suo, dum daretur gentibus ad osculandum ; et sic perditus fuit inter multitudinem osculantium tertio Kalendas Martii ; sed primo die Aprilis sequentis, multis prodentibus miraculis inventus, ad prædictam ecclesiam cum gaudio et magna exultatione in die sancto Parasceves est allatus. Hujus clavi sanctis- F simi amissione dolor et compassio, quæ Regi Ludovico et matri ejus reginæ, ac multis accidit, non puto omittendum. Audientes vero Rex et regina mater ejus tam pretiosissimum thesaurum in regno suo fuisse perditum, vehementer doluerunt, dicentes quod sibi nihil penitus potuisset nuntiari, unde possent, aut deberent gravius molestari. Illustrissimus autem et pius juvenis Rex Ludovicus tandem præ doloris magnitudine exclamasse dicitur, se maluisse optimam regni sui civitatem hiatu terræ funditus periisse.

eumque inventum gaudet, et veneratur

369 Qui statim viros eloquentes et eruditissimos a latere suo mittit, qui dolorem et fletum abbatis et conventus sancti Dionysii, quos inconsolabiliter contristatos audierat, verbis bonis et consolatoriis levigarent. Ipse quoque in propria persona venire voluit, sed discreta suorum consideratio non permisit. Qui confestim clamari voce præconis per plateas civitatis Parisius jubet, ut si quis clavum Dominicum invenerit, cito reddat, et securus de vita, de fisco regio percipiet centum libras. *Hisce quædam subdit auctor de dolore universi populi, quæ ad* Ludovicum *non spectant. Totam hanc historiam ex Ms. antiquo ube-*

Auctore J. S.

uberius narrat Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii a pag. 228, usque ad 232, ubi postquam exposuerat, quomodo relatus sit ad templum S. Dionysii sacer clavus, de sancto Ludovico *subjungit, eum post aliquot dies venisse ad abbatiam S. Dionysii, ut gaudium suum testaretur de sacro clavo invento, eumque cum illustri comitatu suo veneraretur. Hæc sufficiunt ad eximiam Sancti erga sacras Reliquias observantiam declarandam : plures autem historiæ circumstantias apud assignatum auctorem curiosus lector inveniet.*

castrum Malleonis obtinet.

270 *Albericus hoc anno in Chronico pag. 543 de* S. Ludovico *hæc scribit :* Terram de Mallione eodem anno, mortuo Savarico, obtinuit. *Studuerat hic Savaricus partibus Angliæ regis, ut vidimus num. 93. De* Malleone *autem, seu* Malo Leone *hæc scribit Adrianus Valesius in notitia Galliarum pag. 314 :* Est in Pictonibus diœcesique Malleacensi Malus Leo castrum, a nonnullis contracto nomine Malleo appellatum, vulgo Mauleon, clarum veteri monasterio monachorum regulam S. Augustini sequentium, quibus
B suus est abbas. Est alterum castrum et Malus Leo vel Malleo in valle Subola apud Novem populos, Mauleon similiter nuncupatum : cujus dominus fuit, qui et ab eo castro cognominatus est, Savaricus de Malleone, quem Petrus monachus in capite LVI libri de bello Albigensi commemorat, et in capite LXVI inimicum Ecclesiæ, regis Angliæ seneschallum fuisse asserit. *Ita ille, ex cujus sententia posterius hoc castrum* S. Ludovicus *hoc anno obtinuit. Verum id mihi probari non potest, cum Savaricus de Malo-Leone, cujus crebra mentio fit in variis antiquorum auctorum Opusculis apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ, ibidem col. 879, et rursum col. 882* Pictavinus *vocetur, eumque et Pictaviæ seneschallum, et ubique inter Pictones memoratum inveniam. Unde de priori castro Albericum intelligendum existimo, ea etiam ratione, quod secundum situm sit in posterioribus Vasconiæ partibus, quam Angli hoc tempore obtinebant. Hoc item anno* Ludovicus *excepit homagium Galteri de Avesnin comitis Blesensis pro feudo gemino, ut habetur apud Martenium tom. 1 Anecdotorum col. 974. Hinc ad annum sequentem transeamus.*

C

Comes Campaniæ pacem init cum regina Cypri

271 *Pendebat adhuc indecisa controversia de comitatu Campaniæ inter comitem Theobaldum illiusque patruelem Cypri reginam, cujus initia num. 240 exposuimus. Cum natalium defectus objiceretur reginæ, res ad Pontificem fuerat delata.* Pontifex *autem, ut refert Raynaldus ad annum 1233, num. 62, indixit,* ut primum quæstio de ipsius natalibus coram Ecclesiæ tribunali discuteretur, illamque saltem procuratorum opera Romæ se sistere jussit. *Verum regina Cypri examen hujusmodi non magnopere desiderasse videtur, quod id sibi non speraret profuturum, adeo ut facile destitura fuisset, nisi obstitissent principum quorumdam in Theobaldum odia, quibus de medio sublatis, res hoc anno 1234 fuit composita. Accipe quæ hac de re scribit Albericus in Chronico ad dictum annum pag. 550, sed vitio describentium mendis conspersa :* Cum esset hucusque, *inquit*, simultas et invidia et maxima discordia baronum Franciæ contra comitem Campaniæ, contigit in hac hyeme tres mori, videlicet archiepiscopum Lugdunensem, comitem Philippum Boloniæ patruum Regis, *(qui)* apud sanctum Dionysium antecessoribus suis conjunctus est, et comitem Robertum *(Drocensem)* fratrem archiepiscopi Remensis. . . *(et Petri Britanniæ comitis)*, qui Dominica ESTO MIHI sepultus est. Qui de medio factus * obtinuit cum regina Cypri pacem facere, quæ istis instigantibus, et consilium cum auxilio ferentibus, calumniam movebat contra consobrinum suum comitem Campaniæ. D

* *forte*, Quibus de medio factis

quæ, pretio mediante, cedit jure suo;

272 *Quibus autem conditionibus concordia stabilita, ac jure quolibet in comitatum Campaniæ cesserit regina Cypri, vivente Theobaldo, ejusve posteris, mox refert his verbis laudatus Albericus :* Unde quadraginta millia librarum habuit in instanti pro debitis et expensis, et duo millia quolibet anno. *Hisce ad amussim consentit Joinvillius num. 33, addens duo illa millia quotannis solvenda, in terris ac censibus assignata fuisse; reliqua quadraginta millia a Rege soluta pro comite, emptis hac pecunia feudis, quæ mox ex authentico instrumento recitabuntur. Cangius in observationibus ad Joinvillium pag. 46 recitat litteras* S. Ludovici, *quibus pacis conditiones continentur, quas ex eo huc transfero :* Excellentissimo et karissimo domino suo Ludovico Dei gratia Francorum Regi, A. * eadem gratia R. * Cypri, salutem et dilectionem sibi sinceram. Excellentiæ vestræ supplicamus, et vos requirimus, quatenus subscriptis litteris vestrum apponi faciatis sigillum. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex : Noverint universi præsentem paginam inspecturi, quod nobilis mulier Elipdis * regina Cypri, in præsentia nostra constituta, quittavit carissimo consanguineo et fideli nostro Theobaldo Campaniæ et Briæ comiti palatino, omne jus, quod habebat, vel dicebat se habere in comitatibus Campaniæ et Briæ, et pertinentiis eorumdem, et de eodem jure se devestivit * in manu nostra. Et nos ad petitionem dictæ reginæ investivimus de eodem jure dilectum et fidelem nostrum Archembaldum de Borbonio nomine dicti comitis, salvo hoc, quod si dictus comes decederet sine hærede ab ipso linea matrimoniali descendente, supradicta non obessent dictæ reginæ, quia posset petere dictos comitatus, sicut poterat ante, nec propter suprascripta jus suum minueretur, vel augmentaretur. Promisimus etiam quod quando assisiæ * duarum millium librarum terræ erunt factæ dictæ reginæ, nos omnia sicut continentur in charta dictæ reginæ tradita, dicto comiti faciemus scribi, et sigillari, et tradi dicto comiti, et iis omnibus supradictis et sigillatis, et dicto comiti traditis, præsentes litteræ nobis reddentur. Actum anno gratiæ MCCXXXVI, mense Septembri. *Ita concordiam regno suo maxime utilem conciliavit* Ludovicus.

E

* Aleidis regina

* *passim* Aleidis

* *i. e.* exuit

* *i. e.* assignatio censuum

F

hinc Ludovicus quædam comitis feuda emit:

273 *Jam vero feuda, quæ comes Campaniæ* Ludovico *tradidit propter soluta quadraginta librarum millia, non pignori solum data fuisse, quemadmodum Albericus ad annum 1236 pag. 556 scripsit ex quorumdam eo tempore opinione, sed revera vendita fuisse, ut habet Joinvillius num. 34, evincunt litteræ ipsius Theobaldi, quas præcedentibus subjecit Cangius, his verbis exaratæ :* Ego Theobaldus Campaniæ et Briæ comes palatinus notum facio etc. quod ego carissimo domino meo Ludovico Regi Francorum illustri vendidi pro XL millib. librar. Turon., de quibus idem dominus Rex mihi plene satisfecit, feoda mea comitatus Carnotensis * cum pertinentiis suis, comitatus Blesensis * cum pertinentiis suis, comitatus Sacrocæsaris * cum pertinen-

* Chartres
* Blois
* Sancerre

A tinentiis suis, et vicecomitatus Castridunensis * cum pertinentiis suis, et omnia jura, quæ in prædictis habebam, tam in feodis quam in domaniis ratione prædictorum feodorum, eidem domino Regi et hæredibus suis habenda in perpetuum et tenenda, retento mihi eo, quod habeo in comitatu Particensi in feodis et domaniis, quod movet de feodo Carnotensi, et quod comes Carnotensis debet de domino Rege tenere. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Incarnat. Dom. MCCXXXIV, mense Sept. *Hanc venditionem etiam ratam habuit regina Cypri litteris apud Cangium recitatis loco assignato.*

* Châteaudun

reliqui etiam adversarii comiti Campaniæ conciliati.

274 *Præter pacem jam dictam, reliquorum principum motus contra comitem Campaniæ post mortem Philippi Bononiæ comitis, quem vana regni spe lactare non destiterant, plane concidit. Testatur id Guilielmus de Podio Laurentii in Chronico cap. 39 his verbis :* Motus quoque Robertorum, consentientium Philippo comiti aspiranti regno, ejusdem Philippi morte extinguitur naturali. *Certe Hugo Burgundiæ dux, inter potentiores comitis Campaniæ adversarios,* B *juramento se obstrinxit ad resarcienda damna comiti illata, a Rege ad id coactus, cui et fidem iterum jurat, et prædes pro summa pecuniæ, de qua convenerat, assignat. Quæ latius relata inveniet lector in Charta præfati comitis apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ a col. 1262. Post mortem item Philippi Bononiæ comitis, cum Mathildis defuncti uxor de hereditate controversiam haberet cum filia sua Joanna, ipsoque Rege, ea amice per* Ludovicum *composita est, ut habemus ex litteris conventionis comitissæ Mathildis apud memoratum Martenium a col. 1243; verum mendose illæ notantur anno 1230 scriptæ, cum ex ipsis clarum sit, exaratas esse post mortem Philippi comitis.*

Leges contra Judæos statuit, et alia quædam curat Ludovicus:

275 *Contra injurias Judæorum, qui usuris fraudibusque graves erant Christianis in Gallia, jam aliquot statuta tum per* S. Ludovicum, *tum per reges præcedentes facta erant, quibus frænum eorum injustitiæ injiceretur. Alia rursum hoc anno contra eosdem a* S. Ludovico *decreta profert Martenius tom. 1 Anecdotorum* C *col. 984 : quibus tertia pars debitorum remittitur Christianis : cavetur ne Christiani capiantur ob debita Judæorum, neque ob eadem hereditates suas vendere cogantur : ne Judæis pignora accipere liceat a Christianis. Demum severe prohibetur ministris regiis, ne munera accipiant ad horum exsecutionem curandam :* Præceptum est etiam baillivis, quod ipsi nihil capere præsumant pro supradictis fideliter adimplendis, sicut carum habent dominum Regem, et sicut diligunt corpora sua, terras et omnia mobilia sua. *Confirmavit item hoc anno* S. Ludovicus *fundationem monasterii B. Mariæ de Bello-visu *, quod monialibus Ordinis Cisterciensis fundavit Robertus de Curteniaco *, ejusque conjux Mathildis prope Magdunum * : sicuti habent novissimi editores Galliæ Christianæ tom. 2, col. 218. Scripserat anno præterito Gregorius Pontifex ad* S. Ludovicum *de injuriis abbati et monachis S. Walerici * illatis variisque sacrilegiis ibidem a civibus perpetratis, hortatus Regem, ut curaret sacrilegia illa debito supplicio expianda. Epistolam vide apud laudatum Martenium a col. 978 : ubi et col. 982 invenies latam sententiam a* Gaufrido Belvacensi episcopo, et Theobaldo Ambianensi archidiacono in Majorem, scabinos, et juratos communiæ S. Walarici, ob injurias monachis illatas, et profanationes ab ipsis perpetratas, *ita ut Pontificis voluntati fuerit satisfactum.*

* Beauvoir
* Courtenay
* Mehun
* S. Valery

AUCTORE J. S.

eo petente, marchionatus Provinciæ Tolosano redditus :

276 *Odoricus Raynaldus ad hunc annum 1234, num. 15 profert* S. Ludovici *epistolam ad Gregorium IX Pontificem; (aliam exhibuerat num. 61 anni 1233) qua Rex sanctus Pontificem iterato rogat, ut Raymundo Tolosano comiti restituere dignaretur ditionem quondam comitis Tolosani ultra Rhodanum sitam, quam tractatu Parisiensi Raymundus in perpetuum abdicaverat. Duas autem in hac epistola præcipue allegat rationes ad movendum Pontificem. Prima erat, quod Raymundi filia unica paternæ ditionis heres cum Alphonso Regis fratre matrimonio esset copulanda. Alteram hisce exprimit verbis :* Attendentes etiam quod, sicut ex prælatorum illarum partium didicimus testimonio, in hæreticis perquirendis, et perquisitis ad honorem Dei et S. Ecclesiæ puniendis vigilanter se habuit, fideliter et devote. *Ex qua ratione di-* E *scimus Raymundum, qui subinde tum a Pontifice, tum a Rege monitus fuerat, ut in exstirpanda hæresi diligentiorem se præberet, talem hoc tempore ea in re se præstitisse, ut Regi satisfaceret. Porro* Ludovicus *jam rogaverat a Gregorio ab annis aliquot eamdem Raymundo gratiam, quam hac flagitat epistola. Verum responderat anno 1232 Pontifex, se ditionem illam Raymundo non restituere, ne hæresis rursum in illis partibus invalesceret, quod metuendum multis rationibus docet, ut ex ipsis litteris lector intelliget apud Acherium tom. 3 Spicilegii a pag. 604. Pauca accipe Pontificis verba :* Sed cum illius terræ conversio adeo sit adhuc recens et tenera, quod ex mutatione subita facile posset incurrere recidivum; et recidivi languores interdum esse soleant prioribus graviores, accurata est sollicitudine præcavendum, ne morbus, qui tam graviter Christi maculavit Ecclesiam, in ipsius possit refluere corruptelam. *Ita ad priores* S. Ludovici *preces Pontifex. Posteriores vero effectu non caruisse videntur, cum anno sequenti Raymundus clientelam juraverit Frederico imperatori pro Marchia Pro-* F *vinciæ, quo nomine memorata ditio, in imperio sita, eo tempore intelligebatur. Scribit hoc Godefridus Monachus in Annalibus ad annum 1235.*

fundatio conventus Minorum Parisiis.

277 *Waddingus tom. 1 Annalium Minorum ad annum 1234, num. 16 sequentia hoc anno scribit in rem nostram :* Ludovicus sanctus Gallorum Rex ob intimum in Franciscanos... affectum, hoc anno fundum et locum, quem inhabitabant ab illorum ingressu in urbem,... multo ære comparavit ab abbate et monachis sancti Germani, ad quos spectabat proprietas. Venditionis et emptionis litteræ regio sigillo munitæ servantur apud eosdem monachos, datæ hoc anno, mense Aprili. Et ut totum hoc venditionis, emptionis et concessionis negotium firmius consisteret, Gregorii Pontificis judicium intercessit. *Hisce idem auctor subnectit varias dicti monasterii dilatationes, atque opus templi intermissum, de quo suo loco agemus. De hac item fundatione consulere potest lector Gerardum de Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2 pag. 330.*

AUCTORE J. S.

§ XXIV. Pia Sancti exercitia : matrimonium : discordiæ sopitæ.

Sanctus a ludis omnino abstinet,

Agebat hoc tempore *S.* Ludovicus *secundum chronologiam nostram annos viginti :* Viginti autem annorum factus, *inquit monachus S. Dionysii anonymus apud Chesnium pag. 396,* dimissis omnibus jocosis, nec canibus, nec avibus ludens, dimissis apparatibus pretiosis, simplicibus utebatur. *Quæret curiosus lector, quo se igitur occuparet Rex sanctus, dum a gravioribus regni negotiis quies concedebatur. Respondeo ex Vita secunda manifestum esse, magna diei noctisque parte orationibus variis, horisque canonicis recitandis occupatum fuisse : verum quia hæc abunde ibidem descripta sunt, non lubet ea hoc loco repetere. Accipe itaque ex memorato auctore anonymo, quid honestis animi relaxationibus substituisse videatur Rex sanctus :* Quia B vero, *inquit,* secundum cujusdam sapientis dictum, nihil sapientis mentem sic ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat, adjuvat ad opus bonum, sicut sacrarum studium litterarum; sanctus iste Ludovicus Rex attendens, quod superius præmisimus, Regem in libro Legis juxta Domini præceptum cunctis diebus legere, sacræ lectioni studiose insistebat, habebat enim Bibliam glosatam, et originalia beati Augustini et aliorum Sanctorum, et alios sacros libros, in quibus legebat et legi coram se multociens faciebat illo medio tempore intra prandium et somnum diurnum, et multotiens per somnum usque ad vesperas, nisi gravioribus fuisset occupatus. *(Brevem autem hunc somnum* Ludovicus *captare solebat post recitatas a prandio preces nonas, quod surgere ad Matutinas de nocte solitus, id sibi necessarium sentiret.)*

atque exercitiis piis studiose vacat.

279 Prædictis etiam temporibus faciebat ad se vocari aliquos religiosos, vel alios honestos viros, cum quibus loquebatur de Deo, de Sanctis, et eorum actibus, et interdum de historiis sacræ Scripturæ et de vitis Patrum : habebat etiam libenter secum in mensa prælatos, vel aC lios clericos, cum quibus de Deo loquebatur in mensa loco lectionis, quæ habetur in conventibus religiosorum : omni etiam die dicto Completorio a capellanis in capella, redibat ad cameram *, tuncque accendebatur una candela cerea magnæ quantitatis, et dum illa durabat, ipse legebat in Biblia, vel in alio sacro libro : siquidem erga Dei sanctum sermonem, utpote qui ex Deo erat, tantæ devotionis, tantæ reverentiæ fuit, quod multociens in capellis religiosorum sermonem, in scolis quorumdam sacræ Scripturæ lectionem humiliter sedens inferius, aliis sedentibus in scamnis et locis superioribus, audiebat. *Hæc ille de piis* S. Ludovici *exercitationibus, quæ in Actis infra edendis confirmantur locis variis. Quin et longe plura et illustria non minus hisce adjungi possunt, cum quæ mentem pie pascunt, qualia sunt supradicta; tum etiam quæ simul corpus exercent, uti sunt impensa frequenter Religiosis, pauperibus, ægrotis, aliisque ministeria varia, ex quibus pia S. Regis humilitas, atque immensa charitas elucescit : verum hæc abunde enarrata in Actis lector studiosus inveniet.*

* *i. e.* cubiculum

An fama fuerit de incontinentia Ludovici?

280 *Juvat hic examinare quo pacto intelligenda sint, quæ scribit Gaufridus de Bello-loco* D *in Vita num. 6 :* Nec prætereundum, *inquit.* de quodam religioso, qui a falsis relatoribus audierat, quod dominus hic Rex ante matrimonium suum concubinas habebat, cum quibus quandoque peccabat, conscia vel dissimulante matre sua. Quod cum ille religiosus cum multa admiratione, quasi eam redarguendo dominæ reginæ dixisset : illa super hac falsitate se et Filium humiliter excusavit... Hoc ego ab ore ipsius domini Regis audivi. *Hæc verba passim ita intellexerunt auctores, ac si fama de incontinentia* Ludovici *sparsa fuisset, aulamque regiam pervagata. Verum, si hoc modo prædicta verba sunt intelligenda, manifeste sibi contradicunt Vitæ scriptores illi, de quorum fide atque auctoritate dubitare non possumus. Etenim auctor Vitæ secundæ, ex Actis canonizationis fide summa conscriptæ, num. 135 de castitate, integraque* S. Ludovici *circa illam fama, scribit sequentia :* Omnis fuit in sancto Rege puritas : neque unquam tempore adolescentiæ ipsius, neque tempore juventutis, neque ullo tempore E illi, qui memoratis temporibus cum, eo fuerunt, diuque cum ipso fuerunt conversati, videre potuerunt aut percipere beato Regi fuisse ullam familiaritatem, aut conversationem suspectam cum ulla femina alia quam sua : nunquam dici audiverunt de incontinentia, vel verbo ejus hac in parte famam lædi. *Hæc auctor, cui scripta Gaufridi, quem frequenter citat, non erant incognita. Existimo igitur nihil velle Gaufridum, nisi credulitati boni illius Religiosi quorumdam petulantia illusum fuisse, eumque majori zelo quam prudentia serio reginæ narravisse, quæ joco audierat : adeoque famam de Regis incontinentia sparsam non fuisse. Sic utrumque scriptorem facile concilies.*

Uxorem ducit Margaritam,

281 *Hisce de moribus sancti Juvenis diverticulo non injucundo enarratis, temporis ordo postulat, ut ejus nuptias referamus. Guilielmus Nangius apud Chesnium pag. 331 de iis hæc narrat :* Anno Domini MCCXXXIV, regni Ludovici Regis Franciæ VIII, ætatis vero suæ XIX, cupiens idem Rex de fructu ventris sui processurum aliquem, qui post ipsum in regni ipsius solio resideret, non causa libidinis, sed prolis F optandæ, uxorem ducere cogitavit. Et tunc misit Galterum Senonensem archiepiscopum, et dominum Johannem de Nigella militem suum, ad comitem Provinciæ, hominem in armis strenuum, simplicem, rectum, ac timentem Deum : mandans ei, quatenus filiam suam Margaritam juvenem, quam ipse Rex volebat ducere in uxorem, sibi mittere non differret. Quibus auditis, præfatus comes lætatus est valde, et fide nuntiorum filiam suam, quam a rudimentis infantiæ secundum Euangelium erudierat, et Dominum metuere docuerat, tradidit gratulanter. Et sic accepta a parentibus licentia, regii nuntii Margaritam puellam facie pulchram, sed fide pulchriorem, Dominum timentem, bonis moribus perornatam, omnium mulierum sui temporis dapsiliorem, Ludovico Regi excellentissimo adduxerunt. Quam Rex, paucis diebus revolutis, apud Senonensem urbem in uxorem ducens legitimam, ut Francorum dominam et reginam a Galtero civitatis Senonensis archiepiscopo inungi, et regali diademate fecit solemniter coronari. *Sic Nangius, cui alii auctores synchroni passim consentiunt, tum quoad tempus matrimonii, tum*

quoad

A *quoad circumstantias ab eo relatas : attamen pauca, quæ ille prætermisit, aliunde supplenda.*

dispensatione prius a Pontifice petita

282 *Consanguineus Margaritæ erat* S. Ludovicus *in quarto gradu, ita ut dispensatione Pontificia opus esset ad matrimonium contrahendum. Petiit hanc dispensationem Rex sanctus, petitamque concessit Gregorius Pontifex per litteras,* IV *Nonas Januarii hujus anni datas, quas recitat Odoricus Reynaldus ad annum 1234, num. 16. Ex his porro intelligimus, quam pia ratione motus, ad hoc matrimonium processerit* Ludovicus. *Licet enim eximiæ Margaritæ cum corporis tum animæ dotes etiam Regem impellere potuerint, ac procul dubio quoque impulerint, altius tamen mentem erexit, ac fidei conservationem in partibus Tolosanis præ oculis habuit. Verba Pontificis, quæ hoc doceant, accipe :* Cum itaque de matrimonio contrahendo inter te, et dilectam filiam nobilem mulierem,... natam dilecti filii nobilis viri comitis Provinciæ, sit tractatum; quia dicta nobilis quarta consanguinitatis linea te contingit, non prius duxisti ad consummationem ipsius matrimonii procedendum, B quam super hoc ad Romanam recurreres Ecclesiam matrem tuam, nobis per nuntios humiliter supplicans, ut cum nihil magis ad conservationem illius terræ, pro qua tantus sanguis effusus est, operetur, salubre consilium apponere dignaremur.

et obtenta :

283 Licet igitur nihil aliud amplius, quam necessitas dispensantem ad dispensationem inducat; attendentes tamen quod urgens necessitas, et evidens utilitas id exposcit, cum ex hoc negotium pacis et fidei, pro quo multo sudore laboratum est, et multo labore sudatum, proficeret, ac terra prædicta, quæ olim, velut deserta et invia luxit et languit, spinis eam replentibus et urticis, et nunc a suis respirasse videtur angustiis, de cujus recidivo timetur, melius valeat conservari, cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti de ipsorum consilio serenitati Regiæ auctoritate præsentium concedimus, disponendo, ut cum dicta nobili, si velis, contrahere valeas, impedimento hujusmodi non obstante. *Terra, pro qua tantum sanguinis effusum est, non alia est, quam ditio comitis Tolosani, provinciæque illi vicinæ, in quibus grassata* C *fuerat hæresis Albigensium, qua necdum penitus erant expurgatæ; ad quas in officio continendas multum conducere poterat, si arcto fœdere cum Provinciæ comite Rex Franciæ jungeretur. Hæc de pia* S. Ludovici *in nuptiis intentione, qui ardentissimo fidei conservandæ ac propagandæ studio semper æstuavit.*

tempus et locus nuptiarum, ac coronationis reginæ :

284 *Quod attinet ad alias matrimonii circumstantias : tempus designat Bellovacensis in Speculo lib. 30, cap. 137 his verbis :* Anno Domini MCCXXXIV Rex Franciæ Ludovicus accepit uxorem, scilicet Margaritam comitis Provinciæ filiam, circa Dominicam Ascensionis, quæ Senonis coronata fuit, et Parisiis venit circa Octavas Ascensionis. *Vigesima octava Maii coronationem peractam scribit Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 233, quæ erat eo anno Dominica ante Ascensionem Domini : nuptias vero die præcedenti, seu* XXVII *Maii celebratas habet Chaizius pag. 188. Utramque cæremoniam Senonis peractam ab archiepiscopo Senonensi Galtero, passim tradunt auctores. Inunctioni autem reginæ* interfuit Odo Clementis abbas sancti Dionysii cum episcopalibus ornamentis, *quemadmodum habet ejusdem abbatiæ Chronicon vetus apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 496. Verum prædictis non consonant, quæ scripta legimus a fratribus Sammarthanis tom. 3 Galliæ Christianæ pag. 586 in Joanne de Montlaur episcopo Magalonensi :* Ex registris, *inquiunt,* episcopalibus constat, ipsum *(Joannem episcopum)* sacris operatum in templo B. Mariæ de Tabulis, dum nuptiarum S. Ludovici solemnitas cum Margarita Raymundi Berengarii comitis Provinciæ filia Kalend. Novemb., Jacobo rege Aragonum præsente, celebrata est. *Posset quis existimare, hæc intelligenda esse de matrimonio per procuratorem contracto. At ne id quidem verisimile puto, cum, præter auctorum consensum, antiquus etiam nummus doceat, matrimonium in urbe Senonensi contractum. Nummi hujus latus alterum effigiem habet Regis; alterum vero matrimonium sic repræsentat, apud Jacobum de Bie fol. 24 :*

Auctore J. S.

E



virtutis opera varia in nuptiis exercita: notata quædam de cruce

285 *Splendorem tempori congruentem, quo hæc peracta sunt, refert Chaizius pag. 189, quem lector curiosus potest consulere. Addit memoratus auctor ex MSS., quosdam eo tempore militia donatos* a Ludovico, *quosdam strumis laborantes de more regum Galliæ ab eo contactos. Porro ad morem aliorum quorumdam regum tangendi hujusmodi infirmos aliquid addidit pietas* Ludovici, *quod hic ex Nangio describere abs re non fuerit :* In tangendo infirmitates, quæ vulgo sodellæ * vocantur, super quibus curandis Franciæ regibus Dominus contulit gratiam singularem, pius Rex modum hunc præter reges ceteros voluit observare. F Cum enim alii reges prædecessores sui tangendo solummodo locum morbi, verba ad hæc appropriata et consueta proferrent; quæ quidem verba sancta sunt atque catholica, nec facere consuevissent aliquod signum crucis : ipse super consuetudinem aliorum hoc addidit, quod dicendo verba super locum morbi sanctæ crucis signaculum imprimebat, ut sequens curatio virtuti crucis attribueretur potius quam regiæ dignitati.

* *i. e.* strumæ, *Gallice* escroüelles

in tangendis strumosis adhibita.

286 *Ita ille apud Chesnium pag. 369 : atque eadem habet Gaufridus num. 54. Guilielmus de Peyrat in Antiquitatibus sacelli regis Franciæ pag. 815 erroris accusat utrumque auctorem citatum, et probat, Robertum, et Ludovicum VI, Franciæ reges in tangendis strumosis signum crucis adhibuisse, adeoque* S. Ludovicum *non fuisse primum, qui eum adhibuerit. At crediderim, id reges aliquot ante* S. Ludovicum *omisisse, ab eoque rursus adhibitum, quod satis est ad auctores nostros excusandos : neque*

enim

AUCTORE J. S.

enim dicunt, signum crucis a nullo unquam rege ante Ludovicum *in hac cæremonia fuisse usitatum. Subdit autem præcedentibus Chaizius, tantam fuisse Regis beneficentiam, ut cuidam, qui equum in densa turba amiserat, damnum resarciendum curaverit. Neque vero prætermittendum, pium Regem Tobiæ æmulum, cum regina uxore sua tribus noctibus orationi institisse, priusquam ad usum matrimonii procederet, ut narrat Vita secunda num. 134. Ex hoc tam sancto conjugio prognati posteri hactenus regnum Galliæ obtinuere, atque obtinent hodiedum opum ac provinciarum amplitudine florentissimum.*

Margaritæ sorores, dos etc: filis

287 *Ut breviter de Margaritæ reginæ cognatione perstringam aliqua; habebat eo tempore Raymundus Berengarius provinciæ comes filias quatuor, quæ totidem postea fuere reginæ. Natu maxima erat Margarita* Ludovici *conjux; secunda Eleonora Henrico Angliæ regi deinde nupta; tertia Sanctia, quam Richardus Henrici frater Romanorum deinde rex sibi conjugio copulavit; quarta Beatrix, quæ Carolo* Ludovici *fratri minimo, Siciliæ postea regnum* B *adepto, uxor obtigit. Raymundum Berengarium pro dote filiæ promisisse viginti librarum millia scribit Chaizius pag. 180 : hanc autem summam ad quadringenta fere librarum millia hodiernæ monetæ reducit.* Ludovicus *vero nuptiarum causa uxori concessit civitatem Cenomanensem, geminumque in Pertico castellum, sicuti ejus litteræ docent tom. 1 Anecdotorum Martenii : at hæc deinde Margaritæ amore permutavit, et auxit. Porro auspicatissimis hisce nuptiis gemina discordia, si minus exstincta, certe sopita fuit. Altera erat inter comitem Tolosanum comitemque Provinciæ, propter susceptam a Tolosano Massiliensium defensionem, quos comes Provinciæ subjicere moliebatur. Videsis hac de re Chaizium lib. 3, num. 14. Uterque controversiam permisit judicio* Ludovici, *ejusque matris, ex instrumentis apud laudatum Chaizium pag. 187 : verumtamen concordia hæc firma non fuit : nam deinde ad bella sunt reversi.*

gemina occasione nuptiarum sopita.

288 *Altera erat controversia inter ipsum* Ludovicum, *et Jacobum Aragoniæ regem, quam ut componere studeret Raymundus Berengarius* S. Ludovici *socer, ipsum hortatur Gregorius* C *Pontifex. Litteras Pontificis ad dictum Provinciæ comitem recitat Raynaldus ad annum Christi 1234, num. 17, e quibus rem accipe :* Cum, sicut est nobis pro certo relatum, inter charissimos in Christo filios nostros Franciæ, et Arragonum reges illustres, super dominio terræ Carcassonensis, et aliarum terrarum vicinarum, discordiæ materia sit exorta, et ex hoc majora emergere guerrarum pericula formidentur, nobilitatem tuam rogandam duximus attente, et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram, personaliter ad præfatos reges accedens, ipsorum animos ad pacem reducere, et ortam inter eos discordiam, juxta datam tibi a Domino prudentiam, amicabili studeas compositione sopire. *Subdit epistolæ Raynaldus :* Provinciæ comitem operam feliciter in ea controversia extinguenda collocasse, rei exitus docet, cum ii motus in apertum bellum non eruperint. *At litem non omnino fuisse hoc tempore exstinctam, per decursum hujus commentarii videbimus, bellum tamen fuit impeditum, et controversia ipsa post multos annos* D *amice composita, uti suo loco narrabimus.*

§ XXV. Bellum, finito induciarum triennio, cum Petro Britanniæ comite Anglisque renovatum : comitis subjectio post novas inducias, et pax illius cum Rege : quandonam Britanniæ comitatum cesserit filio?

Ludovicus Britanniam aggreditur,

Induciæ quas anno 1231 in triennium pepigerat S. Ludovicus *cum rege Angliæ Henrico, ac Petro Britanniæ comite, finem habebant hoc anno ad festum S. Joannis Baptistæ : hortatus quidem fuerat Gregorius Pontifex utrumque regem, ut renovarent inducias, pacemque demum stabilirent : verum cum Petrus Britan-* E *nus, homo quiescere nescius, inducias subinde violasset, populando ditiones nobilium Britannorum, qui* Ludovico *fœdere erant conjuncti, ut apud Chaizium pag. 191 narratur; satis perspexit Rex prudens, pacem sibi sperandam non esse stabilem, nisi debellato comite. Clientes igitur principes, aliosque ad arma convocans, ingentem conscribit exercitum, finitisque induciis Britanniam ingreditur. Quid autem ibidem effecerit, summatim refert Chronicon S. Florentii apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 1146 :* Ludovicus Rex, ... *inquit*, dimicavit contra Petrum comitem Britanniæ, et cepit Castrum Brietnii *, et castrum Odonis *, et redditum ei fuit Castrum-celsum a dicto comite, dum idem Rex esset in ejus obsidione, et totam terram comitis circa id locorum devastavit, et villas succendit et combussit. *Hæc ibidem; sed error unius anni est in tempore, quod hæc æque ac Regis nuptiæ affigantur anno 1235, cum anno 1234 sint peracta, ut Albericus in Chronico habet pag. 551, rem breviter item perstringens his verbis :* Postea prædictus Rex guerram habuit contra Petrum comitem fratrem illius Roberti *(Drocensis)* qui nuper decesserat, F quem cum sibi subjecisset non absque detrimento aliquo, receptis obsidibus et munitionibus et facta pacis compositione, ipsum adduxit Parisios. *Hæc ille perpaucis : ex quibus tamen confirmantur utcumque, atque augentur ea, quæ scribit Matthæus Parisius, rem fusius enarrans, et distinctius, cujus contextum hisce subjungo.*

* Chasteau Briant
* Oudon

amittit quædam impedimenta bellica:

290 *Ad annum 1234, pag. 278 ita de gestis ab utraque parte loquitur dictus auctor :* Eodem anno, instante Nativitate S. Johannis, quo tempore erant expiraturæ treugæ in Britannia, inter reges Francorum et Anglorum : rex Anglorum misit comiti Britanniæ milites LX, et Wallenses duo millia; qui terræ illius infirmiora communirent. Rex autem Francorum, treugis evolutis, congregavit exercitum copiosum ex omnibus viribus suis, et quoddam castellum comitis Britanniæ obsidione vallavit. Milites quidem regis Anglorum et Wallenses venientibus Francigenis occurrentes, equos quorundam hostium suorum peremerunt, ex equitibus pedites multos facientes, clitellarios, bigas, et vehicula, quibus victualia deferebantur et arma, invadentes

A dentes ceperunt, equos et spolia rapuerunt : et damna eis non modica inferentes, absque sui læsione ad propria sunt reversi. *Hoc procul dubio detrimentum, quod acceptum fatetur Albericus.*

Britanniam vastat, dein inducias concedit.

291 At Rex Francorum, ex damno sibi illato perturbatus, divisis prudentius bellicis agminibus, totum exercitum suum admodum numerosum in tres divisit legiones, ut minori trium vix videretur comes Britanniæ omnibus collatis viribus resistere. Undique Britanniam invadendo acriter insurgens more leonis, qui, cum læditur, acerbius bacchatur in rebellem, et Britannos gravi afflixit contritione. Comes autem in arcto positus, treugas usque ad festum Omnium Sanctorum sub tali forma postulans impetravit : ut sciret interim, si rex Anglorum, cui confœderatus erat, corporaliter vellet in ejus succursum venire. Pro his siquidem treugis obtinendis, sub tali forma tradidit Regi Francorum tria castella optima : quod si rex Anglorum infra terminum memoratum ad liberationem terræ suæ non veniret corporaliter, ipse tunc Regi Francorum terram Britanniæ totam, cum castellis et
B viribus, ex integro resignaret. *Hæ induciæ factæ videntur mense Augusto : nam instrumentum comitis, de quo Lobineau in Historia Britanniæ tom.* I, *pag. 233, seu lib. 7, num.* CXI, *eo mense notatur, quo et promittit se controversias suas cum nobilibus Britannis Regis reginæque matris judicio permissurum, et prædes assignat pro cautione servandi inducias. Pactis hisce induciis, Rex Parisios regressus est, atque eo tempore concordiam conciliavit inter Theobaldum Campaniæ comitem ejusque patruelem Cypri reginam, ut supra narravimus. Sed ad Parisium regredior :*

Comes, cum rex Angliæ transfretare nollet,

292 Treugis autem in hunc modum confirmatis, comes Britanniæ milites regis Angliæ et Wallenses remisit in Angliam : a quibus rex præmonitus est, ne ultra thesauros regni effunderet pro defensione comitis Britanniæ, quia jam versus in arcum pravum, fœdus iniit cum Rege Francorum, ut diffugio a rege Anglorum facto, ad ejus pacem veniret, nihil expectans, nisi ut thesauros Angliæ exhausisset. Ipse siquidem comes parvo post emenso temporis spatio, in Angliam veniens, regi suggessit, quod pro treugis
C a Rege Francorum obtinendis, quidquid in auro habuit vel argento effuderat, petens sibi restitutionem fieri XV millium marcarum, quas consumpserat pro defensione terræ suæ, et Anglorum regis honore. Ad hæc respondit rex et dixit, quod per eum treugæ non erant obtentæ vel confirmatæ, adjiciens insuper, quod ad defensionem Britanniæ non sufficiebant Angliæ thesauri, quod jam per triennium comprobavit, nec voluit tam laboriosis expensis amplius inutiliter fatigari. Sed si comes Britanniæ hoc sufficere crederet, ipse mitteret quatuor comites Angliæ cum tot militibus et viris armatis, qui sufficerent ad defensionem terræ illius contra Regem Francorum.

subjicit se Ludovico, et pacem impetrat :

293 Hæc audiens comes Britanniæ, iratus a rege recessit, et transiens in terram suam, continuo ad Regem Francorum confugit; *Parisios videlicet, ubi fœdus pacis sancitum. Porro quæ subjicit Parisius de habitu, quo Regem accesserit comes, dictisque Regis ad comitem, auctoris potius iracundiæ imputanda videntur, quam certa fide complectenda. Subdam tamen ejus verba, ut quilibet pro arbritrio suo de iis judicet :* Et ut proditionem, *inquit,* contra regem factam, sub qualicumque schemate palliaret, venit ad Regem Francorum laqueum in collo gerens, et proditorem se esse recognoscens, reddidit ei Britanniam totam, cum municipiis et castellis. Cui Rex Francorum dicitur respondisse : Licet, proditor nequissime, mortem promerueris turpissimam, parcam tamen tuæ nobilitati, ut vivas, et dabo Britanniam filio tuo ad vitam suam; ita ut post mortem ejus reges Francorum terræ illius hæredes existant. *Sicut verba Regi affingit ab ejus mansuetudine aliena, ita manifeste hallucinatur in historia hoc loco Parisius : neque enim Petro comiti Britannia hoc tempore erepta penitus, nedum filio ejus ad vitam tantum data, ita ut Galliæ reges in eam deberent succedere, ut pluribus mox dicetur ex litteris comitis. Nunc audiamus ex Parisio, quid ei cum rege Angliæ post hæc intercesserit negotii :*

AUCTORE J. S.

verum ab Anglo spoliatur comitatu Richemundiæ :

294 Comes autem rebus omnibus ut proditor spoliatus, per internuncios regi Anglorum reddidit homagium suum, quod ei pridem fecerat. Et rex cepit in manu sua omnia jura comitis Britanniæ in Anglia *(puta comitatum Richemundiæ)* et honores ad illum spectantes. Comes E
vero videns mala sibi multiplicata, in se ipso tabescens præ dolore et infrendens, per mare paravit insidias mercatoribus, et aliis facientibus operationes in aquis (juxta cognomen suum, scilicet Mauclerc) rapinis injuriosis intendebat, pyrata factus execrabilis. *Quod hic memorat, iratior in comitem Britanniæ Parisius, de excursionibus per mare contra Anglos susceptis, ad posteriora forsan tempora referri debet : nam id hoc tempore factum alibi non lego; factum vero deinde in alio contra Anglos bello postea referemus. Restat nunc ut breviter enarremus, quibus conditionibus pacem comiti concesserit* S. Ludovicus.

conditiones, quibus pax comiti concessa.

295 *Litteras Petri Britanniæ* ducis, *hunc enim in his lego titulum, edidit Gallice Lobineau in Historia Britanniæ tom. 1 pag. 233, ex quibus habemus sequentia. Jurat clientelam Regi* Ludovico, *ejusque matri Blanchæ contra quoscumque homines : promittit se fœdus non initurum, nec permissurum, ut ineat filius, filiave sua cum rege Angliæ, ejusque fratre Richardo, aut quocumque Regis inimico; semper vero Regi ejus-* F
que matris se adhæsurum spondet. Præterea Regi in perpetuum cedit castra varia, ab eo ante obtenta; tum etiam quidquid ab eo in Andegavensi provincia ac Cenomanensi obtinuerat, ita ut neque ipse, neque heredes ipsius ea unquam possent repetere. Hæc in litteris comitis. Pro securitate autem Regis tria ei consignavit castra, quæ eadem puto cum relatis antea a Parisio, eaque servare poterat Ludovicus *ad triennium post sequens Pascha, videlicet ultra tempus, quo filius Petro comitatum succedere debebat. Addit ad hæc Guilielmus de Podio Laurentii cap. 39 conditionem aliam sequentibus verbis :* Comes, tradito comitatu materno filio ejus, ire debuit, moraturus ibi quinquennio, ultra mare. *Verisimile est, vel crucem ab ipso comite assumptam, ut æquiores pacis conditiones obtineret, vel Regem ea etiam conditione pacem ei concessisse : crucem certe suscepit, iterque transmarinum post annos aliquot cum aliis Galliæ principibus aggressus est. Comitatum autem filio tradidit tamquam legitimo matris suæ heredi, neque enim Petrus alio quam uxoris suæ jure Britanniam administrabat.*

296 *Ex*

A LECTORE J. S. cur, et quando Petrus comitatum cesserit filio.

296 *Ex dictis autem probatur, errasse Parisium, quod comitem Britanniæ omnibus a Rege spoliatum dixerit : etenim Britanniam administrare perrexit, donec filius ipsius Joannes ad legitimam pervenisset ætatem, qua eam per se administrare posset : ad eam autem ætatem pervenit anno 1237, ut patet ex ejus litteris apud Lobineau tom. 2 col. 335, quibus confirmans compositionem patris sui cum aliquot Britanniæ nobilibus, ita loquitur :* Johannes dux Britanniæ, comes Richemondiæ etc. Ut hæc omnia, quæ superius exprimuntur perpetuum robur obtineant, nos in ætate legitima constituti et probata coram excellentissimo domino nostro Ludovico D.G. Francorum Rege, et ab eodem in hominem recepti, hanc compositionem concessimus ... Anno Dom. MCCXXXVII, mense Novembris. *Illo itaque tempore Petrus administrationem Britanniæ cum ipso etiam comitis, ducisve titulo deposuit. Verum priusquam Britanniæ administrationem deponeret, defendere se debuit coram tribunali Regio, accusantibus eum nobilibus. De quibus accusationibus, reique exitu lector consulat laudatum Lobineau in Historia Britanniæ* B *tom. 1 pag. 234 et 235 : nam mihi ad annum sequentem progrediendum.*

§ XXVI. Anno 1235 exactiones quædam abrogatæ : nuptiæ Frederici cum sorore regis Angliæ, molitionesque ad arma contra Ludovicum jungenda : nuptiæ per Regem impeditæ : turbæ Remenses compositæ.

Exactiones quædam prohibitæ :

Anno 1235 S. Ludovicus *bona quædam permutavit cum Simone de Pisciaco, eique in feudum concessit castrum quoddam in Normannia, quod* Nomervillam *vocat, cum agris et reditibus aliis, ut videri potest in ejus hac de re charta apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ, col. 1266. Conquerebantur hoc tempore pauperes Melodunenses, aliique, reculas suas ad vendendum Melodunum portantes, gravari* C *se a ministris regiis exactionibus quibusdam, quas illi specioso* bonitatis *nomine vocabant, acsi gratuito præstarentur. Re autem ad sanctum Regem delata, hoc anno eas exactiones penitus in posterum remittit, prohibetque ministris suis, ne eas exigant. Chartam* Ludovici *hac de re tradit laudatus Martenius col. 1267, e qua ad testimonium exactæ Regis justitiæ, justæque misericordiæ delibo sequentia :* Nos autem, *ait,* circa hujusmodi exactiones, quæ bonitates dicuntur, eisdem hominibus misericorditer providere volentes, pro eo, quod timebamus et dubitabamus, ne exigerentur injuste, pro salute animæ nostræ ... exactiones sive servitia hujusmodi, quæ appellantur vulgariter bonitates, prædictis hominibus omnino remittimus in perpetuum et quittamus... Actum apud Hospitale Corbolii anno Domini MCCXXXV, mense Aprili. *Advertere potest pius lector, chartam in hospitali datam; domos enim pauperum atque ægrorum frequenter Rex sanctus accedebat, ac beneficiis cumulabat pro immensa sua in miseros quosvis pietate ac misericordia.*

298 *Hoc anno Fredericus imperator, fœdere dudum cum* S. Ludovico *junctus, sed nescius fœdera sua tam sancte servare, quam ea servabat* Ludovicus, *uxorem duxit filiam Henrici Angliæ regis Isabellam, seu Elisabetham, armaque cum Anglo conjungere voluit contra Franciæ regnum, si credimus Matthæo Parisio hæc referenti. Etenim relatis magna verborum pompa imperatoris nuptiis, pag. 285 hæc subjungit :* Misit ergo imperator regi Anglorum tres leopardos... cum aliis donariis pretiosis... Cui etiam contra Regem Francorum promptum consilium et promisit auxilium opportunum, qui jura sua detinet violenter et injuste, præcipue in perniciem regis Ludovici, et animæ damnationem. Qui moriturus manifeste confessus est, se inexpiabiliter peccasse in regem Anglorum, retinendo jura sua, et postea cum esset in Anglia, terram suam redditurum : quæ omnia dissimulat Rex Francorum nescire, plus muliebre secutus consilium, quam normam justitiæ, timorem Domini ultionum postponendo. *Hæc iratus more suo Parisius. Vehementer sane mirarer, virum non omnino indoctum adeo sui oblivisci, ut quem modo* sanctissimum *vocat, modo* justissimum, *mira metamorphosi eumdem hic describat veluti injustum, ac timoris Domini oblitum, nisi scirem hujusmodi vomitus homini bilioso frequentes esse ac familiares. At missis his sordibus, quæ refutatione non indigent, ad propositum nostrum redeamus.* D E

Fredericus imperator, ducta sorore regis Angliæ,

299 *Plura de conjunctione armorum contra* Ludovicum, *ab imperatore regi Anglorum oblata, ad annum sequentem memorat Parisius his verbis :* Nuncii... ab imperatore directi ad regem venientes, eidem mandata cum litteris detulerunt; ut scilicet dominus rex fratrem suum Richardum comitem Cornubiæ ad ipsum imperatorem mittere non differret; ut ipse, cujus circumspectam prudentiam fama late prædicaverat, super Regem Francorum militaret : quia dominus imperator in adjutorium illius omnes vires imperiales adhiberet; et hoc adeo abundanter, quod rex Anglorum non tantum jura sua transmarina recuperaret; sed restauratis omnibus, fines pristinos undique dilataret. Audiens autem rex simul et magnates ibi congregati, præhabita deliberatione, responderunt; quod non esset tutum neque consultum, tam tenellum ætate extra regnum mittere et dubiis casibus guerræ ac periculis exponere : cum unicus et manifestus hæres regis et regni comprobetur; et spes omnium in ejus sinu, post regem reponatur... Sed si placeret excellentiæ imperiali, alium, quem vellet eligere strenuum ac nobilem, de majoribus regni ad hoc vocare; mandatis ejus obtemperantes, rex et omnes amici et subjecti ejus, quidquid possent adjutorii effundere, non dissimularent. Nuncii autem hæc audientes, ad dominum suum redierunt, audita relaturi. *Quod Angli de tenella ætate Richardi causantur, frivolum videtur : cum ipse ab annis decem in Gallia jam militasset : verum tot conatus jam inde adhibiti, atque eximia* S. Ludovici *prudentia et fortitudine retusi, segniores ipsos fecisse videntur, ad rem denuo tentandam; licet spem omnem nondum abjecissent, ut patebit postea. Ceterum consilia hæc effectu caruerunt, imperatore haud ita post aliis bellis implicito.* F

agit de armis cum eo contra Ludovicum jungendis :

300 *Eodem anno 1235, quo nuptiæ imperatoris in periculum regni Gallici factæ, aliud rex Angliæ moliebatur connubium* Ludovico

nuptiæ regis Angliæ a Ludovico impeditæ

item

A *item periculosum : sed Henrici consilia solerti prudentia discussit Rex sanctus. Habemus id ex memorato Parisio pag. 285 :* Eodem tempore, *inquit*, procurante Waltero Karleolensi * episcopo, rex Henricus III sibi filiam comitis Vigorniæ *(Pontivensis *)*, Pontificis fidei interpositione, cum juramento sibi subarravit. Sed postea, mutato animo et consilio, propter quasdam Regis Francorum comminationes, a proposito resiluit, ne pater exhæredaretur. *Rem confirmavit Odoricus Raynaldus ex litteris Pontificiis ad annum 1236, num. 49, ex quo et mendum corrigitur* Vigorniæ *pro* Pontivensis *apud Parisium substitutæ, quod alioqui manifestum est, cum nihil ad* Ludovicum *spectaret de comitatu Vigorniæ. Audi itaque Raynaldum :* Cumque Henricus Joannam comitis Pontinensis filiam ducturum se sacramento spopondisset, postea vero duplici cognationis vinculo sibi junctam comperisset, Alienoramque comitis Provinciæ filiam accepisset, Pontifex regem, dato sacramento, cognita causa, absolvi jussit. *Chaizius pag. 205, citatis his auctoribus, narrat* B *matrimonium, procurante episcopo supra nominato, initum fuisse : attamen ex iis nihil colligi potest, nisi pactum de ineundo matrimonio, seu sponsalia fuisse conclusa. Quod attinet ad filiam comitis Provinciæ, quam, relicta Joanna, duxit Henricus anno sequenti,* Ludovicus *eam honorifice per Galliam curavit deducendam, uti habet idem Parisius pag. 276. Hisce enarratis, ad lites revocamur, dissidiaque ex dissidiis nata, dum principes ecclesiastici in Gallia jurisdictionem suam acriter tuentur, seculares vero contra laborant, ne jura sua imminuantur.*

* Karleol

* Ponthieu

Excitata Remis discordia,

301 *Marlotus in Metropoli Remensi tom. 2 pag. 318, seu lib. 3, cap. 31 discordiam hanc fuse enarrat, cujus relationem in pauciora contraham, atque aliunde illustrare conabor :* Crescente, *inquit*, inter Regem et episcopos provinciæ Remensis discordia, *de qua egi § 22*, magistratus populares nacti occasionem penitus excutiendi jugum ecclesiasticæ jurisdictionis, in tantam per aliquot urbes Belgii prorupere audaciam, ut nullum lapidem non moverint, quo rem diu concupitam ad exitum perducerent. Remenses haud segniter, vel pacatiores in hoc C turbido provinciæ statu se habuerunt, et ut novarum rerum cupidi, versute stabant a partibus Regis : sic Thomam de Bello-meso principis ecclesiæ præpositum turbas cientem specie tuendæ libertatis clericorum, ab urbe expellunt. Addunt veteres schedæ, gravem per id quoque tempus simultatem exarsisse scabinos Remenses inter et capitulum, quod scabini census oppignerassent a civibus accipiendos, inconsulto archiepiscopo, qui decimam partem sibi vendicabat, (ut et alii domini temporales) cujusque assisiæ, quæ fieri soleret in banno suo.

cives clerum cum archiepiscopo urbe pellunt :

302 Ob id non tantum archiepiscopus conquerebatur, et intercedebat inhibitione per urbis parochias ex suggestu publicata; sed et capitulum archiepiscopo veluti suppetias ferens, divulgabat cives Remenses jus communitatis non habere, forsan quod charta Willelmi hujus non meminerit. Jurgiis invalescentibus, capitulum obtenta a sancta Sede apostolica commissione, quæ scabinorum judicia rescinderet, diem illis denuntiat. Hoc rumore per urbem sparso, cives in furorem versi, domos canonicorum diruere, eosdem injuriis lacessere, omnes extra urbem pellere, quorum altera pars Pontem-fabricatum, altera et potior Culmisiacum concessit, concluditque numquam in urbem redeundum, donec de injuriis cumulate sibi satis fiat. His non contenti cives, ira enim ultra quam dici potest efferbuerat, quod clerici judices naturales communia antiquiores abolere studerent, archiepiscopum pariter expellunt, reditus temporales invadunt, castrum portæ Martis expugnant, quosdam e domesticis interimunt, pro quibus anathemate feriuntur ab archiepiscopo. *His subjungit auctor epistolam Pontificis, qua memorata damna describuntur, atque excommunicatio contra cives lata promulgari jubetur per diœcesim non modo Remensem, sed per vicinas etiam diœceses.*

AUCTORE J. S.

hinc episcopi habito concilio,

303 *Verum ante has Pontificis litteras, episcopi provinciæ Remensis in festo S. Mariæ Magdalenæ ad concilium convenerunt Quintinopolim, atque arma sua in regem præcipue verterunt, licet prædicta omnia non minus Regi displicuisse existimem, quam ipsis displicerent episcopis. Concilium hoc editum habemus tum apud Labbeum tom.* XI, *a col. 501, tum apud Harduinum* E *tom. 7, a col. 257, in quo decreta est supplicatio Regi facienda super articulis quibusdam, quibus lædi libertatem ecclesiasticam querebantur episcopi. Ut res elucescat, accipe supplicationis partem ex Harduini editione, col. 259 :* Anno Domini MCCXXXV in Octavis beatæ Mariæ Magdalenæ, fuerunt apud Melodunum dominus Remensis, Suessionensis, Laudunensis, Catalaunensis, Noviomensis, Silvanectensis, et Morinensis, episcopi, cum nuntiis capitulorum cathedralium Remensis provinciæ, qui tunc adfuerunt ibidem, et supplicaverunt ex parte concilii domino Regi sub hac forma :

Regi supplicant, ut sine cognitione causæ

304 Supplicat totum concilium Remensis provinciæ pro ecclesia Remensi et archiepiscopo, ut dominus Rex præstet auxilium suum in emendandis excessibus civium Remensium, qui notorii sunt, et evidentes eidem, apud Atrebatensem expressis : pro quibus et sunt excommunicati per provinciam Remensem denunciati. De excommunicatione scilicet dominus Rex debet credere archiepiscopo, cum in cives Remenses auctoritate ecclesiastica dictas sententias protulerit : nec super hoc debet dominus Rex aliquam facere inquisitionem. F *Circa hoc punctum hærebat controversia : neque enim Rex seditiosos cives fovebat, aut ad satisfactionem archiepiscopo præstandam cogere recusabat : sed de re cognoscere volebat, ut postmodum factum videbimus.*

cives ad satisfactionem cogat:

305 Item supplicat concilium, quod dominus Rex non compellat respondere archiepiscopum Remensem super homicidio, vel alio crimine, tangente personam ipsius, civibus Remensibus in curia sua, cum sint justitiabiles sui ac fideles : nec etiam super aliquo alio, cum non fuerit in defectu : nec reputet eum dominus Rex in defectu, si non colligat diem coram ipso contra illos, cum in nullo fuerit defectu erga eos, et cum ipsi sint excommunicati. Item supplicat concilium, ut bannitionem factam a domino Rege de Thoma de Bellomanso canonico Remensi et subdiacono, revocet eo modo, quo facta est. *Hæc duo tandem obtinuerunt episcopi : nam episcopus coactus non fuit causam dicere in curia Regis, et revocatus ab exilio videtur Thomas de Bellomanso, qui in concilio, anno 1239 Quintinopoli celebrato, apud Harduinum col. 325 vocatur* Præpositus ecclesiæ Remensis,

cum

AUCTORE J. S.

cum hic tantum dicatur canonicus, *adeo ut deinde ad eam dignitatem videatur promotus; atque hinc corrigendus veniat Marlotus supra citatus, qui et præpositum jam tum vocat, et a civibus expulsum dicit, cum hic regio imperio dicatur relegatus, quod factum non existimo, nisi judicio prævio.*

deliberantem ea de re monent,

306 *Nunc omissis reliquis supplicationis articulis, de quibus Rex deinde monitus non fuit, fortasse quod de iis se statim purgaverit, subjungam quid post hanc supplicationem fuerit secutum :* Facta autem supplicatione modo prædicto, dixit dominus Rex, quod super hoc haberet consilium : et habito consilio, respondit, quod inde plenius consilium volebat habere, et super hoc adsignabat diem ad crastinum quindenæ Assumptionis beatæ Mariæ apud Melodunum. Quo audito, dominus Rex et dicti episcopi cum præfatis nunciis capitulorum, secesserunt in partem, et habito consilio, in hoc convenerunt, quod diem illam colligerent; sed super duobus articulis primis, scilicet de negotio Remensis ecclesiæ et archiepiscopi, et bannitione Thomæ de
B Bellomanso canonici Remensis, monerent dominum Regem. Et egressi coram domino Rege, super illis duobus ipsum ex parte concilii monuerunt, et diem præfatam ad audiendam responsionem domini Regis collegerunt. *Qualis autem fuerit Regis responsio, apud antiquos auctores non invenio : at secunda monitio, præsentibus episcopis variis, facta fuit mense Septembris* Apud sanctum Dionysium de negotio Remensis ecclesiæ et archiepiscopi, et de bannitione Thomæ de Bellomanso, *idque de auctoritate concilii, quod Compendii habitum est mense Augusto, quodque præcedenti apud Harduinum subnectitur, una cum monitione secunda.*

interdictoque cogere

307 *Tertia monitio ibidem non ponitur, at factam esse, non est dubium. Subjunguntur vero col. 261 acta concilii Silvanectensis, quod Remensis archiepiscopus convocaverat feria tertia ante festum S. Martini,* ut pœna bona et competens, sine dilatione, ordinaretur et statueretur contra dominum Regem, si non pareret monitionibus sibi factis super negotio archiepiscopi et ecclesiæ Remensis. *Nulla hic amplius mentio fit ab episcopis de exilio Thomæ de Bello-*
C *manso, ita ut causa illa jam tum videatur fuisse finita, prout et alia brevi finienda erat, ita ut mirum sit, moderatius non egisse episcopos, atque exarsisse etiam in eos, qui moderatius agendum censebant, licet illi prioribus numero pares essent, aut superiores etiam, si numerentur capitula cathedralia. Decem omnino congregati erant episcopi, quinque ex iis, videlicet* Laudunensis, Noviomensis, Ambianensis, Atrebatensis, et Silvanectensis *cum omnibus capitulis cathedralibus,* exceptis Remensi et Belvacensi, *nihil statuendum censuerunt de interdicto, sed tantum ut* in Cathedralibus ecclesiis, et capellis episcoporum submissa voce celebraretur.

moliuntur :

308 *At vero archiepiscopus, cujus causa agebatur, cum reliquis quatuor episcopis severius non modo in Regem, sed in dissentientes etiam episcopos statuendum rati, ita decernunt :* Nos archiepiscopus, una cum reliquis episcopis videlicet Suessionensi, Catalaunensi, Cameracensi et Morinensi, attendentes quod dicti episcopi non faciebant, quod promiserant et debebant; ordinavimus et statuimus pœnam istam. Cum dominus Rex non paruerit monitionibus sibi factis, nos interdicimus totum dominium ejus, situm in provincia Remensi : ita tamen, quod exhibeantur ibi D
viaticum et baptisma. Ex nunc excommunicamus omnes episcopos, qui pœnam hanc non observaverint et in suis diœcesibus observari fecerint, publicaverint, et publicari fecerint in crastino beati Andreæ, quod præfigimus ad dictam pœnam publicandam : alios autem omnes ex nunc excommunicamus, suspendimus, qui dictam pœnam non observaverint a dicto termino publicationis præfixo. *Ex dictis corrige Claudium Fleury Historiæ ecclesiasticæ tom. 17 pag. 124, seu lib. 80, § 53, ubi perperam dicit, archiepiscopum pronuntiasse interdictum* de consilio suorum suffraganeorum, *ac si omnes consensissent. Ceterum non constat mihi ex monumentis, quæ vidi hactenus, an interdictum reipsa promulgatum fuerit ac servatum; an vero, seu aliorum episcoporum intercessione, seu spe pacis affulgente, ejusdem promulgatio fuerit prætermissa.*

sed, causa partim cognita per Regem,

309 *At certum est, causam post hæc brevi fuisse terminatam, atque eo quidem modo, ut neque libertas ecclesiæ quidquam videatur passa, neque auctoritas Regis, qui Remenses cogere ad* E
satisfactionem noluerat, nisi causa cognita, ulla in re imminuta : quin imo eodem, opinor, modo, quo litem ab initio terminare Rex sanctus non recusavit. Etenim Ludovicus, *audita utraque parte, jura quædam temporalia ordinavit, quorum ad ipsum, ut supremum dominum, spectabat cognitio, ac damna quædam resarcire cives jussit. Deinde cognitionem reliquorum omnium commisit duobus viris ecclesiasticis, videlicet abbati S. Dionysii, et Petro de Collemedio præposito Audomarensi, ut illi de damnis utrimque illatis inquirerent, ac restitutionem faciendam curarent : excommunicationes etiam coram ipsis examinarentur, debitaque pro juste latis fieret satisfactio, nulla pro latis injuste. Hæc omnia latius deducta inveniet lector in litteris regiis, datis mense Januario anni sequentis, (notato tamen ibidem anno 1235 pro more Gallico illius temporis) quas habemus in Gallia Christiana tom.* I a *pag. 525.*

partim per ecclesiasticos ab eo legatos, lis terminatur.

310 *Confirmantur prædicta ex litteris dictorum a Rege delegatorum, in eadem Gallia Christiana editis a pag. 526, quarum initium subjungo :* Omnibus præsentes litteras inspecturis, Odo Dei gratia B. Dionysii abbas, Petrus F
de Collemedio sancti Audomari præpositus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum nos de mandato domini Regis Remis venerimus, pro emendis archiepiscopo faciendis, per consilium nostrum, super injuriis, excommunicationibus, et forisfactis omnibus, quæ inter cives Remenses, et archiepiscopum acciderant a tempore dissensionis inter ipsos motæ, et pro damnis apertis et occultis, cum probata essent, restituendis dicto archiepiscopo a civibus memoratis, ut vellemus cum dicto archiepiscopo juxta formam litterarum Regis procedere ordine judiciario super præmissis servato. Placuit domino archiepiscopo et civibus Remensibus supponere se altæ et bassæ ordinationi, et dispositioni nostræ, super prædictis : et singuli cives juraverunt servare, et tenere inviolabiliter, quod nos præfatis ordinaremus et disponeremus, et qui non juraverant, curabunt stare mandatis Ecclesiæ, et servare a nobis ordinata, tam in pecunia, quam in alia satisfactione; prædicto archiepiscopo similiter promittente nostram ordinationem, vel dispositionem servare

A vare inviolabiliter et tenere. Nos autem propter rancores et odia, quæ suscitari poterant inter archiepiscopum et burgenses, qui est dominus eorumdem, ex propositione injuriarum, quæ dicebantur illatæ, et excommunicationum factarum, et quod prædictorum stricta cognitio poterat mentem gravare, ipsorum consensuimus voluntati, in nos recipiendo ordinationem omnium prædictorum inter partes. *Deinde hi arbitri ita rem composuerunt, ut damna archiepiscopo illata curaverint restituenda, civesque ab excommunicatione absolvendos, quorumdam satisfactione prævia, non item aliorum. Acta hæc sunt sub initium mensis Februarii anni 1236 : atque ita lis illa fuit finita, in qua summa apparet Regis moderatio, qui, etiamsi jura regni fortiter tueretur, eodem tamen, post tot, tamque acres episcoporum processus, animo fuisse videtur ad jura Ecclesiæ defendenda, curandumque, ut damna illata resarcirentur.*

B § XXVII. Procerum Gallorum conspiratio contra ecclesiasticos, eorumque judicia : quid hac in re egerit S. Ludovicus.

Procerum molimina contra ecclesiasticos

Lites supra relatæ, quibus ecclesiastici juvenis Ludovici *constantiam exercuerunt, efficere non potuerunt, ut moderatissimus Princeps eorum jura minuere conaretur, aut id molientibus consentiret : verum non eadem fuit regni procerum moderatio, unde alia exorta est controversia, auctoritasque episcoporum in discrimen adducta. Rem exponit Chaizius pag. 210 hunc fere in modum. Congregati sunt Galliarum proceres Dionysiopoli, præsente Rege, ut vult Chaizius, quod tamen ex dicendis videtur incertum. Prolixam ibidem conscripserunt epistolam ad summum Pontificem, in qua querelas suas exposuerunt contra antistites, præsertim quod nihili facerent tribunalia civilia, omniaque ad judicia ecclesiastica pertraherent. Rogarunt igitur Pontificem, ut sua, regnique jura servanda curaret, quemadmodum ipsi legitima Ecclesiæ jura servata vellent. Addebant demum,* C *si maneret illa juris perturbatio, id nec se passuros, nec Regem. Hisce litteris sigilla nominaque sua addiderunt viginti sex e præcipuis regni proceribus, inter quos dux Burgundiæ, comites Britanniæ, Marchiæ, Campaniæque, qui Navarræ regnum jam erat adeptus. Regis tamen nec nomen nec sigillum litteris erat appositum, ex quo suspicor, id proceres fecisse sine Rege, eo fortasse dissimulante. Litteras has scriptas mense Septembri anni 1235 asserit Fleury in Historia ecclesiastica lib. 80 cap. 53. Unde effectu non caruisse videntur; nam secuta brevi concordia finisque turbis Remensibus, et Bellovacensibus fuit impositus. Finitas autem memoratas lites, hortante Gregorio Pontifice, suspicor ex verbis Odorici Raynaldi ad annum 1236 num. 37, ubi hæc scribit :* Præterea episcopo et capitulo Bellovacensibus, ac Rhemensi, Suessionensi, aliisque præsulibus injunxit, salva Ecclesiæ dignitate, faciles se ad pacem cum Galliarum Rege contrahendam præberent.

quibus consensisse Ludovicum lege lata,

312 *Hæc proceres regni sine Rege; at plus a Rege factum existimant aliqui, quod diligenter hoc loco discutiendum. Primus, quantum apparet, Odoricus Raynaldus, ex litteris Pontificis id eruisse sibi visus, legem a* S. Ludovico *latam scripsit, de qua ad annum 1236, num. 31 ita loquitur :* Tulerat iniquiorem legem adversus præsulum auctoritatem procerum consilio, politicorumque artibus subornatus Ludovicus, qua vetuerat, ne subditi ad ecclesiasticorum tribunalia ad dicendam causam accersiti comparerent, et si ob contumaciam defigerentur censuris, eorum bona, qui eas inflixissent, vel infligi curassent, forensi satellitio, donec revocatæ ac dissolutæ essent, occuparentur. At ne dignitas ecclesiastica, atque auctoritas ea lege admodum depressa obsolesceret, tuendæ illius zelo incitatus Gregorius, gravissimis litteris Ludovico Regi Caroli magni, Theodosii, ac Valentiniani imperatorum, qui adeo episcoporum auctoritatem extulerant, nec suæ tamen majestatis obscurarant splendorem, sed auxerant, exempla proposuit; monuit editas a se ac proceribus leges cum libertate ecclesiastica pugnantes rescinderet : denique latam ab Honorio sententiam objecit, qua hujusmodi legum conditores anathematis laqueo se irretiebant. *Hæc ille, subjiciens* E *mox Gregorii litteras, quibus in eam opinionem inductus est : neque dicit, utrum lex aliquando fuerit revocata.*

AUCTORE J. S.

nec umquam revocata,

313 *Chaizius pag. 211, citatis iisdem Pontificis litteris apud Raynaldum, eadem de lege* Ludovici, *conatuque Pontificis, ut ea revocaretur, narrat : ac demum pag. 212 Gallice hæc subdit verba :* Non video tamen hæc omnia *(Pontificis molimina)* effectum habuisse; at solum post undecim annos idem decretum fuisse renovatum. *Choisy pag. 45 ait :* Rex eam executioni mandari jussit, quin et post aliquot annos eam renovavit. *Claudius Fleury Historiæ ecclesiasticæ lib. 80 § 53, iisdem ex eodem fonte relatis, hæc Gallice subjungit :* Attamen Rex sanctus non revocavit decretum suum. *Ita illi auctores, in hoc sibi consoni, quod legem prædictam a* S. Ludovico *latam putent; at dissentientes in eo, quod Raynaldus de revocatione tantum sileat, alii vero non revocatam fuisse temere definiant. Ut breviter eloquar, quæ mea, consideratis omnibus, hac de re sit sententia; incertum puto, an lex memorata unquam lata fuerit a* S. Ludovico; *contra satis certum existimo, eam usu non fuisse receptam; ut vel lata non sit, vel, si lata fuit, cito fuerit revocata.* F

volunt aliqui ex litteris Pontificis,

314 *Incertum esse, utrum dicta lex unquam a* S. Ludovico *fuerit lata, satis evicero, si ostendam id ex Gregorii litteris certo non evinci, cum aliud non sit latæ legis fundamentum. Audiamus itaque verba Pontificis, ex quibus id colligunt auctores memorati :* Sed ecce, *inquit num. 34*, audivimus et dolemus, quod tu, fili charissime, et regni barones malorum usi consilio Ecclesiam, quæ vos ex utero sanctificationis regeneravit in filios, ac pro salute vestra immaculatum Agnum offert jugiter Deo Patri, in servitutem cupientes redigere, quasi jam non liberæ velitis vocari filii, sed ancillæ; immo Sponsam Regis æterni, qui vos a servitute perpetua liberavit, conantes miserabiliter ancillare, communi statuto, vel destitutione potius contra libertatem ECCLESIÆ, SICUT DICITUR, firmavistis, ut homines vestri juris ecclesiasticis, vel ecclesiasticorum hominibus, aut aliis in foro non teneantur ecclesiastico respondere : quin imo si judex ecclesiasticus in eos ob contumaciam excommunicationis sententiam tulerit, hujusmodi sen-

Auctore J. S.

sententiam rerum occupatione suarum, vel eorum, ad quorum instantiam excommunicati fuerint, in contemptum clavium Ecclesiæ, adversus quas non possunt potentiæ inferi prævalere, relaxare cogatur. *Hæc sunt verba epistolæ Pontificiæ, e quibus colligunt legem fuisse latam : data autem fuit epistola Viterbii* XV *Kal. Martii anni 1236.*

quæ id non evincunt :

315 *Fateor me intellecturum epistolam, sicut scriptores citati eam intelligunt, si nihil aliunde obstaret. Verum, cum non modo obstet silentium antiquorum omnium, sed producturi quoque simus auctoritatem non contemnendam, qua negatur disertis verbis, legem hujusmodi a* S. Ludovico *umquam fuisse latam; examinandum exactius existimo, an verba Pontificis id omnino evincant; ne dubia pro certis amplectamur, idemque nobis contigat, quod contigit scriptoribus quibusdam, qui affirmarunt corpus* S. Ludovici *Parisios translatum, similibus Bonifacii VIII litteris in errorem abducti, prout referemus § 94. Expendamus igitur verba Pontificis :* Communi, *inquit,* statuto, . . . sicut dicitur, firmavistis, ut *etc. Hæc verba,* sicut dicitur, *declarant Pontifici de lege lata non certo constitisse : adeoque ex ejus verbis certo inferri non potest, legem fuisse decretam, nedum promulgatam. Jam vero si lex lata fuisset, si promulgata; dubitare non possumus, quin antistites Galliæ relatione minime dubia id significassent Gregorio Pontifici, ita ut ille litteris suis inserere non debuisset verba illa,* sicut dicitur. *Deinde, uti legem ipsam decretam fuisse non evincunt verba Gregorii, sic multo minus probant, legem illam a* Ludovico *decretam : potuerunt enim regni proceres, quemadmodum litteras supra relatas sine Rege scripserunt, ita hujusmodi decretum sine Rege fabricare : nam id eos fecisse anno 1247 videbimus § 44, quando eis non modo non consensit, sed etiam restitit* S. Ludovicus. *Verum, inquies, putavit Pontifex legem decretam, eamque decretam communi procerum ac Regis consilio. Respondeo neutrum pro certo affirmari a Pontifice : illum autem falli potuisse in primo ex fama fortasse per Galliam sparsa, minisque procerum, quas Galliæ antistites ad ipsum perscripserint : quoad secundum vero longe facilius errorem potuisse obrepere, quod jactitarent proceres, Regem sibi consentire, atque ille interim sibi putaret dissimulandum. Vides, opinor, erudite lector, legem, de qua agitur, niti fundamento prorsus incerto et ambiguo.*

quamvis multa legi obstent,

316 *Jam vero non pauca sunt, quæ suadent, legem numquam fuisse decretam. Imprimis auctorum silentium, præsertim Matthæi Parisii, qui interdicti Remensis et Bellovacensis ad annum 1236 meminit, nec ullum de hac lege verbum protulit : attamen idem Parisius similem procerum molitionem, anno 1247 factam, non tacuit. Secundo favores eodem hic anno a Gregorio præstiti* Ludovico, *quos cum aliis quibusdam refert laudatus Raynaldus num. 45 his verbis :* Ad alendam etiam Regis pietatem, cum illum erga divina egregie affectum nosset Gregorius, Apostolico diplomate concessit, ut cum sacrorum justitium esset, divinis mysteriis interesse posset; vetuitque nequis ipsius sacraria ecclesiastico interdicto percelleret. *Litteras, quibus capellas regias interdicto episcoporum eximit, ac* Ludovici *erga Sedem Romanam observantiam laudat Gregorius, habemus apud Chesnium tom. 5, pag. 861, notanturque eodem anno 1236 datæ mense Novembri. Hinc manifestum est, Gregorium de mente sancti Regis melius fuisse edoctum, vel quia Rex ipsum monuit hujusmodi legem a se non fuisse decretam, vel quia illam, si umquam lata fuerit, continuo ad preces Gregorii abrogavit. Neque enim tam iniquo in antistites animo erat Gregorius, ut, quos lege hujusmodi in servitutem redigi querebatur, illis arma quoque eripuisset, quibus unice libertatem suam tueri poterant. Imo legem hanc, si lata fuit, brevi fuisse abolitam, fateri debuissent adversarii, si voluissent facta hoc tempore componere cum iis, quæ anno 1247 facta referunt. Videri potest Fleury lib. 82 num. 55, et Chaizius lib. 6 num. 18, ubi narrant conspirationem procerum quorumdam contra ecclesiasticos, ut hanc ipsam judicandi de rebus civilibus potestatem illis eriperent. At vero tanto molimine tunc opus non erat, si jam hoc tempore lex illa fuerat lata, nec deinde abrogata : neque enim tam negligens in urgendis legibus suis erat* Ludovicus, *ut legem, quam tot minis Pontificis noluisset revocare, sponte sua sivisset intercidere; nec, si Regis incuria fuisset tanta, rem neglexissent regni proceres, jura sua contra ecclesiasticos acriter defendere consueti. Hæ rationes hujusmodi videntur, ut legis rogatio incerta sit, legis vero abrogatio certa, si hæc lata fuit : quod irrefragabili auctoritate nunc confirmabo.*

ex quibus certo evincitur

317 *Regnante in Gallia Philippo Valesio, anno 1329 celebris fuit disputatio de libertatibus ecclesiæ Gallicanæ ab ipso rege indicta, de qua consuli potest illustrissimus Spondanus ad dictum annum a num.* XI. *Egit contra ecclesiasticos Petrus de Cugneriis advocatus regius, ecclesiasticorum vero cum electo Senonensi causam egit Petrus Bertrandi Augustodunensis episcopus, ad purpuram cardinalitiam deinde evectus, qui et disputationem postea conscripsit, quam habemus in Bibliotheca Patrum ex editione Margarini Bignii anni 1575 tom. 5, a col. 881, e qua illam citabo, licet in aliis editionibus etiam habeatur. Præter abusus aliquos, qui ad rem nostram non faciunt; scopus, quem sibi proposuerat advocatus regius, erat, ut ecclesiastici excluderentur judiciis de rebus civilibus, uti patet ex ejus verbis col. 883 :* Secundo, *inquiebat,* quod debebat esse spiritualium et temporalium divisio, ut spiritualia ad prælatos, et temporalia ad regem, et barones pertinerent. *Quod deinde probare conatus est. Contra vero Bertrandus multis probare aggressus est, ecclesiasticos excludendos non esse jurisdictione temporali; atque inter alias rationes, quæ ad nos non spectant, affert legem Theodosii imperatoris, cui contrariam a* S. Ludovico *conditam volunt adversarii, eamque asserit a* S. Ludovico *confirmatam, molitionesque procerum ab eodem compressos. Sed verba viri doctissimi audiamus, in augustissimo principum consessu ad regem prolata, necdum integro seculo a tempore, in quo versamur, evoluto.*

legem illam, si umquam lata fuit.

318 *Col. 899 ita loquitur :* Præterea Theodosius imperator talem legem condidit : Quicumque litem habens, sive petitor fuerit, sive actor; sive ab initio litis, vel decursis temporum curriculis : sive cum pejoratur, sive cum inceperit perimi sententia : si judicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione cesset : si alia pars refragatur, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium defera-

A feratur. Quam legem postea Carolus magnus, qui erat rex Franciæ, ita confirmavit : « Volumus atque præcipimus, etc. *Hanc ipsam Theodosii legem objiciebat Pontifex contra legem, quam putabat a* Ludovico *conditam. Deinde, refutatis adversarii objectionibus, adductisque rationibus aliis, sic prosequitur episcopus col. 900 :* Ultimo probatur istud ex privilegio concesso, et per Carolum magnum . . . , ut dictum est prius : et per S. LUDOVICUM, et per Philippum avunculum vestrum : et per Ludovicum et Philippum consanguineos vestros, reges Franciæ : quæ privilegia habemus in promptu. *Tandem, prolixa disputatione interjecta, col. 903 sic infert :* Modo certum est, quod prædecessores vestri Carolus magnus, SANCTUS LUDOVICUS, Philippus pulcher, Ludovicus et Philippus, et filii ejus, et plures alii istam Ecclesiæ libertatem confirmaverunt. *Post pauca, cum dixisset adversarius, similia concedere privilegia episcopis, contrarium esse juramento regio : ut rem absurdissimam col. 904 infert sequentia :* Quod si esset verum, quod absit, seque-
B retur prædecessores vestros in peccato continue fuisse : imo, quod impium est dicere, beatum Ludovicum, per quem tota Francia illustratur, non juste canonisatum. Si enim, sicut proponens dicebat, juravit non alienare, et alienata revocare, et istud est inseparabile a corona, sequitur quod dejerasset : et per consequens mortaliter peccasset, et ita canonisari non potuisset; quod est nepharium dicere. Et si dicatur quod potuit pœnitere, cito potest responderi, quod peccatum legitur, sed pœnitentia non invenitur : *id est, legitur hanc libertatem judicandi etiam inter laicos de causis civilibus Ecclesiæ concessisse, de hac enim ubique agitur ; at non legitur, ipsum umquam dati privilegii pœnituisse.*

deinde fuisse abrogatam.

319 *Hæc sufficere videntur, ut pro certo habeatur, judicia temporalia episcopis erepta non esse per* S. Ludovicum, *adeoque legem, de qua disputavimus, vel numquam a* S. Ludovico *decretam esse, vel statim revocatam. Plura adferri possent ex Opusculo doctissimi Cardinalis Bertrandi, sed, iis prætermissis, unam dumtaxat ipsius periodum adjungo, quod in illa agatur de conspiratione nobilium contra libertatem ec-*
C *clesiasticorum, ex eaque verisimile magis fiat, prætensam illam legem numquam fuisse a* Ludovico *conditam. Ita enim habet col. 905 :* Et ad hoc multum conatus est B. LUDOVICUS suo tempore : quia cum majores barones totius regni se confœderassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem, et ordinassent adhuc dare centesimam bonorum suorum : *(factum id anno 1247)* ipse nunquam eis adhæsit, sed potius eos ab istis compescuit, et finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit. *Quamvis auctor loquatur de conspiratione anni 1247, cum tamen dicat* Nunquam eis adhæsit, *videtur etiam negare legem, de qua agitur, a* Ludovico *conditam. Ex tota hac disputatione manifeste concluditur, auctores num. 313 citatos, non modo temere, utpote nullius antiqui auctoritate fultos, asseruisse prædictam legem a* S. Ludovico *conditam, et numquam revocatam, sed et contraria scripsisse auctoritati prorsus irrefragabili : etenim si dubium fuisset* S. Ludovici *privilegium, quo lex Theodosiana, judiciaque episcoporum confirmabantur, neque id tanta fiducia in consessu regis ac procerum toties repetiissent episcopi, neque actor regius ad ea obmutuisset. Præterea ex disputationis exitu liquet, ne quidem sub Philippo Valesio episcopis erepta esse judicia, quæ jam lege* Ludovici *eis erepta volunt adversarii, cum victoria cesserit episcopis, rege eorum privilegia conservante. Ceterum qui intelligere cupit, quomodo, et quando hæc episcoporum in rebus temporalibus jurisdictio sublata sit in Gallia, consulere potest Ludovicum Thomassinum in Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina part. 2, lib. 3, cap. 110 erudite hæc pertractantem.*

AUCTORE J. S.

§ XXVIII. Regni administratio suscepta : varia anni 1236 : motus regis Navarræ, aliorumque principum : periculum Ludovici ab Assasinis, de quibus varia elucidantur.

E

Ludovicus regni administrationem suscipit :

A*uctores varii hoc anno 1236* Ludovicum *matris tutela egressum, liberas regni habenas suscepisse scribunt, quod opinentur vigesimum primum ætatis ejus annum nunc demum* XXV *Aprilis fuisse completum, eaque ætas tum temporis requireretur, ut regnum per se administrare Rex posset. Alii administrationem regni ab eo susceptam volunt biennio citius, dum uxorem duxit Margaritam. Verum cum ea de re nihil invenerim apud auctores antiquos, malim credere id anno præterito factum pro regni consuetudine : tunc enim secundum chronologiam nostram vigesimum primum ætatis annum complevit. Ut ut est, hoc certe anno per se regnum administravit, quamvis idcirco parum in tota regni administratione sit mutatum : quippe, uti Blancha multum* Ludovico *detulerat, dum ipsa præcipuam auctoritatem habebat, ita et* Ludovicus *matris prudentissimæ consiliis usus est in præcipuis regni negotiis : quod* S. Ludovico *vitio non vertendum recte probat Chaizius pag. 217 : non enim ille reprehendendus, qui alieno utitur consilio : at ille merito culpandus, qui aliorum libidine a recto tramite ad mala se sinit abduci, a quo procul abfuit* Ludovicus, *ut tota* F
ejus vita manifestum faciet.

quorumdam prohibet nuptias :

321 *Obierat anno 1233 Fernandus Flandriæ comes, ut habet Albericus pag. 547 : hujus viduam Joannam Flandriæ comitissam ambiebat Simon Montfortius Leicestriæ deinde in Anglia comes, qui magna apud regem Angliæ valebat gratia, ejusque anno 1238 sororem duxit, teste Parisio ad eumdem annum pag. 314. Verum perspiciens* S. Ludovicus, *quam periculosæ regno Franciæ essent nuptiæ Simonis Montfortii cum Joanna, eam ut clientem suam ab iis abstinere jussit ; illa autem Regi declaravit, se matrimonium nec inivisse, nec promisisse, nec inituram, nec promissuram, ac, si promisisset, destituram. Citat hanc declarationem Tilletius in Collectione sua de regibus Franciæ part.* 1 *pag. 71. Simili modo impedivit* Ludovicus *nuptias ejusdem Simonis cum Mathilde vidua Philippi Bononiæ comitis, de quo sæpe actum in præcedentibus : uti videri potest apud Chaizium pag. 215. De utroque matrimonio impedito loquitur Albericus pag. 561.*

dissidium grave componit.

322 *Matthæus Parisius ad eumdem annum pag. 295 refert seditionem gravem auctoritate*

regia

AUCTORE J. S.

regia sedatam : verba ejus subjungo : Anno quoque eodem, circa dies Pentecostes, orta est dissensio lamentabilis in civitate Aurelianensi inter clerum, *(seu scholasticos)* et cives, muliercula quadam incentivum seminariumque discordiæ suscitante. Eatenus quoque cepit tumultus ventilatus incrementum, quod occisi sunt in civitate a civibus scholares juvenes illustrissimi, et genere præclari; nepos scilicet comitis de Marchia, nepos comitis Campaniæ, scilicet regis Navarræ, propinquusque consanguineus comitis Britanniæ, et quidam alius propinquus consanguinitate nobili baroni Erkenwado de Burbune *, et alii multi, quorum aliqui in flumine Ligeri sunt submersi, alii trucidati, alii vero, qui evaserunt, vix in speluncis et vineis et diversis latibulis dilitescentes, a mortis discrimine sunt erepti. Quo audito, episcopus civitatis accinctus zelo justitiæ, exiit a civitate, et ipsis malefactoribus excommunicatis, civitatem ipsam supposuit interdicto. Insuper magnates prænominati, audientes suorum stragem consanguineorum, ingressi hostiliter civitatem, multos civium, sine judicii expectatione, in ore gladii trucidarunt. Alios quoque, dum a quibusdam nundinis remearent, clitellis et sarcinis oneratos, ensibus adhuc cruentatis in itinere detruncarunt. Nec cessavit mota seditio, donec Regium mandatum per utrarumque partium voluntates, factis compositionibus, tumultum prudenter temperaret. *Sane non exigua opus fuit auctoritate et prudentia ad hos motus inter potentissimos principes et nobilem civitatem comprimendos.*

* Archembaldo de Bourbon

B

Rex Navarræ in Ludovicum arma parat,

323 *Albericus in Chronico ad annum 1234, pag. 550 hæc scribit :* Theobaldus comes Campaniæ post Pascha Dominica MISERICORDIA DOMINI in regem elevatur Navarrorum, avunculo suo Sanctio sine hærede mortuo, in cujus thesauro septies et decies centum millia librarum invenisse dicitur. *Tanti thesauri inventio, regnique accessio, principis animum elevasse videtur, atque effecisse, ut in ipsum Regem, cujus beneficio servatus fuerat a ruina, ingratus insurgeret. De tempore, quo comes movere cœpit, auctores non omnino consentiunt : etenim Vincentius Bellovacensis, et Philippus Nangius annum assignant 1235; alii vero, iique accuratiores in tempore designando annum 1236.* C *Conciliari tamen hæc utcumque possunt, si dicamus Bellovacensem et Nangium loqui de tempore, quo rex Navarræ Theobaldus ad bellum se parare cœpit, copiasque militares conscribere, quod factum ante Pascha anni 1236, quo illi hunc numerare incipiunt, est verisimile. Verum sive erraverint auctores illi hoc loco, ut sæpe alibi, in anno designando, sive prædicto modo intelligantur, dubitare non possumus propter auctores mox allegandos, quin hic Theobaldi, eique adhærentium motus, ad annum 1236 sit referendus. Itaque causam hujusce tumultus audiamus.*

variis de causis,

324 *Albericus mox laudatus pag. 556 discordiæ causas allegat varias, ab hisce annum exorsus, his verbis :* Anno MCCXXXVI rex Navarræ Theobaldus repetebat a Rege Franciæ quædam feuda sua, quæ supra quadraginta millia librarum Parisiensium, ut dicunt, obligaverat eidem ante istud triennium loco pignoris, videlicet de comitatu Blesensi, et comitatu Carnotensi, et Sanctodorensi * comitatu, atque (vice) comitatu Castri-duni versus Windocinum *, cum eorum appenditiis, et quia prædicta pecunia termino præfixo non fuerat restituta, Rex Franciæ quasi de jure sibi retinuit prædicta feuda, et appropiavit. *Feuda illa non solum Ludovico oppignorata, sed vendita fuisse, jam probavimus § 23 ex instrumentis authenticis, ipsiusque Regis testimonio apud Joinvillium. Cum tamen fama eo tempore fuerit, oppignorata fuisse; suspicari quis posset, Theobaldum hanc famam sparsisse, atque etiam fortasse nodum in scirpo quæsivisse, ratus se prædicta feuda incusso metu facile recepturum a Rege, quem pacis amantem noverat. Quidquid sit, hanc unam fuisse e causis hujusce tumultus facile assentior Alberico, qui ita prosequitur :* Unde super hoc et super aliis quibusdam articulis mota est inter eos controversia. Cum interim rex Navarræ filiam suam, quam in fide, et sub quibusdam religionis pactionibus, regi Castellæ promiserat pro filio suo, dedit, inconsulto Rege Franciæ, Joanni filio comitis Britanniæ, quæ causa fomes extitit tanti scandali, quo tota terra fuit commota, et ita paratæ atque instructæ fuerunt acies hinc inde, quod se mutuo cogitabant invadere.

* Sacri-Cæsaris, Sancerre

* Vendôme

D

E

et fœdus init cum Marchiæ et Britanniæ comitibus :

325 *Quamvis primas in hoc contra* Ludovicum *motu partes egerit Theobaldus, indeque factum videatur, ut a plerisque auctoribus solus commemoretur, habuit tamen et alios principes fœdere sibi conjunctos. Eos una cum tempore, quo motus cœpit erumpere, memorat Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 294 in hunc modum :* Anno etiam eodem, verno tempore arridente, insurrexerunt multi magnates accincti ad prælium, ut bellum moverent adversus Regem Galliæ. Indignabantur enim quod regnum regnorum, scilicet Gallia, consilio muliebri regebatur. Erant autem insurgentes viri graves et famosi, et ad præliorum exercitia ab annis primis educati; rex scilicet Navarræ, id est, comes Campaniæ; comes etiam de Marchia, comes Britanniæ, et alii potentes quam plurimi, fœdere et sacramento colligati. *Vides triumviros illos, qui, coronato* Ludovico, *mox arma sumpserant, ut Blancham regni administratione spoliarent, rursum ad arma convolare, regni administratione ad* Ludovicum *translata. Speraverunt illi fortasse se plus effecturos apud juvenem Regem, quam efficere potuerant apud reginam : at spes sua fefellit illos turbarum duces, ut mox videbimus. Porro litteras, quibus Marchiæ comes, ejusque uxor, consilio comitis Britanniæ, auxilium promittunt comiti Campaniæ contra quemcumque, qui ei bellum inferret, datas mense Aprili, assignat sæpe laudatus Lobineau in Historia Britanniæ lib. 7, num. 128 : seu tom. 1, pag. 237. At fallitur, quod eas putet datas post pacem a Theobaldo cum Rege initam, cum hæc aliquot mensibus sit posterior.* F

verum Ludovico cum exercitu properante, legatos mittit,

326 *Quid inter Theobaldum et* Ludovicum *gestum sit, quantaque celeritate illi arma excusserit Rex juvenis, explicat Nangius pag. 331 his verbis :* Anno sequente, Theobaldus comes Campaniæ colligens exercitum, adversus dominum suum Ludovicum Regem insurgere attentavit. Quod Rex agnoscens, regni sui ducibus et comitibus convocatis Parisius, suum exercitum congregans, contra prædictum comitem, ad ipsius reprimendam superbiam, usque ad nemus Vicinarum * cum his, qui secum erant, cœpit celeriter proficisci. Sed postquam hoc comes Campaniæ veridica comperit relatione, animo turbatus et anxius, eo quod contra dominum

* Vincennes

num

A num suum ligium Regem Francorum levare calcaneum præsumpsisset, attendens Francorum audaciam et virtutem, quid agere deberet, penitus ignorabat. Tandem bonum habens consilium et salubre, sciens non esse turpe cum re mutare consilium, ad dominum suum Regem tempestive nuntios delegavit, mandans ei et obnixius rogitans, ut iram et indignationem, quam adversus eum conceperat, deponere dignaretur. Et ut in oculis ejus gratiam posset celerius invenire, eidem duas villas cum forteritiis suis, cilicet Brayum * super Sequanam, et Mosterolium en fors d'Jone * in signum subjectionis omnimodæ tradidit in perpetuum absque inquietatione aliqua possidendas. Nam quemadmodum in rebelles et superbos justitiam, ita sibi in subditos humiles et pacificos Regis cognoverat pietatem. Sic igitur comes Campaniæ, qui per suam superbiam dominum suum Regem offenderat, ipsum sua humilitate prævia sine aliquo congressu meruit pacificare. Et tunc Rex cum gente sua Parisius remeavit. *Hisce consentit Bellovacensis lib. 30, cap. 137.*

* Bray sur Seine
* Montereau Faut-Jonne, ad Icaunam.

327 *At plura habemus ex supra laudato* B *Alberico, aliisque auctoribus : nam et gratiam Theobaldo concessam aliorum rogatu, et ipsum coactum se suaque misericordiæ Regis submittere, docent varii. Audi Albericum :* Sed tot, *inquit,* et tantis (honestis) personis mediantibus rex Navarræ venit ad misericordiam Regis, et se, et terram suam, et quidquid petebatur, eidem submisit; ita quod non solum dicta feuda sunt omnino Regi quittata in perpetuum, sed et ipse Rex habuit custodias suas in Monasteriolo, et in Brai super Sequanam, quæ tamen postea regi Navarræ reddidit. *Auctor Vitæ* S. Ludovici *anonymus, de quo num. 31, omnimodam hanc Theobaldi subjectionem confirmat, oppidaque omnino donata* Ludovico : *utrumque ex variis MSS. narrat Chaizius, qui addit pag. 223 tria oppida concedere Regi debuisse, ab ipso* Ludovico *eligenda; ad hæc obligasse se Theobaldum, ad implendum votum expeditionis in Terram sanctam, quo se obstrinxerat anno præcedenti, atque ad manendum ibidem, vel in Navarræ regno, ad septennium. Itaque si oppida memorata Theobaldo Rex deinde restituerit, ut habet Albericus, id alia de causa factum vi-* C *detur, quam quod ea non omnino abdicasset. Hinc merito dixit ad laudem Guilielmus de Podio Laurentii cap. 39 :* Comes quoque Campaniæ Theobaldus sensit, quod durum sibi fuerit contra stimulum calcitrare. *Quippe noverat Rex sanctus non modo subjectis parcere, sed et superbos debellare : sensere id triumviri illi, tot turbarum auctores, qui omnes coacti fuere diverso tempore se, suaque omnia misericordiæ Regis permittere. Britannum supplicem vidimus ante biennium, nunc Campanum, regno etiam auctum, supplicem item cernimus : Hugonem denique Marchiæ comitem post annos aliquot majori suo detrimento Regis misericordiam implorantem videbimus. Quibus breviter observatis, ad propositum regredior.*

seque misericordiæ Regis permittit, a quo mulctatus.

328 *Jam vero cum Albericus supra dicat, intercessione honestarum personarum factum esse, ut ad sanguinis effusionem non perveniretur, neque eas personas nominet; non abs re erit inquirere, quibus hæc potissimum debeatur gloria. Fama hujusce motus bellici ad Gregorium Pontificem erat perlata, seu per ipsum Theobaldum, seu aliunde. Itaque cum vereretur Pontifex, ne expeditio transmarina contra infideles, quam Theobaldus cum multis Galliæ principibus sumpta cruce voverat, ut habet Albericus ad annum 1235, pag. 555, magnum inde detrimentum acciperet, efficacissimis precibus institit apud* Ludovicum, *ut rem componeret. Accipe finem ejus litterarum apud Raynaldum ad annum 1236, num. 47 :* Serenitatem Regiam rogamus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ne Terræ sanctæ jactura, quæ propter hoc, quod absit, posset contingere, de tuis manibus requiratur, a præfati regis *(Navarræ)* et aliorum cruce signatorum impugnatione disistens, pacem in tuo regno procures taliter fieri, quod et crucis negotium valeat promoveri, et tu ex hoc illum merearis habere propitium, qui pro salute tua, et totius humani generis in ligni patibulo, proprii sustinuit corporis cruciatum. Dat. Interamnæ XIV Kal. Julii ann. X. *Eodem die Gregorius litteras dedit ad Parisiensem et Lingonensem episcopos, et abbatem Claræ-vallis, quas recitat illustrissimus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad hunc annum cap. 3.* E *In his autem, post recitatas litteras ad Regem scriptas, ita eos alloquitur :* Ideoque vobis, de quorum prudentia, zelo, et auctoritate confidimus, per hæc Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Regem ipsum et reginam matrem ejus personaliter accedentes, et mala, quæ ex hoc non solum Terræ sanctæ, sed etiam toti regno Franciæ possent contingere, prudentius exponentes eisdem, ipsos ad pacem, vel treguam cum eodem rege Navarræ ineundas, efficacius inducatis.

intercessione, ut videtur,

Auctore J. S.

329 *Rem ab his Pontificis delegatis confectam, scribit laudatus Manricus : quod verisimile faciunt temporis ac rei circumstantiæ. Mandaverat* Ludovicus, *inquit Choizy pag. 48 ex instrumento antiquo, ut nobiles regni ad Fanum S. Germani in Laya adessent tribus hebdomadis post Pentecosten, id est circa diem octavum Junii, cum Pascha eo anno esset* XXX *Martii. Si itaque post dies aliquot Rex cum exercitu Vicenam discesserit, eum legati hi Pontificii invenire potuere Vicenæ agentem, quod factum fortasse post remissos priores Theobaldi legatos, quos vix auditos narrat Chaizius pag. 222. Epi-* F *stolæ enim Pontificis scriptæ sunt* XVIII *Junii, seu decem diebus post terminum collectioni exercitus assignatum : ita ut vix dubium videatur, quin legati Pontificii venerint inter discessum* Ludovici *a Fano S. Germani, et reconciliationem Theobaldi. Congruit itaque tempus. Rei etiam circumstantiæ suadent, multum precibus horum legatorum tribuisse* Ludovicum, *cum quod eximia erga Christi Vicarium esset observantia, tum quod Pontifex precibus tam enixis concordiam flagitaret, tum quod inter pacis conditiones illa reperiatur de adimplendo voto expeditionis transmarinæ, quam tantopere desiderabat Pontifex. Unde probabili admodum conjectura existimari potest, pacis conditiones consilio horum legatorum Theobaldo esse impositas. Attamen id omnino certum dicere non ausim, quia auctores antiqui rem non satis explicant.*

Pontificis ; in gratiam recipitur :

330 *Neque tamen dubitaverim dicere, abductos a recto tramite auctores aliquot, inter quos Chaizius pag. 221, Daniel in Historia Franciæ tom. 2 pag. 28, Chozy a pag. 47, qui intrepide asserunt,* Ludovicum, *neglectis monitis precibusque Pontificis, perrexisse contra*

error scriptorum quorumdam circa hoc factum.

Theo-

Auctore J. S.

Theobaldum. Audi verba auctoris postremo nominati, quæ pag. 48, post relata Pontificis monita, subdit : Ludovicus, *inquit Gallice,* qui noverat Pontificem consilia sibi dare posse, numquam præcepta, non prætermisit mandata mittere in provincias, ut curaret exercitum suum congregandum. Jussit vassallos coronæ adesse in Fano S. Germani in Laya tribus hebdomadis post Pentecostem, *id est,* VIII *Junii, ut jam observavimus. Si ergo credere lubeat huic auctori, Rex sanctus ante* VIII *Junii, cum mandata mittebat ad principes, jam viderat neglexeratque preces Pontificis,* XVIII *ejusdem mensis in Italia scribendas. Porro, ut hic auctor a recta temporum divisione turpiter aberrat, ita a mente* S. Ludovici *aliena narrant, qui eum frequenter inducunt Pontificia monita contemnentem. Ceterum de tempore, quo bellicus hic motus finitus est, ita scribit Matthæus Parisius pag. 295 :* Anno quoque eodem, æstivo tempore jam declinante, nobiles illi, qui Francorum regnum perturbare disposuerant, facta quadam pacis compositione, in gratiam Regis sunt recepti. *Ita cele-*
B *ritate Regis brevi sedatus est tumultus, et fortasse priusquam comites Marchiæ et Britanniæ intentionem suam aperte declarassent.*

Periculum S. Ludovici ab Assasinis ;

331 *Eodem hoc anno Nangius cum aliis ejus temporis scriptoribus narrat grave vitæ periculum, quod* S. Ludovico *creaverat princeps quidam orientalis, quem vulgo* Veterem, *seu* Vetulum montis *auctores nominant. Accipe ejus verba ex Chronico ad hunc annum, ubi rem succinctius enarrat, quam in Gestis* S. Ludovici : Vetulus, *ait,* de Montanis, rex Harsacidarum misit in Franciam nuntios Harsacidas, præcipiens ut occiderent Regem Franciæ Ludovicum; sed dum abirent, Deus cor ejus immutavit, eique cogitationes pacis et non occisionis immisit : unde post primos quantocius alios mittens, mandavit sancto Regi Ludovico, ut se a primis nuntiis custodiret : propter quod Rex ex tunc fecit corpus suum diligentius custodire; *(videlicet,* per homines cupreas clavas assidue deportantes, *ut addit in Gestis pag. 332)* et per secundos nuntios primos invenit, quibus inventis, sanctus Rex gaudens utrosque muneribus honoravit, et regi ipsorum in signum pacis
C et amicitiæ exenia et dona pretiosa quam plurima delegavit. *De eodem hoc principe orientali, quem* Beduinorum principem *vocat, agit Joinvillius cap. 19, ubi refert arrogantem ejus legationem ad* Ludovicum *in Palæstina agentem, constantiamque Regis in retundenda Hospitalariorum ac Templariorum ope ejus arrogantia. Varia item de ejus religione a Mahometanorum religione diversa, erroribusque ridiculis infecta commemorat. Quapropter de illo sicariorum grege paullo diligentius hoc loco agendum putavi, ut memoratum Joinvillii caput eadem opera illustretur.*

de quorum nominibus,

332 *Bartholomæus d'Herbelot in Bibliotheca orientali Gallice scripta, atque impressa Parisiis anno 1697, variis locis agit de sicariis illis, eorumque principibus. Pag. 437 et alibi nomen* Vetus montis *deductum dicit a vocibus,* Scheikhel Gebal, quæ, *inquit,* Arabice significant dominum Irac Persicæ, seu partis maxime elevatæ et montosæ Persidis. *Huic opinioni favet Vitriacus in Historia Hierosolymitana num. 14, ubi de iis ita scribit :* Primus autem et summus infaustæ religionis eorum abbas, et locus, unde principium habuerunt, et a quo Syriam venerunt, in partibus est Orientalibus valde re- D
motis versus civitatem Baldacensem, et partes Persidis provinciæ. *Porro* Vetus *seu* vetulus montis *passim hic princeps dicitur a Latinis scriptoribus, quod prior vox Arabica æque senem, ac* principem; *altera* montem *significet. Subditi autem hujus principis variis nominibus appellantur ab auctoribus Latinis et Græcis, ut notat Cangius ad Joinvillium pag. 87, ubi eos* Heississin *sua lingua dictos invenias, a Benjamino judæo* Hhassissim, *a Guilielmo Tyrio* Assissinos : *ab aliis* Hansesisios, Assideos, Accinos, Assassos, Arsasidas, *et* Hakesinos *nominatos dicit. Græci passim* Chasios *vel* Chasisios *vocant. Nunc vero vulgari magis nomine* Assasini *vocantur, quod eorum nomen ad sicarios quoslibet translatum est.*

tempore principatus,

333 *Principes istius populi octo enumerat laudatus Herbelotius pag. 505 ad vocem* Ismalioun, *quos omnes simul principatum tenuisse dicit ad annos 171. Primus eorum vocabatur* Hassa Sabah *homo nefarius, qui principum cædibus inhiare cœpit. Hujus autem initium ponit anno Hegiræ 483, Christi 1090, quo item* E
anno apud Elmacinum in Historia Saracenica ad annum Hegiræ 483 legitur, Batinæos, qui iidem cum Assasinis *ex iisdem moribus apparent, se movere cœpisse, ac castra invadere. Initium autem ab Herbelotio memoratum, tempusque, quo principatus stetit, satis congruit cum tempore eorum excidii : nam anno 1262 obsidione cinctum est præcipuum eorum castrum, eoque capto excisi sunt, ut videbimus postea; ad hunc vero annum ab anno 1090 facile nos deducent anni 171 adjuncti, modo aliquot menses addantur, ut numeros subducenti patebit. Nunc regionem accipe, unde manipuli illi sicariorum erumpebant, et mores eorum ex auctoribus, qui loca illa præsentes lustrarunt.*

ditione, et viribus,

334 *Joannes Phocas in Itinerario Terræ sanctæ, quod Latine edidit Papebrochius ante tom.* II *Maii, pag. 3, relatis locis maritimis ab Antiochia Tripolim usque, ita prosequitur :* In Mediterraneis jugum magnum porrigitur, quod Chazisii * accolunt, gens Saracena, neque Christum amplectens, neque cum Mahumeto sentiens; sed propriæ sectæ tenax Deum confitetur, et inter eos primas occupantem, LEGATUM DEI nun- F
cupant : cujus imperio ad magnarum urbium principes dimissi, eos ensibus obtruncant. Nam præter expectationem in illos irruunt, et facinore in ipso mortem oppetunt, a multis pauci illi post patratum scelus circumventi, idque martyrium esse, et immortalitatis perceptionem existimant. *Decem castra cum suburbanis ditioni istius principis, et sexaginta circiter hominum millia, adscribit Guilielmus Tyrius in Histor. Orient. lib. 20; Vitriacus autem loco assignato totidem castra seu oppida, hominum vero supra quadraginta millia, adnumerat : uterque gentem in Phœnicia circa urbem Antaradensem seu Tortosam collocat : quæ, aliaque apud eos de moribus Assasinorum relata, cum dictis Joannis Phocæ consonant, eademque apud plures illius temporis auctores invenias, e quibus Spondanus ad annum Christi 1231, Chaizius a pag. 230, aliique recentiores diligentem de Assasinis narrationem instituerunt.*

* Assasini vulgo

fraudibus, quibus inducebat adolescentes

335 *Lubet tamen istis adjungere aliquid ex auctore nuper e tenebris eruto, quo cæca illa Assasinorum obedientia, qua in mortem minime dubiam se præcipitabant, fiat credibilior,*

atque

AUCTORE J. S.

A *atque innotescat, quibus artibus fraudibusque uterentur principes illi perversi, ut improvidos juvenes ad tantum mortis contemptum inducerent. Ludovicus Antonius Muratorius tom. 9 Scriptorum rerum Italicarum edidit anno 1726 partem posteriorem Chronici Francisci Pipini Ordinis Prædicatorum, qui floruit initio seculi* XIV, *atque anno 1320 loca sacra lustravit. Hic auctor, de ditione Assasinorum, eorumque moribus consentiens auctoribus jam citatis, de arte principis, qua illos ad temerariam illam obedientiam inducebat, scribit col. 706 sequentia:* Habebat itaque senex iste, vir quidem religiosus, quamquam infaustæ regulæ observator, magnum et amœnum viridarium, palatiis marmoreis, muris perornatis operibus diversis, polymitis coloribus, et cælaturis variis laqueatis, nec non muris, et antemuralibus circumclusum. Erant autem muri testudineati, et intra testudines per fistulas conducebatur vinum, lac, mel, oleum, et aqua, quæ in medio viridarii oriebantur. Erant etiam intra ipsorum murorum testudines de omni genere cibi, et omni genere B vestium: lecti quoque regales. In eodem etiam viridario omnis herbarum et arborum maneries * habebatur; in quo nutriri et custodiri mandabat filios rusticorum suorum, ex quo primum loqui didicerant, quo usque ad ætatem annorum XX pervenissent. Eligebat autem illos, quos aspectus, actus, et incessus, quantumcumque juvenilis, audaciores præmonstrabat futuros. Nutritii autem eorum in omni erant lingua facundi, qui et ipsos pueros in omni idiomate instruebant, eosque dogmatizabant, quod ii soli salvarentur, qui adimplendo vetuli mandata mortui essent, asserentes illum Dei esse prophetam.

i. e. species

ad imperia sua temere

336 *Deinde, relato speciosarum puellarum usu, adolescentibus in viridario concesso, docet impostorem illum, qui verba Alcorani de paradiso in construendo hoc viridario imitatus erat, finxisse, atque adolescentibus persuasisse, hunc ipsum esse paradisum, de quo Mahometus in Alcorano loquitur: neque ingressum istius viridarii aliis permisisse, quo scilicet melius tegeretur impostura. Ab hisce omnibus non multum abludit Marcus Paulus Venetus cap. 28 de Gentibus orientalibus. Plura tamen addit deinde Pi-* C *pinus:* Quum autem pueri, *inquit,* ut dictum est, in viridario nutriti ad annum XX pervenissent, data eis lethargica potione, extra viridarium portabantur, quos ad se vetulus jubebat adduci. Quibus quum dixisset, quod de paradiso exiverant, in quadam eos turri faciebat includi, ubi serpentum et vermium aspectu, magnoque eos jejunio macerabat. Dicebaturque eis, quod ille erat horrendus locus inferni, ex quo verius autumabant, sese de paradiso exivisse; sentientes scilicet squallorem et horrorem tam dissimillimi a viridario loci, et sustinentes tam arctam cibi penuriam post lautissimas epulas, in quibus fuerant enutriti. *Hæc secreta erumpere potuerunt post excidium Assasinorum, ideoque incredibilia videri non debent, etiamsi non reperiantur apud auctores illos, qui scripserunt, dum florebant Assasini. Sane mirabili opus fuit astutia, ut adolescentes impelleret veterator ille ad ea, quæ ipsos designasse facinora, ex auctoribus constat.*

337 Quumque, *inquit Pipinus,* ad aliquem occidendum per mundi partes eos mandare volebat, nuntiari eis faciebat, quod, si volebant ex inferno egredi, et in paradisum reverti, ejus ad plenum voluntatem implerent. Quibus respondentibus, præsto eos adesse, dabat singulis tres cultellos, et ad interfectionem hominum, ad quæcumque loca decreverat, cum ipsis se cultellis intrepide exponebant, et morte neglecta satagebant per versutias et astutias domini sui mandata complere. Promittebat enim eis propter hujusmodi exequutionem mandati, etiamsi morerentur, longe eos majores delitias habituros sine fine post mortem in patria sempiterna, quam essent illæ, in quibus fuerant enutriti. Qui autem propter hoc tale mandatum vetuli moriebantur, martyres reputabantur a suis, et inter sanctos a populo illo fatuo in multa reverentia habebantur. Parentes quoque eorum, qui occisi erant, ipse senex multis et magnis ditabat muneribus. Si servi erant, liberi permittebantur abire. *Hisce subdit exempla quædam principum ab eis occisorum, quæ brevitatis causa omitto. Lubet tamen exemplum unum temerariæ adolescentum illorum obedientiæ huc transcribere, quod et Sanutus refert lib. 3, part. 10, cap. 8.*

occidendis principibus exsequenda,

E

vesanaque illorum obedientia, ac gentis excidio notantur varia

338 Erant autem in tantum, *ait col. 705,* domino suo obedientes, ut nil adeo eis grave esset, quod non hilari animo, et ardenti voluntate ad ejus nutum perficerent. Unde cum Henricus Campaniæ comes... rogatus ab ipso vetulo, quod per terram suam diverteret, vidit una dierum turrim excelsam deambulans cum eodem vetulo, in cujus summitate juvenes albis tunicis insidebant: quumque interrogaret vetulus, an comes sic obedientes haberet suos subditos, quemadmodum ipse suos, intercipiens comitis responsum, duos ex juvenibus, qui supra turrim erant, signo noto vocavit; qui statim sese de turri præcipitantes, collisis ad terram corporibus, animas exhalarunt. *Tandem auctor, ubi narraverat, quo pacto tributarii facti essent Templariis, atque a Mahometo ad Christum convertere se voluisset eorum princeps, quoque modo id perfidia cujusdam Christiani fuerit impeditum, subdit col. 708 eorum excidium per Tartaros; nam Tartarorum et Saracenorum æque ac Christianorum vitæ insidiabantur; refertque eorum castrum præcipuum anno 1262 obsessum, et post triennalem obsidionem captum defectu victualium, atque ita concludit narrationem suam:* Potiti igitur Tartari oppido violentia famis, infamem illum vetulum cum omnibus suis F satellitibus, gladiis trucidarunt. Sicque divino judicio illius perfidæ gentis defecit nomen et genus, Tartaris exterminantibus universa. *De tempore excidii consonat Marcus Paulus Venetus cap. 29, aliique, quamvis alii id aliquot annis citius collocent, quod exactius discutere non est operæ pretium.*

Sanctus singulari Dei protectione periculo ereptus.

339 *Ex dictis autem manifestum est, quanto in periculo a perfida illa gente fuerit* S. Ludovicus, *neque immerito sibi ab illis cavendum existimasse, ubi audierat missos esse ad mortem sibi machinandum. Nomen autem principis, a quo illi missi erant, in memorato catalogo Herbelotii pag. 505 Bibliothecæ Orientalis est* Alaeddin Mohammed, *qui ultra 35 annos principatum tenuisse dicitur, adeoque idem fuerit necesse est, qui superbam legationem deinde misit ad* Ludovicum *in Syria agentem. Non defuerunt, qui dicerent divina revelatione has a* S. Ludovico *insidias detectas: verum id ignoraverunt auctores coævi, adeoque fidem non meretur: præsertim cum constet, id factum per ipsos Assasinos. Rectius illi philosophantur, qui singula-*

AUCTORE J. S.

gularem Dei protectionem agnoscunt, dilectum sibi Regem inter tot pericula ab interitu vindicantis. Nec dubitare possumus, quin ipse Ludovicus *hunc Dei erga se favorem gratus agnoverit, ex eoque novos ad virtutem ac pietatem conceperit stimulos.*

§ XXIX. Gesta anni 1237, seu nuptiæ Roberti Artesiæ comitis : insidiæ Frederici imperatoris elusæ : aliaque eodem anno, et 1238 facta.

Rex litem quamdam curat dirimendam :

Sequentibus duobus annis facta non occurrunt multa : quapropter utroque anno gesta huic § innectemus. Petrus de Collemedio post cathedras varias recusatas, tandem suscipere mandato Pontificis coactus fuerat archiepiscopatum Rotomagensem, uti invenies apud Sammarthanos tom. I *pag. 586. Verum mox ei controversia fuit*
B
cum canonicis S. Mellonis Pontisarensis, qui jurisdictioni ejus subesse et correctioni detrectabant. Non defuit viro præstantissimo, qui varias Ludovici *controversias arbiter terminaverat, cura sancti Regis : sed electis ejus voluntate arbitris inter utramque litigantium partem, causa archiepiscopo adjudicata est, canonicique ei, ut superiori ordinario subesse compulsi. Litteras concordiæ, datas* die Jovis ante Nativitatem B. Virginis *anni 1237, recitat Acherius tom. 3 Spicilegii pag. 619.*

fratri suo Roberto, militia donato,

341 *Nangius pag. 332 quædam memorat de* Ludovico, *quæ anno 1238 facta putavit, sed omnia illa ad annum 1237 sunt retrahenda, ut ex certioribus documentis fiet manifestum : nam Chronologiam Nangii non raro aberrantem jam ostendimus. Verba ejus interim audiamus :* Annis duobus sequentibus concessa sibi pace ab hostibus suis, quos omnes suppeditaverat, requievit in regno suo pacifice Rex Ludovicus. Et anno duodecimo regni sui, scilicet anno Domini MCCXXXVIII, dominum Robertum, fratrem suum majorem natu post ipsum, apud Compendium * fecit novum militem, quem paulo
C
ante filiæ ducis Brabantiæ, Matildi nomine, legitimo fecerat matrimonio copulari : *obtenta videlicet dispensatione a Gregorio Pontifice, ut refert Raynaldus ex litteris Pontificiis ad annum 1236, num. 45, dicens Mathildem ducis Lotharingiæ filiam, quod de inferiori Lotharingia intelligendum, nam eo nomine tum passim vocabatur Brabantia.* Et tunc, *ait,* eidem fratri suo Atrebatum, ac totam terram d'Artois * concessit jure hæreditario in perpetuum possidendam. Ibi fuit fere tota regni Franciæ utriusque sexus, mandato regio perurgente, nobilitas congregata.

* Compiegne

* Artesiæ

et nuptiis illigato,

342 *Porro hæc ingenti celebritate peracta esse, facile colligi potest ex eo, quod omnis utriusque sexus nobilitas Compendii fuerit congregata. Breviter quædam memorat Albericus ad annum 1237, pag. 562, nuptias hoc modo describens :* Apud Compendium in octavis Pentecostes in præsentia, et omni frequentia nobilium Franciæ, frater ejusdem regis Robertus, cingulo militiæ de novo accinctus, nuptias suas celebravit cum Mathilde filia ducis Brabantiæ... ibi, sicut dicitur, usque ad centum quadraginta novi milites creati sunt. Et illi, qui dicuntur ministelli, in spectaculo vanitatis multa ibi fecerunt, sicut ille, qui in equo super cordam in aere equitavit; et sicut illi, qui duos boves de scarlata vestitos equitabant cornicantes ad singula fercula, quæ apponebantur Regi in mensa. D
Chaizius pag. 237 dissidium aliquod hac occasione ortum dicit, quod capitula quædam cathedralia servitium Regi in similibus debitum præstare detrectassent; at res intercessione episcoporum brevi fuit composita.

Artesiæ comitatum,

343 *Diploma* Ludovici, *quo fratri suo Roberto Artesiam concedit, publici juris fecit Aubertus Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii a pag. 602, quo cum res illustretur, tempus stabiliatur, atque eximia* S. Ludovici *in fratrem liberalitas appareat, illud huc transfero :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus, quod cum claræ memoriæ genitor noster Ludovicus rex Francorum in testamento suo ordinaverit, et pro parte hereditatis assignaverit fratri nostro Roberto terram Atrebatesii, quam idem genitor noster ex parte matris suæ habebat, Atrebatum, S. Audomarum, et Ariam; et post decessum matris nostræ Blancæ reginæ E
Francorum, Hesdinium *, Bapalmum *, et Lens *, cum eorum pertinentiis, quæ eadem domina * mater nostra tenebat nomine dotalitii, ex parte Isabellæ reginæ aviæ nostræ moventia : nos eidem fratri nostro per præsentem chartam concedimus totam terram prædictam (salvis feudis et eleemosynis, quæ tenebunt et reddentur, sicut tempore genitoris nostri) sibi et heredibus suis jure hereditario possidendam. Ita quod tam illam terram Atrebati, S. Audomari * et Ariæ *, quam antea tenebamus, quam illam, quam domina mater nostra nomine dotalitii possidebat, cum eo jure, quod eadem domina mater nostra in emptione habebat, quam apud Villanas fecerat, sita in feodo Lensii, tamquam hereditatem suam habeat.

* Hesdin
* Bapaume
* *Latine* Lentium, *vel* Lentiacum
* S. Omer
* Arien, *Gallis* Aire

aliaque concedit :

344 Et ipse nobis homagium ligium inde fecit, et heredes ejus nobis et heredibus nostris similiter facere tenebuntur; et nos prædictum dotalitium, nomine matris nostræ, in loco sibi grato et placenti ad terræ æquivalentiam commutavimus eidem dominæ matri nostræ. Idem autem frater noster de prædictis, pro parte terræ, quam habere debebat, se habet pro pagato *. Nec ipse nec heredes ejus a nobis vel heredibus nostris amplius pro parte terræ possunt F
petere neque petent. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, et regii nominis charactere inferius annotato fecimus confirmari. Actum apud Compendium anno MCCXXXVII, mense Junio, regni nostri anno XI adstantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. Signum Roberti buticularii. Camerario nullo. Signum Almarici constabularii. Data vacante cancellaria. Ludovicus. *Ex his litteris vides, non modo concessa esse Roberto, quæ ei debebantur post impletum vigesimum primum ætatis annum, sed liberaliter adjuncta esse, quæ ei tantum post matris obitum debebant obvenire. Attamen neque hic stetit liberalitas* Ludovici : *nam et pensionem quotidianam viginti librarum Turonensium, et annuam 5000 librarum cum urbe Pisciacensi * ei assignatam narrat Chaizius pag. 236 ex instrumentis antiquis, quæ partim assignat Tilletius part. 1 pag. 293.*

* *i. e.* sibi censet satisfactum

* Poissi

insidias Frederici eludit :

345 *Non deerat ratio alia* Ludovico, *cur nobiles omnes ad nuptias, de quibus egimus,*

con-

A *congregatos vellet. Sed, uti anno præcedenti divina providentia ab insidiis Assasinorum ereptus erat, ita hoc anno sua etiam prudentia se munire voluit contra insidias imperatoris Frederici : invitaverat enim Fredericus hoc anno ad festum S. Joannis Baptistæ, uti pag. 300 tempus designat Parisius hac in re Nangio præferendus,* Ludovicum *cum aliis quibusdam principibus ad commune colloquium; quod ut recusare noluit Rex pacificus, ita studiose cavit, ne se Frederico inermem objiceret, cum ingenium hominis fraudulentum, contractumque nuper cum Anglo fœdus non ignoraret. Audiamus Nangium, loco citato rei exitum enarrantem :* Unde Fridericus, *inquit,* Romanus imperator, qui Regi Franciæ Ludovico mandaverat, ut usque ad Vallem-coloris * *(oppidum Campaniæ intra comitatum Barrensem ad Mosam situm)* ire nullatenus omitteret, cum ipso colloquium habiturus, audiens quod Rex Franciæ duo millia militum bellatorum cum innumerabili peditum et servientium multitudine, quos omnes secum apud Compendium habebat, in suo vellet ducere comitatu, B mandavit Regi, quod nec ad diem præfixum, nec ad locum, quem ipse nominaverat, valeret advenire. Unde milites Franciæ, qui tantæ nobilitati intererant congregati, accepta a Rege licentia, se singuli ad sua loca propria receperunt. Imperator quidem Regem paucos secum ducere milites sperabat, quod et toto animo affectabat, eo quod, ut a pluribus dicebatur, quemadmodum malitiosus et seductor in Regem Franciæ et in regnum moliri satagebat. Sed nefanda consilia, quæ contra regnum Franciæ cogitabat, Domino impediente propter servum suum Regem Ludovicum, quem ubique protegebat, non valuit stabilire. *Audis, lector, quæ sensa essent Gallorum de Frederico tempore* Ludovici : *unde Rex sanctus, uti amicitiam cum eo temere abrumpere noluit, ita prudenter ab ejus insidiis semper sibi cavit.*

*Vaucouleurs

346 *Meyerus in Annalibus Flandriæ ad hunc annum 1237 ita loquitur :* Venit Constantinopolitanus imperator Balduinus in Galliam, accepitque et in Flandris, et in Campania res suas, et vectigalia; jusque suum, quod in Namurcensem habuit comitatum, Ludovici Regis ope adC versum *(sororem suam Margaritam)* comitem Vianensem defendit, et comitatum obtinuit. *Albericus hisce consentit pag. 562, mortemque Joannis soceri ac tutoris Balduini, qui et nomen imperatoris adeptus erat, adjungit, comitatumque Namurcensem* non sine sanguine aliquorum *recuperatum docet, quod soror Balduini Margarita* fratrem nec cognoscere vellet, nec habere pro fratre. *Rem totam confirmat testis oculatus Galterus Senonensis archiepiscopus, dum causam, cur Balduinus necdum imperator, ut eum vocat Meyerus, sed heres imperii, in Galliam venerit, præstitamque ei a* Ludovico *opem exponit apud Chesnium pag. 408 hunc in modum :* Duplex autem adventus ipsius causa dicitur extitisse, scilicet ut a Rege Ludovico, de cujus sanguine ex utraque parte patris et matris ortum habuerat, et a prudentissima matre ejus Blancha, cujus neptem duxerat in uxorem, a nobilibus etiam regni Franciæ baronibus consanguineis suis, in tantæ necessitatis articulo sibi et suis peteret subveniri : alia insuper causa suberat, ut hereditatem fratrum suorum, qui sine herede decesserant, adiret; marchionatum scilicet Namurcensem cum pertinentiis, et castellaniam Curtineti *. Ingressus siquidem regnum Franciæ, ab ipso Rege et matre sua et baronibus regni susceptus est gratanter, honorifice et jocunde. Si quas etiam in adeunda hereditate difficultates reperit, per Regis mandatum et potentiam penitus sunt amotæ. *Vides Balduinum favore et auxilio Regis consecutum bona sibi jure hereditario debita. Quid autem ipsi præstiterit* S. Ludovicus *ad imperium Constantinopolitanum defendendum, postmodum videbimus.*

Balduinum Constantinopolitanum juvat :

AUCTORE J. S.

* Courtenay

347 Eodem anno, *ait Meyerus,* mense Octobri Joanna princeps *(seu comes Flandriæ)* sobolis procreandæ cupida, de consilio Ludovici Regis nupsit Thomæ fratri comitis Sabaudiæ, reginarum Galliæ, Angliæ, et Siciliæ avunculo : quem ad fidelitatis juramentum Rex ante admittere noluit, quam in pacem jurasset anni XXV *(istius seculi, de qua egimus § x,)* juravitque in illam apud Compendium, factam pro redemptione comitis Ferdinandi. *Hoc pacto comitissa Flandriæ, cujus cum Simone Montfortio nuptias anno præcedenti* Ludovicus *impediverat, brevi sponsum habuit Regi non suspectum. Nupta item hoc anno, Rege assentiente, Joanna comitis Pontivensis filia S. Ferdinando Castellæ regi,* S. Ludovici *consobrino, cujus et ipsa erat consanguinea, utpote ex Ludovico VII ducens originem, ejusque proneptis, uti refertur in Actis S. Ferdinandi tom.* VII *Maii, pag. 330. Hanc autem Alphonso Ferdinandi filio nuptam scribit pag. 285 aberrans Parisius, ex quo narravimus num. 300 ejus matrimonium cum Angliæ rege Henrico, vetante* Ludovico, *fuisse prætermissum. Ex quibus forte non male quis inferet, Regem curam habuisse, ne diu sine conjuge manere cogerentur illæ, quarum periculosas regno nuptias vetuerat; nam et Mathildis Bononiæ comitissa anno sequenti Alphonso Lusitaniæ regis fratri nupsit, sicuti narrat breve Chronicon Turonense apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 496.* E

quorumdam matrimoniis consentit :

348 *Præter alias litteras, Gregorius Pontifex hortatorias hoc anno ad* Ludovicum *scripsit, ut comitem Tolosanum averteret a defensione Massiliensium contra Provinciæ comitem. Alia etiam Pontifex perstringit Tolosani comitis facinora, ob quæ rursum fuerat excommunicatus; rogatque pium Regem, ut illum male tentata emendare cogat. Epistolam recitat Raynaldus ad hunc annum num. 35. Porro hæc curæ fuisse* Ludovico *existimo : nam et pacem inter comitem Provinciæ et Massilienses factam, tradunt Annales Massiliæ Joannis Baptistæ Guesnay ad eumdem annum; et sequenti anno Pontifex ad preces* Ludovici *episcopo Prænestino mandavit, ut comitem Tolosanum, emendationem spondentem, sub conditionibus quibusdam excommunicationis vinculo solveret. Epistolam ipsius hac de re invenies apud Raynaldum ad annum 1239 num. 71, quæ data est* v Idus Junii anno XII, *id est Christi 1238. Addit ad gesta hujus anni Chaizius pag. 240 concessum Regi esse a Gregorio, ut ipsi ejusque consanguineis liceret agere cum excommunicatis, jussos quoque ab eodem Pontifice Galliæ episcopos, lentius procedere, quam fecerant hactenus, ad interdicti sententiam ferendam. Ita mutuis inter se certabant officiis Gregorius et* Ludovicus. F

comitem Tolosanum ad pacem inducit :

349 *Anno 1238 Pontifex tum* Ludovicum *Galliæ, tum Henricum Angliæ regem hortatus est ad inducias, quarum instabat finis, in quinquennium prorogandas, ut refert ad eumdem annum, num. 38 Odoricus Raynaldus. Ratio Pontificis*

inducias cum Anglo prorogat : lites terminat.

AUCTORE J. S.

tificis erat, Ut ex utroque regno juventus Christiana in Syriam ad debellandos Saracenos se conferre posset. *Obtemperatum Pontifici a regibus, colligitur ex Matthæo Parisio ad annum 1242 pag. 398, ubi dicit regis Angliæ legatus, inducias inter utrumque regem factas durare adhuc debuisse per triennium. Varias item hoc anno minoris momenti controversias proborum virorum arbitrio terminavit Rex, pacis æque ac justitiæ amantissimus, quas partim recensitas apud Chaizium a pag. 243 curiosus lector inveniet. Pacem item ope* Ludovici *factam inter Valeranum Limburgi comitem et episcopum Leodiensem, cui comes Flandriæ ferebat subsidium, idem auctor refert.*

Saraceni a Ludovico auxilium petunt contra Tartaros:

350 *Tanta jam usque in Orientem pervaserat* Ludovici *fama, ut ejus opem etiam barbari, et Saraceni implorarent contra Tartaros, plurimas Asiæ et Europæ provincias torrentis in morem inundantes. Narrat hæc Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 318 his verbis :* In diebus illis missi sunt Saracenorum legati solennes ad Regem Francorum : nuntiantes et veraciter explicantes, principaliter ex parte Veteris B de monte, quoddam genus hominum monstruosum et inhumanum ex montibus Borealibus prorupisse, et spatiosas terras, et opulentas Orientis occupasse : Hungariam majorem depopulasse, litterasque comminatorias cum legationibus terribilibus destinasse. *Addit deinde, explicatis utcumque Tartarorum moribus, quod alio loco nos præstabimus, subsidium a* Ludovico *contra eos, ut communes hostes postulasse; atque etiam ad regem Angliæ eorum aliquem destinatum. Verum enimvero longe aberat is a Sancto animus, ut quidquam præstitisset subsidii Saracenis, contra quos præcipuos regni sui principes brevi profecturos lætabatur.*

is consulit Pontificem de pecunia a Judæis exacta:

351 *Exactæ sancti Regis justitiæ specimen ad hunc annum num. 22 refert Raynaldus hunc in modum :* Cumque S. Ludovicus Francorum Rex Sedem apostolicam consuleret, quid sibi ob magnam pecuniæ vim a Judæis exactam, quam ab ipsis a Christianis usuris malisque artibus extortam, par esset credere, ad excutiendam facti religionem agendum incumberet, eas pecunias, quarum domini non invenirentur, ad comparanda auxilia pro imperio Orientali derivandas rescripsit. C *Subdit idem auctor epistolam Pontificis, qua Balduinum imperatorem, atque imperium Orientale eidem commendat. Compendium epistolæ tradit verbis suis hujusmodi laudatus auctor :* Egit etiam cum eodem Rege, ut Gallicani præsules trigesimam Balduino ad annos tres penderent; proposuitque rem fore Numini gratissimam, si illud imperium e schismaticorum potentia eriperetur. *De trigesima nihil impetratum invenio, et vero difficulter id obtinuisset ipse* Ludovicus : *verumtamen* Ludovicum *opibus suis Balduino non defuisse patebit inferius.*

nuptiæ Alphonsi fratris Ludovici.

352 *Ad res hoc anno gestas addimus nuptias Alphonsi fratris* S. Ludovici *cum filia comitis Tolosani, quamvis non omnino certum sit, quo anno fuerint celebratæ. Matrimonium hoc jam a decennio decretum vidimus in tractatu Parisiensi : verum quo minus celebraretur citius, obstitisse videtur ætas utriusque parum matura. Porro Raynaldus ad annum 1236 num. 45 testatur, extare* diploma, quo Gregorius Alphonso, ut cum filia comitis Tolosani, quarto gradu consanguinitatis conjuncta, nuptias conficere posset, permisit. *De tempore autem Albericus ad annum 1237 post relatas Roberti nuptias ita loquitur :* D Eodem fere anno alter Regis frater Alphonsus nuptias suas fecit cum filia Raimundi comitis Tholosani. *Necdum tamen Alphonsus hoc tempore militia donatus, aut in possessionem hereditatis suæ missus, quod anno 1241 factum videbimus. Demum litteras Regis, quibus mense Augusto hujus anni terram quamdam in perpetuum possidendam concedit ecclesiæ B. Mariæ Piperacensi Ordinis S. Augustini, invenies inter instrumenta tom. 2 Galliæ Christianæ col. 89, inclusas litteras Guidonis episcopi Claromontensis, qui eas se integras vidisse testatur. Huic porro Guidoni episcopatum petiisse dicitur* S. Ludovicus, *quod parum verisimile videtur, tum ex iis, quæ de minori illius ætate narrantur in memorato tom. 2 col. 277, tum ex negatis eidem a Blancha tunc regnum administrante regalibus, ita ut plura de eo dicturus non sim ad annum 1250, quo fuit electus.*

§ XXX. Spinea Domini Corona S. Ludovico donata, atque in Galliam portata. E

Auctor historiæ spineæ coronæ in Galliam portatæ:

B*alduinum II hujus nominis dein imperatorem Constantinopolitanum in Galliam venisse, et non modo honorifice receptum a,* Ludovico, *sed et adjutum in comitatu suo Namurcensi recipiendo, num. 346 jam vidimus. Hujus autem occasione adventus ingenti thesauro, spinea videlicet Domini Corona, et pietatem* Ludovici *et regnum Galliæ honorare voluit Dominus. Nam imperatores Latini, post mortem Balduini I, ejusque fratris Henrici, qui initio ejusdem seculi imperium Orientale adepti, fortiter sustinuerant contra Græcos et Bulgaros sibi adversantes, paulatim eo inopiæ redacti erant, ut sacratissima quæque pignora obligaverint ad pecuniam sibi comparandam, qua adeptam imperii dignitatem utcumque tuerentur. Hac igitur necessitate oppignorata quoque fuit spinea corona, quæ* Ludovico *deinde donata, ab eoque redempta ac in Galliam fuit delata.* F *Rem totam mandato Regis descripsit Galterus Cornutus archiepiscopus Senonensis, qui receptioni coronæ adfuit, et cæremoniis præfuit, ita ut ad alios historicos recurrendum non sit, qui eadem brevius enarrarunt. Subdam ergo relationem Galteri, ex qua cum eximiam* Ludovici *erga sacra Dominicæ passionis pignora pietatem, tum rei gestæ historiam lector studiosus intelliget, præcisa tamen dimidia fere parte, quam ex instrumento authentico brevius et distinctius enarrabo, adjectisque notationibus quibusdam præviis ad clariorem rei intelligentiam.*

Balduino absente corona pignori datur,

354 *Cangius post Historiam Constantinopolitanam edidit instrumenta quædam, interque illa pag. 2 litteras Anselmi de Kaeu,* (bajuli, *ut vocant, seu administratoris imperii post mortem Joannis imperatoris, dum aberat Balduinus ejusdem imperii heres) aliorumque imperii procerum, datas* anno Domini MCCXXXVIII mense Septemb. die IV, *quibus referunt prædicti proceres, coronam spineam primo oppignoratam fuisse variis personis, partim Venetis, partim Genuensibus. Verum cum transacto jam termino restituendæ pecuniæ, eadem esset inopia, tota pecu-*

niæ

A *niæ summa, nimirum tredecim millia centum triginta quatuor hyperpera (moneta erat in imperio Græco usitata) mutuo data est a nobili Veneto Nicolao Quirino ea conditione, ut sacrosancta corona in deposito maneret Constantinopoli usque ad Novembrem sequentem; si vero pecunia reddi non potuisset termino præfixo, portaretur Venetias, ibique servaretur ad menses quatuor, postquam duci Venetiarum fuisset ostensa, ita ut intra illud tempus, reddita pecunia, deberet restitui :* Alioquin, *inquiunt proceres Nicolao Quirino,* prolapsis ipsis quatuor mensibus, habeas potestatem plenissimam eamdem sacrosanctam coronam habendi, tenendi, vendendi, alienandi, et quidquid tibi placuerit faciendi. Et ita hæc omnia juravimus, tactis sacrosanctis Dei Euangeliis, attendere, et observare bona fide, et non contravenire aliquo modo. *Non erit, opinor, hoc tempore, qui contractum illum a simonia excuset : verum dixisse sufficiat, eo tempore minus adhuc omnibus cognitam fuisse simoniam illam, quæ in distractione reliquiarum committitur, adeoque fieri potuisse, ut bona fide hujusmodi contractum inirent proceres Constantinopolitani et Veneti. Attamen non ea fuit inscitia* Ludovici, *quemadmodum ex sequenti relatione apparebit, ita ut corrigendi sint auctores aliqui, interque eos Matthæus Parisius ad annum 1238, pag. 325, qui imprudenter scripserunt, Dominicæ passionis instrumenta* S. Ludovico *vendita fuisse. Persolvit ille quidem pecuniam, qua oppignorata erat corona sibi data : verum illa solutione coronam sacrosanctam non emit; at potius dissolvit contractum simoniacum, ac effecit, ne donum sibi datum in manus alienas incideret, quod fieri necesse erat, nisi pecuniam illam pro Balduino restituisset : id itaque primo notatum volui, quod manifestum fiet ex relatione Galteri mox danda. Deinde ex recitato contractu apparet, quomodo intelligendus sit idem Galterus, dum inferius dicet, sacrosanctam coronam Venetis obligatam fuisse. Hisce prænotatis subjungo partem relationis Galteri archiepiscopi Senonensis, quam edidit Chesnius tom. 5 Scriptorum historiæ Francorum, in qua auctor pag. 409 sic prosequitur :*

B

C *Balduinus coronam donat S. Ludovico,*

355 Perpendens igitur idem Balduinus devotionem Regis et matris ipsius, de sacrosancta spinea corona facit eisdem mentionem. Dicit itaque se novisse relatione veridica, proceres inclusos in urbe Constantinopoli ad hanc calamitatis inediam devenisse, quod incomparabilem thesaurum illum Coronæ Domini (quæ totius imperii titulus erat et gloria specialis) oportebat alienis vendere, vel ad minus titulo pignoris obligare. Unde ardenter habebat in votis, quatinus ad Regem, consanguineum, Dominum, et beneficum suum, necnon ad regnum Franciæ, de quo parentes ipsius utrique processerant, hujus speciosæ gemmæ honor inæstimabilis, et gloria provenirent. Verum, quia idem Balduinus perceperat, quod, si tam preciosa res ei venderetur pecuniæ precio, regis conscientia læderetur, affectuosa prece cum lacrimis eidem supplicat, ut munus illud honorificum ab ipso recipere dono dignetur, et gratis. His auditis, Rex prudenter intelligens id a Domino fieri, gavisus est in hoc, quod ille, qui coronam eandem pro nobis gesserat in opprobrium, volebat eam a suis fidelibus pie et reverenter honorari in terris, donec ad judicium veniens, eam suo rursus imponeret capiti, judicandis omnibus ostendendam. Gaudebat igitur quod ad exhibendum honorem hujusmodi, suam Deus prælegerat Galliam, in qua per ipsius clementiam fides viget firmiter, et cultu devotissimo salutis nostræ mysteria celebrantur. AUCTORE J. S.

qui mox legatos mittit Constantinopolim

356 Rex igitur referens grates uberrimas Balduino, gratanter annuit, se munus illud inæstimabile recepturum ab ipso. Mittuntur ocius a Rege Constantinopolim pro complendo negocio Jacobus et Andreas fratres Ordinis Prædicatorum, quorum alter, scilicet Jacobus, prior fratrum ejusdem Ordinis fuerat in urbe prædicta, ubi coronam ipsam frequenter viderat, et ea, quæ circa illam erant, optime cognoscebat. Mittit etiam cum eis Balduinus nuncium specialem fide dignum cum patentibus litteris, quibus mandat baronibus, ut nunciis Regalibus sancta corona tradatur. Post multos itaque viarum anfractus ingredientes Constantinopolim, inveniunt ad pium Regis propositum viam a Domino præparatam. Tanta enim barones imperii arctaverat angustia, quod sacratissimam coronam pro ingenti summa pecuniæ compulsi sunt Venetis obligare. Cives autem Venetiæ, qui thesaurum illum nobilem plurimum affectaverant, hanc obtinuerunt conditionem apponi, quod nisi corona sancta per heredem imperii vel barones redimeretur infra terminum, videlicet solemnitatem SS. martyrum Gervasii et Prothasii, ipsa caderet in commissum : ita quod illa pignoris obligatio converteretur in titulum venditionis pro pecunia jam soluta. E

ubi eam inveniunt,

357 Apposuerunt insuper, quod illud pignus inæstimabile Venetiam interim transferretur. Barones, lectis domini sui litteris, sancto proposito Regis Francorum et heredis imperii plenius intellecto, devote adimplent mandatum domini, gerentes in votis, ut de Venetorum manibus educta, si fieri posset, in honorem cederet ecclesiæ Gallicanæ. *Cangius inter instrumenta, Historiæ Constantinopolitanæ subjecta, pag. 3 dat tenorem litterarum, quibus proceres Constantinopolitani jubent Nicolaum Quirinum, pecunia recepta, coronam spineam reddere. Datæ fuerunt hæ litteræ mense Decembri anni 1238. Ex quo intelligimus, legatos* Ludovici *circa id tempus venisse Constantinopolim, corona sacrosancta necdum Venetias delata, quamvis secundum contractum procerum cum Quirino jam eo delata esse potuisset. Deinde ex hac epistola colligi potest, quo circiter ejusdem anni mense data fuerit* Ludovico *eadem corona sanctissima. Quibus pro rei claritate breviter notatis, ad Galterum redeamus, qui ita prosequitur :* F

portantque Venetias ;

358 Conveniunt ergo cum Venetis, ut nuntii regales, quorum vita et habitus religionem testabantur, illud sacrosanctum portarent Venetiam, adjunctis sibi solemnibus nunciis imperii, præsentibus etiam magnis civibus Venetorum. Signatur loculus sigillis procerum non sine lacrimarum fluviis, et ejulatu publico defertur ad navem. Comites itaque tam sacri pignoris de ipsius confisi præsidio, media hyeme, quæ solet esse nautis invia, circa Nativitatem Domini maris fluctibus se committunt. Vastachius * vero pessimus zelator imperii per exploratores rem noverat de transferenda corona. Anxius igitur et intendens, qualiter eam nunciis posset eripere, per diversos sinus maris, quibus transituri videbantur, copiam galearum dispergit : sed

* Græcus imperator

AUCTORE J. S.

sed nunciis venientibus in nomine Domini nihil contrarietatis obsistit. Ingrediuntur Venetiam ovanter recepti, beatissimam coronam cum vase signato in thesauraria capellæ beati Marci Euangelistæ cum diligentia et devotione deponunt. Relicto ibidem fratre Andrea custode thesauri nobilis, frater Jacobus cum nunciis imperii festinanter ad Regem accedit, rem gestam et statum negocii Regi fideliter exprimit et reginæ. Gaudent ambo, et omnes, quibus id secretum communicant, lætitia ineffabili, sperantes in Domino, quod ipse, qui cœperat, votum eorum feliciter consummaret.

Rex inde eam curat in Galliam ferri:

359 Præparant itaque nuncios solemnes et discretos cum fratre Jacobo et nunciis imperii, mittentes eos Venetiam instructos plenius et munitos de pecunia ad redemptionem sacri pignoris obtinendam. Imperatori Friderico scribitur, ut, si opus sit, nunciis Regalibus conductum, consilium conferat, et juvamen. Expedite veniunt Venetiam, fratrem Andream inveniunt cum thesauro. Procurante divina clementia, tunc temporis in partibus illis negociabantur nati de regno Franciæ mercatores. Exhibitis sibi litteris B Regalibus, de mutuo exponunt pecuniam ad libitum nunciorum. Redimitur sanctum pignus, dolentibus Venetis, sed pro conditionibus initis non valentibus obviare. Agnitis sigillis procerum, vasculum sanctæ coronæ suscipiunt nuncii, se viæ laboribus committentes. Conductus securitatem, ubi decuit, per imperatoris ministros habuerunt. Protectos insuper divini muneris præsentia, nihil in via contrarium contristavit. Nulla eis intemperies aeris nocuit, nec stilla pluviæ cecidit super eos, licet, ipsis susceptis in hospitio, pluisset pluries abundanter. Præmittunt nuncios, qui jam usque Trecas * munus sacratissimum nunciant advenisse.

* Troies

eo delata visitatur:

360 Exhilaratus Rex plurimum, cum matre sua et fratribus, assumptis secum Galthero Senonensi archiepiscopo, Bernardo Aniciensi episcopo, et aliis baronibus et militibus, quos habere subito potuit, festivus occurrit. In villa, quæ per quinque leucas distat a Senonis, et Villanova archiepiscopi dicitur, thesaurum, quem desideraverat, cum nunciis invenit: consignatum vas ligneum reseratur, apparent circa vas argenteum sigilla baronum. Attulerunt C autem præfati nuncii sigilla procerum cum litteris patentibus ad Regem et Balduinum. Facta igitur collatione ipsorum cum sigillis, quibus erat sacræ coronæ vas signatum, inveniunt vera esse.

ac Regi, obviam profecto, ostenditur:

361 Fractis itaque signaculis hujusmodi, necnon sigillo ducis Venetiæ, quod ad majorem certitudinem appositum fuerat, argenteum vas recludunt. Inveniunt de auro purissimo loculum pulcherrimum, in quo sancta corona jacebat: sublato hujus operculo, visa est ab omnibus, qui aderant, inæstimabilis margarita. Quanta itaque devotione, quantis fletibus et suspiriis inspecta fuerint a Rege, et regina, et aliis, vix posset perpendi. Commorantur in aspectu præ amoris desiderio, tam devotum sentientes fervorem mentium, quasi viderent coram se Dominum spinis præsentibus coronatum. Post paululum ipsam includunt in vasculis: consignantur sigillo regio; quod in die festo beati Laurentii martyris est completum.

362 Anno igitur millesimo ducentesimo tricesimo nono, in crastino Laurentii martyris, hujus pretiosæ gemmæ thesaurus Senonis * deportatur, occurrentibus in via populis universis: D exultat omnis cætus hominum sine differentia sexuum et ætatum. In primo civitatis ingressu Rex nudis pedibus, sola indutus tunica, cum fratre suo Roberto comite, humiliato similiter, sacrum onus humeris suis suscipit deportandum. Prosequuntur et præcedunt milites, rejectis calceis. Exiit obviam jocunda civitas, clericorum conventus processionaliter veniunt: clerici matricis ecclesiæ sericis ornati, monachi cum ceteris religiosis sanctorum corpora deferunt, et reliquias, quas imaginatur hominum devotio, tamquam sancti desiderent occurrere Domino venienti. Certatim concrepant laudes Domini, tapetibus et palliis ornata civitas res suas preciosas exhibet, campanis et organis resonat, et populi jocundantis applausu: cerei cum candelis tortilibus per plateas et vicos singulos accenduntur. Defertur in ecclesiam prothomartyris Stephani, populis detegitur, et tantæ causa jocunditatis aperitur.

Rex eam cum fratre fert Senonas,

* Sens

indeque Parisios: ubi dein populo ostenditur:

363 In die crastina Rex versus Parisius urbem regiam dirigit iter suum, insigne vasculum deferens. Omnium voce laudatur dicentium, Benedictus qui venit in honore Domini, cujus E ministerio regnum Franciæ tanti præsentia muneris exaltatur. Octava die extra muros juxta ecclesiam B. Anthonii in campi planitie construitur eminens pulpitum, astantibus pluribus prælatis, ecclesiarum conventibus indutis sericis, exhibitis Sanctorum pignoribus, in tanta populorum frequentia, quanta Parisius exierit. Monstratur loculus ex pulpito, diei felicitas et causa gaudii prædicatur.

rursus a Rege, comitante supplicantium agmine, per urbem fertur:

364 Post hæc intra muros civitatis infertur a Rege et fratre suo discalciatis, ut prius, et præter tunicas vestimentis depositis. Omnes etiam prælati cum clericis et viris religiosis, necnon et militibus, nudis pedibus antecedunt. Quanta per urbem jocunditas, quot signa et indicia gaudiorum in conspectu venientium visa sint, nemo sufficeret enarrare. In pontificalem ecclesiam beatæ Virginis inducitur, ubi persolutis Deo et beatissimæ Matri ejus devotis laudibus, cum thesauro nobili solemniter ad Regis palatium revertuntur. Collocatur in capella regia beati Nicolai cum multo gaudio Domini corona. F

concursus populi, miracula.

365 His itaque solemniter peractis Parisius, exiit fama celebris, divulgatur insigne spectaculum. Primum per loca vicina, deinde per remotas civitates et villas: concurrunt festinanter ad gaudium, videre desiderant causam felicitatis præsentium temporum, et totius regionis. Quia vero non conceditur eis videre, quod cupiunt, ex causis aliquibus abscondito thesauro Domini, fideliter consignato, certatim ad campos confluunt, ardenter deosculantur pulpitum, in quo exhibitum fuerat vas. Ibi, si credendum personis fide dignissimis, per virtutem sacri diadematis, et propter devotionem fidelium circa languentes operatus est multas virtutes et miracula Dominus Jesus Christus, cui est laus *etc. Hactenus Galterus testis oculatus, cujus relatio mihi sufficere videtur tum ad historiam hanc cognoscendam, tum ad eximiam* S. Ludovici *in hisce pietatem, modestiamque singularem commendandan, ita ut nihil lubeat ex aliis superaddere, nisi nummum antiquum, uno latere Regis effigie insignitum, altero autem latere*

ejus-

A *ejusdem Regis, ante coronam in genua provoluti, pietatem sic exhibentem, apud Jacobum de Bie fol. 24 :*



B

§ XXXI. Subsidium Balduino Constantinopolitano datum : expeditio procerum in Terram sanctam : fundatio abbatiæ Mali-dumi.

Ludovicus imperii Constantinopolitani periculo

Vidimus num. *346 duplici de causa Balduinum imperii Constantinopolitani heredem in Galliam venisse ad* Ludovicum, *nimirum ut subsidia imperio defendendo postularet, et hereditatem suam adiret. Hoc eum ope* S. Ludovici *consecutum diximus; restat itaque, ut hoc loco enarremus, quid ei ad imperium tuendum contulerit Rex sanctus. Verum juverit ante audire, ad quantas miserias Latinorum in Oriente imperium esset redactum. Narrat id laudatus modo Galterus archiepiscopus a pag. 408 hoc modo :* Dum in partibus Gallicanis moram faceret *(Balduinus)*, hereditatis propriæ detentus negotiis, et in petendo subsidio sollicitus plurimum et intentus, de partibus Romaniæ suscepit nuncium, qui aures ejus, et animum subitis rumoribus perculit, et turbavit. Nunciavit enim, prout res erat, virum illustrem Johannem imperatorem socerum suum juxta naturæ debitum subtractum vitæ mortali : statum etiam Constantinopolitanæ civitatis, et terræ alterius, siquam extra muros ejusdem urbis habebat, ita per incursus hostium arctatum penitus et oppressum, quod vix eis ad campos pateret aditus. Intus autem uxor sua, proceres, et vulgus, quotidianis egebant alimentis. Discurrebant etenim libere per regionem hostiles impetus, non permittentes in urbe deferri victualia : congregatis turmis hoc animo, ut ipsam Constantinopolim obsiderent.

C

motus, Balduino fert opem :

367 Ad hæc major rem urgebat desolationis cumulus, quia multi de populo, de nobilibus aliqui, præsentibus devicti angustiis, et futura metuentes pericula, noctu vel alias furtive muros civitatis exibant, et per mare vel viarum discrimina fugientes, propter metum se certioribus periculis exponebant. Propter quod erat dubium, ne si urbem hostilis circuiret obsidio, non invenirent proceres, quos ad munitionem murorum in propugnaculis collocarent. *Hæc sane sufficere poterant ad* Ludovici *animum ad misericordiam inflectendum; utpote qui nihil magis in votis habebat, quam ut miseris succurreret, oppressos sublevaret. Sed et alias præterea rationes proferebat Balduinus, ut narrat memoratus auctor, qui ita prosequitur :* Verbis hujusmodi tristibus turbatur adolescens heres imperii. Unde frequentius Regem Francorum, matremque ejus, et amicos suos circuit sollicitus, humiliter interpellans, miserabiliter obsecrat, ut sibi subveniant, et imperium Romaniæ, quod per Francos potenter et gloriose fuerat acquisitum, non permittant rursus in Græcorum infidelium * redigi servitutem. Litteras exhibet Papæ Gregorii, quibus ejusdem imperii necessitati succurrentibus eamdem concedit indulgentiam, quam in subsidium Terræ sanctæ proficiscentibus concesserat concilium generale.

AUCTORE J. S.

* *i. e.* schismaticorum

primo Balduini agmine culpa Frederici dissipato,

368 Ad hæc moventur Rex et regina, de thesauris suis magnas ei pecuniæ conferunt quantitates, stipendiarios ipsi quærunt, et sociant milites alios, quos noverant egregios bellatores. Nonnulli de consanguineis ejus, quos et pietas et carnalis affectus induxerat, eidem se juramento confœderant, pollicentes se ipsum pro viribus secuturos. *Hisce subsidiis, opibusque adjutus Balduinus, ingentem exercitum anno 1238 misit Constantinopolim, duce Joanne Betuniensi, quem ipse deinde sequeretur majoribus cinctus copiis militaribus. Verum primum illud subsidium ad nihilum fere redactum est culpa Frederici imperatoris, qui transitum primo negavit per Lombardiam; deinde, transitu exercitui concesso, ducem detinuit, quo præ dolore e vivis erepto, exercitus fere totus dissipatus est, ita ut non nisi pauci per ingentia discrimina Constantinopolim pervenerint : uti latius enarrat Cangius in Historia Constantinopolitana ad annum 1238, quem consule.*

E

secundum ipse salvum perducit Constantinopolim.

* *i. e.* obligavit

369 Balduinus *hoc infortunio nondum fractus, anno 1239, ut habet Albericus pag. 573,* castrum de Namurco Ludovico Regi Franciæ supra quinquaginta millium librarum Parisiensium invadiavit *. *Qua pecunia, aliisque subsidiis tum a* Ludovico, *tum ab Angliæ rege ac summo Pontifice datis, ingentem rursus conscripsit exercitum, quem comitantibus quibusdam Galliæ proceribus, inter quos bellica laude præcellebat Humbertus de Bello-joco in Francia deinde supremus rei militaris præfectus, salvum perduxit Constantinopolim, transitum tandem concedente Frederico, quem id,* Ludovico *petente, negare ausum non fuisse, scribit ex conjectura valde probabili laudatus Cangius pag. 118, quem, uti et Albericum de re tota latius consulere lector poterit : nam hæc ego tantum memoranda duxi quatenus spectant ad* Ludovicum, *cujus potissimum liberalitate et munificentia adjutum Balduinum Græci etiam non ignoraverunt. Audi itaque unum Georgium Acropolitam cap. 37 de hoc subsidio scribentem :* Balduinus. . . , *inquit,* ad Francorum Regem sibi affinitate conjunctum, et ejusdem generis, et Romanis *(ita Græci se vocabant)* infensissimum, ideoque suppetias ferre paratum, proficiscitur, operamque illius, nec contemnendam poscit. Fit voti compos, et intra breve tempus Francorum sexaginta millia, ut in Romanos arma caperent, lecta sunt. *Quorum deinde iter terrestre in Thraciam describit, bellique successum initio satis felicem, licet deinde, exhausto ærario, in easdem angustias relapsus sit Balduinus.*

F

Expeditio procerum in Terram sanctam.

370 *Dum hi in Græciam tendebant, imperio Orientali opem laturi; alii Galliæ proceres, iique admodum potentes, Syriam petebant, loca sacra, si possent, Saracenorum manibus ereptu-*

ri.

AUCTORE J. S.

ri. Qua etiam occasione liberalitatem suam desiderari passus non est Ludovicus. *De hac expeditione ita scribit ad hunc annum pag. 572 Albericus :* Ad succurrendum Terræ sanctæ moverunt in æstate hujus anni Henricus comes Barri, dux Burgundiæ, comes Nivernensis, rex Navarræ, et comes Britanniæ *(Petrus videlicet, qui comitatum Joanni filio jam resignaverat)* cum fratre suo Matisconensi comite. *Hunc autem Matisconensem comitem, Joannem de Dreux, pecunia ad iter instruxit* S. Ludovicus, *empto ejus comitatu decem millibus librarum numeratæ pecuniæ, et annuo censu librarum mille, ut scribunt Sammarthani in Historia domus Franciæ tom. 1, a pag. 526, adduntque venditionis litteras notatas esse mense Februario anni 1238, more scilicet Gallico, ita ut ad annum 1239 emptio sit referenda. Mentionem hujus fecit Albericus, præcedentibus ista subjungens :* Ibi notandum est, quod nullus abhinc comes erat in Matiscone *, nisi dominus Rex Franciæ, quia non solum iste cum uxore, sed et alii hæredes totum vendiderunt, quidquid habebant, domino Regi, vel habere ibi poterant; specialiter autem uxor prædicta, mortuo marito, *qui in expeditione hac occubuit,* totum vendit.

* Mascon

371 *Non patiebantur regni negotia, ut* Ludovicus *hoc tempore hujusmodi expeditioni interesset, partem tamen habere voluit in opere, ad fidei exaltationem suscepto. Quapropter summum rei militaris præfectum, regiis stipendiis militaturum misit. Memorat id Albericus loco assignato his verbis :* Comiti Almarico Montisfortis contulit Rex Franciæ arma sua, et misi eum vice sua in obsequium Crucifixi, dans illit triginta duas libras provinciales *(Parisienses, et)* ille regratiando ad pedes ejus venit. *Ceterum infelix fuit hujus expeditionis exitus ; nam, cum temere alii ab aliis sejuncti Saracenos invadunt, perierunt Barri comes, comes Matisconensis, aliique nobiles : Montfortius vero cum aliis nobilibus captus, ac deinde, opera Richardi Angli liberatus, in reditu occubuit, honorifice Romæ sepultus : alii, pactis cum Saracenis induciis, redierunt. Porro, si fides epistolæ apud Parisium citatæ ad annum 1240 pag. 358, infelix hujus expeditionis exitus Templariis etiam ac Hospitalariis imputatus fuit; hæc enim ibidem leguntur verba :* Præterea sciatis, quod dominus Rex Franciæ amovit omnem thesaurum suum a Templo ; quoniam Templarii nec Hospitalarii noluerunt Francos in hoc discrimine adjuvare. *Hæc qui latius deducta cupit, legat auctores de expeditionibus transmarinis ex professo agentes : nam mihi ad res gestas* S. Ludovici *festinandum.*

in qua partem quoque Rex habuit.

372 *Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2 pag. 346 ita scribit :* Anno MCCXXXIX Blancha regina, mater Ludovici Regis, religionis amore condidit, haud procul a Pontisara *, in loco, quem vulgo Malum-dumum * vocitant, monasterium, quod a loco nomen habet, in hocque Ordinis Cisterciensis virgines induxit. *Tum litteras subjicit, quibus præfatum monasterium dotavit eodem anno* Ludovicus. *Easdem edidit deinde Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ a col. 1270, ubi circa locum et nomen monasterii diversa utcumque a præcedentibus notat his verbis :* In loco Alneti fundatum, quod, postquam terra de Malodumo a Roberto et Odelina de Castro-Raynaldi ac eorum liberis empta donatum est, Malodumus cœpit appellari, hactenusque sub strictiore observantia floret. *Blancha autem nominari primum voluit* Sanctam Mariam regalem, *ut est in fundationis litteris apud Sammarthanos tom. 4 pag. 603. Notantur autem hæ litteræ anno* MCCXLI, *mense Martio, quamvis fundatio hoc anno posterior esse non possit.*

Blancha fundat abbatiam,

* Pontoise

* Maubuisson

373 *Nam litteræ dotationis* S. Ludovici *hoc anno notantur, quas subjungo ex laudato Gerardo du Bois, ut piam tum Regis tum etiam reginæ liberalitatem ex his lector intelligat :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus, quod cum ad amplificandum in Ecclesia Dei servitium, et ob remedium animarum carissima domina et mater mea Blancha illustris regina Francorum ex devotione sibi divinitus inspirata pro salute animæ suæ atque parentis nostri Ludovici regis claræ memoriæ, et nostræ, nec non et antecessorum ejusdem genitricis nostræ, et nostrorum, monasterium juxta Pontisaram constituerit, moniales Cisterciensis Ordinis ibidem collocare intendens. Nos cum eadem genitrice nostra personis, quæ ibidem Domino servituræ sunt, volentes in necessariis providere, loco prædicto assignavimus, et in perpetuam eleemosynam dedimus centum libras Parisienses annui redditus in præpositura nostra Medunti * anni singulis his terminis percipiendas, videlicet infra octavas Ascensionis Domini quinquaginta libras : infra octavas festi Omnium Sanctorum quinquaginta libras. In præpositura etiam Mellenti de voluntate et assensu ejusdem matris nostræ, quæ Mellentum * possidet ratione dotalitii, centum libras dedimus prædicto monasterio percipiendas ad terminos supradictos.

quam cum ipsa dotat Ludovicus :

* Mante

* Meulan

374 Unde volumus, et præcipimus, quod quicumque erunt præpositi apud Meduntum, et Mellentum, ipsi tempore præpositurae suæ dictæ ecclesiæ, vel ejus mandato dictum redditum sine qualibet contradictione vel difficultate persolvant terminis prænotatis ; pro singulis vero diebus, in quibus solvere distulerint eum redditum terminis memoratis, solvant qualibet die quinque solidos Parisienses nomine pœnæ eidem ecclesiæ, donec integram solutionem fecerint redditus supradicti. Item totum bladum *, et totum vinum de terra, quam sæpe dicta domina et mater nostra habet apud Stampas * et Dordanum *, et in castellis nostris, quæ ipsa tenet nomine dotalitii ; nec non et octo modios bladi, quos Draco de Bello-monte miles solebat percipere apud Pontisaram, prædicto monasterio dedimus, et concessimus cum omnibus supradictis in puram et perpetuam eleemosynam, eadem domina et matre nostra volente, et concedente, et quitante ista omnia supradicta, quæ ad suum pertinent dotalitium, libere et absolute concedentes monasterio memorato. Quod ut etc. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCCXXXIX. Regni vero nostri XVIII, *legendum* XIII. *Alia deinde privilegia huic abbatiæ dedit* Ludovicus : *nam et eam ab omni exactione seculari exemit anno 1244 apud laudatos Sammarthanos pag. 604, et sub protectione sua esse voluit per litteras anni 1248, ibidem pag. 603 recitatas. Vides ubique beneficum* S. Ludovicum, *sive pia bella gerenda essent, sive cultus divinus promovendus.*

et privilegiis quibusdam ornat.

* *i.e.* frumentum

* Estampes

* Dourdan

§ XXXII.

A

§ XXXII. Libri Judæorum Thalmudici, opem præstante Ludovico, in Gallia congregati, damnati, et combusti : fabella de his refutata.

Cantipratani relatio

Egregiam S. Ludovicus *operam navavit ad infames Judæorum libros in Gallia abolendos : de qua tamen tacuerunt ejus biographi. At Thomas Cantipratanus, qui eodem vivebat tempore, de re meminit, sed ita, ut rectius tacuisset. Juvat tamen verba ejus audire, ab alio scriptore temere jam adoptata, majorique temeritate ad infamiam præcipui sancti Regis consiliarii explicata, ut vera historiæ relatione falsitatis convicta, explodatur fabella insulsa. Accipe itaque Cantipratani verba lib. 1 de Apibus, cap. 3 :* Vidi et ipse alium archiepiscopum, virum literatum et nobilem, circa quem talis vindicta nutu Dei contigit. *Ex his verbis perperam infert Jacobus Echardus tom. 1 Bibliothecæ Prædicatorum pag. 250, quod Cantipratanus se horum omnium, quæ sequuntur,* testem oculatum *præstet. Neque enim quidquam asserit, nisi se aliquando archiepiscopum vidisse, cui illam vindictam obtigisse narrat : alia se vidisse non dicit, dicturus haud dubie, si vidisset, cum id magis ad fidem faciendam conduceret, quam quod dicat archiepiscopum se vidisse, cui id refert contigisse. Unde mihi longe verisimilius apparet, id ex aliorum relatione Cantipratanum scripsisse. Sed eum audiamus ulterius :*

B

de causa librorum Judaicorum.

376 Devotissimus in principibus Rex Franciæ Ludovicus, anno circiter ab Incarnatione Domini MCCXXXIX, instigante fratre Henrico, dicto de Colonia, Ordinis Prædicatorum prædicatore peroptimo, sub pœna mortis congregari fecit Parisiis nefandissimum librum Judæorum, qui THALMUD dicitur ; in quo inauditæ hæreses et blasphemiæ contra Christum, et Matrem ejus, locis plurimis erant scriptæ. Hujus itaque libri diversa exemplaria ad comburendum Parisios allata sunt. Flentes ergo Judæi adierunt archipræsulem, qui Regis consiliarius summus erat, et pecuniam ei pro conservatione librorum innumerabilem obtulerunt. Qua corruptus Regem adiit, et ad voluntatem suam juvenilem animum mox invertit. Redditis ergo libris, Judæi solemnem diem agi constituunt omni anno ; sed in vanum, aliud Spiritu Dei ordinante. Revoluto enim anno, die certo et ipso loco, quo libri execrabiles redditi sunt Judæis, hoc est in Vicenniis * prope Parisios, dictus archiepiscopus ad consultationem Regis veniens, diro viscerum dolore correptus est, et eadem die cum ejulatu maximo, vitæ finem accepit. Fugit autem Rex de loco cum tota familia, nimium * verens, ne cum archiepiscopo divinitus feriretur. Nec multo post, ut prius, instigante dicto fratre Henrico, Judæorum libri congregati sunt sub mortis pœna, et in maxima multitudine sunt combusti.

C

* Vincennes

* *Mss. alia* nimirum

quam temere adoptavit et exposuit Bulæus.

377 *Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, pag. 177, relatis verbis prædictis, subdit sequentia :* Quis ille est archiepiscopus, quem indigitat Cantipratanus? Certe Gualterus Senonensis archipræsul, qui in regni administratione primas obtinebat. *Quod, ut satis probabiliter, supposita veritate narrationis Cantipratani, dictum non inficior, cum rei adjuncta Senonensem designent, ita temere assertum de viro famæ integræ, dicenda facile evincent. Enimvero nomen archiepiscopi non ignorabat Cantipratanus. Cur igitur non expressit? Ne, ut conjicio, ex relatione non satis certa certam in tegerrimæ famæ antistiti aspergeret maculam. Verum secus evenisse videmus : notam enim Galtero, eamque insignem, nemo negaverit inustam, dum vagæ Cantipratani relationi interpres accessit Bulæus. Juvat itaque historiam totam hoc loco enarrare, ex qua labes consiliario* S. Ludovici *perperam afficta, a qua nec ipse Sanctus omnino immunis esset, detergatur, et res ipsa clarius elucescat.*

AUCTORE J. S.

Monumenta hujus historiæ jam edita :

378 *Jacobus Echardus in Summa S. Thomæ suo auctori vindicata pag. 572 hanc historiam elucidandam suscepit, aut potius illustrandam suggessit editis de ea monumentis, litterisque antiquis, quæ lucem nondum aspexerant. Audi ejus ibidem verba :* Gratum me lectori facturum existimavi, si omnia in causa Judæorum ratione librorum Thalmudicorum gesta, regnante divo Ludovico, hic reperiret : eo magis quod, etsi gravissima fuerint, vix quidquam tamen sive in Annalibus ecclesiasticis Odorici Rainaldi, sive in Conciliis Philippi Labbe præter epistolam Innocentii IV ad eumdem SS. Regem habeatur. Ea autem depromo ex codice Ms. Sorbonico æquali, cujus titulus, EXTRACTIONES DE TALMUT. *Tum refert extractionum partem, monumentaque ibidem inventa, quæ consulere poterit lector curiosus, si horrendas in Christum ac Deiparam Judæorum blasphemias, ac delira Rabbinorum somnia cupiat cognoscere : nobis sufficiet ea depromere, quæ ad historiam damnatorum librorum enarrandam conducunt : quod jam facere aggredior.*

E

historia tota compendio relata :

379 *Auctor Extractionum in prologo secundæ partis apud laudatum Echardum pag. 583 compendio refert rei initium, et progressum :* Anno, *inquit,* ab Incarnatione Domini MCCXXXVI circiter Pater misericordiarum Judæum quemdam, nomine Nicolaum, dictum de Rupella vocavit ad fidem, in Hebræo plurimum eruditum, etiam secundum testimonium Judæorum, ita ut in natura et grammatica sermonis Hebraici vix sibi similem inveniret. Hic accessit ad Sedem apostolicam, et bonæ memoriæ Gregorio Papæ, Pontificatus ejus anno XII, prædictorum librorum nefandam detexit malitiam, et quosdam specialiter expressit articulos, super quibus ad reges Franciæ, Angliæ, et Hispaniæ litteras Apostolicas impetravit, ut, si in præfatis libris contingeret talia reperiri, igni facerent eos tradi. Collectis igitur auctoritate Regia de toto regno Franciæ cunctis libris Talmut, et Parisius deductis, una die combusti sunt ad quatuordecim quadrigatas *, et sex in alia vice.

F

* *i. e.* quadrigarum onera

Gregorius IX apprehendi jubet libros Thalmudicos :

380 *Epistolæ Gregorii, quorum hic fit mentio, insertæ habentur litteris Odonis Cardinalis, ac legati Apostolici in Gallia, ad Innocentium IV, ex quibus plura deinde adducemus. Dedit autem Gregorius hac de re epistolas Pontificatus sui anno* XIII, *id est, Christi 1239, mense Junio, ad archiepiscopos* Galliæ, Angliæ, Castellæ, et Legionum, *ad reges Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Castellæ et Legionis, Navarræ, Portugalliæ, easque ejusdem fere tenoris : prout*

ex

AUCTORE J. S.

ex laudatis Cardinalis Tusculani litteris intelligitur. Ubi etiam hoc mandatum dedit Guilielmo Parisiensi episcopo pag. 595 : Fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus litteras nostras ad negotium super libris Judæorum tibi ac collegis tuis a nobis commissum spectantes, tibi ex parte nostra per dilectum filium Nicolaum quondam Judæum latorem præsentium præsentandas devote recipiens, ipsas venerabilibus fratribus archiepiscopis, et carissimis filiis nostris Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ ac Legionum, et Portugalliæ regibus illustribus destinatas a nobis, transmittas, cum videris expedire. *Aliud mandatum episcopo, Priori Prædicatorum, et Ministro Minorum dedit, quod cum scriptis ad reges et archiepiscopos consonat. Verba Pontificis accipe :* Discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus universos Judæos in regno Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ et Legionum, ac Portugalliæ commorantes, ad exhibendos omnes libros suos facientes compelli brachio sæculari, illos, quos
B inveneritis errores hujusmodi continere, faciatis incendio concremari, contradictores per censuras ecclesiasticas Apostolica potestate compescendo, nobis quidquid feceritis fideliter rescripturi. *Ita fere ad reges, et archiepiscopos Gregorius, qui pag. 593 libros eorum capi jubet* primo sabbato quadragesimæ *proximæ, id est anni 1240.*

illi in Gallia ope S. Ludovici capiuntur, examinantur,

381 *Voluntati autem Gregorii non segniter obtemperatum in Gallia, certis docemur monumentis, egregiamque ea in re operam dedisse* Ludovicum, *ex dictis, dicendisque fit manifestum. Imprimis laudatus Extractionum auctor de examine librorum, auctoritate Regis Parisiis, ut supra dictum est, congregatorum, ita loquitur in Epilogo apud Echardum pag. 586 :* Denique nolo vos in futurorum cautelam et majorem certitudinem præcedentium hoc latere, quod, cum super combustione librorum Talmud, præscripta mirabilia et iis similia continentium, coram Christianissimo Rege nostro Ludovico causa fuisset aliquamdiu ventilata, tandem dedit nobis alios auditores, videlicet archiepiscopum Senonensem, episcopum Silvanectensem, cancella-
C rium Parisiensem, nunc autem Tusculanensem episcopum, et apostolicæ Sedis legatum in Terra sancta. *Hic est Otho, seu Odo de Castro-Rufo, vel Castro-Radulphi, ut vocant alii, qui ultima tandem sententia libros Thalmudicos damnavit. Ughellus in Italia sacra editionis novissimæ tom. 1 col. 234 de eo inter alia sic habet :* Ab Innocentio IV creatus est episcopus Cardinalis Tusculanus MCCXLIV, legatusque in Gallias ad promulgandam cruciatam, ut vocant, contra Saracenos. *Porro de viro hoc egregio crebra nobis erit mentio, quod* S. Ludovicum *in Terram sanctam fuerit secutus; Ordini Cisterciensi aggregatum, priusquam Cardinalitia dignitate ornaretur, scribit laudatus Ughellus cum Cisterciensibus quibusdam, verum id refutat Echardus hic pag. 573. At videamus quid coram tribus his auditoribus fuerit actum.*

damnantur, et quotquot haberi poterant, comburuntur :

382 Statuta itaque die nobis, *inquit pag. 587 Extractionum auctor,* vocatisque peritioribus Judæorum magistris coram se citatis, cœperunt inquirere super præmissis veritatem : et primum introductus est secundum eos peritissimus, et per totum famosissimus Judaismum, nomine Vino *(vel* Vivo, *ut notat Echardus)* Meldensis. *Cujus confessionem de articulis multis, partim blasphemis, partim plane ridiculis ibidem subjungit. De prædicto autem examine, indeque secuta librorum combustione laudatus Odo Cardinalis ad Innocentium IV ita scripsit pag. 595 :* Omnia vero, quæ inclusa missa fuerunt sub bulla *(Gregorii)* et singula, et multo plura inventa fuerunt in prædictis libris in præsentia bonæ memoriæ Galteri archiepiscopi Senonensis, et venerabilium patrum Parisiensis, (et) Silvanectensis episcoporum, et fratris Gaufridi de Blevello capellani vestri tunc Parisius regentis, et aliorum magistrorum theologiæ, et etiam magistrorum Judæorum, qui prædicta in libris suis contineri confessi sunt in præsentia prædictorum . . . Facta vero prædicta examinatione, omnium magistrorum theologiæ, et juris canonici, et aliorum multorum habito consilio juxta mandatum Apostolicum, omnes prædicti libri, qui tunc haberi potuerant, incendio fuerunt tunc cremati. *Hæc ea de re gesta sub Gregorio.* D

ex quibus tota Cantipratani narratio refutatur.

383 *Ex quibus totam Cantipratani relationem concidere necesse est : neque enim libri collecti suadente Henrico de Colonia, sed jubente Pontifice : nec redditi per archiepiscopum pecunia corruptum, sed, eo judicio præsidente, damnati, et quotquot haberi potuere, combusti. Si ergo Senonensis archiepiscopus obiit morte subitanea, id temere divinæ vindictæ adscribitur : mortuus autem dicitur ab auctoribus, quos mihi videre licuit,* XI *Kalendas Maias anni 1241, qui mortis genus non exprimunt, at laudes ejus non tacent, uti etiam advertit Chaizius pag. 302, satis moderate hac de re scribens, cum monumenta non haberet, quibus fabulam refutaret. Audi pro omnibus versiculos quosdam tumulo ejus in choro metropolis, ubi sepultus est, inscriptos, ex Gallia Christiana tom. 1 pag. 638 :* E

Præsul Galtherus jacet hic in pulvere, verus
Cultor justitiæ, cleri pater, arca sophiæ.

Et deinde :

Dum viguit tua, dum valuit, Galthere, potestas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honestas.

Ex his satis mihi vindicata videtur fama Galteri, simulque Ludovici, *qui juvenili levitate libros blasphemiis refertos reddidisse Judæis dicebatur. Quod autem de ejus cum tota familia fuga narratur, moriente archiepiscopo, haberi potest pro ornamento adjectitio, qualia tragœdi episodia vocare solent; cum nec gravitati* Ludovici *conveniat, nec pietati, virum sibi percharum in tanta necessitate deserere. Ceterum non ita vehementer mirari debemus, Cantipratano, exempla undique conquirenti terrorem incutere nata, aliquid subinde vel ex mendaci fama, vel ab aliquo mysteria fingente, ubi non erant, obtrusum fuisse a vero alienum. Hæc autem fidentius narrasse videtur, quod exemplum profuturum speraret, nec cujusquam famæ nociturum, modo nomen supprimeret : licet postremum non satis vitaverit hoc loco. Sed redeamus ad historiam.* F

Reliqui Judæorum libri investigantur tempore Innocentii IV :

384 *Causa de libris Thalmudicis Judæorum, aliisque eorum nefariis scriptis, resumpta fuit tempore Innocentii IV, rem maxime promovente Odone legato apostolico. Unde cum supra num. 379 dicantur una vice libri combusti ad quatuordecim plaustra; altera ad sex plaustra : verisimile*

A *risimile est posteriores libros Innocentii tempore combustos fuisse. Certe, post primam combustionem, ad Innocentium scribit in laudata sæpius epistola apud Echardum pag. 597 Odo Cardinalis, se a Judæorum magistris exegisse libros omnes, nimirum qui priorem investigationem effugerant. Verba ejus accipe :* A magistris autem Judæorum petii, ut Talmud, et omnes alios libros suos mihi exhiberent, qui tantum quinque mihi volumina vilissima exhibuerunt, quæ juxta formam mandati vestri facio inspici diligenter. *Secunda autem hac librorum investigatione territi Judæi, ad ipsum videntur recurrisse Pontificem, ut libris parceretur, ei persuadere conati, se sine subsidio librorum Thalmudicorum sacras Scripturas intelligere non posse : id mox probatum dabo ex litteris Cardinalis Tusculani.*

hic Judæorum fraudes doctus a legato suo,

385 *Ex cujus epistola prius audi, quid fieri voluerit Innocentius, hac Judæorum fraude ad mitiorem partem impulsus. Hoc modo epistolam suam exorditur Odo legatus Cardinalis Tusculanus ad Innocentium pag. 592 :* Sancti B tati vestræ placuit mihi dare nuper in mandatis, ut mihi facerem exhiberi Talmud, et alios libros Judæorum, et ipsos inspici : et inspiciens diligenter eosdem tolerarem in his, in quibus secundum Deum sine fidei Christianæ injuria viderem tolerandos, et magistris restituerem Judæorum. *Quam mentem omnibus viribus exempturus Pontifici, refert omnes processus Gregorii tempore factos, litterasque ejus hac de re scriptas, omnia denique, quæ secundum rei gestæ ordinem, ex eo jam narravimus : ex quibus pag. 596 sic infert :* Unde manifestum est, magistros Judæorum regni Franciæ nuper falsitatem Sanctitati vestræ, et venerabilibus patribus dominis Cardinalibus suggessisse, dicentes quod sine illis libris, qui Hebraice Talmud dicuntur, Bibliam et alia instituta suæ legis secundum fidem ipsorum intelligere nequeunt... Et esset scandalum non minimum, et Sedis apostolicæ sempiternum opprobrium, si libri, coram universitate scholarium, et clero, et populo Parisiensi tam solenniter et tam juste concremati, mandato C Apostolico tolerarentur, vel etiam magistris Judæorum redderentur, hæc enim tolerantia quædam approbatio videretur. *Dein probat libros illos damnandos, etiamsi* aliqua bona contineant licet rara, *et sic Innocentium alloquitur :* Hæc Sanctitati vestræ præsentibus intimavi, ut ad plenum de libris prædictis Sanctitati vestræ veritas innotescat.

Ludovicum hortatur ut eos aboleri curet,

386 *His litteris excitatus Innocentius, ad* S. Ludovicum *se convertit, ut cujus ope libri Judæorum tanta copia ante combusti erant, ejusdem auctoritate reliqui in Francia investigarentur, et abolerentur. Partem litterarum Pontificis dedit Raynaldus ad annum 1244 a num. 41, totasque Bullario suo inseruit Cherubinus tom. 1, pag. 62, in quibus exposita Judæorum eorumque librorum perfidia ac nequitia, ita loquitur :* et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis, et doctores regentes Parisiis in sacra pagina, de mandato felicis recordationis G. * Papæ prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectis in potestate *, ac examinatos ad confusionem perfidiæ Judæorum, publice coram clero et populo incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tamquam catholicus Rex, et Princeps christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum et favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac prosequimur actionibus gratiarum : quia tamen nondum Judæorum ipsorum abusio profana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam rogamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut qui excessus hujusmodi detestabiles et enormes, commissos in contumeliam Creatoris, et injuriam nominis Christiani, pie incepisti, laudabiliter prosequendo, facias debita severitate percelli : et tam prædictos abusionis libros, reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati et reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari. *Hæc Innocentius mense Maio anni 1244.*

* Gregorii

* Raynaldus, perlectos in parte

AUCTORE J. S.

quod, prævio examine

387 *Dubium non est, quin voluntati Pontificis fuerit satisfactum : sed fortasse post annum unum alterumve tantum conquisiti libri, ut, Judæis tunc eos præ timore abscondentibus, illi deinde majori copia deprehendi possent. Sententia certe damnationis in eos tantum lata anno 1248, Idibus Maii, per eumdem legatum* E *Apostolicum Odonem episcopum Tusculanum, quam hic subnecto ex sæpe memorato Echardo pag. 597 :* Odo miseratione divina Tusculanensis episcopus apostolicæ Sedis legatus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos Parisius anno Domini MCCXLVIII, Idus Maii super quibusdam libris Judæorum, qui Talmut appellantur, præsentibus magistris Judæorum et ad hoc vocatis, diffinitivam sententiam protulimus in hunc modum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

et damnatione, perficitur.

388 Exhibitis nobis auctoritate Apostolica a magistris Judæorum regni Franciæ quibusdam libris, qui Talmut appellantur, quos inspeximus, et per viros discretos et expertos in talibus, Deum timentes, et zelum habentes fidei Christianæ, fecimus inspici diligenter. Quia eos invenimus errores innumerabiles, abusiones, blasphemias, et nefaria continere, quæ pudori referentibus et audientibus sunt horrori, in tantum quod prædicti libri secundum Deum sine fidei Christianæ injuria tolerari non possunt : F de consilio bonorum, quos ad hoc specialiter duximus evocandos, pronuntiamus prædictos libros tolerandos non esse, nec magistris Judæorum restitui debere, et ipsos sententialiter condemnamus. De aliis vero libris nobis non exhibitis a magistris Judæorum, licet a nobis super hoc pluries fuerint requisiti, vel etiam non inspectis, plenius cognoscemus loco et tempore : et faciemus, quod fuerit faciendum. *Subduntur sententiæ nomina quadraginta et unum eorum, quorum consilio lata fuit, inter quos primus est episcopus Parisiensis. Lata hac sententia, jussu regio combusta crediderim sex plaustra librorum, de quibus ante dictum. Atque hæc sufficiant de libris Judaicis, quæ hactenus lucem vix aspexerant, ex quibus una cum zelo moderatio Ludovici elucescit, quod causam hanc totam judici ecclesiastico decidendam permiserit, eique manum auxiliatricem strenue exhibuerit.*

AUCTORE J. S.

§ XXXIII. Nata S. Ludovico filia : Richardus Anglus honorifice exceptus : querelæ inter imperatorem et Ludovicum occasione comitis Provinciæ, quem imperatori et comiti Tolosano Rex conciliat : rebelles Albigensium fautores victi, paxque restituta.

Nata S. Ludovico filia : periculum divortii refutatum :

Desiderabat dudum *Gallia fructum matrimonii* S. Ludovici : *imo, si auctori Vitæ S. Theobaldi abbatis Vallis-Cernaii fides hac in re deberetur, agebatur de divortio* S. Ludovicum *inter et Margaritam reginam procurando, quod sterilis crederetur Margarita. Servamus* B *hanc Vitam Ms. in scriniis nostris, examinandam uberius ad* VIII *Decembris, quo colitur S. Theobaldus : fragmentum, in quo illud divortii periculum asseritur, tomo 5 Scriptorum Historiæ Francorum inseruit Chesnius pag. 406, quod sufficit ad fabulam refutandam. Audi itaque ex Chesnii fragmento, quam concinne auctor referat precibus S. Theobaldi prolem reginæ impetratam :* Oravit itaque homo Dei, et maxime pro regina..... Exaudivit Dominus vocem servi : imprægnata fuit regina Margareta a felicissimo Ludovico, et peperit filium nomine Ludovicum, cui successit Philippus, qui regnavit rex. Postea habuit filios et filias, Deo dante. *At vero duæ filiæ præcesserunt Ludovicum filium; fallitur igitur auctor, cum Ludovicum natum dicit ex matre eatenus infœcunda : quin ergo eum falli quoque existimemus in divortii periculo asserendo, in re, inquam, adeo incredibili, cujus apud alios scriptores nulla fit mentio? Etenim dictus auctor temporibus his tam propinquus non fuit, ut errare non potuerit. Quod si eum non omnino errasse velimus, dice-* C *re oportebit, rem ab eo auctam, ut fieri solet : quodque fortasse mussitatum fuerat ab aliquibus minus religiosis, id ita narratum, ac si verum divortii fuisset periculum. Certe nullo modo credendum, hanc cogitationem Regi fuisse, aut reginæ, nedum voluntatem. Ceterum anno 1240, teste Chronico S. Dionysii tom. 2 Spicilegii pag. 497, aliisque,* nata est Blanca primogenita Ludovici Regis in Translatione sancti Benedicti, *timoremque sterilitatis reginæ discussit. Verum obiit hæc Blancha in infantia anno 1243, ut habet ejus epitaphium apud Chesnium pag. 442.*

Richardus Anglus honorifice a Rege exceptus :

390 *Eodem anno* S. Ludovicus *Richardum Angliæ regis fratrem, per Galliam discedentem in Syriam, magna prosecutus est humanitate, et benevolentia. Rem accipe ex Matthæo Parisio pag. 363 sic scribente :* Comes vero Richardus, cum prospere in ulteriori littore applicuisset, et ad partes Franciæ jam perveniens, Regi appropinquasset; Rex cum matre sua Blancha, et multis magnatibus, comiti venienti occurrit lætabundus et festivus, et hospitatus est eum in palatio suo, cum ipso gratanter, quasi cum dilecto consanguineo suo, convivando, ipsum xeniis et muneribus regiis civiliter respiciendo. Misit quoque marescallum suum tutorem et ducem per totam terram suam, qui viatica et hospi- D tia laute et honorifice sibi suisque procuravit, donec Rhodanum lætus et sospes pertransisset. *Talis erat in amicos* Ludovicus, *licet hostes illi ante fuissent, ac deinde futuri viderentur, cum armis iram deponere solitus. Galliam item hoc anno voluntario exsilio petivit S. Edmundus archiepiscopus Cantuariensis, teste memorato Parisio pag. 360, ubi et supremum diem obiit. Addit Chaizius pag. 283, ad Regem venisse Parisios, familiæque regiæ bene precatum esse : quod ultimum confirmabitur ex verbis reginæ Blanchæ, ubi agemus de sacrosancto ejus corpore translato. Nunc ad alia progrediendum.*

motus imperatori et comitis Tolosani contra comitem Provinciæ :

391 *Atrox sæviebat hoc tempore bellum Gregorium Pontificem inter et imperatorem Fredericum, anno præcedenti Vaticano rursum fulmine percussum, de quo plura deinde dicemus, ad explicandum quid ea in re egerit* Ludovicus : *nunc verbo illud insinuasse oportuit, quia ex hoc fonte profluxisse videtur bellum, quod hoc anno* Ludovico *ortum, et non nisi sequenti, debellatis aut pacatis seditiosis, exstinctum. Joannes Baptista Guesnay in Annalibus Massiliæ pag. 364* E *recitat instrumentum anni 1239, quo archiepiscopus Arelatensis jurisdictionem urbis, quæ ad imperium pertinuerat, tradit comiti Provinciæ Raymundo Berengario, quam causam fuisse, cur imperator comitem Tolosanum excitarit ad bellum rursus Berengario inferendum, existimat Chaizius pag. 276, cui facile hac in re assentior, licet aliam etiam proferat causam Matthæus Parisius, qui Tolosanum ad hoc bellum ab imperatore impulsum narrat. Verum quidquid sit de causa odii imperatoris in comitem Provinciæ, bellum ei suscitatum a Frederico refert ad annum 1240, a pag. 357 memoratus Parisius his verbis :* Scripsit imperator comiti Tolosano, commonens efficaciter, quatenus sub retributionis condignæ vicissitudine, in comitem Provinciæ, pro duabus reginis filiabus suis erectum, et recalcitrantem... hostiliter impugnaret. Cujus etiam in gravamen comitis Provinciæ, imperator juvamen comiti Tolosano efficax ministravit. Cui comes Tolosanus protinus obedivit. F

quidam Galli, huic succurrentes, cæduntur a Tolosano :

392 *Post hæc, interjectis paucis, ita rursum ea de re scribit :* Comes autem Tolosanus, excitatus ad mandatum imperatoris, quem antiqua damna, ipsi sæpe a Francis illata, promptiorem reddiderant, irruit hostiliter in comitem Provinciæ, damna illi inferens irrestaurabilia. Sed comes Provinciæ statim ad Francorum cucurrit præsidia, petens humiliter, quatenus pro honore et reverentia reginæ Franciæ, filiæ suæ, eum efficaciter adjuvarent. Erant enim apud Avinionem *, et partes præcipue Rhodano adjacentes, qui cum Ludovico (VIII) rege Francorum illuc advenerant; qui castra et municipia et civitates, tunc violenter ab ipso Ludovico captas, instinctu Papæ et adjutorio adhuc detinebant, Franci nobiles et potentes : qui cum audierunt, quod pater reginæ in hoc certamine deteriorem calculum reportabat, et ut respiraret, auxilium pro amore reginæ sibi præstari suppliciter implorabat, congregati sunt, et unanimiter in auxilium comitis Provinciæ ad arma convolarunt. Cujus rei præscius comes Tolosanus, paratis insidiis, illis in manu robusta obviavit, et multos ex ipsis in ore gladii trucidavit, conatus eorum ad votum reprimendo. Et ita prosperatum est opus bellicum in manu ejus : ut

* Avignon

A ut in brevi tempore circiter viginti castra super Francos et comitem Provinciæ, punitis graviter rebellibus, comes Tolosanus dominio suo pristino mancipavit. *At diuturna esse non poterat hæc victoria, re brevi ad* Ludovicum *perlata, de cujus hac in re conatu post pauca, hæc subjungit auctor memoratus :*

hinc Ludovici querelæ contra imperatorem, et Tolosanum,

393 Francorum autem Rex potentissimus, cum audisset talem suis injuriam irrogari, et credens hæc per imperatorem sibi damna præparari; tam adversus imperatorem, quam adversus comitem Tolosanum in iram excanduit vehementem; volens omnibus modis hæc sibi damna cum injuriis plenissime resarciri : et ad vindictam de tanta temeritate exercendam, exercitum suum, quantum et qualem Franciæ nobilitas dignoscitur posse convocare, sub edicto regali, et sub terribili festinatione viriliter adunavit. Verumtamen ne præcipitanter ruerent ad certamen, humiliter postulabant et requirebant ab ipso imperatore, si hoc discrimen ab ipso sumperit patronatum. Interim propter jacturam militiæ suæ in Terra sancta, ne fortuitis casibus B reliquias amitterent; ad reprimendos impetus inimicorum Provincialium, Rex Franciæ septingentos milites, cum multo pluribus servientibus, transmisit expeditos. *Hæc sane prudenter* Ludovicus : *neque enim credibile est ab armis discessuros fuisse hostes, nisi terrore incusso : neque expediebat hoc tempore hostem occultum, eumdemque præpotentem aperto marte lacessere, si eum sola auctoritate sua posset ad officium revocare, quod præcipui regni proceres abessent, in Syriam, vel Constantinopolim profecti.*

qui se ei excusant.

394 *Verum audiamus, quid Fredericus, qui verbis ingentem erga* Ludovicum *benevolentiam semper exhibuit, occulte vero ejus potentiam infringere conatus est non raro; qui timuit, non amavit Regem sanctum; cujus versutum ingenium æque promptum erat ad verba danda, quam dolos nectendos : quid Fredericus, inquam, ad Regis querelas responderit :* Super his igitur, *ait Parisius,* cum dominus imperator redargutus esset, et quasi criminaliter accusatus, inficiatus est spiritu vehementissimo, quod numquam * a conscientia sua emanavit, ut per illum C in aliquo regnum Francorum læderetur : imo potius contra hostes ipsius regni paratus est stare, et viriliter ac voluntarie dimicare, non enim aliter cognoscitur promeruisse : et ait : Absit ut mala pro bonis recompensem. Sed si inconsulte aliqui Francorum, terris comitis Tolosani affines et contermini, credentes reginæ placuisse, in adversarium patris ejus insurgerent nimis propere, et inconsultius, sine præcepto domini Regis sui in nostros irruissent, et ipsi læsi injurias non expectatas propulsando vindicarunt, non est admirandum. Igitur, in quantum fieri potest, utrobique restituantur ablata, et de injuriis satisfiat; ne jam seminata semina discordiæ per inimicum humani generis, inter tam nobiles personas valeant amplius germinare, et inimici nostri de perturbatione nostra gratulari. Insuper comes Tolosanus, dominum imperatorem apud Regem Francorum, super hoc facto inscium affirmando, excusavit.

* *forte* umquam

Quidam Albigensium fautores

395 *Hac quidem imperatoris excusatione temperatum ab armis* Ludovicum *inter et Fredericum; nec Tolosanus ausus est aperto bello Regem impetere : attamen hostes non defuere, quibus perdomandis exercitus a* Ludovico *missus aliquot mensibus occuparetur. Rem compendio memorat Albericus ad hunc annum pag. 576, cujus verba subjungo :* In terra Albigensium contra Regem rebellaverunt quidam hæretici, Rogerus de Badieres, et complices sui quatuor, castra invadentes, et custodias Regis interficientes, et comes Tholosanus dicebatur eis occulte consentire. Unde Bituricas convocavit Rex concilium, et dominus Cardinalis Prænestinus affuit, et missi sunt in Albigenses tales et tanti milites armigeri et balistarii, quod Rex Deo dante triumphum obtinuit, et duo * castra recuperavit, et dictos adversarios ad suam misericordiam coegit redire. *Hisce nequaquam contradicit Nangius, pag. 334 idem bellum commemorans : sed aliqua hic dicta prætermittit, alia vero hic omissa adjungit, verba ipsius accipe :*

AUCTORE J. S.

* *al.* dicta *rectius*

rebellant, castraque Regis invadunt :

396 Per idem ferme tempus accidit, quod pessimi apostatæ de terra Albigensium insurrexerunt contra Christianos, et gentes Regis Franciæ Ludovici, qui ex præcepto ejus munitiones illius terræ propter ipsos apostatas conservabant. Unde eos sæpissime invadenies, castella, quæ ex parte Regis custodiebant, ipsis auferre E quotidie conabantur. Sed ipsi apostatarum videntes multitudinem, eorumque infidelitatem pessimam attendentes, inito consilio, ad Regem excellentissimum Franciæ, dominum suum Ludovicum, nuntios transmiserunt, eidem significantes per ipsos, quot et quantas infestationes a prædictis apostatis sustinebant. Quibus auditis, Rex Franciæ Christianissimus Ludovicus ira nimia succensus, fidelem suum dominum Johannem de Bellomonte convocans, præcepit ei, ut adversus apostatas Albigenses iter arripere non differret.

quas subjugat missus a Rege exercitus.

397 Qui confestim Regis imperium cupiens adimplere, collecta multitudine armatorum, regnum Franciæ celeriter pertransiens, in proximo usque ad terram Albigensium devenit. Qui protinus castrum fortissimum nomine Montemregalem obsidens, erectis petrariis *, mangonellis *, et aliis ad hoc aptis diversi generis instrumentis, illud infra paucos dies viriliter expugnans, peroptime tam gente, quam victualibus confestim munivit : et ad alia castra, quorum hic nomina brevitatis gratia subticentur, se convertens, ipsa in fortitudine sua, non tamen sine labore maximo, Regis Franciæ dominio F subjugavit. Deinde terram illam adeo potentissime peragravit, ut de ipso veraciter posset dici; In fremitu hic conculcat terram, in furore obstupefaciens gentes. Itaque Albigensibus apostatis perdomitis, ad dominum suum Regem cum triumpho celeriter remeavit. Rex vero de tanta adversus fidei Christianæ inimicos lætus victoria, gratias retulit omnium Creatori.

* *i. e.* machinis ad majores lapides jaciendos
* *i. e.* machinis pro lapidibus minoribus

Quo tempore, et quorum fiducia hi rebellarint;

398 *Quid submissus a* Ludovico *exercitus egerit, explicant hi auctores : at quinam bellum hoc excitarint, quidque profecerint, priusquam eo perveniret hic Regis exercitus, distinctius docet Guilielmus de Podio Laurentii, gesta cum Albigensibus ex professo prosecutus; ex quo item intelligimus hanc rebellionem in Gallia Narbonensi natam esse eodem tempore, quo comes Tolosanus Frederici imperatoris hortatu Provinciæ comitem invadebat, ita ut credibile sit, hosce Albigensium, eorumve fautorum motus non modo comitis Tolosani favore, sed et Frederici fiducia fuisse inchoatos. Audi igitur Guilielmum cap. 43 :* Anno, *inquit,* sequenti MCCXL comes Tholosanus, collecto exercitu valido, æsti-

vo

AUCTORE J. S.

vo tempore intravit Camargam *, et fuit contra civitatem comitis Arelatensis apud Trencatalliam * Rhodano mediante, et certatum est quasiper totam æstatem inter partes, lapidum immissione molarium cum machinis hinc et inde, et aliis bellicis instrumentis, et navalibus aggressionibus super flumine, ferentibus auxilium Massiliensibus civibus ut domino suo comiti Tolosano. *Quod factum instigante et opem ferente Frederico jam vidimus.*

* la Camargue. *insula est in Rhodano.*
* Trinquetail

eorum progressus ante adventum exercitus regi :

399 Eodem quoque tempore, *ut auctor prosequitur*, Trencavellus, filius quondam vicecomitis Biterrensis, adhærentibus sibi magnatibus Olivario de Terminis, et Bernardo de Ortalibus, et Bernardo Hugonis de Serralonga, et Bernardo de Villanova, et Hugone de Romegos nepote ejus, et Jordano de Saxiaco, invasit terram domini Regis in Narbonæ et Carcassonæ diœcesibus; et multa castra conversa sunt ad eum, Mons Regalis, Mons Olivus, Saxiacum, Limosium, Asilianum, Lauracum, et quotquot voluit in illo impetu et tremore. *Hæc impetu primo capta; at major belli moles Carcassone fuit, dum fideles Regis subditi illam urbem ser-*
B
vare omnibus viribus moliuntur. Verum ut clarius intelligantur, quæ ibidem facta narrat auctor, aliquid de Carcassone prænotandum. Carcasso, *inquit Baudrandus in Geographia,* urbs Galliæ Narbonensis,... episcopalis sub archiepiscopo Narbonensi, triplex est; nempe superior, inferior, ubi alias burgus, et castrum. *Nunc audiamus quid ad hanc urbem servandam fecerint Regis subditi, quid ad eam perdendam moliti sint adversarii. Sic auctor rem narrare pergit :*

facta in obsidione Carcassonis.

400 Ex adverso intraverunt civitatem Carcassonæ venerabiles patres archiepiscopus Narbonensis, et episcopus Tholosanus, et barones terrarii, et clerici plures de terra cum suis famulis, atque rebus, de securitate civitatis, et burgi pariter confidentes : nam episcopus Tholosanus frequenter descendebat in burgum, et burgensibus prædicabat confortans eos, et præmuniens, ne ab Ecclesia et Rege discederent, qui nosse poterant, quod fieri ea Rex diu nullatenus pateretur. Dumque ista colloquia agerentur, civitas messibus et præventis vindemiis replebatur, muri ligneis propugnaculis corroborantur,
C
eriguntur machinæ, et omnia ad pugnam spectantia parabantur. Interea quidam de burgo latenter cum hostibus miscere colloquia, quod in burgum eos inducerent procurantes... Et post paucos dies episcopus Tholosanus, cujus lingua eucharis ad inimicitias erat efficax mitigandas, una cum senescallo descendit in burgum, et convenientibus in ecclesia beatæ Mariæ burgensibus et populo, quod Ecclesiæ et Regi, et illis, qui erant in civitate adhærerent, et eos defenderent, omnes juramento super Corpore Christi, et reliquiis Sanctorum propositis, tactis sacrosanctis Euangeliis, super altare gloriosæ Virginis astrinxerunt, et sequenti die in Nativitate beatæ Mariæ per nuncium proprium, quem ipsi burgenses Regi miserant, ejus litteras receperunt, quas prælatis et magnatibus, qui erant in civitate cum apparatu magnæ lætitiæ ostenderunt.

cujus partem inferiorem proditione accipiunt rebelles.

401 *Hisce hominibus tuto fides haberi posse videbatur : verum vel hinc documenta dederunt perfidi, qua essent origine nati Albigenses, qui illud Manichæorum sequebantur :* Jura, perjura, secretum prodere noli. *Nam audi sequentia :* Factumque est, quod ipsa nocte in burgum hostes Regis et Ecclesiæ inducuntur, et recipiuntur, non obstantibus juramentis, et in contrarium conjuratur. Multi autem clerici, qui erant in burgo, ad ecclesiam confugerunt, quibus cum de eundo versus Narbonam data esset licentia, et promissa securitas per ipsum principem sub sigilli sui testimonio, viri mente corrupti, reprobi circa fidem exeuntibus occurrerunt, et eos proditionaliter occiderunt triginta et plures numero prope portam. Deinde incipientes minare * instar talparum conantur invadere civitatem, sed occurrentibus eis nostris sub terra a simili, vulneribus et fumo et calce repulsi, cœptum laborem dimittere compelluntur. Nec omittam quod Bernardus Arnarldi, et Guillelmus fortis, cæterique domini castri Podii Nauterii *, cum die præcedenti jurassent senescallo, quod redirent ad eum civitatem defensuri, die sequenti diffidentes senescallum, hostibus adhæserunt : excæcavit enim eos sua malitia, ut qui digni non erant gratia, quam si starent Regi, acquirerent, et si non starent, periculum non viderent. Fuit autem in prima aggressione molendinum, quod munitum erat postato * tenui, et vetusto, captum, et qui erant in eo juvenes interfecti.

D

* *id est,* cuniculos agere.
* Pi Nautier
E
* *i. e.* palorum serie, *vulgo* palissade

at per submissum a Rege exercitum fugantur, et debellantur :

402 Erat autem pugna valde vicina, et ideo periculosa, quia domus burgi erant juxta quasi adhærentes civitati, e quibus cum balistis nocere poterant, et inchoare ignota foramina ex occulto, recipiebantque desuper cum machinis et molaribus talionem : certatoque sic fere per mensem, succursus mittitur de Francia, quem hostes non fuere expectare ausi; sed igne immisso in pluribus locis, burgum venientibus resignarunt, et apud Montem Regalem * sese continuo receperunt, quos et ibi obsedit exercitus subsequutus. Cumque diebus plurimis certatum esset, tandem convenientibus Tholosano et Fuxensi comitibus, et tractantibus de pace, obsessi egressi inde cum suis equis et armis, castrum et populum dimiserunt : hyems jam adeo valida inhorruerat, quod periculum esset ibi exercitum hyemare. *Quæ ratio fuisse videtur, cur prædictæ conditiones rebellibus sint concessæ. Attamen et alia rebellium castra sub initium, ut videtur, sequentis anni 1241 in deditionem recepta, jam vidimus ex Nangio, rebellesque ad misericordiam Regis confugere coactos ex Alberico. Eadem etiam referuntur in Chronico S. Medardi Suessionensis tom. 2 Spicilegii pag. 491, ubi vicecomes Castrodunensis Joanni de Bello-monte dux adjungitur, et belli finis, his verbis describitur :* Postea vero, Deo dante, omnia in pace reducta sunt, et ad voluntatem prædicti Regis in tota terra Albigensium ordinata. *Unum tamen supererat hæreticorum receptaculum; castrum nempe Montis-securi, de quo mox pluribus.*

* Montreal
F

quo pacto omnia pacata a Ludovico.
* Montargis

403 *Ceterum quædam adjungit Chaizius pag. 291, et sequenti ex monumentis antiquis, quæ perstringam breviter. Montargium * ad Regem venit circa mensem Martium anni 1241 vicecomes Narbonensis, juramentumque fidelitatis præstitit : idem Pontisaræ fecit paullo post Oliverius de Terminis, aliique rebelles, Regis arbitrio et misericordiæ se permittentes : comes item Tolosanus merito suspectus, novo se juramento Regi obligavit Montargii; insuper urbes suas præsidio Regio ad annum adhuc permisit occupandas, opemque collaturum recepit ad ex-*

scindendum

A *scindendum Castrum Montis-securi : adhæc Romam ad concilium, legato suadente, statuit proficisci. Neque vero prætereunda egregia* Ludovici *charitas, qui omnibus, in hoc bello citra culpam suam damnum passis, inter quos capitulum Carcassonense, detrimenta omnia curavit resarcienda, etiamsi illa nulla regii exercitus culpa essent illata. De incolis burgi, seu urbis inferioris Carcassonensis, qui perjurii pœnas dederant per eos ipsos, in quorum gratiam pejeraverant, lego in antiquo Chronico apud Catellum pag. 172 :* Et post, homines de voluntate domini Regis Franciæ redierunt, et construxerunt de novo burgum illum in loco, ubi nunc est, ultra flumen Atacis *. *Demum hoc tempore* Ludovicus *pacem comiti Provinciæ cum imperatore et comite Tolosano obtinuit, ut refert Matthæus Parisius pag. 376; imo actum de nuptiis inter comitem Tolosanum ac Sanciam comitis Provinciæ filiam, invenies apud Guilielmum de Podio cap. 44, sed res effectu caruit.*

* Aude

404 *Porro quantum operæ pretium fecerit* Ludovicus *hosce debellando rebelles, comitemque Tolosanum in officio continendo, facile intelligi potest ex fœdere Tolosani cum Frederico : fœdus enim inter eos fuisse colligitur tum ex conjunctis eorum armis contra Provinciæ comitem,* B *tum ex epistola Frederici ad Tolosanum, circa hæc tempora scripta, quam Martenius edidit tom. 2 Collectionis amplissimæ a col. 1140. Audi illius initium :* Nuntios tuos tui cordis indices et affectus ad nostram præsentiam accedentes, solita benignitate recepimus, et ex his, quæ nobis exposuerunt legationis officio, intelleximus diligenter hilares admodum et jocundi, quod tua experta sinceritas, deficientibus aliis, quorum fides modica fuisse convertitur, tanto promptior exponitur et offertur, quanto dudum conceptæ desiderium veritatis in necessitate clarius probari expetit, et cognosci : nam contra omnes inimicos nostros ecclesiasticos et mundanos, et specialiter contra Papam et fautores ejus, et P. N. comitem proponimus et disponimus potenter et patenter insurgere, et communem causam et honorem contra eosdem communes inimicos modis omnibus defensare, quod fidem probatæ jam fidei cum Deo coram nobis in tua persona clarificat, ut de nullo viventium nobis C certior fiducia præbeatur. . . Cum igitur tempus et causa requirant, quod de communibus inimicis vindictam sumere valeamus *etc. Et infra :* Tu igitur robores animum, et vires tuas in ea manu, quam nobis exhibes. *Hisce reliqua sunt conformia, laudibus Tolosani, et odio in ecclesiasticos turgentia. Hoc itaque vinculum, Ecclesiæ perniciosum, regnoque periculosum rupisse videtur* Ludovicus *rebelles domando, comitemque pro tempore saltem ad officium reducendo.*

quantoque operæ pretio ob fœdus Tolosani cum Frederico.

405 *Demum ut gesta* S. Ludovici *auspiciis contra Albigenses, eorumque fautores concludamus, lubet hoc loco adjungere expugnationem castri eorum munitissimi, quamvis illa paullo serius contigerit. Narrat eam Guilielmus de Podio Laurentii cap. 43, post iter comitis Tolosani ad Pontificem et imperatorem relatum, ita prosecutus :* Et interim venerabilis pater dominus Petrus Amelii archiepiscopus Narbonensis, et dominus Durandus episcopus Albiensis, et senescallus Carcassonæ obsederunt castrum Montis-securi * in diœcesi Tholosana, quod dudum furati tenebant duo magnates Petrus de Mirapice et Raimundus de Peyrala, ubi erat publicum refugium quorumlibet malefactorum, et hæreticorum, quasi sathanæ synagoga propter fortitudinem castri, quod situm in altissima rupe inexpugnabile videbatur; et cum diu fuissent ibi, et parum proficerent, accidit vernaculos expeditos mitti cum viris, qui loci habebant experientiam, disponentibus noctu ascensum per prærupta horribilia, qui ad quamdam munitionem, quæ ad quemdam angulum montis erat, duce Domino attigerunt, et interceptis subito excubiis, illam fortitudinem occuparunt, et quos invenerunt gladio occiderunt.

Munitum Albigensium castrum

* Montsegur

AUCTORE J. S.

406 Et facta luce quasi æquiparati cæteris, qui in majori parte erant, valide eos impugnare cœperunt, et mirantes horribilitatem viæ, per quam nocte ascenderant, nullatenus illi de luce se committere ausi essent; sed conclusis in parte superiori, ascensus expeditior aliis, qui erant in exercitu, est factus : et expugnati, qui intus erant, die noctuque, cum quietem non haberent, nec ferre possent aggressiones fidelium; infideles, accepta vitæ securitate, castrum, et hæreticos vestitos, qui inter viros et mulieres cc E vel circa, inventi sunt, oppugnantibus diviserunt. Erat autem inter illos Bertrandus Martini, quem ipsi suum episcopum faciebant, qui conversionem, ad quam invitabantur, recusantes, in clausura sibi facta de palis et sudibus igni immisso combusti, ad ignem tartareum transierunt, et fuit castrum marescallo Mirapicis, cujus ante fuerat, restitutum. *Factum id anno 1243 : ita paulatim penitus excisi Albigenses.*

a Regiis deinde expugnatum.

§ XXXIV. Excommunicatio imperatoris Frederici : imperium Roberto S. Ludovici fratri oblatum; sed non admissum : conficta Gallorum responsio refutata.

Anno *1239, ut scribit Matthæus Parisius pag. 328,* in Quadragesima, dominus Papa, cum vidisset facta imperatoris nimis temeraria, et dicta sua peccatum suum excusantia, . . . ira vehementissima commotus contra imperatorem, gravissimas contra eum proponens quæstiones, et reponens querimonias, scribens et scribendo constanter et diligenter persuadens, per plures et pluries nuntios solemnes, quorum auctoritas meruit exaudiri, ut ablata restitueret, et desineret Ecclesiam suis possessionibus viduare, quam constat diuturna temporis præscriptione prædotari; et more prudentis medici, qui nunc fomentis, nunc ferro abscissionis, nunc vero utitur adustione, verba intermiscens blandis comminatoria, terribilibus amicabilia : sed cum imperator procaciter renuisset, et sua facta quibusdam causis apparentibus ratione fultis excusasset, dominus Papa cum multis tunc præsentibus Cardinalibus . . . Fredericum . . . Dominica Palmarum . . . solemniter excommunicavit. *Excommunicationis sententiam mox subjicit dictus Parisius, quam ad claritatem dicendorum ex eo describam, omissis tamen brevitatis gratia quibusdam, quæ ad historiæ intelligentiam non conducunt. Verba Gregorii accipe :*

Gregorius Pontifex Fredericum ferit anathemate : F

408 Ex-

AUCTORE J. S. *ob varia crimina*

408 Excommunicamus et anathematisamus ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, Fredericum dictum imperatorem, pro eo quod contra Romanam Ecclesiam seditionem iniit in Urbe, per quod intendebat Romanum Pontificem, et fratres suos a sua sede repellere, et contra privilegia, dignitates, et homines, apostolicæ Sedis libertatem, nec non et ecclesiasticam conculcare, contra juramenta, quibus super hoc Ecclesiæ Romanæ tenetur, temere veniendo. Item excommunicamus *etc*... quod venerabilem fratrem nostrum episcopum Prenestrensem apostolicæ Sedis legatum, ne in legatione sua procederet, quam * in Albigensium partes pro corroboratione Catholicæ fidei sibi commisimus curam, per quosdam fideles suos mandavit impediri. Item... quod non permittit quasdam cathedrales, et quasdam alias vacantes ecclesias in regno ordinari... Item... quod in regno clerici capiuntur et incarcerantur, proscribuntur et occiduntur. Item... quod in regno ecclesiæ consecratæ Domino destruuntur et prophanantur. Item... quod non permittit Soranam ecclesiam reparari.

* *forte:* qua

B

hic relata,

409 Item... quod nepotem regis Tunicii, venientem ad Ecclesiam Romanam pro suscipiendo baptismatis sacramento, detinet, nec venire permisit. Item... quod Petrum Saracenum, nobilem civem Romanum, ex parte regis Angliæ ad Sedem apostolicam venientem, cepit, et detinet carceri mancipatum. Item... quod terras Ecclesiæ... occupavit, contra juramentum, quo super hoc Ecclesiæ tenetur, temere veniendo. Item... quod terras quorumdam nobilium de regno, quas Ecclesia tenebat ad manus suas, occupavit et devastavit. Item... quod quasdam ecclesias cathedrales... et quædam monasteria... bonis suis spoliavit. Item... quod multæ ecclesiæ cathedrales, et aliæ ecclesiæ, et monasteria de regno, per iniquam inquisitionem fuerunt fere bonis omnibus spoliata. Item... quod in regno Templarii et Hospitalarii, mobilibus et immobilibus spoliati, non sunt juxta tenorem pacis integre restituti. Item... quod in regno ecclesiarum prælati, et abbates Cisterciensis et aliorum Ordinum, compelluntur per singulos menses dare certam summam pecuniæ pro constructione castrorum novorum. Item... quod contra tenorem pacis, hi qui adhæserunt Ecclesiæ, bonis omnibus spoliati exulare coguntur tamquam proscripti, uxoribus et liberis captivatis. Item excommunicamus et anatematisamus eumdem, pro eo quod per ipsum impeditur negotium Terræ sanctæ, et reparatio imperii Romaniæ.

C

examine de ejus fide dilato

410 Omnes autem, qui juramento fidelitatis ei tenentur astricti, ab ejusdem observatione juramenti decernimus absolutos, ne sibi fidelitatem observent districtius inhibentes, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus, super oppressionibus et aliis gravaminibus nobilium, pauperum, viduarum, orphanorum, et aliorum de regno, pro quibus idem Fredericus alias juravit stare mandatis Ecclesiæ, ipsum intendimus amovere, et in ipso negotio, dante Domino, procedemus, sicut justum fuerit procedendum. Porro, pro omnibus et singulis supradictis, pro quibus dictus Fredericus a nobis diligenter fuit admonitus, et frequenter, nec parere curavit, eumdem Fredericum excommunicationis et anathematis vinculo innodamus. Cæterum, quia idem Fredericus, de dictis factis suis, multis clamantibus per universum quasi orbem, quod de Catholica fide non recte sentiat, est graviter diffamatus: nos, dante Domino, super hoc loco suo et tempore procedemus, secundum quod in talibus requirit ordo juris. *Ita sententiam Gregorii in Fredericum expressit Parisius secundum editionem Parisiensem anni 1644. Rationes autem, cur excommunicatus sit Fredericus, latius expositas invenies apud Odoricum Raynaldum ad annum 1239 ab initio.*

D

promulgatur sententia:

411 *Promulgata fuit hæc sententia Romæ primum Dominica Palmarum, atque iterum die Cœnæ Domini, ut probat laudatus Raynaldus num. 14. Missa deinde ad regna varia, adjectis Pontificis litteris, ibidem promulgata fuit, nominatim in Gallia, quæ una facit ad propositum nostrum. Verum Fredericus hisce adeo non est emendatus, ut nihil prætermiserit, quo se verbis, scriptis, armisque defenderet, atque injuriam, ut vocabat, acceptam ulcisceretur. Etenim, ut verbo promptus erat ac disertus, declamabat contra Pontificem, fulmenque anathematis non justitiæ, sed vindictæ studio vibratum calumniabatur: litteras ad principes varios exarabat, quibus et innocentiam suam ostendere, et Pontificis famam conabatur denigrare: armis vero ditionem Pontificiam, ejusque fœderatorum impugnabat: quæ latius apud laudatum Raynaldum, aliosque auctores relata lector inveniet. Pontifex ergo, utpote armorum potentia inferior Frederico, ad externa auxilia circumspicere cœpit, legatumque suum in Galliam misit episcopum Prænestinum; de quo Nangius apud Chesnium sic habet:* His quoque temporibus, inter Romanam Ecclesiam et Fredericum imperatorem magna dissensio fuit orta. Nam idem imperator curiæ Romanæ, in quantum poterat, existebat in omnibus contrarius, et eidem a retroactis temporibus persecutiones multimodas et injuste, quas scribi longum esset, acrius solito inferebat. Propter quod beatæ memoriæ Papa Gregorius nonus destinavit in Franciam quemdam album monachum nomine Jacobum episcopum Prenestinum apostolicæ Sedis legatum, ut in dictum Fredericum imperatorem, quem ipse Papa excommunicaverat, excommunicationis sententiam per totam Franciam promulgaret.

E

F

hortatur Gregorius Ludovicum ad bellum contra Fredericum; Rex vero pacem conciliare studet:

412 *Attulit quoque præfatus legatus litteras Gregorii ad* Ludovicum, *quas summatim refert Spondanus ad annum 1239 num. 9. Hisce Pontifex, relata Frederici excommunicatione, pium Regem excitare conatus est ad succurrendum Ecclesiæ, belloque Fredericum persequendum. Dubium esse non potest, quin legaum Pontificium benigne audiverit* Ludovicus. *At non ignorabat Rex prudentissimus, bellum eo præsertim tempore temere sibi non aggrediendum, quo præcipuæ regni vires partim Constantinopolim, partim in Palæstinam erant dimissæ, cum et rationes essent gravissimæ, quæ ei, quantum vis addictus esset Gregorio, necessario dissuadere deberent id bellum, quod totum Galliæ regnum in calamitates maximas, manifestumque periculum, natum erat inducere: præsertim si dissentientibus regni proceribus illud foret aggressus. Maluit itaque* Ludovicus *pacem, si posset, conciliare Gregorium inter et Fredericum. Testatur id Albericus ad annum 1239 pag. 568 his verbis:* Rex Francorum misit Romam episcopum Lingonensem Robertum, et dominum Adam militem de consilio suo ad temperandum

dum

A dum summi Pontificis animum, et animum imperatoris, si aliqua posset inter eos reperiri pacis et concordiæ forma.

at Fredericus ad pacem non erat propensus.

413 *Verum, etiamsi Fredericus ad pacem propensum se fingeret apud principes, quorum arma timebat, aliter loquebatur ad eos, quos sibi sperabat non defuturos. Specimen accipe ex citata num. 404 epistola ad comitem Tolosanum :* Cum igitur, *inquit,* tempus et causa requirant, quod de communibus inimicis vindictam sumere valeamus, orbe terrarum pugnante pro nobis, propter eorum manifestam injuriam, contra eos mittimus T. nuncium specialem, nostræ conscientiæ gerulum, et intimæ conscium voluntatis, qui de intentione, affectu, et proposito nostro te plene certum reddet et cautum, maxime quia idem velle pariter et idem nolle certum habere volumus et tenere. Tu igitur robores animum, et vires tuas in ea manu, quam nobis exhibes, et nos ab experto concepimus tuæ confidentiæ puritatem, quia justitia viarum nostrarum comitatrix existit... Sacerdotalis insolentia sui moris oblita, modestiæ fines egressa, B pro Euangelio scandalum prædicat, et ex orationis officio illicita bella parat, in se ipsa corruet, velut quæ vias Domini prævaricari non desinit, Domino exercituum nos juvante, qui vineam suam videt a malis pastoribus dissipari. *Hæc sane, uti et tota epistola, non nisi bellum spirant.*

Gregorius conatur efficere.

414 *Cum itaque Gregorius nullam spem pacis, cum Frederico æquis conditionibus ineundæ, superesse satis cerneret, allaborare cœpit, ut alius pro illo eligeretur imperator, qui periclitanti Ecclesiæ opem ferret. Nam id non statim, excommunicato Frederico, facere voluisse, ex eo fit verisimile, quod ejus subditos sacramenti religione tantum solvat,* quamdiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus. *Porro de conatu Gregorii ad imperatorem Frederico substituendum scribit Albericus in Chronico ad annum 1241 pag. 577 hoc modo :* In cœna Domini rex Daciæ * Waldemarus decessit...... Tres filios reliquit, scilicet regem Ericum, Ducem Abel, et comitem Christophorum. Istum Abel voluit aliquando Papa regem Alemanniæ contra imperatorem constituere : quo recusante, C quod non haberet tot et tanta, quo se imperatori opponeret, duce etiam Ottone de Brunsvik similiter recusante et dicente, quod nollet mori simili morte, qua patruus suus imperator Otto * fuit mortuus. Tandem res ista de mandato Papæ delata fuit ad dominum Robertum fratrem Regis Franciæ, sed de consilio et prudentia matris, opus intactum remansit. *Hæc Albericus, qui ipso hoc anno finem Chronico suo imposuit.*

** id est* Daniæ

* IV

ut electores alium Frederico substituant imperatorem :

415 *Albertus vero abbas Stadensis in Chronico ad annum 1240 ita habet :* Papa Gregorius insolentias imperatoris contra Ecclesiam metuens, principes super electione alterius sollicitavit; sed nihil profecit, quia quidam principum ei rescripserunt, Non esse sui juris, imperatorem substituere, sed tantum electum a principibus coronare. *Inepta hæc videtur responsio, nisi forte voluerint principes illi significare, non esse Pontificis imperatorem dignitate sua privare ad alium substituendum : aut certe nisi Pontifex aliquem, quem ipsi eligerent, designarit. Ut ut est, hæc verba tantum adduxi, ut pateat Gregorium ad principes imperii rem detulisse, sive illis aliquem assignaverit. eligendum sive electionem ipsorum arbitrio prorsus permiserit : neque disputare lubet, quænam hac in re sint jura Pontificis. At vero, quid a* Ludovico *responsum factumque, eo diligentius examinandum. quod auctores non pauci responsa fingant, magis ingenio suo, quam* Ludovici *modestiæ congruentia. Ducem illi habent Matthæum Parisium, cujus ineptias jam refutarunt aliqui, quasque nos pluribus refutabimus ; ut, fundamento subverso, corruant pariter, quæ illi sunt inædificata.*

AUCTORE J. S.

Roberto Ludovici fratri oblatum imperium : figmenta Parisii

416 *Expendamus itaque relationem Parisii. Hæc ejus sunt verba ad annum 1239, pag. 350 :* Circa dierum illorum curricula, dominus Papa scripsit Regi Francorum, solemnes eidem nuntios destinando; significans eidem, ut juberet epistolam suam coram ipso et toto baronagio * Franciæ solemniter et memoriter legi et intelligi. Cujus summa et tenor talis fuisse perhibetur. *Vides ex ultimis vocibus non vidisse Parisium ipsam Pontificis epistolam, ut necesse sit, vel ex fama per Angliam sparsa scripsisse, vel ex fecundo nugarum cerebro commentum esse hasce litteras. At ipsam audi fictitiam Gregorii epistolam :* Noverit dilectus filius Ecclesiæ spiritualis, illustris Rex, et totum Francorum baronagium, nos deliberatione et tractatu diligenti omnium fratrum nostrorum condemnasse, et a culmine imperiali abjudicasse Fredericum dictum imperatorem ; et Robertum comitem, fratrem Regis Francorum, loco ipsius elegisse substituendum : quem etiam omnibus nisibus Ecclesia non tantum Romana, sed universalis, duxit non segniter adjuvandum, et efficaciter promovendum. Nullo igitur modo tantam sponte oblatam dignitatem apertis brachiis suspicere * ne pigritemini, ad quam opes et operam et opem abundanter effundemas consequendum. Scelera enim prædicti Frederici multiplicia, sicut jam novit mundus, eumdem irrestaurabiliter condemnarunt. *Hanc, ut Gregorii epistolam, dederunt Chaizius pag. 299; Daniel ad annum 1239 ; Fleury ad eumdem annum, aliique. Nullus tamen eorum totum Parisii textum Gallice reddidit.* E

** i. e.* cœtu procerum

** forte* suscipere

de hoc facto expenduntur,

417 *At mihi, ut mitissime dicam, nimis credulus videtur, quisquis existimare potuit, non verba dico, sed vel sensum litterarum Pontificiarum fideliter hoc loco a Parisio expositum. Lubet quædam expendere. Epistolam Regi scriptam ait Parisius : at interim epistolam recitat non Regi magis, quam omnibus magnatibus, exaratam. Imperium offerebatur Roberto, at hortatur epistola omnes regni proceres, ne oblatam dignitatem accipere recusent, ac si totidem creandi essent imperatores. Consensus Roberti imprimis erat necessarius; at, nulla de ipsius consensu mentione facta, consensus procerum postulatur. Tantine ergo Robertum fecit Gregorius, ut imperatorem creare vellet, atque Ecclesiæ defensorem? adeone simul contempsit, ut alios pro eo respondere voluerit, acsi pupillus fuisset sub tutoribus constitutus. Rursus imploranda erant Regis, procerumque pro Roberto auxilia, spesque de ejus magnanimitate concepta explicanda : at nihil horum litteræ fictitiæ ; verum opem non modo, sed et opes, tum Romanæ tum universalis Ecclesiæ offerunt ad imperium Roberto asserendum. Ergone tam imprudentem censebimus fuisse Gregorium, ut scribere voluerit Gallis, quæ ipsis nullo modo videri poterant credibilia? Etenim quo illi pacto credere poterant,* F

An-

AUCTORE J. S.

Anglos, Hispanos, Germanos omnes, aliosque populos, fidem Pontifici obstrinxisse ad opes operamque conferendas, ut Roberto Artesiæ comiti Romanum assererent imperium? Quo modo in animum inducere, Gregorium ipsum non indigere potius Gallorum opibus ad se defendendum, quam suas effusurum abundanter ad imperium Roberto vindicandum?

et refutantur:

418 *Præterea supra vidimus, Pontificem scripsisse ad principes imperii, ut alium ipsi eligerent imperatorem; neque aliter deinde processit Innocentius IV, dum Henricus Turingiæ Lantgravius, ac post eum Guilielmus Hollandiæ comes, reges fuere electi a parte saltem principum electorum: adeo ut credibile non sit, Gregorium sua tantum, fratrumque suorum auctoritate, voluisse imperium Roberto tradere, prout fingit epistola commentitia; sed verisimile omnino sit, Gregorium quæsivisse consensum Roberti et* Ludovici, *ut illum ab aliquot saltem principibus curaret eligendum, cum vel ex ipso Alberto Stadensi superius citato satis liqueat, non omnes electores Pontifici repugnasse. Plura afferri possunt contra commentitiam hanc epistolam, sed hæc interim sufficiant: quibus si quis apte responderit, fatebor lubens necdum certum esse, quod auctores supra memorati commenta Matthæi Parisii, male sibi cohærentia, pro litteris Pontificiis venditarint. Ceterum si quis dicat epistolam, prout ab illis recitatur auctoribus Gallice reddita, non iis impeti argumentis posse, quibus nos ipsa Parisii verba impugnavimus; ultro admittam, illam ab ipsis recitatam esse modo magis verisimili, quam habeatur apud Parisium, quod caute quidem factum non inficior; an etiam satis fideliter, aliorum judicio relinquo.*

Fictitium Gallorum

419 *Interim responsum audiamus, vel Gallorum, ut post Chaizium suspicatur Daniel; vel* Ludovici, *ut credi voluit Fleury, aut certe Matthæi Parisii, ægri somnia imitantis, ut ego quidem omnino existimo:* Ad quod, *ait citatus Parisius,* circumspecta prudentia Gallorum respondit: Quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum principem, quo non est major, imo nec par inter Christianos, non convictum vel confessum de objectis sibi criminibus, exhæredavit, et ab apice imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per generale concilium cassandus * judicaretur? De transgressionibus suis non est hostibus suis fides adhibenda, quorum Papa dignoscitur esse capitalis. Nobis adhuc insons, imo bonus fuit vicinus: nec quid sinistri vidimus de eo in fidelitate sæculari, vel fide Catholica. Scimus autem, quod Domino nostro Jesu Christo fideliter militavit, marinis et bellicis se periculis confidenter opponens. Tantum religionis in Papa non invenimus. Imo qui eum debuit promovisse, et Deo militantem protexisse, eum conatus est absentem confundere, et nequiter supplantare.

* i. e. privandus imperio

Regisve responsum,

420 Nolumus nosmetipsos in tanta pericula præcipitare, ut ipsum Fredericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos juvabunt, et causa justa præstabit adminiculum. Quid ad Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione, dummodo suæ iræ satisfaceremus? Si eum per nos et alios devicerit, omnes principes mundi conculcabit, sumens cornua jactantiæ et superbiam, quoniam ipsum Fredericum magnum imperatorem contriverit. Sed ne in vacuum mandatum Papale videamur suscepisse, licet magis constet hoc ob odium imperatoris, quam nostri dilectionem ab Ecclesia Romana derivasse, mittemus nuncios prudentes ex nobis ad imperatorem, qui quomodo de fide Catholica sentiat, diligenter inquirant, nos super hoc certificaturos. Et si nil nisi sanum invenerint cur infestandus est? Sin autem, et ipsum, imo etiam ipsum Papam, si male de Deo senserit, vel quemlibet mortalium, usque ad internecionem prosequemur. *Ita responsum legatis Gregorii, ait Parisius, mox subdens:* Quæ cum audierunt nuntii Papales, confusi recesserunt.

et ridicula ad Fredericum legatio

421 *Miror sane, Gallis etiam Historicis hujusmodi responsum placere potuisse, quod adeo ab insita Gallorum animis humanitate alienum videtur, ut ne apud Tartaros quidem, immanissimam ea tempestate gentem, responsum simile exspectare debuerint legati Pontificii. At, priusquam id ulterius discutiamus, lepidam audiamus Gallorum ad imperatorem legationem, quam hisce verbis subjungit Parisius:* Adierunt igitur dominum imperatorem Francorum nuntii solemnes, ipsi mandata, quæ a domino Papa receperunt, seriatim nuntiaturi. Quod cum audisset dominus imperator, de immanitate odii stupefactus, respondit se esse virum Catholicum Christianum, sane de omnibus orthodoxæ fidei articulis sentientem. Et addidit: Non placeat Domino meo Jesu Christo, ut umquam recedam a fide magnificorum patrum, et antecessorum, sequens vestigia perditorum. Judicet autem Dominus inter me et ipsum, qui me ita per orbem tam nequiter diffamavit. Et tendens manus in cælum, lacrymis obortis, singultando exclamavit: Deus ultionum Dominus reddat ei retributionem. Et reversus ad nuntios, ait: Amici mei, et vicini charissimi, vere, quidquid dicat inimicus meus, sititor sanguinis mei, et honoris subversor, credo sicut alius Christianus: et si bellum mihi movere disponitis, non miremini, si me defendam ab insurgentibus in me. Spero enim quod Deus protector innocentium me potenter liberabit. Novit enim Deus, quod Papa in favorem mihi rebellium, præcipue Mediolanensium hæreticorum, contra me levat calcaneum, et insurgit iracundus. Sed vobis totus in gratiarum actiones assurgo, quod voluistis ante assensum per responsionem meam de præsenti causa certificari. Ad hæc nuntii: Nolit Deus ut unquam ascendat in cor nostrum, ut aliquem Christianum sine manifesta causa impugnemus. Nec nos pulsat ambitio: credimus enim dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea regii sanguinis provexit ad sceptra Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo imperatore, quem sola electio provehit voluntaria: sufficit domino comiti Roberto, fratrem esse tanti Regis. Et his dictis, cum dilectione et gratia imperiali recesserunt. Et sic in hoc proposito conatus Papalis irritus evasit.

inepte conficta

422 *Hæc omnia Parisii verba* digna admodum *visa sunt Struvio heterodoxo, quæ Corpori historiæ Germaniæ insereret tom. 1 a pag. 463. Nec indigna putavit Claudius Fleury, quæ in Historia sua Ecclesiastica locum haberent, mitigata tamen non parum expressionum duritie, nempe ut apparerent magis verisimilia. Jam dixi hæc meditanti Parisio tribuenda; nisi fortasse ab impostore quodam ejus Historiæ cum multis aliis sint inserta, quod, ubicumque verba Parisii rejicio, semper sub dubio intellectum cupio.*

At

A *At vero quam incongrue conficta sint, paucis accipe. Si Galli judicabant de criminibus objectis non convictum, si Gregorium noverant præcipuum ejus hostem, ideoque fide indignum, cur sententiam excommunicationis, qua et subditi ejus jurisjurandi religione solvuntur, sine ulla excusatione promulgari permiserunt in Gallia, nec de ejus injustitia conquesti sunt apud Pontificem? Si imperatori nullum principem Christianum parem existimabant : cur legati Galli, inofficiosi sane homines, ipsi deinde imperatori in os oggerunt, Regem suum se judicare imperatore excellentiorem, quod tacere honestas suadebat, licet in ea fuissent sententia? Si bonum adeo fidumque vicinum Galli credebant Fredericum : cur iidem anno 1237 suspicabantur* Ludovicum *ab eo ad colloquium invitatum :* Eo quod, *verba sunt Nangii pag. 333,* ut a pluribus dicebatur, quemadmodum malitiosus ac seductor, in Regem Franciæ et in regnum machinari satagebat? *Cur ipse Chaizius, cui non displicet responsum Parisii, pag. 301 ex Philippo Moukes narrat, suspectam* Ludovico *fuis-* B *se fidem Frederici, brevique apparuisse fundamento non caruisse suspiciones Regis ? Cur adjungit nihil fere fuisse, de quo non haberetur suspectus, ita ut etiam accusaretur Tartaros attraxisse ad subjugandum totum Occidentem, eumque cum iis dividendum?*

423 *Præterea qua verisimilitudine Galli inducuntur laudantes expeditionem Frederici in Terram sanctam, ubi eum nihil laude dignum effecisse non ignorabant? Quis item credat, plus religionis Gallos agnovisse in Frederico, cujus scelera non latebant, quam in Gregorio Pontifice laudatissimo? Causam Frederici justam vocare finguntur, et consequenter injustitiæ accusare Pontificem : qua rursum probabilitate? Quis autem sine risu legat confictam ineptissime legationem ad imperatorem, qua in fidem ejus inquirerent, bellum ei indicturi, si hæreticus esset, non item si catholicus : totum autem examen eo reducitur, ut affirmanti se recte de fide sentire confestim acquieverint. Quis vel hæresiarcha se ipse dixit hæreticum? At neque ob hæresim damnatus erat Fredericus; sed causa de fide ejus in aliud tempus erat dilata : nec duo, tresve legati Gallorum idonei erant de fide ejus* C *judices; nec asserenti se credere, sicut quemvis alium Christianum, mox acquievissent, si fidem ejus suscepissent examinandam. Hinc tuto licet concludere, hæc omnia, quæ ex Parisio dedimus, commenta esse vel illius, vel alterius, qui ne quidem novit rebus et personis convenientia fingere : nihilque ex omnibus fide dignum esse, nisi quod ex Alberico diximus, imperium Roberto oblatum a Pontifice, nec admissum.*

probantur.

424 *Rem vero effectu caruisse ait Albericus,* de consilio et prudentia matris, *nec adjungit, quid illam moverit ad illud dissuadendum. Movere illam in primis potuit ingens regni periculum, si bellum Frederico indiceretur : quippe fœdus Frederici cum comite Tolosano; affinitas cum Angliæ rege, perpetuo Gallorum hoste; bellum eodem tempore in Gallia Narbonensi vigens cum fautoribus Albigensium; quidam regni proceres semper occasioni imminentes ad potentiam suam augendam, persuadere poterant reginæ prudentissimæ, periculum esse, ne mox gravius bellum oriretur* Ludovico, *quam ipse pro fratre Frederico intulisset. Adde duo agmina Constantinopolim missa : alterum anno 1238, alterum 1239; tertium cum præcipuis regni proceribus in Terram sanctam anno 1239 profectum : quibus factum erat, ut regnum præcipuis ducibus, ingentique militum numero tunc temporis esset privatum. Hæc sane animum Blanchæ, et* Ludovici *a bello avocare poterant, honestamque præbere rationem, qua se apud Gregorium Pontificem excusaret de bello Frederico non inferendo. Hæc paullo fusius disputanda duximus, ut Regem modestissimum, summaque erga Romanos Pontifices observantia insignem, ab afficta illi immodestiæ ac petulantis responsi labe vindicaremus. Ceterum Natalis Alexander tom. 7 Historiæ ecclesiasticæ pag. 376 ita loquitur de hoc Gallorum responso :* Injurias et verba duriora velim et ego a Parisio afficta. *Recte. Verum non debuerat magna ex parte injurias illas, verbaque duriora paullo ante referre, atque adoptare, acsi a proceribus Gallis fuissent prolata, si vera, sibique cohærentia narrare voluisset.*

Imperium consilio Blanchæ recusatum, cui rationes ad hoc erant multæ.

AUCTORE J. S.

E

§ XXXV. Concilium a Gregorio indictum, quod impedire conatur Fredericus, promovere Ludovicus : episcopi Galli in itinere a Frederico capti, quos Ludovici minis libertati restituit.

Gregorius Pontifex cum ob alias Ecclesiæ necessitates, tum ob bellum cum Frederico, anno 1240 generale indixit concilium, Romæ celebrandum anno sequenti circa festa Paschalia; eaque de causa non modo ad episcopos, sed et ad principes dedit litteras, ut illi concilio interessent, hi ad illud legatos suos mitterent. Epistolam ad S. Ludovicum *ea de re scriptam recitat Odoricus Raynaldus ad annum 1240 num. 54, in qua post pauca Pontifex sic Regem alloquitur :* Cum igitur mater Ecclesia, inter turbines seculi gravibus occupata negotiis, reges terræ, Ecclesiæ prælatos, et subditos, ac alios mundi principes decreverit advocare ut eorum varietate vestita, et munita consiliis, gravia, quæ successerunt, negotia valeat felicius F expedire; te, fili charissime, quem ipsa de regenerationis gratia reddit filium, et sinceritatis prærogativa dilectum, de fratrum nostrorum consilio ad hoc fiducialiter invitamus; serenitatem tuam rogantes et monentes attentius, quatenus usque ad proximum festum Resurrectionis Dominicæ ad nos fideles et providos nuntios tua celsitudo transmittat, qui super expediendis causis universalis Ecclesiæ utile nobis consilium vice Regia largiantur, ut habeat in te Christiana religio devotionis solitæ filium, et promptum profectus ecclesiastici zelatorem, tuis utilitatibus retributionem debitam impensura. *Datæ hæ litteræ* v Idus Augusti *anni 1240. Ita Gregorius ad* Ludovicum, *alio sane stylo usurus, nec tanto studio Gallos advocaturus, si barbaro illo Parisii responso, quod jamjam refutavimus, ipsius legatos abegissent Galli.*

Indictum a Gregorio concilium

426 *Fredericus, qui ante simulaverat se synodum velle, ubi audiit synodum a Pontifice indictam, modis omnibus eam impedire studuit. Audi Nangium pag. 335 apud Chesnium :* Sed impe-

impedire conatur

AUCTORE J. S.

imperator præagnoscens et perpendens, quod per prælatos Franciæ ipsum Papa Gregorius intenderet condemnare, Ludovico Regi Franciæ litteras delegavit, mandans ei, quod personis ecclesiasticis regni sui, sed et cunctis, quos prædictus Cardinalis * secum Romam ducere affectabat, ire liberum tam per mare, quam per terram denegabat. Deinde non solum terras, imo mare tam diligenter observari imperavit, quod absque suæ gentis licentia nulli dabatur facultas alicubi illis in partibus commeandi. *Henrico item Angliæ regi ea de re scripsit Fredericus, cujus epistolam recitat Matthæus Parisius ad annum 1240, in qua expositis quibusdam prætextibus, cur impedire vellet concilium, pag. 368 sic loquitur :* Quamobrem serenitatem regiam præsentibus exhortamur, quatenus per prælatos omnes et singulos regni vestri, edicti regii vulgato programmate, divulgetis, ut nullus sub securitatis nostræ fiducia ad synodum ipsam accedat. Nos enim quantumcumque regni vestri fidelibus, ob amorem præcipuum, quem erga vos gerimus, libentissime deferamus; præsumptuosam tamen audaciam eorum, qui ad inimici nostri vocationem accederent, nos non deceret ullatenus æquanimiter tolerare.

* Prænestinus

B

427 *Offendit non Pontificem modo, sed et* S. Ludovicum *hæc Frederici prohibitio, quæ certe non erat hominis pacem cupientis, sed criminum suorum conscientia generale non episcoporum tantum, at principum quoque secularium, quorum legatos ad concilium vocatos vidimus, judicium metuentis. Sive autem timeret Fredericus, ne de fide sua examen institueretur, (ut postea factum in concilio Lugdunensi;) indeque ad novi imperatoris electionem procederetur; sive vereretur, ne arma principum illud concilium in se suscitaret : certum est, illud vehementer timuisse : nam et instructionem amicam vulgari curavit sine nomine, qua pericula euntium ad concilium mire exaggerantur, in qua vocari non renuit* crudelitate secundus Herodes, impietatibus alter Nero, *ut lector crederet ab aliquo Frederici inimico instructionem hanc profectam, atque ipse ita facilius persuaderet, episcopos non obligari ad implendum Gregorii Pontificis mandatum cum tanto vitæ suæ, aut libertatis periculo; quod unice persuadere intendebat. Edidit instructionem illam cum aliis Frederici epistolis Stephanus Baluzius tom. 1 Miscellaneorum a pag. 478, ubi eam consulere potest lector curiosus.*

Fredericus,

C

428 *Porro* Ludovicum *ægre tulisse, ut diximus, hunc Frederici procedendi modum, idque per litteras eidem significasse, colligimus ex responsoriis Frederici apud Martenium tom. 2 Collectionis amplissimæ col. 1139 : in iis enim, prætermissis blandimentis omnibus, quibus* Ludovicum *demulcere alias solet Fredericus, ubi Ecclesiæ perturbationem Pontifici imputaverat, sic Regem alloquitur :* Serenitas igitur Regia non miretur, si nos vocatis ad vocationem hujusmodi transitum terra marique paratis obstaculis prohibemus : cum pro certo sciamus, quod non tam ad vocationis solatia, quam ad salutis nostræ dispendia convocantur; quod circumspectio vestra manifeste potest perpendere, dum nobis in sinu vestro secure ponentibus causam nostram sibi per nos oblatam, multotiens pacis sunt ab eo vilipensa consilia, ut repente nos perdere cogitaret, et eo impetu, ut nostrum et generis nostri nomen perpetuo crederet abolere. Synodum etiam expectatam per nos ad ostendendas innocentiæ nostræ causas convocari prohibuit : igitur non est mirum, si nos convenire vocatum ab ipso concilium pro nostra etiam læsione non patimur : per quod, omissis omnibus adhærentibus nobis, rebelles imperii et nostros capitalissimos inimicos, sicut præmissæ nostræ vos docuerunt litteræ, convocavit. *At si rationes Frederici, in præmissis ante litteris expressæ,* Ludovico *probatæ fuissent, per suas ille non institisset apud Fredericum. Deinde si hæ ei satisfecissent, rationes non defuissent, quibus episcoporum iter Romanum propter manifesta pericula apud Pontificem deprecaretur. Unde consequitur, concilii convocationem probatam fuisse a* Ludovico, *et improbata Frederici molimina, illud impedire conantis.*

quod ægre fert S. Ludovicus.

D

429 *Gregorius Pontifex, auditis hisce Frederici conatibus, Idibus Octobris anni 1240 alteras dedit litteras encyclicas ad episcopos, quarum exemplar Matthæus Parisius recitat pag. 374, uti et Raynaldus ad annum 1240 num. 57. Hisce autem* in virtute obedientiæ *præcipit, ut contemptis Frederici minis, Romam veniant tempore jam designato : atque harum litterarum auctoritate fecit legatus Pontificius in Gallia, quæ ab eo facta refert Nangius pag. 335 his verbis :* Promulgata vero sententia, videns Cardinalis imperatorem in sua malitia induratum, et adeo obstinatum, quod excommunicatione vilipensa nullo modo a suo nefando proposito vellet resilire, quosdam archiepiscopos, episcopos, et abbates, super tam arduo negotio consilium habiturus, et aliqua per ipsos et cum ipsis tractaturus, apud civitatem Meldensium convocavit. Et tunc, cunctis præsentibus, præcepit quibusdam ex ipsis in virtute obedientiæ ex parte domini Papæ, quatenus, cunctis negotiis postpositis, personaliter cum ipso iter arripientes, nullatenus omitterent ire Romam. Ipse vero ibidem spopondit et affirmavit, quod apud Viennam * urbem de navibus, nautis, et cæteris, quæ ad navigium pertinerent, eo quod Romanus imperator omnes passus per terram occupaverat, . . . eisdem commode provideret.

Pontifex jubet episcopos Romam venire :

E

* Vienne

430 *Deinde paucis interjectis, inter episcoporum describit hoc modo :* Interim prælati Franciæ cum legato supradicto iter arripientes, per dietas suas ad Viennam civitatem multis diebus elapsis, sed non sine magnis laboribus et expensis devenerunt. Et tunc inibi comperto defectu navium, hominumque subsidio non reperto, per quos possent de gentibus imperatoris defendi, transire ultra timuerunt. Unde archiepiscopus Turonensis, et Bituricensis, nec non et Carnotensis episcopus, et multi procuratores periculo se ponere metuentes, redierunt. Alii vero illud, quod Dominus dicit in Euangelio : Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, sed potius timete eum, qui potest et corpus et animam mittere in gehennam, attendentes, et ideo animæ magis, quam corporis periculum, et Dominum plus quam hominem mortalem metuentes, intrantes mare, sese corporali discrimini tradiderunt : *ac Genuam pervenerunt satis feliciter, quod hic auctor transilit : quo item convenere Angli, Hispani, Lombardi, aliique ad concilium profecturi.*

illi Genuam perveniunt feliciter :

F

401 *Fredericus, cum eo venisse antistites intellexisset, eos rogavit, ut transirent per ditionem suam, secumque agerent, securitatem promittens,*

A *Romam ituri capiuntur, ac carceri mancipatur a Frederico.*

mittens, uti latius narrat Parisius pag. 380. At illi infesto hostium navibus pelago magis fidendum rati, quam promissis Frederici, Genuensium triremibus se commiserunt : Cum vero Fridericus, *ait Raynaldus ad annum 1241 num. 53,* prævalidam classem ex Siculis et Pisanis ad intercipiendos mari præsules conficeret, cui Entium, dictum Sardiniæ regem, præfecerat, Pontifex legatum Januæ * agentem conflatarum a Friderico virium monuit, ut præpotentem adeo classem, cui sustinendæ par non esset hostis, appararet : sed ille, ut questus postea est Gregorius, salubri consilio usus non est. *Hinc clades secuta, quam auctor synchronus Richardus de S. Germano apud Ughellum in Anecdotis col. 237 hoc modo enarrat :* Mense Maii in festo Inventionis S. Crucis galeæ imperiales cum galeis Januensium conflictum habentes, nonnullos prælatos occidentales, qui erant in eis, habita victoria de Januensibus cœperunt, et duxerunt apud Pisam captivos cum duobus legatis, Prænestino scilicet episcopo, et Oddone S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card., de quorum mandato veniebant ad Papam. Inter quos fuerunt Cisterciensis et Clarevallensis abbates, nec non Rothomagensis archiepiscopus, et alii, quos ignoro. De galeis quoque Januensium captæ sunt ultra 20, et nonnulli Januenses in eis, et quamplures sunt ob metus causam in mari submersi : qui omnes postea, imperatore mandante, tam prælati quam alii, cum legatis ipsis in regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti sunt, et in custodiam per regni castella transmissi. *Varias hac de re epistolas dat laudatus mox Raynaldus, in quibus lector inveniet, quinam prælati capti fuerint, quinam vero evaserint. Nobis tantum referre incumbit, quid ad Gallos liberandos egerit* S. Ludovicus.

* *i. e.* Genuæ, *vulgo* Genoua, *Gallis Genes.*

B

S. Ludovicus petit a Frederico, ut præsules Gallicanos dimittat liberos ;

432 *Id Nangius pag. 336 sic habet :* Videns autem piissimus Rex et devotissimus, Ecclesiam Dei humano auxilio destitutam, compatiensque prælatis regni sui, diversis Frederici imperatoris carceribus mancipatis, abbatem Corbeiæ, et dominum Gervasium de Escriniis misit ad imperatorem, mandans ei, quatenus prælatos regni sui, quos tenebat in carcere, suarum precum interventu liberaret. Sed tunc dictus imperator preces Regis non exaudiens, immo

C congregans omnes incarceratos de diversis locis apud Neapolim, Regi Franciæ sic mandavit : Non miretur Regia celsitudo, si prælatos Franciæ in angusto cæsar tenet angustus, qui ad cæsaris angustias trahebantur. *Posteriora tantum Fredericianæ epistolæ verba adduxit Nangius : plura autem ex eadem epistola invenies apud Raynaldum num. 78. At prosequamur cum Nangio :* Quod Rex Ludovicus audiens, et vehementer admirans, quia suis precibus imperator minime acquievisset, mandavit eidem iterum per abbatem Cluniaci in hunc modum. *Tum subjicit epistolam* Ludovici, *sed præter missis quibusdam. Eam itaque accipe ex Raynaldo num. 76, ubi supplentur ea, que Nangius prætermisit :*

quod id primum recusante, altera epistola,

433 Tenuit indubitanter hactenus nostra fiducia, quod inter imperium et regnum nostrum, longo tractu temporis mutua dilectione firmata, nulla posset exoriri materia odium vel scandalum paritura : cum prædecessores nostri felicis memoriæ reges Franciæ universi usque ad tempora nostra honorem imperii et sublimitatem zelaverint. Nos qui potest ipsos, Deo volente, regnamus, in eodem proposito tenebamur ; nec non antiqui imperatores Romani, et nostri proximi, unum et idem regnum et imperium æstimantes, vel existimantes, unitatis pacem et concordiæ servaverunt, et inter eos alterius dissensionis scintillula non illuxit. Verum admirari cogimur vehementer, et non sine ratione turbari, quod, nulla offensionis causa vel materia præcedente, prælati regni nostri ad Sedem apostolicam accedentes, cui tam ex fide quam obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari capi fecistis, et eos sub custodia detinetis : quod magis moleste ferimus, quam majestatis vestræ credulitas forte credat. Nam sicut eorum litteris manifeste didicimus, nihil contra imperialem celsitudinem excogitaverant ; etsi summus Pontifex fuisset ad aliqua minus debita processurus.

AUCTORE J. S.

eaque minaci, eorum liberationem extorquet.

434 Unde cum in eis nulla detentionis causa inveniatur, deceret celsitudinem vestram prælatos regni nostri debitæ restituere libertati : in quo nos vobis pacatos reddetis, qui detentionem ipsam injuriam reputamus ; et Regi sublimi multa fieret detractio, si super talibus taceremus. Quod si prædicta ad vestræ mentis oculos nolitis reflectere, Penestrinum episcopum, et alios legatos Ecclesiæ, in præjudicium vestrum volentes subsidium implorare, manifestissime repulimus ; nec in regno nostro contra majestatem vestram potuerunt aliquid obtinere. Provideat igitur imperialis providentia, et ponat in statera judicii ea, quæ dicimus, nec velit trahere locum a potentia vel voluntate : nam regnum Franciæ non est adeo debilitatum viribus, quod se vestris permittat calcaribus perurgeri. *Noluit* Ludovici *arma experiri Fredericus, cujus minas, uti tardas, ita minime vanas noverat. Nam epistolæ subdit laudatus Nangius :* Cujus verba et rationes imperator intelligens, omnes, licet invitus, pariter liberavit, Regem Ludovicum offendere pertimescens. *Ex his videas,* Ludovicum *abstinuisse quidem a bello Frederico inferendo, quocum diuturno conjunctus erat fœdere, nulla tamen re Pontifici defuisse, eive pro Frederico obstitisse. Fatetur id Natalis Alexander tom. 7, pag. 377 his verbis :* Officio tamen suo erga Sedem apostolicam, et Gregorium IX non defuit, misit siquidem Gallicanos præsules ad synodum œcumenicam, quam in tantæ rei difficultate Romæ indixerat ; Ecclesiæ judicio de Frederico stare paratus, interimque ejus communionem respuens, cujus excommunicatio in Gallicanis ecclesiis fuerat promulgata.

E

F

§ XXXVI. Dictum S. Ludovici de Tartaris : pars Crucis, aliaque Dominicæ passionis instrumenta Ludovici cura Parisios portata, insignique Regis pietate suscepta.

Dictum generosum S. Ludovici de Tartaris :

P*rœcedentia jam nos deduxerunt ad annum 1241, quo plura supersunt discutienda, et enarranda. Tartari ingentem hoc tempore toti Europæ terrorem inferebant : namque in Hungariam penetraverant, cæsisque Hungaris totam pro libito Hungariam usque ad Austriæ ac Bohemiæ limites populabantur, ut narrant auctores*

AUCTORE J. S.

res varii. Hac occasione generosum, divinaque fiducia nixum S. Ludovici *dictum celebrat Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 377. Blancha enim ex eo quærebat :* Quid agendum, fili charissime, super tam lugubri eventu, cujus rumor terrificus fines nostros pervolavit? Imminet nostrum omnium et sacrosanctæ Ecclesiæ nostris temporibus excidium generale, ex impetuoso super nos adventu Tartarorum. Quo audito, Rex voce flebili, sed non sine divino spiramine, respondit : Erigat nos, mater, cæleste solatium. Quia si superveniant ipsi, vel nos ipsos, quos vocamus Tartaros, ad suas tartareas sedes, unde exierunt, retrudemus, vel ipsi nos omnes ad cælum subvehent. Ac si diceret, vel ipsos repellemus, vel si contingat nos vinci, Christi confessores vel martyres ad Deum migrabimus. Et hoc verbum notabile atque laudabile, non tantum Francorum nobilitatem, sed adjacentium finium habitatores erexit et animavit. *Ita ille, subjiciens Frederici litteras in quibus multa de Tartaris, eorumque vastationibus lector inveniet : nec tacet dictum Fredericum multis suspectum fuisse de Tartaris in* B *Europam accersitis.*

beneficia ejusdem in Balduinum Constantinopolitanum :

436 *Balduinum imperatorem Constantinopolitanum magnis a* S. Ludovico *affectum beneficiis jam vidimus. Novus ad hæc accessit cumulus, dum hoc anno, miseratione motus principis egeni, jure suo utitur Rex sanctus, ad paternam hereditatem ei vel invito conservandam. Donaverat ille, inopia pressus, principi Achaiæ Curtiniacum, Gallis* Courtenay, *unde ejus familiæ nomen, petebaturque* Ludovici *consensus. Verum hic consentire noluit, eaque de re ad Balduinum litteras dedit. Audi ex responsoriis Balduini, quas Chesnius tom. 5, pag. 423 publici juris fecit, quam gratum eidem acciderit id Regis beneficium :* Intelleximus, *inquit,* quod sublimitas vestra mirata est, et etiam moleste gessit, quod nos terram nostram de Curtiniaco principi Achaiæ dederamus, prout per literas nostras vestræ significavimus Majestati. Nos vero super admiratione vestra potius admiramur. Sicut enim Celsitudini vestræ satis constare potuit per litteras nostras, quam per nuncios plures, tanta inopiæ et paupertatis angustia tenebamur C oppressi, cum præfatus princeps in Constantinopolim ad nos venit, quod penitus ignorabamus, quo ire, aut quid facere deberemus. Cum ergo de dicto principe magnum adjutorium speraremus, et ita indigentes essemus, non est mirandum, si petitionibus ejus in tali articulo præbebamus assensum. Imo si multo majora petiisset, suæ nos oportuisset acquiescere voluntati. Quare, licet invitos, nos oportuit facere donationem prædictam. Sed cum intelleximus, quod Dominatio vestra ipsum principem ad dictam donationem admittere recusaret, sciatis nos tanta lætitia repletos, quam si aliam terram æquivalentem cum illa essemus adepti. *Deinde Curtiniacum uxori suæ concedit, aliaque, quæ possidebat in Gallia* Ludovici *curæ commendat, quem et procuratorem suum cum plena potestate constituit per litteras, apud Cangium post Historiam Constantinopolitanam pag. 4 recitatas.*

Balduinus partem Crucis, aliasque reliquias donat Ludovico :

437 *Viderat probe Balduinus, spem sibi præcipuam in* Ludovici *subsidio sitam esse, ideoque Regem novis beneficiis demereri voluit. Servabantur in sacello Constantinopolitano pretiosissimæ reliquiæ, de quibus meminit Guilielmus Tyrius lib 20, cap. 25, aliique apud Cangium citati pag. 124. Verum illas jam oppignoraverat inopia coactus : quapropter, sicut ante spineam Domini coronam, sic et has dono dedit* Ludovico, *uti ex ejus litteris postmodum probabimus. Non defuisse Sanctum occasioni sacra illa pignora Parisios transferendi, docet Nangius pag. 333, cujus verba subnecto :* Non multum post audiens et intelligens devotissimus Rex Ludovicus, quod Constantinopolitanus imperator quamdam summam pecuniæ mutuo sumpserat, et posuerat in loco pignoris vexilla Dominicæ Passionis, scilicet maximam partem Dominicæ crucis, in qua Christus pro nobis pependit, et spongiam, cum qua aceto in siti sua suspensus potatus fuit, et ferrum lanceæ sanctissimum, quod latus ipsius sacratissimum pro nostrarum sanandis animarum vulneribus perforavit : tantarum reliquiarum metuens alienationem; vilipensis hujus mundi divitiis, ut Christum lucrifaceret, per personas authenticas et honestas, redemptas suis opibus sacrosanctas reliquias, quæ nostræ sunt verissimæ redemptionis insignia, sibi fecit Parisius apportari. Et sicut sanctam coronam, ut superius dictum est, sic et istas pretiosas reliquias, archiepiscoporum, pontificum, et abbatum caterva vallatus mirabili, usque ad capellam domus suæ cum processione cleri et populi devotissime et humiliter deportavit.

tempus, quo hæ reliquiæ Parisios delatæ,

438 *Tempus, quo sacra hæc pignora Parisiis excepta sunt, accurate designat Albericus ad annum 1241 his verbis :* In Exaltatione sanctæ crucis, honorifice et solenniter recepit Rex Franciæ magnam portionem Dominicæ crucis, a Constantinopoli ibi transmissam. *Lubet hac de re etiam audire Chronicon S. Medardi apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 492 :* Eodem anno (1241) in die Exaltationis sanctæ crucis maxima pars Dominicæ crucis, illa scilicet, ut multi boni testimonii viri testantur, quam Helena Constantini mater, post inventionem ejusdem sanctæ crucis, a Jerosolymis Constantinopolim secum honorifice fecit deferri, et in capella gloriosissimi Constantini imperatoris dilectissimi filii sui fecit honorifice reponi : prædictus vero Constantinus illam partem Dominicæ crucis in expeditionibus suis causa victoriæ faciebat secum gloriose et honorifice deferri. Illa vero pars Dominicæ crucis a Ludovico Rege Francorum die prædicto cum magno honore, et maxima humilitate prædicti Regis, et fratrum suorum, ita ut omnes, qui aderant, viderant, et audierant, multum nimis mirarentur, processionaliter nudis capitibus, et pedibus, cruribus, et brachiis, in civitate Parisius in capella prædicti Regis, quam miris operibus et sumptibus in honore ejusdem sanctæ crucis, et pretiosissimæ spineæ coronæ Jesu Christi Domini nostri, veri Dei et veri hominis, fabricabat, honorifice reponitur. *Ita hic autor.*

quæ magna solemnitate, ac S. Ludovici

439 *Narrat hæc etiam Matthæus Parisius pag. 373 : sed in ipso narrationis limine triplici labitur errore : nam hanc sacrosanctæ crucis partem male confundit cum cruce a Saladino in Ægyptum abducta, pejus eam dicit a* Ludovico *emptam, atque oscitanter Parisios delatam scribit die Veneris sancto. Solemnitatem tamen, atque insignem, qua crucem portavit,* S. Ludovici *pietatem, quam præcedentibus auctoribus luculentius depingit, ex Parisio accipe :* Apportabatur eadem crux Parisiis, scilicet ab ecclesia S. Antonii, juxta quam composita fuit cujusdam stationis machina, in quam Rex ipse

ascen-

A ascendens cum utraque regina, scilicet matre sua B. *, et uxore sua M. *, cum fratribus ejusdem Regis, præsentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis viris religiosis, nec non et nobilibus Francorum magnatibus, cum innumerabili populo circumstante, cum cordis jubilo tam gloriosum spectaculum expectante, crucem ipsam in altum elevavit lacrymis obortis, incipientibus, qui præsentes erant, prælatis voce altissima : Ecce crucem Domini. Et cum omnes veneranter ac devote ipsam adorassent, Rex nudus pedes, in laneis, discinctus, capite discooperto, triduano jejunio anticipato, edoctus exemplo nobilissimi triumphatoris Eraclii augusti, versus Parisiacam urbem, et usque ad ecclesiam beatæ Virginis cathedralem bajulavit.

* Blancha
* Margarita

440 Et cum consimili devotione, confessionibus, jejuniis, et orationibus expiati, fratres dicti Regis cum reginis supradictis pedetentim sequebantur. Portabant enim ipsi coronam spineam, quam simili schemate in propatulo elevantes, populi conspectibus præsentarunt, quam B divina regno Francorum... misericordia contulerat... Supportabant autem nobiles quidam brachia Regis, et fratrum ejus, tam pium onus bajulantium, ne forte fatigati, cum assidue in cælum brachia elevarent, cum ipso impretiabili thesauro deficerent, sublevarunt. Et hoc circumspecte, ipsis prælatis sic volentibus, factum est... Cum igitur perventum esset ad ecclesiam cathedralem, pulsatis omnibus in civitate signis, orationibus quoque specialibus solemniter perlectis, reversus est Rex ad majus palatium suum, quod est in media urbe, deferens crucem suam gloriose, fratribusque ejus coronam, consequente prælatorum ordinata processione, qua numquam visa fuit in regno Francorum solemnior aut jucundior. Universi igitur et singuli Dominum, qui regnum Francorum præ omnibus aliis speciali complectitur dilectione, consolatur, et tuetur, junctis manibus glorificarunt. Sic igitur Dominus noster Jesus Christus, Rex regum, et Dominus dominantium, cujus judicia abyssus multa, in cujus manu corda sunt regum, dans salutem quibus vult, ipsum regnum Franciæ his tribus dotavit et ditavit in brevi tempore benefi- C ciis pretiosis, videlicet corona prædicta, et cruce Domini, de qua jam dictum est, et corpore beati Ædmundi Cantuariensis archiepiscopi et confessoris, inauditis miraculis evidenter coruscanti. *Hactenus Parisius memoratus.*

pietate, ibidem sunt exceptæ :

441 *Quas insuper, præter modo relatas reliquias,* S. Ludovicus *acceperit ab imperatore Balduino, docent litteræ ejusdem imperatoris, ex quibus item percipies, eas non venditas, sed dono datas esse* Ludovico, *quamvis redimere eas oportuerit. Litteras hasce, quarum autographum in sancta capella servari asserit, inseruit Historiæ Parisiensis ecclesiæ Gerardus du Bois tom. 2, pag. 355, atque hujus sunt tenoris :* Balduinus Dei gratia fidelissimus in Christo imperator a Deo coronatus, Romaniæ moderator, et semper augustus. Universis Christifidelibus, tam præsentibus quam futuris, ad quos litteræ præsentes pervenerint, æternam in Domino salutem. Notum fieri volumus universis, quod nos charissimo amico et consanguineo nostro Ludovico Regi Franciæ illustrissimo sacrosanctam spineam coronam Domini, et magnam portionem vivificæ crucis Christi, una cum aliis pretiosis et sacris reliquiis, quæ propriis vocabulis inferius sunt expressæ : quas olim in Constantinopolitana urbe venerabiliter collocatas, et tandem pro urgenti necessitate imperii Constantinopolitani diversis creditoribus et diversis temporibus pignori obligatas, idem dominus Rex de nostra voluntate redemit magna pecuniæ quantitate, et eas fecit Parisios de beneplacito nostro transferri : eidem domino Regi spontaneo et gratuito dono plene dedimus, absolute concessimus, et ex toto quitavimus et quitamus.

enumerantur reliquiæ, quas donavit

Auctore J. S

442 Quas utique venerandas reliquias propriis nominibus diximus exprimendas : videlicet prædictas sacro-sanctam coronam Domini et crucem sanctam : item de Sanguine Domini nostri Jesu Christi : pannos infantiæ Salvatoris, quibus fuit in cunabulis involutus : aliam magnam partem de ligno sanctæ crucis : sanguinem, qui de quadam imagine Domini ab infideli percussa stupendo miraculo distillavit : catenam etiam, sive vinculum ferreum, quasi in modum annuli factum, quo creditur idem Dominus noster fuisse legatus : sanctam telam tabulæ insertam : magnam partem de lapide sepulcri Domini nostri Jesu Christi : de lacte beatæ Mariæ Virginis : item ferrum sacræ lanceæ, quo perforatum fuit in cruce latus Domini nostri Jesu Christi : crucem aliam mediocrem, quam crucem triumphalem veteres appellabant; quia ipsam in spem victoriæ consueverant imperatores ad bella deferre : chlamidem coccineam, quam circumdederunt milites Domino nostro Jesu Christo in illusionem ipsius : arundinem, quem pro sceptro posuerunt in manu ipsius : spongiam, quam porrexerunt ei sitienti in cruce aceto plenam : partem sudarii, quo involutum fuit Corpus ejus in sepulcro : linteum etiam, quo præcinxit se, quando lavit pedes discipulorum suorum, et quo pedes eorum extersit : virgam Moysi : superiorem partem capitis beati Joannis Baptistæ : et capita sanctorum Blasii, Clementis et Simeonis. E

Balduinus imperator S. Ludovico :

443 In cujus rei testimonium, et perpetuam firmitatem nos signavimus præsentes litteras nostro signo imperiali, et bullavimus nostra bulla aurea. Actum apud sanctum Germanum in Laya anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense Junio, imperii vero nostri anno octavo. *Porro hunc reliquiarum catalogum ex hisce litteris dat Vita anonymi auctoris aliquoties jam memorata : an autem omnes æque certæ sint, eruditis Gallis discutiendum relinquo. Ceterum adverto eadem die, qua præfatæ reliquiæ Parisios sunt delatæ, inusitatam siccitatem sublatam esse in Gallia : nam breve Chronicon S. Dionysii tom. 2 Spicilegii pag. 497 ad hunc annum ita habet :* Eodem anno fuit siccitas magna a Dominica post Natale Domini usque ad Exaltationem sanctæ crucis mense Septembri. Eodem die cœperunt pluviæ. F

siccitas aeris sublata, dum illæ Parisios sunt delatæ :

§ XXXVII. Capella sancta constructa : Canonici ibidem statuti ac reditibus instructi, aliaque in capella ordinata,

Sanctus Ludovicus *non modo summa industria studebat Dominicæ passionis instrumenta ac Sanctorum reliquias acquirere; sed decenti*

Capellam sanctam magnis sumptibus,

Auctore J. S.

ti quoque eas cultu atque honore prosequi conabatur. Hac de causa sacellum plane magnificum, thecasque splendidas fieri curavit, quibus sacra hæc pignora honorifice servarentur reclusa : ad hæc ministros sacelli instituit, qui sacra ibidem munia reverenter obirent. Perstringit hæc breviter Gaufridus in Vita num. 42; uti et auctor Vitæ secundæ num. item 42. Verum meretur egregia sancti Regis pietas, ac munificentia, ut hæc paullo latius tum ex auctoribus coævis, tum ex instrumentis authenticis deducantur. Memoratus supra Matthæus Parisius de sacello exstructo sic loquitur pag. 373 : Rex igitur Francorum, non procul a palatio suo, capellam mirifici decoris dicto thesauro Regio convenientem jussit fabricari, in qua ipsum honore condigno postea collocavit. Præterea Rex Francorum habet in capella sua Parisiensi pulcherrima, chlamydem Christi, lanceam, id est, ferrum lanceæ, et spongiam, et præter hæc innumerabiles reliquias. Unde dominus Papa concessit omnibus eas adeuntibus in capella Parisiensi orandi causa, quadraginta dies relaxationis. *Brevius citatus Nangius :* Quam *(capellam)* dominus Rex in sua domo Parisius mirabili et sumptuoso opere sibi construi fecerat. *Quadraginta librarum Turonensium millia, et ultra, ad structuram sacelli expensa narrat auctor Vitæ secundæ.* B

atque opere mirabili construi jubet S. Ludovicus :

445 *Audi Gerardum du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2 pag. 354 de mirabili ejus structura loquentem :* Licet admirari structuram hujus ædis sacræ, in qua geminam spectes capellam, aliam super aliam extructam, et tenuioribus suffultam columnis : quarum si ab imo usque ad summum altitudinem oculis metiaris, vix animo concipias, quomodo duplex ædificium duplicemque concamerationem huc usque sustinuerit : adeo ut hoc tempore, quo hæc scribo, a quadringentis scilicet et quinquaginta et amplius annis opus integrum sit, perinde ac si recens exstructum : neque quid reperias, quod aut vitio structuræ, aut temporis injuria hiulcum, aut dejectum sit. *De dedicatione sacelli idem auctor sic scribit pag. 356 : Anno* MCCXLVIII, die XXVI mensis Aprilis, Rex Ludovicus sub nomine Coronæ spineæ, et sanctæ Crucis dedicationem sanctæ capellæ celebrari curavit. Celebritas C magna fuit. Sacram rem egit Odo episcopus Tusculanensis apostolicæ Sedis legatus. Aderant complures episcopi, et abbates et ingens procerum numerus. Aderant in primis quinque archiepiscopi, Bituricencis scilicet, Senonensis, Rotomagensis, Turonensis, Toletanus. Episcopos vero hos adfuisse accepimus; episcopum Laudunensem, Suessionensem, Silvanectensem, Lingonensem, Carnutensem, Aurelianensem, Meldensem, Baiocensem, Ebroicensem, et alios cum pluribus abbatibus, quos enumerare longum est.

item thecas pretiosissimas, quibus reliquiæ includantur :
* *l.* capsam, *id est.* thecam

446 *Ingentem pecuniarum vim, si ad æstimationem hodiernæ monetæ expendatur, exstruendo sacello impensam vidimus. At plusquam duplo majorem impendit pia* Ludovici *munificentia, ad sacra hæc pignora honorifice exornanda. Nangii verba accipe pag. 333 :* Et cappam * pretiosam et admirabilem ex auro et argento, lapidibus pretiosis intextam, ad prædictas sacras reliquias honorifice recondendas fecit subtili et admirabili operum varietate fabricari. *Thecas plures fabricatas, habet Vita secunda num. 42, quod minime videtur dubium, ita ut de præcipua tantum locutus videatur Nangius post Gaufridum. Subdit vero memoratæ Vitæ auctor :* Æstimanturque dictarum reliquiarum ornamenta centum facile millibus, et ultra, librarum Turonensium. *Non constat tamen, an tantum eodem tempore ad hæc ornamenta fuerit expensum; nam potuerunt illa tractu temporis margaritis, aliisque lapidibus pretiosis mirum in modum a sancto Rege augeri.* D

canonicos, aliosque ministros sacelli instituit :

447 *De ministris sacelli, præter ea, quæ in Vita prima et secunda citatis locis occurrunt, sic habet Nangius citatus :* In eadem vero capella canonicos et capellanos, qui ibidem divinum servitium in perpetuum celebrarent, instituit, atque magnos redditus eisdem, ut inde sustentarentur, sicut decebat majestatem Regiam, assignavit. *Hanc canonicorum et capellanorum institutionem exactius describit laudatus jam sæpius Gerardus du Bois pag. 356 :* Anno, *inquit,* MCCXLV Rex Ludovicus attribuit huic capellæ sanctæ primum quinque presbyteros principales, sive magistros capellanos; ex quorum numero erat ille, qui antea in capella sancti Nicolai sacra faciebat. *De sacello autem S. Nicolai, cui hoc substitutum est, consule eumdem auctorem pag. 354. Deinde, relata sacelli dedicatione, sic prosequitur :* Et eodem anno (1248,) mense Augusto, Ludovicus Rex canonicorum et clericorum numerum auxit; remque in eum modum ordinavit; et voluit, ut in sancta capella essent, ut prius ordinatum fuerat, quinque principales presbyteri seu magistri capellani, *et* tres matricularii presbyteri pariter; et cuique capellano subcapellanus subesset cum clerico aut diacono aut subdiacono; et matriculariis unus clericus aut diaconus aut subdiaconus subjiceretur : statuitque ut tres illi matricularii cum uno e majoribus capellanis, cui secundum vices liturgiæ celebrandæ munus incidisset, in sancta capella cubarent; ut ante sacras reliquias continuo excubias agerent. E

quos per litteras hic recitatas

448 *Hæc confirmantur litteris* S. Ludovici * *ex quibus cum lector perspicere possit, quam pie, quamque sapienter hæc omnia a sancto Rege ordinata sint, dignas duxi, quas lectorum oculis integras hic subjicerem : præsertim quod multa de sacello regio, ejusque ministris referantur in Vita secunda, quibus hæ litteræ lucem affundere possunt non mediocrem. Recitat eas citatus du Bois hunc in modum :* In nomine F sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Etsi ad omnes ecclesias, quæ non solum in regno, sed in toto terrarum orbe consistunt, sinceræ devotionis habeamus affectum, speciali tamen prærogativa sinceritatis amplectimur venerabilem illam et sacram capellam nostram, quam pro salute animæ nostræ, et pro remedio animarum inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, et carissimæ dominæ et matris nostræ Blanchæ illustris reginæ, et omnium antecessorum nostrorum, in honorem Dei omnipotentis, et sarcosanctæ spineæ coronæ Domini nostri Jesu Christi fundavimus, et ædificavimus infra septa domus nostræ Parisiensis; in qua eadem sacro-sancta corona Domini, crux sancta, et aliæ quamplures pretiosæ reliquiæ repositæ continentur.

amplis reditibus donat :

449 Quæ ut divinæ laudis obsequio jugiter honorentur, et idem locus in perpetuum debito et devoto divini cultus servitio frequentetur; volumus, statuimus, et ordiamus, ut in eadem capella sint quinque presbyteri principales, sive magistri capellani, computato illo, qui ve-

A veteris capellæ beneficium obtinebat; et tres matricularii sacerdotes. Quilibet autem illorum quinque principalium capellanorum tenebitur secum habere unum presbyterum subcapellanum, et unum clericum diaconum, vel subdiaconum; et quilibet illorum trium matriculariorum secum habere tenebitur in eadem capella unum clericum diaconum, vel subdiaconum existentem. In beneficium autem et sustentationem eorumdem quinque principalium capellanorum damus iisdem, et concedimus centum viginti quinque libras Parisienses annui redditus; unicuique videlicet viginti quinque libras pro corpore capellaniæ; quas centum viginti quinque libras volumus eos percipere Parisius in castelleto nostro de præpositura nostra Parisiensi singulis annis duobus terminis; videlicet medietatem ad festum Ascensionis Domini, et aliam medietatem ad festum Omnium Sanctorum; quousque easdem centum viginti quinque libras annui redditus eisdem assiderimus * alibi competenter. Prædictis etiam matriculariis damus pro beneficio septuaginta quinque libras Parisienses annui redditus, unicuique videlicet viginti quinque libras annui B redditus, quas similiter ipsi percipient in castelleto de præpositura nostra Parisiensi; medietatem videlicet ad festum Ascensionis Domini; et aliam medietatem ad festum Omnium Sanctorum; quousque eisdem eumdem redditum alibi competenter fecerimus assideri.

** i. e. assignaverimus*

450 De consensu quoque Matthæi presbyteri, qui prædictæ veteris capellæ nostræ beneficium obtinebat, cui spontaneus cessit et renunciavit expresse, volumus et concedimus; quod totum illud beneficium cum omnibus ejus proventibus, oblationibus ad manus presbyterorum in Missis venientibus, et emolumentis, sicut in litteris claræ memoriæ regis Ludovici atavi nostri, et regis Ludovici proavi nostri plenius continetur, cedat in augmentum quinque capellaniarum, et trium matriculariarum prædictarum; et ut inter prædictos quinque capellanos principales, et tres matricularios æqualiter dividantur. Super liberatione vero, quam Matthæus quondam capellanus prædictæ capellæ nostræ veteris, nobis, sive regina, sive prole regia præsentibus in palatio nostro Parisiensi, percipere consuevit, ita duximus ordinandum. Quod idem C Matthæus, qui est unus de principalibus capellanis, percipiet liberationem prædictam, quamdiu vixerit in officio capellaniæ prædictæ; qui cum decesserit, vel capellanus capellæ ipsius esse desierit; capellanus hebdomadarius liberationem percipiet antedictam.

quibus et varia sapienter statuit

451 Ad hæc volumus, quod præter redditus supradictos prædicti principales capellani, matricularii, et subcapellani, et clerici capellanorum et matriculariorum prædicti, divinis officiis insistentes, percipiant distributiones inferius annotatas. Profestis sive privatis diebus percipiet unusquisque principalium capellanorum, et matriculariorum duodecim denarios; videlicet ad matutinas sex denarios; ad horas primam, tertiam, et Missam majorem, et sextam tres denarios; ad nonam, et vesperas, et completorium tres denarios; etiamsi de prædictis horis in die omiserit duas horas: distributiones tamen matutinarum non percipiet, nisi qui matutinis præsens erit; vel qui præsens in villa infirmus fuerit, vel minutus *, prima et secunda die minutionis: quod idem de majori Missa, et vesperis statuimus observandum. Eisdem quoque diebus privatis quilibet subcapellanus habebit quatuor denarios; videlicet ad matutinas duos; in horis de mane cum Missa unum, et in horis serotinis unum, sub conditione prædicta. Similiter et eisdem diebus quilibet de prædictis clericis capellanorum et matriculariorum habebit tres denarios; videlicet unum ad matutinas, et duos ad omnes horas diei cum majori Missa.

circa distributiones

** i. e. cui vena secta*

ALCFORE J. S.

452 Diebus Dominicis, et in festis singulis novem lectionum percipiet quilibet principalium capellanorum prædictorum, et matriculariorum sexdecim denarios; videlicet ad matutinas octo denarios; ad supradictas horas de mane cum Missa majori quatuor denarios; et ad horas de sero quatuor denarios, omissione duarum horarum non obstante; sicut superius est expressum. Singuli subcapellanorum habebunt sex denarios; videlicet in matutinis quatuor denarios; et ad horas de mane cum Missa majori unum; et ad horas de sero unum. Singuli quoque de prædictis clericis capellanorum et matriculariorum habebunt quatuor denarios simili modo; videlicet ad matutinas duos denarios; ad horas de mane cum Missa unum; et ad horas de sero unum. E

a ministris percipiendas

453 In festis, quæ cum semiduplo celebrantur, habebit quilibet principalis capellanus, et quilibet matricularius decem et octo denarios; videlicet ad matutinas octo denarios; et ad horas de mane cum Missa majori quinque; et ad horas de sero quinque. Subcapellanus habebit octo denarios; videlicet ad matutinas quatuor denarios; ad horas de mane cum Missa majori duos denarios; et ad horas de sero duos denarios. Clericus habebit sex denarios; videlicet ad matutinas quatuor denarios; ad horas de mane cum Missa majori unum denarium; et ad horas de sero unum. In festis duplicibus habebit quilibet principalis capellanus, et quilibet matricularius duos solidos; videlicet ad matutinas duodecim denarios; ad horas de mane cum Missa majori sex denarios; ad horas de sero sex denarios. Subcapellanus habebit decem denarios; videlicet ad matutinas sex denarios; ad horas de mane cum Missa majori duos denarios; et ad horas de sero duos denarios. Clericus habebit octo denarios; videlicet ad matutinas quatuor denarios; ad horas de mane cum Missa majori duos denarios; et ad horas de sero duos F denarios.

pro varietate dierum

454 In festis annualibus percipiet quilibet principalis capellanus et matricularius tres solidos; videlicet ad matutinas duos solidos, et ad horas de mane cum Missa majori sex denarios; et ad horas de sero sex denarios. Subcapellanus habebit quatuordecim denarios; videlicet ad matutinas octo denarios; et ad horas de mane cum majori Missa tres denarios; et ad horas de sero tres denarios. Clericus habebit decem denarios; videlicet ad matutinas sex denarios; ad horas de mane cum Missa majori duos denarios; et ad horas de sero duos denarios. In iis tamen omnibus intelligimus esse salvum, ut ulli eorum, qui distributiones debent percipere supradictas, omissio unius, vel duarum horarum omni die non obsit quoad percipiendas distributiones prædictas; dum tamen Missæ et vesperarum officia nullatenus intermittant. Distributiones autem matutinarum nullas habebit, nisi fuerit præsens in Matutinis; vel qui infirmus fuerit, vel minutus, sicut superius est dictum. Omnes autem distributiones prædictas volumus fieri de obventionibus, et oblationibus;

varias:

quæ

AUCTORE J. S.

quæ annuatim fient in capella prædicta; exceptis illis oblationibus, quæ fient in Missis ad manus sacerdotum; quæ oblationes erunt principalium capellanorum, et matriculariorum, sicut superius est expressum.

item circa lumen, oblationes.

455 Luminare quoque ipsius capellæ, sicut a nobis est ordinatum, fieri volumus per prædictos matricularios de obventionibus, et oblationibus prædictis cum additione sexaginta solidorum annui redditus; qui ad faciendum luminare capellæ veteris, prout in supra notatis prædecessorum nostrorum litteris continetur, fuerunt ab antiquo concessi. De quo luminare sic ordinavimus; ut tres cerei, quorum quilibet tres libras ponderabit ad minus, continue omni die, ac nocte ardeant in bacinnis* argenteis ante majus altare : privatis diebus ad vesperas, matutinas, et ad majorem Missam super majus altare ante sanctuaria ardeant quatuor cerei : in festis novem lectionum, et Dominicis diebus sex cerei : in festis, quæ cum semiduplo fiunt, octo : in festis duplicibus duodecim : in festis annualibus viginti quatuor, quorum cereus quilibet ponderabit duas libras. Præter hæc etiam volumus, ut in omnibus annualibus festis in Missa, in matutinis, et vesperis primis et secundis, et omnibus diebus, quibus de sacrosanctis reliquiis fiet Missa solemnis, in Missa ardeanduodecim cerei, quorum quilibet ponderabit duas libras, circa capsam sanctarum reliquiarum; sex videlicet ab uno latere, et sex ab alio : et similiter quotiens infra octavas susceptionis sanctæ coronæ, sanctæ crucis, vel sanctarum reliquiarum, de ipsis sacrosancta corona, sancta cruce, vel prædictis reliquiis celebrabitur Missa solemnis.

* i. e. candelabris

B

restaurationemque sacelli :

456 De prædictis etiam obventionibus, et oblationibus verrerias * ejusdem capellæ refici, et reparari volumus, quotiens opus fuerit, et in bono statu servari. Si quid vero de obventionibus, et oblationibus completis hujusmodi residuum fuerit; nos, illud voluntati, et ordinationi nostræ, et successorum nostrorum regum Franciæ volumus fideliter reservari in defectum luminaris ipsius, vel alios usus ejusdem capellæ convertendum. Si quid vero defecerit, volumus, et præcipimus, ut illud, quod deerit de prædictis obventionibus, et oblationibus ad prædicta complenda, percipiatur de denariis nostris, et successorum nostrorum regum Franciæ Parisiis apud templum, quousque super hoc aliter duxerimus ordinandum.

* i. e. laminas vitreas, Gallice vitres

C

circa excubias nocturnas apud sacras reliquias,

457 Volumus insuper et ordinamus, quod quilibet prædictorum principalium capellanorum, cum deserviet in ordine vicis suæ, qualibet nocte dormiat in capella prædicta cum matriculariis, quos omnes in eadem capella jacere volumus omni nocte; ut circa sanctarum reliquiarum custodiam juges excubiæ perseverent. Volumus etiam, ut ille capellanus, qui vice sua jacuerit in capella, pro singulis noctibus percipiat in matutinas tres denarios plusquam cæteri capellani. Liceat autem cuilibet capellano, quod, si legitimum habeat impedimentum, subcapellanus ipsius vices ejus suppleat, quantum ad ecclesiasticum officium faciendum in ordine vicis suæ, et jacendum in capella de nocte; et percipiat in distributionibus, quantum perciperet principalis capellanus dominus suus, si in officio illo personaliter deserviret.

458 De capella autem inferiori duximus providendum, ut omni die, salvo capellæ superioris servitio, per aliquem de capellanis principalibus, sive de subcapellanis eorum, uno sibi ad minus de clericis assistente, divina officia celebrentur ibidem. Jurabunt autem prædicti principales capellani, necnon et matricularii, tam præsentes, quam futuri, quod in prædicta capella continuam facient residentiam bona fide. Jurabunt etiam ipsi principales capellani, et matricularii, et omnes eisdem pro tempore successuri, necnon et omnes subcapellani et clerici eorum; quod nobis, et hæredibus nostris regibus Franciæ sanctas reliquias universas, et singulas, et totum thesaurum capellæ prædictæ, tam in auro, quam in argento, et lapidibus pretiosis, ornamentis, libris etiam, et quibuscumque rebus aliis, bene ac fideliter conservabunt. Quotiens vero principales capellani, aut matricularii novos subcapellanos, et clericos evocabunt secum; illi novi subcapellani, et clerici tenebuntur præstare simile juramentum. Vacantibus autem capellaniis principalibus, et matriculariis supradictis, nos, et hæredes nostri reges conferemus easdem; et hoc jus nobis et hæredibus nostris regibus in perpetuum reservamus. Personæ autem, quibus eas contulerimus, juramentum ejusdem formæ facere tenebuntur.

D *juramenta a ministris facienda :*

E

præpositum aliorum sacelli ministrorum ;

459 Verumtamen, ne ea, quæ super prædictis a nobis ordinata præmisimus, inordinate procedant; cum inter prædictos capellanos, matricularios, et clericos, si pares essent, et personam certam sibi præpositam non haberent, paritas ipsa, et superioris defectus procedente tempore posset esse jurgiorum fomes, et materia scandalorum; volumus, quod de prædictis capellanis, aut matriculariis, qui pro tempore fuerint, per nos et hæredes nostros reges assumatur unus, qui præsit aliis capellanis, matriculariis, subcapellanis, et clericis universis capellæ prædictæ; et ipse tenebuntur ejusdem parere mandatis. Ipse autem contradictores, et rebelles per substractionem beneficiorum, et alias convenienti poterit districtione punire. Ille autem, qui ceteris præerit, habebit quindecim libras præ ceteris in beneficio percipiendas in castelleto nostro Parisiensi eodem modo, qui superius est expressus; et in festis duplicibus, et annualibus, duplicem distributionem.

F

de sua demum, ac successorum suorum in his omnibus potestate.

460 In iis etiam omnibus, quæ superius sunt expressa, retinemus et reservamus nobis, et hæredibus nostris regibus salvam, et liberam potestatem; ut in iis et aliis, quæ circa statum prædictæ capellæ viderimus ordinanda, possimus addere, minuere, vel mutare. Retinemus etiam nobis, et hæredibus nostris, regibus Franciæ plenum jus et perpetuam potestatem, ut de prædictis reliquiis universis, et singulis, et ornatu earum, et de toto thesauro, quod reposuimus, aut reponimus imposterum in capella prædicta, in auro, argento, lapidibus pretiosis, ornamentis etiam, et aliis quibuscumque rebus, ad nostrum beneplacitum ordinare, et nostram possimus facere voluntatem. Rogamus tamen hæredes nostros, ut prædictas sacras reliquias, sive ornatum earum, vel aliquid de thesauro, quod ibidem reposuimus in auro, argento, lapidibus pretiosis, seu aliis rebus, de capella prædicta non amoveant in futurum, vel amoveri permittant. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigili nostri auctoritate, et regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Aquasmor-

A mortuas anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense Augusto, regni vero nostri anno vicesimo secundo, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt, et signa, dapifero nullo. S. Stephani Buticularii. S. Johannis Camerarii. S. Huberti Constabelarii. Datum vacante Cancelleria.

§ XXXVIII. Alphonsus frater Regis militia donatus, et comes institutus : periculosa principum conspiratio : contra Marchiæ comitem expeditio S. Ludovici, qui plurima oppida et castra occupat.

Ludovicus fratri Alphonso cum militiæ cingulo donat comitatum Pictaviæ.

B Anno *1241* S. Ludovicus *fratrem suum Alphonsum, militari cingulo donatum, comitatum Pictaviæ* * *et Alverniam* * *habere jussit, heredemque declaravit comitatus Tolosani : quæ fuit novi belli occasio, ut videbimus. Albericus ad hunc annum pag. 578 ea de re ita scribit :* Rex Ludovicus in festo sancti Joannis fratrem suum Alphonsum apud Salmur *, militem fecit, et instituit ipsum, ut sit dux Aquitaniæ, et per uxorem suam comes Tholozanus. *At titulum ducis Aquitaniæ Alphonso tributum alibi non invenio. In testamento suo Ludovicus VIII filio quarto, qui tunc erat Alphonsus, reliquerat comitatum* Pictaviæ, *et* totam Alverniam. *Verum liberalitas* S. Ludovici *in fratrem adjecit Albigensium ditionis partem illam, quam ractatu Parisiensi obtinuerat. Habet id Nangius pag. 336, hisce rem verbis exponens :* Anno sequenti apud Salmurum archiepiscopos, episcopos, et abbates quam plurimos : sed et totam fere regni sui militiam convocavit. Tunc ibi dominum Aldephonsum fratrem suum novum aciens militem, quem multis diebus jam transactis filiæ comitis Tholosæ, Johannæ nomine, maritali lege fecerat selemniter sociari, concessit eidem terram Averniæ Pictaviæ, et terras Albigensium perpetuo possidendas. Ibi plures præpotentes et divites festo et lætitiæ intendendo, divitias quasi pro nihilo reputantes expendebant, et vestiebantur milites purpureis et sericis. Sed ipsi pontifices et abbates, prout me lius poterant, se in omnibus exornabant. *De hoc vestium splendore, conviviique ibi habiti celebritate plura dabit Joinvillius num. 36, qui interfuit.*

* Poitou
* Auvergne
* Saumur

C

contendentibus Anglis Pictaviam sui esse juris :

462 *Contendebant Angli comitatum Pictaviæ ad se pertinere, cujus et partem aliquam possidebant : titulum autem comitis Pictaviæ fratri suo Richardo concesserat rex Henricus : unde Matthæus Parisius, ad hunc annum pag. 383 hæc referens, pro consuetudine sua bilem rursus evomit in Gallos :* Eodemque tempore, *inquit,* Rex Francorum usus odientium regnum Angliæ consilio, dedit comitatum Pictaviæ Amphulso * fratri suo, die Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Ubi idem Rex, accincto ipso eodem Amphulso fastigiose nimis militari cingulo, investivit eum honore comitatus Pictaviæ, qui ad regem Angliæ, vel ad fratrem ejus, ex dono ipsius, de jure spectare dignoscitur. Fecitque idem Rex Francorum milites quam plures nobiles, ut sic fratris Amphulsi tyrocinium serenare videretur : parvi pendens, imo potius vilipendens comitis Richardi, qui Deo fideliter in Terra sancta militavit, jus vel vendicationem. Unde multi non satis potuerunt admirari de Francorum nobilitate hoc permittentium et consulentium, qui mala pro bonis tam ingratanter et impudenter reddiderunt. *Refutari operose non merentur insulsa biliosi hominis convicia : quid enim peccavit* Ludovicus, *quod comitatum fratri ex testamento debitum tradiderit? Quid Galli, qui hoc permiserunt? Neque vero hæc fuit belli secuti causa, sed alia, quam jam assignabo.*

* Alphonso

AUCTORE J. S.

exactum fidelitatis et clientelæ juramentum

463 *Joinvillius num. 37 refert Alphonsum a Rege ductum ad Pictonum metropolim : ratio erat, ut ibidem Alphonsus acceptaret juramenta fidelitatis, atque homagia a subditis suis, inter quos erat ceteris potentior Hugo Marchiæ comes, qui uxorem habebat Elisabetham Angliæ olim reginam, atque Henrici regis matrem, mulierem superbia insignem : hanc autem mulieris superbiam belli causam fuisse ex auctoribus mox perspicies. Nangius supra allatis verbis hæc subjungit :* His peractis, petiit Rex Ludovicus ab Hugone comite Marchiæ, ut homagium pro terra sua, quam habebat in Pictavia, sicut debebat, faceret fratri suo domino Alphonso comiti Pictaviensi. Sed dictus comes Marchiæ vento superbiæ inflatus nullo modo assueruit se facturum. Innitendo enim se super baculum arundineum confractum, scilicet regem Angliæ Henricum, cujus matrem comes ipse habebat uxorem, meditabatur per ejus opem contra dominum suum Regem Franciæ rebellare. *Recusatum homagium apud antiquos omnes invenio : Chaizius tamen pag. 306 illud præstitum scribit a comite, allegans inventarium Pictaviense, sed comitem postea facti pœnituisse.* E

Alphonso facere renuit Hugo Marchiæ comes,

464 *Ut ut est, culpam uxori ejus tribuit historicus Anglus Matthæus Westmonasteriensis ad annum 1242 pag. 307, belli causam his verbis enarrans :* Eodem anno in Pictavia orta est seditio magna, quæ postea ruinam maximam, et schisma lethale, nec non et guerram, et damnum generavit irrestaurabile. Comes enim de Marchia, instinctu Isabellæ, quam Franci Jezabel impiissimam nominant, uxoris ejus, matris scilicet regis Angliæ, calcaneum levavit contra dominum suum Regem Franciæ. Indignabatur enim vehementer, quod Aldefonsus, frater Regis Francorum, comes jam Pictaviæ, cui Rex Francorum comitatum eumdem nuper contulerat, homagium debitum ab eo exegit. Unde procaciter respondens dictus comes de Marchia, cum superbia et abusione, quod de jure debuit, abnegavit. Ascendit igitur super hoc usque ad Regem Francorum querimonia non levis. Admonebatur comes talem insolentiam corrigere. Sed multoties admonitus, hoc facere contemnens, et muliebri utens consilio, significavit regi Angliæ, ut veniret in Pictaviam, non comitatu Anglorum suorum, sed quantitate pecuniæ communitus, et omnes terras suas ei redderet transmarinas. Rex autem consiliis Pictaviensium, quibus prodere proprium est, fidem adhibuit et consensum, et in thesauris et navigio transitum præparans, nullius amicorum suorum neque hominum naturalium consiliis vel precibus potuit retardari. *Ita rex Angliæ speciosis comitis promissis bello huic est implicitus.* F

465 *Ut Angliæ regem, ita et comitem Tolosa-*

AUCTORE J. S.

ac fœdus init cum rege Angliæ et comite Tolosano contra Ludovicum :

losanum noverat occasioni imminere recuperandi ditiones amissas : hunc igitur Marchiæ comes facile in partes suas pertraxit cum aliis ei adhærentibus. Rem accipe ex Guilielmo de Podio Laurentii cap. 45 : Interea, *inquit,* oriuntur contractus inter eosdem comites Tolosæ, et Marchiæ, et regem Angliæ de facienda guerra Regi Franciæ, pluribus aliis consentientibus in id ipsum, ut lacessitus ex multis lateribus minus sibi sufficeret defensurus : super quo idem comes Tolosanus mysterium habuit consilii sui cum magnatibus suis, inter quos comes Fuxi fuit præcipuus, qui hoc ei consuluit, et consilii sui, ac promissionis, quod eum juvaret in tota guerra Regi movenda, præstito juramento sibi dedit litteras etiam pendentes. *Nobiles plures, qui comiti Tolosano adhæserunt, enumerat auctor citatus. Rex item Aragonum videtur fœderi adhærere voluisse : nam apud Parisium pag. 392 Marchiæ comes auxilium regis Aragonum regi Angliæ promittit; nec dubium est, quin tractaverit cum comite Tolosano apud laudatum Guilielmum de Podio cap. 34 : an autem fœdus omnino amplexus sit, incertum mihi apparet.* B

deinde Alphonso se contumeliose opponit.

466 *Hugo interim Marchiæ, comes, collecta manu militum, consedit Liciniaci non longe a Pictonum metropoli, ubi Rex erat cum fratre. Rex autem, reditum Parisios non satis tutum videns, pacis conservandæ studio accessit comitem Marchiæ, cum eo tractaturus, ut ex Joinvillio habemus num. 37. Quid tunc ibidem conclusum sit, non quidem aperit auctor; attamen in spem venerat Alphonsus præstandæ sibi clientelæ a comite : etenim hac spe eum invitaverat ad secum prandendum in diebus Natalitiis.* Sed *comes Marchiæ, si fides omnimoda Parisio hæc narranti pag. 392,* quadam nocte infra quatuor dies Natalitiorum, cum in crastino venturus foret, secundum promissionem suam, hoc * facere, inito consilio cum uxore sua Isabella, quod mutato proposito resisteret violenter, venit ante Andephulsum, et ait frontuose ei : Proposui tibi facere homagium deceptus et circumventus : mutato igitur spiritu tibi juro, et constanter assero, quod numquam tibi injurioso, ligantiæ * fœdus faciam, vel observabo qui privigno meo comiti Richardo fideliter Deo in Terra sancta C militanti, et captivos nostros prudenter ac misericorditer liberanti, comitatum suum indecenter abstulisti, mala pro bonis retribuendo. Et statim intumescens minis intonantibus, stipatus armatorum caterva, cum uxore sua procaciter per medium, Pictavis arcubalistis protensis, accensa domo, qua hospitatus fuit, raptim et cursu repentino, equum magnum insidens avolavit. *Tantam Hugoni comiti temeritatem suggessit fiducia tum suarum, tum fœderatorum virium : at quam facile una æstate potentes hosce adversarios domuerit* Ludovicus, *patebit ex sequentibus.*

* *i. e.* clientelam professurus

* *i. e.* homagium ligium, *ut vocant*

Parant se ad bellum hinc Ludovicus, inde fœderati :

467 *Rex sanctus, audita comitis insolentia, ad bellum se paravit, et præter exercitum copiosum, quem studiose collegit, aliquot triremes ante Rupellam Anglis opposuit, teste Parisio pag. 394, ne illa parte Pictaviam invadere possent. Rex item Angliæ se parabat diligenter cum fratre suo Richardo : nec minus Marchiæ comes, et Pictones. De quibus pag. 396 hæc scribit Parisius :* Civitates et castra sua munierunt, prærupta montium molarum obicibus, et arborum præcisarum repagulis, ubi aditus in suam patuit regionem ad nocendum, obstruxerunt : semitas et stratas saxorum vel stipitum obicibus immeabiles reddiderunt : vineas, quas hostibus profuturas crediderunt, cum pomariis succiderunt : puteos obturaverunt, fontes et eorum rivos perturbaverunt, nec non et aliquos intoxicaverunt : herbarum pabula et fructuum alimenta adversantibus patentia exterminarunt : et omne genus victualium, vel quiescentium receptacula, radicitus et funditus subverterunt, ut adventantes Francigenas penuria multiplici tabescentes a finibus suis saltem sic propulsarent. *His præmissis, audiamus quomodo Hugonem Marchiæ comitem aggressus sit* Ludovicus; *nam induciæ cum Anglis necdum ruptæ erant, licet utrimque se Reges ad bellum pararent.* D

Ludovicus, ditionem comitis ingressus, quædam castra

468 *Nangius pag. 337 expeditionem Regis ita narrare aggreditur :* Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCCXLII Ludovicus Rex, non immemor superbiæ et exosæ præsumptionis Hugonis comitis Marchiæ, totam regni sui militiam adversus eum circa anni principium congregavit. Et tunc cum infinita tam equitum quam peditum multitudine bellatorum, quibus facies terræ veluti locustis operiebatur, in terram comitis Marchiæ introivit. Et primo castrum, quod Mosteriolum in Gastina * dicitur, obsidens, paucis quediebus in obsidione commorans, illud in brevi tempore sibi potenti virtute subjugavit. Deinde ad turrim Berugiæ *, quæ fortissima et munita peroptime erat, se convertens, fixis tentoriis et regiis papilionibus, statim suos mangonellos et alia ingenia * quam plurima jussit in ipsius turris circuitu elevari. Turris vero defensores fortiter se habentes, Francorum impetus viriliter sustinebant. Verumtamen pauco tempore elapso ipsam turrim cum universis armis, copiaque victualium maxima, quæ in illa erat, cepit. Postea Rex considerans, quod suis prædicta turris multa mala intulisset, et adhuc inferre posset, ipsam dirui fecit, et ad nihilum redigi festinanter. *Hæc ipsi Marchiæ comiti erepta : nunc quædam ejus consanguineo, et fœderato ablata, sic narrare pergit :* E

* Montreuil en Gâtine

* la Tour de Beruge

* *i. e.* machinas

brevi tempore expugnat : veneni submissi periculum evadit :

469 Post captionem Monsterioli, et turris Berugiæ supra comitem Marchiæ factam, videns Rex, quod Dominus cum ipso esset, ad quæcumque ambulabat, firmans regnum ejus potentissime, aliud castrum, scilicet Fontenaium *, quod Gaufridus de Lixengnio * tenebat, qui erat in auxilium comitis Marchiæ, cœpit fortiter expugnare, et elapso brevis temporis intervallo, illud in suam redegit potestatem. Deinde aliud castrum ejusdem Gaufridi fortissimum, quod Voventum * nominatur, sibi potenter subjecit. *Hæc contra Gaufridum de Lusignan, cujus nomen non parum luxavit Nangius : quo autem pacto hic Regi fuerit reconciliatus, ac partem amissorum ipsius misericordia receperit, narrat Chaizius pag. 327. Verum dum hæc succedunt tam prospere, summum Rex adiit vitæ periculum, quod ei machinatam impiam mulierem, post Vincentium Bellovacensem lib. 30, cap. 148, sic enarrat laudatus Nangius :* Videns autem comitissa, uxor comitis Marchiæ, quod maritus suus comes Regi resistere non valebat, servientes donis et promissis illectos ad curiam Regis transmisit cum veneno, ut Regem et fratres ejus, quos maritus suus comes armis vincere non valebat, ipsa potu, occideret venenoso. Sed quod latenter facere cogitaverat, non potuit adimplere. Nam deprehensos nuntios cum veneno præcepit Rex atrocissimo carceri mancipari, *Hinc* F

* Fontenay le Comte

* de Lusignan

* Vouvent

ad

A *ad præcipuum comitis Marchiæ propugnaculum auctor nos deducens, sic prosequitur :*

470 Rex siquidem videns exercitum suum nimis magnum et fortem, promptissimumque ad bellum, quasi leo paratus ad prædam, Frontenaium * castrum fortissimum, duobus paribus murorum muratum, fortissimisque turribus et grossis * firmatum, fecit potentissime obsidere. Sed qui castrum defendebant, Regis exercitum nobiliter receperunt. Unde Rex castri fortitudinem, et defendentium probitatem audaciamque considerans, turres ligneas jussit illico elevari, ut per ipsas suus posset exercitus contra castri defensores fortius dimicare. Elevatis itaque ligneis turribus, erectisque circumquaque petrariis, mangonellis, et aliis ingeniis, cœpit Rex castrum prædictum viriliter expugnare. Sed illi, qui intus erant ad defensionem castri, ut nobiles defensores conflictum inimicorum potenter sustinebant. Unde quidam balistarius quarrellum * ad turrim jaciens, fratrem Regis comitem Pictaviensem in pede graviter vulneravit. Quo viso, Rex iratus vehementer, dictum castrum B jussit acrius impugnari. Ad cujus præceptum milites Franciæ fortissimi bellatores ipsum castrum fortius, et asperrime invadentes, castrum in brevi tempore cum suis defensoribus, videlicet uno de filiis comitis Marchiæ, qui non erat legitimo matrimonio natus, cum quadraginta et uno militibus, et quater viginti servientibus, aliisque minoribus quam plurimis, excellentissimo Regi Ludovico domino suo reddiderunt. Quos Rex partim Parisius, et partim alibi jussit in diversis locis diligenter custodiri. Castrum autem usque ad ultimum lapidem facit protinus destrui et everti.

castrum comitis munitissimum vi capit.

* Frontenay l'abbatu

* *i. e.* crassis

* *i. e.* telum brevius

471 *Fortissimam castri hujus expugnationem non minus commendat Matthæus Parisius pag. 398, scribens illud expugnatum* infra quindecim dies contra omnium Pictaviensium opinionem. *At non minus Christianam Regis fortitudinem commendat, quod subjungit de captivo comitis filio ad* Ludovicum *adducto. Verba ejus accipe :* Qui cum conspectui Regis triumphantis præsentaretur cum suis concaptivis, et instanter postularent multi Francorum, ut ad terrorem aliorum statim suspenderentur, ait Rex, C quasi factus ejusdem filii fidelis comitis advocatus : Non est reus mortis, si paternis præceptis usque ad mortem obedivit : neque complices sui, qui domino suo fideliter serviendo obtemperarunt : sed Parisios mittentur incarcerandi. Quod et ita factum est. *Adeo nec victoria insolentem reddidit* Ludovicum, *nec suum a veneno periculum, fratrisve vulnus sic eum exacerbavit, ut ei æque promptum non fuerit, christiana charitate ac ratione duce, animum vincere, atque iracundiam cohibere, quam hostium castra expugnare.*

ac comitis filio, aliisque in eo captis, clementer parcit :

472 *Hujus porro castri occupatione terrorem injectum Pictonibus, multaque facili negotio castra et municipia occupata, subjungit Parisius. Verum hæc breviter enarrantem rursus audiamus Nangium :* Postea, *ait*, Rex inde pertransiens, castrum de Villaribus *, cum his, qui intus aderant ad defensionem castri, sibi potenter subjecit. Erat quidem illud castrum Guidonis de Rupe forti, qui Marchiæ comiti adhærebat, et ideo fecit Rex illud dirui festinanter. Quo destructo, aliud castrum, cui Breic * vocabulum est, suo circumcingens exercitu, sibi celeriter subjugavit. Quo subjecto, usque ad castrum, quod nominant Sanctum Gelasium *, pertransivit : quod obsidens sibi infra paucos dies adquisivit. Deinde ad aliud castrum, quod Taunaium * dicitur supra Voutonam * accessit, et illud capiens pauco elapso tempore, suam in illo posuit guarnisionem *. Et tunc Rex serenissimus sentiens et veraciter perpendens, quod Dominus iter suum dirigebat et se comitabatur, accessit ad Mautas * castrum comitis Marchiæ, quod expugnans, turrim, quæ ibi erat fortissima, evertit funditus et destruxit. Turre vero eversa et ad nihilum redacta, usque ad Torz * castrum Ebulonis de Rupe forti accessit. Sed fortitudinem Regis, qui castrum custodiebant, cognoscentes, perpendentesque quod ibi nullo modo possent resistere, iram ejus incurrere metuentes, nudi et inermes de castro exeuntes, suis omnibus relictis, castrum Ludovico Regi humiliter reddiderunt. Rex autem illud muniens sua gente, adversus Aucerrium properavit, quod sibi non multis diebus evolutis subjiciens, dirui penitus imperavit. *Hactenus contra rebellem comitem priusquam Anglorum adesset subsidium, agentem vidimus* Ludovicum, *nunc contra regem Angliæ, comiti junctum, bellantem videbimus, ubi tamen exposuerimus, quonam rex Angliæ prætextu inducias ruperit, quas pepigerat cum* Ludovico. E

plurima alia castra, et oppida occupat.

* Villers

* *forte* Briou

AUCTORE J. S.

* S. Gelais

* Tonnay

* Boutonne fluvius

* *i. e.* præsidium

* Matha, *Valesio* Matas.

* Thore

§ XXXIX. Bellum S. Ludovico a rege Angliæ indictum : gemina Ludovici de fœderatis victoria : oppida capta : comes Marchiæ, multique alii nobiles Regi se subjiciunt.

Injuria comitis Marchiæ rebellioni conjuncta Ludovicum *coegerat arma suscipere, ut vidimus : at vero quam pacis amans esset, luculenter declaravit hoc tempore, dum Henrico Angliæ regi honestissimas pacis conditiones obtulit, quas ille tamen, spe inani lactatus recuperandi amissas in Gallia provincias, accipere detrectavit. Testatur id Westmonasteriensis ante citatus* F *pag. 308 hisce verbis :* Ipso quoque tempore, Rex Francorum piissimus et elegantissimus, spiritu tactus misericordiæ et tranquillitatis, obtulit domino regi Angliæ optimam formam pacis, eo quod ejus erat consanguineus, et uxor ejus regina reginæ Angliæ soror extiterat. Sed rex Angliæ, comitis de Marchia seductus falsis pollicitationibus, ipsam penitus recusavit, asserens se numquam a consiliis dicti comitis recessurum, quem patrem suum de more appellavit. Et statim hostiliter et inconsulte ipsum Regem Francorum diffidavit, *id est, bellum indixit. Matthæus Parisius pag. 398 hisce consentit, atque aliqua distinctius exponit, quæ compendio tradam. Missi fuerunt ad* Ludovicum *legati regis Angliæ, dum ille Frontenaium obsidebat, quos Rex honestissime excepit, ac mensæ suæ adhibuit. Conquesti sunt inducias a* Ludovico *ruptas : negavit ille se quidquam contra inducias fecisse, cum comes Marchiæ iis non comprehenderetur, nec cliens esset regis Angliæ : adjiciebatque, Anglum potius violasse inducias, quod rebelles sibi subditos suscepisset defendendos. Quin et Pictaviam*

Honestissimas pacis conditiones regi Angliæ bellum indicenti offert Ludovicus:

AUCTORE J·S.

viam obtulisse, et maximam Normanniæ partem scribit memoratus auctor; quod tamen fecisse non crediderim solum, ut induciæ manerent, verum ut pax firmaretur, Anglusque jure suo in alias provincias cederet. Neque existimo tam honestas pacis conditiones oblatas a Ludovico, *quod religione quadam angeretur juramenti olim a patre in Anglia præstiti, ut fingit Parisius: sed propter affinitatis vinculum, atque amore pacis, ut refert Westmonasteriensis: nam his ipsis de causis eum non pauca deinde Anglo cessisse, suo loco narrabimus. At quidquid fuerit, Anglus bellum promptius indixit, quam deinde gessit.*

Conveniunt duorum regum agmina, flumine tantum divisa: * Taillebourg * la Charente

474 *Concurrit utriusque Regis exercitus in provincia Santonensi prope Talleburgum * dictæ provinciæ oppidum, ita tamen ut flumine Carentonio *, quem Charantam nominat Nangius, Charentam Parisius, a se invicem dividerentur. Summa ibidem apparuit* Ludovici *fortitudo in transeundo flumine, par in hostes humanitas in concedendis facile induciis. At antiquos auctores audiamus. Nangius pag. 338 ita narrationem suam prosequitur:* Postea vero, cum ibidem prope in quodam maresio * pontes faceret elevari, ut ultra versus regem Angliæ, qui in civitate Xantonensi * latitabat, valeret transire absque magno incommodo, propter importunitatem transitus non habito consilio transeundi, rediit in vigilia Magdalenæ versus Tailleburgum castrum Gaufridi de Ranconio, situm super aquam Charantæ. Cumque fixisset ibi tentoria sua super ripam aquæ ipsius, balistarii Anglicorum, qui in altera ripa astabant, et rex Angliæ Henricus similiter cum fratre suo Richardo, et Hugone comite Marchiæ, Simoneque de Monte forti, cum aliis suis militibus et grandi multitudine Anglicorum, quos una cum rege eorum comes Marchiæ in præsidium adversus Regem Franciæ dominum suum fecerat transfretare, ab ipsa ripa aquæ recedentes, licet rex Angliæ paratus esset ad bellum, tamen dominum suum Regem Ludovicum pertimescens, per tractum duarum balistarum, et eo amplius, cum suis militibus se retraxit.

B

* *i. e.* palude

* Saintes

prælium in fluminis transitu,

475 *Non sine conflictu aliquo Angli recessisse videntur a ripa fluminis: etenim Matthæus Parisius pag. 399 docet, flumen prope Talleburgum ponte optimo junctum fuisse; deinde, rege Angliæ nihil aliud quam belli impetum exspectante, quosdam Anglorum pontem servasse. Joinvillius vero scribit num. 38, Gallos transitum tentasse partim navibus partim per pontem ingenti cum periculo,* Cœperuntque, *inquit,* in Anglos invehi; statimque validi fuere ictus dati. *Addit Regem ipsum aliis se immiscuisse, atque insigni se injecisse discrimini, quod hostes immenso intervallo superiores essent numero, ubi per pontem transiverat. Cujartus etiam apud Cangium pag. 137 pugnam agnoscit: conflictum vero nullum describunt Westmonasteriensis, Parisius, et Nangius, adeo ut facile crediderim non diuturnum fuisse conflictum, sed totum fere in ponte superando fuisse certamen, quo amisso, se Angli ad aliquot spatium retraxerint, ac Richardus accesserit ad inducias a Rege petendas, cujus industria regem Anglorum cladis periculo ereptum fatetur Westmonasteriensis. Potuerunt etiam Angli a ripa fluminis recedere ob balistarios Gallos, qui per angustum flumen eis non levia inferre incommoda potuissent.*

C

D

cedentibus Anglis, Richardus

476 *Quacumque autem de causa pedem retulerint, secuti sunt Galli, ut subdit Nangius his verbis:* Quod percipientes Francigenæ, quingentos servientes cum balistariis, et magna multitudine peditum armatorum fecerunt per pontem prædictum celerrime pertransire. Quos videns frater regis Angliæ comes Richardus, illico armis depositis versus Francos accelerans, petiit vocari comitem Atrebatensem, ut cum ipso de treuga capienda loqueretur. Sed tunc non ad comitem Richardum, imo ad Regem Ludovicum fratrem suum pro consilio super hoc habendo, accessit comes Atrebatensis. Et statim Anglici pavore nimio consternati, non expectantes responsionem comitis Atrebatensis de treuga capienda, versus Xantonas cursu velocissimo fugerunt. *Verum sub noctem tantum fugisse Anglos, idque post impetratas unius diei inducias, volunt scriptores Anglici Parisius scilicet, et Westmonasteriensis. At sive serius fugerint Angli, sive citius, fugisse constat. Nam victoriæ Gallorum, Anglorumque fugæ testis accedit nummus, quem Jacobus de Bie fol. 24 sic expressit*

F



induciasunius diei Ludovico impetrat:

477 *Nec tamen dubitandum videtur, quin unius diei inducias concesserit humanissimus in hostes* Ludovicus: *has enim sequenti modo refert Parisius pag. 400:* Cum autem hæc audisset omnia comes Richardus, dearmavit se, et assumpto uno baculo in manu sua, transivit pontem, de pace vel treugis loquuturus. Imminebat enim Regis Angliæ captio manifeste. Erat autem dies Dominica. Et cum venisset ad exercitum, receptus est cum summo honore a Francis, et vocabant eum multi redemptorem suum, quia per compositionem pacis eos in Terra sancta liberaverat. Et intrans ad Regem Franciæ, reverenter vocatus est. Et cum desiderium suum Regi exposuisset, scilicet de treugis obtinendis, concessæ sunt ei treugæ usque in crastinum vix. Et hoc impetravit, tum quia favorabilis persona Francis fuit, pro nobilium dicta liberatione in Terra sancta, tum quia fuit domini Regis Francorum consanguineus, tum quia fuit dies Dominica. Et cum recessisset comes, salutans Rex, ait recedenti: Domine comes, domine comes, concessi vobis hac die cum sequente nocte treugas, ut interim deliberetis vobiscum, quid agendum sit de cætero vobis salubrius nox enim consilium habet. Cui comes: Ideo petii inducias, quas impetravi. *Ex his perspicias, sanctum Regem, qui animo prorsus imperterrito prælium inibat, nec pericula formidabat, ne in ipso quidem conflictu solitam benignitatem ac pacis amorem deposuisse.*

E

478 *Fugam vero Henrici regis, totiusque exercitus subdit idem auctor post reditum comitis*

A *tis Richardi, prandiumque celeriter sumptum, convasatis sub occasum solis sarcinulis,* cum inciperent tenebræ fieri. Quod, *inquit,* cum cognovisset Rex Francorum, quod tamen vix credere potuit, eadem nocte cum toto exercitu suo pontem pacifice transiit, et eodem loco, quo rex fuerat, die postera fixerunt Franci sua tentoria summo mane. *Dies ille Lunæ partim quieti militum, partim transvehendis totius exercitus impedimentis datus, ut colligitur ex verbis sequentibus auctoris :* Adventabat enim et crescebat exercitus : plaustra enim et bigæ, machinas et victualia deferentes, viam trium milliarium detinebant, quæ ad mille et sexcenta æstimabantur. *At vero die Martis sequenti atrox ortum est prælium, cum id nec Angli exspectarent, nec Galli. Causa fuit Hugo Marchiæ comes, qui satis cernebat actum de se esse, nisi per felicem conflictum rem restitueret : gravis enim inter ipsum atque Henricum Angliæ regem exarserat contentio, quod conquereretur Henricus, non tantam se invenisse militum copiam, quantam comes promiserat : comes vero se plu-*

dein fugientibus Anglis flumen transmittunt Galli.

B *ra promisisse, quam præstiterat, negaret, ut Joinvillius num. 39, et fusius habet Parisius pag. 399, et sequenti.*

479 *Hinc comes fortasse metuens, ne desereretur ab Anglis, fortunæ aleam subire maluit, præliique occasionem captare. Audi Parisium pag. 400 :* Die autem Martis proximo sequente, Rex Franciæ cum exercitu suo insecutus est regem Angliæ. Et cum appropinquasset Xantonas, quidam de Francis discurrebant, emolumentis victualium intendentes, quod vulgo forrari * dicitur. Quibus comes de Marchia hostiliter occurrit, rege Angliæ inconsulto, vel exercitu ejus. Et facto congressu acclamatum est terribiliter : Ad arma, ad arma. Hinc Regales, regales : inde Montis gaudium, montis gaudium, scilicet utriusque regis insigne. Et ascendit clamor usque ad Xantonas ad regem Angliæ et ejus exercitum, et dictum est, quoniam comes de Marchia bellum inseruisset, volens vel vitam perdere vel famam redimere. Et commotus est uterque exercitus, et incepit conflictus acerrimus extra civitatem Xantonas, inter vineas in arctis viarum. Angli autem in ira sua alacriter

Acre prælium, ortum a pabulatoribus.

* i. e. pabulari

C Francos in ore gladii susceperunt, certamen gravissimum ineuntes : ita quod si numero eadem die eis æquarentur, sicut et ipsi Franci contestati sunt post certamen, voti compotes de Francis gloriose triumphassent. *Hac saltem gloriola cladem suorum delinire voluit auctor Anglus. Non negaverim tamen ex ipso Nangio satis colligi, ancipitem diu fuisse conflictum. Nec dubium esse potest, quin comes Marchiæ omnes vires intenderit ad victoriam obtinendam, cum ipsius ex ea pugna penderet fortuna. At Nangium audiamus.*

480 *Pabulatores Gallos circa Santonum metropolim currere,* comiti Marchiæ, *ait,* qui erat in burgo cum gente sua per deversus Francorum exercitum, unus garcio * nuntiavit. Quo audito, comes Marchiæ statim armatus cum tribus filiis, suis militibus, Scotis, Anglicis, et Gasconibus, qui in ejus auxilium cum rege Anglicano devenerant, Regis Franciæ forratoribus * occurrentes, eos in malum suum invaserunt protinus. Quod agnoscens comes Boloniæ *, qui ex alia parte erat, et cui primo fuerat intimatum, in illos, qui forratores Regis Franciæ invaserunt, fecit impetum ante omnes. Et in principio castellanus Xanctonensis, qui vexillum comitis Marchiæ deferebat, fuit protinus interfectus. Ibidem autem duo reges cum suis exercitibus adunati, bellum durum et asperum, sed non sine strage Anglorum maxima commiserunt. Nam Franci vehementer indignati, eo quod eos Anglici ad bellum lacessere præsumpsissent, in ipsos cum vehementi impetu irruebant. Et tunc ictus asperrimos ingeminantes in eos, confestim agmina fecerunt rarescere Anglicorum, hinc inde bello difficili existente.

in quo Galli Anglos fundunt,

* i. e. famulus

* i. e. pabulatoribus

* Guiart id attribuit duci Burgundiæ.

AUCTORE J. S.

481 Tandem dum pondus prælii versum esset in Anglicos, Rex Franciæ Ludovicus extitit triumphator. Nam Anglici Francorum fortitudinem non valentes sustinere, terga vertentes fugerunt. Rex vero Angliæ ictibus Francigenarum perterritus, illic morari vel pugnare ulterius non præsumpsit. Quinimo pluribus de suis interfectis, et multis vulneratis, captis, et retentis, viginti duobus scilicet, militibus, et tribus clericis ejus divitibus, cum centum viginti servientibus, versus urbem Xanctonensem arripuit turpem fugam. Quod sui percipientes, pavore nimio agitati, fugæ præsidium assumpserunt. E
Franci vero ipsos uno agmine persequentes, quoniam non adunati fugiebant, plurimos occiderunt. Anglicis itaque versis in fugam, suos Rex Franciæ bellatores Francigenas recollegit, qui nimis avide persequebantur Anglicos fugientes. Postea vero prisiones * suos præcepit diligenter custodiri, et postmodum diversis regni sui munitionibus mancipari. *Quosdam e Gallis, dum Anglos persequuntur avidius, cum iis urbem ingressos, ibique captos, refert Joinvillius num. 39, quos cum captivis Anglis permutatos ait Parisius; at crediderim non nisi post pactas inducias Anglos libertati restitutos. Ceterum hæc victoria finem bello imposuit, ut ex sequentibus fiet manifestum.*

qui Santonas fugiunt.

* i. e. captivos

482 *Festo S. Mariæ Magdelenæ hanc obtinuit* Ludovicus *victoriam, quam mira rerum conversio mox fuit secuta. Imprimis Hugo Marchiæ comes pacem quæsivit opera Petri olim Britanniæ comitis, et conditiones a Rege præscriptas, quantumvis duras, acceptare decrevit, at solum conditiones fuere fimatæ post acceptam in deditionem Santonum metropolim. Deinde nobiles varii certatim se Regi dederunt : quæ omnia referuntur fuse a Parisio, brevius a Nangio.* F
Fugam regis Angliæ, quem Ludovicus *omnia subigendo secutus est, accipe ex Matthæo Parisio pag. 401 :* Porro imminente operoso mense Augusti, rex confidenter credens se certum ac tutum apud Xantonam habere refugium, ibidem proposuit per aliquot dies gratia respirationis commorari; *cum* in crastino sancti Pantaleonis, *id est* XXVIII *Julii, per geminum nuntium intelligit, appropinquare* Ludovicum *ad urbem obsidione cingendam, additurque Marchiæ comitem jam pacem inivisse :* Et incontinenti, *inquit,* cum rex pransurus fuerat, festinanter... recessit, et recedens jussit succendi civitatem : quia, prout a nuntio acceperat prænominato, cives jam facta pace cum Rege Francorum, Regi Francorum secreta regis Anglorum proditiose revelaverant. Et... iter versus Blavium * festinanter fugitivus continuavit, non multum curans, quis etiam suorum sequeretur, jejunus penitus et inanis. Quod cum suis nobilibus innotuisset, semicoctis cibariis relictis, subito impransi, arreptis equis velicioribus, regem suum raptim consequuti sunt. *Regem ducesque fugientes*

Henricus Blaviam petit, relicta Santonum metropoli.

* Blaye

tes secutus est exercitus Anglorum summa cum miseria et jactura, uti ibidem videre est.

quæ Ludovico traditur : subjiciunt se magnates :

483 Rex autem Francorum Xantonas veniens, veneranter a civibus et clero susceptus, civitatem illam nobilissimam in suam sine difficultate suscepit ditionem. *His deinde subjungit subjectionem* Reginaldi de Pontibus, Willielmi *cognomento* Archiepiscopi, *et vicecomitis* de Thoarzio; *atque ita generatim aliorum :* Videntes igitur cives, et municipiorum custodes, quod eorum fortiores incurvati sunt, et rex ipse Angliæ, quasi nauta navem desperatam, qui eos debuisset protexisse, fugiens dereliquisset, ad Regis Francorum nobile dominium certatim convolarunt, omnesque comprovinciales se suaque ipsi protinus manciparunt. *Difficile est, nec necessarium, de omnibus assignare, quibus diebus se* Ludovico *subjecerint : constat tamen hæc omnia peracta fuisse sub finem Julii, atque initium Augusti, concurrentibus ad Regem undique magnatibus, dum ipse cum suis regem Angliæ sequebatur fugientem. Accipe relationem Nangii, qui pleraque refert servato temporis* B *ordine :* Die vero Martis (XXIX *Julii*) post festum beati Jacobi Apostoli, dominus Regnaudus de Pontibus, Regis fortitudine et victoria perterritus, ad Regem in villa de Columberiis *, distante a Pontibus * per unam leucam, veniens, publice coram baronibus Regis fecit homagium comiti Pictaviensi.

* Columbiers
* Pons

comes Marchiæ pacem supplex petit,

484 *Viam ad reconciliationem comitis Marchiæ apertam diximus per Petrum Britanniæ comitem; quo autem pacto res peracta sit, subjicit Nangius :* Eadem die venit filius comitis Marchiæ primogenitus, Hugo miles ad Regem Franciæ, cum ipso de pace sub hac forma tractaturus; videlicet quod tota terra, quam Rex acquisiverat super patrem suum comitem Marchiæ, fratri Regis et ejus hæredibus remaneret comiti Pictaviensi; et de residua terra sua ipse comes Marchiæ et uxor ejus cum filiis suis, Regis starent omnimodæ voluntati. Ita tamen quod dictus comes tria castra fortissima, scilicet Nelpium *, et Crosanum, atque castrum Achardi Regi traderet; in quibus suam guarnisionem ad custum * ipsius comitis Rex haberet. Et quia comes Marchiæ non erat præsens, ipse C Hugo filius ejus remansit in hostagium apud Regem, donec prædictus pater ejus veniret in crastino completurus. Comes quidem illustrissimi Regis Francorum clementiam et cordis pietatem eximiam non ignorans, in crastino una cum uxore sua ad Regem deveniens, cum lacrymis, suspiriis, singultibus, genu flexo, præsente Hugone filio suo primogenito, et duobus aliis filiis, quos de novo rex Angliæ fecerat milites, cœpit coram Rege humiliter proclamare; Depone, domine mi Rex clementissime, iram tuam, et ne amplius contra me movearis. Desinat, Rex dulcissime, jam indignatio tua, et miserere mei. Cognosco, Domine, culpam meam, quoniam inique et superbe egi adversum te. Tu mihi secundum multitudinem miserationis tuæ dimitte iniquitatem.

* Merpin
* *i. e.* sumptus

quam sui, suorumque subjectione.

485 Adhæc Rex, sicut mansuetissimus, et ineffabili pietate, misericordia motus, quibus totus semper in visceribus erga miseros et humiles affluebat, jam non valens in ira suam misericordiam continere, non potuit prædicti comitis illico non misereri : imo quidquid erga ipsum idem comes deliquerat, humilitatem ejus considerans, ipsi misericorditer condonavit. Munitiones vero et castella, quæ super ipsum Rex D acquisierat, quitavit comes Marchiæ in continenti comiti Pictaviensi. Et ne comes Marchiæ in aliquo Regem ulterius offendere præsumeret, unde ipse comes penitus exultaret; sibi Rex tria jam castra prædicta retinuit, et sua gente munivit. Hæc enim prædicta tam comes, quam comitissa uxor sua, et filii eorum de servitio Regi, et comiti Pictaviensi fratri suo amodo fideliter faciendo juraverunt se tenere. Nam et per prædictam pacem, quam fecit comes Marchiæ cum Rege Franciæ Ludovico, homagia, quæ fuerant ipsius comitis, scilicet homagium Renaudi de Pontibus, Gaufridi de Ranconio, comitis Augi de terra, quam habet in Pictavia, feodi Gaufridi de Lixengneio, de Mervento, et de Vovento, ipsi Regi Franciæ remanserunt.

ac duris conditionibus impetrat.

486 *Acta hæc fuere prima die Augusti, ut subdit auctor, cum jam Rex Blaviam versus cum exercitu procederet. Diploma comitis, ejusque uxoris, quo prædictas pacis conditiones admittunt, edidit Cangius in Observationibus ad Joinvillii Historiam a pag. 48 deinde illud recudit Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ* E *a col. 1271, ex quo adjungi potest ad præcedentia, quod comes Marchiæ remiserit Regi quinque millia librarum Turonensium, quæ ex tractatu Vindocinensi anni 1227 Rex ei debebat quotannis solvere, ceterisque gratiis cesserit, quas per tractatus quoslibet præcedentes a* Ludovico *obtinuerat : unum ei indultum, nimirum quod Rex illum Anglorum domino non subderet sine libera ejus voluntate. Huic instrumento aliud subjecit Martenius col. 1273, notatum* III *Augusti, quo comes, ejusque uxor declarant, se tria oppida munita, de quibus supra Nangius, castra vocans pro more istius temporis, Regi tradidisse; duo eorum ad quadriennium Regis præsidio occupanda, tertium vero ad octennium. His igitur conditionibus, seu potius omnimoda sui suorumque subjectione,* pedibus Regis Franciæ provolutus, gratiam ejus, quam non meruit, est adeptus, *ut loquitur Matthæus Parisius pag. 401, hæc subdens :* Et statim missus est cum ipso comite Britanniæ, ad expugnandum comitem Tolosanum, qui regi Angliæ tam consanguinitate, quam juramenti fœdere, contra Regem Francorum in continuatione F initi belli conjunctus dignoscebatur. *Sed de Tolosano postea : nunc ad Nangium revertamur.*

Hertoldus Mirabelli dominus, aliique se submittunt:

487 His peractis, *ait,* in festo S. Petri ad vincula, Rex Franciæ apud Pontes in pratis ultra villam pernoctavit : et ibidem venerunt ad ipsum dominus Mirabelli, et dominus Mauritaniæ *, in quorum castris rex Angliæ cum uxore sua et gentibus morabatur in adventu suo. Et tunc fidelitatem domino Regi Franciæ juraverunt, et fecerunt homagium comiti Pictaviensi similiter et omnes alii facientes, Rex usque ad Girundam * sibi et fratri suo comiti Pictaviensi homagia acquisivit. *Mirabelli * dominum Hertoldum mire commendat Parisius pag. 402, quia castrum suum munitissimum non subjecit, nisi fatente Henrico Angliæ rege, quod eum juvare non posset, et ut se subjiceret permittente. Eum autem ita ad* Ludovicum *loquentem inducit :* Domine mi Rex, iratus Deus tanta in me mala congessit, ut oporteat me, etsi invitum, ad asylum vestræ misericordiæ et protectionis confugere. Mihi derelictus sum. Ad vestram igitur regalem excellentiam confugio gemebundus : castra mea, simulque meum accipe, et

* Mortagne
* la Gironde
* Mirambeau

A et accepta famulatum. Cui Rex Franciæ sereno vultu respondit : Amice, bene innotuit mihi, quomodo dominum tuum regem Angliæ adiisti, et quæ verba ei protulisti. Tu solus fideliter te gessisti. Te, tuaque benigne suscipio contuenda. Tales approbo. Talibus misericordiæ sinus est pandendus. Hertoldus igitur castrum nobilissimum de Mirabello in manibus Regis Francorum resignavit, cum omnibus ad id pertinentibus. Sed Rex Franciæ statim, accepto ab ipso juramento fidelitatis, ipsum ei custodiendum confidenter liberavit. *Vides hinc* S. Ludovicum *fidem non minus in hoste quam in suis probasse : hinc factum, ut cum vassallis comitis Marchiæ mitius egerit, quam cum ipso comite, quod illis incumberet dominum suum fideliter tueri.*

Ludovicus jam Blaviæ vicinus, morbo

488 *Properabat interim Rex sanctus cum exercitu suo Blaviam : nam homagium Renaudi de Ponte apud citatum Martenium notatur* in castris prope Matillac, qui locus distat a Blavia quatuor leucis. *Subjiciturque ibidem homagium Guberti de Tamines* in castris prope Blaviam ad unam leucam. *Quinimo jam Burdegalam cogi-*
B *tabat Henricus, sed morbus* Ludovicum *se recipere coegit, cum alias statuisset Henricum tota Gallia pellere, ut affirmat Parisius pag. 403, ubi multos Gallorum ex morbo obiisse scribit, ac de Rege adjungit :* Rege autem Francorum simul graviter infirmato, cecidit timor gravis cum desperatione super Francos : timebant enim vehementer Regem suum, morte interveniente, quæ nulli parcit, amittere. *Verum, quod paullo post subdit, inducias idcirco a* Ludovico *petitas et impetratas in quinquennium, nec cohæret cum iis, quæ de factis anno sequenti induciis ex ipso Parisio adducemus. nec ultimis de hoc bello Nangii verbis, quæ nunc subjungo :*

impeditur Henricum ulterius persequi.

489 Eadem die, *inquit,* rex Angliæ et frater suus Richardus comes, qui erant apud Blaviam, audito quod Rex Franciæ deberet venire contra eos, Scotos suos et Gascones Girundam versus Bordellam * fecerunt celeriter pertransire. Postea rex Anglorum perterritus, cœpit studiose laborare, quomodo Regi Franciæ Ludovico, quem per suam superbiam offenderat, posset reconciliari. Nam quorumdam relatione intellexerat, quod rex Franciæ usque ad Gas-
C coniam terram ejus proposuerat pertransire, volens eam ditioni suæ penitus subjugare. Quod metuens, ab ipso per quamplurimos treugas fecit flagitare, quas, quamquam Rex Ludovicus multorum precibus premeretur, non potuit impetrare. Tandem vero piissimus Rex Francorum attendens, quod nemo duri cordis adeptus est salutem, ipsi treugas quinquennes concessit, multorum devictus interventu. *At quando, et quibus conditionibus hæ concessæ, dicetur, postquam reliqua ad hoc bellum pertinentia exposuerimus.*

* Bourdeaux.

§ XL. Pax cum comite Tolosano facta : Angli navalibus præliis victi : induciæ cum Angliæ rege : nata filia Ludovico ; cura ad electionem summi Pontificis adhibita.

Ludovicus *morbo, ut vidimus, correptus in Franciam rediit, cum valetudinis restaurandæ causa, tum etiam ut comitem Tolosanum, qui inter præcipuos erat hujus belli auctores, puniendum curaret, quantum ex verbis Matthæi Parisii potest colligi. Hic enim reditum ejus pag. 403 sic enarrat :* Rex igitur Francorum, ut respiraret, tum quia rex Angliæ ad ulteriora se transferre præparabat, quem insequi erat difficile in sua se transferentem, tum quia hyemalis instabat importunitas, mutato ex inopinato eventu proposito, in Franciam est reversus. Regrediens tamen per Xantonam *, quam in propriam receperat, præcepit eam ad opus regni Francorum novis et renovatis muris et antemuralibus communiri. Similiter et alias civitates, acceptis juramentis a custodibus, et obsidibus ; et castra castellanis Francis et fidelibus suis fecit tutissime roborari. Rege Angliæ se in Gasconiam, sed inutiliter, transferente... In Octavis autem sancti Matthæi apostoli Rex in Franciam veniens, ab infirmitate sua convaluit.

AUCTORE J. S.

Ludovicus in Franciam reversus convalescit,

* Saintes

et ad comitem Tolosanum

491 *Subdit celebrata a Rege comitia ecclesiasticorum, in quibus* exegit ab eis Rex Franciæ auxilium pecuniare, si *fides Parisio ;* et ne videretur rationabiliter pati repulsam, addidit E causam, videlicet ad expugnandum hæreticos Albigenses... Vicesimam *autem* partem reddit
tuum suorum illius anni... universaliter compromiserunt. *Hæc quidem promissa fuisse credibile est, an vero etiam soluta propter pacem brevi secutam cum comite Tolosano, ejusque complicibus, non ita constat. Ratio vero cur auxilium petierit* Ludovicus *contra hæreticos Albigenses, quamquam comes Tolosanus hoc bello præ ceteris videretur impetendus, hæc fuisse videtur, quod, occisis in ipsa comitis domo fidei inquisitoribus, nullam de sicariis illis pœnam sumpsisset, adeoque non immerito existimaretur iis favere.*

subigendum omnia parat :

492 *Crimen illud commissum anno 1242 refert Guilielmus de Podio Laurentii cap. 45 his verbis :* Quo tempore frater Guillelmus Arnaldi, et frater Stephanus ejus collega, et eorum fratres socii, et archidiaconus Lezatensis, et prior Avinionensis, ibidem contra hæreticos negotium fidei persequentes, in aula ipsius comitis in nocte Ascensionis Domini ab inimicis Dei et fidei fuere atrociter interfecti : cujus facti atrocitas nonnullos retraxit a guerra, in qua F esse voluerunt contra Regem. *Vides hinc, dictum crimen comiti imputatum fuisse etiam a fœderatis suis, licet ille fortasse similia non permitteret hæresis amore, sed potius ut eorum ope contra Regem uteretur. Miserat* Ludovicus, *ut supra diximus, post pacem cum Marchiæ comite factam, eumdem comitem una cum comite Britanniæ adversus Tolosanum.* Unde, *ait Parisius, hæc narrans pag. 401,* ex illo tempore comes Tolosanus, suæ intendens defensioni, regem Angliæ, cui efficax auxilium præaccepta pecunia promiserat, juvare non poterat... Venit tamen comes Tolosanus furtive semel ad regem Angliæ, excusans se ipsum, et ipsum regem inani umbratilis rationis consolatione confortans, *ut nempe bellum prosequeretur adhortando. Fecisse id videtur homo versipellis, ut ipse proniorem ad pacem haberet* Ludovicum : *nam jam illo tempore pacem impetrare studebat, legaveratque episcopum Tolosanum ad Regem, ut pacem sibi conciliaret.*

sed hic, desertus a comite Fuxi, pacem

493 *Tolosanum tamen prævenit Fuxi comes, qui non modo pacem cum Rege iniit, sed et mox bellum Tolosano indixit, ut patet ex ejus litte-*

AUCTORE J. S.

litteris ad Tolosanum, quas in Historia Bearniæ lib. 8, cap. 23, num. 3 Gallice recitat Petrus de Marca : scriptæ hæ sunt III *Nonas Octobris 1242, ac pro ratione belli indicendi, præter injurias a Tolosano acceptas, allegat, quod anno præcedenti Regi clientelam jurasset, adeoque ei adhærere teneretur; quamvis videri possit sibi, suæque utilitati potius consuluisse, quam fidei antea Regi datæ : ea enim conditione cum Rege pacem iniit, ut comiti Tolosano, cujus vassallus erat, deinde non subesset. Audi laudatum modo Guilielmum de Podio cap. 45 :* Inventum est, *inquit*, quod comes Fuxi, non obstante promissione, quam comiti super consilio sibi impenso fecerat, cum domino Rege composuit sine eo, in qua compositione, ut Regi contra comitem adhæreret, obtinuit, ut ipse et omnes successores ejus cum terra tota, quam tunc tenebat a dicto comite etiam ex commenda, essent exempti perpetuo a jugo comitis Tolosani, et sic apud Penam Agennensem, cujus castrum tenebat obsessum, ipsum comitem diffidavit ; *seu ei bellum indixit. Ita rebellis alter* B *alterum prodebat. Raymundus, cujus animos jam fregerat comitis Marchiæ atque Anglorum clades, his magis territus, litteras dedit ad Blancham reginam eodem mense Octobri, quas se vidisse in tabulario Carcassonensi testatur Catellus in Historia comitum Tolosanorum pag. 364 : hisce autem orat reginam, ut se Regi conciliare studeat, promittens se hæreticos expulsurum, se suaque Regis misericordiæ subditurum, ac puniturum percussores inquisitorum. In aliis autem litteris ibidem promittit, se oppida et castra restituturum postremo hoc bello intercepta.*

per amicos a Rege petit,

494 *Non abnuebat quidem* Ludovicus *pacem componere cum Tolosano : neque tamen idcirco prætermisit, quæ necessaria erant ad bellum contra eum prosequendum. Sic enim loquitur Guilielmus de Podio Laurentii cap. 45 :* Interea dictus episcopus *(Tolosanus)* cum domino Rege... invenit viam et gratiam pacis tractandæ inter episcopum * et comitem Tolosanum : nec tardavit Rex propter hoc ad partes istas a parte Caturcensi sufficientem militiam destinare; postquam et ex altera parte misit venerabilem patrem dominum Hugonem episcopum Claro- C montensem, et nobilem virum dominum Humbertum de Bello-joco cum majori multitudine pugnatorum. Interim autem, procurante episcopo Tolosano per discretum virum dominum Raymundum præpositum Tolosanum, quem misit domino Regi, mittuntur a domino Rege milites strenui, et providi Joannes dictus le Jay, et Serritus Pastici pro recipiendis securitatibus super tractatis conditionibus inter eos : et convenientibus prope Alzonam * comite Tolosano ex parte sua, et episcopo Claromontensi et domino Imberto de Bello-joco ex altera, cum eis, qui recenter missi erant, sumptis treugis, dies sumitur, in qua esset coram Regis præsentia comparendum, et locus apud Lotriacum * in Gastinesio *, ubi pax fuit cum Dei auxilio reformata.

* *l.* Regem
* Alsone
* Loriac
* Gastinois

et obtinet.

495 *Inducias cum legatis Regis, aut etiam pacis conditiones, quas Alsonæ factas scribit Guilielmus, initas circa finem Novembris anni 1242, refert Petrus de Marca in Historia Bearniæ lib. 8, cap. 23, num. 4; pacem vero a Rege confirmatam mense Januario dicit idem auctor. Conditiones autem pacis fere colliguntur ex Catello pag. 365 : nimirum omnia reddita* D *sunt a comite, quæ hoc bello occupaverat : prætterea oppida quædam Regis præsidio occupanda tradidit : amisit etiam Tolosanus clientelam comitis Fuxi, cujus homagium Rex acceptavit Montargii eodem mense Januario, excluso in perpetuum comite Tolosano, ut invenies apud laudatum Petrum de Marca loco citato. Accessit procul dubio promissio hæreticos persequendi, et puniendi sicarios illos, qui inquisitores occiderant : nam id se facturum comes jam ante receperat. De punitione sicariorum illorum hæc habet Guilielmus de Podio Laurentii citato loco :* Pace ergo Lotriaci reformata, comes reversus est ad propria et, de quibusdam, qui dicebantur interfuisse occisioni inquisitorum apud Avinionem, captis et tentis fecit justitiam, et eos suspendio condemnavit. *Ita et hac parte pacem adeptus est* Ludovicus. *Quod si comes Tolosanus non tantas persolvit pœnas, quantas pro iterata toties rebellione merebatur : attamen omni pœna non caruit. Nec expedire videbatur* S. Ludovico, *difficili bello majores de eo pœnas expetere, quem sic ad officium reducere poterat :* E *præsertim quod induciæ cum Anglo necdum essent initæ, et vereri posset, ne rex Aragoniæ, vel etiam Fredericus imperator Tolosano succurreret. Etenim litteras Frederici imperatoris, quibus ad bellum contra Regem prosequendum hortabatur, Tolosanus* Ludovico *tradidit post pacem factam, ut ex Philippo Mouskes memorat Daniel ad hunc annum : Regis vero Aragoniæ suppetias speraverant semper fœderati principes. Rationem autem, cur illas non miserit, dat Parisius pag. 401 his verbis :* Similiter nec Rex Aragoniæ dicto regi *(Angliæ)* præclusis aditibus, aliquatenus valuit, aut voluit suffragari.

Navale bellum Gallos inter et Anglos,

496 *Pacificatis ceteris, cum solo Angliæ rege, eoque jam fracto, et inducias petente, bellum supererat* Ludovico, *quod brevi per inducias finitum. Verum priusquam has referamus, quædam enarranda sunt utrimque in mari gesta. Habet hæc variis locis Matthæus Parisius ad annum 1242. Pag. 394 refert octoginta triremes ante Rupellam locatas a* Ludovico *ad partes illas tutandas. Pag. 397 ait, Anglos se parasse ad bellum navale,* et facta est, *inquit*, ex ipsis classis copiosa, et navalis exercitus formidabilis. *Cui cum similis Francorum classis occurrit,* F *certamen initura, orta vehementi tempestate, dispersæ sunt utrimque classes summo Anglorum detrimento, minore Francorum, quod hi littoribus suis essent propinquiores. Hæc a tempestate passi sunt Angli. At vero navalia certamina nihilo eis feliciora fuisse quam terrestria, neque mare tutum magis, quam terram, ex ipso Anglorum Historico abunde discimus.*

in quo repetitis vicibus Angli superati.

497 *Audi itaque ejusdem auctoris verba pag. 399 :* Rex autem Angliæ, cum hæc audisset, præcepit quinque portuum magistratibus, tam mercatoribus, quam aliis per maria transmeantibus de regno Francorum, quæcumque possent, inferre nocumenta. At illi feralia dicta crudelius complentes, more piratico rapinis intendentes, metas præcepti regii, lucris inhiantes, truculenter excesserunt : dum Anglos etiam... bonis suis spoliarunt, et aliquos Francorum trucidarunt. Quod cum datum fuisset intelligi Regi Francorum, scripsit comiti Britanniæ, et litora Britannica inhabitantibus, custodibusque Rupellæ * et partium ejusdem, Witsandiæ *, Calesiæ * nautis, et Normanniæ litora custodienti-

* la Rochelle
* Witsand
* Calais

A bus, ut et ipsi impetus Anglorum per mare debacchantium repellentes, corporibus eorum non parcerent aut catallis *. Unde multiplicatis adversantium viribus et numero, custodes, quinque portuum aliquoties turpiter victi et damnificati, subsidium ab archiepiscopo Eboracensi coacti sunt postulare. *Quam autem infestum mare habuerint Galli, clarius exponit pag. 406, ubi memorati quinque portuum custodes archiepiscopo conqueruntur,* Se jam ter non sine hominum et navium, et rerum multarum jactura irrestaurabili a transmarinis, præcipue a Calesiensibus, quos causa lucri impetierant, fuisse repulsos.

* *i. e.* bonis

498 Asserebant etiam veraciter, se non posse, nec etiam omnem classem Angliæ classi paratæ ex adversa parte resistere. Et addiderunt : Provideat igitur sibi regale consilium de sibi et nobis paratis et parandis insidiis occultis et manifestis irruptionibus, in proximo dirius et durius imminentibus. Comes enim Britanniæ cum omni navigio Britanniæ et Pictaviæ, armata manu bene communito, omnibus ex nostra parte existentibus, et de nobis ad regem, vel a rege ad nos B commeantibus, hostiliter insidiatur... Præterea ad nostri cumulum pavoris Normanniæ confinia inhabitantes, et litora maris ulteriora custodientes, cum Withsandiæ et Calesiæ naucleris vix nos permittunt vel etiam arti piscatoriæ aliquatenus invigilare. Piratæ quoque cum galeiis * alta maris custodientes, non permittunt etiam peregrinantes ad propria remeare. Unde jam regi Anglorum Burdegalia pro carcere reputatur, nisi nobis caveat vestra citius providentia in navali expeditione copiosa, et thesauro abundanti. *Hæc sane luculenter declarant, non minus mari, quam terra, triumphasse* S. Ludovicum; *nec aliud Henrico superfuisse tot malorum remedium, nisi ut induciis, si non quibus vellet, certe quibus posset, se expedire conaretur.*

quibus nihil in mari tutum relinquunt Galli.

* *i. e.* triremibus

499 *Inducias igitur tum precibus tum pretio flagitavit Henricus, quas Christiana tandem charitate permotus* S. Ludovicus *concessit. Illas sic memorat dictus Parisius ad annum 1243, pag. 407 :* Die vero S. Gregorii, treugæ, quæ captæ fuerant et proloquutæ, inter Regem Francorum et regem Angliæ, intermeantibus viris gravibus et discretis, et utriusque partis amicis, C sunt quinquennes utrobique confirmatæ. Remanente tamen Regi Francorum toto conquæstu, quem in illa expeditione adquisierat. Imo etiam quædam municipia, quæ post recessum Regis Francorum a partibus Pictaviæ rex Anglorum, ope fultus Gasconensium, sibi occupaverat, ditioni Regis Francorum sunt restituta. Pro quibus plene tam in mari quam in terra, liberaliter infra dictum terminum obtinendis, rex Anglorum Regi Francorum quinque millia librarum esterlinguorum, videlicet quolibet anno mille, fideliter numerabit. *Hic finis gravissimi belli, quod regno interitum minabatur, si perpendamus potentiam principum fœdere contra* Ludovicum *conjunctorum : quodque Rex juvenis tanto consilio, tanta fortitudine, tantaque felicitate gessit, ut summis ducibus merito videatur æquiparandus : tanta autem celeritate confecit, ut variis occasionibus dicere potuerit illud Julii Cæsaris :* Veni, vidi, vici.

inducias tandem Anglorum precibus concedit Ludovicus,

500 *Ceterum factis induciis,* comes... Britanniæ, *ait citatus Parisius,* vir astutus et dolosus, dissimulans se hæc omnia scire, more piratico prædis et rapinis super mare cum suis galeiis et aliis navibus vigilanter intendebat, nolens ad litus venire, ne forte regium mandatum damnosos ac injuriosos discursus suos cohiberet. Et inter cætera damna, quæ idem comes Britanniæ nequiter perpetravit, unam maximam navem mercimonialem Baoniæ, ficus et amygdala et species varias deferentem, et versus Angliam tendentem et velificantem, instante Quadragesima cepit ac spoliavit. Rex igitur Francorum, ad petitionem regis Angliæ, injuriosos impetus dicti comitis, sub interminatione exhæredationis, refrænavit ac compescuit. *Nec famam minus Henrici regis defendit* S. Ludovicus. *Cum enim quidam ei referrent, quam ille viluisset apud suos, ut refert Parisius pag. 404; respondit continuo Rex sanctus :* Sinite, sinite : nolite ipsum deridere, vel deridendo me ipsi odiosum reddere. Eleemosynæ suæ et Missæ ipsum ab omnibus periculis et probris liberabunt.

ac comitis Britanniæ piraticam impedit, honorique consulit

Auctore J. S.

501 *Par ejus eodem tempore apparuit clementia in Hugonem Marchiæ comitem, totius belli auctorem præcipuum. Etenim, cum ille sceleris accusatus a viro nobili, ad duellum cogeretur pro antiqua regni consuetudine, quam abrogare deinde conatus est* Ludovicus; *et jam certamen se initurum recepisset, tanto vitæ atque honoris discrimine liberatus est favore Regis,* E *ut fusius relatum invenies apud Parisium pag. 409. Aliud hujusmodi duellum impeditum narratur apud Chaizium pag. 382. Finem prædicta accepere anno 1243 : pauca itaque, quæ supersunt, ad annum 1242, et sequentem spectantia, lubet hic adjungere. Filiam* S. Ludovico *natam anno 1242 refert Nangius pag. 336 :* Eodem anno secunda die Martis Quadragesimæ suscepit Rex ex conjuge sua domina Margareta filiam nomine Isabellam. *Annum 1241 notat Nangius, sed more illius temporis : unde auctores passim annum a nobis designatum natalibus Isabellæ assignant.*

adversariorum : nata Regi filia :

502 *Vacabat Sedes Pontificia anno jam secundo post mortem Gregorii IX : id, sive discordia Cardinalium, sive culpa Frederici imperatoris contigerit, male habebat* S. Ludovicum, *de bono universalis Ecclesiæ sollicitum. Acres igitur ea de re scripsisse litteras ad Cardinales, narrat ad hunc annum pag. 311 Westmonasteriensis his verbis :* Insuper Rex Francorum, cum tota regni sui universitate, epistolam F efficacissimam, preces armatas et imperiosas continentem, per solennem nuncium transmisit Cardinalibus, persuadens ut Ecclesiæ providerent sine moræ dispendio. *Effectum habuisse videntur litteræ; nam electus eodem anno Innocentius IV. De epistola Gallorum meminit etiam Matthæus Parisius pag. 408 non sine adjuncta fabella, quam, una cum epistola apud Petrum de Vineis exstante, refutatam vide apud Spondanum ad hunc annum num. 1. Innocentius autem eodem anno* XVIII Kal. Januar. S. Ludovico *concessit ne quis* absque mandato Sedis Apostolicæ speciali *excommunicationis vel interdicti sententiam in ditionem Regiam proferre valeat. Epistolam vide apud Chesnium tom. 5, pag. 861. Alteram mox gratiam Regi concessit, dum filium nothum Philippi Augusti ad episcopatum Noviomensem admisit, quod facere recusaverat Gregorius IX. Consule Raynaldum ad annum 1240 num. 30, et seqq.*

vacante dudum Sede Pontificia, curat Rex ut Pontifex eligatur.

AUCTORE J. S.

§ XLI. Varia anni 1244 gesta : natus Regi filius : accessus ejusdem ad capitulum generale Cisterciensium : promissum Pontifici contra vim Frederici auxilium : morbus : crux sumpta.

Tolosanus Ecclesiæ reconciliatus ope S. Ludovici :

Anno *1244, quem exordior, Innocentius Papa scripsit ad* S. Ludovicum *ipsis Kalendis Januariis, se excommunicatione absolvisse atque in gratiam recepisse Raymundum comitem Tolosanum, idque ad preces ejusdem Regis :* Quocirca, *ait in litteris apud Raynaldum ad hunc annum num. 17,* regiam serenitatem rogandam duximus et hortandam, quatenus eumdem comitem, te interveniente reconciliatum Ecclesiæ, favore tuæ magnificentiæ taliter prosequaris, quod idem in Apostolicæ Sedis, ac tua devotione perpetuo permanens ad celsitudinis tuæ servitia fortius animetur. *Frederici item Ecclesiæ reconciliandi spes affulgere videbatur : nam, apud laudatum Raynaldum num. 20 et seqq., Fredericus procuratores suos jurare jusserat coram Pontifice, se Ecclesiæ satisfacturum, quamvis id postea nequaquam servaverit homo inconstans. Spes autem illa pacis firmandæ melius ope* S. Ludovici *impulisse videtur Pontificem ad nuptias suadendas B. Elisabethæ sorori* Ludovici *cum Conrado filio Frederici, ita ut verisimile sit circa hoc tempus de nuptiis illis actum fuisse.*

B

nuptias respuit Elisabetha soror regis, eo favente : natus filius.

504 *Porro de hisce in Vita Elisabethæ apud Cangium pag. 170 scribit Agnes de Harecourt, Elisabetham amicis numquam consentire voluisse nuptias cum Conrado suadentibus, quod perpetuam servare virginitatem statuisset : Innocentium IV ad eam litteras dedisse primum, quibus ad nuptias hortabatur Elisabetham : sed eumdem deinde alias ad eam dedisse litteras, quibus propositum servandæ virginitatis laudabat. Deponsatam fuisse Conrado scribit Cantipratanus lib. 2 de Apibus, cap. 29, ex quo cum colligatur etiam, quantum* S. Ludovicus *faverit sororis suæ servandi virginitatem proposito, verba ejus subnecto :* Vidimus et illam, *inquit,* quam minus juste extremam ponimus, filiam Ludovici regis Francorum, sororem scilicet devotissimi Regis Ludovici, qui fœlicissime regnat ad præsens. Hæc desponsata Conrado filio Frederici Romanorum imperatoris, in virginitate permanere innuba præelegit. Quæ soli Deo vacans, adeo contemplationi deditur et virtuti, ut nulla ei cura in ullis transitoriis videatur. Sed et ipsius frater, quem diximus, Rex devotissimus Ludovicus, in tantum amplectitur virgineæ dignitatis pudicitiam consectantes, ut Parisiis collegerit Beghinarum maximam multitudinem, ut se in humilitatis obsequiis exerceat et salute. *Plura de piis sororis suæ conatibus a* Ludovico *promotis suo loco videbimus. Multis dudum desideratus Gallorum votis hoc anno natus est* S. Ludovico *filius, ut colligitur ex ejusdem epitaphio apud Chesnium pag. 442. Mortuus enim est circa initium anni 1260* ætatis suæ decimo sexto. *Cum itaque natus sit* vi Kalendas

C

Martii in die festivitatis beati Matthiæ apostoli, *teste Nangio pag. 340, necesse est, natus sit anno 1244 : quamvis Nangius, more suo annum usque ad Pascha protrahens, 1243 exprimat, et per errorem vocet decimum septimum regni, cum sit decimus octavus :* Postquam autem regia proles processit ad ortum, statim Rex Guillelmum Parisiensem episcopum, et Odonem Clementis abbatem sancti Dionysii ad se vocari præcepit, ut idem episcopus tantam prolem et regni Francorum hæredem baptizaret, et dictus abbas tamquam verus patrinus super fontem sacri lavacri propriis manibus teneret. Rex vero nomine patris sui Ludovici præfatum puerum filium suum jussit vocari Ludovicum. Tunc ortum regalis prolis per diversa regni loca cursores regii nunciantes, corda Francorum ineffabili gaudio et lætitia repleverunt. D

Legem statuit Ludovicus ad pacem cum Anglis firmandam ;

505 *Pacem Ecclesiæ optabat Rex sanctus, ut vidimus ex supra dictis : verum non minus studebat pacem regno suo conservare, qua hoc tempore fruebatur. Hæc cura eum impulit ad statuendum ea, quæ narrat ad hunc annum Matthæus Parisius pag. 416 hisce verbis :* Circa dierum illorum curricula, Rex Francorum Parisiis convocatos omnes ultramarinos, qui terras habuerunt in Anglia, sic est affatus : Quicumque in regno meo conversatur habens terras in Anglia, cum nequeat quis competenter duobus dominis servire, vel penitus mihi, vel regi Angliæ inseparabiliter adhæreat. Unde aliqui terras et redditus habentes in Anglia, eas relinquentes, possessionibus, quas habebant in Francia, adhæserunt; aliqui e converso. *Ita abscindebantur perpetuæ quorumdam nobilium machinationes ad Anglos in Normanniam, aliasve provincias evocandos. Imitatus est factum* Ludovici *Henricus, sed non ea cum moderatione, ut Gallis liberum reliquerit, vel in Anglia manere, vel suas ibi vendere possessiones, prout liberum reliquerat Anglis* S. Ludovicus : *sed* Rex Angliæ, *teste Parisio,* omnes de regno Franciæ, præcipue Normannos, jussit terris suis, quas in Anglia habuerunt, disseisiri *. *Videbatur id quidem induciis contrarium, sed nolebat* Ludovicus *ob damna quorumdam pacem turbare ; credibile tamen est, eum curam habuisse, ut ejectis ex Anglia damna aliunde resarcirentur.* E F

* *i. e.* spoliari

pacem restituit in comitatu Petrocoricensi

* Perigord

506 *Studuit item Rex egregius pacem conservare in comitatu Petrocoricensi *, quæ per Eliam Tailiarandum illius comitem aut perturbata jam erat, aut perturbanda videbatur. Attamen, ut non minus alieni juris quam pacis erat studiosus, inquirere voluit, quid juris in illo comitatu habuissent olim Angliæ reges, quid Ludovicus VIII, qui comitatum Anglis ademerat : præsertim an illi jus habuissent exigendi tributum pro securitate et pace conservanda,* quod commune *passim vocabant. Responderunt Petrocoricenses tum ecclesiastici tum civiles magistratus, jure illo gavisos fuisse postremos Angliæ reges Henricum II, Richardum, Joannem : et patrem Sancti, Ludovicum VIII, eodem jure per biennium, quo comitatum possederat, fuisse usum. Utramque Petrocoricensium epistolam exhibet Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1280 et 1281. Hæc ex dictis litteris certa sunt. Certum quoque est ex litteris, comitem Petrocoricensem litem habuisse cum incolis Podii sancti Frontonis Petrocoricensis, iisque damna intulisse non modica, adeo ut regiis quo-*

que

A *que ministris se videatur comes opposuisse. At non æque constat, quo tempore contentiones illæ sint inchoatæ; crediderim tamen cœptas circa hunc annum, eamque fuisse occasionem, cur* Ludovicus *de jure suo jam dicto inquireret. Porro causa comitis, ejusque adversariorum delata fuit ad arbitros, qui coram Rege sententiam pronuntiarunt. Sententiæ hujus partem inseruit litteris suis* S. Ludovicus *apud laudatum Martenium col. 1296, ubi hæc invenio :* Inter cetera *fuit* ordinatum, quod omnes reditus et omnia jura, quæ habebat idem comes in villa Podii S. Frontonis, de quibus per recognitionem consulum dictæ villæ et alias legitimo modo constiterit, quod de ipsis erat in possessione pacifica dictus comes, antequam guerram moveret contra burgenses prædictos, nos, quamdiu vixerit idem comes, vel quamdiu placuerit nobis, habeamus et teneamus, eorum tamen proventibus per triennium proximum post ipsius arbitrii prolationem distribuendis inter uxores et liberos pauperum occisorum in terra illa de villa Podii S. Frontonis vel heredum ipsorum. *Hanc sententiam hoc ipso anno 1244 prolatam suspicor,* B *nimirum ubi Rex comitem coegerat, non bello, ut cœperat, sed judicio arbitrorum causam suam decidere. Ceterum clementissimus Princeps, ubi per reditus triennii læsorum damna erant resarta, gratiam præstitit comiti per hanc ipsam chartam, quam citavimus, eumque in jura sua restituit sub conditionibus variis, inter quas erat* quod semper de cetero fidelis erit, *ex quo colligitur, se Regi primum in illa contentione opposuisse. Altera erat, quod comes cum Roberto Regis fratre transfretaturus esset in Terram sanctam contra Saracenos. Hisce promissis, juramentoque firmatis a comite, Crispiaci mense Aprili anni 1247 in jura sua restitutus est : at clare non dicitur, an triennium a prolata contra comitem sententia tunc esset elapsum : unde illius judicii tempus manet incertum. Geminam litem minori molimine Rex ipse amice composuit anno 1244. Altera erat cum Joffrido Catalaunensi episcopo, cujus electio dudum fuerat litigiosa de proventibus istius ecclesiæ : altera cum episcopo et capitulo Carnotensi de præbendarum quarumdam collatione. Utriusque compositionem* C *exhibet laudatus supra Martenius col. 1281, et 1282.*

episcopum Wintoniensem exsulem benigne excipit:

507 *Graviter ab aliquo tempore Henricus Angliæ rex persequebatur Willelmum episcopum Wintoniensem, licet varii pro eo intercederent episcopi. Hunc igitur virum laudatissimum* S. Ludovicus, *miserorum tutor, in regno suo exsulem excepit, et suscepit defendendum. Fugisse eum ex Anglia* x *Kalendas Martii narrat Parisius pag. 418, relatoque adventu in Galliam, hæc subdit :* Et inde se ad Abbevillam * transferens, obvium habuit Regis Francorum nuncium solennem, qui eumdem episcopum ex parte domini sui Regis cum gaudio et vultu suscepit serenissimo, in omnibus ei spondens ejusdem Regis consilium et auxilium cum consolatione et protectione. Præcepitque ex parte Domini sui, ut major Abbevillæ promptam haberet totam communiam ipsius civitatis ad ejusdem episcopi defensionem, si forte insequerentur ad nocendum aliqui ex parte regis Anglorum, ita scilicet, ut si opus expostularet, ad arma convolantes, hostiliter pro episcopo contra omnes illi adversantes dimicarent. *Quem demum* ingenti totius Angliæ gaudio, quod vir pius ac prudens esset, *ab Henrico sedi suæ restitutum, refert Spondanus ad hunc annum num. 6.*

* Abbeville in Picardia

eximia pietate accedit capitulum generale Cisterciensium,

508 *Pietatem suam eodem anno egregie ostendit* S. Ludovicus, *dum monachos Cistercienses invisit cum familia regia. Audi hac de re Matthæum Parisium pag. 439 :* Imminente vero sancti Michaelis festivitate, convenientibus, ut moris est, de diversis regionibus abbatibus Ordinis Cisterciensis ad suum capitulum generale, venit illuc devotissime dominus Rex Francorum, precum suffragia ab omnibus ipsis monachis congregatis petiturus. Comitabatur autem eum nobilis domina Blanchia mater ejus, quæ a domino Papa privilegium impetraverat, ut liceret ei domos religiosas Cisterciensis Ordinis cum duodecim mulieribus orandi gratia intrare. Erant etiam ibidem cum dicto Rege et matre ejus pro causa memorata fratres Regis, Atrebatensis et Pictavensis comites, dux Burgundiæ, et sex comites Franciæ cum ipsis. Qui cum appropinquarent ecclesiæ Cisterciensi, descenderunt de equis suis ob reverentiam ecclesiæ, et ab eodem usque ad ecclesiam loco; videlicet quantum jacere solet arcubalista, ordinate ac reverenter orantes E progressi sunt. Et ecce omnes abbates cum universo conventu, videlicet quingenti, eis appropinquantibus cum processione occurrerunt ob honorem domini Regis, qui tunc primo ad eorum venerat monasterium. *Hæc in adventu.*

ubi carnes manducare renuit sine licentia capituli,

509 *Edmundus Martene sæpe a nobis memoratus in Thesauro anecdotorum tom. 4 edidit Statuta selecta capitulorum generalium Ordinis Cisterciensis, in quibus occurrunt quædam huc spectantia. Vetitum non modo erat in præfato Ordine carnes comedere monachis, sed nec aliis in eorum monasteriis id permittebatur. Noluit piam legem infringere Rex sanctus, sed facultatem manducandi carnes sibi, suisque postulavit a capitulo. Refertur id in Statutis anni 1253, col. 1401 his verbis :* Cum illustrissimus Rex Francorum Ludovicus et inclitæ recordationis Blancha mater ejus, una cum nobili prole sua, nobilibus Atrebatensi et Pictaviæ comitibus; et Isabella sorore eorumdem, orationes ab Ordine tempore capituli generalis personaliter petituri accesserint, licet fatigati ex itinere, in Cistercio non nisi de licentia capituli generalis carnes comedere voluerunt, et hoc extra terminos. *Facultas autem comedendi carnes in Statutis anni* F *1244, col. 1382 sic exprimitur :* Dominus Rex et regina Franciæ veniendo ad capitulum generale, conceditur eis ad præsens et suis, uti carnibus in domo ducis, et in domo ducissæ, extra terminos : ita tamen quod de cetero in domo Cistercii, vel aliis in consequentiam non trahatur. *Hæc sane eximiam pii Regis in monachos, disciplinamque monasticam demonstrant observantiam. Verum hanc licentiam carnes comedendi perperam restringit Chaizius pag. 389 ad solum Regem et reginam, cum manifestum sit, omnibus datam esse ex verbis :* Conceditur eis ad præsens et suis.

et preces monachorum postulatas impetrat :

510 *Circa preces autem a Rege, reginaque petitas, hæc ibidem leguntur statuta :* Illustri Regi Franciæ, et dominæ Blanchæ reginæ matri ejus pro devotione nimia, quam prætenderunt veniendo ad capitulum generale, et affectione pia, quam habent ad nostrum Ordinem universum, conceditur a capitulo generali, ut tres Missæ de Spiritu sancto, et tres Missæ de B. Virgine celebrentur pro ipsis per totum Ordinem a singulis sacerdotibus. Item, ut audito eo-

rum

AUCTORE J. S.

rum obitu, plenaria duo servitia primo anno, similiter et secundo alia duo persolvantur utrisque per Ordinem universum. Nihilominus anniversaria eorum in singulis domibus nostris perpetuo celebrabuntur solemniter in conventu, et die illa pro ipsis celebrent universi. *His subnectuntur Officia anniversaria pro patre ac matre reginæ celebranda. At singularis plane gratia paullo ante expressa legitur hoc modo :* Scribantur per abbatias Ordinis nostri in regno Franciæ in margine juxta primum MEMENTO, propria noimina Regis et reginæ Franciæ, Ludovici et Blanchæ, ut de ipsis habeatur memoria specialis. *Alias rursum preces anno sequenti pro* S. Ludovico *indictas ibidem in statutis invenies. Nunc videamus, quid monachi Regem flagitaverint.*

orant vicissim monachi, ut Pontificem tueatur contra Fredericum.

511 *Innocentius Papa, redintegrata inter ipsum et Fredericum discordia, in pervigilio apostolorum Petri et Pauli clam Roma profugerat, atque ad partes Galliæ accedebat, asylum ibidem contra vim imperatoris quæsiturus. Cum autem novisset* Ludovicum *ad capitulum* B *Cisterciense accessurum, ejus protectionem per monachos postulandam duxit. Audi Matthæum Parisium loco citato hæc narrantem :* Dominus autem Papa hæc prænoscens, miserat ad capitulum quamdam elegantem epistolam, petens instanter et devote, ut ipsi omnes abbates et conventus, cum ad ipsos in capitulum eorum adveniret dominus Rex, fraternitatem et orationes eorum flagitaturus, flexis genibus et junctis manibus, ipsum efficaciter et devote deprecarentur, ut secundum antiquam et consuetam Franciæ consuetudinem et libertatem, Patrem suum et Pastorem summum ac præcipuum Ecclesiæ Rectorem, videlicet Romanum Pontificem, contra insultus imperatoris, quos declinavit, quem in eadem epistola filium sathanæ nominavit, potenter tueri et defendere dignaretur. Et si necessitatis articulus expostularet, sinum pandens ingenuæ pietatis, eum in regno suo benigne receptaret. *Infra vero habet sequentia de conatu imperatoris :* Habuit autem imperator ibidem nuncios suos solennes, ut quod ab ipsis postularetur, effectum non sortiretur.

C

quod se facturum promittit : eum tamen Remis sedem figere non sinit :

512 Cum autem dictus dominus Rex in capitulo, anteposita reverenter matre sua, resedisset in medio magnatum et abbatum, ipsi omnes abbates et conventus, flexis genibus, et junctis manibus, obortisque lacrymis, ipsum Regem humiliter postularunt, quod prædictum est. Quod cum vidisset dominus Rex, et audisset, et ipse contra eos genua curvans, ipsis favorem præstitit, affirmando, quod quantum honestas permitteret, ipsius imperatoris Frederici injurias ab Ecclesia propulsaret, et ipsum dominum Papam, si consilium optimatum suorum *, quod non potest aliquis regum Francorum subterfugere, exulantem liberaliter receptaret. Abbates autem Regi super hoc gratias multiplicantes, speciale suorum bonorum operum ei participium * concesserunt. *Non defuisse promissis suis* Ludovicum, *ostendent ea, quæ suo tempore referentur. Quod vero attinet ad articulum postremum de recipiendo in Gallia Pontifice, si necessitas eum cogeret eo se recipere, cui Rex dumtaxat consensit sub conditione, nimirum si regni proceres non repugnarent : plus deinde per legatos suos petiisse videtur Pontifex, quod Galliæ magnates non concedendum judicaverant. Quippe Monasteriensis ad hunc annum pag. 318 sic habet :* Rex autem Franciæ comperiens, quod D dominus Papa regno suo appropinquavit, sciens quod de adventu suo nihil boni Regi vel regno proveniret, convocavit magnates suos, consulens eos, quid super his foret agendum : et cum convenissent, ecce Papalis petitio directa est ad ipsum Regem et proceres, ut liceret ei ad Remensem civitatem, quæ tunc suo antistite viduabatur, se transferre. Quod cum Franci attoniti audissent, statim constanter responderunt, hæc se nullo modo velle tolerare. Rescripsit ergo Rex Franciæ domino Papæ moderate, proceres suos nullatenus velle consentire, ut in Franciam veniret.

* adde consentiret

* i. e. communicationem

Matthæi Parisii dicteria in Pontificem refutantur.

513 *Idem Pontifici negatum fuisse ab Angliæ et Aragoniæ regibus scribit Parisius pag. 443. At prorsus incredibile est, Pontificem hisce irritatum contra* Ludovicum, *aliosque reges erupisse in verba illa contumeliosa, quæ idem scriptor confinxit, ex bile sua Pontificis animum mensus, aut certe mendacis vulgi calumnias temere secutus. Si propter auctoritatem Matthæi Parisii hæc credere potuit Chaizius, prout scribere potuit pag. 391, credulus sane fuit in iis,* E *quæ famæ summorum Pontificum parum sunt propitia. Quippe ne sibi quidem cohæret fabella apud Parisium pag. 446 :* Dixit, *inquit,* in iracundia magna, voce susurra, oculos obliquando, et nares corrugando : Expedit ut componamus cum principe vestro, ut hos regulos conteramus recalcitrantes : contrito enim, vel pacificato dracone, cito serpentuli conculcabuntur. *Ut verba sensum habeant, dicta fuisse oportet cuidam Frederici ministro : referuntur tamen occasione legati ex Anglia, ut vult, ejecti. Verum sive imperatoris, sive alterius principis ministro dicta fingamus, prudentior erat Innocentius IV, quam ut similia diceret coram ministro cujuscumque principis, quæ nata erant omnes principes ad indignationem gravissimam provocare. Præsertim cum eo tempore principum Christianorum ope indigeret, eosque aut eorum procuratores ad concilium invitare vellet. Siquis velit hæc secum mussitasse Pontificem, sensus non cohæret : nec verisimile est, hæc secum dicturum fuisse præsentibus aliis, qui ea efferre in vulgus possent. Restat igitur, ut credamus a Fredericianis confictam hanc calumniam, nisi ipse finxerit Parisius, aut ejus Historiæ alius deinde* F *adjecerit. Hæc pauca e multis, quæ contra hanc fabellam proferri possunt. Ceterum, quod Chaizius, et Daniel ad hunc annum, verba exprimant Parisii sensu magis verisimili, eorum potius fidem in scribendo minuit, quam facti verisimilitudinem auget.*

ingressus in Galliam non omnino Pontifici negatus. Morbus Regis.

514 *Porro ingressum in Galliam non omnino negatum fuisse Pontifici, sed stabilem Remensi in urbe habitationem improbatam, evincitur ex ipso Chaizio, qui pag. 392 ex Ms. narrat, petitum fuisse a Pontifice congressum Cluniaci cum Rege habendum, ac Regem jam se disposuisse ad iter, cum illud morbo impeditus differre coactus est in annum sequentem. De morbo hoc Regis gravissimo agunt auctores coævi varii. Eum Parisiis contigisse ait Joinvillius num. 40; sed Vita secunda num. 18 una cum variis melioris notæ auctoribus Pontisaræ Regem ægrotasse referunt, de quo non videtur dubitandum. Quam pie autem et Christiane in morbo se gesserit, loco citato invenies in Vita secunda : ubi et duplici tertiana laborasse dicitur, et adjungitur, miraculo sanatum fuisse, ut vulgo credebatur. Breve*

A *ve Chronicon S. Dionysii apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 497 hæc breviter memorat ad annum 1244 :* Hoc anno cœpit Rex Francorum Ludovicus die Sabbati ante festum S. Luciæ *(quod incidit in* XIII *Decembris)* valida febre, et vehemente fluxu ventris apud Pontisaram graviter infirmari. *Eadem habet Nangius, ex quo plura mox adducemus.*

quo diu instar mortui jacuit:

515 *Matthæus Parisius morbum. recuperatamque valetudinem sic refert pag. 440 :* Eodem anno, in Adventu Domini, Rex Francorum Lodovicus, ex reliquiis corruptelæ, quam in Pictavia, cum negotiis belli indulsisset, contraxerat, graviter infirmatus, in exstasim lethalem raptus, jacuit aliquot diebus quasi mortuus, et assertione plurium circumsedentium, penitus exanimatus. Assistebant autem mater et frater ejus, et quidam alii ejus familiares, credentes quod jam Rex mortuus obriguisset. Sed mater ipsius, profundiora aliis trahens suspiria, singultibus ait sermonem prorumpentibus : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et salva hodie regnum Franciæ, quod hactenus B honorifice semper sustinuisti. Et applicans crucem sanctam, et coronam, et lanceam Christi, suo tempore acquisitas, corpori Regis filii sui, et votum faciens pro eo, quod si ipsum dignaretur Christus visitare, et sanum reddere, et conservare, cruce signaretur sepulcrum ejus visitaturus in terra, quam proprio sanguine consecravit : et cum ipsa, et omnes alii præsentes, pro ipso corde sincero et perfecto orationem continuassent, ecce Rex, qui mortuus credebatur, suspirans, brachia et tibias sibi attraxit, et postea extendit, et voce præcordiali, quasi ex sepulcro resuscitatus, ait : Visitavit me per Dei gratiam Oriens ex alto, et a mortuis revocavit me. *Subjungit crucem a* Ludovico *assumptam pro expeditione transmarina, quod postea referemus. Sacra pignora* S. Ludovico *applicita, indeque vitam quasi restitutam, scribit etiam Westmonasteriensis sub finem hujus anni. At hallucinantem manifeste Parisium in voto a Blancha facto ille non sequitur : nec alii auctores de admotis Regi Dominicæ passionis instrumentis meminere.*

ac pro mortuo habitus fuit summo omnium luctu :

516 *Luctum regni et curam multorum describit Nangius pag. 341 :* Postquam autem, fama nuncia prævolante, Francorum auribus rumor insonuit, quod fidei Christianæ et Ecclesiæ sanctæ Dei defensor in terra singularis, præ C ægritudinis pondere periclitaretur, corda eorum non modica replevit amaritudine, et dolore. Archiepiscopi autem, episcopi, et abbates quam plurimi, nec non barones Franciæ, prout decebat, compatientes Regi suo, Pontisaram quantocyus advenerunt, expectantes per duos dies, quid Deus de dicto Rege disponere dignaretur. Sed Regis infirmitatem videntes crescere, placuit ipsis ut divinam clementiam implorarent, quatenus Deus, qui omnia solus potest, virtutem suam circa infirmum Regem ostendere dignaretur. Destinantur igitur nuncii per ecclesias cathedrales, ut in illis eleemosynæ et orationes ac solemnes pro Rege fierent processiones. Sed Regis ægritudine postea ingravescente, creditus fuit Rex per magnum unius diei spacium spiritum exhalasse, statimque totum palatium repletum fuit clamoribus dicentium, Regem migrasse ad Dominum. Cum autem de diversis partibus ibi multi præsentes adessent, tantus clamor celari non potuit. Quinimo usque ad aures sanctissimi Papæ Innocentii tunc apud Lugdunum* commorantis pertransiens, ipsum dolore nimio reddidit mirabiliter consternatum. Nec mirum, cum illum audisset expirasse, qui sanctam Ecclesiam illis diebus angustiarum flatibus et procellosis tempestatum fluctibus mirabiliter concussam, suæ virtutis brachio singulariter tuebatur.

AUCTORE J. S.

* Lions

tandem menti restitutus, prævia forsan revelatione

517 Sed tandem ille, qui ventis et mari imperat, qui quondam intrans domum Symonis imperavit febri, qua socrus ipsius Symonis tenebatur, et dimisit illam, pulsatus lacrymis, eleemosynis, orationibus, suspiriis, et gemitibus plurimorum, Regis infirmitati imperans, ipsum aliquantulum alleviavit. Ut autem ab illa exstasi ad se ipsum rediit, crucem protinus transmarinam instanter petiit et accepit. *Richerius monachus Senoniensis, qui illo florebat tempore, in Chronico apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 632, divina revelatione Regem ad crucem sumendam monitum fuisse, narrat his verbis :* Rex igitur Francorum gravi detentus infirmitate usque ad mortem ægrotavit, cui talis apparuit visio. Videbat se in transmarinis partibus esse constitutum, ibi enim nostri Christiani et Saraceni ad pugnam parati erant, et congredientes acrius inter se pugnabant, et postquam diu pugnatum est, Saraceni nostros vicerunt, et omnes aut interficiebant, aut captivos ad terram suam deducebant, ita quod de tanta multitudine nostrorum vix XV milites de bello fugientes remansisse dicerentur. Quod cum Rex Franciæ videret, valde indoluit : cui fertur dictum fuisse : Rex Franciæ, hoc irrecuperabile damnum vindica. Rex autem ab hac visione reversus; vovit se ad Terram sanctam post duos annos properaturum : et statim sibi crucem dari præcipiens, invita matre domina Blancha, cruce signatus est. Pugna quippe ab ipso Rege intuita accidit in festo S. Andreæ, et sicut viderat, verum fuit. *Clades hæc accepta fuit a Chorasminis, de qua postea.* E

divina; crucem ad expeditionem transmarinam sumit ;

518 *Chaizius, non æque facilis ad revelationes divinas, quam ad probrosas Matthæi Parisii calumnias asserendas; pag. 396 probationes exigit fortiores ad fidem huic revelationi habendam. Ausim tamen asserere non tam fortes contra hanc visionem rationes adducendas, quam prolatæ sint contra varia ex solo Parisio asserta.* F *At rem ipsam expendamus. Favet quidem revelationi tam diuturna mentis alienatio, favet tam firma voluntas Regis ad crucem sumendam, mox ut menti fuit redditus, licet antea ad mortem pie obeundam se parasset, nulla de cruce sumenda mentione facta : verum obstat aliorum auctorum silentium, quod tamen et in aliis contingere experimur. Obstat deinde visioni huic, quod clades Christianorum contigerit ante illam mentis alienationem. Sed responderi potest, cladem præteritam Regi ostensam esse, priusquam illius notitia in Europam pervenerat. Unde quantum fidei habendum sit isti visioni lectoris permitto judicio. Quidquid autem sit de hac visione, Rex sibi redditus, mox obfirmato animo crucem petiit. Audi Martinum Sanutum lib. 3, part. 12, cap. 1 :* Accidit autem, ut Rex Ludovicus circa festum beatæ Luciæ ita insensibilis factus sit, ut mortuus reputaretur a multis... Ut autem ex illa exstasi ad se rediit, circumspiciens jubet Parisiensem episcopum evocari : tunc mœror in lætitiam convertitur, et præsul protinus præsentatur. Ait autem illi Rex : Domine episcope, ego vos requiro, ut crucem ultramarinam

AUCTORE J. S.

marinam meis humeris imponere debeatis.

matre, aliisque repugnantibus; crux in cœlo visa :

519 Hoc audientes mater et conjux, flexis genibus orabant, ut plenam expectaret corporis sanitatem : tunc demum faceret quod liberet. Commotus ille respondit; cibum aut potum nequaquam sumpturum, nisi crucem prius sumeret, transmarinam : et ab episcopo crucem iterato requirit. Episcopus postulatam crucem denegare non audens, illi crucem imponit, non sine lacrymarum imbre; cunctisque tam in camera * quam in aula cum singultuosis gemitibus, non minus quam si vita excederet, lacrymosis. Cruce vero suscepta, ressanatum * se fore protestatus est. *Consona his habent Joinvillius et Vita secunda locis ante citatis. Dubium videtur, an ad hoc tempus referendum sit, quod scribit Cantipratanus lib. 2 de Apibus, cap. 3, num. 9, de cruce a se in cœlo visa : nam alius ab eo signatur annus, quod fortasse incuria describentium contigit. Sive autem ad hunc annum, sive ad alium res pertineat, verba ejus accipe :* Nec non et ego, fidelium novissimus, antequam piissimus Ludovicus Francorum Rex anno ab Incarnatione Domini MCCXLVI crucem transmarinam susciperet, crucem in cælo ex clarissimo et sidereo lumine vidi, nec recolo me decentius et operosius formatam crucem umqùam sub aliqua materia, vel figura vidisse. Octenos habere cubitos crucem ipsam in longitudine mihi planissime visum est. Serenum cælum erat valde, et sine aliqua nube in aliquá parte sui, sub nostro horizonte cælum erat coloris unius. *Hæc de cruce in morbo suscepta : nunc quo demum modo valetudini restitutus sit Rex sanctus, ex Nangio audiamus, neque enim statim integram valetudinem recuperavit.*

* i. e. cubiculo

* i. e. sanitati restitutum

B

deinde, corporibus S. Dionysii et sociorum martyrum

520 Tandem, *inquit*, quia Regis ægritudo adeo gravis erat, ut medici desperarent de ipso, Rex et serenissima mater ejus domina Blancha regina petierunt Odonem abbatem ecclesiæ macharii * Dionysii, ut sacratissima corpora Dionysii, Rustici, et Eleutherii, quorum patrocinio tota gaudet regio, regni stat potentia, de cripta, in qua quiescebant, ut suis precibus Regi sanitatem impetrarent a Domino, tollere et elevari facere non differret. Rex siquidem post Dominum, et sacratissimam Virginem Matrem ejus, in ipsis, utpote in suis et regni sui advocatis et protectoribus, confidentius sperabat, nec immerito... Tunc Odo Clementis abbas prædictæ ecclesiæ, Regis devotionem erga beatum Dionysium considerans, ipsius petitioni annuens, die Jovis proxima ante festum Dominicæ Nativitatis ad suam ecclesiam properavit. Quam illico cereis circumquaque positis, quemadmodum in præcipuis solemnitatibus fieri solet, ut in crastino ad tam sanctas removendas reliquias devotio adstantium et animi ad Deum excitarentur, et ut ipsis martyribus congruus honor dignanter exhiberetur, pretiosissimis jussit palliis adornari. Sed dum ista in prædicta ecclesia die Jovis ante Nativitatem Domini parabantur, auditum fuit Parisius, quod pro salute Regis beatorum corpora martyrum, quæ numquam nisi solummodo pro salute regis Franciæ, vel regni sui periculo, de loco suo extrahuntur, essent in crastino extrahenda, et ad processionem deportanda. Unde accurrit in crastino utriusque sexus virorum ac mulierum ad tam sanctum spectaculum copiosa multitudo. Sed et tam clerici quam laici ruebant catervatim, gloriosos martyres cernere cupientes.

* id est Beati.

C

D

expositis, et circumlatis, valetudini restituitur.

521 Sic igitur adstantibus reverendis patribus Carolo Noviomensi et Petro Meldensi episcopis, ac Odone ejusdem ecclesiæ sancti Dionysii abbate, aliisque personis gloriosis quam plurimis et honestis, die Veneris ante festum Dominicæ Nativitatis, facta oratione, levata fuerunt et extracta illa pretiosissima corpora de cripta, quæ subtus pyramides est aureas, ubi in capsulis electrinis longo tempore quieverant diligentissime sigillata, et super altare ipsorum martyrum pretiosis palliis decoratum collocata. Deinde processione præparata, quæ facta fuit nudis pedibus, suspiriis, singultibus, et lacrymis, plus quam psalmis, ad Dominum resonantibus, fuerunt ad processionem ob Regis salutem, quam idem Rex sibi sperabat per dictos martyres impetrari, per claustrum et ecclesiam deportata. Nec fuit Rex fraudatus a desiderio suo : nam ex quo sancti martyres ad aures benigni Jesu pulsaverunt, visitavit ipsum Dominus, recordatus misericordiæ suæ. Et ex illa hora, qua corpora sacrosancta gloriosorum martyrum Dionysii, Rustici, et Eleutherii, ad processionem deportata sunt, paulatim ægritudine Regis decrescente, cœpit Rex melius se habere. Cujus sanitas in brevi totaliter subsecuta, corda Francorum et omnium fidelium exultatione lætilia * quam plurimum hilaravit. Quæ Regi tunc illa infirmitas ex profundo consiliorum Domini tam salubri quam necessaria provisione a multis creditur provenisse : nam ex incommodo præcedenti sequentis fructus habilitas multiplex collecta est, ut fuit Terræ sanctæ subsidium, et regni ejus melioratio, ut patebit. *Sic philosophatur Nangius. Quid autem fecerit pro Terra sancta, post recuperatam sub initium anni sequentis valetudinem, dicetur suo loco.*

E

* forte lætitia

§ XLII. Anno 1245 facta ad promovendam expeditionem transmarinam : excommunicatus in concilio Fredericus; colloquium Ludovici cum Pontifice : peregrinatio ad Rupem Amatoris : natus filius : acta a Rege matrimonio Caroli fratris.

F

Rex subsidium cum litteris mittit in Terram Sanctam;

Anno 1245 varia rursum narranda occurrunt, et discutienda : at ne filum narrationis sæpe cogar interrumpere, primum referam, quid toto hoc anno ad sacram expeditionem promovendam Rex sanctus præstiterit, licet ordine temporis alia quædam præcesserint. Martinus Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 1 postquam morbum Regis, crucemque ab eo susceptam retulerat, ita subjungit : Et postquam convaluit, ultramarinos litteris confortavit, asserens se cruce signatum illius Regis intuitu, qui nimia karitate pro humano genere in cruce pependit : proinde civitates et fortelitia viriliter sustinerent, quia ipse eis veniret, quoad posset celerius, ad succurrendum. *Similia habet auctor anonymus, sed coævus, Gallica lingua Historiam Guilielmi Tyrii de bello sacro prosecutus, quem sæpius per decursum citabimus, apud Martenium tom. 5*

Collectionis

A *Collectionis amplissimæ col. 730. Addit ad hæc Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 444 sequentia :* Et ut abstergerentur lacrymæ a maxillis matris nostræ Ecclesiæ, deplorantis filios suos nuper trucidatos, Dominus Rex Francorum, Hospitalarii quoque et Templarii, milites neophytos et manum armatam cum thesauro non modico illuc ad consolationem et auxilium ibi commorantium, et impetus quotidianos Chorosminorum et aliorum infidelium sustinentium, festinanter transmiserunt. *Hæc sub initium anni.*

legatum obtinet a Pontifice ad crucem in Gallia prædicandam,

523 *Subdit Parisius :* Procuravit etiam Rex Francorum, ut quidam legatus facundus et discretus prædicator, in Franciam veniret, de negotio crucis instantissime prædicaturus. *Hujus autem adventum in Franciam memorat Nangius pag. 344 hoc modo :* Sequenti mense Augusti post concilium *(Lugdunense)* destinavit Parisius Innocentius Papa magistrum Odonem de Castro-Radulphi episcopum Tusculanum, Sedis apostolicæ legatum, qui prius Parisiensis cancellarius fuerat, ut per totam Franciam prædicaret, quatenus nobiles Francigenæ bellatores pro liberatione Dominici sepulchri, et urbis sanctissimæ Hierusalem ... signum crucis acciperent B sacrosanctæ. Eodem anno infra octavas sancti Dionysii convocavit Rex Francorum Ludovicus grande Parisius parlamentum, in quo prædictus legatus et plures regni Franciæ archiepiscopi, pontifices, et abbates, barones quoque et comites affuere.

ad cujus prædicationem in comitiis crucem accipiunt multi nobiles :

524 Et tunc ad præfati legati prædicationem, et Christianissimi Franciæ Regis Ludovici exhortationem, Juhellus Remorum archiepiscopus, Philippus Bituricensis archiepiscopus, Robertus Belvacensis, Garnerus Laudunensis, Guillelmus Aurelianensis episcopi : dominus Robertus frater Regis Franciæ comes Atrebatensis, vir clarissimus Hugo de Castellione comes sancti Pauli et Blesensis, Galcherus nepos ejus, Johannes de Barris vir nobilis, Petrus comes Britanniæ, Johannes filius ejus, *(patri dudum comes substitutus)* Hugo comes Marchiæ, Johannes Montis-fortis, Radulphus de Couciaco, et multi alii tam clerici quam laici, etsi non omnes simul, processu tamen temporis signum crucis Dominicæ assumpserunt. *Accedunt ad hos alii apud Parisium pag. 462 : videlicet,* Dux Burgundiæ, dux Brabantiæ. comitissa Flandriæ C cum duobus filiis suis, ... comes Suessionensis ... comes de Dreus, comes de Retel, Philippus de Curtiniaco, Gauterus de Juveni, Ægydius de Mailli, advocatus Betuniæ ... archiepiscopus Senonensis, et multi, quos Christus diatim advocavit, et ad suam accendit clientelam. *Multi his deinde se adjunxerunt, inter quos fratres Regis Alphonsus et Carolus. Verum et quidam hic enumerati postea Regem comitati non sunt, quod præ ceteris de comitissa Flandriæ et duce Brabantiæ videtur certum.*

alia præstat Ludovicus ad expeditionem promovendam

525 *Nihil prætermittebat Rex pius, quod conducere existimabat ad sacram hanc expeditionem promovendam. Sic mense Octobri per litteras ad baillivos suos datas cessare jussit per totum regnum privatorum dissidia, induciasque iniri ab omnibus in quinquennium. Cavit iisdem litteris, ne cruce signati opprimerentur ob æs alienum a creditoribus suis. Illas videsis apud Martenium tom.* I *Collectionis amplissimæ col. 1295. Præterea, ut habet Westmonasteriensis ad hunc annum pag. 326 :* Ab ecclesia in regno suo ex permissione et indultu domini Papæ de omni proventu universaliter decimam partem ad promotionem suæ peregrinationis procuravit. *Piam etiam fraudem adhibuit sub finem hujus anni, qua plures ad crucem sumendam induceret. Hanc ita commemorat Matthæus Parisius pag. 463 :* Appropinquante vero et imminente præclaræ Dominicæ Nativitatis festivitate, qua mutatoria * recentia, quæ vulgariter novas robas appellamus, magnates suis domesticis distribuere consueverunt, dominus Rex Francorum crucis signifer, officium prædicatoris procuratorisque negotii Crucifixi novo modo sibi assumens, capas * cum suis pertinentiis de pretiosissimo panno multo plures quam moris habuit, cum pellibus variis imponendis, jussit comparari : et de subtili aurifrigio * factas in locis caparum humeralibus cruces insui opere furtivo ac nocturno prudenter curavit, et imperavit.

AUCTORE J. S.

* i. e. vestes

* i. e. tunicas laxiores instar pallii

* i. e. limbo acupicto

et pia fraude multos ad crucem sumendam inducit.

* i. e. indutos

526 Et mane, cum adhuc sol nondum oriretur, milites capatos * capis Regis jussit cum ipso Rege Missam auditurus in ecclesia comparere. Quod cum fecissent, et mane, ne somnolentiæ aut pigritiæ redarguerentur, in ecclesia Missis celebrandis interessent, rebusque jam color rediit vultu nitentis syderis : et secundum illud Persei proverbium, melius spectatur mantica tergo : quilibet in alterius humeris crucis insutum signaculum intuetur, fit jocunda admiratio, ac tandem comperiunt, quod pie sophisticatos * sic decepit eos dominus Rex ; novum, et numquam auditum iniens prædicatoris officium; factus potius realis prædicator quam verbalis. Cumque eis indecens ac turpe, imo indignum videretur, ipsas cruces deponere, risum, nec tamen derisum, cum jocunda lacrymarum effusione facientes, dominum ipsum Regem Francorum propter hoc factum PEREGRINANDORUM VENATOREM, et HOMINUM NOVUM vocaverunt PISCATOREM. *Hactenus de promota expeditione sacra : ad alia hujus anni gesta progrediamur.* E

* i. e. circumventos

Deposito Frederico in concilio Lugdunensi.

527 Eodem anno *(1245, ait Nangius pag. 342)* celebravit generale concilium beatissimus Papa Innocentius IV apud Lugdunensem urbem. In quo cum fratribus Cardinalibus, sacroque conventu prælatorum, deliberatione præhabita diligenti, super Frederici tunc temporis Romani imperatoris nefandis excessibus, ipsum die Lunæ ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ omni F dignitate indignum pronunciavit, et sententiando privavit, omnesque, qui eidem Frederico juramento fidelitatis aut confœderationis erant astricti, a juramento hujusmodi absolvit : auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam dicto Frederico a die illa tamquam regi * imperatori obediret. Et omnes, qui ipsi deinceps tamquam imperatori aut regi consilium vel auxilium aut favorem præstarent, ipso facto denunciavit excommunicationis vinculo subjacere. Sed et illis, ad quos in eodem imperio imperatoris spectabat electio, eligendi liberam annuit potestatem. *Rationes quasdam latæ in Fredericum sententiæ subdit auctor; sententiam vero ipsam habemus apud Labbeum tom.* XI *Conciliorum col. 640 et seqq., ubi et alia ad Frederici causam spectantia studiosus lector reperiet : nam mihi tantum incumbit referre, quo modo in illis se gesserit* Ludovicus.

* aut

Ludovicus, id ægre ferens,

528 *Auctor Chronici Senoniensis apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 632, relata paucis verbis sententia prædicta, hæc subjungit de* Ludovico : Sed hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia idem Fridericus quondam juratus suus exti-

AUCTORE J. S.

extiterat. *Verum ex his verbis nihil probari potest, nisi Ludovicum, utpote pacis amantissimum, doluisse eo demum rem deductam esse: neque enim suscepisset Pontificis contra Fredericum defensionem, si injuste contra eum procedi existimasset. Plurimum itaque laboravit, ut pacem Pontificem inter et Fredericum restitueret, universæ Ecclesiæ utilitate ad hoc excitatus. Hunc in finem rogavit hoc anno Pontificem, ut Lugduno Cluniacum excurreret, quo ibidem cum ipso colloqueretur. Agunt de hoc Regis cum Pontifice colloquio Nangius et Parisius: verum Nangius errore describentium, ut vult Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tom. 3, pag. 309, seu in Innocentio IV num. 33, perperam colloquium Lugduni habitum esse dicit, cum ex ejus verbis satis pateat, id alio loco fuisse institutum.*

anno 1245

529 *Laudatus Pagius, ex Nicolao de Curbio cap. 21 Vitæ Innocentii, ulterius infert dictum colloquium habitum esse anno 1246, non 1245: hæc enim sunt verba Nicolai de Curbio:* Interim dictus Pontifex post concilium anno secun- B do Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ et ipsius fratribus locuturus. *At vero, si considerasset Pagius hunc auctorem non nisi de uno Pontificis cum Rege colloquio mentionem facere, licet duo describantur a Parisio; intulisset potius, Curbium vel de secundo colloquio agere, vel utrumque confudisse, quam contra consensum Nangii, Parisii, et Chronici Cluniacensis, qui primum colloquium anno 1245 referunt, uni Curbio adhæsisset: præsertim quod plerique principes, et episcopi plurimi, qui concilio Lugdunensi interfuerant, cum Pontifice Cluniaci fuisse dicantur in Chronico Cluniacensi col. 1666 Bibliothecæ Cluniacensis: unde manifestum fit, id colloquium brevi post concilium fuisse institutum.*

magno apparatu Cluniacum tendit;

530 *Jam vero de colloquio ipso sic loquitur Nangius pag. 345:* In diebus illis revoluto modici temporis intervallo, vir Deo amantissimus Rex Franciæ Ludovicus, flagrans desiderio videndi summum Pontificem, convocata multitudine non modica militiæ regni sui, fratribusque suis, cum regina Blancha matre eorumdem, iter aggressus est, et ut suum hujusmodi propositum adimpleret, Lugdunum * properavit. Sed quam nobiliter et gloriose fuerit circum- C vallatus gente sua in itinere prædicto, non puto sub silentio prætereundum. Videns * igitur viros industrios, in armis strenuos et expertos, magnifico et decenti armorum et virium apparatu per diversas phalanges antecedere Regem suum in manu fortitudinis, sicut consueverunt incedere castrorum acies ordinatæ: trifarie enim procedentes similitudinem exercitus prætendebant. Centum siquidem præibant cum balistis, in equis decentissime phaleratis, et centum cum testudinibus sive targis in armis lucidis, et in equis loricati tunica coopertis sequebantur. Veniebat postmodum tertius centenarius munitus armis omnibus, habens in manibus gladios fulgurantes. Ipse autem Rex nobilissimus cum incredibili et gloriosa multitudine militum regni sui * quarto agmine procedens, Lugdunum * sic introivit. Ad quem locum universalis Ecclesiæ Pontifex summus accesserat, ut ibidem cum dicto Rege de negotiis sanctæ matris Ecclesiæ loqueretur; habitoque inter eos secreto et latente consilio, idem Rex serenissimus, benedictione a summo Pontifice percepta, eique humiliter vale dicto, in Franciam remeavit. D

* *imo* Cluniacum

* *forte* videres

* Cluniacum

ubi cum Pontifice colloquium habet:

531 *In Chronico Cluniacensi loco citato Pontifex Missam celebrasse Cluniaci dicitur festo S. Andreæ, præsente ibidem cum suis* Ludovico, *aliisque principibus, Cardinalibus, episcopisque plurimis, ex quo tempus hujus colloquii colligitur. Porro de rebus in colloquio tractatis plura habet Matthæus Parisius pag. 461, cujus verba subjicio:* Sub ejus anni spatio dominus Papa ex mandato Regis Francorum, volentis habere cum ipso colloquium, se contulit Cluniacum. Sed non est ulterius in Franciam progredi permissus. Et circa festum sancti Andreæ, venit ad eum ibi Rex Franciæ, qui eumdem Regem jam quindecim diebus expectaverat, et simul secretissimum tenuerunt consilium, nullo præter eos conscio, dominus Papa, et dominus Rex Francorum, et mater ejusdem domina Blanchia, septem diebus. Creditur tamen veracissime, quod tractatum habuerunt de pace inter Ecclesiam et imperium componenda, et qua via pacis honorificæ reconciliatio possit inveniri ... Præterea credebatur certissime, quod tractabatur etiam de pace inter Francorum et E Anglorum reges reformanda, vel saltem treugis prolongandis; ut sua tutior et securior fieret peregrinatio *in Terram sanctam.*

abiensque anno sequenti redire statuit:

532 *Utraque hæc Parisii conjectura admodum est verisimilis: nec dubium videtur, quin etiam de bello sacro promovendo inter se tractaverint, cujus studio pacem tantopere desiderabat* Ludovicus, *quamquam et alias semper pacis inter dissidentes conciliandæ studiosus. Verum nec credibile, nec his consentaneum est, quod idem Parisius habet sub anni sequentis initium pag. 466, nimirum Regem in eodem hoc colloquio instigatum fuisse ab Innocentio ad bellum Anglis inferendum. Nec minus sibi contradicit Chaizius, dum pag. 413 scribit, Cluniacum a* Ludovico *ad hoc colloquium electum, quia nolebat ut Pontifex regnum Galliæ ingrederetur. An ergo Cluniacum non erat in regno Galliæ, quod Ludovicus VII apud Sammarthanos tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 274* Nobilius membrum regni sui *nominavit. An Matisco, in cujus agro situm est Cluniacum, ad regnum non pertinebat? At ea civitas non modo in regno, sed ditionis erat regiæ; ut ipse Chaizius agnoscit pag. 416, ubi Pontificem* F *Matiscone rursus ad Regem venisse narrat, Regemque ibidem consecrationi ecclesiæ S. Petri per Innocentium factæ adstitisse. Matthæus Parisius adductis supra verbis hæc subjungit:* Hoc siquidem finito parlamento, recessurus Rex Francorum, cepit diem parlamenti cum domino Papa in quindena Paschæ; ubi procurabitur Frederici dicti imperatoris præsentia. Inde se contulit dominus Rex Francorum ad civitatem Masticonensem: *quam eum pretio acquisivisse anno 1239 narravimus num. 370.*

peregrinationem piam instituit.

533 *Nondum hinc recta Parisios reversum opinor sanctum Regem; sed circuitu non modico usum ad Rupem Amatoris pia peregrinatione invisendum. Locum memorat Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 112 ita scribens:* In pago Cadurcino est et Rupes Amatoris, Roquemadour, ad rivum, qui in Duranium defluit, peregrinationibus votivis locus olim celeberrimus. *De hoc loco, et sacello ididem beatæ Virginis, miraculis æque ac peregrinationibus illustri, consule Acta S. Amatoris tom.* IV *Augusti a pag. 16. Porro ad locum*

A *cum memoratum hoc anno peregrinatum esse* S. Ludovicum *refert Stephanus Baluzius in Historia Tutelensi lib. 2, cap. 25 his verbis :* Anno MCCXLV sanctum Ludovicum Regem profectum esse ad ecclesiam beatæ Mariæ Rupis Amatoris, reperi in eodem Chronico sancti Martialis. *Cum itaque multo facilius Matiscone, quam Parisiis eo proficisci potuerit, crediderim hanc peregrinationem eodem tempore institutam, quam suscepisse pium Regem ad felicem expeditionis transmarinæ successum potentissimo Virginis patrocinio commendandum facile existimaverim.*

Natus Regi filius : lex in Pictones lata : lis arbitrio finita :

534 *Natum hoc anno* S. Ludovico *filium alterum, qui defuncto Patri in regnum successit, refert Nangius pag. 342. Verba ejus accipe :* Anno Domini MCCXLV.... ultima die mensis Aprilis.... peperit de nocte filium Ludovico Regi Francorum uxor sua Margareta. Quem idem Rex nomine avi sui Philippi regis fecit Philippum nominari. *Pictones a Gallis prohibitos filias suas nuptui collocare sine eorum licentia, refert Matthæus Parisius eodem anno pag. 464; sed more suo non sine bile in Gallos* B *æque ac Pictones. Controversia erat inter comitem Artesiæ Robertum fratrem* S. Ludovici, *et monachos S. Vedasti Atrebati super jure quorumdam vectigalium, quam illi ad summi Pontificis arbitrium detulerunt. Statuit Pontifex episcopum Albanensem, cujus arbitrio cum pars utraque se subjecisset, ejus sententiam bulla sua confirmavit Pontifex : judicio autem Pontificis acquievere tum Robertus, tum* Ludovicus, *Roberti hac de re chartam confirmans. Bullam Pontificis videsis apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ a col. 1283, in cujus titulo per errorem pro episcopo Albanensi Atrebatensem posuit Martinius litis arbitrum. Bullæ subjiciuntur* Ludovici *et Roberti breviores chartæ, quibus illi sententiam ratam habent. Ex quibus æque ac præcedentibus patet, summam hoc tempore amicitiam viguisse Pontificem inter ac familiam regiam, quod et ex sequentibus fiet manifestum.*

mors Provinciæ comitis ; filia ejus natu minima heres instituta, ac Tolosano promissa ;

C 535 *Unum superest hoc anno explicandum, quod in hunc locum rejecimus, quia connectitur cum iis, quæ anno sequenti mox enarrabimus. In Chronico Massiliensi apud Labbeum tom. 1 Bibliothecæ manuscriptorum pag. 342 ita legitur :* XIV Kal. Sept. obiit illustrissimus vir Raymundus Berengarius comes Provinciæ apud Aquis *. *Raymundus e quatuor filiabus, quas habebat, tres nuptiis illigaverat ante mortem, quartam autem, eamque natu minimam, in ipso concilio Lugdunensi promiserat comiti Tolosano coram summo Pontifice. Audi ea de re Guilielmum de Podio Laurentii cap. 45 :* Tholosanus et Provinciæ comites *(interfuerunt concilio)*, qui ibi coram Papa tractaverunt de conjugio inter ipsum comitem Tholosanum et filiam ultimam ejusdem comitis Provinciæ contrahendo, Papa dispensaturo super eo propter affinitatis impedimentum. Reversis autem eis ad propria, infra paucos dies comes Provinciæ moritur, dicto conjugio imperacto, potuitque tunc addiscere comes Tholosanus, quoniam nocuit differe paratis.

* Aix

cunctante Tolosano, multisque ejus nuptias impedientibus,

536 *Quippe plures hoc matrimonium impedire conabantur, quam speraverat Tolosanus : nam, præter sorores sponsæ, ipsi Provinciæ magnates ei adversabantur; dissimularunt tamen, ne vim comes adhiberet. Sic enim pergit laudatus auctor :* Quod cum innotuisset ei per celerem nuncium, missum a domino Raymundo Gaucelino, tantum interposito uno die festinus recessit cum paucis, nullam secum, vel post se manum trahens armatam, sicut ei a dicto viro fuerat persuasum non oportere eum venire manu armata aut multitudine, prout et ei per Romæum et Alberam domesticos miles olim comitis Provinciæ fuerat persuasum, ut sub tali simulatione agerent, ne ipse comes interim vim inferret, donec ipsi, quod secus tractabant, potuissent ducere ad effectum : agebatur enim secreto, quod domino Carolo fratri Regis in uxorem daretur puella, sicut effectus postea demonstravit. *Addit comitem per quinque fere menses inani spe lactatum fuisse a magnatibus Provinciæ :* Nec, *inquit,* summus Pontifex ad dispensationem processit, regina Franciæ et Alemanniæ et Angliæ missis ad hoc contradictoribus impeditus. Et, ut breviter concludam, nuncius, quem mittebat dictus comes dominæ reginæ Franciæ, ut placeret ei fieri, quod cum patre puellæ fuerat pertractatum, ac etiam promoveret, invenit in via dominum Carolum ad contrahendum cum ea matrimonium festinantem. E *Rationes non deerant, cur prædictæ tres sorores tantopere impedire conarentur istas sororis suæ cum Tolosano nuptias : nam toties excommunicatus, toties hæreticorum commercio infamis fuerat Tolosanus, ut nuptias illas parum sibi decoras existimare possent. Adde Beatricem, ejusque liberos eo pacto facile privandos fuisse omni hereditate : quippe ad comitatum Tolosanum jus nullum habebant, jus autem ad comitatum Provinciæ, quod testamento paterno acquisiverat Beatrix, disputationi obnoxium videbatur, quia Margarita* S. Ludovici *uxor natu erat maxima; quæ ratio impellere etiam poterat magnates Provinciæ et tutores Beatricis, ad sponsum ei eligendum* S. Ludovico *gratum, ne jure uxoris suæ Provinciam sibi vendicaret.*

Ludovicus comitissam Provinciæ fratri suo Carolo sponsam asserit.

537 *Rex Aragoniæ hisce etiam nuptiis se immiscere volebat, atque armata manu circumsederat Beatricem, sive id faceret in favorem Tolosani, sive ut eam filio suo sponsam traderet, ut aliquos tunc credidisse scribit Nangius mox citandus. Verum et Tolosano et Aragonio superior fuit* Ludovicus, *sponsamque* F *una cum comitatu Provinciæ fratri suo Carolo asseruit, intellecta tamen prius Beatricis voluntate. Quippe Nangius pag. 345 ita habet :* Sed cum vellet regredi *(Cluniaco)* misit partem militiæ suæ copiosam, quæ Beatricem sororem juniorem reginæ Franciæ Margaretæ, quam orbatam patre, scilicet comite Provinciæ, rex Aragoniæ armato circumvenerat exercitu, et obsederat impudenter, ut eam suo sicut dicebatur, filio traderet in uxorem, de manu ipsius in gladii fortitudine liberaret. *Matthæus Parisius pag. 461 hanc manum militarem missam a Rege scribit ad occupandam jure uxoris suæ Provinciam : at hoc verisimile non est ex eis, quæ subjungit Nangius hoc modo :* Redeunte interea illustri Rege Franciæ ad propria, negotio, pro quo milites prædicti missi fuerant, contra regem Aragoniæ potenter et celeriter consummato, idem excellentissimus Rex Francorum consilio hinc inde habito, inquisita prius prædictæ filiæ comitis Provinciæ voluntate, misit Carolum fratrem suum cum innumerabilis militiæ venustate, ut eidem puellæ nobili coram ipsius famosissimis avunculis, comite scilicet Sabau-

AUCTORE J. S.

baudiæ, et Thoma quondam Flandrensi comite, nec non archiepiscopo Lugdunensi, aliaque ejus inclyta parentela, in ejusdem matris præsentia solemni matrimonio jungeretur. *Sed matrimonium pertinet ad annum sequentem, de quo mox.*

§ XLIII. Matrimonium Caroli : is militia donatus, et comitatu Andegavensi : acta ad Fredericum Pontifici reconciliandum : item ad expeditionem sacram promovendam : lis de comitatu Flandriæ Regis arbitrio terminata.

Rex, nuptiis celebratis, fratrem Carolum militia, comitatu, ac reditibus donat:

T*empus initi a Carolo matrimonii assignat Chronicon Massiliense, num. 535 citatum, his verbis :* Carolus comes frater Ludovici Francorum Regis contraxit matrimonium cum Beatrice filia illustris comitis Provinciæ bonæ memoriæ Raymundi Berengarii, videlicet pridie B Kalendas Februarii. Quantus honor, *ait Nangius loco citato,* quantave lætitia, quantaque festivitas illic sit habita, non est meæ possibilitatis evolvere vel referre. *Aliquot autem mensibus post nuptias contractas militari cingulo Carolum donavit* Ludovicus, *hereditatemque Joannis fratris sui dudum defuncti, qui moriente patre Ludovico VIII, tertius natu e fratribus supererat, donavit liberaliter Carolo, omnium fratrum natu minimo, quem pater moriens clero destinaverat, ut ante jam dictum, et in testamento Ludovici VIII apud Chesnium tom. 5, pag. 325 lector inveniet. Audiamus interim hac de re Nangium :* His taliter expletis, *inquit,* . . . anno Domini MCCXLVI in die sanctæ Pentecostes, accersita baronum et nobilium non pauca multitudine, apud castrum Meledunum * Ludovicus Rex Francorum illustrissimus anno regni sui vicesimo Carolum fratrem suum juniorem militem novum fecit, et eidem comitatus Cenomanensis * et Andegaviæ * largitus est. *Litteras hujus donationis habemus apud Acherium* C *tom. 3 Spicilegii pag. 622, et seq., notanturque Aureliæ datæ hujus anni* mense Augusto, *in quibus etiam invenies, quomodo dotalitium uxoris suæ, quod erat in quibusdam Carolo concessis, pari in uxorem ac fratrem largitate mutaverit. Hac tamen in fratrem liberalitate necdum contentus* Ludovicus, *eidem* Carolo comiti Andegaviæ et Provinciæ *sequenti anno concessit* quinque millia librarum Parisiensium annui reditus. *Litteras hujusce donationis edidit Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1299, quas consule.*

* Melun
* le Maine
* l'Anjou

Cum Fredericus mediationem Regis expeteret,

539 *Rursum hoc anno laboravit* S. Ludovicus *ad pacem Ecclesiæ restituendam, Fredericum cum Pontifice et Ecclesia conciliare conatus. Agebatur de rege Romanorum eligendo, ac revera a quibusdam principibus hoc anno in Ascensione Domini electus est Henricus Thuringiæ Lantgravius, ut latius invenies apud Raynaldum ad hunc annum, num. 1 et seqq. Perculit Fredericum hæc æmuli electio, licet non omnium consensu peracta; eumque ad pacem diligentius sibi procurandam impulit. Nullum au-*D*tem ad id sibi efficiendum magis promptum, magisque idoneum noverat, quam* S. Ludovicum, *quod is eximio teneretur pacis studio, ac pari apud Pontificem valeret gratia. Scripserat jam antea Fredericus post latam in concilio sententiam ad reges Galliæ Angliæque, cujus litteras tradit Matthæus Parisius pag. 459, quibus, eo judice,* merito omnem, quem hactenus habebat in omni populo, igniculum famæ, propriæ prudentiæ, et sapientiæ, impudenter et imprudenter extinxit atque delevit. *Alias ad* Ludovicum *litteras dedit apud Martenium tom. 2 Collect. amplissimæ col. 1139, quibus se excusat, ac rationes quasdam allegat, cur ipse ad concilium non accesserit : alias rursum ibidem col. 1143, quibus* Ludovicum *hortatur ad jura communia defendenda. Demum hoc anno* XXII *Septembris epistolam ad Regem scripsit, qua subsidium promittit ad Terram sanctam recuperandam, rogat* Ludovicum, *ne sibi sit contrarius, aut Pontifici subsidium tribuat : atque inter alia post querelas quasdam de Pontificibus, sic loquitur :*

quamvis causam suam ejus arbitrio non omnino permiserit,

540 Porro si forsitan Rex prædictus cum Paribus, et nobilibus regni sui, prout tantum Regem et regnum condecet, partes suas interponendas viderit in prædictis, summumque Pontificem, sive per justitiæ debitum, vel modo E quolibet ad illud induxerit, ut velit prædicta gravamina nobis et aliis Christianis primatibus irrogata, et id specialiter, quod contra nos nuper in Lugdunensi concilio statuit, quatenus de facto processit, cum prorsus de jure non valeat, revocare : nos ob honorem et reverentiam Dei et Redemptoris nostri, nec non ob amorem, quem ad Regem et regnum Franciæ præ cæteris singularem habemus, causam, quæ inter nos et summum Pontificem vertitur supradictum, quatenus contingit eumdem, in manibus ponimus Regis ejusdem; parati omnia, quæcumque per nos idem Rex de consilio Parium nobiliumque suorum, visis et diligenter auditis nostris juribus, Ecclesiæ viderit emendanda, corrigere, et in statum debitum integre reformare. *Epistolam hanc edidit Cangius in observantionibus ad Joinvillii Historiam a pag. 56 : eamdem recitat Natalis Alexander tom. 7 Historiæ suæ ecclesiasticæ recusæ a pag. 388 : verum ex eo non recte cum aliis concludit, Fredericum causam suam permisisse* S. Ludovici, F *regnique Parium arbitrio : etenim causam suam eorum arbitrio non permisit, nisi sub conditione, quam numquam implendam satis noverat : videlicet ut Pontifex multa ad libitum imperatoris corrigeret, actaque in concilio Lugdunensi revocaret. Itaque causam suam non omnino Regis, et Gallorum procerum arbitrio commisit; Regis tamen intercessionem expetiit; quoque sibi magis demereretur* Ludovicum, *litteras eodem fere tempore misit ad Siculos, ut* equos, arma, victualia, et necessaria quælibet *communi pretio venderent Gallis, in Terram sanctam transfretaturis. Has vide apud laudatum Cangium pag. 57.*

diligenter pro eo apud Pontificem, tum in colloquio iterato.

541 *Non segniter partes suas apud Pontificem pro imperatore interposuit* S. Ludovicus : *imo id jam fecerat anno præcedenti, ut vidimus : et rursum hoc anno ante acceptam epistolam in alio colloquio Cluniaci habito, si credimus Matthæo Parisio, qui pag. 468 ita loquitur :* Fredericus aliquantulum ad se reversus, forte perterritus, et insurgentium tumultus periti-

A timescens tam Germanorum quam Italicorum, et tam suorum quam vicinorum hominum, iramque Dei, ut credere pium est, formidans, tangitur spiritu meliori, et . . . obtulit domino Papæ suorum excessuum facere satisfactionem competentem. Super quo negotio constituit procuratorem et mediatorem dominum Regem Francorum, qui partes suas diligenter interponens, Papam adiit Lugduni commorantem, sed tamen ipsi adventanti usque Cluniacum occurrentem, tractatum super hoc habiturus, siqua pacis forma possit inveniri. *Obtulisse ait Fredericum, ut imperium Conrado filio suo traderet, atque ipse abiret in Terram sanctam tota vita sua ibidem contra Saracenos militaturus : quod cum epistola ad* S. Ludovicum *scripta non cohæret, nec verisimile est de Frederico. Porro verba, quæ in colloquio tum a Rege tum a Pontifice prolata scribit Parisius, non refero : nam ab eo meditata potius ea existimo, quam vere prolata; cum hæc secretius agerentur, quam ut verba utrimque dicta rescire potuerit hic auctor. Ceterum effectu caruit congressus.*

B

tum per legatos intercedit Ludovicus; Pontifex pacem cupere se

542 *Institit apud Pontificem rursum* S. Ludovicus *pro reconciliatione Frederici per legatos ad eum missos. Cujus ardentissimum pro honore Ecclesiæ studium laudans Innocentius, in litteris a Raynaldo datis ad hunc annum num. 35, sic Regem alloquitur :* Super eo igitur, quod tu. . . præfatæ honorem Ecclesiæ ferventer appetere, illumque sollicite procurare operis exhibitione probaris, Celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi, quas possumus, actiones referimus. Sane venerabilis frater noster episcopus Silvanectensis, et dilectus filius G custos Baiocensis tui nuntii, quos nuper ad nostram præsentiam destinasti, inter alia nobis ex parte tua proponere curaverunt, quod inter Ecclesiam et Fredericum quondam imperatorem pacem desideras reformari : ad quam tractandam paratus es ob zelum Dei et reverentiam Ecclesiæ, ex quo tibi tenemur non modicum, instanter interponere partes tuas. Verum scire te volumus, quod nos, et fratres nostri ab eo tempore, quo fuimus supra regimen universalis Ecclesiæ constituti, usque ad tempus concilii Lugdunensis, toto ingenio, totaque solicitudine, instantes opportune ac importune,
C laboravimus, in vanum tamen, ad pacem hujusmodi obtinendam. Unde amodo per ea, quæ præcesserunt, non speramus posse proficere in tractatu.

respondet; cujus autem culpa secuta non fuerit, incertum.

543 Sed quia Ecclesia non consuevit claudere gremium redeunti, nos ejus exemplo, cujus sumus, licet immeriti, Vicarii constituti; qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, præfati Frederici salutem appetimus, ipsumque desideramus recipere, si forsan inspiratus divinitus redire velit ad ecclesiasticam unitatem : et ob specialis dignationis affectum, quem ad tuam personam habemus, et de quo speramus, quod non permitteres in aliquo decipi sacrosanctam Ecclesiam matrem tuam, agemus, quanto mitius et benignius cum Deo et honore Ecclesiæ sine peccato poterimus, cum eodem. *Datæ hæ litteræ Lugduni Nonis Novembris 1246, quæ haud paullo rectius mentem Innocentii explicant quam meditationes Parisianæ, licet quidam auctores moderni illas, ut totidem oracula, scriptis suis inseruerint. Hinc etiam satis evincitur, Pontificem non recusasse intercessionem* Ludovici. Cur vero, *ait laudatus Raynaldus num. 27*, intercessoris tanti beneficio pax iniri non potuerit, refert Fridericus ad Pontificis severitatem, qui voluerit, ut sine ullis conditionibus Ecclesiæ sese submitteret : cum ipse imperii et regnorum suorum salvis juribus tantum pœnarum dare ultro se offerret, quantum Ecclesiæ judicio decerneretur. *At fidem ei hac in re non habuit* S. Ludovicus; *oblatum enim sequenti anno Pontifici subsidium satis declarat, a qua parte existimaret moram concordiæ injici, quantumcumque verbis pacem se expetere simularet Fredericus.*

AUCTORE J. S.

Inducias cum Anglis protrahendas curat Ludovicus;

544 *Hoc item anno* S. Ludovicus, *ut iter transmarinum sine periculo regni sui aggrederetur, inducias cum rege Angliæ factas, ad aliquot annos prorogandas curavit. Narrat id Matthæus Parisius pag. 466 hoc modo :* Imminente vero beati Hilarii festivitate, Rex Francorum de apparatu peregrinationis suæ sollicitus, ut omnia in regno suo pacifice solidata disponerentur, et ne suspecta aliqua, assumpto itinere, post terga relinqueret retiacula, treugas in Pictavia inter ipsum et regem Angliæ initas et initiatas sibi postulavit ulterius prorogari. Obtulit etiam, sed clanculo, ut perhibetur, quamdam formam pacis, sed tamen regi E Angliæ scrupulosam : ut scilicet omnes terræ ultramarinæ, quæ quondam in sua fuerunt possessione, præter Normanniam, eidem regi Angliæ ultro restituerentur : ita scilicet, ut ipsam Normanniam, in qua jus se confidebat habere, regno Francorum quietam concederet in perpetuum; uni igitur hujus legationis parti respondit, sed alteram Dominus rex Angliæ majori deliberationi reliquit trutinandam. Primæ igitur parti sic respondit, quod libenter concederet eidem domino Francorum Regi treugas ulteriores ad libitum, ne videretur crucis negotium impedire : ita videlicet, ut non injuriando eidem partem Provinciæ cum IV castris, de quibus fit mentio, ipsum Regem Angliæ ratione matrimonii inter ipsum et Alienoram filiam Raimundi comitis Provinciæ jam defuncti, contingentem pacifice resignaret. *Tractatum hunc de induciis effectu caruisse vult Chaizius pag. 427 : at eas, si minus hoc tempore, ac conditionibus hic relatis, aliis certe conditionibus factas ante discessum Regis omnino existimo. Conditiones etiam pacis, quas* Ludovicum *proposuisse scribit* F *Parisius, verisimiles non putat idem auctor : nec ego tantum tribuendum autumo auctori tot figmentorum convicto, ut eas certo oblatas credam.*

cibaria in Cypro parat, et portum ad Aquas -mortuas,

545 *Non modo inducias producendas curavit Rex providus, sed et alia, ad expeditionem suam necessaria, sub finem hujus anni præparare cœpit. Nam Joinvillius num. 47 refert, ingentem illam cibariorum copiam, quam anno 1248 in Cypro invenerunt collectam, duobus annis præcedentibus emptam fuisse. Unde ad hunc et sequentem annum referenda veniunt verba Sanuti, qui lib. 3, part. 12, cap. 2 sic scribit de* Ludovico : Post crucem acceptam, dispositis pro se et regno negotiis, mittit ante faciem suam, qui in Cypro victualia et opportuna quæque præparent. *Huc etiam pertinet, quod refert hoc anno Matthæus Parisius pag. 473 :* Dominus igitur Rex Francorum, ne sibi possit interjicere nocumenta Fredericus peregrinaturo, et portuum opportunitatem denegare navigaturo; sibi in Provincia super mare Mediterraneum portum aptissimum multis effusis sumptibus præparavit,

AUCTORE J. S.

ravit, et castris fortissimis prudenter communivit. *Sed errat in geographia Parisius : neque enim dubium esse potest, quin loquatur de Aquis-mortuis, ad mare quidem Mediterraneum, at non in Provincia sitis : nam ex portu Aquarum-mortuarum in Cyprum navigasse videbimus, et turrim ibi erexisse, navigantibus in Syriam pharum, docet epistola Clementis IV Pontificis apud Martenium tom. 2 Anecdotorum col. 405, et unicum hunc portum* S. Ludovico *fuisse ad mare Mediterraneum in eadem epistola docetur, quam latius citabimus, quando narrabimus, Aquas mortuas muris a sancto Rege fuisse cinctas. Turrim, quam ibidem tunc temporis construi jussit* S. Ludovicus, *etiamnum ibidem conspici testatur Cangius in Observationibus ad Joinvillium pag. 101, atque appellari* Turrim Constantiæ.

de quo pauca notantur; cavet, ne crimina cruce signatorum sint impunita;

546 *Porro de loci situ, et nomine ita scribit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 29 :* Aquæ mortuæ a re nomen acceperunt. Erat enim hic locus positus inter stagnum Laternam, vel paludem Taurum, et os Hispaniense Rhodani ad mare, et ob id aquis stagnantibus abundat ac residibus ac velut mortuis. Vulgo Aigues mortes incolæ apellitant. Eo portu olim plurimum usi sunt Franci... Hunc portum Johannes Olivarius Fossam Marianam a veteribus geographis vocatum esse ait magno errore, cum Fossam Marianam Mella, Plinius, Æthicus, aliique trans Rhodanum in Provincia Viennensi fuisse doceant; Aquæ-mortuæ sint citra ostia Rhodani in provincia Narbonensi prima vel Septimania. Nunc Aquæ mortuæ alluuntur quidem stagno, usque ad muros accedente, cui nomen suum debent ; sed a mari millia passuum circiter duo seu semileugam absunt. Portu itaque carent, qui arenis a Rhodano invectis obstructus esse dicitur. *Hæc ille de portu Aquarum mortuarum, quam hoc tempore* Ludovicus *suo et aliorum usui aptavit : de urbe autem ibidem exstructa agemus suo loco. Ceterum, quantumcumque sacram expeditionem promovere studeret Rex pius, a decima tamen redituum parte persolvenda ut exciperentur pauperiores ecclesiastici, impetravit a Pontifice, cujus legatus eam pecuniam colligebat. Vide Raynaldum ad hunc annum num. 38. Præterea, cum occasione libertatis cruce signatis concessæ quidam illorum gravissima crimina perpetrarent,* S. Ludovicus *non minus sollicitus ad crimina regno suo eliminanda, quam ad expeditionem sacram promovendam, litteras hoc anno impetravit ab Innocentio Pontifice, quibus prohibetur episcopis, ne cruce signatos defendant in furtis, homicidiis, mulierum raptibus, aliisque hujusmodi criminibus. Litteras has Chesnius tom. 5 pag. 822 publici juris fecit.*

litem de comitatu Flandriæ arbitrio suo terminat.

547 *Demum hoc anno litem momenti maximi arbitrio suo terminavit* S. Ludovicus. *Rem narrat, post Parisium pag. 594, Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 733 et seq., ex quo eam summatim accipe. Obierat Joanna Flandriæ et Hannoniæ comes anno 1244, eique in comitatum utrumque successerat soror ejus Margarita. Susceperat hæc Margarita ante legitimum matrimonium filios duos ex Bochardo de Avesnis,* Quos, *inquit auctor,* pater postmodum a Papa legitimari fecit. *Nupta deinde Margarita* Willelmo de Domno Petro *, *alios peperit filios Willelmum et Guidonem :* Nunc vero, *ait,* hæc domina Margareta adepta Flandriæ comitatum, postquam terram aliquamdiu per se rexerat, filio suo Willelmo jus primogenituræ declaravit, et eum de Flandriæ comitatu et armis investivit... Filii priores a Bochardo suscepti causam coram Rege ventilarunt, et multis hinc inde rationibus allegatis, finaliter per Regem et proceres terminatum fuit et concordatum, quod investitura Willelmi de Flandriæ comitatu, et armis firma permaneret et stabilis, filiique vere legitimi, et de legitimo matrimonio nati, Flandriam perpetuo possiderent, et comites heredes post eos; filii autem de Bochardo suscepti haberent Hanoniam, et successores eorum perpetuo... matre semper utramque terram in vita sua possidente. *Addit, Willelmum, qui jam Flandriæ comes designatus, crucem accepisse, ac una cum Rege contra Saracenos esse profectum, de quo frequens mentio apud Joinvillium. Plura de his Chaizius a pag. 434, ubi arbiter Regi adjungitur Odo legatus Pontificius. Donationem quamdam hoc etiam anno comiti Fuxensi a Rege factam invenies apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1296.*

* Dampiere

§ XLIV. Anno 1247 principum conspiratio contra ecclesiasticos : gesta pro expeditione sacra : restitutiones factæ : rex Norwegiæ ad belli societatem invitatus : oblatum Pontifici contra Fredericum subsidium : translatio corporis S. Edmundi præsente Ludovico : fundata domus Prædicatoribus.

Conspiratio procerum contra ecclesiasticos iterata,

A*nno 1247 erupit rursum conspiratio principum quorumdam Gallorum contra ecclesiasticos, de qua fuse egimus § 27. Refert eam Matthæus Parisius pag. 483, dicitque creditum fuisse,* a consensu Frederici emanasse conspirationem : *quia scriptum, quod principes illi dedere, atque Historiæ suæ inseruit idem auctor, a verbis epistolæ cujusdam Fredericianæ non multum abludebat. In fœdere exprimuntur dux Burgundiæ, Petrus olim Britanniæ comes, comes Engolismensis, et comes S. Pauli, illique alios quoslibet ad idem fœdus invitabant. Scopus vero, in quem collimabant, sic exprimitur a Parisio :* Nos omnes regni majores... præsenti decreto omnium juramento statuimus et sanximus, ut nullus clericus, vel laicus alium de cætero trahat in causam coram ordinario judice vel delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris, amissione omnium bonorum suorum et unius membri mutilatione transgressoribus imminente, certis a nobis super hoc executoribus deputatis, ut sic jurisdictio nostra resuscitata arespiret, et ipsi hactenus ex nostra depauperatione ditati... reducantur ad statum Ecclesiæ primitivæ, et in contemplatione viventes, nobis, sicut decet, activam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum a sæculo recesserunt. *Posteriora hæc verba consonant verbis Frederici, ibidem recitatis : nam et ille*

clericos

A *clericos quoslibet ad primævam paupertatem et humilitatem reducere studebat, quemadmodum in epistola memorata profitetur.*

sed a Rege et Pontifice repressa.

549 *Compressam a* S. Ludovico *conspirationem, satis manifestum est ex dictis* § *27; ubi etiam ex iterata hac procerum conspiratione probavimus, legem contra judicia ecclesiasticorum a* S. Ludovico *vel latam non fuisse, vel abrogatam. Sufficiet hoc loco recitare verba Cardinalis Bertrandi num. 319 adducta, quæ ita sonant :* Cum majores barones totius regni se confœderassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem *(judicandi de rebus civilibus,)* et ordinassent adhuc dare centesimam bonorum suorum : ipse numquam eis adhæsit, sed potius eos ab istis compescuit, et finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit. *Porro Innocentius Pontifex hisce procerum molitionibus fortiter etiam se opposuit, uti invenies apud Raynaldum ad hunc annum a num. 46. Attamen malum absentia Regis deinde recruduit, novæque hinc in regno exortæ sunt turbæ, de quibus* S. Ludovici *prudentia sedatis suo loco agemus. Nunc ad alia, pro* B *expeditione in Saracenos hoc anno gesta, stylum convertamus.*

Comitia Rex convocat in quibus tempus expeditionis.

550 Eodem anno, *ait Parisius pag. 486,* circa medium Quadragesimæ dominus Rex Francorum regni sui nobiles, tam cleri, quam populi, generaliter edicto regio fecit convocari, ut ad parlamentum communiter convenientes, ardua negotia regni sui statum contingentia, diligenter deliberando contrectarent : sollicitabat enim ipsum sui ipsius et suorum magnatum crucis signatio, et voti tanti irrefragabilis obligatio. Acceperat quoque, ut dicebatur, mandatum regis Tartarorum, ut ei foret subjectus, qui ore temerario atque prophano se in epistola sua asserit immortalem, et se, suosque affirmat esse, de quibus scriptum est, quod terram dedit Dominus filiis hominum. Quod tamen dominus Rex Francorum dispositioni divinæ relinquens, quæ Deo sunt debita et persolvenda, per quæ omnia adversa, quæ diabolica vel humana poterit astutia machinari, conterentur, primitus tam prudenter quam providenter contrectando, providit et immutabiliter statuit et ordinavit, quod a festo Nativitatis beati Johannis Baptistæ tunc proximo futuro usque in annum C completum, vita comite, iter arriperet peregrinale, ut votum suum fideliter persolvendo, in Terra sancta vestigia Crucifixi, qui eum resuscitaverat, cum suis consignatis adoraret. Et se certissime facturum in publico juravit, et suos jurare fecit, nisi inopinatus eventus, quem mortalis infirmitas nequit evitare, quod absit, retardaverit. Et qui huic salubri statuto repugnans contradiceret, et excommunicaretur, et publicus hostis censeretur.

aliaque ad regni securitatem statuit : Tolosanum pecunia ad expeditionem juvat :

551 *De hisce, ut videtur, comitiis agit Joinvillius num. 43, in quibus refert, Regem exegisse a regni proceribus juramentum fidelitatis filiis suis præstandæ, siquid sibi in itinere contingeret. Addit vero Parisius, Saracenos ad famam hujusce expeditionis castra, oppidaque sua munivisse : atque insuper in comitiis decretum refert ad commodum mercatorum, ut nummi Anglicani, quos Esterlingos vocant, mox funderentur, quotquot invenirentur non esse ponderis justi. Dubium etiam non videtur, quin multi in hisce comitiis crucem assumpserint. De Raymundo comite Tolosano scribit Guilielmus de Podio Laurentii cap. 47 :* Anno MCCXLVII comes profectus est in Franciam et cruce signatus est : et, reverso eo, crucesignati sunt multi barones, milites, cives, et burgenses, et alii de aliis locis, et procuravit de navigio et aliis plurimis apparatum. *Crucem quidem susceperat comes anno 1227; sed hactenus voto suo non satisfecerat; defectum pecuniæ causatus, ut videtur. Quippe pecunia adjutum fuisse a Rege, reginaque ad expeditionem, testatur ipse; cum eam in testamento suo restitui jubet his verbis :* Item voluit et mandavit, quod pecunia illa, quam habuit a domino Rege Francorum, et a domina regina occasione passagii *, restituatur eisdem ab hærede suo. *Testamentum hoc vide apud Catellum in Historia Tolosana pag. 375 : ex quo ulterius disces, comitem a Pontifice item adjutum fuisse. Hæc autem vel in hisce comitiis vel circa idem tempus facta sunt : verum dum comes serio ad bellum sacrum se parat, morte præventus, votum suum implere non potuit.*

AUCTORE J. S.

* *i. e.* transfretationis

detrimenta quæcumque aliis illata resarcit :

552 *Mos erat peregrinantium in Terram sanctam, ut omnibus damna quælibet injuste illata resarcirent, quod se fecisse testatur Joinvillius num. 42. Noluit optimam hanc consuetudinem* E *prætermittere Rex sanctissimus, licet nullius injustitiæ sibi conscius, quod, se inscio, per ministros suos quædam injuste fieri potuisse non ignoraret. Audi itaque ex Parisio, quam diligenter in id inquisiverit :* Ipso quoque, *ait pag. 493,* autumnali tempore piissimus Rex Francorum Ludovicus, missis fratribus Prædicatoribus et Minoribus per totum regnum suum, ut diligenter inquireretur; fecit et per ballivos perscrutari, quod si aliquis institor, vel injuriam passus aliquam quicumque alius, in aliqua accommodatione coacta vel extorsione pecuniæ vel victualium, ut solet per regios exactores, proferret scriptum, vel taliam *, vel testimonium, vel juraret, vel quomodolibet aliter legitime probaret, quia paratus erat omnia restituere. Quod et ita factum est. *Chartam quamdam Regis, qua hoc anno mense Februario damna resarcit Cisterciensibus, quæ illi in silvis quibusdam (belli tempore opinor) sustinuerant, invenies apud Arturum du Monstier in Neustria pia pag. 897.*

* *i. e.* tesseram ligneam sectam, *in qua debitum notabatur.*

Anglis tamen, amissas provincias repetentibus,

553 *Voluerunt et Angli tentare, an pia hac Regis religione recuperare possent amissas olim in Gallia provincias. Neque vero obstitit rei* F *magnitudo, quo minus et hæ restituerentur a* Ludovico; *sed jus Anglorum in illas provincias probari debuit, quod cum non probaretur, restitutio merito fuit prætermissa. Audi rursus Parisium pag. 494 sic loquentem :* Die vero apostolorum Simonis et Judæ, rediit comes Richardus de partibus transmarinis . . . Dicebatur namque, quod cum Rege Francorum familiare nimis colloquium, et prolixum tractatum habuerat. Rex enim firmiter proposuerat iter suum peregrinale arripere ad proximum Pascha paratus, et tam in spiritualibus quam temporalibus prudenter expeditus, cuilibet juribus suis redditis, et juste reposcentibus judicialiter resignatis. Parato igitur domino regi Angliæ, et prompto facere, quidquid facere debuerat, comes jura sua instanter restitui postulabat. Rex autem Francorum precibus ejus de facili inclinasset, nisi consiliariorum suorum, scilicet nobilium quorumdam Francorum, quibus innata est superbia, repagula contradictionis interposuisset invidia cum cupiditate.

554 Responsum itaque fuit in faciem nunciis domini regis Angliæ, præcipue pro Normannia,

AUCTORE J. S.

eas non restituit; quod et proceres, et episcopi eas negarent reddendas :

mannia, quod dominus Rex Francorum in diutina et pacifica extiterat possessione, videlicet per circiter quadraginta annos : nec fuit postea efficaciter reclamatum pro jure domini regis Angliæ, nec ad curiam Romanam, in qua solent arduæ causæ et difficiles terminari, appellatum. Quapropter videbatur Francis, dominum regem Anglorum jure suo debere spoliari. Sed cum puritas conscientiæ domini Regis Francorum non esset his rationibus contenta, veritas et examen determinandum super hac dubitatione ad episcopos Normanniæ relatum est. Qui super hoc districte interrogati, dixerunt, quod credebant veraciter, quod majus jus habuit Rex Francorum in Normannia, quam rex Angliæ, præsertim cum per Pares suos abjudicabatur. Sed hoc videbatur absurdum, et omni justitiæ et rationi dissonum, si dominus rex Angliæ per inimicos suos deberet judicari et condemnari; maxime cum dicat Dominus, filium, dummodo non patrizat, non debere portare patris iniquitatem. *Sic auctor argumentatur contra episcopos non sine bile sibi consueta : cujus rationes Gallis examinandas relinquo. Sufficit mihi dixisse*, S. Ludovicum *episcoporum illorum judicio tuto potuisse acquiescere, quod et fecit.*

B

Haconem Norwegiæ regem cruce - signatum ad belli societatem invitat;

555 *Dum tam pie ac solicite ad iter se accingit* Ludovicus *in Gallia, audivit Haconem Norwegiæ regem crucem etiam suscepisse : quem ut sibi adjungere voluerit, narrat Parisius pag. 496 hoc modo :* Verumtamen idem rex cruce signatus a domino Papa impetravit recipere tertiam partem proventuum a viris ecclesiasticis regni sui ad suæ viatica peregrinationis. Quod cum dominus Rex Francorum, fama referente, cognovisset, amicabilibus verbis scripsit eidem regi Haconi, quatenus charitatis obtentu, et Ecclesiæ sanctæ promotione, ac honore sanctæ crucis, qua signabatur, cum ipso in Terram sanctam venire non differret; committeretur namque eidem regi Haconi, quia in mari potens est * peritus; totius navigii * sui dominium, regimen, et potestas; exercitus quoque Francorum ejusdem nutui pro magna parte ex tunc inclinaretur. Hoc autem mandatum, cujus epistolam ipse, qui hæc scripsit, detulit; postquam ad notitiam ejusdem domini regis Norwegiæ pervenisset; inspecto tenore, respondit ei, qui epistolam porrexit, nam confidebat in eo anima ejus : Grates refero copiosas piissimo domino Regi Francorum, qui meum desiderat in peregrinatione sodalitium.

* et

* *i. e.* classis

C

at ille seorsim bellum gerere cupit;

556 Sed novi in parte naturam Francorum, et sicut dicit poeta : « Omnisque potestas impa» tiens consortis erit ». Et ego dico : « Omnis» que superbus impatiens consortis erit. » Gens mea impetuosa est et indiscreta, impatiensque omnium injuriarum, sed et modestiæ; si ergo inter tales et superbos contentio oriretur, uterque nostrum irrestaurabile damnum incurreret; idcirco quilibet nostrum per se eat, et quod Dominus disposuerit, faciat. *Hæc, ut audita ab ipso Norwegiæ rege Parisius narrat, quæ non parum mutata citavit Chaizius pag. 442. Verum audiamus quid a* S. Ludovico *petierit Hacon. Pergit id referre memoratus auctor :* Verumtamen, *ait Hacon,* scripsi eidem domino Regi, ut quoddam mihi privilegium benigne concederet per litteras suas patentes; ut videlicet mihi liceret per terminos regni sui peregrinando naviganti, si forte ego, vel aliquis meorum, infirmaretur; vel victualibus, vel aliis indigerem, in terra sua pacifice applicare, et mihi in necessariis providere. D

cui facultatem cibaria emendi in Gallia concedit.

557 Et qui cum eo loquebatur, videlicet scriptor præsentis libelli, has litteras patentes eidem porrexit. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex universis amicis et fidelibus suis, ballivis, majoribus, et præpositis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Cum charissimus noster illustris Hacon rex Norwegiæ, in subsidium Terræ sanctæ transfretare proponat, sicut nobis per suas litteras intimavit, vobis mandamus, quatenus si eumdem regem, vel ipsius navigium per mare contiguum littoribus terræ nostræ transire contingat, vel in terram nostram, vel in feuda nostra alicubi applicare, ipsum et suos benigne et honorifice recipiatis, permittentes eosdem in terra nostra victualia emere, et sibi per forum * legitimum de sibi necessariis providere. Actum apud sanctum Germanum in Laia, anno Domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo octavo. Cum autem hæc legisset dominus rex Norwegiæ, (est enim vir discretus, et modestus atque bene literatus) gavisus est gaudio magno nimis; et grates retulit talium bajulo litterarum, et donis respexit regalibus uberrimis. *Ceterum quid causæ intervenerit, cur Hacon in Terram sanctam profectus non sit, sicut decreverat, apud auctores non invenio.* E

* *i. e.* pretium

Cum Lugduni Pontificem opprimere meditaretur Fredericus,

558 *Porro* S. Ludovicus, *qui tanta cura se accingebat ad longinquos Ecclesiæ hostes bello impetendos, eodem tempore nequaquam neglexit vicina magis Ecclesiæ pericula. Etenim, quamquam summo studio Fredericum Ecclesiæ reconciliare studuisset, Pontificem ejusdem viribus opprimi noluit, paratumque se cum matre Blancha, tribusque fratribus exhibuit ad opem Innocentio præstandam. Monachus Patavinus, recusus inter Scriptores Italiæ tom. 8, occasionem oblati auxilii col. 683 enarrat his verbis :* Eodem anno (1247) in mense Madio *, venit Fredericus de Apulia in Lombardiam cum magno apperatu, . . . et perrexit versus Taurinum *. *Nimirum ut inde Lugdunum properaret, ubi adhuc degebat Innocentius; sicut Matthæus Parisius pag. 493, aliique auctores habent. Verum corrigendus in tempore Parisius, quod hæc facta dicat,* cum sol ad æquinoctium vergeret autumnale; *nam citius eo accessisse Fredericum sequentia manifeste probant. Opportunitatem Lugdunum eundi cum exercitu Frederico præbebat comes Sabaudiæ, qui nuper in ejus partes transierat. Audi Nicolaum de Curbio in Vita Innocentii, apud Baluzium tom. 7 Miscellaneorum pag. 378 :* Eodem vero tempore Taurinum venerat Fredericus, ubi cum comite Sabaudiæ et aliis quibusdam baronibus sibi adhærentibus nequiter machinans contra summum Pontificem, ipsum Lugduni circumvenire fraudulentissime procurabat. F

* *i. e.* Maio

* Turin

Ludovicus cum matre, et fratribus, Pontifici succurrere statuit,

559 Quo percepto et intellecto, Rex Franciæ Lodoicus, filius devotus Ecclesiæ, una cum fratribus suis et matre sua regina Blanca, ac aliis sui regni baronibus, et dominus Archimbaldus de Borbona præcipue totis suis viribus et potentiis ad resistendum fraudulentiæ Frederici se ad mandata summi Pontificis obtulerunt. Sed qui reprobat Deus consilia principum iniquorum, infatuavit tam cito nefarium propositum Frederici, ut non possent manus ejus implere, quod cœperant. *Rationem subdit, videlicet quia Parma a Frederico defecerat, ad quam obsidendam regressus est, non sine ingenti clade inde recessurus,*

surus,

A *surus, de qua auctores consule. Hic Frederici regressus non latuisse videtur Pontificem, quando ad* S. Ludovicum, *ad Blancham, Robertum, Alphonsum, Carolum, totidem dedit responsorias litteras. Quippe post laudes amplissimas, ac gratiarum actiones, hæc ad Regem subjungit verba :* Volumus tamen, ut te non accingas ad iter, nec aliquem mittas exercitum, quousque super hoc per nostrum nuncium, vel speciales litteras votum apostolicæ Sedis agnoscas. Dat. Lugduni xv Kal. Jul. an. iv. *Noluit igitur Innocentius sanctum Regem labore non necessario fatigari, qui expeditioni transmarinæ moram injicere potuisset non modicam. Nam quod Chaizius ait, timori fuisse Innocentio* Ludovicum, *inane figmentum est, et viri alias eruditi judicio indignum.*

quibus Innocentius multis cum laudibus gratias agit.

560 *Epistolam memoratam Innocentii edidit Raynaldus ad hunc annum a num. 13, cujus partem aliquam ad gloriam Sancti lubet hoc loco recitare :* Lætentur cæli, *inquit*, et exultet terra, quod sic Deus super Ecclesiam in Filii sui unigeniti sanguine pretioso fundatam, suam B de novo illustravit faciem, ut quæ sub insurgentium turbine tempestatum credebatur extremum quasi passura periculum, videatur subito consequi cum honoris plenitudine securæ libertatis effectum; te filio clarissimo, præ terræ principibus in conspectu Dei et hominum glorioso, qui duxisti originem de stirpe regia, fructum honoris, et gratiæ semper Ecclesiæ producere consueta, sine interpositione spatii, fervore concepto sancti Spiritus, cum charissima in Christo filia nostra illustri regina Franciæ matre, ac dilectis filiis nobilibus viris fratribus tuis comitibus, unanimiter decernente, quod in nostri, quem pro divina reverentia tibi cognoscis in patrem, ac ipsius defensionem Ecclesiæ, cum victorioso venires exercitu, omni postposita tarditate. De hujus autem operis divina gloria nos una cum fratribus nostris incredibili jucunditate perfusi, glorificamus mente humili Regis æterni clementiam, qui tibi suo Regi tam pium, tam laudabilem infudit affectum, ut digne sit in nostra et aliorum mente mirabilis, et in cujusquam * perpetuam deduci debeat notitiam nationis. Nec mirum, cum ad ipsius Ecclesiæ gemi- C tum, et frequentes angustias, quibus affligitur, dum filiorum Ecclesiæ vexationes continuas illatas per turbatorem seculi meditatur, quasi tacentibus aliis, tu solus in medio regum terræ præfulgidus elegisti, ad succursum matris Ecclesiæ non solum exponere substantiam, sed deputare personam. *His reliqua conformia, uti et epistola ad Blancham : quæ curiosus lector loco assignato inveniet.*

* *l.* cujusque

Adest Sanctus translationi corporis S. Edmundi,

561 *Insignem in cælites pietatem atque observantiam eodem anno exhibuit* S. Ludovicus *in translatione S. Edmundi Cantuariensis archiepiscopi, cui cum matre, fratribus, ac sorore interfuit, quemadmodum in Historia ejusdem translationis narratur apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 1863. Ubi ad modestiam Regis commendandam, col. 1864 refertur, noluisse* Ludovicum, *ut sibi obviam procederent episcopi, aliique clerici, sed eum honorem in matrem transtulisse. De hac etiam translatione agit Matthæus Parisius pag. 491 his verbis :* Ejusdem anni sub profluvio, gloriose translatus est beatus Ædmundus Cantuariensis archiepiscopus et confessor apud Pontiniacum *, in ecclesia conventuali monachorum Cisterciensis Ordinis in Christianissimi domini Regis Franciæ Ludovici, et innumerabilium nobilium tam prælatorum quam aliorum præsentia. Et cum inter omnes sexus sui eminentissima illuc affuisset Deo et illi Sancto devota domina Blanchia mater domini Regis Franciæ; fecit vigiliam cum jejunio et oratione et lumine non minimo, et orando sæpius replicavit, dicens : Domine sanctissime confessor, qui mihi supplicanti hoc benedixisti, et filiis meis, quando vivus exulasti, et per me vestri gratia transitum fecisti in Francia, confirma quod initialiter operatus es in nobis, et confirma regnum Francorum in soliditate pacifica et triumphali.

* Pontigny

AUCTORE J. S.

cujus partem recusat, ne scinderetur :

562 *Subdit de sacro corpore translato, eodemque incorrupto alia quædam, latius in Actis S. Edmundi pertractanda. Tum vero de* Ludovico : Et ex tunc provisum est, hoc primitus Rege Francorum procurante, quod concessa fuit licentia Anglis liberius, quam aliis alterius nationis, corpus ipsum adire et videndo et orando venerari. *Nec prætereundum, quod idem auctor pag. 521 de veneratione eximia, qua Rex sanctus sacrum illud depositum prosequebatur, perstringit paucis his verbis :* Sicut pius Rex Fran- E corum peregrinaturus, cui oblata fuit pars corporis, respondit : Non placeat Deo, ut pro me detruncetur, quod Deus integrum conservavit. *Tanta erat sancti Regis in Sanctos observantia, ut, quamvis eorum reliquias ardentissime expeteret, iis tamen carere mallet, quam eas minori reverentia adipisci.*

domum Prædicatoribus fundat Carcassone,

563 *Nec minor ejusdem in vivos beneficentia, eos præsertim, quos disciplina religiosa Deo perfectius servire existimabat. Nam fratribus Prædicatoribus domum Carcassone fundatam narrat Bernardus Guidonis, apud Martenium tom. 6 Collectionis amplissimæ, col. 475 hunc in modum :* Anno Domini MCCXLVII mense Septembri piissimus Rex Francorum S. Ludovicus mandavit per suas litteras senechallo suo Carcassonensi, quatenus in burgo novo Carcassonensi assignaret fratribus Prædicatoribus plateam unam, in qua possent ædificare sibi congruam mansionem, quod et factum extitit in primo loco, in quo primitus habitarunt annis circiter quinque, nondum tamen cum Priore, sed cum vicario, sicut moris est Ordinis in locis no- F vis fieri, ad loci ipsius promotionem et dispositionem. *Litteras ipsas Regis subjicit Martenius, datas mense Septembri hujus anni. Sancti alia in hunc locum beneficia prosequitur ibidem laudatus Bernardus Guidonis, ex quo ea huc transfero :* Anno Domini MCCLV, II die Octobris memoratus Rex dominus Ludovicus inter cetera beneficia regiæ pietatis, quæ prius contulerat fratribus dicti loci, contulit et providit, ut pius patronus regia munificentia ampliori quindecim solidos Turonenses pro pittantia * singulis septimanis, et duodecim libras Turonenses, pro habendis tunicis annuatim, quam eleemosynam ex tunc et deinceps usque in præsentem diem fratres liberaliter percipiunt.

* *i. e.* victu

quam et annuis eleemosynis sustentat.

564 *Col. 476 hæc subdit :* Anno Domini MCCLVII præfatus Rex et Dominus Ludovicus emit et redemit pro fratribus hunc locum secundum, in quo nunc habitant Carcassonæ, qui de Aquismortuis nuncupatur, a domino Carcassonensi episcopo, ad cujus jurisdictionem et dominium pertinebat, dato ab eodem domino Rege præfatis episcopo et capitulo excambio pinguiori, tam in censibus et reditibus, quam in aliis juribus

AUCTORE J. S.

bus quibuscumque, cum pleno dominio apud Corbonacum, Sobroauciacum, et Mouzanum, et in terminis eorumdem, prout in cartamentis et litteris inde confectis plenius continetur. Hunc locum sic emtum et redemtum Rex pius, dominus et patronus dedit fratribus et Ordini et amplius ducentas libras Turonenses pro ædificiis construendis. *Deinde post pauca de eleemosyna annua hæc subjungit :* Dominus Rex Franciæ dat conventui fratrum Prædicatorum Carcassonensi eleemosynam annualem quinquaginta unius librarum, decem solidos Turonenses, quam recipiunt fratres a thesaurario Carcassonensi domini Regis annuatim liberaliter et de plano. *Hæc de pia Regis in viros religiosos liberalitate hoc loco sufficiant.*

§ XLV. Anno 1248 mors filii Regis : donationes : gesta cum Frederico ; constantia Sancti probata : administratio regni matri commissa : vestes pretiosæ ablegatæ : pius discessus, et iter : acta Lugduni cum Pontifice : castrum in via expugnatum etc.

B

Filium Rex amittit; pias donationes facit,

A*nnum auspicamur 1248, quo Rex sanctissimus iter transmarinum suscepit, si non tantum operæ pretium facturus pro liberatione Terræ sanctæ, Deo aliter disponente, quantum et bellis in Gallia gestis, apparatuque ingenti sperabat orbis Christianus ; at insignia certe quarumlibet virtutum exempla daturus, ingentemque apud Deum meritorum cumulum acquisiturus. Verum, priusquam sanctum Regem comitamur in itinere, expedienda supersunt alia quædam hoc item anno ante discessum peracta. Filium imprimis, cui nomen erat Joannes, immatura mors Regi surripuit* VI Idus Martii, *ut notatur in ejus epitaphio, quod in ecclesia Regalis-montis legi testatur Chesnius pag. 442. Tertius hic filiorum fuisse videtur, natus forsan anno* C *præcedenti, at ejus natales fastis antiquis consignatos non inveni. Recte autem hinc infert Labbeus in Tabulis genealogicis pag. 56, non tantum quinque, at sex filios fuisse* S. Ludovico. *Prætcrea regni negotia primis hujus anni mensibus ordinavit Rex sanctus : deinde dona varia variis monasteriis, templisque largitus est, ut Numinis favorem sibi promereretur; quemadmodum expressis verbis profitetur in charta donationum abbatiæ Lilii factarum apud Chaizium pag. 458. Hoc item intuitu capellaniam perpetuam fundavit in domo regia Vicenarum : cujus fundationis litteras invenies apud Gerardum du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis, tom. 2, pag. 400.*

reliquias ecclesiæ Toletanæ, aliisque largitur;

566 *Dedicationem sacelli regii mense Aprili hujus anni peractam jam diximus num. 445, ubi Toletanus archiepiscopus dedicationi interfuisse legitur. Impetravit dictus archiepiscopus reliquias aliquas a Rege, ad ecclesiam suam perferendas, una cum litteris regiis donationem testantibus, quas autographas simul cum reliquiis servari in ærario sacro templi Toletani testatur Mariana in Historia Hispaniæ lib. 13, cap. 8,* D *easque ibidem sic recitat :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis viris in Christo canonicis et universo clero ecclesiæ Toletanæ salutem et dilectionem. Ecclesiam vestram volentes xenio præclari muneris insignire, per dilectum nostrum Joannem venerabilem archiepiscopum Toletanum, et ad preces ipsius, de venerandis et eximiis sanctuariis nostris, quæ de thesauro imperii Constantinopolitani suscepi, pretiosas vobis particulas destinamus. Videlicet de ligno crucis Domini : unam de spinis sacrosanctæ spineæ coronæ ejusdem Domini : de lacte gloriosæ Virginis Mariæ : de tunica Domini purpurea, qua indutus fuit : de linteo, quo præcinxit se Dominus, quando lavit et extersit pedes discipulorum suorum : de sindone, qua corpus ipsius sepultum jacuit in sepulcro : de pannis infantiæ Salvatoris. Vestram itaque dilectionem rogamus, et requirimus in Domino, ut prædictas sacras reliquias in ecclesia vestra cum debito recipiatis et custodiatis honore : nec non in Missis et orationibus vestris benignam nostri memoriam habeatis. *Stampis datæ hæc litteræ mense* E *Maio 1248. Didacus de Jesu in Annalibus Ordinis SS. Trinitatis de redemptione captivorum Hispanice scriptis pag. 315 narrat, unam item spinam cum aliis reliquiis datam conventui suo S. Marthurini Parisiis, quod hoc tempore contingere potuit, etiamsi auctor tempus non exprimat. Præmittit ille, varia privilegia, donationes, census, dicto conventui per* S. Ludovicum *attributos. Alter ejusdem Ordinis annalista, Bonaventura Baro pag. 243 ;* Conventui eorum Parisiensi, *ait,* dono dedit segmentum veræ crucis Dominicæ, et unius spinæ ex ipsius corona. *Ita viros quoslibet religiosos benefactis suis honorabat Rex sanctus.*

epistolæ Frederici respondet;

567 *Nuntium cum litteris ad* S. Ludovicum *hoc anno miserat Fredericus, in quibus tria præsertim continebantur, ut ex Regis responsoriis elucescit : nam* Ludovicus *ad has respondens per litteras a Martenio editas tom.* I *Collectionis amplissimæ, col. 1299 et seqq., primum gratias agit Frederico de facultate concessa emendi victualia in regnis ipsius. Deinde sic prosequitur :* Ceterum super eo, quod prædictus nuncius vester adjecit, ut siquæ terræ per crucesignatos . . . fuerint acquisitæ, ad jus et proprie- F tatem regni Jerusalem debeant eadem acquisita devenire, celsitudini vestræ tenore præsentium intimamus, quod cum pro solo divinæ Majestatis honore et exaltatione fidei negotium antedictum suscipimus, nihil in ejusdem prosecutione negotii facere Domino favente proponimus, quod nedum vobis et dilecto amico nostro C. * illustri Romanorum in regem electo, regni Jerosolymitani heredi nato vestro, sed nec etiam alicui homini Christiano possit præjudicium generare, vel juris sui parere læsionem. *Vaga hac responsione rem postea, si opus fuisset, reliquit decidendam. Tertio, quod proposuerat Fredericus, ita respondet :* Adhæc super eo quod nuncius vester de contracti jam dudum fœderis innovatione subjunxit, secretam ei responsionem fecimus, quam ipsi serenitati vestræ poterit viva voce fideliter intimare. *Hæc cum Frederico hoc anno, cujus beneficio vicem reddidit intercedendo apud Pontificem.*

* Conrado

Blancha cum episcopo Parisiensi expeditionem sacram.

568 *Quando omnia ad expeditionem suam recte componebat Sanctus, constantia ejus vehementi tentatione pulsata est, sive hoc anno, sive præcedenti*

Auctore J. S.

A *præcedenti tempore, opera reginæ Blanchæ, quæ nihil omnino intentatum relinquebat, quo Filium suum a proposito expeditionis transmarinæ absterreret. Juvat hac de re audire Matthæum Parisium, qui si ipsa verba utrimque dicta non protulit, hoc enim parum est credibile, quæ tamen dici poterant, Regisque animum a sacro bello avertere, summatim recensuit. Sic enim ille scribit ad hunc annum pag. 497 :* Et diebus sub eisdem, dominus Rex Francorum, qui, ut notorium fuit, cruce signabatur, a suis magnatibus correptus est, et graviter redargutus, et fere circumventus; eo quod votum suum per consilium et admonitionem suorum optimatum, quomodolibet noluit redimere vel commutare. Inter quos mater ejus Blanchia, et episcopus Parisiensis, scientes ejusdem Regis imbecillitatem, instabant protervius, et sermocinabantur diligentius, dicente episcopo : Domine mi Rex, recordare quoniam crucem accepisti, tam arduum votum faciendo inconsulte et subito : infirmus fuisti, et, ut verum fateamur, mentis alienæ, rapta quoque ad cerebrum materia, B compos tui non fuisti : unde verba tunc prolata pondere caruerunt veritatis, et cujuslibet auctoritatis.

multis rationibus et precibus dissuadente,

569 Benigne dispensabit nobiscum dominus Papa, sciens regni necessitatem, et corporis tui debilitatem. Ecce hinc Frederici jam schismatici robur formidandum, inde insidiæ nummosi regis Anglorum. Ecce hinc Pictavensium proditiosa, quamvis nuper edomitorum, dolositas; inde Albigensium suspecta cavillatio. Inquietatur Alemannia, Italia non quiescit : ad Terram sanctam vix patet accessus, vix in ea receptatio : post tergum Papæ et Frederici odium inexorabile, inimicitiæ implacabiles : quibus nos desolatos relinquis? Mater autem efficacius adhuc instinctus suos exaggerans, ait : Fili charissime, audi et exaudi amicorum tuorum consilia discretorum, prudentiæ propriæ non innitens. Memento quanta virtus sit, quantumque Deo placeat, matri obedire, matrique obsecundare. Remane, nullumque inde Terra sancta patietur detrimentum. Mittetur illuc militaris expeditionis multitudo copiosior, quam si in propria persona illuc pergeretis. Non enim Deus calumniosus, vel cavillosus. Excusat te, fili mi, sufficienter, C quæ tibi evenit in infirmitate tua, rationis privatio, sensuum omnium hebetatio, imo et vel ipsa mors, vel mentis alienatio.

constantiam suam egregie manifestat.

570 Quibus Rex non mediocriter commotus, respondit : Protenditis sensus mei immutationem, causam fuisse assumptionis crucis meæ; ecce prout desideratis et persuadetis, crucem depono, crucem vobis resigno, et mittens manum suam ad humerum, discerpendo eam avulsit, dicens : Domine episcope, ecce crux, qua signabar; vobis eam ultro resigno. Quo facto, incredibi gaudio cuncti cirumsedentes congratulabantur. Et ecce dominus Rex mutato vultu, et sententia, ait : Amici mei, profecto nunc non sum expers rationis aut sensus, non mei impos aut infirmus. Reposco nunc mihi reddi crucem meam. Novit autem qui nihil ignorat, non intrabit in os meum quicquam mandibile, donec ea reconsigner. Quod cum viderent circumstantes, affirmarunt digitum Dei hoc fuisse, et divinam virtutem hæc cælitus procurasse. Nec audebat quispiam super prædictis amplius movere quæstionem. Hæc idcirco plene ac expresse diximus, ut pateat cuilibet in Christianissimo Francorum Rege de famulatu Christi continuando constantiam *fuisse. Meruit hæc Regis constantia, ut non Galli modo, sed non pauci quoque nobiles Angli se expeditionis comites offerrent : at hos omnes enumerare instituti non est mei.*

regni administrationem matri committit.

571 *Non contemnebat matrem suam* S. Ludovicus; *at sciebat non audienda semper parentum consilia, ubi de Dei gloria agitur : cujus unius intuitu expeditionem hanc susceperat. Alioqui quanto matrem amore prosequeretur, quantique ejus prudentiam faceret et concilia, cum alias semper, tum etiam hoc tempore luculenter declaravit, dum omnem regni administrandi auctoritatem eidem contulit. Litteras, quibus id factum, dedit Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, pag. 212, quas inde huc transfero :* Ludovicus Dei G. * Francorum Rex universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod nos charissimæ dominæ matri nostræ reginæ concessimus, et volumus, ut ipsa in hac nostræ peregrinationis absentia plenariam habeat potestatem recipiendi, et attrahendi ad regni nostri negotia, E quos sibi placuerit, et visum fuerit attrahendos; amovendi, quos viderit, et quando viderit amovendos, secundum quod ipsi videbitur bonum esse : baillivos instituere et destituere valeat, castellanos, forestarios, et alios servitiorum nostrorum, et regni nostri ministros ponere et amovere, prout viderit exepedire. Dignitates etiam et beneficia ecclesiastica nostra vacantia conferre, fidelitates episcoporum et abbatum recipere, et eis regalia restituere, et eligendi licentiam dare capitulis, et conventibus vice nostra. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum apud Hospitale juxta Corbolium an. Dom. MCCXLVIII mense Junio.

* gratia

Sanctus vestes pretiosus a se ablegat,

572 Ludovicus *autem, ut se verum Jesu Christi militem externa etiam specie exhiberet, omnem vestium luxum a se ablegavit in perpetuum, quemadmodum Vitæ scriptores agnoscunt. Verum hæc tradunt vocibus tam barbaris et obscuris, ut difficultatem pariant non exiguam. Nangius pag. 346 ita loquitur :* Anno Domini MCCXLVIII Rex Franciæ Ludovicus iter transmarinum arripuit : ab illo enim tempore numquam indutus est squaleto, vel panno viridi, F seu bruneto, nec pellibus variis; sed veste nigri coloris; vel camelini seu persei. *Eadem plane verba de vestibus habet Gaufridus apud nos num. 10. Agit de his vestibus Vita secunda num. 121, et Joinvillius num. 243, ex quibus omnibus inter se collatis invenio, Sanctum non modo aurum et argentum in vestibus repudiasse; sed præterea colores magis vividos, et quoslibet fere adscititios. Noluit insuper vellera animalium peregrinorum, quibus chlamydes, tunicas, stragulaque sua distinguebant viri principes. At hæc singula probanda sunt et explicanda. De auro argentoque repudiato clare testantur Vita secunda, et Joinvillius locis assignatis, ita ut id pluribus probari non debeat. Colores vividos a Sancto abjectos, citati auctores consentiunt : supra enim per* squaletum *designatur pannus coloris coccinei, quem a Sancto abdicatum consentit Joinvillius. Per* brunetum *intelligendus est pannus coloris cujuslibet adscititii seu non nativi. Audi Cangium in Glossario :* Bruneta, *inquit,* Brunetum, pannus non ex nativi coloris lana confectus; sed quavis tinctura imbutus : *quod variis probat et illustrat exemplis. Non itaque*

AUCTORE J. S.

taque colorem dumtaxat coccineum, et viridem relegarit Ludovicus, *sed quemlibet adscititium, excepto tamen nigro, ut mox videbimus. Porro Vitæ secundæ auctor affirmat, non aliis usum fuisse coloribus, nisi cæruleo seu glauco, qui supra* perseus *dicitur, et camelino, ut consentit quoque Joinvillius, et nigro tinctura adscito : addit tunicas habuisse ex serico etiam nigro. Restant vellera peregrina, quæ item a Sancto abdicata diximus. Velleribus muniebant tunicas chlamydesque contra frigus; at principes ad magnificentiam peregrina malebant et pretiosa, quam communia. Illorum duo genera sæpe memorantur apud scriptores illius temporis : alterum Gallice vocabant,* le vair, *aut* menu vair, *Latine* varium, *seu* vellus varium; *alterum Gallice,* le gris, *Latine* griseum. *Non absimilia his sunt pelles muris Pontici, Gallis* Hermines, *quibus hodiedum principum chlamydes distinguuntur. De pellibus hisce fuse disputat Cangius dissertatione 1, ad quem lectorem remitto, cum difficile sit, aliquid de his certi statuere. Ceterum pretiosas has pelles a* Ludovico *rejectas,* B *affirmatur in Vita secunda num. 121. Verum, ut subdit laudatus Nangius,* Quia vestes hujusmodi minoris valoris esse videbantur ad dandum pauperibus, quam aliæ pretiosiores, quibus uti solebat, prout reges Franciæ consueverunt, instituit, quod ad recompensationem hujusmodi vestium, eleemosynarius suus erogaret quamdam summam pecuniæ, æquipollentem pretio vestium pretiosarum, ultra id, quod erogare solebat. Nolebat enim pius Rex, quod propter humiliationem suam exteriorem aliquid pauperibus deperiret. *Prædicat hanc in* Ludovico *vestium simplicitatem Bonifacius VIII apud Chesnium pag. 482 his verbis :* Vestes, quas postea gessit, non erant regiæ, sed religiosæ : non erant militis, sed viri simplicis.

cujus modestiam irridens quidam punitur divinitus.

573 *Non defuere tamen quidam hujus mundi sapientes, quorum sapientiam Apostolus stultitiam apud Deum esse affirmat, qui ausi sunt carpere insignem hanc sancti Regis modestiam, imo et deridere. At nec severa defuit Numinis vindicta. Exemplum memorabile adducit Thomas Cantipratanus lib. 2 de Apibus, cap. 57, num. 63 :* Hinc nuper, *inquit,* ad designandum meritum devotissimi Regis Franciæ Ludovici, C quiddam accidit, quod subjungo, illis mihi recitantibus, qui viderunt. Quam gratum autem Deo ipsius Regis Franciæ exemplum altissimæ humilitatis existat, Rex omnium Christus tam evidenti miraculo demonstravit. Nobilissimus in comitibus Germaniæ comes Gelriæ Ottho, cursorem cum litteris Parisios miserat, cursu propero rediturum. Quem redeuntem comes interrogans, quæsivit, si Regem Franciæ Ludovicum vidisset. At ille, ubi more subsannantis contorsit collum : Vidi, inquit, vidi illum miserum papellardum Regem, caputium habentem capitis super scapulam ex adverso suspensum. Hæc dicens, faciem contorsit ex adverso, et sic facies contorta remansit. *Infert ex memorato exemplo Cantipratanus, erubescendum fuisse theologo cuidam,* Qui, *inquit,* prædicavit, ipsum, de quo scripsimus, Regem non debere communibus uti vestibus, sed semper purpuratum incedere : *illumque refutat aliorum regum adductis exemplis. Ceterum nolim quis ex dictis perperam concludat, formam ipsam vestimentorum regiorum mutatam fuisse a* Ludovico; *nam contrarium patet ex Joinvillio num. 22.*

Rex precibus piorum se commendat : sumptisque peregrinationis insignibus,

D 574 *Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 400 de pietate Regis, expeditioni prævia, hæc refert :* Rex facturus expeditionem ibat per monasteria, et se piorum hominum precationibus commendabat : ita eum ad Victorinos venisse, Annales illius domus memorant. *Idem apud monachos S. Dionysii fecisse, eruitur ex verbis mox citandis, cum dicitur monachis* in capitulo *valedixisse* cum magna humilitate. *Nec dubium, quin se Cisterciensium, Prædicatorum, Minorum, aliorumque religiosorum precibus commendarit. Chronicon S. Dionysii apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 497 ad hunc annum hæc memorat in rem nostram :* Hoc anno, feria sexta Pentecostes, Ludovicus Rex accepit vexillum, et peram, et baculum in ecclesia B. Dionysii, et fratres ejus, ab Odone Cardinale; et post accepit licentiam *(id est valedixit)* in capitulo nostro, et Robertus, et Carolus, fratres ejus, cum magna humilitate. Dominica post Margarita uxor ejus similiter fecit.

discedit per Burgundiam Lugdunum.

575 *Incidebat feria sexta Pentecostes in diem* XII *Junii : eodem autem die iter arripuisse scribit Nangius, quod factum videtur, postquam* E *Dionysiopoli Parisios est reversus; ubi, teste Vita secunda num. 41, Missam in templo beatæ Virginis audivit, indeque nudis pedibus ad abbatiam S. Antonii processit, atque ibi equum conscendit. Parisiis Corbolium discessisse videtur, quia regni administrationem ibidem matri commisit eodem mense, ut jam vidimus. Blancham autem per quatuor dies Regi in itinere adhæsisse, demumque ab eo avulsam esse non sine summo animorum motu, narrat Anonymus Vitæ scriptor. Ingentem reginæ matris in hoc digressu dolorem, vestiumque* Ludovici *modestiam jam ante relatam, confirmat numisma apud Jacobum de Bie fol. 26, quo illorum digressus sic exprimitur :*



F

Verum juvat Nangium de Regis discessu audire loquentem pag. 346 : Recessit igitur de Parisius in sexta feria post Pentecosten, multis ejusdem urbis processionibus eum usque ad sanctum Anthonium comitantibus. Iveruntque cum eo venerabilis Odo Tusculanus episcopus apostolicæ Sedis legatus, et duo fratres ejusdem Regis, videlicet Robertus comes Atrebatensis, et Carolus comes Andegaviæ, cum uxoribus suis, multique regni Franciæ barones et episcopi. Alphonsus quoque dicti Regis frater comes Pictavensis crucem assumpserat transmarinam, sed illo anno cum domina Blancha regina matre sua remansit ad regni custodiam. Transiens ergo Christianissimus Rex Ludovicus per Burgundiam usque ad Lugdunum, dominum Papam Innocentium, ibidem commorantem secundo visitavit.


576 *Egisse*

A *ubi rurs cum Pontifice agit*

576 *Egisse Regem cum Innocentio de causa Frederici, atque intercessisse pro eo scribit Matthæus Parisius pag. 501, cujus verba subnecto :* Et per Lugdunum, ubi Papa morabatur, transitum faciens, ipsum humiliter ac devote salutans, obnixius deprecabatur, ut salvo in omnibus honore ecclesiastico, Frederico condescenderet humiliato, et veniam postulanti, et gratiam concederet reconciliationis, et paternæ pietatis sinum panderet pœnitenti, saltem ut tutior mihi pateat via peregrinanti. Ad quod cum inveniret Papam vultum contradictionis protendentem, recessit Rex tristis, dicens : Timeo ne, cum recessero, parentur regno Franciæ, propter inexorabilem tui duritiam, insidiæ hostiles in proximo. Tibi imputetur, si negotium Terræ sanctæ impediatur. Verumtamen custodiam Franciam, ut pupillam oculi, quia a statu ipsius et tui et totius Christianitatis dependet prosperitas. Cui Papa : Ego, quoad vixero, stabo cum Francia contra schismaticum Fredericum, quem damnavit Ecclesia, et a culmine imperii generale concilium præcipitavit : imo etiam contra regem Angliæ vassallum nostrum,
B si præsumat contra regnum Francorum, vel ejus pertinentia, recalcitrare, et omnes dicti regni adversarios.

de Frederico regnique sui securitate : indᵉ, confessione facta,

577 Et respondit Rex, his verbis aliquantulum mitigatus : Tibi igitur hæc promittenti commendo habenas regni mei Franciæ gubernandas. Ex tunc igitur provisum est, ut mitteretur specialis nuntius ad regem Angliæ, prohibens eum, nè aliquid de pertinentiis regno Francorum quomodolibet impeteret hostiliter vel infestaret. *Desiderabat comes Tolosanus, ut pater suus Raymundus senior, qui dudum defunctus in excommunicatione, sepultura carebat ecclesiastica, more Ecclesiæ consueto sepeliretur, quod aliqui dicerent signa pœnitentiæ in eo moriente fuisse deprehensa. Commendaverat ergo Regi, ut rem hanc urgeret apud Pontificem, quemadmodum refert Guilielmus de Podio Laurentii cap. 47, qui et Regem ea de re locutum esse cum Innocentio affirmat, sed* satis leniter, *ita ut nihil fuerit impetratum. Noverat nimirum* Ludovicus, *Regis non esse, auctoritate sua disciplinam ecclesiasticam infringere, sed superioribus Ecclesiæ*
C *in rebus hujusmodi liberum relinquendum esse judicium.*



Priusquam autem Lugduno recederet S. Ludovicus, *Innocentio Pontifici de peccatis confessum esse, sic narrat citatus Parisius :* Rex igitur Francorum, valedicto Papa, et accepta ab eo remissione peccatorum, post factam cum morosa deliberatione confessionem, cum Papali benedictione recedens a Lugduno, versus Marsiliam lora direxit et vexilla. *Ceterum Lugdunenses, honorati præsentia tanti Regis, licet illius non essent subditi, et expeditionis memoriam cuso numismate conservare voluerunt, ipsumque laurea insignem exhibere, sive ob victorias in Gallia a* Ludovico *jam tunc relatas, sive ut spem de ejus expeditione conceptam declararent. Nam una parte Regem corona insignem exhibuerunt, teste Jacobo de Bie pag. 90, altera parte eumdem sic repræsentarunt, uti mox dedimus.*

AUCTORE J. S.

Aquas mortuas petit, et castrum in via expugnat; sed injurias

578 *Porro hallucinatur Parisius, dum Regem Lugduno deducit Massiliam : etenim Aquasmortuas profectum, indeque in Cyprum navigasse, ex certis monumentis, melioribusque auctoribus constat. Audi itaque Nangium pag. 346 :* Indeque *(Lugduno)* recedens, benedictione ejus recepta, venit ad rocham, quæ dicitur Dou Glui, ubi erat castrum fortissimum super Rodanum. Quia igitur dominus castri illius *(Rogerium de Cloregio vocat Guilielmus de Podio, hæc narrans)* a transeuntibus per Rodanum exactiones illicitas extorquebat, et eos bonis suis indebite spoliabat, Rex illud obsedit, et in deditionem accepit. Illud autem in parte
E destruens, postea domino dicti loci, cautione sibi facta, quod de cetero ab injuriis et exactionibus illicitis abstineret, illud restituit. *Ad castrum illud obsidendum maxime Regem moverunt injuriæ crucesignatis illatæ, ut intelligitur ex Guilielmo de Podio cap. 48, ubi hæc expugnati castri ratio redditur;* Quod Rogerius de Cloregio dominus castri pedagia levari fecerat super peregrinos cunctos *(euntes)* in subsidium Terræ sanctæ. *Promovebat igitur expeditionem suam hujus castri expugnatione : nam alioquin solicite abstinuisse ab omni conflictu, qui eam retardasset, intelligitur ex iis, quæ circa Avenionem facta scribit loco assignato Parisius :* Et cum Avinioni * appropinquaret, cives non sustinentes superborum Francorum opprobria, qui jam eos Albigenses appellabant, proditores, et potionatores, impetum facientes in eos, in angustis viis sibi notis, antiquis inimicitiis odium et iram suscitantibus, quosdam de exercitu Francorum spoliabant, quosdam autem trucidabant resistentes.

* Avignon

ab Avenionensibus illatas ulcisci renuit.

579 Unde quidam magnates de regno Francorum suggesserunt domino Regi Francorum, ut obsidione civitatem ipsam vallaret, ut saltem mortem patris sui, ibidem potionati, juste ac
F potenter vindicaret : aut progrediens, ipsos id facere cum favore suo permitteret. Quorum furorem vix compescens Rex, ait : Nec patris, nec matris, nec meam vindicatum progredior a Francia injuriam, sed potius ipsius Domini mei Jesu Christi. *Prosecutus itaque iter suum, ad Aquasmortuas pervenit, indeque in Cyprum, sicut Nangius præcedentibus mox subdit hunc in modum :* Tandem Rex ad portum Aquarum mortuarum perveniens, die Martis in crastino beati Bartholomæi apostoli navem cum suis intravit, et duobus diebus sequentibus inibi moram faciens, ventum prosperum expectavit. Porro sequenti die Veneris a portu recedens, et duce Deo navigans, die Jovis ante festum S. Matthæi apostoli de nocte in Cypro Nemotium * applicuit. *In ipso itinere mense Augusto compositionem quamdam fecit cum abbate Crassensi de juribus variis : de qua litteras in navi factas invenies apud Martenium tom.* I *Anecdotorum a col. 1039, quas consule. Comitata est Regem regina Margarita, uti et Carolum Regis fra-*

* *i. e.* Limissonem

trem

AUCTORE J. S.

trem uxor sua reginæ soror. At, *ut habet Nangius*, comitissa Atrebatensis, cum esset prægnans, de portu Aquarum mortuarum in Franciam rediit, ibique usque ad comitis Pictavensis transitum expectavit. *Comes Tolosanus egerat cum Rege apud Aquas-mortuas, voluitque Massilia in Cyprum navigare, ut alii fecere cum Joinvillio; sed nimium ibi moratus, ingruente hyeme, iter distulit, quod mors, anno sequenti secuta, omnino abrupit.*

§ XLVI. Gesta in Terra sancta a prima expeditione crucesignatorum usque ad adventum S. Ludovici compendio data.

Regnum Hierosolymitanum, crucesignatorum expeditione partum,

Antequam gesta S. Ludovici *contra Saracenos et Turcas prosequamur, ad majorem historiæ elucidationem conducet, si compendio exponamus gesta in Terra sancta ab eo tempore, quo illa primum a Christianis crucesignatis fuit occupata, ac deinde statum principum* B *eo tempore in partibus illis dominantium breviter explicemus. Occupaverant principes Christiani in prima expeditione crucesignatorum sub finem seculi* XI *Nicæam in Bithynia, Edessam in Mesopotamia, Antiochiam in Syria, aliasque urbes in minori Asia et Syria, quas prætermitto; ac demum ipsam Hierosolymam in Palæstina. Hinc exorti mox sunt tres Christianorum principatus in tractu illo Orientis, regnum videlicet Hierosolymitanum, principatus Antiochiæ, et comitatus Edessæ. Rex Hierosolymitanus principum electione declaratus est Godefridus Bullionius, cujus virtus heroicaque facinora plurimum enituerant. Princeps Antiochiæ jam ante factus erat Boamundus Normannus Tarenti princeps, quod ejus industria urbs illa fuisset tandem intercepta. Comitatum vero Edessæ consecutus erat Balduinus, regis frater et successor: hisce principatibus Tripolitanus deinde, aliique adjuncti sunt sub sequente rege. Godefridus autem rex, licet nomine regis uti noluerit, post* C *cæsum immensa strage maximum soldani Ægyptii exercitum, limites regni dilatavit, captis aliquot oppidis.*

dilatarunt primi reges hic enumerati;

581 *Defuncto Godefrido post annuam circiter regni administrationem successit in regnum frater ejus Balduinus, qui Edessanorum comitatum Balduino de Burgo cognato suo tradidit. Porro Balduinus primus varia cum Ægyptiis, aliisque infidelibus vicinis bella gessit, ac victor plerumque, multas hostium urbes occupavit, dilatatisque per circuitum regni terminis, vita functus est anno 1118, regni sui decimo octavo. Balduino I suffectus est Balduinus de Burgo Edessæ comes, qui varia usus est fortuna: nam victus aliquando, ac captus etiam fuit ab infidelibus: sed carcere liberatus non paucas eisdem clades intulit, ac fines regni extendit. Obiit anno 1131, regni 13. Ejus tempore exorti sunt Templarii frequenter deinde memorandi. Regnum defuncti Balduini II adeptus est gener ejus Fulco Andegavensium comes, vir item egregius, sed antecessoribus suis minus felix; occuibuit in venatione anno regni sui undecimo, Christi 1142; ac regnum filio suo, tredecim annorum adolescenti reliquit. Balduinus is fuit hujus nominis* D *tertius, cujus tempore Conradus imperator, et Ludovicus VII Galliæ rex expeditionem sacram susceperunt, sed nullo operæ pretio; quod Græcorum perfidia majorem exercitus sui partem amisissent, priusquam in Syriam pervenirent, ac ne ibi quidem satis fideles experti sint illos, quibus ferebant suppetias. Amissus est, regnante Balduino III, comitatus Edessenus, aliquot tamen civitates et ipse hostibus ademit, et non raro victor evasit, quamvis potentes haberet adversarios. Vitam finivit anno Christi 1162, regni 20.*

rerum, dissentientibus deinde regni proceribus,

582 *Balduino III sine liberis defuncto, regnum obtinuit frater ejus Almaricus: hic illud fortiter contra hostes defendit, bellaque gessit non pauca: verum immatura ipsius mors, qua anno regni sui 12, Christi 1173 sublatus est, ingentia regno pericula, nec minora dein detrimenta creavit, cum regnum relinqueret Balduino IV filio suo tredecim annorum puero. Porro magis erat periculosa tam immatura regis ætas, quod in dies cresceret potentia Saladini, qui et militiæ peritissimus et summus erat futurus Christianorum inimicus.* E *Saladinus enim Ægypti imperium, occiso illius calipha, ante annos aliquot occupaverat, cui regnum Damascenum deinde, totamque fere Syriam adjecit. Stabat tamen regnum, donec subortæ inter principes Christianos inimicitiæ occasionem dederunt Saladino illud occupandi. Occasio dissensionum fuit lepra regis, qua ineptus ad regnum per se administrandum, illius administrationem commisit Guidoni de Lusignan, cui sororem suam Sibillam dederat uxorem. Cum Guido non satisfaceret exspectationi regis, hic quinquennem sororis suæ filium ex priore marito, Balduinum V, curavit coronandum, regnique administrationem transtulit in Raymundum comitem Tripolitanum. Hinc eæ exortæ sunt inter Guidonem et Raymundum inimicitiæ, ut omnimodam secum traxerint regni Hierosolymitani ruinam. Quippe post mortem Balduini IV, ejusque successoris Balduini V, qui patruo non nisi septem circiter mensibus supervixit, cum regnum ad Sibillam posterioris matrem pervenisset, illa cum offensione procerum coronam regiam marito suo Guidoni imposuit.* F

totum fere occupavit Saladinus.

583 *Furebat præ ceteris Raymundus Tripolitanus comes, ita ut fœdus occultum cum Saladino inierit ad prodendum regem. Quo autem noceret certius, ficte regi se conciliavit, suasitque succurrendum Tiberiadi, quam obsidione cinxerat Saladinus. Acquievit Guido proditoris consilio, urbiumque præsidia evacuavit, ut majorem duceret exercitum. Verum proditione Raymundi, qui cum suis comitabatur regem, cæsus immensa strage Christianorum exercitus, rexque ipse captus fuit a Saladino. Tunc ille arma victricia circumferens, brevi tempore occupavit, quidquid Christiani possidebant in Oriente, exceptis Antiochia, Tripoli, et Tyro, quas frustra tentaverat. Hinc Guido post annuam circiter captivitatem pretio Ascalonis a carcere dimissus, omnibus regni sui urbibus se spoliatum vidit: nam Antiochia, suum habebat principem, cujus filio Tripolis, mortuo proditore Raymondo, parebat. Tyrum, quæ sola e regni urbibus supererat, sibi attribuerat Conradus filius marchionis Montis-ferratensis, quod eam contra Saladinum defendisset. Rex ergo præ desperatione, collecta militum manu, rem aggressus est viribus*

suis

A *suis majorem, quam tamen ad finem feliciter perductam vidit : Ptolomaidem, inquam, urbem munitissimam ad mare Mediterraneum, Acconem alii nominant, quam cum ceteris Saladinus expugnaverat, obsidere cœpit. Riserunt urbis incolæ, ac ne portas quidem initio clauserunt. Deinde tamen, crescente paulatim regis exercitu, nuntium ad Saladinum miserunt, qui rem indicaret. Moratus præ contemptu Saladinus, tantopere Christianorum exercitum excrevisse deprehendit, ut eum omnibus suis viribus loco pellere non potuerit.*

Acconem rursus expugnant Christiani. Richardus Angliæ rex,

584 *Etenim post auditam in Occidente cladem regni Hierosolymitani, undique crucem sumebant Christiani, quorum adventu regis exercitus augebatur. Fredericus imperator, hujus nominis primus, ingens ducebat Germanorum agmen : at eo in Cilicia defuncto, filius ejus Fredericus agmen perduxit in Syriam, et Acconem obsidentibus se conjunxit. Durante adhuc obsidione, Philippus Augustus rex Galliæ, avus* S. Ludovici, *et Richardus Angliæ rex, sumpta cruce, transmiserunt in Palæstinam, quorum potissimum viribus Accon tandem in deditionem accepta est anno 1191. Philippus Galliæ* B *rex, capta urbe, reversus est in Galliam, nec plura gessit in Palæstina. Mansit ibidem Richardus rex Angliæ, et dux Burgundiæ cum Gallorum parte a Philippo relicta. Porro Richardus cujus sæpe mentionem facit Joinvillius, jam Cyprum quatuordecim dierum spatio totam subegerat, priusquam in Palæstinam perveniret, quemadmodum latius expositum invenies ab anonymo, qui Historiam Guilielmi Tyrii continuavit apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ, col. 632, et seqq : et in Chronico Trivetti tom. 3 Spicilegii Acheriani pag. 169, et seq.*

post multa fortiter gesta in Palæstina, impeditus aliorum invidia ab oppugnatione Hierosolymæ,

585 *Ex Cypro delatus in Palæstinam Richardus, post captam Acconem, victumque memorabili prœlio Saladinum, Hierosolymam obsidere voluit; sed impeditum invidia ducis Burgundiæ scribit Joinvillius num. 212. Joinvillii narrationem confirmat mox laudatus anonymus Gallus apud Martenium col. 635, rem ita peractam affirmans. Perventum erat ad vicum Batenuble (Bethnoble vocat Sanutus) quinque milliaribus Hierosolyma distantem. Ibi agmina diviserunt duces. Primam aciem ducendam suscepit rex* C *Angliæ, alteram dux Burgundiæ. Inde ad tabernacula quique sua discesserunt. Meditatus multa dux Burgundiæ, Gallos proceres convocat, atque hunc in modum affatur :* Domini, scitis dominum nostrum regem Galliæ hinc discessisse, ac omnem regni ipsius florem hic substitisse, neque regi Angliæ nisi exiguam esse militum manum, si comparetur nobiscum. Si Hierosolymam petamus, urbemque capiamus, nos urbem cepisse non dicemur, at capta dicetur ab Angliæ rege; ita ut dedecus magnum inde Franciæ sit obventurum, probrumque insigne. Dicent regem Philippum aufugisse, regemque Richardum expugnasse Hierosolymam. Numquam fiet ut Francia hanc accipiat ignominiam. *Addit auctor plurimos ducis consilio acquievisse, repugnantibus aliis; ac Gallos Acconem a duce reductos. Quod cum Richardo Angliæ regi nuntiatum esset, vel invitus reverti debuit. Sanutus lib. 3, part. 10, cap. 6 eadem refert, sub dubio tamen : nam et aliam non oppugnatæ urbis rationem allegat. Hæc ad explicationem Joinvillii.*

Auctore J. S. cum Saladino inducias paciscitur, et discedit :

586 *Richardus autem multa alia, eaque illustria facinora in Terra sancta edidit, quibus nomen suum apud Christianos illustre, apud Saracenos vero terribile reddidit : sed hæc latius prosequi instituti non est mei. Priusquam inde discederet, regnum Cypri in Guidonem olim Hierosolymitanum regem transtulit, quod illius stirps adhuc possidebat, cum illuc appelleret* S. Ludovicus : *regnum vero Hierosolymitanum, in quo Christiani tunc possidebant urbes maritimas, Tyrum, Acconem, Jafam, egregie munitas; et Gazam, Ascalonem, Darum, munitionibus nudatas, obvenit Henrico Campaniæ comiti, qui post mortem Conradi Montisferrati marchionis, duxerat alteram regis Almarici filiam Isabellam, post mortem sororis suæ Sibillæ regni heredem : de cujus matrimonii valore disputatum fuisse jam diximus num. 271. His ita constitutis, pactisque induciis cum Saladino anno 1193 ad regni sui pericula avertenda discessit Richardus, de quo plura apud auctores obvios. Durarunt induciæ usque ad mortem Saladini. Moriens autem anno 1196 Saladinus, regnum amplissimum duodecim filiis* E *divisit, præterito fratre Saphadino omnium bellorum ac victoriarum comite : verum Saphadinus brevi tempore omnes fratris filios hereditaria ditione privavit, uno excepto Alapiæ soldano, ac pari fere fuit potentia cum Saladino.*

dissolutæ morte Saladini induciæ, deinde cum Saphadino renovantur.

587 *Porro mors Saladini induciis finem attulit pro more Saracenorum : hic enim erat mos Saracenorum, quem et servabant ibidem Christiani, ut principes non obligarentur pactis antecessorum suorum, omniaque defuncti principis pacta cum ipso interciderent. Patet id ex Joinvillio locis variis : nam num. 144* S. Ludovicus *pactum cum soldano Babyloniæ initum renovare debuit post mortem ipsius : num. 147 patriarcha Hierosolymitanus, qui securitatem acceperat a soldano, post mortem ejus detinetur captivus, pacto securitatis per mortem soldani sublato, quem morem ibi servatum fuisse addit Joinvillius. Laudatus vero Tyrii Continuator expressis verbis dicit :* Ruptæ erant induciæ propter mortem Saladini. *Eamdem confirmat consuetudinem pag. 697 hisce verbis :* mortuo soldano exspirarunt induciæ in terra transmarina. *Hinc error quorumdam corrigendus, qui scripserunt inducias a crucesignatis primum disruptas propter dissensiones Saracenorum. Eodem* F *anno crucesignati Germani, ab Henrico imperatore missi, aliquot urbes ceperunt, post victoriam de Saphadino relatam, et Jafam a Saracenis destructam restaurarunt. Mortuo interim Henrico Campaniæ comite, qui regni Hierosolymitani reliquias sine regis titulo possederat, et Guidone Cypri rege, Aimericus de Lusignan frater Guidonis, ducta Isabella Hierosolymitani regni herede, utrumque regnum conjunxit, Berithum Saracenis eripuit, ac deinde inducias cum Saphadino pepigit, quemadmodum narrat anonymus Gallus pag. 645 et seqq.*

Joannes rex Damiatam capit, quæ adducto in periculum exercitu, Saracenis restituitur :

588 *Post expeditiones aliquot crucesignatorum, quæ nihil fere mutationis attulerunt, mortuo anno 1205 Aimerico, ejusque uxore Isabella, regna rursum divisa sunt. Hugo de Lusignan, Aimerici filius ex priore uxore, Cyprium obtinuit; Hierosolymitanum consecuta est Maria, Isabellæ ex Conrado Marchione filia, quam Joannes Brennensis vir fortis duxit uxorem, regnum cum uxore adeptus. Joannes ope crucesignatorum, qui ex variis partibus confluxerant, bellum in Ægyptum transtulit, ac Damiatam,*

urbem

AUCTORE J. S.

urbem maritimam, eamque munitissimam, obsedit anno 1218, quam post longam obsidionem cepit anno 1219. Defuncto interim Saphadino, ejus filius Camel, quem Meledinum *aliqui nominant, Ægyptum obtinuit, Syriam Coradinus, alii ditiones alias huc minus spectantes, Filii Saphadini post captam Damiatam honorificas Christianis obtulerunt pacis conditiones, totumque fere regnum Hierosolymitanum reddere voluerunt, modo ipsis restitueretur Damiata. Verum tantus erat ardor legati Pontificii, et quorumdam Christianorum, ut contra sententiam regis Joannis hisce non acquieverint, ipsamque Ægypti metropolim, Babylonem eo tempore passim nominatam, quam Cairum hodiedum dicimus, statuerint oppugnare. At vero dum incautius inter duos Nili alveos procedunt, nec fluminis istius incrementa observant, eum in locum progressi sunt, unde regredi non potuere; captusque erat totus exercitus Christianorum, nisi Damiatam, salutis suæ pretium, Saracenis restituissent, pactis simul octo annorum induciis.*

Fredericus II Hierosolymam munimentis nudatam obtinet,

589 *Anno 1223 Fredericus II imperator desponsavit sibi filiam Joannis Hierosolymæ regis; qua ducta, socerum regno exuit, atque illud sibi jure uxoris vendicavit. Magnifica ille Pontifici dederat promissa transfretandi in Syriam,* B *ac Terram sanctam Saracenis eripiendi : verum post dilationes multas, anno demum 1228 profectus cum modica militum manu, pacto induciarum cum Saracenis inito, Hierosolymam quidem obtinuit, sed munimentis nudatam, quod ipsi dedecori potius fuit, quam honori. Anno 1239 facta est expeditio principum Gallorum, quam num. 370 retulimus, eamque secuta est Richardi Angliæ regis fratris transfretatio : at jam vidimus iis nihil effectum, aut magnopere in statu Palæstinæ mutatum. Ascalon tamen per Richardum muris cincta est, quam imperatoris legato servandam tradidit. Anno demum 1244 gravissima tempestas excepit Palæstinæ Christianos, quam Joinvillius sine temporis nota commemoravit, quæque ad tempus suum hoc loco revocanda, atque illustranda venit. Tartari, de quibus agam inferius, Asiam atque Europam eo tempore immensa copiarum multitudine inundabant. Hi Chorasminos, gentem efferam, sedibus suis expulerunt, ut habet Joinvillius num. 191, ubi illorum ducem* Persidis imperatorem *vocat, quem num. 203 nomine proprio* Barbaquan *appellat. Matthæus Parisius eos ad mare rubrum habitasse scribit. At id refutabimus inferius, ubi agemus de Tartaris. Verba interim Parisii accipe, pag. 178 sic scribentis :* Tartari interim... dum partes Persidæ quasdam feraliter devastassent, quidam cruentissimi homines et inhumani confinia rubri maris inhabitantes, et qui de potestate sunt pro majori parte soldani Babyloniæ, locum habitationis constanter et acriter postulabant. Cum igitur intellexisset soldanus, quod si postulata frontose negasset, in ore gladii extorsissent, ait illis :

quam Chorasmini miseranda strage diripiunt,

590 Sunt non procul hinc quidam, quos Christianos dicimus, maritima inhabitantes, nostris legibus rebelles, et nobis infesti et graves, et graviora comminando promittentes, quorum charissimum receptaculum est Hierusalem. Ite igitur audacter, et ipsos projicientes, loca eorum occupate : quæ cum obtinueritis, preciosis spoliis ditabimini, et terras opulentas cum castris, et civitates fœliciter, et ad votum obtinebitis, meique et meorum gaudebitis efficaci protinus D patrocinio. Ipsi igitur his verbis animati, primo Hierusalem invadentes, stragem non minimam de Christianis exercuerunt. *Triginta omnino millia in hac urbis strage occisa refert memoratus sæpe anonymus Gallus apud Martenium col. 728, quod irruissent tam subito, ut pauci fuga salutem consequi potuerint. At Parisius pag. 420 stratagemati eorum tantam cædem attribuit, quod, capta urbe, inventa quædam Christianorum vexilla in muris collocarint, ad quæ, dum undique accurrunt fugitivi, rati urbem servatam, hostesque victos, tanta strages facta est Christianorum : idem stratagema epistola apud eum citata confirmat. Ceterum post immensam Christianorum cædem, nihil impietatis in locis sacris a barbaris prætermissum. Miserandam hanc cladem alia excepit, quæ ad amissionem omnium majoris etiam videbatur momenti : nam, quidquid virium supererat Christianis, ibidem occisum. Rem exponemus clarius.*

iidem exercitum Christianorum cædunt.

591 *Christiani fœdere conjuncti erant cum soldano Damasci, ac soldano Petræ, (Arabiæ Petrææ urbs est, quam* Crac *passim nominant auctores.) Misit igitur soldanus Damasci vassallum suum soldanum Camelæ cum equitibus quadringentis ad Christianos; hisce se adjunxerunt* E *equites Hospitalarii, Templarii, Teutonici, et quidquid ex Palæstina supererat, atque ex Cypro advenerat subsidii, cum Galtero Brennensi, Jafensi comite, ita ut facile numerarent equites sexcentos cataphractos, præter equites alios, ac pedites, teste laudato anonymo col. 729. Sic instructi Chorasminos cum Ægyptiis conjunctos ausi sunt invadere : sed, quamvis multos barbarorum peremerint, referentibus primo pedem subsidiariis Saracenis, ita hostium numero obtriti sunt, ut vix quarta Christianorum pars evadere potuerit, omnibus aliis vel occisis, vel captis. Cladem hanc contigisse die festo S. Lucæ, seu* XIII *Octobris anni 1244, ait idem ille anonymus col. 730, ex quo hæc compendio dedimus : atque hæc illa est clades quam* S. Ludovico *revelatam scribunt aliqui, ut num. 517 diximus. Actum videbatur de Christianis in Palæstina, si conjunctio Chorasminorum cum soldano Ægyptio fuisset perpetua; sed subdit memoratus auctor, soldanum eorum potentiam timuisse, ideoque eos Ægypto exclusisse : hinc,* F *cum urbes munitas non haberent, undique ita cæsi ac diminuti sunt, ut intra triennium nullus in Palæstina superfuerit. Quantam eis deinde cladem intulerit Camelæ soldanus, docet Joinvillius num. 205; apud quem item invenies num. 206, quid comiti Jafensi, in pugna prædicta capto, acciderit. Ceterum soldanus Babylonis post dictam victoriam Christianis eripuit Ascalonem, et castrum Tiberiadis, de quo meminit Joinvillius num. 203, sed rerum ordine perturbato. Damascum etiam occupavit, ita ut jam undique hostem potentissimum haberent Christiani. Hoc erant statu res Christianorum in Terra sancta, quando transfretavit* S. Ludovicus : *restat ut quædam dicamus de principibus in Oriente tunc regnantibus, quo lucem afferamus variis apud Joinvillium relatis, atque una opera historiam expeditionis* S. Ludovici *magis explicemus.*

§ XLVII

A

§ XLVII. Tartarorum regni origo, et progressus : Armeniæ minoris regnum restitutum : varia circa soldanos Iconii, Alapiæ, et Babyloniæ notata.

Primus Tartarorum imperator,

Tartarorum *imperium, quod initio seculi* XIII *exortum, anno, ut plerique scribunt 1202, fundavit vir nobilis, quem nomine ad posteros propagando* Ginghis-Chan *appellarunt. Josephus Simonius Assemanus Syrus Maronita doctissimus tom. 3 Bibliothecæ Orientalis part. 2, pag. 471 notat, eum ab aliis vocari* Ginghis-Chan, Scingis-Chan, Cingis, Gingis, Chingis, Chinchis, Ghangis, Sitzis Chan, et Tzingis-Chan. Est autem, *inquit,* CINGHIS proprium regis illius nomen, CHAN vero dignitatis; significat enim imperatorem seu regem, quam appellationem sibi omnes Tartarorum imperatores retinuerunt. *Laudatus auctor ibidem observat, aliud nomen ei fuisse ante adeptum imperium, quod* Temugin *Renaudotio, Herbelotio* Tamugin, *ipse ex Syriaco Abulpharagii textu vertit,* Temur-Cin, *seu* Temur-Gin. *Addit plures scribere, eum originem duxisse ex regia Moglorum stirpe, licet Haytonus cap. 16 eum fabrum ferrarium fuisse velit.*

B

ubi, apud quas,

593 *Nomen gentis, apud quam regnum consecutus est Ginghis-Chan, variis item nominibus apud antiquos innotescit, licet* Tartarorum *nomen deinde invaluerit : nam et* Moglos, Mogulos, Mogules, Mogores, Mogulenses, et Mongal : *et* Tataros *æque ac* Tartaros *dictos reperias. Scythicam gentem fuisse certum est, sed ortam ex Scythia ultra Imaum montem remota. Imaus autem hodiedum in tabulis geographicis variis nominibus appellatur pro locorum diversitate : at in vera Tartaria* Belgian *seu* Bengiar *et* Althai *vocari, notat Baudrandus ad vocem* Imaus. *Scythiam hanc ita describit laudatus Assemanus pag. 469 :* Scythia extra Imaum terminatur ad Ortum Sina (juxta alios, Serica regione, quæ citra Sinam est) ad occasum Imao monte et Scythia citeriore; . . . ad Meridiem India extra Gangem; ad Boream Oceano Septemtrionali . . . . . Ejus antiqui populi, Scythæ Abii, Hippophagi, Auxacii, Casii, Charauni, Issedones, Tochari, et Seres; nunc Tartari Thibet seu Thobat, Kaimach, Naiman, Turchestan, Tanguth, Mongul, Unch, Tocharestan, Igur, Chatai, Jupi, et Tenduch seu Niuch. Hinc orti reges, qui non Scythiam modo utramque, sed etiam Sinam, Indiam, Persidem, Mediam, Mesopotamiam, Syriam, Armeniam, Pontum, Anatoliam, aliasque Asiæ et Europæ terras occuparunt. Ii Hunnorum, Tartarorum, Mogulorum, et Turcorum nomine innotuerunt.

C

qualesque gentes,

594 *In Campestribus Scythiæ modo descriptæ habitasse Tartaros, ac fere sine lege, sine rege, sine Deo, pauperem vitam duxisse, despectos vicinis omnibus, omnibus vectigales, auctores affirmant varii cum Joinvillio num. 184 et seqq. Audi Haytonum Armenum, lib. de Tartaris cap. 16 hæc enarrantem :* In illa vero, *inquit,* regione habitabant Tartari, tamquam homines bestiales, non habentes litteras, neque fidem : greges pascebant animalium, et de loco ad locum incedebant, quærentes pascua armentis : ad armorum exercitium non valebant, sed erant ab omnibus vilipensi, reddentes vectigal universis. *Nominatim Cataiorum, seu Sinensium borealium regi vectigal pependisse scribit Abulpharagius apud Assemanum pag. 472 : ubi additur sine principe fuisse, quamvis ducem quemdam haberent, aut plures fortasse; nam hæc subdit verba :* Signum vero ejus qui inter eos magnus Ameras (dux) dicebatur, erat stapedem ferreum habere; nam cæteri ligneo utebantur. *Vectigales item fuisse regi illi, quem Presbyterum Joannem vocant auctores aliqui cum Joinvillio, testatur Paulus Marcus Venetus lib. 1, cap. 51 : si tamen hic alius est a Cataiorum rege : nam etiamsi regem hunc in regno* Tenduch, *seu* Tangut *ad partem Sinæ borealem, residere solitum infra videbimus, in Cataia etiam dominatum fuisse suspicio esse potest.* AUCTORE J. S.

ac qua occasione rex electus sit, exponitur :

595 *Jam vero qua occasione Tartari regem sibi elegerint, occisoque Presbytero Joanne, in libertatem se vindicarint, narrat loco citato Joinvillius, a quo Marcus Paulus Venetus loco item assignato non abit eo usque, ut conciliari nequeant. Verba hujus accipe :* Habitarunt *(Tartari)* primum in campestribus regionis illius, carentes civitatibus et oppidis, solum pascua quærentes, et aquas pro pecoribus nutriendis, nec habebant de gente sua principem, sed tributa pendebant magno cuidam regi Uncham nomine, quem hodie vulgo Presbyterum Joannem vocant. Sed indies incrementa sumentes, et seipsis fortiores evadentes, cœpit rex Uncham timere, ne aliquando ab ipsis offenderetur, atque in rebellionem prorumperent. Ut igitur potentia eorum minueretur, cogitabat operæ pretium se facturum, si illos ab invicem in partes secerneret, atque in diversas regiones collocaret. At illi nolentes a se invicem disgregari, transierunt omnes pariter in desertum versus plagam Aquilonarem, magnam occupantes regionem, in qua tuti esse possent, nec regem suum timerent, negato etiam illi tributo. Paucis transactis annis, Tartari omnium consensu eligunt ex seipsis virum probum ac sapientem regem, Cinchis nomine, anno scilicet Domini MCLXXXVII, cui coronam imponentes, et omnes circumquaque, qui de gente illa erant, concurrentes, voluntario animo illi obedientiam, et subjectionem pollicentur. Ille igitur, ut erat vir prudens, subjectos optime gubernabat, atque brevi tempore octo provincias cepit, et regno suo adjecit. *Omnes nempe provincias ultra Imaum, seu montem Belgian sitas in Scythia supra descripta, ut Haitonus habet cap. 16.*

E

F

imperium Tartarorum per Scythiam, Sinamque dilatatum :

596 *Hisce subactis, Ginchis-Chan arma convertit contra regem ac dominum suum, quem* Presbyterum Joannem *dictum, ac Christianum fuisse auctores tradunt. A tempore autem victi occisique Presbyteri Joannis Tartarorum imperium inchoat Abulpharagius, aliique, qui ejus initium anno 1202 innectunt; quibus non omnino repugnat Venetus supra relatus, qui regem citius a Tartaris electum scribit : nam potuit Ginchis regis prioris auctoritatem in se, suosque agnoscere, etiamsi jam rex esset electus. Porro occasionem belli non omnino eamdem tradunt auctores. Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 280 eam fuisse narrat, quod Ginchius apud Presbyterum Joannem calumniis appetitus,*

ab

AUCTORE J. S.

ab eo fuisset in vincula conjiciendus, quod ubi rescivit, bellum movit. Venetus lib. 1, cap. 53 scribit, filiam Presbyteri Joannis a Ginchio ad nuptias postulatam, quod cum ille cum indignatione abnueret, contemptum bello ulcisci voluit Ginchius. Joinvillius nihil causæ allegat, nisi quod Tartaros contemneret, gravique jugo premeret rex memoratus. Quæcumque autem fuerit belli causa, consentiunt auctores, Presbyterum Joannem a Ginchio superatum, ejusque regnum subactum : quin et regem in pugna post varios conflictus occisum, ait Abulpharagius pag. 281. Ceterum Presbyterum Joannem in regno Tenduch, seu Tangut, Sinis borealibus contermino, imperasse Cheritensibus Turcis seu Tartaris, intelliges ex Veneto cap. 64, et Assemano pag. 483, et seqq., ubi erudite de illis regibus disputat, eorumque imperii amplitudinem describit : quibus Abulpharagius citatus, Herbelotius pag. 256, aliique consentiunt. Nec improbabile videtur, ut jam monui, in parte Cataiæ, seu Sinæ borealis imperasse. Sinam certe eo etiam tempore invaserunt Tartari, et post bellum 73 annorum penitus subegerunt, ut ex Historia Sinica narrat Martinus Martinius lib. 1 Historiæ Tartaro-Sinicæ, num. 2, quem consule.

fides Tartarorum varia :

597 *Hæc contra Presbyterum Joannem victoria occasionem præbuisse videtur, qua Tartari non pauci fidem amplexi sint Christianam, sed Nestorianis erroribus depravatam; plurimi enim in regno illo erant Nestoriani, quorum religionem secuti sunt Tartarorum multi, quemadmodum eorum alii aliarum, quas subegerunt, gentium superstitiones sunt amplexi. Primam Tartarorum conversionem visione mirabili contigisse, ait Joinvillius num. 189; at, quidquid sit de visione illa, constat ad Christum conversos esse ex iis principes quosdam, ac summum etiam imperatorem Christo credidisse. Nam de Tartarorum religione Assemanus pag. 475 tradit sequentia :* Tartarorum imperatores, ut ex illorum historia liquet, primum athei, vel idololatræ fuere; deinde Christiani, sed polygami et Nestoriani; demum Mahometani. Item populi Tartari aliquamdiu Christianam fidem professi sunt, vel honorarunt; sed postea Mahometicam superstitionem amplexi sunt, aut ad avitos idololatriæ errores redierunt. Abulpharagius in Chronico Syriaco . . . notat, in ipsa Tartarici imperii fundatione Christianos a Tartaris in summo honore habitos fuisse, postea vexatos, indignisque modis tractatos, quum ii ad Mahometanam sectam fere omnes transiissent. *Hæc de religione Tartarorum hoc loco sufficiant, quæ apud laudatum auctorem erudite probata curiosus lector reperiet.*

Persis ab iis subacta, pulsis Chorasminis,

598 *Porro Tartari, subacta Scythia ultra Imaum sita, Sinæque parte non modica, extra Imaum, seu montem Belgian progressi sunt ad partes Asiæ magis Occidentales eo animo, ut totum terrarum orbem suo subjugarent imperio. Potestatem ad hoc sibi factam a Deo in visione quadam jactitabant. Refert id Joinvillius num. 190, et eodem fere modo Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 281, cujus verba subjungo :* Interea dum hæc gererentur, apparuit inter Mogulenses princeps quidam insignis; qui per deserta et montes media hyeme nudus ac discalceatus oberrans, cum diebus aliquot abfuisset, deinde reversus dixit : Allocutus est me Deus, dixitque : Terram universam Tamujino, ejusque posteris dedi, eumque Jingis-Chan nominavi. *Haud difficulter intelligi potest, hujusmodi visiones a principibus Tartarorum jactitatas fuisse, ut populum ad expeditiones arduas et longinquas magis haberent obsequentem. Illi interim progressi vicinas occuparunt provincias, ac Persidem Gelaleddino Chorasminorum soldano eripuerunt, Chorasminis eorum metu in Mesopotamiam, aliasque Saracenorum provincias fugientibus, a quibus, ubi aliquot annis huc illuc vagati fuerant omnibus invisi, ingentem anno 1244 cladem Christianis in Terra sancta illatam, jam vidimus num. 590, et seqq.*

de quibus notantur aliqua.

599 Gelaleddinum *autem fuisse, cognomento* Mankberni, *quem Persidis imperatorem vocat Joinvillius, quemque Perside expulsum a Tartaris docet num. 191, manifestum fit ex Herbelotio pag. 370 et seqq. At æque inde elucescit, non tam celerem fuisse Tartarorum de Gelaleddino victoriam, quam insinuat Joinvillii relatio; nec eam per trecentos dumtaxat equites obtentam, quemadmodum ille refert, Tartarorum jactantia deceptus. Utrumque paucis ostendo. In Perside imperasse, et simul Chorasminorum ducem fuisse, quem expulerunt Tartari, ex Joinvillio patet : nam et Persidis imperatorem vocat, et Perside expulsum asserit, et ab eodem cladem Terræ sanctæ illatam docet, quam intulerunt Chorasmini. At vero Gelaleddinum Mankberni, qui postremus fuit soldanus provinciæ Chouarezem circa Oxum fluvium, quem Gihonem vocant Orientales, ac mare Caspium sitæ, late in Perside imperasse probatur, tum ex aliis apud Herbelotium relatis, tum quod pag. 371 varii provinciarum in Persico imperio domini, et administratores clientelam ei jurasse legantur. Hisce satis alias manifestis unum obstare videtur nomen* Gelaleddini : *nam Joinvillius Chorasminorum ducem* Barbaquan *nominat, eumdemque Barbaquan et a Tartaris expulsum Perside, et Palæstinæ cladem intulisse affirmat. Sed facilis est responsio : nimirum Barbaquanum post mortem Gelaleddini Chorasminis jam vagis ducem fuisse, atque in eo errasse Joinvillium, quod, cum ejusdem uterque populi dux fuerit, eumdem etiam hominem fuisse putaverit; nisi credere malimus, plura nomina Gelaleddino fuisse, aut nomen ejus pro varietate idiomatum varie fuisse enuntiatum. Jam vero quod non tam facilis fuerit Tartarorum de Chorasminis victoria quam putavit Joinvillius, clarum est ex Herbelotio; nam in multis præliis superiorem fuisse Gelaleddinum narrat, tandemque a multis suorum desertum, victumque a Ginghis chano in Indiam fugisse : sed rediisse deinde, ac regnum recuperasse; donec anno Hegiræ 628, id est, æræ Christianæ 1230, regnum penitus amiserit, Perside ejectus a Giarmago duce sub secundo Tartarorum imperatore. Hæc de Tartaris ad expositionem Joinvillii disputata oportuit; quæ et lucem affundent legationi eorum ad* S. Ludovicum, *aliisque, quæ Sanctus ad eorum conversionem gessit.*

Armenorum regnum restitutum, cujus rex Catholicus

600 *Armeni, quorum itidem historia cum gestis* S. Ludovici *in Oriente connexa est, eo tempore regem habebant Christianum, et Ecclesiæ Romanæ conjunctum. Regnum eorum, dudum antea collapsum, resurrexerat anno 1199 in minori Armenia, coronato per archiepiscopum Moguntinum, Romani Pontificis atque imperatoris Occidentis auctoritate, Leone Armeniæ principe in regem. Latius hæc refert Raynaldus ad annum 1199, a num. 65, ubi in litteris Gregorii Arme-*

A *menorum episcopi isthæc leguntur in rem nostram :* Noveritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens, et sublimis archiepiscopus Maguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, et ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, et ex parte magni imperatoris Romanorum sublimem coronam, et coronavit regem nostrum Leonem, et nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus a longo tempore. *Occasionem restituti Armeniæ regni narrat sæpe laudatus anonymus, qui Tyrii Historiam fideliter continuavit, apud Martenium col. 648, et 649, atque eodem plane modo Sanutus lib. 3, part. 10, cap. 8, quam ex iis in pauca contraho. Cum Antiochiæ princeps, cujus vassallus erat Leo minoris Armeniæ dominus, dolo eum capere vellet, ab eodem captus est : atque, intercedente Henrico Campaniæ comite, sub ea conditione dimissus, ut vice versa Armeni fieret vassallus. Hinc cum aucta esset Armeni potentia, regia corona ut insigniretur, petiit ab Henrico, qui ejusdem postulatis annuit, eumque, ut illi scribunt, propriis manibus coronavit. At postremum illud ex dictis* B *parum est verisimile : nam quorum auctoritate cujusque manibus, coronam consecutus sit Leo, jam diximus, dicta autem nostra confirmat Bellovacensis lib. 31, cap. 29.*

ope Tartarorum jugo soldani Iconiensis eripitur.

601 *Joinvillius num. 51 refert, regem Armeniæ gravi pressum fuisse servitute a soldano Iconiensi, ditissimo, potentissimoque Turcarum principe in Asia minore : Joinvillio adstipulatur Bellovacensis lib. 30, cap. 144, tributum, quod ei pendere solebat, distinctius exprimens. Verum Haitonus, qui Leoni in regnum minoris Armeniæ, ducta ejus filia, successerat, ut jugum soldani Iconiensis excuteret, Tartaris se vectigalem fecit, quorum ope ingentem de iis victoriam retulisse, refert loco assignato Joinvillius. Factum id videtur anno 1243 : illo enim anno insignem cladem soldano Iconii illatam a Tartaris ope Georgianorum et Armenorum, narrat Bellovacensis lib. 30, cap. 150. Hac clade ita accisæ sunt Turcarum vires, ut vectigales facti Tartaris, multo tempore languescerent. Attamen jam aliquot annis bellum cum Turcis gesserant Tartari, ut patet ex Historia dynastiarum Gregorii Abulpharagii pag. 314, ipsoque Bellovacensis cap. 141, atque ita quidem, ut belli* C *initio Christiani, ipsique etiam Armeni Turcis contra Tartaros opem tulerint. Cur autem deinde Armeni Tartaris contra Turcas adhæserint, auctores illi non exprimunt : iis tamen adhæsisse Armenorum regem contra Gaiasadinum, ut Bellovacensis, sive Gijathoddinum, ut Abulpharagius eum vocat, Iconii soldanum, clare colligitur ex Abulpharagio, qui pag. 319 narrat soldanum anno Hegiræ 642, Christi 1244, Tarsum præcipuam Armenorum urbem in Cilicia obsedisse, at, mortuo soldano, obsidionem solutam, impedimentaque Turcarum ab Armenis obtenta. Hactenus de rege Armenorum, qui regnabat adhuc, dum in Oriente agebat* S. Ludovicus, *quique plures deinde ope Tartarorum obtinuit victorias.*

Soldani Alapiæ, et Babyloniæ regnum.

602 *Præter soldanum Iconii, quocum* S. Ludovico *nihil fuit negotii, duo nobis commemorandi sunt Saracenorum principes, præ ceteris eo tempore in Oriente potentes : alter ex posteris magni illius Saladini, qui præter Alapiam amplam Syriæ urbem, quam a proavis suis acceperat, possidebat tunc temporis urbes munitas Camelam, et Hamam in Syria itidem sitas, quæ singulæ suos ante habuerant dominos : unde quandoque* Alapiæ, *alias* Hamæ, *vel* Camelæ *soldanus vocatur; proprio autem nomine* Nazer *passim ab auctoribus dicitur, quo et nos eum nomine appellabimus. Alter, *Saphadini nepos, atque ejus potentiæ fere heres, a patre suo* Camel *Ægyptum acceperat, cui deinde Damascenum dominium, aliaque in Syria, et Arabia adjunxerat, cui nomen proprium erat* Saleh, *quique passim* Babyloniæ soldanus *a metropoli sua, videlicet Babylonia Ægyptiaca, ab ejus temporis auctoribus nominatur, licet extra Ægyptum ditionem obtineret amplissimam. Hunc autem soldanum, quod majorem Terræ sanctæ partem possideret, bello præ ceteris impetendum existimavit* S. Ludovicus. *Neque vero deesse videbatur occasio opportuna; bellum enim erat inter Alapiæ et Babyloniæ soldanos : sed priusquam Rex Cypro egrederetur, pax inter eos conciliata est, adnitente potissimum Calipha, qui instar summi Pontificis erat Mahometanis, ac Bagdadi residebat. Verum de his sermo recurret, dum gesta* S. Ludovici *in Cypro enarrabimus, quod nunc aggredimur, ad Regem reversuri post* E *digressionem longam, sed necessariam propter crebras evagationes Joinvillii, cujus Historiam elucidandam suscepimus, et confirmandam.*

AUCTORE J. S.

§ XLVIII. Gesta varia S. Ludovici in Cypro anno 1248 : legatio Tartarorum ad Regem, ejusdemque ad Tartaros.

Rex in Cypro moratus iisque ad mensem Maium anni 1249,

V*idimus* S. Ludovicum *in Cyprum appulisse mense Septembri anni 1248, ubi honorifice exceptus fuit ab Henrico de Lusignan Cypri rege, moramque traxit usque ad mensem Maium anni sequentis. Non desunt, qui tantam in hac insula moram imprudentiæ accusent propter incommoda quædam inde secuta, quos refutat Daniel tom. 3 editionis anni 1722 pag. 260 ex eo, quod non minora obvenire potuissent incommoda, si recte Ægyptum petiisset. Verum* F *hos ego non moror, quamvis difficulter in animum inducere possim, plus eos de re militari sapuisse, quam quos in consilium adhibuit* S. Ludovicus. *Nam Regem non suo, sed ducum suorum Cypriorumque consilio ibidem substitisse cum Joinvillio num. 47 fidem facit Nangius pag. 347 his verbis :* Rex autem Ludovicus in Cypro terram capiens de consilio baronum suorum, ac baronum et terrarum * Cypri, in Cypro diutius expectavit, et propter instantiam hyemis, et propter alias causas concurrentes. *Imo ridendi hi potius videntur quam refutandi, qui tanto locorum, temporumque intervallo abs ipsa re sejuncti, plura se perspexisse putarint, quam tot belli duces præsentes perspexerint. At, hisce breviter dictis, referamus oportet, quid toto illo tempore in Cypro egerit Sanctus.*

* *l.* terrariorum, *id est,* incolarum

abitum quorumdam impedit, et discordes

604 *Pleraque refert Odo apostolicæ Sedis legatus, cum Rege in Cypro agens, in litteris ante discessum e Cypro scriptis ad Innocentium summum Pontificem : quo cum testem habere non possimus meliorem, ejus epistolam fere totam subnectam ex Spicilegio Acherii tom. 3, a pag. 624, suppleturus ex aliis auctoribus, siquid* subinde

AUCTORE J. S.

subinde addi possit, aut clarius explicari. Sic ille exorditur, post debitam salutationem, res gestas narrare : Inter alia, quæ exercitui Christiano in Cypro commoranti acciderunt, postquam Sanctitati vestræ litteras destinavi, hæc vobis scribere dignum duxi. Sexta feria post festum beati Lucæ vicecomes Castrodunensis et alii quam plures milites Cypro applicuerunt. Et post aliquot dies, diabolo instigante, orta est discordia inter dictum vicecomitem, et marinarios suos. A balistariis vicecomitis interfecti fuerant duo ex parte Januensium, quorum unus erat magnus homo et nobilis. Idem etiam vicecomes, nescio quo ductus spiritu, habito tractatu cum comite Montis-fortis, voluit, et multi milites cum eo, ad partes Acconensium transfretare. Quo cognito, Rex Franciæ inhibuit ei, et aliis militibus, ne hoc facerent : quia hac occasione posset totus dissolvi exercitus, et Christianitatis negotium impediri. Quia vero idem vicecomes volebat quoque modo quod proposuerat adimplere, fecit rex armari gualeas * suas, et inhibuit dominis navium, ne dictum vicecomitem, vel suos complices ferre aliquatenus attentarent.

* i. e. triremes

B

ad concordiam reducit :

605 Tunc idem vicecomes ad aliud se convertit, et saisivit navem et omnia, quæ in navi erant, asserens quod secundum conventiones habitas inter ipsos et dominos navis, tam navis, quam omnia, quæ erant in navi, sua esse debebant. Tandem mediante Rege Franciæ tractatum fuit, ut compromitterent dictæ partes in duos bonos viros, et Rex poneret tertium. Sed non consenserunt partes; et ideo dicta discordia non potuit tunc sedari. *Pacem tamen reduxit post medium circiter annum Regis, legatique diligentia : Nangius enim pag. 352, postquam hæc ipsa narraverat, sic prosequitur :* Tandem ad instantiam Regis et legati, vicecomes post Pascha navem, quam saisierat, Januensibus restituit. Qui et promiserunt sub pœna duarum millium librarum, quod juri starent in curia Regis Franciæ super querelis, quæ vertebantur inter ipsos et vicecomitem antedictum. *Non mirabitur lector hanc, aliasque discordias inter crucesignatos ortas esse; si consideraverit, quanta inter eos esset nationum, ingeniorumque diversitas : quamvis alioquin Rex sanctus summo studio niteretur concordiam stabilire, verbisque efficacibus hortaretur, ut et inter se, et cum Cypriotis sine dissensionibus viverent, quod ultimum saltem consecutus est. Ceterum arte potius et ingenio utendum erat* Ludovico, *quam auctoritate nimia, aut severitate, ne exercitus ex nationibus diversis conflatus, principibusque potentibus, qui suis militabant sumptibus, magna ex parte dissolveretur.*

C

mortui interim nobiles non pauci.

606 *Præter dissensiones alia etiam non deerant, quæ pii Regis animum excruciarent : morbis enim invalescentibus in exercitu, non pauci occubuerunt in Cypro. Præcipuos illorum memorat laudata epistola Odonis, hisce verbis prosequentis :* His diebus dominus Willelmus de Merleto senior, dominus Willelmus de Barro, comes Montis-fortis, dominus de Duech, castellanus de Burgues, et alii quamplures milites viam universæ carnis ingressi sunt. *Alios item in Cypro defunctos infra sic memorat :* Sexta vero feria post octavas Epiphaniæ *(anni 1249)* dominus Archembaudus de Borbonio viam universæ carnis ingressus est... Comes vero Vindocinensis Sabbato ante ramos palmarum perrexit ad dominum, et, ut dicitur, postquam intravit exercitus Cyprum, ducenti et sexaginta milites diem clauserunt ultimum. *Ducentos et quadraginta numerat Nangius pag. 347, et præcedentibus addit nominatim Robertum episcopum Bellovacensem, et comitem Drocensem :* Sed et comes Andegaviæ Carolus, frater Regis Franciæ, quartana in Cypro laboravit. *Nec ea adhuc liberatus erat, dum Damiatam occuparunt Galli, ut Robertus frater ejus habet in litteris deinde citandis. Quin et Margaritæ reginæ valetudo tentata est, quam restitutam deinde, refert Odo legatus hunc in modum :* Et regina ab ægritudine, quam passa fuerat, restituta est sanitati. *Hi morbi causam Regi præbuisse videntur, cur agmen suum in castris deinceps non contineret, sed milites per varia Cypri oppida spargi pateretur : nam per totam insulam sparsos fuisse crucesignatos, narrat ibidem dictus legatus.*

D

Bellum inter soldanos Babyloniæ et Alapiæ

607 *Soldanus Babyloniæ, seu Ægypti, quem cum soldano Alapiæ bellum gessisse hoc tempore jam diximus, imminentem capiti suo cernens tempestatem ab exercitu* Ludovici, *pacem primo inire studuit cum soldano Alapiæ, eumque una cum soldano Damasci sibi contra Gallos adjungere. Soldanus autem hic Damasci dominio suo, libertateque privatus erat, atque eo etiam tempore captivus fuisse videtur Alapiæ : nam eum a soldano Alapiæ victum, captum, atque ibidem detentum fuisse, refert anonymus apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 731 : cui consentit Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 1 his verbis :* Posthæc soldanus Damasci a soldano Alapiæ bello superatus, carceri mancipatur. *Hisce expositis, verba Odonis accipe in laudata epistola :* Per idem tempus magister Militum Templi et marescallus Hospitalis scripserunt regi, quod soldanus Babyloniæ cum magno exercitu ad partes Gazæ venerat ad conciliandum sibi soldanos Alapiæ et Damasci; et timebant ne forte Joppen vel Cæsaream intenderet obsidere. *At ille colloquium cum soldano Alapiæ expetebat, quod tamen abruptum sine pace, post pauca docet idem legatus Odo, sic scribens :* Eodem etiam tempore *(id est mense Decembri)* marescallus Hospitalis intimavit Regi, quod soldanus Babyloniæ et soldanus Halapiæ cum indignatione recesserant ab invicem sine treugis : et quod soldanus Halapiæ in proximo ad Regem nuntios mittere intendebat pro treuga facienda.

E

finitur, agente adhuc in Cypro Ludovico,

608 *De nuntiis ad Regem missis hoc tempore nihil invenio, neque id factum existimo : timuisse tamen videtur soldanus Ægyptius, ne soldanus Alapiæ se cum Rege conjungeret; atque ea de causa bello acriori persequi cœpit inimicum suum, validoque exercitu urbem ejus munitam, quam Camelam tunc passim vocabant, alias Emesam, obsidione cinxit. Præter historicos nostros eam obsidionem narrat Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 322, nec ante solutam obsidionem dicit, quam Saleh Ægypti soldanus audivisset Damiatam a Ludovico captam. Sed fallitur manifeste Abulpharagius : Odo enim legatus in epistola sæpe jam dicta, quæ ante discessum Regis e Cypro exarata est, pacem inter utrumque soldanum circa initium Quadragesimæ initam, narrat hoc modo :* Per eosdem dies pax reformata est inter soldanos Babyloniæ et Halapiæ, mediantibus nuntiis caliphæ de Baldak *, et recesserunt Babylonii ab obsidione Camelæ : *ita ut soldanus in Ægypto facile esse potuerit antequam eo appelleret* Ludovicus : *licet per suos reduci debuerit propter morbum*

* i. e Bagdadi

A *morbum in obsidione contractum, quem dolo soldani Alapiæ ei immissum scribit Joinvillius num. 52.*

qui mentionem de pace cum soldano Babyloniæ factam improbat :

609 *Interea mentio pacis cum soldano Babyloniæ faciendæ facta fuerat, inconsulto* Ludovico, *quod male habuit Regem. Rem audi ex litteris Odonis legati :* Postea etiam scripsit Regi idem magister *(Templariorum,)* quod quidam admiraldus soldani Babyloniæ ad ipsum venerat, nec tamen ex parte soldani veniebat, ut dicebat, nec litteras ejus habebat; sed venerat ad inquirendum voluntatem Regis Franciæ, quia dominus suus libenter cum eo pacem haberet : et, ut dicitur a quibusdam, ad requisitionem dicti magistri soldanus ad ipsum miserat dictum admiraldum : quod factum valde Regi displicuit, et omnibus baronibus. Et in continenti Rex per litteras suas inhibuit dicto magistro, ne de cætero tales nuntios recipiat, vel cum eis colloquium habere præsumat sine mandato speciali ipsius. Dicebatur enim ab omnibus, qui factum Syriæ noverant, quod quantumcumque oppressi erant Christiani, numquam primi faciebant B verbum de treugis faciendis; sed tunc primo, quando a Turcis super hoc erant cum magna instantia requisiti : et ideo quod dictus magister primo verbum moverat de treugis, conditio Christianorum facta erat deterior; et maxime, quia ex hoc Turci credere poterant, quod Rex æstimans se Turcis inferiorem viribus, festinavit, quacumque treuga inita, ad propria remeare. *Fecerat id antea Fredericus II, ut vidimus, at sincerior erat et ferventior ad cœpta prosequenda* S. Ludovicus.

varia rursum dissidia componit,

610 *Accipe nunc varia ad discordias sedandas ibidem facta :* Circa vero festum beati Nicolai facta est rixa in Famagusta inter marinarios gualearum Regis, et serventes ipsius; et quidam de dictis servientibus interfecti fuerunt. Quo Rex properans, plures ex utraque parte fecit capi, ut sic posset sciri, qui erant auctores flagitii antedicti. *Hæc ex litteris, in quibus subditur Regis conatus ad pacem aut inducias inter Armeniæ regem et principem Antiochiæ componendas. Inducias autem, post scriptas hasce litteras, regis cura compositas, refert Nangius pag. 352 hisce verbis :* Dum Rex Franciæ Ludo- C vicus in Cypro cum regina Margareta uxore sua moram traheret, Armeniæ rex, intellecto ejus adventu, misit eidem nuntios solemnes, quemdam scilicet Armeniæ episcopum, et alios domesticos suos cum litteris suis, et xeniis, se offerens ejus voluntati : quos ille prout decuit honorabiliter recepit. Cum autem intellexisset esse discordiam inter ipsum regem Armeniæ, et principem Antiochiæ, gravem plurimum atque damnosam, quæ jam longo duraverat tempore : propter hoc et alia quædam misit nuntios proprios ad utrumque. Postea vero, procedente tempore, accedentibus ad eum utriusque nuntiis, inita est inter ipsos coram illo treuga, ab instante Nativitate sancti Joannis per duos annos duratura.

ac principi Antiocheno mittit subsidium.

611 *Subjungit Nangius missum a Rege principi Antiocheno subsidium contra Turcomannos, gentem vagam et silvestrem, ut eos describit sæpe dictus anonymus col. 732, qui ditionem Antiochenam impune populabantur : verum id missum fuisse ante has inducias sub finem anni 1248, patet ex litteris Odonis, in quibus ita res narratur :* Per idem tempus venerunt nuntii ad regem Franciæ principis Antiocheni... Regi exennia * deferentes. Patriarcha etiam Antiochenus, et dictus princeps quosdam nuntios ad Regem et ad me miserunt, per suas litteras intimantes, quod Turchomani paulo ante cum nimia multitudine partes Antiochiæ aggressi fuerant, et Christianitati tam in rebus quam in personis intulerant magnum damnum. Unde supplicabant Regi, ut eis quam citius ministraret auxilium. Rex vero misit eis sexentos balistarios : militam * mittere noluit, timens dissolutionem exercitus, et quod tempore statuto non posset exercitus congregari.

AUCTORE J. S.

* *i. e.* munera

* *i. e.* equites militia donatos

Tartarorum legati cum litteris ad Regem missi,

612 *Ejusdem anni mense Decembri legatos Tartaros regem venisse in Cyprum, ingentia afferentes promissa, iidem auctores cum Joinvillio num. 48 referunt : at in eo lapsus est Joinvillius, quod eos a magno Tartarorum imperatore missos narraverit, cum missi fuerint a potente quodam illius duce, qui in Perside residebat, quique in litteris Odonis legati* Erchalchai, *apud Nangium vero* Ercalthay *nominatur. Legationem hanc de impostura suspectam habet Chaizius pag. 558 : neque vero inficior rationes esse varias, quibus reddi possit suspecta; lubet itaque rem paullo attentius examinare. Sic eorum adventum narrat Odo in litteris :* Die vero Lunæ post festum beatæ Luciæ, E nuntii regis Tartarorum Castrocherniis *, quod distat a Nicossia sex leugis, applicuerunt. Die vero Sabbati ante Natale Domini Nicossiam intraverunt. Die vero crastina se Regi præsentaverunt, et ei hujusmodi litteras porrexerunt, scriptas lingua Persica, et litteris Arabicis, quas Rex interpretari fecit de verbo ad verbum. *Nangius pag. 347 quædam distinctius memorans, nuntios missos dicit* a quodam magno viro, Ercalthay nomine, de gente Tartarorum, *neque alium, opinor, intelligit Odo, licet regem nominet : nam illius, et non summi Tartarorum imperatoris litteras fuisse, ex ipsis intelliges. Addit Nangius sequentia :* Ibidem præsens aderat frater Andreas de Lonciumel de Ordine fratrum Prædicatorum, qui majorem ex illis nunciis, nomine David, noverat, utpote qui viderat eum in exercitu Tartarorum, quando ipse et alii quidam fratres missi fuerunt ex parte domini Papæ ad Tartaros, Rex autem litteras sibi præsentatas in lingua Persica et litteris Arabicis, in F Latinum per eumdem fratrem transferri fecit, earumque transcriptum, sub contra sigillo suo clausum matri suæ reginæ Blanchæ in Franciam misit. *Litteras ipsas accipe, prout epistolæ Odonis insertæ sunt apud Acherium; verba quædam mutata, seu variantes lectiones ex Nangio apud Chesnium, notabo ad marginem; hæc autem varietas ex diversa interpretatione oriri potuit :*

* *i. e.* Ceraunium, *opinor, nunc* Cerines

in quibus magna promittuntur

613 Per potentiam Dei excelsi missi a rege terræ Gan * verba Erchalchai * Regi magno provinciarum multarum, strenuo Propugnatori orbis, Gladio Christianitatis, Victoriæ religionis baptismalis *, Defensori legis euangelicæ, Filio regis * Franciæ. Augeat Deus dominium suum et conservet ei regnum suum annis plurimis, et impleat voluntates suas in lege et in mundo, nunc et in futurum, per veritatem divinæ conductricis hominum, et omnium prophetarum et apostolorum, amen. Centum millia salutum et benedictionum. Ex hoc rogo, quod recipiat salutationes istas, ut sint gratiæ * apud ipsum. Faciat Deus ut videam hunc Regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelsus causet * occursum nostrum in caritate, et facile faciat ut congre-

* Cham
* Ercalthay
* apostolicæ
* regi

* grande

* sic fieri faciat

AUCTORE J. S.

congregemur in unum. Post hanc salutationem noverit quod in hac epistola non est intentio nostra, nisi utilitas Christianitatis, et corroboratio manus regum Christianorum, Domino concedente. Et peto a Deo, ut det victoriam exercitibus regum Christianitatis, et triumphet eos de adversariis suis, contemnentibus crucem. Ex parte autem regis sublimis sublimet eum Deus, videlicet de præsentia Kiokai * augeat Deus magnificentiam suam.

* Kyocay

614 Venimus * cum potestate et mandato, ut omnes Christiani sint liberi a servitute, et tributo, et angaria, et pedagiis, et consimilibus, et sint in honore et reverentia, et nullus tangat possessiones eorum. Et ecclesiæ destructæ reædificentur, et pulsentur tabulæ, et non audeat aliquis prohibere, ut orent corde quieto et libenti pro regno nostro. Ista autem hora venimus * ad hoc pro utilitate Christianorum et custodia, Deo dante excelso. Misimus autem hoc per nuntium fidelem nostrum virum venerabilem Sabeldin Monfac David *, et per Marchum, ut annuntient illos bonos rumores, et quæ sunt circa nos, dicant * ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum, et credat eis, et in litteris suis rex terræ augeatur magnificentia sua. Ita præcipue * quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum, et Græcum, et Armenicum, Nestorinum, et Jacobinum, et omnes, qui adorant crucem. Omnes enim sunt unum apud nos. Et sic petimus, ut Rex magnificus non dividat inter ipsos, sed sit ejus pietas et clementia super omnes Christianos. Duret ejus pietas et clementia. Datum in finibus * Muharram. Et erit bonum, concedente Deo excelso *.

* Volumus

in bonum Christianorum.

* adhuc venimus

* Sabeldim Mouffat David

* dicent

B

* Præcipit

* Fruemercharram

* Domino

615 *His recitatis litteris, subdit pag. 348 Nangius :* Huic epistolæ consonabant et aliæ quædam litteræ, quæ paulo ante Regi Ludovico a rege Cypri et comite Joppensi fuerant præsentatæ. *Scriptæ hæ fuerant ad regem Cypri, aliosque a supremo militiæ præfecto in Armenia, regis Armenorum Haitonis fratre, ut habet Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 320, ubi eum narrat interfuisse inaugurationi summi Tartarorum imperatoris Caiuc-chani, factæ anno Hegiræ 644, id est Christi 1246.* Caiuc *autem, qui ab aliis* Guiuch, Gaiuch, Gino, *vicinisque nominibus ab auctoribus Latinis vocatur pro varia interpretatione vocis Tartaricæ, idem est, qui in recitata modo epistola* kiokai *dicitur, tertius videlicet Tartarorum imperator, anno 1246 ad imperium evectus; defunctus vero anno Hegiræ 647, seu Christi 1249, ut memoratus Abulpharagius habet pag. 322, adeo ut legati* S. Ludovici *eum vivum invenire non potuerint. Christianum fuisse, ut nuntii deinde narrabunt, scribit idem Abulpharagius apud Assemanum tom. 3, part. 2 Bibliothecæ Orientalis, pag. 105, ubi ejus verba Syriaca Latine sic exprimit :* Quum vero Guiuchus ipse Christianam religionem ex animo profiteretur, sub ejus imperio exaltatum est cornu multorum Christianorum, ejusque castra episcopis, sacerdotibus, et monachis plena erant. *Præmittit ibidem Assemanus, matrem ejus,* Turachinam, *præfectumque ædibus regiis* Cadachum, *item Christianos fuisse. Attamen Catholicos fuisse non est verisimile, indeque factum, ut inter omnes, qui Christum modo quocumque colerent, sive Catholici illi forent, sive hæretici, discrimen non agnoscerent, ut advertit laudatus Assemanus; namque, inquit,* ita Nestoriani, Armenii, et Jacobitæ, qui plurimi in ditione castrisque Tartarorum versabantur, regi Kyokay ad Christianam fidem recens converso imposuerant, ut nullum esse inter Christianas omnes gentes discrimen agnosceret. *Hinc evanescit prima objectio Chaizii, pag. 557 contra sinceritatem legatorum proposita.*

Christianus tunc fuisse dicitur imperator Tartarorum :

C

D

616 *Porro* Ludovicus *ipse dubitasse videtur de sinceritate legationis, atque ideo eas proposuisse interrogationes, quibus dolum sperabat erupturum, siquis subesset : at multum tamen minuebatur hæc suspicio, quod legatorum alter fratri Prædicatori notus esset. Interrogationes Regis singulas proponam, subjuncto singulis responso, ex litteris Odonis, qui præsens audivit omnia :* Receptis autem, *inquit,* ex parte dicti Erchalchai, dicto die interrogavit Rex in præsentia mea, et consilii sui, et quorumdam prælatorum, qua occasione dominus eorum adventum Regis audierat. *Ad quod* sic responderunt, quod a soldano Mussulæ missæ fuerunt quædam litteræ ad magnum regem Chan, quas receperat a soldano Babyloniæ; in quibus soldamus Babyloniæ mentionem de applicatione et adventu Regis Franciæ faciebat, mendaciter asserendo quod sexaginta naves Regis Franciæ per violentiam ceperat et deduxerat in Ægyptum, per hoc volens ostendere, quod soldanus Mussulæ in adventu Regis Franciæ confidere non debebat. Hac occasione dictus Erchalchai, audito Regis Franciæ adventu, misit ad eum nuntios cum litteris antedictis; qui denuntiaverunt ei esse Tartarorum propositum, in hac æstate proxima obsidere calipham de Baldak; et rogabant Regem, ut Ægyptum aggrederetur, ne prædictus caliphas ab Ægyptiis posset in aliquo juvari. *Difficultate non caret hujus responsionis pars prior, nisi magna celeritate usus sit soldanus Babyloniæ in scribendo ad soldanum Mussulæ, atque hic rursus in litteris ad Chanum per nuntios qui Ercalthay de Regis adventu monerent, destinandis : ac demum Ercalthay legatos confestim miserit ad Regem. Sic enim intra tres menses qui ab adventu Regis usque ad accessum legatorum fere effluxerant, omnia hæc fieri potuere. Altera pars admodum verisimilis est : nam ut Abulpharagius habet in Historia dynastiarum pag. 319, jam anno Christi 1244* Tartari invaserunt regionem Bagdadi, at ibi considere non poterant : *rursus, ut idem narrat pag. 321, anno 1247 Caiuc-Chanus minas intentavit legatis caliphæ : ac demum Bagdadum expugnarunt Tartari post annos aliquot, ita ut mors summi imperatoris obstitisse videatur, quo minus id anno 1249 tentarent.*

interrogationes

E

F

617 *Petiit deinde Rex :* Unde isti Tartari venerant, et quæ fuit causa motiva, ut venirent, et quare appellantur Tartari, et quam terram modo inhabitant. *Ad hæc* dixerunt etiam nuntii, quod isti, qui nunc Tartari appellantur, modo sunt XL anni quod exierunt de Terra sua, quæ non habet civitates, vel oppida, seu villas, abundat autem pascuis, et distat per XL diætas a terra, quam modo inhabitat ille magnus Rex Chan, et in qua posuit sedem suam. Et hæc terra Trahetar appellatur *(apud Nangium dicit* Tartar.) Unde et modo Tartari appellantur. Causam autem commotionis eorum dixerunt prædicti nuntii se nescire. Et dicebant, quod dicti Tartari primo debellaverunt filium presbyteri Joannis, et ipsum et exercitum ejus in ore gladii peremerunt. Isti autem Tartari sine lege

a S. Ludovico

A lege erant. *Hæc omnia satis consonant iis, quæ de initiis Tartarorum disputavimus. Quod vero causam commotionis Tartarorum se nescire dicant, dissimulare videntur : neque enim ignorare poterant, jactitare eos consuevisse, mandato Dei Ginghis-Chano præceptum fuisse, ut orbem universum subjugaret. Sedem autem summi Tartarorum imperatoris tunc in Cataia, seu Sina boreali fuisse, aut certe in provincia vicina, verisimile fit ex distantia a prima eorum habitatione hic assignata, si ea conferatur cum longissimo itinere, quo ad illum accedere debebant Christianorum legati. Præterea in Cataia Pekinum, seu Combalu, urbem regiam a Tartaris deinde conditam, probat Assemanus a pag. 512 Operis assignati.*

legatis propositæ,

618 *Quæsivit præterea* S. Ludovicus, Utrum ille rex magnus magnum exercitum habeat, et qua occasione et quomodo fidem susceperat, et quot sunt anni ex quo baptismum susceperat, et utrum plures fuerint baptizati cum eo. *Ad hæc eos ita respondisse refert Odo :* Dixerunt etiam, quod rex ille magnus Tartarorum secum habet B omnes fere capitaneos, cum innumera multitudine equitum et hominum et animalium; et semper sunt in tentoriis, quia nulla civitas posset eos capere. Equi autem eorum semper in pascuis et animalia commorantur, quia non possunt invenire hordeum et paleam, quæ possent sufficere equis suis. Capitanei autem præmittunt homines suos in exercitibus, qui mittuntur ad subjiciendum sibi regiones. Ipsi autem remanent cum magno rege. In potestate autem et in voluntate magni regis est, ut quando moritur quis, instituat aliquem de filiis suis vel nepotibus regem. Dixerunt etiam nuntii, quod iste, qui nunc agit in sceptris, Kiokai nomine, matrem habuit Christianam, filiam regis, qui vocatur Presbyter Joannes, et ad exhortationem ejus, et cujusdam sanctissimi episcopi, qui Malassias vocatur, baptismi sacramentum suscepit in die Epiphaniæ cum decem et octo filiis regum, et plures alii, maxime capitanei. Tamen multi adhuc sunt inter eos, qui nondum fidei sacramentum susceperunt.

eorumque ad illas

619 *Hæc rursum non abludunt ab iis, quæ jam ante disputavimus. Falsum tamen putant aliqui, quod dicitur de baptismo ab imperatore* C *Tartarorum Caiuco suscepto. Quidquid sit, præter Abulpharagium supra citatum, id etiam asserit in epistola sua frater regis Armeniæ, ita ut dubium non sit, quin fama illa fuerit apud Tartaros Christianos, ipsique ea in re falli potuerint legati, si verum non sit. At videamus rationem, cur credant Christianum non fuisse Caiucum. Vincentius Bellovacensis lib. 31, cap. 33 ex verbis Prædicatorum, qui missi a Pontifice ad Tartaros, inaugurationi Caiuci adfuerunt, ita scribit de ipso :* Dicebant etiam, nobis firmiter asserendo, Christiani, qui erant de familia ejus, quod deberet fieri Christianus. Cujus signum erat, quod ipse clericos Christianos tenebat, et expensas eis dabat; habebat etiam semper capellam Christianorum ante maius tentorium suum, ubi cantant clerici publice et aperte, ac pulsant ad horas, ut cæteri Christiani, secundum mores Græcorum, quantacumque sit ibi multitudo Tartarorum, vel etiam aliorum hominum. *Atque hæc quidem favent Christianitati illius : verum contrarium evinci putant ex hisce, quæ sequuntur :* Hoc autem noverint universi, quia nobis tunc existentibus in solenni curia jam ex pluribus annis indicta, idem Caiuc imperator de novo electus cum omnibus suis principibus erexit vexillum contra Ecclesiam Dei, ac Romanum imperium, ac contra omnia regna Christianorum, et populos Occidentis, nisi fortasse, quod absit, facerent ea, quæ mandabat domino Papæ, atque potentibus, et omnibus Christianorum populis, videlicet ut ipsi subdantur eis, nam excepta Christianitate, nulla est terra in orbe, quam timeant, et idcirco contra nos ad pugnam se præparant. *Verum ex eo non consequitur, Caiucum Christo nomen non dedisse, aut baptismo ablutum non fuisse post hæc tempora : nam, ut subdit,* Intentio *Tartarorum* est sibi totum subjicere mundum, sicut a Chingiscam habent mandatum. *Neque Nestoriani adulatores, aliique schismatici, qui in eorum castris versabantur, id iis dissuadere ausi fuissent, nedum dicere id ipsis fuisse illicitum.*

AUCTORE J. S.

responsa:

620 Quæsivit etiam Rex de dicto Erchalchai, a quo tempore baptismi susceperat sacramentum, et ubi esset modo. Item, quare Bachon ita male recepit nuntios nostros. *De hisce nuntiis a Pontifice missis, et a Bayothnoy Tartarorum principe, qui castra habebat in Perside, modo inhumano receptis anno 1247, consule Bellovacensem lib. 31, cap. 40 et seqq. Responsum autem ad Regis interrogationes tale fuit ex Odone :* E Erchalchai vero..... Christianus est, jam sunt plures anni, et non est de semine regio. Tamen magnus est et potens; et modo agit in finibus Persidis a parte Orientis. Bachon vero homo paganus est, et habet Saracenos consiliarios, et ideo male recepit nuntios vestros. Sed jam non habet tantam potestatem : modo enim constitutus est sub potestate Erchalchai. *Rex similiter* quæsivit de soldano Mussulæ *(urbs ampla est ad Tigrim sita,)* quæ antiquitus Ninive dicebatur, *(ex eorum scilicet opinione)* an esset Christianus. Similiter de ipsis nuntiis, de qua regione oriundi essent, et quot anni erant, ex quo fuerunt Christiani. *Ad quæ hujusmodi loco citato datum legitur responsum :* De soldano vero Moyssac sive Mussulæ, dicunt quod fuit filius cujusdam Christianæ, et ex corde diligit Christianos, et festa eorum observat, nec in aliquo obedit legi Mahemet; et creditur quod, si haberet tempus et opportunitatem, libenter fieret Christianus. F Dicti autem nuntii dixerunt, quod oriundi erant de quadam civitate, quæ distat a Mussula, quæ quondam Ninive vocabatur, per duas diætas, et quod Christiani erant a progenitoribus suis. Dicebant etiam quod nomen summi Pontificis modo celebre erat apud Tartaros, et quod intentio Erchalchai domini sui, et propositum erat impugnare in hac æstate proxima Calipham de Baldak, et vindicare injuriam a Corosminis illatam Domino Jesu Christo. *Hactenus legati illi seu vere missi seu impostores.*

ex quibus, aliisque fides illorum est dubia.

621 *Etenim, etiamsi certo constare non existimem impostores fuisse, et ad objectiones quasdam, contra sinceritatem illorum allatas, utcumque responderim, omnino mihi persuadeo multa ab illis per adulationem dicta; nimirum de potentia Ercalthay, de celebritate nominis Pontificii apud Tartaros, de benevolentia quorumdam principum erga Christianos, quæ si falsa omnino non sint, multum supra verum aucta videri possint. Quin imo rationes non deesse jam dixi, quibus in dubium revocari possit, an hi legati ab aliquo Tartarorum principe fuerint*

missi :

AUCTORE J. S.

missi : nam, ut Chaizius objicit pag. 558, legati, quos S. Ludovicus *cum prædictis misit ad Tartaros, numquam invenire potuerunt principem illum Tartarorum, Ercalthay dictum, quod mirum apparet, si legati Tartarorum ab eo fuerant missi. Potuit tamen contingere per mortem imperatoris Caiuci, ut ille ad nova Tartarorum comitia fuerit profectus, vel interim ab officio amotus, aut etiam defunctus. Deinde successor Caiuci Mongo-Chanus in litteris ad* Ludovicum *ait, Davidem hunc impostorem et mendacem fuisse, adeo ut fides Davidis, ejusque socii omnino labet, si dicto Tartarorum imperatori major fides debeatur, quam Davidi; quod non omnino videtur certum. Quippe, ut superbi erant Tartari et arrogantes, volebant ut omnes principes a se pacem expeterent per legatos, id cum non fecisset* S. Ludovicus, *puduit fortasse superbum Tartarum legationis missæ, atque omnia Davidis imposturæ attribuit : etenim si impostor erat David, quo ille pacto legatos* S. Ludovici *ad aulam Tartarorum ausus fuit perducere, ubi imposturæ ejus erant aperiendæ?* B *Cur scriptores coævi, qui hanc legationem memoriæ commendarunt posterorum, ne verbo quidem meminerunt de impostura Davidis, quæ latere non poterat post reditum legatorum? Itaquè majorem fidem habendam non censeo Tartarorum imperatori, quam eorumdem legato, quem ille mendaciorum arguit : et, prolatis utrimque rationibus, sententiam de fide illorum relinquo lectorum judicio.*

Legatos cum donis ad Tartarorum principes mittit Rex,

622 *Quidquid igitur sit de fide horum legatorum,* S. Ludovicus *cum eis legatos suos misit ad principem Ercalthay, et ad imperatorem Tartarorum : de quo laudatus Odo sic scribit :* Octavo vero Kal. Februarii dicti nuntii a Rege Franciæ licentiam receperunt, et VI Kalend. dicti mensis Nichossiam exierunt, et cum eis fratres Prædicatores Andreas, Joannes, et Willelmus, quos Rex mittit ad dictum regem Tartarorum. *Post quæ subjicit munera a Rege missa, quæ aliaque distinctius exprimit Bellovacensis cum Nangio, lib. 31, cap. 94 sic scribens :* Tandem habuit Rex Francorum consilium, ut *(ad)* ipsum regem Tartarorum, et ad Ercheltay nuntios suos cum litteris et jocalibus mitteret, ita quod aliqui eorum ab Ercheltay ad C ipsum Regem Ludovicum directe redirent, et alii ad regem Chaam ulterius procederent. Significantibus autem Tartarorum nuntiis, quod Rex Chaam valde gratum et carum haberet de scarleta * tentorium sive capellam ; fecit eam Rex Ludovicus præparari, ac fieri speciosam et quosdam pannellos * habentes levem atque subtilem brodaturam *. In qua scilicet brodatura tentorio affixa ea, quæ Dominus noster Jesus Christus pro nobis in corpore suo gessit, honestissime satis sunt exarata. Hæc igitur et alia, ad ornamentum capellæ et cultum divinum pertinentia, misit Rex Ludovicus regi Chaam ad devotionem fidei Christianæ in eo excitandam. Insuper etiam de ligno sanctæ crucis misit tam eidem regi, quam Ercheltay per nuncios suos cum litteris ad utrumque directis, hortantibus, ut eum, qui per gratiam suam ad cognitionem sui nominis eos vocaverat, debita veneratione colerent, et in ejus amore jugiter permanerent. *Numerum legatorum tribus definit Bellovacensis, quorum præcipuus Andreas : septem missi numerantur a Nangio pag. 351,* Prædictus frater Andreas cum duobus aliis fratribus ejusdem Ordinis, et duobus clericis, et duobus servientibus Regis : *sed hæc inter se non pugnant, cum non omnes essent legati.* D

* *i. e.* panno coccineo
* *i. e.* tabulas acu pictas
* *i. e.* acu variatam picturam

additis legati Pontificii litteris; at sine effectu.

623 *Litteras etiam iisdem dedit Odo legatus, de quibus ipse sic memorat :* Ego vero eidem regi Chan, et marterteræ suæ, et Erchalchai, et prælatis eorum litteras destinavi, eis denuntians quod sacrosancta Romana Ecclesia conversionem eorumdem ad fidem Catholicam gratulabunda audiet, et eos libenter recipiet ut filios carissimos, dum tamen fidem tenere voluerint orthodoxam, et confiteri eam esse matrem omnium ecclesiarum, et præsidentem ei esse Vicarium Jesu Christi, et quod huic Vicario omnes, qui Christiana professione censentur, merito debeant obedire. Prælati autem ad idem invitantur meis litteris, et ut ipsum sapiant omnes, et non sint in eis schismata; sed permaneant in veritate fidei, in primis generalibus conciliis editæ, et a Sede apostolica approbatæ. *Hæc legatio* S. Ludovici *ad Tartaros, licet pie prudenterque fuerit instituta, non habuit exitum optatum. Nam neque principem Erchalthay uspiam invenerunt, neque imperatorem Caiucum repererunt amplius in vivis agentem.* E *Ab ejus tamen uxore benigne recepti, et cum donis ad Regem sunt remissi : quin et de pace cum Rege sancienda quædam egisse videtur cum legatis vidua Caiuci, quæ imperium Tartarorum interim administrabat : sed successor Caiuci illa omnia improbasse visus est in litteris ad* Ludovicum, *quas legatis ejus posterioribus perferendas dedit, de quibus suo loco agemus. Consule relationem eorum apud Fleury tom. 17 Historiæ ecclesiasticæ pag. 568.*

§ IL. Reliqua anno 1249 in Cypro facta : Discessus in Ægyptum : littus pulsis hostibus occupatum : Damiata capta.

Cibaria Regi a variis submissa :

P*ræter gesta in Cypro hactenus relata, non pauca insuper commemoranda veniunt, quorum aliqua certa temporis nota destituuntur,* F *quamvis pleraque anno 1249 contigisse videantur. In primis Joinvillius num. 49 inopia pecuniæ se laborasse scribit, atque a Rege adjutum; quod beneficium aliis etiam nobilibus præstitum narrat Chaizius pag. 554. Cibariorum quoque curam habuisse Regem, refert ad hunc annum Mattheus Parisius pag. 512 : sed illorum jam inde in Cypro magnam fuisse inopiam, ut ille affirmat, credibile non est ex Joinvillio num. 47, qui præsens lustravit omnia. Attamen* Veneti, *ait,* favorabiliter sex magnas naves frumento et vino et aliis victualium generibus onustas, nec non et militare præsidium et multos crucesignatos, liberaliter transmiserunt. Similiter et aliquæ aliæ urbes et insulæ, a quibus auxilium postularat, diversa suffragia præstiterunt : hoc Frederico non tantùm permittente, sed propitius persuadente. Similiter et ipse Fredericus, ne aliis inferior videretur, maximum eidem victualium diversorum transmisit adminiculum. Unde Rex affluenter abundans, et grates ei referens scripsit domino Papæ, ut reciperet ipsum Fredericum in gratiam suam. *Grates itidem a regina*

A *na Blancha Frederico relatas, scriptumque in ejus gratiam ad Pontificem, adjungit Parisius more suo, non sine exaggeratione rerum et bile in Pontificem.*

concordia eo agente inter dissidentes restaurata : alii ad Ecclesiæ unitatem reducti.

625 *Deinde sic prosequitur :* Rex interim Francorum, sano ac sancto fretus consilio, multos magnates tam in Cypro, quam in aliis Christianorum climatibus discordes, et Templarios et Hospitalarios plenius pacificavit, ut securius, nullis post terga relictis offendiculis, iter arriperet inchoatum. *Non ideo tamen importunas Frederici, ejusque filii Henrici preces audivit Rex sanctus. Petebant illi, uti subdit Parisius, ut provinciæ, olim Anglis ereptæ, regi Angliæ Henrico restituerentur : verum reposuit* Ludovicus, *tempus non esse id faciendi, invitis regni proceribus. At redeamus ad emolumenta Ecclesiæ creata, quæ legatus quidem pro officio suo perfecit, ita tamen, ut Regis pietas ea non parum promoverit. Nangius pag. 347 hæc commemorat :* Cum autem inter archiepiscopum Nicorsiensem * et milites regionis Cypriæ esset controversia, propter quam fere B omnes milites illi erant excommunicati, prædictus Odo apostolicæ Sedis legatus, inter partes mediatorem se faciens, pacem reformavit, dictos milites absolvi faciendo. Archiepiscopus quoque Græcorum in Cypro, qui tamquam schismaticus, et inobediens archiepiscopo suo Latino, jam diu ab ecclesia sua exulaverat, tunc temporis est reversus, et tam ipse, quam alii Græci, qui excommunicati fuerant, ad obedientiam redierunt; et absolvit eos legatus, qui et coram ipso quasdam hæreses abjuraverunt.

* Nicosiensem

Saraceni conversi : bellum soldano Babyloniæ indictum :

626 *Subdit multos Saracenos salutaribus undis ablutos, quod ipse Odo legatus enarrat his verbis :* Die vero Epiphaniæ catechizavi quinquaginta septem Saracenos captivos : qui licet deberent nullam libertatem assequi, prout illis expresse dictum est, tamen instanter petebant fidei sacramentum. Et postquam ex illis triginta manu propria baptizavi, perrexi ad processionem Græcorum super quemdam fluvium : qui in præsentia Regis Franciæ et regis Cypri, et mea, recognoverunt, quod erat unus Deus, una fides, unum baptisma, et quod illud, quod faciebant, faciebant in rememoratione quod Dominus C Jesus fuit tali die a Joanne aquis Jordanicis baptizatus. Et confessi sunt, quando tinxerunt crucem in aqua; nec aliquid dixerunt nisi hoc : Lumen Pater, lumen Filius, lumen Spiritus sanctus. Et fecerunt ibi supplicationes pro sanctitate vestra. *Post hæc* Ludovicus, *qui mense Aprili expeditionem in Ægyptum cogitabat, bellum per litteras indixit soldano Ægyptio, quibus Saleh, qui eo adhuc tempore æger Damasci morabatur, consueta genti arrogantia respondit, ut ex Arabicis Historiis refert Chaizius pag. 564. Nec litteras tantum superbas litteris* Ludovici *reposuit Saracenus, sed nefariis etiam artibus Regem, Christianosque perdere voluit : at nefandum consilium divina providentia discussit. Rem accipe ex Nangio, pag. 352 sic scribente :* His autem diebus capti sunt quidam in Cypro, qui confessi sunt, quod ipsi et quidam alii a soldano Babyloniæ missi fuerant, ut Regem Franciæ et majores sui exercitus veneni maleficio enecarent.

627 *Non retinuerat* S. Ludovicus *tantam in Cypro navium copiam, quanta necessaria erat ad exercitum cum bellicis instrumentis, annona aliisque impedimentis in Ægyptum transvehendum. Hinc mora expeditioni injecta est aliqua, propter avaritiam, contentionesque importunas Venetorum, Genuensium, ac Pisanorum, qui Accone suos singuli habebant magistratus, quod inde naves Regi essent conducendæ majores : nam cymbas, quibus ad terram accederent propius, in Cypro fabricari jubebat, ut Nangius pag. 352 docet. Audi Odonem legatum, hæc enarrantem.* Dominica vero in Quinquagesima, cum nuntii Regis venissent in Acon pro conducendis vasis *, nulla ratione flectere potuerunt Januenses et Venetos ad hoc, ut rationale pretium ponere vellent in vasis suis; sed potius videbant ad hoc tendere, ut negotium destrueretur, vel quod eis naulum daretur secundum voluntatem suam.

AUCTORE J. S.

labor in navigiis congregandis propter quorumdam avaritiam,

* *i. e.* navibus

et bellum Accone inter Genuenses et Pisanos :

628 His diebus exorta est grandis seditio in Acon, diabolo instigante, inter Januenses ex una parte, et indigenas et Pisanos ex altera, et unus consul Januensis telo percussus interiit. Sed et paulo ante, *ut addit Nangius pag. 352,* seditio fuerat exorta inibi inter Venetos et baillivum regni Cypri. *Hac de causa,* Sexta... feria ante Dominicam in passione, *inquit laudatus Odo,* misit Rex et ego iterum in Acon E venerabiles patres patriarcham Jerosolymitanum, episcopum Suessionensem, comitem Joppensem, constabularium Franciæ, et dominum Galfridum de Seignes * pro negotio vasorum et pro seditione exortas edanda. Quid autem fecerint nescio. *Necdum enim res peracta fuisse videtur, quando scribebat* feria quarta ante Resurrectionem Domini *has litteras, adeo ut Rex, qui statuerat, ut ait,* circa medium Aprilem intrare fines Ægypti, *hoc bello plusquam mense integro serius discesserit propter sordidam mercatorum illorum avaritiam, atque exitiale hoc Christianorum bellum : id enim per dies 28 continuatum acriter, multis utrimque adhibitis machinis, quibus invicem impetebant, ac tandem triennalibus induciis terminatum, scribit anonymus apud Martenium pag. 733.*

* Sergines

acceptis tandem navigiis, dies statuitur ad Egyptum petendam.

629 *Tandem* venerunt, *inquit Nangius,* ad *Regem* circa Ascensionem Domini naves, vasaque conducta. Venerunt etiam de insulis naves F quam plurimæ, et multi barones ac milites, aliique peregrini, qui moram in insulis fecerant in hyeme jam transacta. Itaque die Sabbathi post Ascensionem Domini, cum jam in navi sua esset Rex, congregans ibidem majores exercitus, de ipsorum consilio publicatum fuit per exercitum, quod apud Damietam universi cum Dei adjutorio dirigerent iter suum. *Hisce non consentit epistola § seq. recitanda, in qua dicitur propositum Regis fuisse Alexandriam petere, sed classem vehementi vento Damiatam versus delatam. Neutri assentitur Chaizius pag. 567; at refert nautis singulis obsignatas a Rege litteras datas, quas aperire non liceret, priusquam solvissent a littore, quibusque juberentur recta Damiatam navigare. Id sane non displiceret, si testem adferret antiquiorem Dionysio Sauvage, quem assignat. Quidquid sit, malim credere Regis consilio Damiatam navigatum fuisse, quam casu eo delatam classem, quamvis nihilo minus crediderim, famam fuisse sparsam in Cypro de Alexandria impetenda : namque Alexandriam revera impugnare volebat* Ludovicus, *sed non in ipso expeditionis exordio.*

Rex cum exercitu ex Cypro solvit,

630 *Accipe nunc tempus, quo Rex cum exercitu e Cypro solvit, et Damiatam occupavit. Scripsit*

AUCTORE J. S.

Scripsit hac de re Robertus comes Atrebatensis ad matrem suam Blancham, cujus epistolam habemus in Additamentis Matthæi Parisii a pag. 107, in qua hæc leguntur : Sciat dilectio vestra, quod charissimus dominus noster, frater noster (Ludovicus,) et barones, et peregrini, qui in Cypro hyemaverunt, die Ascensionis (XIII *Maii)* in sero ad portum Linocii * in suis navibus se receperunt. *At cum onerandis navibus, tum vento contrario, aliquot diebus sunt morati, videlicet* usque ad diem Mercurii sequentem, XIX *Maii, teste Nangio, qui addit :* Eadem itaque die, velo facto, recessit Rex a portu Nimocii cum navium et nassellorum * copiosa multitudine. At postea per aliquot dies cum difficultate ac ventorum contrarietate procedentes, venerunt prope Paphum * civitatem Cypri, tantaque fuerat temporis contrarietas, ut oporteret illos prope Nimocium bis reverti. Venitque ad eos tunc princeps Achaiæ cnm gentibus et nassellis quam pluribus in subsidium illorum ac Terræ sanctæ; et cum eo similiter dux Burgundiæ, qui in partibus Romanis *(puta in Morea)* moram fecerat in hyeme. Expectaverunt igitur peregrini apud Nimocium, et congregaverunt ibidem exercitum suum, per incommoditatem temporis dispersum. *Joinvillius num. 54 hanc classis dispersionem non parum supra verum augere videtur, quod attribuendum senili ejus memoriæ; nam neque tempus recte designat, neque alia rei adjuncta. Ingentem fuisse navium disjectionem oportet, cum post earum collectionem centum adhuc et quinquaginta ante Damiatam fuerint desideratæ, relictis mille et quingentis, ut epistola mox recitanda docebit.*

* Limissonis

* *i. e.* cymbarum

* *nunc* Baffo

B

631 Tandem, *ait Nangius*, in festo sanctæ Trinitatis (XXX *Maii)* vela ventis dare fecerunt, et habito satis congruo tempore navigaverunt. Ita quod in sequenti die Veneris (IV *Junii)* apparuit eis terra Ægypti, et post paululum civitas Damiata. *Laudatus sæpe anonymus pag. 733, classem Limissone discessisse ait die Maii* XX, *(suspicor legendum* XXX, *nisi loquatur de anteriori discessu, ex quo Limissionem redierunt :)* IV *autem Junii ante Damiatam appulisse,* V *terram occupasse,* VI *vero Damiatam cepisse : in quibus auctores passim consonant præter Joinvillium. Audi itaque nunc modum, quo terram occuparunt, pulsis hostibus, ipsamque urbem interceperunt, ex epistola laudata Roberti comitis Atrebatensis, qui non modo interfuit rei gestæ, sed et eodem mense Junio litteras suas exaravit :* A quo portu recedentes, *inquit,* post multos maris labores, et ventorum contrarietates, ducente Domino, die Veneris post Trinitatem circa meridiem venerunt, et se anchoraverunt, congregantes se ipsa die in navi domini Regis ad consilium, quid esset deinceps ad faciendum. Cum ante se viderent Damiatam et portum, ex magna Turcorum et equitum et peditum multitudine communitum, et os fluminis, quod de prope imminebat, ex galearum multitudine armatarum. In quo sic consilio ordinatum fuit, ut in crastino mane quilibet pro posse suo, cum domino Rege ad terram veniret.

ante Damiatam appellit,

C

632 Et sciat dominatio vestra, quod, sicut fuit ordinatum, in ipso Sabbatho in mane exercitus Christianus, relictis magnis navibus, in galeis et minutis vexillis *(ita vocat cymbas)* viriliter accincti descenderunt. Et confidentes de Dei misericordia, ac auxilio crucis triumphalis, quam dominus legatus in vexillo *(id est, navicula)* juxta dominum Regem gestabat, læti et confortati de Deo, versus terram contra hostes, insultus plurimos tam sagittarum missionibus quam aliis facientes, sese retraxerunt. Verumtamen cum ipsa vexilla propter nimiam maris planitiem, usque ad siccam terram non possent attingere, Christianus exercitus in nomine Dei, relictis vexillis, in mare saliendo se immisit usque ad siccam terram, cum armis suis pedes veniendo. Et licet ipsa Turcorum multitudo contra Christianos littus defenderet; tamen favente Domino nostro Jesu Christo, littus obtinuit populus Christianus cum sospitate et lætitia, et cum equorum Turcorumque strage magna, et quorumdam, qui magni nominis esse dicebantur. *Nam cæsi, ait Nangius pag. 353,* unus, qui erat villæ * capitaneus, et duo admirati *. Soldanus autem ibi præsens non erat, quia de novo e Damasci partibus veniens, stabat in quodam loco, qui per unam leucam a civitate Damietæ distabat, ubi etiam quadam infirmitate languebat. In ipsa vero die occupaverunt os fluvii galeæ nostrorum, fugientibus galeis Saracenorum, ac fluvium ascendentibus.

quam, fusis terra, marique hostibus,

D

* *i. e.* urbis gubernator

* *vulgo* emiri

E

633 Fixis autem Rex Franciæ ac peregrini tentoriis suis super littus pernoctaverunt ibidem, et in crastino, videlicet die Dominico, ibidem commorantes ordinaverunt, ut gentes ipsorum et equi, qui adhuc in navibus erant, illa die descendere ac venire in exercitum possent. *Plura hujusce pugnæ adjuncta habet Joinvillius cap. 4, quæ ibidem legi possunt. Unum addo, quod alii non memorant; nimirum Regem ipsum e scapha sua in aquas insiliisse, iisque humerorum tenus fuisse immersum. Aliud non prætermittendum, quo summa ejusdem Regis pietas indicatur, habet fragmentum cujusdam epistolæ in Additamentis Parisii pag. 110 hisce verbis :* Et alacriter prosiliens a navi (Ludovicus) cecidit protinus in faciem suam, et oravit cum lacrymis devotissime, ut Deus viam et actus suos dirigeret. *Porro captam sequenti die Dominico* VI *Junii Damiatam, consentiunt passim omnes istius temporis scriptores, atque uno fere modo rem enarrant. Quapropter omissis aliis, unum fere tantum producam testem, qui rei gestæ interfuit, quique non pauca supplebit ab aliis prætermissa.*

die 6 Junii occupant.

F

§ L. Damiatæ situs : de ea capta amplior narratio.

Quo *major dictis hactenus, dicendisque lux accedat, juvabit brevem Damiatæ, qualis tunc erat, descriptionem hoc loco adornare. Tyrius lib. 20, cap. 16 de ea sic loquitur :* Est autem Damiata inter Ægypti metropoles antiqua et nobilis plurimum, secus ripam Nili sita citeriorem, ubi secundo ostio prædictus fluvius mare ingreditur inter fluminis alveum et mare, situ valde commodo; a mari tamen quasi milliario distans. ... Porro in ulteriore fluminis ripa erat turris singulariter erecta, armatis sufficienter ad sui præsidium munita. Ab hac usque ad civitatem cathena protendebatur ferrea; ... ita ut ad superiora nullus omnino pateret transitus *per flumen. Sanutus lib. 3, part. 6, cap. 22 ostium Nili, quod Tyrio secundum est a Palæstina, Nilum item vocat, illique Damiatam adjacere ad*

Damiatæ situs, et valor :

Orien-

A *Orientem, seu ripam Palæstinæ citeriorem, cum Tyrio affirmat, at duabus leucis a mari dissitam dicit, Italicis opinor : addit muris circumdatam fuisse duplicibus :* Est quoque, *inquit,* ante Damiatam in flumine fortissima turris erecta : ad cujus pedem duæ fortissimæ catenæ fixæ sunt, quæ usque ad turrim aliam protenduntur, quæ in civitate est, ne introitus vel exitus pateat navigantibus, nisi de soldani licentia. Hæc civitas totius Ægypti clavis, et caput est, *id est, omnium Ægypti urbium est munitissima. Talis erat Damiata, priusquam anno 1219 post obsidionem anni et septem mensium eam expugnaverat Joannes Brennensis rex Hierosolymitanus. At munita etiam magis erat, dum ad eam oppugnandam accedebat* S. Ludovicus. *Unde de ea sic habet Nangius pag. 354 :* Eratque civitas ipsa tam ob fluminis Nili interpositionem *(terram enim ceperat Christianus exercitus in insula trans ostium Damiatæ sita)* quam murorum et turrium fortium circuitum, fortissima, multumque, postquam alias capta fuerat, infortiata. Unde videbatur multis, quod per vim ex- B pugnari, vel capi nullatenus potuisset, nisi Deus miraculose per virtutem suam id fieri permisisset: nam quamdiu intus aliqui essent victualia sufficienter habentes, tenere civitatem et ibidem morari quantum vellent potuissent.

litteræ, in quibus discessus e Cypro.

635 *Hisce præmissis, subjungo litteras Guidonis cujusdam equitis ex familia vicecomitis Melodunensis, quas ille post captam Damiatam ad fratrem suum scripsit, quasque in Additamentis Matthæi Parisii habemus editas a pag. 108, præcisis tamen initio et fine iis, quæ ad rem nostram non pertinent. Post breve exordium iter enarrare sic aggreditur :* Cum inito speciali consilio, a Cypro movimus navigando versus Orientem, propositum habentes Alexandriam expugnare, et paucis diebus sequentibus rapti inopinata tempestate, vastum maris spatium pertransivimus, multæ navium nostrarum dispersæ sunt et disjunctæ ab invicem. Interim per exploratores innotuit soldano Babyloniæ, et aliis Sarracenorum magnatibus, quod Alexandriam expugnare proposuimus. Unde collecta infinita armatorum multitudine, tam de Kairæ *, quam Babyloniæ et Damiatæ incolis, quam Alexandriæ, no- C strum adventum exspectabant : ut nos in ore gladii susciperent fatigatos.

* Cairi

adventus ante Damiatam,

636 Una igitur noctium, cum quodam vento aspero per amplum pelagi tractum veheremur, in mane mitigato vento, apparuit serenitas desiderata, quæ naves dispersas prospere congregavit : misimus igitur funambulum peritum scilicet speculatorem, qui omnia cismarina * littora noverat, et cismarina, nec non et idiomata multa, (qui nobis pro duce constituebatur fideli) ad summitatem mali navis nostræ, ut nobis intimaret, si terram videret, et ubinam locorum essemus. Qui cum diligenter et morosa deliberatione omnia loca circumjacentia considerasset, exclamavit, voce dicens attonita : Deus adjuvet, Deus nunc adjuvet, qui solus potest : ecce sumus hic ante Damiatam. Poteramus siquidem jam terram omnes considerare. Similiter etiam aliarum navium speculatores id idem sentiebant, et cœperunt jam congregari ad invicem.

* *l.* transmarina

oratio Regis suos animantis,

637 Dominus autem Rex, cum hoc cognovisset, imperterrito spiritu cœpit omnes egregie nimis suos animare, et consolari, dicens surgens in medio : Amici mei ac fideles, insuperabiles erimus, si in charitate inseparabiles fuerimus : non sine divino nutu huc transvehimur tam repentine, applicemus in terram quamcumque potenter occupatam. Non sum rex Franciæ, non sum sancta Ecclesia, sed vos utique omnes rex estis; vos sancta Ecclesia. Non sum nisi unus solus homo, cujus vita, cum Deus voluerit, sicut unius alterius hominis exsufflabitur. Nobis omnis casus tutus est : si vincamur, martyres avolamus; si vincamus, gloria Domini prædicabitur; et totius Franciæ, immo Christianitatis, ampliabitur. Profecto insanum est credere, quod me Dominus incassum suscitavit, qui omnia providet, causam magnam super hoc considerabit, divincemus pro Christo, et ipse in nobis triumphabit, non nobis, sed nomini suo dans gloriam, et honorem, et benedictionem.

AUCTORE J. S.

navium quarumdam hostilium

638 Interim naves nostræ jam congregatæ littori appropinquabant, ita scilicet, quod cives Damiatæ, et qui littoribus contermini erant, classem nostram poterant considerare, scilicet mille, et quingentas naves, exceptis dispersis : scilicet centum et quinquaginta. Et revera non fuit, E ut credimus, temporibus nostris, tanta navium nobilium multitudo congregata. Stupentes igitur Damianitæ, et supra quam dici potest attoniti ac perterriti, miserunt ad nos quatuor galeias * optimas cum piratis expeditissimis, ad explorandum, et inquirendum quinam eramus, et quid quærebamus : et cum eos videremus tantum appropinquare, ut possent vexilla nostra discernere, hæsitarunt, et cessarunt tantum festinare, ut prius, quasi de nuntio suo certificati, ac indemnes reversuri. Galeiæ vero nostræ interim eos cum scaphis cursoriis cingebant, interponentes se, nostrisque navibus jam cogebantur appropinquare vel inviti. Verum nostrates videntes Domini Regis constantiam, et incommutabile propositum, eo jubente, præparaverunt se ad bellum navale : ut et hos, et quoslibet alios, si supervenirent, comprehenderent, et littus violenter capientes, ad terram ut ascenderent, imperavit.

* *i. e.* triremes

depressio,

639 Misimus igitur super eos spicula ignita, et lapides de mangonellis * navalibus; qui sic parabantur, ut quinque vel sex lapides simul de longo jacerent, et phialas plenas calce, arcubus per parva hastilia ad modum sagittarum su- F per hostes jaculandas. Spicula igitur, piratas et eorum vasa * perforabant, lapides obruebant : calx, confractis vasculis, execabat * : unde subito tres galeiæ eorum perierunt, aliquibus tamen de piratis, ne mergerentur, cum vita interceptis. Quarta autem non indemnis evasit. Ipsos igitur excogitatis cruciatibus affecimus, quos vivos *(ceperamus,)* et totius veritatis extorsimus confessionem : videlicet, quod vacuata Damiata suis civibus, apud Alexandriam expectabamur. Piratæ vero, qui evaserunt (quorum aliqui lethaliter vulnerabantur et galeia dissipabatur) Damianitis cum ejulatu lacrymabili retulerunt super littus cum maxima multitudine expectantibus, quoniam mare classe superveniente operiebatur. Rex enim Francorum, cum infinita nobilium multitudine hostiliter adventabat. Pro quo etiam asserebant decem mille manifeste dimicare contra ipsos Sarracenos, qui pluebat super ipsos ignem, lapides, et nebulam. Verumtamen dum a maris fluctibus fatigantur infirmati, ipsos, sicut vitas, et mansiones vestras diligitis, unanimiter expetite et trucidate, vel saltem donec nostrates revocentur, potenter repel-

* *i. e.* machinis minoribus

* *i. e.* naves

* *l.* excæcabat

AUCTORE J. S.

repellite. Nos autem soli vix evasimus, ut hæc vobis nunciaremus præmuniendis. Cognovimus magnatum signa. Ecce jam in nos irruunt furibundi ad navale vel campestre animati et parati.

victoria Christianorum,

640 Irruit igitur super eos timor cum diffidentia. Omnes nostrates de veritate certificati, in spem optimam erigebantur : unde glomeratim et certatim prosilientes in scaphas a navibus : erat enim mare juxta littus parum profundum. Unde nec scaphæ nec naviculæ ad aridam attingere potuerunt. Miserunt se igitur in mare multi usque ad lumbalia properantes, juxta Domini Regis distinctum et urgentissimum præceptum. Et continuo commissum est bellum cruentissimum, et nostrates additi sunt prioribus indistanter, et fortitudo gentium dissipata est. Nec cecidit aliquis de nostris ferro, præter unum. Submersi vero duo vel tres perierunt, qui propter ardens desiderium pugnandi, sese nimis properanter in aquam miserunt; et a semetipsis potius quam ab aliis sunt interempti. Sarraceni igitur retrocedentes sese in civitatem suam, multis interemptis, et quamplurimis lethaliter vulneratis et mutilatis, turpiter fugiendo receperunt. B Nostri autem ipsos e vestigio insecuti essent, sed a potentioribus, qui proditionem timebant, reprimebantur. Verumtamen dum pugnavimus, exierant quidam sclavi * et captivi, ruptis vinculis, et eorum receptaculis, quia etiam carcerarii exierant contra nos; nec in civitate aliqui remanserunt, præter mulieres, parvulos, et valetudinarios. Ipsi igitur sclavi et captivi nobis gaudenter ac properanter occurrentes, Regi et exercitui nostro applauserunt, dicentes : Benedictus qui venit in nomine Dei. Hæc acta sunt in bonum auspicium initiale, scilicet die Veneris, quæ est dies Dominicæ Passionis : et applicuit tum dominus Rex secure et gaudenter; et residuum exercitus Christiani : et sic quievimus usque in crastinum.

* i. e. mancipia

hostium ex urbe fuga,

641 Die vero Sabbati sequenti, terram et maris littora, quæ capienda remanserant, potenter ac prudenter cepimus, ducatu et documento sclavorum, qui etiam arcanos transitus cognoverunt. Ipsa vero nocte Sarraceni comperientes aliquos sclavorum et captivorum evasisse, ipsos, qui remanserant, excerebrantes, martyres Christi fecerunt gloriosos, in propriam C perniciem. In opaca vero nocte sequenti et mane die Dominica, Sarraceni, considerata adventantium multitudine, fortitudine, et constantia, et urbis inopinata desolatione, cum suis ducibus, et majoribus, et consolatoribus, viribus, et armis caruissent, arreptis mulieribus ac parvulis, et rebus portatilibus, armati leviter per portulas, quas caute longe ante præparaverant, fugerunt, ex parte alia civitatis : et pars per aquam, pars per terram subita elapsa est, relinquens civitatem omnibus redundantem.

ejusdem per Christianos occupatio,

642 Die vero Dominica hora tertia exierunt duo captivi, qui manus hostiles casu evaserant, nunciantes nobis, quæ contigerant. Rex igitur, omni timore proditionis deposito, non in effusione sanguinis vel armorum strepitu, civitatem, nemine contradicente, intravit ante horam nonam, nullo etiam vulnerato graviter de intrantibus præter comitem de Marchia Hugonem Brunum, qui eliquato sanguine de vulneribus, non potest, ut credimus, mortem evadere. Ipse namque prodigus sui propter probra, quæ sustinuit, in medios hostes temerarius se ingessit, et ponebatur in prima turma sponte bellantium tamquam suspectus, quod et ipsum non D latuit. Nec prætereundum est, quod cum propositum habuissent Sarraceni fugiendi, jecerunt versus nos ignem Græcum copiosum et efficacem, quod erat nobis periculosum valde et mortiferum : quia ventus asper fuit flans a civitate versus nos. Et ecce ventus illico retroversus, ignem suum respersit in civitatem, et combussit multa eorum corpora, et castra, et plura combussisset, sed sclavi accedentes continuo, qui jam pauci remanserunt, suis notis extinctoriis, necnon et precibus, divino nutu (ne nobis Dominus civitatem combustam daret) extinxerunt.

inventaque in ea præda

643 Cum igitur ipsa die vere Dominica, dominus Rex cum maximo tripudio (ut prætactum est) intravisset, illico ad templum ipsorum Sarracenorum intravit oraturus, et Deo hæc omnia merito ascripturus. *Verum quanta pietate urbem ingressus sit* S. Ludovicus *cum legato, episcopis, aliisque, aptius describit Nangius pag. 354 his verbis :* Mundata igitur civitate a quorumdam mortuorum ac bestiarum cadaveribus, et extincto igne, legatus una cum patriarcha Hierosolymitano, nec non archiepi- E scopis et episcopis, qui præsentes aderant, et magna parte clericorum ac religiosorum, Ludovicus Rex Franciæ cum pluribus aliis processionaliter nudis pedibus, præsentibus etiam rege Cypri, pluribusque baronibus et aliis hominibus, civitatem Damietæ intraverunt. *His consentit nummus antiquus apud Jacobum de Bie fol. 25, ingressum Damiatæ sic repræsentans :*



His notatis, ad epistolam revertamur : Et so- F lemniter nimis antequam cibum sumpsisset, prorumpentibus præ gaudio jucundis et devotis lachrymis, cecinerunt fideles, incipiente legato, hymnum angelorum, videlicet TE DEUM LAUDAMUS. Et statim, ubi dudum Christiani Missam consueverant celebrare, et campanas pulsare, expiato loco et asperso per aquam benedictam, fecit celebrare Missam de beata Virgine, ubi quarta die præcedente (prout captivi nobis assertive asserebant) spurcissimus Machometus cum detestabilibus immolationibus, et vocibus altisonis, et tubarum clangore magnificabatur. Invenimus autem in civitate, cibariorum, armorum et machinarum, necnon vestimentorum preciosorum, vasorum, utensilium, auri, argenti, et aliorum bonorum, copiam infinitam. Et præter hæc, statim fecimus apportari victualia nostra de navibus; quorum copiam habuimus, et alia nobis chara ac necessaria.

describuntur,

644 Propitiante igitur nobis divina munificentia, exercitus Christianus ad instar stagni, quod ex torrentibus inundantibus suscipit incrementum, quotidie dilatatur : hinc militia de

partibus

A partibus domini de villa Herlewini, hinc de militia Templi et Hospitalariorum nobis subsidium, absque peregrinorum adventu, diatim per Dei gratiam accumulatur subsidium. Verumtamen ipsi de Templo et Hospitali de gloria tanti triumphi credere diu noluerunt : quia revera nulli fuit credibile quod evenit. Quia igitur hæc miraculose evenerunt, præcipue quod ventus suum ignem infernalem in sua capita reverberavit regressus (et hoc fuit de antiquis Christi miraculis, quia sic Antiochiæ evenit) conversi sunt aliqui ad Dominum Jesum Christum, et fideliter nobis hactenus adhæserunt. *Huc usque de Damiata capta memoratæ litteræ. At una in re ab aliis differre videntur. Nam totum prælium videntur diei Veneris innectere, dicereque terram die Sabbati sine certamine fere occupatam, cum alii auctores pugnam præcipuam ad diem Sabbati referant in ipsa terræ occupatione. Apparentem itaque contradictionem tolle hoc modo. Voluit epistolæ auctor conjungere certamina ante Damiatam inita : pugna autem navalis, qua captæ sunt tres Saracenorum triremes, die Veneris contigit. Hinc* B *ait num. 640 hæc acta die Veneris, quia eo die inchoata : nam mox num. 641 ait,* die Sabbati... terram prudenter et potenter cepimus, *nec plura adjungit de pugna eo die commissa, quia jam relata erant.*

§ LI. Facta utrimque post Damiatam captam, progressus Christiani exercitus Babyloniam versus : prælia varia Christianis prospera : inutilis ad transeundum ostium Tanicum conatus.

Castra Regis apud Damiatam : ubi archiepiscopus et canonici restituti :

Joinvillius, *postquam narraverat Damiatæ occupationem, num. 62 graviter conqueritur de moribus crucesignatorum, vigentibusque peccatis, quibus divinam meruerunt vindictam. Nitebatur quidem huic malo remedium adhibere* S. Ludovicus, *multosque e domesticis etiam suis* C *ea de causa dimittebat, alios severe puniebat. Sed fieri non potest, ut in armorum licentia paucorum pœna cohibeat, quos timor Dei non coercet. Rex interim agmen suum in castris prope urbem continebat, relicto in urbe præsidio, una cum personis ad bellum inutilibus. Porro dum ibidem castra habebat* Ludovicus, *velitationes quasdam factas, et incommoda castris Regiis per Saracenos illata, refert Joinvillius num. 65 et seqq., quæ hic non repeto. At silendum non est, inter armorum strepitus, curasque bellicas, ne liberalitatis quidem suæ, et in viros religiosos beneficentiæ, immemorem fuisse Sanctum. Testatur id donatio, ibidem facta in castris abbatiæ Regalis-montis, quam num. 116 narravimus : ibidem item confirmavit fundationem monialium Ordinis Cisterciensis, factam a Galchero de Castellione mense Septembri, quam inveniet lector apud Martenium tom. 1 Anecdotorum col. 1043. Præ ceteris tamen commemorandum, quod archiepiscopalem sedem, olim, dum anno 1219 capta est Damiata, a legato Pontificio constitutam, teste Vitriaco in Epistola de captione Damiatæ, atque hoc tempore, Rege curante, restitutam, una cum canonicis in ea institutis, amplissimis reditibus, immunitatibus, et privilegiis donaverit, priusquam ad interiora Ægypti progrederetur. Litteras* Ludovici *hac de re datas mense Novembri anni 1249 edidit Stephanus Baluzius tom. 4 Miscellaneorum a pag. 491, in quibus tum pietas tum liberalitas Regis mirifice elucescit. Nunc quid ei cum soldano negotii fuerit videamus.*

AUCTORE J. S.

soldanus punit desertores Damiatæ ;

646 *Perculit Saleh Ægypti soldanum amissio Damiatæ, nec minus exacerbavit. Agebat ille, ut vult Chaizius pag. 584, in Achmon oppido, Damiatæ vicino : sed Mansoræ tunc fuisse scribit Abulpharagius mox citandus : illud constat, gangrena et fœmoris putrefactione ad extrema fere fuisse redactum. Quid autem fecerit, audita Damiatæ amissione, tradit Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 323 hoc modo :* Interea temporis, dum hujusmodi mala perpeterentur, ad eum venerunt Damiatæ præfecti, qui eam in fugam dati deseruerant. Cum ergo ipsi nuntiatum esset, quid fecissent, ipsos scilicet inde fugisse nullo commisso prælio aut pugna, graviter illud ferens, in crucem agi jussit : fuerant autem quinquaginta quatuor principes, qui omnes, E uti se habebant, vestibus suis, balteis, et soccis induti, suspensi sunt : *ita ille. Facardino tamen omnium duci parcitum post objurgationem, ex illorum Historia scribit Chaizius pag. 584.*

Ludovicum joco impetit, at is sapienter respondet :

647 *Idem soldanus, cum armis non posset, joco saltem Regem impetere voluit. Res narratur in Additamentis Parisii pag. 110 his verbis :* Non est super aliquo sollicitus Dominus Rex Franciæ, capta Damiata, nisi super eo, quod non habet sufficienter populum ad custodiendum et inhabitandum occupata et occupanda. Verum idem Rex attulit secum aratra, ligones, trahas, et alia rusticana instrumenta. Quod cum audisset soldanus Babyloniæ, significavit eidem Regi : Ad quid huc ad incolendam terram nostram instrumenta ruralia afferri fecisti ? Inveniam tibi sufficientiam bladi * quamdiu hic eris. Et hoc ironice dictum fuit, acsi diceret : Tener es et delicatus ac juvenis, nec poteris penes Orientales diu commorari, quin pereas liquefactus. Cui Rex respondit : Vovi et juravi huc venire, et terminum, prout in me erat, præfixi : sed non vovi nec juravi hinc recedere, nec terminum mei recessus assignavi. Ideo colonorum instrumenta F mecum apportavi. *Hinc item colligat lector, quanta* Ludovici *fuerit cura, nequid deesset ad expeditionem promovendam.*

* *i. e.* frumenti

idem Regem ad conflictum provocat

648 *Quo item modo ejusdem soldani insidias eluserit Sanctus, quantaque in bello prosequendo prudentia usus fuerit, colligere possumus ex litteris § superiori recitatis, in quibus hæc subjunguntur :* Nos autem ex præteritis præmuniti, de cætero caute et circumspecte procedemus in agendis. Habemus enim fideles nobiscum Orientales, de quorum fidelitate minime dubitamus, qui omnia fere Orientalium climata, et eorum pericula experimento cognoverunt, qui in veritate devotionis jam baptismi sacramentum susceperunt. Optimates igitur nostri, quando hæc scribebantur, consilium habuerunt cum tractatu diligenti in proximo invadere Alexandriam vel Babyloniam cum Kaira ; sed quid erit inde, nescimus adhuc..... Soldanus autem Babyloniæ, iis auditis, nobis prælium indixit generale, ut in crastino sancti Joannis Baptistæ in loco communiter proviso fortunam belli inter Orientales et Occidentales, hoc est inter fideles et ipsos, una die præcise generaliter experiremur,

et

Auctore J. S.

** i. e. provoco*

et cui sors victoriam contulerit, victor glorietur, victus autem cedat humiliter. Cui dominus Rex noster respondit : Non illa vel illa die ipsum Christi inimicum diffiducio *, nec terminum quietis constituo, sed cras, et omnibus diebus vitæ meæ, ex hoc nunc et deinceps diffiducio : donec animæ suæ propriæ misereatur, et ad Dominum convertatur, qui vult omnes salvari, et omnibus ad eum convertentibus sinum pandit misericordiæ.

non sine dolo, ut videtur : quem ille prudenti responso eludit.

649 *Non sine dolo pugnam a soldano oblatam existimo : etenim Nilus crescere incipit circa solstitium æstivum, ut Plinius lib. 18, cap. 18 observat, aliique passim consentiunt; cum itaque diem conflictus statuerit post solstitium, speravit haud dubie* Ludovicum *cum exercitu pertrahendum ad loca periculosa, atque aquis Nili exundantis tandem includendum, uti Christiano exercitui acciderat sub Joanne Hierosolymæ rege. Verum illud ipsum sedulo cavebant Christiani, atque hæc una ratio erat, cur ad ulteriores Ægypti partes non progrederentur, donec aquæ Nili, quæ decrescere incipiunt circa æquinoctium autumnale, multum essent diminutæ. Audi Nan-* B *gium apud Chesnium pag. 354 :* Illic ergo, *inquit,* stetit Rex Franciæ Ludovicus per totam æstatem cum exercitu Christiano. Non volebant inde recedere usque ad decrescentiam Nili fluminis, quod tunc, sicut dicebatur, terram occupare debebat. *Oblatas etiam a soldano pacis conditiones, quibus Damiata cum territorio suo maneret Christianis, multaque in regno Hierosolymitano redderentur, scribit Sanutus lib. 2, part. 2, cap. 9; sed id apud alios ejus temporis scriptores non invenio.*

Auctus novo Gallorum et Anglorum subsidio,

650 *Auctus interim fuit Regis exercitus, tum Gallorum subsidio per Alphonsum fratrem adducto, tum etiam Anglorum, qui ei prope Damiatam castra metato se conjunxerunt. De Alphonso hæc memorat citatus Nangius :* Eodem anno (1249) circa festum Johannis Baptistæ Alphonsus comes Pictavensis, frater Regis Franciæ Ludovici, iter transmarinum arripuit, et regina Blancha mater eorum ad regni custodiam sola remansit. Ita quod dictus comes cum exercitu magno in crastino sancti Bartholomæi apostoli mare apud Aquas-mortuas intravit, et die Dominico ante festum apostolorum Simonis et Ju- C dæ apud Damietam applicuit. *Pro cujus felici adventu supplicationes Damiatæ institutas invenies apud Joinvillium num. 68. Jam ante Alphonsum ad Regem accesserat comes Sarisberiensis Willielmus de Longa spata cum crucesignatis Anglis : sed orta discordia inter Gallos Anglosque culpa Gallorum, si credimus Parisio; Angli cum duce suo se receperant Acconem, seorsim ibidem res suas promoturi. Attamen priusquam exercitus progrederetur ad interiora Ægypti, ad preces* S. Ludovici *reversi sunt cum duce suo Angli, regioque agmini se rursum conjunxerunt. Quæ breviter retulisse sufficiat : nam Matthæus Parisius, qui hæc narrat pag. 513, 524, 525, et 527, tam multa nugatur, bilemque in Gallos tam manifeste ostendit, ut de ceteris, quæ refert, nescias, quid verum sit, quid falsum. Causam quidem secessus Anglorum non improbabilem assignat : videlicet quod a Gallis spoliati essent præda, quam acquisiverant, quia injussu Regis castris erant egressi; at cetera, ut inepta, non commemoranda censui.*

Babyloniam tendere statuit cum agmine Ludovicus :

651 *Postquam Alphonsus frater Regis, dudum exspectatus, cum Gallorum subsidio advenerat Damiatam,* Ludovicus *proceres ad consilium convo-* D *cavit : ubi, cum divisæ essent sententiæ, opinantibus aliis Alexandriam ducendum exercitum, aliis Babyloniam, caput Ægypti, armis impetendam; prævaluit sententia Roberti Artesiæ comitis, statutumque fuit, ut Babyloniam primum aggrederentur; sicut refert Joinvillius num. 69. Babylonia autem et Cairus, quas passim nunc Cairum magnam vocamus, (nam Cairus magna ex variis oppidis conjunctis in eam, qua est, excrevit amplitudinem.)* Babylonia, *inquam, ut de ea loquitur Sanutus lib. 3 part. 54 cap. 12,* magna valde et bene munita, sita *(est)* supra Nilum, in ejus littore Aquilonari : transit tamen rivus satis magnus ejusdem fluminis, per medium ejus, et per civitatem Kayrum... quæ Babyloniæ contigua est : et revertitur in Kayro ad flumen. *Porro quinque leucis supra divisionem Nili in duo ostia præcipua, quæ famosum Ægypti Delta constituunt, Cairum sitam esse scribit P. Sicard Societatis nostræ in Ægypto missionarius tom. 7 Missionum Orientalium pag. 114. Distat autem Damiata Cairo seu Babylonia, juxta Sanutum citatum, milliaribus* CXV *per fluvium : at paullo minor erit distantia per* E *terram. In via autem Babyloniam versus occurrebat Massora, oppidum ad Nilum, seu Nili ostium præcipuum, cui etiam Damiata adjacet, situm : nempe ubi illud ostium, quod* Pathmeticum *vocat laudatus Sicardus pag. 125, rursus scinditur, atque infra Massoram ostium Tanicum seu Taniticum a se dimittit Syriam versus, inter quæ duo ostia iter Christianorum exercitus instituit. Juxta Massoram autem post ostium Tanicum, quod Christiano exercitui in via transmittendum erat, castra habebat soldanus cum præcipuis Ægypti viribus : unde non modica difficultas orta est Christianis, uti in decursu patebit.*

progressus Christianorum exercitus,

652 *Hisce expositis,* Ludovicum *Damiata discedentem comitabimur. Expeditionem hanc Sanctus ipse descripsit in litteris de Captione et liberatione sua, in Franciam missis mense Augusto anni sequentis, quas edidit cum aliis Chesnius tom. 5, a pag. 428, quasque totas inseremus huic commentario, per partes tamen, et quæsitis aliunde subsidiis explicatas. Sic ille orditur :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis et F fidelibus suis prælatis, baronibus, militibus, civibus, burgensibus suis, et aliis universis in regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Ad decus et gloriam Domini nominis, crucis prosequi cupientes negotium, totis affectibus universitati vestræ duximus intimandum; quod post captionem Damiatæ, quam Dominus Jesus Christus, per ineffabilem suam misericordiam, quasi miraculose præter vires humanas Christianæ tradiderat potestati, sicut vos credimus non latere, delibato communi consilio, de Damiata recessimus, vicesima die mensis Novembris proximo præteriti; congregato tam navali exercitu, quam terrestri, procedentes adversus Saracenorum exercitum; congregatum et castrametatum in loco, qui vulgariter Massoria appellatur.

occurrentes in via Saracenos cædit :

653 In ipso quidem itinere sustinuimus aliquos Saracenorum insultus, in quibus assidue detrimentum suorum non modicum receperunt, quadam die nonnullis eorum, qui de exercitu Ægyptiorum nostris occurrerant, interfectis. *Circa tempus discessus a Rege signatum consentit Bellovacensis lib. 30, cap. 99, et Nangius pag.*

354,

A *354; dissentit vero anonymus apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 733. Etenim* XXVII *Novembris exercitum discessisse scribit: huic autem favet Joinvillius num. 70, qui initium adventus assignat. Attamen potior Regi fides, in cujus epistolam non irrepsisse errorem probat aliorum consensus: nisi credere malimus* XX *Novembris iter fuisse decretum, ac* XXVII *institui cœptum. De Saracenis autem iter impedire conantibus occisos fuisse primum centum circiter et quinquaginta quinque, ac rursum altero die mille omnino partim cæsos, partim submersos, tradit laudatus anonymus, qui Tyrii continuavit Historiam: quingentos item eorum equites, qui se transfugas simulabant, partim occisos, partim aquis suffocatos, docet Joinvillius loco citato, ubi et invenies canalem Nili, qui iter morabatur, summa militum alacritate obturatum, Rege etiam manum operi admovente; ad cujus epistolam revertor.*

ac moritur interim soldanus.

654 Intelleximus autem in ipso itinere, soldanum Babyloniæ de novo vitam miseram finisse: qui, sicut publice dicebatur, miserat ad filium suum morantem in partibus Orientis, ut in Ægy- B ptum veniret; et eidem a cunctis sui exercitus majoribus fidelitatis fieri fecerat juramenta: relicta totius suæ terræ exercitus custodia cuidam admirato suo, nomine Farchardino. Hæc quidem in accessu nostro ad locum prædictum invenimus vera esse. *Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 323 exercitus Saracenici præfectum vocat* Phagroddin Othman, *quem appellatum dicit* Ebn Saif, *id est,* filium Saif, *aut filium gladii: nam* Saif *Arabibus et nomen est proprium, et gladium significat. At Joinvillius num. 75* Scecedunum *nominat* filium Schiachi; *quod vel lapsu memoriæ, vel transcribentium incuria factum opportuit; idem enim ab omnibus designatur, et* Ludovico *cum Abulpharagio satis convenit. Attamen Farchardinus hic reipublicæ Ægyptiacæ præfectus non fuit, si credimus Abulpharagio memorato, qui ita de his scribit:* Imperii autem rebus præfectus est emir Ezzoddin, qui Turcomannus audit, mamlucorum Turcarum maximus; qui in omnibus, quæ suscepit, negotiis rem detulit ad concubinam Al Malek Al Salehi defuncti, Shairoldorr appel- C latam.... Inter hos convenit, ut Al Malek Al Moaddham, filium Al Malek Al Salehi regno præficerent. Erat ei tunc temporis sedes, Hesno'lCaipha in Diarbecro, *(seu Mesopotamia)*: illum ergo misso nuntio accersiverunt, ut ad se accederet invitantes: et in provincias Ægyptiacas sine mora accedentem inaugurarunt, atque in ipsius verba jurantes, patris sui regnum ipsi tradiderunt. *Sed adventus Moaddhani, ejusque inauguratio anno sequenti contigerunt. Litteras interim* Ludovici *rursum audiamus.*

Prohibentur Christiani transitu ostii Tanici: cædunt interim Saracenos illud transgressos:

655 Accedentes igitur ad locum prædictum die Martis ante festum Nativitatis Dominicæ, *(id est* XXI *Decembris)* in primis accessum habere nequivimus ad Saracenos eosdem, propter quemdam fluvium inter utrumque exercitum defluentem, qui fluvius Thaneos dicitur, et in illo oco a magno flumine derivatur. Inter utrumque fluvium posuimus castra nostra protendentia a majori fluvio ad minorem: ubi aliquanto conflictu habito cum Saracenis, multi ceciderunt ex ipsis nostrorum gladiis interfecti; maxima insuper eorum multitudine submersa in aquis validis et profundis. Sane quia memoratus fluvius Thaneos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum et riparum altitudinem, cœpimus facere super eum calciatam *, ut per eam pateret transitus exercitui Christiano, ad hoc multis diebus cum immensis laboribus, periculis, et sumptibus insistentes. Saraceni autem, e contra totis resistentes conatibus, machinis nostris, quas erexeramus ibidem, machinas opposuerunt quamplures, quibus castella nostra lignea, quæ super passum collocari feceramus eumdem, conquassata lapidibus et confracta, combuxerunt * totaliter igne Græco. *Hæc omnia fusius narrat Joinvillius cap. 6, et 7: idem num. 75 refert, Christianos ipso Natalis Domini die oppugnatos fuisse a Saracenorum manu, quæ ostium Tanicum transmiserat: at Saracenos fortiter repulsos. Major conflictus, de quo hic mentionem facit* Ludovicus, *accidit mense Januario anni 1250; verum ita in eo excepti fuere Saraceni, sine ulla fere Christianorum jactura, ut fluvium deinde non transiisse legantur ad Christianos invadendos. Vide Joinvillium num. 76 et seq. De igne Græco, quo multa Christianis damna intulerunt Saraceni, agam in notis ad Joinvillium. Pergit epistola.*

AUCTORE J. S.

* i. e. aggerem ducere

* i. e. combusserunt

E

vado invento, transitus decernitur.

656 Quo facto, fere omni spe et expectatione frustrata per calciatam illam taliter transeundi, tandem per quemdam Saracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datum fuit nobis intelligi, locum esse vadabilem aliquantulum inferius, quo poterat exercitus Christianus fluvium transmeare. Inde, communicato consilio baronum et aliorum majorum de exercitu, die Lunæ ante Cineres, fuit concorditer ordinatum, quod in crastino, die videlicet Carniprivii *, summo mane conveniremus ad locum prædictum, fluvium transituri, quadam parte exercitus ad castrorum custodiam ordinata. *Beduinum fuisse docet Joinvillius num. 82, qui, pretio accepto, vadum ostendit. Vagum id est Saracenorum genus et infidum, lucroque unice intentum, de quorum moribus plura tradit Joinvillius locis variis, ubi et nos quædam de iis observabimus. Castrorum custodiam duci Burgundiæ, ac transmarinis proceribus commissam fuisse, docet laudatus auctor num. 83, Rege cum fratribus suis, majorique exercitus parte, fluvium transmissuro. Quod jam enarrabimus.*

* pridie Quadragesimæ

F

§ LII. Transitus fluminis: prælium, et Christianorum victoria multorum sanguine parta: pugna altera, et victoria Christianorum, item cruenta: infortunia Christiani exercitus ex penuria, morbis, et mortalitate.

Transito, non sine damno aliquo flumine,

Transitum fluminis, secutamque post transitum pugnam ac victoriam plane cruentam, late narrat Joinvillius cap. 8, et 9, adeoque necesse non est, relata ab ipso hic repetere. Verum cum ille tantum referat quæ vidit, vel a Rege, aliisque audivit, siquid ab ipso prætermissum apud alios auctores reperero, illud non prætermittendum duxi. Diem VIII *Februarii transitui assignat Continuator Tyrii apud Martenium tom. 5 Coll. amp. col. 734, qui dies illo anno erat*

AUCTORE J. S.

erat postremus ante Quadragesimam a Rege et Joinvillio assignatus. Idem asserit multos equites, aliosque submersos fuisse; negat tamen Joinvillius num. 83 in transitu submersos fuisse, at in accessu ad vadum aliquos ad ripam nimis accessisse, ac, fallente solo humido, delapsos atque aquis suffocatos commemorat. Nunc Regem in epistola loquentem audiamus : Die itaque crastina, ordinatis aciebus, venientes ad locum, transivimus fluvium non tamen sine gravi periculo. Nam profundior et periculosior erat locus, quam nobis fuerat intimatum; ita quod ibi oportuit natare equos nostros : et propter altas et lutosas ripas periculosus erat exitus fluminis antedicti. *Hinc satis verisimile est quosdam in ipso etiam transitu submersos fuisse, quod ignorare potuit Joinvillius, vel oblivisci. Primus cum agmine suo transmisit Robertus Artesiæ comes, jussus post transitum secundam aciem ducere, ac primam Templariis permittere, ut ait Joinvillius num. 84 : primis autem hisce transeuntibus adfuisse comitem Sarisberiensem, colligitur ex Matthæo Parisio pag. 528, ejusque communi cum* B *Roberto, prælio ac cæde. Quamvis alioquin multa ibidem Parisius in comitem Robertum effutiat, quæ fidem nullam merentur, adeo ut ne refutare quidem illa statuerim, dixisse contentus, tam multos in hoc auctore occurrere errores circa expeditionem hanc transmarinam, ut illius cognitio ex ipso nequaquam sit petenda. At quid Robertus cum suis hisce comitibus, transmisso flumine, egerit, ex Rege primum audiamus :*

prima Christianorum acies, cæsis cum duce suo Saracenis, castra eorum capit,

658 Transacto itaque flumine, ventum est ad locum, ubi erant Sarracenorum machinæ, juxta calciatam prædictam. Et habito cum Saracenis aggressu, nostri, qui præcedebant, multos ex ipsis trucidarunt gladiis, non parcentes sexui vel ætati. Inter quos capitaneum eorumdem, et quosdam alios admiratos interfecerunt ibidem. *Quin imo castra hostium, omnesque eorum machinas occuparunt, ut habet laudatus Tyrii Continuator col. 734. Abulpharagius sæpe memoratus pag. 323 bis mille equitum hoc primum agmen fuisse dicit, ac de duce Saracenorum occiso sic scribit :* Fuit autem dux exercitus Moslemitici * Pachroddin Othman, appellatus Ebn Saif, unus ex Ægyptiorum principibus, senex ætate provectus; hunc Franci, dum in balneo barbam tingeret, circumdatum ibi interfecerunt. *Ex quo collige, quam non exspectati Saracenis supervenerint. Præclara sane initia, maximæque victoriæ præludia hæc erant, si æque animo temperare novisset frater Regis Robertus, quam hostes pellere. Verum dum prospero successu elatus, nec suorum nec hostium numerum considerat, inconsulta temeritate multos secum traxit in ruinam : ejus enim ardori temerario auctores passim imputant, quæ post læta hæc initia successere infortunia. Occupabatur etiam tum Rex, ut verisimile est, fluvio transmittendo : hunc flumen transgressus exspectare debuerat; at ne in castris quidem hostium exspectavit. Unde factum est, ut in hoc prælio numquam Gallorum vires fuerint conjunctæ, nec omnimoda obtineri potuerit victoria.*

* i. e. Saracenici

C

deinde et Massoram temere ingressi, a multitudine opprimuntur,

659 Deinde vero, *ut prosequitur* Ludovicus, dispersis aciebus nostris, quidam nostrorum per castra hostium discurrentes, venerunt usque ad villam, quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladiis occidentes. Sed tandem Saraceni, cognito eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruentes in eos, et circumvallantes undique, oppresserunt eosdem : ubi facta est nostrorum strages non modica baronum et militum, tam religiosorum quam aliorum, de qua non immerito doluimus quam plurimum et dolemus. ibi etiam illum præcordialem et præclarum fratrem nostrum, recolendæ memoriæ Atrebatensem comitem, temporaliter amisimus : quod cum cordis amaritudine recolimus et dolore, licet de ipso gaudendum sit potius quam dolendum; quoniam pro certo credimus et speramus cum corona martyrii ad cælestem evolasse patriam, et ibi cum SS. martyribus perenniter congaudere. * *Cecidit cum Roberto Willielmus, seu Guilielmus de Longa-spata comes Sarisberiensis, et dominus Radulpus de Couci, aliique equites multi, ut habet citatus ante Tyrii Continuator. Trecentos equites ibidem occisos habet Joinvillius num 84, atque e Templariis ducentos octoginta. quorum tamen magister summus, post oculum in pugna amissum se eripuit, via per hostes facta, cum aliis quebusdam. Causam hujusce cladis nimiæ Cristianorum confidentiæ attribuunt Continuator Tyrii, et Sanutus lib. 3 part. 12 cap. 2, quod prædæ intenti, libere per oppidum vagarentur. Aliam cum Joinvillio assignat Abulpharagius pag. 323 his verbis :* Ingressi sunt Franci Mansuram; at non multum inde commodi perceperunt; nam cum in platearum angustias pervenissent, populus contra eos lapidibus, lateribus et pulvere pugnarunt, nec poterant equi ipsorum grandiores per angiportus discursitare. D E

cæduntur que : dein collecti rursus Saraceni

660 *Utramque hanc causam ad ipsorum ruinam concurrisse existimo : at præcipua tamen mali causa fuit, quod vires interim suas recolligerent Saraceni, duce, ut habet Chaizius tom. 2 pag. 8, et antesignano Bondocdar, qui postea, ad imperium Ægypti evectus, multa intulit Christianis detrimenta. Ille enim, statuta inter fluvium, seu ostium Tanicum et Massoram, valida Saracenorum manu, simul impedivit ne se ad Regem recipere posset cum suis Robertus, nec alii fluvium transgressi eidem succurrere. Hinc non tantum Saracenorum numero oppressus cum suis est Robertus, sed et summa in Christianorum exercitu orta confusio; dum singuli manipuli flumen transgressi, festinant victoribus primum, dein periclitantibus se conjungere : patent hæc ex tota Joinvillii relatione, ita ut ille non dubitet affirmare, tantum in discrimen Christianos fuisse adductos, ut de iis actum fuisset, nisi rem restituisset* Ludovici *fortitudo et prudentia. Etenim cæsis aut fugatis tum iis, qui Massoram occupaverant; tum iis, qui suppetias laturi per manipulos festinabant, totis viribus in* Ludovici *agmen invecti sunt Saraceni : quod si dissipare potuissent, plenam adepti erant victoriam. Hæc autem in laudata epistola breviter sic enarrat Sanctus :* F

in Regis agmen invehuntur : at ille impetum sustinet, et campum cum castris eorum retinet.

661 Itaque die illa, Saracenis super nos irruentibus undique, ac imbrem emittentibus sagittarum, graves insultus sustinuimus eorumdem usque circiter horam nonam, deficiente nobis omnino balistarum subsidio, et tandem, multis ibidem vulneratis ex nostris, et equis nostris pro majori parte diversis sauciatis vulneribus aut occisis, Domino auxiliante, campum retinuimus, nostrorum viribus recollectis : et ibi, juxta Saracenorum machinas, quas adquisivimus, eadem die castra nostra posuimus : ubi cum paucis moram fecimus die illo, facto ibi prius ponte de lignis, per quem possent illi ad nos, qui

erant

A erant ultra fluvium, transmeare. *Talis hujusce pugnæ fuit exitus, ut plures quidem e Saracenis occisi videantur, victoriaque cesserit Christianis, obtentis hostium castris; sed damnum Christianorum pro summa rei majus fuerit, quod Saraceni facile possent hominum equorumque copia detrimenta sua resarcire, non item Christiani, tanto terrarum et marium intervallo a patria amoti. Ceterum quam fortiter in hoc prælio se gesserit* Ludovicus, *quanto fuerit in periculo, quanta religione mortem fratris sui intellexerit, omniaque ad Deum retulerit, disces ex Joinvillio cap. 8, et 9, qui et cap. 10 refert, conatum Saracenorum ad machinas suas de nocte recuperandas, aliaque, quæ brevitatis causa hoc loco non commemoro.*

Saraceni statuunt castra Christianorum impugnare,

662 *Quid autem postridie,* IX *Februarii, egerint Christiani, ita* Ludovicus *commemorat :* In crastino vero plures e nostris de mandato nostro fluvium transeuntes, castrametati sunt juxta nos : et tunc, destructis Sarracenorum machinis, licias fecimus ad pontes navales, per quos nostri de uno exercitu ad alium transire libere poterant et secure. *Necessaria omnino erat hæc cautio;* B *nam Saraceni, novo duce electo Bondocdaro, homine rei militaris peritissimo, jam se parabant ad Christianos invadendos, et opprimendos. Quippe Bondocdarus, inventum militare sagum Roberti Artesiæ comitis, egregie ornatum et splendidum pro dignitate tanti principis, Saracenis ostendit, Regis Francorum occisi sagum esse dictitans; quo mendacio adeo incendit Saracenorum animos, ut ad certamen se obtulerint uno animo, diemque Veneris sequentem,* XI *Februarii, elegerint, quo Christianos omnino delerent. Verum, re per speculatores ad Regem delata, ad strenuam defensionem se paraverunt Christiani, et jam summo mane ante castra sua stabant, ordine militari per turmas dispositi : quo factum est, ut Saraceni non potuerint exsequi quod speraverant. Narrat hæc Joinvillius num 103.*

C



quod et faciunt totis viribus; sed magna cum clade repelluntur.

663 *Pugnam hanc item late describit dictus Joinvillius cap.* XI, *de ea pauci ex antiquis meminerunt, idque breviter, etiamsi atrocissima fuerit, tantoque utrimque ordine inita, quanta præcedens confusione.* S. Ludovicus *illam paucis hoc modo memorat :* Sequenti autem die Veneris, filii perditionis, congregatis ex omni parte viribus suis, Christianum exercitum omnino perdere intendentes, in fortitudine maxima, et in multitudine infinita convenerunt ad licias nostras, ex omni parte exercitus tantos tamque terribiles facientes insultus, quantos, sicut a pluribus dicebatur, in eis marinis partibus numquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, divina prævalente potentia, ordinata ex omni parte exercitus nostrorum copia restitimus, et impetus repulimus eorumdem, maxima eorum multitudine nostrorum gladiis incumbente. *Nec incruenta fuit Christianis victoria, cæso Templariorum magistro cum maxima suorum parte, ex præcedenti pugna superstitum. Latius de hoc prælio consule Joinvillium, ubi invenies plurima lectu non indigna. Hic tamen antiquum adjunxi numisma, quo hanc victoriam designari existimo, licet præcedenti quoque conveniat, sicut illud exhibet sæpe laudatus de Bie fol. 25.* AUCTORE J. S.

Morbis, mortalitate, et penuria Christianum

664 *Hisce tristiora Christianis successerunt, lætiora Saracenis. In primis hos recreavit adventus soldani sui cum subsidio novo, de quo ita* Ludovicus *prosequitur :* Postmodum autem elapsis aliquot diebus adventavit apud Massoram soldani filius, veniens de partibus Orientis : in cujus adventu tympanizantes et lætantes Ægyptii, receperunt eum ad dominum : et ex hoc augmentata est eorum non modicum fortitudo. *Contrariam vero Christianorum fortunam sic enarrat :* Unde apud nos postmodum, nescimus quo Dei judicio, omnia nostris desideriis in contrarium successerunt; inolente diversarum ægritudinum peste, et mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quam in equis : ita quod vix erant in exercitu aliqui, qui mortuos suos non plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Unde pro magna parte diminutus erat exercitus Christianus, et consumptus. E

exercitum devastantibus,

665 Tantus erat defectus victualium, quod plures inedia deficiebant et fame. Non enim vasella * navalia de Damiata ad exercitum transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis et vasis * piraticis, quæ per terram in flumine collocaverant antedicto. Sicque compluribus vasis nostris prius captis ab eis in flumine, tandem duas successive caravanas *, victualia et multa alia bona ad exercitum deferentes, cæsa marinariorum et aliorum multitudine, ceperunt, in totius exercitus detrimentum. Unde deficiente omnino victualium, et annonæ equorum suffragio, cœperunt in exercitu deficere fere omnes, in desolationem et terrorem non modicum incidentes. *Horum malorum causas, et genera exponit Joinvillius cap. 12, cujus dicta mire confirmantur hac Regis epistola, quamvis ille multa referat a Rege prætermissa.* F

* *i. e.* naviculæ
* *i. e.* navibus
* *i. e.* classes

post inutilem de pace tractatum, is trans flumen reducitur.

666 *Tot malis vexati Christiani de pace egerunt cum Saracenis, teste Joinvillio num. 122; nec multum abesse videbantur a fœdere, iis conditionibus ineundo, ut Rex Damiatam redderet Saracenis; hi vero regnum Hierosolymitanum Christianis restituerent, nisi Saraceni Regem ipsum petiissent obsidem, quod adeo absonum apparuit proceribus Gallis, ut omnis de pace tractatio mox fuerit abrupta. Ceterum ablata pacis spe, morbisque et penuria cibariorum invalescentibus, primum exercitus partem illam, quæ trans ostium Tanicum castrametabatur, reduci Rex jussit ad castra, cis flumen ex adverso posita, sive ad locum illum, ubi ante fluminis transitum, castrametatus fuerat totus exercitus : id autem factum non esse sine gravi certamine, invadentibus abeuntes Saracenis, narrat Joinvillius num. 119. Quem etiam consulere potest lector, ut intelligat quanta patientia, pietateque hæc mala pateretur* S. Ludovicus, *licet gravissimo cum majori suorum parte morbo esset vexatus. Nos ad reductionem agminis Damiatam, Regisque cum suis captivitatem festinamus.*

§ LIII.

AUCTORE J. S.

§ LIII. Rex cum exercitu captus in reditu Damiatam : varia in carcere facta : pactum Regis cum soldano de sua, aliorumque redemptione : soldanus a suis peremptus.

Redit Damiatam cum exercitu Ludovicus ;

D*amiatam cum exercitu repetere conatus est* S. Ludovicus *die* v *Aprilis, ut habet Continuator Tyrii, anno 1250, seu die Martis post hebdomadam paschalem, ita tamen ut jam vesperi præcedente se ad iter paraverint, noctuque discesserint. Cum pars pèr Nilum, pars altera terrestri itinere reverti deberet, iterque commodius per flumen, ac minori obnoxium periculo videretur, suadebant proceres varii, ut Rex majori quodam navigio Damiatam se vehi juberet, sicuti fecit legatus Pontificius, et alii,* B *qui hostium manus sic evaserunt. Verum respondit Rex sanctus, se velle periculorum omnium esse participem, copiasque suas militares reducere, sicut eas ipse duxerat, ut pluribus narrat Vita secunda num. 79, charitatem et fortitudinem Regis hinc celebrans. Porro ante discessum jusserat* Ludovicus *pontes omnes resecari, qui ostio Tanico erant impositi : at id magno Christianorum malo prætermissum, teste Joinvillio num. 123, apud quem itidem invenies non pauca incommoda, quæ tum per terram tum per flumen redeuntibus acciderunt, ita ut ex his non nisi pauci evaserint, illi omnes omnino, vel cæsi fuerint fortiter pugnando, vel in hostium manus inciderint. Audi rem breviter a* Ludovico *relatam :* His igitur, *inquit,* arctatos incommodis, tam propter ciborum carentiam et equorum annonæ, quam propter casus superius annotatos, inevitabilis necessitas nos induxit a loco prædicto recedere, et ad partes Damiatæ redire, si Dominus providisset.

sed irruentibus Saracenis, capitur

C 668 Sed, cum viæ hominis non sint in eo, sed potius in illo, qui quorumque gressus dirigit, et disponit juxta suæ placita voluntatis : dum essemus in itinere revertendi, quinto scilicet die mensis Aprilis, et Sarracenis * totis suis viribus congregatis in unum, cum multitudine infinita aggressi sunt exercitum Christianum; et sicut accidit, permissione divina, peccatis nostris exigentibus, in manus inimicorum incidimus : nobis, et karissimis fratribus nostris, A. Pictavensi, et K. Andegavensi comitibus, et cæteris, qui nobiscum revertebantur per terram, nemine penitus evadente, captis et carceribus mancipatis, non sine maxima strage nostrorum, et effusione non modica sanguinis Christiani : majori parte illorum, qui revertebantur per fluvium, similiter capta, aut gladio interfecta; vasellis navalibus, ut plurimum, incendio dissipatis, in quibus incendii flamma combuxit ægrotantium multitudinem dolorosam. *Pervenerat jam Rex ad oppidum modicum, quod* Casel *Joinvillius,* Setensaf *Continuator Tyrii,* Sarmosac *vero nominat Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 3. Quo cum ventum esset, adeo præ morbi gravitate et itineris fatigatione debilitatus apparuit* Ludovicus, *ut illo ipso die moriturum crederent. Unde verisimile non est, quod scribit Nangius pag. 356, Regem tunc magis sollicitum fuisse, ut Horas canonicas recitaret, quam ut fugæ præsidio se liberaret.* D

* *lege* Saraceni *sine* etc.

cum toto fere exercitu.

669 *Interim, cum eo usque se egregie defendissent Christiani, sed vehementer irruerent Saraceni, Philippus Montfortius jussu Regis adiit Saracenorum ducem, de pace ineunda iis conditionibus, quibus ante voluerant Saraceni, cum eo acturus. Et, si credimus Joinvillio num. 126, res fere fuerat peracta; cum accensus quidam regius, quem* proditorem *vocat, seu mente captus, seu Christianos prodendi animo, clamare cœpit Christianis militibus, arma ponerent, seque captivos traderent, id Regis esse mandatum. Milites rati, id Regis revera mandatum esse, arma deposuerunt : quod cum intelligeret Saracenorum ille ductor, Montfortio dixit, sero nimis de pace tractari, quando jam captos se dederant Galli, ipsumque cum ceteris captivum detinuit pro more Orientalium, quo legati detinebantur captivi, mortuo aut de statu dejecto alterutro principe. Hæc Joinvillius num. 126, quem pro reliquis hujusce cladis circumstantiis lector consulat, non pauca inventurus, quæ tum barbaram Saracenorum in ægrotos præsertim crudelitatem ostendant, tum quæ eximiam* E S. Ludovici *in tantis malis animi moderationem, atque invictam patientiam commendent.*

Breviarium amissum divino favore recipit Sanctus;

670 *Porro omnia Regi, æque ac aliis captivis, ablata cum essent, de unius maxime doluisse videtur Breviarii sui jactura, quod illius defectu solita pietatis officia persolvere non posset, de quibus nihil remittere statuerat, ne in carcere quidem. Pietatem Servi sui approbavit Dominus; nam refert Guilielmus Carnotensis num. 8, Breviarium ei a Saracenis redditum. Quin imo Breviarium eidem per miraculum allatum, narrat Bonifacius VIII in Oratione encomiastica apud Chesnium pag. 482, cujus verba subjungo :* Miracula etiam tempore captionis suæ plurima acciderunt, inter quæ unum fuit præcipuum, et relatione dignum. Quidam enim religiosus, qui eum secutus fuerat, et cum eo captus, dum staret secum in una camera secreta, cœpit Rex devotus multum conqueri, et condolore propter hoc, quod Breviarium non habebat, ubi posset dicere Horas suas canonicas. Respondit frater ille, eum consolando : Non est curandum in tali articulo; sed dicamus nihilominus PATER NOSTER, et alia, quæ poterimus. Sed cum multum affligeretur super isto, invenit juxta se subito Breviarium suum proprium. Divinitus, ut credimus, sibi, et per miraculum est apportatum. *Habet hoc etiam Guilielmus Guiart apud Cangium pag. 144, qui librum per angelum allatum dicit. Potuit autem id factum Bonifacius discere vel ex ipso, qui adfuerat religioso, vel ex aliis, quibus id ille narraverat; quod biographi forsan non scripserunt, quia Sanctus propter insignem animi demissionem celare jusserat; neque enim tantus Pontifex pro concione illud narraturus videtur, nisi de re satis fuisset certus.* F

cujus captivitas quibusdam revelata,

671 *Sancti Regis captivitatem quibusdam a Deo revelatam fuisse eodem, quo contigit, tempore auctores referunt fide digni. In Vita B. Bonifacii Lausanensis episcopi, apud nos tom.* III *Februarii pag. 154 hæc invenio :* Quando Rex Franciæ erat ultra mare contra Sarracenos et Paganos ad defendendam sanctam Hierusalem et sepulcrum Domini, erat episcopus *(B. Bonifacius)* in oratione, et venit ei vox de cælo, dicens : Scias pro certo Regem Franciæ hodie

tradi

A tradi in manus gentium, et multos e populo suo occidendos, et reliquos duci captivos, et ita factum est. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1250 num. 1 hæc habet :* Eam S. Ludovici et Christiani populi captivitatem revelavit Deus beato viro Gerardo, socio ministri generalis fratris Joannis Parmensis : eadem porro hora, qua, peccatis exigentibus aliorum, S. Rex in manus pervenit hostium, Fr. Gerardus concionem habuit ad populum in foro Constantinopolitano, verbum autem Dei in fervore spiritus prosecutus, factus est in excessu mentis : postmodum in se reversus cum fletu, et ejulatu; Modo, inquit, hac ipsa hora capta est aquila. Populo attonito et suspenso, nec percipiente quid hoc nomine aquilæ designaret, clarius declarans : Nunc, inquit, a Saracenis Vir Dei, Christianissimus Rex Francorum Ludovicus cum exercitu suo captus est. Notarunt præsentes diem et horam, præ reliquis dominus episcopus Bondiniciæ (sic manuscriptum) tum præsens, qui hæc ipsa fratri Angelo Clareno, ut ipse testatur, sæpius retulit. Cæterum veritatem revelationis probatus diligenti observatione rei eventus B confirmavit. *Ita ille.*

bonorum omnium de ea tristitia, Gibellinorum vero gaudium.

672 *Porro hæc* S. Ludovici *captivitas mirum in modum perculit non reginas modo Blancham et Margaritam; quarum hæc, dudum gravida, præ doloris acerbitate filium immaturo partu effudit, quem* Joannem Tristanum *nominari voluit, teste Guilielmo Guiart apud Cangium pag. 144; sed et summum Pontificem Innocentium IV, qui litteris suum de hoc infortunio dolorem declaravit : ex his binas edidit Chesnius tom. 5 a pag. 413, alteras ad ipsum* Ludovicum *consolatorias, alteras ad archiepiscopum Rotomagensem, quibus preces pro* Ludovico *flagitat. Denique quoslibet amantes Ecclesiæ filios dolor occupavit, quod nossent præcipuum Ecclesiæ defensorem tanta clade affectum, vinculisque infidelium constrictum. Quin imo ipse Fredericus imperator vel doluit, vel certe, quod verisimilius est, dolere se finxit, legatosque suos ad soldanum Babyloniæ misit, qui de redemptione Regis cum eo agerent : verum Galli ipsi, teste Joinvillio num. 170, non fidebant hisce legatis, gaudebantque se carcere liberatos, priusquam illi in Ægyptum appulissent. Sive au-* C *tem Frederici dolor verus fuerit, sive fictitius, ejus factionis homines, quos* Gibellinos *vocabant, quique Florentiæ tunc principatum obtinebant, audita sancti Regis captivitate, publica ediderunt lætitiæ signa, ac diem festum celebrarunt, quemadmodum scribit Joannes Villanius in Historia Florentina lib. 6, cap. 36, inter scriptores Italiæ tom. 13, col. 180. Ex quo sane suspicio Gallorum relata non caruisse videtur fundamento; ac manifestum fit, parsne imperatoria, an Pontificia suum existimaret* Ludovicum.

Soldanus, lucro intentus, sanandum per medicos curat Regem,

673 *Verum, ut ad Regem redeamus; ejus virtutes heroicæ in carcere maxime enituerunt. Eadem ibidem vitæ austeritas, eadem precandi assiduitas, eadem in adversis, quæ in prosperis apparuerat, constantia cum invicta fortitudine parique animi moderatione conjuncta. Celebrant hæc biographi singuli locis suis, quorum verba non repeto; maxime quod hæc ex factis quibusdam referendis satis sint apparitura. Itaque quid ei cum Saracenis acciderit, audiamus. Nangius pag. 356 de valetudine ipsius eorum cura restituta sic loquitur :* Denique non est silendum, quod, quando Rex captus fuit, graviter ægrotabat illa mortifera et generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus est defuncta, ita quod de vita ipsius modicum sperabatur. Sed eo capto, providente ipso, qui diligentibus se omnia cooperari facit in bonum, soldanus per medicos suos, qui melius quam nostri noverant artem curationis hujusmodi, fecit eum diligenter custodiri et sanari, et omnia necessaria, quæcumque Rex petivisset, abundanter et curialiter ministrari. *Sic se per Saracenum ex morbo gravissimo restitutum, refert Joinvillius num. 130. Verum Saraceni hanc erga Christianos ægros humanitatem non exhibebant nisi spe lucri, ex eorum redemptione percipiendi; pauperes enim infirmos ovium instar jugulabant : deinde, ut præmittit Nangius,* Gens illa sceleratissima præter blasphemias, quas in contumeliam Creatoris proferebant, in conspectu populi Christiani crucem flagellis cædentes, in eam spuebant, et in opprobrium fidei Christianæ viliter pedibus conculcabant. *Demum auri cupiditate fecisse, quidquid Christianis fecerunt boni, patet ex sequentibus, quæ jam narrare aggredimur.* E

AUCTORE J. S.

dein eidem, aliisque graviа minatur, quo plura extorqueat.

674 Sane post captionem nostram, *inquit* S. Ludovicus *in epistola,* per dies aliquot jam dictus soldanus requiri nos fecit de treugis faciendis, petens instanter non sine minis et austeritate verborum, quod sublato moræ dispendio, faceremus sibi restitui Damiatam, cum omnibus rebus ibidem inventis, et resarciremus omnia damna, et expensas, quas fecerat usque ad tempus illud a die, qua receperant Damiatam Christiani. *Non modo Damiatam, sed insuper oppida quædam Palæstinæ initio petiisse soldanum; variosque terrores Christianis objiciendos curasse, imo et cruciatum gravissimum Regi intentasse, ut plura extorqueret, disces ex Joinvillio num. 135 et seqq. Verum, cum videret soldanus invictam Regis constantiam nec minis concuti posse, nec terroribus frangi, ac Damiatam quam primum recipere desideraret; mitior factus, honestiores pacis conditiones obtulit, quibus Rex continuo consensit, suam, aliorumque redemptionem pactus iis conditionibus, quas mox ex ipso audiemus, dum pauca circa Damiatam notaverimus.* F

Damiatam dolo tentasse dicuntur Saraceni : de urbis statu inquirit Rex :

675 *Matthæus Parisius pag. 531 refert Saracenos dolo usos ad Damiatam recuperandam, Rege non redempto : videlicet eo profectos ingenti agmine, armis, scutis, et vexillis Christianorum instructos, ut pro Christianis intromitterentur in urbem : verum agnitos ex moribus, atque urbe prohibitos fuisse; indeque, spe recipiendi Damiatam frustratos, mitius agere cœpisse cum captivo Rege. Quod factum fidei auctoris relinquo, quam propter multiplices in hoc bello referendo errores non meretur magnam. Certius est, quod scribit Gaufridus de Bello loco num. 9, Regem priusquam consentiret in restitutionem Damiatæ, eo misisse nuntios, qui de statu urbis inquirerent; atque ex iis audivisse, non eas esse in urbe vires, ut diuturnam obsidionem sustinere possent; alioquin, si urbs contra vim Saracenorum servari potuisset, in ejus restitutionem numquam fuisse consensurum. Hinc intelliges, cur* Ludovicus *apud Joinvillium num. 138, mirantibus Saracenis, reginam consulere voluerit, an illa redemptionis captivorum vellet persolvere pretium. Hisce expositis, audiamus quas redemptionis suæ, suorumque omnium, atque induciarum conditiones cum sol-*

AUCTORE J. S.

redemptione captivorum, et induciis cum soldano pactis,

dano pactus fuerit Ludovicus.

676 *Illas ipse refert hoc modo :* Tandem post multos tractatus treugas inivimus usque ad decennium, sub hac forma videlicet, quod idem soldanus nos et omnes, qui capti fuerant a Saracenis, postquam venimus in Ægyptum, Christianos captivos, nec non et omnes alios, de quibuscumque partibus oriundos, qui capti fuerant a tempore, quo soldanus Kyemel *, avus ejusdem soldani Caym *, cum imperatore treugas inierat, et carcere liberaret, et liberos abire permitteret, ubi vellent : et quod terras, quas Christiani in regno Jerosolymitano tenebant id adventu nostro, cum omnibus pertinentiis in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam, et octingenta millia bisantiorum Sarracen. pro liberatione captivorum, et damnis, et expensis prædictis, de quibus jam solvimus quadringentos; et liberare omnes Sarracenos captos in Ægypto a Christianis, postquam illuc venimus : nec non et eos, qui capti fuerant in regno Jerosolymitano, a tempore treugarum olim factarum inter imperatorem et soldanum prædictum.

* *alias* Camel.

* *alias* Moaddham

B

conditionibus hic relatis,

677 Adjecto, quod omnia bona nostra mobilia, et omnium aliorum apud Damiatam remanentia, post recessum nostrum salva forent, et sub custodia et defensione ejusdem soldani, portanda ad terram Christianorum, quandocumque opportunitas haberetur. Omnes etiam Christiani infirmi, et alii, qui pro vendendis rebus suis, quas ibi habebant, in Damiata moram traherent, tuti similiter essent, recessuri per terram vel per mare, quando vellent, sine impedimento vel contradictione quacumque. Et omnibus illis, qui per terram vellent recedere, tenebatur idem soldanus usque ad terram Christianorum securum præstare conductum. *Joinvillius num. 138 habet, petiisse soldanum dedies centena millia bysantiorum aureorum, quæ valebant eo tempore quingentis millibus librarum; ac Regem ejus postulationi continuo acquievisse : at soldanum, laudata* Ludovici *liberalitate, ducenta bysantiorum millia mox ei remisisse.*

ipse a suis occiditur,

678 *Pactis, juratisque utrimque hisce conditionibus; cum jam Damiatam versus, dimittendi veherentur Christiani, incommodum accidit nec opinatum, quo et periculum adierunt præcedenti majus, et liberatio eorum aliquot diebus fuit procrastinata. Regem hæc breviter referentem audiamus :* Unde, *inquit,* cum hujusmodi treugæ inter nos et soldanum prædictum, præstitis juramentis, hinc inde firmatæ fuissent : et jam idem soldanus esset cum suo exercitu in itinere veniendi adversus * prope Damiatam pro complendis omnibus supradictis : accidit divino judicio, quod quidam milites Sarraceni, non sine conniventia vel majoris partis exercitus, irruentes in soldanum prædictum, surgentem in mane de mensa, post prandium, ipsum immaniter vulneraverunt; et de suo tentorio exeuntem, ut posset fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus admiratis, et aliorum Sarracenorum multitudine, frustatim gladiis trucidarunt. *De tempore hujus cædis non consentiunt omnino auctores : etenim Continuator Tyrii col. 734, quem sequitur Sanutus lib. 3, part. 2, cap. 3, secunda die Maii occisum scribit. Guilielmus vero Tripolitanus, auctor item coævus, in Fragmento de statu Saracenorum apud Chesnium tom. 5, pag. 432 cum his non concordat : nam* XXXII *dies carceri Regis assignat, et sequenti, cum liberari debebat, soldanum occisum scribit, quod secundum ejus calculum factum oportuit die* VIII *Maii, cum* V *Aprilis Rex fuerit captus. Attamen secunda die Maii hanc cædem contigisse existimo, cum Joinvillius num. 139 huic calculo utcumque possit accommodari, non alteri; et Carnotensis num. 40 die Lunæ cædem factam affirmet. Unde, cum dies Lunæ ante Ascensionem Domini fuerit secunda Maii, illa die occisus est soldanus Moaddham.*

C

* *forte* advectus

D

cujus cædis locus, causa, et modus referuntur.

679 *Joinvillius num. 139 cædem hanc accidisse docet in palatio quodam ejusdem ad Nilum sito, ubi diem cum Rege statuerat, qua, Damiata reddita, captivi dimitterentur. Num. autem 140 et seqq. causam hujusce cædis et modum describit : nec multum ab eo abludit Abulpharagius in Historia dynastiarum pag. 324, adjungens rationes, cur adeo ad liberationem Regis festinaverit soldanus, cujus verba ad confirmationem Joinvillii subjungo :* Cum autem jam in potestatem Al Malek Al Moaddhemi pervenisset Francorum Rex, dixerunt ipsi mamluci minores ipsius coætanei : Videmus omnia penes Shairoldorram, et principes esse, neque tibi de regia potestate quicquid præter nomen esse. . . . . Nec alia hujus rei causa est, quam quod tibi ipsis opus sit ad Francos oppugnandos, præter quos nullus est tibi hostis. Sententia ergo nostra est, ut cum Rege isto, et qui cum eo sunt principibus, pacem ad temporis, quod tibi visum fuerit, spatium facias; neque enim ille tibi in aliquo, quod volueris, adversabitur, si ipsum bene tractaveris, vitamque ei concesseris, acceptis nummis et gemmis, quæ ipsi Damiatæ sunt : ita tibi Damiata dedita, statim abiturus es, et ipsius, sectæque ipsius noxa liberaberis, simulque securus a principibus eris, neque exercitui servire cogeris; sed in regno tuo, quem visum tibi fuerit, retinebis, quem minus gratum habueris, amovebis. Propendens igitur Al Moaddham in ipsorum sententiam, et consilium probans, negotio cum Re de Fransa * transacto, ipsum, prout sibi visum est, ad jurandum adegit, emiris * primariis in aliqua rerum istarum haud consultis. Illi ergo, quid ageretur, perspecto, et animum Al Moaddhami ab ipsis alienatum esse compertum habentes, quidque ipsis facere statueret, ira conciti in ipsum insilierunt. Ipse vero fugiens in turrim quamdam ligneam, quæ ibi fuit, ascendit, cui illi ignem intulerunt; qui cum ad ipsum pertingeret, eumque adureret, se in Nili rivum conjecit : illi vero accedentes sagittis eum in aqua petierunt, adeo ut et submersus et vulneratus periret.

E

* *i. e.* Rege Franciæ

* *i. e.* principibus Ægypti

F

§ LIV. Terrores varii captivis objecti, miraque in iis Regis constantia : pactum induciarum renovatum, ac liberati cum Rege captivi : fabella de sacrosancto Christi Corpore Saracenis in pignus dato.

O*cciso soldano, varii terrores Christianis principibus fuerunt illati a sanguinolentis Sara-*

A *Saracenis, de quibus oculatus testis Joinvillius num. 143. Quanta autem in hisce fuerit* Ludovici *constantia, ex paucis intellige. Venit ad eum percussor soldani, teste Joinvillio num. 142, manu adhuc sanguinolenta, qua cor soldano extraxerat, petiitque quid sibi daturus esset* Ludovicus, *quod inimicum ejus occidisset : at ille ne responso quidem hominem dignatus est. Vel idem ille, vel alius soldani percussor, cruentum, evaginatumque gladium ita coram Rege vibravit, ac si eum vellet perimere, jactitans in sua esse potestate, vel libertatem ei concedere, vel vitam eripere; libertatem autem daturum, si ab eo eques crearetur. At respondit intrepide* Ludovicus, *se militia non donare hominem a fide Christiana alienum; donaturum vero, si fidem amplecti vellet Christianam. Denique vel maxime patuit invicta ejus animi fortitudo, in recusanda jurandi formula, quam ei post renovatum redemptionis pactum præscribere volebant Saracenorum principes, uti post pauca narrabimus. Porro post primos istos terrores, Saracenorum principes bono animo Regem esse jusserunt,* B *ut habet Guilielmus Carnotensis num. 10, dixeruntque brevi liberandum, si pacta servare vellet. Imo, Joinvillio teste num. 148, egerunt etiam de conferendo ei Ægypti imperio, nec id se recusaturum fuisse Joinvillio asseveravit* Ludovicus, *licet barbaros Saracenorum mores non ignoraret. Verum plus valebat apud Sanctum fidei ea occasione propagandæ studium, quam metus mortis deterrebat.*

Post varios terrores, in quibus mire eluxit Sancti constantia,

681 *De renovato post hæc a* Ludovico *cum Saracenorum principibus suæ suorumque redemptionis pacto, agit num. 144 et seqq. Joinvillius. Narrat hæc ipse* Ludovicus, *simul perstringens quæ jam dicta sunt, hisce verbis :* Quo perpetrato *(soldani homicidio,)* statim multi Sarraceni armati, in illo furoris calore, venerunt ad nostrum tentorium, ac si vellent, ut timebatur a multis, in nos et alios Christianos desævire : sed divina clementia eorum furiam mitigante, super firmandis treugis præhabitis cum soldano, et civitate Damiatæ liberatione festina, nos requisiverunt instanter. Cum quibus, præmissis tamen ab eis verborum et comminationum tonitruis, tandem sicut Domino placuit, qui tamquam Pater misericordiarum, et plus in tri- C bulationibus consolator, gemitus compeditorum exaudit, firmavimus cum juramentis treugas, quas feceramus antea cum soldano; et ab omnibus et singulis eorum recepimus juramenta, juxta legem eorumdem super treugis nostris observandis : determinatis certis temporibus, infra quæ captivi liberarentur hinc inde, et Damiatæ civitas redderetur. In cujus redditione, et tunc cum admiratis eisdem, et ante cum soldano ea de causa non sine difficultate convenimus : quia spes nulla erat de retinenda civitate jam dicta, sicut certissime per illos intelleximus, qui ad nos de Damiata venerant, veritatem nullatenus ignorantes : propter quos de consilio baronum Franciæ, et quamplurium aliorum, potius elegimus Christianitati fore consultius, nos et captivos alios pro treugis hujusmodi liberari, quam civitatem taliter amittere cum residuo populi Christiani existentis in illa, quam * nos et alios sub tantis periculis in carcere remanere.

pactum cum Rege renovant Saracenorum principes :

* *legendum videtur* et

682 *Porro comminationum tonitrua, de quibus Rex loquitur, vel maxime fuerunt, quando agebatur de juramento, quo Rex pactum cum Saracenis initum confirmaret. Joinvillius num. 146 refert duplex per Saracenos exactum fuisse a Rege juramentum. Primum cum imprecatione, eaque sane gravissima, quod tamen præstare non recusavit Sanctus, non ignarus juramentum execratorium pro causæ gravitate licite fieri. Alterum plane impium Regi visum est, idque jurare constanter detrectavit. In eo autem describendo auctores non omnino consonant. Joinvillius id exprimit his verbis :* Alterum erat quod dicto casu, si Rex non servaret dicta promissa, perjurus haberetur, sicuti Christianus, qui Deum negavit, ipsiusque baptisma et legem ipsius; quique in odium Dei crucem conspuit, eamque pedibus calcat. *In Vita secunda num. 20 auctor rem ita narrat :* Rogarunt beatum Regem, ut et ipse juramento suo insereret, quod Deum negaret atque extra fidem Jesu Christi existeret, si pacta cum ipsis inita non observaret. *Ita et Bonifacius VIII in Bulla Canonizationis apud Chesnium pag. 488. Anonymus autem apud Chesnium pag. 404 eodem sensu factum hoc totum sic enarrat :* Habito itaque tractatu cum Sarracenis de sui sociorumque liberatione, quibusdam adjectis conditionibus pactum addentes, E quod Mahometum negarent, nisi omnia pacta servarent, volebant quod et Rex diceret, quod Christum negasset, nisi omnia conservaret.

AUCTORE J. S.

at, dum juramento formulam addi volunt, quæ impia videbatur,

683 Qui licet omnes conventiones servare et tenere proponeret, multique ad dicendum consulerent, et de proximo timeretur mortis periculum imminere, cum indignatione tamen respondit : Hoc numquam de ore meo exibit ob reverentiam Jesu Christi. Fortis ergo in bello Domini Ludovicus, fortis, inquam, et leo, qui furorem hostium frementium non expavit. Maxime cum hæc agerentur cum illis, qui soldanum statim occiderant... Et cum quidam admiraldus Regi diceret : Vos estis noster captivus, et in carcere nostro, et ita audacter loquimini et nobis ? Aut facietis quod voluerimus, aut crucifigemus vos pariter atque vestros. Rex vero promptus ad martyrium, in nullo permotus respondit; quod, si eum occiderent, tamen ipsius animam non haberent. *Suadebant quidem fratres aliique nobiles Regi, ut juraret hoc modo; id licitum esse dictitantes : imo etiam, teste Joinvillio num. 147, patriarcha Hierosolymitanus, quem graviter ea de causa cruciabant Saraceni. At ille nec suum, nec aliorum timorem in consilium adhibebat, sed omni timore superior, blasphema verba proferre constanter detrectabat.* F

eam addere constanter renuit Ludovicus, nequidquam iis minitantibus :

684 *Et vero non immerito ad dicta verba Rex sanctus exhorruit : etenim, quidquid dicerent præsentes Regi proceres, quantumvis etiam laudatus secundæ Vitæ auctor eorum opinioni adhæserit; difficulter mihi persuaderi sinam, formulam Regi propositam sine gravi peccato addi juramento potuisse, cum Deum negare non liceat sub conditione quacumque, etiam numquam futura, quamque vel maxime vitare decreveris. Nec hæc formula exponi potest, sicut exponitur formula juramenti execratorii. Exempli causa hæc :* Deus me puniat, si pacta non servem, *quæ exposita ad hunc sensum reducitur : Testem invoco Deum, me pacta servaturum, idque tam vere, ut pœnam non recusem ab ipso mihi infligendam, si ipsum mendacii testem invocem. Exponi, inquam, sic non potest, quin blasphemia manifeste appareat. Faciamus periculum :* Deum nego, si pacta non servem : *id est, testem invoco Deum, me pacta servaturum, idque tam vere,*

qui, formula impia relicta, ejus juramento tandem acquiescunt,

AUCTORE J. S.

vere, ut si ipsum mendacii testem invocem, eum etiam sim negaturus; quod tantumdem est, ac si diceret, ut gravi peccato perjurii gravissimum infidelitatis crimen sim adjecturus. Impia itaque fuit formula jurandi Ludovico proposita, ita ut mirer scrupulum a quibusdam vocari hanc pii Regis constantiam. Ceterum triumphavit invicta illius fortitudo non modo de timore Christianorum captivorum, sed etiam de furore Saracenorum: hi enim paulatim mitiores redditi, atque in admirationem versi, primo ejus juramento acquievere.

ac, recepta Damiata, Regem cum proceribus dimittunt.

685 *Pactis autem utrimque juramento firmatis, statutus fuit dies* VI *Maii, quo, reddita Damiata, captivi dimitterentur liberi. Refert hæc Joinvillius cap. 16, ex quo intelliges, quam multa crudeliter, impieque contra conditiones juratas Damiatæ commiserint Saraceni; quantumque inter se disceptaverint, utrum captivos, accepta jam urbe, dimitterent; an omnes Mahometo immolarent. Contra vero, quam religiose se gesserit* Ludovicus, *ut integra mediæ partis, quæ ante discessum ex Ægypto persolvi debebat, fierit solutio. De hisce itaque breviter tantum loquentem* Ludovicum *audiamus* : Die igitur statuta receperunt admirati prædicti civitatem eamdem : qua recepta, liberaverunt nos, et fratres nostros, nec non comites Britanniæ, et Flandriæ, et Suession., et multos alios barones, milites de regno Franciæ, Jerosolymorum, et Cypri. Et tunc spem firmam habuimus, ex quo nos liberaverunt et alios supradictos, quod de reddendis et liberandis omnibus aliis Christianis juramenta sua firmiter observarent, secundum continentiam treugarum. *Porro Alphonsus frater Regis in carcere remansit obses, donec pecunia, Saracenis in Ægypto persolvenda, integre post biduum esset data. Regem autem ipsum pro aliis omnibus obsidem manere voluisse, refert Anonymns apud Chesnium pag. 404: at id proceres non permiserunt. Ceterum jam discessisse nobiles aliquot in Franciam die postero, seu Sabbati, priusquam Alphonsus carcere esset emissus, invenies apud Joinvillium num. 153, sed non recte ibidem inter illos legi comitem Flandriæ, in notis observabimus. Nunc, antequam Sanctum in Syriam abeuntem comitemur, refutanda venit fabella ineptissima, quæ, quantumvis sit deformis, suos tamen habuit amatores.*

Fabella ineptissima de tradito Saracenis

686 *Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano ad* XXV *Augusti, seu pag. 396 hanc ita enarrat :* Ob illius (Ludovici) liberationem petierunt infideles sibi tradi sacram Eucharistiam pro pignore : eo quod zelum ac pietatem illius sancti Regis agnovissent circa Christum Dominum, quem toto cordis affectu adorabat in eo augustissimo Sacramento; ut ad perpetuum dedecus, si Rex inclytus in exsolvenda pecunia impie fidem falleret, inexpiabilis a sulthano invidia maxime pio Regi conflaretur. Oppignorata itaque sacra Eucharistia, Rex Ludovicus liber dimittitur : a quo paulo post soluta pecunia, idem pignus sacrum læto animo recepit : secumque in Syriam deportavit. In cujus rei memoriam Sarraceni aurum hostia calici superincumbenti signasse eo tempore feruntur : eademque in tapetibus et figuris Ægytiorum cernuntur : imo et apud Cayrum in introitu portarum visuntur nunc usque ipsamet insignia : nimirum calix cum hostia paulisper in altum elevata, et duo angeli hinc inde positi, ex una manu in tortitia, et ex alia thuribula deferentes, in honorem sanctissimi Sacramenti. Denique ipsa Saladini, seu potius Saphandini sulthani effigies (ob victoriam de nostris reportatam) gerit in manu sceptrum aureum, cujus summitas calice cum superposita hostia, seu ciborio Eucharistico adornatur, cum hac inscriptione sceptrum circumiente, VICTORIÆ TESTIS.

sacrosancto Domini Corpore in pignus,

687 Scio nonnullos id omne fabulam reputasse... Horum autem omnium rationes ita leves ac futiles censentur, ut proinde a nobis haud immerito rejiciantur, et opinatam fabulam flabello linguæ minime opus sit abigere : maxime cum nostra sententia firmioribus innitatur fulcris authorum non paucorum : inter quos primum Jani Vitalis Panormitani : epigramma.

Accepit pignus victor Saladinus Jesu,
Redderet ut regnis, te, Ludovice, tuis.
Tu pignus redimis multo pretiosius auro.
Utra fides major, illa vel ista fuit?

Hisce addit auctores 16 partim Catholicos, partim heterodoxos, quorum nullus seculo XVI, *quo floruit Panormitanus, est antiquior. Atque hæc sunt firmiora illa fulcra, quibus vir minime malus, at parum criticus, scriptorumque auctoritatem ponderare nescius, ridiculam hanc fabellam, ne dicam sacrilegam, confirmare studuit. Porro auctores ab eo citatos tanti hac in re faciendos non puto, ut discutere opus sit, verene scripserint hanc fabulam, an id eos scripsisse falso existimaverit Arturus : cum tamen inter eos nominet illustrissimum Spondanum ad annum 1250, lubet virum de Historia ecclesiastica bene meritum ab hac labe vindicare, fabellæque refutationem ejus verbis exordiri.*

rationibus variis,

688 *Quippe laudatus Spondanus num. 6, post relatam Regis constantiam in recusanda jurandi formula, de qua egimus, ex ea fabellam hanc refutat his verbis :* Ex quibus fabulam illam quorumdam recentiorum, antiquis omnibus ignoratam refellas; qua tradunt Regem in fidei suæ pignus, ciborium cum sacratissima Eucharistia tradidisse. Præterquam enim quod Saraceni nihil tale pensi habuissent: qui Rex piissimus, quem Deum suum tanta conscientia coleret, impiissimorum barbarorum ludibriis committere sustinuisset, qui nec dubiæ jurisjurandi formulæ sese submittere induci potui? Sunt autem, qui conjiciant inde fabulam ortam, quod Saraceni aurum eo tempore cudisse reperiantur cum figura azymi, calici superimpositi ea forma, qua in sacris uti solitum, eamdemque postea suis stromatis sive tapetis indere consueverint. *Enimvero quis credat,* Ludovicum, *qui inusitata ceteris hominibus reverentia Dominum suum sub speciebus Eucharisticis latentem prosequebatur, uti ex Vita secunda num. 40 intelliges, tam sui fuisse dissimilem, ut eum traderet canibus furiosis, a quibus crucem flagris cæsam, sputis fœdatam, ac pedibus conculcatam ipse testatur in laudata sæpe epistola? Si ægre ferebant Galli proceres Regem suum postulari obsidem, si omnem de pace mentionem idcirco abrumpebant, æquone tulisset animo Rex sanctus, Deum suum obsidem postulari? Imo non mille potius mortes sustinuisset, quam tantum commisisset sacrilegium? Quo enim alio nomine hoc facinus appellem, non invenio.*

ex Vitæ scriptoribus depromptis,

680 *Verum necessum non est ex facti enormitate fabellam refutare, cum ejus falsitas ex ipsis Vitæ scriptoribus, iisque oculatis testibus, manifeste pateat. Carcere egressus est* Ludovicus *die*

Veneris

A *Veneris* VI *Maii post mensem captivitatis et diem unum, idque reddita Saracenis Damiata, seu persoluto majori ex parte redemptionis pretio. Pars autem pecuniæ una danda erat, priusquam a Nilo Rex discederet, altera Accone erat persolvenda. Pars prior duobus post liberationem diebus persoluta est, relictusque pro ea tamdiu obses frater Regis Alphonsus. Pro altera vero parte pignus itidem Saracenis datum est, teste Joinvillio num. 145, qui ea de re hoc modo loquitur :* Per hoc pactum Rex jurare debebat, quod solveret ducenta librarum millia, antequam a fluvio discederet, aliaque ducenta millia Accone iis daret, quodque pro cautione solutionis detinerent ægrotos, qui erant Damiatæ, cum balistis, apparatu bellico, machinis, carnibusque falsis, donec Rex mitteret, qui ea asportaret, mitteretque postrema ducenta librarum millia. *Vides hic obsidem pro parte altera, pro altera cautionem idoneam : quid itaque opus est sacrilegam fingere cautionem contra testium oculatorum fidem? Contra fidem, inquam, testium oculatorum; nam et Guilielmus Carnotensis,*
B *Regis in carcere comes, num. 8 testatur, Missæ officium in carcere quidem peractum fuisse quotidie, sed* absque consecratione : *videlicet quod sanctissimum Sacramentum a Saracenorum injuriis non satis fuisset tutum.*

historiæ æque ac theologiæ contraria probatur.

690 *Lubet item considerare quam apte suis temporibus adornata sit fabella. Saladino datum inquiunt pignus sacratissimum. At jam diem supremum dudum obierat Saladinus, antequam natus esset* S. Ludovicus. *Saphadinum substituit Arturus, anachronismum scilicet correcturus. Verum et Saphadinus mortuus est, puero adhuc* Ludovico, *et pronepos ipsius imperium Ægypti occupabat, dum ibidem captus est Sanctus. Plures aliorum errores historicos, fabellæ adjectos, commemorare non lubet, nedum refutare. Consulere lector curiosus poterit in postrema Ughelli editione tom. 9, col. 8, ubi ea de re leget ridiculam Brundusinorum persuasionem : et Rerum Italicarum Scriptorum tom. 22, col. 555; ubi fabellam nihilo melius relatam inveniet. Etenim jam plura diximus, quam fabula mereatur, de qua dubites, impiane magis sit an ridicula, crisine magis historicæ*
C *quam theologicæ sit inimica. Ad* Ludovicum *itaque ex Ægypto redeuntem regrediamur.*

§ LV. Adventus Sancti Acconem : consilium ibi institutum, redeatne an maneat in Palæstina : fratrum ejus, aliorumque reditus : perfidia Saracenorum in retinendis captivis, et cura Regis ad eos liberandos : gesta reliqua anni 1250.

Delatus Acconem Ludovicus.

J*oinvillius num. 158 narrat, dona ad Regem missa a liberis principis cujusdam Ægyptii : at tantam fuisse libertatem Sancti, carcere quidem, non tamen Ægypto adhuc egressi, ut eorum latorem, quod fidei desertor esset, a se abscedere jusserit. Idem num. 161 describit iter Acconense, incommodaque, quæ in illo Sanctus summa animi moderatione pertulit. Num. 162 summa lætitia, ac solemnitate ab egressis obviam Acconensibus exceptum fuisse docet. Ac demum num. 163 et seqq. fuse enarrat, consilium a Rege habitum, utrum in Palæstina maneret, an rediret in Galliam; auditisque principum sententiis, hac de re non parum divisis, cum Galli plerique proceres reditum suaderent, transmarini vero moram in Palæstina præferrent, statutum a Rege fuisse, ut, quotquot vellent, cum fratribus suis discederent, qui autem secum manere cuperent, id libere facerent : quod declaratum a Rege circa festum S. Joannis Baptistæ, ait num. 168 : neque multo post hæc fratres Regis cum aliis quibusdam proceribus in Galliam abiisse. Quæ, aliaque interim cum perfidis Saracenis gesta, ex epistola* Ludovici *confirmata, atque ordine enarrata accipe :*

AUCTORE J. S.

captivorum reliquorum liberationem exigit : at paucos dimittunt Saraceni :
** redundat illud* et

692 His itaque peractis, *inquit*, a partibus Ægypti recessimus, certos nuntios dimittentes ibidem ad recipiendum captivos a Sarracenis, et ad custodiam rerum, quas ibidem dimisimus : et * quod non habebamus navigia, quæ sufficerent ad portandum. Postmodum autem, venientes in actu de rehabendis captivis, quod multum insidet cordi nostro, sollicite cogitantes, remisimus alios solemnes nuntios et navigia in Ægy-
E ptum, ad reducendum captivos, et res alias, quas dimiseramus ibidem : scilicet, machinas nostras, arma, tentoria, quamdam quantitatem equorum, et alia multa bona. Sed admirati prædicti nuntios nostros, cum instantia postulantes reddi sibi captivos juxta formam treugarum, et alia supradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, sub spe reddendi omnia, quæ petebant. Tandem vero post expectationem diuturnam de captivis omnibus, quos reddere tenebantur, qui sunt, ut firmiter dicitur, numero plus quam duodecim millia, inter antiquos et novos, non liberaverunt nuntiis nostris, nisi tantummodo quadringentos; de quibus pars quædam exivit de carcere pecunia mediante. De cæteris vero rebus nihil omnino reddere voluerunt.

imo et aliquos cogunt fidem negare, alios id detrectantes necant :

693 Imo, quod est detestabilius, post treugas initas et juratas, sicut intelleximus per nuntios nostros, et per captivos quosdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos juvenes
F de Christianis captivis, ducendo ad victimam tamquam oves, quantum in eis erat, compellebant apostatare a fide Catholica, appositis gladiis super eorum cervicibus, et clamare legem sceleratissimi Machometi, quorum multi imbecilles et fragiles exorbitaverunt a fide, legem illam detestabilem profitendo. Cæteri vero, tamquam athletæ fortissimi, in fide radicati, et in firmo proposito constantissime persistentes, minis vel flagellis hostium superari nullatenus potuerunt : sed certantes legitime, coronas martyrii receperunt sanguine rubritas : quorum sanguis, ut pro certo tenemus, clamabit ad Dominum pro populo Christiano, et advocati nostri erunt coram summo judice in cælesti curia, in causa, quam agimus contra fidei inimicos, utiliores nobis in illa patria, quam si nobiscum conversarentur in terris. Multos etiam Christianos, qui apud Damiatam remanserunt ægrotantes, gladiis trucidarunt. Nec de liberandis captivis Christianis, nec de rerum restitutione nostrarum, aliquam certitudinem habebamus, quamvis plene servaverimus conditiones, et pacta, quæ cum eis habuerimus, et parati fuerimus observare.

694 Ad

AUCTORE J. S.

hinc consulit proceres Ludovicus, redeatne an maneat in Syria;

694 Ad hoc cum post treugas initas et liberationem nostram, firmam haberemus fiduciam, quod, liberatis captivis, terra transmarina, quam Christiani tenebant, in statu pacifico permaneret, usque ad tempus in treugis diffinitum; voluntatem et propositum habuimus ad partes regni Franciæ revertendi : et jam disponi feceram de navigio, et aliis, quæ ad nostrum passagium * necessaria videbantur. Sed aperte videntes per ea, quæ superius sunt expressa, quod admirati prædicti aperte contra treugas veniebant, et contra propria juramenta, nobis et Christianis illudere non verentes, requisivimus consilia baronum Franciæ, prælatorum domorum Templi, Hospitalium sancti Joannis, et sanctæ Mariæ Teutonicorum, et baronum regni Jerosolymitani : et communicatum quidem esset nobis incuntibus hujusmodi faciendum : quorum major pars concorditer asserebat, quod si nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omnino in amissionis periculo constitutam; et noster recessus non esset aliud, nisi eam totaliter exponere Sarracenis : maxime cum B in statu tam debili, et tam miserabili his diebus esset, proh dolor! constituta.

* *i. e.* transfretationem

iisque auditis, manere statuit, at fratres in Franciam dimittere :

695 Captivi etiam Christiani, qui ab infidelibus detinentur, post recessum nostrum poterant pro perditis reputari, omni spe de liberatione ipsorum sublata. Si autem contingeret nos morari, sperabatur quod ex mora nostra posset aliquod bonum evenire : ex quo etiam liberatio captivorum, et castrorum et villarum regni Jerosolymitani retentio, et quædam alia toti Christianitati utilia possent, auctore Domino, provenire : maxime cum inter soldanum Halapiæ, et Babyloniæ gravis discordia sit exorta. Qui soldanus, congregatis suis exercitibus, jam cepit Damascum, et quædam castra sub dominio Babyloniæ constituta : processurus, ut a multis asseritur, in Ægyptum ad vindicandum mortem interfecti soldani, et ad terram illam, quantum poterit, occupandam. His igitur consideratis attente, prædictæ Terræ sanctæ compatientes miseriis et pressuris, qui ad ejus subsidium veneramus, ac captivorum nostrorum captivitatibus et doloribus condolentes, licet nobis dissuaderetur a multis morari in partibus transmarinis; maluimus tamen adhuc differre passagium, et mo- C rari per tempus aliquod in regno Syriæ, quam negotium Christi totaliter relinquere desperatum, et captivos nostros in tantis periculis constitutos. Karissimos autem fratres nostros A. Pictaviensem et K. Andegavensem comites, ad karissimæ dominæ ac matris nostræ, nec non et totius regni consolationem in Franciam duximus remittendos.

Gallos vero per epistolam tunc missam

696 *Eos cum Guilielmo Flandriæ comite discessisse die festo S. Laurentii, seu* X *Augusti, notat sæpe citatus Tyrii Continuator col. 734; nec dubium esse potest, quin Rex hanc ipsam, quam præ manibus habemus, epistolam iis tradiderit in Galliam perferendam, cum illa mense Augusto scripta sit; adeo ut omnia, quæ ex illa narravimus, ante id tempus sint peracta. Porro* Ludovicus, *qui hoc tempore Acconem muniebat, ut habet mox memoratus Tyrii Continuator, cui* castellum Cayphas *adjungit Nangius pag. 359, quod oppidum est maritimum ad radices montis Carmeli; quique exercitum suum, teste Joinvillio num. 168, quantum posset, restaurare satagebat, cum non ignoraret debiles sibi vires futuras sine novo Gallorum subsidio, eos in fine epistolæ ad expeditionem hortatur verbis pietate sua, studioque rem Christianam promovendi dignissimis, quæ subjungo :* Cum D igitur omnes, qui in nomine Christiano censentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum, et vos præcipue, clerici, qui de illorum sanguine descendistis, quos Dominus ad Terram sanctam acquirendam, tamquam populum peculiarem elegit, quam acquisitionis titulo propriam reputare debetis, universitatem vestram ad illud servitium invitamus, qui nobis in cruce servivit, et pro redemptione vestra sanguinem proprium effundendo, extitit, ita quod corda vestra nova sint in Christo Jesu. Gens enim illa sceleratissima, in contumeliam Creatoris, præter blasphemias, quas dicebant in conspectu populi Christiani, crucem flagellis cædebant, spuebant in eam, et deinde viliter pedibus conculcabant, in opprobrium fidei Christianæ.

hortatur ad expeditionem suscipiendam,

697 Eia ergo, milites Christi, peculiaris Papæ Dei vivi, accingimini et estote viri potentes ad vindicandas injurias, et opprobria supradicta; actus vestros ad antecessorum vestrorum E exempla reducite, qui specialiter inter cæteras nationes fuerunt in fidei exaltatione devoti, et sinceritatis affectu dominis suis temporaliter obsequentes, totum orbem gestis insignibus impleverunt. Præcessimus vos in obsequium Dei, assequimini nos pro Deo, tandem nobiscum, licet tardius deveneritis, recepturi, Domimo largiente, mercedem, quam euangelicus Pater-familias primis donavit vineæ suæ operariis, et extremis. Insuper, præter indulgentiam generalem crucesignatis indultam, venientes, vel competens subsidium transmittentes, in nostrorum subsidium, immo potius Terræ sanctæ, dum ibi præsentes fuerimus, apud Deum, et homines multum sibi favoris, et honoris acquirent. Expedite autem negotium; ut illi, quibus virtus Altissimi inspirabit venire, vel mittere in subsidium memoratum, præparent se venturos vel missuros in passagio instantis mensis Maii vel Aprilis : ipsi autem, qui parati esse non poterunt ad transmittendum in illo passagio, saltem in secundo sequenti passagio sancti Johannis transfretare procurent in subsidium memoratum. Acceleratione enim opus est, et mora dispendiosa videtur, juxta negotii qualitatem. F

precesque episcoporum et aliorum flagitat.

698 Vos autem prælati, et alii Christi fideles, pro nobis et memorato negotio Terræ sanctæ specialiter orationum instantia interpellare velitis Altissimum, ac in locis vobis subjectis faciatis specialiter exorari, ut quod nostra peccata præpediunt, divinæ suæ propitiationis annuente clementia, vestrarum, aliorumque bonorum orationum suffragiis valeat. Actum Acon, anno Domini MCCL, mense Augusto. *Hactenus Rex sanctus, cujus animum tot malis non modo non fractum vides, sed nihil immutatum; adeo ut ejus pietati et constantiæ optime congruant verba, quæ ei tribuit Matthæus Parisius pag. 605, postmodum ad Regem Angliæ dicta :* Amice mi Rex, quantam et qualem pro amore Christi peregrinus corporis et animæ passus sum amaritudinem, non est facile demonstrare. Et omnia mihi evenerunt adversa, grates tibi refero, Altissime. Reversus autem ad me ipsum, et ad cor meum regressus et ingressus, plus gaudeo de patientia quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur. *At hæc paullo latius expendemus,*

cum

A *cum ex cusa jussu ipsius moneta videbimus, quam non erubuerit cum Paulo catenam suam : nunc autem reliqua anno 1250 in Syria gesta prosequemur.*

Sanctus restaurando exercitui intentus;

699 *Præcipua ratio, cur in Syria persistere decreverat* Ludovicus, *erat captivorum liberatio, et securitas Christianorum ibidem degentium. Ut autem hunc finem consequeretur, mox a fratrum suorum discessu exercitum suum curavit reparandum, quantum posset, uti memorat num. 168 et seq. Joinvillius, quem cum aliis stipendio suo adscivit. Interim carcere Saracenorum liberatum magistrum Hospitalariorum Guilielmum de Castro novo cum equitibus 120, aliisque circiter 800 refert Continuator Tyrii col. 734, atque ipse Guilielmus in Additamentis Matthæi Parisii pag. 119 ea de re sic loquitur :* De nobis si audire delectat notificantes, quod per Dei gratiam cum triginta de fratribus nostris, et aliis religiosis et sæcularibus multis domini Regis Franciæ interventu de carcere Babyloniorum liberati, decimo septimo die mensis Octobris civitatem intravimus Accon, B multitudinem maximam fidelium in captivitate Ægypti relinquendo, quam speramus cum Dei auxilio in proximo liberandam. *Neque vana spes fuit; id enim, licet paullo serius, consecuta tandem est insignis* Ludovici *charitas et industria.*

legatos Frederici recipit : deinde soldani Alapiæ fœdus cum eo sancire volentis,

700 *Circa idem fere tempus, ut narrat Joinvillius cap. 19, trium principum legati ad Regem venere. Primi erant Frederici imperatoris, quem legatos in Ægyptum misisse jam diximus num. 672 : verum gaudebant Galli non pauci, illos post liberationem suam e carcere fuisse advectos. Hos secuti sunt legati Nazeri Alapiæ soldani, quem Damasci soldanum vocat auctor, quod urbem illam jam Ægyptiis eripuisset. Conabatur hac legatione Nazerus* S. Ludovicum *ad partes suas attrahere contra Ægyptios, non alia intentione, opinor, quam ut totam Ægyptum sibi ejus auxilio subjugaret. At, quamvis Ægyptii inducias dudum rupissent, adeoque liberum esset Regi bello eos impetere, festinandum tamen non putavit; sed respondit solum Nazero per legatos suos, se missurum ad Ægyptios, qui eos interrogarent, an pactas induciarum conditiones implere vellent; quod si renuerent, fœdus cum Nazero contra illos initurum.*

cujus metu captivos ab Ægyptiis extorquet :

701 *Idonea sane hæc erat occasio, qua vel ab invitis Ægyptiis extorqueret* Ludovicus, *ut conditiones induciarum implerent captivos dimittendo : neque vero occasioni defuit : nam misso in Ægyptum viro prudente et forti Joanne de Vallance, adeo ille Saracenos Ægyptios minis, exprobrataque perfidia terruit, ut Joinvillius num. 180 dicat, omnes eo tempore captivos equites carceribus exemptos, atque ossa defuncti dudum Jafensis comitis restituta, ita ut præter ingentem plebis multitudinem ducentos equites ad Regem reduxerit : in quibus vestibus, aliisque necessariis instruendis Sancti charitas mirifice eluxit. Quod an hoc, an sequenti anno contigerit, non exprimit auctor; contigisse autem hoc anno, aut certe sub initium sequentis necesse est; cum eo, quo hæc facta sunt, tempore Accone moraretur* Ludovicus, *unde discessisse videbimus anni sequentis mense Martio. Ceterum liberatis captivis, necdum sibi satisfactum dixit* Ludovicus : *quid autem præterea ab Ægyptiis exegerit, atque etiam impetraverit, suo loco videbimus.*

AUCTORE J. S.

minaces principis Assasinorum legatos intrepide excipit : dein supplices donis honorat.

702 *Tertia legatio ad Regem missa, dum Accone morabatur, erat principis Assasinorum, seu Senis montis, ut vocant. Miserat idem ille sicariorum princeps, de quo num. 331 disputavimus, anno 1236 sicarios de grege suo duos, qui* Ludovicum *in Gallia interficerent; at paullo post, mutato consilio, alios destinaverat, qui eumdem periculi admonerent : quos omnes pro sua benignitate cum donis eo tempore Rex remiserat. Hoc autem anno rursum suos misit ad Regem, qui minis intentatis illum ad munera offerenda inducerent. Verum intrepidus* Ludovicus *eos, opem ferentibus Hospitalariorum et Templariorum magistris, tanta excepit constantia; ut iidem ad tempus statutum rursus cum principis sui donis adessent, et amicitiam ejus humilibus litteris exposcerent : quo factum, ut* Ludovicus, *qui minis non cesserat, muneribus etiam se superari non sineret. Rem fusius expositam vide apud Joinvillium loco assignato. Porro tantas inter curas nec regni sui oblitus est* Ludovicus, *nec beneficentiæ sibi consuetæ : etenim hoc anno ad Blancham reginam litteras dedit,* E *ut reditus monachorum Regalis-montis commutaret, cum melioribus procul dubio : et vineas quasdam monialibus Melodunensibus donaret. Capellaniam præterea fundavit Pisciaci, assignatis reditibus. Et controversiam inter Roberti comitis Artesiæ heredes et Pontivi comitem jam ante carcerem suum mense Martio composuerat; ut videre est apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1305 et seqq. in litteris ejus variis. Hoc item, vel sequenti anno monachos in monte Carmelo invisere potuit, quod ab eo factum videbimus.*

§ LVI. Anno 1251 Cæsarea munita : bellum inter soldanum Alapiæ et Ægyptios : litteræ Ludovici subsidium postulantis : factio Pastorellorum in Gallia.

F

Post piam peregrinationem, Cæsaream instaurat,

Anno 1251 *præcipua* S. Ludovici *cura fuit, ut Cæsaream Palæstinæ, ante Turrim Stratonis dictam, cujus muros Saraceni dudum dejecerant, novis munitionibus firmaret, sicut habet sæpe laudatus Tyrii Continuator col. 734. Attamen, priusquam eo tenderet, mense Martio piissimam instituit peregrinationem in Nazareth, quam narrat num. 38 Gaufridus biographus, ubi in festo Annuntiationis beatæ Virginis rem divinam coram ipso peregit legatus Pontificius. Inde Cæsaream petiit urbem maritimam, Acconem inter et Jafam sitam, ubi toto hoc anno castrametatus fuit, illamque novis muris cinxit, quietam, commodamque ad id occasionem præbentibus Saracenorum Ægyptiorum atque Alapensium discordiis, qui, licet castra habuerint non longo admodum intervallo ab ejus castris remota, opus impedire noluerunt, quod utraque pars* Ludovicum *sibi adjungere conaretur. Dum hisce occupabatur Sanctus, aliqui subinde nobiles Christiani cum subsidio modico ad ipsum accedebant, ut habet Joinvillius num. 192 et seqq. Legati etiam, quos ad Tartarorum imperatorem ante biennium missos diximus, tunc ad ipsum reversi sunt, sed re fere infecta,*

quod

AUCTORE J. S.

quod imperator Caiucus defunctus esset, nec alius adhuc ejus loco substitutus, vidua defuncti imperium interim administrante, a qua litteras cum munusculis ad Regem detulerunt. Multa item de imperio Tartarorum, eorumque moribus retulerunt; quæ narrata habes apud Joinvillium num. 184 et seqq.

atque ex mutuo Saracenorum bello in spem erectus,

704 *Porro, quamvis non eas haberet tunc copias militares* Ludovicus, *quibus res magnas contra Saracenos aggredi valeret; sperabat tamen ex eorum discordia aliquid Christianis boni oriturum. Etenim soldanus Alapiæ, occupata Damasco, Ægyptum invasit. Unde, cum et Ægyptii magnas collegissent copias, atrox inter eos fuit prælium: cujus illum fuisse exitum ait Joinvillius num. 208, ut utraque pars altero cornu vicerit, altero victa fuerit; majus tamen damnum fuisse videtur Alapensium, quibus laudatus Sanutus et Abulpharagius pag. 325 cladem attribuunt; ita ut Sanutus affirmet* vix duo millia *Alapensium evasisse. Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 4 hoc prælium contigisse ait anno 1250; consentit Continuator Tyrii col.* B *734. Verum ex epistola* S. Ludovici *mox recitanda constat, Alapenses non nisi mense Julio anni 1251 Gazam venisse, recedentibus Ægyptiis. Si itaque continuo Ægyptum ingressi sunt, mense Augusto ejusdem anni cum Ægyptiis confligere potuerunt; aut serius. Imo si prælium acciderit 2 Februarii, ut ex Ms. narrat Chaizius tom. 2, pag. 123, certum est non contigisse ante annum 1252. Cum tamen hac clade non ita fractus esset Alapiæ soldanus, quin vires suas restaurare posset, bellumque prosequi, quemadmodum revera fecit; atque Ægyptii etiam non modicum accepissent detrimentum; hi amicitiam* S. Ludovici *nihilo segnius quam ante desiderabant: ita ut fœdus Christianis utilissimum; quin et regni Hierosolymitani recuperationem sperare merito posset* Ludovicus, *modo exspectatum ex Gallia subsidium habuisset. Litteras itaque ad Alphonsum fratrem dedit, ut illud maturaret, quas subjicio ex Miscellaneis Labbei a pag. 656:*

per litteras, quibus eorum, C

705 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex carissimo fratri, et fideli suo Alfonso Pictavensi, et Tolosano comiti salutem, et fraternæ dilectionis affectum. Post recessum nunciorum nostrorum, quos ad partes destinavimus transmarinas, Bartholomæi videlicet capellani nostri, et Johannis de Domibus militis, acta sunt apud nos hæc, et circa partes Terræ sanctæ, quæ inferius exprimuntur. Quidam admiratus unus de majoribus totius Ægypti dictus Feres-Katay, qui, sicut celsitudini vestræ jam scripsimus, venerat in partes regni Jerosolymitani cum duobus fere millibus Turcorum ad impugnandum soldanum Alapensem, et ad recuperandum regnum Damasci, quod idem soldanus post mortem interfecti soldani Babylonis occupaverat, moratus est assidue apud Neapolim civitatem, quæ distat a Cæsaræa circa per novem leucas, ibidem per aliquod tempus succursum expectans, ubi paulatim veniunt ad ipsum aliqui de Ægypto. Soldanus autem Alapensis, collecta multitudine bellatorum, quos ex diversis partibus congregavit, magnum et multo majorem exercitum misit circa partes prædictas, ad exterminandos Babylonicos eosdem, qui adversus dictum exercitum Alapensem plures exeuntes insidiabantur eisdem. Aliquotiens vero cum appropiarent acies hinc et inde, dictum fuit pluries apud nos, et credebatur pro certo, quod ad invicem pugnare deberent. Sed tamen sese longius retrahebant. D

suumque statum exponit,

706 Sane accepimus aliquoties nuncios hinc et inde, quos nobis apud Cæsaream destinarunt. Sed eorum verba nimis clausa fuerunt, et nullius efficaciæ. Ex quibus etiam nulla jungi potuit concordatio treugarum. Siquidem postquam venimus Cæsaream, in tranquillo, et quieto statu fuit exercitus Christianus, nec ex aliqua parte molestiam sustinuit vel gravamen per aliquos Saracenos, nec etiam per Beduinos, sicut multotiens solet accidere in exercitibus citra mare. Fuit etiam assidue per Dei gratiam satis copiosa ubertas victualium, et aliorum necessariorum in exercitu, et inter Acon et Cæsaream iter liberum et securum, absque Saracenorum, vel aliorum quorumcumque molestia. Præterquam quod aliquando piratæ, sicut consueverunt facere circa maritima, quibusdam per mare navigantibus damna aliqua intulerunt, licet galeas *, et vasa * armata ad sumptus nostros teneamus in mari. A quibus tamen nuper vas quoddam plenum hujusmodi escariis * captum fuit, et quia inde capta fuit justitia *, hujus rei eventus aliis multum terroris incussit, ita quodammodo liberior erit, et securior via maris.

* i. e. triremes
* i. e. naves
* i. e. cibariis
* i. e. pœna

E

subsidium e Gallia

707 Nuper siquidem, cum memoratus exercitus soldani Alapensis transacto flumine versus Neapolim, ubi prædicti Turci Babyloniæ morabantur, propius accessisset, soldano ipso apud Damascum remanente cum paucis, tandem die Sabbati post festum B. Mariæ Magdalenæ præfatus admiratus Babyloniæ una cum Turcis suis, cognito eorum accessu, non expectata eorum multitudine, cui resistere non poterat longe viribus inferior, castra amovit, et a loco prædicto subito recedens, iter arripuit versus Gazam. Deinde subsequentes Alapini per partes illas transitum fecerunt, Babylonicis præcedentibus, qui cum apud Gazam venissent persequentibus Alapinis, et ad locum ipsum tandem accedentibus, recesserunt iidem Babylonici fugientes, et per desertum direxerunt versus Babylonem iter suum. Hæ siquidem inimicitiæ, et guerræ, quæ huc usque durarunt, et adhuc durant per Dei providentiam inter hostes fidei Christianæ, et multum ipsi Christianitati perutiles, et necessariæ extiterunt, et esse poterunt Domino concedente.

quam citissime postulat: F

708 Creditur enim verosimiliter et speratur, quod si nobis præsentialiter adveniret ex aliqua parte succursus, treugas bonas et utiles Christianitati reportare possemus ab aliqua partium, vel forsitan ab utraque. Propter quod necessarium esset maxime ad præsens, ut festinanter succursus aliquantus veniret ducentorum militum ad accelerationem negotii, et nostrum ac ipsius terræ commodum perficeret, et levamen. De statu nostro nosse vos volumus, nos per Dei gratiam sanos et incolumes apud Cæsaream Palestinæ morari in castris una cum exercitu Christiano circa firmaturam fortericiæ civitatis ejusdem insistentes, et cum jam pro magna parte processum sit in operibus murorum, nunc etiam ad consummationem operis assidue laborando de die in diem operari facimus ad muros pariter et fossata. Denique de statu carissimæ dominæ et matris nostræ, vestro, carissimi et fidelis nostri Karoli Andegaviæ et Provinciæ comitis, et carissimæ sororis nostræ, quem semper audire prosperum affectamus, et rumoribus partium vestrarum, quoties opportunitas nunciorum affuerit, curetis nos reddere certiores. Datum in castris juxta Cæsaream Palestinæ anno Domini millesimo du-

centesimo

A centesimo quinquagesimo primo in crastino sancti Laurentii martyris. *Hactenus* S. Ludovicus.

quod ideo non fuisse submissum videtur : quia exorti in Gallia

709 *Mirum videri potest, ne post has quidem litteras majora Regi submissa esse subsidia : verum obstitisse præcipue crediderim sceleratam Pastorellorum colluviem, quæ Galliam hoc anno afflixit, nec modicum regno creavit periculum. Auctor illius erat impostor quidam Hungarus, Jacobus nomine, qui se prophetam mentiebatur verbis non tantum, sed et habitu externo : hic autem specioso prætextu succurrendi* S. Ludovico, *crucem prædicabat, multosque simplices maxime pastores, unde et* Pastorelli *nominati sunt, ad se aggregabat. Deinde, adjungentibus se etiam pueris, et sceleratis quibuslibet, in tantam excreverunt multitudinem, ut formidini essent ipsis etiam urbium magistratibus : ad tantam vero prolapsi sunt audaciam, ut nihil non sibi licitum crederent, nullum flagilii genus impune non perpetrarent. Audi Guilielmum Nangium pag. 358 hæc breviter describentem.*

Pastorelli, eam misere affligebant.

B 710 Anno Domini MCCLI facta est crucesignatio Pastorellorum et puerorum multorum, quorum aliqui fingebant se visiones vidisse, et miracula facere, ac ad ulciscendum Regem Franciæ Ludovicum a Deo esse missos. Inter quos erant quidam, qui se magistros vocabant, et more episcoporum aquam benedictam etiam in ipsa civitate Parisius fecerunt, matrimonia conjunxerunt, et dissolvebant ad libitum, in religiosos et clericos ac laicos multa enormia et homicidia, cum non esset, qui eis resisteret, committentes : crucesignabant et decrucesignabant multos ad suam voluntatem. Dux vero eorum et magister, quem vocabant magistrum de Hungaria, dum per Aurelianis * transiens cum magna pompa, clericos occidisset, et plura mala committens Byturis * pervenisset, Judæorumque libros destruens, eos bonis indebite spoliasset, dum de Bituris recederet, inter villam, quæ dicitur Mortemer, et Villamnovam super Carum *, a Bituricensibus eum insequentibus extitit interfectus. Pluribus autem aliis in diversis locis propter sua maleficia interfectis atque suspensis, omnes dispersi sunt et evanuerunt sicut fumus. *De his plura dabunt auctores obvii.*

* Orleans
* Bourges
* le Cher *fluvius*

C

§ LVII. Anno 1252 fœdus cum Ægyptiis initum : Jafa condita : liberalitas Regis, et cura de conversione Tartarorum : pius obitus reginæ Blanchæ.

S. Ludovicus fœdus cum Ægyptiis init

Anno 1252 fœdus Christianis utile eo usque deduxit Sancti industria, ut nihil desideraretur amplius, nisi ut illud exsecutioni mandari posset, sicuti jam enarrabimus. Verum ante observare lubet, elephantem illum, quem Joinvillius num. 198 ab Ægyptiis Regi donatum refert, videri initio hujus anni a legatis Ægyptiis adductum, datumque in pignus fœderis observandi : ut innuit nummus apud Jacobum de Bie fol. 25, in quo exprimitur annus 1251, quod ille Gallis curreret usque ad Pascha anni 1252. Nummum ipsum accipe :

AUCTORE J. S.



Post receptos captivos, teste Joinvillio num. 182, exigebat ab Ægyptiis Ludovicus, *ut sibi restituerent omnia Christianorum capita, quæ super muros Cayri erant collocata : redderent insuper pueros omnes olim Christianos, quos fidem negare per vim coegerant : ac demum ducenta librarum millia, quæ ob violatas ab ipsis inducias necdum solverat, sibi remitterent. Hæc autem omnia se impleturos receperunt Ægyptii, ut idem narrat num. 198; imo et conditiones novi fœderis decretæ sunt; quibus Rex Ægyptiis subsidio esse debebat contra soldanum Alapiæ, atque illi regnum Hierosolymitanum* Ludovico *restituere, statuta die, qua utrique Jafam convenirent, atque has conditiones debitis juramentis firmarent : quin eas jam juramentis firmatas fuisse, mox leges in epistola recitanda. At invedit soldanus Alapiæ modum, quo eorum congressum impediret, fœdusque demum rumperet, uti deinde idem auctor refert, et latius exponitur in litteris anno 1252 scriptis, quas ex Additamentis Parisii pag. 119 ad clariorem hujusce fœderis expositionem hic subnecto :* E

contra soldanum Alapiæ :

712 Venerabili ac dilecto sibi in Christo fratri Galtero de sancto Martino frater Joseph de Cancy, sanctæ domus Hospitalis Jerosolymitani, humilis Achon thesaurarius, salutem et prosperos ad vota successus. De rumoribus Terræ sanctæ vestra dilectio non ignoret, quod illustris Rex Franciæ, qui moram per annum apud Cæsaream Palæstinæ jam explevit, eam faciendo murorum et fossatorum * ambitu circumcingi, quod opus in confectione præsentium fere fuerat adimpletum, nuntiis iterum tam ex parte soldani Halapiæ, quam eorum, qui videntur in præsenti habere dominium Babyloniæ, potestatem * ad dominum Regem prædictum causa tractandi super treugarum fœdere, ad invicem confirmando sæpius destinatis, tandem dictum soldanum Halapiæ ad treugam aliquam dictus Rex non admittens, cum Babyloniis in hebdomada Paschali ultimo præterita, usque ad quindecim annos firmavit treugas, juramento præstito corporali hinc inde, tali forma : Quod dicti Babylonii cum residuo captivorum Christianorum superstitum, quos in alia forma treugarum, quando dominum Regem tenebant, se spoponderunt reddituros, totam terram citra flumen Jordanis, a quolibet Sarraceno detentam, domino Regi restituerent; exceptis videlicet Gazara, Gibilino, Grandigerino, et Darone, quæ circa treugam Babyloniis remanebant. F

* *i. e.* fossarum
* cum potestate

713 Fuit insuper ordinatum, quod nisi Babylonii

AUCTORE J. S.

verum is interposito exercitu eorum conjunctionem impedit.

* i. e. Gazam

bylonii exercitum suum haberent apud Gazaram * infra mensis Maii medium post præsentium datam litterarum, ac Rex infra idem tempus exercitum suum ad partes Joppenses de Cæsarea conduxisset, dictæ treugæ confœderatio nulla foret. Cum vero soldanus Halapiæ, dictorum Babyloniorum adversarius manifestus, in confectione præsentium in Damasco moraretur, totam terram detinens occupatam ad quemdam locum, qui Casey nuncupatur inter Gazaram et Daronem, contra dictos Babylonios duodecim millibus bellatorum, aliis tribus millibus expectatis futuris, ac venturis in proximo, dictis duodecim millibus adjungendis, licet dictorum Babyloniorum totum posse * sex vel septem millibus * armatorum, quorum partem obtinebant * dimittere in partes Babyloniæ pro deffensione dictæ terræ contra Beddewinos et alios indigenas, minime numerum excedebant. Nec dicti Regis exercitus tantæ fortitudinis est, qui posset ipsis Babyloniis, si opus ingrueret, ad opportunitatem subvenire, cum nondum haberet inter religiosos et sæculares, computatis centum militibus, quos Rex sperabat secum noviter adducere, nisi tantum DCC milites, et quater C turcopolos * equites bellatores. Unde nos et alii quamplures eramus in dubio, quod dictis Babyloniis non pateret aditus veniendi, et sic treugæ dictæ nullum robur haberent. *Id revera contigisse, atque ita irritas fuisse inducias ait Joinvillius, quamvis post primum conveniendi terminum, alium adhuc statuissent. Id tamen lucri ex ea negotiatione habuit Sanctus, quod capita Christianorum cum pueris ad eum fuerint remissa.*

* i. e. vires
* millium
* i. e. debebant

B

* i. e. levis armaturæ

Oppidum Rex condit apud Jafam castrum,

714 *Rex interim, quo impleret fœdus decretum, Jafam duxit exercitum* XV *Aprilis, teste Sanuto memorato loco : ubi dum exspectat Ægyptios, illis non adventantibus, novam urbem immensis sumptibus condere aggressus est. Jafa enim eo tempore non nisi castrum erat in peninsula situm, quam peninsulam muris, ab utraque parte usque ad mare ductis, inclusit, cæteraque construi jussit ad oppidum egregie munitum necessaria, uti latius refert Joinvillius num. 198, et 215. Porro non oppidum modo, sed et monasterium fratrum Minorum cum ecclesia, decem altaribus ornata, ibidem construxit, atque omnem domus ac templi supellectilem munifice donavit,* C *ut habet Vita secunda num. 18. Dum autem ibidem castra metabatur* Ludovicus *operi intentus, quod propriis quandoque manibus promovebat, aliquid terroris illatum est a pabulatoribus Saracenis; sed apparentibus Gallis, mox illi in fugam se conjecerunt. Accesserunt ibidem etiam ad Regem nobiles quidam, atque inter illos Boamundus VI Antiochiæ princeps cum matre sua, sub cujus tutela, utpote sexdecim annorum juvenis, adhuc erat constitutus. Hunc autem Rex sanctus militia cum aliis donavit, eaque ei a matre impetravit, quibus principatum suum, a barbaris vexatum, tueri posset, ut pluribus num. 201 Joinvillius, quem consule. Eo item tempore subiit Regem desiderium peregrinandi Hierosolymam, offerente soldano Alapiæ facultatem cum idonea cautione : verum dissuadentibus rem principibus, quod urbs hostibus esset relinquenda, eorum consilio Sanctus acquievit, quemadmodum fusius exponit Joinvillius num. 212.*

reditus donat variis,
* i. e. de Joinville

715 *Porro sumptus immensi, quibus Jafam Rex ædificabat, non impediebant ipsum, quo minus manum munificam ad alios etiam extenderet : nam eodem anno Joanni de Gienvilla * senescallo Campaniæ* ducentas libras Turonenses D annui reditus *concessit ob servitium ab eo in Terra sancta præstitum : archiepiscopum Damiatanum eodem censu donavit, donec alter eidem obtigisset episcopatus : et nepotibus, aliisque consanguineis Petri de Lissiaco, in Ægypto occisi, reditus per Blancham matrem suam impertiendos curavit. Quorum omnium authentica instrumenta edita invenies apud sæpe memoratum Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1308, et 1314. Præterea excelso Vir animo, et ad fidei propagationem inflammato, hoc rursum anno ad Tartarorum conversionem curas suas extendit, litteris hac de re scriptis ad Innocentium IV Pontificem, quarum tenorem utcumque intelliges ex epistola Pontificis,* X *Calendas Martias anni sequentis ad episcopum Tusculanum legatum suum, atque individuum* Ludovici *comitem data, quam Odoricus Raynaldus ad annum Christi 1253 num. 49 sic recitat :*

de Tartarorum conversione agit cum summo Pontifice.

716 Athleta Christi præcipuus, et Christianissimus princeps, charissimus in Christo filius, illustris Rex Franciæ, ad ampliandum cultum Christianæ fidei ardenter aspirans, suis nobis literis intimavit, ut cum, sicut ipse accepit a E suis nuntiis, quos misit ad Tartaros, nonnulli ex eis fidem Christi susceperunt per baptismum, et quamplures ex ipsis, prout creditur, si proponeretur eis verbum salutis, ad viam veritatis, quæ Christus est, per lavacrum regenerationis redirent; conveniens et salutiferum sibi videtur, et multis, ut quia, procurante calipho de Baldach, Christiani, qui sunt in partibus illis, paucissimos habent episcopos, aliqui de fratribus Prædicatoribus et Minoribus, qui ad prædicandum eis sunt destinandi, promoverentur ad vacantes, illarum ecclesias ad episcopalis apicem dignitatis, qui possent * conferre, et alia ecclesiastica sacramenta, quæ ad episcopos pertinent, exercere, ac haberent etiam facultatem dispensandi cum illis, qui ad fidem noviter converterentur, ut in gradibus non prohibitis in lege divina, si necessitas, vel utilitas exigit, matrimonialiter valeant copulari, et quoad observationem jejuniorum secundum constitutiones ecclesiasticas passim non tenerentur astricti, donec per inhabitantem gratiam in fide Catholica fortius radicati, ad hæc et aliis convenientia, Christianis ritibus observanda se red- F diderint aptiores. Quia vero fratrum industriæ earumdem partium habere potes notitiam pleniorem, præmissa omnia tuæ providentiæ committimus, ut super his ordines, disponas, et facias, prout animarum saluti, et utilitati, et promotioni hujusmodi negotii videris expedire. *Videmus hinc quanto animo, quantaque industria, non modo Saracenos, de quibus sæpe in Vitis, sed et longe remotos Tartaros, ad fidem Christianam allicere studuerit Sanctus. Verum de his iterum postea.*

* ordines

Obitus reginæ Blanchæ,

717 *Dum hisce tam sedulo ad Dei gloriam promovendam Rex sanctus incumbit, matrem longe charissimam, eamdemque regni custodem solertissimam amisit, sub finem hujus anni in Gallia defunctam. Tempus ejus obitus plures signant auctores contemporanei, quam ut incertum videri debuerit scriptoribus quibusdam neotericis : nam et Continuator Tyrii apud Martenium tom. 5 Coll. amp. col. 734 hunc annum assignat, et Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 4, et Chronicon Rotomagense apud Labbeum tom. 1 Novæ Bibliothecæ Mss. pag. 378 : quibus accedit citandus*

mox

A *mox Parisius; ita ut facile negligere possimus Guilielmum Nangium, non raro in chronologia cespitantem, qui pag. 358 annum 1253 notat, et siqui alii sunt eum secuti, præsertim cum post auditam matris mortem diutius in Syria permanserit* Ludovicus, *quam ut reditus tempus cum Nangii calculo possit combinori. Quibus hoc modo stabilitis, audire lubet Matthæum Parisium de obitu Blanchæ loquentem, ut ille ipse, qui calamo maligno maculam famæ ejus subinde aspersit, calumnias vero abstergat elogio. Itaque ad annum 1252, pag. 575 sic mortem piissimæ reginæ enarrat:* Circa idem tempus, videlicet prima Dominica Adventus Dominici, prima die mensis *(Decembris)* obiit dominarum sæcularium domina, Blanchia Francorum Regis mater, Franciæ quoque custos, tutrix et regina, ut adventanti Domino nostro Jesu Christo devota occurreret ancilla sua veneranter.

et breve ex Parisio elogium.

718 Cujus mortem Francis lugubrem ac damnosam dolor multiplex anticipavit, mariti sui scilicet Regis Ludovici mors suæ gratissimæ juventutis peremptiva, regni Francorum sibi incumbentis non minima solicitudo, Filii sui ægrotativa B teneritudo, ejusdem crucis signatio, et postea ipsius peregrinatio irreditura: deinde captio toti Christianitati deploranda. Item Roberti comitis Atrebatensis probrosa fuga, quam sequebatur flebilis submersio *(fugæ huic et submersioni fictitiæ, ut videtur, cædem in acie substitue.)* Comitis insuper Pictavensis Andephulsi * morbus incurabilis. Postremo, quod relatum est ei, quod Filius primogenitus ejus, Rex scilicet Francorum, Deo militaturus in Terra sancta, proposuit ibidem omnibus diebus vitæ suæ morari et mori, pro regnoque terreno cœleste fœlici commercio commutare. Nobilissima igitur domina mater prædictorum Blanchia, suis orbata pignoribus, præmortua languit desolata. Vidensque mortem imminere, corpus suum legavit ad speliendum domui sanctimonialium apud Ponteyse *, quam ipsa a fundamentis magnifice construxerat. Facta est autem sanctimonialis professa, velata ante mortem, et supra velum apposita est corona, et vestita, est reginaliter, et sic sepulta est, ut decuit, redimita. Magnamina igitur Blanchia, sexu fæmina, consilio mascula, Semirami merito com-C paranda, valedicens sæculo, regnum Francorum omni reliquit solatio destitutum. *Ita ille hic rectius, quam sæpe alibi. De piissimo autem reginæ obitu, ejusque virtutibus, plura dabit Vita secunda num.* XI *et seqq. Ceterum nata hoc eodem anno Regi filia Blancha, quam Jafæ natam testatur auctor Vitæ anonymus, aliique.*

* Alphonsi

* Pontisaram vulgo Pontoise

§ LVIII. Mors matris anno 1253 audita: legati rursum ad Tartaros missi: cura regni: terrores, damnaque a soldano Alapiæ illata, eique reddita: insignis Regis charitas in sepeliendis Sidone occisis: Sidon restaurata.

A*nno 1253 circa mensem Februarium, ut conjicimus, nuntiata est* S. Ludovico *mors matris suæ Blanchæ; quod Sidone contigisse ait Joinvillius num. 224: verum fefellit virum alias veri amantem senilis memoria, cum rerum gestarum ordo exigat, ut id citius factum credamus, et Gaufridus, conscientiæ Regis arbiter, num. 45 asserat, Jafæ rem contigisse, dum ea ædificanda adhuc erat occupatus. Quanta autem animi fortitudine, ac patientia potius Christiana, quam indolentia Stoica, tristissimum hunc nuntium exceperit, abunde docet laudatus Gaufridus, qui præ ceteris ei tunc adfuit, atque omnia vidit, ex quo et sua mutuatus est Nangius. Porro idem testatur ingentem Sacrificiorum, precumque multitudinem pro ejus anima offerendam curasse Regem sanctum, et deinde adhuc ultra annum in Syria permansisse; ubi ejus præsentiam tunc admodum fuisse necessariam, ex dicendis postea fiet manifestum.*

AUCTORE J. S.

Sanctus matris obitum pie intelligit et animæ curam habet,

720 *Rursus hoc anno* S. Ludovicus *legatos misit ad Tartaros, qui eorum conversionem tentarent. Legati hi fuerunt duo fratres minores Guilielmus de Rubruquis et Bartholomæus de Cremona, quibus Rex litteras dedit ad principem Sartach, cum Tartaris suis circa Wolgam flumen castrametatum, quod fama esset, eum Christo nomen dedisse: qua item fama deceptus Innocentius Papa* E *gratulatorias ad eumdem dedit litteras, quas apud Raynaldum invenies ad annum 1254 num. 2. At vero legati, ubi ad eum venerant, id certo cognoscere non potuerunt, quod nollet nominari Christianus, Christianos tamen seu schismaticos apud se haberet. Hi autem legati ab hoc ad alium Tartarorum principem, ipsumque eorum imperatorem fuere transmissi: verum nihil utilitatis ex hac etiam legatione provenit, nisi quod barbarus Tartatorum fastus ita magis innotuerit Christianis, uti patet ex relatione Guilielmi de Rubriquis ad Regem anno 1255 missa, quam Historiæ suæ ecclesiasticæ inseruit Fleury tom. 17, pag. 551 et seqq.*

legatos iterum ad Tartaros mittit.

721 *Neque tranquillitatem regni sui neglexit, qui aliena tam solicite curabat,* Ludovicus. *Etenim, cum inter regni ministros et ecclesiasticos dissensiones essent exortæ, quod illi jura Ecclesiæ non satis servarent illæsa; indeque, ad summum Pontificem perlatis querelis, ecclesiastici mandato illius censuris agere cœpissent, doluit Sanctus hisce intellectis, atque ad Pontificem litteras dedit, quarum tenorem ex subsecuta anno 1254* F *Idibus Januarii Innocentii epistola lector colliget. Innocentius enim apud Raynaldum ad dictum annum num. 23 in litteris ad episcopos Galliæ, post expositas rationes, cur eos censuris uti jussisset, ita prosequitur:* Cæterum, sicut nuper ad audientiam nostram pervenit, mandatum Apostolicum, super præmissis vobis directum, præfatum Regem, posteaquam eidem innotuit, plurimum contristavit, pro eo quod inter cuncta, quæ sibi accidere possunt ad cumulum salutis et famæ, suis præcipue affectibus est votivum, ut libertatis Ecclesiæ favor, et ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum tranquillitas, et integritas jurium et bonorum ad ipsas spectantium inconcussa serventur, semperque in regno vigeant memorato; et si talia circa præmissa committerentur interdum a suis officialibus, et ballivis, nequaquam postquam ad sui perferrentur notitiam, eadem Regalis sustinere possit æquitas incorrecta.

regni sui tranquillitati

722 Propter quod ex parte Regia petitum extitit, ut Regali super hoc deferre honori; et ne prædicti ballivi, et alii hujus auctoritate

consulit,

AUCTORE J. S.

te mandati, ipso in partibus Hierosolymitanis agente vexentur, adhibere Apostolicæ provisionis remedium curaremus. Volentes igitur Regiis concurrere precibus in hac parte, universis vobis mandamus, quatenus per præmissas literas contra officiales et ballivos Regis præfati nullatenus procedatis. Nos enim, si quid per vos ipsarum fuerit auctoritate præsumptum, irritum decernimus et inane. *Hactenus Innocentius. Et vero sanctum Regem post reditum suum mox adhibuisse remedia, ad ministros regni sui coercendos efficacissima, suo loco videbimus. Nec dubito quin hæc etiam ratio ipsum impulerit ad reditum in Franciam maturandum.*

Judæos usurarios Gallia expelli jubet.

723 Diebus sub eisdem, *inquit Matthæus Parisius ad hunc annum pag. 576,* venit de Terra sancta mandatum domini Regis Francorum, ut omnes Judæi a Francorum regno expellerentur, exilio damnati sempiterno, addito hoc temperamento : sed qui remanere desiderat, negotiator sit, vel operator manuum incumbat mechanicis artificiis. Improperatum enim fuit eidem Regi a Saracenis, quod parum diligimus
B aut veneramur Dominum nostrum Jesum Christum, qui peremptores ejus inter nos degere toleramus. *Frivola hæc ratio Judæos expellendi et fictitia apparet : nam ob usuras, injustitiamque expulsos fuisse, evincit exceptio adjuncta, qua illi sinuntur in Gallia degere, qui arte quadam mechanica victum sibi comparare vellent. Probatur id etiam ex sequentibus his Parisii verbis :* Caursini autem Judæorum exulantium locum et officium licenter occuparunt. *Nam, ut habet auctius Cangii Glossarium,* Caorcini *vel* Caursini *sunt* mercatores Italici propter fœnerationem usurariam famosi maxime in Gallia, *quos item anno 1268 ab eodem Rege proscriptos docet. Hæc itaque in bonum regni sui procul positus* Ludovicus *contra nequitiam Judæorum, de quibus ingentes hoc tempore in Gallia querelas fuisse, intelliges ex Annalibus Raynaldi ad annum 1253 num. 34.*

Soldanus Alapiæ, facta pace cum Ægyptiis, Christianis insultat,

724 *Interea temporis spes recuperandi regnum Hierosolymitanum, orta ex fœdere antedicto, prorsus evanuerat, resque Christianorum pejori erant loco per pacem inter Saracenos factam. Etenim Nazerus Alapiæ et Damasci soldanus, qui Regem dudum ad partes suas attrahere studuerat,*
C *ac deinde ejus cum Ægyptiis conjunctionem impediverat, tandem hoc anno pacem cum Ægyptiis inivit, ac mox Christianis insultare cœpit. Castra etiam tum habebat* Ludovicus *prope Jafam, a qua non movit nisi* XXIX *Junii hujus anni, teste Joinvillio num. 216, copiæque ejus erant numero exiguæ. Nazerus interim, pace cum Ægyptiis stabilita, ex vicinia Ægypti discessit, ac cum triginta hominum millibus, ut auctor est Joinvillius num. 208, non nisi duabus leucis a castris Christianorum iter instituit : unde post velitationem aliquam cum balistariis Christianorum, aliquotque eorum equitibus in subsidium missis, demum recesserunt, castra aggredi non ausi, quod ipsi mirabantur Christiani. Deinde Acconem contendit soldanus, vastitatem hortis suburbanis minitans, nisi pecunia damnum redimeretur : at egregie se gerente urbis præfecto, modico illato damno abscessit. De hoc, secutoque Saracenorum conatu ita scribit Sanutus lib. 3 part. 12 cap. 4 :* MCCLIII venit ante Ptolomaydam soldanus Damasci, facta concordia cum soldano Ægypti, contra præstitum juramentum *(Ægyptiorum videlicet,)* et destruxerunt unum casale juxta Ptolomaydam, vocatum Doc, et Recordaner. D

ac Sidonem cum cæde multorum vastat :

725 Postea ceperunt Sidonam, interfectis personis quasi octingentis; et quadringenti Damascum in captivitatem ducti sunt. *Hanc cladem Sidoni illatam ita narrat Joinvillius num. 211, acsi Rex ipse Sidone fuisset, sed impar viribus castro se continuisset; quod nec cum ordine rerum gestarum, nec cum aliis auctoribus congruit, ita ut dubitare non possim quin confusa factorum memoria in errorem induxerit Joinvillium. Rem ceteris distinctius narrat Vita secunda num. 108, cujus auctor affirmat, Regem eo adhuc tempore Jafæ fuisse; at præmissos ab eo cæmentarios cum balistariorum præsidio, dum operi sunt intenti, adventu Saracenorum nec opinato fuisse oppressos, fugientibus ad castrum, quotquot manus hostium evadere potuerunt. Deinde, discedentibus Saracenis, Regem post tres circiter hebdomadas Sidonem venisse, ac corpora occisorum etiam tum inhumata, ac putrida, sepelienda curasse. Atque huic narrationi consonant relatus jam Sanutus, Guilielmus Carnotensis num. 12, Nangius postea citandus, atque ipse* E
rerum gestarum ordo, cum Saraceni Regem ad partes illas præcesserint. Cujus iter Sidonem narrare aggredior.

Christiani contra Cæsareæ Philippi vastitatem ferunt :

726 *Jafa Regem cum exercitu discessisse die festo SS. apostolorum Petri et Pauli, seu* XXIX *Junii, dicit Joinvillius num. 216, atque iter totum describit. Porro in itinere cupido invasit* Ludovicum *occupandi Neapolim, olim Samariam dictam; neque expeditionem illam improbabant proceres; at Regem periculo abesse volebant, quæ ratio fuit, cur negotium sit prætermissum. Rursum, cum ante Tyrum esset exercitus, vicinia urbis Cæsareæ Philippi, quæ Belinas tunc vulgo dicebatur, invitabat ad eam invadendam. Decreta est expeditio, Rege, licet ægre, permittente, ut præcipui duces cum majori exercitus parte urbem tentarent, dum ipse interim Sidonem cum reliquis se conferret. Refert satis fuse difficilem hanc expeditionem Joinvillius num. 218 et seqq., cujus is fuit exitus, ut urbem non sine labore et periculo eadem, qua venerant, die ceperint, eaque vastata, ad Regem redierint Sidonem, sine ullo fere suorum detrimento, non exigua hostibus illata clade. Reversi autem invenerunt corpora occisorum Sidone Regis cura sepulturæ data,* F *ex quo luce clarius enitescit eos ante Regis adventum occisos, cum paucorum dierum fuerit hæc expeditio, et copora jam essent putrida.*

Rex mira charitate occisos Sidone sepelit:

727 *Porro eximiam Sancti charitatem in curanda horum corporum sepultura egregie illustrat Vitæ secundæ auctor num. 110 et seqq. Lubet tamen factum adeo illustre atque inusitatum viris præsertim principibus, ex Nangio etiam huic loco inserere, qui pag. 360 ita scribit :* Postmodum peracta instauratione murorum Joppæ, ivit ad ædificandos muros fortes in circuitu civitatis Sydonis; et dum esset in itinere, in campis non longe a Sydone invenit maximam Christianorum multitudinem gladiis impiorum Sarracenorum detruncatam, jacentem ibi insepultam. Tres enim vel quatuor dies transierant *(imo totidem fere hebdomadæ)*, ex quo occisi et detruncati sic jacebant. Fœtor vero tam ingens et intolerabilis exibat de corporibus eorum, quod vix aliquis in illo loco subsistere poterat. Quod videns et graviter ingemiscens Rex piissimus, convocato Cardinali, fecit in ipsis campis per

ipsum

A ipsum quoddam cimiterium consecrari. Quo facto, ipsemet devotus Rex propriis manibus ponebat in saccis membra et corpora defunctorum fœtentia, ut ad locum sepulturæ deferrentur; quod facere famuli sui, ac vix pauperes pretio locati dedignabantur, et refugiebant. Per quatuor vel quinque dies hujusmodi intentus operi, mane post Missam suam veniens ad locum illum, dicebat militibus suis : Venite sepeliamus Christi martyres, qui majora quam nos pro Domino sunt perpessi. *Ita Rex vere sanctus, cujus similia charitatis officia plurima leguntur in Vita, maxime secunda.*

atque urbis muros instaurat, ad quem interim reliquiæ, aliaque dona allata.

728 *Reliquum hujus anni tempus restaurandæ Sidoni est impensum. Interea Joinvillius, accepta a Rege licentia, peregrinatus est ad Virginem Tortosanam, sicut ipse refert num. 222 et seqq. Jussus autem a Rege emere pannos e villis caprinis contextos, fratribus Minoribus in Europa dono dandos, inde collegit, de reditu cogitare* Ludovicum : *et non pannos modo, sed et reliquias quasdam ibidem acceptas, ad Regem deportavit. Ibidem etiam, aut Jafæ ad Sanctum*
B *venisse crediderim monachos S. Dionysii, ab abbate suo ad eum cum donis missos hoc anno* in vigilia Annuntiationis, *ut habet breve S. Dionysii Chronicon apud Acherium tom. 2 Spicilegii, pag. 497. De iis autem Guilielmus Nangius in Chronico suo ad annum 1252 sic loquitur :* Eodem tempore abbas sancti Dionysii in Francia Guillermus misit per duos ejusdem loci monachos sancto Regi Franciæ Ludovico in transmarinis partibus commoranti navem pannis varii coloris ad vestiendum aptis, caseis, et volatilibus oneratam, quos Rex sanctus, tamquam patroni sui sancti Dionysii nuntios, speciali lætitia suscipiens, tanto itinere fatigatos diu secum retinuit, oblatis multis muneribus, si recipere voluissent; qui cum ejus licentia postmodum recedentes ab eo, sani et incolumes post gravia maris pericula ad propria remearunt.

C

§ LIX. Reditus Sancti in Franciam : cusi in memoriam carceris nummi.

Rex, exquisita piis operibus divina voluntate, redire statuit;

C*irca initium anni 1254 factum existimo, quod Joinvillius refert num. 225 de institutis Sidone jussu* Ludovici *supplicationibus, ad exquirendam divinam voluntatem, maneretne Rex diutius in Syria, an rediret in regnum suum. Cur redeundum videretur, exprimit Nangius pag. 360, de his ita scribens :* His itaque gestis, dum esset apud Sydonem, intellexit per plures literas et nuntios de Francia venientes, quod post mortem matris suæ regno suo periculum maximum immineret, tam ex parte Angliæ, quam ex parte Alemanniæ. Unde consilio habito cum discretis viris, assensit ad propria remeare; relictis tamen cum legato multis militibus et expensis in succursum et subsidium Terræ sanctæ. Substituit etiam in urbe Acconensi virum sapientem et fidelem, et in armis strenuum, videlicet dominum Gaufridum de Sarginis pro se gubernatorem, præcipiens ut omnes ei in reipublicæ negotiis obedirent; qui quantum rebus humanis interfuit, satis laudabiliter rem peregit. *Verum Gaufridus de Sargines urbis gubernator non fuit statutus, ut videtur dicere; at Gallis ibi ad subsidium relictis præfectus : nam gubernator regni Hierosolymitani eodem anno factus est Joannes Ibelinus comes Jafensis, ut habet Tyrii Continuator apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 735.* AUCTORE J. S.

relictoque Accone præsidio, navigat usque in Provinciam :

730 *Reditum* S. Ludovici *Sidone Acconem usque narrat Joinvillius num. 226. De tempore, reliquisque Accone gestis hæc subjungo ex Sanuto lib. 3, part. 12, cap. 4 :* MCCLIV, expleto muro Sydonis, Rex Franciæ venit Ptolomaydam VIII Martii; et in Paschate fecit militem Balianum de Ybelyn, filium domini de Arsuf, qui desponsavit Placentiam reginam Cypri. Et XXIV Aprilis Rex Franciæ cum gente sua parat se ad eundum in Franciam : et habuit in societate sua octo naves, et quatuor galeas : et in crastino hora vespertina in festo beati Marci recessit de portu Ptolomensi, relinquens pro custodia civitatis centum milites, secundum dispositionem senescalli regni Jerusalem, *Gaufridi nimirum de Sargines, cui senescalli titulum attribuit quoque laudatus Tyrii Continuator. Iter totum, geminumque naufragii periculum, atque alia, quæ* E
in eo itinere acciderunt, mirabilia, refert Joinvillius testis oculatus cap. 26, nec pia Regis monita, insignemque pietatem prætermisit idem auctor, cui in multis testis accedit Gaufridus cap. 6, ita ut plura his addenda non existimaverim. Decem hebdomadas tenuit navigatio, si Joinvillio credimus num. 237; undecim fere hebdomadas notat Nangius pag. 361. Appulsi autem ante portum Olbiensem in Provincia, cum Rex navigare vellet usque ad Aquas-mortuas, reginæ, aliorumque cedens desiderio, ibidem navi egressus est, terrestri itinere in Franciam profecturus.

quem scriptores aliqui, in hoc itinere

731 *At priusquam ulterius procedamus, inquirendum videtur, quid fidei mereantur, quæ de illo Sancti itinere ante alios ipsum secutos narravit Guilielmus de Sanvico, aliis de Samuco, scriptor Carmelitani Ordinis, quem anno 1280 floruisse vult Trithemius lib. 2 de Ortu et progressu Ordinis memorati pag. 38 : quamvis non nisi sub finem seculi ejusdem scripserit, aut initium sequentis, uti ex citando ejus Opusculo manifestum est : adeo ut verisimile non sit, jam hoc tempore in Carmelo fuisse, eo ex Europa profectum. Porro laudatus auctor in Chronico de multiplicatione Ordinis Carmelitarum, edito in Opere nostro ante tom.* III *Maii, pag. 62 hæc memorat de* S. Ludovico *in Syria agente :* Qui sepulcrum Domini visitans, et cetera religiosa Terræ sanctæ loca perquirens, ad montem Carmeli ascendit, et propter laudabilem conversationem fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli ibidem commorantium, eorum monasterium ex devotione visitavit. *Fieri id potuisse anno 1250, aut sequenti, dictum est num. 702 : quod vero præmittit de viso Domini sepulcro, erroneum esse patet ex Joinvillio num. 212.* F

ex naufragii periculo in montem Carmelum ascendisse volunt

732 Postmodum vero audita morte reginæ matris suæ, baronum suorum consilio redire in Franciam acquievit. Et dum esset in mari, tertia nocte prope diluculum, navis deferens Regem, retrocedendo ad Biralassum, juxta montem Carmeli, bina impulsione tam fortiter est collisa, quod a nautis et aliis fracta, et protinus submergenda credebatur. Tanta ergo percussione excitati et perterriti clerici et alii, sanctum Regem genibus flexis Deum devote orantem invenerunt : cumque omnes submergi indubitan-

AUCTORE J. S.

lanter crederent, campanam monasterii fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli, pro Matutinis dicendis sonantem, in auribus suis resonare senserunt. Qua audita, pius Rex, cujus loci campana esset, navarchum diligenter interrogans, eam esse monasterii fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli, ex navarchi responso percepit. In devotione ergo Genitricis Dei accensus Rex, ejus monasterium tunc visitare promisit, si ipsa ab illa gravi tempestate eum cum aliis liberaret. Tranquillitate ergo ejus meritis et precibus in mari subito facta, B. Maria eos a prædicto mortis periculo liberante, mox mitis Rex in montem Carmeli ascendens, Matutinas fratrum magna cum devotione audivit.

acceptosque ibi monachos in Galliam vexisse : nos monachos

733 Quibus dictis, pius Rex locum illum humiliter contemplans, ac prædictorum fratrum, titulo beatæ Mariæ Virginis in toto orbe terrarum, quoad ordines approbatos, singulariter insignitorum, fama laudabili ac religiositate permotus, quosdam eorum natione Gallicos a priore dicti monasterii postulavit . . . Quos numero sex a priore sibi concessos, Rex secum in Franciam B duxit, et eis in civitate sua Parisius monasterium ædificavit. Qui alios ad suam religionem recipientes, in diversis Franciæ et Alemaniæ partibus monasteria sui Ordinis paulatim construxerunt. *De ductis in Galliam Carmelitis non est cur litem moveamus auctori suppari, licet Vitæ scriptores id tacuerint. At vero tempestas illa juxta montem Carmelum tam incongrue fingitur, tamque ridiculis vestitur circumstantiis, ut multis verbis opus non sit ad eam refutandam.*

in Galliam vectos non negamus.; at periculum prope Cyprum contigisse ostendimus.

734 *Quid enim tertio post discessum die apud montem Carmelum faceret* Ludovicus, *qui navigabat in Cyprum, adeoque Carmelum prænavigare non debebat, sed longius semper ab eo recedere ? Quid quod tertia post inchoatam navigationem nocte Cypro jam propinquus erat, teste, qui aderat, Gaufrido in Vita num. 49, cui Vita secunda consentit : quibuscum Joinvillius num. 227 asserit, prope Cyprum hanc navis collisionem, et naufragii periculum contigisse. Duo itaque oculati testes, cui suffragatur tertius, omni item exceptione major, faciunt, ut exagitare necesse non sit aut sonum campanæ in tempestate auditum, aut celerem illum in terram* C *egressum, ut Matutinis adhuc interfuerint : sed mirari potius contingat, Chaizium, virum non indoctum, tom 2, pag. 192, ad montem Carmelum deducere* Ludovicum, *indeque cum assumptis monachis in Cyprum : quem Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 412 secutus est. At poterant monachi illi in Galliam ducendi facilius Acconem ad Regem accedere, quam Rex cum classe sua Carmelum petere : quod et reipsa contigisse non videtur dubium, cum tertia jam nocte prope Cyprum fuerint, ut probavimus. Ceterum de fundato Carmelitis monasterio agemus suo loco. Redeamus interim in Galliam.*

Rex in Franciam proficiscitur :

735 *Substitit Olbiæ* S. Ludovicus, *donec omnia ad terrestre iter forent parata. Ubi, cum ab abbate Cluniacensi duos equos admodum insignes dono accepisset, diutiusque cum eo sermonem miscuisset, mira Joinvillii libertate monitus est, quantum in muneribus accipiendis sit periculum, nec minori modestia monita sane egregia omnibus ipse manifestavit. Accersi item Rex jussit magni nominis prædicatorem ex sancti* D *Francisci familia, quem tanto majori voluptate audivit dicentem, quanto liberiori ille oratione declamabat; ita ut virum secum in Franciam ducere voluerit, nisi is, aulæ fugitans, se Regi excusasset. Olbia deinde Aquas-sextias profectus* S. Ludovicus, *sepulcrum, ut volunt, S. Mariæ Magdalenæ, in ejus vicinia religiose invisit : inde Belloquadram, ubi Rhodanum transiit. Joinvillius autem huc usque Regem comitatus, ibi eum reliquit, ut consanguineos quosdam suos inviseret, apud quem Regis iter terrestre fusius relatum vide num. 238 et seqq. At cum ille de ulteriori itinere nihil referat, pauca accipe, quæ Nangius pag. 361, post Regem Belloquadram deductum, subjungit :* Indeque Rex Gothorum finibus peragratis, in Franciam se recepit. Et postea, quantocyus potuit, patronum suum, videlicet beatum Dionysium, cum sociis suis humiliter visitans, et de omnibus gratias referens, sericis muneribus honoravit. *Matthæus Parisius pag. 598 de ejus in regnum adventu sic scribit :* Pius autem Francorum Rex post pericula transmarina, marina, et cismarina, labores et ærumnas, in regnum suum veniens, honorifice, ut E decuit, ac reverenter est susceptus. Et illico tractatum habuit, quomodo Galliæ conterminos hostes vel edomaret superando, vel mediante justitia pacificaret.

iter Parisios usque, ubi solemniter excipitur.

736 *Hæc illi breviter. At lubet hoc Regis iter paullo exactius enarrare. Belloquadra Regem discessisse oportuit circa initium mensis Augusti : nam* IX *ejusdem mensis, transita Occitania, jam Anicium, seu Podium in Velaunis pervenerat, ubi ad tres saltem dies substitit;* XII *vero pervenit ad urbem Brivatensem in Alvernia inferiori,* XIII *Issorium; inde Arvernum profectus est, ubi erat in festo Assumptionis beatæ Virginis, seu* XV *Augusti. Moratus ibi, ut videtur, die uno, ad Fanum S. Portiani fuit die mensis* XVIII ; *at* XXIV *Floriacum in Vastinio pervenerat, et* V *Septembris Vicenas. Neque hinc Parisios, sed Dionysiopolim se contulit, dona patrono suo oblaturus, ubi sequenti die fuit. Hæc autem colliguntur ex gistis, ut vocant, assignatis locis et diebus a Rege acceptis, uti videbis in Observationibus Cangii ad Joinvillium pag. 101. Jam vero tempus, quo Parisios ingressus est, docet Chronicon S. Medardi tom. 2 Spicilegii Acheriani, pag. 492 his verbis :* F Eodem anno (1254) rediit a peregrinatione ultramarina Ludovicus Rex Francorum cum Margarita uxore sua prægnante, et tribus pueris in ultramarinis partibus generatis : et in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ *(seu* VII *Septembris)* receptus est apud Parisius processionaliter et solemniter cum eisdem. *Hactenus de reditu Sancti : antequam tamen res ab eo præclare in Gallia gestas narrare incipiam, lubet factum aliquod cum expeditione transmarina conjunctum hoc loco examinare.*

Sanctus nummos cudi jubet in memoriam carceris:

737 *Joannes Villanius, qui floruit seculo* XIV, *in Historia Florentina lib. 6, cap. 36 refert* S. Ludovicum *post reditum in Galliam nummos cudi curasse Turonenses, in quibus a latere typi monetalis exprimi jussit vincula carceris, in memoriam istius calamitatis, ut vindicta aliquando exigeretur, sive per se, sive per principes suos. Menardus autem in Observationibus ad Historiam* S. Ludovici *pag. 338 asserit, se hujusmodi aliquot nummos habuisse, atque alios plures vidisse, non modo nomine* Ludovici, *sed*

etiam

A *etiam filii ejus Philippi notatos, quorum formam exhibet hoc modo :*





Addit laudatus auctor, duplicis generis nummos istos fuisse, majores videlicet, quos Turonenses graves *dicebant, et minores, quos vocabant* Parisienses, *in quibus alia non esset differentia, nisi quod in circuitu Parisiensium quindecim lilia exprimerentur, duodecim tantum in Turonensibus, ut videre est in forma hic data. Attamen Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano pag. 406, de his nummis agens, minorum formam exhibet sine ullis in circuitu liliis, sicut nos eam exhibemus infra, ex quo mihi suspicio oritur, plures id generis nummos fuisse cusos :*

B





Disputat de his nummis Cangius dissert. 19 in Historiam S. Ludovici, *quem lector curiosus potest consulere.*

quos gestatos, non superstitiose, sed pie, docet

738 *Porro laudatus Menardus ait, dominum de Gorges monetæ præfectum in oratione quadam asseruisse, nummos hosce olim servatos fuisse, ac superstitiose gestatos contra febrim ; id tamen se alibi non legisse. Verum Arturus item laudatus nullam ea in re superstitionem fuisse ostendere nititur, atque ita disserit :* Itaque religiose, pie, et sancte, prisci illi homines venerabantur hujusmodi denarios, quos sanctus Rex cudi jusserat, in memoriam eorum, quæ pro Christi fide tuenda et propaganda libenter sustinuerat, in quibus et gloriabatur. *Latius autem id probaturus, hujusmodi de se ipse profert exemplum :* Accidit autem, ut dum semel Parisiis moram faciens, in horto conventus nostri Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis Deiparæ ad suburbium Sammartinianum perambularem, menteque revolverem hujusmodi nummorum icones; sic apud me ratiocinabar : Volo tales nummos caute servare, ut dum gesta sancti Ludovici Regis pangere tempus aderit, et prælo dare, hos etiam cudere haud pigebit. O me fœlicem, fortunatumque religiosum, si aliquem ex his denariis mihi contingeret hoc in horto reperire! Cur non Lutetiæ, sicut et Meloduni, id evenire minime valebit?

C

exemplo suo Arturus a Monasterio, feri liberatus :

739 Mira res! Vix e loco, ubi stans gradum fixeram, pedem amoveram, quando oculis in terram defixis, offendi in unum ex his denariis, adhuc lutosum, et rubigine pene confectum; quem statim summa cum animi lætitia colligens, et accurate abstergens, elinguis factus sum præ stupore, in eo, quod cælitus, ut credo, mihi obtigerat. Meo itaque potitus desiderio, hos nummos nunc usque solerter ac pie servandos dignum duxi, nec spes inanis aut vacua. Ego namque vim illorum adversum febrim continuam, qua diro modo per XXII dies cruciabar, expertus sum anno MDCXXXI in nostro conventu Melodunensi ; a qua tandem, ope divina, et meritis beatæ Virginis Deiparæ, ac sancti Ludovici Regis (cujus nummum pie gestabam) liberatus sum... Desinat igitur Menardus sic impune loqui. *Tum assignatis aliquot auctoribus, interque eos Waddingo, qui in Annalibus Minorum ad annum 1270 § 13 ex Bosio hæc scribit :* Nummi quoque sancti Ludovici Francorum Regis mirifice valent adversus nonnullos morbos : *concludit hisce verbis :* Et certo certius inveniet *(Menardus,)* nummos præfati sancti Regis, veluti quædam amuleta divina, mirifice valere adversus nonnullos morbos. *Ita ille auctor. Et sane non video, cur superstitionis arguendus esset, qui in memoriam carceris a sancto Rege tolerati hujusmodi nummum gestaret, corporisque valetudinem per preces Sancti imploratas speraret a Domino, quamvis non inficier, res hujusmodi multis superstitionibus obnoxias esse, si non recte adhibeantur : neque enim superstitione careret, si quis existimaret se sola hujusmodi nummi gestatione a morbis immunem fore, cum nummus ille vim talem non habeat nec a natura, nec a Deo, nec ab institutione Ecclesiæ : verum hæc fusius disputare non vacat.*

AUCTORE J. S.

E

expenditur similitudine vinculorum Pauli,

740 *Ceterum ex cusis hisce nummis considerare lubet, quam vere atque ex animo sanctus Rex, qui carcerem suum, opprobriaque in eo tolerata commemorare erat solitus, teste Vita secunda num. 23, responderit iis, qui ea silentio involvi malebant :* Christianum quemlibet honori sibi ducere debere quodcumque ignominiæ pati potest pro honore et amore Domini nostri Jesu Christi. *Ac merito quidem ita sensit* Ludovicus, *atque ex mente aliorum Sanctorum. Audiamus Chrysostomum in Epistolam ad Ephesios hom. 8 loquentem de Pauli vinculis :* Nihil est, *inquit,* æque præclarum atque vincula propter Christum, atque catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum est præclarius, quam esse apostolum, quam esse doctorem, quam esse euangelistam. Siquis amat Christum, novit quod dicitur. *Deinde cum vincula pro Christo gestata quibuslibet rebus humanis ac cœlestibus etiam prætulisset, sic prosequitur :* Atque aliis quidem videtur esse ridiculum; si probro et contumelia esse affectum, sit esse dignitatem assequutum, si probro esse affectum sit lætari. Iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc esse existimatur omnium beatissimum. Siquis mihi offerret totum cælum, ut illam catenam, ego illam præferrem. Siquis me apud Superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem. Siquis me faceret unum ex potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem esse vinctum, potius optarem talis esse vinctus. Et jure quidem. Nihil enim est illa catena beatius... Nihil est melius quam male pati propter Christum. Non tam beatum prædico Paulum quod raptus sit in paradisum, quam quod conjectus sit in carcerem. Non tam eum dico beatum, quod audierit arcana verba, quam eum censeo beatum propter vincula : non tam beatum dico, quod raptus sit in tertium cælum, quam propter illa vincula. *Hactenus Chrysostomus.*

F

741 *Si ergo tanti facienda sint vincula Pauli : cur non item maximi facienda sint vincula* Ludo-

AUCTORE J. S.

quanti facienda sint vincula Ludovici.

Ludovici? *Etenim magnam in vinculis utriusque reperio similitudinem. Incidit in vincula Paulus, dum fidem verbo propagare studet: vincula invenit* Ludovicus, *dum eamdem gladio, quin et verbo, ubi erat opportunitas, nititur promovere. Summa in vinculis libertate usus est Paulus, ita ut Christum in iis prædicaret: nec Saracenorum minis in vinculis cedebat* S. Ludovicus, *nec eos dubitabat ad finem Christianam invitare. Vinculis immortuus non est* Ludovicus; *at ne Paulus quidem priora illa, quæ adeo extolluntur, vincula ad finem usque vitæ tulit. Gloriabatur de vinculis Paulus; gloriabatur et* Ludovicus, *eorumque perpetuam servare memoriam voluit. Itaque non absque ratione fortasse quis affirmaverit, majora a Domino, et utiliora data esse* Ludovico, *dum hæc in Ægypto dedit vincula, quam si totum Ægypti imperium ejus subjecisset potestati. His enim non modo ingentem meritorum cumulum apud Deum consecutus est; sed insuper, rerum humanarum vanitatem experientia doctus, mirificos in omni virtute et sanctitate progressus fecit, ut deinde patebit.* B *Adeo divina providentia facit, ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Hæc illis dicta sunto, qui propter hunc carcerem ipsam Sancti expeditionem solent carpere, licet illa pari pietate et prudentia fuerit suscepta: aut divinam accusare non verentur providentiam, quod Regem tam pium, puraque adeo intentione agentem, in tanta, ut putant, mala incidere permiserit.*

§ LX. Sancti in virtute progressus: munera S. Dionysio oblata: visitatio regni, et conatus ad pacem in Flandria stabiliendam: concordia inter regem Navarræ et comitem Britanniæ facta: honorifice excipit regem Angliæ; fundat domum Carmelitis, ac studia promovet.

C

Mirifice in virtutibus progressus Ludovicus,

Sensit mox Gallia reditum Regis sui sancti; qui nequaquam otiosus post labores peregrinationis tam arduæ, plurima in bonum regni sui paucis, qui supererant, hujus anni mensibus exsecutus est, totis viribus allaborans, ut mala omnia exterminaret, bona quælibet in regnum induceret. Fontem, ex quo hæc profluxerunt, ostendit Nangius pag. 362 hisce verbis: Postquam in Franciam . . . reversus fuit Rex Franciæ Ludovicus, quam juste ad subditos, quam misericorditer ad afflictos, quam humiliter se gesserit ad seipsum; denique quantum pro viribus suis in omni virtutum genere proficere studuerit, prout a fide dignis intellexi, et præcipue ab ipsis, qui conscientiæ ipsius sinceritatem noverunt, et conversationem viderunt, diligenter enarrabo: ita quod secundum judicium discretorum, quanto aurum pretiosius est argento, tanto conversatio ipsius sancta et nova, quam de Terræ sanctæ itinere reportavit, conversationi pristinæ præminere judicabitur, quamvis ab in- D fantiæ crepundiis status juventutis suæ semper bonus et innocens, ac valde commendabilis fuerit. *Hæc de progressu in virtutibus dicta sufficiant, cum de egregiis ejus virtutibus diligenter egerint Vitæ scriptores, infra edendi. Hinc autem factum est, ut beatum deinde se senserit regnum Galliæ, cum Sanctum vidit regnantem: hisce enim, secutisque temporibus maxime congruunt, quæ verissime dixit Joannes Raulin in Oratione encomiastica apud Chesnium pag. 498:* O felicissima nostri Ludovici tempora, in quibus omnia pondere, numero, et ordine gerebantur, nulla tunc pensa excreverint, nullæ immoderatæ largitiones, sed cuncta prudenti quadam frugalitate fundebantur.

dona S. Dionysio, annuatim offerri solita, pro toto septennio offert;

743 *Porro a mense Octobri Parisius discessit, aliasque regni provincias lustrare cœpit: verum ante omnia piam consuetudinem, aliquot annis per absentiam suam necessario intermissam, restaurare voluit. Rem accipe ex anonymo S. Dionysii monacho apud Chesnium tom. 5, pag. 401, ubi postquam narraverat, quam pie ac solemniter singulis annis celebraret festum S. Dionysii in illius ecclesia, quod relatum vide in Vita secunda num. 45, hæc subjungit:* Omni etiam anno E in præfato festo aut intererat, vel si tunc occupatus interesse non poterat, quam citius postea accedens ad altare S. Dionysii cum maxima devotione, nudo capite, flexis genibus, oratione præmissa, vocato ad hoc præsente filio suo domino Philippo, ponens quatuor auri bisancios primo super caput suum tenens cum manu, postmodum cum multa reverentia eosdem bisancios, osculans altare, super id devotissime offerebat. Et quia, quando prima vice ivit ultra mare sanctus Rex, septem annis nimis distans oblationem prædictam modo præfato *(facere nequierat,)* fecit simul pro prædictis omnibus annis. *Quæ confirmat Vita secunda num. 46. Hoc autem annuo tributo servum et vectigalem S. Dionysio se haud dubie profiteri voluit Rex pius.*

ac varias lustrat provincias, bellum in Flandria sedare conatus:

744 *Chaizius pag. 216 initio mensis Octobris in Picardiam, ac deinde Tornacum excurrisse scribit: sed Historia Tornacensis Joannis Cousin, quam citat, lib. 4, pag. 63 tantum habet, hoc anno Tornacum venisse. Ratio eo excurrendi non alia fuisse videtur quam bellum cruentum, quod pro Flandriæ comitatu gerebant ab* F *aliquot annis liberi comitissæ Margaritæ ex diverso patre nati, succurrente uni parti Guilielmo Hollandiæ comite, et Romanorum rege; alteri vero Carolo Andegavensi comite Regis fratre: nam Regis et quinque Flandriæ civitatum nomine legatos ad Guilielmum regem missos esse pro pace concilianda, scribit in Annalibus Flandriæ ad hunc annum Meyerus, qui et sequenti anno eadem de causa Gandavum venisse memorat, at irrito item conatu. Pacem tamen post biennium Regis industria factam, suo loco videbimus. Ceterum si in Flandriam excurrit* Ludovicus, *quod non omnino certum est hoc anno contigisse, cum potius anno sequenti factum videatur, brevis fuit excursio: nam* XXIV *mensis Octobris, ut patet ex observationibus Cangii in Joinvillium pag. 102, in ditione sua fuit apud Bruerias, ubi confirmavit fundationem abbatiæ monialium de Ordine S. Victoris Parisiensis, uti videbis ex litteris ea de re datis apud Martenium tom* I *Coll. amp. a pag 1323. Hinc postero die Cerniaci, et sequenti Velleiaci, ita ut Suessione fuerit* XXVII *ejusdem mensis, ubi se eum invenisse ait Joinvillius num. 242. Deinde Pa-*

Parisios

A *risios regressus, ibidem mense Novembri ratam habuit donationem Rogerii de Argentiis pro sustentatione quinque monachorum, quam vide apud laudatum Martenium col. 1325.*

litem de regno Navarræ curat amice componendam.

745 *Joinvillius num. 241 ait, controversiam fuisse inter Joannem Britanniæ comitem ac Theobaldum Juniorem Navarræ regem; qui patri Theobaldo defuncto in regnum Navarræ æque ac comitatum Campaniæ successerat heres. At majoris erat ponderis hæc controversia quam insinuare videtur Joinvillius : nam de regno Navarræ agebatur, quod sibi deberi contendebat Britanniæ comes ea de causa, quod senior Theobaldus filiam suam dedisset uxorem Britanniæ comiti, ea conditione, ut regnum Navarræ post mortem suam illa cum marito suo heres possideret, licet filius deinde nasceretur. Attamen natus postea filius Theobaldus, de quo agimus, regnum Navarræ adeptus erat, et possidebat. Rex, teste Joinvillio, controversiam ad supremum senatum deferri jussit, cumque interim Rex Navarræ Regis filiam Elisabetham sibi uxorem peteret, se eam daturum negavit* Ludovicus, *priusquam* B *controversia esset sublata. Hinc ad pacem stabiliendam excitatus rex Navarræ Theobaldus, cum sorore sua, ejusque marito Britanniæ comite, in has conditiones consensit, ut acciperet illa annuos reditus trecentorum millium librarum, atque omni in regnum Navarræ, aliasque patris ditiones jure cederet. Facta hæc coram Rege, ab eoque confirmata Dionysiopoli mense Decembri per instrumentum Gallicum, quod memoratus Martenius edidit col. 1326. Ita lis tanta, agente* Ludovico, *tam brevi tempore amice fuit composita. Matrimonium autem Elisabethæ cum rege Navarræ ad annum sequentem fuit dilatum.*

Henricus Angliæ rex venit ad S. Ludovicum,

746 *Dum hæc agebantur, Henricus Angliæ rex, qui in Vasconia fuerat cum exercitu, invisere desideravit regnum Galliæ, illiusque Regem* S. Ludovicum *: a quo quam magnifice exceptus fuerit et amice, late exponit Matthæus Parisius, ex quo ea juvabit decerpere, quæ maxime spectant ad* Ludovicum, *ut pateat quam sincera amicitia eos etiam complecteretur, contra quos non raro in acie steterat, doctus pacis bellique tempora distinguere :* Diebus quoque sub eisdem, *inquit pag. 603,* (quia a multo C tempore dominus rex Anglorum videre sitienter desideraverat regnum Francorum, et dominum Regem sororium suum, et dominam reginam Francorum, sororem dominæ reginæ Angliæ, et civitates, ecclesias, et gestus, et habitus Francorum, et capellam Regis Francorum nobilissimam, quæ est Parisiis, simul cum incomparabilibus, quæ in eis habentur, reliquiis) cum missis ad Regem Francorum nuntiis solemnibus, licentiam benignam et securam impetrasset, convocata familia et comitatu nobilissimo, versus Aurelianam * civitatem lora direxit.

* Orleans

quem hic honorifice per regnum deduci jussum, obviam progressus,

747 Piissimus Rex Francorum jussit districte magnatibus terræ suæ et civibus civitatum, per quas dominus rex Anglorum foret transiturus; ut, deposito luto, stipitibus, et omni visus offendiculo, ornare studerent omnia pallis, frondibus, floribus, et aliis, quibus poterant, ornamentis; et ut facies ecclesiarum et domorum redimirent; et cum canticis, et classico, cereis, et festivis induviis reverenter et gaudenter reciperent, venienti obviantes, et moranti obsequentes. Dominus autem Rex Francorum, certificatus de adventu domini regis Anglorum, occurrebat ei apud Carnotum *. Et videns unus alterum ruit in oscula et amplexus. Et mutuis salutationibus et colloquiis affabilibus sese ad invicem confovebant. Jussitque dominus Rex Francorum procurationes opimas et lautas domino regi Angliæ de suis sumptibus liberaliter, dum esset in regno suo, exhiberi. Quod dominus rex Angliæ in parte accepit et acceptavit. Habuit rex in comitatu suo proprie mille equos pulcherrimos cum suis honorabilibus assessoribus, exceptis bigis et summariis cum equis electis, quorum multitudo erat inæstimabilis, adeo ut Franci de novitate non prævisa obstupuerunt. Eorum insuper comitatus in immensum tota die et quotidie, sicut solet fluvius de torrentibus, mirabile cepit incrementum. Advenerunt enim eis obviam regina Francorum cum sororibus * suis Andegaviæ et Provinciæ comitissis * ut sororibus suis reginæ Angliæ et comitissæ Cornubiæ simul cum domino rege Angliæ occursarent..... Fuerat autem mater earum præsens, comitissa Provinciæ, nomine Beatrix, quæ pignora sua, quasi altera Niobe, gloriando poterat intueri; *quatuor nimirum filias, duas regi-* E *nas, et totidem comitissas, postea item reginas; quibus tertiam comitissam imperite adjungit.*

AUCTORE J. S.

* Chartres

* sorore sua

* comitissa

deducit Parisios maximo cum apparatu,

748 Scholares autem Parisienses, maxime Anglicæ nationis, certificati de adventu talium regum, et reginarum, ac magnatum incomparabilium, suspensis ad horam lectionibus et disputationibus, quia totum erat de festo, abbreviatis communibus hebdomadalibus, cereos, vestesque festivas, (quas vulgus cointisas appellat) et omnia, quæ gaudium poterant attestari, emerunt et sibi præparabant, cantantes ramigeri et florigeri, cum sertis et coronis et musicis instrumentis processerunt venientibus obviam : et erat numerus adventantium et obviantium infinitus. Nec est visus in Francia retroactis temporibus tale festum, vel occursantium tanta talisve solemnis occursatio. Et transegerunt totum diem illum et noctem et diem crastinum scholares et cives, tota civitate mirabiliter adornata, in gaudio, et canticis, luminaribus, floribus, et omnimodis hujus mundi pompis, et exultationibus. Cum autem reges, et qui eis assistebant et comitabantur, qui jam numerosus exercitus poterat æstimari, venirent Parisiis, et occurreret venientibus talis ac tanta Parisiacæ F universitatis nobilitas; gavisus est Rex Francorum quam plurimum, et grates retulit clericis de multiplici honoris impensione.

summaque amicitia hospitium offert eligendum :

749 Et ait dominus Rex Francorum domino regi Angliæ : Amice, ecce civitas Parisiaca tibi exponitur; ubinam habet hospitium capessere? Ecce palatium meum in medio civitatis, si placet ibidem quiescere, fiat voluntas tua : si autem apud vetus Templum, quod extra civitatem, ubi locus spatiosior est, vel alibi, ubi magis vobis complacuerit, fiat. Et elegit dominus rex Angliæ pro hospitio vetus Templum, quia numerosus ejus erat comitatus. Et in eodem veteri Templo, ædificia sunt cuidam numeroso exercitui sufficientia ac competentia. Quia cum Templarii omnis cismontani temporibus ac terminis suis ad generale eorum capitulum conveniunt, hospitia ibidem inveniunt competentia. *At ne hic quidem locus omnes capere potuit, ut subjungit. Deinde vero commemoratis quibusdam de liberalitate Henrici regis, hæc rursum in rem nostram scribit :* Rex Angliæ, Rege Francorum ducente, visitavit capellam il-

AUCTORE J. S.

lam pulcherrimam, quæ in curia est ejusdem Regis Francorum, et reliquias ibidem existentes, orans regalibus oblationibus honoravit.

convivium regum, et lapsus Parisii :

750 *Tum vero describens convivium, quo* Ludovicum *excepit Henricus, de regum consessu sic loquitur :* Dominus Rex Francorum, qui terrestrium rex regum est, ... in medio sedebat : et dominus rex Angliæ a dextris, et dominus rex Navarræ a sinistris. Et cum niteretur dominus Rex Francorum aliter ordinare, ut videlicet dominus rex Anglorum in medio, et eminentiori loco sederet, ait dominus rex Angliæ : Non, domine mi Rex, decentius sedetis modo, scilicet in medio, et dignius : dominus enim meus es, et eris, et superest causa. Cui pius Rex Francorum subjunxit, sed voce demissa : Utinam quidem obtineret jus suum inoffensus, sed hoc non pateretur Francorum superbia. *Verum hæc verba, quibus similia dixisse fingit* Ludovicum, *meditatus est potius in cubili suo auctor Anglus, quam dixerit Rex prudentissimus. Refert post hæc Parisius quam ingens magnatum et nobilium multitudo eidem interfuerit convivio, in qua tamen relatione crassam rursum* B *prodidit ignorantiam, cum comitissam Caroli Andium et Provinciæ comitis uxorem in duas dividat, ut jam supra fecerat num. 747, quod sane in auctore contemporaneo supinam arguit in scribendo negligentiam.*

colloquia regum mutua, in quibus pacis et concordiæ

751 *Haud dubium mihi videtur, quin* Ludovicus *magnifico item convivio Henricum exceperit, licet id prætermiserit auctor Anglus, cum octo diebus eos simul fuisse et collocutos dicat : qui et Henricum una nocte in palatio* Ludovici *permansisse, memorat his verbis :* Post vero refectionem lautam et splendidam, licet esset dies ad piscem, hospitatus est in nocte illa in majori domini Regis Francorum palatio, quod est in medio civitatis Parisiacæ. Sic enim immutabiliter voluit dominus Rex Francorum, jocose dicens : Sine modo. Sic enim decet omnem adimplere facetiam et justitiam. Et addidit ridendo : Dominus et rex sum in regno meo, volo prædominari. Et adquievit rex Angliæ. *Quæ autem dictus auctor memorat de colloquiis inter* Ludovicum *et Henricum secreto habitis, declaratoque non semel a* Ludovico *desiderio restituendi provincias Anglis olim ereptas, eatenus* C *verisimilia esse opinor, quod id se amore pacis et concordiæ libenter facturum insinuaverit, si regni proceres non obstitissent; non autem quod se injuria eas provincias possidere agnosceret, uti sonant verba auctoris Angli. Primum enim reipsa deinde ex parte fecisse videbimus, dissuadentibus licet proceribus.*

desiderium declarat; atque abeuntem Henricum comitatur.

752 *Itaque menti* Ludovici *congrua sunt verba, quæ ei attribuit Parisius, sic scribens :* Dixit enim pius Rex Francorum : Nonne duas sorores desponsavimus, et fratres nostri reliquas? Omnes quotquot ex illis ortum sunt producturæ vel producendæ, vel producturi vel producendi, tamquam fratres erunt et sorores. O si esset inter pauperes talis affinitas vel consanguinitas, quantum mutuo sese diligerent, quam præcordialiter confœderarentur! Doleo, novit Dominus, quod per omnia nequit charitas nostra compaginari. *Tandem de discessu Henrici hæc memorat :* Cum autem progressi fuissent reges per circiter unam diætam, recesserunt ab invicem. Et secus viam divertentes paululum, dixerunt verba secreta et amicabilia..... Et datis osculis ad invicem cum amplexibus, recesserunt ab invicem; Rex Francorum in terram suam, D et rex Angliæ in terram suam; *quem, exspectato vento prospero, in Angliam solvisse affirmat post Natalem Domini, ex quo colligimus mense Decembri hæc esse peracta. Nunc ad alia hujus anni gesta stylum convertamus.*

Fundat domum Carmelitis;

753 *Domum Carmelitarum Parisiensium majori ex parte Regis sumptibus exstructam esse, testatur Vita secunda num. 95 : idem jam supra dixerat Guilielmus de Sanvico; nec est cur alio tempore id factum existimemus, quam hoc ipso anno, quo eos ex Syria duxerat in Galliam. Audiamus itaque Gerardum du Bois, in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 420 de hac fundatione loquentem :* Postquam, *inquit,* S. Ludovicus a Palæstina demum Parisios reversus est; curavit in primis, ut Carmelitis, quos ab initio ex vestibus nigro alboque panno virgulatis vocabulo vernacule usitato BARRATOS appellabant, domum et ædes pararet. Cumque eos ex eremo montis Carmeli eduxisset; visum illi est, ex urbis strepitu viros amantes solitudinis paulo amovere, et extra urbem ponere. Paravit itaque illis ædes in suburbanis, ubi tunc nulla, aut pauca E erant ædificia ad ripam Sequanæ. Locus modo, aucto urbis pomærio, intra urbem est, in eoque sedem nunc habent Cælestini. Primum illic quoddam oratorium, et quasdam cellulas exstruxerunt; hocque fuit primum Carmelitarum domicilium. *Quod deinde alio variis de causis translatum docet, ut curiosus lector reperiet. Porro ingens hoc tempore dissidium erat in universitate Parisiensi, in qua quo se modo gesserit* Ludovicus, *discutiemus, cum illud fuit compositum.*

bibliothecam colligit, studia Vincentii Bellovacensis promovet.

754 *Inter alia bona, quæ in regnum inducere studuit Rex sanctus, litterarum studia promovere conatus est, magnamque ea intentione bibliothecam hoc tempore colligere exorsus est, ut narrat Gaufridus num. 40 : unde ad hæc fere tempora revocari potest, quod refertur in Brevi historia Ordinis Prædicatorum apud Martenium tom. 6 Coll. amp., col. 363 his verbis :* Floruit etiam hoc tempore frater Vincentius Belvacensis, qui scripsit quatuor magna Specula; scilicet Naturale, Doctrinale, Morale, et Historiale, beato Ludovico Francorum Rege ei libros ministrante. *Subministratos sibi a Rege libros, testatur ipse Bellovacensis apud Echardum* F *jamjam citandum. Attamen idcirco credere non possum, laudatum Bellovacensem Regis regiæque familiæ professorem fuisse in monasterio Regalis-montis, quemadmodum contendit, et probare conatur Echardus in Bibliotheca Prædicatorum tom.* I *pag. 213; neque enim id evincunt adducta ab eo argumenta; et aliunde verisimile non est, Regi post annos juventutis professorem, seu magistrum fuisse : cum auctores Vitæ id taceant, et in Vita secunda num. 53, ubi de* studiis Ludovici *agitur, sacraque ejus lectione, tantum dicatur advocasse quandoque viros doctos tempore pomeridiano, quibuscum de Deo, rebusque divinis, aut historiis cum sacræ Scripturæ tum Sanctorum loqueretur. Jam vero argumenta Echardi duo hæc evincunt : nimirum Bellovacensem, ut de se ipse scripsit,* ad exercendum lectoris officium juxta sublimitatis Regiæ beneplacitum in eo *(Regalis-montis)* monasterio commoratum fuisse, et Regem et familiam regiam... concionantem diligentius ac reverentius audivisse. *Addo Regem ejus prælectionibus non raro interfuisse.*

755 *Hæc*

quem professorem tamen non habuit, sed monachos docentem frequenter audivit.

A 755 *Hæc autem quo contigerint modo, exponitur in memorata Vita secunda num. 54 his verbis :* Rursus, quandoquidem aliquis theologiæ magister prælegebat Psalterium in abbatia Regalis-montis, quando Rex ibidem erat, ibat quandoque, audiens sonum æris campani, quo signum dabatur, quando congregari debebant monachi ad scholam adeundam, veniebatque tunc ad scholam, illicque sedebat inter monachos ad pedes magistri, qui prælegebat, eumque diligenter audiebat. *Idem etiam apud Prædicatores Compendii factum, subjungit auctor, utrobique summa animi demissione et modestia, qua eumdem et sacris concionibus interesse solitum refert num. 39. Bellovacensem itaque hunc ipsum fuisse, qui monachis prælegebat Psalterium, vix dubium mihi videtur. Nam quod, teste Bernardo Guidonis apud laudatum Echardum,* Regis fuit familiaris et domesticus quam plurimum, *non probat, ut vult Echardus, Regiæ familiæ adscriptum fuisse, sed contrarium potius : cum enim dicat* domesticus quam plurimum, *significat non fuisse quidem domesticis* B *Regis adscriptum; attamen sæpe in aula Regia fuisse versatum. Hinc igitur conclude Bellovacensem, cum Rex esset in monasterio Regalis-montis, ubi urat frequentissime, non raro mensæ Regis fuisse adhibitum, frequentesque cum eo de rebus divinis sermones miscuisse, quod et de S. Thoma Aquinate, aliisque, dicemus alibi.*

§ LXI. Leges præclaræ anno 1254 a Rege latæ, et sequenti anno in concilio Biterrensi relectæ.

Leges ad regni emendationem condit Sanctus,

Leges item præclaras sub finem hujus anni condidit Rex sanctus, quibus, quantum fieri poterat, malas quaslibet consuetudines e regno relegaret. Et sane regnum iis magnopere emendatum, testatur Joinvillius num. 254, apud quem eædem reperiuntur, sed mutilæ, et non- C *nihil immutatæ, ut appareat eum istas non ex autographo, et forsan ne ex transcripto quidem aliquo tradidisse, verum, quantum memoria suggerebat, de iis retulisse. Reperiuntur illæ paullo exactius descriptæ apud Guilielmum Nangium pag. 362; at ne ibi quidem sunt integræ. Edidit eadem statuta Stephanus Baluzius in Conciliis Galliæ Narbonensis pag. 68, ex eoque Labbeus, et Harduinus ea Collectioni conciliorum inseruerunt ad annum 1255. Porro memoratus Baluzius in notis pag. 40 hanc editionis suæ assignat rationem :* Hæc statuta hic edi voluimus, quia præfatio indicat ea relecta fuisse in concilio Biterrensi, et præterea multo emendatiora et auctiora sunt, quam in editionibus, quæ hactenus prodierunt.

quæ in concilio Biterrensi relectæ :

757 *Sanctas autem illas Ludovici leges diu perviguisse constat, ac nominatim illam, quæ prohibet ne senescalli emant aliquas possessiones in sua senescallia, quamdiu eorum administratio durabit ; adeo ut cum Gaucelinus de Vairolis senescallus Cadurcensis nonnullas post hæc tempora possessiones emisset in sua senescallia, necessum illi fuerit anno* MCCCLXXI *litteras a Carolo V Francorum rege impetrare, quibus derogaretur huic statuto. Demum easdem leges ex Ms. Petri Menardi edidit Martenius tom. 1 Anecdotorum a col. 436. Merentur illæ, ut in Actis* S. Ludovici *locum quoque habeant; cum itaque apud Joinvillium non habeantur integræ, eas ex editione Baluzii cum aliis collata subjicio, cum præfatione deinde addita, quæ desideratur apud Nangium et Martenium, quæque sic habet :* Hæc sunt stabilimenta facta per dominum Regem Franciæ, quæ dominus Guido Fulcodii attulit sigillata sigillo dicti domini Regis, et fuerunt recitata et lecta aggregato generali concilio prælatorum et baronum et militum terræ apud Biterrim * anno MCCLV.

AUCTORE J. S.

* Beziers

hisce autem legibus præscribit ministris,

758 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentem paginam inspecturis salutem. Ex debito regiæ potestatis pacem et quietem subjectorum nostrorum, in quorum quiete quiescimus, præcordialiter affectantes, ac adversus injuriosos et improbos, qui tranquillitati eorum invident et quieti, zelum indignationis habentes, ad hujusmodi propulsandas injurias, et statum regni reformandum in melius, ad præsens aliqua duximus ordinanda, quæ inferius E continentur.

Quæstus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in ballivis, et aliis curialibus nostris reprimere cupientes, senescallos, ballivos, præpositos, vicecomites, et villarum majores, et alios officiales nostros juramento subscripto duximus astringendos : cujus si ipsi senescalli, ballivi, et alii officiales nostri fuerint transgressores, pœnas debitas in bona ipsorum, vel, si res exigat, in personas, nostræ voluntatis vel deputatorum a nobis arbitrio reservamus. Si vero majores, ballivos, vel officiales, dejerare contigerit in hac parte : a senescallis sub bonarum testimonio personarum, et cum ipsarum consilio puniantur. *Verba illa :* Si vero majores *etc. Rectius videntur expressa apud Martenium hoc modo :* Si vero minor bajulus vel officiarius dejerare contigerit. *De majoribus enim ante actum.*

ut jurent se quibuslibet jura sua servaturos,

759 Jurabunt igitur omnes, et singuli supradicti, quod, quamdiu commissam sibi tenebunt senescalliam, vel balliviam, præposituram, vel aliud quodcumque officium supradictum, tam minoribus quam mediocribus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam subjectis, sine F nationum et personarum acceptione, jus reddent, servantes tamen in locis suis sua jura, usus, et consuetudines approbatas.

Jurabunt insuper bona fide jura nostra requirere, et servare, et aliorum jura scienter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire.

munera non accepturos,

760 Jurabunt etiam donum seu munus quodlibet a quacumque persona per se vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuscumque mobilibus, vel immobilibus, vel se moventibus, seu beneficiis personalibus sive perpetuis, præter esculenta et poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat. Et quod dicta bona seu beneficia dari uxoribus suis, liberis, fratribus, sororibus, nepotibus, neptibus, vel consanguineis, aut consimilibus *, seu domesticis, minime procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt, ne uxores suæ, vel aliæ personæ proximo nominatæ, dona vel munera recipiant. Quod si fecerint, ex quo hoc sciverint, eos ad restituendum bona fide compellant sub debito juramento.

* *apud Mart. et Nang.* consillariis

Jurabunt etiam, quod ab illis de sua sene-

scallia.

AUCTORE J. S.

* *Nang.* aliis

scallia vel ballivia, nec ab illis *, qui causam habent coram ipsis, vel scient in proximo habituros, mutuum non recipient per se, vel per alium ultra summam viginti librarum, quas reddent a die contracti mutui infra duos menses, licet etiam creditores velint solutionis terminum prorogare.

aut daturos aliis Regis ministris,

761 Addetur etiam juramento eorum, quod nihil dabunt vel mittent alicui de consilio nostro, vel uxoribus eorumdem, liberis, aut domesticis, vel illis, qui compotum eorum recipient, vel illis, quos ad visitandam terram, vel facta eorum exquirenda, mittemus. Quod etiam in venditionibus balliviarum, vel reddituum, aut aliarum rerum nostrarum partem non habebunt, nec etiam in monetis. Quod bajulos * infideles, seu injuriosos, vel exactores, vel de usuris suspectos, vel turpem vitam aperte ducentes, in suo non sustinebunt errore, immo eorum excessus corrigent bona fide.

* *Mart.* baillivos

Jurabunt etiam præpositi nostri, vicecomites, majores villarum, forestarii, et alii sub eis in officiis constituti judices, et locorum vicarii singulorum, B quod nec superioribus suis, nec uxoribus eorum, liberis, propinquis, sive domesticis quidquam dabunt. Et in fine juramenti concludent se universa et singula supradicta servare bona fide, nisi illud quod duxerimus relaxandum, nec quidquam per se vel per alium in fraudem facere prædictorum.

762 Vicarios autem, quos senescalli vel ballivi per se quandoque substituent, nolumus ab ipsis institui, nisi prius sub forma prædicta præstiterint juramenta.

eaque juramenta fiant publice ab omnibus :

Ut vero hæc juramenta firmius teneantur, et observentur, volumus, quod in publica assisia * fiant coram clericis et laicis ab omnibus et singulis supradictis, etiamsi antea facta fuerint coram nobis : ut non solum metu Divinæ indignationis, et nostræ; sed etiam confusionis, et erubescentiæ apud homines, perjurium manifestum incurrere vereantur.

* *i. e.* consessu

iisdem prohibet juramenta turpia, aliaque,

763 Volumus autem et præcipimus, quod senescalli nostri, et alii quicumque sub ipsis tenentes officium, necnon et omnes, qui in dictis balliviis vel senescalliis vadia * nostra recipiunt, abstineant ab omni verbo, quod vergat in contumeliam, et contemptum Dei, aut Matris suæ, C vel Sanctorum ipsius. *Additur apud Martenium :* A Ludo etiam cum taxillis, sive aleis, vel scacis, et a fornicatione et tabernis.

* *i. e.* stipendia

emptiones et matrimonia in loco jurisdictionis :

764 Inhibemus vero districte senescallis, et ballivis nostris, possessiones aliquas per se vel per alium emere, administratione sua durante, in senescallia vel ballivia sua, vel fraudulenter in alia, sine nostra licentia præcedente. Quod si fecerint, emptionem irritam esse, et possessiones sic emptas fisco nostro, si nobis placuerit, volumus applicari.

Prohibentes insuper senescallis, et ballivis nostris ne, quamdiu senescalli vel ballivi fuerint, sibi vel suis liberis, fratribus aut sororibus, nepotibus, neptibus, consanguineis, vel quibuscumque de sua familia, matrimonia copulent cum personis suæ senescalliæ aut balliviæ suæ, sine nostro speciali consensu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia ecclesiastica, vel possessiones eis acquirant.

alia præcipit circa inferiores ministros,

765 Gista etiam vel procurationes in domibus religiosorum vel circa, ad expensas eorum non recipiant sine nostra licentia speciali. *Gistum vel procuratio, est jus hospitii, quod principes habebant apud vassallos suos.* D

Prohibitionem vero istam, quam facimus de matrimoniis non copulandis, et possessionibus non acquirendis, non extendimus ad præpositos, majores, et alios officiales minores, qui majorias, præposituras, et alia officia tenebunt in locis mansionum suarum, dum tamen hæc faciant sine nostra vel alterius læsione. *Ait :* In locis mansionum suarum, *id est, ubi habitare solent non propter officium, sed quia ibi vel nati sunt, vel jam ante fixerant domicilium.*

Senescalli autem nostri et inferiores ballivi caveant sibi a multitudine bedellorum *, et quanto paucioribus poterunt, sint contenti, ad curiarum exequenda præcepta, et illos nominent in assisia publica, aliter vero pro bedellis minime habeantur. Ubi autem bedelli vel servientes ad remota loca mittentur; eis sine superiorum litteris non credatur. Et si aliter inventi fuerint facientes executiones vel mandata, nuncietur senescallo, qui eos puniat competenter.

* *i. e.* apparitorum, qui ad judicia citant

pœnasque infligendas :

766 Ne vero senescalli nostri vel inferiores ballivi contra justitiam subditos nostros gravent : inhibemus eisdem, ne pro quocumque debito, E præter nostrum, capiant, vel captum detineant aliquem subditorum nostrorum.

Emendas autem pro maleficiis seu debitis a ballivis nostris levari non volumus, nisi in foro aut judiciario publice de bonorum consilio fuerint judicatæ vel æstimatæ, quamvis antea fuerint gagiatæ *. Si tamen ille, cui crimen imponitur, curia sibi offerente, judicium illud non velit expectare, et pecuniam certam offerat pro emenda, et tale sit crimen, de quo emenda pecuniaria recipi consuevit, liceat curiæ eam recipere, si sibi competens videatur. Alioquin emendam judicari faciat vel æstimari, secundum quod superius est expressum, licet reus se velit omnino subjacere curiæ voluntati. Caveant tamen senescalli, judices, et ballivi, ne minis vel terroribus seu machinationibus callidis clam vel palam aliquem ad emendam offerendam inducant, vel sine causa rationabili accusent.

* *i. e.* solutæ

circa venditionem officiorum :

767 Eos sane, qui ballivias nostras tenuerint, aliis easdem revendere prohibemus. Sed si plures emptores fuerint, unus tantum jurisdictionem exerceat, et immunitate gaudeat in cavalcatis *, talliis *, seu collectis, et aliis oneribus publicis, qua alii consueverunt gaudere. F Vendi autem eas filiis, fratribus, nepotibus, aut consanguineis, seu domesticis ballivorum, prohibemus eisdem. Emptores autem ipsarum præpositurarum vel aliarum balliviarum, debita propria, scilicet quæ debentur eisdem, ex præposituris vel balliviis aliis, aut eorum sociis, auctoritate propria non coercsant, sed per manum senescalli aut superioris judicis eas repetant, sicut si præposituram vel balliviam non tenerent.

* *i. e.* onere equos subministrandi

* *i. e.* præstationibus pecuniarum

cavet, ne injuste graventur

768 Porro volentes viam malitiis præcludere, quantum possumus, firmiter inhibemus, ne senescalli, ballivi, vel alii officiales prædicti, in causis et negotiis quibuscumque subditos nostros locorum mutatione fatigent sine causa rationabili : sed singulos in locis illis audiant, ubi consueverunt audiri : ne gravati laboribus, et expensis, cogantur cedere juri suo.

Quia vero nemo sine causa vel culpa privandus est jure suo; ballivis nostris, et aliis officialibus prædictis inhibemus, ne dessaisiant * aliquem sine causæ cognitione, vel nostro speciali mandato. Subditos etiam nostros novis exactionibus,

* *i. e.* bona alicujus occupent

A ctionibus, consuetudinibus, vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ causa non mandent, sed ex causa tantummodo necessaria. Et tunc volentes personalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

769 Defensum autem bladi *, vel vini, aut mercium aliarum, non extrahendarum de terra, sine causa urgente non faciant; et tunc cum bono, et maturo consilio, nec suspecto, et factum cum consilio non dissolvant; et eo durante, numquam faciant gratiam specialem.

subditi, et rationem reddant ministri.
* *i. e.* frumenti

Omnes autem ballivos nostros, majores et minores, finito officio suo remanere volumus, vel saltem procuratorem sufficientem dimittere in ipsa ballivia per quadraginta * dies, ut de se conquerentibus coram illis respondeant, quibus hoc committetur.

* *Mart.* quinquaginta.

770 Cæterum ordinationem factam de Judæis observari districte præcipimus, quæ talis est: Judæi cessent ab usuris et blasphemiis, sortilegiis. Et Talemit * quam alii libri, in quibus inveniuntur blasphemiæ, comburantur. Et Judæi, qui hoc servare noluerint, expellantur, et transgressores legitime puniantur. Et vivant B omnes Judæi ex laboribus manuum suarum, vel de negotiationibus sine terminis * et usuris.

Statuta contra Judæos servari jubet: ludos inhonestos vetat,
* *Mart.* tam Talemut
* *Mart.* terris *rectius*

Præterea prohibemus districtius, quod nullus omnino ad taxillos ludat sive aleis, sive * scacis *. Scolas etiam deciorum * prohibemus, et prohiberi volumus omnino, et tenentes eas districtius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.

* *Mart.* aut
* *i. e.* latrunculis,
* *i. e.* tesserarum

771 Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.

et popinarum abusum: meretrices jubet expelli:

Expellantur autem publicæ meretrices tam de campis quam de villis; et factis monitionibus sive prohibitionibus, bona earum per locorum judices capiantur, vel auctoritate a quolibet occupentur, etiam usque ad tunicam vel pecium *. Si quis vero publicæ meretrici scienter domum locaverit, quantum valet pensio domus uno anno, ballivo loci vel judici solvere teneatur.

* *Mart.* pelliceum

772 Præterea statutum a nobis de consilio baronum nostrorum apud Melledunum editum observari præcipimus firmiter et teneri. Videlicet, quod nullum debitum haberi faciant barones, ballivi, vel aliæ quæcumque personæ Ju- C dæis, nec aliquis in toto regno nostro Judæum retineat alterius dominii, nec impediat quo minus Judæum suum possit capere, tamquam proprium servum, quantumcumque sub alterius dominio fecerit ipse moram.

decreta contra Judæorum usuras renovat:

De Christianis vero, sicut in eodem statuto continetur, prohibemus districte, quod nullas usuras haberi faciant barones, ballivi nostri, vel aliæ quæcumque personæ Judæis. Usuras autem intelligimus quidquid est ultra sortem.

Istud autem statutum factum apud Melledunum volumus quod ballivi nostri observent et faciant observari, tam in terra nostra, quam in terra baronum vel aliorum, si defuerint, postquam sufficienter fuerint requisiti. *Quæ hic de Judæis renovantur, non leguntur apud Martenium.*

773 Inhibemus autem ne aliquis in terra nostra capiat aliquem equum contra voluntatem illius, cujus equus erit, nisi sit pro proprio negotio nostro. Et tunc per ballivos, senescallos nostros, aut eos, qui loco eorum erunt, de equis conductitiis capiatur. Et si equi conductitii sufficere nequeant pro nostro servitio faciendo; senescalli, ballivi, vel alii, qui loco ipsorum erunt, non capiant equos mercatorum transeuntium, vel pauperum, sed divitum tantum, si sufficere possint ad nostrum servitium proprium faciendum.

ac demum pauperum, aliorumque,

AUCTORE J. S.

774 Inhibemus etiam, ne pro servitio nostro vel alio capiantur equi personarum ecclesiasticarum, nisi de nostro speciali mandato. Nec capiant senescalli, aut ii, qui loco ipsorum erunt, equos plusquam nobis fuerit opus. Illos etiam, quos ceperint, pro pecunia non relaxent. Hæc autem, quæ de equis capiendis diximus, volumus observari, quamdiu nobis placuerit: salvis servitiis nobis debitis, et juribus nostris, ac etiam alienis.

præcipue ecclesiasticorum prospicit commodo;

Omnia ergo et singula supradicta, quæ ad præsens pro subditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine potestatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, a ballivis nostris et subditis districte volumus observari.

Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Decembri. E

775 *Hisce legibus subjungit num. 254 Joinvillius aliud in bonum regni a* Ludovico *præstitum, quod ad hæc fere tempora revocandum: nimirum munus tribuni capitalis Parisiensis, quod ante venale fuerat, homini justo et severo gratis concessum. Hoc item circiter tempore introduxisse videtur consuetudinem mittendi per provincias fratres Prædicatores et Minores, de quorum probitate plurimum confidebat, ut illi in mores ministrorum et præfectorum regni inquirerent, et sontes ab officio amoverentur, aut etiam punirentur gravius. Denique ab hoc tempore cœpta crediderim, atque in posterum observata, quæ auctores Vitæ locis variis memorant, de incredibili Regis diligentia ad lites quaslibet pari celeritate atque æquitate terminandas, statutisque hunc in finem ab eo viris doctrina præstantibus, qui litigantium causas quotidie audirent ad portam palatii, easque quam citissime expedirent, aut, si id minus per se possent, Regem ipsum advocarent, cujus sapientia æquitateque ad concordiam reducerentur litigantes, de quo vide Joinvillium num. 21 et seq. Hac autem juris administrandi tanta diligentia, tantaque justitia adeo regnum emendatum scribit num. 254 Joinvillius, adeo illud paulatim floruisse testatur, ut, accurrentibus undique ad illud hominibus, Regii proventus in duplum fuerint aucti. Tanti est Regem esse sapientem, si tamen sapientiæ suæ diligentiam adjiciat, æquitatemque: porro sapientissimum omnium, quos in consilium adhibebat, habitum fuisse* Ludovicum, *testatur sæpe laudatus Joinvillius num. 243, diligentissimum pariter, æquissimumque fuisse, facta clarius demonstrant, quam ut pluribus probari debeat.* F

alia in bonum regni introducta; quibus illud mirifice floruit.

§ LXII.

AUCTORE J. S.

§ LXII. Sanctus Ordinem religiosum ingredi desiderat, qua occasione calumniam passi Prædicatores : inquiritur, an tertio Minorum Ordini fuerit adscriptus ; an scapulare Stokianum gesserit, an cum B. Ægidio congressus.

Sanctus, terrena omnia despiciens, regnum deponere cupit;

Quamvis *tanta esset* S. Ludovici, *tamque perpetua in regno recte administrando, emendandoque diligentia, ut ea videri possit totum hominem occupare debuisse; imo ut unus aliquis minori præditus sapientia, atque in rebus agendis solertia, iis omnibus peragendis non suffecisset : tantam tamen huic curæ adjungebat diu noctuque precandi assiduitatem, acsi vitam* B *duxisset anachoreticam, soli orationi sacræque lectioni intentus. Verum hæc, uti et perpetuam pauperum, atque ægrotorum curam, aliaque hujusmodi plurima, describere hoc loco non est animus, quia abunde in Actis sunt relata. Porro ex hac tanta orandi, divinaque contemplandi assiduitate factum existimo, ut ingens ipsum ceperit rerum humanarum fastidium : fieri enim non poterat, ut, qui cælestia mundo corde contemplari solitus, non raro gustabat quam suavis sit Dominus, terrena omnia et peritura hujus mundi bona magni faceret, ac non potius, ut pulverem et cinerem, ut umbram bonorum magis quam vera bona, despiceret alto animo, atque abjicere meditaretur. Certe in eam cogitationem circa hæc tempora adductus est* Ludovicus, *testibus Vitæ scriptoribus, Gaufrido num. 14, et auctore Vitæ secundæ num. 135, ut voluerit regnum filio suo, simulatque adultus esset, relinquere, vitamque amplecti monasticam inter Prædicatores vel Minores, quos pari amore diligebat. At cum rem secreto aperuisset reginæ Margaritæ, eaque, adductis rationibus, consensum negaret, ulterius non processit, nec procedere potuit.* C

non tamen videtur ad id inductus a Prædicatoribus :

777 *Impactam hac occasione Prædicatoribus calumniam jam refutarunt aliqui, ac diligentius præ ceteris Natalis Alexander in Historia ecclesiastica recusa tom. 7, pag. 290. Auctor illius erat Richerius monachus Senoniensis in Vosago diœcesis Tullensis, in Chronico apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 645, ubi narrat Regem a fratre quodam Prædicatore callide circumventum, atque in hanc mentem deductum; sed ea adjungit de comite Andegavensi Regis fratre, de filio Regis, ipsoque etiam Rege* Ludovico, *quæ plane ostendunt, nullam auctori hac in re fidem adhibendam, cum non modo vera non sint, at ne verisimili quidem modo enarrata. Nec refert, quod Richerius eodem vixerit tempore ; id enim non satis probat, fidem ei habendam : cum nemini ignotum sit, quot, quantæque non raro fingantur calumniæ, mendaciaque fabricentur de Ordinibus religiosis, præsertim dum illi ob controversiam aliquam famosam hominum dicteriis magis sunt expositi. Unde suspicari non immerito possumus celebrem illam controversiam, quæ inter universitatem Parisiensem, et Prædicatorum Ordinem vigebat hoc* D *tempore, huic fabellæ occasionem præbuisse : certe illius scriptor Richerius animum ubique ostendit adeo a Prædicatoribus alienum, ut fabulæ etiam male consutæ fidem adhibere potuerit, maxime quod procul ab aula, urbeque Parisiensi amotus, mores* S. Ludovici *minus posset habere perspectos. Qui plura desiderat ad refutationem hujus fabellæ, adeat memoratum Alexandrum.*

tertio Minorum Ordini adscriptum volunt aliqui, quod ex capitio gestato probari putant.

778 *Scriptores varii ex religiosa S. Francisci familia, atque inter eos præcipue Lucas Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1254, asserunt* S. Ludovicum *nomen dedisse tertio Ordini S. Francisci, qua de re illustrissimus Spondanus ad eumdem annum num.* XI *breviter sic scribit :* Fuisse hunc tertii Ordinis Minorum, cui se post reditum ex Syria addixerit, nonnulli volunt : quod tamen vix credibile, cum nullus antiquorum singularis hujus rei meminerit. *Ita post visas Waddingi probationes Spondanus pronuntiat; nec desunt alii plurimi, qui ejus adstipulantur sententiæ. Quaproper lubet argumenta Waddingi expendere, atque examinare pro instituto Operis nostri, quid de hac re videatur statuendum. Primum ille argumentum desumit ex vestibus, ac ita ratiocinatur num. 29 :* E Atque ut ab exteriori tessera et vestis indiciis exordiamur; non adeo eam vulgarem volunt coævi authores, quin quidpiam habuerit singulare, et peculiarem aliquam notam, ultra commune vulgi vestimentum, quia innuebatur quidpiam religiosum, aut peculiare genus vivendi. Testis est Thomas Cantipratanus Ludovico synchronos, et notus : Quod ex altissima, inquit, humilitate peculiarem vestem assumpsit, et Deus insigni miraculo in tanta sui dejectione irridentem severe punivit. *Deinde refert verba Cantipratani, quæ integra dedimus num. 574, ubi, gestu adjuncto histrionis, nuntius comitis Geldriæ dicebat :* Vidi, vidi illum miserum papellardum Regem, caputium habentem capitis super scapulam ex adverso suspensum. *Unde postea infert hoc modo :* Aiunt illi authores caputium habuisse super scapulas suspensum, quod religiosæ vestis nota est.

at caputium non gestavit Sanctus :

779 *At vero si omnes, qui caputium capitis gestarunt, Religiosi sunt Waddingo, plurimos e Gallis antiquis habebit monachos. Etenim Gallis* F *olim usitatum erat tegmen capitis, quod vulgo* chaperon *vocabant, quodque* S. Ludovico *in usu fuisse, constat ex Vita secunda num. 40, ubi illud Latine* capitium *vocabo ; et in notis observabo, non absimile fuisse cucullis monachorum. Non esset igitur, cur inferremus ex dictis illis, monasticum cucullum* S. Ludovico *super scapulas suspensum fuisse, etiamsi histrionem illum proprie locutum fuisse concederemus ; quod verisimile non est. Certe Cantipratanus, quem in auxilium advocat Waddingus, ei directe repugnat. Defensurus enim, post relatum exemplum, modestiam vestimentorum* S. Ludovici, *exempla adducit regum, quos certe tertii Ordinis Minorum non facient Waddingi vindices. Verba ejus accipe lib. 2, cap. 57, num. 64 :* Erubescat theologicæ cathedræ vilis ille præsumptor, qui prædicavit ipsum, de quo scripsimus, Regem non debere communibus uti vestibus, sed semper purpuratum incedere : nec plures Missas audire quam unam. Mortaliter autem peccare dicebat omnes illos, (fratres Prædicatores intelligens) qui dictum Regem inducebant ad hujusmodi devotionis et humilitatis exempla. . .

Modera-

A Moderatores orbis et reges frequenter vidimus communis panni laneis vestibus uti. Non nisi camelini coloris vestibus avus ipsius Regis, gloriosissimus Philippus rex, indiscretis anni temporibus utebatur. Ludovicum autem filium ejus, æque regem gloriosum et bonum, istius Regis Ludovici patrem, numquam me vidisse memini purpuratum. Karolus ille magnus, postquam in Roma coronatus est imperator, numquam postea voluit, ut de eo scribitur, infula pomposi habitus insigniri. *Ex his verbis manifestum fit,* S Ludovicum *non alia vestis forma usum fuisse, quam usus fuerat pater ejus Ludovicus, et avus Philippus : neque enim recte* Ludovicum *defenderet Cantipratanus ab exemplo patris et avi, si tantopere ab eorum exemplo ille recessisset : neque imprudens ille concionator culpam Prædicatoribus tribuisset, si propter assumptum tertium Minorum Ordinem vestes modestiores gestasset* Ludovicus.

neque id probatur ex vestium modestia :

780 *Neque plus probant verba Bonifacii VIII, ex quibus id evincere nititur Waddingus, quæque hujusmodi sunt :* Vestes enim, quas postea habuit, non erant regiæ, sed religiosæ; non B erant militis, sed viri simplicis. *Hunc enim sensum habent hæc verba. Vestes* Ludovici *non regio, non militari splendore erant ornatæ; sed religiosi, sed viri privati modestiæ convenientes. Hinc rursum perperam colligit Waddingus, dum subdit :* Bonifacius Pontifex. . . religiosas portasse vestes aperte testatur. *Et nihilo rectius ex præcedentibus hanc elicit conclusionem :* Habemus ergo. . . scriptores coævos, et ultra vulgarem seu communem habitum indicia vitæ religiosioris. *Post hæc memoratus auctor num. 30 comparat vestes a S. Francisco tertio Ordini præscriptas cum vestibus* S. Ludovici, *in quibus id simile invenio, quod vestes utrimque essent modestæ : dissimile vero, quod vestes nigri coloris suis prohiberet S. Franciscus : at* veste nigri coloris *usum* S. Ludovicum *testatur citatus ibidem Gaufridus. Majorem in forma vestimentorum reperiremus differentiam, sed brevitati consulendum. Quod autem num. 31 Waddingus affirmat, hanc vestium mutationem contigisse post reditum ex Oriente, erroneum esse, patet ex num. 573, ubi probavimus, id* C *ante iter transmarinum contigisse.*

argumenta reliqua Waddingi

781 *Post has rationes, quæ vix, aut ne vix quidem ad rem pertinent, reliqua argumenta sua sic proponit Waddingus num. 32 :* Et vere tertii hujus instituti sectatorem fuisse expresse habetur in Officio proprio, quod in ejusdem festivitate recitant fratres Pœnitentes tertii Ordinis per universam Galliam, Parisiis haud pridem impressum apud Petrum Mettayer typographum et bibliopolam regium, extractum, ut habetur in pagina præliminari, ex Antiphonario regio Navarræ. In hoc porro Officio illa est Antiphona ad Magnificat. « Ludovicus ne mollescat, et » securum iter agat, inter mundi discrimina, » se Francisco associat, ut gressus suos dirigat » sub Pœnitentum regula ». . . Atque ab immemorabili tempore tamquam Francisci sectatorem, universi tres Ordines ab eodem instituti sanctum Regem peculiari celebrant ritu et festivitate. Paulus item tertius in diplomate, Cum a nobis petitur, dato anno MDXLVII pridie Kalend. Martii, eumdem inter Sanctos tertii Ordinis enumerat, atque ut pluribus gaudeant indultis in ejus festivitate fratres Pœnitentes concedit. *Demum prolatis aliquot testibus recentioribus et domesticis, ita concludit :* Hæc satis superque probant Francisco sub pœnitentum tessera Ludovicum nomen dedisse; idque ita receptum in Christiani orbis regionibus, ut ubique occurrat sub Franciscano habitu ejusdem effigies. *Ita vir ille eruditus, quibus Arturus a Monasterio, Hueberus, aliique Minores consentiunt.* Auctore J. S.

rem etiam non probant :

782 *Attamen hæ rationes hujusmodi non sunt, ut satis superque probent, quod intendit Waddingus, præsertim si expendantur argumenta, quæ ex Vitæ scriptoribus opponi possunt. Quid enim ponderis habere potest Officium nuper impressum? Quid diploma hoc Pontificium, tertio post mortem* Ludovici *seculo ad preces alienas datum, in quo verbis supplicantium inter Sanctos tertii Ordinis enumeratur* Ludovicus? *Habetur illud apud Antonium de Sillis inter Apostolica privilegia tertii Ordinis S. Francisci pag. 80, in eoque enumeratur pari modo S. Rochus. Unde, quam illud argumentum sit evanidum, ipsum testem appello Waddingum, qui ad annum 1327 num. 10 de S. Rocho sic scribit :* Eum tertio S. Francisci instituto adscribunt aliqui, sed recentioris ætatis scriptores. Antiquiores desideraverim coassertores : neque tamen hi contradicunt, neque nostri respuunt, quem alii sponte offerunt : imo avide amplexantur. *Si diploma memoratum non probet pro S. Rocho, cur illud adducit pro* S. Ludovico? *Quod autem in Ordinibus S. Francisci colatur* S. Ludovicus, *ut tertii Ordinis sectator, tantum probat, opinionem illam olim invaluisse, sicuti opiniones multæ erroneæ paulatim invalescunt. Demum quod pictores Sanctum exhibeant habitu Franciscano indutum, iis condonabimus, utpote quibus multa licere non ignoramus. At magis in Actis* S. Ludovici *versatum agnoscimus eruditissimum Waddingum, quam ut credere potuerit, sanctum Regem Franciscano habitu usum fuisse, cum id ex Actis apertius falsum sit, quam ut videri possit dubium. Sentis, opinor, erudite lector, quam leves sint rationes, quibus tertio Minorum Ordini* S. Ludovicus *asseritur. Accipe nunc breviter rationes quasdam, quæ militant in oppositum.*

adscriptum tertio Ordini non fuisse, probat silentium auctorum.

783 *Vitam Sancti scripserunt auctores coævi varii, qui ignorare non poterant, nec silere debebant, eum tertio Minorum Ordini nomen dedisse, si id factum esset; præsertim cum non siluerint voluntatem ejus vitam amplectendi religiosam, aliaque plura multo minutiora. Cur, obsecro, prætermisisset rem tantam, tamque in Rege singularem, Gaufridus ejus conscientiæ moderator, jussus a Gregorio X summo Pontifice, ut narravimus num. 2,* vivendi modum *Sancti conscribere* in omnibus et singulis actibus et observantiis suis? *Quod quam accurate præstiterit Vita ab eo scripta abunde docet. Cur Guilielmus Carnotensis, Sancto item familiaris, qui addidit facta quædam particularia, id non adjecisset, si Gaufrido excidere potuisset? Cur in Actis canonizationis nemo unus ex tot testibus institutum vitæ tam sanctum commemoravit? Aut, si id ibidem commemoratum sit, cur auctor Vitæ secundæ, qui Acta canonizationis præ oculis habuit, gloriam tantam Ordini Franciscano invidit, Franciscanus ipse, et reginæ Margaritæ confessarius, ita ut rem ignorare non potuisset, etiamsi in Actis canonizationis a tot tamque sedulis testibus fuisset prætermissa? Denique cur hi omnes, cur Guilielmus Nangius, Bonifacius VIII,*

AUCTORE J. S.

VIII, Joannes Joinvillius, aliique, vestium modestiam in sancto Rege tanto studio commendant; quod majori commendatione dignum erat, unde hæc vestium modestia ortum duxerit, ne verbo quidem attingunt? Cur Thomas Cantipratanus, in similia raræ pietatis exempla studiose intentus, factum tam singulare indignum duxit, quod cum reliquis commemoraret? Causam hujusce tot auctorum silentii, quorum nullus rem ignorare poterat, aut silere pro instituto Operis sui debebat, non aliam sane reperiendam opinor, quam quod S. Ludovicus tertium Ordinem Minorum amplexus sit numquam.

confessarius ex alio Ordine,

784 Possem hoc argumentum longius quidem protrahere ex silentio aliorum scriptorum, qui coævi fuerunt, suppares, aut longe etiam posteriores : verum id nequaquam necessarium esse existimo. Attamen, ne qui dicant, me argumento tantum negativo Ordinem S. Francisci tertium abjudicasse S. Ludovico, pauca e pluribus afferam, quæ opinioni contrariæ positive repugnant. Imprimis, si tertium Minorum Ordinem professus fuisset Sanctus, dubitare non possumus, quin primarium conscientiæ suæ moderatorem ex Ordine Minorum elegisset, qui rectius eum juxta Ordinis regulas potuisset dirigere : attamen, licet ex Ordine Minorum confessarium quoque habuerit, a prima certe expeditione transmarina usque ad finem vitæ, primarium conscientiæ arbitrum retinuit Gaufridum de Belloloco ex sacra Prædicatorum familia, qui eum et in operibus pietatis ac pœnitentiæ dirigebat, et conscientiæ nævos confitentem audiebat; quique extrema eidem Sacramenta administravit, et morienti adstitit : uti ex Actis est manifestissimum.

et jejunia tertii Ordinis.

785 Deinde, si Ordini tertio Minorum nomen dedisset Sanctus, ejusdem Ordinis regulas servasset quam accuratissime. At vero regulas tertii Ordinis non servasse, ex Actis probari potest. Primo enim in regulis tertii Ordinis, prout eas compendio tradit Hippolytus Helyot in Historia Ordinum religiosorum tom. 7, pag. 217 et seqq., inter alia præscribitur jejunium a festo S. Martini usque ad Natalem Domini : item a Dominica Quinquagesimæ usque ad Pascha. Neutrum servavit S. Ludovicus : nam auctor Vitæ secundæ Franciscanus num. 129 omnia Sancti jejunia exacte enumerans, Adventum Domini jejunio ejus adscribit, aliaque tempora plura, quam regula tertii Ordinis imponit : verumtamen nec tempus inter festum S. Martini et Adventum, nec dies Quadragenario jejunio prævios inter tempora jejunii S. Ludovici enumerat : uti nec Gaufridus confessarius, num. 26 de diebus Sancto esurialibus agens; nec, qui Gaufridum auxit, Carnotensis, num. 25 eamdem tractans materiam.

aliæque regulæ non observatæ.

786 In vestibus non servasse dicti Ordinis regulas jam vidimus, quod nigro etiam colore uteretur in regula vetito. At plura inutili labore non lubet colligere. Si itaque nec regulas tertii Minorum Ordinis observavit S. Ludovicus, quamvis majorem longe perfectionem secutus sit, quam illæ exigant regulæ. Si conscientiæ directorem maluerit toto illo tempore Dominici quam Francisci sectatorem. Si in Actis omnibus antiquis nulla istius Ordinis fiat mentio, ut ostendimus; gravioris sane momenti argumenta exigimus, quam hactenus prolata sunt, ut eum dicto Ordini annumeremus : quin etiam existimamus opinionem jam refutatam non nisi ex confusione, aut errore aliquo, ortum habuisse : aut certe conjecturam ex vestium modestia, jejuniis, aliisque piis Sancti operibus fortasse desumptam, memoratæ opinioni occasionem præbuisse : quæ quo tempore exorta sit, aliis discutiendum relinquo.

Nec scapulare S. Simonis Stock

787 Joannes Baptista Lezana in Annalibus Carmelitarum tom. 4 a pag. 338 sacro etiam Carmelitarum Ordini utcumque asserere nititur S. Ludovicum, post auctores aliquot neotericos, inter quos majori conatu id præstare voluit Theophilus Raynaudus in Scapulari Partheno-Carmelitico illustrato a pag. 293, magna sane vehementia exclamans contra argumentum negativum, quo illud scapulare S. Ludovico abjudicaverat Joannes Launoyus. At vero si quoslibet argumento negativo usos accuset Raynaudus, doctores plerosque præclarissimos, sanctosque Patres accusat, quos ea in re auctores habemus, uti ostenderunt scriptores varii, et nuperrime Didacus del Corro Hispanus, in Dissertatione de Romani Breviarii auctoritate cap. 15. Verum his missis, audiamus breviter, quibus rationibus probet Lezana, scapulari S. Simonis Stock indutum fuisse S. Ludovicum. Ait in Gaufrido, et Guilielmo Carnotensi scriptum esse, CUCULLO seu CAPUTIO AD SCAPULAS PROTENSO usum esse. At in eo erravit vir bonus, a Raynaudo in errorem abductus; nam nusquam in iis auctoribus id scriptum legitur, nec quid simile. Verba etiam Bonifacii VIII, num. 780 recitata, adducit; sed mutata nonnihil, ut sensum prorsus alium exhibeant. Demum subjicit blasphemas voces histrionis illius, quem a Deo punitum refert Cantipratanus num. 574 citatus, contenditque capucio non Minorum, sed Carmelitanum habitum designari.

gestavit S. Ludovicus;

788 Verum enimvero nequidquam disputat Lezana de capucio, quem solus ille histrio Ludovico attribuit, significans ipsum ob habitus morumque modestiam monacho similiorem fuisse visum quam Regi : nam pallio regio, tunicaque usum fuisse, sæpe in Actis reperiet curiosus lector; pileo item plumis pavoninis ornato caput texisse, Vita secunda testatur num. 313. Demum nihil ex illo Cantipratani loco probari pro veste monastica jam ostendimus num. 779. Itaque, ne in refutanda opinione tam male sibi cohærente sim longior, præter silentium omnium antiquorum, quod æque Carmelitis repugnat quam Franciscanis, subjungo verba Papebrochii, in Responsionibus suis art. 20, § 2, num. 27 hanc opinionem sic breviter refellentis : Longius aberravit Grossus, si voluit, uti eum intellexit Zegerus Pauli, sacri scapularis gestatoribus adnumerare S. Ludovicum Francorum Regem : hic enim obiit anno MCCLXX, ante mutationem habitus annis XVII. (Nam anno 1287 mutationem habitus ex carpita in scapulare contigisse, probaverat in Actis S. Alberti tom. 2 Aprilis pag. 800.) Sed neque de priori Ordinis habitu, scilicet carpita, verificari potest, quod huc trahit Grossus. Verba intelligit blasphemi illius derisoris a Cantipratano relata, ex quibus nihil sequi jam ostendimus. Neque de priori habitu loquitur Lezana, aliique auctores, qui illam opinionem defendunt, ita ut ex eorum opinione sequeretur, S. Ludovicum scapulare gestasse multis annis, antequam id ipsi gestaverint Carmelitæ.

nec quatuor Ordinum mendicantium

789 Ita tamen defendit laudatus Lezana Stokianum scapulare gestasse S. Ludovicum, ut eum aliorum

A *aliorum Ordinum participem fuisse non neget. Imo non defuit, qui eum quatuor mendicantium Ordinum tertio instituto adscriptum vellet. Lubet hac de re apponere verba Thomæ de Herrera, religioso candore commendanda, qui in Alphabeto Augustiniano tom. 2 pag. 4 ita sincere mentem suam expromit :* Is sane est Ludovicus, ut pro eo certare possint universæ religiones. Ego neque annuam, neque omnino abnuam, sed referam aliorum opinionem, quam firmo aliquo fundamento vellem innixam. Fr. Marcus de Guadalaxara et Xavierre in Thesauro spirituali Ordinis Carmelitani S. Ludovicum Regem Franciæ omnium quatuor Ordinum mendicantium fuisse affirmavit. Scio Sampsonem Haium de Veritate vitæ et Ordinis D. Guillelmi pagin. 40 sic habere : Authores non vulgares quatuor mendicantium cœnobia D. Ludovici Francorum Regis augustissimi opus esse asserunt. Novi etiam in Commentario rerum Ordinis Augustiniani, jussu Cardinalis Seripandi edito, referri, in capitulo generali Neapolitano an. MCCC statutum fuisse, ut festum S. Ludovici confessoris Regis Franco- B rum celebraretur die XXV Augusti, et ad perpetuam memoriam in Calendario Ordinis scriberetur : et an. MCCCXV in capitulo Patavino idem præceptum de ejus translatione.

institutum est secutus.

790 Verum et hæc, et alia hujusmodi infirma sunt, ut B. Ludovicus inter tertiarios quatuor Ordinum mendicantium, et præcipue Augustiniani possit computari. Difficile enim est creditu, patres synodi Neapolitanæ, qui tam illustrem Regem suis fastis adscribebant, tantam suæ religionis gloriam suppressuros, si novissent Ludovicum tertiariorum Augustinianorum cœtui nomen dedisse. Optassem sane Marcum de Guadalaxara, qui novam quadruplicis instituti professionem, sive potius observantiam S. Ludovici in lucem induxit, expressisse fundamentum, quo motus sanctum Regem, quem Franciscani tertiarii sibi peculiarem censent, quatuor Ordinibus communem esse voluerit. *At ne hi quidem, opinor, eum sibi peculiarem censerent, si eadem lance expendissent monumenta opinionis suæ, eidemque adversantia, qua sua expendit laudatus Herrera.*

Congressus S. Ludovici cum B. Ægidio, licet referatur a multis,

C 791 *Juvabit hoc loco refutare historiunculam aliam, quæ licet in libris non paucis asceticis, et historicis quibusdam circumferatur, subsistere tamen non potest. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1262 num. 13 eam refert hisce verbis :* Statuerat aliquando S. Ludovicus Francorum Rex suscipere peregrinationem, et loca sacra visere. Audiens vero de eximia et admiranda Fr. Ægidii sanctitate, decrevit illum adire. Itaque Perusiam se contulit, ubi illum esse cognorat. Cumque ad monasterii portam venisset, ceu ignotus quidam peregrinus cum paucis familiaribus, rogabat ubi Fr. Ægidius esset, nihil de se indicans ostiario. Is autem dixit Ægidio, peregrinum præ foribus cupere ipsi loqui. Actutum vero spiritu cognovit Ægidius eum Regem Franciæ esse, celeriterque ad illum accurrit : dixisses hominem ebrium esse. Ubi in mutuos venere conspectus, sese inter se complexi sunt perquam hilariter, acsi longa inter ipsos intercessisset familiaritas. Atque ita stabant simul ad portam cum multa eximii amoris significatione, tametsi neuter quicquam alteri loqueretur : tandem a se taciti discesserunt. Ægidium autem ad cellulam suam redeuntem, quidem frater rogavit, quisnam ille fuisset peregrinus, qui tot erga ipsum benevolentiæ signa ostendisset? Respondit ille Ludovicum Christianissimum Gallorum fuisse Regem.

AUCTORE J. S.

cum gestis sancti Regis non cohæret.

792 *Causam autem rogatus B. Ægidius, cur ne verbo quidem allocutus fuisset, respondit alteri alterius cor patuisse, ut ibi pluribus refertur. Arturus a Monasterio idem refert in Martyrologio Franciscano pag. 397, remque firmare nititur agmine auctorum neotericorum bene longo, atque inter alios adducit verba Dionysii Cartusiani, quibus peregrinatio* Ludovici *sic narratur :* Ex devotione præcipua septem annis peregre ambulavit occulte per mundum ; et visitavit loca sacra, sanctosque viros. *In hac autem septennali peregrinatione dictum cum fratre Ægidio congressum contigisse scribit, uti alii passim. At vidit Waddingus illud septennium nimis aperte fabulosum esse, ideoque temdus peregrinationis omittere maluit. Porro hunc congressum* S. Ludovici *cum Beato non quidem repudiavit Papebrochius, in Actis B. Ægidii tom. 2 Aprilis pag. 239, eum recitans ex Waddingo ; dubium tamen mihi nullum est, quin eum omnino rejecisset, si monumenta omnia vi- E disset, quæ nos vidimus ; multoque magis, si ordine chronologico Vitam* S. Ludovici *suscepisset describendam. Etenim, ut silentium omnium antiquorum prætereum,* Ludovicum *in Italiam numquam profectum esse, numquam Perusiam vidisse, ex toto hoc Commentario manifestum fiet, in quo partim jam vidimus, partim deinde videbimus eum in Gallia ita semper occupatum fuisse, assignatis locis et temporibus, ut tempus inveniri non possit, quo in Italiam profectus esset, nedum septennio peregrinatus ; præter expeditionem transmarinam, quæ septimum annum tenuit. Suspicor itaque, si factum hoc B. Ægidii fictitium non sit,* Ludovico *per errorem tributum, quod B. Ægidio cum alio quopiam contigerat.*

§ LXIII. Anno 1255 tyrannis cujusdam nobilis compressa : donationes : monasterium Ordini Vallis-caulium fundatum : nemus monachis Grandimontensibus restitutum : varia impetrata a Pontifice : hæretici exstirpati : filia nuptui data : filio sponsa designata : induciæ cum Anglis : iter in Flandriam. F

Tyrannum bonis exui jubet Ludovicus ;

Chaizius tom. 2 pag. 229 annum 1255 exorditur a convocatione procerum ad regni comitia die festo Virginis Purificatæ, quo idem in posterum a Ludovico *quotannis factitatum scribit ingenti regni bono. In hisce autem comitiis agitata est causa Anserici Montis-regalis in Burgundia domini, qui gravi tyrannide premebat vicinos quoslibet. Verum cum ducis Burgundiæ esset subditus, adeoque Regis non esset per se ejus scelera punire, iteratis vicibus duci Burgundiæ scripserat, ut hominis tyrannidem comprimeret ; cumque sic nihil profice-*

ret,

AUCTORE J. S.

ret, quod consanguineo suo dux parceret, præcepit tandem Ludovicus *sub pœna inobedientiæ, ut dux castrum Anserici occuparet, suoque muniret præsidio. Attamen intercessit pro reo Guido Autissiodorensis episcopus, atque obtinuit ut Ansericus Regem accedere posset, eique satisfacere, itaque dilata est ad tempus exsecutio. At neque ipse Regi scelera sua excusare potuit, neque Rex justum tyranni supplicium differri magis voluit : sed missis ad ducem Burgundiæ duobus aulæ ministris, jussit castrum sine mora occupari, tyrannumque expelli, quod et factum est. Hæc omnia laudatus Chaizius ex instrumentis Mss. ea de re factis. Hinc autem intelligimus, quantam Rex justissimus curam gesserit, ut non modo in ditione sua, sed in ditionibus quoque clientum suorum, scelera non manerent impunita.*

fundationes varias confirmat;

794 *Priusquam hæc agerentur in curia suprema, mense Januario confirmaverat* Ludovicus *fundationem hospitalis Lessinensis oppidi in limitibus Flandriæ et Hannoniæ, factam ab Aelide domina Rosetensi. Deinde vero mense Februario donationem Mariæ, comitissæ Pontivi, ecclesiæ S.* B *Judoci, abbatiæ Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Ambianensi : ac Guidonis de Malo-vicino (Malvoisin) ante biennium factam, qua monachum unum instituebat in Valle-Guidonis. De quibus litteras Regis invenies apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1330 et seqq. Sunt autem hæ omnes Parisiis datæ, ubi apud Regem hoc tempore erat Margarita Flandriæ comitissa, cui eodem mense Februario Rex facultatem concessit muniendi Rupelmundam, ut ipsa suis litteris testatur ibidem col. 1333. Fiebat id contra Guilielmum Romanorum regem, contra quem procul dubio Regis auxilium imploravit. At malebat ille pacem conciliare inter fratres comitissæ filios, quam anno sequenti, agente* Ludovico, *compositam videbimus.*

regnum perlustrat; de jure gisti cum variis componit;

795 *Hisce peractis mense Februario, regni provincias rursum lustrare cœpit Sanctus : quanta autem pietate, quantaque liberalitate verus pauperum Pater in crebris illis per regnum itineribus uteretur, abunde docet Vita secunda num. 97 : neque enim pauperes undique accurrentes umquam sine eleemosyna dimittebat; neque diem intermittebat ullum, quo iis per se ipse non ministraret : neque item de perpetua orandi consue-* C *tudine in itinere remittebat, ut notatur num. 32. Porro ne itinera sua personis præsertim ecclesiasticis gravia essent, jus antiquum, regibus iter agentibus debitum, quod* gistum et procurationem *vocabant, non quidem remisit ubique monasteriis atque episcopis, sed ad certam summam contraxit, ne per multitudinem aulicorum Regem comitantium nimis excresceret. Ita factum hoc anno circa medium Martii cum archiepiscopo Turonensi Petro de Lamballe, apud quem tunc versabatur, auctor est Chaizius num. 230, antiqua allegans instrumenta. Ita et sub finem anni mense Decembri transactum Remis cum aliquibus monasteriis invenio apud supra laudatum Martenium col. 1335.*

monasterium fundat
* Estampes

796 *Regressus mense Aprili Stampas *, ibidem litteras fundationis dedit monachis Vallis-caulium, qui sub finem seculi* XII *in Burgundia exorti, jam in Normanniam se extenderant, sed loco degebant incommodo. Hujus autem fundationis cum mentionem non invenerim in Vitæ scriptoribus, litterarum partem maximam ex Martenio col. 1334 lectorum oculis subjicio :* Cum religiosi viri, fratres S. Michaelis de Bastebort Lexoviensis diœcesis, Ordinis Vallis-caulium, in D ejusdem montis supercilio temporalem sibi habitationem ad serviendum Deo perpetuo elegissent, et domos construxissent ibidem, ac propter crebro insurgentium tempestatum et ventorum excursus, nec non et alia quædam incommoda locus ipse, sicut accepimus, penitus ad hoc inutilis, et quasi inhabitabilis redderetur; tandem accedentes ad nos fratres loci ejusdem, nobis humiliter supplicarunt, ut de loco alio sibi misericorditer providere vellemus, in quo debitum divini cultus obsequium redderent bonorum omnium Conditori.

Ordini Vallis-Caulium;

797 Nos siquidem benigne compatientes eisdem, ac humilem postulationem eorum pio prosequentes affectu, divinæ pietatis intuitu, et pro nostræ, ac inclytæ recordationis genitoris nostri, et genetricis nostræ, nec non et aliorum progenitorum nostrorum animarum remedio, totam terram, quæ est inter aquam, quæ dicitur Ancre, et montem prædictum de Bastebort in longitudine, et inter domum Nicolai Herent et domum Anselli dicti Præpositi in latitudine, tam in terra arabili, quam in pra- E tis, nemoribus, et jardinis *, continentem videlicet octo acras, (*sumitur* acra *quandoque pro jugero, at non ejusdem semper est mensuræ : videri potest Glossarium Cangii*) quæ dicuntur Spinetum, et Loncloel, et in terra arabili, jardinis, et pratis triginta duas acras et dimidiam, sicut de mandato nostro mensuratæ sunt, donamus et concedimus in puram et perpetuam eleemosynam fratribus ipsis, ibidem Domino perpetuo servituris, ad fundandum et ædificandum inibi domum et ecclesiam Ordinis memorati; qui nos loci ipsius petierunt esse fundatores præcipuos et patronos.

* *i. e.* hortis

nemus restituit monachis Ordinis Grandimontensis;

798 Præterea, ut fratres ipsi reportent ampliorem gratiam, ea, quæ sibi a quibuscumque nostræ potestatis fidelibus in eleemosynam hactenus sunt collata, liberaliter eis habenda et pacifice possidenda concedimus, et ea auctoritate regia confirmamus. *Ceterum de Ordine Vallis-caulium, cujus initia magnopere laudat Vitriacus in Historia Occidentis cap. 17, ulterius consuli potest Hippolytus Helyot in Historia Ordinum religiosorum tom. 6 cap. 22. His antiquiores erant monachi Grandimontenses, quibus S. Stephanus seculo* XI *dederat initium in diœcesi* F *Lemovicensi, quique per Galliam jam erant dispersi. Attribuerat eis Ludovicus VI locum* de Loia *cum terra et nemore, ad eum pertinente; at Philippus Augustus nemus illud ad se retraxerat : de quo certior redditus* S. Ludovicus, *eodem mense Aprili Vicenas redux, memoratum nemus monachis reddidit libere possidendum. De monachis autem illis latius consuli potest memoratus Helyotus tom. 7, cap. 54, de quibus etiam agit Vitriacus cap. 19. Instrumentum vero hujusce seu donationis seu restitutionis exhibet Martenius col. 1334. Neque vero hæc unica fuit* S. Ludovici *restitutio; eodem enim tempore variis locis statuerat viros probitatis eximiæ, qui inquirerent, num quid alibi per proavos aut ministros suos injuriæ cuipiam esset illatum, damnaque exacte resarcirent, ut probat instrumentis Chaizius pag. 236. Imo, cum jura essent dubia, sibi potius, quam adversariis suis, solebat esse contrarius; uti testantur non semel biographi.*

varia impetrat ab Alexandro IV privilegia,

799 *Tanta* Ludovici *virtus, quanta ex factis omnibus elucet, digna erat beneficiis, quibus eum hoc anno cumulavit, elogiisque, quibus orna-*

A *ornavit Alexander IV, in locum defuncti Innocentii IV summus Pontifex suffectus. Petierat Rex pius, ne cui liceret in se, reginamve Margaritam conjugem suam, aut legitimos in regnum successores, anathematis aut interdicti sententiam intorquere. Annuit postulatis Pontifex per litteras* VII *Kalendas Maii hujus anni Neapoli datas, quas encomiis plenas invenies apud Raynaldum ad annum 1255 num. 42, quibus laudatus Raynaldus num. 44 subjungit sequentia :* Adjecta sunt etiam Pontificio regesto sex alia diplomata, quibus Regi, uxorique reginæ, atque iis, qui una cum ipsis sacris concionibus interfuissent, indulgentiarum munus impertiit, vetuitque ne regia sacella ejusve terræ, sine singulari a Sede apostolica potestate facta, interdicto affici possint. *Tum num. 46 litteras rursum Pontificias recitat ad preces* Ludovici *datas Anagniæ 2 Kal. Octob., quarum tenorem his verbis breviter exponit auctor :* Postulavit *Rex*, ut si casu in locis interdicto suppositis ageret, sacris Officiis interesse, ac divinis communicare liceret, cui Alexander morem gessit.

B 800 *Hasce autem præcesserant aliæ Pontificis litteræ, datæ eodem die* VII *Kalendas Maii, quo superiores, ad universos Christi fideles in Gallia, quibus non sine eximia* S. Ludovici *laude indulgentias concedit orantibus pro ipso. Illas sic recitat Raynaldus num. 45 :* Charissimus in Christo filius noster Franciæ Rex illustris, cunctis mundanis opibus animæ commodum præferens, et æternæ vitæ solatium gloriæ temporali, de salute propria solicite meditatur; et quamquam interdum ad alia, regni urgente cura, mentis convertat intuitum, ad salutem tamen toto voto, sedulaque cogitatione dirigitur, nec umquam potest, quantacumque secularium rerum interveniat occupatio, ab hac consideratione divelli. Propter quod vigil et anxius salutis auxilia petiit, et ut in hoc sua sacra desideria favorabiliter juvaremus, vehementi nos affectione pulsavit : non enim ei esse videtur de cultu corporis ingens cura, sed pro animæ profectibus suspirare cernitur, et ardere : plus namque spirituales amat delitias, quam carnales; magisque animæ quærit quam corporis apparatum, ne umquam in ipso postponatur carni spiritus, sed ordine directo potius præferatur, C neque iste illi, sed huic veluti digniori de tamquam subdita famuletur.

qui etiam cum insigni Sancti elogio

801 Suis itaque salubribus digne annuentes affectibus, quia præcipue de orationibus confidit fidelium, spectans firmiter eorum juvari precibus apud Deum, universitatem vestram affectuose rogandam duximus et hortandam, quatenus præclaram ipsius Regis fidem, ac devotionem sinceram attente pensantes, cum sua egregia opera in domo Domini quasi radii solares effulgeant, exempli lumen proferentia salutaris, pro eo devotis animis supplicetis, orationes placidas in conspectu Altissimi offerentes, ut ipsum in bono corroboret et confirmet, statum ejus adaugeat semper in melius, tribuatque sibi sic constanter per rectitudinis incedere semitas, quod post decursum salubriter vitæ præsentis stadium lætanter speratæ quietis bravium comprehendat. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui pro eodem Rege, dum vixerit, ac etiam postquam obierit usque ad decennium, Deum exoraverint, decem dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. *Nolui lectorem hoc* S. Ludovici *virtutum elogio carere, ex quo pateat, quam late sparsa jam esset sanctitatis ejus fama.*

orantibus pro eo indulgentias tribuit:

AUCTORE J. S.

802 *Porro, qui tam sollicitam salutis suæ curam gerebat, subditorum pari studio prospiciebat saluti : cum enim intellexisset quædam hæreseos monstra, per absentiam suam enata, repullulare in Gallia, ferrum ad ea excidenda confestim curavit adhibendum. Nam castrum quoddam in Gallia Narbonensi,* Querbus *nominatum, quod receptaculum erat hæreticorum, per senescallum suum obsidendum curavit, opem ferentibus episcopis illarum partium, qui ad id rogabantur, cum alioquin mandato se non obligari dicerent, uti refertur in concilio Biterrensi hujus anni apud Baluzium pag. 65 Conciliorum Galliæ Narbonensis. Credibile est castrum excisum fuisse, licet de eo nihil ibidem dicatur. Postmodum vero scripsit ad Alexandrum Romanum Pontificem, ut inquisitores in Gallia statueret; quemadmodum discimus ex litteris Alexandri apud Raynaldum hoc anno num. 34, quibus ille provinciam hanc demandat priori provinciali Prædicatorum, et guardiano Minorum Parisiensium, idque se facere dicit* ad instantiam Regis, *de cujus fervido ad rem promovendam studio sic scribit :* Et modo circa id ipsum eo studemus attentius, quo charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Franciæ ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. E

hæreticos curat extirpandos,

803 *Studio autem Sancti respondisse videtur eventus : neque enim deinceps tempore* Ludovici *apparuisse in Gallia reperio astutas hasce vulpeculas, quibus non alia perniciosior animarum pestis. Ceterum has fuisse crediderim Fratricellorum reliquias, quod hi ante quadriennium exorti, tam cito non potuissent penitus exstirpari. Eodem anno ad monachorum disciplinam restituendam concurrit sancti Regis studium, ut probatur ex ejus litteris in Historia Parisiensis ecclesiæ recitatis apud Gerardum du Bois pag. 419, ex quibus rem ille breviter narrat his verbis :* Cum Reginaldus episcopus *(Parisiensis)* instituisset monachos Fossatenses, qui a disciplina regulari longe desciverant, ad meliorem formam revocare; Rex Ludovicus, ex consensu abbatis et conventus, Reginaldo episcopo duos socios adjunxit, priorem scilicet fratrum Prædicatorum, et gardianum fratrum Minorum. F

disciplinam monasticam restituendam;

804 *Interim mense Maio, ut vult Chaizius pag. 230, celebratæ sunt Meloduni nuptiæ Elisabethæ Regis filiæ cum Theobaldo Navarræ rege, quem optimæ indolis juvenem* Ludovicus *dilectum sibi generum deinceps habuit. Huic autem filiæ suæ Elisabethæ sanctus Pater misit deinde documenta quædam ad vitam sanctissime transigendam conducentia; instrumentaque ad corpus castigandum una cum litteris hortatoriis, ut iis uteretur, sicuti relatum invenies in Vita secunda num. 61 et seqq. Filio item* Ludovico *sponsam hoc anno quæsivit Sanctus, filiam nimirum Alphonsi Castellæ regis, cujus sororem duxerat Eduardus Angliæ regis filius. Hanc autem causam fuisse, cur* Ludovicus *affinitatem contrahere voluerit cum Alphonso, putat Matthæus Parisius, hæc referens pag. 611 :* Cum autem hæc, *inquit,* ad notitiam Regis Francorum pervenissent, quod scilicet initum fuisset tale fœdus et matrimonium inter regem Castellæ et regem Anglorum, suspectas habens has novas nuptias; mis-

filiæ maritum, filioque sponsam tradit;

AUCTORE J. S.

missis solemnibus nuntiis, postulavit filiam ejusdem regis filio suo in uxorem exhiberi, cupiens tanto viro matrimonialiter confœderari; et ut conditionem suam plus quam rex Angliæ melioraret, qui sororem suam tantum uterinam filio suo Eduardo primogenito impetraverat maritandam, ipse Rex Francorum filiam petiit non negari. Quod ad votum obtinuit, datore ob honorem gratulante. *Verumtamen matrimonium numquam perfectum fuit, Ludovico juniore ante tempus, ut videbimus, ex hac vita sublato.*

inducias cum Anglo producit, in Flandriam profectus, varia ibi dona largitur.

805 *Jam ante hoc fœdus sponsalitium mense Junio inducias cum Henrico Angliæ rege in triennium renovatas, testatur Chaizius pag. 233; imo et elephantem, quem ab Ægyptiis acceptum olim in Galliam miserat* Ludovicus, *hoc anno pro munere Regi Angliæ transmisit, cui et dona addidit Margarita regina, ut auctor est Parisius pag. 606. Hæc autem omnia ad concordiam fovendam, alendamque amicitiam, pacis amans* Ludovicus; *donec firmam demum cum Henrico stabiliret concordiam. Eodem pacis inter dissidentes conciliandæ studio sub finem hujus* B *anni in Flandriam se transtulit, at id necdum consequi potuit : verumtamen consuetæ liberalitatis ibidem reliquit vestigia. Etenim hæc ejus in favorem monialium Ordinis Cisterciensis verba transcripsit in Gallo-Flandria pag. 403 Joannes Buzelinus :* Abbatissæ et conventui de Marketa Cistertiensis Ordinis divinæ pietatis intuitu concessimus, ut ipsæ de vinis ad opus ipsarum emptis, et in proprios usus earum convertendis, quæ per terram nostram adducentur, ab omnibus pedagiis, et costumis per omnia pedagia propria nostra, quittæ sint in perpetuum et immunes etc. Actum apud Insulam an. Domini MCCLV mense Decembri. *Et in Annalibus Gallo-Flandricis pag. 293 hæc commemorat de* Ludovici *in Flandros liberalitate :* Extant hodieque hujus Viri sanctissimi monumenta duobus locis apud Gallo-Flandros. Tabellam auro argentoque rutilantem, ac frustum Dominicæ Crucis, e capillis Deiparæ Matris aliquid, varia Sanctorum lipsana ostentantem, habent ab eo munus Flinensis monasterii virgines. Etiamnum sacerdotalibus vestibus ac tunicis ab ipso donatis interdum ad peragendum Missæ sacrificium C utuntur Duacensis asceterii patres Dominicani. Hæc fortasse fluxerunt ab hoc Rege dona, cum is in Flandriam venit, ut antea fuit commemoratum.

§ LXIV. Anno 1256 filius Regi natus : largæ ejus eleemosynæ : iter in Normanniam : fundatum monasterium Minoribus Falesiæ, valetudinarium Vernonii : componit controversias varias : adest translationi S. Fursei : pacem in Flandria conciliat, et inter principes alios.

Annus 1256 S. *Ludovico filium dedit, natu quidem postremum, at longa et gloriosa posteritate, etiamnum felicissime in Gallia regnante, præ ceteris memorandum. De eo in Miscellaneis Labbei pag. 660 Extractum breve ex Chronico Ms. Lemovicensi S. Stephani hæc memorat :* MCCLVI Natus est Robertus filius Ludovici Regis, quem dominus Philippus archiepiscopus Bituricensis baptizavit, et frater Humbertus minister Ordinis Prædicatorum de sacro fonte suscepit, ad hoc vocatus ab ipso Rege. Huic fuit desponsata filia vicecomitis Lemovicensis, si sibi placeret, et Regi, cum nubiles essent. *Inter res gestas hujus anni primum commemoranda veniunt comitia, quotannis celebrari solita, de quibus Matthæus Parisius pag. 620 ad propositum nostrum hæc scripsit :* In crastino autem Purificationis beatæ Mariæ Rex Francorum generalissimum tenuit parlamentum, ad quod dominus rex Angliæ speciales nuntios destinavit, exigens, ut creditur, sua jura ultramarina : credebat enim esse Francis formidabilis. Nihil autem obtinuit nisi manifestam contradictionem.

D *Natus Sancto filius : legati ad eum missi ex Anglia :*

largæ ejus eleemosynæ, aliaque beneficia : E

807 *Multis item* Ludovici *in quosvis homines beneficiis hic annus est memorabilis, ut cetera Sancti Vita : de quibus hoc loco audire juvat Guilielmum Nangium pag. 368, ubi post multa de ejus eleemosynis ex Gaufrido relata, quæ missa facio, hæc breviter subdit :* Ceterum tam largas et frequentes eleemosynas quotidie dabat pauperibus religiosis tam virorum quam mulierum, hospitibus pauperum, et domibus leprosorum, ac aliorum collegiis pauperum, nec non et nobilibus paupertate detentis, quod vix posset ab aliquo enarrari. Unde Tito imperatore tam liberali quondam datore, quem narrant veteres historiæ doluisse, eo quod una die defecisset in tribuendo beneficia, fuit iste felicior, cui nulla dies in erogandis eleemosynis et beneficiis largiendis legitur præteriisse. *Sensit hoc abbatia S. Dionysii, cui varia beneficia collata, narrat Vita secunda num. 49 et seqq. Horum unum hujus est loci : nam mense Martio Argentolii * confirmavit immunitatem ipsis datam a Ludovico VII : qua de re litteras ejus vide apud Doubletium in Antiquitatibus abbatiæ S. Dionysii pag. 908.*

* Argenteuil

Profectus in Normanniam, varia invisit monasteria, multa dona largitur, F

808 *Profectus deinde in Normanniam multa ibidem religiosis præsertim et pauperibus beneficia contulit. Hujus itineris vestigia invenio in Chronico abbatiæ Beccensis, post Opera Lanfranci edito, ad hunc annum pag. 12 his verbis :* Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto prædictus Ludovicus Rex Franciæ fuit apud Beccum Hirluini, in die Annunciationis Dominicæ, qua die comedit in refectorio, cum militibus, et baronibus suis, domino Odone Richaud archiepiscopo Rothomagensi ad sinistram, et domino Roberto abbate Becci ad dexteram suam cum multis aliis prælatis sedentibus. Et exinde Pontem Audomari * pergens; libertates plurimas ecclesiæ Becci confirmavit. *Est autem* Beccum Hirluini *celebris abbatia in agro Rotomagensi. Deinde tom. 2 Miscellaneorum Baluzii in Chronico abbatiæ Savigniacensis pag. 320 eum rursus reperio apud monachos, quorum cultor erat eximius, et verus pater. Sic enim ibi scriptum legitur :* Anno Domini MCCLVI die Veneris in feriatis Paschæ receptus fuit illustris Rex Franciæ Ludovicus apud Savigniacum cum honore magno; et ibidem die illo pernoctavit cum magno exercitu, et comedit in refectorio cum conventu. Et in diebus illis plurima monasteria in Normannia visitavit, et pannos plurimos olosericos eisdem obtulit :

* le Pont Audemer

nec

A nec non et multas eleemosynas in eadem provincia fecit. *Situm est hoc monasterium, ut initio Chronici dicitur*, in confinibus Normanniæ et minoris Britanniæ : *ex quo conjicias totam fere perlustrasse Narmanniam.*

facit ut habeatur animarum cura monasterium fundat Minoribus,

809 *At non corporum tantum, sed et animarum curam in hoc itinere habuit* S. Ludovicus : *etenim narrat Chaizius pag. 257, curasse, ut in ecclesia parochiali Rotomagi, ubi tres canonici a Rege nominandi uberi gaudebant proventu sine ulla animarum cura, cum grex interim necessario careret animarum alimento, per archiepiscopum adderentur alii, qui curam haberent animarum : nimirum decanus, parochus, ac vicarius, simul ac unus canonicorum esset defunctus, aliisque defunctis alii adhuc duo vicarii adderentur, ita tamen ut idcirco non minueretur canonicorum numerus. Præterea, Sagium * profectus, ibidem mense Maio fundationis litteras dedit fratribus Minoribus Falesiensibus, quas apud sæpe dictum Martenium tom. 1 Coll. amp. col. 1336 descriptas lector inveniet. Occasio hujusce fundationis erat Petrus de Ponte-Ollei,* B *qui anno 1254 per litteras col. 1318 editas locum juxta portam Falesiæ * ad fundationem procurandam Regi dederat; verum cum locus ille non satis videretur capax, alium Rex adjecit, ut citatæ litteræ docebunt latius.*

* Seez

* Falaise

et valetudinarium Vernonii.

810 *Ad hoc etiam tempus referendam putat Chaizius pag. 258 fundationem valetudinarii Vernoniensis, quæ plane insignis est, sumptibusque ingentibus facta, quemadmodum intelliges ex Vita secunda num. 93. Crediderim in hoc itinere id decrevisse* Ludovicum, *atque anno fortasse sequenti inchoasse, opus autem absolutum fuisse circa initium anni 1259; nam eo anno mense Februario reditus domui ædificatæ assignat Sanctus per litteras apud laudatum Martenium col. 1346, quos his explicat verbis :* Ad sustentationem personarum et pauperum prædictorum, in puram et perpetuam eleemosynam dedimus, et concessimus eisdem totam terram nostram de Spineto prope Guallardon cum manerio et pertinentiis omnibus tam in terra arabili, censibus, reditibus bladi, denatiorum, et caponum, quam in aliis quibuscumque pertinentibus ad manerium et terram prædictam, retento nobis placito ensis, et eis, quæ ad placitum ensis pertinere noscuntur : C insuper viginti modios vini albi, et sexaginta modios vini rubei in præpositura nostra de Vernone tempore vindemiarum percipiendos, et centum quadraginta libras Parisienses in eadem præpositura. *Hæc de eximia Regis in hoc itinere munificentia dicta sufficiant.*

Controversias quasdam

811 *Ex longiori hac Normanniæ lustratione Parisios rediit mense Augusto : in reditu autem Vernonii litteras dedit eodem mense scriptas, quibus jus patronatus* ecclesiæ S. Petri de Sappo, *de quo inter Regem et abbatem S. Ebrulfi fuerat controversia, post factam rei inquisitionem abbati permittit. Edidit illas Martenius tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1336. Redux vero Parisios, eodem mense Augusto litteras dedit in gratiam abbatis Crassensis, ex quibus cum mirifice elucescat, quantam cum exacta justitia conjungeret benignitatem, lubet eas hoc loco lectorum oculis subjicere ex Martenio tom. 1 Anecdotorum col. 1073 :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex dilecto et fideli clerico suo Guidoni Fulcodi et senescallo Belliquadri... et dilectionem. Olim dum in partibus ultramarinis eramus, ad nos accessit abbas monasterii Crassæ, et exhibuit quasdam litteras sigillo inclytæ recordationis genitoris nostri sigillatas, per quas prima facie videbatur, quod genitor noster reddiderat monasterio Crassæ omnia feuda, quæ tenuerat Amalricus quondam comes Montis-fortis et sui milites, quæ movebantur de monasterio prædicto, committenda ad usum et proprietatem monasterii ejusdem; hæreses et faidimenta *, quæ cadunt in commissum in terra monasterii antedicti. Item, alias litteras exhibuit sigillo nostro sigillatas, per quas apparebat nos composuisse super his cum abbate et conventu in Aquis-mortuis, in qua compositione fueramus, ut dicebant aliqui, decepti. Propter quod, dum eramus apud Sydonem composuimus de novo cum abbate eodem, et mandavimus senescallo nostro Carcassonensi, quod abbati et conventui assignaret trecentas libratas terræ, secundum quod in litteris nostris plenius continetur : ita quod abbas et conventus prius nobis resignaret litteras genitoris nostri, et nostras de compositione facta in Aquis-mortuis, et daret conventus litteras, quod in hoc consentiret nec contraveniret. E

AUCTORE J. S.

* *i. e.* bona hæreticorum, ac sceleratorum fisco addicta

benigne componit;

812 Postmodum accidit, quod quidam monachus monasterii ad nos venit, et asseruit, quod littera genitoris nostri erat falsa, propter quod assignatio trecentarum libratarum terræ usque nunc extitit retardata. Unde mandamus vobis, quatinus, si episcopus Massiliensis, quondam abbas Crassæ, vobis in verbo sacerdotis dixerit, quod litteræ piæ recordationis genitoris nostri veræ sunt et non falsæ, et quod eas a nostro genitore impetravit, vos, non obstante obstaculo falsitatis, trecentas libratas terræ abbati et conventui prædictis faciatis assignari, secundum quod in litteris nostris, quas habet senescallus noster Carcassonensis, plenius continetur, et de arreragiis * a tempore, quo non fuerunt in mora litteras nobis reddendi prædictas, satisfieri facitatis, et litteras reddi abbati et conventui faciatis, quas habet senescallus noster de ultima compositione prædicta. Caveatis tamen, quod prius vobis tradant abbas et conventus prædicti litteras suas de compositione tenenda in forma, quam vobis mittimus, litteris nostris annexa, et resignent vobis litteras genitoris nostri, et nostras de compositione facta in Aquis-mortuis, aut jurent quod non habent potestatem ipsas restituendi; F et cum facultatem habuerint eas restituendi, ipsas sine dilatione qualibet vobis reddant. Actum Parisius, anno Domini MCCLVI mense Augusto. *Hinc discimus qualem in controversiis se præberet* Ludovicus.

* *i. e.* de damno ex mora solutionis orto

adest translationi S. Fursei Peronæ: inter filios Flandriæ comitissæ

813 *Non diu Parisiis substitit Sanctus, sed mense Septembri in Picardiam profectus, Peronæ adfuit translationi S. Fursei, cujus celebris ibidem est veneratio. Facta est autem sacri corporis translatio* XV *Kalendas Octobris, illudque fuit,* adstante etiam et vidente Rege prædicto, in capsa nova repositum, et collocatum in ecclesia Peronensi, *ut habet instrumentum translationis, cui* Ludovicus *una cum tribus episcopis sigillum suum apposuit, quodque invenies in Actis S. Fursei tom. 2 Januarii pag. 55. Eodem tempore pacem in Flandria tandem conciliavit* Ludovicus, *pro qua biennio toto laboraverat. Rem accipe compendio. Num. 547 narravimus, arbitrio* Ludovici *et legati Pontificii ita divisam fuisse ditionem Margaritæ Flandriæ et Hannoniæ comitissæ, ut post illius mortem Flandria cedere debe-*

AUCTORE J. S.

* Dampierre
* Avesnes

*deberet filiis posterioris matrimonii, seu Dampetræis *, Hannonia vero prioribus, seu Avesniis *. Promiserat quidem pars utraque, se servaturam, quidquid per Regem et legatum fuisset ordinatum, instrumento ea de re facto, quod exhibet Leibnitius in Codice juris gentium part. 1, pag. 20. Verum, cum Guilielmus Dampetræus, Flandriæ comes vi hujus arbitrii designatus, post reditum e Palæstina obiisset anno 1251, ac frater ejus Guido ei esset suffectus, orta est discordia inter matrem Margaritam, et filios Avesnios, bellumque cruentissimum.*

pacem conciliat : ac Namurcum Balduino imperatori curat restituendum;

814 *Avesniorum partem suscepit defendendam Guilielmus Hollandiæ comes, rex Romanorum, cujus sororem duxerat Joannes, Avesniorum natu maximus, et Hannoniæ comes designatus. Miserat idcirco Margarita contra Guilielmum filios suos Dampetræos cum exercitu valido; at, cæso per Guilielmum exercitu, uterque cum nobilibus non paucis captus fuit. Margarita hac clade territa, Carolum Andegavensem comitem Regis fratrem ad succurrendum induxit, promissa eidem* B *Hannonia. Carolus autem, accepta conditione, Hannoniam occupavit. Hoc loco res erant, cum e Syria reversus est* Ludovicus, *ut pluribus narrat Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 730. At cum hoc anno obiisset Guilielmus rex Romanorum in expeditione contra Frisones suscepta, pacis sublata est mora : nam tam Avesnei quam Dampetræi rem totam permiserunt* Ludovici *arbitrio ; qui Peronæ mense Septembri priorem suam divisionem ratam habuit; fratresque ita ad pacem reduxit. Hæc manifesta sunt ex instrumentis hac de re editis a Martenio tom. 1 Anecdotorum col. 1092 et seqq. In hoc item pacis negotio eluxit charitas* S. Ludovici *erga Balduinum imperatorem Constantinopolitanum, cui comitatum Namurcensem, qui jam datus erat comiti Luxemburgico, restituendum curavit; uti invenies in litteris Avesniorum inter instrumenta, Historiæ Constantinopolitanæ subjecta, apud Cangium pag. 7. Amisit tamen deinde comitatum imperatrix Balduini conjux, exorto bello, sicut refert laudatus Cangius in Historia dicta pag. 142 et seqq.*

C

bello inter Flandriæ comitissam et Hollandiæ comitem finem imponit;

815 *Restabat bellum finiendum inter Margaritam et Hollandiæ comitem, quod haud multo post Regis item diligentia sublatum. Uti enim scribit citatus ante Iperius col. 731,* Ad pacem componendam . . . et captivos . . . ex Hollandia redimendos Rex venit Gandavum, ubi de hoc habito tractatu, liberati sunt a captivitate dominus Guido comes, filius Margaretæ comitissæ prædictæ, comitesque Barensis et Ghisnensis, et alii barones et nobiles plures. Hannonia quoque restituta fuit comitissæ Margaretæ, et assignatæ fuerunt magnæ pecuniarum summæ tam pro redemptione captivorum prædictorum, quam etiam pro missis et expensis, quas fecerat dominus Carolus frater Regis in succurrendo et adjuvando comitissam Margaretam hac guerra contra Willelmum Hollandiæ comitem antedictum. *Pactum autem pacis inter comitissam Flandriæ Margaretam, et Florentium Hollandiæ comitem, qui patri Guilielmo sub tutela Florentii patrui in comitatum successerat, recitat Martenius tom. 1 Anecdotorum col. 1074 et seqq., in quo pax facta dicitur,* mediantibus illustri domino nostro Ludovico Francorum Rege, duce Brabantiæ, comite Gelriæ, ac aliis bonis viris, *notaturque instrumentum,* actum et datum Bruxellæ Sabbato post festum Lucæ euangelistæ anno Domini MCCLVI; *ex quibus satis fit verisimile, Gandavum usque venisse* Ludovicum, *ut habet supra Iperius.* D

conditionibus compendio hic recitatis

816 *Subjungitur huic instrumento aliud Margaritæ comitissæ, quo filio suo Joanni Avesnio comitatum Hannoniæ asserit, datum item mense Octobri anni 1256 : ex quo, aliisque, erroris convincitur laudatus Iperius, dum scribit pacem post mortem Joannis compositam. Ceterum Nangius pag. 362 paucis verbis explicat, quo pacto omnia fuerint ordinata, dum ita scribit :* Anno Domini MCCLVI comes Flandriæ et frater suus, quos Florentius comes Hollandiæ tenebat in prisione *, . . . auxilio Caroli comitis Andegavensis liberati fuerunt. Dictus vero Florentius sororem dicti comitis Flandriæ debuit ducere uxorem, et ad preces Ludovici Regis Franciæ Carolus comes Andegaviæ quitavit * Valentinianas et comitatum Hannoniæ. Actumque fuit inter fratres prædictos, filios comitissæ Flandriæ, quod post mortem comitissæ comitatus Hannoniæ ad fratres de Avenis deveniret; comitatus vero Flandriæ cum aliis terris hæredibus domini Guilielmi de Domna petra remanerent. *Hactenus de sublato bello hoc cruentissimo.* E

* *i. e.* carcere

* *i. e.* abdicavit

Controversias finit arbitrio suo inter fratrem Carolum, et comitissam Provinciæ;

817 Ludovicus, *qui tanto studio ad conciliandam pacem memoratam allaboraverat, eodem forsan anno mense Novembri discordiam sustulit inter personas magis sibi propinquas. Vidua Berengarii Provinciæ comitis Beatrix vehementer dissidebat a Carolo Regis fratre, qui cum illius filia comitatum Provinciæ obtinuerat, quod multa sibi deberi affirmaret, quæ negabat Carolus : dissidium autem hoc socrus et generi Provinciam diviserat, adhærentibus aliis Beatrici, aliis Carolo. At tandem, cum neutri parti æquitas* S. Ludovici *ignota esset, rem totam ad eum deferunt, ut pro arbitrio suo cuilibet parti jura sua assignaret. Ille vero id fecit tanta æquitate et sapientia, ut discordiam hanc in perpetuum extinxerit, assignata comitissæ pecuniæ summa, annuisque reditibus, quibus contenta jure quovis cederet. Imo et* Ludovicus *se obligavit anno 1258 mense Februario pro Carolo ad solvendum quotannis comitissæ sex librarum millia, ut in charta Regis invenies apud Martenium tom. 1 Coll. amp. col. 1343; ex qua temporis epocha anno potius sequenti contigisse videtur hæc conciliatio :* F *sed quia parvi momenti est hæc temporis differentia, neque res satis certa, hic eam referre placuit cum Chaizio pag. 266, ubi illam huic anno illigat.*

pacemque inter varios principes magno labore et sumptibus componit.

818 *Idem pag. 259 refert ad hunc annum pacem inter comitem Cabillonensem, ejusque filium Burgundiæ comitem. At incertum videtur quo id præcise contigerit tempore; uti contra satis certum est ex testimonio Joinvillii num. 245, bellum inter eos acre fuisse, illudque non sine magna Regis cura et sumptibus finitum. Sic non multo post tempore discordia, Rege agente, finita est inter Navarræ regem ac prædictos comites, teste eodem Joinvillio : at hæc certa temporis nota destituuntur. Ex hisce autem intelligas* Ludovicum, *ut pacem firmaret undique, nec sumptibus pepercisse nec laboribus. Ceterum tanta Regis bellantes pacificandi cura minus placebat proceribus quibusdam, qui maluissent principes vicinos mutuis atteri cladibus. At vero parum hi considerabant, quid Christianum deceat principem, nedum quid Sanctum : nec deerat sapienti Regi prudens responsum, quod ejusmodi daret obtrectatoribus, sicut invenies apud citatum Joinvillium.*

§ LXV.

A

§ LXV. Anno 1257 Sanctus se munit contra Anglum : filia Margarita desponsata : restitutiones : fundationnes : reliquiæ S. Nicasii acceptæ : adest translationi S. Quintini ; donationes etc. Anno 1258 pugnæ nobilium prohibitæ : concordia Remis facta inter archiepiscopum et cives : restitutiones : contractus cum rege Aragoniæ : filii desponsati : lites compositæ : fundatio.

B

Munit se contra Anglos;

Cum anno 1257 in locum defuncti Guilielmi Romanorum regis duo electi essent principes, Alphonsus videlicet Castellæ rex, et Richardus Angliæ regis frater; Richardus autem eodem anno Aquisgrani corona regia foret redimitus, licet non pauci principes Alphonso adhærerent; Henricus Angliæ rex spem concepisse videtur hac fratris sui exaltatione recuperandi amissas olim in Gallia provincias. Hinc legatos iterum hoc anno ad eas repetendas missos, refert Matthæus Parisius pag. 645, addens de Richardo hæc verba :* Rex insuper Alemanniæ Richardus a Rege Francorum sibi sua restitui humilibus precibus postulabat. *Verum, cum timore non facile flecteretur Rex sanctus, qui amore justitiæ privatis etiam libenter sua restituebat, nihil impetrarunt Angli : at id solum effecere, ut contra vim illorum se muniret, uti idem auctor pag. 634 scribit his verbis :* Rex tamen Francorum, sibi præcavens de futuris, Normanniam et regni sui perlustrat confinia ; ut nutantia corda confirmet, civitatesque cum oppidis roboret et instauret. *Quod deinde bis repetit : sed verisimile non est, quod addit pag. 640,* domos religiosorum, quæ in confinio fuerant, *hac de causa loco amotas, atque alio translatas; cum nulla illius rei in temporis istius instrumentis fiat mentio, ut etiam observat Chaizius pag. 274 : cui tamen non assentimur in eo, quod huic anno illiget, quæ Becci contigisse num. 808 narravimus, quia annus ibidem ab Annuntiatione inchoari videtur, ut non raro fiebat alias.*

C

filiam desponsat, jura dubia redimit, ac varia restituit :

* Château-gontier

820 *Eodem anno, forsan ut se contra regum Henrici et Richardi molitiones præmuniret, fœdus cum Henrico III Brabantiæ duce initum a* Ludovico, *desponsata filia Margarita tunc infante illius filio, narrat pag. 274 Chaizius. Transegit deinde mense Junio cum Jacobo Castri-Gonterii * domino, qui contendebat a tempore Ludovici VIII jus se habere in Bellismum, magnamque Pertici partem. Post rem autem accuratius examinatam, trecentis libris annui reditus jura ejus dubia redemit Rex sanctus, teste memorato Chaizio pag. 276. Interea temporis per ministros suos inquirere non cessabat, num quid alibi restituendum videretur. Hinc Mathildis Bononiæ maritimæ comitissa notabilem pecuniæ summam obtinuit, quod ejus urbes Juliobonam * et Albamalam * aliquo tempore possedisset, teste rursum Chaizio pag. 278, qui hæc ex apochis antiquis, similibusque instrumentis eruit. Quanta demum esset justissimi Regis cura in hisce investigandis perficiendisque, patebit ex litteris Alexandri IV, ad annum sequentem recitandis. Par erat Sancti cautela, ne alienam læderet jurisdictionem, sicut testatur Vita secunda num. 152 et seqq. : cujus memorabile exemplum ad hunc annum refert laudatus Chaizius pag. 278. Capti erant duo adulteratæ monetæ fabricatores Villæ-novæ S. Georgii * in Bria, suspensique in jurisdictione abbatiæ S. Germani; deinde in territorio regio : ac demum, jure exactius examinato, ad jurisdictionem abbatiæ remissi sunt, tertioque suspensi.*

AUCTORE J. S.

* l'Ilebonne

* Aumale

* Villeneuve S. George

fundat domum cum templo Prædicatoribus Compendii, Cruciferis domum Parisiis;

821 *Constructam Compendii a* S. Ludovico *domum et ecclesiam fratribus Prædicatoribus memorat Vita secunda num. 48, describens utcumque ingentes hujus operis sumptus, sed sine temporis nota; contigisse autem circa annum, in quo versamur, opinatur Chaizius pag. 278, cui non refragabor. Huic adjungimus fundationem aliam, cujus item tempus non satis certum est, licet ultra hunc, aut sequentem annum non videatur differenda ob rationem mox allegandam. Narrat hanc fundationem Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 417, ubi descripto breviter Cruciferorum, seu fratrum sanctæ Crucis initio (de quo plura videri possunt apud Hippolytum Helyot in Historia Ordinum tom. 2, cap. 34) sic prosequitur :* S. Ludovicus Rex, cui curæ erat regiam urbem implere viris bonis, et virtute claris, et ex his propaginem Parisiis inseruit ; locumque his paravit, et domum redditibus dotavit. Chartas quidem, quas scripsit, aiunt incendio periisse ; sed extat adhuc insigne hujus dotationis monumentum in litteris, quas superius descripsi. Ex quibus perspicias Regem hunc sanctissimum his attribuisse quasdam domos in vico de Britonnaria, quas ex commutatione facta cum Roberto de Sorbona acquisiverat : in eoque loco in posterum Parisiis permansit Cruciferorum domicilium. Unde vici nomen DE SANCTA CRUCE DE BRITONARIA. *Litteras de quibus hic mentionem facit, recitaverat pag. 416. Scriptæ autem notantur mense Februario anni 1258 veteri stylo; in iisque varias domos Roberto de Sorbona attribuit* Ludovicus, *quia ille jam ante ad petitionem Regis fratribus sanctæ Crucis prædictas ædes in vico de Britonaria concesserat in perpetuum possidendas. Ex quo videtur fundatio Cruciferorum anno 1257, aut sequenti affigenda.*

E

F

accipit reliquias S. Nicasii;

822 *Accepit item hoc anno eximius Sanctorum Cultor donum, quod maximi faciebat, ac studiose flagitaverat; reliquias, inquam, S. Nicasii martyris, Remensium olim antistitis, uti patet ex litteris archiepiscopi et canonicorum Remensium, quas recitat Marlotus in Metropoli Remensi pag. 545 hunc in modum :* Excellentissimo domino suo Ludovico Dei gratia illustri Francorum Regi, Thomas ejusdem miseratione Remensis archiepiscopus, H. præpositus, H. decanus, P. cantor, ceterique Remensis ecclesiæ fratres salutem in Domino. Excellentiæ vestræ volumus esse notum, quod nos anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, in die sancti Laurentii martyris, post Matutinas chori nostri, feretrum reverentissimi

AUCTORE J. S.

tissimi martyris S. Nicasii cum magna veneratione ibidem quiescentis, cum magna difficultate ad preces vestras aperuimus, et exinde unam de costis ipsius pretiosissimi martyris inde cepimus, quam vobis sub nostrorum sigillorum testimonio mittimus. Actum anno et die prædictis. Quanta vero pietate et reverentia, *inquit Marlotus*, pretiosissimum hoc pignus Rex et canonici exceperint, certius a nobis evulgari non potest, quam ex laudabili consuetudine, quæ inde emanavit, celebrandi festum S. Nicasii in prædicta regia capella, *(ubi repositæ sunt reliquiæ)* XIV Decemb., quod tunc Regis jussu in Calendario sub nota duplici inscriptum fuisse arbitramur.

adest translationi S. Quintini et sociorum :

823 *Post acceptas sacras hasce exuvias, in Picardiam profectus est Sanctus, ut adesset translationi S. Quintini martyris et sociorum ejus, quæ initio mensis Septembris magna solemnitate peracta est Quintinopoli per dictum archiepiscopum Remensem et octo alios ejusdem provinciæ episcopos. Ut autem pietatem erga Sanctos pius Pater instillaret filiis suis, Ludovicum et Philippum natu maximos cum multis aliis nobilibus ad hanc solemnitatem ducere voluit.* B *Intelligimus id ex litteris ipsius* Ludovici *hac de re scriptis, editisque a Claudio Hemeræo post Augustam Viromanduorum pag. 54, ubi post prædicta ita legitur :* Anno Dominicæ Incarnationis MCCLVII die Dom. ante Nativitatem B. Mariæ Virginis translata sunt corpora gloriosissimi Christi martyris beatissimi Quintini, et sociorum ejus, beatorum Victorici, et Cassiani, ac honorifice collocata de veteri ecclesia in novam fabricam, quæ in honore ipsius gloriosissimi martyris præclaro opere inchoata refulget. *Porro ad construendam ac sustentandam hanc ecclesiam annuos quosdam reditus anno præcedenti donaverat Ægidius le Brun Gallicæ militiæ præfectus, Regique percarus, quam donationem hoc anno ratam habuit* Ludovicus, *atque auxit anno 1261 mense Junio, uti invenies in tribus litteris, quas pag. 53 et 54 edidit laudatus Hemeræus. Præterea, ut idem auctor habet in ipsa Historia pag. 242,* fundavit Ludovicus per illos festivitatis dies in ecclesia S. Quintini duas capellanias, quarum proventus annuus e domanio Viromandiæ repeteretur. *Plures etiam controver-* C *sias inter canonicos atque urbis primores eodem anno sopitas refert, quod forsan opera sancti Regis factum. Certe illorum concordiam ratam habuit* Ludovicus *his verbis :* Nos autem ad petitionem partium prædictarum compositionem istam... volumus, concedimus, et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Actum apud Meledunum an. Dom. MCCLVII mense Junio.

dictum præclarum de præsentia Christi in Eucharistia.

824 *Illustrissimus Spondanus ad hunc annum num. 9 refert dictum præclarum, et eximia* S. Ludovici *fide dignissimum :* Nempe cum sacerdote quodam Missam Parisiis in sacello aulæ regiæ celebrante, visa esset in manibus ejus sacrosancta Hostia in specie pulcherrimi pueri, eodem rogato a circumstantibus, ut tantisper eam teneret, donec Rex ad conspiciendum miraculum acciretur; Regem vocatum respondisse, irent visum, qui non crederent; se quidem continue in corde suo videre et conspicere. *Deprompsit hæc Spondanus ex Joanne Villanio lib. 6 Historiæ Florentinæ cap. 66 : floruit autem Villanius initio seculi* XIV, *ita ut primus hujus historiæ auctor suppar sit* Ludovico. *Verumtamen cum nihil de illa habeant biographi, in aula Regis versati eo tempore, et Joinvillius num.* D *18 idem exemplum a Rege narratum dicat de Simone Montfortio comite, ex quo fieri potuisset, ut scriberetur de* Ludovico, *quod ipse in alio laudaverat, fidem hujusce facti lectorum permitto judicio.*

Contra perniciosam consuetudinem bellorum privatorum

825 *Circa hæc tempora* S. Ludovicus *perniciosam regni consuetudinem, quæ in Gallia cum imperio Francorum nata, longoque usu confirmata radicataque fuerat, penitus abolere conatus est. Fuse de ea disputat Cangius diss. 29 in Historiam* S. Ludovici, *ex quo pauca compendio accipe. Non solum præcipui regni principes, sed et nobiles quilibet feudatarii jus sibi arrogabant bellum indicendi, gerendique contra illos, quorum crimine se, jurave sua læsa existimabant : neque hoc bellum gerebant tantum adversus inimicum illum, cujus flagitium ulciscebantur; verum et consanguineos illius et clientes eadem involvebant calamitate, ita ut regnum non raro sanguine repleretur et cædibus, dum undique ab externis hostibus quiescebat : hinc etiam domuum, villarum, urbiumque incendia non sine incredibili detrimento,* E *mercaturæque disturbatione nascebantur. Hæc, aliaque inde orientia mala, intueri sine dolore nequibat studiosus subditorum suorum Amator, at nec facile poterat abolere, quod principes, aliique nobiles, jus illud sibi eripi nollent, molesteque laturi viderentur, siquid contra illud auctoritate Regia decerneretur, se invitis. Hanc fuisse rationem opinor, cur* Ludovicus *paulatim maluerit intestinum hoc malum infirmare, quam totum unica vice abscindere.*

legem fert, qua illorum incommoda multum minuuntur.

826 *Etenim legem tulit,* (Quarantenam Regis *nominarunt Galli) qua incommoda, ex dicto nobilium jure oriri solita, magna ex parte arcebantur, tametsi inveterata illa consuetudo non omnino resecaretur. Substantiam illius legis tradit laudatus Cangius pag. 334, ex litteris Joannis regis anno 1353 scriptis, ubi hæc leguntur :* Videlicet quod quotiescumque aliquæ discordiæ, rixæ, mesleiæ *, aut delicta inter aliquos regnicolas in motū calidi conflictu, vel alias pensatis insidiis evenire contingebat, ex quibus nonnullæ occisiones, mutilationes, et aliæ injuriæ sæpissime accidebant, amici carnales hujusmodi mesleias facientium, aut delicta perpetrantium, in statu securo remanebant, et F remanere debebant, a die conflictus, seu maleficii perpetrati, usque ad XL dies immediate continuos tunc sequentes, delinquentibus personis dumtaxat exceptis, quæ propter eorum maleficia capi, et arrestari * poterant, tam dictis XL diebus durantibus, quam postea, et in justitiariorum carceribus mancipari, in quorum justitia * dicta maleficia fuerant perpetrata, justitiam ibidem de suis maleficiis recepturi secundum delicti qualitatem, prout postulabat ordo juris. Et si interim infra terminum XL dierum prædictorum aliqui de parentela, progenie, consanguinitate, seu affinitate utriusque partium principalium delinquentium aliter quoquo modo facere præsumebat, pro hujusmodi causa vindictam sumere satagendo, vel alias, exceptis malefactoribus prædictis, qui, prout fertur, capi et puniri poterant, prout casus exigebant, ipsi tamquam proditores, criminisque convicti, et ordinationum ac statutorum regiorum transgressores puniri et justitiari * debebant per judicem ordinarium, sub cujus jurisdictione delicta exsistebant perpetrata, vel in loco, in quo essent

* *i. e.* rixæ casu fortuito natæ

* *i. e.* detineri

* *i. e.* jurisdictione

* *i. e.* justa pœna affici

ab

A ab hujusmodi crimine convicti, seu etiam condemnati. Quæ quidem ordinationes adhuc in pluribus et diversis partibus regni nostri non immerito tenentur.

ac tandem nobilium bella in ditione sua omnino vetat.

827 *Manifestum est, hac Sancti lege incommoda istius consuetudinis majori ex parte fuisse sublata, quod consanguinei delinquentium intra statutos illos quadraginta dies concordiam stabilire possent cum inimicis illorum, aut certe alio modo sibi consulere. Attamen ulterius processit sancti Regis zelus, pugnasque illas nobilium omnino prohibuit, saltem in ditione sua : nam non videtur illa prohibitio locum habuisse in ditione omnium principum, qui Regis erant vassalli, ut observat Chaizius pag. 280, et Cangius pag 344, ubi ea de re litteras profert* Ludovici, *datas mense Januario anni 1257 veteri stylo, ita ut datæ sint anno 1258, quem sensim ingredimur. Eæ autem sic habent :* Ludovicus *etc.* Universis regni fidelibus in Aniciensi diœcesi, et feodis Aniciensis ecclesiæ constitutis, sal. Noveritis nos deliberato consilio guerras omnes inhibuisse in regno, et incendia, et carrucarum B perturbationem. Unde vobis districte præcipiendo mandamus, ne contra dictam inhibitionem nostram guerras aliquas, vel incendia faciatis, vel agricolas, qui serviunt carrucis, seu aratris, disturbetis : quod si secus facere præsumpseritis, damus senescallo nostro in mandatis, ut fidelem et dilectum nostrum G. Aniciensem electum juvet fideliter et attente ad pacem in terra sua tenendam, et fractores pacis, prout culpa cujuscumque exigit, puniendos. Actum apud S. Germanum in Laya, A. D. MCCLVII mense Januar. *Ita* Ludovicus *pessimam hanc consuetudinem non quidem omnino per totum regnum exstinxit, jura hæc tuentibus principibus in ditione sua; causa tamen fuisse videtur, ut paulatim ubique in Gallia exstingueretur. Tentasse id antea Carolum magnum, aliosque paucos, invenies apud Cangium pag. 342.*

Ridiculam abrogat consuetudinem, pacem Remenses inter eorumque antistitem conciliat :

828 *Deinde, comitiis de more habitis in festos Virginis Purificatæ, ridiculam abolevit consuetudinem, quæ multis locis invalueral in agro Veromandensi, quaque carruca eversa attolli non poterat, nisi permittente loci domino, ut narrat Chaizius pag. 281. Mense vero Martio Remos profectus, antistitem inter et cives concordiam stabilivit, uti ipse testatur litteris suis* C *apud Marlotum in Metropoli Remensi pag. 544 his verbis :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter et futuri, quod cum dilectus et fidelis noster Thomas archiepiscopus quæstiones haberet diversas contra cives Remenses, et dicti cives contra eumdem archiepiscopum, tandem Remis accessimus de pace, quæ *(quam)* per gentem nostram tractari fecimus, quæ fuit inter eos reformata, et recitata coram nobis sub hac forma *Aliquot menses huic paci componendæ impensos vult laudatus Marlotus; attamen Rex ipse Remis tamdiu non substitit : verum potuere ministri Regii tantum temporis impendere ad jura utriusque partis examinanda. Alia etiam Remis a Rege peracta tunc temporis refert Marlotus pag. 545 in hunc modum :* Res quoque monasteriorum a prædecessoribus collatas, post authographum sibi exhibitum, confirmasse, probant litteræ pro villa de Hundiliacacurte Remis subsignatæ mense Martio anno MCCLVII *(nimirum veteri stylo)* et aliæ quædam in archivis monasteriorum adservatæ. *Hæc pacis, et religiosorum Amator Remis.*

Auctore J. S. consultus a Rege Pontifex, quibus restituenda essent bona, quorum ignoti erant domini,

829 *Idem interim pergebat inquirere diligentissime, an quid possideret incuria majorum suorum injuste acceptum ; cumque reperirentur aliqua, quorum ignoti erant domini, summum Pontificem consulere voluit, quid de his censeret faciendum, a quo hujusmodi responsorias accepit* III *Idus Aprilis hujus anni exaratas, apud Raynaldum num. 16 :* Ludovico Regi Franciæ illustri. Sic ille Lucifer matutinus, qui nescit occasum, et qui humano generi serenus illuxit, in tui claustra pectoris luminis sui gratiam, quod referimus gaudentes, infudit, quod omni exinde obscuritatis depulsa caligine tuum serenavit animum claritate virtutum, tuamque mentem luce justitiæ, ac fulgore rectitudinis illustravit. Hinc procedit, Fili charissime, quod juxta tui status magnitudinem studuisti semper, et studes opera exercere magnifica, teque lucidis et placidis actibus gratum reddere apud Deum, qui te apud homines et opibus et honoribus magnificentius sublimavit. Hinc procedit, quod existis in augmentatione, ac defensione cultus fidei orthodoxæ sollicitus, in conservatione libertatis Ecclesiasticæ strenuus, in ecclesiarum E aliorumque piorum locorum constructione benevolus et benignus, in eorum dotatione ac ditatione largifluus ; in gratiis et beneficiis erga personas ecclesiasticas, regulares, et seculares, et in eleemosynarum erga pauperes largitione valde munificus, et in devotione ad eos, et ad Ecclesiam stabilis et accensus.

ea, post insigne ejus elogium, pauperibus scribit distribuenda,

830 Hinc etiam provenit, quod conscientiæ puritatem et bonitatem, per quam Altissimo placeas, totis votis amplecteris, et in ea deliciosum existimans et suave, intendere ac vacare virtutibus, firmatis ad condignum et honestum affectibus, maxime delectaris, ut odore grato de tuis processibus ad Dominum ascendente merearis sua potenti dextera ab omni nocumento corporis et animæ præservari. Digne igitur super iis ei gratias referentes, supplici apud eum deprecatione insistimus, ut tuum in iis animum regat et firmet, ac proficiendi ad melius tibi gratiam largiatur. Ex parte sane tua fuit a nobis devote petitum, ut cum tu quædam bona, quæ ad te diversis modis pervenire noscuntur, personis, quarum sunt, restituere tenearis, et scias te teneri ad restitutionem bonorum hujusmodi F faciendam; ac personæ, quibus restitutio eorum fieri debeat, sciri et inveniri non possint; quamquam super iis per viros discretos et idoneos feceris diligenter inquiri, providere in hac parte tibi Apostolica solicitudine curaremus. Nos igitur, qui salutem in te utriusque hominis totis desideriis affectamus, volentes super hoc conscientiæ tuæ ad removendum exinde omnem scrupulum remedio consulere opportuno, tuis precibus grato concurrentes assensu, Excellentiæ tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut liceat tibi hujusmodi bona pauperibus in eleemosynam erogare, ac de iis, quæ taliter erogaveris, liberationem et absolutionem plenariam consequaris. Verumtamen scire te volumus, quod si personas, quibus eorum restitutio fieri debeat, ad tuam notitiam pervenire contingat, te ipsis prædicta bona restituere nihilominus oportebit. *Hæc Alexander.*

831 *Periculosa item bellorum semina hoc anno sustulit S.* Ludovicus, *dum inito solemni contractu cum Jacobo Aragonum rege, controversias diuturnas exstinxit.* Rex *(Galliæ)* dice-

AUCTORE J. S.

Rex, pacto concordiæ cum rege Aragoniæ inito, varias exstinguit controversias,

* *i. e.* ditionem Carcassonensem

* Rases

dicebat comitatum Barchinonæ, Urgelli, Bisuldinensem, Rossilionis, Empurdanensem, Ceritaniæ, et Confluentis, Gerundensem et Ausonensem, cum eorum pertinentiis, de regno Franciæ, et de feudis suis esse; *ut habent Acta concordiæ mox assignanda.* Et nos ex adverso *(ait ibidem rex Aragoniæ)* dicebamus nos jus habere in Carcassona et Carcasses*, in Redis* et Redes, Lauraco et Lauragues, Terminis et Termines, Biterris et vicecomitatu Biterrensi, Agde et Agades, Alby et Albeges, Ruthena et Ruthenes, comitatu Fuxensi, Caturcensi et Caturcino, Narbona et ducatu Narbonensi, Minerba et Minerbes, Fenoleto et Fenoledes, terra de Saltu, Petrapertusa et Petrapertusio, Amiliano cum toto comitatu Amiliani, Credona cum toto vicecomitatu Credonensi, Gavaldano, Nemauso, Nemausensi, Tolosa cum toto comitatu Tolosæ et sancti Ægidii, cum honoribus, districtibus et juribus universis, ac pertinentiis eorumdem. *Hæ controversiæ tantum non in apertum bellum eruperant, ut ante vidimus. Verum cum uterque concordiam ex animo cuperet,*
B *duos anno 1255 elegerunt arbitros, quibus jura sua ordinanda permiserunt, adjecta mulcta triginta millium marcharum argenti, si quis resiliret ab arbitrorum sententia, ut legitur in litteris compromissionis apud Petrum de Marca in Appendice ad Marcam Hispanicam col. 1440; tandemque hoc anno concordia firmata est Corbolii* v *Idus Maias, quemadmodum laudatus de Marca refert col. 536 : juraque utrimque exstincta sunt, uti latius intelliges ex Actis concordiæ apud eumdem auctorem col. 1444, et seqq., quæ notata leguntur* Barchinonæ XVII *Kalendas Augusti anno Domini* MCCLVIII.

ac filium suum Philippum illius filiæ desponsat:

832 *Porro ut hæc pacta firmius subsisterent, ei eodem tempore additum est pactum sponsalitium inter Philippum filium Regis natu secundum et filiam regis Aragoniæ Elisabetham, de quo habemus litteras* Ludovici, *datas Corbolii in vigilia Pentecostes hujus anni, editasque ab Acherio tom. 3 Spicilegii pag. 634, in quibus id pactum utrimque juramento firmatum memorat his verbis :* Quod idem Philippus filius noster Isabellam filiam dicti regis Aragonum infra annum, postquam ipsa duodecimum annum ætatis suæ compleverit, accipiet in uxorem, et
C ipsa eum accipiet in maritum, si sancta Ecclesia in hoc consenserit, et dictus rex Aragonum a domino Papa dispensationem obtinuerit infra duos annos ex nunc computandos, super gradu consanguinitatis, in quo ad invicem se contingunt; et etiam dicta Isabella certo mandato nostro infra instantem Nativitatem beatæ Mariæ, vel ipsa die corporaliter tradita fuerit apud Montem-pessulanum, et nisi impedimentum deformitatis, vel turpis infirmitatis ante contractum matrimonium evenerit, vel evidenter apparuerit in aliqua personarum ipsarum. *Ceterum hi duo contractus eodem quidem tempore facti, non ita tamen, ut alter dependeret ab altero.*

dein Joannem filiæ comitis Nivernensis; lis de comitatu Claromontis Regi adjudicata :

833 *Deinde mense Junio filium Joannem Tristanum, Damiatæ natum, desponsavit Yolandæ filiæ Eudonis comitis Nivernensis, sicuti scribit Chesnius in Historia genealogica ducum Burgundiæ pag. 88. Mense autem Septembri in curia suam judicari voluit litem, quæ ei erat cum fratribus circa comitatum Clari-montis. Etenim cum dictus comitatus ante datus fuisset Philippo Bononiæ comiti, fratri Ludovici VIII, eoque mortuo, eum accepisset Joanna ipsius filia, quæ sine liberis erat defuncta, sublata posteritate Philippi, ad Regem redire comitatus* D
debebat, itaque Rex ipse judicabat; at fratres ejus contendebant partem sibi deberi. Re autem examinata per proceres, comitatus totus Regi fuit adjudicatus, ut habet Judicium factum. . . in parlamento Nativitatis beatæ Mariæ Virginis anno Domini MCCLVIII, *quod invenies apud Martenium tom. 1 Collect. amp. col. 1345. Mense vero Octobri, Dionysiopolim profectus, remisit abbatiæ S. Dionysii jus gisti in villam quamdam, quod sibi debitum existimaverat, per litteras apud Doublelium editas pag. 990.*

lites quædam inter Regis ministros et episcopos Normanniæ compositæ :

834 *Tandem sub finem hujus anni componendæ fuerunt lites aliquæ in suprema Regis curia, quæ consedit mense Novembri circa festum S. Martini. Conquerebantur, ait Chaizius pag. 310, episcopi Normanniæ de ministris Regiis, cumque Rex deprehenderet aliquibus in rebus non immerito conquestos esse, iis, quod cupiebant, permisit; in aliis vero ministros suos defendit. Interpellatum a Rege hac de causa fuisse Pontificem, colligo ex Raynaldo ad hunc annum num. 21, ubi ait munus controversiæ sopiendæ* E
archiepiscopo Rotomagensi a Pontifice fuisse demandatum, subdens hæc verba : Exploratum sane atque illustre est, Alexandrum Rege flagitante eam concordiam coire jussisse. *Unus porro ex articulis controversis erat, quod episcopi contenderent crucesignatorum causas quaslibet ad forum spectare ecclesiasticum, idque negarent ministri Regii. Consultus hac de re Alexander ab archiepiscopo Rotomagensi, sic respondit :* Nos itaque consultationi tuæ taliter respondemus, quod dictos cruce-signatos a jurisdictione dominorum ipsorum indulgentia prædicta non eximit, nisi forte consuetudo legitime præscripta defendat eosdem, ut alias privilegio seu indulgentia speciali, vel jure alio sint muniti. *Ita Alexander* IV *Idus Augusti hujus anni, apud Chesnium pag. 862; ita ut tempora non recte dividat Chaizius pag. 311, dum vult archiepiscopum ad Pontificem recurrisse, postquam ita judicatum fuerat mense Novembri in curia Regia. Circa fœneratores etiam erat controversia, quam ita compositam refert Chaizius pag. 310, ut ministri Regis inquirerent, an usura foret commissa; episcopis vero traderentur defunctorum fœneratorum bona ad restitutionem coram præ-* F
fectis Regiis faciendam.

fundatio Servorum beatæ Mariæ.

* Blancs-Manteaux

835 *Ad gesta hujus anni accedere quoque videtur fundatio Servorum beatæ Mariæ Matris Christi, qui a colore palliorum* Albi-Mantelli * *vulgo dicebantur. Alii hi erant a Servitis in Etruria institutis, orbique notis : etenim Massiliæ coaluerant circa medium seculi* XIII, *et, mandante Alexandro IV anno 1257, regulam S. Augustini acceperant a Benedicto episcopo Massiliensi, ut ipse testatur in litteris suis, pridie Nonas Januarii, anno 1257 stylo veteri, id est, 1258, datis; quæ omnia deinde rata habuit Clemens IV per litteras suas, anno 1266 scriptas, quibus præcedentes inclusas reperies apud Miræum in Originibus monasticis pag. 45 et seqq. Hisce prius relatis subjungit Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 443 :* Non multo post Servi beatæ Mariæ Lutetiam venerunt, et in regia urbe posuerunt domicilium. Scilicet, ut Haius tradit, quamdam domum paraverunt veteribus urbis muris intrinsecus inhærentem intra fines Templariorum; et anno MCCLVIII magister Templi in Francia Al-

maricus

A maricus de Rupe, scriptis litteris, fecit illis potestatem, si tamen episcopus Parisiensis assentiretur, habendi cœmeterii, exstruendæ ædiculæ, et domus ordinandæ ad formam religiosæ familiæ. Consensum Reginaldi episcopi obtinuerunt tantummodo anno MCCLXIII. Hæc domus fuit Servorum beatæ Mariæ. *In his quidem verbum nullum de* S. Ludovico : *attamen auctor Vitæ anonymus, ubi fundationes enumerat, inter eas recenset monasterium Servorum beatæ Mariæ, quos Gallorum more vocat* Blancs-Manteaux. *Et sane vix dubium mihi videtur, quin liberalitate sancti Regis Parisiis sedem fixerint, cum eo venisse dicantur eodem, quo confirmati fuerant, anno. Ceterum cum hi religiosi inter eos essent, qui anno 1274 in concilio Lugdunensi* II *can.* XXIII *jussi sunt nullos deinceps ad Ordinem suum recipere, paullatim aboliti sunt, et in locum eorum successere anno 1297 Eremitæ S. Guilielmi; quibus demum anno 1618 substituti sunt Benedictini, qui locum hodiedum possident.*

B

§ LXVI. Anno 1249 Pax cum Henrico Angliæ rege, ejusque fratre Richardo Romanorum rege facta : varia regni negotia : fundatio Cartusianorum prope Parisios : insigne justæ severitatis exemplum.

Diuturni cum Anglis belli,

Annum, quem auspicamur, 1259 celebrem reddidit S. Ludovicus *sublato Gallos inter et Anglos dissidio per pacem diu desideratam. Causam belli tam diuturni, quod non nisi induciis iteratis fuerat intermissum, attigimus num. 86, juvabit tamen eam hic paullo magis elucidare. Mortuo Richardo primo Angliæ rege, regnum ejus sibi vindicavit frater ejus Joannes, quamvis Arturus, Britanniæ minoris comes, illud sibi deberi contenderet, quod filius esset Gaufridi, alterius Richardi fratris,* C *Joanne natu majoris : hinc ille fœdus iniit cum Philippo Augusto Galliæ rege contra patruum suum Joannem, sed captus ab eo fuit in bello, atque, ut fama ferebat, occisus. Audi hac de re Matthæum Parisium ad annum 1202 pag. 145, ubi, postquam narraverat Arturum jam captivum libera voce regnum a Joanne repetiisse, sic subjungit :* Audiens autem hæc rex Joannes, perturbatus est valde, præcepitque ut Arthurus apud Rothomagum mitteretur, et ibi in arce nova retrusus, sub arctiori custodia servaretur. Sed non multo post idem Arthurus subito evanuit, modo fere omnibus ignorato, utinam non ut fama refert invida. *Quam famam post pauca his verbis exponit :* Increbuit opinio per totum regnum Francorum de morte Arthuri, et per omnes regiones transmarinas; adeo quidem ut rex Joannes suspectus haberetur ab omnibus, quod illum manu propria peremisset.

cujus causa exponitur,

837 *Cum autem rex Angliæ ratione Normanniæ, aliarumque provinciarum, quas possidebat in Gallia, vassallus esset regis Galliæ, apud eum accusatus fuit. Citatur itaque a Philippo Augusto ad judicium procerum, quos* Pares *vocant; cumque Joannes venturum se diceret, si salvus conductus concederetur; at, eo negato, comparere detrectaret; absens a Paribus condemnatus est ad mortem, jureque ad omnia, quæ possidebat in Gallia, exutus, quemadmodum fusius exponitur apud Parisium pag. 196 et seqq., ubi non paucas rationes invenies, quibus hanc sententiam ut iniquam oppugnant alii; alii ut justam defendunt. Interea Philippus Augustus, armata manu ditionem Joannis ingressus, Normanniam, aliasque provincias non paucas Anglis eripuit; quas injuria ablatas querebantur Angli, jure acquisitas vi memorati judicii contendebant Galli. Armis eas recipere iteratis vicibus conati erant Angli, dum junior erat* Ludovicus; *verum adeo non receperant, ut plures etiam amiserint. Rationibus apud sanctum Regem institerant frequenter; at Galli proceres tantopere sibi persuadebant juste illas possideri provincias, ut Regi certatim suaderent, ne quid ex iis restitueret. Urgentibus tamen Anglis, Sanctus non modo proceres regni, sed et Normanniæ episcopos ea de re consulendos censuit, ut vidimus num. 554 : at cum illi quoque responderent potiora Regis jura videri, res usque ad hæc tempora eodem manserat loco.* E

AUCTORE J. S.

finem cupiens Ludovicus, pacem inire conatur,

838 *Tandem anno 1258, dissuadentibus frustra proceribus Gallis, qui, teste Joinvillio num. 244, toto pectore incumbebant, ne quæ provinciæ Anglis restituerentur, serio de concordia firmanda agere cœpit* Ludovicus, *quemadmodum refert Matthæus Parisius ad eumdem annum pag. 657 his verbis :* Rex Franciæ piissimus procurat studiose ac diligenter, qualiter pax firma inter duo regna Francorum scilicet et Anglorum, firmari valeat sempiterna. Ait enim : Summo opere procurandum est, ut inter illos meos et filios regis Anglorum, qui consobrini sunt, et Deo dispensante regnaturi, pax firmetur durativa. Et ne amplius, procurante humani generis inimico, sese regna corrodant, homines sese ad invicem deprædentur et occidant, ac in infernum detrudantur. Fecit igitur colligi maximam pecuniam, ut hanc rem in mente fœliciter præconceptam, ad effectum valeat perducere desideratum, promittens Francis suis magna ex illa collatione commoda pervenire, nec moleste ferrent breve gravamen, ex quo in posterum utilitatem habere potuerunt diuturnam. *Cœpta igitur negotiatione, Henricus Angliæ rex* VIII *Maii anni 1258 legatis suis potestatem fecit pacem ineundi, ut habemus apud Tilletium in Collectione tractatuum pag. 182 : eamdem potestatem ibidem legatis suis* XXIV *ejusdem mensis concessit Richardus Romanorum rex.* F

quam post multos tractatus paciscitur

839 *Deinde conceptis pacis articulis, eos approbarunt legati Richardi, pro eoque cesserunt jure, quod habere poterat in ditiones* Ludovico *relinquendas, per litteras* VIII *Julii datas Parisiis, quas item notat Tilletius, et totas, una cum confirmatione Richardi postea secuta, recitat Martenius tom. 1 Anecdotorum col. 1105 et seqq. Rebus sic stantibus, dum omnia brevi finienda et confirmanda videbantur, mora aliunde concordiæ injecta est. Audi Matthæum Parisium ad annum 1259 pag. 664 :* Pax autem, *inquit,* prælocuta inter reges Franciæ et Angliæ, mediantibus nuntiis solennibus magnis et multis,... cum in promptu fuisse crederetur, impedimentum cepit inopinatum. Comitissa enim Legriæ * suam partem de Normannia, quam rex Angliæ debuit juxta pactum eorum Regi

* *i. e.* Leicestriæ

Franciæ

AUCTORE J. S.

Franciæ resignare, nequaquam quietam concessit... Et sic vacui, infecto negotio, cachinnantibus Francis, redierunt. *Attamen post iteratas negotiationes, itusque et reditus legatorum, sublatum est deinde hoc impedimentum, dictaque Leicestriæ comitissa, quæ soror erat Henrici, juri suo renuntiavit, ac pacem simul cum conjuge suo Simone Montfortio ratam habuit, ubi illa ab Henrico Angliæ rege erat confirmata mense Octobri anni 1259 : quorum instrumenta notata invenies apud laudatum Tilletium pag. 183, uti et Eduardi et Edmundi filiorum Henrici, qui jam mense Julio consensum præbuerant.*

conditionibus compendio hic datis,

840 *Contractum pacis, mense Octobri Londini scriptum, edidit Leibnitius in Codice juris gentium a pag. 22, ex quo lector curiosus intelliget, multo plura sibi retinuisse* S. Ludovicum, *quam Anglis reddidisse. Compendio rem accipe ex Guillielmo Nangio, qui pag. 370 ea de re sic scribit :* Henricus rex Angliæ de expressa voluntate fratris sui Richardi regis Alemanniæ, et principum ac prælatorum Angliæ consilio, quitavit in perpetuum regibus Franciæ quidquid juris requirebat in ducatu Normanniæ, et comitatibus Andegaviæ, Cenomaniæ, Pictaviæ, Turoniæ, ac eorum feodis. Rex vero Franciæ dedit ei magnam summam pecuniæ, cum quadam terra, quæ Petragoricum * nominatur, versus partes Gasconiæ situata, tali conditione, quod cum terra illa totam Gasconiam de cetero a regibus Franciæ teneret in feodum, et inde homagium faciens in numero baronum Franciæ adscriberetur, et tamquam dux Aquitaniæ esset de cetero unus de Paribus Franciæ appellatus. Quod homagium, præsentibus prælatis, principibus totius regni quam plurimis, fecit Henricus rex cum juramento pro Burdegala, Baiona, et terra Gasconiæ, ac pro ceteris, quæ in Lemovicensi, Petragoricensi, Agenensi, ac Xantonensi episcopatibus ex dono Regis Franciæ possidebat. *Homagium autem illud apud Tilletium pag. 182 factum notatur die Jovis post festum S. Andreæ.*

B

* le Perigord

quæ regno fuerunt utiles.

841 *Ceterum quanta industria prudentiaque hanc pacem conciliaverit Rex sanctus, ex data relatione elucescit, quanta item regni sui utilitate aliquid Anglis concesserit, ut tot provinciarum pacificam sibi suisque posteris haberet possessionem, ostendit fuse, eruditeque Chaizius pag. 295, adeo ut contemnendi potius mihi videantur quam ulterius refutandi, qui hac liberalitate eum regno obfuisse dixerunt : meritoque affirmet laudatus Chaizius pag. 297 sapientiam illam, quam omnes historici* Ludovico *attribuunt, æque ac conscientiæ puritatem, ei persuasisse contra consilium omnium procerum, quorum oculos utilitas aliqua apparens perstrinxerat, ut veram utilitatem umbratili præferret, sibi asserendo quod retinebat, pacemque familiæ, ac regno suo conciliando. Quo autem modo Henricum exceperit, quidque præterea cum eo egerit, dicemus, postquam cetera hujus anni gesta retulerimus, quo varia variis pro more suo contulit beneficia.*

C

Monachis varia concedit privilegia ;

842 *Mense Januario monachos S. Dionysii liberos reddidit in perpetuum ab omnibus vectigalibus, tributisque quibuscumque, solvendis de rebus ad usum ipsorum necessariis : diploma de hac immunitate datum Meloduni recitat Doubletius pag. 908. Addit Michael Felibien in Historia ejusdem abbatiæ pag. 243 eodem anno jus gisti remisisse pro abbatia ipsa, sicuti illud jam ante remiserat pro quibusdam illius villis, de quo plura habet Vita secunda num. 49 et 50, ubi invenies privilegia hæc olim concessa, sed obliterata tempore, pietate* Ludovici *restaurata fuisse. Mense Februario publicæ eum quieti consuluisse ait Chaizius pag. 311, mulctatis cum abbate S. Euverti civibus aliquot Aurelianensibus ob conventicula, nescio quæ, concordiam perturbare nata. Deinde post modica quædam itinera, in quibus liberalitatem suam numquam desiderari patiebatur, abbati Gemmeticensi varia prædia concessit; aut, si mavis, vendidit, sed parte pretii ipsis condonata, ut invenies in ejus litteris hac de re datis Fonte-Bliaudi mense Aprili, apud Martenium tom. 1 Collect. amp. col. 1348.* D

hereditatem comitissæ Boloniæ recte curat dividendam ;

843 *Hinc profectus est Bononiam ob mortem Mathildis comitissæ, ut habet Matthæus Westmonasteriensis ad hunc annum pag. 366, sed perperam addit, eo pervenisse,* ut illos comitatus vacantes, sive litigiosos, videlicet Bononiæ, Flandriæ, et Henhoniæ, in suam reciperet potestatem. *Nec enim hæ provinciæ ad Regem spectabant, nec Flandria aut Hannonia ad Mathildem pertinuerat. Attamen comitatum Domni-Martini * aliquo tempore servavit, ut eum heredi legitimo redderet, postquam, re examinata, is esset inventus, ut recte observat Chaizius pag. 328. Qui probabili admodum conjectura adjungit, eo Regem esse profectum, ut heredum, qui plurimi erant, jura curaret examinanda, suaque singulis servanda. Mense autem Maio ratum habuit judicium prolatum de controversia, quæ erat inter Hugonem Marchiæ comitem et Petrum Baudrandi, uti intelliges ex litteris ejus hac de re datis* apud S. Germanum in Laya *tom. 3 Spicilegii pag. 635.*

E

* Dammartin

fundat Cartusianos prope Parisios ;

844 *Mense item Maio Melodunum reversus, datis ibidem fundationis litteris, sanctissimum Cartusianorum Ordinem, qui severiore vivendi disciplina dudum florebat, nec tamen etiam tum Parisiis sedem fixerat, regiæ urbi vicinum fecit. Litteras hasce recitat du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 435, ex quibus aliqua huc transfero :* Noverint, *inquit*, universi præsentes et futuri, quod ad nostram accedentes præsentiam fratres Ordinis Cartusiensis nobis humiliter supplicarunt, ut prope civitatem nostram Parisiensem, in qua fluunt aquæ largissimæ salutaris doctrinæ, adeo quod fluminis impetus civitatem ipsam lætificans et inundans, universalem irrigat ecclesiam, pio divini nominis amore vellemus eidem Ordini de loco aliquo competenti liberalitate regia providere, petentes humiliter et instanter, ut locum nostrum ac domum de Valle-viridi prope civitatem prædictam, muris excelsis et quovis modo circumcinctum, pietatis intuitu dignaremur sibi concedere ; ut in ipso et per ipsum totus Ordo revivisceret, et floreret ; sicque domus ipsa secus salutarium aquarum plantata decursus, fructum in tempore suo datura gratissimum, totum Cartusiensium Ordinem fœcundaret. Nos autem fratres ipsos, et eorum Ordinem Deo gratum specialis dilectionis et favoris gratia prosequentes, piis supplicationibus annuimus eorum ; et locum prædictum ac domum de Valle-viridi, sicut eam tenebamus, fratribus ipsis, ibidem summo Regi perpetuo servituris, in puram et perpetuam eleemosynam concedimus, et donamus ; locum ipsum, personas, et bona quæcumque ad

F

ipsum

A ipsum pertinentia, in nostra regia protectione suscipientes, et volentes ab omni injusta molestatione manere quieta. *Addit deinde alia ad fratrum sustentationem, quæ videri possunt apud auctorem laudatum, qui et circa locum quædam observat, et Cartusianos eo migrasse scribit ab anno 1257, quamvis litteræ fundationis hoc tantum anno sint datæ.*

geminam fert legem contra Judæos: Engelramum dominum Cociacensem,

845 *Mense Junio Comitia Parisiis Regem habuisse, auctor est Chaizius pag. 312, ubi et gemina lege coercita rursus Judæorum perfidia, et pactum sponsalitium inter Robertum Artesiæ comitem ac Amiciam de Courtenay coram Rege initum, de quo litteras ejus vide in Miscellaneis Labbei pag. 667. Eodem item mense accidisse suspicor egregium regiæ severitatis exemplum in negotio Engelrami Cociacensis * domini, quem vix omnium procerum iteratæ preces mortis supplicio potuerunt eripere. Certe illud hoc anno evenisse, auctor est Westmonasteriensis pag. 368, neque alii antiqui auctores tempus notant. Rem præ ceteris exactius narrat Vita secunda num. 142 et seqq.; juvabit tamen quædam ad confirmationem et elucidationem adjungere.* B *Engelramus hic, ut notat Chaizius pag. 313, filius erat illius Engelrami Cociacensis, cui Galli aliquot proceres regnum destinasse dicuntur initio imperii* Ludovici : *occisoque fratre ejus natu majore in prælio prope Massoram, heres in ditionem paternam successerat. Altera ejus soror nupta erat Alexandro Scotiæ regi, teste Alberico in Chronico ad annum 1239; altera Ghisnensi comiti; ex quibus viri nobilitatem, qui Regem ac plerosque regni principes habebat consanguineos, satis probatam existimo.*

* Coucy

quod tres adolescentes sine forma judicii jussisset suspendi,

846 *Factum vero ita describit Nangius pag. 364 :* Erant tunc temporis in abbatia Sancti Nicolai de Bosco *(tribus leucis, ait Chaizius, Cociaco dissita)* tres pueri nobiles de Flandria, qui ibidem missi fuerant propter idioma Gallicum addiscendum, quos jocantes et spatiantes per nemora dictæ ecclesiæ, arcubus et sagittis cuniculos sagittando, dum sequerentur prædam suam in nemoribus domini de Couciaco jam dicti, forestarii * ipsius domini, eos ita reperientes, ceperunt. Quibus captis, et in prisionem ductis, retulerunt domino suo forestarii, quod fecerant. Quo audito, ipse continuo, utpote C crudelis et immisericors, ante causæ et ætatis ac generis ipsorum cognitionem, suspendere eos fecit. Quod intelligens abbas Sancti Nicolai, in cujus erant custodia deputati, et dominus Gilo * Brunus constabularius Franciæ, a cujus genere dicebant puerorum alterum derivari, instantissime Regi querimoniam detulerunt : et idcirco dominus Rex dominum de Couciaco fecit ad curiam evocari super tali crimine responsurum. Qui in Regis præsentia constitutus, dixit se de responsione cogi non debere, volens et petens per Pares Franciæ, si posset, secundum consuetudinem baroniæ judicari. Sed contra eum probatum extitit per curiæ retroacta, quod terram in baronia non tenebat, quia terra de Bovis * et de Gorneyo *, quæ a terra de Couciaco per fraternitatis partitionem decisa fuerat, illud dominium baroniæ importabat.

* *i. e.* silvæ custodes

* *i. e.* Ægidius

* Boves

* Gournay

carceri tradit. frustra intercedentibus regni proceribus ;

847 Tali igitur altercatione negotio dependente, Rex dominum de Couciaco non per Pares nec milites, sed per clientes aulicos fecit capi, et in domo sua Parisius, quæ Lupera dicitur, custodia reservari, diem sibi constituens, ad quam omnes regni proceres convenirent. Proceribus vero postmodum Parisius congregatis, dominoque de Couciaco in medio constituto, Rex eum super casu prædicto respondere compulit. Tunc ille per Regis voluntatem omnes barones ibi consistentes sui generis vel parentelæ ad suum consilium convocavit, tantaque fuit ibi sui generis nobilitas, quod Rex quasi solus præter paucos consilii sui remaneret. Ipse Rex etiam non erat expers affinitatis illius parentelæ. *Porro, consilio cum proceribus consanguineis habito, purgare se duello voluit, instituteruntque vehementer proceres, ut Rex id permitteret : quin et crimen negavit. Verum* Ludovicus, *cui purgatio per duellum omnino non probabatur, respondit duellum locum saltem non habere in causis miserabilium personarum; urgentemque ulterius Britanniæ comitem acri oratione refutavit. Neque magis audivit regem Navarræ generum suum cum dicto Britanniæ comite, Flandriæ comitissa, aliisque multis, petentem, ut Engelramus sibi redderetur, tanquam non convictus; sed eorum preces non sine indignatione rejecit; reductusque ejus imperio in carcerem fuit Engelramus.*

AUCTORE J. S.

E

ac omnium precibus morti vix ereptum, graviter mulctat ;

848 Erat autem, *inquit Nangius,* Regis intentio justum judicium judicare inflexibiliter, ut ad pœnam talionis dictus dominus puniretur, et morte consimili damnaretur. *Verumtamen, quia omnes intercedebant, et, ut habet Vita secunda, reus se inquisitioni non subjecerat, adeo ut non omnino constaret, an sic contra eum procedi deberet, vitam omnium precibus concessit Sanctus. Audi Nangium :* Vix tamen ad ultimum precibus et interventu procerum sic fuit ordinatum, quod decem millibus librarum vel circiter vitam suam redimeret *(duodecim millia habet Vita secunda)* et duas *(imo tres in dicta Vita)* capellanias constitueret pro animabus puerorum ad perpetualiter celebrandum. *Adjungit auctor Vitæ secundæ mulctatum fuisse silva, in qua capti erant memorati adolescentes, ereptumque ei jus morte aut carcere puniendi quoscumque in silvis aut vivariis delinquentes : insuper in vita MS. auctoris anonymi invenio condemnatum fuisse ad militandum cum aliquot equitibus in Terra sancta per triennium, quam pœnam ab eo postea duodecim millibus librarum redemptam testatur Chaizius pag. 323.*

F

pecunia ejus in pia opera expensa,

849 *Ex quo facile conciliantur Nangius cum Vita secunda, cum alioquin sibi viderentur contradicere circa usum pecuniæ, quam sine mora persolvi voluit* Ludovicus : *nam in Vita secunda pecunia dicitur in Syriam missa ad subsidium Christianorum, quod intelligendum de pecunia, qua Engelramus militiam suam transmarinam redemit. Nangius vero intelligendus de pecunia mulctæ nomine exacta, quam piis operibus impensam scribit, hisce usus verbis :* Nec ille verus Cultor justitiæ illam pecuniam suis thesauris addidit, sed in pietatis operibus totum distribuit; quia domum Dei de Pontisara reditibus augmentatis de illa pecunia fabricari fecit, scholas et dormitorium Jacobitarum * Parisius, et ecclesiam Fratrum Minorum a fundamentis in integrum consummavit. Magnumque fuit aliis regibus exemplum justitiæ; quod vir tantus tamque spectabilibus ortus natalibus, quasi a pauperibus facinore accusatus, inter suos tam nobiles vix vitæ remedium in facie Cultoris justitiæ potuit invenire. *Ad quæ prudenter notat Chaizius pag. 322, auctoritatem regum tertiæ stirpis longe iis seculis minorem fuisse, quam*

* *id est* Prædicatorum.

fuerat

AUCTORE J. S.

fuerat, dum reges secundæ stirpis imperabant; at virtutem solam Ludovico tribuisse, quod temporis consuetudo alioquin negabat, adeo ut reus præcipua ditionis suæ jura amiserit, et fere quingenta librarum millia hodiernæ monetæ persolvere debuerit ob crimen, de quo, ait, vix mentio facta fuisset sub alio quocumque rege ejusdem temporis.

§ LXVII. Auctoritas Sancti apud subditos, aliosque : fundatio domus et templi Ordinis SS. Trinitatis una cum valetudinario Fontis-Bliaudi, aliaque beneficia eidem Ordini præstita : donationes aliæ : pietas in translatione S. Aniani : fundationes piæ quam plurimæ.

B

Auctoritas Sancti virtutibus parta :

Q*uanta esset hoc tempore* S. Ludovici *apud omnes auctoritas virtutibus parta, Guilielmus Nangius, qui eodem vivebat tempore, post factum jamjam relatum, sic declarat :* Igitur post hoc factum videntes et intelligentes barones ac milites tam majores quam minores, sapientiam Dei in illo esse ad faciendum judicium et justitiam in subditis, timuerunt Regem, et de die in diem amplius venerabantur, scientes eum virum sanctum et justum. Unde post sua primordia juventutis non fuit, qui auderet attentare aliquid contra ipsum; aut si fuit rebellis aliquis, cito eius humiliabatur imperio. Et sicut legitur de rege pacifico Salomone, quod habuerit pacem undiquaque per circuitum regni sui; sic et ipse Rex Christianissimus Ludovicus ex tunc habere meruit, Domino largiente, quam post mortem ipsius Philippo eius filio in regno succedenti, quandiu regnavit, per merita sancti Regis Dominum credimus concessisse. Sane si quos etiam hostes aut æmulos latentes habebat, C eos sagaciter et charitative attrahebat ad pacem et benevolentiam suis curialitatibus et auxiliis opportunis. Et quia placebant Domino viæ ejus, inimicos ipsius, si quos habere contigit, convertebat ad pacem. Sic autem erga omnes tam subditos quam extraneos ac remotos fideliter, misericorditer, et clementer, ac sapienter se gerebat, quod ab omnibus merebatur honorari pariter et amari. Nam, sicut scriptum est, Misericordia et veritas custodiunt regem, et firmatur clementia thronus eius, ita thronus regni Franciæ temporibus suis sicut sol in conspectu omnium renitebat respectu ceterorum. Et sicut sol suos ubique diffundit radios; sic ab ipso diffundebantur ubique beneficia, seu luminosa charitatis et caloris exempla. *Hactenus Nangius; ad gesta Sancti revertamur.*

fundat valetudinarium cum domo Ordinis SS. Trinitatis,

851 *Mense Julio Fontem-Bliaudi profectus, valetudinarium ibi fundavit, cujus curam commisit Fratribus Ordinis SS. Trinitatis : de qua fundatione breviter meminit Vita secunda num. 48. Capellania ibi erat anno 1169 fundata a Ludovico VII, domoque capellani et reditibus instructa, quam consentientibus archiepiscopo Senonensi ac loci parocho, resignanteque libere capellano, dictis Fratribus donavit cum omnibus reditibus ac capellani domo,* Ad ædificandum, D *inquit in litteris,* et fundandum in eadem domo et proprisio * et circa basilicam in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, et hospitale pauperum infirmorum, qui de circumjacentibus locis desertis et aridis confluant, et trahantur ad illud, ut in ipsis Christus Dominus tamquam in membris propriis foveatur, ac officinas fratribus ibidem et juxta sui Ordinis instituta Deo debita servitutis obsequia soluturis accommodas, et familiæ eorumdem. In eadem autem domo morari tenebuntur in perpetuum septem fratres clerici Ordinis antedicti, quorum esse debent quinque sacerdotes ad minus, et ex quinque ipsis sacerdotibus, unus vel duo in capella *(domus regiæ ibidem)*.... duas Missas, vel unam ad minus tenebuntur diebus singulis celebrare. Tenentur etiam dicti fratres celebrare pro nobis quandiu vixerimus,... diebus singulis unam Missam de Spiritu sancto, vel de beata Virgine, et post decessum nostrum in perpetuum diebus singulis Missam, quæ pro defunctis fidelibus celebratur, exceptis paucis diebus solemnibus, in quibus celebrare non consuevit Ecclesia pro defunctis. E Insuper anniversaria ista, videlicet inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, reginæ Blanchæ genitricis nostræ, R. * comitis Atrebatensis fratris nostri, et nostrum et ipsius obitum celebrare solemniter tenebuntur. *Tum assignatis reditibus, quos fratribus concedit, quosque in ipsis litteris apud Sammarthanos tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 640 curiosus lector inveniet, consueto more concludit :* Actum apud Fontemblaudi anno Dominicæ Incarnationis MCCLIX, mense Julio *etc.*

* i. e. ambitu

* Roberti

quam fundationem deinde auget,

852 *Quamvis non exiguos reditus assignasset monasterio et valetudinario prædicto* S. Ludovicus; *attamen anno sequenti adeo eos auxit, ut nova videri possit fundatio. Ejus hac de re diploma habemus apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1349, ex quo causam augendi reditus accipe;* Cum ad honorem, *inquit,* bonorum omnium Largitoris nuper apud Fontem-Bliaudi domum quamdam Ordinis SS. Trinitatis et captivorum cum basilica constructa ibidem in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, ac hospitale pauperum infirmorum fundavissemus ad usus fratrum et pauperum eorumdem, ac F utrisque servientium, certis sibi reditibus assignatis.... Accedentes postmodum ad nos dilecti in Christo minister et quidam de fratribus dicti loci, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ad sustentationem septem fratrum, quos ibidem instituimus summo Regi perpetuo servituros, et pauperum infirmorum, qui de vicinis locis aridis et desertis ad illud confluunt hospitale, ac familiæ necessariæ tam fratribus quam pauperibus antedictis assignati reditus minime commode posse sufficere viderentur, cum aridi loci sterilitas plurimum sibi incommoditatis afferret, et multorum etiam jam caritas refrigescat, hujusmodi defectibus eorumdem opem remedii salutaris apponere liberalitate regia dignaremur. Nos autem volentes eorumdem fratrum ac pauperum necessitates grato relevare subsidio, et ut præsertim pauperum ac egenorum inopiæ de nostra fiat abundantia supplementum, pro illius Largitoris amore, de cujus manu cuncta recepimus.... damus *etc.* Actum apud Meledunum anno Dominicæ Incarnationis MCCLX mense Decembri. *Reditus videri possunt in assignato diplomate.*

853 *Tem-*

A *structumque ibi templum dedicari curat : alia beneficia eidem Ordini præstita.*

853 *Templum item cura* S. Ludovici, *eodem anno 1260 ad finem vergente, dedicatum est; indulgentiæque ab Alexandro Pontifice illud frequentantibus in die dedicationis totoque octiduo sequente ad preces illius concessæ, uti pluribus narratum invenies apud Bonaventuram Baro in Annalibus Ordinis SS. Trinitatis ad dictum annum num. 6, ubi diploma recitatur Pontificium. Ceterum ejusdem Ordinis religiosis Parisiensibus, teste eodem auctore ad annum 1209 num. 4,* S. Ludovicus. . . . dono dedit censum, qui ei proveniebat ex septem vel octo domibus in platea Fœni. *Præterea, ut habet ad annum 1270 num. 8,* conventui eorum Parisiensi dono dedit segmentum veræ crucis Dominicæ, et unius spinæ ex ipsius corona. *Qui et ad annum 1259 num. 3 hæc de pietate sancti Regis adjungit :* Quo loco libet admirari Regis vere Christianissimi non modo profusam liberalitatem, sed adhuc etiam pietatem, cum ipse ad eumdem conventum *(Fontis-Bliaudi)* solitus sit sæpius divertere et spiritualia exercitia absolvere frequentando cum PP. chorum. Interim autem

B oblonga chlamyde utebatur ex bysso admodum insigni, adjecto pileo, quæ ambo adhuc hodie in eodem cœnobio magna reverentia servantur. *Similia factitasse Sanctum aliis locis in Actis infra narratur. Quibus hoc loco, quia certa destituuntur temporis nota, commemoratis, ad ordinem rerum anno 1259 gestarum regredior.*

Jura ecclesiæ Aniciensis in dubium vocata declarat,

854 *Mense Julio, quo superiorem fundationem factam diximus, ecclesiæ Aniciensis jura, quæ in dubium vocata erant, post examen de re institutum, per litteras suas Corbolii datas asseruit et declaravit, retento sibi jure, quod regibus vacante sede competebat; relictoque ecclesiæ, quod alii perperam usurpare tentaverant. Litteras ejus habes in novissima editione Galliæ Christianæ inter instrumenta tom. 2 col. 234, ubi et litteræ decani et capituli ecclesiæ Aniciensis, quibus gratias agunt Regi hunc in modum :* Vestræ igitur regiæ Majestati referentes, quas scimus et possumus, gratiarum humillimas actiones, quia vestræ benevolentiæ placuit jus nostrum et ecclesiæ nostræ, per usurpationes diversas a quibusdam in ambiguo positum, declarare. *Mense Augusto de jure gisti transegit*

C *cum episcopo Carnotensi, pretiumque inde acceptum impendit piis operibus, præsertim precibus fundendis pro anima fratris sui Roberti, aliorumque in Oriente defunctorum, ut auctor est Chaizius pag. 312.*

spinam e sacra Domini corona donat fratribus Minoribus Sagiensibus,

855 *Deinde, tractatis mense Septembri regni negotiis in curia suprema, in festo S. Remigii Fratres Minores Sagienses in Normannia pio munusculo recrearit, adjectis litteris, ex quibus illud, æque ac pietatem Sancti, religiosus lector percipiet. Illæ autem sic habent apud Martenium tom. 1 Collect. amp. col. 1348 :* Ecclesiam vestram in honore sacrosanctæ coronæ Domini nostri Jesu Christi fundatam, venerando volentes exennio * decorare, unam de spinis sanctissimæ coronæ vobis in signum dilectionis transmittimus, specialiter caritatem vestram rogantes et requirentes attente, quatenus hujusmodi tam pretiosum sanctuarium, tam insigne, debito recipientes honore, illud etiam qua decet reverentia conservare curetis, specialem et perpetuam nostri in vestris orationibus et divinis obsequiis memoriam habituri. *Similia munuscula sacra ad alios missa suis locis videbimus.*

* *i. e.* munere

856 *Eodem mense Octobri archiepiscopo Arelatensi addixit annuos reditus, quo satisfaceret pacto cum illo inito. Ratio erat hæc : Belliquadrum et Argentiam acceperat Simon Montfortius ab ecclesia Arelatensi in feudum cum obligatione solvendi censum annuum centum marcharum : cum vero hæc oppida deinde ad Ludovicum VIII pervenissent, ab eo comiti Tolosano bello erepta; nec census solutus erat, nec homagium præstitum. Et sane ambiguum erat, an vel tunc deberetur, multoque magis hoc tempore post pacificam tot annorum possessionem. At Sanctus, qui aliena jura illæsa non minus cupiebat, quam cupidissimi quique sua, cum archiepiscopo composuit, censumque annuum centum librarum ei concessit, ut latius videre est in ejus, et archiepiscopi Arelatensis litteris, tom. 2 Galliæ Christianæ recusæ inter instrumenta col. 235. Die autem ejusdem mensis* XIX *adfuit cum duobus filiis consecrationi Radulphi Grosparmi episcopi Ebroicensis, quemadmodum ex veteri MS. leges apud Bulæum in Historia universitatis Parisiensis tom. 3 pag. 369.*

AUCTORE J. S. *annuos reditus concedit archiepiscopo Arelatensi ob jus aliquod dubium,*

E

adest Aureliæ magna cum pietate translationi S. Aniani;

857 *Ebroico Aureliam profectus cum filiis suis* S. Ludovicus, *insigne ibidem pro more suo præbuit pietatis juxta ac humilitatis exemplum in translatione S. Aniani, quam contigisse die* XXVI *Octobris hujus anni, probat Carolus Saussepus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* XI, *num. 51, ubi et hæc ex Actis ecclesiæ S. Aniani Aurelianensis ad propositum nostrum adducit verba :* Dominus Rex propriis humeris dictam thecam portavit, et cum fieret sermo in claustro, dominus Rex cum suis filiis auditor in terra sedit, et obtulit duo pallia, quæ vulgo vocantur baldeguina. *Porro* Baldekinus pannus, *quem palliis his designari existimo,* est omnium ditissimus, cujus utpote stamen ex filis auri, subtegmen ex serico tegitur, plumario opere intertextus, sic dictus quod Baldacco seu Babylone in Perside, in Occidentales provincias deferretur, *ut legitur in Cangii Glossario ad vocem* Baldakinus. *Hæc Aureliæ eximius Sanctorum Cultor. Inde vero Parisios reversus, mense Novembri supremum convocavit senatum, in cujus consessu immunitatem Ecclesiæ contra præpotentis principis insolentiam egregie curavit vindicandam. Rem accipe.*

F

Hugonem comitem Engolismensem pro injuriis in episcopum et clerum

858 *Robertus de Monberon, episcopus Engolismensis, variis de causis ab Ecclesiæ communione separaverat Hugonem Marchiæ et Engolismi comitem, nepotem ex filio et heredem illius Hugonis Marchiæ comitis, quem bellum anno 1242 cum Rege gessisse vidimus, ac dein Damiatæ occubuisse. Ille vero* eo furoris et amentiæ prorupit, *inquit Dionysius Sammarthanus Galliæ Christianæ tom. 2 col. 1008,* ut episcopatus bona invaserit et diripuerit, ac præsulem cum universo clero a provinciæ et comitatus finibus, per suum senescallum ejecerit, ita ut illis igni et aqua interdiceretur. *Hæc fusius relata invenies in variis epistolis hac de re scriptis a Roberto, aliisque episcopis tum ad* S. Ludovicum, *tum ad alios. Legi hæ possunt apud Martenium tom. 7 Collect. amp. a col 148. Ultima tantum verba ex epistola Roberti Engolismensis, Kalendis Septembris scripta huc transfero :* Placeat igitur pietati vestræ, clementissime princeps, hujus pestilentis nequitiæ audaciam refrenare, et in præsenti casu taliter providere, ut amoris divini zelus, qui semper in pectore vestro viguit et valuit, ad laudem ipsius et bonitatis vestræ

titulum

AUCTORE J. S.

titulum non tepescat, sed igne sancti Spiritus inflammatus crescat, et fortius accendatur. *Ita col. 166 Regem alloquitur post causam expositam, eodemque fere modo episcopi provinciæ Burdigalensis, quorum epistola, eodem die scripta, ibidem subjungitur. His litteris permotus* Ludovicus, *episcopum invitasse videtur, ut Lutetiam profectus, in curia sua accusaret comitem, quem ad causam dicendam evocavit : id enim tempori et rerum ordini aptius congruit, quam quod habet Dionysius Sammarthanus loco assignato, evocatum a Rege comitem, postquam* Robertus Lutetiam profectus *apud* Regem Ludovicum et senatum *comitem accusarit : nam causam comitis in curia actam circa festum S. Martini, testatur Chaizius pag. 313, ubi et arbitros electos consentit Sammarthanus.*

satisfacere cogit :

859 *Verum quidquid sit de hac levioris momenti differentia, quid satisfactionis injunctum sit Hugoni comiti, audiamus ex laudato Dionysio Sammarthano :* Quo, *inquit,* ad dicendam causam evocato, Regis decreto compromissum initur per arbitros, causæ judices nominantur. B Lemovicensis et Cadurcensis episcopi, reque longo examine perpensa, arbitrorum judicio comes jussus est celebri supplicationi, quæ reducendis in urbem episcopo, ac clero universo, die festo indiceretur, adstare in sago, nudus caput et pedes. Eadem sententia decretum fuit, ut portæ urbis, quibus ingressurus erat Robertus, in platea ante cathedralem ecclesiam concremarentur : demum crimen publice comes fateretur, et veniam a Roberto supplex peteret : quingentas etiam libras actoribus mulctæ loco pensitaret, et insuper Engolismensi basilicæ eos redditus assignaret, qui cereis tribus ante majus altare, dum sacra fierent, perpetuo accendendis sufficerent. Quod et executioni mandatum intelligitur ex registris eccles. cathedralis. Unde et Francorum reges, ad quos hereditario jure comitatus Engolismensis delatus est, tres istos cereos Engolismensibus canonicis hodieque persolvunt. Sententiam se vidisse testatur Corlæus, in festo S. Clementis an. MCCLIX inscriptam.

C

fundat valetudinarium Pontisarense : ædificia varia construit Prædicatoribus,

860 *Præter fundationes pias jam memoratas hoc anno, aliæ non paucæ supersunt hoc loco commemorandæ, quarum tempus non quidem tam manifeste instrumentis authenticis consignatum habemus; aliunde tamen utcumque eruimus. Valetudinarium Pontisarense hoc circiter tempore Regis liberalitate constructum inde colligimus, quod Nangius, num. 849 citatus, testetur partem pecuniæ, a Domino Cociacensi pro mulcta exactæ, huic ædificando fuisse impensam. Hoc autem valetudinarium* magnis et sumptuosis ædificiis *constructum ab eo, eidemque* magnos redditus *assignatos, auctor est Gaufridus in Vita num. 29 : in Vita vero secunda num. 94 dicto valetudinario* possessionem bonorum *dedisse dicitur,* quorum census annuus quadringentæ libræ, *monetæ istius temporis, qui census admodum erat insignis, et tantus fere, quantus haberi potuisset ex tota mulcta Cociacensi domino imposita. Unde nolim lector existimet, nihil impensum a* Ludovico *huic et sequentibus duabus fundationibus præter mulctam jam dictam; sed tribus illis ædificiis, quæ tunc inchoata fuisse existimo, pecuniam illam mox applicitam, sumptusque reliquos Regis munificentia suppletos. Alterum opus, cui memorata mulcta impensa dicitur, est* dormitorium Prædicatorum *Parisiensium, cui* scholas *adjungit Nangius; atque* alia ædificia, *auctor Vitæ secundæ num. 94.* D

ac templum magnificum Minoribus Parisiis :

861 *Tertium vero est templum fratrum Minorum Parisiis, quod amplum fuisse ac magnificum discimus ex Waddingo, in Annalibus Minorum ad annum 1234 num. 19 illud describente, ex quo pauca huc transfero :* Habet porro longitudinis supra CCCXX pedes, latitudinis supra nonaginta. Chorum a navi pulpitum, ligneum quidem illud, sed maximum et perpulchrum, aliquot ligneis affabre factis columnis innixum secernebat. . . . Chorum. . . . undique circumdabant viginti quinque sacella partim muris, partim lignis affabre factis inter se, et ab eodem choro distincta. In quolibet sacello erecta erat ara simulque abacus, tam elegantibus ac preciosis Christi, Deiparæ, Apostolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum, in quorum memoriam dicata erant, figuris decoratus, ut et religionem simul et admirationem piis sectatoribus incuterent. *Plura templi ornamenta ibidem legi poterunt : ad ea autem ordinanda non modo liberalitatem; sed industriam etiam Sancti concurrisse existimo. Testatur enim auctor Vitæ secundæ num. 94,* Ludovicum, *dum pia curabat ædificia construi,* E *opera per semetipsum inspicere, multaque ordinare, et disponere consuevisse. Ceterum templum hoc, pro mole operis, tam cito absolvi non potuit; absolutum autem circa annum 1262 opinatur laudatus Waddingus,* Quod, *inquit,* Urbanus IV anno sui Pontificatus 2 diplomate dato in Veteri urbe ipsum Regem Francorum laudat vehementer, quod in domo fratrum Minorum Parisiensium de novo, nec sine magnis sumptibus, ecclesiam construxerit, in cujus dedicatione indulgentias dari postularet. Concedit autem ad ejusdem Regis instantiam eis, qui ab ipso die consecrationis usque ad 4 menses eandem ecclesiam visitarent, 3 annos et totidem quadragenas.

fundat item valetudinarium Compendiense,

862 *Valetudinarium item Compendiense magnis sumptibus structum, paribusque ditatum censibus Gaufridus num. 29 testatur. Auctor Vitæ secundæ num. 94 affirmat duodecim millia librarum Parisiensium operi impensa; ac præter amplos reditus necessariam pauperibus atque ægrotis supellectilem a Rege donatam. Hujus autem valetudinarii constructio ultra hunc annum differri non potest, licet aliquanto citius potuerit contingere. Nam laudatus Vitæ secundæ auctor* F *num. 107 refert, primum ægrotum, panno holoserico exceptum, manibus* S. Ludovici, *ejusque generi Theobaldi Navarræ regis, eidem illatum esse : secundum vero manibus filiorum Regis, Ludovici et Philippi, sequentibus exemplum certatim proceribus aliis. Unde, cum Ludovicus regis filius initio anni sequentis, ut dicemus, mortem obierit, jam hoc anno valetudinarium fuit perfectum. Quod attinet ad eximium illud humilitatis, charitatisque exemplum, quod ad temporis ordinem investigandum erat hoc loco commemorandum, adire poterit lector pius Vitam secundam; quam non sine stupore quodam hujusmodi charitatis exemplis undique conspersm reperiet.*

et cum B. Elisabetha sorore monasterium Longi campi;

863 *Guilielmus Nangius in Chronico ad hunc annum ad propositum nostrum sic scribit :* In episcopatu Parisiensi fundatum est cœnobium Sororum Minorum juxta Sanctum Clodoaldum supra Secanam * a religiosa et illustri domina Jsabella virgine, sorore sancti Regis Franciæ Ludovici, ipso Rege eidem monasterio possessiones et redditus in sustentationem Sororum congruos

* i. e. Sequanam,

assignante

A assignante. *Eamdem fundationem memorat in gestis* S. Ludovici *pag. 368, ac soli Regi attribuit : verum constat etiam ex Joinvillio num. 250, impendio quidem Regis præcipue, nomine tamen B. Elisabethæ factam; quam et ad sumptus aliquid subministrasse, et curam fundationis præcipuam habuisse credimus. Adjuvit autem Rex sanctus sororem sibi dilectissimam non tantum in domo et ecclesia ædificandis et ditandis, sed insuper ad confirmationem impetrandam regulæ, a S. Bonaventura aliisque fratribus Minoribus novellæ congregationi conscriptæ. At, cum hæc pluribus dicenda sint in Actis B. Elisabethæ ad diem* XXX *hujus mensis, plura de hac fundatione hic non disputo : tantum observo cum Chaizio pag. 376, primum lapidem per* Ludovicum *fuisse positum, secundum vero per reginam ejus conjugem; Regique moniales istas semper charas fuisse, adeo ut ab initio eas piis verbis ad vitam perfecte traducendam hortatus sit, et deinceps frequenter tum verbo tum exemplo ad perfectæ vitæ amorem animaverit.*

B

item monasterium Prædicatorum Cadomi, et forsan valetudinarium ibidem.

864 *Ad tot fundationes hujus temporis lubet aliquam adjungere, de cujus tempore non constat defectu monumentorum. Illustrissimus Huetius Abrincensis episcopus in Originibus Cadomensibus, sine auctoris nomine secundo impressis anno 1706, cap. 16 num. 22 ex opinione communi Cadomensium refert, monasterium fratrum Prædicatorum a* S. Ludovico *fuisse fundatum; additque tempus fundati monasterii ignorari, combustis Calvinistarum furore fundationis instrumentis. Attamen si opinio Cadomensium, quæ Guilielmum Acarim, defunctum anno 1246, ut asserit laudatus auctor, Regis in hac fundatione procuratorem facit, satis solido niteretur fundamento, necesse esset affirmare, monasterium a Rege fundatum dudum ante hæc tempora. At fatetur eruditissimus auctor, opinionem illam incerto niti fundamento : quapropter tempus incertum relinquo; fundationem vero ipsam confirmo ex Vita secunda num. 48; ubi hæc leguntur :* Rursum fundari curavit ac construi... domum Fratrum Prædicatorum Cadomi *. *Laudatus auctor cap. 16 num. 10 ait, quorumdam etiam opinionem esse, valetudinarium Cadomense* S. Ludovici *liberalitati attribuendum, in quorum sententiam propendet allatis aliquot conjecturis, atque inter alia refert duas molas dicto valetudinario a Sancto donatas anno 1255 : verum nec hujusmodi sunt allatæ ab eo rationes, ut consensum extorquere debeant; neque ad manum est, quo illam opinionem certo probatam reddam. Ad alia itaque progredior.*

* Caen

C

§ LXVIII. Gesta cum Henrico Angliæ rege : mors immatura filii Ludovici : concordia in universitatem Parisiensem reducta.

Henricus Angliæ rex ad Ludovicum accedit clientelam professurus;

N*arravimus* § LXVI *pacem* Ludovicum *inter et Henricum Angliæ regem conclusam; hujus autem occasione Henrico trajiciendum erat in Galliam ad homagium* Ludovico *præstandum. Ejus discessum memorat Westmonasteriensis ad annum 1259, prætermissa tamen clientelæ jurandæ causa. Verba ejus accipe :* Circa festum S. Martini dominus rex una cum regina, et multitudine etiam nobilium numerosa, iter arripuit versus Doveriam, pro negotiis inter se et Regem Franciæ, eorumque regna expediendis in Franciam transfretaturus. *Parisios venisse circa initium Decembris est verisimile. Quo autem modo exceptus fuerit a* Ludovico, *Nangium audiamus referentem.* Quem, *inquit pag. 370,* Rex Franciæ Ludovicus honorifice suscipiens Parisius in proprio fecit palatio hospitari, ipsum suosque per plures dies electis vinis et ferculis ac largis muneribus honorando. *Deinde Henricum ab abbatiam S. Dionysii discessisse ait, ubi ultra mensem permansit, quod facile crediderim.*

AUCTORE J. S.

at pax non eo tempore inita,

866 *At fallitur Nangius, eumque secuti errarunt non pauci, dum subdit sequentia :* Ludovicus igitur Rex Franciæ ipsum ibidem pluries visitans, ... pacem cum ipso quotidie facere satagebat, quæ tandem facta est. *Quippe ex instrumento pacis authentico, quod num. 840 assignavimus apud Leibnitium, constat pacem jam mense Octobri juramento Henrici, coram ipso per procuratores facto, firmatam fuisse. Præterea constat ex alio instrumento æque authentico, clientelam ab Henrico juratam die Jovis post festum S. Andreæ, seu* IV *Decembris, ut consentit Chaizius pag. 339. Pax igitur non solum jurata erat ante id tempus, verum et homagium præstitum videtur, priusquam Dionysiopolim abiret Henricus; neque enim est, cur iter regis reginæque Londino Parisios tam breve fuisse opinemur, ut multo ante mensem Decembrem illud absolverint, cum tantum Londini discesserint circa* XI *Novembris : si itaque* per plures dies *mansit Parisiis, non potuit ante* IV *Decembris Dionysiopolim discedere, nedum* ibidem, pluries *visitatus a* Ludovico, *tandem pacem facere, ac* IV *Decembris clientelam* Ludovico *profiteri* in horto palatii, *quemadmodum pag. 340 narrat Chaizius, non recte subductis temporum calculis.*

E

sed alia ad eam spectantia ordinata :

867 *Necesse igitur est dicamus, pacem jam mense Octobri firmatam, Henricumque post præstitum clientelæ juramentum Dionysiopolim se contulisse. Cur vero tandiu ibidem moratus sit Henricus, facile colligemus ex Westmonasteriensi, qui loco supra assignato sic habet :* Habito autem rex Angliæ Parisiis cum Rege Franciæ tractatu super negotio prædicto, illico destinavit in Angliam nuncios suos.... præcipiens districtius, ut quicumque in Anglia jus aut clamium * in partibus ultramarinis se credebant habere, ad eum quam citius festinarent accedere. Quod et factum est. *Voluit videlicet* Ludovicus *ditiones suas ab omni prætensione immunes. Hinc manendum fuit Henrico tamdiu post homagium præstitum, ut siqui ulterius aliquid juris habere se crederent, omnibus satisfieret, omnesque juri suo renuntiarent : nam comes et comitissa Leicestriæ id fecerant eodem die* IV *Decembris, quo clientelam professus est Henricus, uti notatur apud Tilletium ante laudatum pag. 283. Pleraque igitur negotia, quæ tractatu pacis comprehensa non fuerant, duorum regum crebris colloquiis absoluta sunt, licet aliqua adhuc indecisa permanserint, ad quæ decidenda legatos, seu procuratores anno 1262 ab Henrico delectos, et rursum anno 1269 ab utroque rege, invenimus apud dictum Tilletium pag. 184. Atque hæc ratio fuisse videtur, cur Nangius aliique putaverint pacem Dionysiopoli initam.*

F

* *i. e.* jus aliquid petendi

868 *Dum*

AUCTORE J. S.

defuncto interim Ludovico Regis filio, Henricus illius corpus ad sepulturam defert:

868 *Dum hæc tractabantur negotia, reges pariter celebrarunt festa Domini Natalitia Parisiis, ibique conviviis mutuum inter se amorem testati sunt, ut narrat Westmonasteriensis ad annum 1260, quem a Natali Domini exorditur, quemque nunc sensim ingredimur. Verum, sicut idem auctor scribit post pauca :* Iisdem contigit Nataliciis dolor in Francia lamentabilis. Ludovicus etenim Regis Francorum filius et hæres, vir strenuus et procerus, universis et singulis amantissimus; qui proxima esset in æstate (Patre disponente) uxorem, scilicet filiam regis Castellæ ducturus, et in regem Franciæ coronandus, viam est universæ carnis ingressus. *Defunctum esse anno 1260 jam inchoato, colligitur ex sepulturæ tempore : nam epitaphium ejus in ecclesia Regalis-montis apud Chesnium pag. 442 sic habet :* Hic jacet Ludovicus filius sancti Ludovici noni Regis Franciæ, et Margaretæ filiæ comitis Provinciæ, qui obiit anno ætatis suæ decimo sexto, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono *(nam hic Gallis currebat usque ad* XXV *Martii, vel Pascha)* et sepultus est in loco isto in octavis B Epiphaniæ Domini, adolescens Deo et hominibus gratiosus. *De sepultura ejus, post mortem relatam, hæc subjungit Nangius pag. 371 :* Cujus corpus in abbatia Regalis-montis Patris imperio sepulturæ dandum, prima nocte ad ecclesiam beati Dionysii delatum, monachis in decantatione psalmorum usque mane vigilantibus, custoditur. In crastino vero rex Angliæ Henricus, et nobiliores barones Franciæ, et Angliæ corpus defuncti assumentes aliquantulam partem itineris propriis humeris portaverunt.

quantæ spei fuerit juvenis hic Ludovicus:

869 *Perculit haud dubie* S. Ludovicum *mors immatura filii tam chari; tantaque cura educati, quantam testantur Vitæ scriptores locis variis; unum pro omnibus huc afferre lubet pii Patris monitum filio, in spem regni adolescenti, datum :* Care fili, *inquit apud Joinvillium num.* 2, obsecro te, fac ameris a populo regni tui. Nam profecto mallem, ut Scotus aliquis veniret ex Scotia, aut alius quispiam ex terra longinqua peregrinus, qui populum regni bene, et laudabili modo gubernaret, quam ut tu male gubernares, et cum dedecore. *Alexander summus Pontifex in epistola prolixa atque eleganti,* C *quam ad Regis dolorem leniendum ad eum dedit* III *Kal. Martii, (apud Raynaldum ad annum 1259 num. 47) post declaratum verbis gravissimis dolorem suum, spem de Ludovico conceptam his verbis significat;* Nimirum de ipso publica tenebat opinio, jugibus gratiosæ indolis proficiens incrementis, quod si decreta fatalia speratæ substitutionis ordinem non turbassent, idem paternæ disciplinæ salutaribus eruditionibus institutus, suis temporibus te nomine, ac moribus reddidisset. Et quia velut germen odoris, fructus honoris et gratiæ, jam erumpentibus laudabilium studiorum floribus, producebat; unde sperabatur post te instar tui religionis et fidei Christianæ virtutis brachium, fulcimentum domus, stabilimentum et gloria gentis suæ. *Deinde, post pauca, de ipsius Regis animi fortitudine in acerbissimo hoc casu perferendo spem suam declarat his verbis :* Minuit autem hujus formidinis nostræ pavorem, quod exercitatus habeas animum ad patientiam in rebus asperis et adversis : omnem fortunam superare ferendo invicto pectore didicisti; et confidimus quod hunc doloris accessum imperturbatus, quamvis turbatus, exceperis, quem alias irruentes intolerabilium fere casuum D impetus non fregerunt. *Non fefellit spem Pontificis Rex sanctus : verum ad gesta cum Henrico redeamus.*

S. Ludovicus Henricum Audomaropolim usque deducit.

870 Peractis, *inquit Nangius,* ac celebratis, ut regalem puerum decuit, defunctorum obsequiis, rex Angliæ et sui nobiles, Regis honorati muneribus, ad propria remearunt. *Minus cito tamen, quam hic auctor significare videtur. Quippe Joannes Iperius in Chronico S. Bertini, apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 738, sic loquitur :* Mansit igitur rex Angliæ penes Regem Franciæ usque post mediam Quadragesimam, et inde Rex Franciæ cum eo venit ad S. Audomarum, ubi simul celebrarunt Pascha. Post Pascha vero Rex Franciæ in Franciam, rex vero Angliæ in Angliam rediit. *Sed Henricus, qui bellum externum finierat, mox domesticum illudque gravissimum invenit, ut postea erit explicandum.*

Discordiam in universitate Parisiensi ortam inter academicos et mendicantes

871 *Vidit sub initium hujus anni* S. Ludovicus *finem diu desideratum controversiæ, quæ inter doctores universitatis seculares, Ordinesque S. Dominici et S. Francisci magnis animis, paribusque studiis decertata fuit. Nata hæc erat anno 1253, Rege in Palæstina degente, quod* E *doctores seculares ab universitate resecuissent doctores Dominicanos et Minores, quia ordinationes ab ipsis factas acceptare detrectaverant. Multa hinc orta sunt dissidia, incommoda multa, quæ commemorare non lubet, quod vix, aut ne vix quidem ad* Ludovicum *spectent. Auctoritate enim regia numquam uti voluit ad rem decidendam, quam ad tribunal ecclesiasticum pertinere judicabat. Quapropter ea solum referam, quæ facta per Regem constat ad dissidium componendum. Habemus illa apud Bulæum in Historia universitatis Parisiensis tom. 3 pag. 295, ubi hæc scribit :* Cum itaque vehementes hinc inde conciones, et contentiones non modo studium Parisiense, sed civitatis quoque ipsius quietem turbarent, Ludovicus Rex Christianissimus, qui viros doctos impense amabat, licet Romanæ Sedi plurimum in omnibus deferret, conatus est litem componere. Et commode factum est, quod tunc Lutetiæ synodus celebraretur ecclesiæ Gallicanæ, cui præsedit Henricus Senonensis; interfuerunt vero Reginaldus Parisiensis, Guido Autissiodorensis, Nicolaus Trecensis, Alelmus F Meldensis. Præcipua synodi causa erat cædes R. bonæ memoriæ cantoris Carnotensis : in eadem negotium academiæ Parisiensis propositum est et agitatum. Omnes autem prælati in idem consilium convenerunt, effeceruntque ut ambæ partes de arbitris convenirent.

curat per arbitros componendam:

872 Ergo communi suffragio delecti sunt Philippus Bituricensis archiepiscopus, vir magnæ pietatis et authoritatis, qui post mortem inter cælites relatus est, Thomas Rhemensis, Henricus Senonensis, et Odo Rothomagensis cognomento Rigault; optimi viri, graves et spectabiles, quorum primus, nempe Bituricensis, erat quidem Dominicanis addictissimus, sed æquitatis amantissimus. Illi igitur die dicta jusserunt utriusque partis procuratores suas causas agere. Dominicani conquesti sunt, se a consortio universitatis ejectos, duabus cathedris theologicis, quas diu ante possederant, iniquo magistrorum edicto privatos. Hæc præcipua fuerunt postulationis capita. Alia quoque adjecerunt, quod magistri et scholares juramento se adstrinxissent nunquam passuros, ut mendicantes in uni-

A universitatis gremium admitterentur, quod contra paupertatem et mendicitatem prædicassent, uno verbo quod multis injuriis et opprobriis ab iis vexati fuissent. Hæc autem omnia scripto quoque tradiderunt. Contra academici per M. Guilielmum de S. Amore, causas rejectionis ejusmodi hominum exponunt, et prætcrea conqueruntur quod Papalibus censuris per Dominicanos vexati fuissent; postulantque uti ipsi eas quam primum curent revocari. Et suas quoque illi rationes et defensionis capita scripto tradunt, quæ supra retulimus, quæ quia visa sunt Dominicanis injuriosa, ea inter accusationis præcipuos articulos apud D. Papam reposuerunt; ut in responsionibus ad objecta patebit.

verum ea deinde recrudescente,

873 Auditis ergo partibus et inspectis diligenter rationibus, prædicti arbitri pro bono pacis duas cathedras magistrales Dominicanis concesserunt: in perpetuum vero a societate academica eos excluserunt, nisi tamen aliter placeret academicis; idque consentientibus tandem utriusque partis animis constituerunt, ut constat ex instrumento publico ad perpetuam hujusce concordiæ B memoriam confecto, die Martii anni MCCLV more Gal., sed more Rom. an. MCCLVI. *Instrumentum pacis, quod subdit, ibidem videre poterit curiosus lector, ubi omnia fusius inveniet explicata, recteque ad pacem conservandam ordinata. Attamen non diu tenuit hæc concordia, discordia vero recruduit vehementius quam ante. Productus enim fuit libellus quidam revera perniciosus, quem B. Joannis Parmensis, ministri generalis Ordinis Minorum, fœtum esse dictitabant academici, quamvis majores nostri tom.* III *Martii pag. 65 id ex moribus et vita B. Joannis, ut alia deessent omnia, satis refutari existimaverint. Contra hunc libellum, ipsosque Ordines mendicantes, libellus* de periculis novissimorum temporum *in lucem emissus est, a Guilielmo de S. Amore conscriptus. Præterea Alexander Pontifex compositionem prædictam rescidit, ut vi aut metu extortam per litteras a Bulæo datas pag. 307.*

Alexander Pontifex, damnatis libellis famosis,

C 874 *Idem Pontifex litteris ad* Ludovicum *datis* V *Kalendas Julii, apud Bulæum pag. 306, post expositas contra adversantes mendicantibus doctores querelas suas, Regem rogat, ut doctores quatuor regno ejiciat, duosque ex iis, videlicet* Guilielmum de S. Amore, et Christianum canonicum Belvacensem, *si videretur, carceri tantisper mandandos curet, nisi statuta sua observare voluerint. At* Ludovicus, *quantumvis mendicantibus faveret, cum videret inde imminere periculum, ne studia alio transferrentur, mitius adhuc agendum censuit :* et propter.. sedandam et pacificandam *discordiam,* misit . . . duos ad Romanam curiam clericos, ut per dominum Papam finem debitum sortiretur, *ut scribit Nangius pag. 361. Nec hoc tantum, sed famosum quoque libellum illum contra mendicantes compositum damnandum curavit. Hinc illi gratiæ a Pontifice actæ, quod pauperes Christi suscepisset protegendos, non sine insigni virtutum ejus elogio. Litteras has Alexandri,* XVI *Kal. Novemb. datas, edidit Bulæus pag. 312, ex quibus pauca huc transfero in rem nostram :* Sane, *inquit,* dilectos filios MM. Joannem et Petrum clericos et nuncios tuos, quos ad Sedem apostolicam destinasti, affectuose recepimus; in his, quæ proposuerunt et petierunt ex parte tua pro eisdem fratribus, benigne ipsos audire curavimus, et efficaciter exaudire. Et ecce libellum illum perniciosum et detestabilem, quem quidam sacræ Scripturæ intelligentiam sese habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, contra Christi pauperes, vitæ suæ subsidia salubriter mendicantes, componere præsumpserunt, delatum ad nos per eosdem nuncios, tanquam iniquum, scelestum, et execrabilem, et instructiones ac documenta in eo tradita, utpote prava et falsa et nefaria, de fratrum nostrorum consilio authoritate Apostolica, præsente magna fidelium multitudine, reprobanda duximus et in perpetuum condemnanda. *Plura subdit, quibus præfatum libellum abolendum curavit; bulla autem, qua ille damnatus fuit, exstat apud Cherubinum tom. 1 Bullarii pag. 80.*

AUCTORE J. S.

exsilioque ad postulationem Regis Guilielmo de S. Amore indicto,

875 *Deinde, abolito etiam clanculum libello, quem B. Joanni Parmensi perperam tributum diximus; profectisque ad Pontificem quatuor præcipuis mendicantium adversariis; cum tres ex iis tandem se voluntati Pontificis accommodassent, librumque Guilielmi de S. Amore condemnassent, solus Guilielmus pertinaciter refragatus est. Quapropter Alexander ingressum regni Galliæ dicto Guilielmo inhibuit, quod* E *etiam rogante Rege factum testatur : adhæc prædicandi, docendique facultatem illi ademit, ut in litteris ad Regem,* III *Idus Augusti anni 1257 datis, refert hoc modo :* Districte dedimus litteris in præceptis, ut nullo unquam tempore regnum Franciæ intrare præsumat, et nihilominus omnem docendi ac prædicandi sibi authoritate Apostolica perpetuo interdiximus facultatem. Ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero vel populo de cætero audeat prædicare. Cum igitur nos celsitudo Regia rogaverit, sicut a tua credimus memoria non elapsum, ut eidem Guilelmo prædicti regni interdiceremus ingressum, et nos hoc... faciendum duxerimus, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus præfatum Guillelmum regnum ipsum intrare nullatenus patiaris. *Non defuit voluntati Pontificis Rex sanctus; at ne sic quidem concordia continuo coaluit. Etenim, tametsi S. Thomas Aquinas, et S. Bonaventura, jubente Alexandro, jam cathedra magistrali donati essent; non desinebat tamen Guilielmus de S. Amore per litteras academicorum animos contra mendicantes exacerbare, ex quo fiebat, ut non paucæ iis inferren-* F *tur injuriæ.*

severis mandatis pacem reducit, Ludovico manum

876 *Tandem anno 1259 Alexander, ut incommoda hæc amputaret, sub pœna excommunicationis omne litterarum commercium cum Guilielmo interdixit, libellum ejus comburi jussit, voluitque ut nullus deinceps a mendicantibus se segregaret. Quæ, aliaque ad concordiam integre stabiliendam ordinata, in ipsius litteris reperies apud Bulæum pag. 351 et seqq. Quorum omnium exsecutionem episcopo demandatam,* S. Ludovico *commendavit litteris apud Bulæum pag. 355, ex quibus elucescit, quo se modo in hisce turbis gesserit Sanctus, quantaque promptitudine summi Pontificis votis obsequeretur. Quapropter eas hic exhibeo :* Dum apostolicæ Sedis sermones, et scripta ea promptitudine, quoties tuæ Celsitudini mittuntur, assumis, ut videaris in illis eum, cujus in terris vices, licet immeriti, gerimus, intueri : expendis utique latius animadvertendum cæteris Christianissimæ devotionis exemplar, quod palam semper effulsit, et in excelso throno benedicti a Domino regni tui. Hinc nobis et Ecclesiæ Christi accessit assidue materia spiritualis exultationis et lau-

Auctore J. S.

laudis. Hinc quoque in pressuris, quas eadem Ecclesia inter fluctuosos mundi hujus impetus extrinsecus inquieta perpetitur, refrigerium percepit internæ consolationis et pacis. Sane quamvis experimentorum testimonia de tuarum nos lætificantia incremento virtutum, quas sublimis venustat humilitas, jugiter increbrescant, hoc tamen nunc inter bona tua lætanter et gratanter accepimus, quod ad favorem Regium contra Parisiensis studii turbatores viris pacificis, sapientiæ otia studiosa censentibus, impendendum preces, et exhortationes Apostolicæ te pronum et benevolum invenerunt.

porrigente auxiliatricem.

877 Super quo Serenitati tuæ gratiarum exsolvimus actiones. Cum autem venerabili fratri nostro episcopo Parisiensi contra turbatores eosdem diversa mandata dederimus, in quibus exequendis ipsum oportet Regalis potentiæ brachio adjuvari, Celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus eidem episcopo ad compescendum et puniendum illos, prout expedire cognoverit, dexteram traditæ tibi divinitus potestatis accommodes, quotiens fueris requisitus, ut tuo munimine inter inquietos innocens pacificorum tranquillitas muniatur, cupientium studiis vacare prudentiæ tuta convalescat utilitas, et exinde apud Deum tuorum crescat cumulus meritorum. Datum Anagniæ Idib. Jul. Pontif. nostri an. v, *id est Christi 1259. Ita tandem, mandante Pontifice, episcopo exsequente, Rege manum ad omnia auxiliatricem præbente, pax postliminio revocata, acceptique ad societatem academicam mendicantes, infimo tamen Dominicanis loco assignato. Res peracta sub initium anni 1260, ut videre licet in litteris universitatis apud Bulæum pag. 356. Ceterum in tota hac controversia animadvertere licet miram* S. Ludovici *erga Christi Vicarium observantiam cum insigni religione non lædendi jurisdictionem ecclesiasticam. Nec ullus mirabitur, quod plusculum causæ mendicantium favere visus sit, qui utriusque partis defensores, agendique modum attente consideraverit.*

§ LXIX. Anno 1260 hospitium Parisiis trecentis cæcis structum et dotatum : valetudinarium ibidem auctum : restitutiones continuatæ, cura de convertendis hæreticis : varia a Pontifice impetrata contra clericos flagitiosos et negotiatores : duella lege prohibita : spina donata, corpus S. Bargæ acceptum.

Domum amplam fundat Parisiis, dotatque trecentis cæcis :

Quod spectat ad reliqua hujus anni gesta, primo loco commemorandam duxi insignem prorsus fundationem valetudinarii cæcorum Parisiis, quod illa jam aliquot annis cœpta, hoc demum anno ad finem fuerit perducta. Gaufridus in Vita num. 30 magnam domum *vocat,* ubi plusquam trecenti quinquaginta cæci pauperes commorantur. *Joinvillius num. 250, et Vita secunda num. 93 trecentis cæcis hanc domum exstructam scribunt, quam Galli passim vocant* Quinze-vingts, *a numero trecentorum; adeo ut pauciores trecentis in ea domo commorari noluerit, licet in illa aliquando plures fuisse videantur ex Gaufrido. Templum item seu sacellum in usum cæcorum exstructum, et cum domum, tum templum Regis liberalitate censibus instructum, testatur Vita secunda loco assignato. Primas hujus fundationis litteras nullibi inveni : at litteras Alexandri Pontificis, quibus in dedicatione ecclesiæ, S. Remigio sacræ, indulgentias hoc anno concedit, exhibet Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus pag. 969. Binas item* S. Ludovici *recitat Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 446 et 447; alteras, quibus presbyterum dicto sacello præficit assignatis reditibus; alteras ad domum ipsam liberandam onere persolvendi episcopo Parisiensi censum quemdam annuum, quod valetudinarium in ejus dominio esset ædificatum.*

auget postea camdem fundationem, cujus occasione fabella quædam conficta :

879 Locus, ubi constructa cæcorum domus est, *ait laudatus du Bois pag. 446,* tunc temporis erat extra portam sancti Honorati juxta locum, ubi lateres coquebantur, qui in chartis illorum temporum propterea Lateritiæ vocatur. *Porro non satis speciosa quibusdam visa est hæc fundatio, nisi eam exornaret fabella, quæ non paucos olim habuit amatores, licet nunc passim rejiciatur, et nullum de ejus falsitate dubium esse possit Acta* S. Ludovici *antiqua sedulo pervolventi. Eam itaque verbis memorati du Bois breviter relatam accipe, et refutatam :* Aiunt hanc *(domum)* exstructam esse a Ludovico Rege, ut hospitium esset trecentis militibus, quibus Sarraceni effoderant oculos : sed de ea re nihil apud illorum temporum scriptores, neque quicquam in regiis, aut aliis quibuscumque litteris reperitur. *Auxit hujusce domus reditus, priusquam ad expeditionem Africanam discederet Sanctus; prout videre est in litteris ejus apud Breulium pag. 971 : datæ hæ leguntur mense Martio anni 1269; atque in iis post novos reditus assignatos hæc subdit :* Insuper volumus et mandamus, quod in domo et congregatione dictorum cæcorum numerus trecentorum pauperum (prout alias ordinavimus) perpetuo observetur : et quod ab eleemosynario nostro, vel hæredis nostri prædicti (quem eleemosynarium ad visitandam loco nostri dictam domum constituimus) quandocumque de dicto numero aliquis defuerit, suppleatur.

auget etiam valetudinarium Parisiense, multasque confirmat eleemosynas :

880 *Valetudinarium etiam Parisiense, cui aliquando mille libras pro eleemosyna una vice concessit, teste Carnotensi num. 27, hoc rursus anno liberalitatem piissimi Regis expertum est. Illius ædificia* magnis sumptibus *amplificata, ipsumque* reditibus *auctum scribit Nangius pag. 368. Consentit Vita secunda num. 94, ubi illud a* Ludovico *extensum dicitur* usque ad parvum pontem. *At tempus non assignant : factum illud anno 1258 vult Gaguinus apud Breulium pag. 74, quod an satis certum sit, mihi non liquet. Quidquid autem sit de tempore aucti valetudinarii; hoc certe anno censum illius iterum auxit Rex sanctus : nam cum eleemosynas largas, tempore Quadragesimæ jam olim dari solitas, firmasset litteris suis apud Chesnium pag. 422; prædictas litteras conservari voluit a præfecto et fratribus valetudinarii; atque exhiberi, ubi opus esset :* Et ut diligentius, *inquit,* et studiosius præsentes litteræ custodiantur ibidem, donamus et

A et concedimus eidem domui, et pauperibus in ea degentibus, decem. libras Paris, annui reditus, percipiendas in perpetuum ab eisdem apud templum Paris. de denariis regiis in initio Quadragesimæ pro quærendis amygdalis et aliis necessariis ad usus pauperum in Quadragesima antedicta. *Unde discimus Sanctum non modo largum fuisse in donando et munificum, sed muneribus quoque curasse, ut ne munera sua quorumdam negligentia aliquando interciderent. Quam autem insignis fuerit annua hæc Quadragesimæ eleemosyna, quam ad tria circiter millia librarum ascendisse ait Gaufridus num. 30, latius videri potest in assignato apud Chesnium instrumento.*

restitutiones continuat, atque animarum et corporum simul curam gerit:

881 *Restitutiones interim Regis, quas dudum cœptas vidimus, necdum cessabant; præsertim in Occitania, ubi propter leges severas, primis* Ludovici *temporibus contra hæreticos latas, multi bonis suis fuerant spoliati. Necessariæ quidem fuerant leges illæ grassante hæresi; verum, sublato jam periculo, pius miserorum Pater voluit, ut in bona sua restituerentur, quotquot inveniebantur neque noto crimine indigni illa* B *gratia, nec condemnati, nec fugitivi; exceptis tamen iis, qui arma adversus ipsum gestaverant. Quæ se facere dicebat, ut legum illarum severitatem utcumque mitigaret; addens tamen se nolle, ut quis pro lege acciperet, quod unice faciebat ad majorem conscientiæ suæ securitatem. Hæc paullo fusius apud Chaizium pag 380 relata leguntur; ubi pag. 382 additur, Regem eodem tempore curavisse, ut per religiosos ad id destinatos fidei mysteriis imbuerentur, infantesque orphani aut relicti salutaribus baptismi undis abluerentur : ac demum ut ne infantibus illis aut adultis etiam conversis vel necessaria ad victum, vel ad sufficientem instructionem deessent,* ita ut urbes quælibet Franciæ, *inquit Chaizius*, infantibus his baptizatis, atque his conversis essent plenæ.

varia obtinet a Pontifice ad coercendos clericos flagitiosos, uxoratos, negotiatores:

882 *Dum tanto studio subditorum suorum corporibus prospicit atque animabus, mala etiam quælibet regno suo exterminare conatus est. Dolebat crimina non pauca committi a clericis quibusdam, qui nihil minus agebant, quam quod sancta ab eis exigebat professio. Verum, ut erat religiosissimus in servanda jurisdictione ecclesiastica,* C *promptum ei non erat his malis adhibere remedium. Quapropter summum Pontificem interpellare voluit, ne exemptio clericorum flagitia nutriret : quid autem postulaverit, colligere utcumque poterimus ex scriptis hac de re ab Alexandro epistolis, quas in Spicilegio Acherii editas habemus tom. 3 pag. 634. Prima autem epistola, ad Regem data Pridie Idus Januarii, concedit ut Rex non incurrat excommunicationis sententiam, si clericos flagitiosos capiendos curet, ad mandatum Ecclesiæ foro ecclesiastico reddendos. Alia deinde epistola, ad Franciæ antistites data 2 Kalendas Februarii, hæc mandat :* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Regis Franciæ illustris fuit propositum coram nobis, quod nonnulli clerici bigami, et viduarum mariti, et alii etiam clerici uxorati regni sui, diversa maleficia committere non verentur, quæ oculos divinæ Majestatis offendunt, et homines scandalizant. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non impediatis quominus idem Rex, comites, et barones ipsius regni, sub quorum jurisdictione malefactores ipsi consistunt, ipsos in enormibus dumtaxat criminibus deprehensos, quæ sanguinis pœnam mereantur, eis primitus clericali gradu prima ratione privatis, puniant, secundum quod justitia suadebit, et consuetudine contraria non obstante. *Tertia demum epistola, eodem anno data* III *Kalendas Augusti, vetat Pontifex, ne antistites defendant clericos negotiatores, si illi tertio moniti, a negotiatione non desisterent.* AUCTORE J. S.

usum duellorum, antiqua consuetudine roboratum,

883 *Hæc ad abusus tollendos cum Pontifice* S. Ludovicus, *qui abusum longe gravissimum duellorum in tota ditione sua per se sustulit; quo facto æternam sane meritus est nominis sui commendationem, laudemque tanto majorem, quanto malum magis erat inveteratum, longoque usu roboratum. Cangius in Glossario deinde aucto ad vocem* duellum *multa de hoc abusu docet, ex quo pauca juvabit ad rei elucidationem decerpere.* Duellum *ita describit :* Monomachia, seu singulare certamen, quo ambiguæ disceptationes dirimebantur, quæ ordinario judicio terminari non poterant. *Addit descriptionem aliam Joannis de Lyniano, qua plures duelli species comprehenduntur, his verbis conceptam :* Pugna corporalis deliberata hinc inde duorum, ad purgationem, gloriam, vel odii aggregationem. E *Duellum, qao dirimebantur controversiæ, aupopulis Septemtrionalibus fluxisse, cum vera fide nondum erant imbuti, colliges ibidem ex Cangio, ubi illos* armis decernere lites suas solitos fuisse *scribit Paterculus : deinde* Apud Strobæum, *inquit,* Umbrici cum controversias inter se habebant, pugnabant armati sicut in bello : et qui suos adversarios interemerant, justiorem causam habuisse videbantur. *Hunc usum apud Francos viguisse usque ad S. Ludovici tempora, certum est, idque legibus et exemplis probatum habemus apud auctorem laudatum, adeo ut nobiles, de crimine accusati, vix aliud subire vellent judicium, ut ante vidimus in causa domini Cociacensis, qui paratum se offerebat ad crimen duello refutandum, assentientibus ei proceribus, contendentibusque pro regni consuetudine non aliud ei subeundum fuisse judicium.*

in tota ditione sua abrogat,

884 *Perniciosissimam hanc consuetudinem, qua noxii non raro scelerum suorum pœnam evadebant, cadebant innoxii, imo utrique mutuis frequenter ruebant vulneribus, resecuit hoc anno Rex prudentissimus, nequidquam eam tuente quorumdam avaritia, neque obstante longo* F *usu, aut voluntate eorum, qui justa hoc modo judicia se vitaturos sperabant. Audi testem omni exceptione majorem, Guilielmum Carnotensem num. 21 :* Monomachiam, *inquit,* quæ bellum dicitur, vel duellum, convocato discretorum et jurisperitorum concilio, . . . intellecto per eos, quod sine peccato mortali exerceri non poterat, cum non videatur esse justitia, sed potius tentatio sit in Deum, de dominio suo penitus exterminari decrevit. *Addit substituta duello ordinata judicia. Hanc autem ordinationem tantum latam fuisse pro ditione regia, insinuant citata verba* de dominio suo, *cum alias dixisset* de regno suo. *Ex quo colligitur, principes vassallos in eam consentire noluisse, aut certe non omnes consensisse : nam Alphonsus Regis frater id saltem subditis suis* Ludovici *exemplo concessit, ut nullus ad duellum cogi posset, cum alioquin accusatus de crimine pro convicto haberetur, si duellum detrectaret. Verba Alphonsi dat Cangius in Glossario citato col. 1676.*

nolentibus id imitari vassallis:

885 *Probat etiam prohibitionem duellorum laudatus Cangius ex Statutis* S. Ludovici *lib. 1, cap. 2,*

AUCTORE J. S.

cap. 2, ubi ea leguntur prohibita: verum examinabimus postea, an statuta illa omnia certo sint S. Ludovici. *Interim subdit auctor in rem nostram:* Sed hæc prohibitio locum habuit tantum in propriis terris, non vero in terris vassallorum. Unde cum prior S. Petri de Monasteriis, qui, in quantum prior, Regem associaverat in sua villa, questus esset, quod regius ballivus duella pariter amovisset ab eadem villa, quia sine assensu suo inde amoveri non debuerant : « Placuit D. Regi, quod si prior teneret ibi duellum, » teneat per ipsum, et totum per proprium » servientem suum, et non per servientem » communem inter ipsum et D. Regem, quia » Rex non vult habere aliquid in duello. Si » tamen ratione duelli committatur terra vel » aliud, voluit D. Rex portionem suam sibi red- » di ratione associationis prædictæ. » Inter Aresta cand. 1260 in 1 Reg. Parl. f. 109. *Addit Chaizius pag. 383, nobilem quemdam petiisse sibi damnum resarciri, quod ex duellis abrogatis patiebatur; nihil tamen ei in curia adjudicatum fuisse. Ex quibus facile colligi potest,* B *Regem suo magis, doctorumque virorum, quam nobilium consilio abusum hunc abrogasse; et consequi non potuisse, ut omnes regni vassalli imitarentur exemplum. Imo ne posteriores quidem reges omnes hanc legem satis curarunt observandam, uti disces ex laudato Cangii Glossario. Verum hinc nihil laudis detrahendum* S. Ludovico, *qui roboratum antiquis legibus abusum lege lata abrogavit, legemque suam curavit observandam. Tandem perniciosam consuetudinem, invitis etiam legibus apud multos perseverantem, gravissima pœna coercuit Ludovicus XIV magna nominis sui gloria.*

spinam donat B. Bartholomæo episcopo Vicentino;

886 *Hoc item anno egregius proborum virorum Amator B. Bartholomæum de Bragantiis sacro honoravit munere, uti ipse Bartholomæus, Vicentinus in Italia episcopus, narrat apud Ughellum in Italia sacra tom. 15, col. 1052 editionis postremæ, ex quo ea huc transfero, quæ occasionem muneris, ipsumque munus docent, una cum insigni piissimi Regis erga viros pios humanitate :* Post hæc, *inquit*, Rex Christianissimus cum regina et fere tota domo regia christianæ C religionis amore mare transiit tempore, quo nobis licet indignis Nemovicensis * civitatis, quæ in regno Cypri est, pontificatum apostolica Sedes contulit. Navigantes vero in Syriam, Regem, atque reginam visitavimus, et in Joppe, atque in Sydone, et ultimo in Acone benignissime ab eis recepti fuimus, et tanto amore dilecti, ut in Francia profecturi nos instanter rogarent, quod eos Parisiis visitare curaremus, spem nobis tribuentes, quod ibidem sacra Dei nobis communicarent. Cum igitur de regno Angliæ, quo pro fidei negotiis profecti eramus, cum ipso rege Angliæ pariter et regina Parisios venissemus, spes nostra desideratum suscepit effectum. Nam piissimus Rex Francorum de spinea Domini corona spinam unam excludi fecit, et nobis, Regio flexo poplite, nostris ex opposito flexis genibus, devotus obtulit, et de suis sacris Regiis manibus manus pontificales ditavit. Quid ultra? Dilectionis osculo dato pariter et accepto, mutua recommendatione facta hinc et inde, nos abire permisit. *Hisce subdit quo modo sacram spinam Vicentiam detulerit, atque in structo ibidem Prædicatoribus templo deposuerit.*

* i. e. Limissonis

887 *Qui sacra hujusmodi munera liberaliter viris piis suique similibus largiebatur, ea quoque cupide ambiebat, et postulabat ab aliis : ita hoc anno accepit corpus unius e virginibus, quæ cum S. Ursula martyrii coronam sunt adeptæ. Exstat hac de re testimonium Conradi archiepiscopi Coloniensis, datum hoc anno* XIV *Kalendas Julii, apud Martenium tom. 1 Anecdotorum col. 1108, ex quo lector munus cognoscet manifestius :* Cum præsens corpus, *inquit*, in scrinio præsenti conclusum magnifico et illustri domino Ludovico Regi Francorum, juxta ejus desiderium, duxerimus de nostris partibus transmittendum, ne ipsum Dominum lateat, sed tam ei quam cunctis sanctæ fidei professoribus innotescat, cujus hoc corpus fuerit martyris, in quo certa martyrii signa, et passionis apparent indicia, notum esse cupimus universis, quod corpus istud ejusdem eximiæ et sanctæ virginis extitit, quæ Berga proprio nomine vocabatur, natione Britannica, nata cujusdam comitis illustris; et de illarum sanctarum exercitu virginum, quæ undecim millia numero, prout habet illarum historia, extiterunt, et sui apud Coloniam passionem et palmam martyrii susceperunt : et E cum per divinam revelationem effossum de tumba fuerit ejus corpus, et habitum veneratione maxima, ac in sacrario monasterii Tuitiensis monachorum Ordinis S. Benedicti reconditum multis annis, ipsum corpus in medio ignium, eo guerræ tempore, quo diebus nostris ipsum monasterium totum fuit incendio concrematum, mansit, ut Domino suo operanti miraculum placuit, incombustum. *Ita Conradus archiepiscopus, de quo vide Galliam Christianam novissimæ editionis tom. 3, col. 691 et seqq.*

D *accipit corpus S. Bergæ.*

§ LXX. Anno 1261 concilium episcoporum et principum ob Tartarorum progressus, in quo varia pie decreta Regis voluntate : eleemosynæ mulieribus leprosis confirmatæ et auctæ : fundatio Trinitariorum; virginum Ordinis Prædicatorum, et Saccitarum : pietas in Sanctos : obtenta a Pontifice beneficia cum elogio. F

Concilium metu Tartarorum, hortante Pontifice, convocat.

I*nitio anni 1261* Ludovicus *pro consuetudine sua senatum supremum congregavit, in quos quædam regni negotia ordinata refert Chaizius pag. 386. Hisce autem finitis, non modo proceres regni, sed episcopos quoque convocavit sacro quadragenarii jejunii tempore ad deliberandum cum iis de modo Tartarorum progressus sistendi : hi enim arma victricia per Orientem late circumferebant, et Christiano orbi metum incusserant non levem. Scripserat de his Alexander Pontifex ad archiepiscopum Burdigalensem, hortatus ut episcopos provinciæ suæ convocaret ad concilium, cumque iis deliberaret, quibus modis Tartaris resisteretur, non in Palæstina solum, verum in Hungaria quoque atque Polonia, quibus iterum imminebant, ut per regna illa ad alias Christianorum provincias gradum facerent.*

A *facerent. Exstat illa Alexandri epistola apud Martenium tom. 7 Collectionis amplissimæ col. 168 : cui similem ad Regem exaratam fuisse auctor est Nangius mox citandus; unde verisimile est, ad alios quoque archiepiscopos litteras hujusmodi fuisse datas. Hisce notatis, Nangium, qui more suo comitia innectit anno 1260, quia ante Pascha sunt habita, loquentem audiamus :* Anno Domini MCCLX Dominica in Passione congregavit Rex Franciæ Ludovicus Parisius concilium episcoporum et principum regni sui, eo quod dominus Papa scripsisset ei, Tartaros in transmarinis partibus irruisse, Sarracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, et Damascum, Alapiam, et terras alias subjugasse, et tam Acconi civitati, quam toti Christianitati periculum imminere. *Quæ de subjugatione Armeniæ, Antiochiæ, et Tripolis dicuntur, ita intelligenda; quod rex Armeniæ, et princeps Antiochiæ, cujus etiam erat Tripolis, se sponte vectigales fecerint Tartaris, ut recte monet Raynaldus ad annum 1260 num. 35, perperam tamen eidem anno comitia hæc innectens, nam* B *habita esse anno 1261 patet ex litteris Pontificis supra dictis apud Martenium, non nisi sub finem anni 1260 datis.*

in quo multa pie statuta ad divinam iracundiam placandam,

889 *At cum reliqui * Christiani superbum Tartarorum jugum accipere nollent, amicitia dictorum principum cum Tartaris nihil eis videbatur profutura, quod Tartari Christianos omnes sibi vellent subjectos. Itaque audiamus, quid in dictis comitiis contra hos terrores statutum referat laudatus Nangius :* Unde, *inquit,* ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, et blasphemiis in Deum puniendis, peccatis et superfluitatibus cibariorum ac vestium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt usque ad biennium torneamenta, et injunctum est, quod non luderetur aliis ludis, nisi quod homines se exercerent in arcubus et balistis. *Sic ille breviter. Quæ paullo fusius, auctiusque relata leguntur in epistola responsoria concilii Burdigalensis ad Alexandrum Pontificem, apud laudatum supra Martenium col. 170 et seqq., ex qua brevitatis causa tantum subjungam, quæ a Nangio fuere prætermissa. In primis igitur respondent de subsidio, quod rogaverat Alexander, nihil in illo conventu communi consilio statui* C *potuisse :* Licet, *inquiunt,* dominus Rex Francorum institerit fidelissime, ut omnes uno spiritu onus hujusmodi subiremus.... Propter quod domino Regi placuit, quod nos et ipsi infra quindenam Pentecostes ad ipsius præsentiam redeamus, et speratur quod tunc, domino concedente, tractatus laudabiliter et utiliter inchoatus, laudabilius et utilius consummetur. *Attamen ne tunc quidem aliquid de subsidio videtur statutum. Rationem fuisse opinor, quod periculum a Tartaris cessare videretur, ut jam a multis dicebatur in hisce comitiis, ac revera Tartaros ingenti strage superatos a Bela Hungariæ rege ad annum 1261 num. 4 habet Raynaldus.*

et Tartaris resistendum; inductaque petente Rege consvetudo pia :

890 Prospeximus etiam, *inquiunt episcopi,* quod omnes Christiani, cujuscumque conditionis vel dignitatis existant, qui fidem Christianam irritam facientes, confœderati sunt, vel confœderabuntur Tartaris antedictis, pœnis illis subdantur in personis et rebus ac eorum heredibus, quas jura contra hæreticos statuerunt... Item extitit ordinatum...., quod omnes villæ, sive castra, vel etiam firmitates *, arma habeant et necessaria ad pugnandum... Voluit dominus Rex et petiit a prælatis, ne figura crucis poneretur in tumulis, neque in aliis locis, ubi posset aliquatenus inhonorari vel etiam deturpari. Petiit etiam a prælatis, quod in ecclesiis seu locis aliis facerent nuntiari, quod in passione Domini, ubi ejusdem transitus nuntiatur, presbyteri, plebes, et clerici genua flectant, ob reverentiam tanti benficii, nobis a Deo collati, et gratiarum multimodas actiones. *Viderat Rex piissimus, teste Gaufrido num. 55, id in monasteriis quibusdam observari, voluitque ut in sacello suo similiter observaretur; quin et auctor fuit Prædicatoribus, ut in Ordine suo pium hunc ritum statuerent observandum. Unde piam consuetudinem flectendi genua, dum in passione mors Domini legitur, paulatim invaluisse suspicor, ita ut tandem post aliquot secula Romano Missali sit additas ad marginem, ubi antea non habebatur. Ceterum, an plura statuta sint in conventu indicto post Pentecostem, non memorant auctores : pecuniam tamen a Rege in Palæstinam ad subsidium Christianorum missam, ex antiquis instrumentis refert Chaizius pag. 390. Porro ut statuta in hoc concilio de sumptibus nimiis amputandis suo exemplo doceret observanda Rex sanctus, hospitii sui et familiæ regiæ sumptus nova ordinatione, mense Augusto hujus anni facta, moderatus est, uti curiosus lector inveniet in Observationibus Cangii ad Historiam* S. Ludovici *pag. 108 et seqq.* E

* i. e. loca munita

Auctore J. S.

confirmat et auget eleemosynas mulieribus leprosis; fundat monasterium Trinitariis;

891 *Hæc ad pietatem in regno suo alendam, malaque exterminanda hoc anno* S. Ludovicus, *qui eumdem variis quoque liberalitatis regiæ illustravit monumentis : nam eodem mense Aprili multas eleemosynas, mulieribus leprosis de Salceia prope Lutetiam antecessorum suorum liberalitate concessas, quæ partim authenticis instrumentis roboratæ erant, partim iis destitutæ, litteris suis confirmavit in perpetuum, adjectoque cumulo amplificavit, uti videre est in eisdem litteris apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 636, quæ datæ leguntur anno 1260 mense Aprili, quod ambiguum esset, huncne an præcedentem annum designaret, cum initium anni, seu Pascha, in* XXIV *Aprilis incideret, nisi adjunctus tricesimus quintus regni annus doceret, intelligendum esse annum 1261. Aliud regiæ pietatis monumentum refert Bonaventura Baro, in Annalibus Ordinis sanctissimæ Trinitatis ad hunc annum num. 3 ita scribens :* Religioni sanctissimæ Trinitatis attulit hic annus insigne domicilium, dignum dante, qui fuit Ludovicus IX Rex Franciæ; hic enim illi erexit monasterium de Mauritania, (vulgo de Mortana) diœcesis Sagrensis, divo Eligio dicatum, et ab ipso fundatore annuis reditibus ac privilegiis nobilitatum. F

virginibus Ordinis Prædicatorum Rotomagi :

892 *Monasterium S. Matthæi juxta Rotomagum a* Ludovico *ædificatum, reditibusque sufficientibus instructum, atque in eo collocatas sorores circiter quadraginta Ordinis Prædicatorum, auctor est Gaufridus num. 29, cui consentiunt alii biographi, anno tamen fundationis prætermisso. Verum huic anno illigandam hanc fundationem, aut certe hoc anno cœptam, suadent ea, quæ Pommerayus in Historia archiepiscoporum Rotomagensium habet pag. 479. Ibi enim narrat archiepiscopum Rotomagensem domum S. Matthæi in suburbio Rotomagensi Regi vendidisse anno 1261, eamque ab eodem religiosis S. Dominici donatam, ac deinde sororibus ejusdem Ordinis concessam. Porro quod ait de*

domo

AUCTORE J. S.

domo primum viris donata, an satis solidum sit, ignoro; apud biographos certe invenio ex illa domo monasterium sacris virginibus structum, nulla religiosorum mentione facta. Quod autem fundatio huic anno sit innectenda, consequi videtur ex domo cum in finem empta; licet inde certum non fiat, omnia hoc anno fuisse absoluta; imo verisimilius putem ea etiam, quæ sequenti anno Rebem ab eodem archiepiscopo emisse dicit pag. 480, eidem fundationi fuisse impensa.

et Saccitis,

893 *Præterea fundavit sub finem hujus anni monasterium fratrum Ordinis de pœnitentia Jesu Christi, quos item fratres* de Saccis, *seu* Saccitas, *et* Saccarios *nominatos reperias. Litteras hujus fundationis edidit Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus pag. 552, in quibus ita loquitur Sanctus :* Concessimus fratribus de Ordine pœnitentiæ Jesu Christi domum quamdam ad inhabitandum, sitam Parisius in parrochia S. Andreæ de Arsiciis, cum ejus pertinentiis : ut in eadem domo (si de voluntate, et ordinatione dilecti et fidelis nostri episcopi Parisiensis B procederet, et presbyteri parrochialis sancti Andreæ, nec non abbatis et conventus sancti Germani de Pratis Parisius consensus adesset) ecclesiam et cimeterium ædificare vellent. Sed ne forte in posterum ex adventu, et remanentia dictorum fratrum, quantum ad oblationes, obventiones, et alia jura parrochialia parrochialis presbyter assereret se esse gravatum : nos in recompensationem prædictorum, de assensu presbyteri parrochialis, qui nunc est, eidem, et successoribus suis in perpetuum concedimus septuaginta solidos Parisienses singulis annis *etc.* Datum Parisius anno Domini MCCLXI mense Novembri. *Hæ litteræ non modo palam faciunt, quam benignus erga religiosos quoslibet esset Sanctus, sed declarant etiam quantopere caveret, ne cuiquam ecclesiæ fraudi esset liberalitas sua. Auxit habitationem dictorum fratrum post biennium, empto vicino fundo centum libris Parisiensibus, ut docent litteræ abbatis S. Germani ibidem pag. 553. Iisdem etiam fratribus domum fundatam Cadomi, scribit illustrissimus Huetius in Originibus Cadomensibus pag. 243 : nec est cur viro* C *erudito hac in re fidem non habeamus, licet non omnia admittenda videantur, quæ de fratribus illis adjungit. Helyotus tom. 3 Ordinum religiosorum pag. 176 in urbe etiam Pictaviensi domicilium iis procuratum a* S. Ludovico *narrat : at cum auctorem non alleget, et Alphonsus* Ludovici *frater ibidem rerum potiretur, monasterium Saccitarum Pictaviense fundationibus sancti Regis annumerare non ausim hactenus.*

de quorum Ordine notantur aliqua.

894 *Porro Saccitæ, licet seculo* XIII *sparsi fuerint per Galliam, Italiam, Belgium; Hispaniam quoque, Angliam, et Palæstinam penetrarint, ut constat ex auctoribus variis, obscuram tamen sui reliquerunt memoriam, quod eodem seculo nati, eodem fere fuerint extincti. Instituti certo fuerunt post concilium Lateranense IV, seu annum 1215 : mendicato vixerunt, ideoque per Gregorium X in concilio Lugdunensi* II *can. 23 Ordinem ulterius propagare vetiti. Docet hæc omnia Bonifacius VIII, apud Joannem Marquez in Origine Ordinis Eremitarum S. Augustini pag. 305, his verbis :* Licet autem dictus Ordo fratrum pœnitentiæ Jesu Christi post generale concilium institutus, per Sedem apostolicam confirmatus fuisse dicatur, est tamen de illis, quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones habere, regulæ D seu constitutiones propriæ interdicunt, sed eisdem fratribus victum per quæstum publicum solet incerta mendicitas ministrare. Verum etiam felicis recordationis Gregorius Papa X prædecessor noster, statuit in concilio Lugdunensi, ut professoribus talium Ordinum sic liceret remanere, si vellent, ut nullum ex tunc ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum, aut aliquem locum adquirerent. *Hæc ratio extincti Ordinis, non morum dissolutio, ut perperam divinando scripserunt recentiores aliqui. Illum autem exortum prope Massiliam per fratrem quemdam Danielem Ordinis Prædicatorum, habet Celsus Falconius in Memoriis Bononiensibus lib. 3, pag. 258. Quod utcumque confirmari potest ex Guesnæo in Annalibus Massiliæ pag. 361, ubi asserit ex tabulario Massiliensi, Saccitas templum ibidem habuisse anno 1235. Accedit Honoratus Bouche in Historia Provinciæ pag. 320, qui ait, caput illius Ordinis Massiliæ sedem habuisse. Ceterum, eorum monasterium Parisiis, deficiente paulatim Ordine, acceperunt anno 1293 Eremitæ Augustiniani,* E *atque etiam hodiedum possident.*

adest translationi S. Luciani ; coronas tres deponit in thesauro S. Dionysii:

895 *Cum liberalitate et munificentia erga membra Christi in terris viventia pietatem erga Sanctos in cælo regnantes* Ludovicum *semper conjunxisse, multa jam docuerunt exempla, multa in sequentibus docebunt. Atque hoc quidem anno, ubi peracta erant Parisiis, quæ supra diximus, inde sub finem Aprilis discessit Bellovacum, ut ipsis Maii Kalendis, seu Dominica prima post Pascha, consueta pietate adesset translationi S. Luciani, aliorumque duorum Sanctorum. Peracta illa est dicta die ab episcopo Bellovacensi et Silvanectensi, ut habet Chaizius pag. 391, assistente sancto Rege cum filio Philippo, ac genero Theobaldo Navarræ rege, aliisque principibus, quos hisce suis exemplis ad pietatem in Sanctos satagebat erudire. Eodem mense Maio coronas duas majores, quibus rex et regina coronari solebant, tertiamque minorem, quam rex die coronationis suæ gestabat in prandio, deposuit in thesauro ecclesiæ S. Dionysii, ut in præcipuis solemnitatibus princeps ara iis exornaretur; sicut docent litteræ Regis apud* F *Doubletium pag. 910, datæ* apud Villam novam in Heiz. *Servabantur antea coronæ illæ in thesauro regio : verum pietas* Ludovici *in patronum suum* S. Dionysium *modum invenit, quo et cultui divino servirent, nec regibus deessent.*

ingentem pecuniæ summam, casu inventam, jubet relinqui fundi domino :

896 *Comitia deinde regni habuit more sibi consueto circa festum Pentecostes, Nativitatis beatæ Virginis, et S. Martini, in quibus ordinata regni negotia. In primis autem insigne continentis animi, atque ab omni cupiditate alieni, præbuit exemplum, quod ex Actis comitiorum refert Chaizius pag. 391 hunc fere in modum. Lochiæ * in provincia Turonensi in domo quadam reædificanda ingens inventa erat pecuniæ summa, de qua cum relatum esset in comitiis, voluit Sanctus, ut pecunia, quæ ad quadraginta librarum millia ascendere dicebatur, relinqueretur fundi domino; nisi per consuetudinem regionis sine ulla dubitationis umbra ad thesaurum regium pertineret : quo casu ante omnia moneri voluit, ut quid sibi agendum esset dispiceret. Adeo Vir sanctus beatius esse existimabat sua aliis donare, quam aliena appetere.*

* Loches

897 *Defuncto Alexandro IV summo Pontifici, quocum magnam* Ludovico *intercessisse necessitudinem*

A *cessitudinem variis patuit exemplis, successit hoc anno Urbanus IV, natione Gallus, ex patriarcha Hierosolymitano electus Pontifex. Hujus autem audita electione,* Ludovicus *confestim humanissimis litteris gratulatus est Pontifici, priusquam Urbani legatos, promotionem nuntiaturos acceperit. Intelligimus id ex ipsis Urbani responsoriis, quas e tenebris erutas luci publicæ exposuit sæpe laudatus Martenius tom. 2 Coll. amp. col. 1252, ex quibus pauca delibare juvabit, ut innotescat quales fuerint modestissimi Regis litteræ :* O Rex inclyte, *inquit,* qui sermonibus, operis promptitudine, matrem revereris Ecclesiam, vita vivens, factus perennis hæreditatis merito particeps, qui maternis beneplacitis filiali gratitudine te conformas. O Regis devotio voce præconis collaudanda, et excellentium meritorum coruscatione conspicua, quæ ut spirituali Patri deserviat, offert humilitatis hostiam semetipsum! Tu quoque carus apostolicæ Sedis alumnus, tu religionis Christianæ cultor eximius, tu amator divini nominis, et regalium virtutum affluentia præditus, in ipsius matris Ecclesiæ dispositione clementer exultas, B unanimem prorsus, et omnimodam gerens tecum ad omnia voluntatem... Perspeximus etiam quod tuarum subsequentia litterarum nos ad solum natalis proprii devotis placidisque supplicibus invitarunt, terram tuam, ut utamur ea velut propria, liberalitate obtulerunt.

gratulatur humanissimis litteris Urbano IV Pontifici electo;

898 *Deinde, post alia quædam, vicissim Regi officia sua defert hunc in modum :* Quæsumus igitur, fili carissime, quod intento suscipiens animo, quæ scribuntur super his, quæ tibi in terris tuis videris profutura, nos promta securitate requiras. Nam Regiæ serenitati se favorabilem in omnibus exhibebit Apostolici favoris et gratiæ plenitudo; te siquidem etiam non petente, proponimus, divina favente clementia, culmina tuæ magnitudinis incrementis felicibus exaltare. *Siciliæ regnum hic tacite* Ludovici *familiæ videtur promittere. Nec segnior fuit in præstando, quam promittendo Urbanus : mox enim varia in Regem, ejusque familiam, congerere studuit beneficia. Imprimis* XII *Kalendas Decembris concessit, ut indulgentias centum dierum cum eo mererentur, quotquot cum ipso sacris concionibus interessent : deinde eodem mense* C *indulgentias unius anni et dierum quadraginta donat* Ludovico, *quoties dedicationi alicujus ecclesiæ assisteret, eamdemque gratiam indulget omnibus, qui cum eo adessent : mense autem sequenti Philippo Regis filio idem concessit privilegium. Litteras hisce de rebus scriptas exhibet Chesnius pag. 418 et seqq. Ubi et alia legitur ejusdem Urbani epistola, qua ille orantibus pro* Ludovico *indulgentias largitur : hanc autem hoc loco juvabit describere, ut intelligat studiosus lector, quæ fuerit hujus Pontificis de Sancto nostro sententia.*

cui Urbanus varia mox indulget beneficia,

899 Serenitatis, *inquit,* regiæ vota præclara sic claris evidentium operum clarent effectibus, quibus sub regio titulo Regi regum fidelis servus votive deservis; sicque fulgentis famæ fulgore præfulgent, quod ad decantandum assidue novum Domino canticum, qui ad sui exaltationem nominis in te magnifica operatur, audientes undique invitentur. Tu siquidem, quem dominantium Dominus multis prætitulavit titulis, inter cæteros regiæ dignitatis participes singularem, non indigne præconiis humanis extolleris, non immerito Rex non minus a laudabili tui regimine, quam a regni solio prædicari singulariter promereris, et juvari devotis et piis Christicolarum intercessionibus, apud bonorum omnium Largitorem : ut ipse qui hujusmodi vota tua benignius aspirat, pius et misericors prosequatur etiam adjuvando : quatenus sic bene cœptis inhæreas, sic insistas, quod idem te post decursa feliciter præsentis vitæ curricula, in dilecta sua tabernacula introducat. Ut igitur universalis Ecclesiæ adjutus suffragiis, id facilius multiplicatis intercessoribus assequaris : nos sperantes firmiter, quod sacrificium tuæ justitiæ Dominus acceptabit, et regiæ magnificentiæ merita, inter quæ velut singulare sidus inradiat singularis, quam ad nos et Romanam geris Ecclesiam, devotionis affectus, paterni favoris et prærogativa dilectionis præcipue prosequentes; universos Christi fideles ad implorandum cotidie pro te Patris æterni gratiam, illectivis retributionibus decrevimus invitandos. Ideoque omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui devotis orationibus divinam pro te misericordiam implorabunt, singulis diebus, quibus apud Deum hujusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, viginti dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii VI Kal. Januar. Pontificatus nostri anno primo. *Ex his item colligas, quam studuerit Sanctus alienas preces impetrare, ac indulgentias promereri.* E

laudes Sancti mire prædicans:

AUCTORE J. S.

900 *Vidimus supra, quantus a Tartarorum violentis irruptionibus orbi Christiano impenderet metus, quæque eorum causa in concilio Parisiensi fuerint statuta. Hisce posteriora videntur, quæ legimus in Compilatione chronologica apud Pistorium tom. 1, pag. 744 his verbis commemorata :* Anno Domini MCCLXI rex Tartarorum misit solemnes nuncios, circiter XXIV nobiles Tartaros cum duobus fratribus Ordinis Prædicatorum, qui essent interpretes linguarum, ad Regem Franciæ Ludewicum, ut et se et totum regnum Franciæ ditioni subjiceret Tartarorum, alioquin regnum Franciæ impugnaret tempore procedente. Quod Rex Ludewicus, habito consilio cum primoribus regni sui, constanter renuit, ipsos tamen nuntios honorifice Parisiis tenuit, et usque ad Papam Alexandrum pacifice remisit. *Rem eamdem memorat Joannes Vito Duranus in Chronico, edito inter Accessiones historicas a Leibnitio, cum discrepantia tamen nonnulla in tempore et numero legatorum; sic enim habet pag. 17 :* Anno Domini MCCLXII rex Tartarorum misit solennes nuntios, circiter XXX nobiles Tartaros, cum duobus fratribus de Ordine Prædicatorum, qui essent interpretes linguarum, ad Regem Franciæ Ludovicum, ut se et totum regnum Franciæ ditioni subjiceret Tartarorum, alioquin Franciam impugnaret tempore procedente. Qui Ludovicus Rex, habito consilio cum primoribus suis in regno, constanter restitit. *Uter horum auctorum tempus rectius designet ambiguum est : nam posterior, etiamsi scripserit ante medium seculi* XIV, *minime accuratus est in tempore designando : prior vero multo est recentior. Unde tempus hujusce legationis incertum relinquo, licet conciliari possent, si diceremus legationem contigisse initio anni 1262, cum Gallis adhuc currebat annus 1261 : verum sic ad Alexandrum mitti non poterant legati, cum ille anno præcedenti esset defunctus. Quapropter visum est hoc factum, tamquam in-* F

legati Tartarorum ad Ludovicum missi, ut eorum imperio se subjiciat.

AUCTORE J. S.

certi temporis sub finem hujus anni commemorare.

§ LXXI. Anno 1262 regnum Siciliæ pro filio oblatum recusat Sanctus : nuptiæ Philippi filii, in quibus Ecclesiæ incolumitati consulit : largissimæ in penuria eleemosynæ : insignis regni et justitiæ cura : translatio corporum 24 martyrum legionis Thebææ, fundatioque prioratus S. Mauritii.

B *Regnum Siciliæ, oblatum a Pontifice pro uno ex filiis,*

Annum *1262 illustrem reddidit* S. Ludovicus *memorando cunctisque principibus imitando continentis animi exemplo : nam regnum Siciliæ, pro filio oblatum, acceptare constanter renuit, docens quanto præstantius sit regem justo ac moderato regimine subditos suos beare, quam eorum sudore et sanguine novis regnis inhiare. Rem paucis explico. Occupaverat, post mortem Frederici II, ejusque filii Conradi, regnum Siciliæ Manfredus, filius nothus Frederici, tenebatque illud invitis Pontificibus, quorum erat feudum. Regnum illud Carolo comiti Andegavensi obtulerat Innocentius IV, dum* Ludovicus *adhuc in Oriente degebat; verum de conditionibus inter eos non convenerat, ut videbis apud Raynaldum ad annum 1253 num. 3. Conditiones a Carolo repudiatus acceptaverat Henricus Angliæ rex pro filio suo Edmundo; sed domesticis impeditus negotiis, exercitum in Italiam ducere non potuerat, prout facere tenebatur, ad regnum filio suo asserendum. Cum igitur, videret Urbanus nihil spei superesse ab Anglis, qui civili implicabantur bello, ad* Ludovicum *recurrit, eique Siciliæ regnum pro filio ipsius aliquo, excepto tamen regni Gallici herede, liberaliter obtulit. At Sanctus Albertum Pon*C*tificis notarium benigne quidem audiit; verum ut regnum pro filio acceptaret, induci non potuit. Causæ illud recusandi exprimuntur in litteris Urbani ad Albertum notarium apud Raynaldum anno 1262 num. 21 : videlicet quod aliqui dicerent Conradinum Conradi filium, ac nepotem Frederici II, jus in illud regnum habere; aut, si ille jure suo exciderat per depositionem Frederici, jus Edmundo Anglo fuisse acquisitum.*

modeste recusat Ludovicus;

902 *Laudat mirifice in dicta epistola Pontifex hanc in Rege conscientiæ puritatem, insignesque ejus virtutes merito extollit encomio : hortatur tamen Albertum, ut hanc ei religionem eximat. Porro exemptum quidem deinde* Ludovico *fuisse hunc scrupulum apparebit, cum postea fratri suo Carolo opem tulerit ad idem regnum acquirendum, ejusque promotioni non obstiterit. Attamen regnum pro filio constanter recusavit, licet id opportunum esse diceret ad opem imperio Constantinopolitano, ac Palæstinæ ferendam. Testis recusati a Rege regni est ipse Urbanus in epistola ad reginam Margaritam data apud Chesnium tom. 5, pag. 869, ubi ita scribit :* Nosti siquidem, filia, quod..... regnum D Siciliæ, quod est ejusdem Ecclesiæ speciale, carissimo in Christo filio nostro Regi Francorum illustri, viro tuo, aliquibus ex communibus natis vestris duximus liberaliter offerendum. Verum ab eodem Rege, tamquam Christianissimo principe, super hoc responso devoto, sed non pro voto, recepto..... ut præfati Regis potentiam, quam velut tutatricem libertatis ecclesiasticæ præcipuam in ipsius nato desiderantes quæsivimus, nec habere juxta desideria nostra potuimus, experiremur saltem propitiam in germano; ad eumdem comitem nostræ deliberationis convertimus aciem, cum ipso super facienda sibi concessione prædicti tractatum de memorati Regis conscientia et beneplacito ineuntes. *Nunc si quis quærat, cur regnum fratri conferri voluerit Sanctus, noluerit filio : vix alia occurret ratio, quam quod fratrem ad illud conquirendum, regendumque magis idoneum censeret, quam filium duodennem, ea enim erat ætate Joannes ejus filius post Philippum natu maximus : adeo non ambitione, sed communi utilitate regebatur Vir sanctissimus.* E

filium matrimonio jungit cum filia regis Aragonum;

903 *Quo autem tempore facta fuerit hæc Caroli promotio, quoque modo in ea se gesserit* S. Ludovicus, *breviter suis locis explicabimus. Nunc vero dicendum, quantopere Manfredum Ecclesiæ causa fuerit aversatus. Filium suum Philippum sponsalitio pacto promiserat filiæ Jacobi Aragoniæ regis, ut vidimus num. 833, nuptiæque hoc anno erant celebrandæ. Verum Aragonius interim affinitatem contraxerat cum Manfredo, dato filio suo illius filiæ marito : hinc* Ludovicus, *veritus ne Aragonius Manfredo opem ferret contra Pontificem, filium suum se daturum negavit, affinitatemque contrahere detrectavit, nisi instrumento authentico declararet Aragonius, se nihil facturum contra Ecclesiam, aut fœdus cum Gallia initum, etiamsi Manfredi filiam filio suo acciperet uxorem. Quo declarationis instrumento dato, multisque episcoporum ac principum testimoniis roborato, ut videre licet apud Chaizium pag. 403, nuptiæ celebratæ sunt. Illas breviter memorat cum aliis Nangius pag. 371 hunc in modum :* Anno Domini MCCLXII Ludovicus Rex Franciæ, congregata circa Pentecosten omni fere nobilitate regni sui apud Claromontem in Avernia, Philippo F filio suo primogenito Ysabellam filiam regis Aragoniæ desponsavit. *Porro hæc verba perperam de sponsalibus intellexit Raynaldus ad hunc annum num. 16 : nam nuptias tunc celebratas, non sponsalia, manifestum est; quod hæc dudum ante fuissent pacta, aliique auctores id clare edicant. Accipe unius Nicolaï Trivetti verba in Chronico ad hunc annum tom. 3 Spicilegii pag. 197 :* Philippus Regis Francorum filius Isabellam filiam regis Aragoniæ uxorem accepit.

accepta ante cautione, Aragonium nihil contra Ecclesiam facturum;

904 *Causa erroris Raynaldo fuit epistola Urbani, ex qua putavit nuptias omnino abruptas, quæ dilatæ tantum fuere, dictaque cum cautione deinde celebratæ. Sic enim ibidem num. 17 scribebat ad Regem Pontifex :* Ipse siquidem nuncius bonus de terra longinqua, de tua, tuorumque incolumitate, ac statu prospero regni tui, nostrum replens animum gaudio, nos et fratres nostros de puritatis tuæ constantia, immensa nimium jucunditate perfudit. Retulit namque, quod licet ad præfati regni quasi partes ultimas accessisses, pro matrimonio inter dilectum filium primogenitum tuum, et dilectam in Christo

sto

A sto filiam, natam charissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum contrahendo, comperto tamen, quod idem rex filiam Manfredi quondam principis Tarentini persecutoris Ecclesiæ manifesti, . . . primogenito suo non sine magna derogatione sui nominis matrimonialiter copularat, omnino ab ipsius matrimonii prosecutione desistens, in spiritu devotionis et solitæ synceritatis abundantia, illud Deo et nobis acceptum non immerito eloquium protulisti; quod nullo modo tuus animus pateretur, te vel tuos alicui, qui se cuiquam inimico, vel persecutori Ecclesiæ qualiscumque obligationis vinculo astrinxisset, alicujus affinitatis fœdere copulari. *Hæc, aliaque Urbanus de prima Regis contra nuptias repugnantia : cui deinde celebratæ nuptiæ cum cautione per* Ludovicum *adhibita non minus gratæ esse debebant, imo gratiores; cum Ecclesiæ forent utiliores : per nuptias enim hoc pacto initas opem ferre Manfredo Aragonius prohibebatur, quod factum non fuisset, iis omnino prætermissis.*

B 905 *Quapropter non minus deinde Sanctum nostrum ornare poterat eximio Defensoris Ecclesiæ elogio, quo eum in eadem epistola laudat his verbis :* Lætamur etiam nimium, et non sine causa gaudemus, quod mater Ecclesia in te, quem sui prosecutorem honoris, et libertatis Ecclesiasticæ protectorem assiduum experitur, secura quiescit; nec pateris ipsam aliquibus solicitari molestiis, aut solicitudinibus molestari, ne cujusvis fraudibus ab ejus separeris gremio, vel uberibus abducaris. Digne itaque Petri successor et Vicarius Jesu Christi, teste veritate, fatetur, te singulare suæ fortitudinis brachium : merito, communis assertionis testimonio concurrente, te prædicat incommutabilem Ecclesiæ ac præcipuum defensorem. Sicut enim Petrus, Jacobus, et Joannes a Domino in montem excelsum assumpti, et post transfigurationem ipsius, apparentibus illis Moyse et Helia, tandem voce Patris audita, timentes in faciem ceciderunt, sed tacti, et auditis per ipsum confortationis eloquiis, ne timerent, suos levantes oculos neminem nisi solum Jesum vidisse leguntur; sic nos et prædicti fratres, ingruentibus frequenter diversarum procellarum fluctibus, et multiplicibus turbinibus tempestatum,
C quæ in hujus mundi pelago multoties concutiunt Petri navem, in altitudine cogitationis erecti, levamus in circuiti nostræ considerationis aciem; sed in urgentium necessitatum articulis efficaciter Ecclesiæ assistentem te solum efficaciter intuemur. *Eximia enimvero laus, sed vera.*

qua de causa mirifice laudatur ab Urbano.

906 *Chaizius pag. 408 famem hoc anno fuisse in Normannia scribit. Chronicon vero S. Stephani Cadomensis, inter scriptores Normanniæ apud Chesnium pag. 1021 ita habet :* Anno MCCLXII fuit mors valida in Normannia. *In quibus miseriis, sicut semper largissimus erat Sanctus, totasque provincias recreabat, teste Vita secunda num. 98, ita hoc anno evenisse crediderim, quod tempore penuriæ, in Normannia regnantis, factum ait Carnotensis num. 26 : nimirum pecuniam adeo copiosam in subsidia pauperum eo missam, ut* ferratis doliis et quadrigis *avehenda esset, quemadmodum census regii solebant portari ex Normannia. Multa item in hunc annum conjicit laudatus Chaizius, quæ eximiam vigilantissimi Regis in regendo, providendoque rebus quibuslibet, diligentiam commendant : verum cum pleraque in Actis leguntur inferius, ea tantum commemorabo, quæ in iis fuere prætermissa. Ejus cura consuetudines pravas immenso numero abolitas, mercaturam diligenter promotam, fœneratores, monetæ adulteratæ fabricatores, aut probæ resectores, pondere mensurave utentes falsa, severissime punitos; adhæc quidquid monopolii simile erat, licet per præcedentes reges fuisset permissum, justissimi Regis mandato abrogatum, testatur Chaizius pag. 413, et 414, citatis curiæ Actis. Addit curam habuisse, ut viæ fluminaque iter agentibus commoda essent, ac tuta : tandem nihil prætermissum, non modo quod hæc omnia ordinaret, sed exsecutioni mandanda curaret.*

Ingens Regis liberalitas in penuria : cura regni ;

AUCTORE J. S.

907 *Præ ceteris tamen curam habuisse videtur diligentissimam, ne tenuiores potentiorum vi opprimerentur. Sic, ut legitur in Gestis abbatum S. Germani Autissiodorensis apud Labbeum tom. 1 Bibliothecæ pag. 585, cum comes Barri prædium quoddam abbatiæ, aut forsan horreum* (nam grangiam *vocat auctor, quod utrumque significat) destruxisset,* tamen ad dicti abbatis instantiam compulsus per Regis potentiam et justitiam eam postmodum reparavit. *Sic Odo comes* E *Nivernensis, cujus filiæ filium suum Rex desponsaverat, ut diximus num. 834, cum monetam novam Autissiodori cudi jussisset, eamque, prout facere tenebatur, probandam non exhibuisset personis ecclesiasticis, episcopus ministros comitis monuit, ut id faceret, quod illi recusarunt :* Episcopus autem, habito cum eisdem personis ecclesiasticis concilio, præsentiam recolendæ memoriæ Ludovici, tunc Regis Francorum, viri christianissimi, cum litteris fide dignis factum attestantibus personaliter expetiit, cui rei damna, seriem, et querelam patefaciens popularem, obtinuit ab eodem monetæ fabricatores expelli, et eam authoritate Regia per civitatem Autissiodorensem publice declamari, *ut habet Historia episcoporum Autissiodorensium apud laudatum Labbeum pag. 501.*

æquitas in defendendis tenuioribus

908 *Sic nec Carolo fratri parcebat, ubi eum cernebat ab æquitate deviare, aut ea moderatione non uti, qua utendum principi subditos suos amanti. Probat id Vita secunda a num. 126 tribus exemplis. Unum ex iis refert itidem auctor Vitæ anonymus apud Chesnium pag. 403, ex quo illud accipe :* Aliquando mota quæstione F inter dominum Carolum, fratrem ejusdem Regis, tunc comitem Andegaviæ, et quemdam alium militem super quodam castro, lataque sententia in curia prædicti comitis contra militem præfatum, miles prædictus appellans ad Regis curiam, jubente comite in carcere detinetur. Quibus compertis, sanctus Rex æquitatis via regia incedens, ad sinistram vel ad dexteram non declinans, comitem præcepit ad se evocari, quem in sui præsentia constitutum, eo quod militem appellantem in carcere detineret, multum redarguit, dicens ei, quod unus rex debebat esse in Francia, et quod non crederet, quod quia frater ejus erat, parceret sibi in aliquo contra justitiam, præcipiensque ei, ut militem liberaret, ut appellationem suam posset libere prosequi coram eo. Miles vero Regis præcepto liberatus, ministratis consiliariis eidem militi a domino Rege, quos et fecit jurare, quod fidele consilium prædicto militi darent, tandem vero illata causa contra dicti militis cassatam sententiam pro se obtinuit in curia justi Regis : *id est miles litem evicit, cui ipse Rex patronos assignaverat, quod contra comitis potentiam nulli vellent ei patrocinari.*

contra vim potentiorum ;

909 *Non*

AUCTORE J. S.

ita ut ne in suis quidem causis quempiam auctoritate premeret.

909 *Non mirabimur ita egisse cum fratre rigidum justitiæ Cultorem, si consideremus, quam solicitus fuerit, ne sua ipsius auctoritas ulli gravis esset, aut quempiam a jure suo libere defendendo deterreret; adeo ut non magis periculosum esset contra Regem jura sua tueri in judicio, quam contra privatum quemlibet; nec minus libere judices contra* Ludovicum *pronuntiarent sententiam, eaque pronuntiata, exsecutio sequeretur æque prompta, ac si homo tenuis fuisset condemnatus. Ita non paucas contra eum latas sequenti anno sententias, ex curiæ Actis docet Chaizius pag. 416. Ita etiam episcopus Autissiodorensis jus suum liberrime defendit, et obtinuit, ut refertur in dicta illorum episcoporum Historia apud Labbeum pag. 501, ex qua factum istud subnecto :* Regnante inclytæ recordationis Ludovico, Dei gratia Francorum Rege, cum nautis instantibus regium emanasset præceptum amovere cuncta, quæ per Icaunam * fluvium impedimento esse poterant navibus transvehendis, executores super hoc deputati alia et majora, quam commissum sibi requireret ministerium, sicut in plerisque malis B moris est, agere gloriantes, trabeculas duas in bochello * subtus pontem Autissiodorensem, quod proprii juris et proprietatis est episcopatus, fundo fluminis infixerunt, hinc inde flores lilii ferreos in signum regalis dominii earum summitatibus imponentes; quas statim, audita re hujusmodi, animosus vir fecit potenter erui, et in domum episcopalem transferri; sed propter hoc ad Regis præsentiam, procurantibus æmulis, evocatus, proposuit coram eo, quod cum Regis ministeriales, ipso minus requisito, mittendo trabeculas in bochello, quod proprii dominii et juris episcopatus existebat, cum nec esset in eo penitus aliquid, quod liberum navium transitum impediret, ultra fines mandati fimbrias extendissent, eas juste eruerat; sicque factum est, quod his et aliis perorationibus confusis et stupefactis adversariis, liber victor abscessit.

* l'Yonne

* i. e ostio fluminis

Multa corpora martyrum legionis Thebææ

910 *Hisce commemoratis eximiæ æquitatis justitiæque exemplis, quæ quanto rariora, tanto magis miranda sunt, laudandaque ac imitanda; ad pietatem Sancti in Sanctos stylum rursus convertimus. Auctor Vitæ secundæ num. 47 refert,* C *corpora sanctorum martyrum legionis Thebææ circiter viginti quatuor Regis precibus Silvanectum* * *esse translata; quod contigisse hoc anno, ait Chaizius pag. 408, citato instrumento antiquo; cui non refragantur fundationis litteræ, licet eæ tantum datæ sint anno 1265, postquam omnia ad fundationem spectantia erant ordinata. Unum autem ex his corporibus abbatiæ S. Dionysii datum, testatur anonymus ejusdem abbatiæ monachus, apud Chesniun pag. 401, ita scribens :* In signum etiam amoris sanctus Rex Ludovicus sancto Dionysio contulit corpus unius martyris de illa pretiosa Thebeorum societate. Siquidem tunc temporis plura præfatorum Sanctorum corpora impetravit sibi dari, quæ honorifice transtulit in ecclesiam, quam apud Sylvanectum construi fecit, instituens ibidem fratres, qui in eodem loco Domino deservirent. *Quanta porro solemnitate translatio facta sit, Rege ipso ejusque genero Navarræ rege humeros supponentibus, docet Vita secunda jam memorata. Id etiam, reliquaque, quæ ad sacelli constructi, et prioratus S. Mauritii, fundationem attinent, disces ex litteris fundationis apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 646, quarum partem subjungo :*

* Senlis

911 Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum ad decus et gloriam divini nominis sacratissimam Agaunensium martyrum legionem, qui cum beato Mauritio mortem pro Christo suscipere decreverunt, apud nos specialiter honorari, et cum digna coli reverentia cupientes, de preciosis corporibus eorumdem aliquid dudum desiderassemus habere, de illo videlicet sacro thesauro monasterii sancti Mauritii Agaunensis, in quo sanctorum martyrum ipsorum corpora requiescunt, ad nos in partes Franciæ deferenda; et ob hoc speciales nuntios nostros ad dilectos in Christo abbatem et conventum dicti monasterii misissemus : iidem precibus nostris favorabiliter annuentes, plura nobis de sacris corporibus antedictis concesserunt habenda, et in nostrorum præsentia nuntiorum idem abbas de thesauro prædicto quædam sacra corpora, quæ a longis retro temporibus cum magna diligentia servata fuerant in monasterio antedicto, reverenter assumpsit, ac deinde Missarum celebratis obsequiis, honorifice, sicut decet, assumptis secum quibusdam fratribus et concanonicis suis, una cum nuntiis E nostris, ad nos dirigens iter suum, ea nobis humiliter et honorabiliter attulit; et dum prope Civitatem nostram Silvanectensem venissent, audito jucundo eorum adventu, cum ea, qua tunc in tam brevi tempore potuimus, comitiva obviam eis processimus, et ea processionaliter in civitate prædicta recipi fecimus cum honore.

D *transferenda curat Silvanectum magna cum solemnitate,*

inferendaque deinde ecclesiæ a se constructæ,

912 Cum autem clerus et populus civitatis ejusdem, qui processioni interfuerunt, de tantis susceptis muneribus Largitori bonorum omnium devotas laudes et gratias in majori ecclesia beatissimæ Virginis reddidissent, processionaliter ea afferri fecimus, et in nostram Silvanectensem inferri capellam, ac deinde per aliquod temporis spatium in eadem religiose servari. Verum cum tam modica capella ad tantas conservandas reliquias nobis minime sufficiens videretur, in qua etiam in magnis solemnitatibus non valebant in nostra præsentia competenter, ut decet, obsequia celebrari divina, juxta domum regiam basilicam seu capellam aliam fundandam duximus ampliorem in honore beatissimæ Virginis Mariæ, et sanctorum martyrum prædictorum, et * beati Mauricii ac sociorum ejusdem; ac F juxta eamdem basilicam ædificia religiosis competentia construi fecimus, et prædicta sanctorum corpora reverenter, ut decuit, a modica capella priori ad illam de novo constructam fecimus apportari. Quæ quidem prima die Junii anno Domini MCCLXIV dedicata fuit solemniter nobis præsentibus per dilectum et fidelem nostrum Robertum Silvanectensem episcopum, adstantibus pluribus aliis episcopis ac clericis, et populi multitudine copiosa.

* et *redundat*

quam cum prioratu S. Mauritii reditibus instruit.

913 Nos igitur ob devotionem præcipuam, quam ad ipsos Christi martyres pretiosos habemus, capellam ipsam nostram propriam, et heredum nostrorum regum Franciæ, specialiter reputantes, volumus et ordinamus quod tredecim cononici religionem et ordinem S. Augustini observantes, et canonicorum sancti Mauritii Agaunensis habitum deferentes, quorum unus nomen et officium prioris habeat, ibidem canonice institutis, Deo et beatissimæ Virgini, ac sanctis martyribus antedictis religiose, jugiter ac devote ibidem debitum exsolvant obsequium. *Deinde, imposita obligatione Sarcum pro se quotidie, dum viveret, ac post mortem, celebrandi;*

A *di; adjectisque anniversariis Sacris in die obitus sui, patris, matris, uxorisque Margaritæ, in quibus etiam eleemosynæ non paucæ pauperibus erant distribuendæ; amplissimos reditus assignat, qui in ipso instrumento poterunt videri. De canonicis autem S. Mauritii Agaunensibus in Vallesia inferiori ad Rhodanum consule Helyotum in Historia Ordinum tom. 2, cap. 12.*

§ LXXII. Anno 1263 centesima redituum ecclesiasticorum in subsidium Palæstinæ decreta: Ludovicus arbiter electus in discordia Anglorum cum suo rege: varia anno 1264 gesta.

Centesima in quinquennium ad subsidium Terræ sanctæ decreta.

B *Pauca anno 1263 memoranda veniunt* S. Ludovici *gesta, quod aliqua ex iis, præcedentibus annis cœpta, jam relata sint, alia vero eodem anno cœpta commodius referenda sint postea. Huc tamen pertinent lugubres Pontificis litteræ, ad Regem datæ de clade partim Palæstinæ illata, partim imminente, quibus Sanctum exstimulat ad opem afflictis Christianorum rebus ferendam. Videri hæ possunt apud Raynaldum ad annum 1263 a num. 2. Non caruerunt effectu hæ litteræ: etenim subsidium non exiguum in comitiis, circa festum S. Martini habitis, decretum est; cum ecclesiastici centesimam redituum suorum partem largiri promiserint in quinquennium, ut videre licet in observationibus Menardi ad Historiam* S. Ludovici *pag. 287. Repugnarunt quidem aliqui clerici, atque iniqua a se extorqueri conquesti sunt apud Pontificem; sed eos Urbanus acri epistola castigavit, ut rursum pluribus refert Raynaldus num. 13. Hisce adjungendum, quid pro pace in Angliam reducenda hoc et sequenti anno egerit Rex vere pacificus. Rem breviter explico.*

Cum Angli, conspiratione facta, duras regi suo leges imposuissent,

915 *Anno 1258 procerum præcipuorum conspiratione Henricus Angliæ rex duras leges accipere coactus fuerat, juraveratque se servaturum statuta Oxoniæ, quibus ejus in regno auctoritas non parum erat imminuta. Deinde anno 1260* C *post pacem cum* Ludovico *initam, e Gallia redux, multas rursum invenerat nobilium dissensiones, atque inter alios filium suum Eduardum suspectum habuit, id agentibus nobilibus, ut patrem a filio distraherent; eo tamen, aliisque, qui accusabantur, se purgantibus, interventu Richardi Romanorum regis res ad tempus fuit composita; quemadmodum latius narrat Westmonasteriensis pag. 373. At sequenti anno 1261 Henricus, se in libertatem vendicare desiderans, congregatos regni proceres sic allocutus fertur, apud Westmonasteriensem pag. 378:* Vos omnes pro communi et regis utilitate (ut asseruistis) et commodo, nec non et pro thesauro meo ampliando, et debito perstitistis minuendo: provisumque inter vos universaliter decrevistis, præstitis juramentis, observari, cui et me, una cum filio meo, juramento alligastis consimili. Nunc autem indubitanter expertus sum, vos non tantum regis et regni, quantum propriis inhiantes émolumentis, penitus a pacto resilire; et me non quasi dominum, sed quasi ministrum, vestræ subjugasse custodiæ. Thesauro insuper ex insolito minorato, debitum ubique succrescit, liberalitasque regis et potestas fere prostrata succumbit. Unde non miremini, si vestro non amplius concessurus consilio, vos vobis relinquam de cætero, et super hoc remedio indulgeam perquirendo. AUCTORE J. S.

atque hic eas excutere vellet, bellum oritur:

916 Quo dicto, destinatis ministris Romam pro absolutione, rex specialiter scripsit Regi Franciæ, et filio suo Eadwardo, pro subministrando sibi auxilio. Cui Rex infinitos promisit milites per VII annos, si necesse fuerit, propriis sumptibus sustinendos. *Eduardus etiam, ut subdit, vires congregabat: ac* circa Pascha, *ut habet inferius,* impetrata fuit litera Papalis super absolutione regis, et Eadwardi filii sui, de prædictis juramentis, sed rege hoc acceptante, Eadwardus se sponte iteratis innodavit sacramentis: *imo et se cum Leicestriæ et Glocestriæ comitibus patri opposuit. Posthæc secuta est aliqua ad tempus concordia, at non diuturna: Henricus enim, accepto ex Francia subsidio, promissisque* Ludovici *animatus, agere cœpit contra statuta Oxoniensia ut refert Westmonasteriensis pag. 379. Unde, post interjectas adhuc pacificationes, orto bello inter* E *conjunctos fœdere proceres et regem, eique adhærentem filium Eduardum, eo deducta res est anno 1263, ut Henricus, in turri Londinensi obsessus, omnia castra sua proceribus tradere, atque acceptare conditiones, quas illi vellent, cogeretur: ac demum ad cumulum mali Eduardus filius ejus, incaute ad colloquium profectus, per comitem Leicestriæ captivus detineretur.*

laborat pro pace inter eos concilianda Ludovicus; cujus arbitrio

917 *Attamen, cum fœderati proceres non omnino concordes essent, scena paullo post utcumque mutari visa. Ad quod non parum conduxisse videtur colloquium cum* S. Ludovico *habitum, de quo sic scribit laudatus Westmonasteriensis pag. 384:* Circa festum sancti Michaelis rex noster, et regina, et comes Simon de Monte forti cum multis nobilibus, mare transierunt ad colloquium Regis Francorum Ludovici, quod tunc tenuit Bononiæ; occasione perturbationis regni Angliæ. Ex procuratione autem reginæ, suique generis processerat istud. *Nescitur quidem, quid in hoc colloquio peractum sit, certumque est, pacem hinc non secutam: cum tamen post hæc dissensio orta sit inter proceres, multique Henrici partibus adhæserint, credibile est, id eos fecisse* F *monitis* S. Ludovici *permotos. Deinde, post motus quosdam bellicos non magni momenti, eodem adhuc anno* de pace hinc inde componenda delaboratum est, *ait dictus auctor,* tam a parte Regis Franciæ, quam pontificum regni Angliæ, instanter. Tandem vero summitentibus se per compromissionem rex Angliæ et barones sui, in dicto et ordinatione Regis Franciæ super contentionibus, provisiones Oxoniæ contingentibus, nec non et deprædationibus et rapinis, factis hinc inde multipliciter;... itum est post Natale in Franciam, ad recipiendum, quod super his dictus Rex duxerit ordinandum.

cum utraque pars se subjecisset; ille pro rege fert sententiam.

918 *Eximium sane hinc habemus testimonium justitiæ* S. Ludovici, *quod nobiles Angliæ in re tanta ejus unius judicio se submiserint, licet contra regem coram Rege, eoque affine, essent disceptaturi. Extat compromissum istud, una cum sententia a Rege lata, editum tom. 3 Spicilegii Acheriani a pag. 642, in quo ex una parte Henricus rex, Eduardus regis filius, eisque adhærentes, juramento edito, asserunt se bona fide servaturos,* quidquid Rex Franciæ... de alto et basso ordinaverit vel statuerit *super articulis contro-*

troversiæ supra expressis. Ex altera vero parte idem, præstito juramento, promittunt Simon Montfortius Leicestriæ comes, eique adhærentes contra partem regiam. De sententia autem, coram proceribus Galliæ atque Angliæ, horumque rege prolata, hæc breviter scribit Westmonasteriensis citatus : Igitur in crastino Vincentii martyris, congregato Ambiani * populo innumerabili regum, pontificum, et procerum, Rex Franciæ Ludovicus, propositis ac defensis, ac rationibus partium plenius intellectis, protulit dictum suum, et sententiam solenniter pro rege Angliæ contra barones, statutis scilicet Oxoniæ et provisionibus, ordinationibus, ac obligationibus penitus annullatis. *Hæc in ipsa sententia apud laudatum Acherium fusius relata lector inveniet, in qua, præter mala ex statutis illis Oxoniensibus orta, quæ commemorat, hanc, cur illa abroganda judicaverit, dat rationem :* Maxime cum appareat, summum Pontificem eas per suas litteras cassas et irritas nuntiasse. *Ceterum uti auctoritas regia per hanc* Ludovici *sententiam erat restituta, sic et pax videbatur Angliæ reddita. Nihilominus comes Leicestriæ nodum quæsivit in scirpo,* B *ac bellum prosecutus est; donec, postquam duos reges Henricum et fratrem ejus Richardum in acri prælio ceperat, ipse in alio conflictu cecidit, Angliæque morte sua pacem reddidit, ac regnum Henrico. Verum hæc Angliæ bella latius prosequi instituti non est mei.*

* Amiens

Rogat ut interdictum tollatur in urbe Pictaviensi ; filio dat sponsam ;

919 *Eodem mense Januario anni 1264, quo dictam modo sententiam protulit* S. Ludovicus, *epistolam dedit ad episcopum Pictaviensem, qua cum iterato rogat, ut tollat interdictum, in civitatem Pictaviensem latum. Qua autem de causa id interdictum latum fuerit, non tradunt historici : at patet ex dictis litteris, voluisse episcopum, ut damna, occasione interdicti ecclesiis illata, resarcirentur, quod facere recusabat comes Pictaviensis, tamquam inusitatum. Unde Rex rogat episcopum, ut sine hujusmodi reparatione interdictum relaxet :* Non enim intelleximus, *inquit,* quod pro amotione seu relaxatione interdicti, lati in civitate aliqua, sive villa, facta fuerit emenda aliquibus ecclesiis de damnis et de perditis occasione ejusdem. *Litteras ipsas una cum litteris Alphonsi comitis Pictaviensis habet lector in Gallia Christiana editionis novissimæ* C *tom. 2 col. 1186. Mense Februario, præter comitia de more habita, filium suum Petrum sponsum dedit filiæ unicæ et heredi Joannis de Chastillon comitis Blesensis et Carnotensis, ut latius enarrat Chaizius pag. 437.*

rogatur ab Urbano, ut concordiam conciliet inter comitem Carnotensem et capitulum;

920 *Hinc verisimile est, compositam fuisse opera* S. Ludovici *discordiam inter prædictum comitem et capitulum Carnotense, ad quod prædictum Regem hortatus fuerat Urbanus Pontifex epistola apud Chesnium edita pag. 866, in qua inter alia sic illum affatur :* Plenis desideramus affectibus, votive labores nostros impendimus, et libenter operam adhibemus, ut orta inter dilectum filium Carnotense capitulum ex parte una, et nobilem virum comitem Blesensem ex altera, super advocatione servientium ipsius capituli, et canonicorum ejusdem, ac aliis articulis, dissentionis materia, pacis et concordiæ remedio sopiatur. Ad quod celsitudinis Regalis suffragium utile ac necessarium arbitrantes, serenitatem Regiam eo ad id confidentius invitamus, quo magis tu magnitudine non abutendo potentiæ, sed clementia et bonitate gubernando subjectos, niteris ut ipsi absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace D fruantur.

legatis regis Aragonum respondet.

921 *Eodem fere tempore ad* Ludovicum *venere legati regis Aragonum, jura domini sui exacturi. Possidebat rex Aragonum Montem-pessulanum, in quo reges Galliæ supremum habebant dominium : at ille contendebat, Montem-pessulanum nullo modo a rege Galliæ dependere. Audivit legatos Sanctus pari humanitate et constantia, dixitque se rem examinaturum per Cardinalem Fulcodi, qui postea ad Pontificatum evectus est, dictusque Clemens IV. Attamen cum illi plus exigerent, minasque adjicerent, eadem repetiit : nec invenio, inquit Chaizius, qui hæc pluribus narrat pag. 438 et seqq., regem Aragonum plura deinde tentasse.*

Commendante Rege quemdam Templariis, ejus merita in ecclesiasticos,

922 *Commendaverat* S. Ludovicus *Templariis Americum nescio quem, ut eum Franciæ, uti vocabant, Præceptorem crearent, cui calculum suum adjiciens Urbanus Pontifex, in litteris ad Templarios datis sancti Regis merita in personas ecclesiasticas, atque in Ordinem Templariorum sic commendat :* Habet universalis Ecclesia in charissimo in Christo filio nostro Rege Fran- E corum illustri, unde in Rege suo Christo Jesu canticis et hymnis exultet. Habent in Christo religionis cujusque cultores, unde Domini nomen in choro laudent et tympano, et psalterio psallant ei. Ipsius namque Regis Francorum pectus piissimum, gratiæ cælestis dono perfusum, sic ad cunctas orbis ecclesias, et personas ecclesiasticas, religiosas præcipue, ubertim ubera suæ pietatis effundit, ut ipsum experiatur quotidie omnis christiana religio singulare præsidium, et præcipuum sentiat libertas ecclesiastica munimentum.

religiosos, ac Templarios præsertim laudat Urbanus : lis amice composita :

923 Vos autem in eo ad singularis jubili canticum causa singularis invitat : si enim prudenter attenditis, si, qua decet, attentione notatis, quanta idem Francorum Rex Ordinem vestrum, et jura ipsius custodiæ diligentia protegit, et quam diligenti protectione custodit; quantaque vos, et cunctos ejusdem Ordinis professores charitatis singularitate prosequitur; profecto cogemini exauditionis promptitudine loquente fateri, dignum fore, nec minus debitum, ut, quæ a vobis nunc, præsertim cum vestrorum incremento profectuum, et multi apud eum favoris F augmento, dignanter exposcit, liberaliter consequatur. *Hoc item anno amica compositione finivit* Ludovicus *controversiam, quæ ei intercedebat cum episcopo Albiensi super jurisdictione ejusdem urbis, uti latius tradunt litteræ de hac compositione scriptæ, quas cum aliis instrumentis tom. 1 Galliæ Christianæ subjecit Dionysius Sammarthanus pag. 9.*

§ LXXIII. Pactum de regno Siciliæ Carolo Ludovici fratri tradendo, cooperante Ludovico, cum Urbano Pontifice initum.

Agit Urbanus Pontifex cum Carolo Regis fratre

Quandoquidem hoc anno Pontificatum cum vita deposuit Urbanus IV, sub quo tractari cœptum est de regno Siciliæ Carolo Regis fratri tradendo, dicendum hic videtur, quo usque hoc negotium sub Urbano promotum fuerit, quidque in eo egerit Ludovicus. *Jam anno 1262,*

cum

A *cum regnum istud* Ludovico *pro aliquo ejus filio frustra obtulerat per Albertum notarium Urbanus, idem Albertus jussus fuerat Carolo rem proponere, nihil tamen concludere, inconsulto Pontifice, quemadmodum habet Raynaldus ad illum annum num. 20. Cum autem ex actis tunc temporis cum* Ludovico *nosset Pontifex, illum non consensurum, nisi manifeste intelligeret nullum Conradino, nullum Edmundo Anglo, in regnum Siciliæ jus superesse, operam dedit, ut id ei clare innotesceret. Elegit igitur ad hoc Regi persuadendum Bartholomæum Pignatellum archiepiscopum Consentinum, de cujus legatione Raynaldus ad annum 1263 hæc scribit num. 78 :* Legavit itaque Cusentinum archiepiscopum ad S. Ludovicum Francorum, et Henricum Anglorum reges : ad Gallum quidem, ut ipsum ad mittendum, exercitu valido succinctum, fratrem permoveret : alterum vero, ne æmulationis studio rem disturbaret, obsisteretque una cum Edmundo filio, quem Siculo regno ab Alexandro IV certis legibus donatum vidimus, ne regni illius jura, quæ tueri non poterat, in Carolum Andegaviæ et Provinciæ comitem B transfunderentur.

925 Graves enim ii querelas effuderant, eripi Anglicanæ genti post tot profusos sumptus sceptrum Siculum, ut in Gallos traduceretur. Quos Urbanus blande admonuit, jactatas injuria eas querelas, totiusque Sicularum rerum successus seriem exposuit, acceptas conditiones non implevisse; Manfredi vero tyrannidem adeo augeri, atque opprimi Ecclesiam, ut illa diutius strenuo defensore carere non possit. *Vix dubium esse potest, quin hæc facta sint ad* Ludovico *satisfaciendum, qui non modo cavisse videtur, ne jura cujuspiam læderentur, verum etiam ne nova oriretur belli cum Anglis occasio. Imo et plura præstitit Urbanus; nam Henricum Angliæ regem, ejusque filium Edmundum Romam citavit, assignato quatuor mensium termino, ut jura, si qua haberent, defenderent, quemadmodum discimus ex litteris Clementis IV apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 64, ex quibus curiosus lector facile etiam perspiciet, quam caute in toto hoc negotio sit processum, Edmundumque Anglum immerito obstare voluisse Caroli promotioni. Hisce quidem hac ex parte satisfactum crediderim* S. Ludovico *: hic tamen negotium necdum eo anno* C *multum videtur promovisse, quod dissidia quædam essent inter Carolum uxoremque suam Margaritam, quæ composita cupiebat, priusquam Carolus promoveretur, ut patebit ex dicendis inferius.*

de regno Siciliæ, consentiente Ludovico.

926 *Conditiones interea Carolo proponendas curavit Pontifex per Albertum notarium suum, quas cum modificationibus suis lectorum oculis exposuit Martenius tom. 2 Anecdotorum col. 9 et seqq., ubi eas studiosus lector notatas inveniet* XV *Kalendas Julii anni 1263. Alia deinde epistola,* V *Kalendas Augusti data, promittit se curaturum, ut decimæ Carolo persolverentur in triennium, quemadmodum ille ad sumptus belli tolerandos postulaverat. Cum autem in conditionibus retuisset Urbanus, ne Carolo liceret acceptare regimen urbis Romanæ, quod tunc temporis Romani, invitis Pontificibus, conferre solebant viro cuidam principi cum titulo* Senatoris; *cumque Romani dignitatem senatoriam interim Carolo obtulissent per litteras,* III *Idus Augusti datas, consentit Pontifex, ut dignitatem illam acceptet, tamquam opportunam ad regnum Siculum acquirendum, modo illam deinde velit deponere : qua super re variæ deinde conditiones ab eo fuere propositæ, quas vide in litteris Urbani apud laudatum Martenium editis.*

sub certis conditionibus ei tradendo :

927 *Conditiones autem Carolo propositas* Ludovicus audire voluit et discutere singulatim, *ut dicitur in litteris Urbani col. 37; atque unum illarum articulum, quo juramentum exigebatur a subditis regni Siciliæ, se curaturos ut pacta omnia observaret Carolus, nominatim improbavit, tamquam auctoritati regiæ noxium : imo ægre tulit id juramentum fuisse postulatum, uti ex eadem disces epistola. Examinatis vero conditionibus, Carolus consilio haud dubie Regis, quasdam additiones adjunxit, ac temperamenta non pauca conscripsit, postulans ut mitigarentur primum propositæ conditiones. Additiones illas magna ex parte ratas habuit Pontifex per litteras* VII *Idus Januarii anni 1264 datas, (apud Martenium col. 33) : ad temperamenta etiam eodem die respondit binis litteris, ibidem subjectis : quarum primæ approbant ex iis quædam; alia improbant; in alteris varias profert rationes, cur omnia non admittat. Præterea in posterioribus quædam subjungit Urbanus, ex quibus doremur quam se-* E *dulo fratris sui causam curaverit* S. Ludovicus, *quidque impedimento esset, quo minus pactum inter Urbanum et Carolum jam tunc concluderetur.*

in hisce autem conditionibus moderandis

928 *Sic enim col. 46 Albertum notarium suum alloquitur Pontifex :* Nosse te volumus, quod dubitationis nobis ingessit materiam, quod scripsisti; dictum scilicet comitem omnes articulos, quos tecum tuleras, his exceptis, quos evolvimus, acceptasse, cum ex alia parte scripseris carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Francorum dixisse, quod Cardinales mittere curaremus, qui tam illos, quam alios possent libere moderari. Ex quibus duabus clausulis innui videbatur, prædictum comitem sine Regis consilio suam firmasse sententiam, aut Regem eumdem providentiæ comitis non inniti, plura pro ipso petentem, quam intendat, aut postulet idem comes. Rursum cum tibi quatuor specialiter injunxerimus tenenda memoriter, et investiganda prudenter; comitis scilicet promptitudinem ad negotium, Regis assensum, viam pacis inter reginam et comitem, motum etiam circa decimam prælatorum : quamvis de prompta comitis voluntate aliqua nobis scripseris, et de F assensu Regio quasdam probabiles conjecturas, de duobus tamen articulis aliis non scripsisti, quamquam non leviter, imo medullitus ipsum negotium tangere videantur, et efficacius promovere, cum facienda videbitur Cardinalium missio. Ex his igitur potes colligere manifeste, nondum ad illum statum venisse negotium, de quo agimus, ut destinandi fuerint Cardinales, quos pro sua gravitate non expedit currere in incertum.

utilem Carolo operam præstitit Ludovicus :

929 *Hæc quidem Urbanus mense Januario, attamen Aprili sequente, instante, opinor, Rege mutavit consilium; atque* utile, *imo* necessarium *sibi videri scripsit, ut juxta Regis et comitis desiderium Cardinalis in Galliam mitteretur, prout leges in epistola ejus apud Martenium col. 49, qua leges præscribit Cardinali in legatione servandas. Quapropter* V *Nonas Maii Simonem tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem legatum in Gallia, Provincia, vicinisque locis constituit cum ampla facultate negotium conficiendi; litteras ejus vide col. 60. Eodem die prolixa epistola, ibidem col. 54 edita, archiepiscopos, episcopos, et abbates Franciæ, aliarumque provinciarum, hor-*

eo item petente, Cardinalem S. Cæciliæ mittit Urbanus, ad rem promovendam.

AUCTORE J. S.

hortatur ut decimas redituum ecclesiasticorum in triennium concedant Carolo, dicens se eum elegisse contra Manfredi tyrannidem, tamquam principem strenuum, industrium, et fidelem; *atque in* ipso, imo potius in. . . Ludovico . . . cujus germanus existit, ac famosissimo et Christianissimo regno suo . . . post Deum . . . anchoram spei *suæ defixisse. Eodem item die ad Regem litteras dedit, (apud Chesnium pag. 873) quibus, post commemoratam Manfredi tyrannidem, Regisque erga Ecclesiam benignitatem insigni elogio celebratam, sic eum alloquitur:* Quæsumus ergo, christianissime Princeps, ut hujusmodi tuæ compassionis affectum in promotione præfati negotii, per quam speramus prædictam Ecclesiam ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, favente Domino, liberari efficaciter, potenter et libenter ostendas, ita quod etiam post tui dissolutionem corporis nunquam tam pii tamque salubris operis memoria celebris moriatur; sed extendatur ab hoc tui gloria nominis in generationibus sæculorum.

hortaturque Regem, ut litem inter reginam et Carolum componat:

B 930 Ne vero prætextu discordiæ, quæ inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, Francorum reginam illustrem, uxorem tuam, et prædictum comitem orta dicitur, tantum Ecclesiæ bonum impediri valeat vel differri; tu, quem tanquam pacis Angelum in regno tuo providentia divina constituit, et qui ex indulto tibi pacifici Regis dono nosti discordiarum eradicare zizanias, et serere semen pacis; sic hujusmodi discordiam amicabili compositione sopias et decidas, impendendo ad hoc omnem opem et operam efficacem, ut cujuslibet inter eos scandali causa cessante, dictus comes memoratum negotium securius aggredi valeat, et liberius ac efficacius promovere, tibique a Deo exinde præmium, et a nobis cumulata proveniat actio gratiarum. *Ad reginam etiam eodem tempore datam opinor epistolam illam, qua eam ad concordiam cum Carolo ineundam eadem de causa hortatur, quamque exhibet idem Chesnius pag. 869. Quæ autem fuerit illa controversia, auctores non exprimunt, quamquam dubitare non possumus, quin respexerit comitatum Provinciæ, aut certe jura quædam istius comitatus. Ægre regina tulisse videtur, quod comitatus testamento paterno ad* C *sororem natu minimam, adeoque ad Carolum illius maritum pervenisset: et suspicari quis posset, voluisse illam, utpote natu maximam, non obstante testamento, jus sibi in comitatum vendicare. Quidquid vero discordiæ fuerit, illam* Ludovici, *ac legati opera utcumque sopitam fuisse videbimus.*

Deinde convocatis a Rege proceribus, pactum cum legato conclusum,

931 *Porro, ubi legatus in Galliam pervenerat, brevi omnia fuere ordinata, pactumque conclusum: nam* Ludovicus *principes regni cum ecclesiasticos, tum seculares ad comitia convocavit Parisios sub finem Augusti, ait Chaizius pag. 446. Nec dubitare possumus, quin in iis tractatus ad finem sit perductus, cum illum ante obitum Urbani absolutum fuisse, constet ex litteris Clementis IV apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 650, ubi ita scribit:* Unde idem prædecessor dilectum filium nostrum S*. tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem pro prædicto ipsius regni negotio in Franciam, commisso sibi plenæ legationis officio, dirigens. . . . . commisit eidem, quod postquam tam super dicto Senatus *(Romani)* capitulo, quam super quibusdam conditionibus et modificationibus, ac cæteris aliis cum ipso comite concordasset, conscriptis, vel lectis omnibus in præsentia carissi- D mi in Christo filii nostri Regis Franciæ illustris, posset idem Cardinalis dicto comiti promittere ipsius prædecessoris, et Ecclesiæ Romanæ nomine, quod postquam sine gravi scandalo ecclesiæ Gallicanæ de exhibenda ipsi comiti decima ecclesiasticorum proventuum, quam petierat, ordinatum existeret et concessum, et negotium, pro quo carissimus in Christo filius noster rex Anglorum illustris, et Eadmundus natus ejus, erant ipsius prædecessoris auctoritate citati, foret per apostolicam Sedem decisum, *(nimirum de jure Edmundi.)*

* Simonem

qui Urbani nomine Siciliam Carolo promittit

932 Et pax inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam illustrem reginam Francorum et ipsum comitem existeret reformata, vel saltem per eundem Cardinalem, vel per alium, seu alios, quos idem Rex Francorum duceret deputandos, talis super pace hujusmodi tractatus procederet, quo esset idem Rex Francorum contentus, daretur ipsi comiti ab eadem Sede præfatum regnum Siciliæ cum juribus, et pertinentiis suis, sub conditionibus tractatis, et hinc inde firmatis seu acceptatis, non mutandis, E nec augendis, vel minuendis, in totum vel aliquam sui partem, et de sic dando ipso regno ab eodem Cardinale versa vice receptis. Finalem autem concessionem, et investituram ejusdem regni sibi dictus prædecessor specialiter reservavit. Præfatus vero Cardinalis tam super dicto Senatus articulo, quam super conditionibus, et omnibus aliis cum ipso comite conveniens et concordans, fecit eidem comiti de conferendo sibi prædicto regno Siciliæ promissionem nomine ipsius prædecessoris, et ejusdem Ecclesiæ Romanæ juxta præmissam ab eodem prædecessore traditam sibi formam, eodem comite promissionem de illa sic recipiendo similiter faciente, datis et receptis super hoc litteris hinc et inde, prout in ipsis litteris dicitur plenius contineri. *Huc usque res promota, vivente Urbano.*

anno 1264, quod favente Ludovico factum.

933 *Ex his autem intelligimus, regnum Siciliæ anno 1264 Carolo promissum, at necdum collatum; ita ut aberraverit a vero Ptolomæus Lucensis, qui illud ei collatum scribit ab Urbano, et quidem anno 1263: recte tandem idem auctor notat, hæc gesta favente* Ludovico, *illius etiam favoris causas subnectens. Verba ejus accipe, prout inter Scriptores Italiæ nuper editus est* F *tom.* XI *col. 1154, seu cap. 26:* In quo quidem facto adfuit favor Regis Francorum Ludovici triplici de caussa, ut dictus Rex aliquando retulit. Una fuit reverentia dicti Principis ad Romanam Ecclesiam. Secunda fuit amor sui generis circa honoris augmentum, cujus appetitus etiam suæ conjugi inerat, videlicet Caroli, ut cum suis sororibus nomen sortiretur reginæ. Tertia caussa fuit quies sui regni, quod perturbabat Carolus in torneamentis et aliis. *Ita ille: nos autem reliqua ad annum sequentem prosequemur.*

§ LXXIV.

A

AUCTORE J. S.

§ LXXIV. Anno 1265 facta in gratiam Caroli fratris ad regnum Siciliæ acquirendum : varia a Clemente IV Sancto commendata.

Clemens IV, ante Ludovici consiliarius, Pontifex creatus,

Creatus *sub initium anni 1265 Pontifex Clemens IV, non verbis tantum, sed factis etiam declaravit, quam judicaret* S. Ludovicum *unicum afflictæ Ecclesiæ refugium : ab hoc enim et Carolo Siciliæ, et Henrico Angliæ regibus, et laboranti in extremo fere discrimine Palæstinæ, crebris litteris subsidia efflagitavit, ut mirari non debeat lector; si, promptissimus alioquin ad preces Ecclesiæ Princeps, non tantam singulis subministraverit opem, quantam uni ferre potuisset; præsertim cum regnum ipsum non videretur necessario præsidio denudandum propter jactatas anno præterito minas a rege Aragoniæ, cui expeditio contra generum suum Manfredum non* B *poterat non esse ingrata, licet ei succurrere per pactum cum* Ludovico *initum prohiberetur. Porro Clemens IV, antea Guido Fulcodi dictus, consiliarius fuerat* S. Ludovici, *eique percarus : unde factum, ut plurimas ad ipsum dederit litteras, quarum partem magnam inveniet curiosus lector tom. 2 Anecdotorum sæpe laudati Martenii, ex quo nos eas citabimus, quas huic commentario judicaverimus inserendas.*

Carolo confert regnum Siciliæ,

935 *Electus itaque hic Pontifex, confestim ad finem perducere studuit negotium regni Siciliæ, atque hac de causa* IV *Kalendas Martii per litteras declaravit, regem Angliæ, ejusque filium Edmundum veros numquam regni Siciliæ fuisse possessores : videri hæ possunt apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 648 et seqq. Hisce alias eodem die adjecit, quibus præfatum regnum Carolo, Regis* Ludovici *fratri attribuit : in hisce autem, post adducta superius, pag. 651 sic loquitur in rem nostram :* Porro dicto prædecessore *(Urbano IV)* interim viam universæ carnis ingresso, et nobis licet immeritis in Apostolatus officio substitutis eidem, præfati Cardinalis *(in Gallia legatus)* et comes *(Andegavensis Carolus,)* transmissis propter hoc solemnibus nuntiis, nobis humiliter supplicarunt, ut cum de prædicta decima exhibenda in subsidium negotii jam juxta ipsius prædecessoris intentionem et votum ordinatum existeret, et circa præfatæ pacis tractatum *(inter reginam et Carolum)* idem Cardinalis juxta beneplacitum præfati Regis Franciæ processerit, cujus in hoc dictus voluit prædecessor considerari et inspici voluntatem : præmissum negotium, pro quo jam dictus rex Angliæ et Eadmundus citati fuerant per definitivam sententiam decidere, ac ad perfectionem et consummationem præfati negotii regni Siciliæ procedere curaremus. *Sicuti reipsa facit in dictis epistolis, jus Anglorum nullum declarans, regnumque Siciliæ sub conditionibus recensitis Carolo conferens; prout latius ibidem legi potest.* C

qui Romam profectus nomen regis assumit,

936 *His ita gestis, Carolus, quem præfixus terminus, quo Romæ adesse debebat, vehementer urgebat, mense Maio ex Provincia Romam discedit cum manu equitum modica, eoque per mare appellit cum suis incolumis, sed non iis viribus instructus, quibus Manfredo magnopere nocere poterat, quodque periculosius erat, sufficienti ad alendum exercitum pecunia destitutus. Legatus interim, favente* Ludovico, *decimas colligebat in Gallia, crucemque prædicabat, ut et pecunia, et exercitu Carolum juvaret; verum pecuniæ collectio tardius procedebat, quam necessitas Caroli videbatur exigere, cum Manfredus pecunia abundaret et milite. Hisce tamen non obstantibus regni investituram* XXVIII *Junii Romæ accepit Carolus per quatuor Cardinales, a Clemente delegatos; regiumque nomen assumpsit.*

curante interim Ludovico, ut ei subsidium mittere tur.

937 *Quo facto, Pontifex ei per litteras gratulatus est, animosque addidit spe subsidii ex Gallia cito venturi, inter alia de* Ludovici *pro eo conatibus sic scribens, apud Martenium col. 153 :* Veniunt quidam rumores prosperi de partibus transalpinis, quorum licet auctoritatis mediocris videri possint æmulis relatores, multiplicatio fidem facit, et ex natura negotii redduntur credibilia testimonia eorumdem, una voce clamantium, quod Francia tota se præparat, tota Provincia se accingit, quodque carissimus in Christo filius noster Rex Franciæ illustris frater E tuus, ad te gerens affectum, sed ostendens effectum, pro te factus est prædicator, barones et alios ad tuum subsidium excitans et invitans, nec dubium quin suum adhibeat, ut efficacius exigat alienum. *Vera hæc fuisse, patebit ex sequentibus.*

Rogat Regem Clemens, ut Carolo egenti mutuam det pecuniam ..

938 *Verumtamen non ignorabat idem Pontifex, quanta novus rex necessitate premeretur; scribebat enim col. 151 ad legatum suum, ipsum* adeo succursu militum, et aliis subventionibus *egere,* quod etiam ipsa celeritas *esset* morosa. *Hac de causa crebris litteris hortabatur cum legatum, ut in decimis colligendis strenuum se præberet, tum* Ludovicum, *ut pecuniam fratri submitteret. Audi, quibus verbis* XV *Kalendas Augusti Sanctum interpellet col. 165 :* Ecce, Fili, satis clamat ad te facti istius qualitas, satis etiam fratris caritas interpellat. Amanti enim sufficit nunciare, sufficit ut noveris, tu, qui, quos debes amare, non deseris. Sufficit, ut firmiter credimus, immo pro certo supponimus, matri tam pio Filio suas necessitates exponere. Sufficit fratri apud Fratrem, gerentem nihilominus erga se patris affectum, talibus interpellare precibus, et ipsum ad succursus accelerandi remedium taliter provocare. F Accendatur itaque zelus filii, fratris et patris, nec in tanta necessitate affectio sic accumulata deficiat matri, filio, et germano : ad quod et nos ex intimo mentis affectu, quas possumus deprecatorias persuasiones, et preces adjicimus. *Deinde petit, ut pecuniam Carolo mutuam concedat tantam, quanta ex colligendis paulatim decimis sperari poterat.*

qua cum ille ipse brevi opus esset habiturus;

939 *Mirum videri posset, sanctum Regem hac ex parte preces Clementis non exaudiisse, pecuniamque mutuam Carolo subministrare noluisse, nisi justæ fuissent rationes, quæ id ei dissuaderent. Inter has fuisse opinor præcipuam, quod bellum sacrum jam tunc meditaretur, adeoque thesaurum suum non effundendum judicaret : nam ad terræ Sanctæ subsidium sæpe excitatus fuerat a præcedentibus Pontificibus, et hoc ipso tempore a Clemente excitabatur, uti videre est in epistola ejusdem Clementis,* VIII *Kalendas Augusti data apud Martenium col. 169, et Raynaldum ad hunc annum num. 41. Accedebat fortasse cura nonnulla rerum Anglicarum : certe ad subsidium ferendum Henrico, quem Simon Montfortius habebat captivum, eum per litteras hortabatur idem Clemens apud Raynaldum ad hunc*

AUCTORE J. S.

annum num. 66, legatumque suum in Anglia ad Ludovicum *mittebat his verbis :* Sed et ad carissimum in Christo filium nostrum L. Regem Franciæ illustrem recurras in omnibus confidenter, quem pro sua bonitate credimus solito promptiorem ad opem et consilium tibi super his omnibus impendenda. *Ita scribit mense Septembri apud Martenium col. 201.*

et Carolus fratris beneficiis parum respondens,

940 *Præterea Carolus parum favori Regis sancti respondebat, ita ut illum monuerit hoc tempore Pontifex per litteras apud Martenium col. 175, ut omni modo studeret offensum nonnihil* Ludovicum *placare. Causas autem offensionis memorat alia epistola, anno sequenti ad Carolum jam victorem, et regni possessorem data, qua eum hortatur ut Fratri satisfaciat, ejusque beneficiis non ingratum se exhibeat. Illam accipe ex Martenio col. 371 :* Quanto, *ait,* carissimo in Christo filio nostro Regi Franciæ illustri germano tuo te novimus cariorem, teque multis ex causis eidem ad vicissitudinem caritatis adstrictum; tanto tibi propensius credimus laborandum, ut inter te et ipsum omnem materiam scandali, omnem causam dissensionis abscindas, in his præcipue, quæ juri sunt consona, quamquam ad alia quæ gratiam saperent, facilem te reddere deberes. B

pecuniam ante mutuo acceptam non reddidisset et vectigal supra Rhodanum

941 Novit sane tua serenitas, quotiens te litteris, quotiens viva voce, quotiens ministerio bonorum et fidelium nunciorum excitandum duxerimus, ut quæstionem gabellæ Rhodani, multis suspensam tractatibus, ex qua processerunt multa inepta, multumque turbatus est animus Fratris tui, per viam amicabilem ad finem perduci congruum procurares; quod quia factum non extitit, idem Rex frater tuus satis ægre ferre videtur, prout et litteræ nobis indicant aliquorum, et verba nihilominus fide digna. Nunc autem suos ad te destinat nuncios, qui super hæc te conveniant reverenter; et, quæ Fratri debes, insuper a te petant, scilicet VIII millia marcharum argenti de dote, sibi cum carissima filia nostra uxore sua promissa, et alia septem millia, quæ tibi credidit ad bonæ memoriæ soceri tui debita persolvenda. Quocirca tuam duximus excellentiam monendam pariter et rogandam, quatenus eorum nunciorum verba et patienter audiens, et benigne suscipiens, non turberis; sed fraternæ gratiæ non ingratus, et eorum, quæ tibi liberaliter ultra mare donavit, memoriam semper habeas, et debita repetenti satisfacias nunc, si potes; aut saltem sic respondeas, ut placari tuo responso debeat potius, quam turbari. Datum Viterbii XVII Kalendas Augusti anno 2. C

de sale exigeret, invito Rege; hic mutuam dare pecuniam renuit :

942 *De memorata Rhodani gabella clarius loquitur idem Clemens in priori ad Carolum epistola col. 267, ubi eum sic affatur :* Verum inter cetera ad id tuam memoriam duximus reducendam, quod sæpe ac sæpius tuis auribus inculcavimus, de querela carissimi in Christo filii L. Regis illustris, quem gabella, quam percipis de sale terræ ipsius, graviter scandalizat. *Cum itaque Carolus tam iniquum se præberet* Ludovico, *mirari non possumus, quod hic thesaurum suum, quo se brevi opus habiturum noverat, in ejus gratiam noluerit effundere; præsertim quia vereri merito poterat, ne pateretur difficultatem in recipienda a Carolo pecunia, qualem expertus fuerat in illa repetenda, quam antea ei dederat mutuam, ac necdum receperat. Utrum tamen permotus demum fuerit precibus iteratis Clementis, pecuniaque fratrem, vehementer laborantem, juverit Sanctus, non omnino constat : certe Pontifex enixissime illam opem flagitavit mense* D *Novembri, adeo ut desperaret omnino, nisi pecuniam subministraret* Ludovicus, *his eum verbis affatus col. 242 :* Procura modis omnibus, ut de tua, vel mutuanda pecunia Senensibus mercatoribus, qui sunt in Francia, tantum detur, quod in his partibus se possint effundere ad subsidium socii eorumdem; alioquin cogita, quod cum magno dolore concludimus, ut pares reditum fratri tuo, sanumque recipias pariter et confusum. *Forsan his litteris permotus* Ludovicus *subsidium aliquod pecuniæ dederit, non mutuo, sed dono : id tamen minus est exploratum.*

sed exercitum florentissimum curat Carolo submittendum, quo hic regnum acquirit.

943 *Verum, ut incertum esse diximus, an fratrem pecunia juverit Sanctus; ita certum omnino est, omnem cum legato operam adhibuisse, ut exercitus ei submitteretur florentissimus, isque stipendiis debitiis instructus, impensis eum in finem decimis jam collectis. Quamvis autem non probarit initio Clemens, pecuniam ad illius exercitus stipendia consilio Regis impensam, ut ex ejus litteris apud Martenium col. 178 apparet; eventus tamen docuit, quam utile fuerit id consilium. Quippe cum hic exercitus sub finem anni* E *Italiam esset ingressus, sine damno Romam pervenit, non ausis transitum per Lombardiam impedire Manfredi copiis, quod maxime timebatur. Carolus autem, qui interea in festo Epiphaniæ anni 1266 rex erat coronatus, accepto hoc exercitu, mense Januario expeditionem suscepit adversus Manfredum, ac brevi, hostium spoliis ditatus emersit ex penuria : die vero* XXVI *Februarii, occiso post acrem conflictum Manfredo, insigni potitus est victoria, neque multo post tempore utriusque Siciliæ possessionem adeptus est : quæ apud auctores obvios fusius relata hic pluribus non expono : neque enim Caroli gesta scribo, sed* Ludovici : *neque hæc narravi, nisi ut lector intelligeret, quantum in acquirendo Siciliæ regno* Ludovico *debuerit Carolus.*

quo se modo Carolus habuerit erga Clementem et Ludovicum.

944 *Juvabit tamen notare, quis sensus fuerit Clementis Pontificis de Carolo post regnum Siciliæ acquisitum. Exprimit hunc ille in litteris ad* Ludovicum *apud Martenium col. 327 his verbis :* Ceterum scire volumus tuam magnitudinem, quod quamvis regnum nobile, plenum deliciis et divitiis acquisiverit frater tuus; timemus plurimum, ne segnius quam oporteat terram F custodiat acquisitam. Multos enim abire permisit, quos fuisset expediens tenuisse, qui sicut teneri non poterant sine donis, sic libenter astitissent eidem, feudis decentibus honoranti. Nec credas, quod nostra defuerit admonitio, quam utique et per litteras ei misimus, et in ore posuimus magnorum et fidelium nunciorum. *Ex his, aliisque hujusmodi Clementis querelis, discimus Carolum Clementis consiliis nihilo obsequentiorem se præbuisse, quam* Ludovici, *stabiliori forsan felicitate usurus, si eorum, quibus regnum debebat, monitis morem gerere voluisset. Verum prætermissis iis, quæ deinde in Sicilia contigerunt, alia anni 1265 gesta narrare aggredior, annique principium resumo.*

Ludovicus Pontificatum gratulatur Clementi, qui respondens.

945 *Ubi audierat* S. Ludovicus *Clementem electum Pontificem, nuntios ei misit* Joannem de Trecis archidiaconum in ecclesia Bajocensi, et fratrem Rogerium priorem Vallis-viridis Carthusiensis Ordinis, *quos se læto animo excepisse, scribit Pontifex apud Martenium col. 129, eoque lætiori, quod prospera omnia de ejus, regnique ipsius statu nuntiarent, eximium enim in* Ludovicum *amoris affectum his litteris demonstrat.*

A *strat. Cumque Rex favores aliquos flagitasset per hos nuntios, quo se modo in his gesserit Clemens declarat iis verbis :* Petitiones, quas tuo duxerunt nomine offerendas, diligenter inspeximus, et deliberatione præhabita, licet modica, tamen admodum necessaria, quæ te petere et nos decuit indulgere, liberaliter et benigne concessimus, nec repulimus aliqua, quæ possemus sine scrupulo conscientiæ et aliorum scandalo concessisse, certam de tuæ Magnitudinis circumspectione fiduciam obtinentes, quod probrosum tibi non repules, nostræ ac tuæ honestatis intuitu, pati in aliquibus te repulsam, qui legisse te recolis, et audisse, vas electionis præclarum Principis apostolorum Coapostolum non auditum petitione tertio repetita.

petita quædam privilegia Regi concedit, negat alia :

946 *Ita cum Rege Clemens, cujus eximiam animi moderationem intime habebat perspectam : atque adeo ægre ferre non poterat, etiam* Ludovicum *justis de causis aliquid non concedere. Porro inter ea, quæ concedenda duxerat Clemens, fuit illud, quod in alia epistola, aliquot diebus citius ad Regem data, sic exprimit col.* B *122 :* Tibi tenore præsentium indulgemus, ne latis a nobis vel ferendis sententiis generalibus astringaris, nisi de tua persona, expressis nomine proprio et regia dignitate, fiat mentio in eisdem : quam gratiam eatenus duximus extendendam, ut nec illi, qui tuo mandato speciali circa ea paruerint, pro quibus dictæ sententiæ latæ sunt vel ferentur, iisdem sententiis sint astricti. *Insuper privilegia omnia ab antecessoribus suis Regi data confirmavit per litteras, Kalendis Maii datas, quas vide apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 659.*

scribit querelas esse ecclesiasticorum de quibusdam ejus ministris.

947 *Deinde in præfatis litteris col. 128 Pontifex Regem amice monet, ut* libertatem ecclesiasticam *curet* conservandam, et prælatorum scandala præscindenda, qui, *inquit,* de crebris ballivorum tuorum vexationibus, et etiam tuæ curiæ querebantur. *Ita quidem in hisce litteris ad* Ludovicum, *quamvis non ignoraret eum insigni studio ad ecclesiasticorum defensionem incumbere solitum, idque in aliis litteris sæpe declaraverit. Verum fieri non poterat, ut in tanto regno non committerentur aliqua subinde, inscio* Ludovico, *quæ juri ecclesiastico erant contraria. Hinc eodem die Clemens singulari epistola commendat ecclesiam Narbonensem, cui se iniquiorem præbebat senescallus Carcassonensis, Regemque* C *affatur his verbis col. 131 :* Quocirca serenitatem tuam, quæ ecclesiarum concussoribus suæ clypeum protectionis opponere consuevit, hortandam duximus et rogandam.

licet Regem ipsum ecclesiarum protectorem agnoscat :

948 *Et ad Senescallum ipsum col. 132 sic scribit :* Cum igitur ab ejusdem ecclesiæ injuriis tanto fortius te deceat abstinere, quanto magis eas nedum divinam, verum etiam præfati Regis noverimus offendere majestatem. *Rursum hoc anno, cum perversi quidam homines graves intulissent injurias Ranulpho Stephano canonico Nemausensi Ordinis S. Augustini, ac ministri regii inquisivissent quidem de crimine, at debitam satisfactionem non curassent, Clemens ad Regem scribit col. 185, ut is, quem* in protegendis personis et juribus ecclesiasticis *attentum noverat,* de solita justitia *adhibendum curaret remedium. Hinc patet sine Regis culpa accidere potuisse, ut ministri ejus subinde vel ecclesiæ jura infringerent, vel non satis curarent ea, cum læsa essent, restauranda.*

949 *Porro quod supra dicit Pontifex, de curia etiam regia quandoque conquestos esse prælatos : forsan huic refricandæ querelæ occasionem præbuit controversia, quæ Regi hoc anno nata est cum episcopo Parisiensi, ut refert Chaizius pag. 467 hunc in modum. Incumbebat* Ludovicus *ad monetam recte ordinandam : quidam interim cives Parisienses, sub jurisdictione episcopi constituti, monetam acceptarant prohibitam : judicavit frequens senatus, in quo multi ecclesiastici erant præsentes, cives illos puniri posse per ministros regios : Rex itaque moneri jussit episcopum, ne huic se opponeret decreto : at contendebat episcopus aliter transactum esse inter Philippum Augustum et Parisiensem ecclesiam, neque judicio curiæ acquiescere voluit : hinc manus injecta in bona quædam vassalorum episcopi; ab eo autem urbi, totique diœcesi Parisiensi sacris interdictum; at ecclesiæ quædam interdicto parere detrectarunt. Verum composita deinde controversia Regem inter et episcopum, utrique factum est satis.*

AUCTORE J. S. Sancti controversia cum episcopo Parisiensi :

cura ejusdem ad servanda jura ecclesiarum : consultus de blasphemis Pontifex.

950 *Ceterum, quam jura ecclesiarum illæsa vellet Sanctus, gemino adhuc exemplo apud Chaizium pag. 470 declaratur : nam cum Senescallus Petrocoricensis juramentum exegisset a subditis quibusdam episcopi Lemovicensis, re examinata, Rex contra se ipse sententiam dixit,* E *ac juramentum declaravit irritum. Deinde, cum Cononi Catalaunensi episcopo litteras concessisset libertate donandi centum mancipia territorii episcopalis, eas revocavit ad querelas capituli, cujus consensum neglexerat episcopus. Significat item Clemens in laudatis supra litteris col. 130, se consultum fuisse a Rege de blasphemis corrigendis, dum ita scribit :* Super his tandem, quæ circa blasphemos, et alia, quæ divinum honorem respiciunt, intimasti, licet subito facere nequiverimus, quod petebas, cito tamen proponimus quod acceptum Deo viderimus ordinare. *Hinc colligo leges* S. Ludovici *contra blasphemos necdum latas fuisse : imo eas non nisi post triennium latas, ad annum 1268 probabimus.*

§ LXXV. Anno 1266 Nuptiæ filii Joannis, F lisque inde exorta Regis cura composita : sponsalia filiæ Blanchæ : varia Sancti gesta cum Pontifice, cujus consilium exquirit et sequitur : eximia Regis justitia : oppidum Aquarum mortuarum conditum : pax inter comites Luxemburgi et Barri, induciæque inter reges Angliæ et Navarræ Ludovici diligentia factæ.

Nuptiæ Joannis, filii Regis, cum comitissa Nivernensi : litem hinc ortam

Sub *initium anni 1266 contigisse videntur nuptiæ filii Regis Joannis cognomento Tristani cum Jolanda Eudonis Nivernensis comitis filia et herede, de quorum contractu sponsalitio egimus num. 834. Chaizius certe pag. 504 eas hoc anno factas existimat, et Chesnius in Historia ducum Burgundiæ pag. 88 testatur, litteras donationis nuptiarum causa signari mense Januario*

AUCTORE J. S.

nuario anni 1265, quæ epocha, considerato veteri annum inchoandi more, ad annum 1266 nos deducit. Porro contractis hisce nuptiis, orta est gravis controversia inter ducem Burgundiæ avum Jolandæ, et novos hos conjuges de tutela Jolandæ ejusque sororum, bonorumque administratione, quod contenderet dux Burgundiæ, hanc pertinere ad filium suum Eudonem absentem in Palæstina, ob ætatem minorem Joannis mariti; conjuges vero id negarent.

Rex componit: filiam dat sponsam filio regis Aragoniæ,

952 *Verum* S. Ludovicus *prudentia sua litem ita composuit, ut bonorum administratio omnium sororum Joanni fuerit concessa, tutela vero filiarum suarum Eudoni permissa, excepta tamen Jolanda jam nupta. Plura de his Chaizius loco assignato; qui pag. 508 scribit, Joannem mense Septembri a* Ludovico *ad comitatum Nivernensem deductum, ut possessionem illius caperet. Post reditum vero ex hoc itinere filiam suam Blancham pacto sponsalitio promisit Ferdinando, Alphonsi regis Castellæ filio, ut latius videre est in ipso hujus pacti instrumento apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 662, ubi illud notatur factum* XXVIII *Septembris anni 1266. Hæc pro* B *liberis suis hoc anno Sanctus, cujus virtutum tantus erat splendor, ut eum regi Aragoniæ ad exemplum proponeret Clemens Pontifex, dum apud sæpe laudatum Martenium col. 278 ita scripsit :* Ea propter, fili carissime, Dominum habens præ oculis, et illum benignissimum Regem Franciæ, cum quo tuam amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum, vide *etc.*

Clemens Pontifex, licet Ludovico libere scriberet, se omnia ejus postulata non concessurum,

953 *Idem tamen Pontifex paucos post dies insinuat col. 288, se non omnia concessurum, quæ peteret* Ludovicus, *sic eum affatus :* Hanc in nobis, Fili carissime, te volumus habere confidentiam, quod quæcumque a nobis petieris, ea semper maturitate librabimus, ut quæ pia, et utilia, et tuæ utilitati accommodata, et aliis non damnosa viderimus, tibi sine difficultate aliqua concedamus. Quod si perpenso judicio interdum aliqua non admittimus, certum habeas, quod ad id nostræ deliberationis calculus terminatur, ut plus nobis et tibi consulere id negando credamus, quam si daremus libere postulata, et si forsitan tibi contrarium videretur, non erubescas patris judicium sequi in hac parte, qui sincere tuam diligit animam, et honorem tuum et C regni, suæque salutis non immemor, sic cupit gratiosus esse principibus, et tibi principaliter inter ipsos, ut principum Dominum non offendat, cujus solius judicio stat aut cadit. *Hæc Clemens ad* Ludovicum, *cui pro insigni humilitate justam hanc libertatem non displicituram noverat, licet alioquin non magnopere timendum videretur, ne qua minus æqua postularet Sanctus, et Clemens ipse sæpe opera illius indigeret.*

sæpius tamen magna fiducia ad ejus opem recurrit;

954 *Mense enim Julio Regi binis litteris commendavit abbatiam S. Ægidii in Septimania, et sacrum Cartusianorum Ordinem, in quarum prioribus* Ludovici *in ecclesiasticos, et maxime religiosos benevolentiam his verbis manifestat col. 372 :* Licet igitur Regalis pietas ad divini cultum dedita nominis, circa bonorum jurium et libertatum conservationem ecclesiasticorum se promtam exhibeat et benignam, cunctique religiosi de tui favoris patrocinio gratulentur *etc. Mense vero Augusto, quoniam Petrus comitis Britanniæ filius ad expeditionem transmarinam se accingebat, ac subsidium postulabat a Clemente; hic legatum suum ad Regem remisit, sic scribens col. 389 :* Quia igitur carissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris ipsius Terræ D *(sanctæ)* negotium intimo affectu complectitur, ipsumque specialiter comedit zelus ejus : discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus super hoc ejusdem Regis requiras consilium, et in præmissis facias prout idem Rex consuluerit, et ipsius terræ necessitas, cujus plenam ipsum Regem credimus habere notitiam, suadebit. *Videas hinc, quam fidenter in omnibus ad* Ludovicum *recurreret Clemens.*

ejusque judicio de comitatu Melgoriensi acquiescit.

955 *Quanti vero Clementis judicium faceret* Ludovicus, *palam fecit hoc eodem tempore, dum illum de comitatu Melgorii prope Montem-pessulanum consuluit, ejusque judicio acquievit. Possidebat comitatum illum episcopus Magalonensis; verum non deerant, qui dictitarent injuria possideri, eumque vel ad Regem, vel ad Petrum Peleti Alesti dominum pertinere. Consultus a Rege Pontifex, per litteras mense Septembri datas probare conatus est, comitatum legitimo jure possideri ab episcopo. Litteras autem hasce jam ediderunt Sammarthani tom. 3 Galliæ Christianæ a pag. 581, quas recudit laudatus Martenius a col. 401, ex quibus pauca ad propositum nostrum decerpo :* E Sane, *inquit,* tua nuper a nobis Serenitas requisivit, quid de comitatu Melgoriensi, quem venerabilis frater noster Magalonensis episcopus possidet, sentiremus; cum tuæ Celsitudini sit suggestum, quod vel tibi, vel dilecto filio P. Peleto, * domino Alesti, vassallo tuo fiat injuria. *Ad quod ubi responderat, comitatum esse feudum Romanæ ecclesiæ, atque ad episcopum pertinere ; Regem his demum affatur :* Tuis ergo contentus juribus, et regni latitudine, quod virtute mirifica nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episcopum, et in ipso Romanam Ecclesiam non perturbes, nec susurrationum somniis irriteris : qui quandoque loquentes placentia credulis auribus fel mellitum instillant, quod in te fieri posse non credimus, tuæ dudum constantiam circumspectionis experti. Ceterum de moneta Milariensi, quam idem episcopus cudi facit, ut dicitur, in feudis Ecclesiæ, ei scribimus, quod etiam juri contrarium arbitramur, et Christianæ inconveniens honestati. *Epistola Clementis, qua graviter reprehendit episcopum, quod monetam illam cudi jussisset, præcedenti subjungitur : ex quo intelligimus de ea* F *moneta conquestum esse Regem. Hic porro Clementis consilium secutus, quietam comitatus Melgoriensis possessionem reliquit episcopo; utdote non minus sollicitus, ut ne aliena jura invaderet, quam ne amitteret sua.*

* al. Poleti

comitatum Domni-Martini benigne reddit ;

956 *Id luculenter sane alio ostendit exemplo, apud Joinvillium relato num. 25, quod circa hæc tempora accidisse suspicatur Chaizius pag. 506. Raynaldus de Trie repetebat comitatum Domni-Martini *, quem post mortem Mathildis comitissæ Boloniæ detinuerat* Ludovicus. *Litteras quidem ille afferebat, quibus illius restitutionem Rex promiserat, at sigillum earum usque adeo erat comminutum, ut eas invalidas censerent consiliarii omnes : verumtamen cum in parte sigilli relicta aliquid verisimilitudinis cerneret, comitatum restituit Cultor justitiæ rigidissimus, ut pluribus narrat laudatus Joinvillius. Verum difficultatem hic movet Cangius in Observationibus ad hunc locum pag. 42, nititurque ostendere, nec litteris his opus fuisse Raynaldo de Trie ad comitatum repetendum, nec rationem apparere, cur illum tamdiu detinuerit* S. Ludovicus, *quod Raynaldus legitimus esset heres*

* Dammartin

A *heres. Heredem autem fuisse legitimum sic ex genealogia ostendit. Albericus II comes Domni-Martini filium habuit Raynaldum comitem Domni-Martini, et Bononiæ Maritimæ per uxorem : hic vero Raynaldus unicam genuit filiam Mathildem comitissam Bononiæ : Mathildi item filia unica fuit Joanna, quæ sine prole ante matrem defuncta est, ita ut defuncta Mathilde, posteri omnes Raynaldi comitis essent exstincti, et comitatus Domni-Martini transfundi deberet in alios Alberici II posteros. Posteri autem Alberici II magis propinqui erant Matthæus, Raynaldus, Engelramus, et Bernardus de Trie, utpote nati ex Aleide Alberici filia, quæ Joanni domino de Trie fuerat nupta. Hic ordo naturalis quidem erat et clarus; sed aliunde fuit impeditus : nam Raynaldus Bononiæ et Domni-Martini comes contra Philippum Augustum* S. Ludovici *avum cum aliis principibus conspiraverat, captusque in celebri prælio Bovinensi, bonis omnibus fuerat exutus; quo factum, ut heredes ipsius suo quoque jure exciderint. At contendit Cangius pag. 43, jus heredum postea revixisse.* B *Ratio illius est, quia Philippus Augustus comitatum Bononiensem restituit Mathildi, cui Philippum filium dedit maritum; dedit item Ludovicus VIII Philippi Augusti filius fratri suo Philippo comiti Bononiensi comitatum Domni-Martini una cum comitatu Clari-montis, ut ibidem probat Cangius. Verum hinc inferri necdum potest, heredes Raynaldi in jus suum restitutos : hæc enim ex gratia dari potuerant Philippo et Mathildi, ut deficientibus eorum posteris, ad coronam redirent, sicut re ipsa ad coronam rediit comitatus Clari-montis, ut diximus num. 833.*

ubi heredem legitimum cognoverat : Peronam emit :

957 *Instat tamen validius idem Cangius; nam citat litteras Mathildis anni 1233, quibus declarat, se Regi clientelam jurasse de comitatu Bononiæ, tamquam de hereditate materna, et de comitatu Domni-Martini,* tamquam de hæreditate ex parte patris. *Ex quo aperte videtur consequi, heredes prædicti Raynaldi comitis juri suo fuisse restitutos.* Manet igitur, *ait Cangius,* solvenda difficultas, *cur Rex hunc Mathildis comitatum detinuerit, quemque in finem hæ litteræ essent petitæ. De litteris respondeo, eas* C *datas Mathildi, ut ditiones, quas ex gratia obtinuerat, ad heredes posset transmittere, adeoque per has litteras jus heredum Raynaldi comitis revixisse, indeque permissum esse Mathildi, ut litteris clientelæ* citata verba insereret. Cum autem hæc facta essent longissimo tempore ante mortem Mathildis, dum juvenis erat* Ludovicus, *contingere potuit, ut hæc omnia post obitum Mathildis ignorarentur a* Ludovico, *ejusque ministris, nec invenirentur hæ litteræ, quas negligenter custoditas fuisse, confractio sigilli satis demonstrat. Rex igitur, cum sciret comitatum initio concessum Mathildi, ut rediret ad coronam; ignoraret vero gratiam deinde adjectam; comitatum detinuit, donec jus suum probasset Raynaldus de Trie, qui, fratre Matthæo interim sine prole defuncto, heres erat legitimus. Hisce Cangii dubitationi satisfactum opinor. Porro qui tam facilis erat ad aliena restituendum, non negligebat limites regni sui proferre, dum id ferebat occasio; nam eodem fere tempore Peronam, de qua lis erat exorta, pecunia emptam coronæ adnexuit, conciliatis una opera litigantibus, ut Chaizius habet pag. 507.*

* hommage

Auctore J. S. consulit rursus Clementem de vectigalibus imponendis.

958 *Docuit etiam hoc anno* Ludovicus, *quam tardus esset ad nova onera subditis suis imponenda, quantoque id faceret consilio, cum summi Pontificis ea de re sententiam audire voluit. Agebatur de oppido ædificando ad Aquas-mortuas in commodum mercatorum, aliorumque, præsertim in Palæstinam solventium. Unde æquissimum erat, ut, qui commoda illa perciperent, ad onera etiam manum admoverent. Nihilominus Clementem consuluit Sanctus, ex cujus responso rem plenius lector percipiet. Sic igitur ille rescribit col. 405 :* Cum in portu, quî Aquarum-mortuarum vulgariter appellatur, in Nemausensi diœcesi, turrim dudum extruxeris opere sumptuoso, ut tam peregrini, quam etiam mercatores, in Terram sanctam exinde profecturi, cum rebus suis salvi persistere valeant in eodem : nec eorum possint ad plenum commoditas et securitas procurari, nisi locus fiat ex concursu inhabitantium populosus, interpellatus es pluries et a pluribus, ut audivimus, et rogatus, ut ibidem competens loci spatium murorum ambitu claudi facias, infra quem possint incolæ domos constituere, quæ non solum ab hostium eos reddant tutos incursibus, sed etiam E a ventorum prosecutione deffendant, qui dum undique flatu libero locum pulsant, arenarum cumulis excrescentibus, inhabitabilem eum reddunt.

ad condendum oppidum Aquarum-mortuarum; quo consentiente,

959 Et ne vel ex loci clausura, vel ejusdem custodia prægraveris; placet, ut dicitur, mercatoribus tam in Montepessulano quam in locis insignibus adjacentibus constitutis, quod de mercibus in eumdem portum per mare causa mercimonii inducendis, vel educendis, ex eo vectigal competens imponatur, a te, et tuis posteris recipiendum ibidem. Sane quamvis aliquibus videatur, quod tu tamquam Rex in regno proprio hoc possis statuere cum evidenti venientium èt transeuntium utilitate, vel potius necessitate pensata : ut tamen eo procedas tutius, quo nostrum consultius super hoc requisisti consilium, et assensum. Nos igitur, qui loci situm et statum oculata fide cognovimus, et ab olim optavimus ibi fieri villam bonam pro commoditate multorum, præsertim cum in mari Mediterraneo nullum alium portum habeas regni tui peregrinis accommodum, qui præ cæteris fidei zelo succensi ad Terræ sanctæ subsidium sæpius F se accingunt, tuæ Celsitudini tenore præsentium indulgemus, ut prælatis Narbonensis provinciæ, et vicinis loco baronibus, Montispessulani consulibus, et locorum comitatibus adjacentium ad tuam vel illius, quem ad hoc illud mittendum duxeris, evocatis præsentiam, de consilio illorum possis statuere, quod tam pio negotio videbitur opportunum, provisurus attentius, ut et moderatum vectigal imponatur ibidem, et futuris temporibus nequeat augmentari. Datum Viterbii XI Kalendas Octobris anno II; *id est Christi 1266.*

oppidum illud Regis cura structum.

960 *Hanc Clementis epistolam jam ediderat Catellus in Monumentis historiæ Septimaniæ pag. 339, ubi inquirit, an Aquæ-mortuæ sint Fossæ-Marianæ, a Plinio aliisque commemoratæ, uti putaverunt aliqui. Errorem hunc refutat Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 29 his verbis :* Hunc portum Joannes Olivarius Fossam Marianam a veteribus geographis vocatum esse ait magno errore, cum Fossam Marianam Mella, Plinius, Æthicus, aliique trans Rhodanum in provincia Viennensi fuisse doceant; Aquæ mortuæ sint citra ostia Rhodani in provincia

AUCTORE J. S.

vincia Narbonensi prima, vel Septimania. *Cura igitur Ludovici oppidum istud est constructum, licet auctores vix aliquid ea de re commemorent : nam dubitare non possumus, quin Rex propositum suum exsecutioni mandaverit, cum oppidum videamus, nec alium illius noverimus auctorem. Verum portus ille deinde, postquam regni limites ad mare Mediterraneum protensi fuerunt, paulatim negligi cœptus, ubi non defuerunt alii magis commodi. Hinc portus ille ne notus quidem hoc tempore : nam, ut subdit Valesius,* nunc Aquæ mortuæ alluuntur quidem stagno, usque ad muros accedente, cui nomen suum debent, sed a mari millia passuum circiter duo, seu semileugam, absunt. Portu itaque carent, qui arenis a Rhodano invectis obstructus esse dicitur.

Rex religiosos aliquos decimarum solutione cupit eximi : consilium crucem rursus sumendi Clementi aperit :

961 *Benevolentia Regis erga religiosos aliquot fecit, ut eos cuperet eximi a decimis, fratri suo Carolo persolvendis, idque significaret Clementi; cumque ille hoc Regi negare nollet, et Carolum ægre laturum sciret, eas ex sua pecunia solvi jussit, col. 413 ita scribens legato suo :* Sed tamen volumus et mandamus, quod explores secretius, ad quam summam decima fratrum B Prædicatorum ascendit, et eam de nostro solvi facias, prædicto Rege Franciæ penitus ignorante. *Hæc* III *Idus Octobris. Postridie vero, nuntiis* Ludovici *acceptis, qui Clementi secreto indicasse videntur, illum crucem rursum suscipere decrevisse ad expeditionem transmarinam, immenso gaudio se perfusum scribit, divinoque consilio factum,* ut de finibus tam remotis *utriusque* concurrerint voluntates. *Deinde Regem ad exsequendum propositum hortatur col. 415 hunc in modum :* Age ergo viriliter, Fili carissime, fili benedictionis et gratiæ, et post conceptum laudabilem laudabilius pariens, mittas manus ad fortia. Aderit enim tibi Dominus, et ejusdem Vicarius tuis invigilabit pro viribus commodo et honori. *Eodem die ad legatum scribens, clarius aperit consilium Regis crucem suscipiendi : ex quo colligimus hanc præcipuam fuisse causam, cur Aquas-mortuas ædificare decrevisset. De subsidio interim in Palæstinam mittendo egit iterum per litteras Clemens* VI *Idus Novembris.*

C

rogatus a Clemente, pacem componit inter comites Barrensem et Luxemburgensem,

962 *Eisdem litteris, quas habemus col. 426, pacem inter comites Barrensem et Luxemburgensem conciliandam commendat* Ludovico *his verbis :* Verum quoniam inter dilectum filium nobilem virum Barrensem et Luceburgensem comites guerram intelligimus gravem esse ortam, ad pacem inter eos celeriter reformandam dare te convenit operam efficacem, ad quod dictus P. * cambellanus, sicut libenter, sic et utiliter laborabit. *Aggressus est* Ludovicus *non segniter, quod rogabat Pontifex, ac feliciter perfecit : quamvis eo usque res esset progressa, ut Barrensis Luxemburgensem comitem sororium suum jam haberet captivum, teste Joinvillio num. 246 : nam misso Petro cubiculario suo Luxemburgensem vinculis exemit sine pretio : deinde arbitrio suo omnem eorum controversiam composuit. Quin et regem Navarræ, qui ad bellum contra comitem Barrensem accessserat, arbiter ab utroque electus, cum eo conciliavit; atque arbitrio suo bellum cruentum brevi terminavit, uti latius relatum invenies apud Chaizium pag. 559 et seqq., qui hæc anno 1268 perfecta esse scribit, Regemque ea de causa Remos profectum.*

* Petrus

963 *Hoc modo pro sua, qua apud omnes valebat principes, auctoritate, rem tantam Rex pacificus ad felicem perduxit exitum. Præterea* D *aliud bellum, inter affines sibi principes exortum, hoc anno per inducias sedavit. Erant hi Henricus Angliæ rex, cui adhærebat filius Eduardus, et Theobaldus Rex Navarræ, gener* Ludovici, *qui propter Baionam præcipue, ait Chaizius pag. 509, bello invicem impetebant. Verum cum pars utraque legatos misisset Parisios ad* Ludovicum, *ut induciæ inirentur, atque ita quidem, uti apparet ex litteris assignandis, ut Sancto Regi conditiones componendi præcipua relinqueretur cura, induciæ, triennio post sequens Pascha duraturæ, ejus industria pactæ sunt, quas deinde sua auctoritate et litteris confirmavit, quemadmodum in ipsis Regis litteris descriptum invenies apud Martenium tom. 1 Anecdotorum col. 1122, et seqq., quæ datæ leguntur* Anno Domini MCCLXVI die Lunæ ante Natale Domini.

inducias vero inter reges Angliæ et Navarræ.

§ LXXVI. Anno 1267 crux denuo sumpta; decimæ hac de causa in triennium per Pontificem obtentæ : tentata concordia inter Venetos et Genuenses : tributum Gallis imperatum.

E

Ludovicus, consulto et approbante demum Pontifice,

Quamquam S. Ludovicus *propter urgentia regni negotia ex Palæstina in Galliam est reversus, numquam tamen animum deposuisse videtur eo aliquando remeandi. Hinc frequentia illuc missa subsidia; hinc, teste Gaufrido, sumptus aulæ restricti,* mirantibus cunctis, *qui propositum ejus ignorabant. Hac etiam de causa tanto studio laborasse videtur, ut pacem undique in regno suo, ubi erat, curaret servandam; ubi deerat, conciliandam.* Noluit tamen subito, *inquit Gaufridus num. 57,* aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui. Unde per secretum nuncium et discretum humiliter et devote consuluit super hoc felicis recordationis dominum Clementem summum Pontificem, qui tamquam vir prudens in principio reformidans, diuque deliberans, tandem benigne consensit, ac pium propositum approbavit. *Fecit id Clemens anno præterito per litteras jam citatas num. 961, in quibus præcedentem dubitationem suam ipse sic insinuat :* Pœnitentes siquidem responsionis illius, quam tibi per alias litteras feceramus, intimis cruciabamur angustiis : epistolam revocatoriam, præsentibus interclusam, manu propria scripseramus, parato jam nuntio ad easdem tibi sine aliqua dilatione mittendas. Hæsitaverat tamen animus, et aliquamdiu missionem suspenderat, sed dictorum nunciorum adventus scrupulum dubitationis amovit, et protinus eas dedimus tuis nunciis per expeditiorem cursorem tuæ Celsitudini perferendas. *Hinc colligimus Clementem initio consilium Regis improbasse, postea hæsisse dubium, ac demum probasse.* F

in regni comitiis crucem iterum assumit cum tribus filiis,

965 *Confirmatus ergo in proposito suo* Ludovicus, *post quædam regni negotia in curia de more absoluta mense Februario, omnes regni sui proceres convocavit hoc anno ad comitia, circa medium Quadragesimæ celebranda. De hisce comitiis Chronicon Rotomagense in Bibliotheca Mss. librorum apud Labbeum tom. 1, pag. 376*

A *376 sic habet :* Ad parlamentum Parisius convocati sunt omnes milites regni Francorum, et fuit celebratum die Jovis ante Lætare Jerusalem, *(id est* XXIV *Martii, uti ex Paschate, quod in* XVII *Aprilis incidebat, colligitur)* in quo parlamento crucesignatus est Ludovicus Rex, et filius ejus primogenitus, et multi alii. *Comitia uno die serius habita, ait auctor Chronicæ Normanniæ, duobus Joinvillius num. 257; at modica hæc temporis diversitas insinuat potius, illa ad plures dies protracta esse, quam auctores invicem esse contrarios.*

multosque nobiles cum oratione publica,

966 *Porro memoratus auctor Chronicæ Normanniæ, editus inter Scriptores Normanniæ a Chesnio, pag. 1011 addit aliquid, ad permovendos ad expeditionem suscipiendam animos a Rege factum, quod prætermiserunt ceteri; verba itaque illius subjungo :* Ludovicus Rex Francorum comitum, baronum, militum, et omnium regni sui nobilium militiæ secularis, parlamentum parat Parisius in Quadragesima, ad festum Dominicæ Annunciationis, et coram omnibus cruce facta, et coronam de capella sua gardino suo apportans, ea die cum primogenito suo Philippo, et aliis duobus filiis suis, scilicet Joanne, et Petro crucem assumpsit, in quo loco plurimi nobilium crucem assumpserunt, scilicet comes Britanniæ, comitissa Flandriæ, comes Vindocinensis, et comes de Augo in Normannia, et plures alii nobiles et magnates. *Gaufridus in Vita num. 58 coronam spineam a* Ludovico *allatam tacet, zelum tamen Sancti satis commendat, dum scribit,* exhortationem efficacem et plurimum gloriosam... coram cunctis, qui aderant, *habitam, multaque ad omnes animandos* gratiosissime *ab eo dicta.*

tum privatis sermonibus ad id inducit :

967 *Nec modo publica hac oratione, sed privatis etiam sermonibus familiares suos ad crucem sumendam hortabatur Rex sanctus, uti de se testatur Joinvillius num. 257, licet permoveri non potuerit, ut id faceret. Nangius pag. 383 plures deinde Regis exemplo cruce signatos narrat,* Ex quibus, *inquit,* tantummodo majorum ponimus nomina ad tædium legentium evitandum : Alphonsus frater Regis comes Pictaviæ et Tholosæ, Theobaldus rex Navarræ comesque Campaniæ palatinus, Robertus comes Atrebati, et Guido comes Flandriæ, Joannesque filius comitis Britanniæ, qui filiam regis Angliæ duxerat in uxorem, multique alii nobiles, quorum nomina silentio reprimuntur. *At non sine rerum gestarum ordine perturbato hæc scripta a Nangio; nam Alphonsus Regis frater, Guido comes Flandriæ, jam ante* Ludovicum *cruce se signaverant, quemadmodum docent litteræ Clementis variæ apud Martenium, nimirum col. 381, 385, 389, et alibi.*

Clemens, rogante subsidium Rege,

968 *Porro* Ludovicus *post sumptam crucem, rem Pontifici significavit, ab eoque subsidium postulavit ex reditibus ecclesiasticorum in Gallia. Pontifex vero, laudato Regis proposito, et decimas redituum ecclesiasticorum in Gallia ad triennium concessit, et ditiones Regias, aliorumque cum ipso crucesignatorum sub protectione Sedis apostolicæ esse voluit. Constant hæc ex litteris Clementis, quarum binas,* III *Nonas Maii datas, exhibet Raynaldus ad hunc annum, alteras ad Regem, ad legatum alteras. In hisce num. 52 ita de Rege scribit :* Sane in succurrendi prædictæ terræ proposito, quod habemus, charissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris (in quo indeficientem constantiæ murum, et inconvulsum parietem in defensionem suam contra quoslibet impetus semper devotio, ac religio reperit Christiana) propriam nostro conformans desiderio voluntatem, auditis singultuosis suspiriis Terræ illius de imminentibus eidem intolerabilibus angustiis et pressuris; circa illam misericordia multa motus, tamquam strenuus Christi pugil, ac magnificus Christianæ fidei propugnator, ad liberationem ipsius Terræ animum erigens; mente devota suscepit vivificæ crucis signum, et ad vota properans persolvenda, disponit in proximo cum ingenti comitatu, baronum, nobilium, et aliorum multitudine, prævio salutis angelo, transfretare.

AUCTORE J. S.

illius pietatem multis laudat,

969 Ac exuberantis sui fervorem affectus demonstrans ex operibus evidenter, primogenitum, et duos ex aliis natis suis crucis voluit charactere insigniri; proli non parcens propriæ, nec illam periculis et laboribus dubitans exponere, ut extremæ præfatæ Terræ necessitati possit copiosius subvenire ... In quo ipsum Regem eo speramus acceptius Deo servitium exhibere, quo idem, velut carbo ignitus mortuos carbones accendens, et velut cortina cortinas trahens, ad prosequendum hoc salubre negotium, plures animat et invitat. Ad quod, ejus sectando vestigia, procul dubio inducuntur; dum tantum Principem pro æterni Patris contumelia vindicanda non solum in persona laborare propria, sed et sobolem suam tam inclytam, tamque adhuc ætate teneram, affectu (quo genitores in filiorum afflictionibus plus interdum cruciari assolent, quam etiam in seipsis) deposito, et dilectioni Dei, cui super omnia placere satagit, ejus totaliter debitis obsequiis postposito, tot diversis, hac occasione inevitabiliter incumbentibus, mandare periculis intuentur...

decimas redituum ecclesiasticorum in triennium concedit:

970 Et quoniam ad hujusmodi laudandum negotium, quod memoratus Rex pro divini timore nominis, et amore suscepit magnanimiter promovendum, sumptus fere innumerabiles requiruntur; nos optantes illi ad hoc opportunæ subventionis auxilium non deesse, decimam trium annorum omnium redituum, et proventuum ecclesiasticorum in toto regno Franciæ, (illis, qui ad loca quævis Hospitalis S. Joannis, et domorum militiæ Templi Jerosolymitani, ac S. Mariæ Theutonicorum; sive ad ecclesiasticas personas, signo crucis assumpto, in primo generali passagio in prædictæ Terræ personaliter subsidium profecturas, quas ab hujusmodi præstatione decimæ a tempore susceptæ crucis ipsius haberi volumus excusatas, pertinent, dumtaxat exceptis) in subventionem prælibati negotii Regi præfato per nostras sub certa forma litteras jussimus exhiberi. *Post quæ memorato legato, S. Cæciliæ Cardinali, illas decimas colligendi committit provinciam.*

ac ditiones Regis, aliorumque crucesignatorum sub protectione vult esse Sedis apostolicæ

971 *Alias Clementis litteras, aliquot diebus serius ad ipsum Regem datas, recitavit Cangius in Observationibus ad Historiam Joinvillii pag. 116, in quibus sic* Ludovicum *affatur :* In spiritu pietatis mentem tuam ad Christum, Fili charissime, conscendisse percipimus; nam dum in terris corpore militas, cælestem militiam, ad quam suspiras, animo contemplaris. Hic profecto labores amplecteris, ut ibi quietis perpetuitate læteris. Hic etiam indefessum et pervigilem exhibes, ut ibi percepto gloriæ præmio, veluti magnificus triumphator exultes. *Deinde*

inde, laudato pluribus verbis ejus proposito, postulatis aliis annuit his verbis : Ut igitur votum tuum eo efficacius prosequi valeas, quo magis fueris Apostolico favore munitus, postulationibus tuis favorabiliter annuentes, regnum Franciæ, comitatus, et cætera loca tibi subjecta, nec non terram illorum, qui tecum in subsidium prædictum accesserint, quamdiu in prosecutione hujusmodi negotii fueritis, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. *Addit excommunicationem contra eos, qui ditiones illorum crucesignatorum vexare auderent, sicuti latius ibidem legi potest.*

concessioni decimarum repugnat trium provinciarum clerus.

972 *Postremus hic Pontificis favor, ut nemini erat oneri, ita gratus omnibus accidit. Non æque grata erat* Gallicano clero, suorum commodorum, quam rei Christianæ tuendæ cupidiori, *ut loquitur Raynaldus num. 55, decimarum concessio : verum huic acerrime repugnavit. Nam, ut habet Chronica Normanniæ, apud Chesnium ante laudatum pag. 1012,* audito, quod Ludovicus Rex Francorum a Papa
B peteret decimam in subsidium Terræ sanctæ, procuratores cathedralium ecclesiarum regni Franciæ Parisius in unum convenerunt, et pluribus tractatibus habitis, tres provinciæ, scilicet Remensis, Senonensis, et Rothomagensis, solemnes procuratores ad Papam mittunt cum litteris sequentibus, *quas subjunxit. Verumtamen, cum apud Clementem per legatos suos ostenderet* Ludovicus, *æquum esse, ut ecclesiastici aliquid commodis suis detraherent, quando principes non modo rem suam familiarem impendebant, sed vitam quoque exponebant periculo, nihil hæ litteræ, nihil verba procuratorum litteris duriora profuerunt. Quin imo Pontifex, ut subdit auctor,* cum magna austeritate nuncios ecclesiarum suscepit, et dure locutus ad eos, nihil acto de negotio ecclesiarum, absque honore remisit, decimamque dari Regi per triennium confirmavit, magnisque minis et terroribus rebelles compescuit.

quem refutat, et reprehendit Pontifex.

973 *Testantur id Clementis litteræ apud Martenium col. 522, ubi ad legatum suum hac de re ita scribit :* Sane nuper recepimus dilectorum filiorum decanorum et capitulorum Remensis,
C Senonensis, et Rothomagensis ecclesiarum, et suffraganeorum suorum procuratores, et litteras, voce nobis et scripto plurima proponentes... Conclusionem *petitionis suæ* in suarum serie litterarum multis prius instruxerant argumentis, quorum quædam in dubiis, quædam in falsis, quædam in prorsus impertinentibus fundabantur. Verum dicti procuratores litterarum narratione simplici non contenti, subjunxerunt expressius aliqua, quæ conceptam malitiam detegerent, inter cetera verba blasphemiæ proponentes, quod si decimam concederemus petitam, mallent dicta capitula excommunicationum sustinere sententias, quam in hoc casu nostris obedire mandatis, cum apud ipsos communiter diceretur, quod non cessaret exactio tributorum. Nos igitur insolentiam contemptorum merito contemnentes, litteras litteris, et verbis verba reddidimus, supplicationem ipsorum, quam jam gratia nostra Regi facta prævenerat, repellentes, et appellationem a te interpositam, quia supplicationes eorum non admiseras, prout asserunt, reprobantes, cum sit nostrum immobile, fixumque propositum dictam gratiam executioni mandare, non obstante appellationis cujuslibet, vel contradictionis objectu. *Epistolam* D
Clementis ad ipsa capitula datam, qua eorum rationes solide refutat, appellantesque acriter ab exemplo Regis, aliorumque crucesignatorum perstringit, lector inveniet apud Raynaldum num. 55, et seqq.

Crucem a Rege susceptam ad varios scribit Clemens : subsidium in Palæstinam missum :

974 *Interim dum hæc agebantur, summus Pontifex Græcum imperatorem de pio Regis proposito certiorem facit, uti et regem Armeniæ; hunc in spem erigens, illum ad expeditionem contra infideles excitans, non sine insigni Regis commendatione, sicut epistolæ docent apud Martenium col. 468 et seqq. Imo et ad potentem Tartarorum principem, qui se Christianum dicebat, idem perscribere voluit, apud Raynaldum num. 70.* Ludovicus *vero, cum sciret omnia ad discedendum parari non posse brevi tempore, tempusque expeditionis necdum esset fixum, ad periclitantes in Palæstina Christianos militum subsidium destinavit. Testatur id Clemens in litteris ad legatum Siciliæ, col. 465 ita scribens :* Tempus autem passagii *(crucesignatorum)* nondum scitur, sed subsidium militum ad Terræ sanctæ sustentationem interim E
destinatur.

concordia inter Venetos et Genuenses frustra tentata :

975 *Præterea ad expeditionem suam promovendam* Ludovicus *una cum Pontifice, et Carolo fratre Siciliæ rege, pacem conciliare studuit inter Venetos et Genuenses, quorum bellis ingentia detrimenta res Christianorum patiebatur in Syria. Legatos autem a tribus memoratis principibus missos hunc in finem ad Raynerium Zeno Venetorum ducem, testatur Andreas Dandulus in Chronico, tom. 12 Scriptorum rerum Italicarum col. 375, ubi culpam pacis non factæ in Genuenses rejicit, rem ita enarrans :* Nunc etiam legati Papæ, et Ludovici Regis Franciæ, et Caroli regis Siciliæ, Venetias accedentes a duce requirunt, ut Terræ sanctæ compatiens, ad quam idem Ludovicus jam proficisci decreverat, ambasciatores * pro tractanda cum Januensibus pace seu tregua secum mittit *, quorum requisitioni assentiens dux, Joannem Dandulo, Marcum Quirino, et Federicum Justiniano, de sua intentione informatos, cum illis mandavit Januam. Sed Januenses elati requisitionem Papæ et regum despiciunt, et ambasciatores Venetorum inconvenienter recepti ad propria redeunt. F
Ita ille, cujus si chronologiam sequimur, jam anno præterito hæc gesta fuerint, verum res ipsa magis suadet, post crucem a Ludovico *sumptam facta esse. Ut ut est, repetitam anno 1268 hanc legationem narrat idem auctor col. 376, sed irrito item conatu.*

* *i. e.* legatos
* mittat

tributum pro sacra expeditione

976 *Ad promotionem etiam expeditionis sacræ spectat tributum, quod impositum hoc anno a* Ludovico *ad necessariam tantæ rei pecuniam colligendam, narrat Chaizius a pag. 540. Raro id tunc temporis fiebat in Gallia, nec nisi in necessitatibus urgentibus ; ac ne tunc quidem omnes tributum pendebant, sed excipiebantur nobiles, aliique nonnulli, quorum privilegia omnino servata voluit Sanctus in hac tributi impositione, quam alibi* subsidium per Regem petitum, *alibi* donum concessum *vocari, ait laudatus Chaizius. Excepit insuper a collatione hujus tributi omnes illos, qui labore manuum victum sibi debebant acquirere; ac diligentissime cavit, ne fraude exactorum alii premerentur graviori onere, alii immerito eximerentur. Formam ipsam, quam in descriptione tributi observatam voluit, accipe ex Acherio tom. 3 Spicilegii pag. 663,*

A *663, ubi his describitur verbis :* Eligantur per consilium sacerdotum parochialium, et aliorum virorum religiosorum, necnon et burgensium, et aliorum proborum virorum de communi ipsorum usque ad quadraginta vel triginta, boni viri et fideles, vel plures, aut pauciores, secundum quantitatem ipsarum villarum : et illi, qui sic electi fuerint, jurabunt super Sancta, quod ipsi de ipsis, vel de aliis probis viris earumdem villarum eligent usque ad duodecim de illis, qui meliores erunt, ad dictam talliam assidendam *.

* *i. e.* censum taxandum

Gallis imperatum :

977 Et illi duodecim nominati ab eis jurabunt super Sancta, quod bene et fideliter assidebunt dictam talliam, nec parcent alicui, nec aliquem gravabunt odio vel amore, pretio vel timore, seu quocumque alio modo : et assidebunt dictam talliam ad libram æqualiter, et valor immobilium appretiabitur ad medietatem mobilium in assisia prædictæ talliæ. Eligentur etiam simili modo cum prædictis duodecim alii quatuor boni viri, et scribentur nomina eorum, secreto tamen, ita quod eorum electio non publicetur aliquibus, sed sub secreto habeatur, quo B usque illi duodecim assiderint, sicut prædictum est, talliam prædictam. Quo facto, antequam publicetur tallia, vel aperiatur scriptura facta super tallia prædicta : illi quatuor sic electi, juramento ab ipsis præstito de illis duodecim fideliter talliandis, sub forma prædicta assidebunt talliam competentem. *Ita Rex prudentissimus, ut onera, quæ non nisi cogente necessitate imponebat, omnibus incumberent æqualia.*

§ LXXVII. Controversia quædam cum Pontifice : adest sanctus Vezeliaci translationi reliquiarum, quas splendide exornat : Philippum filium cum aliis militem creat : consuetudinem perniciosam tollit, etc.

Cum præbenda quædam Remensis collata esset

Chaizius pag. 548, aliique scribunt, dissensionem Ludovicum *inter et Clementem fuisse ob collationem præbendæ cujusdam, quæ vacabat per promotionem Joannis de Courtenay* C *electi archiepiscopi Remensis. Neque negaverim aliquid revera fuisse controversiæ ; verumtamen rem eo peractam modo, quo ab illis descripta legitur, non perspicio. Quin potius plus videtur obtulisse Clemens* Ludovico, *quam ille uti voluerit ad jus suum tuendum. Porro totum hoc negotium habetur ex binis Clementis litteris, quas varie interpretantur varii. Priores, mense Decembri anni 1266 ad Regem datas, recitat laudatus sæpe Martenius col. 432 hunc in modum :* Latere tuam nolumus Celsitudinem, quod dilecto filio J. * Remensi electo de nostrorum fratrum consilio confirmato, nos dilectum filium nostrum G. tituli S. Marci presbyterum Cardinalem favore volentes prosequi speciali, ordinationem ejus *(lege* eidem) dedimus Laudunensis et Remensis, quas electus memoratus habuit, præbendarum : si tamen Remensis a confirmationis electi tempore, quod plurimi afferebant *, ad collationem regiam, sicut de jure, sic de consuetudine non spectabat.

* Joanne

* *videtur legendum,* asserebant

979 Idem sane Cardinalis dictam præbendam contulit cuidam clerico tali digno, ut asserit, et majori, cum multa nos rogans instantia, ut te sollicitis precibus inducamus ad effectum hujusmodi sine tuo in posterum præjudicio tolerandum : quod si tibi placuerit, nostras litteras dabimus de hoc efficaces. Alioquin placeat saltem eidem, omnino cedenti, in favorem Cardinalis ejusdem præbendam de novo concedere memoratam. Nos igitur, qui jus tuum, si de consuetudine illud potes defendere, nec volumus nec voluimus perturbare, Serenitatem tuam rogandam duximus, quatinus per alteram dictarum viarum desiderio satisfacias Cardinalis, et nostro. Quod si tibi non placet, uti te jure tuo sine nostra et Romanæ Ecclesiæ injuria æquanimiter toleramus.

AUCTORE J. S. *auctoritate Clementis ; hic Regem rogat ut se non opponat,*

980 *Hinc patet precibus potius, quam imperio egisse Clementem, liberumque fuisse* Ludovico, *præbendam vel eidem, vel alteri conferre. Quapropter dubitare vix possum, quin Clemens, quando deinde eamdem præbendam eidem contulit clerico, postquam hic illam resignaverat, id fecerit consentiente* Ludovico, *atque inter eos convenisse, ut res ita perageretur,* E *quo jura Regis manerent illæsa, sicut illa se velle illæsa declarat Pontifex in epistola mox recitanda. Etenim cum in eadem epistola jus Regis agnoscat, jus Regis illæsum velit, et præbendam se conferre dicat, sibi ipse contradiceret, nisi id ejus faceret consensu. Litteras itaque has, lector, accipe ; et diversas aliorum narrrationes ad illas, cum superioribus collatas, expende.*

rem tamen ejus permittens arbitrio :

981 *Editor Martenius col. 521 eas exhibet hoc modo :* Cum filius noster G. titulo S. Marci presbyter Cardinalis, auctoritate nostra sibi a nobis oraculo vivæ vocis commissa, præbendam, quæ in Remensi ecclesia per promotionem venerabilis fratris nostri J. archiepiscopi Remensis, tunc canonici ejusdem ecclesiæ, olim dignoscitur vacasse, dilecto filio, magistro Johanni de Villausico, Remensi canonico contulisset : nos collationem hujusmodi ratam habentes et firmam, eam auctoritate Apostolica duximus confirmandam, certo super hoc per nostras litteras executore concesso, qui eumdem magistrum in possessionem ipsius præbendæ auctoritate litterarum dictarum dicitur induxisse. Verum F quia tu ea ratione, videlicet quod vacantes conferre in ecclesia ipsa præbendas a tempore, quo eamdem ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi archiepiscopus, ex regulis juris hujusmodi collationem in præjudicium tuum asseris factam :

deinde, cum collationem juri suo contrariam diceret Ludovicus,

982 Nos, qui a cujuscumque de pusillis quantumcumque minimis scandalo abstinere intendimus, te, quem pro tuis clarissimis meritis internæ complectimur brachio caritatis, super hoc scandalizare nolentes, dilecto filio Dionysio canonico ejusdem ecclesiæ damus sub certa forma nostris litteris in mandatis, ut a dicto magistro Johanne consignationem ipsius præbendæ liberam auctoritate nostra recipere non omittat. Verum cum eidem Dionysio per alias nostras litteras injungamus, ut ab eodem magistro Johanne juxta priorum litterarum nostrarum tenorem, libera ipsius præbendæ consignatione recepta, eam vacantem postmodum præfato magistro Johanni auctoritate nostra per se vel per alium, conferat et assignet ; ac eum in possessionem illius inducat et defendat inductum, contradictores, persona tua excepta, per censuram eccle-

collatio rescinditur prius ; deinde præbenda eidem confertur,

 siasticam,

AUCTORE J. S.

consentiente, ut videtur, Ludovico, cujus juri per litteras cavetur.

siasticam, appellatione postposita, compescendo :

983 Nos quod per præmissa usui, quo in præfata ecclesia circa collationem præbendarum ipsarum uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus, has litteras nostras in testimonium sublimitati Regiæ duximus concedendas. Datum Viterbii Idus Septembris, Pontificatus nostri anno III. *Cum hæc Clementis epistola novem fere mensibus posterior sit præcedenti, qua collationem* Ludovici *arbitrio permittit, eumque precibus solum inducere conatur, ut præbendam alteri non conferat, id ipsum tamen* æquanimiter *se laturum scribens; vehementer mutatum fingat Clementem necesse est, qui hæc eum fecisse existimat, invito Rege; atque eo quidem tempore, quo summa inter eos erat animorum conjunctio. Hinc non satis utramque epistolam considerasse videntur, qui dissensiones hic sibi finxerunt et pugnas, cum Sanctus id unum studuisse videatur, ut juri suo caveretur modo, quo fieri posset, magis commodo, suæque in summum Pontificem observantiæ magis consentaneo. Nunc ad alia hujus anni gesta progrediamur.*

B

Assistit Sanctus translationi reliquiarum Vezeliaci,

984 *Inventum erat in cœnobio Vezeliacensi in Burgundia corpus alicujus Sanctæ, quod putabatur S. Mariæ Magdalenæ, siculi late exposuit Sollerius noster in Actis ejusdem Sanctæ tom.* V *Julii pag. 207 et seqq., probare deinde conatus, traditionem hanc Vezeliacensem non satis solido niti fundamento. At hæc disputatio ad sanctum* Ludovicum *non spectat. Porro invento corpore, ut ibidem in Actis inventionis narratur pag. 210,* domini episcopi, et abbas prælibatam sanctarum reliquiarum inventionem piissimo ac sanctissimo Regi beatissimo Ludovico tunc temporis regnanti, personaliter nuntiaverunt. Qui quidem beatissimus Rex glorificans Deum ex eo, quod suis temporibus præfatæ sanctissimæ reliquiæ fuerant inventæ, diem statuit et ordinavit, videlicet vigiliam B. Marci Euangelistæ anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, una [*cum*] reverendissimo patre ac domino Symone Cardinale, tunc in Francia apostolicæ Sedis legato, ad præfatas sanctissimas reliquias solenniter relevandas, ad quod etiam ipse piissimus ac beatissimus Rex una cum prædicto legato personaliter præsens fuit cum multis proceribus : *nimirum tribus filiis, genero Navarræ rege, aliisque ibi relatis. Voluit itaque Rex sanctus post crucem sumptam hac pietate Sanctorum promereri favorem.*

C

easque splendide exornat : harum parte accepta,

985 *Quanta autem munificentia hasce reliquias curaverit exornandas, quasque vicissim reliquias donaverit monachis, a quibus harum partem acceperat, declarat Regis ipsius epistola, ibidem subjecta, his verbis :* Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis sibi in Christo abbati, et conventui Viziliacensi salutem, et sinceram in Domino caritatem. Mittimus vobis per dilectum et fidelem clericum nostrum magistrum G. archidiaconum in ecclesia Paris. latorem præsentium, pretiosum brachium beatissimæ Mariæ Magdalenæ, et genam ipsius una cum tribus dentibus, quæ in octavis Paschæ ultimo præteritis, cum nos solenni ejusdem B. Mariæ translationi interfuimus, nobis apud Viziliacum tradidistis, quæ quidem ob specialem devotionem, quam nos et cuncti fideles habere debemus ad ipsam, in vasculis aureis, variis lapidibus pretiosis ornatis, brachium videlicet in vasculo facto ad modum brachii una cum manu, genam vero in alio vasculo, quod ab angelo argenteo deaurato inter manus tenetur, fecimus honorifice collocari; vobis et vestræ ecclesiæ ex parte nostra per dictum archidiaconum præsentanda .... Verum cum vos de sacratissimo corpore prædictæ beatissimæ Mariæ Magdalenæ, cum ipsius translationi, ut prædictum est, interfuimus, portionem bonam nobis liberaliter dedissetis, ex quo vobis grates referimus copiosas : D

alias reliquias monachis vicissim donat.

* xenio

986 Nos liberalitatem vestram hujusmodi attendentes, vestramque ecclesiam venerando decorare volentes exennio *, de sacratissimis reliquiis nostris, quas jam dudum recepimus de imperii Constantinopolitani thesauro, vobis transmittimus : de pretioso videlicet ligno Dominico, duas de spinis sacratissimæ coronæ Domini, de pannis infantiæ Salvatoris, de ipsius sudario, de veste purpurea, in qua fuit illusus, et de linteo, quo fuit præcinctus, quando pedes discipulorum suorum extersit in cœna : quas quidem reliquias fecimus in manu brachii supradicti reponi. Congruum enim visum est nobis, quod hujusmodi reliquiæ Redemptoris ponerentur cum reliquiis illius sanctissimæ mulieris, quæ tam ardenter dilexit eumdem, et ab eo tam lagam suorum recipere meruit veniam delictorum : a E qua etiam ipse tam familiariter se tangi permisit. Rogamus igitur dilectionem vestram, quatenus hujusmodi tam sanctas tamque venerandas reliquias cum debito suscipientes honore, ipsas cum ea veneratione, qua decet, conservare curetis : caventes ne prædicta vascula, ac lapides pretiosi, ad ornatum eorum appositi, alienentur imposterum, seu etiam distrahantur. Cæterum rogamus vos, ut in vestris orationibus ac beneficiis * nostri nostrorumque specialem perpetuo memoriam habere velitis. *Datæ hæ litteræ Senonibus mense Julio, quibus legati litteræ leguntur subjectæ.*

* *i. e.* bonis operibus

Philippum, filium cum multis nobilibus

987 *Redux autem ex Burgundia Sanctus, Philippum filium jam natu maximum, ac deinde in regno successorem, militiæ cingulo donavit. In hac autem solemnitate patuit, quanti* Ludovicus *fieret a suis, quanti ab exteris. Inter plurimos enim eosque nobilissimos, ab eo militia donatos, adfuere, teste Chaizio pag. 378, Edmundus regis Angliæ filius, et filius regis Aragoniæ, qui Sanctum in hac cæremonia parentibus regibus prætulerunt : Galli vero suum in* F *Regem amorem ingentibus gaudii signis testatum reddiderunt. Audi Chronicam S. Stephani Cadomensis inter Scriptores Normanniæ apud Chesnium pag. 1021 :* Anno MCCLXVII fuit Philippus filius Ludovici Regis Franciæ... apud Parisius armis militaribus noviter insignitus in die sancto Pentecostes. Et tanta lætitia Parisius utriusque populi facta est, quanta antea audita non fuerat neque visa.

militem creat,

988 *Addo verba Nangii pag. 378 :* Anno sequenti, *inquit,* scilicet anno Domini MCCLXVII in Pentecoste, prælatis et baronibus fere totius regni Franciæ Parisius congregatis, Ludovicus Rex Franciæ, videns filium suum primogenitum Philippum juvenem fortem et probissimum, atque Robertum nepotem suum, filium Roberti fratris sui Attrebatensis comitis, quondam apud Massoram interfecti, eos cum pluribus aliis milites novos fecit ; ubi tanta fuit lætitiæ solemnitas, quod populus civitatis Parisiensis ab omni opere vacans, solummodo lætitiæ et exultationi intentus, per octo dies et amplius, civitate per totum cortinis pannorum varii coloris, et ornamentis

A mentis pretiosis mirabiliter palliata *, solemnitatem protenderent. *Imo et numisma hac de re cusum, quod hoc modo exhibuit Jacobus de Bie fol. 25 :*

* i. e. vestita



qua occasione principes quidam crucesignati :

989 *Adstipulatur his Chronica Normanniæ apud Chesnium laudatum pag. 1011, unde simul discimus, quid hac tanta solemnitate maxime intenderet Sanctus, dum adduntur sequentia :* Qua de causa in insula beatæ Mariæ per B Simonem legatum et Cardinalem prædicatum est de cruce, et plurimi nobilium crucem ibidem sumpserunt, scilicet rex Navarræ, et cognatus ejus comes Drocensis, cum multa nobilitate militum. Similiter Odo Rigaudus venerabilis Rothomagensis archiepiscopus cum pluribus clericis ibidem crucem assumpsit. *Sequenti autem post solemnitatem die piissimus Rex novos hosce milites duxit ad sanctum Dionysium regni patronum, ut habet Chronicon Nangii ad hunc annum, sic et expeditionem suam, et eorum militiam sanctissimo Franciæ protectori commendaturus.*

sepulcra regum mutanda curat Dionysiopoli :

990 *Eodem fortasse tempore factum, quod certe hoc anno contigisse, subdit Nangius his verbis :* Apud sanctum Dionysium in Francia facta est regum Francorum, in monasterio illo per diversa loca quiescentium, per sanctum Regem Franciæ Ludovicum, et Matthæum abbatem illius monasterii, simul adjuncta translatio : et qui erant tam reges quam reginæ de genere magni Caroli descendentes, simul in dextera parte monasterii, per duos pedes et dimidium super terram C cælatis imaginibus elevati, positi sunt ; et alii procedentes de genere regis Hugonis Capuții *, in sinistra. *Ita ille. At breve Chronicon S. Dionysii apud Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 497 hæc peracta memorat partim anno 1263, partim 1264 : incertum autem utri auctori magis sit fidendum, cum uterque subinde fallatur in tempore designando.*

* Capeti

regi Angliæ succurrit, perniciosam consuetudinem abrogat.

991 *Porro* Ludovicus *Philippo filio militia donato Aureliam aliasque urbes, quas pag. 543 enumerat Chaizius, ad sustentationem attribuit. Nec obstante expeditionis sacræ cura, comitia consueto tempore habuit, suasque in eis, ac aliorum controversias per se ipse terminavit. Adhæc, comite Glocestriæ in Anglia necdum quiescente, Henrico regi subsidium misit, de quo ita Westmonasteriensis ad hunc annum :* Ad regem in Stratfordia commorantem, venerunt de partibus transmarinis comites Boloniæ, et sancti Pauli, secum ducentes cc milites cum sequela. *Hoc autem subsidium non parum profuit Henrico ad reliquias rebellionis penitus excidendas. Demum consuetudinem hominum vitæ perniciosam abrogavit Tornaci. Audi verba antiquæ chartæ apud Joannem Cousin in Historia Tornacensi tom. 1, pag. 72 citata :* Ludovicus Francorum Rex abrogat an. Domini MCCLXVII consuetudinem civitatis Tornacensis, qua qui propter homicidium exulabat, poterat quatuor libris Parisiensibus in civitatem regredi. *Quæ confirmat Cousinus per urbis consuetudinem, qua annis singulis voce præconis prohibitio* Ludovici *de non restituendo in urbem homicida renovatur.*

AUCTORE J. S.

§ LXXVIII. Anno 1268 varia cum Pontifice tractata : controversia Ludovici cum Clemente, quem offensum novis beneficiis demeretur : mutui eorum conatus ad promovendum bellum sacrum : leges contra blasphemos latæ.

E

Significat Clementi quo tempore statuisset in Palæstinam discedere :

M*iserat* S. Ludovicus *ad Clementem IV priorem Cartusianorum Vallis-viridis, ut de rebus variis suo nomine ageret cum Pontifice. Hic igitur mense Januario anni 1268 litteras ad Regem dedit, ex quibus intelligimus, quænam inter illos tractarentur negotia. Imprimis Regem significasse Clementi, quo tempore expeditionem sacram meditaretur aggredi, insinuat hoc epistolæ initium apud Martenium col. 563 :* Quæ per filium dilectum R. priorem Vallis-viridis juxta Parisius Cartusiensis Ordinis tua nobis sublimitas intimavit, diligenter audita pleno collegimus intellectu : ad quæ taliter respondemus, quod de passagio est depositum, licet protractio sit in Terræ sanctæ discrimine, tolerandum est tamen, et carebit periculo, si Terra interim provide sustentetur. *Significat deinde Clemens se consultum fuisse ab Eduardo Angliæ regis filio de cruce assumenda ; verum id ei suadere non potuisse ob vacillantem adhuc Angliæ statum. Attamen Eduardus sub avunculo suo* Ludovico *cupiebat bellum sacrum inchoare, crucemque ab eo sumptam videbimus postea. Scribit præterea regem Aragonum paratum fore ad transfretationem in Palæstinam,* si pecunia non deesset. F

rogat eumdem, ut filios omnes eximat censuris episcoporum, at hoc non obtinet :

993 *Demum præter alia, quæ ad rem nostram parum attinent, recusat* Ludovico *petitam gratiam, ne filii ejus et nepotes censuris episcoporum subjacerent, sicut Rex ipse ejusque filius Philippus iis erant exempti. Rationem allegat Pontifex, quod episcopi conquererentur de jurisdictione sibi ablata, cui addit querelas ecclesiasticorum de ministris quibusdam regiis. Easdem rationes repetit in epistola alia col. 586, ad iteratam Regis petitionem responsoria, ubi id privilegium* Ludovico *datum dicit, quia Sedes apostolica de eo specialiter bene præsumebat, aliasque causas allegat his verbis :* Sunt enim et reges alii, ac inferiores barones, qui a nobis petentes similia, non absque scandalo sunt repulsi, quos licet tibi credamus meritis impares, male tamen sonat hæc excusatio in auribus eorumdem, ut scilicet in depressionem eorum tuæ laudis titulos attollamus. Non enim omnia omnibus vere placent : sed nec prælati libenter hæc audiunt, ut de tua potius innocentia, quam eorum

AUCTORE J. S.

eorum prudentia ac modestia præsumamus. *Plura addit, quæ ibidem legi poterunt.*

decimæ etiam in quartum annum conceduntur, ut excipiantur distributiones.

994 *Quemadmodum Clementi significaverat* Ludovicus, *quo tempore statuisset discedere, ita convocatis proceribus ad curiam circa festum Virginis Purificatæ, cum crucesignatis juramento se obligavit ad discedendum anno 1270, uti habet Chronica Normanniæ apud Chesnium pag. 1013. Hinc aucta cura necessariæ pecuniæ colligendæ, circa decimas redituum ecclesiasticorum recte ordinandas laboratum fuit. Porro hæ decimæ ita initio fuerant concessæ, ut distributiones quotidianæ non exciperentur : at, conquerentibus ecclesiasticis, Regeque petente, concesserat Clemens, (apud Martenium col. 557) ut distributiones clerici haberent ab hoc onere liberas ea conditione, ut ad solutionem decimarum quartum annum adjicerent, licet adderet in litteris tantam esse Terræ sanctæ necessitatem, ut subsidia augeri* deceret potius, quam arte qualibet defalcari : *neque hanc exceptionem distributionum mutare deinde voluit Clemens, tametsi id cuperet* Ludovicus, *ut disces ex illius epistola col. 604.*

B

Lis inter Regem et Pontificem

995 *Etsi tanta esset animorum conjunctio inter* Ludovicum *et Clementem, quantam hactenus vidimus, negabat tamen alter alteri subinde, quod justis rationibus concedendum non putabat, nec inde amicitia lædebatur. Verum ut erat uterque ad jura sua conservanda attentissimus, nonnihil hac occasione ortum est controversiæ, aliquid etiam offensionis ex parte saltem Clementis. Petrus de Charny archidiaconus Senonensis electus erat ejusdem ecclesiæ archiepiscopus in locum abdicantis se Guilielmi de Brosse; profectusque ad Clementem, ibidem erat consecratus. Hinc nata controversia juris : dicebat enim Clemens* beneficia, quæ in curia *Romana* vacare contingit *suæ se* dudum collationi reservasse, *ut habet ejus epistola col. 580. At* Ludovicus, *cujus alioquin erat collatio, hanc reservationem non videtur admisisse : certe postulavit Clementem, ut sibi jus suum conservaretur. Audi litteras Clementis mox assignatas :* Ex parte, *ait,* carissimi in Christo filii nostri Regis Franciæ illustris nobis extitit supplicatum, ut super collatione archidiaconatus Senonensis, quem obtinebat electus, jus suum conservaremus eidem. *Ad*

C

has preces collationem Pontifex se distulisse scribit, donec archiepiscopus Senonensis ad Regem reversus, de jure Pontificio ipsum plene edocuisset.

de collatione archidiaconatus Senonensis :

996 *Interea dum collationem differt Clemens, eum prævenit* Ludovicus, *conferens archidiaconatum Girardo de Ramplion, priusquam ad ipsum rediret archiepiscopus Senonensis. Non dubito enimvero, quin bona fide sic processerit Sanctus, quod jus suum putaret non esse ambiguum, quodque timeret, ne rursum præveniretur a Clemente, ac pacis amore jure suo cedere cogeretur. Attamen, quidquid sit de jure utriusque, de quo disputare non lubet, factum improbavit Pontifex, nec offensionem suam dissimulavit, dum Idibus Junii ad Regem ita scripsit col. 607 :* In archidiaconatus Senonensis negotio nobiscum curialius agere tua, Fili carissime, circumspecta prudentia potuisset; nec peccabimus, si dixerimus, debuisset : cum pro jure salvando Regio, si quod erat vel esse poterat, viam nobis placuisset eligere generosam, quam acceptam te habere decuisset, cum de illorum numero credaris, qui suam fortitudinem legem justitiæ esse

D

volunt *... Tu ergo, Fili carissime, diligenti meditatione pensabis, an bene feceris, an Patri benevolo vicem dignam rependeris, quod defendi posse non credimus, nisi sacrorum canonum fundamenta totaliter a radicibus evellantur. Nos autem cum adversario, quem nobis constituere voluisti, jus nostrum, prout expedire viderimus, prosequemur. *Nihilo segnius causam prosecutus est Clemens, quam scripserat : per litteras enim hisce subjectas sub pœna excommunicationis vetuit Girardo, ne possessionem caperet, priusquam jus suum probasset coram Pontifice. Paruit ille non adeundo possessionem, ac interveniente Clementis obitu, lis pependit usque ad electionem Gregorii X, qui, ut ait Chaizius pag. 552, permisit, ut Girardus possessionem adiret, et fructus archidiaconatus perciperet a tempore collationis Regiæ.*

* *al. rectius* nolunt.

Clemens amice monet Ludovicum, conqueri quosdam

997 *Porro hæc Pontificis offensio non diuturna fuit; eadem enim deinde apparet animorum conjunctio* Ludovicum *inter et Clementem. Crediderim moderatissimi animi Regem, quamvis a jure suo defendendo non videatur destitisse, molli responsione iram fregisse Pontificis. Verum et*

E

alias eodem die ad Ludovicum *litteras dedit Clemens in gratiam episcopi Vivariensis, qui conquerebatur, quod ministri regii in episcopatu suo jurisdictionem exercerent, cum Vivarienses dicerent, non Regi, sed soli imperio se subjectos. Non lubet hujus controversiæ magis quam præcedentis jura examinare, juvabit tamen exhibere initium epistolæ, ut ex illa discat lector, unde orirentur subinde quorumdam episcoporum de Rege sanctissimo, atque in ecclesiasticos benevolentissimo, ad Pontificem delatæ querelæ. Sic itaque scribit Clemens col. 610 :* Credit mundus, et nos dudum probavimus, quod ex certa scientia nullum deprimis, nullum gravas; sed non omnia scire potes, quæ aguntur in finibus regni tui : sed nec factis ipsis auditis, quo pondere, qua mensura sint facta, sine recta nosse vales indagine. Et idcirco multa plerumque transeunt incorrecta, vel quia ad Magnitudinis tuæ præsentiam, obsistentibus civibus, veritas non permittitur ingredi, vel ingressa non invenit, per quem tibi, qui eam diligis, valeat aperiri.

de ministris regiis, at Regem simul excusat :

998 Hæc constantius scribimus, quæ interdum oculis nostris vidimus, et eumdem defectum in nostra curia sæpius experimur, et ex nobis intelligimus, quæ sunt proximi; te et alios prin-

F

cipes ad condignam sollicitudinem potius excitantes, quam in eis omissionem aut negligentiam arguentes, cum nos nullo possimus ingenio huic morbo plenum antidotum reperire : nec præcise damnamus in aliis, quod in nobis usquequaque non cernimus emendatum. *Plura de his Gaufridus in Vita num. 7 et 8, ubi postquam dixerat, aliquos timuisse, ne ex* naturali benignitate *remissior esset in corrigendis ministris suis, adjungit se* vere *credere, paucos esse ex iis ipsis, qui ea de re conquerebantur, quibus non plura obreperent, si ejus loco fuissent constituti. Hæc ad excusationem Sancti dicta sufficiant. Si tamen hæc ipsa fuerunt necessaria, nam non statim fidem quibuscumque querelis adhibendam, norunt prudentes quilibet; et justitiam* Ludovici, *ejusque in regimine vigilantiam jam sæpe ostendimus, quam et biographi omnes laudant, et late prosequitur Vita secunda cap. 14, et 15.*

hic novis beneficiis demeretur Pontificem.

999 *Non modo non exulceratum fuisse his Clementis monitis* Ludovici *animum, sed novis etiam beneficiis studuisse ipsius amicitiam alere,*

probat

AUCTORE J. S.

A *probat favor a Sancto in gratiam Pontificis præstitus abbatiæ S. Ægidii, quem non multo post contigisse, colligitur ex litteris Clementis,* III *Nonas Octobris datis, quibus Regi gratias agit col. 629 his verbis :* Natalis soli memores, nuper tuæ Benevolentiæ scripsimus, ut tam monasterium S. Ægidii, quam villam ejus bene tractantes *, et super appellatione, quam a lata per senescallum Bellicardi contra eos sententia interposuerant, earumdem justitiam clementer audires. Sane tua benignitas latius se extendens, non solum justitiam non negavit, non solum non distulit, quin potius debitum universum dicitur remisisse. Nos igitur tantæ gratiæ promptitudinem gratius amplectentes, licet hæc et multa sanctissimo confessori Ægidio pro Dei, et sui reverentia debeantur; quia preces, quas interjecimus, tuum credimus animum ad favoris hujus affluentiam excitasse : tibi proinde ad gratiarum uberrimas actiones assurgimus, monasterium idem et villam Serenitati regiæ denuo commendantes, ut te eis exhibeas sine tua et aliorum injuria favorabilem et benignum, et id ipsum tuis pro tempore ballivis injungas.

* tractares

necessaria ad bellum sacrum cum eo curat.

B 1000 *Conjunctis item animis expeditionem sacram promovere satagebant* Ludovicus *et Clemens. Hinc concordiam Venetos inter et Genuenses conciliare rursum studuerunt hoc anno; sed incassum, ut dictum est num. 975. Hinc Veneti ab eis ad belli societatem, aut certe ad copias transvehendas invitati, ac deinde Genuenses. Accipe litteras Clementis ad Genuenses, ex quibus hæc discimus :* Scire vos volumus, *inquit col. 628*, quod Veneti nuntiis filii nostri carissimi, illustris Francorum Regis, dederunt responsum, quod cum eis nullam poterant conventionem facere, timentes ne soldanus Babyloniæ, quidquid habebant in Alexandria, occuparet. Unde consulimus et mandamus, quod curetis ad eumdem Regem solemnes nuntios destinari, ut vobiscum passagium suum faciat, et exponatis vos ei tam liberaliter, quod vestrum obsequium debeat acceptare. Datum Viterbii XV Kalendas Octobris anno IV. *Porro Veneti legatos post hæc miserunt ad Regem, pactumque cum eo inierunt ad instruendas quindecim naves, quibus crucesignati transfretarent : exhibet contractum illum Chesnius a pag. 435. Verumtamen necesse est, ali-* C *quid postea intervenerit : neque enim Venetorum, sed Genuensium opera usum essse in hac transfretatione* Ludovicum, *suo loco videbimus.*

Clemens sæpe de blasphemis consultus, mentem suam Regi aperit;

1001 *Frequenter Clementem consuluerat Rex sanctus circa blasphemias, pœnasque blasphemis infligendas. Verum, quod mireris, is mentem suam exponere tardabat : mense enim Aprili sic responderat col. 587 :* Demum de blasphemiis, et pœnis blasphemantium deliberare volumus, ut respondere certius valeamus. *Tandem mense Julio mentem suam per litteras Regi declaravit, teste Cangio in observationibus ad Joinvillium pag. 103. Et 2 Idus Augusti ad generum* Ludovici *Navarræ regem scribens, postquam multis exposuerat gravitatem illius peccati, hæc demum adjungit col. 623 :* Ecce, fili carissime, si Scripturam sacram revolveris, alienigenam regem invenies idolis servientem, gravem tamen in illos promulgantem sententiam, qui Deum Sidrac, Miac, et Abdenago blasphemarent. Ecce legimus principem Romanorum, qui vetustas leges enucleans, legum studia suscitavit, in blasphemos hujusmodi graviter fulminasse. Sed fatemur quod in pœnis hujusmodi tam acerbis eorumdem vestigiis carissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem non deceat inhærere : sed aliæ poterunt reperiri citra membri mutilationem et mortem, quæ a dictis blasphemiis temerarios homines poterunt cohibere. Quocirca serenitatem tuam monendam duximus et hortandam, quatenus tuam reputans tui Redemptoris injuriam, prædicto Regi Francorum consulas et suadeas, quod ad regnum suum ab hac labe purgandum salubriter statuat, de suorum consilio procerum, quod ad Dei gloriam et honorem viderit statuendum.

hinc Sanctus in regni comitiis leges condit,

1002 *Hinc vix ullum mihi videtur dubium, quin leges S.* Ludovici *contra blasphemos latæ huic anno sint affigendæ, illæque ipsæ fuerint, quas laudatus Cangius exhibet pag. 104, quasque suspicatur legi cuidam severiori substitutas. Rationes hujusce sententiæ meæ allegabo, ubi rem ipsam explicuero. Gaufridus in Vita num. 51 factum enarrat his verbis :* Zelo igitur divino permotus (Ludovicus) et solerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari, habito prius consilio diligenti cum domino Si- E mone sanctæ Ceciliæ presbytero Cardinali tunc apostolicæ Sedis legato in Francia; auctoritate ipsius legati et sua convocati sunt Parisius majores de regno, tam principes, quam prælati; ut super hoc damnabili vitio refrenando, vel potius destruendo, apponeretur consilium, et remedium salutare. Igitur a domino legato facto super hac materia sermone solemni, plurimum efficace, Rex catholicus zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, et rationibus validis et apertis subnixam. Igitur de communi consilio, et assensu edidit pius Rex generale statutum, quod per totum regnum servari, et promulgari voluit.

quibus varias blasphemis decernit pœnas,

1003 *Verba statuti non leguntur in Gaufridi scriptis, quæ modo supersunt : verum Cangius ex tabulario regis edidit statuta* Ludovici *contra blasphemos pag. 104, quæ compendio huc transfero. Præscribunt illæ, ut singulis mensibus, ut minimum, semel in publicis urbium locis voce præconis blasphemiæ prohibeantur sub pœnis statutis, illique, qui blasphemantes audierint aut noverint, teneantur eos deferre ad loci dominum. Pœnæ autem statuuntur pecuniariæ ma-* F *jores et minores pro gravitate delicti : iis vero, qui mulctam persolvere nequeunt, alia decernitur pœna: videlicet ignominia publica, ad quam exponendi erant in scalis; et carcer, ubi pane solo et aqua vitam aliquot diebus tolerarent : hæc iis, qui quatuordecim annos habebant, aut plures. Si qui vero deprehenderentur, qui decem annos supergressi, quatuordecim necdum attigerant, virgis publice cædi jubentur, nisi pœnam pecunia redemissent. His varia adduntur ad executionem urgendam ordinata, atque inter alia juramentum illorum, quibus incumbebat noxios puniendi cura; et pœna eadem contra illos, qui deprehenderentur noxiis pepercisse. Demum Rex sanctus exsecutionem legis ursit, hisce adjectis litteris :*

quasque, toto regno servandas, promulgat :

1004 Ludovicus *etc. tali Baillivo.* Cum nos in hoc parlamento Assumptionis B. M. Paris. de assensu baronum nostrorum quamdam ordinationem fecerimus de amovendis blasphemiis, et enormibus juramentis, ac etiam puniendis : quam quidem ordinationem vobis mittimus per latorem præsentium sub contrasigillo nostro inclusam, mandamus vobis, quatenus ordinationem istam per

Auctore J. S.

per villas, nundinas, et mercata * præconizari, et in vestris assisiis * publicari faciatis, eamque in vestra Baillivia, quamdiu nobis placuerit, teneri firmiter, et servari. Et si forte contigerit aliquem de vestra Baillivia aliquid dicere, seu facere contra Deum, aut beatissimam Virginem Mariam Matrem ejus, adeo horribile, quod de pœnis in prædicta ordinatione positis, ad illud non sufficiet vindicandum : volumus quod, inflicta eidem propter hoc graviori pœna in eadem ordinatione contenta, res deferatur ad nos, et ipse in prisione * nostra nihilominus teneatur, quousque nostram super hoc rescripserimus voluntatem. Partem autem nos contingentem de emendis, quæ provenient in vestra baillivia de blasphemiis, et juramentis hujusmodi, ponetis ad partem * ad nostrum beneplacitum inde faciendum, summam partis ipsius in parlamento omnium Sanctorum nobis reddituri in scriptis, ac etiam relaturi quid de blasphemiis interim erit.

* i. e. fora
* i. e. conventibus
* i. e. carcere
* i. e. seorsim

B

corrigitur error eorum, qui has leges ante latas,

1005 *Ex his litteris discimus pœnas ante relatas ita statutas esse, ut Regis arbitrio graviores infligi possent, si delicti gravitas id exigere videretur. Hinc, quando* Ludovicus *labia blasphemi cujusdam ferro candente aduri jussit, ut subdit Gaufridus; factum id existimo arbitrio ipsius, quod enormis illius blasphemia graviori pœna mulctanda videretur, quam erant, quas dictæ leges commemorant; adeo ut necesse non sit hac de causa præcedentem quamdam legem fingere, nullibi commemoratam, nullibi abrogatam. Legem quidem illam se invenisse putavit Cangius pag. 103 in verbis Clementis jam relatis :* Sed fatemur quod in pœnis ejusmodi tam acerbis, eorumdem vestigiis carissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem non deceat inhærere. *At vir, alioqui eruditus, mentem Pontificis non est assecutus : neque enim vetat regem Navarræ insistere vestigiis* Ludovici, *ut intellexit Cangius : sed dissuadet, ne* Ludovicus *insistat vestigiis legislatorum, quos commemoraverat, ut clarum est ex verbis num. 1001 recitatis.*

aut aliis substitutas scripserunt.

C

1006 *Itaque legem illam frustra quæremus ante hunc annum, frustra abrogatam suspicabimur, cum numquam fuerit lata; alioquin non suasisset Pontifex, ut aliquid salubriter statueret Rex* de suorum consilio procerum... ad regnum suum ab hac labe purgandum, *sed ut legibus nimis severis. ac procerum consilio latis, mitiores substitueret. Nec* Ludovicus, *cum has leges promulgabat per litteras mox datas, præcedentis abrogationem siluisset. Nec consuluisset Pontificem de pœnis contra blasphemos statuendis sub finem anni 1264, ut notavimus num. 950, si, ut vult Chaizius pag. 447, aliique plurimi, jam anno eodem legem tulisset in regni comitiis, ac promulgandam curasset : nedum rursus sub hujus anni initium idem Clementi proposuisset. Dicendum igitur omnino videtur, auctores illos errasse, qui leges* Ludovici *contra blasphemos latas voluerunt anno 1264, illosque errorem errori adjunxisse, qui leges supra datas præcedenti cuidam legi dixerunt substitutas. Ceterum jam dudum ante hæc tempora blasphemos graviter a* Ludovico *punitos, discimus ex Joinvillio num. 247 : quanto autem studio eos curaverit deinde investigandos et puniendos, latius docet Vita secunda num. 25. Hisce annum concludimus, qui Clementi IV fuit postremus.*

D

§ LXXIX. An Pragmatica sanctio, quæ sancti Ludovici nomine circumfertur, ab eo sit condita ?

Pragmatica Sanctio nomine S. Ludovici insignita,

P*riusquam res gestas hujus anni 1269 ordine recenseamus, examinanda est controversia quædam, inter Gallos ipsos ab aliquo tempore agitata. Exstant apud auctores varios statuta quædam, nomen* S. Ludovici *præferentia, quæ titulo* Sanctionis pragmaticæ *non minus hodiedum nota sunt in Gallia, quam fuerunt incognita longo tempore post obitum* S. Ludovici. *Illa autem hoc ipso anno condita asserunt, qui ea contendunt sancto Regi attribuenda. Porro hæc Pragmatica, dum inventa est, in aliis Mss. sex habebat articulos, in aliis quinque tantum. Hinc inter illos etiam, qui Pragmaticam* S. Ludovico *attribuunt, de articulo uno lis exorta est, quod aliqui contendant articulum illum rescissum fuisse, alii adjectum; ita ut tres modo sint de illa opiniones : alii enim omnes sex articulos Sancto adjudicant, alii quinque, alii totam Pragmaticam sancto Regi per errorem adscriptam existimant. Itaque, ut major disputationi lux affulgeat, totam Pragmaticam lectorum oculis subjicio, qualis a Labbeo edita est tom.* XI *Conciliorum col. 907 et 908 sub hoc titulo :* S. Ludovici Franc. Regis Pragmatica sanctio, *omissis tantum capitulorum titulis.*

E

quam hic exhibemus

1008 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri et tranquillo statu ecclesiæ regni nostri, necnon pro divini cultus augmento, et Christi fidelium animarum salute; utque gratiam, et auxilium omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, et nunc esse volumus) consequi valeamus; quæ sequuntur, hoc edicto consultissimo, in perpetuum valituro, statuimus et ordinamus.

I. Primo, ut ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, et beneficiorum collatores ordinarii, jus suum plenarie * habeant, et unicuique sua jurisdictio servetur.

* al. plenarium

F

II. Item ecclesiæ cathedrales, et aliæ regni nostri, liberas electiones *, et earum effectum integraliter habeant.

* *al additur;* promotiones, collationes,

III. Item simoniæ crimen pestiferum ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus et jubemus.

ex editione

1009 IV. Item promotiones, collationes, provisiones, et dispositiones prælaturarum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum et officiorum * ecclesiasticorum regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, et determinationem juris communis, sacrorum conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum, fieri volumus et ordinamus.

* *al.* Beneficiorum ecclesiasticorum, et officiorum regni nostri,

V. Item libertates, franchisias *, prærogativas, jura ac privilegia, per inclitæ recordationis Francorum reges prædecessores nostros, et successive per nos, ecclesiis, monasteriis, atque locis piis, religiosis, necnon personis ecclesiasticis regni nostri concessas, et concessa, innovamus, laudamus, approbamus.

* i. e. immunitates

Labbei

1010 Earum tenore universis justitiariis, officiariis, et subditis nostris, ac loca tenentibus,

præsen-

A præsentibus et futuris, et eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus : quatenus omnia et singula prædicta diligenter et attente servent, teneant, et custodiant, atque servari, teneri, et custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant, vel attentent, seu fieri, vel attentari permittant; transgressores, aut contra facientes tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium et singulorum testimonium, præsentes litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, mense Martio.

cum articulo in variis editionibus omisso,

1011 *Post hæc ita monet Cossartius cum Labbeo editor :* Sic edita est in Bibliothecis Patrum hæc Pragmatica. Editiones ejusdem aliæ sunt, in quibus sunt capitula sex, addito uno, quod ibi quintum locum obtinet, quinto nostro in sextum locum rejecto. Sic autem se habet:

Item exactiones, et onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam ecclesiæ regni nostri imposita, vel impositas, quibus miserabiliter regnum nostrum depauperatum extitit, sive B etiam imponendas, vel imponenda, levari, aut colligi, nullatenus volumus : nisi dumtaxat pro rationabili, pia, et urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, et de spontaneo et expresso consensu nostro, et ecclesiæ regni nostri.

et impugnato a Spondano.

1012 *Illustrissimus Spondanus ad annum 1268 num. 9 in hunc articulum notat sequentia :* Hoc sane etsi non abnuamus vere nec injuste fuisse a Rege statutum, haud tamen videmus quomodo a plerisque contra Romanam Sedem contorqueatur; cum non consueverit illa (nec certe conveniens sit, ut agat) absque regum ac principum consensu onera ecclesiis imponere ; et alioqui non adeo videatur hæc Ludovici prohibitio cohærere cum iis, quæ leguntur in quodam Chronico ; provincias Remensem, Senonensem, et Rotomagensem, audito, quod Rex peteret a Pontifice decimam in subsidium Terræ sanctæ, querelas in eum ad Clementem Pontificem misisse, quibus petierunt, nequid ejusmodi Regi concederetur : Regem inde vehementer exasperatum, ad Papam contra illos scripsisse; ac Papam, illis austere acceptis, decimam Regi ad triennium concessisse. . . An dicemus sanctum C Regem invidisse apostolicæ Sedi de bonis Ecclesiæ, quod ipse sibi tanta asperitate petebat? Procul dubio, si singula gesta ex bono et æquo æstimentur, non erit unde in mutuas amaritudines prorumpatur. *Hisce laudatus auctor satis clare innuit, hunc articulum sibi maxime esse de suppositione suspectum. Argumentum autem ipsius magis elucidabimus infra.*

tota in dubium vocatur a Thomassino,

1013 *Ludovicus, Thomassinus non modo hunc articulum, sed et Pragmaticam totam non levibus argumentis de suppositione suspectam esse ostendit. Audi illum in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part 2, lib. 2, cap 33, num. 4, ubi sic habet :* Pragmatica, quæ sancti Ludovici Galliæ Regis nomine circumfertur, libertatem electionum novo quodam munimento firmat. . . Dixi eam Pragmaticam sancti Ludovici nomine decorari, quod non nesciam viros esse doctissimos, qui ejus fidem labare putent. Eorum vero animos movit longum de ea Scriptorum omnium silentium, non ævo tantum sancti Ludovici, sed duorum admodum post seculorum. Non enim nisi anno MCDLXI cœpit Parisiensis senatus ejus meminisse articulo XII suæ ad Ludovicum XI admonitionis, seu cohortationis : « Quia sancti Ludovici tempore cœpere Romani obstrepere electionibus, edictum a Rege sanctissimo promulgatum est, quo sanxit electiones toto regno celebrari » *etc. Et post pauca :* Denique ne tum temporis quidem allegata est a quoquam, quando diutina efferbuit dissensio inter Bonifacium VIII Papam, et Philippum Pulchrum regem; quamquam peropportuna tunc quidem fuisset ejus authoritas. *Tanto fortius urget hoc argumentum, quanto propinquior hæc dissensio fuit tempori, quo conditam volunt Pragmaticam : nam cum multi adhuc viverent, qui poterant meminisse Pragmaticæ per Sanctum decretæ, illi Philippum ejus nepotem haud dubie monuissent, ut contra Bonifacium legibus illius uteretur, quem ipse ante paucos annos Sanctorum catalogo, adscripserat. Vixisse autem tempore illius controversiæ non paucos, ex ipsis etiam S. Ludovici ministris, temporis propinquitas verisimile reddit, et exemplum Joinvillii, qui plus quam decennio inchoatæ anno 1303 controversiæ supervixit.* E

Auctore J. S.

et argumentis variis

1014 *Telam hic cœptam pertexit laudatus Thomassinus Operis memorati part. 3, lib. 1, cap. 44, num. 17, aliaque præcedentibus adjungit argumenta hunc in modum :* Res ejus gestas litteris consignarunt historici complures, altissimum apud eos omnes silentium de hac Pragmatica. Adde rursus, si quæ fuerunt eo regnante Romanorum Pontificum in ecclesiam Gallicanam exactiones, eam pecuniam in manus venisse sanctissimi Regis ad sacras ejus expeditiones, *(aut certe, eo consentiente, in manus Caroli fratris ad regnum Siciliæ acquirendum,)* ut procul sit a veri etiam specie, iniquo illum animo eas tulisse. Quin et propius a vero abest, sollicitatos non semel a S. Ludovico fuisse Pontifices, ut id genus exactionibus assentirentur. *His addit argumentum ex Spondano supra relatum, quod elucidaturum me dixi.*

validissime impugnatur,

1015 *Obtinuerat Rex anno 1267 decimam ecclesiasticorum proventuum in triennium, ne quotidianis quidem distributionibus exceptis, quarum loco annus quartus postea est adjectus, ut narravimus num. 970 et 994. Reclamaverant tres provinciæ, atque ad Clementem legatos miserant : verum Pontifex, Regis rationibus doctus, æquum esse, ut ad expeditionem sacram ecclesiastici quoque conferrent symbolam, gratiam datam confirmaverat. Deinde, Rege consentiente, distributiones quotidianas exceperat, ut earum loco decimæ solverentur anno etiam quarto. Hujus autem quadriennii tantum currebat annus secundus, quando Pragmaticam a Ludovico volunt conditam :* Ubi res ita comparatæ erant, *inquit laudatus auctor,* locus haud sane erat Pragmaticæ istiusmodi : *si enim tunc statuisset sanctus Rex, ut onera per Pontificem imposita* levari aut colligi *non deberent sine* spontaneo et expresso *suo, et* ecclesiæ regni *sui* consensu, *sua ipse lege capi potuisset, tresque illæ provinciæ, quæ consentire noluerant in solutionem decimæ, potuissent consensum, quem non nisi metu gravissimo impulsæ dederant, revocare, ac denique decimas, ultra biennium adhuc persolvendas, Regi recusare.* F

quod dissimulare non debuerat Claudius Fleury.

1016 *Plura hinc postmodum colligam : at prius reliqua Thomassini argumenta subnecto :* Adde quod ne iis quidem temporibus mentio ejus facta est, quibus ea opportunissima fuisset. Grassante schismate Avenionensi, sub Carolo VI rege,

AUCTORE J. S.

rege, quando sublatæ sunt omnes Romanæ curiæ exactiones, nusquam ullum hujus Pragmaticæ vestigium. Ne tum quidem commemorata est, ad exempli authoritatem, ubi sub Carolo VII Pragmatica sanctio concinnata est. Ejus primum, ut apparet, meminere delegati senatus Parisiensis in Commonitorio suo ad Ludovicum XI, ut supra declaratum est. *Hactenus Thomassinus. Hæc argumenta, aliaque ab aliis scriptoribus addita vidit, aut certe videre potuit Claudius Fleury. Unde mirum apparet, cur in Historia sua ecclesiastica lib. 86, num. 1, Pragmaticam hanc sine ullo dubio attribuat* S. Ludovico, *ac ne verbo quidem ad argumenta in contrarium prolata respondeat : imo ne moneat quidem lectores suos, illam ab aliquibus in dubium revocari, quod ignorare non poterat, et scire lectoris intererat, ne dubia pro certis amplecteretur. Monet ille quidem, articulum de exactionibus non reperiri in omnibus exemplaribus; ad mox adjungit, merito existimari fuisse rescissum, acsi omnium esset hæc opinio. Demum pro omni ratione ait, controversias fuisse Clementem inter* B *et* Ludovicum, *quæ occasionem præbuerint huic Pragmaticæ : quæ ratio quam sit infirma, videbimus inferius.*

Natalis Alexander nititur Pragmaticam vindicare

1017 *Acrius ad Pragmaticam* S. Ludovico *vindicandam exsurgit Natalis Alexander in Historia ecclesiastica recusa tom. 7, pag. 289 : at nihilo felicius rem exsequitur. Verba ejus fideliter referam, et expendam :* Totam tamen Pragmaticam, *inquit,* mox laudatam audacius Regi sancto abjudicant aliqui, cum illius pietati maxime conveniat, et studio ad Ecclesiæ tuendam libertatem propensissimo, et a senatu Parisiensi laudata sit in articulis Ludovico XI regi Christianissimo oblatis anno MCDLXI, et in regni comitiis Turonensibus anno MCDLXXXIII, et ab academia Parisiensi in Instrumento appellationis editæ anno MCDXCI. *Hæc ille, nec plura pro tota Pragmatica. Quibus breviter respondere lubet ex ipsis ejus principiis. Tom. 3 ejusdem Operis, ubi agit de Epistolis decretalibus veterum Pontificum ante Siricium, pag. 214 admittit decretales illas, ut genuinas, admissas fuisse a conciliis, et canonum collectoribus; nec tamen eorum sententiæ acquiescit; quia, ut ait,* Hæc concilia, hique collectores, et authores, poste- C riores sunt nono seculo, nec Epistolas illas ad severioris criticæ regulas expenderunt. *Cur igitur auctoritatem adductam, quæ ducentis fere annis posterior est sancto* Ludovico, *valere vult pro Pragmatica contra silentium tot auctorum, et temporis tam diuturni : si conciliorum, aliorumque scriptorum auctoritas non valet pro Decretalibus? Quod autem ait, Pragmaticam pietati* S. Ludovici, *studioque libertatis ecclesiasticæ defendendæ maxime esse convenientem, refutabimus infra uberius.*

S. Ludovico: sed magis probat argumenta ad id sibi deesse,

1018 *Interim audiamus, quid pro uno nominatim articulo adducat in medium :* Nec tamen, *inquit,* viris illis eruditis, quos mox laudabam concesserim, vel ultimum Pragmaticæ illius sanctionis, contra Romanæ curiæ exactiones, caput a sancto Rege editum non fuisse. Hujus enim condendi decreti rationem S. Ludovico non defuisse, docet Matthæus Parisius coævus author in Historia Anglicana ad annum MCCXLVII pag. 485 col. 1 : « Eisdem diebus, inquit, dominus Papa apices suos, authenticos » nuntios Prædicatores et Minores, misit ad » omnes Franciæ prælatos sigillatim, supplicans » ut unusquisque juxta suam possibilitatem, sibi D » unam quantitatem pecuniæ accommodaret. Et » ipse procul dubio, cum respiraret, quod cuique competeret, redderet indubitanter. Quod » cum Regi Francorum innotuisset, suspectam » habens Romanæ curiæ avaritiam, prohibuit ne » quis prælatus regni sui, sub pœna amissionis » omnium bonorum suorum, taliter terram suam » depauperaret. Et sic cum sibilo, et derisione » omnium Papales legati sophistici, quorum humeris officium hoc incumbebat, inanes et vacui a regno recesserunt memorato. » *Hæc nimirum præclara ratio condendi post annos viginti Pragmaticæ memoratum caput : neque enim aliam ullam allegat Alexander. At fallor vehementer, nisi potius inopiam hic suam probet, quam confirmet opinionem.*

quam Pragmaticam a Sancto conditam :

1019 *Nam primo de Matthæo Parisio in eodem tomo pag. 138 hæc scripserat :* De hoc Historico ita censet doctissimus Cardinalis Baronius ad annum nongentesimum nonagesimum sextum: « Quam fuerit animo infensissimo erga apostolicam Sedem, quivis facile poterit intelligere » nisi probra illa fuerint additamenta ejus, qui E » edidit. » *Cum hæc Baronii verba adducat Alexander, ut Parisii characterem describat, prudenter sane abstinuisset ab ejus verbis contra Romanum Pontificem intorquendis ; infensissimo enim scriptori non creditur; præsertim si ea proferat, quæ aliunde nulla veri specie vestiuntur. Deinde fingamus tantisper, vera esse, quæ scribit Parisius, nihil hæc proderunt Alexandro : nulla enim exactio, nullum onus impositum dicitur; sed pecunia mutuo petitur, eaque indubitanter restituenda promittitur. Quam, obsecro, hæc occasionem præbere potuerunt ad legem contra exactiones statuendam?* Inanes et vacui a regno recesserunt *nuntii : quo igitur modo regnum* inde miserabiliter extitit depauperatum? *Itaque hæc Matthæi Parisii verba, etiamsi vera essent, nihil omnino evencerint, neque magis ex illis probari potest occasio Pragmaticæ tanto post tempore condendæ, quam probari valeat, regnum aliquod ad paupertatem redactum per nuntios vacuis manibus recedentes.*

neque alii id magis probant

1020 *Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, pag. 390 hujus Pragmaticæ condendæ occasionem se reperisse existimat ex con-* F *troversia, quæ* Ludovico *fuit cum Clemente IV ob collationes præbendæ Remensis et archidiaconatus Senonensis : hunc secuti sunt Chaizius pag. 601, Fleury jam memoratus, aliique plures. Facilem sane illis exhibent in condendis legibus* S. Ludovicum, *qui propter controversiam de duabus collationibus, tot leges ab eo volunt conditas, easque de rebus tam diversis. At vero neque tam levi de causa, neque tam cito novas a sancto Rege leges statutas, abunde docent statuta contra blasphemos lata, de quibus quadriennio fere sententiam exquisivit Pontificis. Deinde quænam, obsecro, hæc est consecutio : controversiam cum Clemente habuit* Ludovicus ; *ergo tot leges tulit ad molitiones Pontificias cohibendas? Præsertim cum hæc controversia ne mutua quidem eorum officia, amicitiamque interruperit, altumque de Pragmatica apud antiquos sit silentium? Cum itaque argumenta, hactenus allata non probent Pragmaticam esse* S. Ludovici; *ac illius vindices non solvant argumenta eam* Ludovico *adjudicantium ; hic disputationem hanc possem abrumpere. Juvabit tamen ad veri indagationem propius ipsam inspicere Pragmaticam.*

1021 *Primo*

Stylus Pragmaticæ,

A 1021 *Primo Stylus, et characteres quilibet hujus Pragmaticæ tantum distant ab aliis* S. Ludovici *legibus, et rescriptis, ut vel sola hæc differentia sufficere possit ad probandum, eam non esse a sancto Rege conditam. Quippe, ut prætercam stylum elegantiorem esse, quam sit in aliis* S. Ludovici *rescriptis, voces variæ in hac Pragmatica reperiuntur, quæ alium a* Ludovico *innuunt auctorem. Dicant, obsecro, hujus Pragmaticæ vindices, cur ministri regii, qui usitatis id temporis nominibus* senescalli *vocabantur,* baillivi, præpositi, vicecomites, villarum majores, *aliis hic nominibus innotescant? Cur inquam* justitiarii, officiarii, *ac* loca tenentes *appellentur, nisi quod Pragmatica eo tempore sit conscripta, quo nomina posteriora magis invaluerant? Ostendant, ubi sanctus Rex mandata sua direxerit ad* justitiarios, officiarios *et* loca tenentes, *prætermissis* senescallis, baillivis, *aliisque, uti hic fecisset, si illius esset Pragmatica? Excutiant, si lubet, epistolas Clementis IV apud Martenium tom. 2 Anecdotorum : invenient Pontificem Gallum, ac Regis ante sena-* B *torem, mentionem facere* senescallorum, baillivorum, *et* præpositorum, *non* justitiariorum, officiariorum, loca tenentium. *Denique, ne quis forsan putet nomina ministrorum a* Ludovico *mutata, in documentis filio ante mortem datis apud Gaufridum num. 21 eum monet, ut curet habere* fideles præpositos et baillivos. *Hæc igitur* justitiariorum, officiariorum *et* loca tenentium *nomina, licet non omnino inusitata fuerint,* S. Ludovici *stylo non congruunt; præsertim quia usitata ejus ministrorum nomina omnino prætermittuntur.*

contentaque in illa, quæ vere dicere non poterat Sanctus,

1022 *Deinde, salva veritate, dicere non potuit* S. Ludovicus *quædam huic Pragmaticæ inserta. Quo enim modo vere dicere potuit hæc verba :* Cujus solius *(Dei)* ditioni, ac protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, et nunc esse volumus : *cum non ignoraret regnum suum tribus vicibus sub protectione summi Pontificis fuisse constitutum? Susceperat regnum protegendum Gregorius IX, petente regina Blancha post coronationem* Ludovici; *idem fecerat Innocentius IV, priusquam sacrum bellum auspicaretur Sanctus : ac demum Clemens IV ante* C *biennium, in epistola num. 971 citata his verbis Regem affatus :* Postulationibus tuis favorabiliter annuentes, regnum Franciæ, comitatus, ac cætera loca tibi subjecta,... quamdiu in prosecutione *(belli sacri)* fueritis, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. *Explicent Pragmaticæ vindices, quo modo vere scribere valuerit* Ludovicus, *regnum suum solius Dei protectioni subjectum semper fuisse, seque eo etiam tempore velle, ut solius Dei protectioni subesset, cum biennio ante postulaverit protectionem Sedis apostolicæ; ac obtinuerit, quamdiu duraret bellum sacrum, quod necdum erat inchoatum. Id ego certe explicare nequeo; imo ne suspicari quidem ausim, id scriptum esse a Rege sanctissimo, minus credere. Præterea exponere debent, quo modo conveniat* Ludovici *temporibus, quod de exactionibus curiæ Romanæ dicitur :* Quibus miserabiliter regnum nostrum depauperatum extitit. *Certe Natalis Alexander, supra citatus, non probavit exactiones illas, nedum regni paupertatem, dum legatos in medium adduxit, qui* inanes et vacui a regno recesserunt.

nec moribus ejus erant congrua,

1023 *At non a vero dumtaxat posteriora hæc verba aliena reperiuntur; sed nec moribus sancti Regis essent consona, etiamsi vera fingeremus. Ille enim, dum quid noverat a summo Pontifice factum, aut faciendum suspicabatur, quod juri suo, regnive bono existimabat contrarium; per litteras, aut legatos suos amice monebat, et si quid controversiæ incidebat, componere satagebat. Ubinam, quæso, de exactionibus, de paupertate in regnum invecta, Pontifices monuit* Ludovicus? *Ubi illi se excusarunt, aut defenderunt eadem de causa? An ergo credemus Principem prudentissimum, moderatissimum, Romanique Pontificis observantissimum, publica lege carpere voluisse Romanæ Ecclesiæ exactiones, Pontifice nec monito, nec audito? An existimabimus, exemplo suo ita destruere voluisse, quod verbis filio suo inculcavit ante mortem apud Gaufridum num. 21 :* Sis devotus et obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, et summo Pontifici tanquam patri spirituali? *Sane prudentiam* Ludovici, *aliasque sanctissimi Regis virtutes, non satis habere videntur perspectas, qui id possunt existimare. Nec hunc procedendi modum conciliabunt umquam cum laudata toties a Vitæ scri-* E *ptoribus ac celebrata Sancti in Ecclesiam Romanam observantia. Accipe pro omnibus unum Guilielmi Carnotensis locum :* Quam reverenter, *inquit num. 18,* et humiliter erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quam devote et reverenter rescripta et mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quam obedienter et efficaciter, sicut verus filius obedientiæ adimplere; norunt illi, qui ei familiarius adhærebant; *inter quos erat ipse Carnotensis.*

nec judicio conformia, evincunt

1024 *Uti hæc cum uno illo de exactionibus articulo pugnare videntur, sic cum tota fere Pragmaticæ materia conciliare nequeo, quæ laudatus auctor narrat num. 19 de mente* S. Ludovici *circa usuras Christianorum. Nam dicentibus quibusdam per expulsionem Judæorum Christianos aliquos majoribus usuris opprimere populum, sic Sanctum respondisse testatur :* De Christianis fœnerantibus, et usuris eorum, ad prælatos Ecclesiæ pertinere videtur. Ad me vero pertinet de Judæis, qui jugo servitutis mihi subjecti sunt; ne scilicet per usuras Christianos opprimant..... Faciant ipsi prælati, quod ad ipsos spectat de suis subditis Christianis, et ego volo facere, quod F ad me pertinet de Judæis. *Exponant igitur Pragmaticæ vindices, qua consequentia Rex sapientissimus judicare potuerit, usuras Christianorum ad prælatorum spectare judicia, simoniam vero, prælatorum electiones, aliaque in Pragmatica contenta, ad suum tribunal pertinere.*

ab eo non esse conditam : quod et alia ratione confirmatur.

1025 *Jam vero si fingamus hujus Pragmaticæ characteres* S. Ludovici *moribus esse convenientes; adhuc difficulter credi poterit, Regem vigilantissimum leges hasce condidisse, nec curam habuisse ut servarentur. Discessurus in Africam* Ludovicus *ad regni gubernatores litteras dedit, quas dabimus num. 1076 : in his autem diligenter monet, ut serventur statuta contra blasphemos; ac multa, quæ in legibus anni 1254 decreta erant, sollicite inculcat; de hisce vero legibus altum silentium. Attamen, si hanc hoc anno condidisset Pragmaticam, præcipua de illius observatione Regem tenuisset cura. Nulla etiam hujus Pragmaticæ mentio in litteris, quibus episcopo Parisiensi facultatem tribuit conferendi suo nomine beneficia ecclesiastica; at vero illius observationem vel maxime ibidem commendare oportuisset, si illam condidisset Sanctus, ne*

AUCTORE J. S.

Romana curia, se absente, in vacantia beneficia manum mitteret, ut scripserunt varii. Demum nihil de contentis in Pragmatica monuit filium in documentis mox citatis. Itaque omnino existimo, non alia de causa ducentis fere annis post mortem S. Ludovici *incognitam fuisse hanc Pragmaticam; non alia de causa a nemine tanto tempore productam, et ab auctore nullo commemoratam, quam quod diu post mortem* Ludovici *sit composita, et tandem per errorem ei attributa. Nec plura deessent ad hoc ostendendum argumenta, nisi hæc disputatio jam longius protracta esset, quam statueram; et hæc sufficere viderentur.*

§ LXXX. Anno 1269 filiis possessiones datæ ; filia nuptui tradita : Eduardus Anglus ad bellum sacrum pecunia adjutus : B Judæus de sacro fonte levatus : zelus fidei propagandæ etc. Anno 1270 arbiter electus cum legato Pontificio, Lugdunenses pacare conatur : mors B. Elisabethæ sororis : nuptiæ filiæ etc.

Cura prolis matrimonio jungendæ :

Anno *1269, cum omnia ad iter transmarinum expediret Sanctus, restitutiones, quas numquam intermiserat, novis ordinationibus maturavit, teste Chaizio pag. 600 : filiis suis Joanni comiti Nivernensi, ac Petro possessiones donavit, quas idem auctor recenset pag. 603 : Roberto autem filio natu minimo sponsam dedit Mariam filiam unicam et heredem vicecomitis Lemovicensis, ut patet ex litteris hac de re confectis apud Chesnium post Historiam Burgundiæ pag. 111. Illam tamen numquam duxit Robertus, quod ejus voluntati per hoc pactum relinquebatur liberum. Eodem etiam anno, ut habet Nangius in Chronico tom. 3 Spicilegii Acheriani pag. 42,* C Blancha, sancti Regis Ludovici filia, missa fuit a Patre in Hispaniam, Ferdinando regis Castellæ primogenito desponsanda tali pacto, eo quod Rex sanctus Franciæ Ludovicus debebat in regno Hispaniæ ratione matris suæ jus habere legitimum, quod puer eorum primogenitus, de ipsa Blancha postmodum procreandus, nullius fraternitatis successione præjudicium inferente, avo vel patre mortuis, Castellæ regnum pacifice obtineret. *Completum est sub finem anni matrimonium. Porro quod de contractu hic dicit Nangius, uti successu caruit, ita bellorum causa fuit : neque rationem illius pacti, ex jure* S. Ludovici *petitam, satis esse solidam, probatum invenies tom.* VII *Maii in Commentario prævio ad Acta S. Ferdinandi pag. 286 et seqq.*

Eduardus Anglus ad bellum sacrum

1027 *Interea pietatis operibus pro more suo insistebat Sanctus, et bellum sacrum magno studio promovere conabatur. Accipe, quæ de Eduardo Angliæ regis filio,* Ludovici *hortatu et liberalitate ad idem bellum inducto, refert Anglus historicus, qui Matthæum Parisium continuavit, ad hunc annum pag. 677 :* Hoc anno, *inquit,* sanctus Ludovicus, Rex Franciæ nuncios speciales direxerat Eduardo filio regis Angliæ; D rogans, ut ad ejus colloquium festinaret. Non segnius Eduardus maturat iter, et ad Regem Francorum transfretare curavit. Quem Rex vultu suscipit hilari, et amicabiliter amplexum arctius osculabatur, manifestans causam, pro qua eum advocaverat. Dixit nempe, se in votis habere Terram sanctam repetere, eumque desiderare comitem, ad debellandam barbaricam rabiem paganorum. Quod cum audisset Eduardus, ita respondit : Nostis, domine mi Rex, quod substantia Anglicana fere defecit omnino propter bellum inter regem et proceres; et mea substantia est nimis tenuis ad tantum negotium in præsentia talis Domini peragendum.

Regis rogatu et liberalitate inductus :

1028 Cui mox Rex Franciæ sic respondit Triginta, inquit, millia marcharum bonæ legalisque monetæ tibi accommodabo, vel certe gratis dabo, tantum meis desideriis acquiesce. Erat Eduardus revera vir grandis staturæ, magnæ probitatis et audaciæ, fortis insuper supra modum : Rex quoque Franciæ reputavit se felicem, si talem comitem obtinere mereretur. Eduardus igitur non minus cupiens tantam perfectionem, E quam ipse Rex Franciæ, annuit votis suis, et confestim impignorat Francorum Regi Gasconiam; accipiens ab eo pecuniam necessariam pro itinere Terræ sanctæ : reversusque est in Angliam, ut a patre suo rege licentiam impetraret. Moxque patrem senem pietas commovit in lacrymas, justo tamen desiderio adquievit, et benedictionem filio suo gratanter impendit ; permittens, quotquot eum sequi vellent in peregrinationem, disponere se ad iter : hac occasione crucesignatus est, ut præmittitur, a legato. *Hisce satis consentit Westmonasteriensis ad annum 1268, præterquam quod tempus uno anno tum in hisce, tum in ipsa expeditione præverterit. Addit tamen sequentia :* Filium etiam suum juniorem, Henricum nomine, *(Eduardus)* eidem obsidem in Franciam destinavit, quem remisit Rex Franciæ cum honore. *Congressum autem Eduardi cum Rege mense Augusto contigisse, scribit Chaizius pag. 605, ubi et illustrem Eduardi comitatum describit. Addit pag. 606, inducias inter Angliæ et Navarræ reges, quas* Ludovici *studio factas vidimus num. 963, ejusdem industria et auctoritate in quinquennium prorogatas.* F

Ingens fidei dilatandæ studium in baptismo Judæi declaratum :

1029 *Deinde post itinera quædam, piasque in monasterio S. Mariæ regalis, seu Mali-dumi exercitationes, insigne charitatis exemplum dedit in abbatia S. Dionysii, ipso memorati Sancti festo die, ad quem pie celebrandum eo de more se contulerat. Refert illud Gaufridus num. 60, eumque describens Nangius pag. 387 : verum ubi dicunt rem contigisse* in ipso anno, quo pius Rex Ludovicus debuit ultimo transfretare, *intelligendi non sunt de anno 1270, cum adjungant* in festo beati Dionysii, *id est,* IX *Octobris : at exprimere voluerunt spatium unius anni expeditioni prævium, intra quod contigisse baptismum Judæi significant, cujus occasione ardentissimum Sanctus studium ad fidem catholicam dilatandam expressit. Nolim hic Gaufridi verba omnia repetere, suo loco legenda, lubet tamen attexere pauca, quibus factum ita exprimitur :* Cum in ipso anno, quo pius Rex Ludovicus debuit ultimo transfretare, rex Tunicii misisset ad eum solemnes nuntios, et in festo beati Dionysii Rex faceret quemdam Judæum famosum in ipsa ecclesia dicti beati Dionysii solemniter baptizari, ita

A ita quod Rex ipse cum multis magnatibus ipsum de sacro fonte levaret, voluit quod dicti nuncii regis Tunicii solemnitati illius baptismatis interessent. Quibus Rex vocatis, ex magno affectu cordis dixit : Dicite ex parte mea domino vestro regi, quod ego tam vehementer salutem animæ ipsius desidero, quod vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem solis non visurus de cætero, dum modo rex vester, et gens sua ex vero corde fierent Christiani. *Tanta Regium-pectus flagrabat divinis amoris flamma.*

reliqua anni 1269 gesta.

1030 *Circa idem tempus Balduino imperatori, qui, amissa Constantinopoli, hoc anno in Gallia fuit, pecuniæ subsidium præstitit ad liberandum filium ipsius Philippum, propter debita paterna apud Venetos captivum. Narrat id Cangius in Historia Constantinopolitana pag. 184, ex quo corrigas Chaizium, pag. 610 memoria lapsum, ubi Philippum in vinculis Bondocdar Ægypti soldani fuisse scribit. Porro consensit Philippus mense Decembri per litteras, Historiæ laudatæ subjectas pag. 24, ut pecuniam, quam sibi ex vendito comitatu Namurcensi servabat* S. B Ludovicus, *patri suo Balduino traderet. Postremo, præter comitia regni consueta, causasque in iis judicatas, ad gesta hujus anni accedit protectio abbatiæ Appamiensis certis conditionibus, de quibus diu tractatum fuerat, in decennium suscepta : de qua agit Chaizius pag. 546. Accedit et privilegium, quod concessum a præcedentibus regibus, in gratiam ecclesiæ S. Juliani Brivatensis mense Decembri confirmavit* S. Ludovicus. *Recitat illud Acherius tom. 3 Spicilegii pag. 663. Itaque expeditis anni 1269 gestis, ad sequentem, eumque* Ludovico *postremum, progrediamur.*

Orto Lugduni dissidio inter clerum et cives,

1031 *Initio anni 1270 laboravit Rex sanctus una cum Rudolpho episcopo Albanensi, qui legatus Apostolicus in locum Cardinalis S. Cæciliæ erat constitutus, ut pacem reduceret Lugdunum. Tantam occasione Sedis vacantis ortam inter clerum et cives discordiam, ut cives vi aperta, belloque clerum aggrederentur, et fugere cogerent, docent novissimi editores Galliæ Christianæ tom. 4 col. 148. Tentata nequidquam concordia, ecclesiastici* Girardum, *inquiunt col.* C *149,* Eduensem episcopum, Lugdunensis archiepiscopatus, sede vacante, administratorem advocant. Expositæ hinc et inde querelarum causæ, propositæ pacis conditiones, electi sæpius arbitri, dataque sunt compromissa : sed his omnibus incassum tentatis, tandem in concilio provinciali, Bellæ-villæ anno MCCLXIX Kalendis Decembris coacto, sententia interdicti ecclesiastici in civitatem, et excommunicationis in cives lata est. Hincque cum cives Eduensem episcopum ejurassent, utpote qui aperte capitulo faveret, S. Ludovicus in jurisdictionis secularis possessionem sese immisit, et judicem declaravit Matisconis ballivum. *Verum hæc posteriora, uti* S. Ludovico *parum honorifica, ita aperte falsa sunt; neque enim Sanctus se in jurisdictionem immisit, sed arbiter cum legato electus, ad examinanda utriusque partis jura legatos constituit.*

Ludovicus cum legato Apostolico arbiter eligitur,

1032 *Dissidium autem hoc totum fusius narrat Claudius Franciscus Menestrier in Historia urbis Lugdunensis, quem lector potest consulere. Ego ex instrumentis authenticis Historiæ subjectis breviter hic deducam, quid sanctus Rex cum legato Pontificio præstiterit ad illud componendum. Missi Lugdunum a Rege et legato Yvo abbas Cluniacensis, Joannes de Traves, et Henricus de Grandoviler nobiles, ad pacem conciliandam, eo rem deduxerunt, ut partes litigantes facerent* compromissum *de* omnibus querelis et discordiis in dominos legatum et Regem Franciæ alte et basse ad voluntatem suam, vel per concordiam et assensum partium, vel de jure, excepto hoc, quod .... decanus et capitulum sancti Joannis volunt, et requirunt, quod novitates, quas cives et populus Lugdunensis fecerunt, . . . amoveantur ante omne opus. *Factum id compromissum* XXII *Januarii anni 1270, ut videre licet pag. 3, cui aliud pag. 4 subditur instrumentum, quo fidejussores ex parte capitulorum dantur comes Forensis, et dominus Belli-joci.*

AUCTORE J. S.

multaque cum eo statuit ad pacem conciliandam ;

1033 *Deinde arbitri jam constituti Rex et legatus per litteras mense Februario datas (ibidem pag. 4) præcipiunt, ut pax imposterum servetur, captivi utrimque liberentur, ecclesiasticis domus suæ restituantur, munitiones quælibet novæ destruantur, excommunicationis et interdicti sententia tollatur. Hæc autem ut executioni mandarentur, cura imposita est ab arbitris laudatis Joanni Coci canonico Nivernensi,* E *et Guidoni Basso nobili, seu militi, ut tunc loquebantur; quos et Lugdunum miserunt, ut a litigantibus peterent confirmationem compromissi,* eo adjecto ulterius *(uti in litteris regis et legati habetur pag. 5)* quod liceat nobis, vel illis, quos ad hoc deputavimus, diebus feriatis, et non feriatis procedere; servato juris ordine, vel etiam non servato; ac etiam pronunciare conjunctim, vel divisim, partibus præsentibus, vel absentibus, dummodo civibus evocatis; et per nos legatum pars, quæ non obtemperaverit arbitrio, per excommunicationis et interdicti sententias, et per nos Regem, per captionem bonorum mobilium et immobilium, ubicumque in regno nostro existentium, possit districtissime coerceri. *Has etiam conditiones litigantes admiserunt per litteras, datas* die Jovis ante Ramospalmarum, *id est,* III *Aprilis, cum Pascha eo anno esset* XIII *ejusdem mensis.*

cujus et curam committit regni gubernatoribus : hæc tamen non tam cito facta.

1034 *Hisce conditionibus confirmatis, Rex et legatus, qui jam tunc in itinere erant, Nemausi litteras dederunt* die Lunæ ante Ascensionem Domini, *seu* XIX *Maii, quibus rursum pacem servari jubent, omniaque in integrum restitui, sicut fuerant, quando decesserat ab urbis regimine archiepiscopus Philippus. Legatus insuper sententias excommunicationis et interdicti tollit : præterea, qui missi erant ad hæc curanda, jubentur invocare auxilium ballivi Matisconensis, si qui parere recusent; et abbati Cluniacensi potestas datur coercendi per excommunicationem rebelles. Demum Rex domino de Nigella, et legatus abbati sancti Dionysii, facultatem tribuunt, ut pro se, quoties fuerit opportunum, alios delegatos ad litem finiendam substituant. Litteras has videbis pag. 6, cui alias mox invenies subjunctas, ex quibus intelliges, delegatos quidem operam dedisse, ut prædicta omnia fierent; neque id tamen obtinuisse. Hinc pax fieri non potuit ante mortem* S. Ludovici. *Quapropter ad alia progredior.* F

Mors Elisabethæ sororis Ludovici,

1035 *Luxit* Ludovicus *ante discessum dilectissimæ sororis suæ beatæ Elisabethæ mortem, quæ mense Februario hoc anno, ut plerique auctores tradunt, post morbum diuturnum ad requiem transiit. Verum nec tempus mortis, nec alia ad beatam Elisabetham spectantia, hic examinanda suscipio, cum ejus Acta ad diem* XXXI *Augusti*

Operi

AUCTORE J. S.

Operi nostro sint inserenda. Pauca tamen, quæ ad Regem propius attinent, hoc etiam loco notanda. Sepulturæ adfuit sanctus Frater, teste Chaizio ex Ms. : cumque auctoritate Pontificis defuncti data fuisset consanguineis licentia, ingrediendi septa monasterii, ipse Rex ad portam consistens, excubavit, ne quis ingrederetur, cui facultas illa non esset concessa : post peractas vero sepulturæ cæremonias, brevi piaque oratione moniales de morte Beatæ consolatus est. Porro quanti Ludovicum *faceret, quantaque prosequeretur reverentia beata soror, discimus ex Vita ejus apud Cangium pag. 173, ubi legimus eam, dum ad Fratrem salutandum accederet, in genua semper provolvi solitam, quantumvis repugnaret ille, ac, ne quid hujusmodi faceret, imperaret; prævalente nimirum eximia sororis in sanctum Regem reverentia.*

nuptiæ Margaritæ ejus filiæ.

1036 *Eodem mense Februario filiam suam Margaritam nuptui dedit Joanni Brabantiæ duci, ut colligitur ex litteris ejusdem Joannis inter probationes, quas Historiæ Burgundiæ annexuit Chesnius pag.* III. *Fuerat illa dudum desponsata Henrico Joannis fratri natu majori,* B *ut diximus num. 820 : verum cum ille, naturæ dotibus adsubditos regendum destitutus, ducatum in fratrem Joannem transfudisset, ut ibidem pag. 108 docent litteræ Richardi Romanorum regis, ac vitam religiosam professus esset, ut invenies pag. 110, Joannes ducatum adeptus, sponsam quoque fratris obtinere meruit. Ita omnibus liberis suis jam assignaverat Sanctus, unde pro statu suo se sustentarent, ac vitam honeste ducerent, excepto duntaxat Roberto filio natu minimo et filia Agnete; illi autem comitatum Clari-montis, aliaque quædam post obitum suum possidenda assignavit per litteras, a Martenio editas tom, 1 Anecdotorum col. 1125; Agnetis vero in testamento, de quo jam agemus, curam habuit.*

§ LXXXI. Testamentum Sancti : fundationes quædam hac occasione expositæ, quarum incertum est tempus.

C

Testamentum Sancti anno 1270 factum ;

T*estamentum condidit* S. Ludovicus, *priusquam expeditionem secundam contra Saracenos aggrederetur, mense Februario anni 1270, licet signetur anno 1269, quod ille pro more is tius temporis necdum esset finitus, et curreret usque ad Pascha anni sequentis. Edidit illud Menardus in Observationibus ad Historiam* S. Ludovici *a pag. 359, ac deinde Chesnius tom. 5 Scriptorum historiæ Francorum a pag. 438. Dignum plane est, ut in Actis nostris locum etiam habeat, cum ex illo mirifice elucescat liberalitas Sancti in religiosas quaslibet familias, in pauperes, ac loca pauperum usui distinata. Quin immo videbit pius lector et alias virtutes, quas tota vita coluit Sanctus, hinc enitescentes. Quapropter illud hic subnecto, quibusdam observationibus illustratum.*

in quo plurima.

1038 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus, quod nos per Dei gratiam sani et incolumes testamentum nostrum ordinavimus in hunc modum. Volumus quidem et præcipimus, quod omnia debita nostra solvantur, et quod omnia forisfacta nostra emendentur, et fiant restitutiones nostræ per executores hujus testamenti inferius nominatos, per se, vel D per alios, secundum quod viderint expedire : quibus si visa fuerint aliqua dubia vel obscura, damus eis potestatem ordinandi et faciendi super hijs *, prout inspecta salute animæ nostræ viderint faciendum. Legamus autem carissimæ uxori nostræ Margaretæ reginæ quatuor millia librarum. Abbatiæ nostræ Regalis Montis sexcentas libras. Libros vero nostros, quos tempore decessus nostri in Francia habebimus, præter illos, qui ad usum capellæ pertinent, legamus fratribus Prædicatoribus, et fratribus Minoribus Paris., abbatiæ Regalis Montis, et fratribus Prædicatoribus Compend.; secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum, eisdem æquis portionibus dividendos : præter illos libros, quos dicti fratres Prædicatores Compend. jam habent.

* iis

in favorem valetudinariorum

* *vulgo* Maubuisson

1039 Item legamus abbatiæ beatæ Mariæ Regalis * juxta Pontis. quadringentas libras. Abbatiæ Lilij beatæ Mariæ juxta Meledunum trecentas libras. Domui Dei Paris. centum libras ad usus pauperum ejusdem domus. Domui Dei Pontis. sexaginta libras ad usus pauperum. Domui Dei Compend. similiter ad usus pauperum sexaginta libras. Domui Dei Vernon. similiter ad usus pauperum sexaginta libras. Item legamus ducentis domibus Dei magis indigentibus, et plus oneratis duo millia libr. distribuendas, unicuique videlicet secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Item octingentis leprosar. duo millia libr. eodem modo distribuendas eisdem, secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Item legamus domui fratrum Minorum Paris. quadringentas libras. Aliis autem domibus fratrum Minorum in regno Franciæ constitutis, per consilium et ordinationem ministri provincialis Franciæ, necnon gardiani et lectoris Paris., qui pro tempore fuerint, vel duorum ex ipsis, sexcentas libras. Item legamus domui fratrum Prædicatorum Paris. quadringentas libras. Aliis autem domibus fratrum Prædicatorum in regno Franciæ constitutis per ordinationem et consilium prioris provincialis Franciæ, necnon prioris, et lectoris antiquioris domus Paris. sexcentas libras. Item legamus abbatiæ S. Victoris Paris. quinquaginta libras. Abbatiæ Victoriæ juxta Silvan. quinquaginta lib. Aliis autem abbatiis Ordinis sancti Augustini magis indigentibus, et plus oneratis in regno Franciæ constitutis trecentas libras, distribuendas eisdem secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. E F

religiosorum

* de Senlis

1040 Item legamus prioratui S. Mauricii Silvan. * quinquaginta libras. Abbatiæ Cisterciensi quinquaginta libras, et aliis viginti magis indigentibus, et plus oneratis abbatiis ejusdem Ordinis trecentas libras, distribuendas eisdem secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Abbatiæ S. Antonii Paris. C lib. Abbatiæ de Parco juxta Crispiacum * LX libr. Abbatiæ Thesauri B. Mariæ XL libr. Abbatiæ de Villar. * juxta Feritatem * XL libr. Abbatiæ de Byarz * versus Peronam XL libr. Abbatiæ de Salvatorio juxta Laudunum XL libr. Et aliis abbatiis monialium Cisterc. Ordinis DC libras, distribuendas magis indigentibus, et plus oneratis secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Item legamus domui sororum S. Dominici juxta Montem Argi * XXX libr. Novæ domui sororum ejusdem Ord. ultra pontem Rothom. sitæ LX lib. Abbatiæ Humilitatis B. Mariæ juxta S. Clodoaldum L libr. Monialibus S. Damiani

* Crespy

* Villarium

* la Ferté sur Aube

* *al.* Biacum, Biache

* Montargis

Re-

A Remens. xv libr. Monialibus ejusdem Ordinis, quæ sunt apud Pruvinum xv lib. Item legamus abbatiæ Fontis Ebrandi * c libr. Et triginta prioratibus Fontis Ebrandi in regno Franciæ constitutis, cc lib., distribuendas magis indigentib., et plus oneratis, secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Item domui S. Mathurini Paris., Ordinis S. Trinitatis et Captivorum, lx libr. Fratrib. novæ domus Fontis Bliaudi Ordinis ejusdem, ad usus pauperum xl libras : et aliis domibus ejusdem Ordinis in regno Franciæ constitutis magis indigentib. et plus oneratis c libr. Item legamus abbatiæ Præmonstr. xxx libr. Abbatiæ Albæ-Curiæ * xx libr. Abbatiæ Gaudii-vallis * xx libr. : et aliis domibus ejusdem Ordinis magis indigentib., et plus oneratis, secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum c libr.

* Fontevraud

* Abecour

* Joyenval

1041 Item legamus domui Vallis Scholarium Paris. xl libr. : et aliis domibus ejusdem Ordinis c libras, distribuendas eisdem secundum discretionem, et ordinationem executorum nostrorum. Item legamus domibus Ordinis Caturssien. * in B regno Franciæ constitutis lx libr., distribuendas similiter secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. Et fratrib. ejusdem Ordinis ad ædificationem novæ domus suæ juxta Paris. c libr. Item legamus domui de Vicen. Grandis-montis Ordinis xx libr. Fratribus de Saccis Paris. lx libr. Fratribus de Monte Carmeli Paris. xx libr. Fratribus heremitis de Ordine S. Guillelmi juxta Paris. xx libr. Fratribus heremitis de Ordine S. Augustini Paris. xv libras. Fratribus Ordinis S. Crucis xx libr. Fratrib. de Ordine B. Mariæ Matris Christi Paris. xx libr. Item legamus ad ædificandum et ampliandum locum Beguinarum Paris. c libr. : et ad sustentationem pauperiorum ex ipsis xx libr. Item legamus pauperibus mulieribus Beguinis in regno Franciæ constitutis c libras, per bonos viros, quos ad hoc executores nostri viderint ordinandos, distribuendas. Item pauperib. Beguinis de Cantiprato juxta Cameracum xl libras. Item legamus Filiabus Dei, et mulieribus pœnitentib. Paris. c libr.

Ordinum,

* Cartusiensis

1042 Volumus autem, quod executores nostri requirant ab omnibus religiosis, et conventibus religiosorum locorum, quibus legata fecimus, C quatinus intuitu pietatis singulis annis faciant anniversarium nostrum certa die obitus nostri. Capellanos autem capellæ nostræ Paris. attente requirimus, ut pro nobis post decessum nostrum Missam, quæ pro defunctis fidelibus dicitur, per unum ex concapellanis suis singulis diebus celebrari faciant in futurum, et anniversarium nostrum die obitus nostri sollemne faciant annuatim. Item legamus pauperibus mulieribus maritandis vel assignandis mille libras. Item legamus dc libras ad burellos * emendos pro pauperibus vestiendis, et c libr. pro sotularib. * pauperib. distribuendis. Item legamus pauperibus scolarib. S. Thomæ du Lupara Paris. xv libr. : et pauperib. scolaribus S. Honorati Paris. x libr. : Bonis-pueris Paris. lx libr. : et minutis scolarib. Paris. cl libr., per priorem fratrum Prædicatorum, et gardianum fratrum Minorum Paris. distribuendas. Item legamus orphanis, viduis, et minutis pauperib. duo millia libr. Item legamus cl libras pro calicibus, albis, et aliis ornamentis ecclesiasticis emendis, et distribuendis per manum executorum nostrorum, pauperibus locis, quæ indigebunt in domaniis nostris, ubi videbitur bonum esse. Item legamus servientib. nostris, qui nondum sunt a nobis remunerati, vel qui minus sufficienter remunerati sunt, duo millia libr., distribuend. per manum executorum nostrorum.

pauperum, templorum,

* *i, e.* pannum viliorem

* *i. e.* calceis

Auctore J. S.

1043 Volumus autem et præcipimus, quod omnia supradicta de mobilib., quæ habebimus in regno Franciæ tempore decessus nostri, solvantur. Quæ si forte ad ea solvenda non sufficerent, volumus et præcipimus, ut de venditionibus boscorum * nostrorum omnium, qui sunt in domaniis nostris, perficeretur solutio omnium prædictorum, tam ex illis venditionibus, quæ tunc essent, quam ex aliis, quæ possent fieri in boscis prædictis. Ita quod in illis venditionibus nihil perciperet hæres noster, donec omnia prædicta essent plenarie persoluta. Et ad hæc omnia tenenda, et firmiter observanda hæredem nostrum, et terram nostram obligamus. Præterea volumus et præcipimus, ut clerici nostri, et capellani tempore decessus nostri de nostro existentes hospitio, quibus in aliquo beneficio ecclesiastico provisum non fuerit, habeant, et percipiant in bursa hæredis nostri regis quilibet eorum xx libr. annuæ pensionis; quousque sibi de beneficiis ecclesiasticis, vel alias sit provisum. E

clericorum.

* *i.e.* nemorum,

1044 De baptizatis autem nostris tam majoribus quam minorib., quos venire fecimus citra mare, volumus et præcipimus, ut secundum quod ordinatum est a nobis de provisionibus ipsorum, filius noster, qui successurus est nobis in regno, post decessum nostrum providere teneatur eisdem; nisi causa rationabilis obsisteret, quare subtrahi vel minui deberet provisio aliquorum ex ipsis. Volumus insuper et præcipimus, ut provisionem, quam fecimus quibusdam honestis mulierib., quæ Beguinæ dicuntur, in diversis civitatib. et villis religiose degentib., servet et teneat hæres noster, qui nobis succedet in regno, et eam servari faciat et teneri, quamdiu vixerit earum quælibet; quæ videlicet assignatæ non fuerint alias competenter.

et conversorum ad fidem pie legat;

1045 Donamus autem et assignamus filiis nostris Joanni, Petro, et Roberto, certas terrarum portiones, secundum quod in litteris nostris patentib., super hiis confectis, plenius continetur. Quib. portionib. volumus et præcipimus ipsos fore contentos. Et si forte contingeret ipsorum aliquem, vel hæredem ejus, sine hærede de corpore suo decedere, portio terræ sibi assignata F ad hæredem seu successorem nostrum, quicumque pro tempore regnum tenuerit, revertatur. Item legamus carissimæ filiæ nostræ Agneti decem millia libr. Denique volumus, præcipimus, et ordinamus, ut præter portiones liberorum nostrorum, necnon restitutiones, emendationes, donationes, et legata, quæ vel quas modo vel alias fecimus aut faciemus, seu fieri ordinavimus, vel ordinabimus in futurum, tota alia terra nostra, et omnia immobilia ad nos pertinentia totaliter remaneant hæredi nostro, qui nobis succedet in regno. Mobilia vero omnia eidem similiter remanere volumus, dum tamen ea in bonos usus ad honorem Dei et utilitatem regni expendere teneatur. In his autem, et in omnibus supradictis, volumus et ordinamus jus alienum per omnia et in omnibus esse salvum.

liberis suis partem assignat,

1046 Hujus autem testamenti nostri executores constituimus dilectos et fideles nostros Stephanum episcopum Paris., Philippum Ebroic. electum, S. Dionysii, et Regalis-Montis abbates, qui pro tempore fuerint, et magistros Joannem de Trecis, et Henricum de Verzel., clericos

ac executores constituit.

ricos

Auctore J. S.

ricos nostros, archid. in ecclesia Bajoc. Quib. ad præmissa omnia exequenda volumus et præcipimus, ut hæres noster, qui nobis succedet in regno, tam ipsis, quam aliis, quos deputaverint loco sui, provideat in expensis. Quod si non omnes his exequendis voluerint, vel non potuerint interesse, vel aliquem ex ipsis contingat decedere nominatis, major pars numero superstitum nihilominus potestatem habeat exequendi præmissa. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Paris. anno Domini MCC sexagesimo nono, mense Februario.

Obscuriora in testamento

1047 *Pleraque monasteria locaque pia, quibus benefacit in testamento Sanctus, ab eo ante fuerant fundata, ac jam commemorata sunt in præmissis : alia quædam satis nota sunt, ita ut expositione non indigeant : pauca tamen in gratiam lectoris minus eruditi juvabit observare. Num. 1039 octingentis leprosariis distribui jubet 2000 librarum. Erant autem leprosaria, domus extra urbes passim sitæ, in quibus degebant homines lepra infecti, ut observat Cangius in Glossario ad illam vocem. Porro mulieribus leprosis* B *de Salceia prope Lutetiam ingentes eleemosynas partim confirmasse, partim fundasse, vidimus num. 893; unde verisimile fit, alia etiam lepra infectorum valetudinaria benignissimi Regis liberalitatem sæpius experta esse, cum eorum curam in testamento habuerit.*

exponuntur,

1048 *Abbatia S. Antonii Parisiis, quæ memoratur num. 1040, monialium est Ordinis Cisterciensis : huic autem anno 1248 concesserat, ut omnia, in ditione sua titulo quocumque justo acquisita, pacifice possiderent, sicuti docent ejus litteræ, mense Junio datæ, tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 62. Monialium item ejusdem Ordinis sunt quinque sequentes abbatiæ, nominatim expressæ, ac satis in Gallia notæ. Moniales sancti Damiani, Ordinis sunt sanctæ Claræ, ita nominatæ, quia Ordo ille in monasterio S. Damiani, in quo Assisii vivebat sancta Clara, sumpsit initium. De quo plura Hippolytus Helyot in Historia Ordinum tom. 7, pag. 184 : quem item consulere poterit curiosus lector de Ordine Fontis Ebraudi, de quo fuse disputat tom. 6, pag. 83 et seqq.*

ac fundationes aliquæ; videlicet Augustinianorum;

C 1049 *Eremitæ Ordinis S. Guilielmi, de quo multa dedit Henschenius tom.* II *Februarii a pag. 472,* tempore S. Ludovici Regis Lutetiam Parisiorum venerunt, primumque habuerunt domicilium in vico suburbano ad Austrum urbis posito, quem vulgo Montem-Rubeum dictitant, *ait Gerardus du Bois in Historia Parisiensis ecclesiæ pag. 442. Hinc mihi suspicio est, sancti Regis liberalitate domicilium eis procuratum, sicut constat factum de reliquis fere omnibus, qui ibidem memorantur, quorum fundationes suis locis explicatas lector inveniet : fateor tamen quod Guilielmitarum fundationem non invenerim, ideoque, ut certam, non ausim affirmare. Paullo certius id dici potest de Eremitis Augustinianis, qui pariter* S. Ludovici *tempore Parisiis sedem fixere, videlicet* extra muros, ultra portam S. Eustachii, in vico, per quem itur ad Montem-martyrum ; *ut est in veteri charta apud Breulium pag. 550; qui addit, primum illud fuisse eorum ibidem domicilium, ac eorum fundationem accidisse putat circa annum 1250, at fundamento non satis certo. Eos autem per* S. Ludovicum *fundatos, asserit auctor anonymus apud nos MS., dum eorum monaste-*

rium inter alias fundationes recenset : affirmant D *id etiam recentiores varii : nec mirari ossumus, hæc a coævis vitæ scriptoribus prætermissa, cum et alias fundationes, de quibus authentica extant instrumenta, ab illis propter ingentem multitudinem silentio involutas constet.*

Beghinarum Parisiensium,

1050 *Beghinis item suam in testamento liberalitatem prodesse voluit* Ludovicus, *quibus multa jam præstiterat beneficia. Cantipratanus lib. 2 de Apibus, cap. 29, num. 40 hac de re ita scripsit :* Rex devotissimus Ludovicus in tantum amplectitur virgineæ digninatis pudicitiam consectantes, ut Parisiis collegerit Beghinarum maximam multitudinem, ut se in humilitatis obsequiis exerceat, et salute. *Gaufridus in Vita num. 30 quadringentas ait unam in domum Parisiis collectas : addit, in pluribus urbibus domos piis hisce mulieribus exstructas, pauperibusque Beghinis ejus liberalitate victum quotidianum subministratum. Domum Beghinarum ædificatam fuisse opibus* S. Ludovici *habet Vita secunda num. 48, eamque collocat prope* portam de Barbeel, *quam portam* Beghinarum *deinde dictam affirmat Breulius pag. 900. Anonymus Vitæ auctor, jam sæpe laudatus, hisce consentit, dum* E *ait* plures *per Sanctum fundatas* Beghinarum domos, atque ipsam etiam Beghinarum domum Parisiis, ubi, *inquit,* jam sunt sorores de Ave Maria. *Quapropter immerito repugnat Helyotus tom. 8 Ordinum Religiosorum pag. 4; contenditque, mulieres ibidem a* S. Ludovico *collocatas, tametsi Beghinæ vocarentur, sorores fuisse tertii Ordinis sancti Francisci : nam Beghinis hæ successerunt, vel Beghinæ tertium Ordinem deinde amplexæ sunt. Allegat quidem Helyotus bullam Innocentii VIII, anno 1485 datam ad sorores tertii Ordinis dicti monasterii, qua concedit Pontifex, ut illæ ad Ordinem sanctæ Claræ transferrentur. (Edita est in Annalibus Waddingi recusis tom. 14. pag. 593.) Verum ex illa bulla magis discere debebat Helyotus, Beghinas assumere potuisse tertium Ordinem, sicut sorores tertii Ordinis assumpserunt anno 1485 Ordinem sanctæ Claræ; quam probare poterat contra coævorum testimonia, in eodem loco ante duo secula Beghinas habitare non potuisse. Itaque certum manere debet, in domo memorata prope antiquam portam de Barbeel, deinde* Beghinarum *dictam, primum Beghinas a* S. Ludovico *collocatas; qua autem occasione illæ ibidem esse desierint, mox explicabitur.* F

quæ deinde in Gallia extinctæ;

1051 *Originem Beghinarum Cantipratensium, seu Cameracensium (nam Cameracensem in urbem, cujus suburbium est Cantipratum, hæ postmodum fuere translatæ) inquirit Geldolphus a Ryckel in Mantissa ad historiam Beghinarum Vitæ S. Beggæ subjecta pag. 626, et pag. 632 recitat* S. Ludovici *litteras anni 1255, quibus Rex concedit, ut omnia in feudis suis acquisita per Isabellam de Flecquieres Beghinarum magistram, illæ pacifice possiderent. Porro, quid causæ fuerit, cur Beghinæ ex Belgio, ubi initium sumpserant, a* S. Ludovico *in Galliam inductæ, tam cito ibidem fuerint extinctæ, explicat Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina tom. 1, lib. 3, cap. 63, num.* XI *: nimirum quod aliquæ earum in Germania in hæresim lapsæ, damnatæque fuerint in concilio Viennensi sub Clemente V Pontifice : ita tamen ut damnationi addita fuerit hæc explicatio seu restrictio :* Sane per prædicta prohibere nequaquam intendimus, quin, si fuerint fideles ali-

quæ

A quæ mulieres, quæ, promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conversantes hospitiis, pœnitentiam agere voluerint, et virtutum Domino in spiritu humilitatis deservire, hoc eisdem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit. *Subdit Thomassinus :* Hujus extremæ utique clausulæ munimento vallatæ, tot etiamnum in Belgio efflorescunt Beguinarum piæ et numerosissimæ congregationes. Non inussit enim concilium, nisi eas, quæ suspectæ, vel imbutæ hæresi essent. *Prædicta tamen clausula non servavit Gallica hæc virginum seminaria, tametsi et illa servari potuissent, modo habuissent protectorem. Verum* Philippus Pulcher Galliæ rex totus fuit in urgenda decretorum Viennensis concilii executione. Hinc facile quis suspicaretur abolita ab eo in Galliis Beguinarum cœnobia, *ait laudatus auctor. Sane pœnitere non debuisset Gallos, si congregationes hasce honestissimas, per sanctum Regem in Gallia fundatas ipsi etiam servassent, prout eas servarunt Belgæ. Licet enim religiosis votis adstrictæ non vivant, ideoque nec Religiosæ sint, vitam tamen ducunt* B *honestissimam, et religiosam, nec minimum sunt Belgii nostri ornamentum, ut latius ostendit laudatus ante Geldolphus a Ryckel, quem lector potest consulere.*

1052 *Monasterium Filiarum-Dei, seu mulierum pœnitentium, quæ post Beghinas in testamento memorantur,* a S. Ludovico *fundatum constat : non æque constat de tempore fundationis : quamvis videatur accidisse circa initia regni. Certe anno 1232 jam domus illarum fundata dicitur in litteris prioris S. Lazari, quibus ille concedit, ut terræ, ab ipsis acquisitæ,* in manu mortua *possideantur, quia sitæ erant in illius dominio : unde eodem forte anno, aut præcedenti fundatio hæc fuit inchoata. Gerardus du Bois in Historia sæpe allegata pag. 374 fundationem partim attribuit Guilielmo Parisiensi episcopo, dicitque ab Alberico id esse scriptum. Verum nec in Alberico, nec in ullo antiquo auctore invenire potuit, fundationem hanc alteri, quam soli* Ludovico *adscriptam fuisse : nam terræ quidem Guilielmi Barbette, et conventus sancti Lazari fuere fundando loco impensæ, sed pretio acquisitæ, ut patet ex litteris Prioris S. Lazari, quas Breulius exhibet pag. 885.* C *Congregatas autem in hac domo mulieres, quarum pudicitia venalis fuerat, aut periclitabatur ob paupertatem, testatur Gaufridus in Vita num. 30 : adeo ut credibile sit, Guilielmum antistitem consilio et subsidio Regi affuisse, ut illæ hac domo recluderentur, multasque piis monitis induxisse, ut honestam et religiosam ibidem vitam ducerent.*

Filiarum Dei,

1053 *Laudatus du Bois docet primum hujusce monasterii locum fuisse* in suburbanis inter portam Dionysianam, et basilicam sancti Lazari. *De fundatione vero ipsa uberiorem notitiam suggerunt litteræ Joannis regis, anno 1350 in favorem Filiarum Dei datæ, (apud Breulium pag. 887) in quibus ita loquitur :* Notum facimus universis, *quod* cum nuper ad nostram pervenerit audientiam, quod illustris et sanctæ memoriæ beatus Ludovicus, noster in Franciæ regno gloriosissimus prædecessor, ita nedum generis prosapia, sed morum virtutibus insignitus, ut in cunctos generaliter recta justitia uteretur, ac humilitate perculsus in omnibus regnum suum misericordi clementia roboraret, et in pauperes ad congruum exerceret devotissime opera pietatis . . ., voluerit, ordinaveritque, et cum effectu postmodum duxerit exequendum; quod quædam mulieres, generaliter Dei Filiæ nuncupatæ, simul ad invicem convenirent, et in eodem monasterio ultra portam S. Dionysii morarentur, vacantes divinis laudibus, et a mundo specialiter sequestratæ, soli Christo nubentes, et ei veraciter adhærentes, et peramplius Deo. Et pro dictis religiosis mulieribus solicitam curam gerens, ipsas in domo, seu monasterio præfato, perpetuo permansuras fore in numero ducentenario instituit, ac etiam ordinavit; et ut aliqualiter provideret ipsis præfatis ducentis religiosis, quadringentas libras annui reditus dedit, seu contulit amore Dei, ac intuitu pietatis; dictasque quadringentas libras super suum thesaurum præfatis mulieribus assignavit. *Adjungit numerum illarum mulierum diminutum deinde fuisse, ideoque et censum : sed et numerum reduci jubet ad centum, et censum integrum persolvi. Ceterum quas præterea mutationes subiert hoc monasterium, et qua de causa domus Filiarum-Dei virginibus Frontebraldensibus tandem sit concessa, videri potest apud Gerardum* E *du Bois pag. 374, et 375.*

quas numero ducentas esse voluit Sanctus.

Auctore J. S.

1054 *Quandoquidem Rex piissimus num. 1042 liberalitatem suam prodesse voluit quatuor pauperum studiosorum collegiis, inter quæ celeberrimum Sorbonæ collegium recenseri existimo, visum fuit hoc loco in illius fundationem inquirere. Nam etiamsi Robertus de Sorbona memorati collegii fundator passim credatur, nec prorsus immerito, rem tamen exsecutus non est sine ope, et opibus* Ludovici, *imo fundationem Sorbonæ potiori jure attribuendam* Ludovico, *quam Roberto, patebit ex dicendis. Vita secunda num. 92 ad propositum nostrum hæc habet :* Rursum beatus Rex emi jussit domos, sitas Parisiis in duabus plateis ante palatium Thermarum, in quibus construi jussit domos aptas amplasque, ut illic in perpetuum habitarent studiosi, qui litteris dant operam Parisiis : eas autem inhabitant studiosi, qui ad id sunt recepti ab illis, qui eos recipiendi habent potestatem; ex iis etiam domibus quædam elocantur aliis studiorum alumnis, quarum locationis pretium convertitur ad lucrum studiosorum pauperum ante dictorum. Hæ domus constitere beato Regi, ut creditur, quatuor F millibus librarum Turonensium. *Habes hic prima Sorbonæ initia; quibus addit,* Ludovicum *qualibet hebdomada certam pecuniæ summam distribuendam curasse pauperibus studiosis.*

collegii Sorbonici, cujus prima

1055 *De anno, quo hæc facta sunt, quoque Sorbonæ fundatio cœpta, non omnino constat : nam exigui sane momenti est inscriptio, quam Bulæus tom. 3 pag. 224 Historiæ universitatis exhibet his verbis :* Ludovicus Rex Francorum, sub quo fundata fuit domus Sorbona circa annum Dom. MCCLII : *cum certum non sit, quo tempore illa fuerit posita. Majus subsidium afferrent litteræ Regis, quibus Roberto de Sorbona donat primam memoratarum ædium partem, si epocha iis adjecta non falleret : verum cum legantur Parisiis datæ anno 1250, quo Ludovicus erat in expeditione Orientali, errorem in numeros irrepsisse suspicamur, ita ut annum ex eis certo discere non possimus. Quapropter, cum sciamus fundationem captam circa medium seculi* XIII, *annum incertum relinquo, et progressum fundationis breviter explico. Accipe itaque partem litterarum Regis apud Bulæum pag. 224 :* Ludovicus *etc.* Notum facimus, quod nos M. Roberto de Sor-

fundamenta per S. Ludovicum jacta.

AUCTORE J. S.

Sorbona canonico Cameracensi dedimus, et concessimus ad opus scholarium, qui inibi moraturi sunt, domum, quæ fuit Joannis de Aurelianis, cum stabulis, quæ fuerunt Petri Poulaine, contiguis eidem domui : quæ domus cum stabulis sita sunt Parisius in vico de Coupe-Gueule ante palatium Thermarum.

ejusque liberalitate per Robertum de Sorbona promota,

1056 *Deinde mense Februario anni 1258 pro more antiquo, nunc 1259, cum Robertus de Sorbona Regi concessisset quasdam domos, quibus usus est ad fundationem Cruciferorum,* Ludovicus *eidem concedit* omnes domos, quas, *inquit*, habemus in vico de Coupe-Gueule ante palatium Thermarum, secundum quod protenduntur a domo Guillelmi Panetarii, et Joannis de Harmanvilla usque ad finem ejusdem vici, et etiam quasdam domos, sitas juxta domum M. Petri de Cambleyo in fine alterius vici eidem oppositi. Concedimus etiam, quantum in nobis est, quod possit claudere duos vicos, domos includentes prædictas, sine præjudicio alieno, et quod teneat in manu mortua domos, quæ sunt in censiva * burgensium Parisiorum, existentes inter domos prædictas, salvo in omnibus jure alieno.

* i. e. debent censum

B *Hæ litteræ ejus apud Bulæum leguntur præcedentibus subjectæ.* Idem Rex, *ut subdit Bulæus*, an. MCCLXIII, mense Decembri, confecto instrumento publico, cessit eidem Roberto domum, quæ sola sibi supererat in vico duarum portarum, et omnes alias sitas in vico Latomorum, lege caducaria exemptas, « Ad opus congregationis » pauperum magistrorum, Parisius in Theolo» gia studentium », ut legitur in epigraphe, seu lemmate instrumenti.

ita ut fundatio soli Roberto adscribenda non sit, sed etiam S. Ludovico :

1057 *Ex his manifestum est, Regem domos omnes, ex Vita secunda ante memoratas, fundationi collegii Sorbonici impendisse, partim donatione, partim permutatione tali, quæ a donatione non multum videtur differre. Deinde ex verbis supra allatis :* Ad opus scholarium, qui inibi moraturi sunt, *clare eruitur,* Ludovicum *prima jecisse collegii fundamenta; nam domum, tunc donatam cum vicinis stabulis, Regis sumptibus aptatam fuisse usibus studiosorum, dubium non videtur ex laudata Vita. Quapropter existimo, Robertum de Sorbona in hac fundatione Regis potius procuratorem fuisse, et primum collegii provisorem, quam fundatorem : ita tamen,* C *ut industria sua, opibusque deinde acquisitis, ac præsertim testamento, fundationem egregie promoverit, ac illius quasi parens exstiterit. Hinc in gemino instrumento, apud Cangium in Observationibus pag. 36, Robertus fundator non dicitur domus Sorbonicæ, sed in primo, cui ejus testamentum inseritur :* Quorum diu provisor extitit, *quod repetitur in secundo. Itaque, licet non immerito, ut diximus, fundator creditus fuerit Robertus, cum tamen in antiquis instrumentis hunc ei titulum nullibi datum legam, illum ego ipsi non quidem prorsus abjudicabo, sed nec tribuam, excluso* S. Ludovico, *cujus opibus Sorbonæ fundamenta sunt jacta.*

Robertus autem charus fuit Sancto, qui Sorbonæ meminisse videtur in testamento.

1058 *Non desunt neoterici aliqui, qui Robertum hunc volunt* S. Ludovico *fuisse a sacris confessionibus; at antiquorum destituuntur auctoritate. Imo contrarium colligitur ex Joinvillio, qui unum. 9 refert, eum ad Regis mensam adhibitum ob famam virtutis. Fuisse tamen Regi familiarem, tametsi tenuibus natus esset parentibus, ex num. 10, et 11 satis liquet. Ceterum congregationem pauperum magistrorum in collegio Sorbonico confirmavit anno 1268 Clemens* D *IV summus Pontifex, cujus litteras Bulæus habet pag. 236. Jam vero inter quatuor collegia, quorum in testamento fit mentio, Sorbonicum fuisse existimo. Tum quod illud, ut posterius fundatum, cæteris videatur fuisse magis tenue, adeoque per* minutos scholares, *quibus* CL *libras legat* Ludovicus, *recte intelligi possint pauperes, in collegio Sorbonico studentes, tum quod non videatur Rex benignissimus eos omissurus fuisse in testamento, quos ipse fundaverat, cum interim benefaceret pauperibus collegiorum S. Thomæ de Lupara, S. Honorati, et Bonorum puerorum, quæ jam ante ab aliis fundata invenies apud Bulæum tom. 2 a pag. 463; tom. 3 a pag. 45, et a pag. 217. Hisce occasione testamenti hic disputatis, ad ordinem temporis regrediamur.*

§ LXXXII. Statuta, quæ nomine S. Ludovici exstant : lex in favorem ecclesiarum lata : varia privilegia abbatiæ S. Dionysii concessa : spina donata : regni gubernatores constituti : beneficiorum collationis cura commissa : pia ad iter præparatio, et iter usque ad Aquas-mortuas. E

Statuta, nomine S. Ludovici a Cangio edita,

C*haizius pag. 616 scribit, eodem tempore curasse* S. Ludovicum, *ut per viros eruditos compilatio fieret earum legum, quæ vocantur* Statuta S. Ludovici, *articulis 268 comprehensa : addit, neminem dubitare, quin hæc statuta sint* S. Ludovici : *at incertum esse, utrum publicata sint ante decessum Sancti, ut habet præfatio adjuncta, an vero, iis necdum eo tempore absolutis, non nisi posterius promulgatio sit facta. At vero, si, ut et mihi videtur, incertum sit, an promulgatio facta sit per* S. Ludovicum; *nihilo erit certius, compilationem ipsam ejus curæ attribuendam. Etenim in præfatione statuta hæc non modo facta dicuntur per* Ludovicum, *sed etiam promulgata. Si itaque incertum sit, an* F *ipse Sanctus ea promulgaverit, labet fides præfationis necesse est : si autem præfationis labet fides, cum Vitæ scriptores de hisce statutis mentionem non faciant, fundamentum satis firmum non habemus, quo illa adjudicemus Sancto. Cangius etiam, qui statuta hæc edidit part. 3 rerum ad* S. Ludovicum *spectantium, in Præfatione sua dicit, certo dici non posse, an sint revera per Sanctum promulgata, ut habet illorum proœmium; et quamvis prima illius objectio, petita a decessu* S. Ludovici, *falso nitatur principio, cum constet anno tantum 1270 discessisse, adeoque fieri potuisse, ut eodem anno ante decessum illa promulgaret :*

non omnia videntur a Sancto condita :

1060 *Attamen firmior est secunda dubitandi ratio, quod adducit : nimirum quod frequenter in his statutis citentur leges Codicis et Digesti, ac Decreti canones, quod testatur eo tempore inusitatum fuisse regibus Galliæ. Accedunt rationes aliæ; nimirum silentium auctorum omnium coævorum, qui tot leges conditas, ut rem maxime memorabilem, non videntur præterituri fuisse silentio. Deinde stylus ipse minus antiquitatem*

redo-

A *redolens, quam conveniat tempori* S. Ludovici, *certe non conveniens stylo Petri de Fontaines, cujus Opusculun his Statutis subjungit Cangius. Demum in his Statutis lib. 1, cap. 2 vetantur omnino judicia per duellum, uti illa a Rege vetita fuisse suo loco ostendimus; in progressu tamen sæpe duellorum fit mentio, legesque præscribuntur in iis servandæ, ut videbis lib. 1, cap. 27, 79, 89, 109, 116, 165, 166 : et lib. 2, cap. 10 et 11 : ex quo videtur colligi, non omnia hæc Statuta* S. Ludovico *attribuenda. Verum quidem est, quod advertit Cangius in Observationibus ad Statuta pag. 161, præceptum Regis de abolendis duellis per totum regnum non fuisse a principibus receptum; at hinc verisimile non fit,* Ludovicum, *qui duella in dominio suo penitus abrogarat, tot leges conditurum fuisse, ut illa in vassallorum suorum terris stabiliret. Unde verisimilius mihi apparet, hæc Statuta post* S. Ludovici *tempora cum ex illius, tum ex aliorum principum legibus, collecta fuisse : aut, si ipse fortasse hanc collectionem inchoarit, a posteris fuisse perfectam.*

B

privilegium ecclesiasticis datum :

1061 *Aliam tamen legem condidit Sanctus, priusquam discederet, in favorem ecclesiasticorum, quam exhibet Martenius tom. 1 Anecdotorum col. 1126, ex quo illam huc transfero :* Ludovicus... Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos divini amoris intuitu, . . . quantum in nobis est, volumus et concedimus, quod omnes personæ laicales, decimas percipientes ab aliis in terra nostra, et in feodis nostris, moventibus mediate vel immediate de nobis, quas ecclesiæ perciperent, si eas laici non haberent, possint eas relinquere, dare, et alio quocumque justo et licito modo ecclesiis concedere tenendas in perpetuum, nostro vel successorum nostrorum assensu minime requisito : ita etiam quod contra hoc heredes, seu successores nostri nullatenus se opponere valeant, aut hanc concessionem nostram deinceps aliquatenus impedire. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini MCCLXIX mense Martio, *id est 1270. Necessaria erat hæc lex, seu, si malis ita vocare, privilegium, quod ecclesiastici novas possessiones rursum vendere cogerentur. Hinc abbatiæ* C *S. Dionysii eodem mense concedit, ut* quæcumque justo titulo donationis, seu emptionis, aut alio quocumque justo modo *acquisiverant, et pacifice possidebant,* absque coactione aliqua vendendi, vel extra manum suam ponendi *imposterum possiderent. Hujus privilegii litteras habet Doubletius in Antiquitatibus dictæ abbatiæ pag. 910.*

varia abbatiæ S. Dionysii concessa :

1062 *Datæ autem hæ litteræ Vezeliaci, quod oppidum est intra ducatum Burgundiæ situm, ex quo colligimus, post Regis discessum id contigisse in ipso itinere per Burgundiam, ut videbimus, instituto. Porro pietas sancti Regis in S. Dionysium fecit, ut et alia privilegia dictæ abbatiæ concederet : nam iisdem litteris pastum seu procurationem canum suorum eidem remittit, et illam perpetuo sub custodia et protectione regia permanere jubet ; et tribus aliis litteris, ibidem post hasce recitatis, varia præcedentium regum privilegia ante abitum eodem mense confirmaverat : ac demum Vezeliaci cum abbate S. Dionysii convenit de homagio comitatus Claritmontis, quem ipse adhuc possidebat, sed filio Roberto destinaverat, conceditque per litteras ibidem pag. 914, ut quicumque post Regem comitatum sit obtenturus, tametsi filius sit regis,* abbatibus beati Dionysii in Francia, qui pro tempore fuerint, teneatur homagium facere de his, de quibus ipsis abbatibus consueverunt homagium facere comites Clarmontis. *Hisce ob materiæ similitudinem hic expeditis, ad reliqua a Sancto ante iter gesta regrediamur.* AUCTORE J. S.

Spina sacrosanctæ coronæ dono data :

1063 *Misit mense Martio ad abbatem et conventum Blesensem canonicorum regularium* beatæ Mariæ de Burgo-medio *sacrum munusculum cum litteris, a Martenio editis tom. 1 Anecdotorum col. 1126, in quibus ita scribit :* Monasterium vestrum pretioso volentes munere decorare, vobis unam de spinis sacrosanctæ coronæ Domini nostri Jesu Christi transmittimus, cum præsentium testimonio litterarum; dilectionem vestram rogantes in Domino, ut eamdem ob ipsius Salvatoris reverentiam debito conservare studeatis honore, et in vestris orationibus assiduam nostri memoriam habeatis. *Indulgentias in receptione sacræ hujus spinæ concessas ab episcopo Carnotensi invenies col. 1131, et rursum ab archiepiscopo Senonensi in festo sacrosanctæ coronæ col. 1152,* E *ex quibus intelliges, abunde satisfactum fuisse desiderio Regis, sacra hujusmodi munera distribuentis, ut pluribus locis debitus iis honor exhiberetur.*

regni gubernatores constituti :

1064 *Restabat, ut Rex prudentissimus, priusquam ex Francia abiret, regno suo hujusmodi daret gubernatores, qui ordinata prudenter servare nossent, tranquillumque regni statum tueri. Hoc autem ut assequeretur, non potentissimos, sibique sanguine proximos, sed prudentia atque usu rerum gerendarum præ ceteris idoneos elegit, de quibus auctor Vitæ anonymus apud Chesnium pag. 405 sic loquitur :* Relinquens ad regni sui Franciæ custodiam venerabilem patrem abbatem sancti Dionysii Matheum, et dominum Simonem de Nigella, viros siquidem sapientes, prudentes pariter, fideles. *His, si forte morerentur, alios substitutos, docet Chaizius pag. 619; nimirum abbati episcopum Ebroicensem, Simoni vero Joannem Pontivi comitem. Porro litteras, quibus necessaria ad regnum administrandum auctoritas dabatur, illis reliquit : at beneficiorum ecclesiasticorum collationem, velut maximi momenti negotium, non iisdem, sed episcopo Parisiensi demandavit. Epistolam Regis, qua hanc auctoritatem episcopo attribuit, edidit Chesnius* F *pag. 423. Ostendit illa quam prudenter in beneficiis conferendis procederet* Ludovicus, *quidque ea in re maxime spectaret : quapropter inutile non erit hic eam attexere :*

beneficiorum collatio episcopo Parisiensi demandata.

1065 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex *etc.* Notum facimus, quod nos, existentes in procinctu itineris nostri proficiscendi in subsidium Terræ sanctæ, personatus, præbendas, ecclesias, capellanias, et cætera ecclesiastica beneficia, quæcumque vacare contigerit citra mare in hac nostræ peregrinationis absentia, ad nostrum patronatum, collationem, seu præsentationem nostram, tam ratione regalium, quam alio quocumque jure pertinentia, conferendi personis idoneis, et nullum aliud beneficium ecclesiasticum habentibus, ac præsentandi ad vacantes ecclesias vice nostra, dilecto et fideli nostro Stephano Parisiensi episcopo, plenam et liberam committimus postestatem, dum tamen de consilio discretorum virorum cancellarii Parisiensis ecclesiæ, prioris fratrum Prædicatorum, et gardiani fratrum Minorum Parisiensium, vel duorum ex ipsis, in hujusmodi collatione vel præsen-

AUCTORE J. S.

sentatione procedat, et in litteris donationis, vel præsentationis specialiter exprimatur, quod ex auctoritate, et vice nostra sibi commissa, collatio vel præsentatio ipsa fiat. Hanc vero potestatem ipsos habere volumus, quamdiu absentes in hac peregrinatione fuerimus, vel donec a nobis, vel successore nostro, si nos contingat decedere, fuerit aliud super hoc ordinatum, retenta nobis plenaria potestate aliqua beneficia, quæ nobis, aliisve conferre placuerit, conferendi. In litteris autem collationis, et præsentationis, quæ fuerit ab eis facta, prædicti episcopi sigillum apponi volumus cum sigillo alterius prædictorum. In cujus testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini MCCLXIX mense Martio. *Episcopo autem Parisiensi, si moreretur, substituerat abbatem S. Dionysii, teste Chaizio pag. 620.*

Sanctus in ecclesia S. Dionysii signa peregrinationis pie accipit,

1066 *Rebus regni ita dispositis, ad iter se Rex accinxit, egregia tamen ante abitum relinquens pietatis exempla. Vita secunda num. 58 testatur, Sanctum Parisiis preces flagitasse non in domibus modo Religiosorum, sed etiam in congregatione eorum, qui lepra erant infecti.* B *Labbeus in Miscellaneis curiosis. pag. 662 hanc ex tabulario episcopi Parisiensis produxit lasciniam ad propositum nostrum :* Anno MCCLXIX, mense Martio, pridie Idus, die Veneris post Dominicam, qua cantatur REMINISCERE (*id est* XIV *Martii, anni 1270*) Ludovicus Rex Franciæ arripuit iter ad partes transmarinas de sancto Dionysio, et ibi accepit peram et baculum peregrinationis suæ, quos benedixit, et tradidit sibi in ecclesia beati Dionysii Radulphus episcopus Albanensis, tunc apostolicæ Sedis legatus in Francia, et partibus transmarinis. *Quæ hic prætermissa sunt, supplebit Nangius pag. 384, ita scribens :* Decurso itaque præfixo (*discedendi*) termino, Regisque navibus et procerum cum ingenti copia victualium, rebusque bellicis in portu Aquarum mortuarum præparatis; (*aut certe, cum naves in adventu suo paratas fore putaret*) Rex devotus cum filiis et multis regni proceribus ad sanctum Dionysium patronum suum, secundum antiquam regum Francorum consuetudinem, licentiam accepturus accessit. Itaque martyres C beatum Dionysium, Rusticum, et Eleutherium, devotissime cum multis precibus interpellans, vexillum de altario sancti Dionysii,... morem antiquum antecessorum suorum servare volens,.... suscepit cum pera et baculo peregrinationis.

ac monachorum preces flagitat : summa cum humilitate Parisiis valedicit, ac discedit.

1067 Deinde ad capitulum monachorum illius ecclesiæ perveniens, ipsorum pro se, et filiis suis orationum suffragia petiturus, tam humiliter cum ipsis in capitulo resedit, quod nec locum, ubi pueri soliti sunt sedere, ut de loco abbatis et cæterorum monachorum taceam, sed gradum inferiorem de sex gradibus, per quos ad abbatis sedem ascenditur, sibi elegit : totumque regnum Franciæ martyris Dionysii protectioni deputans, cum lacrymarum fluminibus tam nobilium, quam populi circumstantis, prius sancti clavi et coronæ benedictione percepta, ab ecclesia est egressus. *Hæc die Veneris* XIV *Martii.* Die vero Sabbati in crastino, Idibus Martii, accepit licentiam in ultimo suo recessu in ecclesia Parisiensi, et venit ad dictam ecclesiam de domibus suis Parisiensibus discalceatus, et dominus Petrus filius suus similiter cum eo nudus pedes : dominus Philippus primogenitus suus, et dominus Robertus comes Atrebatensis, D et complures alii non discalceati venerunt cum eo, *ut est apud Labbeum mox laudatum pag. 663.* Tunc, *inquit Nangius*, primo Hierosolymitanum iter incipiens, prima nocte ad nemus Vicenarum quievit; ubi in mane Margaretam nobilissimam conjugem suam cum multis singultibus et suspiriis, ac multis lacrymarum imbribus madidam dereliquit.

per Campaniam, Burgundiam, etc. Aquas-mortuas,

1068 *Post hæc iter, quod per Melodunum, Senones, Autissiodorum, Vezeliacum, instituit, ut docent varia privilegia iis locis data, de quibus jam egimus, sic describit :* Rex Christianissimus Ludovicus, toti regno Franciæ valedicto, anno Domini MCCLXIX a recto tramite non divertens, usque Cligniaci * abbatiam fines Burgundiæ penetravit, (*ubi eum festa Paschalia celebrasse, docet cum aliis Chaizius pag. 623, atque inde Matisconem profectum :*) indeque Lugdunum super Rhodanum, Belliquadrum, et Viennam pertransiens, ad optatum portum Aquarum-mortuarum pervenit; ubi debuerat ex condicto crucesignatorum exercitus congregari. Et quamvis pauci in adventu Regis in portu, vel E circiter viderentur, post paullulum tamen temporis tam barones et nobiles, quam mediocris populi peregrinos, ex omni parte videres affluere, et quasi locustas totam terræ superficiem operire. Et sicut tellus erat millibus hominum occupata, ita mare ingenti navium numero tegebatur.

* Cluniaci

ubi, nec dum paratis navibus, turmas dividit.

1069 *At testatur Gaufridus num. 59, naves necdum fuisse paratas, ita ut defectu navium, quas Genuenses statuto tempore non advexerant, multo serius, quam statuerat, solvere potuerit* Ludovicus. *Nec dubium, quin Gaufrido, qui adfuit, major debeatur fides, quam Nangio, qui ex aliorum relatu scripsit. Hæc ergo ratio est, cur exercitus in oppida vicina sit divisus, ut subjungit his verbis :* Verumtamen quia unus locus ad tantum exercitum nullo modo sufficere poterat, majores exercitus ad civitates, et bonas villas, quæ sunt in portus confinio, provide se cum suis exercitibus diviserunt, donec naves in portu vacuæ eos ad introitum expectarent, armis et victualibus oneratæ. *Cum igitur duobus fere mensibus ibidem moras trahere coactus sit Sanctus, sub finem enim Aprilis eo pervenisse conjicio; quid interim egerit, exponendum, priusquam inde discedentem comitemur.* F

§ LXXXIII. Legati ad Regem missi ab imperatore Græco, a quo arbiter electus ad concordiam cum Ecclesia Romana ineundam, arbitrium recusat, sed officia impendit : perturbatio in castris : epistola ad præfectos regni : monita filiis data.

Legati imperatoris Græci ad Ludovicum missi.

N*on diu apud Aquas-mortuas egerat* S. Ludovicus, *quando ad eum pervenere legati, a Michaele Palæologo Græcorum imperatore missi. Rationem hujusce legationis describit Georgius Pachymeres, dum lib. 5 Historiæ, cap. 8 narrat, Caro-*

A *Carolum Siciliæ regem formidini fuisse Palæologo, qui illi se imparem fore censebat :* Hac tempestate, *inquit*, fortuna regis Apuliæ Caroli. . . in flore, atque apice felicitatis erat. In primis apparatu ingenti navali potens, et formidandus habebatur. Palam autem se ferebat infensum imperatori ob societatem affinitate firmatam, quæ ipsi cum Balduino intercedebat. Cui velut jus vindicaturus pristinum, expeditionem in urbem Constantinopolim adornabat, navesque ad id et prævalidas, et plurimas, et tum corporibus, tum armis, tum cæteris utilibus ad scopum rebus, copiosissime instructas compararat, et congregaverat. *Deinde pluribus prosecutus apparatum Caroli, et timorem Palæologi, missasque ab eo ad Pontificem legationes, ut hic Carolum ab eo bello averteret; refert cap. 9 legatos item ad* Ludovicum *missos, finem legationis his declarans verbis :*

ut is imperatorem, ut arbiter, cum Ecclesia conciliet :

1071 Scopus legationis erat, Regem donis et verbis, quantum fieri posset, delinire; conarique adducere ipsum, quem fama ferebat pacis esse studiosum, ad suadendum fratri scriptis litteris, ne bello inquietaret Orientem. . . Quod B si persuadere fratri non posset, certe ageret apud Papam pro Græcis, . . . sicque conaretur infringere fratris machinationes in Romanos; *id nomen sibi sumebant Græci. Agit ille quidem de legatione secunda, sed hæc primæ, quam omittit, etiam conveniunt, cum una utriusque fuerit causa. Verum silet Pachymeres, quod præ ceteris hac legatione expetere se dicebat Palæologus; nimirum conciliationem cum Ecclesia Romana, a qua diuturno schismate separati erant Græci. Hujus autem conciliationis arbitrum eligebat* Ludovicum, *promittens se ordinanda ab eo observaturum, gravibusque verbis obtestans, ne arbitrium suum interponere renueret. Audi epistolam Cardinalium ad legatum Galliæ, apud Raynaldum editam ad annum 1270 num. 3, in qua hæc referuntur his verbis :* Ipse namque imperator, ut suis verbis, prout nobis referuntur, utamur, se velle Regem eumdem arbitrum in hoc constituere asserens, promittebat quicquid idem Rex super hoc diceret, se plene ac inviolabiliter observaturum. Et ut circa hoc suum magis ostenderet dictus imperator affectum, prædictum Regem adjurabat per aspersionem sanguinis Jesu C Christi, quod nequaquam assumere onus hujusmodi recusaret : et si secus faceret, ad summum judicem, ut ipse Rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellabat.

at Rex arbitrium recusat,

1072 *Verum, tametsi* Ludovicus *ardentissimo flagraret studio quoslibet Ecclesiæ conciliandi, noverat Rex prudentissimus quænam suæ in hujusmodi rebus partes essent, quænam moderatorum Ecclesiæ : hinc nec suo defuit officio, nec alienum usurpare voluit. Audi rursus laudatam epistolam :* Propter quod memoratus Rex, solitum prosequens ad ejusdem fidei augmenta propositum, et ad præfatam Romanam Ecclesiam consuetæ non omittens devotionis affectum; sed prudenter attendens, ac humiliter cognoscens, quod suum non erat tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem Sedis examen, etiam ad ipsius imperatoris instantiam officium usurpare; consulte respondit, quod in eodem negotio hujusmodi partes nequaquam assumeret, sed pro ipsius salubri consummatione apud eamdem Sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret.

Auctore J. S. sed concordiam promovere apud Cardinales studet.

1073 *Neque id segniter fecit; nam, ut præmittitur, missis ad collegium Cardinalium* religiosis viris fratribus Eustachio de Atrebato, et Lamberto de Cultura, Ordinis fratrum Minorum, suis nuntiis, *rem promovere conatus est*, et humiliter per eosdem nuntios suos postulavit, ut negotii executionem *episcopo Albanensi legato, secum ad expeditionem profecturo, peragendum committerent Cardinales, quod hi iisdem litteris faciunt, missa formula, quam præstito juramento admittere debebant Græci, additisque ad Regem litteris, quibus promotionem hujusce concordiæ ejus curæ commendant. Utraque autem epistola data est Viterbii Idibus Maii, ex quo conjicimus, Græcorum legatos ad Regem venisse circa initium ejusdem mensis, si non citius, imo fortasse priusquam Aquas-mortuas pervenisset. Ceterum quid cum Carolo fratre pro Græcis egerit* Ludovicus, *non constat : verum legatos Græci imperatoris ad eum in Africam reversos, infra videbimus.*

Gravis in castris cruce-signatorum perturbatio,

1074 *Dun his, aliisque piis operibus occupabatur Sanctus, vel Nemansi, unde* XIX *Maii mandata misit ad pacandos Lugdunenses, ut vidimus num. 1034, vel ad Fanum S. Ægidii,* E *ubi Pentecosten celebravit, aut certe in oppido quodam vicino; gravis in castris cruce-signatorum orta est dissensio, quam Nangius pag. 384 refert hoc modo :* Fraus interim maligni spiritus super bonum semen cupiens in agro Dominico zizaniam seminare, inter peregrinos * rancoris et invidiæ fomitem ad impediendum bonum ipsorum propositum suscitavit. Nam inter turmas pedestris populi tantam furoris rabiem insufflavit, ut manus sceleratissimæ, quæ potius in hostes fidei sævire debuerant, prius seipsas homicidii facinore deturparent. Repentinus enim tumultus excitatur inter Provinciales et Cathalanenses ex una parte, et quorumdam Francorum pedites ex altera, modica ratione : et in tantum utrimque furor invaluit, ut multum diuque in gladiis, et balistis confligerent. Nec cessavit illorum pestifera rabies, donec plusquam centum homines mutuo corruissent.

* *i. e.* cruce-signatos

cujus auctores punit Ludovicus :

1075 Ad ultimum vero Franci, aliorum tumultibus excitati, furibunde contra eos accurrentes, ita ipsos viriliter invaserunt, ut in naves cum magno impetu pepulerint; e quibus aliqui tanta rabie suorum hostium sanguinem si tientes, se in aquis collo tenus immergebant, F ut eos vel in aquis, vel in navibus detruncarent. Nec erat aliquis, qui eorum furorem posset compescere, cum nec Rex, nec aliquis procerum ibi moram facerent, sed in villis vicinis et civitatibus, ut diximus, pariter navigium expectantes. Tandem tamen Rex, qui apud sanctum Egidium Pentecosten celebraverat, et ibi solemnem curiam tenuerat, auditis hujus mali rumoribus illuc venit, et rei veritate comperta, principales injuriæ, jussit morte patibuli puniendos. *Hæc moræ navium addita, non parum exercuerunt sancti Regis patientiam. Illum interim regni curam non deposuisse, docent comitia celebrata : ostendit idem luculenter epistola, paucis ante transfretationem diebus ad regni gubernatores scripta, quam ex editione Acherii tom. 3 Spicilegii a pag. 663, hic subjicio :*

idem per litteras hortatur regni gubernatores

1076 Ludovicus Dei gratia Francorum Rex dilectis et fidelibus suis Matthæo abbati S. Dionysii, et Simoni domino Nigellæ, salutem et dilectionem. Quia ad ulciscendas summæ majestatis injurias, illas maxime, quæ vergunt in contemptum et contumeliam Redemptoris, tanto

AUCTORE J. S.

to validius animari condecet et armari Christianos reges et principes, quanto ab ipso majora beneficia receperunt, et seipsos ad ipsius exaltationem nominis et honoris obligatiores esse cognoscunt : volumus et præcipimus, ac tam vos, qui nostrum locum tenetis, quam ballivos, præpositos, et alios justitias habentes a nobis, specialiter adjuramus, ut blasphemos, illos videlicet, qui facto, dicto, vel juramento ausi fuerint contumeliosi esse in Dominum majestatis, aut B. Virginem Dei Matrem, a nobis esse ordinata dignoscuntur : aut si forte circa ea, ad hoc scilicet ut melius hujusmodi divina vindicetur offensa, aliquid emendandum fuerit, vel addendum sit, studeatis efficere quod efficaciter aboleri valeat de regno nostro hujusmodi tam consueti criminis, aut criminosæ consuetudinis corruptela.

ad blasphemias,

1077 Ut autem sæpius ad memoriam inducatur, et efficaciter hujusmodi præceptum nostrum servetur, sicut in corde gerimus et zelamus, in singulis computis nostris inter alia ratiocinia nostra quæratur et exigatur districte ab omnibus et B singulis ballivis, quid habuerunt vel receperunt de emendis et pœnis hujusmodi blasphemorum, et debis teneantur plenam ibidem reddere rationem. Quidquid autem inde habitum fuerit, de portione videlicet nos contingente, in pauperes volumus erogari. In singulis parlamentis districte præcipiatur eisdem, ut circa punitionem hujus nefandi sceleris studiosi et vigilantes existant. Qui vero desides et remissi fuerint inventi, durius arguantur, et secundum quod bonum visum fuerit, districtius corrigantur.

aliaque peccata exstirpanda.

1078 Cæterum notoria et manifesta prostibula, quæ fidelem populum sua fœditate maculant, et plures protrahunt in perditionis interitum, penitus exterminari præcipimus, tam in villis, quam extra, et ab aliis flagitiis, et flagitiosis hominibus, ac malefactoribus publicis, terram nostram plenius expurgari. Ecclesias etiam et personas ecclesiasticas a manifestis injuriis et violentiis defensari : jura nostra et aliena servari : querelas pauperum, et miserabilium personarum diligenter audiri, et tam ipsis, quam omnibus aliis, quibus justitiæ debitores sumus, C ita reddi, quod justum est, juste, fideliter, et mature, quod apud illum Judicem, qui justitias judicabit, non possimus de neglecta, dilata, vel usurpata justitia condemnari.

juraque sua singulis servanda :

1079 Porro quia in causis et negotiis audiendis et terminandis frequenter ab illis, qui libenter munera accipiunt, justitia læditur, prosternitur veritas, judicia subvertuntur, nolumus ut aliquem de tali munerum acceptione notabilem ad consilium nostrum in prædictis agendis aliquatenus admittatis, nec committatur ei aliquid de prædictis, sed caute elongetis eosdem ; et hæc eadem volumus, si qui fuerint de criminibus aliis notoriis diffamati : juramenta etiam, quæ solent fieri ab illis, qui de consilio nostro erant, revocari * volumus atque præcipimus, ut ea vice nostra recipiatis ab illis, et eorum singulis, qui consiliis prædictis intersunt, prælatis scilicet episcopis dumtaxat exceptis. Datum in castris apud Aquas-mortuas in crastino B. Joannis Baptistæ, *id est* XXV *Junii.*

* *i. e.* renovari

ac navem ingressurus pia filiis dat monita.

1080 *Advectis tandem Genuensium navibus, iisque oneratis, cum secum non nisi unum ex filiis, Petrum nimirum, in navi sua retenturus esset* Ludovicus, *Philippumque et Joannem ad propria navigia dimissurus, priusquam navem ascenderet, pie illos monuisse dicitur apud* D *Surium tom. 3, pag. 276, cujus verba subjungo :* Cumque jam naves conscensuri erant, filios suos blando vultu adspiciens, et primogenitum speciatim appellans, ait : Vide, fili, ut ego jam grandævus secundo hoc iter capessam, quando jam etiam regina mater tua provecta ætate est, et nos regnum nostrum favente Deo, absque ulla perturbatione obtinemus, divitiis, delitiis, et honoribus, quantum fas est, affluentes. Vide, inquam, ut Christi, et Ecclesiæ ejus causa non parcam senectuti meæ, nec me flectat desolatio matris tuæ, delitias et honores contemnam, opesque meas pro Christo impendam. Vide, ut te, et fratres tuos, et sororem primogenitam mecum ducam, simul etiam quartum filium ducturus, si aliquanto maturiori esset ætate. Hæc vero idcirco te audire volui, ut, cum post obitum meum ad regnum pertigeris, pro Christo, et Ecclesia, atque fide Catholica tuenda, nulli rei parcas, non uxori, non liberis, non regno. Volui enim et tibi, et fratribus tuis de me ipso præbere exemplum, ut, si res postulet, E vos similiter faciatis. *Hæc, si non ipsa sunt* Ludovici *verba, ut esse non videntur, certe perpetuæ illius consuetudini filios instruendi pietatique sunt admodum consentanea.*

§ LXXXIV. Iter Regis, et aliorum in Sardiniam, ubi mutato consilio, Tunetum prius oppugnare statuunt.

Rex, ascensa navi, cum crucesignatis

Iter *Regis per mare recte describit Nangius, sed uno anno a vera chronologia aberrat : nam certius est ex omnibus instrumentis, quam ut probari debeat, discessisse anno 1270 : ille tamen præcedentem assignat. Hoc igitur errore correcto, eum audiamus, pag. 385 iter in Sardiniam, quo convenire debebant crucesignati, narrantem :* Rebus itaque de more dispositis, anno Domini MCCLXIX, die Martis, post festum Apostolorum Petri et Pauli, *(seu ipsis Julii Kalendis)* audita Missa in aurora circa ortum solis, Rex intravit mare, et cum domino Petro filio suo na- F vem propriam ascendit. Dominus Philippus ejus primogenitus cum uxore sua ascendit aliam. Comes Atrebati cum uxore, et comes Nivernensis similiter naves proprias ascenderunt.

navigat, non sine

1082 Sicque tota die et nocte permanentibus, die Mercurii subsequenti paulo post ortum solis velum fecerunt istæ quatuor naves supradictæ, et tota die illa cum die Jovis subsequente cum vento satis prospero siglaverunt *. Die vero Veneris subsequenti, circa mediam noctem ventorum turbinibus procellosos fluctus exagitans mare discutitur in maris Leonis introitu, quod ideo sic nuncupatur, quod semper est asperum, fluctuosum, et crudele. Quatuor naves prædictæ fuerant sibi hactenus satis propinquæ, sed tunc maris crudelitate aliquantulum sunt dispersæ nec tamen in tantum, quin possent mutuo se videre. *Mare Leonis, de quo locutus est auctor, est pars Mediterranei ad littora Galliæ, ut testatur Cangius in Glossario, licet alioquin id nomen apud scriptores parum sit usitatum.*

* *i. e.* plenis velis navigarunt

tempestatum

1083 Mari igitur Leonis præterito cum magno periculo, die Sabbati mare mitius invenitur : ex quo plures, qui perturbatione maris et

fluctuum

A fluctuum varias sustinuerant passiones, satis cito recreati sunt. Tota ergo illa die Sabbati cum Dominica subsequenti, satis pacifice siglantes, adveniente nocte aer et mare obnubilata sunt. Et circa mediam noctem præ cujusdam venti nimia valetudine, sicut prius, mare turbatum est, ita quod alterum mare Leonis, sive crudelius credi posset. Nec relatu indiget, quantos dolores in isto secundo turbamine plures sustinerint : quia si primo graviter, secundo gravius sunt gravati. Quid plura? Mane facto cantantur quatuor Missæ sine celebratione, de beata Maria, de Angelis, de Spiritu sancto, et quarta pro animabus fidelium defunctorum, astantibus, qui astare poterant : quia pauci erant, qui astare possent supra pedes sine podio * præ dolore.

* i. e. sustentaculo

marisque incommodis aliis

1084 Circa vero horam diei tertiam, cessantibus tam maris turbine, quam dolentium doloribus, itur ad prandium, et cum jam doloris præteriti esset memoria quasi nulla, inter prandia dolor alius eminebat, quia aquæ dulces jam erant putridæ et corruptæ, nec sine ventatione * multa poterant epotari. Unde, sicut creditur, præ corruptione aquarum multi equi et homines morte in diversis navibus sunt præventi. Interea vero circa solis occasum plurimum mirabantur, eo quod tam longa via usque ad portum Callaricanum inveniebatur, ubi debebant barones se invicem expectare. Super quo navis principes coram Rege evocati, de loco, ubi tunc aderant, interrogati, sub dubio responderunt. Dixerunt enim, quod credebant esse prope terram, et multum mirabantur, quod tam tarde suis aspectibus appareret. Unde allata mappa mundi, Regi situm terræ portus Callarici, et vicinitatem propinqui littoris ostenderunt. *Urbs Calaris, Sardiniæ præcipua, quam petebant, sita est in ora insulæ Orientali, portumque habet idoneum, de quo auctor hic agit.*

* i. e. expositione ad ventum

B

1085 Nec multum post dominus Philippus Regis primogenitus, qui sub tali dubio positus formidabat, misit ad Patrem in galea * quemdam militem, ut ipsum super facto isto animadverteret, quia sibi videbatur quod magistri nautarum procederent in incertum; et tunc iterum nautæ fuerunt ad consilium evocati. Murmur interea et magna suspicio contra ipsos oritur; quia dicebatur, quod ventus, qui habitus fuerat post recessum de Aquis-mortuis, ad ducendum quatuor diebus usque ad portum Callaricum sufficiens videbatur. Præterea dicebatur, quod quædam Regis galea, quam regebat filius Guillelmi Bonebel navis Regis capitanei, ingruente tempestate, de qua supra diximus, a navibus Regis discesserat, tendens versus fines Barbariæ, ut credebant. His igitur causis erat suspicio contra nautas, sed injuste, sicut patuit in sequenti.

in Sardiniam,

* i. e. triremi

C

1086 Ad ultimum inter Regem et nautas fuit taliter diffinitum, ut tota nocte illa permitterentur naves fluctuare per æquora, remotius tamen a parte illa, qua credebatur esse terra, ne incaute in cautes et discrimina rueretur. Mane siquidem facto apparuit terra, sed portus distulit adhuc plusquam sexaginta millibus, ut dicebant, durante adhuc venti et maris turbatione usque ad horam diei tertiam. Circa vero solis occasum venitur ad decem millia prope portum : sed vento verso in contrarium, non potuit accessus ad portum fieri tota die. Jactantur ergo anchoræ, et de non portu portus efficitur : sed hoc bonum, quia prope erat terra, et quædam abbatia, ad quam in barga * curritur, et inde aquæ dulces et herbæ viridæ * afferuntur. Refrigerantur debiles dulcis aquæ gustu, et infirmi a languoribus recreantur.

et portum Callaritanum

* i. e. cymba

AUCTORE J. S.

* virides

1087 Die Martis crastina, scilicet octava die a die illa, qua Rex navem ascenderat, iterum vela detenduntur post prandium, et circa vesperas venitur ad duo millia prope portum, nec tamen nunc haberi potuit accessus propinquior propter ventum in contrarium jam mutatum. *De his Petrus de Condeto, capellanus Regis, testis oculatus ita scribit tom. 3 Spicilegii pag. 664 :* Vobis significo, quod postquam dominus Rex velum fecit, post multas maris amarissimas passiones, die Martis post ascensum suum introivit portum Calliriacum in Sardinia. *Quæ utcumque Nangio sunt contraria, nisi hic portum paullo latius extenderit. Sed redeamus ad Nangium.*

ingreditur octavo itineris die.

1088 Eodem modo, quo prius, curritur in barga ad castellum Callaricanum, ubi invenerunt homines multum sibi contrarios et rebelles. Vix conceduntur eisdem aquæ dulces : vix paucos panes et paucas herbas pro denariis habere potuerunt. Illi vero de villa, sibi non minimum formidantes, educebant res suas de castello, ducentes eas ad loca remotiora vel fortiora. Mane facto die Mercurii sequentis, misit Rex quemdam militem ad castellanum et consulem illius castelli admonendum, quod infirmos, quos plures habebant in navibus, secum in villa sua permitterent recreari, et quod bona sua venalia exercitui exponerent eo pretio, quo vendebantur ante adventum sui exercitus in castello. *Confirmat hæc laudatus Petrus de Condeto, rationem prædicti timoris, parisque in crucesignatos duritiæ, assignans his verbis :* Pisani vero, ad quos pertinet dictum castrum, Januensibus oppido sunt infesti : eos *autem, ut præmittit,* solos timebant. *Nec mirum, cum decem facile millia Genuensium in classe fuisse, eorum Annales memorent tom. 6 Scriptorum Italiæ col. 549. Nunc audiamus, quid responderint Pisanorum præfecti.*

Pisani, ibidem domini, timore Genuensium,

E

1089 Ad hæc respondentes, dixerunt, quod bene volebant, quod infirmi haberent recreationem in villa inferiori, sed infra castellum nullum intrare permitterent, quia hoc eis erat prohibitum a Pisanis, suis dominis et magistris, ad quos dictum castellum dicebatur pertinere. De rebus venalibus dixerunt, quod placebat eis, ut ad forum * justum et debitum exponerentur ad emendum. Quo Regi nuntiato, jussit quod ad castellum infirmi deferrentur : et delati sunt multi nobiles et ignobiles, divites et pauperes, quorum quidem aliqui in via mortui sunt : alii, quibus datum est a Deo pervenire, recepti sunt in quadam domo fratrum Minorum, quæ longe distabat a castello. Extra vero erant paucæ domus terreæ et pravæ, et quasi Francis inhabitabiles : sed in castello, in quo non permittebant aliquem introire, erant domus meliores et homines ditiores. *Mortuos ibidem aliquot recenset memoratus Petrus in epistola, ubi hæc addit :* Multi vero post dominum Regem remanserunt, scilicet dominus Philippus frater comitis Vindocini, magister Joannes de Corbolio capellanus, et alii minores centum, ut creditur, et plures; quibus dominus Rex dimisit custodes Guilielmum Britonem ostiarium, et Joannem de Aubergenvilla portarium. *Redeo ad Nangium.*

crucesignatos inhumane

F

* i. e. pretium

1090 Res vero venales paucæ poterant inveniri, quia omnia abscondebant et ducebant occulte de villa præ timore : si quæ tamen inveniebantur,

et duriter tractant :

AUCTORE J. S.

bantur, carissime vendebantur, ut gallina, quæ prius non valebat plusquam quatuor denarios Januenses, duos solidos Turonenses vel amplius vendebatur; et sic de rebus aliis intelligendum est. Plus etiam faciebant, quia duodecim Turonenses prius decem et octo Januenses valebant, et tunc nolebant recipere pro Januensibus nisi denarios Turonenses. *De cibariorum ibi inventorum penuria consentit rursum dicta Petri epistola, quod maxime factum videtur, quia ea præ timore abscondebant incolæ. Hinc* Ludovicus *prudenter conatus est mansuetudine eos ad humanitatem reducere, ut subdit Nangius.*

quos Rex ad humanitatem reducere studens, parum proficit,

* *i. e.* benignius

1091 Quo Regi relato, die Jovis sequenti misit dominum Petrum cambellanum, et duos marescallos, ad ostendendum eis, quod erga Regem et suos curialius * se haberent. Qui plus moti timore, quam amore, satis molliter responderunt, voluntatem Regis pro viribus se facturos. Et bene volebant, quod Rex, vel aliquis suorum, cum paucis tamen, castellum subintraret; dum tamen servaret eos de Januensibus nautis suis, qui fere omnes extiterant Januenses. B Homines enim Januenses Pisanis oppido sunt infesti. Illi vero, qui missi fuerant, responderunt, quod Rex de castello suo, vel de fortericiis suis non curabat, sed volebat tantummodo, ut infirmi sui exercitus ibidem curialiter tractarentur, et bona eisdem venalia cum ratione exponerentur ad emendum. Ad votum tamen Regis omnia promittentes, nihil aliud aut parum facere voluerunt. Hoc enim solummodo fecerunt, quod duodecim denarii Turonenses pro quatuordecim Januensibus ponerentur, et quod panis et vinum aliquantulum fertilius ad emendum poterat inveniri, sed alia nisi cum magna difficultate poterant reperiri.

attamen vim illis inferre recusat.

1092 Quæ Franci graviter ferentes, monebant Regem, ut castrum, et gentem illam juberet evertere : sed pius et pacificus Rex potius elegit omnia sub dissimulatione præterire, quam Christianos, ad quos destruendos non venerat, licet partim meruissent, taliter extirpare. Die vero Veneris sequenti, Rege in navi sua taliter expectante, venerunt quasi simul naves ceteræ tam de portu Marsiliæ, quam de portu Aquarum-mortuarum. Venerunt etiam barones, rex Navarræ, comes Pictaviæ, comes Flandriæ, C dominus Johannes primogenitus comitis Britanniæ, et alii, quorum nomina nimis longum esset hic enumerare, et tædiosum. Rege igitur salutato die Sabbati subsequenti, legatus et barones coram Rege congregati, ut haberent consilium, ad quem locum utilius esset divertendum; habitum est commune consilium, et firmatum, quod prius irent ad expugnandum regnum Tuneti, antequam in Terram sanctam, sive in Ægyptum transirent.

Consilio habito, expeditio decernitur contra Tunetum.

1093 *Porro regnum Tunetanum, quod hodiedum in formam reipublicæ redactum est, regem habebat Saracenum, qui legatos aliquando ad* Ludovicum *miserat, animumque a religione Christiana non aversum demonstraverat, aut certe simulaverat. Rationes autem, cur Tunetum aggressus sit Sanctus, recitat Nangius ex Gaufrido, eæque huc breviter reducuntur. Spes conversionis dicti regis præ ceteris movisse videtur* Ludovicum : *accedebat subsidium, quod ille Ægyptiis ferebat : præterea divitiæ Tuneti, quod facile sperabatur expugnandum, ingens commodum afferre poterant ad bellum in Terra sancta, vel Ægypto promovendum. Hæc latius Gaufridus, addens alias etiam rationes fuisse eo bellum transferendi. Harum præcipuam, ut videtur, assignat Sallas seu Sabas Malespina decanus Militensis, qui hoc ipso tempore floruit, lib. 5 Rerum Sicularum, cujus Opus est editum tom. 6 Miscellaneorum Baluzii, ubi pag. 325 ita scribit :* D Rex quidem Tunisii propter rebellionem Siciliæ, multis mortibus consopitam, quemdam annuum redditum sive censum, quem regi Siciliæ pro eo exhibet annuatim, ut victualia in Tunisium libere licite comportentur, et mare Siculum remigare licite valeant Arabes, quando volunt, quodque barbari per Siculos piraticis non vexentur insidiis, regi Carolo per tres annos subtrahens denegabat. Ideoque rex Carolus, affectans visitare ac visere partes illas, et hærentem profundæ caveæ colubrum virtute aliena convellere, tantum exercitum coire Tunisium sagaci studio procuravit. *De hisce etiam mentionem facit Guilielmus Gujart apud Cangium pag. 156. Hæc igitur ratio impellebat Carolum, cujus voluntati obtemperasse videtur* Ludovicus, *tum ob rationes ante datas, tum ut illum sibi adjungeret expeditionis socium.* E

quod Rex Caroto fratri significat, ac discedens Pisanorum munera respuit.

1094 *Fortasse jam animo id bellum conceperat Sanctus, priusquam ex Gallia solveret, eaque de causa voluerat, ut classis tota congregaretur in Sardinia, cui Tunetanum regnum in Africa ex adverso jacet oppositum. Verumtamen ignorabant ea consilia crucesigati, ita ut non pauci obmurmurarent, dum eo se ducendos inaudierant. Decreta autem hac expeditione procerum consilio, Rex fratrem suum Carolum de re tota certiorem fecit, teste Condeto; atque ille promisit se brevi cum exercitu adfuturum. Cum itaque ad navigandum se accingeret* Ludovicus, *Pisanos paullo humaniores reddidit ejus discessus, de quo ita Nangius pag. 387 :* Quod cum castellanus Callaritanus, et alii de villa viderent, quod Rex pararet discedere, venerunt ad ipsum, et præsentaverunt Regi viginti dolia vini Græci peroptimi, ut dicebant : sed Rex eorum præsentia * et munera renuens, fecit eis recommendari infirmos, quos in villa dimittebat; dicens, quod hoc haberet pro magno munere, si eos tractarent curialiter, et benigne. *Hæc Sanctus in Sardinia, ubi ad octo dies substitit, ac inde vela fecit in Africam* XV *Julii, ubi postremos ejus labores jam videbimus.* F

* *i. e.* dona

§ LXXXV. Navigatio in Africam : egressio in terram : captum castrum Carthaginis : velitationes cum Saracenis variæ, et horum artes.

Tertio itineris die Rex cum classe in Africam, delatus.

G*esta* S. Ludovici *in Africana hac expeditione multi scriptores attigerunt : verum multorum hic coacervare relationes necesse non est, quando omnia habemus fideliter conscripta partim ab iis, qui adfuerunt, partim ab aliis, qui eorum videntur habuisse epistolas. Primo itaque, lector, accipe litteras Petri de Condeto, jam nunc assignatas, et partim recitatas, ex quibus abunde intelliges, quæ initio hujus expeditionis inter Christianos et barbaros sint commissa certamina. Sic ille post præmissa prosequitur tom. 3 Spicilegii pag. 665 :* Die vero Martis

A tis sequenti, scilicet ante sanctum Arnulphum, de portu illo fecerunt unanimiter velum, et die Jovis sequenti intraverunt portum Tunis circa nonam. Multi vero de montibus stupentes fugiebant; et creditur, quod adventum nostrum penitus ignorabant. Eadem die Jovis fecit Dominus admiraldum * descendere in galeis, ut iret ad portum, ad videndum cujus, vel quorum erant quædam naves, quæ ibi erant. Qui invenit quasdam naves Sarracenorum, et eas arrestavit *. Sed erant vacuæ, et remiserunt ad portum. Naves vero mercatorum non arrestavit.

* i. e. rei maritimæ præfectum

* i. e. detinuit

mittit archithalassum ad explorandum, eumque in terram egressum revocat:

1096 Qui prægrediens descendit ad terram, nec habuit contradictum, et remittens ad dominum Regem, significavit ei, quod terram ceperat, et quod ei mitteret adjutores. Quo audito, dominus Rex aliquantulum turbatus est; dicens, quod non fuerat missus ad hoc, et vocavit dominum cambellanum *, qui consuluit, quod super hoc consulerent barones. Quorum vocati, qui prope erant, alii laudaverunt, quod mitterent adjutores, alii contraria dicebant, quod non erat bonus modus capiendi terram : sic dominus Reginaldus de Priscenniaco, qui dixit : B Domine, si vultis quod quilibet faciat de se melius quod poterit, non restat, nisi quilibet descendat, et capiat terram ubi voluerit. Post ista, et multa alia verba concordatum fuit, quod frater Philippus Ebroicensis, et magister balistarum descenderent ad admiraldum, et secundum quod viderent, vel eum reducerent, vel mitterent pro servientibus, qui descenderent tota nocte. Qui euntes dictum admiraldum reduxerunt : super quo multi dubitaverunt, quod male fecissent, quod die Veneris mane multi Sarraceni ex omni parte confluxerunt ad portum.

* i. e. cubiculo regio præfectum

postero die terram capit, et exercitum extendit:

1097 Sed dominus Rex vocato suo consilio, deliberatum fuit quod bonum esset descendere. Et in nomine Domini descenderunt, galea domini Regis aliquantulum præcedente, et ceperunt terram per Dei gratiam, sed ita ordinate, quod creditur, quia si essent centum probi viri contra eos, numquam, vel valde difficile cepissent terram eo modo, quo ceperunt, sed Domino operante non invenerunt contradictores, et fixerunt castra sua in insula, de qua tamen exitus esse putabant a duobus capitibus; et extendebat se in longum quasi per leucam et plus; et C in latus per tres tractus balistarum; et erat aqua salsata ex utraque parte, et non putaverunt in ea aquas dulces inveniri. Unde plus mali fuit nobis in terra, quam in mari. Aliqui vero de nostris processerunt die Sabbati usque ad unam turrim, quæ erat prope, et erat ibi dulcis aqua in cisternis : sed inventi aliqui nostrorum a Sarracenis fuerunt interfecti.

turrim quamdam capiunt Christiani, quam deinde deserunt:

1098 Postmodum euntes quidam servientes, ceperunt dictam turrim, sed convenientes Sarraceni illos concluserunt, et conclusissent eos in turre, nisi dominus Rex misisset; et misit dominum Lancelot, Radulphum de Trap, et plures alios, quos fuissent sequuti multi, sed equi adhuc erant in navibus, et qui erant extra naves, adeo erant fatigati, et stordati *, quod vix poterant se sustinere. Maximus conflictus factus die illa inter Sarracenos et nostros, non cominus sed eminus, quia Sarraceni non fuerunt ausi accedere ad nostros, sed habent lanceas, et fugiendo vel transeundo jactant, et interficiunt equos non equites; et quos pedites, et vagos inveniunt, occidunt. In conflictu illo pauci interfecti fuerunt ex utraque parte. Ad ultimum liberati sunt, qui erant in turre, et jussi sunt ab illa recedere.

* i. e. obstupefacti præ navigatione

AUCTORE J. S.

progrediuntur ad castrum Carthaginis, ac prædictam turrim recipiunt:

1099 Dominica die sequenti adhuc remansimus in illa, sed defectu aquarum dulcium compulsi sumus exire insulam illam; et die Lunæ sequenti, scilicet in vigilia Magdalenæ exivit exercitus versus castellum Carthaginis, quod distabat ab illa insula circa unam leucam, et in eundo recapta * est illa turris, et adhuc tenetur, et fugerunt multi Sarraceni, qui erant circumcirca. Et locavit se exercitus in quadam valle Carthaginensi, ubi erant putei infiniti, quia in terra cujuslibet est puteus ad rigandum illam; et inde poterat haberi accessus ad portum, vel ad naves, et ad terram prædictam. Die Martis castrari venerunt marinarii ad dominum Regem, et dixerunt, quod castrum Carthaginis in brevi redderent ei captum, si vellet; dummodo traderet eis aliquos servientes. Tunc vocato consilio deliberatum est, quod pararent se, et ingenia * sua; quibus paratis, die Jovis sequenti redierunt parati, et tradidit eis dominus Rex quatuor bella *, scilicet Carcasonense, Catalaunense, Petragoricense, et Bellicadrense, et servientes peditum. E

* recepta

* i. e. machinas

* i. e. legiones

castrum Carthaginis, cæsis Saracenis, expugnant:

1100 Et idem dominus Rex, et alii barones, sicuti erant ordinati per bella usque ad XVII bella, exierunt circa exercitum contra Sarracenos, qui erant infiniti, ne possent vel intrare pavellam *, vel habere accessum ad castrum. Quid plura? Sarracenis videntibus, nec se moventibus, ducentis servientibus Carthaginensibus, qui erant in dicto castro, cum aliis castrum habitantibus vel in fugam versis, vel latitantibus, vel occisis, dicti marinarii bellis prædictis ipsos protegentibus, dictum castrum per scalas irruperunt, nec de nostris fuit læsus, nisi quidam pauper marinarius, qui fuit interfectus. *Dignam putarunt hanc Galli victoriam, quam numismate cuso oculis repræsentarent. Illud hujusmodi est apud de Bie fol. 25 :*

* i. e. septa castrorum



F

Nangius pag. 384 ait, ducentos Saracenos in expugnatione castri periisse. At redeamus ad Condetum. Capto castro Carthaginis, qui potuerunt exire per vias subterraneas exierunt, et eduxerunt vaccas, et alia multa, nostris videntibus; nec voluerunt se movere, quia non erant adhuc ordinati. In dicto castro multi Sarraceni latuerunt in latebris, et caveis subterraneis, quæ multæ erant ibi, de quibus occidebantur quotidie, qui poterant inveniri. Alii sunt in cavernis ignibus suffocati, alii adhuc in cavernis restant aliquo mortis genere morituri.

crebræ velitationes cum Saracenis:

1101 Et nisi esset pro cadaveribus mortuorum, dominus Rex in prædicto castro cepisset hospitium suum, et in confectione præsentium

miserat

AUCTORE J. S.

miserat dictum castrum a cadaveribus evacuari. De dicto castro dicitur vulgariter, quod qui dominus est Carthaginis, dominus est totius regionis; quod tamen a plerisque non creditur, quia tot et tanti confluunt Sarraceni, et adeo vexant nostros, quod aliquoties bis in die clamatur ad arma. Sed a nostro exercitu congregato retrahunt se Sarraceni; quos solos vel vagos, vel nimis infestantes inveniunt, occidentes. Et tamen creditur, quod plures de suis perdiderunt, quam nos de nostris. Dum nostri sequuntur eos, fugiunt, dum vero nostri redeunt, ipsos cum lanceis provocant et infestant. Ut autem nostri ad plenum eos prosequantur, exspectant regem Siciliæ, qui de die in diem est venturus. Miserat autem ad eum dominus Rex de Sardinia, et jam venerat frater Amalricus de Rupe, et dicebat ipsum esse venturum, ex quo audierat alios rumores a domino Rege. Et jam dominus Rex alios nuntios miserat ut veniret, et sperabatur quod infra sex dies post confectionem præsentium esset venturus. *Hæc ille de rebus gestis usque ad* XXVII *Julii, quo scripsit.*

B

Carthago præsidio munita a Christianis.

1102 *Eadem narrat Nangius, et brevius* Ludovicus *ipse in litteris, biduo ante scriptis, quas hisce præponit Acherius, quæque præterea docent prospera ipsum cum familia sua usum fuisse valetudine usque ad dictum tempus. Reliqua ibidem gesta describere pergit Nangius, qui illa videtur ex hujusmodi litteris hausisse, cum ubique ejus narratio litteris authenticis, quas habemus, satis congruat. Ejus itaque narrationem subjungo de factis post captam Carthaginem, quam olim Romæ æmulam fuisse advertit, sed eo tempore ad oppidi exigui conditionem redactam :* Capto itaque castro, *inquit,* misit Rex ad ejus custodiam milites, et balistarios, peditesque quamplures, jubens illud cadaveribus mundari, ut ibi possent recipi uxores, et infirmi, et certantes in acie sauciati. *Deinde varias Saracenorum artes, frequentesque impetus, quibus Christianos impetebant, recensere incipit a die* XXV *Julii, atque his verbis rem exsequitur :*

Rex Tuneti capi jubet Christianos Tuneti degentes,

1103 Die Veneris post dicti castri captionem, Sarraceni, qui prius occurrerant, sese in vesperum retrahentes, forte ut suum colerent Sabbatum, subsequenti die ad opus solitum acrius

C

redierunt, nostrosque adeo infestabant, quod AD ARMA, AD ARMA clamare etiam inter prandia compellebant. Eadem die venerunt ad Regem a parte Sarracenorum duo milites Cathalani, et se suæ voluntati subdentes nunciaverunt, quod Rex Tunicii capi fecerat omnes Christianos, quos in exercitu suo habebat stipendiarios, videns, quod si Christiani usque Tunicium transirent, omnibus capita faceret amputari; et si eos contingeret a tali proposito resilire, ipsos penitus liberaret. *Hæ minæ piissimum Regem movere quidem potuerunt; at non avertere a bello fidei promovendæ causa inchoato. Non ignorabant etiam Saraceni hoc religionis Christianæ dilatandæ amore flagrare* Ludovicum : *hinc ad alias artes sunt conversi, quas Nangius narrare pergit hoc modo :*

ac Saraceni aliquid cladis inferunt Christianis, dum duo

1104 Eadem die bello Regis et bello comitis Augi, atque bello domini Jchannis de Acon buticularii * excubias facientibus, venerunt ad buticularium tres milites Sarraceni, poscentes fieri Christianos; et in signum fidelitatis posuerunt super capita manus suas, nostrorum manus deosculantes in signum subjectionis, buticulario

* bouteillier

se reddentes. Illisque ad pampilionem * deductis, Regem adiit buticularius ista denuncians; quos Rex jussit diligentissime custodiri. Post vero, cum buticularius ad suas redisset excubias, venerunt ad ipsum Sarraceni numero quasi centum, lanceis depositis, factisque signis, quæ fecerant alii, instanter baptismum petentes. Sed illis adhuc loquentibus, et buticulario cum suis eorum ambagibus occupatis, alii Sarraceni uno motu unoque momento pungentes sonipedes subito super buticularium et suos erectis lanceis irruperunt. Tunc nostri attoniti cœperunt clamare et fugere, ac per exercitum clamor attollitur, et ad arma concurritur. Sed antequam illuc pervenissent Christiani, Sarraceni indemnes fugerunt, sexaginta tamen prius de Christianis peditibus interfectis. O infidelium dira calliditas, imo fidelium mira simplicitas, dum falsorum fallaciis acquiescunt.

D

* *i. e.* tentorium

eorum fingunt, se Christianos esse velle :

1105 Quid plura? contra buticularium murmur exoritur, totaque facti culpa sibi imponitur. Sed fortassis immerito, quia cum tres magnos Sarracenos baptismum postulantes in suo pampilione teneret, sperabat per eos alios ad fidem trahere; saltem in hoc redarguendus, eo quod contra eorum insidias debuisset cautius præmuniri. Statim ad pampilionem suum rediens buticularius, vehementer Sarracenos, quos tenebat, doli et proditionis redarguit. Quorum qui primus inter ipsos videbatur, cœpit se cum lachrymis excusare. Cujus verbis per quemdam fratrem Prædicatorem, qui suum idioma noverat, expositis, ait illi buticularius, ne timeret, quia quandoquidem sub fiducia ad Christianos venerat, fidem in eis inveniret. Etenim Rex erat tantæ fidei, ut etiam simplex promissum nullatenus permitteret præteriri.

E

illos tamen, quod verbis se excusarent,

1106 Tunc ille; Scio, domine, quod super hujusmodi facto habetis me suspectum, licet non sim mihi conscius hujus facti, sed hoc totum factum a meo æmulo in meum odium et gravamen. Sumus enim duo magni pares stipendiarii, militantes sub rege Tunicii, et habemus quilibet duo millia equites et quingentos. Alius vero meus commilito mihi et actibus meis de veteri invidens, licet spontaneus venerim, scit quod vos me tenetis : unde ad malum meum hunc conflictum per se fecit, et per alios fieri procuravit : et scio quod nullus de parte mea, nec de commilitonibus meis in isto conflictu vobis nociturus affuit, nec vobis aliquid mali fecit. Et ut hoc, quod ore dico, opere comprobetur, aliquem istorum, qui mecum sunt ad eos regredi permittatis, et nisi ad vos duxerit plusquam duo millia, qui exercitui vestro adducent bona venalia, et etiam vobis erunt in auxilium, de me tamquam de proditore nequissimo faciatis.

F

fraudisque convinci non possent incolumes Rex dimittit.

1107 Hæc et his similia perfido prosequente, buticularium ad hoc credendum aliquantulum informavit, qui statim ad Regem ingrediens, quæ Sarracenus dixerat intimavit. Sed Rex verbis ejus fidem nolens adhibere, tamen ex deliberato consilio dixit, quod ad alios Sarracenos permitterentur abire. Tunc buticularius et connestabularius * salvos eos usque extra exercitum, multis de hoc murmurantibus, conduxerunt; et promisit ille Sarracenus magister eorum, quod rediret in crastinum, omnia, quæ promiserat, impleturus; quæ promissa non, ut falsus et subdolus, adimplevit. Sed cum quanto gaudio et sociis sibi occurrentibus est receptus, ut testati sunt, qui viderunt, non est necesse dicere :

* *i. e.* supremus militiæ præfectus, *vulgo* connétable

quippe

A quippe quia jam tenebant incolumes, quos credebant Christianorum gladiis interemptos.

Dum Rex exspectat Carolum fratrem, et castra munit,
* *i. e.* fossis

1108 Tunc habuit Rex consilium de fossatis * faciendis circa exercitum, propter insultus et insidias perfidorum, qui nostros improvidos mirabiliter infestabant. Nostri autem regem Siciliæ, qui per fratrem Almaricum de Rupe se venturum mandaverat, de die in diem expectabant, et ad ipsum accelerandum Rex nuncios jam miserat, et mandaverat eidem, quod donec venisset, nolebat ulterius prosequi Sarracenos. Habito igitur consilio de fossatis faciendis, mane convenerunt operarii cum palis et aliis instrumentis, et cum eis frater Almaricus de Rupe, ad providendum ubi commodius fossata fierent, et custodiendum operarios cum aliis bellis, quæ debebant excubias illa die. Dispositis igitur operariis, et jam operari incipientibus, Sarraceni, qui quasi infiniti et sine numero videbantur, hoc percipientes, cœperunt in nostros solito vehementius insanire.

Saraceni ordinata acie accedunt, acsi confligere vellent ;

B 1109 Dicebatur enim quod ipse rex Tunicii venisset cum bellis dispositis ad pugnandum. Et ob hoc maxime tunc nostros in talem opinionem induxerat, quia die præcedenti denunciaverat per aliquos Sarracenos, se venturum in crastino paratum ad prælium, quod nostri milites pro frivolis reputabant. Sed tunc non debuit reputari pro frivolis, sed visum est quasi verum : quia Sarraceni versus nostros equitabant cuneis ordinatis, et jam usque ad mare et fere usque ad littus, ubi erant naves et victualia nostrorum, alas suas, quasi vellent nostros includere, extendebant. Tunc quidam de excubiis accelerans ad exercitum, AD ARMA, AD ARMA ingeminans, Regi quæ viderat nunciavit. Statimque ex Regis imperio AD ARMA per exercitum est communiter acclamatum. Rex ipse cum suo bello armatus egreditur; et mox cuncti barones aciebus dispositis exeunt extra castra.

sed, occisis eorum aliquot, de more fugiunt.

1110 Comes vero Attrebati a parte maris equitabat, et jam adeo processerat, quod aliquos illorum posset includere, si bella nostrorum videret currere contra ipsos. Tunc accidit quod dominus Petrus Cambellanus, et frater Almaricus de Rupe versus littus cum triginta equitibus vel circiter equitarent : et videntes quosdam Sarracenos nimis se versus littus extendere, tentaverunt, utrum possent illos includere inter ipsos C et bellum comitis Attrebati, qui versus maris littora se tenebat. Tunc punxerunt unanimes contra illos. Quod cum vidissent perfidi, fugam arripiunt; quos nostri velociter insecuti, tredecim ex eis cum jumentis aliquibus ceciderunt. Ipsi autem de nostris unum nobilem militem Johannem de Roselieres, et castellanum Belliquadri servientem Regis ad arma strenuum, proh dolor! occiderunt. Sed miles saucius ad castra delatus eadem die ut bonus Catholicus expiravit. Videns vero Rex Sarracenos paulatim se retrahere, nec habens consilium currendi super ipsos, donec venisset frater suus rex Siciliæ, quem venturum in proximo præstolabatur, ad tentoria similiter se retraxit. Die autem crastina parum aut nihil Sarraceni comparuerunt. Et hoc forte quia habebant Sabbatum aut negotium aliud ad agendum. Die Martis subsequenti veniens Olivarius de Terminis ex partibus transmarinis, nunciavit Regem Siciliæ in portu paratum naves ascendisse. De quo multi gavisi, Oliverium cum magno gaudio susceperunt. *Verum, morbis in exercitu invalescentibus, Carolus deinde advectus, vivum non reperit fratrem suum* Ludovicum, *ad cujus mortem sanctissimam jam properamus, dum gesta ejus postrema elucidaverimus.*

AUCTORE J. S.

§ LXXXVI. Morbi in exercitu Christianorum : mors filii Regis, aliorumque : morbus Ludovici : acta in morbo cum legatis Græcis : documenta filio, et filiæ data : piissimus obitus.

Morbi in castris : mors Joannis, filii Regis ;

Continui labores jam relati, adjunctis aeris Africani molestiis, cibique sani et aquæ dulcis penuria, effecerunt, ut morbi innumeri orirentur in castris Christianorum circa initium Augusti, multique non gregarii modo milites, sed et nobiles et principes occumberent. Inter E *eos fato functus est Joannes Tristanus Regis filius, Damiatæ natus anno 1250, dum captivus in Ægypto erat* Ludovicus, *de cujus morte Nangius pag. 391 sic habet :* Insultibus Sarracenorum contra nostros, dum rex Siciliæ expectaretur, more solito quasi quotidie se habentibus, Joannes comes Nivernensis, filius Ludovici Regis, infirmitate cogente, a castris in navem suam se retrahens, die Inventionis sancti Stephani expiravit. Cujus decoctis carnibus, ossa,... ut mos est talium, balsamo et aromatibus condita, in ecclesia beati Dionysii in Francia postmodum tumulanda in quodam scrinio conservarunt. *Doluit de morte egregii filii pius Pater, teste Gaufrido num. 62; neque id mirum : talis enim erat Joannes, ut et amore paterno dignus esset vivens, et dolore defunctus. Audire itaque lubet de eo testimonium Philippi ejus fratris, et regis, dum illud scripsit in epistola apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 669 :* Nec non dilectissimus, *inquit,* frater noster Joannnes comes Nivernensis *(obiit,)* quem non solum carnalis affectio, et naturæ vinculum, sed et bonæ indolis primordia, vitæ innocentia, F et in ætate tam tenera *(viginti annorum)* magnæ discretionis industria plurimum reddiderunt carum nobis.

ac legati Pontificii aliorumque multorum :

1112 *Joannem intra paucos dies secutus est Cardinalis Albanus, legatus Pontificius : cujus, aliorumque mortem sic ibidem prosequitur Nangius :* Dehinc die Jovis ante festum B. Laurentii legatus Romanæ curiæ mortuus est... Moriebantur etiam plures fortes et juvenes in exercitu Christianorum, tam propter aeris ac terræ intemperiem, quam propter ciborum sanorum defectum, et aquæ dulcis penuriam : alii febre acuta, alii fluxu ventris, et alii diversis morborum generibus interfecti. *Hæc tragice magis depingit Georgius Pachymeres lib. 5 Historiæ cap. 9, agens de legatis Græci imperatoris ad Regem missis, de quibus postea :* Per has moras, *inquit,* feriebantur oculi quotidie nostrorum spectaculo luctuoso atrocium et cruentorum Latinos inter Agarenosque certaminum. . . . . Grassabatur interim perniciosa pestis, densabanturque mortes; adeo ut funeribus libitina deesset, superstitibus ad cadaverum sepulturam non sufficientibus. Unum scilicet illud at tragicam Iliacorum

AUCTORE J. S.

corum malorum faciem deerat, quod pyræ mortuorum non arderent; sed fossa eadem illa profunda et lata, quæ vivos tuebatur, defunctos hauriret, tanto jam numero, ut brevi complenda videretur, et ad æqualitatem attollenda campi, tam in eam multi quotidie partim hostili cæsi ferro, partim lue pestifera extincti devolvebantur. Vigebant tamen animis reliqui, et sibi conscii pro crucis gloria periclitari sese, ardorem audaciamque a causa belli trahentes, fortissime adversus quamtamvis fortunæ iniquitatem nitebantur.

Ludovici morbus supremus: legati imperatoris Græci

1113 *Tot curis, laboribus, malisque* Ludovici *valetudo succubuit, uti et filii ejus Philippi. Audi Nangium citatum :* Rex autem Ludovicus fluxus ventris, qui eum arripuerat, molestiam sentiebat : et Philippus ejus primogenitus quartanis febribus laborabat. Post modicum vero tempus Rex Deo devotus, febre continua infirmatus, lecto decubuit. *Dum supremo hoc morbo Sanctus lecto affixus jacebat, in Africam delati sunt Græci imperatoris legati, Joannes Veccus, seu Beccus,* ecclesiæ *Constantinopolitanæ* chartophylax, et regii archidiaconus cleri B Meliteniotes, *ut habet laudatus jamjam Pachymeres, qui eorum iter enarrat latius. Causas hujusce legationis exposuimus* § LXXXIII, *nimirum reconciliationem cum Ecclesia Romana, et pacem cum Carolo Siciliæ rege, quam ope* Ludovici *quærebat imperator Græcus. Verum, præter morbum Regis, illud etiam incommodum obstabat reconciliationi cum Ecclesia, quod legatus Pontificius obiisset, cui illa cura erat commissa, adeo ut negotium illud expediri non posset, priusquam alius legatus cum eadem facultate a Cardinalium collegio missus esset : hunc autem a* Ludovico *petitum per duos nuntios, ad Cardinales ablegatos, auctor est Chaizius pag. 646. Nam tametsi legatus defunctus ante mortem, teste Nangio,* quemdam fratrem Prædicatorum subdelegatum fecerat,... multi jurisperiti, utrum delegare valeret in exercitu, *dubitabant.*

ad eum reversi, quos uno ante obitum die benigne audit.

1114 *Hæc itaque ratio, morbique molestia impediebant, quo minus rem tantam ad felicem exitum perducere potuerit, licet id summopere desideraret Sanctus. Accipe nunc quæ hac de re narrat Pachymeres loco assignato :* Ut autem vix C tandem *(legati)* multa perpessi exscenderunt, Regi, ex gravi morbo decumbenti, litteras imperatoris reddiderunt. Rex incertus quid ageret, hinc quidem morbo urgente, inde belli districtus curis, supersedebat expeditione negotiorum, intentus valetudini curandæ.... Rex interim, morbo invalescente, in eum redactus statum, ut de vita ejus desperaretur, allocutus tamen legatos est, magnam ostendens propensionem ad pacem inter imperatorem, fratremque procurandam : eamque conciliationem pro viribus se promoturum, si vita suppeteret, promisit : expectare interea ipsos, et quiescere jubens. Ab his dictis postera ei dies suprema illuxit : *et cum eo spes legatorum concidit : at existimatio Græcorum, de sanctitate illius concepta, diu adhuc viguit. Ceterum de principe hujus legationis Joanne Becco, qui deinde patriarcha Constantinopolitanus factus, fidem Catholicam, relicto schismate, amplexus est, ideoque sede expulsus, plura apud nos inveniet lector studiosus in Historia chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ante tom. 1. Augusti pag. 166 et seqq.*

Æger filio filiæque pia dat documenta,

1115 *Decumbens* Ludovicus, *et* sentiens sibi mortem imminere, *ait Nangius,* convocato D Philippo filio suo primogenito, eidem quasi pro testamento documenta salutaria, et catholica instituta, quæ ante infirmitatem suam extremam, tamquam Domino revelante mortis propriæ conscius, manu sua in Gallico scripserat, edidit. *Bonifacius VIII in Sermone 1 apud Chesnium pag. 483 filiæ etiam tunc temporis pia documenta dedisse testatur, de utrisque sic scribens :* Quam vero salubria exempla et monita reliquit posteris, indicant maxime documenta sancta, quæ pius Rex ante mortem filio suo primogenito, et filiæ suæ reginæ Navarræ scripsit, et quasi pro testamento eis reliquit. *Quamquam hujusmodi sint hæc documenta, ut æri mereantur insculpi perpetuo duratura, supervacaneum tamen puto ea hic attexere, cum in Vitis infra edendis legantur. Quippe documenta filio data invenies apud Gaufridum a num. 18 ; in Vita secunda a num. 67 ; apud Joinvillium vero a num. 259, sed minus exacte hoc loco scripta : eadem dat Nangius a pag. 391, aliique plurimi. Quæ autem filiæ reliquit monita, recenset Vita secunda a num. 61 ; et Menardus in Ob-* E *servationibus a pag. 356 ea edidit antiquo Gallorum idiomate. Illis igitur hic prætermissis, pauca dumtaxat observanda sunt circa articulum magni momenti, in editionibus aliquorum prætermissum.*

inter quæ filio commendat reverentiam erga Pontificem,

1116 *Gaufridus, Regiæ conscientiæ moderator, qui primus omnium Vitam summa fide conscripsit, hæc documenta daturus, num. 17 sic præfatur :* Horum documentorum, manu sua scriptorum, post mortem ipsius ego copiam habui, et sicut melius et brevius potui, transtuli de Gallico in Latinum. *Deinde inter ipsa documenta num. 21 hoc recenset :* Sis devotus et obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, et summo Pontifici tamquam patri spirituali. *Idem habet Nangius pag. 392 iisdem plane verbis. Idem anonymus S. Dionysii monachus apud Chesnium pag. 399, mutatis paululum vocibus, sic expressit :* Care fili, doceo te, quod tu sis semper devotus Ecclesiæ Romanæ, et summo Pontifici patri nostro, et ei exhibeas reverentiam et honorem, sicut debes tuo patri spirituali. *Hæc Gallorum antiquo idiomate exprimit auctor Vitæ secundæ his verbis :* Chier fiuz, je t'enseigne, F que tu soies tousjours devot à l'eglise de Rome, et au souverain Evesque, nostre pere, c'est le Pape : et li porte reverence, et enneur *, si comme tu dois fere * à ton Pere esperituel *. *Quæ Latine reddidimus num. 72. Eadem fere verba, ut perscripta fuere in tabulas in regiarum rationum curia, affert Balduinus de Housta in libello Gallico, cui titulus, Mala fides D. abbatis Fleury, pag. 90 :* Chier fils, je t'enseigne que tu soies touz iours devoz à l'eglise de Romme, et à nostre pere le Pape, et si porte reverence et honneur, si comme tu dois à ton pere spirituel. *Hæc item reperiuntur in Vita apud nos Ms. anonymi sæpe citati : hæc Surius tom. 3, pag. 276 ex Mss., ut testatur, codicibus : hæc demum alii afferunt plurimi, quorum recitare nomina nequaquam necesse est ; cum vel una sufficiat Gaufridi auctoritas, qui scribebat coram Philippo rege, nec quidquam addere poterat documentis ei a Patre traditis, nisi temeritate maxima impostor videri vellet. Certum itaque est et indubitatum, hoc inter cetera documenta* Ludovicum *filio tradidisse.*

* i. e. honneur
* faire
* i. e. spirituel

1117 *Nihilominus desideratur hoc monitum*

in

A in Historia Joinvillii, prout hodiedum exstat, sive id Joinvillius prætermiserit, sive ab ejus, Historia sit resectum. Deest etiam in documentis illis, quæ veteri idiomate edidit Menardus in Observationibus a pag. 351. Qua occasione, cujusve culpa præclarum adeo monitum ibidem omissum sit, non constat. At vero quacumque de causa prætermissum sit, vel rescissum in hisce duobus exemplaribus; idem prætermittere non debebat Chaizius, tradens hæc documenta a pag. 649; cum ignorare non potuerit, id apud Gaufridum, aliosque auctores legi, quorum scripta citavit frequentissime. Egregie scilicet fidem ille suam liberavit, dum in margine solum citavit Joinvillii Historiam, et Menardi Observationes, et ne verbulo quidem lectores monuit, hoc in Gaufrido, Nangio, anonymo S. Dionysii monacho, Ms. suo F, in qua Vita nostra 2, Surio denique, aliisque auctoribus, adjunctum legi. Fleury item in Historia ecclesiastica lib. 86, cap. 8 indignum putare non debebat hoc documentum, quod cum aliis lectorum oculis objiceret; in margine enim assignat Chesnium pag. 391, ubi hoc expressis verbis a Nangio habetur conscriptum.

quod fide non bona omiserunt scriptores aliqui.

B Si documentum istud, ut mihi sane apparet, eorum etiam judicio contrarium sit iis, quæ dicti auctores de agendi modo S. Ludovici cum summo Pontifice variis locis scripserant; oportebat historicos veri studiosos male scripta potius corrigere, quam verba tanti momenti mala fide supprimere. Verum ad mortem Sancti piissimam properemus.

1118 Tempus mortis unanimi consensu assignant auctores: aiunt enim occubuisse XXV Augusti anni 1270, hora tertia post meridiem, qua Servator humani generis in cruce mortuus est. Nam qui dicunt hora nona defunctum esse, ita etiam intelligendi sunt, designant enim horam nonam sacri Officii, quæ, si horæ singulæ separentur, cum tertia pomeridiana coincidit; nec dubia est hæc expositio, cum addant, Dominum eadem hora in cruce fuisse mortuum. De susceptis piissime, et pleno intellectu supremis morientium subsidiis, unica in moriente rerum cælestium cura, assiduis precibus, humilitate cineri et cilicio incumbentis, ac demum de ingenti zelo morientis, ut fides catholica in Africa dilataretur, Gaufridus cap. 7, et Carnotensis cap. 5, ut testes oculati, fidem faciunt plenissimam; at eorum verba hic non putavi repetenda. Bonifacius VIII supra laudatus, apud Chesnium pag. 483, mortem Sancti celebrat his verbis: Et in tanta perfectione, qua secutus fuerat (Dominum, omnia relinquendo, ut præmittit), vitam finivit sanctisssime. Nam, secundum quod testificatum est ab assistentibus, iste non fuit finis hominis humanitati *, sed quodammodo jam sanctificati servi. Quod apparuit in vrebis, et monitionibus sanctis, quas in lecto mortis dicebat: et insignis, quæ tunc temporis evidenter in ipso apparuerunt. . . Cum etiam signis evidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis, quæ ad solum Deum proprie pertinebant, et ad exaltationem fidei Christianæ. Unde in fine dixit: Amodo nullus loquatur mecum. Et sic stans * per magnum spatium, quasi nullus permissus est loqui sibi, nisi sacerdos sive confessor proprius. Et sic ad extremam horam veniens, spiritum reddidit Creatori. Hæc Pontifex, procul dubio ex Actis canonizationis; ex quibus et Vita secunda a num. 162 morbum trium fere hebdomadarum, mortemque piissimam refert fusius.

Tempus mortis, ac mors piissima,

C

* lege humanati

* i. e. manens

1119 Plura itaque hic non addo, præter unum testimonium episcopi Thunensis, ut se vocat, hanc mortem ad Theobaldum Navarræ regem scribentis. Ignotum mihi quidem est, quis fuerit hic episcopus, et quare hæc ad Theobaldum, qui in Africa erat, perscribat: at verisimile est, episcopum Tunetanum consecratum fuisse, ut curam haberet Saracenorum, qui se converterent: atque hæc ad Theobaldum scribere, quod ille morbo impeditus, morienti Regi adesse non potuisset; atque in castrum Carthaginense, aut in naves se recepisset ad valetudinem curandam. Quidquid sit, scriptor ille oculos suos allegat testes eorum, quæ scribit, et cum aliis recte consentit. Edita est hæc epistola a Martenio tom. 6 Collectionis amplissimæ col. 1217, Galliceque conscripta, at verba Latine reddo: De fine, ait, (S. Ludovici) poterimus tibi ex visu oculorum testari, quod tota vita nostra nec viderimus nec sciverimus (finem) tam sanctum aut pium in homine sæculari aut religioso, atque ita testantes audivimus illos omnes, qui eum viderunt. Scito, domine rex *, os ejus non cessasse die noctuque laudare Deum, et orare pro populo, quem adduxerat, ab hora Nonarum Dominicæ usque ad horam Tertiarum diei Lunæ: ubi autem vocem jam partim amiserat, subinde tamen altum clamabat: « Fac nos, » Domine, prospera mundi despicere, et nulla » ejus adversa formidare. » Et frequenter alta voce clamabat: « Esto, Domine, plebi tuæ sanctifica- « tor et custos. » Post horam Tertiarum quasi omnino loquelam amisit, sed homines benignissime intuebatur, et sæpe formabat signum crucis. Intra horam Tertiarum et meridiem dormientis instar se habebat, eratque oculis clausis ad dimidiam facile horam, et ultra. Deinde oculos aperuit, ac cælum versus rexpexit, dixitque hunc versiculum: « Introibo in domum » tuam, adorabo ad templum sanctum tuum »: nec umquam deinde verbum protulit, aut locutus est. Circa horam Nonarum mortuus est. Hactenus ille. Quod autem spectat ad ultima ejus verba, dissentit Vita secunda num. 164, atque hæc substituit: « Pater, in manus tuas » commendo spiritum meum. » Utrumque dictum putem, plures tamen auctores verba, in litteris relata, postrema fuisse dicunt.

AUCTORE J. S. ab iis, qui aderant, relata:

* Gallice Sire

E

F

1120 Hisce demum subjungo litteras Philippi ejus filii, ac successoris in regnum, quibus mortem Patris annuntiavit, ac preces pro anima defuncti postulavit in Gallia. Edidit eas Chesnius pag. 440, atque hujus sunt tenoris: Philippus Dei gratia Francorum rex, dilectis et fidelibus suis universis, archiepiscopis, episcopis, necnon abbatibus, prioribus, decanis, presbyteris, et cæteris ecclesiarum rectoribus, ac universis tam regularium, quam sæcularium conventibus, collegiis, et capitulis in regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem et dilectionem. Cunctis flenda Christi fidelibus et dolenda specialiter universis et singulis infra regni terminos constitutis: nobis autem præcipue continuis ac crebris lamentanda suspiriis universitati vestræ compellimus *, sæva quædam molesta nimis ac tristitia cum multa cordis amaritudine nuntiare. Nuper quidem, sicut Domino placuit, qui gressus, actus, et finem electorum suorum, juxta suæ beneplacitum voluntatis, semper dirigit in salutem, ille Deo dilectus, hominibus gratiosus, piæ ac præ-

litteræ Philippi regis, quibus mortem annuntiat,

* legendum videtur, compellimur

claræ

AUCTORE J. S.

claræ recordationis Ludovicus Francorum Rex illustrissimus, percharissimus Dominus ac genitor noster quondam, cujus vita toti ecclesiæ fructuosa fuisse dignoscitur, cujus memoria in benedictione est, cujus laus in Ecclesia prædicatur, post tam laudabilia charitatis ac pietatis opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide Christi et Ecclesiæ dilatatione fideliter ac ferventer indefesso animo toleravit; postquam nuper in portu Tunicii viriliter, et sine detrimento suorum applicuit, portum ipsum famosum occupans, et terræ introitum Africanæ, quam, si daret Dominus, proposuerat expulsa barbarie, ac nefanda Sarracenicæ gentis eliminata spurcitia, Christiano cultui dedicare, post captam victoriose Carthaginem, cum jam processurus ulterius tam per aquam quam per terram feliciter, ac potenter intenderet expugnare Tunicium, et infidelis regnantis in eo, ac suorum totaliter exterminare potentiam et virtutem, inter hæc, disponente Domino labores et agones ipsius consummare feliciter et complere, quadam corporis infirmitate gravatus, lecto decubuit, et post multas ægri- B tudinis ejusdem molestias, tandem christianissime postulatis, ac cum omni devotione susceptis omnibus ecclesiasticis Sacramentis, in confessione nostræ fidei, in Dei dilectione, et devotione ferventi, feria secunda in crastino beati Bartholomæi apostoli, hora illa, qua Dominus Jesus Christus Dei filius in cruce pro mundi vita moriens expiravit, ad extremam horam veniens, et super saccum et cinerem recubans, felicem spiritum reddidit altissimo Creatori.

damnumque orbis Christiani deplorans cum eximia Sancti laude.

1121 Nos itaque sauciati tam diri gravitate vulneris, tam acutis orbitatis aculeis, nimirum ejulare compellimur, ac plangere deplorandum abcessum et obitum pii Patris, in quo non solum nostram irremediabilem plagam, et inrestaurabilem jacturam comperimus et sentimus; sed et totius Christianitatis inæstimabile damnum, et lamentabile detrimentum. Lugent pariter universi Regem pium, Regem pacificum, patrem pauperum, miserorum refugium, solatium oppressorum, totius religionis et innocentiæ authorem præcipuum, zelatorem justitiæ, fidei et ecclesiæ defensorem. O quis nobis daret locum ejus tenentibus in terris, talis ac tam laudabilis Progenitoris sequi vestigia et imitari exempla, C implere consilia, sacra ejus exsequi mandata, et salubria documenta, de cujus vitæ meritis et actibus virtuosis, nobis esset non immerito gloriandum potius, quam de morte dolendum, si rationem admitteret vis doloris. Profecto magna gloria est talem habuisse parentem, sed et dolor irremediabilis, tantum et tam dulce Patris amisisse solatium, tam suave alloquium, tam efficax consilium, et juvamen. Dolor quidem hic inconsolabilis censeretur, nisi de ipso certa spes ab omnibus vitam ejus ac actus sanctissimos agnoscentibus haberetur, quod jam de regni temporalis sollicitudine sit translatus ad æternum regnum, et gloriam sine fine.

preces pro ejus anima postulat.

1122 Ut igitur cessemus aliquantulum a lamentis, dolores et gemitus convertamus in arma salutis, in orationum suffragia, et subsidia charitatis. Impendamus defuncto gratiam, quam ad commerentem habuimus, ut exinde benedictionis fructum, a Retributore bonorum omnium reportemus. Sane juxta prædicti piissimi Patris nostri supremæ voluntatis arbitrium, humiliter postulantis, ut post ejus obitum mitteretur ad personas, et loca religiosa per regnum pro suffragiis orationum, et gratis Deo charitatis subsidiis D obtinendis, ecce ad diversa regni loca, propter hoc dilectos nostros viros religiosos, fratrem Gaufridum de Belloloco, et Guillelmum Carnotensem, de Ordine Prædicatorum, ac fratrem Johannem de Montibus, Ordinis fratrum Minorum, familiares et charos quondam memorati domini Patris nostri, latores præsentium cum aliis de domo nostra et familia destinamus. Quocirca vestram universitatem toto cordis affectu requirimus et rogamus, quatenus memores existentes illius sinceræ devotionis ac dilectionis, quam ad Ecclesiam et personas ecclesiasticas idem pius Pater et Dominus semper habuit et exhibuit per effectum, ac illius piæ sollicitudinis, quam ad felicem et prosperum statum regni, quasi pupillam oculi, quiete et pacifice conservandum impendit, pro ipsius anima pretiosa, licet, ut a multis creditur, aliena intercessione non egeat, summo Regi precum et hostiarum munera, ac cætera charitatis subsidia offerre velitis : illud idem in locis omnibus vobis subjectis fieri facientes, oretis etiam jugiter, et in locis prædictis faciatis orari pro nobis, et pro E toto exercitu Christiano. Actum in castris juxta Carthaginem die Veneris post Nativitatem beatæ Virginis, anno millesimo ducentesimo septuagesimo.

§ LXXXVII. Adventus Caroli : corporis divisio : intestina et carnes in ecclesia Montis-regalis prope Panormum deposita, statim miraculis inclarescunt : ossa in castris servata : pax cum rege Tunetano : reditus in Siciliam : tempestas, et multorum obitus.

F

Adventus Caroli Siciliæ regis post mortem Ludovici :

Immensum dolorem toti exercitui attulerat tanti Regis obitus intempestivus; turbationis etiam aliquid et timoris, teste Nangio apud Chesnium pag. 516, produxerat in castris tanti Ducis amissio. Verum animos rursum in spem erexit adventus Caroli Siciliæ regis, cum potenti exercitu : de quo Petrus de Condeto apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 667 : Eadem hora, *qua Rex obiit,* eodemque momento applicuit dominus Siciliæ, nec licuit ei loqui cum Fratre suo, quia jam exspiraverat, quando venit ad castrum * suum; et cum eum mortuum inveniret, flens amare procidens ad pedes defuncti, et dicta oratione, prout testantur qui aderant, cum effusione lacrymarum multa proclamans : Domine mi! Frater mi! deosculatus est pedes ejus. *Addit Nangius pag. 517 reperisse illum* corpus Regis exanime. . . . aliquantulum adhuc calore complexionali tepidum, *et præcepisse, ut speciosis aromatibus condiretur, quod factum sequenti die, ut mox dicemus.*

* i.e. tentorium

1124 *Carnotensis num. 32 scribit, corpus defuncti ad tempus usque separationis carnis ab ossibus vivido mansisse colore, cui plane consentit laudata num. 1119 epistola testis item oculati,*

hujus ossa a carnibus separata : carnes autem cum intestinis in Siciliam missæ :

A *lati, cujus verba Latine reddita subjungo :* Usque ad diem sequentem, quo sectus est, tam speciosus erat et vividus, ut nobis apparebat, quam dum integra utebatur valetudine : multisque ridere velle videbatur. *Porro pro more illius temporis carnes ejus coxerunt, ut ab ossibus separarentur, ac deinde aromatibus condirentur : quod Nangius citatus refert his verbis :* Clientes vero aulici, et ministri, quibus hoc incumbebat officium, corpus Regis membratim dividentes, aquæ vinique admixtione tamdiu decoxerunt, quousque ossa pura et candida a carne quasi sponte evelli potuissent. Carnem tamen corporis ejus excoctam, et ab ossibus separatam, nec non et intestina ipsius petiit et impetravit Carolus rex Siciliæ a nepote suo rege Philippo. Qui susceptas sanctas reliquias honorifice fecit eas in Siciliam deportari, et prope Panormum in quadam nobili, et cathedrali ecclesia Ordinis sancti Benedicti, quæ Mons regalis dicitur, præcepit tumulanda : ubi cum valde solemni ac devota processione totius cleri ac populi terræ illius sepulta sunt. Ossa autem lotione
B mundissima, pannis sericis involuta cum speciebus odoriferis, in loculo reponentes, in ecclesia Areopagitæ Dionysii, quæ est juxta Parisius in Gallia, cum suis patribus, antiquis Francorum regibus, loco et tempore tumulanda reservarunt : quippe in illa, omissis cæteris, elegerat sepulturam.

ossa in castris retenta :

1125 *Voluerat Philippus rex ossa Patris sui mox in Galliam mittere, et jam designaverat Gaufridum de Bello-loco defuncti confessarium, aliosque, qui ea in Galliam portarent, ut ipse Gaufridus num. 65 cum aliis refert. Verum id dissuasit Carolus Siciliæ rex, ut Historia S. Dionysii habet in Observationibus Menardi pag. 365 : imo omnes potius restiterunt, quod in defuncti præsentia non minus fiduciæ collocasse viderentur, quam habuerant in persona viventis. Audi epistolam Gallicam, aliquoties citatam :* Cor vero ipsius et corpus manserunt in castris : populus enim nullo modo permittere volebat, ut inde asportarentur. *Hinc Philippus, habito cum Carolo consilio, cessit voluntati totius exercitus,* confidens, *teste Gaufrido,* quod ex meritis sancti Patris Dominus in bonum promoveret exercitum, et ab infortuniis conservaret. *Hanc omnium*
C *de eximia* Ludovici *sanctitate opinionem confirmat etiam Græcus Pachymeres jam citatus cap. 9, dum ait defuncti cadaver pretiosis unguentis delibutum,* pro merito animæ, quam Deo esse carissimam persuasissimum habebant.

cor item in Siciliam missum, verisimilius est ;

1126 *Porro difficultas hic oritur satis ambigua de corde Sancti : utrum in Siciliam missum fuerit cum carnibus et intestinis, an servatum in castris, ac deinde in Galliam translatum cum ossibus. Carolo donatum habet Gaufridus, qui id præ cæteris videtur scire potuisse : Gaufrido consonat auctor Gallus, citatus in Observationibus Menardi pag. 366, expressis verbis dicens,* carnem, cor, et intestina *Carolo donata. At cor in castris mansisse vult auctor epistolæ Gallicæ verbis jamjam adductis. Huic assentitur anonymus sancti Dionysii monachus apud Chesnium pag. 406, dum ita scribit :* Cujus ossa gloriosa cum ejusdem corde sanctissimo... ad sancti Dionysii monasterium est delatum : *Reliqui auctores antiqui de corde silent. Res itaque omnino certa non est : attamen, quidquid visum fuerit neotericis quibusdam, præponderat apud me vel unius Gaufridi auctoritas duobus aliis : præsertim cum fama spargi potuerit de corde retento ad vitandam Gallorum murmurationem, indeque auctores memorati in errorem abduci; at non ita facile falli potuerit Gaufridus, cui ossa transferendi provincia erat demandata. Præterea Nangius, aliique veteres, qui ossa in Galliam translata scribunt, intestina vero et carnes in Siciliam delata, Gaufrido magis favent; cum sub intestinis cor comprehendere potuerint, non item sub ossibus. Igitur vero propius videtur, sola ossa in castris primum servata, ac deinde in Galliam translata, utpote quæ sola corruptioni non erant obnoxia. Verum, ut hæc non assero tamquam omnino certa, ita certissimum est, errasse Ughellum tom. 1 Italiæ sacræ col. 261 editionis novæ, dum de sepultura Sancti hæc scripsit :* Rodulphus *(legatus Pontificius)* cum D. Ludovico in Africam profectus, exstinctum peste Regem tanto omnium ordinum mœrore sepulchro extulit, ac si ipsæ orbis delitiæ interiissent. *Etenim Rodulphus ante Regem defunctus est* IV *Idus Augusti, ut habet ipse Ughellus, ita ut alius ejus exsequias celebrare debuerit.*

AUCTORE J. S.

non item ossa, ut quidam per errorem asseruerunt ;

E 1127 *Non desunt auctores Siculi, qui, non contenti carnibus et intestinis, scripserunt, corpus* S. Ludovici *in ecclesia Montis-regalis prope Panormum fuisse sepultum. Joannes Aloysius Lello in Historia ecclesiæ Montis-regalis, quam sermone conscripsit Italico, pag. 32 ait, in ala sinistra dictæ ecclesiæ fuisse arcam marmoream opere tesselato ac domus Francicæ gentilitio symbolo exornatam,* in qua sunt, *inquit,* interiora sancti Regis Ludovici IX; *addere potuisset et carnes. Verum omittere debuisset, corpus ipsum in eadem arca positum fuisse; neque enim id evincit magnitudo arcæ, ex qua id incassum probare nititur; neque hoc sensu intelligenda sunt verba, ibidem scripta :* Hic sunt tumulata viscera, et corpus Ludovici Regis Franciæ, qui obiit apud Tonisium anno Dominicæ Incarnationis MCCLXX, mense Augusto XIII Indictionis. *Nam qui hanc posuerunt inscriptionem per* corpus *intellexerunt carnes : ille vero et ossa intelligit, cum adjungat, corpus deinde in Galliam translatum, illudque factum suspicetur plusquam centum annis post hæc tempora, dum Paulus Romanus ecclesiæ Montis-regalis præerat*
F *archiepiscopus. Eumdem in scopulum impegit Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom. 1, pag. 416, ubi sic habet :* Tuneti obiit pientissimus Galliæ Rex S. Ludovicus, dum Saracenos oppugnaret. Ejus cadaver jussu Caroli Siciliæ et Neapolis regis in Siciliam vectum est, et conditum in cathedrali Montregalensi, sed anno circiter MCCCLXXXVIII sacra ossa in Galliam delata sunt, hic viscera remansere in sepulchro. *Eadem repetit tom. 2, pag. 549, quæ sponte sua ex rei relatione concident.*

reliquiæ in Sicilia mox inclarescunt miraculis : illarum deinde facta translatio.

1128 *Reliquiæ autem sancti Regis, in Siciliam delatæ, mox inclaruerunt miraculis : ita ut Carolus Siciliæ rex ea jam audivisset, priusquam ex Africa discederent Christiani mense Novembri. Audi litteras sæpe dictas episcopi Tunetani :* Deinde, *inquit,* domine rex, intestina portata fuere ad Montem-regalem in ecclesiam quamdam prope Panormum, ubi Dominus noster jam cœpit ejus causa patrare multa insignia miracula, uti audimus ex archidiacono Panormitano, qui per litteras id significavit regi Siciliæ. *Impressum legebatur apud Martenium* Salerne, *pro* Palerme, *quod ut manifeste mendosum correxi. Hisce autem miraculis adstipulatur Gau-*

fridus

Auctore J. S.

fridus num. 66, ubi testatur, se audivisse ex fide dignis, jam multa patrata miracula, dum Panormum transiret, ut in Galliam reverteretur, quo missus erat ex Africa ante medium Septembris cum litteris Philippi regis supra recitatis, ad preces pro anima defuncti Regis postulandas. Horum relationem miraculorum apud scriptores frustra quæsivi, quo factum, ut singula rsferre nequeam. Quod vero spectat ad reliquias, in ecclesia Montis-regalis depositas, refert memoratus supra Lellus pag. 34, arcam marmoream mandato archiepiscopi Ludovici de Torres restauratam, ac translatam ad locum magis honorificum; videlicet post aram maximam, ubi illam ait depositam super duas ingentis magnitudinis bases marmoreas, plano duorum graduum impositas, adjunctis ad ornatum columellis e marmore affabre factis. Hactenus de reliquiis Sancti in Siciliam portatis, quæ placuit hoc loco conjungere. Nunc ad orbum tanto Ductore exercitum redeamus, licet gesta post hoc tempus breviter tantum simus perstricturi.

B

Philippus rex, bellum aliquamdiu prosecutus, pacem dat petenti regi Tunetano.

1129 *Philippus post mortem Patris rex agnitus, acceptis clientelæ et fidelitatis juramentis, subsidio Caroli patrui Siciliæ regis bellum prosecutus est. Saracenos autem Carolus, simulata fuga longius protractos, cecidit ad tria circiter millia, ut narrant aliqui, quamvis alii asserant quinque millia occisa. Porro non modicam fuisse hanc victoriam, colligitur ex nummo antiquo apud laudatum frequenter de Bie fol. 27, in quo Gallorum tropæum sic repræsentatur :*



C

Deinde et tentoriis eos expulerunt Christiani clade tamen modica, ut fusius refert Nangius. Sævientibus interim morbis tam in castris Christianorum quam apud Saracenos, utrique finem belli quærebant. Hinc pax petenti regi Tunetano data, agente id maxime Carolo Siciliæ rege, cui ea de causa obloquebantur non pauci, qui Tunetum cupiebant eversum, quod non admodum videbatur factu difficile. Pacis autem conditiones recitat laudatus sæpe Petrus de Condeto in epistola sua tom. 3 Spicilegii, pag. 663 hoc modo : Sabbato sequenti, scilicet ante Omnes Sanctos, missi fuerunt archi. dominus Gaufridus de Bellomonte, et alii nuntii speciales ad regem Tunis; coram quibus juravit idem rex, quod permitteret de cætero in bonis villis et principalibus regni sui habitent Christiani, et habeant ibidem libere et quiete proprietates, possessiones, et alia bona quæcumque, sine exactione, vel aliqua servitute, soluto tamen regi censu possessionum, ut consuetum est liberis Christianis. Et licebit etiam Christianis in locis prædictis ædificare ecclesias, et *(in)* ecclesiis solemniter etiam prædicare.

D

cujus conditiones Christianis sunt admodum utiles :

1130 Promisit etiam dictus rex Tunis, se redditurum domino regi Franciæ, et baronibus suis, pro expensis in viam factis, ducentas et decem mille uncias auri, quarum quælibet uncia valet quinquaginta solidos Turonenses, et *(de)* prædicta summa jam solvit in confectione præsentium medietatem, et aliam medietatem soluturus *(est)* ad duo festa Omnium Sanctorum instantia, ut promisit. Juravit etiam, quod regi Siciliæ solveret tributum usque ad quindecim annos; scilicet pro duodecim unciis auri, in quibus tenebatur pro prædicto, singulis annis viginti quatuor uncias, et inciperet ista duplicatio ad instans festum Omnium Sanctorum, arreragia * vero in confectione præsentium jam solverat de quinque annis, scilicet sexaginta uncias. Et per pacem prædictam reddidit rex Tunis omnes Christianos, quos tenebat, et Christiani nostri omnes Saracenos, quos tenebant. *Hæ pacis conditiones; ex quibus apparet expeditionem hanc non prorsus fuisse inutilem; quamvis aliunde infelix maxime fuerit, non modo propter mortem* S. Ludovici, *aliaque jam dicta; sed ob ea quoque damna, quæ in reditu passi sunt Christiani.*

* debita suo tempore non soluta

E

advenit Eduardus Anglus, pace inita : discedunt omnes in Siciliam, multique tempestate pereunt;

1131 *Post conclusas autem pacis conditiones Angliæ princeps, memor fidei* S. Ludovico *datæ, cum potenti exercitu supervenit; ac redeuntibus aliis, iter in Palæstinam prosecutus est, de quo plura Chaizius a pag. 669. Nos alios redeuntes comitabimur.* Facta pace in hunc modum, *ait laudatus Condetus*, recollegerant gentes suas in navibus reges nostri die Martis post sanctum Martinum hiemalem, rege Siciliæ remanente, et retardante aliquantulum pro pauperibus, et ultimis recolendis *. Ordinatum extiterat, quod omnes applicarent in Sicilia ad portum Trapanum et Panormitanum. *Discesserunt dicto die Martis* XVIII *Novembris; ac vento primum aspirante, reges ac plerique principes, cum ossibus* S. Ludovici *post paucos dies in Siciliam feliciter pervenerunt, navibusque egressi sunt Drepani : non item classis tota Christianorum; orta enim vehementi tempestate, multæ perierunt naves, homines multo plures. Condetus in epistola, præcedenti subjecta, in qua omnia hæc fusius relata invenies, quatuor circiter hominum millia submersa fuisse scripsit, præter millenos, qui periculo erepti, præ dolore et angore postmodum obierunt. Plures periisse volunt alii, imo Annales Mutinenses, Scriptorum Italiæ tom.* XI *editi, col. 70 habent, ad viginti hominum millia periisse, aucto fortasse non parum numero.*

* colligendis

F

alii in itinere moriuntur.

1132 *Drepani consilium habuerunt reges, cæterique principes, de expeditione sacra; voto enim suo necdum videbantur satisfecisse. Juraverunt autem ibidem omnes, se post triennium adfuturos in portu nominando ad transfretandum in Syriam, nisi judicio regis Galliæ legitimum haberent impedimentum. Drepani deinde moratus est rex Philippus propter morbum sororii sui Theobaldi Navarræ regis,* quem, *inquit Condetus*, quædam febris arripuerat ad portum Carthaginensem; qua postmodum, invalescente concluxu, ille bonus rex, qui in exercitu prætcrito valde laudabiliter se gesserat, die Jovis ante festum sancti Nicolai apud Trapanum expiravit : ubi de nostris mortui sunt infiniti, et multi remanserunt infirmi. *Luxit præterea Philippus mortem uxoris suæ, quæ in itinere equo lapsa, partu immaturo filium enixa est, ac brevi*

A *vi post tempore obiit Consentiæ * in Calabria. Accesserunt ad prædicta funera comes Pictonum Alphonsus, frater* S. Ludovici, *ejusque uxor, qui in Tuscia morbi causa subsistere coacti, Corneti * extremum diem obierunt. Hæc simul commemorare volui, ut sine interruptione liceat prosequi iter Philippi regis, quem in tantis malis consolari potuerunt miracula, defuncti Patris intercessione jam patrata et in itinere patranda, honorque sacris ossibus ubique exhibitus.*

* Cosenza

* Corneto

§ LXXXVIII. Ossa per Siciliam, Italiam, Galliam magna cum veneratione delata, factis interim non paucis miraculis : sepultura in ecclesia sancti Dionysii : mimiracula.

Iter Philippi cum ossibus Patris per Siciliam, Italiamque Viterbium.

B *Gaufridus num. 66 testatur, sacra ossa in transitu per Siciliam, Italiam, Galliamque suscepta ubique esse summo honore, devotione, ac reverentia, obviam prodeuntibus cleri ac populi supplicantium numerosis agminibus, multisque certatim concurrentibus ad videndum, tangendumve loculum, in quo sacrorum ossium thesaurus erat reconditus. His igitur simul hic notatis, iter ex laudata Condeti epistola, Nangioque pag. 524 compendio accipe. Mense Decembri anni 1270 Philippus cum ossibus Patris, fratrisque, comitante exercitu, Drepano Panormum discessit, ubi, teste Nangio,* celebri lætitia a civibus in urbe receptus est, *ac partem exercitus mari transmisit in Galliam, alia parte secum retenta. Post quindecim fere dies Messanam petiit; inde, tracta aliquot dierum mora, Pharum transiit, Calabriamque ingressus est circa initium anni 1271 : Consentiam enim pervenit* XI *Jannarii, ibique ob reginæ infortunium subsistere coactus,* XXX *Januarii eam defunctam doluit, teste Condeto :* Postmodum, *ait Nangius,* terram Apuliæ, Laboris, et Campaniæ pertransiens, per urbem Ferentini venit Romam. Ubi aliquorum dierum spatio protracto, et Apostolis reverenter honoratis, adiit urbem C Viterbii, in qua tunc temporis papalis curia sine capite residebat. Cardinales enim in discordia positi, urbis potestate cogente, ad eligendum summum Pontificem in quodam palatio tenebantur inclusi. Quos rex cum reverentira et honore visitans, cuilibet dato pacis osculo, ut secundum Deum, ad regendum sanctam Ecclesiam, idoneum pastorem eligerent, monuit simpliciter, et oravit. *Testatur id ipse Philippus in epistola, Viterbii ad regni administratores data,* die Sabbati post festum beati Gregorii, *id est* XIV *Martii, quam consule tom. 3 Spicilegii pag. 670. Verum Abrahamus Bzovius tom. 13 Annalium ecclesiasticorum, ad annum 1271, num. 1 electum Pontificem scribit, agente adhuc Viterbii Philippo cum corpore* S. Ludovici. *Ductorem hunc minus perspicacem secutus est nihilo oculatior Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano pag. 399, qui rem enarrat his verbis :* Cum sacrum funus Viterbium adventasset, Cardinalesque moram prolixiorem ad eligendum summum Pontificem facerent,... præsentia corporis sancti Regis, in medio consessus positi, animi omnium conciliantur : ac protinus vota pari consensu refundunt in Gregorium X. *Non opus est sane magno molimine, ut fabella, tam inepte suis temporibus divisa, refutetur : quippe electus est Gregorius X ipsis Kalendis Septembris per compromissum, quod exhibet Raynaldus ad annum 1271 num. 8 et seqq. : Philippus vero ante finem Martii Viterbio discessit, atque iter in Galliam prosecutus est cum venerandis Patris sui ossibus : quem et nos discedentem comitemur cum Nangio.*

AUCTORE J. S.

Regii alterum, alterum Parmæ factum miraculum :

1134 Postquam igitur rex Franciæ Philippus, *inquit pag. 525,* et sui principes a Viterbio recesserunt, per Montemflasconem directo itinere Tusciam intrantes, Urbe veteri, Montebargue, et Florentia urbibus peragratis, in planum Lombardiæ subintrarunt, et per Bononiam, Modram *, et Parmam, usque Cremonam pervenerunt. *Citius hic progreditur auctor, quam oportuit : nam inter Mutinam et Parmam omittit Regium Lepidi, insigni miraculo illustratum. Audi Sigonium lib. 20 de Regno Italiæ tom. 2 editionis novissimæ col. 1069 :* Corpus, *inquit,* Ludovici, dum Regium, Parmamque devectum est, duo insignia miracula edidit. *Quænam autem fuerint hæc miracula non explicat quidem Sigonius : at dubitandum non videtur, quin eadem sint, quæ in Vita secunda a num. 389 referuntur : Regii nimirum gressus claudo redditus; Parmæ gangræna puellæ sanata, ut latius ibidem invenies explicatum. Ex hac autem sanatione civis Regiensis, qui, suadente uxore, arcam in ecclesia principe depositam visitaverat, non incongrue colligemus, ossa Sancti in aliis etiam urbibus ad ecclesias delata fuisse; ac verisimiliter jam plura in hoc itinere patrata esse miracula, quorum fama ægroti ad tantam excitabantur fiduciam. Ceterum tempus, quo Regium intravit Philippus, exprimitur tom. 8 Scriptorum Italiæ col. 1132 his verbis :* Die ultimo mensis Martii transivit per civitatem Reginorum prædictus Philippus rex Franciæ... et hospitatus fuit in palatio episcopi Regiensis : *ita ut initio Aprilis utrumque miraculum acciderit.*

* i. e. Mutinam, quæ Italis Modena.

E

iter reliquum usque ad pagum Parisiensem :

1135 *Cremonenses, quos, Parma profectus, invisit Philippus, non receperunt præmissos ab eo aulicos, quanto decuerat honore; postmodum tamen regem placare studuerunt :* Mediolanenses *vero, teste Nangio,* regis adventum speciali lætitia præstolantes, versus fines Cremonæ sibi obviam occurrerunt, et in urbem introductum honorabiliter usque ad regale palatium conduxerunt, duodecimque dextrarios, phaleris decenter adornatos, sibi facientes præsentari, rogaverunt etiam ipsum, ut eorum vellet fieri dominus, suamque civitatem reciperet in tutelam. Quibus rex propter benevolentiam ipsorum, et honorem sibi impensum grates multas reddidit; sed super dextrariorum receptione, et civitatis oblata dominatione se fecit totalier excusare. *Die* VIII *Aprilis Mediolanum venisse, habent civitatis Annales tom. 16 Scriptorum Italiæ, col. 673.* Rege itaque de Mediolano in crastinum, *ait Nangius,* conducentibus ipsum civibus, recedente, marchisius de Monte-ferrato, vir nobilis et potens in illis partibus, regi obviam pergens, eum honorabiliter recepit, et ei se, suaque suæ voluntati promptissime repromisit. Rex postmodum Vercellensem civitatem attingens, et per terram Sabaudiæ transitum faciens, Susam civitatem antiquam in Alpibus introivit, ibique per triduum comitatu repausato *, montes Cinisii die postera cum magno labore per-

F

* i. e. quiete recreato

AUCTORE J. S.

pertransivit. Denique per valles Moriennæ directo itinere usque Lugdunum, super Rhodanum iter continuans equitavit, ac postea fines Burgundiæ penetrans, per Cabilonem, Masconensemque civitates transitum faciens, usque Cligniacum * abbatiam accessit. Postea vero Burgundionum regionem egrediens, per Trecensem urbem, totaque Campania trajecta, cum magno cordis desiderio pagum Parisiacum subintravit.

* Clugny

miraculum ibidem factum :

1136 *Priusquam tamen regiam in urbem sacrum corpus deferretur, insigni miraculo sanctitatem Servi sui Gallis manifestare voluit Dominus, prout eam Siculis jam manifestaverat, Italisque. Refert id Nangius pag. 394 hoc modo :* In illo tempore, dum ossa sacrosancta Ludovici Regis de Africanis partibus ad ecclesiam beati Dionysii in Francia tumulanda deferrentur, et ventum esset in strata * publica juxta quamdam ulmum, quæ est inter Boissiacum et Christolium, non longe ab urbe Parisiis, quædam mulier de remotis partibus ibidem cum quodam puero suo sancti Regis expectabat adventum. Puer enim subtus genam juxta aurem quamdam strumam, B sive quoddam apostema habens, quod fere totum guttur ejus occupaverat, grossum * ad quantitatem ovi anseris vel pavonis, durante tali eidem infirmitate, per duos annos fuerat a matre ad sanctum Eligium deportatus, sed non sanitatis remedia consecutus. Deo igitur sic ordinante, qui alium sibi medicum reservaverat, rogavit mulier, ut portantes lecticam, in qua sancti Regis ossa erant, paululum sisterent, et eam filio suo paterentur osculari. Omnibus vero arestatis *, quidam de equo descendens accepit et levavit puerum, tangens ejus infirmitatem loculo, ubi erant Regis ossa reposita sacrosancta. Mox igitur, ut loculum tetigit, crepuit apostema, et inde exivit tanta sanies, quod multi mirarentur. Viso vero et audito, qui astabant, isto miraculo, fleverunt genu flexo laudantes Dominum pro tanto miraculo per sancti Regis merita declarato. *Refert idem miraculum Vita secunda a num. 357, ubi additur, episcopum quemdam dixisse, non fuisse id primum miraculum, quod in itinere contigerat.*

* i. e. via

* i. e. crassum

* i. e. subsistere jussis

corpus Parisios delatum,

1137 *Tandem* XXI *Maii, quo etiam prædictum miraculum fuit patratum, Parisios perventum est.* C *Effusa erat urbs amplissima in occursum regis sui, ut colligitur ex Vita secunda loco mox citato. Corpus autem sancti* Ludovici *cum aliorum defunctorum corporibus delatum est ad ecclesiam beatissimæ Virginis Mariæ, ubi, teste Nangio pag. 525,* cum magnis cereorum luminibus alternatim chori psallentium totam noctem in vigiliis transegerunt. *Addit Joannes Iperius apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 749, exsequias ibidem celebratas : quod item habet auctor mox citatus apud Menardum pag. 367, asserene id magnifico prorsus apparatu factum, et præsente semper Philippo. Attamen id non incongrus intelligi potest de Officio pro defunctis solemni ritu cantato, prout intellexit Chaizius pag. 679 : nam sequenti mane mox corpora Dionysiopolim fuere delata, ibique celebratæ exsequiæ. Factum id testatur Gaufridus num. 67* die Veneris ante Pentecosten, *id est* XXII *Maii, quo Dionysiopolim solemnitate maxima, parique pietate perlata fuere, postquam Parisiis magnifice erant exornata jussu Philippi regis, ut testatur Chronicon S. Dionysii apud Menardum pag. 367, ubi et reliqua narrantur, quæ ex Nangio hic subjungo :*

indeque Dionysiopolim,

1138 Mane facto, *ait ille pag. 525,* rex cum D ingenti frequentia populorum, plurimis optimatum regni Franciæ comitantibus, et prælatis, processionibusque religionum Parisius ordinate præcedentibus, Patris reliquias cum cæteris defunctorum loculis ad illam nobilissimam sancti Dionysii abbatiam, pedes ipse cum cæteris ambulans, propriis humeris deportavit. Cujus ecclesiæ conventus, in capis sericis revestitus, cereorum accensis luminaribus quilibet in manu sua, quasi per milliare occurrens, obvius astitit, sanctasque reliquias cum magno desiderio suscepit : sicque beati Viri corpus usque ad locum sepulchri hymnis canora cælestibus monachorum et aliorum religiosorum atque clericorum turba prosequitur. Sed cum perventum fuisset ad ecclesiam, valvas ecclesiæ clausas repeÂriunt, propter Senonensis archiepiscopi et Parisiensis præsulis præsentiam, qui ibi aderant in pontificalibus revestiti. Nolebant enim monachi, antiquæ exemptionis libertate fungentes, quod isti duo, a quarum jurisdictione ecclesia totaliter est exempta, in præjudicium suum, ecclesiæ cum prælatis cæteris inducti, taliter introirent, E ne ipsi propter hoc, aut eorum successores, usum et consuetudinem postmodum allegarent. Unde accidit, quod antequam valvæ ecclesiæ aperirentur, rege cum baronibus et prælatis deforis astante, quod ipsi extra metas diœcesis ecclesiæ sancti Dionysii deponere ornamenta pontificalia tunc abirent.

ubi in ecclesia S. Dionysii sepultum, multisque nobilitatum miraculis.

1139 *Importuna quibusdam visa est hæc cura monachorum : verum, quandoquidem judicium illa de re ad me non spectat, cum Nangio progredior :* Tandem, *ait,* in ecclesiam introeuntes, et patrato defunctorum Officio, Missisque solemniter celebratis, sacrosancta Regis ossa retro altare Trinitatis juxta patrem suum Ludovicum regem inclytum, et avum suum Philippum regem Augustum, in tumulo lapideo locaverunt, insignientes postmodum tumba mirabili monumentum : cujus operis cælatura, auri et argenti ditante materia, quæ fuerunt a mundi principio, artificum operibus excellenter, ut creditur, supereminet universis. *Hactenus Nangius de sepulchro sancti Regis. At quantumvis extollat illius pretium, et artem : miracula ibidem Sancti intercessione patrata, illud omni argento,* F *auro, atque arte qualibet humana splendidius reddiderunt atque illustrius. Carnotensis ipso sepulturæ die cæcam sanatam narrat num. 35 ; addit tum eodem die, tum postea, multa alia ibidem contigisse,* quæ in publicam notitiam non venerunt. *Menardus in Observationibus pag. 368 testatur, in Chronico quodam* S. Ludovici *referri septuaginta quinque miracula primo post sepulturam quinquennio facta : at non omnino mihi constat, quodnam designet Chronicon : ex illis tamen, quæ inde decerpit, apparet, stylum non esse auctoris coævi, ita ut illo facile carere possimus, cum miracula satis diligenter collecta, probataque habeamus in Vita secunda, quam adire poterit lector pro iis, quæ canonizationis sunt prævia.*

§ LXXXIX.

A

§ LXXXIX. Forma corporis : character animæ : virtutes : elogia.

Figura corporis S. Ludovici non omnino nota, nota tamen eximia vultus gratia:

Q*ua fuerit corporis figura* S. Ludovicus, *exacte descriptum non invenio : colligitur tamen ex Joinvillio num. 88, statura fuisse egregia et procera, quamvis corpore alioquin, teste Carnotensi num. 22, minus esset robusto ad graves labores diu perferendos, fortasse quia vigiliis, jejuniis, aliisque corporis afflictionibus vires suas non parum attenuaverat. Capillitio capitis, ait Chaizius tom. 1, pag. 569, fuit candido, omnique ornatus venustate huic colori congrua. Hæc vultus gratia abunde confirmatur ex Gaufrido num. 9, ubi sic habet :* Insuper gloriosissimus erat, et solummodo ad videndum, et solo visu illabebatur ad diligendum affectibus singulorum. *Nam* gloriossimus *hic idem significare videtur, quod* pulcherrimus, *seu* gratiosissimus. *Idem affirmat Bonifacius VIII, testis item oculatus in variis elogiis infra dandis.* Aspectus *ejus* gratissimus *celebratur quoque in hymnis auctoris synchroni* § XCIII *recitandis.* AUCTORE J. S.

1141 *Effigiem* Ludovici *dedit Cangius initio Operis : verum cum illa æri incisa sit secundum statuam auream, jussu Philippi Pulchri factam, minus idonea videtur ad formam Sancti recte exhibendam. Alteram Operi suo præfixit Menardus : at non exponit, unde accepta sit, nec quam sit similis* Ludovico. *Hisce igitur præferendam puto effigiem, quam exhibet Jacobus de Bie in Opere, cui titulus* veræ effigies Galliæ regum, *recuso, elogiisque aucto, anno 1636 : hanc enim pag. 225 testatur desumptam ex regia pinacotheca; ita ut credibile sit ad formam sancti Regis proxime accedere. Itaque accipe illam, jussu nostro adumbratam :* *effigies ejus ex regia pinacotheca :*

B



E

Addit huic aliam idem auctor pag. 229, aliunde acceptam, quæ vultum exhibet pleniorem, et corpus robustius : verum jam datam judicavi magis propriam, quia dubium non videtur. quin graciliori vultu et corpore fuerit Sanctus, quam ibidem exhibetur.

ingenium excellens.

1142 *Quidquid autem sit de lineamentis corporis, quæ, minoris momenti, ab auctoribus fere sunt neglecta; animi characteres egregrie illi demonstrarunt, ita ut necesse non sit illos pluribus hoc loco describere. Non abs re tamen erit pauca delibare. Ingenio erat excellenti, atque illud a teneris diligenti studio excoluerat. Unde Gaufridus num 10 :* In arduis negotiis, et gravibus consiliis, et causis, pauci vel nulli perspicacius ipso et verius judicabant. *Et Joinvillius num 243 :* |Sapientissimus existimabatur eorum omnium, quos a consiliis habuit. *Neque tantum profana scientia insignis fuit, sed divina vel maxime excelluit; hanc enim ostendunt documenta filio, filiæque data; hanc exhibent monita præclara variis locis apud Joinvillium legenda : hanc demum demonstrat Vita ejus tota, in qua nexu admirabili conjungere novit virtutes sibi in speciem oppositas : nimirum ingentem animi magnitudinem cum humilitate vere Christiana; lenitatem clementiamque cum severitate; candorem eximium simplicitatemque columbinam cum serpentina prudentia; denique, ut alia missa faciam, diligentissimam regni administrationem* cum

AUCTORE J. S.

cum tanta orandi, meditandi, legendique consuetudine, ut eam vel in anachoreta miraremur. Hæc sane aliaque hujusmodi luculentissime evincunt, Sanctum ingenio fuisse magno, expedito, et ad summa quævis idoneo. Parem in Ludovico *loquendi gratiam agnoscit laudatus Gaufridus, cui assentitur Carnotensis num. 4, quos lector infra potest consulere.*

Elogia coævorum de S. Ludovico: primum Gaufridi confessarii;

1143 *Virtutes Sancti tum regias, tum Christianas abunde in Actis descriptas pius lector inveniet. Nihilominus, antequam ad canonizationem progrediar, juvabit hic inquirere, quis de* Ludovico *sensus fuerit, quodque judicium eorum, qui ipsum vel familiari consuetudine, vel litterarum commercio, vel certe communi fama cognoverant. Quapropter testimonia quædam, seu elogia lectorum oculis exhibebo; eorum primo, qui ipsum familiari consuetudine intime cognoverunt, deinde et aliorum, qui fuerunt contemporanei. Gaufridus in Vita num. 7 hoc sanctitatis perfectæ dat elogium:* Ego, quamvis insufficiens, dicti domini Regis confessor extiti per viginti annos, vel circa: et confessionem ejus B generalem audivi toties, quod vices numerare vix scirem. Ad honorem igitur Dei dico, quod ipse per totam vitam suam nunquam aliquod peccatum mortale commisit scienter, quod ego auderem judicare mortale. *Vita secunda num. 131 habet, Gaufridum, aliosque viros venerandos juramento asseruisse, se credere* Ludovicum *a mortifero delicto semper fuisse immunem. Hinc post virtutes enarratas, ultimo capitulo hunc Gaufridus præfigit titulum:* Quod dignus sit inter Sanctos adscribi.

Carnotensis, Joinvillii, et aliorum;

1144 *Carnotensis Regi item familiaris post varias laudes num. 32,* Sol, *inquit,* et decus regum ac principum orbis terræ. *Joinvillius num. 1,* Perspici, *ait,* poterit, et clare cognosci, nullum umquam hominem, qui ejus tempore ab initio illius regni usque ad finem vixit, tam sancte et juste vixisse, quam ille vixit. *Hæc ille ex familiari necessitudine, quamvis multa adhuc ignorasse videatur, quæ nota erant Gaufrido. Similia juratus asseruit Joannes de Soisi, cui domestico triginta annorum convictu Rex erat notissimus: nimirum* se non credere ab annis sexaginta præteritis hominem quemquam C in regno Franciæ transiisse ab hoc mundo melioris conscientiæ, majorisque puritatis, *quibus multa alia adjungit in Vita Secunda num 139. Huic non absimilia sunt testimonia item jurata trium aliorum domesticorum, quæ ibidem recitantur num. 140. Hisce propter similitudinem subjungo testimonium ex Vita S. Theobaldi abbatis Vallis Cernaii, quod refertur apud Chesnium tom. 5, pag. 406 his verbis:* Dicunt etiam nobis aliqui de nostris antiquis fratribus, qui superstant, quod, cum quadam die dominus rex Philippus, filius beatissimi Ludovici, veniret ad abbatiam Vallium, vocavit unum de nostris antiquis virum devotissimum, qui tunc vivebat, dominum Henricum d'Aties, et quæsivit ab eo diligenter de conversatione, vita, et moribus Theobaldi. Ipse enim dominus Henricus erat provectæ ætatis, vir fidelis, et nobilis natione. Respondit domino Philippo: « Certissime, domine mi rex, non novi in tota vita mea hominem meliorem piissimo Theobaldo, nisi solum dominum patrem vestrum Ludovicum. » Nondum erat canonizatus beatissimus Ludovicus.

1145 *Regni gubernatores egregium item defuncto* Ludovico *texunt elogium in litteris ad Philippum ejus filium, quod ex Spicilegio Acheriano tom. 3, pag. 670 huc transfero;* Nostis etiam, qualiter tempore clementissimi domini Regis nostri, genitoris vestri, cujus memoria cunctis redolet delectabilis et suavis, post aliquas molestias, quas passus est circa primordium regni sui, regnum ipsum gloriosum in manu ejus floruerit, fructusque suavitatis et pacis non solum in partes vicinas, sed in remotas plurimum et longinquas ediderit regiones, adeoque de ejus plenitudine quasi omnes acceperint circumquaque; tranquillitatem scilicet et securitatem ecclesiæ et ecclesiarum ministri, religiosi quietem, pacem populi, sustentationem pauperis, consolationem afflicti, subsidium et levamen oppressi. Quæ enim proxima vel remota memorati Nostri, felicis memoriæ, non senserit in sua turbatione consilium, in sua necessitate suffragium et juvamen? Nec tantum ad amicos et proximos extendebat ejus pietas subventionis auxilia, sed etiam ad hostes et æmulos, quos per hujusmodi subsidia ad sui benevolentiam attrahebat, et ex ipsis aliquos fideles et promptos E acquirebat amicos. Relucebat quiddam in eo quasi solare jubar, gratia admirabilis, ex intimo caritatis fervore proveniens, se taliter diffundens in omnes, quod non erat qui a calore ejus se absconderet vel splendore, aut qui ejus beneficia in aliquo non sentiret. Tales et longe ampliores profectus ostendit præsentia hujus Solis, sicut decet, in medio regni sui ac suorum, sicut sol in medio planetarum residens personaliter. Rex enim in medio regni residens, est quasi cor in medio gregis sui, ac deinde quasi lignum vitæ in medio paradisi. *Ita illi, qui* Ludovicum, *ejusque regimen diu cognoverant.*

D *regni in ejus absentia gubernatorum.*

Philippi regis, Thomæ Cantipratani, auctoris ignoti,

1146 *Brevius elogium texuit Philippus ipse in epistola, ibidem pag. 669 edita, illustre tamen et verissimum, quo vocatur:* Alumnus pauperum, nutritor religiosorum, oppressorum solatium, refugium miserorum, patronus Ecclesiæ, præcipuus amator justitiæ, ac defensor inclytus fidei Christianæ. *Thomas Cantipratanus, qui licet in Flandria sit natus, Parisiis tamen* Ludovicum *cognoverat, lib. 2 de Apibus, cap. 57, num. 65 his ejus laudes verbis prædicat:* Testor Deum, testor Sanctos, testor et fideles F omnes, quod nunquam aliquis regum, nunquam aliquis principum, tam necessario, quantum ad salutem et pacem fidelium protexit Ecclesiam, dotavit muneribus, et veris honoribus exaltavit. *Deinde ad gratias universorum Domino agendas hortatur,* qui talem istis temporibus Regem dedit, qui in forti manu teneat regnum suum, et nihilominus pacis, caritatis, humilitatis exempla præbeat universis. *Auctor incertus, qui scripsit de episcopis Cenomanensibus, apud Mabillonium tom. 3 Analectorum veterum pag. 385* Ludovicum *adhuc viventem hoc ornat elogio:* De Rege tam Christianissimo, tamque politicis, quam gratuitis virtutibus illustrato, audeo dicere; quia inter fortunæ vultus ambiguos uniformis, hæc æquanimiter et prospera *(in regno)* sustinuit, et adversa *(in Ægypto)* calcavit; et in prosperis Regis immemor, et in adversis Rege major, fortunæ derisit ambiguitatem. Unde majus fuit patienter sustinere captionem, derisum, et carcerem, nec animo turbari; quam de Damieta, et simili victoria gloriari. *Scripta hæc ante mortem Sancti patet, quia gesta initio regni, primamque in Orientem expeditionem com-*

A *commemorat, gesta vero posteriara et mortem tacet.*

1147 *Vivens item* Ludovicus *a Matthæo Parisio pag. 601 vocatur,* Rex regum terrestrium piissimus. *Defunctus vero, sed ante canonizationem, ab auctore Vitæ Gregorii X, tom. 3 Scriptorum Italiæ pag. 600,* Princeps christianissimus, virtutum vas, fidei speculum, et elegans totius bonæ operationis exemplar. *Hisce in ornando sancto Rege non cessit Sallas, seu, ut alii volunt, Sabas Malaspina, ejusdem temporis auctor, qui apud Baluzium tom. 6 Miscellaneorum pag. 323 Sanctum hisce exornat titulis :* Ludovicus Rex Francorum, vir inclytus, dotatus bonitatibus multis a Deo, regum candela fidelium, ... pro conservatione obedientiæ Sedis apostolicæ . . . . paratus semper ad a cerrima sustinenda pericula, ... quem solum Dominus pro Ecclesiæ suæ custodia collocaverat; *et pag. 325 :* Catholicæ legis amator, propagator fidei, custos fidelium, et defensor ecclesiasticæ libertatis. *Eidem tamen auctori non assentior, dum suspicatur mortem Sancto obvenisse, ut culpa expiaretur, quam fuisse vult in* B *mutanda expeditione, quæ in Palæstinam decreta erat, in Africam trajiciendo; tametsi ille præmittat, mortem obiisse* peccatis non suis forsitan exigentibus, in quo, secundum quod potest circa hoc humana fragilitas contemplari, vix peccati labes fecerat stationem.

Matthæi Parisii, anonymi, Sabæ malæ spinæ ;

1148 *Monachus Patavinus, sive unus, sive geminus scriptor sub hoc nomine lateat, de quo vide Præfationem Muratorii, certe hujus temporis auctor, tom. 8 Scriptorum Italiæ col. 732, mortem Sancti referens, brevi hoc eum illustrat elogio :* Rex devotissimus, . . . cum esset populo ibidem *(prope Tunetum)* congregato sanctificator et custos, viam est universæ carnis ingressus. *Nec Frisones, qui expeditioni Africanæ interfuerunt, landem Sancti ignoravere. Nam Menco abbas Ordinis Præmonstratensis in Frisia,* S. Ludovico *contemporaneus, in Chronica, quam inter Monumenta sacræ antiquitatis anno 1725 edidit Carolus Ludovicus Hugo, pag. 544 ita habet :* Huic autem regi Ludovico ab omnibus perhibebatur testimonium, quod in hac malitia temporum solus inter principes sæculi inventus fuerit justus, et crucis Christi æmulator, et ini- C micorum crucis persecutor. *Tantus erat splendor sanctitatis* Ludovici, *ut communi omnium voce reliquos principes, alioqui non malos, obscuraret.*

monachi Patavini, Menconis abbatis in Frisia,

1149 *Robertus de Sainceriaus idiomate Gallorum antiquo conscripsit carmen de laudibus* S. Ludovici *eodem, quo obierat, mense : illud cum aliis edidit Cangius a pag. 262. Plura in eo sunt de Sancto elogia, ex quibus strophen sextam et sequentes aliquot sic Latine reddit Papebrochius in Responsionibus suis ad accusationes Sebastiani a S. Paulo parte 2, pag. 305 :* Abstulisti, mors, seculo optimum Equitem, præclarissimumque Regem, quo nullus unquam consecratus est tenacior justitiæ. Multum bene fuit dotatus, plenus omnis bonitatis, et fere peccati expers : qui Deum puro amabat corde, mandata ejus omnia perquam libenter faciebat, pro quo et crucem sumpsit et fortiter ipsum honoravit, ac pauperibus prompto animo bene faciebat . . Prudens erat, et largus, et plenus magno honore : multa in eo discretio, amor, et dulcedo. Nullus homo est, qui in Deum credit, et de eo non multum dolet. *Addo brevia quædam, sed illustria ejusdem dicta. Pag. 163 vocat* Florem omnium principum. *Deinde :* Nunquam Rex fuit tam bonæ conscientiæ; cor suum Deo totum affixerat. *Et :* Numquam ulli barones talem perdiderunt Dominum. *Descriptoque ingenti dolore de ejus morte, addit :* Si *(Deo)* placeret, ut posset reviviscere; non fuisset tantum gaudium in Francia a tempore sancti Dionysii. *Hæc ille, pluraque hujusmodi, metrice quidem, vere tamen.*

Roberti de Sainceriaus ;

AUCTORE J. S.

1150 *Auctores plerique hactenus allati* S. Ludovicum *cognoverunt, omnes certe cum eo vixerunt, adeo ut censendi sint testimonia ea non protulisse ex Vita Sancti lecta, quam ne viderant quidem plerique, sed alii ex scientia propria, alii ex fama publica. His adjungere possemus scriptores prope innumeros partim suppares, partim recentiores, qui laudes ejusdem Sancti nativis verisque depingunt coloribus : verum, cum illi sua haurire debuerint ex Actis descriptis, Actaque illa edituri simus copiosius, quam hactenus fuerint edita, ad fontes remittere malumus studiosos lectores, quam deductos inde rivulos obtrudere, ac Commentarium hunc, qui* E *mole rerum gestarum prolixus esse debuit, prolixiorem reddere. His igitur prætermissis, reservatos in ultimum locum Romanos Pontifices subjiciam, at eos dumtaxat, qui cum Sancto vixerunt, adeoque auctoritatem habere debent maximam, non modo ut Pontifices, sed ut auctores quoque contemporanei.*

qui omnes Sancto fuere contemporanei.

§ XC. Elogia Romanorum Pontificum, qui Sancto fuere synchroni.

Gregorius *IX, qui pontificatum adeptus est paucis mensibus post coronationem adolescentis* Ludovici, *anno 1228 studium ejus bellum contra Albigenses prosequendi commendat apud Raynaldum num. 20 his verbis :* Tu quoque imitator devotionis ejusdem *(paternæ)*, primitias tuas eidem negotio dicare cœpisti, charitatis zelo submittens viriliter humeros, ut posses perficere, quod a patre tuo laudabiliter extitit inchoatum : super quo omnipotentem Do- F minum collaudamus, qui tibi tam pium inspiravit affectum, et suppliciter deprecamur, ut felicem exitum per suam misericordiam largiatur. *Plura suis locis allata sunt. At Gregorius juvenem dumtaxat cognovit* Ludovicum, *ita ut mirari non debeamus, si tot eum elogiis non ornaverit, quot alii sequentes Pontifices. Ostendit tamen abunde quantam de Rege nostro adhuc juvene haberet fiduicam, quando imperium in fratrem ejus Robertum transferre voluit, ut ante fuit expositum.*

Elogium Gregorii IX,

1152 *Gregorio, post paucorum dierum pontificatum Cælestini IV, suffectus Innocentius IV, multis* Ludovici *virtutes laudavit litteris, quæ pleræque temporis, rerumque gestarum occasione allatæ sunt. Unius itaque hic produco fragmentum epistolæ, in qua apud Raynaldum ad annum 1248 num. 28 sic de* Ludovico *scribit Innocentius :* Ineffabilis sapientia Dei Patris, Unigenitus suus Deus et homo, Dominus Jesus Christus, rem suam agi conspiciens, charissimum in Christo filium nostrum Regem Franciæ illustrem, virum utique, qui cordis et corporis mun-

Innocentii IV.

AUCTORE J. S.

munditia nitidus, et virtutum opulentia plenus, nunc pollet operibus ac militia, et divitiis noscitur abundare, ad liberationem terræ ipsius inter alios mundi principes prælegisse videtur, qui se insigniens vivificæ signo crucis, et ad consummationem assumpti laboris desiderans feliciter et celeriter pervenire, sic per Dei gratiam in apparatu regio, prout decet tantum Principem, et tanto expedit negotio, se munivit, quod per ipsum, ut speratur, imponi poterit negotio ipsi finis. *Spes quidem occulto Dei judicio fefellit Pontificem : hoc tamen virtutum, bellicæque laudis famam, quam factis acquisiverat* Ludovicus, *non diminuit.*

Alexandri IV geminum,

1153 *Alexander IV, defuncto Innocentio, electus Pontifex, totus subinde effunditur in laudes sancti Regis : at quoniam ea suis locis Commentario inserta sunt, pauca ejus verba speciminis causa subjungo :* Sic, *inquit,* ille Lucifer matutinus, qui nescit occasum, et qui humano generi serenus illuxit, in tui claustra pectoris luminis sui gratiam . . . . infudit, quod omni exinde obscuritatis depulsa caligine, tuum serenavit
B animum claritate virtutum, tuamque mentem luce justitiæ, ac fulgore rectitudinis illustravit. *Hæc latius ab enumeratione virtutum deducta, vide num. 829. Accipe tamen et alia ejusdem Alexandri verba, quibus Galliæ regnum celebrans, illius Regem, tantorum bonorum causam, non mediocriter exornat apud Raynaldum ad annum 1255 :* Sublime regnum Franciæ, *inquit,* solium præeminentiæ coruscans titulis, generositate, magnanimitate, ac strenuitate, clarius cæteris, et excelsius innotescit : sed dum fidei suæ solem, devotionis ignem, et speculum operum, quibus præfulget, attendimus, aspicimus ipsum his tribus luminaribus copiosius radiare, ac exempli fulgorem ad alios effundere potiorem. Claritate quippe sanguinis rutilat, sed animi puritate prælucet. Magnum quidem est dignitatis honore, sed gestorum nobilitate magnificum : conspicuum, inquam, altitudine status, sed præcellentia bonitatis illustre, *etc. Per Galliæ regnum familiam regiam intelligit Pontifex; nam mox vocat* hoc genus regium, *ita ut hæc omnia de* Ludovico *præcipue sint intelligenda.*

Urbani IV

C 1154 *Alexandrum secutus est Urbanus IV : hic, ut merita sancti Regis crescebant semper, ita præcedentes Pontifices elogiis in* Ludovicum *congerendis superare voluit. Non repetam jam prolata; at quædam in hunc locum servata adjungam. Apud Raynaldum ad annum 1262 num. 21 de* Ludovico *hæc inter alia scribit :* Sane dum ex his, et aliis ejusdem Regis Francorum gestis magnificis, et laudabilibus actibus suæ fidei magnitudinem diligenter attendimus; dum ipsum exultanti animo contemplamur, tanta conscientiæ puritate vigere, quod tanquam Princeps Christianissimus, et suæ innocentiæ sedulus conservator, in singulis suis processibus, prævio rationis judicio, et comite sincero charitatis affectu, procedens ad ea, quæ Christianæ fidei exaltationem, et ipsius Ecclesiæ Romanæ respiciunt, totis conatur viribus, proximi læsionem abhorret, scandala refugit, metuit animæ suæ periculum, et divinæ Majestatis veretur offensam; illi, nec mirum, sacrificium laudis offerimus, in cujus manu regum corda consistunt : illi toto mentis affectu, quantum possumus, gratiarum exsolvimus actiones, qui ejusdem Regis Francorum animum direxit in talia, illius nihilominus clementiam implorantes, ut memoratum Regem in hoc integræ religionis studio, in D
hac fidei puritate, per tempora longiora conservet. In ipsius namque prosperitate prosperari reputamus Ecclesiam.

item duplex,

1155 *Audi ejusdem Pontificis epistolæ ad* Ludovicum *fragmentum, quod ibidem ad dictum annum recitatur num. 39 :* Si mater Ecclesia in opportunitatibus reipublicæ Christianitatis, ac in suis tribulationibus, calamitatibus, et pressuris ad te, Fili charissime, tuumque famosissimum et Christianissimum regnum habet frequenter cum fiducia magna recursum; si suas afflictiones quadam materna tibi familiaritate communicat, et suorum incendia vulnerum tibi tanquam perito et experto eorum medico confidenter exponit, sperans illa salubribus tuarum consolationum leniri posse fomentis; indubitata, quam de probato tuæ circa illam compassionis affectu, et sinceritatis effectu, firmiter obtinet, hoc efficit certitudo. Licet enim omnipotens Dominus magnifica prole multorum fidelium regum, et principum orbis terræ, quos eadem mater Ecclesia baptismi regeneratione parturivit in filios, ipsius Ecclesiæ fundaverit uterum; iidemque reges E
et principes una tecum ejus sæpe angustias viderint, ipsiusque clamores frequenter audierint; tu tamen solus ejus semper doloribus condolens, et compatiens passionibus pio corde, mœrores et clamores ipsius nunquam sub dissimulatione transisti; sed illos patulis suscipiens auribus, velut Christianæ fidei athleta fortissimus ac robustus pugil, et propugnator electus, ad ejusdem Ecclesiæ præsidium, vexillo devotionis explicito, prompto semper assurrexisti animo, eique in cunctis suis necessitatibus, indeficientibus tuæ potentiæ viribus astitisti : ita quod secundum dolorum suorum multitudinem consolationes tuæ lætificaverunt ejus animam, illamque fecerunt multotiens a suis anxietatibus respirare. Digne igitur de te, Christianissime Princeps, inter cæteros Catholicos mundi principes Regis æterni sponsa confidit : merito in suo * præsidio spes * tuo
firmavit, et auxilium a te, cum temporis opportunitas suggerit, et necessitas exigit, confidenter expetit, et indubitanter expectat : præsertim cum præteritorum exhibitio certa sit significatio futurorum. *Hisce nihilo inferiora videsis num. 905.* F

Clementis IV,

1156 *Clemens IV, post Urbanum ad summum pontificatum evectus, qui mores* Ludovici *diuturna consuetudine perspectos habebat, multis eum jam laudavit in recitatis pro rerum exigentia litteris. Lubet tamen pauca ejus verba pro specimine hic attexere. In litteris num. 968 recitatis sic de Sancto pronuntiat :* In quo indeficientem constantiæ murum, et inconvulsum parietem in defensionem suam contra quoslibet impetus semper devotio, ac religio reperit Christiana. *Plurima sparsim huic Commentario intexta non repeto.*

collegii Cardinalium,

1157 *Inter Pontificum elogia recensere lubet testimonium, quod virtutibus* S. Ludovici, *vacante post mortem Clementis Sede, dedit collegium Cardinalium, quorum aliqui deinde ad summum pontificatum sunt evecti. Epistolam eorum, ad legatum Galliæ datam, recitat Raynaldus ad annum 1270 num. 3, ex quo id desumo :* Inter cætera, *inquiunt,* quæ in excellenti et Christianissimo domino principe, domino Ludovico Rege Francorum illustri, dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii censura dijudicat, singularem ipsius zelum ad incrementa fidei ortho-

doxæ

A doxæ considerationis oculis intuentes, in vocem exultationis et confessionis erumpimus; et exultantes in Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipsi super hoc vitulum labiorum exsolvimus, a quo dicto Regi credimus pia miseratione concessum, ut et alias affluenter charitatis ubera in opera pietatis effundant; et pro defensione ipsius fidei, quasi abnegans semetipsum, ad id se, suos, et sua, promptitudine spontanea exponendo, sic illius specialem exhibeat defensorem, et in ejus dilatatione ministrum, quod laudabilium evidentia operum satagit eidem fidei non solum filios ab initio alienos venire, sed et per erroris devium alienatos ab ipsa, suæ solicitudinis studio ad ejus reducere unitatem.

geminum Gregorii X,

1158 *Hactenus elogia Pontificum, vivente* Ludovico *prolata : nunc quædam subtexam post mortem Sancti conscripta. Gregorius X, Clementi tandem subrogatus Pontifex, apud Raynaldum anno 1272, num. 5 hæc scribit ad regem Philippum :* Recolentes, quod claræ memoriæ Ludovicus Rex Franciæ pater tuus (quem inter cæteros orbis terræ principes nobis amantissimum intra præcordia portabamus) veluti B princeps inclyta devotione præclarus, princeps Christianissimus præcellentium meritorum, athleta Christi strenuus, et solicitus fidei Christianæ defensor, dudum præclaram Salvatoris hereditatem, pretiosissimi sanguinis effusione sacratam, oculo piæ considerationis advertens, nec illius tormenta dissimulans, assumpsit in spiritu pietatis ejus negotium prosequendum, se multis subjiciendo laboribus, et periculis exponendo *etc. Idem Gregorius multis hortatur Philippum, ut Patrem sanctum imitari studeat. Ex epistola ad eumdem annum, num. 57 edita, pauca accipe :* Te, *inquit,* ille Princeps inclytus solicite satagens vas aptum præparare virtutibus, a teneris annis bonis moribus imbuit, et per laudabilia opera exemplis salutaribus informavit. *Et inferius :* Hoc tibi, fili, facile, Deo adjuvante, proveniet, si frequenter ejusdem Patris verba sancta commemores : si laudabilia facta recenseas : si ante tui cordis obtutus commemoranda ipsius exempla præsentes. *Quibus similia frequenter repetit. Aliud Gregorii elogium dedimus § 1.*

varia,

C 1159 *Hisce demum adjungo Bonifacium VIII, omissis ceteris. Bonifacius autem, præter bullam canonizationis, suo loco edendam, duos de* S. Ludovico *sermones habuit, quos integros inveniet lector apud Chesnium a pag. 481, quosque jam subinde adduximus in hoc Commentario, et adducemus postea. Hinc igitur pauca depromam huic loco propria :* Notandum, *inquit pag. 481,* quod multi vestrum viderunt, et nos etiam vidimus sanctum illum Regem Ludovicum, cujus vita inclyta cunctas illustrabat ecclesias. Et sicut nos in parte vidimus, et per probata audivimus et scimus, vita ejus non fuit solum vita hominis, sed super hominem : non fuit interrupta, sed ab infantia continuata, et de bono in melius semper procedens, semper augmentata ; secundum id, quod dicitur in Psalmo : Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. *Pag. 482 :* Vita vero ejus sancta omnibus fuit manifesta faciem ejus aspicientibus, quæ plena erat gratiarum... Quantum vero ad opera, fuit manifesta specialiter in eleemosynis pauperum, in fabricationibus hospitalium, in ædificiis ecclesiarum, et cæteris misericordiæ operibus, quæ omnia enumerare longum esset. Nec fuerunt ista momentanea, seu parvo tempore durantia, sed usque ad mortem continuata. Item quantæ fuerit justitiæ, apparuit evidenter non solum par exempla, imo etiam per tactum. Sedebat enim quasi continue in terra super lectum, ut audiret causas maxime pauperum, orphanorum, et eis faciebat exhiberi justitiæ complementum. Unicuique etiam reddebat quod suum est.... Et ideo in pace et quiete magna tenuit regnum suum. Unde verificatum est de ipso, quod dicitur Proverb. xx : Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus ejus.

Auctore J. S.

atque eximia

1160 *Deinde post laudatam expeditionem transmarinam, et vestium modestiam, sic prosequitur :* Vitam etiam ejus, qualiter in ædificationibus ecclesiarum, et visitationibus infirmorum, cæcorum, et leprosorum continuaverit, nullus enarrare sufficit. Inter cætera vero hoc exemplum notabile recitatum fuit nobis a fide dignis, dum essemus in Francia : quod apud abbatiam Regalis-montis erat quidam monachus lepra abominabiliter infectus, in tantum, quod propter fœtorem et abominationem ulcerum vix inveniebatur, qui ad eum accedere vellet; sed E quæ necessaria erant a longe eidem projiciebantur seu dabantur. Rex vero pius, audiens hoc de illo, pluries visitavit eum, et eidem humiliter ministravit, saniem ulcerum ejus studiose detergendo, et eidem cibum et potum propriis manibus ministrando. *(Vide Vitam secundam num. 101.)* Talia namque et similia consuevit facere in domibus Dei, et leprosariis, et specialiter in domo Dei Paris., quod multi, et multotiens viderunt. Unde in talibus apparet, quantæ compassionis et pietatis fuerit iste Rex sanctus. Item quantarum eleemosynarum fuerit ipse sanctus Homo, apparet per illos, qui statuta dandi eleemosynas sua noverunt. Inter alia namque statuit, quod quotiescumque de novo intrabat Paris., novæ eleemosynæ darentur religiosis, et specialiter mendicantibus; et ideo frequentius exibat, ut sæpius eleemosynæ hujusmodi redarentur.

Bonifacii VIII elogia,

1161 *Post pauca pag. 483 ostendit, verum fuisse Principem,* tres inimicos humanæ naturæ, mundum, carnem, et diabolum prosternendo. Vicit enim mundum, *inquit,* quia stans in mundo mundum prostravit et calcavit contemnendo; et Deo subdidit terrena, quæ mundi F sunt, eleemosynis distribuendo. Diabolum etiam calcavit, seipsum.... summe et perfectissime humiliando; et signo crucis, quod assumpsit, et tamdiu portavit, ipsum prosternendo. Carnem nihilo minus vicit et domavit, eam spiritui subjiciendo : maxime quia, sicut constat ex testimonio plurimorum, iste nunquam carnem suam divisit in plures, nec cum aliqua peccatum commisit. *Huc reduco quod in Sermone 2 habet pag. 485 :* Iste vero Rex fuit in veritate, quia seipsum et subditos vere, juste, et sancte regebat. Seipsum enim rexit, quia carnem subjecit spiritui, et omnes motus sensualitatis rationi. Item subditos bene regebat, quia in omni justitia et æquitate ipsos custodiebat. Rexit etiam ecclesias, quia jura ecclesiastica et libertates ecclesiæ illæsas conservabat. *Audi eumdem pag. 286 de studio alienæ salutis breviter loquentem :* Non enim est memoria apud homines, ut credimus, quod inventus fuit isti similis nostris temporibus, qui tantum zelaret pro salute aliorum. *Paullo inferius :* Et hoc, *ait,* possumus secure asserere, quod facies sua benigna et plena gratia-

Auctore J. S.

gratiarum docebat eum esse supra hominem. *Ex his, aliisque plurimis talem deducit conclusionem pag. 483 :* Videns ergo Deus istum talem et tantum Virum sic bene ingressum, sic melius progressum, sic sanctissime de mundo egressum; voluit, quod non staret amplius lucerna sub modio, sed per grandia et multa miracula voluit eum manifestare, et quasi super candelabrum ponere. Nam sicut invenimus, vidimus, et nosmetipsi die propria examinavimus per plures inquisitiones a nobis, et a nostris fratribus, ac etiam pluribus summis Pontificiums approbatas, sexaginta tria miracula, inter cætera, quæ Dominus evidenter ostendit, certitudinaliter facta cognovimus. *Verùm hæc postrema jam latius referenda sunt, ipsaque canonizatio subjungenda.*

§ XCI. Facta ad canonizationem sub variis Pontificibus : canonizatio.

Examen pro canonizatione inchoatum anno 1273

B Bonifacius *VIII in Sermone sæpe laudato pag. 483 de inquisitione ad canonizationem sic loquitur :* Quia, sicut alias dictum est, actus iste, scilicet ascribere in catalogo Sanctorum per canonizationem Romani Pontificis, singularis excellentiæ reputatur in Ecclesia militante, et ad solum Romanum Pontificem pertineat hoc agere : idcirco summam gravitatem in facto tam singulari Sedes apostolica voluit observare. Quamvis et vita sua fuisset ita manifesta, et multa miracula visa, sicut superius dictum est, preces etiam regiæ, baronum, et etiam prælatorum pluries accessissent : nihilominus cum inquisitionibus privatis pluribus jam factis, adhuc voluit inquisitiones solemnes per non parvum tempus facere. Duravit istud negotium jam per XXIV annos, vel amplius. *Hæc Pontifex generatim anno 1297, ex quo colligimus inquisitionem primam, quæ secreta tantum fuit, cœptam esse anno 1273, id est, tribus fere post mortem Sancti annis. Instituta autem fuit primum illud de miraculis examen jussu Gregorii X per Cardinalem sanctæ Cæciliæ, hac de causa in Galliam missum, ubi legatus Apostolicus fuerat apud* S. Ludovicum.

per secretam Cardinalis S. Cæciliæ indagationem :

C 1163 *Narrat hæc ipse Martinus IV, (nam id nomen assumpsit memoratus sanctæ Cæciliæ Cardinalis, postquam anno 1281 ad pontificatum fuit evectus). Litteras ejus habet Raynaldus ad annum præfatum num. 19, quarum partem subjicio :* Intellecto dudum, felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster, quod omnipotens Dominus, qui facit mirabilia magna solus, grandia et aperta miracula pro claræ memoriæ Ludovico Rege Franciæ faciebat, voluit, præsupponens Vitæ ipsius Ludovici notam sibi existere sanctitatem, ut de hujusmodi miraculis per cujusdam secretæ indagationis modum nos, tum in minori officio constituti, et legationis fungentes officio in partibus Gallicanis, nostrum informaremus animum, sibi postmodum informationem hujusmodi transmissuri. Quare nos de prædictis miraculis indagantes, ac de ipsis plenius informati, præfato prædecessori nostram super hoc informationem duximus destinandam; quæ ad ipsum, cum fuisset morte præventus, non potuit pervenire.

at, morientibus brevi variis Pontificibus,

1164 Succedente autem piæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro Gregorio prælibato, nos eidem Innocentio prædictam informationem curavimus intimare; quo, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, hujusmodi processus negotii extitit retardatus. Piæ quoque memoriæ Joanni Papæ, prædecessori nostro informationem direximus supradictam, qui priusquam super hoc aliquid ordinaret, diem clausit extremum. Cumque postmodum felicis recordationis Nicolao Papæ prædecessori nostro informationem misissemus eamdem, et charissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris ab ipso Nicolao prædecessore, solemnibus propter hoc ad eum nuntiis destinatis, cum instantia postulasset, ut faceret ad miraculorum et meritorum ipsius Ludovici regis publicam inquisitionem procedi : D

interque eos,

1165 Præfatus Nicolaus prædecessor, scire volens, super hoc plenius veritatem, nobis adhuc in partibus existentibus supradictis per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis, ut quidquid de præmissis et circumstantiis eorumdem, ac aliis, quæ jam pro dicto Ludovico Rege virtutum Dominus miraculose fuerat operatus, nos in plena contingeret percipere veritate, clare et distincte per omnia ei seriosius scribere curaremus, ut relationibus nostris evidenter ac seriose perceptis, lucidius appareret, quid in iis providendum existeret, ac in posterum respondendum. E

quiampliorem instructionem petebat.

1166 *Litteras ipsas Nicolai III, quibus secundam illam priori uberiorem informationem exegit a Cardinale S. Cæciliæ, dein Martino IV, edidit Raynaldus ad annum 1278, quo datæ sunt, num. 38, quas huc transfero :* Sicut nosti, *inquit*, felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster consulta deliberatione decrevit de meritis claræ memoriæ Ludovici regis Franciæ per te diligenti, secreta, et provida indagatione perquiri, antequam talis indagatio ad examen publicum deveniret. Cum itaque nuper ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris per venerabilem fratrem nostrum G. Ambianensem episcopum et dilectum filium Guillelmum decanum Abrincensem, ac nobilem virum Rodulphum de Stratis marescalcum regium nuncios suos peteretur a nobis, ut procedi ad publicam inquisitionem meritorum hujusmodi faceremus, nos prædecessoris ejusdem in hac parte providis vestigiis inhærentes, et attendentes, quod licet tu generaliter et succincte nobis scripseris de prædictis; quia tamen per litteras tuas, vel aliam instructionem nunciorum tuorum, quos super iis diligenter et caute interrogari fecimus, ad nos hujusmodi indaginis, prout tanti processus qualitas exigit, plena et idonea non pervenerat certitudo; discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quidquid de præmissis, et eorum circumstantiis, ac aliis, quæ pro ipso Rege Deus miraculose fuisse dicitur operatus, in plena veritate perceperis, clare ac distincte per omnia seriosius scribas nobis, ut tuis relationibus, ut præmittitur, clare, distincte, et seriose perceptis, lucidius appareat, quid in iis providendum extiterit, et in posterum respondendum. F

Nicolao III occumbente;

1167 *Rationem, cur examen illud instaurari voluerit Nicolaus III, subdit his verbis :* Ea quidem intentione potissime, sicut eidem regi Philippo per alias nostras litteras intimamus, tuam hujusmodi sic discusse provisam continuare providimus *(inquisitionem)*, in hoc ei, et dicto Pa-

A Patri, ac domui regiæ specialiter deferentes, ut in iis eis honestius et salubrius, dante Domino, consulatur. *Nam ante dixerat Nicolaus, teste Bonifacio VIII apud Chesnium pag. 484,* Quod ita nota sibi erat vita istius Sancti, quod si vidisset duo vel tria miracula *(solide nimirum probata,)* cum canonizasset : *ita ut de sanctitate non dubitaret, sed formam vellet observatam, ne quis malitiosus dicere posset, rem tantam temere peractam. Nunc audiamus, quid Cardinalis, accepto hoc Pontificis mandato, præstiterit. Refert id in allegata epistola, quam interrupimus, Martinus IV :* Unde nos, *inquit,* hujusmodi receptis litteris, diligenter processimus super iis, et quæ invenimus, eidem Nicolao prædecessori plenius et apertius duximus intimanda. Qui, hujusmodi processu nostro recepto, illum venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi, tunc XII Apostolorum presbytero, et dilecto filio nostro Jordano S. Eustachii diacono Cardinalibus discutiendum commisit : sed eodem Nicolao prædecessore naturæ debitum persolvente, ulterius processum non extitit in negotio su-
B pradicto.

Martinus IV electus Pontifex,

1168 *In locum defuncti Nicolai anno 1281 Pontifex electus est hic ipse, cujus litteras recitamus, Martinus IV : ad illum autem eodem anno legati missi sunt episcopi Cartonensis et Ambianensis, ut canonizationem nomine archiepiscoporum et episcoporum multorum Galliæ a Pontifice flagitarent, multitudinem miraculorum allegantes. Respondit Martinus perquam humaniter, celerem rei exsecutionem sibi cordi esse : attamen rationes allegat, cur id continuo exsequi non expediret, atque hæc inter alia scribit :* Sane vestram nolumus latere notitiam, quod etsi Sedis apostolicæ providentia circumspecta in agendis quibuslibet, quæ mundi qualitas ingerit, diligenter, solicite, ac mature procedat, cum ab ipsa, utpote universorum magistra fidelium, nihil reprehensibile, nihil ambiguum, nihil obscurum, sed cuncta potius recta, certa, et lucida debeant emanare, in hujusmodi tamen negotiis, in quibus de canonizationibus agitur aliquorum, exactissimam deliberationem, summamque gravitatem, ac maturitatem omnimodam noscitur observare. *Addit deinde, quos designet inquisitores virtutum et miraculorum, cum antea examen de solis miraculis institutum fuisse*
C *videatur. Epistola autem hæc tota habetur apud Bulæum in Historia universitatis Parisiensis tom. 3 pag. 459, dataque legitur* X *Kalendas Januarii anni 1281.*

petentibus canonizationem Galliæ episcopis,

1169 *Eodem die epistolam scripsit, quam partim supra recitavimus ex Raynaldo, quaque tres antistites, nimirum archiepiscopum Rotomagensem, episcopum Autissiodorensem, et Spoletinum, virtutum ac miraculorum* Ludovici *examinatores constituit. Accipe igitur reliquam epistolæ partem, in qua post supra allata sic prosequitur :* Porro venerabiles fratres nostri S. Carnotensis, et G. Ambianensis episcopi nuper ad nostram præsentiam accedentes, ut venerabilium fratrum nostrorum Rhemensis, Senonensis, et Turonensis archiepiscoporum, ac quamplurium suffraganeorum, et etiam aliorum quorumdam regni Franciæ prælatorum parte nobis humiliter supplicarunt, ut præfatum Ludovicum Regem; quem prout eorumdem archiepiscoporum, suffraganeorum, ac prælatorum missæ nobis litteræ continebant, jam inter cælestis aulæ principes collocatum pro ipso facta miracula profitentur, Sanctorum adscribi catalogo mandaremus.

Auctore J. S.

examinatores vitæ et miraculorum

1170 Nos autem, etsi geramus specialiter cordi negotium, ac ejus votivum et celebrem exitum propensius cupiamus; attendentes tamen, quod quanto solemnius quantoque maturius et solicitius in hac parte proceditur, tanto id procul dubio ad ipsius Ludovici Regis accedet laudis cumulum potioris; ac de vestra multiplici probitate in multis et arduis probata multoties, specialem in Domino fiduciam obtinentes; fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium S. Dionysii in Francia Parisiensis diœcesis, ubi ossa ejusdem Ludovici Regis requiescere dignoscuntur, et ubi Dominus pro ipso miracula specialius fuisse proponitur operatus, aut alium seu alia loca, de quibus expedire putabitis, vos personaliter conferentes, de jam dictis, et aliis quibuscumque etiam novis miraculis, ac vita et conversatione ipsius Ludovici Regis secundum articulos, quos vobis sub bulla nostra transmittimus interclusos, cum omni diligentia et solicitudine inquiratis, quæ super iis invenire contigerit, in scriptis redacta fideliter E
ad Sedem apostolicam sub sigillis vestris inclusa quantocyus transmissuri.

constituit :

1171 Si vero testes aliqui recipiendi super præmissis occurrerint, qui propter loci distantiam, et infirmitatis impedimentum vos commode adire nequiverint; vel vos accedere absque incommodo non poteritis ad eosdem, committendi discretis aliquibus in casu hujusmodi vices nostras præsentium vobis auctoritate concedimus potestatem. Per commissionem autem inquisitionis hujusmodi vobis factam nequaquam intendimus iis, quæ auctoritate prædictarum litterarum ipsius Nicolai prædecessoris per nos super hujusmodi negotio acta sunt, in aliquo derogare : quinimo illa rata esse volumus atque firma. Quod si non omnes his exequendis potueritis, vel volueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Dat. apud Urbem veterem X Kal. Januarii anno I.

examinatores processum formant, et mittunt ad curiam Romanam,

1172 *Memorati antistites Dionysiopolim se contulerunt, ac inquisitionem instituerunt, teste Vita secunda num. 3 : de miraculis quidem a mense Maio anni 1282 usque ad finem Martii sequentis anni; de virtutibus vero a Junio anni 1282 usque ad Augustum ejusdem anni. Te-* F
stes auditi ab illis recensentur in dicta Vita a num. 7 fere quadraginta, licet num. 6 asseratur, multo plures fuisse auditos, quam ibi recenseantur : et certum sit aliunde, de miraculis plures fuisse interrogatos. Bonifacius VIII apud Chesnium pag. 484 ita de his loquitur : Ex abundanti tamen fuit adhuc commissum negotium inquisitionis viris venerabilibus et discretis, archiepiscopo scilicet Rothomagensi, et episcopo Autissiodorensi, et magistro Rolando de Palma episcopo Spoletano. Et isti de sexaginta tribus miraculis testes receperunt, examinaverunt, rubricaverunt : et jam sexdecim annis transactis ad Curiam remiserunt. Insuper per illos sexdecim annos continue aliqui ex parte regis Franciæ, nec non prælatorum, et principum, et specialiter frater Joannes de Samessio, continue institerunt. *At in his verbis corrigendus est numerus* sexdecim *annorum, et quatuordecim, aut certe quindecim inchoati debent substitui, neque enim ante annum 1283 sua ad Curiam miserunt inquisitores.*

1173 *Hoc igitur errore correcto, qui incuria*

AUCTORE J. S.

ubi ille sub variis Pontificibus discutitur, ac probatur a Bonifacio VIII.

ria numeros transcribentium forsan irrepsit, reliqua audiamus ex Bonifacio : Tandem, *inquit,* pro dicto negotio, tempore domini Martini commissum est negotium tribus Cardinalibus ad examinandum *(ea, quæ in Gallia per prædictos inquisitores de vita et miraculis conscripta erant).* Qui viderunt, examinaverunt, et pro magna parte rubricaverunt. Sed cum ante mortem domini Martini non fuisset facta relatio negotii, pervenit tandem ad tempora domini Honorii *(IV).* Et tunc lecta sunt plura miracula, et coram fratribus nostris Cardinalibus diligenter discussa. Sed dum ventilaretur negotium, superveniente morte domini Honorii, negotium siluit. Tempore vero domini Nicolai IV, *(qui Honorio successit)* commissum est negotium tribus aliis Cardinalibus, domino scilicet Hostiensi, domino Portuensi, et nobis in statu cardinalatus adhuc existentibus; quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commissum. Postea etiam mortuo domino Hostiensi, subrogatus fuit sibi dominus Sabinensis. Et ita, per tot et totiens examinatum est, rubricatum, B et discussum negotium; quod de hoc plus facta est descriptura, quam unus asinus posset portare. Nos et de manu propria scripsimus, et diligenter examinavimus multa miracula fuisse sufficienter probata. Temporibus autem nostris non sunt mutati examinatores, sed tamen iterum lecta sunt plura miracula, examinata, et rubricata, non solum per illos prædictos examinatores, sed etiam per plures alios Cardinales. Et voluimus, ut quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio, vel amore, seu etiam timore aliquo aliquis taceret. Ex istis ergo, et pluribus aliis potest evidenter concludi, quod servata fuit maturitas in prædictis. Et ideo de tam manifesto Viro, et sic in sanctitate vitæ et miraculorum probato, secure possumus asserere, quod non debet amplius fama sanctitatis ejus sub modio latere; sed debemus ei dicere : Amice, ascende superius, ut sit tibi gloria in Ecclesia militante coram simul discumbentibus. *Hæc Pontifex Bonifacius VIII die* VI *Augusti anni 1297 :* XI *vero ejusdem mensis alteram recitavit panegyrim, et bullam canonizationis dedit, quam mox recitabimus.*

C

§ XCII. Bulla canonizationis.

Bulla Dei misericordiam celebrat,

Edita jam fuit hæc bulla a variis, quam ex Menardo a pag. 162 subjiciam : in illa nihil mutavi, nisi duo menda, quæ plana erant ac manifesta, ac typothetæ verosimiliter errore unius litteræ mutatione irrepserant. Bonifacius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, universis archiepiscopis et episcopis, exemptis et non exemptis per regnum Franciæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Gloria, laus, et honor Patri luminum (a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum) a cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos, summis, et sedulis devotionis et reverentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, et in retributione munificus, de supremis cælorum ad ima mundi oculos suæ majestatis inflectens, et benigna consideratione discutiens beati Ludovici quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriosissimi confessoris merita grandia, operaque mirifica, quibus ipse constitutus in sæculo, ceu lucerna luminosa, resplenduit : eaque veluti justus Judex, et retributor laudabilis, dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum tanquam emeritum et retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, et laboriosa mundi certamina (quæ fervens in divinis obsequiis potenter et patenter exercuit) æthereis sedibus collocavit, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat, fœlicitatis æternæ dulcoribus potiturus. D

omnesque ad lætitiam excitat

1175 Exultet igitur mater Ecclesia, ac solennia festiva concelebret gaudiorum : quod tantum et talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, jam inter Regum cælestium gloriosa agmina rutilantem. Lætetur, inquam, et jubilet, ac in laudes Altissimi voces promat; quod sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus insignis decorata conspicitur. Quæ sonoris attollendo præconiis summæque venerationis exhibitione colenda, enucleatius aperit, evidentius explicat : illos ad perennis beatitudinis gaudia, et hereditatis æternæ participationem admittendos, qui prædictam Ecclesiam, matrem fidelium, sponsam Christi claris fidei et operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per ejus, utpote cælorum clavigeræ, ministerium virtuosum, ostiis reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestium, de tam sublimis, tam lucidi habitatoris adventu; quod ipsis expertus probatusque fidei Christianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ jubilum, civium gloriosa nobilitas supernorum : quod tanti talisque concivis suscepisse dinoscitur adjectivum : ac venerabilis Sanctorum cœtus gaudio et exultatione refloreat, de nova dignissimi adhibitione Consortis. E

propter exaltationem Ludovici.

1176 Exurge itaque concio numerosa fidelium, exurgite fidei zelatores : et una cum eadem Ecclesia laudis uberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia, et fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta tam potentis et egregii Principis exaltatione terreni; spei tutissimæ plenitudine præconcepta, quod nobis de indigena terrenorum, compatriota cælestium jam effecto, apud æterni Patris Filium efficax Patronus accrevit, qui pro salutis nostræ profectibus, jam in ejus præsentia positus, solertis exercet officium Oratoris. Porro quis posset amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruscans, sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia, et multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus Ludovicus prædictus in terris constitutus effulsit? Cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, tenebris obducatur; dignum duximus, ut de illis aliqua sermo noster aperiat, et deducat in publicam notionem. F

Decora Sancti :

1177 Hic profecto clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate; inhonestis et turpibus a se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia; quod, sicut habet certa credulitas plurimorum, nisi ei nexus accessisset uxorius, candore virgineo rutilasset. Longi quippe spacio temporis prædicti regni regimini præfuit, ejusque gubernacula plena curis

pro-

A provida circumspectione direxit; nulli noxius, non injuriosus alicui, nemini violentus. Justitiæ limites summopere servavit et coluit, æquitatis tramitem non relinquens, perversorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit : malorum molimina conterens, pravorum illicitos ausus frenans. Pacis zelator eximius, fervidus amator concordiæ, promotor sollicitus extitit unitatis : dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis undique fluctibus, subductis noxiis, turbinibus profugatis, regni ejusdem incolis aurora dulcifluæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votivæ prosperitatis arrisit.

Vitæ et regni primordia,

1178 Et ut de vita ipsius aliqua referamus, licet illa quo majori expositione discutitur, examine indagatur, eo referentis afferat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixius auditorum. Ab ineuntis ætatis primordiis Dei Filium tenera mentis affectione dilexit; nec diligere desiit, studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis : sed quanto majo- B ri profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto in ejus exarsit amorem fervore spiritus ampliore. Hic equidem cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub claræ memoriæ Blanchæ reginæ Franciæ matris suæ custodia et gubernatione remansit : quæ circa divina obsequia ferventer intenta, eum prudenter dirigere, ac diligenter instruere satagebat; ut ad præfati regni regimen, quod suæ directionis expetere providentiam noscebatur, dignus, et sufficiens fieret, idoneus haberetur.

adolescentiæ studia,

1179 Cumque per incrementa temporum, idem Rex ætatis annum quartum decimum attigisset : prædicta regina sibi magistrum proprium deputavit, qui eum scientia litterarum imbueret, ac bonis moribus informaret. Ipseque Rex sub ejusdem magistri ferula positus, sic ei obediens et reverens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præventus gratia, profecit laudabiliter in utrisque : circa divina sic intentus officia, ut nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea, quæ coram se die noctuque a suis faciebat clericis solemniter celebrare, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur.

C

*expeditio adversus Saracenos, * lege, tricesimo, qui erat completus*

1180 Demum successu temporis in anno vicesimo * constitutus, et quadam sibi ægritudine superveniente gravatus, a Parisiensi, et Meldensi episcopis, assistentibus tunc eidem, vivificæ crucis signaculum in Terræ sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei rationabili causa moti, præfati dissuaderent episcopi : ipse tamen, utpote fervens spiritu erga Deum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum hujusmodi de manu præfati Parisiensis episcopi cum multa lætitia et exultatione recepit, prælatis, nobilibus et militibus plurimis signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato navigio, factisque apparatibus aliis, qui in talibus requiruntur, cum tricesimum quartum annum attigisset ætatis, in prædictum subsidium transfretavit, consortes ei, Robertum Attrebatensem, Alphonsum Pictavensem, et claræ memoriæ Carolum regem Siciliæ, tunc Andegaviæ comites, fratres suos, dum adhuc viverent, secum ducens, multa, graviaque pericula, quæ solent æquorei fluctus ingerere, sustinendo.

Auctore J. S.

captivitas, in juramento sacrilego

1181 Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia pervenisset, et habito de civitatis Damiatæ captione triumpho, processisset ulterius : generali quasi totius ejusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, et aliis adversis urgentibus, præfatus Rex cum toto fere exercitu supradicto in soldani et Saracenorum manus ac potentiam incidit : multa opprobria multasque injurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter et humiliter tolerando; præfato Roberto comite, pro fide Christi, ab illis immaniter interempto. Postmodum autem habito cum soldano tunc vivente tractatu de jam dicto Rege ac exercitu liberando, maxima interveniente pecuniæ quantitate, ipsoque soldano occasione hujusmodi a vassallis propriis interfecto; Saraceni, qui ejus dominium usurparunt, ad pecuniam anhelantes, eandem cum multa instantia postulabant, ut in conventionibus ordinatis concorditer inter partes jurejurando firmandis penitus adderetur, quod nisi ipsi pacta servarent, omnino Machometum, quem colunt (ut dicitur) denegarent; ac idem Rex in suo adjiceret juramento, quod et ipse E Dei negaret Filium, ac extra fidem ejus existeret; si conventiones prædictæ ab eo minime servarentur.

detrectando constantia,

1182 Quod præfatus Rex abominans, id efficere constantissime recusavit : quin potius quadam indignatione commotus patenter asseruit, quod talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret; neque in tam vesanam et reprobam prorumperet negativam : quamquam id ei jam dicti Pictaviæ et Andegaviæ comites, aliique tunc plurimi circunstantes instantissime suaderent, cum exinde sibi cæterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent; præsertim cum hoc ageretur cum illis, qui, sicut præmittitur, soldanum prædictum occiderant, ejus sibi dominium usurpantes, ipsique Regi apertius, diceretur, quod nisi in actum produceret quod petebant, ipsum et suos crucifigere non differrent : ipsius Regis ad hæc intrepida firmaque responsio est secuta : Quod si Saraceni prædicti ejus corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.

in suis non deserendis

1183 Sane cum jam dicti passagii tempore post conflictus diversos et varios, validæ famis inediam, graves penurias, diraque vulnera, F quæ fideles Christi pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris et ægritudines alias patiente, Christianus reverteretur exercitus Damiatam : Rex ipse nolens illum omnino deserere, sed ejus potius clementer intendens communicare laboribus, et participare periculis, quæ tunc ex verisimilibus poterant conjecturis timeri, illuc rediit cum eodem : contra Saracenorum rabiem truculentam, insultusque nefarios, sibi efficax defensionis impendendo præsidium, ut ab hujusmodi hostium scelestis insidiis servaretur. Et tandem, cum Saracenorum ipsorum astuta nequitia et dolosa, tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum, valida tunc, sicut præmittitur, infirmitate detentum, ipsumque tam graviter invasisset, quod Regem et exercitum supradictos oportuit se præfatis reddere Saracenis; ac idem Rex, nisi facto voluntatis libitum obstitisset, per navis tunc promptæ potuisset evasisse suffragium; sibique hoc plurimi magnique, præsentes inibi, suaderent; ipse tamen propter nimiæ charitatis ardorem, quo vehementius æstuabat, volens po-

potius periculis corpus exponere, ut Christianus populus servaretur illæsus; licet Saracenorum noticiam ipsius debilitas non lateret exercitus; nec Saracenorum existeret ignota potentia Christianis; evadere noluit, remanentibus cæteris vinculo captionis astrictis; apertius asserendo, quod militiam, quam secum duxerat, secum, si posset, reducere intendebat; vel capi seu mori pariter cum eadem.

charitas, 1184 Cumque inter Regem et Christianos ac Saracenos prædictos, de ipsorum et Christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus et conventionum subsecuta ordinatio extitisset: Saraceni, pro quadam parte precii redemptionis hujusmodi, quæ solvenda restabat, securitatem habere plenariam intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt: ut, vel ipse liberaretur a carcere, remanentibus ceteris Christianis in vinculis, donec hujusmodi solutio perfecta succederet; vel quod idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimode liberatis; præfatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit, quod ipse, quousque solutionis hujusmodi perveniret inte-
B gritas, remanere in carcere intendebat, Christianis aliis libertati pristinæ restitutis: quanquam præfati Alphonsus et Carolus, ac alii viri nobiles, tunc astantes, expresse dicerent et profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent: supplici adjicientes instantia, quod potius Rex ipse recederet, aliis minime absolutis, Rege ipso firmissime replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorundem.

1185 Et tandem Rege et cæteris captivis eisdem plenæ redditis libertati, dictoque Alphonso pro ejusdem solutionis perfectione facienda obside dimisso; præfatus Rex de galea, in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad ejus præsentiam rediit; ac omnes etiam Christiani, quos in propinquo carcere detinebant inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in navibus collocati. Demum præfatus Rex, cum eodem liberatus exercitu, ad civitatem rediens Acconensem; moramque inibi ferme per quin-
C quennium contrahens, tanquam fervidus salutis humanæ amator, multorum Agarenorum mentes, duras quantumlibet, non solum salubris eloquii suadelis, sed etiam exemplo vitæ laudabilis convertit ad Dominum: ipsos faciens, ad laudem divini nominis, et exaltationem Catholicæ fidei, honorifice baptizari: eos donis prosequendo largifluis, et gratiosis favoribus confovendo: multosque milites, et alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes quam cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia civitatum et castrorum quam plurimorum, quæ in illis partibus a fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter; eaque firmiter muniri et integre, prout necessitas exigebat.

[capt]iniis redimendis et juvandis sollicitudo,

1186 Verum prædictus Rex processu temporis, intellecto, quod matrem ejus mors amara subtraxerat, et eidem regno grave periculum immineret, de procerum suorum consilio, ad regnum Franciæ remeavit: nunc sanctitatis insistens operibus, nunc monasteria et hospitia pauperum, nunc domos aliis divinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus

erga religiosos et pauperes munificentia,

D deputatis: nunc etiam infirmos et debiles in diversis monasteriis et xenodochiis decumbentes personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confovebat, eis manibus propriis flexo genu potus et cibaria ministrando.

1187 Cumque in monasterio Regalis Montis, Belvacensis diocesis, quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit, ac dotibus decoravit eximiis, monachus quidam, Leodegarius nomine, moraretur, quem adeo lepræ morbus invaserat, quod abominabilis et despectus quamplurimum manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus monasterii memorati: cujusque oculi ob gravis infirmitatis pondus seu malitiam jam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus, sive locis, rubeis et horridis jam effectis; quique nasum perdiderat; ejus tumefactis non modicum labiis, et profunda fissura destructis: ac idem Rex, eum, præsente duntaxat abbate monasterii supradicti, personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum ut poterat invenisset: præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, et scindens manibus propriis carnes eidem apposi- E
tas, bolos in os ejus studiosissime immittebat: et hujusmodi non contentus obsequio, allatis ejus jussione dapibus regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non evitans; eodem abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas Principis talibus quantumcumque salubribus involvi studiis, ac servitiis poterat occupari.

eximia in lepra infectum

1188 Præterea cum dictus Rex hospitale Compendiense ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus; et jam fessus non modicum ex labore, infirmum quendam juxta se positum conspexisset, morbum, qui sancti Eligii dicitur, patientem; et flexis genibus coram ipso, morsellum * piri, remoto cortice, poneret in os ejus, sanies, de illius naribus defluens, fœdavit turpiter manus Regis: qui pie benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico suis manibus, salubre, quod inchoaverat, obsequium diligenter est prosecutus. Hic circa servos Christi ac pauperes atque miserabiles et dejectas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitione munificum exhibebat. F

aliosque ægrotos caritas,

* *i. e.* frustum

1189 Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat illis de bonis regalibus: laudabiliter et salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas et alios pios usus converti pro tempore noscebatur. Hic prædicationibus, et aliis propositionibus Verbi Dei, attentum accommodabat auditum; non auditor obliviosus factus, sed factor operis studiosus. Abhorrebat hereticæ pravitatis macula infectos; ne fidei Christianæ cultores labe hujusmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo; ac alias, circa statum ejus providendo solicite, ut ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret.

liberalitas in egenos, odium in hæreticos,

1190 Cum vero aliquibus partibus dicti Regni, ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia * imminebat: statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium, inter pauperes dividendam. Hic profecto humilitate sublimis, su-

modestia in vestibus,

* *i. e.* penuria

blimi-

A blimitate humilis, in apparatu et vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissime de ultramarinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstravit. Nec enim aureis vel argentis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus usus fuit; sæcularibus pompis a se penitus abdicatis.

1191 Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione ac repressione illum potius accendi contingeret, altiusque sustolli; carnem ipsam quasi assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrenæ ipsius libitum arctæ abstinentiæ freno cohercuit, ejusque nexibus alligavit; ut non voti proprii ducta libidine, non sui desiderii directa remigio; sed salubri moderamine spiritus tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abstineret. Districtis etenim corpus atterebat jejuniis, priscorum observantiæ a sanctis Patribus ordinatæ novorum austeritatem adjiciens, sibi motu propriæ voluntatis indictam. Nam per totum quadragesimale tempus, et quadraginta dies festum Natalis Domini præcedentes, et omnium festivitatum vigilias, B nec non et quatuor tempora, quæ Catholica indicit Ecclesia, in jejuniis et orationibus existebat; deliciosis et curiosis cibariis usui proprio penitus interdictis. In festivitatum vero Virginis gloriosæ, et Natalis Domini memorati vigiliis, et sexta feria majoris Hebdomadæ, jejunium observabat, panis et aquæ duntaxat modica sustentatione contentus. Quolibet etiam die Veneris Quadragesimæ supradictæ, ac totius Adventus, ab esu piscium abstinebat.

vitæ austeritas.

1192 Multis præterea vigiliis se occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret, post ejus reditum supradictum non in pluma vel paleis jacuit; sed super ligneum lectum portatilem, mataratio * simplici superjecto, stramino nullo supposito decumbebat. Hic insuper vitæ puritate prælucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis. Cuncta quoque ipsius eloquia, salutis augmentum, operaque salubria hortabantur; demulcebant auditorum præcordia, et in eorum ædificationem multipliciter redundabant.

strati humilitas, sermonis honestas,

* *i. e.* culcita

C 1193 Cumque ad incrementa Catholicæ fidei, et liberationem celerem Terræ sanctæ votis ardendibus anhelaret; in ipsius Terræ subsidium assumpsit denuo signum Crucis. Et deinde potenti ac valido congregato navigio, copiosa et strenua comitiva suffultus, cum ipso Pictavio comite, suisque liberis, et claræ memoriæ regina Navarræ ipsius regis filia, quæ in reditu debitum naturæ persolvit, ad partes rursum se transtulit transmarinas, Carolo, qui tunc moram in partibus Italiæ contrahebat, Regis memorati vestigia subsequente. Ac tandem ad partes Tunicii felici gressu perveniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit; et adversus Saracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires, gravissimas ob labores innumeros, quibus premebatur assidue, infirmitates incurrit. Qui diebus lapsis aliquibus, infirmitatum ipsarum violentia superatus, Sacramenta ecclesiastica cum summa devotione recepit : ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissa, suam Domino devotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia : videlicet, PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM, feliciter migravit ad Christum, supernis deliciis fruiturus.

iterata in Saracenos expeditio, pia mors,

1194 Verum, cum vitæ hujus functus curriculis, verius viveret, quam vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ, mundo supprimi sanctitatem : ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diversitate claresceret, et qui eum plenissima devotione coluerat, tam secum in cœlesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis artuum extentione subvenit : curvis, terram ferme tangentibus facie, plenam restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem; strumosis beneficium liberationis impendit. Mulierem quandam, cujus brachium aridum et omnino impotens existebat, ab infirmitate hujusmodi liberavit. Quidam quoque, cujus velut emortuum pendebat brachium, per ejusdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit : compluribus paralytico morbo percussis, et aliis, qui diversis languoribus tenebantur, plena reddita sospitate : cæcisque visu, surdis auditu, claudis gressu, illius invocato nomine, restitutis. His et compluribus aliis Sanctus ipse coruscavit miraculis gloriosus : quorum seriem præsentibus non duximus inserendam. E

AUCTORE J. S. *et miracula*

1195 Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cujus merita sublimiter illustratur. Lætetur devotissimus Franciæ populus, quod tam electum, tam virtuosum Dominum meruit obtinere. Exultent prælatorum et cleri præcordia, quod præfatum regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensius decoratur. Jocundentur et procerum, magnatum, nobilium, et militum pectora, quod per sanctissima opera dicti Regis, ejusdem regni status honoris multiplicis prærogativa sustollitur, et quasi solis radiis elucescit.

Gallos ad lætitiam de tanto Rege hortatur,

1196 Cæterum, quia quos superni Regis clementia corona gloriæ in cælo magnificat, devote a fidelibus in hac terrestri patria convenit venerari : nos de sanctitate vitæ ac miraculorum veritate ipsius beatissimi Ludovici, curiosæ ac solennis inquisitionis diligentia, et districti examinis discussione præmissa, plenariam certitudinem obtinentes : ipsum de communi fratrum nostrorum et prælatorum omnium, tunc apud Sedem apostolicam existentium, consilio et assensu, die Dominica, tertio Idus Augusti Sanctorum catalogo duximus ascribendum. F Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, vobis per Apostolica scripta mandantes; quatenus in crastino beati Bartholomæi apostoli, cum fœlix ipsius anima tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiverit, æternis gaudiis potitura; festum ipsius Sancti devote ac solenniter celebretis, et faciatis per vestras civitates et dioceses a Christi fidelibus veneratione congrua celebrari : ut ejus intervenientibus precibus, et hic ab imminentibus possitis liberari dericulis; et in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere.

ejusque festivitatem celebrare jubet,

1197 Ut autem ad venerabile sepulchrum ipsius ferventius et copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejusdem solemnitas peragatur; omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus authoritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulchrum infra ejusdem

ac indulgentias frequentantibus sepulcrum concedit.

dem

AUCTORE J. S.

dem festi octavas, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Urbem veterem, tertio Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

§ XCIII. Gaudium de canonizatione : aucta miracula : cultus propagatus, et auctus : Officium antiquum : nomen iu fastis : Officia varia.

Gaudium de canonizatione : aucta miraculorum gloria :

B*ulla canonizationis ingens in Gallia excitavit gaudium, teste Joinvillio num. 267. Audi hac de re Ms. quoddam antiquum, quod desumptum notatur ex codice S. Victoris 872 :* Publicata vero in Francia canonizatione B. Ludovici, quantus fuerit jubilus gaudii et exultationis unanimiter apud omnes, nullus posset sufficienter referre : tunc enim fides Catholica B cœpit in Francia constantissime roborari, spes firmissime erigi ad superna, et caritas ferventius dilatari, et ad B. Ludovicum devotio sollicitius excitari. *Non mediocriter, opinor, ad augendam Gallorum in sanctum Regem pietatem conduxit honorifica corporis elevatio anno 1298 facta, ut infra videbimus : et præ ceteris pietatem illam promovit aucta miraculorum gloria. Nangius enim in Chronico ad annum 1298 de miraculis ita scribit :* Qui quanti meriti ipse confessor Domini gloriosus sanctus Rex extiterit Ludovicus apud Deum, miracula prius facta demonstraverunt; specialius tamen post exaltationem corporis ejus a terra in diversis mundi partibus est ostensum : nam in tantam curationum gratiam excrevit, ut nemo ab eo sanitatem, sive subsidium fidenter et fideliter exposceret, quin sine mora effectum perciperet exoptatum. *Verum posteriora hæc miracula non tanto collecta fuisse studio opinor, quanto collecta fuerant priora; certe pauciora ad nos pervenere, de quibus agemus inferius, ubi de cultu Sancti, reliquiisque disseruerimus.*

C

cultus per totum Cisterciensium Ordinem

1199 *Festivitatem Sancti per totam Galliam celebrari jusserat Pontifex ipso beatæ mortis die, seu* XXV *Augusti. Non videtur id eo anno ob temporis brevitatem fieri potuisse, ac factum eo splendidius et magnificentius anno sequenti; honorem Avi sui egregie promovente Philippo Pulchro Galliæ rege. Interim Ordines quidam religiosi, magnis a* Ludovico *vivente beneficiis affecti, statuta ediderunt de festo ejus die celebrando. Cistercienses imprimis anno 1298 in comitiis Ordinis, apud Martenium tom. 4 Anecdotorum col. 1493, statuerunt sequentia :* Quoniam Christianæ religionis devotio, dum electos Christi tam piis quam debitis honoris et celebritatis obsequiis reverenter exsequitur, eos nimirum confidentius expetit, et facilius assequitur eorum se patrociniis adjuvari; idcirco pia deliberatione capitulum generale duxit provide statuendum, quod festum beatissimi Ludovici confessoris, quondam Regis Francorum, de cetero in crastino beati Bartholomæi apostoli, cum duabus Missis et XII lectionibus, sicut de beato Antonio, fiat per Ordinem universum. *Huic statuto addiderunt anno sequenti aliud, ibidem col. 1495 his verbis expositum :* Quoniam caritatis Sanctorum splendor mirabilis, quanto luculentius meritis, jure, et etiam claritate nobilius enituit, tanto debet a Christi fi- D delibus clarioribus laudum præconiis sublimius exaltari; statuto de festo beati Ludovici confessoris, quondam Regis Franciæ, Ordinem per universum celebrando, facto anno præterito in capitulo generali, hoc additur, quod propria ipsius historia per totum Ordinem decantetur.

et Prædicatorum decretus: Officium auctoris coœvi

1200 *Siculi Cistercienses per totum Ordinem promoverunt cultum* S. Ludovici, *ita eumdem propagarunt anno item 1298 Prædicatores. In Actis enim capituli generalis, apud laudatum Martenium col. 1870, hæc ab eis statuta invenio :* De sancto Ludovico confessore fiat festum simplex octavo Kalendas Septembris, et magister Ordinis curet de Officio providere, et annotetur in Ordinario, et Kalendario. *Quod autem hic statuitur de Officio componendo, factum refert Bernardus Guidonis per Fr. Arnaldum de Prato, quem obiisse dicit anno* MCCCVI, *ab ingressu Ordinis* LI, *adeo ut jam annis circiter quatuordecim in Ordine vixisset moriente* Ludovico. *Habentur illa tom. 6 Collectionis amplissimæ Martenii, col. 463, ubi item docet, Arnaldum triginta fere annis sacram theologiam præle- E gisse, arteque poetica valuisse, ac de Officio composito sic habet :* Hic Officium sancti Ludovici Regis nocturnum et diurnum dictavit, et composuit eleganter, quod in curia regis Philippi præ omnibus aliis prælectum extitit pariter et acceptum. *Echardus in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum tom. 1, pag. 499 plura habet de Arnaldo, Officiique ab eo compositi principium hoc assignat :* Ludovicus decus regnantium. *Tum subdit :* Quod Philippo Pulchro oblatum eximie placuit, ejusque auctoritate per ecclesias Galliæ receptum est, eoque usa est ecclesia Parisiensis ad initia seculi XVII, extatque etiamnum in antiquis Breviariis : eo etiam diu usus est Ordo Prædicatorum.

ex quo speciminis loco hymnos Vesperarum,

1201 *Porro Officium de* S. Ludovico *in Breviario Parisiensi, quod impressum est anno 1584, inchoatur verbis ab Echardo designatis, et antiquitatem ubique redolet, præterquam in lectionibus, quæ notantur desumptæ ex Paulo Æmilio, et Clichtovæo, ita ut dubium non appareat, quin illud ipsum sit Officium, quod Arnaldus composuit, ita tamen ut aliæ lectiones videantur prioribus substitutæ. Totum autem illud Of- F ficium, psalmis exceptis, et lectionibus primi et tertii nocturni, ex Vita Sancti est compositum, eique proprium. Quapropter lubet aliqua ex antiquissimo, ac non ineleganti Officio lectorum oculis objicere. Accipe primum hymnos. In Vesperis hic ponitur :*

Gaude, mater Ecclesia,
Novæ laudis præconio,
Quam Ludovici gloria
Solenni replet gaudio.
De regno terræ vehitur
Ad regni cæli solium,
Cujus vita dignoscitur
Forma virtutum omnium.
Fide purus, spe patiens,
Et charitate fervidus,
Omni petenti largiens,
Pius, pudicus, providus.
Fraus, furor, violentia
Relegantur a subditis,
Signa coruscant varia
Virtutum ejus meritis.
Pro corona justitiæ
Jam coronatus gloria,

Nostri

A Nostri memor miseriæ
Cœli procuret præmia.
Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos Regis mirifici
Coronet per suffragia. Amen.

1202 *Matutinum vero hunc habet hymnum :*

Matutini.

Nova Regis præconia,
Solenni digna cantico,
Devota promat Francia,
Cantu plaudens angelico.
Regis hujus religio,
Et aspectus gratissimus
Monstrabant, quid de præmio
Ejus gustaret animus.
Monstrant quoque miracula,
Quantus sit in cœlestibus,
Morbos, pestes, pericula
Suis fugando precibus.
O quam dulce spectaculum
In Ludovico cerneret,
Qui fidei signaculum
Vultum ejus inspiceret!
B Nam vultus ejus claritas
Numquam in terra corruit,
Nec effectus * benignitas
Deo præsente caruit.
Trino Deo *etc., ut supra.*

* *forsan* affectus

1203 *Hic autem in laudibus assignatur :*

et Laudum,

Hymnum novæ lætitiæ
Regi canamus omnium,
Qui sancto Regi Franciæ
Novi dat regni solium.
Ludovicus ex nomine
Lucis dator exprimitur,
Et custos in certamine
Præsentis vitæ ponitur.
Crucis hostes concutiens
Concussus ægritudine
Vitam invenit moriens,
Tali fœlix certamine.
Nam sic in vita viguit,
Ut patiendo vinceret;
Et hoc in morte meruit,
Ut moriendo viveret.
Vivit ergo fœliciter
Rex Francorum in gloria,
C Quem Christus singulariter
Sua replevit gratia.
Trino Deo *etc.*

aliaque decerpimus.

1204 *Ex antiphonis, ceterisque officii partibus pauca tantum speciminis causa adducam, eaque in primis, quæ mores sancti Regis, aliaque ejus ornamenta exprimunt. Responsorium post lectionem secundam hujusmodi est :* Fœlix terra, cujus Rex sapiens, justus, clemens, modestus, patiens : cujus vultus est malos feriens, bonos alliciens. *Post tertiam lectionem hoc habetur responsorium :* Hunc natura genuit regno fructuosum, voluntas exercuit mundo gratiosum, Deus ipsum præbuit cœlo gloriosum. *Cui hic subditur versus :* Normam vitæ posuit hunc Deus, et tribuit signis virtuosum. *Antiphona secundi nocturni secunda hæc est :* Deductus in justitia, clemens subjectis præfuit, leges, pœnas, et præmia sapienter instituit. *Responsorium post lectionem quartam cum versu ita habet :* Gloriosus apparuit non cultu præsidentis, sed cum incultus præfuit more David ludentis; nec ex hoc sibi defuit authoritas regentis. Virgam virtutis habuit, in qua malos compescuit, sed sub norma clementis. *In responsorio lectionis septimæ miracula Sancti celebrantur his verbis :* Fulget signis Rex insignis, nam ægrotis ejus votis præstantur remedia : dati neci liberantur, claudi, cæci reparantur, fugantur dæmonia. *Tandem in secundis Vesperis ad* Magnificat Ludovicus *cum præstantissimis regibus sic comparatur :* Magnificat miraculis Ludovicum divinitas, in quo cunctorum oculis David fulsit humilitas, Salomonis serenitas, et Ezechiæ veritas, quem gratiarum titulis solennem fecit populis Josiæ par benignitas. *Hæc de Officio illo dicta sufficiant, quæ auctor vel per se scire potuit, quia contemporaneus; vel ex iis, qui* Ludovicum *familiariter noverant, discere.*

AUCTORE J. S.

Festivitas item decreta in concilio Biterrensi

1205 *Antistites Galliæ etiam non neglexerunt cultum sancti Regis. Etenim concilium Biterrense, anno 1299 habitum, editumque a Martenio tom. 4 Anecdotorum, col. 227 ita statuit :* Item juxta dicti domini nostri *(Bonifacii VIII)* ordinationis præceptum statuimus, quod de beato Ludovico in ejusdem festo, quod in crastino beati Bartholomæi apostoli per dictum Dominumnostrum præceptum est annis singulis celebrari, in omnibus ecclesiis Narbonensis provinciæ E sicut de confessore cantetur : et quod in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, monasteriis, et prioratibus conventualibus celebretur de eo annis singulis duplex festum, nisi impediti ex causa dicta die dictum festum celebrare non possent, proximiori, qua possent, quo casu die dictum festum celebrare, ut præmittitur, teneantur. *Videtur editio mendosa, et legendum illud* Quo casu *ante τὸ* proximiori, *ut sensus sit;* Quo casu die proximiori teneantur. *Eremitæ S. Augustini etiam statuerunt in capitulo generali, anno 1300 Neapoli habito, ut festum* S. Ludovici *in Ordine celebraretur ritu semiduplici, uti testatur Torellus in Historia dicti Ordinis ad annum 1270, num. 3.*

hæc deinde aucta, prohibitumque in ea operari : Sanctus regni patronus :

1206 *Festum* S. Ludovici *adhuc majori deinde splendore celebratum est in Gallia, ita ut ab operibus servilibus abstinendum esset. Quippe in Actis concilii Suessionensis apud Martenium tom. 8 Collectionis amplissimæ col. 1555 hoc statutum legitur :* Festum beati Ludovici servatur a carrucis de mandato domini regis Franciæ. *Concilium autem istud habitum notatur anno 1334. Porro festa, quibus abstinebatur ab operibus,* F *diversa erant; aliis enim vetabantur opera quidem mechanica, non tamen carrucarum et agriculturæ opera. Exemplum accipe ex eadem synodo, quæ col. 1554 ita decernit :* Octava Epiphaniæ, Vincentii martyris, Fabiani et Sebastiani, et Conversionis S. Pauli festa, ab omnibus operibus mechanicis, et non a carrucis servanda. *Idem discimus ex titulo canonis* VIII *concilii Oxoniensis, qui apud Labbeum tom.* XI *col. 274 ita sonat :* Hæc sunt festa, in quibus, prohibitis aliis operibus, conceduntur opera agriculturæ et carrucarum. *Hinc igitur discimus jam seculo* XIV *festum* S. Ludovici *in Gallia maxima religione celebratum fuisse, cum etiam ab operibus ad agriculturam spectantibus fuerit abstinendum. Protectorem regni etiam electum esse* S. Ludovicum, *asserit Chaizius pag. 698 ex variis constare instrumentis : certe episcopus Parisiensis in litteris apud Doubletium pag. 626 jam anno 1298 eum vocat,* totius regni *Patronum* apud Dominum : *et Carolus VIII apud Cangium in Observationibus pag. 121* Protectorem coronæ Franciæ *appellat.*

1207 *De promoto ulterius* S. Ludovici *cultu*

per

AUCTORE J. S.

alia cultus propagatio per totam Ecclesiam.

per orbem Catholicum sequentia scribit Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano pag. 407 : Quamvis autem statim post sancti Ludovici apotheosim, nomen ejus ita venerabile extiterit, ut a Sede apostolica mox relatum sit intra Martyrologium ac Breviarium Romanum, quod nulli alteri sancto regi, aut principi Christiano sæculari concessum fuerat : attamen festum ejus non sic solemniter agebatur, usquequo Ludovicus XIII, cognomento Justus, Galliarum rex Christianissimus, veræque pietatis et avitæ religionis hæres, sceptra Francica cælitus tenuit : qui illustrissimo Dionysio a Marquemondo, *(quem anno 1617 Romam misit oratorem, teste Gallia Christiana nuper recusa tom. 4, col. 192)* Lugdunensi archiepiscopo, postea Cardinali S. R. E. mandatum dedit, ut a summo Pontifice Paulo V, regiæ suæ majestatis patrino, obtineret licentiam hujusmodi festum ritu celebriori, ac Officio duplici peragendi : quod ei Christi Vicarius benigne indulsit die v Julii ann. MDCXIII, quo tempore Romæ præsens aderam. Indeque ad instantiam ejusdem piissimi regis,
B idem festum ex præcepto ecclesiastico jussum est celebrari omnibus Gallis per cunctos totius regni præsules, laudante et approbante Gregorio XV Papa : qui insuper sancivit festum sancti Ludovici Regis extra Galliam ubique terrarum coli ritu semiduplici. *Andreas Saussayus, qui etiam illo vivebat tempore, in Martyrologio Gallicano pag. 552 sic habet :* At Gregorius quintodecimus postea accuratius perpendens, quantum glorioso huic Regi universa Ecclesia, at Gallia potissimum deberet, non ecclesiastico solum Officio, sicut hactenus factum fuerat, sed et festo solemni memoriam ejus benedictam præcepit deinceps tota in Gallia celebrari. *Quod hodiedum fit solemnitate et splendore maximo.*

Festum translati capitis in diœcesi Parisiensi :

1208 *Præterea aliud* S. Ludovici *festum Parisiis institutum est ab anno 1306, quo sacrum ejus caput ad sacellum regium translatum, ut infra referemus. Monachus sancti Dionysii anonymus, qui Guilielmi Nangii Chronicon produxit usque ad annum 1340, hac de re ita scribit ad annum 1306, post relatam capitis translationem :* Cæterum ipsum diem Parisius per totam suam diœcesim annuatim in perpetuum institui
C *(episcopus Parisiensis,)* et de cætero firmavit habere solemnem. *Cujus festi antiquitatem confirmat Cangius in Observationibus pag. 120, adducens instrumentum anni 1316, in quo festi* Translationis capitis B. Ludovici *fit mentio. Saussayus in Martyrologio Gallicano ad diem* VI *Maii refert hoc festum; quem gemino lapsu aberrantem corrigunt majores nostri tom.* VII *Maii, in addendis ad diem* XVII, *pag. 792 his verbis :* S. Ludovici Regis Translatio capitis ad sanctam capellam, male relata a Saussayo ad VI Maii, potius huc spectat; cum hac die revera facta sit, anno MCCCVI, feria III infra octavam Ascensionis; unde etiam tali feria, non autem (ut idem Saussayus iterum hallucinatur) feria IV, festum istud recolitur per totam diœcesim Parisiensem. Mirum profecto est Saussayum, qui annis aliquot parochus S. Lupi Parisiis fuit, et in illius dici Officio proprio, *(quod extat in Breviario Parisiensi,)* semper id legisse debuit, sic exarare potuisse. *Editores Martyrologii Parisiensis, anno 1727 impressi, recte festum istud ad* XVII *Maii annuntiant hoc modo :* Parisiis, translatio capitis sancti Ludovici Francorum Regis, cujus fit memoria feria tertia infra octavam Ascensionis Domini. D

nomen in Fastis : Officia.

1209 *Nomen Sancti post canonizationem sacris Fastis adscriptum est ab omnibus, opinor, qui post illud tempus Martyrologia conscripserunt. Additum etiam fuit variis Usuardi Mss. exemplaribus, uti videre est in Usuardo nostro ad* XXV *Augusti. Horum autem elogia adferre supervacaneum est : quapropter unius Romani Martyrologii verba refero, quæ ad* XXV *Augusti hujusmodi sunt :* Lutetiæ Parisiorum sancti Ludovici confessoris, Regis Francorum, vitæ sanctitate, ac miraculorum gloria illustris. *Officia etiam pro diversarum usu ecclesiarum varia sunt composita præter illud, de quo supra egimus. At nec de his agere necesse est, cum unum habeamus, plerisque commune, in Breviario Romano ad* XXV *Augusti, ubi tamen additur hæc nota :* Ubi vero festum S. Bartholomæi celebratur die XXV, de S Ludovico fit die XXVI. *Ceterum, ut reliqua in lectionibus hujus Officii apparent certa, ita leviuscule in chronologia erratum videtur, ubi dicitur :* Cum jam vigesimum annum in regno ageret, in morbum incidit. E
Etenim morbus iste ex antiquorum sententia contigit anno 1244, qui annus regni erat decimus octavus. Hisce de cultu disputatis, ad corporis elevationem, reliquiarumque translationem progrediamur.

§ XCIV. Sacri corporis elevatio : translatio capitis et costæ unius Parisios.

Philippus Franciæ rex antistites.

Philippus Pulcher Franciæ rex, qui dum bulla canonizationis allata fuerat in Galliam, in Belgio versabatur belli curis occupatus, festumque sancti Avi sui in annum 1298 distulerat celebrandum, voluit ut ipso die festivitatis sacrum corpus elevaretur, ideoque, ut summo id fieret cum splendore, has ad regni proceres dedit litteras : Philippus Dei gratia Francorum rex, dilecto et fideli nostro abbati monasterii Moissiacensis salutem et dilectionem. Vocatos de tenebris hujus vitæ, et in partem Dominiciæ hereditatis assumptos, summis debent F
honoribus venerari incolæ terrenorum : ut quod merita fragilitatis humanæ non obtinent, eorum Christi fidelibus intercessione donetur. Ad vestram siquidem et communem credimus pervenisse notitiam, quod sacrosancta mater Ecclesia, virtutes attendens et merita, quibus sanctus Ludovicus rex Franciæ, carissimus avus noster, in hac terrestri patria constitutus, cælestis gratiæ dono præfulsit, ac miracula considerans gloriosa, quæ ad invocationem ipsius virtus Altissimi operatur, ipsum pridem Sanctorum catalogo ascribendo, canonizationis munere decoravit.

proceresque regni invitat ad elevationem corporis :

1211 Cum itaque nos ipsius Sancti reliquias relevari, et de loco beati Dionysii in Francia, ubi hactenus quieverunt, ad locum aliquem ejusdem ecclesiæ, die duodecimo * Calendas instantis mensis Septembris, quo ipse carnis eductus ergastulo feliciter migravit ad Dominum, transferri facere, divina favente gratia, intendamus : cupientes, ut translationis hujusmodi festiva solemnitas condignis honoribus et veneratione debita celebretur; dilectos et fideles nostros, universos archiepiscopos et episcopos,

* imo octavo

necnon

A necnon abbates, conventuales priores, aliosque prælatos, et barones etiam regni nostri, ad ipsius festivitatis solemnia duximus specialiter invitandos: inter quos præsentiam vestram honorabilem reputantes, dilectionem vestram requirimus et hortamur attente, quatenus translationi prædictæ loco et die prædictis personaliter intersitis. Datum Parisius die VII mensis Maii, anno MCCXCVIII. *Eamdem epistolam, sed abbati sancti Maglorii inscriptam, recitat Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 521: unde colligimus hanc fuisse encyclicam ad abbates et episcopos, forsan et ad seculares principes datam.*

Bonifacius VIII præcipit monachis S. Dionysii, ut corpus sinant transferri Parisios:

1212 *Eodem fere tempore vel per litteras, vel per legatos cum summo Pontifice, Bonifacio VIII, egit Philippus de corporis elevatione: nam Bonifacius binas hac de re scripsit litteras; alteras ad universos Christi fideles, quibus varias concedit indulgentias illis, qui corporis translationi adessent, quique sanctam capellam, quo illud transferendum putabat, visitarent: alteras ad abbatem et conventum sancti Dionysii, in* B *quibus eos affatur hoc modo:* Cum itaque nostræ omnino voluntatis existat, ut venerabile corpus beatissimi Ludovici confessoris... de monasterio vestro, in quo illud requiescere noscitur, ad capellam regiam Parisius constitutam, ad laudem Dei, et honorem ipsius Sancti solemniter transferatur, certamque indulgentiam propter hoc Christi fidelibus duxerimus concedendam; volumus, et per Apostolica scripta vobis districte præcipiendo mandamus, quatinus, cum super translatione corporis supradicti ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciæ illustris fueritis requisiti, eidem regi totum corpus prædictum, ejus brachio, seu tibia, vobis dumtaxat retento, in eodem monasterio venerabiliter conservando, contradictione qualibet, aut dilatione, seu difficultate prorsus amota, humiliter assignetis. *Hæc Bonifacius apud Menardum in Observationibus pag. 370, ubi notatur epistola Nonis Julii data. Præcedens vero epistola eodem anno 1298 data legitur, at diebus aliquot citius, nempe* IV *Kal. Julii. Edidit et hanc Menardus cum aliis ad* Ludovicum *pertinentibus a pag. 183: atque in ea Bonifacius de translatione ad sanctam capellam loqui-* C *tur, tamquam de re certo futura.*

sed eo delatum non est, ut falso putarunt aliqui:

1213 *Hæ litteræ Bonifacii auctores aliquot in errorem pertraxerunt: Menardus enim in Observationibus pag. 369 corpus revera Parisios translatum scribit, litterasque mox citatas allegat testes; quin et ibidem permansisse putavit, quod aperte est erroneum. Cangius in suis Observationibus pag. 119 ad sanctam capellam translatum asserit, sed mox insinuat, illud Dionysiopolim relatum. Hujus vestigiis institit Chaizius, pag. 695 affirmans, sanctum corpus Parisios ad sanctam capellam delatum, relatumque Dionysiopolim, cui omnino assentitur Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 260. Attamen, quamvis hi auctores id asserant, ut indubitatum; cum veterum destituantur auctoritate, pluraque referantur facta, quam uno die commode fieri potuere, dubitare vix possum, quin a vero aberrent. Etenim memorant hanc corporis elevationem auctores varii, qui eodem vivebant tempore, videlicet Joinvillius, auctor Vitæ secundæ, Guilielmus Nangius S. Dionysii monachus, et Guilielmus Gujart: at illi non videntur omnino omissuri fuisse, corpus Parisios esse delatum, si id factum esset. Nec litteræ Bonifacii assumi debent ad illud probandum: nam, ut incertum est, qua de causa Pontifex eas dederit, motune proprio, an petente rege: ita certum est, effectum non habuisse; sive quod Rex sacrum corpus numquam Parisios transferre voluerit, sive quod voluntatem postea mutaverit, si id antea voluit. Quippe ex litteris Pontificis ossa transferri debebant, ut Parisiis manerent, non ut statim referrentur: at corpus Parisiis non mansisse constat: litteræ igitur effectu caruerunt.*

elevatum vero magna solemnitate, et per claustra monasterii,

1214 *Cautius ergo, quam dicti scriptores, pressiusque antiquorum vestigiis insistit, veriusque solemnitatem hujus elevationis ac translationis refert Gerardus du Bois in Historia mox laudata pag. 521, ubi sic habet:* Solemnia translationis magna pontificum celebritate, et frequenti procerum et optimatum conventu, et innumerabili hominum multitudine peracta sunt, *teste Gujarto apud Cangium in Observationibus pag. 119.* Haud dubium est, quin in basilica Dionysiana tantæ solemnitati adfuerit Simon episcopus Parisiensis; cum præsertim Senonensis archiepiscopus in ea sacra fecerit; et extent apud Dubletum litteræ utriusque pag. 626, quibus profitentur, nihil ex hoc juris sibi in ecclesiam Dionysianam accessurum. Archiepiscopi Remensis et Lugdunensis ossa sancti Regis ex humo levaverunt; et ipsa in loculo posita, deportata sunt a pontificibus iisdem, et aliis, qui subsequebantur, *(ut refert Joinvillius num. 266.)* Fr. Joannes de Samois minorita panegyricam orationem dixit, *(et quidem, ut Joinvillius habet,* postquam fuit elevatus, *non postquam Parisios fuit portatus.)* Et, ut puto, *ait du Bois,* in thecam argenteam, quam jussu regis affabre fecerat Guilelmus aurifex, sacra ossa posita sunt. Thecam deinde rex ipse, et fratres ejus, aliique ex regia stirpe proceres per claustrum et ecclesiam, comitante pontificum et optimatum cœtu, deportaverunt. E

ac fortasse per urbis plateas delatum.

1215 *Imo et per urbem sacra ossa putem fuisse portata, cum ex Observationibus Cangii pag. 119 constet, aliquot domos Dionysiopoli fuisse dejectas in commodum hujus solemnitatis, quod minus fuisset necessarium, si sacrum corpus intra monasterii septa mansisset. Nangius in Chronico ad annum 1298 hæc solum refert:* Sanctus Ludovicus Rex quondam Franciæ gloriosus, qui anno præcedenti proximo Sanctorum catalogo adscriptus fuerat, cum ingenti lætitia et exultatione a rege Franciæ Philippo, et a totius regni principibus et prælatis, apud sanctum Dionysium in Francia congregatis, de terra in crastino festi sancti Bartholomæi apostoli elevatur, revolutis viginti octo annis, ex quo in regno Thunicii subtus Carthaginem in Domino obdormivit. *His satis consonat Vita secunda num. 294, sed in apographo nostro ibidem legitur res facta* VII Kalendas Septembris, *cum* VIII *Kalendas contigerit: et additur,* corpus, *arcæ* honorifice inclusum, *positum esse* sub altari principe dictæ ecclesiæ. *Ceterum insignem fuisse solemnitatem omnes consentiunt, sumptusque solemnitatis secutique convivii plurimum excrevisse, colligitur ex Cangii Observationibus pag. 119.* F

Caput ad sanctam capellam translatum,

1216 *Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 263 recte narrat, caput* S. Ludovici *cum una e costis anno 1306 Parisios translatum. Cangius tamen in Observationibus pag. 120 Chronicon antiquum Ms. affert, in quo designari*

AUCTORE J. S.

signari affirmat annum 1307, quod erroris convincetur ex testimoniis afferendis. Longius etiam a vero aberravit Raynaldus ad annum 1317 num. 8, ubi id eodem illo anno factum scribit per Philippum V. Porro translationem hanc factam esse anno 1306, evincitur ex testimonio monachi S. Dionysii, qui Nangii Chronicon prosecutus est usque ad annum 1340, et Guilielmi Gujart, qui eodem fere tempore scribebat, apud Cangium mox laudatum pag. 120 : quibus accedit Officium hujus translationis proprium, et anonymus Vitæ auctor apud nos Ms., ut omittam recentiores plurimos. Laudatus Vitæ auctor anonymus scribit, Philippum Lugduni anno præcedenti adfuisse coronationi Clementis V summi Pontificis, atque ibidem ab eo impetrasse capitis costæque translationem, ut caput in sancta capella, costa vero in principe ecclesia Parisiis venerationi publicæ exponerentur. His prænotatis, verba accipe auctoris synchroni, qui Nangii Chronicon prosecutus est. Rem ille tom. 3 Spicilegii Acheriani pag. 59 refert his verbis : Feria tertia post Ascensionem Domini, *(quæ illo anno in* XVII *Maii incidebat)* B Philippus rex Franciæ caput beati Ludovici absque tamen mento, et mandibulis inferioribus, nec non unam de costis ipsius, Parisius cum ingenti cleri, plebisque (civitatis) tripudio transtulit; dictam costam in ecclesia cathedrali beatæ Mariæ relinquens, caputque suum gloriosum in capella regalis palatii, quam ipse sanctissimus Rex sumptuoso construxerat opere, in vase pretioso decenter pariter ac devote reponens. *Addit festum hujus translationis institutum, de quo jam egimus.*

ubi servatur auro solido inclusum

1217 *Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 522 hæc recitat ex Officio proprio sanctæ capellæ :* Postquam Ludovicus nonus catalogo Sanctorum adscriptus est, et sanctæ ejus reliquiæ venerationi fidelium expositæ sunt; Philippus Pulcher ad commendandam Avi memoriam sanctum ejus caput e basilica sancti Dionysii ad sacro-sanctam capellam transtulit. Acta est translatio celebri pontificum procerumque conventu feria tertia post Ascensionem Domini anno millesimo trecentesimo sexto. Philippus caput auro solido inclusit, quod humeros usque effigiem sancti Ludovici referebat. In memoriam C virtutum, quibus refulserat, thecam smaragdis, sapphiris, aliisque gemmis exornavit; hocque pretiosum pignus voluit rex fieri partem venerandi thesauri, quem sanctus Ludovicus in ipsa, quam magnifice construxerat, capella deposuit. Juxta hunc locum, ubi erat regum basilica, Philippus palatium fecit juridicum; ut augustum sancti Regis caput, cui, dum vixit, inconcussa æqui justique retinendi voluntas fuit, post mortem fieret morum regula, legum decretorumque forma, et exemplar judiciorum. *Hisce laudatus auctor subjungit :* Hoc sancti Regis caput servatur etiam hodie in sancta capella Parisiensi in theca illa ex auro solido, quæ refert effigiem sancti Ludovici; eaque cooperta est sapphiris et smaragdis; hocque pretiosum pignus cum cura et veneratione custodiunt thesaurarius, canonici, et capellani hujus sanctæ capellæ.

D

§ XCV. Sacra ossa in arcam auream translata a Carolo VI, deinde in novam : reliquiæ variis datæ : varia item vestimenta, aliaque pro reliquiis servata.

Sacrum corpus in arcam auream transpositum,

Franciscus Pommeraye in Historia archiepiscoporum Rotomagensium pag. 536, et Michael Felibien in Historia abbatiæ sancti Dionysii pag. 306 narrant, aliam sacrorum ossium translationem, tempore Caroli VI, seu anno 1392 factam, dum illa ex arca priore in novam, eamque auream fuere transposita. Accipe compendio, quæ illi latius exponunt idiomate Gallico. Carolus V Francorum rex, cognomento Sapiens, singulari in S. Ludovicum *pietate ductus, arcam, aiunt, auream pondere 252 marcharum fabricari jussit : at arcam ex auro solido* E *totam non esse factam, manifestum est ex litteris Caroli VI apud Doubletium pag. 1041, ubi dicitur* arcam auro coopertam *fabricari jussisse; potuit tamen vel sic habere pondus auri memoratum. Defuncto Carolo V, antequam arca esset absoluta, eam Carolus VI ejus filius, necdum omnino perfectam, ut docent laudatæ litteræ, Dionysiopolim portari jussit : quo et ipse cum præcipuis regni prælatis se contulit in pervigilio S. Dionysii, id est* VIII *Octobris. Post recitatas autem vespertino tempore Matutinas horas, antiqua* S. Ludovici *arca a monachis delata fuit ad sacellum S. Clementis, præsentibus patriarcha Antiocheno, et abbate sancti Cornelii.*

variæque reliquiæ tunc aliis donatæ :

1219 *Postridie mane rex, antistites, et abbates, suis singuli ornamentis insigniti, ad dictum sacellum conveniunt. Præmissa oratione, inchoatoque cantico* Magnificat, *extrahuntur ossa sacra ex arca veteri, quæ rex ipse magna cum reverentia ad altare portat. Rogant tum regem circumstantes aliqui reliquiarum partem : ille costam donat Petro d'Ailly pro Clemente VII,* F *(quem Galli in schismate sequebantur Pontificem, cum alii plerique antipapam dicant;) alteram dedit costam duci Biturigum, tertiam Burgundiæ duci; præterea os aliud, inter prælatos dividendum : reliqua dein novæ arcæ imposuit. His absolutis, canitur responsorium,* Dum esset Rex, *ac procedit nobile supplicantium agmen per templi ac monasterii circuitum, ferentibus arcam per vices stirpis regiæ principibus. Finita supplicatione, reliquiæ altari sanctorum Martyrum imponuntur, ac Sacrum solemne celebratur ab archiepiscopo Rotomagensi. Post oblatum Sacrificium, in triclinio monachorum lauto excipiuntur convivio. Ad finem convivii reliquias dividunt. Tunc rex, aliique ad precandum coram sacro corpore sunt reversi : ubi ille ad donum præcedens adjecit mille libras, ut arca tegeretur tabernaculo æreo : duces autem Biturigum, Burgundiæ, ac Turoniæ, genibus nixi, monilia, quibus se ad festivitatem ornaverant, Sancto obtulerunt, voluerruntque, ut illa ante arcam appenderentur. Hæc fere laudatus Felibien : ex quibus patet, reliquias S. Ludovici late fuisse sparsas.*

1220 *Idem*

A *fusa arca prædicta, corpus novæ dein impositum :*

1220 *Idem auctor pag. 335 commemorat occasionem, duramque regni necessitatem, qua factum est, ut arca memorata anno 1418 funderetur, atque in nummos converteretur, ad regnum contra Anglos ducemque Burgundiæ defendendum : quod ne vel sic quidem satis fieri potuit. Qua tunc arca sacrum corpus fuerit servatum, non exprimit auctor : sed pag. 394, relata morte eminentissimi Cardinalis Ludovici de Bourbon, quem docet primum fuisse abbatem commendatarium, atque obiisse anno 1557, refert novam arcam ejus liberalitate constructam, eamque magnificam, atque argento, auro, et monilibus exornatam, quam ait anno 1657 rursus auro circumlitam, restauratamque, qualis hodiedum visitur. Describit illam pag. 544 hoc fere modo : Arca argentea est deaurata, et gemmis aliquot margaritisque exornata : distinguunt eam effigies variæ, quæ virtutes repræsentant, cum suis singulæ proprietatibus : supra has duodecim pares Franciæ in totidem orbibus encausto picti sunt. Accipe arcam ipsam, prout eam ibidem exhibet memoratus scriptor :* AUCTORE J. S.



pars capitis Dionysiopoli servata seorsim :

1221 *In hac arca servantur præcipua* S. Ludovici *ossa : nam omnia ibidem non esse collecta, ex dictis, dicendisque manifestum est. Habetur et alia reliquiarum theca in abbatia S. Dionysii, in qua separatim servatur maxilla Sancti inferior, quam cum reliquo capite Parisios non esse translatam vidimus. Theca hæc item argentea est inaurata : sacrum pignus gestant duæ regum effigies, quibus designari Philippum III, et Philippum IV, probat laudatus Felibien pag. 540. Tertia effigies, in cujus manu est theca altera minor, exhibet abbatem Ægidium, qui thecam curavit componendam, ut docet inscriptio stylobatæ insculpta, et auctor ipse scripserat ad annum 1306 pag. 263. Accipe igitur et hanc ex laudato historico adumbratam, æreque expressam*

AUCTORE J. S.

sam opere chalcographi nostri, qui prototypon quam proxime conatus est imitari :



alia capitis pars Pisciaci :

1222 *Alia etiam capitis pars servatur Pisciaci apud Religiosas Ordinis S. Dominici in monasterio ad honorem* S. Ludovici *fundato; uti docent notitiæ, quas humanissime nobiscum communicavit R. P. Matthæus Texte jam ante laudatus. Etenim in litteris, 2 Decembris anni 1737 Parisiis ad nos datis, scribit Gallice, quæ Latine hic reddo :* Philippus VI, cognomento Valesius, rex Franciæ anno MCCCXIII primam uxorem duxit Joannam Burgundicam, ex qua genuit Joannem, qui ei in regnum successit. Hic ussu parentum suorum anno MCCCLI regni sui II, obtulit monasterio regio Pisciacensi virginum Dominicanarum pretiosam magnamque statuam argenteam inauratam dimidia sui parte inferne truncam, quæ in earum thesauro servatur, in quaque reposita est pars superior faciei sancti Ludovici Regis Franciæ, inclusa aureæ reliquiarum thecæ, quæ in medio statuæ est affixa : in hu- C jus circuitu legitur hæc inscriptio, charactere seculi XIV sculpta *Latine :* Hic est pars superior faciei beati Ludovici quondam Regis Francorum, quam Philippus Pulcher dedit huic ecclesiæ. *Subjungit laudatus pater :* Stylobatæ statuæ affixa est lamina ex argento arte encaustica auro circumlita, cui eodem seculi XIV, charactere insculptum est, quod sequitur : Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo oblatum fuit vas istud nobile per inclytum principem dominum Johannem Dei gratia Francorum regem in ecclesia præsenti, in honore beati Ludovici abavi sui fundata, quod claræ memoriæ dominus Philippus quondam rex pater, et domina Johanna de Burgundia, regina mater domini regis, fieri ordinaverunt, dum vivebant. Oremus ut precibus et meritis dicti Ludovici rex regnans vivat feliciter et prospere, et defuncti requiescant in pace. *Hæc Pisciaci, ubi et miracula quædam facta inferius videbimus.*

1223 *Michael Felibien in Historia sæpe jam laudata pag. 440 scribit, anno 1616 varias reliquias concessas fuisse Annæ Austriacæ Galliarum reginæ, interque illas particulam costæ* S. Ludovici. *Addit, reginam anno sequenti plures desiderasse* S. Ludovici *reliquias, ac integram costam a monachis ei donatam. Narrat deinde reliquias a pluribus petitas, at negatas fuisse. Verumtamen concessæ hæ sunt, petente regina mox laudata, domui professæ societatis Jesu Parisiensi, atque item Romanæ, prout intelligitur ex testimonio subprioris abbatiæ S. Dionysii, quod Romæ propria manu anno 1700 descripsit Janningus noster, atque his verbis conceptum est :* Omnibus has litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quod dominus Dionysius Rubentel, magnus prior sacri et incliti monasterii S. Dionysii in Francia, ego infrascriptus, et ii, ad quos spectabat, petente serenissima et Christianissima regina, et annuente illustrissimo domino D. Ludovico a Lotharingia Cardinali a Guisia, abbate prædicti monasterii, dedimus rev. patribus Societatis Jesu aliquas reliquias de corpore S. Ludovici, unam costam pro domo professa S. Ludovici Parisiis, et unum os brachii pro domo professa Romana ejusdem Societatis. In quorum fidem ego subprior ejusdem monasterii S. Dionysii has litteras manu nostra subscripsi, et sigillo meo munivi die XII Junii an. MDCXIX apud S. Dionysium in Francia, in absentia domini Rubentel magni prioris ejusdem monasterii.

D *reliquiis regina Franciæ donata : item Societas Jesu Parisiis et Romæ :*

Colletet

locus sigilli

E

Piazza in Hemerologio sacro ad diem XXV *Augusti testatur, os illud brachii, quod liberaliter* brachium *vocat, in ecclesia domus professæ Romanæ quotannis* XXVI *Augusti exponi in theca argentea super altare sancti Ignatii : exponitur autem die* XXVI, *quia tunc festum* S. Ludovici *ibidem celebratur, die præcedenti Romæ propter festum S. Bartholomæi impedita.*

sacra ossa variis locis

1224 *Præter jam dictas reliquias, ossa* S. Ludovici *aliqua variis locis assignant scriptores varii. Potuerunt illa eo deferri ex distributione facta per Carolum VI, relataque superius; vel Dionysiopoli alio modo impetrari. Arturus in Martyrologio Franciscano pag. 407 post quædam de corpore et capite* S. Ludovici *jam memorata, subjungit :* Pars brachii ejus habetur Mirandulæ in conventu S. Francisci... Item aliquot ossa reconduntur in conventu sancti Sebastiani apud sanctum Martinum... Altera ex costis ejus- F dem sancti Regis ostenditur in monasterio, illius nomini Bellovaci dicato... Vidi apud monasterium de Lilio juxta Melodunum, Cisterciensis Ordinis, aliquot sancti Ludovici ossa reverenter asservari, una cum disciplina ejus ac media parte cilicii. *Quod attinet ad cilicium et flagellum, Arturo consentit Vita secunda num. 248, ita ut aberrasse videatur Claudius Chalemot in Serie Sanctorum Ordinis Cisterciensis ad* VIII *Kalendas Septembris de* S. Ludovico *agens, ubi* ejusdem Regis flagellum in pixide eburnea *servari dicit in abbatia Malidumi, seu B. Mariæ regalis prope Pontisaram. Pergamus igitur cum Arturo :* Inferiorem vero partem hujusce cilicii vidi, *ait,* pie servatam Rothomagi apud Beguinas moniales. Favinus scribit, in Hispania reliquias ejusdem sancti Regis religiose asservari, quarum contactu scrophuli *(id est scrophulis, seu strumis infecti)* sanitate donantur.

pie servata :

1225 *In Phosphoro metropolis Pragensis pag. 516 hæ assignantur reliquiæ :* S. Ludovici Regis dens atque digitus, allati ex Gallia, et Carolo *(IV imperatori)* dono dati MCCCLV. *Masinus*

in


AUCTORE J. S.

A *in Bononia perlustrata tom. 1, pag. 430 scribit, digitum sancti Regis haberi in ecclesia Prædicatorum Bononiæ. Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico a pag. 92 describit thesaurum monasterii Bellipartensis, Ordinis Cisterciensis, Duaci, atque affirmat ibidem videri undecim statuas argenteas inauratas, interque eas* sancti Ludovici *Regis,* sub *cujus* pedibus *ipsius* reliquiæ visuntur. Præterea, *ait pag. 93,* in custodia magna argentea turrita chrystallo pretiosissima venerationi exponunt præfati Ludovici Franciæ Regis reliquias, de ejus scilicet sacræ manus digito, obtentas a reverendo abbate Cistertiensi Boucherat anno MDIV. *Idem auctor pag. 55 in cœnobio Aquæ-curtiensi in Artesia, Ordinis Canonicorum Regularium, inter alias numerat reliquias* Ludovici Francorum Regis.

missale, crater, gladius, sigillum, corona, aliaque:

1226 *Insuper vestimenta, aliaque, quibus in vita usus est Sanctus, magna cum veneratione custodiuntur locis variis. Pauca jam recensuimus: accipe et alia quædam. Cangius in Observationibus pag. 121 testatur, inter supellectilem* S. Ludovici, *quam reges Franciæ reliquiarum instar* B *habebant in pretio, servatum fuisse ejus missale, et calicem aureum, ex quo bibere solebat in vita. Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 541 varia item in abbatia servari scribit; eaque æri incisa exhibet: nimirum quædam vestimentorum segmenta thecæ crystallinæ inclusa: fibulam pallii regalis* S. Ludovici; *quæ, argentea est auroque circumlita, atque undique encausto margaritisque distincta: virgam, seu manum justitiæ, ut vocant, argenteam item inauratam: craterem e ligno myrices factum, quo Sanctus dicitur usus contra lienis vitium: gladium, quem ex primo itinere transmarino retulit: sigillum ejusdem Sancti aureum, liliis distinctum, atque ornatum sapphiro, cui insculpta est effigies Sancti cum duabus his litteris S. L., id est,* sigillum Ludovici: *ac demum coronam* S. Ludovici *auream gemmatamque, quam distinguit præ ceteris gemmis ingentis pretii carbunculus, cui spina e Domini corona est inclusa. Hæc ibi, ex quibus coronæ formam hic subjicio: reliquorum figuram apud laudatum historicum curiosus lector inveniet.*

C



pallium, pileus, gladius alter, zona aurea, cultellus;

1227 *Pallium quoddam* S. Ludovici *servarunt Cistercienses in abbatia Caroliloci, acceptam post mortem Sancti a Petro ejus cubiculario, ut testatur Vita secunda num. 211, ubi item legi poterit, sanitatem Priori ejusdem abbatiæ, qui eo se induerat, restitutam fuisse. Pileos item aliquot Sancti pie custoditos, miraculoque nobilitatos, habet eadem Vita num. 320. Arturus paullo ante citatus:* Pileus, *inquit,* sancti Ludovici Bajocis extat in conventu Minorum. *Idem auctor, præter ensem Dionysiopoli servatum, de alio sic scribit:* Ensis autem, quo sanctus Rex usus fuerat in Oriente adversus barbaros, penes remanserat equites Hierosolymitanos, indeque Rhodenses ac Militenses; donec illustrissimus DD. a Valletta, Gallus, magnus illius Ordinis magister, eum dono dedit proregi Siciliæ anno MDLIX, teste Boyssato part. 2 Histor. ejusmodi Equit. lib. 5. *Hunc ensem equitibus datum anno 1504, per Ludovicum XII Galliarum regem, auctor est Jacobus Bosius in Historia Italica istius Ordinis part. 2, pag. 476. Idem affirmat Pirrus tom. 2 Siciliæ sacræ pag. 620, ubi addit, magistrum Ordinis Vallettam anno 1559,* VIII *Decembris* duci Medinæ Cæli, proregi Siciliæ, *inter alia munera, dedisse* ensem cum aurea zona S. Ludovici Galliæ Regis, quo usus fuerat in sacro bello Terræ sanctæ, et Ægypti contra Saracenos. *Præterea sanctissimi Regis cultellum servari in abbatia de Bello-visu *, quæ feminarum est Ordinis Cisterciensis, testantur novissimi editores Galliæ Christianæ tom. 2, col. 218.*

* Beauvoir

alia variis locis servata.

1228 *Monasticon Anglicanum tom. 3, part. 2, pag. 87 in catalogo reliquiarum capellæ regalis ac collegiatæ Vindesoriensis hæc habet:* Item una pulchra camahu, ornata perlis * et auro; in qua continetur pars cathenæ, de qua sanctus Ludovicus flagellavit se. *Et pag. 86:* Item una pixis de iaspide rubea, cum uno osse de sancto Ludovico, cum pede coopertorio argenteo et deaurato. *Videtur autem non alius designari Ludovicus, quam cujus Acta præ manibus habemus. Moniales Ordinis sancti Francisci in Parisiensi suburbio sancti Marcelli servant Sancti subuculam coloris fusci, teste Chaizio pag. 697. Ubi adjungit, Psalterium Regis egregie ornatum auro, imaginibusque subtili penicillo punctim expressis, quod ante mortem dederat Guillelmo de Mesmes sacellano primario, per varios circuitus pervenisse in bibliothecam regiam Angliæ; unde tamen rediisse asserit ad eos, quinomen* de Mesmes *etiamnum habent. Bonaventura Baro in Annalibus Ordinis sanctissimæ Trinitatis pag. 211 affirmat,* S. Ludovicum, *dum in monasterio Fontis Bliaudi chorum subinde frequentabat, usum fuisse* oblonga chlamyde. . . ex bysso admodum insigni, adjecto pileo: Quæ ambo, *inquit,* adhuc hodie in eodem cœnobio magna reverentia servantur. *Idem auctor pag. 243 in conventu Trinitariorum Parisiensi alia haberi scribit his verbis:* Ibidem asservatur regium paludamentum ejus in planetam versum: item calamarium ejusdem, et chirotecæ: et, quod omnibus præstat, corona regia ejusdem, auro obducta, et artificiose fabrefacta, insertis Sanctorum reliquiis pro gemmis. *Tandem in catalogo quodam Ms. reliquiarum Prædicatorum Leodiensium recensetur corona* S. Ludovici; *calix auro, argento, gemmisque admodum pretiosus, qui ejus dono acceptus traditur, eique aliquando pro scypho serviisse; ac paludamentum ejus regium,* ex quo casula cum dalmaticis composita, *additurque hasce sacras vestes tantum adhiberi ad solemne Sacrum celebrandum in festis Natalis Domini, Epiphaniæ, et* S. Ludovici. *Hæc de reliquiis dicta sufficiant.*

E

* i. e. gemmis

E

F

§ XCVI.

AUCTORE J. S.

§ XCVI. Sacella, ecclesiæ, monasteriaque S. Ludovici nomine dicata : miracula variis locis facta.

Loca sacra Sancti nomine variis locis dicata :

Post *promulgatam* S. Ludovici *canonizationem non pauca ad ejus honorem structa sunt sacella, templa, monasteriaque, aut ante constructa ejus nomine dedicata : verum, cum hæc ad Sancti gesta minus pertineant, non lubet eorum catalogum texere, nedum discutere, quænam prius posteriusve ejus nomine sint consecrata. Anno non integro post elevationem corporis ad honorem* S. Ludovici *dedicata videtur ecclesia Prædicatorum Ebroicensium, ut colligitur ex miraculo mox referendo. Eodem fere tempore construi cœptum est monasterium Pisciacense, de quo plura inferius. Quin et Tornaci jam anno 1299 sacellum* S. Ludovico *structum in ecclesia cathe-*
B *drali, in eoque institutos sacelli ministros, auctor est Joannes Cousin in Historia Tornacensi tom. 4, pag. 73. Joinvillius item in fine Historiæ suæ memorat, se eidem Sancto altare exstruendum curasse, Missamque ad ejus honorem fundasse perpetuam. Nec modo in Gallia confestim loca sacra* S. Ludovici *nomine dicata, sed Viennæ quoque in Austria eodem fere tempore in templo FF. Minorum sacellum ejus nomine constructum : patet id ex testamento Blanchæ, Austriæ ducissæ, ac neptis* S. Ludovici, *facto anno 1304, quod edidit Bernardus Pez tom. 5 Anecdotorum, part. 2, pag. 201 : verum editor indiligens Blancham oscitanter in titulo vocat reginam Franciæ, cum ipsa in testamento se Franciæ regis filiam nominet, ac filia revera fuerit Philippi III, at numquam regina. Plurima templa, deinde condita, aliis enumeranda relinquo, miracula quædam pro coronide hujus Commentarii collecturus.*

puer submersus et pro mortuo habitus, sanitati restitutus,

1230 *Habeo Ms. quoddam Vitæ compendium, quod anno 1641 transmisit Joannes Gamansius Societatis nostræ, acceptum in Bodecensi cœnobio Ordinis Regularium S. Augustini ex Passionali pergameno Ms. mensis Augusti, folio 194, in*
C *quo præcipua Sancti gesta satis bene, sed breviter referuntur; subdunturque miracula aliqua, ex quibus unum, quod in Actis non legitur, subnecto :* Anno vero, quo beatus Ludovicus fuit adscriptus sanctorum catalogo Confessorum, in diversis mundi partibus ad invocationem ipsius, ejus meritis et precibus multa contigerunt miracula laude digna. Ebroicis namque quadam die Mercurii, per quindecim dies ante festum Ascensionis Domini, contigit quemdam puerum, quatuor annorum vel circa, prope quoddam molendinum fuisse submersum, et per longum tempus, et post plurima experimenta, a magna populi multitudine concurrente mortuum judicatum, et post multas orationes, et invocationes Dei, (et B. Mariæ, *ut habet aliud Ms. mox memorandum)* et aliorum Sanctorum, nullum penitus vitæ vestigium apparere : tandem omnipotente Deo misericorditer disponente, mirificare suum Dilectum in illa populi turba, insonuit vox cujusdam ignoratæ personæ, ut dictus puer devoveretur beato Ludovico; quod quædam statim fecit cum candela de proprio lucro : et matri dicti pueri desolatæ dicebant complures, ut statim puerum deferret ad ecclesiam fratrum Præ- D
dicatorum, in honorem beati Ludovici noviter dedicatam. Mira res! Nam protinus, facto voto, cœpit puer gemere, et portatus ad prædictam ecclesiam fuit plenarie resuscitatus, et restitutus pristinæ sanitati. *Idem refertur in alio Ms., ex codice 872 S. Victoris desumpto.*

multaque alia miracula in templo Prædicatorum Ebroicensi facta :

1231 *Multa alia miracula in eadem urbe facta in domo Prædicatorum subjiciemus pro Appendice altera post Vitam a Gaufrido scriptam, et supplementum Guilielmi Carnotensis. Ex titulo autem illorum miraculorum, in quo de ecclesia fratrum Prædicatorum Ebroicensi dicitur apud Chesnium pag. 477 :* Quæ fuit prima ecclesia in regno Franciæ dedicata in nomine sancti Regis anno Domini MCCIC : *ex hoc, inquam, titulo probabiliter saltem colligimus miraculum prædictum contigisse anno 1299, non quidem eodem anno, quo Sanctorum numero adscriptus est* Ludovicus, *sed anno nondum elapso post elevationem corporis, quando canonizatio primum fuit celebrata : ac deinde ex tempore miraculi, quod quindecim diebus* ante Ascensionem *factum narratur, dum ecclesia Prædicatorum* noviter E
erat dedicata, rursum colligitur, dedicationem contigisse prioribus mensibus anni 1299, adeoque anno non integro post corporis elevationem. Hæc probabiliter *colligi dico, non certo : nam si vox illa* noviter *latius sumatur, miraculum contingere potuit anno 1300, et dedicatio fieri sub finem anni 1299. Quidquid sit, res exigui est momenti.*

beneficium periclitantibus factum : sanati ægri :

1232 *Utrumque Ms. supra laudatum relato mox miraculo aliud subjungit iisdem pene verbis, quod ex Victorino huc transfero :* Tunc temporis in episcopatu Belvacensi quidam operarii, decem vel circa, fuerunt oppressi in quadam lapicidina a supercadente maxima gleba terræ, et fere per diem et noctem sic steterunt; tandem quidam clericus, vir utique scientia et honestate famosus, iter faciens juxta locum, audivit gemitum prædictorum, et approprians ac considerans miserabilem casum, et recolens B. Ludovici recentem canonizationem, confidens de ejus meritis et precibus, descendens de equo cum fletu et lacrymis, prostravit se ad orationem, specialiter B. Ludovici suffragium implorando : et cum diutius in oratione permansisset, assumpta fiducia de miraculo affuturo, surrexit, F
et homines a longe transeuntes vocavit, et deponens vestimenta cum aliis, ad suffodiendum et succurrendum prædictis viriliter hortabatur. Quid plura? Operante virtute divina per merita B. Ludovici, exigente eorum fide et devotione, omnes fuerunt extracti incolumes et illæsi. *Hactenus utrumque Ms. : subdit Victorinum :* Fama autem prædicti miraculi per patriam discurrente, contigit quosdam antiquos cophinos per Belvacum deportari, qui dicebantur fuisse B. Ludovici, ad quorum tactum cum fide et devotione plures infirmi a variis languoribus sunt curati.

puer prodigiose servatus in constructione monasterii Pisciacensis :

1233 Eodem tempore rex Philippus, reversus de Flandria, devotissimus Avo suo, quoddam nobile monasterium sororum inclusarum Ordinis fratrum Prædicatorum instituit fieri in honorem Dei et gloriosissimi confessoris B. Ludovici apud Pisciacum, ubi prædictus Sanctus extitit oriundus. In hujus monasterii constructione plura antiqua ædificia oportuit dirui, ut ad hoc platea competens haberetur : et dum quidam magnus paries deberet cadere, clamantibus operariis,

A riis, qui eum suffoderant, et dicentibus, quod omnes fugerent et abscederent, contigit quemdam puerum musicantem a supercadente pariete quasi in medio deprehendi. Mira res! Stupefactis omnibus, et dicentibus MORTUUS EST, et nescientibus, ex qua parte deberent puerum extrahere, quem mortuum reputabant, quasi in medio illius parietis apparuit quædam fissura, per quam mittentes brachia sua, dictum puerum extraxerunt vivum penitus et illæsum, et super hoc multitudo magna, quæ aderat, testimonium perhibuit veritati. *Constructionem et fundationem Pisciacensis monasterii breviter narrat Bernardus Guidonis apud Martenium tom. 6 Collectionis amplissimæ a col. 541, ubi videtur asserere, inchoatum fuisse ab anno 1297, qui extenditur usque ad Pascha anni 1298, ita ut primis mensibus anni 1298 potuerit inchoari. Certe anno 1299 scribit Philippus rex, monasterium jussu suo construi, ac jam anno 1298, aut citius, cœptum insinuat. Attamen moniales eo tantum inductæ anno 1304, quo et fundationis litteras dedit Philippus IV mense Julio. Habeo quidem has litteras,* B *et alias insuper, sequenti anno datas; at brevitatis gratia ab iis describendis abstineo.*

ad fontem Sancti baptismalem mulier sacro igne liberata;

1234 *Pergit autem Ms. Victorini auctor hoc modo :* In eadem villa, postea satis cito, ad fontes, in quibus B. Ludovicus fuerat baptizatus, in ecclesia B. Mariæ, cœpit fidelium devotio B. Ludovici suffragium implorare, et impetrare frequentius beneficia sanitatis. Unde præsente rege *(et)* regina cum sua nobili comitiva, contigerunt ibidem eodem anno plura miracula gloriosa. Quædam enim mulier de S. Germano *, nota pluribus de curia regis, percussa sacro igne in pluribus partibus corporis sui, venit cum fide et devotione ad prædictum vas baptismale, et fusis ibidem lacrymis abunde, gloriosi Regis devote patrocinium implorabat : mox vero, ut tetigit illos fontes, cœpit illa nigredo, et morbus prædicti ignis abscedere a toto corpore prædictæ mulieris, exceptis digitis manus sinistræ, in quibus illa nigredo, et etiam morbus diutius apparebant : et assistente ibi multitudine populi, ac etiam pluribus de curia regis, paulatim et viriliter cœpit dicta mulier digitos movere, et tandem ille morbus totaliter discessit in tantum, quod illius morbi nullum vestigium penitus apparebat. C Hoc autem miraculum plures de curia fide digni clarissime probaverunt, qui ad prædictos fontes B. Ludovici sæpe dictam mulierem eo modo, quo dictum est, infirmam, et postea penitus curatam, cum diligenti perscrutatione propriis oculis conspexerunt.

* saint Germain en Laye

duobus item gressus restitutus, pluraque miracula patrata :

1235 Ibidem feria sequente vir quidam de S. Germano, moribus honestus, et in temporalibus sufficiens sibi ipsi, multo tempore pedum ac renum infirmitate depressus, ire non poterat, nisi cum duabus ligneis potenciis, *(seu fulcris subalaribus)* et cum maxima difficultate : hic cum fide et devotione veniens ad prædictos fontes B. Ludovici fusa oratione, et facta oratione protinus alleviatum se percepit : et demissis potentiis, cœpit ire per ecclesiam potenter et recte, sine adminiculo cujuscumque; et sic meritis et precibus B. Ludovici redditus fuit pristinæ sanitati.

Eodem modo quidam serviens armorum, nomine Henricus de Bituris, qui usum incedendi gravi languore amiserat, cum magno labore et adminiculo potenciarum ad prædictos fontes adductus, cum magna devotione B. Ludovici, cujus serviens fuerat, suffragium implorabat : et dum ibi devotam orationem fudisset, satis cito meritis et precibus gloriosi Regis fuit propriis viribus restitutus. Et ibidem multa alia contigerunt, et frequenter contingunt miracula, meritis et precibus Ludovici, ad laudem et gloriam Redemptoris, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. AUCTORE J. S.

alia beneficia ad invocationem Sancti.

1236 *In Vita B. Elisabethæ apud Cangium pag. 177 refertur, sororem quamdam monasterii Longi-campi, Julianam nomine, cum perdidisset librum sibi carum, quod fuisset B. Elisabethæ, apud Beatam precibus institisse, ut librum illum, frustra diu quæsitum, invenire mereretur. Apparuit dormienti B. Elisabetha, præcepitque ut librum illum peteret a* S. Ludovico : *illa votum facit* S. Ludovico, *ejusque sorori B. Elisabethæ; et mox, dum rursus quærit, desideratum invenit librum. Denique Doubletius in Antiquitatibus abbatiæ pag. 1247, ubi dixerat, miracula* S. Ludovici *longo tempore post canonizationem fuisse continuata, se itidem e gravi infirmitate Sancti invocatione recreatum affirmat. Hisce tandem Commentario finem impono, Vitasque lectu dignissimas, in quibus unusquisque inveniet, quod imitetur, eo ordine, quo fuerunt conscriptæ, subjungo.* E

VITA

Auctore Gaufrido de Bello-loco Regis confessario.

Ex editione Claudii Menardi, et Chesnii.

PRÆFATIO

Rationes Vitam scribendi

Ad Divi nominis gloriam et honorem, et fidelium ædificationem; et multorum, et magnorum precibus inductus, et maxime meorum obedientia et auctoritate adstrictus *a*, sanctam conversationem, et actus egregios Christianissimi Ludovici quondam Regis Francorum describere dignum duxi, prout mens divina per gratiam suam inspirare dignabitur memoriæ mentis meæ *b*. F

ANNOTATA.

a *Imposuit hanc ei provinciam Gregorius X, cujus litteras dedimus in Commentario prævio num. 2.*

b *De auctoritate hujus Vitæ vide initium Commentarii.*

PRIOR CAPITUM PARTITIO

A. GAUFRIDO.

CAPUT I.

Comparatio Sancti cum Josia rege : parentes, conscientiæ nitor, regni cura, verborum, morumque honestas, et insignis humilitas.

E

Cap. I. *Comparatio S. Ludovici*

In primis igitur, ad pii Regis commendationem assumere mihi libet, quod in laudem regis Josiæ in Ecclesiastici XLIX legitur : « Memo» ria, inquit, Josiæ in compositione odoris fa» cta est opus pigmentarii. In omni ore quasi » mel indulcabitur ejus memoria, et musica in » convivio vini. Ipse directus est divinitus in » pœnitentia gentis, et tulit abominationes im» pietatis : et gubernavit ad Dominum cor suum, » et in diebus peccatorum corroboravit pieta» tem *a*. » Præterea, ad commendationem dicti regis Josiæ plurima dicuntur tam in IV libro Regum, quam in II Paralipom. XXXIV ; quæ ad laudem Regis nostri proprie pertinere videntur. « Cum adhuc, inquit, puer esset Josias, cœpit » querere Dominum : fecitque quod rectum et » placitum erat in conspectu Domini, et ambu» lavit per omnes vias David patris sui. Non » declinavit ad dexteram, neque ad sinistram. » Nomen matris ejus Ydida. Fecit instaurari tem» plum et domum Domini. Similis illi non fuit » ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in F » omni corde suo, et in tota anima sua, et in » universa virtute sua : neque post ipsum sur» rexit similis illi. Fecit enim phase, quale ante » non fuit, neque quisquam de regibus fecit » tale *b*. » Qualiter hæc omnia congrue ad gloriosum Regem nostrum pertineant, poterimus exprimere suis locis.

II. *cum Josia rege :*

3 Interim ad præsens dicere sufficiat, quomodo sensus nominis Josiæ conveniat Regi nostro. Josias quippe interpretatur, SALUS DOMINI ; vel, ALIENATIO DOMINI *c* ; vel INCENSUM DOMINI, sive SACRIFICIUM. Cui verius compedit hujus nominis significatio, quam pio Regi nostro, in quo vere Domini salus fuit ? Utpote qui saluti propriæ ac proximorum semper studuit, et ad elevationem et exaltationem fidei Chritianæ pro viribus laboravit. Denique, qui præter incensum mentalis devotionis, quam a pueritia sua continue Domino interius offerebat ; et præter sacrificium pœnitentiæ corporalis, quam juxta statum suum, et juxta corporis sui debilitatam Deo quotidie exterius exhibebat, se tandem in peregrinatione gemina transmarina, quasi holocaustum integrum obtulit Domino in odo-

rem

A rem suavitatis. Si reputatum est Abrahæ ad justitiam, quia semel voluit offerre unicum filium, hoc ei Domino imperante : quanto magis huic Fideli suo reputabit Dominus ad æternam justitiam, et ad pretium sempiternum, qui non semel, sed bis obtulit devotissime semetipsum ad mortem, et fratres suos, et electum florem exercitus totius regni sui, in obsequium Salvatoris : et maxime in hac ultima et miseranda peregrinatione. Tunicii, ubi, cum communi omnium consilio transiens, cum liberis propriis, et exercitu suo toto, ob zelum et exaltationem fidei Christianæ, ibidem hostia Christi effici meruit : et illuc, tamquam martyr et pugil Domini indefessus, finem vitæ suæ feliciter in Domino consummavit? Insuper in via illa defuncti sunt in confessione veræ fidei duo de liberis ejus, quos amore præcipuo diligebat : videlicet comes Nivernensis, et regina Navarræ. Sed jam ad describendam vitam ac conversationem ipsius laudabilem cum Dei adjutorio accedamus.

B 4 Sane de ipso dici potest et vere, quod prædiximus de Josia. « Cum esset adhuc puer, » cœpit quærere Dominum, et fecit quod rectum et placitum erat in conspectu Domini. » Similis illi ante eum non fuit Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, et » in tota anima sua, et in universa virtute sua : » neque post ipsum surrexit similis illi. Et ambulavit in viis David patris sui. Non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram. » Patrem siquidem habuit Christianissimum atque sanctissimum, Regem videlicet Ludovicum : qui et ipse zelo fidei accensus, contra hæreticos, qui tunc in Albigensium partibus plurimum adversabantur Romanæ Ecclesiæ, ac fidei Christianæ, auctoritate Ecclesiæ crucem assumpsit : et viriliter peregrinatione aggressa, ac potenter dictorum inimicorum pro maxima parte superbia superata, dum a dicta peregrinatione rediret, feliciter migravit ad Dominum *d*. Hujus tam pii patris devotus successor, atque strenuus imitator, is, de quo loquimur, Ludovicus, ab ipsius sanctis vestigiis non declinavit neque ad dexteram, ut vane elevaretur in prosperis, neque ad sinistram, ut adversitatibus aliquibus frangeretur : utpote qui semper extitit et inter prospera humilis, et inter adversa securus : sicut C pluries experti sumus quoad utramque fortunam, Domino concedente.

III. pater ejus Ludovicus VIII rex pius :

5 Insuper, nomen matris Josiæ præteriri non debet, quæ Ydida vocabatur : quod interpretatur, dilecta Domini; vel, amabilis Domino. Quod recte competit illustrissimæ nostri Regis matri, videlicet dominæ Blanchæ reginæ, quæ vere extitit dilecta Domini, et amabilis Deo, et hominibus utilis et accepta. Sub sancta nutritura, atque salutari doctrina tam piæ matris, cœpit Ludovicus noster egregiæ indolis et optimæ spei puer existere, et de die in diem in virum perfectum crescere, et quærere Dominum, et facere quod rectum et placitum erat in conspectu Domini : vere conversus ad Dominum in toto corde, tota anima, totaque virtute, tamquam bonæ arboris bonus fructus. Siquidem cum regnare cœpisset, et non haberet nisi circiter duodecim annos; quam strenue, quam industrie, quam juste, quam potenter dicta mater administraverit, et custodierit, et defensaverit jura regni, testes sunt, qui tunc præsentes aderant circa Regem. Quamvis eo tempore plurimos et florentissimos habuerit Rex adversarios in principio regni sui. Sed meritis innocentiæ ipsius, ac solerti providentia matris ejus (quæ tota virago semper extitit, et femineæ cogitationi ac sexui masculinum animum jugiter inferebat) perturbatores regni semper confusi succubuerunt *e*.

IV. mater Blancha, quæ ipsum piissime educavit,

A. GAUFRIDO.

6 Nec prætereundum de quodam Religioso, qui a falsis relatoribus audierat *f*, quod dominus hic Rex ante matrimonium suum concubinas habebat, cum quibus quandoque peccabat, conscia vel dissimulante matre sua. Quod cum ille Religiosus cum multa admiratione, quasi eam redarguendo, dominæ reginæ dixisset : illa super hac falsitate se et filium humiliter excusavit, verbum laudabile subinferens : videlicet, quod si dictus filius suus Rex, quem super omnes creaturas mortales diligebat, infirmaretur ad mortem, et diceretur ei quod sanaretur, semel peccando cum muliere non sua; prius permitteret ipsum mori, quam semel peccando mortaliter suum offendere Creatorem. Hoc ego ab ore ipsius domini Regis audivi. E

e morique maluit, quam peccare mortaliter. f

7 Ego, quamvis insufficiens, dicti domini Regis confessor extiti per viginti annos, vel circa : et confessionem ejus generalem audivi toties, quod vices numerare vix scirem. Ad honorem igitur Dei dico, quod ipse per totam vitam suam numquam aliquod peccatum mortale commisit scienter, quod ego auderem judicare mortale. Nam aliqui facta ejus exterius attendentes *g* timebant ei, ne ex solita et naturali benignitate ipsius negligentiam nimis remissam incurreret super correptione ballivorum, et aliorum officialium, sive collateralium suorum; et quod tardus videbatur ad justitiam exhibendam. Sed qui bene attenderet, quam sollicitus erat et diligens in inquirendis et undique investigandis bonis ac fidelibus officialibus, et ballivis; forsitan super præmissis ipsum amplius excusatum haberet. Et vere æstimo, quod pauci sunt etiam de illis, qui ipsum super his arguebant : qui si essent in tanto officio, sicut ipse, in quibus non invenirentur forsitan plura reprehensibilia, quam in ipso.

V. Conscientiæ eximia puritas. g

8 Consiliarios adsessores, tam clericos, quam laicos, electissimos tam in fidelitate quam et sapientia, habere volebat : et undecumque poterat, eligi faciebat. In causis, quæ contra ipsum vertere videbantur, semper quantum bono modo poterat, contra se stabat, et allegabat : ut per hoc consiliarii absque timore offensæ ipsius a vero judicio minime declinarent. Super forefactis *h*, quæ tam ad personam suam, quam ad præpositos vel ballivos spectabant, mittebat plures per regnum inquisitores diligentes et fideles : et inventas injurias emendari, et restitui faciebat. Similiter super statum familiæ domus suæ inquiri pluries faciebat, et reos probatos, secundum quod meruerant, puniebat.

VI. regnum recte administrandi cura, F h

9 Cautissimus erat, et gratiosissimus in loquendo. A verbis scurrilibus et dissolutis, maxime a detractoriis et mendacibus summe cavebat : et rarissime, vel numquam, maledicta vel convitia dicebat alicui, quantumlibet modico garcioni *i*, nisi hoc exigeret grandis culpa. Specialiter autem ab omni genere juramenti, quantumcumque, ut in loquendo fieri solet, consuetum vel modicum videretur, penitus abstinebat. Alias ad evitandum alia juramenta, loco juramenti solebat dicere, IN NOMINE MEI. Quod audiens reprehendi a quodam viro religioso, ex tunc

VII. verborum et vultus gratia. i

A A Gaufrido. tunc omnino abstinuit. Sed secundum Euangelium erat sermo ejus : Est, est; Non, non. In arduis negotiis et gravibus consiliis et causis, pauci, vel nulli, perspicacius ipso, et verius judicabant : et quod intellectu capiebat, valde prudenter et gratiose proferre sciebat. Siquidem diffusa erat gratia in labiis ejus, et sicut vere sapiens, in verbis seipsum amabilem faciebat. Utpote cujus sermo in gratia sale semper erat conditus. Insuper gloriosissimus erat, et solummodo ad videndum, et solo visu illabebatur ad diligendum affectibus singulorum.

10 Ex quo prima vice viam arripuit transmarinam, numquam indutus est squaleto *k*, vel panno viridi, seu bruneto *l*, nec pellibus variis *m* : sed veste nigri coloris, vel camolini *n*, seu persei. Et quia vestes hujus minoris valoris esse videbantur ad dandum pauperibus, quam aliæ pretiosiores, quibus in juventute uti solebat : instituit, quod ad recompensationem eleemosynariis *o* suis quolibet anno haberet sexaginta libras paratas ad dandum pro Deo, ultra id *p* habere solebat. Nolebat pius Rex, quod propter humilitatem suam B exteriorem aliquid pauperibus deperiret. Similiter ex tunc numquam uti voluit calcaribus vel frenis, nisi omnino albis et ferreis, absque aliqua auratura; nec sellis ad equitandum, nisi albis, et sine omni pictura.

VIII. vestium modestia, k l m n o p

11 Quolibet Sabbato consueverat pedes abluere in loco secretissimo, humiliter et devote, flexis genibus, trium pauperiorum et seniorum hominum, qui poterant inveniri : et post ablutionem pedes extergere, et humiliter osculari. Similiter aquam porrigebat eorum manibus abluendis, quas eodem modo osculabatur : et post cuilibet certam summam denariorum erogabat, et ad comedendum ipsemet eis ministrabat. Si autem propter corporis infirmitatem hæc pietatis obsequia facere non posset, volebat quod vice ipsius confessor suus, præsente elemosynario, prædicta simili modo exequeretur. Cæterum, ad laudem hujus devotæ humilitatis spectat, quod dum quodam Sabbato esset in abbatia Clarævallis; ablutioni pedum monachorum, quod Mandatum *q* vocant, voluit interesse. Videlicet, quod secundum morem Ordinis, post C Vesperas, solemniter et devote sibi mutuo lavant pedes. Ipse vere ex humilitate sua pluries voluit capam * deponere, et flexis genibus manus apponere ad pedes servorum Dei humiliter abluendos. Sed quia plures magnates non sibi multum familiares tunc sibi adstabant, de consilio ab hoc humilitatis officio supersedit. De eximia humilitate ipsius, benignitate, mansuetudine, atque patientia, plurima possent dici, et ad ædificationem multorum exempla subjici. Sed præsens opus excedere modum posset. In prædictis enim virtutibus nescio si secundum statum suum parem haberet in mundo.

IX. consuetudo pauperum pedes lavandi, q

* *i. e.* pallium

12 Demum ad laudem humilitatis ejus spectat, quod in extrema voluntate sua statuit, et in testamento suo scribi præcepit, quod super sepulturam ipsius defuncti nulla curiositas, nulla superfluitas fieret : ut sicut humilitatis exemplum se exhibuit vivus, ostenderet et defunctus. Confessores suos in magna reverentia semper habebat, ita quod aliquando, postquam jam sederat coram confessore ad confitendum, si ostium aliquod vel fenestram vellet claudi, vel aperiri, ipse a loco confessionis festinanter surgebat, quasi præveniens confessorem : et ibat humiliter ad claudendum, vel aliquid hujusmodi faciendum. Qui cum a confessore super hoc D argueretur, humiliter respondebat : « Amen, » vos estis pater, et ego filius. » Item ad commendationem pertinet humilitatis ipsius, quod frequenter, et absque pudore, imo libenter, plurimum gratiose narrabat, quomodo apud Massoram captus fuit a Sarracenis, et qualiter tunc se habuit apud eos, et de modo liberationis ipsius. Si quid dicebatur ei vel fiebat, quod displicebat, si dissimulandum erat, optime et caute dissimulare sciebat. Præter confessores suos, aliquem vel aliquos etiam sibi eligebat, quos affectuose rogabat, quod ei, quæ viderent, vel ab aliis audirent digna reprehensione in ipso, sibi fideliter intimarent, nec sibi parcerent ullo modo. Ipse vero hujus caritativas monitiones benigne et patientissime acceptabat *r*. r

X. humilitas, aliæque virtutes.

ANNOTATA.

a *Legitur hic textus loco assignato, sed verba quædam paululum transposita sunt, vel mutata.*

b *Leguntur hæc dictis locis, ac sparsim, nec* E *iisdem omnino verbis.*

c *Hæc nominis Josiæ interpretatio sumpta videtur ex S. Hieronymo lib. de Nominibus Hebraicis, ubi hujusmodi interpretatio ab librum 3 Regum, et ad Matthæum habetur, excepta particula hac,* alienatio Domini : *unde illud mendosum suspicor, cum etiam non cohæreat cum sequentibus. Legendum fortasse* oblatio Domini.

d *De hac Ludovici VIII expeditione contra Albigenses, morteque in reditu anno 1226 Monpenserii obita, egimus in Commentario, § 8.*

e *Potentes* S. Ludovici *adversarios dedimus § 9, multisque sequentibus eorum conatus contra Regem prosecuti sumus, in quibus eludendis mire eluxit Blanchæ prudentia, ac ipsius* Ludovici *magnanimitas.*

f *Videtur quidem Gaufridus dicere, famam de Regis incontinentia fuisse sparsam : at illius verba eo sensu non intelligenda, probavimus in Commentario num. 280.*

g *Hunc quorumdam timorem paucis insuper refutavimus num. 997.*

h Forisfacere, forefacere *et* forifacere, *me-* F *dio tempore frequenter adhibebatur, pro* delinquere, offendere, nocere. *Hinc* forefactum, forifactum, forfactum, forisfactum, *vocesque hisce vicinæ, pro crimine vel delicto sæpe occurrunt, quod semel hic notasse sufficiat.*

i Garcio, *ut probatur in auctiore Cangii Glossario, frequenter sumitur pro famulo : idem hic significare potest. Nisi sumatur pro adolescente, quæ vocis Gallicæ* garçon *propria magis est notio; aut generatim pro vili homuncione. Ceterum modestiam Sancti in alloquendo cujusvis generis homines, commendat Vita secunda num. 15, aliique suis locis : ex quibus abunde probatur, maledicta et convitia semper ab ore Regis exulasse, si in propria significatione sumantur : et hæc sumi tantum pro verbis durioribus, et contemptum aliquem indicantibus.*

k Squaletum *a Gallica voce* Escarlate *derivarunt Latini scriptores ævi medii : alii dixerunt* Scarlatum *vel* scarletum. *Denotatur autem his vocibus* pannus coccineus, *seu* cocco tinctus.

l *Per* brunetum *non designatur pannus coloris fusci, sed coloris cujuslibet adscititii, ut probatur in Commentario num. 572.*

m *Quæ-*

A m *Quænam vellera noluerit Sanctus, videri potest in Commentario num. 572, ubi reliqua de vestibus sunt disputata.*

n Camolini, *legendum putem* camelini.

o *Rectius legetur,* Eleemosynarius suus, *ut ex sensu colligitur, et Nangio, cujus verba dedimus in Commentario num. 572.*

p Ultra id, *adde* quod, *ut est apud Naugium.*

q Mandatum *vocata est illa pedes abluendi cæremonia; quia mandata fuit a Christo Domino, postquam ipse Apostolorum pedes in cœna ultima abluerat Joan. 13 ※ 13 et 15. Consuetudo hæc admodum antiqua est, sed non æque universim fuit recepta, aut constanter ubique observata. Etenim S. Augustinus in Epistola ad Januarium, quæ olim erat 119, nunc 55, docet, alios non recepisse consuetudinem pedes abluendi* ne adipsum sacramentum baptismi videretur pertinere; *alios consuetudinem illam abrogasse; alios diversis temporibus id charitatis officium obivisse. Maxime tamen olim fiebat, et hodiedum fit, die Jovis sancto, quo illud quoque obibat* S. Ludovicus *prælegente aliquo officium* de mandato,

B *et fieri per filios suos volebat, teste Vita secunda num. 87. At monachi id frequentius præstabant, ut intelliges ex citatis in Cangii Glossario ad vocem* mandatum. *Cæremonias ritusque in lotione adhiberi solitos vide apud Martenium in Tractatu de antiqua Ecclesiæ disciplina tom. 4, pag. 278 et seqq. Verumtamen non servabat has cæremonias* S. Ludovicus, *quando pauperum pedes lavabat, nisi die Jovis sancto.*

r *Varia in Joinvillio occurrunt exempla, quibus confirmari potest, quam benigne liberas aliorum monitiones audiret. Ingens enimvero bonum in principibus, quorum aures perpetuis adulatorum susurris pulsari solent.*

CAPUT II.

Continentia in usu matrimonii : religiosæ vitæ desiderium : liberorum educatio, ac documenta Philippo filio data.

C

XI. Continentia in matrimonio :

De consensu uxoris suæ reginæ, per totum Adventum, et per totam Quadragesimam, ab opere carnali mutuo continebant : et nihilominus certis aliquot diebus qualibet septimana, similiter in vigiliis et diebus magnorum festorum. Insuper in solemnitatibus, in quibus communicare debebat, pluribus diebus ante communionem, et pluribus post, ob reverentiam sacri Mysterii continebat. Si autem ipsum his continentiæ diebus ex certa causa uxorem suam reginam visitare contingeret, et cum ea morari, et ex vicinitate uxoris pro humana fragilitate quandoque motus carnis inordinatos sentiret : surgebat e lecto, per cameram * deambulans, donec carnis rebellio quievisset.

** i. e. cubiculum*

XII. propositum amplectendi vitam monasticam :

14 Nec silendum, quod annos plurimos ante mortem ipse ad culmen omnimodæ perfectionis adspirans, corde devoto firmiter disponebat, quod adulto filio suo primogenito regnum penitus relinqueret, et obtento uxoris assensu Religionem intraret; unam videlicet de duabus, fratrum Minorum scilicet, sive fratrum Prædicatorum. Has enim duas specialissime diligebat, dicens, quod si de corpore suo posset duas facere portiones, unam daret uni, reliquam alteri. Unde et familiariter dicebat, se in hoc modicum gloriari, quod familiares sui, qui sibi quasi continue assistebant, discernere non poterant, quem Ordinem magis diligeret e duobus. Cum autem dictum propositum, nacta opportunitate, consorti suæ reginæ secreto aperuisset, astringens eam quod hoc nullatenus alicui revelaret : ipsa nulla penitus ratione huic Regis petitioni sui desiderio voluit assentire, rationes probabiles assignans in contrarium, ad ipsius Regis propositum refellendum; divina providentia forsitan ordinante ipsum utiliorem in statu pristino ad regnum in pace servandum, et ad totius Ecclesiæ negotia promovenda. Frustratus igitur a proposito suo pio, deinceps cum minori mundi amore, et cum majori humilitate ac timore remansit in mundo. A. GAUFRIDO.

XIII. præclara liberorum institutio,

15 Et quia de tam sacro conjugio generosa ac sancta proles procedere debuit, et per Dei gratiam copiosa processit *a* : sequitur videre, quam catholice se habuit Pius pater in suorum instructione ac regimine liberorum. Volebat siquidem, quod pueri jam adultæ ætati propinqui quotidie non solum Missam, sed et Matutinas, et Horas canonicas cum cantu audirent; et quod ad audiendum sermones secum adessent, et quod singuli litteras addiscerent, et Horas beatæ Virginis dicerent; et quod semper cum ipso essent ad Completorium, quod post cœnam suam solemniter in ecclesia dici quotidie faciebat, et in fine antiphonam specialem de beata Virgine alte et devote cantari. Dicto Completorio, in camera cum pueris revertebatur, et aqua benedicta a sacerdote circa lectum et per cameram aspersa, residebant pueri circa ipsum, quibus tunc, priusquam recederent, solitus erat aliqua verba ædificatoria dicere, ad institutionem ipsorum. Capellos *b* de rosis, sive alios quoscumque, nolebat quod dicti pueri sacris diebus Veneris in capitibus deportarent, ob memoriam illius sacræ coronæ spineæ, qua caput Salvatoris ea die atrociter fuerat coronatum : et qua corona Rex regum decoraverat tam magnifice regnum suum *c*. E F

XIV. quos cupiebat amplecti vitam religiosam,

16 Nec prætermittendum ad dicti Regis laudem, quod cum prima vice adhuc esset in peregrinatione Terræ sanctæ ultra mare, et inde postquam in Franciam est reversus, ut vidimus, Spiritu Dei ductus ordinavit, et in testamento suo scribi voluit, quod duo filii, qui sibi nati fuerant ultra mare, scilicet domnus Jo. et domnus P., *d* cum ad annos discretionis venissent, infra septa Religionis nutrirentur; videlicet unus in domo fratrum Prædicatorum Parisius, et alius in domo fratrum Minorum, locis ad hoc competentibus ibidem Regis sumptibus præparatis : ut illic sacris institutis et litteris instruerentur, et ad amorem Religionis salubriter inducerentur; desiderans toto corde, ut documentis salutaribus informati, Domino inspirante, loco et tempore ipsas Religiones intrarent. Similiter filiæ suæ primogenitæ, quæ postea fuit regina Navarræ, cum adhuc esset ipse ultra mare, litteras speciales manu sua scriptas transmisit, in quibus inducebat eam efficaciter et devote ad mundi contemptum, et ad Religionis amorem et ingressum. Insuper ex devotione sua dominam Blancham filiam suam, quantum in ipso fuit, Deo obtulit in abbatia monialium juxta Pontis-

A. GAUFRIDO. Pontissaram, ubi corpus piæ matris suæ sepultum est *e* : ut ibidem religiose nutriretur, et ad Religionis amorem salutaribus verbis, et sanctimonialium exemplis informaretur.

multisque instruxit documentis :

17 Licet autem is, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, aliter de dictis liberis voluit ordinari, quia forsitan ad bonum ipsorum, et Ecclesiæ Dei utilitatem expediebat melius eos in seculo, et in matrimonio conversari, quam Religionem intrare : tamen prædicta scripsimus, ut pii Regis devotionem fidei, ac fervorem sancti desiderii ostendamus, quibus ad omnem perfectionis apicem tam in se, quam in suis liberis aspirabat. Nec arbitror, quod pius affectus ipsius careat præmio et corona, quamvis voluntas pia ejus optatum non fuerit effectum sortita. Cæterum, in finem præsentis capituli supponere dignum duxi, qualiter Pater catholicus, quasi Domino revelante, propriæ mortis præscius, ante suam infirmitatem extremam scripsit in Gallico manu sua salutaria documenta, et catholica instituta, quæ filio suo primogenito, et in ipso cæteris liberis quasi pro testamento reliquit. Horum documentorum manu B sua scriptorum post mortem ipsius ego copiam habui, et sicut melius et brevius potui, transtuli de Gallico in Latinum. Quæ documenta sunt hæc :

XV. *f*

quibus docet Deum amare,

18 Fili carissime *f*, imprimis te doceo, quod Dominum Deum tuum diligas ex toto corde tuo, et ex tota virtute tua : nam sine hoc non est salus. Fili, debes te custodire ab omnibus, quæ Deo noveris displicere, videlicet ab omni mortali peccato : ita quod prius deberes te permittere omni genere martyri cruciari, quam aliquod mortale peccatum committeri. Præterea si Dominus tibi aliquam tribulationem habere permiserit, benigne, et cum gratiarum actione debes sustinere, cogitans quod ad bonum tuum proveniat, et quod hoc forsitan bene meruisti. Insuper, si Dominus tibi prosperitatem quamcumque contulerit, debes ei humiliter regratiari, cavens ne inde fias deterior, sive per vanam gloria, sive quocumque alio modo; quia non debes Deum impugnare, vel offendere de donis suis. Item moneo te frequenter confiteri, et quod discretos et honestos tibi eligas confessores, qui te sciant docere, a quibus tibi sit C cavendum, et quæ te facere sit necesse. Et tu ad confessores tuos te habeas tam modeste, quod ipsi et amice te, et secure reprehendere audeant.

virtutes varias exercere,

19 Libenter etiam et devote audias Officium Ecclesiæ; et quamdiu eris in ecclesia, cave ne vage circumspicias, nec vana loquaris : sed ora Dominum devote, sive ore, sive cordis meditatione; et specialiter amplius intendas devotioni in secreto Missæ circa horam consecrationis Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Cor habeas pietatis ad pauperes, miseros, et afflictos; et secundum posse tuum eis subvenias, et eos consoleris. Si habueris aliquam cordis desolationem, dic eam confessori tuo, vel alicui probo viro; et tunc eam levius feres. Diligas habere semper tecum societatem bonorum, sive Religiosorum, sive secularium, et habe frequenter colloquium cum eis : et cave societatem pravorum. Audi libenter sermones tam in aperto, quam in secreto, et libenter tibi procures indulgentias matris nostræ sanctæ Ecclesiæ. In proximis semper diligas bonum, et odias malum. Noli patii, dici coram te verbum allectivum ad peccatum, nec verbum detractorium de alio : maxime autem nullum verbum blasphemiæ D de Deo, sive de Sanctis patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. De omnibus beneficiis tuis tibi a Deo collatis sic gratias agas illi, ut sis dignus majora accipere.

justitiam sequi, benignum erga ecclesiasticos se præbere,

20 Erga subditos tuos ita juste te habeas, quod lineam justitiæ teneas, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram : et semper plus te teneas ex parte pauperis, quam divitis, donec sis certus de veritate. Si quis autem contra te querelam habuerit, stes potius pro causa adversarii tui, donec constet tibi de veritate : et sic illi, qui sunt de consilio tuo, citius stabunt pro justitia. Si pro certo intelligas, quod teneas aliquid de alieno, sive ab antecessoribus tuis, sive a tempore tuo, statim restitue. Si res obscura est, veritatem inquiri facias per discretos. Sis diligens, quod omnes subditi tui justitia et pace serventur; maxime autem personæ ecclesiasticæ, ac religiosæ. Dicitur de rege Philippo avo nostro, quod quidam de consiliariis suis dixit ei, quod clerici multa damna inferebant ei, jura ipsius usurpando : et mirabantur multi, quod ita tolerabat. Cui rex respondit : « Bene credo E » quod dicis, sed quando cogito beneficia, quæ » mihi Dominus contulit, melius volo pati, » quam inter me et Ecclesiam scandalum suscitare. » Ama igitur, o fili, personas ecclesiasticas, serva pacem earum quantum poteris. Libenter subveni pauperibus religiosis in suis necessitatibus, et maxime illis, per quos Deus magis honoratur in terra.

pacifice et prudenter regnare :

21 Honora parentes tuos, et reverenter serva mandata eorum. Beneficia ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum, et eis, qui non habent aliud beneficium. Cave, ne absque maximo consilio guerram primus moveas contra aliquem Christianum : et si oporteat fieri, fac caveri, ne innocentes, et ecclesiæ, ac res earum sine merito puniantur. Et quam citius poteris, pacifica de guerris et contentionibus tuis, et de guerris, quæ sunt inter subditos tuos; sicut fecit beatus Martinus, qui bonam virtutum suarum consummationem existimavit, si pacem inter discordantes restituisset. Sis sollicitus, quod habeas fideles præpositos et baillivos; et inquire diligenter, quomodo se gerant : similiter de illis de hospitio tuo. Sis devotus et obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, F et summo Pontifici tamquam patri spirituali. Labora quod omne peccatum de terra tua removeatur, maxime autem blasphemiæ et hæreses. Memoriter recognosce, et regratiare Deo super omnibus beneficiis suis. Attende, quod expensæ domus tuæ cum moderamine fiant. In fine obsecro te, o fili, quod si decedam ante te, quod tu fideliter animam meam jnvari facias in Missis et orationibus, et mittas per sanctas congregationes regni nostri, ad orationum suffragia impetranda pro me : et quod in omnibus bonis, quæ facturus es, participationem habeam specialem.

adjecta demum precatione fausta : virtutes, quas hic docet, ipse exercuit.

22 O fili carissime, in fine do tibi omnem benedictionem, quam pius pater potest donare filio : et tota Trinitas, et omnes sancti custodiant te ab omni malo. Et det tibi Dominus gratiam faciendi suam voluntatem taliter, quod serviatur et honoretur per te : ita quod post hanc vitam nos simul perveniamus ad ipsum videndum, amandum, et laudandum sine fine. Amen, amen.

En testamentum pii Patris ad filios. O testamentum vitæ et pacis! Testamentum nulla obli-

A oblivione delendum, nulla similiter ordinatione mutandum! Testamentum non morte testatoris, sed immortalis vitæ adeptione firmatum! Siquidem pius Pater de his, quæ vere sua erant, condidit testamentum; et quæ in se possederat *g*, aliis hæc legavit. Virtutes enim, quas filiis delegavit, in se completas habuit : utpote qui in se prius cœpit facere, et alios postremo docere. Hujus nos, carissimi, tam sancti testamenti generalis patris ac Regis nostri pro modo nostro simus legatarii et hæredes; et præcipue principes, et prælati. Et hæc de doctrina et instructione liberorum dicta sufficiunt. Nunc de modo pœnitentiæ ipsius aliquid disseramus.

ANNOTATA.

a *Undecim* Ludovici *liberos enumerat Labbeus in Tabulis genealogicis stirpis regiæ Francorum pag. 56 : videlicet septem filios,* Ludovicum *ante Patrem anno 1260 defunctum,* Philippum *regni hæredem,* Joannem *in infantia* B *mortuum,* Joannem Tristanum *aliquot diebus ante Patrem in Africa defunctum,* Petrum *Alenconii comitem anno 1283 Salerni mortuum, et* Robertum *natu minimum, cujus posteri hodiedum regnant in Gallia : filias vero quinque,* Blancham *primo natam primoque e vita sublatam,* Elisabetham *Navarræ reginam,* Blancham *cum Ferdinando Alphonsi Castellæ regis filio nuptam,* Margaritam *Joannis I Brabantiæ ducis uxorem,* et Agnetem *Roberti II Burgundiæ ducis conjugem : de quibus omnibus in Commentario meminimus locis variis.*

b *Id est, serta e rosis aliisve floribus in modum pileolorum plexa.*

c *De translata anno 1239 Parisios cura* S. Ludovici *corona spinea late egimus in Commentario § 30.*

d *Joannes Tristanus natus erat Damiatæ anno 1250, Petrus natus esse videtur Cæsareæ anno 1251, nisi post Blancham, quæ anno 1252 Jafæ nata fuit, Sidone natus sit anno 1253, aut initio 1254. Ceterum testamentum Regis, cujus hic fit mentio, nullibi jam comparet : aliud vero conditum anno 1270 dedimus in* C *Commentario § 81.*

e *Sepulturam reginæ Blanchæ vide in notis ad Vitam secundam cap. 1, lit.* e.

f *Habentur hæc documenta in Vita secunda cap. 6; apud Joinvillium vero cap. 29. Quædam etiam ad illa observavimus in Commentario num. 1115. Nec dubium esse potest, quin tam hic quam in Vita secunda fideliter expressa sint, licet in verbis nonnulla sit discrepantia propter interpretationem variam. Illud autem* Charissime fili, *quod ad singula repetebatur, hic brevitatis causa deinde omittitur.*

g *Virtutes hic filio propositas Sanctum exercuisse, tota Vita confirmat.*

A. Gaufrido.

CAPUT III.

Crebra peccatorum confessio : pœnitentiæ opera : misericordia in pauperes, eleemosynæ, fundationes.

XVI. *Cum confessione singulis hebdomadis*

Sicut in laudem regis Josiæ scriptum præmisimus, quod ipse directus est divinitus in pœnitentia gentis : sic iste in formam et exemplum pœnitentiæ statui omnium gentium a Deo divinitus est exhibitus, et ostensus. Pœnitentiæ *a* enim ipsius multiplex modus fuit. Siquidem sexta feria per totum annum consueverat devote et humiliter confiteri, locum valde secretum ad hoc eligens, et quasi in quolibet manerio * suo ad hujusmodi providens locum aptum. Et licet consuevisset intra, tamen non omittebat extra. Nam post confessionem, a confessore suo disci- E plinam semper recipiebat cum quinque catenulis ferreis similiter junctis, capitibus earum in fundo cujusdam parvulæ pixidis eburneæ virgulæ decenter infixis : quæ, peracta disciplina, in pixide replicabantur, et recondebantur. Quam pixidem ipse in bursa ad zonam suam pendente secreto portabat. Similes pixides cum similibus virgulis ferreis, quasi pro secreto xenio, dabat aliquando liberis suis, sive secretis amicis, pro recipiendis loco et tempore disciplinis. Si quando confessor suus, quasi parcens ei, nimis remissos ictus, ut sibi videbatur, ei dabat; quod fortius percuteret, ipse per signum aliquod innuebat.

* *i. e.* hospitio

ferreo flagello carnem domat,

24 Hanc autem disciplinam, existimo, apud quemdam habuit confessorem, qui erat solitus sibi dare disciplinas nimis immoderatas et duras : super quo caro ejus tenera non modicum gravabatur. Quod gravamen numquam illi confessori, quamdiu viveret, voluit revelare : sed post mortem dicti confessoris, quasi jocando et subridendo hoc alteri confessori suo humiliter recognovit. Et licet, prout dictum est, consuevisset omni die Veneris confiteri; tamen si aliis diebus F sibi occurreret aliquid confitendum, non differebat, quin, quantocius posset, confiteretur. Si quid etiam de nocte, ut fieri solet, sibi contingeret, si suum in promptu habere poterat confessorem, mittebat pro eo antequam inciperet Matutinas. Si autem commode habere non poterat, interim capellano confitebatur, qui eum ad Horas dicendas juvabat. Nec omittendum, quod postquam de transmarinis partibus est reversus, semper duos voluit confessores, unum de Ordine fratrum Minorum, et alium de Ordine Prædicatorum : ut, si unum habere non posset, alium paratum haberet, et ut per hoc amorem ad utrumque Ordinem ostenderet et servaret; et maxime, ut sic conscientia sua securior esse posset, quod in ore duorum testium stat omne verbum : et juxta sententiam Salomonis, ubi multa consilia, ibi salus.

XVII. *quam cilicio etiam,*

25 Præterea, in Adventu et Quadragesima, diebus Veneris, cilicio ad carnem utebatur. Similiter in quatuor vigiliis beatæ Mariæ : licet a confessore suo pluries sibi dictum fuisset, quod hujusmodi pœnitentia statui suo minime competebat : sed largas eleemosynas pauperibus erogare

A. GAUFRIDO.

gare debebat, et subditis festinatam justitiam exhibere. Tandem confessori suo humiliter recognovit, quod hujusmodi cilicium carnis ejus teneritudinem supra modum gravabat. Unde de consilio ejus uti cilicio humiliter prætermisit. Tamen nonnumquam in Quadragesima loco cilicii quadam zona lata de cilicio, sive fascia se cingebat. Insuper loco prædicti cilicii, quasi in recompensationem, voluit quod omni die Veneris in Adventu et Quadragesima, confessor suus reciperet de mandato ipsius XL solidos Parisienses, ad erogandum secreto pauperibus.

XVIII. *et crebris jejuniis affligit.*

26 Consuetus erat per totum annum omni sexta feria jejunare, et quarta feria a carnibus et sagimine abstinere. Aliquando etiam diebus Lunæ a carnibus similiter abstinebat. Sed propter debilitatem corporis hanc diem dimisit consilio discretorum. Insuper quatuor vigilias præcipuorum festorum beatæ Virginis in pane et aqua jejunabat. Nihilominus in Parasceve, et quandoque in vigilia omnium Sanctorum, ac aliquibus aliis solemnibus jejuniis per annum similiter in pane et aqua jejunare volebat. Sextis feriis in B Quadragesima et Adventu a fructibus et piscibus abstinebat. Tamen aliquando de licentia sui confessoris uno genere piscium, et uno genere fructuum utebatur. Audivit a quodam Religioso, quod ab omni genere fructuum comedendo penitus abstinebat; nisi quando prima vice novus fructus sibi afferebatur, quasi in gratiarum actionem semel inde gustabat, deinceps erat abstinens toto anno. Quod cum sanctus Rex confessori suo retulisset, quasi suspirans quod tantam perfectionem aggredi non auderet; concepit in animo saltem facere e converso, videlicet ut cum sibi novus fructus primitus offerretur, inde non comederet ea vice, quasi primitias immolando Domino. Et tunc secure deinceps comedebat. Et credo quod ita postmodum, sicut proposuerat, observavit. Nullum, vel paucissimos recolo me vidisse, qui tanta aquæ copia vinum suum obrueret, sicut ipse.

XIX. *Liberalitas Sancti in pauperes,* b

27 Porro ab infantia creverat secum miseratio. Et quia erga afflictos et pauperes pia semper gestabat viscera charitatis, eleemosynas ejus, quas enarrat omnis ecclesia Sanctorum, nec simulare debeo, nec sufficio *b* explicare. Siquidem quotidie, ubicumque esset, in domo sua reficiebantur C pane, vino, et carnibus, sine civibus, plus quam centum viginti pauperes. In Quadragesima vero, et Adventu, atque devotis diebus, summa pauperum augebatur. Frequenter ipsemet pius Rex pauperibus serviebat, et coram eis fercula ministrabat, panem scindebat, ac denarios multos manu propria eis dabat; et ante eos pauperiores eligebat, ut largius eis daret. Specialiter autem in quibusdam jejuniorum diebus et solemnibus vigiliis, ducentis pauperibus manu propria, antequam comederet, de prædictis omnibus serviebat. Præter hæc, quotidie in prandio et in cœna habebat prope se tres senes pauperes comedentes, quibus de cibariis suis charitative mittebat, et in fine prandii certam summam pecuniæ eis dabat.

ac religiosos.

28 Cæterum, quis enarrare sufficeret, quam largas et frequentes eleemosynas pius Rex assidue erogaret pauperibus Religiosis, ac conventibus plurimis tam sanctimonialium, quam virorum, similiter hospitalibus pauperum, ac domibus leprosorum, et aliorum collegiis pauperum, tamquam specialis pater eorum? Sane, cum inter cetera pietatis opera, singulis annis solitus esset circa principium hiemis conventibus fratrum Minorum, D et fratrum Prædicatorum Parisiensium summam pecuniæ elargiri pro suis necessitatibus providendis, et quando amplius indigebant, suum beneficium ampliare; post illius concessionem eleemosynæ, ex affluentia pietatis, quam gerebat in pectore, familiaribus, qui aderant, serenissimo vultu, ac corde devoto dicebat : « O Deus, » quam bene reputo hanc eleemosynam esse ero» gatam tot et tantis fratribus, qui de toto cor» de ad istos conventus Paris. pro studio sacræ » doctrinæ confluunt » ; et exinde, quod de Scripturis divinis hauserunt, per totum mundum ad Dei honorem, et animarum salutem effundunt!

quibus multa monasteria, valetudinaria, c

29 Præterea ab ineunte ætate domus et monasteria religiosorum cœpit ædificare quamplura : inter quæ specialiter illud præclarum beatæ Mariæ Regalis Montis *c* Cisterciensis Ordinis monasterium, et ecclesiam admirandæ pulcritudinis de proprio suo construxit, et copiosos redditus assignavit; ubi magna et sancta monachorum congregatio Deo servit. Domos insuper quamplures fratrum Prædicatorum atque Minorum E in diversis regni sui partibus ædificavit, et jam incœptas ad consummandum adjuvit. Domum de Parisiis *d* cum magnis sumptibus ampliavit, et redditibus augmentavit. Insuper domos hospitales pauperum apud Pontisaram *e*, Compendium *f*, et Vernonem *g*, magnis et sumptuosis ædificiis construxit, et magnos redditus assignavit. Monasterium autem sancti Matthæi juxta Rothomagum *h* de proprio adquisivit, in quo posuit religiosas sorores de Ordine beati Dominici circiter quinquaginta, devote Domino servientes, et eisdem redditus sufficientes providit.

templa, stabilesque eleemosynas fundat, i k

30 Domum etiam magnam cæcorum *i* pauperum Parisiis construi fecit, ubi plus quam trecenti quinquaginta cæci pauperes commorantur, in capella ibi constructa divinum servitium audientes. Præterea miserandarum mulierum *k*, quæ propter victus penuriam erant publice expositæ ad peccatum, vel ad exponendum paratæ, quæ tantum panem et aquam ab ipso petebant, ut sic a peccato caverent, in domo Filiarum Dei Parisius magnam multitudinem congregavit, et eisdem pro sustentatione annuatim quatuor centum libras Par. assignavit. Insuper monachis Ordinis Cartucensis *l* prope Parisios in loco, qui F dicitur Vallis-viridis, et locum aptum providit, et ad vivendum Deo ibidem sufficientes redditus contulit. Domum insuper Paris. honestarum mulierum, quæ vocantur Beguinæ *m*, de suo adquisivit, et eisdem assignavit, in qua religiose et honeste conversantur circiter quadringentæ : et pluribus exceptis, maxime pauperibus nobilibus, quamdiu viverent, de sustentatione quotidiana providit. Similiter in pluribus aliis regni sui civitatibus atque castris dictis Beguinis domos ad habitandum providit. Præterea, quia circa initium Quadragesimæ piæ memoriæ Rex Philippus *n* annuatim circiter tria milia librarum solebat pauperibus erogare, sed nulla super hoc confirmatio habita : iste devotissimus Successor hanc piam eleemosynam per cartam suam in perpetuum confirmavit *o*, per litteras, unde poterat per dessuetudinem amitti.

quam liberalitatem contra obtrectatores defendit.

31 Igitur piissimus Rex, pauperum pater ac consolator, qui de corde suo constituerat spirituale Domino hospitale, omnes Religiosos, qui veniebant ad ipsum, cujuscumque pauperis Ordinis, dum tamen esset a Sede Apostolica con-

firmatus

A. GAUFRIDO.

A firmatus, benigne suscipiebat, et Parisius sumptibus propriis de loco commodo providebat *p*. Cum autem intelligeret, quod nonnulli ex familiaribus suis ex largitate eleemosynarum suarum murmurarent, eisdem dicebat, quod cum oporteret quandoque in expensis excedere, potius eligebat quod excessus fierent in eleemosynis propter Dominum, quam in secularibus et mundanis : ut excessus, qui fiebat in spiritualibus, excusaret atque redimeret excessum, quem frequenter oportebat fieri in mundanis. Nihilominus tamen in solemnitatibus regiis, et tam in quotidianis sumptibus domus suæ, quam in parlamentis, et congregationibus militum et baronum, sicut decebat regiam dignitatem, liberaliter ac largiter se habebat : et serviebatur in domo sua multum curialiter ac decenter, plus quam in prædecessorum suorum regum curiis. Volebat insuper, quod reliquiæ ciborum de mensis domus regiæ sollicite ac fideliter servarentur : ita quod non licebat alicui extra domum aliquid de dictis reliquiis exportare, nisi de licentia eleemosynarii specialis. Unde pauperes exinde magnum commodum reportabant. B

ANNOTATA.

a *De pœnitentiis jejuniisque Sancti consuli etiam potest Vita secunda cap. 12.*

b *De operibus misericordiæ multo uberius tractat Vita secunda cap. 7, 8 et 9.*

c *Fundationem abbatiæ hujus illustravimus in Commentario* § XI.

d *Circa annum 1259, ut ostensum est in Commentario.*

e *Eodem fere tempore, ut ibidem probatum.*

f *Eodem anno, aut paullo citius. Vide Commentarium num. 862.*

g *De hoc valetudinario egimus ibidem num. 810, ubi absolutum diximus circa initium anni 1259, dum reditus eidem sunt assignati.*

h *Anno 1261. Vide Commentarium num. 892.*

i *Insignem hanc fundationem absolutam anno 1260 narravimus § 69 ab initio.*

k *De hac fundatione, quæ anni est incerti* C *circa regni primordia, disputavimus in Commentario num. 1052 et 1053.*

l *Hujus fundationis litteras datas anno 1259 partim recitavimus num. 844.*

m *De Beginarum fundationibus consule Commentarium num. 1050 et 1051.*

n *Vide Commentarium num. 880, ubi id factum probatur anno 1260.*

o *Sensus imperfectus est, ita ut verba aliqua excidisse appareat.*

p *Multas sparsim in Commentario variorum Ordinus fundationes lector reperiet, quibus hæc confirmantur. Plura quoque de his Vita secunda cap. 4 et 8.*

CAPUT IV.

Sancti in beneficiis conferendis cautela ; auctoritas apud omnes ; frequens oratio, aliaque pietatis exercitia ; cura alienam salutem, et studia promovendi.

Sane in beneficiis ecclesiasticis *a* conferendis, quæ ad patronatum sive donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, et electis et probatis personis ea, quantum poterat, conferebat : præcipue autem in ecclesiis cathedralibus, ubi Sede vacante, ratione custodiæ regalis, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum. Quas personas inquiri et eligi faciebat per cancellarium Parisiensem, et alios viros bonos : specialiter autem per fratres Prædicatores, atque Minores. Atque clericos in memoriali suo scribi volebat, ut eisdem loco et tempore provideret. Nec prætermittendum, quod hanc consuetudinem observabat, quod nulli, quantumcumque litterato, vel famoso, aliquod beneficium ecclesiasticum possidenti conferret aliud ecclesiasticum, nisi prius beneficium smpliciter resignaret : vel beneficium non vacans omnino alicui concedere, vel conferre volebat, donec testimonium haberet et certitudinem, quod vacaret. Exultabat autem plutrimum a Domino cor ejus, quando personæ magni testimonii ac excellentis famæ aliquod bonum beneficium conferebat.

XX. Prudens Sancti cautela in beneficiis ecclesiasticis conferendis: a

E

33 Et ut breviter ea, quæ ad laudem pietatis ac misericordiarum ipsius pertinent, concludamus; quidquid in operibus pietatis vel usus pauperum erogabat, vel personis boni testimonii conferebat, æstimabat optime collatum. Quod autem in superfluis domorum suarum ædificiis expendebat, sive in aliis mundanis supervacuis, videbatur quasi perditum reputare. Advertendum autem, quod hoc aperte videtur fuisse divinæ virtutis operatio, ac meritorum sancti Regis declaratio, quod cum secundum judicium hominum mundanorum non esset multum profusus in largis muneribus conferendis baronibus sive militibus regni sui, nec etiam quantum ad ipsos multum affabilis in verborum blantitiis, sive applausionibus forinsecus videretur, per quæ corda eorum attraheret ad amorem : omnes tamen tam majores quam minores ipsum habebant in magna reverentia et timore, propter fidelitatem et sanctitatem ipsius atque justitiam. Scientes enim eum virum justum, et sanctum, metuebant eum. Unde post suæ primordia juventutis, non fuit qui auderet insurgere, vel attentare aliquid contra ipsum. Aut si fuit rebellis aliquis, cito sub ejus humiliabatur imperio. Et, sicut legitur de rege pacifico Salomone, habuit pacem undique in circuitu regni sui. Et quod de Atha * *b* rege Juda dicitur, quod regnavit in pace, nulla temporibus ejus bella surrexere, pacem per gyrum Domino largiente. Sane si quos etiam hostes et æmulos latenter habebat, eos sagaciter et caritative adtrahebat ad pacem et benevolentiam, suis curialitatibus et auxiliis opportunis. Et quia

auctoritas apud subditos.

F

* Asa *b*

placebant

A. GAUFRIDO.

placebant Domino viæ ejus, inimicos ipsius, si quos habere poterat, convertebat ad pacem.

et vicinos principes populosque :

34 Non solum autem ad subditos clementer et pacifice se habebat, sed etiam ad alios finitimos et vicinos, ad principes et villarum rectores. Pro pace inter eos, et concordia reformanda frequenter nuncios suos providos et discretos cum magnis sumptibus destinabat, et eos sic ad pacem *c*, populares et pauperes ab oppressionibus et afflictionibus, quæ in guerris solent contingere, conservabat. Sic autem gratiose erga omnes tam subditos quam vicinos, necnon extraneos remotos fideliter, misericorditer, et clementer in omnibus se gerebat, quod ab omnibus merebatur honorari pariter et amari; et regnum ejus sic cum sui custodia et tranquillitate cordis in pace servari. Nam scriptum est : Misericordia enim et veritas custodiunt regem, et firmatur clementia thronus ejus. Thronus quippe ejus sicut sol in conspectu omnium renitebat, et respectu etiam cæterorum. Nam sicut sol suos ubique diffundit radios, sic ab ipso diffundebantur ubique beneficia sui luminis, et caloris : exempla videlicet luminosa suæ vitæ laudabilis, et opera charitatis inextinguibilis, et amoris *d*.

XXI.
consuetudo Horas recitandi canonicas, aliaque

35 Omnes Horas canonicas, et etiam de beata Virgine, cum cantu quotidie audire volebat. Etiam si eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se et capellanum suum, tam de die, quam de beata Virgine, submisse dicebat. Insuper Officium mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in festis quantumcumque solemnibus, dicebat cum capellano suo. Raro accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, et frequenter tres vel quatuor. Cum autem audivisset, quod nobilium aliqui murmurabant super hoc, quod tot Missas, tot sermones audiret : respondit, quod si in duplo de tempore poneret in ludendo ad aleas, et currendo per sylvas pro venationibus et aucupiis, nemo super his loqueretur. Aliquanto tempore in consuetudinem duxit, circa mediam noctem surgere ad Matutinas a capellanis suis et clericis in capella cantandas; ut post Matutinas rediens, ante lectum suum quietum spatium orandi haberet. Tunc, sicut familiariter dicebat, non habebat timorem, quod si tunc Dominus ei aliquam devotionem immitteret, impedimentum a supervenientibus pateretur. Et tunc tamdiu in oratione permanere volebat, quantum duraverant in ecclesia Matutinæ *e*.

pietatis exercitia

36 Sed cum ipsum nihilominus oporteret propter instantia negotia ad Primam surgere satis mane, et ex his vigiliis corpus ejus et caput maxime non modicum debilitari et gravari poterat; adquievit consilio et precibus discretorum, videlicet quod ad Matutinas surgeret tali hora, quod post modicum spatium Primam, et Missas, et Horas cæteras continue posset audire. Dum Horæ cantarentur, nolebat alicujus colloquio impediri, nisi urgeret aliqua utilitas; et tunc breviter et succincte. Sicut autem in laudem regis Josiæ præmisimus, quod fecit phase, quale ante non fuerit, nec quisquam de regibus fecit tale : sic iste solemnitates præcipuas anni, non solum Pascha, sed et ceteras festivitates devotas faciebat venerabiliter ac studiosissime celebrari; convocans ad hoc pluries in anno clericos electos et gratiose cantantes, et maxime de Bonis-Pueris *f*, qui in sancta congregatione Parisius morabantur : quibus in recessu denarios erogabat, illisque pro magna parte anni in studio sustentabantur.

pie ac reverenter obeundi:

37 Lacrymarum gratiam plurimum affectabat, et super hoc defectu confessori suo pie et humiliter conquerebatur, familiariter ei dicens, quod quando in letania dicebatur, « Ut fontem » lacrymarum nobis dones », devote dicebat : « O Domine, fontem lacrymarum non audeo » postulare, sed modicæ lacrymarum stillæ mi» hi sufficerent ad cordis mei ariditatem et duri» tiam irrigandam. » Aliquando etiam confessori suo familiariter recognovit, quod quandoque Dominus in oratione aliquas lacrymas sibi dedit, quas cum sentiret per genas suaviter ad os influere, non solum cordi, sed gustui suo dulcissime sapiebant. Congregationes Religiosorum frequenter ac devotissime visitabat, et ab eis pro se et amicis suis, vivis ac defunctis, piarum orationum et Missarum suffragia humiliter, et flexis genibus, in capitulo stipulabatur. Fidelissimus erat ad orandum, et ad faciendum orari pro familiaribus suis, servientibus suis, et amicis defunctis.

XXII.
piissima peregrinatio in Nazareth :

38 Nec silendum arbitror, quam humiliter, quam catholice se habuit Rex devotus in peregrinatione, quam fecit de Acon in sancta ac devota civitate Nazareth *g*. Nam in vigilia Annunciationis Dominicæ ivit indutus ad carnem cilicio, de Sophera *h*, ubi ea nocte jacuerat, in Cana Galileæ *i* : inde in montem Thabor *k*, inde eadem vigilia descendit in Nazareth. Cum autem a longe locum sanctum videret, descendens de equo, flexis genibus devotissime adoravit, et sic pedes incessit, donec humiliter civitatem sacram, et pium locum Incarnationis intravit. Ea die in pane et aqua devote jejunavit, quamvis plurimum laborasset. Quam devote ibidem se habuerit, quam solemniter et gloriose fecerit celebrari Vesperas, Matutinas, Missam, et cetera, quæ ad solemnitatem tam celebrem pertinebant, testes esse possunt, qui affuerunt, de quibus nonnulli attestari veraciter, sive edere potuerunt, quod postquam Filius Dei in eodem loco de gloriosa Virgine carnem assumpsit, numquam tam solemne, tamque devotum Officium fuerit ibi factum. Ibidem devotus Rex, Missa in altari Annunciationis celebrata, sacram communionem accepit. Et domnus Odo Tusculanus Apostolicæ Sedis legatus ad majus altare ecclesiæ Missam solemnem celebravit, et sermonem devotum fecit. Ornamenta ecclesiæ pretiosissima ac devotissima Rex per omnia Catholicus habere volebat, et secundum quod variis solemnitatibus congruebat, ornamenta seu paramenta diversorum colorum habebat : et super hoc gerebat ipse curam ac sollicitudinem specialem. Præterea indulgentias a domino Papa, et ab aliis prælatis Ecclesiæ sollicite procurabat, et impetratas devote et humiliter frequentabat.

XXIII.
verbum Dei libenter audit, aliisque prædicandum curat: nautas ad confessionem hortatur:

39 Valde frequenter sermones audire volebat, et quando sibi bene placebant, eos optime retinebat, et aliis repetere multum gloriose sciebat. Dum in reditu peregrinationis transmarinæ per decem septimanas, vel circa, moram in mari faceret, ordinavit quod et in navi tres haberet sermones qualibet septimana. Cæterum, dum mare tranquillum erat, et navis labore et opera nautarum minime indigeret; volebat pius Rex, quod dicti nautæ sermonem specialem haberent de competente ipsis materia, scilicet de articulis fidei, et moribus, et peccatis, considerans quod

hujus-

A hujusmodi gens audiret rarissime verbum Dei. Voluit insuper, quod nautæ prædicti singuli confiterentur sacerdotibus ad hoc electis : et ad hoc ipsemet ore suo exhortationem fecit eisdem valde salutarem et efficacem, persuadens ipsis et exprimens, quam frequenter essent in mortis periculo, propter maris discrimina repentina. Inter cætera autem dixit eis verbum notabile, et memoria dignum : videlicet, quod si interim dum unus nautarum confiteretur peccata sua, navis officio suo forsitan indigeret; « Ego, inquit » Rex, libenter manum meam apponam, sive » ad cordam trahendam, sive ad aliquid aliud » faciendum. » Nec fuit inanis pia ipsius exhortatio. Nam nonnulli nautæ tunc fuerunt confessi, qui per annos plurimos numquam confessi fuerant.

bibliothecam collegit. 40 Audivit fidelis Rex, dum adhuc esset ultra mare, de quodam magno Sarracenorum soldano, qui omnia librorum genera, quæ necessaria esse poterant philosophis Sarracenis, diligenter faciebat inquiri, et sumptibus suis scribi, et in armario suo recondi; ut literati eorum librorum copiam possent habere, quoties indigerent. B Considerans igitur pius Rex, quod filii tenebrarum prudentiores esse videntur filiis lucis, et erroris sui amplius zelatores quam sint filii Ecclesiæ veræ fidei Christianæ; concepit, quod revertens in Franciam omnes libros sacræ Scripturæ, quos utiles et autenticos in diversis armariis abbatiarum invenire valeret, transcribi sumptibus suis faceret, ut tam ipse quam viri litterati ac religiosi familiares sui in ipsis studere possent; ad utilitatem ipsorum, et ad ædificationem proximorum. Sicut cogitavit, ita et reversus perfecit, et locum aptum et fortem ad hoc ædificari fecit, scilicet Parisius in capellæ suæ thesauro, ubi plurima originalia tam Augustini, Ambrosii, Hieronymi, atque Gregorii, necnon et aliorum orthodoxorum Doctorum libros sedule congregavit : in quibus, quando sibi vacabat, valde libenter studebat, et aliis ad studendum libenter concedebat : maxime autem si vacare poterat ad studendum propter dormitationem diurnam, antequam, prodiret in publicum, sive ad loquendum cum adventantibus, sive ad Vesperas audiendum.

C *quam Religiosis in testamento legavit.* 41 Potius autem volebat de novo facere libros scribi, quam emere jam conscriptos : dicens, quod hoc modo sacrorum librorum numerus et utilitas copiosius augebatur. De his autem libris, quos, sicut diximus, fecit scribi, et quos in armario Parisius dereliquit, in suo disposuit testamento *l*, quod una pars esset fratrum Minorum, et altera fratrum Prædicatorum, reliqua monachorum Regalis montis, Ordinis Cisterciensis, quos ipse fundavit omnino de suo. Quando studebat in libris, et aliqui de familiaribus suis erant præsentes, qui litteras ignorabant, quod intelligebat legendo proprie et optime noverat coram illis transferre in Gallicum de Latino. Non libenter legebat in scripturis magistralibus *m*, sed in Sanctorum libris autenticis et probatis.

ANNOTATA.

a *Quæ hic dicuntur de collatione beneficiorum, confirmari possunt ex ipsis* Ludovici *litteris, quas dedimus in Commentario num. 1065.*

b *Id de Asa dicitur 2 Paralip. 14 ✱ 6. Atha igitur vitio typothetæ aut describentium irrepsit.*

c *Excidit vox* reducens, *aut similis.*

d *Hæc Regis auctoritas, regnique sub ipso splendor confirmatur in Commentario num. 1145, et sæpe alibi.* A. GAUFRIDO.

e *De his plura habentur in Vita secunda cap. 3,*

f *Collegium* Bonorum puerorum *erat, in quo nutriebantur pauperes studiosi Parisiis. Illis in testamento suo legavit Sanctus 60 libras Parisienses, ut invenies in Commentario prævio num. 1042. De hoc collegio plura habet Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tom. 3, pag. 217 et seqq.*

g *Contigit hæc peregrinatio anno 1251, ut dictum est in Commentario num. 703. De Nazareth ita scribit Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom. 2, pag. 816 :* Nazareth est parva civitas in provincia Galileæ inferioris, .. in tribu Zabulon et monte posita, et sterilibus montibus circumdata. *Civitatem vocat Quaresmius, at vicus passim vocatur ab aliis, et modicus quidem vicus est hoc tempore, ut testatur P. Neret testis oculatus in Opusculo de Missionibus Societatis Jesu Orientalibus tom. 5, pag. 99, ubi adjungit unius diei itinere distare Acone seu Ptolomaide. Porro cum ibi fuit* S. Ludovicus, *ædes sacra nondum translata erat, de cujus in Dalmatiam primum, deindeque Lauretum translatione, fuse disputat laudatus Quaresmius.* E

h Sephoris sive Diocæsarea civitas, *eodem teste pag. 852, distat quatuor milliaribus a Nazareth Ptolomaidem versus.*

i *Nimirum in illam, quæ* Sepher-Cana *nominatur, cum viculus ille, qui* Cana Galilææ *sine addito dicitur, longius distet. Vide dicta nostra in S. Bartholomæo pag. 7.*

k *Mons Thabor distat, teste Quaresmio pag. 844 duabus leucis a Nazareth; cui consonat laudatus P. Neret pag. 110.*

l *Testamentum illud dedimus in Commentario, ubi hæc invenies num. 1038.*

m *Id est, non delectabatur methodo scholastica theologorum, quæ propter continuas disputationum tricas minus animum pascit, sed aliunde sua non caret utilitate.*

CAPUT V.

F

Pietas erga Dominicæ passionis instrumenta : expeditio prima contra Saracenos, gestaque in Oriente breviter perstricta : mors matris Blanchæ audita.

XXIV. *Fides Sancti ac pietas erga instrumenta Dominicæ passionis;*

Quanta devotione fidei, et quam immensis laboribus et expensis, ac nunciorum suorum periculis obtinuerit a Constantinopolitano Imperatore ... coronam *a* spineam Salvatoris, et partem maximam sanctæ crucis, cum aliis reliquiis multis ac plurimum pretiosis; et cum quanto gaudio procul occurrerit obviam Rex devotus ad dictas reliquias reverenter suscipiendas, necnon cum quam solemni ac devotissima processione totius cleri et populi preciosæ reliquiæ Parisius sint receptæ, ipso Rege hunc sacrum thesaurum ex una parte propriis humeris ac nudis pedibus deportante, testis est is libellus, qui diligen-

A. GAUFRIDO.

diligenter super iis est confectus, de quo ad Matutinas legitur in solemnitatibus dictæ coronæ, cæterarumque reliquiarum. Quas solemnitates pius Rex celebriter fieri instituit bis in anno, videlicet die anniversaria, qua Parisius receptæ sunt. Cæterum, quam mirificam, quam speciosam, ac nobilem capellam Parisius fecit fabricari, necnon quam preciosam et admirabilem thecam fieri fecit, auro, et argento, et lapidibus preciosis ornatam, ad prædictas sacras reliquias honorifice recondendas; testes esse possunt, qui Parisius prædicta diligenter viderunt. In qua capella canonicos atque capellanos instituit, et magnos redditus assignavit, sicut decebat regiam dignitatem : ut ibidem Domino in perpetuum in divino officio serviretur. Hæc omnia zelum fidei Christianæ in ipso commendant.

XXV. *expeditio contra Saracenos prima, captivitas, liberatio;* b

43 Præterea Rex quanto fervore fidei bis peregrinationem assumpserit transmarinam, quantosque in ea sustinuerit sumptus, pericula, ac labores, pene innotuit toti mundo. Sane qualiter in prima sua peregrinatione *b*, et post multos labores in primo adventu suo in Ægyptum sibi Dominus miraculose reddiderit Damietam; B quomodo postmodum divina permissione a Sarracenis captus, quam sapienter se habuit in *.. et quamdiu fuerit in manibus eorum detentus, testes sunt qui cum ipso præsentes fuerunt. Ita quod ipsi Sarraceni eum sanctissimum, ac veracissimum, necnon sapientissimum reputabant. Denique advertendum, quod si captus fuit a Sarracenis, non est multum admirandum : sed est divino miraculo, et ipsius potentiæ, necnon sancti Regis meritis adscribendum, quod ita de facili, et satis pro modico pretio, contra spem fere omnem, ipse et fratres sui, et exercitus Christianus, fuerint satis incolumes et sani de impiorum manibus liberati. Denique non silendum est, quod quando ipse Rex captus fuit, graviter ægrotabat illa mortifera et generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus est defuncta, ita quod de vita ipsius modicum sperabatur. Sed eo capto, providente ipso, qui diligentibus se omnia cooperari facit in bonum, soldanus per medicos suos, qui melius quam nostri noverant artem curationis infirmitatis hujus, fecit eum custodiri diligentius ac sanari; et omnia necessaria, quæcumque Rex petiisset, abundanter et curialiter ministrari. C Ita quod de ipso atque de suis potuit vere dici : Et dedit eos in conspectu omnium, qui ceperant eos.

* *carcere, opinor.*

XXVI. *gesta deinceps in Palæstina: cura de Saracenis conversis.*

44 Igitur divina virtute liberatus, et pace seu treviis * cum Sarracenis firmatis, necnon captivis, qui tunc potuerunt haberi, reductis, venit pius Rex in Achon *c* : habitoque communi consilio tam cum suis, quam cum terræ illius militibus et prælatis, dicentibus plurimis et discretis, quod si post tale infortunium rediret in Franciam, in maximo perditionis periculo dimitteret Terram sanctam, et quod essent perditi residui captivi, qui nondum adhuc fuerant liberati : Rex pietate et fidei virtute permotus consensit morari in Syria, quamdiu Domino placuisset, licet nonnulli suorum aliter suaderent. Moratus est itaque postea in Terram sanctam per annos quinque *d*, vel circa : nec mora sua fuit inanis, et vacua. Nam in spatio illo cum magnis sumptibus ædificavit Cæsaream muris fortissimis in circuitu civitatis. Eodem modo Joppen et Sidonem. Multa insuper posuit in ampliando et fortificando muros civitatis Achon. Licet autem labores hujus, quamvis plurimum sumptuosi, modicum effectum utilitatis Christianitati visi fuerint contulisse, credimus quod per ipsum non stetit : sed potius ex secreto et nobis D ignoto Dei judicio hoc processit, et culpis aliorum hoc exigentibus potius quam suis. Insuper in moræ illius spatio Sarraceni multi ad ipsum pro Christianitate suscipienda venerunt, XXVII. quos gaudenter recipiebat, et baptizari faciebat, et in fide Christi instrui diligenter : et eos in omnibus propriis sumptibus sustentabat, et in Franciam secum adduxit, et ipsis et uxoribus ac pueris eorum, quamdiu viverent, provisionem adsignavit. Sclavos *, et multos Sarracenos, sive gentiles, de proprio emi fecit, et baptizari, et provisionem eis similiter assignavit.

* *i. e. induciis*

c

d

* *i. e. mancipia*

XXVIII. *Audita matris suæ morte,* e

45 Dum moraretur in Joppe ad instaurandos ejusdem loci muros, venerunt rumores *e* de pio obitu dominæ Blanchæ illustrissimæ matris ejus. Quos cum primo dominus legatus audisset, assumpto secum Tyrensi archiepiscopo, qui tunc domini Regis sigillum portabat, placuit ei quod ego tertius essem cum eis. Accedens igitur legatus ad Regem, et nos duo cum eo, dixit E quod volebat secreto in camera * sibi loqui, præsentibus nobis duobus. Attendens igitur Rex gravem legati faciem, cognovit quod aliquid triste dicere sibi vellet. Duxit itaque Vir Deo plenus legatum et nos de camera in capellam suam, quæ cameræ erat conjuncta : et clausis cameræ ostiis sedit coram altari, et nos cum eo. Tunc legatus prudenter Regi exposuit varia et magna beneficia, quæ divina bonitas sibi abundanter contulerat ab ineunte puerili ætate : inter alia autem, quod per gratiam suam sibi providerat talem matrem, quæ ipsum tam catholice instruxerat, et tam fideliter tamque prudenter tractaverat, et administraverat negotia regni sui.

* *i. e. cubiculo*

pie et constanter divinæ voluntati se submittit.

46 Subjuncto post modicum cum singultu et lacrymis dictæ reginæ obitu tam damnoso, tamque plangendo, Rex catholicus ejulans alta voce, et in lacrymis resolutus, coram altari genua flexit, et manibus junctis, ac devotissime plorans, ait : « Gratias ago tibi, Domine Deus, » qui dilectissimam matrem ac dominam, quamdiu bonitati tuæ placuit, mihi commodasti : » et nunc, Domine, per corporalem mortem » eam tibi secundum tuum beneplacitum accepisti. Verum est, Domine, quod ego nuper » eam super omnes mortales creaturas, prout F » bene meruerat, diligebam : sed ex quo beneplacitum est ante te, sit nomen Domini benedictum in secula, Amen. » Post hæc, dicta brevi commendatione a legato pro anima defunctæ, voluit Rex solus in capella remanere. Tamen recedente legato et archiepiscopo, tunc me solum secum retinuit. Sed ne immoderata tristitia gravaretur, accessi ad ipsum, prout poteram, consolandum, humiliter dicens ei, quod ad præsens satis naturæ reddiderat, quod naturæ debebat : sed jam opportunum erat, quod gratia Dei, quæ in ipso erat, redderet, quod ad rationem illuminatam per gratiam pertinebat. Quam admonitionem prudenter excepit, et effectui mancipavit. Nam mox e loco illo surrexit, et in oratorio suo secessit, ubi dicere consueverat Horas suas. Ibi me solum cum vocavit, et ex voluntate ipsius nos duo pariter diximus totum Officium mortuorum, scilicet Vesperas et Vigilias cum novem lectionibus. Et non modicum sum miratus, quod cum cor ejus esset tam diri vulneris novitate subcussum, et graviter sauciatum, non recolo quod potuerim perpendere ipsum in

A aliquo versu psalmi, sive in aliqua lectione, quam diceret, deficere, vel errare : sicut frequenter solet accidere humano cordi, mœstis et subitis rumoribus perturbato. Hoc ergo vere attribui virtuti divinæ gratiæ, atque constantiæ cordis ejus.

ejusque animam multis precibus et Sacrificiis juvandam curat.

47 Fidissimus filius extitit animæ piæ matris. Nam infinitas Missas, et multiplicium orationum devota suffragia in Religiosorum collegiis impetravit. Item et ex tunc continue coram se quotidie specialem Missam voluit celebrari; nisi diebus Dominicis, et festis præcipuis. Postmodum mansit adhuc in Terram sanctam plus quam per annum. Nam peracta instauratione murorum Joppensium, ivit ad ædificandos muros fortes in circuitu civitatis Sidoniensis. Quo facto, intellexit per plures litteras et nuntios de Francia venientes, quod post mortem matris suæ regno suo periculum maximum imminebat, tam ex parte Angliæ, quam ex parte Alemaniæ *f*. Unde consilio habito cum discretis, assensit ad propria remeare : relictis tamen cum domino legato multis militibus, et expensis in succursum et subsidium Terræ sanctæ. Sane cum quanta devotione et lacrymis, B cum quanta benedictione et favore totius populi Acconensis, necnon militum et prælatorum, usque ad navim ab eisdem prosecutus fuerit, exprimere non possumus.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia in Commentario latius sunt exposita. Consule itaque de corona spinea § 30, de crucis parte aliisque reliquiis § 36, de capella sancta canonicisque ibidem fundatis § 37.*

b *Expeditio illa suscepta anno 1248, capta Damiata 1249, in manus vero Saracenorum Rex incidit 1250, ac post mensem circiter liberatus fuit. Hæc omnia ordine temporis in Commentario sunt relata.*

c Achon, *aliis* Acon, Accon, *et* Ptolemais : *Galli historici nunc passim vocant* Saint Jean d'Acre; *vel* Acre *tantum*, *Itali autem* Acri. *Nos communiori tunc nomine in Commentario usi sumus, atque* Acconem *vocavimus eo libentius quod* C *id nomen urbis illius antiquissimum sit : nam Judic. 1 ✠ 31 urbs in eodem Phœniciæ tractu sita* Accho *vocatur, quam hanc ipsam esse Calmetus indubitanter affirmat. Porro præcipuum tunc erat Christianorum propugnaculum, situm ad mare Mediterraneum in Phœnicia.*

d *Rediit anno 1254, ita ut quatuor tantum annis ibidem substiterit, quod certum est ex gestis eodem anno in Gallia. Restaurationem oppidorum, quæ hic nominantur, ordine temporis in Commentario dedimus, uti et reditum in Franciam.*

e *Anno 1253. Vide de his Commentarium num. 719.*

f *A Guilielmo Hollandiæ comite ac Romanorum rege, cui pro Flandriæ comitissa se opposuerat Carolus regis frater. De hoc bello, paceque demum opera* Ludovici *conciliata, videri potest Commentarius num. 813 et seqq.*

CAPUT VI.

Reditus Sancti in Franciam : periculum naufragii : profectus in virtutibus : leges contra blasphemos : modus tangendi strumosos : multiplex fidei zelus.

XXIX. *Pietas Sancti, dum redit in Franciam,*

Navem igitur ascensurus, ex devotione sua fecit poni in navi Corpus Domini Jesu Christi, pro communicandis infirmis, ac pro se ipso et suis, quando sibi expediens videretur. Et quia alii peregrini quantumcumque magni hoc facere non solebant, obtinuit super hoc a domino legato licentiam specialem. Hunc autem sacrum thesaurum in loco navis dignissimo et convenientissimo fecit poni, et preciosum tabernaculum ibi erigi, pannisque sericis et aureis operiri. E Fecit insuper ibidem altare collocari; et decenter ornari, ubi quotidie divinum Officium solemniter audiebat : videlicet omnes Horas canonicas, et præter canonem, quæ pertinebant ad Missam, sacerdote et ministris sacris vestibus indutis, secundum quod congruebat diei. Diligens erat valde circa infirmos, quod haberent necessaria, secundum quod eorum infirmitas exigebat; et maxime quod confessione facta, omnia sacramenta perciperent, scilicet sacram Communionem, et Unctionem extremam. Mortuis vero debitas exequias a capellanis suis exhiberi faciebat.

XXX. *atque in periculo naufragii;*

49 Nec prætereundum, quod tertia nocte postquam a portu Achon cum eo recessimus, aliquantulum ante diem, dum prope Cyprum essemus, navis subito impegit in rupem, sive in lingulam terræ, vel arenæ, induratam quasi in lapidem. Rupes illa, sive lingula procul protendebatur in mari. Ubi igitur auræ impulsione navis fortiter est collisa, clamantibus cunctis et ejulantibus, et vere æstimantibus quod navis esset in fundo sentinæ quassata; nautæ quasi penitus desperabant, F quærentes quid agere vel qualiter se habere deberent. Rex autem catholicus fidem et spem in Deo concipiens, intellecto periculo, quasi corporis sui oblitus, necnon uxoris suæ Margaretæ reginæ, ac liberorum suorum, qui prope ipsum quasi consternati jacebant : concitus ad orationem ante altare, et coram sacro Corpore Christi, ac sanctis reliquiis devote prostratus humiliter exorabat, ut omnipotens Deus præsenti periculo subveniret. Et credere debemus, quod meritis ejus et precibus divina pietas navem, et ea, quæ in ea erant, a naufragio liberavit, cum de simili periculo vix duæ de centum navibus evasissent. Nam navis fortitudine sua, sive potius virtute divina, rupem sive lingulam illam rupit, et viam per medium sibi fecit. Nautæ igitur accenso lumine sentinam navis scrutantes, et nullam navis læsuram invenientes *a*, securi a periculo anchoras submiserunt, diem expectantes. Mane facto, Rex fidei plenus reversus est secreto ante altare : prostratusque, devotas gratias retulit super tanto et tam mirabili beneficio sibi et suis exhibito ab omnium Salvatore. Sacerdotes autem, qui adhuc

A. GAUFRIDO circa altare in lectis quiescebant, excitati et videntes Regem in oratione devote prostratum, stupuerunt : sed ipse eis veritatem humiliter recognovit.

XXXI. *profectus in virtutibus post reditum.* 50 Postquam in Franciam feliciter est reversus, quam devote ad Deum, quam juste ad subditos, quam misericorditer ad afflictos, quamque humiliter se gesserit ad seipsum, denique quantum pro viribus in omni virtutum genere proficere studuerit, testes sunt, qui ipsius conversationem diligenter viderunt, et præcipue qui conscientiæ ipsius serenitatem noverunt. Ita quod secundum judicium discretorum, quanto aurum preciosius est argento, tanto conversatio ipsius sancta et nova, quam de Terræ sanctæ itinere reportavit, conversationi pristinæ præeminebat : quamvis status juventutis suæ semper bonus, et innocens, ac commendabilis multum esset.

XXXII. *Leges condit contra blasphemos,* 51 Præcipue autem circa cultum divinum, et exaltationem fidei Christianæ, ejus intentio versabatur. Nam plurimum anxiabatur, et compatiebatur cor ejus super pestem illam generalem, B quæ ab antiquo noxia occupaverat specialiter regnum suum; videlicet vitium jurationum turpium, et blasphemiarum in Dominum, et in Sanctos ipsius. Zelo igitur divino permotus, et solerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari, habito prius consilio diligenti cum domino Simone *b* sanctæ Ceciliæ presbytero Cardinali tunc apostolicæ Sedis legato in Francia; *b* auctoritate ipsius legati et sua convocati sunt Parisius majores de regno, tam principes, quam prælati; ut super hoc damnabili vitio refrenando, vel potius destruendo apponeretur consilium et remedium salutare. Igitur a domino legato facto super hac materia sermone solemni plurimum efficace, Rex catholicus zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, et rationibus validis et apertis subnixam. Igitur de communi consilio et assensu edidit pius Rex generale statutum, quod per totum regnum servari et promulgari voluit, in hæc verba *c*... *c*

XXXIII. *unumque gravius blasphemantem severe plectit :* 52 Igitur post edictum hujusmodi publicatum quidam civis Parisiensis, conditionis mediocris, inhoneste valde jurando blasphemavit in Deum. Quem Rex justus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti in C peccati sui memoriam sempiternam, et ad aliorum exemplum. Super quo cum multi secundum seculum sapientes propter hoc contra Regem verbis maledicis murmurarent, audiens sæpe Rex magnus et sciens esse scriptum : Beati eritis cum maledixerint vobis homines, juxta illud : Maledicent illi, et tu benedices, dixit verbum catholicum, videlicet quod desiderabat potius simile cauterium sibi in labiis esse factum, et quoad viveret talem indecentiam sustinere, dummodo hujusmodi pernitiosum vitium de regno suo penitus tolleretur. Præterea, cum tunc temporis ipse dominus Rex quoddam opus fieri præcepisset, quod communi utilitati conferre non modicum videbatur, super quo Parisius a beneficia habentibus multas benedictiones habebat : dixit, quod majorem mercedem a Domino expectabat pro maledictionibus, quas occasione illius cauterii incurrerat, quam pro benedictionibus, quas habebat pro illo beneficio generali. Igitur Rex noster per regem Josiam congrue et merito designatur, in cujus laudem scriptum est, prout præmisimus, quod tulit abominationes impietatis, et gubernavit ad Dominum cor suum; et D in diebus peccatorum corroboravit pietatem in cultum divinum.

53 Insuper ad laudem devotionis fidei ipsius pertinet, quod cum semel esset apud Poissiaci castrum *d*, quibusdam familiaribus suis gaudens et glorians dixit : quod majus bonum, et digniorem honorem, quem umquam habuerit in hoc mundo, fecerat sibi Dominus in castro illo prædicto. Mirantibus qui aderant, de quo honore hoc diceret, cum de civitate Remensi, ubi regni coronam et sacram susceperat unctionem, hæc dixisse eum potius æstimarent; subridendo respondit, quod in castro illo sacri baptismi gratiam susceperat, quod super omnes honores seu dignitates mundanas majus donum et dignitatem incomparabilem reputabat. Unde etiam cum secretas litteras alicui familiari mittebat, et ex causa aliqua volebat supprimere nomen regis, LUDOVICUM DE POISSIACO, sive DOMINUM POISSIACI se vocabat : potius eligens a loco baptismatis denominari, quam ab aliqua sua civitate famosa. XXXIV. *reverentia Sancti erga locum baptismatis sui : d*

E

54 In tangendis infirmitatibus, quæ vulgo hercalæ *e* vocantur, super quibus curandis Franciæ regibus *f* Dominus contulit gratiam singularem, pius Rex modum hunc præter reges cæteros voluit observare. Cum enim alii reges prædecessores sui tangendo solummodo locum morbi, verba *g* ad hoc appropriata et consueta proferrent, quæ quidem verba sancta sunt atque catholica, nec facere consuevissent aliquod signum crucis : ipse super consuetudinem aliorum hoc addidit, quod dicendo verba super locum morbi, sanctæ crucis signaculum imprimebat, ut sequens curatio virtuti crucis attribueretur potius, quam regiæ majestati. XXXV. *modus tangendi strumosos ; e f g*

55 Præterea verus crucis cultor signaculo sanctæ crucis tantam reverentiam exhibebat, quod quando claustrum Religiosorum transiret, et videret cruces protensas insculptas super tumulos defunctorum, transire desuper quantum poterat reformidabat. Unde in claustris et cimiteriis Religiosorum, de quibus specialius confidebat, faciebat cruces desuper tumulos ejus removeri *h*. Item apud quosdam Religiosos vidit ex consuetudine observari, quod quando ad Missam cantabatur, CREDO IN UNUM DEUM, dum diceretur, ET HOMO FACTUS EST, chorus profunde et humiliter inclinabat. Quæ consuetudo placuit ei multum. Unde deinceps fecit institui et servari, tam in capella sua coram ipso, quam in ecclesiis aliis pluribus; ut ad verbum prædictum non solum inclinaretur, sed devote genua flecterentur. Similiter intellexit, quod in quibusdam monasteriis, quando in quatuor Passionibus, quæ in sacra septimana, quæ vulgo penosa vocatur, pronunciabatur : INCLINATO CAPITE EMISIT SPIRITUM, vel, EXPIRAVIT *i;* conventus devote flexis genibus, et prostratus aliquantulum orationi studebat. XXXVI. *studium inducendi h F i*

56 Quod et devotus Rex postmodum in capella sua, et in pluribus ecclesiis fecit similiter observari. Unde et ad petitionem ipsius, in Ordine fratrum Prædicatorum hæc pia consuetudo approbata est, et statuta. Præterea devotioni suæ incongruum visum est, et indignum, quod imagines novæ sive Crucifixi, sive beatæ Virginis, vel aliorum Sanctorum, sicut de domo privatorum veniebant, statim sine benedictione aliqua deberent in ecclesia communiter adorari. Unde fecit in antiquis episcoporum Ordinariis diligenter *pias consuetudines.*

A ter inquiri, et inventa est oratio propria et devota ad benedictionem novarum imaginum pertinens, antequam adorandæ populo publicentur. Quem primum ritum pius Rex ex devotione sua postea voluit in capellæ suæ imaginibus observari. Cætera circa fervorem ac devotionem ipsius hujusmodi plurima possent scribi, sed humilitatis causa hæc, quæ dicta sunt, sufficiant. Nunc ad secundam et ultimam ipsius peregrinationem in transmarinis partibus transeamus.

ANNOTATA.

a *Nihil quidem invenerunt illi, qui intus navem examinarunt : at urinatores, qui, postquam illuxerat, navem foris lustrarunt, repererunt carinam ejus non parum læsam. Relata hæc sunt in Vita secunda num. 27 et 28, apud Joinvillium vero cap. 26.*

b *Simon titulo sanctæ Cæciliæ Cardinalis in Galliam ab Urbano IV missus est anno 1264, ut pactum cum Carolo Regis fratre de regno Siciliæ perficeret, uti narravimus in Commentario num.* B *929. At leges contra blasphemos in his comitiis latæ non sunt nisi anno 1268 post consultum iteratis vicibus Clementem IV, ut probavimus § 78 contra varios, qui eas citius latas voluerunt, ac deinde mutatas.*

c *Post hæc verba Menardus et Chesnius notant sequentia :* Desunt hæc statuta in Ms. codice, sed habentur apud Joannem Jonvillæ dominum. *Verumenimvero non alia Regis statuta habet Joinvillius quam quæ Latine dedimus num. 271 et seqq. : illa autem jam anno 1254 condidit* Ludovicus, *recitata a nobis § 61; at statuta contra blasphemos condita sunt præsente legato sanctæ Cæciliæ, qui toto fere decennio serius legationem in Galliam suscepit. Vide itaque de his legibus § 78, ubi et alios de his errores correximus.*

d *De Pisciaco, Gallis* Poissi, *egimus § 6, ubi quoque probavimus Sanctum in hoc oppido fuisse natum.*

e *Ita strumas vocat a voce Gallica* escroüelles.

f *De hac gratia Franciæ regibus concessa pluribus disputat Peyrat in Antiquitatibus sacelli regis Franciæ lib. 2, cap. 60, ubi probabiliter existimat hunc favorem Roberto regi, filio Hu-* C *gonis Capeti primum fuisse concessum, ejusque posteris continuatum. Ostendit præterea signum crucis jam a Roberto et Ludovico VI fuisse adhibitum, de quo vide Commentarium nostrum num. 284.*

g *Laudatus Peyratus cap. 61 testatur hæc verba a regibus adhiberi solita, cum frontem infirmi tangunt :* Le roy te touche, Dieu te guerit : *id est,* Rex te tangit, Deus te sanat. *Idem observat pag. 814 non tangi hodiedum a regibus locum affectum, uti olim fiebat, sed frontem infirmi.*

h *Imo curavit, ut anno 1261 in concilio Parisiensi statueretur, ne cruces sculperentur in tumulis aliisve locis, ubi poterant inhonorari, ut dictum in Commentario num. 890.*

i *Idem in dicto concilio, eo petente, ordinatum.*

CAPUT VII.

Crux iterum assumpta : rationes expeditionis Tunetanæ : gesta in Africa : postremus Sancti morbus, et mors piissima.

XXXVII. *Consulto Romano Pontifice,*

Siquidem audiens Rex sanctus, quod penitus esset fraudatus a spe intrandæ Religionis, audiens nihilominus tot calamitates, tot desolationes, et tot crebra pericula Terræ sanctæ; aspiravit aggredi circa finem dierum suorum aliquid arduum propter Deum, a quo de facili impediri non posset. Concepit igitur cum devotione pium propositum transfretandi, ut, quantum divina gratia sibi daret, contra periculum Terræ sanctæ, quod proximum videbatur, consilium et auxilium adponeret salutare. Et tunc mirantibus cunctis, E cœpit, quantum poterat, expensas restringere domus suæ. Noluit tamen subito aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui : Unde per secretum nuncium et discretum humiliter et devote consuluit super hoc felicis recordationis dominum Clementem *a* summum Pontificem : qui tamquam vir prudens in principio reformidans, diuque deliberans, tandem benigne consensit, ac pium propositum approbavit. Misit insuper ob hoc, ad petitionem ipsius Regis, legatum in Franciam, videlicet dominum Simonem *b* titulo sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem.

XXXVIII. *crucem rursus assumit Sanctus,*

58 Crucem igitur assumpturus, convocavit Parisius prælatorum, principum, baronum, ac militum, cæterorumque hominum multitudinem copiosam. Quibus congregatis in unum, domino legato præsente, ipsemet Rex Catholicus coram cunctis qui aderant exhortationem fecit efficacem, et plurimum gloriosam; animans eos ad ulciscendam injuriam Salvatoris in Terra sancta tanto tempore sibi factam, et ad propriam Christianorum hæreditatem recuperandam, quæ tamdiu, peccatis nostris exigentibus, erat ab F infidelibus occupata. Hæc et multa alia ad hanc materiam pertinentia pius Rex gratiosissime peroravit. Finito postmodum domini legati sermone, ipse Rex primus cum devotione multa crucem assumpsit, et tres filii ejus post ipsum, necnon comitum, et baronum, et militum multitudo; tam ii, cum quibus ipse Rex pius fuerat super hoc secreto proloquutus, quam alii, quorum corda tetigerat solus Deus.

XXXIX. *et cum classe navigat in Sardiniam,*

59 Assumpta itaque cruce, quam fervens, quam sollicitus extiterit in magnatibus adtrahendis ad crucem magnis muneribus et promissis, quam anxius atque sollicitus ad peregrinationem accelerandam, ad navigii præparationem, testes sunt, qui hujus sollicitudinis suæ participes extiterunt. Nacta igitur opportunitate, iter cum suis aggrediens *c*, et statuto tempore ad portum Aquarum-mortuarum perveniens, multa tædia atque mœstitias ibidem perpessus est propter deceptionem nautarum, et defectum navium, quæ statuto tempore et promisso non fuerant præparatæ : ita quod navem ascendit multo tardius *d* quam credebat. XL. Cunctis itaque navibus, quæ adesse poterant commode, ante Sardiniam *e*, sicut

A. GAUFRIDO. ut condictum fuerat, congregatis, et venientibus cunctis majoribus exercitus coram Rege, habitum est commune consilium et confirmatum, quod prius irent ad expugnandum regnum Tunicii, antequam in Terram sanctam, sive in Ægyptum transirent. Rationes autem, quæ dominum Regem ad hoc plurimum induxerant, ad præsens, sicut credimus, expedit assignare, propter admirationem et murmurationem multorum; quibus potius videbatur, quod recto itinere ad succursum Terræ sanctæ transire debuisset.

XLI. *ubi procerum suorum consilio ob rationes varias*

60 Siquidem antequam dominus Rex hanc crucem ultimam assumpsisset, multos nuncios receperat a rege Tunicii, et similiter Rex noster plures nuncios remiserat ad eumdem. Dabatur etenim sibi a fide dignis intelligi, quod dictus rex Tunicii bonam voluntatem ad fidem Christianam haberet, et valde de facili posset fieri Christianus, dummodo occasionem honorabilem inveniret; et quod salvo honore suo, et absque metu Sarracenorum suorum hoc complere valeret. Unde Rex Catholicus cum multo desiderio quandoque dicebat : « O si possem videre, quod B » fierem tanti filioli compater et patrinus! » Et ob hoc sub spe ista aliquando voluit se transferre versus partes Carcassonæ et Narbonæ, quasi terram suam visitaturus : ut si dicto regi Dominus inspiraret perficere, quod proposuerat de suscipiendo baptismo, huic pio operi propinquior esse posset. Hic non silendum arbitror, quod cum in ipso anno *f*, quo pius Rex Ludovicus debuit ultimo transfretare, rex Tunicii misisset ad eum solemnes nuntios, et in festo beati Dionysii Rex faceret quemdam Judæum famosum in ipsa ecclesia dicti beati Dionysii solemniter baptizari, ita quod Rex ipse cum multis magnatibus ipsum de sacro fonte levaret; voluit quod dicti nuncii regis Tunicii solemnitati illius baptismatis interessent. Quibus Rex vocatis, ex magno affectu dixit : « Dicite ex parte » mea domino vestro regi, quod ego tam ve- » hementer salutem animæ ipsius desidero, quod » vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus » diebus vitæ meæ, ibidem claritatem solis non » visurus de cetero, dum modo rex vester et » gens sua ex vero corde fierent Christiani. » O vere fidelis sermo, et omni acceptione dignus! C O verbum plane catholicum, perfectione fidei et charitatis refertum. Desiderabat quoque devotissime Rex Catholicus, ut Christiana fides, quæ tempore beati Augustini, et aliorum orthodoxorum Doctorum in Africa, et maxime apud Carthaginem, tam ab antiquo eleganter floruerat, nostris temporibus reflloresceret, et dilataretur, ad honorem et gloriam Jesu Christi.

Tunetanum regnum prius aggredi statuit.

61 Cogitavit itaque, quod si tantus exercitus tamque famosus apud Tunicium subito applicaret, dictus rex Tunicii vix posset apud Sarracenos suos tam rationabilem occasionem habere suscipiendi baptismum, videlicet ut per hoc posset mortem evadere tam sui ipsius, quam eorum, qui secum vellent fieri Christiani : et sic etiam regnum suum sibi pacifice remaneret. Præterea Regi dabatur intelligi, quod si omnino prædictus rex nollet fieri Christianus, civitas Tunicii erat valde facilis ad capiendum, et per consequens tota terra. Suggerebatur insuper Regi, quod civitas illa plena erat argento, et auro, ac divitiis infinitis : utpote quæ a multis retro temporibus a nullo fuerat expugnata. Unde sperabatur quod si, Deo volente, dicta civitas a Christiano exercitu caperetur, ex thesauris ibidem inventis posset acquisitioni et restaurationi Terræ D sanctæ multum efficaciter subveniri. Ceterum, cum de terra Tunicii venire soleret magnum subsidium soldano Babyloniæ tam in equitaturis *, quam in armis et bellatoribus, in gravamen et nocumentum plurimum Terræ sanctæ; crediderunt barones nostri, quod si pestifera radix illa Tunicii posset penitus extirpari, ex hoc Terræ sanctæ, et toti Christianitati utilitas maxima proveniret. Cum igitur scriptum sit, quod ubi unum propter alterum, ibi tantum alterum unum; cum via apud Tunicium proprie aggressa fuerit ad honorem Christiani nominis ampliandum, et specialiter ad Terræ sanctæ utilitatem, et faciliorem succursum, non videtur via apud Tunicium contraria voto crucis, sed potius una et eadem; utpote quoddam adminiculum et præparatio ad Terram sanctam citius et commodius restaurandam. Propter has, et quasdam alias rationes, viam apud Tunicium aggressi sunt. Quod si aliter de via illa successit, quam a fidelibus speraretur, peccatis nostris atque nobis, occulto Dei judicio, debemus potius imputare.

* i. e. equis

E

XLII. *Post aliquot victorias, morbis in exercitu grassantibus.*

62 Igitur navigio cum exercitu nostro satis libere, et quasi sine contradictione in terra Africæ implicato, inter Tunicium, et prope Carthaginem nostri fixere tentoria. Post modicum, castrum illius famosæ Carthaginis, et quidquid ad castrum pertinet, nostri viriliter et victoriose ceperunt : et ibidem multos Sarracenos occiderunt, et victualia multa, et alia exercitui necessaria sunt lucrati. Congressus quasi quotidianos cum Sarracenis, et strages hinc inde factas, et alia hujusmodi, aliis, qui melius ista noverunt scribere, derelinquo *g*. Circa quatuor menses mansit ibidem in tentoriis exercitus Christianus, et tam propter aeris ac terræ intemperiem, quam propter ciborum sanorum defectum, et aquæ dulcis penuriam, magna mortalitas hominum est sequuta. Itaque multi milites et nobiles comites ibidem fuere defuncti. Inter quos illustris comes Nivernensis dominus Joannes pii Regis filius est defunctus, super cujus morte pii Patris viscera non modicum sunt commota. Sed Rex constans et prudens satis cito de ipsius morte qualem potuit consolationem recepit. F

XLIII.

XLIV. *Rex gravi infirmitate corripitur.*

63 Post modicum autem in dictis castris ipsemet piæ ac præclaræ recordationis Rex, Deo dilectus, et hominibus gratiosus, post tot laudabilia fidei et charitatis opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide, et Ecclesiæ dilatatione, fideliter, ac ferventer, et indefesso animo toleravit, disponente Domino, qui labores ipsius voluit feliciter consummare, et ipsi bonorum laborum suorum fructum retribuere gloriosum, febre continua infirmatus lecto decubuit, et invalescente morbo omnia ecclesiastica Sacramenta christianissime et devotissime suscepit sana mente et integro intellectu. Ita quod cum ipsi Sacramentum extremæ Unctionis exhiberemus, et dicerentur septem psalmi cum letania, ipse in psalmis versus dicebat, et in litania Sanctos nominans, eorum suffragia devotissime invocabat. Cum autem jam signis evidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis, quæ ad solum Deum et exaltationem fidei Christianæ proprie pertinebant, ita quod cum jam non nisi submisse et cum gravamine loqui posset, nobis adstantibus, et ad verba ejus aurem adhibentibus, Vir Deo plenus, et vere Catholicus dicebat : « Pro Deo studeamus, quo- » modo fides Catholica possit apud Tunicium

» prædi-

A. GAUFRIDO.

A » prædicari et plantari. O quis esset idoneus, » ut mitteretur ibi ad prædicandum! » Et nominabat quemdam fratrem Ordinis Prædicatorum, qui alias illic iverat, et regi Tunicii notus erat. Ecce qualiter verus Dei cultor, et fidei Christianæ constans zelator beatam vitam suam in confessione veræ fidei consummavit.

qua summa cum pietate animam creatori reddit.

64 Cum autem virtus corporis ejus atque sermonis paulatim deficeret, non cessabat tamen Sanctorum sibi devotorum, sicut eniti loquendo poterat, suffragia postulare: maxime autem beati Dionysii specialis patroni regni sui. Unde in statu illo cum quodam susurro ipsum pluries replicantem audivimus finem illius orationis, quæ de beato Dionysio canitur, scilicet: « Tribue nobis quæsumus, Domine, prospe» ra mundi pro amore tuo despicere, et nulla » ejus adversa formidare. » Et hæc verba multotiens iterabat. Similiter principium orationis de sancto Jacobo Apostolo: « Esto, Domine, » plebis tuæ sanctificator et custos » pluries replicabat, et de aliis Sanctis devotam memoriam faciebat. Ad extremam igitur horam veniens B Christi Servus, super stratum cinere respersum in modum crucis recubans, felicem spiritum reddidit Creatori; ea scilicet hora, qua Dei Filius pro mundi vita in cruce moriens expiravit. Sane super obitu tam christiano, tamque felici, et pium est flere, et pium est gaudere. Pium quidem et congruum est flere pro jactura et dissolutione universalis matris Ecclesiæ, cujus erat devotissimus cultor, et indefessus defensor. Specialiter autem plangendum et dolendum toti Francorum regno, cui merito tanto et tam excellenti Principe erat singulariter gloriandum. Sed nihilominus si rationem vis doloris admittat, gaudendum potius quam dolendum, tum propter modum Christianissimum mortis ejus, tum quia de ipso certa ad omnibus vitam ipsius gloriosam et actus sanctissimos agnoscentibus spes habetur, quod jam de temporalis regni cura sit translatus ad cælestis regni jocundam curiam, quæ curæ terrestris extat penitus aliena, ubi cum electis Dei regnans in perpetuum, beata requie perfruitur sine fine. Migravit autem ad Dominum in crastino beati Bartholomæi apostoli circa Nonam, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo.

C

ANNOTATA.

a *Clementem IV. Vide de his* § 76, *in quo etiam exposuimus, quæ pertinent ad crucem anno 1267 sumptam.*

b *Fuerat jam ibi legatus ab anno 1264 in negotio regni Siciliæ, quod ad finem erat perductum, neque etiam tum ex Gallia discesserat. At Clemens anno 1267 novam ei legationem attribuit ad finem hic memoratum. Litteras ejus hac de re exhibet Martenius tom. 2 Anecdotorum col. 472.*

c *Mense Martio anni 1270. Consule Commentarium num. 1066 et seqq.*

d *Ipsis nimirum Julii Kalendis, ut dictum num. 1081.*

e *Acta hæc sunt in Sardinia, ubi ad octiduum fere substitit classis regia, mense Julio anni 1270, ut probatum in Commentario num. 1092 et seqq., ubi rationes quoque mutatæ expeditionis utcumque auximus.*

f *Id est, anno non integro ante transaretationem, sicut exposuimus in Commentario num. 1029, quem consule.*

g *Relata hæc sunt in Commentario* § 85.

CAPUT VIII.

Carnes Sancti cum intestinis in Siciliam, ossa vero in Galliam translata: sepultura, miracula, fama sanctitis toto orbe diffusa.

Nec prætermittendum, quod cum beati Regis spiritus exiret de corpore, hora illa, et quasi momento eodem illustris rex Siciliæ, gloriosi Regis Franciæ fratrer, ordinatione divina ad portum applicuit, et castra nostrorum intravit. Super cujus adventu jocundo corda nostrorum, quæ ex obitu pii Regis erant graviter sauciata, non modicum consolata fuerunt, et ex tam potenti succursu lætitia grandis ipsis adcrevit. Similiter ex præsentia tam victoriosi principis, tamque famosi, Sarracenorum corda, quæ de morte sancti Regis animari poterant, et lætari, non modicum crufficiata * fuerunt. Ossa sacra corporis ejus ex voluntate domini Regis novi Philippi debuimus nos, et quidam alii ad hoc electi, statim post obitum ejus in Franciam reportare: videlicet in ecclesia beati Dionysii, ubi elegerat sepulturam, si in terra Christianitati nondum adquisita ipsum, Domino disponente, decedere eveniret. Sed postea habito cum rege Siciliæ consilio, ut vidimus, retinuit secum sacras reliquias dominus rex Philippus: confidens quod ex meritis sancti Patris Dominus in bonum promoveret exercitum, et ab infortuniis conservaret a.

XLV. Adventus regis Siciliæ, cujus consilio ossa Sancti servantur in castris.

E

XLVI.

* *forte cruciata*

a

XLVII. carnes vero cum intestinis in Siciliam transferuntur, ubi mox inclarescunt miraculis: ossa

66 Tamen carnes corporis ejus excoctas, et ab ossibus separatas, nec non cor et intestina ipsius petiit et impetravit devotus rex Siciliæ a penote suo rege Philippo. Qui suscipiens sanctas reliquias, honorifice fecit eas in Siciliam deportari, et prope Paternum b in nobili quadam et cathedrali abbatia præcepit recondi, cum valde solemni atque devota processione totius cleri ac populi terræ illius. Quando de Tunicio redeuntes, et Paternum * transeuntes, dictam abbatiam vere nobilem ac pulcherrimam visitavimus, audivimus a pluribus fide dignis, quod postquam sacræ reliquiæ ibi fuere reconditæ, multa miracula ibidem cooperante Domino acciderunt. Denique cum quanto honore, devotione, ac reverentia suscepta sunt ossa ejus, quæ devotissimus ipsius filius illustris rex Philippus in reditu suo de Tunicio secum ubique deferri devotissime faciebat: cum quanto desiderio ac devotione tam clerus, quam nobiles, et populorum innumera multitudo cum solemnibus ac devotis processionibus undique concurrerant ad videndum, seu tangendum loculum, in quo preciosæ ejus reliquiæ portabantur, cum dominus rex transitum faceret tam per Siciliam et Calabriam, quam per sacram urbem Romanam, et apud Viterbium, ubi tunc domini Cardinales moram ad eligendum summum Pontificem faciebant, nec non per Bononiam, et civitates alias Lombardiæ, testes sunt, qui tunc aderant cum domino rege præsentes c.

b

F

* *i. e. Panormum*

c

XLVIII.

67 Quod si per alienas terras ossium sacrorum reliquiæ transeuntes cum tot et tantis honori-

A. GAUFRIDO. *in Galliam delata: sepultura: miracula.* noribus ac piis processionibus sunt a fidelibus populis prosecutæ; quis enarrare sufficiat, quando rex illustris cum pii Patris ossibus sanctis Franciæ regnum intravit, et per civitates et castra regni sui transivit, cum quam devotis ac lacrimosis processionibus clerus ac Religiosi sibi reverenter occurrerent, ac prout dignum erat pie susciperent, atque devotissime prosequerentur, cum innumera atque devota frequentia
XLIX. populorum? Postremo apud sanctum Dionysium in Francia venientes, ubi, prout dictum est, sanctus Rex suam elegerat sepulturam, congregata prælatorum, et baronum, ac Religiosorum multitudine magna, sacrosancta ossa ipsius sepulturæ venerabiliter tradiderunt, juxta patrem suum regem piissimum Ludovicum, præsente domino ejusdem filio rege Philippo; qui tamquam optimi patris optimus filius fidelissime ac devotissime sibi semper astitit in vita pariter et in morte. Sepultus est autem anno Domini
L. MCCLXXI, die Veneris ante Pentecosten. Sepultis igitur ossibus sacro-sanctis divina non defuere magnalia, sed mox mirificavit Dominus San-
B ctum suum. Nam cooperante Christi potentia, et exigentibus meritis sancti Regis, super ipsius tumulum plurima contigere miracula, quæ ex mandato domini abbatis sancti Dionysii fideliter sunt conscripta, et prout dicitur diligenter probata, ad sanctissimi Viri merita declaranda et ad Dei omnipotentis gloriam et honorem, qui in Sanctis suis semper est mirabilis. Ipsi gloria et imperium in secula seculorum Amen.

68 Demum, ut finis hujus Operis libelli
LI. *Eximia virtutum ac sanctitatis fama,* principio coaptetur, vere et digne memoria nostri Josiæ, Regis videlicet, propter prædictæ sanctæ conversationis ipsius merita, nec non felicis mortis ejus magnalia, in compositione odoris facta opus pigmentarii, et in omni ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini. Memoria quippe laudabilis vitæ et conversationis ipsius compositioni odoris operis pigmentarii merito propter... gratiam suavissimæ famæ ejus : quæ quoad procul absentes, et qui eum corporaliter non viderunt, longe lateque per orbem universum dilatata est et respersa. Ita quod vere dicere potuerit : « Christi bonus odor
C « sumus in omni loco » : et quod tota domus universalis Ecclesiæ, imo et totius orbis, impleta sit ex ejus odore unguenti. Non enim credo, quod a multis temporibus retro-actis aliqua persona vivens extiterit, cujus fama et
d actus egregii magis repleverint totum mundum *d*. Ita quod de eodem dici possit : « Unguentum effu- » sum nomen tuum. » Et sicut in laude Mardochei dicitur : « Fama nominis ejus crescebat quoti- » die » : imo sicut de rege Salomone dicitur : « Vincebat famam virtutibus suis » ita quod vix medietas sapientiæ ejus atque virtutum a referentibus enarretur. Sequitur : « Et in omni ore » quasi mel indulcorabitur. » Hoc quoad præsentes, et circa ipsum conversantes, qui opera ejus sancta frequenter, et de prope conspicere meruerunt, et quasi mel in ore probare et gustare laudabilem vitam ejus. Mellita enim erat et dulcissima ejus conversatio, sicut mel quanto amplius masticatur, tanto sapit dulcius, et vehementius efficit ad amorem.

69 Quod autem in fine subditur : « Et quasi
sensusque familiarium ipsius de sancto Rege, » musica in convivio vini » spectat ad ipsius familiares et consiliarios, et præcipue, qui cordis ejus arcana intima cognoverunt, qui ipsum gratiosissime loquentem toties audierunt, tam in D secretis consiliis, quam in amicabilibus dulcium collocutionum suarum sermonibus; et maxime quibus cordis sui secretas ac pias affectiones, et sancta desideria familiariter revelabat : quod erat plane et suavis musica ad audiendum, et ut vini convivium ad jocunde gustandum. Ita quod de ipso dici potuit, quod in laude Heliæ dicitur : « Beati qui te audierunt, et amicitia tua » decorati sunt. » Et quod regina Saba de Salomone admirans protulit : « Beati, inquit, viri, et » beati servi tui, qui stant coram facie tua sem- » per, et qui audiunt sapientiam tuam. » Sic itaque fuit Josias noster quasi odor pigmentorum fragrans per famam suavissimam, quantum ad procul absentes; quasi mel in ore, quantum ad præsentes, qui sanctam ipsius conversationem probando gustaverunt : et quasi musica in convivio vini, quoad speciales amicos, qui secreta sapientiæ ejus atque virtutum audientes, quasi experti sunt musicam melodiosam, et velut vini convivium delicatum.

70 Igitur post tot et tanta præconiorum præ- LII. *quem auctor canonizatione dignum judicat.*
missa magnalia, quid aliud restare videtur, nisi ut Josiæ nostri memoria tam odorifera, tam mellita, tamque melodiosa in Ecclesia Dei, prout dignum est, perpetua perseveret? Videlicet ut E
in memoria æterna stabiliatur Justus noster : et deinceps Justi hujus memoria sit cum laudibus sollemnibus et devotis : ac ut dilecti Deo et hominibus memoria sit omnium seculorum, et similem illum faciat in gloria et honore Sanctorum suorum ille, qui in Sanctis suis semper est gloriosus et superexaltatus in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia pertractata sunt in Commentario § 87.*

b *Legendum opinor* Palermum, *qua voce auctor* Panormum *designaverit a voce Gallica* Palerme *vel Italica* Palermo. *Nam abbatia, ad quam carnes cum intestinis delatæ sunt, in Sicilia prope Panormum sita est in oppido modico, quod Latine Mons-regalis, vulgo* Monreale, *nominatur. Evecta erat hæc abbatia ad dignitatem archiepiscopalem a Lucio III summo Pontifice, cujus litteras recitat Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom. 1, a pag. 408. Cathedralis quidem vocatur abbatia, quæ metropolitica vocari poterat, sed eadem voce non raro utitur laudatus Pirrus. Ceterum quo modo reliquiæ ibidem sint conditæ, dictum est in Commentario § 87, ubi quoque de miraculis actum.* F

c *Totum iter Philippi regis cum sacris ossibus dedimus § 88 : sepulturam quoque et miracula ibidem narravimus.*

d *Probantur hæc elogiis auctorum contemporaneorum, quæ dedimus in Commentario § 89.*

APPEN-

A

APPENDIX

VITÆ PRIMÆ

Auctore Guilielmo Carnotensi ex editione Menardi et Chesnii.

PRÆFATIO

Mirabilis in altis Dominus mirabilia circa nos nostris temporibus operari non desinit : innovans signa, et mutans mirabilia his diebus. Nam Sol novus ortus in partibus occiduis, ac per orbem diffundens sui radios luminis et caloris, nec in meridiano occumbens, in ipso occasu non tepuit : sed fornacem fervoris et lucis in operibus ardens custodivit, et dulce lumen et delectabile sanis dereliquit. Siquidem possumus per Solem illum particulariter intelligere Solem lucentem inter seculi principes et rectores mundi, et velut Solem inter sidera fulgentem : illum scilicet recolendæ ac præclaræ memoriæ Regem, Franciæ Ludovicum, qui in Occidente exortus, orbem terræ luminosæ vitæ suæ illustrans radiis, tandem in partibus Affricanis occumbens, sicut Sol in meridie calore viget, et radiis suis offuscat oculos : sic effulsit moriens, ardens fervore fidei et amoris divini, et lucens omnibus mentibus operum sanctitate, et post occasum lucere non desinens miraculorum evidentium claritate.

laudato S. Ludovico,

B

2 Licet autem ad honorem et gloriam Conditoris, ad ipsius commendationem gloriosi Regis, et ejusdem testimonium sanctitatis satis sufficere videtur odor sanctissimæ famæ ejus ubique per orbem diffusus ; ac ea quæ sanctæ memoriæ pater noster, totius religionis speculum, frater Gaufridus de Bello-Loco, Ordinis Prædicatorum, ejus confessor, et conscius secretorum, circa finem vitæ suæ ad mandatum domini Papæ Gregorii *a*, sicut patuit, propria manu subscripsit, et scripta reliquit ipsi domino Pontifici destinanda : quia tamen de quibusdam aliis dignis memoria, quæ gessit in vita, tam in prosperitate regiminis, quam in adversitate carceris, et in angustia suæ mortis, aliqua sunt vel dimissa penitus, vel omissa ; ac de miraculis, quæ circa ejus sepulchrum, et alias ad divinæ laudis cumulum, et meritorum ipsius Regis declarationem accidisse noscuntur, de iis pauca recolligere studui, et præsumpsi adjicere stilo brevi *b*.

se quædam scripturum a Gaufrido omissa, monet auctor.

C

ANNOTATA.

a *Litteras, quibus id mandavit Gregorius, dedimus in Commentario* § I.

b *De auctoritate hujus scriptoris egimus dicto* § I.

CAPUT I.

Morum honestas, et modestia; pietas erga instrumenta Passionis Dominicæ, et in die Veneris sancto.

Scripsit autem sic in suæ narrationis exordio memoratus pater, assumens illud verbum pro themate, quod scribitur in Ecclesiastico : Memoria Josiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini : nomen Josiæ ipsi Regi nostro tam ratione, quam imitatione consimilis actionis convenienter adaptans. Et recte, sicut de illo Josia scribitur in figura, sic illi comparari potest Regis nostri dulcis memoria : odori scilicet pigmentarii operis, dulcedini mellis, et harmoniæ musicæ instrumentalis; tamquam suavis in corde, in ore, E et in aere. Propter tria, quæ fuisse leguntur in ipso Rege, fama scilicet ejus celebris virtutis fragrans, quæ vincit omnem odorem : suavitas modestæ et sanctæ conversationis, quæ excedit omnem corporalem dulcedinem : studium divini honoris et laudis, quod superat omnem cantilenam et secularem melodiam. Ut autem de aliis satis dictum sufficiat, hujus Regis nostri non solum erant dulcia et delectabilia cunctis sane audientibus et intuentibus gestus ejus, actus, et verba, scilicet et sanctitatem redolentia, et ad devotionem excitantia corda multa.

Morum Sancti suavitas;

4 Hanc enim specialem gratiam virtus ei divina contulerat, quod, sicut pluries est expertum, multorum ad eum venientium et magnorum commotos animos et turbatos aspectus ejus et affatus serenatos protinus redderet et quietos. Multi etiam, qui inter alios præcellere religione videbantur, viso eo vel audito, plurimum ædificati redibant. Et quanto evidentius humilem et sanctam conversationem ejus agnoverant, tanto amplius illustrati seipsos *a* in conspectu et respectu minus se religiosos, minusque perfectos et humiles judicabant. Mores F enim ejus, actus, et gestus, non solum regales, sed etiam regulares, nihil seculare aut vanum penitus sapiebant. Denique non facile dictu, quam dulcia faucibus ejus divina semper fuerint eloquia. Nam et ipsius divinæ laudis præconia non solum super mel ejus ori, sed super omnia delectabilia ejus influebant auribus atque cordi. Cantilenas etenim vanas secularium, et inanes fabulas histrionum abominans et detestans, et instrumentorum musicorum oblectamenta recusans, in quibus delectari solent plerique nobilium ; filios suos ac familiares ab hujusmodi arcebat ineptiis. Vehementer affectus, ac totus intentus divinis laudibus et canticis; in illis etiam suave sonantis Ecclesiæ vocibus plurimum delectatus : ut cum illo Ecclesiæ Doctore egregio possim glorianter sic asserere de seipso : « Laudes tuæ, Domine, suspenderunt planitiem cordis mei ad te, ne raperetur per maria turpis præda volatilibus » *b*.

verborum honestas et efficacia :

5 Porro cum quanta honorificentia et reverentia Salvatoris, cum quanta frequentia ac devotione plebis, solemnitates *c* illas, quas instituerat in capella sua Regia : (nam sacrosanctæ coro-

A. GUILIELMO CARNOTENSI. *festivitates ad honoranda Passionis instrumenta geminas quotannis celebrat;*

coronæ Domini in crastino S. Laurentii, quæ in tota Senonum provincia celebratur, aliam; sanctarum aliam reliquiarum in crastino S. Michaelis archangeli celebrari fecit annuatim) quam solemniter ac reverenter pretiosum illud lignum crucis Dominicæ, sacrosanctam ejus coronam spineam *d*, ac venerandum ferrum lanceæ, quod latus Dominicum perforavit, auro et gemmis preciosissimis adornata processionaliter ac publice deportari fecerit in singulis solemnitatibus antedictis; prælatis, et Religiosis, cum clero, capis indutis sericis, laudes divinas altissime decantantibus, ipso pio Rege cum suis magnatibus humiliter subsequente, ac universo populo devote sacras ipsas reliquias adorante; etsi vellem, non valerem, nec sufficerem explicare. Et has quidem solemnitates ipse Rex pius tam in absentia, quam in præsentia celebrari voluit, etiam dum peregre ageret ultra mare: juste et religiose considerans et affectans, ut in illis, in quibus ab infidelibus Judæis inhonoratus fuerat Dominus Majestatis, honoraretur præcipue a fidelibus et devotis; et
B secundum ignominiam, quam pro nobis sustinuerat, vituperatus et illusus, multiplicaretur gloria laudis ejus.

ac, præter alia pietatis exercitia, in die Veneris sancto

6 Cæterum, silere non debeo quæ pius Rex die sancta Parasceves annis singulis agere consuevit. Post Matutinas siquidem ante diem coram ipso more debito decantatas, post orationem brevem, cum silentio ad cameram * suam veniens, ibique solus remanens, cum uno capellano suo totum ex ordine Psalterium cum omni attentione et devotione perlegendo complebat: nec lectum intrans aut dormiens, post paululum circa solis ortum, nudus pedes, in humili habitu, paucis eum ex suis comitantibus, per lutosas et lapidosas vias civitatem aut villam, in qua erat, perambulans, intrabat ecclesias, et orabat, eleemosynario subsequente, et eleemosynas omnibus pauperibus effundente: et ipse etiam Rex multos denarios propria manu dabat *e*. Deinde fatigatus supra modum ad domum rediens, post paululum sermonem publicum, in quo tota Dominicæ Passionis recitabatur series congregato populo, devotissime audiebat: postmodum Dominicum Officium cum omni devotione celebrari solemniter faciebat.

* id est cubiculum

crucem magna cum humilitate honorat.

C 7 Verum, quam reverenter et humiliter ad crucem adorandam venire consueverat, non facile explicarem. Nam a sede vel loco suo veniens, nudus pedes, discooperto capite, et collo nudato, in semicciis *f* et humili habitu, quasi pauperrimus a longe procedens, genibus suis flexis, liberis suis ipsum simili habitu subsequentibus, crucem *g* Dominicam sic humiliter adorabat, quod adstantes et aspernentes plurimos ac compunctionis et devotionis lacrymas excitabat. Sicque, peracto servitio, Rex Christianissimus ad mensam tenuissimam panis et aquæ simplicis accedebat. Ecce qualiter Rex devotus diem ipsam a media nocte inchoans, in vigiliis multis, in labore, fatigatione, in jejunio et fame, in eleemosynarum largitione, in orationibus et divinis laudibus totaliter expendebat. Sic etiam totum tempus reliquum vitæ suæ divinis obsequiis, et operibus pietatis dedicare studuit; ut cunctis, majoribus scilicet et minoribus, speculum et exemplar relinqueret totius sanctimoniæ et virtutis. Nam recte dicitur:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et sicut Moysi dictum est a Domino: Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in D monte monstratum est *h*; sic unicuique nostrum quid agendum sit indicitur et ostenditur in istius mentis altitudine, hoc est, in excellentia dignitatis et nobilitatis hujus Regis inclyti, in evidentia bonitatis, et eminentia vitæ ejus.

ANNOTATA.

a *Sensus hic minus est perfectus. Fortasse scripserit auctor,* Ipsius *et* suipsius in conspectu.

b *Hæc omnia variis locis refert Vita secunda.*

c *De his solemnitatibus agit Vita secunda num. 43, ubi tres quotannis fuisse dicuntur. Forte duas præcipuas recenset hic auctor.*

d *Qua occasione, et quomodi spineam Domini coronam, aliaque Dominicæ Passionis instrumenta piissimus Rex acceperit, Parisiosque detulerit, dictum est in Commentario § 30, et 36.*

e *De hac pietate Sancti die Veneris sancto agit Vita secunda num. 41, et rursum num. 87.*

f Semiccia, *forte legendum* semicinctia; *nam* semiccia *non invenio. Verum, quidquid sit de lectione, significantur hac voce vestes, quæ totum corpus non tegunt, ut colligitur ex sensu, quænam* E *hæ essent, indicat Vita secunda num. 41.*

g *Quandoquidem hæretici calumniari solent Catholicos propter honorem cruci habitum: lubet pauca notare de veneratione sacrosanctæ cruci exhiberi solita. Apud Labbeum tom. 7 Conciliorum col. 235 inchoatur apologia Christianorum contra Judæos, quam composuit Leontius Neapoleos in Cypro episcopus, quamque prælegerunt Patres concilii Nicæni 2; in hac autem, refutans calumnias Judæorum, (imo et futurorum nostri temporis hæreticorum) qui mentiebantur crucem, aliasque imagines a Christianis adorari veluti deos, gemina similitudine venerationem cruci præstari consuetam sic explicat:* Et sicut is, qui jussionem imperatoris suscepit, et salutavit sigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, sed imperatori adorationem et cultum impendit: ita et nos Christianorum pueri figuram crucis adorantes, non naturam ligni adoramus; sed signum et annulum et characterem Christi: eum aspicientes, per eum illum, qui in eo crucifixus est, salutamus et adoramus. Et sicut pueri proprii patris cujusdam, qui peregre profectus est ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex anima flagrantes, sive virgam F ejus in domo videant, sive sedem, sive chlamydem; hæc cum lacrymis deosculantes amplectuntur; et non illa adorant, sed patrem desiderant et honorant: ita et nos omnes fideles, ut virgam Christi, crucem adoramus. *Plura ibidem lector inveniet.*

h *Habentur hæc verba Deuter. 25 ℣ 40.*

CAPUT II.

Pie, prudenter, et fortiter in carcere gesta: eximium charitatis exemplum.

Pia in carcere exercitia:

Verum, quia per hujus pietatis ac devotionis obsequia, et alia plurima charitatis et misericordiæ opera acceptus erat Deo, sicut legitur de Tobia, necesse erat ut tentatio probaret eum, et probatum ostenderet manifeste, sicut examinatur aurum et argentum in fornace.

Unde

A Unde non est omnino tegendum silentio, quod cum captus fuisset ab hostibus in Ægypto, quamdiu detentus est in carcere, numquam a solita devotione et divina laude cessavit. Nam quantumcumque in illo gravis ergastulo carceris artaretur, divinum tamen officium secundum morem Parisiensis ecclesiæ, Matutinas scilicet, et Horas canonicas tam de die, quam de beata Virgine, et totum officium Missæ absque Sacramenti consecratione, assidue cum uno presbytero fratre Prædicatore, qui sciebat Arabicum, me adjuncto sibi tunc temporis clerico suo, ipsis etiam Sarracenis custodibus ejus audientibus, jugiter exsolvebat devoto corde et ore, horis competentibus: habens ibi breviarium capellæ suæ, quod ei Sarraceni post captionem ejus pro exenio * præsentaverant, et missale.

* i. e. munere

prudentia ibidem et constantia:

9 Quam prudenter vero, quam fideliter, quam constanter se gesserit in omnibus erga ipsos Sarracenos importune et improbe ipsum aggredientes et impugnantes, exactionibus atque minis, non est meæ facultatis evolvere: licet fere semper præsens affuerim ei ubique. Hæc tamen possum veraciter et generaliter causa brevitatis B asserere, quod in omnibus factis honestissime se habuit, prudentissime in responsis, in tractandis fidelissime et cautissime, securissimeque in negandis. In omnibus quidem oppressionibus constantissimus erat semper, ipsis etiam majoribus coram mirantibus admiratis, et dicentibus ipsi Regi ad importabiles exactiones eorum inflexibiliter se habenti: De hoc supra modum miramur, quod vos, quem prisionem * nostrum et sclavum * reputabamus, talem in vinculis invenimus: et tales etiam nos reputatis, ac si nos in carcere teneretis. Nequaquam enim consensisset eis reddi Damiatam, si eam potuissent retinere tunc temporis Christiani. Prius enim illuc miserat, et sibi relatum inde fuerat, quod si obsiderent eam Sarraceni, non poterant contra tanti robur exercitus tunc defendi. Sed nec propter duras eorum oppositiones et comminationes aliquantulum flecti potuit, vel induci, ut aliquid promitteret, concederet, aut juraret, quod in aliquod Christianitatis detrimentum cederet, aut suæ constantiæ læsionem, mirantibus cunctis, qui aderant, magnatibus, etiam Christianis, qualiter tam securus, tam imperterritus erat, C cum ipsi non modicum terrerentur. Ipse quidem tamquam vir justus in Domino confidebat, et ideo non timebat, juxta illud Sapientis: « Justus quasi leo confidens absque terrore erit. »

* i. e. captivum
* i. e. mancipium

Saraceni, occiso soldano, coram Rege mitescunt,
* i. e. inducias

10 Hoc insuper maximum gratiæ et virtutis indicium ostendit in eo præcipue Rex virtutum, quod cum post initas et concessas trevias * inter soldanum et Regem, conventiones habitas et firmatas deliberatione nostrorum, quadam die Dominica in sero præsente patriarcha Jerosolymitano bonæ memoriæ Roberto *a*, quem de Damiata Rex venire fecerat pro consilio habendo, cum multis aliis magnatibus Christianis; in crastino mane majores admirati Babiloniorum, confœderati ad invicem, soldanum suum sedentem ad prandium per quosdam familiares suos fecissent interfici, et sicut canem mortuum et fœtidum projici super terram; statim ejectis custodibus, qui Regem et suos servabant, et jam ipsis absque custodia existentibus, et nihil aliud expectantibus nisi gladium seu mortem: intraverunt subito quidam de interfectoribus cum quibusdam de majoribus admiratis, et principalibus actoribus hujus necis, quasi leones vel ursi rabidi, truculentis animis et cruentis manibus, adhuc etiam de tam nova nece fumantibus, et de recenter effuso sanguine, brachiis erectis: qui statim ad aspectum gloriosi Regis, omni pristina feritate deposita, quasi agni mansueti vultibus, ac demissis ad terram capitibus, ac manibus adorantes, et eum salutantes, dixerunt: Ne timeatis, Domine, sed securi sitis. Nec de facto isto multum vos convenit admirari. Sic enim fieri oportebat. Faciatis quod vestrum est celeriter juxta conventiones habitas, et cito eritis liberati. Quod et sic factum est.

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

eumque cum magnatibus libertati restituunt. *b*

11 Nam post diem tertium *b* facta est liberatio Regis et suorum magnatum valde celebris et solemnis, Domino exercituum sic mirabiliter ordinante: ut qui paulo ante dominum suum infidelem soldanum, tam pomposum, et in superbiam de nostra subjectione elatum, tam viliter interfecerant, et projecerant tamquam putridum et immundum; captivum Regem, et humilem, suum adversarium, et Christi fidelem, tam honorabiliter redderent liberatum omnino. Sic enim per Sapientem prædictum fuerat: « Justus de » angustia liberatus est, et tradetur impius » pro eo. » Liberati postmodum fuerunt E ex hac causa generaliter, quotquot inveniri potuerunt captivi in omni terra Ægypti, etiam ab antiquis temporibus ubicumque detenti *c*. *c* Inter quos magister Hospitalis Jerosolim., qui detentus fuerat in carcere, et alii multi fuerunt liberati, et libertati pristinæ restituti. Et hoc quidem non absque miraculo virtutis divinæ, et meritis ipsius Regis adscribendum est, quod tam faciliter et pro modico tot et tanti viri de manibus iniquorum infidelium liberati sunt incolumes atque securi. Postmodum ipsi Sarraceni inter se gementes, et pœnitentiam agentes, dixerunt quibusdam ex nostris, quod nesciebant tunc temporis quid faciebant. Et vere sic erat. Nam sicut in Isaia legitur: Immiserat Dominus in medio eorum spiritum vertiginis, et errare fecit Ægyptium in omni opere suo, sicut errat ebrius et amens *d*. *d*

Illustre Regiæ charitatis exemplum in sepeliendis Sidone occisis.

12 Illud etiam non silendum, quod humilitatem et fervorem fidei Regis ipsius commendat plurimum, quod cum veniens Sidonem audisset de Christianis illuc missis ab eo, qui civitatem ipsam reædificare incœperant, interfectis ibidem a Damascenorum exercitu, quod multa corpora F atque membra eorum jacebant in littore penitus insepulta; accessit ad locum Rex pius antequam cibum sumeret, una cum venerabili patre bonæ memoriæ domino Odone Tusculano episcopo, apostolicæ Sedis legato. Et cum alii, qui aderant, quasi... quamdam abominationem et horrorem haberent levandi corpora, et truncata membra et jam quasi semiputrida contrectandi, sive etiam ossa tangendi; ipse magnanimus et devotus Rex, quasi nihil abominationis hujus aut sentiens, et a mane usque ad meridiem ibidem, ac si esset in sella aromatica, conversans, propriis manibus ipsa etiam intestina et horrida membra Christianorum, quos vere martyres reputabat, sic benigne levabat a terra, sic dolenter contrectans et colligens ponebat in vasculis, ad locum sepulturæ, quem prope castra parari fecerat, deportanda; quod omnes qui aderant, et quamplures, qui præ abominatione fugerunt, mirabantur humilitatem et magnanimitatem ipsius. Sicque nullo omnino vel minutissimo osse relicto, quidquid inventum est traditum est honorifice, cum exsequiarum celebratione

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

tione solenni, ecclesiasticæ sepulturæ. Ut plane de ipsis possit intelligi illud Psalm. : « Custo» dit Dominus omnia ossa eorum, unum ex iis *e* » non conteretur. » Et illud etiam Sapientis : Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum *f*.

ANNOTATA.

a *Hunc patriarcham* Guidonem *vocat Cangius in Observationibus pag. 62, citans Albericum, qui ad annum 1241 affirmat Guidonem episcopum Namnetensem factum esse patriarcham Hierosolymitanum. Chaizius quoque tom. 1, pag. 535* Guidonem *nominat, addens tamen a quibusdam* Robertum *vocari. Verum, aut Guido præcesserit Robertum, citoque defunctus fuerit, aut in nomine erraverit Albericus, nisi utrumque Patriarcha nomen habuerit. Nam non modo hic auctor, qui illum aliquot annis novit, Robertum nominat : sed etiam Continuator Tyrii apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ* B *col. 729, gesta referens anni 1244,* Robertum *vocat, et col. 735 de morte ejus sic habet :* Die VIII Junii *(anni 1254)* obiit Robertus patriarcha Hierosolymitanus. *Octogenarium fere fuisse anno 1250, ait Joinvillius cap. 15, ubi plura de eo. Videri item potest Papebrochius noster in Chronologia patriarcharum Hierosolymitanorum ante tom.* III *Maii pag. 55.*

b *Id est die 6 Maii, seu postridie Ascensionis Domini, ut habet Joinvillius num. 149. Itaque 2 Maii occisus est soldanus, die sequenti pacta renovata, et 6 Maii exsecutioni mandata.*

c *De captivis hisce, quos contra pactum detinuerant Ægyptii, Regis cura paulatim liberatis, egimus in Commentario § 55, 56, et 57.*

d *Verba Isaiæ, quæ luxata sunt, ita leguntur cap. 19 ℣ 14 :* Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis : et errare fecerunt Ægyptium in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.

e *Psal. 33 ℣ 21 legitur :* Unum ex his.

f *Eccli 44 ℣ 14 :* Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. *Ceterum in Commentario* C *num. 727 hoc factum quoque narravimus, quod egregie celebrat Vita secunda a num. 108.*

CAPUT III.

Misericordia erga afflictos; prophetiæ donum; cura alienæ salutis; ecclesiasticos et religiosos in pace servandi studium; reverentia erga summum Pontificem.

Servum ægrotantem invisit.

Ad hoc ipse Rex spiritu pietatis adeo plenus erat, quod ad infirmos in extremis etiam laborantes, licet dissuaderent ei plurimi propter periculum, causa charitativæ visitationis libenter accedens, verba piæ consolationis, et salutis consilia valde necessaria eis dabat. Accidit autem semel apud Mensoriam * in Ægypto, quod cum ego, qui clericus ejus eram, quemdam ipsius famulum et cubicularium, virum bonum, et specialiter ei familiarem, nomine Gaugelmum, in exercitu visitassem, sic morti propinquum, quod credebatur instanter spiritum exhalare, et ab ipso redirem, dixit mihi : « Expecto quod » veniat dominus meus Rex sanctus, nec ab » isto recedam seculo donec viderim, et locu» tus ei fuerim, et post cito decedam » : quod et sic accidit. Nam post paulum Rex accessit ad visitandum eum, de quo pauci sperabant, eique consolationem piæ visitationis et allocutionis impendit. Quo recedente, antequam ad suum venisset regale *, nunciatum est ei verissime Gaugelmum expirasse.

* Massoram

D

* i. e. tentorium

vitam alicujus monasticam prædicit,

14 Cæterum, mores hominum, et eventus rerum sic aliquando probavit; non humana, sed divina revelatione cognovit pluries, et quandoque prædixit. Quæ tamen propter occupationes varias a meæ tenuitatis memoria exciderunt. Hoc autem fideliter possum adserere, quod accidit de meipso. Cum semel nobis duobus, videlicet fratri Gaufrido bonæ memoriæ, et mihi tunc existendi in seculo, cui unam pinguem thesaurariam *a* contulerat Rex de novo, de hoc familiariter loqueretur; præter alia sermonem ad fratrem illum de me ipso convertens : « Hic, ait, do» minus Guillelmus ludet modo de sua ista » thesauraria per quinque annos, vel sex, et » post religionem intrabit. » Hoc autem tunc, sicut non proposueram, non consensi; sed quod prædixit veracissime rei exitus comprobavit. Nam post quintum et dimidium annum completum, Ordinem fratrum Prædicatorum, in quo sum, per gratiam, licet indignus, intravi, sicut in spiritu præviderat ac prædixerat Rex devotus. Nec tunc recordabar verbi, quod dixerat, sed postmodum occurrit mihi memoriæ quod audivi.

a

E

peccatores a flagitiis,

15 Non solum autem in regni regimine de corporum aut rerum corporalium custodia, prout ad regale spectat officium, diebus ac noctibus invigilans, sollicitus erat et anxius, ut omnes quasi pupillam oculi conservaret : sed de salute etiam animarum ultra quam credi possit pia usurpatione permotus, sic de ipsa curabat attente, quod etiam quodammodo regale sacerdotium, aut sacerdotale regimen videretur pariter exercere. Multos enim valde insolentes nobiles, et rapinis subjectorum pauperum inhiantes ab iis regia potestate compescens; quamplures alios flagitiosos et lascivos suis secretis exhortationibus ad emendatioris vitæ fructum efficaciter inducebat : necnon et aliquos præpotentes et nobiles, qui filiu concubinas tenuerant, eas ad unius regiæ monitionis præceptum ac consilium penitus abjecisse; et ex his aliquem vel aliquos, quas prius concubinas habuerant, domicellas *b* inferioris generis, duxisse postmodum.

F

b

et mulierem nobilem a vanitate abducit,

16 Præ ipsius itaque reverentia majestatis, aut etiam honestatis, verebantur omnes tam majores quam minores, in habitu vel ornatu notabili seu pomposo coram ipso, vel apud ipsum accedere, ne confusionem reciperent, non honorem, si coram tam humili et honorato Rege comparerent aliquatenus fastuose. Accidit autem semel in quodam parlamento Regis, quamdam dominam ornatam non modicum curiose, post peractum negotium suum in curia, cameram Regis intrasse cum non multis; et hoc innotuerat ipsi Regi. Fuerat enim secundum seculum.... aut falsum secularium consilium, et vanam corporis pulcritudinem formosa plurimum et famosa. Concipiens autem in animo Rex totus Deo devotus, quod de salute sua ei familiariter loqueretur,

A queretur, vocavit fratrem Gaufridum, qui præsens ibi aderat, dicens ei : « Volo quod sitis » mecum, et audiatis quæ dicere propono tali » dominæ, quæ presens est hic, et quærit per» sonaliter mihi loqui. » Auditis igitur, et expeditis quæ dicere voluit ipsi, domina sola remanente cum Rege et fratre prædicto, sic ait Rex : « O Domina, volo vobis unum ad memoriam » reducere de nostra salute. Olim dictum est vos » pulchram fuisse dominam, sed quod olim fuit » jam transiit, sicut scitis. Potestis ergo perpen» dere quod illa pulchritudo vana et inutilis erat, » quæ cita evanuit sicut flos, qui statim » emarcuit, et non durat; nec eam revocare po» testis quantacumque cura aut diligentia. Pro» videndum est a vobis de alia pulchritudine non » corporis, sed animæ, adquirenda, per quam » Creatori nostro placere possitis; et ea, quæ » in transacto decore acta sunt negligentius, » compensare. » Hæc audiens prædicta Domina, patienter accepit. Postmodum in melius mutata, humilius et honestius se habere curavit.

ecclesiasticorum et religiosorum paci consulit,

B 17 Ipse autem totius honestatis et modestiæ speculum, honestos et modestos viros plurimum diligebat, et ad suam familiaritatem vocabat : liberos suos, propinquos, et familiares nobiles, qui secum erant, in his verbis salutaribus erudiens, et exemplis. Cæterum, Rex ipse pacificus, tamquam pacis ac Religionis amator præcipuus, paci, ac reformationi, et conservationi ecclesiarum et monasteriorum omnium regni sui, totis insudabat affectibus : provocando sedare discordias, molestias et injurias propulsando, quas pluries sunt expertæ quamplures tam cathedrales quam aliæ conventuales ecclesiæ. Insuper et monasteria præclara quamplurima, specialiter Cluniacense cum membris suis, Majoris monasterii *c* Turonensis, sancti Dionysii, sancti Benedicti Floriacensis *d*, necnon Cisterciense, cum multis aliis, quibus ipse in suis necessitatibus, dissentionibus, vel oppressionibus, tamquam pius pater et patronus indefessus affuit, et a multis incommodis conservavit. Pressuras etiam, et necessitates, ac negotia Religiosorum pauperum, quodam speciali ac tenerrimo amplectebatur affectu, tamquam pater pauperum : fovens et sustinens eos beneficiis et auxiliis opportunis.

Pontificis mandatis reverenter obedit, inquisitores juvat.

C 18 Sane, quam reverenter et humiliter erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quam devote et obedienter rescripta et mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quam obedienter et efficaciter sicut verus filius obedientiæ adimplere; norunt illi, qui ei familiarius adhærebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiæ plus quam propria reputans, ea totis affectibus promovere curabat. Inquisitores etiam hæreticorum pro negotio fidei et Ecclesiæ laborantes, quandocumque recurrebant ad ipsum, recipiebat dulciter et benigne; diligenter eos audiens, et celeriter expediens cum omni gratia et favore, postpositis aliis quantumcumque arduis negotiis, asserens negotium fidei debere omnibus aliis anteponi.

ANNOTATA.

a *Dignitas ecclesiastica est illorum, quibus incumbit cura custodiendi thesauros ecclesiæ.*

b *Id est, uxores legitimo matrimonio junctas, sed quæ cum liberis suis non eodem gaudebant jure, quo gaudent quæ pari cum marito sunt nobilitate.*

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

c *Majusmonasterium, vulgo* Mairmoutier, *in diœcesi Turonensi situm est ad ripam Ligeris. Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 589 illud a S. Martino conditum tradunt, Ordinique S. Benedicti deinde aggregatum.*

d *Floriacense S. Benedicti cœnobium, vulgo* Fleury, *aut* S. Benoist sur Loire, *in diœcesi Aurelianensi constitutum est, de quo plura vide apud laudatos Sammarthanos pag. 405. Reliqua jam sæpe memorata sunt.*

CAPUT IV.

Consuetudines pravæ, usuræ Judæorum, et duella sublata : Sancti in regendo auctoritas et justitia; sobrietas rigidaque jejunia; eleemosynæ, variaque charitatis ac humilitatis exercitia.

E

Consuetudines pravas abrogat, Judæorum usuras tollit, a

Consuetudines siquidem iniquas et pravas quantumcumque longævas, si commode poterant, aboleri, et exactiones indebitas amoveri jubebat *a*, præposituras suas malens cum aliquo pecuniæ vel redituum detrimento committi bonis et fide dignis personis, quam vendi cum augmento suo, vel lucro; nullum emolumentum suum aut lucrum reputans cum detrimento justitiæ, vel populi nocumento. Judæos autem Deo et hominibus odibiles abominabatur in tantum, quod eos videre non poterat, nec aliquid de bonis eorum in usus suos converti volebat : asserens se nolle eorum retinere venenum, nec eos exercere usuras; sed in ministeriis aut in mercationibus licitis victum suum adquirere, sicut in aliis regionibus fieri consuevit. Cum autem in contrarium suaderent ei plures de consiliariis suis, asserentes quod populus vivere non poterat sine mutuo, nec terræ excoli, nec ministeria vel mercimonia exerceri : et melius esse F dicebant ac tolerabilius, quod Judæi, qui jam damnati sunt, hujus damnationis exercerent officium, quam aliqui Christiani, qui ex hac occasione etiam majoribus usuris populum opprimebant : ad hæc ipse tamquam vir Catholicus respondebat : « De Christianis, inquiens, fœ» nerantibus, et usuris eorum, ad prælatos ec» clesiæ pertinere videtur. Ad me vere pertinet » de Judæis, qui jugo servitutis mihi subjecti » sunt; ne scilicet per usuras Christianos op» primant, et sub umbra protectionis meæ talia » permittatur ut exerceant, et veneno suo in» ficiant terram meam. Faciant ipsi prælati quod » ad ipsos spectat de suis subditis Christianis, et » ego volo facere quod ad me pertinet de Ju» dæis. Dimittant usuras, aut omnes exeant de » terra mea *b*, ne eorum sordibus amplius in» quinetur. »

bonaque eorum usuris parta dominis restitui, aut piis operibus applicari curat:

20 Bona insuper eorum etsi capi faciebat cum eis aliquando, non tamen animo retinendi; sed ut illis, a quibus ea per usurarum pravitatem extorserant, restituerentur; receptis probationibus legitimis eorumdem, super quæ diligentes inquisitores et providos deputabat; ponens in eorum

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

rum manibus illa bona, ut libere possent illa restituere per seipsos. Si quid autem erat residuum, quod probari non posset, aut inveniri, cui vel quibus deberet restitui, illud cum dispensatione Ecclesiæ *c* in pios usus et ecclesias erogabat. Licet autem in omnibus de reddenda justitia promptus esset ac sollicitus, juste quod justum erat totis affectionibus exequendo; vigorem tamen justitiæ misericordiæ lenitate temperans, plerumque ad ea, quæ superexaltabant judicium, ex innata sibi clementia non modicum pronus erat, veritatem nullatenus deserendo, sciens quod scriptum est : Misericordia et veritas custodiunt regem, et firmatur clementia thronus ejus.

duella vetat, sine personarum exceptione, flagitiosos punit.

21 Monomachiam, quæ bellum dicitur, vel duellum, convocata discretorum et jurisperitorum concilio ex diversis regni partibus, congregavit *d*, intellecto per eos, quod sine peccato mortali exerceri non poterat, cum non videatur esse justitia, sed potius tentatio sit in Deum, de dominio suo penitus exterminari decrevit : ordinate, vel modo alio juri consono.... et probandi, per testes scilicet et instrumenta, vel etiam rationes, secundum quod juris ordo exigit. In majoribus autem excessibus, in quibus absque divina offensa locum non debebat habere remissio, non remissum, sed rigidum et inflexibilem, quantacumque esset persona, quæ deliquerat, se efficaciter exhibebat. Quod si etiam esset persona de familia *e*, excessum aut delictum ejus severius quam de extraneo vindicare curabat. De prædictis siquidem in multis certis casibus possent exempla specialiter adsignari : sed hæc causa brevitatis omittimus, ne possent aliqui viventes aut mortui tali recitatione notari.

Sancti amor proborum virorum, auctoritas virtute parta,

22 Fideles et discretos viros bonæ conversationis et famæ, et maxime mundas manus habentes a muneribus, cum summa diligentia exquirebat, tales ballivos et seneschallos instituens : et ex eis, postquam bene suas baillivias diutius rexerant, familiares suos et consiliarios faciebat. Acceptores munerum, et pauperum oppressores quasi quamdam pestem refugiens, si quando in officiis erant, aut bailliviis, amovebat. Denique mirabantur plurimi, et ex eo quidam malivoli murmurabant, quod unus homo tam humilis, tam quietus, nec robustus corpore, nec severus in opere, sic pacifice dominari poterat super tantum regnum, super tot et tantos principes, tam potentes : maxime cum nec multum aliquibus esset affabilis, aut in muneribus liberalis. Sed hoc adscribendum est non potentiæ temporali, sed divinæ virtuti, non severæ tyrannidi, sed regali mansuetudini, et charitati, et fidelitati devoti populi, qui præ cæteris specialem quamdam et innatam dilectionem ad dominum naturalem habere noscitur, nec timore deprimente, sed amore potius dominante regnatur.

parcus ciborum usus, humilitatis charitatisque

23 Siquidem de abstinentiis et frugalitate ejus sic arbitror generaliter consulendum, quod ab omni re, in qua vel carnaliter, vel temporaliter, delectari poterat, aliquam sibi abstinentiam indicebat : in iis omnibus animo suo quamdam necessitatem et violentiam inferendo. De ipso etiam cibo suo, qui ultra primum ei adponebatur, et quo libentius vescebatur, solitus erat sibimet partem, vel totum quandoque subtrahere, et alicui e pauperibus ex more quotidie coram ipso comedentibus elargiri. Unde semel contigit, quod cum scutellam plenam offis pinguibus, quibus libenter vescebatur, quas propriis manibus scissas posuerat in scutella, uni ex illis pauperibus miserabili et infirmo misisset, et ille cum manibus ulcerosis et immundis jam partem comedisset ex eis, nec amplius vellet comedere, petens quod amoverentur omnino : hæc videns Rex inclytus, ex innata sibi humilitatis virtute petiit illud pauperis residuum, in quod sordidas manus intinxerat, sibi dari, dicens : Reddite mihi offas meas. Et mirantibus cunctis, quantumcumque animus abhorreret, cœpit tamen ex eis sic sapide sic libenter comedere, ac si nullas eas penitus contigisset. Cæterum adfuerunt qui viderunt sex fide digni, quod in monasterio suo Regalis-montis cuidam leproso scienter Rex humilis lavavit pedes, et eos more solito diligenter extergens, osculatus est humiliter et devote.

erga pauperes opera,

24 Illud etiam non prætermittendum est silentio, quod cum semel lotioni hujusmodi se dedisset, venit ad quemdam ex illis pauperibus qui ad hoc vocati erant, et cœpit ei lavare pedes flexis genibus more solito. Quem cum pauper ille non agnosceret esse Regem, petiit ab eo simplicitate sua, ut iterum digitos pedum, ubi plures latebant immunditiæ, sibi lavaret interius et mundaret. Quod licet adstantes mirarentur, et minarentur pauperi ei, qui ausus fuerat rem talem a Rege petere; pius Rex tunc petitionem ejus clementer admittens, benigne executus est humilitatis officium, insertis digitis suis inter digitos pedum ejus, lavans et tergens, ac demum subjungens osculum caritatis.

jejunia rigida,

25 Sane jejunia adeo districte servabat; quod in infirmitate etiam ea nullatenus volebat infringere. Unde in ultima ægritudine, qua decessit, die Sabbati jus gallinæ, quod sibi adponebatur de consilio medicorum, gustare noluit; quia super hæc confessoris sui, qui tunc forsitan aberat, specialem licentiam non habebat. Præter alia etiam privata jejunia, de quibus memoratus frater Gaufridus latius disserit, quædam supererogare consuevit. Jejunabat enim semper per totum Adventum in cibo quadragesimali, et illis sacris diebus, qui sunt ab Ascensione Domini usque ad Pentecosten. In omnibus etiam Apostolorum vigiliis, licet in quibusdam earum non jejunaretur in Paris., vel in alia diœcesi, in qua erat : ad sui excusationem de hoc sibi loquentibus prætendendo, quod de Carnotensi diœcesi oriundus existebat, in qua hujusmodi vigiliæ jejunantur.

ingentes

26 Inter cætera quidem pietatis et misericordiæ opera, quibus totus quasi inundans quidam charitatis fluvius affluebat, eleemosynas ejus, quas enarrat omnis ecclesia Sanctorum, silere non debeo : hoc generaliter adserens, nullum genus pauperum in suam devenisse notitiam, quod in aliquo suæ largitionis aut subventionis beneficium non sentiret. Hoc etiam specialiter subjungere volui, quod ingruente caristia *f*, largius se in eleemosynis effundebat, mittens per diversa loca pecuniam erogandam ubique : maxime abundantius dari præcipiens, ubi plurimos assidue percipiebat reditus et proventus. Unde cum caristia quædam in partibus Normaniæ contigisset, adeo copiosam illuc pecuniam erogandam pauperibus destinavit; quod sicut inde solet afferri Parisius thesaurus redituum in ferratis doliis et quadrigis, sic vice versa de Parisius illuc in similibus vasis et vehiculis pro distribuenda eleemosyna denarii portabantur. Dignum enim esse judicabat et justum, ut ubi metebat assidue, ibi necessitatis tempore seminaret; et quod,

sicut

A sicut scriptum est, splendidum in panibus benedicerent labia multorum. Sperabat etiam, quod de benedictionum semine gloriosam retributionis æternæ benedictionem in extrema colligeret messione.

eleemosynæ, 27 Illud etiam silere non debeo, quod semel accidit, me præsente. Cum enim domum Dei maxima multitudine propter infirmorum quotidie confluentium... *g* assidue, propter angustiam decumbentium multum in ædificiis necessariis cum magnis sumptibus augmentasset : venit ad eum magister domus, et petiit ab eo aliquam eleemosynam, maxime cum in anno illo magnum vini defectum sustinerent in domo. Quod audiens Vir pietate plenus, ex abundantia pii cordis abundanter tribuens, accersito cambellano suo, jussit eidem domui pro vino et aliis, sibi tunc necessariis, mille libras Paris. statim dari. Quod admirans ille magister, vix credidit, donec Rex verbum ita repetiit : « Date, inquiens, » pauperibus domus Dei Parisius mille libras. » Satis enim magnum reputasset ei beneficium, si tantum centum libras illa vice pro eleemosyna B reportasset.

h *et fundationes.* 28 Circa etiam tempus illud in castris *h* tribus suis insigniis tres domos hospitales pauperum cum magnis sumptibus et amplis ædificiis in brevi construxit, et reditus assignavit. Domum fratrum Prædicatorum Compend., ecclesiam fratrum Minorum Parisius totam, et alia ibidem ædificia cum magno sumptu. Insuper et dormitorium cum refectorio fratrum Prædicatorum Parisius ædificavit. Tunc temporis, et in brevi sperans, et confidens de summi misericordia Largitoris, quod per hanc domus Dei ædificationem, et alia pietatis opera, post dissolutionem domus propriæ corporalis, domum non manufactam acciperet æternam in cœlis.

ANNOTATA.

a *Exempla suis locis in Commentario relata sunt.*

b *Varias leges Sancti contra Judæos dedimus in Commentario : at illa præ ceteris huc spectat, quam in Palæstina condidit, ut omnes Judæi* C *artibus mechanicis vitam tolerarent, vel regno excederent, ut diximus num. 723.*

c *Consule Commentarium num. 830.*

d *Mendum haud dubie est, totaque hæc periodus luxata non parum est. Constat tamen de re, quam relatam vide in Commentario num. 883 et seqq.*

e *Id est, ex domesticis Regis, de quorum punitione exempla in Commentario allata sunt locis variis : non pauca etiam habet Vita secunda cap. 14.*

f *Id est, penuria seu caritate cibariorum.*

g *Hic rursum voces quædam exciderunt. Porro de beneficiis huic valetudinario Parisiensi præstitis aliqua sunt commemorata in Commentario num. 880.*

h *In oppidis tribus munitis : Compendii, opinor, Pontisaræ, et Vernonii : nam tria illa valetudinaria construxit eodem fere tempore, quo reliqua mox adjuncta. De omnibus vide Gaufridum num. 29, et assignatum ibi in notis Commentarium.*

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

CAPUT V.

Morbus Sancti supremus, et mors piissima : revelatio de morte ipsius.

Studium fidei propagandæ Adveniente igitur tempore, quo post finem certaminis, cursus metam, curam regiminis gloriosam, Rex transire debuit ad supernum regnum, incomparabilem coronam accepturus pro mercede laboris, quantum fuit in fidei firmitate perfectus, in charitate fervidus, in spei sublimitate percipiendi præmii elevatus : demum in ipsa extrema, qua gravissime laboravit, ægritudine usque ad exitum vitæ manifeste claruit, sicut plane disseruit frater Gaufridus sæpe memoratus, qui affuit; et ego similiter, qui præsens astiti in infirmitate et morte. Quantum enim ad fidem pertinet, cujus totis visceribus zelabat augmentum, revera sicut granum sinapis quanto amplius teritur, tanto magis fervet E et redolet : sic hic Vir totus in fide fixus, et totus in spiritum absorptus, quanto magis erat malleis adversitatis pariter et infirmitatis adtritus, eo plus fervorem enitens in se perfectum fidei declarabat; nolens de aliqua re carnali vel seculari verbum admittere : sed solum spiritualibus intendebat, invitans suos, et excitans, prout eniti possent, de propagatione fidei et multiplicatione in illis Africanis partibus cogitare.

30 Charitatis etiam incensæ et accensæ interius ostendit ardorem, quem nec aquæ multæ *et pietas Sancti* tribulationis aut ægritudinis corporalis potuerant extinguere, sed potius accendere videbantur. Nam sicut de Domino Salvatore legitur, quod factus in agonia prolixius orabat; sic Vir sanctus in extremis agonizans, cœpit orare prolixe : et inter alia orationum suffragia, cum Sanctos familiares invocabat, illam collectam dicere, quæ de beato apostolo Jacobo Majore cantatur : « Esto, Domine, plebi tuæ sanctifica- » tor et custos », in quodam suavi susurro replicans; et ardorem charitatis, quam de salute populi tam spirituali quam temporali gerebat in F corde, tam dulciter et benigne depromens, ac si diceret : Domine, jam satis est, quod huc usque certavi, quod hactenus in tuo servitio totis affectibus laboravi, quod commissum mihi populum tuum ac regnum ea, qua potui, sedulitate servavi. Nunc autem ex eo, quo, tua disponente clementia, evocatus ad te corporaliter eos amplius custodire nequeo; te deprecor, te exoro, esto eis Domine sanctificator animarum, et custos corporum : tuæ eos pietati commendo.

31 Cæterum, quamvis corporaliter plurimarum *in supremo morbo*, molestiarum premeretur angustiis, sponte tamen elevabatur in spem desideratæ mercedis. Nocte enim præcedente fuerat auditus sic dicere in Gallico; Nous irons en Jerusalem *a*. Totus enim cælestibus inhians, totum habens spiritum immersum in supernis, suspirabat assidue ad illam cælestem Jerusalem, quæ est visio veræ pacis. Denique circa horam Tertiam *b*, cum jam usum loquendi quasi totaliter amisisset, aspiciebat tamen adstantes sibi familiares, quasi subridens valde dulciter, et suspirans. Et cum inter Tertiam et Sextam visus esset quasi dormiens

per

A. GUILIELMO CARNOTENSI.

per spacium dimidiæ horæ quiescere, tunc aperiens oculos, et elevans ad cœlum vultu sereno protulit hæc verba Psalmistæ : « Introibo in » domum tuam, adorabo ad templum sanctum » tuum, et confitebor nomini tuo. » Hoc enim sicut credimus, vere dicere poterat, quod desideraverat, quod expectaverat, quod sperabat introire, scilicet in domo Dei, in potentias Domini, et apparere in conspectu Dei non vacuus, sed holocausta deferens medullata. Se enim et suos cum incensæ charitatis affectu devotus obtulerat, et ideo poterat illud dicere cum Psalmista : « Introibo in domum tuam in holocaustis. »

quo piissime moritur.

32 Ad ultimum vero, prius omnibus ad se pertinentibus regio more dispositis, susceptisque devotissime omnibus ecclesiasticis Sacramentis, die crastina beati Bartholomæi circa horam nonam diem clausit extremum, felicem reddens animam Creatori : illa scilicet hora diei, qua Salvator noster pro mundi vita moriens expiravit. Ab illa siquidem hora, usque dum ad hoc, quod parari debuit corpus ejus, ut separarentur ossa a carne, intuentibus adparebat sic speciosus ac gra- B ciosus in facie, ac si plene vivus esset et sanus; et quasi subridens aliquantulum videbatur. Porro lamentationes et luctus fidelium, ac planctus et ululatus pauperum prætermitto; cum de ipso gaudendum sit potius, quam dolendum. Sic igitur Sol et decus regum, ac principum orbis terræ in partibus meridianis, et in meridie fœcundæ charitatis occubuit, ut ad illum, qui pascit et cubat in meridie, perveniret. Sic Rex inclytus de temporalis regni servitute transivit, ut pro certo creditur et speratur, ad regnum felicitatis æternæ. Sic fidelis Servus et prudens super familiam Domini constitutus cum multiplicato talento de labore in requiem, de statu mœroris in gaudium Domini sui meruit intrare securus.

Visio piæ matronæ oblata

33 Ad decus igitur et gloriam Regis regum, et ad declarationem meritorum et sanctitatis Regis nostri prædicti, post ejus obitum divina non defuere miracula, tam ad ejus sepulcrum quam alibi : quorum plurima vel per negligentiam non scripta, vel non examinata plenius seu probata; aliqua vero ex iis, quæ verissime examinata sunt, et luce clarius comprobata, conscripsimus, quæ inferius duximus annotanda. Non longe post felicem obitum illustrissimi Regis nostri, cum non- C dum super hoc essent propalati rumores, quædam matrona Parisius fide et honestate laudabilis, et ad ipsum Regem devota plurimum, cujus vir ipsi Regi familiaris extiterat, talem visionem vidit in somnis. Videbatur ei quod Rex ipse cappa *c* superindutus purpurea, qua veste non consueverat a longis retro temporibus indui, capellam suam Regiam Paris. a dextro latere splendidus et gloriosus magna circumstantium intrabat concomitante caterva : et accedens præ aliis ad altare propius, inclinabat junctis manibus super illud, ac si Domino sacrificium offerret in eo. Deinde post paululum vertebat se versus chorum, habens vultum valde splendidum et serenum. Aliquantulum remotius in dextera parte chori versus altare stabat quidam alius in habitu consimili, sed non ita splendidus, verso vultu ad altare, et junctis manibus quasi orans. Cernebantur autem ipsi duo splendidiores omnibus apparentes, et stantes plurimi mirabantur super hoc. Sicque ipsa visio disparuit.

de obitu S. Ludovici.

34 Ipsa autem die veniens de domo Regis ad domum propriam vir prædictus, tristis et dolens projecit se super lectulum, lamentans et ejulans fletu magno. Unde cum uxor sua ab eo causam D tanti fletus inquireret, aperuit ei novam tristitiam, quam recenter audierat de morte domini Regis sui, et filii ejus Joannis comitis Nivernensis. Recolens itaque prædicta matrona, et recogitans postmodum visionem, eam mihi quasi spiritualiter consolata narravit. Ex quo plenius intelligi potest, illud acceptabile sacrificium sibi fuisse divinitus monstratum, quod pius Rex addens super illud memorabile sacrificium Abrahæ, non solum de proprio filio tam sibi dilecto, sed etiam in odorem suavitatis obtulit de seipso; illius etiam imitando vestigia Regis summi, qui semetipsum immaculatum semel pro peccatoribus obtulit Deo Patri.

ANNOTATA.

a *Id est,* ibimus Hierosolymam.

b *Tertiam intellige ab ortu solis, seu horam, qua Tertiæ recitantur : nec alio modo sexta deinde et nona intelligenda.*

c *Cappa seu capa, Gallis* chape, *pallii species erat, qua quidem semper usus erat* Ludovicus : *at non ex colore purpureo.* E

CAPUT VI.

Miracula quædam facta anno 1271.

Ipsa die, qua preciosum corpus ad S. Dionysium est sepultum, ibidem quædam matrona de Sagiensi *a* diocesi visum oculorum, quem dudum quasi totaliter amiserat, recuperasse refertur. Et hoc vidisse se dicunt aliqui fide digni; et præcipue magister Guillelmus de Matiscone canonicus Parisiensis, qui se adserit vidisse. Et multa alia tam ipsa die quam alias contigerunt ibidem miracula circa variis infirmitatibus laborantes, quæ in publicam notitiam non venerunt.

Cæca apud sepulcrum visu donata, a

F

36 Contigit etiam non multo post, quod quidam adolescens circiter XXV annorum, de ultimis finibus Burgundiæ, surdus et mutus a nativitate, qui per XVI annos vel circa in quodam castro nobilis viri Domini Joannis Cabilonensis *b*, quod vocatur Orgelestum, conversatus fuerat et nutritus, et jam per annum vel circiter in domo ejusdem nobilis in coquina ejus servierat, prout poterat, non audiens nec loquens, sed solummodo signis utens, ita quod fere tota familia signa ejus noverat, et per signa suam voluntatem et motum animi tam ipse aliis, quam alii sibi totaliter ostendebant : comperto per signa, quod apud sepulcrum gloriosi Regis Franciæ Ludovici fiebant miracula, virtute operante divina, adjunxit se quibusdam peditibus venientibus *c* Parisius, deinde perrexit ad sanctum Dionysium, et in loco sepulcri Regii plorans et ejulans, orationem, qualem potuit, non oris, sed cordis, cum gemitibus et suspiriis aliquamdiu fudit. Tandem virtute divina, et gloriosi Regis meritis, ob cujus devotionem venerat, apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Statim enim cœpit ibidem loqui *d*, non lingua materna, sed recte Gallicana; ac si fuisset natus in ipsa villa S. Dionysii, et continue conversatus. Unde multis in admirationem versum est,

surdus et mutus a nativitate ibidem utrumque sensum consecutus. b

ac

A ac stuporem. Et cum ab eo quæreretur in Gallico a quibusdam, quos ex visu noverat, non ex nomine : Quomodo vocor ego? respondebat in Gallico : Vous avez nom mes amis. Quar d'aultre nom ne sai-je riens *e*. Narrabat etiam, quod numquam tantum terrorem habuerit in vita sua, sicut quando campanas ecclesiæ sonantes audivit. Timebat ne tota ecclesia corrueret super eum. Nam tunc primum audire cœpit. Unde stupor et tremor potens eum invasit. Hæc narrant tam præcedentes nobiles, quam et multi alii, qui cum a multo tempore cognoverunt *f*. Et multa alia divinæ pietatis beneficia infirmis variis, meritis ipsius ibibem collata fuisse creduntur, quæ nondum in publicam notitiam devenerunt.

clericus, implorata Sancti ope, ex gravi morbo restitutus,

37 Accidit insuper circa tempus illud, quod quidam clericus de Britannia bene notus episcopo Macloviensi *g*, et aliis fide dignis, dum per civitatem Carnotensem transitum faceret, gravi infirmitate correptus corporis lecto decubuit; et invalescente ægritudine diuturna, cum de vita ejus desperaretur omnino, et jam appropinquasset ad mortem, ad quorumdam piam suggestionem divinæ pietatis cœpit flagitare succursum, B et pii Regis Ludovici auxilium invocare : vovens et promittens, si Dominus sospitatem ei conferret, se confestim ipsius Regis visitare sepulcrum. Quo facto, statim sensit divinam adesse virtutem, et cœpit totaliter convalescere. Qui in crastino surgens, et gaudens, iter propositum arripuit, et perfecit, sanitati pristinæ restitutus : mirantibus multis tantam subitationem insperatæ salutis.

medicus clericusque regis, comitante visione mirabili, periculosa febri liberatus.

38 Magister Dudo physicus et clericus *h* domini Regis, qui cum ipso sanctæ recordationis Rege Ludovico in partibus Carthaginensibus fuerat, assistens et in infirmitate pariter et in morte, cum domino rege Philippo reversus est. Paulo post ipsius gloriosi Regis sepulturam, dum esset apud sanctum Germanum in Laya *i* die Pentecostes, ubi dominus rex Philippus festum suum more regio tenuerat, sensit se graviter infirmari. Invasit enim eum febris satis acuta. Die tamen crastina sicut potuit venit Parisius et jacuit in domo regis : et tantum invaluit ægritudo, quod omnes medici desperabant, et ipse etiam cum aliis de seipso. Quarto die ægritudinis confessione facta, et dispositione de rebus suis habita, C cum dolorem intolerabilem sentiret in capite, cœpit benedictum Regem Ludovicum totis affectibus invocare, sic dicens : « Ha! Domine Rex, ego fui clericus vester, et credo » vos esse sanctum. Succurrite mihi obsecro in » hac necessitate, et ego vigilabo per noctem » ante tumulum vestrum. » Quo dicto, somno profundo arreptus, invenit se in somniis ante tumulum, supra quem videbatur ei quoddam altum ad modum feretri, quod numquam viderat. Et adparuit Rex Ludovicus stans ambobus pedibus supra altum illius feretri, habens in manu sua sceptrum regium, cujus pars inferior sub manu erat ita longa, quod cum ea supra partem declivem ipsius feretri *k*.... Et erat indutus Dalmatica alba longa usque ad pedes, cujus extremitates seu fimbriæ erant deauratæ, habens in capite suo coronam auream cum lapidibus preciosis. Et erat pulchrior facie, et hilarior, quam unquam eum vidisset in vita sua. Et dixit ei Latinis verbis : « Ecce adsum : quid vis? Multum vocasti me. Et dixit ei infirmus lachrymando : Domine, pro Deo succurratis mihi. » Qui respondit : Ne timeas, convalebis ab ista » infirmitate. Sed tamen habes in cerebro tuo » quemdam humorem corruptum, venenosum, » et obscurum, qui non permittit te cognoscere » Creatorem tuum. Hæc est causa tuæ ægritudi- » nis, et ego removebo eum. » Tunc accepit eum per caput cum una manu, et cum pollice alterius manus fidit eum inter nasum et supercilium in sinistra parte, ut sibi videbatur : et immittens pollicem cum alio digito, extraxit de humore corrupto, venenoso, obscuro et fœtido, ad quantitatem unius nucis majoris, et dixit : « Quamdiu habuisses hoc in capite tuo, non pos- » ses habere sanitatem » : et projecit illic. Excitans autem paulum dictus magister, sensit se curatum totaliter a dolore capitis, et dixit assistentibus hoc sibi invenisse *l*, quod curari debebat totaliter ipsa nocte, et quod etiam curatus erat a dolore capitis vehementi. Et timuerunt valde, ne alienatus esset. Sed ille visionem illam recitavit eisdem, et nocte ipsa, scilicet quartæ diei ægritudinis suæ, post rigorem fortissimum et sudorem liberatus est totaliter. Et hoc raro vel numquam per naturam contingere solet, cum nulla signa digestionis præcessissent, sicut alii E medici adserunt. Hanc visionem mihi fratri Guilermo Carnotensi, qui hæc scripsi, narravit in crastino mane dictus magister, et se liberatum adseruit, et eandem visionem prolixiorem *m* mihi tradidit propria manu scriptam, paratus hæc omnia proprio juramento firmare.

A. Guilielmo Carnotensi.

custos liberorum regis, admotis Sancti capillis, ex gravi dolore brachii recreatus,

39 Apud castrum Luparæ Parisius dominus Petrus de Lauduno miles, custos puerorum domini regis Philippi, cum dolorem intolerabilem in brachio dextro pateretur, ita quod per multos dies nec ipsum sursum levare poterat aliquantulum, nec de ipso aliquid operari : recolens se habere de capillis domini sui Regis, cujus cambellanus extiterat, de divina virtute confidens, et de meritis ipsius Regis, tetigit ter infirmum brachium : et ad primum tactum capillorum sensit se multum alleviatum, ad secundum amplius, et ad tertium ab omni dolore penitus liberatum. Unde capillos ipsos in auro et argento repositos reverenter et devote conservat.

cæcæ visus redditus.

40 Circa tempus illud, cum duo fratres Prædicatores causa prædicationis per stratam *n* publicam prope sanctum Dionysium iter agerent, inter alias personas multas, quas invenerunt in via F de S. Dionysio venientes, viderunt duas mulieres ad invicem colloquentes, et gaudentes de iis quæ sibi acciderant. Quarum una fratri sciscitanti, quid evenerat, ita dixit : « Domine, » istud est magnum miraculum et manifestum, » quod vere fecit Deus propter istum Regem » sanctum. Nam mulier ista, quam ego addu- » xeram de Rothomago, non videntem omnino » oculis suis, sicut nec ego video talo pedis, » modo videt omnia sicut ego. » Frater autem ille hæc constanter asseruit se audisse, et vidisse eam tunc per se sine alicujus adjutorio, sine duce vel baculo libere et potenter euntem, adhuc tamen a vigiliis et fletu oculos tumentes habentem.

incurva erecta.

41 Anno eodem, scilicet MCCLXXI feria tertia post festum S. Urbani *o*, quædam mulier de Cambliaco, nomine Amelina *p*, quæ per tres annos ire non poterat nisi curva, cum adjutorio unius baculi incurvi, cum quo gradiebatur ita prope terram, quod caput suum non distabat a terra per mensuram pedis et dimidii, veniens ad sepulchrum sanctæ memoriæ Regis recuperavit rectum usum incedendi die supradicta. Et

hæc

A. Guilielmo Carnotensi.

hæc mulier nota est a pluribus de villa S. Dionysii fide dignis, qui eam curvam tanto tempore viderunt, et postmodum liberatam taliter et erectam.

claudæ gressus datus,

42 Anno eodem, feria VI post dictum festum S. Urbani, quædam puella nomine Petronilla, filia Ælipdis de Aube, quæ numquam potuerat ire, nisi trahendo se cum pedibus et manibus super terram, veniens ad dictum sepulchrum recuperavit corporis sanitatem; ita quod poterat incedere per villam sine alicujus adjutorio. Et hæc commorata est per XX annos in villa S. Dionysii, in vico S. Remigii, et nota est a pluribus.

paralytica sanata,

43 Item anno eodem, feria V post festum SS. Marcellini et Petri *q*, quædam mulier, quæ vocantur Agnes la Maque, manens Parisius prope domum Beguinarum, in crastino Paschæ ad sermonem factum in cimiterio S. Innocentis percussa paralysi medietatem corporis sui amiserat. Veniens ad locum dicti sepulchri, et orationem devote fundens, virtute divina, et per ipsius Regis merita, partis infirmæ corporis recuperavit plenissime sanitatem.

B

alia eodem fere malo liberata,

44 Item eodem anno, feria IV post festum prædictorum martyrum, quædam mulier de Villa tignosa, nomine Hodierna, sic afflicta erat corporis sui infirmitate gravissima per XI annos, quod per sex illorum annos non potuit de lecto surgere, et per quinque alios sequentes semel in anno, scilicet in Pascha Domini, ibat ad Cœnam cum magna difficultate, adpodians *r* se super unum baculum. Hæc veniens ad dictum sepulchrum, fusa oratione recepit sanitatem corporis sui per merita dicti Regis : ita quod sine adjutorio aliquo poterat ire ab ipsa die et deinceps, sanitati pristinæ restituta.

r

claudis

45 In anno prædicto, die Sabbati post festum prædictorum martyrum, Michael, dictus Hamiage, commorans Parisius prope domum de Barbeel in parochia S. Pauli, per sex annos non poterat ire sine duabus potentiis *s*. Veniens autem ad sæpedictum sepulchrum, per merita sæpedicti Ludovici ita perfectam et integram obtinuit sanitatem, quod Parisius recto gressus sine alicujus adminiculo cum gaudio remeavit.

s

C

variis

46 Item anno prædicto in vigilia beati Bartholomæi *t* apostoli, Joanneta de Porta Baudet, commorans in parochia S. Pauli Parisius, detenta fuit sui corporis infirmitate; ita quod per quatuor annos non potuit sine duabus potentiis ambulare. Quæ veniens ad sepulchrum, per merita supradicti Regis Ludovici recuperavit usum gradiendi.

t

apud sepulcrum

47 Item anno prædicto, die Sabbati post festum prædictum beati Bartholomæi apostoli, Joannes, dictus Canus, commorans Parisius in parochia S. Mederici, in vico Radulphi de S. Laurentio, per quatuor annos non potuit incedere, nisi apodiando se manibus super genua. Qui veniens ad sæpedictum sepulcrum, per merita sæpedicta faciliter cum agilitate sine aliqua apodiatione gradiebatur.

gressus

48 Item anno prædicto die Sabbati post festum beati Barnabæ *u* apostoli, Emelina la Biche, uxor Joannis Anglici, de parochia S. Mederici Paris., a festo S. Martini *x* hiemalis amisit taliter unam de tibiis suis, quod non poterat incedere sine baculo, trahens post se dictam tibiam. Quæ veniens ad sæpedictum sepulchrum, per merita dicti Regis perfectam et integram recuperavit sanitatem.

u

x

D

restitutus,

49 Item eodem anno, die Martis ante festum beati Barnabæ apostoli, Gila de Silvanecto, commorans pariter in parochia S. Pauli, detenta infirmate non poterat ire per quatuor annos sine duabus potentiis. Quæ veniens ad sæpedictum sepulchrum die Martis prænominata, perfectam recuperavit sanitatem.

uti et usus manus mulieri.

50 Item eodem anno, Dominica ante festum beati Barnabæ apostoli, Ælipdis filia Roberti dicti Peclecoc, toto tempore vitæ suæ habebat manum curvam, nec poterat eam levare usque ad pectus, nec inclinare super genua, sine adjutorio alterius manus. Quæ veniens ad sæpe dictum sepulchrum, per merita gloriosissimi Regis de infirmitate sua rediit liberata.

ANNOTATA.

a Sagium, *vulgo* Seez, *urbs est episcopalis in Normannia sub archiepiscopo Rotomagensi.*

b *Idem miraculum narratur in Vita secunda, ubi num. 224, qui hic Joannes Cabillonensis, vocatur comes Autissiodorensis. Rem breviter explico. Joannes Cabillonensis filius Joannis comitis Cabillonensis, quem Joinvillius num. 241 vocat avunculum suum, dominus fuit de Rochefort in Burgundia, uxoremque duxit Alcidem Burgundicam, quæ divisa hereditate paterna anno 1273, Autissiodorensem comitatum habuit, uti scribit Andreas du Chesne in Historia Burgundiæ lib. 3. cap. 40, ubi plura videri possunt. Itaque hic titulum illum comitis postea acceptum omittit : alter vero utitur illo titulo, quod serius scripserit.*

E

c *Imo comitatui regis Philippi ossa Patris in Franciam transferentis. Deinde non quia audierat miracula esse facta, neque ex pietate sepulcrum invisit, aut ibi oravit : sed solum quia similia videbat ab aliis fieri, ut ipse testatus est. Erravit igitur in his adjunctis auctor; sed errore, quem vix evitare poterat, cum quilibet putaret signa muti externa ex interna pietate proficisci.*

d *Hic rursum aberrat auctor. Consule Vitam secundam num. 227.*

e *Hæc postea dicere potuit, ubi doctus erat loqui. Quod autem Gallice loqueretur, nec uteretur dialecto Burgundica, factum puto, quod ita doctus fuerit in domo comitis Autissiodorensis, ubi loqui didicit.*

F

f *Horum testimonio prævalet relatio ipsius Ludovici, (id nomen ei datum) quia omnia coram inquisitoribus juratus narravit. Hinc advertat lector, quam facile scriptores etiam coævi et sinceri, in ajdunctis quibusdam fallantur, dum ex auditu rem narrant : neque adeo miretur, illos subinde a nobis corrigi, quando ex variorum collatione veritas enitescit.*

g Maclovium, *seu* Macloviopolis, *vulgo* S. Malo, *urbs est Britanniæ Armoricæ episcopalis sub archiepiscopo Turonensi :* Sita est in insula parva, S. Aaronis dicta, vix a continente Britanniæ septemtrionalis separata, et ipsi ponte juncta, *ait Baudrandus in Geographia. Simon de Clisson ex Ordine Prædicatorum tunc erat Macloviensis episcopus in episcoporum illorum catalogo apud Sammarthanos.*

h *Refertur quoque hoc miraculum in Vita secunda a num. 291, ubi vocatur* canonicus Parisiensis, *et* medicus, *quod hic* physicus, *et deinde* clericus regis.

i *Oppidum est prope Sequanam inter Lute-*

tiam

A *tiam et Pisciacum, sed huic vicinius, vulgo* S. Germain en Laye.

k *Deest hic vox* niteretur, *aut similis.*

l *Forte legendum,* evenisse.

m *Altera pars visionis habetur in Vita secunda num. 293.*

n *Per* stratam *illius ævi scriptores* viam *designant.*

o *Colitur S. Urbanus Papa et martyr 25 Maii, ubi de illo actum.*

p *Apud Nangium* Amelota, *in Vita secunda num. 184* Emmelota, *ubi plura notabimus.*

q *Coluntur cum S. Erasmo 2 Junii, ubi de illis apud nos actum.*

r *Id est, nitens baculo. Narratur hoc miraculum in Vita secunda a num. 273.*

s *Ita* fulcra subalaria *vocat a voce Gallica* potence.

t *Celebratur id festum in Gallia 24 Augusti, Romæ 25, ad quam Acta dedimus.*

u *Festum S. Barnabæ* XI *Junii celebratur.*

x *Id est, ab* XI *Novembris, qua id festum occurrit.*

B

APPENDIX

ALTERA

Auctore incerto *a*,

Ex editione Menardi a pag. 151.

Miracula post canonizationem facta apud Prædicatores Ebroïcenses b.

A. Incerto. — *Miracula post canonizationem facta in ecclesia*

Homo quidam Bajocensis diocesis, de villa Cadom. *c*, de parochia S. Stephani veteris, Joannes Pelliperius nomine, ita detentus fuerat per annum a festo S. Joannis gravi infirmitate, quod aliquo modo sine potentiis per terram C ire non poterat. Qui in festo beati Ludovici ad ecclesiam suam veniens, dimissis ibidem potentiis, Sancti meritis membrorum suorum curationem recepit.

Quædam mulier, Beatrix nomine, de parochia S. Petri Ebroicensis, quæ a duobus annis super pedes suos non steterat, sed cum potentiis infeliciter ambulabat, ad ecclesiam sancti Confessoris prout potuit venit, et cum devotione magna orationem fudit, et satis cito in se levamen sentiens super pedes surrexit, et per ecclesiam sine aliquo adminiculo fortiter ambulavit.

Iuvenis quidam, nomine Joannes, de parochia Campi Ossent *d*, a septimana pœnosa usque ad festum beati Ludovici gravi infirmitate detentus, anxie valde laborabat. Qui ad ecclesiam tanti Confessoris hora vigiliarum veniens, sensit se ut quam citius liberatum : et dimissis ibi potentiis per plures dies vivit, et postea per ecclesiam ambulavit.

Mulier quædam, quæ dicebatur Joanna, de parochia de Loveris *e*, quæ, prout jurato adserebat, et per illos, qui illam ad ecclesiam sancti Confessoris adduxerant, probabat, quod a duobus annis lumen cœli non viderat. Quæ ibidem fusa oratione visum oculorum suorum et lumen sancti confessoris meritis et precibus quamcitius impetravit.

2 Quædam puella, Joanna nomine, de parochia S. Leodegarii Ebroicensis, quæ per totum tempus, quo vixerat ante, manum clausam habebat; cum ad ecclesiam Sancti fuisset adducta, videntibus omnibus qui aderant, manum aperuit, et apertam ostendit, et omnino curata, læta et jocosa recessit.

Vir quidam antiquus, totus confractus, dictus Robertus de Miniis, cum multis testibus suis adserebat, quod a XL annis et amplius, nervis retractis, factus erat contractus, et super genua et cum parvis potentiis incedebat. Qui ecclesiam S. Ludovici ex devotione frequentans, et Sancto se devovens, videntibus omnibus se erexit, et sine potentiis fortiter per ecclesiam ambulavit.

Mulier quædam alia, Theophana nomine, de parochia S. Leodegarii Ebroicensis, quæ a quinque annis sine potentiis ire non poterat, ipsa nocte, qua dicebat vigilias, ad ecclesiam conve- E nit, et ante altare se posuit; et ibi orans, et ad altare se apodians, in præsentia omnium sine adjutorio surrexit, et circumquaque altare pluries ambulavit, pristinæ reddita sanitati.

Homo quidam de Ysaico, Simon nomine, a longo tempore quadam gutta palestina *f* detentus, ad sanctum Dei Ludovicum cum magna devotione advenit, et ibidem orans, et Dei et Sancti beneficia postulans, se protinus alleviatum sentiens et curatum, omnibus, qui aderant, publice confessus est, et sic curationem suam meritis Sancti impetravit.

3 Quædam mulier, quæ vocabatur Ælina, uxor Joannis Anglici, de parochia S. Petri Ebroicensis, quadam gutta similiter detenta non modicum laborabat : ita quod sine baculis ire non poterat. Quæ ad ecclesiam sancti Confessoris prout potuit accessit, et fusa ibi oratione sanitatem Sancti meritis a Deo recipere procuravit.

Vir quidam, Petrus nomine, de parochia de la basse Croisille, juxta villam de Conchis *g*, qui morbo quodam, qui dicitur morbus S. Joannis *h*, a quatuor annis detentus, morbo illo et F frequentius laborabat, et fortiter æstuabat. Qui facto voto, quod ad ecclesiam S. Ludovici pergeret, in die festo Sancti ad ecclesiam ipsius pervenit, curationem morbi sui meritis sancti Confessoris recepit.

Iuvencula quædam, quæ dicebatur Joanna, de parochia de Asneriis, quæ, ut asserebat, a longo tempore gutosa *i* erat, ad altare Sancti miserabiliter inflata accessit : quæ clamose et tumultuose se habens, statim cum altare tetigit, reddita est pristinæ sanitati; ita quod omnes qui aderant et viderant, quamplurimum mirarentur.

Mulier quædam, Petronilla nomine, de domo Dei Ebroicensis, omnibus nota de villa, a quinque annis lumine oculorum suorum penitus privata, ad Sancti Dei ecclesiam cum bona devotione rogavit se adduci. Quæ cum aliquamdiu ibidem cum aliis in oratione prostrasset, postmodum se erexit, et lumen oculorum suorum et sanitatem recepit.

4 Puer quidam juvenculus, Gillosus nomine, filius Petri Malart, de parochia S. Leodegarii Ebroicensis, denarium quendam sibi traditum more puerili posuit in os suum, et eum in nu-

A. Incerto. nutricis suæ præsentia transglutivit. Quod cum ad notitiam patris pueri pervenisset, nullum super hoc consilium inveniens, turbatus et dolens ipsum beato Ludovico humiliter devovit, et ad ecclesiam per nutricem deportari præcepit : fiduciam habens in Domino et Sancto, ut adserit, quod ipsum Sancti meritis reciperet sanitati pristinæ restitutum. Quem cum mulier ad ecclesiam Sancti detulisset, et devote orationi pro puero insisteret, postmodum puer ille denarium illum, quem per XIII dies intra se habuerat, evomuit propria incolumitate recepta.

Homo quidam Ebroicensis diocesis, Joannes Destre nomine, homo fortis corpore, de parochia S. Jacobi de Buvron, qui prout dicebat, et juramento affirmabat, a VII annis ire per terram non poterat, nisi potentia mediante; nec etiam genu unius tibiæ ad terram ponere poterat. Qui ad sanctum Dionysium pergens, contigit ipsum habere transitum per Ebroicas. Qui cum a multis de villa audisset, quod ecclesia beati Ludovici ibi esset, ad eam cum devotione accessit : et facta ibi oratione, levamen in se sen-
B tiens, genu flexit, et pedem ad terram posuit, et per ecclesiam rectus sine baculo ambulavit, et sic sanitate recepta, et dimissa potentia, ad patriam remeavit.

5 Juvenis quidam, Gillotus Cato nomine,
Prædicatorum de parochia de Berengeville, ætate XV annorum, vel circa, qui per totum tempus vitæ suæ super pedes suos non steterat, sed velut brutum animal cum manibus et pedibus per terram infeliciter ambulabat; cum ad beati Confessoris ecclesiam sicut simia fuisset adductus, et ante altare positus, dum ibidem per aliquod temporis spatium jacuisset, et postmodum tetigisset altare, super pedes suos surrexit, et altare circumivit, et per ecclesiam frequentius ambulavit, quod omnibus, qui aderant, versum est in stuporem.

Quædam mulier, Margareta nomine, de parochia Bonæ-villæ, quæ fere per annum sine baculo ire non poterat, nec unum pedem ad terram ponere; fusa in ecclesia oratione cum frequenti invocatione nominis B. Ludovici, cunctis videntibus, pedem ad terram posuit, et baculum super altare dimisit, et fortiter ambulavit, et Sancti meritis sanitatem recepit.

Juvencula quædam, Joanna Rose vocata, de
C parochia Ylliers, a duobus annis visum oculorum suorum amiserat, et ad recuperationem sanitatis multa loca sancta visitavit, ut ipsa affirmabat, et nihil profecerat. Quæ ad ecclesiam beati Ludovici Ebroicensis veniens, ibidem devote in oratione de nocte permanserat : facto mane, dum Missa celebraretur, inter manus sacerdotis Corpus Christi conspexit, et multa nobis ex visu docuit, et lumen oculorum suorum et visum Sancti meritis impetravit.

6 Mulier quædam, Amelina la Boite nomi-
S. Ludovico, j ne, de Aurileio, satis potens in divitiis, ab XI annis, teste marito suo, usum visus amiserat. Quæ ad ecclesiam beati Ludovici veniens, ejus auxilium sine intermissione invocabat. Quæ cum diu ante altare fuisset, postmodum exclamavit : « Gratias reddo Deo, et beato Ludovico, quia » cum cæca ante essem, modo video. » Ad quam cum venissemus, esse verum reperimus, ut dicebat.

Alia quædam mulier Atalisia, de parochia de Gauvilla, quæ a IV annis curva et contracta fuerat, et cum duabus potentiis cum maximo gravamine per terram ambulabat, ad Sancti Dei ecclesiam pervenit, et per totam noctem reman- D
sit. Quæ cum mane ad altare accessisset, sanctum Ludovicum devote invocans, curationem recepit, et potentias super collum suum levavit, et circumquaque altare portavit.

Puer quidam, Joannes Faber nomine, de parochia de Hoveteville, qui per spatium VIII annorum, quibus vixerat, attestante patre ejus, mutus extiterat, ad ecclesiam beati Ludovici fuit cum bona devotione adductus. Qui cum aliquibus diebus ibidem remansisset, die Dominica infra octavas beatæ Virginis multa verba protulit, et usum linguæ, et locutionis beneficium, sancti Confessoris meritis, et Deo adjuvante recepit.

7 Quædam puella, de parochia de Ylliers, *didicata*
quæ ab infantia manum clausam habebat, ad Sancti Dei ecclesiam venit, et ibi aliquibus diebus remansit, et meritis beati Ludovici manum clausam aperuit, et ostendit.

Quædam mulier, Rothomagensis diocesis, nata de villa Caudebec *k*, Elizabeth nomine, *k*
commorans in parochia de sancta Columba juxta Novum-burgum *l*, in ætate XXXV annorum, quæ *l*
per totam vitam suam surda et muta fuerat; a E
viris et mulieribus de sancta Columba, ubi morabatur, fuit ad sancti Ludovici ecclesiam per devotionem adducta. Quæ cum quadam nocte, dum dicerentur vigiliæ, sedens juxta altare resonare *m*, in tantum ut audiretur a multis, qui *m*
cœperunt S. Ludovici cum lacrymis implorare auxilium. Et statim aures ejus apertæ sunt, et solutum est vinculum linguæ ejus, et os aperuit, clare audiens, et loquens distincte, et ad intelligendum aperte.

Vir quidam, de parochia de Cangé, Robertus Capitosus nomine, ita quadam gutta *n* de- *n*
tentus erat, quod sine baculo vel adjutorio alio per domum suam ire non poterat. Qui facto voto ad beatum Ludovicum, prout potuit cum potentiis ad ecclesiam Sancti cum uxore sua pervenit : et cum ibi per totam noctem vigilasset, sensit se ita illa gutta alleviatum et curatum, ut per ecclesiam sine potentiis fortiter ambularet, et dimissis potentiis ibidem, omnino curatus ad propria sine aliquibus sustentaculis remearet.

8 Quædam mulier de Ponte-perrino, parochia *Ebroïci in*
S. Leodegarii, Amicia Bonavicina nomine, in *Normannia.*
vigilia B. Benedicti ad ecclesiam B. Ludovici, F
quadam gutta detenta, prout potuit pervenit. Quæ prius a quinque septimanis et amplius ita curva extiterat, quod caput ita inferius sicut genua deportabat. Quæ in ecclesia ipsa nocte pervigilans, hora, qua dicebantur Matutinæ, se alleviatam sentiens, caput sursum erexit, et recta et omnino curata per ecclesiam fortiter ambulavit, et multis diebus postea ecclesiam frequentavit.

Puella quædam, ætate juvencula, Joanna nomine, filia Petri Graverandi, de parochia de Bosco Renoudi juxta Barram, tanta et tam gravi infirmitate erat detenta a nativitate sua, quod per relationem patris sui et patriæ, pedes ejus posterioribus jungebantur; ita quod non erat spes, ut dicebant, quod posset de cetero aliqualiter de infirmitate curari. Quam cum pater ejus, fiduciam habens in Domino, Deo et B. Ludovico devovisset, et illam ad ecclesiam ejus apud Fratres apportasset, curationem membrorum suorum, et liberationem integram, et usum pariter, Sancti meritis, et beneficium sanitatis recepit; sicut nos, qui præsentes eramus, vidimus,

mus, et euntem et currentem conspeximus, testimonium perhibemus *o*.

ANNOTATA.

a *De auctore hujus Appendicis egimus in Commentario num. 5.*

b Ebroicum, Evreux *Gallis, urbs est episcopalis in Normannia sub archiepiscopo Rotomagensi, sita ad Itonium fluvium parvum. De ecclesia Prædicatorum ibidem Sancto dedicata egium in Commentario num. 1229 : at vero non libuit inquirere, utrum hæc prima Sancto fuerit sacra, prout legitur in titulo horum miraculorum apud Chesnium, etsi illud nuper in dubium fuerit vocatum.*

c Cadomum, *vulgo* Caen, *oppidum est, Normanniæ inferioris caput.*

d *Parochias has omnes, fortasse in vicinia positas, non lubet majori labore quam utilitate assignare.*

e Lupariæ, *vulgo* Louviers, *oppidum est quatuor leucis infra Ebroicum in Septemtrionem, ad Eburam fluvium. Illud hic designari existimo.*

f Gutta *vario sumitur sensu, ut videre est in Glossario Cangii. At vero obscurum est, quid per* guttam palestinam *hic auctor designet : nisi forte legendum sit gutta* paralytica, *qua paralysis designatur. Certe in sequenti miraculo* gutta *paralysim significare videtur, quia mulier illa laborans incedere non poterat sine baculis.*

g Conchus, Conches, *oppidum est Normanniæ, quatuor leucis distans Ebroico in Occasum.*

h Morbus S. Joannis, *Gallice* mal de saint Jean, *est epilepsia.*

i *Id est,* hydropica, *ut ex inflatione corporis colligitur : per* guttam *enim hydropem quoque eo tempore designabant, ut videre est apud Cangium.*

k *Calidobeccum, vulgo* Caudebec, *oppidum est Normanniæ, 7 leucis infra Rotomagum, prope æstuarium Sequanæ in tractu Caletensi, ut habet Baudrandus : Valesius* Calidum Beccum *mavult nominare.*

l Novus Burgus in Normannia, Neuf-Bourg, locus est inter flumina Riselam et Sequanam positus, medio fere intervallo, Haricuriæ, vel Haricorti *(Harcourt)* proximus, *inquit Valesius in Notitia Galliarum pag. 388.*

m *Sensus est imperfectus, ut asterisco indicavit Menardus : addendum* inciperet, *aut quid simile.*

n *Vel paralysi, vel hydrope, vel arthritide : hæc enim omnia* gutta *significabat eo tempore, imo et alia plura.*

o *Hinc colligi probabiliter potest, miracula hæc conscripta non esse a Guilielmo Carnotensi; sed nomine Prædicatorum Ebroicensium.*

VITA II

Auctore anonymo reginæ Margaritæ confessario,

Latine reddita ex Ms. Gallico interprete J. S.

PRÆFATIO

Post breve S. Ludovici elogium,

« Gloria laus et honor Patri luminum (a » quo est omne datum optimum et omne » donum perfectum) a cunctis fidei orthodoxæ » cultoribus, quorum spes tendit ad Superos, » summis et sedulis devotionis et reverentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia » copiosus, liberalis in gratiis, et in retributione » munificus, de supremis cælorum ad ima mundi oculos suæ majestatis inflectens, et benigna » consideratione discutiens beati Ludovici quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriosissimi confessoris merita grandia, operaque mirifica, quibus ipse constitutus in seculo, ceu » lucerna luminosa resplenduit; eaque velut justus » Judex, et retributor laudabilis, dignanter intendens condignis recompensare muneribus, » eum tamquam emeritum et retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, et laboriosa mundi certamina (quæ fervens in divinis » obsequiis potenter et patenter exercuit) æthereis sedibus collocavit, ut sedeat cum Principibus, et solium gloriæ teneat, felicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Porro quis posset » amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruscans, sufficienter » exprimere præcelsa sanctitatis insignia, et multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus Ludovicus prædictus in terris constitutus » effulsit? Cum eo plura de ipsius laudabilibus » actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. » Quemadmodum dicit dominus Bonifacius VIII, Pontifex summus in bulla canonizationis memorati Sancti.

ex bulla canonizationis desumptum,

2 « Hic profecto clarissimus genere, sublimis » potentia, facultatibus opulentus, præcelsus » virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate, inhonestis et turpibus a se penitus relegatis; ac longi spatio temporis regni » Franciæ regimini præfuit, ejusque gubernacula, plena curis, provida circumspectione direxit : nulli noxius, non injuriosus alicui, » nemini violentus. Justitiæ limites summopere » servavit et coluit, æquitatis tramitem non relinquens; perversorum conatus nefarios pœnæ » debitæ mucrone compescuit : malorum molimina conterens, pravorum illicitos ausus frænans. Pacis zelator eximius, fervidus amator » concordiæ, promotor solicitus extitit unitatis : dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis undique fluctibus, » subductis noxiis, turbinibus profugatis, regni » ejusdem incolis aurora dulciflua tranquillitatis » illuxit, lætaque serenitas votivæ prosperitatis » arrisit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nu-

» bilo

A. Reginæ Confessario.

» bilo lateat, tenebris obducatur, de illis aliqua sermo noster aperiat, et deducat in publicam notionem *a*. »

auctor, relata inquisitione de Vita, et miraculis Sancti.

3 Et ut me idoneum non existimo ad scribendam Vitam imitatione dignissimam excellentissimi hujus Sancti; nullo prorsus modo id tentassem, aut suscepissem, nisi me movisset illustris dominæ meæ Blanchæ, ejusdem gloriosi sancti Ludovici filiæ, incensum desiderium : quin et plane ad id coegisset descriptum exemplar Inquisitionis de Vita dicta, ac miraculis gloriosi sancti Ludovici, factæ auctoritate Romanæ curiæ tempore sanctissimi domini nostri beatæ memoriæ Martini IV Romani Pontificis. Instituta hæc fuit anno Incarnationis Domini nostri MCCLXXXII. Porro inchoata est inquisitio de Vita die Veneris XII Junii mane, duravitque usque ad diem Sabbati VIII mensis Augusti ejusdem anni : inquisitio vero de miraculis inchoata est anno MCCLXXXII a mense Maio, ac finita anno MCCLXXXIII mense Martio; factæque sunt hæ inquisitiones in abbatia sancti Dionysii in Francia per reverendos in Christo patres Guilielmum archiepiscopum Rotomagensem, Guilielmum archiepiscopum Autissiodorensem, et Rolandum episcopum Spoletinum; atque examinata fuit in curia Romana magna diligentia, legitimeque approbata a multis patribus, ac nominatim a domino Bonifacio VIII Pontifice summo *b*.

docet se inquisitionis exemplar accepisse

4 Hoc inquisitionis exemplar partim mihi traditum fuit Parisiis, partim ex curia memorata missum; et Parisiis quidem rerum ante dictarum exemplum partim mihi datum fuit a reverendo in Christo patre, fratre Joanne de Samois; Lexoviensi episcopo *c*, qui perpetuo fuerat specialis in curia Romana procurator ad canonizationem venerabilis sancti Ludovici : pars altera exemplaris descripti rerum supra dictarum missa est ex curia a viro religioso fratre Joanne, cognomine Antiocho, sanctissimi patris nostri Papæ confessario, qui tempore memoratæ canonizationis socius fuit dicto Lexoviensi episcopo in curia Romana. Et mandato ejusdem episcopi dictus frater Joannes confessarius exemplar supra dictum in curia Romana accepit ab eis, cui dictus episcopus illud reliquerat, quando a curia memorata discessit : atque ea procul dubio de causa hujus inquisitionis exemplar mihi traditum fuit, licet eo dignus non essem favore, quod fuissem per octodecim annos et ultra a confessionibus illustrissimæ dominæ piæ memoriæ, dominæ Margaritæ Franciæ reginæ, venerabilis sancti Ludovici quondam uxori, quamquam ad hoc non essem idoneus, et adhæc familiaris eram confessarius dominæ Blanchæ supra dictæ eorum filiæ eo tempore, quo accepi istius inquisitionis ecgraphum, quod acceptum apographum custodiendum deposui apud fratres Minores conventus Parisiensis, ut si quis dubitaret hisce de rebus, eo recurrere posset, si de iis vellet esse certior.

et ex eo Vitam scripturum :

5 Itaque ut ne merita hujus Vitæ tam pretiosæ, quæ posterorum nostrorum memoriæ relinquenda sunt ac commendanda; miraculaque transmissa, quæ humiliter honoranda sunt, postea forte oblivioni non dentur, quod negligentia mea non fuerint collecta; ac ne pietati populi erga prædictum dominum sanctum Ludovicum mora injiciatur; ne et ego ipse vilis homuncio, cui Dominus Deus noster singularem præstitit gratiam obtinendi in Francia apographum supra dictum, merito negligentiæ accusari possim a Deo, atque a venerabili sancto Ludovico, hanc provinciam mihi impositam suscepi ex timore reverentiaque Domini nostri. In descriptione autem rerum, quas omnipotens Dominus noster per venerabilem sanctum Ludovicum operari dignatus est, non visum est mihi opus esse, ut coner elaborata uti ac compta scribendi methodo; quin etiam, (prout intelligi cupio) ut quid adjiciam, aut subtraham; verum ut ea, quæ reperi, fideliter scribam, quemadmodum inquisita sunt, descripta, probata; examinataque a curia Romana et approbata; quo certiorem apud probos omnes fidem obtineant.

et ad majorem fidem Vitæ conciliandam

6 Quamvis autem veritas sanctitatis venerabilis sancti Ludovici omnibus fere manifeste pateat, nihilominus ut clariori etiam in luce ponatur, operæ pretium esse mihi videtur, si nomina testium juratorum de mirabili venerabilis hujus Sancti Vita notentur initio hujus meæ descriptionis, non eo, quo examinati fuerunt, ordine, sed ordine dignitatis eorum, ut patebit postea. Quamquam eo tempore, quo vita ipsius examinata fuit, multi alii ejus domestici, aliique obiissent, qui sanctam ejus vitam viderant. Porro hoc Opus non semper disposui ordine temporis ad confusionem vitandam : at potius studui servare ordinem conjunctionis magis congruæ; prout facta eodem tempore diversis materiis videbantur congruere, aut prout facta diverso tempore ad eamdem materiam pertinere videbantur.

nomina testium juratorum

7 Principium, medium, et finis Vitæ venerabilis hujus sancti Ludovici, divisa in viginti capita, descripta sunt, quæ inferius ordine notantur; at prius inchoantur nomina testium.

Philippus rex Franciæ, filius venerabilis sancti Ludovici natu secundus, qui regnum Franciæ administravit post ipsum.

Carolus Siciliæ rex, frater venerabilis sancti Ludovici.

Venerandus pater Nicolaus episcopus Ebroicensis *d* quinquaginta tres annos, aut circiter, natus.

Venerandus pater Robertus episcopus Silvanectensis *e*, natus quinquaginta et octo annos, aut circiter.

Dominus Matthæus, abbas abbatiæ sancti Dionysii *f* in Francia, sexaginta annorum, aut circiter.

Frater Adam de Saint Leu, abbas Regalismontis *g*, Ordinis Cisterciensis, diœcesis Bellovacensis, sexaginta octo, aut circiter, annorum.

Frater Laurentius, abbas Caroliloci *h*, Ordinis Cisterciensis, diœcesis Silvanectensis, quinquaginta octo annorum, et ultra.

Petrus comes Alenconius, filius venerabilis sancti Ludovici.

Dominus Joannes Acconensis *i*, filius regis Hierosolymitani, cognatus venerabilis sancti Ludovici, supremus vini dispensandi minister *k* in Francia.

Dominus Simon de Nigella *l* eques, vir provectæ ætatis, ac divitiis clarus, diœcesis Noviodunensis, natus annos sexaginta tres, aut circiter.

Dominus Petrus, Chamiliaci *m* dominus, eques, regis Philippi cubiculo præfectus, vir maturæ ætatis, opibusque insignis, diœcesis Bellovacensis, sexaginta natus annos, aut præterpropter.

qui de Vita fuere interrogati,

8 Dominus Joannes de Soisi eques, diœcesis Parisiensis, vir maturæ ætatis, ac opibus cla-

A clarus, quinquaginta annorum et ultra.

" Dominus Petrus de Loon n eques, matura vir ætate, et dives, sexaginta octo annorum, aut prælerpropter.

Dominus Joannes, Jovisvillæ dominus, eques, diœcesis Catalaunensis, vir maturæ ætatis, ac divitiis nobilis, Campaniæ seneschallus, quinquaginta annorum, aut circiter.

Dominus Guido le Bas, eques diœcesis Senonensis, provecta vir ætate, atque opibus pollens, quinquaginta annorum, aut præterpropter.

Dominus Robertus du Bois-Gaulier, eques et dives, diœcesis Rotomagensis, sexaginta octo annorum, aut circiter.

Magister Petrus de Condé, diœcesis Carnotensis, custos ecclesiæ Peronensis in diœcesi Noviodunensi, vir ætate matura, pollensque divitiis, sexaginta octo annos natus, aut circiter.

Magister Gaufridus du Temple, canonicus Remensis, matura homo ætate, ac divitiis insignis.

Frater Simon du Val, presbyter diœcesis Suessionensis, Prior fratrum Prædicatorum Provinensium, quinquaginta sex annorum, et ultra.

B Frater Ægidius de la Rue de la Court, diœcesis Noviodunensis, subprior fratrum Prædicatorum Compendiensium in diœcesi Suessionensi, natus annos quinquaginta.

Frater Joannes de Boschet, diœcesis Bellovacensis, ex Ordine fratrum Prædicatorum Compendii in diœcesi Suessionensi.

Frater Joannes, dictus le Clert, Compendiensis, Ordinis fratrum Prædicatorum ejusdem loci in diœcesi Suessionensi, quadraginta annorum, et ultra.

præmittit 9 Frater Radulphus de Vernai, diœcesis Remensis, conventus Ordinis Prædicatorum Compendiensis, quadraginta annorum, aut circiter.

Frater Gerardus Parisiensis, presbyter et monachus Regalis-montis, Ordinis Cistersiensis, in diœcesi Bellovacensi, natus annos quinquaginta, et eo amplius.

Rogerus de Soisi diœcesis Carnotensis, coquus domini sancti Ludovici, matura vir ætate, opibusque pollens, sexaginta annorum, et ultra.

Isembardus, coquus venerabilis sancti Ludovici, vir maturæ ætatis, et dives, natus Parisiis, quinquaginta quinque annorum, aut circiter.

C Gerbertus de Nile beonne diœcesis Senonensis, matura vir ætate, et satis dives, olim minister cubicularius venerabilis sancti Ludovici, quinquaginta annorum aut circiter.

Joannes de Challi diœcesis Parisiensis, maturæ ætatis homo, et dives satis, quinquaginta annos, et ultra natus, judex castellanus Pontisarensis.

Guilielmus le Breton du Neuf-Chastel, minister cubicularius dicti Sancti, matura ætate vir, et satis opulentus, diœcesis Nannetensis, quinquaginta natus annos, et ultra.

Guilielmus le Breton de Chambrilles, vir matura ætate, ac sufficientibus divitiis, diœcesis Nannetensis, accensus sancti Ludovici, quinquaginta annorum, aut circa.

Hugo, cognomine Porte-Chape, in panario famulus dicti venerabilis Regis, matura vir ætate, ac opibus congruis, natus in Fano S. Germani in Laya, annos habens quinquaginta, aut circiter.

Ægidius de Robisel, matura vir ætate quinquaginta annorum et plurium, habitans in Fano sancti Dionysii.

Dionysius le Plastrier, civis Compendiensis, diœcesis Suessionensis, homo ætate matura, ac sufficientibus opibus, sexaginta octo annorum, aut præterpropter. A. REGINÆ CONFESSARIO.

Magister Joannes de Croymaçon, civis Compendiensis, diœcesis Suessionensis, quinquaginta natus annos, et eo amplius.

Soror Mathildis, præfecta nosocomio Vernoniensi, diœcesis Ebroicensis, viginti octo annorum, aut circiter.

Soror Aleidis, nosocomii Vernoniensis soror, quadraginta annorum, aut circiter.

Soror Adda, nosocomii Compendiensis soror, diœcesis Suessionensis, ætatis admodum maturæ quinquaginta, et plurium annorum.

Magister Joannes de Betysi, diœcesis Suessionensis, chirurgus domini nostri Franciæ regis, natus annos quadraginta octo, et amplius.

Dominus Joannes de Soisi, supra scriptus, etiam testis fuit viginti trium annorum.

Hic finiuntur nomina testium juratorum de Vita Domini sancti Ludovici, et inchoantur capita.

E

ANNOTATA.

a *Hæc item verba sunt bullæ canonizationis, quæ Gallice reddiderat auctor, ut et precedentia. Bullam totam dedimus in Commentario prævio* § *92.*

b *De his omnibus fuse egimus* § *91.*

c *Creatus erat Joannes de Samesio primum episcopus Rhedonensis anno 1298, translatusque fuit ad sedem Lexoviensem anno 1299 per litteras Bonifacii VIII, datas 3 Nonas Februarii, quas exhibet Waddingus tom. 2 Annalium Minorum in Regesto Pontificio pag. 237. Desideratur hic in catalogo episcoporum Lexoviensium apud Claudium Robertum, et Sammarthanos.*

d *Hic apud Sammarthanos tom. 2 pag. 575 nominatur* Niocolaus de Autolio, *quem notant saltem episcopum fuisse ab anno 1282 usque ad 1298.*

e *Reperitur Robertus episcopus Silvanectensis in concilio Compendiensi, quod habitum fuit anno 1277 veteri stylo, seu anno 1278 in Quadragesima, ut videre est apud Labbeum tom.* XI *Conciliorum col. 1031. Nec dubito, quin idem sit, qui hic inter testes recensetur. Apud Sammarthanos vero nullus anno 1278, aut 1282, quo testes hi fuere auditi, recensetur Robertus in antistitum Silvanectensium catalogo. Quapropter discutiendum relinquo eruditis Galliæ Christianæ editoribus, utrum tom. 3, pag. 1021 obitum Roberti de Cressonsart præpropere affixerint anno 1271, an hunc Robertum penitus omiserint.* F

f *Fuit hic unus e regni administratoribus, absente in secunda contra Saracenos expeditione* Ludovico, *ut dictum in Commentario numero 1064. Obiit hic Matthæus de Vendosme, abbas laudatissimus, anno 1286, 25 Septembris, teste Michaele Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 256, ubi ejus virtutes recenset uberius.*

g *Hic abbas rursum loco suo deest in serie Sammarthanorum tom. 4, pag. 776. Habetur tamen ibidem Adamus secundus abbas, qui resignasse dicitur, quique fortasse hic ipse erit, cum tempus præfecturæ, aut mortis ipsius non assignetur. Porro nomen* de saint Leu *verti potuisset*

A. REGINÆ CONFESSARIO.

fuisset de sancto Lupo. S. Lupus *enim* saint Leu, *vel* saint Lou *vocatur. Verum quia parum confido auctoris orthographiæ, malui nomina familiarum ubique Gallica retinere, quam Latina substituere.*

h *Hunc abbatem, Laurentium de Marcellis, inter Caroliloceuses assignant Sammarthani tom. 2, pag. 219; ac mortuum volunt anno 1290.*

i *Filius hic erat Joannis de Brienne regis Hierosolymitani, qui imperium Constantinopolitanum deinde aliquot annis administravit.*

k *Ms.* Bouteillier, *barbare* buticularius. *Porro* signum Joannis Buticularii *jam anno 1260 litteris* S. Ludovici *invenitur appositum apud Martenium tom. 1 Collectionis amplissimæ col. 1350. Idem reperitur apud Labbeum in Elogiis historicis regum Franciæ pag. 214 signum in litteris anni 1274, ex quo intelligimus eamdem dignitatem habuisse sub regno Philippi III. Ludovicus Morery in Dictionario historico ad vocem* Jean de Briene, *mortuum scribit anno 1296.*

l *Hic alter erat regni administrator, profecto in Africam* Ludovico; *cujus egregias dotes* B *vel hinc conjicere licet.* Nigella *autem, cujus erat dominus, oppidum est in Picardia, vulgo Nesle, in Ms.* Neelle.

m Chamiliacum, Chambly, oppidulum est Galliæ in provincia insulæ Franciæ, et in Valcassino tractu prope Bellomontium, *inquit Baudrandus in Geographia.*

n *Hujus Petri, qui diu fuit Regis cubicularius, sæpe fit mentio cap.* XI, *ubi constanter nominatur* Petrus de Loon : *hic, una littera mutata, scriptum inveni* delcon. *Verum cum non raro occurrat quædam litterarum mutatio in hac Vita, eumdem omnino existimo, unumque locum ex pluribus corrigendum duxi.*

ANTIQUÆ DIVISIONIS CAPITA.

Caput primum est de sancta educatione venerabilis sancti Ludovici in infantia.

Secundum de mirabili conversatione in adolescentia.

Tertium de firma ejus fide.

Quartum de sincera ejus spe.

C Quintum de ardenti ejus amore.

Sextum de ferventi ejus pietate.

Septimum de studio sanctarum Scripturarum.

Octavum de pie Deum orando.

Nonum de amore ejus ferventi erga proximum.

Decimum de miseratione ipsius in condescendendo ipsis.

Undecimum de ejus misericordiæ operibus.

Duodecimum de profunda ejus humilitate.

Decimum tertium de fortitudine ejus, ac patientia.

Decimum quartum de rigore ejus pœnitentiæ.

Decimum quintum de ejus conscientiæ nitore.

Decimum sextum de sancta ejus continentia.

Decimum septimum de recta ejus justitia.

Decimum octavum de candida ejus honestate.

Decimum nonum de benigna ejus clementia.

Vigesimum de diuturna ejus perseverantia, ac morte beata, qua hinc in cælum discessit. Hic finem accipiunt capita, et inchoatur Vita domini sancti Ludovici.

D

CAPUT I.

Parentes sancti Ludovici, eorum pietas, præsertim matris ; fratres, ac soror : præclara omnium per matrem educatio : laudabilis Ludovici adolescentia.

CAP. I. *Parentes sancti Ludovici; obitus patris post expeditionem contra Albigenses :*

Gloriosissimus sanctus Ludovicus, quondam Galliæ Rex, patrem habuit Christiana religione præstantissimum, ac Galliæ regem, nomine Ludovicum. Hic flagranti accensus fidei studio, auctoritate sanctæ Ecclesiæ crucem assumpsit; ut proficisceretur ad bellum contra facinorosos in tractu Albigensi fidei Christianæ inimicos. Postquam autem sanctam peregrinationem suam fortiter susceperat, ac superbiam gentis E illius perversæ valide domuerat, cum rediret ex memorata Albigensium terra, in itinere beate decessit ad Dominum Monpenserii in Arvernia *a*. Matrem nactus est beatus Rex reginam Blancham, filiam honoratam regis Hispaniæ, quæ post mortem domini sui religiose educavit filium suum, ætate duodecim annorum regno admotum. Domina hæc corde femineo fortitudinem induit virilem, regnumque administravit strenue, sapienter, prævalide, ac juste; regni jura servavit, ac singulari sua providentia contra multos, qui eo tempore ingruebant, adversarios defendit; cujus laudes pius ejus Filius, venerabilis scilicet sanctus Ludovicus, crebris usurpans sermonibus, atque enarrans dicebat : Domina de me, quem præ omnibus diligebat creaturis, dicere solebat, Quod, si mortifere ægrotarem, neque sanari possem nisi quidpiam faciendo, quo lethali obstringerer peccato, potius me mori sineret, quam vellet ut mortifero delicto Creatorem meum offenderem.

matris laus ac pia mors :

11 Rege Galliæ, patre venerabilis sancti Ludovici modo, quo diximus, defuncto; mansit hic beatus Rex, annos natus paullo plus quam F duodecim *b*, sub tutela et gubernatione dominæ reginæ Blanchæ, matris suæ. Hæc domina vere erat in dictis, factisque admodum honesta; adhæc justitiæ tenax et benigna; amabat vehementer personas Religiosas, omnesque illas, quas existimabat bonas : recte ac sapienter honorabat viros probos; cupiebat ut quilibet recte ageret, et de bono quocumque lætabatur *c*, lubensque ipsa pro viribus suis bona operabatur; mala vero quælibet, pravaque exempla illi displicebant. Duas fundavit abbatias *d*, multaque largita est inopiæ adjumenta. Tandem in morbo, quo occubuit, suscepit venerandum, ac verum Jesu Christi Corpus ab episcopo Parisiensi, et simul per dies quinque aut sex vestem sumpsit Virginum Deo sacrarum Ordinis Cisterciensis : quam vestem sincero animo sumpsit, etiam retinendam, si forte morbo isto non occumberet : atque ab eo tempore usque ad mortem semper fuit sub obedientia abbatissæ Virginum Pontisarensium Ordinis supra dicti. Deinde morti appropinquans, magnoque temporis spatio loquendi facultate privata, translata fuit ad lectum quemdam, in quo nullus erat pulvillus, at erat

ibi

A ibi lodix una stramini imposita, neque quidquam præterea. Ubi autem tantisper fuerat in illo lecto, et presbyteri, clericique, qui ei aderant, essent omnes quasi attoniti, neque curam haberent animæ commendationem, recitandi, illa ipsa exorsa est commendationem, dixitque verba : Subvenite Sancti Dei etc.; atque illa protulit magna cum difficultate, voceque dissoluta ac submissa. Tunc presbyteri commendationem animæ inchoarunt, et creditur ipsa ex una parte versiculos sex, vel plures cum ipsis dixisse, ibique, finita animæ commendatione, obiit. Verum antea necessaria omnia ordinaverat prudenter more Christianæ probæ in omnibus, quæ perspexit ad animæ suæ utilitatem conducere, ac satis apparuit ex gratia, quam Dominus noster ei in fine exhibuit, dominam fuisse vitæ probæ ac sanctæ *e*.

hæc sollicite ac pie liberos suos omnes instituit :

12 Memorata domina diligenter custodiri jussit, atque educari Dominum Robertum, Artesiæ deinde comitem, ac dominum Alphonsum, comitem postea Pictaviensem, dominumque Carolum, comitem Andegavensem, ac dein Siciliæ regem, filios suos, dictique sancti Regis fratres : ad hæc dominam Elisabetham filiam suam, sancti Regis sororem, quæ sanctæ fuit vitæ domina *f* : atque eos solicite servari curavit, instituí, ac doceri. Hi sancti Regis fratres tantum in virtutibus profecerunt, ut dominus Robertus desideraret, sicuti affirmabat, martyrio vitam finire ad progressum fidei Christianæ, ac Jesu Christi nominis gloriam, quod et præstitit *g*. Dominus autem Alphonsus, postquam Tuneto Drepanum rediit, mare transmittere statuit a die festo sancti Joannis tunc proximo intra tres annos; ut juraverat Carolo Siciliæ regi fratri suo, aliisque illustribus viris, si rex Galliæ eo tempore mare transiret : quin etiam, ut citius transmitteret, dictaque sua servaret, destinaverat transire, simul ac in Galliam foret reversus, ut Terræ sanctæ opem ferret atque succurreret : atque id revera executus fuisset eo, quo obiit *h*, tempore, nisi meliori consilio inductus fuisset ad id, quod ordinaverat, ut aliquid reperiret temporis in Gallia ad voluntatem Dei perficiendam, ac majorem Terræ sanctæ utilitatem adferendam. Unde dolebat vehementer, se non transmittere; verum necesse non erat Terræ sanctæ, ut tunc tam cito velis mare transmitteret. Jam vero bona opera, quæ memorati domini Robertus, Alphonsus, et Carolus, dicti Regis fratres, dictaque eorum soror *i* exercuerunt, totoque vitæ suæ tempore continuarunt, testantur rectam eorum educationem, præclaraque documenta, quibus a teneris fuere imbuti.

ac præ ceteris Ludovicum, cum per se, tum per alios. k

13 Neque vero memorata domina prædictos dominos [Robertum, Alphonsum *k*,] et Carolum fratres, dictamque sororem diligenter modo custodiri curavit atque doceri ante obitum patris, verum diligentius etiam, atque accuratius postea eosdem educari curavit, observari, atque institui; Regem autem prædictum illa ipsa instituit, utpote eum, cui tanti regni administratio incumbere deberet, quemque præ ceteris omnibus ardentius amaret. Igitur educatus fuit recte, ac sancte dictæ matris cura, quæ bonis eum exemplis, ac præclaris documentis imbuebat, cumque docebat ea omnia facere, quæ Deo accepta esse existimabat, quibusque princeps laudabilis, imo Christianus quilibet probus, Domino nostro placere possit ac debeat; ea vero fugere, quæ Dei voluntati sunt contraria. Præterea cum tradebat servandum, rebusque prædictis instituendum iis, quos ad id faciendum judicabat esset idoneos. Viros item ei adjungebat probos, qui prudenti eum juvarent consilio ad regnum fideliter, sapienter, ac fortiter gubernandum. Insuper ipsa hæc domina ad hoc exsequendum eum juvabat, tantaque ipse erga eam erat reverentia, honorem ei deferebat tantum, quod domina esset bona, sapiens, ac fortis, quodque Deum amaret et timeret, lubensque faceret quæ Deo erant accepta, ut, quando per se regnum administrabat, ab ea recedere nollet, at illius præsentiam ac consilium desideraret, ubicumque illud utiliter *l* habere poterat. Quamdiu autem memoratus Rex vixit, bona semper in dies singulos in eo fuere aucta. Ceterum ex operibus, quæ idem hic beatus Rex exercuit, ex vita, quam duxit, in quaque perseveravit usque ad finem, manifeste patuit, eum ab initio doctum fuisse, bona quælibet facere, ac mala quælibet evitare *m*.

A. Reginæ Confessario.

II. Pia ac sancta Ludovici adolescentia.

14 Tempus juventutis non in vanum, sed sanctissime traduxit dominus sanctus Ludovicus. E Ubi enim ætate erat quatuordecim, aut circiter, annorum, sub tutela constitutus erat illustris dominæ Blanchæ matris suæ, cui in omnibus obtemperabat, quæque ipsum, ut dictum est, et diligentissime servari curabat, et servabat : atque eum in publicum prodire magnifico, splendidoque insignem ornatu volebat, uti tantum decebat Regem. Hoc tempore studebat quandoque recreationis causa ad sylvas ac flumina *n* se conferre, aliaque hujusmodi facere, honesta nihilominus et congrua. Neque propterea hoc ipso tempore non semper habuit magistrum suum, qui ipsum litteris erudiebat atque instituebat; et, sicut beatus Rex ipse referebat, prædictus magister eum quandoque disciplinæ causa percutiebat. Eodem hoc tempore beatus Rex memoratus semper quotidie Missæ sacrificio, ac sacris vesperis, ad notas musicas decantatis, assistebat, cunctisque etiam Horis canonicis : neque ideo eas non recitabat cum alio. Habebat autem sacello præfectos, aliosque, qui die, noctuque ei decantabant Missam, preces matutinas, aliaque sanctæ Ecclesiæ Officia; atque ipse ecclesiam frequentabat, cultuique divino assistebat. Et quantacumque negotiorum mole urgeretur, F Missæ, aliisque Horis intererat, atque adhæc Horas canonicas recitabat.

15 Ludos quoslibet indecentes fugiebat, atque ab inhonestis quibuslibet ac turpibus se abstinebat. Nemini factis, dictisve inferebat injuriam. Neminem quocumque modo despiciebat aut vituperabat : at perquam leniter objurgabat eos, qui quædam quandoque faciebant, quibus poterat offendi; eosque corrigebat his verbis : Desistite, aut, Quiescite; Nolite hæc facere imposterum, facile enim contingeret, ut de his pœnas daretis : aut verba eis dicebat similia : omnes autem alloquebatur plurali numero *o*. Quæ dicebat juramento non affirmabat, at nudo passim verbo asserebat. Cantilenas profanas neque ipse cantabat, neque cani patiebatur ab aliquo domesticorum suorum in cujuscumque etiam gratiam : verum præcepit cuidam armigero suo, qui in juventute sua similia canebat, ut se ab hujusmodi cantilenis abstineret; eumque discere jussit antiphonas quasdam de beata Virgine, atque hymnum : Ave maris stella, quamquam difficulter

A. Reginæ Confessario.

difficulter illa perdisceret. Et armiger iste, atque ipse etiam beatus Rex supradicta quandoque cum hoc armigero canebat.

ANNOTATA.

a *Mortem Ludovici VIII pluribus expositam vide in Commentario § 8, ubi eum ab amore continentiæ laudatum, dictaque hoc loco confirmata, invenies.*

b *In Ms.* Qui avoit po plus de douze ans : *illud* po *idem est ac* peu, *quod in hac Vita occurrit frequentissime. Hinc autem probavimus § 5, Sanctum anno 1214 fuisse natum.*

c *In Ms.* Et se elle escoit de tout bien : *quod sane ambiguum est. At sensus videtur exigere interpretationem datam.*

d *Hæ fuere abbatia feminarum Ordinis Cisterciensis,* Malus-dumus *seu* Maubuisson *vulgo dicta, de qua egimus § 31 : et* Lilium *ejusdem Ordinis. Utraque B. Virgini sacra est; prior prope Pontisaram : altera prope Melodunum.*

e *Obiisse Blancham anno 1252, probavimus in Commentario num. 717, ubi plura de pio*
B *ejus obitu. Sepulta est in abbatia B. Mariæ regalis, seu Malidumi, ubi super tumulum ejus æreum legitur epitaphium, quod acceptum ab Aureæ Vallis abbate ad nos misit P. Alexander Wiltheim, atque his verbis conceptum est :*

Ex te, Castella, radians, ut in æthere stella,
Prodiit hæc Blancha, quam luget natio Franca.
Rex pater Alphonsus, Ludovicus rex sibi sponsus :
Quo viduata regens, agit ut vivat requie gens.
Hinc peregrinante nato, bene rexit, ut ante.
Tandem se Christo cœtu donavit in isto.
Cujus tuta malis viguit gens Franca sub alis,
Tanta prius, talis jacet hic pauper monialis.

f *Plures* S. Ludovici *fratres et sorores, in pueritia mortuos, enumeravimus § 4.*

g *Cæsum anno 1250 Robertum Massoræ in Ægypto, quod oppidum post expulsos castris suis Saracenos temere invaserat, retulimus in Commentario § 52, ubi et famam illius contra calumnias Matthæi Parisii defendimus. Quod de martyrio dicit auctor, conforme est opinioni crucesignatorum illius temporis, qui cæsos a Sara-*
C *cenis martyres putabant.*

h *Obiit Alphonsus Pictonum et deinde Tolosatium comes anno 1271, dum redibat ab expeditione Africana, Corneti in Tuscia, postquam tertiam expeditionem juraverat. De quibus in Commentario num. 1132.*

i *Defuncta est piissima Elisabetha non diu ante* S. Ludovicum, *ut diximus num. 1035 : plura sparsim in Commentario de Roberto, Alphonso, Carolo, et beata Elisabetha narravimus : hæc autem locum etiam habebit in Opere nostro ad 31 Augusti, quo colitur.*

k *Hæ voces uncis inclusæ in Ms. nostro apographo non habentur : at sensus videtur eas exigere.*

l *Non desunt politici aliqui, qui* S. Ludovicum *ausi sunt carpere, quod nimium se regi sineret a matre. At vero, cum ostendere non possint, malum ei consilium a Blancha, regina prudentissima piissimaque suggestum, magis hi produnt suam summos quoslibet carpendi libidinem, quam ostendunt Sanctum hac de causa vel minima reprehensione dignum. Non enim adeo adhærebat matris consilio* Ludovicus, *ut suum non potius sequeretur, quando illud judicabat rectius : patuit id in expeditione transmarina* D *suscipienda, a qua nullæ eum matris preces aut lacrymæ, multis quoque rationibus subnixæ, avertere potuerunt.*

m *De pia Regis pueritia, institutione, et adolescentia consuli ulterius potest Commentarius prævius § 7, ubi et sequentia sunt confirmata.*

n *Venandi nimirum piscandique gratia.*

o *Quod signum reverentiæ est, maxime apud Gallos.*

CAPUT II.

Sancti Regis fides viva, ac firma multis exemplis demonstrata : studium item fidei promovendæ ; ac spes in Deum.

Fides, quæ unicum est fundamentum eorum, E qui in Deum credunt, vera, viva, ac firma, sine animi fluctuatione, fuit in venerabili sancto Ludovico, super quam construebat virtutum ædificia. Non modo palam fit, venerabilem sanctum Ludovicum fide Christiana fuisse firma admodum, stabili, ac viva, ex multis, quæ exercuit, operibus bonis, quorum iniri vix possit numerus; verum id etiam clare patet ex singularibus quibusdam factis, hoc loco referendis. In fine documentorum *a,* quæ propria manu descripta filio suo Philippo bonæ memoriæ Galliæ regi reliquit, piissime profitetur fidem sanctæ Trinitatis quoad Personas, atque Unitatis, quoad Divinitatem; quando profert hæc verba : « Sit gloria, honor, et laus ei, qui est » unus Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, » sine principio et sine fine. Amen. »

III. *Viva Sancti fides ostenditur*

a

17 Præterea beatus Rex prædictus ad baptismum adduxit, ac baptizari curavit Bellomontii ad Oesiam *b* Judæum quemdam cum tribus filiis, unaque ejusdem Judæi filia : ipseque beatus Rex, materque ac fratres ipsius memoratum modo Judæum, ejusque liberos de sacro fonte levarunt, cum salutiferis abluerentur undis. Postea F ubi beatus Rex liberatus fuit carcere Saracenorum, cum adhuc subsisteret in partibus transmarinis, multi Saraceni, quadraginta videlicet, aut plures, quorum aliqui erant emiri, virique inter Saracenos illustres, ad eum accesserunt, quos curavit salutari lavacro ablui, fideque instituti per fratres Prædicatores, aliosque, quos beatus Rex ad id constituerat : alebat quoque illos ac sustentabat stipendio dato; atque unde abunde vivere poterant, subministrabat, postquam eos secum in Galliam abduxerat. Multos insuper Saracenos, quos baptismo ablui curaverat, opibus ditabat, nuptiisque cum Christianis jungebat mulieribus.

ex studio infideles ad fidem adducendi. b

18 Quando dictus venerabilis Rex tempore juventutis suæ ægrotabat Pontisaræ duplici tertiana adeo vehementer, ut ex morbo illo se moriturum putaret, convocavit omnes domesticos suos, eisque gratias egit de obsequiis eorum bonis sibi præstitis; hortabaturque eos, ut Deo servirent, ac orationem haberi ad eos jussit longam et utilem : ordinavit item omnia sua negotia in morbo illo, cunctaque fecit, quæ probo viro Christiano incumbunt facienda. Tam vehe-

suos in virtute promovendi, cruce assumpta.

menti

A menti autem tunc oppressus fuit morbo, ut desperaretur de vita ipsius; credaturque vita ei tunc a Deo prorogata fuisse per miraculum, ut spatium ipsi esset exsequendi præclara proposita sua, voluntatemque bonam operi mandandi : quam Deo serviendi voluntatem, ejusque gloriosum nomen pro viribus exaltandi, conceperat; ut majora quoque apud Deum merita sibi acquireret; bono exemplo orbi præluceret Christiano, aliosque principes ad bonum attraheret. Porro, quando beatus Rex prædicto loco tanta correptus erat infirmitate, aderant ei episcopi Parisiensis et Meldensis *d*, quos rogavit beatus Rex ut crucem ad peregrinationem transmarinam sibi darent. Quamquam autem episcopi id ei tunc dissuaderent, tamen quia tantopere eam desiderabat, episcopus Parisiensis crucem ei tradidit, magnaque pietate, ac lætitia eam accepit, exosculans illam, pectorique suo suaviter admodum imponens.

itinere transmarino contra Saracenos,

19 Postquam vero ex morbo illo convaluit, antistites, proceresque regni sui congregari jussit Parisiis, atque illic ad concionem dicere jussit repetitis vicibus ac diebus variis dominum Tusculanum, legatum eo tempore Pontificium. B Tunc fratres ipsius, multique antistites, magnates, et equites cruce se ibidem signarunt. Discessit tandem intra breve tempus, quo moratus est ad navem suam, apparatumque ad hunc transitum sibi necessarium ordinandum. Habitum peregrini assumpsit apud sanctum Dionysium in Francia, duxitque secum uxorem suam Margaritam, et tres fratres suos comites. Itaque prima hac vice mare transmisit cum personis prædictis, imo et cum multis aliis, triginta quatuor numerans ætatis annos aut circiter; nam ut verum dicitur, hoc anno, quo beatus Rex mare transivit, in festo Inventionis sanctæ crucis *e* annorum fuisse triginta quatuor. Transiit autem numeroso cum agmine, atque in Ægyptum appulit. Pagani vero animose ei occurrerunt, ejusque turmis, quæ portum capere studebant : at vultus exercitus Christiani pati nequiverunt, ita tunc puniti fuere fuga ignominiosa, ac nostri navibus egressi celebrem obtinuerunt civitatem, cui nomen quondam Memphis *f*, nunc Damiata nominatur.

ex recusato constanter juramento cum conditione fidei renuntiandi,

C 20 Verum post aliquod temporis spatium, judicio Domini nostri justo ac secreto, exercitum invaserunt multa malorum genera, vario mortis genere occumbentibus viris illustribus, mediis, ac infimis tanto numero, ut ex triginta duobus hominum millibus ad sex millia reductus fuerit exercitus. Tunc Pater misericordiæ, qui se mirabilem in Sancto suo ostendere voluit, in manus impiorum Saracenorum tradidit venerabilem Regem sanctum Ludovicum. Postquam vero capti fuerant a Saracenis ipse, duo ejus fratres, multique magnates, ac turba populi numerosa (tertius enim frater, dominus scilicet Robertus Artesiæ comes pro fide Jesu Christi exaltanda a Saracenis erat occisus :) ac pactum redemptionis venerabilis sancti Ludovici, aliorumque cum eo captivorum, cum Saracenis initum, conventaque inter partes fuerant conclusa; ut pacta prædicta juramento firmarentur, Pagani juramento suo inserere voluerunt, se Mahometi renuntiaturos, si pactis iis non starent, rogaruntque beatum Regem, ut et ipse juramento suo insereret, se Deo renuntiaturum, fidemque Jesu Christi negaturum, si pacta cum ipsis inita non observaret. Venerabilis Rex id constanter ac firmiter exhorruit, sæpiusque magna cum dedignatione conditionem illam recusavit adjicere, dixitque : Profecto numquam hoc ore egredietur meo. Ab eo autem abstinuit præ reverentia erga Jesum Christum, fidemque Christianam, licet pacta memorata servare omnino statuisset, quemadmodum affirmabat.

A. Reginæ Confessario.

si pacta non servaret, *g*

21 Quamvis autem peccatum non esset conditionem istam jurijurando adjicere *g*, nullo tamen modo illam adjicere voluit, quantumcumque ad id eum hortarentur dominus Carolus frater ipsius, aliique, qui ei aderant, ipsius consiliarii : ne quidem, quod sibi, fratribus suis, aliisque secum captivis, mortis periculum imminere cerneret. Quin imo etsi cum iis pacta fuissent inita, qui modo soldanum suum occiderant, sibique dominium arrogarant, quorum manus etiam tum dicti soldani, aliorumque cum eo occisorum, sanguine erant infectæ, quique ingentem præ se ferebant commotionem iracundiæ, atque indignationis, quod primi jusjurandum de pactione servanda jurassent; eique dicerent, necesse esse, ut illa verba admitteret, atque insereret. Nihilominus post omnem eorum motum, omnem eorum iracundiam, verbaque E eorum omnia, beatus Rex ea jurijurando suo inserere noluit. Cum vero Paganus quisquam, qui emirorum unus erat, beato Regi diceret : Captivus noster es, mancipium nostrum, et in carcere nostro tam audacter loqueris? Aut exequeris quod volumus, aut cruci affigemini tuque, tuique : nihil omnino his motus fuit beatus Rex, at respondit; si corpus occidissent, animam suam sub eorum potestate non futuram.

ex eo quod equitem creare noluerit Saracenum,

22 Mirabile admodum est, quod sequitur. Postquam venerabilis Rex fuerat captus, ut supra dictum est, emirus ille, qui soldanum mox occiderat, ut dicebat, stetit ante venerabilem Regem gladio evaginato ac sanguinolento, ipse etiam cruore infectus, eoque vibravit gladium modo, ac si eum gladio ferire voluisset; dixitque memoratus emirus, in sua esse potestate et venerabilem Regem occidere, si vellet; et eum libertate donare; libertate vero donaturum, modo se equitem creare vellet : quod ut faceret, suaserunt beato Regi illustres quidam Christiani, qui circa ipsum erant. Respondit Beatus, nullo se modo equitem creaturum quemcumque infi- F delem; at si Christianus esse vellet, se ducturum eum in Galliam, magna ibi terrarum possessione donaturum, equitemque creaturum, ac in magno habiturum honore; verum in id Saracenus consentire noluit.

ex constanti pietate in adversis,

23 Res etiam est mirabilis, quod, licet trans mare damna multa, multaque passus sit opprobria, semper de bono in melius progrederetur, pius magis esset, et firmus magis in fide Jesu Christi. Unde quandoque, ut magno fidei Christianæ ardore inflammatus, dicebat, equitibus nullo modo de fide disputandum esse, quandoquidem, ubi infidelem quemdam satis norunt, proprio cum gladio occidere debeant *h*. Adhæc, *h* cum venerabilis sanctus Ludovicus quandoque commemoraret, quo pacto fuisset captus, atque dedecora, quæ trans mare accepisset, illique, qui audiebant, ei dicerent, talia ei non esse commemoranda, quæ in ipsius cedebant ignominiam : respondit, Christianum quemlibet honori sibi ducere debere, quodcumque ignominiæ pati potest pro honore et amore Domini nostri Jesu Christi.

24 In doctrina, quam regi Philippo bonæ memo-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

doctrina filio data, urbibus in Terra sancta munitis,

memoriæ filio suo, qui post ipsum regia potestate regnum administravit, propria manu sua scriptam reliquit, clausula quædam continebatur, quæ est hujusmodi : « Curato pro viribus tuis, » ut nebulones, aliique homines perversi regno » tuo expellantur, ut terra tua hominibus istis si » expurgata, quemadmodum faciendum intelliges » consilio proborum virorum. » In prima etiam peregrinatione sua, postquam Saracenorum carcere erat liberatus, ad munimen Christianorum, atque ad conservationem, honoremque fidei Christianæ, propriis sumptibus cingi jussit urbem quamdam, nomine Cæsaream *i*, muris tam altis ac latis, ut currus supra eos commeare possit; murosque instrui jussit turribus, duplicique pinnarum admodum crassarum ordine. Muris item includi jussit civitatem, nomine Jafam *k*, et Sidonem, et castrum Cayphas, partemque quamdam urbis Acconensis, quæ passim vocatur Mons Musardus *l*. In doctrina autem filio data etiam hæc verba continentur. « Nullo modo tolerato » verbum ullum, prolatum in contumeliam Domini nostri, beatæ Virginis, aut Sanctorum,
B » quin de eo vindictam sumas; nisi clericus esset, » aut persona tam illustris, ut eam tu punire non » deberes; tum vero ei peccatum suum ostendi » curato per Dominum suum, eumque qui ipsum » poterit punire. »

ex odio in blasphemos, quos graviter punit,

25 Venerabilis Rex statutum *m* condidit, idque per totum regnum suum promulgari jussit, ut nulli liceret blasphemiam proferre, aut verbum quodcumque turpe de Deo, de beata Virgine Maria, vel de Sanctis, aut per membra eorum jurare : jubebatque quandoque eos, qui in hanc legem peccabant, in labiis *n* uri, seu signari ferro calido et candenti rotundo, cui virgula erat insculpta, ad hoc peculiariter composito. Alias in scalis exponi jubebat coram populo, intestinis animalium stercore plenis collo ipsorum appensis. Præcepit etiam ut in claris urbibus loco publico scalæ ponerentur, in quibus blasphemi in Deum statuerentur, ac ligarentur in odium istius peccati. Speculatores autem contra eos statui voluit, qui eos accusarent, scalæque ad id specialiter ordinatæ erant in urbibus, et locis solemnioribus præcepto beati Regis. Porro contigit, ut quis juraret turpe de Deo juramentum, resque beato Regi nuntiare-
C tur : et quando Rex eum volebat puniri, multi Regis consiliarii, multique proceres pro illo apud Regem intercedebant, eumque, quantum poterant, defendebant, dicentes, tanto eum non esse dignum supplicio : de quo tamen venerabilis Rex præ ingenti Dei honoris studio, ut firmiter creditur, neminem audire voluit, sed præcepit ut ferrum candens applicaretur labiis juratoris istius, ac in Deum blasphemi.

denique quod pro fidei exaltatione mortem obierit.

26 Postea *o*, ubi secundæ peregrinationis tempore beatus Rex in terram descenderat in agro Tunetano, ac possessionem inire vellet, præcepit ad Dei honorem ore proprio, dixitque magistro Petro de Condé, ut ita scriberet : « Præco » possessionem vobis denuntio nomine Domini » nostri Jesu Christi, ejusque servi Ludovici Galliæ Regis », aliaque quæ in præconio promulgari debent. Ex quo populus, qui id audiebat, intellexit magnam fidem venerabilis sancti Ludovici, quod nominaret Jesum Christum, affirmans præconium, quod erat denuntiandum, esse Domini nostri Jesu Christi. Ne prætermitti quidem sdebet, quamvis res sit palam nota, quod dictu venerabilis Rex bis mare transmiserit ad incre-
D mentum fidei Christianæ ingenti cum exercitu immensisque sumptibus. Prima vice secum duxit Margaritam reginam uxorem suam, atque hoc modo transmiserunt omnes ejus fratres : secunda vice secum duxit omnes, quos tunc habebat, fratres; ex quatuor vero, quos habebat, filiis tres natu majores secum duxit, ac filiam charissimam Navarræ reginam. Demum secunda hac vice susceptum persequens negotium ad incrementum fidei Christianæ beate, sancteque dies suos finivit in terra transmarina.

IV. *Spes firma Sancti Regis*

27 Spes, qua mens in se corroboratur, ad Deum elevatur, ad perseverantiam animatur, atque ad certam divini auxilii fiduciam, tantopere corroboravit venerabilem sanctum Ludovicum, solata est, animavitque, ut adversa omnia despiceret, difficilia quælibet pro viribus aggrederetur, nihil non suscipere auderet ex fiducia divini auxilii, qua nitebatur, sicuti tota ejus vita manifestum facit : ex qua vita unum solummodo factum pro speciali exemplo desumo. Quando venerabilis sanctus Ludovicus post primam peregrinationem redibat ex provinciis transmarinis, jamque duobus aut tribus circiter diebus navigassent, ac propinqui essent urbi Limissoni, tem- E pore nocturno paullo ante diem navis, qua venerabilis Rex, regina ejus uxor, liberique eorum, nimirum dominus Joannes comes jam Nivernensis, dominus Petrus comes olim Alenconius, ac domina Blancha olim uxor domini Ferdinandi, filii natu maximi et heredis illustris Castellæ regis, nati trans mare, multæque aliæ personæ vehebantur, impegit atque in durum arenæ cumulum est allisa; vehementique dicta navis tum percussa est impetu.

illustri exemplo demonstratur.

28 Qui in navi erant, hoc sentientes, vehementer timuerunt, ne navis esset rupta. Clamantibus autem eorum aliquibus præ timore periculi, beatus Rex nullo modo perterritus, e vestigio se recepit ad locum, ubi verum Jesu Christi Corpus permissione legati Pontificii episcopi Tusculani erat positum, ibidem beatus Rex in cubitos, genuaque humi provolutus, tempore aliquo in oratione permansit. Demum naucleri, ubi navem inspici jusserant, retulerunt beato Regi carinæ navis tres omnino tignos esse avulsos *p*. Fuit navis restaurata quantum potuit, ac deinde decem, aut circiter, hebdomadis, eadem navi vecti fuere; donec memoratus sanctus Rex alii- F que, qui erant in dicta navi, in Provinciam appulerunt ad castrum, quod Olbia *q* nominatur. Dicebant autem naucleri ex mille navibus ne unam quidem evadere potuisse ex tanto periculo, certoque creditur ex dicto eos periculo fuisse ereptos propter fiduciam atque orationem venerabilis sancti Regis. Notandum autem hoc loco dictum quoddam, quod regina Margarita uxor ejus supradicta multis aliquoties narravit : videlicet, quando venerabilis Rex, atque ipsa, eorumque liberi supra dicti in illo erant periculo, infantium nutrices ad eam accurrisse; eique dixisse : Domina quid faciemus liberis tuis? Eosne excitabimus, lectoque levabimus? Et domina, de vita corporis infantium ac sua desperans, respondit : Ne eos excitaveritis, neque e lecto levaveritis; at dormientes sinite eos ad Deum abire. Hoc vero dixit magna spe, quam habebat, eos perpetuo in cælo victuros.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Documenta illa, quæ frequenter adducuntur, habentur infra cap. 6. Vide num. 73.*

b Bellomontium ad Oesiam, *vulgo* Beaumont sur Oyse, *oppidum est in provincia Insulæ Franciæ ad Oesiam fluvium, 8 leucis distans Parisiis versus Bellovacos, ut habet Baudrandus in Geographia.*

c *Anno 1244. Vide Commentarium § 41.*

d Meldæ, *vulgo* Meaux, *urbs nota est in Bria provincia ad Matronam fluvium, cujus tunc episcopus erat Petrus de Cuissy, memoratus apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 3, pag. 701.*

e *Hoc mendosum esse patet ex Joinvillio num. 26, aliisque, ex quibus constat,* Ludovicum *natum fuisse die festo S. Marci, seu 25 Aprilis, dum cruces circumferebantur in agmine supplicantium. Suspicor itaque errorem esse biographi, qui in Actis canonizationis Latinis mentionem de crucibus invenerit, indeque formaverit festum Inventionis sanctæ crucis. Porro ætas 34* B *annorum recte expressa est, et confirmat sententiam nostram de anno natali, quem in Commentario probavimus fuisse 1214 : si enim natus est 1214, ætatem 34 annorum compleverat anno 1248, dum mare transmisit.*

f *Memphis longissimo distabat intervallo a Damiata, eratque supra famosum Ægypti Delta ad Nilum sita, ubi nunc fere est Cayrus magna. Alii putarunt Damıatam esse antiquum Pelusium, at nihilo verius, licet minus distaret Pelusium. De Memphi autem consuli potest Cellarius Geographiæ antiquæ lib. 4, cap. 1, pag. 41. Capta a Rege Damiata anno 1249. Vide de his omnibus Commentarium, et Joinvillium, ubi singula ordine relata sunt.*

g *Illicitum videri conditionem hujusmodi juramento addere, diximus in Commentario num. 684.*

h *Idem habet Joinvillius part. 1, cap. 2, ubi lit.* m *notabimus id sano sensu esse intelligendum.*

i *Anno 1251. Vide Joinvillium num. 183.*

k *Condita Jafa anno 1252, Sidon 1253. Acconis pars 1250 : ac eodem forte tempore ca-* C *strum Cayphas, nisi illud cum Cæsarea munitum sit anno 1251. Porro castrum Cayphas ad radices montis Carmeli situm erat, ac tribus leucis distabat Accone. Videri de his potest temporis ordine Commentarius.*

l *Gallice* Mont Musart : burgum *reparatum a Rege, ait Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 3.*

m *In Commentario num. 1002 probavimus has leges conditas circa annum 1268.*

n *Hanc pœnam legibus promulgatis non statuit, ut putarunt non pauci; sed pro arbitrio infligi jubebat, dum blasphemiæ erant enormes; ut disces ex iis, quæ de his in Commentario ibidem disputavimus.*

o *Anno 1270.*

p *Hoc factum, quod contigit anno 1254, videri potest apud Joinvillium cap. 36, et Gaufridum num. 49 : hi enim ambo adfuerunt.*

q *Vide Joinvillium num. 237, et notata ibidem.*

CAPUT III.

Amor Sancti in Deum : pietas in cultu divino, concionibus audiendis, et accipiendo sacratissimo Jesu Christi Corpore.

Quis satis queat esse idoneus ad enarrandam ferventem charitatem, qua beatus Jesu Christi Amicus flagrabat? Prorsus enim ut carbo candens, qui plenus est igne, ita venerabilis sanctus Ludovicus amore Dei fuit accensus. Quippe « ab ineuntis ætatis primordiis Dei Filium » tenera mentis affectione dilexit : nec diligere » desiit, studia continuando salubria, dum vi- » tæ sibi commoditas affuit temporalis : sed quan- » to majori profecit ætate, ac in tempora pro- » lixiora prosiliit, tanto in ejus exarsit amorem » fervore spiritus ampliore *a* » : quemadmodum Bonifacius Papa VIII commemorat. Ad hæc docebat atque affirmabat, Deum amandum esse super omnia sine ulla mensura, utpote qui agnoscebat humiliter beneficia Domini nostri, eaque ut cognoscerent alii, eos docebat, ac erudiebat. Præterea alios docebat, quo pacto Domino nostro magis placere possint, quantamque adhibere eos oporteat diligentiam, ad evitanda quælibet, quæ ei debeant displicere. De quo in doctrina *b*, quam scripsit propria manu ad filiam suam Navarræ reginam, hæc verba inter alia leguntur :

V. Fervens Sancti in Deum amor, — E — *a* — *b*

30 « Dilecta filia, te doceo, ut ames Domi- » num Deum nostrum ex toto corde tuo, et ex » totis viribus tuis; sine eo enim nullus quid- » quam valere potest. Nihil tam recte amari po- » test, neque tam utiliter. Dominus est, cui » omnis creatura potest dicere : Domine, Deus » meus es tu, nullo bonorum meorum eges. » Hic ille est Dominus, qui misit Filium suum » in terram, ac in mortem tradidit, ut morte » inferni nos liberaret. Multum aberrat creatura » illa, quæ alio amorem cordis sui inflectit, » quam ad ipsum, aut sub ipsum. Mensura, » qua ipsum amare debemus, est amare sine men- » sura. Meritus est abunde, ut ipsum amemus : » nam prior nos amavit. Utinam mature perpendere posses, quantum venerabilis Dei Filius » egerit pro redemptione nostra. Desiderium con- » cipe, quod numquam a te abscedat; nimi- » rum qua ratione magis Domino nostro placere » possis. Hoc etiam cordi imprime, quod, si » certo scires nullum tibi futurum bonorum, » quæ feceris, præmium; nullam malorum pœ- » nam : nihilominus cavere deberes, ne facias » Deo displicentia; ac animum adjicere ad fa- » ciendum pro viribus, quæ ei sunt grata, pu- » ro erga eum amore. » Rursum in doctrina, quam propria manu scripsit regi Philippo bonæ memoriæ filio suo, hoc modo scribit : « Chare » fili, primum te doceo, Deum amare ex toto » corde tuo, et ex totis viribus tuis; nam sine » hoc nihil valere potest. » Ex quibus clare patet, quantopere Deum amaverit, quantumque liberos suos ejus amore erudierit.

quem et liberis suis instillare conatur : — F

31 Gratia pietatis, ac fervor bonæ voluntatis in corde venerabilis sancti Regis abscondi non potuit; VI.

A. REGINÆ CONFESSARIO. *summa in Deum pietas*, potuit; ast illam multis, certisque indiciis manifestavit. Beatus Rex in Deum, ejusque Sanctos, atque in sanctam Ecclesiam summa ferebatur pietate, veluti manifeste patet ex cursu vitæ ipsius, clareque innotescit ex testimonio multorum virorum probitate præstantium, ac fide dignorum, qui longo tempore eo familiariter sunt usi, quique jurati affirmabant, insigni cum religione fuisse plenum. Nihilominus ut id certius etiam demonstretur, specialia quædam sunt conscripta.

luculenter probata ex Horis canonicis, 32 Venerabilis Rex Horas suas canonicas recitabat magna religione cum quodam ex ministris sacelli sui, idque horis ipsis statutis *c*, ante statutum tempus illas non recitans, aut certe spatio quam poterat minimo. Ad hæc ritu solemni cani jubebat per ministros sacelli sui, et clericos omnes Horas canonicas ipsis horis statutis, horam non præveniendo, aut spatio certe, quam poterat, brevissimo : eas autem audiebat magna pietate. Quin etiam, quando eques iter instituebat, sacelli sui ministros equis insidentes Horas canonicas recitare jubebat elevata voce, concentuque musico, eodem prorsus modo, acsi B in ecclesia fuissent, ne statutum tempus præteriret. Consuetudo vero, quam beatus Rex servabat in cultu divino, erat hujusmodi. Venerabilis Rex surgebat e lecto media nocte *d*, jubebatque vocari clericos, ac sacelli ministros; tum vero in sacellum intrabant singulis noctibus coram Rege; et tum canebant alta voce, concentuque musico preces Matutinas illius diei, ac deinde de diva Virgine. Neque ideo beatus Rex utrasque preces Matutinas non dicebat in eodem sacello submissa voce cum uno ex sacelli sui ministris. Matutinis precibus recitatislli sacelli ministri, si vellent, redibant ad lectos suos. Modico elapso temporis spatio, eoque tam exiguo, ut quandoque post reditum suum capere somnum non potuissent, eos vocari jubebat ad Primas recitandas. Tunc Primas dicebant in sacello alta voce, concentuque musico, congruas diei, ac de beata Virgine diebus singulis; Rege venerabili ibidem præsente, et utrasque cum uno ex sacelli sui ministris recitante. Hiberno autem tempore quotidie parum aberat quin Primæ recitatæ essent ante diem : post Pascha vero tali C hora dicebant preces Matutinas, ut absolutæ essent paullo ante diem, quia dies tunc erant longiores. Atque id faciebat beatus Rex diebus quoque ac noctibus, quibus fuerat cum regina uxore sua.

Missæque Sacrificiis, quibus assistebat quotidie, 33 Postquam Primæ erant cantatæ modo supra dicto, beatus Rex Missæ Sacrificio quotidie assistebat, primum pro defunctis, quod plerumque dicebatur sine concentu musico. Verum subinde, veluti cum anniversaria defuncti erat commemoratio, aut quis ipsius domesticorum obierat, in cujus refrigerium Sacrum dici curabat, illud concentu musico celebrabatur. Singulis item diebus Lunæ venerabilis Rex alta voce concentuque musico cantare jubebat de Angelis; singulis diebus Martis de beata Virgine Maria; singulis diebus Jovis Missam de sancto Spiritu; singulis diebus Veneris item Sacrum de cruce; et singulis diebus Sabbati rursum Sacrum de diva Virgine. Insuper præter hæc Sacra jubebat quotidie elata voce, concentuque musico cani Sacrum feriæ, aut festo congruum. Tempore sacri quadraginta dierum jejunii semper assistebat ternis Missæ Sacrificiis quotidie, quorum unum dicebatur in meridie, aut circa meridiem. Quando autem æstivo tempore, dum intensus erat ca- D lor, iter agebat, matutino tempore, proficiscebatur, dumque ad hospitium pervenerat, dicta Sacra fieri jubebat; omnibusque prædictis assistebat venerabilis Rex.

34 Postea, ubi aderat hora prandii, priusquam comederet, intrabat sacellum suum, sacellique ministri coram ipso concentu musico dicebant Tertias ac Sextas diei congruas, ac de beata Virgine; at ipse cum quodam ex ministris sacelli sui easdem recitabat submisso tono. *Horas præterea ipse recitans*, Cum autem in itinere erat tempore Tertiarum, Sextarum, aut Nonarum (at de Nonis hoc intelligendum jejunii *e* tempore) curabat easdem preces horarias elata voce ac musice cani inter equitandum a sacelli sui ministris, ipseque eas cum uno recitabat submissa voce. Singulis etiam diebus assistebat sacris Vesperis musice cantatis, easdemque cum uno sacelli ministro recitabat voce dimissa. Post cœnam sacelli ministri sacellum ipsius ingrediebantur, voceque elata ac musica canebant Completorium diei congruum, ac de diva Virgine, beatusque Rex, dum erat in sacello suo, sæpissime genibus innitebatur eo tempore, quo Completorium canebatur, totoque E eo tempore preces fundere studebat. Quotidie absoluto Completorio de Dei Genitrice, sacelli ministri eodem ipso loco canebant unam ex antiphonis de Domina nostra ritu solemni, concentuque musico; videlicet quandoque SALVE REGINA, quandoque aliam, cum oratione subjungenda, quemadmodum solet recitari.

35 Post hæc statim Rex revertebatur ad cubiculum suum, eoque ibat. Tunc unus presbyterorum ejus veniebat, post quem ferebatur aqua sacra; qua presbyter cubiculum aspergebat, dicebatque hunc versiculum, ASPERGES ME, orationemque subjungi consuetam. *adjuncto Officio de beata Virgine, etiam dum ægrotabat :* Ubi vero aderat hora, qua venerabilis Rex cubitum ire consueverat, utrumque Completorium recitabat cum sacelli ministro prædicto. Porro diebus solemnioribus, quibus Officium fiebat ritu duplici, Officium de Matre Dei non recitabatur in sacello concentu musico; at submissa solum voce; exceptis insuper festis Natalis Domini, Paschatis, aliisque hujusmodi maxime solemnibus, quibus presbyteri in sacello non recitabant Officium de Domina nostra. Quando autem venerabilis F Rex erat in loco quodam, ubi non habebat sacellum aliud, pro sacello habebat cubiculum suum. At vero per omnia fere regni loca sacellum habebat. Quamvis etiam ægrotaret venerabilis Rex, jubebat semper sacelli sui ministros in sacello suo solemni ritu cantare Horas canonicas; alii vero duo clerici aut Religiosi recitabant preces horarias de die, ac de beata Virgine coram lecto ejus, ubi decumbebat. Nisi nimis esset debilis, recitabat versiculos ex una parte, aliique ex altera; cum vero esset tam debilis, ut loqui non posset, alium apud se habebat clericum, qui pro ipso psalmos recitabat.

item ex splendore, et ordine, 36 Porro diebus singulis ferialibus, seu diebus illis, quibus non recitantur lectiones novem, duo supra altare lucebant cerei *f*, qui renovabantur diebus quibuslibet Lunæ, ac Mercurii. At Sabbato quolibet, omnique festo simplici novem lectionum tres altari imponebantur cerei. Quolibet vero festo duplici, aut semiduplici novis mutabantur; atque altari imponebantur sex, vel octo cerei. At in festis solemnioribus cerei duodecim in altari ponebantur : uti etiam in anniversariis sacris pro patre ipsius, ac

matre,

A matre, omnibusque regibus, pro quibus in sacello suo anniversaria Sacra fieri curabat. Quoties autem cerei mutabantur, novique altari imponebantur, ut dictum est, quod de prioribus cereis supererat, sacelli ministris, ac clericis cedebat ad eorum emolumentum. Omnibus diebus Dominicis Adventus, omnibus festis Apostolorum, sancti Nicolai, sancti Martini, sanctæ Mariæ Magdalenæ, similibusque festis majoribus, solemniter Sacrum cantari jubebat cum diacono et subdiacono : ac in festis solemnibus semper volebat, ut antistes unus aut plures Sacrum sibi solemniter cantarent; et tum diaconi ac subdiaconi vestibus indui curabat, quos ex clericis suis habere poterat, iisque indutos vestibus jubebat episcopo sacrum cantanti ministrare.

quocum rem divinam peragi volebat :

37 Quandoque etiam in festis maxime solemnibus volebat, ut antistites interessent precibus Matutinis, quibus ipse in sacello suo assistebat. In festis autem solemnibus Dei, ac beatæ Virginis, apparatu tam solemni, tantoque temporis spatio, cultum divinum obiri jubebat, ut omnibus fere aliis tædium pareret diuturnitas Officii. Ad hæc venerabilis Rex volebat ut cultus B divinus peragerctur tam composite, et tam solemniter, ut ei non sufficeret, quod sacellani ipsius, aut clerici ordinarent, quis Sacrum caneret, quis Euangelium prælegeret, aut quis alia perageret; sed ipse sæpe hæc ordinaret, ac præciperet per quemdam sacelli sui ministrum illis, quos ad hæc ministeria peragenda noverat magis idoneos, ut ea obirent. Porro ut in omnibus honoraretur Deus, in sacello suo habebat indumenta presbyteris, aliisque ordinibus congrua, uti etiam vestimenta propria episcopis ex samili panno *g*, aliisque pannis e serico pretiosis, composita, acupicta et alia, eaque diversi coloris, prout tempora ac festa exigebant. g

item ex Officio defunctorum quotidie recitato; ex modestia in re divina, aliisque pluribus.

38 Rursum venerabilis Rex quotidie cum quodam sacelli ministro recitabat Officium pro defunctis secundum consuetudinem ecclesiæ Parisiensis. Porro licet tempus esset hibernum, ac frigus intensum, nihilominus venerabilis Rex, quando in templo erat aut sacello, semper erecto stabat corpore, vel genibus flexis in terram, seu pavimentum, aut in partem alteram scamni anterioris, humique nitebatur, pulvino C non interposito, at extenso dumtaxat sub ipso tapete quodam. Tempore, quo Sacrum celebrabatur, non facile sinebat, ut quis secum loqueretur, nisi quod quandoque paullo post Euangelium, et paullo ante orationes secretas audiret eleemosynarium suum, neque ullum alium, nisi brevissime. Sæpe etiam contingebat, ut tam cito e lecto surgeret, vestesque ac tibialia indueret ad templum mox intrandum, ut alii, qui in ejus cubabant cubiculo, tibialia induere non possent, sed nudis pedibus cursim eum sequi deberent. Absolutis Matutinis longo tempore orabat aut in sacello, aut in vestiario suo, aut ante lectum suum. Ubi ab oratione surgebat, si nondum illuxisset, trabea quandoque se exuebat, lectumque ingrediebatur, quandoque etiam trabea indutus dormiebat. Quandoque cubiculariis suis partem candelæ dabat, iisque præcipiebat, ne diutius dormire se sinerent, quam candela illa arderet, ita ut eum quandoque excitarent jussu ipsius, ipseque surgeret, ac diceret illis, se necdum esse calefactum. Excitatus autem mox surgebat quam poterat citissime, atque ad templum, sacellumve se conferebat. Ceterum, quia vigiliis suis immoderatis, aliisque laboribus multis, quos longo tempore sustinuerat, vehementer erat debilitatus, ei suasum fuit a viris Religiosis, ut tantum ne vigilaret, neque tam mane surgeret : qua de causa non tam cito in posterum surrexit, surgebat tamen ea hora, ut preces Matutinæ dictæ essent priusquam illuxisset, hiberno certe tempore.

Quanta pietate et humilitate sacras audiret conciones,

39 Venerabilis Rex lubentissime, sæpissimeque audiebat verbum Dei, atque animum ad illud advertebat diligentissime. Propterea singulis diebus Dominicis, ac festis singulis, frequenter etiam aliis diebus, quando Religiosi ad manum erant, aut alii, qui nossent proponere verbum Dei, eos coram se prædicare jubebat, ac humi sedebat super juncos *h*, dum coram ipso prædicaretur. Ubi iter instituebat, quando utiliter poterat ad abbatiam quamdam divertere, conventumve Religiosorum, perquam lubens id faciebat, ibique sermonem sacrum haberi jubebat, ut ipse atque illi ad virtutem excitarentur. Consuetudo autem ejus erat talis. Quando audiebat quandoque prædicationes sacras, quæ in loco Religiosorum congressibus destinato habebantur, sedebat sæpe in medio religiosi istius loci super juncos, etiam eo tempore, quo intensum erat frigus, prope terram : ac monachi superius sedebant in sedibus suis consuetis. Ut autem gregarii milites libentius concioni interessent, ordinavit ut manducarent in cœnaculo : qui milites ibi comedere non solebant, sed stipendium accipiebant ad sumptus foris manducandi; dabatque venerabilis Rex eis insuper stipendium integrum, ac nihilominus in aula manducabant. Quandoque etiam pedes incedebat bis uno die per quartam leucæ partem, ut interesset orationi sacræ, quam ad populum haberi jubebat. Diligentissime audiebat orationem sacram; si autem contingeret, ut contentio oriretur circa oratorem, illam jubebat comprimi. Aliquando etiam prælectionem audiebat in schola fratrum Prædicatorum Compendii : illaque finita, præcipiebat ut oratio ibi haberetur ad laicos, qui cum eo illuc venerant. h E

et sacrosanctum Domini Corpus susciperet.

40 Venerabilis sanctus Ludovicus ebulliebat ferventi pietate, qua ferebatur in Sacramentum veri Corporis Domini nostri Jesu Christi. Sexies *i* enim, ut minimum, quotannis cælesti hoc epulo reficiebatur : videlicet in Paschate, Pentecoste, festo beatæ Virginis in cælum Assumptæ, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, beatæ Virginis Purificatæ. Summa quoque pietate ibat Servatorem suum accepturus; ante enim lavabat manus, et os, caputque capitio ac galericulo *k* nudabat. Tum postquam chorum templi erat ingressus, non pedibus incedebat usque ad altare, sed genibus eo se promovebat; cumque esset ante altare, dicebat primum ipse per se suum CONFITEOR junctis manibus, multis suspiriis ac gemitibus, et tunc hoc modo accipiebat verum Jesu Christi Corpus e manu episcopi vel presbyteri. i F k

ANNOTATA.

a *Verba sunt desumpta ex bulla canonizationis.*

b *Habentur hæc documenta inferius cap. 6.*

c *Preces canonicæ in septem horas divisæ sunt : quæ si singulæ seorsim, statutisque a prima institutione horis recitentur, Matutinæ preces cum laudibus, quæ horam nocturnam constituunt, recitandæ venient ante solis ortum : preces Primæ prima post solis ortum hora, Tertiæ medio tempore*

A. Reginæ Confessario.

pore inter solis ortum et meridiem, Sextæ in meridie, Nonæ inter meridiem et solis occasum æquali ab utroque distantia, Vesperæ hora ultima ante occasum solis, ac denique Completorium postquam sol occubuit. Hæc latius deducta, ac erudite probata invenies apud eminentissimum Cardinalem Bellarminum tom. 4 Controversiarum, controversia 3, lib. 1 cap. XI : *ubi et plura de nomine, antiquitate, institutioneque Officii divini disputata sunt cap. 10, 13, 14, calumniæque hæreticorum cap. 12 refutatæ. Porro hic ordo singulas horas seorsim recitandi, uti præceptus non est, ita omnibus non est usitatus; nec illum in omnibus secutus est Sanctus, ut patebit in sequentibus : servavit tamen omnino ordinem sibi semel præscriptum, nec aliud indicare voluit biographus.*

d *De his eadem fere, sed brevius, Gaufridus num. 35.*

e *Quia jejunii tempore Nonæ etiam dicebantur ante cibi sumptionem, non item alio tempore.*

f *Hic numerus cereorum exactius narratur in ipsis* Ludovici *hac de re statutis num. 455 Commentarii. Ibi enim duplicatur numerus hic relatus, additurque, singulos fuisse duarum aut trium librarum.*

B

g *Pannus samilis, Gallis* samit, *pretiosus admodum est ex serico, aureisque filis passim intertextus. Videri potest Cangius ad vocem* exametum.

h *Junci spargebantur, in solemnitatibus vel principis accessu, ut docet Menagius ad vocem* Joncher. *His igitur imponebatur ei sedes.*

i *Id pro tempore videbatur frequenter communicare. Alius erat usus apud primos Christianos, alius hodiedum viget, certe in Belgio nostro.*

k *Gallice,* son chaperon et sa coife. *Utrumque est capitis tegmen. Primum haud absimile erat cucullo monachorum, Gallisque olim etiam regibus erat usitatum, de quo plura vide apud Cangium in Glossario ad vocem* caparo. *Aliud minus est, et hodie etiam usitatum, quod ex corio, panno, lineo, sericove, infra pileum gestatur.*

CAPUT IV.

C

Pietas Regis erga sanctam crucem, sacra Sanctorum pignora; quanto honore et amore Religiosos, ecclesiasticos, ac probos quoslibet prosequeretur : ubi etiam de fundationibus piis quam plurimis.

Pietas in sanctam crucem,

Qualibet die Veneris sancta, qua crux adoratur, venerabilis Rex adibat vicinas ecclesias loci, ubi tunc erat, idque nudis pedibus, in quocumque illa die degeret loco : habebatque tibialia, superiorem quoque pedis partem tegentia, sine soleis, ne caro sua conspiceretur; at plantas pedum suorum prorsus nudas humi figebat : largaque super aras ecclesiarum, quas invisebat, offerebat dona, ac deinde rei divinæ usque ad finem intererat, nudis item pedibus, donec sanctam crucem adorasset. Porro hoc modo ad eam adorandam accedebat, ut trabea sua esset exutus, indutus veste corpori adstrictitia, vel tunica, atque ita nudis pedibus, ut ante dictum est : soluto insuper cingulo, deposito galericulo, nudo prorsus capite in genua provolvebatur, pieque sic adorabat sanctam crucem. Deinde per aliquod terræ spatium genibus se promovebat, ac orabat; iterumque tertia vice genibus procedebat usque ad crucem, illamque adorabat, atque osculabatur tenera pietate, magnaque reverentia, ac humi se prosternebat pronum in formam crucis, crediturque eo tempore, quo illam osculabatur, ubertim id faciendo flevisse. Quando venerabilis Rex prima vice iter transmarinum suscipere voluit *a*, venit ad ecclesiam beatæ Virginis Parisiis, illic Missæ Sacrificio interfuit, incessitque ab ecclesia Parisiensi usque ad sancti Antonii *b* nudis omnino pedibus, balteo e collo pendulo, baculo peregrinationis indice manibus imposito, magna pietate, comitante cum illuc numerosa populi turba. Ibidem deinde populo, qui secutus erat, valedixit, equum conscendit, atque discessit.

D

a

b

in Christum natum;

42 Postmodum ipso anno, quo prima vice ex partibus transmarinis rediit, venerabilis hic Rex in pervigilio Natalis Domini venit summo mane ad abbatiam Regalis-Montis Ordinis Cisterciensis in diœcesi Bellovacensi, dixitque interesse se velle promulgationi Nativitatis Domini nostri, quæ in festo illo fieri solet per totum Ordinem ipsa hora, qua habetur monachorum conventus, congregranturque illa hora monachi in loco, quem capitulum vocant. Statutum autem abbatiæ est tale, ut illa hora abbas, omnesque monachi, qui eo accedere possunt, conveniant in capitulum. Unusque monachorum stans in medio capituli, hæc inter alia pronuntiat verba : « Jesus Christus Filius Dei na- » tus est in Bethleem Juda. » His dictis, abbas et monachi humi se prosternunt, jacentque sic in oratione, donec abbas se erigat. Propterea venerabilis sanctus Ludovicus hora ista venit in capitulum, conseditque juxta dictum abbatem usque ad pronuntiationem, eaque facta, se etiam humi prostravit extensum, quemadmodum abbas, aliique monachi, humiliter ac religiose; extensusque ibidem in oratione jacuit, donec abbas signum ei daret se erigendi, tunc se erexit.

E

F

in instrumenta varia passionis Dominicæ,

43 Venerabilis sanctus Ludovicus habebat coronam spineam Domini nostri Jesu Christi; magnam partem crucis, cui Deus fuit affixus; lanceam, qua latus Domini nostri fuit transfixum; multasque alias gloriosas reliquias, quas obtinuit *c*. His reliquiis sacellum Parisiis erigi curavit; ad quod expendisse dicitur quadraginta omnino millia librarum Turonensium, et ultra. Ornavit etiam venerabilis Rex auro, argento, gemmis, aliisque ornamentis regiis loca ac thecas, in quibus sacræ reliquiæ requiescunt, æstimanturque dictarum reliquiarum ornamenta centum facile millibus, et ultra, librarum Turonensium. Ad hæc fundavit in dicto sacello canonicos, aliosque clericos ad celebrandum in perpetuum in memorato sacello cultum divinum coram sacris reliquiis supra dictis : atque ipsis assignavit ac constituit tot reditus perpetuos quotannis percipiendos ex pecunia, frumento, aliisque rebus, ut singuli illi canonici, qui decem sunt aut duodecim, annuatim accipiant quinquaginta quinque Turonenses *d*; licet habeant domos idoneas, quarum tres venerabilis Rex Ludovicus construi jussit prope dictum sacellum.

c

d

44 Porro ad honorandum augusto cultu memoratas reliquias, venerabilis Rex in dicto sacello

A cello tres quotannis stabilivit solemnitates. Primæ solemnitati interesse voluit conventum fratrum Prædicatorum Parisiensium; secundæ conventum fratrum Minorum: tertiæ interesse jubebat quosdam ex utrisque fratribus ante dictis, atque etiam alios *e*, quorum Parisiis magna erat multitudo, ex fratribus, qui habitabant in domo quadam apud palatium regium, ac prope hoc ipsum sacellum; ut tunc assisterent Matutinis precibus ad postulationem venerabilis Regis. In tribus his solemnitatibus, Sacro cantato apparatu maxime celebri, fratres, qui Sacro huic interfuerant, comedebant in cœnaculo venerabilis Regis, et Rex cum ipsis. Legebatur quoque perpetuo inter comedendum, quemadmodum fieri solet in tricliniis dictorum fratrum. Præterea in festis memoratis venerabilis Rex vocari jubebat episcopos quosdam, quos habere poterat, jubebatque hos episcopos ac fratres supplicantium ritu longo agmine procedere per palatium regium ad sacellum redeundo : in hoc autem supplicantium agmine venerabilis Rex humeris suis una cum episcopis portabat reliquias ante memoratas; idemque agmen augebat clerus ac B populus Parisiensis. Consueverat etiam venerabilis Rex, quando erat Parisiis, memoratum sacellum ingredi, postquam Completorium erat dictum qualibet Vespera a sacelli clericis, diuque ibidem orare.

quæ pie juxta ac splendide veneratur.

45 Venit aliquando ad abbatiam Regalis-montis in pervigilio sancti Michaelis, ubi tunc pernoctavit. Quando abbas surrexit illa nocte ad Matutinas, clerici venerabilis Regis jam fere absolverant Matutinas dicti beati Regis, ubi multum erat luminis, easque cantabant admodum solemniter. Postquam autem sonuerat in ecclesia ad Matutinas, dictumque erat, VENITE EXULTEMUS, venerabilis Rex ingressus est ecclesiam multo cum lumine, et processit ad locum, ubi sedet abbas in choro, seditque apud abbatem, ac fuit semper ibidem venerabilis Rex in Matutinis monachorum, ubi dicuntur octodecim psalmi, lectiones duodecim, duodecim responsoria, TE DEUM LAUDAMUS, et Euangelium. Dum canebantur responsoria, venerabilis Rex descendebat e sedili suo, capiebat librum ac lumen, et inspiciebat. Postea Matutinis finitis, ubi inchoabantur Laudes, venerabilis C Rex dixit abbati, velle se tantisper quiescere : eodem enim tempore matutino Parisios eum proficisci oportebat. Tunc beatus Rex se recepit ad cubiculum suum; finitis vero Laudibus, ad hanc ipsam ecclesiam rediit, ibique Sacro musice cantato interfuit. Deinde Parisios usque equitavit, ut festo sacrarum reliquiarum interesset : nam postridie festum sancti Michaelis solebat illic celebrare festum sacrarum reliquiarum Parisiensium.

Alia specimina pietatis in Sanctos,

46 In festo item sancti Dionysii quotannis beatus Rex, quando degebat in partibus illis, veniebat Dionysiopolim. Deinde canebantur solemniter Matutinæ initio noctis, iisque finitis monachi abbatiæ sancti Dionysii in chorum ingrediebantur, canebantque solemniter in hac ipsa ecclesia Matutinas. Venerabilis autem sanctus Ludovicus dicebat justa de causa Deum ista nocte perpetuo laudandum, celebresque cantus edendos, magnasque Deo gratias referendas. Jubebat Matutinas suas cani solemniter in sacello suo per sacellanos suos et clericos : cantatis autem Matutinis a monachis, venerabilis Rex procedebat ritu supplicantium, cumque eo sacellani ac clerici ipsius, induti sacris trabeis lineisque amiculis, cruce prælata, a sacello sancti Clementis, abbatiæ incluso, ubi Matutinas suas inchoaverat, usque ad ecclesiam sancti Dionysii supra dictam, ad corpora sancti Dionysii ejusque sociorum, ibique solemniter cani jubebat, quod de Matutinis suis supererat, eoque modo, ut, postquam essent cantatæ, illuxisset. Itaque tota illa istius festi nocte laudes perpetuæ resonabant in ista ecclesia. Facta hæc fuere sæpissime, ac in consuetudinem abiere tempore venerabilis sancti Ludovici. Item quotannis, quando venerabilis Rex erat in abbatia sancti Dionysii dicto festo : aut si quandoque contingeret, ut tot obrueretur negotiis, ut eo se conferre non posset, postmodum simul ac illi erat otium, accedebat altare sancti Dionysii, secumque vocabat filium suum natu maximum, et coram eo ante altare sancti Dionysii summa religione in genua provolvebatur, capite denudato, ad orandum. Tunc quatuor byzantios aureos primum capiti suo imponebat, manibusque tenebat; ac quatuor hos byzantios magna reverentia offerebat super altare, illudque osculabatur. Et quia prima vice, E qua sanctus Rex mare transmisit, septem effluxerant anni, quibus donum istud non obtulerat, quod fuisset trans mare, ubi in Galliam rediit, donum hoc super altare die quadam obtulit modo supra dicto pro septem simul annis *f*.

præsertim sanctum Dionysium, cui quotannis donum offert.

A. Reginæ Confessario.

47 Quandoquidem venerabilis sanctus Ludovicus decreverat Silvanecti prope palatium suum construendam curare ædem ad honorem sancti Mauritii ejusque sociorum, tantum egit atque effecit, ut viginti quatuor, aut circiter, corpora sociorum sancti Mauritii ex eadem legione acceperit ab abbate, ac monachis istius abbatiæ, ubi dicta corpora requiescebant, quæ sita est in Burgundia *g*. Abbas cum quibusdam suorum fratrum, nuntiisque, eo a venerabili Rege missis, ea Silvanectum detulit. Ubi autem pervenerunt tam prope Silvanectum, ut in urbem deferri possent, venerabilis Rex ea deponi jussit in domo quadam episcopi, quæ Mons nominatur, ac media circiter leuca Silvanecto distat. Tunc congregari jussit episcopos, abbatesque multos; ac præsentibus proceribus multis, numerosaque populi turba, instrui jussit agmen supplicantium ex omnibus clericis urbis Sylvanectensis. Imposita F fuere memorata corpora sancta variis thecis, panno serico splendide coopertis; atque ea portari jussit, ingenti procedente supplicantium agmine, in urbem ad ecclesiam principem, hoc modo. Ipse beatus Rex propriis humeris portabat thecam ultimam cum viro claræ memoriæ Theobaldo Navarræ rege ab episcopi domo usque ad ecclesiam ante dictam; aliasque etiam thecas ante se portari jussit per alios magnates equitesque. Putabat enim Rex beatus, ut creditur, congruum esse ac honestum, ut dicti Sancti, qui equites fuerant Jesu Christi, gestarentur ab equitibus. Ubi corpora sacra fuere in memorata ecclesia, beatus Rex Sacrum ibidem cani jussit ritu solemni, concionemque haberi ad populum istic congregatum. Itaque perlubens honorabat Sanctos, eorum festa celebrabat, tantaque omnis generis reliquias prosequebatur reverentia, ut eas osculari non sustineret illa die, qua cum uxore fuerat; dicebatque a viro quodam probo id se didicisse. Prædicta hæc omnia præstitit venerabilis Rex expensis propriis.

Honorifice transferri curat reliquias sociorum S. Mauritii :

48 Fundavit, dotavitque abbatiam Regalis-montis Ordinis Cisterciensis : in qua abbatia tantum

A. Reginæ Confessario.

fundat. dotatque monasteria, ac templa plurima;

tum est operis, ut credatur fieri non potuisse per quemcumque alterum illarum partium, nisi per Regem : creduntur que sumptus et expensa solorum ædificiorum excessisse centum millia librarum Parisiensium. Item fundavit domum Beginarum Parisiis prope portam de Barbeel *h*. Item ecclesiam fratrum Minorum Parisiensium *i*. Item ecclesiam, domumque fratrum Minorum urbis Jafensis *k* trans mare : jussitque construi decem calices argenteos inauratos, vestesque, aliaque templi ornamenta ad decem, quæ ibidem sunt, altaria instruenda. Jussit etiam libros fieri ad cultum divinum, ac fratrum studia, instruxitque memoratam domum lectis, aliaque supellectile necessaria. Rursus fundavit ecclesiam, ac domum fratrum Prædicatorum Compendii *l*, cui loco ædificiisque sine supellectili venerabilis Rex facile impendit quatuordecim millia librarum Parisiensium : nihilominus post omnia illa, structa illic fuere multa opera jussu beati Regis, quæ ingenti stetere impendio. Præterea curavit venerabilis Rex propriis sumptibus memoratam consecrari ecclesiam fratrum Prædicatorum. Rursum fundavit, ac ædificari jussit Silvanecti prope palatium suum in honorem venerabilis sancti Mauritii ejusque sociorum ecclesiam, et officinas, quæ congruunt duodecim circiter fratribus Ordinis, ac habitus sancti Mauritii in Burgundia; ac stabilivit, ut Deo illic serviretur in perpetuum per istos fratres : deinde donavit illam ecclesiam, eique constituit possessiones ac reditus, quotannis perpetuo recipiendos, usque ad valorem quinque *m* librarum Parisiensium aut circiter. Rursum fundari curavit ac construi domum sororum fratrum Prædicatorum Rotomagi *n*. Item domum fratrum Prædicatorum Cadomi *o*. Item domum Vallis-viridis prope Parisios Ordinis Cartusiensis. Item domum fratrum Carmelitarum Parisiis *p* maxima ex parte. Item fundavit ecclesiam, ac domum fratrum Ordinis SS. Trinitatis ad Fontem-bellaqueum *q*.

privilegia varia concedit abbatiæ S. Dionysii, aliisque :

49 Præterea, cum abbas sancti Dionysii venisset quadam vice Pontisaram, ubi beatus Rex degebat, qui existimabat deberi sibi ab abbatia sancti Dionysii jus solemnis procurationis, dicit isti abbati, recta, ut creditur, intentione : Domine abbas, quare non pacisceris mecum de procuratione *r* vestra, quam mihi debes? Facile contingere poterit, ut quidam ex posteris meis regibus non tanto vos amore prosequantur, quanto ego vos prosequor. Tunc suasum fuit abbati, ut re modica studeret istud procurationis jus redimere, si illud deberet; ne abbatia a secuturis regibus oneraretur. Abbas autem ei respondit, nullam procurationem illi se debere. Quippe habebat chartas veteres regum, unius aut plurium, qui ipsum præcesserant, quibus memorata abbatia de tali onere fuerat exempta, quas chartas memoratus abbas ostendi jussit venerabili sancto Ludovico Parisios reduci. Verum repertum fuit in actorum codice regio, abbates præcedentes persolvisse memoratum supra procurationis jus : indeque dicebatur, eos uti non debere chartis suis antiquis, privilegiisve prædictis. Factum id fortasse erat exigua cura, negligentiaque abbatum ac monachorum abbatiæ supradictæ : nihilominus beatus hic Rex, quamvis acta regum publica talia essent, uti supra est dictum, approbavit chartas has antiquas *s*, religionemque regum, qui eas concesserant; voluitque ut validæ essent ac firmæ. Neque hoc solum condonavit abbatiæ sancti Dionysii, sed insuper dictæ abbatiæ clientibus, et de Argentolio *t*, Corneliis *u*, et Ruolio *x*, qui Regi jus procurationis debebant, quod beatus Rex ejusque antecessores habuerant, ad honorem sancti Dionysii, atque amore dicti monasterii, quamvis reges, ejus antecessores, atque ipse possessionem habuissent contra chartas; totumque eis sua benignitate condonavit : eaque de re sanctus Rex Acta certa hujus condonationis confici jussit, sigilloque suo muniri, quæ Acta servantur in memorata abbatia. Ad hæc memoratus sanctus Rex, qui dictam abbatiam a damno præservare voluit pro tempore futuro, ubi intellexerat regem Carolum illis concessisse privilegium, quo non solverent in toto regno suo, neque in aquis, neque in terris; aliquosque regni viros nobiles resistere velle privilegio dictæ abbatiæ, ac dicere, regem Carolum non potuisse prædictæ abbatiæ concedere hujusmodi privilegium in ipsorum detrimentum; tunc beatus Rex denuo concessit memoratæ sancti Dionysii abbatiæ, ut in omnibus dominiis suis neque in terris, neque in aquis, abbas ac conventus sancti Dionysii obligarentur ullo transitionis jure, neque portorio, neque jure quintæ exigendæ, neque alio onere, de iis, quæ adferre vellent ad usum suum *y*. Item beatus Rex illis concessit, ut frui possent bonis suis, quæ acquisiverant et hic abbas et ejus antecessores in regno Franciæ; atque ut ea retinere possent in perpetuum, et ut cogi non possent ad ea vendenda, aut se iis privandos alio modo, utque bona dictæ abbatiæ tolli non possent a manu, aut corona Franciæ.

Religiosos, clericos, ac probos quoslibet magno afficit honore ;

50 Præterea abbatia Caroli-loci *z* Ordinis Cisterciensis obtinuit multos agros, ac possessiones, easque emerat a viris nobilibus aliisque tempore dicti beati Regis; pro quibus illi, qui ea vendebant, obligabantur ad clientelæ functiones quasdam ac servitia; neque ea vendi poterant Religiosis, aliisve viris ecclesiasticis, sine potestate a Rege facta. Confirmavit beatus hic Rex emptiones istas, voluitque ut memorata abbatia possessiones istas haberet stabiliter, neque ad functiones clientelæ obligaretur, ad quas illi, qui vendiderant, fuerant obligati. Præterea beatus Rex tantopere venerabatur clericos, ut mensa ipsius sacellanorum, qui coram ipso manducabant, ut preces ante cibi sumptionem, ac gratiarum actionem post cibum sumptum recitarent, altior quandoque esset mensa beati Regis, aut certe æqualis. Memoratus etiam sanctus Rex assurgebat viris probis, eosque apud se sedere jubebat propter eorum probitatem, ac magnopere illos honorabat : quia viros probos amabat, eosque, quibus bonum erat testimonium, cujuscumque fuissent loci. Ad hæc crebro, ac familiariter admodum invisebat templa, locaque religiosa. Affirmabat frater Gaufridus de Belloloco, vir religiosus, Ordinis Prædicatorum, qui ei erat a confessionibus, se invenisse in dicto beato Rege religionem tantam, ut diceret, si regina uxor sua moreretur, postquam obiisset, se sacerdotii ordinem suscepturum.

piis Religiosorum exercitiis sæpe assistit,

51 Tanta beatus Rex viros sanctos prosequebatur veneratione, ut, cum aliquando esset Caroli-loci in ecclesia Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Silvanectensi, audiretque dici, corpora monachorum, qui ibidem moriebantur, lavari in saxo quodam illic posito, beatus Rex saxum illud fuerit osculatus, ac locutus fuerit in hunc modum : O Deus! tot viri sancti hic sunt loti. Adhæc, quandoquidem moris est in Ordine

Cister-

A Cisterciensi, ut quidam monachi in qualibet abbatia, nunc hi nunc illi, singulis Sabbati diebus post vesperas, quantumcumque solemnis sit dies, pedes aliis lavare debeant, obeuntes Mandatum *aa;* sintque eo tempore congregati abbas ac monachi in monasterio : beatus Rex, qui crebro veniebat ad Regalem-montem Ordinis prædicti abbatiam, quando eveniebat, ut esset in abbatia dicti loci die Sabbati, interesse volebat Mandato. Sedebat ibidem juxta abbatem, conspiciebatque magna religione, quod prædicti monachi faciebant. Sæpe etiam contingebat, ut post hæc simul hac Mandatum erat peractum, lectioque finita, quæ fieri solebat ex Vitis Patrum, aut Moralibus sancti Gregorii, abbas monachique ingrederentur ecclesiam ad recitandum Completorium : intererat tum beatus Rex cum iis Completorio quemadmodum monachi. Finito Completorio, quoniam consuetudo est in illo Ordine, ut abbas alios præcedens aspergat aquam sacram ante limen dormitorii positam singulis ordine sequentibus, illique tunc se inclinent, ac cubitum ituri dormitorium ascendant; dictus venerabilis Rex sæpe adfuit abbati, aquam sacram singulis hoc modo aspergenti, teneraque pietate intuebatur quæ fiebant, atque accipiebat etiam aquam sacram ab abbate memorato sicut unus aliquis monachorum, inclinatoque capite egrediebatur monasterio ad hospitium suum : atque hæc faciebat Rex beatus coram multis suorum domesticorum.

opera humilia exercet ad lucrandas indulgentias,

52 Præterea, quando erat trans mare, quia lucrari cupiebat indulgentias, quas legatus Romani Pontificis trans mare largiebatur illis, qui saxa portabant, operibusque faciendis ferebant auxilium, hac de causa lapides quandoque portabat, aliave similia, operaque humilitatis exercebat. Id etiam faciebat, uti creditur, ut bonum aliis præberet exemplum : bono autem ejus inducti exemplo idem faciebant episcopi, proceres, equites, multique alii : sic alios supradicta facere docebat Rex sanctus. Qua de re *bb* inter alia monitio quædam continetur in doctrina, propria ipsius manu scripta, missaque ad filiam ejus, illustrem Navarræ reginam. Monitio hæc est ejusmodi : « Chara filia, lubens » assiste Officiis sanctæ Ecclesiæ, cave ne nugeris aut vana loquaris : preces quiete funde » vel ore vel mente. Nominatim quando Corpus » Domini nostri Jesu Christi præsens erit in Missæ Sacrificio, ac paullo ante, modesta etiam » magis sis, magisque precibus intenta. » Et : « Audi libenter loqui de Domino nostro et in concionibus, et in privatis colloquiis. » Ad hæc in epistola, propria ejus manu scripta regi Philippo bonæ memoriæ ipsius filio, clausula quædam habetur spectans ad præcedentia, quæ talis est : « Diligens admodum esto, ut protegendos » cures quosvis regni tui viros probos, præsertim homines ecclesiasticos; eosque tuere, » ne qua injuria aut violentia eorum personis » inferatur aut bonis. » Deinde post pauca, alia hæc sequitur clausula : « Levis ne sis, ad credendum aliquibus contra personas sanctæ Ecclesiæ, » sed eis honorem habeas, eosque tuearis, » ut pacifice exercere possint cultum divinum. Præterea te doceo, ut singulari amore » prosequaris viros Religiosos, eisque lubens in » eorum necessitatibus succurras; eosque præ reliquis diligas, qui magis Deum honorant ac colunt. »

ANNOTATA.

a *Anno 1248 : hæc relata in Commentario num. 574 et 575.*

b *Abbatia S. Antonii extra urbem erat, in suburbio nunc est ejusdem nominis. De hac autem monialium Ordinis Cisterciensis abbatia consuli potest Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 209.*

c *Has aliasque reliquias per Sanctum obtentas vidimus in Commentario : de corona spinea actum § 30, de aliis § 36, de capella sancta illis structa § 37.*

d *Hæc summa non convenit cum reditibus, quos statuit in litteris suis anni 1248* Ludovicus *in Commentario § 37. At præterquam quod augeri reditus potuerint a Rege, auctor hic omnia canonicorum illorum emolumenta simul computaverit.*

e *Non dubito, quin hoc loco designet auctor fratres de Pœnitentia Jesu Christi,* Saccarios, *seu* Saccitas *alio nomine vocatos. Nam Saccitæ prope palatium habitarunt, ut habet Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus pag. 552 : eos ibidem fundatos per* Ludovicum *diximus in Commentario num. 893. At, abolito Ordine, domum eorum occuparunt Augustiniani Eremitæ, ut num. 894 retulimus : hoc autem cum hisce belle congruit; auctor enim non obscure insinuat, eos ibi non amplius habitasse, dum hæc scribebat.*

f *Septem hi anni numerantur ab anno 1247, quo postremum de more dona Rex obtulerat, usque ad 1254, que redux pro septem annis obtulit. Adi Commentarium num. 743.*

g *Agauni videlicet, quod hodiedum* S. Maurice *vocant Galli. De his egimus in Commentario num. 910 et seqq.*

h *De his duabus fundationibus vide Gaufridum cap. 3, assignatumque ibi Commentarium.*

i *De ecclesia hac actum in Commentario. num. 861.*

k *Anno 1252, dum oppidum ipsum construxit.*

l *Adi Commentarium. num. 821.*

m *Mendum est manifestum : forte legendum* quingentarum. *Certe in litteris fundationis apud Acherium tom. 3 Spicilegii pag. 647 præter terras varias, vineas, census, vina, aliaque emolumenta non pauca, centum et octo libræ Parisienses annui reditus donantur; quemadmodum latius in ipsis litteris legi poterit.*

n *De hac, et Cartusianorum fundatione agis mox laudatus Gaufridus cap. 3.*

o *Consule Commentarium num. 864.*

p *Item num. 753.*

q *Et num. 851.*

r Procuratio *(alias* gistum *vocabant) est debitum vassallorum hospitium procurandi principibus suis iter agentibus. In Rege vero est jus hospitium, aut sumptus pro eo exigendi. Vide Cangium in Glossario ad vocem* procuratio.

s *Factum id anno 1259. Chartam Regis, qua jus procurationis abbatiæ remittit, memorat Doubletius in Antiquitatibus ejusdem abbatiæ pag. 990.*

t Argentolium, *vulgo* Argenteüil, *oppidulum est in provincia Insulæ Franciæ : de cujus prioratu dependente ab abbatia S. Dionysii plura videri poterunt apud Michaelem Felibien in Historia abbatiæ locis variis.*

u Cormeliæ, *vulgo* Cormeilles : *quo nomine non*

A. REGINÆ CONFESSARIO.

non longe ab Argentolio notatur in mappis geographicis. Jus procurationis de hoc vico abbatiæ remiserat Ludovicus VII per litteras anni 1158, quas recitat Doubletius pag. 878. Litteras autem illas confirmavit S. Ludovicus *anno 1255 per suas Argentolii datas, quas Doubletius habet pag. 908.*

x Ruolium *ab alia Sequanæ parte situm, notatur in mappis nomine* Ruël, *ac vulgo* Rueil *vocatur. Jus procurationis de hoc abbatiæ dominio remisit Sanctus anno 1258, Litteras ejus vide apud Doubletium pag. 990.*

y *Hujus beneficii litteras Meloduni datas mense Januario anno 1258 stylo veteri, id est 1259, exhibet Doubletius pag. 908 : sequentis vero pag. 910, quæ leguntur signata mense Martio anni 1269, id est 1270.*

z *De abbatia Carolilocensi, vulgo* Chaalis, *agunt Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 218.*

aa *De ceremonia pedes lavandi, quæ* Mandatum *vocatur, aliqua notata sunt ad Vitam primam cap. 1, lit.* q.

B bb *Quæ affert auctor ex documentis* Ludovici, *non ad factum postremo relatum, sed ad dicta toto hoc capite, referenda sunt.*

CAPUT V.

Piorum librorum lectio, oratio frequentissima, sollicita alienas preces postulandi cura.

Frequens est in libris piis legendis,

Venerabilis sanctus Ludovicus, intelligens tempus non esse terendum rebus inutilibus, nec curiosis de hoc mundo interrogationibus, at tempus impendendum rebus piis, studiose animum applicabat ad legendas Scripturas sanctas. Habebat enim Biblia cum interpretatione, atque originalia sancti Augustini, aliorumque Sanctorum, aliosque libros sacros, quos legebat, sibique prælegi jubebat sæpe inter prandium horamque somno capiendo destinatam *a*, scilicet quando C de die somnum capiebat. At uti raro contingebat ut dormiret; sic tempus exiguum somno indulgebat. Hoc ipsum sæpe faciebat post quietem captam usque ad Vesperas, quando non urgebant momenti gravioris negotia. Jubebat quoque hora ac tempore supra dicto vocari quosdam Religiosos, aliosve quosdam viros honestos, quibuscum loquebatur de Deo, de ejus Sanctis, eorumque factis; quandoque etiam de historiis Scripturæ sacræ, ac Vitis Patrum. Præterea diebus singulis, ubi Completorium in sacello a sacellanis ejus erat recitatum, ad cubiculum suum se recipiebat, eoque tempore accensa erat candela aliqua certæ longitudinis, nempe trium pedum *b* aut circiter, atque interea quamdiu illa durabat, legebat Biblia, aut alium librum sanctum. Candela ad finem vergente, unus ex ejus sacellanis vocabatur, et tunc cum eo recitabat Completorium.

in prælectionibus scholæ theologicæ quandoque assistit :

54 Quando secum habere poterat ad mensam suam viros quosdam venerabiles, lubens eos adhibebat, videlicet aut viros Religiosos, aut etiam seculares, quibuscum de Deo loquebatur quandoque ad mensam, quoniam hoc erat pro lectione, quæ legi solet in monasterio, dum fratres simul ad mensam veniunt. Hæc ratio erat, cur raro comederet cum magnatibus : attamen familiares ejus equites ac domestici cum ipso erant. Rursus, quandoquidem aliquis theologiæ magister *c* prælegebat Psalterium in abbatia Regalis-montis; quando Rex ibidem erat, ibat subinde, dum audiebat sonum æris campani, quo signum dabatur quando congregari debebant monachi ad scholam adeundam, veniebatque tunc ad scholam, illicque sedebat inter monachos, veluti etiam monachus, ad pedes magistri, qui prælegebat, eumque diligenter audiebat : fecit id beatus Rex frequenter. Quandoque etiam beatus Rex intrabat scholam fratum Prædicatorum Compendii, sedebatque ibidem humi supra sedem ante magistrum prælegentem in cathedra, eumque diligenter audiebat. Porro fratres sedebant in sedibus altiori loco, prout solebant in schola, cumque fratres vellent e sedibus suis descendere, humique sedere, id non patiebatur. Factum etiam aliquando, ut, cum esset in triclinio fratrum Prædicatorum Compendii, ascenderet sedem, ubi legebatur ex Bibliis inter comedendum, quemadmodum consueverunt fratres, E essetque illic longo tempore beatus Rex apud fratrem, qui lectionem prælegebat, cumque perlibenter audiret.

VIII. *crebro ac diu precibus insistit quotidie,*

55 Duo hæc concordant sibi invicem erga Dominum nostrum omnipotentem, quod opera juventur oratione, operibus oratio. Probe hoc perspexit beatus Rex sanctus Ludovicus, qui tempus suum bonis operibus semper impendit, ac conabatur mentem suam ad Deum elevare in oratione, ut et in contemplatione nancisceretur solatium, et in bonis operibus opem divinam. Etenim singulis diebus vesperi, saltem quando non ægrotabat, postquam Completorium recitaverat cum uno ex sacellanis suis, (quod recitabat in sacello, quando in loco erat, ubi habebat sacellum; si id non habebat, in vestiario prope cubiculum suum) abeunte illinc memorato sacellano, beatus Rex solus ibi manebat ante lectum suum, eratque in oratione longo tempore inclinatus ad terram, tenendo cubitos super scamnum, tanto tempore *d*, ut multum tædii crearet iis, qui erant ejus cubiculi, quique eum foris expectabant. Porro præter alias orationes sanctus F Rex quotidie vesperi genua flectebat quinquagesies, singulisque vicibus se plane erigebat, ac tunc rursum genua flectebat, ac quoties provolvebatur in genua tractim omnino recitabat unum AVE MARIA *e*. Post hæc non bibebat, sed erat in lecto suo. Quotidie post Matutinas in ipsa etiam hieme : (tunc enim, postquam rediit ex terra transmarina, adeo mature surgebat, ut Matutinæ diu ante diem essent cantatæ :) tum, inquam, dictis Matutinis, beatus Rex precabatur solus ante altare, quando erat in loco, ubi sacellum habebat; si vero sacellum ibidem non habebat, orabat ante lectum suum, adeo ut sæpe spiritus ipsius, ejusque visus, sic essent debilitati, quia jacebat ad terram inclinatus, capiteque prope in terram prono, ut, cum surgeret, ad lectum regredi non posset, sed rogaret quempiam e cubiculariis suis, qui expectaverat donec ab oratione surgeret, eique diceret : Ubi sum? submissa tamen voce propter equites, qui in ipsius cubabant cubiculo.

56 Præterea, ut confessarius beati Regis dicit in Vita illius, quam conscripsit : « Beatus Rex » lacrymarum *f* gratiam plurimum affectabat, et su-

A » super hoc defectu confessori suo pie et humiliter conquerebatur, familiariter ei dicens, » quod quando in litania dicebatur, ut fontem » lacrymarum nobis dones, devote dicebat : O » Domine, fontem lacrymarum non audeo postulare, sed modicæ lacrymarum stillæ mihi » sufficerent ad cordis mei ariditatem, et duritiam irrigandam. Aliquando etiam confessori » suo familiariter recognovit, quod quandoque » Dominus in oratione aliquas lacrymas sibi dedit, quas cum sentiret per genas suaviter ad os » influere, non solum cordi, sed gustui suo dulcissime sapiebant. » Post omnia hæc quotidie tanto tempore precibus insistebat inclinatus ad terram, cubitis supra scamnum positis, ut ipsius familiares, qui foris eum expectabant, plane tædio afficerentur, vehementerque fatigarentur.

dulcibus quandoque lacrymis comitantibus,

57 Quando beatus Rex trans mare captus fuit a Saracenis, ubi prima vice transmiserat; adeo vehementer ægrotabat, ut dentes ipsius motarentur; caro ejus maculis infecta esset, ac pallida; fluxuque alvi laboraret admodum gravi; ac tam esset macilentus, ut ossa ejus spinæ dorsi B prorsus viderentur acuta; tamque debilis ut necesse esset, ut quis ex famulitio ipsius solus eum portaret ad necessitates omnes, eumque detegeret : solus enim ille servus ei permanserat, aliis morbo impeditis, aut absentibus : nihilominus tunc perpetuo orabat, secumque psallebat acsi semper dixisset suum Pater noster, aliasve preces. Præterea non ei satisfaciebant orationes propriæ, sed humiliter se commendabat precibus aliorum, quos probos esse existimabat. Cumque se commendaret precibus Religiosorum, illique genua flecterent in respondendo, ac concederent quod postulabat : beatus Rex genua etiam flectebat coram illis. Quotannis quoque pias mittebat litteras comitiis generalibus, quæ habentur Cistercii in annos singulos, quibus litteris se dictis comitiis, eorumque precibus commendabat : illique litteris suis respondebant, se curaturos, ut anno illo per totum Ordinem a singulis monachis dicerentur pro ipso tria Sacra; unum de sancto Spiritu, alterum de cruce, tertium de beata Virgine. Accipiebat igitur ab ipsis, aliisque multis Sacra plurima.

etiam gravissima infirmitate detentus: aliorum preces flagitat,

C 58 Talis item clausula inter alia continetur in epistola, quæ ab eo missa fuit, scriptaque manu propria, filiæ ipsius Navarræ reginæ : « Chara » filia, lubens procura preces proborum homi- » num, meque tibi conjunge in eorum oratio- » nibus : atque, si placeat Domino nostro, ut » ab hoc mundo discedam ante te : obsecro te, » ut procures Missæ sacrificia, preces, aliaque » bona opera pro anima mea. » Adhæc venerabilis sanctus Rex similes litteras, precesque destinavit ad filium suum, bonum regem Philippum, qui post ipsum regnavit : uti patet ex epistola, propria ejus manu exarata, quæ missa fuit ab ipso ad filium memoratum : in qua hæc continentur verba : « Chare fili, te oro, ut, si Deo placeat, » ut ab hoc mundo migrem ante te, me sub- » levari cures Missæ sacrificiis, aliisque pre- » cibus, ac mittas ad congregationes regni » Franciæ, easque rogari jubeas, ut orent pro » anima mea; tuque ipse intendas, ut in omnibus » bonis, quæ facies, Dominus noster partem » mihi concedat. » Rursus quando beatus Rex postrema vice mare erat transmissurus, paullo antequam iter suum susciperet, invisis domos Religiosorum Parisiis; atque in domo fratrum Prædicatorum Parisiis, fratrum Minorum, aliorumque quorumdam Religiosorum, coram fratribus congregatis genua flexit; eosque humiliter et religiose rogavit, ut Deum pro se orarent. Tunc etiam adivit domum sancti Lazari *g* Parisiis, et coram infectis lepra congregatis genua flexit, eosque beatus Rex humiliter ac pie flagitavit, ut Dominum nostrum pro se orarent : prædicta autem hæc facta fuere præsentibus ejus domesticis, equitibus, aliisque.

idque flexis humi genibus: A. Reginæ Confessario. g

59 Rursus, postquam beatus Rex tempore primæ suæ peregrinationis captus fuerat a Saracenis, pactumque erat de ejus aliorumque Christianorum redemptione, ac soldanus jam jusjurandum de liberatione facienda juraverat, et sanctus venerabilis Rex cum aliis aqua per fluvium ductus fuerat prope Damiatam, ubi demum sanctus Rex, dominus Carolus, et dominus Alphonsus ipsius fratres, aliique quidam in terram fuere expositi, aliis Christianis in navibus manentibus : cum beatus Rex, ejusque fratres prædicti, atque alii quidam essent sub quodam tentorio, ingentem audierunt commotionem, ac contentionem asperam, qua ipsi etiam eorum custodes omnes sunt perterrefacti : a quibus petitum fuit E quid esset : at beatus Rex aliique perspexerunt satis ex agendi modo, et responsis dictorum custodum, ingentem esse miseriam, metuque *h* percellebantur. Tunc beatus Rex, ut Christianus bonus, sapiens, ac providus, recitari jussit Officium de Cruce, Officium de die, de sancto Spiritu, ac pro defunctis, ac preces alias pias, quas noverat. Præterea, quando beatus Rex tempore primi itineris transmarini erat in civitate Sidone *i*, promulgari jussit, ut omnes venirent ad concionem patriarchæ, qui ibidem cum ipso erat, accederentque nudis pedibus ac laneis induti ad Deum orandum, ut ipsi notum faceret, utrum foret magis congruum, subsistere etiam tum in Terra sancta, an redire in Galliam. Præter supradicta, quoties magni momenti negotium erat sancto Regi, dum considebat suprema curia, mittebat nuntios suos ad monasteria Religiosorum, eosque rogabat, ut precarentur Dominum nostrum in orationibus suis, ut Deus ipsi concederet gratiam agendi in illo negotio quod melius esset, magisque ad Dei honorem conduceret, atque ut Dominus noster bonum ipsi suggereret consilium. F

oratione item se munit in periculis, ac rebus dubiis. h i

ANNOTATA.

a *Somnum brevem subinde captabat a meridie post Nonas recitatas, ut dicitur alibi.*

b *Ex longitudine patet, intelligendam esse ceream minutam, quam Galli* bougie *nominant, quamque* filium ceratum *rectius vocare possumus.*

c *Magistrum hunc fuisse Vincentium Bellovacensem, verisimile est ex dictis in Commentario num. 754.*

d *Anonymus Gallus apud Chesnium pag. 400 de his ita loquitur :* Omni etiam die post Completorium, et aliquando post Matutinas... tamdiu manebat in oratione pronus in terra, quod aliquando, debilitatis ejus spiritibus, ad lectum ab uno de camerariis educebatur.

e *Audi laudatum anonymum :* Omni sero quinquaginta genuflexiones, in qualibet se erigens et iterum genuflectens, faciebat in honore gloriosæ Virginis, Ave Maria *etc. recitans.*

f *Vide Vitam primam num. 37, ex qua hæc sunt citata.*

g *Anonymus apud Chesnium pag. 400 :* Suis autem meritis et orationibus Rex humiliter non con-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

contentus, orationes aliorum humilium nonnunquam flexis genibus etiam, quod mirandum est, coram leprosis in domo sua Parisius congregatis postulabat, æstimans etiam nihil sine oratione bene inchoari, ad finem debitum non perduci. *Facta hæc anno 1270, de quibus in Commentario num. 1066.*

h *Contigisse hæc opinor eadem die, qua captivi fuere liberati, dum Ægyptiorum principes inter se contendebant, eosne dimitterent an occiderent. Vide Joinvillium, seu Vitam tertiam num. 150.*

i *Anno 1254, de quo Joinvillius num. 225, ubi supplicationes institutæ dicuntur per legatum Pontificium. At potuit tam patriarcha Hierosolymitanus, quam legatus Pontificius in eis partem habere.*

CAPUT VI.

Amor in proximos, ubi multa præclara filiis, aliisque documenta data.

B

Amor Sancti in proximum, quem probat ejus cura eos in bono promovendi :

Quandoquidem homo est imago Dei, in qua Deus amatur, quemadmodum rex honoratur in sua imagine : quique amat homines, similiter facit ac ille qui amat Deum; atque ille, qui amat homines, eos amare debet, aut quia boni sunt, aut ut sint boni : id intelligens venerabilis sanctus Ludovicus, ut qui charitatis fervore erat incensus, amorem suum ad omnes extendit, cupiens ut boni essent, docensque multos bonis exemplis sanctisque monitis, ut tales essent; præsertim liberos ac familiares suos, aliosque, ut ex sequentibus satis fit manifestum. Ac primum patet, eum ad vitam laudabilem instituisse liberos suos, sicut ordo charitatis exigit. Quam in rem venerabilis sanctus Ludovicus misit epistolam documenta continentem, propria manu scriptam ad dominam Elisabetham *a*, filiam suam, Navarræ reginam; cujus epistolæ tenor est talis :

hanc autem curam documenta filiæ data

61 Charæ suæ *b* atque dilectæ filiæ Elisabethæ, Navarræ reginæ salutem, et paternum amorem. Chara filia, quia credo te libentius a me accepturam, quam ab ullis aliis, propter amorem, quo me prosequeris; animum adjeci ad C documenta quædam tibi tradenda, manu mea scripta. Dilecta filia, te doceo, ut ames Dominum Deum nostrum ex toto corde tuo, et ex totis viribus tuis : sine illo enim nullus quidquam valere *c* potest. Nulla res amari potest *d* tam utiliter. Dominus est, cui omnis creatura potest dicere : Domine, Deus meus es tu, nullo bonorum meorum eges. Hic ille est Dominus, qui misit Filium suum in terram, ac in mortem tradidit, ut morte inferni nos liberaret. Chara filia, si illum ames, tuo id fiet lucro. Multum aberrat creatura illa, quæ alio amorem cordis sui inflectit, quam ad ipsum, aut sub *e* ipsum. Chara filia, mensura, qua ipsum amare debemus, est amare sine mensura : meritus est abunde ut ipsum amemus ; nam prior nos amavit. Utinam mature perpendere posses opera, quæ venerabilis Dei Filius fecit pro redemptione nostra. Chara filia, ardenter desidera, quo modo magis illi placere possis; magnamque adhibe curam ad vitanda omnia, quæ putabis illi displicitura. Speciatim ea debes esse voluntate, ut peccatum mortiferum non committeres rei cujuscumque, quæ evenire potest, D causa; ac membris potius omnibus te secari, vitamque tibi crudeli martyrio eripi sineres, quam peccatum mortale *f* sciens committeres.

ad vitam Christiane

62 Chara filia, peccata tua frequenter confiteri assuesce, eosque elige confessarios, qui vita sint sancta, idoneaque doctrina, a quibus docearis ea, quæ te vitare oporteat, quæque te oporteat facere : ac talem te præbe, ut confessarii tui, aliique amici tui te docere ac reprehendere audeant. Chara filia, lubens assiste Officiis sanctæ Ecclesiæ, et quando eris in ecclesia, cave ne nugeris aut vana loquaris. Preces quiete funde vel ore vel mente. Nominatim quando Corpus Domini nostri Jesu Christi præsens erit in Missæ sacrificio, ac paullo ante, modesta etiam magis sis, magisque precibus intenta. Chara filia, audi libenter loqui de Domino nostro et in concionibus et in privatis colloquiis. Nihilominus privata colloquia fuge, præterquam cum hominibus probitate ac sanctitate admodum sublimi præditis. Libenter indulgentias lucrari stude. Chara filia, si qua te premant adversa sive infirmitatis, sive cujusdam rei alterius, quibus nullum bono modo adhibere possis consilium; fer ea leniter, de iisque Domino nostro E gratias age, teque de iis ei gratam exhibe : credere enim te oportet, id fieri ad utilitatem tuam, et existimare debes, ea te meritam, ac plura etiam, si vellet; quia eum parum amavisti, parum ei servivisti, multaque egisti voluntati ejus contraria. Si prospera quædam tibi contingent sive sanitatis corporis, sive rei alterius, Domino nostro humiliter gratias age, eique de iis te gratam præbe : ac diligenter cave, ne istis deterior fias, seu superbia, seu vitio alio : grande enim est peccatum contra Dominum nostrum pugnare occasione donorum ipsius.

ac Sancte instituendam,

63 Siqua animi tristitia te angat, modo hujusmodi sit, ut eam confessario tuo dicere liceat ac oporteat; eam illi indica, aut alteri cuipiam, quem fidelem autumas, quique id omnino celabit, ut eam feras animo magis quieto. Chara filia, esto in eos animo benigno, quos intelliges animi aut corporis dolore angi, iisque libenter succurre aut solatio, aut eleemosyna, prout poteris bono modo. Chara filia, dilige homines quosvis probos, sive Religiosos sive seculares, per quos intelliges Deum honorari, ac coli. Pauperes ama, ac subleva, eos præsertim, qui amore Domini nostri paupertatem amplexi sunt. F Chara filia *g*, provide tibi pro viribus tuis ut mulieres, aliique domestici, qui tecum conversantur familiariter magis ac secreto, vita sint proba sanctaque, ac fuge omnes, quantum potes, qui fama non sunt integra. Chara filia, humiliter morem gere marito tuo, patrique tuo ac matri in rebus Deo placentibus : id facere libenter debes ex amore, quo eos prosequeris; ac magis etiam ex amore Domini nostri, qui id ita præcepit, prout unicuique est congruum : at contra Deum nemini obedire debes. Chara filia, magno conatu allabora, ut tam sis perfecta, ut illi qui te videbunt aut de te audient, bonum de te possint capere exemplum. Expedire mihi videtur, ut non habeas nimiam simul multitudinem vestium, neque monilium, secundum conditionem tuam; at existimo satius esse, ut subsidia pauperibus largiaris, ex eo certe, quod esset nimium : atque ut ne nimio tempore aut studio utaris ad te vestiendam atque exornandam. Cave etiam ne excedas in mundo tuo muliebri; sed inclina te semper illa in re ad minus potius, quam ad majus.

64 Cha-

hic descripta, ostendunt :

A 64 Chara filia, desiderium concipe, quod numquam te deserat; nimirum qua ratione magis Domino nostro placere possis : atque eo fac sis animo, ut, si certo scires nullum tibi futurum bonorum, quæ feceris, præmium, nullam malorum pœnam; nihilominus cavere velles, ne faceres Deo displicentia, atque animum adjicere ad facienda pro viribus, quæ ei sunt grata, ex puro illius amore. Chara filia, libenter procura preces proborum hominum, meque tibi conjunge in eorum orationibus : atque si placeat Domino nostro ut ab hoc mundo discedam ante te, obsecro te, ut procures Missæ sacrificia, preces, aliaque bona opera pro anima mea. Præcipio tibi, ut nemo hoc scriptum videat sine licentia mea, excepto fratre tuo *h*. Dominus noster tam bonam te faciat in omnibus quam desidero, ac magis etiam quam desiderare possum. Amen.

uti et instrumenta pœnitentiæ eidem missa cum epistola hortatoria :

65 Beatus Rex insuper misit dictæ filiæ suæ Navarræ duas tresve thecas eburneas. Inferius in his thecis erat clavus ferreus, cui annexæ erant ferreæ catellæ longæ uno cubito aut circiter. Catellæ inclusæ erant singulis his thecis, quibus memorata regina quandoque se flagellabat ac percutiebat, B quemadmodum commemoravit conscientiæ suæ moderatori, morti jam proxima. Præterea beatus Rex memoratus dedit eidem huic filiæ cingulum cilicinum amplitudine palmæ humanæ, quo quandoque se cingebat, ut conscientiæ arbitro memoravit tempore prædicto. Ad hæc beatus Rex misit ad dictam reginam litteras, manu sua scriptas, in quibus legebatur, quod mitteret per fratrem Joannem de Mons Ordinis fratrum minorum, istius tunc reginæ, aliquando etiam beati Regis, confessarium, flagellum inclusum, sicut dictum est supra; eamque rogabat in his litteris, ut frequenter hoc flagello se exciperet pro peccatis propriis, ac pro peccatis miseri sui Parentis.

deinde et opera misericordiæ, quibus filios ad similia erudiebat :

66 Præterea semper die Jovis sancta beatus Rex pedes lavabat tredecim pauperibus, singulisque dabat quadraginta denarios; ac postea ipsemet eis ad mensam serviebat. Hoc ipsum facere jubebat dominum Philippum, dominum Joannem, ac dominum Petrum, filios suos, quando illa die erant apud ipsum : ita ut eodem loco, ubi Rex pedes lavabat tredecim suorum pauperum, C dominus Philippus etiam, aliique ejus filii, singuli pedes lavarent tredecim pauperum, darent singulis, quorum pedes laverant, quadraginta denarios : ac deinde pauperes illi, quorum pedes filii laverant, etiam comedebant, sicut illi, quorum beatus Rex pedes laverat, singulique item filii ministrabant ad mensam istis pauperibus, quemadmodum dictum est supra de sancto Rege suis tredecim pauperibus ministrante. Sæpe etiam, quando Rex erat Vernonii, ibat ad valetudinarium publicum cibi sumendi tempore, egenisque ministrabat propriis manibus cibos, quos per coquos suos parari jusserat pauperibus in dicto valetudinario : serviebat porro illis coram filiis suis, quos ibi adesse volebat, crediturque voluisse, eos ibi adesse, ut eos instrueret, doceretque opera misericordiæ. Ministrabatque sanctus Rex pauperibus, iisque præponebat pulmentum, prout iis erat congruum : aliis fercula carnium, aut piscium, eorum morbis accommodata.

accedunt monita, et documenta, i

67 Quando offerebat super altare sancti Dionysii quatuor byzantios, jubebat illic præsentem esse dominum Philippum filium suum, uti supra *i* dictum est in tractatu secundo, atque offerebat coram ipso. Præterea filio suo domino Philippo, qui post eum regnum administravit, scripsit propria manu, scriptamque reliq[illegible], instructionem sanctam, cujus contentum est hujusmodi : Dilecto filio *k* suo natu maximo Philippo salutem. Chare fili, quia toto corde desidero, ut in omnibus bene sis institutus, putavi quædam tibi tradenda documenta hoc scripto; quandoque enim te audivi dicentem, te magis conservaturum mea, quam alterius personæ. Quapropter, chare fili, primum te doceo, ut Deum ames ex toto corde tuo, et ex omnibus viribus tuis : nam sine eo nullus quidquam valere *l* potest. Debes cavere, quantum potes, ab omnibus, quæ ei credes displicitura. Præcipue eo debes esse animo, ut pro re nulla mundi committeres peccatum mortale, ac sineres potius omnibus te truncari membris, vitamque tibi eripi crudeli martyrio, quam sciens peccatum mortale committeres. Siqua adversa tibi immiserit Dominus, seu morbum, seu quid aliud; ea ferre debes prompta voluntate, eique de iis gratias agere, teque gratum exhibere. Cogitare enim debes eum id facere ad utilitatem tuam; item debes perpendere te abunde meritum et hæc et plura, si vellet, quia eum parum amavisti, parum ei servivisti, multaque fecisti voluntati ejus contraria. Si qua prospera Dominus noster tibi largiatur, ei humiliter de iis gratias agere debes, ac cavere, ne inde deterior fias, seu per superbiam, seu per vitium aliud : peccatum enim grave admodum est contra Deum pugnare occasione ipsorum ejus donorum.

A. Reginæ Confessario.

quibus filium suum Philippum

68 Chare fili, doceo te, ut assuescas peccata tua sæpe confiteri, eosque tibi eligas confessarios, qui vita sint sancta, doctrinaque idonea, a quibus docearis ea, quæ te fugere oporteat, quæque te oporteat facere : ac talem te moribus præbe, ut confessarii tui, aliique amici tui libere te docere audeant, ac reprehendere. Chare fili, doceo te, ut libenter assistas Officiis sanctæ Ecclesiæ, ac dum eris in ecclesia, cave ne nugeris aut vana loquaris; preces funde quiete vel ore vel mente, præsertim magis fac sis quietus, magisque ad Deum orandum attentus, quamdiu Corpus Domini nostri Jesu Christi in Missæ sacrificio erit præsens, atque aliquo etiam temporis spatio ante. Chare fili, esto in pauperes animo benigno, omnesque eos, quos animi aut corporis dolore angi putabis : ac quantum poteris, iis lubens succurre aut solatio, aut quadam eleemosyna. Si qua te animi tristitia angat, quæ talis sit, ut eam dicere possis ac debeas, eam indica confessario tuo, aut alteri, quem fidelem putas, quemque nosti omnino eam celaturum : ita tristitiam tuam quieto magis feres animo. Chare fili, familiares tibi adhibe viros probos, seu Religiosos seu seculares, societatemque improborum fuge. Cum bonis bona lubens misce colloquia. Audi libenter de Deo loquentes in concionibus aut privatim. Indulgentias libenter lucrari stude. Ama bonum in aliis, ac malum odio habe. Noli pati, ut coram te verba dicantur, homines ad peccatum inducere nata. Noli libenter audire malum de aliis dicentes. Nullo modo tolera verbum, quod vergere possit in odium Dei, ejusve Sanctorum, quin id vindices. Si autem sit clericus, aut persona tam illustris, ut tu eum punire non debeas; jube tunc id indicari ei, qui eum possit punire. Chare fili, cura ut tam perfectus sis in omnibus, ut pateat te agnoscere beneficia, honoresque, quæ Dominus noster tibi præ-

A. REGINÆ CONFESSARIO. præstitit : adeo ut, si placeret Deo, ut pervenires ad rem, honoremque gubernandi regnum, merearis accipere sanctam unctionem, qua reges Franciæ consecrantur.

ad virtutes quaslibet, 69 Chare fili, si ad regnum te pervenire contingat, cura, ut ea in te sint, quæ regem decent : nimirum ut tam justus sis, ut a justitia non declines aut devies cujuscumque, quod evenire potest, causa. Si qua controversia, mota inter divitem et pauperem, ad te perveniat, magis tuere pauperem quam divitem; cumque veritatem intelliges, ex æquo iis jura attribue. Si tibi cum alio litem esse contingat, causam alterius tuere coram senatu tuo, neque ostende magnopere te causam tuam amare, donec verum cognoscas : consiliarii enim tui timidi esse possent in loquendo contra te, quod tu velle non debes. Si intelligas te quidquam possidere injuria, sive a tempore tuo, sive a tempore antecessorum tuorum, extemplo id restitui jube, quantumcumque res magna sit, seu terra, seu pecunia, seu quid aliud : si res obscura est, ita ut verum scire non possis, talem paciscere pacem consilio proborum virorum, ut anima tua, animæque antecessorum tuorum hoc pacto peccato sint exemptæ : B quamvis etiam dici audiveris, antecessores tuos talia restituisse, nihilominus magnopere desidera scire, an nihil de illis restituendum supersit : et si reperias aliquid eorum reddendum esse, e vestigio cura, ut id redditum sit ac restitutum ad animæ tuæ, animarumque antecessorum tuorum salutem.

regi Christiano 70 Diligens admodum esto, ut protegendos cures quosvis regni tui viros, et specialiter homines ecclesiasticos, eosque tuere, ne qua injuria aut violentia eorum personis inferatur aut bonis. Referre tibi hic volo dictum quoddam, a rege Philippo avo meo olim prolatum, uti quispiam ejus consiliarius mihi commemoravit, qui id se audivisse dicebat. Rex erat vice quadam cum consilio suo secretiore, eo præsente, qui dictum illud mihi retulit : dicebantque ei consiliarii sui, clericos ipsi inferre multas injurias, multosque mirari, quo modo similia posset tolerare. Tunc memoratus rex Philippus respondit in hunc modum : « Credo omnino sat injuriarum mi- » hi ab illis fieri; verum dum perpendo honores, » quibus Dominus noster me cumulavit, malim C » damnum meum tolerare, quam id facere, quo » me inter et sanctam Ecclesiam oriatur discor- » dia. » Atque hoc tibi in memoriam revoca, ut levis ne sis ad credendum aliquibus contra personas sanctæ Ecclesiæ : at eis honorem habeas, easque tuearis, ut pacifice exercere possint cultum divinum. Præterea te doceo, ut singulari amore prosequaris viros Religiosos, eisque lubens in eorum necessitatibus succurras : eosque præ reliquis diligas, qui magis Deum honorant, ac colunt. Chare fili, te doceo, ut ames matrem tuam atque honores, bona ejus documenta libenter accipias ac exsequaris, atque ad acquiescendum bono ejus consilio sis propensus. Ama fratres tuos, eisque semper bene velis, ac eorum progressus bonos gratos habe, iisque pro patre esto, ad eos omni bono instituendos. At cave, ne propter amorem, quo aliquos prosequeris, ab æquabilitate juris administranda declines; aliave facias, quam quæ te facere æquum est.

convenientes 71 Chare fili, te doceo, ut beneficia ecclesiastica, de quibus tibi disponendum, conferas viris probis, magnoque proborum virorum consilio : ac mihi videtur magis expedire, ut ea iis conferas, qui nullas habebunt præbendas, quam D ut ea aliis largiaris. Si enim diligenter inquiras, sat multos invenies, qui nihil habent, quibus bona sanctæ Ecclesiæ recte erunt impensa. Chare fili, te doceo, ut pro viribus tuis caveas, ne bellum tibi sit cum ullo Christiano : si qua tibi fiat injuria, variis modis stude cognoscere, an modum invenire possis idoneum, quo jus tuum recuperes, priusquam bellum moveas, eaque id intentione age, ut vitentur peccata, quæ in bello committuntur. Si contingeret, ut te bellum gerere oporteret; seu quia clientum tuorum aliquis nollet a curia tua jura accipere, seu quia injuriam inferret cuipiam ecclesiæ, aut alteri cuidam personæ, qualiscumque hæc fuerit, neque eam tui causa reparare vellet, seu qua alia de causa æqua, qualiscumque causa fuerit, ob quam te bellum movere oporteat; diligenter præcipe, ut pauperes, qui nulli peccato aut delicto sunt obnoxii, protegantur, ne illis damnum inferatur, seu comburendis eorum bonis, seu alio modo : neque enim convenit, quando cogis delinquentem capiendo ejus bona, aut urbes ipsius aut castra vi obsessionis, corrumpere te bona hominum pauperum. Cura etiam, priusquam bellum E moveas, ut prudenti consilio perspexeris causam esse æquam admodum; atque ut satis monueris delinquentem, ac tamdiu expectaveris, quamdiu expectare debebis. Chare fili, insuper te doceo, ut diligenter intendas sedare bella et contentiones, quæ erunt in ditione tua, aut inter clientes tuos : quia id multum placet Domino nostro, ac præclarum admodum sanctus Martinus *m* nobis præbuit exemplum : eo enim tempore, quo a Deo cognovit sibi moriendum esse, ivit ad pacem conciliandam inter clericos, qui erant in ipsius archiepiscopatu, atque existimavit se id agendo præclarum vitæ suæ finem imponere. *m*

72 Chare fili, diligenter omnino cura, ut bonos habeas tribunos capitales, bonosque prætores peregrinos in ditione tua; frequentemque curam adhibe, ut jura probe exerceant, nullique sint injurii; neque quid faciant, quod non oporteat : de ipsis etiam domesticis tuis curam haberi jube, ne quid agant, quod non deceat. Licet enim omne malum odisse debeas in omnibus, tamen magis odisse debes malum, quod fieret ab illis, qui a te potestatem accipiunt, quam F aliorum hominum malum; magisque cavere debes ac prohibere, ne contingat ut tui male agant. Chare fili, te doceo ut semper devotus sis Ecclesiæ Romanæ, ac summo episcopo Patri nostro, id est, Papæ : atque erga eum reverentiam adhibeas et honorem, uti exhibere debes patri tuo spirituali. Chare fili, libenter potestatem tribue hominibus, qui voluntate sint bona, quique ea recte uti norint : magnaque diligentia conare, ut peccata e ditione tua exterminentur; videlicet turpia juramenta, omniaque, quæ fiunt et dicuntur in odium Dei, aut Dominæ nostræ, aut Sanctorum. Aboleri etiam in ditione tua pro viribus cura ludos aleæ, peccata corporis, popinas, aliaque peccata : prudenter, ac modo laudabili, expelli e terra tua pro viribus cura sceleratos, aliosque homines perversos, ut terra tua his probe sit expurgata, quemadmodum id faciendum esse intelliges consilio proborum virorum. Bona promove in omnibus locis pro viribus tuis. Magnopere quoque allabora, ut cognoscere valeas beneficia, quæ Dominus noster tibi præstiterit, ac de iis scias gratias agere.

sanctus Pater

A *informavit:* 73 Chare filii, te doceo, ut diligentem curam adhibeas, ut pecunia, quam expendes, in usus bonos sit impensa, justeque accepta. Atque hac mente vehementer te velim esse imbutum; nimirum ut caveas a stultis expensis, et coactionibus iniquis: atque ut pecunia tua recte sit expensa, recteque accepta. Utinam Dominus noster te hac prudentia instruat, una cum aliis sensis tibi convenientibus, et utilibus. Chare fili, te oro, ut, si Deo placeat, ut ab hoc mundo migrem ante te, me sublevari cures Missæ sacrificiis, aliisque precibus, ac mittas ad congregationes regni Franciæ, easque rogari jubeas, ut orent pro anima mea; tuque ipse intendas, ut in omnibus bonis, quæ facies, Dominus noster partem mihi concedat. Chare fili, bo-an tibi omnia precor, quæ pater potest, et debet precari filio, atque oro Deum Dominum nostrum Jesum Christum, ut misericordia sua magna, ac meritis beatæ Matris suæ Virginis Mariæ, meritis angelorum et archangelorum omniumque Sanctorum ac Sanctarum, te custodiat ac protegat, ne quid facias voluntati ipsius contrarium, tibique gratiam præstet voluntatem B ipsius ita implendi, ut ipsi per te serviatur, ac Dominus noster mihi, tibique immensa liberalitate sua id tribuat, ut post vitam hanc mortalem, eum possimus intueri, laudare, et amare sine fine. Amen. Gloria, honor, et laus illi, qui unus est Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, sine principio, et sine fine. Amen.

alios etiam tum exemplo, n 74 Præterea, dum exstrueretur paries in abbatia Regalis-Montis, beatus Rex, qui illo tempore degebat in villa sua d'Anieres *n*, quæ non longe a dicta abbatia dissita est, frequenter veniebat ad hanc abbatiam, ut Missæ sacrificio, aliisque Officiis interesset, ac locum inviseret. Cumque monachi pro consuetudine Ordinis sui Cisterciensis post horam Tertiarum ivissent ad laborem, atque ad ferendum lapides et calcem ad locum, ubi construebatur paries; beatus Rex arripiebat cratem brachiatam, eamque gestabat lapidibus oneratam, ac eo præcedente retro gestabat monachus quispiam, atque id iteratis vicibus fecit Rex tempore prædicto. Ita etiam eo tempore cratem brachiatam portari volebat a fratribus suis o domino Roberto *o*, domino Alphonso, et do- C mino Carolo; eratque cum quolibet eorum unus e monachis supradictis ad cratem brachiatam ab una parte portandam; atque id ipsum fieri jubebat sanctus Rex per alios equites consortionis suæ. Et quoniam fratres ipsius cupiebant quandoque loqui, clamare, et ludere, beatus Rex eis dicebat: Monachi servant hoc loco silentium, atque etiam nos illud servare debemus. Cumque fratres beati Regis multum onerassent cratem suam brachiatam, atque in media via vellent requiescere, priusquam venissent ad murum, iis dicebat: Monachi non requiescunt, neque nos requiescere debemus.

tum verbis, p 75 Ad hæc sanctus Rex familiam suam recte agere docebat. Etenim cum quadam vice graviter ægrotaret *p* Pontisaræ, antequam mare prima vice transiret, domesticos suos ad se venire jussit, eosque ad Deo serviendum hortatus est, de eoque insignem ad eos sermonem instituit. Postea, dum fuit trans mare, primi itineris tempore, convocari coram se jussit domesticos suos, eosque diligenter hortatus est, ut caste honesteque viverent. Multis etiam bonis exemplis instruxit nobilem equitem, dominum Joannem Joinvillium Campaniæ seneschallum, qui cum eo A. REGINÆ CONFESSARIO. fuit in aula ipsius satis familiariter, ejusque convictor annis viginti quatuor *q*, et ultra eumque q docuit sæpissime bona exempla, ut supra dictum est. Vice autem quadam contigit, [ut sanctus Rex ex memorato equite quæreret, utrum mallet; fecissene peccatum aliquod mortale, an lepra esse infectum? responderitque eques, malle se fecisse potius triginta peccata mortalia, quam lepra esse infectum: tunc sanctus Rex vehementer ipsum reprehendit, eique dixit, atque ostendit, præstare lepra infectum esse, quod peccatum mortiferum sit animæ lepra, qua an liberari possit, homo ignorat *r*: nescit enim, quandonam sit r moriturus. Si autem moriatur sine sincero de peccatis dolore, et sine vera confessione, de quibus ignorat, an in potestate sua sint futura, quod id dependeat atque oriatur a gratia Dei, anima semper lepra manebit infecta, ac diabolo similis, si moriatur in peccato mortali. Lepra vero corporis se per mortem liberandum, certum est cuilibet. Qua de causa aiebat sanctus Rex, longe satius esse homini, lepra infectum esse, quam peccato mortifero esse inquinatum. E

76 Ad hæc beatus Rex memorato equiti dixit *ad bona quælibet* aliquando hæc verba: Vellesne tale documentum, quo honorem consequereris in hoc mundo, placeres hominibus, Dei gratia fruereris, ac gloriam obtineres tempore futuro? Respondit eques, se desiderare hujusmodi documentum. Tunc ipsi dixit beatus Rex: Nihil facito, præter id, quod si totus mundus sciret, nihilominus non omitteres. Præter hæc omnia Beatus hic inducebat equitem, ad frequentandum ecclesiam, ipsaque festa Sanctorum solemnia, atque ad Sanctos honorandos, eique dicebat, simili ratione contingere de Sanctis in cælo, ac de consiliariis regis in terra. Etenim qui negotium aliquod habet cum rege quodam terreno, inquirit, quis ei sit gratiosus, quis tuto regi supplicare possit, ac quem rex sit auditurus. Tunc, ubi novit quis ille sit, eum accedit rogatque, ut pro se regi supplicet: ita etiam agitur cum Sanctis in cælo, qui amici sunt Domini nostri, ejusque familiares, eique tuto supplicare possunt; eos enim exaudit: atque ideo ecclesiam adire debes diebus illorum festis, eos venerari, eosque rogare, ut pro te apud Dominum nostrum supplicent. F

77 Præterea sanctus Rex dicebat equiti, *studebat inducere.* quosdam esse viros nobiles, qui erubescunt bene agere, nimirum adire templum, interesse rei divinæ, aliaque obire religionis exercitia; neque eos timere vanam gloriam, sed inanem verecundiam, ne dicatur, eos esse hypocritas; neque id melius admodum esse vana gloria; uti pejor est domus collapsa exiguo vento, aut sine vento, ea, quam vehemens turbo dejecit. Ad hæc sanctus Rex non solum informabat amice filios suos fratresque, ut recte agerent, uti supra demonstratum est; sed et alios instituebat ad omne bonum. Unde verbum Dei prædicari jubebat ad personas Religiosas, ad antistites, ad magnates populumque, ad eorum ædificationem. Quando audiebat bellum esse inter viros illustres *s* extra s regnum suum, legationes ad eos mittebat solemnes ad pacem inter eos conciliandam; at non sine sumptibus ingentibus. Ita fecit dum comes Barrensis, et dominus Henricus comes Luxemburgensis se invicem bello impetebant; ita etiam egit cum duce Lotharingiæ, ac comite Barrensi supra dicto, multisque aliis. Per hæc manifestum

est

A. REGINÆ CONFESSARIO. est, eum non modo studuisse proximos suos ad bonum instituere, sed eos quoque in bono corroborare.

ANNOTATA.

a *Nuptias Elisabethæ cum Theobaldo Navarræ rege narravimus in Commentario num. 804. Obiit anno 1271, anno non integro post Patrem, paucis mensibus post maritum, in reditu nimirum ab expeditione Africana prope Massiliam, ut habet Nangius apud Chesnium pag. 524, docens sepultam esse juxta maritum Provini in Bria. Attamen cor ejus Claravallensis abbatia accepit, ubi geminum ei positum est epitaphium, quo ejus virtutes mirifice prædicantur. Vide utrumque apud Chesnium pag. 443.*

b *Documenta hæc Menardus Observationibus suis a pag. 356 inseruit stylo antiquo, biographus suo singula stylo retulit.*

c *Sensus ambiguus est : attamen videtur alludere ad verba Christi :* Sine me nihil potestis facere. *Joan. 15 ℣ 5. Atque eo sensu potissimum* B *intelligendus.*

d *Hic apud Menardum interponuntur verba quædam, ita ut sensus sit talis :* Nulla res *(tam)* recte amari potest, neque tam juste, neque tam utiliter. *Illud* tam *haud dubie adesse debet, atque adfuisse docent sequentia.*

e *Nimirum alia propter Deum amando.*

f *Apud Menardum,* illud.

g *Documentum illud omissum est apud Menardum.*

h *Illa fratris exceptio apud Menardum non legitur.*

i *Apud nos num. 46.*

k *Habetur scriptum illud Regis apud Gaufridum in Vita prima a num. 18. Nos illud Latine hic damus ex hoc auctore, qui illud Gallice suo stylo dedit : ex quo fit, ut verba quædam propter diversam interpretationem mutata sint. Menardus in observationibus pag. 351 idem recitat stylo Gallorum antiquo, atque exemplar illius recte convenit cum Gaufrido, ita ut dubitare vix possim, quin ex Latino Gaufridi textu sit Gallice redditum : unus tamen ibidem deest articulus, de quo consuli potest Commentarius num.* C *1117. Porro hic biographus singula documenta pluribus verbis exponit, quam Gaufridus, alioquin omnia eodem ordine recenset. Crediderim Gaufridum, qui se testatur brevitati consuluisse, sensum verborum paucioribus verbis dedisse, quam fecerat Sanctus.*

l *Idem habet num. 61 in documentis filiæ datis. Gaufridus num. 18 :* Nam sine hoc non est salus.

m *Factum hoc S. Martini refertur apud Surium tom. 4, pag. 259 ex Severo Sulpitio; de quo plura dici poterunt ad diem* XI *Novembris, quo colitur.*

n Asnieres *vicus in Bellomontensi ad Isaram comitatu notatur prope abbatiam Regalis-montis in mappis Blavianis. Hinc ergo discimus villam ibi regiam fuisse, quam apud alios frustra quæsiveram.*

o *Hinc colligimus id factum contigisse ante expeditionem Regis in Palæstinam, in qua obiit Robertus.*

p *Anno 1244. Vide Commentarium § 41.*

q *Convictor Regis non fuit Joinvillius per annos viginti quatuor : nam primum familiariter* Ludovico *innotuisse videtur in Cypro anno 1248, a quo tempore usque ad annum 1270, quo postremum iter sine Joinvillio aggressus est Sanctus et defunctus, tot anni non numerantur. Hinc ipse in Vita tertia num. 248 familiari suo convictui cum Rege annos assignat 22. Attamen diutius Regem novit Joinvillius : nam apud nos num. 36 ipse testatur, se celebri Regis convivio interfuisse, quod habitum est anno 1241. Ab eo igitur tempore Regem novit, et fortasse subinde in aula fuit inter ephebos nobiles. Ceterum documentorum sibi a Rege datorum ipse testis est locupletissimus, præsertim part. 1, ubi lector inveniet exposita, quæ hic narrantur.* D

r *Nam, ut ait S. Gregorius Hom. 12 in Euangelia,* Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. *Quo sensu hæc Regis verba sunt intelligenda.*

f *Consule de his Joinvillium num. 245 et seqq., assignatumque ibi Commentarium.*

CAPUT VII.

E

Commiseratio sancti Regis erga afflictos quoslibet et miseros : largæ ipsius eleemosynæ.

Venerabilis sanctus Ludovicus mirifica commiserationis teneritate, qua in afflictos cujusvis generis ferebatur, amice eorum desiderio obsequebatur, ut manifestum est. Quippe, cum tempore primæ ipsius transfretationis, in exercitu ipsius essent multi pauperes, aliique variis morbis affecti, renum, dentium, aliisque languoribus : quando Rex sanctus perspexit periculum, quod oriri poterat ex conflictibus, qui erant inter Christianos ac Saracenos *a*, præcepit cuidam suorum, ut se conferret ad naves, quæ flumen fluxu adverso ascendendo venerant, in quibus navibus imposita erant cibaria sancti Regis Ludovici, eumque jussit naves evacuare, atque aquæ injicere carnes impositas, aliaque, quæ in iis erant, cibaria, jussitque debiles omnes ac ægrotos exercitus, qui poterant et volebant, in naves illas ingredi; retinuitque ex cibariis illis, quantum copiis suis sufficere posset ad octo tantum dies; et tunc naves illæ fuere evacuatæ, crediturque, iis receptos usque mille omnino pauperes, et ægrotos. (X. *Pia Sancti commiseratio* ; *a* ; F)

79 Rursus, cum tempore memoratæ transfretationis, post multos assultus, post famem ac morbos multorum, post plagas multas, quas Christiani, qui cum beato Rege erant, sustinuerant, beatus Rex variis laboraret morbis ac alvi fluxu admodum gravi, Christianique Damiatam redirent, atque ipse Rex tot morbis, ut dictum est, oppressus, quod particeps esse vellet miseriæ, periculique suorum, terra redeuntium, eis se socium præberet, ut ipsis opem ferret ac succurreret, quo se tutari possent, ac contra inimicos defendere : Saraceni tanta multitudine exercitum circumdederunt, et tam fortiter invaserunt, ut beatus Rex, aliique Christiani se dedere Saracenis debuerint; quia morbis impediti se tueri non poterant. Porro sanctus Rex, si navem ingredi voluisset, quemadmodum legatus fecit, evadere satis potuisset. Quod cum illi suaderent, atque, ut faceret, hortarentur procerum multi; nihilominus corpus suum ex amore et charitate objicere cuicumque incommodo voluit, (*erga afflictos*)

A luit, ad populum tutandum, qui cum ipso erat. Neque ullum timebat periculum, sed corporis laborem subibat, volebatque periculorum populi sui esse particeps: licet Saraceni nossent infirmitatem agminis Christianorum, licet Christiani quoque cognoscerent robur agminis Saracenorum, beatus Rex tanta erat commiseratione, ut navem ascendendo evadere non vellet sine aliis; sed diceret, secum se duxisse copias suas equestres, eas secum reducere velle, si posset; aut capi, ac mori cum illis. Ex hoc facto, aliisque præcedentibus, intelligere possumus insignem fortitudinem, eximiamque illius charitatem, ad defendendum, quantum posset, populum Christianum.

80 Postea, quando beatus Rex captus fuit a Saracenis, multique cum eo proceres, audivitque quosdam divites Christianos, qui secum erant capti, de redemptione sua agere, eamque procurare; sanctus Rex severe eis prohibuit, et sub pœnis admodum gravibus, id ne facerent, ut redemptio pauperum non impediretur. Dicebat enim hoc pacto futurum, ut divites redimerentur; ac pauperes, qui non haberent, unde solverent, manerent in carcere. At mihi, inquiebat, permittite factum, onerique meo procurationem redemptionis totam: velim hoc in me onus suscipere, ut solvam ære proprio pretium redemptionis pro omnibus; et promitto, me non initurum pactum de redemptione mea, nisi illud faciam de redemptione omnium illorum, qui sunt in societate mea, quique mecum venerunt. Et sicut Rex sanctus dixit, ita præstitit: quod ab ipso factum ex magna humanitate, magna fidelitate, magna charitate, magnaque liberalitate *b*.

quoslibet

B

b

81 Post hæc, ubi pactum erat conclusum inter beatum Regem ex una parte pro se et pro Christianis, atque inter Saracenos, qui jam soldanum occiderant, et adhuc sanguine ejus cruentati erant, ex alia parte; et de beati Regis, Christianorumque redemptione pacta inter partes fuissent ordinata; Saraceni, qui pignus volebant pro parte pretii redemptionis beati Regis, ac Christianorum, quæ superesset solvenda, electionem dederunt sancto Regi, utrum mallet, an ut ipse dimitteretur, et alii manerent captivi; C an ut alii dimetterentur, et ipse captivus maneret, donec pretium redemptionis integre fuisset solutum. Tunc ipse continuo respondit: Volo ego manere donec solutio sit perfecta, liberentur alii; licet proceres, qui cum ipso erant, dicerent, se nequaquam in id consensuros, dicerentque se mansuros; ipse abiret: attamen beatus Rex consentire noluit, quidquid dicerent, at iis contradicebat, volebatque ipsemet *c* manere pro aliis. Deinde ubi beatus Rex, et qui cum eo erant, fuere dimissi, ac dominus Alphonsus comes Pictaviensis relictus fuit obses usque ad dictam solutionem perfectam, beatus Rex exire noluit triremi, donec solutio esset perfecta, ac post se venientem haberet dominum Alphonsum fratrem suum; et donec omnes Christiani captivi, qui propinqui erant, illi nimirum, qui Babyloniam non fuerant ducti, fuissent liberati, illique, qui Damiatæ erant, navibus fuissent excepti.

variis exemplis

c

82 Rursus, cum Rogerus de Soisi, coquus beati Règis, Acconem reductus esset a legatis beati Regis ex carcere, in quo fuerat in manibus Saracenorum; eum accersi jussit, venitque ille quasi omnino nudus ad ipsum, beatusque Rex magno in eum afficiebatur commiserationis affectu, quod tam esset nudus; unde mox jussit duplex par vestium ei componi. Item dum tempore istius transfretationis beatus Rex consilium iniit redeundi in Galliam, sicut Deo placuit, post Pascha *d* sequens, ipse cum regina, liberis suis, multisque aliis suæ familiæ ingressi sunt unam navim in pervigilio sancti Marci. Nautæ dictæ navis per mare progressi sunt usque ad Cypri viciniam: nocte autem quadam paullo ante diem navis impegit in durum arenæ cumulum; cumque illi, qui in navi erant, id sentirent, timuerunt ne navis fuisset rupta: ubi naucleri navem lustrari jusserant, ut scirent, an esset disrupta, retulerunt sancto Regi a carina navis avulsos esse tres omnino tignos. Hinc beatus Rex consuluit navarchos, aliosque, qui erant in navi, quid hac in re facere oporteret; omnesque et nautæ et alii dixerunt, sua sententia expedire, ut sanctus Rex, ejusque uxor ac liberi, aliique, qui cum eo erant, homines illustres, egrederentur hac navi, aliamque ingrederentur, quæ illæsa esset et integra. At, licet ab omnibus suis consiliariis, qui ibi erant, atque a naucleris ei suaderetur, ut hac navi egrederetur, aliamque intraret; nihilominus id facere noluit: sed dicebat eos, qui in navi essent illa, quam ingrederentur, quosque illa exire cogeret, in magno futuros periculo; quod navim suam amitterent timerentque ingredi navim illam, qua beatus Rex egrederetur: etenim quoniam eam ipse recusasset, neminem ingredi voliturum, ad evitandum illud ipsum periculum, a quo sibi sanctus Rex caveret, adeoque necesse iis futurum, ut in insula Cypri manerent hac æstate, atque ibi forsan morituros, aut in magna futuros calamitate. Hac de causa nequaquam aliam navim ingredi voluit cum aliorum detrimento. Sæpe etiam contigit, ut, cum quis coram beato Rege premeretur, ignominiave afficeretur a potentioribus, tanta miseratione moveretur, ut potentioribus se opponeret, ac causam minus potentis tutaretur. Quando ad eum deferebantur querelæ de hominibus occisis, magna eorum permovebatur misericordia, dixitque crebro, in modum miseratione moti, neminem mortuorum causam agere, sed omnes vivis patrocinari velle.

probata.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

d

E

F

83 Pietas, quæ utilis est ad omnia, ita implevit cor sancti Regis, atque adeo penetravit, ut pietas eum videretur totum possidere, suoque subjecisse dominio: namque animus ejus totus ferebatur in ægrotos ac pauperes, ut sequentia manifeste probant. Primum singulis diebus Mercurii, Veneris, ac Sabbati in Quadragesima et Adventu per se ipse ministrabat tredecim pauperibus, quos in cubiculo suo, aut vestiario manducare jubebat; ministrabatque, illis apponendo pulmentum, ac bis gemina fercula ex piscibus, aliisve: duos ipse panes scindebat, ex quibus apponebat singulis, cubiculariique Regis reliquos panes secabant, quantum necesse erat pauperibus supra memoratis. Et præter hæc omnia beatus Rex cuilibet pauperum ante dictorum duos ponebat panes, quos illi secum auferrent. Porro, si qui inter pauperes hos essent cæci, vel cæcutientes, beatus Rex propriis manibus frustum panis eorum manibus immittebat, aut manum pauperis ad ejus scutellam ducebat, docebatque eum, quo modo manum scutellæ admovere deberet. Quin imo, quando quis aderat cæcutiens aut cæcus, cui pisces erant appositi, beatus Rex capiebat frustum piscis, propriisque mani-

XI. *Sanctus Rex pauperibus sæpe ministrat,*

A. REGINÆ CONFESSARIO.

manibus spinas eximebat diligenter, embammati immittebat, ac tunc ori pauperis inferebat. Priusquam manducaverant, singulis distribuebat duodecim denarios Parisinos : plus etiam quibusdam illorum pauperum donabat; iis nempe, quorum magnam videbat esse egestatem; dumque illis aderat femina, quæ secum habebat infantem, donum illius augebat. Hæc ipsa etiam faciebat extra Quadragesimam et Adventum quibuslibet diebus Veneris et Sabbati per totum annum.

trium qualibet die Sabbati pedes lavat, et osculatur;

84 Præter hæc omnia, quovis tempore omni die Sabbati jubebat duci secreto admodum ad vestiarium suum tres pauperes ex supra dictis tredecim, omnium aliorum pauperrimos, aut cæcos, aut cæcutientes, quos studiose volebat seligi : erantque in vestiario ipsius tres pelves, atque aqua calida illic præparata, et mantilia munda; ibique ipsorum lavabat pedes linteo cinctus, et genibus ante eos flexis. Cum quis ministrorum eum juvare volebat ad cujusdam illorum pauperum pedes lavandos, quia eos non habebant nitidos, beatus Rex pati nolebat, ut quis manum admoveret præter se solum. Postquam eos laverat, B siccabat, ac deinde singulos pedes osculabatur, quatumcumque pedibus essent corrosis, aut horridis. Deinde mox aquam iis porrigebat flexis genibus ad manus lavandas, iisque præparabat mantile ad manus siccandas : dein quadraginta denarios Parisinos singulorum manibus imponebat magna pietate, ac manus singulorum osculabatur; Hæc autem exercebat quam poterat occultissime; crediturque ideo libentius ad id faciendum vocasse cæcos, vel cæcutientes, ut eum non cognoscerent, remque foris non vulgarent. Post hæc tres illi reducebantur ad alios memoratos, simulque manducabant, ac beatus Rex iis ministrabat, uti supra est dictum.

quotidie in cœnaculo prope mensam suam manducare vult pauperes;

85 Præter tredecim pauperes dictos, sumebantur quotidie omni tempore Quadragesimæ alii tredecim, ac extra Quadragesimam ex tredecim illis sumebantur tres quotidie, illique accumbere jubebantur ad mensam ipsis positam prope sanctum Regem; et priusquam manducarent, ac ipse mensæ accumberet, singulis his pauperibus dabat propriis manibus quadraginta denarios Parisinos, jubebatque iis dari ex cibis suis aliisque, quantum iis erat necesse. Quin etiam quandoque beatus Rex iis panem scindebat carnesque, ac C iis subministrabat. Item scindebat carnes et pisces sibi appositos, et mittebat ad illos pauperes. Habebant insuper singuli hi tres pauperes modo memorati frustum carnis, quod poterant custodire. Sæpe etiam servabant ex mensa beati Regis, quod omnino eis sufficeret. Adhæc beatus Rex plerumque sibi adferri jubebat ad mensam suam tres scutellas jusculo impletas, quibus ipse imponebat frusta panis ante se posita, panemque jusculo in scutellis prædictis intingebat omnibus ante memoratis pauperibus. Jubebat autem vocari pauperes omnium, qui inveniri poterant, maxime despectos, quibus hoc exhiberet ministerium, iisque libentius ac sæpius ministrabat quam aliis. Decem vero alii pauperes manducabant in cœnaculo, aliosque habebant cibos illorum, qui manducabant in cœnaculo; et singuli hi decem pauperes accipiebant a sancto Rege pro eleemosyna duodecim Parisinos.

multa alia paupertatis subsidia largitur;

86 Rursus memoratus sanctus Rex trans mare, et cis mare suo tempore quotidie dari jubebat centum viginti et duobus pauperibus, qui alii erant a prædictis, duos singulis panes, qui valebant singuli denario Parisino. Rursus singulis his centum viginti et duobus pauperibus quartam D vini mensuræ Parisiensis, frustumque carnis aut piscis, prout dies exigebat; aut ova, aut aliud quidpiam, quando pisces inveniri non poterant, et singulis Parisinum *e*. Si aderat mulier, quæ infantem habebat unum vel plures, pro quolibet infante supra hæc habebat panem : infantibus etiam singulis panis dabatur. Præterea sexaginta pauperibus dari jubebat, singulis duos panes, et pecuniam, puta quatuor denarios. Rursus eleemosynam generalem distribui jubebat bis in hebdomada omnibus pauperibus, undecumque venissent, ex sublatis a mensa ac reliquiis : tantumque panis addebat ejus ab eroganda stipe minister, ut eleemosynam singuli accipere possent. Rursus beatus Rex, quando degebat Parisiis, ministrabat sæpe manu propria in cubiculo suo inferiori quandoque viginti pauperibus, quandoque triginta, quandoque pluribus; ponebatque ante eos scutellam pulmento impletam, aliaque fercula seu carnium, seu piscium, ac panem iis scindebat. Rursus beatus Rex adibat quater per annum Puteolos *f* in Vastinio, aliumve E locum, quem magis inopem existimabat, ibique congregari jubebat ducentos pauperes in cœnaculo, eosque manducare jubebat, atque iis ipse per se ministrabat, eis apponens panem, scutellam jusculi, et bis gemina fercula piscium, aut aliorum ciborum, sicut tempus exigebat. Distribuebat adhæc eorum cuilibet duodecim denarios Parisinos. Alia item manu tenebat pecuniam, ex qua augebat donum majori egestate laborantibus pro arbitrio suo. Et quilibet eorum duos panes ad hospitium suum ferebat, si vellet, quos ab initio beatus Rex ante eos singulos ponebat; nam de reliquo pane panispromi tantum eis apponebant, quantum ibi eos manducare conveniebat.

pia ejus liberalitas die Jovis ac Veneris sancta;

87 Rursus qualibet die Jovis sancta sanctus Rex lavabat pedes tredecim pauperibus aut viginti sex, atque illis singulis dabat quadraginta denarios : et deinde iis per se ipse ministrabat ad mensam, sicut supra relatum est, cum fecisse aliis tredecim pauperibus; atque hoc ipsum fieri curabat per dominum Philippum filium natu maximum, et per dominum Petrum, aliosque suos liberos, quando cum ipso erant illa die Jovis : et quidam ex ejus sacellanis Officium recitabant de Mandato *g*, interea dum ipse pauperum pedes lavabat. Rursum qualibet die Veneris sancta F ibat nudis pedibus per ecclesias vicinas cujuscumque loci, ubi degebat; jussuque sancti Regis duo ejus cubicularii capiebant centum libras, singuli quinquaginta; easque subministrabant sancto Regi illa die, imponentes per vices pecuniam illam sacculo, quem beatus Rex sub pallio suo gestabat cingulo suo appensum. Has centum libras propria manu pauperibus distribuebat, dum ibat dicta die per templa; neque patiebatur, ut servi aliive sequentes submoverent, retrove abigerent pauperes, sed volebat ut liberum omnes ad se haberent accessum, ut stipem eis manu propria posset erogare.

munificentia in Religiosos pauperes.

88 Rursum consueverat sanctus Rex, quamcumque civitatem, oppidum, aut locum intraret, ubi degebant fratres Minores, aut fratres Prædicatores, aut aliqui ex talibus Ordinibus, mandare, ut die adventus sui ac postridie illis darentur ad victum panis, vinum, et bis gemina fercula, eaque subministrarentur, quæ illis erant congrua. Deinde, quia fratribus erat utilius pecuniam habere loco dictorum obsoniorum, sanctus Rex pro iis pecuniam illis dari jussit. Rursum,

A sum, quoties veniebat Parisios, multum pecuniæ dari jubebat fratribus Minoribus, ac fratribus Prædicatoribus, omnibusque aliis Religiosis Parisiensibus, qui reditus non habebant : nimirum quadraginta octo denarios in singulos : atque ita consueverat, quando una die Parisiis egrediebatur, ibatque vel ad silvam Vicenarum, vel ad fanum sancti Dionysii, vel ad alium locum quantumcumque vicinum, redibatque die sequente Parisios, stipem Religiosis amore Dei erogare modo supra dicto. Præceperat item beatus Rex, ut omnibus Religiosis pauperibus, seu viris, seu mulieribus, qui veniebant ad ipsius palatium, aut transirent per locum, ubi esset, etiamsi venirent post cibum sumptum, subministraretur quod comederent; iisque daretur, quod esset congruum, ex culina, aliisque officinis, quando in aula ipsius manducarent : idque factum est quamdiu beatus Rex vixit.

ANNOTATA.

a *Id contigisse debuit, dum Rex cum agmine regredi Damiatam conabatur, de quo agit* B *Joinvillius cap. 13, ubi num. 123 et 124 refert solicitudinem Regis, ut pauperes ægroti in naves reciperentur. Non quidem meminit de cibariis abjectis, quorum erat penuria : at facile id ignorare potuit Joinvillius aut oblivisci.*

b *Imo et insigni prudentia : nam si magnates singuli suam pacti essent redemptionem, multo majores fuissent sumptus, quam fuerunt Rege pro omnibus paciscente. Pactum habet Joinvillius num. 138 : qui et sequentia ordine refert.*

c *Amicum hoc certamen non habet Joinvillius : sed multi testes fuerunt in Actis canonizationis, qui rei gestæ adfuerant, adeoque et vera retulisse censendi sunt.*

d *Anni 1254. Totam hanc historiam refert Joinvillius cap. 26, quem consule, notataque ibidem.*

e *Denarium, opinor.*

f *Oppidulum est in pago Vastinensi, quod in ducatu Nemosii memorat Geographia Blaviana: vulgo* Puiseaux *vocatur, ab aliquibus quoque* Puteaux.

g *De* Mandato *egimus ad Vitam primam cap.* C *1, lit.* q.

CAPUT VIII.

Prosecutio ejusdem in miseros quosvis pietatis : ubi eleemosynæ recensentur innumeræ; ac fundationes plurimæ.

Quosdam fratres Prædicatores, subsistere coactos, hospitio excipit ; a

Cum quadam vice esset in Castro novo *a* diœcesis Aurelianensis ad Ligerim, ac vellet animi relaxandi causa, post somnum de die captum, adire silvam, atque fratrem Gaufridum de Bello loco Ordinis Prædicatorum conscientiæ suæ moderatorem, qui ibidem erat, accersisset, ut cum ipso iret ad silvam : memoratus frater respondit, se non posse, quia expectabat fratres Prædicatores, qui navi per Ligerim vecti Aureliam ibant ad comitia provinciæ, ibi paullo post habenda : dixitque ei beatus Rex, velle se cum ipso ire usque ad flumen, ut videret fratres, et hoc modo pedites venerunt sanctus Rex, dictus frater, multique alii usque ad flumen, licet via esset satis longa. Postquam autem beatus Rex eo advenerat, quamvis fratres, qui erant in navi, vellent omni modo abire ut Jargolii *b* pernoctarent : nihilominus adeo coegit fratres, numero octodecim aut circiter, ut venire ad Castrum deberent, eosque illa nocte hospitio excipi curavit, commodumque admodum eis assignari jussit hospitium.

A. Reginæ Confessario.

b

multa cujusvis generis pauperibus quotannis largitur subsidia ;

90 Consueverat item sanctus Rex providere personis Religiosis pauperibus : videlicet sacris virginibus Ordinis Cisterciensis, aliisque virginibus sacris, ac aliis personis Religiosis aliorum Ordinum : egenisque lepra infectis valetudinariorum in tractu Franciæ, et personis miserabilibus. His quotannis sub initium Quadragesimæ procurabat haleces, et pecunias pro amygdalis, pro pisis, aliisque similibus, quæ eis illo anni tempore erant necessaria. Rursum illis procurabat quotannis sub initium hiemis ligna, indumenta e panno crassiore, vestes pellitas, et calceos, quæ pauperibus magna copia distribuebat. E Annuatim emi jubebat sexaginta millia halecum, eaque dispertiri distribuique, quemadmodum supra est dictum. Atque hoc servatum fuit quamdiu vixit, postquam ex tractu transmarino fuit redux. Præterea beatus Rex quotannis dari jubebat pauperibus in diebus bacchanalibus triginta porcos. Porro minuta hæc pauperum subsidia, quæ beatus Rex ex speciali sua notitia dari curabat fratribus Minoribus, fratribus Prædicatoribus, aliisque Religiosis viris, ac mulieribus, locisque aliis egenis, ascendebant anno quolibet ad octo millia librarum Parisiensium numeratæ pecuniæ, absque panno vestium crassiorum, calceis, halecibusque, quæ dari curabat ac distribui quotannis, ut dictum est supra.

pauperibus ac monachis ipse sæpe ministrat.

* Berri

91 Rursum, quando beatus Rex ibat ad agrum Bituricensem *, aut in Normanniam, aliave loca, ubi rarius degebat, unica vice vocari jubebat trecentos pauperes, eis mensam exstrui curabat, eisque ipse per se ministrabat, juvantibus eum servis ipsius, et cubiculariis : dabat singulis pauperibus duodecim denarios Parisienses, apponebat illis panem, pulmentum, carnes, pisces, sicut diei congruebat. Rursum F festis quibusdam majoribus sanctus Rex in cœnaculo suo congregari curabat trecentos pauperes, eosque ad mensam ordinari jubebat. Rursum beatus Rex sæpe veniebat ad abbatiam Regalis-montis, ac sæpe etiam diebus Veneris manducabat ibi in triclinio ad mensam abbatis, sedebatque abbas juxta ipsum : et semper quando illic manducabat, ad victum dabat conventui panem et vinum, ac bis gemina fercula piscium. Erant autem eo tempore in monasterio istius loci centum monachi, aut circiter, præter adjutores rei domesticæ *c*, qui quadraginta circiter erant. Aliis diebus, quando beatus Rex non comedebat in triclinio, sæpe ac plerumque illud ingrediebatur, monachisque mensæ accumbentibus ministrabat beatus Rex cum monachis ad ministrandum constitutis : nam ibat ad fenestram, quæ culinam respicit, ibique capiebat scutellas cibo plenas, easque ferebat, ac monachis discumbentibus apponebat. Et quia magnus monachorum erat numerus, ministrique pauci, tamdiu ferebat ac referebat scutellas istas, donec dicto conventui omnia subministrasset. Quod autem scutellæ nimis essent calidæ, manus quandoque trabeæ suæ involve-

c

A. REGINÆ CONFESSARIO.

volvebat propter calorem ciborum et scutellarum. Aliquando etiam cibum effluere sinebat super trabeam suam : tum abbas dicebat, eum dedecorare trabeam suam, reponebatque beatus Rex : Nihil refert, habeo aliam. Ibat et ipse quandoque ad mensas, infundebatque vinum cyathis monachorum; quandoque etiam gustabat vinum istud ex cyathis illis, laudabatque, quando erat bonum; cum vero esset asperum, aut dolii vitium resiperet, bonum vinum adferri jubebat. Insuper, quoties dictam abbatiam adibat, in obsonium dari jubebat duo fercula piscium aut carnium pro temporis exigentia omnibus ægrotis dictæ abbatiæ, sive monachi essent, sive rei domesticæ adjutores : ac omnibus quoque externis ægris, qui subsistebant in valetudinario hujus abbatiæ.

Fundat domos Parisiis adolescentibus, studiis operam dantibus,

92 Quando beatus Rex veniebat Compendium, sæpe accidit, ut intraret culinam fratrum Prædicatorum, ac peteret, quid ciborum paretur conventui : deinde intrabat triclinium, dum fratres comedebant, jubebatque ex culina sua adferri cibos sufficientes, pisces, aliosque; B atque eos ipsis subministrari jubebat in conspectu suo. Rursum beatus Rex emi jussit domos, sitas Parisiis in duabus plateis ante palatium Thermarum *d*, in quibus construi jussit domos aptas amplasque, ut illic in perpetuum habitarent studiosi, qui litteris dant operam Parisiis : eas autem inhabitant studiosi, qui ad id sunt recepti ab illis, qui eos recipiendi habent potestatem : ex iis etiam domibus quædam elocantur aliis studiorum alumnis, quarum locationis pretium convertitur ad lucrum studiosorum pauperum ante dictorum. Hæ domus constitere beato Regi, ut creditur, quatuor millibus librarum Turonensium. Rursus sanctus Rex dari jubebat qualibet hebdomada pecuniam multis studiosis, eorum loculis imponendam, quibus ad studia providebat : nimirum quibusdam duos S. *e*, quibusdam tres S., quibusdam duodecim S., et quibusdam octodecim; crediturque bene fuisse istis pauperibus, quibus hoc modo beatus Rex providebat. Eodem etiam modo quibusdam Beginis *f* providebat.

valetudinarium cæcorum Parisiis, valetudinarium Vernoniense,

C 93 Item beatus Rex prædictus emi curavit spatium aliquod terræ prope sanctum Honoratum, ubi exstrui jussit diversorium amplum, ut cæci pauperes ibi perpetuo habitarent usque ad trecentos, qui annuos habent census ex Regis ærario pro pulmento, aliisque. In hac domo est templum, quod ædificari voluit in honorem sancti Remigii, ut cæci memorati intersint ibidem rei divinæ. Sæpe etiam beatus Rex die festa sancti Remigii eo venit, ubi dicti cæci curabant solemniter cani Officium in templo, cui cæci, circumfusi sancto Regi, assistebant. Templum hoc reditibus instruxit. Rursum fundavit, ac ædificari jussit valetudinarium publicum Vernoniense, cujus fundum atque ædificia, quia situm est in optimo oppidi loco, amplumque est et latum, beatus Rex maximo pretio emit; steteruntque ei fundus et ædificia triginta millibus librarum Parisiensium. Dedit etiam dictæ domui lectos, vasa culinæ, omnemque aliam supellectilem, in memorata domo necessariam omnibus pauperibus ægrotisque, qui forent ibidem, fratribusque ac sororibus domus. Sunt autem ibidem sorores viginti quinque, et duo fratres clerici, qui rem divinam faciunt in sacello istius valetudinarii, aliaque familia numerosa ancillarum, aliarumque personarum, quæ ad servitia valetudinarii sunt necessariæ : donavit item libros, aliaque ornamenta, et calices, usui sacelli destinata. D Item, quamdiu beatus Rex vixit, quotannis vestibus instruebat sorores hujus valetudinarii, jussitque componi vestes pauperibus, quas induebant, cum manducarent.

Pontisarense, Compendiense; auget Parisiense; construit ibidem dormitorium Prædicatorum :

94 Præterea construi jussit, fundavit, dotavitque valetudinarium publicum Pontisarense, atque ei possessionem dedit bonorum, quorum census annuus quadringentæ libræ. Rursum construi jussit, magnisque sumptibus augeri valetudinarium publicum Compendiense; quod opus constitit duodecim millibus librarum Parisiensium, dotavitque illud laute : donavitque lectos, aliaque necessaria pauperibus et ægrotis. Rursum augeri jussit valetudinarium publicum Parisiense *g*, quod extensum est usque ad parvum pontem, censibusque donavit memoratum valetudinarium. Item ædificari jussit dormitorium fratrum Prædicatorum Parisiis, aliaque ædificia ibidem. Porro quando beatus Rex construi curabat domos, aliaque pauperibus loca, per semet ipse opera inspiciebat, quando memorata ædificia fiebant, ordinabat, disponebatque, quomodo exhedræ, et cubicula, et officinæ dictorum ædificiorum construerentur. E

quibus, aliisque fundationibus immensam impendit pecuniam.

95 Creditur autem, opera domuum structarum ad usum studiis incumbentium Parisiis, domus cæcorum, domus Beginarum Parisiis, templi fratrum Minorum, dormitorii fratrum Prædicatorum Parisiis, aliarumque domuum illic constructarum, ac valetudinarii publici Parisiis aucti, valetudinarii Pontisarensis, Vernoniensis, et Compendiensis, domus fratrum Prædicatorum Compendii, domus fratrum sancti Mauritii Silvanecti, domus sororum Ordinis Prædicatorum Rotomagi, domus fratrum Prædicatorum Cadomi, domus fratrum Ordinis Cartusiensis Vallis-viridis prope Parisios, domus fratrum Carmelitarum Parisiis *h* majori ex parte, quæ opera inter alia beatus Rex construi jussit, ei stetisse, omnibus computatis, quæ dictis ædificiis, locisque piis fuere impensa ex bonis hujus Regis, tum in fundum locorum, tum in ædificia, tum in census iis attributos, summa ducentorum millium librarum Turonensium, et majori etiam.

Carpentibus tot eleemosynas pie respondet Sanctus : multæ

96 Quandoque accidebat, ut aliqui ipsius consiliarii eum reprehenderent, quod tantos cernerent sumptus ab eo fieri in faciendis talibus fundationibus, talibusque ædificiis, ac tantis donis, F eleemosynisque tantis, quas dictis domibus largiebatur. At beatus Rex iis respondebat : Tacete, Deus mihi donavit quodcumque habeo; quod hoc modo expendo, optime impensum est. Rursum beatus Rex ante memoratus jubebat dari fratribus Minoribus, ac fratribus Prædicatoribus modo centum libras, modo trecentas, quibus se liberarent ære alieno, quod se contraxisse dicebant : atque ut brevius dicam, sustentabat eos Parisiis, aliisque locis vicinis majori ex parte. Quando fratres Prædicatores Compendienses primum ingressi sunt domum, quam habent Compendii, beatus Rex stipem eis erogabat centum librarum Parisiensium ad victum ipsorum. Postquam beatus Rex rediit ex tractu transmarino, sæpe eum accedebant mulieres quædam nobiles, quæ dicebant maritos suos trans mare occubuisse in ipsius servitio, seque expendisse sua, ita ut ad paupertatem essent redactæ; ducebant etiam secum filios, filiasque suas, orabantque sanctum Regem, ut bene faceret ipsis, ac ipsarum miseratione moveretur. Cumque eas sanctus Rex noverat, eis per eleemosynarium suum dari jubebat,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

A bebat, alteri viginti libras, alteri decem, et plus minusve, prout eis judicabat congruere: petebat etiam quandoque, an quæ illarum filiarum nossent litteras, et dicebat facturum se, ut in abbatia Pontisarensi, aut alibi reciperetur.

aliæ eleemosynæ cuivis hominum generi

97 Sæpe beatus Rex jubebat dari equitibus egenis, dominabus, domicellis, servisque egenis, alteri decem libras, alteri viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, quandoque etiam centum, ut filias suas nuptui darent, quandoque plus minusve pro statu ac conditione personarum, et sicut judicabat expedire. Quando beatus Rex per regnum iter instituebat, pauperes ad eum accurrebant, ac singulis dari jubebat denarium unum. Cum vero accederent majori inopia pressi, alteri dari jubebat quinque asses, alteri asses decem, alteri etiam viginti asses, quandoque plus vel minus, prout expedire ei videbatur. Postquam reversus fuit ex partibus transmarinis post primam transfretationem, cum regnum suum lustraret, eleemosynarii omnibus accedentibus stipem erogabant denarium: dum autem videbat quosdam magis inopes, iis aut B sex, aut duodecim denarios donari jubebat, aut quantum judicabat congruere. Tempore proxime memorato, quando ditionem suam perlustrabat, ministrabat quotidie manu propria ducentis pauperibus, tribuens singulis duos panes, et duodecim denarios Parisienses etiam singulis: insuper tenebat manu sinistra denarios: itaque dum hominem cernebat magis egenum, ei superaddebat quatuor, quinque, aut sex denarios, uti ei videbatur congruum. Præter hæc omnia illo tempore distribui jubebat stipem generalem, etiamsi hominum decem millia venirent, aut viginti millia, aut plures.

largissime distributæ, integris etiam provinciis:

98 Sæpe etiam, quando erat annonæ caritas, quibusdam suis domesticis jubebat distribui quandoque mille libras, quandoque duo millia, et eo amplius, quandoque etiam minus; eisque mandabat, ut illas ferrent ad varias regni sui partes, ac pauperibus, qui illic habitabant, erogarent, ac partirentur. Quando audiebat magnam esse annonæ caritatem in una aliqua regni sui parte, ad tractum illum mittebat per servos suos quandoque duo millia, tria millia, quinque millia librarum Turonensium, et plus, minusque pro arbitrio suo, quantumque congruere existi- C mabat: certumque est, crebro eum ita fecisse. Semel, dum esset annonæ caritas, sanctus Rex misit in Normanniam argenti summam pauperibus erogandam: ac præcepit ut, qui eo irent, darent eleemosynam hospitibus, qui habitarent solum sub Rege, quique illi censum solverent quotannis, quando ipsis magis quam aliis ea erat opus. Rursum sæpe dari jubebat proprias vestes bonis mulieribus Religiosis, aliisque, et sacerdotibus. Dicebat quandoque: Visamus pauperes talis regionis, eosque pascamus; et tunc ibat in varias regni sui partes, sive in Vastinium, sive in Normanniam, ibique amore Dei stipem amplam erogari curabat. Adhæc cædi in silva sua trabes jubebat, aliamque materiam ecclesiæ fratrum Minorum Parisiis, et claustro dictæ ecclesiæ: tum etiam dormitorio, tricliniοque fratrum Prædicatorum Parisiis, valetudinario Pontisarensi, ac fratribus Saccitis *i* Parisiis. Vehi item curavit omnem materiam memoratam ad loca omnia supradicta; ramos vero, lignumque ceterum, quod reliquum erat ex crassis materiæ frustis, amore Dei dabatur Ordinibus religiosis pauperibus; huic ducentæ carrucæ, aliis trecentæ mandato beati Regis, qui jubebat hujusmodi lignum aqua Parisios vehi, aliove, ubi lignum illud erogabatur pauperibus.

summa Sancti in captivis liberandis caritas, et liberalitas.

99 Præterea tempore primæ ipsius transfretationis, ubi dimissus fuit ex carcere Saracenorum, substitit trans mare quatuor annis præterpropter, ea maxime intentione, ut liberaret Christianos, qui capti fuerant, priusquam mare transmitteret, et crebro mittebat legatos solemnes ad soldanum pro liberatione Christianorum, quos tenebat captivos. Quandoque redimebant ducentos, alias trecentos, quingentos, quot liberare poterat. Quia autem quarumdam legationum habemus exempla; certum est tertia, quartave vice a legatis reductos esse quadringentos circiter; alia vice septingentos præter mulieres; alia vice sexcentos quinquaginta, alia vice centum quadraginta et unum. Porro reducebantur sumptibus beati Regis, iisque Christianis, qui hoc pacto ex carcere Saracenorum reducebantur, nunc centum, nunc ducenti, nunc quingenti, cum redempti ex dictis infidelium carceribus venirent nudi ac spoliati, ita ut nihil illis superesset, omnibus beatus Rex vestes dari jubebat, proque E aliis rebus necessariis dari jubebat singulis centum nummos monetæ Parisiensis, (dragmas vocant) qui singuli valebant septem minutis Turonensibus; quibusdam ducentos, aut trecentos, plus quandoque, quandoque minus, pro statu personarum et conditione; atque hoc modo providit illo tempore pluribus quam tribus hominum millibus. Vestes autem donabat equitibus, virisque nobilibus ex viridi, aliove hujusmodi panno: hominibusque inferioris conditionis ex panno Atrebatensi, aliove minoris pretii, quam esset pannus equitum. Atque illo tempore, quo ita revertebantur, una vice redierunt mille quingenti, et alia vice alii plurimi ex carceribus Saracenorum, ut dicebatur, ac navibus veniebant Acconem usque sumptibus beati Regis, ut dicebatur, idque dicebatur passim, atque ita creditur: nemo enim alius erat, qui hominibus memoratis, egenis adeo et mendicis, tantos suggessisset sumptus, si eos beatus Rex non dedisset. Fuerunt viri illi postremo liberati per legatos, quos misit beatus Rex ad Saracenos ad liberandos captivos: ac dicebatur Accone, eos a soldano fuisse redditos vi pactorum, quæ inita olim fuerant inter sanctum Regem et soldanum Sarace- F nosve, quando ipse eorum carcere fuit liberatus: atque his ipsis, qui ita redierant, beatus Rex tribui jubebat vestes, aut nummos pro vestibus *k*.

ANNOTATA.

a *Oppidulum est in tractu Aurelianensi, vulgo* Château-neuf, *distatque 5 leucis Aurelia in ortum, ut habet Baudrandus ad vocem* Castrum novum.

b Jargolium, *vulgo* Jargeau, *alias* Gergolium *et* Gergeau, *oppidum est inter Aureliam et Castrum novum Ligeri impositum, ad oppositam fluminis ripam.*

c Conversi *passim vocantur. Porro numerus monachorum tantus ab initio non fuerat, sed perpetua sancti Regis liberalitate paulatim excreverat.*

d *Initia hæc fuerunt celeberrimi collegii Sorbonici, de quo disputavimus in Commentario § 81 num. 1054 et seqq.*

e *Non omnino certum mihi videtur, solidine an asses intelligi debeant illo* S: *nam si auctor* S

istud

A. REGINÆ CONFESSARIO.

istud invenerit in Actis Latinis, solidi possunt designari; si vero ipse brevitatis causa sic scripserit, asses forte intelligendi a voce Gallica sou.

f De Beginis, quarum inopiam Sanctus sublevabat, plura habet Gaufridus num. 30. Ubi quoque memorantur quatuor sequentes fundationes, pro quibus consuli possunt notata ibidem.

g De valetudinario Parisiensi aucto, aliisque beneficiis affecto, egimus in Commentario num. 880.

h Hæ omnes fundationes partim cap. 4, partim hoc capite recensitæ sunt : plerœque etiam apud Gaufridum cap. 3 : verum et multo plures in Commentario sparsim retulimus ac probavimus.

i De fundatione Saccitarum, quam prætermiserant biographi, egimus in Commentario num. 893.

k De cura Sancti captivos liberandi, quos vi pactorum metuque Saracenis incusso eorum carceribus tandem exemit, actum est in Commentario § 55, et 56. Narrat rem Joinvillius cap. 20, ex quo num. 181 colligitur, aliquot ex illis captivis aliorum quoque liberalitate usos fuisse post B reditum e carcere.

CAPUT IX.

Prosecutio amoris Sancti in proximos : ubi recensentur præcipue obsequia, quæ pauperibus, ægrotis, et defunctis per se ipse exhibuit.

Sanctus Rex mirabili charitate invisit ægros,

Post omnia, quamvis multa superius commemorata sint de servitio, quod beatus Rex per semet ipse exhibebat personis miseris, restat tamen etiamnum aliquid hoc loco memorandum; præsertim quo pacto eos inviseret ac consolaretur beatus Rex. Invisebat sæpe beatus Rex abbatiam Regalis-montis, et quoties veniebat ad abbatiam memoratam, ipse ingrediebatur valetudinarium abbatiæ, visebat fratres infirmos, C eos solabatur, ac interrogabat quemlibet, quo laboraret morbo : quibusdam tactu explorabat arteriæ pulsum, quibusdam tempora tangebat, etiamsi sudarent : vocabat medicos, quos secum habebat; curabat, ut in conspectu suo urinam laborantium monachorum inspicerent, iisque consilium suggererent, quo se modo gerere deberent in morbo suo. Dicebat etiam frequenter beatus Rex : Lactaria nostra talia, aut, Remedia nostra talia, huic ægro fuere salutaria, eaque commendabat. Item iis subministrari jubebat ex culina sua, aliisque suis officinis, quod abunde iis sufficeret. Hæc dum agebat, paucos secum habebat, ut abbatem, medicos suos, atque arcanorum suorum conscios. Cum enim talia ageret, paucos adesse volebat, ipsos videlicet, qui arcanorum ipsius admodum erant conscii, neque ullos alios.

etiam lepra maxime deformem,

101 Eos autem qui vehementiori tenebantur malo, magis sollicite invisebat, ac citius accedebat ad lectos infirmiorum; attingebat etiam manus infirmorum, locumque affectum; quantoque malum erat gravius, seu apostema, seu quid aliud, tanto id tangebat libentius. In abbatia Regalis-montis monachus erat, nomine Leodegarius, ordineque diaconus, lepra infectus, D qui degebat in domo separata ab aliis, quique erat adeo miserabilis, teter adeo, ut vi morbi oculi ejus tam essent corrupti, ut nihil prorsus cerneret, nasum perdidisset, labia ejus fissa essent, atque inflata, palpebræ ejus rubræ essent, atque aspectu horridæ. Beatus Rex die quadam Dominica circa festum sancti Remigii ad memoratam abbatiam Regalis-montis venerat, pluribusque ibidem Missæ sacrificiis pro consuetudine sua interfuerat, ipsum comitante Flandriæ comite, multisque aliis viris nobilibus : peractis Missæ sacrificiis, egressus est ecclesia, ac processit valetudinarium versus ad domum, ubi monachus lepra tam deformis habitabat. Porro dum eo ire volebat, præcepit cuidam apparitorum suorum, ut eos, qui secum erant, retro ire juberet : atque ita sumpsit abbatem Regalis-montis, eique indicavit, velle se adire locum, ubi dictus ille lepra deformis habitabat, quem olim vidisset, ac invisere vellet. Postea præcessit abbas, secutus est beatus Rex, ingressusque est locum, ubi erat æger, quem invenerunt manducantem ad mensam satis brevem; manducabat E autem porcinam : solent enim lepra infecti carnibus vesci in abbatia hac.

cui flexis genibus ad mensam ministrat;

102 Sanctus Rex ægrum hunc salutavit, atque interrogavit, ut se haberet : genua ante eum flexit, et tunc flexis genibus cœpit scindere, sciditque ei carnem cultro in mensa ægri reperto : secta carne in bolos, ori laborantis bolos illos immittebat, qui eos a manu Regis accipiebat, ac manducabat. Tandem, ubi sanctus Rex ita fuerat flexis genibus ante memoratum lepra deformem, dicto abbate etiam in genua provoluto in venerationem sancti Regis, licet memoratus abbas non parum ab illis abhorreret; beatus Rex ex leproso quæsivit, utrum manducare vellet pullos et perdices, isque respondit se velle. Tunc sanctus Rex vocari jussit unum ex apparitoribus suis per monachum memorati ægri curatorem; eique præcepit, ut adferri curaret pullos et perdices ex culina sua, longo satis intervallo ab eo loco dissita : nihilominus toto tempore, quo dictus apparitor, qui assos ferebat duos pullos, ac perdices tres, occupatus fuit eundo ac redeundo a culina memorata, dictus Rex semper provolutus in genua fuit ante ægrotum, atque abbas etiam cum ipso. Postea sanctus Rex interro- F gavit lepra infectum, de quo prius manducare vellet, de pullisne, an de perdicibus? Petiit etiam ab eo beatus Rex, quocum manducare vellet condimento? Respondit ille, cum sale se manducaturum. Tunc illi amputavit alas perdicis, earumque bolos sali admovebat, deindeque ori ægroti immittebat. Verum, quod labia ægri fissa essent, ut supra dictum est, sanguinem emittebat; quia sal fissis labiis inserebatur, ita ut illi sal dolorem crearet, egredereturque sanguis adeo, ut per mentum difflueret. Ea de causa æger dixit, nimis se sale lædi. Posthæc itaque beatus Rex immittebat bolos sali, ut iis saporem adderet, at a bolis grana salis detergebat, ne fissuram labiorum ægroti ingrederentur. Ad hæc Beatus consolabatur memoratum ægrotum, eumque monebat, ut bene ac patienter hunc morbum toleraret; id ejus purgatorium esse in hoc mundo, utiliusque esse, perferre hic infirmitatem hujusmodi, quam alia pati in seculo futuro. Postea petiit beatus Rex ab ægro, an vellet bibere; dixitque ille se velle. Petiit quodnam haberet vinum; respondit æger, Bonum.

Tunc

A Tunc beatus Rex cepit cyathum et vini poculum, quæ mensæ erant imposita, propriisque manibus vinum cyatho infudit, deindeque admovit cyathum ori ipsius, quem ille ebibit. His peractis, beatus Rex rogavit ægrotum, ut pro se Dominum nostrum oraret : atque ita abierunt beatus Rex et abbas; ivitque beatus Rex cibum sumpturus in hospitio suo, quod habebat in abbatia.

similia sæpe factitare solitus, etiam in valetudinariis publicis,

103 Hoc modo frequenter invisebat ægrum memoratum, ac de lepra infecto loquebatur; at nulli ingrediebantur cum eo in domum dicti ægroti, præter abbatem, aut priorem istius loci. Semel, cum ingressus esset ad visendum memoratum lepra laborantem, mensaque ante eum esset posita, beatus Rex ei ipsemet ministravit, panem ei intinxit jusculo, ac cochleari ligneo ori ejus imponebat. Quia vero pani huic jurulento semel beatus Rex nimium salis immiscuit, os labiaque ægri sanguinem mittere cœperunt ex sale, ut creditur. Qua de causa unus aliquis ibi præsens dixit beato Regi : Facis, ut os ipsius mittat sanguinem; nam pani jurulento nimium salis immiscuisti Respondit beatus Rex : Feci ei, B ut mihi facio : rogavitque ægrum, ut sibi ignosceret. In eadem hac abbatia Regalis-montis tis alius fuit monachus lepra infectus, quem aliquoties invisit. Beatus Rex crebro adibat valetudinaria publica, Parisiense, Compendiense, Pontisarense, Vernoniense, Aurelianense, visebatque pauperes atque ægros, qui ibidem cubabant, iis per se ipse ministrabat, singulis donabat nummos aliquot, panem, carnem, piscesque, prout iis erat congruum, ac tempus exigebat. Laute autem illis obsonabat, quando eos accedebat; ministrabatque iis manu sua panem, carnem, aliave fercula, quæ ægrotis per coquos suos parari, eoque portari curaverat : quandoque etiam panem unum alterumve propriis manibus secabat, sectumque singulis dabat ibi præsentibus.

atque ægrotis maxime horridis, nauseamque parientibus:

104 Dum qui graviori infirmitate erant correpti quam ceteri, magis illis ministrabat, secans ipsis panem, carnem, aliosque cibos; genibus quoque erat flexis ante eos, bolumque secfum ori eorum admovebat; eos pascebat, sustentabat, detergebat os eorum linteo, quod gerebat. Aliqui autem horum infirmorum tam horribiles C erant, ut familiares beati Regis servi horrerent, retroque se reciperent, ac mirarentur, quomodo talia tolerare posset. Et sane servi illius ibidem manere quandoque non poterant propter aeris infectionem, propter fœtorem, et propter horrorem ægrotorum : nihilominus ipse manebat ibi, acsi nihil olfecisset, atque iis ministrabat eo, quo dictum est, modo. Præterea in valetudinario Remensi eadem exercebat misericordiæ opera. Quandoque etiam equites, aliique ejus socii, qui hæc eum cernebant facientem, ea itidem præstabant. Contingit et vice quadam, cum beatus Rex serviret modo supra dicto cuipiam infirmo in valetudinario Parisiensi, sanguisque ei efflueret per nares, ut ei propriis manibus nares linteo detergeret, quod sibi dari ex suis jubebat, et linteum illud ibi relinqueret. Alia item lintea, quæ sibi curabat adferri, dum ad hujusmodi ministeria ibat, in loco relinquebat.

ita ut manus fætore maculatas lavare quandoque debuerit;

105 Ministravit die quadam Veneris per se ipse centum triginta quatuor pauperibus, qui tum erant in valetudinario Compendiensi, singulis apponens scutellam pulmenti, atque ad hæc duo fercula piscium, aliaque ægris convenientia : quos cibos parari jusserat. Cumque videretur fatigatus ex obito ministerio tanto, unus aliquis ibi præsens dixit, ut diceretur beato Regi, quiesceret in posterum. Quod cum audivisset, circomspiciens, vidit infirmum quemdam, qui laborabat malo, quod vocant morbum sancti Eligii *a*, duobus locis in facie. Tunc beatus Rex consedit super lectum hujus ægroti, eique paravit pyrum, cujus frusta propriis manibus ori ejus immittebat : dum id agebat, putredo ac fœditas, effluens ex memorati ægroti vulneribus, quæ omni ex parte erant, fluebat in beati Regis manum, ita ut oportuerit beatum Regem bis manum suam lavare, qua eum pascebat, donec dictus æger totum pyrum comedisset.

hæc, aliaque ministeria coram filiis obit ad eorum instructionem:

106 Præterea, dum ægrotos visebat, curabat secum adferri aquam rosaceam, propriisque manibus aspergebat facies infirmorum. Quando veniebat Vernonium, priusquam ingrederetur palatium suum, quod ibi habet, descendebat in valetudinarium Vernoniense, visebat ægros, omnes eorum adibat lectos, petebat vel ab ipsis, vel a sororibus domus, quæ eorum curam habebant, ut se haberent; quandoque etiam eos tangebat. Veniebat sæpe hora cibi sumendi in E dictum veletudinarium, et de cibis, quos parari curaverat per coquos suos in hoc ipso veletudinario, propriis manibus ministrabat pauperibus, atque ægrotis hujus valetudinarii in conspectu filiorum suorum, quos illic adesse volebat, ut eos, sicuti creditur, operibus misericordiæ erudiret. Ministrabat iis apponendo pulmentum, ut illis conveniebat, aliaque etiam fercula, eorum morbis congrua, carnes nimirum piscesque; quærebatque ex sororibus memoratæ infirmorum domus, quo morbo detinerentur; atque, an carnes manducare possent, an quidpiam aliud; quidque iis, eorumque valetudini conduceret : et prout eis erat utile, iis ministrari curabat. Quando aliquos inveniebat sudantes, et parum tectos, eos ipsemet tegebat. Dicitur soror quædam istius valetudinarii Vernoniensis aliquando ægrotasse, quæ soror dixit, numquam se manducaturam, nisi ille ipse propriis manibus cibum ejus ori imponeret.

perfecto valetudinario Compendiensi primum infert ægrotum.

107 Perfecto valetudinario publico Compendiensi, sanctus Rex ab una parte, et dominus Theobaldus, olim Navarræ rex gener ipsius, qui eum juvabat ab altera parte, tulerunt in panno serico, atque immiserunt valetudinario F novo primum ægrum, qui illi fuit illatus, eumque imposuerunt lecto recenter parato, et tunc reliquerunt super lectum pannum sericum, in quo eum portabant. Eadem ipsa die dominus Ludovicus *b*, filius tunc natu maximus Domini sancti Ludovici, et dominus Philippus, qui post ipsum fuit illustris Franciæ rex, tulerunt portaruntque alterum ægrum in dictum valetudinarium, eumque alteri lecto imposuerunt. Sic et fecerunt quidam alii proceres, qui ibi cum ipso erant. Diebus singulis matutino tempore, ubi solitis Missæ sacrificiis interfuerat, atque ad cubiculum suum redibat, strumosos vocari jubebat, eosque tangebat : hi nocte præcedente hospitio excepti fuerant in palatio sancti Regis in loco quodam ad hoc destinato, victumque habuerant ex aula sancti Regis. Cum transiret aliquando per Castrum novum, urbem ad Ligerim, in urbis ingressu ex castro anus quædam egena, quæ erat in janua domunculæ suæ, et panem in manu sua habebat, beato Regi dixit hæc verba : Bone Rex, hoc pane, qui est ab eleemosyna tua, sustentatur maritus meus, qui æger

A. REGINÆ CONFESSARIO.

æger decumbit. Tunc beatus Rex cepit panem manu sua, et dixit : Panis est satis durus : atque ubi scivit sanctus Rex, ac audivit ægrotum ibi esse, intravit in memoratam domunculam, ut ægrum inviseret.

Corpora Christianorum Sidone occisorum

108 Hæc facta venerabilis sancti Ludovici, quæ hic descripta erant et manifestata, probant atque demonstrant, quo se pacto gesserit in obsequio sepulturæ, et exsequiarum defunctorum. Quandoquidem tempore primæ ipsius transfretationis, postquam jam egressus erat carcere Paganorum, atque adhuc trans mare degebat, jusserat muris cingi Sidonem, ibique aderant balistarii, et cæmentarii, aliique operarii Christiani ad muros exstruendos, tempore quodam matutino eo ingens Saracenorum agmen tam subito supervenit, ut illi, qui ad operandum destinati erant, et ad operarios custodiendum, eos non perceperint, ita ut Saraceni multos Christianorum occiderent, illique ex Christianis, qui poterant, fugam arripuerint, seque castro cuidam incluserint, quod ibidem est in mari. Postquam beatus Rex, qui Jafæ erat, id audivit, viditque Saracenos post tres circiter hebdomadas a
B
memorata obsidione discedentes, cum etiam tum cingere muris vellet terram illam, mandavit ut pars una equestrium copiarum Cæsaream Philippi tendere *c*, quæ erat Saracenorum, ut vastarent terram illam, ubi copiæ beati Regis ingens Saracenis damnum intulerunt : ac beatus Rex petiit Sidonem cum paucis admodum, magnoque valde se exposuit periculo. Postquam eo pervenit, vidit corpora Christianorum ibi occisorum a Saracenis, per maris littus jacentia, locumque denudatum, quem oportebat esse muris cinctum, ubi civitas fuerat antiqua : quique viderunt corpora mortua, numero inito, compererunt esse fere tria millia occisorum.

putrida propriis ipse manibus colligit ad sepulturam,

109 Ante omnia beatus Rex consilium iniit de corporibus illis sepeliendis; dein cœmeterium quoddam ordinavit in vicino loco, illudque consecrari jussit : in cœmeterio scrobes ingentes fieri curavit; ipseque propriis manibus, juvantibus qui ei aderant, sumebat corpora mortuorum, quæ tapeti imponebant, ac dein insuebant, tuncque camelis, equisque imponebant, portanda ad dictas scrobes, in quibus sepeliebantur. At quædam illorum cadaverum tam putrida
C
erant, ut, quando ipse aliique, qui eum juvabant, capiebant brachium aut pedem, ad imponendum sacco, ab alia corporis parte separaretur : unde tantus ibi oriebatur fœtor, ut pauci nostrorum essent, qui eum tolerare possent aut perferre. Hinc quidam ipsius domestici nequaquam manum operi admovebant, sed nares obturabant, ac mirabantur quomodo id ipse facere posset, tantumque sufferre fœtorem : virique nobiles, ac divites, qui ibidem eo tempore cum ipso erant, jurejurando affirmarunt, numquam se vidisse aut percepisse, quod nares obturaret. Cum intestina cujusdam mortui illic effusa jacerent prope corpus, beatus Rex chirotecas suas manibus detraxit, seque inclinavit, ut memorata intestina nudis colligeret manibus, ac sacco immitteret. Rusticos quoque conduci jusserat, qui memorata cadavera etiam colligerent. Attamen non tam cito colligi potuere; sed quatuor omnino aut quinque dies illa cadaverum istorum collectio, ac sepultura tenuit, licet quindecim circiter haberent jumenta, quotidie, quæ illa ad fossas istas ante dictas vehebant. Et quia multæ cisternæ dicti loci plenæ erant cadaveribus supradictis, illa extrahi jubebat, atque in scrobibus istis sepeliri. D

aliisque fœtorem non ferentibus, ne nares quidem obturat.

110 Itaque quotidie tempore matutino, ubi illis diebus Missæ sacrificio interfuerat, veniebat statim ad corpora ista quærenda; hortabaturque alios, ac dicebat : Eamus iterum sepulturi hos martyres. Dum quis videbatur non libenter id facere, dicebat : Illi mortem sustinuerunt, nos itaque omnino oportet id perferre. Illis qui aderant in loco, ubi mortui erant, dicebat : Nolite hæc corpora exhorrescere; nam martyres sunt, et in cælo. Apud scrobes prædictas erant illo tempore quandoque archiepiscopus Tyri, episcopus Damiatæ, et alius episcopus, ornati habitu pontificali, ac beatus Rex cum ipsis, peragebantque, ut creditur, exsequias mortuorum. Verum archiepiscopus et episcopi nares obturabant vestibus suis : dives autem ac nobilis eques, qui id aspiciebat, juramento asseruit, quod ipsum numquam viderit nares obstruentem. Sepultis autem corporibus, iis celebrari jussit solemnes exsequias, atque Officium pro defunctis. Porro memoratus Tyri archiepiscopus *d* duobus vel tribus diebus post dictam mortuorum sepul- E
turam obiit, sicuti memoratus vir ille nobilis juratus dixit, qui eum sepeliri vidit, et passim dicebatur occubuisse fœtore isto, atque aeris infectione; idque dicebat archiepiscopus in morbo suo, uti domestici ejus, ac clerici referebant : item alii duo supra dicti episcopi graviter ægrotarunt diu etiam post memoratam sepulturam, idque isto fœtore, ut passim dicebatur.

Assistit sepulturæ defuncti in valetudinario :

111 Cum nocte quadam esset Compendii, obiit quidam, qui æger fuerat, in valetudinario publico dicti loci, idque dictum fuit beato Regi a Priore ac sorore quadam dictæ domus. Præcepit, ut corpus pararent ad sepulturam, at se absente illud non sepelirent; assistere enim volebat exsequiis hujus defuncti : cumque domus non haberet cœmeterium, Missæ sacrificio peracto pro defuncto in conspectu ipsius, ejusque filiorum; nempe domini Ludovici, tunc filii natu maximi beati Regis, et domini Philippi, qui regnum Franciæ post ipsum obtinuit, beatus Rex ordinavit, ut corpus memoratum longe portaretur sepeliendum, dixitque, quod illi, qui illud per urbem ferri cernerent, recitarent pro ejus anima suum PATER NOSTER, atque eo modo anima memorati defuncti non parum lucraretur. F

utile Prædicatoribus suggerit consilium in commodum defunctorum :

112 Post hæc factum est, ut comitia fratrum Prædicatorum haberentur Aureliæ in festo Nativitatis Dominæ nostræ; beatus Rex, qui veniebat Aureliam, interfuit solemnitati in ecclesia, et in loco congregandis fratribus destinato; manducavit in triclinio cum fratribus, atque omnium sumptus tulit, nimirum ducentorum circiter fratrum, qui ad memorata venerant comitia. Comitiis absolutis, cum beatus Rex cum quibusdam aliis fratribus Prædicatoribus consedisset in loco colloquiis destinato, quia beatus Rex referri audiverat in comitiis, in qualibet provinciæ domo quosdam obiisse fratres, expresso relatoque numero in qualibet domo, nominibus vero fratrum non expressis; dixit tunc his fratribus, utile futurum, si, uti numerus mortuorum relatus erat in comitiis, etiam nomina exprimerentur; dixitque eo modo accedere posse fratribus defunctis suffragia multa, seu subsidia, si eorum nomina forte cognoscerentur ab eis, qui eos melius cognoverant, aut eos magis amaverant, aut quia defunctorum aliqui

Ordini

A Ordini fuerant utiles, quod non ita fieret si eorum nomina premerentur silentio. Qua de causa postulatum fuit ab aliquibus fratribus Prædicatoribus in ipsis comitiis generalibus ejusdem Ordinis, quæ proxime secuta sunt, ut id statueretur, atque in posterum fieret : visumque est comitiis generalibus bonum atque utile, qua de causa ita statutum fuit, ac tenetur hodiedum, servaturque per universum Ordinem.

assistit morti, atque exsequiis monachi.

113 Vice quadam, quando beatus Rex erat in abbatia Caroli-loci Ordinis Cisterciensis, contigit mori fratrem quemdam dicti loci. Cumque ille morti appropinquaret, monachique essent congregati circa ipsum, cineri, ac feretro impositum secundum consuetudinem Ordinis Cisterciensis, ac monachi cantarent litanias, aliudque Officium consuetum, beatus Rex ad eumdem hunc locum accessit, ac quamdiu pro ipso recitabatur Officium, ad caput illius, qui moriebatur, stetit magna pietate, magnaque humilitate, subsistens ibi, quamdiu dicebatur Officium. Ubi dictus frater illic fuit mortuus, ibat ad templum pone fratrem mortuum, qui gestabatur, fuitque ibidem ipsemet Rex beatus in Officio, quod fie-
B bat eadem hac hora, circa mortuum supra dictum maxima pietate, summaque humilitate. Ex ante relatis omnino patet, quod dilexerit proximos suos, atque erga eos fuerit misericordia ordinata, quæ ex virtute promanabat : quodque opera misericordiæ exercuerit hospitio excipiendo, pascendo, potum præbendo, vestiendo, invisendo, consolando, juvando, propriæ suæ personæ obsequio, sustentando pauperes atque ægrotos, redimendo miseros captivos, sepeliendo mortuos, atque eos in omnibus juvando ex virtutis præscripto ei liberalitatis abundantia.

ANNOTATA.

a *Gallis,* le mal S. Eloi, *de quo plura deinde occurrent in miraculis Sancti.*

b *Hinc monuimus, id factum ante annum 1260 ; quo filius Ludovicus obiit. Adi Commentarium num. 862.*

c *Expeditionem contra Cæsaream Philippi narrat Joinvillius cap. 24, ubi de mortuis Sidone sepultis pauca : verum hæc in Commentario elucidavimus num. 725 et seqq.*

C d *Continuator Tyrii apud Martenium in Amplissima collectione tom. 5, col. 734 scribit, anno 1251 Tyri archiepiscopum factum* Petrum Lercat, *quem col. 735 defunctum affirmat anno 1253, quo hæc contigerunt : at ibi* Nicolaum Lercat *nominat. Forte nomen ei fuit* Petrus Nicolaus. *Addit* Ægidium *Damiatæ episcopum ad locum defuncti postulatum.*

CAPUT X.

Mira sancti Regis humilitas.

XII. *Profunda sancti Regis*

Humilitas, quæ pulchritudo est omnium virtutum, cum gratia fuit in beato Rege sancto Ludovico, quemadmodum carbunculus lapis pretiosus in auro puro. Qui Rex beatus quanto fuit in hoc mundo major, tanto se in omnibus humiliorem exhibuit. Consueverat enim qualibet die Sabbati flexis genibus pedes lavare pauperibus in loco secreto, ac deinde eos siccare, et osculari humiliter ; singulis etiam aquam pie

præbebat, qua manus suas abluerent : deinde tribuebat cuilibet quamdam nummorum summam, eique manum osculabatur. Consueverat ipse frequenter servire triginta sex pauperibus, qui quotidie pascebantur, abundeque reficiebantur in ipsius hospitio. In pervigiliis festorum solemnium, et diebus quibusdam per annum, ministrabat propriis manibus, priusquam manducaret, ducentis pauperibus mendicis. Semper prope se manducantes habebat et in prandio et in cœna tres ex pauperrimis, qui inveniri poterant, quibus de cibis suis benigne submittebat. Quin imo, os suum pulveri immittens, quandoque sibi adferri jubebat (ut qui vere erat humilis) scutellas, et cibos, quos pauperes Domini nostri jam habuerant, manusque suas immiserant, ut vere humilis de cibis ipsorum manducaret. A. Reginæ Confessario.

humilitas

115 Aliquando, cum beatus Rex inter tres pauperes conspiceret unum senio admodum gravatum, qui non bene comedebat, mandavit, ut scutella, quæ sibi fuerat allata, poneretur ante senem istum ; quam scutellam, postquam senex comederat de cibo, quem beatus Rex ipsi miserat, quantum potuerat, vere humilis referri ad se jussit, ut ex ea manducaret post senem E hunc pauperem : ille enim, qui Dominum nostrum Jesum Christum cernebat in hoc paupere, nec timuit nec horruit manducare de reliquiis senis pauperis memorati. Præter hæc, multa exempla, quæ descripta sunt in tractatibus superioribus, declarant probantque humilitatem beati hujus Regis. Quippe magnæ erat humilitatis, quando jam annos habebat quatuordecim, ac Rex erat, quod pateretur se verberari a magistro suo disciplinæ causa. Item quod non alloqueretur tempore juventutis suæ quempiam, nisi dicendo Vos *a*. Rursum, quod, postquam rediit ex partibus transmarinis, commemoraret humiliter probra, quæ passus fuerat a Saracenis. Item, quod, quando audiebat concionem, aut lectionem theologicam, ipse humi sederet, aliis superius sedentibus. Item, quod nollet accedere ad reliquias, aut sanctuaria osculanda illo die, cujus nocte præcedente fuerat cum uxore. Item, quod humiliter pietatis causa oscularetur lapidem, in quo corpora monachorum fuerant lota ; quod exerceret per se ipse opera pia ferendo lapides, ac similia obeundo. *a*

exemplis

116 En plura adhuc exempla humilitatis sancti Regis, quod etiam degens prima vice trans F mare, pauperibus ministraret per se ipse modo tam servili, quodque pedes inviseret fratres Prædicatores usque ad Ligerim flumen magnæ viæ spatio, ac per se ipse eos rogaret, ut ad palatium suum venirent : quod ægrotos et pauperes familiariter, attenteque per se ipse viseret, ac præsertim quod illis flexis genibus serviret, quodque ab ore eorum sanguinem per nares defluentem detergeret, neque id facere prætermitteret propter putredinem per nares ægroti decurrentem, quæ putredo manus sancti Regis deturpabat ac maculabat ; quodque frusta pyri, quod paraverat, propria manu ori hujus ipsius ægroti insereret ; quod serviret lepra infecto tam tetro, modoque adeo servili, adeoque benigno, tantoque tempore coram ipso in genua procumberet ; quod trans mare tam serviliter, tamque assidue propriis manibus colligeret cadavera mortuorum tam fœtida, eaque ad sepulturam pararet ; quod tam pie morti, atque exequiis adfuerit defuncti monachi, qui moriebatur in abbatia Carolilocensi *b*. *b*

117 Ha-

A. REGINÆ CONFESSARIO. *maxime mirandis*

117 Habemus præterea inferius quædam exempla ex factis beati Regis, ad ipsius humilitatem declarandam. Beatus Rex die quadam Veneris sancta erat in castro Compendiensi, ubi incedebat nudis pedibus per templa dicti castri : ibat per vias publicas ad templa, servi sequebantur, habebantque in manibus nummos, quos subministrabant sancto Regi, amore Dei pauperibus distribuendos. Capiebat sæpe beatus Rex hos nummos a prædictis servis, eosque amore Dei pauperibus distribuebat, dans plus minusve quibusdam pro majori eorum aut minori egestate pro arbitrio suo. Dum hoc modo per plateam quamdam incedebat beatus Rex, quidam lepra infectus ab alia viæ parte, qui vix poterat loqui, crepitaculo suo sonuit fortiter admodum. Ubi igitur advertit animum, viditque hunc lepra infectum, ad eum transiit, pedem suum imponens aquæ lutosæ et frigidæ, quæ in media erat platea, nam aliter transire commode non poterat, accessitque lepra infectum, stipem ei erogavit, ac manum ipsius osculatus est. Densa admodum circumcirca erat turba, multique eorum, qui beatum Regem circumdabant, se signabant signo B sanctæ Crucis, sibique invicem dicebant : Videsis, quid fecerit Rex ; osculatus est manum lepra infecti.

luculenter

118 Quandoquidem mos erat sancti Regis prope terram sedere, quando audiebat conciones, quæ habebantur apud Religiosos congregatos, ut scriptum est supra, hac de re facta quædam narrabo. Erat aliquando beatus Rex in abbatia Carolilocensi, et concio habebatur in loco istius abbatiæ, quem vocant capitulum. In hoc capitulo sedes duæ sunt, altera humilior, sublimior altera. Beatus Rex eo supervenit ad concionem audiendam, cumque omnes illi assurgerent, eumque rogarent, ut sederet loco maxime elevato, sicut ei conveniebat ; noluit ille ascendere, neque sedere in sedilibus capituli ; verum sedit in medio loco prope pulpitum, ubi consueta legitur lectio, jussitque adferri duos pulvinos, quibus insedit loco prorsus depresso magna cum pietate ac humilitate, audivitque concionem memoratam usque ad finem. Et quamvis monachi ibi præsentes, qui videbant Regem humi sedentem, descenderent de sedibus suis, humique sedere vellent ; id pati noluit, at eos seC dere jussit eo modo, quo sedebant, quando capitulum intravit. Sæpe etiam venit ad capitulum Regalis-Montis, monachis ibidem congregatis, ac in sedibus suis sedentibus : ubi beatus Rex verbum Dei annuntiari jubebat, sedebatque prope columnam in medio capitulo positam, ac sedebat sanctus Rex super juncos, qui ibidem erant strati, monachi vero superius sedebant in sedibus suis : licet abbas, et monachi eum urgerent, rogarentque, ut ad sedes ascenderet, volebat ibi humi sedere, donec concio esset finita.

demonstrata,

119 Pluribus vicibus contigit, ut beatus Rex manducaret in abbatia Carolilocensi in triclinio cum monachis, atque erat ibi magna cum humilitate, seque secundum externam apparentiam gerebat humilius, quam monachi, qui aderant. Fertur quoque, cum aliquando haberet scutellam melioris cibi, quam monachi, misisse scutellam argenteam, ex qua manducabat, monacho cuidam seni, mandasseque, ut scutella lignea, ex qua dictus monachus manducabat, sibi afferretur : allata est, manducavitque ex scutella lignea. Alia die in pervigilio sancti Bartholomæi, quando fratrum Prædicatorum Compendiensium D conventus comedebat in triclinio, beatus Rex afferri jussit bellaria, de quibus ministrabat propriis manibus ad primam conventus mensam ; et rex Navarræ, filiique sancti Regis ad alias item mensas ministrabant. Quoniam consuetudo est in Ordine Cisterciensi, ut quidam fratres, nunc hi nunc illi, abbate ac monachis in manasterio congregatis, debeant lavare pedes aliis monachis, facientes MANDATUM *c*, qualibet die Sabbati post vesperas, quantumcumque dies sit solemnis ; beatus Rex ante dictus, qui sæpe veniebat ad abbatiam Regalis-montis Ordinis prædicti, quando eveniebat ut die Sabbati esset in abbatia memorata, interesse volebat MANDATO, sedebatque illic apud abbatem, ac pie admodum intuebatur quod monachi faciebant. Porro accidit, cum beatus Rex sederet aliquando apud abbatem, dum fiebat MANDATUM, ut diceret abbati : Expediret, ut monachorum pedes lavarem. Abbas illi respondit : Potes omnino ab eo te abstinere. Beatus Rex illi dixit : Quapropter ? Respondit abbas : Homines de eo loquerentur. Respondit beatus Rex, et dixit : Quid de eo dicerent ? Et abbas reposuit, alios id probaturos, improbaturos alios. E Atque ita beatus Rex ab eo se cohibuit, quod abbas id improbaret, uti memoratus abbas existimat.

c

et probata ;

120 Cum paries exstrueretur in abbatia Regalis-Montis, beatus Rex sumebat cratem brachiatam, lapidibus aut calce oneratam, eamque ferebat cum monacho eum sequente : quod beatus rex pluribus vicibus præstitit. Rursum, cum claudi curaret partem quamdam civitatis Acconensis, quæ vocatur Mons Musardus *d*, ac civitatem Cæsareensem, ac Jafensem, ipsemet sæpe quærebat viros, qui cratem brachiatam portabant, aliaque ad muros istos ædificandos idonea. Quando struebantur muri urbis Cæsareæ, dominus Tusculanus vir bonæ memoriæ, legatus Sedis Romanæ in isto tractu, concesserat indulgentias omnibus illis, qui ad hoc opus perficiendum operam conferrent : unde beatus Rex memoratus frequenter tulit lapides, aliaque muro construendo convenientia, in corbe super humeros suos, quod magnæ in eo humilitatis habebatur. Adhæc, quando beatus Rex firmis muris cingi curavit Cæsaream, Jafam, et Sidonem, ut dictum est supra, sanctus Rex per semet ipse portabat in corbe terram fossarum, F quia dominus Tusculanus legatus memoratus indulgentias concesserat omnibus, qui opus prædictum promoverent.

d

etiam ex modestia in vestibus.

121 Tempore primæ ejus transfretationis, quando cum suis erat in Ægypto, antequam essent capti, tendebantque Massoram versus, quia brachium cujusdam fluminis transitum agminis impediebat, legatus ante dictus indulgentias unius anni concessit cuilibet, qui operam navaret ad implendum brachii prædicti alveum *e* : quod et factum est. Tunc beatus Rex in sinu pallii sui terram ad locum istum portavit. Mire humilis erat beatus Rex in vestibus et apparatu. Postquam rediit ex regione transmarina prima vice, qua transmisit, vestibus semper usus est ex cæruleo seu glauco solum, vel ex panno e setis camelinis contexto ; aut ex nigro tinctura adscito, aut ex serico nigro ; reliquitque omnem ornatum auri vel argenti in sellis ac frænis suis, aliisque hujusmodi rebus ; omnesque vestes alterius coloris præter dictos. Neque voluit deinceps vellera varii coloris, aut grisea *f*, ut vocabant, in vesti-

e

f

bus

A bus suis, aut stragulis, sed communia seu agnina : nihilominus habebat stragula ex pellibus sciurorum *g* et velleribus agninis, habebatque quandoque pallium distinctum velleribus agninis albis, quocum aliquoties manducabat. Adhæc postquam ex partibus transmarinis rediit, frænos non habebat nisi ferreos, ac sellas candidas.

ANNOTATA.

a *Quod signum esse reverentiæ jam diximus.*

b *Hæc omnia auctor jam narravit.*

c *De* Mandato *consule notata ad Gaufridi cap. 1 lit.* q.

d *Hæc ante narravit num. 24, ubi quædam sunt notata.*

e *Narrat hæc Joinvillius num. 70, factaque sunt sub finem anni 1249.*

f *De hac vestium modestia disputavimus in Commentario num. 572 : ubi etiam de velleribus his pretiosis, quibus vestimenta principum distinguebantur.*

g *De sciuris Olaus Magnus in Historia gentium Septemtrionalium lib. 18, cap. 17 ita scribit :* Horum animalium minutorum infinita est multitudo in Septentrionalibus sylvis, B pilorum densitate et colore distincta, una adjecta infallibili regula, quod quanto magis tractus terrarum vergit ad Septentrionem, tanto pulchriores, frigore causante colorem, sunt harum bestiarum pelles. *Deinde affirmat, pelles istas maxima copia per Europam fuisse venditas, pretioque ingenti. Quæ, ut plura alia de istis animalculis, ibidem videri possunt. Hinc colligo, hæc vellera, similiaque, de quibus ibidem agit Olaus, fuisse usui principibus eo tempore, ut vestes suas iis distinguerent, ac ex iis constitisse vellera illa, quæ* varia *vocabant et* grisea. *Porro habebat quidem Sanctus stragula his pellibus distincta, sed iis ipse uti nolebat.*

CAPUT XI.

Eximia sancti Regis patientia, animique lenitas.

XIII. *Eximia Regis in carceris, morbique miseriis patientia.*

C Poti:ncula amara, quæ datur sanitatis gratia, lubente animo sumitur. Quod beatus Rex intellexit tam probe, ut prompta voluntate toleraret acerbas admodum tribulationes, ut amorem mereretur divinum, et stabilem consequeretur salutem. Hujus patientiæ quædam videamus exempla. Prima vice, qua mare transiit, ubi cum suis Damiatam fuerat ingressus, totus exercitus hostili modo processit Massoram usque. Cum ibi essent, nec possent progredi, reversi sunt. Quando erant in reditu, Saraceni ingenti agmine eos invaserunt : (omnes enim, exceptis omnino paucis, nostri exercitus milites graviter ægrotabant) ac profligati fuere, captique ibidem a Saracenis. Beato Rege, ejusque fratribus, domino nimirum Alphonso, et domino Carolo captis, occisoque domino Roberto *a* ipsius fratre, non permansit cum sancto Rege quisquam ex familia ipsius nisi unus nomine Isembardus; quamvis postea aliqui accederent, qui tamen ministrare non poterant : nam omnes erant ægroti. Tum dictus Isembardus cibos sancto Regi parabat, dictus Isembardus cibos sancto Regi parabat, panemque conficiebat ex carnibus et farina *b*, quam ab aula soldani portabat. Beatus quoque Rex tam erat infirmus, ut dentes oris ipsius quassarentur ac motarentur. Caro ejus pallida erat ac maculis infecta, fluxumque alvi patiebatur valde gravem : tamque erat macilentus, ut ossa spinæ dorsi ipsius mire essent acuta. Necesse quoque erat, ut memoratus Isembardus, ferret beatum Regem ad omnia necessaria, eumque etiam denudaret. Nihilominus, uti dictus Isembardus, vir ætate tum matura et dives, juratus asseruit, numquam tunc vidit beatum Regem iratum, aut hac de causa commotum, aut aliqua de re conquerentem. Verum omnimoda patientia ac lenitate ferebat ac tolerabat morbos suos memoratos, ingentemque suorum calamitatem; et orabat semper. Sanctus Rex perdiderat insuper vestes suas, ita ut homo pauper tunicam suam colore viridi sibi ademerit, atque ei donaverit : qua se eo tempore quotidie induebat, donec *c* deinde ei panni Damiata delati sunt.

Sancti lenitas admiranda in suos ministros, officio suo male functos,

123 Aliquando beatus Rex erat Parisiis, egressusque cubiculo suo, ut negotia audiret et lites *d*, ubi diu occupatus fuerat negotiis audiendis, rediit ad cubiculum, et unus tantum cum eo eques, qui in ejus cubabat cubiculo. Postquam ad cubiculum suum venit, nullus cubiculariorum ibi erat, aliorumve, qui cubiculum ipsius servare E debebant, idque agere solebant, licet sexdecim omnino essent tum cubicularii, tum cubiculi famuli, tum custodes lecti beati Regis. Vocati fuere per palatium, per hortum, perque alias domus partes, neque inveniri potuere, ut ei servirent, sicuti facere debebant. Quamvis autem memoratus eques ipsi præstare vellet obsequium istud, quod eo tempore præstandum erat, beatus Rex id permittere noluit. Quando unus cubiculariorum, aliique famuli ante memorati, reversi erant ad cubiculum, atque intellexerant, quod beatus Rex neminem invenisset, qui vel cubiculum dumtaxat custodiret, multum doluerunt, vehementerque timuerunt, adeo ut in ipsius conspectum prodire non auderent, at de semet ipsi conquererentur apud fratrem Petrum *e* Ordinis SS. Trinitatis, qui assistebat beato Regi in Horis canonicis recitandis, eratque beato Regi intimus, ac admodum familiaris. Cum sanctus Rex, qui redire volebat ad negotia, eos conspiceret, (jam enim redierant) manibus trabea sua extractis, dixit : Omnesne ergo revertimini? Neminem habere possum ad necessitates meas? F Et nihilominus, vel unus suffecisset etiam minimus vestrum. Nihil præterea iis dixit, sed rediit ad negotia sua. Postquam iterum ad cubiculum suum venisset, litibus absolutis; et nec cubicularii ipsius, nec alii auderent coram ipso comparere; frater Petrus ex Ordine SS. Trinitatis ei dixit, ipsius cubicularios non audere ad eum accedere, nisi eis esset benevolus, eosque vocari juberet. Tunc eos vocari jussit, risitque, ac hilaris esse videbatur et lætus; eisque dixit : Venite, venite; tristis estis quia deliquistis, id vobis condono : cavete, ne in posterum ita faciatis. Cum beatus Rex eadem die post somnum diei ire vellet ad silvam Vicenarum una leuca Parisiis dissitam, unus cubiculariorum ipsius, vestem talarem beati Regis, quacum manducare consueverat, non imposuit arcæ, in qua esse solebat; sed imposuit eam alteri arcæ, clavemque retinuit, neque venit Vicenas, at Parisiis mansit. Itaque, ubi beatus Rex venit Vicenas, ac cœnare voluit, petitur illa vestis : verum inveniri non potuit in arcis, quarum claves ibidem erant; erat enim in una arcarum, quarum cubicularius supra memoratus claves retinuerat.

Cum

A. REGINÆ CONFESSARIO.

Cum itaque cubicularii arcam rumpere vellent, in qua vestem esse putabant; beatus Rex permittere id noluit, ita ut oportuerit eum cœnare cum trabea sua manicata. Nihilominus nullum beatus Rex iracundiæ dedit indicium, neque verbum de hac culpa dixit seu ante cœnam, seu post eam, nisi quod inter cœnandum equitibus suis, cum ipso manducantibus, dixerit subridens : Quid vobis videtur? Rectene cum trabea mea mensæ accumbo? Igitur domestici ejus id magnæ patientiæ ejus esse existimarunt, quod, cum eadem die tantum ei creassent incommodum, minime tamen idcirco contra ipsos beatus Rex ulla in re fuerit commotus.

libere cum injuria sua loquentem, f

124 Accidit aliquando ut beatus Rex esset Novioduni *f*, manducaretque in cubiculo suo, et quidam cum ipso equites ad focum; nam tempus erat hibernum, cubiculariis ejus in vestiario quodam apud ejus cubiculum manducantibus. Postquam manducaverat, cum colloqueretur ibidem cum equitibus suis ad focum, iisque narraret quædam, quando cubicularii, qui etiam manducaverant, vestiario egrediebantur, beatus Rex
B in relatione ad equites suos dixit hæc verba: Et id servo. Tunc unus e cubiculariis, nomine Joannes Bourguegneit, protulit ad Regem verba hæc injuriosa : Neque duo, si tu id serves, omnino non es nisi homo unus, et veluti alius. Tunc alius cubicularius, nempe dominus Petrus
g de Loon *g* intellexit verba memorati cubicularii, tanto Principi, dominoque ipsius injuriosa, quæque sine ratione dictus Joannes protulerat; (non enim intelligere potuerat quid Rex narraret; quippe dictus dominus Petrus, qui præcedebat, id non intellexerat) tunc memoratus dominus Petrus dicto Joanni submissa voce dixit, eum ad se trahens : Quid dixisti? insanisne, quod sic Regi loquaris? Dictus Joannes respondit alteri cubiculario tam alta voce, ut beatus Rex omnino posset intelligere, verbis ei injuriosis : Nimis, nimis : omnino non est, nisi unus homo, et forsan etiam sicut alius. Nihilominus, ut jurejurando asseruit memoratus dominus Petrus de Loon eques, ac vir matura ætate et dives, qui tunc, ante, et postea cum beato Rege habitaverat annis triginta octo continuis, aut circiter, beatus Rex, qui verba dicti Joannis audivit, tam prima, quam secunda, eum aspi-
C ciebat, abrupitque narrationem suam, neque quidquam umquam, aut de quocumque ei dixit, neque eum reprehendit, neque vexavit. Quod dominus Petrus de Loon aliique familiæ equites, qui præsentes erant, magnæ putaverunt esse patientiæ; verbaque dicti Joannis ab ingenti stultitia, magna superbia, grandique injuria judicarunt esse profecta. Neque memoratus dominus Petrus deinde vidit, aut intelligere potuit seu ex dictis, seu ex factis, beatum Regem videri ullo modo iratum de iis, quæ memoratus Joannes dixerat.

imprudentia sibi nocentem,

125 Laborabat beatus Rex morbo quodam, qui quotannis bis, ter, vel quater eum corripiebat, illumque quandoque vehementius vexabat, quam alias. Hic morbus erat hujusmodi, ut, quando beatum Regem invadebat, non satis auditu perciperet, neque videret, quamdiu dicto tenebatur morbo, neque manducare posset, neque dormire, ac gemendo conquereretur : hoc modo memoratus morbus eum detinebat tribus diebus, quandoque diutius, quandoque brevius; ita ut per se lecto egredi non posset. Quando relevari incipiebat a morbo isto, crus ipsius dexterum inter suram et malleolum D
sanguinis instar rubescebat, atque illic erat inflatum : atque eo rubore ac tumore affectum erat dictum crus una die usque ad vesperam ejus, deindeque tumor hic, ruborque paulatim evanescebat, ita ut tertia aut quarta die memoratum crus esset sicuti caro alia : ac tum beatus Rex prorsus erat restitutus sanitati. Plures equites, et unus alterve cubicularius cubabant in ejus cubiculo : solebat quoque in ipsius cubiculo cubare senex quidam nomine Joannes, qui vigil fuerat regis Philippi, uti aiebat, quia in ejus cubiculo semper custodiebat ignem tempore æstatis et hiemis. Porro factum est quadam vice, cum beatus Rex esset in isto morbo, ut quadam vespera, dum volebat intrare lectum, cernere vellet ruborem cruris prædicti. Qua de causa memoratus Joannes accendit cereum, eumque tenebat supra crus sancti Regis, cernebatque crus ejus, ac videbat multum ei dolere; nam rubore tum infectum erat ac tumore, uti alias esse solebat, quando morbus declinabat. Unde contigit, dicto Joanne vigile imprudenter cereum supra crus tenente, ut gutta quædam ignita laberetur in crus beati Regis, supra locum inflatum, atque af- E
fectum. Unde beatus Rex, qui in lecto sedebat, præ dolore, quem patiebatur, extendit se in lecto, dixitque : Hei mihi! hei! Et Joannes iste respondit etiam. Hei! an male tibi feci? Respondit beatus Rex : Joannes, avus meus minori de causa te dimisit ab hospitio suo. Memoratus enim Joannes sancto Regi, domino Petro de Loon, aliisque cubiculariis dixerat, se a Rege Philippo expulsum fuisse ipsius hospitio, quia truncos foco admoverat, qui crepitabant inter ardendum. Nihilominus memoratus dominus Petrus de Loon juratus affirmavit, se nullo umquam tempore percepisse, ipsum ideo ullo modo commotum fuisse in dictum Joannem, sed eum semper retinuisse in servitio suo, uti antea.

et mulierem verbis contumeliosis utentem.

126 Quando sanctus Rex die quadam Veneris sancta ibat per ecclesias, distribuens nummos pauperibus ad se accedentibus, prohibebat famulis suis ne pauperes impedirent, quo minus ad se venirent. Qua de causa pauperes adeo beatum Regem premebant, ut parum abesset, quin laberetur eorum impulsu; quæ omnia patienter tolerabat. Quippe etiamsi esset in densa paupe-
rum turba, qui, propter multitudinem suam, F
quandoque etiam pedes ipsius calcabant; tamen permittere nolebat, ut armigeri, aliique, qui ipsum circumdabant, pauperes retro abigerent : at dicebat, id permitteretur, addens : Multo plura Jesus Christus pro nobis sustinuit tali die, qualis est hodie, quam ego pro ipso sustineo. Incedebat autem tunc nudis pedibus, caligasque habebat usque ad pedes. Insuper multas passus est vexationes, quas patienter tulit. Sane cum mulier quædam, cui nomen Sara, litem haberet in curia beati Regis cum domino Joanne de Fucilleuse equite; dum vice quadam supremæ curiæ esset consessus, beatusque Rex e cubiculo suo descendisset; dicta mulier, quæ ad imum gradum constiterat, ei dixit : Apage! apage! Tene Franciæ regem esse oportebat? Multo fuisset præstantius, si alter fuisset rex Franciæ, quam tu. Nam tu dumtaxat Rex es fratribus Minoribus, et fratribus Prædicatoribus, et sacerdotibus, et clericis. Ingens damnum est, quod tu Rex sis Franciæ, et mirum admodum est, quod regno non sis ejectus. Cum famuli beati Regis verberare eam vellent, atque ejice-

re

A re, dixit, atque præcepit, ut eam nec tangerent, nec abigerent. Ubi autem bene ac diligenter illam audiverat; dixit, respondititque subridens : Profecto verum dicis : dignus non sum, qui sim Rex : et si placuisset Domino nostro, præstitisset, ut alius fuisset rex, qui rectius regnum gubernare scivisset, quam ut ego essem. Tunc præcepit beatus Rex uni e suis cubiculariis, ut ei daret pecuniam, asses, ut creditur, quadraginta. In rebus prædictis multi fuere præsentes.

ANNOTATA.

a *Non quidem eodem tempore, sed aliquot hebdomadis citius. Videsis Joinvillium cap. 8, et cap. 13.*

b *Artocreas, opinor, intelligit; volui tamen sequi phrasim Gallicam.*

c *Soldanus postea geminam vestem Regi componendam curavit, ut habet Joinvillius num. 161.*

d *De controversiis, quas Rex per se ipse dirimebat, consule Joinvillium num. 21 et seqq.*

B e *Suspicor hunc esse Petrum a Cusiaco, qui anno 1272 toti Ordini SS. Trinitatis est præfectus, ut scribit Bonaventura Baro in Annalibus ejusdem Ordinis ad annum 1272 num. 4, referens mira illum gratia valuisse apud regem Philippum* S. Ludovici *filium.*

f Noviodunum, *vulgo* Noyon, *urbs est Veromanduorum in Insula Franciæ, juxta limites Picardiæ.*

g *Hic idem procul dubio est, qui inter testes recensetur in præfatione num. 8.*

CAPUT XII.

Sancti Regis pœnitentiæ rigidæ : vitæ puritas et sanctitas.

XIV. *Sanctus Rex multis modis in comedendo* C

Quandoquidem initium salutis nostræ est, quando odisse incipimus, quod amabamus; dolere de eo, de quo lætabamur; amplecti, quod timebamus; sequi, quod fugiebamus; desiderare, quod despiciebamus; quæ omnino facimus per mortificationem corporis, ac pœnitentiam : venerabilis sanctus Ludovicus id perpendens, in corpus suum sæviit multis modis : austerus enim admodum, et durus in se fuit in cibo, potuque sumendo, ut infra patescit. Quamvis beatus Rex appeteret pisces grandiores, nihilominus sæpe abstinebat a grandibus sibi allatis, jubebatque sibi adferri pisces minores, de quibus comedebat. Quandoque etiam in frusta dividi curabat majores pisces sibi allatos, ut de iis manducasse videretur; tamen non manducabat tunc de grandioribus his piscibus, necque de piscibus aliis, sed solum ei sufficiebat pulmentum, jubebatque pisces istos addi pauperum obsonio : quod fecisse creditur abstinendi se studio. Postquam rediit e tractu transmarino, licet amaret multum lucios prægrandes, aliosque pisces delicatos, illique emerentur, atque ei afferrentur ad mensam, ex illis tamen non manducabat, sed pauperum apponebantur obsonio, aliosque pisces modicos comedebat.

appetitum domat, 128 Adhæc frequenter contigit, cum ei apponerentur assa aliive cibi, cum embammatis delicatis, ut aquam condimento admisceret, qua delicias embammatis tolleret. Cumque ille, qui ei ministrabat, ipsi diceret : Domine Rex, corrumpis saporem; ei respondebat : Hæc tibi non est cautio, mihi sic expedit. Fecisse id creditur, ut refrænaret appetitum suum. Pulmentum sæpe manducabat insipidum, de quo alii non manducabant lubentes, quia male conditum erat. Vescebatur quoque cibis durioribus, ut pisis aliisque similibus. Quando illi apponebantur lucii, aliive cibi delicati, aquam immiscebat frigidam, saporisque delicias ab eo cibo tollebat. Quando primum murænæ portabantur Parisios, eæque mensæ inferebantur beato Regi aliisque; de iis non vescebatur : verum, quod sibi apponebatur, dabat pauperibus, aut communi pauperum obsonio addebat, aut quandoque curabat offerri aliis, qui in aula ipsius manducabant : atque ita faciebat, donec ita vilescerent, ut non constarent nisi quinque circiter assibus, quæ initio vendebantur assibus sexaginta, aut libris quatuor. Eodem plane modo faciebat de fructibus novis, quos tamen libenter comedebat; atque ita agebat de omnibus, quæ cum essent nova, ei apponebantur; idque faciebat ex sola victus abstinentia, sicuti vere creditur, ut appetitum ad illa sibi a natura inditum edomaret. E

vinum multa aqua diluit : crebra servat, rigidaque jejunia : 129 Rursum hujusmodi ejus erat consuetudo, ut numquam excederet in bibendo, aut manducando. Eo modo panem sibi scindebat ad mensam, ut, dum valetudine erat integra, non plus secaret una die quam altera. Habebat ante se calicem aureum, et scyphum vitreum; scypho autem inerat virgula, quo usque eum vino impleri curabat; deindeque aquam jubebat affundi tanta copia, ut quarta pars vinum esset, tres partes, aut circiter, aqua. Neque tamen vino utebatur generoso, sed tenui admodum. Tunc quandoque bibebat ex scypho, quandoque potum ita dimensum calici aureo infundebat, atque ex calice bibebat. Postea adeo vinum suum aqua diluit, ut non satis ex vini sapore remaneret. Jejunabat quotannis tota Quadragesima. Rursus jejunabat toto Adventu; nimirum quadraginta *a* diebus ante Natalem Domini, solis utens cibis in Quadragesima usitatis. Atque ita jejunabat, cum pervigiliis, quibus jejunium præscribit Ecclesia, tum quatuor temporibus, aliisque diebus esurialibus sanctæ Ecclesiæ. In quatuor pervigiliis festorum Dominæ nostræ, die Veneris sancta, et in pervigilio Nativitatis Domini jejunabat solo pane et aqua contentus. Verum dictis diebus, quibus pane tantum et aqua utebatur, jubebat mensam instrui plenam, quemadmodum diebus aliis : et siqui ex ejus equitibus essent, qui etiam vellent solo pane et aqua esse contenti, cum eo manducabant ad mensam ipsius. Diebus Veneris in Quadragesima non vescebatur piscibus; aliisque etiam diebus Veneris beatus Rex sæpe a piscibus abstinebat : quin etiam diebus Veneris Adventus pisces non manducabat. Præterea per totum annum diebus Veneris nullis vescebatur fructibus, quamvis eos comederet perquam libenter. Diebus Lunæ et Mercurii in Quadragesima multo minus manducabat, quam ei putabatur congruum. Diebus Veneris adeo vinum suum diluebat aqua, quamvis satis esset tenue, acerbique saporis sine aqua, ut non videretur nisi aqua. Licet quoque cerevisiam non amaret, quod satis apparebat ex ipsius refectione; tamen in Quadragesima illam satis frequenter bibebat ad appetitum suum, ut creditur, edomandum. Rursum beatus Rex antequam mare transmitteret, ac post- F

quam

A. REGINÆ CONFESSARIO.

quam inde rediit, semper jejunabat per totum annum qualibet die Veneris, præterquam dum Domini Natalis in diem Veneris incidebat; tunc enim carnibus vescebatur propter celebritatem festi. Rursum jejunabat qualibet hebdomada die Lunæ, Mercurii, et Sabbati *b*. Quando beatus Rex erat trans mare tempore primæ transfretationis, jejunare incepit quindecim diebus ante festum Pentecostes, quod jejunium deinde semper eodem modo observavit usque ad obitum suum. Rursum non manducabat de omnibus ferculis sibi appositis, idque fecisse creditur abstinentiæ, et amoris Dei causa.

cilicio etiam et flagris in corpus suum sævit.

130 Multum vigilabat beatus Rex ad Dei cultum. Postquam a prima transfretatione rediit, numquam cubabat super stramen plumasve; verum lectus ipsius compositus erat ex ligno, qui cum ipso vehebatur, quocumque tenderet, cui culcitra imponebatur ex gossipii lanugine cooperta velamine non serico; illique incubabat sine alio stramine supposito. Creditur firmiter qualibet die Veneris sancta, atque etiam in qualibet Quadragesima, postquam rediit ex tractu transmarino, diebus Lunæ, Mercurii, et Veneris gestasse super carnem nudam cilicium *c*, tamen hujusmodi pœnitentiæ opera exercebat quam poterat secretissime, sibique cavebat a cubiculariis suis adeo, ut nullus eorum, uno excepto, sciret austeritates pœnitentiarum, quas exercebat. Tres habebat funiculos conjunctos, sexqui pede fere longos, funiculisque singulis quatuor aut quinque inerant nodi : ac singulis diebus Veneris per totum annum; in Quadragesima vero diebus Lunæ, Mercurii, et Veneris, perscrutabatur exacte per omnes angulos cubiculum suum, ut nullus ibidem remaneret, et tunc claudebat portam, manebatque inclusus in cubiculo cum fratre Gaufrido de Bello-loco, conscientiæ suæ arbitro, Ordinis Prædicatorum, ubi diu erant simul : credebaturque, ac dicebatur extra cubiculum, beatum Regem eo tempore confiteri peccata sua dicto fratri, tuncque per dictum fratrem cædi memoratis funiculis *d*. Aliquando beatus Rex nudis pedibus ivit Nonigento Erembertio *e* usque ad templum Dominæ nostræ Carnotensis, (distat illud a memorato templo leucis quinque) quando vehementer fuit fatigatus, ita ut tantum viæ perficere non potuisset, nisi nixus fuisset quodam equite, aliisve comitibus suis, uti apparebat ex ipsius corporis habitu; multoque deinde tempore deteriori fuit valetudine, quia tantum susceperat iter perficiendum, de eoque quandoque conquerebatur. Adhæc beatus Rex, quantum poterat, a risu abstinebat diebus Veneris; si quandoque inadvertenter ridere cœpisset, mox ridere desinebat; neque umquam diebus Veneris galericulum mutabat.

XV. *Mira fuit conscientiæ puritate :*

131 Quandoquidem pura conscientia super omnia bona deliciatur in conspectu Dei, beatus Rex sanctus Ludovicus tanta fuit puritate, ut merito suo deliciis Dei conspectus frui potuerit. Tanta emicuit puritate, ut frater Gaufridus, ipsius conscientiæ moderator, hominesque venerandi, ac fide digni, qui longo tempore cum ipso sunt conversati, crederent, eum numquam commisisse peccatum mortiferum *f*, uti jurejurando asseruerunt. Et firmiter creditur, maluisse capite suo minui, quam certa scientia, suoque proposito peccatum perpetrare mortiferum. Numquam cernebatur, vel audiebatur mali quidpiam vel facere vel dicere; verum omnia ejus verba erant de Deo, de Sanctis, eoque tendentia, atque ad bonum exemplum eorum, qui cum ipso conversabantur; neque umquam in eo deprehendi quid potuit, quod Deo displiceret; sed desiderabat omne bonum. Sæpe dum in cubiculo suo erat cum familia sua, verba proferebat sancta et prudentia, pulchraque narrabat eis, qui cum eo versabantur, bona sanctaque intentione. Vir fuit, qui vixit magno animi candore, veritate, humilitate; magna fuit patientia, ac plenus bonis omnibus excellentibus. Vir fuit vita proba, modo vivendi honesto, conscientia admodum sancta ac pura; multaque ex ejus factis dictisque capi poterant præclara exempla. Non jurabat per Deum neque per ejus membra, neque per Sanctos, neque per Euangelia. Verum, cum quid fortius vellet affirmare, dicebat : Vere ita est. Numquam vocabat diabolum, neque eum umquam nominabat, nisi forte, dum legebat in libris. Vir religiosus, frater Simon du Val Ordinis fratrum Prædicatorum, et prior monasterii Provinensis, juratus dixit atque affirmavit, quamvis sæpe cum beato Rege, et in ejus colloquiis fuisset, numquam se audivisse proferentem ipsum verbum aliquod amatorium, neque otiosum, neque famæ cujusdam noxium : neque se umquam vidisse hominem tantæ in verbis aspectuque reverentiæ. Et quamvis dictus frater sæpe egisset cum aliis regibus, aliisque principibus secularibus, antistitibus, ac viris illustribus; quamvis etiam familiaris admodum esset intimusque sancto huic Regi; tamen numquam veniebat in ejus conspectum sine magna reverentia ac timore quodam, acsi Sanctum adivisset. Insuper prædictus frater Simon commemorans jurejurando multa virtutis opera sancti Regis, prout in hoc Opere locis congruis sunt descripta, dixit propter hæc multaque alia, quæ vidit in ipso, quæque scripta non sunt, beatum Regem fuisse unum ex sanctissimis hominibus, quos umquam vidit; idque, quia in ipso conjuncta vidit, quæ in Sanctis esse debent. Vidit enim, eum severum valde fuisse in se ipsum in cibo potuque, humilem valde in vestibus et corporis sui cultu, multum vigilantem in Dei servitio, multi jejunii, maximæ in alios misericordiæ, fuisseque unum ex hominibus, quos umquam vidit, qui libentissime audiret verba Dei, ad eaque diligentissime auscultaret; et quamvis passus fuisset trans mare probra multa detrimentaque, processisse tamen semper ex bono in melius, magis pium fuisse, magis in fide Jesu Christi constantem, magisque perfectum apparuisse. Præterea secundum ea, quæ memoratus frater Simon percipere potuit, beatus Rex omne tempus suum impendit operibus bonis; nimirum justitiæ, fidei Christianæ, religionis, ac pietatis in Dominum nostrum, et Sanctos ipsius; et gloriose in servitio Dei, in quo erat cum filiis suis, quos, quantum in ipso fuit, morti objecit in terra inimicorum Crucis ac fidei Christianæ, ab hoc mundo transiit ad Dominum nostrum : pluraque magna sancta opera, quam dici possent, aut commemorari, in ipso fuerunt, per quæ sanctus esse creditur.

veri tenax, fidemque servans etiam infidelibus :

132 Beatus Rex vita fuit tam sancta, ac moribus tam honestis, ut, quamdiu vixit, de eo dictum quoddam affirmari posset, quod de sancto Hilario scriptum est, antequam esset episcopus : « O quam *g* perfectissimum laicum, cujus imitatores ipsi etiam esse desiderant sacerdotes! » Multi enim sacerdotes et antistites similes esse cupiebant beato Regi in virtutibus, ac moribus : nam sanctus jam credebatur a tempore, quo vi-

vebat.

A vebat. Impendebat omne tempus utiliter, vel ad Dei laudes, vel ad alia opera necessaria, seu ad sui sustentationem, seu ad regni administrationem. Præter omnes virtutes supra dictus beatus Rex vir fuit tam veritatis tenax, ut numquam pro toto mundo vel verbum protulisset non verum, neque ex ore ejus aliquid percipi posset non verum. Tempore primæ ipsius transfretationis, postquam fuerat captus, simulque exercitus Christianorum, pacta inita fuere inter sanctum Regem et Saracenos, inter quæ pacta hæc fuerunt: nimirum ut beatus Rex ipsis restitueret Damiatam, eisque daret quadringenta millia librarum Turonensium, aut earum valorem; videlicet ducenta millia ibidem, ducentaque millia Accone, hoc modo, ut, dum Damiata iis esset reddita, Saraceni ex carcere dimitterent sanctum Regem, ejusque proceres liberos sine ullo impedimento. Adhæc promiserunt Saraceni se nihil mali illaturos Christianis, qui Damiatæ erant, neque aliis; sed permissuros, ut illi abirent: quod ipsi non præstiterunt; sed eos occiderunt, combusseruntque bona, quæ ibidem

B manserant. Cumque dominus Alphonsus, comes Pictaviensis, beati Regis frater, mansisset apud Saracenos pro ducentis istis millibus librarum tunc solvendarum, beatusque Rex intrasset in triremem quamdam cum multis proceribus aliisque, ducentaque illa librarum millia jam soluta essent, præter triginta librarum millia aut circiter, proceres aliique, qui ibidem erant in triremi cum beato Rege, eum hortabantur, suadebantque, ut iret ad navim suam, quæ in mari erat satis prope illam triremem; quippe æque erat in potestate Saracenorum quamdiu ibi in fluvio isto erat in triremi, quam fuerat, dum in terra erat in eorum carcere, quia multæ triremes, multaque alia Saracenorum navigia in fluvio isto erant, qui capere poterant, ac retinere pro arbitrio suo, si voluissent, triremem, in qua beatus Rex erat. Tunc dixit, quod verbo illis promisisset, se ultra Damiatam non iturum, donec ducenta millia librarum essent integre soluta, licet id scriptum non esset. Quamvis etiam Saraceni non stetissent promissis suis, quod nihil mali illaturi essent Christianis, qui reperirentur Damiatæ; beatus Rex nihilominus dicta sua servare

C voluit, neque ex triremi voluit discedere, donec ducenta librarum millia integre fuissent soluta.

133 Postquam ducenta librarum millia erant soluta, e vestigio beatus Rex petiit, an dicta pecunia integre esset soluta; eique responsum est, solutam esse. Verum dominus Philippus Montfortius *h* eques beati Regis, ei tum dixit: Summa argenti tota soluta est, at decepimus Saracenos in argento ponderando decem librarum millibus. Ubi beatus Rex audivit verbum hoc, vehementer excanduit, dixitque: Volo ducenta librarum millia integre solvantur: promisi enim ipsis, et volo nihil desit. Tunc Campaniæ seneschallus clanculum pede suo pedem dicti domini Philippi tetigit, oculoque signum ei dedit; dixitque beato Regi: Domine Rex, credisne domino Philippo? Nugator est. Quando dominus Philippus audiebat seneschallum, ac recordabatur eximium veritatis studium beati Regis, ejusque constantiam, verbum tunc resumpsit, dixitque: Domine Rex, dominus seneschallus verum dicit; non dixi id verbum nisi jocando ac nugando, et ut audirem, quid responderes. Beatus Rex respondit: Parum te decuit jocus

ut ostenditur ex solutione pecuniæ Saracenis promissæ. *h*

iste, istudque tentamentum. At cura, ut argenti summa bene sit integreque soluta. Tunc omnes, qui præsentes aderant, asseruerunt omnem pecuniam integre solutam esse *i*, et mox beatus Rex mandavit nautis, quoniam promisssa sua impleverat, navigarent, tuncque ivit ad navem suam, quæ in mari erat, ut loco esset tutiore. Ex supra dictis patet, beatum Regem virum fuisse veritatis admodum studiosum, magnaque constantia; pro nulla enim re mundi mentiri voluit. Reverendus pater dominus Nicolaus episcopus Ebroicensis *k*, qui longissimo tempore familiariter atque intime cum dicto beato Rege conversatus est, juratus super vita, affirmavit se firmiter credere, maluisse beatum Regem capiet suo minui, quam peccatum mortale committere deliberata voluntate et scientia: idque satis demonstrat doctrina, quam propria manu scriptam misit ad filiam suam Navarræ reginam, atque ad dominum Philippum filium suum; in qua utraque instructione eos docebat, se ea esse voluntate, ut vellet neutrum dictorum liberorum peccatum mortale committere pro quacumque re mundi, atque ut uterque potius pateretur vitam E sibi gravi martyrio eripi, quam deliberata voluntate patraret peccatum mortiferum.

A. REGINÆ CONFESSARIO. *i* *k*

ANNOTATA.

a *Incipiebat igitur jejunium Adventus multis diebus ante Adventum, alterumque sibi indixerat quadraginta dierum jejunium.*

b *Jejunia pleraque hic memorata habet quoque Gaufridus in Vita prima num. 26: attamen non omnia.*

c *De gestato cilicio consule Gaufridum num. 25: hic enim similia rectius noverat.*

d *Testatur hæc ipse Gaufridus num. 23, ubi catenulas funiculis hisce substituit.*

e Nonigentum Erembertium, *quod nunc vocatur* Nonigentum Regium, *vulgo* Nogent le Roy, oppidum Galliæ *est, inquit Baudrandus,* in Belsia provincia ad Eburam fluvium, quinque leucis infra Carnutum in Septemtrionem.

f *Adi Gaufridum in Vita prima num. 7.*

g *Verba sunt Fortunati in Vita S. Hilarii apud nos tom. 1 Januarii pag. 790.*

h *Vox hæc in Ms. dubia erat, itaque scripta, ut magis videretur accedere ad nomen* Philippi de Nemours, *qui etiam tunc regi aderat, quam* Philippi de Montfort. *Verum quia Joinvillius testis oculatus, num. 155 hoc factum referens, iteratis vicibus id attribuit Philippo Montfortio, locum legendum putavi, uti eum expressi.* F

i *Videtur quidem insinuare Regem illorum dictis fidem habuisse: verum constat ex laudato Joinvillio, decem illa librarum millia jussu Regis adhuc soluta.*

k *Recensetur inter testes num. 7.*

CAPUT

A. REGINÆ CONFESSARIO.

CAPUT XIII.

Continentia sancti Regis : desiderium amplectendi Ordinem religiosum : morum honestas : varia de ejus sanctitate jurata testimonia.

XVI. *Sancta Regis, Tobiam imitati continentia in matrimonio ;*

Quis est, qui ignorat continentiam carni esse debitam? Continentia appetitus humanus coercetur, ne effluat ad mortale peccatum. Beatus Rex Ludovicus servavit continentiam conjugalem, ut patet ex eis, quæ sequuntur. Quando enim juvenis erat gratiosus et amabilis omnibus, cura matris suæ prudentiumque regni Franciæ, uxorem duxit filiam natu maximam comitis Provinciæ, nempe dominam Margaritam *a*. Quando beatus Rex cum ea fuit secreto, ille, qui consilio beati Filii Dei fuit instructus, Tobiæque exemplo informatus, antequam eam B tangeret, tribus noctibus orationi se dedit, eamque docuit, ut et ipsa preces funderet, priusquam ei appropinquaret, uti memorata domina deinde commemoravit. Ad hæc venerabilis sanctus Ludovicus se continebat per totum Adventum totamque Quadragesimam; præterea diebus aliquibus qualibet hebdomada; item in pervigiliis, ac festis majoribus; insuper diebus festis, quibus consueverat verum Domini nostri Corpus suscipere, diebus multis communionem præcedentibus, multisque sequentibus.

propositum ingrediendi Religionem, si consensisset regina.

135 Præterea, utpote qui castitatem cupiebat, multis annis ante obitum suum, desiderans ad omnem pervenire perfectionem, pio animo firmiter secum statuit, ut, si filius suus natu maximus ad ætatem perveniret, reginaque uxor sua consentiret, religiosum intraret Ordinem; cumque memoratum propositum secreto aperuisset dictæ reginæ, illique præcepisset, ut id nemini revelaret, illa ei proposuit idoneas rationes in oppositum, neque consentire voluit, ut Ordinem religiosum ingrederetur. Deo prævidente fortasse quid melius, nimirum, quod C utilior esset in primo suo statu, ad servandum in pace regnum, ac promovenda provehendaque regni, ac totius sanctæ Ecclesiæ negotia. Omnis fuit in sancto Rege puritas; neque umquam tempore adolescentiæ ipsius, neque tempore juventutis, neque ullo tempore, illi, qui memoratis temporibus cum eo fuerunt, diuque cum ipso fuerunt conversati, videre potuerunt aut percipere beato Regi fuisse ullam familiaritatem, aut conversationem suspectam cum ulla femina alia quam sua; numquam dici audiverunt de incontinentia, vel verbo ejus hac in parte famam lædi. Omni tempore Quadragesimæ, omnibusque diebus Veneris et Sabbati beatus Rex a consortione reginæ abstinebat.

Fugit improbos, in domesticos inquiri jubet, perversosque, præsertim impudicos,

136 Beatus Rex, sanctus Ludovicus perlibenter habebat in consortio suo viros bonos, honestos, et justos, ac promptissime vitabat societatem, ac familiaritatem improborum, eorumque, quos in peccato esse sciebat : super omnia ei displicebant facinorosi, illique, qui turpia loquebantur. Volebat familiam suam tantæ esse puritatis, ut si qui ipsius domestici turpiter jurarent de Deo, aut de veneranda Virgine Maria, eos extemplo domo sua pelli juberet : D similiter eos, qui fornicationem, aut turpia alia inventi fuerant commisisse, perquam severe pro delicti gravitate puniebat. Quando scire potuerat quemquam ex hospitio suo perpetrasse peccatum quoddam mortiferum, eum palatio familiaque sua expellebat. Quia duo homines, qui de ipsius erant familia, non jejunaverunt quadam die Quadragesimæ, qua jejunare debuerant, eos ab aula sua dimitti jussit. Sæpissime contingebat, ut carceri illos mandari juberet domesticos suos, qui reperti erant cum muliere peccasse, aut qui per Deum jurabant. Quandoque in domesticos suos inquiri curabat, ut cognosceret, an non essent, qui fornicationem committerent aut adulterium: aut quocumque alio modo se inhoneste gererent; ac, si reperire poterat quosdam esse in fornicatione aut adulterio, quive protulissent infamem blasphemiam in Deum Sanctosve, eos ex palatio suo familiaque ejiciebat, aut puniebantur, sicut eorum delictum exigebat.

ex aula, familiaque sua expellit, aut gravius etiam punit.

137 Quoniam beatus Rex tempore primæ suæ transfretationis statuerat longo tempore trans mare subsistere, vocari jussit omnes domesticos suos, eosque diligenter hortatus est, ut viverent caste ac honeste, quandoquidem eo venerant, E erantque in Dei, ac suo servitio : eisque dixit, ut illi, qui non possent aut vellent consentire, ac caste vivere, facultatem peterent redeundi; quodque ipsis illam daret, ac bene faceret, uti deberet; verum nullus tunc temporis facultatem illam postulavit. Postea, cum beatus Rex audivisset quosdam ex suis domesticis inhoneste vivere, inquisitionem curavit institui, in qua omnes ipsius domestici fuere examinati; et quia repertum fuit, sexdecim aut septemdecim eorum non satis se continere, quamvis aliqui eorum ipsi admodum essent utiles, eos ab hospitio ac familia sua dimitti jussit. Et licet illi multis eum precibus rogandum curarent, ut regredi, atque in ejus gratiam liceret familiamque redire, numquam id impetrare potuerunt tribus aut quatuor mensibus. Verum deinde, ubi ad diem Paschæ perventum est, preces tantæ fuerunt, ut eis ignoverit; at prius ipsis dixit, eos, si iterum tale quid committerent, graviter ac sine remissione puniendos. Et sane beatus Rex, dominus Robertus Artesiæ comes, et dominus F Alphonsus comes Pictaviensis ejus fratres, qui cum eo fuere educati; atque etiam soror beati Regis, personæ fuerunt magnæ puritatis, magnæque castitatis : nam, uti dominus Carolus præclaræ admodum vir memoriæ, olim Siciliæ rex, et frater eorum germanus, juratus testimonio suo affirmavit, se numquam audivisse, accusatum fuisse ullum ex his quatuor ante dictis; nimirum beato Rege, ejusque fratribus prædictis, dictaque sorore, cujusdam peccati mortalis; hi fratres certo, videlicet beatus Franciæ Rex, dominus Robertus, dominus Alphonsus, et pariter ante memorata soror habuerunt gratiam *b* Domini nostri usque ad finem vitæ suæ.

XVII. *Mira Sancti honestas, verecundia,*

138 Quoniam venerabilis sanctus Ludovicus recte sentiebat honestatem esse acceptam beatis angelis, toto vitæ suæ tempore modo vixit honesto admodum, sicut manifestum est. Quippe in eo fuit omnis honestas, quæ in ullo umquam homine conjugato esse potuisset; adeo ut dominus Petrus de Loon, qui ejus fuit eques, diuque cum ipso conversatus per triginta octo annos, aut circiter, fuitque ejus cubicularius,

ad

A ad pedes ipsius somnum capiens, quique eum calceis exuebat, ac juvabat ad lectum ingrediendum, ut soli faciunt illustrium virorum famuli, per annos quindecim, aut circiter, non potuerit umquam videre carnem hujus beati Regis, præterquam pedes manusque quandoque : pedes tantum usque ad tibiam quando ei pedes lavabat, brachiumque dum venam sibi secari curabat, ac crus quando id erat affectum. Nullus enim umquam juvabat beatum Regem, cum e lecto surgebat; at solus se ipse vestibus induebat et caligis; ejusque cubicularii deponebant ejus vestes a tempore vespertino apud lectum ipsius, ac pariter calceamenta ipsius, eaque per se capiebat solus, seque induebat, ut supra dictum est.

et gravitas in dictis, factisque. Testimonia

139 Præterea beatus Rex mire comis fuit, ita ut numquam ex ore ejus audiretur verbum aliquod turpe, aut injuriosum; numquam aliquem vituperaret, numquam vel verbo cujusdam famam læderet; neque in ipso deprehenderetur umquam factum aliquod turpe. Adhæc beatus Rex temperantiam exhibebat in gestibus, in verbis, in vestibus, in potu, et in cibo; B humilisque erat sine superbia, aut arrogantia. Memoratus dominus Joannes Sossiacensis *c* eques, vir ætate matura, multisque divitiis ornatus, qui fuit cum beato Rege per triginta circiter annos ante mortem ipsius postremos, mansitque etiam usque ad obitum ipsius, quique cum ipso habitavit admodum familiariter, cœpitque cum eo esse tempore juventutis ipsius, aut circiter, juratus asseruit jurejurando suo, numquam se vidisse vel audivisse, quod facetias *d* proferret, aut ludis inhonestis se misceret, neque umquam vidisse, quod luderet ludos in fortuna positos, aut similes : neque umquam audivisse, quod infamatus fuerit de aliqua turpitudine fornicationis, aut adulterii, aut alterius rei inhonestæ. Insuper juramento suo affirmavit, se non credere, ab annis sexaginta præteritis hominem quemquam in regno Franciæ transiisse ab hoc mundo melioris conscientiæ, majorisque puritatis; neque se umquam in eo vidisse, neque de eo audivisse nisi bona, in omnibus factis, dictisque omnibus.

quædam præclara de virtutibus sancti Regis,

140 Dominus Joannes Joinvillius eques, vir ætate matura, multisque divitiis clarus, qui cum beato Rege fuit per annos triginta quatuor *e* et ultra, satis familiariter, ejusque familiæ adscriptus, jurejurando suo asseruit, se numquam vidisse, vel C audivisse quod beatus Rex dixerit cuipiam de altero verbum, honorem famamque lædere natum modo malo, aut in vituperium alterius : neque umquam se hominem vidisse talem, qualis erat beatus Rex; seque credere, quod sit in cælo propter multa bona, quæ fecit; seque credere eum esse tanti meriti, ut Dominus noster per eum omnino facturus sit miracula. Rursum dominus Guido, cognomine le Bas *f* vir maturæ ætatis, ac dives admodum, qui longo valde tempore fuit cum beato Rege, juramento suo affirmavit, quod, propter multa opera bona, quæ eum exercentem vidit, non existimet ullum virum Religiosum esse, aut fuisse ipso meliorem; quodque numquam viderit, vel perceperit, dictum beatum Regem fecisse aliquid, aut in id consensisse, quod fuerit peccatum mortale; quodque credat, eum esse sanctum propter bona opera charitatis, humilitatis, ac misericordiæ, quæ exercuit in mortali hac vita. Rursum dominus Petrus Cameliacensis *g*, vir quadraginta annorum, aut circiter, ac locuples admodum, qui cum beato Rege agere cœpit satis cito postquam rediit ex tractu transmarino post primam transfretationem, mansitque cum ipso ab eo tempore usque ad tempus mortis ipsius, quemadmodum memoratus dominus Petrus dicit in testimonio suo, atque etiam cum ipso habitabat tempore obitus ipsius, quique valde ei familiaris fuit, ac secretorum conscius, juramento suo asseruit, (ubi recitaverat multa facta de virtutibus hujus ejusdem beati Regis, quæ in præsenti hoc opere locis congruis sunt descripta,) quod propter ista, multaque alia, quæ in ipso vidit et cognovit, credat dictum beatum Regem optimum fuisse hominem omnium, quos umquam vidit, propter sanctitatem vitæ, qua ipsum viventem vidit. Rursum eum vidit facientem, ac tolerantem multas abstinentias, vigilias, austeritates, et pœnitentias; semperque bona voluit fecitque, et fugit mala, quantum dictus dominus Petrus vidit.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

quem ipsi etiam Saraceni probum esse agnoverunt.

141 Quin etiam Saraceni eum virum probum existimabant ac fidelem. Quando beatus Rex cum aliis fuit in carcere Saracenorum, paxque ac redemptio ejus ac aliorum jam pacta, juramentoque per soldanum confirmata; pro qua redemptione memoratus soldanus inter alia ingentem E pecuniæ summam accipere debebat, eique Damiata erat restituenda, dictus soldanus a subditis suis fuit occisus : post quæ illi, qui eum occiderant, perquam fortiter affirmaverunt coram beato Rege, unam e causis, propter quas occiderant dictum soldanum, fuisse perfidiam, quam exsequi intendebat contra beatum Regem, ejusque subditos. Volebat enim, ut illi dixerunt, postquam accepisset argenti summam, crudeli morte perimere beatum Regem, captosque cum eo Christianos; sive Christiani Damiatam restituissent, sive non. Eos verum dixisse, idque soldanum facere studuisse, ex aliis etiam satis apparebat : nam soldanus de die in diem omnibus modis fortius constringebat multos equites Christianos, aliosque, quos in carcere servabat, quosque occidit etiam postquam jurejurando se obligaverat ad memoratam redemptionem. Ex quibus patet consilium istud a Deo fuisse, hujusceque perfidiæ impedimentum; dictumque soldanum sustinuisse pœnam, quam aliis parabat. Et creditur, firmiterque credi debet, propter F eximiam probitatem, patientiam, charitatemque, qua erat in populum suum beatus Rex; ac propter amorem ardentem, quo in Deum ferebatur; propter timorem magnum, quo erat imbutus, ne quid committeret, quod Deo putabat displiciturum; propter sanctam vitam, quam semper duxerat, ac propter propositum bene agendi, quod conceperat, uti ex factis postea apparuit; quod Dominus noster miseratus fuerit beatum Regem, ejusque fratres, aliosque ipsius subditos; quodque voluerit Dominus noster juvare alios Christianos magis amotos recenter, ac servos in manibus inimicorum fidei, ad exaltationem nominis Jesu Christi; quodque etiam juvare voluerit beatum Regem, ut impleret voluntatem suam bonam, quam omni tempore vitæ suæ post redemptionem suam demonstravit.

ANNOTATA.

a *Anno Christianæ æræ 1234, ætatis suæ vigesimo. Adi Commentarium nostrum num. 281 et seqq.*

b *Gra-*

A. Reginæ Confessario.

b *Gratiam castitatis, opinor, intelligit, non immunitatem ab omni omnino peccato mortali; neque enim id de aliis quam* Ludovico *ad examen deductum opinor.*

c *Inter testes num. 8, Gallice* de Soisi.

d *Minus honestas videlicet.*

e *Hoc tempus non caret aliqua difficultate : nam Joinvillius non videtur familiariter cum Rege egisse ante annum 1248, licet anno 1241 convivio interfuerit Salmurii per Regem celebrato, ut testatur num. 30 in Vita tertia. Dicendum itaque vel illos 34 annos in Actis canonizationis numeratos fuisse usque ad tempus, quo anno 1282 examen de virtutibus Sancti fuit institutum, ut videre est in Commentario num. 1172, et tunc significabant hæc verba,* ab annis 34; *vel 34 annis Regem a Joinvillio fuisse cognitum, licet ei familiaris non fuerit tanto tempore; vel locum esse mendosum, erroremque irrepsisse in numeros : ipse enim Joinvillius in Vita tertia num. 248 annos tantum numerat 22.*

f *Vide illum inter testes num. 8.*

g *Hunc vero num. 7 ; Gallice vocatur* de Chambeli.

B

CAPUT XIV.

Justitia Regis exacta, nullius personæ ratione habita.

Virtus justitiæ, quæ cuilibet jus suum tribuit, ac communem servat utilitatem, manifeste fuit in venerabili sancto Ludovico, uti palam fit ex factis hic sequentibus. Cum vir illustris dominus Engelramus Cociati toparcha *a* suspendi jussisset tres adolescentulos nobiles, ut dicebatur, qui habitabant cum abbate sancti Nicolai in Bosco *b* diœcesis Laudunensis, quia inventi erant in silva ejus cum arcubus et sagittis, sine canibus aliisque machinis, quibus feras capere potuissent; ac memoratus abbas, feminæque quædam, quæ cognatæ erant dictorum suspensorum ad sanctum Regem detulissent querelas de eorum morte : beatus Rex ad se vocari jussit memoratum Engelramum, dominum Cociacensem. Sufficienti facta inquisitione, quemadmodum in tali facto fieri oportebat, eum teneri jussit per equites suos, ac satellites, ducique jussit in Luparam, carcerique includi, ac servari ibidem in cubiculo quodam sine vinculis. Postquam memoratus Engelramus Cociacensis dominus hoc pacto erat detentus, die quadam beatus Rex ad se deduci jussit dictum dominum Cociacensem; quocum venerunt rex Navarræ, dux Burgundiæ, comes Barrensis, comes Suessionensis, comes Britanniæ, comes Blesensis, comes Campaniæ *c*, dominus Thomas *d* tunc archiepiscopus Remensis, dominus Joannes de Thorote, aliique fere omnes regni proceres. Tandem ex parte dicti domini Cociacensis propositum fuit beato Regi, quod consilium capere cuperet. Tunc seorsim se recepit, omnesque illi viri illustres ante memorati cum ipso, mansitque beatus Rex solus ibidem cum domesticis suis.

[Margin: XVIII. *Justitia Regis probatur* — a — b — C — c d]

143 Post consilium diu protractum, redierunt ad beatum Regem; ac declaravit coram eo dominus Joannes de Thorote pro memorato Engelramo domino Cociacensi, eum non debere, nec velle se subjicere inquisitioni in tali casu, quod talis inquisitio læderet personam, honorem, atque hereditatem ipsius; eumque paratum esse ad se duello *e* defendendum; negavitque omnino ipsum suspendisse, aut suspendi jussisse adolescentulos supra memoratos. Præfatus abbas, dictæque mulieres præsto erant ab alia parte coram beato Rege, qui rei exposcebant supplicium. Beatus Rex, audito diligenter consilio dicti Engelrami domini Cociacensis, respondit in causis pauperum, Ecclesiæ, personarumque miserabilium, non procedendum lege duelli; neque enim facile reperiendos, qui duello decertare vellent pro personis hujusmodi contra regni proceres : dixitque, se novam adversus ipsum legem non statuere : Quandoquidem [inquiebat] simili modo alias ab antecessoribus nostris processum est in causis similibus. Tunc commemoravit beatus Rex, regem Philippum avum suum, quia dominus Joannes, qui tunc erat dominus Sulliacensis *f*, homicidium, ut dicebatur, perpetraverat, mandasse, ut fieret inquisitio contra ipsum; tenuisseque Sulliacense castrum per annos duodecim, et ultra; licet memoratum castrum a rege non dependeret sine alio medio; sed dependeret ab ecclesia Aurelianensi. Beatus igitur Rex supplicationem non audivit, sed eodem tempore in ipso loco memoratum dominum Cociacensem comprehendi jussit per satellites suos, ducique ad Luparam, atque ibidem teneri, ac custodiri. Et quamvis multi orarent beatum Regem pro memorato domino Cociacensi; tamen sanctus Rex precibus eorum cedere noluit, neque ulli hac in re annuere. Tunc beatus Rex e sede sua se erexit, proceresque prædicti inde discesserunt attoniti ac confusi.

[Margin: *ex causa domini Cociacensis,* — D — e — f — E]

144 Eadem die post dictum beati Regis responsum, comes Britanniæ dixit beato Regi, non oportere ipsum permittere, ut inquisitiones fierent contra regni proceres in rebus, spectantibus ad eorum personam, hereditatem, et honorem. Respondit beatus Rex comiti : Non ita locutus es tempore quodam præterito, quando proceres, qui nullo intermedio a te dependebant, querelas suas ad nos de te ipso detulerunt *g*, obtuleruntque se causam suam in quibusdam articulis duello contra te probaturos : verum respondisti coram nobis, tibi non esse procedendum per duellum in tali causa, sed per inquisitionem; et addidisti, duellum non esse viam ad justitiam. Postquam de ipso judicare non poterat *h* pro consuetudine regni per inquisitionem factam contra ipsum, ut eum puniret in persona sua; quoniam memoratus dominus Cociacensis dictæ inquisitioni se non submisisset; (attamen si voluntatem Dei omnino scivisset in hoc casu, neque propter nobilitatem ejus stirpis, neque propter potentiam quorumdam ejus amicorum prætermisisset eum debito punire supplicio :) tandem beatus Rex senatorum suorum consilio condemnavit dictum dominum Cociacensem duodecim millibus librarum Parisiensium, quam pecuniæ summam Acconem misit in subsidium Terræ sanctæ expendendam. Neque ideo prætermisit eum multare silva, in qua dicti adolescentuli fuerant suspensi; quam silvam assignavit abbatiæ sancti Nicolai : ad hæc condemnavit eum, ut curaret fundari tres sacellanias perpetuas, easque dotaret pro animabus suspensorum; privavit eum præterea omni jure vitæ et necis in silvis et vivariis, ita ut post illud tempus neminem carceri mandare, aut morti trade-

[Margin: *quem gravi mulctat pœna.* — g — F — h]

re

A re posset pro quocumque delicto, quod ibidem commisisset.

procerum pro eo molitionibus fortiter compressis :

145 Cum propter prædicta dominus Joannes de Thorote diceretur proceribus ibi præsentibus dixisse, beatum Regem recte facturum, si omnes suspenderet; idque relatum esset sancto Regi; eum per servos suos accersi jussit. Ubi memoratus dominus Joannes pervenit in conspectum beati Regis, coram ipso in genua est provolutus, sanctusque Rex ei dixit : Quid id est Joannes? Ain' me suspendi jubere proceres meos? Sane eos suspendi non jubebo; at eos puniam, si delinquant. Dictus dominus Joannes respondit : Domine Rex, non amat me ille, qui tibi hæc verba retulit, quæ numquam dixi. Ac se paratum exhibuit, ut juramento suo se ibidem purgaret, juramentoque duodecim, aut triginta *i* aliorum equitum, aut plurium. Qua de causa beatus Rex eum comprehendi non jussit, quia tali modo se excusabat, quamvis statuisset antea mandare, ut comprehenderetur. Et sane eo tempore, quo memoratus dominus Cociacensis comprehensus fuit, atque detentus, rex Navarræ, comes Britanniæ, comitissa Flandriæ, multique alii supplicarunt Sancto Regi, ut ipsis redderet dictum dominum Cociacensem, quem detinebat, acsi numquam homines ante memoratos suspendi curasset. Verum beatus Rex indignatus, quod conventum habuissent, ac conspirare viderentur contra regnum honoremque suum, surrexit, neque eorum supplicationi cedere voluit, at memoratum dominum Cociacensem in carcere detinuit.

deinde ex violentia

146 Præterea, cum alius ad beatum Regem venisset, querelasque deponeret de domino Carolo, Andegavensi tunc comite, ipsius fratre; vocari ad se jussit dominum Carolum. Comparuit ille coram eo, totaque ipsius curia, seu per se ipse, seu per procuratorem suum. Eoque, qui conquerebatur, dicente, velle dominum Carolum, ut ipsi venderet quamdam possessionem suam, quam in ejus comitatu habebat; memoratoque querelarum auctore id conquerendo facere recusante, præcepit beatus Rex, ut ei sua possessio redderetur, neque ulla deinceps de possessione molestia ei inferretur, quandoquidem eam vendere nolebat, aut permutare. Lite olim mota inter prædictum dominum Carolum comitem Andegavensem, et equitem quemdam patruum *k* comitis Vindocinensis de castro quodam : cum dicta controversia adducta fuisset ad curiam memorati domini Caroli, sententiaque in eadem hac curia, præsente dicto domino Carolo, contra præfatum equitem esset lata; eques, dicens judicium non fuisse justum, appellavit ab hac sententia ad sanctum Franciæ Regem. At prædictus dominus Carolus, indignatus, quod appellasset, quodque judicium curiæ suæ falsum esse diceret, ac infidele, equitem comprehendi jussit, carcerique includi. Hinc, licet ei supplicarent amici equitis, qui cautionem sufficientem, aut prædem idoneum secundum jura offerebant, comes tamen eum restituere recusavit, quemadmodum dictum fuit coram beato Rege, quando causa hujus appellationis tractabatur. Priusquam etiam causa appellationis ad beatum Regem fuit delata, armiger quidam dicti equitis venit ad beatum Regem, eique omnia prædicta significavit.

Caroli fratris

147 Qua de causa beatus Rex per litteras suas accersit dominum Carolum, qui ad eum accessit. Ubi ad eum venit, magnopere ipsum incusavit reprehenditque, quod memoratum equitem appellantem comprehendi jussisset; eique dixit, unum in Francia Regem esse opportere; neque existimandum ei esse, quod frater esset, ulla in re contra justitiæ æquitatem ipsi se parciturum. Tunc ei præcepit, ut equitem dimitteret, ita ut libere posset appellationem suam coram se prosequi. Liberatus carcere comitis eques, venit ad beatum Regem : et quia dominus Carolus adduxerat secum multos consiliarios ac causidicos ex partibus Andegavensibus, et præter hos habebat multos consiliarios ex præstantissimis Parisiensibus; eques, ut vidit illos adversum se congregatos, beato Regi significavit, neminem fore suæ conditionis hominem, qui timere non posset, si tot, tantos, tamque sapientes haberet contra se adversarios; eaque de causa beato Regi supplicavit, ut sibi procuraret consiliarios ac causidicos; præsertim quia, ut dicebatur, nullos alias habere posset metu dicti comitis, ejusve favore. Unde factum est, ut beatus Rex sapientes quosdam equiti ordinaverit consiliarios, eosque jurare jusserit, fidele se daturos consilium in negotio dicti equitis. Ceterum, memorata causa in curia beati Regis diu admodum agitata, tandem sententia fuit lata in favorem equitis, sententiaque curiæ comitis fuit rescissa. Magnam hinc laudem consecutus est beatus Rex, qui nullius in judicio personæ rationem habebat.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

variis occasionibus repressa :

148 Ad hæc, cum aliquando Parisiis esset beatus Rex, multique cives et mercatores diversarum partium coram eo conquererentur de domino Carolo ipsius fratre, quia mutuam ipsi dederant pecuniam, atque alii ex mercibus suis ipsi vendiderant, neque ille ipsis faciebat satis : beatus Rex tunc mandavit memorato domino Carolo, ut illis solveret. Et quoniam dominus Carolus jurgabatur de solutione illis facienda, videbaturque de ea velle contendere; ei dixit, nisi ipsis solveret, illum non fruiturum bonis, quæ suo possidebat beneficio : crediturque memoratus dominus Carolus illis satisfecisse mandato beati Regis. Longo tempore beatus Rex illam servavit consuetudinem, ut, postquam solitis Missæ sacrificiis interfuerat, tetigeratque ægrotos strumis laborantes, vocari juberet eos omnes, qui cupiebant coram ipso quidquam negotii proponere, aut aliquid postulare : atque omnes audiebat diligentissime, nisi forte majoribus negotiis esset occupatus : tunc autem eos audiri curabat per equites quosdam suos, clericosque suos diligenter, etiam de litibus; deindeque sibi jubebat referri, quod erat referendum, negotia nempe majora *l*.

alia justæ

149 Postea, mulier quædam Pontisarensis ex illustri prosapia, ut dicebatur, atque ex genere Petri Lée, per satellites beati Regis erat comprehensa, quia dicebatur maritum suum occidendum curasse per hominem quemdam, quem impuro amore diligebat, uti ferebatur. Ipsa quoque cum in latrinam aliquam immitti curaverat, dictaque mulier factum in judicio fuerat confessa. Beatus Rex voluit, ut supplicium de prædicto facto sumeretur, licet regina Franciæ ipsius uxor, comitissa Pictaviensis uxor ipsius fratris, aliæque quædam regni dominæ, atque insuper fratres aliqui Minores, ac Prædicatores eum orarent, ut memorata femina morte liberaretur, quia vehementer dolebat, factique memorati eam pœnitebat magnopere, sicut apparebat. Præterea amici et cognati dictæ feminæ; quin et regina, alii-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

aliique prædicti supplicarunt Regi, ut, si illi omnino moriendum esset, saltem Pontisaræ non occideretur. Itaque beatus Rex interrogavit virum nobilem ac sapientem dominum Simonem de Nigella *m*, quæ ipsius de re esset sententia. Respondit dominus Simon, justum supplicium, quod palam sumeretur, esse utile. Post hæc præcepit beatus Rex, ut memorata mulier Pontisaræ combureretur, quamvis pro ea multæ apud eum preces intercessissent; combustaque fuit, ac supplicium de ea palam sumptum.

severitatis

150 Item, cum nobiles aliqui, qui erant ex ditione dicti domini Simonis Nigellæ domini, cui jus est vitæ et necis in ditione sua, haberent unum aliquem cognatum suum, hominem nefarium, quique se corrigere nolebat; rogaverunt atque obsecraverunt dictum dominum Simonem, ut permitteret, ut comprehenderent hominem hunc nefarium, locoque secreto occiderent : timebant enim, ne, si in manus memorati domini Simonis, aliorumve judicum incidisset, suspenderetur, vel alia morte palam plecteretur, sibique nimio id esset dedecori. Verum dictus dominus Simon id eis permittere noluit : attamen ea de re egit cum beato Rege, eique narravit id a se petitum fuisse per memoratos viros nobiles. Beatus Rex ei repondit, nullo modo tale quid pateretur, aut concederet. Quippe volebat, ut omne de facinorosis supplicium palam, et coram populo sumeretur per totum regnum suum, neque ullum secreto inferretur supplicium.

exempla, n

151 Cum aliquando beatus Rex esset Meloduni *n*, mulier quædam eum accessit, et querebatur de viro quodam, in culina ipsius ministrante; asserebatque hæc mulier virum hunc vi domum suam dirupisse, eam intrasse, sibique vim invitæ intulisse. Itaque dominus Simon de Nigella ante memoratus, aliique quidam sancti Regis consiliarii, qui ibidem erant, mandato ejus verbis expressis facto, de causa cognoverunt; ac vir memoratus ad eos, quibus beatus Rex causam commiserat, fuit vocatus. Consistens hic in judicio, præsente dicta femina, confessus est agnovitque, habuisse se rem carnalem cum eadem hac femina, dicebatque vulgarem esse meretricem; at negabat simpliciter, se illi umquam vim intulisse, rumpendo illius domum, aliove modo. Verum dicta femina probabat plene coram eis, qui mandato beati Regis constituti erant ad cognoscendum de causa, memoratum virum cum aliis quibusdam ipsa hac nocte, de qua mulier dicebat, rupisse domum ipsius. Qua de causa ante memorati, quibus dictum negotium fuerat commissum, judicaverunt ac pronuntiaverunt, memoratum hominem esse suspendendum propter violentiam ante dictam. Ceterum multi aulici oraverunt beatum Regem, ut ei ignosceret, neque eum suspendi pateretur; præsertim quia ex ipsius fuerat domesticis. Tamen nullius preces beatus Rex audire voluit; sed mandavit dicto domino Simoni, ut supplicium de tali homine sumi juberet. Suspensus igitur est secundum judicium supra memoratum.

ANNOTATA.

a *Hoc factum illustravimus in Commentario num. 845 et seqq.*

b *Abbatia* S. Nicolai in Bosco, *ut vulgo vocatur,* in saltu Vedogio seu Voesia *est sita, Ordinisque* S. Benedicti. *De ejus initiis consule Mabillonium in Annalibus Benedictinis tom. 5, pag. 118, ex quo loci situm dedimus.*

c *Comes Campaniæ alius non est a rege Navarræ, quem auctor per errorem distinxit, cum verisimiliter in Actis utramque dignitatem invenerit conjunctam.*

d *Thomam de Bello-meso (Beaumes), de quo aliquoties facta est mentio in Commentario, consanguineum fuisse Engelrami, colligo ex Sammarthanis in Gallia Christiana pag. 528, ubi Thomas dicitur* Agneti de Coucy filius.

e *Usus ille, quo nobiles accusati de crimine se duello tuebantur, adhuc vigebat in Gallia, ut probavimus in Commentario num. 883 et seqq., ubi docuimus illum deinde vetitum a* Ludovico, *ut legibis divinis contrarium.*

f Sulliacum, *vulgo* Sully, *oppidum est ad Ligerim in Aurelianensi provincia.*

g *Factum id opinor circa annum 1257, quando Oliverius de Clisson Joannem I Britanniæ comitem coram Rege accusavit, de quo consule Lobineau in Historia Britanniæ tom. 1, pag. 257, num. 48.*

h *Propter oppositiones procerum, qui contendebant id contrarium esse regni consuetudini, adeo ut hanc litem primo oportuisset decidere. Cum igitur ex hac Regis contra proceres controversia regnum perturbari potuisset; nec constaret Sancto de voluntate divina, videlicet an vellet ob justum de uno homine supplicium Franciam totam turbari : mediam inire viam Regi placuit, consentientibus in id proceribus, reumque gravi quidem pœna, at non capitis, mulctare.*

i *Forte legendum* tredecim, *licet in ecgrapho meo clare habeatur* trente, *id est,* triginta.

k *Gallice* oncle, *qua voce etiam* avunculus *significatur.*

l *Eximiam in hisce diligentiam Sancti pluribus prosequitur Joinvillius cap. 3.*

m *Simonis de Nigella,* (de Nesle) *frequens facta est mentio in Commentario : nam unus fuit ex regni administratoribus, discedente in Africam* Ludovico. *Nigella autem oppidum est in Picardia.*

n Melodunum *urbs est satis nota ad Sequanam in Bria provincia, vulgo* Melun.

CAPUT XV.

Prosecutio ejusdem materiæ de justitia Regis, ac severitate in facinorosos.

Cavet ne alienam usurpet jurisdictionem; a

Cum aliquando beatus Rex in cœmeterio ecclesiæ parochialis Vitriacensis *a* ad concionem dicentem audiret fratrem Lambertum Ordinis Prædicatorum, humique sederet ad pedes dicti fratris Lamberti coram numerosa populi multitudine; contigit, ut in taberna quadam, dicto cœmeterio satis vicina, congregatio esset hominum, vehementer inter se rixantium, adeo ut impedirent et prædicatorem in concione sua, et auditores illius. Unde beatus Rex quæsivit, cujus jurisdictio esset in dicto loco : eique responsum est, ipsius esse. Tunc præcepit quibusdam satellitibus suis, ut homines illos, qui verbum Dei impedirent, quiescere cogerent : quod factum est. Porro creditur ideo quæsivisse beatus Rex, cujus ibidem esset jurisdictio, ut, si alterius esset, jurisdictionem seu do-

A dominium alienum non usurparet, mandando quædam ut judex. Quando ad abbatias quasdam ibat, non patiebatur, ut sui quidquam inde auferrent, aut caperent; sed claves granariorum ac cellarum beatus Rex accipi jubebat, tutoque deponi loco, ne quod ipsorum rebus inferri posset detrimentum. Cum beatus Rex in annonæ caritate summam pecuniæ, pauperibus distribuendam, mitteret in Normanniam; ordinavit, ut illi, qui eo irent, plura darent hospitibus suis, qui census ipsi solvebant, quam aliis; modo illi eo indigerent.

jura aliena contra se aliosque tuetur;

153 Sæpe evenit, ut in curia beati Regis, multæ tractarentur causæ coram ipso præsente, ejusque senatu, quæ ad ipsum spectabant seu ejus jura; et allegabat ipse contra se, contraque jura pro se allegata, quantum poterat et sciebat, defendens partem adversam etiam contra consiliarios suos, eosque, qui jura Regis proponebant. In omnibus etiam aliis causis, quæ coram ipso agebantur, nulla personarum ratione habita, in verum inquirebat omni diligentia, omnique, qua poterat, cura; ac juris æquabilitatem servabat. B Cum dominus Eduardus *b*, nunc Angliæ rex, quando vivebat adhuc rex Henricus ipsius pater, et dominus erat Vasconiæ, castrum ædificari jussisset in diœcesi Petrocoricensi, nomine Castrum regium, quod abbas Sarlatensis *c* dicebat contra jus suum factum; cumque abbas dictæ abbatiæ ad cognitionem beati Regis sancti Ludovici rem detulisset, moneri per nuntios suos jussit directores dicti operis atque operarios prima vice, ne ulterius procederent in opere ante memorato, donec inquisitio facta esset, ut sciretur, an castrum esset constructum contra jus dicti abbatis: et quia non cessabant ab opere propter monitionem suam, beatus Rex præcepit, ut castrum, et quidquid erat constructum, solo æquaretur, ac funditus deleretur per Radulphum de Trapes, tunc seneschallum Petrocoricensem; dictusque Radulphus nuntiavit deinde sancto Regi, castrum funditus esse solo æquatum secundum ipsius mandatum.

pœnam facinorosorum nimis levem auget;

154 Quando causa quædam ad ipsum erat delata de facinorosis aliquibus; si qua occasione in suspicionem esset adductus contra facinorosos hujusmodi, illique cum adversariis suis pacem inirent, C aut quadam pecuniæ summa, aut quia mare transmittebant, ut ibi anno uno alterove manerent; beatus Rex flagranti justitiæ studio incensus, ut delicta cohiberentur, quantum poterant, eademque opera punirentur, augebat adhuc pœnam facinorosorum, sive argenti summam, sive tempus trans mare subsistendi; sicuti recte augendum judicabat, quod inter eos erat statutum. Factum id de sutore quopiam Parisiensi. Dictus sutor aliusque civis Parisiensis venerant in castrum Parisiense, sutorque conquestus est, manus sibi ab illo injectas in domo sua, illataque verbera: alius mox reponit, a sutore se cultro percussum, quod apparebat; nam sanguine etiam tum infectus erat, neque ita multo post ex hoc vulnere obiit. Et quamvis sutor diceret, non voluisse se vulnus inferre mortiferum, neque id fecisse eum occidendi gratia; sed ut vim repelleret, quæ sibi in domo sua ab illo inferebatur: tamen, quia sutor hæc probare non poterat, habitus est pro homicida; qua de causa pacem cum consanguineis defuncti inire debuit, atque inter alia cum eis ita composuit, ut cum consensu tribuni capitalis Parisiensis decennio esset trans mare; ea maxime de causa, quod, etiamsi aggressio non plene esset probata per testes, nihilominus communis fama esset, quod defunctus sutorem esset aggressus in domo dicti sutoris, qui ibi erat, cumque verberavisset, ac ignominiose admodum tractavisset. Attamen, quia prætores peregrini regionum vel locorum, quando de pace agitur propter homicidium factum, non solent per se consentire sine Regis notitia, licet pax coram ipsis iniri possit, de pacto pacis actum est cum beato Rege, auditoque facto, in pacem memoratam consensit; studio tamen majoris justitiæ decem annis alios tres annos adjecit, præcepitque, ut memoratus homicida *d* transfretaret, ac subsisteret annis tredecim, itus ac reditus tempore etiam numerato.

A. Reginæ Confessario.

jurisdictionem suam læsam vindicat; e

155 Cum comes Joviniacensis *e* comprehendisset olim in territorio suo civem Regis, qui grave delictum, ut dicebatur, commiserat in territorio dicti comitis, civisque captus esset, ut comes dicebat, dum perpetrabat facinus, quod civis tamen negabat; comes civem carceri tradidit. E Unde minister Regius illius urbis, ex qua erat civis, civem a comite repetebat, eratque consuetudo regionis, quoniam civis negabat, dicebatque se non esse captum in delicto, ut judices Regis de facto hujusmodi inquirere deberent eo pacto, ut, si Regis judices reperirent eum in facto captum fuisse, judicandus remitteretur ad dominum, in cujus territorio eum commisisse delictum cognoverant: sin vero id non, judices Regii eum judicare deberent. Verum comes restituere noluit civem ministro Regis, ut secundum consuetudinem dictam, judices Regii inquirerent, an in delicto fuisset captus. Porro contigit, ut civis moreretur in carcere prædicti comitis; qua de causa beatus Rex vocavit comitem ad se, atque ubi coram eo comparuerat in pleno supremæ curiæ consessu, beatus Rex eum comprehendi jussit per satellites suos in conspectu omnium, ducique ad castellanam Parisiorum curiam, ubi fuit detentus: comes enim omnia supra dicta confessus est coram beato Rege.

blasphemi labia ferro candente signari jubet;

156 Deinde, cum beatus Rex decretum condidisset ad regnum turpibus juramentis expurgandum, illudque decretum per regnum promulgari jussisset, F ut nemo juraret de Deo, neque de beata Virgine Maria, neque de eorum membris, neque de Sanctis: accidit, ut quispiam juramentum prohibitum, et turpe juraret de Deo. Re ad beatum Regem delata, cum punire ipsum vellet, multique ex beati Regis consiliariis, etiam ex magnatibus, pro eo intercederent apud beatum Regem, eumque, quantum poterant, defenderent, dictitantes, non tanto eum esse dignum supplicio; nihilominus beatus Rex, ex flagranti honoris divini studio, uti firmiter creditur, neminem hac de re audire voluit; at mandavit, ut ferrum conficeretur *f*, idque candens omnino in igne fieret, ac imponeretur ori illius, qui tam turpiter de Deo juraverat.

nobilem de crimine suspectum carceri tradit, frustra id deprecantibus amicis;

157 Postea, cum dominus Petrus du Bois contendisset cum domino Joanne Britaut equite, accidit ut filius quidam dicti domini Petri occideretur. Hic autem dominus Petrus querebatur apud beatum Regem de memorato domino Joanne, quod filium suum supra dictum occidi curasset. Qua de causa beatus Rex memoratum dominum Joannem ad se citari jussit. Tandem, crescente fama dicti facinoris contra do-

minum

A. REGINÆ CONFESSARIO.

minum Joannem, dictoque domino Petro prosequente ac postulante, ut debitum sumeretur supplicium de illis, qui filium suum occiderant, beatus Rex demum comprehendi jussit dominum Joannem, Stampasque *g* duci, atque ibidem in carcere servari per annum, et ultra : tantoque ibi tempore detentus est, donec beatus Rex intellexisset per inquisitionem de re factam, dictum dominum Joannem delicto supra dicto non esse obnoxium. Nihilominus dominus Petrus cubiculo regio præfectus, qui inter alios beati Regis familiares unus erat ex præcipuis, cum omnibus amicis suis, quibuscum eum juvare poterat, opem ferebat domino Joanni memorato, ne carceri traderetur, ac postquam in eo erat, ut ex eo dimitteretur. Verum quia beatus Rex conjecturas habebat et fortes et magnas contra hunc dominum Joannem, quod adversarius esset et inimicus dicti domini Petri, quodque illo multo nobilior esset ac potentior; nullus umquam tantum efficere potuit apud beatum Regem, ut eum ex carcere dimitteret, priusquam memorata inquisitio esset facta. Etiam comes Campaniæ, in cujus territorio et jurisdictione dictus dominus Joannes tunc habitabat, licet subjectus esset beato Regi nulla alterius jurisdictione intermedia, eum peti curabat a beato Rege, eique proponi jubebat, se paratum esse ad debitum de memorato domino Joanne sumendum supplicium : at reponebat beatus Rex, non ferendum de eo justum judicium in curia externa, quandoquidem in aula sua tanta valebat gratia, tantaque ope juvabatur : unde beatus Rex numquam eum dimittere voluit ad preces dicti comitis, donec supra dicta inquisitio esset absoluta.

in ministros suos inquiri curat, ac delinquentes puniri;

158 Deinde, quia beatus Rex quandoque audiebat, prætores suos peregrinos, ac tribunos capitales populo jurisdictionis suæ inferre injurias quasdam ac detrimenta, seu injuste judicando, seu bona eorum contra justitiam invadendo, consueverat statuere inquisitores quosdam, quandoque fratres Minores et Prædicatores, quandoque clericos seculares, quandoque etiam equites, nunc semel per annum, nunc sæpius, ut inquirerent de prætoribus peregrinis, de tribunis capitalibus, aliisque per regnum administris : et memoratis inquisitoribus potestatem tribuebat, ut, si reperirent a dictis prætoribus peregrinis, aliisque inferioribus ministris, quædam improbe ablata esse aut subtracta cuicumque personæ, ea sine mora juberent restitui; ad hæc ut officia abrogarent improbis tribunis capitalibus, aliisque administris inferioribus, quos meritos esse cognoscerent, ut iis privarentur. Unde factum, ut quidam, qui fuerat prætor Ambianensis *h*, quia se improbum exhibuerat, prætura sua fuerit privatus, carcerique traditus, ubi diu mansit : ac vendere debuit domos, possessionesque suas, priusquam beati Regis carcere egrederetur, ut restitueret, quæ improbe rapuerat, adeo ut ad tantam redactus sit paupertatem, ut vix equum habere posset, quo iter institueret, quamvis antea multis polleret divitiis.

cavet diligenter, ne jura lædat ecclesiarum.

159 Sanctus Rex secum lubentissime habebat homines justos. Cumque statuisset fundare, atque ædificare fratribus Prædicatoribus ecclesiam et domum in urbe Compendiensi, cepit multas domos et fundos a diversis hominibus in dicta urbe in parochia ecclesiæ sancti Antonii; et quoniam ecclesia collegialis sancti Clementis Compendii ibidem habebat jurisdictionem temporalem, et ecclesia sancti Antonii jus parochiale, ne ecclesiæ istæ ullo modo læderentur aut earum jura minuerentur fundatione ante dictorum operum in ipsarum jurisdictionibus supra dictis, beatus Rex pepigit cum ecclesiis, cumque abbate sancti Cornelii *i* Compendii, harum ecclesiarum patrono, ut iis daret centum libras Parisienses pro juribus supra dictis.

ANNOTATA.

a Vitriacum, *vulgo* Vitry, *hic designatur, opinor, quod in silva Aurelianensi assignat Valesius in Notitia Galliarum pag. 602 : nam licet varia hujus aut similis nominis oppida reperiantur in Gallia, pleraque tamen vel Regis jurisdictioni tunc subjecta non erant, vel nomini aliquid mutationis adjiciunt.*

b *Eduardus I patri Henrico III in regnum successit. Defunctus est autem Henricus anno 1272, ut ad eumdem annum num. 61 probat Odoricus Raynaldus : a quo tempore regnum tenuit usque ad annum 1307, quo obiit, ut ibidem num. 13 habet laudatus Raynaldus.*

c *Abbatia Sarlatensis Ordinis S. Benedicti anno 1317 ad dignitatem episcopalem evecta est, uti memorat Dionysius Sammarthanus in iterata editione Galliæ Christianæ tom. 2, col. 1511. Locum col. 1508 describit his verbis :* Sarlatum (Sarlat) olim villa in Aquitania et in Petrocoricensi provincia, versus Cadurcensis agri confinia, juxta amnem Sarlatum sita, una leuca a Duranio fluvio distat, novem a Petrocorio ad Eurum; totidem a Cadurco ad Boream, XVII ab Agiano ad Cæciam. Per subsequentia temporum intervalla primum abbatia Benedictini Ordinis insignita est, ac postmodum in civitatem crevit, et sede episcopali fuit illustrata.

d *Exigua quidem hæc fuisset homicidii pœna, si percussor non patrasset cædem se defendendi causa : at considerarunt judices justam fuisse defensionis causam, modumque et excessum dumtaxat puniverunt.*

e *De Joviniaco, vulgo* Joigny, *castro in Senonibus, cui comitatus dignitas olim fuit annexa, agit Valesius in Notitia Galliarum pag. 254.*

f *Hanc pœnam non fuisse legibus expressam, sed pro arbitrio inflictam secundum illas leges, quæ enormibus blasphemiis pœnas statuebant arbitrarias, dictum in Commentario § 78, ubi de his legibus disputatum.*

g Stampæ, *vulgo* Estampes, *urbs Galliæ est satis nota in Belsia provincia.*

h *Ambianensem prætorem fuisse conjicio, quem auctor tam severe punitum narrat, quia apud Cangium in notis pag. 107 hujusmodi factum narratur de prætore Ambianensi. Res tamen certa non est; nam Gallice habetur* Cannens *, *quod adeo obscurum est, ut locum punctis explevissem, nisi hæc occurrisset conjectura ex aliqua saltem similitudine litterarum; et sæpe alioquin deprehendissem voces alias non minus mutatas, quarum expositio ex historiæ notitia erat petenda. Si quis certiora docere possit, lubens amplectar.*

* *pro* Amiens, *opinor.*

i *Abbatia Ordinis S. Benedicti Compendiensis primum sacra fuit B. Mariæ Virgini : verum in* hanc basilicam ex urbe Roma translatæ sunt reliquiæ sancti Cornelii Papæ et martyris, a quo nomen postea monasterio inditum est, *ait Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 3, pag. 202; apud quem plura invenies de reliquiis S. Cypriani, cui quoque abbatia est dicata.*

CAPUT

A

CAPUT XVI.

Sancti Regis clementia; perseverantia; extremus morbus, et beatus obitus.

XIX. *Sancti Regis clementia;*

Clementia et lenitas neminem tantum decent, quantum principem : proptereaque venerabilis sanctus Ludovicus miræ fuit clementiæ. Tantæ fuit mansuetudinis, ut, dum trans mare degebat, præceperit præcipique jusserit suis militibus, ut Saracenorum mulieribus ac liberis non nocerent, at vivos caperent, baptismoque abluendos ducerent. Mandabat etiam, quantum poterat, ne occiderentur Saraceni, sed caperentur, atque in carceribus detinerentur. Quandoque in aula ejus furto subducebantur cochlearia argentea, aliave hujusmodi; clementer id ferebat beatus Rex, furesque quadam argenti summa donatos trans mare mittebat, idque fecit de B pluribus : et erga alios semper fuit misericordia, ac commiseratione plenus. Tempore primæ transfretationis suæ beatus Rex decreto suo publico vetuit ac prohibuit, ne quis exprobraret iis, qui fidem negaverant Christianam, et denuo ad fidem fuerant reversi, quando cum iis agerent, quales eo tempore multi erant Accone. Exercebat egregie quælibet misericordiæ opera, ac perfectissime explebat, uti dictum est supra in capite de charitate ipsius in proximos. Maxima quoque opera pietatis exercuit ingenti copia, quemadmodum eodem illo loco est scriptum : quin etiam in instructionibus, quas propria manu scripsit ad filium, filiamque suam, eos docet, ut animo sint benigno in personas miseras, sicuti scriptum est supra in capite de charitate in proximos.

XX. *perseverantia diuturna in Dei servitio,*

161 Qandoquidem inter alias virtutes sola perseverantia coronatur; sola hæc probis gloriam, virtutibus defert coronam; idcirco venerabilis sanctus Ludovicus perseveravit longissimo tempore in operibus charitatis, justitiæ, misericordiæ, humilitatis, pietatis, ac sanctitatis. Postquam illi omne tempus suum impenderat, C gloriosum consecutus est finem in Dei servitio, in quo erat cum filiis suis, quos morti objecit, quantum in ipso fuit, in terra inimicorum sanctæ Crucis, ac fidei Christianæ, ubi transivit ab hoc mundo. Quippe, cum tempore secundæ ipsius transfretationis essent trans mare in terra Tunetana, ibique extendissent tentoria sua, ac ingentibus assultibus Saraceni castra Christianorum impeterent, oportuit quandoque beatum Regem quinquies arma capere unius diei ac noctis spatio *a*. Unde, his de causis, aliisque laboribus, quos beatus Rex, dum illic erat, sustinuit, in gravem incidit morbum; videlicet in febrem continuam, atque alvi resolutionem.

supremus morbus, insignisque in eo pietas;

162 Ægrotavit tribus hebdomadis aut circiter. Initio morbi sui prædicti, antequam is multum increvisset, Matutinas suas, aliasque Horas omnes lecto decumbens recitabat cum uno ex sacellanis suis. Adhæc Missa, aliæque Horæ canonicæ omnes ibi canebantur alta voce, et concentu musico per sacellanos ipsius, et quotidie Sacrum coram ipso dicebatur submissa voce sine musica. Crux posita erat ante lectum in conspectu ipsius; quæ jussu ipsius sancti Regis ibidem est collocata, quando incepit pejus habere; illam sæpissime aspiciebat, junctisque manibus ad eam se convertebat. Insuper quotidie illam ad se ferri jubebat ipso matutino tempore, dum jejunus erat, illamque osculabatur et amplectebatur magna pietate ac reverentia. Item in dicta infirmitate sæpe Deo Creatori suo gratias agebat de morbo suo ante memorato, sæpe recitabat, ac repetebat, PATER NOSTER, MISERERE MEI DEUS, et, CREDO IN DEUM. Postquam beatus Rex cœpit ægrotare, atque in morbo ante memorato, quo obiit, decumbere; secum more suo loquebatur, recitans, ut creditur, psalmos et orationes : sæpe oculos attollebat, ac laudabat, celebrabatque sæpe Deum. Item tempore morbi sui sæpe confitebatur fratri Gaufrido de Belloloco Ordinis Prædicatorum.

A REGINÆ CONFESSARIO.

susceptio extremorum Sacramentorum:

163 Præterea tempore infirmitatis suæ beatus Rex postulavit Corpus Jesu Christi, idque pluribus vicibus habuit ac recepit. Semel itaque, dum accipere debebat Corpus Jesu Christi, illudque ei afferebatur, cum intrabat cubiculum, qui illud ferebat; sanctus Rex, tanta pressus infirmitate ac debilitate e lecto suo se projecit in E terram : at qui circa ipsum erant mox pallium ipsius super ipsum extenderunt : ibique fuit beatus Rex ad terram inclinatus satis diu in oratione, priusquam Corpus Jesu Christi acciperet, quod deinde ibidem accepit flexis humi genibus magna pietate : neque per se ipse ad lectum redire potuit; at eum in lectum reposuerunt, qui ibidem erant. Beatus Rex postulavit extremam Unctionem, atque unctus est, antequam vox eum deficeret : et quamquam vis morbi multum increvisset, dum ungebatur, ita ut voce tenuissima loqueretur; tamen, aliis dum inungebatur psalmos recitantibus, beatus Rex labia movebat. Tandem jacuit quatuor diebus sine loquela : verum erat tunc memoria bona, manusque suas conjunctas ad cælum extendebat : percutiebat quandoque pectus, et cognoscebat homines, uti apparebat ex signis, quæ faciebat : manducabat etiam et bibebat quamvis parum; manuque sua significabat, quando nihil volebat, quemadmodum faciunt, qui renuunt aliquid; aut dum aliquid volebat, uti faciunt, qui aliquid desiderant. F

oratio ejus pro populo suo, suprema verba, ac obitus sanctus.

164 Die Dominica pridie obitus ipsius frater Gaufridus de Bello-loco ad eum tulit Corpus Jesu Christi; atque ubi intraverat cubiculum, in quo beatus Rex æger decumbebat, erat extra lectum flexis humi genibus, manibus junctis ante lectum suum, ubi confessus est dicto fratri, ac Dominum nostrum accepit. Ipsa nocte, quæ præcedebat diem, qua mortuus est, inter quiescendum suspiravit, submissaque voce dixit : « O Jerusalem! O Jerusalem! » Die Lunæ, postridie festum sancti Bartholomæi, beatus Rex manus conjunctas ad cælum tetendit, et dixit : « Optime Domine Deus, miserere populi hujus, » qui hic subsistit, eumque ad patriam suam re» duc, ne incidat in manus inimicorum suo» rum, neque cogatur negare nomen sanctum » tuum. » Exiguo post hæc intervallo beatus Rex hæc verba Latine dixit : « Pater in manus tuas » commendo spiritum meum *b*. » His dictis, deinceps non est amplius locutus; sed modico post hæc tempore ab hoc mundo transiit ad Dominum postridie festum beati apostoli sancti Bartholomæi anno gratiæ MCCLXX circa horam Nonæ, qua Filius Dei Jesus Christus mortuus est in cruce pro vita mundi, cui laus, honor, et gloria in secula sempiterna. Amen.

ANNO-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ANNOTATA.

a *De expeditione hac Africana anno 1270 suscepta, continuisque Saracenorum in illa assultibus, fuse actum est in Commentario § 84 et seqq.*

b *De postremis Sancti verbis, horaque mortis consule Commentarium num. 1118 et 1119.*

c *De inquisitione hac, aliisque egimus in Commentario § 91.*

PARS II

De miraculis sancti Ludovici.

PROLOGUS.

Præfatur auctor de miraculis generatim,

Quandoquidem beatissimus sanctus Ludovicus, illustris olim Franciæ Rex, vitæ hujus functus curriculis, verius viveret quam vixisset : noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti Principis, B tantique propugnatoris fidei orthodoxæ, mundo supprimi sanctitatem : ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diversitate claresceret, et qui eum plenissima devotione coluerat, jam secum in cælesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis artuum extensione subvenit : curvis terram ferme tangentibus facie, plenam restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem *a*. Restituit gibbosos, arthriticos, laborantes morbo gravi varioque, quem vocant fistulam *b*, siccis languentes membris, memoria carentes, febribus vexatos continuis et quartanis; multisque id genus hominibus plenam reddidit sanitatem : multos item paralyticos, aliosque diversimodis languoribus pressos juvit, ac sublevavit, perfectæque eos restituit sanitati. Opem tulit cæcis ad videndum, surdis ad audiendum, claudis ad incedendum, mortuis ad vivendum, nomine ipsius invocato.

quæ auctoritate Romani Pontificis examinata sunt et approbata.

C 166 Gloriosis his miraculis, maximaque aliorum copia idem hic beatus Rex sanctus Ludovicus coruscavit, et de his miraculis solemnis facta est inquisitio *c* in abbatia domini sancti Dionysii in Francia per patres et dominos venerandos Guilielmum archiepiscopum Rotomagensem, Guilielmum episcopum Autissiodorensem, et Rolandum episcopum Spoletinum, auctoritate aulæ Romanæ, tempore sancti patris nostri sanctæ memoriæ Martini IV Pontificis. Inchoata fuit hæc inquisitio anni Incarnationis MCCLXXXII mense Maio, duravitque usque ad anni MCCLXXXIII mensem Martium inclusum. Deinde per eamdem hanc curiam Romanam gloriosa hæc miracula venerabilis sancti Ludovici magna diligentia examinata fuerunt et approbata; quorum miraculorum ordo fideliter hic descriptus est, et subjectus.

ANNOTATA.

a *Hactenus auctor bullam canonizationis, in Commentario num. 1194 Gallice reddiderat : deinde tamen alia adjungit quædam.*

b Fistulas *passim nominant medici ulcera angusta, callosa, et sinuosa. Aliquando tamen pro defluxionibus humorum etiam sumitur hæc vox, ut deinde patebit, et videri potest in auctiori Glossario Cangii ad vocem* fistula. D

CAPUT I.

Puellula submersa, in qua dudum nullum erat vitæ signum, invocato sancto Ludovico, restituta seu vitæ seu valetudini. Item mulier ex stupore fœmoris, cruris, ac pedis restituta.

MIRACULUM I. *Puellula rivo illapsa,*

Marota *, filia Frescendis Darraz, uxoris Simonis Flandrin civis Dionysiopolitani in Francia, quæ Marota infans erat trium annorum cum dimidio aut circiter, die quadam Martis quadragenario jejunio prævia anni MCCLXXXI, id est anni, qui præcedebat illum, quo facta fuit E inquisitio de hoc miraculo, post prandium sumptum circa meridiem, exivit in aream domus, in qua memorata Frescendis subsistebat et habitabat. Hæc area est post domum ante dictam trans rivum inter hanc domum et aream fluentem, quem rivum passim vocant Ruillon. Ludebat hæc infans cum fratre quodam suo, cui nomen erat Simonettus, præsente ibidem Simone Flandrin, marito matris hujus Marotæ. Demum memoratus Simon abiit e dicta area, manente ibidem dicta Marota, dictoque Simonetto cum memorato Simone abeunte. Tunc dicta Marota cepit exiguum poculum, venitque ad rivum hunc, atque aquam haurire voluit : verum illapsa est in rivum, fuitque secundo amne avecta per aquam hujus rivi intervallo majore, quam sit longitudo templi sancti Dionysii a porta majore usque ad altare majus. Nam inter domum dictæ Frescendis locumque, ubi memorata Marota fuit inventa atque aquis extracta, multæ sunt domus, interque domos parietes ac sepimenta varia. F

* *In Ms.* Marote, *forsan* Marina

ac submersa;

168 Apud domos, quæ sitæ sunt inter memoratam Frescendis domum locumque, ubi dicta Marota fuit inventa, variæ supra rivum sunt tabulæ transversariæ usque ad octo omnino aut decem : et rivus hic eo tempore tam erat profundus et altus, ut pertingeret usque ad varias ex his tabulis, aquaque super varias ex illis flueret : eratque aqua tam profunda, ut, etiamsi infans stetisset erecta, vel sic aqua supra caput ipsius fluxisset, imo, supra caput ea altioris. Adhæc, quando rivus est quam possit minimus, ne sic quidem posset ullus homo infra dictas tabulas transire, cui totum corpus cum capite non esset madefaciendum in aqua, quandoquidem aqua attingit plures harum tabularum. Porro quoniam dicta Marota non rediit ex area in domum suam, neque per domum, neque per plateam post patrem suum; sed ivit ad locum, ubi inventa est aquisque extracta, uti testes certi jurejurando affirmarunt; aperte patet, infantem hanc Marotam fuisse submersam, rivoque avectam ad locum, ubi inventa est atque aquis extracta, idque hoc modo.

deinde aquis extracta, diu manet

169 Eadem ipsa die post prandium, ubi signum erat datum ære Campano, quo signum dari solet, postquam monachi sancti Dionysii cibum

A bum sumpserunt, mulier quædam, nomine Avelina du Plessie, ancilla Mariæ de Villers, cum esset super tabulam istius rivi, nomine Ruillon, in aquam conspexit ad partem rivi superiorem; viditque quasi vestem aut pannum per rivum istum labentem, distantem a se tres facile orgyas: et quia existimabat vestem esse, aliumve pannum utilem, exspectavit supra tabulam: atque ubi pannus iste prono rivi fluxu usque ad ipsam pervenerat; Avelina hæc se inclinavit, manumque usque ad aquam extendit, ac pannum istum apprehendit. Quando eum attollere conabatur, grave pondus sensit, ac vidit cum panno vestem. Ubi una manu onus attollere non potuit, utramque applicuit manum eidem huic panno; atque ita, cum onus hoc attollit, vidit infantem esse submersam, dum caput percepit. Quia vero sola onus illud attollere non poterat supra tabulam, quod nimis grave esset, quodque vehementer esset attonita, alta voce tunc exclamavit, et hæc protulit verba: Opem ferte, opem ferte: ecce infantem mortuam; venite huc, juvate me, ad infantem hanc inde extrahendam. Dicebat id qui-
B busdam hominibus, qui in eodem illo rivo inferius pannum præparabant. Cumque Avelina isthæc sic teneret hanc infantem in dorso, unus ex istis hominibus, qui pannum præparabant, Rodulphus Langlois accurrit ad tabulam, super quam erat Avelina. Tunc se inclinavit simul cum femina, dictæque infantis vestem cepit, eamque ex aqua traxerunt, levarunt, ac tabulæ imposuerunt. Hoc facto, memoratus Rodulphus rediit ad pannos suos, aliique supervenerunt; ac dicta Avelina rediit ad hospitium suum, non nisi duabus orgyiis ab hoc rivo distans, attonitaque vehementer circumspiciebat, quid agerent. Porro prædicta Marota videbatur mortua, idque credebant omnes illi, qui illam videbant, quique ibi erant, quique eo supervenerunt, sicuti dicebant.

sine ullo vitæ signo, et ab omnibus mortua creditur.

170 Etenim nigra erat instar terræ, tota frigida, tam deformis, ac fœda, ut, si quindecim diebus supra terram fuisset insepulta; turpior non fuisset, quam tunc erat: stupendum in modum erat inflata; nullum membrorum suorum movebat, ne manum quidem; neque gemebat, neque suspirabat, neque halitum ducebat, sed
C spuma in ore ipsius erat; neque ullum vitæ signum in ipsa erat. Tandem eo venit Joannes Pelletarius *a*, qui cultro vestem hujus infantis discidit, eamque exuit: toto enim corpore adeo erat inflata, ut, cum manicæ ipsius nimis essent angustæ, qui eam tenebant, exuere non possent. Postea portata fuit ad ripam dicti rivi: et Richardus Cousturerius * eum uno pede tenuit, et altero femina quædam, cui nomen Alarga, pendulamque tenebant, et Mabilis de la Fontaine manibus os ejus aperiebat: verum nihil quidquam hac vice evomuit. Tunc adstantes dicebant illis: Nolite illam tenere pendulam; nam mortua est.

* le Cousturier

Mater ejus, re audita, votum facit S. Ludovico: signa tum

171 Tunc currens abiit Emmelina ancilla memoratæ Frescendis, dixitque dominæ suæ, Marotam ipsius filiam inventam esse submersam et mortuam. Quibus verbis auditis, mater domo exiit tremens, innixaque mulieri cuidam, nomine Richildi. Veniebat autem dicens audientibus multis: Sancte Ludovice, restitue mihi filiam meam; tantidem cum illa ponderis dabo triticum. Hæc verba sæpe dixit mater veniendo ad locum, ubi erat puellula. Interea dum memorata Marota pedibus tenebatur pendula ad ripam dicti rivi, apparuerunt in illa quædam vitæ signa: unde qui illic aderant dixerunt, Vivit. Tunc Emmelina ancilla matris dictæ Marotæ portavit aquam calidam ex domo Adami de Miteri: cumque hæc aqua aheno esset imposita, Joannes Clericus *, uxorque Adami de Miteri infantem istam in ahenum hoc imposuerunt aquæ calidæ. Tum percepit Joannes Clericus paululum vitæ in ea esse: nam color parumper ei redire incepit. Ubi fuit in aqua ista calida, magis aperuit unum ex oculis, quos antea apertos habuerat, at non omnino. Movebat et femora, vomuitque in ipsa hac aqua, et videbatur pectus ejus modicum quid habere palpitationis.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

* le Clerc

quædam vitæ apparere cœperunt cum vomitu,

172 Post hæc Frescendis mater ipsius venit, vovitque venerabili sancto Ludovico, quemadmodum ante fecerat, dixitque: Domine sancte Ludovice, restitue mihi filiam meam, ac tantidem cum ea ponderis triticum dabo: dicebatque, quod vovîsset eodem hoc modo, quando veniebat ad locum, ubi dicebant filiam suam fuisse inventam. Tunc se exuit mater veste suprema, illique infantem involvit; ac intravit domum Mariæ de Villers vicinæ suæ, multique E
cum ea homines: atque ubi mater ibidem tenuerat infantem paullo inclinatam, dicta Marota multum tunc vomuit. Post vomitum hunc cœpit gemiscere lente admodum et languide, uti solent ægri. Post hæc infans delata fuit ad domum memoratæ Frescendis matris suæ a Joanne Clerico; ac mater eos sequebatur invocans sanctam Mariam Pontisarensem, ac venerabilem sanctum Ludovicum, ut sibi restituerent infantem suam. Emmelina autem memoratæ Frescendis ancilla mandato heræ ignem accendit tunc magnum. Mater filiam suam imposuit linteo, vestique pellitæ involvit, ignique applicuit. Infans quandoque aquam, quandoque humores alios evomuit languide admodum, quandoque et gemebat.

deindeque paulatim convaluit.

173 Tunc mater lectum ipsius parari jussit, atque in eodem hoc lecto filiam suam usque ad noctem tenuit involutam. Quandoque orabat beatam Virginem Mariam, atque invocabat venerabilem sanctum Ludovicum, ut sibi redderent filiam suam. Ad vesperam, quando candelæ debent accendi, memorata Marota primum cœpit loqui, et dicere: Hei mihi! domina, hei mihi. Postquam loquelam recuperaverat, lo- F
cuta est coram Emmelina dictæ Frescendis ancilla, et Joanne Clerico, ac coram memorato Joanne postulavit pyra. Hoc modo memorata Marota vitæ restituta *b* est, dictoque periculo liberata ad invocationem venerabilis sancti Ludovici, ejusque meritis, ita ut deinde incesserit, locutaque fuerit sicuti alii infantes ipsius ætatis, vadens cum anteriori tum posteriori parte. Ipsa hæc infans cum matre sua venit ad inquisitores coram tribus ipsorum notariis, ad scribendam inquisitionem de gloriosis miraculis venerabilis sancti Ludovici statutis. Quin imo inquisitores ex hac ipsa Marota quæsiverunt, an in aquam fuisset lapsa; ipsaque dixit, se illapsam. Quando interrogabatur quare ad aquam accessisset; respondit, eo se ivisse, ut aquam hauriret in modico poculo.

II. *Mulier, nomine Emmelota*

* Emmelot, *Latine forsan* Emmelia

174 Anno Domini nostri MCCLXXXVIII circa festum Purificationis beatæ Virginis Mariæ femina quædam, ætate annorum viginti octo, aut circiter, cui nomen Emmelota * de Chaumont, uti dicebat, venit ad Fanum sancti Dionysii in Francia cum duabus aliis mulieribus: et transiens per plateam sancti Jacobi in oppido sancti Dionysii,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

Dionysii, rogavit Margaritam de Rocigni uxorem olim Milonis Poucin, an se vellet hospitio excipere. Dicta Margarita respondit se non posse, sed ostendit ei adeundam domum Emmelinæ la Charrone in eadem hac platea sitam. Memorata Emmelota venit ad hospitium dictæ Emmelinæ, eamque rogavit an præbere sibi vellet hospitium, quod illa annuit. Tunc dicta Emmelota cum duabus his mulieribus ingressa est domum dictæ Emmelinæ die quadam Dominica circa horam Vesperarum. Fuerunt illa nocte ibidem hospitio usæ. Postridie dicta Emmelota substitit in domo memoratæ Emmelinæ sana et incolumis, ac recto incedens corpore, sicuti aliæ mulieres sanæ: ivitque ad aquam, tulitque aquam ex puteo seu fonte, longo satis intervallo a memorata domo dissito: tulit quoque panem atque ignem in domum, stravit lectos, aliaque domestica obsequia præstitit, uti faciunt aliæ mulieres sanæ. Atque ita permansit sana die Lunæ sequente, fecitque prædicta. Eodem plane modo fecit die Martis sequente in hac ipsa domo.

B

usum ac sensum perdit pedis, cruris, ac femoris:

175 Nocte inter diem Martis et diem Mercurii sequentem, cum dicta Emmelota in domo memoratæ Emmelinæ cubuisset in lecto uno cum femina quadam vidua, ibique mansisset, sicuti dictum est, malum invasit dictam Emmelotam in femore, crure, et pede dextero circa mediam noctem, quemadmodum dicta Emmelota dicebat, illa hora se morbo hoc oppressam. Mane memorata Emmelina ad eam accessit, et flentem invenit; petiitque ab ea, quid esset causæ. Respondit dicta Emmelota, adeo se perdidisse usum femoris, cruris, ac pedis, ut iis se juvare non posset. Tunc illam discooperuit hæc Emmelina, viditque jam nominata dictæ Emmelotæ membra magis esse cærulea aliis membris; eaque tetigit et contrectavit cum memorata femina, quæ cubuerat cum dicta Emmelota. Porro licet memoratæ mulieres tangerent ejus membra, contrectarent, ac fortiter premerent; dicebat memorata Emmelota, se nihil sentire. Dum acu duriter pungebatur in supra dictis membris memorata Emmelota; nihil se sentire asserebat, atque invocabat sanctum Ludovicum, ut sibi opem ferret. Ut autem illæ, quæ aderant, certius cognoscerent, an dicta Emmelota sensum membrorum supra dictorum amisisset, pedem affectum ante ignem posuerunt, rogaruntque eam quæ ibi aderant, an ignis calorem perciperet. Verum nihil illius se percipere respondit.

C

verum ad tumulum Sancti portata,

176 Tunc memorata Emmelota rogavit eas, quæ ibidem erant, ut se portarent ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, cujus frequenter implorabat opem: ac votum illi fecit, dixitque, se semper ad eum peregrinaturam, neque cibum sumpturam nisi semel de die in ipsius pervigilio. Qua de causa Emmelina la Charronne, Eudelina de Chaumont, quæ tunc habitabat in domo dictæ Emmelinæ, Juliana cognomine la Douce, ejus vicina, et Maria la Flamenge imposuerunt dictam Emmelotam crati brachiatæ, eamque tulerunt ad ecclesiam sancti Dionysii, posueruntque apud sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, ut meritis ipsius illic sanaretur. Eadem hac die, qua portata fuit ad sepulcrum memoratum, circa horam Vesperarum dicta Emmelota rediit ad domum memoratæ Emmelinæ ope duorum fulcrorum sub duabus suis axillis, trahens post se pedem suum inversum, ita ut planta pedis esset sursum versa, ac tarsus in terram versus, adeo ut fulcra cum alio pede omnia sustentarent; et videretur post se trahere femur, et crus, acsi alteri corporis parti alligata fuissent, non conjuncta. Memorata Emmelina eam hac nocte in hospitio suo excepit; quamvis ægerrime illam potuerit in domum suam inducere propter descensum quatuor graduum, quibus in domum istam descenditur. D

illumque diu frequentans,

177 Post hæc memorata Emmelota multis vicibus, ac frequenter invisit dictum sepulcrum usque ad diem Dominicam Passionis proxime sequentem. Incedebat duobus fulcris subalaribus magno cum dolore, laboreque magno, trahens post se femur suum, crus, ac pedem, quæ membra, quando hoc modo incedebat, videbantur potius corpori ejus alligata, quam a natura conjuncta. Multum etiam propter morbum ac debilitatem suam laborabat in transmittendo majoris portæ ostiolo, quia ad pedem erat elevatum, ita ut illi, qui transibant per viam, et lapidarii, qui illic operabantur, ei maledicerent, quia impedimento erat in via. Quando veniebat sic ad sepulcrum gloriosi sancti Ludovici, vel jacebat ibidem, vel sedebat magno cum frigore supra dicto tempore. Itaque hæc ante nominata Emmelota venit die Dominica Passionis Domini nostri tempore matutino ad sepulcrum ante memoratum nixa fulcris suis, ægra æque ac solebat, trahens post se pedem suum; ac flebat innixa tumulo, sibique videbatur in angore vehementi. Hora Primæ ejusdem hujus diei inter Missam matutinam et Missam solemnem, dum memorata Emmelota jacebat prope dictum sepulcrum ægra, uti esse solebat, vehementer cœpit queri, lamentari, et cruciari, magnoque erat in angore, uti ex vultu ejus apparebat, quemadmodum dictum est supra. E

integræ ibidem

178 Margarita de Rocigni, et hospita ipsam interrogarunt, an quis eam percussisset. Illa respondit, quod non: Sed Dominus Deus noster, inquiebat, et Virgo Maria, et venerabilis sanctus Ludovicus brevi me liberabunt: vehementem enim patior dolorem in membris affectis. Tunc consedit dicta Margarita apud ipsam, eamque solata est. Et tum memorata Emmelota cœpit movere pedem, et femur: ossaque ejus audiebantur invicem collidi, frangi, ac mutùo affricari eo modo, acsi quis nuces manibus tenens eas invicem confricaret, quemadmodum ibidem tunc præsentes id significabant. Paullo post hæc, F cœpit membra sua extendere, eaque erigere, atque erecta tenere, manibus se sustinens ad annulos pendentes ex operculo dicti tumuli, qui erat ex ligno, atque ita se tenebat ambabus manibus. Deinde se erexit ad standum, fuitque omnino super pedes erecta sine fulcris, aliisve adjumentis. Post hæc continuo venit ad summum altare, a sepulcro tribus orgyiis et ultra dissitum, sine fulcris, aliove adjumento; rediitque ab altari ad tumulum laudans Deum, ac celebrans venerabilem sanctum Ludovicum, qui se liberasset. Postea dicta Emmelota ascendit gradus, quibus itur ad reliquias, sine fulcris, et sine ullo alio adjumento: eas osculata est, ac denarium obtulit, retroque descendit per se, et sine auxilio, atque ad tumulum rediit memoratum, ubi diu fuit flexis genibus, precesque suas illic fudit.

restituta est valetudini.

179 Eadem illa die ivit per templum sancti Dionysii ante dictum sana ac restituta, rectoque corpore, per se, sine fulcris, et sine adjumento. Ipsa etiam die post Sacrum celebratum dicta Emmelota ivit per plateam, ubi habitabat, dum erat ægrota, sana atque ex morbo restituta, per

se,

A se, sine fulcris adjumentove, quemadmodum alia quælibet mulier sana et incolumis. Veniebat et frequenter ad templum sancti Dionysii ad memoratum tumulum, ibidemque orabat, incedens recta, per se, sine fulcris, subsidioque, sicuti femina alia sana. Deinde memorata Emmelota dixit, peregrinari se velle, atque invisere templum Dominæ nostræ Bononiensis *c* ad mare, atque ita a Fano sancti Dionysii discessit. Transiit aliquod temporis spatium, antequam dicta Emmelota redierit. Tandem reversa, hospitio excepta est in domo memoratæ Margaritæ; ac post reditum habitavit Dionysiopoli, atque ancilla fuit in domo Joannis Augerii de Saugier civis Dionysiopolitani, ipsius uxoris ancilla duobus fere annis sana et incolumis, gestans onera gravia. Quin etiam tum sæpe invisebat sepulcrum, ibidemque orabat. Tandem dicta Emmelota ægrotavit in domo memorati Joannis, translataque fuit ad valetudinarium publicum Dionysiopolitanum, ubi et mortua est.

ANNOTATA.

B a *In Ms.* le Peletier, *Latine* pellio. *At nomen videtur proprium, quod tamen neque hoc loco, neque aliis locis omnino certum est, cum hujusmodi homines ab artificio, vel a patria potuerint denominari. Verumtamen, quoniam multa artificum nomina sunt propria, illa quandoque Latina tantum terminatione donata, quandoque sine ulla mutatione relinquam in textu tamquam propria, nisi manifeste appareat propria non esse : quod hic semel monuisse sufficiat.*

b *Utrum puellula omnino fuerit mortua, non facile definiri potest. Attamen omnino dicendum videtur vel mortuam fuisse, vel miraculo a morte servatam. Eminentissimus Cardinalis de Lambertinis, qui nuper ad regimen universalis Ecclesiæ sub nomine Benedicti XIV, fidelium omnium gaudio elevatus est, in Opere doctissimo de Servorum Dei beatificatione et canonizatione lib. 4, part. 1, cap. 22, num. 12, ubi multa dixerat de tempore, quo homo vivere potest sine respiratione, quod paucis minutis circumscribitur, exemplum refert huic nostro non absimile hoc modo :* Hisce argumentis fisus bonæ memoriæ Petrus Assaltus publicus medicinæ lector in C archigymnasio Sapientiæ Romanæ, vir utique summe litteratus, et amplissima præditus eruditione, scribens in causa sancti Joannis Nepomuceni, in sua dissertatione strenue probavit, miraculo esse adscribendum, quod quædam puella, nomine Rosalia, constituta in ætate sex annorum, et sex mensium, quæ fortuito deciderat in flumen Uvattavæ, et per integram horam manserat sub aquis, et extracta nullum dederat vitæ signum, ad proximam ædem adducta ebibitam aquam evomuit, et paullo post, sensuum resumpto usu, ab omni læsione apparuit libera, licet aquæ impetu ad angustum canalem cujusdam molendini transvecta, ubi duplex rota volvebatur, earum primam subter prægressa ad alteram pervenerit, sub qua semihoræ spatio permansit. *Addit eminentissimus auctor num. 14 miraculum a sacra Congregatione probatum esse,* non tamquam revocationis mortuæ ad vitam, sed tamquam præservationis a submersione, et sic ab imminenti morte, nisi intercessione sancti Joannis Nepomuceni invocati Deus effecisset, quod causæ naturales, interclusa videlicet respiratio, et allisio ad rotam, quæ mortem debuissent afferre, mortem non afferrent. *Ita sacra Congregatio, ut securiori via procederet. Eodem fere modo miraculum hoc* S. Ludovici *probatum existimo, quod in bulla canonizationis nulla habeatur mentio de mortuis a Sancto suscitatis, licet alia miracula non pauca nominentur, ut videri potest in Commentario num. 1194. Si tamen signa mortis num. 170 relata, nimirum spumam in ore, colorem nigrum, frigus, motus ac halitus defectum consideremus, quæ mortis signa recensentur apud laudatum Eminentissimum cap. 21, num. 11, probabilius putamus omnino fuisse mortuam; prout etiam existimarunt, qui miraculum probare conati sunt.*

c Bononia ad mare, *quam aliqui* Boloniam *vocant, Gallis* Bologne, *urbs est Galliæ in Picardia provincia, caput comitatus Bononiensis, de qua sæpe meminimus.*

A. REGINÆ CONFESSARIO.

CAPUT II.

E *Mulier omnibus inferioribus membris capta apud tumulum valetudini integræ restituta : alia mulier diuturno corporis tremore liberata : alia item mulier incurva sanitatem consecuta.*

III. *Mulier, membrorum inferiorum usu destituta, apud sepulcrum*

Ægidia Dionysiopolitana, filia Gerardi Clout lanii, civis Dionysiopolitani, decimo quinto ætatis suæ anno nupta fuit Stephano Phelippe lanio, civi Dionysiopolitano. Mense Julio ejusdem anni postridie festum beatæ Mariæ Magdalenæ hæc Ægidia gravida esse cœpit, ita ut intra annum pareret filiam mortuam. Priusquam pareret die quadam Lunæ inter Pascha et Pentecosten istius partus dolores sentire cœpit, magnisque torqueri cruciatibus. Die Jovis sequenti peperit infantem mortuam : cumque eo pacto laboraret; dixit mulieribus, quæ ibidem erant; ut sibi opem præstarent, super femora enim se sustentare nequibat. Itaque Maria, uxor Ceddi Dionysiopolitani, memoratæ Ægidiæ vicina, et F Buriena dictæ Ægidiæ ancilla eam sustentarunt, lectoque imposuerunt. Tunc femora ejus, ac pedes tam nigra fuere et cærulea, ipsaque tam debilis, ut neque femoribus se sustentare posset, neque pedibus : atque ab umbilico deorsum versus omnem membrorum usum amisit. Membra ejus memorata fortiter vellicabantur unguibus, quæque aderant sinebant candelas sebaceas ardentes in pedes ipsius distillare; adhæc et carbones ardentes pedibus ipsius imponebantur; nihilominus dicta Ægidia dicebat, se plane nihil horum sentire, neque ullo signo ostendebat se lædi. Quin etiam pes dictæ Ægidiæ videbatur distortus. In hoc statu fuit sesqui anno, nulla memorato malo medicina applicita. Dicto tempore Buriena dictæ Ægidiæ tunc ancilla, et Joanna uxor Joannis Naus, quandoque etiam femina alia, portabant memoratam Ægidiam de loco in locum, nunc ad portam, nunc alio, prout erat congruum. Cum eadem ipsa die, qua ossa venerabilis sancti Ludovici, olim Galliæ Regis, portata fuerant ad templum sancti Dionysii, nimirum die festa sancti Bartholomæi *a*, dicta Ægidia *a*

in-

A. Reginæ Confessario.

intellexisset, eos, qui strumis laborabant sub gutture, sanatos fuisse solo contactu arcæ, in qua ossa venerabilis sancti Ludovici requiescebant; hominemque Dionysiopoli natum, qui vitio visus ante laborabat, hoc modo visum recepisse; ipsa die memorata Ægidia vovit venerabili sancto Ludovico, se, si hac infirmitate ab eo liberaretur, quotannis interfuturam Sacro ejus anniversario, nullum ea die opus facturam, ejusque futuram peregrinam. Adhæc memorata Ægidia ferri se jussit ita ægram ad dictum tumulum venerabilis sancti Ludovici, ponique apud ipsum se curavit ipso anno, quo ossa memorati venerabilis sancti Ludovici in Galliam fuere delata. Ponebat dicta Ægidia manum suam super locum, ubi erat sepultus, dein tangebat membra sua affecta; arcam osculabatur et tumulum, et sæpe de die apud tumulum jacebat, cumque erat apud tumulum, orabat, ac sæpe invocabat venerabilem sanctum Ludovicum, ub ab eo restitueretur.

primo melius habet,

181 Deinde nona die videbatur sibi dicta Ægidia melius habere, magisque ex morbo ante memorato restituta; ossaque ei in membris suis B inter se collidi videbantur. Itaque die decima memorata Ægidia fuit apud dictum tumulum; tantamque in membris suis mutationem sensit, ut erigere se fuerit conata, seque erexerit per se, sine subsidio, ac super pedes suos steterit. Tenens autem manu sua baculum, ivit ad altare majus nixa hoc baculo, circumiit altare, illud osculata est, tum ad tumulum est reversa. Eadem die ad altare majus ivit sine baculo, alioque adjumento, languide admodum; ivit tamen, ac pluries circumivit altare manibus junctis, minimum tribus vicibus : deinde ad tumulum regressa est, ibique substitit, donec Vesperæ fuissent cantatæ. Illa hora, qua portæ templi sunt claudendæ, dicta Ægidia per se surrexit ex loco, ubi erat apud sepulcrum, manuque cepit baculum suum, comitantibus eam mulieribus quibusdam, scilicet Giomaria uxore Gerardi de Louvres, ejusque matre, atque ancilla dictæ Ægidiæ, aliisque quibusdam personis, quæ eam non juverunt, neque tetigerunt, uti dicebat, ivitque domum sine alio adjumento quam memorati baculi.

deinde et integre sanatur.

C 182 Post hæc die undecima sequente memorata Ægidia ivit ad dictum templum, dictumque tumulum per se, pedibusque suis, tantum manu scipionem suum gestans, ac sine alio subsidio, ut integram recuperaret sanitatem, atque ita rediit. Sic fecit et tribus diebus sequentibus, adeo ut die decima quarta perfecte se restitutam senserit, ac scipionem, quem gestare solebat, in templo reliquerit, domumque suam repetierit per se, sine scipione, aliove adjumento, sana et restituta. Deinde ivit ad templum, aliaque loca per se, fecitque quodcumque habebat negotii sana, ac valetudine integra; atque adhuc superstes erat quando inquisitio de hoc miraculo fuit facta, videlicet anno MCCLXXXII mense Maio. Dicebatur autem passim tempore ante memorato per urbem sancti Dionysii, dictam Ægidiam morbo prædicto liberatam fuisse meritis venerabilis sancti Ludovici, et quia opem ejus imploraverat. Homines etiam, quando memoratam Ægidiam cernebant, passim dicebant : Eccam illam, quæ restituta est per venerabilem sanctum Ludovicum.

IV. 183 Theophania, olim uxor Adami Rance de Chastelet, ex parochia sancti Marcelli in urbe sancti Dionysii, ætate sexaginta annorum, dum olim erat ætate sexdecim annorum aut circiter, D ovesque suas ac oves fratris sui servabat in agro, sedens circa Pentecosten, (at neque mensis neque diei recordatur) gravi correpta est morbo circa Nonas aut Vesperas, ex quo tremula fuit omnibus membris suis, quandiu hoc morbo vexabatur. Hoc malum ita eam urgebat, dum erat juvenis, ut quandoque agitaret caput suum, quandoque linguam extenderet, quandoque retraheret, quandoque dentes inter se collideret, quandoque digitos suos ac manus sæpe vi clauderet ac aperiret, imo et pedes suos agitaret, ac terram percuteret. Porro quando memorata Theophania fuit juvenis, dictus morbus eam magis vexabat quolibet mense tempore novilunii diebus octo vel novem; non simul in omnibus membris, at morbus ab uno membro transiliebat ad aliud, eamque vexabat semper in quodam ex membris supra dictis. Vergente ad senectam ætate, dicta Theophania vehementius urgebatur morbo ante dicto; illoque fere perpetuo laborabat in uno aliquo membrorum suorum : ac venter ejus quandoque adeo erat dicto E morbo explanatus, ut spinæ dorsi cohærere videretur. Quando memoratum malum ei erat in dentibus, vel in lingua, manducare non poterat, neque manducabat. Dum in dentibus, linguaque cessabat, quamvis id malum in aliis esset membris, manducabat. Hoc morbo laboravit dicta Theophania annis viginti octo *b*; atque ab eo tempore, quo sexdecim erat annorum, usque ad tempus, quo ossa sancti Ludovici translata fuere in Galliam.

Mulier horrendo membrorum tremore vexata,

184 Itaque, cum memorata Theophania dici audivisset, undecim jam transactis annis, feminam quamdam nomine Emmelotam, quæ incedebat tam incurvata, ut baculo inniteretur non nisi sesqui pede longo, tali morbo liberatam fuisse ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, et rectam omnino incessisse; cumque Joannes filius memoratæ hujus Theophaniæ ei dixisset, cupere se, ut Theophania mater sua adiret tumulum pro liberatione ac curatione sua, imploraretque opem venerabilis sancti Ludovici, etiamsi illum tumulum toto anni spatio frequentare deberet; cumque dictus Joannes crederet, uti dicebat, matrem suam illic restituendam; memorata Theophania ivit, venitque ad tumulum F die sequenti. Porro dum die quadam memorata Theophania adiret dictum tumulum, Joanna Carretaria * interrogavit dictam Theophaniam, quo iret. Respondit præfata, Theophania se adire tumulum memoratum : sperare enim ibidem se morbo suo liberandam, quemadmodum memorata Emmelota fuerat liberata. Tunc ei dixit memorata Joanna : Provectæ nimis es ætatis; non sanaberis ex hoc morbo, nisi dum morieris. Respondit illi dicta Theophania : Sanabor omnino : confido enim a venerabili sancto Ludovico me liberandam. Venit memorata Theophania diebus novem summo mane ad sepulcrum memoratum, mansitque ibidem usque ad vesperam; idque dicebat cum rediret domum. Memoratis autem modo diebus vehementius vexabatur dicto morbo quam solebat antea, fuitque dicta Theophania diebus memoratis semper apud dictum tumulum, non manducans nisi vesperi, dum redibat domum. Die nona inter Nonas et Vesperas adeo pressa fuit morbo prædicto, quando erat apud dictum tumulum, ut morituram se tunc putaret. Unde vehementer admodum flere cœpit, atque implorare opem Dei, venerandique sancti

frequentato tumulo, integræ restituitur sanitati.

* la Charretiere

Ludovici,

A Ludovici, ut ab illis restitueretur. Tunc ei videbatur magnum glaciei frustum ex corpore suo in caput ascendere, atque egredi ex illo per os, oculos, et caput : atque ab illa hora multum se sensit relevatam ex magno cruciatu, in quo fuerat. Nocte sequente memorata Theophania gravem ab hoc morbo sensit cruciatum, dieque sequente ad tumulum venit tota tremula, fuitque ibidem, agitans caput suum, membraque sua creberrime. Eadem die ante Completorium, priusquam templo egrederetur, ita liberata fuit hoc tremore, hacque membrorum suorum agitatione ante memorata, ut postea nihil illius senserit, hacque ipsa die domum reversa sit tam integre restituta, ut deinceps nihil morbi prædicti sit experta. Passim autem dicitur in memorata parochia, atque ab illis, qui eam noverunt, liberata fuisse memorato morbo meritis atque invocatione sancti Ludovici.

V. *Mulier incurva apud tumulum erigitur.* c

185 Quædam olim mulier, cui nomen Emmelota, natam se dicens Cameliaci Loricarii *c*, triginta annorum et ultra, incedebat per urbem sancti Dionysii, tribus annis aut circiter, antequam ossa venerabilis sancti Ludovici allata fuissent in Galliam, tam incurva, ut nates ipsius altiores essent quam caput. Quando incedebat, caput suum ferebat a terra pede uno cum dimidio, nixa baculo, quem manu tenebat, longitudine sesquipedali, aut circiter. Hoc modo dicta Emmelota pedibus per terram ibat, non genibus, monstrumque videbatur; ut infantes, dum eam cernebant, aufugerent; illaque, dum cælum aut personam aliquam aspicere volebat inter eundum, collum invertere deberet, ut prædicta posset conspicari; ac, dum per gradus descendere volebat dicta Emmelota, non posset propter curvitatem suam, descenderetque per gradus se volvendo. Postquam ossa venerabilis sancti Ludovici allata fuerant ad Fanum sancti Dionysii, ægrique inceperant advenire ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici pro valetudine recuperanda, memorata Emmelota etiam venit ad dictum sepulcrum, jacebatque ibidem diebus pluribus. Porro ab initio, dum memorata Emmelota ad tumulum memoratum venire vellet, dicta Emmelota adivit domum Thomæ de Hystoire, cui commissa erat cura illorum, qui accedebant ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, ne comprimerentur; eumque tunc rogavit vehementer admodum, ut se collocaret prope tumulum loco idoneo; dicebatque fidem sibi esse et spem, restituendam se per venerabilem sanctum Ludovicum. Hoc modo ægrotans, jacensque apud tumulum gloriosi sancti Ludovici opem implorabat his verbis : Domine sancte Ludovice, adjuva me, et sanitati me restitue. Tunc die quadam accidit, qua memorata Emmelota ægra jacebat apud tumulum more solito, ut paulatim cœperit erigi, miseritque manum suam ad arcam ligneam, quæ tunc erat supra tumulum. Deinde se erexit, auditaque sunt ossa ejus collidi invicem, ac confringi; incessit per se, pedibus suis, sine alio sustentaculo, recta plane, ad altare princeps, distans inde tribus orgyiis aut circiter, rediitque etiam ad tumulum. Eadem die dicta Emmelota ivit erecta pedibus suis, per se, sine baculo, aliove adjumento per templum. Multi homines accurrerunt visuri miraculum istud, et monachis maledicebant, quod æra campana non agitarent hujus miraculi causa. Hac ipsa die memorata Emmelota reversa est per se, pedibus suis, ad hospitium Acii Fabri *, in quo hospitabatur, eoque ivit sana et recta sine baculo adjumentove. Fuit deinde in hospitio memorati Acii sana et recta anno uno et ultra, atque incedebat per urbem sancti Dionysii, ferebatque sæpe situlam aqua plenam super caput suum, pannosque lavandos; aliaque faciebat sicuti mulieres aliæ. Veniebat etiam sæpissime ad templum sancti Dionysii, atque orabat ad memoratum tumulum sana et recta. Porro dicebant passim in urbe sancti Dionysii viri et mulieres, clerici, laici, et monachi, memoratam Emmelotam meritis, atque ad invocationem venerabilis sancti Ludovici liberatam fuisse morbo ac curvitate ante memorata.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ANNOTATA.

a *Hæc quidem periodus Gallice habetur expressa in apographo meo, prout eam Latine reddidi. Verumtamen necesse est, mendum aliquod irrepserit, nisi suspicari malimus, auctorem verba Latina non recte intellexisse, sensumque mutasse, dum ea Gallice expressit. Quidquid sit, constat sacra ossa non fuisse Dionysiopolim portata festa die S. Bartholomæi, seu* XXIV *Augusti, sed* XXII *Maii anni 1271, quemadmodum narravimus in Commentario num. 1137. Suspicor itaque mulierem festo S. Bartholomæi intellexisse miracula, quæ contigerant ipsa die, qua corpus allatum.*

b *Narrat idem miraculum Nangius pag. 394, ubi dicitur laborasse hoc malo* per quadraginta sex annos vel circiter. *Quod cum ætate sexaginta annorum, si anno decimo sexto ætatis correpta est malo, consentit melius. Error itaque hic irrepsit ex numeris non recte subductis aut corruptis. Præterea apud Nangium mulier dicitur* de insula Sequanæ, quæ prope villam sancti Dionysii est. *At id facile componi potest cum dictis hujus Vitæ, si in uno loco nata, in altero deinde habitarit. Reliqua inter se congruunt.*

c Cameliacum, *vel* Camliacum, *cognomento* Loricarium, *vulgo* Chambly le Haubergier, *uti hic quoque vocatur, caput est pagi Cameliacensis in Bellovacis, ut habet Valesius in Notitia Galliarum pag. 120, ubi plura videri possunt. Idem miraculum refert Nangius pag. 394, ubi mulier vocatur* Amelota : *et Carnotensis supra num. 41, a quo* Amelina *nominatur : utriusque autem relatio huic consonat.*

CAPUT III.

Puellula ad tumulum Sancti ex tumore super oculum restituta : item cujusdam viri pes putridus sanatus.

VI. *Fœda supra oculum puellulæ cujusdam extuberatio.* a

Joanni lanio de Grolai *a*, ex Margarita uxore sua tempore vindemiæ anno Domini nostri MCCLXXI nata fuit filia, nomine Maria. Secunda autem tertiave die post natam hanc puellulam sub oculo dextero hujus filiolæ apparuit macula rubra, acsi pulex eam ibidem momordisset. Postea hæc pustula, signumque istud crevit paulatim de die in diem ad magnitudinem mediocris ovi gallinacei. Porro crescebat id signum in parte oculi

A. REGINÆ CONFESSARIO.

oculi versus tempus, ac elevabatur ad supercilium, operiebatque oculum, ita ut puellula isto oculo videre non posset præterquam oblique, nisi hic tumor digitis amoveretur, atque ab oculo sustolleretur. Erat hæc carnis exstantia rubra et mollis instar carnis; neque ullam emittebat putredinem. Malum hoc ita duravit spatio unius anni et novem mensium, aut circiter. Joannes dictæ puellulæ pater, ejusque uxor Margarita hujus infantis mater, eam deportarunt Parisios, ac medicis chirurgisque ostenderunt, ac de hoc malo eos consuluerunt. Medici hi illis dixerunt, si tumor hic carnis abscinderetur, infantem morituram, aut oculo isto privandam. Medicinæ quædam dicto malo fuere applicitæ, herbæque impositæ, quæ nihil prorsus profuere, sed nocuere potius, malo majora incrementa sumente.

illata sæpius ad tumulum puellula cum votis parentum,

187 Post hæc, cum dicti Joannes et Margarita intellexissent, multa facta esse miracula ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, Joannes pater istius puellulæ eam vovit Deo, et venerabili sancto Ludovico, dicens hæc verba : Optime Domine Deus, et venerabilis sancte Ludovice, vobis voveo filiam meam, eamque vobis dono, et promitto vobis, illi imposterum non alium fore medicum, quam vos. Tunc eam portavit dicta Margarita ipsius uxor jussu memorati Joannis ad tumulum memoratum usque ad sexdecim dies continuas, excepta die secunda. Ubi dicta Margarita rursum portavit dictam puellulam ad tumulum memoratum; ita vovit, et dixit : Domine sancte Ludovice, ora Dominum nostrum, ut liberet hanc filiam meam hoc malo; et promitto tibi, me numquam toto vitæ meæ tempore die Veneris indusio vestiendam, dum illius recordabor, et si forte illius obliviscar, ac recordabor postea, mox illud depósituram. Votum suum optime servavit mater usque ad inquisitionem de hoc miraculo. Rursum alia vice, priusquam puella esset liberata, dum dicta Margarita ipsius mater ad tumulum veniebat atque ibat, hanc puellulam vovebat venerabili sancto Ludovico, dicebatque, si Deus, ac venerabilis sanctus Ludovicus hoc malo illam liberarent, hanc puellulam, quamdiu esset in societate sua, fore ipsius peregrinam, seque oblaturam quotannis candelam puellæ longitudini parem; et si anno quodam contingeret, ut illam offerre non posset paris cum puella longitudinis; se duabus vicibus id impleturam.

subito humi prolabitur relicta cicatrice,

188 Secunda vice, videlicet secunda die, qua memorata puella fuit portata ad tumulum memoratum; dictus carnis tumor cœpit aliquantulum separari a carne alia. Quando Joannes puellæ pater id percepit, dixit Margaritæ uxori suæ hæc verba : Credo infantem nostram per venerabilem sanctum Ludovicum restituendam : ito quotidie, et portato memoratam infantem ad tumulum præfatum : atque ita fecit dictæ puellulæ mater, quæ ibidem erant usque ad vesperam. Tandem, ubi dicti Joannes et Margarita die decima sexta venissent ad tumulum memoratum; ac Joannes iste teneret dictam puellulam retro sub axillis, posuit os infantis locumque affectum super tumulum, atque exclamavit puellula acsi ocrea fuisset puncta. Dicti Joannes et Margarita locum lustrarunt, videruntque hunc carnis tumorem in terram lapsum. Tunc vultum puellulæ conspexerunt, eamque viderunt liberatam, relicto ibi vestigio mali rubro. Non ita tamen sanguinabat, ut sanguis deflueret, quemadmodum fit, quando frustum carnis a carne mortua abscinditur.

ac puellula integre sanatur.

189 Cum suaderetur memoratæ Margaritæ, ut medicos consuleret, atque unguenta adhiberet ad vibicem illam sanandam : respondit nequaquam id se facturam; sed exspectaturam, donec Deus et venerabilis sanctus Ludovicus, qui illam majori malo liberaverant, reliquiis his ipsam liberarent. Deinde dicta Margarita illam tulit ad sepulcrum memoratum toties, ut supra vibicem crustula oriretur, deindeque siccaretur : et tunc memorata puella dicto malo, dictaque vibice prorsus liberata est intra mensem unum, aut circiter : semperque deinde a malo prædicto libera fuit usque ad inquisitionem de miraculo prædicto. Porro memoratum carnis frustum suspensum est, mansitque supra sepulcrum venerabilis sancti Ludovici; et homines dicebant : Tuber est infantis ex Grolai, quam venerabilis sanctus Ludovicus restituit sanitati. Passim etiam dicitur in Grolai, atque in urbe sancti Dionysii, dictam puellam fuisse liberatam meritis venerabilis sancti Ludovici, ad invocationem ipsius. Inquisitores viderunt memoratam puellam, quæ coram ipsis exhibita est, locumque tetigerunt, ubi malum istud fuerat : verum nihil apparebat, nisi cicatrix exigua, quæ jam plane firmata erat, ac omnino sanata.

VII. *Juvenis pede affectus, ubi frustra, a chirurgis,* b c

190 Guilielmus, cognomine Potentiarius *b*, natus in Varengubet ultra Lesguez *c* in diœcesi Constantiensi, venit Parisios duodecimo præterpropter ætatis suæ anno, ac habitavit apud Robertum, cognomine Reboule, fullonem et civem Parisiensem, sanus per annum et medium, aut circiter. Tunc eum invasit malum in pede dextero sub pedis malleolo intus et foris, pedemque ejus inflavit, ut cœperit claudicare, claudicansque incesserit : in quo statu permansit per annum. Cum non restitueretur, consilium petiit, ac quæsivit ex medicis, qui ei dixerunt, pedem ipsius scindendum ab utraque parte, propter malum ibidem congregatum et coagmentatum. Itaque magister Henricus du Perche chirurgus, habitans Parisiis, secuit pedem memorati Guilielmi in eodem loco sub malleolo intus et foris : curavitque deinde memoratum Guilielmum per sex septimanas. At nihil ei profuit, sed videbatur potius ei nocuisse, quidquid chirurgus fecerat. Itaque dum memoratus chirurgus eum ea de re monuit, suasit dicto Guilielmo, ut peregrinaretur ad sanctum Eligium : ibique Deum oraret per merita sancti Eligii, ut memorato ipsum malo liberare dignaretur : non enim credebat eum humana opera aut medicina sanari posse. Qua de causa memoratus Guilielmus in dolore fuit et angore propter morbum, et quia non existimabat, se perferre posse tanti itineris laborem etiam fulcris incedendo, uti incedebat, atque incesserat a tempore, quo pes ejus fuerat sectus.

et sancto Eligio opem speraverat. d

191 Nihilominus iter suscepit, ivitque Noviodunum *d* non sine angore multo et dolore. Portatus tamen fuit quandoque ab alio, nam incedere non valebat. Ubi eo venerat, substitit ibi una nocte, ac postridie discessit; neque quidpiam in pede suo sensit solatii. Postquam reversus est Parisios, hospitatus est in domo Roberti Reboule, quocum habitaverat antequam fuit æger; neque se movere poterat absque fulcris subalaribus. Tunc memoratus Robertus ei suasit, ut confiteretur de peccatis suis, rursumque conscientia pura iret ad sanctum Eligium

ante

A ante memoratum. Ubi dictus Guilielmus fuerat confessus, memoratus Robertus dicto Guilielmo socium dedit servum suum, nomine Contextum, ut eum juvaret in itinere. Itaque dictus Guilielmus, memoratusque Contextus iverunt ad sanctum Eligium; atque ubi fuerunt ibidem, dictus Guilielmus illic donum obtulit, quemadmodum alii faciunt ægroti, ac deinde Parisios redierunt : at dictus Guilielmus nihil quidquam consecutus est solatii.

nullo demum nisi cruris amputandi relicto consilio

192 Tandem, ubi dictus Guilielmus sic longo tempore fuerat sine ullo solatio, alius chirurgus, nomine magister Bernardus, qui habitabat Parisiis, curavit dictum Guilielmum per mensem, aut circiter; ac conabatur eum sanare, quantum poterat. Postquam percepit se non posse sanitatem restituere memorato Guilielmo, eum dereliquit. Deinde malum increvit, ita ut ossa egrederentur e pede ipsius, eaque propriis manibus dictus Guilielmus extraheret. Quod apponebatur ab una parte pedis ipsius egrediebatur ab altera, sive festuca esset, sive aliud quidpiam : fœtor erat tantus, tantaque putredo, quæ ex pede ipsius effluebat, ut memorati Roberti familia eam ferre non posset, sed reprehenderent B dictum Robertum, quod eum in domo sua retineret. Circa foramen majus in circuitu pedis dicti Guilielmi erant septem vel octo minora foramina, scaturientia semper, fœtoremque ac putredinem emittentia. Crus dicti Guilielmi ei ita concreverat, ut id humi ponere non valeret, neque pedem. Qua de causa dictus Robertus Reboule ei suasit, ut pedem sibi amputari curaret, fierique tigillum ligneum; ut melius sanari posset, interque homines versari ad victum sibi comparandum. Itaque memoratus Guilielmus adivit fabrum lignarium, eique narravit, quid facere vellet. Quod cum audivisset ille lignarius, rem improbavit; ac Guilielmus ejus consilio acquievit, præsertim propter timorem pedis amputandi. In hoc statu fuit memoratus Guilielmus usque dum ossa venerabilis sancti Ludovici in Galliam fuere translata.

venit iteratis vicibus ad sepulcrum Sancti,

193 Postquam ossa prædicta portata fuere Parisios, atque in sacello regio sunt posita; ac Guilielmus audivit Dominum nostrum operari miracula meritis venerabilis sancti Ludovici, C fiduciam concepit, uti miracula operabatur ac prodigia in gratiam aliorum, ita etiam in sui gratiam operaturum. Adivit igitur sacellum regium, illudque intrare voluit, ut iret ad ossa venerabilis sancti Ludovici : verum intrare non potuit, fuitque illa nocte apud portam palatii. Deinde, ubi ossa venerabilis sancti Ludovici Dionysiopolim fuere translata, ibidemque sepulta, memoratus Guilielmus fulcris subalaribus venit ad tumulum venerabilis sancti Ludovici. Eadem die cum fulcrorum ope Parisios reverteretur, adeo se relevatum sensit, ut sine fulcris ac sine baculo [incedere posset e] quod non fecerat continuo decem annorum proxime præteritorum intervallo. Tunc memoratus Robertus Reboule dixit memorato Guilielmo · Ito, bene confitetor peccata tua, ac magna pietate redito ad sepulcrum memoratum, Deumque orato, ut te restituere dignetur per merita venerabilis sancti Ludovici. Confessus est dictus Guilielmus, deindeque fulcrorum ope rediit ad sepulcrum memoratum, fuitque ibidem per novem dies continuas apud tumulum memoratum, atque implorabat opem venerabilis sancti Ludovici ad liberationem suam.

A. Reginæ Confessario. ubi, imposito vulneribus suis tumuli pulvere, sanitatem consequitur.

194 Die septima vel octava, postquam rediit ad tumulum, cepit pulverem, positum in saxo, quod erat supra sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, ex eoque aliquid immittebat novem foraminibus in pede suo factis in modum fistularum f, redundantibus fœtore et putredine, uti ante dictum est; dictaque foramina intra tres dies fluere cessarunt, ac carne impleta fuere sine ulla alia medicina. Ubi [dictus Guilielmus ibidem fuerat diebus novem, sanitati restitutus fuit, rediitque Parisios ad hospitium domini sui, fulcris subnixus propter debilitatem suam, quæ ibidem reliquit, neque umquam deinceps portavit. Verum incedebat huc illuc per viam ope baculi, quem manu tenebat, ad quatuor menses aut circiter, dictaque foramina clausa erant, ac carne impleta, neque emittebant quidquam; at supererant cicatrices. Potuisset tunc memoratus Guilielmus sine baculo incedere, si voluisset; sed parumper illo pede claudicabat. Postea a morbo prædicto semper liber fuit. Passim quoque dicto malo liberatus fuisse dicitur per merita, atque invocata ope venerabilis sancti Ludovici : atque ita ex dicto morbo restitutum eum viderunt examinatores illa die, qua id factum E commemoravit, ac coram illis exposuit.

ANNOTATA.

a *In mappis Blavianis non multum ab oppido S. Dionysii notatur vicus* Groslay : *locum hunc una tantum leuca fuisse Dionysiopoli dissitum, ait num. 276 Nangius pag. 394 hoc referens miraculum, vocat filiam* cujusdam carnificis, *id est, lanii,* de Gloleio. *Hinc nomen Gallicum* le Boucher *per* lanium *exposui.*

b *Gallice* le Potencier, *ita dictus, quod incederet fulcris subalaribus nixus : nam illa a Gallis vocantur* potences.

c *Locum hunc neque in Normannia, ubi Constantia, quæ vulgo* Coutance *dicitur; neque in Suevico circulo ubi Constantia Alemannica, invenire potui, quamvis ponatur in diœcesi Constantiensi. Suspicor voces nimis luxatas, aut locum ignobiliorem esse, quam ut commemorari debuerit.*

d *Noviodunum, vulgo* Noyon, *urbs est Veromanduorum, cujus episcopus olim fuit S. Eligius. De hoc Sancto pluribus agemus ad Kalendas Decembris.* F

e *Duas has voces, quæ videbantur excidisse, adjunxi ad sensum explendum.*

f *Nangius pag. 394 eodem modo, sed brevius, hoc narrat miraculum : ac* fistula *laborasse scribit. Quid autem sit fistula, dictum est in notis ad prologum lit.* c.

CAPUT

A. REGINÆ CONFESSARIO.

CAPUT IV.

Apud Sancti tumulum cæco visus redditus : vir provectæ ætatis tremore capitis ac manuum liberatus : puellæ crurum ac pedum usus restitutus.

VIII. *Cæcus* Thomas de Voudai *a* liquide audiebat ac clare videbat a tempore, quo natus est, ac spatio duodecim annorum deinceps. Custodiebat quandoque porcos populi vici *b* Voudai, serebat quandoque frumentum, aliaque peragebat negotia sua. Cum memoratus Thomas nocte quadam cubuisset in area Clementiæ olim uxoris Ansuti Carronii *, visum perdidit, adeo ut nihil cerneret, haberetque oculos in capite inversos, quos parumper tenebat apertos, ac quandoque plusculum aperiebat; neque apparebant pupillæ : adeoque cæcus fuit, nihilque prorsus videns per annum et ultra in villa Voudai. Erat eo tempore pauper et mendicus, ac victum quærebat in memorato vico. Eum quandoque ducebat adolescentulus, filius Oudardi Boscheron, quandoque Adamus Vicart, quandoque solus ibat baculo nixus, quandoque in lutum labebatur, seque totum maculabat, eumque ex luto levavit aliquando Joannes Candelerius *. Contigit semel, ut Guilielmus filius Hugonis Boscheron, qui ducebat memoratum Thomam, eum solum reliquerit in platea quadam vici Voudai. Tunc dictus Thomas solus ire aggressus est, pedes alte sustollendo, atque innitendo parieti cuidam versus foramen alicujus caveæ. Ubi Joannes Candelerius, et femina quædam, transiens per plateam, viderunt hunc Thomam, ad foramen memoratum appropinquantem, timuerunt ne in illud incideret, veneruntque ad ipsum, atque ei dixerunt : Quid id est, Thoma? Parum abest, quin incidas in istud foramen.

* le Charron

* le Chandelier

B

196 Post hæc memoratus Thomas intellexit, atque audivit passim referri, venerabilem sanctum Ludovicum patrare Dionysiopoli miracula grandia, prodigiaque multa, atque ei dictum fuit, prudenter facturum, si eo tenderet. Dixit igitur eo se tendere velle, ac credere, si eo iret. se sanandum; quin se eo iturum dixit, etiamsi tunicam suam vendere oporteret, eoque indusio tectum venire. Tunc memoratus Thomas rogavit Elisabetham matrem Adami Vicart, ut Adamum filium concederet, ducem sibi futurum ad sanctum Ludovicum. Eo cum memorato Thoma ivit dictus Adam non voluntate matris suæ, eumque ad Fanum usque sancti Dionysii duxit. Octiduum impenderunt, priusquam Dionysiopolim venissent; per oppida enim in itinere occurrentia victum mendicabant. Tum venerunt ad tumulum domini sancti Ludovici Galliæ Regis. Ubi venerunt ad hunc tumulum, dictus Thomas mansit apud tumulum, manuque cepit annulum quemdam affixum, atque ad tumulum procubuit. Ubi tantisper illic jacuerat, surrexit, et tum cœpit ex oculis naribusque ipsius sanguis fluere, ita ut in vestem ejus decurreret. Dixit memoratus Thomas dicto Adamo : Chare socie, video. Mox quidam ibi præsens ei ostendit cultrum manubrio albo, quem in manu habebat, eumque interrogavit, quid haberet in manu sua. Respondit dictus Thomas, cultrum esse manubrio albo. Femina, quæ sacrum rosarium manu tenebat, rogavit dictum Thomam, quid esset, quod manu teneret. Respondit esse rosarium.

apud sepulcrum visum recipit,

C

D

197 Postea iverunt manducatum in urbe. Post cibum sumptum venerunt Parisios, ibique manserunt illa nocte, et die sequenti venerunt in Voudai inter Nonam et Vesperas : verum non intrarunt vicum ante Vesperas. Post Vesperas ingressi sunt vicum Voudai. Portabat memoratus Thomas baculum super humeros, ac viri multi multæque mulieres obviam ei processere magna cum lætitia; dicentes sanctum Ludovicum magna operari prodigia. Deinde per vicum iverunt usque ad valetudinarium publicum hujus ipsius vici, ubi manserunt nocte illa. Eadem illa nocte, ubi dictus Thomas primum rediit in Voudai ex abbatia sancti Dionysii ante portam valetudinarii dicti vici circa horam Vesperarum : Jacobus, cognomine Belouis, armiger ostendit dicto Thomæ denarium, quem memoratus armiger tenebat manu sua, ut periculum faceret, an dictus Thomas illum cerneret, quod passim diceretur visum recepisse; rogavitque memoratum Thomam, qualis esset denarius. Hic dixit Parisiensem esse; et verum dixit. Porro postquam dictus Thomas reversus est, oculos habebat in capite tam rectos, tam claros, tam nitidos, tam bene dispositos, quam habuerat, antequam visum perdidisset. Deinde recuperato visu, memoratus Thomas passim ibat per domos, per plateas, ac per stratas silicibus vias dicti vici sine ullo ductore. Accedebat item ad puteos aquaticos villæ, aquam inde hauriebat, eamque portabat ad domos populi vici Voudai. Augusto sequente porcos dicti vici servavit, uti fecerat priusquam esset cæcus, serebat frumenta, aliaque peragebat negotia, quemadmodum qui clare videt : et dicebat sanctum Ludovicum sibi visum restituisse : fama item regionis habet, asseritque memorato Thomæ visum esse restitutum miraculo, ac per venerabilem sanctum Ludovicum, idque passim creditur. Demum memoratus Thomas cruce se signavit, dicens se peregrinari velle trans mare, propter gratiam a Deo, ac venerabili sancto Ludovico sibi præstitam, ad honorem Dei atque hujus ipsius Sancti.

ut late hic probatur.

E

F

198 Vir quidam, nomine Gilbertus Senonensis *, ætatis sexaginta annorum et canus, habitabat in parochia sancti Andreæ de Arcubus *c* Parisiis gravi vexatus morbo. Quippe caput habebat tremulum et pendulum, manusque adeo tremulas, ut scyphum ori applicare non posset, quin id, quod in scypho erat, effunderetur, etiamsi non nisi dimidia parte esset plenus, et vix aliquid manu posset retinere. Hinc sæpe vicini ejus aut hospites scyphum ori ejus admovebant, quia videbant quod se juvare non posset, neque scyphum ori suo admovere ad bibendum hujus tremoris causa. Ægrotavit hoc modo dictus Gilbertus per duos annos et ultra. Porro quia hoc morbo erat tremulus, operari non poterat : unde erat mendicus, ibatque ad templum divæ Virginis Parisiis, aliaque templa, ac stipem flagitabat, et cum aliis pauperibus sedebat. At priusquam ægrotabat, claves solebat portare venales.

IX. *Senex tremulus*

* de Sens

c

199 Hic itaque Gilbertus, ubi audivit miracula fuisse facta Dionysiopoli ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, valedixit Joannæ Carnotensi

apud sepulcrum malo suo liberatur,

A notensi *, ejusque marito; dixitque se conaturum pervenire ad tumulum memoratum, apud quem sperabat se liberandum per venerabilem sanctum Ludovicum. Ista vero Joanna ei tum respondit his verbis : nequidquam tu eo tendis : nam provectæ nimis es ætatis, neque sanari poteris. Reposuit Gilbertus, omnino se iturum, ibique mansurum tanto tempore, donec vel moreretur, vel sanaretur apud dictum tumulum venerabilis sancti Ludovici. Anno igitur MCCLXXIV inter festum Pentecostes ac sancti Joannis memoratus Gilbertus venit ad urbem sancti Dionysii, et fuit mansitque cum aliis ægris apud dictum tumulum per multos dies a tempore matutino usque ad Vesperas, ut dicto morbo liberaretur. Interea dum erat apud tumulum memoratum ita æger, ut supra dictum est, sperabat se dicto morbo ibi liberandum. Atque ita una aliqua ex dictis diebus, antequam ab urbe sancti Dionysii discederet, inter Pentecosten et festum sancti Joannis prædictum, dictus Gilbertus ex morbo memorato restitutus fuit, ita ut neque manus ipsius, neque caput ita tremerent, sicuti tremere solebant, sed multo minus : ac dicebat se sanatum esse beneficio Dei, ac venerabilis sancti Ludovici, monstrabatque manus suas, easque tenebat quietas sine motu; prout volebat.

* de Chartres

B

200 Deinde memoratus Gilbertus rediit Parisios tempore præfato sanus, dictoque morbo liberatus, sine tremore manuum aut capitis, et caput habebat erectum, ac pulchriori satis forma apparebat, quam solebat. Postquam restitutus fuit ex hoc morbo, scyphum plenum ad os adducebat sine tremore, bibebat, manducabat, alia peragebat, limabat claves, caput tenebat rectum, manus quietas ac firmas sine tremore, sicuti volebat, quemadmodum homo sanus, Itaque haud multo post accidit in conspectu Prioris sancti Dionysii, qui intelligere studebat, an integre esset sanatus, multorumque aliorum monachorum, coram vicinis dicti Gilberti, Parisiis in domo abbatis sancti Dionysii, quam habet Parisiis, ut dictus Prior memoratum Gilbertum ad se vocari jusserit, eumque interrogaverit, an integre esset sanatus. Respondit Gilbertus potum juberet dari, tum visurum, an scyphum posset ori adducere. Ubi vinum fuit paratum, impositumque scypho pede suffulto, dictus Gilbertus plenum vino scyphum per pedem sumpsit, unaque manu ori admovit sine tremore, ita ut ne guttam quidem vini effunderet, sed illud ebiberet. Præterea dictus Gilbertus, restitutus modo supra dicto, dicebat se non amplius egere eleemosynis piorum hominum, ac posse satis victum sibi lucrari, tenereque manus suas firmas sine tremore, instar alterius viri sani; fuitque ac mansit sanus per multos menses. Porro passim dicebatur in platea et parochia sancti Andreæ de Arcubus, in qua dictus Gilbertus habitabat, eum ex morbo fuisse restitutum per merita, atque implorata ope, venerabilis sancti Ludovici.

ut experimento deinde intelligitur.

C

X. *Puellæ impotenti,*

201 Anno Domini nostri MCCLXXVII inter Natalem Domini ac festum Virginis Purificatæ contigit, ut Adeta, decem circiter annorum puellula eo tempore, filia Aleidis de Bovieres, uxoris Gilberti Carpentarii *, in lecto suo cubaret, atque expergefacta reperiret debilitatam se in femoribus, genibus, cruribus, et pedibus, ita ut his membris se juvare non posset. Nervi genuum ipsius, dexteri etiam magis quam sinistri, tam erant contracti, ut neque crura sua extendere valeret, neque pedes humi ponere, neque se supra pedes firmare vel sustinere : caro ejus erat glauca, sicca, ac macida : quantoque diutius in morbo illo erat, tanto magis exsiccari perspiciebatur; neque e loco uno in alium incedere poterat, sed eam in brachiis de loco in locum ferri oportebat. Porro memorata Adeta numquam hoc morbo fuerat tentata ante tempus supra expressum, quo eam hoc malum invasit; verum ibat incedebatque uti puella sana, aliaque peragebat negotia sua, sicut ei conveniebat.

* le Charpentier

A. REGINÆ CONFESSARIO.

202 Deinde in festo beatæ Virginis Mariæ mense Martio tunc sequente, Hedelina dictæ Adetæ soror venit ad domum patris sui, cepitque memoratam Adetam brachiis suis, tunc sic ægrotantem, jacentemque ante portam domus patris sui : atque illam portavit circa horam Primæ ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, eam comitante memorata Aleide ipsius matre; posueruntque dictam Adetam apud tumulum venerabilis sancti Ludovici. Porro interea dum memorata Hedelina ad urbem sancti Dionysii accedebat, invocabat sanctum Ludovicum, eumque orabat, ut sorori suæ valetudinem redderet, vovitque se allaturam ipsam ad sepulcrum quam posset citissime : magna enim spe ducebatur, recuperaturam illic sanitatem. Ipsa etiam Adeta et priusquam ad tumulum esset delata, et cum esset apud tumulum, frequenter dictitabat hæc verba : Optime Domine Deus, et domine sancte Ludovice, sanitatem mihi date, atque ex hoc carcere eripite.

ad sepulcrum delatæ.

E

203 Ubi memorata Adeta modico tempore fuerat apud tumulum, dictaque Hedelina inde abierat, atque Aleidis mater ipsius ascenderat ad locum, ubi clavus et corona ostenduntur; tunc memorata Adeta sensit se recreatam. Nihilominus magnum experta est dolorem in cruribus suis ac genibus, sensitque nervos illa hora esse tensos in dictis membris, acsi magnam passi fuissent violentiam, licet eam nemo attingeret. Tunc dicta Adeta manus apposuit tumulo memorato, et se erexit, ac super pedes suos tenuit, vocavitque matrem suam, quam sibi prope adesse putabat. Ubi matrem suam non conspexit, accessit ad altare sancti Dionysii, ibique in genua est provoluta. Deinde ivit ad gradus ibi vicinos, et quosdam ex eis ascendit, matremque suam vidit et vocavit. Cantabatur tunc Sacrum solemne in ecclesia sancti Dionysii, finitoque solemni Sacro, dicta Adeta inde cum matre sua domum rediit, per se, sine baculo, alioque subsidio. Verum quando memorata Aleidis ei baculum dare voluit, quem manu portaret, dicta Adeta illum non curavit. Quando redibat ab ecclesia sancti Dionysii, atque obvium habebat aliquem sibi notum, hæc dicebat verba : Liberata sum per venerabilem sanctum Ludovicum, ac bene incedo. Deinde semper a dicto morbo fuit libera; diciturque passim in ejus platea, eam ex dicto morbo restitutam esse propter merita venerabilis sancti Ludovici, ac propter pietatem, quam ostendebant mater ipsius, ac soror, dictaque Adeta, dum ad sepulcrum ferebatur.

crurum pedumque usus redditus.

F

ANNOTATA.

a *Loci nomen est, ut ex sequentibus patet, at illum frustra quæsivi.*

b *In Ms.* de la vile. *At vox* ville *Gallis antiquis non semper* urbem *designabat, sed* vicum *etiam*

A. REGINÆ CONFESSARIO.

etiam, respondebatque voci Latinæ villa, *qua varie utebantur.*

c *De parochiali ecclesia S. Andreæ de Arcubus agit Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus a pag. 345.*

CAPUT V.

Puellulæ contractis crurum ac pedum nervis triennio laboranti gressus redditus : Prior quidam Ordinis Cisterciensis per pallium Sancti ex gravi morbo restitutus.

XI. *Puellula, ex nervis contractis pedis usu destituta,*

Quando Esdelina filia Rodulphi de Canelle, atque Emmelinæ ipsius uxoris, qui habitant et manent Parisiis, duorum fere annorum erat ætate, morbus eam invasit in crure dextero, quo caro dexteri cruris istius infantis B tota videbatur sicca, et cutis seu pellis cruris omnino carne vacua, uti et pedis. Nullus erat sensus in crure, neque in pede; sed erant uti exanime quid : nam quantumcumque tandem pungeretur aut constringeretur, neque ideo clamabat dicta puellula, neque plorabat, neque conquerebatur, neque ullum dabat indicium, quod in membris suis cruciaretur, aut sentiret vel minimum. Erat pellis istius cruris ac pedis prædicti prorsus glauca; et os cruris hujus puellulæ videbatur loco motum atque inversum. Neque surgebat memorata puellula, neque pedibus suis insistere poterat omni tempore, quo hoc malo fuit affecta : verum de loco in locum se transferebat, seu attrahebat natibus suis et manibus, atque hoc crus post se trahebat. Quandoque etiam crus istud solum usque ad pectus admovebat, aut ponebat supra crus aliud, quod loco non erat motum. Ægrotavit dicta puellula hoc modo tres annos, vel eo amplius : verum priusquam memorata puellula hoc morbo fuit correpta, consueverat pedibus suis insistere, atque incedere seu sequi illum, vel illam, quæ C eam manu ducebat.

defertur ad tumulum.

205 Postquam memorata Emmelina ad varias ecclesias eam portaverat, multosque inviserat Sanctos ad obtinendam illius sanitatem, sæpe etiam balnea adhibuerat ex aquis cum pluribus diversisque herbis præparata, neque ei quidquam profuerat : cum audivisset multa fieri miracula apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, dicta Emmelina jussu dicti Rodulphi mariti sui, qui confidebat Deum per merita venerabilis sancti Ludovici sibi gratiam facturum circa morbum dictæ puellulæ; (sperabat et mater dictam filiam sanandam per hunc ipsum venerabilem sanctum Ludovicum) portavit Esdelinam memoratam ad tumulum dictum die Veneris proxima ante diem Mercurii, qua consecratio *a* fit nundinarum Dionysiopolitanarum *. Fuit ibidem diebus novem jejunans cum dicta puellula; jejunabat autem quotidie solo pane et aqua utens, atque intra hos dies novem peccata sua confessa est in templo sancti Dionysii. Memorata autem die Mercurii, illa hora, qua infans sanabatur, vovit Deo ac venerabili sancto Ludovico, se quotannis cum memorata filia sua venturam ad sepulcrum nudis pedibus, et in laneis. Vovit item ab D eo tempore usque ad annum completum jejunaturam solo pane et aqua contentam, neque manducaturam usque ad noctem qualibet die Mercurii, quod præstitit.

a
* *vulgo* le Landi *olim* Lendit

ubi gressu donatur, atque integræ

206 Itaque fuit per dies multos, sedens cum filia sua inter alios ægrotos, orabatque dicta Emmelina Deum, ac venerabilem sanctum Ludovicum, ut filiam suam sanitati restitueret; et sic erat quotidie apud sepulcrum cum memorata filia sua. Ubi ergo advenerat dies Mercurii memorata, qua fit consecratio supra dicta nundinarum, cantato solemni Sacro, cum dicta Emmelina oraret apud hunc ipsum tumulum, et puellula ibi esset cum ipsa; memorata Emmelina percepit puellulam se movere, idque exacte perspexit. Tunc eam aspexit, ac vidit eam manus applicuisse annulo, operculo memorati tumuli affixo. Dixit puellula matri suæ hæc verba : Mater, pedem meum humi pono. Itaque dicta Emmelina gratias egit Deo, ac venerabili sancto Ludovico. Tunc puellula se magis erexit, atque ita dixit : Domina, doleo vehementer crure meo. Prædicta mater id advertit, atque audivit collisionem conflictionemque, acsi ossa E dictæ filiæ invicem colliderentur. Itaque denudavit crus ante dictum, ac vidit colorem cæruleum, quo ante affectum erat, evanescere, carnisque colorem redire.

valetudini restituitur.

207 Tunc memorata puellula in pedes suos erecta circuivit tumulum, ivit tamen admodum languide. Deinde sedit tantisper : postea se levavit, ac denuo circuivit tumulum. Ita pluribus vicibus fecit illa die usque ad Vesperas. Post hæc memorata Emmelina eam portavit ad hospitium suum. Eodem modo fecit die Jovis sequenti, qua die dicta Emmelina eam retulit ad tumulum memoratum. Hoc modo die Veneris, et die Sabbati. Die Dominica sequenti Parisios rediit cum filia sua, quam filiam ita sanatam brachiis suis domum retulit. Ubi dicta Emmelina venit Parisios, Esdelina ejus filia ad passus plures incessit, movebatque digitos dexteri pedis sui pro arbitrio, quod non faciebat, dum erat infirma. Postquam puella fuit Parisiis, institit per se pedibus suis plane recta, ibat per se baculo nixa, vel tabula, vel pariete. Deinde ubi vires dictæ puellulæ crevere, cœpit incedere per se, sine baculo, sine auxilio, et sine sustentaculo, sana F atque alacris; neque deinde quidquam morbi illius sensit, ibatque huc illuc, uti alia puellula sana; attamen modice admodum claudicabat. Porro passim dicitur ac pro certo in ejus vicinia, interque illos, qui dictam puellam noverunt, eam dicta infirmitate liberatam fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici, propterque devotionem, quam mater exhibuit, quando filiam suam portavit ad tumulum memoratum gloriosi sancti Ludovici, illustris olim Franciæ Regis.

XII. *Prior Ordinis Cisterciensis gravi correptus*

b
c

208 Frater Laurentius *b*, olim Prior abbatiæ Caroliloci, Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Silvanectensi, abbas deinde hujus abbatiæ, cum privatim Sacrum faceret ad altare quoddam ejusdem loci die festa sancti Petri *c* initio Augusti, etiam tum prior, postquam sumpserat venerandum verumque Dei Corpus, gravem in fronte sensit dolorem; satisque apparuit ex ipsius vultu, cum vehementer ægrotare, ita ut ægre admodum perficere potuerit Missæ sacrificium. Absoluto Missæ sacrificio, ire voluit ad valetudinarium, at intravit diversorium novitio-

A vitiorum, qui locus erat templo proximus, ubi poterat quiescere. Assedit ibidem, compositusque ei est lectus ex pulvillis, ubi mansit, donec major conventus cibum sumpsisset. Cubantem ibidem memoratus dolor corripuit in cervice eique descendit in spinam dorsi, in pulmones, in femur, genu, et crus sinistrum; tantusque erat hic dolor, ut timeret ne ex eo moreretur; neque se vertere posset in lecto, nisi ægerrime, sine ope cujusdam, neque per se incedere posset, nisi forte baculo nixus, aut alterius auxilio.

morbo, adhibita nequidquam medicorum arte.

209 Postquam conventus comederat, dictus prior ad valetudinarium ire voluit. Tunc monachus aliquis eum juvit. Ivit igitur ad valetudinarium in cubiculum, quod vocatur cubiculum archiepiscopi: ivit eo pedibus suis, ac lectum intravit. Decubuit ibi usque ad festum beatæ Virginis Mariæ in cælum Assumptæ: ibidemque decumbens vehementer conquerebatur, dicebatque memoratum dolorem sibi descendisse in spinam dorsi. Dolor autem ille in dorso tantum cepit incrementum, ut quiescere non posset: cumque forte sopiretur, somnus esset brevissimus; magnoque dormiret cum dolore, ac quasi subsul- B tim, etiam pro modico tempore, quo dormiebat. Præterea tam phthisicus erat et siccus, ut vix spuere posset: dum tussiebat aut spuere volebat, tantum in dorso suo circa renes patiebatur dolorem, ut præ angustia se moriturum putaret. Nec se juvare poterat, neque per se de lecto surgere, neque ad necessaria ire, nisi juvaretur. Consuluit memoratus prior medicos; nimirum magistrum Arnoldum canonicum Silvanectensem, et magistrum Joannem de Bestisi chirurgum, qui emplastra habuere, quæ applicuere contra hunc morbum: neque quidquam profuere.

pallio sancti Ludovici se involvit,

210 Postea in pervigilio Assumptionis beatæ Virginis Mariæ, frater Guilielmus dictæ abbatiæ æditiuus, attulit in cubiculum, ubi dictus prior decumbebat, pallium e panno villis camelinis contexto coloris fusci, quod servatur in sacrario dictæ abbatiæ cum aliis reliquiis, ut venerabile pignus, quia fuisse dicitur domini sancti Ludovici. Pallium memoratum pellitum erat velleribus e ventribus cuniculorum. Porro memoratus sacrorum custos illud ferebat, ut dicto priori ægro imponeret: cumque monachi, qui ei ministrabant, ad Vesperas ivissent propter excellentiam festi memorati pervigilii dictæ Assum- C ptionis; solusque apud memoratum Priorem mansisset frater Joannes de Junchieres, dictus prior magnam animo concepit fiduciam, si dictum pallium attingeret, seque illo amiciret, se a Domino nostro per merita domini sancti Ludovici liberandum. Rogavit igitur dictum fratrem, ut sibi pallium prædictum traderet, tradique illud jussit. Tunc memoratus prior illud osculatus est, atque ei se involvit. Ad vesperam lectus dicti prioris fuit compositus, dictumque pallium ei impositum in modum lodicis. Nocte ista, interea dum Matutinæ preces recitarentur, memoratus prior tenuit pallium istud super humeros suos: dictisque Matutinis, memorati monachi ac frater quidam conversus dictum priorem in lectum reposuerunt: et habuit tota nocte supra se pallium memoratum.

ac pristinam valetudinem consequitur.

211 Dormivit ista nocte multo melius quam ante fecerat, ac requievit longe suavius: cumque in lecto fuisset usque ad horam sextam diei sequentis, cœpit se vertere huc illuc in eodem lecto per se, sicuti volebat, sine aliorum auxilio, quod a quindecim diebus non fecerat. Nihilominus tempore matutino istius diei Assumptæ in cælum Dominæ nostræ, quæsitum fuit ex eo, ut se haberet: dixitque sudare se velle. Post Tertias ejusdem diei dictus prior e lecto surrexit per se sine ullius ope, ivitque per cubiculum pedibus suis, per se, sine baculo, alioque adjumento. Dicebat autem se existimare sanatum se esse per merita venerabilis sancti Ludovici prædicti, palliumque prædictum sanitatem sibi attulisse. Porro memoratus frater Laurentius certo credebat, se solatium esse consecutum per merita venerabilis sancti Ludovici, et per venerationem, qua pallium istud prosequebatur; gratiasque Deo retulit ac venerabili sancto Ludovico de solatio prædicto. Et quamvis debilis maneret, sensit se ante noctem omnino liberatum doloribus prædictis; ac bene ista nocte dormivit, quievitque. Ab illa autem die, ac deinceps, memoratus prior ivit ad ecclesiam, rediitque per se, sine scipione, alioque subsidio; fecitque quod faciendum habebat, sicuti ante morbum faciebat. Postea cum medici postridie Dominæ nostræ in cælum Assumptæ venerunt, ac medicamenta quædam, ad id parata, morbo applicare voluerunt, memoratus prior dixit nulla se velle, se- E que sanitati restitutum. Gavisi sunt medici ea illi non esse necessaria. Unde passim dicitur in abbatia memorata, dictum priorem sanitati restitutum fuisse propter devotionem, qua ferebatur in venerabilem sanctum Ludovicum, ejusque pallium. Sic etiam dicitur vulgo in dicta abbatia, ac pro vero habetur, dictum pallium fuisse venerabilis sancti Ludovici, Petrumque Hisdeus, venerabilis sancti Ludovici cubicularium, attulisse pallium memoratum ex tractu transmarino, quando venerabilis sanctus Ludovicus trasmigraverat ab hoc mundo in agro Tunetano, dedisseque istud pallium Joanni Sarrazin, uti patet ex dato testimonio de vita et moribus venerabilis sancti Ludovici.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ANNOTATA.

a *Nundinæ hæ Dionysiopolitanæ celebres admodum sunt, et habentur quotannis mense Junio, ut scribit Michael Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 97. Idem pag. 353 refert celebrem illarum fuisse consecrationem, quæ fieri solebat per episcopum Parisiensem, quamdiu nun-* F *dinæ fuerunt habitæ extra urbem in campo, seu via Parisiensi. At cum anno 1444 propter periculum ab Anglis imminens nundinæ translatæ erant in urbem S. Dionysii, controversia de benedictione nundinarum orta est inter episcopum prædictum et abbatem S. Dionysii, ipsaque benedictio tandem omnino prætermissa. Hæ nundinæ, quarum sæpius fiet mentio, vulgo vocantur* la foire du Lendit : *illarum institutionem alii ad Dagobertum, alii ad Carolum Calvum referunt, teste Cangio in Glossario ad vocem* indictum. *Alii vocant* indictas nundinas *vel* ferias. *Malui ego* Dionysiopolitanas *nominare, quod ibidem habeantur.*

a *Inter abbates Carolilocenses apud Sammarthanos tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 219 numeratur* Laurentius de Marcellis, *cujus obitus contigisse dicitur anno 1290. Dubium non videtur, quin idem sit, de quo hic agitur, quique inter testes recensetur, num. 7, ut abbas. De abbatia Caroliloci, vulgo Chaalis, jam sæpius facta est mentio.*

c *Id est, S. Petri ad vincula, 1 Augusti.*

CA-

CAPUT VI.

Nobilis eques gravi ac diuturna mæstitia apud Sancti tumulum liberatus : item fædum pauperis apostema sanatum.

XIII.
Nobilis eques a b

Dominus Nicolaus de la Layng ex comitatu Hannoniæ *a* diœcesis Atrebatensis *b*, eques erat cruce-signatus anno uno, antequam venerabilis sanctus Ludovicus Rex Franciæ transivit mare postrema transfretatione, quando ivit Tunetum. Cum dictus dominus Nicolaus tunc adhuc esset juvenis, bonoque consilio valde indigeret, egit cum domino Galtero de Hounecues equite diœcesis Cameracensis *c*, ut secum mare transmitteret : nam cupiebat memoratus dominus Nicolaus se regere probitate, sapientia, ac pru- B dentia consilii ipsius; dicebatur enim dictus dominus Galterus probus, et sapiens. Dictus autem dominus Galterus fidem dederat in manu domini Joannis Bouni de Fresne, cognati memorati domini Nicolai; certoque promisso stipendio trecentarum librarum a domino Nicolao prædicto, dictus dominus Galterus promiserat se transmissurum cum memorato domino Nicolao, ejusque domesticum futurum trans mare. Transfretationis termino appropinquante, cum audivisset memoratus dominus Nicolaus, dictum dominum Galterum sibi fidem non servare, et cum alio iturum : memoratus dominus Nicolaus ei dixit, sibi fuisse nuntiatum, quod pacta secum vellet infringere : at dictus dominus Galterus reposuit dicto domino Nicolao, nullum sibi cum eo hac de re perfectum pactum intercedere.

gravi affectus melancholia,

213 Unde, ubi memoratus dominus Nicolaus intellexit tantam versutiam dicti domini Galteri equitis, consideravitque ægre se procurare posse talem sibi comitem, quod tempus dictæ transfretationis breve esset, illaque valde propinqua; incidit in gravem morbum, nempe in tristitiam, mœstitiam, dolorem, veternum; adeo ut C tristaretur, ac solus semper esse vellet, neque ullum curaret gaudium, illumque nullius rei non tæderet, neque quidquam omnino ei placeret, sed displicerent omnia. Adhæc manducare non poterat nec bibere, quod ei placeret; somnum nequibat capere, adeoque animo conciderat, omnique delectatione exciderat, ut, cum quid lætitiæ cerneret aut solatii, tanto esset tristior. Si omnem regni Gallici, vel aliam quamcumque possedisset ditionem, maluisset prorsus nihil ex ea possidere, quam manere in tanta tristitia, tantoque dolore, quo cor ejus affligebatur. Nihilominus dominus hic Nicolaus necessitate coactus in illa transfretatione mare transmisit. Postquam reversus est, ad quinque annos præterpropter fuit in languore antedicto; quantoque magis labente tempore durabat malum, tanto gravius affligebatur hoc languore. Videbant eum semper meditabundum, tristem, obbliviosum, pallidum, macilentum.

nequidquam adhibitis medicamentis,

214 Porro dicebat Petro de la Layng clerico, qui cum ipso, ejusque patre fuit annis quadraginta, ut esset semper, maneretque secum : timebat enim ne forsan quandoque laberetur, D rectaque memoria destitueretur. Licet autem dominus Joannes parochus ecclesiæ de la Layng fiduciam ei atque animos adderet, timens ne homines externi perciperent affectum melancholicum dicti Domini Nicolai, gravemque, in quo erat, veternum; eique subinde diceret, ut tenderent ad silvam, fluviumque; id tamen nihil proderat, quo minus dictus dominus Nicolaus semper esset tristis, semper incederet animo melancholico, semper solus esse cuperet, ac nullius lætitiæ, nulliusque, quod videbat, solatii curam habere consperceretur. Præterea ipse conquerebatur dicto parocho de se, deque animo suo, quod omnem respueret lætitiam. Consuluit quoque hac de re medicos multos, eorumque medicamentis usus est ex ipsorum consilio; at nihil quidquam ei profuere. Adhæc peregrinatus est ad Dominam nostram Bononiensem, nullo contra hunc morbum emolumento.

statuit pedes adire,

215 Postquam ad eam redactus est conditionem, ut nesciret demum quid sibi foret agendum, perpendens probitatem, vitæque sanctitatem venerabilis sancti Ludovici, quam viderat, atque ex aliis fide dignis cognoverat, secum cogitavit se liberandum a Domino nostro per illius E merita, eamque cogitationem revelavit memorato domino Joanni presbytero parochiæ de la Layng, atque illum consuluit. Vehementer miratus est dictus dominus Joannes, quod hujusmodi proferret verba; ex eoque quæsivit, quare id facere vellet. Respondit memoratus dominus Nicolaus, dominum sanctum Ludovicum virum fuisse mira probitate ac sanctitate, dum viveret; maximaque se spe teneri, gratiam sibi a Domino nostro præstandam illius meritis. Unde dictus dominus Joannes, quando tanto in id studio eum ferri perspexit, animum ipsi addidit, dixitque se omnino suadere, ut opem venerabilis sancti Ludovici imploraret. Memoratus igitur dominus Nicolaus vovit ac promisit, pedibus suis se iturum ad tumulum domini sancti Ludovici, ut Dominus noster omnipotens per merita hujus Sancti ipsum liberare dignaretur tanta miseria, tanta tristitia, tantoque dolore.

atque adit S. Ludovici tumulum,

216 Deinde dictus dominus Nicolaus, cum memorato domino Joanne presbytero, memorato Petro clerico, aliisque domesticis suis ante Pentecosten iter suscepit, venitque Dionysiopolim ad tumulum memoratum in pervigilio Pente- F costes. Porro per totam viam venerunt pedites, excepta una dumtaxat die, qua equitavit propter solemnitatem diei, consilio memorati presbyteri : memoratus enim dominus Joannes ei suasit ut illa die equitaret, ac pro qualibet leuca, qua equitaret, duodecim denarios amore Dei daret pauperibus. Ille ipse autem memoratus dominus Joannes, mandante dicto domino Nicolao, distribuit amore Dei pauperibus pro singulis leucis, quibus memoratus eques vehebatur, duodecim denarios. Post hæc venit dictus dominus Nicolaus ad tumulum memorati venerabilis sancti Ludovici, oravitque ibidem flexis genibus diu admodum, ac ploravit : fuit illic magna cum pietate, atque orabat magna reverentia Dominum nostrum, ut per merita venerabilis sancti Ludovici, qui fidelis fuerat servus Dei, omniumque Sanctorum, se liberare dignaretur tanto languore, tanto cordis dolore, tantaque tristitia.

ubi tristitia sua liberatur.

217 Porro cum illic apud tumulum orarat hoc modo, quanto magis orabat ac plorabat, tanto magis cor ejus illustrari videbatur atque exhilarari, omnisque gravitas, qua in capite ac corde

A de suo premebatur ex tristitia præcedente, ex dictis membris videbatur recessisse. Deinde ad hospitium suum venit, manducavit et bibit hilariter et cum gaudio, dormivit illa nocte bene ac placide. Postridie, festo Pentecostes, memoratus dominus Joannes Missæ sacrificium obtulit in ecclesia sancti Dionysii ad unum ex altaribus, et sumpsit dictus dominus Nicolaus venerandum verumque Jesu Christi Corpus. Ab illo tempore apparuit memoratus dominus Nicolaus in bono statu, quamvis macilentus esset ac debilis propter miseram vitam, quam duxerat : quippe dum in illo erat languore, nec potus nec cibus illi sapiebat, nec quiete sommum capere poterat. Ceterum ab illo tempore usque ad tempus, quo inquisitio fuit facta de hoc miraculo, non sensit dolorem istum, istamve tristitiam, sed rediit ad illum integræ valetudinis statum, in quo fuerat : neque umquam meliori fuit corporis valetudine, quam tunc erat. Adhæc in reditu ad ejus hospitium apparebat, satisque intelligebatur, eum perfecte hoc languore liberatum esse : hilaris enim erat et lætus. Post hæc fuit in statu B optimo, recteque attendens ad negotia sua, aliaque, ad quæ eum attendere oportebat : providus fuit, ac sapiens, bonique consilii, talisque habitus est ac judicatus per totum comitatum Hannoniensem. Passim etiam dicitur in tractu dicti equitis, eum sanatum fuisse per merita, perque invocationem venerabilis sancti Ludovici, ac propter insignem pietatem, qua dictus dominus Nicolaus erat incensus, quando orabat cum lacrymis ac fletu, propterque orationes humiles, quas proferebat apud tumulum venerabilis sancti Ludovici.

XIV. *Quidam claudus,*

218 Cum Moricus filius olim Joannis Poilebout ex Ranton prope Lodunum *d* in diœcesi Pictaviensi veniret Angeriaco *c*, ubi fuerat ad custodiendos porcos Petri Barthelemi clerici Angeriacensis, quia parumper ægrotaverat ibidem, rediit ad domum fratris sui Nicolai. Cum esset in domo dicti Nicolai hebdomada sancta ejusdem anni, quando vespera quadam intrabat lectum suum (quamvis jam tunc debilis esset, neque valetudine integra, neque commode posset lectum intrare, aut incedere, venerat tamen sine fulcris baculoque Angeriaco prædicto) ea nocte hujusmodi eum invasit infirmitas, ut postri- C die mane, ubi voluit de lecto surgere atque incedere, uti solebat, non potuerit pedibus suis insistere : nam femora ejus tam erant contracta, ut calces suos humi figere non valeret; sed oporteret eum incedere duobus nixum baculis, quos utraque manu tenebat, quibusque se supra pedum digitos sustentabat. Hoc in statu fuit in domo fratris sui duobus mensibus aut circiter. Porro quandoquidem frater ejus pauper erat, ac quinque filios habebat atque uxorem, grave illi erat alere dictum Moricum, qui laborare non poterat, neque ulla in re ei prodesse propter infirmitatem supra memoratam; statuit secum dictus Moricus, adire valetudinarium publicum Salmurense *f*, sex leucis, aut circiter, distans a vico Ranton, ubi se inventurum existimabat novercam quamdam suam, quæ ancilla ibi fuerat post mortem patris hujus Morici.

fœdoque apostemate laborans,

219 Composuit illi memoratus Nicolaus duo fulcra subalaria, quorum subsidio Salmurum pervenire posset. Hoc modo discessit dictus Moricus a domo memorati Nicolai fratris sui, venitque Salmurum : verum uno mense aut circiter antequam discessit ex domo fratris sui, ortum ei est apostema magnum et durum in parte posteriore femoris sinistri. Ubi Salmuri hospitio exceptus est in valetudinario ante dicto, quæsivit de sua noverca, dictumque ei est, mortuam esse uno mense, antequam eo venisset. Ibidem tamen manserat quidam illius filius, frater dicti Morici ex parte patris, nomine Stephanus. Venit autem memoratus Moricus ad dictum valetudinarium circa festum Dominæ nostræ in cælum Assumptæ ejusdem anni; mansitque ibidem usque ad festum Omnium Sanctorum semper laborans malo prædicto. Postquam longo tempore fuerat in domo memorata, dictum apostema ruptum est, atque apertum tempore vindemiæ, adeoque dilatatum, ut totum hujus Morici femur parte exteriori illo esset comprehensum : foramen istius apostematis tam erat largum, tamque amplum, ut aliquid pugni magnitudine ei imponi potuisset; eratque hoc apostema tam putridum, ac pus tanta copia ejiciebat, ut per crus dicti Morici in terram usque decurreret : adhæc vermes in hoc apostemate erant plane vivi; quos dictus Moricus frequenter apostemate extrahebat, cumque eos extraheret, dentes constringebat præ E dolore, quem sentiebat : tantus etiam erat dicti apostematis fœtor, ut qui in memorato degebant valetudinario, nollent memoratum Moricum ad se appropinquare.

implorata frustra ope S. Eligii, dein et S. Sulpitii,

220 Tunc dictum fuit memorato Morico, ut se conferret ad altare sancti Eligii, quod est in templo sancti Petri Salmuri, ibique maneret novem diebus et novem noctibus, ut Deus, ac venerabilis sanctus Eligius hoc malo eum liberarent. Fecit id dictus Moricus, neque quidquam illi profuit. Porro nullam ipse contra dictum malum adhibebat medicinam, præterquam stupam cannabinam, foliaque sambucea. Post hæc suasum fuit memorato Morico, ut veniret ad ecclesiam sancti Sulpitii *g* in diœcesi Parisiensi; ibidem fortasse valetudini restituendum a Domino nostro, quemadmodum plures ibidem dicebantur restituti ex multis diversi generis morbis. Itaque dictus Moricus ex memorato valetudinario discessit tribus hebdomadis, aut circiter, post festum Omnium Sanctorum, venitque Turones, ubi fuit tota illa hieme, dein Blesas venit; atque hoc modo paulatim venit ad ecclesiam sancti Sulpitii; neque enim per diem procedere poterat nisi leuca circiter una, et quidem lassus ad- F modum erat ac fatigatus tantum eundo. Postquam eo pervenerat, mansit in templo illo nocte una, die sequenti, ac die tertia.

apud sepulcrum S. Ludovici valetudini restituitur.

221 Cum hoc ei nihil prodesset, intellexit multos peregrinos venire Dionysiopolim ad tumulum domini sancti Ludovici, multosque ibidem sanari ægrotos. Statuit itaque in labore suo, venire ad tumulum memoratum, si non moreretur in via, atque offerre ibidem candelam longitudine sibi parem; sperabatque se illic hoc morbo liberandum, quia ex multis audiebat, plures ibidem ægrotos ex variis morbis valetudini restitutos. Porro venit ad tumulum memoratum ea hora, qua fiebat Sacrum solemne in ecclesia sancti Dionysii die Mercurii post Pentecosten recenter transactam. Fuit eadem die Mercurii apud sepulcrum post dictum solemne Sacrum ante Nonas. Vesperis cantatis dicta die Mercurii in ecclesia sancti Dionysii, Moricus hic surrexit, cepitque ferrum, cui imponuntur candelæ, atque institit pedibus suis. Ubi voluit transire, ac progredi versus altare sancti Dionysii, existimabat in terra se viribus destituendum; at

animos

A. REGINÆ CONFESSARIO.

animos ei addentibus, qui illic aderant, ut ad altare accederet, memoratus Moricus e vestigio in pedes erectus sine fulcris, alioque subsidio ivit ad altare sancti Dionysii, sed languide admodum : deinde etiam rediit manibus junctis et extensis magna pietate usque ad tumulum : verum illic præ ingenti debilitate humi lapsus est. Postmodum eadem die pluribus vicibus ivit per ecclesiam ante dictam rectus omnino, sine fulcris, alioque adjumento. Gratias agebat eidem huic venerabili sancto Ludovico, dicebatque se relinquere fulcra, quibus venerat, venerabili sancto Ludovico : ejus enim misericordia sanatum esse. Deinde ivit multis diebus per urbem, perque abbatiam sancti Dionysii plane rectus, pedibus suis, sine fulcris, alioque subsidio, quemadmodum alius homo sanus. Apparebat sane ex vultu ejus et corpore abunde, languentem fuisse et ægrum, habebatque femora mire extenuata et gracilia : cumque primum venit ad sepulcrum, apostema ante dictum plenum erat putredine atque apertum, fœtensque, ut supra dictum est, ita ut femur ac crus haberet inquinatum ex do- B lore, putredineque inde effluente. Nihilominus quandoque plus ejecerat putredinis, quam tunc ejiciebat : tamen ab eo tempore morbus, et putredo illa adeo cœperunt deficere, rursumque firmari, ut apostema memoratum non flueret deinde nisi per duos aut tres dies.

et sequenti die inquisitoribus se sanatum sistit.

222 Die Jovis proxima post diem Mercurii, qua dictus Moricus sanatus fuerat, venit dictus Moricus mane ad memoratum archiepiscopum, memoratosque episcopos inquisitores, dum erant in examine, iisque narravit, præsentibus omnibus scribis, prædicta omnia; et viderunt dicti inquisitores, eorumque scribæ memoratum Moricum incedentem per se, sine fulcris, alioque adjumento, femoraque ejus esse stupendum in modum tenuia ac macilenta. Quin imo vigesima septima Junii, die Veneris, qua die memoratus Moricus examinatus fuit de facto supra dicto, ostendit dictus Moricus coram inquisitoribus, eorumque scribis locum dicti apostematis, ubi nullum erat malum, putredo nulla, verum apparebant vestigia vulnerum, quæ ante in illo apostemate fuerant, lata admodum, valdeque rubentia, uti solent vulnera recenter sanata, ac C firmata. Hebdomada autem præcedente dictum Pentecostes festum, memoratus Moricus fuit Parisiis æger, fulcris incedens, trahens post se femora sua macilenta atque extenuata instar mortui : hebdomada vero post Pentecosten dictus Moricus fuit sanus, atque incedens pedibus suis rectus, et sine fulcris, alioque adjumento, quemadmodum alius homo sanus : et dicebat, se sanatum esse in ecclesia sancti Dionysii ad tumulum sancti Ludovici, quam sanationem tam subitam, tamque festinam vehementer mirabantur, qui eum alia hebdomada viderant ægrotum, ut supra dictum est.

ANNOTATA.

a *Comitatus Hannoniæ, quæ ampla est Belgii provincia, satis notus est.*

b *Atrebatum, caput comitatus Artesiæ, urbs est episcopalis sub archiepiscopo Cameracensi, olim Remensi subjecta.*

c *Cameracum urbs erat episcopalis sub archiepiscopo Remensi : sed anno 1559 ad dignitatem archiepiscopalem evecta est bulla Pauli IV summi Pontificis, qua de re videri potest Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana editionis novissimæ tom. 3, col. 53 et seqq. Utraque diœcesis jam dicta partem Hannoniæ complectitur.* D

d Lodunum *vel* Losdunum, *alias* Juliodunum, *vulgo* Loudun, *urbs est Galliæ in Pictaviensi provincia. Inde duabus leucis et dimidia fere abest vicus* Ranton, *ut me humanissime docuit R. P. Stephanus Souciet jam ante laudatus.*

e Angeriacum (S. Jean d'Angely) oppidum Galliæ præclarum *est*, in Santonia provincia, ad Voltumnum fluvium, 2 leucis distans a confinio Pictaviensis provinciæ, *ait Baudrandus in Geographia ad vocem* Angeriacum.

f Salmurum *vulgo* Saumur, *oppidum est ad Ligerim in provincia Andegavensi.*

g *Parochia S. Sulpitii de Favieres, ubi votivæ peregrinationes fiunt, in extrema parte est diœcesis Parisiensis, inquit Bailletus ad 17 Januarii in S. Sulpitio.*

CAPUT VII. E

Surdus et mutus ab utero matris apud Sancti tumulum auditu donatus, qui, soluto item linguæ vinculo, loqui deinde discit : item puella morbo comitiali liberata.

Ludovicus reginæ Margaritæ, uxoris olim venerabilis sancti Ludovici, essedarius, octo tunc annorum puer, casu inventus fuit in castro quod dicitur Orgelestum *a*, quindecim annis ante inquisitionem de hoc miraculo. Gaucherius faber Orgelestensis eum accepit et aluit, educavitque in domo sua annis duodecim. Juvenculus autem paullo major dicto Ludovico eum duxerat Orgelestum, ibique reliquerat : ac primum dictus Ludovicus hospitatus fuerat in domo Haymonis. Porro a dicto tempore, quo memoratus Ludovicus venit Orgelestum, quoque ibi fuit inventus, ac quamdiu ille, qui nunc vocatur Ludovicus, ibi mansit, surdus erat ac mutus. F Cornu coram eo canebatur ac buccina, cornu auri ejus admoto clamabatur; at nihil horum percipiebat, audiebatve. Eodem tempore pungebatur ac vapulabat graviter, ad tentandum, utrum loqueretur; at ne verbum quidem proferebat; sed indicia solum dabat hominis muti. Liberi memorati Gaucherii carbones ardentes immittebant ventri ejus nudo, ut periculum facerent an loqueretur, et an vere esset mutus : neque ad hæc omnia quidquam faciebat, præterquam quod signa muti ederet, ac carbones longe a se rejiceret. Unde communiter habebatur surdus et mutus, talisque existimabatur in toto castro memorato; atque a tempore, quo primum ibi fuit inventus, et omni tempore, quo ibi mansit, edebat indicia surdi et muti usque ad tempus, quo rediit Dionysiopoli in Francia, ubi dicebat se loquelam, auditumque accepisse; neque omni tempore præcedente ab aliquo umquam ullo modo percipi potuit, eum audivisse ullam vocem, ullumve sonum; aut locutum fuisse.

XV. Surdus et mutus a nativitate, a

224 Post illud tempus, quo dictus Ludovicus fuerat cum memorato Gaucherio, ita surdus et mutus, fuit apud comitem Autissiodorensem *b*, *b*

atque

A atque apud comitissam, quandoque etiam apud Joannem Soogy dicti comitatus prætorem, et in culina dicti comitis. Adhæc memoratus Ludovicus, priusquam haberet membra satis valida, dicti fabri ignem perflabat ad fabricam ferrariam accendendam; et recordatur adhuc se, dum factus erat fortior, cum fabro memorato laborasse malleo ab una parte, aliaque præstitisse obsequia in domo istius fabri, quæ signis indicabantur. Deinde memoratus Ludovicus ivit cum dicta comitissa Autissiodorensi Lugdunum *c*, eo etiam tempore surdus et mutus. Eodem tempore, quia dictæ comitissæ cubicularia memorato Ludovico calceamenta dare nolebat, dictus Ludovicus secutus est Philippum Galliæ regem, qui ossa Patris sui domini sancti Ludovici Tuneto portabat, vivens ex eleemosynis aulæ regis, aliarumque illustrium personarum, quæ cum eo erant. Hoc pacto venit ad fanum sancti Dionysii, ubi sepeliri vidit ossa venerabilis sancti Ludovici, uti nunc satis recordatur, ac postquam intellectum habuit : nam ante ignorabat quid ageretur,

qui cum ossibus Sancti Dionysiopolim venerat,

c

B neque eo venit propter sanctum Ludovicum, neque ex devotione erga ipsum, neque quia vel minima spe ducebatur sanitatem ibi obtinendi, seu liberationem; nihil enim noverat de Deo, ejusve Sanctis. Verum quia dictus Ludovicus, quando erat apud memoratum Gaucherium, ejusque uxorem, et apud memoratam comitissam, eos sæpe viderat ad templum euntes, ibique orantes, pietati insistentes, genua flectentes, manus conjunctas ad cælum elevantes; memoratus Ludovicus item iverat ad ecclesiam : et quia videbat alios in ecclesia genua flectentes, manusque suas junctas ad cælum elevantes, et alia hujusmodi facientes, ipse ea etiam faciebat; non ex pietate aliqua, sed quia alios ea facere videbat; neque sciebat, neque cogitabat, alios homines plura scire, quam ipse nosset.

225 Hinc, antequam ossa beati Regis essent sepulta, quia cernebat alios homines genua flectentes, atque orantes apud sepulcrum, ipse etiam flectebat genua, manusque jungebat, nesciens quid ageret, nisi quod ageret id, quod agebant alii, neque id agebat ex devotione ulla. (Nihilominus quando erat apud fabrum memoratum, faciebatque aliquid male, aut contra voluntatem heri sui, quam ipsi signis indicabat;

atque exsequiis intererat.

C eaque de causa vapulabat quandoque ab hero suo, cavebat alia vice, ne similia faceret.) Porro dum venit cum rege Dionysiopolim, fuit ibidem tribus aut quatuor diebus; nec sciebat quis rex esset, quive magnates; nec unum noverat præ alio, exceptis quibusdam famulis, quos juverat in equo per capistrum ducendo in via; at ignorabat quinam, aut unde essent. Dum hoc modo erat in urbe sancti Dionysii, veniebat ad stipem in abbatia dari solitam, victumque sufficientem ex eleemosynis in urbe reperiebat. Postrema die, qua tunc temporis fuit Dionysiopoli, ante horam, qua cibus sumi solet, cum memoratus Ludovicus esset in ecclesia ante tumulum, videretque alios homines illic esse flexis genibus, manibusque junctis apud tumulum, idem faciebat, non ex aliqua devotione, qua ad id ferebatur, neque ex aliqua intentione, sed tantum quia alios videbat ita facientes.

226 Tunc paullo post percepit tumultum hominum, et strepitum euntium seque moventium, et sonum campanarum, ignorans tamen quid omnia hæc essent : sed ita attonitus fuit et exterritus, ut nesciret, quid sibi esset agendum : vehementerque metuebat, ne homines, quos audiebat loquentes, ipsum aggrederentur. Non quiescens ergo, eadem die discessit ab urbe sancti Dionysii, ivitque Parisios versus : eundo intravit in campum quemdam, ibique dormivit. Ubi dormiverat, plus animi habuit atque audaciæ; sed non manducavit illa die usque ad vesperam. Ubi venit Parisios mendicando quæsivit sibi victum, abundeque ei datum est, quod manducavit; cubuitque ibidem super operarias mensas, quæ sunt in via publica, nam tempus erat æstivum. Deinde semper post illam horam, qua dixit se audivisse in urbe sancti Dionysii apud sepulcrum memoratum, audiebat percipiebatque voces animalium et hominum, sonumque aliarum campanarum, quæ agitabantur, aut invicem tangebant, non minus liquide quam hodiedum : at non intelligebat, neque judicare poterat, quid esset, quod numquam antea quidquam audivisset : neque loquebatur; non enim loqui noverat, aut voces formare suas : attamen ab eo tempore locutus omnino fuisset, siquis eum id docuisset.

subito audire incipit,

A. Reginæ Confessario.

E 227 Post hæc eadem via, qua venerat, reversus est; cognovitque viam et loca : et quemadmodum venerat Orgelesto Lugdunum, Lugduno Parisios; eodem plane modo rediit Parisiis Lugdunum, Lugduno Orgelestum, quamvis Parisios inter et Orgelestum via sit multo brevior, quam nunc satis novit. Ibat autem mendicans ut mutus, quia loqui non noverat, licet audiret : et cubabat noctu super operarias mensas urbium in viis publicis. Ubi venit Orgelestum intravit in domum memorati Gaucherii heri sui, eique indicavit signis, quam poterat, optimis se audire; neque hoc clare novit explicare aut commemorare coram inquisitoribus suis : domestici vero dicti Gaucherii id perceperunt ex eo, quod vocarent, ipseque se verteret ad eos, ut homo audiens, quod antea facere non solebat : prima enim vice ad eos venerat surdus et mutus. Quapropter miserati sunt ipsum, eumque docere agressi sunt, sicuti infantes docentur a prima ætate sua, aut eodem plane modo, quo docentur volucres : dicebantque memorato Ludovico : Dic : PANIS; et dicebat, PANIS : sic ei dicebant : Dic, VINUM; et dicebat, VINUM; atque ita de aliis vocibus, quas eum docebant.

linguæque vinculo simul soluto loqui discit,

F Postea ubi dictus Ludovicus fuerat in domo memorati Gaucherii quibusdam diebus, prædicta comitissa, quæ erat in castro sancti Juliani *d* tribus inde leucis distante, accersi jussit memoratum Ludovicum, quando intellexit eum audire. Hic ipsam accessit : illaque, ut loqui disceret, eum in culina sua posuit, ubi cum pluribus esset, præcepitque ut loqui doceretur. Unde culinæ ministri eum docuerunt, res quasdam quotidie ei nominando : et quando nesciebat eas postridie nominare, vapulabat; quemadmodum vapulant pueri in scholis, quando lectionem suam ignorant.

d

228 Memoratus Ludovicus postquam audiebat ac loqui incipiebat, fuit apud magistrum Joannem de Maynet, olim prætorem domini Joannis comitis Autissiodorensis, dictusque magister Joannes docuit hunc Ludovicum orationem Dominicam, et salutationem angelicam : (unde orationem Dominicam et salutationem angelicam recte recitavit coram inquisitoribus, eorumque scribis) omniaque contenta in testimonio ipsius, uti et alius fecit laicus. Interea dum memoratus Ludovicus fuit apud dictam comitissam,

de quibus coram inquisitoribus testimonium dedit.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

sam, dictumque magistrum Joannem, reversus est iteratis vicibus ad domum dicti Gaucherii, eoque tempore intellexit ex memorato Gaucherio, ipsiusque uxore, et domesticis, se ab iis inventum esse in castro prædicto, in ea ætate, de quibus testatus est in relatione sua. Quando ex dicto Ludovico quæsitum fuit atque petitum a memoratis inquisitoribus, quis ei imposuerit nomen Ludovici : dixit, se, ubi loqui noverat, narrasse prædicto Gaucherio, quo modo apud tumulum memoratum accepisset auditum, omniaque sibi facta : inde dictum Gaucherium sibi dixisse : Volo voceris Ludovicus in honorem sancti Ludovici Franciæ Regis, qui te sanavit. Cum interrogatus esset dictus Ludovicus, an crederet, auditum se accepisse et loquelam per merita venerabilis sancti Ludovici, ipseque respondisset, ita se credere : ipsum deinde rogarunt : Qua de causa id credis, cum nulla eo tempore in te esset religio, aut fides, aut pietas erga ipsum, sed casu fortuito ad sepulcrum venisses ? Respondit se fidei suæ nullam scire causam, nisi solum, quod sibi opus fuerit illo beneficio ; indeque credere venerabilem dominum sanctum Ludovicum B pro se Deo supplicasse, itaque, uti credebat, auditum accepisse.

XVI. Puella e morbo comitiali

229 Quando Petronilla, filia quondam Natalis Chauverii * diœcesis Parisiensis, nata in ipsa urbe Parisiensi, in platea nova, in parochia sancti Mederici, ætatem attigisset septem annorum, aut circiter, malum eam tentavit, quod vocatur comitialis morbus; hic autem morbus Gallice vulgo appellatur Malum sancti Lupi. Porro in quocumque loco hic morbus dictam Petronillam invaderet, labebatur, pedes agitabat et manus, aliaque membra sua : tremebat, spumabat ore, atque exclamabat mugientis instar. Dictus quoque morbus frequenter eam corripiebat die noctuque : quandoque quinies aut sexies per diem et noctem. Nullam capere poterat quietem : dictusque morbus eam reddebat omnino stultam, sensibusque prorsus privatam. Prædicto morbo conflictata est dicta Petronilla annis quatuor, annoque primo contra malum memoratum multæ adhibitæ sunt medicinæ : multos etiam accessit Sanctos; nihil tamen ei profuit. Itaque anno MCCXCIV *e*, cum dicerentur apud C sepulcrum venerabilis sancti Ludovici miracula facta esse, ægrotique sanati, memorata Petronilla a matre sua missa est Dionysiopolim, venitque ad sepulcrum cum alia muliere, atque hospitata fuit in domo Sediliæ candelas divendentis. Verum priusquam hoc anno ad tumulum memoratum veniret, a tempore, quo cruces circumferuntur *f* in supplicatione, memoratus morbus eam premebat multo vehementius, quam fecerat antea, tum anno primo, tum sequentibus, sæpiusque eam corripiebat die noctuque.

* de Chauveri

apud sepulcrum sanata.

230 Substitit tunc Dionysiopoli spatio unius mensis præterpropter : et postquam Dionysiopolim venit, memoratum malum non nisi quatuor vicibus eam tentavit, prima hebdomada, qua Dionysiopoli fuit : ac primo quidem prima, postquam venerat, nocte in domo hospitæ suæ, tribus aliis vicibus in dicta ecclesia apud sepulcrum supra memoratum. Hinc Elisabetha mater dictæ Petronillæ magnam animo concepit fiduciam, memoratam Petronillam sanatum iri ad dictum tumulum domini sancti Lndovici. Tunc vovit hæc Elisabetha, si Deus et venerabilis sanctus Ludovicus liberarent memoratam filiam malo prædicto, se toto vitæ suæ tempore diebus Mercurii carnes non manducaturam, nec bal- D neum ingressuram : quod exacte servaverat dicta Elisabetha usque ad diem inquisitionis de hoc miraculo. Adhæc memorata Petronilla, priusquam veniret ad tumulum memoratum, et quamdiu ibi erat apud tumulum dictum, grandi erat fiducia, se sanandam per merita beati Regis; vovitque voluntate matris suæ, se quotannis ejus die, quando ipsius celebraretur festum, jejunaturam; quod servavit usque ad diem inquisitionis de hoc miraculo. Transacta prima hebdomada, a tempore, quo venit ad tumulum memoratum, dictus morbus numquam deinceps eam invasit. Unde se sanatam existimabat : et postquam inde reversa est, dixit se integre ex malo memorato restitutam per Deum, perque venerabilem sanctum Ludovicum, eratque læta et hilaris, rediitque ad mentem integram. Vicini ipsius etiam magnopere ejus causa lætabantur : neque deinde dictus morbus eam tentavit, sed fuit deinceps semper sana : et multi crediderunt memoratam Petronillam dicto morbo liberatam fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

E

ANNOTATA.

a *Carnotensis supra num. 36 idem refert miraculum, ac vocat* Castrum Orgelestum : *hic vero auctor Gallice* Orgelet. *Oppidum est comitatus Burgundiæ, Gallis* la Franche comté. *Geographia Blaviana de illo sic habet pag. 233 :* Orgelet oppidum amœnum est, atque arce sua munitum, emporiumque lanificio nobile.

b *Apud Carnotensem uno fere anno fuisse dicitur apud comitem Autissiodorensem. Vide ibi notata de eo, ejusque uxore.*

c Lugdunum, *vulgo* Lions, *civitas est Galliæ satis nota, quam rex Philippus cum ossibus* S. Ludovici *transiit anno 1271, ut dictum in Commentario num. 1135.*

d S. Julian *oppidum notatur in tabulis Blavianis comitatus Burgundiæ, in quo est Orgelestum. At, si recte ibi notata sint hæc oppida, major utriusque est distantia.*

e *Numeri hi perturbati sunt : nam annus, qui notatur 1294, inquisitione anni 1282 et 1283 est posterior. Forte legendus est annus 1274.* F *Nangius pag. 394, cetera his consentiens, in ætate puellæ dissonat : nam malo correptam scribit, cum esset novem annorum, et non nisi biennio laborasse.*

f *In festo S. Marci, vel diebus rogationum ante festum Ascensionis Domini.*

CA-

A

CAPUT VIII.

Juvenis apud tumulum sancti Ludovici membrorum firmitatem, ac gressum consecutus : alius, qui membris fere omnibus erat captus, sanitati restitutus : puer qui credebatur mortuus, vitæ aut valetudini redditus.

XVII. *Juvenis, gravi membrorum* *paralysi laborans,*

Anno Incarnationis Domini nostri MCCLXX, quispiam, nomine Guilielmus de Caux, diœcesis Rotomagensis, natus annos decem, aut circiter, tam ægrotus erat, ut semper incederet ope fulcrorum sub axillis : neque aliter incedere poterat, dorsumque ei videbatur ruptum, femora erant macilenta admodum et tenuia. Quando sedebat, uni incumbebat lateri, neque pedibus suis poterat se sustentare : quando incedebat fulcrorum ope, videbantur femora ejus alieno corpori alligata, non conjuncta nexu naturali; ita leviter huc illuc jactabantur. Hospitatus fuit prædictus Guilielmus Parisiis in domo Heriberti Langlois in parochia sancti Gervasii *a* tribus annis præterpropter, præterquam dum æger ex febri decumberet in valetudinario, ita ut tunc urbem pertransire non valeret ad stipem corrogandam, qua vitam sustentaret. Elisabetha ancilla in domo memorati Heriberti tribus annis memoratis lectum sternebat, in quo cubabat dictus Guilielmus, illi ex solo Dei amore calceos detrahebat, in vestibus exuendis eum juvabat, lectumque ingrediendo vesperi : mane vero ei succurrebat in vestibus induendis, lectoque egrediendo : nam alias vix se juvare poterat, aut non nisi ægre admodum.

232 Verum duobus annis præcedentibus præterpropter hospitium habebat in domo Nicolai Campani *, et videbatur dictus Guilielmus confractus ad spinam dorsi supra renes : habebat ibi quandoque etiam quasi grande apostema, et tumorem, qui putredinem ejiciebat, quandoque etiam hoc vulnus consolidatum erat, seu obductum, ita ut non flueret : nihilominus et tumor ibidem erat, et inflammatio cum ibi, tum in aliis corporis ejus partibus. Ita crescebant ossa dicti Guilielmi loco memorato, acsi simul fuissent collisa, neque inter se connexa : et videbatur, quando eo loco quis eum tangebat, aut digito impellebat, defectus ibidem esse in osse illo, aut in parte quavis ossis spinæ : neque enim ulla ibi sentiebatur durities, at mollities quædam percipiebatur quasi meræ carnis sine osse. Memoratus Guilielmus pluribus vicibus confitebatur domino Radulpho Barbot presbytero, qui beneficium ecclesiasticum habebat in templo sancti Gervasii Parisiis : cumque se juxta ipsum collocaret, primum unam manum humi ponebat, aliaque parte fulcro se sustentabat; dein alteram manum humi ponebat, tum se in latus unum in terram projiciebat; itaque jacebat, nec sedere posse videbatur. Quando pileolum capiti volebat imponere, non poterat, nisi una parte se sustineret : non enim valebat supra pedes consistere. Ad hæc satis apparebat ex vultu habituque, impotentem, languescentem, et infirmum esse, ac diu vivere non posse, ita ut videretur in dies singulos moriturus. Dicebat etiam memoratus Guilielmus articularem morbum sibi esse in coxendicibus. Porro tantus erat ipsius morbus, ut dictus Nicolaus Campanus, qui vixit deinde in Ordine fratrum Minorum, dixerit, se eo laborare nolle totius regni Galliæ pretio, si eo non foret liberandus. Quippe adeo ægrotabat, ut, si domus, in qua erat, arsisset, inde non fuisset egressus sine fulcris, quemadmodum dicebat quintus testis, adjiciens se nolle ecclesiam sancti Dionysii puro auro plenam, ea conditione, ut morbo laboraret, quo tunc laborabat memoratus Guilielmus.

* le Champenois

A REGINÆ CONFESSARIO.

apud tumulum sanatur.

233 Postquam dictus Guilielmus diu languebat, cum passim diceretur Parisiis, ad sepulcrum sancti Ludovici facta fuisse miracula, ægrosque ad dictum tumulum sanatos, ivit ad tumulum memoratum. Quandoquidem vero ipse solebat quotidie fulcris per plateas incedere, atque esse in domo dicti Heriberti, septemque dies circiter præterierant, quibus non venit ad domum Heriberti memorati; memoratus Nicolaus Campanus testis secundus, quando audivit dictum Guilielmum esse Dionysiopoli propter miracula, quæ ibidem fiebant per venerabilem sanctum Ludovicum, dixit, si ipse rediret liberatus et sanatus, vere se ipsius miraculis fidem habiturum. Porro prædictus Guilielmus fuit apud dictum sepulcrum octo fere diebus, ubi fuit sanatus; transactoque octiduo memoratus Guilielmus repetiit domum dicti Heriberti, incedens per plateas erecto super pedes corpore, sine fulcris, aliove quocumque subsidio, dicebatque se reverti a sepulcro venerabilis sancti Ludovici, ubi integræ restitutus esset valetudini. Illi autem, qui eum incedentem viderunt et sanatum ex hoc morbo, vehementer admirabantur. Post hæc octiduo circiter substitit Parisiis restitutus et sanus, incedens libere et expedite per se, pedibus suis, sine fulcris, sine baculo, alioque adjumento, quemadmodum alius homo sanus, hilaris et lætus. Quando memoratus Guilielmus discessit Parisiis, dixit se in patriam suam velle proficisci, ibatque recto super pedes corpore, sine fulcris, sine baculo, et sine alio subsidio.

XVIII. *Adolescens, mira correptus*

234 Joannes de la Haie ex silva Leonum *b* diœcesis Rotomagensis, natus annos circiter octodecim, quindecim diebus ante festum domini sancti Joannis mense Junio anni Domini nostri MCCXCII *c* ex patria sua discessit integra valetudine, Parisios versus tendens ad lucrum faciendum. Ubi fuit inter Pontisaram et Donysiopolim, die quadam Lunæ ante festum sancti Barnabæ *d*, videbatur sibi turbine circumdatus, ex quo humi lapsus est. Postquam ibidem jacuerat tantisper admodum debilitatus, ut ipsi videbatur, surrexit, valdeque debilis processit per se nixus baculo, quem in manibus habebat, ad intervallum jactus sagittæ ex arcu duplicis aut triplicis. Tunc, ut qui incedere non posset, in terram cecidit. Ubi tantisper humi jacuerat, neque se levare poterat; homines, qui Pontisara veniebant ad nundinas Dionysiopolitanas, ei opem tulerunt ad surgendum. Postquam incesserat modico tempore, illique ei animos addiderant, amplius incedere nequiit, sed lapsus est : qua de causa eum erexerunt, sustinuerunt per brachia, atque intervallo quodam viæ duxerunt : verum cum illi tædio afficerentur, deseruerunt ipsum

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ipsum humi jacentem. Alii qui veniebant, eum miserati, e terra levaverunt, atque etiam duxerunt, sustentantes sub brachiis, usque ad pomeria urbis sancti Dionysii; cumque eum ibidem reliquissent, pedibus insistere nequiit, sed cecidit. Alii, qui illuc veniebant, verbis in eum invehebantur, ebriumque esse dicebant; quamvis, uti inquisitoribus dixit, ab anno vinum non bibisset. Neque tamen ante umquam dicto morbo ullatenus fuerat tentatus, sed sanus fuerat et valens. Deinde, ubi quieverat tantisper, vocavit duos homines, qui eum in surgendo juverunt; atque ita paulatim venit per urbem, at sæpe quiescebat super sellaria, ante januas locata, atque hoc modo venit usque ad ecclesiam sancti Dionysii. Verum dum eo pervenerat, non habebat pecuniam ad lectum sibi conducendum; jacuitque nocte illa ante templum.

artuum impotentia,

235 Mane duo homines eum juverunt, portaruntque ad tumulum venerabilis sancti Ludovici : neque enim se juvare poterat brachiis, aut cruribus : habebatque manus adeo clausas, ut eas aperire non posset, ita ut, dum ad portam B ecclesiæ candelam emerat, offerendam apud tumulum, manum aperire non posset ad accipiendam candelam, illamque pugno ejus infigeret mulier, quæ eam vendiderat. Peregrini, aliique viri pii, qui ad ecclesiam veniebant, elemosynas ipsi dederunt, quibus panem emi curavit : et mulieres illic præsentes panem secuerunt, orique ejus imposuerunt, illum pascentes : neque enim manibus opem sibi ferre poterat. Postquam tota illa die ibi fuerat, qui curam habebat ecclesiæ eum efferri jussit : ac cubuit ibidem extra ecclesiam, ut nocte præcedente fecerat, sub dio; sic et tertia nocte fecit. Die Martis ante festum memoratum dictus Joannes a viris portatus fuit, positusque apud tumulum memoratum, atque etiam relatus ex templo; eoque deinde modo quotidie per tres hebdomadas, aut circiter. Porro dictus Joannes commemorato tempore se juvare nequibat brachiis, nec manibus, nec pedibus, nec femoribus; nec se nutrire valebat nec manus suas ori admovere : ad hæc tenebantur manus complicatæ, et clausæ, ut eas aperire non posset. Unde ægri, qui apud ipsum erant, aliique eum nutriebant, bolosque ori ejus imponebant. C Membra ejus adeo erant soluta ac impotentia, nimirum ejus brachia, femora, pedes, crura tempore supra dicto, ut nullo modo iis se juvare posset, neque illa ad se trahere, neque extendere, neque ab uno latere in alterum se vertere. Quando ferebatur, dicta membra adeo huc illuc jactabantur, acsi nexu naturæ inter se non fuissent ligata, corporive conjuncta. Si currus per ipsum fuisset transiturus, non potuisset femora sua ad se attrahere. Quando ab hominibus, qui humeris eum ferebant, aliquo loco premebatur, clamabat ac dolorem significabat.

ea apud sepulcrum liberatur.

236 Postquam memoratus Joannes in tanta fuerat infirmitate per tres hebdomadas, et amplius, invisens quotidie tumulum memoratum, cœpit manus suas extendere, sensitque se liberatum ea infirmitate, qua manus aperire nequibat; majorque per totum corpus ei oriri videbatur alacritas. Verum dum periculum fecit, an in pedes se posset erigere, nullo modo se erigere potuit; in genua vero se erexit apud dictum tumulum : eoque solatio usus est usque ad diem Mercurii tunc sequentem. Die ista Mercurii magis se recreatum sensit, fuitque apud memoratum sepulcrum, ac apprehendit annulos illic pendentes, et paulatim se erexit, juvitque se annulis, D deindeque se erexit in pedes. Cum autem se erigeret, videbantur ei ossa in membris suis supra dictis mutuo collidi, nullum tamen sentiebat dolorem. Ab hac hora incepit ire per templum per se, sine baculo, alioque adjumento. Ab eo item tempore incessit similiter per se usque ad tempus inquisitionis de hoc miraculo, potuitque ire pedibus suis per urbem sanatus ex languore femorum, brachiorum, manuumque suarum, quemadmodum alius homo sanus. Ceterum quando memoratus Joannes erat coram inquisitoribus, atque hac de re respondebat; jusserunt ipsum surgere, ac per se incedere, claudere et aperire manus et brachia, quæ æque faciebat ac alius homo sanus.

XIX. *Puer mortuus, uti apparet,* e

237 Anno Domini nostri MCCLXXIV in festo domini sancti Dionysii, quando Gaufridus, filius Agnetis uxoris Joannis de Clamart, natus Parisiis, habitans et subsistens in parochia sancti Mederici e, ætate tunc quatuor annorum, aut circiter, comederat in prandio istius diei cum memorata matre sua, reliquaque familia sanus et E incolumis, post prandium domo exivit ad ludendum, uti facere solent infantes. Verum ab alia parte plateæ, in qua habitabat mater ipsius, aperta tum erat cella Petronillæ Pontisarensis * : in qua cella multa erant dolia musto plena, tantaque erat vis atque asperitas odoris musti, ut memorata Petronilla ex dolio uno, quod in cella habebat, vinum vetus accipere non posset, neque enim ipsa, neque ancilla ipsius audebat intrare cellam memoratam, neque tamdiu ibi subsistere, donec poculum veteris illius vini prompsisset : qua de causa necesse erat, ut eo tempore vinum emeret ex cella aliena. Eadem die post prandium memorata Petronilla, quæ erat ante cellam suam, clamavit : Adeste, eccum infantem mortuum in cella mea. Tum dicta Petronilla descendit in cellam memoratam, cepit infantem intra brachia sua, eumque sursum portare voluit : at parum aberat, quin laberetur e gradibus propter vehementiam odoris musti, quod in doliis respirabat ac fæces exhalabat. Ubi in cellam descenderat, vidit infantem multos evomuisse humores; multique accurrerunt homines propter clamorem ad dictam Petronillam; F atque ex iis unus, videlicet Guilielmus Pelletarius, cepit infantem e manibus dictæ Petronillæ, tulitque dictum infantem in domum memoratæ Agnetis. Prædicta vero Agnes eum non noverat, neque accipere volebat. Deinde vestem ejus lustravit, viditque vestem esse filii sui : et quia aliunde videbat filium suum esse, certius eum lustravit, atque agnovit.

* de Pontaise in Ms.

quod nullum vitæ signum in eo appareret.

238 Porro dictus infans extensus humi jacebat, uti mortuus; neque se, neque ullum e membris suis movebat, neque spirare cernebatur, neque ulla in eo erant vitæ signa : oculos habebat apertos, inversosque in capite instar mortui. Qui eum videbant et tangebant, dicebant se credere, vere mortuum esse; dicebantque, si viginti tales haberent filios, uno vivo commutaturos. Demum omnes, qui aderant, mortuum esse dicebant, matremque ejus monebant, ut eum sepeliri curaret. Mater dolens, pudoreque affecta de tali filii sui morte, morata adhuc est, neque eum tradere voluit sepeliendum, sed servare voluit usque ad diem sequentem. Margarita interpolatrix, quæ dolebat de hoc infante, quem enutriverat, eum cepit, dixitque non sepelien-

dum

A dum illo tempore; se enim, siquis manum admoveret, dentibus illum impetituram : itaque sepultus non est. Deinde viri quidam illic præsentes infantem e pedibus tenuere pendulum, ut explorarent, an nihil ore ejiceret : at nihil ejecit. Unde firmius adhuc crediderunt mortuum esse, monebantque ut sepeliretur. Ut vero certius exploraretur, mortuusne esset an vivus, copiosus extructus est ignis; infantemque veste exutum ad ignem calefecerunt, diuque fricuerunt ad ignem istum : at numquam idcirco ullum vitæ signum percipere potuerunt. De nocte, memorata Agnes, dictaque Margarita ipsius nutrix, infantem hunc lecto imposuerunt, ibique servarunt : verum frigidus erat et rigidus, uti ab initio : neque umquam perceperunt eum ullo modo spirantem.

factis votis S. Ludovico, cereoque ad tumulum oblato,

239 Postquam dicta Agnes, memorati infantis mater, recordata est se diu ante audivisse, venerabilem sanctum Ludovicum, quondam Galliæ Regem, prodigia patrare et miracula in gratiam eorum, qui eum in necessitate sua invocabant, de venerabili hoc sancto Ludovico habuit fiduciam, vovitque, et dixit hæc verba : Do-B mine sancte Ludovice, Dei amice, audivi te prodigia facere ac miracula grandia : redde hunc mihi infantem vivum, ita ut vitam in eo percipiam, et cras mane pro eo offerendam tibi mittam candelam, ejus longitudini parem. Ita vovit ei infantem, cum ad hunc ipsum infantem rursus videndum; tum etiam ne sibi vitio verteretur, quod obiisset tali morte tam subita, ac pœnitentiam communem obire deberet de negligentia in hoc ipso infante custodiendo. Memorata Margarita dicti infantis nutrix, hunc specialiter vovit memorato sancto Ludovico, dixitque, si venerabilis sanctus Ludovicus eum dicto periculo liberaret, se nudis pedibus et in laneis dictum infantem ad ipsius tumulum delaturam. Mane mater istius infantis misit Gaufridum de Montligas præconem vinorum *f* ad tumulum ante dictum cum candela, quam promiserat. Mox iter ingressus est memoratus Gaufridus, cepitque sarmentum e vite, quod existimabat paris cum infante longitudinis, aut pede uno longius; atque ubi venit ad fanum sancti Dionysii candelam emit paris cum dicto sarmento longitudinis C duobus denariis, quos memorata Agnes ei dederat ad candelam emendam; qua empta, adivit dictum tumulum, eamque incensam fixit, dictoque tumulo alligavit; atque oravit eum, qui illo tempore erat custos ecclesiæ, ut illam ibidem omnino consumi sineret, ac deinde Parisios rediit.

paulatim seu vitæ seu valetudini restituitur.

240 Interea, dum memoratus Gaufridus erat in reditu, inter Capellam *g* et Parisios, ut conjici poterat, mater memorati infantis, ejusque nutrix perceperunt aliquantulum vitæ esse in infante : nam tacite admodum suspiravit. Illæ gratias egerunt venerabili sancto Ludovico. Ubi illic tantisper fuerant, rursum suspiravit : ex quo certæ fuerunt, infantem vivere. Deinde memoratus nuntius ingressus est domum dictæ Agnetis : poterat autem esse circa horam Primæ. Dixit itaque memorata Agnes huic ipsi nuntio, bona cum peregrinatione functum esse : dictum enim infantem vivere, et suspirasse. Verum tota illa die usque ad vesperam, neque mater dicti infantis, neque nutrix umquam perceperunt, quod manum moveret, vel pedem : neque manducavit dictus infans usque ad diem posteram. Porro paulatim hic infans recreatus est, atque ita sanatus, ut intra quindecim dies pristinæ valetudini omnino fuerit restitutus : præterquam quod, antequam memoratum incurreret periculum, oculos haberet rectos et formosos, et deinde semper strabo fuerit, oculisque distortis. Ubi dictus infans sanitati fuit restitutus, dicta Petronilla eum interrogavit, quid facere voluisset in cella ista, quando ibi lapsus est. Respondit ille, cum luderet turbine *h* suo, illum in cellam incidisse, seque, quando descendebat in cellam, ut reciperet turbinem suum, ibi lapsum esse. Post hæc memoratus Gaufridus sanus fuit et incolumis usque ad tempus inquisitionis de hoc miraculo. Agnes la Bouchiere, quando primum vidit dictum infantem ita sanatum, secum dixit, futurum necessario virum probum : nam a morte suscitatum esse : idem dixit mater memorato Gaufrido coram inquisitoribus, scribisque præsentibus, qui dictum Gaufridum sanum perspexerunt et incolumem : pallidus tamen admodum est, strabo, et utroque oculo luscus *i*.

A REGINÆ CONFESSARIO.

ANNOTATA.

E

a *De ecclesia parochiali SS. Gervasii et Prothasii Parisiis agit Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus a pag. 806.*

b *Silva Leonum, vulgo* la forest de Lions, *sita est in finibus pagi Velocassini in Normannia, ut videri potest in mappis geographicis, et latius exponit Valesius in Notitia Galliarum pag. 271 et seq.*

c *Numeri hic rursum sunt corrupti seu auctoris negligentia seu describentium vitio : nam pro anno 1292 haud dubie substituendus 1282; quippe ex iis, quæ dicuntur sub finem miraculi, res peracta videtur, dum inquisitio de miraculis jam erat inchoata, quæ cœpta anno 1282.*

d *Colitur S. Barnabas* XI *Junii, tredecim diebus ante S. Joannem Baptistam, cujus festivitas 24 Junii celebratur.*

e *Parochiam S. Mederici inter Parisienses recenset mox laudatus Breulius pag. 822.*

f *Præco vinorum, Gallice* crieur de vins, *est homo, qui vinum venale per plateas prædicat, manuque lagenam cum scypho circumferens, ex illo gustandum offert emere volentibus. Abolita est hæc consuetudo Parisiis; at perseverat etiamnum in multis Provinciæ urbibus, ut me docuit laudatus antea Soucietus noster.* F

g Capella, la Chapelle, *vicus inter utramque urbem est media fere via.*

h *Gallice* Cabot *vel* sabot *ambigue scriptum legitur.* Sabot *autem in Dictionario Philiberti Monet exponitur* turbo puerilis, *licet vel calceum ligneum, vel equi ungulam etiam significet. Deinde Menagius in Dictionario etymologico ad vocem* sabot *testatur, a Turonibus aliisque* sabod *vel* cabod *dici.*

i *Ex his aliisque hujusmodi mire elucet auctoris sinceritas, qui ne quidem prætermittere voluit illa, quibus beneficii magnitudo videbatur minui. Ceterum, an hic infans omnino fuerit mortuus, aliorum esto judicium. Videri possunt, quæ notata sunt ad primum miraculum lit. b.*

CA-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

CAPUT IX.

Cujusdam pedes, crura, femora apud tumulum sanata : Soror abbatiæ Lilii malo immedicabili, quo dudum laborabat circa oculum, liberata : cilicia, ac flagrum ferreum sancti Ludovici in dicta abbatia servatum.

XX. *Quidam, ex cruris vulneribus* Anno Domini nostri MCCLXXI mense Junio Rodulphus Caveterius *, annorum triginta et ultra, natus in Fourmont diœcesis Lexoviensis *a*, habitans Parisiis per annos sexdecim in parochia sancti Mederici, læsus fuit ante Natalem Domini hujus anni in pede dextero circa hallum. Postquam aliquanto temporis spatio sic fuerat affectus, dictum malum acu apertum fuit, multamque ejecit putredinem : cumque eleemosynæ quædam distribuerentur ante Natalem Domini extra Lutetiam ad Ulmum Galteri *, dictusque Rodulphus eo ivisset; propter densam valde turbam læsus fuit in memorato pede dextero, atque ita ægrotavit per decem menses, et ultra. Nihilominus adhuc per se incedebat, ac sine fulcris, et lucrabatur opificium suum exercendo. Deinde malum increvit, atque ascendit ad femur, genuque dexterum : ac membra ejus rubescere cœperunt, et intumescere. Ab eo tempore incedere nequiit sine fulcris, ingentique labore; neque artificium suum exercere potuit; at mendicare eum oportebat. Tunc foramen ortum est supra genu dicti Rodulphi; deinde et foramina orta sunt in ejus femore, et infra genu, in parte femoris posteriore, intus et foris, ita ut essent octo, quæ multum fœtoris, putredinisque ejiciebant. Porro unum foraminum illorum tam latum erat et profundum, ut ovum gallinaceum, vel nux magna illi posset imponi : alia vero ea erant latitudine et profunditate, ut digitus hominis minor usque ad juncturam primam in iis esse posset. Porro timebant aliqui ne ossa juncturæ putrefierent, perque foramina memorata egrederentur propter fœtorem, putredinemque, quæ femur istud per dicta foramina ejiciebat.

* le Cavetier

a

B

* à l'ourme Gautier

C

claudus apud sepulcrum 242 Memoratus Rodulphus ter peregrinatus est Noviodunum ad sanctum Eligium pro sanatione sua; semel per se, priusquam fulcris uteretur, violentia adhibita summa, summoque labore, ita ut non nisi duabus leucis præterpropter quotidie procederet. Adhæc multas requisivit medicinas, quibus contra morbum suum usus est. Nihilominus neque medicinæ, neque peregrinationes quidquam ei profuerunt ad malum memoratum depellendum. Quin imo adeo medicinæ, peregrinationesque memoratæ ei non profuerunt, ut cum unum dictorum foraminum clauderetur, aliud extemplo sic nasceretur, ut inde non liberaretur, neque ullum sentiret solatium; ita ut homines, qui ejus commiserationes tangebantur, ei dixerint, ut iret ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, ubi miracula fiebant, ægrique sanabantur; ac prius confiteretur de peccatis suis. Dictus Rodulphus de peccatis suis confessus est presbytero sancti Mederici, deindeque memoratus Rodulphus iter aggressus est tempore Dionysiopolitanarum nundinarum, quæ nuper sunt transactæ, ab octo *b* annis, nimirum anno Domini nostri MCCLXXVI, ut fulcrorum ope perveniret ad tumulum supra dictum. Postquam memoratus Rodulphus venit Dionysiopolim, ivit ad tumulum memoratum, ac invocabat venerabilem sanctum Ludovicum, quam poterat ac sciebat optime, ut sanitatem sibi redderet. Ibat tamen hora prandii ad hospitium suum comesturus, deindeque redibat ad dictum tumulum, eratque ibidem usque ad vesperas.

D

b

sanitati restituitur. 243 Quando memoratus Rodulphus venit ad dictum tumulum, memorata foramina putredinem emittebant, et fœtorem. Verum ab eo tempore, quo venit ad sepulcrum memoratum, recreari cœpit ex morbo suo : cumque apud tumulum memoratum subsisteret diebus circiter novem, de die in diem ita melius habebat, ut memorata foramina desinerent fœtorem ejicere, obducique cœperint. Crusta erat obductum foramen maximum, quod tam profundum erat, quando venit ad sepulcrum, ut nux eo recipi posset foramine; aliaque tria tam lata erant et profunda, ut minor digitus memorati Rodulphi usque ad primam juncturam iis posset imponi : quæ membrorum foramina integre clausa fuerunt intra novem dies. At supra majus foramen manebat adhuc crusta prædicta; nihil tamen deinceps ejecit, neque putredine fluxit. Adhæc intra novem dies memoratus Rodulphus ivit per ecclesiam sancti Dionysii per se, sine fulcris, sine baculo, alioque subsidio; reliquitque fulcra sua apud sepulcrum dictum. Transactis novem diebus ante dictis, dictus Rodulphus rediit Parisios sine fulcris, sine baculo, et sine alio adjumento, integræ valetudini restitutus, obivitque artificium suum, aliaque sua negotia, quemadmodum alius homo sanus. Crustula etiam, qua majus foramen obductum erat, nihil ejecit putredinis, postquam Parisios rediit; sed aruit, ac decidit : reliquitque ibi sanati vulneris vestigium nitidum et pulchrum, uti etiam in aliis foraminibus. Inquisitores dicti miraculi, eorumque scribæ viderunt Rodulphum memoratum sanum, atque ex morbo memorato restitutum, incedentem per se, sine scipione, alioque subsidio, libere ac festine, instar alterius viri sani : adhæc viderunt pedem ejus dexterum, femurque, genu, et supra genu, ac decem circiter conspexerunt cicatrices vulnerum obductorum, ex decem ante dictis foraminibus, alias minores, majores alias plane solidatas.

E

F

XXI. *Soror conversa Ordinis Cisterciensis.* 244 Anno Incarnationis MCCLV soror Clementia Senonensis * conversa abbatiæ Lilii prope Melodunum, Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Senonensi, malum habebat inter oculum et nasum; quod vocabatur Gutta fistulæ *c*, et habebat ibi foramen, cui festuca poterat immitti, ex eoque foramine humores per malam decurrebant lacrymis similes; ac pellis malæ, per quam dicti humores decurrebant, multum splendescebat. Quando dicta Clementia digito suo premebat prope locum hujus mali, satis putredinis ex illo foramine procul exsiliebat : idque sæpe faciebat. Post aliquod temporis spatium sub oculo sinistro prope nasum vesicula exorta est, nigrorque erat in carne ab utraque parte istius vesiculæ. Hæc fuit per octo circiter dies paululum inflata, deinde dicta vesicula per se aperta est,

* de Sens

c

cœpit-

A cœpitque humores ejicere instar puris crassos. Hac de causa quædam potiones ac medicinæ ei indicatæ sunt, quas profuturas dicebant. Sumpsit potiones has, hasque medicinas, et nihil quidquam ei profuerunt; sed remansit foramen, ex quo humores clari lacrymarum similes egrediebantur magna quandoque copia, dum digito suo premebat prope locum mali, quod ter quaterve per diem fieri oportebat, quia humores illic erant congregati. Memorata Clementia ostendit dictum malum Petro de la Broce chirurgo domini sancti Ludovici, qui virgula exigua imposita huic foramini, reperit ibidem tres fistulas ex diversis partibus ad hoc foramen pertingentes : id ipsum dicta Clementia sensit, et percepit.

immedicabili laborans circa oculum malo,

245 Hic ipse memoratus chirurgus, quando advertit malum esse immedicabile arte naturali, seu chirurgica, seu medica; ei dixit, non sanandam nisi miraculo. Postea memorata Clementia nullas contra dictum malum adhibuit medicinas, nisi quod consilio memorati Petri sub mento suo posuerit remedia quædam * : intelligebat enim illis attrahi humores a loco affecto

* *candorilles vocat auctor.*

B deorsum. Hinc memorata Clementia tantos passa est dolores, ut tribus diebus dormire non posset. Attamen hoc nihil profuit contra malum memoratum. Qua de causa nihil umquam deinde apposuit, neque fecit aliquid ad dicti mali curationem. Dicta Clementia habebat quandoque oculum illum inflatum et turbidum, atque ita ægrotavit per annos viginti et amplius. Percipiebatur quoque et dicebatur in dicta abbatia, memoratam Clementiam hoc morbo deviasse a sensu recto, deliraque loqui, idque totum propter hunc morbum. Quia vero sordidata erat dicto malo propter egrediens ex eo pus, Abra, quæ tunc erat loci abbatissa, et sorores noluerunt, ut tangeret vascula, cibosque iis impositos. Memorata autem Clementia orabat sæpissime dictam abbatissam et sorores, ut mitteretur ab ipsis Dionysiopolim ad tumulum venerabilis sancti Ludovici : sperare enim se affirmabat, fore ut illic sanaretur ex morbo prædicto. Quippe dicebat vocem se audivisse, dum in lecto vigilans decumberet, qua hæc sibi dicerentur verba : Si non vadas Dionysiopolim ad tumulum Regis Ludovici, non sanaberis. Porro contigit

C tempore Adventus Domini nostri anno MCCLXXVIII, ut dictum malum cresceret, adeoque augeretur, ut tumor ibidem enatus sit sub oculo dextero prope nasum, tantusque oculorum cum dexteri tum sinistri dolor invaserit dictam Clementiam propter memoratum tumorem, qui utrimque increverat, ut videre etiam non posset.

divinitus monetur adire sepulcrum S. Ludovici,

246 Tunc dicta Clementia oravit eam, quæ abbatissæ memoratæ ministrabat, ut sibi adferret modicum scrinium, in quo cilicia et flagella venerabilis sancti Ludovici secreto servari solebant. Quando memorata Clementia hæc habebat, eaque sibi applicabat diebus pluribus, nocte quadam Adventus Domini nostri, dum dicta Clementia lecto decumbebat vigilans, quasi certo audivit vocem sibi dicentem : Tibi dico nomine Domini Dei nostri, ac Regis Ludovici, ut tantum efficias, ut venias Dionysiopolim, si oculos tibi sanari velis; sin id nolis, eos amittes. Habebat autem eo tempore dicta Clementia scrinium memoratum prope caput suum. Ab eo tempore dicta Clementia oravit prædictam abbatiæ memoratæ abbatissam, eamque rogari curavit, ut ab ipsa mitteretur Dionysiopolim. Studebat autem dicta Clementia venire ad tumulum venerabilis sancti Ludovici ibidem collocatum, sperabatque se ibidem prorsus liberandam malo oculorum suorum. Verum dicta abbatissa eam illuc mittere, veniamque eo eundi concedere tantisper distulit, propter levitatem capitis memoratæ Clementiæ, verbaque imaginaria, quæ subinde proferebat. Attamen tantopere eam ursit, ut tandem dicta abbatissa consenserit eam mittere Dionysiopolim ad tumulum memoratum cum sorore Ermengarde.

A. Reginæ Confessario.

ubi hoc malo liberatur :

247 Postquam eo venerunt, templumque sancti Dionysii sunt ingressæ tempore matutino, memorata Ermengardis dixit huic ipsi Clementiæ hæc verba : Poterisne ire ad tumulum venerabilis sancti Ludovici? Respondit dicta Clementia : Omnino. Venit hoc modo ad sepulcrum memorata Clementia. Ubi tantisper illic oraverat, rogavit monachum ibi præsentem, ut detegeret tumulum venerabilis sancti Ludovici. Et monachus illum plane apertum ei exhibuit. Postquam illum viderat, ibique fuerat aliquanto tempore magna cum devotione, antequam memorata Clementia ex templo abiret, vere se sensit omnino ex dicto morbo recreatam, atque omni E ex parte liberatam. Etenim præfatum foramen nihil deinde putredinis, nihil humorum emisit; sed integre obductum fuit, sicuti apparebat tempore inquisitionis de hoc miraculo; præterquam quod modica foraminis cicatrix magis appareret tempore, quo fuit sanata, quam tempore examinati hujus miraculi. Inquisitores hujus miraculi, eorumque scribæ, viderunt Clementiam prænominatam plane sanatam illa die, qua hæc testata est, neque ullum ibidem habebat incommodum. Porro eadem die, qua venerant, quando redibant inde memorata Ermengardis, prædictaque Clementia; dicta Ermengardis huic ipsi Clementiæ dixit : Quare non orasti venerabilem sanctum Ludovicum, ut malo oculi tui te liberaret? Reposuit dicta Clementia : Non nosti omnia beneficia, quæ dominus Rex, venerabilis sanctus Ludovicus mihi præstitit, præstatque etiamnum. Tum memorata Clementia se convertit ad dictam Ermengardem, eique dixit : Intuere porro, utrum bene ex morbo meo restituta sim. Intuita est eam dicta Ermengardis, et dixit : Videris mihi pulchros habere F oculos. Dixit vero memorata Clementia; Pulchriores etiam habebo. Reposuit dicta Ermengardis; Magnum id existimarem miraculum, si esses sanata.

uti probatum fuit : cilicia, et flagrum S. Ludovici in dicta abbatia servata.

248 Postquam dicta Clementia reversa fuit ad abbatiam Lilii, nihil umquam deinde mali sensit occasione morbi supra dicti; at omnino restituta fuit ex illo malo et sanata solo miraculo, non modo naturali, ullave alia ratione. Atque ab ea die, qua dicta Ermengardis, dictaque Clementia redierunt ad abbatiam Lilii, memorata Clementia deinde semper conspecta est sanata, et libera a dicto morbo, vivebatque tempore inquisitionis de hoc miraculo, neque ullum ibidem habebat foramen, sed oculo erat formoso, neque ullus erat tumor, neque ulli defluebant humores, ut solebant. Dicebat quoque memorata Clementia dictæ Ermengardi : Quare non curas manifestari hoc miraculum, quod Deus, et venerabilis sanctus Ludovicus operatus est in me? Morbo enim meo liberata sum. Adhæc testes, de hoc miraculo interrogati, responderunt, dictam Clementiam restitutam esse ex morbo prænominato per merita venerabilis sancti Ludo-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

Ludovici, quem sanctum credebant. Scire oportet in memorata abbatia Lilii esse cilicia, quæ sanctus Ludovicus gestabat, dum viveret; unum factum per modum subuculæ, defluens infra cingulum; alterum compositum in modum trium quatuorve cingulorum, quorum alia sunt palmæ latitudine, alia trium aut quatuor digitorum. His adjuncta est catenula ferrea, qua in corpus suum animadvertebat. Verum hic non refertur, quo modo memorata abbatia isthæc acceperit.

ANNOTATA.

a Lexovium, *vulgo* Lisieux, *urbs est episcopalis in Normannia sub archiepiscopo Rotomagensi, in illius vicinia quæri potest vicus* Fourmont, *quem non inveni.*

b *Hæc referuntur ad tempus, quo inquisitio de hoc miraculo instituta est. Cum autem nundinæ habeantur Dionysiopoli mense Junio, ac inquisitio habita sit post illas absolutas, inquisitio illa habita est anno 1282, adeoque ab anno 1276 numerari integre non possunt octo anni.*

B c *Gallice,* goute flestre. *Indicatur defluxio orta ex fistula, seu ulcere calloso et sinuoso : nam per guttam frequenter humorum defluxio significatur, quæ ut varia est, ita varios significat morbos pro varietate vocum adjunctarum. Videsis Glossarium Cangii ad vocem* gutta.

CAPUT X.

Tuber in gutture pueri apud tumulum sponte ruptum : tremor alterius infantis sublatus : claudo gressus restitutus.

XXII. *Puer ingenti tubere laborat in gutture,* *a* *b*

Quando Joannes, filius Aleidis de Fresnes, diœcesis Teruannensis *a*, quæ habitabat Parisiis viginti annorum spatio in parochia sancti Joannis in Greva *b*, agebat tres circiter annos cum dimidio, sanus erat atque integra valetudine. Tempore quodam matutino, cum hic infans de C lecto surgeret, ad dexteram oris partem hujus infantis infra aurem exortus est tumor, apparens forinsecus instar ovi gallinacei; cœpitque dictum malum tanto incremento augeri, adeoque se extendere sub mento usque ad aurem alteram, ut intra annum totus ille locus hoc tumore fuerit oppletus usque ad os pectoris ipsius, ita ut parum abesset, quin ipsius jugulum seu guttur tam crassum videretur, quam caput ipsius. Caro istius loci erat inflata et dura, neque rubra erat, sed candida, uti alia istius infantis caro. Adhæc quia memoratus infans nec collum vertere poterat nec caput, nisi simul humeros inverteret, neque liquide audiebat propter hoc malum, memorata Aleidis duxit prædictum infantem Parisios ad regem, qui ibidem erat, quoniam jam dudum dicto malo laborasset. Rex eum de more tetigit, at nihil id ipsi profuit : mansitque toto sequenti anno in eo, in quo ante fuerat, statu; ac deteriore etiam.

250 Porro cum memorata Aleidis, et Arnulphus, dicti infantis pater, ejus eo tempore maritus, intellexissent prodigia et miracula facta esse ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici Dionysiopoli in vicinia sua, venerabilemque sanctum Ludovicum in vita sua homines hujusmodi morbis liberasse, atque adhuc liberaturum; dicta Aleidis ejusque maritus voverunt ac promiserunt, ducturos se ad tumulum venerabilis sancti Ludovici memoratum infantem filium suum. Itaque die quadam Dominica, octo annis ante æstatem anni, quo examen hujus miraculi fuit institutum, inter festum domini sancti Joannis et mensem Augustum, tempore, quo secari solet frumentum, nimirum anno Domini nostri MCCLXXIV, duxerunt memoratum infantem Dionysiopolim ad sepulcrum dicti sancti Ludovici; et infantem dictum permiserunt curæ Ermengardis Silvanectensis *, uxoris Radulphi, qui vinum exonerabat Parisiis, domumque suam ad alia sua negotia redierunt. Memorata Ermengardis ducebat quotidie dictum infantem ad sepulcrum memoratum, eumque ibidem servabat de die; noctu vero cubabat in hospitio quodam ejusdem urbis. Die Martis tunc proxima, dum memoratus infans erat ibi cum dicta Ermengarde apud sepulcrum dictum, tuber memoratum disruptum est ad partem sinistram, multumque ejecit putredinis. Die Mercurii tunc sequente, cum memorata Aleidis, dicti infantis mater, venisset Dionysiopolim visura filium suum, invenit memoratum infantem apud tumulum; et prænominata Ermengardis dixit, tuber Joannis esse disruptum, multumque putredinis ejecisse hac ipsa die Mercurii. Præcepit igitur dicta Aleidis memoratæ Ermengardi, ut servaret ibidem infantem, donec novem dies præteriissent a die Dominica prænominata. Ita fecit memorata Ermengardis, eoque pacto dictus Joannes fuit ibidem diebus novem, quibus malum memoratum sponte ruptum est miraculo, idque subito virtute divina, dum memoratus infans jacebat in gremio dictæ Ermengardis apud tumulum.

D *quod sponte disrumpitur apud tumulum.*

* de Senlis

E

251 Transactis novem diebus, memorata Ermengardis rediit Parisios cum dicto infante ad domum patris matrisque infantis. Postea in dicto tubere ortus est quidam rubor, majorque tumor, pluraque ibidem nata sunt foramina, tria nempe vel quatuor, e quibus putredo scaturiebat deinde per annum et ultra, quo recreabatur infans, ac melius habebat. Hoc in statu fuit infans duobus annis tunc sequentibus, quibus F pure illic collecto ac coadunato adeo fuit expurgatus sine alia medicina adhibita, ut memoratum tuber intra biennium prorsus discesserit, atque evanuerit, gutturque fuerit sanum, uti antea; ac infans ex hujusmodi malo prorsus fuerit restitutus. Nihilominus vestigia foraminum memoratorum ibi manserunt, quæ etiamnum apparent. At vero ab illo tempore memoratus infans nihil ex dicto malo passus est, aut sensit : neque dictum malum apertum fuit lamella, aut scalpello incisum, aut vi disruptum, sed sponte sua per miraculum apertum est, idque derepente virtute divina, cum infans jaceret in gremio dictæ Ermengardis apud hunc ipsum tumulum, ut supra dictum est. Inquisitores, et scribæ eorum aspexerunt diligenter dictum Joannem, ac viderunt integre sanatum esse, sanatusque esse videbatur a longo tempore : apparebant et quinque vulnerum cicatrices ab una aure usque ad alteram locis ante dictis, plane consolidatæ, relictæque quasi ex malo antiquo.

ac puer dein paulatim sanatur.

252 Anno Domini nostri MCCLXXXII, mense

XXIII.

infans tremulus, c

A se Augusto, octo transierant anni, et amplius, cum Joannes, tunc infans anni unius et medii prӕterpropter, filius Mariӕ de Fresnai episcopi *c* in agro Bellovacensi, habitantis Dionysiopoli, incidit in morbum, quo membra ipsius ab una parte, nimirum pes, manus, totum caput, et labia perpetuo sine intermissione tremebant. Memorata Maria mater dicti Joannis, quem habuerat ex Stephano primo marito suo, cunisque imposuerat infantem ӕtatis prӕdictӕ vesperi diei Martis in ӕstate, sanum tunc et valetudine integra, sine ullo tremore, ulloque morbo in eo apparente, quia audiebat hac ipsa nocte infantem conquerentem, accendit candelam, ac cunas lustravit, ubi cubabat infans ante lectum dictӕ Mariӕ, viditque fascias, quibus involutus erat, sanguine infectas : unde multum fuit exterrita. Levavit igitur memoratum infantem e cunis, et tunc percepit membra dicti infantis; (verum non recordatur cujus lateris; nam multum interfluxit temporis; videtur tamen ei fuisse ad latus sinistrum) nempe pedem, manum, totum caput, labiaque, tremiscere sine intermissione. Involvit ipsum fasciis aliis, utpote nescia, B quid de eo prӕterea factum oporteret, trementemque hoc modo cunis iterum imposuit. Porro nullus tunc domi erat prӕter ipsam solam cum infante; memoratus enim Stephanus ipsius maritus Pisciacum profectus erat ad nundinas.

ad varias nequidquam portatus ecclesias.

253 Postea dictus morbus tenuit semper memoratum Joannem, ita ut ipso etiam tempore, quo lactabatur, eo vexaretur. Caro quoque dicti infantis magis illa parte cӕrulea erat et glauca, quam parte altera. Duravit morbus memoratus ad annum prӕterpropter, quo vexabat infantem etiam dormientem : dicebantque vicini ipsius infantem omnino esse desperatum. Porro memoratus infans, priusquam malo memorato correptus est, sanus erat, et valetudine integra, sine tremore, aliove morbo, ac per se incedebat, quemadmodum incedunt infantes. Mater autem nullam adhibuit medicinam contra malum istud, sed id celavit ex pudore qualicumque. Attamen dicta Maria infantis hujus mater eum portavit ad ecclesiam sancti Sulpitii, ad ecclesiam sancti Leonardi *d*, alioque, quo peregrinationes in illo tractu instituebantur; verum C id dicto infanti non profuit : et dicebat memorata Maria, se portasse infantem suum prӕnominatum ad diversas istius tractus ecclesias, ut ibidem sanaretur; sed illi nihil profuisse, vel ad valetudinem conduxisse.

d

apud S. Ludovici sepulcrum

254 Post hӕc, cum multa prodigia facta essent apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, multique ӕgroti convenirent ad tumulum memoratum; dictum est memoratӕ hujusce infantis matri, ut memoratum infantem ad tumulum dictum portaret, Dominumque nostrum precaretur, ut eum liberaret per merita sancti Ludovici. Tandem etiam vicini matris dicti infantis ei dixerunt : Benignos habemus Sanctos in ecclesia nostra sancti Dionysii; ferto infantem tuum ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, ut Dominus noster eum ibidem sanare dignetur per preces ipsius. Portavit igitur dicta Maria memoratum infantem eodem anno post Pascha ad memoratum sepulcrum, mansitque ibidem cum ipso diebus pluribus, ac promisit se eo portaturam infantem diebus novem, sperans valetudini ibidem restituendum. Ubi tribus diebus eum illic tenuerat, infans manifeste recreabatur ex illo tremore, morboque supra commemorato : satis enim diminutus erat solitus tremor : (a tempore tamen, quo portatus est, usque ad diem tertium, tremebat, uti consueverat.) Caro etiam istius partis affectӕ, quӕ cӕrulea erat tempore supra dicto, alterius facta est coloris, cujus erat alia pars dicti infantis sana.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

tremore liberatur.

255 Hoc modo dicta Maria tenuit dictum infantem apud sepulcrum memoratum, donec novem dies complerentur. Nona die hӕc ipsa Maria conspexit infantem jacentem apud tumulum memoratum, quando solemne Sacrum cantabatur in ecclesia sancti Dionysii, viditque infantem non conqueri, neque dolorem pati in ullis membris, ullave sui parte. Qua de causa gratias egit Deo, ac venerabili sancto Ludovico. Cantato Sacro, retulit filium suum domum magno cum gaudio integre sanatum, ac restitutum ex illo tremore, idque sub finem dierum novem. Quando memorata Maria redibat a dicto tumulo, dicebat vicinis suis, filium suum dicto tremore liberatum esse. Quapropter vicini iverunt visuri eum propter miraculum, diligenterque eum conspexerunt, ac satis perceperunt, infantem integre sanatum, nullaque corporis parte trementem, sed omnia membra sua tenentem E firma, fixa, et quieta, sicuti alium infantem sanum. Atque ita, postquam conspectus fuerat ӕger et tremens, paullo post conspectus est integre restitutus ex supra dicto morbo. Vixit deinde memoratus infans sanus, valens, et formosus sine ullo tremore tribus annis, aut circiter, ac incedebat per se sine alio subsidio, quemadmodum alius infans sanus, usque ad mortem suam. Passim etiam dicebant vicini, dictum infantem hoc morbo supra dicto liberatum fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

XXIV. *Claudo ac languido e*

256 Cum longo jam tempore Richardus de Briqueville, vestium sarcinator, diœcesis Bajocensis *e*, habitasset in urbe sancti Dionysii in domo Thomasiӕ sororis suӕ, eodem loco habitantis, fuissetque sanus et validus, atque incederet uti alius homo sanus, incidit in morbum gravem quatuordecim annis ante tempus examinati hujus miraculi. Qua de causa incedere non poterat, nisi fulcris sub axillis nixus; neque pedibus suis poterat insistere; cumque fulcrorum ope incedebat, vix pedes humi figebat, sed post se attrahebat, magnaque vi ac labore F ingenti fulcris incedebat : vultum quoque ejus bene consideranti languidus omnino videbatur et ӕgrotus. Non mendicabat dictus Richardus, sed vestes consuebat, quo lucrabatur sibi quandoque victum : tamen soror ejus prӕdicta, uxor Rodulphi Gimbel, ei succurrebat; ferebatur et sufficientia habere bona hereditaria in patria sua. Morbus hic illum tenuit quatuor annis prӕterpropter, fulcrisque incedebat : qua de causa memoratus Richardus postea discessit ad dictum vicum Briqueville *f*, eo tendens ope fulcrorum. Post hoc tempus in ӕstate quadam, tempore nundinarum Dionysiopolitanarum, Guilielmus dicti Richardi frater, qui studiis vacabat in urbe sancti Dionysii, cum memoratus Richardus die quadam ad eumdem hunc Guilielmum venisset, ei dixit : Frater, ito Dionysiopolim, atque esto illic apud tumulum venerabilis sancti Ludovici; Deus enim multa ibidem operatur miracula propter venerabilem sanctum Ludovicum ad ejus tumulum.

f

gressus apud tumulum restitutus.

257 Memoratus itaque Richardus ad dictum sepulcrum se contulit, eumque frequentavit, jacens ibidem alios inter ӕgrotos apud tumulum memoratum. Invocabat venerabilem sanctum Ludovi-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

dovicum, cumque orabat, ut sibi sanitatem restitueret. Porro die quadam hic Richardus ibidem sanatus est, incedens sine fulcris, sine baculo, ac sine adjumento alio, recto super pedes corpore : rediitque ab ecclesia sancti Dionysii ad domum sororis suæ prænominatæ, omni ex parte dicto morbo liberatus. Et sane die præcedente in illa ipsa hebdomada memoratus Richardus æger incesserat ope fulcrorum, tantoque labore, quanto solebat, ac fuerat apud tumulum. Quin illa ipsa die, qua fuit sanatus, iverat, veneratque fulcris ad sepulcrum memoratum, sicuti solebat, atque erat ibidem cum aliis ægrotis. Tunc vero, quando sanatus fuit, ut supra dictum est, rediit ad domum dictæ sororis suæ sine fulcris, sine scipione, sine ullo alio subsidio, in pedes erectus. Vicini igitur sororis ipsius venerunt domum ipsius, dictum Richardum visuri, summamque illi demonstrabant lætitiam propter miraculum : soror vero ejus prædicta gaudio lacrymabatur. Ex viciniis multi cœnarunt illa nocte in domo memoratæ sororis propter lætitiam, qua afficiebantur. Post hæc dictus Richardus substitit longo tempore in urbe sancti Dionysii sanus et validus, iens rediensque recto super pedes corpore, sine fulcris, sine baculo, alioque hominis subsidio, quemadmodum vir alius sanus, deindeque Dionysiopoli discessit.

ANNOTATA.

a Teruanna *Gallis* Teroüanne, *urbs fuit episcopalis sub archiepiscopo Remensi, ac caput Morinorum ad Legiam flumen. Verum cum sæpius belli occasio fuisset, capta a Carolo V imperatore, ejus imperio eversa funditus ac solo æquata est.*

b *De parochia S. Joannis* in Greva *vel* Gravia, *vulgo* en Greve, *agit Breulius a pag. 810.*

c Fresnai l'evesque. *Vicum* Fresnai *in mappis Blavianis invenio tribus fere leucis Bellovaco distantem.*

d *Celebris est S. Leonardi cultus Corbiniaci in Nivernensi provincia, ut pluribus dicetur cum Acta ejus venient illustranda.*

e *Bajocæ, vulgo* Bajeux, *urbs est in Normannia inferiori, episcopalis sub archiepiscopo Rotomagensi.*

f *Vicum opinor esse. Multi autem vici hujus fere nominis notantur in vicinia Bajocarum.*

CAPUT XI.

Quidam, irridere solitus orantes apud tumulum, neque ipsi Sancto parcens, subito malo percutitur, deindeque apud tumulum sanatur : ejusdem duo filii diuturna febri liberati : claudus restitutus : presbyter sola Sancti invocatione tumore vultus liberatus.

XXV. *Quidam S. Ludovico injurius subito cruris malo percutitur;* a

Anno Domini nostri MCCLXXV circa festum sancti Dionysii Hugo de Norenthone, diœcesis Lincolniensis a coriarius, qui habitabat in urbe sancti Dionysii, atque ibidem habitaverat triginta annis, ridebat eos, qui currebant ad tumulum sancti Ludovici; dicebatque Henricum Angliæ regem virum fuisse mediorem venerabili sancto Ludovico, et ridebat illos, qui ex pietate osculabantur sepulcrum memoratum : cumque hic ipse Hugo aliquando esset in ecclesia sancti Dionysii, cepit, humique projecit duas candelas, tumulo antedicto impositas, in odium hujus ejusdem venerabilis sancti Ludovici, quia Dionysiopolitani, qui aderant, invehebantur verbis in dictum Hugonem, atque in regem Angliæ supra dictum. Hac de causa Ermemburgis uxor ejus illum reprehendebat : at nullo modo se emendabat. Postea, cum memoratus Hugo vice quadam exiret cum aliis hominibus ab ecclesia, venissetque usque ad forum, quod est circa aream templi sancti Dionysii, derepente et subito ita impeditus fuit genu et crure, ut progredi non posset. Qua de causa Joannes de Gonnesse sutor hunc ipsum Hugonem humeris suis domum reportavit. Tunc qui aderant, illi dicebant : Merito hoc tibi accidit propter irrisionem, qua impetiisti venerabilem sanctum Ludovicum. Videbatur autem os cruris dicti Hugonis loco suo motum atque inversum, ita ut nullo modo se movere posset. Jussit illud sibi extendi, ut perspiceret, an rediret ad locum suum : at nihil hoc eum juvit. Fuit dictus Hugo magno vexatus languore et dolore magno tota illa die nocteque sequente.

verum, cum ipsum injuriæ pœniteret, ad sepulcrum delatus.

259 Languescenti hoc modo in lecto suo Hugoni suasit memorata Ermemburgis ejus uxor, ut venerabili sancto Ludovico, quem offenderat irriseratque, votum faceret, ejus invocaret opem, seque ad ipsius sepulcrum portari juberet. Vovit memoratus Hugo venerabili sancto Ludovico, seque ad ipsius sepulcrum portari curavit per Joannem de Gonnesse. Porro quandoquidem dictus Hugo illa nocte tanto cruciatus fuerat dolore, ut crus suum memoratum movere non posset, neque uxor ipsius cum ipso tunc eodem lecto cubaret; dum ad preces matutinas signum dari audivit, ad se rediit, ipsumque vehementer pœnituit, se irrisisse venerabilem sanctum Ludovicum. Itaque apud se vovit, pieque oravit venerabilem sanctum Ludovicum, ut sibi valetudinem redderet, atque ignosceret,

quod

A quod ipsum irrisisset : curaturum se, ut ad ipsius tumulum deportaretur, ibique candelam oblaturum pari cum crure suo longitudine. Atque ad sepulcrum memoratum se deportandum curavit per Joannem de Gonnesse.

pristinæ valetudini restituitur :

260 Postquam eo perductus est, stetit ibidem solo pede sano nixus, incubuitque sepulcro, ac candelam suam obtulit. Adhæc magna devotione oravit venerabilem sanctnm Ludovicum modo dictum, ut sibi ignosceret, maloque se liberaret. Orans autem hoc modo, eadem hora magis se recreatum subito sensit in genu prædicto, crureque mirum in modum tumido. Provolutus est in genua apud dictum sepulcrum, in genu etiam affectum, fuitque hoc situ tamdiu, ut homo interea incedere potuisset ad geminum circiter sagittæ jactum. Quo facto, surrexit ac pedibus institit, dixitque quod se integre sentiret sanatum, tumulumque osculatus est, quod nullo umquam tempore fecerat. Sublato omni dolore, depulsoque a prædictis genu et crure, discessit ab ecclesia, domumque suam se recepit. Ab eo igitur tempore usque ad tempus examinati hujus miraculi memoratus Hugo sanus fuit et validus
B dictis membris; neque deinde dictum malum sensit, nisi quando celeriter currebat, tunc punctionis aliquid illic experiebatur : verum dum passu suo vulgari incedebat, nihil ipsum impediebat, neque ullum experiebatur incommodum in membris antedictis. Ceterum testes hujus miraculi credebant, dictum Hugonem ex morbo antedicto restitutum fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

XXVI.
duo ejusdem filii ibidem febri diuturna liberati.

261 Post hæc longo tempore ante hanc inquisitionem, cum die quadam mensis Augusti Guilielmus et Leonardus, filii memorati Hugonis, dictæque Ermemburgis, comedissent intestina bovina, paullo post eadem die eademque hora febris vehemens memoratos invasit infantes, eosque longo tempore vexavit quotidie. Deinde memorata febris fuit tertiana, tum quartana : in eoque fuerunt statu a mense Augusto prænominato usque post Pascha ad festum circiter Domini nostri in cælum Ascendentis : atque eadem hora febris memorata corripiebat ambos infantes, eadem hora ambos relinquebat. Pater eorum variis Sanctis eos vovit, ad multas ducti fuere ec-
C clesias, sed nihil id profuit. Vovit illos sancto
b Theobaldo in Ausois *b*, misitque virum pro eis ad locum istum; nihil id prorsus eos juvit : adhæc eos duxit ad ecclesiam sancti Theobaldi de
c Vinea prope Latiniacum *c;* sed et illud frustra. Deinde, dum memoratus Hugo recordatus est, se sanatum fuisse apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, dixit se eos ducturum ad dictum tumulum, devovitque eos venerabili sancto Ludovico. Tempore itaque quodam matutino ante Primam dictus Hugo duxit memoratos filios suos ad dictum tumulum cum candelis, fueruntque apud tumulum memoratum post Primam usque ad Tertiam. Porro febris dicta ambos filios corripere solebat ante Tertiam : unde percipientes se dicta febri non vexari, horamque præteriisse, qua febris istæc eos corripere consueverat, dixerunt existimare se esse sanatos; ac tum domum suam abierunt tam sani, ac restituti ex febri memorata, ut numquam deinde illius habuerint accessum.

XXVII.
Saltuarius regius ex cruris affecti claudicatione

262 Cum Richardus Laban ex Lerni diœcesis Suessionensis, natus quinquaginta annos et ultra, esset olim saltuarius regius in silva Rotomagensi, circa festum Purificatæ Virginis, anno

Domini nostri MCCLXXVIII, ac persequeretur quosdam, qui ligna e silva auferebant, dum fossam transilit, graviter se læsit in claviculo pedis dexteri; circaque hunc locum, ab eo tempore continuum ibidem dolorem passus est, quamvis magis doleret una vice quam altera, ita ut memoratus Richardus per tres, quatuorve annos claudicaret, baculumque eo tempore manibus gestaret, ut melius se sustentaret. Saltuarii alii fictionis insimulabant memoratum Richardum, at dictus Richardus se excusabat, affirmans consuetis juramentis, verum non esse, quod fingeret. Hujusce rei ut facerent periculum, ei baculum auferebant, et longe projiciebant : verum satis magno cum angore incedebat, uti apparebat ex specie externa. Hac de causa memoratus Richardus multorum Sanctorum invisit ædes sacras : at nequaqum hoc modo sanitatem adipisci potuit. Adhæc cum invisisset ecclesiam Dominæ nostræ Bononiæ maritimæ; nullum hinc consecutus est solatium, dum domum rediit.

apud sepulcrum sanatus.

263 Quando uxor ejus illum vidit in eodem hoc statu, ei dixit obortis lacrymis, multa facta esse prodigia apud tumulum sancti Ludovici, E
eoque ipsi eundum esse; at confiteretur peccata sua, priusquam eo veniret. Quapropter memoratus Richardus bene de peccatis suis confessus est presbytero suæ parochiæ, multaque cum diligentia. Dein iter aggressus est, venitque Dionysiopolim anno Domini nostri MCCLXXXII die Sabbati, V Septembris. Mox adivit tumulum venerabilis sancti Ludovici, atque emit in dicta ecclesia arcum cereum femori similem, eumque imposuit prædicto tumulo, fundens ibidem preces, oransque venerabilem sanctum Ludovicum, ut valetudinem sibi dignaretur restituere. Adhæc dictus Richardus plorabat apud tumulum memoratum, atque erat flexis genibus. Postquam ibi fuerat aliquanto temporis spatio, quantum insumeret qui per leucam unam vellet incedere, cum surgere vellet, sensit se memorato loco recreatum. Ubi in pedes se erexit, pede isto affecto terram percussit, seque stricte admodum ligari jussit : ibatque recto prorsus corpore, sine baculo, alioque subsidio. Porro terram pede sic percutiens, nihil sibi nocuit, neque ullum inde malum sensit : unde cum se integre restitutum sentiret, ibidem præ gaudio flevit. Tum gratias F
egit venerabili sancto Ludovico, domumque suam repetiit sanus et validus. Deinde memoratus Richardus incessit bene, diu, corpore recto, sine baculo, alioque adjumento; atque eo modo venit ad inquisitores, eorumque scribas cum Gervasio, et Guilielmo de Villers hujus miraculi testibus die Mercurii, IX Septembris.

XXIX.
Quidam parochus horrido faciei tumore deformis.
d

264 Anno Domini nostri MCCLXXIV circa festum sancti Joannis Baptistæ, cum Garimundus presbyter parochus ecclesiæ de Baailli *d* in diœcesi Carnotensi, quinquaginta octo annorum et ultra, equitasset die quadam a domo sua Parisios usque quatuor leucarum itinere, parumque ac tenuiter se vestivisset, quia æstum esse illa die existimabat, inter equitandum frigore correptus est propter ventum ei incumbentem. Deinde tertia quartave die, cum equitaret a domo sua Pisciacum *, ubi duæ numerantur leucæ, paucis tectus vestimentis, eodem modo friguit. Die Lunæ tunc proxime sequente, quando dictus Garimundus de lecto suo surgebat matutino tempore, vultum habebat tam crassum tamque tumidum, ut ab utraque parte pari cum naso esset altitudine. Memoratus tumor, qualis modo dictus

* Poissi

 est,

A. REGINÆ CONFESSARIO. est, in vultu fuit diebus quatuor, neque auctus neque diminutus, ita ut aspectu esset horribilis. Neque ibidem rubebat, neque dolore alliciebatur, neque conquerebatur, se ullum sentire incommodum. Consueverat dictus presbyter offerre quotidie Missæ sacrificium, neque umquam ideo prætermisit Sacrum cantare diebus singulis. Die Veneris sequenti dictus presbyter Sacrum cantavit, eademque die, dum hic ipse presbyter celebrabat, quædam mulieres eo venerunt, peregrinatæ ad visendum sancti Sulpitii, aliorumque, quæ ibidem sunt, reliquias. Porro necessum fuit, ut memoratus presbyter dictis mulieribus has ipsas ostenderet reliquias, illæque ipsum in facie conspicerent : de quo vehementer erubuit. Postquam memoratæ mulieres inde discesserant absoluto Sacro, memoratus presbyter consedit in sede prope altare posita, et quamvis memoratum malum magna patientia pertulisset a tempore, quo ei supervenerat, de eoque gratias Deo egisset; dictitans secum, non potuisse accidere, ut hoc malum pateretur, nisi in bonum suum, quandoquidem Deo id ita visum esset : B

265 Nihilominus eo tempore, sedens prope altare post Missam, recordatus est venerabilis sancti Ludovici, vitæque ipsius probæ, atque operum, quæ exercebat in vita : credebatque, uti dici audiverat, Dominum nostrum omnipotentem miracula operari propter venerabilem sanctum Ludovicum. Itaque intra se hæc protulit verba : Domine sancte Ludovice, si in statu es, sicut creditur, ut Deum orare possis, et si verum est, quod de te dicitur; quoniam vehementer te amavi in vita tua, et neque honestum est, neque decorum, ut servus Regis regum tanta affectus sit deformitate, quanta in facie mea est; eum precare, ut ea me liberet. His dictis verbis, mox sedens in somnum incidit : atque ubi dormierat tamdiu, ut semel recitari potuisset PATER NOSTER, uti videbatur memorato Garimundo, certe simul ac evigilavit, reperit se integre sanatum, ac liberatum dicto tumore utriusque faciei suæ partis, non aliter quam si numquam ullum habuisset malum, nullo relicto in vultu istius tumoris vestigio, neque alio quoinquam nocumento. Toto autem tempore, quo C tenebatur prædicto malo, nullam, ut curaretur, adhibuit medicinam : verum dicebat, quandoquidem Domino nostro placebat, ut in tali esset statu, id et sibi omnino placere. Neque incantamentis usus est propter dictum morbum, neque curavit, ut illa adhiberentur pro liberatione sua. Sed pro certo asseruit memoratus presbyter, se credere sola invocatione venerabilis sancti Ludovici, quam ex pietate erga ipsum adhibuit, sanatum se fuisse modo supra dicto, idque ab eo tempore.

invocato sancto Ludovico. illo liberatur,

266 Sacro cantato, uti supra dictum est, postquam memoratus Garimundus aliquo tempore fuerat in dicta ecclesia, domum rediit, dixitque Joanni clerico suo, ancillæque suæ Elisabethæ, ibidem præsentibus, se sanatum esse. Unde dicti servi, eum intuentes, viderunt omni ex parte liberatum esse dicto tumore, ita ut non videretur ibi quidquam mali aut tumoris fuisse; quod magnopere tunc mirabantur. Rogantibus illis, quo sanatus esset modo, narravit, uti supra dictum est, se invocasse venerabilem sanctum Ludovicum, aliaque superius relata in testimonio dicti Garimundi. Tunc ipsi dixerunt dictus Joannes, dictaque Elisabetha, omnino oportere, ut inviseret tumulum venerabilis sancti Ludovici, qui eum hoc modo liberaverat. D Neque multo post memoratus Garimundus iter aggressus est cum Joanne clerico suo, venitque Dionysiopolim atque invisit memoratum sepulcrum.

ac gratias acturus ejus deinde invisit tumulum.

ANNOTATA.

a Lincolnia, *vulgo* Lincolne, *urbs est Angliæ, episcopalis sub archiepiscopo Cantuariensi, caput provinciæ ac comitatus cognominis.* Norenthonne *quæri potest in illius vicinia.*

b *Agit auctor de S. Theobaldo eremita, cujus Acta majores nostri dederunt ad 30 Junii, seu tom. 5 illius mensis a pag. 588. Videbit ibidem lector quam variis locis peregrinationes fierent ad S. Theobaldum : attamen nullus occurrit locus, qui luxatæ huic voci lucis aliquid afferat.*

c Latiniacum, *vulgo* Lagny, *oppidum est cum monasterio Benedictino in Bria provincia, ad Matronam flumen, in cujus vicinia constructa est ecclesia* S. Theobaldi de Vinea, *de qua hic agitur, licet pro* Lagny *corrupte legatur* Leigny. E *Miracula hujus Sancti, aliaque huc spectantia, videri possunt in ejus Actis assignatis.*

d *Nec* Baailli, *nec* Lerni *supra memoratum, in tabulis geographicis invenio : verum nomina urbium adjunctarum utcumque insinuant, ubi fuerint vici illi, quorum nomina corrupta esse existimo.*

CAPUT XII.

Monialis phrenetica, nomine S. Ludovici invocato, ad mentem reducta : item puella insana menti reddita; hujus pater nimia divitiarum cupiditate liberatus : mulieri gressus redditus.

F Jachelina ex sancto Germano de Pratis *a*, quadraginta circiter annos nata, soror domus Filiarum Dei *b* Parisiis, hac æstate ante festum SS. Trinitatis, tempore inquisitionis de hoc miraculo, anno MCCLXXXII, ægra fuit ac tremens febribus tertianis per plures hebdomadas. Erat memorata Jachelina ex dicto morbo recreata die Veneris proxima ante festum supra dictum SS. Trinitatis, eademque die Veneris phrenesis corripuit memoratam Jachelinam, ita ut et memoria privata esset et sensu. Ipsa hac die Veneris dicta Jachelina alias dictæ domus sorores, quæ illi aderant, contumeliis afficiebat, eas vocans lupas, ac meretrices, multaque alia eis exprobrans dedecora et probra : quæ memoratæ sorores non omnia voluerunt commemorare inquisitoribus, pudore impeditæ : sedes etiam et colos in memoratas sorores immittebat. Adhæc eadem die dicta Jachelina convitiabatur beatam Virginem Mariam, eique ac simul ejus Filio maledicebat, et de eadam hac Domina dicebat multa turpia, multaque probra, ac spuebat contra eam. Cum eadem die Veneris Joannes de Grolai, presbyter et administrator hujus ejusdem domus,

XXX. Monialis ex ebri in phrenesim apsa. a b

A mus, ac Herveus, hujus ejusdem domus sacellanus, eo venissent dictam Jachelinam visuri; dixit huic presbytero : Noli manus tuas mihi imponere; nolo enim ut manus sacerdotalis me tangat. Insuper dicebat : Vadesis, adora Deum tuum, quem Judæi cruci confixerunt : illum ego adorare nolo, sed adorare volo diabolum, cui servio : hic Deus meus est, quemque mecum habeo; cui tradita sum corpore et anima, quique me exhilarat : multaque dicebat id genus alia : quin et in crucem spuebat.

forlasse et a dæmone obsessa.

268 Quando aspergebatur aqua sacra, magis quam ante clamabat, probraque dicebat, atque injuriis afficiebat eos, qui aqua eam sacra aspergebant. Dum aqua alia ei aspergebatur, nihil dicebat : at vero dum ei aqua sacra aspergebatur, inclamabat aspergenti : Mente me privas. Hac de causa aliæ sorores dicebant, dæmoniacam esse, graviterque a dæmone vexari. Quin et memorata Jachelina dixit se credere, a spiritu nequam se correptam fuisse atque obsessam tempore jam dicto, dum faciebat dicebatque memorata tam inordinata ac turpia. Namque etiam die Veneris prædicta de orsum se jactare voluit B memorata Jachelina in cubiculum quoddam : cum e sororibus aliquæ, quæ id perceperunt, eam cepere ac tenuere, ne se deorsum in dictum cubiculum projiceret. Dicta quidem Jachelina eas apprehendebat ad evadendum, eoque se jacere volebat : verumtamen memoratæ sorores eam reduxerunt in valetudinarium. Eo reducta strangulare se voluit capitis sui tegmine *c*. Die Sabbati sequenti dicta Jachelina projicere se voluit in puteum, intra claustrum situm : at sorores, quæ erant vicinæ, videntes eam jam uno pede esse supra labrum putei, effecerunt ut laberetur prope puteum, atque in valetudinarium eam reduxerunt, ligaruntque funibus in lecto ligneo, ita ut se movere non posset. Ubi ligata fuit, prioribus pejora dicebat, atque in dictas sorores spuebat.

c

audito Ludovici nomine, eum invocat, ac integræ menti,

269 Postea eadem die Sabbati circa Nonam Avelina Gonnessiensis * soror dictæ domus, dixit memoratæ Jachelinæ hæc verba : Memento, soror Jachelina, venerabilis sancti Ludovici Patris nostri, qui teque, meque, aliasque peccatis extraxit *d*. Mox memorata Jachelina hæc protulit verba : Ludovicus est Ludovicus. Dictis his verbis, ad sensum rediit, uti placuit Domino nostro : ac tum dixit : Sancte Ludovice, qui me peccatis extraxisti, redde mihi memoriam, sensumque meum. Ab illa hora e vestigio adeo se recreatam sensit, ut deinde febrim non senserit, sed ad memoriam sensumque integrum redierit, sicuti ante fuerat : ac deinde bona semper fuerit memoria, usque ad diem, qua coram inquisitoribus pro testimonio dixit. Memoratæ sorores, ei tunc præsentes, plorabant, precesque, quas noverant, recitabant : pluresque e sororibus tunc voverunt, vovitque pariter cum illis dicta Jachelina, invisuras se sepulcrum venerabilis sancti Ludovici nudis pedibus, atque in laneis, sine loquela in itinere, si ipsam liberaret : et vota sua deinde persolverunt, ac compleverunt.

* de Gonnesse

d

C

et valetudini restituitur.

270 Hac ipsa die sorores eam vinculis liberarunt, crucem ei attulerunt, ac commemorarunt ei probra, quæ de Crucifixo dixerat. Intimo animi dolore affecta videbatur, sibique vehementer irata, magnoque animi dolore plena crucem sumpsit, eam amplexa est, atque osculata insigni devotione. Ab illa hora usque ad tempus examinati hujus miraculi memorata Jachelina restituta fuit, ac sana semper, valida, sapiens, et prudens, quemadmodum semper fuerat omni tempore præcedente : neque deinde ulla protulit verba turpia, neque aliquid fecit inhonesti. Memorata die Sabbati vestibus suis se induit dicta Jachelina, venit ad templum, ac vesperis interfuit : atque omnia alia fecit, sicuti alia mulier sana et valida, omnibus prædictis infirmitatibus omni ex parte liberata, qualem inquisitores, simulque eorum scribæ, eam conspexerunt, quando testimonium suum protulit. Porro dicta Jachelina in domo memorata fuerat mulier bona, sapiens, honesta, ac religiosa usque ad memoratam diem Veneris, ac pro tali habebatur ante hunc morbum, atque etiamnum pro tali habetur. Verum dicta Jachelina nimium afflixerat maceraveratque corpus suum vigiliis, jejuniis, gestandoque cilicio.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

XXXI. *Puella stulta, ac phrenetica,*

271 Decem anni transierant tempore, quo inquisitio de hoc miraculo fuit instituta anno Domini nostri MCCXXXII, quando die quadam Dominica inter Pascha et Pentescosten Pontia filia Guichardi de Froit Mantel *e* prope Remos decem annorum, aut circiter, rediens ab agris E cum aliis urbis puellis, vidit modicum panniculum sanguine undique infectum, recentique cruore mollem, eumque cepit : dicentibus sociabus ejus puellis, quæ cum ipsa erant, ut illum relinqueret, atque abjiceret, dixit, id se non facturam, sed domum laturam : nam sanguinem dicebat esse Domini nostri Jesu Christi. Ubi mater illum vidit in manu ipsius, eam reprehendit, atque abjicere jussit : at respondit memorata Pontia, se non abjecturam; sanguinem esse Domini nostri Jesu Christi. Adhæc dicebat, se portaturam illum ad ecclesiam. Verum mater eam tunc adhuc retinuit, ita ut illum non portaverit illa die. Postea die quadam ejusdem hebdomadæ memorata Pontia tulit dictum panniculum ad ecclesiam, posuitque in cœmeterio. Ab illa die dicta Pontia adeo fuit insana et amens, ut nihil sani loqueretur; sed verba proferret vana, inutilia, nulliusque sensus; vestes suas disrumperet; matrem suam verberaret; diceretque se non patris sui ac matris, verum regis esse filiam. Quando mater ejus domo exiverat, illaque domum redibat, claudebat portas : dein vasa comminuebat, scamna evertebat, arcasque, quas movere poterat, humi projiciebat, patrabatque in domo F quæcumque poterat mala. Adibat ecclesiam, ac dictitabat mulierem se esse nobilem, sibique licitum esse inter sacerdotes sedere, et cantare : quandoque et candelas in ecclesia oblatas arripiebat, extinctasque humi abjiciebat. Quando evadere poterat, per agros ibat, ipsasque etiam urbes vicinas : neque sciebat, quo iret. At vero cum intensus erat calor, vehementius etiam hoc malo vexabatur, ut quandoque pater ipsius eam ligaret. Porro memorata Pontia usque ad tempus prædictum sana fuerat circumspectaque, ac sicuti puella ætatis suæ recte disposita. Fuit autem in hujusmodi statu, atque ita vesana dicta Pontia plusquam tribus annis. Memoratus Guichardus pater ejus duxit memoratam Pontiam ad sanctum Nicasium *f*, multosque Sanctos, at nihil id ei profuit.

e

f

inviso Sancti sepulcro, sanæ menti redditur :

272 Post hæc, cum audivisset multa miracula facta esse apud sepulcrum sancti Ludovici, dictus Guichardus pater ipsius dixit, se vehementer illum amavisse in vita ipsius. Itaque uxorem suam Saram, dictamque Pontiam carro imposuit

petie-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

petieruntque Dionysiopolim : ac magna spe ducebatur, sanatum iri illic filiam suam. Postquam perventum es Dionysiopolim, pater et mater duxerunt ad memoratum sepulcrum venerabilis sancti Ludovici filiam suam, non secus ægrotantem, menteque cassam, quam antea fuerat. Tunc magna religione pater materque precati sunt, ac dona obtulerunt pro liberatione memoratæ Pontiæ : et quoniam multis distenti erant negotiis, eadem die iter aggressi sunt, ut redirent ad locum proprium. Dum in templo sancti Dionysii erat memorata Pontia, dixit patri matrique suæ, eos non esse neque patrem suum neque matrem. Eadem vero die, qua redibant, memorata Pontia se recreatam sensit, seque melius habere, et quietus, quam habuerat, dum venirent; itaque contigit, ut ista hebdomada prorsus fuerit sanata. Deinde semper fuit sana, valens, in verbis circumspecta et factis, sui curam habens, atque in statu bono : neque deinde quidquam sensit ex dicto morbo. At vero tam pia deinceps fuit, ut postea carnes non manducaret diebus Mercurii, jejunaret diebus Veneris, Sabbatis B non nisi panem et aquam sumeret : ecclesiam frequenter adiret, neque de matrimonio ineundo audire vellet.

hujus pater nimia opum cupiditate liberatus.

273 Dum vivebat venerabilis sanctus Ludovicus, dictus Guichardus vehementer ipsum amabat, orabatque diebus singulis specialiter pro ipso, ut Deus eum custodiret a malo. Porro evenit deinde, ut memoratus Guichardus magno cupiditatis vitio laboraret, ita ut, dum agrum suum intraret, exiguus illi videretur, domus sua angusta, aliaque sua modica propter ingentem, qua flagrabat, opum cupiditatem. Oravit igitur venerabilem sanctum Ludovicum, ut sibi auferret desideria hæc perversa : discessitque ab eo hæc cupiditas, ita ut memoratus Guichardus hujusmodi libidines nec nutriret, nec haberet.

XXXII. *Mulieri claudæ gressus restitutus.* *g* *h*

274 Anno Domini nostri MCCLXXXII, mense Septembri, decem anni *g* præterierant et amplius, quando morbus quidam invasit Hodiernam mulierem ex Villa-Tignosa *h* quadraginta annorum, claudicantem naturaliter, matrem Reynaldi de Plastrieres, ita ut pedibus suis insistere non posset, nisi niteretur muro, scamno, aut alia re quapiam, incederetque manibus pedibusque C per terram rependo. In hujusmodi statu fuit per duos annos, aut circiter. Ante illud tempus memorata Hodierna mulier fuerat sana et valida; ibatque Parisios redibatque, atque alio, sine baculo, subsidioque; atque obibat alia sua negotia, quemadmodum alia mulier sana; attamen naturaliter claudicabat. Dicta Hodierna non mendicabat, neque fingebat morbum memoratum, et se affectam dicebat in renibus et dorso. Longo post hæc tempore, nimirum octo annis ante tempus examinati hujus miraculi, cum dicta Hodierna audivisset, miracula facta fuisse apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, inter Pascha et Pentecosten anno prænominato vehendam se carro curavit ad fanum sancti Dionysii, atque erat cum aliis ægrotis apud sepulcrum venerabilis sancti Ludovici. Quando erat apud tumulum memoratum, iis, qui eam noverant atque invisebant, dicebat, magnum se sentire solatium, ibique futuram novem diebus; spe enim bona esse, valetudinem se consecuturam. Ubi memorata Hodierna novem diebus ibidem fuerat, dicta Hodierna ex memorato morbo prorsus fuit restituta, domumque rediit, incedens sine baculo, alioque adjumento : claudicabat nihilominus, quemadmodum faciebat, antequam fuerat D ægrota : atque affirmabat, se sanatam fuisse, ac liberatam apud tumulum sancti Ludovici. Vixit post hæc memorata Hodierna duobus annis; ac quamdiu vixit ibat per se, sine baculo, alioque subsidio ad templum, atque ad fanum sancti Dionysii, obibatque alia sua negotia, veluti alia mulier sana, uti facere consueverat, antequam esset ægrota. Adibat enim Sequanam, ferebatque aquam atque alia super caput suum : quandoque et baculo ibat nixa, quia mulier erat anus ætatis provectæ : recto tamen incedebat corpore, quantum id faciunt mulieres claudicantes. Communiter autem dicebatur Dionysiopoli, aliisque locis pluribus, memoratam Hodiernam ex dicta infirmitate restitutam fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

ANNOTATA.

a *Unum est ex suburbiis Parisiensibus, vulgo* Saint Germain des Prez.

b *De fundatione Filiarum Dei per Sanctum egimus in Commentario num. 1052 et seqq.* E

c *Gallice* couvre-chief, *quamvis in apographo meo invenerim* cucure-chief. *Aliqui muliebre id capitis tegmen* ricam *nominant voce Latinis usitata.*

d *Fundando domum.*

e *Locum non invenio.*

f *S. Nicasius Remensis antistes et martyr Remis præcipue colitur; ejus memoria Martyrologio Romano adscripta est 14 Decembris, ubi de eo agendum pluribus.*

g *Refert idem miraculum Carnotensis num. 44, ex quo illud accidit anno 1271, et morbus undecim annis duraverat, quæ cum calculis hujus auctoris non congruunt.*

h *Ita vicum illum nominat Carnotensis : hic vero* Ville-Teigneuse *vocatur. Notatur autem in tabulis Blavianis una fere leuca a fano S. Dionysii* Ville-tecneuse.

CAPUT XIII.

F

Claudo ex affecto crure gressus apud sepulcrum redditus : monialis brachio et crure contracta, valetudini membrorum restituta : alia mulier eodem fere malo liberata.

XXXIII. *Quidam ex gravi cruris et femoris malo*

Anno Domini nostri MCCLXXXII, post Pascha, octo præterlapsi erant anni, quando Robertum du Puis, mortuum tempore hujus inquisitionis, ex villa Grolai, malum quoddam corripuit in crure ipsius dextero, quod intumuerat infra ac supra genu in parte posteriore magis quam in anteriore. Caro ipsius in locis illis cærulea erat ac glauca, dura et calida; nervi hujus genu rigidi erant ac duri, ita ut per se incedere non posset, neque cruri isti insistere, neque crus extendere, neque ullum ibidem erat foramen, ruptura nulla. In hujusmodi statu fuit hebdomadis sex, septemve. Quandoque, ut homines cerneret, se ferri curabat ante portam domus suæ, neque enim poterat per se domo exire; neque

ad

A ad necessaria ire, nisi juvaretur, gestareturque ex parte, ubi erat hoc malum; neque poterat femur istud de loco ad locum movere, nisi uxor ipsius Genoveva eum juvaret, poneretque aut ferret de loco in locum. Quandoquidem chirurgus quidam, nomine magister Joannes de saint Brice, emplastra multa, multaque medicamenta dicto malo applicuerat, eaque nihil profecerant; sed memoratum malum semper creverat: eaque de causa amici memorati Roberti timebant, ne crus perdidisset: Robertusque memoratus audiverat, miracula esse facta ad tumulum venerabilis sancti Ludovici; devovit se venerabili sancto Ludovico, et promisit, semetipsum venturum ad eumdem tumulum, futurumque perpetuo sancti Ludovici clientem. Deinde mox iter suscepit dictus Robertus, ut veniret ad sanctum Ludovicum ad ipsius tumulum: pro fulcro habebat baculum, quo nitebatur; adhæc pater dicti Roberti, ipsiusque uxor, et Mabilia ejus soror eum juvabant: verum non tantam ipsi opem præstare poterant, ut alterius procedere valeret, quod nimium affligeretur. Qua de causa rogari B jussit Henricum de Grolai, ut sibi commodaret carrum suum: quem tunc habere non potuit; equi enim ferebant aratrum; neque illos volebat expectare, sed dicebat iturum se modo, quo posset, meliori. Tunc dimisit a se patrem suum, quia senex erat, uxoremque suam Genovevam, quia erat gravida, secumque retinuit Mabiliam sororem suam; atque ita paulatim, frequenter quiescendo, ope baculi validi pro fulcro a parte dextera, manu sæpe innixus super Mabiliam sororem suam, labore maximo venit Dionysiopolim circa preces Nonæ absolutas, quamvis non nisi unius leucæ iter sit ex Grolai usque ad urbem sancti Dionysii, multoque mane iter fuisset aggressus.

apud sepulcrum 276 Post hæc memoratus Robertus fuit apud dictum sepulcrum, ibique jacebat inter ægrotos. Ubi hoc modo fuit apud tumulum memoratum, illique, qui dictum Robertum invisebant, cum interrogavissent, quo se modo haberet, respondit sibi melius esse leniusque, ac spem sibi esse recuperandæ cito valetudinis. Appropinquante die nona, cum Margarita, dicti Roberti cognata, etiam ibidem esset apud memoratum tumulum pro sanatione filiæ suæ, illaque ex memorato Roberto C quæsivisset, quomodo se haberet; respondit recte se habere, ac valetudinem sibi redditam. Tunc, vidente hac Margarita, crus suum extendebat atque ad se trahebat, quod extendere non poterat, neque ad se trahere antea, quando erat apud memoratum sepulcrum. Altera die eadem hæc Margarita vidit memoratum Robertum se erigentem, atque in pedes levantem: nitebatur tamen cancellis ferreis, ibi positis. Nona die dictus Robertus affirmavit se esse sanatum, reliquitque baculum suum, quem apportaverat, atque ibat bene, ac firmiter una cum Genoveva.

sanatus. 277 Aliqui ex amicis ipsius, quando intellexerunt sanatum esse, atque reverti, obviam ei processerunt usque ad villam quamdam nomine Granmont, atque eum ita redeuntem invenerunt, magnamque ei festivitatem, lætitiamque magnam exhibuerunt; ac præ gaudio opiparam eadem vespera cœnam instruxerunt. Porro eadem, qua rediit, die, ubi domi fuit, ibat ante et retro recto corpore, per se, sine scipione, alioque adjumento. Postridie mane, quia nundinæ Dionysiopoli erant indictæ, momeratus Robertus, ac Genoveva ipsius uxor ex Grolai venerunt ad nundinas prædictas, quod iter fere est duarum leucarum *a*, ad emenda dicto Roberto necessaria; eadem igitur die venit, atque incessit bene ac firmiter sine scipione, alioque adjumento. Post hæc memoratus Robertus et agros ivit vineasque, collecturus uvas, frumentaque resecturus, aliaque sua negotia obivit. Eodem anno post vindemiam memoratus Robertus, et Guilielmus du Puis frater ipsius, venerunt ad Dominam nostram Bononiensem ad mare, redieruntque Novioduno, sancto Eligio ibidem inviso, equorum instar celeriter incedentes. Elapso quatuor annorum spatio, iter suscepit ivitque ad sanctum Jacobum *b*, atque in itinere rediens obiit. Porro communiter dicitur in villa Grolai, dictum Robertum miraculo sanatum fuisse, ac per merita venerabilis sancti Ludovici: quamvis autem vero nomine dictus fuerit Robertus du Puis, homines tamen illum nominabant Robertum bonum, propter bonitatem suam.

A. REGINÆ CONFESSARIO. a *b*

278 Anno Domini nostri MCCLXXIV, post Pascha, gravis morbus corripuit Margaritam de S. Magdalena Parisiensem, sororem domus Filiarum Dei, quo brachium ejus sinistrum, quod esse solebat sanum, validum, et extensum, ita fuit contractum, ut, quando illud extendebat quantum poterat, cum tota manu sinistra tantum æquaret brachium dexterum usque ad manum. Præterea pes, crus, ac femur sinistrum adeo fuere contracta, ut non nisi digitos pedis sinistri terræ applicare posset, quando incedebat. Unde ingenti cum labore, dolore, atque angore magno incedebt: baculumque in manu gerebat, quo se juvaret, quemque portare non consueverat. Neque calceos aut vestes induere poterat, neque alia sua facere. In hoc statu fuit memorata Margarita dimidio anno præterpropter. Priusquam autem hoc malum illam invaserat, dicta Margarita membris suis satis se juvabat: nam sacculos ex serico componebat opere Saracenico: recte etiam incedebat, celeriterque, et leviter: ac licet naturaliter claudicaret parte sinistra, eundo tamen totum pedem sinistrum humi figebat. Adhibuit dicta Margarita memorato morbo emplastra, aliaque medicamina, quæ nihil prorsus opis ei attulerunt.

XXXIV. Monialis, capta artubus partis sinistræ, E

F *supra sepulcrum Sancti, usum*

279 Cum audivisset memorata Margarita apud tumulum venerabilis sancti Ludovici facta esse miracula, confidit de ipsius sanctitate, quam noverat, dum ille viveret. Venit igitur magno labore ad altare dictæ domus, seque devovit venerabili sancto Ludovico, ac magna cum fiducia eum oravit, ut valetudinem sibi, usumque membrorum suorum restitueret; visitaturam se ipsius sepulcrum, quantacumque vi, quantocumque angore id sibi esset faciendum. Die Sabbati proxime sequenti ante festum sancti Dionysii, quod illo anno in diem Lunæ incidit, suscepit iter cum femina quadam nomine Avicia, magnoque labore venit Dionysiopolim: neque enim ex pede sinistro humi figebat nisi digitos; baculum autem in manibus habebat, quo se juvabat meriori quo poterat modo: et quamquam iter esset aggressa dicta die Sabbati summo mane ex domo memorata, Sacrum solemne, quod canitur circa meridiem, jam cantatum erat in ecclesia sancti Dionysii, antequam venissent. Postquam eo venerant, memorata Margarita se extendit supra sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, nondum enim imago Regis erat imposita, uti deinde fuit: jacuitque ibi extensa tanto tempore, ut Sacrum dici potuisset. Cum ibi fuisset magna pietate insistens

A. Reginæ Confessario.

sistens orationi; intra id tempus sensit renes, coxasque suas conteri, ac dolorem tunc sensit in membris. Verum deinde e vestigio recreatam se sensit, liberatamque illa contractione brachii, cruris, ac femoris sinistri. Surrexit tum a memorato tumulo, recepit baculum, quem gestabat, ac nihil de liberatione sua tunc dixit sociæ suæ memoratæ Aviciæ.

artuum suorum recipit. *c*

280 Exierunt ecclesia sancti Dionysii, atque ire voluerunt ad sanctum Leodegarium *c* ad ecclesiam quamdam, extra urbem sancti Dionysii sitam. Dum eo ibant, intraverunt in domum mulieris cujusdam sibi notæ, ibique manducaverunt et biberunt: et tunc primum memorata Margarita dixit Aviciæ prædictæ, se integre sanatam esse ad sepulcrum memoratum, singulaque ei monstravit brachia, sinistrumque pari cum dextero esse longitudine, quo conjungeret utramque manum extensis brachiis: adhæc ostendit se humi figere totum pedem sinistrum, eoque non minus recte incedere, quam facere consueverat, priusquam ægrotaret. Ubi cibum sumpserant, iverunt ad sanctum Leodegarium, eademque die redierunt Dionysiopolim, pernoctaruntque ista
B nocte in valetudinario Dionysiopolitano. Portabat adhuc dicta Margarita baculum suum: verum satis ire poterat sine baculo, si voluisset. Die Dominica sequenti Parisios redierunt domum: etiam tunc baculum suum gestabat dicta Margarita, id tamen non faciebat ex necessitate. Postquam memorata Margarita fuit reversa, ab eo tempore in posterum baculum non gestavit; verum incessit bene et celeriter, brachioque usa est, ac negotia sua exercuit, quemadmodum olim fecerat, priusquam ægrotaret, neque deinceps vexata fuit morbo prænominato. Ceterum tempore examinati hujus miraculi octodecim transierant anni a tempore, quo dicta Margarita in dictam domum fuerat recepta, puella, ut creditur, virgo. Adhæc erat memorata Margarita mulier proba, ac religiosa. Monstravit etiam dicta Margarita inquisitoribus coram eorum scribis brachia sua, quæ habebat æqualia: atque erigebat sinistrum, levabat, deprimebatque huc atque illuc pro arbitrio suo, eoque optime utebatur. Et quamvis claudicaret, incedebat bene, ac sine baculo, totumque pedem humi fige-
C bat: omnesque testes dixerunt memoratam Margaritam ex prædicto morbo restitutam fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

XXXV. *Mulieri usus brachii et cruris* *d* *e*

281 Avicia ex Berneville *d* diœcesis Constantiensis, dicta Potenciaria *e*, quæ habitabat Parisiis in parochia sancti Joannis in Greva, ætate sexaginta annorum et ultra, eo pacto ægrotavit per tres annos et amplius, ut amiserit usum pedis dexteri et cruris; neque iis ullo mod insistere posset: simul etiam perdiderit usum brachii ac manus dexteræ, ita ut iis se juvare non posset, neque hanc manum capiti, orive suo admovere; neque id brachium ad pedes extendere; neque calceos induere posset aut vestes hac manu. Incedebat fulcris sub axillis nixa, quandoque etiam manibus de loco in locum reptabat. Quia vero in templum sancti Joannis in Greva ab una parte gradibus quibusdam descenditur, hæc Avicia frequenter ad illud accedens, populo illic congregato, ad stipem petendam, dum veniebat ad hos ipsos gradus, projiciebat in templum fulcra sua, nam fulcris descendere non poterat, vertensque se per hos gradus, juvansque se manu sinistra quantum poterat, repensque trahensque in templum descendebat. Adhæc poculum collo gerebat appensum, cui D
imponebantur, quæ ei dabantur, egestatis subsidia. Tenebat et fulcrum hæc Avicia ex latere languide admodum, istud attrahens modo, quo poterat, meliore: illud etiam quandoque funiculo erat alligatum brachio. Ibat autem summo cum labore, dictisque membris capta erat: insuper languida prorsus apparebat, vereque ægrota: nervi enim dicti cruris erant contracti. In hoc statu fuit memorata Avicia tribus annis, et ultra: sed antequam dictum malum invaserat memoratam Aviciam, mulier fuerat sana.

apud sepulcrum

282 Cum ossa venerabilis sancti Ludovici in hac essent regione, ac passim Parisiis diceretur, miracula esse facta apud sepulcrum hujus ejusdem venerabilis sancti Ludovici; Avicia hæc magnam habuit fiduciam, se ibi sanatum iri per merita venerabilis sancti Ludovici; atque iter aggressa est fulcrorum ope, ut veniret ad tumulum memoratum eo tempore, quo nundinæ erant Dionysiopolitanæ, magnoque cum labore ac fulcris nixa venit usque ad sanctum Lazarum *f* extra Parisios. Cum ibidem esset, neque ulterius incedere posset, sed vehementer esset fatigata, aurigam quemdam rogavit, ut se amore Dei veheret Dionysiopolim usque, quo ibat. Verum E
id facere noluit sine vecturæ pretio: qua de causa dicta Avicia tres ei denarios dedit, sibi amore Dei donatos. Tunc auriga supra dictus eam Dionysiopolim vexit. Ubi eo pervenit, eo labore, quo superius dictum est, ivit ad sepulcrum. Verum tumuli custodes, aliique ibi præsentes ei dicebant, ipsam frustra eo venire, quod provectæ nimis esset ætatis, unde sanari non posset. Nihilominus credens speransque se sanatum iri, veniebat quotidie ad tumulum, illique assidebat. Vesperi, dum ægroti dimittebantur, exibat templo, ac cubabat prope portam ecclesiæ in area; et mane redibat labore non minus gravi quam solebat. Hoc modo dicta Avicia mansit apud sepulcrum memoratum duobus, aut tribus diebus. Tum graviter cruciari cœpit in affectis membris supra nominatis: quapropter conquesta est, atque ingemuit. Quidam nomine Dominicus, atque alius, qui servabant sepulcrum ægrotosque, ne nimium premerentur a supervenientibus, eam consolabantur, monebantque ut dolorem suum quiete pateretur, liberandam enim misericordia F
Domini nostri.

redditus, uti probatur.

283 Ipsa etiam sentiebat sibi melius esse de die in diem, quamvis pateretur dolorem supra dictum: quippe videbatur sibi de die in diem melius extendere et crus, et brachium supra dictum. Ubi advenerat dies sexta post accessum ad tumulum, cum venisset ad sepulcrum, ibique aliquo temporis spatio fuisset, vehementius etiam in dictis cruciabatur membris, ac lacrymabatur: custosque sepulcri eam propius sepulcro admovebat, ita ut pede ac crure affecto sepulcrum tangeret. Ab eo tempore manifeste sensit nervos cruris, pedis, et brachii, qui fuerant contracti per tempus memoratum, extensos esse, atque emollitos, ita ut circa horam Nonæ istius diei memorata Avicia crus extenderet, brachiumque, quod a tribus annis non fecerat: cumque periculum facere vellet, an pedi crurique insistere posset, surrexit apud tumulum, satisque se sustentavit pede et crure, pedemque integrum humi posuit. Unde valde lætata est de beneficio tanto: et tunc fulcra sua projecit supra sepulcrum. Paullo postquam se levaverat prope tumulum plane erectam, multi eo confluxerunt ad videndum miraculum;

A raculum; illaque rursum consedit apud tumulum usque ad finitas Vesperas. Dimissis circa vesperam ægrotis, exivit ecclesia, fulcraque sua reliquit supra tumulum : exivit autem tunc per se, sine baculo, alioque subsidio, pedibus suis recta. Incedebat tamen languide admodum propter morbum diuturnum, quo fuerat vexata. Cubuit illa nocte ante portam, uti antea fecerat. Postridie mane rediit per se ad tumulum, sine ullo auxilio; fuitque ibidem tota etiam die, agens gratias Deo, ac venerabili sancto Ludovico, itaque egit continue, donec novem dies essent completi a die, qua primum ad sepulcrum accessit. Postea Parisios reversa est, rectoque super pedes corpore incessit per se, sine baculo, sine fulcris, alioque adjumento. Porro passim dicebatur in parochia sancti Joannis prædicta, atque alibi, eam fuisse restitutam apud memoratum tumulum ex morbo nominato per merita hujus ejusdem venerabilis sancti Ludovici. At quindecim fere diebus, priusquam sanata veniret, ægrotaverat, fulcrorum ope incedens. Ab illo autem tempore usque ad inquisitionem de hoc miraculo memo-
B rata Avicia fuit sana, incedens bene libereque, sine baculo et fulcris : atque inquisitores, præsentibus eorum scribis, conspexerunt memoratam Aviciam libere incedentem, utentemque manu et brachio, brachium illud erigendo, antrorsum torquendo et retrorsum, claudendo manum illam, atque aperiendo pro arbitrio suo, et voluntate. Dicebatur etiam passim in parochia sancti Joannis prænominata, memoratam Aviciam sanatam fuisse apud dictum tumulum. Adhæc memorata Avicia bis deinde ivit ad sanctum
g Jacobum, et semel Coloniam tres Reges *g* invisura : dicebatque, dum redibat, se venire ex locis supra dictis. Et sane dicta Avicia mulier erat proba, quæ corpus suum affligebat, solo in stramine cubabat, cilicium perpetuo gestabat semperque gestavit, postquam fuit sanata, jejunabat, flagris carnem suam domabat, multisque aliis modis.

ANNOTATA.

a *Nundinæ enim habebantur extra urbem S. Dionysii in via Parisiensi. De iis egimus ad cap.* 5, *lit.* a.

C b *Compostellam videlicet, piis peregrinationibus celeberrimam.*

c *Colitur S. Leodegarius episcopus Augustodunensis 2 Octobris, ubi de eo agendum. Vicus autem* S. Leger, *ut vulgo Sanctus nominatur, reperitur in tabulis agri Parisiensis prope oppidum S. Dionysii.*

d *In tabulis geographicis Normanniæ notantur vici quidam similis nominis in vicinia Constantiæ.*

e *Id est,* incedens fulcris subalaribus, *a voce Gallica* potence.

f S. Ladre *in tabulis notatur prope urbem.*

g *Coloniæ tres Reges, seu Magos præcipuo in honore haberi, quod eorum reliquiæ illuc ferantur translatæ, passim notum est. Egerunt de illis majores nostri ad 1, 6, et* XI *Januarii.*

CAPUT XIV.

Loquela, ac vis eundi impotenti puellulæ data : mulieri unius lateris usus restitutus : canonicus quidam medicus, mirabili visione prævia, ex febri continua restitutus.

Anno Domini nostri MCCLXXXII, mense Septembri, tredecim anni transierant, ex quo Dionysia, filia Richardi Sellerii * atque Emmelinæ ipsius uxoris, fuerat nata. (Richardus hic, dictaque Emmelina nati erant Lexovii in Normannia.) Sana illa erat omnibus membris, omniaque habebat perfecta, uti forinsecus apparebat. Postquam educata fuerat usque ad ætatem, qua infantes solent et debent pedibus suis E insistere, atque attigerat sesqui annum, neque ulla edebat signa, quod pedibus suis insistere vellet aut incedere, quemadmodum alii faciunt infantes, qui conatum adhibent ad incedendum; pater ipsius, et mater, aliique sæpissime tentarunt, ut scirent, an recta pedibus suis stare posset, atque incedere, tenendo infantem sub axillis. Erecta hoc modo ab aliquo, ubi dimittebatur sine sustentatione, instar ligni alteriusve rei sensu destituti, mox humi labebatur. In hujusmodi statu fuit memorata Dionysia a tempore, quo nata est, usque ad ætatem quatuor annorum completorum; omnique memorato quatuor annorum tempore de loco in locum se movere non poterat, neque se aliquo trahere, nec rependo, nec se attrahendo, quantumcumque locus esset propinquus : verum semper gerebatur ab alio pro qualibet corporis necessitate : unde sæpe sordibus inquinabatur.

XXXVI. *Puella sexennis*

* le Selier

285 Transactis quatuor annis, dicta puellula facta robustior, nondum tamen incedere potuit : verum, dum nitebatur muro aut scamno, stabat pedibus suis sic nixa; at pedes numquam movebat, neque ullum ponebat passum, quantumvis F vocaretur, aut quis eam ducere vellet, aut ad id inducere, usque ad annum sextum completum. Videbatur quoque crus ac brachium ad dexteram habere, quod habebat ad sinistram. Adhæc ubi quatuor anni erant completi, quando sedebat humi, repebat parumper vel manibus, vel natibus, vel coxendicibus de loco in locum, sæpe quiescendo, quod non faciebat ante annos quatuor, neque umquam facere potuit toto illo tempore usque ad sextum *a* annum completum. Nihilominus memorata Emmelina dictæ Dionysiæ mater sæpe eam tenebat erigebatque : verum quamvis esset sustentata, quamvis ejus mater ipsam manu teneret erectam, secumque ducere vellet, non ideo tamen dicta Dionysia pedes movebat, neque passum formabat. Præterea, quando tempus advenerat, quo infantes loqui debent, memorata Dionysia nullam proferre noverat vocem; ac toto sex annorum tempore non alias proferre voces sciebat, præterquam : DE PAR DE; et, DE PAR NO DAMI, neque alias voces efferebat. Quin et has proferebat inepte, et confuse, ægreque intelligebatur. Quando fame affligebatur aut siti, aut aliud quid volebat facere,

incedendi loquendique ignara

cere, nihil dicebat, quod esset intelligibile, sed mugiebat ac lacrymabatur. Neque Emmelina, dictæ Dionysiæ mater, umquam tantum eam docere potuit, ut annis supra dictis alia sciret proferre verba, præter voces prædictas.

incedendi facultatem apud tumulum adipiscitur,

286 Postquam sex anni a nativitate dictæ puellulæ fuere completi, cum Parisiis diceretur, miracula esse facta ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, aliquique ex vicinis dixissent patri matrique dictæ Dionysiæ, eam ipsis portandam esse ad dictum tumulum hujus ejusdem venerabilis sancti Ludovici, septem annis ante annum examinati hujus miraculi, inter festum Ascensionis et Pentecostes, pater et mater dictæ Dionysiæ venerunt Dionysiopolim cum Richardo filio suo, illamque portarunt ad tumulum memoratum die quadam Martis. Postquam eo venerunt, posuerunt ipsam apud dictum tumulum erectam, eodemque hoc tumulo nixam. Tenebat illa annulum tumulo affixum, ac pater eam sustentabat sub axillis. Tum pater misit filium suum Richardum, ut candelam emeret pari cum ipsa longitudine ad portam templi, ubi illæ venduntur. Hic illam portavit, atque accendit, manuique dictæ
B Dionysiæ imposuit : deinde mater illam tumulo affixit memorato. Ubi pater et mater absolverant orationes suas, ut filiam ipsorum sanaret Deus per merita venerabilis sancti Ludovici, pater ipsius eam retraxit, dixitque memoratam puellulam se pedibus suis sustentare. Tunc pater eam sumpsit manu una, mater altera, atque ad altare usque duxerunt, circumque idem istud altare; atque ab hoc altari ad altare sancti Hippolyti. Incedebat autem illa satis bene, passum post passum formans. Deinde ad tumulum eam reduxerunt, ac simul ibat dicta Dionysia bene, et recta. Pater materque lacrymabantur præ gaudio, gratiasque Deo agebant ac venerabili sancto Ludovico.

ac domum reducta,

287 Postea, quia turba ibi erat densissima, hominesque inde expellebantur, dixerunt se domum ire velle. Itaque tenuerunt hanc Dionysiam manuum digitis, ac puellula per se prompte incedebat per hanc ipsam ecclesiam; eduxeruntque ipsam ecclesia, atque iverunt ad hospitium quoddam. Postquam manducaverant, pater ipsius eam tulit Capellam usque, Parisios
C inter et Dionysiopolim sitam. Cumque memoratus Richardus ibi esset cum puellula, pater dormire cœpit, mater vero dictusque Richardus ipsius filius, qui comitabantur, cum memorata puellula per se eunte præcesserunt per viam usque ad murum sancti Lazari. Deinde portata fuit usque
b ad domum Filiarum Dei *b*, ibique humi posita, per se incessit ad aliud intervallum. Atque hoc modo quandoque per se incedentem, quandoque portatam, domum usque reduxerunt. Quando autem intrabant plateam, ubi habitabant, ire siverunt memoratam puellulam per totam plateam usque ad domum suam : cumque multi illam vidissent, vicini multi venerunt ad domum ipsius, memoratam puellulam visuri, quibus in memorata domo præsentibus, dictus Richardus ejus pater dixit memoratæ puellulæ, clientem esse debere venerabilis sancti Ludovici, ac quotannis ipsius sepulcrum invisere, quod memorata Dionysia præstitit annis singulis.

paulatim loqui discit.

288 Die sequenti, memorato Richardo arcam aperiente, panemque capiente, dicta Dionysia dixit patri suo : DA MIHI PANEM, quod numquam dixerat. Ab illa hora Emmelina mater ipsius loqui eam docere cœpit, quoque modo peteret panem, vinum, aliaque convenientia : D
atque ab eo tempore dicta Dionysia de die in diem promptius loquebatur, ibatque per se, sine ullo subsidio, prompte et recte, pedibus suis, sine baculo, ad Sequanam aquam haustura; ludebat cum infantibus in platea, nebat, aliaque faciebat negotia sua, uti sana et valida, ac veluti alia ætatis suæ puellula sana, usque ad tempus examinati hujus miraculi. Vicini autem dicti Richardi atque Emmelinæ de ipsius restitutione valde lætabantur, Deoque gratias agebant, et venerabili sancto Ludovico. Ceterum Richardus et Emmelina memorati, nempe pater materque dictæ Dionysiæ, homines erant probi, probique habebantur in platea sua. Dicta etiam Dionysia fuit coram inquisitoribus, eorumque scribis, atque incedebat prompte, et recto corpore, ac satis bene loquebatur.

XXXVII. Mulier, usu destituta unius lateris,

289 Anno Domini nostri MCCLXXXII, circa festum Pentecostes, quando de hoc miraculo fuit inquisitum, septem elapsi erant anni, ex quo gravis morbus corripuit Mariam nomine Rosam Dei * quæ hospitabatur in domo Aleidis Lagrant, quo memorata Maria perdiderat usum totius partis sinistræ, ita ut nec manu sinistra uti posset, E
nec pede ; nec vestes, nec calceos induere. Porro die quadam dicti anni, circa festum Pentecostes, memorata Aleidis mirabatur dictam Mariam de lecto non surgere. Cum jam plena esset pies, Aleidis eam vocavit : respondit Maria se surgere non posse, usum enim unius lateris perdidisse. Accessit igitur ad eam memorata Aleidis, eamque juvit ad surgendum, eam vestibus et calceis induit per aliquot dies; atque hoc modo memorata Maria dolore tristitiaque affecta fuit per dies plures.

* la Rose Dieu

eum apud sepulcrum recuperat.

290 Ubi recordata est venerabilis sancti Ludovici, magna illum fiducia, magnoque animo oravit, ut tanto se angore liberaret : vovitque dicta Maria, invisuram se tumulum venerabilis sancti Ludovici antedicti. Quæsivit dicta Aleidis ex memorata Maria, quo iret modo. Respondit prædicta Maria Deum, sanctumque Ludovicum opem sibi allaturos. Atque ita præstiterunt, postquam voverat : nam ante se movere non poterat. Die quadam Veneris memorata Maria iter suscepit, incedens parietibus domuum innitendo, aliterque se juvando modo, quo poterat, F
optimo, usque ad portam Parisiensem, Dionysiopolim versus ducentem. Postquam eo pervenerat memorata Maria, baculum emit duobus denariis, quo nitebatur seque sustentabat, venitque ad oppidum sancti Dionysii. Ubi pervenit ad tumulum memoratum, obtulit ibi candelam, precesque suas fudit; eademque die Parisios reversa est, prompte atque expedite incedens, integreque ex morbo suo, impotentiaque restituta : nam prompte utebatur manu prædicta, pede, totoque hoc latere.

XXXVIII. Canonicus, ex continua febri de vita periclitans,

291 Cum magister Dudo canonicus Parisiensis, et medicus ivisset cum venerabili sancto Ludovico trans mare Tunetum, defunctoque ibi venerabili sancto Ludovico, cum rege Philippo, venerabilis sancti Ludovici filio, rediisset post Pascha, undecim annis ante annum factæ inquisitionis de hoc miraculo, seu annum Domini nostri MCCLXXXII, ossaque venerabilis sancti Ludovici ante Pentecosten *c* sepulta essent Dionysiopoli, ac dominus noster rex Philippus die sequenti ivisset ad fanum S. Germani in Laya, eumque comitatus fuisset magister Dudo, atque hic magister Dudo die Pentecostes prandium sum- c

psisset,

A psisset, graviter se ægrotare sensit continua acutaque febri, licet neque debilitas, neque alia morbi signa ante istam diem in eo fuissent, quæ febrim hujusmodi in eo manifestarent. Die Lunæ proxime sequente, matutino tempore equitavit magno cum labore Parisios. Ubi fuit Parisiis lecto decubuit in palatio regis, cujus erat clericus. Tunc graviter se laborare sensit febri continua acutaque prædicta : in consilium vocavit medicos Parisienses amicosque suos, qui ex dispositione ipsius indiciisque intellexerunt, correptum esse febri acuta continuaque. Quippe urina ejus nimis erat colorata, crassa, ac turbida; neque indicia digestionis in ea apparebant die secunda tertiave. Adhæc memoratus magister Dudo absona quandoque loquebatur et vana, timebantque medici, ne sensuum alienatio ad cerebrum ascenderet : atque ipsemet, et medici de ipso desperabant. Die Mercurii sequente, quæ quarta erat morbi dies, quandoquidem morbus adeo invaluerat, ut et ipse et alii medici de vita ejus desperarent, quod longe plura in ipso apparerent signa sanitati contraria, quam bona, quodque B nullum in ipso digestionis appareret indicium, vocavit conscientiæ suæ arbitrum, fratrem Danielem Ordinis Vallis-scholarium, eique confessus est, suaque ordinavit.

imploratopem S. Ludovici : cui ille in somno apparet, ac sanitatem promittit.

292 Postquam ad sensum rediit, cogitare cœpit de venerabili sancto Ludovico, ejusque sanctimonia : itaque secum dixit : « Domine Rex, » qui sanctus es, ut creditur, et in statu hujus» modi, ut a Deo sis exaudiendus, quando» quidem tibi servivi, tibi supplico, ut mihi » succurras in tanta angustia constituto : una no» cte apud sepulcrum tuum vigilabo. » His dictis, mox somnus eum cepit circa horam Vesperarum, dormivitque memoratus Dudo. In hoc somno videbatur sibi esse in templo sancti Dionysii apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, inclinatus et in genua provolutus coram ipso : et videbatur tumulus esse coopertus tegumento ligneo, quod non erat absimile tecto domus, ibique positum erat super fulcra eo modo, ut homines caput manusque inserere possent, atque osculari memoratum sepulcrum. Præterea videbat dictum venerabilem sanctum Ludovicum, stantem super hoc ædificium in illius vertice, indutum veste instar dalmaticæ candidæ, ac quasi mixta flo- C ribus auro distinctis, aureisque fimbriis ornata : corona erat in capite ipsius, in manibus sceptrum, ac nitebatur extremitate sceptri inferiore super declivitatem hujus tegumenti supradicti. Tunc vocavit dictum magistrum Dudonem, eique dixit venerabilis sanctus Ludovicus : Vocasti me *d*, quid vis? Respondit, Domine Rex, ut opem mihi feras in hoc rerum cardine. Respondit illi venerabilis sanctus Ludovicus : Ne timeas, convalebis ab ista infirmitate. Sed habes in cerebro tuo quemdam humorem corruptum, venenosum, et obscurum, qui non permittit te cognoscere Creatorem tuum. Hæc est causa tuæ ægritudinis, et ego removebo eum. Tunc cepit memoratum magistrum Dudonem una manu, posuitque caput dicti magistri Dudonis in sinum brachii sui sinistri, eique incidit frontem pollice dexteræ manus a capillis usque ad nasum, atque imposuit duos digitos, pollicem nimirum et indicem, traxitque ex ipsius capite humorem hunc quantitate unius nucis, obscurum, et coloris plumbei, fumantemque; ac dixit magistro huic Dudoni : Quamdiu habuisses hoc in capite tuo, non posses habere sanitatem. Abjecto humore isto, memoratus magister Dudo ei dixit : Domine Rex, Deus te remuneret.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

cum reprehensione de voto quodam neglecto : evigilans illo dolore capitis se sensit liberum,

293 Tunc ei dixit venerabilis sanctus Ludovicus : Pactum mihi serva vigilandi apud sepulcrum meum, uti mihi promisisti : et scito magnopere mihi pro te laborandum fuisse, ut te reconciliarem beatæ Virgini Mariæ, Sanctisque aliquibus; præsertim venerabili sancto Nicolao, cui promisisti, quando eras trans mare, visurum te ecclesiam Bariensem *e*; neque eo ivisti. Tunc ei respondit memoratus magister Dudo : Domine Rex, paratus sum exsequi omnia secundum consilium tuum, ac Barium ire. Tum dixit huic magistro Dudoni : Locus ille valde dissitus est, nimioque tibi esset labori eo ire : verum consilio antistitis tui bona quædam ex tuis Barium mitte, eumque in terra tua require in quadam ipsius ecclesia, ubi te ipsi devotum exhibeas. Omnia hæc prædicta vidit magister Dudo in somno suo, eique vera potius visio videbatur, quam somnus. Postquam dictus magister Dudo evigilavit e somno supradicto, reperit se liberatum gravissimo capitis dolore, quo torquebatur, quando hic eum corripuit somnus; ac mox dixit præsen- E tibus : Sanatus sum. Verum, qui ibidem erant, eum existimabant mente alienatum esse : et magister Gaufridus de Flavi subdiaconus, canonicus Turonensis et medicus, dixit quasi jocando : Quis te sanavit? Respondit magister Dudo : Scito integre me sanatum iri hac nocte, et jam nunc liberatus sum dolore capitis. Dixit ei memoratus medicus : Quis dæmon tibi hoc dixit? Respondit ei magister Dudo : Talis mihi dixit, qui non mentietur. Tum magister Dudo eis narravit visionem memoratam.

et nocte sequenti integræ restituitur valetudini.

294 Ubi adfuit nox illa, frigus admodum vehemens corripuit dictum magistrum Dudonem magno cum tremore : secutus est continuo sudor valde abundans, post quem idem Dudo perfecte sanatus est, ac præcepit, ut pullus sibi pararetur. Postridie mane memorati medici eum inviserunt, ac viderunt urinam ejus esse sanam : explorarunt arteriæ pulsum, qui sanus erat, eumque repererunt sanatum, licet ante hanc diem de eo timerent ac desperarent : cumque adverterent, non videri id fieri potuisse modo naturali, invicem dixerunt hunc sanationis modum aliunde oriri non potuisse, quam a miraculo. F Tunc narravit memoratus magister Dudo dictis medicis totam visionem; dictique medici ei suaserunt, ut non manducaret de pullo, ne relaberetur in morbum, sed diætam servaret. Memoratus vero magister Dudo dixit, se de eo manducaturum; ab eo enim sanatum esse, qui se relabi non sineret. Tunc manducavit de pullo, bibitque vinum aqua dilutum, neque ideo umquam relapsus est; sed integre fuit sanatus. Porro omnia, sicuti dicta fuerant per sanctum Ludovicum in somno, seu visione relata, vere ita promiserat memoratus magister Dudo, quando degebat trans mare; nimirum se invisurum ecclesiam sancti Nicolai Bariensem : quam ecclesiam non invisit, quamvis venerit per Apuliam, et non nisi bidui itinere ab ea iter ageret, quod alia haberet negotia. Adhæc illud sepulcri tegmen ante memoratum, quod memoratus magister Dudo conspexerat in dicta visione, numquam vigilans lustraverat, et vere nesciverat illud ibi esse positum. Nihilominus erat ibidem illa die, uti prædictus magister Dudo postea rescivit. Vigilavit deinde memoratus magister Dudo una nocte apud tumulum dictum, sicuti promi-

A. Reginæ Confessario.

serat ante somnum, eique in dicta visione mandatum fuit a venerabili sancto Ludovico. Ceterum, cum memoratus magister Dudo esset medicus, satis cognovit raro aut numquam secundum naturæ cursum contingere, ut correptus febri acuta integre ex hujusmodi morbo restituatur quarta die vehementi frigore aut sudore.

ANNOTATA.

a Quartum *dicere voluit auctor, quantum apparet ex præcedentibus et sequentibus.*

b *Loca hæc omnia in via Parisiensi occurrentia jam memorata sunt.*

c *Die Veneris ante Pentecosten, seu 22 Maii, cum Pentecostes anno 1271 inciderit in 24 Maii, ita ut omnia recte consonent.*

d *Carnotensis, qui num. 38 eodem modo refert hoc miraculum, testatur verba Latine fuisse dicta. Unde ea retinui, ubi Gallica idem significabant.*

e Barium, *Italis* Bari, *Gallis et nostro auctori*
B Bar, *urbs est archiepiscopalis Apuliæ in regno Neapolitano, ubi servatur corpus S. Nicolai Myrensis episcopi, de quo ad 6 Decembris amplissima dabitur scribendi materia.*

CAPUT XV.

Mulier omni membrorum omnium sensu, exceptis dumtaxat duobus digitis, destituta, corporeque miserrime contorto, primum frustra visit novem diebus sepulcrum; deinde, redire monita, subito sanatur.

XXXIX. *Mulier omni membrorum usu, et sensu*

Nicolaa de Riberci, diœcesis Bajocensis, habitans Parisiis in platea lotricum, in eodem hospitio cum femina quadam nomine Comitissa, quadraginta duos agens annos, eoque amplius, anno sequente postquam ossa sancti Lu-
C dovici in Galliam fuere portata, die Jovis sancta, sana erat, valens, ac fortis etiam non minus quam umquam fuerat, perfeceratque, quæ in hospitio suo habebat agenda, bene atque expedite, quemadmodum consueverat. Fortior illa erat mulieribus quatuor, quippe una vice ferebat semisextarium *a* frumenti, atque onus gravius : adhæc laverat multos pannos, quos extenderat siccaveratque in horto domus Petronillæ la Faucresse, quia ad id locum non habebat congruum. Postquam nocte sequente dicta Nicolaa intraverat lectum suum, atque dormiverat; ubi evigilavit, ita se perditam reperit in omnibus corporis sui partibus, ut in iis nihil sentiret, nisi in duobus dumtaxat digitis manus dexteræ, videlicet in eo, qui medicus *b* appellatur, et in medio. Die sequenti dicta Nicolaa caput tenebat versus partem dexteram, collumque ita retortum, ut mentum esset supra humerum dexterum, neque illud ad aliam partem posset convertere. Videbat ea, quæ erant post dorsum suum, aut post humerum istum, neque videre poterat ea, quæ ante pectus erant, neque caput movere poterat, aut alio invertere; D
neque movere poterat brachia, nec pedes, nec manus, exceptis duobus digitis ante dictis. Verum pedes ipsius, crura, et genua adeo erant implicita et conjuncta, ut separari non possent, etiamsi quis id facere voluisset vi adhibita : atque os genu dexteri a parte interiore insertum erat ossi genu sinistri, ita ut ingentem ibi sulcum fecisset sine ruptura : dictusque sulcus, seu lacuna remansit in dicto genu sinistro, atque adhuc ibidem erat tempore examinati hujus miraculi, in memoriam hujus infirmitatis, et conspexerunt inquisitores memoratum sulcum, ibi relictum. Adhæc pedes, crura, femora erant sicut duo ligna uni trunco imposita.

destituta, exceptis duobus tantum digitis,

296 Prænominata Nicolaa istis diebus Veneris et Sabbati numquam manducavit, atque hisce diebus Veneris et Sabbati dicta Nicolaa movebat labia in modum leporis. Insuper ab illa nocte, qua memoratus morbus invasit dictam Nicolaam, non fuit locuta usque ad noctem Resurrectionis Domini nostri sequentis : quo tempore bene audiebat, atque intelligebat personas loquentes. Ab illa autem hora, qua loqui cœpit in nocte Resurrectionis, cœpit manducare, E
at masticare nequibat : deinceps loquebatur; sed parum, et corrupte admodum, quamdiu duravit morbus. Porro dicebat memorata Nicolaa se invisentibus, ut se verberarent, carnemque suam scinderent, ad tentandum, an id sentiret : atque illi eam contrectabant, ac vel licabant manibus unguibusque in pedibus, cruribus, et vultu, quantum stringere poterant : pungebant et scalpello venæ aperiendæ accommodato dicta membra carnesque : et tamen dicta Nicolaa nihil sentiebat, neque doloris dabat signa, neque percepisse videbatur; neque enim gemebat, nec querebatur, neque etiam vel gutta sanguinis effluebat. Adhæc a memorata die dictæ Resurrectionis prædicta Nicolaa comedebat, sed parum et languide admodum; neque manducabat nisi mollia, atque ægre admodum ea masticare poterat, ac deglutire. Mulier quædam vidua, nomine Comitissa, quæ habitabat cum dicta Nicolaa in eodem hospitio, eamque vehementer amabat, juvabat memoratam Nicolaam in rebus necessariis; cibum ei dabat, et potum; lecto imponebat, et de lecto levabat. Maculabat quotidie Nicolaa lectum, F
in quo cubabat : Comitissa illum mundabat, et lavabat. quando erat necessarium. Interim dicta Nicolaa nec calorem percipiebat nec frigus, nec dulce, nec amarum, nec cognoscere poterat aut distinguere aquam a vino, nec quidquam appetebat, nec fame umquam vexabatur, nec siti, malebatque potius non manducare; neque odorem percipiebat bonum nec malum, videbaturque memoratæ Nicolaæ, si carrus bene onustus per corpus suum transivisset, id se non sensuram fuisse, neque dolorem ex eo passuram, modo non attigisset duos digitos supra memoratos, quibus bene sentiebat. In hoc statu fuit dicta Nicolaa usque ad Dominicam Trinitatis proxime sequentem.

primum frustra novem diebus frequentat sepulcrum, deinde et balnea :

297 Postquam memorata Nicolaa sic fuerat affecta usque ad diem octavam Resurrectionis, atque audiverat miracula esse patrata apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, uti erat in lecto suo, dixit quo potuit modo, atque oravit venerabilem sanctum Ludovicum, ut respiceret ad paupertatem suam, cum pauper esset, et vidua, sibique sua restitueret. Tum confessa est

pre-

A presbytero suo; et Petronilla la Faucresse vicina dictæ Nicolaæ conduxit carrum, et die Dominica, octava Resurrectionis, memorata Petronilla et Comitissa duxerunt, ac comitatæ sunt dictam Nicolaam, ita ægram carrô impositam, Dionysiopolim usque, eamque ad memoratum tumulum ferendam curaverunt, ubi mansit diebus novem : dictaque Comitissa, quæ mansit fuitque cum ipsa diebus memoratis, eam portabat ad ipsarum hospitium in urbe ad sorores, juvante alia muliere, quam conducebat. Nihilominus, licet dictis novem diebus quotidie frequentarint memoratum tumulum, illaque apud hunc tumulum jacuerit, nullum tamen consecuta est solatium, neque ideo quidquam de corpore suo sensit. Deinde memorata Nicolaa fuit reducta Parisios in carro, æque ægra ac ante. Quandoquidem memorata Nicolaa in æque magno, quam antea, erat languore, neque quidquam sentiebat, atque impotens prorsus erat, sicuti dictum est, se quandoque deportandam curavit ad balnea thermasque, ut tentaret, an forte per calorem aquæ motus aliquis
B redire membris suis posset, pedesque ac genua sua, quæ, sicuti dictum est supra, conjuncta erant, invicem separari. Verumtamen, ubi sæpe in balneis, thermisque fuerat, ac vicibus singulis longo tempore in iis substiterat, non sentiebat aquam calidam, cui erat immissa, quantumcumque calida esset, aut calida esse diceretur, nisi in duobus digitis supra memoratis, cum eos aqua attingeret; neque pedes dicti, neque genua invicem sejungebantur, neque illi melius erat in ulla corporis sui parte; neque aliter quam erat, priusquam in balnea ingrederetur : atque in tali statu fuit usque ad Dominicam Trinitatis.

post hæc monita a muliere, quæ divinitus jussa fuerat eam monere,

298 Die Sabbati ante Dominicam Trinitatis Mabilia Londinensis * ei fuit obvia, dum ad balnea ferebatur (hæc Mabilia numquam, quod sciebat, viderat dictam Nicolaam, neque umquam nominari audiverat;) atque ei dixit: Mulier, mulier, multa expendisti in morbum tuum, et superiorem vestem habes bonam ; illam cura vendendam, teque vehi jube Dionysiopolim ad sanctum Ludovicum. Comitissa, eam gestans ab una parte, respondit, memoratam
C Nicolaam eo jam fuisse portatam, ac novem diebus substitisse, neque ei id quidquam profuisse. Dixit eadem hæc Mabilia; Caput meum depono, si rursum eo tendat, recteque de peccatis suis confiteatur, reversuram sanam, integreque ex hoc morbo restitutam. Tum narravit memoratæ Nicolaæ et Comitissæ, se vocem audivisse, dum vigilabat, uti dicebat, quæ sibi dixerat, non nominando hanc Nicolaam, neque plateam, parochiamve, ubi erat, neque alia dando indicia, nisi quod hæc vox sibi diceret : Quærito mulierem, in omnibus membris perditam, quæ in hac urbe est; (si eo non vadas, uti stulta facies) eique dicito, ut se portandam curet ad sanctum Ludovicum, sed antea recte de peccatis suis confiteatur. Respondit huic voci memorata Mabilia : Deine ex parte venis, qui mihi hæc dicis? Respondit dicta vox memoratæ Mabiliæ; Omnino. Cum illam non quæsivisset dicta Mabilia, rediit iterum vox secunda vice, atque ei dixit : Non es illic, ubi tibi dixeram, uti stulta fecisti; illuc ito. Cumque adhuc ideo eam non quæsivisset memorata Mabilia; tertia vice audivit dictam vocem, sibi dicentem : Quid id est, quod non iveris, quo tibi dixeram ? Respondit tum memorata Mabilia : Ignoro, ubi habitet. Et vox ei dixit : Quærito illam, donec inveneris : quod si id non facias, malum tibi eveniet. Hinc memorata Mabilia offendit hanc casu Nicolaam, quando ferebatur ad balnea, ubi supra dictum est; atque ubi hanc vidit perditam adeo et deformem, credebat illam esse, de qua vox sibi fuerat locuta, eisque omnia prædicta retulit.

* de Londres

redit ad sepulcrum,

299 Eadem die Nicolaa rogavit memoratam Petronillam, ut rursus carrum quæreret, quo ad memoratum sepulcrum veheretur, magnamque fiduciam habuit et concepit ex verbis, per memoratam Mabiliam dictis, se ibi sanandam, ac liberandam per merita venerabilis sancti Ludovici. Vocavit itaque dominum Philippum, parochum ecclesiæ sancti Nicolai, cujus erat parochiæ, et confessa est de peccatis suis. Mane dicta die Dominica Trinitatis memorata Nicolaa carro fuit imposita, et Dionysiopolim portata. Quando erat Dionysiopoli, se ferendam curavit ad sepulcrum memoratum, ponendamque sub arca lignea, quæ supra sepulcrum erat posita, iisque fulcris subnixa, ut ægri manere possent E
supra dictum tumulum sub arca. Tunc magna pietate oravit venerabilem sanctum Ludovicum, ut non intueretur peccata sua; se enim credere tantæ eum esse potentiæ, ut, licet peccatrix esset, se hac miseria liberare posset, in qua tanto tempore fuerat. Hæc, aliaque commemorabat, atque ore proferebat magna pietate, plorabat, precabaturque, quando erat supra memoratum tumulum, ubi jacebat.

ubi subite, integreque sanatur;

300 Deinde Sacro in memorata ecclesia inchoato, ubi incohatum fuit Euangelium, eadem hora sensit dicta Nicolaa disrumpi ossa sua, sibique invicem collidi, et tunc primum sensit dolorem in carne, omnibusque membris suis, qui duravit in ea usque ad finem Euangelii. Finito Euangelio, videbantur dictæ Nicolaæ ossa sua mutuo collidi tanto cum strepitu, acsi fornix ecclesiæ rumperetur. Ubi illud audivit, ut ei videbatur, loco infra arcam per se egressa est, nesciens quo modo, stetitque recta pedibus suis, caputque in locum, ubi esse debebat, derepente erat repositum. De his memorata Nicolaa, aliique, qui eo venerant, mirum in modum steterunt attoniti. E vestigio itaque dicta F
Nicolaa tam sanam se reperit et validam, quam umquam fuerat. Pedes ejus, ac genua invicem erant disjuncta, aliaque ejus membra officio suo restituta; tamque erat sana, ut terram non contingere videretur. Substitit ibidem, donec Sacrum solemne fuerit absolutum. Tum reversa est cum dictis feminis, quæ eam fuerant comitatæ, per se, recto super pedes corpore, sine baculo, sine alio humano subsidio, atque incedebat valide, expedite, celeriter, sana, valida, ac læta de insigni beneficio, a Deo benigne, mirificeque sibi concesso per merita venerabilis sancti Ludovici.

domumque regressa ingenti gratulatione excipitur.

301 Nuntio hujus sanationis Parisios delato, cognitoque eadem die in parochia ante memorata sancti Nicolai, dictus Philippus istius ecclesiæ parochus, eo audito, obviam processit cum cruce et aqua sacra usque ad sanctum Lazarum propter solemnitatem miraculi. Ubi usque ad ipsam pervenit, coram ea genua flexit in honorem tanti miraculi, eique dixit : Hem ! filia, jucundus est adventus tuus : scito non recusaturum me, ut corona hæc, quam capite gero, mihi nunc resecaretur, modo in tali essem sta-

tu

A. REGINÆ CONFESSARIO.

tu, in quali tu nunc es. Porro invigila tibi in posterum : quippe id tibi magis incumbit, quam umquam; et bonum tibi esset, ut in posterum in mundo non esses. Ab eo tempore usque ad hanc de miraculo inquisitionem memorata Nicolaa sana mansit et libera a morbis supradictis; caput habuit et collum rectum et sanum, incedebat facile, bene, rectoque corpore, uti alia mulier valetudine integra. Porro postridie mane rediit Dionysiopolim, ac visit memoratum sepulcrum, atque ita fecit novem diebus continuis, veniendo Parisiis ad dictum tumulum sine baculo, alioque adjumento, quemadmodum alia mulier prorsus sana. Uti vero dixerat memorata Mabilia dictæ Nicolaæ verba ante relata, sic eadem sub finem fere octidui vidit dictam Nicolaam apud portam, quæ Dionysiopolim ducit, incedentem recte pedibus suis, expediteque et celeriter, sanamque et validam, capite colloque suo loco recte disposito, cui memorata Mabilia dixit : Gratulor adventum tuum. Rectene sanata es? tibine evenit, sicuti tibi prædixi? Respondit memorata Nicolaa : Ita sane. Ceterum dicta Nicolaa unum habuit filium, et semper memorata Nicolaa fuit mulier bona. B

ANNOTATA.

a *Gallice,* une mine, *quod* semisextarium *explicat Pomey in indiculo universali : alii* medimnum illiusque quadrantem *dicunt, quod in idem recidit. At hinc non debet inferri, fortiorem fuisse quatuor feminis simul sumptis, sed singulis. Forte aliis quatuor cohabitabat, quarum erat robustissima.*

b *Alias* annularis, *qui est inter medium et minimum.*

CAPUT XVI.

Febris facto voto pulsa : gressus puellulæ apud sepulcrum concessus; uti et mulieri claudæ. C

XL. *Quidam ex periculosa febri,* *a*

Die Sabbati proxima ante festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno gratiæ MCCLXXII, febris continua vehementissime corripuit Gobbanum Roussel, civem Laudunensem *a*, quæ eum vexavit sexdecim diebus continuis tunc sequentibus. Cum medici ad ejus curationem vocati, nempe magister Rodulphus de Vorages, et magister Nicolaus de Vigey, de vita ejus, uti monstrabant, desperarent, ipsius amici agebant apud archiepiscopum Remensem, ut obtinerent facultatem dictum Gobbanum sepeliendi, quia civitas Laudunensis interdicta erat sacris ab episcopo Laudunensi, a quo cives appellaverant ad archiepiscopum Remensem. Die decima septima morbi Ægidia, hujus Gobbani soror, in cujus domo decumbebat, memorem illum fecit, ut sancto Ludovico se devoveret; credebat enim bonum hinc oriturum memorato Gobbano. Quibus verbis auditis, dixit memoratus Gobbanus : Promitto me, simulac sanus ero, atque incedere potero, Dionysiopolim iturum, ac sepulcrum venerabilis sancti Ludovici invisurum. Porro ante hanc diem tempore istius morbi confessus fuerat, verum Dei Corpus sumpserat, ac sacro oleo fuerat unctus; testamentum etiam fecerat præ timore morbi antedicti. D

facto voto S. Ludovico, convalescit.

303 Facto voto prædicto veniendi ad tumulum die decima septima circa preces Tertiæ, copiosus sudor ortus est in toto ejus corpore, in quo fuit usque ad preces Nonæ; atque, ut ei visum fuit, a tempore, quo hoc votum voverat venerabili sancto Ludovico, melius habuit, dormivitque in illo sudore, uti ei fuit dictum. Qui ibidem erant, ei dixerunt, febri finem impositum in sudore antedicto : neque post hæc memoratus Gobbanus febri tentatus est, quantum percepit aut sensit; licet valde esset debilis : neque scivit se deinde frigore aut æstu febris, aut capitis dolore fuisse afflictum; sed post dictam diem septem diebus perpetuo decubuit, ac tunc primum de lecto surgere cœpit : cubiculo tamen non egrediebatur; verum paullo post ad lectum redibat. Transactis diebus decem, e lecto memorato surrexit, domoque egressus est, uti sanus ac restitutus, fecitque, quæ habebat agenda, quemadmodum homo sanus. Postea semper sanus fuit usque ad hanc diem præsentem *b*; venitque ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, uti promiserat, mense Septembri. E *b*

XLI. *Puellula distortis cruribus incedere nescia,* *c*

304 Quindecim annis ante examen hujus miraculi Heriberto ex Fontenay prope Gonnessiam *c*, habitanti Parisiis a viginti sex annis, et Ifamiæ uxori ipsius nata fuit filia, nominata Mabilia. Nata autem hæc fuit omnibus membris integris, sicuti infans nasci debet. Ubi ætatem attigit trium mensium præterpropter, nocte quadam, qua Ifamia ejus mater cubabat, absente ab ea marito, filiæ ipsius, jacentis in cunis apud lectum suum, sensit cunas moveri. Unde brachium extendit ad cunas prope lectum, exploravitque, quo se modo haberent cunæ, atque an infans cunis non esset egressa, dicens : Infans mea, Deo te committo. Mox memorata Ifamia fuit percussa super humerum. Dum percussa fuit, dixit : Ito Dei nomine ad talem locum, ubi nec mihi nocere possis, nec aliis; magnoque timore fuit perculsa, ac se lodicibus suis cooperuit. Postquam memorata Mabilia pervenerat ad ætatem, qua pedibus suis eam oportebat insistere, atque etiam incedere, sicuti incedunt infantes, incedere nequivit, nec stare, nec terram calcare pedibus : neque etiam pedes movebat super terram, dum tenebatur sub axillis, ut recta pedibus, cruribusque insisteret; sed simulac dimittebatur trunci instar lignei in terram labebatur. In hujusmodi statu fuit, donec complevisset quatuor annos et ultra, quibus numquam incedere potuit, aut pedibus insistere. Verum postquam viribus aucta est, reptabat de loco in locum manibus tantum et natibus, neque umquam se erigebat ex terra. Præterea juncturæ, quæ erant inter crura, femora, et genua, adeo videbantur ac erant loco suo motæ, ut memorata Mabilia crura sua humeris imponeret, dexterum sinistro, sinistrum dextero; neque aliud in genibus appareret vinculum quam cutis. Habebat tamen femora et pedes speciosa et recta; satis etiam pinguia, ac carnosa pro puellula ætatis suæ, uti apparebat forinsecus : erant quoque ejusdem cum alia ipsius carne coloris, neque glauca, vel cærulea : neque ejus membra aliter videbantur læsa, nisi quod genua loco suo viderentur F

emota.

A emota. Vicini passim dicebant, eam membris esse perditis, neque umquam ituram.

a parentibus, præmissis votis, ad sepulcrum portata. 305 Porro evenit, ossibus venerabilis sancti Ludovici in Galliam portatis, undecim annis ante tempus hujus inquisitionis, cum Dionysiopoli nundinæ haberentur, ut Richardus, nomine Vandien, Anglus dixerit Heriberto, ferendam ei esse dictam Mabiliam ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, ubi multa miracula essent facta, ægrique multi sanati; gratum esse Sanctis, aliquid in honorem suum fieri; quemadmodum, dum quis negotia habet coram Rege, aut coram tribuno capitali, decet, ut secum ducat aliquem, qui pro ipso loquatur. Cogitavit secum dictus Heribertus, eum dicere verum, responditque se portaturum filiam suam ad tumulum venerabilis sancti Ludovici. Paullo post vovit et promisit, si videre posset filiam suam pedibus suis stantem atque incedentem, nulla die Veneris usque ad septennium se vinum bibiturum. Ifamia, dictæ Mabiliæ mater, pariter vovit, si Deus, et sanctus Ludovicus sanarent filiam suam prædictam, se toto vitæ suæ tempore non B neturam die Sabbati, sequentique Dominica, nisi magna ad id cogeretur inopia. Memoratus Heribertus ejusque uxor Ifamia iter susceperunt, ac venerunt Dionysiopolim. Ferebat dictus Heribertus filiam suam prædictam, et uxor ipsius gestabat quemdam ipsorum filiolum, quem lactabat; neque erat, cui eum relinqueret. Hospitati fuerunt in domo Adami de Fontenay, atque eadem hac die portarunt filiam suam ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici.

post aliquot dies sanatur. 306 Tunc reliquit memoratus Heribertus dictam filiam cum memorata Ifamia ipsius matre, rediitque Parisios ad alia negotia sua obeunda. Redibat tamen aliis diebus sequentibus quandoque Dionysiopolim, visurus prædictam filiam, uxoremque suam, quas invenit apud tumulum. Memorata enim Ifamia quotidie illam ad sepulcrum dictum portabat, atque ibi servabat. Ubi dicta Ifamia ibidem cum Mabilia filia sua fuerat diebus sex septemve apud sepulcrum, sicut solebat quotidie; et die sexta aut septima ad hospitium fuisset reversa, ut filiolum suum lecto imponeret, rogavit custodes ægrorum, C apud tumulum jacentium, ut filiam suam ex loco sepulcri amoverent, quando inde amoverentur alii : eo enim tempore, dum Sacrum fieret solemne in ecclesia sancti Dionysii, ob copiam ægrorum, solebant illi ex dicto loco amoveri, absolutoque Sacro, eo sinebantur reverti. Et quia, absoluto solemni Sacro, eleemosyna dabatur singulis ægrotis, Ifamia hæc rogaverat dictos custodes, ut ipsam retro reponerent, postquam Sacrum esset absolutum; quippe nolebat, ut eleemosyna ei daretur; existimabat enim, si ex proprio labore cum memorata filia sua ibi viveret, Deum erga se magis fore benignum. Postquam dicta Ifamia redierat ad templum, reperit memoratam filiam suam in pedes erectam ante altare beatæ Virginis Mariæ, ubi posita fuerat contra columnam ibi stantem : et homines, qui ibidem erant, dicebant : Eccam, puellulam sanatam; et maledicebant patri matrique, qui eam ibi sine custode relinquebant.

ac dein gratias agit. 307 Dicta igitur Ifamia, visa hoc modo filia sua in pedes suos erecta ac stante, vehementer gavisa est, eamque cepit, reportavitque ad memoratum tumulum, atque ibidem incedere sivit recto corpore, per se, sine ullo alio auxilio, ad passus aliquot, quos per se formabat. Deinde aiebat : Cupio sedere; nam fatigata sum. Tunc ei candelam in manus dedit, quam obtulit ad memoratum tumulum. Sic ipsa fuit illo tempore cum dicta puella apud tumulum cum aliis, donec novem dies essent completi; quibus diebus illam per se sinebat incedere, et sedere quandoque apud tumulum. Dicta autem Ifamia neminem cognovit eorum, qui erant circa filiam suam, quando eam prima vice invenit stantem, præter mulierem unam, nomine Ifamiam la Mortaliere, quam invenit apud dictam filiam suam, quæque peregrinata tunc erat Dionysiopolim. Deinde memoratus Heribertus, quando audivit filiam suam esse sanatam atque incedere, venit Dionysiopolim, viditque filiam suam atque uxorem apud memoratum sepulcrum. Tunc dictus Heribertus, qui longiuscule aberat, appellavit memoratam Mabiliam, ei dicens : Veni huc, filia mea. Illa surrexit per se, ac sine ullo auxilio, venitque ad patrem suum, incedens bene, recto corpore, et festine, sine ullius hominis auxilio. Reliquit memoratus Heribertus uxorem filiamque suam prædictam, donec novem dies essent completi, ut in dies singulos E frequentaret sepulcrum prædictum. Novem diebus completis, dictus Heribertus rediit, reduxitque filiam suam integre sanatam. Per viam autem quandoque illam portabat, ne nimis fatigaretur; quandoque eam ante se jubebat procedere. Ceterum post hæc per tres annos, quibus vixit memorata Mabilia, incessit prompte ac celeriter, sine ullo auxilio baculove, sicuti alia ipsius ætatis puella, omnesque testes interrogati asserebant, se credere dictam Mabiliam fuisse liberatam morbo atque impedimento antedicto per merita venerabilis sancti Ludovici.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

XLII. *Mulier clauda,* 308 Anno Domini nostri MCCLXXVII, tempore hiberno, gravis morbus invasit Joannam de Sarris, diœcesis Parisiensis, uxorem Joannis lignarii, quæ sana fuerat, omnibusque membris valida, incedens bene, atque expedite sine claudicatione; eoque hic morbus eam corripuit pacto, ut incedere non valeret, aut se sustentare, neque pedibus uti, cruribusve. Invasit autem illam dictus morbus nocte quadam inter festum Virginis Purificatæ, et postremos bacchanalium dies. Licet vesperi diei cujusdam Martis lectum intraret sana et valida, eadem illa F nocte, dum evigilabat, adeo se reperit debilitatam, ægramque femoribus, cruribus, pedibusque, ut iis membris uti non posset, sicuti dictum est; neque se vertere etiam in latus, cruraque et pedes haberet rigidos, neque eos ad se posset convertere. Dictæ Joannæ apparebant membra nominata jam quasi morticina, videbanturque etiam sicuti membra eorum, qui diu sederunt, pedemque inepte habuere locatum, ita ut se movere nequeant : hi item membra habent quasi stupida, somnoque obruta. Adhæc membra illa ei erant frigida; lectoque decumbebat, neque surgere poterat, neque exire, neque ire quo voluisset, nisi portaretur. Hoc modo fuit domi suæ spatio unius mensis, sperabatque de die in diem se liberandam recreandamque.

et egena 309 Cum hoc modo ægra fuisset in domo sua, ac pauper esset, neque haberet, qui sibi esset auxilio, neque maritus ipsius necessaria ei vellet subministrare, delata fuit ad valetudinarium Parisiense, ubi longo tempore jacuit impotens atque infirma post festum etiam sanctorum Petri et Pauli. Postea sorores valetudinarii con-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

consilium inter se inierunt ei fulcrum componendi, ut paulatim se movere assuesceret, quod id fortasse ei foret utilius. Hoc facto, e lecto deposita est, juvantibusque eam mulieribus magno cum labore ivit usque ad altare sancti Leonardi, quod est in eodem hoc valetudinario. Alia vice, cum vellet similiter e lecto suo ire ad altare, nemine ei opem ferente, humi lapsa est, ac graviter vulnerata. Incedendo autem pedem dexterum humi figebat, at sinistrum nullo modo figere poterat; verum post se trahebat. Postquam se movere poterat, desiderabat domi esse cum marito suo liberisque, quoniam lecto poterat egredi : cupiebatque de suo vivere. Iter itaque suscepit ope fulcrorum, ut rediret domum; sed incedere non poterat : qua de causa per totam fere viam maritus illam ferebat. Deinde fulcris domum suam ingressa est, fuitque ibidem cum marito filiisque suis. Noluit postea maritus ejus necessaria ei procurare; eaque de causa magno cum labore fulcrorum adjumento adibat ecclesiam sancti Mederici, stipem postulatura.

B 310 Postquam memorata Joanna intellexit *apud sepulcrum gressum* multa facta esse miracula apud tumulum sancti Ludovici, ægrosque ibi sanatos; dixit, vovitque invisuram se memoratum sepulcrum. Quo dicto, Joanna hæc ordinavit itineri ad dictum tumulum necessaria, ac sperabat se ibi sanatum iri per merita venerabilis sancti Ludovici. Unde eadem Joanna, cupiens ad dictum tumulum venire, atque ex propriis vivere, tantum nevit, ut lucrata sit asses tres : hos portavit, ac die quadam Dominica mane fulcrorum subsidio ingressa est iter ad urbem sancti Dionysii, comitante ipsam una filia sua nudis pedibus, atque in laneis, ingentique vi adhibita venit ad dictum sepulcrum. Signum ære dabatur ad Vesperas, quando eo veniebat, fuitque ibidem quotidie diebus quatuor apud dictum tumulum, antequam esset sanata; ac candelam obtulit pari secum longitudine. Die quadam subsistens apud tumulum memoratum, dum solemne canebatur Sacrum, dicta Joanna dolorem sensit gravissimum, præsertim in parte sinistra, ita ut vix se cohibere posset a forti clamore. Ubi hoc dolore pressa fuerat tanto tempore, quanto quis ire potuisset ad intervallum emissæ ex arcu sagittæ, cessare cœpit dolor; ipsaque, mox sentiens sibi melius esse, pedem C sinistrum humi posuit, se erexit, ac pedibus stetit, nixa tumulo. Ubi sensit incedendi sibi vires esse, circuivit tumulum recta pedibus suis insistens, passusque pedibus suis proferens alios post alios.

311 Finito Sacro, ascendit per gradus sine *recuperat.* ullius ope usque ad reliquias, reliquitque fulcra sua, gaudens magnopere et læta cum memorata filia sua, quod Deus, et venerabilis sanctus Ludovicus tanto ipsam liberassent morbo. Substitit tamen Dionysiopoli, atque invisit quotidie memoratum tumulum, donec novem dies fuissent completi. Deinde Parisios drediit er se, recto corpore, sine baculo, sine fulcris, et sine alterius personæ auxilio. Nihilominus a tempore, quo sanata fuit, semper parumper claudicabat; atque adhuc claudicabat tempore inquisitionis de hoc miraculo; incedebat tamen prompte ac celeriter, sicuti inquisitores eorumque scribæ viderunt. Paucis *d* diebus postquam memorata Joanna ægra fuerat modo supra dicto, hæc Joanna dicebat se redire Dionysiopoli a tumulo prædicto, seque ibidem sanatam fuisse ex morbo antedicto : ubi autem fuit Parisiis sana ex hoc morbo incessit recta pedibus suis, sine fulcris, alio- D que adjumento, prompte atque expedite, quemadmodum alia mulier sana, nisi quod modice claudicaret, non vero claudicaret dicta Joanna, priusquam fuerat ægrota, sed bene, recto corpore, ac celeriter incederet. Post hæc semper, licet parumper claudicaverit, a tempore supradicto incessit bene atque expedite, sana fuit ac libera dicto morbo, obivitque negotia sua, sicuti alia mulier sana, et creditur sanata fuisse per merita venerabilis sancti Ludovici.

ANNOTATA.

a De Loon *ubique legitur in apographo meo Ms., sed legendum* de Laon : *ita enim vocatur Gallice Laudunum, urbs episcopalis sub archiepiscopo Remensi in Suessionibus, quæ agro Laudunensi, vulgo* le Laonnois, *nomen dedit. Quippe Laudunum designari, sequentia manifeste demonstrant.*

b *Refertur id ad tempus, quo examinatum id beneficium, non quo scripsit hic auctor.*

c Gonnessia, *vulgo* Gonnesse, vicus cultus *est* E in Parisino agro *ait Baudrandus, asserens 4 leucis distare Parisiis.* Fontenay *vero vicus notatur in tabulis agri Parisiensis una fere leuca magis Parisiis dissitus.*

d *Hæc alia miraculi probatio, quales frequenter adducit auctor, licet ad factum elucidandum non conducant.*

CAPUT XVII.

Anus impotens et incurva apud tumulum valetudini restituta, uti et mulier capta parte corporis sinistra : visus oculi dexteri mulieri redditus : claudo gressus expeditus : aqua pileo Sancti repressa et siccata.

F XLIII. *Anus incurva*

Anno Domini nostri MCCLXXII mulier quædam nomine Joanna, habitans Parisiis in parochia sancti Mederici, incedebat ope fulcrorum magno cum labore, valdeque erat incurva, ita ut fulcra admodum essent brevia : gibbum etiam habebat in dorso grandem, latumque instar panis unius denarii : neque foramen erat in gibbo memorato, neque pus emittebat. Adhæc anus erat dicta Joanna, atque ita ægrotavit, itaque incessit annis quatuor, aut quinque. Post aliquot annos memorata Joanna, quæ erat in platea, ubi habitabat, dixit vicinis, ire se velle ad sepulcrum sancti Ludovici, ac sperare se ibi sanatum iri. Itaque veniam poposcit vicinos, si qua in re eos offendisset. Dixit præterea, se prius ire velle ad ecclesiam sancti Mederici, ut Sacro interesset, ac de peccatis suis confiteretur : rogavitque vicinos, ut Deum orarent, ac venerabilem sanctum Ludovicum, ut gratiam sibi præstarent.

313 Adivit ecclesiam sancti Mederici : tum iter suscepit ad urbem sancti Dionysii, ubi Nicolaa Parisiensis, uxor Guilielmi lignarii, vidit memoratam Joannam ante dictum sepulcrum alios inter ægrotos. Deinde exiguo post tempore *apud tumulum erecta, ac sanata.*

dicta

A dicta Joanna venit in plateam memoratam, incedens bene, rectoque corpore, sine fulcris alioque adjumento, præterquam quod baculum manibus gestaret. Dicebat autem, se reverti a tumulo venerabilis sancti Ludovici, ibi fuisse diebus novem, seque ibidem fuisse sanatam. Gestavit manu sua scipionem initio per tres hebdomadas præterpropter; at illum deinde prætermisit. Ubi scipionem gestare desierat, semper deinde sana fuit et valetudine integra tribus circiter annis, quamdiu vixit : ibatque bene et recta, sine baculo ullove alio adjumento : ferebat super caput suum vas aqua plenum, obibatque quælibet sua negotia, ad victum sibi comparandum : namque erat egena.

XLIV. *Mulier morbo caduco, aliisque malis affecta,*

314 Anno Domini nostri MCCLXXI, aut circiter, Aleidis Malachine Parisiensis, membris erat sanis ac validis, sicuti alia mulier sana, ac frequentabat domum Beginarum Parisiensium, ubi lanificium exercebat carminando, similiaque faciendo. Deinde longo tempore sana fuit : laborabat tamen malo caduco, quod vulgo vocatur Malum sancti Lupi *a*. Postea dicta Aleidis Malachine anno Domini nostri MCCLXVIII *b* incidit in B morbum gravem, quo usum perdidit lateris dexteri, adeo ut non valeret uti nec manu, nec brachio, nec crure dextero, incederetque fulcrorum adjumento, sine quibus ire non poterat, postquam memorato correpta est malo, donec fuerit sanata. Caput etiam agitabatur, quamdiu hoc morbo fuit affecta : dicebatque se adjutam fuisse a muliere, secum habitante, in vestibus, et calceis induendis, similibusque necessariis. Præterea pedem sinistrum post se trahebat, dum incederet : et quia nullum facere poterat lucrum, uti consueverat, egena erat, panemque emendicabat : aspectu apparebat omnino languida atque ægrota tempore memorato, talisque credebatur. In hujusmodi statu longo fuit tempore.

adit tumulum Sancti, visa ibidem a muliere cui unius oculi visus restitutus,

315 Memorata Aleidis hoc modo ægrota, cum circa annum Domini nostri MCCLXXV in æstate audivisset, atque intellexisset multa miracula esse facta apud tumulum sancti Ludovici, dixit, petito consilio, velle se venire ad tumulum sancti Ludovici, ut Dominus noster ipsam dignaretur liberare per merita venerabilis sancti Ludovici. Eo tempore die quadam Veneris, qua æstus erat maximus, cum Aleidis du Buisson, C habitans in domo Beginarum Parisiensium, sexaginta annorum mulier, Dionysiopolim venisset visura sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, quod longo tempore passa fuisset fluxum oculi dexteri, ita ut oculo nihil cerneret, invenit memoratam Aleidem Malachine apud dictum sepulcrum, quo venerat ad impetrandam a Deo liberationem suam, ut aiebat, per preces et merita venerabilis sancti Ludovici : cumque dicta Aleidis du Buisson eam rogaret, quo se modo haberet, respondit, quod se sentiret multum recreatam; oraret igitur Deum pro se, ac venerabilem sanctum Ludovicum, Virginemque Mariam. (Inquisitione facta de sanatione dictæ Malachine, memorata Aleidis du Buisson recepit eadem hac die visum oculi dexteri, rediitque Parisios liquide videns, quamvis cruor mansisset in oculo, quo deinde satis cito integre liberata fuit hæc Aleidis du Buisson.)

ac valetudini restituitur.

316 Tunc itaque valetudinis recuperandæ causa Dionysiopolim petivit ad dictum sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, mansitque ibidem diebus novem. Quando ibidem jacebat cum aliis ægrotis, (uti placuit Domino nostro,) vehementem sensit dolorem in membris suis; dumque existimabat se stare posse, erexit se; et, sicuti dixit, venæ in mamma partis dexteræ disruptæ sunt, sanguinisque ingentem copiam emiserunt. Tum fulcra reliquit, quæ gestare consueverat, ac rediit Parisios ad domum Beginarum, et alio, sana, valida, plenissimeque restituta, per se, pedibusque suis incedens, sine fulcris, sine baculo, sine alio quovis adjumento, prompte, rectoque corpore, sanata prorsus ex morbo memorato. Ab illo tempore in posterum sana fuit ex dicto malo, et valida tribus annis et ultra : incedebat bene, recteque, lanificium exercebat, carminabat, aliaque faciebat, quemadmodum mulier sana usque ad mortem suam. Tempore autem mortis suæ ætate quadraginta circiter annorum esse videbatur. Bona quoque erat mulier, magnæque pœnitentiæ : omnesque testes affirmabant eam sanatam fuisse ex morbo antedicto per merita venerabilis sancti Ludovici.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

XLV. *Vir, ex affecto genu claudus,*

317 Circa annum Domini nostri MCCLXXIV aut MCCLXXV, inter festum Omnium Sanctorum festumque sancti Andreæ, malum exortum est in crure sinistro circa genu Joannis du Guè ex E villa Combreus in diœcesi Aurelianensi *c*. Multa erant foramina in carne, quæ multum emittebant puris tam infra genu, quam supra : totum etiam genu intumuit, caroque illa facta est rubra, horridaque et tetra visu. Progressu temporis omnia foramina, quæ erant infra genu, in unum confusa sunt vulnus. Ubi vernum tempus advenerat circa Quadragesimam, quo laboratur in vineis, Joannes hic, qui pauper erat, victumque sibi laborando parare cupiebat, sicuti consueverat, Aureliam ivit, ut se elocaret ad vineas putandas. Ubi illuc pervenit, tanto morbus auctus est incremento, ut incedere non posset, neque sine scipione se sustentare, præterquam brevissimo spatio, ad sex fere septemve passus, nisi re aliqua niteretur. Qua de causa, cernens se nihil lucrari posse, nec laborare, nec incedere sine sustentaculo, duo construi curavit fulcra subalaria, fulcrisque domum rediit : neque enim incedere poterat nisi sustentaculo subnixus, multoque cum labore domum reversus est; nam pes ejus sinister terram non contingebat. Invisit ecclesias multas in istis partibus, ubi F miracula facta esse audivit; puta ecclesiom sancti Verani *d*, ecclesiam sancti Mauri *e*, ecclesiam sancti Eligii Ferrariensem *f* : verum hæc omnia nihil ei profuere : nullam tamen dicto morbo medicinam adhibuit.

apud sepulcrum sanatur.

318 Post hæc cum audivisset multa miracula facta esse ad tumulum sancti Ludovici, idem hic Joannes vovit ac promisit, invisurum se dictum tumulum, ut Deus et venerabilis sanctus Ludovicus liberarent ipsum per preces, meritaque domini sancti Ludovici. Die igitur quadam Dominica mensis Augusti ejusdem anni confessus est presbytero proprio; dein solus aggressus est iter ad urbem sancti Dionysii, fulcris subnixus. Priusquam autem memoratus Joannes medium iter absolvisset; sibi videbatur recreatus; atque hoc modo Dionysiopolim venit, invisitque sepulcrum venerabilis sancti Ludovici. Porro erat quotidie apud tumulum multos inter ægrotos alios, qui simul ibi subsistebant, ad sanitatem recuperandam. Die tertia aut quarta, postquam venerat ad memoratum sepulcrum, adeo recreatus est, ut fulcra sua, quæ attulerat, reliquerit supra dictum tumulum. His in perpetuum relictis,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ctis, egressus est ecclesia sine fulcris, sine scipione, sine alio adjumento, iens ad hospitium suum, alioque, quo vellet. Nihilominus quotidie invisit memoratum sepulcrum, et frequentavit, sicuti antea, donec novem dies essent completi. Transactis diebus novem, Dionysiopoli discessit, indeque domum rediit prompte expediteque, sine fulcris, baculo, alioque subsidio. Rediens autem, quotidie sex septemve leucas incedebat. Verumtamen memorata foramina nondum obducta erant, sed pus etiam tum emittebat copia multo minori, quam consueverant. At paulatim coaluerunt, adeo ut ante festum Nativitatis Domini nostri proxime tunc sequentis plane restitutus fuerit, dictoque malo liberatus: fuerintque foramina prædicta obducta prorsus, et clausa, pellisque seu cutis consolidata, relictis dumtaxat vulnerum vestigiis. Dicti Joannis vicini mirabantur, eum rediisse tam integre sanatum per merita venerabilis sancti Ludovici; ipse autem deinde operatus est, suaque exercuit negotia.

B

XLVI. *Aqua, nimium increscens, e cellis vinariis,*

319 Anno Domini nostri MCCLXXX, circa festum sanctæ Catharinæ, maxime increvit Sequana flumen, ita ut tres cellæ Aleidis la Veniere, uxoris Arnulphi olim armigeri venerabilis sancti Ludovici, aqua tunc essent repletæ. Crevit autem tam vehementer aqua in dictæ Aleidis cellis, ut in duabus illarum magis profundis dolia vini iis imposita fluitarent in aqua. In alia cella, ante has sita, magis alta, minusque profunda eo usque aqua ascendit, ut superaret media dolia vini, in cella ista locata, ut vinum haberi non posset. Memorata Aleidis aliquos habebat pileos e plumis pavoninis, qui fuerant venerabilis sancti Ludovici, relictos marito suo, dum armiger erat venerabilis sancti Ludovici, quando hic dictos pileos novis permutabat. Tunc incidit memoratæ Aleidi, illos sibi esse pileos, Deumque fortasse per merita venerabilis sancti Ludovici has aquas dispersurum. Consuluit igitur dicta Aleidis suppriorem Vallis-Scolarium Parisiis, fratremque Danielem ejusdem loci religiosum, an existimarent licitum esse, ut uno illorum pileorum signaret memoratam aquam, ne ulterius cresceret, sed siccaretur potius per merita venerabilis sancti Ludovici. Verum dicti fratres id improbarunt. Tunc domum rediit, retinuitque Rogerium famulum suum, annos natum viginti præterpropter, misitque e domo alios servos ad loca diversa: et voluit, ut Rogerius promitteret, se nemini dicturum, quod memorata Aleidis vellet facere.

C

pilei S. Ludovici contactu ejecta.

320 Tum unum cepit e pileis, eumque dedit memorato Rogerio; atque eum descendere jussit usque ad aquam primæ cellæ: eoque pileo aquam memoratam signare in modum crucis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Dictus Rogerius, dum dies adhuc erat, sed prope vesperam, descendit cum dicto pileo usque ad aquam primæ cellæ altioris, hunc pileum isti aquæ imposuit, atque aqua, quæ pileum tetigerat, projecta conspersit aquam reliquam hujus ipsius cellæ in formam crucis, dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Deinde sursum regressus est ad heram suam, eique pileum reddidit. Ante receptus nocturni tempus eadem vespera aqua illa primæ hujus memoratæ cellæ eo usque decreverat, ut dicta Aleidis, ejusque familia habere potuerint ac promere vinum ex doliis memoratis, quod ante facere non potuerant. Itaque aqua descenderat, seu decreverat ad plures digitos in cella memorata. Postridie mane adeo erat ex prima illa cella ejecta, ut nihil ibi esset relictum præter modicum lutum. Memorato matutino tempore dictus Rogerius profectus est Parisiis ad oppidum Clipiacum *g*, quo misit eum ipsius domina: verum sequenti die reversus, vidit tunc ignem ex carbonibus in prima cella fieri ad siccandum. Tertia die mane aqua profundiorum istarum cellarum ita evanuerat, atque abscesserat, ut præter lutum nihil ibi esset relictum. Porro post vesperam dictam, qua memorata Aleidis ex doliis suis vinum habuit, agmen solemne venit supplicantium, quod instituerunt fratres sanctæ Catharinæ Vallis scolarium *h* usque ad sancti Jacobi de Carnificeria *i* propter ingens aquarum incrementum. Præterea memoratæ cellæ profundiores factæ erant ante annos viginti septem, dictaque cella altior facta erat ante annos sexdecim, tempore inquisitionis de hoc miraculo: easque memorata Aleidis jusserat construi: verumtamen numquam alias viderat aquas intravisse, aut fuisse in cellis antedictis. Ceterum vicinorum ejus cellæ non tam cito siccæ fuerunt: deinde enim post dies plures hæ aquæ, quæ in iis erant, evacuatæ fuerunt ope vasorum, aqua in plateam ejecta.

D g E h i

ANNOTATA.

a *Gallice*, le mal saint Leu.

b *Vel hi numeri, vel præcedentes sunt erronei.*

c *Aurelia urbs est episcopalis, hodiedum sub archiepiscopo Parisiensi, et nota satis, ad Ligerim flumen, vulgo* Orleans *dicta, in cujus diœcesi quæri poterit* Combreus, *si nomen recte sit scriptum.*

d *Intelligit haud dubie S. Veranum episcopum Cabellionensem * in Provincia, cujus reliquias servari Gergolii in diœcesi Aurelianensi ad Ligerim, testatus Castellanus in Martyrologio universali ad* XI *Novembris. Nos de eo agemus suo loco. Galli eum nominant* S. Vrain, *aut* Verain.

* de Cavaillon

e *Maurum significat S. Benedicti discipulum, quantum conjicio. De eo actum tom. 1 Januarii pag. 1038 et seqq.*

f Ferrariæ, *vulgo* Ferrieres, oppidulum *est* Galliæ... in Vastinio tractu, versus confinia Senonensis agri, *teste Baudrando in Geographia.*

F

g Clipiacum, Clichy, vicus Galliæ ad Sequanam fluvium, una leuca infra Parisios, *ut habet laudatus Baudrandus.*

h *Fundationem prioratus et ecclesiæ S. Catharinæ Vallis-scholarium narravimus in Commentario § 15.*

i *De ecclesia* S. Jacobi de Carnificeria, *vel* in Carnificeria, *vulgo* de la Boucherie, *agit Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 295.*

CAPUT

A

CAPUT XVIII.

Puer, facto voto ab ejus patre, ex tumoribus teterrimis sanatus : incurvus erectus, liberoque gressu donatus : usus brachii dexteri puero restitutus : puella phrenesi liberata.

XLVII. *Puer fœdis extuberationibus,* *a*

Circa annum Domini nostri MCCLXXXI, circa Natalem Domini, ortus est tumor in collo Galteri, filii Guilielmi, nomine Chauvin du Fresne en Pres *a*, diœcesis Rotomagensis, in parte dextera, qui brevi crevit ad magnitudinem ovi gallinacei. Ubi hic tumor aliquot diebus fuerat, multumque afflixerat memoratum Galterum, ruptus est tandem, multum puris emittens. B Deinde alius crevit tumor in jugulo, vicinior pectori quam mento, simul et tertius, deinde quartus tumor circa jugulum utrimque usque ad cervicem, omnesque emittebant putredinem. Postea idem hoc malum in partem sinistram pectoris hujus infantis descendit, ibique ortus est tumor, qui deinde etiam ruptus est, putredinemque emisit. Hic deinde evanuit, aliusque similis, sed minor, exortus est sub axilla sinistra, qui ruptus multum puris ejecit. Quanto autem foramina plus emittebant putredinis, tanto minus cruciabatur infans; quando vero in quodam foramine restringebatur, vehementius infans cruciabatur. Ubi memoratus Guilielmus filium suum conspexit tanto languore pressum, consilium ea de re exquisivit. Aliqui ei dicebant, esse malum sancti Eligii, alii strumas esse, alii alia asserebant. Tandem memoratus Guilielmus filium suum duxit Noviodunum ad sanctum Eligium; fusisque precibus, atque oblatione facta, sicuti oportebat, inde sine sanatione rediit, ullove emolumento.

facto a patre voto, liberatus.

322 Postquam longo tempore memorato malo fuerat vexatus, anno Domini nostri MCCLXXXII, circa festum domini sancti Joannis, dictus Guilielmus devovit infantem suum, et promisit, si C Deus per preces et merita venerabilis sancti Ludovici filium suum ex dicto morbo sanaret, ducturum se filium suum memoratum ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, ac semetipsum cum filio suo invisurum hunc ipsum tumulum ante festum Omnium Sanctorum proxime sequens. Facto voto, sanatus est infans ex primo tumore, qui fuerat in collo : verum extuberationes aliæ omnes emittebant putredinem, magnamque intuentibus aversationem ingerebant, atque horrorem; tam tetra aspectu erant vulnera, tam fœdum, quod inde decurrebat. Imo tam tetrum erat aspectu, ut illi, qui infantem dictaque vulnera lustrabant, dicerent eum numquam sanandum, liberandumque. Postquam autem factum est votum, memoratus infans recreari cœpit, satisque advertit dictus Guilielmus, eum de die in diem melius habere, vulneraque minus scaturire, ac solidari. Ante festum sancti Michaelis illius anni prorsus cessarunt memorata vulnera putredinem illam emittere, ac consolidata fuere, sicuti erant tempore inquisitionis de hoc miraculo. Inquisitores atque illorum libelliones, præsentes conspexerunt vulnera solidata, neque amplius manantia : at erant etiam tum vulnerum clausorum vestigia valde recentia in plagis omnibus supradictis, nullus tamen prorsus illic erat tumor. Porro firmiter credebat memoratus Guilielmus, affectum his tumoribus sanatum fuisse ex malo tanto tamque horrido, precibus meritisque venerabilis sancti Ludovici, propter votum memoratum, quod fecit : ac die Martis decima tertia Octobris iter suscepit a domo sua Dionysiopolim, quod leucarum est quadraginta præterpropter ; venit Dionysiopolim, ac simul cum filio suo invisit memoratum sepulcrum, sicuti promiserat.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

XLVIII. *Alius gibbo in dorso enato incurvus et claudus,*

323 Cum olim Michael, filius quondam Gaufridi le Sauvage lignarii, sanus tunc esset et validus, atque infans eo tempore esset octo aut novem annorum, grave malum eum in dorso corripuit, ita ut se erigere non posset. Ubi enim dictus Michael vesperi lectum intraverat mense Octobri, anno nimirum Domini nostri MCCLXXII *b*, tempore matutino dixit Dionysiæ sorori suæ, matrique, quæ ipsum vocabant ad surgendum, se morbo correptum esse in dorso, E adeo ut se erigere non posset. Surrexit tamen, lectoque egressus, stare non valebat, nec recto corpore incedere, sed manibus nitebatur et genibus, ibatque incurvus. Excreverat in medio ejus dorso tumor magnitudine ovi, tantumque in hac dorsi parte sentiebat dolorem, ut nullo modo se posset erigere, neque incedere, nisi parum admodum, idque magno cum labore, quia corpore tam incurvo incedere debebat. Qua de causa mater ei intra octiduum facienda curavit duo fulcra subalaria, quæ sub axillis gestabat, iisque se fulcris sustentabat, ut facilius incederet. Deinde memorata extuberatio usque adeo increvit, ut magnum in dorso haberet gibbum ad instar panis duorum denariorum, ita ut se erigere nequiret, sed curvus iret fulcris sub axillis nixus; eoque incremento auctus est, tumor dictus intra quindecim ab ejus ortu dies. Porro caro ipsius eo loco non magis æstuabat quam alibi, neque fluebat dictus tumor, neque ullam emittebat putredinem. In hujusmodi statu memoratus Michael fuit octo annis, aut circiter. F

tendens ad Sancti sepulcrum, in via recreari ex morbo incipit,

324 Illa ipsa æstate, qua ossa venerabilis sancti Ludovici portata fuerunt in Galliam, cum ei suasum fuisset, ut peregrinaretur ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici ad valetudinem, si Deo placeret, recuperandam meritis venerabilis sancti Ludovici, dictus Michael confessus est parocho suo ecclesiæ sancti Pauli Parisiis, secretoque fuit cum memorato presbytero, sicuti illi sunt, qui confitentur peccata sua : eoque tempore quo Dionysiopoli habentur nundinæ decennio *c* ante hanc inquisitionem, dictus Michael valedixit vicinis suis, eisque dixit, se Dionysiopolim tendere ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, ut Deus valetudinem sibi dignaretur restituere meritis venerabilis sancti Ludovici. Die igitur quadam cum Dionysia sorore sua iter aggressus est Dionysiopolim, idque iter suscepit ipsa die, qua consecratio facta est nundinarum. Incedebat memoratus Michael fulcris subalaribus nixus, uti solebat, venitque cum sorore sua proxime ad vicum Capellam, Parisios inter et Dionysiopolim situm : quo cum pervenisset, alterum e fulcris suis dedit dictæ Dionysiæ, dicens : Soror, gesta hoc fulcrum, recte enim incedo uno adjutus : namque non parum me sentio recreatum. Tum se magis erigere cœpit, recto-que

A. REGINÆ CONFESSARIO.

etque magis corpore, ac facilius incedere, quam solebat; eoque modo venerunt Dionysiopolim.

325 Postquam eo venerunt, emerunt candelam longitudine dicti Michaelis : tum venerunt ad tumulum venerabilis sancti Ludovici. Reliquit ibi aliud fulcrum memoratus Michael, ac se omnino erexit : obtulit candelam suam dicto tumulo, gratiasque venerabili sancto Ludovico egit, quod se posset erigere. Nihilominus lapsus ibi est pronus in terram, toteque corpore fuit frigidus, neque movebat pedem, nec manum, nec ullum membrum, nec respirabat ullo modo, quo id soror ejus Dionysia posset percipere, quæ apud ipsum erat. Tangebat eum, contrectabatque Dionysia memorata, flens clamansque, quod crederet eum esse mortuum; dicebatque maluisse se, ut viveret in præcedente infirmitate, quam ut eo modo esset mortuus. Tum superiori veste se exuit, eumque texit. Deinde ubi modico tempore jacuisset mente alienatus, spiritum duxit lamentans, dixitque gravi se dolore torqueri. Unde quidam in ecclesia eum ceperunt, atque in domum abbatiæ duxerunt, illum sustentantes; ibat tamen pedibus suis; mansitque apud sepulcrum memorata Dionysia. Postquam dictus Michael longiuscule ibi fuerat, rediit ad memoratum tumulum, comitantibus eum quibusdam ex abbatia, at opem prorsus nullam ferentibus : redibat autem dictus Michael per ecclesiam sine fulcris, sine baculo, sine auxilio alio.

deinde apud sepulcrum lapsus pro mortuo habetur; sed paullo post

B

326 Cernens id memorata Dionysia obviam ei processit, lætabaturque ac gaudebat, acsi Deum vidisset. Tunc ei dixit : Ostende mihi dorsum tuum, velim te nudum videre. Divertit dictus Michael ad flexum quemdam ecclesiæ, seque ibidem denudavit : denudatumque propriis oculis vidit dicta Dionysia, tetigit, et contrectavit locum, ubi memoratus dicti Michaelis fuerat gibbus, qui coadunatus erat, atque ad naturam suam reversus, acsi numquam ibi gibbus fuisset; idque adeo, ut relictum ibi non esset vestigium, ullumve indicium, quo percipi posset, umquam male fuisse affectum. Deinde dictus Michael prima die, sicuti dictum est, liberatus, mansit Dionysiopoli, tumulumque memoratum frequentavit diebus novem, prima die numerata. Postea memoratus Michael, ejusque soror Dionysia, simul euntes, redierunt Parisios; dictusque Michael per viam ibat sine fulcris, sine baculo, nulloque viri aut mulieris adjutus subsidio, idque bene, ac corpore recto, quemadmodum alius homo sanus. Deinde paucis diebus, videlicet anno uno vixit, integre sanatus meritis venerabilis sancti Ludovici.

integre convalescit.

C

327 Sexdecim anni præterierant, quando inquisitio de hoc miraculo fuit facta, quæ facta est anno Domini nostri MCCLXXXII, mense Octobri, postquam Maria cognomine Burgundica *, uxor Roberti Massonis *, nata in Prissi, in diœcesi Autissiodorensi, habitans tunc Parisiis pepererat filium ex primo marito suo, nomine Joannem, natum membris omnibus rectum et integrum. Hic etiam mensibus tribus et medio brachia sua facile movebat, elevabat, et deprimebat, sicuti infans ætatis suæ. Die quadam post Pascha, quando dictus infans quatuor menses necdum impleverat, cum dicta Maria ejus mater cunis eum imposuisset tempore somni capiendi, ut dormiret, et post somnum mater ad eum esset reversa, uti consueverat, cunisque elevasset, ac cunarum vinculis solvisset, vidit dictum infantem uti non posse brachio dextero, sed illud ad latus ejus pendere; neque ullum nervorum apparere nexum, seu juncturam ullam inter humerum brachiique crassitudinem, præter pellem. Poterat id brachium dexterum antrorsum duci et retrorsum; quando autem elevatum demittebatur, mox decidebat, uti brachium, cui nullæ erant vires naturales in junctura prædicta. In hoc statu fuit annis octo, quibus uti non poterat brachio memorato, neque hoc brachio cibum sumere, aut potum, neque calceare se, aut vestire, neque dexteram ori admovere aut capiti; nisi sinistra eam adduceret. Erat autem dicto Joanni os maximum dicti brachii satis crassum a cubito deorsum usque ad manum. Interim dum memoratus Joannes hoc modo ægrotabat, Guilielmus dicti infantis pater, dictaque Maria ejus uxor, ac memoratus Joannes ipsorum filius venerunt ex Monetal *d*, ubi habitabant eo tempore, Parisiis habitaturi. Porro medicinæ multæ dicto brachio fuerunt applicitæ, quæ nihil ei opis, nihil utilitatis attulerunt.

XLIX. Puer enervi brachio,

* la Bourgoinge
* le Macon

D

d

328 Postea cum audivisset multa miracula esse facta ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, memorata Maria, ejusque soror Esdelina venerunt ad ecclesiam sancti Dionysii, octo annis ante festum sancti Joannis Baptistæ nuperrime transactum : ac sperabant, Deum meritis venerabilis sancti Ludovici dictum infantem languore suo liberaturum. Duxerunt itaque memoratum infantem ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, et curaverunt, ut infans ibi esset cum aliis ægrotis apud tumulum diebus undecim, ut Deus per merita venerabilis sancti Ludovici illum liberaret; erantque hæ mulieres cum ipso apud tumulum. Atque undecim diebus dictæ mulieres Maria et Esdelina fuerunt cum infante extra domum Mabiliæ la Chievre, in qua domo Parisiis habitabant, in parochia sancti Joannis in Greva. Noctu autem undecim dictis diebus, quia non sinebantur manere in templo, nam id claudebatur, jacebant super stramen *e* extra hujus ecclesiæ portam, quæ respicit ecclesiam sancti Joannis : neque cubabant in lecto, neque vestibus se exuebant. In pervigilio porro sancti Joannis post Vesperas, circa occasum solis, ubi dictæ mulieres, dictus Joannes, aliique ægri ecclesia sancti Dionysii essent emissi, ac prope essent extra portam, memorata Maria, hujus infantis mater, ivit ad ecclesiam sancti Joannis, ubi erant ægroti illa nocte, qui laborabant malo sancti Joannis.

ad sepulcrum S. Ludovici perductus,

E

e

F

329 Cum igitur memorata Esdelina cum infante sederet prope portam, ille clamare cœpit et dicere huic Esdelinæ : Videsis, amita mea, videsis, amita mea. Tunc brachium dexterum pendulum, uti solebat, extendit, illudque paulatim levavit, atque ori admovit. Postquam dictus infans erat sanatus, idque monachi audiverant, portam aperuerunt, eumque intromiserunt in ecclesiam. Deinde eum remiserunt, atque ei dederunt sterlingum *f* unum unumque Turonensem. Tunc memorata Maria vocata est ex ecclesia sancti Joannis; reduxque dictum infantem reperit sanatum : nam manum dexteram ori admovebat et capiti, dictoque brachio recte utebatur, elevando demittendoque hoc brachium, quemadmodum alius infans sanus. Qua de causa præsentes eo loco laudabant, et celebrabant Deum, ac venerabilem sanctum Ludovicum, cujus meritis valetudini esset restitutus. Ubi dictæ mulieres cum hoc infante ita sanato redierunt Parisios, vicini, aliique magnopere lætabantur, ac lauda-

integræ valetudini restituitur.

f

A laudabant, celebrabantque Deum de tanto miraculo, ac venerabilem sanctum Ludovicum. Ceterum dictus Joannes sanum deinde habuit brachium memoratum et valens, eoque utebatur prompte, capiti orique admovebat, cibum potumque illo sumebat, vestiebat se illo et calceabat; levabat illud deprimebatque pro voluntate sua, poculum aqua plenum ex Sequana illo brachio gestabat, illoque prorsus utebatur, quemadmodum utitur alius infans sanus usque ad mortem. Vixit autem post hanc sanationem annis tribus, tum mortuus est. Dicebatur etiam vulgo in platea dictus Joannes sanatus meritis venerabilis sancti Ludovici.

Puella eodem tempore phrenesi liberata.

330 Prædicta Esdelina narrabat, quando die quadam erat apud tumulum venerabilis sancti Ludovici cum Joanne nepote suo antedicto, puellam quamdam fuisse quatuordecim præterpropter annorum, quæ phrenetica videbatur. Qua de causa brachia colligata annulo ferreo ante se portabat. Ducebat illam mulier quædam fune uni brachio alligato, dictaque mulier crebro ei minitabatur virgis, scoparum instar compactis; B quia puella, dum poterat, dentibus eam mordebat, aut pede percutiebat. Cecidit annulus ferreus ex brachiis hujus puellæ ante tumulum supradictum, sanataque fuit puella. Tum statim utraque provoluta est ante tumulum ad orandum, Deumque laudabat; donum dein obtulit dicto tumulo, indeque discessit omni ex parte sanata *g*.

ANNOTATA.

a *Utrum hoc totum ad viri nomen pertineat, an simul patria indicetur, nec satis liquet, nec pluribus necesse est investigare; uti sæpius in hisce miraculis contingit.*

b *Mendum in numeris esse, patet ex sequentibus : forte legendum* anno 1262.

c *Si eadem æstate anni 1271, qua corpus in Galliam delatum, facta hæc sunt, undecim annis præcesserunt inquisitionem anno 1282 inchoatam.*

d *Ita locus hic in Ms. exponitur, quem aliis quærendum relinquo.*

e *Hanc vocem non nisi ex conjectura posui :* C *nam in Ms. legitur,* en lettre. *At cum idonea hujus vocis significatio non occurrat, suspicor legendum esse,* en litiere. Litiere *autem significat quoque stratum e paleis aut stramine. Potest quoque Latine reddi* in lectica.

f Sterlingus *est nummus Anglicus satis notus.*

g *Notatur in titulo, hoc miraculum non fuisse approbatum : quia, opinor, unius mulieris testimonium non videbatur sufficiens probatio : scriptum tamen fuit cum aliis, quia fide dignum, utpote ab oculata teste relatum.*

CAPUT XIX.

Parochus quidam ex Ordine fratrum Minorum, visione prævia, restitutus ex lateris dolore, et febri continua : mulieri cæcæ visus paulatim integre redditus.

L. Parochus religiosus, ex dolore lateris ac febri continua periclitans, a

Circa festum sancti Barnabæ apostoli, anno Domini nostri MCCLXXV, postquam frater Joannes Latiniacensis, Ordinis fratrum Minorum, diœcesis Parisiensis, tunc presbyter ac parochus in Torignu prope Latiniacum *a* ad Matronam, usque ad id tempus sanus fuerat et validus, gravis eum invasit dolor sub costis in latere sinistro, una cum febri continua. Medici ad eum curandum vocati, aliique de vita ipsius desperabant : E adeoque increvit memoratus morbus, ut dictum fratrem Joannem vox defecerit, omniaque ad sepulturam dicti fratris Joannis necessaria a consanguineis ejus, amicisque, quos habebat, fuerint parata. Ipse item tempore morbi mandaverat, ut sepeliretur in abbatia Carolilocensi, quæ est Ordinis Cisterciensis, et paratus erat carrus, quo ad dictam abbatiam veheretur. Cum morbo tam gravi premeretur, multæque ei ordinatæ fuissent potiones medicæ, quas biberat, sed utilitate nulla : amici ipsius, qui apud ipsum erant, ei suadebant, ut votum faceret Dominæ nostræ Bononiensi ad mare; alii dicebant, ut aliis voveret Sanctis : cumque præsentium aliqui ei nominassent sanctum Ludovicum, eique affirmarent, plures ex variis languoribus sanatos esse per hunc ipsum sanctum Ludovicum ad ejus tumulum; idem Joannes, auditis his verbis, consideravit secum venerabilem sanctum Ludovicum, dum viveret, vitæ fuisse sanctæ, morumque honestorum, eumque exercuisse multa opera bona, seque de eo non nisi bona semper audivisse, magnamque concepit fiduciam, ejus se meritis sanatum iri.

F *votum facit S. Ludovico : ac dein, habita visione mirabili.*

332 Decrevit igitur in animo suo, si Deus ex morbo prædicto ipsum restitueret, invisere per semet ipse tumulum dicti venerabilis sancti Ludovici. Deinde decima die morbi sui antedicti videbatur sibi memoratus frater Joannes (dormiretne an vigilaret, ignorat) esse in ecclesia sancti Dionysii in Francia, ubi ossa venerabilis sancti Ludovici erant sepulta, ante altare sancti Stephani, quod est in choro monachorum, quodque est prope tumulum venerabilis sancti Ludovici : videbaturque odor esse in loco, ubi erat in choro, magnaque circa tumulum dicti venerabilis sancti Ludovici, qui ibidem est extra chorum, inter hunc ipsum chorum et altare princeps, claritas apparebat ex candelis accensis, quas multi ægroti, degentes apud tumulum supradictum, offerebant. In hac visione sic constitutus vidit venerabilem sanctum Ludovicum antedictum in veste tali, in quali eum sæpe viderat; nimirum cum trabea manicata, pileo plano capiti imposito, transeuntem per chorum monachorum ad se memoratum fratrem Joannem, atque ibat ad ægros sanandos. Item, quando hoc modo veniebat ad prædictum fratrem Joannem, videbatur dicere memorato fratri Joanni hæc verba:

A. REGINÆ CONFESSARIO.

ba : Et tu, cur manum non imponis costis tuis, ubi te dolor premit et morbus? nam sanaberis. Quando id audiverat frater Joannes, manum posuit supra costas suas, ubi et dolor erat, et malum.

integræ valetudini redditur.

333 Tum dictus frater Joannes mox evigilavit, reperitque manum suam dexteram super costas sinistri lateris, quam ibi tenebat. Dixit igitur frater Joannes, vere loquens illis, qui illic præsentes ipsum custodiebant, hæc verba : Sanctus Ludovicus me sanavit. Et sane postquam fuerat voce destitutus, fuerat usque ad horam illam, per diem et medium præterpropter, sine loquela, licet audiret intelligeretque adhuc, quemadmodum homo tam infirmus, quæ aliis dicebantur. Ab illa hora dictus frater Joannes multum se sensit ex dolore prædicto recreatum, imo tantum, ut existimaret dolorem prorsus desiisse, ita ut eum deinceps nihil prorsus vexaret, quamvis aliquæ adhuc febris reliquiæ in ipso essent. Neque postea de dolore conquerebatur prædicto, quo sub costis fuerat cruciatus, sed dicebat hunc dolorem plane evanuisse, seque mirifice recreatum doloris hujus

B

abcessu. Postridie visionis memoratæ, febris finem accepit per fluxum ventris, ita ut deinde semper fuerit valetudine prospera, neque postea febri aut dolore afflictus fuerit usque ad tempus inquisitionis de hoc miraculo.

LI. *Mulier ex malo oculorum cæcutiens,*

334 Lucia de Rumilli, diœcesis Constantiensis, uxor Roberti Rossel, habitans in urbe sancti Dionysii ab annis triginta sex et citius, incidit olim in gravem morbum oculorum, quatuordecim annis ante examinatum hoc miraculum, de quo inquisitio facta est anno Domini nostri MCCLXXXIII, mense Januario. Hoc morbo oculi ejus perpetuis quasi fluebant lacrymis, valdeque rubri erant et flebiles. Id ei evenit, dum pariebat filiam nomine Burgundoforam : nam quando dicta Lucia ex partu hujus filiæ decumbebat, nocte quadam oculi graviter ei dolere cœperunt; mane autem percepit, se nihil fere cernere, visu ejus ita tunc turbato ac debilitato, ut ægre videret. Atque in hoc statu fuit annis duobus : tantum tamen adhuc videbat, ut cognosceret vicinos suos, quando prope erant apud ipsam, sin vero abessent longiuscule, eos nos cognoscebat. Ibat quoque ad ecclesias per

C

se, quamvis cæcutiret, et per viciniam. Antea usque ad hoc tempus memorata Lucia optime cernebat, oculosque habebat acutos : deinde vero adeo cæcutiit, adeoque visu orbata est, ut nihil cerneret, cognosceretve, nisi aliquantulum solis aut candelæ lucem.

dein prorsus cæca,

335 Transactis duobus annis, ab eo tempore adeo facta est cæca, ut nihil prorsus cognosceret, quantumcumque aliqua ei essent vicina; ne quidem maritum, neque filiam suam, neque alia, sive magna illa essent, sive parva, sive crassa, sive tenuia; neque distinguere colores nosset aut cognoscere post duos annos. Monstrabat ei aliqua memoratus Robertus dictæ Luciæ maritus; at illa respondebat, ea se non cognoscere, neque videre. In hujusmodi statu fuit memorata Lucia, atque adeo cæca peperit tres filios, quos numquam vidit : singulos tamen hos infantes ipsamet lactavit, atque enutrivit per annum, et amplius : neque enim eas habebat opes, ut nutricem alere posset. In nutriendo autem, ligando, et solvendo dictos infantes, mundando etiam et lavando, ipsam juvabant Emmelina ipsius filia ejusque maritus, et alii, qui subministrabant, parabantque ei ne-

D

cessaria, ipsaque ea faciebat modo, quo poterat, meliori, palpando manibus, prout faciunt cæci. Præterea dictis octo annis, quando memorata Lucia volebat manducare, necessariaque ante ipsam ponebantur, oportebat manum ejus ducere ad panem, ad cyathum, aliaque, quæ ei manducanda erant aut bibenda : has autem eo ducebat filia ipsius, maritus, aut alius quispiam : vel necesse erat, ut res manui ejus immitterentur, namque eas non videbat. Illo item tempore memorata Lucia ducebatur a filia sua, aliave persona, quando ibat ad templum vel alio, quemadmodum ducuntur cæci.

ut multis ostenditur,

336 Videbantur eo tempore oculi dictæ Luciæ tela, aut panno quopiam candido obtecti, ita ut oculorum ejus pupillæ conspici non possent. Quando parere debebat, dominus Richardus presbyter, parochus ecclesiæ sancti Michaelis Dionysiopoli, ætatis quadraginta quinque annorum, cujus parochiæ erat memorata Lucia, invisebat dictam Luciam ab ea rogatus, ipsaque ei confitebatur peccata sua, tamquam parocho suo : quandoque etiam tempore Quadragesimæ accedebat hunc presbyterum in ecclesia

E

memorata (ducta tamen per filiam suam Emmelinam, nihil enim videbat, uti asserebat :) atque una huic presbytero confitebatur. Quando veniebat ad templum, ad offerendum in manum presbyteri sui oblationis tempore, non videbatur cernere manum ipsius, ad eam de more osculandum, sed manu sua explorabat, palpabatque cæcorum aliorum more, ut manum presbyteri inveniret; id autem conspiciens presbyter, manum suam ei porrigebat, extendendo brachium usque ad os ejus. Quin etiam dicta Lucia memorato tempore noctu non videbat lunæ claritatem. Dicebant itaque vicini eam esse desperatam, neque visuram deinceps lucem aut claritatem, cæcaque existimabatur; idque magnopere esse deplorandum dicebant vicini. Vice quadam, quia dicta Lucia eo tempore sola ibat, nisi adfuisset Henricus Anglicus incurrisset in carrum, qui erat in via, ac graviter se læsisset; sed dictus Henricus eam direxit propter carrum. Quandoque ducebatur ad ecclesiam sancti Michaelis, prout duci solent cæci; quandoque sola veniebat ad ecclesiam, manu explo-

F

rans cæcorum more. Qua de causa Joanna Lacerée eam juvabat ac ducebat, eique aiebat : Ut quid sola domo egrederis? respondebatque neminem tunc sibi esse, a quo duceretur.

invisit S. Ludovici tumulum,

337 Porro accidit quinque annis integris ante tempus examinati hujus miraculi, ut memorata Lucia audiret miracula facta esse ad tumulum venerabilis sancti Ludovici. Sed opperiebatur, donec liberata esset custodia filii sui, quem lactabat nutriebatque, quique mortuus est. Mortuo illo, dixit, confiteri se velle de peccatis suis, atque invisere tumulum venerabilis sancti Ludovici, ibique novem diebus subsistere, sicuti alii faciunt ægroti, ut Deus dicta cæcitate se liberare dignaretur. Itaque vovit venerabili sancto Ludovico, ac promisit dicta Lucia, se ibi futuram tota die, nec manducaturam nec bibituram usque ad vesperam; neque antequam divinum Officium integre esset quotidie absolutum in ecclesia sancti Dionysii; item allaturam se ad tumulum supra dictum candelam suæ longitudinis. Deinde die quadam Veneris dicta Lucia ivit ad ecclesiam sancti Michaelis, in qua parochia tunc habitabat, et confessa est de pec-

catis

A calis suis domino Richardo, parocho istius ecclesiæ : atque ipsa hac die memorata Lucia ab ecclesia sancti Michaelis ingressa est viam, ivitque ad tumulum non pedibus suis, sed genibus cubitisque humi repens, ducente eam Emmelina ipsius filia, attulitque candelam suæ longitudinis, quam memorato obtulit tumulo : et mansit ibidem tota illa die usque ad Vesperas absolutas. Hoc modo fecit et secunda die et tertia, et diebus singulis, donec dies novem præteriissent; (ducebatur autem ad dictum tumulum quandoque ab Emmelina filia sua, quandoque ab alia, quandoque et sola ibat) præterquam quod non accederet cubitis genibusque, neque offerret candelam longitudinis suæ, sed unius tantum oboli : hisce autem diebus non manducabat usque ad vesperam.

338 Tertia die memorata Lucia cœpit videre tumulum venerabilis sancti Ludovici, apud quem erat : cantatisque illa die Vesperis, et filia ejus moram trahente, aut veniente ad ecclesiam, ut ipsam domum reduceret, dicta Lucia per se sola viam ingressa est, confidens, quia percipiebat se aliquantulum videre viam, se valituram domum suam reverti : atque hac ratione sola domum ivit, viam videns satisque percipiens, dum aliquid in via occurrebat, quod posset sibi nocere. Cum memorata Lucia pluribus vicibus invisisset sepulcrum, ac domi esset, vidit mulierem lanas nentem, intuitaque colum ejus, dixit huic mulieri : Animum adverte; nam lana decidet de colu tua. Unde mulier, quando id verum esse advertit, secum mirata, ei dixit : Hem! hera, videsne? Respondit illa : Ita sane, video per gratiam Dei, et venerabilis sancti Ludovici. Ab illo tempore cernere cœpit res ante se positas, etiam homines; atque interrogantibus, ut se haberet, respondebat se cernere, ac gratias agere Deo, et venerabili sancto Ludovico.

ac visum paulatim

B

339 Porro tertia die, postquam invisit sepulcrum, cognoscebat homines, equos, porcos, canes, aliaque animalia, et res alias sibi vicinas; vultus tamen hominum, etiam mariti ac liberorum suorum, aliorumve, non satis distinguebat usque ad annum prope peractum : nihilominus colores aliarum rerum satis distinguebat, ita ut illo tempore maritum, filiamque suam, et notos alios rectius cognosceret ex vestibus, quam ex faciei lineamentis. Postea cernebantur oculi ejus emergere ex illo albore, quo fuerant obtecti; satisque advertebatur, eos esse illuminatos : et de die in diem paulatim ita detegebantur intra mensem, ut pupillæ oculorum ejus apparerent, ipsaque in mensa caperet panem, cyathum, aliaque. Transacto hoc anno, recte omnia cognovit, etiam vultus hominum, etiam monetam, ac semper huc usque vidit acutius. Quando erat coram inquisitoribus ac coram eorum libellionibus respondebat, archiepiscopus Rotomagensis ei monstravit annulum suum, rogataque cujus coloris esset annuli lapillus, respondit coloris esse viridis, ac verum dixit. Similiter cum episcopus Spoletinus ex ea quæreret, cujus coloris esset lapillus annuli sui, quem digito gerebat, respondit esse coloris Indici, et verum dixit, quod esset sapphirus. Pari modo, cum ei nummi ostenderentur, Turonenses recte a Parisiensibus distinguebat : atque hæc manifesta sunt ex factis inquisitionis.

integre recuperat.

C

ANNOTATIO.

a Latiniacum, *vulgo,* Lagny, *jam memoratum est ad cap.* XI, *lit.* C : *in ejus vicinia trans Matronam notatur vicus* Torigny *in tabulis agri Parisiensis.*

CAPUT XX.

Mulier ex fœdo apostemate, impotentiaque totius partis sinistræ apud sepulcrum sanata : alia item mulier membrorum usu capta, pristinæ valetudini restituta.

Amelia ex municipio sancti Matthæi Finis terræ *a* in Britannia, uxor Joannis l'Anglois, habitans Parisiis spatio quadraginta annorum, (undecim anni præterierant tempore inquisitionis de hoc miraculo; inquisitio autem facta est anno Domini nostri MCCLXXXIII, mense Januario) cum surgeret nocte quadam diei Jovis, ut infanti suo potum subministraret, lapsa est, omnemque perdidit et usum et sensum totius partis sinistræ, adeo ut ab eo tempore nihil sentiret in pede, crure, femore, manu, brachio, totoque latere sinistro, humique lapsa nullo modo posset se erigere. Surrexit itaque maritus ejus Joannes, eamque traxit meliori, quo poterat, modo ad lectum suum. Ab eo tempore ortum est apostema in inguine, neque poterat ullo modo memorata Amelia cubare vel sedere super latus sinistrum, sed debebat perpetuo supra dexterum : neque manum sinistram invertere poterat, nec claudere, nec aperire; neque brachium deprimere, nec attollere : adeo ut dicta membra tam essent emortua, ut si tunc fuissent transfixa, aut igni imposita, nihil inde sensisset. Quippe pungebatur ac vellicabatur in dictis membris, nec quidquam ex eo sentiebat, neque ullus ex eis factis in vultu ejus, aut alibi, apparebat dolor. Quin dictus Joannes, ut certius exploraret utrum sentiret, crebro memoratam Ameliam graviter punxit super costas in dicto latere acu valida, qua cribra consuebantur, quam fortiter carni infigebat, neque tamen id sensit, neque dolorem inde passa est, neque vel gutta sanguinis umquam effluxit. Ad hæc membra illa glaciei instar aut nivis erant gelida.

LII. Mulier omni unius lateris sensu orbata, a

E

F

341 Postea memoratum apostema disruptum est, ac novem peperit foramina, scaturientia singula magna puris copia. Hæc foramina deinde in unum conjuncta sunt foramen, tam magnum latumque, ut manus in pugnum contracta illi posset immitti. Multa initio adhibita sunt medicamina; at numquam percepit, illa quidquam profuisse. Postquam memorata Amelia in tanta fuisset calamitate mensibus tribus quatuorve, maritus ipsius præ tædio eam deseruit, ac Parisiis discessit, ita ut nihil illi adferret subsidii. Qua de causa, quando ipsi non fuit, unde viveret, necesse fuit, ut victum quæreret, ac domo egrederetur. Incedebat tunc uno nixa fulcro sub axilla dextera, et se hoc fulcro trahebat, utens solo pede dextero, pedemque sinistrum

fœdisque ex apostemate rupto vulneribus affecta,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

nistrum cum sinistro crure post se trahens; atque eo modo ibat magno cum angore laboreque magno usque ad ecclesiam, stipemque ibidem flagitabat transeuntes. Cum autem jacebat, nullo modo surgere poterat nisi adjuta ab aliquo. Hoc tempore, cum dicta Amelia vice quadam iret per plateam sancti Martini, frustum vitri transfixerat pedem ejus, quem post se attrahebat, sed tamen illa nihil sensit. Verum chirurgus quidam ipsam accessit, voluitque vitrum pede extrahere; cumque vitrum evellere non valeret, pellem, carnemque pedis ita secuit, ut vitrum extraheret : verumtamen neque propter vulnus a vitro factum, neque propter fissuram, quam chirurgus scalpello suo ibi fecit, gutta sanguinis e pede fluxit, aut dicta Amelia dolorem ullum sensit ex vulnere supradicto. Adhæc caro dictorum membrorum quasi pallida erat, ac cærulea, et caloris expers.

venit ad sepulcrum,

342 In hujusmodi statu erat memorata Amelia, quando invisura erat tumulum venerabilis sancti Ludovici. Tunc spem liberationis suæ concepit, vovitque dicta Amelia, invisuram se sepulcrum sancti Ludovici, quod audivisset miracula illic esse facta; ac promisit Deo, ac venerabili sancto Ludovico, se ne una quidem nocte ibi vel alibi cubituram, donec invisisset sepulcrum memoratum. Eo tempore, quo Dionysiopolitanæ habentur nundinæ, iter suscepit memorata Amelia, ivitque Dionysiopolim cum quodam fratre suo. Porro ivit Dionysiopolim ad dictum tumulum uno subnixa fulcro, juvante eam quodam ipsius fratre, qui est in Britannia, qui ipsam quandoque ferebat. Verum ubi ad forum Dionysiopolita narum nundinarum *b* pervenit, adeo erat fatigata, ut nullo modo posset procedere. Quatuor itaque denarios dedit aurigæ cuidam, carroque tum imposita, Dionysiopolim vecta est. Ivit itaque memorata Amelia ad tumulum venerabilis sancti Ludovici, jacebatque ibi alios inter ægrotos tempore nundinarum dictarum. Quando autem venit ad tumulum, vulnus tam latum erat, tamque profundum, ut hominis pugnus, aut stupæ moles tanta, quantus est pugnus, illo posset contineri; tantumque erat vulnus, quantum umquam fuerat; atque usque ad diem et horam, qua sanata fuit, vulnus tam erat latum profundumque, quam supra dictum est.

ubi integram obtinet

343 Veniebat memorata Amelia ad dictum tumulum, eratque ibidem quotidie usque ad Vesperas, donec ægroti dimitterentur. Porro cum dicta Amelia esset Dionysiopoli, memoratus Joannes ejus maritus, et Radulphus istius Joannis frater, venerunt Dionysiopolim ipsam invisuri, et invenerunt eam jacentem apud dictum tumulum alios inter ægrotos, at alloqui ipsam aut accedere nequiverunt, quia cancelli, quibus spatium sepulcri inclusum est, erant clausi : unde eadem die reversi sunt Parisios, ipsamque illic reliquerunt. Quinta die postquam eo venerat, cantatis Vesperis in ecclesia sancti Dionysii, die quadam Sabbati, interea dum memorata Amelia jacebat apud dictum tumulum, tanto sibi videbatur dolore cruciari a planta pedis sinistri per membra supra nominata usque ad supercilium, acsi gladio transfigeretur. Unde jacuit apud dictum tumulum extensa, velut deficiente anima, tanto intervallo, quanto Dionysiopoli adiri potest Capella, quæ est prope Parisios sita, ac sudabat vehementissime. Tandem resumpto animo, peracta illa animæ defectione, existens apud memoratum sepulcrum in pedes se erexit, modicoque tempore pedibus suis institit : verum non est ausa movere pedes suos, aut aliter se motare. Quapropter custos sepulcri jussit eam iterum sedere apud tumulum. Adhæc dicta Amelia dolorem sensit gravissimum sub ubere sinistro. Postquam sederat tantisper, rursum se in pedes erexit, nemine eam juvante : tunc vires accepit, movitque pedes suos, atque ivit per se recta, sine baculo, alioque hominis subsidio, circum memoratum sepulcrum, idque fecit pluribus vicibus.

valetudinem.

344 Ab eo tempore sanatam se sensit ex apostemate prædicto; at id non vidit, quia se detegere nolebat propter præsentes. Ubi advenerat hora, qua ægri emittebantur, ipsa etiam egressa est templo, sicut alii, cubuitque itidem illa nocte, uti aliis diebus fecerat, ante portam ecclesiæ. Tunc lustravit vulnus suum quod erat in inguine, totumque fere clausum reperit, ita ut nihil ibi remansisset præter foramen exiguum, cui exilis imponi poterat festuca, ex quo diebus octo sequentibus emanavit modicum quasi aquæ rubræ : sed mox post octiduum totum vulnus ita solidatum est, ut ex eo nihil deflueret, emanaret inde nihil, non magis quam ex palma manus, nullo alio relicto ibi mali vestigio, nisi dura cicatrice, uti contingere solet vulneribus sanatis. Tamdiu substitit memorata Amelia Dionysiopoli, postquam fuit sanata, invisens quotidie tumulum memoratum, ut undecim dies fuerint completi a tempore, quo primum eo venit; completisque undecim diebus, rediit Parisios sana et valida sine baculo, auxilioque. Porro tertia quartave die, postquam dictus Joannes ejus maritus, ac Radulphus istius Joannis frater Dionysiopoli, ubi dictam Ameliam reliquerant, redierant Parisios, cum mulier quædam, Dionysiopoli reversa Parisios, dixisset memoratam Ameliam sanatam esse, ac pedibus suis stare, dicti Joannes et Radulphus venientes Dionysiopolim eam visuri, ipsam invenerunt in via ad ulmum fori Dionysiopolitanarum nundinarum, unde veniebat recto super pedes corpore sine baculo, alioque subsidio : atque adeo redierunt cum illa Parisios. Ab illo tempore in posterum membris fuit sanis et validis huc usque, ita ut nihil ex dicto morbo senserit. Quin etiam memorata Amelia, ante inquisitores constituta, eorum libellionibus præsentibus videntibusque, incedebat bene rectoque corpore, per se, sine ullo adjumento, manumque sinistram memoratam aperiebat et claudebat, et brachium sinistrum levabat deprimebatque pro arbitrio suo.

LIII. *Mulier instar mortuæ omni subito*

345 Joanna Melodunensis *, uxor Alani Parisiensis * ab annis octodecim, cum die Jovis post Pascha proxime transactum (tempore inquisitionis de hoc miraculo, quæ instituta fuit anno Domini nostri MCCLXXXIII, mense Januario, erant tres anni) summo mane descenderet in cellam domus, in qua habitabat in urbe sancti Dionysii, ut lustraret dolia vini in cella posita, ne effluerent; cumque, iis hinc inde lustratis, vellet cella egredi, derepente perdidit visum, auditum, loquelam, omnemque totius corporis sensum; atque ubi pedes posuerat extra portam cellæ, per quam portam itur ex cella in aliam domus partem, cecidit in saccum farina impletum, adeo omnibus capta membris, ut nec videret, nec audiret, nec loqui posset, nec quidquam in ulla corporis parte sentiret. Nihilominus usque ad horam istam die ac nocte

* de Melun
* de Paris

præce-

A præcedente, aliisque temporibus, mulier fuerat sana et valida, bene videns, liquide audiens, prompte loquens, omnibusque corporis sui partibus recte sentiens, quemadmodum mulier sana. Elisabetha, eo tempore ancilla Agnetis, dictæ Joannæ amitæ, cernens eam ita jacentem super saccum farinæ absque motu et loquela, festinanter admodum vocavit hanc Agnetem. Unde Agnes festinanter surrexit, itemque maritus ipsius, qui similiter cubabat, veneruntque ad locum, ubi Joanna jacebat, ac jacentem repererunt in eo statu, ut neque moveret se, neque videret, neque audiret, neque loqueretur, neque sentiret; omnibusque membris frigidam rigidamque instar lapidis. Præterea neque halitum ducebat, neque spiritum, quantum dicta Agnes percipere valebat, licet id exploraret, quantum poterat, exclamaretque : JOANNA ; at ipsa non respondebat.

sensu privata; ubi menti reddita est,

346 Circumstantes etiam ipsam tangebant movebantque, nullum tamen idcirco membrum movere cernebatur. Oculos habebat apertos, sed non movebat palpebras : unde illi, qui aderant, B dicebant, credebantque eam esse mortuam : dicti Petrus et Agnes flebant, dictaque Agnes cum aliis eam ad lectum ipsius portavit. At id illa nescivit; neque novit, quando ad lectum portata fuerit, et quomodo. Postquam hoc modo jacuerat in lecto prope ad preces usque Nonæ, et dictus Petrus aliique plures apud ipsam fuerant, inversa fuit in aliam partem versus imaginem quamdam beatæ Virginis Mariæ ibi positam : et tunc primum percepit memoratus Petrus, dictam Joannam non esse mortuam : videbatur enim aliquo modo se juvare, quando vertebatur. Deinde cum Petrus hic, aliique præsentes flerent, vidit ipsam lacrymari incipientem, palpebrasque et alia membra paulatim moventem : tunc certus fuit, ipsam vivere. At nullo modo loquebatur, neque os aperiebat. Verum post Vesperas audire cœpit et videre, ita ut loquentes intelligeret, eosque videret et cognosceret; at nullo modo loqui poterat, vel dentes aperire. Post Vesperas dicta Agnes ejus amita cultro dentes ei aperuit, et per vim ori ejus imposuit frustum pomi assi, quod deglutivit. Videbatur autem dictæ Joannæ lingua multo brevior facta, ac re- C tracta; sentiebatque saporem quidem pomi, dum illud deglutiebat, at masticare non poterat.

signis petit, ut ducatur ad sepulcrum S. Ludovici : quo ducta,

347 Hac ipsa die Jovis post Vesperas Maria Meduntensis *, uxor Guilielmi cognomine Loier, cum matre dictæ Joannæ, qui eam venerat invisum, ei in memooriam revocavit venerabilem sanctum Ludovicum, dixitque præclara eum patrare miracula : ad eum itaque cor elevaret, ac desiderium suum. Quando memorata Joanna id audivit, continuo magnam animo concepit fiduciam, se liberatum iri per venerabilem sanctum Ludovicum : ac recordabatur se, dum esset sana, audivisse multa miracula facta esse apud sepulcrum venerabilis sancti Ludovici. Tunc manus conjunxit, corde orans, nam loqui non poterat, ut sibi ferret auxilium : atque interim dicta Joanna junctis manibus aspiciebat imaginem beatæ Virginis Mariæ; quodque nesciret loqui, signis indicabat, quantum poterat, ut duceretur ad tumulum venerabilis sancti Ludovici. Verum, quia nimis sero erat, tunc ducta non fuit. Hoc modo fuit illa die sine loquela; at calor membris ejus redierat, adeo ut satis calida esset, ac membra sua moveret. Die Veneris sequente, matutino tempore Agnes ejus amita, materque

* de Mante

ipsius, et Maria Joannam hanc dixerunt ad sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, dicta Joanna per se pedibus suis incedente : et fuit tota illa die usque ad absolutas Vesperas apud dictum tumulum alios inter ægrotos, memorata Agnete cum ea manente.

A. REGINÆ CONFESSARIO.

voceque divinitus jussa surgere,

348 Verum quando memoratæ mulieres mane cum ipsa venerunt ad tumulum, ipsam ad reliquias duxerunt : videlicet ad clavum et coronam, iisque reliquiis dominus Joannes Bajonensis *, eo tempore præfectus sacro cerario ecclesiæ sancti Dionysii, tetigit os gutturque memoratæ Joannæ. Tota illa die nec locuta est usque ad Vesperas absolutas, nec loqui potuit, neque ullam vocem proferre, neque tonum ullum, aut auris sonum, licet conaretur id facere. Poterat tamen dentes aperire et labia a vespera præcedente, qua pomum manducaverat. Cantatis Vesperis die Veneris, caput tumulo inclinavit, nixaque est eodem tumulo, et quasi alienata a mente (verumtamen dicta Joanna tunc sibi vigilare videbatur) audivit vocem sibi dicentem : Surge, surge. Quapropter memorata Joanna exterrita est hac voce, quam audivit : cumque capite nixa fuisset sepulcro tamdiu, ut oratio Dominica semel circiter potuisset recitari, omnino ad se rediit, et se sola erexit in pedes quasi fremendo. Tunc vinculum linguæ ejus solutum est, vocavitque amitam suam, quam apud se esse credebat, dixitque : Domina, domina *c*. Recepto vigore pristino apud memoratum sepulcrum, vertit se ad altare sancti Dionysii, junxit manus, flexit genua, egitque gratias venerabili sancto Ludovico, a quo esset sanata. E

* de Vile Bajonne

valetudini restituitur.

349 Cum cantatis Vesperis memoratus dominus Joannes ex choro procederet ad altare princeps cereos extincturus, transiretque juxta memoratam Joannam apud tumulum sedentem, audivit hanc Joannam loquentem, atque dicentem, Domina; licet id voce languida enuntiaret. Id advertens memoratus dominus Joannes, dixit : Quid id est? Loqueris. Sanatane es? Respondit illa : Omnino, domine. Quæsivit ex Joanna insuper prædicta Maria, quid ei contigisset in recipienda loquela; atque, utrum dormiret Respondit, se non dormivisse, verum dum capite nixa esset tumulo, vocem audivisse, sibi dicentem : Surge, surge Dei nomine. Tunc memorati Petrus et Agnes, ubi audiverunt eam F esse sanatam, venerunt ad ecclesiam, eamque repererunt recte loquentem, et sapienter respondentem. Ceterum, quia post hæc ægroti ecclesia emittebantur, memorata Joanna cum matre sua dictaque Agnete domum rediit bene videns, liquide audiens, prompte loquens, atque integre sanata. Deinde ob tantum beneficium, sibi a venerabili sancto Ludovico concessum, octo diebus continuis venit ad tumulum, accedens mane, ibique usque ad Vesperas subsistens, atque in prandio ibi manducans. Hoc modo dicta Joanna deinde semper sana fuit, videns, audiens, ac loquens recte, neque deinceps memoratus morbus eam corripuit in ullo prædictorum membrorum.

ANNOTATA.

a *Hunc locum Valesius in Notitia Galliarum pag. 323 sic explicat :* Promontorium est in extremis finibus Britanniæ Gallicæ, diœcesique Leonensi, in quo municipium monasterio S. Matthæi insigne : a quo patrono non modo cœ-

nobium,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

nobium, sed etiam municipiolum et promontorium cognomen acceperunt, dicuntur enim S. Matthæi finis terræ, quia ad oceanum sunt posita, vulgo S. Mahè de fine-terre, alias, S. Mattheu.

b *Nam solebant hæ nundinæ haberi extra urbem in via Parisiensi, ut jam ante monui.*

c *Gallice*, Madame, madame : *qua voce inferioris etiam conditionis mulieres alloquuntur Galli.*

CAPUT XXI.

Puella incurva apud tumulum erecta : alia, facto voto, gravi dolore in genu ac tumore liberata.

LIV. *Puella primum incedere nescia, a*

B Anno Domini nostri MCCLXXXII, circa festum sancti Joannis Baptistæ, completi fuere anni triginta quinque a tempore, quo Petronilla, filia Aleidis de Lambeel, quæ nata ad S. Hilarium *a*, habitabat in urbe sancti Dionysii, nata fuit sana, omnibusque membris integra. Hæc crevit fuitque, quales aliæ illius ætatis puellæ solent esse et crescere, ad spatium duorum annorum integrorum, eoque amplius, quantum intercedit a festo sancti Joannis Baptistæ usque ad festum circiter sancti Andreæ, ita ut memorata Petronilla incessisset per se sana et valens, rectoque super pedes corpore, quemadmodum faciunt alii infantes, seu aliæ istius ætatis puellulæ. Cum circa festum venerabilis sancti Andreæ prænominatum, die quadam Mercurii vesperi, eadem hæc Aleidis, quæ eo tempore erat in villa sancti Hilarii, dictam suam filiam sanam, cunctisque membris valentem lecto imposuisset, et mane eam de lecto levasset, ac vestibus induisset, veluti consueverat, in pedes eam deposuit; existimabat enim eam stare posse atque incedere, uti solebat : at mox humi lapsa est : matre eam rursus erigente, ut per se staret, e vestigio hæc puella similiter cecidit, ut quæ pedibus cruribusque se sustentare non poterat. Unde C memorata Aleidis ab eo tempore percepit, eam impeditam esse, captamque his membris.

dein prorsus incurva.

351 Longo post tempore, incremento aucta, eaque jam ætate, qua recta incedere potuisset, erigere se non valebat, nec pedibus consistere : verum cum se movere vellet, non poterat nisi rependo, seque per nates trahendo. Adhæc postquam in dictum morbum inciderat, omnes juncturæ natium, genuum, pedumque ipsius intumuerunt. Atque hoc modo septem annis fuit memorata Petronilla, postquam eam morbus invaserat, ut numquam in pedes se erexerit. Postea majores consecuta vires, surgere cœpit atque incedere, ac pedibus se sustentare : verumtamen tam ibat incurva, ut manum sinistram semper teneret supra pedem sinistrum prope malleolum cruris sinistri : atque ita incurva fuit annis duodecim et ultra, quibus se non erexit seu eundo, seu cubando, seu aliud quid faciendo. In hujusmodi semper statu fuit, donec ossa venerabilis sancti Ludovici portata fuerint in Galliam, atque in ecclesia sancti Dionysii sepulta. Cum passim tunc diceretur, miracula esse facta apud tumulum ejusdem venerabilis sancti Ludovici, eaque de causa multi ægri eo ex diversis partibus D confluerent, ut liberarentur; dicta Petronilla ad memoratum tumulum ducta fuit post festum Pentecostes, adeo incedens incurva, ut manum sinistram, dum ibat, teneret post malleolum cruris sui sinistri.

ad sepulcrum accedit : ubi gressum idoneum

352 Hoc modo adibat memoratum tumulum, sedebatque ibidem inter ægrotos alios pluribus diebus apud dictum sepulcrum. Postquam autem ibi fuerat die Mercurii post Pentecosten tota die usque ad Vesperas absolutas, horaque jam adesset, qua et ægroti dimittebantur, et ecclesia claudebatur, dicta Petronilla inde abiit, atque adivit domum presbyteri altaris sancti Hippolyti, quod est Dionysiopoli, ubi degebat mulier anus, cui erat nota : nam domus hæc magno satis spatio vicinior erat templo quam domus, in qua alia nocte cubuerat. Tempore matutino dici Jovis sequentis dicta Petronilla ad sepulcrum rediit, seditque ibi tota die cum aliis ægris. Cum vero esset post altare, antequam fuit sanata, invocabat venerabilem sanctum Ludovicum, ac spem magnam habebat, uti et mater ipsius, se sanatum iri per ipsum. Eadem hac die Jovis, ea hora, qua ægrotis est abeundum, memorata E Aleidis, mater dictæ Petronillæ, sumpsit ejusdem Petronillæ vestem superiorem, qua ipsam exuerat propter calorem, simulque sumpsit cingulum ejus, ac præcessit, ut viam ei aperiret inter ægrotos alios, quo memorata Petronilla, quæ tanto cum labore incedebat, liberum haberet exitum. Surrexit dicta Petronilla, existimans non aliter incedere se posse quam solebat : verum surgendo sensit, se perfecte sanatam, ita ut se rectam omnino in pedes levarit. Respexit dicta Aleidis, erectamque conspexit, cernens autem illam attonita prorsus fuit et obstupuit, agens gratias Deo, et venerabili sancto Ludovico, aliisque Sanctis.

rectamque corporis formam consequitur.

353 Tum memorata Petronilla ivit per se, sine baculo, alioque viri vel mulieris subsidio, recta pedibus suis usque ad altare maximum, quod pluribus vicibus circumivit. Mox rei fama pervagata est ecclesiam, oppidumque : unde ingens hominum multitudo confluxit ad eam conspiciendam. At ostia cancellorum, quibus spatium dicti sepulcri includitur, erant clausa, ne ægroti comprimerentur : satis tamen eam videbant homines sanatam, rectamque per se pedibus F suis incedentem per dictum intervallum. Postquam homines, qui eo convenerant, inde diverterant, portæque cancellorum fuerant apertæ, dicta Petronilla cum matre sua egressa est templo, adivitque domum memorati presbyteri prompte, ac recta pedibus suis, sine baculo, alioque adjumento, ubi et cubuit illa nocte Postea diebus singulis, donec novem dies fuerint completæ a prima adventus sui die, summo mane adivit sepulcrum, fuitque ibi tota die usque ad Vesperas adsolutas. Deinde memorata Petronilla incessit semper recta pedibus suis, sine baculo, alioque subsidio : et quamvis memorata Petronilla statura admodum esset exili, neque tanto robore, quanto mulier alia, ibat tamen pedibus suis omnino recta sine baculo.

LV. *Mulier laborans genu, jam ante in alio morbo opem S. Ludovici experta, b*

354 Anno Domini nostri MCCLXXXI, tempore Quadragesimæ, dominam Catharinam de Morbois, honorariam asseclam dominæ reginæ Mariæ *b*, tunc juvenis Franciæ reginæ, corripuit malum quoddam in genu dextero tam grave, ut genu illud vehementer intumuerit rubueritque, uti et partes huic genu vicinæ in circuitu, ita

ut

A ut initio incedere vix posset. Licet emplastra medicaminaque multa malo huic fuerint adhibita, nihil ei attulerunt utilitatis; malumque adeo increvit, ut memorata Catharina nullo modo valeret incedere, sed aliena ope indigeret, cum se vellet movere; ac necesse esset, ut portaretur ad lectum, aliaque necessaria. In hoc statu fuit memorata Catharina quindecim omnino diebus, atque ægrotavit unius mensis spatio. Nocte diei Martis aut Mercurii in hebdomada sancta lecto decumbens memorata Catharina, recordata est venerabilis sancti Ludovici, quem invocaverat in alio morbo, quo dudum ante fuerat vexata, cujusque beneficium ac favorem manifeste sibi videbatur experta. Quippe, cum graviter ægrotaret nocte quadam, atque opem imploraret, mane integre fuit liberata.

vovet invisuram se sepulcrum cum anathemate; obtentaque valetudine

355 Qua de causa, hoc genu sui malo conflictata, dixit Herinero marito suo, se votum facere velle venerabili sancto Ludovico; affirmabatque, sibi in alio suo morbo, in quo ipsum invocaverat, gratiam ab eo opemque præstitam. Atque hac ratione vovit ista nocte venerabili B sancto Ludovico, eumque oravit quam poterat optime, ut hoc genu sui malo ab eo liberaretur; ac promisit se sepulcrum ipsius invisuram nudis pedibus, et in laneis eundo a domo sua ex Monte Martyrum *c* usque ad sepulcrum memoratum; oblaturam præterea crus cereum. Postquam dicta Catharina hoc fecerat votum, multo melius dormivit quam dormiverat tota Quadragesima. Sequenti mane surrexit de lecto suo per se, sine auxilio, quod multis diebus non fecerat, ivitque per cubiculum suum: ac dicebat memorata Catharina, se vovisse venerabili sancto Ludovico, quando tam erat ægrota. Die Veneris sancta proxime sequente, cum domina regina esset in abbatia Dominæ nostræ regalis *d* Pontisaræ, memorata Catharina ivit ex ædibus regis, quæ illic sunt, usque ad monasterium monialium per se, sine baculo, alioque adjumento, ut ibidem rei divinæ interesset: idem fecit Sabbato sequente. Dominica Paschatis, ac deinde semper, rubor ac tumor a genu ejus abscessit, incessitque per se, sine ullo alio auxilio usque ad hanc diem.

votum suum explet.

356 Jacobus ex Monte-Martyrum, curator equi dominæ reginæ prædictæ, ivit Parisios, C componendumque curavit crus cereum, quod eidem Catharinæ fuit allatum; et dicta Catharina circa festum Pentecostes suscepit iter ex domo sua in Monte-Martyrum, comitante eam Margarita dicti Jacobi uxore, venitque nudis pedibus, et in laneis ad tumulum venerabilis sancti Ludovici; atque ibi obtulit crus cereum, uti voverat: adhæc gratias egit venerabili sancto Ludovico, quam sciebat ac poterat maximas de gratia sibi præstita ab eo, ac de miraculo. Credebat autem firmiter se sanatam fuisse miraculo per venerabilem sanctum Ludovicum; non medicaminibus, quibus fuerat usa. Atque eo modo dictus Jacobus post hæc memoratam Catharinam duxit *e*; neque inter eundum aut redeundum ullum sensit malum tribus hebdomadis, quas itineri impendit, uti dicebat, quantum seu ipsa, seu alius potuit advertere.

ANNOTATA.

a *Locum hunc hactenus assignare nequeo.*

b *Maria filia Henrici Brabantiæ ducis hic designatur: hanc enim Philippus III secundis nuptiis sibi junxit anno 1274, ut habet Nangius apud Chesnium pag. 529, ubi ejus dotes laudantur, ac coronatio describitur, quæ facta anno sequenti.*

A. Reginæ Confessario.

c Mons Martyrum, *vulgo* Montmartre, *mons est cum vico prope Parisios, olim* Mons Mercurii *dictus, ut volunt aliqui.*

d *Abbatia hæc, alio nomine* Malus-dumus, *est prope Pontisaram. De fundatione illius egimus in Commentario a num. 373.*

e *Videtur hic alia peregrinatio innui: verum sic verba exciderint aliqua.*

CAPUT XXII.

Puer, dum ossa Sancti in Galliam portabantur, in via ex tumore sanatus: mulier invisens tumulum ex fœdo ulcere restituta, alia usum brachii ibidem adepta: visus cæcæ redditus, gressus claudis. E

LVI. *Ingens pueri extuberatio, dum ossa sacra vehebantur in Galliam,*

Quando rex Franciæ Philippus, filius venerabilis sancti Ludovici ex tractu transmarino rediit, atque adferri curavit ossa venerabilis sancti Ludovici patris sui, fullones Parisienses trecenti et plures ei obviam iverunt ante alios cives Parisienses, qui itidem dicto regi Philippo obviam processerunt, ut regem certiorem facerent de injuria, sibi facta circa locum prope portam Bagaudarum *a*, cumque ivissent ultra Josteul usque ad ulmum Boneil *b* atque illic regem expectarent, invenerunt ibidem feminam quamdam, quæ se ex Burgundia esse dicebat, cum infante, qui octo annorum videbatur, habente supra aurem sinistram gibbum, seu tumorem grandem, mole ovi anserini, qui extendebatur versus jugulum: dicebatque dicta mulier memoratum infantem hoc malo laborasse duobus annis, et ultra, seque duxisse illum ad sanctum Eligium, et plures alios Sanctos; item monstrasse se illum variis medicis; at ea nihil illi profuisse, nihil utilitatis attulisse. Dictus autem tumor mollis apparebat, ac ruber esse videbatur. F Quando hoc modo opperiebantur dicti fullones, donec ossa venerabilis sancti Ludovici venirent, quæ vehebantur in arca super duos equos in modum sellæ gestatoriæ, idque ante regem, et omnes alii in genua essent provoluti, memorata mulier clamavit, rogavitque conductores dictæ arcæ, ut illic subsisterent, quo infans illam posset tangere illo loco, ubi laborabat.

solo arcæ contactu disrupta.

358 Tunc unus illorum, qui arcam ducebant, equo descendit, sumptumque infantem manibus suis leniter admodum levavit usque ad arcam, attollendoque magna modestia dictum infantem, tantum effecit, ut extuberatio memorati infantis attingeret arcam, in qua ossa venerabilis sancti Ludovici erant posita. Derepente gibbus hic, seu tumor dissiliit, et ruptus est, atque e loco, ubi tumor hic erat, multum effluxit putredinis, quæ per sinum, et per vestes dicti infantis decurrit, eumque maculavit ad terram usque: pellisque istius loci, ubi ante erat tuber,

A. REGINÆ CONFESSARIO.

tuber, vacua remansit bursæ instar vacuæ, aut vesicæ : neque tunc infans clamavit, neque læsus quidquam fuit hoc facto, neque ullum doloris signum ostendit. Omnes igitur, qui aderant, judicarunt magnum id esse miraculum, atque omnino crediderunt, dixeruntque memoratum infantem ita sanatum esse, dictumque tumorem disruptum per miraculum, et per merita venerabilis sancti Ludovici, Deum laudantes, et venerabilem sanctum Ludovicum de tanto miraculo. Tunc episcopus quidam ibi præsens, quando audivit hujusmodi miraculum, dixit non esse primum miraculum, quod venerabilis sanctus Ludovicus in itinere patraverat; multique, qui illic erant, lacrymabantur præ gaudio de tanto miraculo, coram se facto.

LVII. *Mulier ex fœdo ulcere. c*

359 Esdelina la Vielle Monstroliensis *c* gravi malo affecta fuit in crure dextero, ita ut caro dicti cruris media facile parte corio nudata esset atque exesa, semperque emitteret, atque effunderet putredinem. Quippe, cum memorata Esdelina ex partu Aleidis filiæ suæ decumberet, dicto correpta fuit morbo, qui eo deinde auctus est incremento, ut latitudine palmam manus æquaret; tantumque ibidem erat foramen, B ut ovum gallinaceum eo recipi posset : adhæc caro circa foramen pelle erat nudata, glauca, et quasi nigra, multumque puris effundebat, ac fœtebat vehementer, ita ut homines adesse ei non possent. Porro caro hoc modo pelle nudata erat quandoque ad tres digitos, quandoque plus, quandoque etiam minus, ac semper pus emittebat. Quin et memoratum malum magno erat impedimento dictæ Esdelinæ in eundo, aliaque negotia sua exercendo : non tanto tamen, ut non iret quandoque ad templum, subinde etiam Parisios. Emplastra multa, multaque medicamina alia, dicto malo applicuit memorata Esdelina, quæ illi nihil profecerunt, duravitque malum per octo annos, et amplius. Adhæc dicta Esdelina contra hoc malum venam sibi aperiri curavit sub pedis malleolo, at id ei non profuit.

frequentato sepulcro, sanata.

360 Cum ossa venerabilis sancti Ludovici eodem anno, eademque æstate delata fuissent in Galliam, atque in villa ipsius diceretur, miracula esse facta apud tumulum ipsius, prædicta Esdelina flexis genibus vovit; venturam se ad C ejus tumulum, simulac posset : tum insuper vovit ac promisit se ea die, qua ad tumulum ipsius veniret, non manducaturam neque bibituram, priusquam invisisset sepulcrum ipsius. Post hoc votum dicta Esdelina nihil cruri applicuit medicaminis : namque ab eo tempore recreari cœpit. Deinde dicta Esdelina, ejusque filia Aleidis, et Ermengardis la Faveresse Monstroliensis vidua, plusquam sexaginta annos nata, venerunt Dionysiopolim, atque ad memoratum sepulcrum. Postquam preces suas fuderant, tantisper ibi substiterunt, eademque die domum redierunt : quamvis numerentur duæ leucæ bene magnæ Dionysiopolim inter et Monstrolium. Ab illo tempore dicta Esdelina melius habere cœpit, et sanari, minus enim putredinis effundebat, ac solidabatur malum. Venit autem dicta Esdelina ad sepulcrum, donec novem dies fuerint completi, ac diebus singulis Dionysiopoli Monstrolium vesperi revertebatur. Porro de die in diem dicta Esdelina magis recreabatur, ita ut nona die integre fuerit sanata, caroque consolidata, quæ deinde nihil puris ejecit, neque ipsa deinde usque ad mortem quidquam præterea sensit de malo memorato : vixit autem, postquam hoc modo sanata D fuit, decem annis, et ultra.

LVIII. *Mulier brachii dexteri usu destituta, d*

361 Circa annum Domini nostri MCCLXXII, dum Oringa de Fontenay *d*, diœcesis Bajocensis, habitabat Parisiis per annos triginta in domo Mauritii pannorum textoris ad lana carminanda, quo victum sibi, uti consueverat, pararet; gravis eam invasit morbus in brachio dextero, et illius brachii cubito, tantusque dolor eodem loco, ut operari non valeret. Adhæc dictus cubitus intumuit, nervique ibi fuere contracti; ac timebat dicta Oringa, ne usum istius brachii in perpetuum perdidisset. Postquam multo tempore non fuerat operata, periculum faciebat, an operari posset ad lucrum faciendum : verum nullo modo laborem poterat sustinere. Cum dictum brachium ostendisset chirurgo, nomine Galtero, hic chirurgus secuit ejus brachium supra cubitum, ex quo nihil quidquam puris effluxit, sed deterius ei fuit quam ante. Applicabat istic medicamina unctionesque multas; at nihil ei videbantur proficere. Præterea dolor brachii adeo auctus est, ut illud nec extendere posset, nec attollere, nec ori, nec capiti admovere, ne- E que hoc brachio cibum sumere, neque se ligare, neque aliud quid rei facere. Verum in ligando se, faciendoque alia, quæ sine duabus manibus fieri nequeunt, Sibilla hospita, et Hodierna de Fontenay ipsius vicina, et personæ subinde aliæ, ei opem præstabant. In hoc statu fuit dicta Oringa annis quatuor : et quia caput lavare non poterat, longo deinde tempore caput suum radi curavit.

prœviis votis venit ad sepulcrum,

362 Tandem cum fama esset Parisiis, miracula facta esse apud sepulcrum venerabilis sancti Ludovici; ei suasum fuit, ut corde recto eidem sancto Ludovico se devoveret, ejusque sepulcrum inviseret. Tunc confessa est de peccaris suis memorata Oringa parocho sancti Gervasii, vovitque venerabili sancto Ludovico, se venturam ad ejus sepulcrum nudis pedibus, et in laneis, allaturamque candelam longitudine brachii sui, ac crassitie ejusdem brachii sui supra cubitum; adhæc oblaturum memorato tumulo post liberationem suam brachium cereum. Hoc igitur dicto anno, die quadam Sabbati, dum Dionysiopoli habentur nundinæ, memorata Oringa iter aggressa est Dionysiopolim, nudis pedi- F bus, et in laneis, ad dictum sepulcrum, illudque invisit æque ægrota quam umquam fuerat : atque eo modo pervenit ad tumulum prænominatum die Sabbati, dum Vesperæ erant cantatæ, non minus ægra atque impotens dicto brachio quam umquam fuerat, et magis etiam : cumque ibi modico satis tempore fuisset, ægrique dimittentur ad hospitia sua, sive ex templo, ad hospitium suum ivit æque ægrota.

ubi pristinum brachii usum recuperat :

363 Die Dominica sequente, mane rediit ad tumulum memoratum, mansitque ibidem alios inter ægrotos; et tota illa die Dominica non manducavit, neque bibit tota die; sed humiliter orabat venerabilem sanctum Ludovicum, quam poterat enixissime, ut valetudinem sibi, brachiique sui sanitatem reddere dignaretur. Postquam Vesperæ erant cantatæ, eadem Oringa, tenens brachium supra dictum sepulcrum, subito sensit dolorem gravissimum, ab aure dextera usque ad cubitum. Unde cum Oringa propter ingentem dolorem alteram manum dictæ auri admovisset tanto tempore, quo oratio Dominica ter recitari potuisset, hujusmodi dolor evanuit,

sanata-

A sanataque fuit memorata Oringa. Mox manus conjunxit, quod a tribus annis non fecerat, Deoque, ac venerabili sancto Ludovico gratias egit de valetudine sua : tum cruce se signavit hac manu, quod ab omni tempore ante memorato non fecerat, neque facere potuerat. Ab eo tempore in posterum usque ad hoc tempus integre ex dicti brachii malo fuit sana, ac laboravit eodem brachio, omniaque præstitit, quemadmodum fecerat, antequam hoc malo esset correpta, et veluti quælibet mulier sana, ita ut numquam deinceps quidpiam mali aut doloris in brachio suo senserit. Ceterum memorata Oringa omnia præstitit, quæ promiserat venerabili sancto Ludovico; ac propter concessum sibi beneficium tunc substitit novem diebus Dionysiopoli, diebusque singulis visit sepulcrum memoratum.

vidit hæc ibidem cæcam, claudosque sanatos.

364 Præterea referebat memorata Oringa vidisse se, dum apud tumulum subsistebat, mulierem quamdam, quæ se cæcam dicebat, quæque sanata fuit in conspectu memoratæ Oringæ. Quippe cernebat, cognoscebatque res sibi ostensas. Similiter alios quosdam, fulcrorum subalarium B ope ad sepulcrum accedentes, dicentes audivit se alio modo incedere non posse, quos memorata Oringa vidit abeuntes a sepulcro memorato sanos et liberos sine fulcris.

ANNOTATA.

a *In Ms.* La porte Baudaier. *Agit de antiqua hac porta Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus pag. 1176 : ubi ait vocari* portam Bagaudarum *a castro vicino illius nominis : vulgo dicebatur,* la porte des Baudets.

b *Nangius, citatus in Commentario num. 1136,* ulmum *hanc dicit esse inter* Boissiacum et Christolium, *Gallice* Boissy *et* Creteil, *ut vici hi notantur in tabulis geographicis, in quibus nec* Josteul *nec* Boneil *invenire potui.*

c Monstrolium, Monstreuil, *vicus est in agro Parisino, qui hic assignatur, licet non desint alia hujus nominis loca.*

d Fontenay *vicus in tabulis geographicis Normanniæ notatur, distans aliquot leucis Bajocis. Idem nomen variis urbibus in Gallia datum.*

C

CAPUT XXIII.

Mulieri cæcæ apud tumulum visus restitutus : eques quidam ex gravi morbo, atque artuum impotentia, facto voto, sanatus : strumosi sanati.

LIX. *Mulier cæca.*

Agnes Pontisarensis, nata in parochia Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, mulier triginta annorum et ultra, filia olim Bricii, cum a tempore nativitatis suæ bene vidisset et clare, ac habitasset in domibus aliquorum civium Pontisarensium, suaque obivisset negotia, uti mulier bene videns, deinde (quindecim aut sexdecim anni jam præterierant tempore inquisitionis de hoc miraculo, quæ facta est anno Domini nostri MCCLXXXIII, mense Februario) oculi ejus quasi perpetuis fluere lacrymis cœperunt, multumque rubescere, ita ut ab eo tempore visus ipsius vehementer fuerit debilitatus, ac parum cerneret. Adhæc sub palpebris ipsius crevit extuberatio ad molem digiti, oculique ejus facti sunt tam albi interius, ut pupilla in iis non appareret, sed tela candida viderentur obtecti. Ab illo tempore visum plane perdidit, ita ut nihil prorsus videret, ne claritatem quidem solis, aut candelæ ignisve lucem. Dicto tempore Maria de Marsigni ejus soror, et quidam ipsius filius, qui obierat tempore hujus inquisitionis, eam ducebant nunc hi, nunc illi; quodque ipsam oporteret ob egestatem victum mendicando quærere, circumducebant etiam ipsam ad templa, ostiaque urbis Pontisarensis ad stipem petendam. Hac cæcitate laboravit quatuor annis præterpropter, quibus nihil prorsus cernebat, neque ullis contra memoratum malum usa est medicamentis. Incedebat eo tempore, ut solent ire cæci, manu super humerum ducentis posita, aut vero vestem ipsius manu tenebat : neque aliter se gerebat quam alii, qui ducuntur, cæci : neque dicta Agnes incedere poterat, uti aliis contingit cæcis, nisi palpando manibus : neque videbat res ante se positas; sed contingebat sæpe, quando cochleari ei manducandum erat jusculum, ut eo modo cochleare teneret, quo pars cava inferius esset, convexa superius, ita ut Maria soror ipsius ipsam dirigere deberet, et cochleare apto ad manducandum situ ponere. E

A. Reginæ Confessario.

fama miraculorum S. Ludovici inducta, invisit sepulcrum.

366 Cum eodem anno, quo ossa venerabilis sancti Ludovici portata fuere in Galliam, atque in templo sancti Dionysii sepulta, eadem hæc Agnes esset in ecclesia beatæ Virginis Mariæ Pontisaræ, virum audivit dicentem, se venire Dionysiopoli, ac vidisse, grandia facta esse miracula apud tumulum venerabilis sancti Ludovici. Quærenti dictæ Agneti, quænam fieri vidisset miracula, respondit, vidisse se ibi cæcos, qui visum recuperabant, claudos, seu impeditos, qui incedere non poterant nisi fulcris subnixi, ad memoratum sepulcrum sanatos, ac sine fulcris ab eodem tumulo redeuntes. Propterea memorata Agnes magnam animo concepit fiduciam, sanitatem se ibi consecuturam, manusque ad cælum tetendit, ac vovit Deo, ac venerabili sancto Ludovico, se die postera iter suscepturam, atque invisuram tumulum hujusce venerabilis sancti Ludovici, etiamsi vel manibus pedibusque eo sibi foret reptandum. Tum die quadam Sabbati dicta Agnes dictaque Maria mane susceperunt iter, ducente eam memorata Maria, veneruntque Dionysiopolim : contigit autem id eo tempore, quo Dionysiopolitanæ habentur nundinæ circa festum sancti Joannis Baptistæ. Fuit illic memorata Agnes omnibus diebus sequentibus usque ad Vesperas, idque ad diem usque Veneris sequentem. F

ubi visu donatur,

367 Hac die Veneris, cum caneretur solenne Sacrum ad altare sancti Dionysii, ac dicta Agnes esset prope tumulum prænominatum flexis genibus, facie ad tumulum conversa, putaretque se esse facie versa ad altare, aliqui, qui illic erant, ei dixerunt : Quid agis, mulier? Quid ita sedes? Non vides cantantem presbyterum? Qua de causa vultum convertit ad altare *a*, intuitaque vidit cereum in altari ardentem. Unde in admirationem ducta, petiit; utrum illic essent candelæ accensæ? Responsum ei fuit, accensas esse. Interea dum elevatio Corporis Jesu Christi erat peragenda, respexit, ac vidit cantantem presbyterum, manusque elevantem, ac tenen-

A. REGINÆ CONFESSARIO.

tenentem in manibus gloriosum Jesu Christi Corpus : at Corpus Domini nostri non clare percepit, nam visu adhuc erat infirmo. Verumtamen lætata est, quantum potest lætari ulla mulier, gratiasque egit Deo, ac venerabili sancto Ludovico. Adhæc humi se prostravit in cubitos, genuaque apud tumulum, orans venerabilem sanctum Ludovicum, ut adhuc Dominum nostrum deprecaretur pro ipsa, ut visus claritatem ipsi redderet. Dum ita precibus erat intenta, videbatur sibi perculi baculo sub utroque oculo, ubi erat memoratus tumor, nasusque sibi transfigi, ita ut manum naso admoveret, ac timeret, ne esset transfixus : adhæc tantum sensit dolorem, ut illum commemorare nequeat aut eloqui, et percepit sanguinem ex oculis suis effluere. Hinc surrexit, illique, qui ibi tum erant, hoc cernentes, dixerunt : Hæc mulier est sanata, nam sanguis ex oculis ejus decurrit : ipsaque hæc mulier laudabat Deum, ac venerabilem sanctum Ludovicum, qui ipsam ex prædicta cæcitate sanasset : quippe ab eo tempore post hunc sanguinis fluxum cognoscebat distinguebatque ea, B quæ videbat.

quod declarat

368 Nuntio hujus miraculi per ecclesiam audito, videlicet hanc feminam ibi illuminatam, ac visum recepisse, tanta eo confluxit populi multitudo ad videndum, ut vehementer timeret, ne ibi opprimeretur : at monachi ipsam tutabantur. Cum illi, qui illic erant, explorare vellent, utrum cerneret, quædam ei ostendebant; puta cultros, quemdam digitorum manuum suarum numerum : ipsa autem recte, ac vere ad omnes eorum interrogationes respondebat, nominabatque res sibi monstratas. Mansit autem in ecclesia usque ad horam, qua ægroti dimittuntur post Vesperas. Memorata die Veneris, ubi prædicta Maria summo mane dictam Agnetem cæcam ad ecclesiam duxisset, sicuti solebat, atque ad eam rediisset post preces Tertiæ ad cibum ei portandum, dixit memorata Agnes eidem huic Mariæ : Noli amplius cibum mihi adferre, neque ad me venire : nam video, Deo sit gratia, sanctoque Ludovico, et vidi presbyterum, qui cantabat ad altare sancti Dionysii, attollentem dimittentemque in manibus suis totius mundi Servatorem. Hinc multum gavisa est C memorata Maria, atque ad hospitium rediit, relicta ibidem dicta Agnete. Eadem hac die Veneris dicta Agnes per se ire cœpit sine duce, satis videns viam versus hospitium suum : quippe, dum cæca erat, audiverat cujus esset hospitium, illudque esse in platea du Saugier *b* : interrogabat igitur homines, qua via iretur ad plateam du Saugier : quod ipsam docebant. De cetero recte per se incedebat videns usque ad dictam plateam, iensque hoc modo obvia fuit sorori suæ Mariæ, quæ veniebat ipsam quæsitura. Soror hæc multum fuit attonita, eamque rogavit : Soror, quomodo sola venis? Respondit illa : Laus Deo, ac sancto Ludovico, bene video, at hospitium invenire nesciebam.

b

mirantibus multis.

369 Ab eo tempore vidit bene et clare usque ad hanc diem, ac bene clareque cernebat ea, quæ ipsi monstrabat nominata Maria. Postea memorata Agnes frequentavit prædictum sepulcrum, donec novem dies fuerint completi a prima die, qua venerat, veniens per se ad templum sine alio humano subsidio, et vesperi ad hospitium suum regrediens. Completis diebus novem, memorata Agnes, et soror ejus Maria Pontisaram sunt reversæ, nemine dictam Agnetem ducente; redibat enim sine baculo, alioque adjumento; nam auxilio ei opus non erat, quandoquidem bene videbat passus, arbores, frumenta, D quæ ante se reperiebat. Postquam Pontisaram fuit reversa, multi homines, qui eam prædicto tempore viderant cæcam, venerunt eam conspecturi, atque omnes fuere attoniti, tantum admirantes miraculum, ac Deum, et venerabilem sanctum Ludovicum laudantes. Tunc dicta Agnes notos sibi adibat, atque amplectebatur viros feminasque sibi notas, asserebatque, ubi sana redierat, se sanatam esse apud tumulum venerabilis sancti Ludovici. Adhæc, postquam rediit sanata, oculi ejus memorata tela non erant obtecti, sed apparebat in oculis et pupilla, et album, sicuti contingit oculis sanis, et bene cernentibus. Ab eo tempore sola incedebat, aliaque sua negotia obibat, quemadmodum alia mulier idoneo visu instructa, veniebatque ad domum Guilielmi de Villierlande ad lana nenda, quæ lana nebat dicto Guilielmo præsente. Ceterum, qui eam noverant Pontisaræ, communiter dixerunt, miraculo sanatam fuisse per venerabilem sanctum Ludovicum.

E

LXI

Eques in venatione cum rege aquam ingressus, *c*

370 Anno Domini nostri MCCLXXX, circa festum Sanctorum omnium, cum dominus Joannes de Chastenay eques esset in silva Bellosannæ *c* in diœcesi Rotomagensi, ubi rex Galliæ venabatur, atque idem hic eques ad canes curreret, unde vehementi æstuabat calore; ac pervenissent ad aquam paludis cujusdam, ubi duo occisi erant apri, qui mortui in aqua jacebant, quosque rex fuerat persecutus, idem eques, qui ocreis indutus erat, sed non satis idoneis nisi circa pedes, ingressus est aquam, sicut rex et alii faciebant, ad apros aqua extrahendos. Postquam dictus eques tantisper ibi fuerat in aqua ista, pedes cruraque ipsius frigore fuerunt affecta : unde cum de nocte lecto decumberet Gornaci *d* cum rege ejusque comitatu, primum sensit dolorem in pede sinistro circa malleolum, deinde eadem ista nocte dolorem expertus est in genu sinistro. Mane rex cum hoc equite aliisque venit Bellovacum : cumque memoratus eques ibidem de nocte cubaret, in dicto pede genuque graviorem etiam dolorem expertus est, quam ante senserat. Tunc servum quemdam vocavit, pedique ac genu suo imponi curavit stupam cum vino infervefactam. Inde Parisios reversus est, F atque hospitatus est in platea Fabarum *e*, ubi cœpit decumbere, neque enim uti poterat manibus pedibusve.

d

e

omnium membrorum usu destituitur;

371 Tunc accesserunt ad eum medici, quos consuluit de morbo memorato. Illi emplastrum curarunt componendum, idque applicuerunt genu; quod nihil ei profuit, sed nocuit potius : dolor enim, quo cruciabatur, transiit ad genu dexterum. Tum ita increvit hoc malum, adeoque toto corpore laboravit, nimirum utroque pede, genibus, coxis, spina dorsi, brachiis, manibusque, ut omnibus hisce membris uti non posset, solius linguæ usu relicto, ita ut nec cibum ipse sumere posset nec potum, sed cibus potusque ei a servis ingereretur : neque se vertere in lecto valeret, neque ullo modo manus pedesque in lecto posset movere, eosve de loco in locum per se ducere; sed in omnibus his ab aliquo opem ei præstari oporteret. In tanto constitutus angore vota fecit sancto Sulpitio, atque aliis pluribus Sanctis. Insuper consilio medicorum regis, quos hic ipsi submisit, multa ei adhibita sunt medicamenta, lotionesque, et alia,

quæ

A quæ nihil opis ei attulerunt. Tunc contigit ut Emmelina Melodunensis, uxor olim Theobaldi cellæ regis Franciæ præfecti, ad dictum equitem veniret : cumque ad eum venisset die quadam Jovis, ei suasit, ut votum faceret venerabili sancto Ludovico; multa enim beneficia, multaque miracula facta esse apud tumulum ipsius.

votis deinde S. Ludovico factis, convalescit,

372 Quapropter memoratus eques vovit tunc et promisit Deo, sancto Dionysio, ac venerabili sancto Ludovico, se simulac ire posset, invisurum sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, rogavitque dictam Emmelinam, ut iret pro se Dionysiopolim ad tumulum memoratum, atque ibidem pro se offerret candelam longitudinis suæ. Tunc consideravit dictus eques, se satis notum fuisse venerabili sancto Ludovico, dum viveret : quippe in ejus societate fuerat, eique servierat. Magnam itaque animo concepit fiduciam, se hoc modo sanatum iri ex languore, fecitque votum prædictum. Die Veneris sequente dicta Emmelina iter aggressa est mane, venit Dionysiopolim, obtulitque ad sepulcrum memoratum candelam longitudine pari cum dicto equite : tum B preces ibi fudit, atque oravit venerabilem sanctum Ludovicum, ut, siquid valeret apud Dominum nostrum omnipotentem, eum flagitaret, ut dignaretur dictum equitem memorato morbo liberare. Interea dictus eques decubuerat septem hebdomadis præterpropter. Dicta autem Emmelina eadem die Veneris rediit Parisios, visensque memoratum equitem, ei dixit, se perfecisse prædicta. Et sane ab illa die Jovis, qua eques votum fecit venerabili sancto Ludovico, sensit percepitque vesperi meliuscule sibi esse : nam in cœna propriis manibus cibum sumpsit, et manducavit, quamvis tribus hebdomadis præcedentibus cibum manu sua non sumpsisset. Deinde die Veneris sequenti dictus eques satis recreatus est, commodius enim manibus suis uti poterat, eas videlicet ori admovere, et capiti, iisque cibum sumere. Post hæc de die in diem melius habere cœpit in dictis membris, magisque recreari.

ejusque sepulcrum invisit : alii strumis liberati.

373 Tum cœpit de lecto surgere, foco assidere, ac quandoque per cubiculum suum deambulare, atque intra octiduum subsequens memoratus dominus Joannes pedes venit ad ecclesiam C Dominæ nostræ Parisiis, ac pariter ad sacellum regium. Quia autem dicto voto suo satisfacere volebat quantum poterat, quamvis vovisset se peditem venturum ad memoratum sepulcrum, equum tamen ascendit intra hoc octiduum, equitavitque Dionysiopolim usque, atque invisit dictum tumulum. Deinde die Veneris sequenti dictus eques venit Dionysiopolim pedes, jubens equum suum post se duci. Postquam autem ibi fuerat, precesque atque oblationem suam persolverat, Parisios rediit equo vectus. Post hæc ab illo tempore memoratus eques sanus semper fuit ac valetudine prospera; licet dictus morbus eum quandoque modicissime corriperet, numquam tamen eo ita fuit impeditus, ut manibus, pedibus, genibus, aliisque membris suis non uteretur, non equitaret, pedes non recte incederet, aut negotia sua alia non bene obiret. Prædicta Emmelina jurejurando affirmavit, quando ossa venerabilis sancti Ludovici in reditu ex tractu transmarino ferebantur in Galliam, multos, qui strumis laborabant, sanatos esse, dum arcam, cui ossa ipsius erant imposita, osculabantur in itinere, atque in urbibus, ubi servabantur in hospitio. Et passim dicebatur, illos ibi esse sanatos.

A. Reginæ Confessario.

ANNOTATA.

a *In Ms. meo legebatur* ad tumulum, *quod, ut manifeste mendosum, correxi.*

b *Nomen plateæ retinui, ut illam facilius cognoscant incolæ, si adhuc perseveret, recteque sit scriptum. Voce autem* saugier *significatur* planta salviæ.

c Bellosanna abbatia *est Ordinis Præmonstratensis* in Normannia, et in Braio tractu, una leuca a Gornaco in occasum distans, *ut habet Baudrandus.*

d Gornacum, Gournay, oppidum *est Normanniæ in Braio tractu, ad Eptam* fluvium, unde aliquando, Gournay sur Epte, vocatur, *inquit laudatus Baudrandus.*

e *Gallice*, des Feves.

CAPUT XXIV.

E

Vir sancto Ludovico quondam notus, facto voto, ex febri quartana molestissima restitutus : idem a periculo submersionis ereptus : claudus gressu donatus : puella sanata ex gangræna : vir ex dolore articulari.

LXI. *Quidam voto invisendi tumulum diuturna quartana liberatus :*

Joannes de Brie diœcesis Senonensis, vir quinquaginta annorum, castellanus castri Aquarum-mortuarum, propter morbum gravem, ac febrem quartanam, quæ ipsum vexaverat per duos annos et medium, ac quasi consumpserat atque exsiccaverat, eo deductus est memorata quartana, ut existimaret nullo modo se evasurum. Die quadam in æstate, qua memorata quartana debebat ipsum corripere, inductus dicto cujusdam equitis, votum fecit venerabili sancto Ludovico, (cujus vitam sanctam conspexerat per annos triginta; unde magnam liberationis suæ fiduciam conceperat animo,) in eo F promittens se, simulac posset, invisurum memoratum tumulum. Ab illo tempore nullum deinceps febris accessum expertus est, sed de die in diem ex summa illa infirmitate recreabatur, ac melius habebat. Postquam vires suas recuperaverat, memoratum sepulcrum, uti promiserat, Quadragesima sequente invisit ex dicto morbo sanus.

LXII. *idem, dum redit a sepulcro, submersionis periculo ereptus.* a

375 Idem Joannes, completo hoc voto, ex Francia rediens Aquas-mortuas, emptæ navi se imposuit, aqua progressurus. Hæc vi fluminis abrepta impegit graviter de nocte, disruptaque in alterum latus se inclinavit : dictusque Joannes in Ararim *a* incidit, raptusque fuit et ductus ab aqua ad longum intervallum : at vestes ei subsidio fuere, ne mergeretur. Tum substitit ad ramalia, quæ forte invenit, illic posita, ut rebatur, ad pisces hamo capiendos. Itaque manibus ibidem se firmiter tenuit, fluctuante toto ipsius corpore sub aqua, excepto solo capite, quod aquis extabat. Tunc clamavit, atque imploravit opem venerabilis sancti Ludovici. Fuit ibi fere usque ad diem tam fatigatus, tam frigidus, rigensque, ut vix se diutius tenere vale-

A. Reginæ Confessario.

valeret. Demum supervenerunt subito piscatores, qui illum, magna vi sublevatum, navi suæ piscatoriæ imposuerunt. Vectus fuit ad ripam, ductusque ad vicinam domum, ac positus inter lodices quasi mortuus præ frigore, labore, et metu mortis, in quo fuerat. Hoc modo dicta febri, atque hoc periculo liberatus fuit per merita, atque invocationem sancti Ludovici. Quidam ipsius nepos pariter evasit, qui cum navi descendit inter duas tabulas, seque fortiter sustinuit ad intervallum unius leucæ, Deo favente, ad ripam fluvii delatus. Ejus arculæ sarcinariæ cum litteris, aliisque rebus ipsius defluxerunt prope Lugdunum usque. His servatis, ac recuperatis, navis, et tres nautæ, quos conduxerat, non fuerunt inventi. Tum sanus pervenit Belloquadram *b*.

b

LXIII. *Claudus ex genu affecto,*

376 Anno Domini nostri MCCLXXIV, in hebdomada post Pascha, Joannes de Aties diœcesis Parisiensis, cum ivisset ad operarios suos quosdam, quos conduxerat ad fodiendum in vinea sua, distante a villa prædicta ad tres forsan sagittæ jactus, rediens ex prædicta vinea ad villam, B antequam ad villam perveniret, gravissimum dolorem sensit in genu sinistro, acsi cultro ibidem pungeretur. Porro usque ad illam diem sanus fuerat, valensque dicto genu, ac membris aliis. Natus tum erat hic Joannes annos circiter viginti, neque sciebat, unde id sibi accidisset : in via enim memorata nec salierat, nec vim cruri, aut genu suo intulerat. Magno igitur cum labore bacillum sumpsit e vinea, quo niteretur, domumque rediit : et quia stare non valebat, nec incedere, lecto se imposuit. Os illud rotundum, quod est supra genu, loco motum erat, ac distortum ex parte inferiori; totumque id genu, ac caro sub genu cærulea valde facta est, et dura : item crus istud ita fuit contractum, ut pedem non valeret humi ponere. Quapropter memoratus Joannes magno affectus dolore et angore, componendum sibi curavit subalare fulcrum, ut de loco in locum ire posset. Quippe postquam dicto correptus est malo, sine fulcro nequibat incedere : verum incedebat fulcro nixus, dictumque pedem humi non figebat. In hujusmodi statu fuit magno pressus angore usque ad tempus, quo sanatus est Dionysiopoli apud sepulcrum venerabilis C sancti Ludovici. Multa memoratus Joannes dicto malo imposuit medicamenta, quibus nihil profecit. Ductus fuit ad ecclesiam beatæ Virginis Mariæ Longi-pontis *c*, duabus leucis a memorata villa distantem, quandoque carro vectus, quandoque ope fulcri incedens : at nihil ei profuit : etsi dictus Joannes votum fecisset Dominæ nostræ Longi-pontis.

c

præmissis votis. venit ad sepulcrum,

377 Postquam hoc modo ægrotaverat usque ad festum sancti Joannis Baptistæ proxime tunc subsequens, ac fama vulgaverat in isto tractu, facta esse miracula Dionysiopoli apud tumulum venerabilis sancti Ludovici, memoratus Joannes votum fecit venerabili sancto Ludovico coram Esdelina ex Aties, cognomine Pasqueria *, uxore olim Nicolai Pasquerii *, et dicti Joannis matre, et promisit invisurum se, simulac posset, sepulcrum venerabilis sancti Ludovici, venturumque nudis pedibus, et solum laneis indutum. Fecit id votum dictus Joannes, magnamque animo concepit fiduciam valetudinis recuperandæ, modo illuc ire posset. Adhæc promisit, se tota vita sua ipsius futurum clientem, et quotannis ejus sepulcrum visurum, missurumve eo donum offerendum, si ipse venire D non posset. Facto hoc voto, postera die iter aggressus est, ac fulcro nixus ivit usque ad Sequanam, non longe ab hac villa distantem. Illic navem ingressus est, eaque vectus venit Parisios, ubi matrem suam invenit; tum Dionysiopolim ivit. Fuit ibi apud tumulum usque ad horam, qua dimittuntur ægroti. Erat Dionysiopolitanarum nundinarum tempus : atque ibidem manebat tota die; de nocte vero cubabat super stramenta apud portam templi sub dio. Jejunabat quotidie, excepta die Dominica; quotidie item, uti venerat, nudis erat pedibus, et in laneis tantum.

* la Pasquiere
* le Pasquier

ubi valetudinem pristinam consequitur.

378 Sexta die memoratus Joannes recreari cœpit ex dicto morbo. In pervigilio autem sancti Petri tunc sequente, Missæ sacrificio oblato, dictus Joannes, altero nixus genu, sentire cœpit dolorem gravem loco nominato, qui non fuit diuturnus. Paullo post dolor hic abscessit, genuque ipsius vehementer incaluit, tantusque in dicto genu, ac in illis partibus, ortus est pruritus, ut se cohibere non posset, quin fortiter se scalperet. Verum illi, qui aderant, eum mo- E nebant ne hoc faceret : primo tamen mane istius diei non tantus ei fuerat pruritus, neque ita se scalpebat. Qui lustrarunt dictum ejus genu, viderunt os, quod fuerat loco suo motum, ad locum naturalem rediisse, tumorem genu fere evanuisse, carnemque, quæ cærulea fuerat, ad colorem convenientem esse reductam, prætérquam quod modice etiam tum ruberet. Post hæc egressus est ecclesia, pedibus suis incedens recto corpore, sine fulcris, sine baculo, et sine adjumento alio per templum, eodemque modo ibat per viam, ut cibum sumeret : attamen debili adhuc gressu procedebat propter debilitatem loci tam recenter sanati. Substitit deinde in nominata urbe sancti Dionysii, visens quotidie dictum tumulum, donec novem dies fuerint completi a tempore, quo primum venerat. Post quos cum matre sua rediit ad villam suam sanus valensque, ac pedibus suis bene incedens, sine fulcris, sine baculo, alioque subsidio : atque affirmabat se redire Dionysiopoli a memorato tumulo, ibique fuisse sanatum. Ita sanus fuit et valens a tempore dicto usque ad hoc tempus, ut nihil mali, aut doloris senserit in memorato genu. Ivit deinde, laboravit, ac negotia sua F alia obivit, quemadmodum facere consueverat, priusquam in dictum malum incidisset. Ceterum communiter dicebatur in nominata villa Aties, sanatum esse apud tumulum venerabilis sancti Ludovici.

LXIV. *Puella, dum ossa Sancti vehebantur in Galliam, ex gangræna,*

* le Ferrier

379 Bernardina, olim filia Othonis Ferrarii *, quam Bartholus civis Parmesanus educabat in domo sua, dum nata erat annos octodecim, aut plus eo, gravi morbo, fœdo videlicet malo, quod gangræna nominatur, correpta est in brachii dexteri parte posteriore circa manus juncturam, quod extendebatur versus cubitum ad tres facile digitos. Vulnus erat fere rotundum, paullulo oblongum, et tam profundum, ut brachii nervi quandoque visui paterent, et tam latum, quam patiebatur latitudo brachii. Consulti hac de re fuere medici, medicamentaque fuere adhibita, quæ modico tempore prodesse videbantur : nihilominus dictum malum tandem remansit grave, atque horridum, multumque effundebat fœtoris et puris, sicuti antea. Duravit hic morbus per duos tresve annos. Cum autem rex Philippus, eo tempore rex Franciæ, filius venera-

A nerabilis sancti Ludovici, curaret ossa venerabilis sancti Ludovici patris sui transferenda in Galliam, Parmamque *d* pervenisset, idque memorata Bernardina intellexisset, magna animata est spe, fiduciaque magna se ab ipso sanatum iri, per invocationem ejusdem sancti Ludovici. Rogavit igitur Bartholum, et Alenam dominam suam, ut duceretur ab ipsis, ubi arcam venerabilis sancti Ludovici posset contingere, cui ossa illius dicebantur imposita.

tacta arca, qua ossa continebantur, restituta :

380 Ipso tempore matutino, quo rex egressurus erat Parma cum ossibus Patris sui, ducta fuit nominatauBernardina, ivitque usque ad portam palatii, bi expectavit equum sarcinarium, qui ferebat dictam arcam, cui ossa venerabilis sancti Ludovici erant imposita. Exeunte memorato equo, dicta puella affecto brachio tetigit hanc arcam magna cum pietate, ac portavit brachium male affectum, seu tenuit incumbens eidem huic arcæ per spatium circiter jactus sagittæ ex balista emissæ : dein domum reversa est. Ab hac die dicta Bernardina melius habere cœpit, et sanari ex dicto morbo, incipiente memorato malo siccari, ac paulatim consolidari, B adeo ut deinde intra mensem præterpropter dicta Bernardina integre sanata fuerit ex morbo memorato : remanente tamen mali vestigio. Porro postquam attigerat arcam memoratam, nullis deinde usa est medicamentis, nullum de hoc malo exquisivit medicorum consilium. Vixit deinde memorata Bernardina, postquam hoc modo sanata est, ad annos tres quatuorve præterpropter, nuptaque fuit Ægidio de Cantubie, quocum Ægidio longo tempore fuit sana, dictoque morbo libera, quamdiu vixit. Ceterum affirmabat dicta Bernardina, se restitutam fuisse ex malo memorato per merita venerabilis sancti Ludovici, ob suam in ipsum pietatem, et quia tetigerat arcam, cui ossa ipsius erant imposita.

LXV. alius in eodem itinere

381 Jacobus de Allucies, civis Regiensis, graviter ægrotabat ex morbo, et dolore articulari, quo cruciabatur in coxis, genibus, cruribusque : atque eo modo laboraverat per quatuor circiter annos, antequam rex Galliæ, revertens Tuneto, transiret per civitatem Regiensem *e*. Pluribus mensibus memoratus Jacobus hoc malo decubuit, neque de lecto surgere poC terat, neque ad necessaria ire, nisi portaretur : adhæc præ dolore clamabat, dentesque constringebat memoratus Jacobus. Deinde paullulum recreatus est, ita ut incederet duobus nixus fulcris subalaribus, quandoque et uno : at nullo modo incedere poterat sine fulcro alterutro. Consuluit medicos, videlicet magistrum Henricum medicum, magistros Guidonem, et Bonitum chirurgos expertos; medicamentaque varia contra hoc malum fuere adhibita : sed sine ullo emolumento.

articulari morbo liberatus.

382 Cum igitur rex Galliæ reverteretur Tuneto, veniretque Regium, ac diceretur ossa Patris sui, venerabilis sancti Ludovici transportanda curare in Galliam in arca, quæ in principe ecclesia fuit posita, domina Jacoba, dicti Jacobi uxor, ei dixit, desiderare se, ut iret ad ecclesiam, ubi arca servabatur, in qua ossa venerabilis sancti Ludovici esse dicebantur, sperabat enim firmiter ipsum per merita illius sanandum. Memoratus Jacobus suasu uxoris suæ postridie venit ad ecclesiam ope fulcrorum suorum, tetigit dictam arcam, seque illi supposuit, magna animatus fiducia liberationis suæ ob sanctitatem, quam de venerabili sancto Ludovico prædicari audiverat. Dum domum rediit, eadem die ita se recreatum sensit, ut reliquerit fulcra sua, ita ut ei deinde numquam adjumento fuerint ad eundum : sed adeo sanatus fuerit ex dicto morbo, ut per se incederet sine fulcris, et sine baculo, aliove adjumento. Ivit autem post hæc sanus et valens sine adjumento ad tres annos, et ultra. Ceterum fama fuit, ac vox communis urbis Regiensis, illum sanatum fuisse ex dicto morbo per merita venerabilis sancti Ludovici; passimque hoc dicebatur ab ejus vicinis et sociis, atque ipse prædictus Jacobus id profitebatur.

A. Reginæ Confessario.

ANNOTATA.

a *Araris, Gallice* la Saone, *fluvius est Galliæ notissimus.*

b Belloquadra, Beaucaire, *oppidum est Occitaniæ inferioris ad Rhodanum, cui Araris miscetur prope Lugdunum. Belloquadra autem non longe absunt Aquæ-mortuæ, quas adibat.*

c Longus-pons *abbatia est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Suessionensi, beatæ Mariæ Virgini sacra, de qua agunt Sammarthani tom. 4* E *Galliæ Christianæ pag. 576, et seqq. Hinc colligitur vicum* Aties *quærendum in extrema parte diœcesis Parisiensis circa Suessionensem agrum, ubi tamen illum non inveni.*

d Parma *civitas Italiæ est passim nota. De transitu autem Philippi per illam urbem, miraculoque hoc ibidem facto, meminimus in Commentario num. 1134.*

e Regium Lepidi, *urbs Italiæ in Longobardia, inter Mutinam et Parmam sita, hic intelligitur, ut videre est in Commentario mox assignato, ubi hoc miraculum fuit confirmatum.*

CONCLUSIO.

Prædictis probatis, Bonifacius VIII Ludovicum Sanctorum catalogo adscripsit,

Hoc modo venerabilis sanctus Ludovicus splenduit, ac coruscavit vita sua, ex norma virtutis instituta, supraque descripta, ac miraculis gloriosis modo relatis, examinatisque per curiam Romanam ac probatis, multisque aliis prodigiis *a*, quæ commemorata non sunt, quia ea recensere nimis esset prolixum. « Ceterum, » quia quos superni Regis clementia corona glo» riæ in cælo magnificat, devote a fidelibus in F » hac terrestri patria convenit venerari » *b*, ideo dominus Bonifacius bonæ memoriæ Papa VIII « de sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate » ipsius beatissimi Ludovici, curiosæ, ac solem» nis disquisitionis diligentia », et districti examinis discussione præmissa, plenariam certitudinem obtinens, de communi fratrum suorum Cardinalium, et prælatorum omnium, tunc apud Sedem apostolicam existentium consilio et assensu, Urbe veteri *c* in ecclesia fratrum Minorum, die Dominica, tertio Idus Augusti anni Domini nostri MCCXCVII magna solemnitate, quam commemorare longum esset, catalogo Sanctorum adscripsit venerabilem sanctum Ludovicum præfatum : universitatem *d* Christianorum monens, et hortans attente, mandansque per scripta sua, quatenus in crastino beati Bartholomæi apostoli, cum felix ipsius anima tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cælestem aulam adiverit, æternis gaudiis potitura; festum ipsius Sancti devote ac solemniter celebrent : ut ejusdem Sancti intervenientibus precibus, et hic ab imminentibus possint liberari periculis, et in futuro salutis perpetuæ præmia obtinere.

384 Ut

A. REGINÆ CONFESSARIO. *atque indulgentias ejus tumulum invisentibus concessit; ossa dein elevata.*

384 Ut autem ad venerabile sepulcrum venerabilis sancti Ludovici ferventius et copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejus solemnitas peragatur, præfatus Pontifex omnibus vere pœnitentibus, et confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, unum annum et quadraginta *e* dies: accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi octavas, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxavit. Deinde anno Incarnationis Domini nostri MCCXCVIII, VII Kalendas *f* Septembris, postridie festi sancti Bartholomæi apostoli, excellentissimus princeps Philippus, Franciæ rex, pius venerabilis sancti Ludovici nepos, præsentibus multis proceribus, nobilibusque regni sui, atque aliud genus hominibus, maxima solemnitate, quam longum esset commemorare, per multos Franciæ prælatos sacrum venerabilis sancti Ludovici corpus, quod sepultum erat in ecclesia domini sancti Dionysii in Francia, elevari jussit, transferri, atque arcæ honorifice inclusum poni sub altari principe dictæ ecclesiæ ad exaltationem venerabilis Sancti, ad laudem Dei omnipotentis, cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Minime dubium videtur, quin multo plura facta sint miracula, quam hic recenseantur, cum hæc omnia contigerint ab anno 1271 usque 1283, quo horum absoluta collectio, ita ut intra annum 1283 et 1297, quo facta canonizatio, ingens accedere potuerit numerus. Præterea ne omnia quidem hic collecta sunt, quæ annum 1283 præcesserunt: nam Carnotensis cap. 6 varia refert anno 1271 patrata, quæ hic omittuntur. Demum post canonizationem plurima contigerunt, quorum aliqua habentur in Appendice secunda Vitæ primæ, alia in Commentario § 96, plura tamen videntur prætermissa.*

b *Hæc verba ex bulla canonizationis desumpta sunt, uti et paullo post sequentia.*

c Urbs vetus, *Italis* Orvieto, *civitas est Italiæ in ditione Ecclesiæ, ubi tunc non raro residebant Pontifices.*

d *Rursus bullam describit, mutatis tantum, quæ ob verborum connexionem erant mutanda.*

e *In Ms. meo legebatur hic et infra* sexaginta, *quod, ut certo mendosum, correxi ex bulla.*

f *Imo* VIII Kalendas, *seu 25 Augusti, qua obiit. Videsis Commentarium § 94.*

VITA III

Auctore Joanne Joinvillio Regis familiari,

Ex editione Menardi et Cangii Latine reddita interprete J. S,

EPISTOLA DEDICATORIA.

Nobilissimo, excellentissimo, potentissimoque regi Ludovico, dignissimæ sanctissimæque memoriæ regis sancti Ludovici filio *a*, gratia Dei regi Franciæ, Navarræ, Campaniæ et Briæ comiti Palatino, Joannes Jovisvillæ dominus, Campaniæ seneschallus: humilem, perfectumque amorem tibi precibus meis Jesus largiatur, et salutem.

Nobilissime ac potentissime domine, gratum sit tibi intelligere, excellentissimam dominam meam defunctam, matrem tuam *b*, quam Deus absolvat, suo tempore pro ingenti, quo in me ferebatur amore; quodque probe cognosceret me fidelissimo amore dicto domino regi sancto Ludovico, bono sponso suo servivisse, eumque ad loca, tractusque multos fuisse secutum; a me, quanto poterat studio, petiisse ac postulasse, ut ad honorem Dei curarem componendum, scribendumque libellum ac tractatum de factis, dictisque dignissimis ac sanctissimis memorati domini regis sancti Ludovici. Quod humillime facturum me, ac pro viribus meis impleturum promisi. Hac de causa ad te, excellentissime et potentissime domine, qui filius es natu maximus *c* et heres, quique in regnum successisti post dictum dominum regem sanctum Ludovicum patrem tuum, mitto libellum; utpote non ignarus nullius viventis magis interesse eum habere quam tua; ut et tu et alii omnes, qui eum habebitis, legique audietis, ex eo utilitatem possitis consequi imitatione operum atque exemplorum, quæ in eo reperietis; indeque Deus Pater noster ac Creator colatur ac honoretur.

ANNOTATA.

a Filio. *Ludovicus X, cui inscribitur epistola, non fuit filius* S. Ludovici, *sed abnepos: filius tamen vocatur, quia Ludovicus X ex illo recta linea descendebat: sicuti Christus vocatur* Filius David.

b Loquitur de Margarita regina, uxore S. Ludovici; *quæ Ludovici X mater est eodem sensu, quo pater* S. Ludovicus; *nam abavia illius erat. Videtur his nominibus uti Joinvillius, cum honoris causa, tum ut insinuaret, cujus mores imitari deberet Ludovicus X; ad imitandum enim* S. Ludovici *exempla illum in fine epistolæ hortatur apertius. Hinc vana est ratio Cangii, qui in elogio Joinvillii pag. 21 ex his nominibus suspicatur, inscriptionem epistolæ corruptam esse, et pro Ludovico X substituendum esse Philippum Pulchrum, seu IV; quod tempore Philippi IV scripta sit Historia. Quippe,*

A pe, si, judice Cangio, S. Ludovicum patrem vocare potuerit Philippi IV, cujus erat avus; non est, cur eumdem patrem nominare non potuerit Ludovici X, cujus erat abavus. Deinde quod conscripta sit Philippo regnante Historia, verum quidem putamus; at hinc non sequitur, eodem regnante absolutam; et, si absoluta fuerit, eidem mox dedicatam.

c *Sic natu maximus, sicut heres, et paullo post successor dicitur; quia ex filio et nepote* Ludovici, *qui ut natu maximi in regnum successerant, ipse natu erat maximus et regni heres. Nam intelligi hæc omnia non posse de Philippo III, cui hi tituli magis proprie convenirent, jam probavit Cangius, et manifestum est, quia defunctus erat Philippus III ante matrem suam, quæ hic memoratur defuncta; multaque in Historia narrantur, quæ post mortem Philippi III contigerunt.*

PRÆFATIO.

B In nomine sanctissimæ summæque Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus sancti. Amen. Ego Joannes Jovisvillæ *a* dominus, magnus Campaniæ senescallus *b*, scribi curo atque memoriæ commendari Vitam, sanctaque, dictaque sanctissima domini sancti Ludovici, dignissimæ sanctissimæque memoriæ Franciæ Regis, quæ de illo vidi et audivi tempore et spatio sex omnino annorum, cum adessem ipsi in itinere sancto, et peregrinatione transmarina, ac deinde postquam sumus reversi *c*. Qui libellus in duas partes est divisus. Pars prima tractat, et docet quomodo dictus dominus Rex, sanctus Ludovicus se rexerit et gubernaverit secundum Deum, matremque nostram sanctam Ecclesiam, atque ad emolumentum, utilitatemque regni sui. Pars altera agit de magnis ejus facinoribus, factisque bellicis, ut unum post alterum inveniatur, atque intellectum eorum, qui hæc legent, et audient, illustremus ac elevemus. Ex quibus perspici poterit, et clare cognosci, nullum umquam hominem, qui ejus tempore ab initio illius regni usque ad finem vixit, tam sancte et juste vixisse, quam ille vixit. Quapropter videC tur mihi, non satis illi fuisse honoris habitum, quod in Martyrum *d* numerum non fuerit relatus, propter ingentes labores, quos in peregrinatione crucis sustinuit spatio sex annorum, quibus in ejus fui societate. Sicut enim Dominus Deus noster pro humano genere mortuus est in cruce, simili modo Tuneti mortuus est cruce signatus bonus Rex, sanctus Ludovicus. Et quia nullum bonum præferendum est animæ ratione præditæ, exordiar a prima parte, quæ loquitur de bonis illius instructionibus, sanctisque verbis, quæque conducit ad nutrimentum animæ.

Auctor de se et Opere suo pauca præmonet.

ANNOTATA.

a Jovisvilla a templo et cultu Jovis nomen videtur accepisse: ita certe in veteribus tabulis nuncupatur, vulgo Joinville, *ait Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag. 254. Cangius vero in Genealogia stirpis Joinvillicæ pag. 5, hanc etymologiam improbat, licet consentiat,* Jovisvillam *vocari hoc oppidum. Baudrandus* Joanvillam *nominat, adjungens tamen,* Jovillam *quoque, et* Jovisvillam *nuncupari. Nos, quidquid sit de ratione nominis,* Jovisvillam *vocabimus. Oppidum autem hoc ita describit laudatus Valesius:* Locus *(est in Campania)* nunc principatus titulo insignis, inter Calvum-Montem et S. Desiderii oppidum positus, *(et)* pontem habet Matronæ impositum. *Addit Joannem nostrum quondam illius fuisse dominum, quem nos a vulgari nomine* Joinville *vocamus* Joinvillium.

A. JOANNE JOINVILLIO.

b *Observat Cangius pag. 33, non reperiri in antiquis chartis, dominos Jovisvillæ sibi attribuisse titulum* magni senescalli; *at* senescalli *dumtaxat: licet priorem titulum eo judice merito usurpare potuissent. Genealogiam autem stirpis Joinvillicæ qui cupit, adire potest laudatum Cangium, qui observat pag. 5, eam in Campania fuisse illustrissimam.*

c *Præter gesta sex annorum in Terra sancta, factaque deinde in Gallia, de quibus pauca tantum refert: attingit etiam quædam anteriora, sed breviter et satis confuse.*

d *Communis erat crucesignatorum opinio, Martyres esse, qui occidebantur in bello sacro. Sic Phocas Orientis imperator, vel tyrannus potius, operam dedit, ut milites, in bello* E *contra infideles occisi, martyres haberentur, de quo consule Baronium ad annum 610 num. 4. At Ecclesia hujusmodi opinionem numquam amplexa est.*

PARS I

Pie dicta factaque.

CAPUT I.

Variæ S. Ludovici virtutes, ac monitiones piæ et prudentes aliis datæ.

Sanctus hic homo, sanctus Ludovicus Rex omni vita sua amavit, et timuit Deum ex totis viribus suis super omnia, atque ita eum secutus est in operibus suis, idque manifeste pa- F tet. Quemadmodum enim Deus mortuus est pro omni populo suo, ut ante dictum est: similiter etiam bonus Rex, sanctus Ludovicus sæpius corpus suum objecit mortis periculo sortique pro populo regni sui, ut deinde attingetur. Bonus dominus Rex, gravi aliquando detentus morbo, quo laboravit ad Fontem Bellaqueum *a*, dixit domino Ludovico, filio suo natu maximo: Care fili, obsecro te, fac ameris a populo regni tui. Nam profecto mallem, ut Scotus aliquis veniret ex Scotia, aut alius quispiam ex terra longinqua peregrinus, qui populum regni bene, et laudabili modo gubernaret, quam ut tu male gubernares, et cum dedecore.

Amor Sancti erga Deum, ac cura subditorum:

3 Tantopere veritatem amabat Rex sanctus, ut Saracenis ipsis, et infidelibus numquam mentiri voluerit, aut quidpiam ipsis promissum negare, licet ipsius essent inimici, ut postmodum pertractabitur. Ore fuit sobrius quam maxime, et castus. Numquam enim ulla vitæ meæ die petentem audivi, aut desiderantem cibos, magnumve apparatum deliciarum in bibendo vel manducando; sicut multi solent opibus pollentes: at manducabat, sumebatque placide quod ipsi

fidelitas; sobrietas; modestia in verbis;

A. JOANNE JOINVILLIO.

ipsi ferebatur, ac proponebatur. In verbis suis adeo fuit moderatus, ut nullo vitæ meæ die vel verbo de quoquam male loquentem audiverim; neque umquam diabolum nominantem perceperim, cujus nomen late vulgatum est, valdeque hodiedum in mundo commune : quod firmiter credo non esse acceptum Deo, sed potius ei vehementer displicere.

vinum aqua miscet, et id suadet Joinvillio.

4 Vinum suum temperabat cum proportione secundum vim atque virtutem, quæ vino inerat, et prout ferre poterat. Interrogabat me aliquando in Cypro, cur aquam vino meo non admiscerem. Et ipsi ego reposui, hujus causam esse in medicis et chirurgis, qui mihi dicebant, me capite esse crasso, et æsophago frigido, vires mihi non futuras sustinendi. Et bonus Rex mihi dixit, me ab iis decipi; suasitque ut illud diluerem; et si non discerem illud diluere in juventute mea, idque facere vellem in senectute, articulorum dolores, et morbos, quibus laborabam in æsophago, vehementius me invasuros : aut certe, si merum potarem in senectute, sæpius me inebriandum : se autem inebriare nimis turpe B esse homini forti.

cui et alia, quomodo in dictis, factisque.

5 Bonus dominus Rex quadam vice me interrogavit, an cuperem honorari in hoc mundo præsenti; et in morte mea cælum possidere. Cui respondi, omnino ita me quidem velle. Tunc mihi dixit : Cave igitur diligenter, ne facias vel dicas deliberata voluntate quodlibet inhonestum, ita ut, si mundus universus id sciret, et cognosceret, sine pudore possis dicere vel rubore : Hoc feci, vel, Hoc dixi. Et pariter mihi dixit, ut numquam contradicerem, aut negarem quidquam eorum, quæ coram me diceret, nisi id patiendo, pudorem, damnum, aut peccatum incurrerem : aiebatque, contradicendo alicui sæpe oriri verba dura et aspera, quibus frequenter homines in cædem mutuam ruunt, et famæ denigrationem; milleque homines hoc modo occisos.

ac in vestibus se gerere debeat, dat monita :

6 Dicebat etiam, unumquemque debere se gerere, vestire, et ornare secundum statum, et conditionem suam, idque modo mediocri; ut homines probi, et maturi nequeant dicere, alterive exprobrare; Iste in eo nimius est : atque C etiam, ne juniores dicant : Ille hujus parum facit, neque honorat conditionem suam. Et *b* hujus dicti occasione memini aliquando boni domini Regis, Patris *c* regis nunc regnantis, propter pompas, vestiumque luxuriam, ac saga *d* acupicta, quæ hodiedum quotidie fiunt scutis gentilitiis *e* distincta. Et dicebam regi regnanti, me numquam in itinere transmarino, quod cum ipsius Patre, ejusque exercitu peregi, vel unum aliquod conspexisse sagum acupictum, sive Regis memorati ipsius Patris, sive aliorum. Et respondit, perperam se voluisse, ut illa scuto suo gentilitio arte phrygionum *f* distinguerentur, sibique stetisse pretio octo librarum Parisinarum, Eique dixi, rectius id impensurum fuisse, si pauperibus distribuisset, sagorumque suorum ornatum fecisset ex bona validaque tela subserica *g*, in formam scuti sui gentilitii diducta *h*, quemadmodum Pater ipsius faciebat.

eumdem ad odium peccati,

7 Bonus Rex me vocavit aliquando, mihique dixit, velle se mecum loqui, propter subtile ingenium, quod se dicebat in me deprehendere : multisque præsentibus mihi dixit : Vocavi hos fratres, hic præsentes, tibique quæstionem propono, et interrogationem circa rem, quæ ad Deum pertinet. Interrogatio fuit hujusmodi : Seneschalle, inquit, quid est Deus? Et D ipsi respondi : Domine Rex, res est tam excellens, et bona, ut melior esse non possit. Profecto, ait, recte admodum responsum : responsio enim hæc tua scripta est in libello hoc, quem in manu habeo. Aliam interrogationem tibi propono; nimirum quid malles, malane scabie infectum esse ac lepra *i;* an fecisse, et facere peccatum mortale. Et ego, qui numquam ei mentiri volui, ipsi respondi; quod mallem triginta peccata mortalia commisisse, quam lepra esse infectum. Et postquam fratres inde discesserant, me solum omnino revocat, meque ad pedes suos sedere jussit, mihique dixit : Quomodo ausus es dicere, quod dixisti? Et ipsi reposui, me etiamnum id dicere. Et ille mihi continuo : Ah! demens, homo nihili, homo nihili *k*, deceptus hic es. Nosti enim nullam esse lepram tam turpem, quam esse in peccato mortali; et anima, quæ in illo est, similis est inferni diabolo. Quapropter nulla tam fœda potest esse lepra. Id plane verum est, inquit. Quando enim homo est mortuus, sanus est, et lepra sua comporea liberatus : at cum homo moritur, qui commisit peccatum mortale, nescit, nec certus est, an ita E se ejus in vita pœnituerit, ut Deus ei velit ignoscere. Qua de causa vehementer timere debet, ne sibi longo tempore adhæreat hæc peccati lepra, et quamdiu Deus erit in cælo. Quare te obsecro, inquit, ut primum amore Dei, deinde et mei amore, dictum hoc cordi imprimas : et multo magis velis, ut lepra, aliaque mala, et infortunia corpori accidant tuo, quam inquines animam tuam uno dumtaxat peccato mortali, quæ lepra est tam infamis.

et ad pauperum pedes lavandos hortatur.

8 Item ibidem ex me quæsivit, utrum die Jovis sancto pedes lavarem pauperibus. Et ei dixi : Apage! apage *l;* nequaquam ego sordidorum illorum umquam lavabo pedes. Sane, ait, pessime dictum. Nam minime dedignari debes, quod Deus ad instructionem nostram fecit. Ille enim, qui Magister erat et Dominus, dicto illo die Jovis sancto pedes lavit omnium Apostolorum suorum, iisque dixit, ut, quemadmodum ipse, qui illorum erat magister, ipsis fecerat, ita et illi similiter invicem facerent. Hac itaque de causa te oro, ut illius primum amore, F et mei, hoc faciendo velis assuescere. Tantopere diligebat omnes homines, qui timebant et amabant Deum perfecte, ut propter famam insignem, quam audivit de fratre meo, domino Ægidio de Bruyn *m*, qui oriundus non erat ex Francia, timendi et amandi Deum, prout faciebat ille, rei militaris præfecturam ipsi dederit in Francia.

Secreto in mensa loquentes reprehendit.

9 Accidit quadam vice, ut propter præclaram probitatis famam, quam audivit de magistro Roberto de Sorbona *n*, ipsum ad se venire, atque ad mensam suam bibere et manducare jusserit. Eramusque aliquando conjuncti, ipse et ego, bibentes ac manducantes ad mensam dicti domini Regis; secretoque confabulabamur *o*. Quod perspiciens bonus Rex, nos corripuit, inquiens : Male facitis hic secreto loquendo. Loquimini alta voce, ut socii vestri non timeant, ne de se loquamini male, sibique detrahatis. Cum manducatis in aliorum consortione, si qua habeatis, quæ dicenda sint, et recreent : altum loquimini, ut quislibet vos intelligat; sin non habeatis, silete.

suosque facere hortatur ad justitiam.

10 Quando Rex bonus animum relaxabat, quæstiones mihi proponebat præsente magistro Rober-

A Roberto, et quodam tempore me interrogabat : Senescalle, porro rationem mihi affer, cur
p PREUDOMME *p*, (homo probus) melius sit, quam
q JEUNE HOMME *q* (Juvenis.) Tunc contentio, et disputatio oriebatur inter magistrum Robertum, et me. Et postquam diu contenderamus, et quæstionem agitaveramus, Rex bonus suam declarabat sententiam, atque ita dicebat : Magister Roberte, vellem equidem habere no-
* de predoms men viri probi *, at ut essem vir bene probus, et reliquum vobis maneret. Quippe vir
* preudomme probus * res tanta est, et tam bona, ut vox PREUDOMME, cum effertur, os impleat. Contra, inquiebat bonus dominus Rex, quod res mala
* rendre r sit alienum rapere : nam illud restituere * *r* tam grave est, ut, cum solum pronuntiatur, guttur deglubat, propter r r, quæ ibidem occurrunt :
* rentes quæ r r significant census * diabolo dari solitos,
s qui indies ad se trahit eos, qui bona aliena *s* volunt reddere. Et subtiliter admodum hoc facit diabolus : seducit enim usurarios suos, et raptores, illosque excitat, ut amore Dei usuras, rapinasque suas donent ecclesiis : quas restituere
B deberent, et norunt quibus. Cum in eo esset sermone, mihi dixit, ut nomine suo dicerem
t regi Theobaldo filio suo *t*, ut ad id, quod faciebat, adverteret animum : neque negotium facesseret animæ suæ, existimans se satisfecisse ingenti pecunia, quam donabat, et relinquebat
u fratribus Prædicatoribus Provinensibus *u*. Etenim vir sapiens, quamdiu vivit, facere debet, sicut probus testamenti curator : videlicet, probus curator primum, et ante olia opera, restituere debet, et resarcire damna, et detrimenta
x a defuncto suo aliis illata *x*, ac de reliquis defuncti illius bonis eleemosynæ Dei pauperibus sunt elargiendæ; quemadmodum jus scriptum docet.

In disceptatione Joinvillii cum altero, illi Rex adversatus,

11 Die quadam Pentecostes sanctus Rex fuit
y Corbolii *y*, equitibus comitatus ad trecentos, ubi eramus magister Robertus de Sorbona, et ego. Et Rex post prandium descendit ad pratum
z supra *z* sacellum, et cœpit loqui cum comite
aa Britanniæ defuncto, præsentis ducis patre *aa*, cujus utinam anima sit apud Deum! Et prædictus magister Robertus coram omnibus apprehendit pallium meum, ac coram Rege, totoque
C nobili consortio me interrogavit : Dic, sodes,
bb *bb*, si Rex sederet in hoc prato, tuque sedendi locum præ ipso honoratiorem caperes in ejus scamno, utrum non esses reprehensione dignus? Cui respondi, quod ita sane. Itaque, ait, facis quod omnino reprehendendum, dum vestibus uteris Rege splendidioribus. Ego autem ei reposui : Magister Roberte, non facio, quod in me reprehendas, salvo honore Regis, et tuo. Etenim vestem, quam gesto, qualem vides, mihi reliquerunt pater et mater, neque illam componi mea auctoritate jussi. At contrarium de te accidit : itaque tu graviter quidem arguendus, et reprehendendus. Tu enim, qui rustici et rusticæ es filius, patris matrisque vestem reliquisti, pannoque te induisti e villis camelinis subtiliore, quam quo Rex induitur. Tunc ejus cycladis
cc *cc*, Regisque lasciniam sumpsi, alteramque alteri conjunxi, eique dixi : Respice porro, an verum dixerim. Tum Rex cœpit magistrum Robertum verbis defendere suis, illiusque honorem tueri totis viribus, ostendendo singularem, quæ in eo erat, animi demissionem, quamque erga unumquemque esset misericors.

12 Post hæc bonus Rex vocabat dominos Philippum, regnantis nunc regis patrem, regemque Theobaldum, filios suos : ac consedit e regione oratorii sui, manumque humi demisit, dixitque memoratis filiis suis : Sedete hic juxta me, ut non videamini. Hem! domine Rex, inquiebant, ignosce nobis, si placet : nequaquam nos decet tam prope juxta te sedere. Et mihi dixit : Senescalle, tu hic sede. Atque id feci tam prope ipsum, ut vestis mea ipsius vestem tangeret : jussitque illos sedere post me. Tunc dixit : Male admodum fecistis, cum vos, qui estis filii mei, prima vice non fecistis, quod præcepi : et cavete, ut hoc numquam vobis deinde contingat. Illi autem dixerunt, id non futurum. Et tunc incepit mihi dicere, se nos vocasse, ut mihi confiteretur, quod injuria defendisset *dd* magistrum Robertum, ac contra me pro- dd pugnasset. Verum, inquiebat, id feci, quia videbam eum tam vehementer attonitum, ut omnino opus ei esset, qui ei suppetias ferret, et succurreret. Quamvis id non fecerim, ut magistrum Robertum defenderem, neque id etiam credite. Nam, quemadmodum dixit senescallus, oportet vestes gerere satis honestas, ad E amorem uxoris sibi magis conciliandum, suamque apud suos existimationem augendam. Atque etiam ait Sapiens *ee*, talia sumenda indumenta, ee ac secundum statum suum gestanda, ut prudentes mundi dicere nequeant; Nimium facis; neque etiam juniores : Parum facis, uti ante dictum est.

A. JOANNE JOINVILLIO. humiliter deinde se excusat.

ANNOTATA.

a Fons-bellaqueus, *seu* Fons-Blaudi, *vel* Bliaudi, *vulgo* Fontainebleau, *villa est regum Franciæ satis jam nota,* in silva Bieria pagi Wastinensis, *ait Mabillonius lib. 4 de re Diplomatica pag. 283, ubi nobilissimi illius palatii primordia refert cum auctore Historiæ Wastinensis ad Ludovicum VII,* S. Ludovici *abavum. Quo autem tempore æger ibi decubuerit Sanctus, nullibi expositum invenio : contigit certe inter annum 1254, quo reversus e Palæstina* S. Ludovicus, *et 1260, quo defunctus Ludovicus ejus filius, de cujus morte, egregiaque indole, actum est in Commentario num. 868 et seq.*

b *Cum obscurus admodum sit totus hic locus, et Latine exprimi nequeat modo intelligibili, si verbum verbo reddatur, contextum Gallicum subjungo, ut, si cui melior interpretatio occurrat, eam sequatur. Sic autem habet :* Et par ce dit me remembrè-ge une fois du bon seigneur Roy pere du roy qui ors est, pour les pompes et bobans d'abillemens et cottes brodées, que on fait tous les jours maintenant és armes. Et disoie au dit roy de present, que onques en la voie d'outremer, ou je fuz avecques son Pere, et s'armée, je ne viz une seule cotte brodée, ne selle du Roy son dit pere, ne selles d'autrui. Et il me repondit, que à tort il les avoit brodées de ses armes, et qu'elles luy avoient cousté huit livres Parisiz. Et ie luy dis, qu'il les eust mieux emploiez, de les avoir donné pour Dieu, et avoir fait ses atours de bon sendal renforcé batu à ses armes, comme le Roy son pere faisoit. *Ita apud Menardum; nunc, quantum possumus, elucidabimus singula.* F

c Pater *in toto hoc contextu pro avo sumitur, quemadmodum in epistola dedicatoria ante hanc Vitam eadem vox abavum significat, ut ibidem observatum. Certum id videtur primo, quia Historiam*

A. JOANNE JOINVILLIO.

storiam suam scripsit Joinvillius post canonizationem S. Ludovici, adeoque sub Philippo Pulchro Sancti nepote, ut pluribus probatum in Commentario num. 29. Secundo, quia Philippus III imitatus videtur Patris sui modestiam in vestibus : certe Nangius apud Chesnium, pag. 527 eum laudat ab humilitate, aitque resedisse inter principes suos absque ullo fastu superbiæ.

d Sagum, Gallis cotte d'armes, explicat Cangius dissertatione 1 a pag. 127, ex quo pauca breviter accipe. Vestis erat militaris, qua se in bello ornabant equites supra loricam. Forma sagi erat, qualis est tunicæ diaconorum. Non dimittebatur passim infra genua, quamvis subinde longioribus sagis etiam usos fuisse Gallos adjungat. Hæc fere laudatus Cangius, quæ exemplis quibusdam elucidat : addens tamen, fastum quorumdam in sagis ornandis adeo excrevisse, ut legibus fuerit cohibendus.

e Verum non exposuit Cangius, quo sensu intelligenda sint verba ante citata : Cottes brodées, que on fait tous les jours maintenant ès armes : quæ sic reddidi : Saga acupicta, quæ hodiedum quotidie fiunt scutis gentilitiis distincta : quia vox armes, quæ tertio recurrit, sumenda hic videtur pro scuto gentilitio : quia idem auctor apud Menardum pag. 59 easdem fere expressiones habet, quæ necesse est ita exponere : Sa galée, inquit de comite Jafensi, estoit toute painte et dedans et dehors à ecussons de ses armes. Deinde : Chascun. . . portoit un targe à ses armes. Et pag. 60 : Ung penoncel de ses armes batu à or. Ubi vox armes ubique scutum gentilitium significat, quod ibidem quoque describit. Dubium itaque non videtur, quin eodem sensu hic sit exponenda, cum nobiles solerent gentis suæ tesseram in sagis militaribus exprimere.

B

f Non improbat expressam fuisse gentilitiam tesseram, quod moris erat : sed eam acu pictam nolebat, quod idem fieri posset minoribus sumptibus, sicut mox factum docet a S. Ludovico.

g Gallice sendal. Cangius in Observationibus pag. 34 eamdem telam esse dicit, quam Galli vocant Taffetas. Idem in Glossario affirmat, telam esse subsericam; quod secutus sum.

C

h In vestibus sacris figuras non paucas videmus expressas per telam artificiose diductam, lana similive materia telam suffulciente et elevante. Sic et factum de sagis volebat Joinvillius, factumque a S. Ludovico asserebat. Hæc ad lucem huic loco afferendam sufficient : unde modestia vestium illius temporis elucescit.

i Gallice, Estre mezeau et ladre, quæ synonyma sunt, et hominem lepra infectum significant, quales multi erant in Palæstina, ubi hæc fortasse contigerunt.

k Gallice, Ha! foul musart, musart.

l Gallice : Fy, fy en malheur; quod Regi non dicitur, sed contra opus illud intorquetur.

m Legendum le Brun, teste Cangio in Observationibus pag. 35, ubi suspicatur illud nomen esse adjectitium, eique fortasse datum a colore nigro, refellitque eos, qui putaverunt eum consanguineum esse Marchiæ comitum, quorum nomen le Brun. Nomen autem Ægidii hujus docet esse, de Trasignies, qui pagus est in extremo limite Gallo-Brabantiæ. At mihi non omnino probatur, nomen illud le Brun addititium esse, cum ipse Ægidius, et filius ejus Osto le Brun, idem nomen sibi tribuant apud Aubertum Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii cap. 210, ubi dominorum Trasiniaci, seu de Trasignies, genealogiam exhibet. At, quidquid sit de hoc nomine, Ægidius le Brun filius fuit natu tertius Ægidii domini de Trasignies et Alidis Bolariæ dominæ, ut manifestum est ex laudato Miræo : supremam militiæ Francicæ præfecturam adeptus est in Palæstina post mortem Imberti de Beaujeu, et missus est a Ludovico cum exercitu in Italiam ad regnum Siciliæ Carolo Regis fratri subigendum, quod factum anno 1265, victo apud Beneventum Manfredo, ut narravimus in Commentario § 74. Nec diu post hæc superfuit Ægidius. Donationem ejus factam ecclesiæ S. Quintini attigimus num. 823. Ceterum quod Ægidium le Brun fratrem suum vocet Joinvillius, non fieri affinitatis gratia putat Cangius, sed ob arctam eorum amicitiam, aut fortasse quia fratres erant armorum, de qua fraternitate fuse disputat dissertatione 21.

D

n De viro hoc egregio satis diximus in Commentario § 81 a num. 1051.

o Gallice, Et parlions conseil l'un à l'autre : quod Cangius pag. 37 intelligendum probat, prout Latine reddidimus.

E

p Quæ hic joco non inutili dicta sunt, non omnia videntur relata a Joinvillio, quo factum, ut connexio dictorum non clare appareat : elucidabimus tamen contextum, quantum possumus. Vox preudomme hominem significat probum, et integrum coram Deo et hominibus, ut videri potest num. 214, ubi eam distinguit a voce preuhomme, quæ virum fortem significat.

q Jeune homme videtur hic potius vitium indicare, quam ætatem. Fortasse nomen hoc iis dabatur, qui juvenili levitate aliena facile invadebant et rapiebant. Nam posteaquam Rex præstantiam viri probi exposuerat, opponit miseram conditionem eorum, qui aliena rapiunt, quod referri videtur ad vocem jeune homme.

r Ex pronuntiatione vocis preudomme, et vocis rendre, Latine restituere, cujus necessitas ex rapina consequitur, joco litem dirimit; at jocum hunc dirigit Rex industrius ad monitionem maxime seriam, quæ mox sequitur.

s Auctor Gallice habet le chasteil, quod tunc temporis barbare dicebant catallum. Significantur autem hac voce bona quælibet mobilia, ut variis exemplis probatur in Glossario Cangii auctiore.

F

t Id est, genero suo; nam soceri generos non raro filios vocant. Erat hic Theobaldus II Navarræ rex, et comes Campaniæ ac Briæ, qui Ludovici filiam duxit anno 1255, ut diximus in Commentario num. 804. Obiit vero anno 1270 Drepani in Sicilia, quo cum aliis principibus reversus erat ab expeditione Africana, quemadmodum num. 1132 narravimus. Princeps hic laudatissimus non videtur sua culpa debitum contraxisse restituendi aliquid; verum patris sui culpa, qui non æque erat religiosus, id ei incumbere potuit.

u Provinum, alias Pruvinum, vulgo Provins, urbs est in Bria, Galliæ provincia satis nota.

x Obligatio hæc certa est apud theologos.

y Corbolium, vulgo Corbeil, oppidum est ad Sequanam, 7 leucis distans Parisiis in meridiem, Melodunum versus, teste Baudrando.

z Id est, ad latus, vel e regione sacelli.

aa Vel pater hic rursum sumitur improprie pro avo, vel abavo, quod satis familiare est Joinvillio nostro : vel Historiam suam toto decennio

A *cennio scribere cœpit auctor, antequam eam anno 1215 Ludovico X dedicavit. Certe comes Britanniæ, quocum tunc locutus est* S. Ludovicus, *alius esse non potest quam Joannes I, cognomento* Rufus, *quem comitem Britanniæ factum anno 1237 retulimus in Commentario num. 296; quemque defunctum anno 1286 narrat Lobineau in Historia Britanniæ col. 277. Successit ei filius Joannes II, deinde nepos Arturus II, atque abnepos Joannes III, qui Britanniæ ducatum obtinebat, cum Historiam suam vulgavit Joinvillius, atque aliquot jam annis obtinuerat, ut videre est apud laudatum Lobineau. Videmus quoque hic Britanniæ principem primo* comitem, *mox* ducem *vocari, quod titulus ille interim fuisset a rege Galliæ concessus. Titulum autem* ducis *concessit anno 1297 Philippus Pulcher, dum Joannem II inter pares Franciæ adlegit. Litteras Philippi regis exhibet Lobineau tom. 2 col. 442, quas consulere lector poterit. Titulo tamen ducis dudum ante usi quandoque fuerant Britanniæ principes, eumque illis attribuerant ante id tempus Angliæ reges.*

B bb *Gallice,* Scavoir mon, *quod pro exigentia sensus verti.*

cc *Gallice,* surcot : *qua voce vestis speciem denotari auctores consentiunt. At quænam illa sit, non conveniunt. Crediderim vestem talarem indicari, quæ utrique erat congrua.*

dd *Ex his eximium Sancti candorem insignemque humilitatem clare perspicimus, ita ut perfecte videatur implevisse illud Eccli. 32 ℣. 1 :* Rectorem te posuerunt? Noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.

ee *Nimirum quoad substantiam; nam ipsa verba non invenias in sacris Litteris.*

CAPUT II.

Periculum naufragii precibus discussum : varia Regis documenta ad fidei firmitatem spectantia.

C *Ex periculo naufragii, Regis precibus discusso, a*

Audies infra instructionem quamdam, a Rege mihi communicatam. Quando redibamus ex partibus transmarinis, cum essemus ante insulam Cyprum, incumbente vento, quem Africum *a* vocant, qui non est quatuor principibus ventis, in mari dominantibus, accidit, ut navis nostra concuteretur, magnoque impetu ad scopulum quemdam allideretur, ita ut nautæ omnes hærerent attoniti, et desperarent, vestes sibi barbamque vellicantes : bonus Rex e lecto se proripuit, nudis plane pedibus, nec nisi una indutus veste, seque in formam crucis projecit ante pretiosum Domini nostri Corpus, ut qui non nisi mortem exspectaret : et confestim mitigatus est ventus *b*. Postridie Rex me vocavit, mihique dixit : Senescalle, scito Deum nobis ingentis suæ potentiæ partem aliquam demonstravisse. Unus enim aliquis exilium istorum ventorum, cujus vix nomen invenimus, tantum non submersit Regem Franciæ, ejus uxorem, liberos, atque familiam.

14 Et sanctus Anselmus dicit, has Domini nostri minas esse; acsi vellet dicere : Videte porro, et cognoscite, quod si voluissem permittere, omnes fuissetis submersi. Respondit que bonus Rex, Domine Deus, ut quid nobis minitaris? Neque enim minæ, quibus nos territas, vel bono, vel lucro tibi sunt : et si nos omnes perdidisses, nihilo inde esses pauperior. Et rursum, si non perdidisses nos omnes, nihilo inde esses ditior. Minæ igitur tuæ ad nostrum, non ad tuum, conducunt emolumentum; modo illas cognoscere sciremus, et intelligere. Per has minas, ait sanctus Rex, nos scire oportet, si quid modicum in nobis est, quod Deo displiceat, illud ocyus amovendum : et pariter, si quid scimus, quod factum ipsi placeat, illud cum cura et diligentia exsequendum esse, et perficiendum. Et si id ita faciamus, Dominus noster et in hoc mundo, et in alio, plura nobis bona largietur, quam possimus eloqui. Item, si aliter agamus, nobiscum aget, sicut Dominus agit cum servo nequam. Si enim servus nequam se propter domini sui minas nolit corrigere, dictus illius dominus eum percutit in corpore, in bonis, atque usque ad mortem, aut pejus, si fieri posset. Sic igitur aget Dominus noster cum peccatore nequam, qui se propter minas suas non vult emendare; ipsum enim vel in se, vel in suis bonis severe percutiet. E

A. Joanne Joinvillio. præclara idem Rex monita dat Joinvillio;

15 Vir bonus, sanctus Rex allaboravit pro totis viribus, ut legis Christianæ, a Deo nobis donatæ, firmam in me fidem excitaret, quemadmodum audies. Et dicebat, tam firmiter nobis credendos fidei articulos, ut ob nullum infortunium, quod corpori inferri potest, in contrarium tendere, facere, aut dicere debeamus. Præterea dicebat diabolum, humanæ naturæ inimicum, tam astutum esse, ut, quando homines vita defunguntur, omnem adhibeat conatum, quo efficiat, ut cum dubio de fidei articulis moriantur. Videt etenim, probeque cognoscit, se homini eripere non posse bona, quæ fecit, opera; seque illius animæ fecisse jacturam, si in vero fidei Catholicæ assensu vitam finiat. Quapropter hoc in negotio opus est cautela, tantaque fidei securitate muniri oportet, ut inimico, talem ingerenti tentationem, dicere possimus : Abin' hinc, naturæ humanæ inimice, non mihi eripies, quod firmiter credo, nempe fidei articulos : malim potius omnibus me membris secandum cures. Et vivere in hoc statu volo, et mori. Et qui hoc ita facit, vincit inimicum, quo eum inimicus occidere volebat baculo. F

quem et fide firma instituere conatur:

16 Dicebat itaque bonus Rex, religionem et fidem Dei rem esse, cui firmiter assentiri oportet sine dubio, etiamsi de illa certi non essemus, nisi per auditum. Et super hoc articulo quidpiam interrogavit me bonus Dominus; nimirum, quod nomen esset patri meo. Respondi ego ipsi, nominari Simonem. Et quomodo hoc scis? aiebat. Atque ipsi dixi, de eo me certum esse, firmiterque id credere, quia mater id sæpe mihi dixerat. Ergo, inquiebat, perfecte debes credere articulos fidei, quos tibi testantur domini nostri Apostoli *c*, ut singulis diebus Dominicis in symbolo cantari audis. Dixit mihi, episcopum quemdam Parisiensem, vero nomine Guilielmum *d*, sibi quodam die narrasse, magnum aliquem theologiæ magistrum ad eum venisse ad colloquendum, eumque consulendum. Dum autem casum suum debebat exponere, cœpit graviter lacrymari. Episcopus vero ipsi dixit : Magister, noli flere, noli animum dejicere : tantis enim nullus peccatis potest esse obnoxius, ut

relato exemplo cujusdam, qui tentatus contra fidem,

ut Deus non possit ipsi adhuc ignoscere. Heu! aiebat magister, scito, domine episcope, in me culpam non esse, quod fleam : magno enim angor timore, ne sim incredulus propter unum articulum : id est, quod non possim omnino esse securus de sancto Corporis Domini Sacramento, uti sancta Ecclesia docet, credique jubet, de quo animus mihi nequit reddi certus : atque arbitror, inquiebat magister, hoc mihi evenire ex tentatione inimici. Magister, aiebat episcopus, porro mihi dicito, quando hujusmodi tentationem tibi suggerit inimicus, talique injicit errori, numquid tibi hoc placet? Nequaquam profecto, dicebat magister, at displicet, tantoque me tædio afficit, ut nihil possit supra. Nunc ex te quæro, inquiebat episcopus, utrum acciperes aurum, aut argentum, aut quævis mundi bona, ut ore negares quidquam, quod ad sacrosanctum Altaris Sacramentum, vel aliud quodcumque Sacramentum Ecclesiæ spectaret. Sane, aiebat magister, certus esto, nihil esse terreni, quod hoc pacto acceptum a me vellem. Quin mallem, ut vivum me quis membratim dilaniaret, B quam negassem vel minimum de memoratis sanctis Sacramentis.

magnum ex tentatione dicebatur consequi meritum;

17 Tunc episcopus adducto exemplo ei ostendit ingens meritum, quod consequebatur ex labore, quem in dicta tentatione sustinebat; eique dixit : Nosti, magister, Regem Franciæ bellum gerere adversus regem Angliæ *e* : nosti etiam castrum, quod proximum est limitibus *f* dictorum duorum Regum, esse Rupellam *g* apud Pictones. Responde igitur mihi, si Rex Franciæ tibi custodiendum tradi jussisset castrum Rupellam, limitibus tam propinquum, mihique custodiendum tradidisset, tradive jussisset castrum Montem Letherici *h*, in ipso Franciæ meditullio situm; utri in fine belli plus deberet Rex, tibine, an mihi, propter castra sua sic sibi a perditione servata? Certo, domine, inquiebat magister, mihi, opinor, qui Rupellam, loco magis periculoso positam, ei custodivissem; et ratio illius satis bona est. Magister, aiebat episcopus, certum te reddo, animum meum similem esse castro Montis Letherici : nam certus omnino sum de sacrosancto Altaris Sacramento atque etiam de aliis, sine ullo ea de re dubio. C Quapropter tibi dico, Dominum Creatorem nostrum, qui una ex causa de me gratum habet, quod in pace credam secure : duplici ex causa de te gratum habiturum, quod cor ipsi conserves in perplexitate et tribulatione, quodque nullius terreni boni gratia, nullius mali timore aut infortunii, quod corpori tuo inferri potest, ipsum umquam abnegare, aut deserere fide velis ac credulitate. Tibi ergo dico statum tuum meo in hac parte longe Deo gratiorem esse. Quapropter multum lætor : et te obsecro, ut eum in memoria habeas : ille autem in necessitatibus tuis tibi erit subsidio. Ubi hæc intellexerat magister, genua flexit coram episcopo, atque admodum de eo contentus, perquam belle sibi putavit satisfactum.

item alio exemplo comitis Montfortii,

18 Rex sanctus mihi retulit, quod aliquando in tractu Albigensi *i* incolæ regionis venerint ad comitem Montfortium *k*, qui tunc Albigensium terram pro rege custodiebat, eique dixerint, ut veniret visurus Domini nostri Corpus, factum in sacerdotis manibus carne et sanguine conspicuum; quod vehementer admirabantur. Comes autem iis dixit : Vos illuc itote, qui de eo estis dubii. Quantum enim ad me, perfecte, ac sine dubitatione credo sacrosanctum Altaris D Sacramentum, uti mater nostra sancta Ecclesia id nobis testatur, et docet. Quare spero hujus fidei coronam me in cælo habiturum majorem angelis, qui eum facie ad faciem intuentur, adeoque credunt necessario.

atque equitis cujusdam senis.

19 Adhæc mihi narravit bonus sanctus Rex, contigisse aliquando, ut in monasterio Cluniacensi *l* magna haberetur disputatio clericorum et Judæorum, ibique adfuisse equitem quempiam provectæ ætatis et senem, qui rogavit abbatem illius monasterii, ut parumper obtineret audientiam, loquendique veniam; quod ægre ipsi concessit. Tunc bonus eques fulcro, quo sustentabat corpus, se elevabat : dixitque, ad se venire juberentur præcipuus clericorum, illorumque Judæorum magistrorum præcipuus; quod ipsi datum. Eques autem hanc illi proponere aggreditur interrogationem : Magister, responde, credisne in Virginem Mariam, quæ Servatorem nostrum Jesum Christum in utero gestavit, ac deinde in brachiis; quodque Virgo pepererit, Materque sit Dei? Et respondit Judæus se illorum omnium nihil credere. Et eques ei dixit : E Stultissime locutus es; atque insanissime audax es, cum tu, qui eam non credis, ingressus es ejus monasterium, ejusque domum. Et profecto, inquiebat eques, id ex æquo nunc solves; ac elevat fulcrum suum, percutitque Judæum ad aurem tam fortiter, ut humi prosterneret. Atque hoc conspicientes alii Judæi, magistrum suum elevant, plane saucium, fugamque arripiunt : itaque hoc pacto disputationi clericorum et Judæorum finis impositus. Tunc abbas accessit ad hunc equitem, eique dixit : Domine eques, stultum facinus designasti ita percutiendo. Et eques illi reposuit : At tu stultius etiam egisti, quod ita congregaveris pertulerisque hujusmodi errorum disputationem. Quippe intererat maximus bonorum Christianorum numerus, qui omnes Judæorum argutiis abiissent increduli. Item tibi dico, aiebat mihi Rex, nemini, nisi magnus sit clericus, perfectusque theologus, cum Judæis disputandum esse. Verum homo laicus, quando fidei Christianæ audit detrahi, rem defendere debet non verbis dumtaxat, sed gladio bene acuto, eoque detractorum et incredulorum corpus transverberare, quantum F penetrare poterit *m*.

ANNOTATA.

a *In Gallico* Garbun; *at fortasse legendum* Garbin, *Italis* Garbino. *Hic enim est Africus, Gallis* Sudoüest, *Belgice* Suydwest.

b *Facta hæc sunt anno 1254, et suo loco fusius a Joinvillio relata, videlicet cap. 26, ubi plura notabimus.*

c *Non agitur hic de motivo fidei; illud enim est auctoritas Dei revelantis : sed de motivis credibilitatis, ut loquuntur theologi; inter quæ, cum varia sint, numerari potest auctoritas et sanctitas Apostolorum, qui fidem promulgarunt.*

d *Erat hic Guilielmus III Arvernus, vir plane egregius, quem obiisse anno 1249 probat Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis pag. 372 et sequenti, ubi plura quoque de ejus gestis referuntur.*

e *Varia bella gessit* S. Ludovicus *cum Henrico III Angliæ rege, quæ in Commentario exposuimus : videtur intelligi postremum, seu anni 1242, de quo egimus § 38 et seqq.*

f *Gal-*

A f *Gallice*, de la marche. *Quæ vox limites imperii etiam significabat apud veteres.*

g Rupella, *vulgo* la Rochelle, *urbs est Galliæ, sita in ora Oceani Aquitanici : castrum vocatur, quia erat permunita. Eam Ludovicus VIII anno 1224 Anglis eripuerat, ut passim tradunt historici. Quapropter in confinio erat utriusque ditionis, et terra marique Anglis exposita.*

h Mons Letherici *vel* Mons Lethericus, *vulgo* Montlehery, *vicus est in insula Franciæ, sex leucis distans Parisiis, et castrum olim habuit munitum, teste Baudrando in Geographia.*

i Tractus Albigensis, l'Albigeois, *modica est Galliæ provincia, et pars Occitaniæ superioris : ab eo Albigenses hæretici nomen traxerunt, licet iidem in vicinis Occitaniæ provinciis etiam dominarentur.*

k *Non alius videtur intelligendus Montfortius, quam celeberrimus Simon comes Montfortius, qui dux crucesignatorum contra Albigenses electus, post victorias illustres, multasque urbes et provincias subactas, occubuit in bello an-* B *no 1217, dum Tolosam ante subactam et rebellantem obsidebat. Vir enim fuit non minus virtutibus, quam bellica fortitudine præstantissimus, cujus fidei et pietati hæc imprimis sunt congrua. Porro simile responsum in re simili* S. Ludovico *attributum a Joanne-Villanio, diximus in Commentario num. 824.*

l *Abbatia* Cluniacensis, Clugny, *caput Ordinis, est in ducatu Burgundiæ, et agro Matisconensi, ubi vidimus § 42* S. Ludovicum *cum Innocentio IV summo Pontifice agentem.*

m *Quæ hic dicuntur, non ita crude velim lector accipiat. Etenim Rex prudentissimus, etiamsi studium gladio defendendi religionem laudet, censendus non est modum approbare, quo id fecerat eques memoratus, aut dicere, id fieri debere sine juris ordine. Sic Judith cap. 9 ℣ 2 videtur approbari factum Simeonis, qui Gen. 34, ut sororis Dinæ injuriam vindicaret, urbem Sichem impleverat cæde et sanguine. Verum, ut explicant interpretes, laudatur quidem zelus Simeonis, non tamen modus, quo zelo illo usus est. Potuit etiam Joinvillius, qui subinde theologum agit invita minerva, sensum* Ludo- C vici *non parum mutore.*

CAPUT III.

Pietas, justitia, aliæque Regis virtutes factis expressæ.

Quotidiana Regis pietas; monitum de exacta justitia ei datum : a b c d

Hujusmodi fuit ejus consuetudo, ut singulis diebus audiret Horas suas musice modulatas *a*, Sacrumque privatum de Requiem : ac deinde Officium *b* de die, Sancto, Sanctave, si forte caderet, concentu musico. Quotidie post prandium quiescebat in lecto suo *c*, ac postea, cum surrexisset, cum uno sacellano suo dicebat Officium defunctorum, deindeque Vesperas : ac quotidie tempore vespertino audiebat Completorium suum. Die quodam bonus aiiquis Franciscanus obvius fit bono Regi, in castro Olbiensi *d*, quo ex mari descendimus. Atque ei pro instructione dixit hic Franciscanus, legisse se Biblia sacra, aliosque libros tractantes de principibus incredulis : at numquam se invenisse, quod regnum periret, sive inter credentes, sive incredulos, nisi defectu justitiæ. Itaque, inquiebat Franciscanus, Rex, quem hic video euntem in Franciam, magnam adhibeat diligentiam, ut jura ex bono et æquo populo suo diligenter administrari curet, ut Dominus noster illum sinat ac permittat regno suo frui, illudque in pace et tranquillitate toto vitæ suæ decursu custodire. Et dicitur bonus hic, poobitateque præstans Franciscanus, qui ita bonum Regem docuit, quiescere Massiliæ, ubi Dominus noster multa per ipsum præclara operatur miracula. Bonus hic Franciscanus nequaquam voluit tunc manere cum Rege, ad preces, postulationemque ab eo sibi factam, nisi uno dumtaxat die.

A. JOANNE JOINVILLIO

judicia per suos diligentissime, e f g E h i

21 Non excidit bono Regi boni Franciscani doctrina; sed regnum suum bene et cum laude secundum Deum gubernavit, semperque voluit ut judicia juste exercerentur, ac exhiberentur, quemadmodum audies. Quippe de more, postquam dominus de Nigella *e*, et bonus dominus Suessionensis *f*, ego, et alii ejus propinqui *g*, Missæ sacrificio interfueramus, ire debebamus auditori portæ controversias, quæ nunc Parisiis vocantur POSTULATA PALATII *h*. Cumque Rex bonus mane rediisset ab ecclesia *i*, ad se nos accersebat, quærebatque ex nobis, ut se haberent omnia; et utrum nullus esset, quem sine eo expedire non possemus : et si qui essent, id ipsi dicebamus. Tunc eos accersebat, eosque interrogabat, quid obstaret, quo minus gratum haberent, quod ipsis a suis ministris offerebatur : et mox eos reddebat contentos, atque ad rationem æquitatemque reducebat : semper autem vir sanctus Rex pro bona consuetudine ita faciebat.

ac per se etiam exercet : k F l m n o

22 Frequenter vidi, bonum Sanctum, ubi tempore æstivo Missam audiverat, ad nemus Vicenarum *k* animi relaxandi causa se recepisse. Considebat autem ad truncum quercus cujusdam, nosque juxta se sedere jubebat : atque omnes, qui negotia habebant cum eo tractanda, accedebant ipsum allocuturi, nullo apparitore, aliove eos impediente. Alta quoque voce petebat ore proprio, an nullus adesset, qui haberet adversarium. Cumque essent aliqui, iis dicebat : Amici, tacete, atque unum post alterum vos expediemus. Dein sæpe vocabat dominum Petrum de Fontaines *l*, et dominum Godefridum de Villette *m*, iisque dicebat : Expedite mihi hos litigantes. Cumque quid adverteret corrigendum in verbis illorum, qui loquebantur pro alio, ipse eos ore suo gratiose corripiebat. Sæpe etiam perspexi, bonum Regem, dicto æstatis tempore, venisse in hortum Parisiensem, indutum tunica e panno camelinis ex villis *n*, et veste talari sine manicis ex panno lana filoque texto *o*, superposito pallio ex tela subserica nigra; et illic jubebat tapetes extendi, ut nos ei assideremus. Atque populum suum diligenter ibi expediri curabat, uti ante retuli de nemore Vicenarum.

postulatio episcoporum Galliæ, Regisque ad eum responsio : p q

23 Vidi quadam die *p* omnes Franciæ episcopos Parisiis præsentes, ut loquerentur cum bono sancto Ludovico, eique postulatum aliquod proponerent. Et quando id scivit, ad palatium se contulit, ut ibidem eos audiret de iis, quæ cupiebant dicere. Ac, omnibus congregatis, Guido Autissiodorensis *q* episcopus, filius domini Guilielmi de Melot, venia, consensuque communi omnium aliorum antistitum, cœpit Regem affari : Domine Rex, scito quod omnes antistites, coram te hic præsentes, me dicere ju-

A. JOANNE JOINVILLIO.

jubeant, quod omnem interire sinas Christianam religionem, quodque illa intereat in manibus tuis. Tunc bonus Rex cruce se signat *r*, et dicit : Antistes, dic mihi porro, quomodo id fiat, quaque de causa. Domine Rex, inquiebat episcopus, id fit, quia nulla amplius excommunicatorum ratio habetur : hodiedum enim quis mallet excommunicationi immori, quam absolutionis suæ curam habere, et nullus vult satisfacere Ecclesiæ. Quapropter, domine Rex, omnes tibi una voce supplicant propter Deum, et quia sic facere tibi incumbit, ut digneris præcipere omnibus prætoribus, capitalibus tribunis, aliisque tuis judiciorum administratoribus, ut, ubi quis invenietur in regno tuo, qui fuerit anno et die excurrente *s* perpetuo excommunicatus, illum cogant invadendo ipsius bona, ut se curet absolvendum. Respondit Vir sanctus, libentissime se præcepturum, ut id fieret de illis, qui Ecclesiæ proximoque suo reperirentur injurii *t*. Dixit autem episcopus, ad illos non pertinere judicium de causis eorum *u*. Et ad id respondit Rex, se aliter id non facturum : dicebatque Deo rationique fore contrarium, si eos juberet cogi, ut se curarent absolvendos, quibus clerici facerent injuriam, idque antequam de æquitate causæ suæ fuissent auditi. Porro eam in rem exemplum protulit comitis Britanniæ *x*, qui, ut erat excommunicatus, per septem annos litigavit cum episcopis Britanniæ, tandemque causam suam tam bene exposuit et promovit, ut sanctissimus pater noster Pontifex eos condemnaverit, causa comiti Britanniæ adjudicata. Quapropter dicebat, quod si a primo anno cogere voluisset hunc Britanniæ comitem, ut absolutionem suam procuraret, contra rationem relinquere eum decuisset prælatis illis, quæ præter voluntatem ejus ab eo exigebant; et quod hoc faciendo graviter in Deum, atque in dictum Britanniæ comitem deliquisset. Quibus auditis, omnibus illis antistitibus suffecit bona Regis responsio; et numquam deinceps audivi, pro rebus hujusmodi fuisse supplicatum.

Cur pacem cum rege Angliæ inierit contra suorum voluntatem : *y*

24 Pax, quam cum Rege Angliæ *y* iniit, contraria fuit voluntati totius senatus, qui ei dicebat : Domine Rex, videris nobis ingens damnum inferre regno tuo propter ditionem, quam Angliæ regi donas, et relinquis; plane nobis videtur nullum in eam jus habere; quia pater ejus sententia juridica illam amisit. Ad quod Rex bonus reposuit, se satis cognoscere Regem Angliæ nullum ad illam jus habere. Sed dicebat, sufficientem esse causam, cur eam illi donare oporteret, ita inquiens : Nos ambo singuli singulas ex duabus sororibus habemus uxores, liberi igitur nostri sunt consobrini. Qua de causa convenit imprimis ut pax vigeat, et concordia. Magnæ etiam mihi est voluptati, aiebat Rex, quod pacem cum rege Angliæ inierim, quia nunc clientelam mihi juravit, qui cliens antea non erat.

Justitia Regis facto egregio probata.

25 Fidelitas boni Regis satis perspecta fuit in facto domini Reynaldi de Trie *z*, qui sancto huic Viro ferebat epistolam, qua significabat se dedisse heredibus comitissæ Bononiensis *aa*, haud ita pridem mortuæ, comitatum Domni-Martini *bb*. Quarum litterarum sigilla regia, quæ ante fuerant appensa, rupta penitus erant et comminuta : neque ex dictis sigillis quidquam habebatur, præter mediam partem crurum imaginis regiæ sigillo impressæ, oramque angulatam *cc*, cui Regis pedes insistebant. Et ostendit Rex nobis, qui ei eramus a consiliis, dictas litteras, ut ei ea de re daremus consilium. Atque omnes opinati sumus, non obligari Regem istis litteris ad rem executioni mandandam, eosque dicto comitatu frui non debere. Et mox vocavit Joannem Sarrazin *dd*, cubicularium suum, eique dixit, traderet sibi epistolam, quam eum componere jusserat : visaque epistola, intuitus est sigillum, quo erat munita, et ad id, quod supererat ex litteris dicti Raynaldi, nobisque dixit : Domini, ecce sigillum, quo utebar ante dicessum meum ad iter transmarinum, et similis est relicta sigilli pars signaturæ sigilli integri. Quapropter non ausim secundum Deum, et rationem, retinere dictum comitatum Domni-Martini. Et tunc vocavit memoratum dominum Reynaldum de Trie, eique dixit : Chare domine, comitatum, quem postulas, tibi reddo.

ANNOTATA.

a *De quotidianis pietatis exercitiis, quæ hic auctor ex parte tantum perstringit, plura dat Gaufridus num. 35 et seqq. : et Vita secunda cap. 3.*

b *Per Officium intellige Missæ sacrificium, nam de Horis canonicis jam egit.*

c *De brevi hoc somno post meridiem clarius agit Vita secunda num. 53.*

d *Plura de hoc Franciscano, ejusque documentis, notabimus ad caput 27, ubi omnia referuntur uberius.*

e *Gallice,* de Neelles, *de quo egimus in notis ad Præfationem Vitæ secundæ littera* l.

f *Auctor,* le bon Seigneur de Soissons. *Hunc num. 92, narrans gesta in Ægypto, vocat* Joannem comitem Suessionensem, *et num. 93,* consobrinum suum. *Erat, ut notat Cangius pag. 39, Joannes II istius nominis, filius Radulphi de Neelle comitis Suessionensis, et Jolandæ de Joinville. Jolanda autem amita erat Joinvillii nostri, ut liquet ex Genealogia apud Cangium pag. 10; adeoque Joinvillius comitis hujus erat consobrinus.*

g *Gallice,* et autres de ses prouches, *quod non opinor intelligendum de consanguineis Regis, sed de domesticis, qui ad hujusmodi negotia ei prope ad manum erant.*

h *Gallica verba accipe :* Il falloit que nous alissions oir les pletz de la porte, que maintenant on appelle les REQUESTES DU PALAIS à Paris. *Cangius in dissertatione 2, quam de his judiciis composuit, pag. 146 testatur, multos existimare, hæc postrema verba,* Que maintenant *etc. fuisse Joinvillio adjecta, quorum rationem improbat, at opinionem putat probabilem, alia ratione ductus. Rem paucis expono. His portæ judicibus substituti deinde sunt* libellorum supplicum magistri, *(requestes de l'hôtel) ut ostendit Cangius. Instituta etiam est* camera magistrorum libellorum supplicum, *dicta Gallice* requestes du Palais, *sicut controversias portæ vocatas dicit Joinvillius, dum scribebat. Atqui, inquiunt primi, hæc camera posterior est Joinvillio; ergo ille scribere non potuit, portæ controversias suo tempore nominatas,* requestes du palais. *Cangius vero eamdem conclusionem deducit, quia cameræ hæ invicem distinguuntur. Verum respondeo, hisce non obstantibus, vere scribere potuisse Joinvillium, quæ*

reci-

A *recitavimus. Cum enim consuetudo laudatissimas, qua lites plurimas breviter expediebat* S. Ludovicus, *continuata fuerit ab ejus posteris, ut probat Cangius; cur nomen mutari non potuit? Cur, inquam, quæ primum* plaits de la porte *dicebantur, postea nomine æque congruo vocari non potuerunt* requestes du palais, *cum et libelli supplices ibidem offerrentur, et lites examinarentur? Cur deinde ministri, qui plures paulatim adhibebantur ad lites sic dirimendas, in duas congregationes distingui non potuerunt, quarum uni nomen adhæserit antiquum,* requestes du palais, *alteri ad distinctionem datum fuerit novum,* de l'hôtel? *Certe in his nihil video. quod cogat nos suspicari, aliquid Joinvillio esse adjectum. Quo autem tempore singuli hi conventus juridici sint instituti, eruditis Gallis discutiendum relinquo.*

i Moustier, *quod monasterium plerumque significat, hoc loco, et alias non raro apud eumdem auctorem, pro ecclesia sumitur, ut ex sensu manifestum fit.*

k Nemus Vicenarum, *seu* Vicennarum, *vulgo*
B Vincennes, *aberat Parisiis stadiis tantum viginti, id est leuca non integra : eo sæpissime commeasse* S. Ludovicum *ex variis locis jam patuit. Plura de regia hac villa tradit Mabillonius lib. 4 de re Diplomatica cap. 338.*

l *Petrum de la Fontaine oriundum fuisse nobili stirpe in Veromanduis, probat Cangius in præfatione ad statuta,* S. Ludovici *nomine edita. Addit ibidem, anno 1253 prætorem* * *fuisse provinciæ Veromandensis. Auctor est Opusculi de antiqua Gallorum jurisprudentia, quod inscribitur* Consilium Petri de Fontaines, *editumque habemus apud Cangium, ex quo patet, apprime juris fuisse peritum.*

* bailly

m Godefridus de Villette, *seu* Gaufridus de Villeta, *ut vocatur in gemino instrumento apud Cangium, anno 1261 prætor fuit Turonensis, et 1268 legatus ad Venetos, ut probat laudatus Cangius pag. 40. De legatis autem ad Venetos missis mentionem fecimus in Commentario num. 975, et 1000.*

n *Auctor Gallice,* Une cotte de camelot.

o Ung surcot de tiretaine sans manches. *Per vocem* surcot *vestem talarem accipi, quæ tunicæ superponitur, videtur colligi ex sensu, et*
C *sic eam vocem jam exposuimus.* Tiretaine *autem, barbare Tiretanus pannus, species est panni vilioris partim ex lana, partim ex filo textus. Olim tamen hæc vox pannum quoque pretiosum designabat, ut Glossarium Trivultianum ad hanc vocem testatur.*

p *Hæc quo anno contigerint, exacte determinare non possum; nullibi enim hanc historiam reperi, præterquam in Joinvillio : ex quo solum probatur, hæc contigisse post reditum* S. Ludovici *e Palæstina, cum Joinvillius antea non fuerit in aula Regis.*

q *Sammarthani tom. 2 Galliæ Christianæ a pag. 301 multa collegerunt de Guidone II Autissiodorensi episcopo. Filium dicunt* Guilielmi toparchæ S. Prisci, ex vetusta familia de Melloto. *Initium episcopatus ejus affigunt anno 1246, quod ex litteris ibidem subjectis, datisque ante Pascha* anno MCCXLVI, *ad annum 1247 rectius fortasse rejicietur, propter stylum temporis illius, quo annus 1246 scribebatur usque ad Pascha 1247. Obiisse anno 1270 tradunt iidem pag. 308. Videtur autem Guido ab aliis ad perorandum electus propter eloquentiam, quam in eo laudat Clemens IV summus Pontifex per litteras anni 1265, quibus eumdem hortatur ad comitandum Gallorum exercitum pro Carolo Siciliæ rege in Italiam submittendum. Litteras has edidit Martenius tom. 2 Anecdotorum col. 200. Obsecutus est desiderio Clementis Guido, ut discimus ex Nangio apud Chesnium pag. 374, ubi inter* majores exercitus *numeratur* Guido de Bello-joco *(lege* de Melloto) Autissiodorensis episcopus. *Hinc facile colliget lector, virum fuisse acrioris ingenii, quem ad bellicam expeditionem Clemens judicaverit idoneum, ut minus miremur oratione cataphracta coram piissimo rege usum.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

r *Modesta est reprehensio insulsi orationis exordii. Fortasse sic quoque ad patientiam se munivit Sanctus.*

s *Gallice,* an et jour. *Recitavimus § 14 leges* S. Ludovici, *anno 1229 contra Albigenses hæreticos, eorumque fautores latas, in quibus statuuntur ea, qui hic postulant antistites, nimirum ut bona eorum, qui per annum solidum in excommunicatione perstiterant, occuparentur per ministros regios. Hinc Cangius pag. 40, illas* E *leges exhibens, putavit episcopos hæc item petiisse contra Albigenses. Verum illi non possum omnino assentiri, quia leges illæ tantum latæ erant pro Gallia Narbonensi, videnturque episcopi voluisse, ut similes pro toto regno sancirentur, quod ubique reperirentur aliqui contemptores fulminum ecclesiasticorum.*

t *Quam id ex animo diceret pius Rex, ecclesiasticæque libertatis vindex acerrimus, luculenter ostendit exemplum Hugonis Marchiæ et Engolismi comitis, quem coegit ad insignem satisfactionem antistiti Engolismensi cleroque præstandam pro illatis injuriis; attamen postquam episcopus accusarat comitem in curia. Narravimus hoc factum in Commentario num. 858 et sequenti.*

u *Frivola hæc videtur excusatio : neque enim volebat per laicos cognoscere* Ludovicus *de justitia excommunicationis. Verum hujusmodi causarum cognitionem committere solebat viris ecclesiasticis, priusquam contra reum sua auctoritate uteretur, ut factum in causa comitis Engolismensis, de qua mox egimus. Neque video nimium petiisse Regem justissimum, cum voluit per viros, de quorum æquitate confidebat, cer-* F *tior fieri de æquitate excommunicationis, priusquam sua auctoritate excommunicatum ad satisfactionem cogeret. Nam constat aliquot episcopos eo tempore levibus de causis ad censuras procedere solitos.*

x *Non omnino clarum est, quis hic denotetur Britanniæ comes; Petrusne cognomento* Mauclerc, *an Joannes I ejus filius : uterque enim cum ecclesiasticis Britanniæ diu disceptavit, uterque excommunicatus fuit, uterque a Pontifice absolutus : sed neuter ita absolutionem obtinuit, ut triumphum merito posset canere. Conditiones, quibus anno 1230 absolutus est Petrus, refert Lobineau in Historia Britanniæ pag. 227 et sequenti; iisdemque fere absolutum anno 1256 Joannem I, apud eumdem Historicum invenies pag. 256. Verum satis manifestum est, causam Ecclesiæ in illis minime fuisse neglectam, ita ut videri possint non omnino vera, quæ hic pro exemplo allegantur, et locus hic difficultatem patiatur. Attamen respondeo, verisimile esse, episcopos non omnia obtinuisse, quæ petebant; comitemque, licet damna Ec-*

A. JOANNE JOINVILLIO.

clesiæ illata resarcire deberet, futurisque cavere, aliquot articulos, ex quibus lis orta erat, obtinere potuisse contra episcopos; quod satis erat ad intentum Regis; imo etiam sufficere poterat duci, ad victoriam sibi adscribendum, cum in clade etiam triumphare soleant non pauci.

y *De hac pace egimus in Commentario* § *67; repetit hic dicta Joinvillius cap. 27, ubi plura ad ejus relationem notabimus.*

z *Auctor*, de Troie, *at monet probatque Cangius pag. 42, legendum esse* de Trie, *sicut in textu posui, neque id ullum patitur dubium. Restitutionem hanc factam circa annum 1266 putat Chaizius tom. 2 pag. 506, ubi Matthæo de Trie comitatum Domni-Martini restitutum narrat; at Matthæum ante id tempus sine prole mortuum scribit Cangius pag. 42; ita ut comitatum Raynaldo ejus fratri redditum facile assentiri possimus Joinvillio. At major est difficultas circa detentionem comitatus, litterasque ipsas, ad quam respondimus in Commentario num. 956 et seq., ubi factum hoc latius exposuimus.*

B

aa *Comitissa hæc fuit Mathildis, nupta primum Philippo, filio Philippi Augusti Galliæ regis et patruo* S. Ludovici, *deinde Alphonso Lusitaniæ regi, a quo repudiata fuit domumque remissa, ut pluribus exponit Chaizius tom. 2 pag. 327. De ea pluries mentionem fecimus in Commentario, ubi mortem narravimus num. 843.*

bb Domnum-Martinum, *Gallis* Dammartin, *Valesio in Notitia Galliarum pag. 175 etiam* Dominium Martini, *oppidum est in provincia Insulæ Franciæ.* Septem leucis, *ait Baudrandus,* distat a Lutetia Parisiorum in Septentrionem Suessiones versus, et quatuor a Meldis in Occasum.

cc *Gallice,* le chantel, *quod idem est ac* chanteau. Chanteau *autem, inquiunt Trivultiani in Glossario Gallico,* est pars resecta a corpore figuræ rotundæ.

dd *Cangius pag. 43 varia citat instrumenta, in quibus Joanes Sarrazin vocatur cubicularius Regis : notatque cubiculariorum principis fuisse Regis sigillum portare litterasque obsignare, quod munus eo absente cubiculariorum primus obibat.*

C

PARS II

Gesta domi militiæque prudenter, fortiter, ac sancte.

CAPUT I.

Bella, aliaque in Gallia gesta ante iter transmarinum.

Natus est Sanctus festo die S. Marci : *a*

Hic inchoatur pars dicti præsentis libri secunda, in qua, ut ante dixi, perspicere poteris præclara ejus facta, bellicaque facinora. In nomine Dei omnipotentis, bonus hic Rex, sanctus Ludovicus, quem sæpe id dicentem audivi, natus fuit die festo domini sancti Marci, apostoli *a* et euangelistæ. In multis Franciæ locis illo die in supplicantium agmine circumferebantur cruces; easque vocabant cruces nigras *b*. Quod fuit quasi dimidia quædam prædictio de populis, qui ingenti multitudine, numeroque fere infinito cruce signati occubuere in itineribus peregrinationis sanctæ, in Ægypto videlicet, et Carthagine. De quibus magnus luctus ortus est, factusque in hoc mundo; et nunc ingens gaudium est in cælo de illis, qui in sancta hac peregrinatione vita defuncti sunt vere cruce signati, atqui in fide Dei.

D *b*

coronatus Dominica prima Adventus : *c* *d*

27 Corona redimitus fuit prima Dominica Adventus *c*, cujus Dominicæ Missa inchoatur his verbis : Ad te levavi animam meam *d*; Deus meus, in te confido. In quibus verbis magna erat bono Regi fiducia, cum de semet ipse hæc diceret, propter ingens onus, quod suscipiebat. Maxima ipsi fuit in Deo spes ab infantia, et usque ad mortem. Etenim sub finem dierum suorum posteriorum semper Deum, Sanctosque ejus et Sanctas invocabat : et peculiariter patronos sæpe adhibebat dominum sanctum Jacobum, dominamque sanctam Genovevam. Hac de causa ab infantia usque ad extremum momentum, quantum ad animam suam, a Deo custoditus fuit. Præclaris quoque institutionibus matris suæ, quæ diligenter eum docuit in juventute Deum credere, timere, et amare, optime deinceps sanctissimeque secundum Deum vitam instituit. Viros quoslibet religiosos mater ei consociavit, jubebatque diebus Dominicis, et festis, in concionibus *e* audire Verbum Dei : cujus frequenter ei recurrebat memoria, quodque mater ei sæpe dixisset, malle se, ut mortem obiisset, quam vel unicum commisisset peccatum mortiferum.

E *e*

procerum insidiis liberatur : *f* *g*

28 Omnino ei opus fuit, ut a tenera ætate sua Dei gauderet ope. Quippe mater ejus oriunda erat ex Hispania, regione extera, mansitque sine ullis aliis consanguineis, amicisve in toto Franciæ regno. Et quia Franciæ barones viderunt ipsum, ejusque matrem peregrinos, nullius præterquam Dei favore tectos, comitem Bononiensem *f*, qui patruus erat Regis nuper defuncti ejus patris, ducem *g* sibi elegerunt, eumque habebant quasi dominum suum et principem. Et factum est, postquam Rex bonus corona fuerat insignitus, ut pro belli exordio dictorum Franciæ baronum aliqui supplicarent matri ejus, ut sibi tradere vellet magnam quamdam ditionum copiam in regno Franciæ. Et, quia illa noluit, quod ejus non esset præter voluntatem filii sui, jam Regis coronati, regnum imminuere, barones illi omnes Corbolii convenerunt. Et retulit mihi sanctus Rex, se, matremque suam, in Monte-Letherici degentes, non ausos fuisse Parisios usque proficisci, donec urbis incolæ, maximo numero armati, eos deducturi venirent. Et mihi dixit, viam a Monte-Letherici Parisios usque plenam fuisse atque a lateribus conclusam a militibus, aliisque, qui cuncti alta voce ad Dominum nostrum clamabant; ut ei largiretur vitam felicem atque prosperitatem, eumque contra omnes ejus inimicos custodire dignaretur : quemadmodum fecit Deus locis et occasionibus multis, uti audies postea.

F

comitem Britanniæ rebellantem superat : *h*

29 Accidit ut barones Franciæ in unum coirent Corbolii *h*, communique consensu inter se efficere machinarentur, ut comes Britanniæ in Regem insurgeret. Atque, ut bonum Regem insigniter proderent, promiserunt ipsi se ad Regis mandatum ituros, sique illos contra hunc

A hunc Britanniæ comitem ad bellum vellet mittere, singulos se secum non ducturos, nisi duos equites, ut comes facilius Regem, ejusque matrem, feminam, ut audisti, peregrinam superare posset. Quemadmodum promiserunt memorato Britanniæ comiti barones illi, ita etiam præstiterunt. Et audivi a multis, quod comes subvertisset, et subjugasset Regem, ejusque matrem, nisi adfuisset divinum auxilium, quod eum numquam destituit. Quippe divina quasi permissione, in magna boni Regis necessitate, grandique ejus angustia, comes Campaniæ Theobaldus motus est ad invisendum Regem; et revera profectus est cum trecentis omnino equitibus corpore prævalidis, et venerunt in tempore, Deo sit gratia. Nam hujus Campaniæ comitis suppetiis, comitem Britanniæ oportuit se Regi dedere, ejusque inclamare misericordiam. Rex bonus, qui vindictam minime appetebat, considerabat victoriam, quam fuerat consecutus, opus esse Dei potentiæ, favorisque, qui fortem Campaniæ comitem promoverat, ut ipsum viseret, ac comitem Britanniæ recepit in gra-
B tiam. Et tunc Rex tuto incedebat per regionem
i suam *i*.

exponitur ratio controversiæ inter comitem Campaniæ et reginam Cypri :

30 Quoniam interdum in quibusdam materiis accedunt incidentia, quæ faciunt ad propositum, tantisper filum materiæ meæ interrumpam: eoque non obstante quædam hic audies, quæ recitare necesse est ad intelligendum tractatum materiamque pertractandam: atque talia dicemus, et vera. Bonus comes Henricus Largus ex con-
k juge sua Maria *k* comitissa, regis Franciæ atque Angliæ regis Richardi sorore, duos habuit filios; quorum natu maximo nomen Henricus, alteri Theobaldus. Hic Henricus cruce signatus in Terram sanctam cum rege Philippo et Richar-
l do *l* peregrinatus est: qui terni Acconem urbem obsederunt et interceperunt: captaque urbe continuo rex Philippus in Franciam rediit, quod ipsi dedecori vertebatur quam maxime. Et rex Richardus mansit in Terra sancta, ibidemque maxima contra infideles et Saracenos bello edidit facinora: ita ut eum tantopere formidarent, veluti in libro Historiæ peregrinationis
m Terræ sanctæ *m* scriptum est, ut quando Sara-
C cenorum infantes ejularent, matres eorum ipsis dicerent: Silete, silete; eccum regem Richardum, qui vos secum abducat. Et derepente præ metu, quo infantes illi tangebantur, audito solum regis Richardi nomine, obmutescebant. Et similiter, quando Saraceni et Turcæ in campo erant equo vecti, illorumque equi umbræ aut dumi cujusdam metu territabantur, equos calcaribus ferientes vociferabantur: Regemne Richardum esse existimas? Unde clare ostenditur, magna eum contra illos patrasse bello facinora, cum tantæ esset formidini. Rex ille Richardus tantum illustribus factis consecutus est, ut Henrico Campaniæ comiti, qui, ut ante dixi, cum eo remanserat, uxorem dari curaret
n reginam Hierosolymitanam *n*. Et habuit hic Henricus Campaniæ ex regina uxore sua duas filias, quarum prima fuit Cypri regina, altera nupta est domino Erardo de Brienne, ex qua stirps numerosa fuit orta, uti patet in Francia, et Campania. De uxore dicti domini Erardi de Brienne nihil modo dicam; verum de regina Cypri sermonem instituam, quia id congruit, et ad prosequendam materiam meam conducit: atque ita disseram.

nuptias comitis Campaniæ Rex prohibet:

31 Postquam Rex bonus ope Theobaldi Campaniæ comitis subjugaverat, et vicerat Petrum Britanniæ comitem, proceres Franciæ magna contra hunc Campaniæ comitem Theobaldum indignatione *o* sunt commoti, atque in eam inter eos convenit sententiam, ut Cypri reginam accerserent, ad memoratum comitem Theobaldum, qui secundi Campaniæ filii *p* erat filius, hereditate privandum. Quod eis non admodum utile videbatur: sed horum procerum fuere aliqui, qui, quod scopum suum attingere non valerent, quodque intelligerent hoc pacto crimen suum clare aperiendum, susciperent pacem conciliandam inter præfatos, Petrum Britanniæ comitem, et comitem Campaniæ Theobaldum. Et res utrimque adeo agitata fuit, ut ad conciliationem pacis inter eos ineundæ, comes iste Campaniæ Theobaldus promiserit, uxorem sponsamque se ducturum filiam *q* Petri Britanniæ comitis. Et dies assignata fuit, qua id exsecutioni mandaretur, quaque nobilis femina dicto comiti Campaniæ nuptura duceretur ad abbatiam quamdam Ordinis fratrum Prædicatorum *r*, quæ est prope Castrum-Theodoricum in oppi- E
do *s* Valserre nominato. Atque ita, sicut audivi, Petrus Britanniæ comes cum Franciæ proceribus, qui omnes fere ei erant sanguine juncti, profectus est, ut ducerent illustrem mulierem nuptiis sociandam ad monasterium de Valserre; et significarunt comiti Campaniæ Theobaldo, qui in Castro-Theodorico degebat, ut veniret secundum promissa sua mulierem ducturus. Et volebat id quidem exsequi, at subito ei supervenit dominus Godefridus de la Chapelle *t*, qui litteras ipsi Regis obtulit, quibus ad eum scribebat: « Domine Theobalde Campa-
» niæ, intellexi contraxisse te, et promisisse,
» filiam Petri Britanniæ comitis uxorem te du-
» cturum. Quapropter tibi mando, ut quam ti-
» bi charum est, quodcumque in Galliæ regno
» amas, tam id ne facias. Rationem satis nosti:
» numquam inveni; qui malum mihi inferre vo-
» luit, illo deteriorem. » Ubi hoc intellexit comes Theobaldus, qui jam profectus erat, ut mulierem nobilem iret ducturus, Castrum-Theodoricum, unde discesserat, repetiit. F

hinc comitem invadunt fœderati proceres,

32 Quando Petrus Britanniæ comes, proceresque Franciæ boni Regis adversarii, intellexerunt se a comite Campaniæ Theobaldo destitutos, atque deceptos: repente ex indignatione, ingentique odio, quo tunc in istum Campaniæ comitem inflammati sunt, Cypri reginam accerserunt, quæ continuo ad eos se contulit *u*. Et simulac venerat, assensu prorsus communi, post consilium ab iis habitum, singuli ex parte sua accerserunt tantum armatorum numerum, quantum habere poterant, profectique sunt infesto agmine, ut ex parte Franciæ intrarent ditionem dicti comitis Campaniæ, Briam ipsam, et Campaniam. Et cum illis etiam conspirabat dux Burgundiæ *x*, qui uxorem habebat filiam comitis Roberti Drocensis *y*, ut ipse comitatum Campaniæ invaderet ex parte Burgundiæ. Et die præfixa, qua omnes adesse debebant ante Trecas urbem, ut eam caperent; bonus Rex Ludovicus rescivit, qui pariter omnes suos ad arma convocavit, ut comiti Campaniæ Theobaldo ferret suppetias. Et re ipsa proceres omnem, qua transibant, regionem cremabant, atque exurebant: sic etiam faciebat dux Burgundiæ, qui cum iis conspirabat. Et quando bonus Campaniæ comes Theobaldus se tantis viribus oppugnatum perspexit ab utraque

A. JOANNE JOINVILLIO.

z que parte, ipse varias ditionis suæ urbes incendit atque destruxit; præsertim Sparnacum, Virtutes, et Sesanam *z*, ut ne proceres, duxque Burgundiæ eas invenirent instructas cum aliis civitatibus et oppidis, sibique nocerent. Et cum cives Trecenses perspicerent sibi ablatam boni heri sui ac domini comitis Campaniæ commorationem *aa*, subito accerserunt Simonem Jovisvillæ Dominum, patrem illius, qui hodiedum est Jovisvillæ dominus, et cujus nomen in prologo hujus libri est scriptum, ut sibi opem ferret; atque ita præstitit bonus dominus. Continuo enim, re ad eum perlata, accurrit cum suis omnibus, atque ante lucem ad urbem Trecensem adfuit, præclaraque ex parte sua in ope civibus ferenda præstitit, idque quamdiu proceres urbi oppugnandæ insisterent. Et coacti fuere dicti proceres memoratam præterire civitatem, castraque in pratis collocare cum duce Burgundiæ.

quos Rex Campania exire cogit :

33 Et postquam bonus Franciæ Rex novit eos ibidem esse, cum suis recta ad eos tetendit, ut prælio cum ipsis decerneret. Proceres hoc perspicientes, ipsum prece et supplici libello rogarunt, ut dignaretur se recipere post agmen suum, se paratos pugnam inire contra B Campaniæ comitem, et ducem *bb* Lotharingiæ, omnesque eorum milites, trecentis equitibus numero inferiores iis, quos ipse, comes, duxque haberent. Respondit iis Rex, neutiquam eos cum suis dimicaturos, se non præsente. Quod ut perceperunt proceres, derepente fere confusi, ei significarunt, se libenter inducturos reginam Cypri ad pacem cum Theobaldo Campaniæ comite ineundam. Ad quod bonus Rex iis reposuit, se nulla de pace auditurum, neque passurum ut de ea audiret comes Campaniæ, donec comitatu Campaniæ excessissent. Tunc audito responso, inde discesserunt, unicoque repulsu iverunt sub July castrametatum. Et Rex castra posuit ad Ylles *cc*, unde eos pepulerat. Quando barones viderunt, Regem tergis suis tam prope inhærere, a July profecti sunt, atque ad Lingonas *dd*, sitas in comitatu Nivernensi, sibi fœdere conjuncto, castra locarunt. Atque hoc modo Rex bonus, sanctus Ludovicus pacem inter reginam Cypri, comitemque Campaniæ conciliavit, præter quam vellent ac molirentur barones. C

pax inter comitem Campaniæ ac Cypri reginam facta :

34 Et pax inter eos facta est eo pacto, ut pro parte ac jure successionis comes Campaniæ daret reginæ Cypri in toto duo librarum millia terrarum ac censuum; insuper quadraginta millia librarum semel solvenda pro sumptibus dictæ reginæ, quæ pro comite Campaniæ persolvit Rex. Quibus quadraginta librarum millibus Campaniæ comes sequentia feuda et dominia Regi vendidit, nimirum feudum comitatus Blesensis, feudum comitatus Carnotensis, feudum comitatus Sacri-Cæsaris, et feudum vicecomitatus Castrodunensis. Et quidam dicebant, Regem dicta feuda non nisi pro pignore possidere : at id minime verum est : nam id ex bono Rege quæsivi ultra mare, qui mihi dixit id emptione factum *ee*. Terram, quam reginæ Cypri concessit comes Theobaldus, possidet comes Briennensis, qui nunc est, et comes Joviniacensis *ff*, quia avia comitis Briennensis filia fuit reginæ Cypri, atque uxor magni comitis Galteri *gg* Briennensis. Et ut scias unde provenerint feuda, quæ Campaniæ dominus Regi vendidit, quorum ante mentio facta est; significo tibi magno comiti Theobaldo, qui sepultus jacet Latiniaci *hh* tres D fuisse filios, quorum primo nomen fuit Henricus, secundo Theobaldus, tertio Stephanus.

origo feudorum, quæ Rex ea occasione emit.

35 Henricus hic, qui natu erat maximus, fuit deinde Campaniæ et Briæ comes, nominatusque fuit Largus comes Henricus. Largus enim atque benevolus fuit cum in Deum tum in homines. Largus fuit in Deum atque devotus, uti manifeste patet ex templo sancti Stephani Trecensi *ii*, aliisque, quas struxit, ecclesiis, magnisque donis, quæ iis est largitus quotidie, uti satis in memoria est in Campania. In homines largus fuit, ut clare apparuit ex facto Arthaldi de Novigento, multisque aliis locis, quæ referre longum esset. At factum memorati Arthaldi hic memorabo. Arthaldus hic aliquando civis fuit, cui comes iste Henricus confidebat maxime. Et fuit dictus Arthaldus homo tam locuples, ut opibus suis construi jusserit castrum Novigentinum *kk*. Accidit porro ut comes Henricus vellet die quodam ex palatio suo Trecensi descendere, Missæ sacrificio interfuturus in æde sancti Stephani festo Pentecostes : et ad gradus ecclesiæ genibus nixus erat eques egenus, alta voce exclamans et dicens : Domine comes, per E nomen Domini tibi supplico, digneris mihi donare, quo nuptui collocare possim duas filias meas, quas hic vide : non enim mihi est, quo id præstare valeam. Et Arthaldus de Novigento, qui pone comitem erat, isti equiti dicit : Domine eques, perperam facis, quod petas a domino, ut donet : tantum enim donavit, ut non habeat amplius, quod donet. Et ubi hoc comes audiverat, se vertit ad Arthaldum, eique dicit : Domine rustice *ll*, nequaquam verum dicis, asserendo non superesse mihi quod dem; quin imo etiamnum habeo te ipsum; et te ipsi dono. Accipe, domine eques, eum tibi dono, tibique de eo cavebo. Continuo eques egenus nequaquam hæsit attonitus, sed manum injicit in civem, valide admodum pallio apprehensum, illique dicit, se eum non dimissurum, donec ille se ab ipso redemisset; et necesse fuit ut is ab equite quingentis libris se redimeret. Secundus frater istius Henrici Largi fuit Theobaldus, qui fuit comes Blesensis *mm* : et tertius fuit Stephanus, qui fuit comes Sacri-Cæsaris. Et duo hi fratres habuerunt in feudum comitatus suos, et dominia a fratre suo natu maximo Henrico Largo, et post ipsum ab ejus heredibus, qui F regionem Campaniæ possidebant, donec comes Theobaldus illa vendidit Regi sancto Ludovico, ut ante dictum est.

Relatio convivii Regis cum proceribus :

36 Nunc redimus ad propositum nostrum, et materiam, dicemusque Regem post illa coegisse copiosam procerum turbam, idque apertis valvis Salmuri *nn* in Andibus, quodque de his agam, inde fit, quia præsens ibidem aderam. Et certum te facio, rem fuisse incomparabilem, optimeque ornatam et paratam ex iis, quæ umquam perspexi. Ad mensam Regis cibum sumebant comes Pictaviensis, quem nuper equitem creaverat die festo sancti Joannis, non admodum diu præterito; comes Joannes Drocensis *oo*, quem item novum creaverat equitem; comes Marchiæ, et Petrus comes Britanniæ. Ad mensam aliam ante Regem, ad partem comitis Drocensis comedebant Rex Navarræ, egregie ornatus atque condecoratus panno aureo, ex quo erant tunica et pallium; cingulum, fibula, tegmenque capitis auro constabant optimo; coram quo ego *pp* scindebam. Regi, san-

A sancto Ludovico cibum ministrabant comes Artesiæ ejusque frater *qq*, ac bonus comes Suessionensis, qui cultro secabat. Et ad custodiam mensæ Regis erant dominus Ymbertus de Bello-joco *, qui deinde fuit Gallicæ militiæ præfectus, et dominus Honoratus *rr* de Coucy, et dominus Archembaldus de Borbonio *ss* : et post tres barones illos ad excubias stabant triginta omnino illorum equites, vestibus ex panno serico induti. Et post equites illos ingenti erant numero militares et cubicularii apparitores, qui erant in servitio comitis Pictaviensis, gestantes ejusdem scutum gentilitium tela subserica expressum. Rex *tt* tam honorifice exornatus erat, quam id facere potuerat. Quæ res foret mirabilis, et longa relatu. Et audivi e multis præsentibus, numquam se vidisse in uno festo vestes talares, aliaque ornamenta ex panno aureo confecta tanto numero, quanto in illo fuere conspecta.

qq · * Beaujeu · *rr* · *ss* · *tt*

comes Marchiæ Regi bellum parat:

37 Post hanc festivitatem, Rex Pictaviæ comitem duxit ad dictum usque locum Pictavium, ut feuda ille sua et dominia acceptaret. Incommodum tunc Regi contigit a Marchiæ domino, B qui Salmuri ipse ad mensam ejus accubuerat. Congregavit enim clanculo magnam militum manum, quantam conficere potuit, ut se adversus Regem armaret, illique consederunt ad Liciniacum *uu* prope Pictavium *xx*. Rex bonus cupiebat esse Parisiis, et coactus fuit quindecim dies Pictavii subsistere, non ausus egredi. Dicebaturque Rex et comes Pictaviensis iniquam cum comite Marchiæ pacem composuisse : qua de causa oportuit Regem, ut concordiam constitueret, ire ad agendum cum comite Marchiæ, Angliæque regina ejus uxore, quæ mater erat regis Angliæ.

uu xx

quem Anglo junctum Rex superat.

38 Et simulatque Rex Pictavio reversus fuit Parisios, parum intervenit moræ, cum Rex Angliæ, Marchiæque comes fœdere inter se juncti sunt, ut bellum inferrent bono Regi sancto Ludovico, idque cum magna armorum societate, quantam colligere potuerunt. Atque ex Vasconia *yy* profecti sunt ad castrum Talleburgum, quod situm est ad fluvium difficillimum, nomine Charentonium, cui ibidem prope non nisi unus impositus erat exiguus pons ex lapide, valde angustus, quo pateret transitus. C Et ubi id intellexit Rex, progressus est ad illos Talleburgum versus. Et mox, ut nostri conspicati sunt turmas exercitus inimicorum nostrorum, qui ex parte sua habebant Talleburgum *zz* castrum, sine mora cum ingenti periculo transire aggressi sunt, alii per pontem, navibus alii, cœperuntque in Anglos invehi : statimque validi fuere ictus dati. Quod animadvertens bonus Rex, ingenti se aliis immixtus obtulit discrimini : et periculum ibidem erat præsentissimum : nam pro uno, quem Rex habebat, cum transiverat, homine, Angli centum facile numerabant. Hoc tamen non obstante, quando viderunt Angli Regem transiisse, omnes terrore concuti cœpere, uti Deus voluit, atque inde ingressi sunt civitatem Santonum. Et evenit, ut multi e nostris, Anglis immixti, cum iis civitatem intrarent, qui fuere capti.

yy · *zz*

ac ditionis parte mulctat supplicem.

39 Et postea a quibusdam illorum audivi, illa nocte magnam fuisse discordiam inter regem Angliæ et comitem Marchiæ in dicta Santonum civitate, quemadmodum audiverunt. Et Rex Angliæ dicebat, comitem Marchiæ rogasse ut veniret, sibique pollicitum esse, magnum in Gallia adfuturum subsidium. Et hac contentione A rex Angliæ a Santonum urbe discessit, petiitque Vasconiam, unde primo discesserat. Et perspiciens Marchiæ comes se solum relictum, sciens se commissum vitium corrigere non posse, Regi se dedit captivum *aaa* cum uxore sua ac liberis. Unde Rex adeptus est multum terrarum comitis, cum pacem faceret : at quantum ignoro, quia non aderam : nam eo tempore nulla adhuc fueram lorica indutus. Audivi quidem comitem Marchiæ præter terras, quas habuit Rex, etiam renuntiasse censibus decem millium librarum Parisiensium, quos annuatim Rex ei debebat.

A JOANNE JOINVILLIO. · *aaa*

ANNOTATA.

a *S. Marcum ex duodecim Apostolis non fuisse, notum est : Apostolus tamen non raro vocatur, præsertim a Græcis, ob Euangelium cum Apostolis promulgatum : festivitas ejus celebratur 25 Aprilis. Annum 1214* S. Ludovico *natalem probavi* § *5.*

b Cruces nigræ, *ait Cangius in Glossario auctiore tom. 2 col. 1189*, ita dicta litania major, E seu Gregoriana, quod, cum agebatur, ædes sacræ, altaria, atque adeo populus ipse nigris ornamentis, et vestibus induerentur : *in signum videlicet luctus et pœnitentiæ, quem in finem institutæ sunt solemnes hæ supplicantium processiones, ut ibidem probat Cangius. Ceterum an a S. Gregorio magno institutæ sint hæ supplicationes in festo S. Marci, hic non lubet inquirere, multa de iis notat Baronius ad diem 25 Aprilis Martyrologii Romani.*

c *Anni 1226, ut in Commentario diximus num. 84, ubi reliqua etiam ad coronationem spectantia exposuimus.*

d *Huc usque auctor verba citavit Latine, reliqua Gallice adjunxit.*

e *Editiones Gallicæ habent*, Et sermons la parolle de Dieu, *quod mendosum videtur. Crediderim legendum* és sermons, *ut sensus sit perfectus.*

f *Philippus comes erat Boloniæ, seu Boloniæ maritimæ, et filius Philippi Augusti* S. Ludovici *avi, adeoque Sancti patruus, ut constat. Mendosa igitur sunt sequentia, vel auctor in genealogia erravit, cum eum dicit patruum* F *Ludovici VIII, cujus erat frater. Forsan in transcribenda, vel edenda Joinvillii Historia tres voces exciderunt. Accipe verba Gallica, quibus tres voces interponam, et sensum habebis integrum :* Qui estoit oncle du Roy *(frere du Roy)* darreinerement trespassé son pere. Qui patruus erat Regis *(frater regis)* nuper defuncti ejus patris.

g *Non fuit hæc prima procerum in Regem conspiratio, sed secunda. Primam, quæ vivente adhuc Ludovico VIII coaluerat, prætermisit hic auctor : nec in ea fuit Philippus Boloniæ comes. Nos eam exposuimus* § *9 et 10. De hac vero egimus* § XI *a num. 117, ubi plura de Philippo.*

h *Hæc facta sunt anno 1228, vel 1229 : nam rebellio Petri Britanniæ comitis cœpta est anno 1229.*

i *Ex postremis hisce verbis, totoque contextu evicimus num. 193 Commentarii, Joinvillium confuse hic prestringere bellum, quod cœptum anno 1229, induciisque interruptum, finem accepit anno demum 1234 subjectione comitis. Acceperunt quidem dicta Joinvillii de brevi ali-*

A. JOANNE JOINVILLIO

aliqua rebellione historici non pauci : at illi non satis attenderunt ad stylum characteremque auctoris, illosque refutavimus loco assignato : ubi totum quoque hoc bellum late prosecuti sumus.

k *Maria, uxor Henrici Campaniæ comitis, cognomento Largi seu liberalis, filia fuit Ludovici VII, abavi* S. Ludovici, *ex Eleonora Aquitaniæ ducis filia, quam Ludovicus postea dimisit, ubi matrimonium eorum declaratum fuerat invalidum in concilio, Balgentiaci * hac de causa habito die Martis ante Dominicam Palmarum anni 1151, uti videre est apud Labbeum et Cossartium tom. 10 Conciliorum col. 1129. Hinc Maria fuit soror Philippi Augusti Franciæ regis ex parte patris. Porro Eleonora deinde nupsit Henrico comiti Andegavensi, qui factus est Angliæ rex, filiumque ex ea Richardum habuit regni heredem : unde Maria soror etiam fuit regis Angliæ Richardi. Hæc Labbeus in Tabulis genealogicis domus regiæ pag. 49, aliique.*

* Baugency

l *De hac expeditione Philippi Augusti Gallorum, Richardi Anglorum regis, aliorumque* B *principum quædam diximus in Commentario num. 584 et seqq., ubi et gesta Richardi perstrinximus.*

m *Indicat, opinor, auctorem, qui Historiam Tyrii continuavit : hic enim apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 637 eadem fere habet. Verba ejus ex antiquo Gallorum idiomate Latine subjungo :* Propter hanc fortitudinem ... magno timori fuit apud paganos omnes; et accidebat subinde, sicuti narratur, ut, quando infantes Saracenorum plorabant, dictitarent : « Tacesis propter regem Angliæ. » Et dum Saracenus aliquis equo vehebatur restitante, illeque visa umbra sua recedebat; Saracenus subdens calcaria, exclamabat : « An putas » regem Richardum in dumo absconditum. » Aut in eo, cujus formidine hærebat equus. *Potest tamen et alibi hæc legisse Joinvillius.*

n *Isabella hæc erat filia Amalrici regis; de cujus matrimonio disceptatum fuit, quod illud aliqui validum esse vellent, invalidum alii. Vide quæ diximus in Commentario num. 240, et 271.*

o *Imo jam antea indignatio illa fuerat orta,* C *quia Theobaldus a fœdere comitum Britanniæ et Marchiæ resiluerat, et deinde procerum contra Regem insidias detexerat.*

p *Videlicet Theobaldi, qui filius erat natu secundus Henrici Largi : cum Cypri regina filia esset Henrici, filii natu maximi ejusdem Henrici Largi. Hinc diximus in Commentario num. 240 Cypri reginæ comitatum debitum fuisse, nisi natalium defectus fuisset oppositus.*

q *Ex morte Agnetis Theobaldi uxoris, quæ defuncta est anno 1231, ostendimus hæc bello Campanico posteriora esse, factaque sub finem anni 1231, vel anno sequenti, adeoque causam belli Campanici non recte assignari a Joinvillio. Hæc probata vide in Commentario num. 238 et seqq. Porro molitiones procerum fœderatorum hoc ordine progressæ sunt. Cum Theobaldus resiliisset a fœdere, ipsum aperto bello aggressi sunt anno 1229, bellumque metu Regis intermissum resumpserunt anno 1230 : sed ubi viderunt, se nihil efficere aperto marte, quod Rex Theobaldum protegeret, per nuptias hasce Theobaldum sibi rursum adjungere conati sunt. Verum nuptiis Regis prudentia impeditis, ad ultimam confugerunt machinam, ac reginæ Cypri suaserunt, ut jura sua in comitatum Campaniæ urgeret. Quæ in Commentario suis locis probavimus : nec obscurum est, hæc omnia eos machinatos, ut Theobaldum a Regis partibus avellerent, aut perderent.* D

r *Mendosa hæc sunt, legendum* Ordinis Præmonstratensis, *ut mox patebit : volui tamen verba Gallica fideliter Latine exprimere.*

s *Gallice,* En une ville, que l'on appelle Valserre. *Potuit fortasse auctor, qui in Campania quidem, sed longe a Castro Theodorico natus est, existimare nomen abbatiæ ab oppido derivatum, atque ita in errorem induci. Certe nomen est abbatiæ, non oppidi, quod exprimit. Porro si voci* Valserre *vellemus omnino inhærere, dicendum esset, hæc contigisse in abbatia Vallis-Serenæ, Gallice* Valsery, *at illa Suessionibus vicinior est quam Castro-Theodorico. Vicinia igitur Castri-Theodorici suadet, ut intelligamus abbatiam Vallis-Secretæ * Ordinis Præmonstratensis, quæ sesqui tantum hora abest Castro-Theodorico, ut affirmat in Annalibus Ordinis Præmonstratensis illustrissimus dominus Carolus Ludovicus Hugo, qui tom. 2, col. 1033 et seqq. de utraque hac abbatia agit prolixius. Atque ita hunc locum jam exposuit Chaizius tom. 1 pag. 153, aliique. Ceterum Castrum-Theodoricum, Gallice* Château-Thierri, *urbs est in Briæ provincia ad Matronam sita.* E

* Valsecret

t Hic dicitur curator panarii * in Francia in charta anni MCCXL, *ait Cangius pag. 45, ubi et plura de eo colligit.*

* Panetier

u *Hæc vera esse opinor; at bellum, quod subdit, diu præcessisse jam diximus.*

x *Hugo IV dux Burgundiæ juvenis erat hoc tempore, ac nuper uxorem duxerat Jolandam filiam Roberti III Drocensis ac Branæ comitis : de eo sæpius recurret sermo : nam comitatus est* S. Ludovicum *in Terram Sanctam.*

y *Robertus III Druidum comes (de Dreux) descendebat a Ludovico VI Galliæ rege, cujus erat abnepos, ac frater natu major Petri Britanniæ comitis. Obiit anno 1233, ut dictum in Commentario num. 271.*

z *Gallice,* Esparnè, Vertu et Sezanne. *Horum autem oppidorum duo priora sunt in Campania, tertium in Bria. Consule Commentarium prævium § 19, ubi hæc omnia exposita invenies, discesque hæc oppida ab inimicis potius, quam ab ipso Theobaldo videri destructa.* F

aa *Id factum apparet, postquam acie victus fugatusque Theobaldus.*

bb *Matthæus hic erat, istius nominis II, ut notat Cangius pag. 46. Hunc autem cum Theobaldo fœdere junctum fuisse, vidimus in Commentario num. 197, ubi et gesta primo hujus belli anno exposuimus.*

cc Illes, *seu* Ille *pagus Campaniæ, unde castra moverunt fœderati, in mappis geographicis notatur aliquot leucis a Trecis versus Barrum ad Sequanam :* Juilly *vero notatur in iisdem non longe a Barro, ita ut paullatim versus Burgundiam se reciperent.*

dd Langres *habet auctor, prout est editus. At mendum videri potest, quia* Lingonæ, (Andomatunum Lingonum *vocarunt antiqui) non sunt in comitatu Nivernensi, sed in Campania. Chaizius pag. 113 hæc narrans, accipit de vico* Ligneres, *qui, inquit, in ditione erat comitatus Nivernensis. Quidquid autem de hoc castrorum loco sit verius, hic finem accepit bellum Campaniæ : non quia statim* Ludovicus *finivit litem*

Theo-

A *Theobaldi et reginæ Cypri, quod annis aliquot differendum, sed quia fœderati principes, cum non auderent ultra se Regi opponere, inducias pacti sunt, quæ ad pacem demum deduxerunt dissidentes.*

ee *Hanc feudorum venditionem ex ipsis Theobaldi litteris probavimus in Commentario num. 273. At notandum, non nisi supremum harum ditionum dominium esse venditum. Consule de his omnibus Commentarium a num. 271.*

ff *Gallice*, Le conte de Brienne, qui à present est, et le conte de Joingny. *Uterque comitatus est in Campania, ac utraque familia subinde affinitate fuit conjuncta, ut intelliges ex Dictionario historico Morery ad vocem* Brienne. *Ratio ergo, cur pars horum bonorum ad comitem Joviniacensem pervenerit, est affinitas cum familia Briennensi contracta.*

gg *Galterus Briennensis, quem vocat magnum, comes fuit Jafæ in Palæstina, de cujus gestis et morte multa narrat cap. 22.*

hh Latiniacum, Lagny, *oppidum amplum est in Bria provincia ad Matronam, sex leucis Lutetia dissitum, inquit Baudrandus.*

B ii *Hanc Henrici comitis liberalitatem pietatemque illustri elogio celebrat Albericus in Chronico ad annum 1163, ubi post relatam quoque ecclesiæ S. Stephani fundationem, tandem concludit his verbis* : Fateor me non vidisse... tantæ liberalitatis extitisse principem.

kk *Gallice*, Le Chasteau de Nogent. *Multa hujus nominis oppida assignat Valesius in Notitia Galliarum pag. 383 : atque inter ea alterum in Campania ad Sequanam*, Nogent sur Seine; *alterum in Bria ad Matronam*, Nogent l'Artaud. *Hujus autem posterioris dominus fuit Arthaldus, ejusque uxor Hodierna Novigenti deinde domina legitur. Vide Cangii observationes pag. 47, qui et filium eorum assignat et nepotem.*

ll Sire villain, *quod rusticum significat, prout in textu posui, quamvis etiam hominem sordidum et avarum non raro denotet; eoque sensu dictum possit intelligi. Forte Arthaldus, qui supra* civis *vocatur, stirpe nobili natus non* C *erat, opibusque ingentibus nobilem uxorem fuerat consecutus.*

mm *Promisit auctor se dicturum, unde dominium quatuor feudorum ad comitem Campaniæ pervenerit; jam vero id tantum de duobus exponit, quantum apparet. At videtur id factum, quia Theobaldus hic comes erat non modo Blesensis, sed Carnotensis quoque, et Castridunensis vicecomes : nam in catalogo feudorum Campaniæ, quem recitat Cangius pag. 149, ita legitur :* Comes Carnotensis et Blesensis tenet comitatum cum omnibus feodis appendentibus a comite Campaniæ, et est suus homo ligius, et Chasteldun *etc. Idem infra in eodem catalogo dicitur de comite Sacri-Cæsaris. Duo igitur fratres, eorumque posteri quatuor hæc feuda habuerunt ab Henrico Largo, ejusque et posterorum ejus Campaniæ comitum fuere vassalli, donec Theobaldus jus suum vendidit* S. Ludovico. *Porro hunc morem fuisse in Gallia, quod fratres natu minores vassalli fierent pro parte hereditatis suæ, dependerentque a fratre suo natu maximo, probat late Cangius in dissertatione 3.*

nn Salmurum, *vulgo* Saumur, *urbs est in provincia Andegavensi ad Ligerim*, VIII leucis dissita ab Andegavo in ortum, *ait Baudrandus. Hæc autem ibidem contigerunt anno 1241, ut diximus in Commentario* § 38, *quem de his consule.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

oo *Joannes erat hujus nominis primus Drocensis et Branæ comes, filius Roberti III, quem obiisse anno 1233 diximus ad litteram* y. *Joannes vero dein mortem oppetiit in Cypro anno 1248.*

pp *Adolescens erat tum temporis Joinvillius, nec adhuc militia donatus ob ætatis defectum, ut ipse significat num. 39. Crediderim inter nobiles ephebos regis Navarræ, seu comitis Campaniæ fuisse, eaque occasione cum eo ad hanc festivitatem accessisse.*

qq Carolus, *opinor, nisi et redundet. Porro Robertus Artesiæ comes et Carolus ministrabant, accumbente cum Rege Alphonso, quia hujus causa institutum erat convivium.*

rr Honourat *habet utraque editio. At monet Cangius pag. 48, legendum esse* Enjorrans, *vel* Enguerran, *ita ut designetur Engelramus Cociaci dominus, qui se ipse subinde, teste Cangio, vocavit* Injorranum. *Assentior quidem Cangio, credoque Engelramum, qui satis aliunde innotescit, designatum esse : volui tamen verba Gallica fideliter sequi in textu. Ceterum de Engelramo Cociaci domino multa fuere dicenda in Commentario num. 845 et seqq.* E

ss *Dominus erat oppidi, quod postea nomen dedit Borbonensi provinciæ, ac vulgo vocatur* Bourbon l'Archambault, *Latine* Borbonium. *Obiit in Cypro, dum ibi morabatur* S. Ludovicus, *uti in Commentario dictum est num. 606.*

tt *Necdum ablegaverat* Ludovicus *vestes pretiosas, ut occasione expeditionis transmarinæ deinde factum.*

uu *Liciniacum castrum in agro Pictaviensi illustrat Valesius in Notitia Galliarum pag. 276. Aliqui corrupte vocabant* Liziniacum, *Gallice* Lezignen, *et usitatius* Lusignan. Hoc castrum, *ait Valesius,* nomen suum dedit familiæ nobili et antiquæ, quæ in insula Cypro diu regnavit : *imo et regnum Hierosolymitanum aliquamdiu tenuit, ut exposuimus in Commentario* § 46. *Ex eadem familia erat Hugo Marchiæ comes, belli referendi auctor.*

xx Pictavium, Poictiers, *provinciæ Pictaviensis caput est, et satis notum.* F

yy *Angli nimirum ex Vasconia profecti sunt in Santoniam, quæ comitis erat, quæque præcipua hujus belli sedes fuit. Multa tamen jam ceperat oppida* Ludovicus, *priusquam conjuncti essent fœderati. Hæc omnia, aliaque exposita, lateque deducta vide in Commentario* § 38. 39, *et 40, ubi et alios principes invenies, qui huic contra Regem fœderi fuere impliciti.*

zz *Erat Talleburgum ex parte Gallorum, licet auctor videatur contrarium dicere, etiam prout verba Latine dedimus. At, sicut non omnino clarum est propter sensus ambiguitatem, an in eo erraverit, ita certum est, duos conflictus ab eo in unum confusos, quos loco mox designato distinximus.*

aaa *Imo supplex se ejus misericordiæ permisit : et pacem adeptus est, qualem descripsimus* § 39.

CAPUT

A. JOANNE JOINVILLIO.

CAPUT II.

Morbus Regis : crux sumpta : iter Joinvillii in Cyprum.

Rex ad extrema deductus, se cruce signat :

Post hæc accidit, ut Rex Parisiis *a* incideret in morbum gravissimum, adeoque fuit in extremo, sicut ipsum audivi referentem, ut una matronarum, quæ ei in morbo assistebat, existimans defunctum esse, linteo faciem ejus tegere voluerit, dicens mortuum esse. Et ab alia parte lecti, Deo sic volente, alia erat matrona, quæ pati noluit, ut sic facies ei velaretur, atque sepeliretur : sed semper dicebat, vitam ei adhuc superesse. Et continuo in matronarum illarum contentione, Dominus noster in eo operatus est, eique loquelam donavit. Et bonus Rex postulavit, ut sibi crux adferretur, quod fuit factum. Et quando bona domina, ejus mater, scivit, ei loquelam restitutam esse, tanto inde perfusa fuit gaudio, ut non posset magis. At ubi eum vidit B cruce signatum, adeo fuit perculsa, acsi mortuum vidisset *b*.

cujus exemplum multi sequuntur.

41 Et quandoquidem bonus Rex se cruce signavit, etiam se cruce signaverunt Robertus Artesiæ comes, Alphonsus comes Pictaviensis, Carolus comes Andegavensis, qui postmodum fuit Siciliæ rex, omnes tres Regis fratres : ac Hugo Burgundiæ dux, Guilielmus *c* Flandriæ comes, frater ejus Guido Flander, nuper Compendii defunctus : validus comes sancti Pauli Hugo, dominus Galterus fratris ejus filius *d*, qui egregie se gessit ultra mare, multumque valuisset, si vitam nactus fuisset diuturnam. Etiam ibidem erant Marchiæ comes, de quo paullo ante loquebamur, et dominus Hugo le Brun, et *e* ejus filius, comes Pontis Saravi *f*, dominus Gobertus Asperi-montis *g*, ejusque fratres : in cujus societate ego Joannes Joinvillius, quia eramus cognati, mare transivi modica navi, quam conduximus. Viginti eramus equites, quorum decuriam unam ipse ex parte sua conficiebat, atque ego ex parte mea decuriam alteram. C Et fuit post Pascha anno gratiæ MCCXLVIII.

Narrat Joinvillius quo se modo ad iter paraverit,

42 Et ante discessum meum accersivi clientes meos et Jovisvillæ subditos, qui me accesserunt in ipso Paschatis pervigilio, qui dies fuit, quo natus est Joannes filius meus, dominus de Ancarville *h*, ex priori uxore, sorore comitis *i* Grandipratensis. Totam impendi hebdomadam festis et conviviis celebrandis cum fratre meo Vallis-coloris domino *k*, cunctisque magnatibus *l* regionis, qui ibidem erant; canebantque, postquam biberamus et manducaveramus, alii post alios, et hilarem admodum se præbebat quislibet ex parte sua. Et ubi dies Veneris aderat, ipsis dicebam : Domini, scitote me tendere ultra mare : nescio, an umquam rediturus sim nec ne. Quapropter siquis est, cui ullam umquam intuli injuriam, quique de me cupit conqueri, coram se sistat. Quippe id volo emendare, ut facere soleo iis, qui de me vel de meis conqueruntur. Atque ita feci ex communi sententia populi regionis, terræque meæ. Et ne qua mihi fieret gratia, eorum durante consultatione, alio me recepi, ac sine contradictione consentire volui omnibus, quæ mihi referrent. Et id faciebam, quia ne vel unum denarium injuste auferre volebam. Et ut consilium meum exsequerer, magnam terræ meæ partem amicis meis oppignoravi, adeo ut mihi non remanerent terræ aliæ, nisi quæ mille ducentarum librarum censum importarent. D Nam vivebat adhuc domina mater *m* mea, quæ majoris bonorum meorum partis usum fructum possidebat. Profectus sum ego decurio equitum, ut ante dixi, cum tribus vexillis *n*. Atque hæc tibi narravi, quia, nisi adfuisset auxilium subsidiumque Dei, qui numquam mei fuit oblitus, ferre non potuissem tantos sumptus sex annorum spatio, quibus in Terra sancta fui peregrinus.

quibusque comitibus

43 Quando ad discedendum eram paratus, et ipso, quo proficisci volebam, tempore, Joannes Asperi-montis dominus, et comes Pontis Saravi ad me miserunt, qui peterent, an vellem, ut pariter proficisceremur, se denos equites omnino paratos esse. Quod libentissime iis assensus sum, et navim Massiliæ *o* conduci jussimus, quæ vexit duxitque nos omnes cum armis et equis. Et scito quod Rex ante discessum Parisios convocaverit omnes Franciæ proceres, illosque profiteri jusserit fidem et clientelam, nec non jurare, fideles se ejus liberis futuros, si quid mali accideret personæ suæ in itinere sancto ultra mare. Et me etiam advocavit : at ego, qui ei non eram sub- E ditus *p*, juramentum præstare nolui ; neque etiam intendebam remanere. Et quando discedere volui, meque itineri committere, misi ad abbatem Cheminiensem *q*. qui eo tempore habebatur ex toto Ordine Cisterciensi vir maxime probus, ut me viseret, ad confitendum ei de peccatis *r*. Et tradidit mihi, ac circumdedit balteum meum, baculumque *s* manui meæ indidit.

post pias peregrinationes discesserit,

44 Et continuo Jovisvilla discedo, numquam ad castrum deinde regressus usque ad reditum a peregrinatione transmarina. Et primo invisi sancta loca illic vicina; peregrinatus videlicet in Bleicourt *t*, ad sanctum Urbanum *u*, aliaque loca Jovisvillæ propinqua, omnia pedes, excalceatus, et in laneis. Et quando tendebam ex Bleicourt ad sanctum Urbanum, ita ut mihi transeundum esset juxta castrum Jovisvillæ, numquam ad Jovisvillam vultum invertere ausus sum, ne nimio afficerer dolore, corque mihi emolliretur, quod desererem duos liberos meos, pulchrumque meum castrum Jovisvillæ, quod mihi in primis erat cordi : sed subito prætergressus sum cum socio meo comite Pontis Saravi, no- F strisque viris, et equitibus. Et pransuri ivimus ad Fontem Archiepiscopi ante Dongeux *x*. Atque illic abbas sancti Urbani, cui Deus sit propitius, mihi, meisque equitibus pretiosa donavit monilia. Et deinde ei vale diximus, rectaque ivimus Aussonam *y*, et nos, nostraque arma navi commisimus per Ararim *z* Lugdunum usque : et equi nostri *aa*, sonipedesque manu ducebantur per fluvii ripam. Et cum fuimus Lugduni, mox flumen Rhodanum intravimus, Arelaten *bb* petituri. Et memini omnino, supra Rhodanum ad ripam nos invenisse castrum, quod Rupem Gluy *cc* vocabant, quod castrum Rex destrui jusserat, quia castri dominus, Rogerus nomine, pessime audiebat, quod mercatores et peregrinos omnes, illac prætereuntes, spoliaret ac deprædaretur.

navimque ingressus cum sociis,

45 Mense Augusto illius anni navem ingressi sumus ad Rupem *dd* Massiliæ, et navis fores apertæ fuere ad equos, quos trans mare vehere oportebat, introducendos : ingressisque omnibus, reclusæ fuere fores, obturatæque, acsi vini dolium voluissent construere : quia quando navigium in alto est pelago, porta tota aquis est immersa.

A immersa. Et continuo navis gubernator suis, qui erant ad rostrum navis, clamabat : Omniane vestra parata sunt? Sumusne accincti? Dixeruntque, quod ita omnino. Et postquam intraverunt sacerdotes et clerici, omnes illos ad castrum navis jussit ascendere, eosque rogavit, ut cantarent in nomine Dei, ut prospere nos omnes ducere dignaretur : ac omnes elata voce cantare cœperunt elegantem hunc hymnum : VENI CREATOR SPIRITUS a capite ad calcem. Et inter cantandum, nautæ in Dei nomine vela dederunt; et derepente ventus velis incumbens, terram cito oculis nostris eripuit, ita ut nihil deinde videremus nisi cælum, et æquor : et indies recedebamus a loco, unde eramus profecti. Hac autem de causa libenter profitebor, insanum esse admodum illum, qui sciret sibi quid esse rei alienæ, animamque suam peccato quodam mortifero inquinatam, quique in tantum se conjiceret periculum : etenim siquis se vesperi det somno; nescit, an mane futurus non sit in fundo pelagi.

periculum in mari, supplicationibus institutis, sublatum viderit.

B 46 Adhæc referam quidnam rei mirandæ se primum nobis in mari obtulerit. Erat mons ingens plane rotundus, qui se nobis aperuit ante Barbariam circa horam Vespertinarum precum. Et quando illum prætervivaramus, tota illa nocte ulterius tendimus : et recurrente matutino tempore, existimabamus nos processisse ad leucas quinquaginta facile, et ultra; at eramus etiam tum ante magnum illum montem. Obstupuimus vehementer; ac navigabamus continue, ut ante, tota illa die, nocteque sequente : sed prorsus idem erat, adhuc enim nos ibidem esse perspeximus. Tunc magis quam ante omnes stetimus attoniti, omnesque putabamus in mortis nos esse periculo *ee* : nautæ enim dicebant, Saracenos Barbariæ mox adfuturos, qui nos invaderent. Aderat tum vir ecclesiasticus maximæ probitatis, quem decanum de Mauru *ff* vocabant, qui nobis dixit : Domini, numquam in parochia vidi vexationem aliquam, sive redundantia aquarum, sive illarum inopia, sive alio quodam incommodo, quin, ubi habita fuerat tribus vicibus die Sabbati pie ad Deum supplicatio, Deus ejusque Mater illos a malo sublevaret, atque ad illud, quod rogabant, reduceret. C Scito diem illum fuisse Sabbati. Et statim incipiebamus supplicationem instituere circum malos navigii. Et bene memini, meipsum curasse, ut sub brachiis me eo agerent, ac circumducerent, quia gravi laborabam infirmitate. Et mox conspectu hujus montis caruimus, fuimusque in Cypro tertio die Sabbati, postquam tertia nostra supplicatio fuit habita.

ANNOTATA.

a *Probavimus in Commentario num. 514 Regem Pontisaræ hoc morbo decubuisse. At Parisiis inchoari morbus potuit, vel memoria lapsus est Joinvillius.*

b *Hæc omnia latius, exactiusque descripsimus num. 514 et seqq.*

c *Filii erant Guilielmus et Guido Margaritæ Flandriæ comitissæ ex Willelmo de Domnopetro (Dampierre,) quorum natu maximo Guilielmo Rex comitatum Flandriæ adjudicaverat post mortem Margaritæ possidendum contra alios Margaritæ filios ex Bochardo de Avesnis natos, ut dictum in Commentario num. 547.*

d *Galterus hic filius erat Guidonis de Châtillon, cujus frater natu minor fuit Hugo comes S. Pauli, teste Cangio pag. 50, qui Hugonem in Cypro defunctum ait; Galteri autem non raro deinde fit mentio.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

e *Illud et redundare advertit laudatus Cangius : nam Hugo le Brun filius erat Marchiæ comitis ac ejusdem cum ipso nominis, ut patet ex Commentario num 484, ubi filius Hugo cum Rege agit de pace. Cecidit Hugo pater in prælio ante Damiatam ex num. Commentarii. 642, filium item in Oriente obiisse scribit Chaizius tom. 2 pag. 313.*

f Saravus fluvius est navigabilis, qui apud Augustam Trevirorum in Mosellam effluit, *inquit Valesius in Notitia Galliarum pag. 504. Hinc nomen oppidi deducit, quod* Pontem Saravi *aut* Sarvi, *vicinisque nominibus vocatum docet. Galli* Sarbruc *vocant, Joinvillius* Salebruche, *Germani* Sarbrûggen *vel* Sarbruck : *ac caput est comitatus in diœcesi Metensi. Videri potest Merianus in Topographia Palatinatus Rheni pag. 43.*

g *Mendose in Joinvillio legitur* de Premot : E *at monent Menardus et Cangius legendum esse,* d'Apremont. *Asperum-montem autem castrum fuisse in Lotharingia inter Nanceium et oppidum S. Michaelis, notavimus tom. 4 Augusti pag. 380 ad Acta B. Goberti, qui ex eadem fuit stirpe, ubi etiam a pag. 373 de ejusdem stirpis genealogia quædam dicta sunt, quæ consuli possunt, uti et Cangius pag. 50.*

h Ancarville, *vel* Ancerville *una leuca distat a Fano S. Desiderii, ait Cangius in Genealogia stirpis Joinvillicæ pag. 22.*

i *De hac prima Joinvillii uxore Aleide, filia Henrici comitis Grandipratensis vide ibidem Cangium pag. 17. Grandipratum autem (Grandpré) oppidulum est Campaniæ*

k *Vallis-coloris, vulgo* Vaucouleur, *oppidum est Campaniæ ad Mosam, quo Fredericus aliquando invitavit* Ludovicum, *ut dictum num. 345. Nomen huic fratri Godefridus, de quo multa collegit laudatus Cangius pag. 13 et seqq.*

l Riches homs *hos vocat auctor. At fuse probat Cangius pag. 51 hoc nomine nobiles potentiores, seu magnates intelligendos.*

m *Nimirum Beatrix filia Stephani Burgundiæ comitis. Vide Cangium pag. 12. Porro, sic-* F *ut omnibus se satisfecisse ante abitum narrat Joinvillius, ita* Ludovicum *quoque fecisse, diximus in Commentario num. 552.*

n *De equitibus vexillum gestantibus fuse disputat Cangius dissertatione 9. Erant hi nobiles ceteris excellentiores, quales hodiedum fere* barones *vocamus : et eorum singuli aliquot secum ducebant inferioris ordinis equites, uti hi rursum alios, quos vocabant* servientes. *Hujusmodi itaque tres equites vexillum gestantes in cohorte sua habebat Joinvillius, quos sumptibus suis debebat alere.*

o *Massilia,* Marseille, *satis nota est in Provincia ad mare Mediterraneum. Hinc in Cyprum navigarunt crucesignatorum aliqui; non tamen ipse* Ludovicus.

p *Nimirum nullo intermedio : nam subditus erat et cliens comitis Campaniæ; hic vero Regis. De comitiis his anno 1247 habitis egimus in Commentario num. 550 et seq.*

q Cheminium, Cheminon, *abbatia est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Catalaunensi, de qua agit Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis pag. 333, sed memoriæ lapsu* S. Ludovico

A. JOANNE JOINVILLIO.

tribuit, quæ hic de se narrat Joinvillius.

r *Gallice*, pour me reconcillier à luy, *quod verti posset*, ut cum eo pacem inirem. *At sensus exigit expositionem datam, et verbum* reconcilier *eam quoque significationem habet.*

s *Pro more crucesignatorum, qui peregrinantes imitabantur : de hoc usu videri potest dissertatio 15 Cangii. Eadem peregrinantium insignia* Ludovicum *suscepisse, dictum est in Commentario num. 575.*

t Blecourt *pagus notatur in mappa geographica aliquot leucis a Jovisvilla.*

u *Abbatia est Ordinis S. Benedicti, S. Urbano Papæ et martyri sacra, cujus reliquiæ ibidem miraculis olim inclaruerunt. Sita est in Pertensi agro leuca una aut altera a Jovisvilla. De ejus fundatione agit Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 3, pag. 125.*

x *Gallice*, A la Fontaine l'Arcevesque devant Dongeux, *quem locum ignoro.*

y *Aussona, vulgo* Auxone, *oppidum est Burgundiæ ad Ararim.*

z Arar, *vulgo* la Saône, *notum est Galliæ flumen, quod ex comitatu ducatuque Burgundiæ delatum, Lugdunum bifariam secat, ac Rhodano se miscet.*

B

aa *Gallice* Nos chevaulx et destriers, destrier *autem proprie significat equum bello aptum.*

bb Arelate, Arles, *urbs est satis nota in Provincia ad Rhodanum. Duodecim leucis distat Massilia, inquit Baudrandus.*

cc *Relata est hujus castri expugnatio in Commentario num. 578.*

dd *Gallice*, à la Roche de Masseille. Ita vocat promontorium, quo portus Massiliæ defenditur, *inquit Cangius pag. 55. Arx ibidem est B. Virginis, vulgo* Notre Dame de la Garde. *Annum vero designat 1248.*

ee *Difficulter factum hic relatum explicari poterit sine arte magica aut diabolica, præsertim quod malum cessaverit post supplicationem institutam. Neque enim credibile est omnes, qui navi illa vehebantur, fuisse tam simplices, aut rerum, quæ in mari occurrunt, tam inexpertos, ut si modo naturali ea contigissent, id advertere nullus potuisset, aliorumque timorem tollere.*

C

ff *Parochus hic fuerit, aut decanus ruralis in pago aliquo, at de eo plura non lego, nisi quod memor hujusce consilii Joinvillius trinam illam supplicationem Damiatæ quoque instituendam curaverit, successu non dispari, ut refert num. 68.*

CAPUT III.

Commeatus in Cypro paratus : legati a principe Tartarorum missi, aliique ad eos a Rege cum donis remissi; Joinvillius pecunia adjutus : bella quædam inter principes Orientales : iter Regis in Ægyptum.

Quando appulimus in Cyprum, bonus Rex, sanctus Ludovicus jam erat ibidem, qui ingentem commeatus copiam præparari jusserat. Dixisses enim, cellas ejus vinarias, in castris locatas, cum e longinquo apparebant, magnas domos fuisse vini doliorum, quæ erant alia aliis superimposita, ab ejus procuratoribus a duobus præcedentibus annis empta. Similiter granaria tritici, hordei, aliorumque frumentorum, quæ in castris in acervos erant congesta, montes apparebant, quando visum subibant, tanti erant cumuli. Et scire debes, quod omnino credidisses montes fuisse : nam pluvia, quæ a longo tempore frumenta irrigarat, effecerat ut germinarent superius, adeo ut ex iis nihil visu perciperetur nisi herba viridis. Et cum inde sustollere vellent in Ægyptum transferenda, quo totus Regis tendebat exercitus, crustam superiorem cum herba decusserunt, et frumenta inferius reperta sunt tam pulchra et recentia, quam invenirent, qui paullo ante excussisset. Bonus Rex tanto flagrabat desiderio sine mora in Ægyptum transeundi, sicut ipsum affirmantem audivi, ut, nisi obstitissent barones, aliique ejus propinqui, qui effecere, ut suos, necdum omnes advectos, ibidem opperiretur, solus, aut paucis comitatus, audacter fuisset profectus.

D

Copia annonæ a Rege in Cypro parata :

E

48 Interea cum Rex' in Cypro moraretur, magnus Tartariæ rex *a* misit ad eum legatos suos, qui verba ei locuti sunt bona admodum et benigna, quamvis ea non esset ejus *b* intentio. Inter quæ verba ei significabat rex Tartariæ, se omnino paratum esse ad illius imperium *c*, ut ei succurreret ad subigendam Terram sanctam, liberandamque Hierosolymam manibus Saracenorum et Paganorum. Rex benigne suscepit hanc legationem, mutuoque duos ex suis legatos misit ad istum Tartariæ regem, qui duobus annis abfuere, antequam redirent. Et Rex regi Tartariæ misit tentorium, in modum sacelli fabricatum, splendidum valde, et affabre factum. Tentorium erat ex bono subtilique panno coccineo. Id faciebat, ut tentaret, an regem Tartariæ ejusque gentem ad religionem, et fidem nostram posset attrahere. Jussit tabulis acupictis distingui, picturaque exprimi *d* Annuntiationem Virgini Mariæ Matri Dei factam cum omnibus aliis fidei articulis. Et dictum tentorium tulerunt duo fratres Minores *e*, qui sermonem Saracenorum intelligebant, quos Rex eo misit, ut eos hortarentur, atque docerent, quomodo Dei fidem oporteret amplecti. Et postea reversi sunt duo fratres Minores ad Regem, rati se eum Accone inventuros; sed erat jam Cæsareæ : et tunc in Franciam redierunt. Ad sciendum quomodo alii nuntii, quos Rex ad regem Barbariæ *f* transmiserat, fuerint recepti, mirabilia forent referenda, ut Regem, eosque audivi referentes : quin id sæpius deinde ex ipsis quæsivi, sed eorum hic nihil dicam, ne caput materiæ inchoatæ interrumpam.

ubi ad eum legati veniunt Tartari : ad quos suos item cum donis mittit :

F

49 Scire te oportet, me a tempore, quo ex Francia trans mare profectus sum, non habuisse tunc nisi censum duodecim millium librarum; atque ita equitum decurio trium vexillorum onus in me recepi, ut ante dixi. Et ubi in Cyprum perlatus sum, navi persoluta, nihil mihi auri supererat aut argenti præter 240 libras Turonicas : adeo ut multi meorum equitum mihi dicerent, sese a me recessuros, nisi mihi de pecunia providerem. Tum aliquantulum animo concidi; attamen de Deo habebam fiduciam. Et cum bonus Rex Ludovicus intellexit incommodum meum, me accersivit, et sub suo retinuit stipendio, et largitus est mihi bonus Dominus octingentas

Joinvillius a Rege pecunia adjutus.

A gentas libras Turonicas : et continuo Deo egi gratias : plus enim habebam pecuniæ, quam mihi erat opus.

Magnæ opes soldani Iconiensis : g h

50 De principibus regionis transmarinæ, quandoquidem necesse est de eorum statu et potentia loqui, vobis edisseram; ac primum de soldano Iconii *g*. Soldanus hic totius ditionis Paganorum *h* rex erat potentissimus, fierique curavit opus mirabile : partem enim auri sui conflari jussit, indeque ingentia vasa componi in modum vasorum fictilium, quibus trans mare vinum imponitur. Et singula hæc vasa capiebant tres omnino aut quatuor vini cados. Et postea vasa disrumpi jussit, et illorum frusta in uno aliquo ejus castello palam erant posita : et quicumque in illud castrum intrabat, aureas dictorum vasorum ruptorum massas intueri poterat, et tangere. Et sex plane aut septem numero habere dicebatur magna hujusmodi vasa aurea. Amplæ ejus divitiæ satis apparuere ex conopeo quodam, quod rex Armeniæ Franciæ Regi, in Cypro degenti, transmisit. Conopeum quingentis libris æstimabatur. Et significavit ei rex Armeniæ, ab aliquo Iconiensis soldani cubiculario id sibi do- B natum : et scire oportet, hunc cubicularium fuisse illum, cujus curæ et gubernationi soldani conopea erant credita, cuique incumbebat curare, ut exedræ, domusque illius quotidie mundarentur.

i quem rex Armeniæ subsidio Tartarorum cædit : k

51 Rex ille Armeniæ *i*, qui erat sub mancipatu soldani *k* Iconiensis, se contulit ad magnum Tartariæ regem, eique enarravit, qua ratione in dies singulos soldanus iste Iconiensis sibi bellum inferret, seque gravi servitute premeret. Et rogavit regem Tartariæ, sibi dignaretur venire suppetias, opemque ferre : dicebatque se contentum esse, ut fieret ejus cliens, et subditus, modo concederet magnas militum suorum copias : quod rex Tartariæ libentissime facere voluit, eique ingentem suorum militum numerum tradidit. Tunc rex Armeniæ cum omnibus suis bellum movit adversus soldanum Iconii, : et uterque satis virium habebat contra adversarium. At Armeni Tartarique ingentem istius soldani subditorum stragem fecerunt : atque eo pacto effecit rex Armeniæ, ut, pro fama insigni, quæ in Cypro erat istius prælii, quod ope Tartaro- C rum contra soldanum commiserat, numquam deinceps ipsius servus fuerit aut subditus. Et multi e nostris in Armeniam sunt profecti, ut in prælio emolumentum quærerent, ac lucrum; de quibus postea numquam aliquid fuit auditum.

l bellum inter soldanos Babyloniæ et Alapiæ finitur. m

52 De soldano Babyloniæ *l* vobis loquar. Putabat ille, Regem venisse ut bellum inferret soldano Haman *m*. hosti ipsius antiquo; atque adeo Regem expectabat usque ad tempus novum, quod vellet se ei conjungere ad dictum soldanum Haman impugnandum. Et ubi soldanus Babyloniæ vidit, Regem ad se non venire, discessit, obseditque dictum soldanum in ipsa urbe Haman *n*, ubi erat. Et postquam soldanus Haman se ita obsessum vidit, non satis invenit, quo se pacto expediret. Probe enim noverat, si diu regnaret Babyloniæ soldanus, se ab eo superandum et subigendum. Verum tantum effecit donis et promissis apud unum ex dicti Babyloniæ soldani cubiculi servis, quocum agebat, ut ei toxicum curaverit dandum. Et res hoc modo peracta est. Cubicularius ille, quem illi officii nomine more suo vocabant SERRAIS, sciens soldanum frequenter, postquam latrunculis *o* luserat, cubitum ire super mattas, quæ erant ad lecti ipsius fulcra, mattam, cui quotidie insidebat soldanus, veneno infecit : et contigit, ut soldanus nudis omnino pedibus mattæ isti, veneno infectæ, incubuerit, seque verterit supra partem revulsæ ex læsione pellis, qua crus alterum erat affectum : et confestim per apertam ex incommodo pellem venenum corpus ejus penetravit, adeo ut ex crure illo omnibus corporis partibus caperetur. Et postquam venenum cor ei pungebat, duos facile dies fuit sine potu, cibo, aut loquela. Itaque hæc fuit causa, cur soldanus Haman in pace permanserit *p* : et necesse fuit, ut soldanus Babyloniæ per suos in Ægyptum duceretur.

Rex cum suis e Cypro solvit in Ægyptum ; q

53 Ubi Maius *q* advenerat, jussu Regis promulgatum fuit ac præceptum, ut omnes naves rursum onerarentur, quo ad iter paratæ essent, dum Rex juberet : atque hoc exsecutioni mandato, atque perfecto, Rex, regina, omnesque ejus militares copiæ, in suam singuli navem sunt ingressi. Et ipso die Veneris *r* ante Pentecosten illius anni, Rex promulgari jussit, ut postridie post se omnes solverent, rectaque in Ægyptum cursum dirigerent. Et postridie die Sabbati *s* omnes naves profectæ sunt, velaque dederunt; E quæ res erat visu jucunda : videbatur enim pelagus universum, qua patebat conspectui, tela contectum præ ingenti velorum numero, quæ ventis erant expansa; et erant mille octingenta navigia cum majora tum minora.

et post disjectam tempestate classem, in conspectum Damiatæ venit.

54 Rex cum aliis navibus, eum circumdantibus, die Pentecostes pervenit ad promontorium, quod vocabant promontorium Lymesson *t* : descenderuntque in terram, Missæque interfuerunt. At ingens hac vice accidit incommodum : namque ex equitibus facile duobus millibus octingentis, qui Regem in discessu erant secuti, cum ipso in terra inventi non sunt nisi septingenti *u*, atque omnes reliquos ventus terribilis, ex Ægypto perlatus, a via, Regisque societate avulsit, Aatque cconem, aliasque in regiones peregrinas bene longinquas disjecit; neque a longo tempore Rex eos rursum conspexit; ex quo ille, ejusque socii, omni illo die multum contristati fuere, et attoniti. Postdridie *x* Pentecosten ventus aspirabat ex sententia : ac tum Rex, nosque omnes, qui cum eo eramus, in nomine Dei vela dedimus, semper progressuri. Et factum est, ut F nobis procedentibus simul occurrerent princeps Moreæ *y*, ac dux Burgundiæ, qui pariter in Moreæ provincia moram traxerant. Et Rex ejusque socii die Jovis post Pentecosten appulerunt ad Damiatam, ubi ingentes erant copiæ, quæ nos expectabant. Quippe ad littus maris invenimus omnes soldani vires collectas, copias visu pulcherrimas. Soldanus *z* arma gestabat ex auro puro adeo micante, ut, cum solis radiis percuterentur, sol ipse appareret. Tumultus, quem cornibus suis ac crotalis *aa* excitabant, res erat auditu horrenda, Gallisque multum insolita.

ANNOTATA.

a *Imo princeps Tartarorum, Ercaltay nomine, non ipse eorum imperator : vide Commentarium num. 612 et seqq., ubi de his fuse egimus.*

b *Hinc colligi videtur, principem illum Tartarum per legatos illos multa dixisse, ut* Ludovicum *deciperet. At inde non sequitur, legatos impostores fuisse, quod dubium reliquimus num. 621 : sed eorum principem non tam fuisse benevolum*

A. JOANNE JOINVILLIO.

volum erga Ludovicum, quam ejus epistola verbaque legatorum significabant. Videntur Tartari voluisse ope Christianorum Saracenos subigere, ut, iis debellatis, Christianos invaderent : nam eorum intentio erat totum terrarum orbem sibi subjicere.

c Non tam erant humani Tartari, ut cujusquam imperium vellent agnoscere : societatem tamen armorum contra Saracenos offerebant. Vide epistolam Ercaltay num. 613.

d Gallice, Il fist entailler et enlever par image, etc. Quæ verba satis sunt ambigua. At constat ex adductis in Commentario num. 622, Annuntiationem, aliaque arte phrygionica fuisse in tentorio expressa. Dona autem ad Tartaros missa fusius exponit num. 184, agens de reditu legatorum.

e Memoriæ lapsus est, quo hos legatos cum missis deinde fratribus Minoribus confudit, aut potius mendum : nam hos legatos, cum num. 184 eorum reditum narrat, Prædicatores vocat ipse Joinvillius; et constat ex litteris Odonis legati Pontificii, qui adfuit, et paullo post scri-
B psit, tres Ordinis Prædicatorum fratres a Rege hoc tempore missos cum sociis quatuor, quod adjungit Nangius. Vide Commentarium num. 622.

f Per regem Barbariæ Tartarorum imperatorem designari putem, adeo ut præstiterit a num. 184, quod hic prætermittit.

g Iconium urbs est ampla in Asia minori seu Natolia, quæ nunc Cogni vulgo vocatur, Connie Joinvillio. Caput tum erat imperii Turcici, quo major minoris Asiæ pars continebatur.

h Pagani non erant eo tempore Turcæ, nisi pauci forsan, qui idolis suis adhæserant. Verum noster hic auctor ea voce Mahometanos non raro designat, quod hic semel monuisse sufficiat.

i De regno Armeniæ restituto egimus in Commentario num. 600, et num. 601 breviter exposuimus bellum inter Haitonum Armeniæ regem Tartaris conjunctum, et Gajasadinum Iconii soldanum, quem Cangius pag. 58 Alatinum vocat : at patet ex Bellovacensi lib. 30, cap. 145 Alatini seu Haladini jam defuncti fuisse filium.

C k De voce soldanus vel sultanus disputat Cangius dissertatione 16. Rex regum hac voce proprie significatur; attamen dabatur multis Turcarum et Saracenorum principibus, qui apud nos reges dicerentur. Plura Cangius, quem consule.

l De hoc soldano, qui nomine proprio dicebatur Saleh, egimus in Commentario num. 602.

m Ibidem etiam actum est de soldano Haman, qui et Alapiæ soldanus erat, et Camelæ seu antiquæ Emesæ. Ægyptius autem, quantum apparet, non putabat Ludovicum soldano Alapiæ bellum illaturum, at simulare hujusmodi opinionem poterat, cum mentio pacis cum Ludovico ineundæ facta est, de qua num. 609, ut bellum a se averteret.

n Joinvillius Hamault vocat : sed Tyrius, Vitriacus, Sanutus, aliique Haman nominant. Sita est inter Antiochiam et Damascum, ut patet ex Haitono lib. de Tartaris cap. 59, ubi ait civitatem esse opulentam : atque etiamnum in mappis geographicis loco memorato ad Orontem fluvium notatur urbs Hamath, quæ eadem est. Consuli de ea ulterius potest Herbelotius in Bibliotheca Orientali pag. 427 ad vocem Hamah. Porro non consentiunt Joinvillio in hoc facto auctores alii : nam Abulpharagius ejusdem D temporis auctor in Historia Dynastiarum pag. 322 Hemesam a soldano Babyloniæ obsessam scribit, non Haman. Consentit Bellovacensis lib. 31, cap. 95, ubi ita habet : Propter quod idem soldanus Babyloniæ in iram motus, urbem Camelæ, quæ pertinet ad soldanum Alapiæ, per gentem suam obsideri fecit, et ipse Damascum rediit. Etenim Hemesa seu Emesa, quæ Hems hodiedum dicitur, non alia videtur quam Camela. Audi Haitonum cap. 36 : Hames, inquit, quæ Camella hodie appellatur a pluribus. Unde videtur Joinvillius urbem alteram pro altera sumpsisse, cum ambæ ad Nazerum Alapiæ soldanum pertinerent : quod situs quoque harum urbium persuadet; Hems enim, nobis Camela, in mappis notatur inter Haman et Damascum, adeoque soldano Babyloniæ, qui Damascum possidebat, prior erat obsidenda. Idem in Commentario probavimus num. 608. Præterea, si credimus Bellovacensi citato, soldanus Alapiæ cum exercitu venit, ut succurreret urbi obsessæ : non erat itaque ibidem obsessus.

o Ludum latrunculorum valde usitatum fuisse Turcis et Saracenis ostendit Gangius pag. 59, E ubi addit vocem Gallicam Eschecs ab eorum lingua derivatam; videlicet a voce scach, quæ regem significat, quia rex, inquit, in illo lusu pars est præcipua.

p Bellum inter soldanos illos finitum intercedente calipha, vidimus in Commentario num. 608. Nec alibi legi, fraude soldani Alapiæ morbum Babylonio immissum, licet morbus ipse sit certus.

q Gallice quidem legitur ou mois, at legendum haud dubie May, vel mois de May, cum constet eo tempore id factum. Vide num. 630 Commentarii.

r Varios memoriæ lapsu errores a Joinvillio in designando tempore commissos correximus in Commentario ex scriptoribus, qui adfuerunt, et paullo post rem gestam scripserunt. Imprimis octiduo citius, quam hic dicitur, mandata ad discedendum Rex dederat. Vide num. 630.

s Imo jam die Mercurii ante discesserant, sed cum Paphum usque a portu Limissonis processerant, vento contrario bis redeundum fuit, F tia ut secunda vice iter tentare potuerint die hic assignato.

t Repulsus vento contrario ad promontorium Limissonis, rediit in oppidum : nam inde discesserat.

u Numerum hunc absentium equitum supra verum auctum, advertimus num. 630. Potuerunt tamen tot abesse primo illo die, at eorum pars major paulatim ad classem rediit.

x Nimis cito classem e portu dimittit, et dein citius Damiatam deducit. Discesserunt enim Dominica SS. Trinitatis 30 Maii, et Damiatam pervenerunt die Veneris 5 Junii. Vide num. 631.

y Guilielmus de Villehardouin princeps Achaiæ et Moreæ, filius Godefridi de Villehardouin, qui cum Balduino Flandriæ comite, aliisque crucesignatis Gallis et Venetis Constantinopolim expugnarat, et principatum ea occasione in Græcia adeptus, filio reliquerat. Expeditionem ipse Villehardouinus conscripsit Gallice, quam edidit Cangius. Ducem Burgundiæ ibidem hiemasse putat Cangius pag. 59, quia Balduino II imperatori Constantinopolitano venerat suppetias.

z Sol-

A z *Soldanus æger aberat, ut constat aliunde, et ipse Joinvillius habet num. 61. Id itaque de præcipuo militum duce intelligendum.*

aa *Gallice* nacaires; *tympani seu crotali species est Saracenis et Turcis usitata, a quibus et Galli acceperunt, aliique. Putarunt aliqui instrumentum fuisse, quod ore inflabatur : verum ostendit Cangius pag. 59 et 60 manibus crotala hæc Turcica pulsata fuisse, Cangioque consentit Daniel in Historia de militia Gallica lib. 6, cap.* XI, *ubi plura de his videri possunt : nobis ad id ostendendum sufficiunt verba Sanuti lib. 2, part. 4, cap. 20, ubi ait, opus esse hominibus,* qui sciant nacharas pulsare.

CAPUT IV.

B *Egressus e navibus in terram : fuga Saracenorum : Damiata relicta, et occupata : prædæ divisio ; peccata varia, quæ Damiatæ a Christianis committebantur.*

Descensus in terram decretus : Quibus visis, Rex proceres omnes, consiliariosque suos convocavit, ut quid agendum esset intelligeret. Ac suaserunt illi, ut suorum reditum expectaret, quia venti infortunio ne *a* tertia quidem pars cum eo remanserat *a*, ut ante monui. At nihil horum Regi placuit, dicebatque se hoc facto animos hostibus suis additurum : atque etiam quia nullus in vicinia erat maris portus, quem subire posset, ut suos ibidem tuto opperiretur. Asserebat etiam, vehementem insurgere posse ventum, qui nos posset disjicere, longoque invicem intervallo in regiones peregrinas dividere, ut postremæ Pentecostes die alios suos equites disjecerat. Et ex *b* ejus sententia statutum est, ut die Veneris *b* ante festum Trinitatis Rex descenderet, ac pugnam cum Saracenis iniret, modo illi pugnam non re- C cusarent. Et præcepit Rex domino Joanni de *c* Bellomonte *c*, juberet triremem dari Domino *d* Erardo de Brienne *d*, quocum eram, ut in terram egrederemur nos, militesque nostri, quia majora navigia usque ad littus maris terræ appropinquare non poterant. Et, uti Deus voluit, ex navi mea intravi in modicam trirerem, quam perditam autumabam, ubi ex equis meis erant octo : quam trirerem mihi donaverat domina *e f* de Baruth *e*, patruelis comitis de Montbelial *f*. Et die Veneris dominus Erardus de Brienne, et ego armati Regem accessimus, dictam, quam nobis concesserat, triremem postulaturi. At dominus Joannes de Bellomonte, præsente Rege, nobis respondit, nullam nos habituros. Ex quo potes intelligere, bono Regi non minus negotii fuisse, ut suos in pace conservaret, quam ut fortunam suam, damnaque toleraret.

cœptusque ope navicularum ; 56 Ut nostri viderunt, nullam a nobis adduci triremem, in cymbam se certatim demittebant; et cum nautæ perspexerunt, naviculam paulatim in pelagus subsidere, in navem se receperunt, equitesque meos in navicula destituerunt. Tum exclamavi, petiique a navarcho, quot homines in navicula redundarent. Et dixit mihi octodecim armatos justo numero esse plures. Et confestim tanto numero eam exoneravi, eosque navi, ubi equi mei erant, imposui. Et cum aliquos ex iis armatis ducerem, eques quidam domini Erardi de Brienne, nomine Plouquet, ex magna navi in naviculam descendere voluit, et, subducta navicula, eques in mare lapsus est, et submersus *g*. A. JOANNE JOINVILLIO. *g*

frustra repugnantibus Saracenis, 57 Tum cœpimus navigare post naviculam majoris navis Regiæ, terramque petebamus. Et simulac milites regii, qui, sicut nos, terram petebant, adverterunt nos citius procedere, quam illi incederent, nobis clamaverunt, ut iremus ad vexillum sancti Dionysii *h*. At ego iis *h* assentiri nolui, verum ad littus processimus ante ingentem Saracenorum Turcarumque manipulum, ubi equitum facile erant sex millia : qui statim, ut nos in terra perspexerunt, recta ad nos calcaribus equos concitarunt. Nos lanceas nostras, scutaque humi in arenam defiximus acie ad eos protensa : et ubi hoc viderunt, ac nos ad terram procedere, derepente reversi sunt, fugæque se commiserunt.

Christiani in littus evadunt. 58 Vir præstanti probitate dominus Balduinus de Reims, simulatque in terram descenderam, per armigerum quemdam suum me rogavit, ut se expectarem. Et ei per nuntium suum signifi- E cavi, me id perlibenter facturum, hominemque tam fortem satis mereri, ut expectaretur : quod sibi gratum fuisse omni vita sua professus est. Et paullo post ad turmam nostram accessit, mille facile equitibus eum comitantibus. Et scito, quando in terra fui, quod mecum non habuerim equum, aut socium vel unum omnium, quos ex regione mea duxi. Attamen Deus gratia sua mihi semper succurrit, de quo eum laudo.

inter quos comes Jafensis splendido cum comitatu : 59 Ad sinistram nostram accessit comes Jafensis *i*, consobrinus comitis Montis Belligardi, atque ex genere stirpis Joinvillicæ. Comes hic *i* Jafensis magno splendore ad terram delatus est : namque ejus triremis intus forisque tota erat picta tesseræ ejus scutis gentilitiis. Quæ tessera scutaria aurea est cum cruce coccineo pedata. Nautas in triremi sua habebat facile trecentos, qui singuli gestabant peltam *k*, scutaria ejus tessera *k* insignem : atque in peltis singulis tabula erat, symbolum ejus scutarium auro exprimens. Et cum mare secabat, res erat visu pulchra, pro- F pter strepitum, quem excitabant scuta, atque etiam crotala, tympana, et cornua Saracenica, quæ in triremi sua habebat. Simulatque triremis arenam sulcaverat, quo usque eam perducere poterant : ipse, ejusque equites, et milites, egressi sunt egregie armati instructique, ac se lateri nostro applicuerunt. Et continuo comes Jafensis tentoria sua figi jussit. Et ut Saraceni ea fixa viderunt, magno numero coierunt, redieruntque adversum nos excurrentes, equosque calcaribus concitantes. Et ubi adverterunt nos minime terreri, seque expectari a nobis pede firmo, ipsi et terga vertere, et retro fugam arripere cœperunt.

Rex e navi exsilit in aquam, pergitque ad terram. 60 Ad manum dexteram appulit triremis portans vexillum sancti Dionysii, a nobis ad intervallum facile jactus balistæ. Et accidit, mox ubi terræ applicuit, ut Saracenus quispiam currens invaderet istius triremis turmas; porro cur id faceret ignoro, aut quia equum suum inhibere non valuit, aut quia suorum opem sperabat se obtenturum : at miser confestim omnino concisus fuit, ac in frusta dissectus. Ubi bonus Rex, sanctus Ludovicus intellexit, vexillum sancti Dionysii in terram delatum, navi sua, jam lit

tori-

A JOANNE JOINVILLIO.

tori propinqua, egressus est : neque expectavit, donec navis, in qua erat, terram contingeret : at contra arbitrium legati, qui cum eo erat, in mare se misit, aquisque humerorum tenus immersus fuit : atque ad illos se contulit, scuto ad collum alligato, galea capiti imposita, dextera lanceam protendens. Et cum erat apud suos, animadvertit Saracenos ex eorum parte, petiitque quænam illæ forent turmæ : dicunt ei, Turcas esse et Saracenos : ille solus *l* studet cursu ad eos accedere, ut eos invaderet : at retentus est a suis, atque manere coactus, donec milites omnes locum suum occuparent, atque armati essent.

Saraceni Damiatam deserunt, quam occupant Christiani :

61 Mox Saraceni ad soldanum miserunt nuntium suum, nomine Coullonum, ei significantes Regem advenisse; idque ter ei indicaverunt : nullum vero ab eo obtinuerunt responsum, quia soldanus ægrotabat. Hoc percipientes Saraceni, civitatem Damiatam deseruerunt, rati soldanum suum vita esse defunctum. Quod ubi Regi innotuit, misit ex equitibus suis aliquem Damiatam usque, qui id exploraret. Atque eques brevi ad Regem rediit, eique indicavit, vere mortuum *m* esse, Saracenosque fugam arripuisse, ac eorum B etiam in ædibus se fuisse. Tum Rex legatum advocari jussit, ac omnes exercitus antistites, canique ad longum omnino voluit TE DEUM LAUDAMUS *n*. Et post hæc equos conscenderunt Rex ejusque copiæ omnes *o;* ac castrametatum ivimus ante Damiatam. Turcæ, non bene edocti, discessum suum nimis præcipitarunt, ita ut pontes, ex navibus fabricatos, nobis non resecarent, quo facto magnum nobis intulissent incommodum : aliunde vero non modicum nobis malum, damnumque procrearunt, quod per omnes partes ignem injecerint in locum negotialem *p*, ubi merces eorum omnes, ac quæque eorum pretiosa servabantur : quæ caute comburi curaverunt, ne iis nos quemcumque faceremus progressum. Et perinde erat, acsi die crastina unus aliquis ad pontem parvum Parisiis ignem injiceret : a quo periculo Deus nos custodiat.

tanto Dei favori non responderunt Christiani,

62 Nunc nobiscum ipsi ratiocinemur. Quantam nobis gratiam Deus creator noster præstitit, cum a morte et periculo nos servavit immunes in appulsu, quem fecimus, quando cum gaudio C in hostes nostros, qui equis vehebantur, excurrebamus? Quanto majorem rursus gratiam bonus Dominus nobis exhibuit, quando sine corporum nostrorum periculo nobis tradidit Damiatam, quam numquam obtinere potuissemus *q*, nisi fortasse fame coactam? Gratia est admodum magna; dicere id vere possumus, et manifeste cognoscere : quamquam rex Joannes *r* olim antecessorum nostrorum tempore eam fame expugnaverat. Verum timeo ne bonus dominus Deus possit eadem ratione de nobis dicere, quod dixit de filiis Israel, postquam eos duxerat, atque in terram promissam introduxerat. Quod eis exprobrat, inquiens : ET PRO NIHILO HABUERUNT TERRAM DESIDERABILEM, et quæ sequuntur. Atque id dicebat, quia ejus erant obliti, tantaque iis bona donaverat. Servaverat eos, et servituti Pharaonis eripuerat, terramque eis dederat promissam. Ita de nobis dicere poterit, qui eum oblivioni tradidimus, ut postea dicetur.

nam de Rege ipso queritur auctor ob prædam non divisam,

63 Ab ipso Rege ducam exordium. Hic congregari vocarique jussit proceres suos omnes, et antistites, qui cum eo venerant; eosque consuluit, quid fieri oporteret de bonis, in urbe Damiata inventis, ac quo pacto essent dividenda. Patriarcha *s* quidam, ibidem præsens, pri- D mus locutus est, eique dixit : Domine Rex, expedire videtur, ut retineas mne triticum, hordeum, oryzam, aliaque cibaria, ne urbs maneat denudata; atque ut jubeas promulgari in exercitu, ut sub pœna sententiæ excommunicationis omnis alia supellex ad ædes legati deferatur : cui consilio consenserunt omnes proceres, aliique; atque ita fuit factum. Et deprehensum fuit, bona mobilia, quæ ad legatum sunt allata, non valere pluris, quam sex millibus librarum. Et, omnibus in dicti legati domo collectis, Rex, proceresque accerserunt virum insigni probitate, dominum Joannem de Valeri *t*. Et ubi is venerat, Rex ei, quid egisset, significat, suoque placuisse consilio, ut legatus ipsi traderet sex librarum millia, quibus valebat supellex relicta, et in domum ejus portata; ut dicta sex librarum millia impenderet, ubi id faciendum suadebat ratio, atque ubi optime forent impensa. Domine Rex, inquiebat vir probus, humillimas tibi gratias ago de honore mihi exhibito. At æqui bonique consule, quod negotium oblatum non sim acceptaturus. Modo, si Deo placeat, non abrumpam bonas consuetudines an- E tiquas, et quales observarunt prædecessores nostri in Terra sancta. Quippe, expugnata contra inimicos urbe quadam, aut exuviis amplis obtentis, hujusmodi bonorum, quæ in tali urbe reperiuntur, tertiam dumtaxat partem Rex habere debet, duæque tertiæ cedere debent peregrinis *u* : atque hunc morem optime servavit rex Joannes, quando olim Damiatam cepit : et sic, ut ex majoribus meis audivi, rex Hierosolymitanus, qui Regem Joannem præcessit, hanc consuetudinem tenuit, ne uno quidem prætermisso articulo. Verum considera, an concedere mihi velis duas partes tritici, hordei, oryzæ, aliorumque, quæ retinuisti; et perlibenter, ad Dei honorem, in peregrinos dispergam. Displicuit hoc Regi consilium, resque, quo erat loco, permansit. Qua de causa multi vehementer de Rege sunt conquesti, quia bonas consuetudines antiquas abruperat *x*.

ac aliorum avaritiam, luxum, luxuriam, aliaque peccata recenset.

64 Ministri Regii, quando otio perfruebantur, commodeque habitabant in hac urbe Damiata, cum benigne tractare debuissent mercatores, hominesque cum cibariis et mercibus exercitum sequentes, tabernas et officinas, in quibus merces suas venderent, ipsis locabant fir- F mabantque pretio, quo poterant, maximo. Hujus igitur rei fama in regiones peregrinas perlata est ad eos, qui ex terris longinquis veniebant cibaria exercitui allaturi, atque illi in posterum domi mansere; quod ingens fuit malum, et detrimentum. Magnates equites, ac alii, quibus opes suæ diligenter custodiendæ, ac conservandæ fuerant, ut earum subsidio uterentur in loco et tempore, opipara invicem struere cœperunt convivia, magna delicatorum ciborum abundantia. Plebs autem nuptas innuptasque cœpit vi aggredi, pudicitiamque expugnare. Hinc itaque ingens ortum est malum : necesse enim fuit, ut Rex hac de causa multos ex domesticis et ministris suis dimitteret *y*. Nam, ut Rex bonus mihi dixit, invenit in circuitu tabernaculi sui multa lupanaria non nisi ad jactum lapidis distantia, atque a suis erecta : et alia mala plura erant, quam in ullo, quem umquam viderat, exercitu.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Jam monui non tot abfuisse : nam in epistola paullo post scripta num. 638 Commentarii dicuntur naves fuisse ante Damiatam mille et quingentæ; abfuisse vero ex dispersis centum et quinquaginta.*

b *Id est, postridie, seu primo die post eorum adventum, in quo Joinvillius ceteris consentit. At ut nimis cito adventum statuit, ita consequenter et pugnam.*

c De Belmont, *nunc* Beaumont. *Hunc missum anno 1240 a Rege ducem contra fautores Albigensium vidimus in Commentario num. 396.*

d *Erardum hunc Sammarthani in Genealogia domus Franciæ lib. 10, cap. 17 editionis tertiæ vocant* dominum de Rameru. Rameru *autem castrum est in Campania, de quo agit Valesius in Notitia Galliarum pag. 465,* Ramerudum castrum *vocans, Trecisque distare asserens leucis septem. Genealogiam Erardi tradunt laudati Sammarthani, quibus Cangius consentit pag. 60.*

B e Berytus, *incolis Beirut, Gallis* Baruth, *urbs est Phœniciæ ad mare Mediterraneum inter Sidonem et Byblum.*

f *In textu quidem legitur* Montbelial, *at legendum* Montbeliard. Comitatus *autem* Montis Belligardi tractus *est* Germaniæ inter comitatum Burgundiæ, Suntgoviam et ditionem episcopi Basileensis insertus, *inquit Baudrandus pag. 676. De horum cognatione aliqua dicentur ad litteram* i.

g Post hæc verba, *inquit Cangius,* in editione Pictaviensi adjunguntur sequentia, *quæ Latine reddam, cum ab ingenio auctoris non videantur abhorrere.* Et vobis narrare lubet rem mirandam, quæ contigit in cymba mea. Mecum adduxeram duos fortes equites baccalareos, quorum alteri nomen erat Villanus de Verzy, alteri Guillielmus de Dammartin, qui tanto invicem odio prosequebantur, ut majori non possent, ita ut sæpius jam pugnassent, nec ullo modo invicem conciliari potuissent. At cum cymba mea jamjam ad terram esset processura, derepente duo hi equites, sine aliis verbis, in mutuos ruunt amplexus, magno amore flentes, et veniam de

C offensa mutuo flagitantes : quo ostendi potest per mortis periculum pelli omnem inimicitiam et amaritudinem.

h *Vexillum S. Dionysii præcipuum olim fuit in Gallia, quod Latine* Auriflammam, *Gallice* l'Oriflamme *vocabant, nec usui erat nisi in bellis magni momenti. De eo consuli potest Daniel in Historia militiæ Franciæ lib. 6, cap. 9; et Cangius dissertatione 18.*

i *Nimirum Joannes Ibelinus, cujus mortem ad annum 1266 memorat Sanutus lib. 3 part. 12 cap. 8 his verbis :* Mense vero Decembri mortuus est Joannes de Ybelyn comes Japhæ. *Sanuto consentit anonymus apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 742, in cujus Opusculo multa invenies de Joanne Ibelino, ejusque patre Beliano Ibelino, qui passim Beryti vocantur domini, et col. 706 regis Cypri consanguinei fuisse dicuntur. Cangius in notis pag. 60 et 61 affirmat, Joannem filium fuisse Beliani ex Eschiva de Montbeliard, quam filiam asserit Galteri de Montbeliard. Hanc ipsam superius vocavit auctor* Beryti dominam, *et patruelem comitis Montis-Belligardi, ex quo recte deducit Cangius, Joannem Ibelinum uno gradu longius distare a Richardo Montis Belligardi comite. Verum tricas has genealogicas aliis exactius investigandas relinquimus : uti et cognationem hujus comitis cum stirpe Joinvillica, quam de feminarum affinitate explicat Cangius.*

k *Pelta scutum est exiguum et rotundum, alias* parma *dicitur.*

l *Non dubitans, quin mox sequerentur alii.*

m *Retulit ille famam mendacem, quæ erat Damiatæ de morte soldani, at mortuus necdum erat : imo ex desertoribus Damiatæ punivit non paucos. Vide Commentarium num. 646.*

n *Nimirum in templo principe dudum ante consecrato, et jam per legatum ritu Ecclesiæ consueto a Mahometanorum profanatione emundato. Quæ, aliaque hic omissa, narravimus in Commentario § 49 et 50. Deinde § 51 multa supplevimus post captam urbem peracta.*

o *Relicto tamen in urbe præsidio.*

p *Editio Menardi et Cangii habet* de la foulde, *at monet Cangius pag. 62 restituendum esse* fonde. *Quidquid sit de voce Gallica, sensum Latine expressi.*

q *Consentiunt adducta in Commentario num. 634, ubi explicatur quam bene fuerit munita, omnibusque necessariis abundans.* E

r *Dictum id in Commentario num. 588.*

s *Hierosolymitanus, Robertus nomine, de quo consule dicta nostra ad Carnotensem cap. 2, lit.* a.

t *De Joanne Valeriaci domino varias notitias affert Cangius pag. 62. Est autem* Valeriacum, Valery, castrum splendidum Galliæ in provincia insulæ Franciæ, et in Vastinio agro, vix duabus leucis ab Icauna fluvio in occasum, *inquit Baudrandus ad vocem* Valeriacum.

u *Id est, crucesignatis, qui peregrini passim vocabantur.*

x *Hinc vides, ne* Ludovico *quidem parcere Joinvillium, ubi eum existimavit minus consulte processisse. At excusari potest Sanctus, quod non ex avaritia prædam illam in manibus suis detinuerit, sed prudenti procerum consilio eam retinuerit ad usus bellicos, ut diutius prodesset indigentibus, quæ divisa mox fuisset absumpta, uti facile colligetur ex sequentibus.*

y *Diligenter quidem monebat Sanctus domesticos suos, ut ab impudicitia sibi caverent, studiose item in eorum vitam inquirebat, ac convictos peccati severe puniebat, ita ut sexdecim simul vel septemdecim ex familia sua ejecerit, teste Vita secunda num. 137. Memorabile item severitatis exemplum in equitem deprehensum in lupanari refertur ab hoc auctore num. 196. At humanæ non est diligentiæ militum in otio degentium licentiam omnino comprimere.* F

CAPUT

A. JOANNE JOINVILLIO.

CAPUT V.

Facta in castris prope Damiatam : adventus comitis Pictaviensis : iter exercitus versus Babyloniam : fictitii Saracenorum transfugæ cæsi.

Saraceni cum agmine ad castra Regis appropinquant,

Nunc ad caput materiæ redimus, atque ita progredimur. Postquam sic fueramus in illa urbe Damiata, soldanus cum agmine plane insigni exercitum nostrum aggressus est ex parte terræ. Et continuo Rex ejusque milites arma capiunt, seque præparant. Atque ad impediendum quo minus Turcæ in diversoria nostra, quæ in campo habebamus, irruerent; armatus Regem B accessi, quem itidem armatum inveni, atque etiam omnes ejus equites circa ipsum equis bellicis insidentes. Et humiliter ipsum rogavi, ut mihi veniam concederet, qua milites mei et ego castris egrederemur, ad impetum in Saracenos faciendum. Verum, ut dominus Joannes de Bellomonte preces meas audivit, vehementer admodum exclamavit, Regisque nomine mihi præcepit, tantum mihi non sumerem audaciæ, ut diversorio meo exirem, donec id Rex mihi præciperet. Scire te oportet, cum Rege fuisse octo equites bonos et validos, qui frequenter cum eis mare, tum trans mare, præmium armorum habuerant, ac reportaverant, vocarique solebant equites fortes. Inter quos erant dominus a Gaufridus de Sargines *a*, dominus Matthæus de b c Marby *b*, dominus Philippus de Nantuel *c*, dominus Ymbertus de Bello-joco Gallicæ militiæ præfectus, qui ibidem non aderant eo die, sed extra exercitum in campo erant, ac item balistariorum præfectus cum numerosa militum manu, ut excubarent, ne Turcæ ad castra nostra appropinquarent.

contra quos eques unus temere egressus, equoque excussus cæditur :

C 66 Porro dominus Galterus d'Entrache *d* se armis accingi, darique sibi scutum et lanceam curavit, atque equum conscendit; deinde aperiri jussit tabernaculum suum, subditisque calcaribus equum in Turcas concitabat. Atque ubi discessit ex tentorio suo solus omnino, excepto uno d cliente suo, cui nomen erat Castillon; equus eum in terram excutit extensum, fugitque equus armis obtectus ad inimicos nostros : quia pars major Saracenorum equas ascenderant, hac de causa equus versus eos accessit, ut ad equas curreret. Et accepi ab iis, qui se vidisse dicebant, quatuor Turcas ad dominum d'Entrache, humi jacentem, venisse, eundoque et redeundo juxta e ipsum, validis eum clavarum *e* ictibus impetiisse; tantoque in periculo erat, ut confestim mortem oppetiisset, si militiæ Gallicæ præfectus cum multis, quos secum habebat, Regis militibus, ei non ivisset suppetias. Reductus autem fuit sub brachiis usque in tabernaculum suum, unde discesserat : et tantopere ingentibus, quos sustinuerat, clavarum ictibus erat saucius, ut loqui non posset amplius. Mox ad eum missi sunt medici multi, et chirurgi : et quoniam ipsis non videbatur esse in mortis periculo, venam ei in brachio aperiri jusserunt; quod infeliciter ei evenit. Nam cum advesperasceret, dominus Aubertus D de ...., rogavit me, ut eum viseremus; quia vir erat præclara fama ac fortitudine : quod perlibenter fecimus, eumque accessimus. Et cum ingrederemur ejus tentorium, armigerorum ejus unus obviam processit dicturus, suspenso gradu incederemus, ne eum de somno excitaremus. Id fecimus, et invenimus eum jacentem supra lodicem suam ex vellere vario *f*, cui erat in- f volutus, taciteque ad faciem ejus accessimus, defunctumque reperimus. Quare nos et multi alii magno affecti fuimus dolore, quod virum tam fortem perdidissemus. Et quando Regi nuntiatum fuit, reposuit, se nequaquam ullos desiderare, qui non aliter sibi consentire, suisque parere mandatis vellent, quam fecerat ille dominus d'Entrache, eumque sua sibi culpa mortem peperisse.

incommodum a Saracenis castra Christianorum clanculum subeuntibus :

67 Porro scito soldanum, pro singulis Christianorum capitibus, illorum latori dedisse byzantium aureum. Tum proditores illi Saraceni noctu castra nostra introibant, et ubi exercitus viros hinc inde dormientes inveniebant, eos capite truncabant. Evenit ut occiderent excubito- E rem domini de Corcenay *g*, caputque auferrent, g corpusque relinquerent tabulæ cuidam impositum. Et scire te oportet, eos quodam modo cognitum habuisse castrorum nostrorum, atque agminis institutum. Quippe legiones militum nostrorum singulæ per centurias, aliæ post alias, assignata sibi vespera, castra in equis perlustrabant. Et Saraceni, qui consuetudinem illam noverant, postquam equestres excubiæ pertransierant, castra intrabant, multaque clanculum patrabant mala, ac homicidia. Ubi id Regi innotuit, ordinavit ut in posterum, qui equites agere solebant excubias, pedites eas agerent. Et castra nostra adeo in angustum contracta erant, ut coarctarent fortiter *h* propter densam excubitorum turbam, qui h vias adeo connexas servabant, ut invicem se tangerent singuli, nullo relicto loco vacuo.

comes Pictaviensis diu expectatus advenit :

68 Et fuimus sic multo tempore Damiatæ. Non enim consultum videbatur Regi ultra procedere, donec ejus frater, Pictonum comes, vento Acconem abductus, ut ante dixi *i*, advenis- i set; quia cum ipso erant secundariæ clientelæ equites Galli *k*. Et ne equis suis castra invade- k rent Turcæ, castrorum septum amplis fossis F Rex jussit circumdari, supraque fossas ingens erat balistariorum, aliorumque militum numerus, qui noctu, ut dixi, excubabant. Transierat sancti Remigii festus dies, priusquam de comite Pictaviensi, ejusve militibus, quidquam inaudiretur; quod Regem, totumque exercitum male admodum habuit, ac contristavit. Timebatur enim, quia non veniebat, ne mortuus esset, vel in præsenti periculo constitutus *l*. Tum l boni decani de Maru mihi subiit memoria, et retuli legato rationem et modum; quo pacto tribus supplicationibus, quas nobis persuaserat instituendas, in mari fuerimus liberati magno, cui expositi eramus, periculo, quemadmodum antea scripsi *m*. Consilium meum approbavit m legatus, jussitque in castris promulgari tres supplicationes, ternis diebus Sabbati instituendas. Prima supplicatio in legati ædibus cœpta est, processeruntque ad ecclesiam divæ Virginis in urbe Damiata : ecclesia autem erat in templo Mahometano Turcarum et Saracenorum, idque dedicari *n* jusserat legatus iste ad honorem Matris n Dei, gloriosæ Virginis Mariæ; atque ita duobus Sabbatis fuit actum. Singulis vicibus ad concionem

A cionem dicebat legatus: aderat ibidem Rex, aliique magni domini, quibus legatus, audito sermone, largas impertiebatur indulgentias. Intra tertium Sabbatum bonus Pictonum comes cum militibus suis advenit. Et prorsus illi expediit, non venisse intra duorum primorum Sabbatorum tempus: tibi enim assevero, toto illo tempore sine intermissione in mari ante Damiatam tantam fuisse tempestatem, ut facile 240 naves, tum majores, tum minores, confractæ omnino ac deperditæ fuerint, hominesque, qui illas custodiebant, submersi. Quapropter si tunc venisset comes Pictaviensis, magnum subiisset periculum, ne submergeretur, ac credo sic fuisse futurum, si Deus ei non succurrisset.

habito consilio decernitur iter Babyloniam versus:

69 Postquam comes Pictaviensis, frater Regis, advenerat, magnum per totum exercitum excitatum fuit gaudium. Ac Rex jussit convocari propinquos suos proceres, aliosque consiliarios; quæsivitque ex iis, qua via procedendum esset, Alexandriamne versus, an versus Babyloniam. Petrus Britanniæ comes cum multis aliis baronibus censuit, Regi Alexandriam *o* eundum esse; quia ante urbem portus erat percommodus B navibus cymbisque recipiendis ad commeatum agmini subministrandum. At huic sententiæ se opposuit comes Artesiæ, asseruitque se Alexandriam non iturum, priusquam Babyloniam *p*, quod totius regni Ægyptii erat caput, fuisset perventum; ac pro rationibus suis aiebat, ei, qui serpentem cupit perimere, caput ejus primum conterendum. Huic Rex adhæsit consilio, primamque deseruit sententiam.

progressus Christianorum: quingenti Saraceni, se transfugas fingentes, cæduntur.

70 Sub initium Adventus *q* profectus est Rex, totusque ejus exercitus, ex sententia comitis Artesiæ Babyloniam petiturus. Ac in itinere non procul a Damiata fluvium invenimus, ex magno fluvio ortum; statutumque fuit, ut Rex ibidem subsisteret ad diem unum, quo interim dictus fluvius obturaretur, ut pateret transitus. Et res haud magno negotio peracta est *r*: obturatum enim fuit dictum flumen prope ostium magni fluminis, tali modo, ut aqua ab una aut altera parte non attolleretur, facilisque esset transitus. Quid egit soldanus? Misit ad Regem, existimans se id caute facere, quingentos ex equitibus suis, eorum, quos eligere potuit, optime equis instructos, qui Regi dicebant se venisse, C ut ei, totique ejus agmini opem ferrent. Ad id tantum fiebat ut adventui nostro mora injiceretur. Die S. Nicolai Rex omnes in equos ascendere jussit, vetuitque sub pœna rebellionis, ne ullus suorum auderet in malum contingere aliquem ex Turcis illis Saracenis, quos soldanus miserat. Porro, cum Saraceni perciperent Regis exercitum ad iter fuisse motum, Regemque vetari jussisse, ne quis eos auderet contingere; magnis animis omnes in manipulum contracti ad Templarios, in prima acie constitutos, accesserunt: atque unus e Turcis istis clava sua percussit aliquem primæ aciei equitem, quem prostravit ad pedes equi fratris Raynaldi de Bichers, qui Templariis erat castrorum præfectus: quod cernens castrorum præfectus, exclamavit militibus suis: Eia pergite, socii; illos in Dei nomine invadite: hoc enim tolerare haud possim. Tunc equum suum calcaribus concitat, atque in Saracenos invehitur, totaque simul agminis centuria. Ac scito, equos Turcarum gravatos multum fuisse laboreque fractos, ac nostros recentes prorsus ac quiete refectos. Quod illis fuit infortunio: satis enim postmodum audivi, ne vel unum eorum evasisse, quo minus omnes cæsi fuerint, aut se in mare præcipitare, ac submergere coacti. A. JOANNE JOINVILLIO.

ANNOTATA.

a *Hujus sæpe deinceps fiet mentio, quem* Ludovicus *pro se reliquit in Syria, cum reversurus esset in Galliam.*

b *In editione Gallica legitur* Mahom de Marby: *sed monet Cangius pag. 65 legendum esse* Mahieu de Marly.

c *Gallice* Nantuel *in textu, rectius* Nanteuil *in notis laudati Cangii.*

d d'Entrache *in textu habetur. At intelligit Cangius Galterum* d'Autreche *filium Guidonis de Nanteuil domini d'Autreche, quem ex stirpe de Châtillon fuisse affirmat Chaizius pag. 797.*

e De masses. *Clavæ illæ militares usui quoque fuerunt Gallis, ut patebit in decursu. Earum formæ erant quidem variæ, sed omnes ingenti pondere constabant, quo in hostes librabantur. Consuli de iis potest Daniel in Historia militiæ Gallicæ lib. 6, cap. 4, pag. 434.*

E

f De menu ver, *id est,* vair. *Vide dicta in notis ad cap. 10 Vitæ secundæ.*

g Familia nobilis est Campaniæ, ac satis nota, *inquit Cangius pag. 66.*

h *Gallice nunc legitur:* Qu'ilz estaignoyent froment, *quod an editores intellexerint, me latet; certe non explicarunt. Non dubito, quin legendum sit* forment, *id est,* fortiter *pro* froment, *quod difficulter exponi posset, nec ad propositum conducit.*

i *Rursum hic vacillat senilis memoria: neque enim Alphonsus Pictonum comes inter illos erat, quos tempestate Acconem delatos dixit auctor num. 54; neque alibi id de eo narravit. Miror igitur Chaizium pag. 608 ex hoc loco narrare, Alphonsum vi ventorum Acconem dejectum, quod non modo incertum, sed parum verisimile apparet. Discessit autem Aquis-mortuis 25 Augusti, atque in Ægyptum pervenit 24 Octobris, seu* die Dominico ante festum. . . Simonis et Judæ, *ut loquitur Nangius citatus in Commentario num. 650.*

k *Gallice,* L'arriere ban de France.

l *Ratio timendi erat iter solito tardius: nam Rex anno præcedenti spatio unius nec integri mensis Aquis-mortuis in Cyprum pervenerat: Alphonsus vero duobus fere mensibus in itinere fuit. Verum si Acconem delatus fuisset, id mox Regi fuisset nuntiatum, et timor ille ante Alphonsi adventum cessasset.* F

m *Consilium ab hoc decano in periculo datum vide num. 46, et notata ibidem.*

n *Imo jam ante B. Virgini sacrata fuerat hæc ecclesia: sed cum Saraceni impiis suis ritibus eam profanassent, Christianorum usui rursum conciliata est per legatum, ut diximus in Commentario num. 643, et alibi.*

o *Sita est Alexandria ad mare Mediterraneum, fere ut Damiata, sed multum ab illa remota, et Libyæ vicina. Caput olim fuit Ægypti, sed Babylonia seu Cayro crescente, paulatim illa decrevit, et sola mercatura se utcumque sustentat. Statum præsentem Alexandriæ eleganter describit laudatus ante P. Sicardus in Commentariis de missionibus Societatis Jesu in Oriente tom. 7 a pag. 140.*

p *De Babylonia seu Cayro, quæ nunc in unam urbem coaluerunt, egimus in Commentario num.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

num. 651 : latius mox dictus Sicardus a pag. 127.

q *Rex ipse, Bellovacensis, et Nangius in Commentario num. 653 assignant 20 Novembris. Vide dicta ibidem.*

r *Regem huic operi etiam manum admovisse, habemus ex Vita secunda num. 121.*

CAPUT VI.

Nili descriptio, aliorumque ad Ægyptum spectantium : agger per ostium Tanicum frustra jaci cœptus : quædam cum Turcis ac Saracenis Christianorum certamina.

B

Nilus, ejus brachia, fœcunditas, quam agris inducit.

Oportet hoc loco agere de flumine, quod Ægypti regionem intersecat, atque ex paradiso terrestri oritur *a* : necesse est enim hæc cognoscat, qui materiam meam cupit intelligere. Fluvius hic plusquam omnes alii fluvii est varius. Nam quanto in fluvium amplum plures feruntur amnes minores, aquarumque major copia, tanto in locis quibusdam fluvius se magis dispergit in rivulos minores. At hic fluvius eodem semper tenore labitur *b*, et ubi est in Ægypto, de se ipse brachia sua hinc inde immittit in regionem Ægypti *c*. Et cum appropinquat tempus, circa festum sancti Remigii *d*, septem ab eo Rami *e* in fluvios dilatantur, qui terras planas inundant. Ac deinde, regressis aquis, regionis agricolæ veniunt, post cursum aquæ, agros culturi aratris sine rotis : seruntque ibidem triticum, hordeum, oryzam, cuminum, et tam belle omnia crescunt *f*, ut nescires, quid emendares. Latet unde illud oriatur incrementum *g* nisi a Dei gratia. Et si illud non esset, nullæ crescerent fruges in terra Ægypti, propter ingentes calores, qui ibidem dominantur; quia propinqui sunt soli orienti *h*, ibique fere non pluit, nec nisi post intervalla diuturna *i*.

C

aromata quæ vehit :

72 Flumen hoc plane turbidum est, propter turbationem inductam ab incolis aliisque sub vesperam, ut aquas ad bibendum hauriant. Nec nisi quatuor amygdala, aut fabas quatuor, aquæ isti, quam ibidem hauriunt, imponunt *k* : et postridie tam bona est ad bibendum, ut mireris. Quando fluvius hic Ægyptum ingreditur, adsunt homines valde experti et consueti, quales dicas piscatores fluminum hujusce regionis, qui vespertino tempore retia sua in flumen, ac rivos dimittunt, ac mane frequenter inveniunt, et capiunt aromata, quæ in illius regionis partibus citerioribus magno satis venduntur pretio, et per pondus : qualia sunt cinnamomum, zingiber, rhabarbarum, coriophilla, lignum aloes, multaque bona. Aiunt incolæ illa venire ex paradiso terrestri, ventoque decuti ex felicibus arboribus, in paradiso terrestri sitis *l*; quemadmodum ventus in sylvis hujusce regionis ligna arida dejicit : quodque fluvio isti illabitur, undis abducitur, mercatoresque id colligunt, ac nobis vendunt pondere.

73 Narrabant in provincia Babyloniæ, soldanum, unde oriretur hic fluvius, sæpe intelligere conatum esse per homines expertos, qui adverso flumine hunc amnem ascendebant, secumque ad victum ferebant panem, quem bis-coctum dicimus, quia nihil invenissent. Nuntiarunt ei quadem vice ministri sui, se adverso fluxu hunc fluvium navigasse tanto spatio, ut venerint ad ingentem collem pretiosis anaglyphis insignem, in quam rupem tumulumque nullus patebat ascensus; deque sublimi hoc colle fluvius dilabebatur *m*. Et ipsis apparebat, in montis vertice arbores esse magna abundantia : ac dicebant se supra hunc cumulum *n* vidisse diversarum ferarum copiam ingentem, specieque valde mirabili; puta leones, serpentes, elephantos, aliaque animalia, quæ ipsos intuitura accedebant supra ripam aquæ, mox ut eos cernebant adverso flumine ascendentes. Et continuo soldani ministri redierunt, neque ausi sunt præterire, ulteriusve progredi.

D

quid nautis acciderit, ad fontes Nili investigandos missis.

Rex prohibetur transitu ostii Tanici per Saracenos :

74 Itaque, ut prosequamur materiam nostram, dicimus fluvium istum per Ægyptum labi, immittereque ramos suos in terram planam, ut jam dixi. Unus itaque ex ejus ramis labitur Damiatam, alter Alexandriam, alius Thanim *o*, et alius Rexi *p*. Ad istum ramum, qui Rexi delabitur, tetendit Rex Franciæ cum toto suo exercitu, castraque metatus est inter flumen Damiatæ, flumenque Rexi. Et reperimus omnes soldani vires supra ripam fluvii de Rexi locatas a parte nobis opposita, ut nos arceret, custodiretque transitum : quod ipsis factu admodum erat facile : nullus enim nostrum transire potuisset, nisi se natatui commisisset, neque ullus erat transitus. Rex secum inivit consilium, ut juberet jaci aggerem trans fluvium, ad transeundum ad Saracenos. Et ad custodiendum eos, qui dictum jacerent aggerem, construi jussit duas turres ligneas *q*, quas vocamus catos castellatos *r*. Nam duo castella erant ante catos, ac pone duæ domus, ad ictus excipiendos, quos Saraceni intorquebant ex machinis, quas sexdecim habebant plane rectas, quibus exsequebantur mirabilia. Rex machinas fieri jussit octodecim, quarum artifex, inventor, et auctor, quidam fuit, dictus Josselinus de Courvant : atque ex illis machinis hostes alii alios impetebant. Regis frater de die in catis excubabat, et nos equites excubabamus de nocte. Septimana ante Natalem Domini cati castellati fuere perfecti : et deinde agger jaci cœptus. At quantum construebatur, tantum destruebant ex parte sua Saraceni. Quippe ex parte sua alte terram excavabant, atque ut aqua recedebat propter aggerem, qui fiebat ex parte nostra, fossæ Saracenorum implebantur aqua : et fiebat, ut totum, quod per tres hebdomadas, aut mensem proficiebamus, ipsi destruerent uno aut duobus diebus; insuper viros, qui terram jaciendæ moli portabant *s*, sagittarum ictibus reddebant inutiles.

E

F

Saraceni Christianorum partem aggressi repelluntur.

75 Turcæ, ubi eorum soldanus mortem oppetiit ex morbo, quo ante Haman correptus fuit, ducem elegerunt Saracenum, Scecedunum *t* nomine; filium Scic : quem ducem imperator Fredericus *u* creaverat equitem. Et mox Scecedunus iste partem suorum dimisit, Damiatam versus flumen transituram, ad oppidum modicum nomine Sourmesacum, ad ripam rivi de Rexi situm, cœperuntque ab illa parte turmas nostras invadere. Ac ipso Natalis Domini die, quum essem in prandio cum socio meo Petro d'Avalo, nostrisque omnibus, Saraceni ingressi sunt castra nostra, multosque exercitus pauperes, qui in campum diverterant, occiderunt. Et confestim

A festim equos ascendimus, ut iis iremus obviam; quod necesse admodum erat hospiti nostro domino Perron, qui extra castra in campo erat: nam antequam ibidem eramus, jam Saraceni eum ceperant, captivosque abducebant ipsum et fratrem ejus dominum de Val. Tum equos calcaribus concitavimus, atque in Saracenos invecti sumus, duosque hos bonos equites, multis ictibus jam humi dejectos, recepimus, atque ad castra reduximus. Templarii, qui clamorem audire poterant, bene atque audacter postremam aciem composuerunt. Magnis etiam animis Turcæ nos ex illa parte invadebant, nosque impugnabant fortiter et constanter, donec castra nostra fossis conclusa fuerint versus Damiatam, ab illuc currente flumine usque ad flumen Rexi.

Saracenorum ductor Christianos invadere meditatur:

76 Scecedunus iste Turcarum ductor, de quo ante locutus sum, omnium Paganorum validissimus reputabatur ac fortissimus. In vexillis suis gestabat scutum gentilitium imperatoris, qui eum creaverat equitem. Vexillum ejus oblique sectum erat, in cujus tæniarum altera habebat idem scutum cum soldano Alapiæ; in altera B tænia ab una parte erat tessera soldani Babyloniæ. Nomen ejus erat Scecedunus, ut dixi, Seic filius, quod, ipsorum lingua interpretatum, idem est ac filius senis. Nomen ejus apud eos magni fiebat: nam populi illi, ut dicitur, majori honore prosequuntur ætate provectos et senes, illos nempe, qui famam suam in juventute ab omni labe servaverunt integram. Dux iste, ut per speculatores suos Regi nuntiatum fuit, jactabat, se intra diem sancti Sebastiani proximum in Regis tentorio cibos sumpturum.

idque paullo post facit, sed magna suorum clade repellitur.

77 Et postquam hoc Regi innotuit, dixit, se satis advigilaturum, ut ne id fieret. Ac tum castra sua conclusit, mandataque militibus fuere data. Itaque comiti Artesiæ ejus fratri commissa fuit custodia turrium lignearum, ac machinarum: Rex, ac comes Andegavensis, qui postea fuit rex Siciliæ, susceperunt custodiendum exercitum ad partem Babyloniæ oppositam; ac comes Pictaviensis, et ego Campaniæ senescallus servavimus latus castrorum Damiatam versus. Porro accidit paullo post, ut prædictus ille Turcarum ductor transire jusserit copias suas ad insulam, fluvio Damiatæ, fluvioque Rexi interpositam, ubi exercitus noster erat castra-metatus: C ac legiones suas ordinari jussit ab uno flumine usque ad flumen alterum. Comes Andegavensis, qui degebat ad partem illam, dictos Turcas invasit, ac multos eorum cecidit, atque adeo ut eos fugere cogeret: multique eorum submersi sunt in utroque fluvio memorato. Attamen magna eorum pars permansit, in quos non audebamus incursare propter varias, quas habebant, machinas; quibus multa nobis inferebant incommoda per ea, quæ ex iis in nos ejaculabantur. Quando memoratus comes Andegavensis Turcas aggressus est, comes Guido Forensis *x*, qui illi erat socius, in illo incursu equo pertransiit cum equitibus suis aciem Turcarum, ulteriusque progressus est ad aliam Saracenorum manum, ac ibidem patravit mirabilia. Attamen humi prostratus est, crusque illi confractum; et duo ex ejus equitibus ad castra eum sub brachiis reduxerunt. Et scito, non nisi labore maximo ex illo conflictu retrahi potuisse comitem Andegavensem, ubi sæpe in magno fuit periculo: ac postmodum multam ab illo prælio laudem consecutus est. In comitem Pictaviensem, et in me alia non modica dictorum Turcarum manus excurrit: at certus esto, illos optime fuisse exceptos, parique modo tractatos: ac omnino iis necesse fuit, ut ad salutem suam, viam, qua venerant, invenirent: multique ex iis fuere cæsi; et incolumes in castra reversi sumus ad excubias nostras sine ulla fere nostrorum jactura.

ANNOTATA.

a *Nilum dicit, quem Gehon esse unum ex fluviis quatuor, qui Gen. 2 dicuntur oriri ex paradiso terrestri, existimarunt non pauci. At id hodiedum passim refutant interpretes. Videri potest Calmetus, aliique in caput 2 Geneseos.*

b *Sicardus noster, qui, ut ipse testatur pag. 28 laudati Opusculi, Nilum ascendit usque ad cataractas, quibus Ægyptus a Nubia secernitur, et diligenter observavit omnia, Nilum describens pag. 114, ita habet:* Non nisi uno currit alveo a fonte usque ad quinque leucas infra Cayrum: delabitur ex Abyssinia, secat regna Fangi, alias Sennar; et Dongola, totam Nubiam et Ægyptum. Verum infra Cayrum in duos dividitur ramos, quorum alter Damiatam labitur, alter Rosetum *, atque ita format insulam Delta, quæ hodiedum minor est, quam olim fuit.

* Raschit *Turcis.*

E

c Alii fluvii majores in cursu suo augentur, propter accedentes aquas, quas perpetuo in alveo suo recipiunt. Contra Nilus in sola Ægypto diffunditur per canales plusquam octoginta majores, et minores plurimos, qui omnes fere in mare Mediterraneum exeunt.

d *Id est, circa Kalendas Octobris. Imo jam paullo citius: nam, teste Sicardo pag. 118, crescit tribus mensibus a 22 Junii usque ad 22 Septembris, cum incipit decrescere, ac tribus item mensibus decrescit.*

e *Septem famosa Nili ostia intelligit auctor. At non modo hæc ostia, sed canales quoque mox memorati implentur ad menses tres quatuorve, teste rursum Sicardo pag. 115.*

f *Fœcunditatem Ægypti etiam antiqui celebrarunt, eamque confirmat Sicardus pag. 102.*

g *De Nili incremento loquitur. Audi itaque Sicardum pag. 114:* Annuum ejus incrementum, quo redundat, atque Ægyptum fœcundat, unice pendet a pluvia, quæ decidit constanter in Æthiopia a solstitio æstatis usque ad F æquinoctium autumnale. Nilus magis minusve redundat pro majori aut minori istius pluviæ abundantia. *Id jam innotuerat tempore Plinii, qui lib. 5, cap. 9 eamdem rationem recenset, licet fabulosas alias adjungat.*

h *Potius dixisset* lineæ æquinoctiali: *nam pars Ægypti meridionalis, ubi Nubiam attingit, sub tropico Cancri notatur in mappis geographicis, adeoque ab Æquatore seu linea æquinoctiali tantum distat gradibus 23, et zonam torridam tangit, quam æstu inhabitabilem putabant veteres. Attamen pars Ægypti borealis, ubi et urbes præcipuæ, tanto longius ab æquatore remota est, quanta ejusdem regni est longitudo, quam 212 leucarum esse ait Sicardus pag. 92.*

i *Laudatus auctor pag. 117 Ægyptum esse dicit,* sub climate ardenti, sub cælo sine nubibus et pluvia.

k *Rursum Sicardus pag. 109, assentitur, aquam Ægypti minus bonam esse: et tom. 2, pag. 14 methodum purgandi illam aquam allegat non absimilem.*

l *Hæc de paradiso Saracenorum fabulis annumera,*

A. JOANNE JOINVILLIO.

numera, quæ auctor narrat prout audivit. Potuerunt illa decidere ex arboribus juxta Nilum positis.

m *Collis hic Nili Cataractes est Ægypti et Nubiæ limes, quem Strabo in Geographia lib. 17, pag. 817 sic describit :* Catarractes est ad medium fere flumen petrosum quoddam supercilium in superiore parte planum, ut flumen recipere possit : desinens vero in præcipitium, per quod aqua dejicitur, utrimque secus terram alveus, est, quo facile sursum navigari possit. *Septem hujusmodi cataractas in Nilo occurrere ait Sicardus pag. 121, quorum hic Ægypto proximus, ac Ægyptiacæ navigationis terminus. Addit, temerarium fore, si quis tentaret cymbam per latus cataractæ traducere, in quo Straboni est contrarius.*

n *An hæc in summitate cataractæ viderint nautæ, non definio. Potuerunt multa hujusmodi in via cernere, ut ex Strabone litterisque Sicardi manifestum est, quæ confuso rerum ordine ad cataracten fuerint relata.*

o *Mendose legitur* Tunis *in editione Gallica,* B *ut jam advertit Cangius pag. 67 : neque enim Tunetum delabitur ullum ex Nili ostiis, at unum delabitur* Tanim, *quæ Straboni pag. 802* Πόλις μεγάλη *magna urbs, ostiumque ab urbe* Taniticum, *aut, ut Græce etiam legitur,* Tanicum.

p *Rosetum intelligit, Turcis* Raschit, *Tyrio* Ressith, *de quo jam egimus. Cernis non nisi quatuor Nili ostia referri, cum septem agnoverint antiqui, imo et plura alii. Sicardus sæpe laudatus pag. 122 septem revera superesse testatur, eaque assignat; verum addit pag. 123 eorum aliqua nec perpetuo fluere, nec tanta aquarum abundantia, quanta solebant. Hinc factum est, ut nec Tyrius plura invenire potuerit quam quatuor, sicut fatetur lib. 19, num. 22. At missis reliquis, notandum præterea occurrit, Regem cum exercitu non processisse inter ostium Roseti et Damiatæ, sed inter ostium Tanicum et Damiatæ, atque omnia, quæ vocum confusione auctor narrat de fluvio Rexi, intelligenda esse de ostio seu flumine Tanico, quod Syriæ ex quatuor relatis ostiis maxime vicinum erat, teste Tyrio citato, qui urbem Tanim, quam præ-* C *terfluebat,* Tafnim *nominat. Correctio hæc certa est, et probata in Commentario § 51.*

q *Multa de his machinis notavit Cangius pag. 67, quæ consuli possunt : nam nobis non licet his tamdiu immorari. Pauca igitur accipe compendio. Turres illæ ligneæ,* (beffrois *Galli, indeque Latini* belfragia *vocabant,* tours ambulatoires *deinde nominavit Daniel in Historia militiæ Franciæ lib. 7, cap. 3) usui præcipue erant ad urbes expugnandas : rotis enim insistebant, quibus movebantur de loco in locum, multisque distinctæ contignationibus, supra muros urbium in summam altitudinem assurgebant, adeo ut milites iis insistentes supra hostes eminerent, eosque muris depellerent. At non hujusmodi tantum erant* Ludovici *machinæ, sed aliæ his erant conjunctæ, quas nunc breviter explicabo.*

r Catus, *vel* cattus, *ut vocabant,* (le chat) *machina erat in formam porticus tectæ composita, qua tegebantur, qui muros hostiles conabantur suffodere, ut adductis exemplis probat Cangius pag. 68 et seqq. Has porticus, seu catos,* domus *vocat auctor noster,* ad ictus excipiendos, *id est, quibus operarii contra tela Saracenorum se tegerent. Turres vero* castella *nominat, quæ* D *valebant ad hostes sagittis impetendum, atque a fluminis ripa submovendum. Utraque ergo machina duplex erat, et pars utraque ad tegendos operarios conducebat.*

s *Eos videlicet, qui ante memoratas porticus necessario debebant prodire, nam alii illis tegebantur.*

t *Hoc nomen hic esse corruptum diximus in Commentario num. 654, quem de hoc duce ejusque nomine lector potest consulere, uti et de morte soldani.*

u *Potuit hunc Fredericus II equitem creare post inducias cum Saracenis initas anno 1229.*

x De Ferrois *legitur quidem in editionibus Gallicis, sed monet Cangius pag. 70 potius legendum esse* Forois, *quod testatur alibi legi pro* Forest : *atque ita etiam comes Forensis vocatur a Sanuto lib. 3, part.* II, *cap. 15, ubi inter crucesignatos anni 1239 numeratur* comes de Forois et de Nevers ratione uxoris. *Hujus autem comitis Forensis, qui Guido erat IV, filius hic memoratur Guido V, qui patri defuncto in comitatum Forensem successerat, de quo plura* E *dabit Chesnius in Historia Burgundiæ lib. 3, cap. 75. Ceterum Forensis provincia (le Forez) in Gallia juxta Ligerim flumen extenditur.*

CAPUT VII.

Machinæ Saracenorum variæ : ignis Græcus, quo Christianorum machinas conantur comburere : pietas Regis et aliorum in hoc periculo : Saraceni Christianorum turres ligneas igne Græco absumunt.

Saraceni jaciunt ignem Græcum.

Vespera quadam evenit, ut Turcæ adveherent machinam, quam Petrariam a nominabant, machinam ad mala inferenda terribilem; eamque statuerunt e regione catorum castellato- F rum, quos dominus Galterus de Curel et ego custodiebamus de nocte. Qua machina in nos jaciebant magna copia ignem Græcum, quod erat eorum, quæ umquam vidi, negotium maxime horrendum. Ubi bonus eques, dominus Galterus, socius meus, hunc ignem vidit, exclamat, ac nobis insit : Domini, perditi sumus in perpetuum sine ullo remedio : nam si crement catos castellatos nostros, cremati sumus et combusti : ac si excubias nostras deserimus, dedecus incurrimus. Quapropter concludo, neminem esse, qui ab hoc periculo nos possit custodire, nisi Deum, laudandum creatorem nostrum. Quapropter vobis omnibus suadeo, ut omnibus et singulis vicibus, quibus ignem Græcum in nos jacient, unusquisque nostrum in cubitos se, ac genua prosternat : imploremusque misericordiam Dei, qui omnia potest. Et simulac prima vice ignem jaciebant Turcæ, nos prostravimus in cubitos, et genua, quemadmodum vir probus nos docuerat : et ignis prima hac vice lapsus est inter duos nostros catos castellatos in locum anteriorem, quem fecerant nostri ad fluvium obturandum : et confestim ignis extinctus

A ctus est per virum, quem ad hoc faciendum habebamus idoneum.

79 Modus ignis Græci *b* is erat, ut adveniret a parte anteriori dolii amplitudine, longitudo caudæ facile erat mediæ arundinis quatuor palmarum *c*. Tantum adveniens excitabat strepitum, ut tonitru videretur cælo lapsum : mihique apparebat instar magni draconis per aera volitantis. Tantum quoque emittebat fulgorem, ut in castris nostris tam lucidum esset, acsi dies fuisset, tanta ignis erat flamma. Ter hac nocte in nos conjecerunt dictum ignem Græcum ex memorata petraria, ac quater ex balista turre instructa *d*. Et quoties bonus Rex noster, sanctus Ludovicus audiebat, ignem istum ita in nos immitti, se humi prosternebat, faciemque cum manibus in cælum levabat, clamansque alta voce ad Dominum nostrum, multis cum lacrymis dicebat : Optime Domine Deus, Jesu Christe, me, meosque omnes conserva. Atque ego quidem credo pias illius preces, et orationes valde nobis fuisse necessarias. Præterea, quoties ignis ante nos ceciderat, unum e cubiculariis suis B ad nos mittebat, ut intelligeret, quo essemus in statu, atque utrum ignis nos affecisset incommodo. Una e vicibus, quibus Turcæ ignem jecerunt, cecidit ad latus cati castellati, quem milites domini Corcenay servabant, ac percussit ripam fluvii, quæ erat ibidem ante, rectaque ad eos progrediebatur, omnino flagrans. Atque eccum mox currentem ad me istius centuriæ equitem aliquem, qui accedebat clamans : Adjuva nos, domine, alioqui omnes sumus combusti. Ecce enim quasi ingentem sæpem ignis Græci, quem Saraceni in nos injecerunt, recta accedentem ad castrum nostrum. Repente illuc cucurrimus, quod illis erat necessarium : nam quemadmodum dicebat eques, ita res se habebat : ignemque exstinximus magno labore et difficultate : Saraceni enim ex parte opposita trans flumen nos sagittis impetebant et jaculis, quibus omnes eramus pleni.

ad machinas Christianorum.

80 Comes Andegavensis Regis frater custodiebat de die catos castellatos, ac balistis sagittas immittebat in Saracenorum castra. Ceterum Rex ordinaverat, ut, postquam comes Andegavensis frater suus interdiu ibidem excubaverat, ego et socii mei id faceremus noctu; quod maximo nobis erat labori, curæque maximæ : nam C Turcæ cellas nostras muniminaque *e* jam ruperant atque contriverant. Accidit, ut proditores isti Turcæ de die ante munimina nostra adduxerint petrariam suam; cum excubias ageret memoratus Andium comes. Porro in unum collegerant omnes machinas suas, quibus ignem Græcum in aggerem fluvii jaciebant, e regione cellarum nostrarum ac munimentorum : unde factum est, ut nullus auderet se sistere aut ostendere. Tum duo cati castellati nostri momento temporis consumpti fuere et combusti. Qua de causa dictus Andium comes, cui illo die erant custodiendi, sensu fere privatus est, seque igni injicere volebat, ut exstingueret. Et tum equites mei atque ego Deum laudavimus : nam si usque ad noctem expectassent, omnes nos cremati fuissemus atque combusti *f*.

quas tandem omnino comburunt,

81 Rex, his perspectis, postulavit a proceribus suis, ut singuli pro parte sua ex navibus, quas habebant in mari, lignum fissile quam possent plurimum darent, modumque id inveniendi exquirerent. Quippe lignum ibidem non erat idoneum : atque hac ratione rem ipsis Rex posuit. Unusquisque igitur ei dedit quod potuit. Et antequam catus castellatus fuit absolutus, et perfectus, lignum fissile, quod ei fuit impensum, æstimatum fuit decem millibus librarum, et ultra. Ex quo potes cognoscere, multa hinc navigia fuisse perdita, nosque tunc fuisse in magnis angustiis. Cato fabricato et perfecto, noluit Rex ut erigeretur et statueretur ante diem, quo comes Andegavensis frater suus obire debebat excubias. Ac præcepit ipso eodem loco erigeretur, ubi duo alii fuerant combusti : atque hoc agebat, ut dicti fratris sui honorem restauraret; cujus in excubiis duo alii cati castellati fuerant combusti : et sicut Rex voluit, ita factum est. Quod videntes Saraceni, omnes machinas suas, quas sexdecim habebant, attraxerunt; eoque pacto conjunxerunt, ut omnes catum castellatum nostrum de novo factum impeterent. Et quando perspexerunt, milites nostros timere eo ire, atque ad catum accedere propter lapides, quos ejaculabantur, direxerunt petrariam recta ad catum castellatum, eumque iterum Græco igne combusserunt : ac secundo magnum nobis exhibuit favorem Dominus noster, equitibus E meis, et mihi. Quippe si expectassent ad noctem usque sequentem, qua statio nobis peragenda erat, cremati fuissemus et combusti, ut similiter ante dixeram.

uti et tertiam præcedentibus substitutam :

A. JOANNE JOINVILLIO.

82 Quod Rex perspiciens cum omnibus suis, vehementer turbatus est, omnesque proceres suos advocavit, ut consilium darent, quid sibi esset agendum. Consilio juncti intellexerunt fieri non posse, ut moles jaceretur, qua ad Turcas et Saracenos pateret transitus : nam nostri non poterant tantum proficere ab una parte, quantum illi disrumpebant a parte altera. Tum dominus Humbertus de Bello-joco Francicæ militiæ præfectus Regi dixit, hominem quemdam Beduinum *g* ad se venisse, sibique dixisse : quod, si ipsi vellet dare quingentos byzantios *h* aureos, vadum ostenderet commodum, quo equites facile transire possent. Ad quod Rex respondit se perquam libenter in hoc consentire, modo ille vere promissa præstaret ex parte sua. Et noluit homo ille vadum ostendere, priusquam haberet pecuniam sibi promissam.

vadum in flumine repertum.

ANNOTATA.

F

a *Petraria* (perriere) *machina est ad lapides majores jaciendos destinata. Verum et alia ejaculabantur Saraceni.*

b *De igne Græco fuse disputat Cangius cum hic pag. 71, tum in observationibus ad Historiam Villehardouini pag. 306, quæ videri possunt. Pauca nos dicemus ad elucidandam Historiam necessaria. Inventus fuit ignis Græcus seculo 7 sub imperio Constantini Pogonati per Callinicum Heliopolitanum, ut scribit Theophanes in Chronologia pag. 295, aliique apud Cangium citati. Diu sibi secretum hoc servarunt Græci, usique sunt maxime ad naves hostiles cumburendas, unde* ignis Græcus, *ac* marinus *quoque apud Theophanem vocabatur. Anna Comnena lib. 13 Alexiados pag. 383 docet, ignis Græci materiam componi ex gummi, quod stillat ex pinu similibusque arboribus, cum sulphure in unum contrito. Apud Procopium lib. 4 de bello Gothico pag. 594 bitumen additur et naphtha. Chaizius pag. 621 suspicatur, ignem artificialem, quo utebantur Saraceni, diversum fuisse ab igne Græcorum, licet eodem nomi-*

A. JOANNE JOINVILLIO.

nomine vocaretur; ignemque Saracenorum conflatum fuisse ex naphtha seu gummi liquidissimo, cujus circa Ecbatana Mediæ erat copia. Vitriacus in Historia Hierosolymitana cap. 84 ad propositum nostrum hæc memorat : Est fons quidam in partibus Orientis, ex cujus aquis ignis Græcus efficitur quibusdam aliis admixtis; . . . prædicti autem fontis aquas magno pretio comparant Saraceni. *Eadem fortasse hæc aqua cum liquidissimo gummi, quod ex Ms. suo profert Chaizius : ex quo verisimile fit, ignem hunc Saracenico-Græcum, propter adjunctum hunc liquorem antiquiori Græcorum fuisse vehementiorem. Porro ignis ille aqua potius alebatur quam exstinguebatur : qua vero arte superari posset, tradit laudatus Vitriacus :* Qui, *inquit, (ignis)* postquam vehementer fuerit accensus, vix aut numquam potest extingui, nisi aceto, et hominum urina, et sabulo. *Jaculabantur hunc ignem cominus per tubas æreas, eminus vero per machinas, ut videre est apud Cangium.*

c *Gallice,* Et de longueur la queuë en duroit bien comme d'une demye canne de quatre pans. B *Quæ verba non omnino clara sunt : at secutus sum sensum illorum magis obvium.*

d *Gallice* l'arbeleste à tour. *Cangius in Glossario ad voces* balista *et* tornus *multa collegit ad machinam hanc exponendam; neque tamen exprimit, qualis fuerit. Scriptores Latini istius temporis alii vocabant* balistam à tour, *alii* de torno, *alii* ad tor. *Ex Sanuto lib. 2, part. 4, cap. 8 colligitur, genus balistarum fuisse a communibus balistis distinctum, aut machinam potius, ex qua grandioribus balistis in hostes jaculabantur : nam, postquam singulis balistariis duas attribuerat balistas, quibus eos volebat instructos, addit utile fore, si in naves Christianorum insuper* balistæ grossæ a turno cum suis muniminibus portarentur. *Hinc conjicio, machinam fuisse non dissimilem petrariæ, sed turri seu mole minori constitisse. Videri quoque potest Cangius ad vocem* tortirella, *quæ eadem cum hac balista videtur machina.*

e *Gallice* nos tandeis et gardes, *at legendum potius* taudies *cum editione Pictaviensi vult Cangius pag. 72. Quidquid sit de lectione, significantur cellæ illæ in machina Christianorum, quibus se contra hostes tutabantur illius propugnatores.* C

f *Non erat inanis ille timor : nam Procopius lib. 4 de bello Gothico cap.* XI *refert, in simili turre lignea, per ignem Græcum incensa, deflagrasse Persas, quotquot erant in turre.*

g *De Beduinis agit cap. 10, ubi illorum mores exponuntur.*

h *Byzantius moneta est Constantinopoli primum cusa, a cujus antiquo nomine* Byzantio *nomen traxit, ut probat Cangius in Glossario : de ejus valore, qui pro tempore varius fuit, disputat Menagius in Dictionario etymologico ad vocem* besant.

D

CAPUT VIII.

Vado invento Christiani flumen transmittunt : pugna apud Massoram : comes Artesiæ aliique numero Saracenorum oppressi, et cæsi : varia Joinvillii fortuna : Regis cum agmine suo adventus, et consilium.

Constitutum fuit a Rege, ut dux Burgundiæ, ac regionis transmarinæ magnates, qui cum eo consentiebant, castrorum excubias agerent contra metum Saracenorum; atque ut ipse, tresque ejus fratres, qui erant comes Pictaviensis, comes Artesiæ, et comes Andegavensis, postea Siciliæ rex, sicut ante dixi, cum copiis suis equestribus inspecturi irent, ac tentaturi vadum, a Beduino sibi ostendendum. Et tempus statutum fuit ac assignatum die ante quadragenarium jejunium postrema. Atque ut illa dies adfuit, equos conscendimus, et appropinquavimus ad vadum istius Beduini, omnes ad pugnam instructi. Inter equitandum, aliqui ad ripam fluvii accedebant, cumque solum ibidem esset fluxum et humidum, ipsi equique ipsorum in fluvium labebantur, ac submergebantur. Rex, id advertens, aliis ostendit, ut sibi caverent ab eo lapsu. Et inter alios cecidit, aquisque suffocatus fuit dominus Joannes Aurelianensis *a* eques validus, qui vexillum in agmine gestabat. Et ubi ad vadum pervenimus, vidimus ab altera fluvii parte trecentos facile Saracenos omnes equites, qui transitum istum custodiebant. Tum fluvium ingressi sumus, ac equi nostri invenerunt vadum satis commodum, solumque firmum; et adverso flumine progressi sumus, per ripam ad transitum facilem, adeo ut Dei benignitate omnes sine periculo fuerimus transgressi. Atque ubi Saraceni intuiti sunt nos eo transire modo, magna præcipitantia fugam arripuerunt.

Christiani invento vado flumen trajicere incipiunt. fugientibus Saracenis, E

a

F

84 Ante discessum Rex statuerat, ut Templarii ducerent agmen primum, ac comes Artesiæ frater suus aciem secundam dirigeret. Verum simulac comes Artesiæ fluvium transiverat, omnesque ejus milites, videruntque Saracenos a se fugere, equis subdunt calcaria, incipiuntque in Saracenos excurrere. Illi ergo, qui primam ducebant aciem, indignati sunt adversus Artesiæ comitem, quia illis non audebat respondere metu domini Foucqualdi dou Melle, qui frænum ipsius equi tenebat : quique dominus Foucqualdus nihil eorum percipiebat, quæ Templarii dicebant Artesiæ comiti, quia surdaster erat : et clamabat dominus Foucqualdus alta voce : Agite, ad eos; agite, ad eos. Cum hoc intuerentur Templarii, putabant sibi dedecori fore et infamiæ, si comitem Artesiæ præcedere sinerent. Tum omnes uno consensu, quantum potuere, equos calcaribus concitarunt, secutique sunt Saracenos, ante ipsos fugientes, per urbem Massoram omnino usque ad campum Babyloniam versus *b*. Quando reverti volebant, Turcæ per plateas, quæ angustæ erant, ipsos impetebant vi ingenti

quos comes Artesiæ cum suis ac Templariis imprudenter secutus, cum multis occiditur :

b

arcuum

A. JOANNE JOINVILLIO

A arcuum ac tormentorum. Occisus ibi fuit comes Artesiæ, et dominus de Cociaco *c* *, nomine Radulphus, atque alii equites usque ad trecentos : ac Templarii, quemadmodum magnus magister mihi dixit, desideraverunt viros omnino ducentos octoginta armatos et equites.

* de Couci

Joinvillius Saracenum uno ictu occidit : sed mox ipse periclitatur.

85 Ego cum equitibus meis, armatisque ad sinistram vidi magnam Turcarum turmam, armis capiendis adhuc occupatam *d;* et mox eos invasimus. Et ut eos fugabamus per castra sua vidi Saracenum magnum, qui equum conscendebat, frænum equi ipsius tenente alio ejus equite : ac dum manum ephippio equi sui admovebat Saracenus, ut ascenderet, gladio meo eum pupugi subter axillam, quantum immergere potui, peremique uno ictu plane exanimatum. Quando eques illius vidit dominum suum occisum, deserit herum et equum, meque observat in regressu, et accedens gladio suo ictum mihi tam validum impingit inter humeros, ut supra collum equi mei me incurvaret, tenuitque me ita pressum, ut gladium, quo accinctus eram, educere non valerem; sed alius, quem ad ephippium equi mei habebam, educendus fuit gladius; B quo mihi opus erat quam maxime. Et cum vidit dexteram mihi gladio instructam, gladium suum, quem apprehenderam, ad se retraxit, seque a me subduxit.

idem cum suis incidit in sex Saracenorum millia, a quibus equo dejectus;

86 Porro factum, ut cum equitibus meis essem extra castra Saracenorum, atque hinc inde vidimus sex facile eorum millia, qui ad campum iverant, ac tentoria sua reliquerant : atque ubi percepissent nos seorsim esse, magno impetu in nos sunt invecti; ac ibi occiderunt dominum Hugonem de' Trichatel toparcham d'Esconflans *e*, qui cohortis nostræ ferebat vexillum ; ac pariter ceperunt dominum Radulphum de Wanon ex dicta cohorte nostra, quem humi dejecerant. Et, ut eum abducebant, equites mei atque ego eum cognovimus, et audacter ivimus eum liberaturi, eorumque manibus erepturi. Redeuntem me ex hoc conflictu Turcæ tantis ictibus impetierunt, ut equus meus genua in terram dimitteret præ ingenti, quod sentiebat, pondere, dejeceruntque me trans aures equi mei *f*. At mox me restitui, scuto ad collum appenso, dextera gladium protendens. Et accessit ad me dominus Erardus C d'Esmeray, quem Deus absolvat; quem pari modo in terram dejecerant. Nos recepimus ipse et ego juxta domum quamdam, quæ ibi prope fuerat destructa, ut illic Regem advenientem opperiremur. Modum quoque inveni equum recipiendi. Quando ibamus ad domum illam; eccum ingentem Turcarum manipulum, qui cursu nos invadebant, ac transibant ad aliam nostrorum cohortem, quam perspiciebant in vicinia; transeundo autem me humi prosternunt, ut scutum collo meo excideret, ac supra me transibant, mortuum rati; a quo parum aberam. Postquam transiverant, dominus Erardus socius meus venit me erecturus, atque incessimus usque ad muros illius destructæ domus.

tandem per comitem Andegavensem periculo liberatur.

87 Ad hos domus muros nobis accesserunt dominus Hugo d'Ecossé, dominus Fredericus de Loppei, dominus Raynaldus de Menoncourt, aliique multi. Ac eo venerunt Turcæ nos aggressuri quam bellissime ob omni parte. Eorumque pars quædam descendit in domum, ubi eramus, ac longo tempore punctim contra nos pugnaverunt. Tunc equites mei mihi dederunt equum, quem tenebant, ne aufugeret : cœperuntque nos tueri fortiter contra Turcas, atque eo modo, ut magnam inde laudem obtinuerint apud multos probos viros, in quorum erant conspectu. Illic dominus Hugo d'Escossé vulneratus fuit tribus gravibus plagis in facie, et alibi : dominus Radulphus æque, ac dominus Fredericus, uterque læsus fuit in humeris, adeo ut sanguis flueret ex eorum vulneribus, quemadmodum e dolio vinum effluit. Dominus Erardus d'Esmeray in vultu læsus fuit gladio, qui totum ei nasum abscidit, ita ut ei super os laberetur. Tum mihi in illis angustiis recurrit memoria domini sancti Jacobi, illique dixi : Optime domine, sancte Jacobe, tibi sum supplex, adjuva me, atque in hac necessitate opem mihi præsta. Et continuo, ut preces meas absolveram; dominus Erardus mihi dixit : Domine, si non cogitares id me facere ad fugam capessendam, teque destituendum, irem advocaturus dominum comitem Andegavensem, quem illic in campo illo conspicio. Ego ipsi reposui : Domine Erarde, magno me afficeres honore, magnaque voluptate, si nobis accerseres suppetias, quæ vitam nobis conservarent : nam tua in magno versatur periculo. Verum dicebam : ex illo enim vulnere mortem oppetiit. Omnes quoque in ea fuere E sententia, ut iret subsidium nobis quæsiturus. Tum equum ipsius dimisi, quem fræno tenebam. Accurrit igitur ad comitem Andegavensem, ipsum rogaturus, nobis veniret suppetias, in periculo, cui eramus expositi. Porro apud ipsum erat magnus quispiam dominus, qui illum ab hoc facto absterrebat : sed bonus dominus ei non acquiescebat; at equum suum invertit, et cum quibusdam suorum accurrit, calcaribus equo subditis : ac postquam Saraceni eos adventantes sunt intuiti, nos dimiserunt. Ubi illi advenerant, ac Saracenos viderunt, qui captum habebant, abducebantque vulneribus gravem dominum Radulphum de Wanon; mox iverunt eum recepturi multis gravatum vulneribus, et in statu prorsus miserando.

Rex cum suis accedit : acris oritur pugna :

88 Paullo post Regem vidi advenientem cum omnibus suis : qui accedebat horribili cum tumultu tubarum, buccinarum, et cornuum. Substitit ille cum omnibus suis militibus in via sublimi, ut quidquam iis diceret. Porro assevero numquam me vidisse hominem armatum tam decorum : super omnes enim ab humeris altior emi- F nebat. Galeam inauratam, ac perquam splendidam capite gestabat, manuque gladium Alemannicum *g*. Continuo ubi substiterat, multi ex ejus equitibus conspicati sunt in Turcarum agmine magnum aliorum equitum numerum, militumque Regis, illique cum aliis in istud agmen irruunt. Et scito tunc ibidem tam ab una quam ab altera parte patrata fuisse præclarissima belli facinora, quæ umquam in itinere transmarino contigerunt. Nullus enim arcu utebatur, aut balista, aliave machina *h*. Ictus vero, quibus omnes permixti alios alii impetebant, ingeminabantur insignibus clavis, gladiis, et lancearum hastilibus. Et propter illa, quæ cernebam, equites meos, meque multum tædebat, quantumvis eramus saucii, quod cum aliis non essemus in prælio. Atque ecce venientem confestim ad me unum ex meis armigeris, qui inde semel fugerat ad totum vexillum meum, mihique adduxit ex equis meis bellicis Flandricum quempiam; quem mox ascendi.

89 Tum ad latus Regis me recepi. Illic erat vir præstanti probitate dominus Joannes de Valeri, qui sat perspiciebat Regem velle eo se conferre

A. JOANNE JOINVILLIO. *Rex ad flumen se recipit : mox Artesiæ comiti mittit suppetias.*

ferre conflicturum, ubi acerrima erat pugna : eique auctor fuit, ut ad latus dexterum se reciperet fluvium versus, ut, si esset periculum, subsidium accipere posset a duce Burgundiæ, agmineque castra sua custodiente, quæ reliqueramus : atque etiam ut ejus milites se reficere possent, haberentque quod biberent : nam æstus jam multum increverat. Rex misit, qui quærerent proceres suos, equites, aliosque suos consiliarios, qui erant in agmine Turcarum, eosque juberent pugna excedere *i* : et simulac venerant, consuluit ipsos, quid esset agendum : multique responderunt bonum equitem dominum Joannem de Valeri, quem secum habebat, ei optimum daturum consilium. Tum juxta consilium ejusdem Valeri, quod utile esse plures consenserunt, Rex se recepit ad partem manus dexteræ versus fluvium. Atque eccum accedentem dominum Ymbertum de Bello-joco, Franciciæ militiæ præfectum, qui Regi significavit, fratrem ejus Artesiæ comitem in magna versari angustia in domo quadam Massoræ, seque mirifice defendere : at, eo non obstante, magnopere B ei opus esse subsidio, rogavitque Regem, ut ei iret suppetias. Dixit Rex : Præfecte militiæ, equo præcurre, ego te prope sequar. Similiter ego Joinvillius dixi militiæ præfecto, me unum fore ex ejus equitibus, eumque ad tale negotium secuturum : de quo mihi gratias egit ex animo. Mox unusquisque nostrum cœpit calcaribus concitare recta Massoram per agmen Turcarum : et continuo multi e societate nostra fuere alter ab alterius præsentia abstracti et divisi, inter vires Turcarum ac Saracenorum *k*.

ANNOTATA.

a Jehan d'Orleans. *De illustri hujus stirpe multa observavit Cangius ad Historiam Villehardouini num. 5.*

b *Multa hic prætermittit auctor, qui cum prima hac acie non transierat. Ea supplevimus in Commentario § 52, quem de his omnibus consule.*

c *De hujus nobilissima stirpe egimus in Commentario num. 845 occasione fratris.*

d *Hæc facta esse existimo, dum per primam* C *Gallorum aciem castris expulsi erant Saraceni, hique, temere transeuntibus Gallis, ad arma recurrebant.*

e Ecoflans *vicus est in provincia Andegavensi ad confluentes Sartæ et Liderici seu Lidi, ut vocant alii, vulgo* la Loir. *Verum sunt duo alii vici in pago Parisiaco, quos hodiedum* Conflans *nominant Galli, alter, ubi Sequana Matronam accipit, alter. ubi Isara augetur; de quorum alterutro verisimilius agit Joinvillius. Cangius certe in Genealogia Joinvillii pag. 18 hunc equitem vocat* Hugonem de Til-chatel dominum de Conflans.

f *Observat Cangius pag. 73 a sequentibus verbis usque ad finem hujus numeri aliter legi in editione Pictaviensi. Tota autem diversitas in hoc fere consistit, quod ibidem introducatur Arnaldus de Comminges vicecomes de Couzerans, a quo se periculo liberatum ait auctor : quemque deinde in eadem editione sæpius commemorat. At suspicatur Cangius, hæc inserta fuisse per Petrum de Rieux istius editionis auctorem et interpolatorem, ad honorem nobilissimæ familiæ de Comminges. Quapropter interpolationes illas, quæ ibidem legi possunt, brevitatis causa prætermitto.* D

g *Gladii Germanorum id temporis longiores erant, quam quibus passim utebantur Galli, ut Cangius probat ad hunc locum.*

h *Quibus nimirum jaculabantur eminus, quod fortitudinis non erat.*

i *Hinc colligitur, illos non invito Rege, sed verisimilius eo jubente, ab ejus agmine ad hoc prælium discessisse, quamvis supra ita loquatur Joinvillius, acsi pro suo libito discessissent, viso Saracenorum agmine.*

k *Nam Saracenorum dux validam suorum manum inter castra, quibus expulsi fuerant, et Massoram collocaverat, ne subsidium mitti posset Massoræ periclitantibus. Vide § 52, ubi hæc sunt exposita.*

CAPUT IX.

Prosecutio prœlii : Regis periculum et fortitudo : varia variorum gesta, ac fortuna multiplex : hostes tandem pulsi : quomodo se Rex habuerit in morte fratris, et cruenta hac victoria. E

Rex Saracenorum multitudine pressus, aliquibus jam cedentibus,

Ecce autem accurrentem paullo post ad præfectum militiæ, quocum eram, militem clavigerum, qui ei dixit, Regem a Turcis subsistere coactum, ejusque personam in magno versari periculo *a*. Perculsi fuimus si qui, ac ingenti quidem terrore. Nam inter locum, ubi Rex erat cum Turcis, et nos, mille facile aut mille, et ducenti erant Turcæ, neque eramus nisi sex *b* ex parte nostra. Tum dixi militiæ præfecto, quoniam nobis potestas non erat transeundi per tantam Turcarum turbam, expedire nobis, ut sursum versus supra eos transiremus : atque ita derepente fecimus : ac magna erat fossa in via, quam cepimus, inter nos et Turcas. Scito quod, si ad nos advertissent animum, continuo nos omnes occidissent, ac peremissent : sed Regi instabant, F aliisque agminibus magnis, hac quoque de causa, quod existimarent ex suis nos esse. Quando perveneramus ad fluvium, descendentes inter rivum et fluvium, vidimus Regem se recepisse ad summitatem fluvii, Turcasque adducere cohortes alias. Omnes autem eorum legiones invaserunt turmas Regis supra fluvium, ibidemque miserabile fuit incommodum : nam maxima nostrorum militum pars, qui se debiliores experiebantur, tentabant a nobis transire ad castra, ubi erat dux Burgundiæ. At id fieri non poterat : equi enim illorum lassi nimis erant ac labore fracti, æstusque erat summus. Ac descendendo juxta flumen, aquam conspicimus plane repletam sarissis, lanceis, scutis, viris, ac equis, qui peribant atque submergebantur.

incredibili fortitudine rem restituit.

91 Quando vidimus fortunam, statumque miserandum, qui nostris incumbebat, dicere cœpi militiæ præfecto, ut subsisteremus ab hac fluvii parte, ut excubaremus ad pontem modicum, ibi propinquum. Quippe, inquiebam, si illum deserimus, ab hac parte venient Regem aggressuri; et si nostri a duabus partibus oppugnantur, nimium urgeri poterimus : atque ea ratione substitimus.

A stitimus. Porro certi estote, bonum Regem in hoc prælio ex maximis exsecutum esse belli facinoribus, quæ umquam patrata vidi in cunctis, quibus aliquando interfui conflictibus. Asseverant quoque, quod in hac pugna omnes periissemus cæsique fuissemus, nisi ejus obstitisset persona. Verum credo virtutem ac fortitudinem, qua valebat, tunc ei geminatam fuisse per Dei potentiam. Quippe quo loco suos videbat premi, in medios se immittebat, clavaque ac gladio ictus ingeminabat ad stuporem validos. Præterea mihi die quodam retulerunt dominus de Courcenay, dominusque Joannes de Salenay, sex Turcas illo die in Regem irruisse, et frænum equi ejus apprehendisse, vique abduxisse; at validus Princeps omnes omnino vires intendit, tantoque animo sex illos Turcas percutiebat, ut solus se liberaverit. Postquam multi perspexerunt eum tanta designare facinora, tantaque fortitudine se tueri, animos sumpserunt, ac transitum, quem servabant, deseruerunt, accesseruntque ad opem Regi ferendam.

B 92 Paullo post hæc, en recta ad nos, qui pontem servabamus, ne Turcæ transirent, Petrus Britanniæ comes, qui ex partes Massoræ veniebat, ubi alius fuerat terribilis paucorum conflictus. Saucius erat in vultu, adeo ut sanguis ex ore ipsius effebueret copiosus, acsi aquam, quam in ore haberet, evomere voluisset. Insidebat dictus Britanniæ comes equo depresso, crasso fortique satis, caudaque et auribus mutilato: omnes ejus habenæ fractæ ac disruptæ pendebant ad arcum sellæ; ac manu utraque equi collum apprehenderat, ne Turcæ, qui pone ipsum erant, atque ex proximo sequebantur, eum ab equo suo dejicerent: quamvis non videretur eos magnopere formidare; sæpe enim se vertebat ad eos, verbaque dicebat irrisionem significantia. Sub finem illius turmæ *c* ad nos venerunt Joannes comes Suessionensis, et dominus Petrus de Noville, quem nominabant Cayer; satis ictuum hoc die perpessi, qui manserant adhuc post dictam turmam. Ubi eos viderunt Turcæ, se movere volebant, ut iis occurrerent; at vero, ut nos, qui pontem custodiebamus, perceperunt, nosque vultu esse ad eos converso, transire siverunt; veriti ne iis accurrissemus subsidio *d*, C quemadmodum fecissemus.

Joinvillius cum aliis pontem custodiens propinquum, varia,

c

d

93 Ac deinde comiti Suessionensi, consobrino meo *e*, dixi: Domine, obsecro te, hic subsistas ad hunc pontem custodiendum, et recte facies: hunc enim si deseras, Turcæ isti, quos ibi ante nos vides, ad conflictum accedent, atque ita Rex a tergo, et a fronte oppugnabitur. Et quærit ex me, si maneret, an et ego secum manere vellem: eique repono, quod ita perquam libenter. Tum quando militiæ præfectus audivit consensum nostrum, mihi dixit, bene custodirem hunc transitum non recedens, se ire accersitum nobis subsidium. Cum autem insiderem equo *f* meo, subsistens ad pontem inter consobrinum meum comitem Suessionensem a dexteris, et dominum de Noville a sinistris; eccum appropinquantem Turcam, qui a parte agminis Regis accedebat, veniensque retro in dominum de Noville crassa ingentis ponderis massa gravem libravit ictum; adeo ut eum in equi sui collum incurvaret: ac deinde cursum direxit per medium pontem, fugamque ad suam gentem arripuit, existimans quod voluissemus ipsum persequi, ut pontem desereremus, illique eum occupare possent. Postquam perceperunt, nos pontem neutiquam velle dimittere, cœperunt rivum transgredi, substiteruntque inter rivum et fluvium. Ubi eos vidimus, ita ad eos appropinquavimus, ut omnes parati essemus ad eos invadendum, si magis accessissent.

quæ ibidem vidit fecitque,

e

f

A. Joanne Joinvillio

94 Ante nos erant duo caduceatores Regii, quorum uni nomen Guilielmus de Bron, et alteri Joannes de Gaymaches: contra quos Turcæ, qui erant inter rivum et fluvium, ut dixi, adduxerunt totum agmen rusticorum regionis istius, qui pedites erant, quique in eos jaciebant ingentes terræ glebas prægrandesque lapides libramine brachiorum: atque ad extremum adduxerunt alium Turcam rusticum, qui tribus vicibus in eos conjecit ignem Græcum. Una vice ignis adhæsit vesti Guilielmi de Bron, quem statim exstinxit: quod ipsi erat necessarium; nam si flammas egisset, totus fuisset combustus. Nos etiam prorsus cooperti eramus pilis et jaculis, quæ fugiebant manus Turcarum, qui impetebant duos hos caduceatores. Porro contigit mihi, ut invenerim ibi prope thoracem stupeum *g*, qui fuerat cujusdam Saraceni: et partem illius E fissam ad me verti, ac pro scuto usus sum, quo opus habebam magnopere: quippe ipsorum pilis læsus non sum nisi quinque locis, atque equus meus saucius erat locis quindecim. Haud multo post, Deo sic volente, illuc venit unus e civibus meis Jovisvillensibus, qui mihi attulit vexillum tessera mea insignitum, ac magnum gladium militarem, quem non habebam. Deinde ubi rustici illi Turcæ, qui pedites erant, premebant caduceatores illos, in ipsos invecti sumus, ac mox terga dederunt. Interea dum servabamus pontem illum, bonus comes Suessionensis, postquam reversi eramus a persequendis rusticis illis, mecum jocabatur, mihique dicebat: Senescalle, clamare sinamus, ac rudere fæcem illam plebeiam, Et: Per præsepe Domini, uti jurabat, adhuc nos, tu et ego, loquemur de hoc prælio coram matronis in cubiculo.

exponit:

g

95 Accidit ut sub vesperam circa solem occidentem præfectus militiæ dominus Ymbertus de Bello-joco nobis adduxerit balistarios Regis pedites, qui se ante nos ordine disposuerunt. Tum nos equites descendimus equis sub balistariorum umbra. Saraceni, qui ibi erant, hoc cernentes, continuo fugam capessiverunt, nosque reliquerunt quietos. F Tum militiæ præfectus mihi dixit, nos recte fecisse, quod tam bene custodissemus pontem: mihique dixit, ut audacter ad Regem abirem, eumque non desererem, donec descendisset in tabernaculum suum. Regem itaque adivi. Paullo postquam eram apud dictum Dominum, ad eum advenit dominus Joannes de Valeri, aliquid precis ei propositurus, nimirum quod dominus de Chastillon eum rogaret, ut sibi postremam committeret aciem; quod Rex ei perquam libenter annuit. Post hæc Rex viam arripuit ut se reciperet in tabernaculum suum, ac galeam ipsi e capite sustuli, eique dedi petasum meum ferreum, qui multo levior erat, ut ventum captaret.

deinde fugientibus inde Saracenis, Regem accedit;

96 Quando simul incedebamus, ad eum accessit frater Henricus, prior Hospitalis de Ronnay *h*, qui fluvium transmiserat, venitque manum ei adhuc armatam exosculaturus; eumque interrogavit, an quid inaudisset de fratre suo Artesiæ comite? Rex ei respondit, audivisse; nimirum satis se scire, eum esse in cælo. Prior, frater Henricus, studens ipsum consolari de morte dicti ipsius fratris, Artesiæ comitis, ei dicit:

qui in tentorium recedens pie se gerit in morte fratris:

h

A. JOANNE JOINVILLIO.

cit : Domine Rex, numquam tantus honor regi Franciæ obtigit, quantus tibi : magno enim animotu, tuique omnes a nobis transmisistis fluvium difficilem, ad invadendum inimicos vestros : atque ita vos gessistis, ut eos pepuleritis, ac castra obtinueritis cum eorum machinis, quibus vobis bellum inferebant stupendum ; et pernoctabitis etiamnum in ipsorum diversoriis, ac tentoriis. Respondit Rex bonus, ut laudaretur Deus de omnibus, quæ sibi donabat : ac tunc ei cœpere ingentes lacrymæ *i* vi magna ex oculis erumpere. Quapropter multi illustres viri, qui hoc conspexerunt, pressi fuerunt vehementi angore ac commiseratione, præ affectu, quo tangebantur, quod eum ita plorantem cernerent, simulque nomen Domini laudantem de iis, quæ ipsum pati volebat.

velitatio quædam circa tentoria : gesta Guidonis Malvoisin.

97 Quando ad diversoria nostra perventum fuit, magnum numerum invenimus Saracenorum peditum, qui tenebant funes tentorii cujusdam, quod vi dissolvebant contra multos plebeculæ nostræ, qui illud tendebant. Magister Templariorum *k*, qui primam regebat aciem, et ego, B in fæcem illam invecti sumus, eamque in fugam conjecimus : et nostris permansit hoc tentorium. Verum nihilominus magnum fuit agmen, ex quo multi, qui multis vanitatibus erant instructi *l*, insignem accepere ignominiam : quorum quidem nomina exprimerem, at abstineo, quia defuncti sunt, neque ad quemquam attinet male loqui de defunctis. De domino Guidone Malvoisin *m* libenter loquar : quippe militiæ præfectus, et ego, eum in via habuimus obvium, Massora redeuntem, egregie se defendentem; quamvis acriter ipsum persequerentur, atque ex propinquo urgerent. Eodem enim plane modo, quo Turcæ dudum repulerant, atque abegerant comitem Britanniæ, illiusque agmen, ut vobis ante dixi : ita repellebant, atque abigebant dominum Guidonem ejusque manipulum *n*. At nihilominus magnam de hoc prælio laudem est consecutus : fortissime enim se gerebat, totaque illius manus. Neque id mirum erat : quippe deinde audivi ex iis, qui sciebant et cognoscebant stirpem ejus, omnesque fere ejus milites, omnes prope ipsius equites ex stirpe ipsius fuisse, virosque fide clientelæ ei obstrictos, clientelamque C arctiorem professos, qua de causa majori longe animo ductori suo confidebant.

ANNOTATA.

a *Ita creverant paulatim Saracenorum agmina, qui undique ex fuga collecti, duce Bendocdaro, præcipuas vires in Regis agmen immiserant.*

b *Plures quidem a Rege discesserant : verum ita erant distracti propter agmina inimicorum in via occurrentia. Suspicor tamen auctorem loqui tantum de equitibus cataphractis, pluresque his adfuisse milites gregarios.*

c *Gallice*, de celle bataille, *quod de turma militari, quam duxerat Britanniæ comes, intelligendum puto. Ratio est, quia Joinvillius per vocem* bataille *plerumque designat agmen, seu turmam militarem. Præterea num. 97 dicit comitem Britanniæ, ejusque agmen* (et sa bataille) *repulsum fuisse a Saracenis, sicut repulsus fuit Malvoisin cum suis. Sic itaque hæc combinamus. Ducem secuti sunt comitem Britanniæ nobiles hic relati cum suis singuli equitibus, aliisque turmis militaribus. Post acrem prope* D *Massoram conflictum contra Saracenos, Christiani impares numero cedere coguntur. Comes Britanniæ pessime exceptus fugit, sequente Saracenorum globo : alii diutius in conflictu manent, ac tandem postremi fugiunt, atque ita ad locum, ubi excubabat Joinvillius, perveniunt, non modo tres illi nobiles hic nominati, sed alii quoque ipsos secuti, qui ex conflictu supererant, quosque fuga alio non abstulerat. Cangius pag. 17 hæc aliter intellexit, at minus recte, ut opinor.*

d *Hinc videmus Joinvillium non fuisse sine sociis quibusdam, nec comitem Suessionensem cum solo fuisse Petro de Noville : nam alioquin Turcæ non timuissent eos invadere. Memorantur ergo soli duces, tacentur vero eorum adjutores, seu milites; atque hoc sensu multa intelliges, quæ alias parum viderentur probabilia.*

e *Hunc consobrinum Joinvillii probavimus ad cap. 3, part. 1, lit.* f.

f *Gallice* roucin, *quod equum castratum proprie significat. Vide Menagium ad vocem* Roussin.

g *In editis Gallice,* ung gaubison d'estouppe, E *at legendum* Ganbison *monet Cangius pag. 74. Vestis est lana, stupa, aliisve hujusmodi farta, qua utebantur pro lorica tenuioris conditionis milites : barbare illam vocabant* Gambesonem, *vel* gambesam. *Videri latius potest Cangius cum in notis, tum in Glossario.*

h *Bosius in Historia Hospitalariorum part. 1, lib. 9, pag. 201 hunc vocat,* fratrem Henricum de Rouai equitem.

i *Chaizius pag. 22, et Choisy pag. 171 Regem in tentorio fratri mortuo illacrymantem inducunt; sed et in aliis pluribus a relatione Joinvillii recedunt : videbit hoc lector studiosus, si auctores inter se conferre voluerit.*

k *Guilielmus Sonnac, qui amiserat oculum, et suorum partem non modicam Massoræ, necdum tamen a certamine desistebat. Cæsus est triduo post in altero prælio. Vide num. 106.*

l *Gallice*, qui estoient en grans bobans, *quod de luxu vestium, similique apparatu intelligendum puto. Fortasse aliqui per Saracenos aut Beduinos supellectile sua spoliati erant : atque ita sensus satis cohærebit. Attamen res non est satis certa.*

m *Hujus sæpius occurret mentio. Dominus erat, inquit Cangius pag. 75, Rodonii (vulgo Rosny,) quod Valesius in Notitia Galliarum pag. 479 assignat in Carnutibus ad Sequanam inter Vernonium et Meduntam. Donationem quamdam piam Guidonis Malvoisin, factam anno 1252, et a* Ludovico *deinde confirmatam, exhibet Martenius in Collectione amplissima tom. 1, col. 1331, ubi ipse se vocat* Guis Mauvessins. F

n *Hi, opinor, suos Massoram versus duxerant, ut ibidem periclitanti Artesiæ comiti succurrerent : at viam Saracenorum legionibus oppletam invenerunt.*

CAPUT

A

A. JOANNE JOINVILLIO.

CAPUT X.

Beduini populantur castra Saracenorum : quales hi Beduini : Saraceni, noctu machinas suas recipere conati, repelluntur : audax sacerdotis cujusdam facinus : pugnæ dies a Saracenis statutus.

Beduini, Saracenorum simul tentoria diripiunt. Secta

Postquam profligaveramus Turcas, suisque expuleramus diversoriis, Beduini, homines statura plane ingenti, invaserunt in castris Turcas ac Saracenos, rapueruntque et abstulerunt, quantum reperire potuere, quodque Saraceni reliquerant; quod summopere mirabar. Beduini B enim subjecti sunt ac vectigales Saracenis. At numquam audivi, quod pejus haberentur ab illis Saracenis, propter bona iis ablata et rapta; mosque illorum esse dicebatur semper infirmiores invadere *a* : quæ canum est natura; nam cum unus est, quem persequitur alius, clamorque ibidem tollitur, omnes alii eum invadunt. Et quia spectat ad materiam meam, cupio quædam de iis referre, quales homines sint Beduini. Beduini non credunt in Mahometem *b*, quemadmodum faciunt Turcæ : sed fide amplectuntur legem Hely *c*, quem Mahometis dicunt esse patruum *d*, deguntque in montibus et desertis. Ac credunt, quando unus eorum pro domino suo, aliave intentione bona, moritur, animam ejus in corpus melius transmigrare *e*, majoribusque gaudere commodis, quam ante : proptereaque nihilit faciunt mortem oppetendam ex mandato seniorum suorum, ac superiorum *f*.

Beduinorum, errores, vivendi ratio, vestes, multitudo,

99 Beduini hi non habitant aut in vicis, au in urbibus; at degunt semper in agris, ac desertis *g*. Ac, cælo perturbato, cum mulieribus suis ac liberis in terram figunt domicilii quoddam genus, quod constructum est ex doliis, circulisque ad perticas fixis, veluti faciunt feminæ, C cum lixivia lota exsiccant; et super hos circulos et perticas magnarum ovium vellera injiciunt, quæ habent alumine polita, dicta vellera de Somas *h*. Ac ipsi Beduini magna habent vellera, longis obsita pilis, quæ totum eorum tegunt corpus. Et cum advesperascit, aut cælum est perturbatum, includunt se, suaque in vellera recipiunt. Et illi, qui bellum sequuntur, apud se habent equos suos noctu prope pascentes, nec nisi fræna iis demunt, ac pascere sinunt. Deinde postridie vellera sua ad solem extendunt, cumque sicca sunt, fricant, neque videntur fuisse madefacta. Illi, qui militiam sequuntur, numquam sunt armati, quia dicunt et credunt, neminem nisi die suo mortem obire posse *i* : eaque de causa hunc inter se servant morem, ut, cum liberis suis imprecantur malum, iis dicant : Detestabilis esto, sicut ille, qui metu mortis se armat. In prælio non gestant nisi gladium, Turcarum modo fabricatum, ac omnes fere induti sunt linteis formam superpelliceorum habentibus *k*. Homines sunt deformes, visuque horridi : nam capillos cuncti ac barbas habent oblongas et plane nigras. Lactis animalium suorum abundantia vivunt : tantusque eorum est numerus, ut æstimari ab ullo nequeat. Quippe sunt in regno Ægyptio, Hierosolymitano, cunctisque in terris regnorum Saracenicorum, et infidelium, quibus sunt tributarii *l*.

factum ab iis assertum, quod breviter refutatur.

100 Ad hoc de Beduinis propositum dico, a reditu meo ex partibus transmarinis, me vidisse aliquos, nomen gerentes Christianorum, qui legem sequuntur Beduinorum. Quidam enim sunt, qui asserunt, neminem mori posse, nisi die determinato, sine ullo dubio : quod falsum est. Hujusmodi enim opinionem hanc existimo, acsi vellent dicere, Deo non esse potestatem nobis male faciendi, aut adjuvandi, et nobis prolongandi aut abscindendi vitam, quod est hæreticum. At contra affirmo, ei nos credere oportere, ac eum esse omnipotentem, potentiamque habere omnia faciendi; adeoque mortem nobis immittendi cito aut sero pro arbitrio suo. Quod contrarium est opinioni Beduinorum, qui aiunt diem mortis suæ certissime determinatum, ac ita ut fieri non posset, ut queat vita prolongari, E vel citius abrumpi *m*.

Saraceni, noctu machinas suas recipere conati, repelluntur :

101 Ut regrediar ad materiam meam, illamque prosequar : vesperi, qua rediimus a miserabili pugna, de qua ante egi, quaque divertimus ad locum, unde expuleramus ac ejeceramus Saracenos, milites mei attulerunt mihi a castris nostris tentorium, quod magister Templariorum, qui primam regebat aciem, mihi donaverat, illudque ibidem expandi jussi ad dexteram partem machinarum, quas a Saracenis ceperamus. Quilibet nostrum bene quiescere cupiebat : omnino enim eo nobis opus erat propter plagas et vulnera, quæ ab ictibus miserabilis hujus pugnæ nobis erant inflicta. Verum ante diluculum, cœptum est in castris clamari : Ad arma; ad arma. Continuo præfectum cubiculi mei surgere jussi, ut exploraret, quid ageretur. Neque multum interposuit moræ, quin rediret penitus consternatus, mihique exclamans : Domine, surge, surge : eccos enim Saracenos pedites et equites, qui jam profligaverunt turmas, quas Rex excubias agere, machinasque Saracenorum, quas obtinueramus, servare jusserat. Erant autem machinæ ante tentoria Regis, nostraque, qui ei eramus vicini. Continuo surrexi, loricamque in dorsum conjeci, ac petasum ferreum in caput. F Tum militibus meis advocatis, quantumvis essemus saucii, abegimus Saracenos a machinis, quas studebant recipere. Rex deinde, quia loricas annulares induere non poteramus, ad nos misit dominum Galterum de Chastillon, qui se posuit inter nos et Turcas, ut esset ante machinas.

audax sacerdotis facinus :

102 Postquam dominus Galterus *n* de Chastillon sæpe repulerat Saracenos, qui de nocte furari cupiebant machinas a nobis obtentas, Saracenique cernebant se nihil ibidem posse efficere aut intercipere; se receperunt ad manum numerosam suorum equitum, qui erant ordine dispositi contigue ante castra nostra, ut excubarent, ne de nocte ex improviso eorum occuparemus castra, quæ post eos erant locata. Sex Turcarum ductores perquam egregie armati descenderunt, aggressique sunt construere tugurium *o* ex saxis sectilibus prægrandibus; ut balistarii nostri eos non læderent jaculis. Et illi ipsi jaculabantur nullo discrimine in castra nostra, et sæpe multos e nostris vulnerabant. Cum milites mei, ac ego, quibus illius loci commissa erat custodia, lapideum eorum vidimus tugurium, in unum consuluimus, ut, postquam nox venisset, destru-

ctum

A. JOANNE JOINVILLIO. ctum iremus dictum ipsorum tugurium, illiusque lapides asportaremus. Porro sacerdotem habebam, cui nomen dominus Joannes de Waysy, qui audivit consilium nostrum, et molitionem : et reipsa non tamdiu expectavit, verum ex societate nostra discessit omnino solus, seque ad Saracenos contulit, indutus lorica sua, petaso ferreo capiti imposito, gladioque sub axilla, ne detegeretur. Ubi fuit apud Saracenos, qui de eo non cogitabant aut timebant, quia omnino solus erat, ferociter in eos irruit, libratque gladium suum, ac percutit sex illos ductores Turcas, nullo eorum potestatem habente se defendendi, iisque necesse fuit ut fugam capesserent. Hinc igitur multum attoniti fuere alii Turcæ ac Saraceni : et cum ita fugientes cernerent dominos suos, calcaria subdiderunt, atque excurrerunt adversus sacerdotem meum redeuntem ad castra nostra; ex quibus profecti sunt facile quinquaginta nostrorum militum obviam Turcis, qui eum persequebantur equites. Verum Turcæ nolebant cum nostris congredi, sed declinarunt ante ipsos bis terve. At semel contigit, ut unus
B aliquis ex militibus nostris pugionem suum in unum istorum Turcarum conjecerit, ac eum percusserit inter costas, illeque pugionem corpori infixum asportaverit, indeque occubuerit. Quando hoc Turcæ conspexerunt, numquam deinde ausi sunt eo accurrere. Tum nostri inde asportaverunt omnes ipsorum tugurii lapides. Sacerdos autem meus imposterum bene cognitus fuit in exercitu nostro, de eoque, cum conspiciebatur, inquiebant : En sacerdotem, qui solus omnino profligavit Saracenos.

novus Saracenorum dux : præparatio ad alterum conflictum.

103 Supradicta contigerunt die primo sacri quadraginta dierum jejunii : et eodem ipso die Saraceni fortissimum quemdam Saracenum sibi novum creaverunt ducem, in locum ducis sui ante memorati, nomine Sceceduni, qui defunctus erat in prælio pridie jejunii; in quo pariter cæsus fuit bonus Artesiæ comes, frater Regis sancti Ludovici. Novus hic ductor *p* inter mortuos alios invenit Artesiæ comitem, qui validissimum se præstiterat ac fortissimum in hac pugna, splendideque vestitus erat, uti decebat principem. Et cepit memoratus dux sagum militare dicti Artesiæ comitis, atque ut animos adderet Turcis ac Saracenis, illud coram eis in altum
C levavit, iisque dicebat sagum esse Regis eorum inimici, in prælio occisi : Atque adeo, domini, inquiebat, vires intendere debetis : nam corpus sine capite nihil deinceps est, neque item agmen sine principe aut duce : propiereaque auctor sum, ut ferociter eos invadamus; atque hac in re mihi consentire vos oportet. Die Veneris proximo eos debemus aggredi, omnesque capere; quoniam ita res habet, ut ductorem suum perdiderint. Omnes hilari animo Saraceni consenserunt dicti ducis sui consilio. Porro scire oportet, Regi in exercitu Saracenorum plures fuisse speculatores, qui sæpe audiebant, ac noverant eorum molitiones, quidque vellent aggredi. Aliqui itaque ex speculatoribus venerunt ad Regem nuntiatum res novas ac molitiones Saracenorum, eosque credere, ipsum mortuum esse, agmenque esse sine capite. Tum Rex accersit omnes exercitus sui duces, eisque præcepit, ut armari juberent omnes milites suos, esseque in excubiis, ac omnino paratos ad mediam noctem, singulosque exire tentoriis, ac tabernaculis usque ad castrorum repagula, quæ facta fuerant, ne Saraceni equis, aut magno numero intrarent Regis castra : sed constructa erant eo D tantum modo, ut pedites ingredi possent. Et mox factum est secundum Regis mandatum.

ANNOTATA.

a *Vitriacus in Historia Hierosolymitana num. 12 agit de Beduinis, ex quo adducemus aliqua ad dictorum confirmationem :* Sunt autem, *inquit,* non solum Christianorum, sed etiam Saracenorum proditores, mendaces, et inconstantes, et amici fortunæ, et duplici via gradientes, his, quos cernunt prævalere, libenter adhærentes.

b *De initiis Mahometis, seu Muhamedis (ut nomina Arabica diverso modo exponuntur Latine) sic scribit Renaudotius in Historia patriarcharum Alexandriæ pag. 157 :* Natus est Muhamed inter Arabes Scenitas illos, quorum vita pastoricia fuit : quique nec litteris, nec religione exculti, in summa libertate vivebant, pascuis, negociationibus, latrociniis, mutuisque sæpe inter se bellis occupati. Longam ab Ismaele genealogiam ejus historici exhibent, ex qua nobilem inter Meccanos fuisse apparet, eum mulieris E opulentæ matrimonio adauctis divitiis animum ad mercaturam adjecisse, et usque ad annum XL ætatis, nihil minus quam prophetam fuisse. Postea tandem, cum Medinam fugere coactus esset, ob venditatam prophetiam viris stolidis, ferocibus, et ad omne nefas paratis facile persuasit, divinitus se inspiratum, ut ab idololatria superstitiosoque syderum cultu, quibus Arabes addictissimi erant, eos ad unius veri Dei cognitionem adduceret : præsertim cum suos hortaretur, ut sive Judæos sive Christianos, aut Gentiles, contumaces adversus propositam a se novam religionem reperirent, eos armis aggrederentur et internecione delerent. Ita paucis admodum annis, lacerato undique Romano imperio, pestis illa totum ferme orientem invasit. *Sic ridiculam legem condidit impostor ille, librumque putidissimum conscripsit, quem* Alcoranum *vocant, de quo plura laudatus auctor. Tempus idem assignat his verbis :* Orta est sub Heraclio imperatore ingens illa orbis Christiani calamitas, quæ ab anno, quo Muhamed pseudo-propheta Mecca Medinam fugit, initium ducit. Is annus F est I Muhamedanorum imperii, nempe Hegiræ, ut vulgo dicunt, seu fugæ Muhamedis, qui incipit a XV Julii, anno æræ Christianæ DCXXII. *Impiam Mahometis legem non quidem omnino repudiant Beduini, at nec puram sectantur, ut eorum adversarii prætendunt, et intelligi debet Joinvillius.*

c Hely. *Id quoque nomen diverse a nostris exprimitur. Audi de hoc quarto, seu quinto, si adnumeres Mahometem ipsum, Mahometanorum Califa, laudatum Renaudotium pag. 168 :* Hali gener Muhamedis, Fatimæ ejus filiæ maritus, califa renunciatus est an. Heg. XXXIV, J. C. DCLIV; multisque bellis civilibus impetitus, tam ab Aischa Muhamedis vidua, quam a Muavia et aliis Ommiæ filiis, a sicario Abdelrahmano occisus est sub finem anni XXXIX, J. C. DCLX. *Hæc omnia latius exponit Herbelotius in Bibliotheca Orientali ad vocem* Ali, *sic enim illum nominat. Porro post mortem Hali divisi manserunt Mahometani, ut fuerant eo imperante : alii enim execrabantur memoriam ejus; alii magnis eum laudibus efferebant, et titulis ornabant honorificis, quos recenset Herbelotius pag. 94.*

Hinc

A *Hinc factum est, ut, crescente discordia, inimici Hali sectatores ipsius pro schismaticis habuerint, et vocaverint* Schiah, *et* Schiât, *quod, interprete Herbelotio pag. 786, significat factionem hominum fœderatorum, qui in religione singularem opinionem sectantur. Sectatores autem Hali id nomen sibi injuria dari contendunt, et se* Alâdeliat, *id est,* sectam justorum *nominant. At ne ipsi quidem invicem consentiunt, sed in quinque sectas sunt divisi, teste Herbelotio pag. 786, ubi latius videri possunt singularia eorum deliria, quamque late per Persidem, Indiam, aliasque regiones Hali sectatores et quasi adoratores sint sparsi.*

d Oncle, *quod æque* avunculus *verti potest. At nec patruus fuit nec avunculus Mahometis, si credimus Herbelotio, qui illius et generum et patruelem fuisse docet, et filium dicit* Abou Thaleb, *qui pag. 598 recensetur inter decem fratres, quorum natu minimus erat Abdallah pater Mahometis. Consentit Tyrius lib. 19, cap. 20.*

e *Est hæc metempsychosis Pythagorica, quæ* B *late per orbem dominata est. Errorem hunc quibusdam Hali sectatoribus attribuit etiam Herbelotius pag. 786.*

f *Hæc videri possunt ab Assasinis, de quibus egimus in Commentario § 38, ad Beduinos translata; iis certe conveniunt, licet et similis esse potuerit Beduinorum insania.*

g *Audi Vitriacum ante citatum :* Nullam autem habentes certam mansionem, in campestribus et pascuis turmatim per tribus incedentes vagi habitant, et pascuorum ubertatem sectantes, diversas regiones circumeunt, lacte viventes, et animalium copiam secum trahentes.

h *Hanc vocem nullibi invenio, quæ fortasse corrupta est. De his autem ita habet Vitriacus :* In tentoriis de pellibus animalium habitantes, ovinis etiam pellibus et caprinis plerumque vestiuntur.

i *Sic item Vitriacus :* Hi autem dogmatizantes, quod diem mortis a Deo sibi constitutum nec prævenire possunt nec præterire, numquam ad pugnam armati procedunt.

k Sed solummodo camisiati, *id est lineis induti vestimentis.* Peplis more fæminarum capita C involventes : lanceis et ensibus tantummodo utentes.

l *Cangius pag. 75 putavit Beduinos ab auctore nostro confundi cum Assasinis, quia videlicet Beduini sunt Arabes. At sane id non sequitur ex eo, quod Sanutus lib. 2, part. 4, cap. 28 asserat, Beduinos quoque habitare circa Alapiam. Cum enim Alapia in Syria sit sita, inde potius evincitur, in Syria quoque degisse Beduinos. Attamen cap. 19 non satis distinguit Assasinos a Beduinis, ut videbimus.*

m *Comparat auctor doctrinam illorum, qui nomine saltem Christiani erant, cum doctrina Beduinorum in asserenda fatali illa necessitate moriendi determinato tempore. Attamen crediderim ex diverso principio errorem utrorumque manasse : et Beduinos quidem fato Stoicorum delectatos, quod et Turcæ hodiedum sequi dicuntur; alios vero ab ordinatione seu prædestinatione divina male intellecta, quales fuere ac sunt hæretici plurimi, hanc necessitatem derivasse. Ceterum ratio, quam contra hunc errorem proponit Joinvillius, non ea est, qua converterentur nostri temporis hæretici, at hujus loci non est theologicam hanc controversiam uberius pertractare. Sufficiat igitur exemplum regis Ezechiæ 4. Reg. 20, ubi postquam audiverat a propheta :* Præcipe domui tuæ : morieris enim tu, et non vives : *fusa ad Deum oratione, hæc quoque audivit :* Addam diebus tuis quindecim annos. *Hinc enim evincitur, Deum non præordinasse singulis hominibus diem mortis independenter ab actibus eorum liberis, quos prævidit ab æterno : licet alioquin constituerit* terminos *(hominis,)* qui præteriri non poterunt. *Job. 14.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

n *Monet Cangius pag. 50 ab aliis vocari* Gaucherium; *noster tamen ubique habet* Gaultier, *quod mutare nolui. Plura de eo vide inferius ad cap. 17, lit.* a.

o Un tandeis, *lege* taudis, *quod tugurium, seu munimentum, quo se tegerent, significat.*

p Bendocdar *nomine, de quo vide Commentarium num. 660 et 662.*

CAPUT XI.

E

Alia ad castra Christianorum pugna : repulsi Saraceni magno utrimque accepto damno.

Dux Saracenorum aciem suam disponit peritissime :

Neque dubita, quin horum Saracenorum princeps, sicut ordinaverat ac statuerat, diligentem æque navaverit operam, ut factum exsequeretur. Matutino tempore istius diei Veneris ad horam circiter solis orientis, vidisses venientem cum quatuor omnino millibus equitum, equis atque armis egregie instructorum : hos omnes ordine disponi jussit per turmas ad totam longitudinem castrorum nostrorum, quæ extensa erant ad latus fluvii, a Babylonia præterfluentis castra nostra, labentisque usque ad urbem Ressil *a* dictam. Postquam dux ille Saracenorum ita ordinari curaverat ante castra nostra quatuor equitum millia, continuo ad nos adduxit aliud ingens agmen Saracenorum peditum, tanto numero, ut circumdarent ab alia parte omne aliud castrorum nostrorum latus. Post duo illa ingentia agmina, sic ordinata, ut vobis dixi, ordine F disponi seorsimque in vicinia collocari jussit omnes copias soldani Babyloniæ, ad opem et subsidium ferendum, si esset necesse. Quando dux ille Saracenorum ita acies suas ordine disposuerat, ille ipse omnino solus, equo modico vectus, venit versus castra nostra, ut lustraret atque exploraret ordines ac partitiones exercitus Regii. Et quantum noverat legiones atque acies nostras in locis majores esse ac firmiores, firmabat militibus suis acies suas nostris oppositas. Post hæc transire jussit tria facile millia Beduinorum, de quibus, eorumque ingeniis ac personis antea egi, versus castra, quæ seorsim servabat dux Burgundiæ, inter duo flumina collocata. Atque hoc fecit, quod putaret quosdam Regis milites esse in castris ducis, agmenque Regis, quod cum ipso erat, inde esse infirmius; atque ut Beduini caverent, ne a duce Burgundiæ haberemus subsidium.

Christianos invadunt Saraceni : aciem comitis Andegavensis Rex restituit :

105 Hisce agendis ac parandis dux Saracenorum occupatus fuit usque ad horam circiter meridianam. Atque, his factis, crotala sua tympanaque pulsari jussit maximo impetu pro Turcarum more : quod erat auditu maxime insolitum iis, qui hisce non assueverant. Tum se movere

cœpe-

A. JOANNE JOINVILLIO.

cœperunt ab omni parte pedites equitesque. Primum vobis loquar de acie comitis Andegavensis, quam primum aggressi sunt, quia iis proxima erat a parte Babyloniam versus. Accesserunt ad ipsum in modum ludi latrunculorum. Quippe ipsorum pedites in ejus milites irruebant, eosque cremabant igne Græco, quem jaciebant instrumentis, quæ habebant, ad id sibi commodis : aliunde equites Turcæ se immiscebant, qui eos mirifice urgebant ac opprimebant; adeo ut profligarent aciem comitis Andegavensis, qui pedes inter suos equites in maximis erat angustiis. Ubi id Regi innotuit, eique nuntiatum fuit infortunium, in quo erat ejus frater; Rex bonus nullam subsistendi, aut quemquam expectandi, passus est moram ; at derepente calcaria subdidit, dexteraque gladium præferens, se in agmen immittit usque ad medium, ubi ejus erat frater, ferocissime Turcas istos percutiens eo loco, ubi turbam videbat densiorem. Multos ibidem sustinuit ictus, totumque equi ipsius tergum igne Græco repleverunt Saraceni. Et facile credi poterat, eum id temporis Deum suum in memoria
B habuisse ac desiderio. Vere enim Dominus noster in illa necessitate magnus ipsi fuit amicus, tantamque ei opem tulit, ut per hoc Regis subsidium, restitutus fuerit ejus frater comes Andegavensis : et Turcas insuper ex castris suis atque acie expulerint.

varia agminum b

106 Post aciem comitis Andegavensis, alterius propinquæ aciei procerum transmarinorum duces erant dominus Guido Ibelinus *b*, ejusque frater Balduinus, qui proximi erant cohorti domini Galteri de Chastillon viri fortis et validi : magnum hi habebant numerum virorum fortium, magnisque facinoribus inclytorum. Et duæ hæ turmæ conjunctæ ita se gesserunt, ut fortiter Turcis restiterint, nullo umquam modo pulsæ, aut victæ. Verum misere actum est cum alia acie subsequente, quam regebat frater Guilielmus Sonnac Templariorum magister, cum manu modica equitum, qui ei supererant ex die Martis, præcedente jejunium; quo die mirabilia valde commissa sunt prælia, durique assultus. Magister hic Templariorum per milites, quos habebat, ante aciem suam exstrui curaverat munimentum machinarum, quas Saracenis eripueramus. Attamen nihil ei profuit. Templarii enim ibi po-
C suerant tabulas abiegnas magna copia, in quas Saraceni conjecerunt ignem Græcum; ignisque continuo ibidem vires cepit : et Saraceni, cernentes paucos esse, qui sibi possent resistere, nequaquam expectarunt, ut ignem incenderent, isque undique vagaretur, sed ferociter in Templarios irruerunt, eosque modico tempore profligaverunt. Adhæc certus esto, post Templarios fuisse circiter terræ jugerum, ita oppletum pilis, jaculis, aliisque telis missilibus, ut terra ibidem non cerneretur. Tantum jaculorum emiserant Saraceni contra Templarios. Magister hujus aciei dux oculum unum amiserat in prælio diei Martis, et in hoc amisit oculum alterum : nam cæsus ibi fuit, et peremptus : Deus ipsius possideat animam.

gesta,

107 Alterius aciei magister erat et ductor vir probus et audax dominus Guido Malvoisin, qui graviter in corpore suo fuit vulneratus. Cernentes autem Saraceni insignem prudentiam, fidentiamque, qua pollebat, quamque exhibebat in acie sua, sine fine ignem Græcum in eum jaciebant : adeo ut semel non nisi magna difficultate illum in tempore ejus milites potuerint extinguere. Hoc tamen non obstante, fortiter ac con- D
stanter locum tenuit, a Saracenis non superatus. Ab acie domini Guidonis Malvoisin descendebant repagula, quæ claudebant castra, ubi eram, ad latus fluvii per jactum facile lapidis levioris. Et transibant repagula ante agmen domini Guilielmi Flandriæ comitis; quod agmen erat ad latus, seque extendebat usque ad fluvium mari illabentem. Et in eo loco, atque e regione fluvii, qui fluebat a domino Guidone Malvoisin, erat cohors nostra *c*. Et videntes Saraceni, aciem domini comitis Flandriæ sibi ad latus faciei suæ esse oppositam, ausi non sunt nostram invadere; de quo Deum laudavi. Nam neque equites mei, neque ego ullis armis induti eramus, propter vulnera, quæ acceperamus in prælio pridie sacri quadraginta dierum jejunii, unde fieri non poterat, ut ullis nos armis indueremus.

variaque eorum

108 Dominus Guilielmus Flandriæ comes, ejusque agmen mirabilia patraverunt. Nam pedites et equites ferociter ac valide in Turcas sunt invecti, præclaraque designabant belli facinora. Ubi id conspexi, balistariis meis præcepi, ut jacula magno numero in Turcas intorquerent, qui in agmine illo erant equites. Et simulac perce- E
perunt se, equosque suos vulnerari, cœpere fugam capessere, peditesque suos destituere. Cum autem comes Flandriæ, et agmen illius cernerent Turcas fugere, transierunt sub repagulis, invectique sunt in Saracenos pedites; ac magnum eorum numerum ceciderunt, obtinueruntque peltas eorum multas. Atque illic inter alios egregie se probavit dominus Galterus de la Horgne, qui vexillum gerebat domini comitis *d* Asperi-montis.

fortuna

109 Post hoc agmen, acies erat domini comitis Pictaviensis Regis germani, quæ acies tota constabat peditibus, nec ullus ibi equo utebatur, nisi comes solus; ex quo ortum est incommodum. Turcæ enim profligarunt aciem illam pedestrem, ceperuntque comitem Pictaviensem. Et revera abducebant, nisi impedissent lanii, aliique omnes viri ac mulieres, qui in castris cibaria, mercesque vendebant : qui, ut audiverunt, comitem Pictaviensem, Regis fratrem, abduci, exclamabant in castris, seque movebant omnes; atque eo in Saracenos irruerunt modo, ut comes Pictaviensis fuerit recuperatus, vique Turcas castris expulerint. F

exponitur :

110 Post agmen comitis Pictaviensis acies erat modica, totiusque exercitus debilissima, cujus rector erat ac caput aliquis, Josserandus nomine, Branciduni dominus *e*, quem in Ægyptum abduxerat dictus dominus comes Pictaviensis. Cohors istius Josserandi constabat equitibus, qui pedites militabant, neque equis vehebantur alii, nisi ipse, et dominus Henricus ejus filius. Hoc agmen ex omni parte Turcæ profligabant. Id conspicati dominus Josserandus illiusque filius, retro in Turcas ingruebant, gladiorum ictibus rem agentes : ac tam egregie eos a tergo urgebant, ut frequenter Turcæ se circumagerent contra dominum Branciduni Josserandum, ejusque milites dimitterent, ut eum invaderent. Nihilominus tractu temporis parum id eis profuisset : etenim Turcæ omnes profligassent, atque occidissent; nisi obstitisset dominus Henricus de Cone, qui erat in castris ducis Burgundiæ, eques prudens et promptus, qui satis noverat cohortem domini Branciduni nimis esse infirmam. Et quoties cernebat Turcas in dictum dominum Branciduni irruere, curabat Regis balistarios ja-

culari

A culari in Turcas : tantumque effecit, ut dominus Branciduni ex hujusmodi angustiis in hoc prælio emerserit, ex viginti equitibus, quos habere dicebatur, duodecim amissis, præter alios suos milites : et ipsemet demum, præ ingentibus plagis, quas sustinuerat, ex hoc prælio occubuit in Dei servitio, qui abunde eum remuneratus est, ut credere oportet.

quædam de Josserando Branciduni domino : *f* *g* *h*

111 Dominus hic avunculus *f* meus erat : ac in morte dicentem audivi, se suo tempore triginta sex pugnis interfuisse ac præliis, in quibus sæpe præmium armorum reportaverat; et aliqua satis cognovi. Nam vice quadam, cum esset in castris comitis Matisconensis *g*, consobrini sui, ad me venit, unumque ex fratribus *h* meis, die quodam Veneris sancto in jejunio quadraginta dierum, nobisque dixit : Nepotes mei, succurrite mihi cum omni vestra militia, ut invadamus Alemannos, qui dejiciunt atque evertunt templum Matisconense. Et continuo parati fuimus, cœpimusque invadere dictos Alemannos, ingentibusque ictibus gladiorum, cæsim punctimque illatis, templo expulimus; multique eorum occisi fuere et vulnerati. Hoc peracto, vir B præstanti probitate ante altare genua flexit, elevataque voce ad Dominum clamavit, eum obsecrans, ut animæ suæ misericors esse dignaretur ac benignus, utque aliquando pro eo, et in ejus servitio, mortem oppeteret; quo tandem cælo ipsum donaret. Atque hæc tibi retuli, ut cognoscas, qua de causa putem, et credam, Deum ei concessisse, quod ante de ipso audivisti.

Rex suos hortatur ad gratias Deo referendas.

112 Post hæc Rex convocari jussit omnes proceres suos, equites, atque alios præclaros dominos, et cum ad eum accessisssent, benigne eos affatus est : Domini et amici, cognoscere nunc manifeste potestis insignes gratias, quas haud ita pridem Deus creator noster nobis præstitit, præstatque in dies singulos, de quibus magnopere eum laudare nos oportet, cum quod die Martis postremo, qui quadragenarium jejunium præcedebat, ejus auxilio pepulerimus inimicos nostros, atque hospitiis ac diversoriis suis excluserimus, quæ hoc tempore nos occupamus : tum quod die Veneris præterito, nosmet ipsi pedites atque aliqui non armati defenderimus *i* adversus eos bene armatos, pedites equitesque ac in terra sua aggredientes. Multa quoque alia C præclara iis dicebat, commemorabatque eadem suavitate Rex bonus. Atque hoc agebat ad eos corroborandum, ut magno semper animo fiduciaque de Deo vigerent.

ANNOTATA.

a *Videtur per urbem* Ressil *Rosetum innuere, a quo ostium Tanicum ostium Rexi vocavit, ut ante monuimus : idem ergo hic est memoriæ lapsus; neque enim dubium est, quin ad ostium Tanicum castrametatus esset* Ludovicus. *Vide notata ad cap. 6, lit.* p.

b *In editis habetur* Guivelins, *at legendum,* d'Ibelin, *aut* d'Ebelin, *uti hos fratres vocat num. 137, ubi docet Guidonem in Cypro fuisse supremum militiæ præfectum, Balduinum vero senescallum : unde colligitur hanc cohortem fuisse Cypriotarum, quæ in priori pugna non fuerat, relicta cum duce Burgundiæ ad castra custodienda. Ceterum* Ibelin, *castellum erat structum prope Ascalonem in colle, quod illius auctor Fulco Hierosolymorum rex tradidit Baliano viro nobili, cujus posteri inde nomen habuerunt, teste Vitriaco in Historia Hierosolymitana cap. 41.*

c *Videlicet propior flumini, seu ostio Tanico, ideoque tecta per cohortem Flandriæ comitis, quod illa longius a flumine se extenderet, quia major erat : neque enim diversa flumina hic designantur, sed agmina singula ad latus ostii Tanici disposita erant.*

d *Antea hunc vocavit* Asperi-montis dominum, *cur hic* comitem *appellet, mecum ignorat Cangius. Adi notata de eo ad cap. 2 lit.* q.

e Brancidunum *vulgo* Brancion, *oppidum est in ducatu Burgundiæ, cujus Josserandus erat dominus, hujus nominis secundus, teste Cangio pag. 77, qui et plura de eo memorat.*

f *Ex parte matris Joinvillii cognatus erat, sed in gradu remotiore, ut ostendit Cangius in Genealogia Joinvillii pag. 12; improprie ergo vocat avunculum modo Britannico, ubi filii consobrinorum patris sui consobrinum vocant avunculum. Imo et longius distabant, si recte genealogiam deducit Cangius, quem consule.*

g *Intelligi debet Joannes, Roberti II comitis Drocensis filius, qui comitatum Regi vendidit anno 1239, cum in Syriam abiret, ubi mortuus est. De illo egimus in Commentario num. 370. Hunc consobrinum fuisse domini de Brancion ostendit Cangius pag. 77.* E

h *Fuerit hic Godefridus frater Joinvillii nostri ex priore patris uxore, de quo vide Cangium in Genealogia eorum pag. 13. Porro, considerata ætate Joinvillii, necesse est, hæc contigerint non diu ante decessum comitis Matisconensis in Palæstinam, ac Josserandi Constantinopolim, quo Balduinum II comitatus est anno 1239, teste ibidem Alberico, Hosce autem Alemannos latronum cohortem fuisse crediderim, qui conabantur deprædari templum.*

i *Hanc pugnam, victoriamque Christianorum Rex ipse commemorat, in Commentario citatus num. 663.*

CAPUT XII.

F *Modus Saracenorum formandi milites, aliaque ad soldanum spectantia. Morbis, et penuria vexatus Christianorum exercitus; idem trans Tanim reductus. Puniti quidam in re divina immodesti.*

Consuetudo Saracenorum formandi milites prætorios,

Ad prosequendam materiam nostram, oportet nos quædam inserere, atque in memoriam revocare, ad intelligendum ac cognoscendum modum, quem soldanus servabat in formandis suis militibus, et unde hi fere venirent. Verum est, majorem equestrium ejus copiarum partem fuisse conflatam ex peregrinis, quos mercatores per mare euntes, ac redeuntes vendebant; quosque Ægyptii nomine soldani emebant ex Oriente adductos. Etenim quando unus ex Orientis regibus alium regem superaverat ac subegerat, rex ille, cui victoria obtigerat, ejusque milites, quotquot poterant, pauperes capiebant, ac mercatoribus vendebant, qui eos in Ægyptum ducebant denuo vendendos, sicut

ante

ante dixi. Ex hujusmodi hominibus liberi oriebantur, quos soldanus educandos curabat ac custodiendos. Cumque illi adolescebant, arte sagittandi eos instrui jubebat, qua se recrearent : diebusque singulis, quibus non occupabatur, sagittare illos jubebat. Ubi cernebant vires quibusdam crescere, arcus debiles iis auferebant, ac firmiores pro illorum viribus tribuebant. Juvenes hi scutum soldani gentilitium portabant, eosque vocabant Bahairiz *b* soldani. Et simulac barba iis incipiebat, equites eos creabat soldanus : ejusque gestabant tesseram scutariam, quæ erat ex auro sincero et puro, præterquam quod ad differentiam iis addebant rubei coloris fascias obliquas, rosas, volucres, gryphes, aut quamdam aliam distinctionem ad eorum arbitrium.

eosque convocandi, atque ad præclara facinora animandi :

114 Hujusmodi milites vocabantur viri de la Haulcqua *c*, acsi diceres cohortis prætoriæ milites *d*; hi semper erant apud soldanum, ejusque corporis custodes. Dum autem soldanus erat in militia, semper prope ipsum degebant, uti corporis ejus custodes. Quin et propius apud se alios habebat custodes, ut janitores, et tibicines. Canebant hi tibicines primo diluculo, cum surgebat soldanus; et vesperi, cum se cubitum reciperet : tantumque suis instrumentis excitabant strepitum, ut illi, qui prope ibidem aderant, invicem audire non possent aut intelligere, clareque in castris audirentur. Et scito, interdiu non ausuros fuisse edere sonitum, nisi accepta venia a præfecto cohortis prætoriæ. Et quando soldanus aliquid cupiebat, aut quid militibus suis volebat præcipere, monebat cohortis prætoriæ præfectum, qui tibicines suos jubebat venire, qui sonabant, signumque dabant cornibus suis Saracenicis, tympanis, et crotalis : ad quem sonitum omnes milites coram soldano conveniebant. Tum cohortis prætoriæ præfectus voluntatem soldani exponebat, et eam continuo pro viribus suis exsequebantur. Quando soldanus ipse in prælio aderat, illum ex equitibus legionis prætoriæ, qui se fortiorem præstabat, bellique majora edebat facinora, principem *e* creabat, aut agminis ducem : aut certe ipsi dabat ac committebat officium militare, prout merebatur : eique, qui plura faciebat, plura dabat soldanus. Et ea de causa eorum quilibet conabatur viribus suis majora agere, si ea exsequi potuisset.

quo pacto soldanus potentiores de medio tolleret :

115 Modus agendi et consuetudo soldani hæc erat, ut, cum aliqui ex equitibus cohortis prætoriæ tantas opes sua fortitudine aut factis bellicis acquisierant, ut pluribus eis opus non esset, ejusque favore non amplius indigerent, metu, quo angebatur, ne ab iis dejiceretur aut occideretur, comprehendi eos juberet, secretoque in suis carceribus perimi, omniaque, quæ illorum uxores ac liberi habebant bona, auferret. Hoc probatum fuit eo tempore, quo in illa regione fuimus. Nam soldanus propter eorum fortitudinem atque audaciam comprehendi jussit, carcerique includi illos, qui comites Montfortium et Barrensem *f* ceperant : ac odio, invidiaque, qua in eos flagrabat, itemque, quia eos timebat, morti eos tradidit. Eodem modo egit cum gente Boudendars *g*, quæ natio est dicto soldano subjecta. Nam postquam Armeniæ regem profligaverant, die quodam venerunt ad soldanum, rem ei relaturi; et invenerunt eum feras sylvestres persequentem, omnesque ex equis descenderunt, ut ei honorem haberent, salutemque impertirentur, rati recte se fecisse, ab eoque remunerandos. Ille malitiose illis respondit, nequaquam se iis salutem reddere, atque eorum culpa se prædam amisisse; et reipsa capita eis abscindi jussit.

principes in vitam juvenis soldani conspirant.

116 Redimus nunc ad materiam, et dicimus soldano nuper defuncto filium fuisse, qui annos numerabat viginti quinque, prudentem valde, eruditum, et jam malignum. Et quandoquidem soldanus timebat, ne sibi hereditatem vellet eripere, eum secum retinere noluerat; sed regnum ei donaverat, quod habebat in Oriente. Et simulac soldanus pater ejus obierat, principes Babyloniæ eum advocari curaverant, illumque sibi creaverunt soldanum *h*. Postquam ille se rerum potitum videbat et dominum; summo rei bellicæ præfecto, castrorum præfectis, et senescallis patris sui virgas aureas *i*, muniaque, quæ administrabant, auferebat, iisque donabat illos, quos secum ex Oriente adduxerat. Ex hoc igitur facto omnes animis conciderunt, atque illi etiam, qui ejus patri fuerant a consiliis, id ægerrime tulerunt. Præterea vehementer metuebant, ne secum agere vellet, post opes sibi ablatas, quemadmodum egerat soldanus, qui occidi jusserat eos, qui comitem Montfortium ceperant et Barrensem, de quo ante sum locutus. Propterea omnes in unam abierunt sententiam, ut ipsum curarent interfici : modumque adinvenerunt, ut illi, quos cohortis vocabant prætoriæ, quibus soldani corporis custodia erat commissa, promitterent, mortem se ei illaturos.

Causæ morborum, qui in castris Christianorum

117 Post duo illa prælia, de quibus ante locutus sum, quæ grandia fuere ac mire gravia, alterum die Martis ante cœptum jejunium, alterum die Veneris jejunii inchoati; exercitui nostro ingruere cœpit aliud gravissimum incommodum. Etenim post novem aut decem dies, homines, qui in his præliis occisi fuerant, et perempti supra ripam fluvii inter bina castra nostra labentis, quique illi fuerant injecti, omnes supra aquam fuere elevati. Dicebatur hoc fieri, postquam fellis vesicula rupta iis erat, ac putrefacta. Defluxerunt dicta illa cadavera secundo flumine amnis memorati usque ad pontem, quo junctum erat dictum flumen, per quem nobis ab una parte ad alteram erat transitus. Et quia aqua, quæ increverat, tangebat atque æquabat hunc pontem, cadavera transire nequibant. Tantus autem eorum erat numerus, ut fluvius adeo iis esset obtectus ab una ripa usque ad alteram, ut aqua non cerneretur, idque facile ad jactum levioris lapidis in flumen adversum a ponte memorato. Conduxit Rex centum operarios, qui octo omnino diebus occupati fuerunt separandis Saracenorum corporibus a Christianorum, quæ alia ab aliis satis internoscebantur. Sarecenos illi trans pontem vi dimittebant, qui flumine secundo in mare dilabebantur : et Christianos in scrobibus ingentibus alios aliis superimpositos terræ mandari jubebat. Noverit Deus, quantus esset fœtor, quantaque commiseratio in cognoscendis viris illustribus, totque viris probis, qui ibidem erant! Vidi ibidem cubicularium defuncti domini Artesiæ comitis, domini sui corpus quærentem; aliosque multos, qui inter mortuos scrutabantur amicos suos. At numquam postea audivi, ex iis, qui erant ibidem conspicientes, tetrumque odorem ac fœtorem illorum corporum tolerantes, ullum rediisse.

oriuntur, quibus accedit penuria :

118 Scito insuper nos omni illo jejunii quadragenarii tempore nullos comedisse pisces, præter illos, quos vocant burbotos : quod piscis genus est vorax, cadaveribus semper adhærens, illaque

A illaque manducans. Atque hinc, tum etiam, quia in illa regione nulla umquam pluviæ gutta decidebat, magna in castris nostris nobis orta est vexatio, ac ægrotatio. Quæ hujusmodi erat, ut caro tibiarum usque ad ossa nobis exsiccaretur, pellisque nobis inficeretur colore nigro et terreo, in modum vestimenti veteris, quod pone arcas mucorem dudum contraxit. Præterea nobis hoc morbo detentis alia morbi vexatio orta est in ore, quod manducassemus de his piscibus, caroque inter gingivam nobis putrescebat : unde horribilem unusquisque ex ore emittebat fœtorem : et pauci demum ex hoc morbo evadebant, quo minus omnes morerentur. Mortis signum, quod perpetuo agnoscebatur, erat, dum quis e naribus incipiebat emittere sanguinem; ac statim satis erat certus, se cito moriturum. Porro ut melius nos sanaremur, quindecim omnino post hæc diebus Turcæ, qui morbum nostrum satis noverant, famem nobis intulerunt eo modo, quem referam. Etenim eos, qui ex castris nostris proficiscebantur, ut adverso flumine *k*, quod spatium circiter erat leucæ bene longæ, B Damiatam peterent, cibaria allaturi, nequam illi ac infames Turcæ capiebant *l*, neque eorum ullus ad nos revertebatur; ex quo homines multi fuere timore perculsi. Nullus Damiata ad nos venire audebat, ulla allaturus cibaria; et quotquot ibant, totidem remanebant. Et numquam de illa re quidquam potuimus cognoscere, nisi per unam e triremibus comitis Flandriæ, quæ contra eorum voluntatem, et vi evasit. Hi nobis hæc nova dixerunt; triremes soldani aquas occupasse, eas invigilare in eos, qui ibant Damiatam, et jam facile octoginta nostrarum triremium cepisse, quodque occiderent homines in iis repertos. Atque inde tanta in castris orta est annonæ caritas, ut simulac paschale tempus adesset, bos venderetur octoginta libris, ovis libris triginta, porcus triginta libris, cadus vini decem libris, ovum duodecim denariis, atque ita de omnibus aliis.

agmen Christianorum trans flumen reductum non sine certamine :

119 Quando Rex, ejusque proceres talia sunt intuiti, quodque nullum aliud superesset remedium; omnes consenserunt, ut Rex agmen suum ex terra Babyloniæ transire juberet in castra ducis Burgundiæ, locata ab alia parte fluvii Damiatam versus. Porro ut facilem suorum redderet receptum, Rex vallum *m* duci jussit ante C pontem, de quo ante vobis sum locutus. Constructum vero erat eo modo, ut satis posset a duabus partibus vir equo insidens introire. Postquam hoc vallum constructum erat, ac paratum, omnes in castris se armarunt. Vehemens ibi fuit assultus Turcarum, qui satis perspexerunt, nos transire ad castra ducis Burgundiæ ab altera parte posita. Et cum ingrediebantur in vallum istud, Turcæ terga cædebant agminis nostri; tantumque effecere, ut caperent dominum Erardum de Valery; verum continuo liberatus fuit per dominum Joannem fratrem suum. Attamen nec Rex se movebat, nec ulli ejus milites, donec omnis apparatus bellicus, atque armatura foret transportata. Tum omnes post Regem transivimus, præter dominum Galterum de Chastillon, qui postremam regebat aciem in vallo. Quando totum agmen transiverat, illi, qui in vallo permanserant, quæ postrema erat acies, magna a Turcis, qui equites erant, passi sunt incommoda. Nam intentis oculis vim jaculorum in eos emittebant, quia vallum non erat sublime. Insuper Turcæ pedites prægrandes lapides, durasque glebas in vultus eorum librabant, neque se tueri poterant postremæ aciei viri : omnesque fuissent perditi atque occisi, si non obstitisset comes Andegavensis, deinde Siciliæ rex, qui ferociter ivit eos recepturus, salvosque reduxit. A. JOANNE JOINVILLIO.

irreverentia quorumdam in Missæ sacrificio punita a Deo :

120 Secundo ante jejunium quadragenarium die vidi aliquid, quod libenter narrare cupio. Etenim illo die mortuus est eques fortitudine, probitate, audaciaque admodum insignis, nomine dominus Hugo de Landricourt, qui mecum erat cum vexillo; fuitque sepultus in sacello meo. Ut Missæ sacrificio illic intereram, sex meorum equitum erant ibidem innixi saccis hordei, qui erant in dicto meo sacello : loquebanturque invicem alta voce, sacerdotique, qui Sacrum cantabat, pariebant molestiam. Surrexi, ivique ad eos dicturus, ut tacerent, turpe esse viro nobili tam alta voce loqui, cum cantaretur Missæ sacrificium. Illi autem ridere cœperunt, mihique dixerunt se colloqui, ut novis illigarent nuptiis uxorem istius domini Hugonis, qui ibidem jacebat in feretro. Graviter hanc ob rem illos corripui, iisque dixi, hujusmodi verba nec bona esse nec honesta, eosque cito nimis socii E sui oblitos : quippe eorum amentia risu digna erat *n*. Porro evenit, ut postridie, quo fuit magnum istud prælium, de quo ante locutus sum, pridie sacri jejunii, eam ita ultus sit Deus, ut ex omnibus sex nullus evaserit, quin omnes fuerint occisi, neque sepulturam consecuti : et demum convenit inter eorum uxores, ut omnes sex denuo nuberent. Quapropter credendum est, nullum male factum a Deo relinqui impunitum.

Joinvillii ejusque sacellani varii, et graves morbi.

121 Quantum ad me spectat, nec pejus me habebam, nec melius, quam alii : nam graviter vulneratus eram, et saucius ex pugna memorata diei Bacchanalium postremi. Præterea vitio crurum laborabam, et oris, de quo ante egi; et fluxione in capite, quæ stupendo modo per os mihi perque nares distillabat : ad hæc febri vexabar quartana eaque geminata, a qua Deus nos custodiat. His morbis lectum tenere cœpi circa medium jejunii quadragenarii, ubi diu permansi. Et quamquam gravi tenebar infirmitate, non minus laborabat sacerdos meus. Nam die quodam contigit, dum Sacrum coram me ex morbo decumbente cantabat, ut, quando F pervenit circa consecrationem *o*, eum adverterim tam vehementer infirmum, ut visibili modo anima deficientem viderim. Et ubi vidi eum jamjam in terram lapsurum, quatumcumque laborarem, ex lecto me proripui, vestemque indui, eumque retro sum complexus : tum dixi, ut omnia commodo suo faceret, et tractim, animumque caperet, fiduciamque de illo, quem manibus tenere debebat. Tunc paululum relevatus est : neque ipsum deserui, donec perfecisset consecrationem; quod fecit : atque etiam Sacri sui celebrationem absolvit : nec umquam deinde cantavit, at mortuus est. Deus ejus habeat animam.

ANNOTATA.

a *His consentiunt Sanutus lib. 1, part. 3, cap. 2; Haytonus cap. 50, aliique. Herbelotius in Bibliotheca Orientali ad vocem* Mamlouck *scribit, soldanum Saleh, quem hujus expeditionis tempore anno 1249 obiisse vidimus, primum fuisse, qui hos servos emptitios sibi comparavit ex terris per Tartaros vastatis. Verum consuetudinem*

A. JOANNE JOINVILLIO.

dinem hanc Ægyptiorum antiquiorem fuisse liquet ex Tyrio lib. 21, cap. 23, ubi emptitios sub Saladino jam fuisse, eique fidelius ceteris in pugna adfuisse docet.

b *Herbelotius loco citato primos hosce emptitios* Baharires, *seu* Marinos *cognominatos fuisse affirmat.*

c Haulcqua, *editio Pictaviensis* Halcqua. *Dubium videtur an vox recte sit scripta, cujus expositionem ignoro.*

d Les archiers de la garde du roy : *hos ego* Milites prætorianos, *vel* cohortis prætoriæ *vocabo, cum eodem loco essent apud Ægyptios, quo apud Romanos prætoriani milites. Teste Tyrio mox laudato* Mameluc *vocabantur a Saracenis :* Mamlouk *autem, interprete Herbelotio,* servum *significat.* Mameluches *alii vocarunt, ac Gallis etiamnum noti sunt nomine* Mamelus.

e Admiral, ou capitaine. Emir *vocabantur præcipui Saracenorum principes, qui urbes, provincias, agmina, aliaque hujusmodi gubernabant. Hinc Latini scriptores dixerunt* Admiralios, admiratos, *similibusque nominibus eos nominarunt.* B *Hos igitur* principes *nomine æque generale vocare placuit, ne nomina illa barbara confusionem pariant, ut jam accidit aliquibus, qui per* admiralios *illos classium duces putarunt designari. Porro ad dicta confirmanda subjungo verba Tyrii lib. 21 cap. 22 :* Solent enim, *inquit,* Turcorum satrapæ et majores principes, quos ipsi lingua Arabica vocant EMYR, adolescentes sive ex ancillis natos, sive emptos, sive capta in prælio mancipia studiose alere, disciplina militari instruere diligenter; adultis autem, prout cujusque exigit meritum, dare stipendia, et largas etiam possessiones conferre : in dubiis autem bellorum eventibus proprii conservandi corporis solent his curam committere, et de obtinenda victoria spem habere non modicam : hos lingua sua vocant MAMALUC.

f *Contigerat horum clades in expeditione anni 1239, de qua egimus in Commentario num. 371. Verum, ut diximus, capto Montfortio, comes Barri in prælio occubuit. Audi Sanutum lib. 3, part.* XI, *cap. 15 de his agentem :* Ibi captus fuit Almericus de Monte-forti, et Henricus comes *(Barri)* mortuus. *Idem ante Sanutum* C *scripsit anonymus Tyrii continuator Gallus apud Martenium in Amplissima collectione tom. 5, col. 721, qui hunc Turcarum ducem col. 720 vocat* le Croc Elgevi.

g *Quæ nomine hoc corrupto gens designetur non divino : nisi forte Turcomannos indicet, contra quos* S. Ludovicus *principi Antiocheno e Cypro misit subsidium, ut diximus in Commentario num. 611.*

h *Dicta hæc sunt in Commentario num. 654, et 664. Nomen ei erat* Al Malek, Al Moaddham, *id est,* Moaddham, *seu* Moadam, *ut scribunt alii : nam* Malek *nomen est dignitatis,* al *vero articulus nominibus addi consuetus.*

i *Signa erant dignitatum, seu munerum, quæ gerebant.*

k *Videtur hic locus difficultatem habere, cum e castris Damiatam navigandum esset per Nilum, adeoque secundo flumine, non adverso : deinde Damiata longius aberat a castris quam leucæ unius intervallo. Verum suspicor Joinvillium loqui de ostio Tanico, quod ad leucam circiter ascendendum fuerit, ut ad Nilum perveniretur, si ex castris* Ludovici *trans illud ostium locatis navigare vellent : nam ostium istud prope Massoram* D *a Nilo separatur.*

l *Saraceni, teste ipso* Ludovico *in Commentario num. 665, et Nangio apud Chesnium pag. 355, naves* per terram in prædicto flumine collocaverant; *unde factum erat, ut id in castris ignorarent Christiani, qui ante Nilum habuerant liberum. Naves autem Christianorum non capiebantur in ostio Tanico, quod eos non latuisset : verum in Nilo ipso, seu brachio Nili, quod labitur Damiatam.*

m *Gallice,* une barbacanne : *quam vocem Trivoltiani in Dictionario Gallico exponunt Latine per* tabulare vallum arcendis telis. *Cangius vero in Glossario per vocem Latino-barbaram* barbacanum *intelligit propugnaculum exterius urbis aut castri.*

n *Hæc ultima verba, quæ in editis loco non suo post duas fere lineas posita sunt, ad locum reduxi, ubi et cum sensu cohærent, et haud dubie fuere scripta.*

o *Gallice,* A l'endroit de son Sacrement. *Consecratio autem seu elevatio quandoque vocabatur* Sacramentum Missæ, *ut videre est in Glossario Cangii.* E

CAPUT XIII.

Pax cum Saracenis fere conclusa : morbi denuo aucti : Rex cum majori exercitus parte per terram, alii per flumen Damiatam repetunt : in terra a Saracenis cæduntur, vel capiuntur omnes, plerique etiam in flumine.

Actum de pace cum Saracenis; sed labore inutili :

Ut ad materiam nostram redeamus : verum fuit, inter consiliarios Regis et soldani actum aliquo modo fuisse de concordia, et pace inter eos facienda; et ad hoc statutus fuit dies, et assignatus. Pactio eorum concordiæ F erat hujusmodi; Rex debebat soldano restituere urbem Damiatam. Soldanus autem reddere debebat Regi totum regnum Hierosolymitanum, eique etiam servare omnes ægrotos, qui erant Damiatæ, eique reddere carnes salsas, quæ erant ibidem, quoniam Turcæ ac Saraceni eas non comedebant : suas item Regi restituere machinas : poteratque Rex mittere Damiatam, qui omnia illa dicto loco auferrent *a*. Quid actum est? Rogari Regem jussit soldanus, quam sibi cautionem daret restituendi sibi urbem suam Damiatam. Et ad hanc eis oblatum fuit, ut captivum detinerent e fratribus Regis unum, aut comitem Andegavensem, aut comitem Pictaviensem, donec Regis promissio esset impleta. Non admiserunt hanc oblationem Turcæ, sed Regem *b* ipsum petierunt obsidem. Et ad hoc respondit bonus eques dominus Gaufridus de Sergines, Regem nequaquam Turcis tradendum, seque omnino malle, ut omnes a Turcis fuissent occisi, quam sibi exprobraretur, se Regem suum tradidisse obsidem. Ac eo res permansit loco.

123 Morbus, de quo ante vobis sum locutus,

A tus, vires continuo in castris resumere cœpit; adeo ut chirurgi hoc morbo detentis avellere debuerint et abscindere grande carnis frustum, quod supra gingivam excrescebat, ita ut cibos sumere impediret. Res erat maxime miseranda, audire per omnia loca in castris clamantes ac ejulantes eos, quibus mortua hæc caro præscindebatur. Simile quid mihi videbatur ejulatui miserarum feminarum, quæ laborant in enitendis suis infantibus, dum nascuntur : neque exprimere possim, quanta esset miseria. Quando Rex bonus, sanctus Ludovicus miseranda hæc cernebat, manus jungebat, vultu ad cælum elevato, laudans Dominum nostrum de omnibus, quæ sibi tribuebat. Et conspiciens, se diu hoc pacto subsistere non posse, quin moreretur ipse cum suis omnibus; præcepit ut inde discederetur ad redeundum Damiatam ad vesperam *c* diei Martis post octavam Paschatis; mandarique jussit nomine suo navarchis triremium, ut naves suas pararent, omnesque colligerent ægrotos, Damiatam vehendos. Præcepit item cuidam, nomine Josselino de Corvant, aliisque suis operum B præfectis, ac machinatoribus, ut funes, quibus pontes nos inter et Saracenos erant colligati, præsecarent. At horum fecerunt nihil, ex quo ingens ortum est malum.

Rex mandata dat ad redeundum Damiatam :

c

124 Postquam vidi unumquemque se præparare ad Damiatam petendam, ad navem meam me recepi, cum duobus meorum equitum, quos etiam tum habebam superstites, aliaque mea familia. Sub vesperam, quando magnopere ingruebant tenebræ, præcepi nauclero meo, ut anchoram suam levaret, secundoque flumine *d* procederemus. Ille mihi respondit se non audere, interque nos et Damiatam magnas soldani esse triremes, quæ nos caperent, omnesque occiderent. Regis naucleri magnos exstruxerant ignes, ut in triremibus suis colligerent ægrotos pauperes, eosque calefacerent. Erant dicti ægroti ad ripam fluvii, expectantes navigia. Dum autem monebam nautas meos, ut paulatim progrederemur, per fulgorem ignis percepi Saracenos, qui ingressi sunt castra nostra, occidebantque ægrotos supra ripam. Simulac nautæ mei anchoram suam levabant, parumque incipiebamus secundo flumine descendere; eccos venientes nautas, ad pauperes ægrotos accipiendum constitutos, qui videbant eos a Saracenis C occidi : et subito funes secuerunt, quibus magnarum suarum triremium anchoræ erant alligatæ, modicamque navem meam ab omni cooperuerunt parte : adeo ut non nisi tempus expectarem, quo nos in imum aquarum depressissent. Postquam hoc evasimus periculum, quod omnino erat magnum, incepimus secundo flumine progredi. Rex, qui morbo exercitus, eodem cum aliis malo laborabat, videns se a nobis derelinqui; (licet satis tuitus se fuisset, si voluisset, in magnis triremibus; at dicebat mori se malle, quam populum suum derelinquere *e*) cœpit nobis clamare, mandareque, ut subsisteremus : quin et balistæ jaculis non levibus nos impetebat, ut subsistere cogeret; donec navigandi nobis concederet facultatem.

ægroti per flumen avehuntur, non sine ingenti perturbatione :

d

e

125 Porro hic te relinquam, tibique exponam rationem et modum, quo captus est Rex, sicuti ipsemet mihi narravit. Ex ipso audivi, quod milites suos, et agmen suum *f* reliquisset, ipseque et dominus Gaufridus de Sergines se agmini conjunxissent domini Galteri de Chastillon, quod postremam constituebat aciem. Conscenderat Rex sonipedem modicum, indutus veste serica *g*. Neque mansit cum ipso, ut ipsum postea dicentem audivi, ex omnibus suis militibus nisi bonus eques dominus Gaufridus de Sergines; qui eum perduxit ad urbem modicam, Casel *h* dictam, ubi Rex fuit captus. Verum narrantem audivi, quod antequam Turcæ eum potuerunt capere, dominus Gaufridus de Sergines eum defenderet eo modo, quo servus bonus a muscis pateram domini sui defendit. Nam quoties Saraceni ei appropinquabant, dominus Gaufridus eum defendebat ingentibus gladiorum ac mucronum ictibus, videbanturque ejus vires plusquam media parte auctæ, una cum fortitudine audentique animo : ac singulis vicibus eos a Rege abigebat. Hoc pacto duxit illum usque ad locum Casel, ibique descendit in diversorium civis cujusdam Parisiis oriundæ. Illic existimabant eum vitam cum morte commutaturum, neque sperabant eum ullo modo diem illum in vivis transacturum. E

Rex ægrotus cum suis discedit : in oppido Casel ad extrema fere deducitur :

f

A. JOANNE JOINVILLIO.

g

h

126 Paullo post ad Regem advenit dominus Philippus de Montfort *i*, eique dixit se modo vidisse ducem soldani, quocum olim egerat de induciis, seque etiamnum, si ita Regi placeret, rursus cum eo acturum. Rex ut id faceret eum rogavit, dicens contentum se esse, eam servare et facere, uti eam volebant. Tunc discessit dominus Philippus de Montfort, ac Saracenos adivit, qui pileos suos Turcicos capitibus exemerant. Dominus de Montfort annulum suum, quem digito extrahebat, principi Saraceno dedit ad securitatem servandarum induciarum *k*, et ut hujusmodi tamen earum fieret pactum, quale olim petiissent, uti supra tactum fuit. Porro evenit, ut post hoc factum proditor quidam, improbus apparitor, nomine Marcellus, alta voce nostris militibus clamare cœperit : Domini equites, tradite vos omnes, Rex id vobis per me præcipit; neque facite, ut occidatur. Ad illa verba omnes fuere exterriti, putantes Regem ita sibi præcepisse; ac quilibet Saracenis tradit baculos suos atque arma. Quando princeps vidit, quod Saraceni Regis milites adducerent captivos, dixit domino Philippo de Montfort, se nequaquam pacem ei asseverare, eumque jam videre omnes suos milites a Saracenis captos. Cernens dominus Philippus, omnes regis milites esse captos, vehementer obstupuit. Satis enim noverat, quamvis ad pacem petendam esset legatus, se statim F etiam fore captum; neque sciebat, ad quem recurreret. Porro apud paganos mos viget pessimus, nam quando inter soldanum, et quemdam illius regionis regem, invicem legatos mittunt, ut habeant aut petant pacem, atque unus e principibus moritur : legatus, si invenitur, paxque non est data, captivus detinetur, cujuscumque fuerit partis, sive legatus soldani sit, sive regis *l*.

dum rursus de pace agitur, Regii se dedunt Saracenis :

i

k

l

127 Jam te scire oportet, nos, qui in navibus eramus supra aquam, sperantes evasuros nos usque Damiatam, non fuisse promptiores iis, qui in terra remanserant; capti enim sumus, quemadmodum audies postea. Revera, dum eramus super aquam, horribilis surrexit ventus nobis contrarius, a parte Damiatæ delatus, qui cursum aquarum nobis eripuit, adeo ut progredi non valeremus; retroque redire oportuerit versus Saracenos. Rex quidem complures equites reliquerat, ægrosque super ripam aquarum custodire jusserat, at nihil hoc nobis profuit, quo nos ad ipsos reciperemus, nam omnes aufu-

qui cum Joinvillio per flumen fugiebant, magnis vexati incommodis;

A. JOANNE JOINVILLIO.

aufugerant. Circa diluculum pervenimus ad locum, ubi erant triremes soldani, quæ excubabant, ne ulla cibaria Damiata veherentur ad castra, de quibus ante dictum est. Ubi illi nos in conspectu habebant, ingentem excitarunt tumultum, cœperuntque jacula in nos intorquere, et in alios equites nostros qui erant ab alia ripæ parte, immanem pilarum copiam cum igne Græco, adeo ut stellæ cælo viderentur decidere. Postquam nautæ mei nos aquarum cursui reddiderant, nosque progredi conabamur, invenimus eos equites, quos Rex ad ægros servandos reliquerat, qui fugam capiebant Damiatam versus. Et ventus insurgere rursum cœpit vehementius quam ante, nosque dejecit ad latus ad unam e ripis fluminis. Ad aliam ripam tantus erat numerus navium nostrarum, quas Saraceni ceperant et vicerant, ut eo appropinquare non auderemus. Et satis etiam cernebamus, homines, qui in iis erant, ab illis occidi, atque in aquam projici. Et videbamus arcas atque arma, quæ obtinuerant, ab illis navibus extrahi.

ac spe evadendi amissa, se dedere statuunt :

128 Quia vero accedere nolebamus ad Saracenos nobis minitantes, vim jaculorum in nos emittebant. Tum lorica me indui jussi, ne sagittæ, quæ navi nostræ inferebantur, me vulnerarent. Ad puppim navis nostræ erant ex meis
B
quidam, qui exclamare mihi cœperunt : Domine, domine, nauclerus noster, quia ei minantur Saraceni, ad terram nos ducere studet, ubi mox essemus cæsi, atque perempti. Tunc me elevari jussi, quia eram infirmus, ferrumque arripui nudum, ac eis dixi, me mortem ipsis illaturum, si magis progrederentur, ad terræ me applicandum apud Saracenos. Illi cœperunt reponere, se ulterius progredi non posse; propterea que perpenderem quid mallem. an ut me ripæ applicarent, an ut in fluvio navem ad anchoras collocarent. Malui, quod feliciter mihi evenit, quemadmodum audies, ut ad anchoras in fluvio me collocarent, quam ut ad ripam me ducerent, ubi nostros occidi cernebam : atque id mihi consenserunt. At parum fuit moræ, quin mox videremus accedentes ad nos quatuor soldani triremes, in quibus erant decem hominum millia *m*. Tunc vocavi equites meos, petiique mihi darent consilium, quid esset agendum, utrum nos dederemus triremibus soldani appro-
C
pinquantibus; an iremus nos tradituri iis, qui erant in terra : omnesque consensimus expedire, ut nos dederemus iis, qui erant in triremibus appropinquantibus, quia nos servarent omnes conjunctos; quam ut dederemus nos aliis, qui erant in terra, qui nos omnes invicem separassent, ac forsitan vendidissent Beduinis, de quibus antea egi. Huic consilio nequaquam consentire voluit quidam, qui mihi erat clericus; at dicebat oportere, ut nos omnes sineremus occidi, ad cælum ingrediendum. Quod credere noluimus; nam mortis timor nimis nos urgebat.

Joinvillius vix morte liberatus. in castrum quoddam ducitur,

129 Postquam perspexi necesse esse, ut me dederem, modicam, quam habebam, arripui arculam, in qua erant monilia mea, sacraque lipsana, et cuncta in fluvium projeci. Unus e nautis meis mihi dixit, quod, si non permitterem, ut diceret, cognatum me esse Regis, omnes nos perimerent. Illi ego reposui, diceret quodcumque liberet. Tum eccam advenientem ad nos primam e quatuor triremibus, quæ oblique veniebat : ac prope navem nostram anchoram ejecerunt. Tunc Deus mihi misit, (atque
D
ita credo) Saracenum quempiam, ex ditione imperatoris oriundum, qui indutus tantum erat femoralibus et tela cruda, ac venit natando per aquam recta ad navem meam; meque per latera est complexus, ac mihi dixit : Domine, periisti, nisi mihi fidem habeas. Namque ut incolumis evadas, necesse est e navi tua discedas, atque in aquam te conjicias; neque illi te videbunt, quia ad lucrum navis tuæ erunt intenti : curavitque funem ex eorum triremi ad me jaci super foros *n* navis meæ. Tum in aquam insilii, et post me Saracenus, quo mihi opus erat, ut me sustentaret, atque ad triremem duceret : adeo enim morbo eram debilis, ut vacillarem prorsus, et in fundum fluvii decidissem. Attractus fui usque in triremem, in qua etiam tum erant facile octoginta viri, præter eos, qui navem meam erant ingressi : et pauper ille Saracenus suo me stringebat complexu. Paullo post ductus fui ad terram : et invadebant me, ut me jugularent; quod omnino expectabam : quique me occidisset, id sibi magno honori fore existimabat. Saracenus vero ille, qui me navi mea extraxerat, me dimittere nolebat, iisque clamabat : Cognatus Regis, cognatus Regis. Tunc cultrum E
sentiebam jugulo vicinum, jamque me humi miserant in genua. Deus hoc me periculo liberavit ope pauperis illius Saraceni, qui me ad castrum usque, ubi Saraceni erant, perduxit.

ubi satis humaniter a Saracenis habetur, et sanatur.

130 Quando ad eos perveneram, lorica mea me exuerunt; atque ex commiseratione, qua erga me tangebantur, quod adeo infirmum cernerent, cooperuerunt me amictu quodam meo coccineo, et vario vellere pellito, quem domina mater mea mihi donaverat. Alius ex ipsis attulit mihi corrigiam albam, qua me supra amictum meum cingebam. Alius equitum Saracenorum pileolum mihi donavit, quem capiti imposui. Paullo post dentibus contremiscere cœpi, cum præ metu ingenti, in quo eram, tum etiam præ infirmitate. Petii quid ad bibendum, aqua mihi in poculo quodam allata est : et simulac quid ex ea ori ingesseram, illam studens transmittere, mihi per nares exsilit. Novit Deus in quam miserando essem statu! nam multo magis existimabam mortem adesse, quam vitam : apostema enim mihi erat in gutture. Quando mei viderunt aquam ita mihi egredi per nares, flere cœpe- F
runt, luctuique se dare. Saracenus, qui me servaverat, de quo ante locutus sum, quæsivit ex meis, cur plorarent. Et significaverunt illi, me fere mortuum esse, mihique in gutture esse apostema, quo suffocarer. Bonus ille Saracenus, qui mei semper fuerat misertus, id indicat uni ex equibus Saracenis. Hic eques Saracenus ei dixit, ut me solaretur, daturum se modo mihi quidpiam bibendum, quo intra biduum essem sanus; atque ita fecit : et cito curatus fui ope Dei, potuque, quem mihi præbuit eques Saracenus.

ANNOTATA.

a *Cangius observat ex Sanuto lib. 2, part. 2, cap. 9 consensisse soldanum, ut Damiatam Christiani retinerent. Verum vir alias eruditus hic tempora non distinxit. Agit ibi Sanutus de pacto, quod cum Rege inire cupiebat Saleh hujus soldani pater, quando* Ludovicus *castra adhuc habebat prope Damiatam. Hunc Sanuti locum attigimus in Commentario num. 649. Chaizius tom 2, pag. 41 testatur, Orientales Historicos contendere,*

hasce

A *hasce pacis conditiones a soldano non fuisse admissas, imo ne auditas quidem. Orientales illos refutat ille, ostenditque rationibus variis relationem Joinvillii non esse incredibilem. Probari id ulterius potest exemplo Joannis regis Hierosolymitani, quem aquis involutum, certoque cum toto exercitu periturum, liberum dimiserunt cum suis pro sola Damiatæ restitutione. Breviter hanc historiam attigimus num. 588, latius eam exponit sæpe laudatus Tyrii Continuator col. 693 et seqq.*

b *Ita regem Joannem obsidem habuerant. Vide auctorem memoratum col. 694.*

c *Intellige vesperam ante diem Martis : nam die Martis, quæ erat quinta Aprilis, Rex captus fuit, ut probavimus in Commentario num. 667 et 668.*

d *Per Nilum, seu brachium Nili ex duobus præcipuis alterum, quod Damiatam præterfluit.*

e *Id charitatis exemplum exponitur latius in Vita secunda num. 79.*

f *Nimirum agmen illud, quod stipendio suo alebat, et ducere solebat : nam alioqui omnibus Rex præerat, sed non omnes alebat.*

B g *Gallice,* Une housse de soie vestue. *Eamdem vocem* housse *per vestimentum exposui num. 118, quamvis Chaizius pag. 38 eamdem exposuisset Gallice per vocem* cuir, corium, *quod certe hoc loco non significatur.*

h Casel. *Hoc oppidum aliis nominibus vocari ab aliis, diximus in Commentario num. 668.*

i *Philippus hic Montfortius diu fueratin Oriente, atque ex præcipuis erat magnatibus. Apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 725 vocatur* Thoroni dominus *(oppidum est in Phœnicia) refertur que Tyrum intercepisse cum Beliano Ibelino. Quin et Tyri dominus hinc factus est, quam Veneti contra ipsum frustra obsederunt anno 1264, ut idem Tyrii Continuator narrat col. 738. An idem sit, cui comitatum Castrensem Rex donaverat, ut diximus in Commentario num. 159, mihi non satis constat : id tamen verisimile est, quia num. 155 dicitur Regi clientela jurata obstrictus.*

k *Id ita intellexerunt Chaizius pag. 50, et Choisy pag. 180, acsi princeps ille Saracenus jam acceptasset conditionem. At puto annulum dumtaxat datum fuisse ad securitatem pacti servandi,* C *si iniretur : sequentiaque contigisse, priusquam Saracenus conditionem acceptasset. Videtur princeps ille Saracenus, antequam ad dicta Montfortii responderet, inquisivisse, quo res utrimque essent loco, intellectaque deditione Gallorum, respondisse quæ habet Joinvillius.*

l *Hanc consuetudinem confirmavimus in Commentario num. 587.*

m *Numerus hic exorbitat : metus forsan numerum duplicavit.*

n *In editis* sur l'escot, *vel,* sur lescrine, *quod difficulter potest recte intelligi. Per conjecturam itaque* foros *Latine posui, quia in illam navis partem jaci funis commodius poterat.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

CAPUT XIV.

Varia, quæ captivis evenere : Rex suam, aliorumque redemptionem paciscitur.

Joinvillius a præfecto Saracenorum sat bene habitus.

Paullo postquam fui sanitati restitutus, triremium soldani præfectus me accersi ad se jussit, ut sciret an Regis essem cognatus, uti dicebatur. Ei respondi, non esse : et narravi ei, quo id modo fuisset factum, et qua de causa. Quippe nauclerus id mihi suaserat, ne Saraceni triremium, qui nos ceperunt, nos omnes occiderent. Præfectus triremium mihi reposuit, optimum datum fuisse consilium : nam alias certo nos occidissent, ac projecissent in fluvium. Rursus me interrogavit dictus triremium præfectus, an aliquo modo cognoscerem Germaniæ imperatorem Fredericum tunc viventem; et an nullo modo essem ex ejus stirpe. Et verum ipsi re- E spondi, me intellexisse, matrem meam ejus cognatam *a* esse, ex patrueli natam. Respondit mihi præfectus triremium, sibi me tanto esse chariorem. Interea dum ibi comedebamus et bibebamus, eo coram me venire curaverat civem Parisiensem. Quando civis me conspexit manducantem, cœpit mihi dicere. Heus! domine, quid agis? Quid agam? inquiebam. Et civis me monere aggreditur nomine Domini, me manducare *b* die Veneris. Derepente scutellam meam, ex qua manducabam, retro demisi. Cernens hoc triremium præfectus, quæsivit ex Saraceno, qui me servaverat, quique semper mihi erat præsens, cur a comedendo cessassem. Ille ei respondit, id fieri, quia erat dies Veneris, neque id me cogitavisse. Respondit triremium præfectus, id Deum utique pro offensa non habiturum, quoniam id sciens non fecissem. Scito quoque legatum, qui cum Rege venerat, sæpe me redarguisse, quod jejunarem, cum adeo essem infirmus; dicens nullum *c* cum Rege esse alicujus conditionis hominem præter me, ideoque me male agere jejunando. At quamvis essem captivus, non destiti jejunare omnibus diebus F Veneris, solo pane et aqua contentus.

ducitur ad flumen, ubi coram eo occiduntur ægroti :

132 Die Dominico, postquam fui captus, præfectus triremium nos omnes, qui eramus supra aquam capti, jussit ex castro descendere ad flumen supra ripam. Quando ibi fui, dominus Joannes sacellanus meus extractus fuit ex intima triremis ad puppim contignatione, et ubi aera conspexit, anima defecit. Mox eum Saraceni coram me occiderunt, fluvioque injecerunt. Ejus clerico, qui morbo exercitus, quo laborabat, animam quoque agebat, Saraceni mortarium in caput injecerunt, mortemque intulerunt, deinde fluvio illum immiserunt post dominum suum. Pari modo cum aliis agebant captivis : mox enim, ut ex ima triremium ad puppim contignatione extrahebantur, ubi fuerant detenti, aderant Saraceni idonei, qui simulac quemdam illorum conspicabantur non recte habentem, aut debilem, eum mactabant, aquisque injiciebant : hoc modo tractabantur pauperes ægroti. Conspiciens hanc tyrannidem, jussi ipsis per Saracenum meum significari, quod agerent male admodum; quodque esset contra mandatum Saladini *d* pagani, qui dicebat, non oportere ut quemquam occi-

A. JOANNE JOINVILLIO.

occiderent, eive mortem inferri juberent, postquam ei dedissent ex pane ac sale suo comedendum. Jusserunt mihi reponi; homines esse nullius plane valoris, nec quidquam operis eos exsequi posse, quod adeo essent infirmi. Post hæc venire coram me curarunt omnes navicularios meos, dicebantque omnes fidei renuntiasse. Tum iis dixi, nequaquam hisce fiderent, idque eos dumtaxat facere, quod timerent, ne occiderentur; eosque, simulac se viderent in loco et regione idonea, mox ad fidem reversuros. Ad hoc mihi respondit triremium præfectus, id satis se mihi credere, dixisseque Saladinum, numquam ex probo Christiano visum esse Saracenum, neque item ex probo Saraceno Christianum.

deinde ad alios captivos ducitur; a quibus magna lætitia excipitur.

133 Paullo post præfectus triremium conscendere me jussit equum, invicemque conjuncti equitabamus. Duxit me ille transeundo per pontem quemdam usque ad locum, ubi erat sanctus Ludovicus, ejusque subditi captivi. Ad ingressum ampli tentorii invenimus scribam, qui nomina captivorum pro soldano scribebat. Illic B necesse fuit nomen meum significare, quod eos celare nolui, scriptumque fuit sicuti alia. Ad introitum dicti tentorii Saracenus iste, qui semper secutus me fuerat et comitatus, quique in triremi me servaverat, mihi dixit : Domine, non possum te amplius sequi, mihi ignosce. Tibi commendo puerum istum, quem habes tecum, quæsoque te, ut eum semper manu teneas, alioquin scio a Saracenis eum occidendum. Nomen pueri erat Bartholomæus de Montfaucon, filius domini de Montfaucon de Bar. Simulac nomen meum fuit scriptum, præfectus triremium puerum, et me duxit in tentorium, ubi erant proceres Franciæ, et plusquam decem millia aliorum cum ipsis. Postquam fui ingressus, omnes cœperunt tantum demonstrare gaudium, quod me conspicerent, ut nihil audiri posset præ strepitu gaudii, quem ea de causa edebant : existimabant enim me esse perditum.

Multi ad fidem negandam invitantur, occisis iis, qui renuebant.

134 Quando simul eramus, Dei opem sperantes, non diu mansimus, quin insignis quispiam e Saracenorum magnatibus nos magis abduxerit ad aliud tentorium. Victu quoque utebamur misero. Multi alii equites, aliique e C nostris etiam erant captivi, magnæ inclusi areæ, muris terreis clausæ. Qui erant ibidem extrahi jubebant captivos alium post alium, eosque interrogabant, an fidem negare vellent; ac illi, qui affirmabant, quique fidem negabant, seorsum ponebantur, illique, qui id facere nolebant, mox capite minuebantur.

Postulata Saracenorum a captivis rejecta :

135 Haud multo post misit nobis soldanus consiliarios suos, nobiscum acturos; petieruntque consiliarii, cui ex nobis significarent mandata soldani. Omnes consensimus, ut id fieret Petro Britanniæ comiti per interpretem, quem habebant Saraceni, qui sermone utroque loquebatur, Gallico, et Saracenico. Atque hujusmodi fuere verba : Domini, soldanus nos mittit ad vos, ut sciat, an non cupiatis esse liberati, et an vos velitis ei solvere, aut solvendum curare pro liberatione vestra. Ad hanc interrogationem respondit comes Britanniæ Petrus; nos perquam libenter velle, ut liberati essemus soldani manibus; sive ut jam fecissemus aut passi essemus, quod justa ratione fieri posset. Tum consiliarii soldani petierunt, an non vellemus dare pro liberatione nostra aliqua ex castris et locis, quæ pertinebant ad proceres transmarinos. Respondit comes, id nos exsequi non posse : ratio illius D hæc erat, quia dicta castra, et loca possidebantur ab imperatore e Germaniæ, tunc imperante; e et quia ille numquam pateretur, ut soldanus aliquid obtineret, quod sibi esset subjectum. Rursus petierunt consiliarii soldani, an pro liberatione nostra vellemus restituere quædam castra Templariorum, aut Hospitalariorum Rhodiorum *f*. Respondit comes, id fieri non posse : nam f id esset contra consuetum juramentum, quod habet, ut quando statuuntur castrorum, dictorumque locorum custodes, per Deum jurarent, se pro liberatione corporum hominum nullum ex dictis castris reddituros. Dein Saraceni pariter responderunt, quod videretur nulla in nobis esse dispositio, aut desiderium libertatem recipiendi : quodque modo ad nos mitterent homines gladiis ludere consuetos *g*, qui nobiscum agerent, ut g cum ceteris : et his dictis abierunt.

terror captivis illatus :

136 Neque multo postquam consiliarii soldani abierant; eccum ad nos accedentem magnum provectæ ætatis Saracenum specie insigni, qui secum ducebat numerum ingentem juvenum Saracenorum, quibus singulis latus erat gladio cinctum, quo omnes fuimus consternati. E Jussit nos interrogari senex ille Saracenus per interpretem, qui sermonem nostrum intelligebat, et loquebatur; Utrum verum esset, quod crederemus in unum Deum, qui pro nobis fuerat natus, cruci confixus, et mortuus pro nobis, et tertia post mortem die pro nobis a morte suscitatus? Respondimus, nos vere ita credere. Tum nobis respondit, quoniam ita esset, non debere nos animo cadere, quod passi essemus; ac pateremur hujusmodi pro ipso vexationes ; neque nos etiamnum mortem pro ipso sustinuisse, quemadmodum ille pro nobis sustinuerat. Insuper, si potestatem habuerat se suscitandi, eum certo nos brevi liberaturum. Et tum Saracenus ille abivit cum omnibus juvenibus suis, non alio nobis illato incommodo. Quo ego multum lætabar, et gaudebam : nam putabam eos venisse, ut capita nobis omnibus amputarent. Nec multum deinde fuit moræ, quin nuntium haberemus de liberatione nostra.

redemptio omnium a Rege pacta post minas Saracenorum neglectas :

137 Post hæc supra dicta, consiliarii soldani ad nos redierunt, nobisque dixerunt, tantum effecisse Regem, ut consecutus esset liberationem nostram : nos quatuor e nobis ad eum mitteremus, qui audirent et cognoscerent modum pactionis de redemptione nostra. Ad hoc agen- F dum, ad eum misimus dominos Joannem de Valery, Philippum de Montfort, Balduinum Ibelinum Cypri senescallum, et Guidonem Ibelinum fratrem ejus, summum Cypriæ militiæ præfectum, qui erat unus ex honestissimis, maximeque probatis equitibus, quos umquam cognovi, quique vehementer amabat hujusce regionis homines. Hi quatuor supra nominati equites nobis narraverunt rationem et modum liberationis nostræ. Porro ad Regem tentandum consiliarii soldani tales ac similes interrogationes illi proposuerunt, quales nobis proposuerant supra. Et uti placuit Domino nostro, Rex bonus, sanctus Ludovicus iis dedit tale ac simile responsum ad utramque interrogationem, quale dederamus per os Petri Britanniæ comitis. Videntes Saraceni, Regem postulatis suis obtemperare nolle, minati sunt se instrumento, quod vocant BERNICLES *h*, eum immissuros. Tormen- h tum hoc erat gravissimum, quod cuiquam inferre possunt. Sunt autem duo trabes e ligno in

summi-

A summitate connexæ : et quando ei aliquem imponere volunt, cum in latus deponunt inter duas has trabes, ejusque pedes trajiciunt per ingentes uncos : deinde demittunt frustum ligni, quod supra est, ac hominem quemdam sedere jubent supra trabes. Unde fit, ut non maneat ei, qui ibidem jacet, vel medii pedis intervallum ex ossibus, quod non fit plane disruptum, et contritum. Et ut pejus ei faciant, post tres dies pedes ejus crassos et inflatos in instrumentum istud remittunt, atque iterum conterunt, quæ res est crudelis admodum scienti eam intelligere. Adhæc ligant caput ejus crassis boum nervis, ne inde se removeat. Verum omnes has minas nihili fecit Rex bonus, eisque dixit, se eorum esse captivum, ac eos posse secum agere pro ipsorum arbitrio.

redemptionis pretium.

138 Postquam intellexerunt Saraceni, non potuisse se minis Regem superare, ad eum redierunt, ac petierunt ab eo, quantum pecuniæ dare vellet soldano præter Damiatam, quam restitueret. Respondit Rex, si soldanus vellet summam, pretiumque redemptionis æquum acceptare, se reginæ mandaturum, ut id illa persolveret pro redemptione suorum. Interrogaverunt ipsum Sarraceni, cur id mandare vellet reginæ? Respondit ipsis omnino esse rationi consonum *i*, ut ita faceret, eamque uxorem suam esse ac sociam. Tunc consiliarii soldani dictum soldanum adierunt cogn1turi, quantum a Rege exigeret : et paullo post reversi sunt ad Regem, eique dixerunt; si regina persolvere vellet decies centena millia bysantiorum aureorum, qui tum valebant quingentis millibus librarum, eam hoc facto Regem liberaturam. Rex eos interrogavit per eorum juramentum, si regina iis solveret quingenta illa librarum millia, an soldanus in redemptionem suam consentiret. Redierunt illi ad soldanum quæsituri, an hoc pacto vellet id facere et promittere. Et nuntiaverunt consiliarii ipsius, id eum velle : ipsique hoc juramento confirmarunt. Simulac Saraceni ei juraverant, fideque sua promiserant, id ita se facturos, eique libertatem reddituros : promisit Rex se libenter pro pretio et redemptione suorum quingenta librarum millia, atque pro corpore suo Damiatam soldano redditurum : dicens se talem non esse, ut quacumque pecuniæ summa se vellet redimere, aut corporis sui liberationem consequi. Quando soldanus intellexit bonam Regis voluntatem, dixit : Per legem meam, candidus ac liberalis est Gallus, qui disceptare noluit de tanta pecuniæ summa : sed consensit præstare ac solvere, quantum ab eo fuit exactum. Porro itote ei dicturi, inquiebat soldanus, me de redemptionis pretio ipsi condonare centum librarum millia, neque soluturum nisi quadringenta millia.

ANNOTATA.

a *Hanc sanguinis conjunctionem, mihi æque ac Menardo et Cangio incognitam, genealogiarum investigatoribus examinandam relinquimus. Gallice habetur :* Sa cousine née de germain, *ita ut potuerit nata esse ex consobrino vel patrueli Frederici II, ejusve parentum.*

b *Carnes, opinor, comedebant : alioquin ille non monuisset, licet pietas Joinvillii longius progrederetur, ut mox sequitur.*

c *Id consueto loquendi modo intellige, quod pauci essent. Fortasse respicit ad posteriora tempora; tunc enim in Palæstina paucissimi cum Rege manserunt.*

d *De Saladino multa diximus in Commentario § 46. Paganus vocatur, ut sæpe Turcæ et Saraceni ab auctore nostro, licet Mahometis sequerentur deliria. Saladini autem humanitatem, animique moderationem celebrant passim Orientales.*

e *Frederico II, quem sibi jure uxoris vendicasse regnum Hierosolymitanum. diximus in Commentario num. 589.*

f *Teste Joanne Villanio in Historia Florentina lib. 8, cap. 104 Hospitalarii Rhodum obtinuerunt anno 1308. Unde auctor noster, qui Historiam suam edidit circa annum 1315, eos vocavit nomine tunc usitato. Nullum igitur hinc argumentum petere potest Cangius pag. 79 contra puritatem hujus Opusculi.*

g *Gallice,* les joueux d'espées.

h *Cangius dissertatione 19, quam de hoc tormento composuit, ostendere nititur hoc instrumentum,* Bernicles *dictum, idem esse cum cippo antiquorum. At vero omnia, quæ adducit de cippo, probant, pedes in cippo vehementi divaricatione et extensione fuisse tortos : ac ne verbum quidem affert, quo evincitur, ossa in cippo fuisse confracta : cum tamen manifestum sit, in hoc Saracenorum instrumento ossa corporis confracta fuisse; ita ut a mente Joinvillii aberraverit Cangius. Propius ad instrumentum, quod quæritur, accedit, si non idem omnino sit, instrumentum, quo torti fuere SS. Jonas et Barachisius sub Sapore Persarum rege tempore Constantini magni, quodque* cochlea *vocatur in horum Martyrum Actis. Acta hæc apud nos edita sunt tom. 3 Martii, atque ita habent pag. 773 :* Impii. . . . cochleam afferri jusserunt, et in ea sanctum *(Jonam)* poni, vehementerque comprimi ac dissecari. Fecerunt ministri imperata, ipsumque in cochlea compresserunt, et omnia illius ossa confregerunt, deinde ipsum medium dissecuerunt. *Post pauca, de S. Barachisio hæc subduntur :* Tunc in cochleam. . . . injici jusserunt impii atque ibi omnia ossa ejus perfringi : quæ cum essent confracta, magorum principes ministris imperarunt, ut in fauces ipsius picem ardentem conjicerent : atque ita B. Barachisius animam reddidit. *Videmus, id certe utrique instrumento commune fuisse, quod vehementi compressione, qualis est uvarum in torculari, ossa omnia confringerent, nec tamen sic compressi statim morerentur. Forma hujus instrumenti, licet eam Joinvillius minus clare exponat, hæc fuisse videtur. Trabs inferior, cui torquendus super latus imponebatur, ad unam partem habebat uncos ferreos, qui verosimiliter aperiri poterant ad pedes transmittendos, rursumque claudi. Trajectis per uncos pedibus, ligatoque ad alteram partem collo, ut situm mutare non posset homo trabi impositus, alteram trabem ad premendum admovebant. Verumtamen infra trabem superiorem aliud frustum ligni, quod nomine a trabibus distinguit Joinvillius, homini imposuisse videntur a pedibus usque ad caput, ita ut solum caput non premeretur; nam alioqui, contrito capite, mors certo fuisset secuta.*

i *Ratio præcipua, cur reginam vellet consultam, fuit procul dubio, ut ea occasione inquireret, an Damiata defendi et teneri posset contra Saracenos. Nam dictum est in Commentario num. 675 non redditurum fuisse Damiatam, si potuisset servari.*

CAPUT

A. Joanne Joinvillio.

CAPUT XV.

Rex cum suis ad palatium quoddam soldani ductus : soldani cædes : varii terrores captivis objecti : pactum redemptionis cum Saracenorum principibus renovatum : Regis constantia.

Captivi ducuntur Damiatam versus ad palatium quoddam;

Tunc soldanus paullo post quatuor triremibus super fluvium imponi jussit omnes majores, nobilioresque viros, quos Rex habebat, Damiatam ducendos. Erant in triremi, cui fui impositus, bonus Britanniæ comes Petrus, Guilielmus Flandriæ comes, Joannes bonus comes Suessionensis, dominus Ymbertus de Bello-joco B militiæ prefectus, duoque boni equites domini Balduinus Ibelinus, et Guido ejus frater. Triremis rectores nos appulerunt ante amplam domum, quam soldanus supra flumen extrui curaverat. Hoc autem modo constructum erat habitaculum istud, ut illic esset pulchra turris, facta ex contis abiegnis, telaque tincta per circuitum tota contecta. Ad ingressum portæ magnum erectum erat tentorium, principesque soldani ibi relinquebant gladios suos ac baculos, quando cupiebant accedere cum soldano locuturi. Post tentorium istud alia erat magna porta pulchre constructa, ac per hanc portam ingressus patebat in exedram amplam, quæ exedra erat soldani. Post illam exedram alia erat turris, constructa ut prior, per quam secundam turrim ad cubiculum soldani ascendebatur. In medio istius habitaculi magnum erat pratum : et in prato isto turris erat, ceteris omnibus excelsior. Turrim illam excelsam ascendere solebat soldanus, ut regionem omnem circumjacentem lustraret, castraque ab una et alia parte. In prato isto porticus erat, ducens ad flumen; et ad finem istius porticus erigi jusserat soldanus tentorium supra oram fluvii, ad balneo utendum. Totum illud C diversorium super ligna coopertum erat cancellis, et supra cancellos tela Indica contectum, ut foris in illud non pateret aspectus. Omnes quoque turres tela erant tectæ. Ante illud diversorium appulimus die Jovis *a* ante festum Ascensionis Domini nostri, ut erat illo tempore. Et ibidem in vicinia Regem e navi deposuerunt in tentorium aliquod, ut cum soldano loqueretur, eique consentiret, ut die Sabbati sequenti Rex ei Damiatam restitueret.

ubi Saraceni soldanum occidere statuunt :

140 Cum instaret discessus, ad Damiatam petendum, ut soldano restitueretur : princeps, qui fuerat a tempore patris junioris soldani tunc regnantis, quodam adhuc stimulo agitabatur doloris, sibi ab hoc juniore soldano illati. Quippe ad ingressum suum, et ubi hic princeps *b* miserat, qui eum advocarent, ut soldanus esset post patrem suum Damiatæ mortuum *c* : ille ut provideret suis, quos ex regionibus peregrinis secum adduxerat; gradu dejecit præfectum, qui vivente patre suo fuerat, parique modo supremum militiæ præfectum, præfectos castrorum et senescallos patris sui. Ea de causa consilia contulerunt, atque invicem dicebant : Domini, cernitis dedecus, quod nobis soldanus intulit; abstulit enim nobis D dignitates atque administrationes, quas soldanus pater ejus nobis concesserat. Quapropter certi esse debemus, si aliquando arces Damiatæ recipiat, quod jussurus sit nos omnes postea comprehendi ac in carceribus suis mori, ne labente tempore in eum ulciscamur : quemadmodum avus *d* ejus egit cum principe, aliisque, qui comites Barrensem et Monfortium *e* cepere : propterea que expedit, ut eum curemus occidi, priusquam manibus nostris elabatur *f*. In illud omnes consenserunt : et reipsa accesserunt equites cohortis prætoriæ, de quibus ante tractavi, qui creditam sibi habent corporis soldani custodiam : et, qualia inter se habuerant, iis proposuere consilia; ipsosque rogaverunt, ut soldanum occiderent; atque ita iis promiserunt equites prætorii.

cumque crudeliter

141 Dum itaque die quodam soldanus ad prandium invitavit equites suos cohortis prætoriæ, post prandium recipere se voluit ad cubiculum suum. Postquam principibus suis valedixerat, quidam equitum prætoriorum, qui gladium soldani gestabat, percussit manum soldani, eamque E ipsi inter quatuor digitos secuit prope ad brachium usque. Tum soldanus rediit ad principes suos, qui facinus concluserant; iisque dixit : Domini, vobiscum expostulo de equitibus cohortis prætoriæ, qui me voluerunt occidere, ut ex manu mea cognoscere potestis. Illi omnes ei una voce responderunt, multo magis sibi expedire, ut eum occiderent; quam occidi juberentur ab ipso; quemadmodum facere volebat; si aliquando arces Damiatæ fuisset ingressus. Et scito, principes caute rem executos esse. Nam tubis soldani crotalisque cani jusserunt, omnisque Saracenorum exercitus fuit congregatus, ut sciret, quid facere vellet soldanus : principesque cum complicibus suis ac fœderatis dixerunt. Damiatam esse captam, eoque tendere soldanum, atque eis præcepisse, ut omnes ipsum armati sequerentur. Repente omnes se armaverunt, petieruntque calcaribus subditis Damiatam. Unde nos in magno fuimus dolore : nam putabamus Damiatam vere esse captam.

in conspectu Christianorum occidunt : terror hinc Regi

142 Soldanus, qui juvenis adhuc erat, hoc intuitus, malumque contra personam suam machinatum, fugit in excelsam turrim, quam prope cubiculum suum habebat, de qua ante sum locutus. Etenim ejus ipsius milites cohortis præ- F toriæ cuncta jam dejecerant ejus conopea, ac circumdabant turrim illam, ad quam fugerat. In ipsa turri tres erant ejus antistites, qui cum ipso manducaverant, qui clamaverunt ut descenderet. His ille dixit libenter se descensurum; modo cautionem sibi darent. Responderunt ei, se vi adhibita satis effecturos, ut descenderet vel invitus; eum necdum esse Damiatæ. Continuo jacere ignem Græcum incipiunt in hanc turrim, ex perticis solum abiegnis, telaque, ut ante dixi, constructam : et confestim turris fuit accensa. Assero tibi, numquam me vidisse ignem splendidum magis ac velocem. Quando vidit soldanus igne se urgeri, descendit per viam prati, de quo ante egi, fugitque versus fluvium : et fugientem eques quidam cohortis prætoriæ percussit ingenti gladio inter costas, mittitque ille se cum ipso gladio in fluvium; et post ipsum descenderunt novem circiter equites, qui eum illic occiderunt in fluvio, satis prope triremem nostram. Postquam soldanus erat mortuus, unus dictorum equitum, nomine Faracataic, eum secuit, corque

A que ei ventre extraxit. Tum ad Regem accessit, manu prorsus sanguinolenta, eumque interrogavit: Quid tu mihi dabis, quia peremi inimicum tuum, qui mortem tibi intulisset, si vixisset? Ad interrogationem istam numquam vel unum verbum reposuit *g* Rex bonus, sanctus Ludovicus.

143 Postquam hoc peregerant, triginta facile eorum in triremem nostram sunt ingressi, gladios nudos manibus tenentes, securibusque bellicis collo appensis. Petii a domino Balduino Ibelino, qui satis intelligebat sermonem Saracenicum, quid homines isti dicerent. Respondit mihi, quod dicerent se venire, ut capita nobis amputarent. Mox vidi magnam nostrorum turbam, qui ibi erant, confitentium religioso cuidam SS. Trinitatis, qui erat cum Guilielmo Flandriæ comite. At, quantum ad me, nullius tum eram mali memor, aut peccati, quod umquam commisissem: nec cogitabam nisi ut ictum mortis reciperem. Misi me in genua ad pedes unius illorum, cervicem ei extendens, dicensque formando signum crucis hæc verba: Sic mortua est sancta Agnes. B Ad latus meum genua flexit dominus Guido Ibelinus Cypri militiæ præfectus, mihique confessus est *h*: ac hujusmodi ei absolutionem dedi, qualis dandi Deus mihi dabat potestatem. Verum ex rebus mihi dictis, postquam me levavi, numquam vel verbum recordatus sum. Paullo post missi sumus in imam triremis ad puppim contignationem, omnes in ea prostrati: ac multi e nobis credebamus, non ausos eos fuisse simul nos omnes aggredi, at intus nos habere velle unum post alterum. In hac angustia fuimus tota nocte. Et habebam pedes meos ad dexteram partem faciei domini Petri Britanniæ comitis; itemque illius pedes erant circa faciem meam.

proceribusque captivis illatus.

144 Evenit ut postridie ex intima illa contignatione fuerimus extracti; et miserunt præfecti, qui nobis significarent, ut veniremus secum renovaturi pactionem, quam iniveramus cum soldano. Eo iverunt qui poterant incedere; at comes Britanniæ, et præfectus militiæ Cypri, et ego, qui gravi laborabamus infirmitate, remansimus. Qui iverunt acturi cum præfectis; nimirum comes Flandriæ, comes Suessionensis, C aliique, qui eo ire poterant, exposuerunt pactum redemptionis nostræ. Promiserunt præfecti, quod, simulac Damiata sibi fuisset tradita, liberarent Regem, aliosque viros illustres, qui erant captivi, iisque dixerunt, quod soldanus, si vixisset, caput Regi ac iis omnibus secari jussisset; quodque jam contra pactum cum Rege initum et promissum, Babyloniam adduci curasset multos ex eorum magnatibus: quodque cum occidi curassent, quia satis noverant eum, simulac Damiatam occupasset, curaturum fuisse, ut omnes ipsi occiderentur, aut in ejus carceribus morerentur.

Ægyptii pactum redemptionis cum Christianis renovant,

145 Per hoc pactum Rex jurare debebat, quod solveret ad eorum arbitrium ducenta librarum millia, antequam a fluvio discederet, aliaque ducenta millia Accone iis daret; quodque pro cautione solutionis detinerent ægrotos, qui erant Damiatæ, cum balistis, apparatu bellico, machinis, carnibusque salsis, donec Rex mitteret, qui ea asportarent, transmitteretque postrema ducenta librarum millia. Juramentum, quod fieri debebat inter Regem et principes, fuit distinctum. Tale fuit juramentum principum; quod, si non servarent Regi pacta sua et promissa, vellent ita esse infames ac dedecorati, sicut ille, qui pro peccato suo ad Mahometem peregrinatur capite prorsus nudo; atque ille, qui uxorem suam desereret, ac eam postmodum reciperet. Quod spectat secundum illum casum, nulli secundum legem Mahometis licebat uxorem suam relinquere, posteaque resumere, priusquam vidisset alium quempiam cum ea in lecto cubantem. Tertium juramentum erat, quod fuissent dedecorati atque infames, veluti Saracenus, qui comedit carnem porcinam. Acceptavit Rex juramentia supradicta, quia magister Nicolaus Acconensis, qui modum agendi illorum noverat, ei dixit, non posse eos juramenta facere majora.

juramentoque confirmant:

A. Joanne Joinvillio.

146 Postquam juraverant principes, ac juramenta sua absolverant, scribi jusserunt, Regique dari juramentum, quale eum volebant jurare, quod fuit hujusmodi, idque consilio quorumdam Christianorum, fidei desertorum, quos habebant: Quod, si Rex non staret promissis, pactisque inter eos initis, separatus esset a Dei, dignæque ejus Matris, duodecim Apostolorum, omniumque aliorum Sanctorum, Sanctarumque cæli consortio. Atque in hoc juramentum Rex consensit. E Alterum erat, quod dicto casu, si Rex non servaret dicta promissa, perjurus haberetur, sicuti Christianus, qui Deum negavit, ipsiusque baptisma et legem: quique in odium Dei crucem conspuit, eamque pedibus calcat. Ubi Rex audivit juramentum istud, dixit nequaquam se id juraturum *i*. Postquam principes cognoverunt, Regem jurare noluisse, neque jurandum edere, quale ipsi exigebant: ad eum miserunt dictum magistrum Nicolaum Acconensem, ad ei significandum; ipsis nequaquam ab eo satisfactum, ipsosque vehementer indignari, quod jurassent quodcumque Rex voluerat, illeque nunc jurare nollet, quod ipsi exigebant: dixitque illi memoratus magister Nicolaus, certum sibi omnino esse, eos, si non jurabat, quemadmodum exigebant, mandaturos, ut ipsi caput amputaretur, omnibusque ejus subditis. Ad quod Rex respondit, quod hac de re facere possent pro arbitrio suo; quodque longe potius vellet mori bene Christianus, quam in Dei, ejus Matris, Sanctorumque offensa vivere. F

impium a Rege juramentum exigunt,

147 Erat cum Rege partriarcha quidam Hierosolymitanus *k*, natus annos octoginta aut circiter. Qui patriarcha olim obtinuerat securitatem a Saracenis Regem accedendi, veneratque ad Regem, ut eum quoque juvaret ad liberationem ipsius a Saracenis impetrandam. Porro consuetudo erat inter Paganos et Christianos, ut, quando principes quidam inter se bellum gerebant, unusque moriebatur eo tempore, quo invicem legatos miserant, legati in illo casu manerent captivi et servi, sive id fieret in Paganorum ditione, sive in Christianorum. Et quia soldanus, qui securitatem dederat huic patriarchæ, de quo loquimur, fuerat peremptus; hac de causa patriarcha mansit captivus, æque ac nos, apud Saracenos. Cum cernerent principes, Regem suis minis nequaquam terreri, unus ex principibus illis dixit aliis, patriarcham esse, qui hujusmodi Regi dabat consilium: affirmabatque principes, modo sibi consentirent, se satis effecturum, ut Rex juraret; caput enim patriarchæ amputaturum, facturumque ut illud in gremium Regis volaret. At illud alii principes consentire illi noluerunt. Verum apprehenderunt virum bonum patriarcham, manibusque post tergum coram Rege palo tam arcte alligarunt, ut modico tempore

quod ille, neglectis eorum minis, constanter detrectat.

A. JOANNE JOINVILLIO.

tempore manus ei intumescerent ad crassitudinem capitis, adeo ut ex locis manuum pluribus sanguis exsiliret. Ille præ dolore, quem inde patiebatur, clamabat, ad Regem : Heus domine Rex, domine Rex, jura audacter : nam quodcumque est peccati, mihi animæque meæ imputandum recipio, quoniam desideras et vis implere promissa tua et juramentum. Nescio an jusjurandum tandem fuerit juratum *l*. Verum ut ut est, principes tandem fuere contenti juramento, quod Rex fecerat, atque aliorum, qui illic erant, dominorum.

Actum inter Saracenos de transferendo in Regem Ægypti imperio.

148 Ceterum scire debes, ubi equites cohortis prætoriæ occiderant soldanum suum, principes tubis, crotalisque suis clangi mirifice jussisse ante tabernaculum Regis : dictumque fuit Regi, principes magna flagrasse cupiditate, idque habito consilio, creandi Regem Babyloniæ soldanum. Interrogavit me die quodam Rex, an non existimarem, quod regnum Babyloniæ, si fuisset oblatum, acceptasset. Respondi ego quod id agendo, instar stulti fecisset, quandoquidem dominum suum sic occiderant. Et, eo non obstante, Rex mihi dixit, se minime id fuisse recusaturum. Scito autem nihil obstitisse, nisi quod præfecti inter se dicerent, Regem esse fidentissimum Christianum eorum, quos umquam cognoverant : atque id dicebant, quia, quando ex diversorio suo discedebat, semper crucem suam formabat flexis humi genibus *m*, totumque corpus suum signo crucis signabat. Insuper dicebant Saraceni, si Mahomet suus tantum sibi adversi pati sivisset, quantum Regem pati permiserat Deus, se numquam eum fuisse adoraturos, aut in eum credituros.

ANNOTATA.

a *Dies ille Jovis incidebat anno illo 1250 in 29 Aprilis; occisus autem est soldanus die Lunæ 2 Maii, ut probatum est in Commentario num. 678. Unde nisi ibidem substiterit ad dies aliquot ante cædem soldanus, lapsus est in die designando Joinvillius.*

b *Soldanum Saleh Damiatæ non esse mortuum jam notavimus.*

c *Princeps hic, quem solum communi nomine vocat* Admiral, *videtur fuisse præfectus cohortis prætoriæ, quem* Phares Octaï *nominat Chaizius pag. 72.*

d *Avus Moadhami erat soldanus Camel. Verum hic occidere non potuit eos, qui Montfortium ceterosque vicerant, cum ante horum cladem esset defunctus, teste sæpe laudato Tyrii Continuatore apud Martenium tom. 5 Collectionis ampl. col. 718. Mortem Cameli anno 1237 contigisse, ait Renaudotius in Historia patriarcharum Alexandrinorum pag. 595. Itaque non avo Moadhami factum illud imputandum est, sed potius patri ejus Saleh, qui post biennium, quo frater ejus natu minor imperavit, successit in regnum.*

e *De Montfortio et Barrensi vide notata ad cap. 12, lit.* f.

f *De rationibus hujus conspirationis actum quoque est in Commentario num. 697.*

g *Insignem hæc, aliaque secuta, constantiam, animique vere regii fortitudinem probant. Prudentiam Regis in hujusmodi terroribus, constantiamque in carcere laudat individuus fere ipsius ibidem comes Guilielmus Carnotensis num. 9 et seqq.*

h *S. Thomas in Supplemento quæsu. 8, art. 2 quærit,* Utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri. *Et respondet ministrum pœnitentiæ esse sacerdotem, hisce tamen adjunctis :* Sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit. *Deinde ad primam objectionem respondens, rem magis elucidat his verbis :* Ad primum ergo dicendum, quod in sacramento pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio et satisfactionis injunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio et confessio. Satisfactio autem jam incipit esse a ministro, in quantum eam injungit; et a pœnitentiæ, in quantum eam implet : et ad plenitudinem sacramenti utrumque debet concurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri, cui potest : qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio ex defectu sacerdotis laico facta, sacramentalis est quodammodo : quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte sacerdotis. *Hactenus S. Thomas, cujus verba adferre volui, ut pateat factum hic relatum non ex levitate aut ignorantia processise, sed doctrinæ theologorum esse conforme. Plura de his videri possunt apud Joannem Baptistam Thiers in Tractatu de superstitionibus tom. 3, pag. 299 et seqq.*

i *Regem hujusmodi juramentum recte detrectasse, quod omnino videatur illicitum, probavimus in Commentario num. 684.*

k *De hoc patriarcha vide notata ad Carnotensem cap. 2, lit.* a. *Venerat liber ad Regem; verum per mortem soldani factus erat captivus pro more Saracenorum, quem jam ante firmavimus.*

l *Factum non esse noverunt alii, citati in Commentario num. 683.*

m *Gallice,* Il prenoit toujours sa croix en terre, *quod sensu dato intelligendum puto.*

CAPUT XVI.

Damiata Saracenis reddita : eorum perfidia, inde periculum Christianorum captivorum : dimissus tandem Rex cum suis, manente comite Pictaviensi usque ad solutionem peractam.

Damiata redditur Saracenis, qui multa mox committunt pactis contraria :

Paullo postquam pacta inter Regem et præfectos facta fuere, transacta, ac juramento firmata, statutum fuit, ut postridie festum Domini nostri in cælum ascendentis Damiata principibus restitueretur, ac Regis, omniumque nostrum captivorum corpora liberarentur. Quatuor triremes nostræ anchoris alligatæ fuerunt ante pontem Damiatæ; ibidemque erigi jussum est Regi tentorium, ut in illud e navi egrederetur. Quando advenit dies, circa horam solis orientis,

A tis, dominus Gaufridus de Sergines petiit urbem Damiatam, ut illam curaret principibus restitui : et continuo super muros urbis arma soldani sunt posita. Ingressi sunt equites Saraceni in urbem memoratam, cœperuntque ex vino, quod ibi invenerunt, bibere, adeo ut multi eorum se inebriarent *a*. Inter alios unus venit ad triremem nostram, qui gladium suum evaginavit madentem sanguine, nobisque dicebat, quod sex e nostris occidisset; quod erat equiti, æque ac alteri, dictu turpissimum. Scito reginam, ante redditam Damiatam, cum omnibus nostris in naves nostras se recepisse, exceptis pauperibus ægrotis, quos Saraceni debebant custodire, Regique reddere, cum eis daret ducenta librarum millia, de quibus supra facta est mentio : atque ita juraverant ac promiserant Saraceni. Similiter ei reddere debebant machinas suas, carnes salsas, quas non manducabant, baculosque ac armamenta. Verum contra, fæx perfida occidit omnes ægrotos pauperes, minutatim concidit machinas, aliaque, quæ servare debebat, ac restituere in tempore et loco : omniaque in cumulum congesserunt, atque illi ignem injecerunt, qui tantus B fuit, ut omnibus sequentibus diebus Veneris, Sabbathi, atque Dominico perduraverit.

quidam Saracenorum mortem Christianorum moliuntur,

150 Postquam sic minutatim conciderant omnia, omnesque peremerant, et ignem injecerant : nos, quos liberatos esse oportebat a sole oriente, fuimus usque ad solem occidentem sine potu aut cibo, qui nec Regi erat nec ulli nostrum. Præterea principes disputaverunt alii contra alios, omnes mortem nostram machinantes. Unus principum dicebat aliis : Domini, si mihi consentiatis, omnibusque his viris, qui mecum sunt, occidemus Regem, ac omnes hos viros illustres, qui cum eo sunt. Etenim ab hoc tempore ad annos usque quadraginta nulla nobis erit cura, quia eorum liberi parvuli etiamnum sunt : et Damiatam habemus. Alius Saracenus, Scebrecy nominatus, oriundus ex Mauritania, contrariam afferebat sententiam, atque alios docebat; Ægyptios, si Regem occiderent, postquam soldanum suum peremerant, pessimos audituros, mundique totius iniquissimos ac perfidissimos. Princeps autem iste, qui mortem nobis inferre conabatur, rationibus aliis fucatis huic C contradicebat; asserebatque vere eos peccasse, quod soldanum suum occidissent, idque esse contra legem Mahometis, qui in lege sua dicebat, quod dominum suum custodire deberent, ut pupillam oculi : istiusque rei præceptum exhibebat hic princeps scriptum in libro, quem manu tenebat : At, inquiebat, audite porro, domini, aliud mandatum. Tum folium libri vertebat; ac dicebat, præcipere Mahometem, ad securitatem fidei suæ, occidendum esse legis inimicum. Deinde, ut ad propositum suum rediret, inquiebat : Porro intuemini peccatum, quod commisimus, occidendo soldanum nostrum contra præcepta Mahometis : atque etiam peccatum grande, quod committemus, si Regem abire sinamus, neque eum occidamus, quamcumque demum habeat a nobis cautionem : maximus enim hostis est legis Paganorum. Ad hæc verba parum abfuit, quin mors nostra fuerit concessa. Hinc factum est, ut unus ex his principibus, qui nobis erat contrarius, existimans fore, ut nos omnes juberent occidi, venerit ad ripam fluvii, cœperitque clamare Saracenice iis, qui nos vehebant in triremibus; Turcicoque pileolo, quod deponebat ex capite, iis signum dederit, significans, ut nos Babyloniam versus reducerent. Re ipsa anchoræ sublatæ sunt, et retro Babyloniam versus reducti sumus ad spatium leucæ bene grandis : ex quo luctus inter nos ortus est ingens, multæque lacrymæ fluxerunt ex oculis : nam omnes metuebamus, ne occidi nos curarent.

sed prævalente aliorum sententia,

151 Interea, quemadmodum Deus voluit, qui servorum suorum numquam est immemor, circa occasum solis convenit inter principes, ut liberaremur, nosque jussere Damiatam reduci : et quatuor triremes nostræ prope ripam fluminis sunt locatæ. Tunc postulavimus, ut nos in terram dimitterent. At facere id noluerunt, donec manducassemus : aiebantque Saraceni, dedecori id fore principibus, si nos carceribus suis sinerent omnino jejunos egredi. Continuo apportari ex castris cibum jusserunt, ut comederemus; nimirum lagana ex caseo *b*, ad solem assa, ne in iis vermes congregarentur; atque ova dura, a quatuor vel quinque diebus cocta : et ad nos honorandos illa pingi foris curaverant coloribus variis.

proceres cum Rege dimittuntur.

152 Postquam cibum sumpseramus, ad terram nos applicuerunt : et adivimus Regem, quem Saraceni deducebant ex tentorio, in quo E eum tenuerant, ad fluvium. Saracenorum peditum, qui gladiis cincti erant, post Regem sequebantur facile viginti millia. In fluvio ante Regem erat triremis Genuensium, in qua nullus apparebat, nisi stultus unus; qui ut vidit Regem esse ad dexteram triremis eorum, sibilare cœpit; et derepente eccos egredientes ex intima triremis contignatione octoginta facile balistarios, egregie instructos, tensis balistis, jaculisque impositis. Mox ut eos perceperunt Saraceni, fugere cœperunt instar ovium, quas terror invasit, neque manserunt cum Rege, nisi duo vel tres. Genuenses tabula navem terræ junxerunt, ac induxerunt Regem, comitem Andegavensem fratrem ejus, qui postea fuit Siciliæ Rex, dominum Gaufridum de Sergines, et dominum Philippum de Nemours *c*, et castrorum Franciæ præfectum *d*, et magistrum *e* SS. Trinitatis, et me. Comes Pictaviensis, quem servaverunt Saraceni, mansit captivus, donec Rex iis solveret centena librarum millia *f*, quæ illis dare debebat ante F discessum a fluvio.

Postridie aliqui proceres, salutato Rege, discedunt :

153 Die Sabbati post Ascensionem, postridie dimissionem nostram, venerunt Regi vale dicturi comes Flandriæ *g*, comes Suessionensis, multique alii illustres domini : quos Rex rogavit, ut expectare vellent usque ad liberationem peractam comitis Pictaviensis fratris sui. Et responderunt ei, id a se fieri non posse, quia triremes ipsorum paratæ erant ad discedendum. Et tum ad triremes se receperunt, atque ad reditum suum in Galliam. Cum iis etiam erat Petrus Britanniæ *h* comes, qui graviter ægrotabat, neque deinde nisi tribus hebdomadis vixit, et obiit supra mare.

solvit Rex Saracenis, partemque pecuniæ, quæ deerat, mutuam a Templariis

154 Rex nequaquam deserere voluit fratrem suum comitem Pictaviensem; voluitque solutionem facere ducentorum millium librarum : consumptusque est solutione præstanda totus dies Sabbati, et Dominicus. Pecunia autem dabatur pondere libræ, lancesque singulæ valebant decem librarum millibus. Ubi vespera diei Dominici advenit, Regis ministri, qui solutionem præstabant, ei significarunt, sibi etiam tum opus esse triginta omnino librarum millibus. Neque alii aderant Regi, nisi frater ejus comes Andegavensis, præfectus castrorum Franciæ, et magister SS. Tri-

A. JOANNE JOINVILLIO.

SS. Trinitatis, et ego : aliique omnes occupabantur solutione facienda. Tum Regi dixi, expedire, ut commendatorem et castrorum præfectum Templariorum rogaret, ut sibi mutua darent memorata triginta librarum millia ad liberandum fratrem suum. Frater Stephanus de Outricourt, qui Templariorum erat commendator, insimulavit me de consilio Regi dato, mihique dixit : Domine Joinvilli, consilium, quod Regi suggeris, nequaquam bonum est, nec rationi consonum. Sat enim nosti beneficiorum administrationes * nobis committi cum juramento, atque ita, ut illorum pecuniam dare non possimus, nisi illis, qui juramentum nos facere jubent. Præfectus castrorum * Templariorum, ratus se Regi satisfacturum, dicebat : Domine Rex, mittamus contentiones et rixas domini Joinvillii, et commendatoris nostri. Etenim quemadmodum dicit memoratus commendator noster, nihil dare possumus ex pecunia beneficii nobis commissi, nisi agendo contra juramentum nostrum, nosque reddendo perjuros : et scito, senescallum perperam tibi dicere, quod suadeat, ut, si nos tibi ex ea non largiamur, tu capias : quamvis ea de B re acturus es pro arbitrio tuo. Verum si id facias, ex tua, quam habes Accone, satis compensabimus damnum nostrum.

* les commenderies

* le mareschal

155 Auditis minis, quas Regi intentabant, ei dixi ; iturum me ex ea acceptum, si vellet. Et jussit me ita facere *i*. Mox me contuli ad unam e triremibus Templariorum, venique ad arcam quamdam, cujus clavem mihi tradere nolebant; securique, quam inveni, illam nomine Regis aperire volui. Hoc cernens Templariorum castrorum præfectus, tradi mihi jussit claves arcæ, quam aperui, atque ex ea satis argenti cepi; idque Regi tuli, qui multum gaudebat adventu meo : factaque fuit atque peracta solutio ducentorum millium librarum ad liberationem comitis Pictaviensis. Ante peractam solutionem memoratam, aliqui suadebant Regi, ut non juberet omnia solvi Saracenis, antequam illi liberassent corpus ipsius fratris. At dicebat, quoniam id illis promiserat, se ipsis daturum omnem eorum pecuniam, priusquam a fluvio recederet. Ad hæc verba dominus Philippus de Montfort Regi significavit, Saracenos in numerando deceptos esse una lance, valente decem librarum mil- C libus. Ad quod Rex vehementer indignatus est, præcepitque dicto domino Philippo de Montfort ut fide bona, quam sibi debebat, sicut fidem juratus cliens, solvi juberet Saracenis dicta decem millia librarum *k*, si non essent soluta : asserebatque Rex, se numquam discessurum, donec ducenta illa librarum millia integre solvisset. Multi viri, videntes Regem semper esse in periculo a Saracenis, frequenter eum rogabant, ut se recipere vellet ad triremem quamdam, quæ eum in mari expectabat, ad manus Saracenorum fugiendas; tantumque effecere, ut ei persuaserint receptum. Et ille ipse dicebat, quod existimaret juramento suo se prorsus satisfecisse. Tunc cœpimus æquor navigare, et processimus ad leucam bene magnam per mare, antequam quidquam invicem dicere possemus præ tristitia, qua angebamur, quod comitem Pictaviensem reliquissemus in carcere. Neque multum fuit moræ, quin audiremus dominum Philippum de Montfort, qui restiterat ad decem dicta librarum millia solvenda, clamantem ad Regem : Domine Rex, Domine Rex, expecta fratrem tuum comitem Pictaviensem, qui ad te venit in alia hac triremi. Tum cœpit Rex dicere suis, qui ibidem D erant : Accende, accende *l*. Extemplo magna inter nos omnes fuit lætitia de fratris Regis adventu. Porro fuit pauper quidam piscator, qui comitis Pictaviensis uxori dictum venit, se comitem Pictaviensem liberasse Saracenorum manibus : atque illa *m* tradi ei jussit viginti libras Parisienses. Tum unusquisque triremem *n* ascendit.

vel invitis capit : solutione religiose peracta cum suis discedit. i

k

ANNOTATA.

a *Notum est, vinum lege Mahometis esse vetitum. At ne hodiedum quidem tam religiosi sunt eorum aliqui, ut eo, data occasione, se non ingurgitent ad ebrietatem usque.*

b *Gallice,* des bignetz de fromage.

c Hic, *inquit Cangius pag. 81,* oppidum et dominium Nemosii deinde vendidit Regi S. Ludovico. Nemosium *autem, alii* Nemus *vocarunt, vulgo* Nemours, *oppidum est* in præfectura Insulæ Franciæ, et in Vastinio tractu, ad Lupiam fluvium, *ut habet Baudrandus.*

d Albericum Clementem, *ait ibidem Cangius,* qui secutus est Regem S. Ludovicum in illo itinere : *cui consentit Chaizius pag. 90. At cum Sammarthani in Historia genealogica domus Franciæ pag. 967 huic anno 1250 castrorum præfectum assignent Guilielmum de Beaumont, malim existimare hunc designari : præsertim cum ipse Chaizius comitem de Beaumont cum Rege navim ingressum scribat, eique pag. 105 titulum castrorum præfecti attribuat : sæpius de eo recurret sermo.* E

e *Minister hic generalis Ordinis SS. Trinitatis, natione Gallus, nomine* Nicolaus, *electus fuerat anno 1234, prout scribit Bonaventura Baro in Annalibus Ordinis ad eumdem annum, qui et brevi illum ornat elogio. Mortem ejus innectit anno 1256, ubi num. 2 ad propositum nostrum sic loquitur de illo :* Sufficit meminisse, quam fuerit in deliciis sancto Regi Ludovico Gallorum, qui expertus ejus in concionando energiam, eundem sibi in prædicatorem assumpsit. *Porro eum cum* S. Ludovico *fuisse in expeditione hac Ægyptiaca, patet ex litteris eidem datis in castris prope Massoram, quas laudatus auctor recitat ad annum 1249, quo notantur scriptæ, mense Martio, veteri nimirum stylo, ita ut ad annum 1250 sint referendæ.* F

f *Gallice,* les cens mil livres. *Forte auctor scripsit* ducens; *ducenta enim solvenda erant, priusquam e Nilo mare ingrederetur.*

g *Comes Flandriæ in Galliam tunc temporis non discessit, ut patebit cap. sequenti. Potuit tamen cum aliis ex Ægypto solvere, Acconemque navigare, ubi eum rursus videbimus.*

h *De Petro Britanniæ comite sæpe actum in Commentario.*

i *Summa certe erat pecuniæ necessitas propter perfidiam Saracenorum, juramentumque Regis non discedendi ante solutionem factam : neque illam pecuniam Rex accipiebat, nisi ut Accone redderet.*

k *Ex hoc facto fidem Sancti erga perfidos quoque Saracenos commendat Vita secunda num. 133, ubi quædam latius exponuntur hic omissa.*

l *Faces nimirum, propter noctis tenebras; ut rectores navis, qua comes vehebatur, Regis navem cernerent, eique appropinquare possent, quantum conjicio. Fortasse etiam, ut navem comitis viderent appropinquantem.*

m *Non*

A m *Non quidem homini credidit, opinor : at in tanta lætitia pecuniæ noluit parcere.*

n *Id est, quisque suam, qua vehi debebat. Ceterum hæc contigere die 8 Maii anni 1250, ut ex præcedentibus est manifestum. Quapropter Continuator Tyrii apud Martenium tom. 5 Collectionis amplissimæ col. 734, ubi habet :* venerunt Acconem VIII die Maii, *de discessu Acconem versus intelligendus est.*

CAPUT XVII.

Singularia quædam, quæ Regi ejusque subditis in Ægypto, atque itinere Acconem versus contigerunt.

Egregium certamen Galteri de Chastillon, ejusque mors; a

Oblivisci nolim quædam negotia, quæ acciderunt in Ægypto, cum nos illic eramus. Primum agam de domino Galtero de Chastillon *a*, de quo narrantem audivi equitem quemdam, qui eum viderat in platea quadam prope Kasel, ubi Rex fuit captus. Gladium in manu habebat evaginatum, et dum Turcas videbat per B hanc plateam transeuntes, eos invadebat, atque ad ictus singulos a se abigebat. Saraceni autem, qui retro æque atque antrorsum sagittabant, fugiendo ab ipso, totum contegebant sagittis. Porro dixit mihi hic eques, dominum Galterum, ubi eos ita abegerat, excussisse a se spicula, quibus tectus erat, ac se denuo armasse. Multo tempore ibidem fuit ita pugnans, eumque ille vidit sæpe super stapedes se elevantem, clamando : Heu! Chastillon, eques! Et; Ubi sunt viri mei fortes? At nullus reperiebatur. Postridie, quando eram cum præfecto triremium, quæsivi ex omnibus ejus militibus, an ullus esset, qui aliquid de eo referre posset. At nihil umquam de eo cognoscere potui, præterquam semel, quando equitem quemdam inveni, nomine dominum Joannem Frumons; qui mihi dixit, quod, cum captivus ducebatur, Turcam quemdam viderit, qui equum domini Galteri de C Chastillon conscenderat; et quod tergum equi omnino esset sanguinolentum; quodque ex eo quæsivisset, quid factum esset equite, cujus erat equus. Dixit ei Turca, se ei jugulum abscidisse supra equum, atque equum ita esse sanguine ejus infectum.

uti et episcopi Suessionensis. b c

157 Erat in exercitu nostro vir insigni fortitudine præditus, nomine dominus Jacobus *b* du Chastel, episcopus Suessionensis : qui, ubi vidit nos Damiatam versus redire, atque unumquemque inde in Galliam redire velle, maluit manere cum Deo, quam ad locum, ubi natus erat, reverti. Et solus ipse Turcas invasit *c*, acsi solus eos profligare voluisset. At non ita multo post ad Deum ipsum miserunt, ac cohorti martyrum inseruerunt : modico enim tempore illum occiderunt.

Dona ad Regem missa : Rex eorum latorem, quod fidei esset desertor, a se jubet abscedere : d

158 Aliud vidi, quando Rex expectabat super fluvium ob solutionem, quam fieri curabat, ut reciperet fratrem suum comitem Pictaviensem. Venit ad Regem Saracenus quidam splendidis vestibus ornatus, ac vir aspectu valde formosus. Et obtulit Regi [nardum *d*] vasculis impositam, ac flores diversi generis insigni odore præstantes; atque ei dixit, munus hoc ad eum mitti a liberis Nazac e soldani Babyloniæ, qui fuerat occisus. Quando Rex Saracenum istum Gallice loquentem audivit, eum interrogavit, quis id eum docuisset. Respondit Regi, se Christianæ fidei esse desertorem. Rex e vestigio ipsi dixit, ut abscederet a se, nec secum deinceps loqueretur. Tunc ego ipsum seorsum traxi, cumque interrogavi quo modo fidem negasset, ac cujas esset. Saracenus hic mihi dixit, se natum esse Provini, ac in Ægyptum venisse cum rege defuncto Joanne; atque matrimonio junctum in Ægypto; insignesque admodum opes ibidem possidere. Dixi illi : Nescis, si tali in statu moriaris, te recta in infernum descensurum, damnatumque iri in perpetuum? Respondit mihi, id certo se scire, nosseque satis nullam esse legem meliorem lege Christianorum. Verum, inquiebat, timeo paupertatem, in qua essem, si ad vos accederem, magnasque cum infamia exprobrationes, quæ mihi omni vita mea ingererentur ab iis, qui me vocarent, fidei desertorem, fidei desertorem. Propterea malim commodo meo vivere, et dives, quam ad hujusmodi statum devolvi. Ego ei ostendi, multo melius esse, E ut metueret ignominiam apud Deum, mundumque universum, quando in postremo judicio omnia male facta unicuique fient manifesta; secuturamque deinde damnationem. At omnibus his nihil profeci, sed abscessit a me; neque eum umquam postea vidi.

A. Joanne Joinvillio.

Reginæ vehemens dolor : mori mavult quam capi a Saracenis :

159 Supra vidisti ac cognov' graves vexationes et miserias, quas Rex bonus, sanctus Ludovicus, et nos omnes tulimus ac sustinuimus trans mare. Scito etiam bonam dominam reginam non evasisse, quin ex iis sortiretur partem suam, eamque animo suo admodum duram, uti audies postea. Quippe triduo antequam pareret, nuntiatum illi est, Regem, bonum maritum suum, esse captum : ex quo nuntio adeo vehementer turbata est in corpore suo, tantoque fuit in angore, ut sine intermissione ei in somno videretur totum cubiculum plenum esse Saracenis, qui eam occiderent; ac sine fine clamaret; Opem ferte, opem ferte, cum nullus ibidem esset. Deinde præ metu, ne proles, quam gestabat, periret, tota nocte vigilare sine somno ad finem lecti sui jubebat equitem quemdam : qui eques provectæ ætatis erat et senex, natus an- F nos octoginta, et eo amplius : et ad vices singulas, quibus clamabat, manu eam tenebat, eique dicebat : Domina, noli esse sollicita, tecum sum, noli timere. Priusquam bona domina peperisset, omnes, qui in cubiculo suo erant, excedere jussit, præter senem hunc equitem, provolutaque est regina in genua ante ipsum, eumque rogavit, ut unum sibi largiretur. Eques juramento suo id ei promisit. Tum regina cœpit ipsum affari : Domine eques, per fidem, quam mihi obligasti, a te postulo, ut, si Saraceni capiant hanc urbem, tu mihi caput amputes, priusquam me capere possint. Respondit ei eques, id se perlibenter facturum, jamque in mente habuisse id facere, si casus ille eveniret.

parit filium : abitum meditantes retinet Damiatæ sumptibus Regis :

160 Non longa interjecta mora, in memorata urbe Damiata filium regina peperit, cui nomen impositum Joannes, cognomen Tristanus : ratio illius erat, quia natus fuerat in tristitia ac paupertate. Eadem, qua peperit, die illi significatum fuit, Pisanos omnes, Genuenses, omnemque plebem pauperem, quæ erat in urbe, inde fugam meditari, regemque velle deserere. Regina omnes ad se accersi jussit, atque eos rogavit,

A. JOANNE JOINVILLIO.

gavit, dicens : Domini, per Dei misericordiam vos obtestor, nequaquam hanc urbem deserere velitis. Etenim satis scitis, dominum Regem, omnesque, qui cum eo sunt, fore perditos. Certe, si vobis non placeat id ita facere, misereat vos saltem hujusce miseræ miserandæque dominæ, quæ hic decumbo, ac expectare velitis donec sim restituta. Omnes ei responderunt, id fieri non posse, seque fame perire in illa urbe. Illa eis respondit, jam fame non perituros; cibosque omnes, qui possent in urbe reperiri, emi se jussuram, illosque imposterum Regis sumptibus habituram. Atque ita facere eam oportuit, emique jussit ciborum tantum, quantum acquiri poterat : et exiguo tempore, priusquam fuit restituta, ipsi constitit plusquam trecentis et sexaginta librarum millibus hominum illorum sustentatio : eoque non obstante oportuit bonam dominam ante terminum se levare, atque urbem Acconem petere, ut expectaret ibidem, quia urbs Damiata Turcis ac Saracenis erat restituenda.

quid ageret Rex in itinere Acconem versus :

161 Omnes vos scire oportet, quamvis multa Rex passus esset incommoda, ejus ministros, quando in navem suam est ingressus, nihil ei præparavisse, puta nec vestes, nec lectum, nec stratum, aliave commoda. At necesse fuit, ut per
B
dies sex super culcitras cubaret, donec essemus Accone. Neque ulla habebat Rex indumenta, præter vestes duas, quas soldanus illi confici jusserat, ex panno samili *f* nigro, pellitas vellere vario griseoque, ut vocant *g*, quibus addita erat ingens nodorum aureorum copia. Quamdiu super mare eramus, atque Acconem petebamus, semper apud Regem sedebam, quia ægrotabam : et eo tempore Rex mihi narravit, quo modo fuisset captus, et quo deinde pacto suam, nostramque Dei ope consecutus fuisset redemptionem. Me item ei exponere oportuit, quo modo super aquam fuissem captus, quaque ratione Saracenus quispiam vitam mihi servasset. Et Rex mihi dicebat, magnopere me obligari Domino nostro, quod tantis me liberasset periculis. Inter alia bonus sanctus Rex mire dolebat de morte fratris sui Artesiæ comitis. Die quodam sciscitabatur, quid ageret frater suus comes Andegavensis; querebaturque eum ne die quidem uno frequentiorem secum esse, quoniam in una pa-
C
riter essent triremi : relatumque est regi, eum tesseras mittere super alveum cum domino Galtero *h* de Nemours. Ubi hoc audiit, surrexit. adivitque omnino vacillans ex magna morbi debilitate, qua erat : cumque ad eos pervenisset, sumpsit tesseras, alveumque, atque injecit in pelagus, acerrimeque fratrem suum reprehendit, quod tam cito tesseris ludere cœpisset, neque magis esset memor mortis fratris sui comitis Artesiæ, neque periculorum, quibus Dominus noster eos eripuerat. Dominus vero Galterus de Nemours majores facti pœnas dedit; Rex enim omnes ejus nummos, quos super tabulas vidit, post tesseras alveumque mari injecit *i*.

quonam modo Rex Accone exceptus : quænam ibidem Joinvillio acciderint.

162 Hoc loco *k* enarrare velim magnas quasdam vexationes ac calamitates, quæ Accone mihi evenerunt : quibus duo, quorum perfecta mihi erat fiducia, me liberaverunt. Fuerunt hi Dominus Deus noster, laudandaque Virgo Maria. Atque hoc dico, ut eos, qui id audituri sunt, ad perfectam de Deo fiduciam, ac patientiam in adversis ærumnisque suis permoveam : et ille opem eis feret, ut mihi tulit frequenter. Porro dicimus, quando Rex Acconem appulit, urbis incolas usque ad littus maris ingenti lætitia cum D supplicationibus suis venisse, ut eum exciperent. Paullo post Rex me accersi jussit, verbisque expressis mihi præcepit, ut, si quo in pretio haberem amorem suum, manerem ad manducandum secum cum vesperi tum mane; donec constituisset, an inde in Galliam rediremus, aut ibi manendi sumpsisset consilium. Hospitium habui apud parochum Acconensem, loco ab episcopo memoratæ urbis designato, ubi graviter ægrotavi. Et ex omnibus meis non mansit, nisi unus famulus, aliis omnibus infirmitate lecto decumbentibus, quemadmodum ego decumbebam : neque ullus erat, qui potu subministrato vel semel me confortaret. Præterea, quo melius me recrearem, per fenestram, quæ erat in cubiculo meo, quotidie portari videbam ad ecclesiam sepelienda corpora mortuorum facile viginti. Quando cantantes audiebam; LIBERA ME; vim lacrymarum profundebam inclamans Dei misericordiam; ut dignaretur me, meosque servare a pestilentia dominante; atque id etiam fecit.

ANNOTATA. E

a *Jam monuimus ad cap. 10, lit.* n, *Cangium velle, nomen fortissimo huic viro fuisse* Gaucherium, (Gaucher) *atque ita eum ubique vocat Chaizius cum aliis. Quidquid sit, Joinvillium sequi placuit, in quo eum sæpe jam memoratum invenimus nomine* Gualtier. *Duobus fere mensibus ante mortem conscripsit litteras, quibus censum annuum viginti librarum donat monasterio Honoris Dei, Ordinis SS. Trinitatis, ut sacrum Missæ sacrificium offerretur in perpetuum pro sua parentumque suorum anima. Hasce litteras jam assignavimus supra ad cap. 16, lit.* e. *In his autem se nominat* Galterum de Chastillon, dominum oppidi S. Aniani in Biturigibus, *Gallice,* De S. Aignan en Berry. *De oppido S. Aniani, quod in Bituricensi provincia ad Carim fluvium comitatus titulo nunc est insigne, consuli potest Chesnius in Antiquitatibus urbium Franciæ pag. 495.*

b *Sammarthani tom. 3, pag. 1052* Guidonem de Chasteau-Porcean *nominant, quos passim sequuntur alii. Potuit in nomine falli Joinvillius : at episcopum Suessionensem cum Rege in hac expeditione fuisse, constat etiam ex Bellovacensi lib. 31, cap. 96.* F

c *An hæc congruant professioni episcoporum non disquiro. Plura eo seculo sibi hac in parte licita putabant et honesta, quam vel primis ecclesiæ seculis, vel nostro tempore.*

d *In editis habetur,* du lart, lardum. *Verum non dubito, quin illud mendosum sit ; neque enim id munusculum fuisset aut offerentibus congruum, aut Rege dignum. Versanti itaque locum hunc, a quo abstinuerunt alii, quod mihi integrum non est, suspicio incidit de nardo, quod munusculum erat cum floribus conveniens et Rege non indignum. Quapropter hanc vocem uncis inclusam ex conjectura substitui. De Nardi frutice consuli potest Plinius lib. 12, cap. 12, aliique.*

e Nazac, *editio Pictaviensis apud Cangium,* Nazart. *Suspicor nomen dignitatis esse, at nullibi illud invenire potui, quod verosimiliter corruptum sit. Non itaque liberi ipsius soldani hæc munera miserunt, sed liberi principis cujusdam, qui soldani erat minister. Nam Gallice legitur,* les enfans du Nazac du souldan.

f *Gal-*

A f *Gallice*, de samys, *quod in Dictionario suo eruditi Trivoltiani exponunt*, samilis pannus, laminulis aureis intertextus. *Addunt tamen pannum hunc quandoque totum fuisse ex serico. Potest ulterius videri Cangius in Glossario ad vocem* Examitum, *ubi hisce satis consentit.*

g *Gallice*, fourées de vers *(vair)* et de gris. *Pretiosa admodum erant hæc vellera, quæ difficulter Latine exponi possunt. De iis egimus ad Vitam secundam cap. 10, lit.* g, *et num. 572 Commentarii.*

h *Frater erat Philippi de Nemours num. 152 memorati, qui Nemosii dominus fuit ante fratrem, et castrorum præfectus in Francia, ut scribunt Sammarthani in Historia genealogica domus Franciæ tom. 2, pag. 967.*

i *Ægrius quoque hunc ludum Sanctus tulisse videtur, quod in sacris expeditionibus esset prohibitus : nam apud Guilielmum Neubrigensem lib. 3, cap. 22 inter statuta pro crucesignatis communi Gallorum et Anglorum consilio hoc reperitur :* Quod nullus ad aleas vel detios *(id est, tesseras)* ludat.

B k *Cangius in observationibus suis pag. 83 multa hic interponit ex editione Pictaviensi, quam constat interpolatam : verum non satis illa componi possunt cum iis, quæ hic referuntur; neque spectant ad* S. Ludovicum, *præterquam quod dicatur pecunia juvisse Joinvillium. Qua de causa hisce augere nolui prolixa.* S. Ludovici *Acta.*

CAPUT XVIII.

Rex, auditis rationibus pro discessu in Galliam, et contra, subsistere statuit : fratribus in Galliam dimissis, curam habet recolligendi milites.

Proceres suadent Regi discessum in Galliam :

Haud ita multo postea Rex vocari jussit fratres suos, et comitem Flandriæ, omnesque viros illustres, quos secum habebat, die quodam Dominico. Atque omnibus præsentibus dixit : C Domini, vos accersi jussi, ut nova quædam de Gallia vobis communicarem. Verum est, quod domina regina, mater mea mihi significaverit, ut festinato veniam, quod regnum meum in magno versetur periculo : nam nec pax mihi nec induciæ sunt cum rege Angliæ. Hujusce autem regionis homines discessum mihi conantur dissuadere; aiuntque terram suam, si abscedam, perdendam ac destruendam, omnesque post me abituros. Quapropter vos rogo, ut rem perpendere velitis, atque intra octiduum mihi detis responsum. Die Dominico sequente omnes Regem accessimus, ipsi responsuri de negotio, quod sibi exponendum nobis commiserat, circa abitum suum vel mansionem. Pro omnibus locutus est dominus Guido Malvoisin, atque hunc in modus effatus : Domine Rex, domini fratres tui, aliique viri, qui præsto sunt, rationem habent conditionis tuæ; et norunt non posse te in hac regione manere pro dignitate tua, aut regni tui utilitate. Primo enim ex omnibus equitibus tuis, duobus millibus octingentis, quos in Cyprum duxisti, ne centum quidem tibi supersunt. Ex alia parte, nulla tibi in hac regione est habitatio, nec ullæ tuis supersunt pecuniæ. Qua de causa, omnibus consideratis, omnes pariter tibi suademus, ut in Galliam abeas, procuraturus milites et pecuniam, quo cito redire possis in hanc regionem, ad vindictam capiendam de Dei, ejusque legis inimicis.

A. JOANNE JOINVILLIO.

164 Rex, audito domini Guidonis consilio, illi non acquievit, sed singulatim ex unoquoque quæsivit, quid hac in re judicaret expedire : primum ex comite Andegavensi, comite Pictaviensi, comite Flandriæ, aliisque viris illustribus, qui ei præsentes aderant. Hi omnes responderunt, adhærere se sententiæ domini Guidonis Malvoisin. At omnino coactus fuit comes Jafensis *a*, qui castra possidebat trans mare, opinionem suam hac de re indicare. Hic post Regis mandatum dixit, se existimare, si Rex posset castra in campo constituere, magno ei fore honori subsistere potius, quam ita victum recedere. Ego, qui non nisi decimus quartus ibidem aderam, ordine meo respondi, in comitis Jafensis me abire sententiam. Pro ratione autem allegabam, famam esse, Regem necdum aliquid impendisse, aut usum esse ex pecunia thesauri sui; at solum expendisse pecuniam præpositorum ærarii sui : adeoque Regi mittendos esse viros in Moreæ *b* regionem, ac trans mare *c*, qui equites, militesque robustos adducerent; nam ubi innotesceret, ampla eum stipendia concedere, brevi tempore recepturum undique viros; atque hoc modo liberari posse per Regem tot miseros captivos, qui in Dei, ejusque servitio fuere capti; neque eos umquam carcere exituros, si ita abeat. Et scito, me nequaquam de opinione dicta fuisse reprehensum; at multi flere cœperunt : nam vix ullus erat, qui neminem ex consanguineis suis lugeret in carceribus Saracenorum detentum. Post me dominus Guilielmus de Belmont * dixit, opinionem meam esse valde bonam, seque adhærere ei, quod dixeram.

exceptis paucis, inter quos Joinvillius,

E

* *i. e.* Beaumont

165 Post hæc, ubi quilibet loco suo responderat, turbatus est plane Rex ob diversitatem sententiarum consiliariorum suorum, ac spatium sumpsit alterius octidui, ad declarandum, quid de re facere vellet. At scire omnino debes, quando a Rege recesseramus, quemlibet e magnatibus in me irruere cœpisse, mihique ex indignatione et invidia dixisse : Hem! insanit profecto Rex, nisi tibi, domine Joinvilli, assentiatur contra totum regni Franciæ consilium. Ego prorsus obmutescebam. Haud multo post mensæ ad cibum sumendum fuere positæ : Rex solebat semper mensæ suæ me adhibere, quando ipsius fratres non aderant, itemque ad mensam semper aliquid mihi dicere : at numquam verbum mihi dixit, neque vultum ad me convertit. Tum cogitavi mecum, mihi esse subiratum; quod dixissem, eum nondum expendisse pecuniam suam, eamque ipsi large expendendam. Ubi gratias Deo egerat post prandium, receperam me ad fenestram quamdam, quæ capiti erat propinqua lecti Regis, brachiaque mea transmissa per clathros illius fenestræ tenebam prorsus meditabundus : advocatoque animo mecum dicebam, si Rex hac vice abiret in Galliam, iturum me ad principem Antiochiæ *d*, mihi cognatione junctum. Dum in tali versabar cogitatione, retro accedens Rex humeris meis incumbebat, manibusque suis ambabus caput mihi tenebat. Putabam ego esse dominum

quem hac de causa perstringunt alii : at Rex

F

A. JOANNE JOINVILLIO.

minum Philippum de Nemours, qui nimio me illo die tædio affecerat propter consilium a me datum.

id sibi gratum fuisse, ei secreto indicat.

166 Et cœpi ei dicere : Sine me quietum, domine Philippe, in malam fortunam. Vultumque verti, dum Rex per illum superius manum suam traducit : mox sat scivi, manum esse Regis, ex smaragdo, quem digito gestabat. Continuo me amovere volui, ut qui male fueram locutus. Rex quietum me loco manere jussit, ac dicere mihi aggreditur : Accede huc, domine Joinvilli; quo modo tam audax fuisti, ut tu, qui juvenis es, contra totum consilium illustrium Galliæ virorum, mihi suaderes, ut in hac regione subsistam? Respondi, ut, si bene suasissem, consilium meum sequeretur; sin malum esset consilium, ei non consentiret. Interrogavit me, si subsisteret, an secum manere vellem. Dixi, me omnino mansurum, sive sumptibus meis, sive alienis. Tunc Rex mihi significavit, gratum sibi accidisse, quod suasissem ut maneret; at id nemini indicarem. Unde tota illa hebdomada ita lætabar ob id, quod mihi dixerat, ut nullum amplius malum me gravaret : audacterque me de-
B fenderem adversus dominos alios, qui hinc me
e aggrediebantur. Scito, hujusce regionis incolas *e*
f nominari PULANOS *f* : et monitus fuit dominus Petrus d'Avallon, cognatus meus, nominari me PULANUM, quia Regi suaseram, ut cum pulanis maneret. Monuit me igitur cognatus meus, ut me defenderem contra eos; qui ita me vocarent; eisque reponerem, malle me pulanum esse, quam
g equitem fatigatum *g*, quales illi erant.

Rex se mansurum significat. data abeundi aliis libertate :

167 Transacta hebdomada, ubi adfuit altera Dominica, omnes ad Regem sumus reversi. Et, præsentibus nobis omnibus, a signo crucis, qua se signabat, duxit exordium, dicebatque documentum id esse matris suæ, a qua doctus erat, cum quædam dicere vellet, id ita facere, ac nomen Domini, opemque Spiritus sancti invocare. Hujusmodi fuere Regis verba : Domini, gratias vobis ago, cum illis, qui mihi suasistis, ut in Galliam abirem : tum similiter iis, qui mihi suaserunt, ut in hac regione manerem. Verum postea consideravi, si permaneam, regnum meum non idcirco magis in periculo futurum : nam domina regina mater mea satis virorum
C habet ad illud defendendum. Rationem itidem habeo eorum, quæ dicunt hujusce regionis equites, qui asserunt, si abeam, regnum Hierosolymitanum periturum, quod nemo post me sit permansurus. Propterea perpendi, me huc venisse ad servandum regnum Hierosolymitanum, bello quæsitum, non ut illud perdi sinerem. Itaque, domini, vobis dico, omnibusque aliis, qui mecum permanere volent, ut audacter id eloquamini : ac vobis promitto me tantum vobis
h largiturum, ut patera *h* non sit mea futura, sed vestra. Qui manere non cupient, fiat in Dei nomine. Post hæc verba, multi fuere attoniti, ac ubertim flere cœperunt.

discedunt fratres Regis. Cura Regis de restaurando exercitu, i

168 Postquam Rex declaraverat voluntatem suam, sibique propositum esse illic permanere : inde in Galliam abire sivit fratres suos : at non omnino mihi constat, utrum id factum fuerit precibus eorum, an voluntate Regis; atque accidit circa festum sancti Joannis Baptistæ *i*. Non diu fratres ipsius ab eo discesserant, ad proficiscendum in Galliam; cum paullo post Rex cognoscere voluit, quomodo ministri sui, qui secum manserant, conati fuissent milites recolli-
k gere. Die festo domini sancti Jacobi *k*, ad quem fueram peregrinatus, ob eximia bona, quæ mihi præstiterat, postquam Rex audito Missæ sacrificio, ad cubiculum suum se receperat, vo- D
cavit aliquos ex præcipuis et consiliariis suis; puta dominum Petrum regio cubiculo præfe-
ctum *l*, hominum, quos in domo regia um- l
quam vidi, maxime probum, et integrum : dominum Gaufridum de Sergines equitem bonum, dominum Ægidium le Brun virum probitate insignem, aliosque consiliarios suos : quibuscum
erat vir ille probitate præstans *m*, cui Rex de- m
derat præfecturam militiæ Gallicæ post mortem domini Ymberti de Bello-joco. Interrogavit eos Rex, quos milites, quantumque numerum congregassent, ad restituendum exercitum suum, ac velut iratus dicebat : Satis nostis jam a mense, aut circiter, me vobis declarasse, velle me hic subsistere : et nihil etiamnum inaudii, vos exercitum congregasse ex equitibus, aliisve hominibus. Ad hoc ei pro omnibus aliis respondit dominus Petrus cubiculo præfectus : Domine Rex, si nihil hujus etiamnum fecimus, culpa in nobis non est. Certo enim unusquisque se tam pretiosum exhibet, tantamque postulat militiæ suæ
mercedem, ut non auderemus iis promittere, E
daturos nos, quod petunt.

qui Joinvillium cum cohorte sua stipendio dato conducit.

169 Voluit Rex cognoscere, quibuscum egisset, ac quinam illi essent, qui tam amplum stipendii pretium exigerent : et omnes responderunt; me illum esse, neque modico me velle contentum esse. Omnia hæc audivi, cum essem in Regis cubiculo. Supradicti autem ejus consiliarii de me hujusmodi verba Regi dicebant, quia contra eorum opinionem suaseram, ut subsisteret, adeoque redire in Galliam non deberet. Tum Rex me vocari jussit. Mox eum adivi atque in genua coram ipso provolutus sum. Jussit me surgere et sedere. Cum sederem, mihi orditur dicere : Senescalle, satis nosti, tui me semper habuisse fiduciam, teque tantopere a me amatum; et nihilominus ministri mei mihi retulerunt, adeo te durum esse, ut satisfacere tibi non possint stipendio, quod tibi promittunt. Quo se pacto res habet? Respondi ipsi : Domine Rex, quid ad te deferant, ignoro. Quod tamen spectat ad me, si amplum postulem stipendium, id mihi non imputandum. Satis enim nosti, quando supra aquam captus sum, me omnia, quæ
habebam, perdidisse, nulla re præter corpus F
mihi relicta; eaque de causa meos alere non possem stipendio modico. Interrogavit me Rex, quantum poscerem pro cohorte mea, usque ad tempus proximi Paschatis, quæ erant partes an-
ni duæ *n*. Petii ab ipso duo librarum millia. n
Porro dicito mihi, inquiebat Rex, nullosne tecum habes equites? Dixi ipsi : Domine Rex, manere jussi dominum Petrum du Pontmolain, cum vexillo trium equitum antesignanum : hi mihi constant libris quadringentis. Tum Rex numeros subduxit ad digitos, mihique dixit : Sunt,
inquiebat, libræ mille ducentæ *o*, quibus tibi o
constabunt equites, militesque tui. Et ego ei dixi : At considera ergo, domine Rex, utrum mihi opus non sit octingentis libris, ut me armis instruam ac equis, atque alam equites meos usque ad tempus Paschale? Tum Rex dixit ministris suis, nullum in me excessum se deprehendere; mihique dicebat, quod me sub stipendio suo retineret.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *De eo egimus ad cap. 4 lit.* i.

b *Morea, olim Peloponesus, peninsula est Græciæ satis nota. Parebat ea tum principi Catholico Guilielmo Villehordouino, quem cap. 3 in expeditione hac vidimus cum* Ludovico.

c *Galliam, opinor, intelligit.*

d *Boemundum V, cujus obitus notatur a Continuatore Tyrii ad annum 1251 col. 734 : cognationem illius cum Joinvillio aliis investigandam relinquo.*

e *Gallice quidem habetur,* les païsans, *qua voce* rusticum *hodiedum significant Galli, atque ita vocem intellexisse videtur Cangius pag. 85. At mihi dubium non est, quin hac voce* païsan *eodem sensu utatur Joinvillius, quo Itali utuntur voce* paësano; *puta pro* regionis incola. *Etenim rusticum ubique designat voce* villain, *Italis* villano : *et sensus hanc significationem omnino exigit, ut mox patebit.*

f *Sanutus lib. 3, part. 8, cap. 2 horum mores explicans, sic habet :* Illustrium virorum, qui ad sanctæ Terræ tuitionem . . . in ipsa manserunt, degeneres filii, . . . possessionum illorum successores, non morum, PULANI vocantur. *Horum mores effeminatos pluribus ibidem describit. Eadem fere habet Vitriacus in Historia Hierosolymitana cap. 72; qui cap. 67 ita nominatos dicit;* Vel quia recentes et novi, quasi pulli respectu Surianorum reputati sunt; vel quia principaliter de gente Apuliæ matres secundum carnes habuerunt. Cum enim in Occidentalium principum exercitu paucas mulieres respectu virorum adduxisset; qui in Terra sancta remanserunt, de regno Apuliæ, eo quod propius esset aliis regionibus, vocantes mulieres, cum eis matrimonia contraxerunt. *Ita ille : at quidquid sit de ratione nominis, nomen fuisse præ contemptu datum, satis intelligitur.*

B

g *Gallice,* chevalier recreu, *quod equitem significat, qui certamine se victum, atque ad incitas redactum fatetur, inquit Cangius. Denominationem sumit a duellis, in quibus ille se fatebatur* recreant, *qui eo usque redactus erat, ut ultra pugnare non posset : quod et variis exemplis probat. Verum non æque ostendit vocem* recreu, *quæ vel hominem, vel animal nimio labore fatigatum significat, confundi posse cum voce* recreant, *quod idcirco aliis disquirendum relinquo. Nam aliunde satis intelligitur hac voce* recreu *ignaviam æmulis suis objecisse Joinvillium, cum ignavum æque ac fatigatum designet.*

C

h *Patera per synecdochen ponitur pro thesauro, continens nempe pro contento : quia in largitionibus principes ex patera distribuebant pecuniam, ut recte ostendit Cangius pag. 86. Sensus ergo est : Thesaurus regius non meis magis quam vestris commodis serviet.*

i *Eos discessisse festo die S. Laurentii cum Flandriæ comite, diximus in Commentario num. 696. Verum hisce non satis consentire videtur hic Joinvillii calculus. Forte loquitur de tempore, quo discessus fuit decretus, ita ut reliquum tempus præparandis ad iter necessariis sit insumptum.*

k *Id est, die 25 Julii, ita ut hæc quoque ante discessum contigerint, si recte memorata sint tempora.*

l Chambellan. *Hujus Petri de Villebeon sæpe recurret mentio; adfuit Regi in secunda quoque expeditione transmarina, eodemque cum ipso defunctus est anno, et ad pedes ejus sepultus.*

m *Ægidium le Brun rursum significat, quem supremum militiæ præfectum a Sancto creatum jam dixit num. 8, ubi vide notata de eo lit.* m. *De aliis item suis locis egimus.*

n *Duæ nimirum partes tertiæ, seu octo circiter menses.*

o *Nam bis adjungendi erant terni cum vexillo, ut cohortem haberet Joinvillius, qualem habuerat, dum expeditionem aggressus est equitum decurio cum tribus vexillis. Vide num. 42.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

CAPUT XIX.

Legati Frederici imperatoris, soldani Damasceni, ac principis Assasinorum ad Regem missi : varia de moribus principis Assasinorum.

E

Haud ita multum temporis interfluxit, quando imperator Germaniæ Fredericus *a* legatos misit ad Regem, ac litteras ei destinavit, quibus petebat ut fides illis haberetur *b* : significabatque se scripsisse ad soldanum Babyloniæ (qui mortuus erat, at ipse hoc nesciebat) ut crederet suis, quos ad eum mittebat, et quomodo fieri posset, ut Regem omnesque ejus subditos liberaret. Et memini perquam bene, multos dixisse, se minime fuisse desideraturos, ut istius imperatoris Frederici legatio captivis etiam tum supervenisset : timebant enim ne hoc ageret imperator, ut nos arctius curaret custodiendos, magisque implicaret. Quando nos invenerant liberatos, ad imperatorem suum sunt reversi. *Legatio Frederici imperatoris ad Regem : a b*

171 Simili modo post hanc legationem, ad Regem venere Acconem usque legati soldani Damasceni *c*. Querebatur apud Regem Damasci soldanus de principibus Ægypti, qui occiderant soldanum suum Babyloniæ, qui ipsius erat consanguineus. Insuper promittebat ei, si vellet sibi contra illos esse subsidio, se regnum Hierosolymitanum, quod occupaverant, ei liberaturum. Rex soldani ministris respondit, illi se ad hospitium suum reciperent, se brevi responsum eis missurum ad ea, quæ soldanus Damasci sibi significaverat : atque ita abierunt ad hospitium. Postquam illi ad hospitium pervenerant, Rex in consilio suo decrevit, quod per nuntios suos responsum ad Damasci soldanum mitteret, ac cum iis eo destinaret Religiosum quemdam, Ordinis fratrum Prædicatorum, cui nomen erat frater Yvo le Breton. Continuo frater Yvo ad ipsum accedere jussus est; eumque misit Rex ad legatos soldani Damasceni, ut iis diceret, velle Regem, ut cum ipsis iret ad soldanum Damasci, ad responsum illi referendum, quod Rex per ipsum significare volebat, quia intelligebat sermonem Saracenicum : atque ita fecit dictus frater Yvo. *item soldani Damasceni, ad quem Rex itidem legatum mittit : c*

F

172 At narrare hic lubet aliquid, quod ex dicto fratre Yvone cognovi : id est, quod a domo Regis tendens ad hospitium legatorum soldani, Regis nuntium perlaturus, in platea invenerit feminam ætatis valde provectæ, quæ dexteram gerebat scutellam igne plenam, et sinistra ampullam aqua repletam. Frater Yvo ipsam interroga- *mirum mulieris cujusdam dictum.*

A. JOANNE JOINVILLIO.

terrogavit : Mulier, quid hoc igne vis facere, aquaque illa, quam gestas? Illa ei respondit, igne se cælum cremare velle, atque aqua extinguere velle infernum; ut numquam deinde cælum esset, aut infernus. Rogavit eam Religiosus, cur verba ejusmodi proferret. Illa ei respondit : Quia, inquiebat, nequaquam volo, ut quis umquam bene operetur in hoc mundo, ut pro mercede cælum possideat, neque itidem, ut quis a peccato se abstineat præ timore ignis inferni. At omnino hoc faciendum est ex integro, perfectoque amore *d*, quo ferri nos oportet in Deum creatorem nostrum, qui summum est bonum, quique tantopere nos amavit, ut morti se submiserit ad redemptionem nostram, hancque mortem sustinuerit propter peccatum primi parentis nostri Adami, atque ad salutem nostram.

Legatio arrogans principis Assasinorum : *e*

173 Interea, quando Rex Accone subsistebat, ad eum venerunt nuntii principis Beduinorum *e*, qui se nominabat Senem montis. Rex, audito mane Sacro, intelligere voluit, quid sibi vellent significare nuntii principis Beduinorum. Cum ad Regem venissent, sedere eos jussit, ut nuntium sibi commissum eloquerentur : cœpit princeps, qui illic erat præsens, ex Rege quærere, utrum non nosset dominum suum montis principem? Rex ei respondit, non nosse; nam eum numquam vidisse, audivisse tamen de eo loquentes. Tunc princeps Regi dixit : Domine Rex, quandoquidem de domino meo loquentes audivisti, vehementer miror, te ei non misisse tanta ex tuis dona, ut eum tibi amicum conciliaveris; quemadmodum faciunt Germaniæ imperator, rex Hungariæ, soldanus Babyloniæ, multique alii reges ac principes, singulis annis : quia satis norunt, se sine ipso non posse perdurare aut vivere, nisi quamdiu domino meo placuisset. Ea de causa nos mittit ad te, ut id tibi indicemus, ac moneamus ut ita facias; aut saltem, ut cures eum liberari tributo, quod annuatim debet supremo Templariorum, ac Hospitalariorum magistris : hoc si feceris, sibi a te putabit satisfactum. Recte dicit dominus meus, si occidi juberet magistrum Templariorum, aut Hospitalariorum, alium continuo futurum præcedenti parem : et propterea suos periculo exponere non vult in loco, ubi nihil posset proficere. Rex iis respondit, se consilium habiturum; ac reverterentur ad se sub vesperam, se iis daturum responsum.

cujus legati constanter excepti, injuriamque reparare jussi. *f* *g*

174 Circa vesperam, ubi ad regem fuere reversi, cum Rege invenerunt magistrum Templariorum *f* ab una parte, et magistrum Hospitalariorum *g* a parte altera. Postquam nuntii ingressi sunt ad Regem, eis dixit, ut iterum sibi referrent causam suam, postulationemque, quam matutino tempore proposuerant. Illi responderunt, consultum se non putare eam adhuc semel dicere, nisi coram iis, qui matutino tempore erant præsentes. Tunc magistri Templariorum ac Hospitalariorum iis præceperunt, ut eam rursus dicerent. Atque ita egit princeps, qui mane fatus erat coram Rege, eo prorsus modo, quo supra est relatum. Post hæc magistri eis dixerunt Saracenice, venirent mane ad se, seque iis Regis responsum dicturos. Mane, ubi erant coram magistris Hospitalariorum ac Templariorum, magistri hi illis dixerunt : Stulte admodum, nimisque audacter dominum eorum Regi Franciæ similia, verbaque tam dura dici jussisse : seque, nisi obstaret honor Regis, quodque ad eum venissent ut nuntii, præcepturos, ut omnes submergerentur, spurcoque Acconis pelago injicerentur, ad indignationem eorum domini. Et vobis præcipimus, inquiebant duo magistri, ut redeatis ad dominum vestrum, et intra dies quindecim litteras a principe vestro Regi feratis, quibus Regi de ipso, vobisque fiat satis.

redeunt cum epistola amica, ac donis domini sui. *h*

175 Intra quos dies quindecim *h* nuntii istius principis montis redierunt ad Regem, eique dixerunt : Domine Rex, reversi sumus ad te ex parte domini nostri : tibi ille significat, uti indusium vestimentum est corpori personæ proximum, ita se mittere tibi indusium suum, quod vide : hoc tibi donat, ut indicet, te eum esse Regem, quem præcipuo amore prosequi, quoque familiarius uti desiderat. Ad majorem hujus rei securitatem, en annulum ejus, quem ad te mittit, ex sincero auro ac puro, cuique nomen ejus est inscriptum. Per hunc annulum connubio te sibi jungit noster dominus, et significat vos postea fore junctos, sicut manus digitos. Inter alia misit ad Regem elephantem crystallinum, ac figuras varii generis hominum crystallinas, tabulas *i*, latrunculos crystallinos; quæ omnia ornata erant elegantibus ex succino flosculis, agglutinatis crystallo cum pulchris ex auro puro viticulis. Et scito, simulac nuntii aperuissent thecam *k*, cui hæc erant inclusa, totum cubiculum mox repletum fuisse insigni suavique odore, quem illa spirabant.

cui Rex dona similiter mittit. Religio hujus principis.

176 Rex, qui dona, quæ ei tribuerat ac miserat senex montis princeps, remunerare volebat, ei misit per nuntios suos, perque fratrem Yvonem le Breton, qui intelligebat Saracenice, magnam copiam vestium coccinearum, paterarum aurearum, aliorumque vasorum argenteorum. Ubi frater Yvo pervenit ad principem Beduinorum, cum eo locutus est, eumque de lege ipsius interrogavit. Verum, ut Regi retulit, intellexit eum non credere in Mahometem, at amplecti legem Hely *l*, quem Mahometis dicebat patruum *m*. Et dicebat, quod Hely iste Mahometem ad eum, quo fuit in mundo, provexerit honorem; quodque Mahomet, ubi stabiliverat dominium suum, ac principatum populi, indignabundus recesserit a patruo suo Hely. Postquam Hely perspexit Mahometis perfidiam; quodque vehementer ab eo supplantari inciperet, ad se traxit, quantum posset, ex populo, eumque duxit habitatum in desertis montium Ægypti; ibique cœpit iis aliam a lege Mahometis præscribere legem. Et illi, qui hodiedum servant legem Hely, inter se dicunt, eos, qui legem Mahometis observant, esse infideles. Et contra Mahometani similiter dicunt Beduinos, qui servant legem Hely, esse infideles. Et eorum quilibet verum dicit : omnes enim infideles sunt ab una atque altera parte.

erroresque varii

177 Unus ex articulis et mandatis legis Hely est ejusmodi; quod, ubi homo quispiam se occidi sinit, ut faciat ac exsequatur mandatum domini sui, anima illius, qui ita moritur, ingrediatur corpus aliud, illo, in quo est, commodius, pulchrius, atque robustius. Ac propterea Beduini montis flocci faciunt, quod se perimi sinant ad voluntatem domini sui perficiendam, rati animam suam ad aliud corpus reverti, ubi degat commodius quam ante. Aliud legis eorum est mandatum, nullum hominem mori posse usque ad diem ei determinatum. Atque id sic credunt Beduini : neque enim se armare volunt, quando ad bellum procedunt, idque si facerent, autumarent se facere contra mandatum legis suæ *n*.

supra

A supra dictum. Et cum mala imprecantur liberis suis, illis dicunt : Execrandus esto, velut puer, qui arma induit metu mortis : quod magno ducunt dedecori. Hic error est insignis ; videretur enim potentiam non habere Deus augendi nobis aut minuendi vitam, quod falsum est ; nam in eo est omnipotentia.

et ridiculi, iter instituentis arrogantia barbara.

178 Et scito, quando frater Yvo le Breton fuit apud senem montis, quo Rex eum miserat, illum invenisse ad caput lecti istius principis montis libellum quemdam, cui multa inscripta erant dicta pulchra, quæ Dominus noster olim, cum in terra versaretur ante passionem suam, domino sancto Petro dixerat. Lectis istis, frater Yvo ei dixit : Hem ! O Domine, optime faceres, si libellum hunc frequenter legeres. Etenim scripta in eo sunt perquam bona. Senex montis ei dixit, ita se facere, seque magna admodum fiducia ferri in dominum sanctum Petrum. Et dicebat, initio mundi animam Abelis, quando cæsus suit a fratre suo Caino, deinde ingressam esse in corpus Noe ; ac animam Noe, postquam fuit mortuus, rediisse ad corpus Abrahami ; deindeque B animam Abrahami venisse ad corpus domini sancti Petri, quæ etiamnum ibidem sit in terra. Quando frater Yvo eum ita loquentem audivit, illi demonstravit opinionem ejus nequaquam esse rectam, eumque docuit varia dicta pulchra, Deique mandata : at fidem numquam illis adhibere voluit. Insuper dicebat frater Yvo, quemadmodum Regi narrantem audivi, quod quando princeps ille Beduinorum equitabat per campum, eum præcederet vir quidam, gestans securim ejus bellicam, ad manubrium argento coopertam ; in quo manubrio erat copia gladiolorum accutissimorum. Et qui gestabat securim illam nativo sermone clamabat elata voce : Recedite, fugite ab eo, qui mortem regum portat in manibus suis.

Regis responsum ad soldanum Damasci.

179 Prætermisi vobis exponere responsum, quod Rex misit ad soldanum Damasci, quod fuit hujusmodi : nimirum, Regem missurum ad principes Ægypti, ut intelligeret, an sibi resarcirent ac redderent inducias, sibi ab eis promissas ; quas illi jam ruperant, ut ante dictum est : idque si recusarent, Regem libenter ei subsidio futurum, ad ulciscendam mortem ipsius co- C gnati Babyloniæ soldani, quem occiderant.

ANNOTATA.

a *Fredericus II, qui eodem anno 1250 obiit, die sanctæ Luciæ, ait Matheus Parisius pag. 538, id est, 13 Decembris.*

b *Gallice,* lettres de creance, *quas* litteras de credentia, *vel* credentiales *dixerunt istius temporis scriptores. At malui vim vocis in textu exponere. Videri potest Cangius in Glossario ad vocem* credentia.

c *Nazerus designatur Alapiæ, Hamæ, Emesæque soldanus, qui Damascum jam subegerat, ideoque Damasci soldanus vocatur. Erat ex posteris Saladini, adeoque consanguineus soldanorum Babyloniæ posteriorum, qui ex Saphadino Saladini fratre descendebant. De eo ejusque bellis cum Saleh Babyloniæ soldano egimus in Commentario num. 602, 607, 608, ubi et pax eorum relata. Quam bene usus sit* Ludovicus *hac occasione ad captivos ex Ægypto liberandos, diximus num. 701, ubi de hac legatione actum.*

d *Hæc verba sano sensu lector accipiat : nam si ita sumantur, acsi omnia opera ex puro amore peragenda essent, non abhorrebant a variis propositionibus Quesnelli damnatis, quarum 47 sic habet :* Obedientia legis profluere debet ex fonte; et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius ; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia. *Et prop. 54 :* Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. *Mitto hujusmodi effata plura ejusdem novatoris, aliaque, quibus timorem gehennæ improbat : neque hic locus est ea refutandi aut necessitas, cum solide refutata videri possint in Opere P. Jacobi de la Fontaine, cui titulus :* Constitutio Unigenitus theologice propugnata. *Porro non ignorant quidem Catholici, opera ex puro amore facta ceteris esse præstantiora : at simul norunt, non frustra in sacris Litteris timoren suppliciorum æternorum hominibus inculcari, non sine ratione gloriam in perpetuum duraturam promitti ; ideoque conandum quidem esse homini ad perfectiora tendenti, ut, quantum fieri poterit, ex Dei amore operetur ; non ita tamen ut spe æternæ* E *mercedis, timoreque pænarum juvari non possit, ac debeat ; operaque ex spe vel honesto timore facta sibi inutilia fore existimet.*

e *De hoc principe Assasinorum, ejusque sicariorum grege, fuse disputavimus in Commentario § 28 a num. 331, quibus hæc elucidantur. Beduini non erant, neque eos omnino cum Beduinis confundit Joinvillius, aliqua tamen ab his ad illos, et contra, detorquet. Vide cap. 10, ubi agit de Beduinis.*

f *Apud Cangium pag. 84 vocatur* Raynaldus de Vichiers : *successerat Guilielmo de Sonnac, quem num. 106 in pugna cæsum vidimus.*

g *Erat hic Guilielmus de Castro novo; mense Octobri redux ex carcere Ægyptio, ut dictum est in Commentario num. 699. Unde patet, hæc contigisse sub finem anni 1250, vel initium sequentis : nam mense Martio anni 1251 Rex Accone discessit.*

h *Ex hoc temporis spatio satis colligitur, principem Assasinorum tunc temporis non habitasse circa fines Persidis, licet eos ibidem antea domicilium habuisse affirmet Vitriacus in Commentario citatus num. 332.* F

i *Gallice* tables, *quod ambiguum est : potest enim, præter sensum datum, vel alveum latrunculorum, vel scrupulos lusorios, vel alia quoque designare.*

k *In editis* l'estui.

l *De Hely, seu Hali, ejusque sectatorum divisione ab aliis Mahometanis, consule dicta nostra ad cap. 10, lit. c. Præterea Guilielmus Tyrius lib. 19, cap. 20 sic habet :* Iste tamen ab eo *(Mahomete)* quintus, Hali videlicet... indignari cœpit plurimum, quod illius diceretur successor ; et non magis propheta eximus, et multo major illo haberetur. Nec satis visum est ei ita de se, vel se, vel alios opinari, nisi et idipsum publice prædicaret. *Plura ibi videri possunt de sectatoribus Hali, ejusque imposturis.*

m *Patruelem fuisse jam monuimus, atque ita etiam habet Tyrius. Quæ autem sequuntur de Mahometis supplantatione, falso videntur jactata fuisse a sectatoribus Hali.*

n *Hæc videntur a Beduinis ad Assasinos detorta. Vide cap. 10.*

CAPUT

CAPUT XX.

Rex minis intentatis captivos in Ægypto liberat : Cæsaream munit : legati Regis ex Tartaria reduces, multa de Tartarorum origine, progressibus, ac conversione aliquorum ei renuntiant.

Rex minis intentatis multos liberat captivos;

Post hæc Rex eo tempore, quo fuit Accone, misit dominum Joannem de Vallance in Ægyptum ad principes, exacturum ab eis, ut pro injuriis, violentiaque, quas Regi intulerant, ei ita satisfacerent, ut eorum satisfactioni acquiesceret. Quod principes se facturos ei receperunt, modo Rex cum iis fœdus iniret, eisque subsidio esset contra soldanum Damasci ante nominatum. B Atque ut cor Regis emollirent, (post acres monitiones, quas dominus Joannes de Vallance præstante vir probitate eis ingessit; illos arguens atque accusans gravium delictorum, injuriarumque, quibus se obstrinxerant; quodque delinquentes in legem suam, rupissent inducias ac pactiones cum eo initas), miserunt ad Regem, carceribusque suis exemerunt omnes equites, quos detinebant captivos. Insuper ad eum miserunt ossa defuncti comitis Galteri de Brienne *a*, ut sepelirentur in Terra sancta. Atque inde abduxit dominus Joannes de Vallance ducentos equites, præter ingentem aliam multitudinem plebis, qui in carceribus erant Saracenorum. Postquam Acconem pervenerat, domina de Secte *b*, dicti domini Galteri de Brienne patruelis, cepit ossa memorati defuncti, eaque bene atque honorifice sepeliri jussit in templo Hospitalariorum Acconensium : ac exsequias ibi celebrari jussit mire splendidas, adeo ut equites singuli obtulerint cereum cum denario argenti. Rex quoque cereum obtulit cum nummo bysantio ex pecunia dominæ de Secte; quod quilibet mirabatur : C numquam enim pecuniam aliquis eum offerentem viderat, nisi ex nummis propriis : verum pro sua humanitate id fecit Rex.

ex quibus equites quadraginta cohorti suæ impetrat Joinvillius:

181 Inter equites, quos dominus Joannes de Vallance ex Ægypto reduxit, cognovi facile quadraginta ditionis Campaniæ, qui omnes spoliati erant, et male vestiti. Hos omnes quadraginta expensis meis instrui ac vestiri curavi vestibus ac tunicis coloris viridis; duxique eos omnes ad Regem, eum rogaturus, ut eos omnes dignaretur stipendio suo detinere. Rex, audita prece mea, ne verbum quidem mihi respondit : atque unus aliquis ex ejus consiliariis, qui erat præsens, me reprehendit; dicens pessime me facere, cum similia Regi nuntiarem, nam ejus impensas plusquam septem librarum millibus modum excedere. Respondi ipsi, fortunam adversam facere, ut de ea loqueretur; nos autem inter nos Campanos in Regis servitio perdidisse facile triginta quinque equites, omnes vexillum portantes ex ditione Campaniæ. Et aperte dixi, Regem non recte facere, si eos non retineret, quandoquidem opus ei erat equitibus : atque hoc dicenti obortæ sunt lacrymæ. Tum Rex me mitigavit, ac mihi concessit, quod ab eo petieram; retinuit que omnes istos equites, ac cohorti meæ inseruit. D

quid præterea a Saracenis Ægypti Rex postularet;

182 Postquam Rex loquentes audiverat nuntios principum Ægypti, qui venerant cum domino Joanne de Vallance; cum illi redire vellent, Rex eis declaravit, nullas se cum eis inducias initurum, priusquam sibi reddidissent capita omnia Christianorum mortuorum, pendentia super muros Cairi *c* a tempore, quo comites Barrensis ac Montfortius fuere capti; sibique remisissent omnes quoque pueros, in tenella ætate ab iis captos, quos fidem abnegare, legique ipsorum credere coegerant : et præterea, ære alieno ducentorum millium librarum, quæ ipsis adhuc debebat, se liberatum agnoscerent. Cum illis remisit Rex memoratum dominum Joannem de Vallance, ob eximiam sapientiam ac animi magnitudinem, qua præstabat, ad declarandum principibus nomine Regis hunc nuntium.

qui Cæsaream muris cingit d

183 Cum hæc agerentur, Rex Accone discessit, ac Cæsaream *d* adivit cum omnibus, quas habebat, copiis; et reædificari jussit muros munimentaque Cæsareæ, quæ Saraceni ruperant atque dejecerant. E Aberat duodecim facile leucis Accone Hierosolymam versus. Ac tibi assevero, me non omnino scire quo pacto, at voluntate Dei facere potuisse, quæ perfecit. Neque umquam toto anno et tempore, quo Rex fuit Cæsareæ ad eam restaurandam, ullus apparuit, qui aliquid nobis mali inferret, neque item Accone, cum tamen non nisi pauci essemus.

Nuntii olim a Rege ad regem Tartarorum missi

184 Ad Regem venerant, ut ante dixi, quando eramus in Cypro, nuntii magni Tartariæ regis : dicebantque se venisse, ut illi ferrent opem, ad obtinendum a Saracenis regnum Hierosolymitanum. Rex eos remisit, et cum illis duos insignes fratres Prædicatores, sacerdotes mabos. Et illi misit sacellum coccineum, in quo acu exprimi jussit omnem fidem nostram : Annuntiationem angeli Gabrielis, Nativitatem, baptismum; quoque modo Deus fuerit baptizatus; passionem, ascensionem, atque adventum Spiritus sancti. Eique misit calices, libros, ornamenta, omniaque, quæ ad Sacrum cantandum erant necessaria *e*. Ut deinde nuntios, quos eo miserat, Regi narrantes audivi, nuntii mare ingressi sunt, appuleruntque ad portum Antiochiæ : F et dicebant, se annum integrum impendisse a portu Antiochiæ usque ad locum, ubi erat magnus Tartariæ rex; decemque leucas per diem processisse. Invenerunt autem omnem terram, per quam equitabant, Tartaris subjectam : transeundoque per regiones, repererunt in multis locis, oppidis, et urbibus, ingentes acervos ossium hominum mortuorum. Nuntii Regis interrogaverunt, quo pacto ad tantam ascendissent auctoritatem, ac quomodo potuissent subjugare tantum terrarum, et occidere atque evertere tantam hominum multitudinem, quorum ossa cernebant. Et Tartari eis exposuerunt modum, ac primum de sua origine *f*.

varia narrant. de Tartarorum origine.

185 Dicebant se natos, genitosque venisse ex ingenti planitie arenæ, ubi nihil crescebat boni. Initium planitiei illi arenosæ erat ad rupem quamdam, magnitudinis tantæ, atque altitudinis tam stupendæ, ut nullus homo in vita eam umquam pertransire posset, extendebaturque ab Oriente. Eis quoque dicebant Tartari, inter hanc rupem aliasque rupes versus mundi finem sitas, inclusos esse populos de Got et Magot *g*, qui venire deberent sub finem mundi cum

Anti-

A Antichristo, cum veniet omnia destructurus. Ab illa planitie veniebant populi Tartarorum, qui subditi erant Presbytero Joanni *h* ex una parte, ac imperatori Persidis ex parte altera; qui Persidis imperator iis contiguus erat ab una parte terrarum suarum. Erantque inter multos alios infideles, quibus, ut tolerarentur, ingentia dabant tributa in annos singulos, atque pecunias; itidemque pro pastu animalium suorum, ex quibus solum vivebant. Et dicebant Tartari, se illi Presbytero Joanni, imperatori Persidis, aliisque regibus, quibus dicta debebant tributa, tanto horrori et odio fuisse, ut, cum illis ferrent census suos ac pecunias, non vellent ipsos ante se recipere, sed dorsum ipsis obverterent.

h

186 Unde contigit, ut una vice inter alias, homo quidam inter eos sapiens perquisiverit omnes planities, atque huc illuc iverit cum hominibus locorum loculurus, iisque ostenderit duram, in qua erant, servitutem, eamque sub diversis dominis; eos rogans, ut, consilio adhibito, rationem reperire vellent et modum, quo miseriis, in quibus erant, possent se eripere. Re ipsa tantum effecit vir ille sapiens, ut congre-
B garentur die quodam ad initium planitiei illius arenosæ circa terram Presbyteri Joannis. Post monitiones varias, quas vir ille sapiens ad eos habuerat, consenserunt facere quodcumque ille vellet: et rogarunt ipsum, ut ageret, diceretque quod sibi conducere videretur, ad consequendum illud, de quo cum ipsis agebat. Dixit eis, eos nihil efficere posse, nisi regem haberent, qui eorum magister esset et dominus, cui obedirent et consentirent, ad faciendum quodcumque ipsis præciperet. Modus *i* creandi eorum regem fuit talis; ut ex quinquaginta duabus generationibus, quibus Tartari constabant, jusserit unamquamque illarum generationum sibi adferre sagittam, signo ac nomine generationis suæ insignitam. Et consensit omnis populus ut hoc modo fieret; atque ita factum est. Deinde quinquaginta duæ sagittæ positæ sunt coram puero quinquenni; ut ex generatione, cujus esset sagitta, quam puer tolleret, crearetur eorum rex. Postquam puer levaverat unam ex quinquaginta duabus sagittis, sapiens vir ille removeri jussit, retroque poni omnes generationes alias. Dein eligi voluit ex illa generatione, cujus erat
C sagitta, quam puer levaverat, quinquaginta duos viros ex sapientissimis ac fortissimis, qui forent in tota hac generatione. Electis illis, hic ipse vir sapiens unus erat ex viris quinquaginta duobus, qui omnes habuerunt singuli sagittam suam separatam, nomine suo signatam: unamque tolli curarunt a quinquenni illo puero; atque ille, cujus foret sagitta, quam puer levaret, eorum rex esset ac gubernator. Sorte factum est, ut puer sustolleret sagittam viri illius sapientis, qui illos ita docuerat: quo universus populus multum gavisus est, summaque edebat lætitiæ signa. Tunc eos silere jussit, eisque dixit: Domini, si me velitis dominum vestrum, jurabitis per illum, qui fecit cælum et terram, retenturos vos atque observaturos præcepta mea. Atque eo modo id jurarunt.

rege ab ipsis electo,

i

187 Post hæc, iis præscripsit ac stabilivit documenta, quæ fuere admodum bona, ad populum inter se in pace conservandum. Unum ex statutis, quæ eis dedit, tale fuit: Nullus capito bona alterius contra ipsius voluntatem, neque cum ejus deceptione. Alterum fuit hujusmodi: Alter alterum ne percutito, si pugnum non velit amittere. Aliud tale fuit: Nullus societate alienæ uxoris aut filiæ utitor, si vita privari nolit. Multaque alia præclara documenta, ac mandata iis dedit, ad pacem atque amorem inter eos conciliandum.

legibus a rege datis,

A. Joanne Joinvillio.

188 Postquam eos hujusmodi documentis ac legibus instruxerat, eos monuit, quod antiquissimus eorum inimicus esset Presbyter Joannes, quantoque eos odio prosequeretur et stomacho a longo tempore: Propterea que, inquiebat, vobis omnibus præcipio, ut cras parati sitis ac instructi ad eum invadendum. Si eveniat, ut nos cædant, a quo Deus nos custodiat, quisque faciat quod poterit rectius. Item si nos eos profligemus, vobis impero, ut id usque ad finem perduret, licet ad tres dies, noctesque tres protraheretur, ac nullus audeat manum spoliis admovere, at dumtaxat ad occidendum homines, mortemque inferendam. Namque, ubi integram de inimicis nostris consecuti fuerimus victoriam, lucrum vobis partiar tam recte atque æque, ut quilibet sibi solutum agnoscat ac satisfactum. Omnes perquam lubentes consenserunt, ut id fieret. Cum postera dies adesset, quemadmodum E
facere proposuerant, sic rem exsecuti sunt. Re ipsa acriter in hostes suos invecti sunt: et, prout Deus, qui est omnipotens, voluit, hostes suos deleverunt; ac quotquot cum armis ad defensionem aptis invenerunt, peremerunt omnes: illos vero, quos habitu religionis indutos repererunt, ac sacerdotes, non occiderunt. Et omnes alii Presbyteri Joannis populi, qui in prælio non erant, eis se dederunt, eorumque imperio se submiserunt.

victoria contra Presbyterum Joannem.

189 Post obtentam hanc victoriam accidit res stupenda. Quippe quidam e summis magistris unius ex generationibus ante dictis perditus fuit ac separatus a populo Tartarico per tres omnino dies, ita ut nihil de eo cognoscere aut inaudire possent. Ad finem trium dierum reversus, retulit populo, existimare se, non abfuisse nisi una vespera, neque fame aut siti fuisse vexatum: et narravit, se ascendisse stupendæ altitudinis tumulum: seque reperisse super tumulum illum immensam multitudinem hominum, quos umquam viderat, pulcherrimorum, vestibusque ac ornamentis pulcherrimis instructorum. In medio illius tumuli Rex sedebat, inter omnes alios aspectu pulcherrimus, splendidissimeque exornatus: erat- F
que in solio mire coruscante, ac plane aureo: ad dexteram suam habebat sex reges, omnes coronis redimitos, ac lapidibus pretiosis egregie ornatos; totidem erant ad ejus sinistram. Prope ipsum ad manum ejus dexteram Regina quædam erat genibus nixa, quæ ei dicebat ac supplicabat, ut memor esset populi sui. Ad manum sinistram in genua provolutus erat juvenis pulcherrimus, duabus alis instructus, instar solis splendentibus. Et per circuitum illius Regis virorum formosorum alis instructorum maxima erat copia.

visione mira

190 Rex iste sapientem hunc virum vocavit, eique dixit: Venisti ab exercitu Tartarorum. Domine, inquiebat ille, ego ipse sum. Eo reverteris, ac dices regi Tartariæ, me, cæli terræque Dominum, a te conspectum: meque ei præcipere, ut gratias mihi laudesque referat de victoria, quam illi concessi contra Presbyterum Joannem, ejusque populum: ac ei dices nomine meo, me illi potestatem facere subjiciendi imperio suo omnem terram. Domine, inquiebat magnus hic Tartarorum magister, quomodo fidem mihi habebit Rex Tartariæ? Ei dices, ut tibi

cuidam ex ducibus oblata,

talibus

A. JOANNE JOINVILLIO.

talibus signis fidem habeat, quod aggressurus sis imperatorem Persidis cum trecentis viris tuæ gentis; quodque per me superaturus sis imperatorem Persidis, qui te oppugnabit cum trecentis millibus equitum, militumque, et ultra. Priusquam abeas cum imperatore Persidis conflicturus, rogabis regem Tartariæ, ut tibi tradat omnes sacerdotes, Religiosos, aliosque de plebe, qui supersunt ex iis, quos cepit in prælio cum Presbytero Joanne; ac quidquid tibi dicent, atque testabuntur, credes: sunt enim ex populo meo, et servis meis. Domine, aiebat hic homo, abire nescio, nisi me duci jubeas. Tunc Rex se vertit, vocavitque unum ex præclaris ministris suis, eique dixit: Adesdum, Georgi, ito ducturus hunc hominem usque ad diversorium suum, eumque reddito incolumem. Ac mox sapiens ille Tartarus fuit translatus *k*.

conversione multorum e Tartaris, victoriaque de Chorasminis.

191 Postquam fuit restitutus; omnis populus, omnesque Tartarorum exercitus milites eum inviserunt: splendidaque admodum habuere convivia. Ille continuo rogavit regem Tartarorum, ut sibi traderet sacerdotes, ac Religiosos, uti B eum docuerat Rex, quem in summitate tumuli invenerat; quod ipsi fuit concessum. Benigne princeps hic Tartarorum, omnesque ejus subditi, exceperunt doctrinam eorum, qui eis erant dati; omnesque se baptismo curarunt abluendos *l*. Omnibus baptismo mundatis, trecentos dumtaxat sumpsit ex militibus suis, eosque confiteri jussit, ac se præparare: et inde profectus est, aggressurus imperatorem Persidis, eumque superavit, atque imperio suo, terraque expulit *m*. Ille fuga delatus est usque ad regnum Hierosolymitanum; idemque fuit, qui postea nostros profligavit *n*, ac comitem Galterum de Brienne cepit, quemadmodum audies postmodum. Populus principis illius Christiani adeo multiplicatus est, tantoque fuit numero, sicut nuntios, quos Rex in Tartariam miserat, postea narrantes audivi, ut in castris ejus numerassent octingenta sacella, curribus imposita.

ANNOTATA.

a *Jafæ comitis, cujus captivitatem, et cædem in carcere narrabit cap. 22. Contigerat* C *clades illa Christianorum a Chorasminis et Ægyptiis anno 1244, quam exposuimus in Commentario num. 590 et 591.*

b *In editis,* de Secte *haberi pro* Sajecte, *ut alibi Sidonem vocare solet Joinvillius, existimat Cangius pag. 88. Cujus conjectura probabilis quidem mihi videtur, at res non omnino certa: quæ ratio est, cur vocem sæpe repetitam mutare noluerim. Putat autem Cangius designari Margaritam Sidonis dominam, uxoremque Baliani Sidonis domini. De Baliano Sidonis domino sæpe agit Continuator Tyrii, eumque inter præcipuos regni Hierosolymitani proceres recenset col. 707 et seqq. Idem col. 735 dominam Sidonis, quam vocat* Marche, *defunctam refert 5 Junii anni 1254. Propinquam cognationem Galteri cum Margarita, cumque Joanne Hierosolymæ rege Galteri patruo, examinavit loco assignato Cangius.*

c *In editis* Quassere. *Verum, dum num. 198 capita missa scribit,* Kayre *nominat. Cairus et Babylonia tunc erant distinctæ, ex quibus magna Cairus coaluit, ut jam alibi diximus.*

d *Mense Martio anni 1251 post peregrinationem piam in Nazareth, de qua Vita prima* D *num. 38. De Cæsarea muris cincta egimus in Commentario § 56.*

e *Egit de his Joinvillius num. 48: expositaque sunt in Commentario § 48 a num. 612, quem consule.*

f *De Tartarorum origine et progressu late disputavimus in Commentario § 47, hunc itaque lector adire poterit.*

g *Marcus Paulus Venetus lib. 1, cap. 64 circa provinciam Teuduch (alias Tanchut) gentes Gog et Magog collocat his verbis:* Sunt etiam ibi regiones Gog et Magog, quos illi nominant Lug-et Mungug. *Cum Venetus, qui Tartariam et Sinam perlustravit, non procedat ulterius in Orientem, suspicor regiones* Gog *et* Magog *illas esse, quæ hodiedum in mappis geographicis vocantur,* Regnum Niulhan, regnum Niuche, et Tartari de Kin, *hæc enim undique fere vastis montibus sunt inclusa, præterquam quod mare habeant ad Orientem, qua Japoniam respiciunt. Nam hisce conveniunt dicta Veneti æque ac Joinvillii: Venetus enim in descriptione sua versatur ad Boream Sinæ, ubi hæc sita; Joinvillius vero montibus inclusas, atque usque ad finem* E *mundi, id est, mare, extensas significat. Jam vero utrum populi* Gog *et* Magog, *qui sæpe memorantur apud Ezechielem et in Apocalypsi cap. 20, hi ipsi videantur esse, non discutio.*

h *De regibus, quibus* Presbyter Joannes *commune erat nomen, quique late dominabantur in ea regione, quæ nunc* magna Tartaria *dicitur, egimus loco assignato, uti et de imperatore Persidis, ut vocat. Aliqui existimarunt, regem Æthiopiæ seu Abassiæ* Presbyteri Joannis *nomine designari, quos jam docte refutavit Kircherus noster in China illustrata part. 2, cap. 1, ubi de eo fuse disputat. Unde miror eruditissimum Renaudotium in Historia patriarcharum Alexandrinorum pag. 223 et 337 et seq. hisce non acquievisse, sed* Presbyterum Joannem *rursus in Æthiopia quæsivisse. At Renaudotium refutavit Assemanus tom. 3 Bibliothecæ Orientalis part. 2, pag. 495, ubi ait tam luculentis testimoniis demonstratum esse, Joannem Presbyterum non in Africa, sed in Asia dominatum esse,* ut de ejus veritate dubitandi nullus jam locus supersit. *Et vero ex iis, quæ disputavimus de Tartaris, abunde probatur, regnum Presbyteri* F *Joannis in magna Tartaria, vel prope illam fuisse, ita ut nullo modo in Africa statui possit.*

i *Hic modus creandi regem videtur a Turcis ad Tartaros ab auctore nostro per errorem translatus, Etenim Tyrius lib. 1, cap. 7 de electione regis Turcarum eadem memoravit, antequam Tartari essent noti: eadem quoque de Turcis habet Albericus ad annum 1059; ut jam observavit Cangius pag. 90. Quapropter tota hujus electionis historia maxime vacillat, præsertim quod apud alios non legatur auctores.*

k *Jam observavi hujusmodi visiones videri a Tartaris confictas, ut populum ad longinquas expeditiones redderent magis obsequentem, cooperantibus fortasse Nestorianis quibusdam impostoribus.*

l *Satis benigne habitos sacerdotes apud varios Tartarorum principes, intelligitur ex dictis in Commentario § 48 de Tartarorum legatis, ubi et conversio multorum confirmatur.*

m *Id non tam cito, nec viribus tam modicis factum, notavimus num. 599, ubi hæc sunt exposita.*

n *Hæc elucidata vide num. 589 et 590, ubi de*

A *de Chorasminis egimus, quos Perside expulerant Tartari.*

CAPUT XXI.

Venatio leonum : cæremoniæ barbaræ in fœdere, ac sepultura : quædam severitatis exempla : Jafæ structum oppidum : fœdus cum Ægyptiis, quo capita Christianorum, puerique remissi ad Regem; quorumdam ad eum accessus.

B *Nobilis cujusdam ad Regem accessus : venatio leonum qualis :*

Nunc ad materiam nostram regredimur, atque ita dicemus. Interea temporis, cum Rex Cæsaream muniri curabat, de quo ante egi, ad Regem venit eques quidam, nomine Elenars de Seningaam *a*, qui se profectum dicebat ex regno Norvegiæ *b*, atque illic se pelago credidisse, venisseque prætereundo ac circumnavigando totam Hispaniam, transivisseque per fretum Maroccanum *c* : gravissimis autem cum periculis ac discriminibus transmisisse, multaque passum incommoda, priusquam ad nos pervenire potuisset. Rex equitem illum retinuit, aliorum equitum decurionem. Porro intellexi ex eo, noctes æstivo tempore in regno Norvegiæ adeo esse breves, ut nox ibi nulla esset, qua in summam usque noctem lux *d* non perciperetur. Postquam eques ille regionem cognoverat, ipse cum suis leones venari cœpit. Multi autem id periculose aggressi sunt, cumque magno corporum suorum discrimine. Modus, quem servabant in dicta venatione, erat talis. Equites excurrebant in leones, cumque invenissent ex iis aliquem, arcu aut balista jacula in eum vibrabant : atque ubi quemdam tetigerant, leo ille, qui fuerat tactus, in primum, quem inveniebat, irruebat : tum illi calcaribus subditis fuga se eripiebant, atque humi cadere sinebant tegmen aliquod, pannive triti laciniam : hanc leo arripiebat ac dilacerabat, C ratus se hominem tenere, qui eum percusserat. Dum leo subsistebat ad lacerandam tritam illam panni laciniam, viri alii spiculis aliis eum impetebant : dein pannum suum leo deserebat, atque invehebatur in hominem suum, qui fugam capiebat, aliamque labi sinebat tritam panni laciniam, ad quam leo subsistebat : atque hoc modo frequenter leonem spiculis suis interimebant.

adventus alterius; fœderis jurandi apud Comanos cæremoniæ :

** lege Toucy*

193 Alius eques admodum nobilis ad Regem venit eo tempore, quo degebat Cæsareæ, qui se dicebat ex stirpe de Coucy *e* *. Dicebat Rex hunc equitem esse cognatum suum, quia genus ducebat ex sorore *f* quadam regis Philippi, quam imperator Constantinopolitanus habuit uxorem : quem equitem Rex retinuit equitum decurionem per annum unum : annoque transacto rediit Constantinopolim, unde venerat. Ab hoc equite audivi, dum id Regi narrabat, imperatorem Constantinopolitanum *g* ejusque subditos vice quadam fœdere se junxisse cum rege quopiam, qui vocabatur rex Comanorum *h*, ut ab eis haberent subsidium ad subjugandum imperatorem Græcum, cui nomen Vatachius *i*. Affirmabat ille eques, Regem Comanorum exegisse, ad securitatem ac fiduciam fraternam conciliandam cum imperatore Constantinopolitano, qua invicem juvarent, ut ipsi ac subditi eorum singuli ab utraque parte venam sibi secari curarent, ac de eorum sanguine invicem bibendum traderent in signum fraternitatis, dicentes se fratres esse, ejusdemque sanguinis. Et convenit inter populum nostrum, populumque istius equitis, ut ita facerent, ac de sanguine suo miscuerunt cum vino, ex eoque invicem præbiberunt *k* : tum dicebant fratres se esse unius sanguinis. Insuper aliud egerunt : nam canem transmiserunt inter nostros, suosque, utrimque ab invicem divisos gladiisque suis totum canem minutatim conciderunt, dicentes ita concidendos, si invicem fallerent.

A. JOANNE JOINVILLIO.

eorumdem in mortuis sepeliendis deliria.

194 Factum aliud grande atque mirabile hic eques de Coucy Regi narravit. Dicebat in regione regis Comanorum defunctum fuisse magnatem agri ditissimum et principem, cui defuncto ingens in terra excavatus est scrobs latitudinis summæ : positusque est defunctus in suggesto splendide admodum instructo atque ornato : atque effecerunt ut descenderent cum eo in scrobem illum equorum, quos habuit, optimus, atque e servis ejus unus, ambo vivi, cum homo tum equus. E Addebat, servum, antequam in scrobem ingrederetur, regi, aliisque viris illustribus præsentibus valedixisse, regemque ei donasse magnam auri atque argenti copiam, quod fasciæ involutum collo ejus alligabatur. Et Rex eum promittere jubebat, sibi aurum, argentumque suum ab eo reddendum, quando foret in mundo alio; idque ei promisit. Deinde rex ei tradebat epistolam, primo eorum regi inscriptam, cui per hanc significabat, hominem illum probum optime vixisse, sibique bene servivisse, ideoque se ei supplicare, ut amplo eum remunerare dignaretur præmio. Post hæc scrobem illum super hominem hunc mortuum, supraque servum illius et equum, vivos ambos, tabulis ligneis, clavorum ope firmiter connexis, cooperuerunt. Demum priusquam cubitum concederent, ad memoriam ac recordationem eorum, quos sepulturæ dederant, super scrobem e lapidibus atque humo magnum excitabant tumulum. F

Pactum Joinvillii cum Rege :

195 Ubi advenit tempus Paschati propinquum, Accone discessi, Regemque invisi Cæsareæ, quam claudi, iterumque muniri curabat *l*. Cum ad eum veni, illum in cubiculo suo reperi loquentem cum legato, qui semper apud ipsum fuerat trans mare. Ubi me vidit, reliquit legatum, meque accessit : ac dicere mihi aggreditur : Domine Joinvilli, verum quidem est, te non conductum a me nisi usque ad Pascha proximum; attamen, quæso, mihi dicas, quantum velis tibi dari a Paschate usque ad annum unum proxime sequentem. Ego ipsi dixi, me nequaquam ad eum venisse ad negotiandum de re hujusmodi, neque me imposterum quidquam velle de ipsius pecunia : at aliud mecum pactum, conditionemque iniret : nimirum, ut non indignaretur ob aliquid, quod ab ipso peterem, quod sæpe faciebat : atque ego ei promitterem, me minime indignaturum propter rem negatam, quam peterem. Quando audivit postulatum meum, ridere cœpit, dixitque mihi quod tali conditione, pactoque me retineret. Tum manum meam apprehendit, meque ad legatum, ac consiliarios suos duxit; eisque retulit pactum nostrum mutuum. Unde omnes lætabantur quod manerem.

196 Post hæc audies punitiones, judiciaque,

quæ

A. JOANNE JOINVILLIO. *severum impudici supplicium :*

quæ exercita vidi Cæsareæ eo tempore, quo Rex ibi subsistebat. Primum de equite quodam, comprehenso in lupanari, cui data fuit optio; vel ut meretrix, quacum fuerat inventus, eum per castra circumduceret indusio vestitum, fune genitalibus alligato, quem funem meretrix ab una extremitate teneret : vel, si hæc pati nollet, ut perderet equum suum, arma sua, apparatumque bellicum, ac expelleretur, exularetque ab exercitu Regis. Elegit eques, amittere potius equum suum, atque arma, castrisque Regis excedere. Ubi vidi equum Regi confiscatum esse, eum poposci uni equitum meorum, qui pauper erat ex nobili genere. Verum Rex respondit precem meam non esse æquam, quia equus facile valebat octoginta, aut centum libris; quæ summa non erat exigua. Ego autem ipsi dixi : Domine Rex, rupisti pactum nostrum mutuum, quando irasceris de eo, quod postulavi. Rex ridere cœpit, mihique dixit : Domine Joinvilli, dices quantum tibi libuerit : attamen ne sic quidem deinde irascar. Verumtamen non obtinui equum nobili egeno.

B *aliæ pœnæ propter illatas injurias :*

197 Alterum judicium, quod vidi, spectabat ad quosdam ex meis equitibus, qui die quodam venationi se applicuerunt, persecuturi feram, quam dorcadem vocant, capriæ similem. Fratres Hospitalarii obviam progressi sunt equitibus meis, cumque iis manus conseruerunt, adeo ut insignes equitibus intulerint contumelias. Qua de injuria conquesturus, summum Hospitalariorum accessi magistrum, mecumque duxi equites, quibus contumeliæ erant illatæ. Magister, auditis querelis meis, se mihi ea de re satisfacturum promisit; pro jure ac consuetudine Terræ sanctæ, quæ erat ejusmodi, ut juberet fratres, qui intulerant contumeliam, manducare super pallia sua; atque illi, qui contumelia fuerant affecti, præsto illic essent, levarentque fratrum pallia. Factum, est ut summus Hospitalariorum magister juberet fratres, qui contumeliam intulerant, manducare super pallia sua : ego cum equitibus illic aderam, rogavimusque magistrum, ut levari juberet fratres a palliis suis; quod autumabat abnuendum : sed tandem necesse fuit ut ita faceret. Nam sedimus cum fratribus ad comedendum cum eis, quod illi pati noluerunt : at necesse fuit, ut se levarent a nobis ad manducandum cum aliis suis fratribus ad mensam, ac C pallia sua nobis relinquerent. Aliud judicium fuit de servo quodam Regis, cui nomen erat Goullu. Hic manum admovit cuidam meorum equitum, eumque duriter tutudit. Accessi Regem de eo querelas depositurus, qui mihi dixit, posse me facile ab his desistere, quandoquidem servus tantum tutuderat equitem meum. Ego ei dixi me minime destiturum, sed potius ejus servitium relicturum, si jus meum non obtinerem; neque servorum esse manum admovere equitibus. Rex, hoc percipiens, judicium mihi exercuit, quod fuit tale. Secundum regionis morem servus venit ad diversorium meum excalceatus, soloque indusio coopertus, gladium tenens in manu, ac in genua provolutus est ante equitem, quem contumelia affecerat, eique extendit gladium per capuli pilam, atque illi dixit : Domine eques, misericordiam tuam imploro, quod manum tibi injecerim : huncque tibi gladium tuli, ut pugnum eo mihi abscindas, si tibi id facere placeat. Tunc rogavi equitem, ut illi condonaret delictum suum; quod fecit. Multa alia diversi generis judicia ibidem exercita vidi pro D jure ac consuetudine Terræ sanctæ.

fœdus Regis cum Ægyptiis, quo capita Christianorum et pueri remissi :

198 Antea audivisti, quo pacto Rex principibus Ægypti significaverit, se non servaturum inducias, nisi sibi satisfacerent pro injuriis ac violentiis, ab iis illatis. Hinc venerunt hoc tempore ad eum nuntii Ægyptii, eique per litteras declararunt, principes eis satisfacere velle per omnia, quæ illis indicaverat, ut ante dictum est. Et diem statuerunt Rex, ac principum nuntii, qua Jafæ se mutuo viderent. Ibi jurare debebant principes, Regique promittere ex parte sua, se illi restituturos regnum Hierosolymitanum : Rex quoque ac præcipui ejus magnates jurare debebant, atque promittere ex parte sua, se subsidio futuros principibus adversus soldanum Damascenum. Porro ubi soldanus Damascenus cognovit, cum Ægyptiis nos fœdere junctos esse, diemque, quæ statuta erat, ad Jafæ conveniendum, misit viginti facile millia Turcarum ad transitum custodiendum. Attamen non prætermisit propterea Rex se movere ad Jafam petendam. Ubi comes Jafensis vidit, accedere Regem, castellum suum Jafense munivit, ad eumque E statum perduxit, ut omnino appareret urbs egregia ad defensionem idonea. Etenim ad singulas castri ejus pinnas viri erant facile quingenti, quibus singulis pelta erat cum scuto tessera ejus gentilitia insigni. Quod erat visu pulcherrimum. Symbolum enim ipsius gentilitium erat ex auro puro cum cruce coccineo pedatum, splendidissime compositum. Nos castrametati sumus in campo in circuitu istius castri Jafensis, quod situm erat intra mare, atque in insula. Jussit Rex opus inchoari, ut cingi atque ædificari curaret oppidum per totum castri circuitum ab uno mari usque ad alterum in spatio terræ intermedio. Dicebat autem Rex operariis suis, ut animos iis adderet : Ego sæpe sportam portavi ad lucrandas indulgentias. Ægyptii porro principes venire non sunt ausi metu copiarum, quas soldanus Damasci ad servandos eorum transitus miserat. Verum nihilominus ad Regem miserunt omnia Christianorum capita, quæ super muros Cairi suspenderant, sicut Rex ab eis exegerat : quæ Rex jussit in terra sacra sepeliri. Miserunt quoque ad eum omnes pueros ab ipsis detentos, quos jam fidem Dei negare coegerant : atque item miserunt ad illum elephantem quemdam, F quem Rex misit in Galliam.

Damasceni castanta gros, sed mox fugiunt :

199 Interea, quando Rex, totusque ejus exercitus subsistebat Jafæ, ut se muniret contra eos, qui erant in castro *m*, nuntiatum est Regi, turmas soldani Damasci jam in campo excubare *n*, unumque e principibus soldanis venisse, ad demetendum corrumpendumque frumentum agri *o* cujusdam illic propinqui, tribus circiter leucis a castris Regis. Continuo Rex eo misit ad explorandum, eoque ipse per se accessit. At simulac princeps iste nos adventare sensit, fugam capere cœpit : quem citatis equis e nostris secuti sunt aliqui, fuitque e nostris juvenis quidam nobilis, qui eos est assecutus; ac Turcas duos egregio lanceæ ictu humi dejecit, ea non fracta. Postquam emirus perspexit necdum alios adesse præter hunc nobilem, ad eum se convertit; et nobilis in eum vibravit insignem gladii ictum, adeo ut graviter emirum in corpore vulneraret, posteaque ad nos rediit.

m
n
o

200 Quando Emiri Ægyptii cognoverunt, Regem totumque ejus exercitum Jafæ degere,

miserunt

A. JOANNE JOINVILLIO.

A miserunt ad ipsum, ut ab eo alia ipsis assignaretur dies, qua ad illum venire possent sine ullo defectu. Rex aliam diem eis designavit, qua venturos se ad eum, Regi promiserunt, ut statuerent de negotiis suis, quidque ab una alteraque parte foret agendum. Durante hoc tempore, quo diem expectabamus venturam, quam Rex assignaverat emiris Ægypti, ut ad ipsum accederent; ad Regem venit comes de Den *p*, ac secum duxit bonum equitem Arnoldum de Guymene *q*, duosque ejus fratres : quos Rex servitio suo adscriptos equitum decuriones retinuit. Rex comitem de Den illic creavit equitem, qui adolescentulus adhuc erat juvenis.

Rex Ægyptios Jafæ expectat : aliqui ad eum accedunt nobiles.

201 Similiter ad Regem venere princeps Antiochiæ, ejusque mater *r*; quibus magnum honorem Rex exhibuit, eosque honorifice excepit. Equitem Rex creavit principem Antiochiæ, non nisi sexdecim annos natum, at numquam ea ætate puerum vidi tam prudentem. Ubi fuit eques, postulatum quoddam Regi proposuit : nimirum ut cum eo loqueretur de re quadam, quam cupiebat exponere, coram matre sua; quod illi fuit concessum. Hujusmodi fuit ejus petitio; dixitque : B Domine Rex, verum quidem est, quod domina mater mea, quæ hic præsens est, me sub tutela habeat, meque sub ea etiamnum habitura sit ab annos quatuor. Quapropter omnibus meis fruitur, neque potestas etiamnum mihi est quidquam faciendi. Attamen, ut mihi videtur, non debet permittere, ut ditiones meæ amittantur, aut decidant, atque id volo *s*. Nam urbs mea Antiochena perit in manibus ejus. Propterea, Domine Rex, humiliter tibi supplico, ut id eam monere digneris, tantumque efficere, ut pecuniam ac milites mihi tribuat; ut eam suppetias meis, qui in urbe mea sunt, quemadmodum illam omnino oportet facere. Rex, audito postulato, quod princeps proponebat, tantum egit, atque apud matrem ejus efficit, ut illi ingentem traderet pecuniæ summam. Adiit princeps urbem suam, urbi præclara operatus est. Ab eo tempore, ad Regis honorem, gentis suæ scutariam tesseram, quæ coloris est rosei *t*, secuit, adjecto Galliæ typo.

uti et princeps Antiochiæ cum matre sua.

ANNOTATA.

C a *Apud Menardum et Cangium*, Elenars *de* Seningaan, *in editione Pictaviensi*, Clenard de Semingam. *Fortasse* Ecleonardus, *Gallice* Eclenard.

b *Gallice* de Norone. *At omnia adjuncta Norvegiam insinuant, quæ etiam hodie* Norrige *et* Norrite *vulgo dicitur.*

c *Fretum Herculeum, seu Gaditanum intelligit, quo Hispania ab Africa separatur : per illud enim ex Oceano in mare Mediterraneum navigare debuerat.* Maroccanum *vocat a vicino in Africa regno, licet Fezzanum freto sit propinquius.*

d *Ratio naturalis est, et astrologis non incognita : verum quanto breviores sunt noctes æstivo tempore, tanto longiores sunt hiberno. Ratio est, quod Norvegia vehementer accedat ad Septemtrionem, adeo ut par illius in mappis notetur sub circulo poli Arctici. Quo autem regio magis recedit a linea æquinoctiali, sub qua dies noctesque semper æquales sunt, magisque accedit ad polum Arcticum vel Antarcticum, eo majorem patitur dierum ac noctium inæqualitatem. Latius hæc videri possunt apud astrologos.*

e *Pro* Coucy *legendum* Toucy, *manifeste ostendit Cangius pag. 90.*

f *Ex Agnete videlicet sorore Philippi Augusti. Hæc, ut probat Cangius, primum nupta fuerat Andronico imperatori Græco, eoque occiso, rursum anno 1205 nupsit Theodoro Branæ, principi Græco, ex quo filiam habuit, quæ nupta Narjoto seu Nargaldo de Touciaco, nobili Campano, et imperii Constantinopolitani tutori, hunc peperit nobilem, nomine Philippum de Touciaco, vel Toucy, qui etiam fuit imperii Constantinopolitani pro Balduino II tutor. Hæc late probata videri possunt apud Cangium.*

g *Balduinus II anno 1239 vel 1240 id fœdus iniit cum Romanis. Vide Historiam Constantinopolitanam Cangii pag. 121.*

h Jonas *vocatur ab Alberico : at non diu supervixit. Audi Albericum ad annum 1240 pag. 579 :* Mortuus est hoc anno rex Jonas prædictus nondum baptizatus, et idcirco sepultus est extra muros civitatis in altissimo tumulo, et octo armigeri suspensi sunt vivi a dextris et a sinistris, et ita voluntarie mortui, et viginti sex equi vivi similiter sunt ibi appensi. *Hujus autem* E *fœdus evanuit, ut habet laudatus Cangius pag. 126.*

i Vastachium *nominant alii, alii* Vacacium, *et* Vatacium. *Verum nomen est Joannes* Vatatzez *seu* Batatzez : *aliquando etiam* Joannes Ducas *nominatur. De ejus gestis, bellisque contra Balduinum agit Georgius Acropolita a cap. 19, et Cangius in Historia Constantinopolitana, qui et stirpem ejus illustrat in Familiis Byzantinis pag. 222 et seqq.*

k *Ex his patet, Romanos etiam tum paganos fuisse, et non modo moribus barbaris præditos, sed multis quoque et ridiculis superstitionibus deditos. Multa adfert Cangius in observationibus ad Villehardouïni Historiam pag. 336, ut horum barbarorum sedes assignet. Verum, ut illi incertis sæpe vagabantur sedibus, teste Haitono de Tartaris cap. 5, ita auctores non satis consonant in provinciis eorum assignandis. Nicephorus Gregoras lib. 2, cap. 5 eos circa Danubii ostia collocat, puta in Moldavia hodierna, ac Bessarabia, aitque Tartarorum metu, quos* Scythas hyperboreos *vocat, sedes mutavisse, Istroque transmisso, per Thraciam vagatos esse.* F *Attamen magis ad Septemtrionem et Orientem per hodiernam Moscoviam diffusos fuisse, probant allati a Cangio auctores, Haitonusque citatus partem eorum apud Caucasum locat.*

l *Alia ibi gesta tractata sunt in Commentario § 56 : facta autem sunt anno 1251.*

m *Hic nomen istius castri videtur omissum : neque enim Rex se muniebat contra Jafenses amicos, at contra Damascenos, aut forsan etiam contra Ægyptios, quibus fidere nequibat.*

n *Gallice*, sur le champs en aguect : *quod æque verti potest*, insidiari in campo.

o *Gallice* D'un karect, *editio Pictaviensis*, Kasel. *Cangius pag. 92 suspicatur, hac voce significari agrum clausum. Fortasse designatur villa suburbana aut viculus, uti voce barbara* casale *tunc utebantur aliqui.*

p De Den *legitur in omnibus editionibus. At Cangius pag. 92 ait, legendum,* d'Eu, *locumque intelligit de Joanne Augi comite, qui morte matris comitis titulum jam habuerit, et si viveret pater ejus Alfonsus, Augi comes per uxorem. Chaizius pag. 136 mavult locum explicare de Alfonso ipso, qui filius erat Joannis de* Brienne

Brienne regis olim Hierosolymitani. Verum recte Cangius Alfonsi ætatem opponit qui vocari non poterat, ung jeune jouvencel, adolescentulus juvenis, *ut eum vocat Joinvillius. Illum triginta tantum annorum fuisse ait Chaizius, adeoque filium ejus verosimiliter ætate nimis immatura. Viderint alii utrum alteruter sit intelligendus, correctioque de Augi comite sit satis certa.*

q *Uterque auctor memoratus substituit* De Guines, *seu* Ghines. *Quæ certior videtur correctio. Sunt enim, ait Cangius, filii natu minores Arnulphi II comitis Gisnensis Arnulphus, Robertus, et Henricus.*

r *Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 4 ad annum 1252 :* Boamundus vero (VI) cum matre Lucia ivit Japham, ubi a Rege Franciæ miles factus est.

s Et le vous *cum asterisco, ac si deesset aliquid, aut aliquid esset mendosum. Existimo* vous *idem esse quod* je veux, *forte scriptum fuit* veus.

t *De scuto principis Antochiæ varia notavit Cangius pag. 93, ex quibus patet, non constitissse ex solo colore roseo. Poterit illa curiosus* B *lector consulere.*

CAPUT XXII.

Gesta quædam in Palæstina ante adventum S. Ludovici : scilicet ingressus Chorasminorum (quos Persas vocat) in Terram sanctam : Christianorum ab his clades ; cædes captivi comitis Jafensis.

Galteri comitis olim Jafensis fortitudo, et pietas : a

Quia laudabile est narrare, atque in memoriam reducere facta, virtutesque excellentis cujusdam principis; ideo hic agemus de bono comite Jafensi, domino Galtero de Brienne *a*, qui tempore suo, dum viveret, comitatum Jafensem tenuit ad annos plurimos magna C armorum vi, atque ope facinorum bellicorum, oppugnatus ipse ab Ægyptiis, neque ullo censu adjutus, at illis dumtaxat, quæ lucrari poterat in excursionibus, quibus impetebat Saracenos, fideique Christianæ hostes. Contigit vice quadam, ut deleret ingentem Saracenorum numerum, qui copiam magnam diversis generis pannorum sericorum vehebant, quos superavit, ab isque abduxit : et ubi Jafam rediit, illos equitibus suis partitus est, adeo ut illorum nihil superesset. Hunc agendi morem tenuit, ut vesperi, ubi ab equitibus suis discesserat, intraret sacellum suum, ibique diu maneret ad gratiarum actionem, laudemque Deo referendam : deinde cubitum concedebat cum uxore sua, domina optima, regisque Cypri sorore *b*. *b*

Christianorum contra Chorasminos, Terram sanctam vastantes apparatus : c

203 Porro ante audivisti *c*, quo modo unus ex principibus Tartarorum cum trecentis omnino equitibus divino auxilio expulisset, atque abegisset ex regno illius, atque imperio Persidis, imperatorem Persarum, trecentis facile equitum millibus instructum. Nunc cognoscemus viam, quam tenuit hic Persidis imperator, cui nomen erat Barbaquan. Barbaquan hic adivit regnum Hierosolymitanum, atque in adventu suo multum perpetravit mali. D Cepit enim castrum Tiberiadis *d*, pertinens ad dominum Eudonem de Montbeliar *e*; *d* ceciditque, quoscumque ex nostris invenire potuit extra Castrum Peregrinorum *f*, *e* extra Acconem, atque extra Jafam. *f* Postquam mala omnia, quæ poterat exsequi, intulerat, Babyloniam *g* versus se recepit, ut subsidium acciperet a soldano Babyloniæ, qui ad *g* eum venire debebat ad invadendum nostros. Et his de causis magnates regionis cum patriarcha, consilio inito, statuerunt, confligendum cum imperatore, priusquam subsidium accepisset a soldano Babyloniæ : miseruntque, qui in subsidium accerserent soldanum Camelæ equitem unum ex optimis, æquissimisque, qui inter omnes fuere paganos. Hic ad eos accessit, magnoque admodum honore eum Accone exceperunt. Postea omnes simul Accone discesserunt, atque venerunt Jafam. Toto hoc exercitu Jafæ congregato, nostri rogaverunt comitem Galterum, ut secum adversus Persarum imperatorem vellet proficisci. Qui respondit, se libentissime iturum, modo eum absolveret patriarcha Acconensis *h*, *h* qui ab aliquo tempore eum communione fidelium privaverat, E quod turrim quamdam, quæ erat in castro ipsius Jafensi, restituere nollet. Hæc turris vocabatur turris Patriarchæ; ideoque dicebat hic patriarcha suam esse. At nihil horum facere patriarcha voluit; neque ideo comes Galterus prætermisit nobiscum ad pugnam procedere. Instituta sunt tria agmina, quorum primum duxit dominus Galterus, soldanus Camelæ *i* *i* alterum, tertiumque patriarcha, ac regionis magnates : cumque agmine domini Galteri erant equites Hospitalarii.

pugna, et clades Christianorum, capto comite Jafensi :

204 Ordinatis tribus his agminibus, omnes se moverunt, ac campum ingressi sunt. Haud multo post inimicos suos visu perceperunt; qui, cognito nostrorum adventu, substiterunt in campo, ac similiter exercitum suum in tres acies diviserunt. Ubi comes Galterus de Brienne vidit, inimicos acies suas componere, exclamavit : Domini, quid agimus? potestatem eis facimus disponendi atque ordinandi acies suas, atque etiam animos iis addimus, quando nos hic subsistentes intuentur : ac propterea vos oro per Deum, ut eos aggrediamur. At nusquam erat, qui hac in re illi consentiret. F Cernens neminem se movere velle, ad patriarcham se contulit, absolutionem suam ab eo flagitaturus : verum nihil hujus ille facere voluit. Comiti autem aderat clericus admodum insignis, Ramensis *k* episcopus, *k* qui multa ediderat præclara belli facinora in societate comitis Galteri. Hic episcopus dixit comiti : Noli te vexare in conscientia tua propter excommunicationem patriarchæ, inique enim admodum facit, meaque potestate te absolvo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Et dixit, Agedum, eamus, in eos irruamus. Tum calcaria subdiderunt, invectique sunt in aciem imperatoris Persarum, quæ erat postrema : in qua nimia erat hominum multitudo contra vires comitis Galteri. Fuit ibidem ab utraque parte ingens occisorum numerus. Nihilominus captus fuit comes Galterus; omnes enim ejus milites probrosam arripuerunt fugam, multique præ desperatione mari se injecerunt. Causa desperationis fuit, quod una ex aciebus imperatoris Persidis aggressa sit soldanum Camelæ, qui tantis se ictibus tuebatur, tantisque belli facinoribus, licet vires haberet contra hanc aciem

nimis

A nimis infirmas, ut ex duobus Turcarum millibus illi non superessent nisi octoginta circiter, ac coactus fuerit se recipere in castrum suum Camelam *l*. *l*

205 Conspiciens imperator Persidis, victoriam se retulisse, secum statuit proficisci ad soldanum obsidendum usque in castro ipsius Camela *m*; quod exsequi voluit. Verum scito, quod soldanus hic, recto utique consilio et industria usus, advocaverit suos, eosque monuerit, et dixerit : Domini, si nos obsideri sinamus, periimus; propterea præstat, ut eos invadamus. Re vera misit suos male armatos post vallem coopertam, ut irruerent in agmen imperatoris. Quod illi fecere, aggressique sunt occidere mulieres et pueros. Postquam imperator, qui semper præcedebat, audivit clamorem exercitus sui, retro reversus est, ut iis opem ferret. Postquam is dorsum verterat, soldanus Camelæ cum iis, quos habebat, militibus in eos invectus est. Hinc a duabus partibus imperator tam graviter pressus est, ut ex viginti quinque millibus hominum, quos habebat, ei non superfuerit nec vir, nec mulier, omnibus occisis, mortique traditis.

clades Chorasminorum a soldano Camelæ : m

B 206 Porro scire oportet, quod imperator Persidis, antequam discederet ad castrum Camelæ obsidendum, duxisset bonum comitem Jafensem, dominum Galterum de Brienne ante urbem ipsius Jafam, ibique eum ex brachiis suspendi jusserit ad furcam coram illis, qui erant in castro Jafensi : et ipsis dici jubebat, numquam comitem jussu suo e furca demendum, donec deditum sibi esset castrum Jafense. Cum autem penderet miser comes, ad suos alta voce exclamabat, ut nullam ob rem, quam ipsum facientem viderent, castrum dederent : atque, id si facerent, imperatorem præcepturum, ut omnes morti traderentur. Quando advertit imperator, se nihil aliud ibidem efficere posse, comitem Galterum misit ad soldanum Babyloniæ, eumque ei dono dedit : parique modo summum Hospitalariorum *n* magistrum, aliosque multos captivos, viros illustres, quos ceperat. Porro ad ducendos Babyloniam usque comitem Galterum, aliosque captivos erant trecenti facile equites, quibus id admodum feliciter evenit : non enim interfuerunt cædi, quæ facta fuit ante castrum C Camelæ, imperatoris Persidis illiusque militum, de que antea actum est. Postquam mercatores Babylonii cognoverunt, a soldano in carcere teneri comitem Galterum, congregati sunt, omnesque iverunt ad expostulandum apud soldanum, ut sibi sumeret pœnam de comite Jafensi, qui ipsos sæpe cecidisset, magnaque intulisset detrimenta. Soldanus morem gerens postulato eorum, illis tradidit corpus comitis Galteri, ut se de eo ulciscerentur. Tum proditores illi canes ingressi sunt carcerem, ubi erat comes Galterus; ibique eum membratim secuerunt, ac frustatim conciderunt, multisque affecerunt martyriis : pro quibus gloriosum esse in cælo oportet nos credere.

fortuna, fortitudo et mors comitis Jafensis.

n

ANNOTATA.

a *Galterus hic* comes Brenensis *vocatur a Sanuto lib. 3, part. 12, cap. 1. Filius, inquit Cangius pag. 93, posthumus erat Galteri III comitis Brenensis, qui mortuus est in bello Neapolitano, ex Alberia Tancredi Siciliæ regis filia. Præter rationes, quas allegat ad hoc probandum, breviter rem ostendo ex Tyrii Continuatore, qui apud Martenium t. 5 Collectionis amplissimæ col. 652, relatis nuptiis Galteri III cum filia regis Tancredi, expeditioneque ejusdem ac morte, hæc subdit :* Galteri fuit filius nomine Galterus, qui deinde fuit comes Brenensis. *Quæ verba omne dubium amovent, ac ostendunt Galterum, de quo agitur, ex regum Siciliæ stirpe natum, sicut patruum habuit Hierosolymæ regem, ac filiam regis uxorem.*

b *Nuptias Galteri comitis cum Maria sorore Henrici regis Cypri refert laudatus jamjam Tyrii Continuator col. 715.*

c *Narravit hæc num. 191, expositaque sunt in Commentario num. 599.*

d Tiberias *urbs est Palæstinæ in Galilæa ad ripam occidentalem lacus Genezareth, qui* mare Tiberiadis *inde non raro vocatur.* Tabarie *vocant auctores temporis illius, prout etiamnum ab incolis vocatur. Porro Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 1, et Continuator Tyrii col. 731 castrum Tiberiadis expugnatum narrant a soldano Ægyptio aliquot annis post hunc Chorasminorum incursum, qui contigit anno 1244. Vide Commentarium a num. 591.* E

e *De Eudone de Montbeliard consuli potest Cangius pag. 95, ubi ait jure uxoris Tiberiadis fuisse dominum. Castrum autem ab eo munitum consentit Continuator Tyrii mox citatus.*

f Castrum Peregrinorum munitissimum erat Templariorum, situm in corde maris, *ut ait Sanutus lib. 3, part. 14, cap. 2, non longe a monte Carmelo inter castrum, quod* Cayphas *dicebatur, et Cæsaream. Accon et Jafa ad mare item sitæ erant, attamen non existimo omnes urbes Palæstinæ occupatas fuisse a Chorasminis, hisce tribus solum exceptis.*

g *Id est, versus Ægyptum.*

h *Fuit haud dubie patriarcha Hierosolymitanus, qui Acconensis vocatur a loco habitationis. De eo actum in notis ad Carnotensem cap. 2, lit.* a.

i *Audi Sanutum lib. 3, part. 12, cap. 1 :* Salah vero soldanus Damasci, Ptolomaydæ quatuor millia equitum transmisit, quibus soldanus præfuit Calamele, *ipsius nimirum vassallus, Chaizio tom. 1, pag. 536 et alibi,* Mouça *nominatus. Non itaque soldanus Camelæ eo tempore idem erat qui Alapiæ, ut putavit Cangius pag. 95; licet Nazer postea Camelam occuparit.* F

k *Joinvillius habet,* de Rainnes : *at recte monet Cangius pag. 95, legendum* de Rame, *vel* de Raimes, *quod* Rama *fuerit urbs episcopalis in Palæstina, cujus episcopus etiam vocatur* Liddensis, *quia sedes Liddam fuit translata post ruinam Ramæ. Hæc confirmantur ex Tyrio, qui pag. 1046 inter urbes episcopales* Liddam *numerat : et Vitriacus cap. 57 Liddam numerans inter sedes episcopales, hæc subdit :* Lidda autem civitas . . . nunc ad Sanctum Georgium nuncupatur. *Unde non dubito, quin Joinvillius illum designet episcopum, quem in eodem prælio cæsum narrat Continuator Tyrii col. 729 his verbis :* Ibi occisi sunt Petrus de Sergines, qui erat archiepiscopus Tyri, et episcopus sancti Georgii Ramensis. *De templo S. Georgii Lyddæ videri potest Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ lib. 4, cap. 3. Ceterum sita sunt hæc oppida, nunc ad vicos redacta, in itinere, qua Jafa tenditur Hierosolymam; Jafa enim Ramam, Rama Lyddam, inde ulterius Hierosolymam itur, ut ex Quaresmio, le Brun in Itinere per Orientem cap. 46, et Opusculo de missionibus

A. JOANNE JOINVILLIO.

sionibus Societatis Jesu Orientalibus tom. 5, pag. 28 et seqq. intelliges.

l *Sanutus et Continuator Tyrii locis supra assignatis aiunt, Damascenos, quibus præerat Camelæ soldanus, cito terga vertisse, indeque ortam Christianorum cladem.*

m *Hæc, ut aliis auctoribus incognita, ita non carent difficultate ob locorum distantiam, si de Camela intelligi debeant : Camela enim, olim Emesa, ut ante dictum est, in Syria ad Orontem est sita. Si tamen facta sunt, contigerunt postquam deserti a soldano Babyloniæ Chorasmini huc illuc se diviserunt, variasque gentes invadere cœperunt, ut habet Continuator Tyrii pag. 730 : adjungens illos hoc modo variis cladibus affectos intra breve tempus prorsus interiisse.*

n *Continuator Tyrii col. 729 :* Capti fuere Guilielmus de Castro-novo, magister Hospitalariorum sancti Joannis, et Hermannus de Pierregort, magister Templariorum, qui in carcere obiit. *Guilielmum anno 1250 liberatum ope* S. Ludovici *vidimus in Commentario num. 699.*

B

CAPUT XXIII.

Prœlium inter soldanum Damasci et Ægyptios, ac pax inter eos secuta : velitationes quædam Christianorum cum Saracenis : Sidonis muri a Rege excitari cœpti, a Saracenis destructi ; pauperum ibidem cædes : peregrinatio Hierosolymam Regi dissuasa.

Pugna soldani Damasceni cum Ægyptiis ; et pax eorum :

Porro regredimur ad soldanum Damasci, qui copias suas, quas Gazæ *a* habebat, retraxit, atque Ægyptum ingressus est, ibique emiros Ægypti est aggressus *b*. Et scire oportet, quod pro fortuna agminum ipsorum, agmen soldani Damasci ceciderit unam aciem emirorum, altera acies emirorum Ægypti superaverit unum ex agminibus soldani Damasci. Propterea retro Gazam reversus est soldanus Damasci, graviter saucius, ac vulneratus in capite aliisque locis. Quando Gazæ *c* subsistebat, legationem ad eum miserunt emiri, ibique pacem inierunt *d* ac concordiam mutuam. Hinc illusi permansimus ab una atque alia parte : nam ab eo tempore in posterum nec pacem habuimus nec inducias neque cum soldano neque cum emiris. Et scito, plures numquam in castris nostris fuisse milites, quam mille quadringentos, aut circiter, viros ad defensionem idoneos. Continuo ut pacem habebat soldanus Damasci cum emiris Ægypti, omnes milites suos, quos Gazæ habebat, congregari jussit; ac discessit, transiitque prope castra nostra cum viginti facile Saracenorum millibus, decemque millibus Beduinorum. Hi præteriere duabus fere leucis a nobis sejuncti : at numquam ausi sunt nos aggredi. Fuimus autem in excubiis cum Rege, et præfecto tormentorum, tribus omnino diebus; ne clanculum in castra nostra irruerent.

C

D

Damascenorum cum Christianis velitatio : e

208 Die sancti Joannis proxima post Pascha *e*, quando concioni Rex intererat, ad Regem venit unus ex militibus præfecti tormentorum regiorum, qui armatus sacellum Regis intravit, eique dixit, præfectum balistariorum a Saracenis inclusum esse in campo. Tum Regem rogavi, ut mihi potestatem faceret eo accedendi : atque ita fecit; mihique dari jussit usque ad quingentos milites, quos nominavit. Mox ut fuimus extra castra, ac Saraceni, qui præfectum balistariorum tenebant in angustiis, nos viderunt; recesserunt ad emirum quemdam, qui in tumulo quodam erat ante nos, cum mille omnino militibus. Tum cœptum est prælium inter Saracenos, cohortemque præfecti balistariorum. Quando emirus ille videbat suos urgeri, mox iis mittebat militum subsidium : atque idem faciebat præfectus balistariorum, quando suos cernebat esse infirmiores. Interea, nobis hoc modo confligentibus, legatus magnatesque illius regionis Regi significaverunt, stulte admodum actum esse, quod me ad campum progredi permisisset. Ille ergo præcepit, ut irent me revocaturi, atque etiam præfectum balistariorum. E
Tunc Turcæ recesserunt, et nos ad castra rediimus. Porro mirabantur multi, quod Turcæ nos sivissent quietos, neque nos invasissent : nisi quod aliqui dicerent id accidisse, quia eorum equi fame omnes erant fatigati, quod tanto tempore Gazæ substitissent, ubi fuerant per annum facile integrum.

Saraceni Acconem accedunt, f g

209 Alii Turcæ, qui ex partibus Jafæ recesserant, inde venerunt ante Acconem *f*; præceperuntque domino de Asur *g* regni Hierosolymitani rei bellicæ præfecto, ut mitteret ad ipsos quinquaginta millia byzantiorum, hortos urbis se alioquin destructuros. Dominus de Asur eis significavit, nihil se illis missurum. Tunc ordinaverunt acies suas, veneruntque per arenam Acconensem tam propinque ad urbem, ut usque in urbem balista turri instructa jacula mitti potuissent. Tunc Dominus de Asur urbe egressus est, seque posuit ad montem, ubi cœmeterium est sancti Nicolai, ad hortos defendendos. Postquam propius accesserunt Turcæ, exierunt Accone peditum nostrorum aliqui, qui arcubus ac balistis eos impetere cœperunt vi magna : et ne illi se in periculum conjicerent, dominus de Asur eos recipere se jussit, per equitem quemdam juvenem, qui erat Genuensis.

F

ubi facinora quædam patrat eques Christianus.

210 Interea, quando eques hic Genuensis pedites hos retrahebat, Saracenus quidam ad eum accessit perturbatus prorsus, animoque commotus; eique dixit lingua sua Saracenica, se hasta cum eo, si vellet, certaturum. Eques ei respondit audacter, se perlibenter eum excepturum. Dum ille in hunc Saracenum voluit irruere, conspicatus est in vicinia ad sinistram suam octo vel novem Saracenos, qui ibi substiterant ad videndum, uter in certamine illo esset superior : et prætermisit eques in Saracenum, quocum congredi debebat, incurrere, cursumque suum direxit in octo Saracenorum manipulum; atque ex iis unum percussit in corpore, eumque lancea penitus transfixit, conciditque ille prorsus exanimatus. Hic inde ad nostros revertitur, alii autem Saraceni in eum irruerunt, unusque illorum insignem massæ ictum in eum vibravit supra loricam. Eques vero in regressu in Saracenum, qui eum percusserat, tantum gladio libravit ictum in capite, ut pileum Turcicum, quem capite gestabat, in terram demiserit. Et

scito,

A scito, eos in pileis illis Turcicis ingentes ictus excipere solitos; idcirco eos gestabant, quando ad pugnam procedebant; sunt enim spiris mutuo impositis firmiter implexi. Tunc alius Saracenus ictum ingentem gladio suo Turcico equiti impingere tentavit : at ille tantum declinavit, ut ictus eum nequaquam attigerit. Et in reditu, quem faciebat Saracenus, eques aversa manu gladium suum brachio ipsius impegit, ut gladium ei in terram excuteret, et tum pedites suos abduxit. Tres illos præclaros ictus eques intulit coram domino de Asur, ac coram viris illustribus Acconensibus, qui ad copias illas conspiciendas muros ascenderant.

inde recedunt Sidonem, quam vastant.

211 Deinde Saraceni ab Accone recesserunt; et quia intellexerant, Regem occupatum esse cingendo Sidonem, paucosque ei esse milites idoneos, ad partem illam se contulerunt, et postquam id intellexit Rex *h*, quia nequaquam satis virium habebat ad eis resistendum; recepit se cum præfecto tormentorum suorum, cumque hominum numero tanto, quantum locus capere poterat, in castrum Sidonis, validum admodum atque egregie clausum. At non nisi pauci B intraverunt, quia castrum nimis parvum erat atque angustum. Neque multo post Saraceni advenerunt, atque Sidonem ingressi sunt, ubi nullam invenere defensionem : nondum enim omnino muris cincta erat. Et occiderunt duo facile millia *i* pauperum exercitus nostri. Atque, hoc facto, urbeque spoliata, discesserunt Damascum. Postquam Rex cognovit Saracenos penitus dejecisse, atque rupisse Sidonem, magnopere ea de causa doluit; at culpa illius nulla id contigerat. Magnates vero regionis prorsus id lætabantur : et ratio erat, quod Rex vellet postea tumulum quemdam muris includere, ubi olim castrum esse solebat a tempore Machabæorum. Situm erat castrum illud in via, qua Jafa itur Hierosolymam : et quia facile quinque leucas a mari aberat, magnates non consentiebant, ut id muris cingeretur. Quia asserebant, (et vere quidem) numquam fore ut commeatus eo deferri potuisset, quin Saraceni vi commeatum abstulissent, quia viribus prævalebant. Propterea magnates Regem monuerunt, ipsi longe utilius esse, etiam ad honorem suum, restaurare Sidonem, quam C aliud novum ædificium moliri, tanto intervallo a mari dissitum : atque in illud Rex consensit.

Rex Hierosolymam visere cupit, cautione accepta, quod ei dissuadetur

212 Eo tempore, quo Rex erat Jafæ, ei nuntiatum est, soldanum Damasci permissurum, ut iret Hierosolymam, idque idonea cautione data. Rex perlibenter id facere voluisset : at magnum institutum est concilium, quod ab eo illum avertit, quia urbs sub potestate inimicorum erat relinquenda; in quod regionis domini consentire noluerunt. Et protulerunt ei exemplum, quod fuit hujusmodi. Quippe, ubi rex Philippus *k* Accone discessit in Galliam rediturus, reliquit milites suos omnes in castris ducis Burgundiæ Hugonis *l*, qui avus erat ducis postremo defuncti. Illo tempore, ac dum Hugo Burgundiæ dux, et Richardus Angliæ rex Accone morabantur, iis nuntiatum fuit, postridie *m* Hierosolymam, si vellent, omnino capturos; quia magnæ vires equitum Ægyptiorum inde profectæ erant ad soldanum Damasci, ad bellum quod ei erat Nessæ *n* contra loci soldanum. Mox parati fuere ad discedendum dux Burgundiæ et rex Richardus, ut tenderent Hierosolymam : agminaque sua diviserunt, quorum primum ducebat rex Angliæ, alterumque dux cum militibus regis Galliæ, qui substiterant. Ubi fuere prope Hierosolymam, nec longe ab urbe capienda; ex agmine ducis Burgundiæ nuntiatum fuit regi Angliæ, ducem reverti; tantum ne dici posset, Anglos cepisse Hierosolymam *o*; quod illi suggerebatur ex invidia. Atque, ut erant in his verbis, unus ex subditis regis Angliæ exclamavit, eique dixit : Domine rex, domine rex, huc usque procede, ac ostendam tibi Hierosolymam. Ille vero chlamydem suam oculis objicit, erumpentibus prorsus lacrymis dicensque Domino nostro elata voce : Ah! Domine Deus, te obsecro, ut nequaquam intuear civitatem tuam sanctam Hierosolymam; quandoquidem ita se res habet, ut eam inimicorum tuorum manibus liberare nequeam.

A. JOANNE JOINVILLIO.

exemplo Richardi Angliæ regis, cujus facinora perstringuntur :

213 Exemplum istud Regi sancto Ludovico ostensum fuit, quia maximus *p* erat Rex Christianorum, sique instituеret peregrinationem suam Hierosolymam, a se manibus inimicorum Dei non ereptam; omnes alii reges, qui dictum iter ingrederentur, sibi satisfactum putarent, modo peregrinationem suam instituissent, uti fecisset Rex Galliæ. Richardus hic Angliæ rex tanta E belli edidit facinora eo, quo ibidem fuit, tempore, ut, cum equi Saracenorum terrebantur umbra quadam, aut dumo, heri eorum iis dicerent : Putasne regem Angliæ illic esse? Atque id dicebant ex consuetudine, quia frequenter eos profligaverat, ac vicerat. Similiter cum infantes Turcarum ac Saracenorum ejulabant, matres eorum iis dicebant : Tacesis, tacesis, alioqui accersam regem Angliæ Richardum. Et præ timore, quo afficiebantur, obmutescebant, ut ante jam dixi *q*.

quædam de Hugone Burgundiæ duce.

214 De Hugone Burgundiæ duce agam, de quo etiam ante locutus sum. Eques fuit manu sua admodum promptus, atque ad facta bellica idoneus. At numquam sapiens habitus est nec Deo, nec mundo : et manifeste hoc apparuit in factis illius ante dictis. De illo quoque dixit magnus rex Philippus, ubi cognovit comiti Cabillonensi Joanni *r* natum esse filium, nomine Hugonem : Deus ipsum facere dignetur virum fortem ac virum probum. Magnam enim differentiam intercedere dicebat inter virum fortem, ac virum probum : multosque esse equites inter Christianos, interque Saracenos, qui satis essent fortes, F probi vero homines non essent. Nullo enim modo timebant, aut amabant Deum. Dicebat magnam equiti a Deo præstari gratiam, quando hocce possidebat bonum, ut factorum suorum causa nominaretur vir fortis, ac vir probus. At ille, de quo nos ante egimus, vocari quidem poterat vir fortis; quia corpore suo fortis erat atque audax; non vero anima sua : etenim peccare non timebat, aut in Deum delinquere.

ANNOTATA.

a *Joinvillius* Gadres, *quod Cangius pag. 95 de Gadara urbe Decapoleos intelligit. At certum est ex litteris* S. Ludovici *recitatis in Commentario num. 707 Gazam designari, unde Syri Ægyptios pepulerunt anno 1251 mense Julio. Porro Gaza urbs est Palæstinæ ad mare Mediterraneum Ægypto proxima, quæ vulgo* Gazera *dicitur.*

b *Pugnatum anno 1252 die 2 Februarii, probabilius esse diximus in Commentario num. 704, ubi plura de eventu pugnæ. Latius tamen hæc videri possunt apud Chaizium pag. 122 et seqq.,*

A. JOANNE JOINVILLIO.

seqq., at uno anno tempus rerum gestarum prævenit.

c *Ubi simul impediebat conjunctionem Ægyptiorum cum Rege, quo fœdus eorum, num. 198 descriptum, reddidit irritum.*

d *Anno 1253, plusquam anno toto post prælium mox relatum : nam deinde dicit Damascenos annum integrum Gazæ substitisse, quo se receperant post pugnam. Hinc corrigi debent quæ narrat Chaizius pag. 125 de Gaza ab Ægyptiis recepta, iterumque perdita.*

e *Festum S. Joannis oleo immissi, opinor, intelligit, quia primum occurrit post Pascha, nempe 6 Maii. Damasceni hi erant, qui Gaza discedebant.*

f *Hæc contigisse anno 1253 diserte affirmat Continuator Tyrii col. 735 : ei consentit Sanutus, cujus verba dedimus in* Commentario *num. 724. Ex quibus stabilitur totus ordo rerum gestarum a nobis datus.*

g *Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 5 :* Remansit baylivus Ptolomaydæ *(alias Acconis)* Joannes de Ybelyn dominus Arsuf. *Eamdem dignitatem domino* de Arsur *attribuit Continuator Tyrii pag. 733. Videtur hinc vocari militiæ præfectus a Joinvillio, quod fortasse præfectura militiæ cum Acconis gubernatione esset conjuncta.* Assur *autem, seu* Arsur, *vel* Arsuf *erat inter Cæsaream et Jafam. Audi Sanutum lib. 3, part. 14, cap. 2 :* De Cæsarea ad duas leucas est munitio Assur, vel Dora . . . De Assur ad octo leucas est Jopen, *nobis* Jafa.

h *Jam diximus in Commentario num. 725 memoria lapsum esse Joinvillium, dum præsente Rege cladem Sidoni illatam scribit, nisi forte mendum sit. Nam Rex eo tempore Jafæ adhuc erat. Quod igitur hic de Rege dicitur, de quoquam ex ejus ducibus intellige.*

i *Octingentos aut plures occisos, ac captos quadringentos, quos Damascum duxerunt, scribit Continuator Tyrii col. 735, cui consonat Sanutus in Commentario num. 725 : atque hi plerique operarii fuere, aut urbis incolæ.*

k *Philippus II, cognomento Augustus, avus* S. Ludovici *Vide Commentarium num. 584, ubi hæc breviter relata.*

l *Hugo III, pater Eudonis III, et avus Hugonis IV, qui defunctus est anno 1272, inquit Cangius pag. 103.*

m *Id est, postquam eo pervenissent : nam iter erat longius.*

n Nessa, *editio Pictaviensis* Messa. *Nihil invenio, quo lucem afferam huic loco. Cangius quidem notat ex Plinio, aliisque,* Nessam *urbem fuisse in Arabia Felice; verum an hæc designetur, an vox potius corrupta sit, mihi est incertum.*

o *Hæc et sequentia elucidata sunt in Commentario num. 585.*

p *De eminentia regis Francorum super alios reges dissertationem composuit Cangius, quæ vigesima septima est, ac consuli potest.*

q *Illa jam narraverat cap. 1, part. 2, ubi quædam notavimus lit.* m.

r *De horum genealogia non convenit Cangio hic cum Chesnio in Historia Burgundiæ pag. 281.*

CAPUT XXIV.

Immensa pecunia Jafæ restaurandæ impensa : iter Sidonem versus cum exercitu : Belinas a copiis Regis vastata : Ludovici charitas in mortuis propria manu sepeliendis.

Oppidum Jafæ immensis sumptibus constructum :

De ingenti pecunia, quam Jafæ muris claudendæ Rex impendit, nequaquam loqui convenit, quia immensa est. Cinxit enim oppidum ab uno mari usque ad alterum. Turres cum majores tum minores erant omnino viginti quatuor : fossæque erant expurgatæ, factæque intus ac foris. Tres erant portæ magnæ : ex his tribus unam ut curaret exstrui, una cum muro ab illa porta usque ad aliam, legato fuerat demandatum. Porro ad cognoscendum per æstimationem, quanto res pretio Regi stare potuerit, legatus me aliquando interrogavit, quanti putarem constitisse portam, ac muri partem, quam construi curaverat. Conjiciebam portam illi constitisse facile quingentis libris, murumque libris trecentis. Tunc legatus mihi dixit, me longe omnino aberrare a vero calculo; ac, sic Deus eum juvaret, uti porta murusque omnino constiterant triginta librarum millibus. Quare facile colligi potest ex hoc pretio, opus totum ingenti constitisse pecunia.

Rex inde castra movet Sidonem versus : quædam, quæ Regi.

216 Postquam Rex muris prorsus cinxerat clauseratque Jafam, desiderium eum cepit idem Sidoni præstandi, quod Jafæ præstiterat; eamque restaurandi muris inclusam, qualis erat, antequam Saraceni eam dejecerant. Ac se movit cum exercitu suo, eo profecturus die festo dominorum sancti Petri ac sancti Pauli apostolorum. Quando Rex erat ante castrum Assur *a* cum toto suo exercitu, sub vesperam Rex vocavit consiliarios suos, eosque de re quadam consuluit, cujus exsequendæ cupidine tenebatur : nimirum, quod capere vellet urbem quamdam Saracenorum, quam Neapolim vocabant, nominatam in scriptis Bibliorum, atque antiqui Testamenti Samariam *b*. Tunc domini Templarii, proceres, magnatesque regionis ei suaserunt, ut id faceret : verum ipse per se rei non adesset propter pericula; dicentes, si ipse captus foret aut occisus, omnem terram fore perditam. Ille eis reposuit, se non permissurum, ut sui eo tenderent se ipso non præsente : et propter hujusmodi discordiam expeditio prætermissa est. Discessimus igitur pervenimusque usque ad arenam Acconensem : ibique cum toto exercitu suo illa nocte Rex castra metatus est. Postera die ad me accessit magna populi multitudo ex majori Armenia, qui Hierosolymam peregrinabatur. Hic populus, quia de me audierat, propinquum me Regis esse, supplicabat mihi per interpretem Latinum, quem habebat, ut sibi ostendere vellem bonum Regem Ludovicum. Itaque ad Regem accessi, eique dixi, magnam hominum ex majori Armenia turmam, qui Hierosolymam peregrinabantur, eum videndi teneri desiderio. Ridere cœpit, mihique dixit, ut eos ad se venire juberem. Continuo ad ipsum adduxi hunc populum,

A lum, qui perlibenter eum vidit, maximumque ei honorem habuit : deindeque, ubi eum fuerant intuiti, Deo ipsum commendarunt, ac ipse vicissim illos.

217 Postridie Rex, ejusque agmen discesserunt, et castra posuimis in loco, quem nominabant Passe-Poulain : ubi optimæ erant aquæ fontanæ *c*, quibus illic consperguntur cannæ, in quibus saccharum producitur. Ubi diversorium occupaveram, quidam equitum meorum mihi dixit : Domine, nunc melius tibi procuravi hospitium, quam heri habebas ante sanctum Sur *d*. Alius ex meis equitibus, qui die illo præcedente mihi hospitium procuraverat, ei aggressus est dicere : Stulte nimis es audax, quando coram domino meo vituperas id, quod ego feci. His dictis, in equitem involat, eumque crinibus apprehendit. Ut perspexi arrogantiam istius equitis, qui coram me alium equitem meum capillis apprehenderat; eum aggressus sum, eique ictum pugno impegi inter humeros : et tum equitem dimisit, quem capillis tenebat. Porro, ipsi dixi, ut hospitio meo egrederetur, neque umquam (ita me Deus habeat) de familia mea B futurum. Exivit igitur hic eques, magno affectus dolore; seque contulit ad dominum Ægidium le Brun, summum rei bellicæ eo tempore in Gallia præfectum; qui statim ad me accessit, rogaturus ut recipere vellem hunc meum equitem, quod vehementer eum stultitiæ suæ pœniteret. Ego ipsi dixi, me ea in re nihil facturum, priusquam legatus me jurisjurandi, quod ea de re feceram, religione solvisset. Accessit rei bellicæ præfectus legatum, ut totum ei casum exponeret, eumque rogaret, ut jurisjurandi, quod feceram, religionem mihi eximere dignaretur. Respondit ei legatus, potestatem sibi non esse me absolvendi *e*, quandoquidem legitimo jure juramentum emiseram, illudque æquum erat, quia eques graviter offenderat. Hoc inter facta modici hujus libelli enarrare volui, ut exemplum cuilibet præbeam non jurandi, si id faciendi non occurrat ratio : dicit enim Sapiens, eum, qui libenter ac sæpe jurat, frequenter pejerare.

et Joinvillio in illo itinere evenerunt : c, d, e

C 218 Altera die sequente Rex, ejusque exercitus, profectus est usque ante urbem Sur, Tyrum *f* in Bibliis appellatam. Tum Rex pari modo animatus est, ut progrederetur ad capiendam urbem quamdam, illic vicinam, quæ Belinas nominabatur. Ejus consiliarii dixerunt, id ei faciendum, at eum ibi adesse non oportere : atque in id ægre admodum consensit. Porro decretum fuit, ut irent cum militibus suis comes Andegavensis *g*, dominus Philippus de Montfort, Tyri dominus, dominus Ægidius le Brun militiæ Gallicæ præfectus, dominus Petrus regio cubiculo præpositus, magistri Templariorum ac Hospitalariorum. Postea sub noctem arma cepimus, venimusque paullo post diluculum in planitiem, ante urbem Belinam, quæ in antiquis scriptis Cæsarea Philippi *h*, extensam. Sita est hæc urbs supra fontem pulchrum, Jor dictum. In campis planis, qui ante hanc urbem extenduntur fons est alius admodum pulcher, Dan nominatus : horumque duorum fontium rivi satis procul ab urbe confluunt, indeque fluvius, ex fontibus his ortus, vocatus est Jordanis *i* fluvius, in quo Dominus noster Jesus Christus fuit baptizatus.

Rex cum castris prope Tyrum, inde agminis partem mittit, f, g, h, i

219 Consilio comitis Andegavensis, magistrorum Templi, ac Hospitalis, magnatumque regionis, statutum fuit ut agmen Regis, in quo illo tempore eram cum equitibus meis, in quo item erant quadraginta equites, quos Rex mihi donaverat olim ex ditione Campaniæ, dominus Gaufridus de Sergines, ac viri egregii regionis, qui nobiscum erant, procederemus inter castrum ac urbem; regionis incolæ intrarent in urbem ad sinistram, ac Hospitalarii ad dexteram, magisterque Templariorum ejusque cohors ingrederentur viam rectam, qua nos, cum prima acie veneramus. Quilibet ergo se movit ad progrediendum, ac appropinquavimus usque ad oppositum retro urbi locum, invenimusque multos nostrorum mortuos, quos Saraceni in urbe occiderant, atque ejecerant. Scire autem oportet, partem, per quam nobis incedendum erat, fuisse admodum periculosam : nam primo tres muri nobis erant transeundi, ac latus quoddam erat adeo præruptum, ut nullus ibi equo insistere posset : in vertice quoque tumuli, quo nos ascendere oportebat, magnus erat Turcarum equitum numerus. Paullo post vidi aliquos e nostris ab una parte urbis muros perrumpere, voluique ad eos equitando progredi. Vir quidam e nostris tentavit murum equo transgredi, lapsusque est, E equo ipsi incumbente : quod ut vidi, ex equo in terram descendi, ac equum meum per frænum apprehendi, atque audacter sursum ascendimus istum tumulum. Turcæ, qui erant in vertice, conspicati nos tam audacter sibi appropinquare, ut voluit Deus, fugam arripuerunt, locumque nobis deseruerunt. Porro in loco illo supra rupem via erat, quæ ducebat deorsum in urbem. Postquam evasimus in verticem rupis, unde fugerant Saraceni, qui in urbe erant Saraceni ad nos accedere non sunt ausi, fugeruntque ex urbe, eamque nostris dereliquerunt sine conflictu.

A. Joanne Joinvillio, quæ Cæsaream Philippi occupat,

220 Interea temporis, dum eram in vertice illius tumuli, præfectus castrorum Templi audivit, in magno me versari discrimine, ac sursum ad me accessit. Porro mecum erant Teutonici, qui conspicati Turcas equites recta ad castellum fugere, satis longiuscule ab urbe dissitum, omnes se moverunt ad irruendum in eos, me invito; licet eis dicerem, perperam eos agere : metam enim attigeramus expeditionis nostræ, illiusque, quod nobis erat mandatum. Castrum F erat supra urbem, ac nomen habebat Subberbe, atque ad mediam fere leucam assurgit in monte, qui vocatur Libanus : ingentesque superandæ sunt rupes usque ad castrum. Ubi viderunt Teutonici, se stulte admodum prosequi eos, qui castrum ascenderant, rupium illarum anfractus probe callentes, retro viam remensi sunt. Videntes autem Saraceni Teutonicos reverti, equis descenderunt eosque invaserunt : ac rupibus descendendo; ingentes massarum ictus in eos librabant; atque adeo, ut eos ferociter repulerint usque ad locum, in quo eram. Postquam milites, qui mecum erant, viderunt incommoda, quæ Teutonicis inferebant Saraceni in descensu, hosque illorum semper tergo inhærere, terreri cœperunt, metuque concuti. Illis ego interminatus sum, si fugerent, me effecturum, ut omnes exauctorarentur, regioque stipendio in perpetuum privarentur. Illi autem mihi responderunt : Domine Joinvilli, pejori longe sumus conditione quam tu : tu enim equo uteris ad fugam capiendam cum volueris, et nos pedites sumus, propterea que in magno versamur periculo ne occidamur, si huc usque perveniant Saraceni. Tunc ex equo descendi

urbeque vastata,

A. JOANNE JOINVILLIO.

cendi cum illis, ut animos eorem relevarem, equumque meum nisi ad agmen Templariorum, magno balistæ jactu a nobis dissitum. Porro dum Saraceni pellebant Teutonicos, aderat ex equitibus meis aliquis, quem Saracenus quidam telo percussit in gutture, conciditque ante pedes meos plane exanimatus. Tunc eques quispiam, nomine dominus Hugo d'Ecossé, patruus equitis mei mortui, mihi dixit, ut se juvarem in portando deorsum nepote suo mortuo, ad ejus curandam sepulturam : at nihil istius facere volui; nam eques me invito cum Teutonicis processerat ad invadendum : dicebam itaque, si inde factum ei esset infortunium, culpam penes me non esse.

ad eum redit Sidonem, ubi occisos sepelit.

221 Continuo ut audierat dominus Joannes de Valencienne, magnopere ordines nostros esse perturbatos, atque in magno nos versari vitæ discrimine, adivit dominum Oliverium de Termes *k*, aliosque suos duces Occitaniæ *l*, iisque dixit : Domini, vos oro, ac Regis nomine jubeo, ut mihi veniatis suppetias ad excipiendum Campaniæ senescallum. At eques quidam, cui nomen dominus Guilielmus de Beaumont, eum B accessit, illique dixit, me mortuum esse. Nihilominus sibi nequaquam pepercit bonus dominus Oliverius de Termes, voluitque cognoscere aut mortem meam aut vitam, ut certum de ea Regi referret nuntium, venitque sursum usque ad summitatem montis ascendens, ubi eramus; tum ad eum me contuli. Postquam dominus Oliverius ascenderat, viditque in nimis manifesto nos esse periculo, neque descendere nos posse eadem, qua ascenderamus, via, utile nobis suggessit consilium : descendere enim nos jussit per declivitatem, quæ erat in isto monte, acsi Damascum tendere voluissemus; dicebatque Saracenos existimaturos, quod a tergo ipsos occupare vellemus. Deinde, quando in planitiem usque descenderamus, ignem injici jussit magnis frumenti acervis, qui erant in campis. Nos igitur pauci tantum effecimus, ut evaserimus incolumes prudenti domini Oliverii de Termes consilio; ac postridie Sidonem nos contulimus, ubi Rex degebat *m*. Reperimus bonum Sanctum curasse corpora Christianorum occisorum terræ mandanda; atque ipsemet juvabat ad eos terræ inferendos. Et scito eorum quosdam infectos fuisse C ac fœtidos, adeo ut, qui eos gestabant, nares sibi obturarent : at minime id faciebat Rex bonus *n*. Cum ad eum advenimus, jam diversoria hospitiaque nostra præparari jusserat.

ANNOTATA.

a *Duabus leucis a Cæsarea Palæstina, ut dictum ad caput præcedens.*

b *Calmetus in Dictionario biblico ad vocem* Neapolis *ita habet :* Neapolis, ipsa urbs Sichem, aut saltem ipsi quam maxime propinqua. Ejus verum nomen, ut, nummi referunt, est Flavia Neapolis Syriæ Palæstinæ, seu Samariæ. *Sanutus quoque lib. 3 part. 14 cap. 3 ait :* Sichem nunc Neapolis. *Quod verius videtur, quam esse antiquam Samariam. Nunc Gallis* Naplouse, *Italis* Naplousa *dicitur : nec longe distabat a Castro Assur et Cæsarea, ita ut vicinia ejus invitaret ad eam occupandam.*

c *Fontes, quos hoc loco memorat, inter Tyrum et Acconem quoque describit Sanutus lib. 3, part. 14, cap. 2, ubi adjungit sequentia :* Distant autem hi fontes a mari parum ultra jactum sagittæ. *Ita semper cum agmine juxta mare procedebat Sanctus, quod solus tractus maritimus* D *Christianorum esset.*

d *Fortasse per* Sur *nomen Sancti intelligendum, ante cujus templum vel sacellum tentorium fuerit Joinvillii : nam castra metati fuerant prope Acconem.*

e *Non video sane, ex qua parte legatus non potuisset dispensare, nisi defectu justæ ad dispensandum causæ. Indicavit igitur, opinor, justam dispensandi causam deesse, cum parum referret, an eques ille in cohorte Joinvillii, an in alia militaret.*

f *Tyrus eo tempore* Sur *vel* Sour *vulgari nomine dicebatur, cui simile erat nomen antiquum Hebraicum* Zor, *vel* Tzor. *Florebat tunc temporis ac munitissimum erat Christianorum propugnaculum, quod Saladinus repetitis vicibus frustra tentaverat, dum totam fere subegit Palæstinam : nunc non nisi vicus est miserabilis, de quo in Opusculo de Missionibus Societatis Jesu Orientalibus tom. 5, pag. 13 plura lector inveniet.*

g d'Anjou, *quod mendum est manifestum; nam comes Andegavensis dudum erat in Gallia.* E *Forte Jafæ comes fuerit designatus, aut certe alius quispiam.*

h *Varia hujus urbis pro diversis temporibus nomina explicat Vitriacus in Historia Hierosolymitana cap. 35, sic scribens :* Est autem DAN, terminus Terræ promissionis a parte Septentrionis, civitas antiquissima, ad pedem montis Libani sita, qui mons inter ipsam et Damascum medius interjacet; cujus nomen antiquum fuit LESEM (*Josue 19, aut* LAIS *Judicum 18*). Postquam vero capta est a filiis Dan, eam LESEM DAN vocaverunt, (*Josue 19, ℣. 47;*) frequentius tamen DAN simpliciter nominatur. Postea vero Philippus tetrarcha, senioris Herodis filius, eam ampliavit, et in honore Tiberii cæsaris CÆSAREAM PHILLIPPI ipsam appellavit. Dicitur præterea PANEAS, vulgari vero idiomate BELINAS nuncupatur. *Hisce non pauci consentiunt; at Calmetus jam laudatus, ad vocem* Cæsarea Philippi, *hæc opponit :* Eusebius Dan, et Paneadem tamquam duas urbes invicem proximas describit. *Quo fit, ut Vitriaci sententia incerta videatur. De qua consuli potest Cellarius in Geographia antiqua tom. 2 pag. 379. Ceterum Cæsarea illa hodie ad vicum redacta est.* F

i *Tyrius lib. 13, cap. 18 de fontibus Jordanis similia habet ex Beda, inquit, aliisque doctoribus. Verum aliam quoque affert sententiam huic non omnino oppositam, nisi quod fontes longius invicem disjungat. At Calmetus ad vocem* Jordanis *contendit,* falsum *esse,* Jordanem ex duobus amnibus conflari, amnemque aliquem esse, qui Dan appelletur. *Nihilominus in Opusculo de missionibus Societatis Jesu tom. 6, pag. 149 dicta Joinvillii confirmantur ab oculato, ut opinor, teste. Quippe prope Cæsaream Philippi tumulum esse ait, cujus circuitus est unius fere leucæ quadrantis, ac subdit :* Ex radicibus hujus collis egrediuntur duo fontes SOR (*forte legendum* JOR) *et* DAN. Distant invicem triginta passibus, ac quinquaginta passibus inferius conjunguntur, ut forment flumen celebre Jordanem.

k *Notat Cangius pag. 96 hunc adhæsisse fautoribus Albigensium contra Regem, at deinde se subjecisse, quod vidimus num. 403. Deinde anno 1264 rursum in Palæstinam profectum, atque ad Regem venisse in Africam : demum anno 1273 a Philippo rege in Palæstinam missum,*

ibi-

A *ibique 1275 supremum diem obiisse, ut habet Sanutus lib. 3, part. 12, cap. 14.*

l *Gallice,* de la langue torte, *qua phrasi* Occitaniam, *vulgo* Languedoc, *intelligendam, docet Catellus in Monumentis historiæ Occitaniæ pag. 39, ubi refert Galliam olim divisam fuisse per linguas. Sensus quoque id exigit, nam Occitanus erat Oliverius,* filius Raymundi domini de Termes in Occitania, *inquit Cangius pag. 96.*

m *Rex enim Tyro Sidonem perrexerat, dum illi Cæsaream tendebant.*

n *Eximia hæc Regis charitas latius exponitur in Vita secunda num. 110, et in Commentario num. 727, ubi diximus vel hinc etiam probari, hosce non fuisse cæsos, degente ibidem* Ludovico.

CAPUT XXV.

B *Peregrinatio Joinvillii ad Virginem Tortosanam; ubi factum ante narratur miraculum. Regi nuntiata mors matris Blanchæ; inde consilio suorum se parat ad redeundum in Galliam.*

Joinvillius facultatem petit visendi Virginem Tortosanam, ubi factum narratur miraculum;

Interea *a* cum die quadam Regi adessem, facultatem ab eo flagitavi peregrinandi ad Dominam nostram Tortosanam *b*, quæ peregrinatio erat multum desiderata : et magnus quotidie erat peregrinorum numerus, quia primum est altare, quod umquam constructum fuit ad honorem Genitricis Dei, uti tum dicebatur; ac magna ibidem ad stuporem miracula patrabat Domina nostra. Inter hæc aliquod fecit in homine paupere, rationis usu destituto, ac dæmoniaco : spiritum enim nequam habebat in corpore. Hic die quadam adductus est ad altare istud Dominæ nostræ Tortosanæ : et cum consanguinei ejus, qui ipsum eo duxerant, supplicarent Dominæ nostræ, ut ei dignaretur sanitatem impetrare ac curationem; dæmon, quem creatura misera habebat in corpore, respondit : Domina nostra C hic non est, in Ægypto est, ut opem ferat Regi Galliæ, ac Christianis, qui hodie appellunt in Terram sanctam contra paganos omnes, qui equis sunt instructi. Scripto consignata est dies, qua dæmon has voces protulit, delataque fuit ad legatum, qui erat cum Rege Galliæ. Hic postea mihi asseruit, illa die in terram Ægypti nos appulisse : certumque omnino mihi est, benignam dominam Mariam ibidem nobis prorsus fuisse necessariam.

qua impetrata, reliquias inde reducit ad Regem, aliaque.

223 Rex perlibenter potestatem mihi fecit instituendi peregrinationem istam ad Dominam nostram, mihique commisit ut sibi emerem centum libris diversi coloris pannos e villis caprinis contextos, quos religiosis sancti Francisci donare volebat, cum reduces essemus in Galliam. Hinc suspicio mihi fuit, eum non diu admodum mansurum, quin in Galliam reverteretur. Postquam perveni Tripolim *c*, ubi locus erat peregrinationis meæ *d*, donum meum obtuli Deo, ac Dominæ nostræ Tortosanæ; posteaque emi pannos e villis caprinis contextos, quorum emendorum curam Rex mihi commiserat. Cernentes autem equites mei illos a me emi, rogarunt me, quid illis facere vellem. Ego iis persuasi lucri causa illos a me emi. Postquam eo perveneramus, loci illius princeps, qui noverat ab exercitu Regis Galliæ me esse profectum, obviam processit, honoremque eximium nobis exhibuit, donaque insignia obtulit : de quibus humiles ipsi gratias egimus, illorumque nihil accipere voluimus, præterquam reliquias sacras, quas cum pannis ipsius ad Regem detuli. Scito reginam satis cognovisse, me peregrinatum fuisse, reliquiasque attulisse : misi autem ad illam per quemdam equitum meorum quatuor massas panni ex caprinis setis contexti, quem emeram : introeunte ad illam in ejus cubiculum equite, cœpit genua flectere coram pannis telæ involutis. Cernens eques reginam ante se genu flectentem, nesciebat qua de causa; seque item in genua provolvebat. Tunc ei dixit regina : Surge, domine eques, nequaquam tibi flectendum est genu, dum sacras gestas reliquias. Eques itaque meus illi dixit, non esse reliquias, at pannos esse e villis caprinis, quos ei mitterem. Ubi regina, ac nobiles ejus feminæ intellexerunt non esse reliquias, ridere cœperunt : dixitque regina : Domine eques, malum diem precare domino tuo, quandoquidem E causa fuit, ut genua flecterem ante pannos ipsius camelinos.

Rex, audita matris suæ morte, eam luget magnopere ac precibus, juvandam curat,

224 Haud ita post Regi, Sidone agenti *e*, nuntiatum fuit, obiisse dominam matrem suam; quam tantopere luxit, ut duobus diebus inclusus fuerit cubiculo suo, sublata eum alloquendi facultate. Post duos dies transactos, per cubicularium quemdam suum me accersivit : quando præsto fui apud ipsum, protendendo ad me brachia sua exclamavit, dicens : Hei! senescalle, perdidi matrem meam. Ego ipsi dixi : Domine Rex, id non miror, nosti enim semel illi moriendum fuisse : at miror vehementem, nimiumque, quem demonstras, luctum *f*, tu qui princeps existimaris tam sapiens. Et satis, inquiebam, nosti, Sapientem dicere, oportere ut tristitia, quæ in corde est viri fortis, in vultu ejus non appareat, neque ab eo manifesta fiat. Qui enim manifestam facit, ingentem cordis lætitiam præbet inimicis, atque indignationem luctumque movet amicis : sic dolorem ejus parumper mitigavi. Itaque eo tempore trans mare celebrari jussit quam plurima divini cultus præclara of- F ficia pro anima bonæ dominæ matris suæ defunctæ. Misit quoque in Galliam thecam *g* magnam lapidibus pretiosis monilibusque oneratam ecclesiis Galliæ, cum litteris missivis; eas rogans, ut vellent Deum orare pro ipso, ac pro dicta domina matre sua.

deinde piis operibus, quid magis Deo placeret, inquirens, se parat ad reditum;

225 Neque multo post hæc Rex de negotiis suis disponere voluit, ut sciret an in Galliam redire oporteret, an etiam tum ibidem subsistere. Et cum illam versaret quæstionem degens Sidone, quam muris fere iterato cinxerat, vocavit legatum, qui cum eo erat, variasque eum instituere jussit supplicationes, ad Deum exorandum, ut sibi manifestum faceret, utro rem ei faceret gratiorem, eundone in Galliam, an illic subsistendo. Absolutis supplicationibus, paullo post die quodam cum magnatibus regionis me receperam ad pratum quoddam recreationis causa : et Rex vocare me jussit, eratque cum eo legatus. Tunc legatus coram Rege dicere mihi est aggressus : Senescalle, Rex magnopere collaudat bona, grataque obsequia, quæ ipsi præstitisti, ac probitatem honestatemque tuam vehementer desiderat : me quoque jubet tibi declarare, ut aliquid

A. JOANNE JOINVILLIO.

A. JOANNE JOINVILLIO.

aliquid inde solatii lætitiæque in animo tuo oriatur, sibi propositum esse in Galliam proficisci intra Pascha proximum. Tunc respondi, Dominus eum facere permitteret pro arbitrio suo. Post hæc verba legatus a Rege discessit, meque rogavit, sibi comes essem usque ad hospitium suum; quod lubens feci. Porro intrare me jussit in vestiarium suum; ac lacrymari cœpit, atque apprehendit me manibus, mihique dixit : Senescalle, vehementer lætor, gratiasque Deo ago, vos evasisse e magnis periculis, in quibus fuistis in hac regione. Aliunde summa afficior tristitia, animique dolore, quod me carere oporteat optimis vestris sanctisque consortiis, ut revertar in aulam Romanam inter homines adeo infideles, quales ibidem reperiuntur. Verum tibi dicam, intentio mea est per annum etiamnum post vos Accone subsistere, ut expendam omnes meas pecunias curando muris cingi, includique suburbia Acconensia, quamdiu quidquam pecuniæ mihi supererit; ne me exprobrando impetant, aut invadant.

B *post gratias ei actas a proceribus Terræ sanctæ Sidone discedit Acconem.*

226 Postquam ad Regem fui reversus, postridie mihi præcepit, ut ego equitesque mei arma indueremus. Armatus rogavi ipsum, quid me facere vellet. Tunc mihi injunxit, ut reginam liberosque suos Tyrum usque perducerem, ubi septem omnino leucæ erant emetiendæ. In eo ipsi contradicere nolui, quamvis magnum esset adeundum periculum : neque enim tunc noctu aut interdiu induciæ vel pax nobis erat cum Ægyptiis, aut Damascenis. Profecti sumus, venimusque, Deo sit gratia, pacifice prorsus sine ullo impedimento Tyrum sub occasum solis. Paullo post ea patriarcha, magnatesque regionis, qui Regem diu fuerant comitati, cernentes Sidonem ingentibus muris ab eo cinctam, ac turres vastas ejus jussu constructas, fossasque intus ac foris expurgatas, eum adierunt, ac humiles ipsi persolverunt gratias, laudesque de eximiis bonis honoribus, gratiisque, quibus ipsos cumulaverat in Terra sancta. Restaurari enim a fundamentis curaverat urbem Sidonem *h*, Cæsaream, Jafam; egregieque munierat amplis muris crassisque turribus urbem Acconem. Atque ipsi dixerunt : Domine Rex, manifeste omnino perspicimus, moram tuam nobiscum amplius durare non posse

C eo pacto, ut in posterum plus ex ea utilitatis accedat regno Hierosolymitano. Quapropter omnes pariter tibi suademus, ut Acconem petas, ibique incipias itineri tuo necessaria parare, teque accingere circa hoc quadraginta dierum jejunium, quo secure possis in Galliam reverti. Atque ita eorum consilio Sidone Rex discessit, venitque Tyrum, quo reginam ejusque liberos duxeramus; atque ad ingressum jejunii sacri omnes simul Acconem venimus *i*.

ANNOTATA.

a *Ante hæc verba, ut notat Cangius pag. 97, additum est totum caput in editione Pictaviensi, quo narratur occupatio Bagdadi per Tartaros. Verum sive hæc Joinvillii sunt, sive additilia, cum ad Sanctum nostrum non spectent, legi poterunt apud laudatum Cangium.*

b *Sanutus lib. 3, part. 14, cap. 2 docet* Tortosam, *alio nomine* Antaradum, *fuisse in comitatu Tripolitano prope mare item sitam, ac viginti milliaribus ultra Tripolim a Palæstina remotam. De templo autem beatæ Virginis hæc memorat :* Ibi beatus Petrus in Antiochiam transiens, parvulam ædificavit ecclesiam ad honorem beatæ Virginis : et dicitur fuisse prima ecclesia ad honorem ejus erecta : propter quod piissima Mater Dei multa ibi operatur miracula, ita ut etiam ab infidelibus in reverentia habeatur. *Similia profert Cangius ex aliis : unde certi satis reddimur de traditione Tortosanorum. Quibus autem illa traditio nitatur fundamentis, non vacat hic curiose discutere.* D

c *Tripolis caput erat comitatus cognominis, quem eo tempore possidebat Boamundus VI Antiochiæ princeps, quem Jafam venisse ad* Ludovicum *vidimus. Sidone distat ex calculo Sanuti mox citati ad 46 fere milliaria, nec longe a mari sita est. Floret etiam hodie, at cum ceteris sub Turcarum dominium reducta.*

d *Id difficulter cum prædictis componi potest, nisi per* Tripolim *totum intelligat comitatum, in quo erat Tortosa. Fortasse locus mendosus est, legendumque* Tortosam *pro* Tripolim.

e *Id jam Regi nuntiatum fuisse, dum Jafæ erat, probavimus in Commentario num. 719.*

f *Quam vere Christiana fuerit Sancti hæc tristitia, declarat Gaufridus, qui adfuit, dum mors primum nuntiata est, in Vita prima num. 46.* E

g *Gallice* sommier, *quo alias equus aut jumentum onera gestare solitum, vel tignus significatur. At sensus videtur exigere expositionem datam. Ceterum rursus hic quædam addita sunt in editione Pictaviensi, quæ acciderint Joinvillio cum regina. At nec fidere possum editioni interpolatæ, nec ad Regem ipsum proprie spectant. Quapropter videri poterit Cangius in notis pag. 109, ubi et pauca alia invenies de dono Regi oblato ab Ægyptio quopiam, quæ non usquequaque tempori sunt conformia, cum pacem tunc cum Ægyptiis non haberet* Ludovicus.

h *Floret adhuc Sidon, vulgo* Sayd, *Galli,* Seyde, *in Phœnicia ad mare Mediterraneum sita, ac multis postea annis in potestate Christianorum fuit; sed tandem, ut reliquæ omnes jugum Turcarum subire coacta est.*

i *Facta hæc sunt anno 1254.*

F

CAPUT XXVI.

Reditus ex Terra sancta in Galliam : geminum naufragii periculum; Regis in illo pietas ac præclara monita : votum in periculo sancto Nicolao factum : quidam a submersione servatus ope divæ Virginis : quædam in itinere occurrentia.

Discedit e Terra sancta Rex cum suis; cujus navis in arenam impingit.

Toto quadraginta dierum jejunii tempore naves suas instrui Rex curavit ad reditum in Franciam : quæ numero erant quatuordecim *a* cum naves tum triremes. In pervigilio festi sancti Marci *b* post Pascha Rex ac regina in navem suam se receperunt; ac cunctæ supra mare fluctuare cœperunt; ventusque in discessu satis nobis favebat. Rex mihi dixit, natum se fuisse

ipso

A ipso die festo sancti Marci : et ego ei asserui, quod omnino affirmare posset, se iterum natum esse, cumque satis esse renatum, qui incolumis exibat e terra illa periculosa, ubi tanto fueramus temporis intervallo. Die Sabbati sequenti *c* pervenimus ad insulam Cypri : eratque prope insulam mons, quem nominabant montem crucis *d;* per quem montem e longinquo innotescebat, appropinquari ad dictam Cypri insulam. Et scito, die illa Sabbati sub vesperam ortam esse nebulam spissam valde, quæ ex terra in mare descendit; eoque modo, ut nautæ nostri existimarent, se multo remotiores esse ab insula, quam ab ea aberant : nam mons conspectui eorum ereptus est memorata nebula. Porro nautæ nostri, quod cuperent tempestive ad insulam appellere, magnis viribus conati sunt navem propellere, cœpimusque incidere in cumulum arenarum, qui erat in mari. Quod si forte arena non fuissemus impediti, mox impegissemus in scopulos ingentes, qui ibidem in vicinia erant obtecti; omnesque fuissemus periclitati ac submersi. Nunc etiam in magno fuimus angore, ubi terræ adhære- B bamus; quilibet enim putabat se submersum ac perditum, navemque fore disruptam *e*.

magno cum periculo, navique graviter læsa :

228 Nauta quidam perpendiculum suum nauticum mari immisit, ac reperit navem non amplius in terra hærere : tunc unusquisque lætari cœpit, Deoque referre gratias. Multi quoque erant ante Corpus Domini nostri, navi impositum, omnes trementes, veniamque a Deo flagitantes; quilibet enim autumabat se submergendum. Simulac dies illuxit, vidimus scopulos, in quos impegissemus, nisi obstitisset arenæ fortuna. Mane Rex accersi jussit navium rectores, qui secum adduxerunt urinatores quatuor, homines, qui piscium instar fundum aquæ natando penetrant : hosque quatuor urinatores naucleri illo loco ad fundum maris descendere jusserunt. Hi urinatores se mari injecerunt, ac transierunt sub navi, ubi Rex, ac nos eramus. Postquam ex aqua emerserunt, omnes quatuor seorsum auditi sunt, ad cognoscendum, quid invenissent. Verum singuli retulerunt eo loco, quo impegerat navis nostra, e carina, supra quam navis erat fundata, tres omnino tignos vi arenæ avulsos esse *f*. Auditaque tali eorum relatione invicem consona, Rex, nosque omnes admodum fuimus at- C toniti.

hinc nautæ suadent Regi, ut hac navi egrediatur ;

229 Tunc Rex interrogavit naucleros, quid hac de re sibi suggererent consilii. Hi naucleri ei dixerunt : Domine Rex, pro omni consilio, si nobis consentire velis, ex hac navi in aliam descendes : satis enim percipimus, quoniam fundamentum hujus navis tanto collisum fuit impulsu, omnia navis adjumenta loco mota esse : qua de causa vehementer timemus, ut navis, cum in plenum adducta fuerit mare, ferre possit impulsus fluctuum aquæ, sine naufragio. Etenim hujusmodi exemplum vidimus, quando ex Gallia profectus es, de navi alia, quæ ita impegerat, ac ejusmodi passa fuerat collisum, quemadmodum hæc. Ubi illa fuit in pleno mari, sustinere, nequiit ictus fluctuum aquæ, ruptaque est ac dissoluta; omnesque, qui in illa erant, fuere submersi, nemine evadente præter juvenculam cum solo infante suo, quem intra brachia tenebat, qui forte manserunt supra quoddam navis frustum, quod aqua avehebat. Postquam Rex audiverat, quod ei suaserant naucleri, exemplumque, quod dederant; ego ipse testabar eos verum dicere : videram enim mulierem ejusque infantem, qui ad oppidum Paphum *g* erant delati, eosque vidi in domo comitis de Joingny, qui ad Dei honorem eos sustentari curabat.

A. JOANNE JOINVILLIO.

idem suadent proceres : Rex id facere recusat, ne multi manere cogantur in Cypro;

230 Tunc Rex consiliarios suos vocavit, ut intelligeret quid esset agendum : omnesque ei suasimus, ut faceret, quod ispsi suaserant naucleri. Denuo vocavit Rex naucleros, eosque interrogavit, fide ac fidelitate, quam sibi deberent, utrum, si navis eorum esset, plenaque esset mercibus, ex ea egrederentur. Unanimi voce ei responderunt quod non; quodque mallent corpora sua exponere periculo, quam permittere, ut talis perderetur navis, quæ iis constaret quadraginta aut quinquaginta librarum millibus. Et qua itaque de causa, inquiebat Rex, mihi suadetis, ut ex illa egrediar? Responderunt ei : Domine Rex, tui, nostrique non eadem est ratio, nec periclitatio eadem : neque enim aurum aut argentum tam copiosum esse posset, ut tanti fieret aut æstimaretur, quanti corpus tuum, reginæ sponsæ tuæ, triumque tuorum liberorum, quos hic habes : propereaque numquam tibi suaderemus, ut te tali periculo sortique exponeres. Porro tibi dicam, inquiebat Rex, E consilium sententiamque meam : quod si egrediar hac navi, quingenti aut sexcenti in ea sunt homines, qui manebunt in insula Cypro præ metu periculi avis, in qua eorum sunt corpora : neque ullus interest, qui non tanti facit corpus suum, quanti ego meum : si autem semel descendimus, numquam spem habebunt redeundi in patriam suam. Quapropter vobis affirmo, malle me, memetipsum, reginam, liberosque meos periculo, Deique dexteræ committere, quam tantum tanto populo, quantus in ea est, inferre damnum.

quod Regis consilium optimum fuisse docet auctor.

231 Ingens incommodum ac dammum, quod Rex intulisset, si fuisset egressus, abunde apparuit in domino Oliverio de Termes potenti equite, qui erat in hac navi, in qua erat Rex. Hic dominus Oliverius erat ex validissimis atque audacissimis hominibus, quos umquam in Terra sancta cognovi : attamen manere non est ausus, atque in insulam est egressus. Et ipse, qui vir erat clarus atque insignis, multisque pollens opibus, tanta nactus est impedimenta atque obstacula, ut plusquam sesquianno fuerit, priusquam inde ad Regem reverti posset. Cognosce itaque, F quid facere potuissent tot homines tenues, quibus non fuisset, unde solvissent aut præstitissent vecturæ pretium, quandoquidem vir tantis præstans opibus tanta ibidem invenerat obstacula.

Tempestate ingenti coorta,

232 Postquam Deus hoc periculo nos exemerat, ubi sic fueramus ante insulam Cyprum, aliud nos excepit. Coortus enim in mari est ventus tam terribilis ac stupendus, ut violente, nobisque invitis, ad insulam Cyprum, quam jam prætererieramus, semper nos rejiceret. Nautæ quatuor ex anchoris suis in mare ejecerunt; at numquam navem sistere potuerunt, donec quinta anchora fuerit ejecta. Et scito, necesse fuisse, ut dejicerentur superiora cubiculi *h*, in quo degebat Rex : tantusque erat ventus, ut nemo in illo cubiculo manere auderet, ne ventus eum in mare dejiceret. Paullo post regina in cubiculum Regis ingressa est, ubi se putabat eum inventuram; neque illic invenit nisi dominum Ægidium le Brun, in Gallia rei bellicæ præfectum, et me, qui ibidem jacebamus. Ut eam vidi, rogavi quid desideraret. Illa nobis dixit, se petere Regem, ut eum oraret, vota quædam Deo, ejusve Sanctis vovere vellet, ut illa tem-

A. JOANNE JOINVILLIO.

tempestate possemus esse liberati; sibique dixisse nautas, nos in magno naufragii versari periculo.

reginæ voto liberantur : i

233 Ego ipsi dixi : Domina, vove te peregrinaturam ad dominum sanctum Nicolaum de Warengisi-villa *i*, ac tibi assevero, a Deo nos incolumes in Galliam ducendos. Tum ipsa mihi respondit; Heus! senescalle, metuo ne Rex nolit, ut peregrinationem instituam, ac ne illud implere non possim. Saltem, domina, promitte ipsi, si Deus incolumem in Galliam te perducat, ei te oblaturam navim pondere quinque selibrarum argenti pro Rege, pro te, ac pro liberis vestris : si id ita facias, promitto tibi atque assevero, precibus sancti Nicolai Deum tibi concessurum, ut in Franciam redeas. Atque ego ipse promitto, me Jovisvillam reversum, eum invisurum peditem usque ad locum, nudisque omnino pedibus. Tunc promisit sancto Nicolao, argenteam navem se ei daturam; meque rogavit, ut istius rei prædem me præberem; in quod consensi. Paullo post ad nos reversa est, nobisque dixit, Deum precibus sancti Nicolai istud a nobis propulsasse periculum. Regina in Galliam B reversa, navem, quam sancto Nicolao promiserat, construi jussit; in eaque erigi curavit Regem, semetipsam, tresque eorum infantos, nautas, malum, funium apparatum, ac gubernacula, argentea omnia, filisque argenteis consuta. Hanc navem ad me misit, meque rogavit, ut eam ad dominum sanctum Nicolaum perferrem; atque ita feci. Et longo post tempore eam conspexi, quando Regis sororem *k* ad regem Germaniæ duximus. *k*

pia Regis documenta occasione periculi memorati :

234 Nunc ad propositum redimus, in quo eramus in mari; ac dicimus, Regem, ubi vidit ex duobus his nos evasisse periculis, ascendisse super navis scamnum, meque ibidem ei adfuisse. Tunc mihi dicere aggreditur : Considera porro, senescalle, an Deus non ostenderit nobis manifeste immensam suam potentiam, quando per unum dumtaxat ex quatuor maris ventis, Rex, regina, eorum infantes, hominesque tanto numero alii, putaverunt se submergendos? Quapropter existimo omnino oportere, ut ingentes illi agamus gratias. Nec poterat bonus sanctusque Rex se abstinere a loquendo mecum de periculo, cui fueramus expositi; quoque modo C Deus clare nobis demonstrasset immensam suam potestatem. Præterea mihi dicebat : Senescalle, ubi tales calamitates, aliave morborum infortunia hominibus ingruunt, minas has esse Domini nostri, affirmant Sancti : eaque de causa dico, aiebat bonus Rex, pericula, in quibus nos fuimus, minas esse Domini nostri, qui dicere potest : Cernitisne porro, me permissurum fuisse, ut omnes submergeremini, ac periculo involveremini, si voluissem? Quapropter, aiebat bonus Rex, nobis diligenter considerandum esse, an nihil in nobis sit, quod Domino Creatori nostro displicere debeat : et simul atque illic quidquam invenerimus illius beneplacito contrarium, illud continuo nobis tollendum, atque expellendum : si autem sic agamus, illum multo nos amore complexurum, semperque pericula a nobis propulsaturum : item si contrario operemur modo, ubi sufficientes nobis intentaverit minas, ingens aliquod malum, seu mortem, seu damnum corporis nobis immissurum, aut permissurum, ut inferno incidamus in perpetuum. Insuper mihi dicebat Rex bonus, sanctus Ludovicus : Senescalle, vir sanctus Job Deo dicebat : Domine Deus, ut quid nobis minitaris? Etenim D si nos perdidisses, nihilo hinc esses pauperior; et, si omnes ad te attraxisses, nihilo inde potentior esses, nec ditior. Ex quo intelligere possumus, inquiebat, minas, quas Deus nobis intentat, dumtaxat proficisci ex immenso amore, quo nos prosequitur, dirigique ad utilitatem nostram, non ipsius; atque ut manifeste cognoscere valeamus delicta, culpasque nostras; ac deleamus ex conscientiis nostris ea, quæ ipsi displicent. Hac itaque de causa id ita faciamus, et faciemus ut sapientes.

appellunt ad insulam Lopadusam, quam lustrant : l

235 Deinde, et postquam in insula Cypro aquam recentem acceperamus, aliasque minutias nobis necessarias, sedata etiam tempestate, inde discessimus, venimusque ad aliam insulam, quam nominabant insulam Lopadusam *l*. Ibi in terram descendimus magnamque cuniculorum copiam cepimus. Invenimus illic cellam quamdam anachoreticam intra rupes, ac hortum amœnum, qui consitus erat oleis, ficis, sepibus vitium, multisque aliis arboribus frugiferis; fons ibi pulcher aquæ dulcis scaturiebat, cujus rivus per istius cellæ hortum labebatur. Rex, ejusque socii processerunt usque ad caput dicti horti; reperimusque oratorium quoddam, in cujus primo, quem E offendimus, fornice, calce dealbato, crux erat elegans ex terra rubescente. In alio fornice magis remoto invenimus duo corpora mortua, quorum manus erant supra pectus; neque quidquam ex iis amplius cohærebat præter costas : eaque corpora posita erant ad Orientem versus, prout alii mortui terræ mandari solent. Lustratis undique diligenter omnibus, Rex, ejusque socii ad navem se receperunt. Postquam sumus ingressi, unus ex nautis nostris fuit desideratus, de quo nauclerus cogitavit, satis se scire quid rei esset, eumque illic manere velle, ut in posterum eremitarum more viveret : eaque de causa Rex sorti jussit relinqui in littore istius insulæ tres saccos pane bis cocto plenos, ut nauta, qui ibidem manserat, eos inveniret, iisque ad victum uteretur *m*. *m*

quidam in mare lapsus ope beatæ Virginis servatur incolumis :

236 Haud multo post eventum quoddam in mari accidit in navi domini de Argones, qui erat ex potentissimis dominis Provinciæ. Nimirum, dum tempore quodam matutino in lecto suo decumbebat, vultum ejus sol radiis suis feriebat per foramen aliquod angustum. Tunc memoratus dominus de Argones vocavit quemdam F ex suis armigeris, eique præcepit, ut iret obturatum foramen, per quod sol radios transmittebat. Armiger, cernens se foramen obturare non posse, nisi navi egrederetur, egressus est; atque inter eundum, ut illud obturaret, pes eum fefellit, ac in mare incidit. Continuo, ut lapsus est, navis abscessit, neque navicula erat lateri navis adjuncta, qua ei succurri potuisset. Nos illum e longinquo vidimus, navi Regis vecti, qui sequebamur ad mediam facile leucam distantes a navi, e qua lapsus erat. Putabamus aliquid rei esse, quod esset in mari; nam armiger ille nec se movebat, nec se juvabat ullo modo. Postquam eum e propinquo perspeximus, una e navibus Regis eum recepit, miseruntque eum in navem nostram : in eamque ingressus nobis exposuit, quo modo cecidisset. Nos eum interrogavimus, cur se non alio modo juvisset, aut natando, aut clamando ad viros navigii. Respondit nobis, hoc facto sibi opus non fuisse : nam inter cadendum exclamavisse : Domina nostra Vallis-viridis *n*, seque ab ea humeris susten- *n*

tatum

A talum fuisse, donec ad eum pervenisset triremis Regia. Et ad honorem beatæ Virginis Mariæ ad memoriam stupendi hujus miraculi, dictum miraculum in sacello meo Jovisvillæ pictura exprimi jussi, atque in vitreis fenestris ecclesiæ de Blecourt *o*. o

Regis adventus Olbiam, et egressus in terram.

237 Ad finem decem hebdomadarum, quibus mari innataveramus, appulimus ad portum Olbiensem *p* ante castrum, spectans ad comitem Provinciæ, qui deinde fuit rex Siciliæ. Regina, omnesque consiliarii Regis ei suaserunt, ut ibidem navi egrederetur, quod esset in terra fratris sui *q*. Verum Rex dicebat se non egressurum, priusquam pervenisset Aquas-mortuas in terram suam. Hoc Regi nobiscum certamen fuit die Mercurii, ac Jovis, ita ut nullus evincere apud ipsum posset, ut consentiret in egressum e navi. Die Veneris, cum Rex, sederet in scamno *r* quodam navis, me vocavit, meque consuluit, utrum egrediendum esset, an non. Ego ipsi dixi: Domine Rex, puto tibi esse egrediendum, quia aliquando domina de Bourbon, cum esset ad eumdem hunc portum, navi egredi noluit; at B se rursum mari commisit, ut peteret Aquas-mortuas ibidem egressura. Verum mansit ad septem facile hebdomadas et ultra supra mare. Tunc Rex consilio meo consensit, ut ad Olbiam in terram egrederetur, quo regina, et socii magnopere lætabantur.

ANNOTATA.

a Habuit in societate sua octo naves, et quatuor galeas, *id est, triremes, ait Sanutus lib. 3, part. 2, cap. 4.*

b *Id est, 24 Aprilis, cui consentit Sanutus, addens :* Hora vespertina in festo beati Marci recessit de portu Ptolomensi. *Continuator vero Tyrii col. 735 ait, discessisse* post diem festum S. Marci. *Incidebat autem dies S. Marci in Sabbatum.*

c *Hoc combinare nequeo cum Gaufrido in Vita prima num. 49, ubi diserte affirmat periculum naufragii contigisse* tertia nocte *post recessum a portu. Gaufrido, qui æque ac Joinvillius Regi adfuit, eoque citius et accuratius scripsit, consentit Guilielmus Nangius apud* C *Chesnium pag. 360, et Vita secunda num. 27. Quapropter omnino existimo Joinvillium hic memoria lapsum, ut sæpe alibi : nam alias toto fere octiduo post discessum contigisset periculum : quod ipsa etiam itineris longitudo, quæ tridui esse solet, persuadet.*

d Mons crucis *in Cypro memoratur objacens* promontorio Masotto, *quod non longe distat a portu Limissonis. Vide hæc in Geographia Joannis Blaeu in Cypro.*

e *De hoc periculo videri potest Vita prima num. 49.*

f *Locus est plane difficilis. Quapropter verba auctoris Gallica addo :* Chacun. . . . raporta, que. . . . le sable avoit bien emporté trois toises du tison, sur quoy estoit la nef fondée. *Vocem* tison, *per quam alibi trabem significat, hic accipit pro præcipua navis seu carinæ trabe, quam Galli hodiedum* quille *nominant. Carinam Latine dixi, quia fundamentum illud navis* carinam *antiqui etiam nominarunt.* Toise *vero non videtur aliter accipi posse nisi pro tignis, seu trabibus minoribus. Eadem relata sunt in Vita secunda num. 28, ubi clarius patet, voces hoc sensu intelligendas.*

g *Oppidum est in Cypro maritimum, ac* Paphos nova *dicitur ad distinctionem* Paphi veteris, *quæ destructa est.* Baphe *eam nominat auctor a nomine vulgari* Baffo, *aut* Papho.

h *Gallice,* les apparoiz de la chambre. *Propugnaculum navis intelligit Chaizius tom. 2, pag. 197 : quo sensu verba nostra sumi possunt.*

i *Prioratus est Ordinis S. Benedicti in Lotharingia, de cujus fundatione, portatisque eo S. Nicolai reliquiis, miraculis ibi factis, ac votivis peregrinationibus illuc institutis, varia commemorat Calmetus in Historia Lotharingiæ tom. 1, col. 1210 et seqq. Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 5, pag. 320 docet miraculis, votivisque peregrinationibus locum olim ex tenui villa in oppidum insigne excrevisse,* S. Nicolai *nomine nuncupatum. Distat Nanceio duabus leucis, jacetque ad dexteram Mortæ* * *fluminis ripam.*

* la Meurte

k *Blancham videlicet Philippi III filiam, ac sororem Philippi IV, quæ anno 1300, ut vult Cangius pag. 100, nupta fuit Rodulpho Alberti imperatoris filio, Austriæ duci ac deinde Bohemiæ regi. Vidimus in Commentario num. 1229* E *per hanc Blancham sacellum* S. Ludovico *avo suo structum Viennæ in Austria. Joinvillium fuisse inter proceres, qui eam deduxerunt, probat laudatus Cangius.*

l Lopadusam *hanc insulam vocat Plinius lib. 5, cap. 7, et Ptolomæus lib. 4, cap. 3 : Joinvillius* Lampieuse *nominavit : Galli hodiedum* Lampadouse, *Itali* Lampedosa *solent nuncupare. Sita est in Mediterraneo ad Orientem fere Melitæ, a qua centum circiter milliaribus abesse dicitur. Licet inhabitata sit, subest tamen Melitensibus, ac templum habet in duas partes divisum, quale hic describitur, quod nominatur* sancta Maria de Lampadosa. *Plura de hac insula videri possunt apud Petrum d'Avity in Mundo part. 2, pag. 560.*

m *Post hæc verba aliud factum narratur in editione Pictariensi, quod pag. 100 inde recitat Cangius. Cum spectet ad* Ludovicum, *ac forte exciderit in editione Menardi, verba Gallica Latine hic reddo :* Deinde singulis diebus procedendo transivimus justa aliam insulam, cui nomen erat Pantalaræa. Hæc habitata erat a Saracenis, qui partim subjecti erant regi Siciliæ F partim regi Tunetano. Simulac insulam illam deteximus, regina Regem rogavit, ut dignaretur tres triremes ad insulam illam mittere, ut fructus portarent tribus suis infantibus. Rex ita fecit, jussitque celeriter navigare, ut parati essent ad redeundum ad ipsum, dum juxta insulam transiret. Porro evenit, ut dum Rex transiret ante portum dictæ insulæ, dictas tres triremes non inveniret. Responderunt ei naucleri, se existimare triremes ipsius captas a Saracenis cum hominibus, qui in illis erant. Quapropter, domine Rex, tibi suademus, inquiebant, ut illas non exspectes : hic enim propinquus es regnis Siciliæ et Tuneti, quorum reges te non multum amant, nec unus nec alter : si permittere velis ut navigemus, hac etiam nocte te subducemus periculo ab illis imminente, brevi enim præteribimus omnes ipsorum fauces. Profecto, inquiebat Rex, vobis non consentiam, vobisque præcipio, ut vela vertatis, nostrosque quæramus. Quidquid esset, ita nos facere oportuit, ac facile octo dies morati sumus, ut illos exspectaremus propter eorum gulam qua, hæserant ad manducandum. *Hæc, ut Gallice a stylo Joinvillii aliena sunt, ita*

ita minus certa : attamen quia stylus fuit correctus, hinc certum non fit, addita esse ab editore, cum nulla videatur esse ratio, cur hæc addidisset. De hac insula, quæ deinde regi Hispaniæ subjecta est, ac sita inter Siciliam et Africam, sed Africæ multo propinquior, consuli potest laudatus modo Petrus d'Avity, pag. 529.

n *Est quidem Vallis-viridis prope Parisios, ubi Cartusianos deinde fundavit* S. Ludovicus : *at hic locus necdum erat Deo, aut beatæ Virgini sacratus. Quapropter Chaizius tom. 2, pag. 201 assignat ecclesiam Vallis-viridis (vulgo* Vauvert) *in Occitania tribus leucis Nemauso dissitam , quod cum patria periclitantis, cujus dominus erat ex Provincia, aptius etiam quadrabit.*

o *Pagus est prope Jovisvillam, cujus jam ante meminit.*

p *Olbia, ulgo* Hiéres , *oppidum est in Provincia ad mare, duabus leucis distans Telone, vulgo* Toulon.

q *Caroli nimirum comitis Andegavensis , et per uxorem Provinciæ.*

B r *In editis* ung des rancs, *ad legendum putem,* bancs.

CAPUT XXVII.

Consilium bonum Regi a Joinvillio dextere subministratum : monitum aliud cujusdam Franciscani : Rex, inviso S. Magdalenæ sepulcro, in regnum suum venit : nuptiæ Regis filiæ cum rege Navarræ : pax cum rege Angliæ inita : concordiam inter varios principes sibi subditos. Rex conciliat.

C *Dona ab abbate Cluniacensi Regi data : quorum occasione dextere monet Regem Joinvillius, ne consiliarios suos munera accipere sinat :* a b

In castro Olbiæ substitit Rex, regina, eorumque liberi , ac nos omnes , dum conquirebantur equi ad iter in Franciam. Abbas Cluniacensis *a* , qui deinde fuit Olivensis *b* , episcopus, duos ad Regem misit equos, alterum ipsi, alterum reginæ; dicebanturque tum singuli valere quingentis omnino libris. Ubi Rex acceperat duos hos equos speciosos, abbas eum rogavit, ut postridie cum eo agere sibi liceret de negotiis suis. Rex id illi concessit. Cum dies postera adesset, abbas locutus est cum Rege, qui eum diu, magnaque cum delectatione audivit. Postquam hic abbas abiisset, petii a Rege, an, si quid ex ipso ad notitiam meam quærerem, id indicaret. Dixit mihi, se libenter ita facturum. Tunc ipsum interrogavi : Domine Rex , numquid verum est , te tanto tempore audivisse abbatem Cluniacensem , propter donum duorum illius equorum ? Rex mihi respondit , rem ita se habere. Roposui , me talem ei interrogationem proposuisse, ut prohiberet viris consilii sui jurati, ne quid, cum venissent in Franciam , acciperent ab iis, quibus coram ipso negotia erant tractanda : nam certus esto, inquiebam , si accipiant , diligentius idcirco audient atque diutius, quemadmodum tu egisti cum abbate Cluniacensi. Tunc Rex vocavit totum consilium suum, iisque cum risu narravit interrogationem , sibi a me propositam, ac rationem interrogationis meæ. Nihilominus ei dixerunt consiliarii sui, me ipsi optimum suggessisse consilium. D

Franciscani cujusdam coram Rege Olbiæ concionantis oratio contra Religiosos , qui aulam sequuntur ; c

239 Olbiæ fama increbuerat de viro admodum egregio ex sacra sancti Francisci familia , qui prædicando regionem perlustrabat, ac nominabatur frater Hugo *c*. Hunc Rex lubens videre voluit ac loquentem audire. Qua die Olbiam advenit, nos ei obviam ivimus , vidimusque maximam virorum ac feminarum turbam, qui ipsum pedites sequebantur. Postquam advenit, Rex eum ad concionem dicere jussit : ac prima, quam habuit, oratione sacra agebat de Religiosis, quos reprehendere cœpit, quia in Regis societate ingens erat numerus. Dicebat eos non esse in statu, quo ad salutem pervenire possent, aut sacras mentiri Litteras : (quod non erat verum *d.*) Sacræ enim litteræ dicunt, religiosum vivere non posse extra monasterium suum, sine labendo in multa peccata mortifera : non magis quam piscis vivere potest extra aquam sine pereundo. Ratio erat : Etenim religiosi , qui aulam regis sequuntur, bibunt ac manducant sæpe diversa vina , cibosque : quod non facerent , si in suis essent monasteriis. Quapropter commoda, quibus illic fruuntur, eos ad peccandum hortantur magis, quam si austeram ducerent vitam *e*. E

atque ad Regem de justitia et æquitate servanda : e

240 Regem deinde alloqui cœpit , observandamque ei tradidit doctrinam , ut , si diu vellet vivere in pace , populoque suo placere , justitiæ esset tenax. Dicebat , sacra se legisse Biblia , aliosque Scripturæ sacræ libros : verum numquam se reperisse, sive inter principes virosque Christianos, sive inter infideles, terram ullam aut dominium translatum fuisse, aut vi amotum ab uno domino ad alium , nisi defectu jura sua cuilibet juste æqueque attribuendi. Quapropter , inquiebat Franciscanus, diligenter advigilet Rex , ut exacte unicuique jura sua addicenda curet in regno suo Galliæ, ut usque ad dies suos postremos vivere valeat in pace ac tranquillitate bona, et ne Deus ipsi auferat regnum Franciæ ad ignominiam ejus et detrimentum. Rex sæpius eum rogari jussit, ut secum maneret, quamdiu subsisteret in Provincia. At semper respondit in Regis consortio se non mansurum. Franciscanus hic uno tantum die nobiscum fuit, et postridie sursum versus discessit. Deinde audivi, eum Massiliæ sepultum esse, ubi multa patrat præclara miracula. F

Rex Olbia profectus invisit sepulcrum sanctæ Magdalenæ : Joinvillii a Rege discessus, reditusque ad eum : f g h i k l m

241 Post hæc Rex Olbia discessit, venitque ad civitatem Provinciæ Aquas-sextias *f*, ad honorem beatæ Magdalenæ , quæ jacebat modico diei itinere *g* ab ea. Fuimus quoque in loco specus *h* in rupe multum elevata, ubi dicebatur sancta Magdalena longo temporis spatio vixisse in solitudine. Postea inde processimus ad Rhodanum Belloquadræ *i* transeundum. Ubi vidi Regem esse in terra sua, in suoque imperio, ei vale dixi, atque ab eo veni ad dominam delphinatus Viennensis *k*, cognatam meam ; indeque transii ad comitem Cabillonensem avunculum *l* meum , atque ad comitem Burgundiæ *m* ejus filium, ac Jovisvillam perveni. Quo loco postquam tantisper substiteram , Regem adivi , quem Suessione inveni. Dum fui apud ipsum, tantum mihi gaudium ostendit, ut id omnes mirarentur. Illic inveni comitem Britanniæ Joannem *n* , ejusque uxorem , filiam regis Theobaldi. Et propter n

con-

A controversiam, quæ erat inter regem Navarræ, filiamque Campaniæ *o*, de jure quopiam, quod rex Navarræ in regione Campaniæ exigebat, Rex jussit omnes venire Parisios ad supremum senatum, ut dissidentes audirentur, jusque eis adjudicaretur.

Nuptiæ Elisabethæ Regis filiæ cum rege Navarræ:

242 Dum considebat suprema curia, rogavit rex Navarræ Theobaldus, ut matrimonio sibi jungeretur Elisabetha Regis filia. Me autem induxerant Campani nostri ad verba postulationis hujus conjugii proferenda, quia viderant ingentia amoris indicia, quæ mihi Rex Suessione exhibuerat. Veni meditatus ad Regem de hoc matrimonio acturus. Ille mihi dixit : Senescalle, ito prius concordiam ac pacem initurus cum comite Britanniæ; deinde, hoc facto, matrimonium complebitur. Ego ipsi dixi : Domine Rex, non opus est id omittas pro re quacumque. Respondit mihi, se pro re nulla filiam nuptui daturum contra voluntatem procerum suorum, ac priusquam pax fuisset inita cum comite Britanniæ. Continuo reversus sum ad Margaritam *p* Navarræ reginam, ad regem ejus filium, atque ad eorum consiliarios; iisque narravi responsum B Regis. Quo audito, confestim cum diligentia iverunt ad pacem sanciendam cum comite Britanniæ : et, pace stabilita, Rex dedit Elisabetham filiam suam regi Navarræ Theobaldo *q* conjugem : nuptiæque celebratæ sunt Meloduni magnificæ et completæ. Et hinc Theobaldus rex abduxit uxorem suam Provinum, ubi magno honore, ac sumptibus ingentibus a magnatibus fuere excepti.

variæ Regis virtutes post reditum:

243 De statu Regis, et quo pacto se gesserit imposterum, ubi fuit ex partibus transmarinis reversus, vobis edisseram. Videlicet, quod numquam postea in vestibus *r* suis voluerit aut vellera varia aut alia silvestrium animalium, quæ griseum vulgo dicebantur, aut colorem coccineum, aut stapedas, ocreasve inauratas. Tunicæ ejus erant ex panno coloris camelini, aut cærulei; pallia autem ipsius tunicæque pellitæ erant velleribus agninis *s*, crurumque leporinorum *t*. Sobrio admodum erat ore, nec umquam loquebatur, ut varii sibi pararentur cibi, aut delicati : at patienter sumebat, quod sibi apponebatur. Vinum suum temperabat pro vini virtute, C atque ex scypho vitreo bibebat. Passim cum manducabat, post se habebat pauperes, quos pasci jubebat; deindeque ex pecunia sua iis dari volebat. Post prandium coram se habebat sacerdotes suos, qui pro eo gratiarum actionem persolvebant. Quando illustris quædam persona peregrina cum eo manducabat, societatem eis suam exhibebat admodum bonam atque amicam. De ejus sapientia dicam : nam vir sapientissimus existimabatur eorum omnium, quos a consiliis habuit : et dum quidpiam ei eveniret, ad quod respondere necesse erat, numquam consiliarios suos expectabat, dum cerneret rem exigere celeritatem atque æquitatem.

pax cum rege Angliæ, dissuadentibus frustra consiliariis, a Rege inita:

244 Postmodum Rex bonus, sanctus Ludovicus tantum adhibuit conatum, ut effecerit, ut Rex Angliæ cum uxore sua, liberisque ad ipsum in Franciam venerit, ad pacem concordiamque mutuam sanciendam *u*. Cui paci ineundæ vehementer adversabantur ejus consiliarii, eique dicebant : Domine Rex, magnopere miramur, quomodo consentire velis ad dandam, regique Angliæ relinquendam tantam terrarum tuarum partem, quam tu, ac antecessores ab eo obtinuistis, idque delictis ipsius *x*. Nobis igitur videtur, te rem non satis novisse, neque id acceptum fore, aut gratum. Ad hoc Rex illis respondit, satis se scire regem Angliæ, ejusque antecessorem juste, ac jure legitimo perdidisse terras, quas possidebat : neque se intendere quidquam iis reddere, quod id facere obligaretur. Verum id solum faciebat ad amorem, pacem, ac concordiam consequendam, alendam, ac conservandam inter ipsos, ipsorumque liberos, qui sunt consobrini *y*. Addebat Rex : Existimo, inquiebat, hoc faciendo rem optimam me facturum : nam primum inibo, ac consequar pacem; ac deinde efficiam, ut ipse mihi sit cliens fide jurata obstrictus, qualis nondum est : neque enim etiamnum clientelam mihi juravit.

pacem inter varios principes clientes suos non sine sumptibus

245 Rex sanctus Ludovicus, vir fuit in mundo unus, qui maxime allaboravit ad pacem, concordiamque inter subditos suos sanciendam ac stabiliendam; et præsertim inter principes dominosque regni sui, ac vicinorum, etiam inter comites Cabillonensem avunculum meum, et comitem Burgundiæ ipsius filium *z*, qui magno inter se bello erant impliciti, quando ex partibus transmarinis sumus reversi. Et ut pacem constitueret inter patrem ac filium, multos ex consiliariis suis in Burgundiam usque misit propriis sumptibus et expensis; tandemque eo rem perduxit, ut ipsius ope pax duarum personarum fuerit constituta. E Ipsius item sollicitatione pax inita fuit inter Theobaldum II Navarræ regem, comitesque Cabillonensem ac Burgundiæ *aa*, qui difficili invicem dissidebant bello; ad eosque pari modo quosdam e suis consiliariis misit, qui concordiam constituerunt, eosque pacarunt.

Rex conciliat : quam agendi rationem contra obtrectatores quosdam recte tuetur.

246 Post hanc pacem magnum aliud inchoatum est bellum inter comitem Barrensem Theobaldum, et comitem Luxemburgensem, qui ejus sororem habebat uxorem : quique infra Pigny *bb* manus invicem conseruere : cepitque comes Barrensis comitem Luxemburgensem, ac subegit deinde Ligniacum *cc* castrum, quod erat comitis Luxemburgensis uxoris suæ causa. Ad hoc bellum sedandum Rex eo misit, et sumptibus quidem regiis, dominum Petrum *dd* cubiculariorum principem, virum, cui omnium maxime Rex confidebat : tantumque ad illud allaboravit Rex, ut pax eorum fuerit facta. Arguebant F eum aliquando supremæ curiæ senatores, quod tantum sumeret laboris in pacandis peregrinis; et quod perperam ageret, quando eos bellum gerere non sinebat, quodque pacta conventa melius postea concluderentur. Ad hoc iis respondit Rex, illisque dixit, non recte eos dicere : Nam, inquiebat, si principes, ac domini illustres, qui vicini sunt regno meo, adverterent quod ipsos sinerem inter se bella gerere, inter se dicere possent, Regem Franciæ maligno atque ingrato animo sinere bellum ab ipsis geri : eaque de causa odium adversus me colligere possent, ac me possent invadere. Unde detrimentum pati possem, damnumque regno meo; prætereaque incurrere Dei indignationem, qui dicit eum esse beatum, qui conatur pacem et concordiam inter dissidentes conciliare. Et scito, Burgundiones ac Lotharingos, propter bona, quæ in Regis persona cernebant, ac propter laborem, quem subierat ad eos invicem conciliandos, tantopere eum amasse, eique obtemperasse, ut omnes contenti fuerint venire ad litigandum coram eo de discordiis, quæ aliis cum aliis intercedebant : sæpe ad hoc venientes vidi Parisios, Remos, Melodunum, atque alio, ubi erat Rex.

ANNO-

A. JOANNE JOINVILLIO.

ANNOTATA.

a *Guilielmus de Pontoise erat hoc tempore abbas Cluniacensis, de quo agunt novissimi editores Galliæ Christianæ tom. 4, col. 1147 : ubi electus dicitur anno 1245, factusque episcopus Olivensis in Achaia anno 1258 :* Idem, *inquiunt,* anno MCCLIII apud Regem conqueritur de injuriis suo monasterio illatis a duce Burgundiæ. *Quod videtur de hoc congressu intelligendum, sed contigisse hunc congressum anno 1254 certum est.*

b *In Bibliotheca Cluniacensi col. 1513 in litteris Alexandri IV vocatur* episcopus Olenensis : *at Cangius pag. 102 contendit legendum* Olivensis, *quia Albericus ad annum 1236 archiepiscopo Patrensi in Morea subesse dicit* episcopum de Oliva, id est de Andrevilla. *Verum cum* Olenus *urbs Peloponesi seu Moreæ non multum Patris dissita occurrat apud geographos, non item* Oliva; *non video, cur potius* Olivensis *legi debeat quam* Olenensis, *sed existimare malim* Olenum
B *eo tempore a quibusdam* Olivam *fuisse nominatam.*

c Hugo de Dina *vocatur in Annalibus Minorum a Waddingo, qui ad annum 1274 num. 16 varias ejus prædictiones refert. Latius de eo agit Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano ad 21 Februarii, ubi* Hugo a Digna *nuncupatur.* Beatum *quoque nominat more suo, licet de cultu sileat :* Obiit, *inquit,* Marsiliæ in conventu fratrum Minorum anno MCCLXXXV, dono prophetiæ illustris, cujus sanctitatem Deus signis clarificavit.

d *Dubium videtur an verba parenthesi inclusa sint Hugonis an Joinvillii. Verti ea, ut verba Joinvillii eam sententiam improbantis, quod et mihi est probabilius. Sumi tamen possunt, ut verba Hugonis negantis mentiri sacram Scripturam. At quidquid sit de sensu verborum, numquam ex sacra Scriptura probari poterit, Religiosum salutem consequi non posse, si justa de causa aulam sequitur, ut omnibus omnia factus omnes faciat salvos; quamvis alioqui non negaverim aulam omnium Religiosorum*
C *instituto congruam non esse : ac ne illos quidem, quorum instituto convenit, recte facere dixerim, si sine necessitate justaque causa in principum aulas se insinuent. Nec plura forte voluit Hugo, licet verba ejus, prout relata sunt, duriora appareant. Ceterum Guilielmus du Peyrat in Antiquitatibus sacelli regis Franciæ lib. 1, cap. 18 amplam scripsit apologiam pro ecclesiasticis monachisve aulam frequentantibus, quæ consuli ulterius potest.*

e *Futiles sunt hæ rationes, ut facile lector perspiciet.*

f *Aquæ sextiæ, vulgo* Aix, *metropolis est Provinciæ, leucis quinque distans Massilia, ait Baudrandus.*

g *Videlicet apud Fanum S. Maximini, quod oppidum 6 circiter leucis distat Aquis-sextiis. Porro de controversiis, quæ viguerunt inter Gallos, utrum sacrum S. Magdalenæ corpus servaretur in Provincia, an apud monachos Vizeliacenses in Burgundia, videri possunt Acta ejusdem Sanctæ tom. 5 Julii pag. 205 et seqq., ubi aliorum quoque opiniones referuntur.*

h *Gallice,* au lieu de la Basme. *Specus est, in quo Magdalena pœnitens vixisse creditur : hic vulgo* la sainte Baume *vocatur :* Baume *enim, ut aiunt Trivoltiani in Dictionario ad hanc vocem, Provincialibus* specum *significat. Ceterum non dicit auctor, corpus Sanctæ Regi ostensum,* D
nam illud eo tempore latebat, inventumque refertur in Officio Massiliensi anno 1281, vel secundum aliam lectionem 1280, ut in Actis Sanctæ memoratis invenies pag. 216.

i *Belloquadra, vulgo* Beaucaire, *oppidum est in Occitania inferiori ad Rhodanum; ubi Rex Provincia egressus ditionem suam ingressus est. Reliquum iter Parisios usque dedimus in Commentario num. 736.*

k *Beatrix filia Petri Sabaudiæ comitis et Agnetis de Foucigny uxor erat delphini Viennensis, inquit Cangius pag. 102. Cognationem ejus cum Joinvillio in gradu remoto agnoscit, quia affinitas contracta fuit inter familiam de Foucigny et Joinvillicam.*

l *Joannes comes Cabillonensis frater erat Beatricis matris Joinvillii nostri. Plura vide apud Cangium in notis pag. 103, et in Genealogia stirpis Joinvillicæ pag. 12.*

m *Hugo, filius Joannis comitis Cabillonensis, Burgundiæ comes erat per uxorem Aleidem de* E
Merania, quæ heres erat Ottonis III comitis Burgundiæ palatini, de quibus ulterius consule Andream du Chesne in Historia Burgundiæ lib. 4, cap. 28.

n *Erat hic Joannes I cognomento* rufus, *de cujus nuptiis cum filia Theobaldi I Navarræ regis actum in Commentario num. 324.*

o *Rex Navarræ et comes Campaniæ erat eo tempore Theobaldus II præcedentis filius, cujus litem cum sorore ac sororio Britanniæ comite Regis arbitrio compositam narravimus in Commentario num. 745; ubi quoque patebit, majoris momenti litem fuisse, quam hic videatur insinuari.*

p *Vidua hæc erat Theobaldi I Navarræ regis et Campaniæ comitis, de cujus cum eo nuptiis egimus in Commentario num. 238.*

q *Nuptias hasce Theobaldi II Navarræ regis et comitis Campaniæ, cujus vassallus erat Joinvillius, anno 1255 factas, diximus in Commentario num. 804.*

r *De vestibus sancti Regis, quas gestare cœpit ante expeditionem transmarinam, disputavimus in Commentario num. 572.* F

s *In editione Menardi et Cangii,* de Garnutes; *in Pictaviensi,* de Garintes. *Neutrum ullus explicat, quod sciam : nec voces illas ullibi invenire potui, ita ut suspicer, corruptam esse vocem. Substitui itaque* vellera agnina, *quia Vita secunda num. 121 testatur, his usum fuisse Regem, abdicatis velleribus animalculorum peregrinorum.*

t *Gallice,* de jambes de lievres.

u *Jam ante ad* Ludovicum *venerat Henricus Angliæ rex anno 1254, ut retulimus in Commentario § 60. Verum rursus cum uxore venit anno 1259, dum pax jam erat conclusa, ut clientelam juraret* Ludovico, *aliquasque controversias, quæ componendæ supererant, cum eo amice componeret. De pace egimus § 66, de adventu vero Henrici regis in Galliam § 68, ubi quoque probavimus pacem ante adventum Henrici confirmatam fuisse.*

x *Id est, patris ejus Joannis, in cujus locum Henricus successerat. Vide § 66.*

y *Nam reginæ utriusque regni sorores erant, ut alibi dictum.*

z *Hos*

A z *Hos se invisisse, dixit num. 241. Vide notata lit.* l, *et* m.

aa *Hanc pacem circa annum 1256 factam, observavimus in Commentario num. 818, ubi etiam de pace cum rege Navarræ.*

bb *Dubito, an non legeretur rectius* Ligny, *quia Ligniacum post victoriam comitis Barrensis fuit captum.*

cc Ligniacum, *vel.* Ligneium, *vulgo* Ligny, *oppidum est in ducatu Barrensi* ad Orneam fluvium parvum, *ait Baudrandus. Reliqua vide in Commentario num. 962, ubi de his egimus.*

dd *In editis* Perron; *sed constat* Petrum *legendum esse.*

CAPUT XXVIII.

Variæ sancti Regis virtutes : leges præclaræ conditæ : beneficia in pauperes, ac Religiosos. B

Sanctus Rex summo odio prosequitur blasphemias ; a

Rex bonus tantopere amabat Deum, beatamque ejus Matrem, ut omnes, quos deprehendere poterat jurasse jusjurandum quoddam inhonestum, aut dixisse quidpiam aliud turpe, ac inhonestum, graviter puniri juberet. Vidi quadam vice Cæsareæ *a* ultra mare quod jusserit aurificem in scalis exponi in fœmoralibus et indusio magna cum turpitudine ad insignem illius ignominiam. Et audivi etiam, quod postquam reversus fuit ex partibus transmarinis, tempore, quo Jovisvillam petieram, jussisset uri, signarique ferro candente nasum ac labia civis cujusdam Parisiensis, propter blasphemiam, quam protulerat. Et audivi bonum Regem proprio ore dicentem, voluisse se signari ferro prorsus candente, si tantum efficere valuisset, ut omnes blasphemias ac juramenta e regno suo eliminasset.

a quibus, uti et aliis juramentis cavet : hortatur Joinvillium ad pauperum pedes lavandos : b

C 248 In ejus societate versatus sum spatio viginti facile duorum *b* annorum : at numquam in vita mea, quantacumque commotus esset indignatione, jurantem audivi, nec blasphemantem in Deum, dignamve ejus Matrem, aut Sanctum quemcumque, aut Sanctam. Et cum quidpiam vellet affirmare, dicebat : Profecto ita est : vel, Profecto non ita se res habet. Et satis apparuit, eum re nulla inducendum fuisse, ut Deum negaret aut juraret; quando soldanus ac emiri Ægyptii eum inducere voluerunt, ad fidem suam obligandam negando Deum, si non staret conditione pacis, quam sancire volebant. Sanctus enim Rex, ubi nuntiatum fuit Turcas velle, ut tale juraret jusjurandum, numquam id præstare voluit, sed mori maluisset, ut ante dictum est. Numquam dicentem audivi aut nominantem dæmonem, præterquam ex libro quodam, ubi eum exempli causa nominare oportebat. Et vero insignis admodum hinc est turpitudo Franciæ regno, principibusque, qui id patiuntur vel audiunt : videas enim alterum alteri ne tria quidem verba ex iracundia dicere, quin dicat : Abisis ad diabolum, aut idem alio sermone. Sanctus Rex aliquando ex me quæsivit, utrum pedes lavarem pauperibus die Jovis sancto in Quadragesima. Et ego ipsi respondi, id me non facere, neque mihi videri rem honestam. Tunc Rex bonus mihi dixit : Heus! domine Joinvilli, dedignari non debes, neque odio habere, quod ad exemplum nostrum fecit Deus, qui eos Apostolis suis lavit, eorum ipse Magister et Dominus. Et opinor, te sero omnino facturum, quod facit rex Angliæ *c*, hodiedum regnans : illo enim die Jovis sancto lavat pedes lepra infectis, ac deinde exosculatur.

A. JOANNE JOINVILLIO.

Regis institutio liberorum ad pietatem : munificentia in pauperes ;

249 Priusquam bonus dominus Rex cubitum se reciperet, frequenter solebat accersere ad se liberos suos, atque eis commemorare præclara facta dictaque regum, ac aliorum principum antiquorum; iisque dicebat, oportere ut illa probe callerent memoriaque retinerent, ut ex iis utile sibi caperent exemplum. Pari modo eis facta memorabat hominum improborum, qui luxuria, rapina, avaritia, et superbia terris dominiisque suis exciderant, atque hinc aiebat eis mala accidisse. Et cavete, aiebat Rex, ne hæc faciatis, prout illi fecerunt, ut ne hisce Dei adversum vos iracundiam provocetis. Simili modo eos discere jubebat preces horarias de Domina nostra, jubebatque quotidie audire, ac coram ipsis recitari Horas de die, quales tempus exigebat; ut consuescerent id ita facere, quando ditiones suas possiderent. In pauperes erat valde beneficus : etenim quocumque se conferret, invisebat ecclesias inopes, valetudinaria, et domus hospitales : investigabatque viros nobiles egenos, mulieres viduas pauperes, filias inopes nuptui collocandas; atque undique ubi inopiam esse noverat ac egestatem, de pecunia sua large distribui curabat. Pauperibus mendicis potum ac cibum jubebat subministrari : atque eum ipsum sæpe vidi panem eis scindentem, potumque subministrantem. E

fundationes piæ : prudentia in conferendis beneficiis ecclesiasticis : d e

250 Multas suo tempore erigi atque ædificari jussit ecclesias, monasteria, et abbatias : videlicet Regalis montis, abbatiam sancti Antonii *d* prope Parisios, abbatiam Lilii *e*, abbatiam Mali-dumi, multaque alia cœnobia Prædicatorum, ac Franciscanorum. Curavit similiter exstrui valetudinarium publicum Pontisarense, Vernoniense, domum trecentorum Parisiensem, atque abbatiam mulierum e sanctæ Claræ familia ad fanum sancti Clodoaldi *f*, quam domina Elisabetha ejus soror ad ipsius postulationem fundavit. Antequam beneficia ecclesiastica, quæ in ejus donationem incidebant, alicui conferre vellet, apud viros prudentes inquirebat in statum et conditionem eorum, qui ea postulabant, nimirum an clerici essent ac litterati. Numquam volebat ut illi, quibus beneficia conferebat, possiderent alia plura, quam eorum conditioni congruebat; atque ea semper conferebat prudenti consilio proborum virorum. *f* F

Statuta sancti Ludovici ad ministros g

251 Deinde videbis quomodo correxerit prætores suos peregrinos, judices, aliosque administros; præclaraque statuta nova, quæ condidit, ac per totum suum Franciæ regnum servari jussit. Hæc sunt hujusmodi : Nos, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, statuimus ut omnes prætores peregrini, capitales tribuni, præfecti politici, judices, quæstores *g*, aliique in quocumque fuerint officio, singuli imposterum juramento se adstringant, se, quamdiu in dictis fuerint officiis, judicia unicuique integra fide exercituros, sine ullo personarum discrimine, æque pauperibus ac divitibus, peregrino ac familiari; servaturosque usus et consuetudines bonas atque approbatas. Si ab aliquo eorum factum fuerit contra ipsorum jusjurandum, volumus atque expressis verbis præcipimus, ut ob id puniantur

A. JOANNE JOINVILLIO.

niantur in bonis et in corpore, secundum exigentiam delictorum. Horum prætorum peregrinorum, capitalium tribunorum, judicum, atque aliorum administrorum punitionem nobis, nostræque inquisitioni reservamus; ipsis vero pœnam suorum inferiorum ac subjectorum. Tribuni nostri ærarii, quæstores, præpositi, rationum auditores, atque alii administri, ærariique nostri curatores jurabunt, se bene fideliterque servaturos census nostros, dominiaque cum omnibus ac singulis juribus nostris, libertatibus et prærogativis, non permittendo, aut patiendo, ut quid eorum subtrahatur, tollatur, aut minuatur: prætcrea se non accepturos, aut passuros, ut ministri procuratoresque sui accipiant dona quælibet vel munera, quæ offeruntur eis, eorumve uxoribus ac liberis, vel aliis pro illis aut eorum favore: et, si quod donum fuerit ab illis acceptum; curatores se, ut id statim et sine mora reddatur ac restituatur: similiter, se non curaturos ulla dona aut munera danda ullis personis, quarum sunt subditi, favoris cujusdam, aut gratiæ causa. Ad hæc jurabunt, se, B ubi scient et cognoscent quosdam administros, satellites, aliosve, qui raptores sunt, aut abutentes officiis suis, quapropter munere suo, nostroque servitio excidere eos oporteat, illos non tuituros aut celaturos dono, favore, promisso, aliove modo, verum punituros illos, et correcturos pro rei exigentia, bona fide æquoque jure, et absque ullo odio vel simultate. Et volumus, licet dicta juramenta sint coram nobis excepta, ut nihilominus promulgentur coram clericis, equitibus, dominis, omnibusque aliis de plebe; ut melius ac firmius serventur ac impleantur; et ut timeant perjurii peccatum incurrere, non solum ob timorem ac punitionem manuum nostrarum, pudoremque coram mundo; verum etiam propter metum, pœnamque a Deo infligendam.

in officio continendos, et regnum peccatis variis

252 Deinde vetamus ac prohibemus dictis omnibus nostris prætoribus peregrinis, tribunis capitalibus, præfectis politicis, judicibus, aliisque administris nostris, ne jurent aut blasphement in nomen Dei, dignæque ejus Matris, venerandorumque cæli Sanctorum, ac Sanctarum: similiter ne ludum taxillorum, ne tabernas, et lupanaria frequentent, sub pœna officii amittendi, C ac hujusmodi punitionis, quæ delicto erit congrua. Volumus pariter, ut feminæ corpore suo lascivæ atque expositæ, privatis ædibus expellantur, ab aliisque personis separentur; neque ulla iis ad habitandum domus pretio concedatur aut elocetur, ad vitium peccatumque luxuriæ committendum ac fovendum. Post hæc vetamus et prohibemus; ne quis nostrorum prætorum peregrinorum, capitalium tribunorum, judicum, aliorumque administrorum ac justitiæ curatorum acquirere audeant, vel emere per se aliosve terras quascumque aut possessiones in locis, in quibus jurisdictio eis est commissa, sine potestate, licentia, ac permissione nostra, et priusquam de re facti fuerimus certiores. Et, si faciant contrarium, volumus et jubemus dictas terras et possessiones nobis esse confiscatas. Similiter nolumus, ut supradicti nostri administri superiores, quamdiu erunt in servitio nostro, matrimonio jungant ullos ex filiis, filiabus, aliisve, quos habent, cognatis suis, ulli alteri personæ, præterquam *h* in ditione sua prætoria, et jurisdictione, sine speciali licentia nostra. Omnia autem hæc de dictis acquisitionibus, matrimoniisque prohibitis nolumus locum habere pro aliis judi- D cibus atque administris inferioribus, neque pro aliis, qui officiis sunt minores.

expurgandum condita:

253 Prohibemus item, ne prætor peregrinus, capitalis tribunus, aut alius numerosam nimis servorum aut satellitum habeat familiam, ita ut plebs inde gravetur. Prohibemus pariter, ne quis subditorum nostrorum capiatur corpore, aut carceri mancipetur propter debita sua propria, præterquam propter nostra; nec a quoquam subditorum nostrorum mulcta exigatur propter debitum suum. Ad hæc statuimus, ut illi, qui habebunt a nobis capitalis tribuni munus, vicecomitatum, aliave nostra munia, non possint illa vendere, aut in alium transferre sine potestate iis a nobis facta. Quando plures in uno officio erunt socii, volumus ut unus illud obeat pro omnibus. Prohibemus item, ne privent quemquam rei, quam apprehensam tenet, occupatione, sine causæ cognitione, nostrove speciali mandato. Nolumus, ut introducantur exactiones quædam, rapinæ, vectigalia, aut consuetudines novæ. Item volumus, ut nostri prætores peregrini, capitales tribuni, præfecti politici, vicecomites, aliique administri nostri, E qui quocumque casu officiis suis servitioquo nostro privabuntur, postquam ita officiis erunt privati, per dies quadraginta subsistant in loco dictorum officiorum, per se, vel per procuratorem specialem, ut respondeant recenter in dicta officia substitutis, ad omnia, quæ eos interrogare voluerint de eorum delictis, querelisque contra eos factis.

urbis Parisiensis præfectura gratis data viro probo:

254 Quibus statutis supradictis Rex magnopere emendavit regnum suum, atque adeo ut quilibet in pace viveret ac tranquillitate. Et scito, præfecturam urbis Parisiensis preterito tempore vendi consuevisse plura offerenti. Unde accidebat, ut multæ rapinæ delictaque committerentur; judiciaque prorsus corrupta essent favore amicorum, donisque et promissis. Hinc plebs habitare non audebat in regno Franciæ, et vaga fere tunc erat. Et sæpe in judiciis præfecturæ Parisiensis, quando præfectus ad jus dicendum consederat, non erant nisi decem ad summum homines, propter injusta judicia et abusus, qui illic committebantur. Propterea deinceps noluit, ut præfectura urbis venderetur, at munus illud conferebat viro cuidam magnæ sapientiæ cum F mercede idonea et ampla. Aboleri curavit omnes consuetudines pravas, quibus plebs egena ante gravabatur: et inquiri jussit per totam regionem, ubi inveniret virum quemdam magna sapientia præditum, qui æqui esset servantissimus, quique severe puniret facinorosos, nullo divitis vel pauperis discrimine. Perductus autem ad eum fuit quidam, cui nomen Stephanus Boyleauë *i*, cui præfecturam urbis Parisiensis donavit. Hic in posterum mirifice se in dicto munere gessit; adeo ut deinde nec fur esset, nec sicarius, nec alius facinorosus, qui Parisiis manere auderet, quin continuo, ut eum cognoverat, suspensus fuerit, aut punitus secundum juris rigorem pro magnitudine delicti. Neque gratia fiebat propter consanguinitatem, vel amicos, vel aurum, vel argentum, quibus pœnæ eripi quis potuisset: et fide maxime incorrupta judicia exercuit. Et tandem labente tempore regnum Franciæ adeo auctum est, propter laudandam justitiam atque æquitatem, quæ illic vigebat; ut patrimonium regium, census, reditus, et proventus regni, dimidia parte quotannis augerentur: atque ad sta-

tum

A tum multo meliorem hinc regnum Franciæ est perductum.

255 Ab ætate tenera benignus fuit in pauperes atque egenos, et tantopere illi benignitati assuevit, ut, quando regnum administrabat, semper haberet de more centum et viginti pauperes, qui quotidie in ejus domo alebantur, ubicumque degeret. Et numerus pauperum in Quadragesima augebatur. Frequenter eum ipsum iis ministrantem vidi; illisque de propriis suis cibis subministrari jubebat. Quando perveniebatur ad festa annua, in eorum pervigiliis, priusquam biberet aut manducaret, illis serviebat. Et postquam cibo erant recreati, omnes quamdam pecuniæ summam secum ferebant. Et, ut paucis dicam, tot tantaque Rex, sanctus Ludovicus inopiæ erogabat subsidia, ut omnia vix memorari possent aut declarari. Unde quidam ex ejus necessariis conquerebantur, quod tanta largiretur dona, ac paupertatis adjumenta; dicebantque eum his multa impendere. Verum respondebat Rex bonus, malle se multum expendere inopiæ subsidia largiendo, quam rebus superfluis ac vanis. Neque propter subsidia pauperum, quan- B tumcumque largiretur magna, sumptus amplos, ac largos, et quales tantum decebant Principem familiæ suæ domesticæ impendere prætermittebat; admodum enim erat liberalis. In supremæ curiæ suæ consessibus ac comitiis, quæ ad statuta sua nova condenda convocavit, palatio suo omnibus dominis, equitibus, aliisque ministrari curabat majori abundantia ac magnificentia, quam umquam ejus fecerant antecessores. Vehementer amabat cujuscumque conditionis homines, qui se Dei servitio addicebant, quibus deinde fundavit atque construxit multa præclara monasteria, domosque Religiosorum per totum regnum suum. Quin et urbem totam Parisiensem Religiosis circumdedit, quos ibidem sumptibus suis ordinavit, domiciliis instruxit, ac fundavit.

beneficentia ac liberalitas in pauperes, ac Religiosos.

ANNOTATA.

a *Anno 1251, vel initio 1252 : certe dudum ante leges contra blasphemos conditas.*

b *Ab anno 1248 usque ad 1270.*

c *Henricus III, cujus pietatem misericordiamque frequenter commendant Matthæus Parisius* C *et Westmonasteriensis.*

d *Aberrat auctor : etenim abbatia S. Antonii, monialium Ordinis Cisterciensis jam fundata erat anno 1198, vel 1199. Audi Albericum in Chronico ad annum 1199 :* Fundavit etiam magister Fulco de publicis mulieribus, quas a peccato retraxerat, domum monialium sancti Antonii Parisiis. *Idem refert Bellovacensis in Speculo historiali lib. 29, cap. 59, sed annum videtur assignare 1198. Plura de Fulcone insigni concionatore apud auctores memoratos videri possunt. Porro crediderim Joinvillium existimasse hanc abbatiam a* S. Ludovico *fundatam propter donationes varias, quibus illius possessiones auxerunt cum Ludovicus VIII, tum Blancha, tum ipse sanctus* Ludovicus. *Illas vide in Gallia Christiana tom. 4, pag. 61 et seqq.*

e *Abbatiæ Lilii et Mali-dumi fundatæ sunt per Blancham Sancti matrem, ad sumptus concurrente* Ludovico. *De Malo-dumo egimus in Commentario num. 372 et seqq. De Lilio autem pauca notavimus ad Vitam secundam cap. 1, lit.* d.

f *De hac Clarissarum abbatia egimus in Commentario num. 863. Reliquas fundationes hic memoratas cum multis aliis recenset Gaufridus in Vita prima cap. 3. Adeat ergo lector dictum caput, ibidemque notata.*

A JOANNE JOINVILLIO.

g *Gallice,* Baillifz, prevotz, maires, juges, receveurs. *Porro hæc statuta multo correctiora ac pleniora dedimus in Commentario § 61. Verum et hic quædam occurrunt, quæ ibidem non invenias, spectantia ad ministros quosdam regios illic prætermissos. Unde suspicor sanctum Regem legibus anno 1254 compositis ibique descriptis alias quasdam addidisse, ex quibus ea descripserit Joinvillius, quæ longo usu notiora habebat, non consulto legum illarum autographo aut ecgrapho, ut fecerunt alii.*

h *Illud* præterquam *Gallice quidem habetur in utraque editione; sed certo addititium est et delendum : nam in Commentario num. 764 sola per hanc legem vetantur matrimonia in jurisdictione, non autem extra illam.*

i *Apud Cangium in notis pag. 107 Stephanus* Boileve, *et* Boitleauë, Boileauë, *quin etiam* Stephanus bibens aquam *vocatus reperitur : ubi et ab auctoribus variis exacta ejus justitia commendatur.* E

CAPUT XXIX.

Crux iterum a Rege sumpta : præclara monita Philippo filio ante mortem data : pia mors : corpus in Galliam delatum : canonizatio, et corporis elevatio; visio Joinvillio oblata, et altare ab eodem Regi structum.

Post hæc supra dicta Rex præcepit omnibus regni sui magnatibus, ut ad se Parisios venirent quodam Quadragesimæ *a* tempore. Misit etiam Jovisvillam ut me accerseret. Ego quidem accessum deprecaturum me satis putabam febri quartana, qua laborabam ; verum mihi significavit, sibi affatim esse hominum, qui scirent febrim pellere quartanam, atque adeo pro omni amoris indicio Parisios peterem : quod feci. Ubi fui ibidem, numquam intelligere potui, cur ita accersisset regni sui magnates. Et contigit, ut die festo Dominæ nostræ in mense Martio in somnum inciderem matutino tempore : et in somno meo Regem cernere videbar flexis genibus ante altare quoddam, multosque adesse antistites, qui eum induebant casula rubra, composita e panno levioris texturæ Remensi *b*. Simulac fui expergefactus narravi visionem meam cuidam meo sacellano, homini prudentissimo, qui mihi dixit, Regem se postridie cruce signaturum. Eum interrogavi, quo id pacto sciret? Et mihi dixit, se id scire somnio, ac admonitione mea, casulamque rubram, qua eum se videbam induentem, significare crucem Domini nostri Jesu Christi, quæ pretioso ejus sanguine, pro nobis effuso, fuit rubra : et quemadmodum casula erat ex panno levioris texturæ Remensi, ita crucis sumptionem exigui fore momenti, uti me postridie dicebat conspecturum.

Rex, convocatis Parisios proceribus suis, a F

b

257 Por-

A. JOANNE JOINVILLIO. *crucem rursum sumit, quod consilium auctor improbat :*

257 Porro evenit, ut postridie Rex, et tres ipsius filii se cruce signarent, fuitque crucis assumptio exigui momenti, uti mihi die præcedenti meus prædixerat sacellanus : qua de causa vaticinium esse credidi. Hoc facto, Rex Franciæ, et rex Navarræ mirum in modum me urserunt, ut me cruce signarem, atque iter susciperem peregrinationis crucis. At eis respondi, eo tempore, quo fueram trans mare in Dei servitio, subditos meos nimium oneratos atque oppressos fuisse a præfectis atque administris Regis Franciæ *c*, adeo ut inde ad paupertatem essent redacti; ita ut numquam non, tam illi quam ego, essemus experturi damnum inde ortum. Et vero manifeste perspiciebam, si peregrinationem crucis susciperem, omnimodam inde orituram pauperum meorum subditorum ruinam. Postmodum plures audivi dicentes, eos graviter deliquisse, ac peccatum mortiferum commisisse *d*, qui ei susceptionem crucis persuaserunt. Etenim quamdiu fuit in regno Franciæ, totum ejus regnum pace fruebatur, et vigebat justitia. Et continuo, ut illo fuit egressus, omnia labare cœperunt, atque in deterius ruere. Aliunde ingens malum commiserunt : bonus enim Dominus adeo infirmus erat ac corpore suo debilitatus, ut arma pati non posset aut sustinere, nec diuturnam perferre posset equitationem. Illum aliquando inter brachia mea ferre debui ab ædibus comitis Autissiodorensis usque ad Franciscanos, quando ad terram descenderamus in reditu transmarino *e*.

in morbum supremum lapsus,

258 De via, quam tenuit Tunetum profecturus, nihil scribam, quia illi non adfui : neque ponere volo aut scribere in hoc libro quidquam, de quo certus non sum. Verum dicemus de bono Rege sancto Ludovico, eum, dum fuit Tuneti *f* ante castrum Carthaginis, morbo alvi liquidæ fuisse correptum. Similiter dominum Philippum, filium ipsius natu maximum, dictus invasit morbus cum febri quartana. Sic Rex bonus lecto decubuit, satisque cognovit sibi discedendum ex hoc mundo ad alium. Tunc vocavit dominos liberos suos : atque, ubi ad eum pervenerant, allocutus est filium suum natu maximum, eique documenta dedit, quæ ei tamquam testamento servanda præscripsit, veluti hereditatem ipsius præcipuam. Quæ documenta a Rege bono propria etiam manu scripta fuisse intellexi *g*, ac sunt hujusmodi.

præclara filio suo

259 Care fili, primum quod te doceo, tibique servandum præscribo, est, ut Deum ames ex toto corde tuo, ac super omnia : nam absque hoc nullus potest salutem consequi : et diligenter caveto, ne quid facias, quod ei displiceat, puta peccatum : etenim deberes potius omnis generis cruciatus perferre velle, quam peccatum committere mortiferum. Si Deus adversa tibi immiserit, illa placide suscipito illique de iis gratias agito; et perpendito satis te ea esse meritum, omniaque ab eo tibi in bonum tuum convertenda. Si prospera tibi largiatur, ei gratias de iis humillimas persolvito, et caveto ne inde evadas deterior superbia, aliove modo : neque enim contra Deum donis ipsius, quæ nobis largitur, pugnandum. Confitetor crebro peccata tua, atque idoneum eligito conscientiæ tuæ arbitrum, qui sit vir probus, quique te tuto docere norit ea facere, quæ ad salutem animæ tuæ sunt necessaria, atque etiam illa vitare, a quibus tibi cavendum : talemque te præbeto, ut conscientiæ tuæ moderatores, consanguinei, ac necessarii tui libere te reprehendere possint de culpis, quas commiseris, teque etiam facta tua docere. Cultui Dei matrisque nostræ sanctæ Ecclesiæ pie assistito corde ac ore; præsertim sacrosancto Missæ sacrificio a consecratione Corporis Domini nostri, non jocando, aut nugando cum alio. Esto animo benigno ac misericordi erga pauperes, eosque solator, ac juvato quantum poteris.

Philippo

260 Bonas regni tui consuetudines tuetor, pravasque attenuato ac corrigito. Caveto tibi a cupiditate nimia, et populo tuo nimia vectigalia, aut subsidia ne imponito, nisi ratione necessitatis nimis urgentis ad defendendum regnum tuum. Si quo animi dolore crucieris, detegito illum confestim conscientiæ tuæ arbitro, aut alteri cuipiam viro probo, qui inhonesta proferre non soleat : atque eo modo facile poteris ferre dolorem tuum, per solatium, quod tibi suggeret. Allaborato diligenter, ut in societate tua habeas viros probos ac fideles, qui cupiditate non agitentur nimia : sive viri sint ecclesiastici, Religiosi, sæculares, aut alii. Fugito societatem improborum, et conator audire verba Dei, eaque in corde tuo servato. Perpetuo tibi procurato preces, orationes ac indulgentias. Amato honorem tuum *h*. Caveto quemquam feras, qui coram te ausit verbum quodcumque proferre, quod natum sit quemvis ad peccatum inducere, quive male de alio absente vel præsente loquatur, famam violando. Neque patitor quidquam turpe dici de Deo, de veneranda ejus Matre, Sanctove, aut Sancta. Sæpenumero gratias Deo agito de bonis ac prosperis, quæ tibi largietur. Jura quoque æque justeque cuilibet attribuito; tam pauperi quam diviti. Ministris tuis esto fidelis, liberalis, verbisque severus, ut te timeant atque ament veluti dominum suum. Si qua controversia aut litigatio moveatur, in te ipse inquire usque ad veritatem detectam, sive sit pro te, sive contra te. Si doctus fueris quidpiam penes te esse alieni, quod certum sit, sive per te, sive per antecessores tuos; illud curato restitui e vestigio.

deinde regnaturo

261 Omni diligentia considerato, quomodo populi ac subditi in pace justitiaque vivant sub administratione tua, præsertim in claris urbibus ac civitatibus, et alibi. Defendito immunitates et libertates, quas majores tui eis defenderunt et conservarunt, easque favore, atque amore prosequitor : divitiis enim ac potentia clararum urbium tuarum inimici adversariique tui te aggredi verebuntur, atque in te delinquere, præcipue Pares regni tui, magnates tui, aliique similes. Amato ac honorato viros quoslibet ecclesiasticos et Religiosos, diligenterque advigilato, ne ipsis eripiantur eorum reditus, dona, et eleemosynæ, quæ majores antecessoresque tui illis reliquerunt ac donaverunt. Refertur de rege Philippo avo meo, illi aliquando dictum fuisse ab aliquo ex consiliariis ipsius, ecclesiasticos efficere, ut perderentur atque attenuarentur ejus jura libertatesque, quin et jurisdictiones ipsius; vehementerque esse mirandum, quo modo id ita toleraret. Et rex, avus meus, ei respondit, se id quidem credere; at Deum tanta sibi beneficia, gratiasque præstitisse, ut mallet opum suarum jacturam aliquam pati, quam cum ministris sanctæ Ecclesiæ controversiam habere aut contentionem. Patri tuo matrique honorem habeto, ac reverentiam; et caveto eos ad indignationem moveas, bonis eorum præceptis morem non gerendo. Beneficia, quæ ad te spectabunt, dato viris

A viris probis, quin id facito consilio proborum virorum ac prudentium. Caveto bellum moveas contra hominem Christianum, nisi maturo consilio, cumque alio modo injuriæ occurrere non possis. Et si quod eruperit bellum, indemnes servato viros ecclesiasticos, eosque qui te nulla in re læserint. Si bellum et contentio vigeat inter subditos tuos, pacem, quam poteris citissime, inter eos conciliato.

dat documenta: 262 Invigilato frequenter prætoribus tuis peregrinis, tribunis capitalibus, aliisque administris tuis, atque in eorum administrationem inquirito, ut, si quid in iis reprehendendum, id facias. Advigilato ne quod turpe peccatum dominetur in regno tuo, blasphemia præsertim et hæresis: et si quod vigeat, tolli illud curato et exstirpari. Diligenter observato, ut in domo tua sumptus facias rationi congruos, et moderatos. Te quoque obsecro, fili mi, ut in morte mea memor sis mei, animæque meæ egenæ, mihique opem feras Missæ sacrificiis, orationibus, precibus, eleemosynis, et benefactis per totum regnum tuum: ac mihi partem tribuas et portionem in omnibus benefactis, quæ operaberis. B Te omni fausta precatione prosequor, quam umquam pater filio impertiri potest: orans totam cæli Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, ut te custodiat, atque ab omnibus malis defendat, præsertim a morte in peccato mortifero: ut possimus aliquando post hanc vitam mortalem coram Deo esse conjuncti ad gratias ei laudesque persolvendas sine fine in ejus cælorum regno. Amen.

extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus, sancte moritur. 263 Quando Rex bonus sanctus Ludovicus hoc modo instruxerat atque docuerat dominum Philippum filium suum, morbus, quo laborabat, vehementer mox cœpit increscere. Tunc postulavit Sacramenta sanctæ Ecclesiæ, quæ ipsi administrata fuere, dum vitæ erat plenus, sensibus integris, memoriaque firma; et manifeste hoc apparuit. Quippe dum ei administrabatur extrema Unctio, dumque recitabantur septem Psalmi, ipsemet respondebat *i* versiculos dictorum septem Psalmorum cum aliis, qui sacerdoti sanctam ei Unctionem administranti respondebant. Intellexi deinde ex domino comite Alenconio *k* ejus filio, Regem, cum morti appropinquaret, C conatum esse invocare Sanctos cælorum Sanctasque, ut sibi in suprema illa hora succurrerent, atque opem ferrent. Et nominatim invocabat dominum sanctum Jacobum, dicens orationem de eo, quæ inchoatur, Esto Domine. Dominum sanctum Dionysium Franciæ invocabat, dicens orationem de eo, quæ hisce æquivalet: Tribue nobis, Domine Deus, prospera mundi despiciendi ac obliviscendi gratiam, ut adversa nulla formidemus *l*. Dominam sanctam Genovevam item invocabat. Postea se imponi jussit lecto, cinere cooperto, manusque suas imposuit pectori suo; atque in cælum aspiciens, animam Creatori suo reddidit illa ipsa hora, qua Dominus noster Jesus Christus spiritum dedit in ligno crucis pro salute populi sui.

Dies mortis, corporis translatio, sepultura, miracula. 264 Miseranda res, et lacrymis digna, est obitus sancti hujus Principis, qui tam sancte vitam instituit, recteque regnum suum conservavit, et tot præclara erga Deum exercuit opera. Quemadmodum enim scriptor librum suum illustrat, ut pulchrior sit ac laudatior, pari modo Rex sanctus illuminaverat atque illustraverat regnum suum largis eleemosynis, monasteriis, templisque, quæ struxit atque fundavit in vita sua, ubi nunc Deus laudatur, honoraturque die noctuque. Postridie festum sancti Bartholomæi apostoli ab hoc mundo transiit ad alium, ejusque corpus delatum fuit in Franciam ad sanctum Dionysium; atque ibi sepultus fuit eo loco, ubi jam olim sepulcrum suum elegerat. Quo loco Deus ejus precibus multa deinde præclara patravit miracula. A. Joanne Joinvillio.

canonizatio. 265 Non longo post hæc tempore mandato Romani Pontificis antistes quidam venit Parisios, qui erat archiepiscopus Rotomagensis, aliusque cum eo episcopus: et se contulerunt ad Fanum sancti Dionysii in Francia *m*. Quo loco diu substiterunt ad inquirendum de vita, operibus, ac miraculis boni Regis, sancti Ludovici. Et significarunt mihi, ut ad se venirem, ibidemque fui biduo, ut ex me intelligerent, quæ de eo scirem. Et postquam ubique accurate inquisiverant de bono Rege sancto Ludovico, ad aulam Romanam deportarunt quæsitorum notitiam. Qua exacte, jureque legitimo visa, eum in numerum Confessorum retulerunt. Ex quo ingens lætitia fuit, atque esse debet in toto Galliæ regno, atque insignis gloria omnibus ejus genere oriundis, E illis certe, qui ejus sequi volent vestigia. Magno etiam dedecori erit illis ex genere suo, qui eum nolent imitari; digitoque monstrabuntur a dicentibus, quod numquam bonus Sanctus hujusmodi malitiæ, aut turpitudinis designasset opera.

corporis elevatio 266 Grato hoc nuntio Roma perlato, rex constituit ac designavit diem, qua sacrum corpus elevaretur *n*. Illud elevarunt: archiepiscopus Remensis *o* illius temporis, et dominus Henricus de Villiers eo tempore archiepiscopus Lugdunensis *p* illud portarunt a parte anteriori: multique allii archiepiscopi et episcopi, quorum nomina mihi ignota, a parte posteriori illud gestarunt. Postquam fuit elevatus, frater Joannes de Semours *q* de eo ad concionem dixit: atque inter alia ejus facta unum aliquod sæpe repetiit, quod ei de bono Rege dixeram: quodque erat de insigni ejus fidelitate. Etenim, ut antea dixi, ubi quidpiam Saracenis in itinere transmarino solo ac simplici verbo promiserat, nihil obstare poterat, quominus promissa sua servaret: neque propter centum librarum millium jacturam, fidem eis datam fallere voluisset. Totam etiam ejus vitam, sicut superius conscripta est, dictus F frater Joannes de Semours prædicavit. Finita prædicatione, rex ejusque fratres corpus Patris sui retulerunt in dictam sancti Dionysii ecclesiam, auxilio consanguineorum suorum; ut honorem haberent corpori, quod magno eis fuerat honori, modo ipsi non obstarent, quemadmodum ante dixi.

visio oblata Joinvillio, qui Sancto altare struit: 267 Etiamnum scribam aliquid ad gloriam boni Regis sancti Ludovici. Nimirum, quod, cum essem in sacello meo Jovisvillæ die quadam coram me esse videbatur lætitia gestiens. Ego pariter lætabar, quod eum conspicerem in acstro meo: atque ei dicebam: Domine Rex, quando hinc discedes, te ducam hospitio excipiendum ad aliam quamdam domum meam, quam habeo ad Chevillon *r*. Et visus mihi fuerat ridendo respondere: Domine Joinvilli, per fidem, quam tibi debeo, hinc non discedam tam cito, quandoquidem hic sum. Postquam fui expergefactus, mecum cogitabam, Deo, illique placere, ut ipsum in sacello meo exciperem; quod deinde continuo feci. Nam altare in Dei ac ipsius honorem construi jussi, ibidemque stabilivi Missam perpetuam in dies singulos, ad gloriam

A JOANNE JOINVILLIO. riam Dei, ac Domini sancti Ludovici, bene fundatam. Hæc autem commemoravi domino Ludovico *s*, ejus filio, ut exsequens voluntatem Dei, Dominique sancti Ludovici habere merear particulam quamdam reliquiarum veri corporis domini sancti Ludovici, in sacello meo Jovisvillæ servandam, ut, qui ejus altare conspicient, majori in hunc Sanctum ferantur pietate.

quanta narratis fides habenda. 268 Et notum facio omnibus exigui hujus libelli lectoribus, ea, quæ dico me vidisse atque ex eo cognovisse, vera esse; eisque firmiter credenda. Alia, quæ non nisi ex auditu testor, bono ea sensu excipite, si placeat: orantes Deum, ut precibus domini sancti Ludovici donare nobis dignetur, quæ necessaria nobis esse noverit, tam quoad corpus, quam quoad animam. Amen.

ANNOTATA.

a *Anno nimirum 1267. Adi Commentarium § 76, ubi hæc comitia sunt exposita.*

B b *Gallice*, de sarge de Reims. Pannus *est* contextus rectis et transversis cancellatim filis, *aiunt Trivoltiani in Dictionario ad vocem* serge. *Ubi addunt ex panni illius specie, quæ Remis texitur, ac vulgo vocatur* serge de seigneur, *vestes componi æstivas oblongas. Plura ibi de leviori illo communique panno lector inveniet.*

c *Chaizius tom. 2, pag. 532 suspicatur, damnum illud potius illatum fuisse a ministris regis Navarræ, qui tunc erat Theolbadus I, princeps sane minus religiosus: quod mihi quoque verisimilius apparet, tum quia Theobaldi vassallus erat Joinvillius, cujus ditio erat in Campania; tum etiam quia Theobaldus non fuerat comitatus in illa expeditione* Ludovicum.

d *Hæc videlicet vox erat dolentium ob mortem Regis inde consecutam.*

e *Id quidem jam anno 1254 fuerat factum, adeoque parum probat: sed non videtur Sanctus pristinas vires umquam recuperasse.*

f *Id est, in ditione Tunetana.*

C

g *Hinc patet, Joinvillium non habuisse hæc documenta manu Regis scripta, sicut habuit Gaufridus, qui ea dedit in Vita prima cap. 2. Adi Commentarium num. 1115 et seqq.* D

h *Hoc monitum apud alios auctores non invenio.*

i *At voce valde tenui, ut habet Vita secunda num. 163.*

k *Petrus comes Alenconius inter testes quoque pro canonizatione interrogatos recitatur in Vita secunda num. 7. De ipso facta est hinc inde mentio in Commentario.*

l *Ipsa Oratio habetur in Vita prima num. 64, ubi hæc confirmata lector inveniet, aliaque non pauca. De his quoque agit Commentarius a num. 1118, Vita secunda a num. 162, et Carnotensis cap. 5.*

m *Loquitur de inquisitione publica, quam anno 1282 cœptam, probavimus in Commentario § 91, ubi et reliqua ad canonizationem spectantia pertractavimus.*

n *De corporis elevatione consule Commentarium § 94.*

o *In Gallia Christiana Sammarthanorum tom. 1, pag. 529 et 530 archiepiscopus eo tempore Remensis occurrit* Petrus Barbet, *cujus mors illigatur anno 1300.* E

p *Apud novissimos Galliæ Christianæ editores tom. 4, col. 158 vocatur* Henricus de Villars, *ejusque gesta ibi memorantur: et col. 159 obiisse probatur anno 1301.*

q *Plerique recentiores putant legendum* de Samois, *quod verum existimo. Fuit autem Samesius eodem anno creatus episcopus Rhedonensis, sequenti Lexoviensis, ut notavimus ad præfationem Vitæ secundæ lit.* c.

r *Locus hic mihi ignotus, nisi sit vicus* Cheville, *quem duabus fere tribusve leucis Jovisvilla distantem exhibent tabulæ geographicæ Campaniæ.*

s *Significat verosimiliter Ludovicum X, cui Vitam dedicavit: ac filium vocat eodem sensu, quo in epistola dedicatoria, licet abnepos esset* S. Ludovici.

F



DIES

A D

DIES VIGESIMA SEXTA AUGUSTI

SANCTI, QUI VII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR

Sanctus Justus, S. Orontius, S. Fortunatus — MM., Lycii in provincia Hydruntina Italiæ.
S. Alexander M., Brixiæ in Italia.
S. Simplicius, S. Constantius,
B S. Victorianus — MM. apud Marsos in Aprutio Italiæ.
S. Zephyrinus Papa Romæ.
S. Abundius, S. Irenæus — MM. Romani.
S. Secundus martyr, ac dux, ex legione Thebæorum, apud Albintimelium in Liguria Italiæ.
S. Alexander martyr, Bergomi in Italia.
S. Adrianus martyr, Nicomediæ, ut volunt.
S. Atticus M., S. Sisinnius M., S. Ibistion conf. — apud Græcos.
S. Poeclanus vel Heclanus, S. Mercurius. Item S. Basilla, S. Maximilianus,
C S. Quintus vel Quintinus. Item S. Sevus, S. Victor, S. Primus, S. Victor, SS. Milites forte xxv. — Martyres.
S. Jannarius episcopus, ac fortasse S. Felix, S. Honoratus diaconi — Martyres, Marsici in Lucania.

S. Theodorus I, ep. Octodurensis vel Sedunensis conf. in Vallesia apud Helvetos.
S. Tithoes monachus in Thebaide.
S. Gelasius ep. Pictaviensis.
S. Rufinus ep. conf. Capuæ in regno Neapolitano Italiæ.
S. Euladius seu Eulalius ep. Nivernensis in Gallia. E
B. Pelagia vidua apud Lemovices in Gallia.
S. Elias ep. conf. Syracusis in Sicilia.
S. Bregwinus ep. et conf. Cantuariæ in Anglia.
S. Victor martyr, Ceresi in Castella veteri Hispaniæ.
S. Felix presbyter conf. Pistorii in Italia.
B. Liberatus de Lauro, B. Humilis, B. Pacificus — conff. ex Ordine FF. Minorum, in Marchia Anconitana Italiæ.
B. Margarita Faventina, virgo et abbatissa, Ordinis Vallumbrosani, Florentiæ. F
B. Joannes a Caramola conf., Ordinis Cisterciensis conversus.
B. Villana Bottia Florentiæ in Etruria.
B. Joannes Bassandus conf., ex Ordine PP. Cælestinorum, in monasterio Collismadiensi prope Aquilam in Vestinis.
S. Rosa virgo, ex tertio Ordine S. Dominici, Limæ in Peruvia, Americæ provincia.

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

Nivernis, sancti Æoladii episcopi, qui concilio Lugdunensi secundo interfuit, *commemoratio inscribitur novo Martyrologio Parisiensi; sed die, ut videtur, non suo. Saussayus eum ponit in Supplemento ad diem* XXVI *Februarii, quo etiam apud nos habetur. Hoc vero die* XXVI *Augusti in variis Fastis signatur* S. Eulalius, *non vero* Æoladius, *a priore omnino diversus, uti hac die* XXVI *apud nos licet videre. Hunc itaque consulat lector, vel adeat diem* XXVI Februarii.

Commemoratio S. Guthlaor anachoretæ *notatur inter auctaria ad nostrum Usuardum e codice Altempsiano. Quærimus iterum, an non* Guthlaci anachoretæ. *Si hic sit, egimus de illo ad diem* XI Aprilis.

B Drogonis confessoris patroni contra calculum *mentio fit in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum: de eo etiam alibi. Lege quæ jam pridem dedimus* XVI Aprilis.

Ab Incarnatione Domini MCXXXI anno combusta est ecclesia sancti Richarii cum tota villa et fere cum trecentis promiscui sexus viris et mulieribus, feria IV, VII Kal. Septembris. *Hæc e codice Centulensi notantur inter Auctaria Usuardi a nobis editi. S. Richarius, fundator et abbas Centulensis in Gallia, habetur apud nos die* XXVI Aprilis.

Apud Ravennam sancti Marciani episcopi, discipuli sancti Apollinaris, primi illius urbis episcopi, *ex Florario nostro Ms. Adeat lector apud nos* XXII Maii.

Apud Parisios sanctorum martyrum Georgii, Aurelii, Felicis, Natalis, et Liliosi *annuntiatio signatur a Ferrario in Novo catalogo Sanctorum,* ex Renato Bened. in Vit. SS. Galliæ, *uti addit in notis; ac,* Mihi, *inquit,* videntur iidem cum iis, qui Cordubæ sub Sarracenis in Martyrol. Rom. die XXVII Julii passi referuntur: licet ibi Natalia et Liliosa, C non Natalius *(Natalis)* et Liliosus, ut apud Renatum (qui passos esse refert apud Parisios) legatur. *Ita Ferrarius, et recte; qui error topographicus palæstræ inde exortus sit, quod duo primi e dictis Martyribus (adde caput sanctæ* Sabigothonis *seu* Nataliæ, *sicut apud nos vocatur die mox designando) Corduba Parisios delati fuerint. Historiam hujus translationis, ac singulorum Pugilum Vitam ac passionem exhibuimus ad diem* XXVII Julii.

Autisiodoro, Eleuterii episcopi *annuntiatio est apud Usuardum. Occurrit etiam hac die in variis aliis Martyrologiis, nimirum Canisii, Maurolyci, Bellini, Castellani, quibus adde apographa Hieronymiana apud Florentinium, et Saussayum in Serie Sanctorum, Beatorum ac Piorum. Signatur in Romano ad diem, quo ipsum dedimus,* XVI Augusti.

In Asia S. Ursacii militis Persæ et martyris sub Licinio *memoria habetur in Novo catalogo Ferrarii,* ex Tab. Græcorum, *sicut affirmat in notis,* qui de eo hac die in Menol., *et addit de eo agere Metaphrasten. Quodnam Menologium illud sit, nos latet. Certe inter varias Tabulas Græcas, quas inspeximus, nusquam hac die Sanctum illum invenire nobis licuit. Ad Metaphrasten quod attinet; Ferrarius non indicat, quo loco de illo tractet, et an seorsum Passionem ejus conscripserit, an conjunctim, occasione certaminis aliorum Pugilum. Quidquid sit, assignatum a Ferrario documentum hactenus non reperimus. Quid si hic* Ursacius *confusus sit cum* Arsacio, *seu* Ursacio, *de quo ad diem* XVI *Augusti: nam, etiamsi Nicomediæ in Bithynia annuntietur, et cum titulo confessoris, vixisse tamen scribitur sub Licinio, et e milite factus solitarius, nec non natione Persa fuisse. Actorum ejus compendium dedimus ex Sozomeno ad dictum diem* XVI Augusti.

Tude in Gallæcia Hispaniæ S. Mametis, qui tempore Gothorum sic vitam texuit cælestem, ut merito confessoris gloria venerari meruerit; E *ex Tamayo hac die, qui fatetur in notis nullam ipsius fieri mentionem in Martyrologiis antiquis et recentioribus. Unde igitur illum nobis obtrudit? Mirum foret, si non ex famosa sua figlina. Ecce enim,* Illius, *ait,* memoriam publicam fecit Luitprandus in Advers. num. 64. *Alios huic adjungit scriptores; sed non merentur nominari. Ex iis tamen, quæ sequuntur, observo ista:* Tempore Maurorum, relictis reliquiis in Asturiis, et per Hispanias, ad Cyprum delatus est a Christianis. *Quod de reliquiis in Asturiis dicitur, credit Tamayus* intelligendum apud Ovetum. *Est etiam, qui* Mametem *vocat* eremitam. *Ad hæc notat Tamayus,* quod in diœcesi Tudensi sunt hodie decem ecclesiæ parœciales S. Mameti dicatæ, *quarum nomina exprimit. Nos* Mametem *illum supra descriptum nec novimus, nec admittimus, nisi meliori auctoritate probetur. Dedimus ad diem* XVII *Augusti S. Mamantem vel Mammetem martyrem, tomo* III *ejusdem mensis a pag. 423; ibidem pag. 426 quæsitum, an duo martyres Mamantes in unum confusi; an corpus* F *S. Mamantis, de quo egimus dicto die* XVII *Augusti, delatum fuerit Mediolanum, an in Cyprum, pag. 433. Quid si hic sit Mamas martyr cultu celeberrimus, qui in variis locis diœcesis Tudensis honoretur, et unde apud Tamayum confessor ille conflatus sit? Consuli interim possunt, quæ habentur apud nos die* XVII Augusti.

Octava S. Ludovici episcopi et confessoris *signatur apud Bellinum. Dies hæc octava est a die* XIX *hujus mensis, qua illustravimus Acta S. Ludovici episcopi Tolosani, atque adeo Bellinum de illo intelligimus. Plura de ista Octava videri possunt apud Arturum et Hueberum: de Sancto autem apud nos* XIX Augusti.

Anastasii martyris *meminit Grævenus: Florarium nostrum Ms.* Anastasii fullonis martyris. *Inter Auctaria ad Usuardum nostrum e codice Centulensi:* Civitate Salona, sancti Anastasii martyris: *de quo etiam apud Florentinium. Inter dicta Auctaria e codice Bruxellensi:* Depositio sancti Anastasii presbyteri et martyris. *Verum quisnam sit ille* Anastasius presbyter,

non

A *non est mihi promptum dicere.* S. Anastasium *vel* Attalum *M. Salonensem habes ad diem* XXI *Augusti : ubi hunc ab* Anastasio fullone *secernendum indicavimus. Salonensis hac die* XXVI *notatur a Maurolyco, nec non in Rhinoviensi Martyrologio Hieronymiano contracto. Sed cum de eo ad diem* XXI *prædictum egerimus; alius vero referatur in Romano ad diem* VII *Septembris, uti patet ex notis Baronii; superest, ut lectorem mittam ad dies, quos indicabam,* XXI Augusti et 7 Septembr.

Sanctorum martyrum Luxorii, Ciselli, et Camerini in Sardinia passorum *meminit Ferrarius in Novo suo catalogo Sanctorum. De iis vide apud nos* XXI Augusti.

Cenomanis, S. Tenestinæ virginis abbatissæ *annuntiatio refertur ab Arturo in Gynæceo : de qua Sancta etiam agunt Ferrarius in suo Novo catalogo Sanctorum, Saussayus ac Castellanus. Sed nos eam dedimus* XXIV Augusti.

S. Audoeni, episcopi et confessoris memoria *habetur apud nos inter Prætermissos ac dilatos in alios dies, ad diem* V *Maii, ac differtur ad* B *hunc diem* XXVI Augusti. *Voluerint scribere diem, quo de illo egimus,* XXIV Augusti.

S. Patricia virgo *hac die colenda scribitur in Catalogo Sanctorum ecclesiæ Neapolitanæ, qui anno 1619 editus est; sicut diximus ad diem, quo de illa cum Martyrologio Romano egimus,* XXV Augusti.

Ermina vidua *titulo* beatæ *insignitur ac refertur a Castellano hac die :* cujus, *uti addit,* Gerson Vitam scripsit. *Heri inter Prætermissos piæ ac mirabili huic Mulieri locum dedimus inter solos venerabiles, facta etiam mentione de Castellano : ubi item diximus de vero Vitæ ejusdem auctore. Adeat itaque lector diem* XXV Augusti.

In territorio Lemovicensi sancti Redii *(immo* Aredii) presbyteri et confessoris, *ex Florario nostro Ms. Adeat lector diem* XXV Augusti.

Theodoli episcopi et confesoris. *Est annuntiatio Greveni. Datur a nobis hac die S. Theodorus seu Theodulus episcopus Octodurensis vel Sedunensis, in Vallesia apud Helvetos, hujus* C *nominis primus; eademque occasione dicimus, coli alios duos a priore distinctos, ejusdem cathedræ episcopus, videlicet ad dies* XVI et XXVII Augusti.

Augustæ Vindelicorum beatus Sibotus episcopus *refertur apud Chrysostomum Henriquez in Menologio Cisterciensi, et apud Chalemotum; qui rectius abstinet a nuncupatione* beati.

In Germania beatus Willelmus. . . in monasterio Heisterbacensi, *ex eodem Chrysostomo Henriquez, qui more suo magis est solicitus de multiplicandis titulis* beatorum, *quam de probando eorum, quos ita vocat, cultu.*

S. Milesii ep. et aliorum quindecim *annuntiationem satis obscuram, quæ habetur in nostro Florario Ms., aliis elucidandam relinquo.*

Albereæ virginis Benedictinæ, *prævio* beatæ *titulo, ac positione loci, videlicet* Marciniaci Lugdunensis diœcesis, *commemoratio fit ab Arturo in Gynæceo : at de cultu nihil.*

S. mart. Andreæ *memoria scribitur in Ruthenorum Kalendario, quod edidit Possevinus in Apparatu sacro a pag 364. Quisnam sit ille martyr, non novimus.*

S. Peregrinus, S. Romani Scotorum regis filii famulus *legitur apud Camerarium, qui lectorem mittit ad* Vitam ejus per Peregrinum Carpium, Tabulas Lucenses et Mutinenses. D

Sanctorum Martyrum decem et septem *memoria habetur in Florario nostro Ms. Non scimus quo referri debeant. Legi tamen possunt, quæ hoc die dicemus inter Sanctos ex apographis Hieronymianis.*

Isaac et Maximiani martyrum *meminit Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ inter auctaria Usuardi a nobis editi. Ibidem hæc affertur ex Greveno annuntiatio :* Apud Carthaginem, sanctorum Isaac et Maximiani martyrum. *Adde Florarium nostrum Ms., in quo hæc sunt :* Passio sanctorum Ysaac et Maximiani in Carthagine civitate. *Et sequitur :* Siquidem defendente præside civitatis, in solo Deo Patre unitatem, et prohibente in uno solo Deo prædicari Trinitatem. . . , forum, ubi hoc ferale dictum scribebatur, ascendunt, et funestos apices. . . manu violenta dissipaverunt. Mox rapti ad tribunal judicis, verberibus virgarum et plumbatarum contunduntur. . . Donec. . . in mortem detrusi, a Domino Christo, F cujus defenderant cum Patre æqualitatem, meruerunt coronari. *Hæc in compendium e dicto Florario extracta sunt. Sed tam pseudo-martyres sunt, qui nobis obtruduntur, quam falsum illorum elogium, uti conficitur e tomo 4 Veterum analectorum a Mabillonio vulgatorum pag. 119 et sequentibus editionis prioris; ubi exstat* Fragmentum epistolæ Macrobii Donatistæ de passione Maximiani et Isaac Donatistarum, ad plebem Carthaginensem. *In nostro codice Ms. membranaceo Q Ms. 6, fol. 55 est hic titulus :* Incipit passio sanctorum Martyrum Isaac et Maximiani die VII Kalendarum Septembrium. *In fine autem narrationis fol. 58 apponitur :* Explicit epistola beatissimi martyris Macrobii ad plebem Carthaginis de passione Isaac et Maximiani. *Quod Passio ista sit consimilis Fragmento apud Mabillonium edito, comperi ex utriusque collatione. Solus autem characterismus ille* traditores, *qui variis locis ibidem occurrit, nonne argumento est, et epistolæ illius auctorem Macrobium, et martyres, in eadem descriptos,* E *esse e secta Donatistarum? Nam, etiamsi nomen illud* traditores *inditum fuerit impiis Christianis, qui territi metu persecutionum, ac spe vitæ longioris allecti tradiderint Scripturas sacras, id tamen Catholicis impegerunt Donatistæ, capta inde occasione, separandi sese ab Ecclesia Catholica; ut mirum non sit, in dicta Passione per invidiosum illud cognomentum Christianos designari ab isto auctore Passionis Donatista. De isto cognomento agit S. Augustinus lib. 7 de Baptismo contra Donatistas, pag. 75 editionis Plantinianæ tomo 7. Consule annotationes, quas laudatus supra Mabillonius præfigit Fragmento, quod edidit, a pag. 115; ac Tillemontium Monumentorum eccl. tomo 6, in Donatistis, art. 48. Quibus addi potest Remigius Ceillier tomo 6 Historiæ generalis auctorum sacratorum et ecclesiasticorum cap. 16, pag. 623. Hæc sunt, quæ nos terruerunt, ne* Isaac, *et* Maximianum *tamquam veros martyres Operi nostro insereremus.*

S. Panduinæ virginis commemoratio *hac die* Isselbæi in provincia Lincolniensi *notatur in Martyrologio Anglicano Wilsoni; (utor editione anni 1640) et laudatur a nobilitate,* vitæ

A *vitæ sanctitate, ac miraculis, anno circiter Christi 900 signato. Corpus ejus in dicto loco sepultum refertur ibidem, ac magno olim in honore ac veneratione habitum. De illa etiam agitur apud Molanum in Appendice ad Usuardi Martyrologium anno 1573 typis editum, fol. 226, sub nomine Pandionæ :* quam alii, *uti est apud Alfordum in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum 900, num. 9,* communiter Pandoinam vocaverunt. *Ibidem scribitur :* Fuit illa regii generis, e Scotia oriunda. . . In Angliam venit pietatis causa, patris tyrannidem fugiens : atque ibi sancte moritur. *Pitseus in Appendice illustrium Angliæ scriptorum centuria tertia, pag. 896 in Richardo Eltesleio, inter alia, quæ de illo memorat,* Habebat, *inquit,* hic bonus pastor in ecclesia sua reliquias Pandionæ virginis, filiæ reguli Scotiæ. . . Hujus igitur Vitam et virtutes, lectis diligenter historiis, collegit, et in unum volumen conjecit, et demum sub hoc titulo edidit VITAM PANDIONÆ VIRGINIS LIBRUM UNUM. Hæc fere Lelandus in quarto de viris illustribus libro. Sed nec apud illum, nec apud quemquam alium hactenus invenio, qua tempestate claruerit hic auctor. *Illum tamen ponit ante alium Richardum, quem innectit anno 1500. Denique Virgo hæc tamquam Sancta annuntiatur a Castellano in Martyrologio universali. An vero publica ac stricti nominis veneratio ipsi debeatur, certius fortasse nobis constaret, si ad manum esset Vita superius assignata. In priore editione Wilsoni citatur quidem in notula marginali* ejus Vita apud Jo. Capg. in Cat. SS. Angl.; *sed in editione posteriore hæc omissa sunt. Enimvero nec in tabula, Catalogo isti seu Legendæ Sanctorum Angliæ præfixa, nec in Ms. indice ad illam nostro, Vitam illam reperio. Æqui ergo bonique consulat lector ea, quæ de hac Virgine collegi hoc loco, honoratiorem habitura in Supplemento nostri Operis, si certiora de legitimo ac publico ejus cultu documenta subministrari contigerit.*

B

In festo S. Amandi confessoris duplex primæ classis die vigesima sexta Augusti *Officium proprium, cum Octava invenimus inter nostras schedas Mss. de Sanctis ejusdem diei : quod Officium* R. P. Godefrido Henschenio *misisse indicatur in nostro apographo* Armandus Gerard can. Sarlatensis *anno* MDCLXIV : ex traditionibus, *uti prænotatur,* ecclesiæ sancti Juniani. *Laudatus vero R. A. D. Gerardus in fragmento litterarum suarum, quod ante me habeo, scribit ista :* Officia Mss. SS. Amandi Confess. XXVI Aug., et Juniani XVI Octobris. . accepi ex ecclesia collegiata S. Juniani in Lemovicibus. *Deinde rogat, ne confundantur SS. Juniani duo, prout fecisse observat Labbeum in Indice tom. 2 Bibliothecæ novæ, videlicet S. Junianus Nobiliacensis, cujus Vitam dedit pag. 569, ac S. Junianus Commodoliacensis, qui est ille, de quo, inquit, loquimur. Apud nos tomo* V *mensis Junii, die* XXV *ejusdem mensis, pag. 78 actum est de SS. Amando et Domnoleno Gimæliaci in Petracoricis, et ibidem e Vita S. Juniani Commodoliacensis, danda, ut ibi dicitur, ad* XVI *Octobris, profertur fragmentum de S. Amando Commodoliacensi : quod dum contuli cum lectionibus ejus supra allegatis, congruentiæ, quæ in his, et in isto fragmento occurrunt, mihi suadent, in utraque narratione relucere S. Amandum Commodoliacensem : ut mirum appareat, tunc illud fragmentum ibi relatum fuisse, loco utique, prout nobis videtur, non suo. At de hoc Sancto, ac præsenti controversia tractari poterit in Supplemento Operis, si posteris nostris videbitur. Legi interim possunt, quæ habent Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib. 4, a pag. 208, et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 508, num. 25.*

C D

Maximiliani confessoris *nomen signant Grevenus ac Molanus : apud Canisium annuntiatur* Romæ : *qui donec aliunde compareat pluribus ac distinctioribus notis expressus, fateor candide, me de eo plura dicere non posse : nisi fortasse sit martyr synonymus, de quo hac die scribemus inter alios Martyres ex apographis Hieronymianis.*

Becci in pago Rothomagensi, depositio beati Herluini, ejus loci abbatis primi et fundatoris, magnæ humilitatis viri. *Hæc Menardus in suo Martyrologio Benedictino. Acta ejus illustravit Mabillonius seculi sexti parte 2 a pag. 340; sed nullo cultu publico illum coli affirmat pag. 342 :* Etsi, *inquit,* tanta fuerint Herluini merita, ejus tamen memoria nullo cultu publico celebratur, ne quidem apud nostros Beccenses, ubi hactenus visitur ejus sepulcrum in medio Capituli, nigro lapide variis figuris ornato tectum, ac paulisper e terra elevatum. Anniversarium ejus annis singulis solemniter celebratur cum ornamentis pretiosioribus, et festivo campanarum sonitu; sed dicitur Missa pro defunctis. Invenimus tamen in vetusto cod. Ms. Gemeticensi tres orationes in sancti Herluini invocationem compositas, quæ sane innuere videntur, eum aliquando pro sancto habitum fuisse. Has orationes infra exhibebimus. *Superest itaque, ut laudato Abbati locum et nos tribuamus inter solos venerabiles.*

E

Ordo militaris S. Bernardi in Hisp. sub instituto Cisterc. sumpsit exordium. *Notatio est Kalendarii Cisterciensis, quod anno 1617 editum est Divione. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1162, cap. 2 consuli potest.*

F

In Flandria in territorio Furnensi beatus Balduinus monachus *laudatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi; sed Chalemotus* beatæ memoriæ *titulum ei tribuit; qui inter pios etiam notatur apud Saussayum in Serie Sanctorum, Beatorum ac Piorum.*

Hoc die celebrámus sequelam laudiferam thaumaturgæ imaginis Wlademiricæ purissimæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ; *ex Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano ad* XXVI *Augusti.*

Franciscus a Brixia confessor Ordinis Minorum apud Fulginium, *laudatur ac beatus vocatur a Lucentio in libro, qui inscribitur Fulgor Fulginii in splendoribus Sanctorum, pag. 184. In notis autem pag. 185 scribitur obiisse* XXVI *Augusti, aliis* IV *Junii, anno 1523. Nos Viro inter venerabiles hic locum damus. Agunt de illo Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano, Jacobillus in Vitis Sanctorum ac Beatorum Umbriæ, tom. 2, pag. 170 et 171, et Hueberus in Menologio ejusdem Ordinis; sed ultimus hic non appellat eum beatum.*

Aurelii

A Aurelii presbyteri *simplex notitia exstat apud Grevenum : quis vero hic sit, vel quo referendus, ignoro.*

Recollectio festorum D. V. *a Bollando notatur ex Kalendariis variis innominatis in Catalogo Ms. Sanctorum, quem collegit.*

De sancto Willielmo Wykwane archiepiscopo *varia memorat Thomas Stubbs Ordinis Prædicatorum in Chronico Pontificum Eboracensium, inter scriptores decem Historiæ Anglicanæ Londini excuso anno 1652, columna 1727; ubi post alia hujus præsulis gesta, narrantur sequentia :* Functus est archiepiscopatu quinque annis et dimidio. Quibus expletis, cessit pontificatui, et in partes transmarinas secessit. Et cum venisset Pontiniacum *(monasterium est Cisterciense in Gallia)* gravi infirmitate aliquanto tempore vexatus, et usque ad extrema perductus, in Domino feliciter obdormiens vitam finivit. Obiit autem idem venerabilis pater Willielmus apud Pontiniacum VII Kalend. Septembris anno pontificatus sui VI, et anno Domini MCCLXXXV..., et B in ecclesia monasterii Pontiniacensis cum honore tanto patri debito sepultus est; ubi per ejus merita divina pietas plurima operatur miracula. *Castellanus sic eum annuntiat hac die :* Pontiniaci in diœcesi Autisiodorensi, beatus Vycvanius, archiepiscopus Eboracensis. *Sed nos nec* beati, *nedum* sancti *titulo præsulem illum aliis hujus diei cælitibus attexere audemus, præsertim quod a prædicto chronologo vocetur* venerabilis pater ; *donec vel Pontiniacenses, vel alii eruditi Galli nos docuerint, verum ac legitimum ei cultum deberi.*

Imago Christi Edessena, quondam ad Agabarum missa, Constantinopolim venit æræ Christianæ CMXLIV ; *ut refert Schmidius in Diario historico ad hunc diem* XXVI *Augusti, citans Curopalatam.*

Nicolaus Clementellus, *Mirabelli in territorio Pictaviensi*
Joannes Torigneus, *ibidem*
Ruffinus Ferezanus conf., *in provincia sancti Angeli*
C Incognitus Tornaretensis conf., *in valle aspera ad Tessam in Apulia*
Joannes Camarinus conf., *Camari in Sicilia*
Achatiæ a Passione, virginis, *Alanquerii in territorio Ulyssipponensi*

Apud Arturum a Monasterio, duo primi cum titulo Martyrum; omnes vocantur beati : *ultima est etiam in Gynæceo ejus.*

De Francisco Brixiensi, *quem etiam habet Arturus tamquam beatum, in hoc catalogo seorsum agimus.*

Venerabilibus jam memoratis additur apud Hueberum Angelus seu Angeluccius, *Luceriæ Saracenorum in Apulia :* Andreas Insulanus, *in Algarbia :* Maria Angela, *Monachii in Bavaria :* Andreas de Ravenna. *Recte autem cavet laudatus Hueberus prodigam ac promiscuam illam tituli* beatorum *multiplicationem.*

B. Simon dalla Rocca Contrada, quæ Ripalta vocatur, *ponitur in brevi Relatione nonnullorum Beatorum, qui fuerunt disciplui beati Silvestri abbatis, et fundatoris congregationis monachorum Silvestrinorum; quæ Relatio exstat ad calcem brevis Chronici ejusdem congregationis, auctore Sebastiano Fabrini, ejus-* D *dem instituti monacho. Verum tam de prædicti* Simonis, *quam de aliorum, quos nominat ista Relatio, publico ac legitimo cultu edoceri desideramus; de cujus veritate informari jam pridem etiam petiit Papebrochius noster. De hoc* Simone *varia collegit Jacobillus da Foligno in Vitis Sanctorum ac Beatorum Umbriæ, tom. 2, pag. 171 et seqq., qui locum* Rocca Contrada *vulgo dictum, ac supra nominatum, pag. 171 etiam describit.*

Asclepiæ viduæ *commemoratio inscribitur in nostro Florario, de quo supra, et in Greveno. Plura nos latent.*

Papiæ, sancti Joannis episcopi et confessoris *memoriam facit Galesinius. Erit de eo agendi locus cum Martyrologio Romano ad diem* XXVII Augusti.

Consuarannis, sancti Glycerii seu Licerii episcopi, qui concilio Agathensi subscripsit : cujus nomine extat urbs et ecclesia cathedralis, *ex Martyrologio novo Parisiensi. Inter Prætermissos ad diem* VII *Augusti, dum dictum Martyrologium nondum prodierat in lucem,* E *indicavimus, alibi* Glycerium *et* Licerium *pro eodem accipi, ut supra etiam fit; alibi hunc ab illo distingui, ac solum* Licerium *Sancti titulo honorari; illumque etiam coli inter auctaria Usuardina die* XXVII *hujus mensis. Quia itaque accuratius hujus rei examen a die* VII *ad* XXVII *Augusti tunc dilatum est; consulat lector, quæ de ista controversia dicemus ad designatum diem* XXVII Augusti.

S. Ebbonis episcopi *(Senonensis) memoria occurrit hac die in Florario nostro Ms., qua etiam notatur a Menardo; item a Mabillonio in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec. 3 part. 1; ubi a pag. 647 illustratur Vita ejus. Refertur autem in Martyrologio Castellani, et in novissimo Parisiensi ad diem, quo et nos eum remittimus,* XXVII Augusti.

Sabiniani, Honorati, Aroncii, Fortunaciani martyrum *memoria fit in Additionibus Mss. Bruxellensibus ad Usuardum Greveni. Sunt apud Castellanum die* XXVII *Augusti, ubi pro* Fortunaciano *scribitur* Felix. *Nos conabimur dispicere, et dare, quæ illis conveniunt, eodem die* XXVII Augusti : F

Cardonæ in diœcesi Celsonensi in Catalonia obitus venerabilis Raymundi Nonnati, Ordinis de Mercede, Cardinalis Diaconi sancti Eustachii, *inscribitur Martyrologio universali, quod edidit Castellanus; sed de illo Sancto instituetur a nobis sermo cum Romano Martyrologio, ad diem* XXXI Augusti.

Pictavis, S. Justini episcopi *annuntiatio notatur in novo Martyrologio Parisiensi, addita temporis nota circa annum 300. Castellanus Virum hunc annuntiat die prima Septembris sub eodem chronologico charactere. Apud Joannem Besly in Episcopis Pictaviensibus pag. 3,* ex Calend. matris ecclesiæ Pictav. *signantur* VII K. Sept. natales SS. Gelasii, et Justini episcoporum : *sed in priore editione Galliæ Christianæ apud Sammarthanos tomo 3, pag. 867 dicuntur eorum* natalitia... coli Calendis Septembris. *In novissima autem ejusdem Operis editione ante episcopos prædictæ sedis tomo 2, pag. 1137 ex veteribus catalogis allatos, nominatur* S. Justinus, *et coli dicitur* Calend. Septemb. *In Serie vero ipsa episcoporum columna 1142 ponitur* S. Gelasius, *de*

A de quo apud nos agetur hac die XXVI *Augusti; quia aliqua saltem de eo referre possumus, quæ plus significent, quam solam cultus annuntiationem. Aliter accidit in* S. Justino : *nam præter illa, quæ de ejus veneratione publica jam protulimus, nihil jam habemus exploratum. Quamobrem rogatos volumus eruditos Gallos, ut, si quid amplius de laudato Præsule alicunde eruerint, nobiscum id communicare non graventur pro die, quo ipsum differimus,* I Septembr.

Gratæ matronæ sanctæ, quæ beatum Alexandrum sepelivit. *Grevenus. Martyrologium vulgo Canisianum addit clarius, ab ea sepultum fuisse* Alexandrum, *de quo ibi proxime inciderat mentio; qui videlicet etiam hoc die annuntiatur in Martyrologio Romano. Consule, quæ heri dicta sunt inter Prætermissos, pro die* IV Septembris.

Sanctorum martyrum Hadriani, et sociorum *festum celebratur apud Græcos hac die; apud Latinos vero* VIII Septembris.

B Translatio S. Lamberti de crypta in altare S. Crucis, *ex Molano :* exaltatio *vocatur in Martyrologio, quod adscribitur Canisio. Spectat hic Sanctus ad diem* XVII Septembris.

Alchas episcopus confessor Tulli *inter Sanctos ponitur hac die apud Saussayum in Serie Sanctorum, Beatorum ac Piorum. Sed Castellanus illum annuntiat die* XXVIII *Septembris :* D *ad quem et nos eum differimus. Exspectet itaque lector dicenda ad eumdem diem* XXVIII Septembris.

In Beneventana civitate translatio sancti Mercurii militis et martyris, *ut perhibent Additiones Cartusiæ Bruxellensis supra indicatæ. Consuli præterea possunt Auctaria ad Usuardum a nobis vulgatum, Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum, ac Marius de Vipera in Sanctis Beneventanis. Si Sanctus ille sit idem, qui exstat in Martyrologio Romano, spectat ad diem* XXV Novembr., vel X Decembr.

S. Joasaph *(al.* Josaphat) filii regis Abener *(al.* Abenner) *meminerunt hodie Menæa magna Græcorum, duos ipsi versus tribuentia. Apud Surium die* XXVII *Novembris* Vita SS. Barlaam eremitæ et Josaphat Indiæ regis *datur, auctore* S. Joanne Damasceno. *Habentur in Martyrologio Romano ad eumdem diem* XXVII Novembris.

Apud Coloniam Agrippinam translatio quarumdam reliquiarum sancti Andreæ apostoli *memoratur apud Grevenum. Adjici etiam possunt* E *Florarium nostrum Ms., ac Martyrologium vulgo Canisianum. Pertinet sanctus hic Apostolus ad diem* XXX Novembris.

S. Natalia, uxor Hadriani martyris *colitur hac die apud Græcos. Est in Romano* I Decembr

DE SS. JUSTO, ORONTIO, & FORTUNATO MM.

LYCII IN PROVINCIA HYDRUNTINA ITALIÆ

J. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Acta horum sanctorum Martyrum discutiuntur.

SUB NERONE, UT FERTUR. *Cujusmodi sint horum Martyrum*

C Lycium, *al.* Lupiæ, *et* Aletium, *vulgo* Lecce, *ita describitur in* Aletio *apud Baudrandum :* Aletium, urbs alias Salentinorum seu Messapiæ Plinio, et Ptolomæo, Lecce nunc, in provincia Hydruntina, cujus caput est, ampla et probe culta, ita ut alias regni Neapolitani urbes incolarum numero longe superet, excepta Neapoli sola, episcopalis est sub archiepiscopo Hydruntino, inter Brundusium ad Boream et Hydruntum ad Austrum 20 mill. pass. distans, 7 autem ab ora maris Adriatici in occasum, Neritum versus 15, et 50 fere a Tarento in ortum. Litium dicitur a recentioribus. *Hæc ille. Legi etiam possunt, quæ Leander Albertus memorat in Descriptione Italiæ in Mediterranea Salentinorum pag. 361 editionis Coloniensis Agrippinæ anni 1566. Tres porro hosce sanctos Martyres, tamquam tutelares, atque insignes patronos colit laudata urbs Lyciensis : e quorum numero sæpius sibi beneficum ac propitium experta est* S. Orontium, *sicut infra pluribus declarabitur, piissima Lyciensium erga se vota ac studia prosequentem cumulatissima miraculorum ac donorum cælestium multitudine. Quæ vero de hisce Sanctis dicenda sunt, dispesco in tres partes : quarum prima aget de rebus eorum gestis : secunda de publica illorum veneratione : tertia de miraculis* S. Orontii.

F 2 *Habemus instrumentum typis editum* Lycii apud Petrum Michaelem *anno* MDCLVIII, *hoc titulo :* Lyciensis. Coram sacra Rituum Congregatione pro obtinenda confirmatione Sanctorum Justi martyris, Orontii, et Fortunati episcoporum et martyrum in patronos. *De hoc autem Sancto ultimo petitur, ut* in novum patronum benigne concedatur, ex causis in eadem sacra Congregatione deductis, infra commemorandis. *In hoc instrumento, seu libello supplici summatim exponunt Lycienses* immemorabilem traditionem esse, Justum a Paulo apostolo Corinthi degente Romam missum, ad oras maritimas Lycienses appulisse, et Orontii hospitem fuisse, eumque, ac Fortunatum, aliosve illis sanguine conjunctos ad fidem Catholicam convertisse ac baptizasse, ad Urbem deinde accessisse, et ab ea expeditum, Lyciumque reversum, quamplurimis aliis ab Orontio catechizatis baptismum quoque contulisse, et cum ipsis Orontio, ac Fortunato Corinthum rediisse, ibique a Paulo apostolo Orontium episcopum Lyciensem creatum esse, et ipsum Justum ad prædicandum Euangelium ei socium datum fuisse : hosque Lycium re-

A repetiisse, ibique, et in tota provincia fidem Catholicam propagasse, et tandem ipsos Justum et Orontium, Neroniana vigente contra Christianos persecutione, die XXVI Augusti, quarta Dominica ejusdem mensis anno sexagesimo octavo, variis cruciatibus simul martyrio coronatos ad cælum evolasse, et Fortunatum in episcopatu Orontio successisse, martyriumque quoque passum esse.

Acta.

3 *Hactenus prædictum instrumentum, quod sub nomine libelli supplicis Lyciensis inferius allegabimus. Cum vero ille ex parte civitatis et Capituli Lyciensis sit porrectus Eminentissimis Patribus sacræ Rituum Congregationis, nullus cuiquam potest esse dubitandi locus, quin tam hujus suæ traditionis summam, quam alia in eodem contenta expresserint optima fide, et omni modo, quem ad persuadendum conducere censuerunt, conveniente. Quibus autem scriptoribus usi sint in hac causa, præmiserat idem libellus supplex Lyciensis :* Sciendum, *inquit,* est, quod præter illa, quæ de his Sanctis scripserunt Paulus Regius episcopus Vici Equensis, Antonius Beatillus e Societate Jesu, in Vita sanctæ Irenes B virginis et martyris *(lib. 2)* cap. 7 in annot., Philippus Ferrarius in Nova topographia in Martyrologium Romanum verbo Aletium, et in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, in mense Augusti octavo Kal. Septembris in annot., qui auctor laudibus extollitur a doctissimo et eruditissimo Lezana consult. 2, num. 23 et 46, ac tandem Jacobus Antonius Ferrarius patritius Lyciensis in descriptione Corinthi, quam anno MDLII confecit, et in Paradoxica apologia rationum civitatis Lycii; cujus utrumque Opus manuscriptum legitur; ex Processu in curia episcopali Lycien. ad instantiam ipsius civitatis et Capituli instructo constat ab immemorabili tempore, primo, hos tres Sanctos in eadem civitate, imo Justum et Orontium etiam in provincia Hydruntina, semper pro Sanctis habitos esse, et tales fuisse vocatos : et immemorabilem traditionem esse, *et reliqua, quæ modo præmisimus num. 2. Jam vero observanda proponimus sequentia.*

quæ apud Lycienses

4 *Ac primo quidem ad scriptores quod attinet, illustrissimus Paulus Regius, cujus exemplar, quod ante me habeo, notatur excusum* C *Neapoli apud Josephum Cacchii anno 1592, ac recusum in Vico Æquensi anno 1593 apud Jo. Thomam Aulisio, parte 1, pag. 430 breviter præmisso summario Vitæ* SS. Justi *et* Orontii *martyrum, ac deinde proœmio ad illorum Acta, deducit ea per quinque capita : quorum substantiam e libello supplici Lyciensi cum antea dederimus, supervacaneum judicamus immorari rerum circumstantiis, quæ majore verborum prolixitate, quam idonea auctoritate ad faciendam fidem, descriptæ sunt, sicut non obscure videntur etiam indicare vel ipsimet Lycienses, quando in libello suo supplici coguntur recurrere ad* immemorabilem traditionem. *Immo illustrissimus ipse modo laudatus parvam sibi conciliat auctoritatem in iis, quæ pag. 444 et 445 narrat. Etenim, relato dictorum Sanctorum martyrio, indicat, fideles quosdam Lycienses collecta eorum corpora e medio loci, in quo occisi erant, collocasse in loco securo et occulto; ibique permansisse abscondita, donec per baptismum Constantini Magni concessa fuit cuicumque Christiano libera facultas ædificandi templa Sanctis Dei, et altaria : inventis autem istis corporibus suavissimo odore plenis, a Lyciensibus acceptos fuisse Sanctos in protectores.*

AUCTORE J. P.

circumferuntur,

5 *Postquam vero eos in duabus capsis collocassent argenteis, ornatum, ait, templum construxisse in eorum honorem extra portam occidentalem civitatis, ubi quondam fuerant martyrio affecti; ibidem fuisse corpus* S. Justi *(unde portam hanc vocari portam* S. Justi *ad præsens usque tempus asserit :) corpus autem* S. Orontii *in alia ecclesia extra civitatem sepultum. Hæc extraximus e Paulo Regio, qui auctoritatem valde infirmam ac debilem affert, ut rebus tam antiquis historica fides habeatur ab iis, qui in istiusmodi narratiunculis non sunt nimis creduli, nec partium, vel patriæ studio abrepti. Audiamus jam quo pacto idem Paulus Regius historiam suam probare conetur. Allegans codicem manuscriptum, ex antiquis commentariis Lyciensibus extractum, rem plene notam fuisse factam affirmat a personis fidelibus, et a Doctore Jacobo Antonio Ferrari, e quibus veritatem istius historiæ traxisse se fatetur : qui Ferrarius dum per revelationem in somno habitam invenisset senem, cui nomen Joannis dell' Aimo, anno circiter* E *Domini 1430, cum eodem ædificavit pulcrum templum in honorem S. Joannis Baptistæ, cum conventu pro FF. Dominicanis, nec non hospitale pauperum in memoriam* S. Orontii, *qui domi suæ solebat admittere hospites peregrinos. Verum quam exigua, dicamus nulla, in hac narratione proportio est ad confirmandam historiam* SS. Justi *et* Orontii, *seculo Christi primo sub Nerone, ut volunt Lycienses, martyrii laurea coronatorum?*

et quæ perperam

6 *P. Stanislaus Mª. Grassi e Societate Jesu in litteris lingua Italica die* IX *Augusti anno 1735 Portici (locus est in territorio Neapolitano, ubi Societas nostra residentiam, ut vocant, habet) scriptis, et inde Neapolim una cum aliis documentis Mss., iis præcipue, quæ ad* S. Orontii *miracula seu beneficia spectant, missis, sicuti suspicamur, ad ornatissimum Virum D. Dominicum de Georgio, qui diuturnis ac multis officiis de nostro Opere optime meritus est, ut inde ad nos pervenirent : in hisce, inquam, litteris scribit laudatus Pater, Compendium Vitæ* S. Orontii *Latinum et Italicum desumptum esse e Vita Sancti ejusdem, quæ Neapoli edita* F *est, et de qua modo egimus, anno 1592 per illustrissimum Paulum Regium; quidquid vero hic scripsit, depromptum esse ex historia D. patricii Doctoris Jacobi Antonii Ferrari, viri, ait, doctissimi, ac regii ministri etc. : familiam vero antiquissimam ac nobilissimam in eo exstinctam esse. Hæc e litteris Grassii, qui addit, illum asserere, ea se prompsisse ex antiquissimo libro in pergameno litteris Longobardicis scripto, id est, ex antiquo Chronico ecclesiæ Lyciensis : originale autem illud, uti prosequitur Grassius, domini Ferrarii conservatum in ædibus quondam domini Justi Palma, unius e principibus duarum academiarum Lycii existentium, per eumdem dominum Palmam typis vulgatum fuisse Lycii anno 1707, et in isto libro narrari, quod abscondita fuerint* SS. Justi, Orontii *ac* Fortunati *corpora propter rationes, quæ acciderunt seculo 12 et 13, postea distinctius ex ipso commemorandas. Ea vero, quæ jam diximus ex istis litteris, materiam nobis suggerunt formandi hæc ratiocinia.*

ab illis

7 *Primo, Chronicum illud, de quo agebat Grassius, non vidimus, nec scimus apud nos*

esse,

AUCTORE J. P.

esse, atque adeo judicium ferre non possumus, cujusmodi valoris ac ætatis sit. Secundo, experientia nos docuit, aliquando accidere, ut tamquam antiquissimá *venditentur documenta, quæ, spectata ratione rerum ac temporum, de quibus scribunt, ne* antiqua *quidem, nedum* antiquissima *haberi possint. Tertio dato, non tamen concesso, illud Chronicon litteris Longobardicis exaratum fuisse, et seculo quidem circiter septimo vel octavo, secundum illa Mabillonii de re diplomatica lib. 1, cap. 11, pag. 46, num. 2 :* Sæculo VI Langobardis in Italiam effusis, successit Langobardica scriptura ad comunem usum. Romana illa *(vetus, de qua egerat)* sic corrupta in libris describendis aliquamdiu viguit, nempe ad sæculum VIII; *quam magnum tamen vel sic interponeretur seculorum chaos, ut a seculo circiter septimo vel octavo recedas ad primum, cui traditio Lyciensium affigit res gestas Martyrum suorum? Quamquam vero non diffiteamur, magnum fidei pondus dictæ traditioni accessurum esse, si Chronicum Lyciense litteris Longobardicis scriptum tunc fuisset; nullo tamen* B *pacto tam longa ætas illi potest tribui, cum Grassius, ut superius vidimus, res in eodem libro memorari significet, quæ spectant ad seculum 12 et 13, affirmante ista Mabillonio, quem modo citabamus :* Langobardica *(scriptura)* obtinuit apud Italos ad seculum XII, quo ex tempore in politiorem illum modum sensim deducta est, quo nunc est Romana recentior. *Hæc dicta sunto occasione illustrissimi Pauli Regii, et Jacobi Antonii Ferrarii, qui in libello supplici Lyciensi supra nominabantur.*

tamquam documenta vera ac sincera habentur;

8 *De Beatillo nostro quid loquar? Legimus compendium in eodem libello citatum; sed quale illud sit, intelligi facile potest ex scriptoribus, quos allegat : sunt hi Paulus Regius, et Jacobus Antonius Ferrarius; quibus addit Peregrinum Scardinum postea a nobis memorandum, Cæsarem Baronium tomo 1 Annalium, sed locum non indicat, et Joannem Jovane. Scripsit Joannes Juvenis de Antiquitate, et varia Tarentinorum (incolæ sunt regni Neapolitani) fortuna libros octo, qui habentur inter varios rerum urbiumque Italicarum scriptores, anno 1600 Francofurti editos, et Opus suum perduxit ad annum 1588. Superest Philippus Ferra-* C *rius in sæpe nominato libello supplici allegatus. In Nova topographia apud illum notantur* Justus et Orontius, 1 epis. m., S. Pauli discipuli : *sed iterum recurritur ad idem principium,* ex monumentis ecclesiæ Aletinæ. *In Catalogo suo generali meminit* S. Orontii, primi ejusdem urbis episcopi, et martyris : *in annotatione autem iterum repetit idem principium,* ex Tabul. ecclesiæ Aletinæ. *Deinde mentionem ibidem facit* S. Justi, ejusdem urbis episcopi et patroni. De eo Paul Reg. lib. 1 de Sanctis regni Neapolitani. *Quod vero ejusdem urbis episcopus fuerit, non admittent Lycienses, qui in hoc munere* S. Orontio *substituunt* Fortunatum. *Idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui tamen in libello supplici Lyciensium non citatur, die* XXV *Augusti compendium exhibet* ex Aletinæ urbis Annalibus, et Paulo Reg. *loco citato : et sic Ferrarius itque reditque viam eamdem, ut ita loquar, dum eadem documenta toties repetit.*

et nobis non sunt fundata

9 *Ex dictis etiam conficitur, traditionem Lyciensium, quantum quidem ad rerum gestarum historiam, ejusque tempora pertinet, non satis probari, neque illa ab iis produci documenta, quæ sint accommodata, ut lectoribus persua-* D *deant, vere ita accidisse suorum trium Martyrum ac Patronorum gesta seculo Christi primo, sicut ea tunc accidisse volunt. Et vero probationes quasi in circulo ambulare diceres : Lycienses quippe currunt ad scriptores, qui convenientem ætatem non habent; et hi recurrunt ad Lycienses, ejusdem rei defectu laborantes. Porro Carolus Bozzi patricius Lyciensis* SS. Justi, Orontii *ac* Fortunati *historiam anno 1672 edidit Italice, una cum* S. Orontii *miraculis ac beneficiis, eamque illustrissimo D. Antonio Pignatelli episcopo Lyciensi dedicavit. Historiam hanc etiam huc transmisit Bozzius. Aliud Vitæ* SS. Justii *et* Orontii *exemplar Italicum etiam apud nos est, sed nescimus cujus sit auctoris, et anni; qui forte notati fuerint in libri frontispicio, quod deest in nostro exemplari. P. F. Thomas Angiullo, Ordinis FF. Prædicatorum, typis vulgavit anno 1656 Panegyricum, quod inscribitur* Lecce rosata, *id est,* Lycium rosatum. *Verum scriptores hujusmodi, etiamsi plures afferrentur, faciunt potius numerum, quam fidem.*

ad persuadendas

10 *Nec est, quod nobis objiciat aliquis, desiderari hic processus Lycienses. Illos quippe petiit Papebrochius noster; sed obtinere non potuit;* E *Carolo Bozzio in litteris huc Lycio missis scribente anno 1674, lubenter admodum assignatorum processum apographum sese fuisse transmissurum, si in illis contenta fuisset antiquitas historiæ, inquit, nostræ. Sed quia unus dumtaxat continet multa miracula, quorum nonnulla affirmat exstare in suo libello; alter vero multas a Prælato suo (id est, episcopo Lyciensi) factas probationes, et sacræ Congregationi ab eo exhibitas; hunc significat se mittere : qui sine dubio est ille, quem sub nomine libelli supplicis Lyciensis toties recitavimus. Pater Joannes Baptista de Ciocchis Societatis Jesu in epistola die* X *Aprilis anno 1686 Lycii ad eumdem Papebrochium scripta, indicat varia ad præsentem materiam spectantia; e quibus, ne tædio sim lectori, ista brevissime contraho.*

res gestas

11 *Hinc itaque disco 1°, laudatum Ciocchium institisse rogatu Papebrochii, ut obtineret processus; sed frustra. 2°. Nihil antiqui esse in istis processibus circa Acta Sanctorum, de quibus agimus; sed ea dumtaxat, quibus illustrissimus Aloysius Pappacoda Lyciensis episcopus* F *probat, Sanctos illos esse promovendos ad cultum patronorum Lyciensium, stante antiqua traditione. 3°. Non omnino autem placuisse sacræ Congregationi traditionem Lyciensium, qua spectat ad Acta trium Sanctorum suorum, id argumento est, quod, sicut in citatis litteris scribitur, Congregatio ista noluerit admittere lectiones, quæ pro Officio propositæ fuerant a Clero Lyciensi. 4°. Eamdem sacram Congregationem non voluisse dictos Sanctos ponere in Kalendariis aut Martyrologiis; 5°. In eisdem litteris memorat idem Pater, D. Nicolaum Fatalo, magistrum cæremoniarum abbatem canonicum ecclesiæ Lyciensis, virum, prout addit, satis doctum et eruditum, sibi dixisse, nihil esse antiqui in Vita* SS. Orontii, Fortunati, *et* Justi, *nisi illud, quod illustrissimus D. Paulus Regius, episcopus Vici Æquensis, anno 1592 Neapoli excudit, ac recudit in Vico Æquensi anno 1593, in parte 1 a pag. 431; et exoptari, ut hæc Vita nostro Operi inseratur. Hæc extraxi e dictis litteris. Sed Vitam hanc Italicam latinitate donare, et typis subjicere, non est operæ*

pretium :

AUCTORE J. P.

A *pretium : cum traditio Lyciensium satis exprimatur in libello eorum supplici, e quo antea illam produximus, et similia in compendio referat, quæ Paulus Regius pluribus extendit, uti patebit, si hunc cum illo conferat.*

quæ, uti volunt, seculo primo contigerunt.

12 *Etenim post procœmium narrat,* Quomodo S. Justus fuerit discipulus S. Pauli apostoli, pervenerit ad civitatem Lyciensem, et Orontium converterit, cap. 1. B. Orontius cum sua familia baptizatus est a S. Justo : qui Romam profectus, iterum ad illum redit, cap. 2. Quomodo fuerint baptizati decem alii Lycienses, et Orontius cum Fortunato et Justo iverint, ut invenirent S. Paulum, cap. 3. Quomodo S. Paulus, audita Orontii petitione, eum fecerit episcopum Lyciensem, eique det B. Justum, ut sit ejus prædicator, cap. 4. Quomodo sacrum martyrium acceperint Justus et Orontius in persecutione Neroniana, cum aliis fidelibus, cap. 5. *Jam vero etiamsi hæc traditio tam infirma nobis videatur, ut probari satis non possit; cum tamen manifeste falsa non sit, in sua illam qualicumque possessione relinquimus, ac supra posuimus tres hosce Martyres sub Nerone passos,* B *cum restrictione tamen,* ut fertur. *In collectaneis nostris Mss. invenio exemplar Italicum, magistri fratris Ambrosii da Taranto Augustiniani nomine subscriptum, quod continet* notationes, *uti dicitur in ejusdem titulo,* circa errores, qui inseruntur Vitæ S. Orontii martyris. *Deinde refert, multas se fecisse observationes in sua Historia sacra Tarentina ad Vitam a Carolo Bozzio Lyciensi conscriptam, quas pluribus mox commemorat. Verum cum de historia, quæ circumfertur, nostrorum trium Martyrum satis superque dictum jam a nobis sit; supersedemus huc transcribere prædictas notationes.*

§ II. Cultus eorum publicus, una cum titulo patronorum Lyciensium Romæ probatus.

Probato apud sacram

V*eniamus nunc ad secundam hujus Commentarii nostri partem, in qua dicendum de nostrorum trium Sanctorum cultu. Nimis vere longum esset ea, quæ de hac re diffuse ac* C *erudite collecta leguntur in libello supplici Lyciensi, hic iterum exhibere; sed suffecerit sequentia ex eo delibare fragmenta, quibus laudatorum Athletarum publica veneratio abunde comprobatur. Hæc itaque habentur in dicto libello :* Ex processu in curia episcopali Lycien. ad instantiam ipsius civitatis et Capituli instructo constat ab immemorabili tempore, primo, hos tres Sanctos in eadem civitate, imo Justum et Orontium etiam in provincia Hydruntina semper pro Sanctis habitos esse, et tales fuisse vocatos, et immemorabilem traditionem esse *etc.* (*quæ superius dedimus num. 2, ubi de rebus eorum gestis tractavimus.*) Secundo, semper cum signis Sanctorum eorum imagines depictas, et statuas erectas fuisse. Tertio, in publicis Deo exhibitis precibus invocatos illos esse, præsertim divum Orontium, ad cujus ecclesiam processionaliter pro pluvia impetranda accedere consuetum fuisse, et ipsum Orontium, ac Justum semper, uti suos Patronos, eamdem civitatem existimasse, ac coluisse. Quarto, in honorem sanctorum Justi, et Orontii templa, et altaria Deo dicata esse, ac inter antiquos ecclesiæ cathedralis Lyciensis canonicatus, alterum sub sancti Justi, alterum vero sub sancti Orontii titulo ab immemorabili tempore esse fundatos; et in civitatis Monopolitanæ territorio provinciæ Barensis, adesse ecclesiam sub invocatione sancti Orontii, quam Alexander tertius inter ecclesias in jurisdictionis confinibus episcopatui ejusdem civitatis assignatas recensuit in sua bulla expedita anno MCLXXX, originaliter in illo episcopali archivio servata, cujus exemplar in processu est deductum, una cum scripta attestatione juramento roborata syndici, et aliorum de regimine ejusdem civitatis, ab immemorabili tempore hoc templum ibidem constructum inspici, et in eo semper Missam celebratam esse, et nunc celebrari. Constat etiam ex simplici auditu testium, aliquas ecclesias antiquissimas sub eodem sancti Orontii titulo in aliquibus locis provinciæ Hydruntinæ constitutas esse. In honorem vero sancti Fortunati in eadem cathedrali Lyciensi immemorabile altare fuisse erectum cum duobus beneficiis in eo, sub ipsius sancti titulo institutis, quorum collationes ultra centum annos, nempe anno MCDXCIV una; anno vero MDLI altera, ex E Actis antiquarum visitationum Marci Antonii Ptolomei, et Joannis Baptistæ Castromediani episcoporum Lyciensium apparent. Ex quo longe ante ea erecta fuisse arguitur; licet idem altare, quia uni ex ipsius ecclesiæ columnæ hærebat, et ideo illi impedimento erat, præsulis tunc temporis jussu fuerit demolitum, Missarum eorumdem beneficiorum oneribus in alia altaria ejusdem ecclesiæ translatis.

14 Quinto, in SS. Justi, et Orontii memoriam Missæ sacrificium Deo fuisse oblatum. Sexto, dicta quarta Dominica Augusti semper in ipsorum Sanctorum Justi, et Orontii honorem singulis annis usque ad annum MDCXL festum solemniter cum Missa solemni, et Officio sub ritu duplici cum octava de comm. plur. Mart. (confirmato deinde in diœcesana synodo Lyciensi, anno MDCXXVIII celebrata) concione, et multoties assistentibus syndico, et decurionibus in forma civitatis, in signum, quod eos uti Patronos venerabantur, celebratum fuisse, et eadem die nundinas celebres habitas esse, et nunc haberi. Septimo, sanctorum Justi et Orontii pignora, ex immemorabili traditione, in suis ecclesiis extra civitatem Lycii olim erectis antiquitus servata, ob bella, ad cathedralem ecclesiam translata, sub ejus pavimento esse recondita; sed quo ejus loco, ignoratur. F

Rituum Congregationem

a Lyciensibus

15 Ex quibus omnibus clare apparet, hos Sanctos, præsertim Justum, et Orontium, præditos esse omnibus illis septem honoris qualitatibus, quas Sanctis tribui solere docet Bellarm. controv. tom. 1, controv. 7 general. de Beat. et Sanct. lib. 1, c. 7 vers. ad septimum, qui infra c. 10 vers. quantum ad tertium, tradit quoque, quod, ut pro talibus habeantur, sufficeret, vel in eorum honorem templa, et altaria tantum Deo esse constituta, cum illa publicum cultum nomine Ecclesiæ denotent, et erectio altaris cum imagine alicujus Sancti, signum sit canonizationis; canonizatis enim tantum Ecclesia ea permittit, ut ex Petro Damiano docet Baronius Annal. tom. 10 anno CMXCIII § Non est autem, vers. Concedere, quem refert, et sequitur Molfes. conf. 45, num. 32 : vel, sacrificium in illorum memoriam Deo esse oblatum, quod magis, ac præcipue ipsum nomine Ecclesiæ cultum confirmat; cum nullum in ea adsit

Sacri-

AUCTORE J. P.

Sacrificium, quod non sit commune a Deo institutum, et templa, et altaria ad ipsum referantur; Bellar. loc. cit.

Martyrum honorum

16 Non obstat, quod prædicti Sancti non sint a Sede Apostolica canonizati, neque eis ab Ecclesia universali hi honores exhibeantur. *Sequuntur in hoc libello supplici objectiones variæ, ac responsiones, quæ in hac causa diffuse admodum deductæ sunt, quæque in nimis longum sermonem nos abducerent, si referremus omnia, quæ sacræ Rituum Congregationis tribunali proposita fuerunt. Adde, quod hoc videatur fore, si non supervacaneum, saltem neutiquam necessarium, cum eidem Congregationi adeo fuerit a Lyciensibus factum satis, ut ediderit decretum in illorum favorem, quo approbavit præsentem horum trium Sanctorum causam, uti mox dicetur. Nec Lyciensibus obfuit, quod SS.* Justi *et* Orontii *cultus per annos plures fuerit intermissus : quam rem ex eorum libello hic libare non pigebit, ut intelligatur, quomodo instaurationem cultus eorum, tamquam patronorum petierint non absolute, sed* quatenus opus esset; *sanctum vero* Fortunatum *illis adjungi rogarint absolute cum eodem titulo, quod etiam a sacra Congregatione illis concessum fuit.* B

cultu. petitur,

17 Non obstat quoque, *inquit libellus supplex Lyciensis,* quod huic immemorabili consuetudini ecclesiæ Lyciensis celebrandi festum cum Missa solemni, et Officio duplici cum octava dictorum sanctorum Justi et Orontii, videntur ipsa civitas et Capitulum Lyciense renuntiasse anno MDCXL, quo, et pluribus annis sequentibus illud celebrare omiserunt, ut ex eodem processu constat : quia hæc omissio non contigit ex propria civitatis et Capituli voluntate; sed sic jubente episcopo, ipso Capitulo renuente, ut ex dicto processu liquet. *Post alia vero, quæ de hoc argumento subduntur, uti etiam de* decreto sacræ Congregationis Rituum sub die XXIII Martii MDCXXX, a Sanctissimo Domino Urbano VIII approbato; *cui decreto postquam in citato libello respondissent Lycienses, sic concludunt :* Sancti vero Justus et Orontius ab immemorabili tempore a populo Lyciensi pro suis patronis habiti sunt, ut ex eodem processu liquet, et ipsorum confirmatio in patronos fuit C petita, quatenus opus esset, quia festi celebratio erat omissa per aliquot annos, ut ex publicis conclusionibus civitatis et Capituli evidenter apparet. Ergo debent Lyciensis ecclesia, eademque civitas manu teneri, vel saltem reintegrari in possessione, quam habebant, colendi eos uti patronos, ante et post dictum decretum : prædicta enim ipsorum festivitatis omissio ex processu prædicto constat quod contigerit anno MDCXL, ut paulo ante diximus.

allegatis eorum meritis,

18 *Quod autem dispar fuerit modus petitionis, ut duobus hisce patronis adderetur tertius* S. Fortunatus, *intelligitur ex iis, quæ de illo mox ibidem subjiciuntur :* Quoad divum Fortunatum vero, quem ab immemorabili tempore uti Sanctum; sed non uti patronum venerata est ipsamet Lyciensis ecclesia, eadem civitas humiliter supplicavit eidem sacræ Congregationi, ut in posterum etiam uti patronum colere possit, benigne concedat. Causæ enim harum supplicum precum sunt antiqua et recentiora beneficia, tam publica quam privata, a civibus Lyciensibus, ob merita eorumdem Sanctorum, semper in propriis necessitatibus a Deo obtenta, ob quæ ab immemorabili tempore in eis viva fides ac religio, in dicto processu probata, continue D viguit, quod in singulis publicis periculis et necessitatibus, etiam inaspectate *, ope dictorum Sanctorum divinitus semper præservabantur, et nunc magis aucta est, cum a recenti ac crudeli lue, qua Neapolis, et quamplurimæ civitates, et oppida undecim provinciarum regni pressa fuere : solum civitas Lyciensis cum tota sua duodecima ejusdem regni provincia, divina pietate illæsa remansit, ob merita et intercessionem eorumdem Sanctorum, præsertim divi Orontii, quem insuper hoc eodem tempore continuis insignibus miraculis, quorum plura testium juramento roborata, ad eamdem sacram Congregationem transmissa sunt, Deus Optimus Maximus in ipsa civitate, ac provincia, imo etiam extra eam, illustravit, et illustrare non desinit. *Et subscriptus libello supplici Lyciensi notatur* Aloysius Pappacoda episcopus Lyciensis.

* i. e. præter exspectationem

ut colantur tamquam patroni principales, et hoc obtinetur.

19 *Decisio autem hujus causæ, quæ subditur, hujus est tenoris :* Proposita causa ab Eminentissimo Domino Domino Julio Cardinale Sacchetto in sacra Rituum Congregatione habita die XIII Julii præsentis anni MDCLVIII, fuit ab illius Eminentissimis Patribus prolatum decretum, civitati Lyciensi transmissum, subscriptione, ac sigillo ipsius Eminentissimi Sacchetti, ejusdem S. Congregationis præfecti roboratum, tenoris sequentis : « Lyciensis. Sacra Rituum Congregatio » approbavit electionem habitam a civitate Ly- E
» ciensi sanctorum Orontii, Justi, et Fortuna-
» ti in patronos; eorumque festum, tamquam
» de patronis æque principalibus, una eadem-
» que die de præcepto servari; nec non Offi-
» cium e communi Martyrum sumendum ab
» utroque Clero ibidem recitari, et Missam ce-
» lebrari posse ad Rubricarum præscriptum, in-
» dulsit. Die XIII Julii MDCLVIII. Julius episc.
» Sabinen. Card. Sacchettus. loco ✠ sigilli
» Franciscus Maria Phæbeus sacræ Rituum Con-
» greg. secret. » *Quænam vero post famosam illam luem contagiosam, quæ ope horum trium virorum Sanctorum, ac sancti præsertim* Orontii, *a Lyciensibus propulsata memorabatur, peracta sint, discet lector ex iis, quæ dabuntur paragrapho proximo.*

§ III. Cultus Martyrum, præsertim S. Orontii, ad majorem splendorem evectus; occultata eorum corpora, ac deinde non inventa. F

Sacella; inscriptiones

Eximius et reverendus admodum dominus *Joannes Camillus Palma, doctor theologus, et archidiaconus ecclesiæ Lyciensis, anno 1657 edidit Relationem renovatæ erga* S. Orontium *religiosæ pietatis : in quo libello Italico postquam multis verbis descripsisset morbum letiferum, qui, uti addit, anno 1656, mense Martio cœpit affligere Neapolim, ejusdemque per varios Italiæ tractus grassationem, intacta provincia Lyciensi, narrat duo in dicta ecclesia fuisse erecta sacella, et alterum quidem* S. Orontio; *alterum vero* S. Justo *sacrum : utriusque autem epigraphe rem gestam pandens, ad nos transmissa fuit. In sacello itaque* S. Orontii *sequens visitur inscriptio :* D. O. M. divo Orontio Salentinorum primo Christi cultori præsuli, sub Nerone martyri,

qui

AUCTORE J. P.

A qui Iapygas omnes ab lue in universam fere Italiam grassante servavit intaminatos, civi patricio suo Apotrapheo numini, undequaque instante pietate, Ordo Populusque Lupiensis memor gratus pro tempore sacellum hoc posuit, augustius fortasse aliquando daturus, patre patriæ Joachimo Faciolli anno salutis MDCLXXII. *Qui hic vocantur* Iapiges, *sunt populi in Hydruntina provincia. Plura geographi. Pro* Apotrapheo *scribendum existimamus* apotropæo : *Græcum quippe* ἀποτρόπαιος *significat malorum depulsorem. Porro cum annus ille, quem in ista inscriptione legimus, non conveniat sacello, prout erat, dum scribebat Palma; consequens est, ut illud idem postea vel evectum fuerit ad majorem splendorem, vel erectum aliud.*

in illis; supplicationes. * *l.* Corinthio

21 *Inscriptio autem, quæ ad nos transmissa fuit, in sacello* S. Justi, *hæc memorat :* D. O. M. Divo Justo Corinto *, divi Pauli discipulo, Lupiensium Iapygumque apostolo, a funesta lue regnum devastante gregem suum tutanti, tutanti et provinciam universam, magnis omni ævo a magno patrono acceptis beneficiis, majorum con- B cepta spe, Aloisius Pappacoda Neapolitanus, vir patricius, pastor gratus et supplex pos. anno a Christo MDCLVI. *Laudatus autem antea archidiaconus Palma etiam agit de publicis supplicationibus duabus, quæ solenni ritu ac comitatu a Lyciensibus celebratæ fuerint, circumlatis per totam fere civitatem statuis tribus, nimirum* S. Justi, S. Orontii, *et* S. Fortunati. *Alia vero, quæ ad renovandam erga* S. Orontium *pietatem idem auctor inseruit libello suo, singillatim in eo legi possunt : inter quæ non infimum locum meretur festiva, et non ad pompam dumtaxat splendida, sed etiam ad singularis erga eumdem sanctum Protectorem religionis demonstrationem instituta anno 1657, die* XXV *Augusti, equitatio : (cujus ordinem et comitatum, nec non peculiarem venerationem erga suum Sospitatorem, in dicto libello exhibet idem archidiaconus.) Quo etiam tempore in ecclesia cathedrali ante aram Sancti oblatum reverenter fuit nomine civitatis vexillum, in quo depicta erat ejusdem Sancti imago : vexillum D. syndicus Russo ipsi consecravit, uti etiam obligationem impendendi quotannis illos sumptus, qui necessarii fuerint ad solennissime celebran- C dam* S. Orontii *festivitatem die* XXVI *Augusti; et archidiaconus Palma nomine illustrissimi domini episcopi prompte sese admisisse dictum vexillum ostendit, respondens hisce Latinis verbis :*

vexillum S. Orontii nomini magnifice oblatum.

22 Quod bonorum omnium auctori et largitori munificentissimo, Deo Optimo Maximo; quod Virgini Matri, terra cæloque plaudentibus in cælum receptæ, cui templum hoc dedicatum est, patronæ augustæ semper, semper sospitali; quod patricio patrique nostro Orontio, martyri invictissimo, cui potissimum urbs et provincia hæc nostra Lupiensis, grassante immanius, ac pene regnum hoc demolita atra lue, quod salvæ consistant, debent; quod cæteris nostris tutelaribus Divis, Cælitibusque omnibus semper sit gloriosum; quod sanctissimo, sapientissimo, ac vigilantissimo Christianæ religionis hierarchiæ Alexandro VII; quod Philippo IV Austriaco, regi nostro Catholico, pio, augusto, restante quamvis fortuna, semper invicto; quod amantissimo, atque indefessissimo præsuli nostro Aloysio Pappacoda; quod Ordini, populoque universo Lupiensi, claro, pio, grato, perpetuo bene vertat, perpetuo felix, faustumque sit; vexillum hoc divi Orontii, patroni nostri potentissimi, ac præsentissimi, quod a pio præstantique viro Jo. Francisco Russo, patriæ nostræ illustrissimæ patre, provinciæ hujus universæ populis prosequentibus, atque faustum acclamantibus, delatum est in summum templum hoc, ego Jo. Camillus Palma, archidiaconus Lupiensis, amplissimi et clarissimi ejusdem nostri præsulis Aloysii nomine excipio obsequens, lubens, venerans : ipsum, urbemque hanc omnem sub Orontii ipsius potentissima tutela repono, factique memoriam commendandam commendatione dignissimi, generosis posteris excitamento futuram, in publicas tabulas referendam deposco, æternum devinctissimæ ac religiosissimæ patriæ monumentum. *Post hæc hymnus* TE DEUM.

Corpora Martyrum olim inventa dicuntur, et abscondita;

23 *Hisce subjungit sæpe allegatus libellus alia, quæ sequenti die contigerunt, publicæ pietatis ac lætitiæ officia. Denique memoratus D. Palma Opusculum suum conclusurus indicat, cum ardentissimo desiderio exspectari tantum, ut reperiantur ossa Sanctorum istorum, quæ in cathedrali, ut antiquitus creditur, requiescunt, hac finiens clausula Latina :* Meis verbis hæc expressi, meaque E manu scripsi, Joannes Camillus Palma, archidiaconus Lupiensis, magnæ pietatis in Deum, observantiæque non vulgaris in patriam exiguum monumentum, anno MDCLVII, die ultimo Augusti. *Jam vero, quandoquidem mentionem faciebat de inveniendis, quæ latent, istis corporibus; en tibi quasdam, lector, observationes aliunde depromptas. Inter alia, quæ dicebamus supra paragrapho primo ex litteris P. Grassii, designatus liber fuit, quem D. Justus Palma anno 1707 typis Lupiensibus excudi curavit; idemque Pater ex hoc libro indicat, quod corpora* SS. Orontii, Justi ac Fortunati *in cathedrali fuerint exposita; verum ob crudelitatem Guilielmi Mali, utriusque Siciliæ regis, anno 1161, et Caroli I Andegavensis, ac Comitis Lyciensis Ugonis Brennensis, anno 1268, qui totam civitatem destruxerint, ex divitiis sublatis ædificata a Guilielmo ecclesia Monteregalensi in Sicilia, accidisse indicat, ut corpora occultarint Lycienses in loco ignoto, ubi nunc occultata latent.*

sed deinde non reperta.

24 *Deinde hanc sententiam confirmat e Peregrino Scardino in Discursu circa antiquitatem et situm urbis Lyciensis, ex Antonio Beatillo in* F *Vita S. Irenes, et e parocho S. Mariæ de Luce D. Julio Cæsare Infantino in Lycio sacro, a quibus ambobus citari ait famosum Galateum vel Galatinum S. Petri in Galatina, loco 12 milliaribus distante a civitate Lyciensi : non alium tamen Lycii nunc inveniri asserit Galateum typis editum, quam Basileensibus, ac suspicionem esse, quod hæretici dedita opera neglexerint excudere ea, quæ pertinebant ad* S. Orontium. *Hæc e Grassii litteris. Sed superiora modo narrata, an et quousque subsistant, etiamsi non habeo unde certo definiam, vel negem : vellem tamen pro hac re afferri documenta, quæ me magis convincerent. Quidquid sit, hoc constat, corpora nostrorum Martyrum etiamnum mansisse occulta anno Christi 1735, quo litteras suas scribebat Grassius. Jam vero revocant nos ad priora publicæ erga* S. Orontium *venerationis testificationes, quæ ad nos transmissæ sunt in Italico Ms., quod prænotatur hoc titulo* Avanzi pretiosi *etc., quodque sub nomine notitiarum Mss. Lyciensium postea citabimus.*

S. Orontii

25 *In eodem indicatur, erectam fuisse apud Lycienses altam columnam, cui fuerit impositum*

AUCTORE J. P.

æneum Sancti simulacrum, civitatem benedicentis (addita, ut in alio Ms. legimus, hac ad pedes ejus epigraphe : Protexi semper, et protegam :) *ad hæc, Innocentium XII indulgentia plenaria perpetua stabilivisse memoriam ejus ad diem* XXVI *Augusti; provinciam quoque Hydruntinam, ostendere volentem, quantum deberet* S. Orontio, *in grati animi obsequium elegisse eum in singularem protectorem (etiamsi a Tarentinis hoc fuerit recusatum,) et exposuisse in hunc finem sacræ Congregationi supplices et enixas preces, ut, servato juris ordine, principalem eum haberent protectorem, ac festum ejus celebrarent de præcepto : re autem ab Eminentissimo D. Joanne Baptista Ptolomæo sacræ Congregationi exhibita, concessam ab eadem hanc gratiam fuisse in sequenti decreto :* Hydruntina. Electus * a Clero, et universitatibus provinciæ Hydruntinæ in regno Neapolis sancto Orontio, primo episcopo Lyciensi et martyre, in Patronum principalem, ac pro ipsius approbatione non minus enixe, quam humillime, clero et universitatibus provinciæ prædictæ *, sacra eadem Congregatio, agnoscens præfatam electionem servatis servandis, ac cum omnibus requisitis in decreto generali hujus sacræ Congregationis sub die XXIII Martii MDCXXX edito, contentis, et expressis, factam fuisse, ad relationem Eminentissimi ac reverendissimi Domini Cardinalis Tolomei, illam approbavit, et confirmavit, prædictoque sancto Orontio sic in Patronum principalem electo prærogativas omnes Patronis principalibus convenientes, juxta tamen rubricas Breviarii, et Missalis Romani, ad formam felicis recordationis Urbani VIII super observatione festorum, attribuit atque concessit. Die XII Septembris MDCCXVI. Franciscus Cardinalis Abdua. Nicolaus M. Tedeschi episcopus Liparitanus.

* l. Electo

* *Adde* supplicantibus, *vel quid simile*

B

cultus

26 *Ex his planum fit, publicum* S. Orontii *cultum non tantum apud Lycienses floruisse ac constanter perseverasse; sed etiam propagatum fuisse per provinciam Hydruntinam, piissimis eorum de magno Patrono suo sensis inhærentem. Quantæ autem animis hominum erga hunc præsentissimum Sospitatorem, apud Lycienses præsertim, insederint et in honorando religio, et in sperando fiducia, et in agnoscendo obtentos favores cœlesti ope ejus, memoria gratorum clientium, liquidissime apparebit ex miraculis ac beneficiis, quæ inferius referemus. Varias item Bozzius resuscitat memorias lib. 5, de ædibus sacris, picturis, cryptis etc. scribens, ubi etiam videri possunt, quæ habet de* SS. Justo *ac* Fortunato. *Sed parva est hujus scriptoris auctoritas; utinam major adesset aliunde! Ut autem veniamus ad rem singularem, pag. 166 asserit, in loco Turi diœceseos Conversanæ exstare cryptam sub titulo* S. Orontii, *quæ ob magnam antiquitatem non solum erat parum honorata, sed prorsus destituta.*

C

ad varia loca

27 *Habemus instrumentum Ms., quod signatur sub die* XV *Maii 1733, et subnotatur ab archipresbytero, primiceriis, et canonicis insignis ecclesiæ collegiatæ Turiensis, consuetoque sigillo capitulari roboratur, in quo præter alia plura, de quibus infra erit sermo, referunt, cryptam semper in veneratione fuisse habitam annua supplicatione simplici totius cleri ac populi, ac Missa solenni cantata ad altare Sancti intra sacram cryptam : ubi, ut volunt, idem Sanctus celebraverit, dum illic lateret absconditus in reditu ex urbe Corintho etc. Referunt insuper, eamdem cryptam, etiamsi semper unico anni pie fuerit honorata, ita tamen male compositam, et conspurcatam fuisse repertam, ut animalium habitaculis esset accommodata, quæ utpote nec haberet custodiam, nec portam, ut illi scribunt. Sed observamus, neutiquam probari, quæ de perpetuo hujus cryptæ cultu, jam inde a primo Christi seculo, apud Turienses circumferuntur ex numquam interrupta, ut volunt, traditione; quæ cum non nitatur idoneis pro tam longa antiquitate documentis, sed sola fama publica, traditio hæc non aliud meretur nomen quam popularis, propter dicta, ac fuse a nobis deducta superius § 1 de traditione Lyciensium. Deinde etiamsi Turienses non memorent, a quo tempore cœperit sacra ista crypta religiose ac publice a populo frequentari; quia tamen eam sic frequentari jam constat, Sanctumque illam frequentantibus conferre favores singulares et cœlestes, ut videre dabitur postea § 4; ideo de hac crypta nunc agimus, loco videlicet ad publicum* S. Orontii *cultum spectante.*

D

28 *Notitiæ Mss. Lycienses, de quibus meminimus num. 24, agunt de alia crypta, quæ sit Ostuni, et supra quam asserunt videri antiquissimam ecclesiam, ibique etiam nunc assurgere fontem miraculosum ac perennem. Est autem Ostunum urbs in provincia Hydruntina versus oram maris Adriatici. Prætermittere hic non possumus aliud publicæ venerationis* S. Orontii *monumentum, quod in citatis Notitiis memoratur; videlicet ejusdem Sancti ecclesiam fuisse episcopatui Monopolitano assignatam ab Alexandro III summo Pontifice; de qua re in eisdem notitiis citatur bulla anno 1180 expedita, cujus originale ibidem dicitur conservari in archivo episcopatus Lyciensis, et ejusdem apographum fuisse præsentatum in actis supra dictæ curiæ, simulque cum processu instructo pro dicta causa transmissum ad sacram Congregationem Romanam. De Monopolitana urbe in Apulia ad mare Adriaticum in territorio Bariensi consuli potest Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ, columna 1043 prioris editionis : apud quem in ista bulla quæ habetur col. 1044 et sequentibus, invenio* ecclesiam sancti Arontii.

extensus

E

29 *Si vero in originali hujus bullæ exemplari scribatur* Arontii, *non* Orontii; *tunc non videmus hactenus, cur in ista bulla non indicetur alius martyr, qui inter prætermissos hodiernos differtur ad diem* XXVII *Augusti, et tunc annuntiatur apud Castellanum in Martyrologio universali :* Potentiæ in Lucania, nunc Basilicata, sancti martyres Arontius, Felix, Sabinianus et Honoratus sub judice Valeriano : *ita ut propter nominis efformationem, quarum una ab altera tam parum discrepat, ille* S. Arontius *in dicto Martyrologio signatus in provincia ista, quæ Hydruntinæ contigua est, ejusdemque tractu partim terminatur, bona quidem fide, sed per ideam tamen adjectitiam Lycienses accipere potuerint illum* Arontium *pro* Orontio *suo.*

fuit.

F

§ IV. Mirabilia diversi generis a S. Orontio patrata.

Mirabilia in infante,

L*itteræ P. Stanislai Grassii identidem citatæ referunt, innovata erga* S. Orontium *devotione ad annum 1656 et 1657, ab illustrissimo episcopo Lyciensi Aloysio Pappacoda missa fuisse tunc temporis ad sacram Congregationem miracula multa accuratissime narrata, quæ per eum-*

dem

A *dem Sanctum patrata sint. Inter hæc autem refertur miraculum sequens (quod etiam habet Bozzius lib. 5, pag. 182) juridice approbatum, uti indicat Grassius, ab ista curia episcopali, videlicet : Lucretia Longa e territorio, cui nomen Vernola, diœcesis Lyciensis, uxor Angeli Piccinno, peperit filium masculum. Obstetrix Rosa Mezzeina, ejusdem Lucretiæ mater, suasit filiæ suæ, ut infanti imponeret nomen* Orontii; *sic maximo illam gaudio affecturam archipresbyterum dicti loci; sed, quod multo majus est, in hoc eam peculiarissime placituram illustrissimo D. Pappacoda episcopo Lyciensi. Filia autem obstinatissima nominari volebat infantem vel Petrum, vel Sebastianum ; non vero* Orontium. *Movebat illam, quod asinus ejus appellaretur nunc Ronzo, nunc Ronzino ; nolle se, ut filius suus vocaretur nomine asini. Tota nocte sequente non cessabat flere infans : mane vero obstetrix, evolutis ejus pannis, non masculum amplius illum invenit. sed mutatum in veram feminam : quæ postridie baptizata nomen Rosæ habuit. Infans denique post tres vitæ dies obiit. Hæc e dictis*

B *litteris Latine transtulimus. Observa obiter, vocem Italicam* ronzino *significare genus equi parvi, qui dicitur Latine* mannulus, *Latino-barbare* runcinus, *Gallice* roncin. *Videri potest Vocabularium Cruscanum ; cui adde Cangium in Glossario ad vocem* runcinus.

in morbo contagioso,

31 *In testimonio Ms., quod Lupii signatur die 2 Martii 1733, fidem faciunt auditores Capituli civitatis ejusdem, et testantur etiam cum juramento quoties opus fuerit, anno 1691 grassata peste per civitatem Monopolitanam ac civitates omnes vicinas, provinciam suam solam mansisse immunem, eamque ob causam curasse Lyciensem civitatem* S. Orontio *fundi statuam nobilissimam ex argento, quæ solenni ritu, et pompa exquisitissima portatur in supplicatione die* XXVI *Augusti, qui Sancti gloriæ dedicatus est. Testantur etiam quod, dum terræ motus damnum intulisset regni metropoli, multasque alias terras ac civitates vastasset, sola civitas Lyciensis ac provincia non tantum immunis et libera, verum etiam ne tacta quidem a flagello tam tremendo, per potentissimam protectionem sancti Martyris, sicut clare significatur in quadam pictura suæ imaginis, quæ collocata exstat in ec-*

C *clesia parœciali terræ Campiarum non procul dissita a civitate Lyciensi : de qua re mox plura.*

terræ motibus,

32 *Notitiæ Mss. Lycienses, quas assignabam num. 24, indicant* S. Orontium *in tribus terræ motibus tutelarem Lyciensibus patronum exstitisse; et unum quidem accidisse anno 80 elapsi seculi die* I *Junii; alterum autem die* XX *Martii, et* XVII *Octobris anno 1731, tam vehementes, ut primus Neapolim conquassarit, in præceps agens testudinem Jesu novi, ut vocant, quod tam architectonicæ artis, quam pictoriæ erat prodigium; secundum demersisse civitatem Foggiam (in provincia Capitanata;) tertium desolavisse Canosam (in territorio Bariensi) omnibus Apuliæ fabricis damno illato : nec remansurum fuisse lapidem supra lapidem in urbe Lyciensi, si* S. Orontius *illam non protexisset, prout ostendit in loco Campiarum in sua pictura.*

Sancti

33 *Audiamus jam sequens testimonium, quod de hac mirabili pictura habemus inter alias notitias Lycienses :* Ego D. Thomas Bari sacerdos terræ Campiarum, ætatis meæ annorum quatuor supra octoginta, mecum et alii infrascripti sacerdotes ejusdem terræ, fidem facio, etiam cum juramento, quatenus opus fuerit in judicio vel extra, verum esse, quod hic testor, et assero. In ecclesia septuaginta circiter ab hinc annis noviter ædificata, parum longe a facie matris ecclesiæ sita, et divo Orontio præsuli, martyri, et patrono nostro dicata, adest imago ejusdem Sancti a Carolo Rosa Bituntino in tela depicta, inter quos angelos existentis, quorum alter a dextris pastorale baculum; alter a sinistris Lycii urbem, Campias, et alia hujus diœcesis loca manibus sustentat.

AUCTORE J. P.

pictura,

34 Ipse vero super hanc sinistram manum in actu patrocinantis expansam tenet. Hæc autem manus a loco, ubi fuerat a pictore locata, distans erat a subjectis locis palmum fere medium : mox progressu temporis visa est minus distare : inde post aliquod tempus ad subjecta loca prius accedere, et non multis ab hinc annis unum tantum digitum distare videbantur. Nunc vero ita demissa est, ut pollice Lyciensem urbem tangat : nec multum abest, quin etiam aliis digitis Campias, et alia proxima tangat loca. Itaque non eodem semel * tempore, sed interjectis spatiis, et plures per vices manum admovit,

** f. simul*

E et ad subjecta loca dimisit. Quare læti et firmi in hac spe sunt cives, tantum abesse, ut divus Orontius suo nobis desit patrocinio, ut propior semper sit Deo ad interpellandum pro nobis. Campiis die VI Maii MDCCXXXIII. Ego D. Thomas Bari testor ut supra. Ego D. Dom.cus Simone archip., ætatis meæ 72, testor ut supra. Ego Januarius Magi cantor, ætatis meæ 67. *Sequuntur alia tredecim sacerdotum chirographa, quæ superiora testantur.* Supradictam fidem subscriptam fuisse in mei præsentia a supradictis RR. sacerdotibus terræ Campiarum, et esse tales, quales se asserunt, testor ego Antonius Simone de Josepho, sacerdos, ejusdem terræ Lycien. diœcesis publicus auctoritate Apostolica notarius, et in fidem signavi rogatus. A. S. N. A.

terræ siccitate,

35 *Superius num. 26 retulimus cultum, qui* S. Orontio *exhibetur in crypta Turiensi. Quam vero hic gratus ei acciderit, argumento sunt dona cœlestia ibidem ipsius patrocinio impetrata, quæ referuntur in scripto Italico, quod in manibus habemus. Inde igitur delibamus sequentia : Anno 1627 accidit terribilis siccitas, quæ inchoata mense Aprili ejusdem anni, usque ad*

F *Augustum successive protracta est. Ardebant campi; et populus iste in tali afflictione memor antiqui Sospitatoris sui, supplicavit clero, ut pictura antiqua et prodigiosa Sancti cum supplicatione portaretur ad suam cryptam, ad porrigendas Deo ibidem ardentes preces, ut per merita Sancti dignaretur concedere pluviam desideratam : quæ obtenta non fuit, nisi* XXVI *Augusti, die sacro martyrii ejus : et eadem præcise ipsa hora cantabatur Missa in sacra crypta ad altare ipsius.*

aliisque miseriis.

36 *Gratiæ porro magis singulares, sicut refert idem Ms.; quæ notatæ sunt in ultimo ad Sanctum recursu (de quo jam actum) sunt visus cæco restitutus, qui erat e territorio delli Noci dicto : claudus et omnino inutilis e territorio, cui nomen Fasano, restitutus : cui additur alter similis e territorio, quod Ginosa nuncupant. Mater ac filia e territorio Castellano, per totum corpus lepra affectæ ab annis duodecim, mirabiliter mundatæ per hanc aquam, guttatim scaturientem e diversis sacræ cryptæ locis; quæ in variis collecta vasis distribuitur personis piis, ad eamdem cryptam concurrentibus, dum Sanctus ibidem*

devote

AUCTORE J. P.

devote honoratur, ut aqua illa utantur in suis necessitatibus, ac maxime in febribus, quæ miro modo sunt exstinctæ, postquam eamdem bibissent simul cum lapide sacri altaris in pulverem comminuto. Hoc item remedio alius ab acerbissimis lateris doloribus liberatus fuisse dicitur in supradicto Ms. Superiorem relationem confirmant archipresbyter, primicerii, et canonici ecclesiæ insignis collegiatæ Juriensis, et consueto capitulari sigillo roborant, appositis chirographis suis omnino viginti, sub die XV *Maii 1733.*

Mirus sancti fons,

37 *Non abs re etiam fuerit hic meminisse de prodigioso* S. Orontii *fonte in monte Ostunensi, qui mense Maio anni 1711 exsiccatus est die* XXV; *et* XXVI *Augusti ejusdem anni, quo die colitur istius Sancti martyrium, scaturivit ex eo aqua ad refrigerandas personas, quæ concurrerant non tantum e civitate Ostunensi ac vicinis locis. verum etiam, sicut ex viri Religiosi testimonio refertur, e provincia Bariensi : qui fons die* XXVII *ejusdem mensis et anni iterum siccus permansit ad menses complures. Hæc testantur DD. Bernardinus Lucesani generalis syndicus, Josephus Giaconia, et Lazarus Fortunatus Paleoli auditores ac provisores, et Horatius* B *Thomas Marasco cancellarius civitatis Lyciensis, prout patet ex instrumento Ms., quod ante me habeo, et signatur chirographis dictorum dominorum die* XX *Maii 1733, nec non consueto universali sigillo roboratur. Iidem testes in eodem instrumento observant, dum sinistri aliquid accidisset statuæ* S. Orontii, *illud prænuntium fuisse indicium alicujus mali imminentis. Audiamus varia hujus rei eventa.*

uti et statua malorum prænuntia.

38 *Lycii anno 1711, die* XXVI *Augusti argentea ejusdem Sancti statua cecidit, dum accipiebatur, ut deferretur per civitatem in supplicatione solenni. Factum vero illud prænuntiasse affirmant prædicti testes interdictum, quod die* XI *Novembris anno eodem 1711 in jam dicta civitate, ejusdemque diœcesi accidit.*

Die VI *Aprilis 1716 fulmen cecidit supra statuam lapideam* S. Orontii, *quæ collocata est supra portam, vulgo di Rugge, et brachium sinistrum ipsius, et pedum etiam pastorale confregit : quibus tunc successerunt contagium animalium, et exsiccatio arborum olivarum. Illa oleo* S. Orontii *inuncta sanitatem receperunt; hæ* C *frondibus reviruerunt.*

Die XV *Julii 1717 delapsa fuit media stola æneæ statuæ* S. Orontii, *quæ exstat in medio foro Lyciensi, marmoreæ columnæ superimposita, et successerunt penuria annonæ, aliaque infortunia.*

Hæc denique concluduntur alio eventu; quo refertur Pastorale S. Orontii *in statua ænea modo memorata fuisse fractum motu venti, et subito subsecutam fuisse epidemiam. Hæc desumpsimus e supra dicto instrumento DD. Bernardini Lucesani, Josephi Jaconia, et Lazari Fortunati Paleoli.*

Sancti apparitiones,

39 *Eorumdem nominibus seu chirographis, ac sigillo solito civitatis Lyciensis roboratur aliud Ms. Italicum testimonium, e quo extrahimus sequentia de Sancti apparitionibus. Asserunt itaque plenam et indubitatam se fidem facere, etiam cum juramento, quatenus etc. Inter alia vero, quæ memorant in dicto testimonio, agentes de secunda, quam vocant, peste anni 1690, suum sanctum Sospitatorem pluribus vicibus apparuisse indicant in confiniis provinciæ suæ, egressum e crypta sua Ostunensi antiqua, in omnium custodiarum conspectu, et postquam eidem benedixisset, rediisse, unde erat egressus, nunc tamquam sacerdotem, nunc tamquam Prælatum; citantque processum ecclesiæ episcopalis Ostunensis, qui ad Innocentium XII summum Pontificem missus sit. Notatur hoc instrumentum Lycii* XVI *Aprilis 1733.* D *Mirabilis etiam est non apparitio tantum, sed præsentia, uti creditur,* S. Orontii *in liberando captivo, ac depellendis accusationibus, quæ adversus eumdem perperam ad tribunal seculare erant delatæ. Rem audi ex testimonio Italico, quod in promptu habemus, quodque ad pauciora a nobis contractum, continet sequentia :*

falso accusatus liberatur,

40 *Infrascripti plenam et indubitatam fidem faciunt cuicumque, ad quem spectarit præsentes videre in judicio, vel extra illud, et cum juramento etiam, quoties necesse fuerit; quod anno circiter 1680 Dominicus Gigante ejusdem civitatis, habitans Neapoli, fabricarit nobilem et pretiosam statuam argenteam* S. Orontii, *rogatu civitatis. Interim dum ultimam eidem jam admovisset manum, inquisitus fuit secunda vice tamquam monetarius, deinde carceri mancipatus, et statua in sequestro deposita, instante fisco. Ille vero ex toto corde commendavit se suo sospitatori* S. Orontio, *pro liberatione sua enixe* E *illum orans. Aliquamdiu post, tempore quodam matutino, dum agendum esset juridice de ipsius causa, et apparitor vocaret, quisnam futurus esset interventor pro causa dicti Gigante, qui nullum habuerat defensorem; prodit quidam venerabilis sacerdos, qui diceret, se esse pro causa Gigantis; et introgressus, perorata causa, mirabili modo edocuit judices perperam accusati innocentiam, et calumnias ab æmulis contra eum contextas : et sic omnino liberatus fuit, et sine mora eductus e carcere, ac reddita ei statua, quam lætus Lycium adduxit, rem gestam enarrans in Sancti gloriam, et certo existimans, sacerdotem illum fuisse* S. Orontium. *Hæc testimonio notariali die* XIII *Maii 733 (post millesimum) condito. Subscribuntur ecclesiæ Lyciensis cathedralis sacerdotes Participantes, D. Jacobus Beli, D. Dominicus Calilli, et D. Nicolaus Gigante.*

uti et alius a furiosis mulis.

41 *Ex jam producto instrumento aliud factum, quod eidem intexitur, breviter contrahimus. Accidit illud clerico Petro Gothri Lyciensi : qui a mulis suis in furias actis circumdatus, magno erat in periculo, ne ab illis occideretur. Sed con-* F *cipiens fiduciam periculo parem, invocavit Sanctum : et furiosa animalia mox mansuefacta quieverunt, seque hic liberatum vidit. In tam singularis vero gratiæ agnitionem donavit eidem Sancto non parvam pecuniæ summam, ut solveretur id, quod solvendum restabat ex argento, ad fabricandam statuam, de qua superius, impenso.*

§ V. Mulier cum filiis sub ruina domus mirifice conservata; oleum e lampade Sancti haustum multis beneficum.

Mulier e lapsu parietis

Unum *e maximis favoribus, quibus* S. Orontius *in diversi generis calamitatibus egregium sospitatorem, ac præsentissimum patronum, erga Lycienses præsertim, se comprobavit, est conservatio mirifica cujusdam mulieris, ac filiorum ejus in ruina domus. Factum narratur in*

Ms.

A *Ms. Italico Lycii exarato die* III *mensis Junii anno 1733 : sequentia vero inde excerpere suffecerit. Benedictus itaque Triachi, et Marina Durante, legitimi conjuges in civitate Lyciensi, coram notario infrascripto declarant cum juramento, quod, dum D. Thomas Fini, dictæ civitatis sacerdos, possideret domunculam quamdam, magnæ domui reverendi D. Josephi Totaro, ejusdem civitatis sacerdotis vicinam, quod, inquam, domuncula eadem a dicto D. Thoma illis elocata fuerit. Quando autem dicti conjuges ibidem habitarent simul cum filiis suis duobus, altero infante, impubere altero ; sub die* X *mensis Novembris anno 1731, nocturno tempore altissimus domus prædictæ domini Josephi istius murus corruit, infra quem stabat dicta domuncula, eamque demolitus est.*

sub ruina ejusdem obterenda cum duobus filiis, Sanctum invocat, et cum eisdem

43 *Et Marina quidem infra rudera permansit una cum filiis suis ; Benedictus vero non item ; qui dum inclamaret vicinos, ut opem ferrent, mox accurrerunt. Sed quia janua domunculæ ejusdem a parte interiore erat occlusa per ista rudera, nemo quisquam poterat ei subvenire. Idcirco gloriosi Sancti patrocinio fretus, paulatim* B *cœpit amovere lapides a dicta janua, ita ut introierit populus, et inceperit illos amoliri, ut Marinam inveniret : a qua sub lapidibus existente aliud nihil audierunt, quam, Sancte* Oronti *adjuva me : et excavato acervo, qua parte audiebantur tales voces, invenerunt illam sanam, et prorsus illæsam ; id quod etiam filiis ejus accidit. Visum solummodo fuit, quod ictus lapidum conscidissent in frusta capillos ipsius, quodque omnino essent lacerati panni ipsius lecti, nec non acus, quam ferebat in aure, in duas divisa partes.*

mirifice sospitatur.

44 *Ad hæc, quoniam dicta Marina erat gravida, ad ædem quamdam vicinam deportata fuit, in qua paucas post horas in lucem edidit infantulum, cui ab ipsa datum fuit nomen* Orontii : *et hodiedum vivunt omnes, et valent optime. Ut veritas igitur facti clarescat, iidem Benedictus et Marina hanc dederunt, sicuti dant, præsentem testificationem pro actu publico, et juramento suo confirmarunt. In cujus rei testimonium etc. præsentibus oppidanis. Apographum, e quo hæc excerpsimus, concordare cum suo pro-* C *prio originali testatur Fortunatus Antonius Muci de Lycio notarius. Jam vero ad enuntianda mirabilia procedamus, quæ per oleum lampadis* S. Orontii *patrata sunt, et numero multa, et genere diversa.*

Oliveta male affecta

45 *Maxime enimvero oleum illud profuit olivetis, quæ exitiali quodam malo tam erant infecta, ut fructus proferre non possent. Factum exponitur et probatur in hoc testimonio :* In Dei nomine. Amen. Anno a salutifera ejusdem Domini nostri Jesu Christi Nativitate millesimo septingentesimo trigesimo tertio, die vero vigesima mensis Maii, undecimæ Indictionis *etc.* In civitate Lycii, et coram me infrascripto notario apostolico, testibus infrascriptis, ad hæc omnia et singula vocatis... personaliter in nostri præsentia constitutus Cl. dominus Andreas Guidani dictæ civitatis... declaravit medio suo juramento *etc. E narratione Italica rei gestæ extrahimus sequentia : Duodecim circiter abhinc annis in olivetis serpebat malum, quod arbores reddebat ineptas ad proferendos fructus.*

ad frugem reducuntur oleo Sancti,

46 *Die quadam, dum supradictus dominus Guidanius inaudiisset, in suo oliveto serpere supradictum malum commune, sine mora se contulit ad ecclesiam cathedralem ejusdem civitatis ; ibidemque fusis precibus, cepit ampullulam olei ex lampade* S. Orontii ; *quo delato ad fundum modo dicti oliveti, arbores illas paucas, quæ malo isto laborabant, linivit : deinde ampullulam istam olei cepit, et appendit seu affixit in arbore, quæ sita erat in medio fundi oliveti ejusdem. Malum autem non tantum non perrexit ulterius ; sed paucæ illæ infectæ arbores convaluerunt. Re per totam urbem divulgata, unusquisque non prætermisit idem facere ; præsertim RR. Patres Societatis Jesu : qui habebant magnum fundum eodem malo infectum. Sed allato oleo præfato gloriosi* S. Orontii *a R. P. Antonio Grassio ejusdem Societatis, eoque arboribus omnibus, quæ erant infectæ, illitis, et affixa seu appensa uni arbori dicti fundi ampullula ex oleo, quod diximus, lampadis Sancti gloriosi, non tantum non accrevit malum ; verum etiam arbores infectæ ad frugem redierunt.*

AUCTORE J. P.

et bos ad sanitatem.

47 *Declarat insuper prædictus D. Guidanius, quod abhinc tribus circiter annis haberet bovem, qui a multis jam diebus nec manducabat, nec bibebat ; sed decumbebat extensus in terra ; quodque ab omnibus, a peritis præsertim, consilium esset datum, ut eumdem occideret. Sed idem* E *D. Guidanius vira cum fide ad ecclesiam gloriosi* S. Orontii *digressus, oleo, quod in ampullula ceperat ex ipsius lampade, livit bovem supradictum : et subito prodigiose erexit se ex terra, ac incepit manducare et bibere, recteque habebat. Hisce subditur hæc clausula Latina :* Et sic pro facti veritate præfatus declarans declaravit etc., juravit etc. in forma etc. Unde etc. Acta fuere hæc omnia anno, mense, die, Indictione *etc.*, quibus supra, coram Joachimo Pepe, et Joachimo Cazato dictæ civitatis, testibus ad hunc actum vocatis *etc.* Et ad fidem ego D. Carolus Paternello sacerdos portionarius ecclesiæ cathedralis Lyciensis, notarius apostolicus, signavi rogatus. † Locus signi. Extracta est præsens copia a suo original. ab Actis mei, cum quo collatione facta concordat, meliori semper salva. Et ad fidem egomet D. Carolus Paternello, ut retro, notarius apostolicus signavi rogatus D. C. P. N. A.

Quidam pessime affecto pede laborans

48 *Quid, quod in miseriis hominum pessime laborantium curandis oleum e magni istius Thaumaturgi lampade magna cum fiducia adhibitum patraverit alia plura mirabilia, uti planum fit* F *ex documentis, quæ proferimus :* In Dei nomine. Amen. Anno a salutifera ejusdem Domini nostri Jesu Christi Nativitate MDCCXXXIII, die vero XX mensis Maii, XI Indictionis *etc.* In civitate Lycii, et coram me infrascripto notario apostolico, testibus infrascriptis ad hæc omnia et singula vocatis *etc.*, personaliter in nostri præsentia constituta Salvatura Candido, terræ Melendunci, Lycii degens... declaravit medio suo juramento *etc.*, *quæ nos extrahimus e rei narratione. Refertur itaque decem circiter abhinc annis eadem supradicta Candido habuisse filium, qui spina ventosa laborabat ex pede. Malum vero dum esset immedicabile ; filium suum ad ecclesiam cathedralem ejusdem civitatis detulit die* XXVI *Augusti, quo solenniter celebratur festum* S. Orontii : *eoque ad aram Sancti relicto, cepit oleum e lampade ipsius, quo pedem male affectum livit, Sanctum orans, ut hanc ei gratiam exoraret.*

sanatur,

49 *Domum redierunt : dumque interea filius ejus sederet in sede, posuit pedem in terram, nullum*

AUCTORE J. P.

lum sentiens dolorem, et Sancto fretus sese erexit seu levavit e sede, et cœpit ire per domum. Quod ubi vidisset mater, præ lætitia clamare cœpit alta voce, dicens : Gratia, sancte mi Oronti. *Hujusmodi rumore tota concurrit vicinia: omnesque obstupuerunt, ac simul inceperunt laudare Sanctum, et gratias agere de accepto favore. Supradicta autem mater cum suo filio, cui pedis usus erat restitutus, iterum adivit eamdem ecclesiam, flexoque genu ante imaginem Sancti, non cessabant alta voce clamare : Gratia, gratia, gratia* S. Orontio, *et redierunt domum :* Et sic pro facti veritate præfata declarans declaravit etc., juravit etc., in forma etc. Unde etc. Acta fuere hæc omnia anno, mense, die, Indictione, quibus supra, coram Joachimo Pepe, et Joachimo Cazato, testibus ad hunc actum vocatis. . . Et ad fidem, ego Carolus Paternello, *de quo supra,* præsens instrumentum confeci, et signavi rogatus etc.

uti et puer usu pedum

50 *Maxime etiam ad posteritatis memoriam illustre juxta ac omni admiratione dignum censeri debet factum aliud, quo ejusdem olei applicatione puer mutus, et gressu privatus, ab utro-* B *que isto malo liber evasit et incolumis. En tibi, lector, publicum denuo documentum :* In Dei nomine. Amen. Anno a salutifera ejusdem Domini nostri Jesu Christi Nativitate MDCCXXXIII, die vero XX mensis Maii, XI Indictionis *etc.* In civitate Lycii, et coram me infrascripto notario apostolico, testibusque infrascriptis, ad hæc omnia et singula vocatis. . . personaliter in nostri præsentia constituta Orontia Stabbile dictæ civitatis. . . declaravit medio suo juramento. . . *factum, quod ex Italico extrahimus : Anni circiter quinque sunt, dum eadem ista Orontia habebat prolem masculam annorum quatuor, quæ non incedebat, nec loquebatur.*

ac linguæ destitutus.

51 *Die quodam magna et viva cum fide filium suum detulit ad ecclesiam cathedralem dictæ civitatis, et in altari sancti* Orontii, *accepto e lampade ejusdem Sancti oleo modico, illum linivit, vivis, ut ita dicam, lacrymis plorans, Sanctique implorans patrocinium, ut loqueretur et incederet suus filius. Reduces, vix ingressi erant domum, dum filius idem, qui hactenus non erat auditus loqui, aquam petiit a dicta Orontia matre sua : quæ res magnæ fuit ad-* C *mirationi audientibus. Postridie eadem Orontia iterum defert filium suum ad istam ecclesiam atque ad altare Sancti, linivit eum oleo lampadis ejus, ac eodem instanti filius in pedes erectus cœpit expedite incedere :* Acta fuere hæc omnia anno, mense, Indictione. . . quibus supra, coram Joachimo Pepe, et Joachimo Cazato dictæ civitatis, testibus ad hunc actum vocatis. . . Et ad fidem ego D. Carolus Paternello *etc.*

§ VI. Oleum Sancti miro modo auctum ; salutiferum in contagiis ; memorabilia apud Molisinos per illud patrata; alia quædam mira.

Oleum auctum cum deficeret :

De *oleo* S. Orontii *mirabiliter aucto, multisque benefico, testimonium perhibetur in Ms. Italico, e quo delibo ista in hunc sensum : Infrascriptus Didacus D. Passante, mansionarius cathedralis ecclesiæ Lyciensis, plenam et* D *indubitatam fidem facit cuilibet, ad quem spectarit præsentes videre in judicio, vel extra, etiam cum juramento, quotiescumque opus fuerit; quod inter gratias portentosas et miracula, quibus assidue Deus dignatur glorificare* S. Orontium, *sit illud. Tribus, inquit, abhinc annis circiter accidit Dominico de Luca, populari nostro, ut acerbissimis doloribus laborans rogarit uxorem suam, ut ad se deferret ampullulam olei e lampade* S. Orontii, *quam conservabat domi suæ, et piissime erga Sanctum affectus, firma cum fiducia credebat se liberandum. Quæ respondit ei, oleum non superesse, bene memor, quod per unctiones antea factas occasione aliorum malorum, vacua esset. Postridie porro mane invenit dictam ampullulam plenam oleo, cum tamen alii illud non infudissent. Dehinc existimatum fuit communiter oleum miraculosum, quod a Sancto donatum sit constanti ac fervidæ devotioni dicti Dominici, et habitum in summa veneratione; dumque variis applicaretur, gratias obtinebant singulares. Subscribit propria manu idem, qui supra, Didacus Passante, Lycii* XIII *Maii, anno 733, subintellige* E *post millesimum : de qua subscriptione post duos testes fidem facit Carolus Paternello apostolica auctoritate notarius.*

salutiferum in morbis contagiosis hominum ac bestiarum.

53 *Aliud ad nostra manus pervenit instrumentum Italicum, et notariale, in quo* S. Orontii *patrocinium contra morbos contagiosos asseritur. Rem gestam contrahimus, ut breviores simus. D. Ignatius Viva patricius Lyciensis testatur, etiam, si necesse fuerit, cum juramento, dominum quondam D. Franciscum marescallum, ut vocat, ejusdem civitatis patricium, ac cognatum suum narrasse sibi annis præteritis, quod, Viennæ dum esset, ibidem uti et in locis vicinis exortus fuerit morbus quidam contagiosus, qui dum accresceret, ac judicaretur pestilens ex strage, quam inferebat, debuit aula recedere Græcium : quo etiam ille se contulit ; sed ratus, se ibidem non esse tutum, redire in patriam decrevit. Primo autem vespere devectus ad hospitium, auriga, qui eum vehebat, peste infectus esse deprehenditur, sed idem dominus Franciscus, vasculo olei* S. Orontii *instructus, voluit ut illo oleo ungeretur iste auriga, et vivam excitaret fidem erga Sanctum sospitatorem pestiferi mali singu-* F *larem. Et post factam unctionem, quando mane dictus dominus volebat assumere aurigam alium, comperit aurigam illum, qui antea erat infectus peste, sanum et liberum; et voluit ipsemet D. Franciscum vehere, quem Venetias usque perduxit. Dum vero annis elapsis laudatus dominus Ignatius esset in territorio Campiarum, serpebat ibi malum quoddam contagiosum in bobus et vaccis : dumque injunctum esset, ut ungerentur oleo* S. Orontii, *magna ibidem vigente erga Sanctum pietate, mox ut fuere uncta, non perierunt amplius nec boves nec vaccæ etc. In quorum fidem etc. Lycii die* XIV *Maii anno 1733 idem D. Viva superiora testatur suo chirographo, duorum testium et notarii chirographis etiam appositis in confirmationem publici istius actus.*

Ejusdem olei usu

54 *Comitatus Molisinus in regno Neapolitano situs inter Aprutiam citeriorem ad septemtrionem, Capitanatam ad ortum, et Terram Laboris ad Occasum, mirifice etiam illustratus fuit prodigioso* S. Orontii *oleo, prout in sequenti instrumento Latino datur videre :* Cum in monasterio

A sterio Campobassensi Congregationis Cælestinorum sub auspiciis Sanctæ Mariæ de Libera morarer, ibique Prioris officio fungerer, esti longe ab Aletio, in quo lucem primo aspexi, dissitus, fieri haud potuit, ut simul ab Orontio præclaro meæ civitatis, omniumque concivium patrono distassem. Neque tantummodo illustris Martyris cultum, venerationem ac patrocinium mihi adsciscor, ut aliis commune id facere dubitem. Attamen ibi nulla opportuna arriserat occasio, qua simul et debitæ filii pietati, et proximorum saluti satis posse facere existimarem. Anno MDCCXXVIII vertente, incerta vox sævientis contagii ita divulgata est, ut huic voci timor apud omnes, et horror propinquæ mortis successerit; ita ut jam cives, re sibi familiari comparata, ad suburbia sese recipiebant, vel etiam sub dio ab omni concivium consortio divulsi vitam ducere parabant. Inter tot communes timores, egomet ipse timebam, et Orontii auxilium mihi profuturum sperabam, ipsique quotannis diem festum me celebraturum promisi, si me, omnesque concives a timore, qui in omnium B animos irrepserat, liberaret. Voto res, uti cupiebam, respondit; cum acceptis undique litteris, falsam fuisse contagii famam divulgatum est. Hæc fortuna, bono ducente fato, mihi oblata est, cum hinc occasionem sumpserim Orontii potentiam ostendendi, ut qui Aletinos sæpe a contagio, aliisque malis immunes reddidit, eumdem patronum adsciscerentur, eademque et alii gauderent sorte. Qualem exoptaveram, res evenit; ita ut vix Orontii nomine audito, usque adhuc ignoto, nullum adinvenire fuit, qui et externo venerationis obsequio, et interno pietatis adfectu eum non veneraretur.

una cum pietate erga Sanctum singulari

55 Qui cultus, ut in dies magis cresceret, in mea ecclesia aram marmoream decentissime ornatam brevi tempore erexi, ac Sancto tutelari dicavi; nec non quotannis ea, qua potui, solemnitate anniversarium ipsius obitus diem celebrare cœpi, et quo usque ibi moratus sum, ingenti populi frequentia, non solum ex suburbiis, sed ex toto Comitatu Molisino, qui una est ex regni Neapolitani provinciis, adcurrentis, celebravi. Et sicuti Aletini beneficia ex oleo, quod ad honorem Orontio præstandum ante ipsius imaginem comburitur, innumera retulere, C et quotidie referunt; ita de illo pariter, quod apud me ante illius imaginem ardebat, evenire debere sum suspicatus. Verum anceps, ne temere me exhibere quis crederet, hac in re hærebam; at cum patrocinium hujus Sancti in hos novos populos reducere cœpisset, et divinam olei virtutem detexi, et quisque in suum, vel in proximi remedium adhibuit.

ad Comitatum Molisinum

56 Antequam ejus dies festus eo, quo decebat, splendore celebraretur, cum in circumpositis pagis indicebatur, quidam Franciscus Rocci dictus, gravi febri detentus, devotione, ac pietate in Orontium incensus, die XXIII Sextilis ejusdem anni, ac supra, septem virgines nudis incedentes pedibus cum presbytero, ex oppido Ferazzano dicto, misit, ut Divo ejus nomine vota solverent : et ante diem XXVI pro festivitate statutum, ab infirmitate, qua detinebatur, liber ita redditus est, ut ni medici contrarium suasissent, ad solemnitatem se præsentem sistere potuisset.

propagato, mirabilia

57 Joseph de Stephano magnis tenebatur febribus, et olei unctione continuo sanus factus est. Dominicus de Marco, doloribus, et febribus torquebatur; prius a doloribus liberari cupit, et liberatur : dein ex eventu confidentior factus, a febribus se solutum vellet, et solvitur. Cum animam jam ageret Christina Chierizzi propter pectoris oppressionem, sola olei unctione derepente sanata est; quod evenit etiam Marthæ Vellino arthritide detentæ. Cum febribus afflictaretur Joannes Paradiso, inde stropho * superveniente, cum de humana desperaret, ad Orontii potentiam confugit; oleo inunctus cum esset, prius dolores, dein febres evanuerunt. Oleum itidem multos hernia laborantes sanavit : ita Frater Benedictus meæ Congregationis oblatus : ita etiam domnus Franciscus Pitillo, qui cum de divo Orontio dicturus esset in quodam eruditorum consessu, cum hernia detineretur, sola Sancti invocatione, et olei unctione ad pristinam sanitatem redactus est, et suo muneri, prout par erat, satisfecit.

AUCTORE J. P.

* i. e. dolore intestinorum

plurima ibidem facta

58 Cumque in eodem consessu pater frater Petrus Baptista de S. Nicandro, Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, verba esset facturus, febri impeditus, cum eodem febris incommodo suas exegit partes, et hoc modo est E liberatus. Olei pariter unctione Joannes Leonardus Pirsichillo, Joseph Santelli; presbyter D. Antonius Pulsone, Franciscus Gargano, Gravilia Dragone, febribus expediuntur. Variis doloribus, et ulceribus Antonia de Albino, uxor Michaelis Ginetti, et Carolus Maione liberantur. Inter omnes specialem Orontii protectionem Antonius Gianpaolo, medicæ artis professor, expertus est, cum nepos, qui humana cura sanari non poterat, divina olei virtute sanatur : cumque ipse Antonius ad valetudinem principi de S. Alcino restituendam vocatus esset, inter sex professorum varias sententias, sub auspiciis divi Orontii suam proposuit, quæ ab omnibus recepta fuit, et suum consecuta est finem. Unde factum est, ut Orontius, tamquam medicæ artis consiliarius supremus ab Antonio semper adhiberetur. Hisce, et innumeris aliis prodigiis, quibus se, suamque potentem protectionem Orontius manifestam reddidit, ita populum illum obligatione devinxit, ut trium annorum spatio ibi commoratus cum sim, in dies devotionem semper crescere, et obsequium animadverterim.

commemorantur,

59 Verum cum suprema nostra generalia comitia appropinquarent, et ad ea accersitus, nascentem cultum tanti Protectoris in desuetudi- F nem abire posse prævidebam, vel certe adfectu motus timebam, si alio detentus officio ad pristinum redire non fuisset permissum : sedulo hanc rem apud me pervolvebam, et dum nulla remedii spes prælucebat, ecce vir ditissimus Januarius Pirsichillo mihi occurrit, et sponte L ducatos argenteos obtulit : ex quorum proventu diem festum quotannis solemni Missa celebrari voluit : quo cautum est, ut aliqua saltem tanti patrocinii memoria remaneret. Insuper mihi talis in regimine successor est destinatus, qui in hac devotione promovenda, vel superare, vel certe me coæquare videatur. Divum ipsum precor, et oro, ut sicuti me ad ipsius cultum apud gentes, quibuscum sum versatus, prædicandum, paratum habuit; ita ego semper ad meam animæ, corporisque salutem, et præsidium, propitium habere merear, et, qualem confido, experiar.

ac legitime comprobantur.

60 *Hoc instrumentum subscribit, ac sigillo suo abbatiali munit* Petrus M. Pizziniacus Aletinus, jam * Prior monasterii Campobassensis S. M. de Libera; nunc abbas S. Petri de Siponto

* i. e quondam

AUCTORE J. P.

to Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti. *Et inferius signatur* D. Bartholomæus Ruzzi novitiorum magister, ac ejusdem reverendissimi P. Abbatis a secretis : *deinde* notarius Laurentius Carlino Lyciensis. *Inter alia vero quatuor notariorum testimonia, quibus fidem faciunt, illum esse talem etc., unum apponit :* Datum Lycii die quarto mensis Julii millesimo septingentesimo trigesimo quinto. *Atque hæc quidem sunt, quæ de novis potissimum prodigiis seu beneficiis* S. Orontii *hic repræsentare visum est. Quanta vero ejusdem Thaumaturgi memoria in benedictione sit apud Lycienses præsertim, manifestissime comprobatum ab ipsis perspicimus, quando summa cum diligentia, et labore Sancti Sospitatoris sui erga se meritis debito, collegerunt ea documenta, quæ ad Dei Opt. Max., qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur, gloriam et ad* S. Orontii *cultus propagationem maxime conducere arbitrati sunt. Si quis autem plura de variis favoribus per salutiferum ac prorsus mirabile Orontianum oleum impetratis, legere desiderat, consulere potest Bozzium, e* B *quo hæc pauca subjungo.*

Alia quædam prodigia

61 *Memoratus itaque modo auctor mirabilia diversi generis refert lib. 5, pag. 182 et sequentibus; quorum cum pauca e multis transcripsisse se affirmet in eadem forma, qua illa invenit in curia episcopali (videlicet Lyciensi,) ab ea, uti indicat auctor idem, diligenter inquisita; facere non possumus, quin aliqua saltem inde extrahamus et lectori exhibeamus.*

ex Carolo Bozzio

62 *Clericus Franciscus Maria Smachi Lyciensis, pestifera gravatus febri, omni humano auxilio destitutus, et a medicis depositus, ad ultimum agonem redigitur. Sed post Sancti apparitionem, invocat illum, et sanatur. Soror Hyacintha Penna monacha claustrata in monasterio S. Mariæ Novæ Lyciensis, Ordinis S. Dominici, ab annis quatuordecim conflictata fuerat cum malo ipsis medicis incognito, post plurima remedia toto isto tempore nequidquam adhibita, sanitatem obtinuit subito, dum Sancto fervide se commendasset. Petrus Antonius et Veneranda, filius et filia Leonardi Damiani Lyciensis, hic quidem quinquennis, illa vero quadriennis, e rheda delapsi sunt, rota super ambos transeunte, nimirum per tibiam unius, ac per dorsum* C *alterius. Postquam autem eorum mater, quæ aderat, inter illorum lapsum clamasset,* Sancte Oronti, *adjuva eos; fuerunt prorsus liberi, et illæsi.*

prædictis

63 *D. Fabius Surgente nobilis Neapolitanus, in civitate Ostunensi habitans, dum laboraret vomica in collo, quæ acerbissimis doloribus illum cruciabat, Sancto invocato, votoque ipsi facto, cessarunt subito dolores, et dicta vomica* D *convaluit. Dominica Mastrangela e loco Preciccie diœceseos Uxentinæ, filium mortuum peperit ac nigrum. Obstetrice autem paucis verbis deprecante* S. Orontium *pro vita ejus, ut baptizaretur; res successit ex sententia : etenim vix preces finierat; et filius ille, qui per horam mortuus jacuerat in terra, respirare cœpit, ac se movere, quique natus erat lividus, candidus apparuit, baptismum accepit, vitamque et sanitatem. Martha Magdalena, deinde Orontia, Manna ex Lequile, diœceseos Lyciensis, ætate biennis, dum staret in medio viæ publicæ, et ante illam transiret carrus a bobus vectus, accidit, ut unus ex illis eam projiceret in terram, ita ut rota dicti carri transiret per dorsum ejus, matre autem et adstantibus* S. Orontii *opem implorantibus, liberata fuit filia et illæsa.*

superaddita

64 *Donatus Palma Lyciensis habebat filium mensium novem malo caduco laborantem, eoque redactum, ut morti proximus esset, immo jam quasi mortuus videretur : post commendationem vero ac preces Sancto porrecta, ut, si ad Dei gloriam et ad salutem animæ filii conduceret,* E *sanaret illum; Sancto addixit ceram, quam jam emerat ad eum sepeliendum. Et mox, facto voto, cœpit filius respirare, et integra sanitate potitus est. Antonia Simone ex Campiis, diœceseos Lyciensis, domi suæ habebat dolium vinarium. Die quodam redux e templo, dolii foramen apertum reperit, vinumque omne effusum in terram. Edito autem voto, daturam se Sancto mensuras tres per diem ad celebrandas Missas; paucis aliquot post diebus inventum fuit idem dolium vino plenum, et quidem cum fœnore. Dum autem illud dolium esset evacuatum, iterum vino plênum miraculose inventum fuit, ita ut omnes et Religiosi, et pie erga Sanctum affecti acceperint ex illo vino per devotionem, patrona omnibus illud dante gratis.*

narrantur.

65 *Franciscus Lolli ex Squinzano, diœceseos Lyciensis, annorum quatuordecim circiter, projectus ab alio in puteum fuit; qui dum apprehenderetur ac projiceretur, opem* S. Orontii *semper implorabat : et delapsus usque ad aquam putei, se videt supra illam commode positum : pergensque orare Sanctum, ut se juvaret, nec aqua, nec quatuor crassi lapides, post eum jacti ab illo, qui Franciscum eumdem præcipitarat* F *in dictum puteum, ipsi nocuerunt. Reperit autem ibidem quamdam personam sacerdotis habitu vestitam, quæ factam ei a* S. Orontio *gratiam asseruit, et egressum e puteo prænuntiavit, ac paullo post miro modo ligatus fune, salvus et incolumis evasit.*



DE

A D

DE S. ALEXANDRO MARTYRE

BRIXIÆ IN ITALIA

Sylloge de cultu, translatione corporis, et Actis.

J. P.

SUB NERONE, UT FERTUR. *Martyris cultus, translatio,*

Brixia, antiqua Galliæ Transpadanæ apud Italos civitas est, gentis Cenomanorum caput, *sicut diximus tomo* II *Februarii, die* XV, *pag. 805, ubi etiam plura de eadem civitate exstant. Si quis ulteriores ejusdem notitias desiderat, Ughellum adeat tomo 4 Italiæ sacræ, a columna 720 editionis prioris. Sanctus vero hic Pugil publico apud Brixienses cultu honoratur hac die* XXVI *Augusti, qua annuntiatur in utroque Catalogo Ferrarii, et apud Faynum in Martyrologio Brixiano. In Ordine divini Officii in Brixiensi ecclesia recitandi pro anno* B *1684, quod illustrissimi D. Bartholomæi Gradonici, ejusdem ecclesiæ episcopi, jussu editum est, dicta die ponitur* Alexandri mart. Brix. semid. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in annotatione ad historiam hujus Martyris observat,* acta illius... in æde parochiali suo nomini dicata, quam Fratres Servitæ possident, in parietibus eleganter depicta conspici. *Deinde addit :* Corpus illius in Gallias Karolo Mag. imp. delatum, in quadam historia, Brixiæ an. D. MDLXXXIV edita, legimus, in qua et illud continetur, ex eo temporte Brixianos SS. Faustinum et Jovitam in patronos sibi ascivisse, cum antea S. Alexandrum urbis tutelarem habuissent.

tempus martyrii.

2 *Qua fide hæc nitantur, ignoro; nec historiam isto anno editam Brixiæ, lubet quærere, cum non apponat Ferrarius, qualis sit, et cujus auctoris. Porro hunc* S. Alexandrum *ab alio synonymo martyre Bergomensi prorsus esse diversum, constabit ex iis, quæ hac etiam die de illo memorabuntur. Brixiensis dicitur martyrium consummasse sub Nerone, uti habent ejus Acta, quæ Ferrarius idem vulgavit* ex monum. eccl. C Brixien. Ms.; *quam temporis notam nos etiam supra posuimus, seu alibi potius positam reliquimus. Sequentia vero Acta, quandoquidem certo approbare vel improbare ea aliunde non possumus defectu documentorum, damus in Ferrarii fide, etiamsi nonnulla sint illis immixta, quæ magnis difficultatibus non carent.*

Acta

3 Alexander Brixiæ nobili genere natus, ac in Christiana religione eruditus, Claudio imperatore Christianos persequente, adolescens Massiliam ad B. Lazarum ejus urbis episcopum venit. Inde Aquas Sextias ad B. Maximinum episcopum profectus, ab eoque in fide confirmatus, et ad martyrium pro Christo Domino subeundum incensus, Brixiam rediit : ubi re familiari vendita, pauperibusque divisa, martyrii cupidus Dianæ templum ingreditur, ac dæmones in Christi nomine compellit, ut idola confringerent. Quo facto, ab idolorum sacerdotibus tentus, ad Felicianum præfectum adducitur : qui cum ad Neronem rem per litteras significasset, responsumque esset, ut Alexander aut diis sacra faceret, aut exquisitis suppliciis cruciatus interficeretur; mandatum ei imperatoris exponit, hortaturque, ut Marti immolaret.

ex Ferrario.

4 Qui genuflexus, quasi Martis idolum adoraturus, Christo Domino preces fudit, moxque Martis statua corruens, in pulverem redacta est. Quare Felicianus indignatus, Alexandrum loris concidi, et fervens oleum cum pice et sulphure in os ejus infundi jubet. A quibus eum minime læsum cernens præfectus, manus illi perforari, funemque per foramina tractum indomiti tauri collo alligari, sicque Martyrem per urbem raptari, ac demum præcisis brachiis et lingua, caput amputari præcepit. Quo in loco E cum faces 4 accensæ ad Martyris corpus divinitus apparerent, multique eo miraculo ad Christum converterentur, illud ab Anathalone episcopo sepelitur : ibique postea a Brixianis ejus nomini templum ædificatum est.

nostræque ad illa

5 *De S. Lazaro episcopo Massiliensi agit Martyrologium Romanum ad diem* XVII *Decembris, quo expendi poterunt difficultates circa tempus sedis ejus occurrentes. In novissima editione Galliæ Christianæ proponitur una tomo 1, columna 631 :* Post hunc primum episcopum *(S. Eleazarum, seu Lazarum)* si certo constet, eum fuisse Lazarum fratrem Mariæ ac Marthæ, a Domino ex sepulcro ad vitam revocatum, adcoque primo Ecclesiæ seculo rexisse, pontificia sedes vacavit ultra ducentos annos; aut sane dicendum est, memoriam eorum, qui præfuerunt, penitus oblitteratam fuisse. *Et vero episcopus supra nominatus ponitur quidem ibi primo loco, sed annus Christi vacuus relinquitur. Ad S. Maximinum quod attinet, tricis chronologicis admodum obnoxius est, ut licet videre apud nos die* VIII *Junii, tomo* II, *pag. 53, ubi signatur seculo* I, IV, *vel* VI. *Nec fuere in hac* F *re oculatiores dictæ Galliæ Christianæ editores : nam tomo citato columna 299 habent ista :*

observationes.

6 Communis est sententia, primum Aquensium episcopum appellatum Maximinum; sed quis ille fuerit, quo sederit tempore, quidve gesserit, divinare non audemus. Pro dubiis enim, ne dicam falsis, nunc habentur inter eruditos fere omnes, quæ vulgo aiunt; mota Jerosolymis in J. C. discipulos persecutione, post obrutum lapidibus sanctum Stephanum, Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, Marcellam ejus pedissequam, Maximinum et Chelidonium, in quos Judæorum odium maxime fervebat, non solum Jerosolymis pulsos; sed etiam navi absque remigio in certum mortis periculum impositos, divina providentia ad oram Provinciæ appulisse; et Massiliensium quidem Lazarum episcopum creatum esse, Aquensium vero Maximinum. *De S. Anathalone scribit Ughellus tomo 4 Italiæ sacræ columna 727. Habetur in Martyrologio Romano ad diem* XXV *Septembris, quo disculi poterunt, si quæ sint suboriluræ circa ipsum difficultates.*

A

D

DE SS. SIMPLICIO, CONSTANTIO, & VICTORIANO MM.

APUD MARSOS IN APRUTIO ITALIÆ

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, translatio, miracula, Acta.

Forte sub Marco Aurelio Antonino. *Veneratio publica eorum apud Marsos*

Marsi, urbs Italiæ in Aprutio Ulteriori, prope lacum Fucinum, et in ejus parte orientali, .. nunc excisa et omnino diruta jacens, rudera Marsi adhuc dicuntur, et episcopalis sedes translata fuit ad Piscinam oppidum, tribus milliaribus a Celano oppido dissitum, a Clemente VIII Pontifice maximo. Ejus episcopus dicitur Marsorum et Marsicanus, estque in Aprutio : quamquam sint, qui credant nullam fuisse urbem Marsi dictam, *uti tradit Baudrandus. Plura habet Ughellus in Italia sacra prioris editionis tomo 1 columna 952 et sequentibus. Celani autem vel Cælani oppidi meminisse juvabit postea, propter documenta, quæ dabuntur de cultu horum Martyrum peculiari ibidem loci. At primo illorum venerationem publicam aliunde probemus.*

B

ex variis

2 *Stabilitur illa primo ex Actis dictorum Martyrum, in lectiones sex dispertitis : nec non ex antiphonis propriis, ab orationibus seu collectis tempore Missæ adhibitis, quæ omnia postmodum producemus. Secundo, ex utroque Catalogo Ferrarii; quippe in eo, qui est de Sanctis Italiæ, profert hac die compendium martyrii* ex lectionibus in eorum Officio recitari solitis : *in altero autem Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, a die* XX *hujus mensis illos remittit ad diem* XXVI, *ubi citat in notis* Tab. ecclesiæ Marsicanæ. *Tertio, post mortem Cardinalis Baronii leguntur in Martyrologio Romano, in cujus editione, quæ anno 1635 in lucem prodiit, primum illos reperio inscriptos hoc modo :* Apud Marsos sanctorum Simplicii, et filiorum ejus Constantii et Victoriani, qui sub Antonino imperatore varie primum excruciati, tum demum securi percussi, martyrii coronam adepti sunt. *Hac vero die illos ibidem coli, conficitur ex titulo, qui eorum Actis seu sex lectionibus Mss., ac postea dandis præponitur, et hæc habet :* Die XXVI Augusti, festo sanctorum martyrum Simplicii, Constantii, et Victoriani, Cælani in partibus Marsiæ. *Apographum nostrum scribit duo ultima nomina* Costantii et Vittoriani *per idiotismum Italicum, quem sicut modo correxi, sic eum corrigam, ubicumque illum deinceps reperero.*

C

probatur

3 *Post lectiones, de quibus agebam modo, sequuntur istæ antiphonæ, quarum prima sic sonat, quæ est* ANTIPHONA AD MAGNIFICAT : Gaude felix Cælani tellus, quæ tantorum Martyrum memoriam tenes : quorum corpora hic in pace quiescunt, et sic pro eorum passione toto tu celebraberis in orbe etc. Exultent justi *etc.* ALIA ANTIPHONA : Cælanum gaude tellus dignissima laude, sanguine Sanctorum meritis redempta tuorum. Lætamini in Domino etc. ALIA ANTIPHONA : Sancti sub crudelissimo Antonino Pio martyrium compleverunt, quia noluerunt obedire mandatis ejus, nec sacrificare diis immundis. Exultabunt Sancti *etc.* ORATIO : Da nobis, clementissime Deus, beatorum martyrum tuorum Simplicii, Constantii, et Victoriani solemnitatem digne peragere, ut quorum sanctissima corpora dignis laudibus frequentamus, a cunctis malis imminentibus, eorum precibus adjuti misericorditer eruamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. SECRETA ORATIO : Preces nostras, quæsumus Domine, cum oblationibus hostiarum propitius suscipe, et intercedentibus sanctis martyribus Simplicio, Constantio, et Victoriano, per hæc piæ devotionis obsequia [quæ] in honore eorum devote peregimus, ad cælestis gloriam paradisi pervenire valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. POSTCOMMUNIO. ORATIO : Da nobis, omnipotens Deus, horum sanctorum martyrum tuorum Simplicii, Constantii, et Victoriani [festum] dignis frequentare officiis, de quorum, corporibus conditis, triumphamus auxiliis. Per Dominum nostrum J. Christum etc.

E

documentis,

4 *Quæ de publica Sanctorum veneratione retuli hactenus, illustrari possunt ex historia inventionis, quæ narrat, quomodo corpora eorum sint inventa et translata. Ex hac historia, quam Ms. Italico idiomate habemus post antiphonas nec non collectas seu orationes, modo recitatas, excerpo sequentia, quæ quo auctore, quo tempore sint conscripta, non lego in ejusdem historiæ contextu. Præmisso itaque Actorum dictorum compendio, narrat anonymus, sub monte Peticino ad Fontem aureum hosce sanctos Pugiles occisos fuisse etc. Territorio autem Celanensi, sicut pergit, bellis destructo, eorumdem Sanctorum corpora deinde inventa fuisse asserit, ac deposita in parœciali ecclesia dicti territorii, arcæque inclusa marmoreæ, quæ, ait, pro altari nunc servit in dicta ecclesia; ubi istam legi addit inscriptionem :* Hic requiescunt corpora beatorum martyrum Simplicii, Constantii, et Victoriani.

F

in quibus etiam fit mentio miraculorum :

5 *Memorat præterea anonymus ille, quia non pridem admodum restaurata fuit ista terra, sacra pignora prædicta solenni cum supplicatione fuisse translata ad ecclesiam collegiatam parœcialem ejusdem terræ novæ Celanensis sub monte S. Joannis baptistæ, ubi maxima cum veneratione honorantur usque ad præsentem diem, Domino eorumdem Sanctorum intercessionibus patrante continue miracula innumerabilia. Festum eorum celebrari die* XXVI *Augusti cum maximo undique populi concursu, et reliquias illorum*

portari

A *portari modo solenni per dictam terram a sacerdotibus : item in adversis rebus, in siccitate, in continuis pluviis, et in qualibuscumque rebus adversis populum dictum recurrere ad Sanctorum istorum intercessiones, dumque exponuntur publice in præfata ecclesia per tres dies continuos, subito eum exaudiri, idque vicibus infinitis compertum esse experienta, nec non miracula visa esse evidentia. Subjungit denique, singula eorum corpora in singulis tribus hierogazophylaciis, quæ laudat, conservari, ac meminit nobilis sacelli, indicans illud esse dominorum Piccolominiorum, ardente ibidem continue lampade etc. Hæc ex anonymo. Utinam miracula illa, quæ tam profuse et liberaliter, tametsi obiter tantum, perstringit, pervenissent ad nostras manus!*

inscriptio metrica in eorum sacello :

6 *Post hanc narrationem sequitur in nostro apographo ista inscriptio, quæ ex Italico sic sonat Latine :* Isti sunt versus sculpti in lapide altaris sanctorum martyrum Simplicii, Constantii, et Victoriani, in sacello sanctorum Martyrum in collegiata S. Joannis Baptistæ Celani. *Ex his autem versibus nonnullos excerpo :*

B Hic ego Simplicius jaceo sub rupe gemellis
Hic prope me genitis, quorum Constantius hæret
Ante patris lateri dextro, lævoque secundus
Victorianus, et hic fraterno stamus in isto
Mausoleo terræ, fulgent spiramina cælo
Vivida sidereo, multoque redempta cruore
Martyrii ferro, flammis, variaque flagella.

Alia, quæ subduntur de eorum martyrio, huc non transcribo; sed pergo potius ad notas characteristicas chronologicas, quæ hisce versibus inseruntur, et e quibus seligo sequentes :

Ductor Apostolici gregis Innocentius almus
Almificat Sulmone satus, datus est pater Urbis,
Septimus. . .

Electus fuit hic Pontifex die decima septima Octobris anni 1404; obiit die VI *Novembris 1406. Quibuscum quoque concordant sequentes temporis notæ, quas in memoratis versibus invenio ita expressas :*

Sol tunc millenos centum quater egerat annos,
Sextus erat socius primis, Indictio dena
Quartaque currebat, Junii sub luce decena.
C Carmina Parmigene lapis accipe voce Joannes,
Ossaque sancta tene veneranter in omnibus annis.

Signantur itaque annus 1406, Indictio 10, ac dies X *mensis Junii : unde colligitur, quo tempore vel translata sint trium nostrorum Martyrum corpora in prædictum sacellum, vel quando ibidem sit constructum altare in eorum honorem, vel ipsum sacellum ædificatum aut restauratum. Hisce hactenus præmissis, perveniamus ad Sanctorum Acta.*

apographa nostra.

7 *Duo eorumdem apographa habemus, sed similia argumento ac stylo. Unum ex iis desumptum indicatur* ex Ms. D. J. B. Mari Romani, *ac dispescitur in novem lectiones proprias pro ecclesia, ut suspicari licet, Cælanensi, propter ea, quæ superius de hoc loco dicta sunt. Alterum vero apographum signatur transcriptum* ex antiquo codice edino *(immo* hœdino) *id est, membranaceo,* Avers eccl^æ. *(si hæc recte lego, tam enim misere scripta sunt, ut vix legi possint,) id est, ut ego quidem interpretor, Aversanæ ecclesiæ, quæ est in provincia Terræ Laboris regni Neapolitani. Quidquid sit, exemplar istud nos Aversanum vocabimus. Ms. vero, quod primo nominabam loco, cum secundo contuli, et quia primum in multis erat mendosum, et charactere non satis perspicuo exaratum, conatus sum illud emendare, salva rerum substantia, cum ex Aversano, dono Ughelli huc misso, tum proprio marte, ut lectoris commodo, ac narrationis contextui consulerem. Compendium porro Martyrii nostrorum Pugilum refert Ferrarius, uti indicatum est superius num. 2.*

AUCTORE J. P.

Instituitur

8 *Acta, quæ ex primo Ms. daturi sumus prælo, subtestæ fidei nobis sunt non una de causa. Nam primo meminit eorum auctor num. 2 divisionis nostræ, de* tempore persecutionis Antonini Pii : *sed non scitur imperator ille ullam movisse persecutionem adversus Christianos : immo vero contrarium omnino suadetur ex iis omnibus, quæ de ipsius genio, ac moribus fuse collegit Tillemontius in Historia imperatorum tomo 2, pag. 297 et sequentibus. Non nego tamen, eo imperante, Christianos non paucos martyrio affectos fuisse ab ipsius ministris, prout refert Baronius ad annum Christi 142 in fine, de rebus Christianorum tempore ejusdem Antonini Pii ita memorans :* Etsi certum exploratumque E sit, nullum adversus eos ab imperatore esse promulgatum edictum : tamen vel invidia magistratuum, quod Christianam religionem mirifice propagatam viderent, indiesque majoribus accessionibus crescere ac dilatari ; vel calumniis contradicentium nonnihil esse vexatam, tum cædes Sixti PP., et aliorum, qui Romæ, eodem Antonino imperante, sunt passi; tum quæ de iisdem temporibus ab eodem, *de quo proxime egerat,* Justino sunt memoriæ prodita, certam exploratamque fidem faciunt. *Sed S. Sixtus seu Xystus I apud nos tomo 1 Aprilis, die* VI, *pag. 533 mortuus dicitur sub Hadriano. Hanc, quam modo refutavimus, hallucinationem vidit etiam Ferrarius in sua annotatione :* Antoninus, *ait,* qui persecutionem in Christianos quartam excitavit, non Pius, sed M. Aurel et L. Verus fuit. Licet M. Aur. post L. Veri obitum, erga Christianos, ob victoriam illorum precibus ex Marcomannis reportatam, se mitiorem exhibuerit. *Martyres nostros tunc passos esse dicit Ferrarius, sed non probat. Quia tamen auctor Actorum confundere potuit Antoninum Pium cum* F *Marco Aurelio Antonino, qui dictus est Philosophus, et regnavit cum Lucio Aurelio Vero; idcirco superius posuimus dictos Martyres sub isto secundo Antonino, per adverbium* forte *restricto, ut aliquam saltem notam temporis poneremus. Imperavit Titus Antoninus Pius ab anno Christi 138 usque ad 161; Marcus Aurelius Antoninus ab anno 161 cum dicto regni socio : hic anno 169 obiit; ille anno 180. Redeamus ad Acta.*

examen

9 *Secundo, suspectum in illis quoque nobis est nomen* Pontii præfecti Urbis, *ut vocatur num. 2 : nec illum reperio inter alios hoc officio functos, qui habentur post Fastos Romanos consulares editos Amstelodami anno 1705, auctore Theodoro Jansonio ab Almeloveen. Tertio, difficultatem quoque movent, quæ memorantur in Actis eodem num. 2 de Gaudentia, quæ, si illis credimus,* relictis viro et liberis, cuidam monasterio sanctæ Mariæ adhæsit, ibique in servitio Dei cum sororibus, quæ ibi aderant, perseverans *etc. Etenim quis credat, tunc temporis, seculo videlicet secundo, quo imperavit Antoninus Pius, exstitisse monasterium sub nomine*

sanctæ

AUCTORE J. P.

sanctæ Mariæ, ac sorores seu moniales ibidem habitasse? Non nego quidem fieri tunc potuisse, ut parthenon, etiam, si vis, nomine sanctæ Mariæ nuncupatus, exstiterit, in quo piæ aliquæ mulieres simul vixerint. Verum, quia auctor, qui Acta illa condidit, nescio quis, fallit vel fallitur in aliis bene multis, an adeo mirum foret, si et hic hallucinaretur, strictique nominis monasterium, ac sorores seu moniales lectori obstruderet? Adde, quod non dicat, ubinam illud situm fuerit, de quo loquitur, monasterium.

Actorum. 10 *Quarto, quid dicam de epistola Pontii præfecti ad Antoninum Pium, quæ habetur in Actis num. 11? Eam sane apocrypham esse, et fabricatam in cerebro suspecti Actorum scriptoris, inducor ut credam ex antecedentibus, quæ de Pontio et Antonino observata sunt. Quinto, quis non credat personam esse larvatam ac fictitiam, sub cujus dictamine Acta dicuntur concepta num. 14?* Unus, *inquit,* illorum, nomine Cæsareus qui passionibus Sanctorum ab ipso principio interfuerat. . . , sacri baptismatis unda a quodam presbytero, nomine Crescentio, renatus, cum eodem. . . Sanctorum corpora *sepelivit. Quo facto,* Florentium diaconum visitaverunt, exorantes ut sanctorum Martyrum passiones, et mortem eo stylo conscriberem. Ego autem *etc. Credite posteri scilicet. Sexto, melioris enimvero notæ scriptore opus esset, ut tot mirabilia Actis infarta invenirent fidem historicam apud lectores rerum hujusmodi peritos. Quæ cum ita sint, facile perspicit æquus rerum arbiter, Acta illa non esse genuina, sed merito suspecta ex speciminibus paucis, quæ jam prolata sunt. Plura reservamus pro Annotatis quæ eorumdem Actorem narrationi subjiciemus. Illorum vero auctorem, falsam personam mentitum, vocabimus anonymum.*

ACTA

Auctore anonymo,

Ex Ms. D. J. B. Mari Romani, ad aliud apographum collato.

Sancti

Imperante *a* vero Augusto, ingens persecutio per universum excanduit in Christianos, ita ut quicumque Christi cultor inveniretur, vel idolis sacrificaret, vel capite plecteretur. Eadem die Pontius præfectus *b* ab Antonino imperatore missus est in Franciam *c*, imperiales deferens litteras, in quibus hujusmodi præcepta continebantur, ut quicumque Christum confiteretur, moris judicio condemnaretur, vel, si de nobili genere esset, Romam, innumera tormenta recepturus, mitteretur. Dum vero legatus Pontius ubique per Franciam imperiale exerceret præceptum, venit ad Portum Illiris *d*, ubi dum ad sacrificandum populum compelleret, nuntiatum est ei, tres ibi esse Christianos, qui idolis sacrificare nolebant, imo Dominum cæli toto corde et ore venerabantur. Sed quia inhonestum, est tantorum Martyrum originem silentio præterire, exequar autem breviter ortum, vitam et passiones eorum.

tempore persecutionis Antonini Pii prædicantes Christum,

2 Fuit enim vir egregius nobilis et dives Simplicius, uxorem habens Gaudentiam nomine, ex qua duos edidit liberos Constantium et Victorianum, qui ambulans in fide Dei, plus appetens cælestia quam terrena, tempore persecutionis Antonini Pii a S. Januario una cum conjuge et duobus liberis, sacri baptismatis fonte renatis, Christum verum Deum de Virgine Maria natum, mortuum et sepultum, et tertia die resurrexisse a mortuis, cælos ascendisse, Spiritum sanctum Apostolis dedisse, totis viribus prædicare cœperunt. Gaudentia vero, relictis viro et liberis, cuidam monasterio sanctæ Mariæ *e* adhæsit, ibique in servitio Dei cum sororibus, quæ ibi aderant, perseverans, non antea mortua est, quam Dei Genitrix Virgo, in cujus cœnobio die noctuque servierat, veniens, ejus animam, multis videntibus, ad cælestium agmina cum hymnis [ac] choris transportavit. Sed quia longum est enarrare, quæ et qualia ad agonem imperatoris Antonini, prædictique Pontii præfecti Urbis, pro fide Christi successerint, nunc ad ea, quæ ab iniquissimo præfecto, et Antonino imperatore passi sunt, veniamus. Tu autem etc.

a Pontio præfecto sollicitantur,

3 LECTIO II. Præfectus vero Pontius constituto die sedit pro tribunali, jussitque sanctos Simplicium, Constantium, et Victorianum accersiri : quibus, dum in præsentia ejus assisterent, locutus est dicens : Video vos juvenes præclaros et splendidos; sed genus vestrum ignoro : cujus professionis estis requiro. Ad hoc S. Simplicius respondit : Genus quidem ex illustri prosapia Burgundiorum *f* traximus, professionnis Christiani sumus, et Christum Deum cæli et terræ factorem de Virgine natum credimus et adoramus. Præfectus : Si genere quidem estis præclari, et [personæ] clariores, cur non vestræ saluti consulitis, quæ ambiguitas vos reclusit? Dereliquistis antiquam culturam deorum, adhærentes cuidam a Judæis Crucifixo. Quod si bona hujusmodi lucrari cupitis, et in amicitia piissimi imperatoris cadere *, consulo vobis tamquam carissimis, ut hanc superstitionem relinquatis, et ad sacrificandum Jovi, Neptuno, Plutoni, Minervæ, et Palladi, quæ piissimus imperator in magnam venerationem habet, venire non differatis : si vero venire tardabitis, diversis suppliciis vos interimi faciam.

* al. cedere

ut a sua fide discedant; sed frustra :

4 Ad hæc sanctus Simplicius una cum liberis dixerunt : Nomina ista, quæ nobis, præses, commemoras, non deorum, sed corruptibilium hominum fuere, eaque nos, et omnes fore, per sanum consilium pro nihilo haberi debent : si vero vis unius et omnipotentis Dei cognoscere nomen istud, quod nos in Trinitate perfecta tibi explanamus, id est, Pater in quo omnia, Filius per quem omnia, et Spiritus sanctus ab utroque procedens; hæc est vera Trinitas unus et omnipotens Deus. Filius enim, sic ait Apostolus formam servi accepit : et cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem factus hominum, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, et mortuus est pro nostris delictis, cujus nos sumus sanguine redempti. Hic est Christus Dei et hominum mediator : et hic est ille agnus, qui tollit peccata mundi : quem tu miser ignoras, in quem si recte velles credere fide, et delictorum veniam habere, et æternæ vitæ gaudia adpisci valeres.

5 Qui-

eorum cruciatus et miracula : A 5 Quibus præses : Audite me, juvenes Christiani, Christum, quem confitemini a Judæis tempore Pontii Pilati Hierosolymis crucifixum esse, audivi. Quare in eum, qui se crucifigi permisit, credere impellitis? Sancti vero responderunt : Proditio et crucifixio illius, nostra fuit redemptio peccatorum : non enim homo liberaretur incendio, nisi Christus filius Virginis Mariæ suo pretioso sanguine redemisset. Pontius vero hæc audiens, permotus animo, astantibus præcepit, ut sancti Martyres tamdiu virgis ferreis tunderentur, quousque illam superstitionem relinquerent, et dictis ejus obtemperarent. Ministri autem jussa tyranni adimplentes ; voluntate Jesu Christi Domini nostri, qui sperantes in se non derelinquit, factum est, ut omnes, qui in sanctos Martyres manus extenderunt, validis febribus arrepti, vitam exhalarent. Eadem hora viri et mulieres, qui ad tantum spectaculum cernentes miracula, quæ per suos Martyres operabatur Deus, crediderunt in D. N. J. Christum, promiscui sexus viginti duo, quos iniquus præfectus altera die decollari jussit. Interea sancti Martyres in virtute D. N. J. Christi cæcos illuminabant, B infirmos curabant, et ab obsessis corporibus dæmonia expellebant. Tu autem Domine etc.

6 Lectio iii. Pontius vero præfectus capitalem in sanctos Martyres nolens exercere sententiam, *apparitio cælestis.* quia ei non fuerat permissum tum, quia de nobilioribus illius regionis orti erant, in arcta custodia eos detrudi jussit, quoadusque Romam cum custodibus mitteret. Sancti vero, dum custodia mancipati essent, singulis diebus Dominum exorare cœperunt, quatenus mansionem, qualis esset, sua misericordia eis ostendere dignaretur [cælestis Hierusalem.] Nocte sequenti apparuit eis angelus Domini, splendens sicut sol, vestimenta ejus alba sicut nix, præcinctus ad ambulandum : quem dum Sancti cernerent, nimio fulgore perterriti, proni ceciderunt in terram : quos angelus Domini blandis alloquitur verbis dicens : Simplici, surge, liberosque tuos excita : placuit enim Domino, tibi, uxori, filiis, paradisi mansionem condonare, ut cum suis omnibus gaudio superno repleti, æternaliter floridi, sempiterna vita unanimiter fruamini. Eadem hora ostendit eis angelus Domini C cælestem Hierusalem, omnem gloriam Sanctorum, omnemque miseriam malefactorum hominum. His vero ab angelo omnibus Dei ostensis, in fide Christi firmiter eos corroborans, ipsis videntibus cælos remeavit.

7 Præterea Pontius sacrilega cupiditate captus, *Romam mittuntur,* sedit pro tribunali, et sanctos Martyres sibi præsentari fecit : eos [iterum] diis omnipotentibus sacrificare monuit. Sancti vero dictis iniquissimis obtemperare nolentes, viriliter corde, et ore Deum confessi sunt. Unde iniquissimus præses manus terga ligari a ministris præcepit, et Romam bene custoditos ante conspectum imperatoris eos velociter adduci. Dum autem iniquissimi jussis parerent ministri, Sanctos ligaverunt, et viam pariter cum eis agere cœperunt : ipsisque de civitate egredientibus tantum luctum Illiricus populus præ amore Sanctorum agere cœpit, quod multi eorum vestigia sequentes, cum eis Romam pariter venerunt : quidam autem gressus facere non valentes ab impiissimo præfecto capite plecti meruerunt. Interea sancti Martyres in itinere multa mirabilia, quæ modo per singula enarrare non valeo, [operabantur :] sed quæ in civitate Ravennæ Dominus operatus sit, A. Anonymo. silentio prætermittere non possum.

8 Quædam puella de urbe Ravennæ, præclaris *patrato in itinere* orta natalibus, octo continuis annis lumen oculorum amiserat : numquam tribus annis visum præclarum habuerat : et mater ad recuperandum lumen filiæ suæ arte medicorum, frequenter pater eos visitaverat. Cum vero nullum remedium salutis invenire possent, jam quasi mortuam parentes ejus continuo lugebant; accidit, ut quadam nocte, cum Dominus suos Martyres vellet non sub nubilo, sed supra candelabrum ponere, ut a cunctis viderentur, et illi lucerent civitati, quatenus in Sanctis suis magnus esset. Pater itaque puellæ dormiens, quadam cælesti voce vocatus : Corneli, cras summo mane accipe filiam tuam, et secus Romanam viam sede, ibique sitos sanctos Martyres expecta, qui Romam, palmam vitæ recepturi mittuntur. Cum autem venerint, eos roga, ut tantum manus super oculos filiæ tuæ imponant, et pristinæ saluti restaurabitur. Et ubi lux est reddita terris, secundum angelicam commonitionem vir surrexit, et locum, qui sibi prædictus fuerat, una cum filia petiit. Illo in E via exspectante, ecce sancti Martyres vultu lætissimo advenerunt : quos dum vidit, ad pedes eorum provolutus rogando postulabat, ut saltem manus pro amore Dei super oculos filiæ suæ imponerent : dicebat enim, credo quod filia mea sola sanctarum manuum impositione pristinæ possit saluti restitui. Tu autem Domine etc.

9 Lectio iv. Ad hanc vocem sancti Martyres *miraculo.* in terra genua fixerunt, fundentes has Domino preces : Domine Deus, creator ineffabilis, tu qui oculos cæci nati ad tuam magnificentiam demonstrandam aperire dignatus es; respice propitius super hanc famulam tuam, et ut nomen tuum gloriosum digne laudare possit, pristinum lumen restituere digneris, ut videntes nomen tuum, quod est benedictum in secula, collaudent. Cumque orationem explessent, Simplicius puellam accepit, et facto signo crucis velut squamæ ab oculis ejus ceciderunt, statimque lumen recepit. Tunc omnis populus, qui videre venerat, pedibus Sanctorum provolutus, illos, ut saltem diebus duobus in civitate Ravennæ commorarentur, exoravit, sed [dum] iniquissimi præsidis ministri eos morari [non] si- F nerent, Romam, veluti eis jussum fuerat, Sanctos perduxerunt.

10 Ingressu vero Urbis volentes Sancti ad *Romæ dum essent, fiunt mirabilia :* basilicam sancti Petri pergere, antequam imperatoris conspectui præsentarentur. Cumque ministri iter Sanctorum impedirent, voluntate Dei [et] Apostolorum Petri et Pauli factum est, ut ligamenta, quibus ligati fuerant, solverentur, et nulla interveniente cognitione ad basilicam Apostolorum pervenerunt. Ministri vero, qui Sanctos perduxerant, ita mentibus sunt alienati, quod nec eos videre, neque tenere potuerunt. Dum hæc Sancti gererent, multitudo Christianorum, quæ ibi secrete morabatur, eos sequi tanta quantitate cœperunt, quod, quando ad beatorum Apostolorum limina pervenerunt, fere ducenta millia Sanctos sequebantur : unde tanta inter idololatras et Christicolas eadem die orta est dissensio, quod Christiani interfecerunt mille * paganorum legati Pontii præfecti [curiam] Antonini petentes, qui eis constituerat *, et qualiter Sanctos Romam perduxerunt per ordinem curialibus imperatoris retulerunt : non enim

* al. mille fere
* al. quod eis contigerat

eodem

A. ANONYMO. eodem tempore Romæ imperator fuerat. Æstivum forte tempus in partibus Marsiæ celebrabat. Tu autem Domine etc.

11 LECTIO V. Curiales vero timentes ut * seditio, quæ per Sanctos exorta fuerat, amplificaretur, sanctos Martyres capi facere cœperunt. Itaque per eosdem ad imperatoriam celsitudinem cum litteris ex parte Pontii missis transmiserunt. Exemplar litterarum hoc est : Augusto domino Pio Antonino Pontius præfectus famulus : Quia vestræ placuit clementiæ * me ad partes istas transmittere, in quibus vero parvum pro vestro imperio laborem sustineo quotidie : inveni enim populum adversus culturam deorum satis errantem, juxtaque inveni hos quidem nobiles viros, sed diis, per quos vestrum gubernatur imperium [reluctantes] cum multis minis et tormentorum generibus eos ad sacrificandum compellerem, et ipsi penitus eis obedire et sacrificare [contemnerent :] atque in eis capitalem sententiam exercere non valeo, quia non mihi a vestra majestate permissum fuerat; ad vestræ majestatis examen eos venire mandavi. Valete, meque vestrum famulum memoria tenete *g*.

hinc mittuntur

* ne

* al. celsitudini

g

B

ad imperatorem, a quo diis immolare.

12 Perlectis itaque litteris in præsentia imperatoris, perspicue a Sanctis quærere cœpit, quare non diis, per quos totus gubernatur mundus, sacrificare vellent. Sanctus Simplicius una cum filiis audacter respondentes dixerunt : Audi nos, imperator, in tuo judicio pendeat, utrum Factori omnium creaturarum, vel idolis manufactis, quæ se ipsa adjuvare minime possunt, credere debemus : nonne Creator major est creatura? Mox imperator respondit : Alius deus præter istos, quos nos adoramus, nusquam est. Quare vobis præcipio, ut non syllogismatica verba componatis; sed diis immolare non differatis : quod si facere tardabitis, vita vestra non diu prolongabitur. Sancti vero una voce respondentes dixerunt : Nos autem mori potius parati sumus, quam idolis immolemus. Tunc imperator ira commotus fecit eos in arcta custodia in loco, qui Passularis dicitur, induci, serpentibus et scorpionibus pleno. Dum autem includerentur, Domino preces fuderunt, ut, qui sua misericordia tres pueros de camino ignis ardentis liberavit, ipse a veneno illorum animalium eos liberaret sua pietate illæsos. Unde illius voluntate, qui creavit
C omnia, factum est, quod illa animalia mansuescere cœperunt; quod nec venenum, nec aliud, per quod Sanctis nocere possit, ab illo die secum portaverunt. Tu autem Domine etc.

voce cælesti recreantur, et subeunt martyrium :

13 LECTIO VI. Triduo in carcere gloriosissimi Martyres perseverantes, nec cibum nec potum sumentes, vocem de cælo dicentem eis nocturno silentio audierunt : Simplici, surge, quia pro fide Christi una cum filiis tuis viriliter dimicasti; ecce regni cælorum viæ sunt vobis patefactæ : cras in nonarum hora, cum palma cæleste regnum intrabitis. Ad hanc vocem Sancti a somno excitati sunt, et per totam noctem in orationibus vacaverunt. Sed cum jam dies illucesceret, impiissimus imperator sanctos Martyres suo conspectui repræsentari fecit, quærens utrum in juvenilibus annis vellent indulgere, et idolis sacrificare, an vellent judicio mortis condemnari; sancti Martyres respondentes dixerunt : O imperator, nos libentius judicio mortis condemnari volumus pro Christo, quam idola manufacta adorare, cum scriptum sit, quod omnes dii gentium dæmonia, et qui in eis confidunt, pereant, ac in æternum confundantur. Tunc imperator hæc audiens irato animo ministris præcepit Sanctos in D
plaustro novis funibus ligari firmiter, ut, eo currente, hujusmodi morte condemnarentur. Cumque juvencos, ut currerent, ministri acceperunt; nutu Dei factum est, [ut] nec magis nec minus, quam voluntas eorum esset, currerent. Ita quippe sanos incolumes a loco, ubi reclusi fuerunt, ad Aureum fontem *h*, qui ad radices Peticini *i* montis oritur, Sanctos perduxerunt, illic diabolico tacti spiritu jussum iniquissimi imperatoris adimplentes, sanctos Martyres pariter decollaverunt.

h i

14 Eadem hora terræ motus magnus per totam Marsiam factus est, ita quod Sanctorum interfectores per totum diem, et noctem, nec loqui, nec diurno surgere potuerunt. Altera vero die cum [ad] se redirent, unus illorum, nomine Cæsareus, qui passionibus Sanctorum ab ipso principio interfuerat, pristinæ Sanctorum proditionis recordatus, eorum corpora colligendo, Domino credidit, ac sacri baptismatis unda a quodam presbytero, nomine Crescentio, renatus, cum eodem in scriniis Sanctorum corpora ad prædictam montis radicem collocavit. Collocatis sanctis Martyribus, præfatus Cæsaceus, una cum presbytero Crescentio, Florentium
E visitaverunt, exorantes, ut sanctorum Martyrum passiones, et mortem eo stylo conscriberem. Ego autem, licet ad tantum opus inidoneus, tamen devotione devinctus, visus * fui ea, quæ ab eisdem de sanctis Martyribus concepi, pro mentione dictare *k*. Passi enim fuere septimo Calendas Septembris, adjuvante Domino; cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Tu autem Domine etc. ANTIPHONA AD MAGNIFICAT.

signa, sepultura, auctor Actorum, dies mortis.

* f. ausus

k

ANNOTATA.

a *Imperator Antoninus, ut infra scribitur, Pius nullam concitavit contra Christianos persecutionem. Vide Commentarium prævium num. 8.*

b *Consule ibidem dicta num. 9.*

c Franciam *hic intelligit auctor vel antiquiorem, quæ videlicet in Germania e variis ejusdem regionis populis coaluit sub Francorum nomine; vel posteriorem, id est, eam Galliæ partem, in quam Franci antiqui sedes suas ac nomen postea invexere. Sed neutra cohæret cum tempore, quod idem auctor in hisce Actis designat. Non antiquior : quia, sicut Baudrandus memorat inter alia ad vocem* Franci, *etsi* sub hoc nomine acerbissima bella adversus Romanos gessere; primum *tamen* innotescere cœperunt Valeriano et Gallieno imperatoribus circa annum Christi CCXXIII. *(Forte voluit scribere 254. Vide Tillemontium tomo 3 Imperatorum in Valeriano, articulo 3.) Non etiam posterior : nam cis Rhenum gens illa migravit primum post initia seculi 5 : de qua re consuli possunt Annales ecclesiastici Francorum Cointii tomo 1 ad an. 406, et sequentibus. Forte Franciam pro antiqua Gallia posuit rerum ignarus Martyriographus, hanc cum illa confundens.* F

d Portus Illiris, *ac num. 7* Illiricus populus *quomodo cohæreat cum hac Sanctorum historia, non satis concipimus. Videri possunt, quæ scribit de hac regione Cellarius lib. 2 Geographiæ antiquæ cap. 8, et quæ ibidem exhibet in mappa ad pag. 346.*

e *Monasterium hoc nobis est sublestæ fidei, ob dicta in nostro Commentario prævio num. 8.*

f Burgundiones *in Gallia nondum erant seculo*

A *lo 2. In Philippi Cluverii Introductione ad Geographiam a Labbeo auctam, et Parisiis editam an. 1661, lib. 2 cap. 13, sunt ista in rem nostram :* Eadem tempestate *(nimirum* circa annum Christi cccc, *ut paullo ante præmiserat),* Burgundiones ab ultima Germania (pars Cassubiorum, parsque Brandeburgensium nunc ea loca tenent) cum Vandalis Suevisque profecti, alias Galliæ partes occuparunt, regnoque constituto, Burgundiæ nomen de suo imposuerunt. *Perperam itaque in compendio Actorum etiam dicitur apud Ferrarium :* Simplicius nobili genere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia *etc.*

g *De hac epistola egimus in Commentario num. 10.*

h *Locum hunc incolis indagandum relinquo : quem in mappis geographicis, quas consului, non inveni.* A. ANONYMO.

i. *Ms. Aversanum* Petricini ; *Ferrarius* Pescini; *(in inscriptione metrica, de qua Commentarius prævius num. 6,* mons Tinus *vocatur.) Cum vero territorium Cœlanense montibus sit frequentissimis quasi obsitum, in monte videlicet Apennino jacens ; ulteriorem ejusdem loci notitiam incolis explanandam relinquimus. Nisi forte scribendum sit* Piscininus, *conformiter ad oppidum* Piscina, *de qua in Commentario prævio num.* I.

k *Personatum hunc esse auctorem indicavimus in Commentario prævio num. 10.*

DE SANCTO ZEPHYRINO PAPA

ROMÆ

B E

SYLLOGE HISTORICA. J. P.

§ I. Initium pontificatus : an Sanctus ad hunc electus per miraculum ; Theodotiani ab eo impugnati ; Natalis in Ecclesiam admissus; an Tertullianus a Sancto excommunicatus ; disputatio Gaii cum Proculo.

ANNO CIRCITER CCXVIII. *Sedere cœpit anno 201 vel 202 :*

Cum *Acta hujus sancti Pontificis vel numquam scripta fuerint, vel, si scripta, ad nostram saltem notitiam non pervenerint, cogimur defectum hunc aliunde supplere, et colligere res ab illo gestas, quæ apud varios scriptores memorantur.* Natione Romanus, ex patre Abundantio * fuisse *dicitur in Catalogo Pontificum Romanorum apud Papebrochium in Conatu ad eumdem Catalogum chronico-historico pag. 26 *, et alibi. In signando pontificatus initio non convenit inter auctores. Baronius enim illud ponit anno 203; Antonius Pagius in Critica, et nepos ejus Franciscus in suo Breviario Romanorum Pontificum, anno 197 ;* C *Papebrochius mox designatus anno 198 ; Labbeus in Compendio chronologico, anno 201 ; Tillemontius tomo 3 Monumentorum ecclesiasticorum pag. 236, anno 201 exeunti, vel ineunti 202 ; sed in chronologico indice ad eumdem tomum pag. 784, anno 202. Eusebius autem a Valesio vulgatus lib. 5 Ecclesiasticæ historiæ cap. 28, pag. 196 hæc scribit in rem nostram occasione S. Victoris, qui Sanctum nostrum in Sede Petri antecessit :* Zephyrinus ei successor substitutus est anno principatus Severi circiter nono : *qui incidit in annum Christi 201. (De S. Victore egimus tomo* VI *Julii, die* XXVIII *ejusdem mensis, a pag. 534.) Nobis videtur probabilior ratio temporis, quam ex Eusebio retulimus, ad eamque propius nos accedere censuimus, si initium Pontificatus* S. Zephyrini *innecteremus anno Christi 201, vel 202, qui ultimus ejusdem scriptoris Chronico, quod S. Hieronymus Latine reddidit, ac Josephus Scaliger vulgavit, pag. 172 determinate appositus sic legitur :* CCII Romanæ Ecclesiæ quartusdecimus episcopatum suscepit Zephyrinus. *De die autem ordinationis ejus, ac duratione pontificatus etc., agemus inferius.*

* *al.* Abundio

a nonnullis dicitur columba apparuisse in ejus electione :

2 *Ad electionem vero quod attinet; Rufinus lib. 6 Ecclesiasticæ historiæ cap. 21 affirmat a nonnullis tradi, eam contigisse per prodigiosam Spiritus sancti apparitionem : aliis hanc rem gestam S. Fabiano attribuentibus.* Alii, *inquit,* super hujus; alii super Zepherini nomine gestum tradunt. *Eusebius lib. 6 Historiæ citatæ cap. 29, pag. 229 illud attribuit S. Fabiano. Ibidem quippe narrans, qualiter Romanus Pontifex divinitus fuerit designatus, his verbis factum commemorat :* Hunc Fabianum post Anterotis mortem una cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem, opitulante Dei gratia, præter omnium exspectationem ad pontificatus sortem pervenisse. Nam cum F fratres omnes successoris ordinandi causa in ecclesia essent congregati, ac plerique jam illustres aliquot et nobiles viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano quidem, qui tum præsens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat. Columbam tamen repente e sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quæ Spiritus sancti, qui olim sub columbæ specie in Servatorem descenderat, imaginem referre videbatur. Quo spectatulo permotus populus, ac divino Spiritu incitatus, summa cum alacritate uno consensu simul omnis exclamare cœpit, dignum esse : statimque comprehensum sacerdotali cathedræ imposuit. *Adisis, lector, quæ de hoc miraculo habentur apud nos in S. Fabiano PP. ad diem* XX *Januarii, tomo* II *ejusdem mensis, pag. 252. Voluimus autem de hoc prodigio mentionem facere, etiamsi determinare nondum possimus, utri dictorum Pontificum conveniat.*

videtur strenue hic Pontifex

3 *Anno primo pontificatus* S. Zephyrini, *Severi imperatoris decimo, publicata sunt ab hoc prin-*

AUCTORE J. P.

principe edicta adversus Ecclesiam Dei, quæ horribilem excitarunt persecutionem : de qua consuli potest Eusebius lib. 6, cap. 1 et 2, pag. 201, 202, et Tillemontius antea allegatus a pag. 121. Huic tempestati successit tranquillitas post mortem Severi, quæ contigit anno 211. Sanctus interim Pontifex noster illa optata pace non tantum usus est ad custodiendum orthodoxæ fidei depositum; sed etiam ad reprimendos hæreticos. S. Victor inter alia, quæ ei passim attribuuntur, adversus emergentes tum temporis hæreses certamina, illud imprimis memoratu dignum reliquit, quod contra Theodotum, cognomento Coriarium, apostatam Byzantinum, qui blasphemabat, Jesum Christum non esse Deum, sed hominem dumtaxat, et fortiter suscepit, et gloriose exsecutus est, prout pluribus narratur apud nos in tomo VI *Julii a pag. 536. Jam vero Theodotianos, qui post laudati Victoris obitum persistebant in suo errore, gnaviter ac strenue impugnatos fuisse a* S. Zephyrino, *verosimile videtur ex eo, quia ipsi exprobrabant cum majore ejus, quam putabant, gloria, quod* B *primus fuisset veritatis, uti volebant, corruptor, dum Jesu Christi divinitatem contra illos defenderet, teste Eusebio lib. 5, cap. 28, pag. 195.* Porro, *ait*, in cujusdam ex illis auctoribus, *quos sibi ignotos dixerat in fine capitis 27*, libro adversus Artemonis hæresim elaborato, quam Paulus Samosatensis nostris temporibus renovare aggressus est, exstat quædam narratio, historiæ, quam præ manibus habemus, valde accommodata.

impugnasse

4 Supradictam enim hæresin, quæ Christum merum hominem esse dicebat, ante paucos annos invectam esse coarguens auctor ille, quandoquidem sectæ illius principes vetustissimam illam esse jactabant, post alia multa adversus impium eorum mendacium adducta, hæc ad verbum refert : Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes, et ipsos Apostolos ea, quæ ab ipsis nunc dicuntur, et accepisse et docuisse : ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanæ urbis episcopus fuit : a Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit adulteratam fuisse veritatem : *quem errorem deinde refutat idem Eusebius. Adde, quod* S. *Optatus* C *episcopus Milevitanus, qui floruit seculo quarto,* S. Zephyrinum *annumeret aliis fidei defensoribus, ita loquens lib. 1 contra Parmenianum pag. 37 editionis Parisiensis anni 1631 :* Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et cæteri, temporibus suis a Victorino Pictaviensi, et Zepherino Urbico, et Tertulliano Carthaginensi, usque ad Cataphrygas, et ab aliis adsertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt. *Observa obiter,* τὸ Urbicus *hic idem esse quod* Romanus, *eadem significatione, qua* Roma *vocatur per excellentiam* Urbs. *Vide Cangii Glossarium in nova et auctiore editione.*

Theodotianos hæreticos.

5 *Ut ad dictum Praxeam redeamus; Baronius ad annum Christi 196 num. 20, postquam numero præcedente res ejus gestas descripserat ex Tertulliano,* Ejusdem, *ait,* Tertulliani testimonio satis liquet, eumdem Praxeam Romæ damnatum (quod factum sub Victoris successore Zephyrino Papa, Optatus Milevitanus adversus Parmen. lib. 1 affirmare videtur) facti pœnitentem recantasse palinodiam. *Verum an ista contigerint sub illo Pontifice, an sub Victore ejusdem decessore; an item Praxeas, quando istam* D *fecit retractationem, Romæ fuerit, an in Africa, non videtur omnino compertum. Videri interim possunt, quæ de hoc Patropassianorum hæresiarcha memorat citatus Monumentorum ecclesiasticorum collector pag. 74 et sequentibus; pag. 237, et in notis pag. 618, ac apud nos in* S. *Victore pag. 537. En tibi aliqua sub* S. Zephyrini *gubernatione monumenta ad posteros transmissa.*

6 *Illo quippe sedente evenit hæc historia memoratu dignissima, quam Eusebius lib. 5, cap. 28, pag. 196 et 197 refert :* Porro idem ille, qui supradictum librum de hæresis illius auctore composuit, *(de quo mox dixi num. 4)* aliam quoque rem Zephyrini temporibus gestam adjungit his verbis : Facinus, inquit, nostra ætate gestum, multis fratrum nostrorum in memoriam revocabo. Quod quidem si Sodomis admissum fuisset, ipsos, ut arbitror, incolas ad pœnitentiam provocare potuisset. Erat quidam Natalis nomine, confessor : qui non ita pridem, sed nostra ætate vixit. Hic forte in fraudem inductus est ab Asclepiodoto et altero quodam Theodoto argentario. Ambo autem discipuli erant Theodoti E illius coriarii, qui primus ob hanc doctrinam seu potius insaniam a Victore, ut dixi, tunc temporis Episcopo, ab Ecclesiæ communione remotus est.

Natalis quidam a Theodotianis pretio seductus,

7 Hi persuaserunt Natali, ut accepto salario hæresis illius episcopus crearetur, ea scilicet conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus, sæpe a Domino corripiebatur in somnis. Clementissimus enim Deus ac Dominus noster Jesus Christus, eum, qui passionum suarum testis exstiterat, perire extra Ecclesiam nolebat. Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primæ apud illos sedis, et turpis lucri cupiditate (quæ multis mortalibus exitio est), inescatus, tandem a sanctis angelis per totam noctem flagris cæsus, et gravissime verberatus est : adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrymis ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecerit, non solum cleri, verum etiam sæcularium vestigiis advolutus; et Christi misericordis ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit. Multisque precibus usus, ostensis etiam F vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est.

miro modo divinitus punitur, ac pœnitens a Sancto in Ecclesiæ communionem admittitur.

8 *Tempore sancti Pontificis nostri lapsus est celeberrimus Tertullianus in hæresim Montanistarum : de quo quæri hic potest, an* S. Zephyrinus *illum Ecclesiæ communione privarit. Baronius ad annum Christi 215 relata memorabili illa disputatione, quæ Romæ, eodem Pontifice sedente, tamquam in totius orbis theatro habita fuit inter Proclum seu Proculum, unum e præcipuis hæreseos Montanistarum coryphæum, ab una parte; ab altera vero Gaium, spectatæ, ut asserere par est, eruditionis in Ecclesia virum; subdit ista ibidem num. 4 :* His actis inter Gaium et Proclum, cum Cataphrygum... positiones fuissent efficaciter confutatæ, ac penitus cassæ redditæ : Tertullianus ad eas roborandas, firmiterque statuendas, ex adverso repugnans, plures eodem argumento edidit commentarios.... Zephyrinum vero post convictum Proclum, adversus omnes pseudoprophetiæ defensores anathema dixisse, et inter alios eadem sententia

An Tertullianus

Ter-

A Tertullianum ipsum perculisse, ea ipsius verba indicant in libro de jejuniis (cap. I in fine,) cum ait : « Novitatem igitur objectant : de cujus » illicito præscribant, aut hæresim judicandam, » si humana præsumptio est; aut pseudoprophe- » tiam pronuntiandam, si spiritualis indictio est, » dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui » aliter annuntiamus. »

anathemate percussus a S. Zephyrino : disputatio Gaii cum Proclo.

9 *At cum anathema audire, et nominatim eo percuti, sint omnino diversa; non video equidem e verbis Tertulliani satis fundate confici, quod volebat Baronius. Hanc porro dissertationem Gaii cum Proclo, non ore dumtaxat fuisse transactam, sed scripto etiam exaratam, testatur Eusebius lib. 2 Ecclesiasticæ historiæ cap. 25, pag. 67 :* Sed et Caius quidam vir Catholicus, qui Zephyrini Romanæ urbis episcopi temporibus floruit, in eo libro, quem scripsit adversus Proculum patronum sectæ Cataphrygarum *etc. S. Hieronymus in Bibliotheca ecclesiastica a Miræo vulgata, parte 1, pag. 19,* Gaius, *inquit,* sub Zephyrino, Romanæ urbis episcopo, id est, sub Severi filio, disputationem adversus B Proculum, Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super nova prophetia defendenda. *Hæc vero superioribus, quæ obiter indicabam de ista disputatione, annectere visum est, quia eorum juvabit meminisse, quando proxime tractabimus de* S. Zephyrini *orthodoxia. Famosus autem ille ac deplorabilis lapsus Tertulliani, de quo supra, ponitur a Tillemontio accidisse ante annum Christi 207; disputationem vero Gaii cum Proclo illigat anno 213, ut datur videre in tabula ejus chronologica ad calcem tomi tertii Monumentorum ecclesiasticorum.*

§ II. An S. Zephyrinus propugnaverit Montani hæresim, aut ipsi ullo modo faverit; decreta et epistolæ, quæ ei tribuuntur; ordinationes.

Variis argumentis suadetur,

C Ad *quæstionem primam, an sanctissimus Pontifex noster Montani hæreseos propugnator, aut fautor ullo modo fuerit; respondeo, illum ab hac turpissima labe prorsus immunem exstitisse. Hoc argumentum in varias partior probationes : quarum prima sit, quod, sedente hoc Christi in terris Vicario, habita sit in ipsa Romana urbe celeberrima illa disputatio Gaii cum Proclo, de qua paullo ante num. 8 et 9 dictum est. An vero disputationem istam, qua Montanistæ fuerunt profligati, permisisset* S. Zephyrinus, *si vel tantillam quidem cum eorum erroribus affinitatem habuisset? Non cohærent.*

S. Zephyrinum

11 *Probatio secunda desumitur ex historia Natalis, quam num. 6 et 7 retulimus ex Eusebio. Probatio tertia ex Optato Milevitano, de quo actum num. 5. Probatio quarta ex eo conficitur, quod Vir sanctus decretum ediderit adversus hæresim Montani, in quo adulteros invitabat ad pœnitentiam, ac indulgentiam illis spondebat. Factum refertur ac probatur verbis Baronii ad annum 216 a num. 3 :* Gravius, *inquit,* Tertullianus illud accepit, quod adversus Pseudoparacleti * novam institutionem, qua prohibebat recipi lapsos pœnitentes, Romanus

* i. e. Montani

AUCTORE J. P.

Pontifex... Apostolica auctoritate decretum publice edidisset, quo cunctis fidelibus innotesceret, Catholicam Ecclesiam lapsos recipere pœnitentes, licet fornicarii fuissent et mœchi. . . At quænam decreta essent a Romano Pontifice (is enim non alius, quam Zephyrinus putandus est) ex iis, quæ sunt a nobis dicta superius... jam videamus. *Et pauculis interjectis, Tertulliani verba sic recitat :* « Audio etiam dictum * esse propositum et quidem peremptorium. » At quodnam illud? mox recitans subdit : « PONTI- » FEX scilicet MAXIMUS, EPISCOPUS EPISCOPO- » RUM DICIT : EGO ET MŒCHIÆ ET FORNICA- » TIONIS DELICTA PŒNITENTIA FUNCTIS DIMITTO. *Et mox, relatis aliis Tertulliani adversus idem edictum verbis, alia Baronius ex ipso subnectit :* « Sed hoc in Ecclesia legitur, et » in Ecclesia pronuntiatur, et virgo est? Absit, » absit a sponsa Christi tale præconium. » *Hæc ibi.*

* l. edictum

ab hæresi Montanistarum fuisse prorsus alienum :

12 *Jam vero cuinam alteri edictum illud attribui convenientius ac probabilius possit, quam* S. Zephyrino *Papæ, non equidem satis video. Nam 1°. Titulus, a Tertulliano hic adhibitus, cujus sit, si Romani Pontificis non sit? 2°. Etiamsi nomen ejusdem Pontificis indictum reliquerit* E *Tertullianus; quia tamen famosus hujus lapsus accidit tempore istius Papæ, ex dictis supra num. 8 et 9, post quem lapsum superiora effutivit Tertullianus; cedo alium Romanum Pontificem, cui illa verosimilius conveniant, vel admitte cum Baronio convenire* S. Zephyrino. *3°. Apud Natalem Alexandrum sec. 3 disser. post τὸ* Pontifex scilicet Maximus *etc., lego ista :* His verbis Zephyrinum a Tertulliano sugillari; vulgaris opinio est : *ita ut mihi videatur nodum in scirpo hic quæsivisse Tillemontius in* Zephyrino *pag. 232 et 238, dum citatis iisdem Tertulliani verbis, scribit; se nihil videre, quod cogat locum hunc referre ad Papam potius, quam ad alium quemlibet episcopum. Etenim quod attinet, inquit, ad terminos Tertulliani, qui* edictum definitivum illud vocat *etc.; parum attendi debet ad stylum ironicum istius auctoris, ut quis velit ex eo aliquid inferre. In Opere Epistolarum Romanorum Pontificum, quod edidit Petrus Coustant, monachus Benedictinus, columna 112 in sua ad* S. Zephyrinum *notatione,* F Non desunt, *inquit idem auctor,* qui utrumque locum ad episcopum Carthaginensem referant, adeo ut is per exaggerationem Tertulliano non insolentem PONTIFEX MAXIMUS dictus sit, et EPISCOPUS EPISCOPORUM. *De utroque loco Tertulliani agens a col. 110, indicat,* episcopum, cujus nomen reticet *Tertullianus*... sugillari. *Sed etiamsi iste episcopus non nominatur; non satis video id obstare, quo minus locus uterque in sensu proprio probabilius sit intelligendus de* S. Zephyrino.

objectiones referuntur,

13 *Hactenus sanctissimi Pontificis nostri orthodoxia sufficienter, ut mihi quidem apparet, adversus ejusdem obtrectatores defensa est. Quæ vero contra objiciuntur, refero ac diluo ex Eminentissimo Bellarmino, qui tomo 1 Controversiarum, lib. 4, cap. 8 hæc sibi objicit :* Zepherinus Victoris successor videtur hæresim Montani approbasse. Scribit enim Tertullianus in libro contra Praxeam, Romanum Pontificem agnoscentem prophetias Montani, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem, a Praxea fuisse persuasum, litteras pacis revocare, quas jam emiserat. Constat autem ex historiis,

AUCTORE J. P.

eo tempore Zepherinum fuisse Romæ Pontificem. Quare Rhenanus in annotationibus ad Tertullianum ponit hoc loco in margine : Episcopus Romanus Montanizat. Neque dici potest, eo tempore nondum fuisse damnatam ab Ecclesia hæresim Montani. Nam, ut ibidem Tertullianus dicit, Praxeas persuasit Pontifici revocare literas pacis; ea præcipue ratione, quia prædecessores ejus hæresim illam antea damnavissent.

ac diluuntur

14 *Hisce sibi objectis reponit sequentia Vir idem Eminentissimus :* Respondeo; non esse omnino fidem habendam Tertulliano in hac parte, quandoquidem ipse Montanista erat. Sicut enim paulo ante Artemon falso jactaverat, Victorem Romanum Pontificem secum sentire, ut ex Eusebio ostendimus : ita nunc Tertullianus Montanista Romanum Pontificem in Montani sententiam trahere conatur. Alioqui cur nec Eusebius, nec ullus alius notavit hunc errorem in Pontifice Romano?

a Cardinale

15 Quia tamen mendacia super aliquid verum, ut plurimum fundari solent, credibile est Zepherinum Pontificem a Montanistis persuasum, doctrinam Montani non esse diversam a doctrina Romanæ Ecclesiæ, et ideo eumdem Pontificem voluisse eis pacem reddere, quam abstulerant ipsius prædecessores : non quidem quod approbaret errorem, quem sui majores improbaverant; sed quod arbitraretur, falso de illis erroribus fuisse accusatos Montanistas. Hoc autem non est errare circa fidem, nec Montanizare, ut mentitur Rhenanus; sed errare circa personam. Id quod multis aliis sanctis viris accidit. Scribit enim Ruffinus lib. 10 hist. cap. 11, Arium, ut Constantino imperatori persuaderet, se esse Catholicum, tanto artificio scripsisse fidem suam, ut a Catholicis putaretur Catholica, et a suis tamen agnosceretur qualis erat.

Bellarmino.

16 Et Leo epistola 86 ad Nicetam Aquileiensem, monet episcopum illum, ut Pelagianos ad Ecclesiam redeuntes apertissimis verbis jubeat hæresim abjurare, propterea quod soleant plerumque Ecclesiam decipere ita composita confessione fidei suæ, ut Catholici videantur, cum non sint. Tale quid videtur Zepherino etiam Pontifici accidisse. *Habes, lector, Bellarmini responsiones in causa orthodoxiæ Pontificis nostri; in qua laudatum Controversiarum auctorem deinde adversus sectarios propugnavit Gretserus tomo 2 Defensionis Controversiarum earumdem lib. 4, cap. 8, columna 1041 et 1042 : quo curiosum lectorem mitto, ne longior sim. Superest, ut ad alia, quæ* S. Zephyrino *attribuuntur, progrediar.*

Quæ in decretis S. Zephyrini obscura sunt,

17 *In catalogo prim Romanorum Pontificum, qui habetur apud nos ante tomum primum Aprilis, pag.* XXIV, *in eodem* S. Zephyrino, *dicuntur ista :* Hic constituit præsentiam omnibus clericis et laicis fidelibus, sive clericus, sive levita, sive sacerdos ordinaretur. Et fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia ministri portarent : dum episcopus Missam celebraret, ante se haberet sacerdotes omnes adstantes, sic Missæ celebrarentur; excepto cum jus episcopi interest, ut tantum clerus sustineret : omnibus præsentibus, ex ea consecratione, de manu episcopi, jam coronam consecratam acciperet presbyter, tradendam populo. *Quæ hic obscura sunt, utcumque ea sic explicare conatus est Papebrochius in Conatu suo Chronico-historico pag. * 27 : Primo.* Ut PATENÆ VITREÆ, quæ jubentur in ecclesia præferri sacerdoti, vel eulogias contineant, vel etiam particulas ad populi communionem consecrandas, quales paulo post a S. Urbano Papa factæ argenteæ; ab aliis etiam aureæ; ad eum scilicet usum, ad quem nunc serviunt nostra, quæ vocamus, ciboria. Quare non recte Binius ad vitreos calices hoc loco nos revocat. II. Sic componatur altare, ut sacrificans episcopus clerum ante se habeat circum altare; populum a tergo, nisi ubi et quando ex speciali jure contrarium fieri debet.

variis elucidationibus

18 Ad quem duplicem usum sic composita videmus basilicarum Romanarum altaria inter chorum et navim templi, ut, si ex una parte quis celebret, populo dorsum vertat; si ex altera (quod soli Pontifici licere nunc dicitur) facie semper versus ad populum, necesse non habeat se convertere, cum dicit : DOMINUS VOBISCUM; habeatque clerum sibi a tergo quasi ministrantem. III. Ut de manu consecrantis episcopi, nec DIACONUS aliquis, sed PRESBYTER acciperet tradendam populo CONSECRATAM CORONAM : quo loco agi de ipsa Eucharistia populo exhibenda, persuasum mihi est. Panis enim, qui ante consecrationem nominabatur CORONA OBLATIONIS; post eamdem vocatur hic CORONA CONSECRATA. Prioris appellationis testimonium habemus apud S. Gregorium lib. 4 Dialog. cap. 55, ubi presbyter obsequenti sibi in balneo animæ istic purgandæ, vivum, qualis esse videbatur, hominem ratus, DUAS OBLATIONUM CORONAS, quas secum attulerat, obtulisse dicitur gratitudinis ergo :

exponuntur :

19 Illa vero negans sibi licitum vesci eo pane, qui sanctus erat, petiisse, ut ipsum PANEM PRO SE OMNIPOTENTI DEO OFFERRET, eum scilicet in Missa consecrando : ita se a peccatis solvendam piaculari illo Sacrificio. Cur autem vocetur CORONA, divinet alius. *Hactenus Papebrochius. Porro non magna mihi videtur opus divinatione circa vocabulum* corona. *Etenim* Corona oblationis, *sicut observat Cangius in Glossario,* panis benedictus in modum coronæ, seu forma rotunda confectus : *et mox idem auctor Gregorii locum superius indicatum affert, ejusdemque verba breviter recitat. At, missa hac digressione, redeamus ad primum, quod* S. Zephyrino *adscribebatur supra, decretum de præsentia clericorum etc. in ordinationibus.*

decretum unum non videtur esse ipsius; sed Apostolorum; alia vero apocrypha.

20 *Constantius antea citatus decretum illud Apostolicum potius quam Zephyrinianum esse censet, ita de eo disserens :* E decretis illis tantum prius Isidoro Mercatori videtur fuisse notum. Saltem hoc unum posteriori e duabus, quas Zephyrino adscripsit, insertum legimus; sed et istud ad Apostolos potius, quam ad Zephyrinum, referendum putamus. Certe Clemens epist. I, num. 44 eos successionis episcoporum seu ministrorum Ecclesiæ regulam hanc tradidisse ait « ut cum illi decessissent, ministerium ac » munus eorum alii probati viri acciperent. » Quibus cum proxime subjicit. « Qui igitur ab » illis, aut deinceps ab aliis viris eximiis con- » sentiente Ecclesia universa constituti sunt » hanc ministrorum Ecclesiæ ordinandorum regulam ab Apostolis positam fuisse indicat, ut nonnisi consentiente ac præsente universa ecclesia ordinarentur. Neque etiam alia ratione, si Apostolorum Acta cap. 4 *(immo 6)* adeamus, septem diaconos ab ipsis creatos deprehendemus. Nempe « duodecim (Apostoli) convocantes » multitudinem discipulorum dixerunt : Considerate

A » derate fratres ex vobis viros boni testimonii, » quos constituamus super hoc opus. » Et mox additur : « Et placuit sermo coram omni multi» tudine, et elegerunt Stephanum » etc. Tum » hos statuerunt ante conspectum Apostolorum ; » et orantes imposuerunt eis manus. » *Hisce Coustantii rationibus non refragamur, et decretum illud* S. Zephyrino *tamquam primo ejusdem auctori abjudicandum putamus : etiamsi fieri forte potuerit, ut, quod ante illum in Ecclesia erat usitatum, aliis deinde verbis expressum innovarit : de qua tamen re neutiquam constat. Ea vero, quæ hac die* XXVI *Augusti de eo dicuntur in Florario nostro Ms.,* Hic statuit, ut omnes Christiani annorum duodecim Eukaristiam in die Paschæ accipere deberent. Et fecit statutum, ut omnia vasa altaris essent vitrea vel stannea; *ea, inquam, pro apocryphis habenda censemus, donec ex documentis antiquis probentur. Idem extensum volumus ad ea, quæ dicta sunt inter auctaria ad nostrum Usuardum die* XXVI *Augusti, et* XX *Decembris. Piazza in Hemerologio sacro ad diem* XXVI *Augusti indicat,* B *ab hoc Pontifice fuisse institutum, ut episcopi non potuerint condemnari in judicio sine facultate Sedis Apostolicæ : de qua re ipse viderit. Breviarium Romanum dicta die sic de eodem legendum præscribit :* Idem instituit, ut patriarcha, primas, metropolitanus adversus episcopum non ferant sententiam, nisi Apostolica auctoritate fulti.

duæ, quæ ei tribuuntur epistolæ, sunt apocryphæ :

21 *Duæ etiam epistolæ sub ejusdem sancti Pontificis nomine circumferuntur; sed sine sufficienti fundamento : cum non aliunde videantur in lucem publicam invectæ, quam ex famosa Isidori Mercatoris, vel hujusmodi fabulatoris officina.* Ad epistolas, *ait Coustantius,* quod attinet proxime memoratas, nihil in eis est cur a reliquis Isidori mercibus separentur : *quæ quales sint, diffuse ostendit laudatus auctor in sua Præfatione § 10, pag.* CXXV *et sequentibus. Prædicti vero impostoris quisquiliæ sæpius sine ullo suo merito recusæ sunt, et habentur apud conciliographos. Epistolas autem duas, de quibus hic sermo, si quis legere voluerit, inveniet eas apud Labbeum tomo 1 Conciliorum columna 603 et sequentibus; sed atro ad marginem stigmate* C *inustas, tamquam supposititias.*

quot fecerit ordinationes, incertum.

22 *Catalogus noster superius allegatus attribuit S. Pontifici nostro* ordinationes quatuor per mensem Decemb., presbyteros quatuordecim, diaconos septem, episcopos per loca tredecim. *In numeris admodum discrepat textus Anastasii Bibliothecarii, anno 1728 Romæ editi, tomo 1, pag. 17; magis vero conveniunt, quæ leguntur apud Labbeum col. 602. At quisnam hic exspectet genuinam lectionem, nedum rei gestæ probationem? Pergimus itaque ad alia, quæ de sanctissimo Viro memoranda supersunt.*

§ III. Quo die Sanctus sit consecratus Pontifex ; annus mortis; tempus sessionis; annuntiationes e Fastis sacris; an Martyr; sepultura.

Non scitur, quo die Sanctus consecratus Pontifex :

Inter *discrepantes variorum auctorum sententias circa annum, quo sedere cœpit* S. Zephyrinus, *potior ea nobis visa est superius § 1, quæ rem gestam ponit anno 201 vel 202. Diem vero ordinationis ejus, et alia huc distulimus. Dies illa in citato Conatu in Catalogo Romanorum Pontificum signatur* XI Junii in Dominica. *Verum cum hac nec annus 198 concurrit, qui in eodem catalogo prænotatur, nec dies* XI Junii. *Apud Labbeum in Compendio Chronologico ad annum 201 Sanctus noster Victori successisse scribitur* a die VIII Augusti; *Franciscus autem Pagius dicit* die septima *ejusdem* mensis, *corrigens Antonium Pagium in Critica Baroniana ad* E *annum 219, num. 2,* ubi, *inquit,* pro die septima Augusti, dies decima irrepsit : *sed sudabit multum, ut mea fert sententia, ac frustra laborabit, ut diem, quem notat, verum ac genuinum esse ostendat. Ita quippe res hæc se habet, ut incertiora sint, quæ de ea circumferuntur, quam ut certi aliquid determinari possit. Si vero constaret, sanctum Pontificem fuisse consecratum* in Dominica, *tunc videretur opinio illa aliis præferenda, quæ statueret accidisse consecrationem ipsius die* VIII *Augusti, quia incidit in annum 202, qui apud Eusebium, ut supra indicavimus, in Chronico adscribitur suscepto pontificatui a* S. Zephyrino. *Hactenus posuimus in medio varias scriptorum de hoc argumento sententias, ac profitemur candide, non opis esse nostræ, lectorem docere certiora propter defectum documentorum, e quibus hæc controversia convenienter decidi possit.*

ipsius annus emortualis

24 *Magnis etiam difficultatibus implicita sunt, quæ de anno emortuali exstant. Varii enim apud varios traduntur. Baronius in Annalibus* F *eumdem affigit anno 221; catalogus in Conatu, 217; uti et Pagius in Critica ad annum 219 num. 2, nec non Franciscus Pagius in Breviario : Coustantius autem supra laudatus pag. 107, sub exitum anni 218; at sub istis conditionibus, quas apponit,* Si *videlicet* ipsum cum Eusebio Antonini Heliogabali imp. primo anno, et cum vetustioribus Martyrologis XX Decembris die obiisse ponamus. *Labbeus in Compendio prædicto signat annum 219. Eusebius lib. 6. Ecclesiasticæ historiæ cap. 21, pag. 223 editionis antea indicatæ scribit ista in rem nostram :* Antoninus *(Heliogabalus)* principatum Romanum accepit. Hujus primo imperii anno Zephyrinus Romanæ urbis episcopus abiit e vita, cum per annos octodecim (ὅλοις, *id est,* integros *seu* completos, *secundum textum Græcum; sed interpres in Latino vocem hanc omisit)* sacerdotium obtinuisset.

a variis scriptoribus

25 *Anno 218 imperare cœpit Heliogabalus; at quo ejusdem anni die, dissentiunt auctores. Nam Pagius ad annum 218, num. 5, ponit diem* XVI *Martii : Labbeus mox citatus diem* XVI *Maii ejusdem anni : Tillemontius tomo 3 Imperatorum pag. 146 affirmat, eum proprie*

cœpis-

AUCTORE J. P.

cœpisse regnare VII *Junii, ac varias in rem nostram proponit observationes tom. 3 Monumentorum ecclesiasticorum in notatione super* S. Zephyrino *pag. 671 : ubi dicit, annum istum finitum fuisse die* VII *Junii anno 219, et revera annum istum in Chronico Eusebii et secundum exemplar Latinum, et secundum Græcum, tribui initio pontificatus Callisti, qui* Zephyrino *successit; atque adeo vita functum anno 219 ante* VII *Junii, ac proinde oportere, ut inceperit a primis mensibus anni 201 : nihilominus addit se credere, quod in notatione 6 super Victore PP. decessore ejus stabiliverit, Victorem non obiisse ante finem anni 201 : necesse itaque esse, ut Eusebius numeret totum annum 219 pro primo Heliogabali, quamquam in ejus Chronico notetur totus pro secundo; vel, ut ex Eusebii expressione* ὅλοις ιή ἔτεσι *non debeat credi, quod annus decimus octavus sit integer; prout citatus Monumentorum collector jam vidisse sese indicat in pluribus aliis occasionibus. Dicendum igitur affirmat ultimum, si* Zephyrinus *sedere non cœperit ante annum 202, id quod affirmat satis esse probabile : dicendum etiam primum, vel* B *fatendum, aberrasse Eusebium; si non obierit nisi* XXVI *Augusti, quo Usuardus, Ado, Anastasius, (sed apud hunc, ut obiter nos illud observemus, non diem mortis, sed sepulturæ legimus) aliique consignant ejus festum; aut etiam, si non obierit nisi* XX *Decembris, quo illud notatur in Martyrologiis Hieronymianis, Rabano, Wandelberto, et nonnullis aliis.*

varius ponitur :

26 *Nihilominus, inquit, quoniam Chronicon Eusebii conjungit primi anni Heliogabali concursum cum anno Christi 218; melius fortasse futurum censet,* Zephyrini *obitum ponere a die* XX *Decembris istius anni : hoc saltem sibi magis conducturum pro Pontificibus sequentibus. Et mox ad durationem pontificatus ipsius pergens, hoc, ait, medio non gubernaverit nisi annis 17, et paullo amplius, si inceperit ad finem anni 201; aut etiam aliquanto minus, si hoc non acciderit nisi anno 202 : et nihilominus annos 18 inchoatos tribuere ei potuerit Eusebius, numerando per consulatus a nono Severi anno, quem conjungit cum anno Christi 201; Callistus potuerit facile electus non fuisse nisi diebus 15 post* C Zephyrinum*, atque adeo 219, prout legitur in Chronico Eusebii. Adde quod velint, annos hujus Chronici incipere a mense Septembri cum anno Orientalium. Hisce ratiociniis operose conatur Tillemontius conciliare Eusebium in speciem sibi contrarium, annum emortualem figere sancti nostri Pontificis, ac durationem sessionis ejus. Nos vero mediam quodammodo viam tenentes, annum circiter 218 morti ipsius supra assignavimus.*

quot vero mensibus ac diebus

27 *Vide jam, quantum in tempore sessionis figendo dissentiant libri Pontificales, seu documenta, quæ de Pontificibus tractant. Etenim apud nos ante tomum 1 Aprilis hæc sunt :* Sedit annos septemdecim, menses sex, dies decem; *sed apud Anastasium Bibliothecarium* menses duos. *In Conatu :* Sedit annos XIX, menses sex, dies X. *In uno catalogo, quem edidit Mabillonius tomo 3 Veterum analectorum prioris editionis pag. 426 :* Se. an. XVIII m. VI. d. V. *Eutychius in Annalibus, anno 1656 Oxoniæ impressis, tomo 1, pag. 367 :* Annos octodecim sedit. *Chronographia S. Nicephori Parisiis cum Georgio Syncello excusa anno 1652, pag. 411, annos 19 signat. Idem facit Syncellus pag. 355 et 357 :* D Secundum Eusebium vero, *sicut perperam additur,* XII. *In libro Pontificali denique sub nomine Damasi apud Labbeum tomo 1 Conciliorum columna 602 :* Sedit annos octo, menses septem, dies decem. *Sed mendosum hunc calculum volens corrigere Binius ibidem column. 603,* Annis, *inquit,* XVIII, et diebus totidem sedisse, auctor est Euseb. in Chronic.; quam sententiam, tamquam Vaticanis indicibus magis conformem, sequitur Baron. anno CCXXI, num. 1, et recte : quia ab anno Severi imperatoris nono, quo pontificatum ingressus est, usque ad secundum Antonini Elagabali, cujus anno secundo vita et pontificatu, defunctum esse, Euseb. testatur lib. 6 Hist. eccles. cap. 15, neque plures, neque pauciores computari possunt. *Sed plus dicit Binius, quam possit probare.*

sederit, presse definiri non potest : annis autem sedit 18.

28 *Hisce hactenus ita propositis, cogitamus 1°., nihil satis probabile, nedum exploratum definiri posse circa menses ac dies, quibus sedit* S. Zephyrinus, *cum incertus omnino sit dies, quo cœpit, nec certior, quo gubernare desiit, sicut patet ex antecedentibus, in quibus tanta documentorum* E *varietas inextricabiles parit difficultates, nullo nobis antiquitatis relicto vestigio, ubi firmum ac certum pedem figamus. Cogitamus 2°., ac dicimus, non videre nos, quid obstet, quo minus secundum ea, quæ ex aliis auctoribus modo adductis proposita sunt, Sancti regimen extendamus ad annos octodecim, et ex ipso quidem Eusebio. Et vero quis eruditorum ignorat, nunc per annos inchoatos seu non completos, nunc per finitos seu plenos non raro perveniri ad justam ac veram annorum computationem, et chronologos prima fronte inter se diversos conciliari hoc pacto, atque ad veram temporis rationem redigi? De annis sedis ejus, ait Baronius ad annum 221, num. 1, de* S. Zephyrino *scribens,* Eusebio magis acquiescimus, in Chronico affirmanti, sedisse annos decem et octo, hocque anno secundo Elagabali vita functum esse, quod Vaticano Indici magis sit consentiens, quam ceteris, qui aliis consulibus, et ad alia tempora ejus obitum referunt. At licet idem Eusebius alibi dicat, Zephyrinum anno primo Elagabali esse mortuum, quod idem annus primi finis, et secundi esset exordium, F nulla alia habita ratione mensium vel dierum, sic posuit.

Martyrologi hunc Sanctum annuntiant variis diebus :

29 *En tibi nunc, lector, annuntiationes sacrorum Fastorum hac die* XXVI *Augusti : Romanum parvum seu vetus sic ait quam brevissime :* Zephyrini Papæ. *Ado :* Romæ, sancti Zephyrini Papæ : qui rexit Ecclesiam annos octo, menses septem, dies decem. *Usuardus hunc annorum calculum e supra dictis certo corrigendum (quidquid sit de mensibus ac diebus) prudentius omisit, sic dicens :* Romæ, natalis beati Zephirini Papæ. *Hisce subjungere suffecerit Martyrologium Romanum modernum, ita illum referens :* Romæ sancti Zephyrini Papæ et martyris. *Ad diem vero* XX *Decembris cum annuntiat auctarium ad Martyrologium Bedæ a nobis editum ante tomum* II *Martii, pag.* XLI : Romæ Zephyrini episcopi. *Illa etiam die ipsum signari in Hieronymianis, indicatum est in observationibus ad nostrum Usuardum die* XXVI *Augusti. Hieronymianis adde Rabanum et Wandelbertum. Quid plura? Consuli possunt auctaria ad dictum Usuardum utroque jam designato die :*

qui

A *qui cum alter ab altero tam sit diversus, quæres. an et quisnam ex illis verus ac proprius sit mortis dies.*

quisnam ex iis

30 *Neutrum admittit Pagius in Critica Baroniana ad annum 219, num. 2;* sed uterque dies, *ait,* ad ejus translationes referendus. *Nec mirum videri debet, eum hic ad translationes confugere, quas solide fundatas non videmus; cum ea, quæ præmiserat ibidem omnino vacillent :* Cum Callistus, *inquit,* die decima octava mensis Julii ei, ut infra videbimus, successerit, postquam episcopatus dies quinque vacasset, ut habet auctius Chronicon veterum Pontificum; sedit Zephyrinus annos decem et novem, menses undecim, dies quinque; mortuus die decima Julii anni CCXVII. Pontificatum enim inierat anno CXCVII, die decima Augusti. *Sed omnino, inquam, hæc vacillant, prout conficitur ex eo, quod in hac materia vacillent libri Pontificales, atque istiusmodi documenta, ac proinde auctores, ita ut vere hic obtineat vetus parœmia : quot capita, tot sententiæ. De anno autem emortuali diximus supra.*

B

fuerit ei emortualis ?

31 *Quod vero Pagius, ut ad priora revertamur, diem* XXVI *Augusti, et* XX *Decembris velit esse translationis, non mortis; approbare neutiquam possumus, ac primo quidem, quia nemo e Martyrologis classicis, quorum annuntiationes recitavi, usus est nomine* translationis; *quam etiam nullibi offendo in auctariis ad Usuardum supra designatis. Secundo, quia non videtur verosimile, quod nemo ullus e tot Martyrologis præsertim antiquis verum obitus diem assecutus fuerit. Tertio, quia uterque jam dictus dies est in possessione a tot jam seculis retro lapsis. Uter autem sit verus ac proprius, non habemus unde determinare possimus. Tillemontius quidem propendet, ut antea vidimus, in diem* XX *Decembris : Papebrochius autem in Conatu eumdem diem non tam ponens quam supponens, hæc recitat e Martyrologio Hieronymiano ad* XIII Kal. Januarii : Romæ Zephyrini *(in textu impresso apud Florentinium scribitur* Zepherini) episcopi, *et addit :* Quem supponens proprium esse mortis diem, Augustum mensem factæ postea translationi adscribo. *Baronius ad an. 221, num. 1,* Vicesima sexta mensis Augusti Zephyrinus Papa. . . moritur : *quo die et nos eum damus, Martyrologium Romanum de more secuti. Cum vero in eodem insigniatur titulo martyris; inquiramus, an et quousque hic ipsi conveniat.*

C

Probabilius non fuit martyr

32 *Baronius mox citatus dubitavit de hac re, num. 1 et 2 ista memorans :* Quod vero in antiquis Ecclesiæ Romanæ monumentis, in ipsis (inquam) ecclesiasticis tabulis, quas Martyrologium nominamus, legatur Zephyrinus subiisse martyrium, id sane illi privatim oportuit accidisse (ut de aliis sæpe evenit) in pace Ecclesiæ. Sed fortasse et illa ipsa opportuna videri potest oblata causa martyrii, quod Elagabalo restiterit, cupienti (ut diximus ex Lampridio) cum aliorum omnium, tum etiam Christianorum religionem sub Elagabali Dei sui cultu referre. Ceterum, utrum hæc, an alia præcesserit causa subeundi martyrium, nescimus : sed illud nos non latet (quod alibi diximus) olim majores consuevisse Martyres appellare omnes, qui Christianæ confessionis occasione supplicia aliqua sustinuissent, licet post tormenta superstites diem extremum in pace clausissent. *In variis codicibus inter auctaria ad Usuardum nostrum die* XXVI *Augusti, et* XX *Decembris, cum titulo* martyris *annuntiatur. Si Petri de Natalibus major esset auctoritas, videretur martyrium proprie non subiisse, quia lib.* XI, *cap. 30, num. 18 affirmat eum* in pace quievisse, *quod de Martyribus stricti nominis dici passim non solet.*

AUCTORE J. P.

stricti nominis :

33 *Tillemontius in notulis ad* S. Zephyrinum *pag. 238 citat ex Florentinio pag. 1037 hanc annuntiationem :* Romæ Zepherini episcopi, *quam et nos paullo ante dedimus : quod posset, inquit, præbere argumentum aliquod, sed debile, credendi, quod fuerit martyr. Sed nulla hic videtur argumenti umbra esse : nam* Episcopus *hic est* Papa, *qui tamquam Episcopus Romanus, vel Episcopus episcoporum antonomastice* Episcopus *recte vocari potest. Addit, aliud exemplar ibidem pag. 1038 adjungere* depositio, *quæ vix adhibeatur nisi pro simplicibus confessoribus. Sed magis videtur urgere, quod nemo unus ex antiquis Martyrologis, quorum annuntiationes recitavimus, martyrem illum vocet; quem titulum etiam omittit novum Martyrologium Parisiense ad diem* XXVI *Augusti. His itaque sic se habentibus, apparet nobis magis ad verum accedere, si cogitemus, stricti nominis martyrium* S. Zephyrino *non convenire. Quamvis igitur in Martyrologio Romano, ac Breviario martyris nomen ei tribuatur; illud tamen omisimus in titulo ante hanc Syllogen posito.*

E

locus sepulturæ.

34 *Postremum est, ut de sepultura ipsius loquamur. Liber Pontificalis apud Labbeum citatum dicit :* Sepultus est in cœmeterio suo, non longe a cœmeterio Callisti, Via Appia, septimo Kalendas Septembris. *Quibus adstipulatur Anastasius Bibliothecarius. Catalogus autem in Conatu paullo aliter loquitur :* Sepultus postea vel elevatus in cœmeterio Calixti Via Appia, XXVI Augusti, quando colitur. *Ante tomum 1 Aprilis pag.* XXIV : Sepultus est in cœmeterio suo, juxta cœmeterium Calixti *etc. De quo cœmeterio tractat Aringhus tomo 1 Romæ subterraneæ lib. 3, cap. 11. Observa* in cœmeterio suo. *Habuit igitur* S. Zephyrinus *cœmeterium proprium secundum dicta; quod ita nominari potuerit, sive quia illud excitarit ipse ad sepeliendos Martyres : sive quia in eodem sepultus ipse fuerit. Illud, secundum dicta, cœmeterio Callisti adhæsit :* cui deinde ab eodem Callisto in ampliorem formam redacto additum alterum unitumque fuerit : *uti scribit Aringhus tomo 1, lib. 3. cap. 13, pag. 474 :* cujus nulla quidem, *uti subdit,* vestigia, nomen autem dumtaxat superest. *Apud Panciolirum de Thesauris absconditis urbis Romanæ, in indice reliquiarum, qui est ad calcem istius libri, dicuntur habere de corpore* S. Zephyrini *tres ecclesiæ, videlicet S. Petri in Vaticano, S. Sixti, et S. Silvestri in Campo Martio : idcirco autem dici, quod in quacumque istarum ecclesiarum sit corpus, observat Piazza in suo Hemerologio hac die* XXVI *Augusti.*

F

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS
ABUNDIO & IRENÆO

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus ex antiquis Martyrologiis, Acta, tempus martyrii.

SUB VALERIANO IMP. *Martyres isti in antiquis Fastis notissimi:*

Duo isti sancti Pugiles post se reliquerunt memorabilem admodum in sacris Fastis notitiam ac venerationem, in primariis utique ac classicis Martyrologiis signati hac die. *Romanum quippe vetus seu parvum sic habet :* Irenæi, Abundii. *Ado :* Natalis sanctorum Irenæi et Abundii, Romæ : quos Deciana persecutione jussit Valerianus incloacari, eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam missum levaverunt. B Et ipsorum quoque corpora levavit Justinus presbyter, et sepelivit in crypta juxta beatum Laurentium. *Usuardus :* Sanctorum martyrum Hirenei et Abundii, qui in Passione beati Laurentii leguntur. *Wandelbertus hunc de illis versiculum condit :*

Martyrio septenam Irenæus Abundius ornant.

Beda a nobis editus consonat Adoni. Rabanum prætereo, in cujus Martyrologio pro incloacari *scribitur* in cloaca necari. *In Romano moderno, fere ut in Adone, ita annuntiantur :* Ibidem *(Romæ)* sanctorum martyrum Irenæi et Abundii, qui in persecutione Valeriani, eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam projectum levaverant, in eamdem cloacam demersi fuerunt : quorum corpora a Justino presbytero inde extracta, in crypta juxta beatum Laurentium sepulta sunt. *Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum hic aliqua observavit, quæ ibidem legi possunt, de cloacis Romanis.*

eorum Acta unde desumpta.

2 *Baronius ibidem indicat, unde sint deprompta, quæ de duobus nostris Athletis circumferuntur; videlicet* ex rebus gestis S. Laurentii, in quibus horum martyrii Acta describuntur. C *De multis autem Sanctis, quæ nonullis ejusdem S. Laurentii Actis immixti sunt, diximus tomo* II *Augusti, die* X, *in Commentario prævio istius celeberrimi Martyris, paragrapho 12, pag. 511; inter quos Pugiles nostri hodierni; S. Cyriaca vidua et martyr, de qua cum Martyrologio Romano egimus* XXI *Augusti; S. Hippolytus et Concordia MM., quos dedimus* XIII *ejusdem mensis; S. Justinus presbyter ac M., qui habetur in Romano ad diem* XVII *Septembris. Loco autem apud nos statim indicato inveniet etiam lector virorum eruditorum censuras adversus Acta S. Laurentii. Quæ cum merito suspecta sint; sequitur, ut ea, quæ de duobus hodiernis Martyribus ibi referuntur, non mereantur multum commendari.*

et quodnam exemplar hic detur :

3 *Actorum compendium modo dedimus ex Adone, de quibus etiam agit occasione SS. Hippolyti et Concordiæ MM., apud nos die* XIII *Augusti, pag. 14. Hic vero Passionem* Abundii *et* Irenæi *e nostro apographo, quod desumptum indicatur* ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris; *producemus intacta rerum substantia, si excipias illa, quæ narrantur post Martyrum sepulturam in Ms. nostro, et apud Surium : quæ, etiamsi non essent dubiæ fidei, ad sanctum tamen Laurentium et S. Hippolytum spectant; atque adeo a nobis omissa sunt, videlicet :* Vigesima septima die post passionem supradictorum sanctorum Martyrum, jussit Decius cæsar editionem munerum in amphitheatro parari *etc. Nunc paucula accipe, lector, de tempore martyrii.*

tempus martyrii.

4 *Si Actis S. Laurentii apud Surium, et nostro ecgrapho supra memorato fidem haberemus, passi essent duo nostri Pugiles sub Decio* E *cæsare, ac Valeriano præfecto. Ado, ut antea vidimus, aliter loquitur. Martyrologium Romanum affigit eorum mortem persecutioni Valeriani. Et vero cum indicentur passi post mortem S. Laurentii, ac decimo tertio die post passionem S. Hippolyti, in Actis Laurentianis, ac Ms. nostro ecgrapho Ultrajectino, idemque Hippolytus sub Valeriano martyrium subiisse memoretur; consequens est, ut SS.* Abundius *et* Irenæus *sub Decio imperatore non sint coronati laurea martyrii, cum hic jam ab anno æræ vulgaris 251 esset mortuus; sed sub Valeriano imperatore, anno 258, quo S. Laurentius ac S. Hippolytus pro Christi fide interempti sunt, conformiter ad ea, quæ in Commentario prævio ad Acta S. Hippolyti diximus tomo* III *Augusti, die* XIII *ejusdem mensis, § 2, pag. 8, num. 18. Videri præterea possunt notationes Baronii in Martyrologium Romanum ad annuntiationem S. Laurentii lit.* b. *His ita expositis, nos superius posuimus laudatos duos Martyres nostros sub Valeriano imperatore.*

Narratio historica Jacobilli

5 *Jacobillus tomo 2 Sanctorum Umbriæ ad diem* XXVI *hujus mensis a pag. 167 vult* S. Abundium *fuisse nobilem Interamnensem, ac fratrem S. Valentini, episcopi Interamnensis primi* F *istius nominis : Romam profectum, et ab S. Eleutherio PP. in militiam ecclesiasticam admissum, ac deinde diaconum ordinatum. Quid præterea? Narrat item, amicitiam contraxisse cum S. Feliciano, viro doctissimo et sanctissimo, atque Euaristo PP. a secretis. Ad hæc, consecratum anno salutis 197 S. Felicianum episcopum Fulginatem secutus dicitur* S. Abundius *usque ad Interamnam patriam suam, ubi hic eum hospitio exceperit; dictusque mox Felicianus consecraverit S. Valentinum episcopum Interamnensem;* Abundium *vero sacerdotem : qui fratrem suum Valentinum juverit in laboribus apostolicis, ac postea martyrii cupidus Romam redierit sub persecutione Valeriani imperatoris; ubi* Irenæum *invenit. Denique, postquam egisset Jacobillus de S. Concordia, nutrice S. Hippolyti, ac Justino presbytero, utriusque martyrium subjungit. Hæc in compendium contraximus e dicto auctore.*

sublestæ nobis est fidei.

6 *Verum collectio hæc historica non cohæret cum sana chronologia. Nam S. Euaristus PP.* obiit

A *obiit anno 108, vel, ut alibi legitur, 110 vel 112; quo rectius, examinari poterit ad diem* XXVI *Octobris, quo habetur in Martyrologio Romano: cui Papæ superius dicebatur fuisse a secretis S. Felicianus, episcopus Fulginas; quem sub Decio posuimus tomo 2 Januarii, die* XXIV, *pag. 581. Decius imperator anno 251 obiit. Quomodo igitur in systemate Jacobilli, episcopum illum secutus fuerit, et hospitio exceperit* S. Abundius, *anno Christi 197 consecratum, ut volebat? Quomodo S. Valentinus ab eodem consecratus Interamnensis episcopus, cujus obitum nos jam pridem innexuimus anno circiter 273, ut videre datur tomo* II *Februarii, die* XIV, *pag. 754? Non satis etiam intelligimus, quomodo* S. Abundius *ordinatus sit diaconus a S. Eleutherio PP., qui in tabula Chronologica apud Tillemontium ad tomum 3 Monumentorum ecclesiasticorum scribitur obiisse anno 192 : apud nos vero aliquot annis citius, ut tomo* VI *Maii, die* XXVI, *pag. 363 licet videre; cum Jacobillus ejusdem Sancti martyrium differat usque ad annum 261. Merito itaque suspecta nobis est narratio historica Jacobilli tum ob puncta chronologica perperam ab eo or-* B *dinata; tum etiam ob res relatas, quæ eadem facilitate, qua affirmantur, negari possunt, donec producantur documenta antiquissima, et seculo 3, de quo agitur, utcumque accommodata, cum* SS. Abundii *et* Irenæi *gesta in summa ignoratione versentur, sicut colligitur ex supra dictis, ac modo dicendis in eorum martyrio, quod subdo.*

PASSIO

Ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris.

Referunt hæc Acta qua occasione a

Tertiodecimo die post passionem beati Hippolyti, venit quidam miles, nomine Porphyrius, ad quemdam cloacarium *a*, sperans quod beata Concordia aurum aut gemmas haberet in C vestimentis suis : et dixit ad eum : Si secretum possis custodire, divulgabo arti tuæ multum quæstum. Cloacarius dixit ad Porphyrium : Secretum erit in corde meo; tu tantummodo D dic veritatem. Et dixit ei : Ante hos dies jussit Valerianus in conspectu suo quamdam creditariam *b* Hippolyti Christianam plumbatis deficere : quæ, dum mortua fuisset, jussit corpus ejus in cloacam projici : et hæc in vestibus spero quod margaritas habet absconsas vel aurum. Cloacarius autem fidelis et Christianus erat in occulto. Eodem die dixit cloacarius : Ergò demonstra mihi locum, et quæro eam; et noctu dum invenero, nuntiabo tibi : et nomen cloacarii erat Iræneus. Hic venit ad beatum Justinum presbyterum, et nuntiavit ei omnia, quæ acta fuerant et intimata a Porphyrio. Beatus Justinus presbyter gratias agens Deo omnipotenti, et Domino Jesu Christo, flectens genua, cum lachrymis dixit : Pergamus noctu, fili, ad cloacam. Respondit Iræneus dicens : Sine prius accedo ad Porphyrium.

SS. Abundius et Irenæus martyrium sint passi.

Beatus Justinus presbyter dixit Irenæo : Vide * fili, sacramentum tibi traditum custodi. Pergit autem Irenæus ad Porphyrium. Porphyrius vero demonstravit ei locum. Iræneus venit cum ipso noctu, et invenit corpus sanctum in- E contaminatum, et quærentes in vestimentum ejus, nihil invenerunt. Eadem nocte Porphyrius fugit: Iræneus vero vocavit ad se quemdam Christianum nomine Abundum : et tulerunt corpus beatæ Concordiæ, et perduxerunt ad beatum Justinum. Quod suscipiens, gratias egit Deo; et sepelivit juxta corpora Sanctorum Hippolyti, et cæterorum. Alia die Valerianus præfectus hoc audiens tenuit Irenæum et Abundum, et jussit, ut vivi in cloaca necarentur. Qui necati sunt sub die septimo Calend. Septembris. Tunc beatus Justinus levavit corpora eorum, et sepelivit juxta corpus beati Laurentii in crypta in Agro Verano *c*.

* f. Vade

ANNOTATA.

a Cloacarium *esse eum, qui purgat cloacas seu immunda loca, diximus tomo* III *hujus mensis pag. 14 in Annotatis lit.* h.

b Creditaria, *alibi* nutrix. *Vide eadem Annotata lit.* i. F

c *De isto Agro scribit Aringhus tomo 2 Romæ subterraneæ lib. 4, cap. 16.*



DE

A D

DE S. SECUNDO MARTYRE

AC DUCE, EX LEGIONE THEBÆORUM

APUD ALBINTIMELIUM IN LIGURIA ITALIÆ

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Palæstra, Actorum exemplaria, tempus martyrii.

Anno CCLXXXVI. *Notitia palæstræ.*

Albintimelium *cujus territorium* S. Secundus, *spectatæ virtutis vir, dux egregius e legione Thebæa, ac fortissimus Christi martyr, fuso pro ejus fide nobilitavit cruore ;* Albintimelium, *inquam, tria nobis natanda suppeditat. Primum est, varia et multiplex hujus nominis expressio :* aliquando B *enim* Vintimelium, vel Victimilium, ut a Beda *(Plantiniano)* et Usuardo; Vindimilium, ut ab Antonino; ab aliis Albintimilium; itemque Intemelium, ut a Cælio apud Cicer. epist. fam. lib. 8. Sic et Plin. lib. 3, cap. 5, qui dictum fuisse ait Albium Intemelium, ut hic *(in Martyrologio nimirum Romano hodierno)* ponitur. *Hæc Baronius in notationibus ad idem Martyrologium hac die. Secundum est, loci istius situs; de quo excerpo ista ex Baudrando :* Albintemelium, urbs Italiæ in Liguria. ., Vintimiglia Italis, quamquam Vintimia incolæ pronuntient: urbs Genuensis ditionis (ab anno, *ut infra dicit Baudrandus,* MCCXXXVIII,) in ejus ora littorali occidua, episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi : parvi est circuitus..., 14 milliaribus distat a Nicea in ortum *etc. Tertium est, collectio variarum rerum apud Ughellum ante prædictæ urbis episcopos tomo 4 Italiæ sacræ columna 427 et 428 editionis Romanæ : in qua urbe* festum, *ait, hujus nostri Martyris* tamquam præcipui patroni habetur XXVI Augusti. *Eorum, quæ de situ palæstræ dicta sunt, meminisse juvabit infra num. 5.*

C *ac cultus e Martyrologiis :*

2 *Annua porro* S. Secundi *memoria celebris est in antiquis Martyrologiis. En tibi eorumdem annuntiationes : Romani parvi seu veteris :* Apud Victimilium, Secundi martyris. *Adonis.* Apud Victimilium castrum Italiæ, natalis beati Secundi martyris, viri spectabilis, et ducis ex legione sanctorum Thebæorum, qui ante beatum Mauritium et ceteros, post vincula et carceres martyrium capitis abscisione complevit. *Adoni consonat Usuardus : sed hic omittit quæ ille addit de S. Mauritio et ceteris, qui alio pertinent. Usuardo adde Romanum hodiernum :* Apud Albintimelium Liguriæ civitatem sancti Secundi martyris, viri spectabilis, et ducis ex legione Thebæorum. *Breve est illud, quod de Sancti reliquiis tradit Ughellus columna 427 ante citata :* Cujus, *ait,* deinde caput in cathedrali : *(de Cemiliensi, ut ibi vocatur, seu Albintimeliensi est sermo)* cætera vero lipsana sacra Taurinum relata, magna veneratione coluntur. *Hactenus de publica sancti Pugilis nostri veneratione. Nunc de nonnullis Actorum ejus exemplaribus agemus.*

3 *Eorum apographum habemus* ex Ms. codice monast. S. Mauritii Magdeburg., *auctore ignoti nominis ac temporis. Prologus sic incipit, et longus est :* Gloriosa beatorum Martyrum gesta, pia quoque et admiranda certamina, debita veneratione recolentes *etc. Postea eidem prologo inserit sequentia :* Ab hac ergo civitate *(Thebe, quæ est in Ægypto superiore)* memorati martyres Christi Thebæi sunt appellati, et provincia adjacens Thebaida : cujus principium est per deserta superiorum montium civitas Syene, quæ sub ipso æstivo tropico, id est, cancro constituta est, et eo die, quo sol certam partem cancri ingreditur hora diei, [quando] sol tunc super ipsum invenitur verticem civitatis, nulla illic potest... de quolibet corpore umbra jactari. Sed nec stylus hemisphærii monstrantis horas, quem stylum gnomonem vocant, tunc de se potest umbras creare. *Plura de hac materia tædet huc transcribere, quæ liberaliter auctor ille accumulare pergit. Dein Passionem Sancti ita exorditur :* Sub Diocletiano igitur et Maximiano imperatoribus fuit quidam vir spectabilis atque illustrissimus in provincia Thebaida, nomine Secundus, nobilissimis ortus natalibus et parentibus, et secularis gloriæ, ac singularis excellentiæ dignitatibus insigniter adornatus. *datur notitia* E

4 Hic ergo a primis infantiæ annis liberalium litterarum erudiendus traditur studiis : atque hic optime institutus, ut moris erat nobilium filiis, imperialibus deputatur astiturus officiis. Erat namque decorus facie, et venustus aspectu : juvenis quidem corpore; sed mente et animo senex : corde humilis, et mansuetus; vultu gravis et modestus : sermone utilis et facundus; virtute corporis robustissimus : amicitiæ fœdere firmissimus; consilii provisione strenuissimus : disciplinæ secularis exercitiis abundantissime instructus; liberalium artium peritia imbutus, atque omni morum probitate conspicuus. In regalibus vero constitutus, cuncta, quæ sibi injuncta fuerant, divina fultus [gratia] peragebat. *Quæ omnia, uti et alia, quæ sequuntur, tam quæsito verborum ambitu agglomerata, indicio sunt, auctorem illum non tam narrationem historicam martyrii* S. Secundi, *sed potius homiliam parergis exornatam exhibere. Specimina igitur ista in hunc finem proferenda duxi, ut lectori indicarem, cur illud Ms. prælo non subjiciatur. Breve martyrii compendium habet Petrus de Natalibus episcopus Equilinus lib. 7, cap. 117, ex Adone, quem citat. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXVI *Augusti aliud exhibet compendium* ex Actis Ms. ecclesiæ Vercellen.... et Bo. Mombrit. Pass. tomo 2 referente, *e quo nos etiam recudi* *nonnullorum exemplarium, quæ de Actis Sanctis scribunt :* F

A *cudi curabimus eamdem Passionem. An alicujus, et qualis valoris sint Mss. illa Vercellensia, omnino nos latet; quia nec ea vidimus, nec de eorum auctore, antiquitate seu ætate, aliisve notis illorum characteristicis quidquam proditum a Ferrario legimus.*

refellitur notatio Ferrarii

5 *Locus martyrii, qui in hoc compendio ponitur* apud Victimulum M. haud procul a Cæsariano oppido juxta Alpium Graiarum radices, *ansam præbuit Ferrario annotationis sequentis :* In Martyrolog. pro VICTIMULUM M. Albintimelium irrepsisse videtur : similitudo enim vocis non modica est inter Victimulum, et Vinctimilium (sic enim Albintimelium apud vulgares appellatur.) Quæ enim causa fuit, ut Maximianus Alpes subiens Secundum decollandum ad urbem maritimam tam longe distantem ablegaret? Adstipulantur vet. Ms. ecclesiæ Taurinen., et Hist. mart. Thebæorum nuper edita Augustæ Taurinorum. Quamquam Acta a Mombritio rel. et Ms. correctione egent, in eo maxime quod de M. Victimolo habent. Plinius enim... illum Ictimulum, non Victimolum vocat.

circa locum palæstræ.

B 6 *Sed adeo frivola mihi videtur hæc annotatio, ut vix mereatur responsum : nam 1°, locus martyrii ex supra dictis num. 1 et 2, tam solide stat fixus communi antiquissimorum martyrologorum consensione, quos recte sequitur Romanum, ut non satis concipiam, quomodo inciderit Ferrario alium quærere. 2°. Ferrarius sibi non constat. In ipso quippe titulo ante compendium, de quo dicebam, gestorum* S. Secundi, *et post quod ponit recitatam modo annotationem,* apud Albintemelium *eum signat. In indice topographico locorum Italiæ, qui exstat ante Catalogum Sanctorum ejusdem regionis,* Albintemelii, *inquit,* in Liguria Secundus martyr XXVI Augusti. *In alio item indice alphabetico nominum Sanctorum, qui proxime sequitur priorem, notatur* Secundus martyr Thebæus Albintemelii, et, *propter reliquias,* Taurini. *Ferrarius idem in sua Nova topographia in Martyrologium Romanum, ad nomen* Albintimelium *(ita enim illud ibi scribitur,)* postea Vintimilium, VINTIMIGLIA, C. E. Liguriæ lit. *etc.*, XXVI Augusti, *ait,* Secundus M. unus ex ducibus legionis Thebææ sub Maximiano. *3°. Videar tempus perdere, si singillatim respondeam ad minutias haud satis*

C *fundatas, quas superius addebat Ferrarius. Et vero ad Ms. Taurinense, quod* vetus *vocat, eadem respondeo, quæ ad Vercellensia. Historiam martyrum Thebæorum cum Ferrarius dicat* nuper editam, *nullius hic est momenti, donec fontis, e quo prodiit, probetur sincera antiquitas. De Actis Mombritii agemus postea : de Plinio dictum est supra : locum vero, quem ex eo citat Ferrarius, hiatu punctorum obscurat, non clare indicat; ut facile inspici possit. Quid plura? Nobis certe sufficiunt, ac lectori suffectura existimamus ea, quæ ad retinendam vulgarem et antiquam* S. Secundi *palæstram adduximus. Juverit itaque potius pergere ad res quasdam alias in historia ejusdem Pugilis supplendas vel illustrandas.*

Sub quibus imperatoribus,

7 *Tempus passionis ejus non determinatur quidem in Actis apud Mombritium editis, sed præterpropter tamen indicatur, quando in eisdem refertur accidisse sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus. Quamquam hic, non vero ille, vel præcipuas vel omnes in hac tragœdia partes videatur habuisse. Hinc, mea quidem sententia, non male ponitur solus Maximianus in compendiis, quæ Petrus de Natalibus, ac Ferrarius vulgarunt, et de quibus antea fuit actum. Favent Acta Martyrum Agaunensium, quorum Actorum postea fragmentum producam alia occasione; favent item Acta* S. Secundi *Mombritiana infra apud nos, in quibus etiamsi ambo jam dicti imperatores nominentur, solius tamen Maximiani jussu caput Martyris amputatum fuisse narratur num. 8. Verum res hæc levioris momenti est, quia, considerata ratione temporis, accidit ea sub Diocletiano et Maximiano, cum uterque tunc imperio potiretur. Sed quo ejusdem imperii tempore accidit? Etenim quandoquidem diu simul regnarunt, non habemus hactenus aliud, nisi vagum et indeterminatum annorum calculum. Scriptor anonymus Passionis, seu verius homiliæ, cujus apographum apud nos exstat, ut nuperrime indicavimus, ex Ms. codice monasterii S. Mauritii Magdeburgensis, respexit ad famosam persecutionem Diocletianeam anni æræ vulgaris 303, insinuans, Sanctum nostrum ante hanc martyrio coronatum non fuisse.* Nonus decimus, *inquit,* agebatur annus imperii Diocletiani..., cum edicta principis per omnem terram propo- E nebantur, ut cunctæ, quæ usquam sunt ecclesiæ, ad solum usque destruerentur. *Et pluribus aliis interjectis,* Per idem tempus, *ait...,* nobilissimus Secundus *etc. Sed illa sententia nobis apparet minus probabilis, ut patebit ex sequentibus.*

et quo anno

8 *Quoniam vero tempus, quod hic inquirimus, indivulse quodammodo connexum est cum tempore passionis celeberrimi martyris Mauritii ex eadem, e qua fuit Athleta noster, legione Thebæa; et uterque simul vixit familiariter, ex Actis Mombritianis apud nos num. 3; ac Mauritius circa corpus* S. Secundi *jam martyris vigilavit, ibidem num. 9; lubet dispicere, an inde melius aliquid in rem nostram conficere possimus. Ruinartius in Admonitione ad Passionem laudati martyris ac sociorum Thebæorum, quam inter Acta primorum Martyrum sincera et selecta vulgavit Parisiis, pag. 288 sic ratiocinatur :* Agaunensium Martyrum passionem ad annum CCXCVII refert Cardinalis Baronius, quam tamen ad Diocletiani et Maximiani imperatorum initia potius revocandam esse censemus. Eam vero ad annum CCLXXXVI consignari posse colligimus ex eo, quod Maximianus Herculius, quem, ut eruditus Baluzius F in notis ad Lactantii libellum de Mortibus persecutorum observat, anno præcedenti Diocletianus in imperii consortium assumpserat, tunc temporis in Galliis cum exercitu versatus fuerit. Haud tamen diffitemur, istam Martyrum passionem ad sequentes annos posse etiam referri. *Tametsi vero hanc ultimam clausulam addat, in notula tamen marginali ad ipsam Passionem, quam edit, pag. 289 ponit* annum Christi CCLXXXVI, *quem etiam admittit Labbeus in Compendio chronologico ad eumdem annum, et Castellanus in suo Martyrologio universali ad* XXII *Septembris, quo inscribuntur Martyrologio Romano; ut mirum appareat, eum, lucente hac temporis ratione,* S. Secundum *hac die* XXVI *Augusti vago nimium et indeterminato calculo retulisse ad seculum tertium.*

passus sit S. Secundus.

9 *Tillemontius tomo 5 Monumentorum eccles. in persecutione Diocletiani articulo 2, pag. 3 agens de Martyribus, qui possint esse passi sub ipsius regni principio in Galliis, quando ibidem erat Herculius, affirmat hunc eo venisse anno 286, vixque Alpes transiisse, quin occidi jusserit* cele-

AUCTORE J. P.

celebrem legionem Thebæam, in qua primario fungebatur officio S. Mauritius. Eorum gesta collegerat prædictus auctor tomo 4 ejusdem Operis a pag. 421 : in secunda autem notatione super laudato Sancto a pag. 697 discutit pluribus tempus sæpe memorati martyrii. Quæ cum ita sint, judicavimus accedere nos propius ad veram chronologiam mortis S. Secundi, *affigendo eam superius anno Christi 286. His vero alia quædam lux accedit ex occasione relati ab illo martyrii, de qua breviter nonnulla jam dicemus, ubi primo præmissa quædam fuerint de die mortis ejus.*

§ II. Dies et occasio passionis; officium militare Martyris; Acta quæ hic a nobis dantur.

Videtur probabilius

B *Aliqua nobis occurrit ratio dubitandi, an triumphalis dies laureati Pugilis nostri inciderit in* XXVI *mensis Augusti : nam eo quidem ab antiquissimis Martyrologis, ut antea vidimus, constanter Sanctus signatur; verum in Actis, sicut mox ostendemus, diserte alius exprimitur, et non raro etiam accidit, ut Fasti sacri annuntient Sanctos alio die quam emortuali. Acta Mombritiana in fine*, Passus est, *inquiunt*, beatissimus Christi martyr Secundus quinto Calendas Septembris. *Eumdem diem ponit nostrum ecgraphum Magdeburgense, qui est* XXVIII *ejusdem mensis Augusti. Petrus de Natalibus Adonem secutus,* Martyrium, *ait*, capitis abscisione complevit VII Calend. Septembris. *Ferrarius eodem quidem die agit de* S. Secundo; *sed in compendio ejus nullum mortis diem designat.*

Sanctus esse passus eodem die, quo colitur.

11 *Fatemur imprimis, certo nos definire non posse, quod dies cultus et martyrii coincidant in hunc diem* XXVI *Augusti; propendemus tamen in eam sententiam, quæ alterum ab altero non distinguit : sicut probabilius videntur facere jam tum a nono seculo Ado et Usuardus, a quibus* natalis, *seu dies martyrii, signatur simul cum die cultus* XXVI *Augusti. Nec ab hac me cogitatione absterrent Acta Mombritiana : præterquam*
C *enim quod non possint commendari a genuina sinceritate et auctoritate, tam multis scatent mendis, ut mirum non esset, si* quinto *pro* septimo Calend. *in eadem irrepsisset. Ex mendoso forsan etiam exemplari homiliam suam ampliavit ignotus alter et anonymus, cujus fragmenta antea produximus e Ms. Magdeburgensi. Non videmus, quid cogat diem passionis distinguere a die cultus.*

et occasio martyrii

12 *Jam vero non abs re fuerit ad illustrandam sancti Pugilis nostri historiam, nonnulla hisce apponere, qua occasione sacri certaminis palmam consecutus sit. Factum his verbis refertur in Actis Mombritianis apud nos num. 2 et 3 :* Dum hæc, et his similia multa *pro salute animarum* per eum gratia divina operaretur, perveniunt felicia gesta ad aures... Diocletiani et Maximiani, qui... Christianum sanguinem sitientes fremebant dentibus suis. Missis itaque litteris, celeriter eum cum suis ad partes Italiæ, quasi sibi atque Romanæ genti in auxilium futuri essent, advenire præcepit. Tunc assumens secum ad sex millia et sexcentos viros, quod una legio nuncupatur, pervenit ad imperatores. *Deinde narratur sancti Militis pro Christo certamen et martyrium. Observa 1°. Non videtur verosimile*, S. Secundum *cum suis accitum fuisse ex Oriente in Occidentem eo modo, qui ibi prætexitur; sed veram martyrii occasionem probabilius accidisse, quando Sanctus cum legione Thebæa jam venerat in Italiam, prout suadetur e Passione S. Mauritii et sociorum a S. Eucherio Lugdunensi episcopo conscripta, qui floruit seculo quinto, et vulgata apud Ruinartium, quem supra laudavi, pag. 289 et sequentibus.* D

non in Oriente, sed in Occidente accidisse.

13 Erat, *inquit S. Eucherius*, eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur. Legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia ac sexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, et virtute nobiles; sed nobiliores fide, erga imperatorem *(Maximianum)* fortitudine, erga Christum devotione certabant. Euangelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddebant, quæ Dei erant, Deo, et quæ cæsaris, cæsari restituebant. Itaque cum hi, sicut et ceteri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur; soli crudelitatis ministerium E
detrectare ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat. Nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat. *Locus, qui hic nominatur, vulgo dicitur* Martigny, *et oppidum est Helvetiæ in Vallesia prope Agaunum; in quo prædicti Martyres coronati sunt, quique pluribus describitur a S. Eucherio supra laudato. Etsi vero locus hic longo admodum distat itinere ab Albintimelio, in quo* S. Secundum *antea quidem, sed tamen eodem fere tempore, si Actis credimus, passum memoravimus; cum tamen, ut fertur, sit connexio inter S. Mauritii et nostri Sancti passionem; probabilior nobis est ejusdem occasio ex Eucherio, quam ex Actis Mombritianis.*

Quædam observationes

14 *Quæres, quo militari officio* S. Secundus *functus fuerit in sua legione. Respondeo. Exemplar nostrum e Ms. Magdeburgensi hæc de illo narrat :* Contigit, ut ipsis quoque imperatoribus ita charus et gratiosus fieret in omnibus, ut inter cætera principalis munificentiæ suæ dona per singulos dignitatis gradus evectum, multorum illi militum principatum, ac ducis illustrissimi eum censerent vocabulo nominandum. *Acta Mombritiana tacite videntur insinuare, eum totius suæ legionis ducem vel præfectum fuisse :* Tunc, *inquiunt,* assumens secum *etc., quæ paulo ante retulimus. Apud Ferrarium dicitur* miles Thebæus ex præcipuis illius legionis. *Ado, Usuardus, et Martyrologium Romanum modernum dant ipsi titulum* ducis ex legione Thebæorum; *at Romanum parvum seu vetus solius* martyris. *S. Eucherius nuperrime citatus significat, famam fuisse suo tempore, quod S. Mauritius* primicerius *exstiterit laudatæ legionis, dicens pag. 29 :* Incitamentum. . . maximum fidei in illo tempore penes sanctum Mauricium fuit, primicerium tunc, sicut traditur, legionis ejus, qui cum Exsuperio, ut in exercitu appellant, campiductore, et Candido senatore militum, accendebat, exhortando singulos etc. F

de Sancti officio militari.

15 *Per titulum* primicerii *cogito hic indicari primariam dignitatem, vel primaria saltem proximam in sæpe dicta legione. Cangius enim in Glossario* Primicerius, *ait*, dignitas militaris, tribuni dignitati proxima. Apud Hieronymum ad Pammachium : sed ante Primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, cirmicitor, eques,

dein-

A deinde tiro. *Cujusmodi autem fuerint hæ dignitates, videat lector apud auctores. Verum titulus* ducis, *quo nos supra ante exordium hujus Commentarii prævii* S. Secundum *nuncupavimus, præeuntibus antiquis Martyrologis, tantum abest ut pugnet cum dignitate* primicerii *sancto Mauritio tributa ab Eucherio, ut facile hæc cum illo conciliari possit. Esto enim S. Mauritius dux vel primarius præfectus legionis Thebææ fuerit; quid obest, quo minus* S. Secundus, *videlicet* vir spectabilis, *ut loquuntur Ado, Usuardus, et Martyrologium Romanum, habuerit nomen et munus* ducis ex *eadem* legione, *etiamsi* legioni toti *non præfuerit.*

Acta, quæ hic damus

16 *Per decursum hujus Commentarii varia observavi de Actis, quæ apud Mombritium vulgata sunt; sed postquam hæc scripseram, incidi in locum, e quo videtur confici, illorum auctorem seu collectorem non posse commendari ab antiquitate. Locus autem est ille, in quo memorat de* oratorio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, *ubi* divina præstantur beneficia. *Adde alia, quæ sequuntur de S. Juliana, ac de* B *S. Solutore, nec non sociis ejus; propter divina beneficia, quæ indigentibus sunt præstita in dicto oratorio, Taurini claris. Scribit itaque anonymus collector ille de rebus, quæ contigerunt post dictorum Sanctorum translationem ad urbem Taurinensem ex antiquiore loco, qui in ejusdem civitatis suburbio erat situs, et in quo eorumdem corpora requieverant. Quia vero locus ille seu monasterium fuit destructum anno 1536, accidit, ut sacra ista pignora inde deportata tunc sint Taurinum. Rem declaro et confirmo e verbis Godefridi Henschenii nostri, qui in Commentario historico de S. Juliana ad diem* XIII *Februarii, tomo* II *ejusdem mensis, pag. 659 jam pridem hæc notata reliquit:*

genuinam antiquitatem

17 Franciscus I Francorum rex bello præcipuas Ducis Sabaudiæ ditiones armis subegit, ac misso in Pedemontanam regionem exercitu, summa celeritate Taurinum anno CIↃIↃXXXVI intercepit: quod filius ejus Henricus II ad annum CIↃIↃLIX tenuit. Franci ergo urbe Taurinensi potiti, mox quatuor suburbia cum monasterio aliisque ædibus sacris subverterunt. Quieverant ad illud usque tempus in ecclesia inferiori hujus monasterii SS. Solutoris, Adventoris et Octavii C martyrum corpora, nec non SS. Julianæ matronæ, et Goslini abbatis, infra altare deposita in tumulo marmoreo, ac lapide magno cooperta. Extabat autem in posteriore parte altaris tumba muri instar ad longitudinem tumuli erecta, quam alter lapis marmoreus claudebat. Præsentibus igitur Benedicto de S. Sebastiano, dicti monasterii Priore, atque aliis monachis, et Clero plurimisque viris religiosis ex eadem urbe, destructum est altare, sacrumque monumentum apertum. Dein facibus accensis Prior ac monachi Sanctorum corpora, reverenter ex tumulo exempta, ac magnæ thecæ imposita, cum frequenti præcipuorum urbis religiosorum comitatu, solemni supplicatione in urbem transtulerunt, inque S. Andreæ Prioratu, in sacello Deiparæ, cui a Consolatione nomen est, tantisper deposuerunt anno CIↃIↃXXXVI, die XXV Aprilis, ut ipsa authentica instrumenta Taurino nobis submissa fidem faciunt. *Corpora autem illa deinde translata fuisse in ecclesiam Societatis Jesu, narratur in iis, quæ ibidem subduntur.*

non habent.

18 *Ultima igitur manus Actis* S. Secundi, *prout edita sunt apud Mombritium, admota non est ante annum 1536: atque adeo nec habent, nec merentur pretium genuinæ antiquitatis. Idem esto judicium de toto eorumdem contextu, qui præfert characteres, ut mihi quidem videtur, valde mediocres. Deinde, quæ in eisdem narrantur proxime post martyrium num. 9,* Dei autem nutu ab aliis fidelibus pro furto ablatum est sanctissimum Corpus, ut . . . in eodem loco, ubi nunc est, collocaretur; *quomodo cohærent cum narratione translationis prædictæ, post quam eorumdem Actorum scriptor seu collector historiam suam absolvit? His observatis superest, ut qualiacumque hæc Acta lectori exhibeamus, a variis mendis grammaticalibus, purgata, et notationibus illustrata.*

AUCTORE J. P.

PASSIO

Auctore anonymo,

Ex editis apud Mombritium tom. 2, fol. 261 verso.

E

Sanctus naturæ ac gratiæ donis spectabilis, a

Sub Diocletiano et Maximiano impiissimis imperatoribus, fuit vir quidam nomine Secundus ex provincia Thebaide *a*, spectabili ac nobilissimo genere ortus, sed multo nobilior atque præclarior in Christi fide atque religione. Juvenis quidem erat tempore; sed mente et actibus senex: cui etiam in ipsa facie venusti habitus gratia, quæ intrinsecus redundabat, perspicue refulgebat. Nam ipsum etiam nomen præsagium fuit futurorum bonorum. Secundus namque, quod dicebatur, mystice prætendebat, eum martyrii gloria sublimandum, quia martyres, licet inter reliquos fideles primatum obtineant, tamen post Apostolos secundi ordinis obtineant dignitatem. Alias vero, Secundum prosperitatem seu felicitatem, manifestum est designare. Revera prosperitas atque felicitas eum vera est comitata, dum et præsenti vita inter reliquos meruit principatum, et [post] gloriosum certaminis finem martyrum gloriæ sociari.

et salutis animarum avidus, a Maximiano b

2 Primatum *b* namque tenens in gente Romana, sancti Spiritus gratia repletus, noctu quidem eloquia Christi; quæ corde meditabatur, illucescente die populorum mentibus sagaciter intimare curabat, parvi pendens negotiorum secularium curas. Animarum salutem inhianter F cupiens ad baptismatis gratiam cunctos convertere satagebat. Dum et hæc et his similia multa per eum gratia divina operaretur, perveniunt felicia gesta ad aures profanorum principum Diocletiani et Maximiani, qui nimis irati velut immanissimi leones Christianorum sanguinem sitientes, fremebant dentibus suis. Missis itaque litteris celeriter eum cum suis ad partes Italiæ, quasi sibi atque Romanæ genti in auxilium futuri essent, advenire præcipit.

increpitus condemnatur: c d

3 Tunc assumens secum ad sex millia et sexcentos viros, quod una legio *c* nuncupatur, pervenit ad imperatores *d*: aitque ad eum Maximianus: Nos te tamquam fidelissimum principem super multos milites constituimus, et, ut cernimus, non solum tu Christianus effectus es; sed etiam multitudinem populorum insipientium ad Jesum Nazarenum convertisti, sicuti nobis est in veritate compertum: sed ne te impune hoc egisse putes: aut diis nostris omnipotentibus sacrificia

A. ANONYMO.

ficia debita exhibebis : aut cum his, quos decepisti, diversis pœnis affectus interibis. Cui cum ille nullatenus consensisset, ut simulachris vanis, oculos habentibus sine visu; aures absque auditu; nares sine odoratu; os sine gustu; manus pedesque sine tactu vel gressu, sacrificaret; Maximianus in ira magis magisque succensus, jussit eum cum aliis in vinculis religari. Mauritius vero commilito et socius ejus, qui postea inter illam sanctam legionem, cui primicerius et incitator ad palmam martyrii fuit, in Agauno *e* cum reliquis meruit coronari *f*; quia prudentissimus et Christi gratia repletus erat, beatissimo martyri Secundo salutaria consilia ministrabat, ut fugitivi sæculi blandimenta, ut semper egerat, respueret, ac momentanea tormentorum genera non timeret.

a S. Mauritio confortatus excitat socios ad fortem pro Christo pugnam :

4 Cujus cum Vir Sanctus saluberrimis consiliis acquiesceret, venit ad diem decollationis, qua felici morte vita perpetua potiretur : cœpit sociis contubernalibus et amicis suis suadere, ut et ipsi, si eveniret, ut postea factum est, propter Christi nomen pati deberent, momentaneam mortem, seu transitoria tormenta nequaquam metuerent, et hujus amorem sæculi, quod velut fumus aut umbra velociter transit, non solum non amplecti deberent, sed etiam quasi diaboli laqueum devitarent. Et non tantum sociis, sed etiam cunctæ illi sanctæ legioni, [quoniam] dum ad has partes Italiæ, ad bella proficiscerentur, sibi eum ducem *g* elegerant, dum adhuc ille liberalium litterarum studiis vacaret, eosdem salutares monitus dabat.

quorum aliqui eum a martyrio frustra absterrent :

5 Fuere tamen, qui ad ejus contubernales quasi compatiendo talia dicta proferrent, ut eos a via veritatis revocare conarentur, dicentes : Unde vobis tam ferreum pectus, ut ad mortem ultro properantes, dolores aut tormenta minime metuere velitis; sed etiam pro magna consolatione ducatis? O insanabilis pœna, inconsolabilis dolor, irremediabilis cruciatus! cum spes gaudii tollitur, vita contemnitur, respuitur gloria, pietas abdicatur, omnium affectus parentum pro nihilo computatur, et mortis atrocitas appetitur. Obsecramus vos, dilectissimi fratres, et amici carissimi, tandem his cladibus finem [ponite,] et piorum parentum filios aut dulcium filiorum vos parentes esse vel admoniti mementote. Quid tam insani capitis, quam pro uno homine crucifixo diversa tormenta pati, et omne blandimentum, quod et animo jucunditatem [affert] ac suæ ingenuitatis atque perpetuum pietatis dulciumque filiorum esse immemorem, cum sitis etiam liberalium [literarum] peritia imbuti? Iterum aiunt ad illos : Quæ ista insania est repente in vestra mente progenita, ut vos mortis facerent amatores? quæ a nullo hominum amanda, et non solum minime diligenda, sed et nimis pavenda ac metuenda constat existere? Nam si reus sub auri creditore constitutus eam minime potest diligere; qua ratione illam appetunt, qui et opibus cunctis abundant, et alicui penitus nihil debent? Numquam hæc bene viventibus placuit, sed ad quoscumque pervenire potuit, ultronea, non appetita pervenit.

sed illos refutat

6 Audiens hæc invictissimus athleta Christi Secundus, adversus diabolica jacula scutum fidei et bonæ exhortationis celeriter opposuit, dicens : Attendite, fortissimi Christi milites, et videte, utrum Christi salutaria præcepta, an hæc persuasoria blandimentorum fallacia dicta attendere, et vitam diversis morborum cladibus plenam amare debeatis : quæ per sollicitudinum curas pacem aufert, caritatem dissipat, fidem frangit, spem subtrahit, omnesque animæ virtutes obruit, scandala nutrit, superbiam inducit, invidiam ac vanam gloriam provocat, adulteria atque homicidia admittit; seu per ebrietatem et crapulam, ac nimis sumptuosa convivia ita corpus omne debilitat, ut ipse etiam visus vel cæteri sensus vigere nequeant. Nam dum temporalis cura nimis geritur, dum acquirendis rebus transitoriis semper animus æstuat, dum raptores furesque vitantur seu latrones, dumque parentum vel filiorum amor attenditur incaute, et Deus, qui tribuit hæc omnia bona, si eis recte uterentur, et ipse minime contemneretur, negligitur; repente mors, quæ magnopere timebatur adveniens, animam corpore abstractam ad inferni intolerabiles pœnas, ac perpetuos cruciatus, infinitosque gemitus mergit : ubi miserrima et infelix semper mortua est a beata vita, et semper vivit irremediabilibus tormentis.

et variis rationibus

7 Christus autem Dominus et Salvator noster, qui dum Deus esset, ut semper est, et crucem pro nobis ac diversas sustinuit passiones, ita nos admonet dicens : Animam autem non possunt occidere. Et iterum, Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et, Qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus. Ipse etiam et in hac vita tranquillitatem præstat, et pro se certantibus inter ipsa tormenta, et corpus roborat, et animæ consolationem præbet, dum spem vitæ æternæ, et suæ gloriosissimæ visionis seu incomparabilis ac sempiterni gaudii repromittit. At post quam, felici consummationis fine peracto, quis tanta gaudia valeat enarrare? ubi inter innumerabiles angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, virginum, confessorum, omniumque Sanctorum choros, vultui summi Conditoris assistere datur : ubi fames sitisque, et omnis dolor, gemitus, fastidium, lassitudo nescitur, odor inestimabilis immarcescibilium florum redolet, et lux claritatis æternæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta præparavit Deus his, qui diligunt eum. Namque et dum in hac caduca et fragili vita subsistimus, velimus nolimusque, pœnis ac doloribus atque diversis passionibus nos subjacere necesse est. Ipsa mors, quam magnopere pertimescimus, improvisa veniens, et habitaculum carnis irrumpens, animam, quam imparatam invenerit, ad perpetua tormenta perducit, etiam post resurrectionis diem cum ipsa carne sine fine cremandam.

ad meliora hortatur.

8 Quare ergo non faciamus de necessitate virtutem, de captivitate victoriam? De morte quare vitam non lucremur æternam? Fortiter ergo decertantes optemus, ut per momentaneas tribulationes ad æterna gaudia perveniamus : ubi et Dei cives, et angelis æquales simus. Hæc dicens, annuebat oculis, ut exprobrandi essent, qui tam evidenti assertione minime credidissent. Dum hæc et his similia Christi martyr Secundus prosequeretur, audiens imperator Maximianus jussit eum duci ad moderatorem provinciæ Egrestium nomine, ut caput ipsius amputaret, consilio diaboli actus : ne forte dum per varia tormenta ejus exitus dilataretur, et ipsi maxima detrimenta et Christo Jesu creatori ac redemptori nostro animarum lucra fortiter augerentur : quod frustra nititur inveteratus dierum malorum, dum Salvator humani generis et martyres suos, quo pla-

A placuerit exitu coronat, et in eorum semper subrogare locum non cessat, qui adversus crudelem tyrannum invincibiliter decertantes, de eodem victoriæ triumphos reportaret.

Capite plexus Christum laudat, suscipitur ab angelis, sepelitur: 9 Postquam autem amputatum est caput ejus, lingua ipsius, quæ, dum incolumis esset, semper Christum meditans collaudaverat, licet balbutiens ipsum clamabat. Angelus autem Domini stans in aere, expectans et intuens agonem sancti Martyris, et quæcumque gesserat, cujus nec verba deserens, sed intra semetipsum quasi in libro scribens atque depingens, suscepit spiritum ejus, et perlaturus ad majestatem, æthera conscendit, aspiciente beato Mauritio, et gratias agente; cui præstitum fuit videre, quod semper optaverat. Collegit prædictus Dei cultor corpus beatissimi martyris, et involvit in sindone nitida. Vespere autem facto cœpit una cum aliis fidelibus amicis suis vir Dei et postea gloriosus martyr effectus beatus Mauritius circa corpus beatissimi Christi martyris Secundi vigilias agere. Dei autem nutu ab aliis fidelibus pro furto ablatum est sanctissimum corpus, ut, Domino B disponente, in eodem loco, ubi nunc est, collocaretur. Exurgentes autem a somno et prædictum sacratissimum corpus non invenientes, solummodo reliquias sanguinis, ubi decollatum fuerat, reperiunt: in quo loco, id est, in agro cujusdam patris familias nomine Probi, atque jugalis ejus similiter nomine Probæ, loco satis aptissimo, uno milliari prope castellum Cæsarium, quod ab Annibale nomen Victimolis accepit, eo quod quindecim millia virorum ibidem fuerunt, qui contra Annibalem aciem proposuerant, primum vicerunt, et postea victa sunt: ideo pro causa hujus pugnæ loco huic Victimolis nomen impositum est *h*.

translatum corpus Taurinum, 10 Corpus vero beatissimi martyris Secundi, ut dictum est, a Christianis sublatum, perductum est usque ad urbem Taurinensem, et conditum aromatibus in loco amœnissimo collocatum est juxta fluvium, qui Duria *i* nuncupatur: ubi per meritum beatissimi Martyris immensa usque in hodiernum diem præstantur beneficia. Nam quotiens ibidem sive febricitans, seu qualibet infirmitate detentus, vel spiritu immundo arreptus advenerit; si plena fide, et integra devo- C tione [in] sua supplicatione perstiterit, citius adipiscitur, quod petierit. Ac velut a sanctissimi prophetæ Elisæi *k* corpore post ejus obitum mortuus suscitatus est: ita quod ad hujus sanctissimi Martyris corpus advenientes curati fuerint, et vitium, pro quo castigatio illata fuerat, emedant, procul dubio a morte animæ suscitantur.

ubi divina præstantur beneficia. 11 Simili modo etiam intra ipsius claustra in oratorio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ divina præstantur beneficia. Nam *l* ad sepulcrum Christianissimæ et sanctæ Dei cultricis Julianæ *m*, quod ibi situm est, venerantes concurrunt, quæ sanctorum Solutoris, sociorum, et ejus corpora sepelierat, fideles populi, sive de pulvere colligentes, seu de ploda *n*, quæ superposita est, radentes, secum deportant, et salutem sibi celerem adesse confidenter sumunt *o*.

Unde felix Taurinensium civitas, quæ tantorum fulcitur patrociniis Sanctorum. Passus est autem beatissimus Christi martyr Secundus quinto *p* Calendas Septembres sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, regnante vero Domino Jesu Christo: cui est cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, honor et gloria in sæcula sæculorum. A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Hanc ejus originem probare non possum ex antiquis auctoribus.*

b *Ab antiquis vocatur* dux ex legione Sanctorum Thebæorum. *Vide Comm. præv.* § 2.

c *Locum hunc expendimus ibidem.*

d Vegetius lib. 2 de Re militari cap. 2, *inquit Ruinartius in notis ad Passionem S. Mauritii et sociorum ejus martyrum pag. 290*, « Romani legiones habent, in quibus singulis sena » millia, interdum amplius militare consueverunt.» Certe ex variis Titi Livii, et aliorum auctorum locis videtur colligi posse, militum numerum non definitum, qui aliquando plures, aliquando pau- E ciores in legione erant. Vide Florentinii notas in Martyrologium Hieronymianum.

e *Consule Commentarium modo citatum.*

f *De hisce Martyribus tractabitur cum Martyrol. Rom. 22 Septembris.*

g *Non videtur dux fuisse totius legionis Thebææ, secundum præmissa in Commentario.*

h *Ibidem* § 1 *num.* 1 *de loco martyrii actum. Adde, quæ huc faciunt a num.* 5.

i Duria, *al.* Doria *(la Doire) fluvius Pedemontii geminus. De utroque egimus in Commentario historico S. Julianæ matronæ Taurini in Pedemontio, tomo* II *Februarii, die 13, pag. 658: quorum alter, ut ibidem dictum,* Doria major prope Eporediam; *alter* Doria minor, vulgo Dorietta, prope Taurinum: *de quo hic est sermo.*

k *Vide lib. 4 Regum cap. 4. De illo apud nos actum die 14 Junii.*

l Nam *particula causalis quod convenienter hic apponatur, non video, uti mox declarabitur in proxima notatione.*

m *In Commentario historico, quem modo designabam, pag. 657 relatum est, sacra corpora SS. Solutoris, Adventoris et Octavii, e legione* F *Thebæa martyrum, S. Julianam collegisse, simulque in oratorio a se condito sepelivisse: quæ postmodum una cum corpore S. Julianæ, nec non Goslini abbatis, ad urbem Taurinensem translata fuere, ut pluribus narratur pag. 659: ubi tamen nihil omnino invenio de Sancto nostro.*

n Ploda *quid proprie significet, non novi. Fortasse scribendum* plastro *(ut multa alia mendosa occurrunt in editione Mombritiana) id est, gypso. Hoc saltem vel simile quid videtur colligi ex sensu.*

o *Ex hoc loco ratiocinati sumus in fine Commentarii prævii de ætate auctoris, qui hanc Passionem scripsit.*

p *Consule ibidem dicta in initio paragraphi 2.*

DE

DE S. ALEXANDRO MARTYRE

BERGOMI IN ITALIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus; Acta antiqua; scriptores recentiores; quædam circa militiam Sancti, tempus, et locum mortis observata.

Sub Maximiano. Alexandri cultus:

Sanctum Alexandrum, *Thebææ legionis militem alterum, martyrii item laurea decoratum, hac die annuntiant Sanctorum Fasti, ac præcipua veneratione, ut patronum suum, colit Bergomum, urbs Italiæ perantiqua, Reipublicæ Venetæ hodiedum subjecta, quam* Pergamum *vocarunt medii ævi scriptores non pauci. Longum* S. Alexandro *texit elogium Ado Viennensis, quod, cum Actorum sit compendium, prætermitto: brevius ejus memoriam recolit Usuardus his verbis :* Civitate Pergamis, S. Alexandri, qui et ipse unus extitit ex legione Thebeorum, et cum nomen Domini Jesu constantissime fateretur, martyrium abscisione capitis complevit. *Usuardo fere consonat Romanum Martyrologium;* Bergomi, *inquiens*, in Gallia Cisalpina sancti Alexandri martyris, qui et ipse unus ex eadem legione *(Thebæa,)* cum nomen Domini Jesu Christi constantissime fateretur, martyrium capitis abscissione complevit. *Plura non addo martyrologia, cum de cultu Sancti nullum sit dubium. Colitur autem Bergomi, ut patronus primarius, Officio duplici primæ classis, quod extat in Officiis propriis Sanctorum Bergomensium, anno 1707 reformatis, adjuncta octava, qua illa solemnitas celebratur.*

Acta primo edenda:

2 *Acta* S. Alexandri *ad nos pervenere partim manuscripta, partim typis jam edita; quorum alia aliis apparent meliora et certiora. Quæ primo editurus sum, habemus in tribus Mss. apographis, quoad rem inter se consentientibus, licet in verbis quandoque dissentiant. Primum illorum, quod aliis est correctius, extractum accepimus ex Ms. Legendario eminentissimi Cardinalis Barberini fol. 243; alterum ex codice Vaticano 11900; tertium ex codice Ms. antiqui monasterii S. Gratæ fideliter desumptum, ac testimoniis authenticis munitum, Bergomo submisit Martinus Antonius Guerrinus sacræ theologiæ ac juris utriusque doctor, ecclesiæque cathedralis ibidem canonicus. Titulus illorum Actorum est :* Passio S. Alexandri martyris; *auctor anonymus, antiquus utcumque, non tamen* S. Alexandro *coævus, aut suppar, ut ex modo scribendi facile potest colligi, cum omnia referat ut dudum præterita. Bergomensem fuisse ex prologo suspicor, sub cujus finem ait :* Pro cujus *(Alexandri)* cruore roseo festivus nobis hodiernus dies illuxit. *Quæ Mombritius edidit tom. 1, fol. 24* S. Alexandri *Acta, cum his fere consentiunt, præterquam quod in his loca, ubi quidlibet gestum est, aliæque quædam circumstantiæ exprimantur, quæ prætermittuntur in illis, ita ut suspicari possimus, has circumstantias ad Acta a Mombritio edita deinde adjectas. Quapropter in notis observabo, quidnam in his habeatur, quod non legitur apud Mombritium : nam hæc præ Mombritianis edere statui, quia inedita sunt et pleniora.*

Acta alia partim edenda secundo loco:

3 *Alia* S. Alexandri *Acta ex memorato codice Bergomensi itidem ad nos destinavit laudatus Guerrinus, præcedentibus auctiora, sed minus certa : nam cum omnia contineant, quæ in ante memoratis iisdem fere verbis leguntur, aliaque adjiciant tum initio tum sub finem, modo parum verisimili relata, dubitare vix possumus, quin ab auctore quodam posteriore, hæc ex præcedentibus sint composita, atque ex fama forsan populari amplificata. Qua de causa integra hæc Acta edenda non censui, nec tamen omnino prætermittenda; sed eam partem lectori exhibendam, quam postmodum ad Acta præcedentia adjectam dixi. Licet enim hæc fidem non mereantur indubitatam, majorem certe merentur, quam quæ recentiores quidam scriptores de* S. Alexandro *narraverunt sine veterum testimonio, cum scripta sint seculo* XII, *vel citius, ut constat ex verbis Lectionarii tomo ejusdem secundo subscriptis, quæ sunt sequentia.* Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, mense Octobris, hunc librum fecit fieri Petrus presbyter et præpositus ecclesiæ beati Alexandri ad honorem Dei, et ejusdem ecclesiæ, ut a Domino retributionem accipiat, et tam præsentium quam futurorum fratrum orationum, et eleemosynarum perpetuo particeps existat. *Ex hac subscriptione colligunt Bergomenses, ex antiquiori scripto videri hæc Acta in hoc Lectionarium transcripta, quod est verisimile. Exstant eadem Acta in codice monasterii S. Gratæ; recteque utrumque Ms. inter se consentit, ut ex collatione deprehendimus.*

Officium antiquum: scriptores recentiores.

4 *Laudatus monumentorum Bergomensium eruderator cum prædictis* S. Alexandri *Actis transmisit antiquum ejusdem Sancti Officium Ms., repertum* in bibliotheca antiqui monasterii sancti sepulcri de Astino, Ordinis sancti Benedicti, congregationis Vallisumbrosæ, siti in suburbiis civitatis Bergomi, *ut notatur. In dicto Officio lectiones sunt duodecim, et antiphonæ quædam, ad Actorum historiam spectantes, quas subinde citabo. Hæc sunt, quæ Bergomenses, diligentissimi sane in subministrandis Sanctorum suorum Actis, nobis perhumaniter communicarunt, aut aliunde reperire licuit, quorum nihil lectori subducam, ut, his visis, rectius colligere possit, quænam de* S. Alexandro *a recentioribus scripta, antiquorum auctoritate sint subnixa. De* S. Alexandro *recentiores egerunt varii. Vitam Latine scribere aggressus est Marcus Antonius Benalius, perfecit et edidit Joannes Antonius*

A *nius Guarnerius in Commentariis de Vita sanctorum Bergomatium. Eamdem Italico sermone conscripsit Marius Mutius in Historia sacra Bergomensi.* Alexandri *præterea meminerunt scriptores passim Bergomenses, aliique non pauci. Verum horum asserta singula excutere mihi non est animus, quædam tamen, communi illorum consensu affirmata, cum Actis antiquioribus conferam, ubi dabitur opportunitas. Nunc pauca, quæ minus in Actis explicata leguntur, sunt discutienda.*

Alexander miles Thebæus, at non gregarius :

5 *Thebanæ legionis, quæ, duce S. Mauritio, pro Christi fide prostrata, gloriosius triumphavit, quam si inimicas ipsa prostravisset phalangas, militem fuisse* S. Alexandrum, *auctores cum antiquiores, tum recentiores passim consentiunt. Verum non ita clare apparet, quem in dicta legione habuerit locum. Quippe militem vocat Martyrologium Romanum cum Usuardo, neque addunt, an digniorem præ milite gregario locum obtinuerit, cum illud in S. Secundo, quem ducis nomine* Alexandro *præponunt, non prætermiserint. Silent item* Alexandri *dignitatem Acta inferius edenda; quæque Mombritius edidit, et* B *compendio Ado descripsit. In Officio, de quo mox egimus,* Signifer *fuisse dicitur, uti et in Actis prolixioribus. Sed ibidem* Primipilarius *etiam nominatur : primipilum, ut opinor, designatum volunt. Erat autem primipilus primus legionis centurio, dignitate tribuno proximus; quod munus si gesserit* Alexander, *S. Secundo militiæ dignitate præferendus erat, non posthabendus, uti posthabuit Martyrologium. Hinc itaque solum colligo, incertum esse, quem in legione locum tenuerit* Alexander.

probabilius ante Thebæam legionem occisus :

6 *Annus, quo martyrio fuit coronatus, æque est incertus, quamvis id factum fuisse sub Maximiani Herculei imperio satis constet. Baronius ad annum Christi 297, quo narrat militum Thebæorum martyrium, num. 16 hæc subjungit :* Hos omnes *(Thebæos)* ad martyrium præcessisse visi sunt, antequam Alpes superasset Romanus exercitus *(in Galliam progrediens)* duo insignes ejusdem legionis milites, nimirum Secundus et Alexander. *Alii post Thebæam legionem,* Alexandrum *coronatum volunt, atque ex cæde commilitonum fuga elapsum, post reditum* C *Maximiani in Italiam, dilatam martyrii coronam adeptum esse. Verum Baronii sententia probabilior videtur, quia fugæ* Alexandri *ex Gallia nulla in Actis fit mentio, nulla Thebææ legionis antea occisæ. Putamus itaque* S. Alexandrum *legioni Thebææ ad palmam martyrii prævivisse. Quo autem Thebæa legio occisa sit anno non convenit inter auctores, neque illud hoc loco examinare lubet, quod ad Acta S. Mauritii et sociorum necessario est discutiendum.*

fidem Bergomi prædicatam ante martyrium ab Alexandro

7 *Scribunt Bergomenses posteriores* S. Alexandrum *fidem Christianam Bergomi prædicasse, egregieque promovisse : factum autem id volunt, quando ex carcere Mediolanensi Bergomum profugus, ibidem commoratus est. Verum, si antiquioribus standum est Actis, nullum hujus prædicationis invenient fundamentum. Audiamus igitur Acta a fuga usque ad mortem Sancti. Num. 7 ita habent :* Tunc beatus Alexander quodammodo præsago spiritu, non passionis formidine, lictorum incestas manus clam festina egressione declinavit, atque Mediolano egressus, locum, ubi martyrum coronam consequeretur, adiit; videlicet juxta urbem, quæ Pergamum nuncupatur, in prædiolo, quod nuncupatur Prætoria. Porro dum ibidem per aliquot dies per latebram Christi foveretur Athleta, ecce repente veniunt effera mente ministri, quibus dudum traditus a Maximiano cæsare fuit. Hunc mox cruentis manibus more aggressi sunt bestiarum, atque vinctum de restibus ad statuam, quæ Plotatio vocabatur, violenter traxere, ut ibidem, si sacrificare idolis nollet, juxta præceptum cæsaris capite plecteretur. *Quod paullo post factum subnectitur. In Actis secundis hoc modo res narratur :* Deinde non multo post beatus Alexander nutu ac voluntate Dei fugam arripiens recto tramite, siccisque pedibus transmeato flumine Addue pervenit ad locum non longe a Pergamea civitate, qui locus olim ab incolis Plotacium vocabatur; ubi eum Dominus, sicut voluit, martyrio coronatum ad suum perduxit utique regnum. Tunc Vir beatus ibi inter densa veprium se condens, orabat Dominum, ut suæ passionis dirigeret cursum. Mox autem affuerunt ministri, quibus traditus fuerat ad decollandum *etc.*

AUCTORE J. S.

Acta antiquiora non habent.

8 *Nullum sane prædicationis hic vestigium : etenim si his auctoribus fidem habemus, uti habent Bergomenses; dicamus necesse est, Bergomum non intrasse tunc temporis* Alexandrum, E *nedum fidem ibidem prædicasse Christianam, vicesque episcopi obiisse, ut loquuntur aliqui. Nolim tamen negare fidem Christianam* S. Alexandri *ope Bergomi promotam. Nolim hanc gloriam præclaro Martyri abjudicare. Cum enim sanguis martyrum semen sit Christianorum, fuso pro Christo sanguine fidem Bergomi prædicavit, fidelium pietatem accendit, desides ad fidem promovendam animos excitavit, factisque post mortem miraculis non paucos fortasse ad fidem Christianam convertit. Ex dicta modo apud Bergomenses per sanctum* Alexandrum *fidei propagatione, quæ haud dubie in ore fuit posterorum, fama vires acquirente, existimare potuerunt recentiores, fidem a* S. Alexandro *Bergomi fuisse prædicatam, etiamsi id in Actis antiquis non invenerint. Nunc pauca de loco, ubi Christi Athleta fortiter occubuit, disserenda.*

Occisus est Sanctus in loco ab idolo Plotacium *nominato.*

9 *Locum hunc non longe ab urbe Bergomensi fuisse, manifestum fit ex citatis paullo ante verbis, ubi locus ille* Plotacium *vocatus fuisse dicitur, nempe ab idolo* Plotacio, *cui ut sacrificaret* Alexander *volebant ministri, ad eum,* F *nisi sacrificaret, occidendum missi. Neque enim alio sensu intelligere possum verba citata :* Vinctum . . . ad statuam, quæ Plotacio vocabatur, violenter traxerunt, ut ibidem, si sacrificare idolis nollet, . . . capite plecteretur. *Non ignoro aliam hodiedum apud Bergomenses de hoc loco esse sententiam. Volunt nimirum locum corrupte* Plotacium *nominatum, veroque nomine* Crotacium *fuisse dictum, a Duce, ut opinantur, Bergomensium primo, quem ob præclara merita ab imperatore Probo totius Venetæ ditionis ducem constitutum scribunt; cuique a posteris hanc statuam erectam contendunt, ab eo* Crotacium *appellatam. Hoc ut probent Bergomates, adducunt præcipue locum ex carmine magistri Moysis Bergomensis, quem floruisse existimant initio seculi octavi. At eruditissimus scriptorum Italiæ editor Ludovicus Antonius Muratorius, qui tom. 7 Scriptorum Italiæ a pag. 529 Carmen Moysis typis edidit, in præmissa ad illud præfatione hanc epocham refutat, probatque Moysen scripsisse seculo* XII.

10 *Ex memorato autem Moyse cap. 5 carmina adducunt, quæ, prout edita sunt a Muratorio pag.*

AUCTORE J. S.

quem recentiores a duce Crotacio Crotacium dictum volunt,

pag. 530, hic subjicio :

Hinc ubi procedes paulum titanis ad ortum,
Respice Credatii felicem divitis hortum,
Quem regina potens ambivit marmore Grata,
Pergameæ sedis regeret cum sceptra beata.
Illic omne viret genus omni tempore florum,
Ex quibus ægrotos sanans vix exit odorum.
Crotatius * hujus avus reginæ dicitur illam
Constituisse bonis propriis magnopere villam,
Unde fuisse locum veteres dixere vocatum,
Cujus et ipse locus conservat corpus humatum.
Signa rei manifesta tibi dabit alta columna,
Post obitum domino, quem gens fabricavit alumna.

* Crotacus

Nota hos versus citari a Pinamonte Peregrino de Brembate, seculi XIII *scriptore, in Vita S. Gratæ, quam editurus sum ad* IV *Septembris, ubi rectius legitur* Crotacus hujus avus : *nam id metri leges exigunt.*

B

ducesque quatuor Bergomi fuisse scribunt

11 *Gratam reginam, quæ hortum supradictum marmore cinxisse dicitur, putant esse S. Gratam, sanctorum, inquiunt, Lupi et Adleydæ ducum filiam, Crotacii ducis neptem, quæ corpus* S. Alexandri *sepelivit. Ut breviter dicam, quod censeo. Hæc Moysis carmina non sufficiunt, ut rem tantam, omnibusque historicis antiquis incognitam, nobis persuadeant. Nam Grata, quæ* S. Alexandri *corpus sepulturæ dedit, nullibi regina, nullibi dux, aut gubernatrix urbis vocatur in Actis antiquis. In edendis primo loco num. 9 dicitur :* Post dies aliquot quædam matrona veniens meritis castissima, et nomine Grata, beatum corpus inveniens, cum gaudio lætabunda excepit, eumque cum suis omnibus ad prædiolum detulit suum, quod situm penes cernitur Pergami muros, ibique cum aromatibus optimo sepelivit in loco. *In Actis secundis res eodem plane modo narratur, idemque S. Gratæ nomen* matrona *tribuitur. In Officio autem antiquo, ita legitur in antiphona ad* Benedictus : Vidua quædam, Grata nomine, et opere, corpus gloriosi Martyris collegit; et in proprio fundo diligenter condidit. *Cum itaque reginam vocet Moyses, neque ullum designet tempus, ad anteriora tempora respicere videtur, quibus reges Bergomi* C *regnasse vel credidit, vel poetica licentia finxit, ut ex versibus ejus cap. 4 manifestum est, quos lectori dabimus, ut eadem opera locum illustremus, ubi Sanctus, antequam ultimo caperetur, latuisse dicitur in Actis primis num. 7 his verbis :*

aliis historicis incognitos, quorum improbatur sententia :

12 Mediolano egressus, locum, ubi martyrii consequeretur coronam, adiit; videlicet juxta urbem, quæ Pergamum nuncupatur, in prædiolo quod nuncupatur Prætoria. *Quem locum laudatus Moyses cap. 4 ita describit :*

Tertius ad Nothon, Prætoris nomine dictus,
Mille per anfractus, et mille volumina fictus :
Unde nec insidias, nec vim timet ille furorum,
Munere naturæ munitus, et arte priorum.
Hic veterum fulgent miranda palatia regum;
Hic etenim viguit jus et celebratio legum.

Si vere reges hos putavit regnasse Bergomi poeta, tempora respexit Christo nato priora : quippe post Christum natum, Bergomi reges fuisse existimare non potuit : itaque ad illa etiam tempora regina Grata remittenda. Si per reges duces forte intellexerit, volueritque Crotacium, Lupum, Gratam, Asteriam, seu Hesteriam, sub finem D *seculi secundi, et initium tertii duces Bergomo præfuisse, ut volunt nunc Bergomates, dicemus Moysen poetam hujus sententiæ primum videri auctorem, nec tanti esse ejus auctoritatem, ut hac in re tuto ei fidem habere possimus. Hæc paucis hic dicta sunto, ad acta S. Gratæ die* IV *Septembris latius examinanda, firmiusque stabilienda.*

incertum, quodnam fuerit idolum Plotacium.

13 *Ad locum mortis Sancti, unde digressi sumus, breviter revertamur. Franciscus Bellafinus de Origine urbis Bergomi statuam, quæ* Plotacio *vocabatur, Plutonis fuisse existimat;* Columnæ, *inquit,* Plutonis statua, etsi Plotacii mendose legatur, insederat. *Quod quidem mihi non videtur improbabile, sed incertum. At ne verisimile quidem apparet, quod Cælestinus Capucinus Historiæ Bergomensis Italice scriptæ lib. 1 cap. 20 asserit, Crotacium ducem, ut deum, ibidem fuisse cultum. Quodcumque tandem fuerit idolum illud, idolum fuisse in loco, ubi occisus est* Alexander, *Acta manifestant; recteque scribit Pinamons ante memoratus in Vita S. Gratæ cap. 7 :* In hoc siquidem loco posita fuit E statua quædam, quæ Plotacio vocabatur, ubi dæmonia colebantur : ab hac etiam statua quidam locum prædictum Plotacium vocaverunt. *Eodem postea loco templum* S. Alexandro *conditum infra videbimus.*

§ II. Gloria Sancti posthuma.

Miracula multa sancti ignota : pagi a lupis infestati.

Sanctum Alexandrum *post mortem multis Bergomi claruisse miraculis, Acta testantur his verbis :* In quo *(sepulturæ)* loco semper Dominus meritis beati Martyris exoratus, ostendit prodigia, et vota supplicum complet. *Verum id esse, facile conjicere possumus ex eo, quod præ reliquis Sanctis Bergomatibus urbis Patronus fuerit electus præ reliquis præcipua semper veneratione et honore cultus. At dolemus præclari Martyris miracula aut scripta non fuisse, aut certe ad manus nostras non pervenisse. Quapropter ex multis pauca, quæ aliunde colligere potui, hic subnectam. Laudatus supra Pinamons in Vita S. Gratæ cap. 21 hoc commune* SS. Alexandro *et Gratæ beneficium refert :* In F Cumana diœcesi sunt duæ villæ, quarum una Moltrasium, alia vero Vercana nuncupata est. Prope villas istas apparuerunt lupi rapaces, et feræ pessimæ, quæ invadebant homines, et intrantes domos, pueros asportantes interficiebant : sicque timor magnus et tremor invasit omnes, nec audebant exire ad opus suum, nec ad operationem suam etiam ad vesperam.

SS. Alexandri, et Gratæ patrocinio ab iis liberati :

15 Recordati sunt autem de sancta ac venerabili Grata, eo quod monasterium suum quondam possessiones ibi habere consueverat : facto autem ab incolis terræ voto ad beatissimum martyrem Alexandrum, et ad beatissimam Dei Gratam, invenit se gens illa a feris pessimis protinus liberatam. Votum autem illorum fuit, ut, quamdiu viverent, semel in anno cum crucibus processionaliter corpus sacrosanctum martyris Alexandri, et corpus sanctissimum venerabilis Gratæ, devote et sollicite visitarent. Quod votum longo tempore impleverunt : quamdiu duravit pax, et quamdiu gens illa vivebat, quæ se tali voto astrinxerat. Veniebant autem cantantes, et Sanctos laudantes; et gratias Deo, et beato Alexandro, et beatæ Gratæ multiplices referentes,

quia

A quia eos a feris pessimis liberaverant. *Eamdem historiam refert in Vita* Alexandri *Guarnerius fol. 40, pagumque primum vocat* Multrasium. *Hic vero de* S. Alexandro *aliud subdit miraculum præcedenti simile, hoc modo :* Ejusdem ope, eadem pestis a Vallis Brembanæ incolis depulsa est : posterique accepti beneficii memores, quod tunc illi voverunt, ad hoc tempus religiose persolvunt.

Carolus Crassus valetudini restitutus :

16 *Ex eodem auctore subjungo beneficium restitutæ valetudinis, Carolo Crasso imperatori præstitum :* Carolus, *inquit,* cum anno circiter DCCCLXXXIII ægra et perdita valetudine esset, ejusque salus propemodum desperata videretur, votum concepit; ædem se S. Alexandri aditurum, si morbo relevatus esset. Hujus ope cum vis morbi primo remisisset, deinde integra valetudo restituta esset, quam primum licuit, studio inflammato Bergomum contendit : templum pie et religiose ingressus, cum ob impetratam sanitatem cumulatissime Deo gratias egit, tum S. Alexandri reliquias sanctissime veneratus, magnitudinem donationum, quas Deus in eum contulisset, B multis laudum præconiis prosecutus est. Idem beneficii magnitudine lætus, locorumque religione, et incolarum humanitate captus, ad memoriam grati animi sempiternam privilegia plurima, eaque honorifica... in civitatem, atque ædes sacras congessit, et amplissimas immunitates vacationesque dedit; tum genus morbi, quo periculosissime laborarat, et sanitatis adeptionem elogio luculentissimo consignatam, testatamque reliquit. Coronam item auream, plurimis et clarissimis distinctam gemmis, donarium in altari posuit, quæ ad memoriam pietatis imperatoriæ sempiternam templo ornamento esset. *Plures hoc miraculum referunt, interque eos Ughellus tom. 4, col. 416, qui tria recitat Caroli diplomata, quibus prædicta firmantur. Ex primo hæc verba imperatoris delibo :* Ad honorem beatissimi martyris Christi Alexandri, ad cujus limina confugimus, cujusque intercessionibus a gravi infirmitate corporis Dominus restituit sanitati *etc.*

Ripenses ope Sancti obsidione liberati :

17 *Guarnerius relato beneficio alia duo subjungit, his verbis :* Tempore quoque difficillimo, et bello periculosissimo ægris et labentibus Ripensium rebus, qui non longe a Tridento ripas Benaci lacus incolunt, S. Alexander auxilium C opemque tulit. Anno a Christo nato MDIX, Julio II summo Pontifice, et Maximiliano imperatore, cum omnes ferme Christiani principes, icto inter se fœdere ad delendum nomen Venetum conspirassent, signisque collatis Veneti pulsi superatique essent, et omnis armorum impetus in eos conversus, Ripenses quoque populationibus, et excursionibus a finitimis Germanis premebantur. Qui, cum ad pugnandum cum hostibus pares non essent, intra muros compulsi, paventes inopesque omnium rerum, humanis subsidiis desperatis, a S. Alexandro, cui in propinquo colle sacellum antiquitus exædificatum fuerat, calamitati suæ auxilium implorarunt; lacrymasque plurimas in iis acerbitatibus profuderunt. Misertus est Deus, Alexandro deprecatore; Ripensesque veluti cælesti voce jussi, patefactis portis, eruptione facta, hostes fuderunt, fugaruntque; et cum nulla res obstaret pavori; armaque, et viri alii super alios cæde ingenti sternerentur, non modo obsidio soluta est, sed tanta hostium strages facta, ut numerus interfectorum iniri non posset, et aquæ fluminis cruore inficerentur. Hinc loco illi AQUÆ MORTUÆ, a cæsorum multitudine, et sanguinis profluentis copia, nomen impositum. Apud Ripenses vero posteris temporibus Alexander summa in veneratione fuit, diemque, quo is in cælum excessit, festum habere, et in perpetuum servare, decreto facto, Ripenses statuerunt. AUCTORE J. S.

Bergomates direptionis urbis suæ periculum

18 Sed illud externum, hoc vero domesticum, in quo propensam Alexandri in nos ipsos benignitatem, tum, cum magnis periculis urgebamur, experti sumus. Raymundus Cardona Hispanus regnum Neapolitanum pro rege administrabat. Is, quod bellum Venetis cum rege Ferdinando susceptum erat, anno MDXIV infesto exercitu fines Bergomates ingressus est, pervastatisque passim agris, urbem circumsedit. Crebris tormentorum ictibus quassato et disjecto muro, qua D. Augustini cœnobium situm est, eo rem redegerat, ut sine prælio in urbem transcendi, et signa inferri possent. Raymundus vero Bergomatibus infensus, quod imperium Venetorum secuti, oppugnationem pati, et omnes acerbitates perferre, quam se dedere mallent, urbem militibus diripiendam concessurus erat. Dum ea, E quæ hujusmodi negotio usui erat, providet et disponit, magnam partem noctis advigilavit. Ob eam causam arctior eum somnus, quam ducum consuetudo patitur, complexus est. Dormienti S. Alexander in somnis denuntiare visus est fore, ut, nisi Bergomatibus parceret, et copias a mœnibus reduceret, ipse telo, quo armatus fuerat, transfixus caderet.

apparitione Alexandri evadunt ;

19 Id visum Raymundus non pro nihilo habendum duxit. Itaque postero die, cum Bergomatum legati urbe egressi essent, eoque miserabilius agerent, quo majus periculum impendebat : qui nullas pacis conditiones auribus admiserat, placabilius respondit; Bergomatibusque cum multa castigatione nimii in rempublicam Venetam studii increpitis, ea conditione pacem dedit, ut XXX millia aureorum persolverent. Hinc cum urbem cum exigua manu ingressus esset, nihil ei potius fuit, quam ut templum S. Alexandri inviseret. Simon Brixianus templi præpositus, summa gravitate et pietate vir, qui ibi delitescebat, et sanctitatem templi inviolatam præstaturum sperabat, evocatus est. Is cum se ad perniciem aliquam quæri arbitraretur, sic animo consternatus est; ut neque color, neque F vultus ei constaret. Tandem ex magna trepidatione collecto animo, Raymundum excepit. Cum is obsecratione humili et supplici usus esset, et S. Alexandri corpus veneratus, a precibus ad Bergomates conversus : Magnas, inquit, huic gratias habere debetis (digitum ad tabulam, in qua S. Alexandri imago erat, intendit) qui nisi vos præsidio texisset suo, pessime hodie vobiscum actum esset. *Bartholomæus de Peregrinis in Vinea Bergomensi part.* I, *cap. 56 eamdem breviter narrat apparitionem. Utrumque vero relatum postremo beneficium narrat itidem Marius Mutius sub finem Vitæ Italicæ* S. Alexandri.

atque in pestilentia fere servantur immunes.

20 *Dictus Mutius, multa ejusdem Sancti in Bergomenses beneficia, ac paternæ curæ ac benevolentiæ indicia se vidisse testatur, quorum unum narrat, quod hic reddo Latine :* Inter hujusmodi insigne est anni MDLXXVI quando tota ferme Italia peste infecta erat, et in omnibus civitatibus, præsertim Venetiis et Mediolani, milleni homines moriebantur, Bergomi vero (qui fructus meritorum, et intercessionum S. Alexandri) vix decem periere aut viginti. *Hæc miracula fide*

AUCTORE J. S.

de illorum, qui ea scire potuerunt, et fideliter enarrare, lector studiosus habeat. Nunc mihi ad alia transeundum, videndumque, quid itidem præstiterint Bergomates in honorem Sancti.

Templa S. Martyri Bergomi structa :

21 *Sepultum* S. Alexandri *corpus a matrona sancta, nomine Grata, narratur in Actis; et nihil additur de templo vel uno vel pluribus ab eadem S. Martyri structis. Tria tamen templa ab eadem S. Grata, quam ducem suam volunt,* S. Alexandro *ædificata jam seculo* XIII *scripsit Frater Pinamons Peregrinus de Brembate, quem avide sequuntur hodierni Bergomates, neque satis perpendunt, quam ineptum ad tot templa erigenda tempus assignent. Nempe cum ibidem Maximiani persecutio sæviret in Christianos, multosque cælo martyres transcriberet, templa omnino sex per Lupum, Adeleydam, Gratamque impune exstructa contendunt, et quidem annis paucis, quod non minus incredibile est, quam omnibus illius temporis scriptoribus incognitum, ut latius in Actis S. Gratæ ostendam. Existimo itaque templa* S. Alexandri, *quæ assignat memoratus Pinamons, post pacem ecclesiæ redditam ædificata fuisse, et quidem longo post tempore. Rem ex Vita sic probo. Actorum scriptor, relata sepultura, ita progreditur :* In quo loco semper Dominus meritis beati Martyris exoratus, ostendit prodigia, et vota supplicum complet. *An dubitare quis potest, si templum ibi jam fuisset constructum, quin illud edixisset omnino auctor? Itaque templum post scripta hæc Acta videtur fuisse ædificatum. Unam laudatus Pinamons cap. 8 structam narrat ecclesiam* in loco ante altam columnam, ubi occisus fuerat, quæ dicitur IN COLUMNA : *alteram in trivio, ubi guttas quasdam sanguinis ejusdem Sancti cecidisse vult, dum corpus portabatur ad sepulturam,* quæ appellatur, *inquit,* S. Alexandri de cruce,... quam et ego ipse oculis aspexi : *tertiam, ubi corpus sacrum primo fuit sepultum. Cui attribuenda videatur horum templorum constructio, dicam in Actis S. Gratæ. Audiamus interim, quomodo constructionem templi hujus, in quo multis seculis sacrum* S. Alexandri *corpus quievit, referat cap. 13 dictus auctor :*

unum, ubi sacrum corpus sepultum; quo destructo,

22 Beata quoque Grata martyris sui non immemor Alexandri, sed semper de eo sollicita, et fidelissima existens ei et devotissima, attendens, quod Martyr Dei indecenter staret in prædio suo sine domo et sine tecto, manus suas misit ad fortia, disponens et cogitans, qualiter templum decens posset super sanctum corpus erigere, in quo fideles Christiani Martyris Christi possent suffragia impetrare : cogitavit, inquam, et quod cogitavit effecit. Nam de suis divitiis, quas in Dei servitio libentissime expendebat, ecclesiam B. Alexandri primam ædificari fecit, decentem et utilem, secundum quod tunc temporis qualitas exigebat. Deditque illi ecclesiæ dona magna et larga, omnia videlicet, quæ possidebat Dei famula circa locum Sancto dicatum, quæ adhuc usque in hodiernum diem illi ecclesiæ pertinere noscuntur. Permansit autem hæc ecclesia ad honorem Martyris tempore longo, quousque illa, quæ nunc est, fuit ædificata : *id est, usque ad tempora S. Adelberti, circa initium seculi decimi, quando hostili manu fuit combusta; aliaque ejusdem Adelberti cura magnifice structa, multisque privilegiis et donis ornata, ut videre licet in variis hac de re diplomatis, quæ recitat Ughellus tom. 4 a col. 420.*

restauratoque, corpus transfertur :

23 *Restaurata, aut potius ædificata nova* S. Alexandri *ecclesia, corpus ejus e loco sepulturæ levatum, atque ad locum magis honorificum translatum fuit ab eodem S. Adelberto, præsente, ut testatur Sigonius, Berengario Italiæ tunc rege. Audi dictum Sigonium lib. 6 de Regno Italiæ ad annum 903 :* Levata inde Ungarorum, *(qui Bergomum aliasque urbes populati fuerant)* mole Italia, tum ad sarcienda damna conversus, in primis studuit ecclesiis, quæ vim eorum passæ fuerant, sublevandis. Eo præsente, Bergomi Adelbertus episcopus ossa S. Alexandri martyris, qui in ipsa urbis basilica colitur, ex antiquo sepulcro in confessionem, ubi nunc quoque quiescunt, traduxit. *Hæc prima venerandi corporis translatio.*

translatio alia ad templum S. Vincentii, nunc S. Alexandri :

24 *Altera subsecuta est anno 1561, tristior illa quidem, sed non minori celebritate peracta. Statuerat Respublica Veneta Bergomum munire; impedimento erat ædes* S. Alexandro *sacra : hanc itaque funditus everti jubet, non sine civium dolore ingenti. Hinc sacras cum aliorum Sanctorum, tum* Alexandri *reliquias, transferendas ad ecclesiam S. Vincentii maturat episcopus. Hæc S. Vincentii ecclesia cathedralis erat una cum ecclesia* S. Alexandri *tunc diruta, ita ut duplex esset congregatio canonicorum. Verum utraque hæc congregatio in unum cathedrale capitulum coaluit anno 1689, curante illustrissimo urbis episcopo Daniele Justiniano, ecclesiaque S. Vincentii tunc uni* S. Alexandro *urbis patrono fuit inaugurata. Hæc partim in diplomate Frederici Cornelii episcopi Bergomensis, apud Ughellum citatum col. 500, partim in Actis unionis capituli, anno 1689 Bergomi impressis, fusius narrata lector inveniet. Nos subjungimus solum ex memorato episcopi diplomate, ubi anno 1561, quoque in statu, sacrum corpus fuerit inventum.*

quomodo tunc Sancti corpus repertum :

25 Post aram, *inquit,* quæ in medio posita erat D. Alexandro dicata, stabat pro pavimento lapis, qui quatuor parvis columnis marmoreis, arculæ ligneæ ferreis laminibus præcinctæ, suppositis erat basis. Ara atque his omnibus penitus sublatis, soloque aliquantisper suffosso, marmoris frustrum inventum, in quo litteris majusculis, MILES THEBANUS scriptum legitur. Rursum per medium cubitum materiei terræ, quæ sequebatur, prædicta continuata fossione, alius lapis omnino major, et latior est inventus, et magna cum difficultate levatus, erat enim sarcophagi proprium tegumentum; vas trium cubitorum longitudinis ex alto marmore detectum apparuit, elaboratum exterius sculptura miram vetustatem referente, ex quo nulli dubium, vas illud ante salutem humano generi elargitam tumulandis gentilium cadaveribus comparatum, mox piæ Christi martyris Alexandri sepulturæ usum præbuisse, præsertim cum in medio sculptum extet epitaphium nominibus, et characteribus antiquam illam gentilitatem redolentibus, quod cum multæ litteræ in totum tempore sint corrosæ, intelligi omnino non potest. In illo D. Alexandri ossa sparsim jacentia satis comminuta. *Addit paullo post, inter effodiendum* duo ex more frusta reperta... rudibus characteribus epitaphia continentia, pia sane verba, ac Latini sermonis puritate carentia; quorum, *inquit,* propterea quod marmor est in parte perfractum, integer sensus haberi non potest; alterius tamen, quod majus est, et melius legitur, verba sunt, videlicet : Beati martyris Alexandri pretiosissimus thesaurus *etc. Hæc citatum diploma, quæ ex*

Ms.

A Ms. *Bergomensi dedi, quod quædam apud Ughellum luxata sint, vitio, opinor, typothetarum.*

26 *Moniales Bergomenses S. Gratæ, Ordinis S. Benedicti, debita veneratione servant tumbam marmoream, in qua credunt* S. Alexandrum *primo fuisse sepultum; quæque deinde S. Gratæ reliquias continuit. In instrumento impresso, notariique publici subscriptione roborato, cui titulum dederunt :* Sepulcri antiquissimi marmorei, in quo primum S. Alexandri martyris .... et successive S. Gratæ .... sacra condita fuere corpora, translatio, *illius tumbæ forma, et honorifica depositio narratur hoc modo :* Hinc igitur est, quod anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono, die Veneris, sexta mensis Aprilis, hora tertiarum, vel circa, Indictione duodecima, sanctissimi D. N. Urbani PP. VIII Pontificatus anno sexto, et eodem illustrissimo *(Augustino)* Priolo Bergomatem ecclesiam regente, dictæ reverendæ dominæ abbatissa, et moniales, prius decantatis per eas hymnis cum vers. et orat. pro eisdem S. Alexandro, et S. Grata, prope dictam januam B monasterii consignarunt prædicto canonico Puteo, illarum confessario, idem antiquissimum illud sepulcrum S. Alexandri, ad effectum, ut in dicto altari collocaretur, ex eodem monasterio industria et opera egregii fabri murarii Francisci de Brolis Bergomensis diligenter eductum, et extractum, quod est arca marmorea, ut ex illius inspectione dignoscitur, tota subalbida, et lucida, altitudinis cubiti unius, et quartæ partis hujusmodi cubiti, latitudinis alterius cubiti et quartæ similis partis cum dimidia etiam istius quartæ, et longitudinis trium cubitorum cum altera quarta parte ex talium fabrorum usu mensuræ Bergomem, et ad frontis ac laterum superiorem, et inferiorem extremitatem haud ineptis cornicibus fimbriata, e cujus etiam conspectu inspiciuntur cælatæ columellæ quatuor, rotunditatem ostentantes, cum tribus arcubus ad instar porticus, et sub arcu medio, et latiori nunc incisa auro inspersa leguntur ista verba : Quæ olim S. Alexandri martyris Thebanæ legionis signiferi corpus hic condidit venerandum, eodem postmodum in sepulcro C requievit illius discipula B. Grata virgo Bergomi princeps; et totidem in lateribus duæ scilicet a dextera, et duæ a læva cum arcu, nec non in angulis aliæ angulares, pilastratæve non aspernenda arte elaboratæ, singulæque cum sua basi, et epistylio; a tergo autem sine ornatu simplex, et interius profunde ovata, ubi sancti Alexandri cruoris aliqua adhuc apparent signa. *Hæc ibidem, quæ pluribus coram testibus facta leguntur; altare autem, intra quod tumba posita, primum est in nova Gratæ ecclesia, sanctoque* Alexandro *sacrum, ut in instrumento præmittitur.*

Tumba marmorea, in qua primum Sancti corpus sepultum, in veneratione habetur.

D

PASSIO

Auctore anonymo Bergomensi.

Ex Ms. Legendario eminentissimi Cardinalis Barberini fol. 243, *collata cum duobus Mss.*

PRÆFATIO.

Si ingentis martyrum gloriæ

Cum omnium beatorum Christi martyrum merito bella victricia, atque insignes triumphos mentis devotione, decentissimaque veneratione recolimus : nostræ procul dubio ignorantiæ tenebras animæ illustramus, atque dum eorum imitatione digna fortia facta perpendimus, E nostram, ut ita dixerim, charitatis mucrone segnitiem detruncamus. Hos denique conspicimus quam valide amore Christi arserunt, qui calicem, quem ipse pro nostra salute de torrente bibit in via, ipsi nihilominus pro eo gustaverunt, proprio cruore profuso. Amemus igitur hos Christi probatissimos duces, qui ejus secuti vestigia, prostraverunt cum suis satellitibus humani generis hostem, et viam, qua rex noster abiit, perempto mundi principe, arctam, ipsi lorica fidei, et galea spei ac salutis induti, secuti sunt victores, hostium timore sublato : nosque ut hos sequamur gloriosis suis instigant triumphis. Istos etenim Dominus non servos, sed amicos est dignatus vocare : nempe quibus omnia, quæ a Patre suo audivit, nota fieri voluit, per quæ incomparabili ejus sunt amori sacro uniti : hos dudum conspexerat, cum flagranti desiderio Psalmista clamaret : Mihi, inquiens, nimis honorificati sunt amici tui Deus. Et tanquam si ab eo tanti honoris causas nobis insinuari protinus quæreremus, adjecit : Nimis confortatus est principatus eorum. Cum ecce electos Dei mira agere conspicimus, dæmonibus imperare, miraculis coruscare, F ægris salutem tribuere, potentes hujus sæculi ad eorum sepulchra humili veneratione procumbere.

volumus esse participes, horum virtutes imitandæ.

2 Quid aliud his animadvertimus testari indiciis, quam eorum nimis principatum esse sublimem? Istos etenim congruit ut passionum communicatione sequamur, si conformes fieri gloriæ eorum et consolationis cupimus. Unde bene Apostolus nos admonet, dicens : Quoniam si socii passionum estis, simul et consolationis eritis. Et item : Si compatimur, et conglorificamur. Bene natale martyrum devota celebrat mente, quisquis fidem martyrum cum moribus et vita sectatur : nam qui per illicita voluptarum adhuc desideria spargitur, frustra hic cum precibus martyrum suffragia quærit. Illis sancti Martyres intercessionis suæ munera exhibent, qui, quod verbis expetunt, convenire operibus norunt. Nam quomodo cum martyre diversa pro Christo suppliciorum sustineret idonea fide tormenta, quem luxuria polluit, quem extollit ambitio, quem ira cruentat, quem interimit invidia, quem prospera elevant, quem prosternunt adversa? Hæc et his similia virulenta diaboli

A. ANONYMO BERGOMENSI.

diaboli tela prius sancti martyres fidei armis muniti vicerunt, quam sua pro Domino tormentorum exitiis prostrarunt corpora sancta. Sapiamus interim vitiorum carnalium bella, et tandem fide congrua martyrum devotionem sequamur : omnibus Christi martyribus congruum juxta nostrum modulum exhibeamus honorem, præcipue tamen eis, quorum patrociniis gloriamur : quia his fidentius nostra persolvimus vota, quorum sacras reliquias nostris domiciliis veneramur. De quorum collegio venerandus Alexander hodie martyr occurrit, pro cujus cruore roseo festivus nobis hodiernus dies illuxit. Verum hunc ardentius cordis amplectamur amore, cum ad Christi gloriam ejus pia certamina noverimus.

Exorta persecutione S. Alexander a Maximiano a

3 Tempore itaque Maximiani Cæsaris exardescente diabolo contra catholicam fidem, facta est persecutio *a* magna super eos, qui pia religione in toto orbe Christum colebant. Dederat autem omnibus in mandatis præfectis, ut ubicumque Christum colentes publica potuissent examinatione perquirere, diversis eos suppliciis, ac ferarum morsibus lacessitos, ad ultimum capitali sententiæ deputarent. Factum est autem in B illis diebus, quibus hæc crudelis est promulgata sententia, ut B. Alexander Christi præventus gratia constanter fidem Domini cum sacræ regenerationis unda susciperet. Quod Maximianus audiens, post dies ferme quindecim, missis apparitoribus suis, eum aspectibus præcipitanter jussit assisti : quem ita crudeli vesania affatus est, dicens : Pro nulla alia re te accersiri præcepi, nisi ut, quos reliqueras, diis sacrificium ponas. Comperi enim te dereliquisse deos, Christianumque esse effectum. Et hæc dicens petit sibi mensam apponi linteaminibus coopertam. Et ait ad B. Alexandrum : Accede nunc, et sacrifica, si de contemptu deorum vis lucrari pœnas.

sacrificare idolis jussus, id facere constanter recusat :

4 S. vero Alexander divino firmatus spiritu, ait : Quare hoc nefandum proponis, Maximiane, præceptum? Magnam siquidem vis exercere tyrannidem, et quidem vereri te possum utpote regem; verumtamen ut deum amare nequeo. At cæsar dixit ad eum : Jubeo te mori, nisi sacrificaveris diis. S. vero Alexander respondit : Mors mihi a te illata, vita est apud Deum : nam ab hoc sæculo recedens, veram inter angelos vitam percipiam, et Regem justissimum creatorem nostrum ac vestrum possidebo. In cujus responsione C admiratus cæsar, jussit eum sisti, et suasoriis quidem verbis suabebat ei, dicens : Etsi excusas sacrificare, Alexander, vel sacrificantibus consenti, eisdemque copulare. At illo tacente, nihilque tyranno respondente, jussit ministris, ut apponerent mensam cum sacrificiis. S. vero Alexander in cælum respiciens, dixit : Atque utinam tantam mihi Deus gratiam daret, qui cuncta per Jesum Christum recta postulantibus præstat, ut possim et tuam voluntatem ad Dei cognitionem convertere, et vanissimam tui animi istam amputare insaniam. Verum quia tu hoc insanabile habes malum, ex virulenta *b* diaboli propinatione concretum, credere te in tuum Creatorem diffido. Me autem vocavit ille, qui in semine Abrahæ dudum promiserat benedicendas omnes gentes. Parce consiliis tu tandem diabolicis malis, plange, et cognosce vel sero actus tuos nefandos : et crede in Deum unicum, qui omnia ex nihilo fecit, ut possis evadere, quæ sunt tibi cum diabolo æterna præparata tormenta. Tunc Maximianus motus ad tantam ejus constantiam ait : Hactenus quidem verecunde tuum expectavi assensum; et, ut mihi moris est, D ut cum viventibus lætareris, ammonui. Sed quia ultra quam convenit liberalibus usus es verbis, ut contemptorem, et rebellem de appositis sacrificiis teneri præcipio.

minis contemptis, cum invitum vellent cogere, mensam evertit :

5 Hæc B. Alexander audiens constanter Dei tyranno ait : Minæ tuæ, cæsar, mea sunt blandimenta; et tormenta, quæ animo furiaris vesano, æternam mihi apud Dominum præstabunt coronam : fidem enim meam audenter tibi propono, quam, cum examinare cœperis, semper invenies fortiorem : ego enim Deum cæli, quem tu non meruisti cernere *c*, colo, qui me de hoc errore, quo tu detineris infelix, ad legis suæ notitiam gratuita bonitate perduxit, et non ligna, vel lapides, vel cujuslibet metalli adoro figmenta, quæ tu misera dementia, patrocinante diabolo, irrevocabiliter veneraris. Sed quid frustra vesano spiritu furiaris? quid per diversa exitia mentis laceratione contorqueris? gladium quidem hunc, qui mihi a te nolenti sacrificare collatus est, pro Christi invictissima gloria amabili cordis dulcedine, summaque cum devotione excipio; per quem non verens tuæ jungar *d* iniquitati, sed Dei justitiæ, cujus gratia præve- E niente participare commerui. Nec propter momentaneam quam irrogare mihi pœnam conaris, alienus a Christi gratia vel communicatione Sanctorum efficiar. Hæc beatissimo Alexandro clara voce ad Christi tyrannum, et reliquos proclamante, commotus Maximianus sibi astantibus jussit, ut de apposito sacrificio invito ei offerrent, applicatisque armatis, id ei suadere præcipiebat. At ille amplius indignatus, et omnimodo confundens regiam iniquitatem, ejusque præcepta injusta, calce mensam percutiens, evertit cum omnibus super eam nefandis impositis.

miles eum occidere jussus, stat immotus :

6 Hinc itaque furore Maximianus repletus, totusque veneno iracundiæ fervens, fixit oculos crudelitatis ad necem sancti Viri; jussitque eum tradi uni ex ministrantibus sibi, ut eum velut innocuum jugularet pro Christi nomine agnum. Minister vero evaginato gladio amens cœpit astare, nec ictum subvectæ dextræ ad B. Alexandri valuit inclinare cervicem. Cui protinus Maximianus tyrannus dixit : Adhuc quasi pavens, miles nequam, subsistis? At trepidus Martianus voce compressa respondit : Domine mi rex, caput ejus velut mons ingens meo conspectui paret : F propter quod ego tremebundus animo in ejus passione fatigor. Cognoscens autem causam Maximianus, inutilis cæsar, eum demum aliis, ut interficerent, truculentis animi deputavit clientibus.

reducendus ad carcerem fuga evadit, ac prope Bergomum delitescit :

7 Tunc B. Alexander quodammodo præsago spiritu, non passionis formidine, lictorum incestas manus clandestina *e* egressione declinavit, atque Mediolano egressus, locum, ubi martyrii coronam consequeretur, adiit; videlicet juxta urbem, quæ Bergamus *f* nuncupatur, in prædiolo, quod vocatur Prætoria *g*. Porro dum ibidem per aliquantos dies per latebram Christi foveretur Athleta, ecce repente veniunt effera mente ministri, quibus dudum traditus a Maximiano cæsare fuit. Hunc igitur mox cruentis manibus more aggressi sunt bestiarum, atque vinctum de restibus ad statuam, quæ Plotatio *h* vocabatur, violenter traxere, ut ibidem, si sacrificare idolis nollet, juxta præceptum cæsaris capite plecteretur.

8 Ad quem locum ut Christi miles pervenit, sancto Spiritu repletus, aquam sibi petiit a circumstantibus

circumstantibus

A cumstantibus dari, quam ut accepit, illico manus abluit suas, et mentem ad cælum elevans, ac in terra genua curvans, flexa cervice Domino precem obtulit, dicens: Benedictus es, omnipotens Creator omnium rerum, qui te digne colentibus bona largiris æterna. Benedictus es Rex patiens, qui peccatores, et impios sustines, et ut errantes in viam redire justitiæ possint, tuæ veritatis lumen ostendis. Benedictus es Rex sublimis, qui erigis propter tuam pietatem elisos. Benedictus es Rex gloriæ, qui temetipsum exinaniens, servilem suscipiens formam, factus es Patri obediens pro nobis usque ad mortem, mortem autem crucis, per quam calcasti inferna, destructoque mortis imperio, victor die tertia ad superos remeasti, et nobis tuis quoque interfectoribus pœnitentiæ locum donasti. Benedictus es misericors, qui animalium nunc cædes detestans tuorum, gratissime excipis orationes Sanctorum. Benedictus es virtutum Domine, qui Sanctorum pedibus machinamenta dæmonum subdis. Benedictus es, piissime, qui pœnitentiam *i* desertoribus de peccatis largiris, et plenam mercedem tribuere operariis undecimæ dignatus es

ubi captus lotis manibus et oratione præmissa,

i

B horæ. Benedictus es Domine in sapientia tua, qui ignorantiam quidem impietatis a me hodie extinxisti, et in tua veneratione misericorditer aggregasti. Benedictus es in visceribus misericordiæ tuæ, qui me de media idolorum cultura eripiens, ad magnitudinem bonorum operum assumpsisti tuorum, et de potestate principis aeris hujus, simulque sequacium liberasti ipsius. Benedictus es Pastor optime, qui bono gregi ovem, quæ erraverat, restituisti; et de me gaudium in cælo coram tuis sanctis Angelis fecisti. Benedictus es Pater omnis benevolentiæ, qui mihi tantorum copiam subito es dignatus largiri bonorum, et in stadio veritatis tuæ certanti victoriæ mihi coronam per Jesum Christum Dominum tribuisti. Benedictus es Rex fortis, qui me fortem athletam veræ rationis sermone et opere spiritus tui juvamine perfecisti, et aculeum diaboli infirmasti. Tu mihi, Domine, perfectam gratiam exhibe, sicut promittere dignatus es diligentibus te. Benedicant tibi Domine cæli, et terra, mare, et omnia, quæ in eis sunt: quia cuncta per Unigenitum tuum ad laudem, et gloriam nominis tui, sicut voluisti *k*, fecisti bona valde.

k

C 9 Hæc in Spiritu sancto beatissimus martyr exoravit Alexander; et post orationem aspiciens in cælum, commendavit spiritum suum, dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: et tandem sanctum verticem spiculatori sub gladio flexit: et tunc dilatus carnifex, juxta quod sibi fuerat imperatum, exemit manu gladium, sanctumque amputavit Martyris caput. Dehinc post dies aliquot quædam matrona veniens, meritis castissima, et nomine Grata *l*, beatum corpus inveniens, cum gaudio lætabunda excepit, illudque cum suis hominibus ad prædiolum detulit suum, quod situm cernitur penes jam fatæ urbis Bergami muros; ibique cum aromatibus optimo sepelivit in loco. Passus est autem pro Christo beatus martyr Alexander sub Maximiano cæsare septimo Kalendas Septembris, atque sepultus est juxta urbis Bergami muros in honore Domini cum omni diligentia Christiana. In quo loco semper Dominus meritis beati Martyris exoratus, ostendit prodigia, et vota supplicum complet: qui vivit in Trinitate Deus per omnia sæcula seculorum. Amen.

capite secatur, atque a Grata sepelitur.

l

ANNOTATA.

a *Prima hujus persecutionis procella in milites incubuit.* Alexander *itaque jam coronatus erat, antequam generalis persecutio per omnes ordines grassaretur: quæ non nisi anno 303 erupit, ut ad illum annum probat Pagius. Nihil autem de generali persecutione indicta habent Acta Mombritii.*

b *Mombritiana habent tantum:* Insanabile habes malum ex vetustate. *Similes sæpius occurrunt in dictis differentiæ: unde facile perspiciet lector, dicta omnia non ad litteram descripta esse, duriusque fortasse scripta fuisse quam prolata. Quod semel monuisse sufficiat.*

c. *Mss. alia,* cognoscere.

d *Mombr.:* Non enim tantum jungor tuæ pravæ iniquitati, quam Dei justitiæ, et cujus gratiæ particeps merui existere.

e *Hæc* Alexandri *fuga apud Mombritium prætermittitur, statimque martyrium, acsi eodem tempore et loco contigisset, subjungitur. Unde sequutur necesse est, præcedentia non Mediolani, ut in his Actis dicitur, sed Bergomi esse peracta.* E *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ putat id magis esse probabile: nam ad 26 Augusti, dato Actorum compendio, ita notat:* Acta hæc ecclesiæ Bergomensis valde ab Actis ab Adone citatis, quibus major est habenda fides, diversa sunt. Ado enim Alexandrum Bergomi, præsente Maximiano, cum calce mensam sacrificiorum evertisset, a milite feriri jussum narrat (quod verisimilius est: quæ enim irati animi erat ostensio, martyrem in carcerem reductum paulo post liberum dimittere?) cumque militi gladium, ut Alexandrum percuteret, distringenti brachium obriguisset, ab aliis jussum fuisse capite plecti. *Ita ille. At non videtur mihi quidquam in his Actis hoc loco narrari, quod probabilius narretur in Actis Mombritii, aut, qui eo compendio dedit, Adonis; ut paucis ostendo. Mombritii Acta locum, quo quidlibet actum est, non indicant: non itaque mirum videri debet, si et tempora non distinguant. Ado compendium horum Actorum dedit, addiditque initio Bergomi passum* Alexandrum, *quod aliunde scire potuit. Acta nostra Bergomensia loca, quibus singula contigere, distinguunt, neque in iis assignandis* F *quidquam dicunt, quod a ratione exorbitet: namque si brachium militi percussuro diriguit, si percutere non potuit, mirari non possumus Maximianum, hoc facto confusum, mandasse, ut in carcerem reductum alii occiderent, ne simili rursum prodigio confunderetur. Deinde fuga elapsum* Alexandrum *mirari non debemus: hoc enim vel turbatis prodigio militum animis vel favore alicujus, qui miraculum hoc viderat, contingere potuit: nam Maximianus liberum dimisisse non dicitur, ut ait Ferrarius. Adde persuasum esse Bergomatibus,* Alexandrum *captum fuisse Mediolani, fuga Bergomum delatum, ibique occisum; nam et carcerem ejus Mediolanensem in sacellum mutatum, refert in Vita Guarnerius. Quapropter probabilius videtur, hanc fugam in Actis Mombritianis omissam, quam in his perperam additam.*

f Bergamus, *ita Mss. duo. Bergomense habet* Pergamum.

g *De hoc loco vide Commentarium prævium num. 12.*

h *Hunc*

h *Hunc locum ab idolo sic nominatum diximus § 1 Commentarii.*

i Desertoribus, *forte, deserentibus peccata. Ms. Vaticanum,* deservitoribus. *Bergomense,* qui pœnitentiam confitentibus indulgentiam de peccatis largiris.

k *Hæc potius, ut opinor scriptoris meditatio, quam Martyris oratio.*

l *Matronam hanc sanctam non fuisse Bergomi Ducem ostendemus ad diem 4 Septembris, quando Bergomi colitur S. Grata.*

PASSIO ALTERA

Auctore anonymo Bergomensi.

Ex Lectionario antiquo Bergomensis ecclesiæ cathedralis, collato cum Ms. monasterii S. Gratæ. B

PRÆFATIO.

Martyrum Acta ad fidelium ædificationem scribit;

Supplicationibus Catholicæ fidei devotione sobrie, ac disciplinaliter oblatis, loquens, carissimi fratres, astantibus vobis, precor, ut communi solatio vester concursus sincerus appareat sacræ lectionis jubilo. Sanctorum quoque martyrum miracula, quæ per eos omnipotens Deus mundo volens ostendit præcipua, feriatis mundo negotiis curisque supervacuæ cogitationis ablatis, mente pura ejusque tota intentione conjuncta, patulisque auribus conticentes, audite, atque intenti ora tenete. Hæc igitur celebrantes *a* natalitia, nullo erroris incursu vos fallant dogmata, qui negligenter catholicorum intuentes fidei rudimenta, insanæ mentis oraculo censenda errore stridebant apocrypho : sed quia sacris Litteris utriusque legis nos regulariter imbutos non dubitatis, oportet canonicis institutis eruditos credatis, et ideo sanctos martyres fideliter passos non abnuatis. C Eo namque affectu sanctorum martyrum acta indubitata fide perscribimus, quo eos catholica mentis vivacitate catholicum dogma custodisse præscimus. Unde credentibus ædificationis exemplum præbemus, Christique militibus arma, quibus contra diabolum dimicent, et propugnacula sigillo defensionis munita movemus. Scribimus quidem ea, quæ sancti martyres egerunt, ut in eorum *b* gestis invenimus, et ea, quæ pro nomine Dei summi passi sunt, vobis fideliter innotescimus.

ut hi ad illorum imitationem vitia debellent.

2 Qui enim audire, quæ a sanctis acta sunt, negligunt, imitatores eorum esse contempnunt. Loquimur divinas virtutes, prædicamus insignia, cessent ergo eorum æmulorum verbosantium præstigia. Parati enim sumus pro veritate certantes, temporalia sustinere supplicia. Quia eo gloriosiores erimus, quo pro veritatis Duce certantes, triumphum ad patriam propriæ habitationis reportabimus. Gaudium nempe aderit in cælis magnificum, cum debellatis vitiis truculenta rabies amari hostis spectabit suæ dejectionis cauterium, et nostræ reparationis videbit spectaculum, necnon et summæ remunerationis calculum. Quoniam sancti martyres persecutione passi sunt dira, nos in occulta vitiorum excitatione D cotidie patimur mira, et in eorum vexatione virtutum, favente Deo, successerunt arma, quibus pæne nostræ fragilitatis succumbere poterunt membra. Sed quia Custos noster, qui de nocte vigilans, custodire suos non desinit, illorum attritus, subito flocci dus, illico evanescit, et nec jam ultro virium compos exilit, ut contercre famulantes viriliter possit.

In persecutione Maximiani S. Maternus confortans martyres.

3 Temporibus igitur crudelissimi atque sævissimi imperatoris Maximiani, qui adversus athletas et cultores Christi dura et aspera sumpserat certamina belli, beatissimus exstitit Maternus *c* sanctæ Mediolanensis ecclesiæ fidelis episcopus, qui erga ovile matris ejusmodi studiosus erat, atque gratissimus, eo ut ejus eruditissimis sermonibus idolorum ac paganorum templa detrimentum acciperent, et sancta ecclesia cotidie in Dei laudibus cresceret, ac studiosius in ejus jubilationibus triumpharet. Dum enim idem in crescendo sanctam Ecclesiam sollicitus ageret, et ad erudiendum Christi famulos non minimam curam haberet, cui quisque nobilium, aut plebium se libentius adhiberet, eosque videlicet, quos divina quidem gratia jam inspexerat, parte aliqua illuminaret; Prætextati cujusdam illustris E viri Fidelis *d* nomine filius, eidem se jungens libentissime, intra paucum tempus ab eo eruditus, laureato habitu ibat. Hac occasione quidem pervenit ad beatum Maternum episcopum, ejusque se notitiæ reddidit benevolum, totiusque obedientiæ mancipavit discipulum. Informatus itaque in omni actione divina, ut erat dilectus, celebrisque fidei assecla, cum beato Materno sanctorum martyrum solus circuibat ergastula, eorumque deosculans vincula, consolabatur eos in omni viriliter agere constantia, aiens illud psalmigraphum : Viriliter agite, et confortetur cor vestrum.

eos in carcere visitat cum S. Fidele;

4 Cum ergo tantam solicitudinem in servis Dei detinerent, et non parva meditatione hoc agerent, ut, si quos pro fide Christi tentos invenissent, nulla interdicente mora visitarent, accessit eorum notitiæ, beatissimos martyres scilicet Alexandrum sacræ legionis primipilarium *e*, et Cassium *f*, Severum, Secundum, atque Licinium Mediolani vinculatos haberi, nec non cathenatos in carcere detineri. Quod cum audisset F beatus Fidelis, Dei cultor mirabilis, una cum venerando Materno episcopo pervenit ad consistoria carceris. Introgressus vero invenit milites Christi qualiter detinebantur in cippo constricti. Videns itaque tanta constrictione afflictos, et cognoscens futuræ remunerationis præmio gloriosos, deprecabatur dicens, ut pro se intercederent, et convivam æternæ patriæ, ac sibi socium suis precibus copularent. O beati viri Dei, inquit, deprecor vos, ut Christum, per quem hæc patimini, rogetis, in quo creditis, quatenus me faciat participem vestri convivii, et coronæ compotem ejusmodi, vestrique certaminis gaudio frui.

quorum in vinculis gaudium perspectum custos carceris nuntiat.

5 Hæc et his similia prosequente beato Fidele, Sillanus, qui erat custos carceris, audiens, imperatoris summa cum celeritate venit ad palatium, nuntiavitque omnia, quæ a Sanctis audierat, et quod forte viderat miraculum. Duo igitur commilitones, qui erant in palatio nobilissimi, Carpoforus videlicet, atque Exantus, audientes hæc mira omni devotione insignia, rogaverunt carcerarium, ut illo eos perduceret, quatenus possent audire, ac videre hæc tam stupenda, to-

tiusque

A tiusque seculi admiratione digna. Fac nos, Sillane, illos, de quibus dicis, precamur, videre, quoniam ætas nostra numquam hujusmodi, quæ dicis, audisse meminit, vel vidisse. His dictis quidem Sillanus eorum satisfaciens precibus processit celerius.

nobilibus Carpoforo et Exanto, qui martyribus visitatis convertuntur.

6 Commilitones vero nobilissimi Carpoforus atque Exantus, sequentes eum æquis passibus, pervenerunt ad carceres desiderabilius, ubi sancti martyres Alexander, Cassius, Severus, Secundus, et Licinius afficiebantur variis cruciatibus. Cum ergo pervenissent ad Sanctos in carcerem, salutaverunt eos secundum divinum ac probum morem, Pax vobis fratres, dicentes. At illi una voce responderunt : Pax angelorum vobis numquam deficiat, jam Christi electi milites. In eadem quippe hora factum est gaudium inter eos magnum, et invicem osculantes se, præbebant sibi solatium, quod parvo tempore cruciatus deficeret pœnarum, et per hæc succederet fructus indeficiens æternitatum, qui pretioso eos reficeret odore suorum utique florum, in paradiso quidem omnium amœnitatum, ubi ver numB quam deficit, et flos semper fragrans præruptus numquam marcessit. Dato quoque sæpius ad invicem osculo, et vale dicentes mutuo exierunt Carpoforus et Exantus de carceris habitaculo, et pervenerunt ad palatium illico respuentes idola, quæ nec sibi nec aliis prosunt omnino, et Deum vivum ac verum incessanter adorare cœperunt profecto, qui cuncta creavit ex nihilo.

Martyres a Maximiano sacrificare jussi, id recusantes, redduntur carceri ; g

7 Eodem denique tempore Maximianus imperator crudelissimus, qui erat in Christianos sævissimus, suorum exercitus militum, ad Gallorum remeare provinciam jussit in prælium. Altera vero die jussit sibi idem Maximianus tribunal ex alto in Ypodromo *g* circi præparare, et præcepit Sanctos, qui erant in carcere, Alexandrum Mauritii ducis signiferum, Cassium, Severum, Secundum, et Licinium repræsentari, et ait ad eos : Unum de duobus eligite, aut diis immortalibus sacrificate, aut diversis vos pœnis parabimus interficere. Sancti autem Martyres dixerunt : Nos idola muta et sine sensu, et vita non adoramus, qui nec sibi prosunt, et aliis nocent. Nos itaque non sacrificamus dæmonibus, sed Deo vivo et vero, nosmet sacrificium laudis sibi offerentes. Tunc iratus Maximianus jussit eos iteC rum recludi in carcerem, donec ipse cogitaret, quibus cruciatibus ipsos afficeret, aut qua eos morte perderet.

ex quo cum Carpoforo et Exanto Comum fugiunt, h

8 Hæc audientes Carpoforus, atque Exantus una cum beato Fidele perrexerunt ad carcerem, unoque detulerunt omnes consilio, ut in Cumensem *h* pervenirent urbem. Dum igitur Sancti egrederentur foras nocte de civitate Mediolanensi, pervenerunt ad quemdam vicum non longe ab urbe eadem, ibique manserunt, donec viderent diem lucescere. Lucescente itaque die cœptum iter cœperunt pergere. Pergentes equidem, quo statuerant, invenerunt homines portantes feretrum, ut sepelirent mortuum. Tunc Alexander sanctissimus per omnia miræ sanctitatis præcipuus, viso corpore exanimi, feretrum jussit deponi citissime. Et deposito feretro, ait ad collegas, et confratres suos:

ac mortuum in via precibus ad vitam revocant,

9 Viri fratres, oremus, et deprecemur Dominum nostrum, quatenus sua virtute, et misericordia hunc resuscitet mortuum, ut resuscitatus credat in eum, et deinceps habeat partem cum fidelibus suis in æternum. Hac denique suggestione, indubitata fide robusti, prosternentes se in terram, adoraverunt Deum cæli, qui mortuos vivificat, dicentes : Domine Jesu Christe, cui nihil est impossibile, nihilque difficile, cui est, antequam fiant, omnia nosse, cui etiam mortua manifestum est vivere, quique fidelibus te petentibus non abnuis postulata præstare, da nobis servis tuis, quæ petimus, et remitte animam hujus defuncti in proprium corpus, quatenus per orationes nostras credat in te salvatus, atque resuscitatus, et cognoscat te sequi Salvatorem suum, qui es benedictus per omnia secula seculorum. Ad hanc vocem illuminatus, atque resuscitatus utroque, videlicet animo et corpore, dixit clara voce, nec non pia intentione, unus est verus et solus Deus, quem colunt Sancti, quique eorum me orationibus resuscitavit, et de tenebris ad lucem reduxit, et ab æterna morte misericorditer liberavit.

A. ANONYMO BERGOMENSI.

quem baptizandum ad S. Maternum mittunt. Alexander iterum capitur.

10 Eadem denique hora gloriosissimi Martyres, læti in gratia Domini nostri Jesu Christi effecti, qui viscera misericordiæ suæ fidelibus suis dignatur semper largiri, et hæc beneficia subito eis tam clara voluit sua largitate donari, E cum immenso tripudio agentes gratias Deo, dato scilicet signo, miserunt mortuum resuscitatum ad beatum Maternum episcopum, ut reciperet Christi baptismum. Ut ergo pervenit ad beatum Maternum episcopum, agens secum, quod ei præceperant, signum, religiose ab eo susceptus, et in fide cathechizatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti est baptizatus. Hic vero postmodum fideliter credidit Deo, et justitia ejus non refugit ab eo. Sancti igitur cœpto itinere proficiscentes, pervenerunt ad vicum non longe ab urbe Cumensi, ad locum videlicet, qui dicitur Silvula, et ibi abscondentes se latuerunt pacifice. Alexander quidem cæteris ibidem fratribus Cassio, Severo, Secundo, Licinio, Carpoforo, et Exanto, derelictis, diverso cœpit itinere pergere. Tunc ipso temporis articulo Maximianus mentis vesania captus, suos commilitones diversis mittens in partibus, jussit, ut, si Christi futuros martyres invenire possent, ad eum celerius perducerent. Ipsi vero proficiscentes, invento Alexandro, ad Mediolanensis urbis mœnia eum reduxerunt, atque nequissimo Maximiano repræsentaverunt *i*. *i*

F

ANNOTATA.

a *Ex celebratione festi natalitii colligimus a Bergomate quodam hæc etiam Acta fuisse scripta.*

b *Hinc collige, hunc auctorem a temporibus* Alexandri *longe abfuisse. An omnia, quæ scripsit, in gestis antiquioribus invenerit, ut profitetur, mihi non constat. Vereor sane, ne quædam ex populi traditione admiscuerit.*

c *Colitur* S. *Maternus 18 Julii, ad quem Acta ejus data sunt, ex quibus facile colligitur, eum, dum passus est* S. Alexander, *Mediolanensi præfuisse ecclesiæ, licet de initio et duratione ejus episcopatus non omnino constet. Reperies ibidem, quanta constantia, et fortitudine* S. *Maternus martyres fuerit consolatus.*

d Fidelis, *itidem sub Maximiano passi, memoria celebratur in Martyrologio Romano 28 Octobris. Ejus Acta dat Mombritius tom. 1 fol. 308.*

e *De gradu militiæ* S. Alexandri *actum in Commentario num. 5.*

f *Cassium, Severinum (Severus sæpius in Mss. vocatur, quandoque tamen Severinus) Secundum,*

A. ANONYMO BERGOMENSI.

cundum, Licinium, una cum Carpoforo, et Exanto postea adjunctis, Novocomi passos annuntiat Martyrologium Romanum 7 Augusti. Egit de iis breviter ad eumdem diem Sollerius; sed hæc Acta nondum viderat.

g Hipprodromus *locus est equis cursu exercendis destinatus. In citatis ad litteram* c *S. Materni Actis num. 21 itidem legitur Maximianus Mediolani* tribunal... in hippodromo circi... præparatum *conscendisse.*

h Comum, *seu* Novocomum *Italis* Como, *urbs est in ducatu Mediolanensi satis nota : 25 millibus passuum distat Mediolano, ut ait Baudrandus, ac totidem Bergomo.*

i *Quæ deinceps sequuntur in his Actis, plane eadem sunt cum Actis* Alexandri *ante datis, etiam plerumque quoad voces, si duo excipias, quæ assigno. Primo in fuga, Mediolano Bergomum versus suscepta, Abduam Italiæ fluvium, quæ ducatum Mediolanensem ab agro Bergomensi separat, siccis pedibus transmeasse hic narratur, sequentibus verbis :* Fugam arripiens recto tramite, siccisque pedibus transmeato flumine Adduæ *(al.* Aduæ) pervenit ad locum non longe a Pergamea civitate, qui locus olim ab incolis Plotacium vocabatur. *Primum hic fluminis transitus prætermittitur in Actis aliis. In ultimis vero verbis secundum habetur discrimen : nam in his Actis locus, ubi delituit sanctus Martyr, non distinguitur a loco, ubi occisus est; distinguitur in Actis primis. Verba utriusque dedimus in Commentario num. 11. Partem itaque horum Actorum brevitatis causa prætermittimus, cum illam in aliis Actis lector jam habeat.* D

DE S. ADRIANO MARTYRE

B

NICOMEDIÆ, UT VOLUNT

E

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, Acta, martyrii tempus et locus.

SUB IMPERATORE LICINIO, UT FERTUR. *Cultus e Martyrologio Romano, ac Fastis Græcis :*

Tametsi *res historicæ, quæ de hoc Sancto circumferuntur, variis difficultatibus laborant; publica tamen ipsius veneratio tam in Ecclesia Latina, quam Græca in comperto est, ita ut aliis hujus diei Cælitibus merito annumerari debeat. Martyrologium Romanum his verbis illum annuntiat :* Nicomediæ passio sancti Hadriani, filii Probi cæsaris, qui Licinio persecutionem in Christianos commotam exprobrans, ab eodem jussus est occidi : cujus corpus Domitius Byzantii episcopus, ejus patruus, Argyropoli sepelivit. *Hæc eodem fere modo referuntur in Menologio Sirletiano, quo usus est Baronius; sed ea contraxit aliquantulum Eminentissimus auctor : quænam vero cum hic, tum alibi apud Græcos egeant emendatione,* C *dicetur inferius. Porro sancti hujus Martyris memoria in sacris eorum Fastis notissima est. Menæa magna ipsum sic referunt hodierna die :* Memoria alterius martyris Adriani, *ab eo videlicet synonymo diversi, qui in dictis Menæis etiam habetur hac die, qua apud nos inter Prætermissos dilatus est ad* VIII *Septembris. Eodem fere modo signatur in nostro Ms. supplemento ad Menæa excusa, e Synaxario Ms. Sirmondi, ac Ms. Chiffletii :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἄλθλησις ἑτέρου ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ. *Id est :* Eadem die certamen alterius martyris Adriani. *Martyrologium Arabico-Ægyptium, quod manuscriptum asservamus, et ex Arabico Latine versum est, Sancti nostri etiam mentionem facit, dicens :* Memoria alterius S. Adriani.

Menæorum de Sancto versiculi exponuntur.

2 *Juvat his apponere, consueto nobis more, versus duos, qui in Menæis magnis annuntiationi ejus subduntur, quique e Græco redditi a nobis Latine, sic sonant :*

Ἀδριανὸν τμηθέντα κοσμήσει ξίφος
Ἐν τῇ μεγίστῃ τῶν στεφάνων ἡμέρᾳ.
Gladio Adrianus cæsus exornabitur,
Maxima ubi fulserit coronarum dies.

Si sensum poetæ recte calleo, videtur apte sic explicari posse. Ex eo, quod dicatur S. Adrianus *fuisse Probi imperatoris filius, poeta alluserit ad regiam coronam ejus, quam decorabit gladius, quo martyrium subivit, in maximo coronarum, seu extremi judicii die, quo sua cuique a Christo judice dabitur corona. In maxima, inquam, coronarum die; per quod forsan etiam respexerit ad* θεοστέπτους ἑορτὰς, *id est,* curias coronatas, *aut* dies coronæ *imperatorum, ita vocatas,* quod in iis imperator corona redimitus sacris interesset, *uti est apud Cangium lib. 3 Constantinopolis Christianæ pag. 37; qui ibidem observat,* id intelligendum videri de solemnioribus Christi festivitatibus, vel certe iis, in quibus ad majorem ecclesiam procedebat, quas numero duodecim fuisse innuit Codinus in Orig. pag. 91 edit. Meursianæ, cum in cæteris, in palatii sacris ædibus, divinis interesse Officiis soleret. F

Examinantur

3 *Nunc expendenda est* S. Adriani *hujus historia, quæ male consutas continet fabulas, ac falsitates neutiquam cohærentes de illo refert. Quæ ut lectori pateant, proferemus elogium ejus e Menologio Sirletiano, illudque deinde observationibus nostris castigare conabimur :* Eodem die, *inquit,* natalis alterius Hadriani martyris. Hic fuit sub Licinio in civitate Byzantio filius Probi imperatoris, cum alio fratre Domitio, qui post Titum fuit archiepiscopus Byzantii. Beatus igitur Adrianus cupiens pro Christo mortem pati, veniens Nicomediam exprobravit Licinio, quod temere Romanos exercitus vastaret prætextu Christianæ persecutionis. Quare diversis modis cruciatus, capite obtruncatus est : cujus frater Domitius episcopus sanctas reliquias collectas in Argyropoli deposuit, ubi erant Adriani et Nataliæ conditæ reliquiæ, cum Stachi apostolo. *Hæc ibi : quibus fere consimilia narrantur in Menæis magnis, ac Supplemento supra memorato.*

Acta,

4 *Tillemontius tomo 5 Monumentorum ecclesiasticorum scribens de persecutione ecclesiæ Orientalis sub Licinio imperatore, pag. 508 asserit, se non videre, quod in historia* S. Adriani *hujus*

quid-

A *quidquam fundari possit. In nota autem prima super eadem persecutione pag. 783 varias adversas dictam historiam objiciens difficultates, eamque ut male fundatam reprobans, Græci, inquit, qui die* XXVI *Augusti celebrant festum magni sancti Adriani, eodem die alterum Sanctum synonymum signant, quem, uti alium, Nicomediæ passum, ac Argyropoli prope Byzantium fuisse sepultum dicunt : sed id sub Licinio accidisse volunt, ubi tamen alium sub persecutione Diocletiani ponunt, notantque adjuncta quædam historiæ eorum diversa. Nihilominus tamen creditu satis difficile censet, duos esse hos Sanctos diversos; idque eo magis, quod Græci* Adrianum, *quem sub Licinio ponunt, fuisse velint fratrem Domitiani, tunc episcopi Byzantini, ambosque Probi imperatoris filios, cui nec uxorem, nec filios tribuit historia.*

quæ licet 5 *Difficultates aliæ, quas deinde objicit citatus Monumentorum collector, spectant ad Domitium episcopum Byzantinum, atque in hunc illas deducit modum : Chronicon Nicephori Domitium Byzantinum facit Probi imperatoris fratrem, non filium; idque sine dubio non magis* B *esse fundatum censet idem collector; addens, hunc Domitium longo tempore debuisse mortuum fuisse ante Licinium, cum illud Chronicon ipsi tribuat successorem per annos decem Probum ejus filium, prius mortuum quam Constantinus venerit Byzantium, id est, ante annum 323. Deinde alibi ostensurum se dicit, S. Metrophanem, quem faciunt hujus Probi fratrem ac successorem per annos decem, e vita excessisse ab anno 313. Secundum hanc igitur chronologiam, Domitius ejus pater obierit ab anno 291, longo tempore ante persecutionem ipsius Diocletiani : et, si præfuerit annis 21 ac mensibus sex, sicut dicit Nicephorus, ad cathedram episcopalem evectus fuerit circa annum 270, eamque rexerit quamdiu imperavit Probus, prætensus ejus frater : idque merito observari potuisse ab Eusebio, monet prædictus collector. Hæc sunt argumenta, quæ adversus historiam* S. Adriani *hodierni objicit in allegata notatione.*

variis difficultatibus 6 *Verum nonnullas Tillemontii observationes expendamus, in varia capita illas dispescendo. Primo, creditu satis difficile censet, duos* Adrianos *esse diversos. At, quæ de his narrantur, sint* C *creditu difficilia, sint intellectu ardua cum propter exiguam, vel nullam Græculorum historiastrorum in hac materia fidem, quibus mos est, ut alias sæpe conquesti sumus, Sanctorum Acta fabulis infarcire, ac rebus non cohærentibus contaminare, tum propter præsentem hodierni* S. Adriani *historiam eodem falsitatis furfure aspersam; hinc tamen non sequitur, ut in rerum natura hic non exsisterit ab alio Martyre synonymo diversus. Alterum quippe ab altero diversum esse, concors Fastorum Græcorum, quos num. 1 supra recitavimus, consensio est : quibus adde Martyrologium Romanum. Quisquis igitur fuerit noster* Adrianus; *quocumque genere natus; quocumque loco, tempore, ac imperatore passus; a quocumque demum, ac ubicumque sepultus, cum tamen ab immemorabili tempore sit in possessione publici cultus apud Græcos, et idem cultus ei tribuendus præscribatur apud Latinos; consequens est, ut, quem possedit hactenus, possidere pergat. Alioqui quot Sancti essent eradendi e Fastis sacris, de quorum veneratione legitima constat; de veritate Actorum non item.*

Castellanus ad annuntiationem nostri S. Adriani, *quæ hac die* XXVI *Augusti in Martyrologio Romano habetur, ponit notulam marginalem dicens, quod hic articulus fabulosus, e Græcis desumptus, in eorum libris sequatur S. Adrianum diei octavæ Septembris, quem habent hac die. Quam notulam nimis utique crudam, et non satis distinguentem Sancti historiam a Sancti cultu, improbamus.* AUCTORE J. P.

7 *Secundo, vim magnam laudatus Monumentorum collector ponebat in eo, quod Græci velint,* Adrianum, *ac Domitium, tunc episcopum Byzantinum, fuisse fratres, nec non Probi imperatoris filios, cui tamen nec uxorem nec filios tribuit historia. Sed enerve, ex hac saltem parte, hoc est argumentum, ut evincatur. Sanctum hodiernum ab alio synonymo non distingui. Nam præterquam quod historici omnes et singuli non scribant sæpissime omnia et singula historiæ suæ adjuncta; Vopiscus non obscure indicat, Probo imperatori posteros fuisse, atque adeo uxorem ac prolem. Nam in Historia Augusta Parisiis excusa anno 1620, in Probo hæc memorat pag. 242 :* Posteri Probi vel odio invidiæ, vel timore, Romanam rem fugerunt, et in Italia circa Veronam, ac Benacum, et Larium, atque in his regionibus larem locaverunt. Sane, quod præterire non potui, quum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, ut ejus prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, hujus familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus : posteri autem videntur æternitatem habere. *Tillemontius tomo 3, Imperatorum articulo 10, in Probo, viderat hunc Vopisci locum; sed an contra hunc ex silentio historiæ, ad quod iterum confugit, satis recte concludat, judicandum relinquo lectori.* *laborent, quarum una refutatur,* E

8 *Dicebam* ex hac saltem parte; *quia historia martyrii* S. Adriani *adeo aliunde vacillat, et tot intricatur difficultatibus, ut prorsus non videam, quo pacto queat extricari. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum, aliquid hic tentavit; sed non satis feliciter :* Græci, *inquit,* etiam de eodem agunt hac die in Menologio, ejusdemque passionis agonem describunt, prout etiam hic narratur. De genere Probi imperatoris vide Nicephori episcopi Chron. de episcopis Constantinopolitanis, in Domitio. *Non satis, inquam, feliciter : his quippe in verbis Baronii considerari possunt tria : videlicet, dum ait,* Græci ETIAM de eodem agunt *etc., diceres, eum tacite insinuare, Latinos hujus* S. Adriani *memoriam egisse : cum nullos noverimus Fastos, qui de illo meminerint; ac proinde Baronius illum primus inseruerit Martyrologio Romano e Menologio Sirleti, quo usus est, quod per transennam hic dictum esto. Deinde, asserit Eminentissimus auctor, idque magis huc pertinet,* ejusdem *Martyris* passionis agonem describi a Græcis, prout etiam hic narratur; *et hoc verum est in passionis substantia, sed non in omnibus ejusdem accidentibus : nam Græci in Menologio* Domitium *faciunt fratrem* Adriani. *In Martyrologio autem Romano Baronius* Domitium *facit patrem* Adriani. *Denique, dum addit,* de genere Probi imperatoris *etc., ac mittit lectorem ad* Chron. Nicephori episcopi Constantinopolitani, in Domitio; *satis indicat unde hauserit hanc mutationem : nam in ista Chronologia Parisiis edita anno 1652, pag. 413 hæc* *uti et Baronius :* F

AUCTORE J. P.

leguntur : 21. Dometius frater Probi imperatoris annis viginti uno, mensibus sex. 22. Probus *ejusdem* Dometii filius annis XII.

Sanctum in antiqua cultus possessione nos relinquimus. Quænam

9 *Post illos, ac plures alios in dicta Chronographia præmissos, sequuntur hæc :* Isti omnes fuerunt episcopi Byzantii, antequam Constantinus Magnus imperator declararetur. Is vero Byzantium belli in Licinium suscepti causa profectus, Metrophanem episcopum invenit. 23. Metrophanes prænominati Dometii filius, Probi frater, et imper. Probi nepos, annis 10. *Deinde ponitur : 24.* Alexander annis 98 vixit, et annis viginti tribus episcopatum gessit. *Hæc ibi. Verum, quandoquidem ea, quæ de primis Byzantii episcopis tam apud Nicephorum, quam apud alios perperam circumferuntur, abunde expensa et castigata sunt ante nostrum tomum primum mensis Augusti, in Historia Chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum, a repetendis novis censuris hic abstinemus, eo lectorem mittentes; ubi consuli possunt tres primi paragraphi. De S. Alexandro plura dicentur ad diem* XXVIII *Augusti, quo inscribitur Martyrologio Romano. Jam vero, ut ad priora redeamus,* B

S. Adrianum *hodiernum in plena venerationis publicæ possessione relinquendum censemus, qualiacumque sint Acta, quæ ipsi imputantur. Dabimus autem illa ex nostro Ms. apographo e codice bibliothecæ Cesareæ Vindobonensis, per hujus mensis decursum sæpius indicato.* D

Acta dentur, tempus ac locus martyrii.

10 *Apographum porro illud qualiscumque valoris prænotatur his vocibus :* Μηνὶ Αὐγούστου κς' τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ ἐπὶ Λικιννίου μαρτυρήσαντος. *Id est :* Mense Augusti sancti XXVI martyris Adriani, qui sub Licinio martyrium subiit. *En tibi, lector, qualemqualem ejusdem martyrii historiam, a nobis e Græco Latine redditam. Annotata vero, quæ eidem subjungentur, non valde erunt multa, quoniam in hoc brevi Commentario legi facile possunt plura, quæ huc spectant. Superius etiam posui Martyrem* sub imperatore Licinio, *indicans tempus, quod notatur in Fastis sacris, et in Actis ÷ non autem quod notari debet; et idcirco addidi,* ut fertur. *Idem esto dictum de loco palæstræ, quem, istis documentis præeuntibus,* Nicomediæ *assignamus, probare vero non possumus.* E

MARTYRIUM

Auctore anonymo

E codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, interprete J. P.

Sanctus Probi imperatoris filius

Sanctus hic martyr Adrianus, qui sub Licinio *a* martyrium confecit, Probi imperatoris Romani filius exstitit : qui Probus duos habuit filios, Adrianum istum, ac Domitium, post mortem *b* patris sui Christianam religionem amplexos, relicta superstitione Romanorum. Domitius autem ad episcopi Byzantini dignitatem evectus est, Tito, ejusdem Byzantinæ urbis præsule, vita functo. Titus * vero ille duos etiam habuit filios, Metrophanem ac Probum. Postquam autem Carus *c* imperator ac filii ejus mortui essent, Carinus quidem ab aliquo e chiliarchis, cujus uxorem corruperat, fraude occisus *d;* Numerianus vero a socero suo *e* vita simul ac imperio privatus *f*, omnium Romanorum monarchia ad Diocletianum devoluta est. Et vero impia, quæ ab ipso adversus Christianos facta sunt, maris arenam superant. C

* *al.* Domitius

2 Beato autem ac sancto Constantino imperante, et Licinio, ejus sororis marito *g* a militibus * assumpto, ut una cum ipso imperaret, res Christianæ respirare cœperunt. Licinius enim, quod indigeret Constantino, non vero ex propria sententia, leges constituit cum eo in Christianorum favorem *h*. Sed non diu malignum suum propositum clam habuit. Quippe simul atque a Constantino separatus est, statim ad propriam et antiquam superstitionem se convertit : et quando Quadraginta Martyres Sebastæ *i* decertarunt, tunc etiam prædictum martyrem Adrianum inveniens, qui Nicomediæ audacter Christum prædicabat, et homines multos monebat, ut desisterent a vanorum idolorum errore, acciri ad se jussit.

sub Licinio

* *immo a Galerio Maximiano*

3 Adstans autem Martyr dixit Licinio : Quare, sicut ab initio *k* in regno eluxisti, pro Christianis leges ferens, etiam nunc talem te non præstas; sed turbas cogis, tormenta ac pœnas eisdem infe-

passus

Οὗτος ὁ ἅγιος μάρτυς Ἀδριανὸς ὁ ἐπὶ Λικιννίου μαρτυρήσας, υἱὸς ὑπῆρχε Πρόβου τοῦ βασιλεύσαντος Ῥώμης. Ὅστις Πρόβος δύο ἔσχεν υἱοὺς, αὐτόν τε τὸν Ἀδριανὸν, καὶ Δομίτιον· οἵτινες μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πατρὸς αὐτῶν γεγόνασι Χριστιανοὶ, καταλιπόντες τὴν πολιτείαν Ῥωμαίων. Ὁ δὲ Δομέτιος, καὶ χειροτονίας ἐπισκόπου ἠξιώθη τῆς τοῦ Βυζαντίου, μετὰ τελευτὴν Τίτου Ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς τῶν Βυζαντίων πόλεως· ὅστις Τίτος καὶ αὐτὸς δύο υἱοὺς ἔσχεν, Μητροφάνηντε καὶ Πρόβον. Τοῦ δὲ βασιλέως Κάρου τελευτήσαντος, καὶ τῶν αὐτοῦ παίδων, Καρίνου μὲν ὑπό τινος τῶν χιλιαρχῶν, οὗ ἦν τὴν γυναῖκα διαφθείρας, δολοφονηθέντος· Νουμεριανοῦ δὲ ὑπὸ τοῦ οἰκείου κηδεστοῦ ἅμα τὸ μοναρχῆσαι ἀναιρεθέντος, εἰς Διοκλητιανὸν τὸ κράτος τῶν Ῥωμαίων ἁπάντων ἵσταται. Ὅσα μὲν οὖν αὐτῷ ἀνόσια εἰς τοὺς Χριστιανοὺς πέπρακται, καὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης ὑπερβαίνουσι. F

II Τοῦ δὲ μακαρίου καὶ ἁγίου Κωνσταντίνου βασιλεύσαντος, καὶ Λικιννίου τοῦ γαμβροῦ αὐτοῦ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀναῤῥηθέντος συμβασιλεύειν αὐτῷ, ἀναψυχὴν ἔλαβε τὰ Χριστιανῶν· ὁ γὰρ Λικίννιος κατ' ἀνάγκην τοῦ Κωνσταντίνου, καὶ οὐκ οἰκείᾳ γνώμῃ, νόμους ὑπὲρ Χριστιανῶν μετ' αὐτοῦ ἐξετίθετο. Ἀλλ' οὐκ εἰς μακρὰν τὴν κακότεχνον αὐτοῦ προαίρεσιν ἀπέκρυπτεν. Ἅμα γὰρ τὸ διαχωρισθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ Κωνσταντίνου, εὐθὺς εἰς τὴν οἰκείαν καὶ ἀρχαίαν δεισιδαιμονίαν ἐτράπετο. Ὅτε καὶ οἱ τεσσαράκοντα μάρτυρες ἐν Σεβαστείᾳ διήθλησαν, τότε καὶ τὸν εἰρημένον ἅγιον μάρτυρα Ἀδριανὸν εὑρὼν ἐν Νικομηδείᾳ παῤῥησίᾳ τὸν Χριστὸν ἀνακηρύττοντα, καὶ τὰ πλήθη παραινοῦντα ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς πλάνης τῶν ματαίων εἰδώλων, ἤγαγε παρ' ἑαυτόν.

III Παραστὰς δὲ ὁ Μάρτυς ἔλεγε τῷ Λικιννίῳ· Διὰ τί μὴ καθὼς ἀπαρχῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ διέπρεψας, ὑπὲρ Χριστιανῶν νομοθετῶν, οὕτως καὶ νῦν ὑπάρχεις, ἀλλ' ἀναγκάζεις τὰ πλήθη, βασάνους καὶ

ποινὰς

A ποινὰς ἐπάγων αὐτοῖς, ὁποῖα οὐδὲ βάρβαροι καὶ πολέμιοι κατὰ Ῥωμαίων ποιήσαιέν ποτε; Ὁ δὲ Λικίννιος ἔφη· Σὺ γὰρ Χριστιανὸς εἶ; Πρὸς ὃν ὁ ἅγιος εἶπεν· Καὶ μὲν εὔχομαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθῆναι. Λικίννιος δὲ πρῶτα μὲν ὑποσχέσεσι καὶ θωπείαις ἀποσῦραι αὐτὸν ἤλπιζεν· ἔπειτα ὡς εἶδεν αὐτὸν ἀμετάθετον ὄντα ἀπὸ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, μετὰ πολλὰς βασάνους καὶ τιμωρίας, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀποτμηθῆναι προσέταξεν. Τοῦ δὲ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθέντος, λαβόντες τινὲς πιστοὶ τὸ ἅγιον αὐτοῦ λείψανον, ἀπεκόμισαν αὐτὸ ἐν Βυζαντίῳ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ οὔσῃ ἐν Ἀργυροπόλει, ἀπέναντι Χρυσοπόλεως.

IV Ἔνθα καὶ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων μαρτύρων ἐναπετέθησαν Ἀδριανοῦ καὶ Ναταλίας, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς μαρτυρησάντων· ὅπου καὶ τὸ σῶμα ἀπέκειτο Στάχυος, ἑνὸς τῶν ο' ἀποστόλων, ὃς ὑπὸ Ἀνδρέου τοῦ ἀποστόλου ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου κατέστη· ταῖς πρεσβείαις οὖν, Κύριε, τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ μαρτύρων σου, ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἐπιβουλῆς καὶ μηχανῆς τοῦ πονηροῦ, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν παρασχοῦ τοῖς ἐκτελοῦσι τὴν σεβάσμιον μνήμην αὐτῶν, ὅτι εὐλογητὸς ὑπάρχεις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

B

rens, qualia nec barbari, nec hostes contra Romanos patrarint umquam? Cui Licinius dixit: Tu vero Christianus es? Tum Sanctus, Et opto quidem, inquit, in hac confessione subire mortem. Licinius vero primum promissis ac blanditiis sperabat fore, ut eum a proposito abstraheret; deinde ubi vidit illum immutabilem esse in Christi fide, post multa tormenta et cruciatus præcepit amputari caput ejus. Dum autem hac in confessione consummatus esset, fideles aliqui sanctum ipsius corpus accipientes, Byzantium illud abstulerunt in ecclesiam, quæ Argyropoli *l* est ex adverso Chrysopolis. — *l Argyropolim transfertur.*

4 Ibi etiam sanctorum martyrum Adriani et Nataliæ, et eorum, qui cum ipsis confecere martyrium, corpora sunt deposita; nec non corpus Stachyos *m*, unius septuaginta Apostolorum *n*, qui ab Apostolo Andrea constitutus est Byzantii episcopus *o*, requiescit. Sanctorum itaque Apostolorum ac Martyrum tuorum precibus, Domine, libera nos ab omni incursu et machinatione diaboli, et remissionem peccatorum concede venerabilem eorum memoriam recolentibus; quia benedictus es in secula seculorum. Amen. — *m n* — *o*

A. ANONYMO

E

ANNOTATA.

a *Varia ad hunc imperatorem spectantia collegit Tillemontius tomo 4 Historiæ imperatorum in Constantino articulo 13, ad an. 307.*

b *Ibidem tomo 3 ad annum 282 in Caro imperatore pag. 440 mentio fit de ejus morte.*

c *De illo, ac duobus filiis ejus agitur eodem tomo 3. Vide pag. 439 et seqq. Ad an. 283 pag. 443 describitur ipsius mors.*

d *Anno 285.*

e *Duxerat enim uxorem Arrii Apri præfecti prætorii filiam. De præfectis prætorii agitur tomo 4 Historiæ imperatorum in Constantino articulo 84.*

f *Anno 284.*

g *Erat enim Constantia Constantini Magni ex eodem patre Constantio Chloro soror, sed ex alia matre, videlicet Theodora. Voce* γαμβρὸς *in textu Græco hic posita significari lego socerum ac generum; item fratrem uxoris; nec non maritum sororis, secundum quosdam: et in hac ultima significatione sumitur hic.*

h *Licinius et Constantinus condunt edictum pro Christianis anno 312, ut videre licet tomo 4 imperatorum supra citato in Constantino articulo 28.*

i *Eorum Acta illustravimus ad diem 10 Martii.*

k Ab initio, *non utique imperii Liciniani; sed post fœdus ab illo initum cum Constantino.*

l *De* Argyropoli *agitur in Historia patriarcharum Constantinopolitanorum § 3, occasione figmentorum variorum impostoris Græci, pag. 6 *.*

m *Habetur in Martyrologio Romano ad diem 31 Octobris. Multa jam de eo dicta sunt in citata modo Historia.*

n *Quam sint sublestæ fidei, quæ de illis Apostolis circumferuntur, vide ibidem.*

o *Sedem illam nec a S. Petro, nec a S. Andrea Apostolis, nec ab alio quodam Apostolorum fuisse institutam, probatur ibidem § 1.*

F

C

DE SS. ATTICO & SISINNIO MM. AC S. IBISTIONE CONF.

Cultus ex Fastis Græcis. J. P.

XXVI AUG.

Menologium Græcorum a Sirleto Cardinale Latine redditum, Eodem, *inquit, die videlicet* XXVI *Augusti* commemoratio sanctorum martyrum Attici, Sisinnii, et sancti patris nostri Ibistionis. *Eodem prorsus modo illos tunc annuntiant Græce Menæa magna, præterquam quod loco* Sisinnii *scribant* Sisinii. *Duo autem primi Martyres ibi honorantur his versiculis, ita late patentibus, ut de quibusvis aliis, capite pro Christi fide truncatis, dici possint. En tibi illos Græce cum nostra interpretatione Latina:*

Συσταδιοδραμοῦσιν Ἀθλῆται δύω,
Ξίφους δραμόντες στάδιον κουφοδρόμως.
Stadio in eodem Martyres currunt duo,
Cursum citum levemque queis gladius dedit.

De sancto autem Ibistione *sequuntur ibidem duo isti versus, quos e Græco sic reddimus etiam Latine:*

Ῥυφ-

AUCTORE J. P.

Ῥυφθεὶς ὑσσώπῳ δακρύων Ἰβιστίων,
Εὔθυμος εἰς ἄδακρυ χωρεῖ χωρίον.
Ibistion, quem fletuum hyssopus rigat,
Lacrymis carentem lætus ascendit locum.

Huic Sancto tribuitur donum lacrymarum, non vero martyrii; atque adeo superius titulo confessoris eum nuncupavimus; quem recte ei etiam dedit Castellanus, sic illum annuntians hac die : Apud Græcos, S. Ibistion, confessor. *Verosimile autem est, poetam respexisse in superiore versu ad illud psalmi 50 :* Asperges me hyssopo et mundabor, *etc.; de quo consuli possunt interpretes. Atque hæc quidem pauca sunt, quæ de prædictis Sanctis colligere nobis licuit.* D

De SS. Poeclano vel Heclano, Mercurio, item Basilla, Maximiliano, Quinto vel Quintino, item Sevo, Victore, Primo, Victore, ac militibus forte XXV, Martyribus.

Ex apographis Hieronymianis.

J. P.

B

XXVI AUGUSTI. *Variæ de his Martyribus dantur.*

Inter apographa Hieronymiana a Florentinio vulgata producuntur hi Martyres e Martyrologio Corbeiensi : XII *(forte* VII*)* Kal. Sept. civitate Salona, nat. S. Anastasii martyris . . . sia civitate SS. Pœclani, Mercurii martyrum. Romæ in cimiterio nat. SS. Basillæ, Maximiliani, Quinti martyrum. Via Prænestina militum XXV. Arelato civitate nat. SS. Sevi, Victoris, Primi, item Victoris. *Accipe has in præcedentem annuntiationem observationes. De* S. Anastasio Solonensi M., *ac altero synonymo M.; cui alicubi forte additur ejusdem nominis tertius* presbyter; *consule Prætermissos ad hanc diem. At quid sibi vult hiatus ille* . . . sia civitate? *In textu ipsius Martyrologii, quod S. Hieronymo tribuitur, quodque Florentinius perpetuis notis illustrare conatus est, ponitur :* Apolli civitate natalis sanctorum Heclano, Mercurii martyris. *Florentinius in notis,* Mancum, *inquit,* agnoscere hic cogimur M. vetustissimum, in quo urbis nomen subticetur, et ex Martyre urbs efficitur. C Derasum etiam vetustate in Corbeiensi nomen civitatis, in qua agonem compleverint, vel venerationem habuerint S. Heclanus vel Pœclanus, et Mercurius, suppleri ex libris nostris potest, in quo *(voluit dicere,* in quibus) Apolli civitate legitur; quæ ex Corbeiensi, *uti addit,* suppleri posset APOLLONIA, extrema syllaba addita, per vetustatem non abolita. Sed quantæ apud geographos urbes sub Apolloniæ nomine? Quænam ex his fuerit, asserere non nisi temere possem.

2 Nec absurdum esset etiam nomen Apolli retinere, quando binæ hujus nominis urbes in Ægypto Ptolomæo sunt, major et minor. In harum altera sancti Martyres coronam accipere potuerunt : frequentes enim in Ægypto Sanctorum carnificinæ fuerunt. *Sed istæ Florentinii meræ ac incertæ conjecturæ rem implexam non elucidant. Nam in Animadversis ad Martyrologium Romanum, quæ edidit Holstenius, hac die sic legitur e Ms. Reginæ Sueciæ.* In eadem urbe *(Roma videlicet)* natalis SS. Martyrum Mercurii, Maximiliani, Quintini. *In Martyrologio autem S. Willibrordi apud Florentinium in notis sunt ista :* Et in Elano Mercurii. *Ubi* E *vides pro nomine* Heclani *proprio signari palæstram; ac apud Holstenium annuntiari* Mercurium *Romæ, qui ex die, palæstra, ac sociis videtur esse diversus a duobus illis, de quibus mentionem fecimus in hodiernis Prætermissis. Etenim unus ex illis, qui est in Martyrologio Romano ad diem* X *Decembris annuntiatur* apud Leontinos in Sicilia, *et adduntur socii innominati : alter vero ibidem ad* XXV *Novembris solus ponitur, ac* Cæsareæ in Cappadocia.

3 *Referebatur superius ex Corbeiensi :* Romæ in cimiterio nat. SS. Basillæ, Maximiliani, Quinti martyrum. *In textu autem Martyrologii, ad quod notationes condit Florentinius, pro* Basillæ *scribitur* Basilli, *pro* Quinto *vero* Quintini. *In Martyrologio S. Willibrordi apud eumdem Florentinium est :* Romæ Quinti, Maximiani, *nulla facta mentione* Basillæ *vel* Basilli. *An autem per* cimiterium, *quod non nominabat Corbeiense, sit intelligendum antonomastice cœmeterium Callisti via Appia; an S. Basillæ via Salaria, res omnino incerta est. Plura de hoc argumento habet Florentinius in notis, e* F *quibus addo ista :* Martyres SS. milites XXV, quos via Prænestina addit M. Corbeiense, in libris, *ait,* nostris desiderantur, et forte iidem sunt, qui præcedenti die in iisdem recensentur via Nomentana, numero octodecim. *De his egimus hesterno die; hodierno inter Prætermissos notavimus* SS. Martyres decem et septem. *Si adderetur* milites; *major foret suspicio, an non essent hesterni : cum non raro irrepant errores in exemplaria circa numeros arithmeticos. De Martyribus Arelatensibus supra memoratis e Martyrologio Corbeiensi, occurrunt nonnulla, quæ observasse, non erit abs re nostra. In textu, quem Florentinius exponit, hæc leguntur :* In Gallia civitate Arelato natalis sanctorum Sevi, Victoris, Primi, Victoris. *Martyrologium S. Willibrordi allegatum in re consonat, sic dicens :* Galliæ Arelatis Sevi, Victoris, Primi, item Victoris. *His adnimadversis, sanctos Pugiles, quos apud Florentinium reperi, supra in titulo, hisce observationibus præmisso, annuntiandos censui eo modo et ordine, prout ibidem vides. Nec alia in promptu sunt, de quibus lectorem instruam.*

DE

A D

De SS. Januario episc. et mart., ac fortasse SS. Felice et Honorato Diaconis MM.

Marsici in Lucania.

J. P.

XXVI Augusti. Marsici situs, cujus patronus S. Januarius :

Ughellus tomo 7 *Italiæ sacræ columna 485 editionis novissimæ, Marsicanam civitatem ita describit occasione antistitum ejusdem loci :* Marsicum, *ait,* novum 58 a Salernitana metropoli milliario mediterranea est civitas Lucaniæ; nunc in principatus citerioris provincia, mœniis minime cincta, nova dicta, ut distingueretur a veteri Marsico sex mill. pass. dissita, cujus apud antiquos scriptores nulla fit mentio. Est autem prædicta civitas in montis superiori fastigio trium collium posita, quem vicini circumquaque montes altitudine superant. *Hæc, et plura alia Ughellus deinde subdit. Civitas porro ista publicis Cælitum* B *honoribus* S. Januarium *prosequitur hac die, prout testatur laudatus Ughellus col. 497, cultum ipsius declarans his verbis; postquam perbrevem Actorum seu potius translationis historiam recitasset :* Hactenus, *inquit,* brevissima Acta S. Januarii, quibus adjicere nec pilus adest, quæ leguntur in eccl. Marsicen. in festo die ejusdem, XXVI Augusti, qui patronus est civitatis : de quo nil in Martyr. aliisque ecclesiasticis monumentis reperimus, quod hic commemoremus. *Scriptor idem col. 487 præmiserat :* Innumeris fulget miraculis. *Acta vero, quæ memorabam, sic sonant columna 497 :* Marsici in Lucania translatio B. Januarii episcopi Carthaginensis, qui apud Potentiam ob Christi fidem sub Leontio præside multa passus, demum ad Aireusum nemus cum Felice et Honorato diaconis securi percussus martyrii palmam consequitur.

translatio corporis : brachium in Hispaniam delatum :

2 Ejus sanctissimum corpus, diu Christianis ignotum, Susanna pia fæmina, in somnis admonita, Grimaldo Marsicensi episcopo pandit : qui cum clero et populo accedit ad locum, repostas reliquias ad cathedralem ecclesiam deferri curat. C Verumtamen quia abbas S. Stephani, in cujus agro Martyris corpus latuerat, ad suam ecclesiam asportari contendebat; post longas altercationes conveniunt, ut in plaustro indomitarum vaccarum imponeretur, et in loco, quem ipsæ eligerent, corpus servaretur. Quod ad ecclesiam S. Stephani Dei voluntate delatum, a Marsicensibus et externis summa devotione colitur, et ab his præsertim, qui a dæmonibus obsessi etiam in agri Marsicensis ingressu, Martyris prece liberantur. Brachium argentea theca inclusum; quo adjutore Marsicensis populus in summis periculis utebatur, Hispani milites an. sal. MDII, urbe nostra Marsici bellorum occasione per ipsos direpta et succensa, in Hispaniam ad Rodericum oppidum detulerunt : ubi miraculis huc usque servatur.

an Felix et Honoratus colantur, non certo constat

3 *Hactenus instrumentum translationis ab Ughello editum : cui soli innititur totum venerationis publicæ fundamentum* B. Januarii *episcopi ac martyris. Etiamsi vero alia nobis documenta non sint in promptu, illum tamen Cælicolis, qui hoc die coluntur, annumerandum duximus in fide eorum, quæ apud laudatum scriptorem narrantur. Quod attinet ad duos alios,* Felicem *ac* Honoratum, *qui dicuntur supra cum* Januario *passi ; dispar eorum est ratio. Nam quod illi inventi cum eo sint, quod translati ac publicis honoribus condecorati, non indicat prolatum ex Ughello instrumentum. Attamen eidem documento nos conformantes, ambos etiam cum titulo beatorum Martyrum annuntiavimus. Fieri enim potest, ut simul cum* Januario *apud Marsicanos vel ab antiquis temporibus, vel postea cultum publicum habuerint; sed uni* Januario *nominatim is attribuatur tamquam digniori; duobus autem aliis diaconis Martyribus tacite ac implicite. Huic benignæ interpretationi favet τὸ* repostas reliquias *in sæpe jam allegato instrumento.* E *Quid enim cogit, æquivocam illam expressionem intelligere de solo corpore* B. Januarii, *de quo proxime ibidem erat sermo; et quid vetat, eamdem etiam extendere ad* Felicem *et* Honoratum, *qui, interposito modico intervallo fuerant nominati, ac martyrio cum eo coronati memorantur, diaconi videlicet in morte non separati a suo, ut licet cogitare, episcopo Carthaginensi. Quandoquidem tamen ita sunt obscura, quæ de illis retulimus, nobisque tam ignota, ut nihil statui de eisdem possit nisi per incertas conjecturas; titulo beatorum Martyrum illos compellavimus, sed per adverbium* fortasse *restricto.*

4 *Alterum, quod observatum cupimus, est locus palæstræ. Fuit hic* apud Potentiam *secundum superiorem historiam translationis. Triplex hujus nominis est significatio apud Baudrandum. Et primo quidem loco,* Potentia, *inquit,* urbs Lucaniæ in Italia Ptolemæo, et Antonino, nunc Potenza, urbs regni Neapolitani in Basilicata provincia, episcopalis sub archiepiscopo Mateolano seu Acherontino . . . , 15 milliaribus distans ab Acherontia, in occasum hybernum, Marsicum versus totidem. *Secundo loco scribitur :* Potentia fluvius Italiæ . . . , *qui* fluens per Marchiam Anconitanam, Septempedam urbem rigat, et prope Lauretum . . . in mare Adriaticum se exonerat. *Tertio denique loco signatur* Potentia, *quæ* urbs fuit Piceni in Italia Livio, excisa, cujus vestigia apparent in Marchia Anconitana, ultra dextram fluminis cognominis ripam. *Ex his eruo,* Potentiam, *Lucaniæ civitatem, in superiore inventionis ac translationis narratione designari, apud quam* multa passus *dicitur* B. Januarius : Aireusum *vero* nemus, *apud quod una cum* Felice *et* Honorato diaconis *martyrium subiisse traditur, etiamsi situs ejusdem nemoris non sit mihi compertus, fuisse tamen in territorio Marsicano, suadet tum prædicta narratio, tum ea, quæ statim referam.* F

locus martyrii.

tempus ejusdem ignotum :

5 *Tempus martyrii quis satis secure definiat ex nomine* Leontii præsidis, *quando non apponuntur imperatores, sub quibus ille vixerit? Plus aliquid dici potest de inventione ac translatione corporis* S. Januarii. *Contigit enim, ut perhibet illarum historia, Grimaldo episcopo diœcesim*

AUCTORE J. P.

diœcesim Marsicanam gubernante : cujus præsulis tempus cum sit incertum; oportet, ut etiam incerta sint, quæ de sacri hujus depositi inventione ac translatione in ratione temporis quæri possunt. Grimaldus Marsicensis episcopus, *ait Ughellus columna 497 superius allegata,* tempus, quo floruerit, ignoratur : nec, quid de eo dicendum sit, habemus, nisi quod habetur in brevi historia translationis S. Januarii episcopi Carthaginensis a nemore Aeriuso, ubi palmam una cum Felice et Honorato diaconibus sumpsit martyrii, ad ecclesiam S. Stephani protomartyris in ipsa Marsicensi ecclesia. *Quia tamen Grimaldum collocat inter Tuderisium, qui sederit anno 853, et inter Gisulphum, qui anno 1093 e vita excesserit; figi non potest tempus, quo res gesta, de qua hic agitur, contigerit, nisi admodum confuse et imperfecte, cum in serie Ughelliana præsulum Marsicanorum relictus sit ducentorum et quadraginta circiter annorum hiatus.*

D *notitia loci in Hispania, ad quem brachium B. Januarii avectum.*

6 *Coronidis loco possunt adjungi hæc paucula observationibus præcedentibus, occasione brachii* S. Januarii, *quod* Hispani milites *e Marsicano tractu* in Hispaniam ad Rodericum oppidum detulerunt, *ut supra indicatum est. De situ, nomine, ac conditore istius loci delibo ista e Baudrando :* Rodericopolis, Ciudad Rodrigo, urbs *est* Hispaniæ in regno Legionensi, quæ dicitur aliter civitas Roderici, episcopalis sub archiepiscopo Compostellano . . . exstructa fuit anno MCLXX sub Ferdinando rege Leonis, a Roderico comite, unde nomen ei inditum. *Habes, lector, hæc pauca, quæ de hoc beato Episcopo, ac duobus diaconibus invenimus, ac ad posteros transmittenda censuimus. In hiulco Catalogo episcoporum Marsorum, qui habetur post librum 3 Historiæ istius gentis, auctore Mutio Phœbonio, nihil de Grimaldo episcopo, de quo supra; nihil in dicta Historia, quantum quidem ex indice videre nobis licuit, de* S. Januario *hodierno reperimus memoriæ proditum.*

B E

DE S. THEODORO PRIMO, EPISCOPO OCTODORENSI VEL SEDUNENSI

IN VALLESIA APUD HELVETOS

J. S.

SYLLOGE HISTORICA.

De cultu et gestis.

CIRCA FINEM SECULI IV. *Cultus duorum Theodororum et Theoduli in ecclesia Sedunensi :*

Acta S. Theoduli, aliis Theodori, Sedunensis ecclesiæ patroni, illustrata sunt tom. 3 Augusti ad diem XVI *ejusdem mensis, ubi varia relata sunt de episcopatu Octodorensi vel Sedunensi, quæ hoc loco non repetam. Varia quoque in illo Commentario disputata sunt, ex quibus intelligitur, distinctionem trium Sanctorum, qui* Theodori, *aut vicino* C *nomine vocantur, ecclesiæ Sedunensis episcoporum, nec admissam fuisse ab omnibus, nec omni carere difficultate. Verumtamen certum est, duos Seduni coli* Theodoros, *tertiumque* Theodulum *potius nominatum; temporaque, quibus illi vixisse traduntur, multum diversa esse : nam primus* Theodorus *haud dubie floruit seculo* IV, *ut mox patebit; alter Theodorus seculo* VI, *vixisse refertur, ut in ejus Actis probabitur ad diem sequentem : Theodulus vero cum Carolo magno seculum* IX *attigisse asseritur, uti in ejus Actis videri potest. Jam vero Theodulus colitur* XVI *Augusti,* Theodorus I XXVI, *et Theodorus II* XXVII *ejusdem mensis. Constat id nobis ex Officiis antiqui Breviarii Sedunensis, quæ nobis fuere transmissa : sed illa dudum abrogata esse, discimus ex directorio ejusdem ecclesiæ anni 1687, in quo tres illi Sancti memoratis diebus coli jubentur Officio communi de confessore pontifice, quod ponitur primo loco. Hisce de cultu trium observatis,* S. Theodori I *gesta breviter colligam.*

S. Theodori I nomen in Fastis,

2 *Andreas Saussayus in supplemento Martyrologii Gallicani ad* XXIII *Martii ejus memoriam annuntiat his verbis :* Seduni in Gallia S. Theodori, alias Theodorici, episcopi et confessoris, qui sui sæculi clarum lumen, cum apud Octodurum Veragrorum cathedram episcopalem (quæ demum Sedunum Valesiorum translata fuit) teneret, ad concilium Aquileiense, quod Damaso Papa et Gratiano augusto jubentibus, celebratum est adversus Palladium et Secundianum episcopos, Ariana dogmata renovantes, unus scilicet ex propriis Galliæ episcopis invitatus accessit : sanctique Ambrosii, illic majestatem F Unigeniti æterni Patris adversus horum impiorum sceleratam perfidiam strenue propugnantis, suffragator, damnationis sententiæ, quæ contra illos lata est, sacros inter proceres conspicuus subscripsit. Dehinc ad sedem reversus cum triumpho, orthodoxam fidem sedulo excoluit. Verbo autem et exemplo cum gregem suum Pastor bonus sustentasset, locupletatus fœnoribus gratiæ, ad coronam justitiæ, lætus de bonæ militiæ felici excessu, properavit. *Concilium Aquileiense habitum fuit anno 381, nomenque ejus illi reperitur adscriptum apud Labbeum tom. 2, col. 979 hoc modo :* Theodorus episcopus Octodorensis. *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ad eumdem diem memorat* S. Theodorum *primum : sed tempus, quod ei in notis adscribit, primo non congruit. Meminerunt de his annuntiationibus majores nostris ad* XXIII *Martii, sed in prætermissis dumtaxat, quod hisce auctoribus non satis fiderent pro cultu ejus asserendo : verum illud de cultu dubium post acceptum Sancti Officium penitus sublatum est.*

3 *Porro dictum Officium hujusmodi orationem continet :* Deus, qui per beatum Theodo-

rum

A rum, confessorem tuum atque Pontificem, ad agnitionem tui nominis nos venire tribuisti : concede, ut ejus meritis et intercessione ad æternæ gloriæ claritatem pervenire feliciter mereamur. Per *etc. Lectiones vero secundi nocturni vitam Sancti utcumque commemorant hoc modo :* Theodorus in episcopum Octodurensem ordinatus, vir sui ævi in republica Christiana paucis secundus, qui cum esset sanctimoniæ et eruditionis omnino singularis sancti Damasi Papæ hortatu, et Gratiano imperatore annuente, anno Domini CCCLXXXI Nonis Septembris concilio Aquileiensi celebrando, una cum sancto Ambrosio Mediolanensi archiepiscopo, aliisque triginta duobus sanctissimis et doctissimis episcopis, ab inde fere omnibus inter Sanctos relatis, summa laude interfuit, ubi Palladium Arianorum scelestissimum coriphæum, prærogativa sacerdotali insignem, a fidelium communione communibus et unanimis prædicti concilii Patrum votis damnarunt, Theodoro pro sua sententia sub his verbis in eum fulminante : Palladium, qui Christum verum Deum coæternum Patri negavit, nec B Christianum hunc esse, nec sacerdotem ullo modo censemus. *Hæc* Theodori *Octodorensis verba recitantur in Actis concilii apud Labbeum col. 990.*

et antiquum Officium, in quo quædam

4 Ad sedem suam Octodurensem remissus, gregi suo concredito, vigilem pastorem agens, verbo et exemplo fructuose præfuit : sicut enim erat in Dei prædicatione perfervidus, modestia et pietate singularis, laborum patientia infractus, orandi assiduus studio; ita erat in idolorum vanis et superstitiosis cultoribus viva rationum vi convincendis potens, et in errorum eorumdem tenebris discutiendis potens et felix, et cum Apostolo omnibus ecclesiis debitor fuit : et minori Burgundiæ, ut Annales referunt, Christum annuntiavit. Passionem sanctorum Thebæorum martyrum Agaunensium, Mauritii et sociorum ejus, episcopo Genevensi * transmisit, communicandam omnibus episcopis Galliæ, quam Eucherius episcopus Lugdunensis, pro fragrantia sui styli, omnibus communem fecit. *S. Eucherii lucubrationem de SS. Martyribus legionis Thebææ edidit Chiffletius in Paulino illustrato, ubi pag. 92 sic loquitur in rem nostram :* Porro C ab idoneis auctoribus rei ipsius veritatem quæsivi; ab his utique, qui affirmabant, se ab episcopo Genavensi, sancto Isaac, hunc, quem prætuli, passionis ordinem cognovisse; qui (credo) rursum hæc retro a beatissimo episcopo Theodoro, viro anterioris temporis acceperit. *Huc auctorem Officii respexisse opinor, ideoque pro voce ambigua supra posui* Genevensi : *at plura dixit, quam referat Eucherius. Ad Officium redeo.*

ejus gesta

* *in apographo vox illa legi non potuit.*

5 Multis talentis mirifice insignitus fuit, aberrantes oves ad verum Christi ovile adduxit, et, quæ supererant, idolorum fana subvertit, et in eorum locum aras S. Mauritio, et ejus sociis, templa vero Deo dicata erexit : Ambrosium abbatem Agaunensem ad construendam ecclesiam acclivem Sanctis martyribus ex collectis provinciæ insigniter adjuvit, et prædictorum Sanctorum ossa cum Ambrosio abbate legit. Qui in omnibus se exhibens Sanctum, providum et vigilem pastorem, virtutibus et meritis cumulatus, et ætate provectus, sancto fine in Domino quievit. *Hactenus lectiones Officii. Huc referenda sunt, quæ S. Eucherius apud laudatum Chifflettium pag. 91 memorat his verbis :* At vero beatissimorum Acaunensium martyrum corpora, post multos passionis annos, sancto Theodoro ejusdem loci episcopo revelata traduntur; in quorum honorem cum exstrueretur basilica, quæ vastæ nunc adjuncta rupi, uno tantum latere adclinis jacet, quid miraculi tunc apparuerit, ne- E quaquam tacendum putavi. *Hæc satis evincunt, ecclesiam a S. Theodoro SS. martyribus excitatam. Verum quod de Ambrosio abbate adjungitur, manifestum involvit anachronismum : nam Ambrosius abbas fuit seculo* VI, *dum fundatum est monasterium Agaunense a S. Sigismundo Burgundionum rege, sicut probabimus in S. Theodoro II ad diem sequentem.*

AUCTORE J. S.

referuntur :

6 *Ceterum quanto tempore vixerit* S. Theodorus *post concilium Aquileiense, quove anno mortem obierit, nullibi explicatur. Tempore Siricii summi Pontificis circa annum 390 S. Ambrosius concilium habuit Mediolani contra errores Joviniani. Epistola synodalis, quam patres illi ad Siricium dederunt, edita est apud Labbeum tom. 2 Conciliorum, illique cum aliis subscriptus reperitur col. 1027* Theodulus episcopus. *Illud de* S. Theodoro *nostro intelligendum suspicatur Carolus a Basilica Petri episcopus Novariensis, cujus verba recitata sunt ad* XVI *Augusti, seu tom.* III, *pag. 276. Id ipsum sine ullo dubio affirmat Tillemontius tom. 10 Monumentorum pag. 130, et rursum pag. 229. Mihi quoque probabile apparet,* Theodorum F *nostrum esse, qui dicto interfuit concilio, quique ibidem* Theodulus *vocatur: præsertim quod constet,* Theodorum *cum S. Ambrosio, aliisque quibusdam concilii illius patribus, Aquileiensi synodo interfuisse. Hinc mortem Sancti per conjecturam collocari circa finem seculi* IV, *etiamsi non negem ad* V *seculum pervenire potuisse.*

fortasse concilio cuidam Mediolanensi interfuit, mortuus circa finem seculi IV.

DE S. TITHOE MONACHO

IN THEBAIDE

Ex Fastis Græcis. J. P.

SECULO V. *Sanctus hic videtur esse ille.*

M*enologium Græcorum ab Henrico Canisio Latine ex Cardinalis Sirleti versione, hac die refert ista :* Natalis Tithoæin pace requiescentis. *Menæa magna brevissime etiam eum memorant :* Eadem die (XXVI Augusti) sanctus Tithoes in pace consummatur. *Et mox hisce ipsum versiculis laudant; quos ita reddo, Latine mutato in lectorum commodum* τοῦ, *quod in mendosa Menæorum istorum impressione habetur, in* οὐκ.

Οὐκ

AUCTORE J. P.

Οὐκ εἶχεν, οἶμαι, σάρκα Τιθόης ὅλως,
Κἂν εἶχε, τήξας οὐκ ἐᾷ βρῶσιν τάφῳ.
Sine carne prorsus, ut puto, Tithoes fuit;
Tumulo cadaver, vermibus cibum haud dedit.

Melior, quam sæpe in Menæis alibi, allusio: quasi dicat, corpus ad tabem usque maceratum et excarnificatum austeritate vitæ, præter ossa et pellem, ex quibus constabat, nihil in sepulcro depascendum reliquisse. Quamquam vero hic Sanctus in antiquis Græcorum Fastis pene sit ignotus: neque in Latinis ullam hactenus de ipso memoriam haberi norim; Castellanum tamen non latuit, qui in Martyrologio suo universali ita eum annuntiat : In Thebaide, S. Tithoes, secundus *(vel ex mox dicendis secundarius)* Superior Religiosarum *(immo, ut hic infra,* sacrarum virginum *potius)* S. Pachomii. *In Vita hujus Sancti abbatis apud Tabennenses in Thebaide, quæ data est apud nos tomo* III *Maii. die* XIV *ejusdem mensis, invenio ista in rem nostram pag. 315* : Illi quoque, qui secundo post illos *(a Sancto videlicet monasteriis præfectos)* ordine et loco habebantur, magno B in Deum ferebantur amore; e quibus nonnemo abbas Tithoes sacris virginibus moderandis adhibitus, sanctitate insignis, divinisque miserationibus sic quasi adipe pinguis affectus, multis evasit perutilis.

de quo agitur in Vita S. Pachomii.

2 *Etiamsi autem non constat, an* Tithoes, *qui supra apud Græcos annuntiatur, sit idem, qui monialibus præfuit, uti censet Castellanus; propendeo tamen in illius sententiam, donec alius aptior proferatur : qualis non videtur fuisse Tithoes synonymus, de quo in præfata Vita pag. 317 hæc memorantur :* Monachus erat, fortis Christi pugil, et ad sanguinem usque contra peccatum decertans, cui nomen Tithoi, eorum œconomorum præfectus, qui in monasterio Pabau Fratrum male habentium juvandis animis corporibusque erant constituti. *Nam quæ hic de illo dicuntur, adeo monachis non raro erant communia, ut, quantum apparet, non meruerit ob ea inscribi Fastis sacris; sed alius verosimiliter, qui utpote, uti est in Vita citata, fuit* sanctitate insignis, *ac* multis evasit perutilis; *atque adeo magis memorabile nomen apud homines adeptus, ut in sacris tabulis locum haberet. Et* C *secundum hasce quidem congruentias accipi volumus locum* Thebaidis *supra a nobis signatum, ac* seculum V, *cui Sanctum intexuimus, et quo floruit S. Pachomius, ipsius abbas, seculo æræ vulgaris medio circiter mortuus.*


Apophthegmata quædam Tithois,

3 *Joannes Baptista Cotelerius in Ecclesiæ Græcæ monumentis tomo 1 pag. 699 et sequente varia commemorat apophthegmata* de abbate Tithoe, *quorum primum agit de dono orationis singulari, quo erat ornatus; reliqua vero de aliis ejus virtutibus seu documentis.* I. Referebant de abbate Tithoe, quod, nisi cito dimi- D sisset manus suas, quoties stabat ad orationem, sursum raperetur mens ejus. Si ergo evenisset, ut fratres cum eo precarentur, curæ habebat manus confestim demittere, ne abriperetur mens ejus, et tardaret. II Dixit abbas Tithoes : Peregrinatio est, ab homine coerceri os suum. III. Frater interrogavit abbatem Tithoem : Quo modo servabo cor meum? Respondit senex : Qua ratione custodiemus cor nostrum, aperta lingua nostra, nec non ventre? IV. Abbas Matoes de abbate Tithoe hoc testimonium dixit : Nemo potest invenire, unde os suum ulla in re aperiat adversus eum : sed sicut aurum purum stat in trutina; ita et abbas Tithoes.

V. Residens aliquando abbas Tithoes in Clysmate, sciens ac prudens ait discipulo suo : Dimitte aquam in palmas, fili. Ille dixit : Sumus in Clysmate, abba. Excepit Senex : In Clysmate quid facio? Me iterum duc ad montem. VI. Sedente aliquando abbate Tithoe, erat frater juxta ipsum; quod nesciens duxit suspirium; nec animadvertit prope adesse fratrem : erat namque in ecstasi. Itaque facta pœnitentiæ inclinatione, dixit : Ignosce mihi, frater; quia E nondum monachus factus sum, qui coram te ingemuerim. VII. Frater percontatus est de abbate Tithoe *(al.* Sisoe, *ex notatione marginali apud Cotelerium)* quænam via ad humilitatem adduceret. Ac respondit Senex : Hæc est via humilitatis; abstinentia et oratio, et censere se infra omnem creaturam.

nostrine, an alterius?

4 *Locus* in Clysmate, *qui superius occurrebat, difficultatem continet, an illa apophthegmata sint* Tithois, *de quo hic agimus, an alterius synonymi : et ratio dubitandi in eo posita est, quia asceterium apud Tabannenses in Thebaide, sub quorum abbate Pachomio vixit noster* Tithoes, *tam longe distat a* Clysmate, *sicut licet videre in Chorographia particulari mansionum eremiticarum in Ægypto etc. apud Rosweydum nostrum post Prolegomena in Vitas Patrum, ubi prædictus locus scribitur* Clisma, *jacetque ad sinum maris Arabici, et inter Montem Antonii et Cellam Pauli. Difficultas tamen illa me non absterruit, quo minus ponerem hoc loco prædicta apophthegmata vel* Tithois *hodierni, vel certe alicujus synonymi celebris. Nec vero obstare debet, quod noster vocetur supra* secundus Superior, *sive secundarius; in apophthegmatibus autem identidem repetatur vox* abbas : *nam præter præfectum monasterii, vox illa significabat monachos passim omnes, præsertim* F *senio venerandos, ut dictum est tomo 1 Julii in indice onomastico. Denique etiamsi* Tithoes *noster præfuerit monialibus Deo dicatis; tamen vel ante vel post illud munus potuit habere discipulum.*



DE

DE S. GELASIO EP. PICTAVIENSI

Cultus, elogium, tempus vitæ. J. P.

SECULO V.

Inter Prætermissos ad hunc diem XXVI *Augusti, occasione S. Justini episcopi Pictaviensis, ad Kalendas Septembres ibidem dilati, diximus* S. Gelasium, *qui eamdem cathedram gubernavit, signari duobus istis diebus; sed nos de illo acturos hoc die propter rationem, quam ibidem etiam indicavimus. Castellanus hanc de eo ponit annuntiationem :* Pictavis, S. Gelasii *(vulgo* Gelais) episcopi. *Adde Martyrologium novum Parisiense, in quo sanctus idem Præsul hodie refertur. In nova editione Galliæ Christianæ tomo 2, columna 1142* S. Gelasius *intexitur episcopis Pictaviensibus ordine tertius; et his laudatur verbis :* Haud minus nos latet, quisnam fuerit S. Gelasius, nisi quod legitur jacere in basilica S. Hilarii Pictaviensi. Ejus nomini dicatus est insignis prioratus prope Niortium in diœcesi Pictav., quem subjectum esse Cluniaco legimus in catalogo monasteriorum ab hoc archicœnobio pendentium, quem exhibet biblioth. Cluniacensis. Porro hunc prioratum tradunt a Radulpho de Lusignan fundatum an. MCIX, qui cognomen S. Gelasii dedit Hugoni primogenito suo, a quo postea transiit ad totam nobilissimam gentem. Gelasium episcopum subscripsisse concilio I Aurelian., perperam scribit Beslius *in suo libro de Episcopis Pictaviensibus pag. 5; sed numerum dicti concilii ibidem non invenio. Castellanus ac Martyrologium Parisiense, quod citatum est, illum innectunt seculo* V. *Idem præterpropter tempus indicatur in editione citata Galliæ Christianæ : nam post S. Hilarium, qui primus Pictaviensis episcopus ibi ponitur, quique columna 1140 dicitur obiisse anno 367, signatur col. 1141 Pascentius I, ac col. proxima* S. Gelasius. *Habes, lector, hæc pauca, quæ de* S. Gelasio *notanda nobis occurrerunt.*

DE S. RUFINO EP. CONF.

CAPUÆ IN REGNO NEAPOLITANO ITALIÆ

SYLLOGE HISTORICA. J. P.

§ I. Cultus, lectiones propriæ, ætas, dies mortis, inventio ac translatio corporis.

SECULO V, VEL VI. *Inscribitur Fastis sacris die 24 et 26 Augusti;*

Capua, notissima Campaniæ Felicis in regno Neapolitano urbs ad Vulturnum fluvium, pluribus describitur apud Ughellum tomo 6 Italiæ sacræ a columna 346 editionis prioris, et tam de antiqua, quam de nova Capua variæ subministrantur notitiæ ex variis scriptoribus collectæ, quæ ibidem a curioso lectore inspici possunt. Urbs hæc S. Rufinum *episcopum quondam suum veneratur hodierno die, quo in Fastis quibusdam sacris annuntiatur. Inter auctaria vero ad Usuardum nostrum ac alibi, signatur die* XXIV *hujus mensis Augusti. Vide Sanctuarium Capuanum Michaelis Monachi in Kalendariis pagg. 42, 45 et 538. Martyrologium Romanum sic eum hodie memorat:* Capuæ sancti Rufini episcopi et confessoris. *In dicto Sanctuario pag. 42 exstat hæc de illo oratio propria :* Propitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per hujus sancti Rufini confessoris tui atque pontificis, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum etc. *Ibidem pag. 538 de ecclesia quadam sub illo nomine scribuntur ista :* In diœcesi Calvensi in Rocca montis Dragonis est ecclesia sancti Rufini, quæ pertinet ad Capitulum Capuanum : de qua est mentio in bulla Alexandri III, et specialis mentio in bulla Martini V. *De situ Calvii, ejusque episcopis agit Ughellus tomo 6 Italiæ sacræ a columna 600. In bulla Alexandri III apud Michaelem Monachum pag. 595 lego :* In diœcesi Calinen., in Rocca etc. *(non vero* Calvensi.) *Episcopatus autem Calvensis diversus est a Calinensi seu Carinulensi, de quo Ughellus tomo citato col. 586.*

lectiones propriæ:

2 *Michael Monachus a pag. 42 habet lectiones proprias novem de* S. Rufino : *verum cum ad manum nobis sint aliæ tres, recentiores quidem, sed a sacra Rituum Congregatione recognitæ, pro civitate Capuana approbatæ, et anno 1669 typis editæ, has recudemus; ita tamen ut prioribus, nec non dicti Michaelis ad illas notationibus etiam usuri simus. Die itaque* XXVI Augusti *tres illæ lectiones* S. Rufini episcopi et confessoris *hæc memorant :* Lectio IV. Rufinus episcopus, vir eximiæ sanctitatis, ante sancti Decorosi tempora Capuanam rexit ecclesiam. Cumque gens Longobardorum divino cultui, Sanctorumque venerationi summe dedita esset, eorum corpora solerter inquirere cœpit : quorum nomina in Tabulis ejus ecclesiæ conscripta erant. Quia vero inter cæteros S. Rufini dies natalis majori celebritate coli solebat, locus autem ignorabatur, in quo sacrum ipsius corpus quiescebat, eo perquirendo omne studium adhibuerunt. Deo tandem opem ferente, a Decoroso episcopo in basilica S. Petri apostoli inventum, ad ecclesiam sanctorum Stephani et Agathæ solemni pompa translatum est.

3 Lectio V. Cum vero ad ejus tumulum ob antiquam populi erga ipsum devotionem, ingens quotidie turba confluerent; accidit eodem anno, ut

Auctore J. P.

ut cujusdam viri nobilis Audoaldi filius adhuc infans ardentissima febri correptus, in manifesto vitæ discrimine versaretur. Mater autem divinitus inspirata, parvulum morti proximum ad limina prædictæ ecclesiæ detulit; cujus fletu et ejulatu commotus episcopus ad eam perrexit: fletusque causa percepta, ad B. Rufini tumulum jussit accedere, ac ipsius opem pro salute filii implorare. Lectio vi. Mater ergo super tumulum a Decoroso sibi ostensum, filium deponens, preces fundere pro illo cœpit, ipso etiam Decoroso pro eodem orante. Mox interjecto dimidiæ horæ intervallo, attollens oculos mulier, vidit infantem alacrem, et redivivum circum altare deambulantem: quem cum gaudio amplexata episcopo protinus ostendit pristinæ valetudini restitutum. Pro quo beneficio gratias egerunt Deo, qui cum sit mirabilis in Sanctis suis, S. Rufinum glorificare dignatus est. Fama enim hujus miraculi circumquaque diffusa, ad ejus tumulum concursus augeri, et vota plurima nuncupari cœperunt. *Similia continent lectiones novem apud Michaelem Monachum; sed novæ, quas* B *dedimus, sunt hisce breviores.*

tempus

4 Vides, lector, in recitatis modo lectionibus nonnulla inseri, quæ ulteriorem petunt explicationem. Tale est illud imprimis, quod de sancto nostro Præsule obiter et confuse memorant: Ante sancti Decorosi tempora Capuanam rexit ecclesiam. *De S. Decoroso actum jam pridem apud nos est ad diem* xv *Februarii, quo inscribitur Martyrologio Romano. Ibidem etiam dictum ex Monacho, eumdem Sanctum* triginta vel etiam amplius annos in episcopatu vixisse, *nimirum ab anno circiter 660 ad 690. Atque hinc quidem conficitur,* S. Rufinum *non sedisse post annum circiter Christi 660; sed quamdiu ante istum annum sedere cœperit, ac post sedere desierit, non habemus unde accurate definire possimus. Nec habuerunt Michael Monachus, nec Ughellus. Et huic quidem tomo supra indicato in episcopis Capuanis col. 368* conjectura est seculo quinquagesimo *(voluerit dicere* seculi sexti anno quinquagesimo) *vixisse:* quo autem præciso tempore creatus sit episcopus, et quamdiu sedem tenuerit, non potest signate definiri. Potuit esse, ut post S. Victorem Capuanam sedem regendam cepisset, vel C paulo post. *Ibidem col. 367 Ughellus præmiserat, S. Victorem episcopali solio admotum fuisse anno 541, obiisse autem anno 554. Inscribitur Martyrologio Romano ad diem* xvii *mensis Octobris: quo eumdem etiam annum 554 ipsi apponit Castellanus in suo Martyrologio universali.*

vitæ

5 Illud Ughelli Potuit esse *etc. nihil habet præter meram conjecturam; ut mirum videri possit, absolute constitui ab illo* S. Rufinum *proximum Victoris successorem. Et vero catalogus præsulum Capuanorum, apud Michaelem Monachum ordinatus ac editus in fine Recognitionis Sanctuarii Capuani, indicat eum vixisse seculo quinto: nam Juliano, quem signat anno 418, subdit S. Pamphilum et* S. Rufinum; *sed annos eorum non determinat; ac post illos ponit S. Priscum anno 443. Si hunc itaque catalogum sequamur, spectabit sanctus Præsul noster ad seculum quintum; sin vero ordinem Ughelli, ad sextum, relicta utrimque annorum centum et amplius discrepantia. Uter autem ordo magis ad verum accedat, an neuter, non est nobis promptum dicere: eaque de causa* S. Rufini *obitum affiximus supra seculo 5 vel 6, secundum istos catalogos, dum certiora hactenus non scimus. Nec magis explorata videntur esse, quæ circa diem obitus ejusdem quæri pos-* D *sunt.*

ac dies mortis:

6 *Ughellus col. 370* De Rufino, *inquit,* agitur in Martyrolog. Rom. xxvi Aug., et hic dies natalis non est, sed translationis esse videtur. *Idem etiam antea visum fuerat Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* xxvi *hujus in annotatione. Michael Monachus in notationibus ad lectiones proprias ejusdem sancti Episcopi superius a nobis allegatas, pag. 45 scribit:* Nos festum S. Rufini celebramus vii Kalend. Septembris, id est, Augusti die vigesimo sexto: et tamen in antiquissimo illo Martyrologio Capuano, cujus hic Breviarum meminit, natales viii Kal. erant inscripti: quo etiam die notatos legi in Martyrologio monialium sancti Joannis; sine dubio, quia nos viii Kal., id est Augusti vigesimo quinto, festum S. Bartholomæi more Romano celebramus, ideo in diem alterum S. Rufini translata celebritas est. *Tametsi vero Sancti non semper celebrentur eodem die, quo obierunt, atque adeo non possit certo concludi, diem ejus emortualem indicisse in* viii *Kalendas Septembres, quo in modo dictis Martyrologiis notari affirmabatur;* E *si quis tamen dixerit, illum vel tunc, vel* xxiv *Augusti vitam clausisse, non multum quidem refragabimur: quia dicto die* xxiv *annuntiatur apud Monachum in Kalendario monialium S. Joannis pag. 409:* Vigilia S. Bartholomæi Ap., et S. Rufini epi., *quo etiam habetur inter auctaria ad Usuardum, ut dicebamus num.* i; *præplacet tamen nobis opinari, quod natalis ejus ad vitam beatam inciderit in* xxv *Augusti: et ratio est, quia* in antiquissimo illo Martyrologio Capuano, *de quo supra agebat Monachus, hæc diserte memorantur apud ipsum pagg. 42 et 43:* Hujus *(nimirum Decorosi episcopi Capuani)* tempore, cum religiose a Longobardorum gente cœmeteria Sanctorum excolerentur, contigit, ut in Martyrologio seriatim nomina Sanctorum exquirerent: et inventa sunt hoc modo duorum Sanctorum nomina scripta: Octavo Kalend. Septemb. natales S. Rufini confessoris. Et uno intermisso die, quod est sexto Kal. Septemb. natales S. Rufi martyris... Hujus vero S. Rufini prædictus dies cum omnibus notus fuisset *etc. Hæc dicta sunto de die natali Episcopi nostri, qui supra num. 2 in tribus lectionibus ejus propriis non determinabatur.* F

cur absconditum,

7 *Ad illud vero,* Cumque gens Longobardorum divino cultui, Sanctorumque venerationi summe dedita esset, *quod est in lectionibus recentioribus, quodque in antiquioribus eodem fere modo, ut statim vidimus, indicatur; meminisse juverit eorum, quæ apud nos exstant ad diem* ix *Februari a pag. 318, ubi scribitur de Longobardorum in Italiam irruptione, et eorum impiissima sub Zotone duce Beneventano sævitia in sacros homines, in templa et cœnobia, uti etiam in sepulcra ac corpora Sanctorum; ut mirum non sit* S. Rufini *corpus absconditum fuisse a Beneventanis, eorumque furori subtractum, prout factum de corpore S. Sabini episcopi Canusini, ibidem invenies. Mitius deinde actum fuisse in istis Italiæ tractibus, verosimile est ex eo, quod anno circiter 888 sub Grimoaldo juniore inventum sit istius Sancti sepulcrum, apertumque, ac erectum super illo templum, ut dictum est ad eumdem diem* ix *Februarii pag. 320. Adde, quæ ibidem a pag. 19 præmissa erant de Ducibus Beneventanis Catholicis. Ex his itaque fit probabile, Longobardos pie tunc temporis erga Sanctorum sepulcra fuisse affectos.*

8 *In*

A *et ubi inventum* 8 *In eisdem porro recentioribus lectionibus memoratur corpus Sancti* a Decoroso episcopo in basilica S. Petri apostoli inventum, ad ecclesiam sanctorum Stephani et Agathæ solemni pompa translatum esse. *Res gesta etiam narratur inter novem lectiones antiquiores Sanctuario Capuano insertas, ut ibidem licet videre pag. 43, atque hinc illa etiam confirmari potest. De ecclesia autem S. Petri disserit ejusdem Sanctuarii collector in notationibus pag. 46 et 47 :* Hæc est, *ait,* ecclesia, quæ dicitur S. Petri ad Corpus, nimirum in corpore, id est, in meditullio veteris Capuæ. Ego aliquando censui ecclesiam S. Petri ad Corpus fuisse Constantinianam, id est, ecclesiam a Constantino magno Capuæ ad honorem SS. Apostolorum ædificatam. *Deinde propositis pro hac priore sua sententia rationibus,* Nunc vero, *inquit,* post impressum Herempertum *(qui vivebat anno 888,)* opera ac studio Antonii Caraccioli ex Ordine Cleric. Regul. presbyteri, *quem merito laudat ab eruditione,* cogor mutare sententiam. Herempertus enim loquens de Arechi adolescente, deinde principe Longobardorum, habet B illam ecclesiam, quam Constantinus magnus S. Apostolis ædificavit, dedicavitque, deinde illam ipsam a S. Germano episcopo S. Stephani vocatam esse.

S. Rufini corpus. 9 Verba sunt, *quæ nos damus ex impressa Heremperti Epitome pag. 86 :* Quadam quippe die, dum cum suo principe (Luitprando) in ecclesia B. protomartyris Stephani (quæ constructa est in veterrima urbe Capuæ ab imperatore Helenæ filio Constantino, eaque in honorem omnium Apostolorum dedicata, licet postea a beatissimo Germano ejusdem urbis episcopo, ob collatas ab imperatore reliquias B. protomartyris Stephani, nec non et B. Agathæ virginis, proinde ea in honorem protomartyris Stephani vocata est :) dum, ut diximus, in eamdem ecclesiam, Longobardorum more accincti pugionibus altrinsecus, introissent *etc.* Neque quis putet, *(uti subdit Monachus)* illum ignorasse ecclesiam S. Petri distinctam ab ecclesia S. Stephani : ille enim scribens divisionem Capuani episcopatus, ipso vivente factam a Papa Joanne VIII, de ecclesia S. Stephani, et de ecclesia Petri distincte loquitur. Igitur Constantiniana non fuit ecclesia, quæ dicitur S. Petri ad Corpus; C sed quæ dicitur S. Stephani in Capua veteri. *Postquam hæc potulerat argumenta laudatus Sacrarii Capuani collector pro utriusque ecclesiæ istius distinctione, subdit objectiones et responsiones, quæ apud ipsum legi possunt.*

et quo inde translatum fuerit. 10 *Quæri præterea potest, quo loco S. Rufini corpus in ecclesia SS. Stephani et Agathæ depositum fuerit, quem superiores lectiones tres tacitum indictumque reliquere :* Ut habet antiquorum firma relatio, credimus, *inquit Monachus in notationibus pag. 45,* S. Rufini corpus in cathedrali conditum esse subtus altare, quod est a meridie, in capite alæ. Fuit, quæ non multis ab hinc annis est intermissa, consuetudo, ut in festo hujus Sancti, cantatis Vesperis, presbyter hebdomadarius pluviali indutus, ad illud altare accederet, et in eo cantaret orationem Propitiare, *de qua superius num. 1. Ughellus col. 350* Metropolitana basilica, *ait,* novæ Capuæ ex nobilis architecturæ præceptis mirifice exornata exurgit, SS. Stephano protomartyri et D. Agathæ V. et mart. tutelaribus consecrata. *Ad metropolitanam vero dignitatem evecta fuit a Joanne PP. XIII anno 968, ut idem Ughellus scribit col. 390;* vel juxta recentiorem Chron. Cassinensis editionem, anno nongentesimo septuagesimo primo, *uti additur in Sanctuario Capuano pag. 382; ubi observat ejusdem collector, antiquiorem esse hanc Capuanam dignitatem, ita loquens :* Sed profecto dicere possumus a Papa Joanne XIII non institutam, sed restitutam Capuæ metropoliticam dignitatem. *Argumentum hoc pluribus deinde deductum inspici apud ipsum potest. De prima autem ecclesia cathedrali Capuæ antiquæ sub nomine S. Petri apostoli, abunde jam dictum est; de qua etiam meminit Ughellus col. 349.* Auctore J. P.

§ II. Miraculum e veteri Ms. relatum.

Miraculum hoc ob varias rationes N*e cuiquam mirum videatur, me hoc loco rursus agere de miraculo ad* S. Rufini *corpus patrato, quod superius in tribus lectionibus ejus recentioribus prolatum fuit, quodque legitur præterea in lectionibus antiquioribus antea* E *indicatis, nec non apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die* XXVI *Augusti. Nam quænam me moverint, ut ita facerem, eloquar. Primo, quia miraculum illud non e teste dumtaxat qualicumque oculato ad posteros transmissum est, sed etiam ab ipso S. Decoroso episcopo Capuano, qui rei gestæ interfuit, in eaque partem habuit, conscriptum vel dictatum, saltem ex parte, prout colligitur ex hisce characteribus :* Ego Decorosus indignus episcopus, cum descenderem ad orationem... audivi vocem lugubrem *etc. Hoc etiam suadent aliæ expressiones, quæ historiæ laudati miraculi inseruntur, uti planum fiet, si quis eam perlegerit. Totum vero narrationis contextum non esse ejusdem S. Decorosi, illud certe indicio est vel unicum,* cum B. vir Decorosus, *ne alia commemorem, quæ videntur esse calami alterius, ac temporis. Secundo, quia ex hoc instrumento veritas prædicti miraculi valide roboratur. Tertio, quia varia in eodem referuntur rei gestæ adjuncta. Quarto, quia in eo notatur character anni, quo circiter factum acciderit. Postremo, quia tamquam venerabile utcumque priscæ antiquitatis monumen-* F *tum, locum in nostro Opere videtur aliquem mereri. Apographum porro, e quo illud damus, manu Papebrochii nostri, qui hoc transcripsit, notatur desumptum* ex Cod. membr. Caroli Strozzi senat. Florent. num. 5. *Quædam in eodem nostro apographo supplentur, quæ uncinis inclusa sunt. Alicubi etiam ponitur participium, ut vocant, verbi, pro alio verbi modo. Supersunt nonnulla alia observanda, de quibus infra post hanc ipsam historiam, quæ memorat sequentia :*

denuo 12 Licet omnium Sanctorum veneranda gesta revereantur, ac piis animis legantur et audiantur, nec quisquam possit sive legendo sive audiendo gesta Sanctorum, piger aut fide tepidus remanere, ut non discussa mentis infirmitate alacer ad ejusdem Sancti venerabilis palmam festinare contendat : tamen quoties sancti Confessoris solennia celebrantur, ipso intercedente exspectemus a Domino consequi temporalia beneficia : sicut præsens annua festivitas lætiorem nobis reddidit diem, quem venerabilis cœtus accumulat, et frequentia nostri conventus exornat. Laus est enim Dei, cum justorum memoria extollitur,

AUCTORE J. P.

litur, ædificatio meritis trahitur, honor confessoribus exhibetur, et Sanctis omnibus cum Christo gaudentibus Christianus populus hæc peragens liberatur a malo, et vitam meretur æternam. Micant per universum orbem terrarum exempla sanctorum confessorum, de quibus cum summa delectatione spiritalis psalmus dulcissimæ cantilenæ nobis subjungitur : Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quapropter et nos deponentes lugubre mœroris pallium, accipiamus indumentum lætitiæ præsentis, S. Rufini confessoris solennitate gaudentes : de cujus miraculo, quantum Deus donaverit, pia devotione ad memoriam revocemus.

refertur

13 Temporibus siquidem nobilissimi Justiniani imperatoris, et Gratinali * ducis junioris gentis Longobardorum civitas Beneventanorum *, et qualiter reperta fuerit memoria B. Rufini confessoris in Capuana civitate in provincia Campaniæ, dicere non pigebit. Nam, sicut superius diximus, tempore supra memorati principis cum B. vir Decorosus eamdem regebat sedem, accidit, ut quadam die, dum legeremus in martyrologio antiquo, invenimus scriptum, ubi legebatur : B Natale S. Rufini VIII Kal. Sept., et insequenti die intermissam natalem S. Rufini [VII] Kal. Sept. Nos autem ignorantes, ubi ejusdem Sancti corpus requiesceret, cœpimus inquirere per seniores civitatis, quo in loco quiesceret prædictum sanctum floridum corpus : qui respondentes dixerunt : In cœmiterio S. Rufi in monumento juxta basilicam B. Petri apostoli. Et cum repertum B. Rufini ibidem corpus fuisset, nos cum gaudio convocantes episcopos et sacerdotes, sanctamque Dei plebem universam, cum hymnis et laudibus sanctum ejus corpus de monumento auferentes, ubi sub ipso tempore quiescebat. His transactis transferentes eum, recondidimus eum in ecclesia beatissimorum Christi martyrum Stephani et Agathæ, ubi nunc nitide requiescit. Nam infra anni circulum affuit virtus divina gratia Christi, ut adimpleretur illud, quod psalmographus Vates canit : Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

* l. Grimoaldi
* an in civitate ?

14 Contigit autem, ut infantulus cujusdam filius nomine Andoaldus magnis febribus teneretur, in tantum, ut nec cibum acciperet, nec C matris ubera sugeret; sed etiam pene in mortem oculis clausis tantum modici flatus aliquid in extremo limite retinebat. Quod cum viderent parentes ejus, et quod nulla esset spes vitæ, divina inspiratione admoniti sustulerunt eum cum planctu magno ante fores ecclesiæ BB. mart. Stephani et Agathæ. Et factum est in eadem die, hora quasi quarta, ego Decorosus indignus episcopus cum descenderem ad orationem in eadem ecclesia exorare Deum omnipotentem, audivi vocem lugubrem luctuosam ante fores ecclesiæ; et dum exirem ante regias * ecclesiæ, ut viderem, unde esset iste luctus; inveni eos stantes in atrio, tenentes in manibus infantulum jam pene mortuum, oculos clausos habentem : et dum inquirerem, quid hoc esset, dixerunt : Quoniam infantulus iste nobis moritur. Et item statim subjungit mater ejus : Domine, inquit, indica nobis locum, ubi requiescit B. Rufus. [Respondi :] Juxta quemdam locum, qui ab hominibus Macerata nuncupatur, requiescit.

e Ms.

* i. e. portam majorem

15 At illi dixerunt : Domine, nos illum Sanctum quærimus, quem hic ante hoc tempus adduxistis. Quibus ille dixit : Ergo S. Rufinum vultis dicere. Venite, et ego ostendam vobis locum. Tunc ingressus est cum eis in ecclesiam, D et duxit illos ad corpus B. Rufini. Tunc mulier projiciens filium suum ante confessionem * B. Rufini, dixit : Ecce, S. Rufine, hic habes servum tuum, et quod tibi est placitum, de ipso cogita. Et, relicto infante, exiit foras * ecclesiæ, sedens et amarissime filium suum lugens. Episcopus autem cum infante solus remansit : et respiciens eum neque caput moventem, neque manus, neque pedes agitantem, neque oculos aperientem, sed similem mortuo jacentem, cœpit in corde suo pro eodem Omnipotentem suppliciter deprecari, et B. Rufinum, ut visitatione sua sancta visitare dignaretur servum suum. Et exiens clausit ipsis religiolas *, quæ sunt ante altare, et reversus sedit super poggium, quod est ante ingressum de episcopio, tacitus tantum in corde suo orans de ipsa nocenti re.

Strozziano

* i. e. ante altare, subter quo B. Rufini corpus
* f. fores

* f. regiolas

16 Et, ecce, media hora interfuit, credo inspiratio divina venit in matrem infantis, sicut in Maria Magdalena, quæ prius prospexit in monumento, et vidit duos angelos sedentes, unum ad caput, et alium ad pedes : qui dicunt ei : Noli flere : ita et in corde matris infantis affuit inspiratio divina Spiritus sancti, ut non amplius E fleret, sed magis gauderet. Exsurgens autem de loco, ubi sedebat, ingressa est cum summa festinatione in ecclesia. Cum vero pervenisset ad religiolas, quæ sunt ante altare, quas præsul clauserat, vidit infantem sanum et incolumem circa altare ambulantem : et gaudens apprehendit eum, et veniens ante gradum, ubi præsul sedebat; et dixit ei : Ecce, domine, inveni istum infantem filium meum in nomine Domini, et B. Rufini, sanum circa altare ambulantem; quid jubes, ut faciam de eo? Tunc præsul cœpit in corde suo gratias agens Deo, et S. Rufino, qui dignatus est ostendere mirabilia in servum suum : dixitque mulieri : Vade, et age gratias Deo, et S. Rufino, et duc istum filium tuum in domum tuam, et adhibe ei diligentiam et servitutem tuam. Fac votum B. Rufino, et celerius eum revoca. Et respondit mulier : Ego tale votum feci, ut, si resuscitaret eum, ibi tonderet * capillos ejus : et hic serviat cunctis diebus vitæ suæ. Et ait præsul ad eam : Vade, et, sicut promisisti, adimple. At illa tollens infantem suum, reversa est cum gaudio in domum F suam, ad laudem et gloriam D. N. Jesu Christi, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

transcriptum :

* l. tonderet

17 *Quæ autem super hoc instrumento observanda indicabam, sunt ista :* Temporibus siquidem nobilissimi Justiniani imperatoris, et Grimoaldi ducis Junioris Gentis Longobardorum *etc. Sanctuarium Capuanum pag. 42 sic legit* : Temporibus Justiniani Minoris imperatoris, filii Constantini, sub Sergio Papa, atque Grimoaldo Duce Longobardorum, erat quidam religiosus valde, nomine Decorosus, in sede Capuanæ ecclesiæ episcopus. *Imperare cœpit* Justinianus Minor, *sive secundus, anno Christi 685, ob præcisas nares Rhinotmetus a posteris appellatus, sub cujus imperio creatus est S. Sergius PP. I die* XXVI *Decembris anno 687, mortuus anno 701. Hoc Pontifice sedente creditur obiisse S. Decorosus, sicut dictum est ad diem* XV *Februarii, tomo* II, *pag. 842 :* Grimoaldum vero ex Duce creatum esse regem Longobardorum anno DCLXII, aut sequente, *secundum dicta apud nos die* IX *Februarii ad Vitam S. Sabini episcopi Ca-*

super quo

nusini

A *nisini § 10, num. 60, asseritur eadem pagina 842. Sed hic non est Grimoaldus ille, de quo agit nostrum instrumentum, quique mendose in eodem vocatur* Gratinaldus; *sed alius synonymus, qui ante hunc vixit, et* obiit sub annum DCLXXI, *sicut dicitur num. 60 mox citato. Jam vero cum in apographo nostro apponatur characterismus* junioris, *non possum dubitare, quin hic sit a priore synonymo diversus, Romualdi nempe filius, anno 687 patri subrogatus adhuc adolescens, ac tertio principatus sui anno mortuus, ex dictis ibidem apud nos num. 62.*

varia

18 *Grimoaldum porro hunc non satis perspectum habuit Michael Monachus, quia in suo exemplari notam hanc characteristicam* Junioris *non reperit : in notationibus enim ad S. Decorosum pag. 21, ad vocem* temporibus Justiniani etc., *de quibus supra, hæc scribit :* Hoc non est ita accipiendum, quasi imperatoris Justiniani, Sergii Papæ, et ducis Grimoaldi tempora convenerint; sed ut intelligamus, et Justiniani, et Sergii, et Grimoaldi tempore S. Decorosum in episcopatu vixisse... Grimoaldus fuit quintus Dux Longobardorum..., qui ex Duce factus est B rex... Sunt qui prætermittant Gisulfum primum, ac septimum Ducem, et pro Romoaldo secundo, octavo Duce, nominant Grimoaldum alterum. Hæc nostra parum intersunt : quia sive unus, sive duo Grimoaldi fuerint, Breviarium de primo loquitur : nam si de altero loqueretur, aliquod distinctionis signum apposuisset, quemadmodum in nominando Justiniano secundo ad differentiam primi, juniorem eum appellavit. *Grimoaldus autem junior ille sive secundus, in serie Ducum Beneventanorum apud nos § 10 supra citato, num. 62, ponitur inter eos decimus quartus, et num. 63 dicitur sub illo, ac sub Theodorada ejus matre inventum corpus S. Sabini episcopi Canusini. Jam vero quoniam Grimoaldus junior principatum gessit ab anno 687 usque ad annum 690, ex jam dictis; sequitur secundum apographum nostrum, ut sæpe dictum miraculum intra illud triennium acciderit, ac suppleri possit defectus lectionum recentiorum et antiquiorum, quæ sic de illo miraculo habent :* Contigit eodem anno *etc., quem ex adjunctis extundere non possum. Nunc alia quædam in nostro Ms. consideranda se offerunt.*

AUCTORE J. P.

a nobis observantur.

19 *Ibidem num. 14 occurrit* infantulus cujusdam filius, nomine Andoaldus. *Sed in lectionibus recentioribus, et antiquioribus apud Monachum legitur pag. 43* cujusdam nobilis Audoaldi filius. *Numero eodem ponitur* B. Rufus. *De duobus Rufis, uno episcopo ac martyre, et altero etiam martyre agit Martyrologium Romanum die* XXVII *Augusti, Capuæ utrumque annuntians. Dicto die discutere conabimur ea, quæ ad ipsos spectant. Num. 15 et 16 ponit exemplar nostrum* religiolas; *Monachus in suo pag. 44 legit* regiolas, *qua voce in annotationibus pag. 48 intelligit* ostiola in cancellis circum altare. E *Apud Cangium vero in auctiore Glossarii ejus editione ad nomen* regia *quarto loco positum (cujus diminutivum est* regiola) *sumitur ea vox pro ipsis* cancellis in ecclesiis, qui vulgo separant chorum seu sanctuarium a navi. *Denique num. 15 pro* reversus sedit super poggium, quod est ante ingressum de episcopio; legitur apud Michaelem exiens, sedebat ante fores ecclesiæ. *Per poggium autem hic intelligi videtur fulcrum vel sedile super gradus positum, prout colligitur ex sequentibus num. 16,* veniens ante gradum, ubi præsul sedebat. *Præter hæc, de quibus lectorem instruendum duxi, alia non habeo, quæ debeant cum morari.*

DE S. EULALIO SEU EULADIO

EPISCOPO NIVERNENSI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA.

J. P.

C F

Cultus Sancti ; alius cum eo perperam confusus ; nonnulla de hoc argumento corollaria.

SUB, VEL NON DIU POST INITIUM SECULI VI.

Annuntiatur hac die in variis Fastis sacris.

Nivernum, *de quo egimus tomo* III *Augusti pag. 295, celebrat hodierna die annuam hujus sancti Episcopi sui memoriam. Alicubi annuntiatur die* IV *ejusdem mensis, ut videre datur ibidem inter Prætermissos ; sed tunc indicavimus, nos de eo ex professo acturos die* XXVI *Augusti. Et vero dies hæc tamquam cultui ejus propria notatur in Fastis sacris. Inter auctaria ad Martyrologium Usuardi a nobis editi ita tunc refertur e codicibus Victorino et reginæ Sueciæ :* Nivernis civitate, natalis sancti Eulalii episcopi et confessoris. *Maurolycus ac Ferrarius; quibus adde Saussayum in Supplemento, eodem modo exprimunt ipsius nomen.* Euladius *vocatur a Castellano. Miramur, in novo Martyrologio Parisiensi scribi* Æoladium, *et sic annuntiari :* Nivernis, sancti Æoladii episcopi, qui concilio Lugdunensi secundo interfuit. *Hic enim cur præsenti die confusus, cum a priore sit omnino diversus? Confusum dico, quia præter Fastos modo citatos,* S. Eulalium XXVI *Augusti pro Sancto haberi in diœcesi Nivernensi, ac festum ejus quotannis celebrari testatur Michael Cotignon in Catalogo historiali episcoporum Nivernensium pag. 7. Adde Guidonem Coquille in Historia Nivernensi, anno 1622 Parisiis edita, pag. 39 ; ubi etiamsi* Euladium *seu* Eulalium *et* Eoladium *in unam conflet personam, festum tamen incidere indicat in prædictum diem.* Euladium *vero prorsus esse diversum ab* Æoladio, *dicetur postea.*

Refertur

2 *Omnia pene hujus sancti Viri gesta nobis invidit obliviosa antiquitas. Inter paucula vero, quæ de illo supersunt, referri meretur sanatio illa prodigiosa, quam S. Severinus abbas Agaunensis, dum ex Agaunensi cœnobio in Franciam proficisceretur, ut regi Clodovæo I, a duobus jam annis ægrotanti, pristinam restitueret valetudinem, Nivernum transiens sancto nostro Præsuli*

AUCTORE J. P.

suli contulit mirabili prorsus modo. Factum narratur apud nos tomo II Februarii in Vita S. Severini, quæ habetur ad diem XI ejusdem mensis: ubi pag. 549 memorantur de eo ista: Protinus de loco (monasterio videlicet Agaunensi) secedens carpebat cœptum itineris callem: cumque jam spatio itineris majori ex parte lustrato Nivernum civitatem pervenisset, vir sanctus orandi gratia ecclesiam Dei divertens intravit: et ibi cum orasset, custodes ecclesiæ, velut ignarus, statim interrogat, Ubi est, inquiens, Pontifex vester, fratres? Custodes vero respondentes dixerunt: Pontifex vel episcopus noster Eulalius jam ab anno priore peste percussus gravissima, est mutus et surdus, grabatoque pene ad mortem jacet, fessus: et secundus jam inceptus annus est, ex quo nec altario sacrificavit, nec populum ex more benedixit, nec prorsus, quod gravius est, de stratu suo surgere valuit: sed sæpissime a ministris magis mortuus æstimatur, quam vivus.

sanatio prodigiosa; B

3 Quibus ipse vir Domini pio compassus affectu dicebat: Num intrare ad eum visitandi caussa potero, ut saltem illi verba salutis referam pauca? At illi continuo, Veni, inquiunt, domine pater, et ad eum statim, ut velis, ingredere. Itaque reverentissimus Dei servus Severinus cubiculum Pontificis ingressus, pervenit festinus, in quo jacebat episcopus Eulalius, anno integro linguæ et aurium privatus officio. Cumque in eum esset intuitus, cœpit ejus condolere ægritudini, ac se protinus in orationem dans, Deum studiose deprecabatur pro ejus restauranda incolumitate. Et cum diutissime in terram prostratus orasset, surrexit concitus, convertensque se ad Eulalium, dixit ei: Loquere, quæso, Dei Pontifex, mecum. Cui Eulalius præsul, eatenus mutus et surdus, illico respondens, Benedic, inquit, me, vir Dei sanctissime, qui ad salutem meam missus a Domino Jesu Christo venisti, ut curares me ab infirmitate mea. Sit etiam nomen Domini in cunctis seculis benedictum, qui per te mei misereri dignatus est.

quam S. Severinus, abbas Agaunensis C

4 Devotus denique famulus Dei Severinus porrigens illi manum, allevavit eum, et dixit: Surge, serve Dei, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et te vestimentis tuis indue, gratias agens et congratulans flagellis ejus, qui te ad hoc castigavit, ut salvaret; ad hoc flagellavit, ut coronaret. Hodie siquidem altario Dei mecum vota ex more persolvens, plebem tibi subjectam benedices. Adhuc autem eo loquente, confestim Eulalius episcopus, erigens se a lecto, gratias Deo reddebat, qui per famulum suum Severinum tantam super eum manifestaverat virtutem, ut ab imminentis mortis periculo ejus precibus eriperetur. Eadem itaque die sanitati redditus, Missas quoque continuo celebrans, populum benedixit. Admirantur universi, qui illic aderant, eum tam subito de infirmitatis convaluisse molestia, grates Deo reddentes debitas pro redintegratione Pastoris eorum.

ei reddidit.

5 O quam mira Dei clementia, et quam ineffabile ejus pietatis donum! Siquidem iste Præsul verbo debilis et auditu, ita unius horæ articulo integritati restituitur pristinæ, ut nulla penitus in eo languoris fuisse putaretur calamitas. *Hæc apud nos loco supra citato sunt edita, auctore Anonymo, ex duobus veteribus Mss. Verum prodigiosa illa sanatio multo brevius narratur in Vita S. Severini prædicti inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti apud Mabillonium seculo 1 pag. 569, quam Vitam Faustus monachus, S. Severini discipulus condidit: cujus narratio, S. Eulalii sanationem referens, tanto magis placere debet lectori, quanto ab Anonymi interpolatione est remotior. Res autem gesta narratur a Cointio in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad an. 506 num. 3, uti etiam a Longuevallio in Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo 2, lib. 5, pag. 284.* D

S. Eulalium

6 *Legendam de* S. Eulalio, *quæ in Nivernensi exstat Breviario, reformandam affirmat Cotignonus in duabus rebus, quarum prima sit posita in eo, quod dicat,* S. Eulalium *exstitisse tempore Clodovæi II; nam sub rege synonymo istius nominis primo Sanctum vixisse, recte observat; et manifeste hoc patet ex historia prodigiosæ sanationis, quam antea recitavimus. Aliud, in quo Breviarium corrigit, illud est, quod in eodem dicatur* Eulalius *interfuisse concilio primo Lugdunensi, anno sexto regni Guntramni, Aurelianensium ac Burgundionum regis. Hæc paucula summatim ex laudato auctore contraxisse sufficiat: quæ autem hisce subjungit, transcribere supersedemus, cum paulo post exponenda et declaranda sint pluribus, quæ conducant in rem nostram. Sed nunc interea temporis alium scriptorem convenire juvat.* E

cum S. Æoladio

7 *Guido Coquillius antea citatus dat quintum locum* S. Euladio *vel* Eulalio *inter præsules cathedræ Nivernensis; Clodovæo II, Francorum regi, synchronum, in primo concilio Lugdunensi* Eoladii *nomine appellatum, a S. Severino sanatum, ejusdemque festum celebrari indicat die* XXVI *Augusti. Sed quanta apud Coquillium sit facta confusio, propterea quod duos præsules in unum conflat, proxime dicemus. Cotignonus vero unum ab altero recte secrevit. Res sufficienter se evolvent ex Cointio in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo 1, ad an. Christi 506, num. 7; ubi præter alias quæstiones, de quibus antea egerat, occasione S. Severini abbatis,* Quarta, *inquit,* quæstio moveri potest super Eulalio Niverni pontifice, quem Severinus abbas, Agauno Parisios proficiscens, iterque per Burgundiam faciens, sanavit.

perperam confundi. F

8 Sammarthani, qui Nivernensium antistitum postremum catalogum ediderunt, nullam mentionem fecerunt Eulalii, lucubrationemque suam exorsi sunt a Tauriciano episcopo, qui concilio Epaonensi sub Sigismundo Burgundiæ rege, anno Christi quingentesimo decimo septimo subscripsit. Coquillius Eulalium perperam confudit cum Æoladio, qui sub Guntchramno rege diœcesim Nivernensem rexit: nam quamdiu Guntchramnus regnavit, in aliis Franciæ partibus nullus Clodoveus principatum gessit. In Breviario, quod Arnaldus Sorbinus episcopus Nivernensis anno Christi millesimo sexcentesimo recognovit, Clodoveus, qui sanitatem precibus abbatis Severini recuperavit, hujus nominis secundus appellatur errore non minori; quia Clodoveus secundus annum regni vicesimum quintum non attigit, et in Agaunensium abbatum nomenclatura non reperitur Severinus, qui regnante Clodoveo secundo monasterium Agaunense gubernarit.

ex Cointio,

9 Distinguendi sunt Euladius et Æoladius, quorum ille in Breviario Nivernensi colitur septimo Kalendas Septembris; hic in Supplemento Martyrologii Gallicani *(apud Saussayum)* quarto Kalendas Martii, et ex Actis Severini supra laudatis servandus est in Nivernensium antistitum catalogo beatus Eulalius, qui sub Gundobado

na-

AUCTORE J. P.

A Burgundiæ rege, Sigismundi patre floruit, Tauricianum in pontificatu antecessit, et anno Christi quingentesimo sexto pristinæ valetudini restitutus est ab Agaunensi abbate Severino : quem Clodoveus hujus nominis primus, Franciæ rex ægrotans anno regni sui vicesimo quinto Lutetiam evocabat. *Hæc Cointius, non obscure probans e characteribus chronologicis,* SS. Euladium *ac* Æoladium *non confundendos, addito etiam cultus unius ac alterius diebus omnino diversis.*

et Henschenio

10 *Ad majorem vero hujus materiæ confirmationem ac declarationem, juvat hisce subjungere, quæ Henschenius noster in rem præsentem ante Cointium edidit tomo* III *Februarii pag. 663, ad diem* XXVI *ejusdem mensis, quo de SS. Æoladio et Agricola episcopis Nivernensibus tractat, eademque opportunitate Æoladium ab* Eulalio *diversum esse probat his verbis :* Numeratur S. Eulalius Nivernensium IV episcopus, quem tempore Chlodovei primi Francorum regis S. Severinus abbas Agaunensis. . . curavit. . . Hunc Eulalium coli XXVI Augusti tradunt Saussaius in Supplemento, et Coquillius pag. 39; ubi novo errore *(de alio scripserat paullo ante)* B eumdem S. Agricolæ successorem statuit. Verum S. Eulalio aut sub Chlodoveo I, aut proximis post obitum ejus annis vita functo, ecclesiam Nivernensem gubernarunt Tauricianus, qui anno DXVII interfuit Epaonensi synodo : deinde Rusticus, qui Aurelianensi III subscripsit anno DXXXV aut sequente, et Aurelianensi IV circa annum DXLI habitæ : Aregius seu potius Aridius Aurelianensi V anno DXLVII, et Parisiensi II circa annum DLV, ubi Aridius scribitur, pro quo apud Coquillium, Chenu, et Robertum Clementinus legitur; sed is Aptensis episcopus utrique concilio subscripsit.

probatur.

11 Substituitur Euphronius a Chenu, et Roberto, diciturque subscripsisse privilegio S. Germani episcopi Parisiensis pro monasterio S. Vincentii, anno Chariberti V, Christi DLXV. Huic tum successit S. Æoladius, qui Lugdunensi II anno DLXVI subscripsit his verbis : « Æoladius » in Christi nomine episcopus ecclesiæ Never- » nensis subscripsi. » *Deinde laudatus Henschenius, prolato ejus epitaphio e Claudio Roberto, hæc subdit :* A Joanne Chenu S. Æolalius sive C Æoladius appellatur, de quo quot annis sederit, aut quando migrarit e vita, non constat. Successor ejus fuit S. Agricola, nonnullis Agricolus et Agricolaus, Gallice S. Arigle. Interfuit conciliis Matisconensi I, Lugdunensi III, et Matisconensi II, annis Christi primo, tertio et quinto supra quingentesimum octogesimum. Interfuit etiam conventui episcoporum apud Gunthramnum regem, et cum aliis confirmavit excommunicationem, ante ab episcopis Pictavii congregatis latam in Chrodieldem, et reliquas sanctimoniales, quæ anno DLXXXIX e monasterio S. Radegundis recesserant *etc. Habes, lector, chronotaxim Henschenii, qua superiores præsules Nivernenses ordini temporis ac sedis restituere conatus est. Huc interim transcribere visum est, quæ tum ipse, tum Cointius supra allegatus ad nostrum propositum memorarunt. Plus fortasse aliquid in hoc argumento videbunt eruditi continuatores in sua editione nova Galliæ Christianæ, quando pervenerint ad metropolitanam cathedram Senonensem, cui suffraganea est Nivernensis.*

Varia

12 *Reliquum est, ut ex dictis aliquot corollaria deducamus. Primo, satis superque probatum videtur, duos præsules Nivernenses exstitisse ejusdem fere nominis, ac seculi ejusdem, sexti videlicet æræ vulgaris, diversis tamen characteribus ita inter se distinctos, ut unus cum alio confundi non possit. Secundo, sequitur ex observationibus superioribus,* Euladium *seu* Eulalium *seniorem fuisse Æoladio in episcopatu Nivernensi : et hunc quidem interfuisse concilio secundo Lugdunensi, non vero illum, qui a medio circiter seculo tunc obierat. Tertio, cur autem Æoladius in novo Martyrologio Parisiensi annuntietur hac die* XXVI *Augusti, apposito ad marginem anno circiter 580, qui alibi colitur die* XXVI *Februarii, perspectum non habemus; sed putamus, ipsum perperam huc intrusum, sicut indicavimus supra num. 1. Eodem etiam Februarii die nihil de eo invenimus apud Castellanum. Quarto, ad tempus Vitæ quod attinet; floruisse quidem constat* S. Euladium *ineunte seculo Christi sexto; quamdiu autem postmodum supervixerit, aut quo anno vivere desierit, non item.*

ex præcedentibus

13 *Quod vero tempus vitæ non protaxerit post annum 517, conficitur ex proximo ipsius* E *successore Tauriciano, qui isto anno interfuit Epaonensi synodo secundum præmissa superius num. 10; non autem versus annum 525, quem signat Castellanus in margine ad suam annuntiationem, antea a nobis prolatam num. 1. Sed in suis correctionibus et additionibus pag. 978 indicat ponendum seculum sextum : quæ temporis notatio præterquam quod valde vaga sit et indeterminata, convenit etiam S. Æoladio. Nos itaque determinatius* S. Euladii *obitum posuimus sub vel non diu post initium seculi sexti. Hinc proponi potest alia quæstio, cui utcumque solvendæ tempus illud est accommodatum, præsertim si addas circumstantias alias; de qua re accipe sequentia.*

deducuntur corollaria.

14 *Quinto, S. Ennodius episcopus Ticinensis, de quo egimus ad diem* XVII *Julii, tomo* IV *ejusdem mensis pag. 271 et sequentibus, inter epistolas suas alias, habet duas, nimirum lib. 3 epistolam 18, pag. 92; et lib. 4 epistolam 3, pag. 107, (Utimur editione Sirmondiana) quæ* Eulalio episcopo *inscribuntur; nostrone an alteri synonymo? Sirmondus in notis ad dictam epistolam 18, pag. 18,* Vide, *inquit,* an Syracusano, qui synodis aliquot Symmachi Papæ F interfuit, et multis laudibus ornatur in Vita S. Fulgentii. Sed fieri potest, ut alios etiam habuerit ætas illa ejusdem nominis episcopos. *Habuit certe nostrum Nivernensem. Bollandus noster ad hanc Sirmondi observationem apposuit sua manu notulam istam marginalem :* Videtur esse Nivernensis, de quo in Vita S. Severini Agaunensis XI Febr., *uti inter Annotata ad eamdem Vitam pag. 550 etiam indicatum est. Nihil vero locus ac genus facere videntur pro hac opinione. Non locus, quia Ticinum ac Nivernum longe admodum distant inter se, atque adeo hinc non apparet, excludendum esse Eulalium episcopum Syracusanum in Sicilia, cui epistolæ illæ fuerint inscriptæ. Non genus; licet, ut apud Sirmondum legitur in Ennodii Vita, illud traxit ex Gallia.* Ennodius, *inquit,* Gallum se prosapia, Gallisque parentibus procreatum, non semel testatus est. An vero in Gallia, hoc est Arelate, unde illi origo, et quam dulcem sedem vocat; an, quod potius reor, in Liguria Mediolani natus sit, incertum reliquit Mediolani certe a puero larem habuit. *Consuli præterea possunt, quæ de ejus genere extant*

AUCTORE J. P.

stant apud nos tomo IV *supra citato pag. 271. Dum vero Arelatem nuncupat* dulcem sedem, *non obscure innuit, se ibidem loci habitasse seu* D *sedem fixisse : unde illi facilis forte aditus patuerit ad notitiam, et forte ad quamdam etiam familiaritatem cum nostro Præsule Nivernensi.*

DE BEATA PELAGIA VIDUA

APUD LEMOVICES IN GALLIA

G. C.

SYLLOGE HISTORICA.

Antiquus hujus Beatæ cultus, Acta, et miracula.

CIRCA AN. DLXX. *Hæc pia Vidua passim vocatur sancta*

Longuevallius noster *in Historia ecclesiæ Gallicanæ lib. 7 ad annum Christi 577, sive tomo 3 istius Operis Gallici pag. 107 asserit,* Pelagiam *sancti Aredii matrem die secunda Augusti tamquam* B sanctam *honorari. At utinam scriptor ille certa hujus cultus adhuc perseverantis argumenta nobis assignasset! Unde Sollerius, collega noster, forsan de legitimo* Pelagiæ *cultu dubitans, aut majorem hac in re lucem exspectans, illam die secunda Augusti in Prætermissis et in alios pies dilatis collocavit, ut tomo 1 Augusti pag. 108 legi potest, ubi examen hujus piæ Viduæ remisit ad hodiernum diem, quo apud recentiores Martyrologos, et Ruinartium in nova editione Operum S. Gregorii Turonensis col. 983 ad marginem annuntiatur.*

ab auctoribus modernis, 2 *Interea PP. Benedictini e Congregatione sancti Mauri Gallice ediderunt Historiam litterariam Franciæ, ubi tomo 3 istius Operis pag. 365 eamdem sancti Aredii Matrem titulo* sanctæ *appellarunt. Non est autem ratio, ob quam suspicemur, Longuevallium nostrum, et Benedictinos illos Gallos temere vel absque ulla veritatis notitia huic Viduæ cultum ac titulum* sanctæ *tribuisse. Jam diu ante ipsos huic piæ Matronæ eumdem* sanctæ *titulum adscripserat Arturus du Monstier, dum eam in Gynæceo suo sacro ad diem* XXVI *Augusti annuntiat his verbis :* In territorio Lemovicensi sanctæ Pelagiæ viduæ, ma- C tris sancti Aredii abbatis, valde religiosæ feminæ et signis admirandis illustris. *Quamvis Arturus in notis ibidem Saussayum pro sua annuntiatione citet, tamen hic illi posset opponi, cum Saussayus parte 2 Martyrologii sui Gallicani pag. 1241 annuam hujus religiosæ Matronæ memoriam sine ullo sanctitatis titulo ad diem* XXVI *Augusti sic caute referat :* Pelagia pia mater sancti Aredii abbatis, qui ejus assensu sectator Crucifixi factus, copiosum patrimonium in pauperes distraxit. *At parum nos movet illa cautio Saussayi, qui hic præter morem suum scrupulosus apparet, cum habeamus antiquiora sanctitatis ejus testimonia, quæ nunc allegabimus.*

et antiquis. 3 *Primo Bernardus Guidonis episcopus Lutevensis in Tractatu de Sanctis, qui diœcesim Lemovicensem ornant, apud Labbeum nostrum tomo 1 Bibliothecæ Mss. librorum pag. 631 inter illos S. Aredium abbatem recenset, ut die præcedente in Actis hujus Sancti retulimus, et statim de Matre ejus hæc subjungit :* Sancta quoque ac beata Pelagia mater sancti Aredii requiescit in eadem ecclesia filii sui *(nimirum Atanensis monasterii, de quo scriptor ille superius ibidem meminerat)* quam sanctus Gregorius Turonensis in libro suo de miraculis Sanctorum collocat inter Sanctos, et miraculosissimum transitum ipsius describit. *Præterea Gaufredus Prior Vosiensis in Chronico suo apud laudatum Labbeum nostrum tomo 2 Bibliothecæ Mss. librorum* E *pag. 287 post enumeratos præclariores diœcesis Lemovicensis Sanctos, et assignatos eorum tumulos, de hodierna Matrona nostra sic breviter mentionem facit :* Apud sanctum Aredium sancta Pelagia mater ejus. *His adde, quod biographus synchronus aut certe suppar eamdem Mulierem nomine* beatæ *bis appellet, ut in Annotatis ad Acta S. Aredii filii ejus observavimus.*

4 *Cum itaque veteres isti scriptores his testimoniis immemorabilem* Pelagiæ *cultum indicent, eamque passim* sanctam *vel* beatam *nominent, videtur hic esse casus exceptus a notissima bulla, quam Urbanus VIII anno Christi 1625 edidit, et in qua § 4 Pontifex ille declarat,* quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel ordinarii coluntur. *Omnes passim norunt, per* immemorabilem temporis cursum *intelligi centum annos ante editam hanc Urbani VIII bullam, quemadmodum Pontifex ipse postea declaravit. Nunc ex Eminentissimo Prospero de Lambertinis opinionem nostram* F *de casu excepto probare conabimur, et hanc Beatæ nostræ exceptionem nonnullis exemplis confirmabimus.* *videturque excipi a Bulla Urbani octavi Papæ,*

5 *Proxime laudatus eminentissimus S. R. E. Cardinalis in eximio Opere, quod Bononiæ non ita pridem de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione prodiit, lib. 2, cap. 19, num. 6, sive tomo 2 pag. 156 profert sequens exemplum, quod omnino ad rem nostram pertinet. Cum ageretur de casu excepto servorum Dei seu beatorum Joannis de Perusio et Petri de Saxoferrato, et Postulatores hujus causæ pro se adduxissent testimonium ex scriptis historicis sancti Antonini de morte horum pro Christo suscepta, Prosper Bottinius archiepiscopus Myrensis et fidei Promotor ita respondit :* Quartum documentum ex Chronicis sancti Antonini profertur. Verum in dicta Chronica minime vocantur BEATI seu SANCTI; neque ex relatis in eadem resultat aliquod signum publici cultus et venerationis erga ipsos. Quod si concurreret, utique hoc uni cum testimonium sancti Antonini satis esset ad sustinendum, hanc causam versari in casu excepto *et immemorabilem cultum habere,*

A pto ex lege decretorum generalium per Patrum virorumque sanctorum scripta. *Licet illustrissimus fidei Promotor istud responsum Postulatoribus causæ illius opposuerit, tamen anno 1704 Sacra Rituum Congregatio censuit, de immemorabili horum duorum Martyrum cultu constare, et tandem Clemens XI Pontifex hanc Sacræ Congregationis sententiam confirmavit, ut apud Eminentissimum Prosperum de Lambertinis cap. 24 ejusdem libri § 30, seu tomo 2 laudati Operis pag. 253 legi potest.*

ut exemplis quibusdam

6 *Deinde idem Eminentissimus hagiographus de monumentis historicis, quæ ad immemorabilem Servorum Dei cultum probandum allegari possunt, cap. 23 ejusdem libri secundi, sive pag. 193 tomi mox citati sic disserit :* Nomine scilicet authenticorum documentorum in præsenti materia veniunt primo historiæ conscriptæ a viris fide dignis, qui eas composuerint centum annis ante Constitutionem Urbanam, vel qui seculo eodem decurrente sua ediderint monumenta; idque non solum, si de cultu servi Dei testimonium dicant, verum etiam, si ejus virtutes B et miracula tantummodo enarrent, ipsum appellantes BEATI vel SANCTI titulo. *Mox ibidem memoratus Eminentissimus ad explicationem suam stabiliendam allegat verba R. P. D. Fattinelli, qui ad objectionem quamdam in hac materia sibi factam respondet,* ex quo tam multi scriptores diversarum nationum in eorum codicibus diversis locis et tempore editis, et probatis tum ab Ordinariis tum ab inquisitoribus, appellant hunc Dei servum BEATUM, SANCTUM, vel MARTYREM, maximam inde insurgere probationem cultus et venerationis exhibitæ eidem servo Dei; cum hujusmodi nuncupationes non tribuantur, nisi viris, quos pro sanctis colimus.

et argumentis probare conamur.

7 *Denique Eminentissimus Prosper de Lambertinis ibidem pag. 194 testatur, sacram Rituum Congregationem eo modo processisse in causa sancti Joannis Nepomuceni, dum ipse adhuc munere Promotoris fidei fungebatur. Ex his omnibus concludimus, causam* B. Pelagiæ *in simili casu excepto versari : nam S. Gregorius Turonensis in fine elogii, quod infra dabimus, præter alia miracula narrat, ægrotos* sæpius *ad hujus religiosæ Mulieris sepulcrum sanari. Igitur jam tempore sancti Gregorii Turonensis plu-* C *res morbis afflicti venerationis ac patrocinii causa ad tumulum* B. Pelagiæ *confluebant : et ex hoc ægrorum confluxu immemorabilem illius cultum colligimus. Insuper anonymus sancti Aredii biographus subæqualis Matrem hujus sancti abbatis* beatam *appellat, quam Gaufredus Prior Vosiensis, et Bernardus Guidonis non tantum titulo* sanctæ *exornant, sed etiam venerandum sepulturæ ejus locum inter alios diœcesis Lemovicensis Sanctos assignant, ut jam supra monuimus. Hæc testimonia antiqua ad constituendum casum exceptum sufficere arbitramur, et ideo* B. Pelagiam *in Opere nostro collocavimus. Nunc ad Acta ejus et miracula post obitum patrata progredimur.*

In apographo quodam Pragensi,

8 *Apographum nostrum Pragense, de quo in Vita S. Aredii notitiam suggessimus, Acta hujus beatæ Matronæ sic exorditur :* Beata Pelagia genere nobilissima, utpote de regia stirpe descendens, neptis fuit Theodoberti regis, Childerici aut Childeberti filii, fuitque nupta nobili viro, nomine Jocundo, principi Lemovicæ civitatis : qui conjuges in mandatis et justificationibus Dei incedentes, felicem prolem sanctum Aredium genuerunt, et Eustachium fratrem ejus, et Consociam ejus germanam. Defuncto autem viro suo, seculari habitu mutato, se ipsam Domino dedicans, et in sanctis operibus se exercens, sanctam duxit vitam. Cum enim esset regii generis, nobilissimaque stirpe progenita, nobiliter nata, nobiliter nupta, et inter mundi delicias atque divitias tenere enutrita, ad hoc tamen tantam declinavit generis nobilitatem, ad hoc tantam deduxit seculi pompam, ita mundana delectamenta ad integrum calcavit, ut per agros exercens, quæ posset opuscula suis manibus operari, necessarium ac satis modicum sibimet conquireret victum. Sane de sancta ista Pelagia Gregorius Turonensis referens, quam sanctam, quamque religiosam duxerit vitam, et quam beato fine compleverit illam, ita ait *etc.*

AUCTORE G. C.

cujus fidem

9 *Libenter admittimus omnia, quæ S. Gregorius Turonensis, et uterque anonymus S. Aredii biographus de gestis* B. Pelagiæ *narrant; sed non spondemus pro veritate singularum assertionum, quæ in hoc Pragensi Vitæ exordio de genealogia et consanguinitate ejusdem beatæ Mulieris leguntur : nam in monumentis authenticis ac fide dignis inter liberos* B. Pelagiæ *tantum reperio* E *S. Aredium abbatem, et fratrem ejus nomine Rinoscindum vel Renosindum, sicut in Annotatis ad Acta S. Aredii præterito die observavimus. Hic autem fit mentio de Eustachio, altero* B. Pelagiæ *filio, et Consocia ejusdem Matronæ filia, de quibus Gregorius Turonensis et antiqui biographi nullum verbum faciunt. Equidem scio, in testamento S. Aredii et* B. Pelagiæ *nominari quemdam Eustadium, tamquam fratrem S. Aredii, sicut apud Mabillonium tomo 2 Veterum analectorum pag. 55 et 65 licet videre. Sed hoc ipsum testamentum eruditis quibusdam de interpolatione vel fictione suspectum est, ut in Commentario prævio ad Acta S. Aredii retulimus.*

hic breviter examinamus,

10 *Imo S. Gregorius Turonensis innuit, unicum fratrem dumtaxat Aredio fuisse, dum lib. 10 Historiæ Francorum cap. 24 de sancto illo abbate post alia sic scribit :* Exinde vir Dei Spiritu, ut diximus, sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. *Nullum hic fit verbum de tertio* B. Pelagiæ *filio, vel aliqua ejusdem filia, in quibus hæc Vidua non exiguam consortii consolationem habuisset. Quomodo igitur illa Matrona, marito et uno filio* F *defunctis, nullum parentem præter Aredium spectabat? Oporteret itaque prius probare, quod utraque hæc soboles in Apographo Pragensi nominata, umquam in rerum natura exstiterit, ac deinde ex instrumentis fide dignis ostendere, quod utraque ante mortem patris obierit : nam phrasis allata S. Gregorii Turonensis alio modo non facile explicabitur. An autem* B. Pelagia *fuerit neptis Theodoberti regis, et in quo consanguinitatis gradu Childericum vel Childebertum attigerit, genealogis indagandum relinquimus.*

et a Gregorio Turonensi

11 *Quandoquidem apographum Pragense obitum et miracula hujus beatæ Viduæ refert ex S. Gregorio Turonensi, nos ipsum fontem adimus, et eadem transcribimus ex novissima Ruinartii editione, ubi in Libro de gloria confessorum cap. 104, sive col. 983 narrantur sequentia :* Pelagia vero genitrix beati Aredii abbatis, cujus supra meminimus, valde religiosa, cum urgeretur febribus et esset in transitu, petiit filium, dicens : Quæso, fili dulcissime, ne me ante diem quartum sepeliatis, ut venientes famuli famulæve omnes

AUCTORE G. C.

omnes videant corpusculum meum, nec ullus frustretur ab exsequiis meis de his, quos studiosissime enutrivi. Et hæc dicens, emisit spiritum. Abluta juxta morem, collocatur in feretro, atque in ecclesiam deportatur. Quarto vero die, priusquam sepelitur, tantus odor suavitatis effragravit a corpore, ut omnes admirarentur. De nocte vero globus ignis magnus apparuit, qui ab oriente consurgens, ac per cæli circulum currens super ecclesiam stetit, in qua corpus defunctæ jacebat. Ex hoc enim ita cunctam ædem subitus splendor obtexit, ut putarent, se diem medium contemplari. Et statim energumeni multi exclamaverunt, dicentes, quod Martinus venit ad transitum Pelagiæ.

Acta et mors hujus Beatæ narrantur.

12 Succedente vero Dominica die, postquam sepulta est, posuerunt cereum ad caput ejus dicentes : Parum nobis est ceræ, et jam nox prolixior habetur; cum ad Matutinum consurgimus, tunc accendatur cereus iste. Et clauso ostio, abierunt. Expleto autem somno, ingressi basilicam, invenerunt cereum ardentem, D quem exstinctum reliquerant. Sed et sanitates infirmorum sæpius aguntur ad hujus religiosæ sepulcrum. *Nemo mihi objiciat,* Pelagiam *in hac narratione numquam* beatam *vel* sanctam *vocari : hæc enim prætermissio immemorabili ejus cultui nihil officit, cum S. Gregorius Turonensis in Libro de gloria confessorum sæpius hos titulos omittat, quamvis in eo Sancti legantur celeberrimi, qui certe notissimum cultum obtinent, ut hunc librum percurrere volenti manifestum fiet. Quinimo Gregorius in hac ipsa narratione inclytum S. Martinum Turonensem sine ullo sanctitatis titulo commemorat. Ceterum pia hujus Beatæ vita confirmatur ex Actis S. Aredii filii sui, quæ die præterito illustravimus. Superius initio hujus Sylloges in margine obitum ejus cum Ruinartio circa annum 570 collocavimus. En omnia, quæ de beata illa Matrona colligere vel assignare potuimus.*

B

DE S. ELIA EPISCOPO & CONF.

E

SYRACUSIS IN SICILIA

J. P.

Ex Ferrario et Octavio Caietano.

ANNO DCLXIV. *Cultus Sancti :*

Syracusæ, *urbs antiqua Siciliæ ac apprime nota, de qua apud nos ad diem* XXX *Martii, occasione S. Zosimi, ejusdem urbis episcopi, facta jam pridem fuit mentio, hodiernis Cælicolis annumerat* S. Eliam *episcopum suum. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, hac die illum annuntiat* ex Tab., *ut dicit in notis,* eccles. Syracus. *Caietanus noster illum etiam refert his terminis :* Syracusis, S. Eliæ episcopi et confessoris, impp. Heraclio et Constante, *et in margine* Tab. *etiam* Syracus. *allegat. In Animadversionibus autem in Vitas Sanctorum Siculorum apud eumdem Caietanum tomo 1, pag. 184 cultus hujus Episcopi iterum asseritur hoc modo :* Colitur Syracusis C S. Elias episcopus XXVI die Augusti. *In fide itaque horum de publica ipsius veneratione testimoniorum, nos quoque ei locum hic damus, ut maneat in possessione cultus, quem habere asseritur.*

miro modo ad episcopatum

2 *Ceterum de rebus ejus gestis tam pauca novimus, ut nihil fere occurrat superaddendum parvo compendio, quod e Vita S. Zosimi supra laudati extrahitur apud Caietanum tomo citato pag. 232 in hæc verba :* Elias episcopus ex archidiacono ecclesiæ Syracusanæ, qua vacua, beato Petro episcopo defuncto, inter clerum populumque Syracusanum de successore magnum certamen fuit, potior pars Zosimum virum sanctissimum, abbatem monasterii sanctæ Luciæ; deterior Venerium clamabant episcopum, hominem indignum, ac tyrannicum, ut diversa populi studia ita designatorum episcoporum diversi mores erant. Venerius ambire, immodice appetere, intrudere se auro, et vi gerere rem. Contra Zosimus reluctari, ac refugere præ animi demissione, et amore quietis. Demum contentio ac partium studia ad Romanum Pontificem Theodorum delata sunt. Tum B. Elias divini spiritus instinctu Zosimum regendi onus abnuentem, magnoque sibi dispendio futurum cum lacrymis contestantem, orat, obtestaturque per Deum, et S. Petrum, destinatum sibi a Deo sacerdotium Venerio ambienti ne cederet, ne dissideret a voluntate Dei, ne contristaret Spiritum sanctum, ejusque Ecclesiam.

promotus est, ac pie mortuus :

3 Eo demum flagrantibus precibus pium hominem perduxit, ut divini numinis voluntati nequaquam reluctaturum, sed obtemperaturum se polliceretur. Igitur Zosimo ad episcopatum a Theodoro Papa præposito, B. Elias diaconus in sancto et incruento altari, summa cum pietatis laude ministravit; dein sacrum ejus sacerdotium divinitus regendum accepit. Nam cum divinus homo Zosimus instantem sibi mortem F præsentiret, illa umquam * cygnea voce Eliam diaconum, quod spiritu præcognoverat, populi Syracusani præsulem, ac summum sacerdotem pronuntiavit, factumque, ut a S. Zosimo prædictum est. Elias vero a S. Vitaliano Papa episcopus constitutus, cum gregem suum pie gubernasset, sancto fine quievit. Colitur Syracusis die XXVI Augusti.

* f., inquam,

tempus vitæ,

4 *In editione hujus compendii signatur ad marginem hæc nota temporis, videlicet anni* Chr. DCLXIV die XXVI Aug., *quo indicatur sancti Præsulis nostri annus emortualis, nec non cum die cultus copulatur. Etiamsi vero Caietanus in Idea sui Operis pag. 75 annum 660 posuerit : nos temen superius annum 664 ex eo notavimus. In Animadversionibus vero jam designatis, ad illud, quod in Compendio habetur,* Elias a sancto Vitaliano PP. episcopus constitutus, *dicitur,* plane *illud* confici ex tempore episcopatus sancti Zosimi, quem iniit ordinatus a Theodoro PP. Is pontificatum cœpit anno DCXLI, XXV Novembris : explevit anno DCXLIX

pridie

A pridie Idus Maii. Zosimus igitur hoc annorum tractu sedem tenuit ab anno DCXLII, ad annum DCXLVIII: sedit vero annos XIII. Demus cœpisse anno DCXLII, exiisseque e vita XIII post annos; excessum ejus contigisse reperiemus anno DCLV, quo anno Vitalianus Pontifex creatus est pridie Kal. Septembris, præseditque Ecclesiæ ad annum DCLXIX: quo migravit e vita VI Kal. Februarii.

ac episcopatus. 5 Quamquam vero daremus, Zosimum sedem cœpisse anno DCXLVIII, obiisseque XIII post annos, id est, anno DCLXI; adhuc ordinatio S. Eliæ in Vitaliani PP. tempora incidit, quin etiam et mors. Nam anno DCLXVIII Syracusis erat episcopus Georgius, ad quem eo anno datæ sunt litteræ Vitaliani PP. Ante Georgium sederat Theodorus annos fere duos, ex catalogo episcop. Syracusanorum. Igitur S. Elias a Vitaliano PP. certo ordinatus episcopus, eodemque Pontifice in cælum migravit. *Hæc ibi. Acta S. Zosimi illustravimus ad diem, quem supra diximus,* XXX *Martii a pag. 837; ubi mors ejus affigitur circa annum 660. Sanctum vero Vitalianum obiise anno 671, notavimus ad diem* XXVII *Januarii, quo de eo actum. Rocchus Pirrus in Notitia secunda ecclesiæ Syracusanæ catalogum texit ejusdem ecclesiæ præsulum, et pag. 137 scribit,* S. Eliam *monachum fuisse Benedictinum; et corpus ipsius Syracusis sepultum, tradi affirmat a Caietano; sed nescimus ubi hoc dicat. Plura de hoc Sancto dicere non habemus.* AUCTORE J. P.

DE S. BREGWINO EP. & CONF.

CANTUARIÆ IN ANGLIA

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

§ I. Nomen, patria, episcopatus, annus mortis, res gestæ.

ANNO DCCLXII. Sancti nomen. Cantuaria, *al.* Dorobernia, *etc., notissima Angliæ in Cantio provincia urbs, et archiepiscopali, ac totius Angliæ primatiali dignitate decorata, inter plures alios præsules metropolitas suos, naturæ ac gratiæ donis, vitæque sanctimonia præstantes, habet* S. Bregwinum, *cujus nomen non una scribitur efformatione, sicut per decursum hujus Commentarii patebit. Mira vero præ aliis est illa, qua Sanctus noster* Lyzegwinus *vocatur in Chronico Johannis Bromton, quod habetur inter scriptores decem historiæ Anglicanæ anno 1652 Londini editos columna 742. Verum, misso Viri nomine, res ab eo gestas, ac vitæ seriem illustrare aggrediamur, ac dispiciamus primo, quænam ante episcopatum de illo dici possint, ac subservire Vitæ ejus ab Eadmero seu Edmero conscriptæ, ac postea a nobis recudendæ. Sed ea* C *admodum pauca sunt.*

patria, parentes. educatio: an monachus 2 *Hagiographus ille infra apud nos num.* primo, Parentes ejus, *inquit,* ex genere Saxonum, nobili, ut fertur, prosapia orti. *Sanctus item Præsul noster, ut affirmat num. 2 idem scriptor,* in Saxonia natus est: *in Saxonia, inquam, antiqua, proprie dicta, seu Germanica, prout tacite ibidem indicat, dicens occasione Angliæ, quam ab ingressu S. Augustini laudat:* Unde bonus odor et in exteras regiones emanans plures nativo solo relicto in Angliam egit. Inter quos Bregwinus... eo veniens, mox statione potitus, cunctis carus est, et civis patriæ factus. *Vide etiam Annotata inferius post Sancti Vitam litt.* ii. *Quo autem anno natus sit, non memorat. Laudat eum a bonis moribus, progressuque in studio ac scientia. Deinde, quod ad monasticæ vitæ institutum adjecerit animum, perhibet num. 3 hisce verbis:* Itaque secularem vitam vita monachali commutans *etc.; sed non addit, cujus regulæ vel professionis exstiterit. Inclinarem ego in Benedictinam, nisi aliquid esset, quod mihi difficultatem crearet. Hanc itaque tantisper considerandam propono.*

3 *Hagiologi Benedictini Menardus ac Bucelinus in Fastis sui Ordinis* S. Bregwinum *annuntiant ad hunc diem* XXVI *Augusti, uti etiam Maihewius in Trophæis. Sec ne Sanctum accenserem Ordini Benedictino illorum exemplo, movit me silentium Mabillonii, qui in Sanctorum Actis sui Ordinis seculo* III *parte 2, pag. 395 et 396 meminit quidem de* Bregowino *(ita ibi nominatur,) de quo hic agimus; sed vitam ejus inter alia Cælitum Benedictinorum Acta in isto tomo edita non invenio, nedum an fuerit monachus, et cujus professionis. Et vero Mabillonius non fuit adeo illiberalis, ut, si quidquam de hac re ipsi innotuisset,* S. Bregwinum *exclusurus fuisset ex serie Sanctorum sui Ordinis. Atque hæc quidem difficultas, de qua dicebam, retinet me, ne Virum sanctum laudato Ordini accenseam sine formidine. Porro de rebus ab illo gestis in archiepiscopatu, quem annis paucis administravit, non multa novimus ad posteros transmissa esse.* F *fuerit Benedictinus:*

4 *Eadmerus num. 5 refert eum consecratum fuisse* Cantuariæ III Kalendas Octobris. *Consentit Chronicon Saxonicum, anno 1692 Oxonii excusum, ubi et annus additur pag. 59:* An. DCCLIX. Hoc anno Bregowinus fuit in archiepiscopum consecratus ad festum sancti Michaelis. *Radulphus de Diceto in Abbreviationibus Chronicorum, inter historiæ Anglicanæ scriptores decem, de quibus supra, vulgatis,* Breowinus, *inquit columna 444,* fit archiepiscopus Cantuariæ DCCLX. *Florentius Wigorniensis ad annum 759 hæc scribit:* Breogwinus post Cuthbertum, die festivitatis sancti Michaelis archiepiscopus ordinatur; *quas notas temporis ambas etiam signat Godwinus in Commentario de præsulibus Angliæ in* Bregwino. *At cum certo nobis non constet, uter annus consecrationi jam assignatus ad verum accedat propius; per nos non stabit, quo minus lector eligat alterutrum: neque enim tam parva temporis differentia nobis injicere debet moram, ut ad alia non procedamus.* *dies et annus consecrationis episcopalis:*

5 *Dies*

AUCTORE J. P.

dies

5 *Dies cultus potius, quam mortis exprimitur a biographo Edmero, dum sic memorat ad finem Vitæ :* Memoria transitus beatissimi Viri VII Kalendas Septembris recolitur. *Apud Capgravium in Vita hujus Sancti fol.* XLIII *eadem dicitur dies ei fuisse emortualis :* Tandem vero... cælestia conscendit septimo Kalendas Septembris. *Alii alio die obiisse referunt. Florentius quippe Wigorniensis ad annum 762,* Breogwinus, *ait,* archiepiscopus ecclesiæ Cantuariensis, vitæ finem dedit IX Cal. Septemb. *Eumdem quoque diem* XXIV *Augusti habet Godwinus. Mabillonius tomo 2 Annalium Benedictinorum ad annum Christi 762, num. 66, occasione Jamberti, qui* S. Bregwino *in cathedra Cantuariensi proxime successit, tradit ista :* In Anglia obiit hoc anno Bregwinus archiepiscopus Cantuariensis, et quidem VIII Calendas Septembris : *quem diem etiam signat Chronologia Augustinensis proxime citanda. Quisnam vero e diebus hisce tribus sit præferendus; non habemus unde definiamus, cum documenta nobis in promptu non sint, quæ unum præ aliis probabilius persuadeant.*

et annus mortis :

B 6 *At quid de anno mortis? Auctores in eo signando etiam variant. Hagiographus nullum ponit, propterea quod vel nullum satis determinate scivit; vel, si scivit, notare prætermisit. Hunc itaque aliunde suppleamus. Chronologia Saxonica pag. 60 ad annum 762,* Hoc anno, *inquit*, decessit Bregwinus archiepiscopus. *Eumdem annum modo assignari vidimus a Mabillonio : quem etiam ponit Alfordus noster ad istum annum scribens, num. 6. Chronologia item Augustinensis inter citatos Angliæ scriptores col. 2235 in eodem anno consentit. Matthæus autem Westmonasteriensis in Floribus historiarum ponit annum 763. Simeon Dunelmensis in historia regum Anglorum, quæ habetur inter præfatos scriptores Anglos col. 106 indicat annum 765. Nam postquam ad hunc annum nonnulla retulerat, sic pergit :* Eademque tempestate Bregwine archiepiscopus Cantiæ civitatis ex hac vita subtractus est. *Sed quandoquidem Sancti mors justo longius ab eo differri videtur, secundum dicta ex aliis scriptoribus; nos, plurium ex iis exemplum secuti, eamdem superius affiximus anno 762 : qui confirmatur ex iis,* C *quæ subdimus de duratione sedis ipsius, ac successore.*

duratio episcopatus :

7 *Communis auctorum, quos ego quidem viderim, sententia est,* S. Bregwinum *cathedræ suæ præfuisse ad triennium. Biographus Edmerus num. 8,* Tribus, *ait,* annis vixit in pontificatu. *Chronicon tamen Saxonicum pag. 59* quatuor annis *eum sedisse indicat. Alfordus ad annum 762, num. 6 :* Moritur, *ait,* hoc anno, cum triennio tantum sedisset, Bregwinus Dorovernensis episcopus : *His adde Vitam apud Capgravium fol.* XLIII : Tertio episcopatus sui anno... cælestia conscendit. *Perperam igitur in Vita breviore* S. Bregwini *apud Whartonum, de quo inferius, sancti Præsulis regimen extenditur ad Septennium. Etenim illud, præter ea, quæ diximus, etiam refutatur in Chronologia Augustinensi citata, ubi hæc sunt ad annum 762 :* Ob. Bregwini VIII Kal. Sept., *et mox subditur* electio Jamberti in die Purif. *Adde Chronologiam Saxonicam ad annum 763, ubi, postquam anno proxime præcedente signatus erat* Bregwini *obitus, de ipsius successore ista memorat :* Hoc anno Ambrythus *(id est Jambertus)* consecratus est in archiepiscopum, quadragesimo die post natales Christi. *Prædictum ergo septennium convincitur esse erroneum, si his* D *Bregwini decessoris obitum addamus : de quo dicetur inter Annotata ad Vitam lit.* p. *Porro quandoquidem Vir sanctus tam brevi tempore rexit cathedram suam; mirari non debemus, pauca tunc ab ipso gesta ad posterorum notitiam pervenisse. Accipe igitur sequentia, quæ de illo referuntur.*

Quænam inveniantur a Sancto gesta

8 *Alfordus ad annum 759, num. 3 scribit ista :* Moritur hoc anno Eadburga, cognomento Bugga, lectissima fæmina, propinqua Ethelberti, et Edberti regum Cantii : de qua supra sæpius, *(prout ad marginem indicat :)* nam ipsa ad Bonifacium, et Bonifacius ad eam frequentes dederunt litteras, et magna mutui in Christo amoris argumenta. Moritur autem sub finem hujus anni, vigesimo septimo Decembris : et morienti adfuisse videtur Bregwinus, novus Dorovernïæ antistes ; a quo virgo sancta enixe postulavit animæ suæ post mortem suffragia, et nominatim ut Lullo Moguntino episcopo, Bonifacii successori, se mortuam commendaret. Quæ omnia sequenti anno probantur, quo Bregwinus id Lullo per litteras indicabit. Videtur monasterii alicujus in Cantio abbatissa fuisse. E Nam abbatissam ubique vocat Bonifacius in iis, quas ad ipsam dedit, literis. Et, opinor, hæc illa est, quæ in Martyrologio nostro Sancta nominatur ad XVIII Julii; licet ibi mortua ponatur anno superioris sæculi vigesimo, et Alisburiæ sepulta : inde ad cognominem sibi urbem translata Edburtonum.

tempore

9 *Litteras istas profert Alfordus ad annum 760, a num. 4, et habentur inter Bonifacianas a Serario nostro editas numero 103. In his* S. Bregwinus *contractam cum Lullo Romæ amicitiam renovat etc., ac epistolæ suæ finem imponit hac clausula :* Diem vero depositionis religiosæ Christi famulæ Buggan celebramus, quæ fuit honorabilis abbatissa : cujus etiam dies depositionis fuit VI Cal. Jan. Rogavit me obnixe, dum adviveret, ut hoc vestræ beatitudini transmitterem. Et sicut speravit et credidit, ita facere curate, quoniam illius pater atque patronus fuit in Christo Bonifacius episcopus. *S. Lullus, ad quem hasce Sanctus noster dedit litteras, inscribitur Martyrologio Romano ad diem* XVI F *Octobris; et Actis Benedictinis apud Mabillonium sec. 3, part. 2, a pag. 392. De S. Bonifacio episcopo et M. egimus die* V *Junii. Ad* Eadburgam *quod attinet, consulat lector apud nos dicta inter Prætermissos ad diem* XVIII *Julii, tomo* IV *ejusdem mensis, pag. 349; et Mabillonium mox citandum, ad annum 758, num. 42.*

episcopatus.

10 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo 2, ad an. 760, num. 60, pag. 198 consecratum ponit a sancto Archiepiscopo nostro abbatem Jambertum :* In Anglia, *inquit,* hoc anno e vivis excessit Aldhunus, suburbani sancti Petri monasterii Cantuariensis abbas decimus : cui successit venerabilis vir Jambertus, benedictus a Bregwino archiepiscopo, in cujus locum postmodum suffectus est : quod qua occasione factum sit, postea exponemus. *Annus dictæ consecrationis confirmatur ex Guillielmo Thorno, quem antea citavimus, columna 1775.*

§ II

A

§ II. Sancti sepultura, et miracula.

Difficultates primo ob Cuthberti archiepiscopi,

Edmerus *in Vita ejus num. 8 de sepultura breviter narrat ista :* Sepultus sane est in præfata ecclesia beati Johannis prope corpus reverendi pontificis Cuthberti, ipsius ecclesiæ, ut diximus, fundatoris, ac sui dignissimi prædecessoris. *Hæc, inquam, ille breviter, altum silens historiam, quæ propter utriusque memorati præsulis sepulturam accidit, a nobis hoc loco non prætereundam. Factum audi ex Mabillonio, qui Annalium Benedictinorum tomo 2 illud describit, ad annum 758, num. 41 agens primo de sepultura Cuthberti :* Mos erat primis illius ecclesiæ temporibus, ut Cantii reges, archiepiscopi quoque, et monachi cathedralis Christi ecclesiæ, immo et populus, in atrio suburbanæ beati Petri basilicæ sepelirentur, ex sententia primorum illius gentis prædicatorum Romanorum, qui censuerant, CIVITATEM NON ESSE MORTUORUM, SED VIVORUM. Verum hanc B consuetudinem mutare Cuthberto placuit. Appropinquante itaque vitæ suæ termino, cum episcopos Cantuarienses deinceps in ecclesia cathedrali sepeliendos decrevisset, totam familiam suam, et cathedrales monachos sub jurejurando adstrinxit, ne ejus morbus aut mors ullo signo divulgaretur, priusquam ipsius corpus traditum esset sepulturæ, nempe in basilica sancti Johannis Baptistæ, quam ipse hujus rei causa exstruxerat : quod et factum est.

ac deinde

12 Eo sepulto, cum signa tertio die pro eo pulsarentur, abbas suburbani sancti Augustini monasterii Aldhunus ad episcopales ædes cum monachis suis accessit, defuncti corpus de more ad ecclesiam suam delaturus. Sed cum jam sepultum reperisset, priscamque sepulturæ consuetudinem regia auctoritate mutatam esse intellexisset; animo turbatus ad propria remeavit. Id Jamberto abbati Aldhuni successori perperam tribuit Gervasius, ex Thorno (col. 1773,) et Chronologia (col. 2235) Augustinensi emendandus. Cuthberto suffectus est in annos tres Bregwinus, vir magnæ religionis, ... qui antecessoris sui statutum de sepultura episcoporum C probavit, curavitque Apostolica auctoritate confirmari. *Quænam vero circa ejus sepulturam contigerint, refert laudatus Mabillonius ad annum 762 in fine.*

ob sepulturam sancti Bregwini

13 Ejus obitu vulgato, Jambertus abbas suburbani monasterii sancti Petri seu sancti Augustini, ubi Cantuarienses ante Cuthbertum præsules sepeliri solebant, cum armata manu ad episcopale palatium accessit, defuncti Antistitis corpus vi sublaturus, si non ultro permitteretur. At cum illud jam sepultum invenisset, altera jam vice frustratus, domum vacuis manibus reversus est, appellatione ad summum Pontificem pro sui monasterii jure ac gravamine interposita. Hujus constantiam veriti cathedrales monachi sancti Salvatoris, eumdem Jambertum in demortui pastoris locum postularunt, quo facto, Augustiniani monachi a persecutione appellationis ob electi reverentiam destituerunt. *Hactenus Mabillonius. Hanc dissensionem narrat Thornus satis prolixe a col. 1772; qui deinde col. 1774 subjungit, quomodo monachi S. Augustini perpetuo amiserint prædictam episcoporum sepulturam.*

AUCTORE J. P. exorta :

14 *Consuli præterea possunt ea, quæ de præsenti argumento memorat et expendit Alfordus ad annum 758; ubi inter alia indicat, potuisse quidem episcopos ac reges sepeliri apud prædictos monachos; sed non debuisse, ac liberum ipsis fuisse, alibi sepeliri; immo vero etiam sepultos esse. Verum utcumque illa controversia se habeat, in ea me non interpono arbitrum. Opponere hisce se vult Thornus citatus, qui de læso in re ista jure conqueritur, dicens eam esse* contra tenorem justitiæ, ac etiam beati patris, *ait,* nostri Augustini institutionem, nec non summorum Pontificum scilicet Gregorii, Bonifacii quarti, Adeodati, Agathonis, cæterorumque decreta; *quorum tamen nullum affert. Verum hæc plus quam satis. Ad propositum nostrum redeamus recensendo miracula, quæ post* S. Bregwini *mortem contigisse memorantur.*

miracula

15 *Whartonus illa omisit in Vita sancti Secunda, lectorem mittens ad primam. Habentur etiam apud Capgravium. Nos ea subdimus ex editione Whartoni; apud quem, Sancti morte ac sepultura relatis, sequitur hæc eorumdem historia :* Evolutis autem paucis annis, Dani E audientes Anglos in omni pene genere hominum a pristino statu exorbitare, et divitiis ac voluptatibus magis solito operam dare; cœperunt Dani cum tribus navibus illuc directis probare, quidnam efficere possent. Qui cum prospere egissent, classe parata Angliam aut * semel aut bis, sed veniendi visum * acceperunt. Nota bene. Quodam itaque tempore cum in Cantia applicuissent, Cantuariæ res suas ad sancta loca transtulerunt. Quorum unus archam frumento repletam super sepulchrum beati Bregwini archiepiscopi constituit. Planum siquidem sepulchrum fuit, et paululum a pavimento altius constructum. Sequenti vero die homo longius archam a loco projectam reperit, seque minus caute illam collocasse existimans, diligentiori cura eam restituit. Altera autem die reversus reperit archam a loco jam longius actam, frumento hinc inde per pavimentum latissime sparso. Res acta per vicina loca insonuit; et jam alio ordine sepulchrum Famuli Dei vulgus invisere cœpit. *Legi possunt, quæ de Danorum in Britanniam irruptione narrat Alfordus ad annum Christi 794, num. 7 et sequentibus. Alias eorum irruptiones seculo nono, invenies apud historicos. Vide etiam Annotata ad Vitam litt.* aa. F *His breviter observatis redeamus ad Sancti miracula.*

* *l.* haud *Capg.* non

* *l.* usum *cum Capg.*

post mortem ejus

16 Quidam ambulandi officio carens, et manibus scabellis innitens, genibusque pro pedibus utens, crura ac pedes intortos post tergum miserrime trahens, ad tumbam sancti Bregwini venit, et illico reparatis pedibus et extensis omnibus membris, integræ sanitatis beneficium adeptus est. Pueri quidam severitatem magistri timentes, ad tumbam sancti Bregwini confugerunt, pietatis ejus auxilium et protectionem implorantes : quos magistri perquirentes et non invenientes, circa tumbam sancti Bregwini, ubi prostrati jacebant, ambulantes, non tamen illos videre, aut illos esse, quos quærebant, advertere potuerunt. Sicque sua severitate frustrati, meritis sancti Bregwini liberati sunt pueri.

facta

17 Quidam ex clericis Stigandi archiepiscopi, spiritu tumens, et ex divitiarum copiis, quibus affluebat, se inter socios non minimum æstimans, quadam vice lectum sibi super locum quietis sancti Bregwini archiepiscopi extruere jussit.

AUCTORE J. P.

jussit. Alta enim de se sapiens, in æqualitate aliorum humili loco jacere dedecus sibi esse arbitrabatur. At cum se sopori dedisset, excussus est cum lecto et a loco projectus, utilique * temeritatis suæ obsequio edoctus est ipse et similes sui. *Porro Stigandum factum esse episcopum Cantuariensem anno 1052, lego ibi in Chronico Saxonico pag. 168 : de cujus in istam sedem intrusione, ac pravis moribus scribit Alfordus ad eumdem annum, num. 9. Subjiciamus alia a Whartono indicata, et ad Vitam breviorem remissa.*

* Capg. taliquo

commemorantur.

18 His itaque dispositis, unus ex fratribus Helias nomine in scammo sedens, coram sepulchro beati Bregwini posteriora sua irreverenter ad illud sepulchrum beati Viri vertit, et operi cuidam non multum utili totus intendit. Et, ecce, ex insperato inter scapulas percussus ab opere suo cessare invitus compellitur. Exterritus ergo erexit se, volens scire, quis eum percusserat. Sed cum neminem videret, recedit, et, ut prius, suo malo labori operam dedit. Et, ecce, secundo in collo tam graviter percussus est, ut, B quod inter manus habebat, deorsum cadens amitteret, et ipse celeri casu terræ procumberet. Tunc ille intellexit, se ipsum non dedisse honorem sancto Bregwino in loco sacro, et, quæ pertulit, justo Dei judicio sibi accidisse. Idem etiam casus alteri fratri Teutonico contigisse refertur.

§ III. Acta Sancti, ac publica ejusdem veneratio, Vitæ, quam hic damus exemplar.

Vitæ scriptor qualis fuerit,

Henricus *Whartonus parte 2 Angliæ sacræ a pag. 184 Acta Sancti nostri typis vulgavit hoc titulo :* Vita B. Bregwini archiepiscopi Cantuariensis, auctore Eadmero. Incipit Vita *etc. Guilielmus Caveus in sua Historia literaria pag. 457 de eodem auctore narrat ista :* Eadmerus, C sive Edmerus, sive Edinerus, sive Emundus, natione Anglus, monachus Cantuariensis O. B. Claruit anno MCXXI. Anselmi archiepiscopi discipulus, omniumque ejus laborum et itinerum comes individuus, quin et vitæ suæ corrector ab Anselmo petitus, ab Urbano II datus. Tandem, teste Simeone Dunelmensi, S. Andreæ in Scotia episcopus factus est. Quod vero illum monasterii S. Albani abbatem fuisse tradunt Baleus, Pitseus, aliique eos secuti, in eo plane hallucinantur : cum Eadmerus ille cœnobiarcha Albanensis plusquam integro seculo antiquior nostro fuerit, et circa an. DCCCCLXXX e vivis excesserit. Cæterum Eadmerus postquam in Scotia infulas adeptus est, *propter rationes a dicto bibliographo Caveo relatas loco citato,* annulum ac baculum pastoralem regi *(Alexandro)* remisit, anno circiter MCXXIV episcopatu semet abdicavit, et Cantuariam reversus, in cœnobio pristino consenuit. *Deinde ab eodem bibliographo pag. 458 de scriptis ejus tractante ponitur* Vita S. Bregwini archiep.

et cujus nominis : scribit ex auditu.

20 *Laudatur ille biographus apud nos tomo 2 Aprilis, die* XXI *ejusdem mensis, pag. 865, occasione S. Anselmi, cujus etiam Vitam conscripsit; ibidemque indicatum est, perperam illum vocari* Edinerum *eamque nominis efformationem ex solo amanuensium errore ortam, divisa ab* D *illis littera* m, *ejusque loco positis litteris* i *et* n. *An simile quid acciderit in nomine* Emundus, *non est mihi promptum dicere. Idem autem est* Eadmerus *et* Edmerus; *sicut ostensum ibidem fuit exemplo aliorum nominum,* in quibus EA priscis Anglis diphthongus erat. *Hic autam Vitæ auctor cum tot seculis post obitum* S. Bregwini *scripserit; indicat, unde acceperit, quæ scripsit, sic loquens ad calcem Vitæ :* Hæc de beato Bregwino minus sapiens edidi, quæ a majoribus, et veridicis viris didici. Et hi quidem alia se expertos in se fuisse tradunt : alia vel ab illis, qui præsentes fuerunt, vel a præsentibus acceperunt, seque referunt accepisse, constanti allegatione commemorant. Ne ergo animos amicorum meorum, me ad hoc opus incitantium offenderem, cessi voluntati eorum. Quod itaque scripsi, eis scripsi : videant ipsi. *Porro de Eadmero seu Edmero varia etiam collegit Whartonus in Præfatione partis 2 allegatæ a pag.* XII.

Observationes

21 *Præter istam Vitam exstat alia apud Capgravium a fol.* XLIII, *seu potius compendium prioris; quod etiam profert Whartonus antea* E *designatus, a pag. 75,* auctore (ut videtur) Osberno, *sicut præfert ibi titulus, qui præfigitur. Verum in Appendice, quæ habetur post Historiam literariam Cavei, pag. 286, Vitam hanc* Osberno perperam adscriptam *esse indicatur. Quin et Whartonus ipse, meliora postmodum edoctus, illam Osberno abjudicavit in Præfatione modo designata pag.* XVI : Scripta, *inquit,* est *(Vita)* post mortem Radulphi archiepiscopi, qui anno MCXXII obiit. Hujus epitome a Johanne Tinmuthensi concinnata est; quæ Osberno perperam inscripta in hoc volumine prodit. Postea facta nobis codicis Cantabrigiensis copia, luculentiorem Bregwini Vitam ab Eadmero scriptam, luci publicæ subducere noluimus. *Unde autem error ille sit ortus, candide fuerat fassus pag.* X : Vitam B. Bregwini brevem ex eodem codice Lambethano accepi, inter Odonis et Elphegi Vitas collocatam. Hinc nata mihi est sententia, illam Osberno deberi posse. Postmodum vero, illam in Johannis Tinmuthensis Sanctilogio inveni ad calcem Historiæ aureæ in bibliotheca Lambethana. F

circa Vitam breviorem :

22 *De Osberno agit Caveus in parte altera suæ Historiæ pag. 201 : ubi ponit eum claruisse circa annum 1070 : de Joanne autem Tinmuthensi in Appendice jam dicta a pag. 284 : ubi scribitur claruisse anno 1366. Ex hujus vero scriptoris Sanctilogio* non racemos quosdam, sed plenam, quod aiunt, vendemiam reportavit Joan. Capgravius in Catalogo Sanctorum Angliæ, cujus operis non tam auctor, quam exscriptor audire meruit, *sicut ibidem notatur pag. 286 : ut mirum non sit, Vitæ* S. Bregwini *compendium a Capgravio desumptum ex illo fuisse, quod tamen usui nobis fuit ad supplenda miracula, et ad varias quasdam lectiones inde desumptas, uti superius ad marginem textus notavimus. At missis hisce observationibus, publicus sancti Archiepiscopi nostri cultus ultimum ad laborem nos vocat.*

publicus Sancti cultus :

24 *Dederunt enimvero illi, quod meritus est, hagiologi, etiamsi recentiores, quando suis eum Fastis sacris intexuerunt hac et aliis hujus mensis diebus. Florarium nostrum Ms. illum annuntiat die* XIX *paululum mutato nomine; Castellanus die* XXIV, *et inter Ahemeros pag. 765,* cujus cultus, *ait,* duravit usque ad Henricum VIII;

die

A *die* XXVI *Wilsonus in secunda editione, Maihewius in Trophæis Benedictinis tomo 2, Menardus ac Bucelinus. Quod autem Sancti nomen merito ab hagiologis ipsi datum fuerit, probatur e documentis antiquioribus. In clausula, quæ apponitur ad finem Vitæ brevioris apud Whartonum pag. 77, hæc sunt :* Explicit Vita Sancti patroni nostri Bregwini *etc. Inter miracula superius relata* § 2, *num. 15* Sepulchrum *ejus dicitur* paululum a pavimento altius constructum. *Invocatio publica indicatur ibidem, et prioris quidem majus incrementum, sicut innui videtur his vocibus :* Res acta, *de qua ibi,* per vicina loca insonuit; et jam alio ordine sepulcrum Famuli Dei vulgus invisere cœpit. *Accedunt eo, quæ inter dicta miracula narrantur de irreverentia sepulcri punita, mirisque ad illud patratis; et quæ exstant in biographo Edmero de monacho Lamberto morte mulctato, propterea quod corpus Antistitis nostri alio volebat auferre; honor a Lanfranco episcopo Cantuariensi eidem delatus, ossium denique translatio, ac depositio ad altare S. Gregorii : quæ singillatim commemorantur a laudato Edmero.*

B 24 *Vita, quæ mox dabitur, recusa est hic ex editione Henrici Whartoni, et habetur in Anglia ejus sacra pag. 184 et sequentibus, quam notationibus illustravit. Vitam hanc accepit ejusdem editor e codice Cantabrigiensi, ut dictum jam est paullo ante; quam nos alia, ut solemus, divisione donavimus, ac Annotatis non paucis elucidare conati sumus, memorem reddentes lectorem cum dictorum in Commentario prævio, tum aliorum, quæ ibidem non sunt explicata, notitiam ei subministrantes. Atque hæc quidem per hujus Commentarii decursum eidem Vitæ præmittenda censuimus. Nunc ecce tibi, lector, ipsum exemplar.*

Vitæ exemplar datur ex Whartono.

VITA

Auctore Eadmero vel Edmero monacho,

C *Ex editione Henrici Whartoni parte 2 Angliæ Sacræ pag. 184 et seqq.*

Auctor scribit aliorum rogatu, et Dei opem implorat.

Exordium propositi mei atque procursum, quo de beato Bregwino pontifice Cantuariorum scribere a quibusdam familiaribus meis rogatus institui, gratiæ commendo Spiritus sancti, orans, ut suæ largitatis abundantia, quæ sunt dicenda revelet, et ad ea promenda cor meum et linguam juxta placitum suæ voluntatis clementer aperiat. Fuit autem ipse Beatus in matris utero a Deo electus, eamdem electionem ante omnia sæcula in dispositione prædestinationis Dei feliciter nactus. Parentes ejus ex gente Saxonum, nobili, ut fertur, prosapia orti, hoc meruerunt, ut talem eis filium Creator omnium daret; quem probitate morum, quem peritia disciplinæ cælestium dogmatum, et summum in ecclesiasticis dignitatibus gradum, et perennis gloriæ regnum digne debere adipisci comprobatur. Hæc inter opera Dei regnabat, in Cantia vir strenuus et nobilis Wihtredus *a* nomine, sacratissima in Deum religione imbutus, servos Dei in Deo, et Deum in servis suis præ se magni semper habens. Suo tempore pater prædicandæ memoriæ Birhtualdus *b* in patriarchatum primæ metropolis Anglorum *c* beato Theodoro successerat, et eum digne Deo in omnibus administrabat. Hujus instinctu et exhortatione præfatus rex in generali concilio cunctas regni sui ecclesias ab omni dominatione et exactione regum, sive cujuslibet terrenæ potestatis liberas in perpetuum esse constituit *d*.

A. EDMERO MONACHO.

Sancti patria, educatio, et status Angliæ.

2 His diebus [ille] de quo scribere proposuimus in Saxonia *e* natus est, et a parentibus Bregwinus cognominatus, sacro dehinc fonte in Christiana fide regeneratus; et infantiles annos egressus cœpit puer bonæ indolis esse, modestia morum sanctæ spei fiduciam suis de se exhibere. Hinc litteris traditur, et in schola dominica enutritur. Augentur in eo de die in diem studia sacri profectus; et fit pro tenore suæ ætatis in litterali scientia non multo post temporis intervallo perfectus. Florebant etiam adhuc quaque per Angliam exercitia ac studia litterarum; quæ ex beati Theodori *f* pontificis Cantuariorum, ejusque F discipulorum traditione totam terram magnifice irrigabant. Religio nihilominus Christiana, quam ex prædicatione gloriosi ac Deo digni Patris Augustini *g* Cantia susceperat, quammaxime in ea vigebat; utpote sanctissimis ac strenuissimis successoribus ejus, quos Roma direxerat, quique illi in patriarchatum Cantuariensem usque ad præfatum Birhtualdum successerant, ne in aliquo vacillaret vigilanti sollicitudine insistentibus. Siquidem ab ingressu Patris Augustini in Angliam eo usque insula ipsa non tantum patuit barbarorum irruptioni, quantum eam postmodum patuisse accepimus, et quidem juste. Noviter enim susceptum Christianitatis jugum majori diligentia a multis portabatur; et ea de re Dominus Christus sibi adhærentes propensiori clementia tuebatur. Unde bonus odor et in exteras regiones emanans plures nativo solo relicto in Angliam egit. Inter quos Bregwinus, Jesu Christi gratia fultus eo veniens, mox statione potitus, cunctis carus est et civis patriæ factus.

Ex monacho.

3 Deinde livore carens, docet alios, quæ sciebat, discit ab aliis, quæ ignorabat. Igitur sicut ætate et scientia, ita inspirante Dei providentia sic in sanctis moribus proficiebat et cælesti sapientia. Quia ergo scriptum legerat : Qui addit scientiam, addit et laborem : eo magis videbat sibi in hac vita laborandum, ne inter innumeros diaboli laqueos gradiens illis aliquatenus ab æterna vita impediretur; quo majori scientia præditus intelligebat, quo graderetur, si nullis eorum impedimentis irretitus in via rectitudinis detineretur. Usus itaque salubri consilio, sprevit mundum et oblectamenta mundi omnia, sequi cupiens eorum exempla, qui, secuti Dominum, reliquerunt se et omnia sua. Itaque sæculorum vitam vita monachali commutans, habitu sæculari abjecto monachorum sese collegio nihil habentium sociavit. Factus ergo monachus *h* ejus exterior homo cuncta, quæ veri monachi sunt, virtutum scilicet ornamenta, amplexus est interior homo. Et hæc singula in sua adolescentia sibi ascivit; sciens se juxta vocem Divini eloquii etiam cum senesceret, ab eis non recessurum. Nec fecit. Igitur cæleste propositum, quod ex dono gratiæ Dei susceperat, in servitio Domini perseverans, eidem gratiæ conservandum jugiter commendabat.

4 Illis

A. EDMERO MONACHO. *post alios episcopos Cantuarienses,*

4 Illis diebus antistes Birhtualdus vitæ præsenti sublatus *i*, vitæ perenni illatus est. Locum autem, quem mundo discedens vacuum reliquit, eodem anno Tatwinus *k* quidam, presbyterii gradu sublimis, vir eximiæ religionis, et, quod præcipuum est, monachi professione et habitu insignis, ex totius ecclesiæ sacratissima electione archiepiscopus factus supplevit. Hic est ille Tatwinus, quem venerabilis Beda *l* in Historia sua, id est, gentis Anglorum, quam edidit, ultimum pontificem Cantuariorum ponit : suoque tempore tam ipsi Historiæ, quam suæ vitæ modum posuit. Sane præfatus Christianissimus rex Wihtredus ante hæc nonnullis annis diem supremum sortitus, Eadberto habenas regni reliquit. Cujus regni anno undecimo *m* Tatwinus archiepiscopus beato fine quievit, quarto videlicet anno, quo archepiscopatum totius *n* Angliæ gubernandum susceperat. Quem Nothelmus *o* subsecutus, quinque annis Christi ecclesiam nobiliter rexit. Itaque post hæc, anno scilicet Incarnationis Dominicæ septingentesimo quadragesimo secundo, electus est Cuthbertus *p* in sedem pontificum præ- B nominatorum : homo ex illustri prosapia gentis Anglorum clara progenie ortus, et ipse totus ex virtutibus factus. Is inter alia bona, quibus totum vitæ suæ tempus coram Deo et hominibus clarificabat, fecit ecclesiam in Orientali parte majoris ecclesiæ eidem pene contiguam; eamque in honorem beati Johannis Baptistæ solenniter dedicavit. Hanc Ecclesiam eo respectu fabricavit; ut baptisteria et examinationes judiciorum pro diversis causis constitutorum, quæ ad correctionem sceleratorum in Ecclesia Dei fieri solent, inibi celebrarentur, et archiepiscoporum corpora in ea sepelirentur : sublata de medio antiqua consuetudine, qua eatenus tumulari solebant extra civitatem in ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ubi posita sunt corpora omnium antecessorum suorum. Hic decurso vitæ præsentis articulo appositus est ad patres suos quinto decimo præsulatis sui anno, et in præfata ecclesia beati Johannis decenter sepultus.

eidem sedi præficitur :

5 Quærebatur ergo summo studio ab ecclesia Dei, qui non inferior vita ac sanctitate morum, posset in locum defuncti subrogari. Tenebat ea tempestate jus regni in Cantia Æthelbertus *q* supra memorati regis Wigthredi [filius,] Eadberto *r*, qui ei successerat, jam olim defuncto. Qui C Æthelbertus beatum Bregwinum ex sublimitate sancti propositi morumque illius gravitate notissimum habens, contulit cum iis, quos in electione pastoris universorum tenor præcipue respiciebat; suadens ut in commune viri industriam, sanctæ conversationis normam, cœpti propositi perseverantiam considerantes, præposita voluntate Dei, ecclesiasticam electionem in eo confirmarent, si in regimine omnium ecclesiarum totius Britanniæ eum idoneum concordi assensu judicarent. Proponitur itaque Viri a pueritia Deo digna conversatio, mansuetudo ad omnes, humilitas in omnibus, vitæ gravitas, et in his singulis et simul in omnibus continua cum discretione fortitudo. Refertur in populum; consentiunt omnes in unum, talem videlicet Domini Servum dignissimum fore tantæ ecclesiæ sacerdotem. Quid plura? Rapitur, et licet multum obnitens, grandævitatem quoque suam quibus poterat conatibus objiciens, patriarchatu Cantuariensi investitur. Deus in promotione ipsius sublimi, totius Cleri confluentis voce, corporis, ac jubilo cordis collaudatur. Dein Cantuariæ III Kalendas Octobris summo cum honore sacratus *s*, cathedram pontificalem ad regendum ecclesiam Dei, exultantibus cunctis, ascendit. D

quam Sanctus virtutibus illustrat; etiamsi non sciatur, dum viveret,

6 Speculum igitur omnibus a Deo constitutus, ita in sanctis operibus clarus effulsit; ut, qui lucis semitam volebant incedere, in ejus vita, qua graderentur, satis possent aperte videre. Si de miraculorum exhibitione, quæ sanctitatem demonstrare magis solent quam generare, quis inquirit; dico quod sentio. Equidem utrum aliquod hujusmodi fecerit necne, ad notitiam meam fateor non huc usque pervenisse. Quod si fecerit, ea aut scriptorum inopia, aut vetustas, vel certe casuum diversorum aliquis eventus a nostra scientia tulit; illa tamen, quæ post obitum ejus certa relatione cognovimus facta ad sacrum corpus ejus, luce clarius innuunt, quid in corpore degens facere posset, si eum ratio aut necessitas ad talia exercenda perduxisset. Sed illa tempora fide Christi quaque fundata non egebant signis miraculorum; quæ, ut beatus Gregorius ait, infidelium sunt potius quam fidelium. Et vane miraculum foris ostenderetur; si deesset, quod intus operaretur. E

miracula patrasse :

7 Ac, ut mihi quidem ratio suadet, ratum esse videtur majus esse auctorem omnium miraculorum per munditiam carnis et spiritus in se quemque continue habere, quam miracula, quæ et reprobis veritas dicit esse communia, pro libitu hominum et admiratione exhibere. Pax quoque diebus sui pontificatus in toto regno vigebat; nec incursus hostiles aliquis metuebat. Donec ergo in Dei pace quæque consistebant, Deus pacis in omnibus et per omnia omnibus erat. Beatus et felix Pater in istis, cum in populo verbum vitæ prædicaret, mansueto animo ac modesto audiebatur; et quæ fieri in exhortationibus suis præcipiebat, placido effectu prosequebantur. Ut fides vera aut succresceret, aut vacillans robur statumve reciperet; sola vox Patris vallata incremento, quod tribuit Dominus, sufficiebat; nec ad eam probandam miraculum aliquod quis exigebat. Sed hæc bona non multo tempore permanserunt. Sublato namque in brevi de hac vita beato Viro, cujus meritis ea provenerunt, evolutis pauculis annis et ipsa sublata sunt. F

tempus sedis, obitus, sepultura, successor.

8 Tribus siquidem annis *t* vixit in pontificatu, Deo per omnia plenus, et universis virtutibus indeficienti constantia præditus. Anno autem patriarchatus ejus secundo Æthelbertus Rex, filius, ut diximus, strenuissimi regis Wihtredi, diem ultimum clausit. Anno vero post hunc fuit validissima hiems *u*, nimia frigoris acerbitate cuncta constringens, animalia diversi generis et nivium densitate et immani brumæ asperitate extinguens. Verum cum juxta verba veri Salomonis, in Cantico Canticorum loquentis, hiems transisset, imber abisset et recessisset; flores Dominici apparuerunt. Unde et vinea Domini Sabaoth suavissimi odoris florem emittens, ad vocem turturis ac sponsi dicentis : Surge propera amica mea, veni de Libano, veni, coronaberis; anima felicissimi Patris, dulcis amica summi Patris, surrexit, hoc est coronanda ab sponso suo Jesu Christo, sæculum corpusque reliquit, ac angelorum adminiculo fulta, ubi ipsum Deum deorum in Sion æternaliter cerneret, gaudens hilarisque conscendit *x*. Sepultus *y* sane est in præfata ecclesia beati Baptistæ Johannis prope corpus reverendi pontificis Cuthberti, ipsius ecclesiæ, ut diximus, fundatoris ac sui dignissimi

præ-

A prædecessoris. Post hunc assumptus est in pontificatum relictæ ecclesiæ Jambertus *z*, pater et abbas vicinæ ac prænominatæ abbatiæ gloriosorum Apostolorum Petri et Pauli.

Miracula: aa

9 Hinc evolutis pauculis annis Dani *aa*, gens effera, perdiscentes Angliam in omni pene genere hominum a pristino statu exorbitare, et divitiis ac voluptatibus magis solito operam dare, cœperunt quasi pedetemptim probare, tribus navibus illuc primo directis, quam efficere possent, si plures mitterent, plures venirent. Quas cum prospere in nonnullis egisse audirent, animati sunt, et classe parata Angliam non semel aut bis, sed sæpenumero veniendi usum acceperunt. Quodam itaque tempore, etc. *bb*. Plura feruntur in hunc modum de beato Viro; quæ omnia scribere nimii ponderis esset. Ad alia ergo tendentes, hunc istis ponimus modum.

incendium ecclesiæ Cantuariensis.

10 Transierunt plures anni; et corpus ejus sub veneratione multorum loco mansit immotum. Nonnulli quoque successorum ejus huic vitæ decedentes, locum sepulturæ in ipsa basilica acceperunt *cc*. Post hæc multis malis quaque per B Angliam crebrescentibus, contigit civitatem Cantuariam ex incuria quorumdam, sua minus caute curantium, igne succendi et crescentibus flammis in matrem ecclesiam inibi consistentem incendium ferri *dd*. Quid dicam? Combusta est tota cum officinis monachorum ibi degentium pene omnibus, simul et ecclesia beati Johannis Baptistæ, ubi, ut prædictum est, archiepiscoporum reliquiæ jacebant humatæ. In qua conflagratione quæ vel quanta damna locus ipse perpessus sit, nullus hominum edicere potest. Ut tamen quædam inde tangamus; quidquid in auro, in argento, in diversis aliarum specierum ornamentis, in divinis ac sæcularibus libris preciosius habebat, fere totum vorans lingua ignis absorbuit. De his tamen quia fuerunt recuperabilia, minus est fortasse dolendum. At dolor immanis et nullo fine claudendus hucusque eamdem ecclesiam premit; quum privilegia Romanorum Pontificum, privilegia regum et principum regni, ipsi ecclesiæ studiose sigillata et collata, quibus se et sua perenni jure munire deberet atque tueri, ex integro redacta in nihilum deperierunt. Si C qua autem sunt ex illis recuperata, diversis in locis, ubi contrascripta fuerunt, reperta sunt et accepta; bullis atque sigillis, quæ alia fieri nequibant, cum ecclesia, in qua servabantur, igne consumptis. Ex quo robur et fortitudo hostibus ejus usque in præsens contra æquum increvit; et mult... mala *, oppressiones, et scandala insurgentium filiorum super ea...... ia struxit.

** hæc, et proxima in nostro exemplari evanida. ejusque restauratio: irreverentia erga Sanctum punita.*

11 Sed hæc notissima omnibus, vane quasi aliorum notitiæ scribe.... gnificamus. Quapropter istis omissis dicamus, quod post istud gem... m incendium corpora pontificum supra memoratorum suis loculis immota quiescebant; donec ille virorum strenuissimus et cum omni honore nominandus Lanfrancus *ee* videlicet Cadomensis * cœnobii abbas archiepiscopatu Cantuariensi functus est. Is quippe omnia quæ combusti monasterii repperit vel ædificia vel ædificiorum detrita monumenta terræ coæquans, et quæ sub terra erant fundamenta effodiens, cuncta nova extruxit, et præfatos antistites levari ac in tuto locari constituit; donec ea, quam cœperat, ecclesia facta esset, in qua decenter poni valerent. Et ita factum est. Post aliquot annos in ecclesiam jam fundatam illati sunt, et in aquilonali parte super voltum * singuli sub singulis ligneis locellis, ubi quotidie mysterium Sacrificii salutaris celebratur, positi sunt. His ita dispositis, forte die quadam unus ex fratribus ecclesiæ in scamno sedens coram sepulchro beati Bregwini, etc. *ff*. Et quidem, ut multi affirmant, hunc inter se morem Saxones præstantius habent; ut majores suos dignius honorent et irreverentiæ subditorum non parcant, ne insolescant. Morem igitur suæ gentis et mundo exemptus filiis suis studuit bonus Pater exhibere, ut eos moneret, qua reverentia se debeant erga majores suos habere.

* Caen in Normannia.

* i. e. fornicem

A. ELMERO MONACHO.

Monachus quidam volens auferre corpus ejus, gg hh

12 Inter hujusmodi facta sanctissimi Viri, venit Cantuariam quidam monachus de terra Teutonici *gg* imperatoris, Lambertus nomine, notus reginæ, quam rex Henricus *hh*, defuncta prima conjuge sua, uxorem de Saxonia * duxerat. Hic Lambertus per multum temporis Cantuariæ rogatu reginæ cum fratribus conversatus est; et pene quasi monachus loci ab omnibus habitus. Unde familiaritate quoque politus, cœpit frequentare locum, in quo pontificum reliquiæ quiescebant, illic orare, illic Missas celebrare, illic familiariter conversari. Interrogabat hunc et illum, quis ille esset vel ille, quove nomine E vocaretur, qui illo vel illo loculo claudebatur. Ubi autem de beato Bregwino audivit, succensus est desiderio habendi illum, et in terram suam transferendi; recordatus fortassis antiquæ bonitatis famæ, quam in patria sua de illo didicerat *ii*. Verum dum impossibile sibi videret, clam vel palam desiderii sui per se effectu potiri; suggessit archiepiscopo, qui tunc erat, et graviter morbo paralysis premebatur, nomine Radulfo *kk*; ut ossa memorati patris sibi concederet, asserens ei locum construendi monasterii a primoribus gentis suæ concessum, quod sub patrocinio patris Bregwini construere, et omnimodis servitio Dei accommodum ipse et sui proposuerant ordinare. Quid multa? Acquiescit pontifex: nec enim noverat quo de agebatur; et ideo facili assensu ad preces petentis permovebatur. Res fertur in audientiam monachorum: et quidam, ut concessio pontificis perficeretur, plenissime laudant, quidam e contra modis omnibus negant.

* Lotharingia

inopinata morte defungitur:

13 Post dies defungitur archiepiscopus. Itaque plures eorum, qui, eo vivente, laudaverunt fieri quod roganti concesserat fratri, versa vice F contradicentibus acquieverunt: et uno animo pariter instituerunt, ne suo pastore ecclesia, quam vivens in carne pio diligebat affectu, destitueretur. Ne tamen concessio antistitis videretur usquequaque contemni; ex communi consensu deliberatum est, in quo et archiepiscopum consensisse nonnulli attestati sunt, ut scilicet os unum, brachium videlicet sinistrum sacri corporis, fratri conferretur. Quod ipse parum æstimans, et iis, quæ sibi promissa dicebat, frustrari non sustinens, suspicatus est, se per reginam posse apud regem efficere, quatinus ipse regia potestate vi a monachis extorqueret, ut sibi concederent quod querebat. Super negotio igitur reginæ locuturus, et eam cum rege in parco Wudestochico *ll* commorantem aditurus, Lundoniam venit; ibique valida infirmitate correptus, progredi ultra nequivit. Languore in dies crescente, ipse Cantuariam reportatus est; ubi parvo tempore vivens defungitur, et inter mortuos fratres sepelitur. Hinc nocte sequenti astitit Vir quidam statura mediocris, persona insignis, habitu monachus, facie ignotus; cuidam Fratri de congregatione per visum, homini bene religioso Deumque timenti, dicens illi: Scisne, quam ob cau-

A. EDMERO MONACHO.

causam Lambertus ille Saxo sic inopina morte raptus sit? Cui cum se nescire responderet. Scias, inquit, quia eo quod corpus Bregwini de sua sede auferre, sibique conatus est vindicare. Nec enim talis meriti fuit in oculis Dei, ut tanti Pontificis præsentia vel possessione debuerit jure potiri.

alius a vomitu sanguinis sanatur.

14 De his ita considerans ergo provida sollicitudo servorum Dei, et ex iis, quæ frater ille facere molitur, considerando perpendens, in futuro tempore aliquid huic simile a supervenientibus externis hominibus posse moliri, ne faciliorem effectum sortirentur, reliquias ipsius Patris a præfato loco cum reliquiis beati Plegemundi *mm* archiepiscopi in australem ecclesiæ partem transtulit, et post altare beati Gregorii Papæ decentissime tumulavit. Quidam autem ex monachis, Willelmus nomine, ex consensu aliorum, horum omnium se præ cæteris medium fecit; et ejus industria ac provisione ferme omnia, quæ in ipsa reliquiarum transpositione vel sepulchrorum compositione impensa fuerunt, procurata sunt. Is in una post hæc solennitate B servitio ecclesiæ toto conamine sese dedens, et ultra vires in cantando vocem edens, ruptus est in interioribus; moxque in vomitu sanguinis, aliisque gravibus molestiis vehementer afflictus. Quid igitur ageret, ignorabat. Noverat enim jam in ipsa ecclesia hoc nonnullis, et eadem causa contigisse; quorum alios morte multatos, alios multis annis multo languore vexatos, omni ambiguitate semota sciebat. Venit autem ei in mentem, quid servitii, quid sollicitudinis, quid honoris nuperrime impenderit duobus pontificibus istis Bregwino et Plegemundo. Itaque corde contrito, spiritu humiliato, perfusus lachrimis genas, orat eos sibi misereri; quatinus, impetrata sibi a Christo Jesu pristina corporis sanitate, intelligat, quid de illis ipsi et aliis amodo sit sentiendum, quave fiducia pro æterna sua salute eos appellare possit ad interveniendum. Mira Dei bonitas, potentia mira! Mox, sicut ipse refert, se omni sensit languore curatum; nec novi doloris aut incommoditatis ullam ulterius molestiam passum.

Epilogus auctoris.

15 Hæc de beato Bregwino minus sapiens edidi, quæ a majoribus et veridicis viris didici. Et hi quidem alia se expertos in se fuisse tradunt, alia vel ab illis, qui præsentes fuerunt, C vel a præsentibus acceperunt, seque referunt accepisse, constanti allegatione commemorant. Ne ergo animos amicorum meorum, me ad hoc opus incitantium offenderem, cessi voluntati eorum. Quod itaque scripsi, eis scripsi: videant ipsi. Si in aliquo bene processi, gratias Deo: si aliter in aliquo, intentius orent, obsecro, pro scelere meo. Memoria transitus beatissimi Viri VII Calendas Septembris recolitur; ut illic nomen Domini, qui illum honoravit expeditius magnificetur. Sit igitur ipse qui vivit, dominatur et regnat per omnia, benedictus in sæcula sæculorum et ultra. Amen.

ANNOTATA.

a Withredus . . . capessit Cantwarorum regnum, ac illud tenuit XXXIII. *Chronicum Saxonicum ad annum 694.*

b *De S. Brithwaldo, cujus nomen varie a variis efformatur, Cantuariensi episcopo, dictum est tomo 1 Januarii, die* IX, *pag. 597 et 598.*

c *Quam ampla et illustris fuerit istius ecclesiæ metropolitanæ prærogativa, indicabitur infra lit.* n. D

d *Hoc in concilio Bacanceldensi accidit anno 694; cujus Acta edidit Henricus Spelman inter Concilia Anglicana tomo 1, a pag. 189.*

e In Saxonia *videlicet antiqua seu Germanica, secundum dicta Commentario prævio num. 2.*

f *Chronicum Saxonicum ad an. 668:* Hoc anno Theodorus consecratus est in archiepiscopum, et missus in Britanniam. *Habetur in Martyrologio Romano ad diem 19 Septembris.*

g *Acta ejus illustrata sunt apud nos tomo* VI *Maii, die 26, apag. 373.*

h *Cujus instituti monachus fuerit, cupimus doceri. Adisis Commentarium prævium num. 2 et 3.*

i *Anno 731, secundum nos loco superius indicato lit.* b. *Consuli insuper possunt, quæ de hoc Viro collecta sunt in Historia de antiquitate Britannicæ ecclesiæ etc., editionis, Hanoviensis, anni 1605, a pag. 55.*

k *Res gestas Viri sancti collegimus tomo* VII *Julii, die 30, a pag. 159.*

l *De sancto ac Venerabili Beda egimus tomo* VI *Maii, die 27, pag. 718 et seqq., innectentes obitum ejus anno 735.* E

m *In Vita, quam damus, apud Whartonum edita, notantur ista pag. 185:* Tatwinus thronum ascendit anno DCCXXXI medio: excessit post medium annum DCCXXXIV. Wightredus obiit anno DCCXXV juxta Chronologiam Saxonicam. Tatwinus igitur anno decimo Eadberti vitam finivit.

n *S. Gregorius PP. III omnes Britanniæ episcopos ei subjicit, hanc innovans seu confirmans dignitatem, quam S. Gregorius magnus S. Augustino concesserat: de qua re vide tomum* VII *Julii mox citatum pag. 160. Obiit S. Tatwinus anno 734, qui ibidem pag. 159 signatur, et de quo jam proxime dictum est.*

o *De Nothelmo tractat citata Historia de antiquitate Britannicæ ecclesiæ a pag. 58. Chronicum Saxonicum ad an. 741,* Nothelmus, *inquit,* archiepiscopus decessit. *Notata ibidem in hunc locum non transcribo. Alfordus ad annum 739 num. 6, ipsius mortem eidem anno innectit, non anno 741, quem improbat.*

p *Chronicum Saxonicum ad an. 741 dicit:* Cuthbrythus fuit in archiepiscopum consecratus. *Alfordus vero ad an. 740, num. 2 scribens, hoc anno in Dorovernensem sedem ascendisse eum memorat; ac varia de illius sepultura colligit ad annum 758, quo, post annos sedis octodecim, eumdem e vita migrasse refert, uti et Chron. Sax. Vide quæ de dicta sepultura habet Commentarius prævius.* F

q *Chron. Sax. ad an. 748:* Æthelbyrhtus, Wihtredi regis filius, capessit regnum *Cantii. Obiit anno 760, ibid. ad istum annum: quo Alfordus num. 1* Edbertum pro Ethelberto ponendum *affirmat.*

r *Idem Chronicum ibidem præmiserat:* Eadbrythus, Cantwarorum rex decessit. *Consuli potest Alfordus ad dictum annum 748, num. 1, ubi eum vocat* Ethelbertum.

s *De die et anno consecrationis diximus in Commentario prævio num. 4.*

t *De duratione sedis ejus, ibidem num 7.*

u *Chron. Sax. ad annum 761:* Hoc anno fuit aspera hyems.

x *Anno videlicet 762. Vide Commentarium nostrum num. 6.*

y *Diffi-*

A y *Difficultates in Sancti sepultura suscitatas narravimus ibidem* § 2.

z *De quo ibidem num. 13.*

aa *De destructione et vastatione a paganis illata ecclesiis Lindisfarnensibus Chron. Sax. ad annum 793 meminit. Consule Pagium ad eumdem annun num. 6, et Commentarium prævium num. 15.*

bb *Editor hujus Vitæ interserit ista aliis litteris :* Sequuntur miracula plura, quorum epitomen abbreviatis Eadmeri verbis dedit Vita Bregwini, Osberno male ascripta supra, pag. 76. *Utinam Whartonus Edmeri textum reliquisset integrum et intactum : cum vero contra fecerit, nos coacti sumus e Vita breviore miracula supplere, ut in Commentario prævio licet videre* § 2.

cc *De sepultura Sancti Commentarius* § 2.

dd *Thornus col. 1818* Anno Domini, *inquit,* MCLXXIV fuit ecclesia CHRISTI Cantuariæ combusta die sancti Bertini abbatis. *Colitur die* V *Septembris.*

ee *Agit de illo Alfordus ad annum 1050.*

B ff *Miracula duo, quæ in textu Edmeri hic non narrat Whartonus, iterum mittens lectorem ad aliam S. Bregwini Vitam, nos supplevimus in Commentario nostro num. 18.*

gg Teutonici imperatoris, *id est, Germanici imperatoris.* A. EDMERO MONACHO.

hh *Henricus, Guilielmi Conquæstoris filius, anno 1100 rex Angliæ factus, quo et Mahaldem, alias Mathildem, duxit uxorem. Anno autem 1121 conjux ei obtigit Athelis, al. Atheleida, filia Ducis de Luvain* (de Lovanio, *non* de Lorain : *etiamsi Lotharinga vocatur :) ex Chronico Saxonico : quod, cum adjectis ad illud notis, videri potest ad annos modo citatos.*

ii *Hinc confirmatur nostra sententia, quod* S. Bregwinus *fuerit ortus in Saxonia antiqua, seu Germanica.*

kk *Factus est archiep. anno 1114; mortuus 1122, ex Chron. Sax. ad istos annos. Legi etiam potest Historia de antiquitate Britannicæ ecclesiæ a pag. 123.*

ll *Vulgo* Wudestoke : *de quo meminit Monasticum Anglicanum tomo 2, pag. 318 et 396.*

mm *Chronicum Sax. ad an. 990 :* Hoc anno Plegemundus electus est a Deo, omnibusque ejus Sanctis, ad archiepiscopatum de Cantwareberi. *Alfordus ad annum 989 laudat illum, et agit de consecratione ejus. Quod vero stricti nominis sanctus sit, non reperi hactenus traditum a scriptoribus hagiologis.* E

DE S. VICTORE MARTYRE

CERESI IN CASTELLA VETERI HISPANIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

Cultus, tempus, Acta, translatio.

ANNO CIRCITER CML. *Martyrii palæstra,*

Ceresum, *cujus non una eademque nominis efformatio est, ita describitur hac die apud Tamayum pag. 592 :* Cerasum. Oppidum antiquum non procul ab urbe Burgensi (prope Veloradum, *sicut habet Marieta mox citandus;)* quod hodie ZEREZO dicitur, olim, ut ex Actis elicitur, populosum, et accolis plenum; sed jam in parvam populatio- C nem redactum. *Huic ultimæ ac vulgari hujus loci efformationi se accommodavit idem auctor in annuntiatione, dum pag. 587 Martyrem refert :* Apud Cerecenses prope Burgensem urbem. *Locus porro iste sicut* S. Victori, *qui vulgo nominatur* san Vitores, *natalis fuit mortalis vitæ, sic melioris ac sempiternæ exstitit palæstra, publico ejus cultu non per Hispaniam dumtaxat, sed per universam etiam Catholicam Ecclesiam propagato; dum annua Viri memoria præscribitur quotannis legenda in Martyrologio Romano, quod ita illum refert :* In Hispania sancti Victoris Martyris, qui a Mauris pro Christi fide occisus, martyrii corona decoratus est. *Annuntiationes apud Molanum, Canisium, et Galesinium huc non transcribimus; sed his superaddimus alia, quæ de publica Martyris veneratione ad posteros transmissa sunt.*

cultus publicus.

2 *Ægidius Gonsalvus Davila in Theatro ecclesiastico, inter ea, quæ scribit de ecclesia metropolitana Burgensi, commemorans sancta corpora, quæ in ista civitate, ejusdemque archiepiscopatu existunt, pag. 25 ponit* Cerezi corpus S. Victoris martyris, *additque* legi de eo XVI *(voluerit dicere* XXVI) Augusti. *Joannes de Marieta Ordinis FF. Prædicatorum lib. 2 de Sanctis Hispaniæ, qui est de Martyribus non pontificibus cap. 74,* Fuit, *inquit,* sanctum corpus in ista cavea *(de qua ante egerat)* annis aliquot, ac postmodum fuit translatum, ubi nunc est; et concurrunt multi populi cum supplicationibus, ut a Deo petant, ut per Sancti intercessionem bene sibi faveat in temporalibus. Fe- F stum ejus celebrat ecclesia Burgensis die XXVI mensis Augusti, et isto die conveniunt septuaginta populi crucibus suis instructi. Fuit conventus Ordinis, *ait,* nostri, et jam est Minorum. *Joannes Vasæus in Annalibus Hispaniæ ad annum 950, inter alia, quæ scribit de* S. Victore, *de cultu ipsius publico tradit ista :* Corpus ejus in municipio Villorado cum maxima veneratione colitur. *Quod eo* translatum fuit XIII Kalendas Junii anno Domini MCDLXVI, jubente D. Ludovico de Acuna ep. Burgensi, *sicut refert Tamayus pag. 591. Instrumentum ex eo dabimus inferius.*

Tempus martyrii

3 *De tempore martyrii non convenit inter auctores. Vasæus jam laudatus ita memorat :* Hoc anno (950) Abderamen Halihatan rex Cordubæ movit duodecimam persecutionem in Christianos dictos Mozarabes, de cujus vocabuli ratione jam dictum est *(et nos prolixe de eo tractavimus ante tomum* VI *mensis Julii.)* Hæc persecutio tantum in Hispania facta est. Edixit vero Abderamen, ut quicumque Christiani viverent in ditione Maurorum, vel abnegarent fidem Christi,

AUCTORE J. P.

Christi, vel morte pœnas luerent. *Nonnullis deinde nominatis Martyribus, de nostro narrat sequentia :* Eodem tempore passus est consimile martyrium *(amputati videlicet capitis)* beatus Victor, natus in oppido Cereso Burgensis diœceseos, qui precibus suis patriam a decennali obsidione liberavit, sacris suis concionibus multos apostatas et Sarracenos ad Christi fidem convertit. *Ambrosius de Morales in Chronico Hispaniæ lib. 16, cap. 15, ad annum 938,* Secundum quod, *inquit,* omnes affirmant, passus est istis annis... *(S. Victor),* et sic Vasæus illum posuit anno DCCCCL : credique potest ita esse ; cum lectiones episcopatus Burgensis, et antiqua traditio id dicat : quamvis alii illum faciant synchronum D. regi Alfonso Casto, *sicut indicarat idem chronologus lib. 13, pag. 49.*

ex variis expenditur scriptoribus,

4 *Baronius ad annum Christi 938 postquam num. 1 narrasset ingentem victoriam, a rege Legionensi in Hispania, nomine Ramiro, reportatam adversus Abderragham (uti eum vocat) tunc Cordubæ regnantem, ita prosequitur num. 2 in rem nostram :* Porro his addunt nonnulli, B qui prosecuti sunt res Hispaniæ, ipsum Arabum regem Abderragham, hac accepta clade, ubi Cordubam reversus est, magnam adversus Christianos sibi subditos persecutionem excitasse ; tuncque passum sanctum Victorem. *Hæc Eminentissimus Annalium conditor; sed Pagius expendens narrationem ipsius ad annum mox indicatum a num. 1 ad 3, victoriam istam removet ad annum sequentem : id quod obiter sit indicatum hic, quia parum vel nihil nos tangit. Quod nostra magis interest; videamus, num annus a Baronio, vel proxime hunc subsequens a Pagio designatus, componi queat cum calculo chronologico Vasæi, id est, cum anno Christi 950. In actis* S. Victoris , *quæ infra daturi sumus, leguntur ista :* Septennio... toto, quo Victor latuerat *(in eremo Ognæ videlicet)* obsidionem Saracenicam toleraverat *Ceresum, quod angeli monitu Sanctus ab illa longa obsidione (apud Vasæum, ut modo narrabamus,* a decennali) *ibidem dicitur liberasse. Moralesius laudatus, dum ad annum 938 ipsius martyrium memorat, non vult illud presse adstringere isti anno ; sed loquitur cum temporis extensione ; uti suadetur ex ejus verbis supra allegatis.*

et cum illis determinatur.

C 5 *Jam vero si anno 938, vel 939 ex correctione Pagii, addas aliquod tempus, ut Abderamenus tam ingenti clade a rege Ramiro fusus,* magnam adversus Christianos sibi subditos persecutionem excitaret; *facile pervenies ad annum Christi 950; vel etiam ultra, si decennalis obsidio fuerit, ut asserebat Vasæus. Hæ sunt cogitationes meæ, quas lectoris judicio permitto, si quidquam rectius repererit. Interim hoc modo notulam marginalem, in initio hujus Commentarii positam, intelligi cupio, et quidem cum aliqua temporis affectione per adverbium* circiter. *Deinde profiteor, me in hoc tempore figendo loqui cum auctoribus potius, quam ex fide rei compertæ : quia suspecta adjungitur circumstantia in vacca, ut mox videbimus. Pergamus* ad S. Victoris *Acta.*

Acta

6 *Ea, quæ prælo committemus, hunc præferunt titulum :* S. Victoris martyris, ex ecclesiæ Burgensis, Castellæ veteris metropolis, ecclesiasticis tabulis. *Addidit ad marginem noster Daniel Papebrochius* ex tomo G f. 142. *In fine autem Actorum apponitur sequens censura; et eadem quidem illius manu, qui apographum scripsit :* Cæsar Baronius [censuit] corrigendam esse lectionem... De medio tollendum illud, quod de vacca legitur. Quod fabulosum quodammodo sonat; licet in illis partibus pro miraculo habeatur. *Acta hujus Martyris etiam habentur apud Gononum inter Vitas Patrum occidentis lib. 3, pag. 160 : unde nonnulla accepi, quæ in exemplari ecclesiæ Burgensis adjeci ad marginem, et in ejusdem exemplaris contextu huic signo [ ] inclusi. Lucius Marinæus tomo 1 Hispaniæ illustratæ, quæ Francofurti excusa est anno 1603, pag. 334* S. Victoris *gesta breviter perstringit : et Mauros quidem* eum pœnis acerbissimis sustulisse *refert; sed nihil habet de crucifixione, de vacca nihil, ac de Cereso a longa obsidione per Sanctum liberato.* D

nec non variæ

7 *Marieta supra citatus dum historiam ejusdem loci, per sanctum Martyrem vaccæ ministerio soluti ab ista obsidione, pluribus repræsentat, quæ brevissime dumtaxat attingitur in Actis paulo post a nobis exhibendis, multo eam deteriorem, minusque credibilem facit. Ad suos quippe Ceresanos Sanctus angeli monitu digressus, ita cum illis egisse dicitur :* Videamus, Dominus misit me, ut vos liberem, quam cibariam annonam habeatis ad vestram sustentationem. Illi responderunt, nihil sibi esse relictum, præter parum tritici. S. Victor eis dixit, si forte haberent vaccam aliquam. Responderunt, habere se. Dixit Sanctus, ut vaccæ præberent quod comederet usque ad satietatem, et sic eam saturam ejicerent extra civitatem. Inimici Mauri, qui civitatem obsidione premebant, vaccam conspicati, statim lanceis illam confoderunt : apertisque intestinis, invenerunt eam tritici saturam. Hoc videntes inimici dixerunt inter se : Septem sunt anni, ex quo occupamur ista civitate per famem intercipienda, et cogitamus, jam nihil ipsos habere quod exspectent : et videmus, quod gregibus dent alimentum in tanta abundantia. Hoc utique quia videmus, oportet, ut civitati bene sit prospectum de alimentis : quam ob rem nihil habemus; quod hic exspectemus. Sic statuerunt abire, et obsidionem relinquere. E

super eisdem

8 *Huic narrationi e textu Hispanico Marietæ addi possunt res quædam aliæ. Nam primo, eo loco, in quem ceciderunt guttæ sanguinis pedum ejus, quando volebant illum clavis affigere cruci, morum postea natam affirmat, quæ ad hodiernum usque diem, inquit, permanet in memoriam miraculi istius. Secundo, postquam narrasset, Sanctum capite truncatum, refert ferocem serpentem numquam amplius apparuisse post Sancti ad eum verba, quæ ibi memorat. Tertio, subdit fontem a* S. Victore *prodigiose e terra esse productum, addens illum permanere usque ad hodiernum diem. Floruit autem Marietæ seculo 16 exeunte ac ineunte 17, ejusque historia, qua hic utimur, in lucem prodiit anno 1596. Plura de eo Echardus tomo 2 Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag. 377. Unde fit, ut non audeamus ipsi habere fidem, quia desunt antiquiora documenta, quæ tot res et tam mirabiles confirment.* F

observationes.

9 *Acta, quæ habentur hac die in Martyrologio Tamayi, interpolata sunt : in quibus, præter alia, quæ displicent, occurrunt mulieres septem, quæ, a* S. Victore *cælitus monitæ, e manibus Saracenorum ereptæ dicuntur. Adde mortuum ab illo ad vitam revocatum : sanctique Martyris epitaphium. Enimvero figlina Tamayi nimium cognita ac perspecta est, quam ut merces hujusmodi e sublesta istius fabulatoris fide*

admit-

A *admittamus. En tibi nunc, lector, Acta. Auctor eorum nos latet : ignota, qua sint scripta, ætas : mira quædam memorant; e quibus superius evadendum censebat unum Baronius : pro aliorum omnium veritate spondere non ausim; sed illa profero, quæ in apographo nostro reperio, etiamsi certioribus documentis, prout desidero, eorumdem veritatem confirmare non possim. In iis, quæ indicari solent in Annotatis, cum facillime legi possint in hoc Commentario, brevissimus ero.*

Translationis solennis

10 *De Sancti translatione, cujus supra ex Tamayo facta est mentio, idem auctor agit ad diem* XX *Maii. ac ejusdem profert instrumentum* ex antiquo, *uti vocat,* Ms. codice Hispano conscripto : *quod ne quispiam hic desideret, in qualicumque Tamayi, vel istius codicis fide, illud recitamus :* Elapsis multis temporibus, postquam S. Victor pro Christi fide ad martyrii coronam accessit, ad ejus sacrum corpus in ecclesia suo nomini dicata noscitur tumulatum; Deus ejus interventu plurima voluit perficere miracula, tam in loco sepulturæ, quam in aliis circumjacentibus oppidis; quorum seriem retexere longum B erit, quia multa sunt gesta; et quotidie geruntur innumera, in quo tempus terere, cum de translatione sumus acturi, erit aliud pro alio sumere. Anno igitur Dominicæ Nativitatis MCDLXVI, die Dominica XIII Kalend. Junii facta est translatio sacri corporis cum ingenti devotionis affectu, et solemni oppidanorum apparatu. Nam licet sacra pignora gloriosi Martyris in loco honesto jacerent; attamen, postquam domus, et cœnobium eleemosynis piorum virorum, amplitudinem recepere; devotus et multum magnificus Dominus D. Ludovicus de Velasco omnem posuit operam in transferendis S. Martyris exuviis. Quod ut perficeret impetravit a reverendo, et multum magnifico Domino D. Ludovico de Acuna episcopo Burgensi, licentiam pro sacro Martyris corpore transferendo; et quia ejus dominatio actui interesse non poterat, translationis opus reverendo domino D. Enneconi cœnobii S. Petri Caradinensis abbati commisit.

instrumentum datur.

11 Qui ascitis quamplurimis ecclesiasticis personis, tam secularibus, quam regularibus, sanctissimas transtulit reliquias B. Victoris martyris, de loco, in quo jacebant, ad majorem capellam præfati cœnobii, quod in diœcesi Burgensi, in C territorio villæ, quam Velforado dicunt, a pluribus annis conditum invenitur. Ad hujusmodi ergo sanctæ translationis actum ex omnibus proximis oppidis ac vicis innumeræ cum supplicationibus, et processionibus confraternitates, cum crucibus, et insigniis, plurimam devotionem demonstrantes, devenere. Inter alias nobiles personas D. Bernardinus de Velasco, primogenitus comestabuli Castellæ Petri Fernandez de Velasco, D. Didacus Sarmiento comes de Salinas, et D. Sanctius de Valasco; necnon D. Maria de Mendoza, uxor D. Ludovici de Velasco, D. Anna de Velasco eorum filia, et D. Eleonora Osorio, uxor Adephonsi Diaz Bolcier, itidem istum cohonestarunt actum, quo expleto, unusquisque in domum suam reversus est. Et ego a S. Martyre veniam efflagito, propter non digne ejus contextam historiam, et translationis modum, prout ejus merita, et meum expetebat obsequium. Faxit Deus Opt. Max. quod talia in hoc mundo opera peragamus, ut tanti Martyris precibus ad suprema cæli culmina transferri mereamur. Amen.

D

ACTA

Auctore anonymo,

Ex tabulis ecclesiæ Burgensis.

Sanctus ab angelo vocatur e solitudine ad liberandam patriam : a b c

Victor martyr in oppido Cereso *a* Burgensis diœcesis natus, postquam sacras sufficienter Literas calluit, et in sacerdotalibus *b* ministeriis aliquamdiu sese exercuit, illecebras mundi cupiens devitare, in eremum Ognæ *c* secessit, septemque perpetuos annos inter speluncas ferarum, hymnis divinisque laudibus intentus peregit. Ea tempestate Mauris totam fere Hispaniam possidentibus, Ceresum grandis tunc civitas ad Christianos desciverat, septennioque illa toto, quo Victor latuerat, obsidionem Saracenicam toleraverat. Quare angelus apparuit Victori, et eum iis vocibus excitavit : Eia, Victor, age, rumpe moras, te patria vocat, ut longa E eam obsidione salves, quam septem jam annos [Mauri] circumstant : muri nutant; oppidani post multos perpessos labores, et destituti commeatibus facere deditionem parant. Propera, ut * patriam liberabis *. Venit Victor Ceresum, visoque cognitus tandem in Maurorum castra penetravit.

* al. Propterea
* al. additur : teque martyrio consignabis.

frustra tentatur, ut sectam Mahometanam amplectatur :

2 Cum Mahometicam superstitionem Victor in castris hostium acriter insectaretur, et Christiani, qui a fide defecerant, recuperarentur, Maurique quam plurimi Christi legem suscepissent; Gaza unus ex regibus Maurorum, non passus ea impune fieri, Victorem comprehendi jussit, et ad se adduci. Victor regi assistens podagræ morbo laboranti, illum primum liberavit : deinde cum conaretur rex, ut abnegaret Christum, persuadere Victori, in Mahometicam sectam invexit *. Iratus rex audacia Victoris, rapi inde, in carceremque mitti præcepit.

* al. invectus est.

cruci affigitur, capite truncatur; et Ceresana obsidio solvitur.

3 Sed cum in carcere detentus non minus plebem innumeram prædicando acquireret, rex pro beneficio sanitatis accepto imperavit Victorem a militibus decollari. Victor rogavit carnifices, ut prius illum cruci affigerent : quod ipsi tam strenue fecerunt, quam libenter. Triduo pependit F in cruce vivus plurimos convertendo, et miracula quamplurima non vulgaria edendo. Nam et cuidam spuenti se, mortem ante reditum in urbem denuntiavit, [quæ mox] subsequuta est. Tandem e cruce depositus, caput uno ictu amputatum manibus excepit, atque viam in oppidum Ceresum direxit, oppidanosque alloquutus, vaccam pauxillo, quod solum supererat, frumento saturatam dimitti per mortem * jussit, quam hostes jaculis confoderunt, triticumque erumpens cernentes, diffisi victoria protinus abierunt.

* *l. cum alio apographo nostro* portam

ANNOTATA.

a Cereso; *in utroque nostro apographo est* Carasso : *sed malui tum hic, tum inferius* Ceresum *scribere, quia id videtur conformius nomini Hispanico* Cerezo, *apud Moralesium, Davilam, et Marietam; et* Zerezo *apud Tamayum. Adde, quod sint scriptores Latini, qui in hac nominis* Ceresi *efformatione me præcesserunt.*

b *Ta-*

A b *Tamayus hac die* presbyterum *illum vocat, sed nos hoc titulo superius abstinuimus, aliorum exempla secuti.*

c In eremum Ognæ : *Marieta* en los montes D de Oca, *id est*, in montibus Ocensibus, *quos invenio in territorio Burgensi.*

DE S. FELICE PRESB. & CONF.

PISTORII IN ITALIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus; notitiæ; inventio ac depositio corporis; tempus vitæ; miracula.

NON ULTRA SECULUM X. *Cultus, varia de hoc Sancto documenta,*

Pistorium *seu* Pistoria, *urbs Etruriæ in Italia, vulgo Pistoia, in territorio Florentino sita, et archiepiscopo Florentino suffraganea, cultu publico honorat* B S. Felicem *ad diem* XXV *Augusti, quo in utroque Catalogo Ferrarii eum signari, tunc inter Prætermissos indicavimus, et in hunc distulimus diem* XXVI *ejusdem mensis, quo notatur in Martyrologio Romano, breviter sic eum annuntiante :* Pistorii sancti Felicis presbyteri et confessoris. *Priusquam progrediamur ad alia; placet præmittere notitiam nonnullorum documentorum, quæ de hoc Sancto habemus : quorum unum est* Breviarium Vitæ, *quod signatur excusum* Lucæ apud Hyacinthum Pacium MDCLXXXIV, de superiorum licentia. *Ita incipit :* Fœlix Pistorii honestis parentibus natus. *Documentum secundum, quod apud nos est, inscribitur* Copia vetustarum lect. S. Felicis presb. Pist. C., ex lectionario antiquo Ms. sacristiæ S. Zenonis eccl. Cath. Pist. a 382 in pe. 2ª. *Huic accedit aliud Ms., seu* Vita Felicis, *ut prænotatur, desumptum ex eadem sacristia : utrumque vero sic incipit :* Gloriosus Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate, *et continet eamdem historiam. His adde, quæ de hoc Sancto excusa leguntur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXV *Augusti,* ex monum. Ms. eccles. Pistorien. *Baronius in notis ad Sancti annuntiationem, quam* C *modo recitavimus,* cujus, *inquit*, res gestas legimus in manuscr. codice, ab eadem ecclesia, *Pistoriensi videlicet,* Romam misso.

tempus inventionis corporis :

2 *Nullum vero ex hisce documentis esse antiquius seculo quinto decimo, colligitur ex inventione* S. Felicis : *de qua Breviarium Vitæ excusum hæc memorat :* Ejus corpus in cathedrali sepultum pluribus post obitum seculis ibidem... repertum est. *Inventionis annus signatur in duobus nostris exemplaribus Mss., quæ jam indicavimus, 1414; (sed apud Ferrarium non recte 1410;) qui quotus fuerit post nostri Confessoris obitum, non habemus compertum, cum nos lateat, quo seculo vivere desierit, cultusque ejus jam diu quasi intermortuus ac sepultus oblivione, revixerit e sacri corporis ejus inventione, secundum lectiones proprias, quas inferius producturi sumus. apud Ughellum tomo 3 Italiæ sacræ columna 285 novissimæ editionis habentur sequentia in additione :* In quadam donatione ab Othone II * imperatore eidem *Pistoriensi* ecclesiæ facta anno CMXCVII legitur : In honorem sanctorum Zenonis, Rufini, et Felicis : et... in alio simili instrumento per Fridericum I anno MCLIV, ecclesiæ in honorem sanctorum Zenonis, et Rufini, atque Felicis dicatæ. *In ipso autem Ughelli textu col. 284 præcesserant ista :* Cathedralis... quamplurimus Sanctorum reliquiis condecoratur, in quibus elucent SS. Felicis, atque Rufini Pistoriensium sacrata ossa. E *In citata additione observatur :* S. Rufini, non Pistoriensis, ut scribit Ughellus, sed Marsorum episcopi et martyris. *Consuli possunt quæ apud nos sunt dicta tomo* II *Augusti, die* XI, *pag. 634 de S. Rufino Marsorum episcopo et martyre.*

* immo III

videtur Sanctus non vixisse ultra seculum 10 :

3 *Ex his præmissis videtur mihi verosimile,* S. Felicem *nostrum non vixisse ultra seculum decimum; nostrum, inquam, etiamsi non omnino constet, an noster sit : constaret magis, si in citatis diplomatibus additus fuisset titulus* presbyteri et confessoris : *eaque de causa intra verosimilitudinis terminum me continui. Favet tamen Breviarium Vitæ excusum, cujus verba citabam supra num. 2, ac lectiones propriæ, quæ dabuntur paulo post; in quibus referuntur ista :* Et quoniam Deo cura est de Sanctis suis; placuit omnipotentiæ suæ, ut S. Felix sacerdos et confessor, qui longitudine temporis tam in clero quam in populo in oblivione venerat, ad notitiam Christi-fidelium manifestaretur. *Addamus hisce breviter aliquid de die ejus emortuali. Hunc nec ibidem invenio, nec in Ms. antea designato. Si credimus Breviario Vitæ typis vulgato.* septimo Kalendas Septembris obdormivit in Domino : F *apud Ughellum ponitur* VIII Kal. Septembris.

corporis depositio cum inscriptione :

4 *Quæ in lectionibus propriis narrantur de sacri corporis depositione post ejusdem inventionem, his verbis referuntur in sæpe dicto Breviario Vitæ :* Sub ara augustissimi Sacramenti solemni pompa ac ritu in marmoreo sepulchro conditum fuit, inciso titulo : FOELIX FACTUS PARENS PARENTIBUS. Inde in argenteum conditorium publicæ venerationi translatum est, et pia Pistoriensium religione colitur. *In fine autem apponitur hæc oratio :* Domine Jesu Christe, qui beato Fœlici eximium passionis tuæ amorem tribuisti, concede, ut ejus intercessione et exemplo crucem in cordibus jugiter feramus, et dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui vivis etc. *Superest, ut de miraculis, quæ Sanctus post inventionem sui corporis patrasse perhibetur, nonnulla subjiciamus.*

recensentur

5 *Lectiones propriæ dicunt :* Fecit multa miracula, quæ depicta erant retro altare dicti sancti Felicis. *Ferrarius ita de iis loquitur in annotatione ad compendium Vitæ, quod edidit :* Corpus in ecclesia cathedrali in proprio sacello (in quo aliquot ejus miracula depicta leguntur) asservatur.

A tur. *Cum autem ex jam dictis non habeamus, qualia fuerint ista miracula : defectum illum supplebimus ex apographo nostro, quod prænotatur* Vita S. Felicis, *et de quo mentionem fecimus supra num. 1. Post finem quippe istius Vitæ, ac post illa verba :* Fecit multa miracula, quæ depicta erant retro altare dicti sancti Felicis, *notantur idiomate Italico sequentia, quæ reddo Latine in hanc sententiam :* Ista sunt dicta miracula olim depicta retro dictum altare, ac sub figuris sequentes versus legebantur. Hodie *(non addidit tempus, qui eosdem descripsit)* noviter depicti sunt infra arcum novi sacelli, *et referuntur his verbis :*

miracula. 6 Quomodo corpus gloriosi confessoris sancti Felicis inventum fuerit tempore reverendi patris... Matthæi de Pistorio, episcopi Pistoriensis, anno MCDXIV, die XII Augusti, S. Claræ sacro.

Quomodo aliquis e loco S. Leonardi, ægrotus ad mortem usque, se commendaverit S. Felici, ac liberatus fuerit.

Quomodo S. Felix a febri et a pustulis liberaverit puerum Pistoriensem, qui erat morti proximus : quomodo delatus fuerit super altari.

B Quomodo portatum ad supplicationem corpus S. Felicis, liberaverit Paulum de Grimo a malo lateris.

Quomodo angelus revelaverit S. Felici, ut discederet, et dum flumen transiret, carri rotam ruperit diabolus.

Quomodo S. Felix liberaverit quamdam puellam Lucensem, quæ a dæmone obsessa erat.

Quomodo aliquis e loco S. Marci, qui est intra et extra Pistorium, dum araret die S. Felicis, ac bos ipsi mortuus cecidisset, commendarit eum S. Felici, et revixerit.

Quomodo quædam mulier de Monte Vettorino, dum morti vicina esset ex partu, S. Felici sese commendarit, ac liberata fuerit.

Quomodo S. Felix puerum ex Gora liberaverit a lepra. Quomodo super altare delatus fuerit.

COMPENDIUM VITÆ, ET CORPORIS INVENTIO.

C

Ex lectionibus propriis Mss. ecclesiæ Pistoriensis, cum alio earumdem apographo collatis.

LECTIO I. *Virtutes Sancti,* Gloriosus Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate, faciens prodigia in cælo sursum, et in terra deorsum. Qui, ut inquit Doctor gentium, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas et doctores, et quosdam confessores : ex quorum numero, quando placuit omnipotentiæ suæ, sydus refulgens emicuit, et pretiosum lilium in civitate Pistorii apparuit, videlicet dilectus Deo et hominibus ob innumeras ejus virtutes, gloriosus confessor et sacerdos Christi gratia et nomine Felix. Qui, dum in præsenti seculo viveret, elegit potius abjectus vivere in domo Dei, quam superbus, et dives in tabernaculis peccatorum, cupiens verbo et exemplo animas hominum Deo lucrifacere. Erat nimirum verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua, et in lege Domini meditabatur die ac nocte, audire cupiens a Deo illud euangelicum verbum : Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. EX MSS. LECT.

2 Et ut Deo ferventius serviret, elegit sibi extra urbem locum quemdam solitarium in quadam remota rupe sub montium radicibus ultra flumen Bure *a* : in quo loco plurimum pernoctabat, jejuniis et orationibus vacans, et ibidem corpus suum disciplinabat. Cujus felicibus actibus diabolus invidens *b*, evenit tandem, quod, cum in oratione prolixa per plures horas permansisset, angelus Domini apparuit ei monens, ut inde discederet. Viderat nimirum diabolum insidiantem ei, et percutere volentem. Sanctus vero Felix monitis angeli obtemperans, Pistorium versus veniens, cum esset ad flumen, et illud pertransire vellet, propter inundantiam aquarum minime poterat. Quidam auriga cum curru adveniens accepit eum in curru : et cum esset in medio flumine, diabolus, impetu facto, fregit rotam unam currus, ut eum mergeret. Quod videns Sanctus, oratione facta ad Deum, statim rota currui restituitur, et incolumis cum bobus, et ductore insimul evaserunt, et Pistorium lætus et gaudens intravit. LECT. II. *vita solitaria,* *a* *b*

E

3 Et ut ad gaudia paradisi feliciter pervenire posset, elegit sibi locum in civitate remotum a consortio secularium, Officio et Missis die noctuque vigilans. Et dum ei inerat aliquid otii, tempus in Scripturis sacris illud expendebat, partim legendo, partim meditando, considerans passiones innumeras sanctorum Patrum et Martyrum, eorumque tolerantiam : et ad passionem Christi convertens cor suum, flebat dicens : Domine Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, et sanguine tuo inebria mentem, ut quocumque me convertam, semper te videam crucifixum : et quidquid aspexero, sit in tuo sanguine rubricatum. Et cum per plures annos in Dei servitio permansisset, castigando corpus suum, et in servitutem illud redigendo, vitamque cælibem ducendo, solvi se a Deo orabat de corpore mortis hujus, et esse cum Christo. Et cum sæpissime Deum rogasset, ut eum de hoc laborioso certamine liberaret, et ad cælestem patriam perduceret, tandem exauditus ab eo, vitam finivit in pace, et cum veneratione condigna sepultum est corpus ejus, et a summo Pontifice inter Sanctos commemoratus est *c*. LECT. III. *et apud Pistorienses acta : obitus ;* F *c*

4 Et quoniam Deo cura est de Sanctis suis, placuit omnipotentiæ suæ, ut S. Felix sacerdos et confessor, qui longitudine temporis tam in clero, quam in populo in oblivione * venerat, ad notitiam Christi fidelium manifestaretur. Propterea misit in corda reverendi patris domini episcopi Pistoriensis, et venerabilium canonicorum dictæ ecclesiæ, et honorabilium operariorum operæ S. Zenonis, ut in majus ornamentum ecclesiæ, de duobus altaribus S. Mariæ et S. Martini, unum altare fieret. Quando vero eversum fuit altare S. Mariæ, sub ejus cippo capsa quædam inventa fuit, in qua erat pila lapidea cooperta ; ubi erat capsetta * alabastri valde splendidi, longitudine unius brachii vel circa, cooperta etiam alabastro : in qua ex anteriori parte erat sculptus unus currus cum quatuor rotis, quem quatuor equi trahunt, et auriga ducit equos, et currum. LECT. IV. *post quem diu latuit ejus corpus ;* * *f.* in oblivionem * *i. e.* capsula

5 Quæ Capsetta aperta fuit coram domino episcopo, canonicis et multis presbyteris dictæ ecclesiæ : et repente ex ea exivit ita suavis, et dulcis odor, quod tota ecclesia et platea videbatur LECT. V. *cujus inventio*

Ex Mss. Lect. d

batur plena omnibus mundi muscis *d*. Et ille perfectus odor duravit per totam diem, ita et taliter, quod omnis utriusque sexus et populus ad ecclesiam venit. Et quæcumque persona veniebat ad ecclesiam, statim, quando erat in platea, replebatur hoc odore suavissimo. Et hoc eveniebat, quoniam in dicta capsetta erant, et sunt ossa pretiosissima dicti S. Felicis confessoris.

Lect. vi. *ac translatio describitur*

6 Quod corpus inventum fuit tempore reverendi patris domini Matthæi domini Lazaci episc. Pistoriensis *e*, et seris *f* Richardi, seris Gualaudi de Bracciolinis, et Jacobi Francisci de Vaxellinis *, operariorum operæ S. Zenonis. Quæ capsetta processionaliter per civitatem delata fuit: et postmodum in novo altari per operarios ædificato et ornato, præsenti Domino episcopo, dominis canonicis, clero, et populo, cum hymnis, et canticis et organo, posita fuit, sicut videtur per quoscumque videre volunt, in medio altaris. Facta fuit autem hæc inventio corporis hujus gloriosi sancti Felicis anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto, die duodecima mensis Augusti, in die S. Claræ, in quo anno fuit Dominica die *g*. Post cujus inventionem dictus Sanctus fecit multa miracula, quæ depicta erant retro altare dicti sancti Felicis *h*.

* *al.* Vasselinis

ANNOTATA.

a Bure; *in alio nostro Ms., de quo egimus in Commentario*, Buræ. *Hunc vero fluvium pertinere vel ad territorium Pistoriense, seu Florentinum, colligimus ex ipso textu.*

b *Est nominativus absolutus pro ablativo.*

c *In alio nostro apographo mox designato* inter Sanctos connumeratus est. *Non scimus, hoc esse factum per solennem canonizationem; atque adeo hanc expressionem ita interpretamur, ut, vel permittente, vel approbante, vel confirmante summo Pontifice cultus sit. Eminentissimus Prosper de Lambertinis in erudito Opere de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione lib. 1, cap. 37, num. 8 consuli potest.*

d Muscus, moscus, moschus, odoramentum, quod ex umbilico cujusdam animalis colligitur, *teste Cangio in Glossario statim citando; apud quem illud animal describitur.*

e *Apud Ughellum electus episcopus dicitur anno 1400; obiisse anno 1425.*

f Ser, *(quod hic in casu obliquo scribitur* seris) Italis idem sonat, quod *Gallis* MAITRE, ubi de opificibus sermo est, *inquit Cangius in suo Glossario mediæ et infimæ latinitatis.* Maitre *autem est* magister *apud Latinos.*

g *Conveniunt hi characteres chronologici (qui etiam in alio nostro apographo sunt) sub littera Dominicali* G. *Unde sequitur, male apud Ferrarium huic inventioni assignari annum 1410.*

h *Miracula quædam singillatim indicavimus in Commentario prævio.*

DE BB. LIBERATO DE LAURO HUMILI, AC PACIFICO

EX ORDINE FRATRUM MINORUM

IN MARCHIA ANCONITANA ITALIÆ

SYLLOGE

J. P.

§ I. Beatorum cultus, Liberatus hic cum alio confusus.

Sec. xiii. *Loci situs:*

Marchia Anconitana, *provincia Italiæ satis nota, quæ sic vocatur ab Ancona urbe, quondam primaria ejusdem tractus (nunc vero præcipua est Macerata, et ipsius caput) sita est in ditione Ecclesiæ, ubi olim maxima Piceni pars, sicut habet Baudrandus; ejus situm pluribus describens. In hac porro provincia nomen illorum trium Beatorum in benedictione est, teste Waddingo, ut mox videbitur, qui sic scribit:* In Marchia in loco Suffiani, territorio S. Genesii custodiæ Firmanæ *etc. Illustrissimus Gonzaga de Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ parte 2 in provinciæ Marchiæ conventu 25 hunc* Liberatum *cum synonymo confundit, ut postea dicetur, dum hæc memorat:* Hic quoque locus sancto Liberato sacer, olim ad Patres Clarenos pertinuit, et ab his ad nostros fratres translatus est... Obtinet situm in quadam solitudine, subestque jurisdictioni S. Genesii oppidi Picentis, a quo quinque distat milliaribus, et ab oppido Sarnano tribus. Qua etiam de causa contemplativæ agendæ vitæ maxime favet, plurimosque patres vita atque virtutibus insignes nobis peperit: inter quos fuit beatus pater Liberatus professione Clarenus, a quo adjacens regio nomen usurpavit.

B. Liberatus cum alio confusus:

2 *Ne vero lectorem moretur nomen* Clarenus; *Petrus Rodulphius Tossinianensis Historiarum Seraphicæ Religionis lib. 2, fol. 155, illud ita exponit:* Clareni e Galliæ partibus (ut aliis placet) ortum habuerunt tempore Cælestini V Pontificis Maximi anno MCCXCIV. Erat tunc temporis familia quædam Eremitarum sancti Francisci sub fratre Angelo Clareno, Cingulano, qui una cum aliis obtinuit a prædicto Pontifice facultatem vivendi seorsum. Dicebantur autem Clareni a Claro monte, a quo tum ipse, tum ejus sectatores Clareni appellati sunt. Obediebant episcopis. *Præplacet mihi etymon ex citando mox Waddingo, ad annum 1302 num. 8:* Angelus, *inquit*, de Cingulo... abiit in Marchiam; ubi juxta flumen Clarenum inter Asculum et Nurciæ

Alpes,

A Alpes, aliud domicilium acquisivit, in quo cum quibusdam suis discipulis pacifice vixit, a quibus postea orta congregatio Clarenorum, cognomine a fluvio adlabente desumpto. *Deinde agit idem Rodulphius de quibusdam eorum locis in Italia, ac de illorum habitu; eosque tempore Sixti IV PP. ad regulæ observationem a fratre Petro Hispano reductos, et a Francisco Samsone susceptos sub obedientia Generalis Fratrum Minorum memorat. Hæc, quæ occasione loci diximus, usui nobis erunt inferius. B. Angelum Clarenum Operi nostro inteximus die* XV *Junii, tomo 2 ejusdem mensis, pag. 1091 et sequentibus, ubi plurima inveniet lector de Clarenorum reformatione, eorumque societate Ordini FF. Minorum unita. Sed nos ad propositum nostrum redeamus.*

cultus trium Beatorum publicus

3 De publico trium Beatorum cultu pauca quidem ad nostram pervenere notitiam; sed sufficientia tamen, sicut nobis videtur, ut aliis cæli incolis, quos hoc die inteximus Operi nostro, annumerentur. Arturus dicto jam die alium Liberatum annuntiat; et licet perspectum nobis non sit, qua de causa eum tunc memoret potius, quam alio, qui cum festo Dominicæ Resurrectionis viciniatatem aliquam habeat, sicut facit Hueberus, B *eum referens ad diem* XIV *Aprilis; idem tamen Arturus occasionem nobis præbuit inquirendi ulteriorem* B. Liberati *notitiam. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1234, num. 9, pag. 369 editionis novissimæ, de* BB. Humili *ac* Pacifico *agens,* Floruerunt, *inquit,* circa hoc tempus ex Minoritis Viri sanctissimi, quorum aliquos hic commemorabimus. In Marchia, in loco Suffiani, territorio S. Genesii custodiæ Firmanæ, mortuus est frater Humilis Picenus, cujus germanus frater Pacificus alibi habitans vidit animam recta ascendentem in cælum. Factus mox illius loci incola, dum ad instantiam dominorum de Brufortio post aliquot annos transferretur ad ipsos conventus, et fratrum exhumarentur ossa, collegit illa, quæ erant fratris, optimo lavit vino, serico involvit, nec osculari cessabat. Interrogatus, cur adeo inhæreret fraternis ossibus, nec similem exhiberet reverentiam aliorum fratrum piis reliquiis; respondit humiliter, non se carne, et sanguine motum, ut ea præstaret fratri, quæ ceteris non impendebat; sed ex facta sibi illa a quibusdam annis visione, certo sibi constare, ossa illa in paradiso futura, et proinde C quæ illuc ascensura erant, ubi Deus est, omni dicebat honore in terris veneranda. Paulo post ipse obiit in eodem loco, et juxta fratris tumulum sepultus. *De sancto autem* Liberato *subdit sequentia Waddingus :*

variis

4 Cum eisdem jacet frater Liberatus, vir sanctissimus et nobilissimus. Comes fuit loci, qui nunc sanctus Liberatus dicitur ob Comitis sancti reverentiam, et memoriam : tanta enim humilitate et sanctitate vixit in religione, spretis mundi divitiis et honoribus, ut sanctus ab omnibus proclamaretur. Horum trium festum recolitur in dicto loco quotannis, cum magno populi concursu, in prima die infra Octavam Paschalis Resurrectionis, quo die profluit ab eorum sepulcro manna, ab hora sexta diei usque ad Vesperas, idque in tanta quantitate, ut a populo colligatur. *Vim magnam ad probandam* BB. Humilis *ac* Pacifici *publicam venerationem (de cultu enim* B. Liberati *aliunde etiam satis constat) ponimus in textus, quem e Waddingi fide citabamus, clausula, publicum, annuum, ac magnum affluentis populi concursum fieri, ac festum celebrari stata die perhibentis ad eorum sepulcrum; et ibi quidem loci, ubi quotannis miro illo prodigio adventantium erga illos religionem renovari ac confirmari necesse sit. His ita positis, liceat mihi tantisper sic mecum ratiocinari : Primo, non scitur festum illud cum suis adjunctis prohibitum vel inhibitum fuisse ab altiori potestate ecclesiastica, videlicet vel a Sede apostolica, vel ab episcopis loci. Secundo, a quo tempore cœperit festivus ille cultus, memoriæ proditum non invenitur. Tertio, præsumitur inchoatus fuisse a tempore immemorabili, secundum præmissa ex Waddingo, in quibus omnes tres isti Viri indicantur floruisse seculo decimo tertio.*

Auctore J. P.

argumentis

5 Quarto, perseverabat ipsorum cultus usque ad tempora laudati Waddingi, qui obiit anno 1657, ut notatur in ejus Vita, tomo 1 Annalium Minorum antea citatorum præmissa, pag. CLIV *: nec video rationem dubitandi, quin hodiedum etiam idem cultus perseveret; propterea quod piæ illæ et antiquæ inter populos consuetudines, quibus innutriti quodammodo sunt, non soleant facile exstingui. Quinto, quis credat, in loco Marchiæ Anconitanæ, quæ intra ipsam Romanæ Ecclesiæ ditionem sita est, post latum tam solenne ab Urbano PP. VIII Decretum, perseverasse festivum* E *horum trium Beatorum cultum, nemine eorum, quorum intererat, quique hanc rem ignorare non poterant, se, quantum scimus, eidem opponente; quisnam, inquam, credat, venerationem illam fuisse relictam in statu, in quo erat, sine tacito vel expresso consensu Romanæ Sedis, vel episcopi localis, aut sine titulo possessionis ab immemorabili tempore ante Decretum illud? Quæ cum ita se habeant, nostræque sint partes, favere Cælitum honoribus, quantum possumus, salva semper et ubique veritate, et Sedis Apostolicæ auctoritate; ut ratiocinium superius concludamus, visum nobis fuit, perperam a nobis actum iri, si tres istos FF. Minores ab antiqua sua possessione publici cultus amoveremus, et ab aliis cæli incolis, qui Operi nostro inseruntur, excluderemus. Cur autem hoc die memoria* BB. Humilis *ac* Pacifici *resuscitetur, dicam infra. Sic autem se habebat cultus* B. Liberati *usque ad an. 1709, quo suspensus fuit; sed 1713 permissus. Vide* § 2.

Liberatus Maceratensis a Gonzaga

6 Superius autem, quando agebamus de loco cultus eorum, B. Liberatum, *quo de tractamus, cum alio synonymo confundi ab illustrissimo* F *Gonzaga notavimus; qui loco antea citato Liberatum Clarenum denuo confundit cum alio, qui* Liberatus de Lauro, *et* Sanctus *nuncupatur. Audiamus Gonzagam :* Beatus hic Pater, clarissimis ortus natalibus, miraculis claruit; diciturque tum a fratribus, tum quoque a circumvicinis sæcularibus, in hujus sacræ domus ecclesia sepultus; a quibus et sepulturæ locus ostenditur, mordicusque affirmatur, sanctitatis titulum sibi a summo quodam Pontifice vivæ vocis oraculo collatum fuisse, et ab eo temporis tum conventum, tum quoque proximum sibi territorium nomine sancti Liberati insignita evasisse. Volunt isti quod summus iste Pontifex, visis ejus miraculis, dixerit : Hic venerabilis Pater non tantum beatus; sed et sanctus optimo jure appellandus venit. Sed quis iste Pontifex fuerit, ignoratur omnino. Qua etiam de causa nihil certi de hac re affirmare ausim. *Hæc Gonzaga.*

et ab Arturo

7 Arturus in notis ad diem XXVI *Augusti hunc e Gonzaga textum describit, atque hodiernum* Liberatum *Suffianensem cum Maceratensi, qui huc non spectat, in unum conflat, uti conficitur ex*

AUCTORE J. P.

ex ejus verbis, quæ ad dictum diem habet : Qui nimiam cernens vivendi relaxationem in Ordine Seraphico, zelo strictioris ac purioris regularis observantiæ ductus, ex consilio proborum, sanctorumque patrum, decrevit summi Pontificis S. Cælestini V adire præsentiam. Quare, assumpto B. Petro de Macerata pro socio, curiam Romanam perrexit, obtinuitque a Papa diploma pontificium, quo sibi, et sequentibus dabatur facultas authoritate apostolica, reformationi operam navandi, atque regulam ad amussim observandi etc., non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Sicque superior institutus a Sede apostolica, haud parvum incrementum fecit, præcipue in Marchia Anconitana; ubi diutius mansit non sine admirabili prorsus vitæ exemplo. Obiit anno MCCCVII. *Hactenus Arturus : qui, quam male cohærentia loquatur, uni eidemque* Liberato *tribuens, quæ alteri synonymo adscribere debuisset, sic ostendimus.*

confusus

8 *S. Cælestinus PP. V creatus est Summus Pontifex anno Christi 1294; qua sese abdicavit dignitate ad diem* XIII *Decembris ejusdem anni. Quomodo igitur* B. Liberatus *noster potuit ab isto* B *summo Pontifice prædictum diploma obtinere, qui, teste Waddingo superius allegato, circa tempus, quod respicit annum 1234 floruit una cum* BB. Humili *et* Pacifico, *vitæ sanctimonia præstantibus? Quomodo item, uti volebat Arturus,* cum eisdem *ut asserebat Waddingus,* jacet *sepultus* frater Liberatus? *Quomodo* obiit *anno* MCCCVII, *uti scribebat Arturus? Quomodo denique idem Martyrologus illum sic annuntiat :* in Tuscia, apud oppidum Sancti Angeli de Vena, beati Liberati confessoris? *Et ne quis existimet, hac die Arturum annuntiare diversum ab eo, de quo nobis est sermo; audiat, quid præmonuerit in notis ad diem* VII *Augusti :* Beatorum, *inquiebat,* Humilis et Pacifici conff... Quorum festum, ac B. Liberati (de quo infra ad XXVI Augusti) recolitur in conventu S. Liberati quotannis magno cum populi concursu, prima die infra Octavam Paschalis Resurrectionis *etc.*

cum alio synonymo :

9 *Jam vero mirari satis non possumus, Liberatos duos ab Arturo in unum conflatos; cum præ oculis habuerit locos Annalium Waddingi, quos citat idem Martyrologus in notis ad diem* XXVI *Augusti, e quibus facile potuit perspi-* C *cere,* B. Liberatum *Suffianensem ab alio synonymo Maceratensi prorsus esse diversum cum tempore, tum rebus gestis, tum denique cultu publico, ac depositionis seu mortis loco. De tempore jam quædam notavimus, ex dicendis modo ulterius confirmanda. Ad alia quod attinet, Waddingus ad annum* 1294 num. 9 hæc scribit :* Patres aliquot, quibus arctioris vitæ et purioris observantiæ nimium irrepsit desiderium, inito inter se consilio, dum Pontificatum gereret Cælestinus, captata occasione ex ejus pietate et propensione erga eremicolas, et in locis austeris viventes, statuerunt apud eum res suas solerter promovere. *Refert deinde, ad Pontificem ea de causa fuisse missum fratrem Liberatum cum alio, quem nominat, socio, et impetrasse, quod ab illo petierunt; præfectumque ab eodem Pontifice eremicolis istis datum fuisse Liberatum, de quo dictum est. Vide, quæ præmissa a nobis sunt superius num. 2 de Clarenis. Waddingus laudatus ad annum 1301, num. 1 agit de eodem Liberato una cum sociis ad partes Achaiæ profecto. Ad annum vero 1302, num. 8 iterum de illo tractat : uti et ad annum 1307 num. 2, cui anno innectit* D *mortem ipsius, quam contigisse affirmat in oppido sancti Angeli della vena, nullam faciens mentionem de peculiari vitæ sanctitate, aut miraculis, ob quæ cogitatum umquam fuerit de publicis Beatorum honoribus ipsi post obitum deferendis. Consuli possunt, quæ de hoc Liberato dicta sunt apud nos loco supra citato ad num. 2.*

in quem errorem alii etiam lapsi sunt. Alii duo Beati cur ei hic juncti.

10 *Ex his itaque omnino conficitur primo, duos in unum Liberatos confusos fuisse ab Arturo, Maceratensem videlicet, seu Eremitarum prædictorum præfectum, ac Beatum synonymum Suffianensem seu Brunfortianum, vel* de Lauro *nuncupatum. Secundo, Gonzagam, qui in eumdem lapsus est errorem, uti patet ex ejus verbis superius prolatis, emendandum. Tertio, Benignum Fremaut in eumdem hallucinationis lapidem impegisse, quando in sua Legenda Ordinis Seraphici ad diem* XVII *Aprilis utrumque synonymum conflat in unum, ita tamen, ut deinde quasi per modum dubitantis scribat :* Nisi velimus dicere, illum *(Liberatum conventus S. Angeli della vena)* alium fuisse beatum ejusdem nominis. *Quarto, Liberatos duos commixtos fuisse ab Huebero, quem citavimus supra. Habes, lector, quæ de* B. Liberato *dicenda nobis occur-* E *rerunt, quem hac die annuntiat Arturus; eademque occasione incidimus in* BB. Humilem *ac* Pacificum : *quos cum videremus, apud nos ad diem* VII *hujus mensis, quo illos refert idem Arturus, notari dumtaxat inter Prætermissos ; visum nobis fuit, hac die ipsis reddere publicam, qui datus altera apud nos haud fuerat, honorem; ut, quibus idem obtigit cum* B. Liberato *sepulturæ locus, eademque occurrunt venerationis publicæ indicia, idem etiam omnibus tribus in hoc nostro Opere daretur locus. Floruisse autem illos versus tempora, quæ annum 1234 respiciunt, indicabat supra Waddingus : sed cum indictum reliquerit, quo anno obierint, nos illos antea posuimus seculo 13.*

§ II. Acta Romana circa cultum B. Liberati de Lauro.

Sacra Rituum

E*minentissimus quondam Cardinalis Prosper de Lambertinis, qui nunc S. Petri cathedræ summa cum laude præsidet, assumpto nomine* F *Benedicti XIV, in suo laudatissimo Opere De Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione, lib. 2, cap. 24, § 35, pag. 265 huic titulo* Prohibitio innovationis circa cultum Servi Dei Liberati de Lauro, SANCTI nuncupati, et confirmatio Decreti sacræ Congregationis per litteras in forma Brevis fel. record. Clementis Papæ XI, *subjungit sequens instrumentum :* Clemens Papa XI ad futuram rei memoriam. Alias, et nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, emanarunt in causa servi Dei Liberati de Lauro, Sancti nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ad supplicationem dilecti filii Lucii a Turricella, Fratris expresse professi provinciæ Marchiæ dicti Ordinis, ac lectoris jubilati, et ejusmodi causæ postulatoris, duo decreta tenoris sequentis, videlicet « Camerinen. Servi Dei Liberati de Lau-
» ro, Ordinis Minorum sancti Francisci, Sancti
» nuncupati.

Congregatio

12 » Demandata per sacram Rituum Congre-
» gationem

A » gationem sub die XXII Junii MDCXCVII amotio- » ne imaginum prædicti Servi Dei ab altaribus, » ecclesiis, et claustris conventuum prædicti Or- » dinis, in quibus depictus erat in lectulo de- » cumbens : cui beatissima Virgo, virginibus et » angelicis associata choris, liquorem propriis » manibus administrabat, recursum interposue- » runt ad eamdem sacram Congregationem pa- » tres ejusdem Ordinis allegantes, cultum ei- » dem Servo Dei intra, et extra præmemoratum » Ordinem sic et alias, atque multiformiter ex- » hibitum extitisse nedum per centum annos an- » te decreta fel. record. Urbani VIII; sed per » quatuor, et ultra sæcula; ac proinde humi- » liter institere pro manutentione prædicti Servi » Dei in eodem cultu absque ulla innovatione, » quæ læderet possessionem, in qua pacifice erat » a præmemorato immemorabili, ac legitimo » tempore : unde sacra eadem Congregatio præ- » fixo, et pluries prorogato eidem Ordini tem- » pore ad probandam eamdem immemorabilem » possessionem sub pœna remotionis cujuscumque » cultus eidem Servo Dei quomodolibet præsti- B » ti, in se ejusdem causæ cognitionem benignis- » sime suscepit.

in hac causa edit decretum, quod eidem non favet :

13 » Quamobrem, allato ad ipsam per Re- » ligiosos ejusdem Ordinis, et provinciæ Mar- » chiæ, in qua adest conventus cum ecclesia sub » titulo sancti Liberati, ubi, ut a reverendissi- » mo episcopo Camerinen. asseritur, ipsius ac » beatorum Humilis, et Pacifici ossa requie- » scunt, authentico processu una cum sententia » super præmisso cultu, authoritate ejusdem » episcopi Camerinen. Ordinarii loci dicti con- » ventus rite prolata, necnon instituto super » præmissis omnibus judicio, et prætendentibus » subinde postulatoribus, non esse necessariam » in casibus similibus propulsionis contrarieta- » tum commissionem manu Sanctissimi signatam; » eadem sacra Rituum Congregatio perpendens, » plura afferri in comprobatione præmemorati » cultus, quæ in præsenti casu indigebant spe- » ciali delucidatione (producebantur siquidem » nonnulla eidem Servo Dei, uti anonymo, vel » incognito, ab historiatoribus attributa, et alia » pariter, quæ ipsum cum alio quodam Libe- » rato Maceratense Congregationis Cælestino- » rum, seu Clarenorum ejusdemmet Ordinis C » confundere poterant) ad relationem Eminen- » tissimi et Reverendissimi domini Cardinalis » Vallemani pro Eminentissimo et Reverendissi- » mo domino Cardinali Carpineo Ponente, au- » dito tam in scriptis, quam in voce domino » Prospero de Lambertinis, sacræ Consistorialis » Aulæ Advocato, et Reverendissimi archiepi- » scopi Myren. Fidei promotoris coadjutore, » rescribendum censuit, causam indigere signa- » tura commissionis in casu, de quo agitur : Die » VII Septembris MDCCIX. Ita reperitur in regestis » Decretorum Congregationis sacrorum Rituum. » In quorum fidem etc. Die III Augusti MDCCXIII. » Loco ✠ Sigilli. Gratis N. M. Tedeschi episco- » pus Liparitanus sacrorum Rituum Congregationis » prosecretarius. »

secundum vero decretum

14 *Atque hoc quidem primum est decretum de non innovando cultu* B. Liberati. *Aliud vero permittit, ut in priore cultu, quem a tempore immemorabili habuisse indicatur, perseveret, relicta tota hac re in eadem venerationis publicæ possessione, in qua ab antiquo tempore fuerat, sicut pluribus indicatur in posteriore decreto, in quo dicitur,* nihil esse innovandum super cultu eidem Servo Dei præstito. *En tibi nunc ipsum decretum, quod laudatus Eminentissimus profert pag. 266 :* Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum sancti Francisci, Sancti nuncupati. Orta controversia in sacra Rituum Congregatione, an cultus ab immemorabili tempore juxta postulatorum sensum sancto Liberato prædicto præstitus esset, necne, permittendus, seu potius removendus : eadem sacra Rituum Congregatio sub die VII Septembris MDCCIX; censuit, antequam ad discussionem dubii super casu excepto a Decretis fel. record. Urbani Papæ VIII deveniretur, necessariam esse dubii propositionem super signatura commissionis ;

AUCTORE J. P.

Beatum hunc relinquit in antiqua possessione cultus,

15 Ideoque disputato dubio, an esset signanda commissio, sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi domini Cardinalis Ptolemæi pro Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Carpineo Ponente, et ad instantiam Fratris Lucii de Turricella Ordinis Minorum de Observantia sancti Francisci, dictæ causæ postulatoris, audito prius tam in voce, quam in scriptis reverendo Patre domino Prospero de Lambertinis fidei Promotore, E respondit pro nunc non esse locum signaturæ, commissionis, et nihil esse innovandum super cultu eidem Servo Dei præstito, firmo tamen remanente decreto in hac causa edito die XXII Julii MDCXCVII, super amotione imaginum dicti Servi Dei, et cui in lectulo decumbenti beatissima Virgo angelicis choris associata cibum administrabat, si sanctissimo Domino nostro placuerit. Die XXVIII Januarii MDCCXIII. Factaque deinde per infrascriptum prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XVII Februarii ejusdem anni MDCCXIII. G. Card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. C. Collicola sacræ Rituum Congregationis prosecretarius.

rem approbante

16 *Quibus ut firmissimum accederet robur, Clemens PP. XI superiora confirmat a pag. 266 :* Cum autem, sicut prædictus Lucius Nobis subinde exponi fecit, ipse decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsum Lucium specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque F ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta præinserta authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium :

ac confirmante Clemente PP. XI.

17 Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari : non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæte-

risque

AUCTORE J. P.

risque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die II Septembris MDCCXIII, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Variæ referuntur difficultates, quæ contra cultum istum objici poterant.

18 *Prolatis hisce Decretis Eminentissimus Cardinalis de Lambertinis subjungit varias difficultates, quæ moveri potuissent in hac causa, si ad* commissionem signaturæ, *ut vocant, deventum fuisset, et quam volebat idem Eminentissimus, tamquam tunc fidei promotor, sacra Congregatione ei suffragante, sicut ibidem pluribus narratur a pag. 267 :* Enimvero, *inquit,* præter Processum, difficultatem afferre videbatur, quod Pater Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem XXVI Augusti scribit, sanctum nempe hunc Liberatum, qui colitur in conventu Fratrum Ordinis Minorum prope oppidum Sarnani diœcesis B Camerinensis, et a quo vicina regio nomen accepit S. Liberati, zelo strictioris observantiæ summum Pontificem Cælestinum V adivisse *etc. Vide locum Arturi supra § 1 a nobis allatum : ubi etiam ostendere conati sumus, Liberatum hunc imperite ab eodem Arturo confundi cum alio synonymo. Pergit idem Eminentissimus :* Posito namque, quod hic Liberatus fuerit ille, qui a Cælestino V modo dictam Ordinem reformandi facultatem obtinuit, inferebatur, eumdem Sancti vel Beati titulo neutiquam insigniri posse, utpote authorem nefandæ hæresis Fratricellorum et Bizzocorum, eumque, qui antea appellatus Petrus de Macerata, nomen hoc deseruit, et illud Liberati assumpsit, uti post Jordanum, cujus Opus extat in bibliotheca Vaticana, retulit Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis tomo 14 ad annum MCCXCIV, num. 26, et tomo 15 ad annum MCCCXXXI, num. 7.

C

§ III. Responsa ad objectiones contra cultum B. Liberati de Lauro formatas; an sit multiplicandus ob diversa nomina.

Variæ item

A*d objectionem de Liberato Maceratensi postulatores causæ* Dixerunt. . . primo, nec Liberatum Maceratensem, nec ullum alium ex Ordine Seraphico, sed probabilius loquendo Hermannum quemdam cognomine Pangilupum, fuisse authorem nefandæ sectæ Fratricellorum, *ex Antonio Hiqueo ibidem citato :* Secundo, Liberatum Maceratensem nec hæreticum, nec apostatam fuisse; sed potius virum optimi nominis, *ex testimonio auctorum Franciscanorum, qui ibidem assignantur :* quibus procul dubio major fides habenda est, quam Jordano, quem porro sine ullo examine vel delectu Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis secutus est. Tertio, præsentem quæstionem respicere non ad Liberatum de Macerata, sed ad Liberatum de Lauro, *quorum hic cum illo confundendus non sit :* Liberatus enim de Lauro in loco Suffiani vitam egit solitariam, tum corpus ejus a conventu Brunfortiano translatum est ad locum, ubi nunc colitur, D qui ab ejusdem nomine appellatus est Sancti Liberati. Liberatus vero Maceratensis obiit in conventu Sancti Angeli de Vena prope Viterbium : præterquam quod gesta unius minime conveniunt cum gestis alterius, *ex citatis ibidem Mariano Florentino ac Waddingo, et annotatione marginali in autographo Ms. libri Conformitatum Bartholomæi Pisani. Sequuntur alia nonnulla postulatorum responsa, quæ proxime a nobis etiam referenda sunt.*

ad easdem responsa proferuntur.

20 *Causæ enim prædictæ postulatores apud sæpe memoratum Cardinalem Prosperum de Lambertinis pag. 269,* Affirmant quarto, Arturum asserentem, conventui Brunfortiano nomen inditum a Liberato Maceratensi, deceptum fuisse, utpote authorem Gallum, et, quod illis consequens videbatur, parum edoctum territoria Italiæ, et regesta ac monumenta Ordinis, quæ tum in Piceno, tum Romæ extant. Quinto, celebriores scriptores a Crescentio usque ad Pisanum retulisse, quemdam anonymum in dicto conventu coli, quem Marianus, aliique aiunt esse sanctum Liberatum de Lauro. Denique, Sanctum hunc Liberatum de Lauro cultum nactum fuisse E immemorabilem in civitatibus et locis provinciæ Piceni, semperque similiter reputatum, ut anonymum illum Sanctum, de quo sermonem fecerunt citati authores, quemadmodum ex documentis et testibus in processu existentibus colligi posse videbatur. *Hisce subjungitur hæc clausula ab eodem Eminentissimo Domino :* Quæ scilicet omnia in sacra Congregatione exposita ac discussa, sufficientia visa sunt ad decernendum, ne quid innovaretur super cultu etiam tum præstito servo Dei Liberato de Lauro, Sancto nuncupato.

S. Liberatus de Lauro unus et idem,

21 *Ex his, quæ hactenus in paragraphis præcedentibus exposita sunt, aliud nos judicare non possumus, quam quod* B. Liberatus *Suffianensis, seu Brunfortianus, vel Liberatensis, sit idem ille, qui alio nomine* de Lauro, *et cognomento* Sanctus *nuncupabatur; quodque hunc, et non alium, postulatores causæ intellectum voluerint, eumdemque proposuerint tamquam talem sacræ Rituum congregationi, uti conficitur ex dictis antea num. 19. Sed difficultatem aliquam nobis facessit cognomentum* de Lauro : *sub illo namque nomine non comparuit supra § 1 Beatus hic, de quo loquimur, apud auctores Franciscanos ibidem allegatos. Nec vero Waddingus Liberatum,* F *qui est apud Gonzagam, satis novit, nedum documenta de eo subministravit, quæ hisce tenebris lucem afferrent. Nam idem auctor tomo 8 Annalium Franciscanorum editionis novissimæ, ad annum 1374, num. 26 agens ex Gonzaga de conventu S. Liberati, de quo et nos supra, subdit sequentia :* Quis hic fuerit Liberatus, non comperio : alium omnino a Liberato Maceratensi, de quo sæpissime sermonem instituimus, reputo; uterque tamen fuit Angeli Clareni sectator.

tametsi variis nominibus nuncupatus.

22 *Hic itaque rursum palpatur in tenebris : ut mirum sit, quod in citati tomi indice Liberatus ille vocetur* S. Liberatus a Lauro, *quod nomen in ipso Waddingi textu non legimus. Verum ut tricis hisce tandem imponatur finis; habemus ex dictis* S. Liberatum, *qui* in loco Suffiani *una cum* BB. Humili *et* Pacifico *sepultus fuit, et* Sanctus ab omnibus *nuncupatus; et loco* S. Liberati *nomen inditum reliquit, secundum Waddingum num. 3 et 4 superius memoratum. Quibus consonant ea, quæ referuntur in decretis sacræ Rituum Congregationis num. 13,*

et

A *et 14, in responsis vero postulatorum num. 19 vocatur* Liberatus de Lauro, *qui* in loco Suffiani *vixit; et cujus* corpus . . a conventu Brunfortiano translatum est ad locum, ubi nunc colitur, . . . S. Liberati. *Supra* § *1, num. 3 dixi ex Waddingo,* Humilem *et* Pacificum *floruisse circa an. 1234, ad quod tempus etiam reduxi* Liberatum, *qui* cum eisdem jacet *sepultus : cum aliud tempus diversum non addatur. Verum si hic postea obierit, puta sec. 14; non satis historice constat, quod a Gonzaga, et aliis in Commentario citatis, cum alio sit confusus, quodque Clarenus non fuerit : cum Waddingus num. 21 duos Liberatos agnoscat; quorum tamen unum, non satis sibi notum, distinguendum putat a Maceratensi.*

AUCTORE J. P.

DE B. MARGARITA FAVENTINA

VIRGINE & ABBATISSA ORDINIS VALLUMBROSANI FLORENTIÆ

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Beatæ cultu, corporis translationibus, Actis, Vitæ ordine chronologico.

E

B

ANNO MCCCXXX. *Memoria Beatæ in Fastis recentioribus :*

Beatam Margaritam *Faventinam annuntiant plerique recentiores martyrologi ad* XXVI *Augusti : videlicet Ferrarius in Catalogo generali, Arturus a Monasterio in Gynæceo, Wion in Ligno vitæ, Menardus in Martyrologio Benedictino, aliique. Arturus autem præ ceteris exacte, dum ita loquitur :* Florentiæ, in monasterio sancti Joannis Euangelistæ, depositio sanctæ Margaritæ virginis, abbatissæ Ordinis Vallis-umbrosæ, miraculis claræ. *Ad quæ notat sequentia :* Fuit patria Faventina, discipula S. Humilitatis, primæ illius monasterii abbatissæ, cui in regimine successit : migravit a sæculo anno Christi MCCCXXX; et in monasterio S. Salvii, non longe a Florentia, juxta magistram suam sepulta est. *Hisce alii satis consonant, nisi quod* Beatam *vocent, non* Sanctam : *verum illorum verba adferre non lubet, quia aliunde cultus Beatæ certius ostendetur, quam probaretur ex verbis horum martyrologorum.*

C

cultus ejusdem

2 *Dum majores nostri, Henschenius et Papebrochius, anno 1662 Florentiæ degebant, suburbanum S. Salvii monasterium, in quo degunt moniales Ordinis Vallumbrosani, adierunt, ut describerent ibidem Acta S. Humilitatis et* B. Margaritæ, *aliasque de cultu earum colligerent notitias. Refert hæc ipse Papebrochius in Commentario ad Acta S. Humilitatis, tom.* V *Maii, pag. 203; qui etiam de* B. Margarita *notavit sequentia :* Festum B. Margaritæ celebrant moniales S. Salvii XXVI Augusti, quem esse diem transitus ejus ex traditione credunt, exposita imagine ejusdem Beatæ in altari, et pluribus ante eam accensis cereis; etsi nihil de ea in Sacro aut Officio fiat. Imaginem quoque pueri Jesu, quem ipsa ad similitudinem ejus, quem fuerat amplexata nocte Nativitatis, curavit fingendum, eædem moniales religiose servant, per eamque plurimas gratias obtentas narrant, feminis præsertim a Deo prolem postulantibus. Corpus ejus solutum in partes in decenti arca servatur post altare sub corpore S. Humilitatis, aliquanto spatio elevatum a terra. Ita XIII Februarii anno MDCLXII narravit nobis D. Catharina Angela Passerini, abbatissa monasterii prædicti, singulari erga nos humanitate usa.

immemorabilis ex corporis translatione,

3 *Hæc abunde probant, cultum Beatæ posteriori tempore viguisse : illum vero antiquum esse, et a tempore immemorabili cœptum, evincunt corporis translationes, quarum una, eaque miraculo honorata, jam contigisse videtur seculo* XIV, *licet annum ipsum assignare nequeam, nec diem. Etenim post Acta, quæ descripsit Papebrochius, hæc legitur epistola :* Venerabili in Christo matri et dominæ suæ præcipuæ, D. sorori Joannæ, abbatissæ monasterii S. Joannis Euangelistæ, suus Joannes, nepos B. Margaritæ de Faventia, debitam reverentiam et devotam. Cum de miraculo sex cereorum, et de una oratione sor. Margaritæ me rogaveritis Florentiæ, ecce, favente Domino, rogamina, imo mandata vestra, exequutioni mandavi. Dum in translatione B. Margaritæ vener. pater D. episcopus Florentinus ad altare sacrum B. Joannis Euangelistæ Missam solemnem celebrans, astantibus et cantantibus abbatibus, monachis, et aliis clericis, incepit PER OMNIA SECULA SECULORUM, mox ibidem accensi fuerunt sex cerei, ardentes, donec Missa completa fuit, Officiumque translationis, et extractum corpus almum dictæ Sororis de monumento, quod repertum fuit totum integrum et illæsum. Tunc expletis Officiis omnibus, prædicti sex cerei sunt extincti, et ad specialem * portati, ut solutionem suam acciperet de cereorum arsura : qui ponderans illos, exclamavit, dicens : Quid est? Ecce mirabile magnum, quia tanti ponderis sunt hi cerei combusti, quanti primo fuerunt non accensi. Sed videns miraculum tantum de his cereis combustis, nullam solutionem accepit; sed Dominum in ista Sorore multipliciter laudavit. Videns autem hoc miraculum monachus dicti monasterii, qui cereos ponderari viderat, et eos reportaverat speciali, ad monasterium revertitur, hoc referens gaudio magno valde.

F

* *i. e.* aromatopolam *Italice* speciale

quæ facta videtur seculo 14,

4 *Narrat hoc miraculum breviter Eudoxius Loccatelli in Vitis S. Joannis Gualberti, aliorumque Beatorum Ordinis Vallumbrosani lib. 2, cap. 36 : at fallitur, dum putat contigisse in postrema translatione. Nam ex recitata epistola manifestum est, hanc translationem esse factam, dum in monasterio S. Joannis Euangelistæ degebant moniales : imo omnia insinuant accidisse non*

AUCTORE J. S.

non multis annis postm ortem B. Margaritæ. *Etenim nepos Beatæ hæc scribit, idem fortasse, qui revelationes, ea dictante, conscripsit; corpus reperitur integrum, quod resolutum est postea antistes Florentinus vocatur* episcopus, *qui archiepiscopus factus est anno 1420, teste Ughello in Italia sacra tom. 3 secundæ editionis, col. 166 : res itaque contingere debuit seculo* XIV, *quo obiit* Margarita, *aut certe sub initium seculi* XV. *Accedit oratio ad* B. Margaritam *rhythmo Italico conscripta, quam idem ille epistolæ auctor abbatissæ communicat, quamque anno 1624 Hippolytus Cerboni in Discursu de laudibus et vita S. Humilitatis pag. 24 recitavit cum titulo Italico, quem sic reddo Latine :* Oratio vulgaris, quæ invenitur in Vitis Mss. antiquis beatæ Margaritæ, aut sanctæ Margaritæ, uti vocatur in titulo istius orationis. *Cum illa oratio antiqua sit, et post translationem abbatissæ communicata, nec verisimile sit, moniales illa diu caruisse, necesse est, ipsa quoque translatio, adeoque et Beatæ cultus sit antiquus.*

et antiquis orationibus :

5 *Verum orationem ipsam Latine redditam subjungo :* O sanctissima virgo Margarita, quæ B Domino in vita servivisti, sic illum pro me N. precare, ut tota ei fiam devota, planctusque mihi sit et compunctio, quæ in te fuit de ejus passione : impleat petitionem meam dulcis ille Jesus plenus commiseratione : quando me eripiet ex hoc carcere, det mihi pro gratia suam benedictionem, et faciat, ut fruar ipsius visione, cui laus sit et honor. Amen. *Alteram de* B. Margarita *orationem recitat laudatus Cerboni pag. 23. Latina illa est, et ad formam ecclesiasticam concinnata hunc in modum :* Deus, qui beatæ Margaritæ virginitatis et patientiæ speciali privilegio decorare, malignantium spirituum certamina vincere, et in amore tui sanctissimi nominis inconcusse permanere tribuisti : concede quæsumus, ut ejus imitatione, calcata mundi nequitia, et omnium hostium superatis insidiis, ad tuam secure gloriam transeamus. Per Dominum etc. *Huic orationi talem Italice præfixit titulum :* Oratio ad B. Margaritam discipulam S. Humilitatis, quæ reperitur in libris antiquis Mss. de vita ipsius. *Hæc autem ad immemorabilem* B. Margaritæ *cultum demonstrandum sufficere existimamus.*

C

posteriores corporis translationes.

6 *Nunc autem breviter explicandum, quo modo Beatæ corpus ex monasterio S. Joannis Euangelistæ, ubi primo fuerat sepultum, pervenerit ad monasterium S. Salvii, ubi hodiedum quiescit. Referuntur ea tom* V *Maii a pag. 216 in Actis S. Humilitatis, cum cujus corpore pariter translatum est corpus* B. Margaritæ. *Compendio igitur pauca inde huc transferam. Timebant Florentini anno 1529 obsidionem urbis suæ, eaque de causa destruxerunt varia ædificia muris vicina, ne hostibus usui esse possent : inter hæc dejectum est monasterium S. Joannis Euangelistæ eodem anno 1529, ac moniales cum corporibus prædictis receperunt se in urbanum S. Catharinæ monasterium. Verum post duos menses inde migrare jussæ, habitationem obtinuerunt ad S. Antonii, ac demum anno 1534 in suburbanum S. Salvii monasterium inductæ sunt. Transtulerunt secum moniales sacra corpora, uni arcæ inclusa, ad prædictas habitationes : in gemina autem translatione illud contigit mirabile, quod nullum prorsus senserit pondus, qui arcam gestabat, idque juratus affirmarit post ultimam translationem. Deinde arca translata fuit ad varia ejusdem ecclesiæ loca : cumque anno 1557* D *ripas transgressus Arnus, illam late aquis operuisset, corpora inventa sunt prorsus ab undis intacta. Tandem anno 1624 corpus S. Humilitatis arcæ prætiosiori fuit inclusum, et ossa* B. Margaritæ dissoluta, collocata sunt ad pedes suæ magistræ, eo plane modo, quo fuerant reperta in capsa veteri. *Hæc omnia latius relata studiosus lector inveniet loco assignato. Nos ad alia progredimur.*

Acta scripserunt coævi duo, alter Minorita.

7 *Acta quædam* B. Margaritæ *conscripta habemus a duobus auctoribus synchronis, ipsique Beatæ admodum familiaribus, licet alias parum noti sint, nec fere nisi nomine suo, quod ipsi prodiderunt. Alter illorum est Fr. Petrus patria Florentinus, atque ex Ordine Minorum, de quo nihil hactenus inveni apud bibliographos Florentinos aut Minoritas. Verumtamen ex intima ejus familiaritate cum Beata satis colligimus, virum fuisse pium : non indoctum autem ipse se ostendit. Scripsit hic Petrus, quæ ex ore* B. Margaritæ *sub secreto, usque ad ejus obitum servando, acceperat : memoratque visiones et apparitiones non paucas, pauca vero alia Beatæ gesta, ac sine ullo ordine chronologico, posteritatis memoriæ commendavit.* E

alter presbyter Faventinus :

8 *Alter videtur esse idem ille* B. Margaritæ *nepos, cujus epistolam supra recitavimus num. 3 : certe nomen utrobique* Joannes, *ac patria* Faventia, *accedit familiaritas mutua, ita ut hæc conjectura omnino appareat probabilis, et Papebrochius non dubitaverit in Actis S. Humilitatis pag. 204, quin ejusdem sint scriptoris revelationes et epistola memorata. Porro hic se vocat initio* presbyterum Joannem notarium : *et sub finem Scriptionis suæ dicit, se* rectorem *fuisse* ecclesiæ S. Antonini de Faventia, *et* imperiali auctoritate Faventiæ notarium. *Ignatius Guiduccius, qui Vitam S. Humilitatis conscripsit Italice, eique breviter inseruit gesta* B. Margaritæ, *pag. 152 Joannem istum a confessionibus* B. Margaritæ *fuisse scribit, cum eaque Florentiam venisse : verum non indicat, unde id acceperit; neque verisimile apparet, rectorem ecclesiæ cujusdam Faventinæ cum* Margarita *ad annos quinquaginta Florentiæ vixisse, illique fuisse superstitem : præsertim quod ipse videatur indicaturus fuisse munus confessarii, si illud administrasset, quemadmodum alia sua munia indicavit. Verum, quidquid de his sit, auctor non nisi visiones, apparitiones, ac miracula quædam conscripsit, prout ipsa Beata sub secreto illa dictaverat; in iisque referendis cum altero satis consentit.* F

quæ more nostro edenda :

9 *Utroque hoc auctore usus est Guiduccius, ut scriberet gesta* B. Margaritæ : *Petri fere solius Opusculum Italice expressit Silvanus Razzius in Vitis Sanctorum et Beatorum Etruscorum part. 2, fol. 69 et seqq. . Nos utrumque scriptum edemus, prout anno 1662 Papebrochius utrumque propria manu exscripsit in monasterio S. Salvii. Porro, quia Petrus plura ad Vitam spectantia memoravit, ejus Opusculum primo loco edemus, ac Vitam vocabimus : alterius vero lucubrationem subjiciemus, nomine* Revelationum. *Laudatus mox Razzius fol. 72 verso, ait, tempus mortis* B. Margaritæ *ignotum esse : neque vero id colligi potest ex Actis edendis. Verumtamen laudatus Guiduccius aliquot saltem notas indicat, ex quibus aliquis utcumque ordo chronologicus contexi potest, modo illæ sint satis certæ.*

brevis Vitæ chronologia.

10 *Etenim pag. 152 scribit,* B. Margaritam *annos*

A *annos fuisse natam quinquaginta, dum cum S. Humilitate Faventia discessit Florentiam, ut ibidem monasterium conderent. Contigit illud iter anno 1280, ut idem pag. 69 affirmat probari ex variis instrumentis authenticis, quæ servantur in monasterio S. Salvii. Hinc necesse est,* B. Margarita *sit nata circa annum 1230, et mortua sit circa annum 1330, quo eamdem obiisse asserit pag. 163, ætatis centum annorum. Nihil horum mihi apparet improbabile : nam imprimis ætas centum annorum in Vita exprimitur : deinde quinquaginta annos natam fuisse anno 1280, satis verisimile fit ex eo, quod inter omnes moniales prima ponatur post abbatissam in libello supplici pro constructione monasterii oblato, ut invenies in Actis S. Humilitatis pag. 210. Itaque ex mente Guiduccii vitam* B. Margaritæ *sic ordinamus. Nata est Faventiæ, quod oppidum est status ecclesiastici, circa annum 1230. Religiosam vitam amplexa, diu vixit sub disciplina S. Humilitatis in monasterio S. Mariæ Novellæ prope Faventiam. Inde anno 1280 Florentiam profecta cum abbatissa sua S. Humilitate, impetrato post biennium loco, eidem abbatissæ in* B *condendo monasterio strenuam navavit operam. Defuncta anno 1310 prædicta abbatissa, regimen monasterii ad* Margaritam *devolutum est, quod ipsa gessisse videtur annis viginti, sive usque ad felicem obitum, quem Guiduccius anno 1330 illigat, ut jam diximus. Guiduccium secuti sunt Ferrarius, Arturus, aliique : illumque nos interim sequimur, donec quis certiora docere possit.*

VITA

Auctore Petro Florentino Ordinis Minorum

Ex Ms. monasterii S. Salvii prope Florentiam.

PRÆFATIUNCULA.

Auctor narrat audita ex ore B. Margaritæ : a

C Rogatus instanter ab abbatissa *a* et monialibus monasterii S. Joannis Euangelistæ, ut venerabilem sororem Margaritam de Faventia, cum adhuc viveret, inducerem, ad revelandum aliqua de his, quæ sibi Deus fecerat de gratia speciali, ut esset eis, et posteris ad incitamenta virtutis : quare cum hæ ex sanctissimæ suæ conversationis experientia longa cognoscerent, vitam suam totam cælesti dono repletam, et virtute repletam, et tamen arcana Dei occultabat attente, ut nullatenus vellet ea detegere, ego autem propter intimam familiaritatem, quam secum puer habueram, devotas earum preces sumpsi avidius, et sollicite adimplevi. Unde cum esset ætatis annorum centum *b* et ultra, sæpe super hoc secum habui prolixum colloquium in secreto, ei post multa rogamina, sub secreti sigillo, quod illa numquam, dum viveret, propalarem : videlicet anno illo, quo migravit ad Christum, hoc mihi oretenus enarravit *c*.

ANNOTATA.

a *Hinc forte quis colligat, aliam fuisse abbatissam, vivente adhuc* Margarita; *verumtamen non crediderim* Margaritam *munere defunctam fuisse, sed existimare malim, adjutricem ei datam, quæ abbatissa vocari potuit, quod ei successerit in regimine monasterii : nam si illa absolute abbatissa fuisset, facile ex motivo obedientiæ inducere potuisset* Margaritam, *ut revelaret ea, quæ non nisi post multas preces demum sub secreto indicarit.*

b *Ætas centum annorum hic clare asseritur : at non æque manifestum est, non fuisse aliquot annis provectiorem, dum mortua est.*

c *Hujusmodi titulum Opusculo suo præfixit auctor :* Notabilia de vita sanctæ memoriæ sororis Margaritæ de Faventia, recollecta per Fr. Petrum de Florentia de Ordine Minorum.

A. PETRO FLORENTINO.

CAPUT I.

E *Munditia corporis et mentis : labores in condendo monasterio exantlati : virtutes variæ, præsertim obedientia, quam ex revelatione discit Deo gratissimam : magni eam facit S. Humilitas, cui defunctæ succedit in præfecturam monasterii : jubetur a S. Joanne subinde ab opere cessare.*

nimirum fervorem pietatis ab infantia, perpetuam munditiam,

Primo qualiter ab infantia sua cœpit devoto animo fervere ad Christum, et Virginem Matrem, et B. Joannem Euangelistam. Unde pro fundamento suæ devotionis proposuit, nihil terrenum, nihil carnale, nihil mundanum diligere, ut, illorum suffragantibus meritis, facilius posset ad cælestia se transferre. Cujus affectum Deus ex alto prospiciens, sic eam ab hac concupiscentia custodivit ad plenum, ut non solum ab illicito opere pertransiret illæsa, sed, quod magis est, ab omni etiam immunda cogitatione usque ad mortem perseveraret extranea. Unusquisque ex humana, et communi fragilitate, a se cognoscere poterit, quantæ munditiæ mentis, et corporis, et sanctitatis indicium istud fuit. F

labores cum S. Humilitate communes, virtutes, obedientiam, a

3 II. Mira, quæ mihi retulit, quæ acciderunt, quando una cum S. Humilitate, prædicti monasterii abbatissa, discessit de civitate ipsarum Faventia; nec non qualiter Florentiæ hoc monasterium fundaverint, non repeto, quia in legenda prædictæ S. Humilitatis *a* scripta reperiuntur : ibidem monstratur ad liquidum, quomodo omnis penuriæ et laboris, sanctitatis et perfectionis hujus venerabilis abbatissæ soror Margarita comes individua semper fuit.

III. Unde, sicut mihi narravit, mox ut Florentiæ fuit, cœpit magnalia Dei sentire, et quamvis illa pro posse celaret, tamen per gestus, qui exterius videbantur, sanctam abbatissam non potuit omnino latere : unde de sanctitate ac perfectione ipsius non mediocriter sentiebat : videbat enim Margaritam in orationibus fervidam, in ecclesia devotam, in servitiis promptam, in actibus modestam, sed maxime ab obedientiam citam, et nec mirandum, quia sibi Deus hanc virtutem contulerat de gratia speciali.

4 IV. Nam

A. PETRO FLORENTINO. *quam ex revelatione discit Deo gratissimam:*

4 IV. Nam cum semel devote oraret, Christus ei apparuit, et multam consolationem infudit : cui Margarita dixit : Scio, Domine, scio vere, quod a me nullam virtutem possideo; sed a te, auctore virtutum, omnia recognosco : vellem a te, Domine mi, scire illam virtutem, quæ me tibi magis reddit acceptam : cui Christus benigne respondit : Est obedientia, quam exsequeris sine mora. Unde se totam ex tunc sanctæ obedientiæ deputavit.

V. Sicut mihi prædicta Margarita narravit, illa S. abbatissa tantæ perfectionis reputabat eam, quod ex reverentia sibi exhibita Margarita sæpe dolore atque rubore cofundebatur suæ humilitatis virtute. Et cum aliquando communitatis officium aliquod haberet perficere, sicut lavare utensilia, purgare officinas, et similia, dicebat abbatissa : Volo, filia, ut vadas orare, et ego tuum officium exercebo : Margarita vero ex humilitate præcepti ad desideratum Christum pergebat orandum.

B

desiderium mortis, labores in obsequium S. Joannis.

5 VI. Retulit mihi prædicta, quod S. abbatissam, in extremis jam positam, rogavit instanter, ut sibi gratiam impetraret a Christo, ut eam cito de valle hujus miseriæ convocaret, quod gravissimum sibi esset post ejus obitum sine ipsa hic dicere vitam suam : et quamvis abbatissa in principio reluctaretur, quia pondus totius monasterii sibi relinquere disponebat, nihilominus postmodum ejus lacrymis convicta consensit. Post mortem vero ejus quædam sancta domina, mente levata in cælum, vidit ante Christi thronum S. Humilitatem similiter exorare de petitione sorori Margaritæ promissa, scilicet, ut migraret ad cælos; et vidit B. Joannem Euangelistam sibi contradicentem ex alia parte : dicebat enim pro parte sua B. Joannes : Non fiat hoc Domine, quia ecclesiæ meæ non expedit, imo valde indiget vita sua; et ostendam illi, quanta eam oporteat pro monasterio meo pati. Ex qua visione Margarita non modicum confortata, consideravit, quod deputata esset in B. Joannis Euangelistæ obsequium. Unde, sicut mihi retulit, ea
b illa hora sero *b* quolibet orans, rationem cum B. Joanne ponebat, si quid sibi placitum in tota die fecisset : et quando in die suo sollicita oneri insudasset, noctem illam cum jucunditate transibat : sic e converso, si quid modicum ex negligentia relaxasset, quam plurimum tristabatur.

C

Anxiam solatur S. Joannes, jubens subinde ab opere cessare.

6 VII. Post mortem abbatissæ *c* in ea monasterii sollicitudo remansit. Miror certe, quomodo una fragilis muliercula sustinere potuit labores, anxietates, penurias, verecundias, et alia incommoda, quæ mihi narravit : unde ipsa discurrebat *d* per castra, civitates, et villas, cum famulis, et animalibus, ad procurandum necessaria pro monasterii fabrica construenda, et vita monialium reclusarum. Et, dum semel in monasterio penuria magna esset, nec haberet, quod laborantibus ministraret, in noctis silentio rogavit instanter B. Joannem, et quasi secum de tanta penuria conquerendo, corde ac verbis anxiis recitabat, qualiter eas misit Florentiam ad terram peregrinam de terra nativitatis earum; et largas promissiones, quas eis feceral, semper adesse necessitatibus earumdem : idcirco petebat, ut suis precibus Deus alicui inspiraret, qui tantum de suis facultatibus ministraret, quod monasterium suum posset sine dilatione compleri.

VIII. Tunc B. Joannes apparuit sibi vultu placido et benigno, et brachiis apertis amplexatus est eam, dicens : De hoc, carissima filia, non turberis, quia factum est dispensatione divina, ut unus non faciat, quod multis potest proficere ad salutem, et ego ex hoc multos acquiram. D

D. Jesu Christo. Ex quo a B. Joanne accepit, quod opus ad perficiendum dilationem magnam reciperet, nec se more solito totam exterioribus daret. Unde parvulam cellulam infra monasterium sibi construi fecit, ubi non continuam, sed interpolatim arctissimam pœnitentiam egit, aliquando cum Martha ad exteriora progrediens, aliquando cum Maria soli Deo vacabat, et ibi mirabiles alloquutiones a Christo sæpe recipiebat, et Sanctis.

ANNOTATA.

a *Si auctor fortasse designat antiquam legendam S. Humilitatis, quam edidit Papebrochius tom. 5 Maii, in illa brevissime quidem hi labores narrantur, ita tamen, ut satis pateat, multa sanctis istis mulieribus perferenda fuisse in illo itinere, et fundatione monasterii. Quippe pag. 209, num. 16 post relatam apparitionem S. Joannis, jubentis monasterium Florentiæ condere, ita pergit auctor de S. Humilitate :* Tunc signo crucis se muniens, quasdam sorores *(tres nimirum, inter quas præcipua* B. Margarita) vocavit secreto : factum eis propalavit; et nihil ex monasterio assumens, priorissæ conventum commendavit; et cum his, quas nominaverat, nudis pedibus, inter guerrarum discrimina, cum tota sua societate incolumis, Euangelista prævio, properavit. *Hinc colligat lector, quanta fuerint patienda in itinere illo longinquo, sine viatico et nudis pedibus suscepto. Addat deinde biennium, quo fuerunt Florentiæ, priusquam locum haberent ad condendum monasterium, ab anno scilicet 1280 usque ad 1282 : ac demum perpendat, quot peregrinis mulieribus confusiones contumeliæque fuerint tolerandæ in victu ex eleemosynis sibi acquirendo, sumptibusque colligendis ad construendum monasterium, quod majori parte ex eleemosynis constructum est. Atque his consideratis, quæ latius videri possunt in Actis S. Humilitatis, facile intelliget, heroico opus fuisse animo, ad opus hujusmodi audendum, invictaque constantia ad difficultates omnes superandas.* E

b *Id est, quolibet vespere.* F

c *Mortua hæc dicitur anno 1310, cum jam octoginta annorum esset* Margarita, *ut expositum in Commentario num. 10.*

d *Hæc majori ex parte facta crediderim vivente S. Humilitate, sub qua monasterii procuratricem fuisse* B. Margaritam, *hæc insinuant*

CAPUT II.

Mirabilibus visionibus et revelationibus fruitur Beata, dum Christi et Deiparæ Virginis mysteria meditatur.

IX. Dum semel ex dulcedine tracta, quam de cælo recipiebat, Christum rogaret attente, ut perpetuo carcere clauderetur, ne discurrendo vacaret ab amplexibus et consolationibus

Omnino domi manere vetat Christus : apparitiones Deiparæ,

A bus suis, consolator Christus sibi amorose apparuit, dicens: Volo, filia, quod egrediaris, et per diversa loca discurras pro necessitate monasterii tui, et sæcularibus ad te venientibus de tua præsentia consolationem præbeas: et ego tibi gratiam meam infundam, ut verba tua sint in refrigerium tribulatorum, ad te venientium.

x. Sicut mihi seriose narravit, ex ardenti devotione, quam ad Matrem Domini deferebat, multum desiderabat de sua præsentia consolari, et ut melius posset suam gratiam impetrare, quotidie vitam suam mente devotissima revolvebat, scilicet qualiter in templo fuerat conversata, qualiter desponsata, qualiter annuntiata de partu Filii Dei, et fuga in Ægypto; et alia circa Salvatoris infantiam corde intentissimo ruminabat. Unde Virgo benedicta sibi pluries apparuit, eam alloquendo, consolando, admonendo, et quasi unicæ filiæ materni affectus dulcedinem tribuebat.

xi. Aliquando eam visitans, puerum Jesum gerebat in ulnis, et post multas preces et lacrymas eum Margaritæ brachiis committebat: ipsa B vero, quasi ebria, eum ad se dulciter adstringebat, et videbatur præ dulcedine nimia sæculum commutasse. Et dum Virgo Mater Filium repetebat, Margarita, sicut mihi retulit, numquam sibi eum volebat reddere, nisi prius unam gratiam, quam petebat, reciperet *a*: et tali modo plures et plures gratias impetravit.

a

8 xii. Dum soror Margarita prolixo tempore se exercitasset circa infantiam Salvatoris, et mirabiles dulcedines ibidem sentiens, non curabat ad altiora conscendere. Semel autem visum est ei, quod sibi mentaliter Christus loqueretur, dicens: non est æquum, velle solum de melle meo gustare, et non de felle: si perfecte vis mecum uniri, mente intenta recogita illusiones, opprobria, flagella, mortem, et tormenta, quæ pro te sustinui. Margarita vero, ex divina oraculo monita, totam se transtulit corde et corpore ad amplexandum crucem Dominicæ passionis: et illa dum die ac nocte ruminaret attente, quadam vice in oratione posita, corporeis oculis vidit Christum attente, et secum omnia instrumenta, quæ in sua crucifixione fuerunt; vidit etiam plagas ejus ita recentes, et sacrum sanguinem C emittentes, quasi de novo plagatus fuisset: et dum lacrymosis oculis et corde confixa, doloribus Christi esset intenta, Christus de cruce loquutus est ei, dicens: Filia dilecta, quia cum tanta solicitudine ac dolore perscrutaris omnes meas pœnalitates, pete a me, quidquid vis, et faciam tibi. Margarita vero confortata colloquutione divina, respondit: Domine, nihil peto, nisi gratiam tuam: et mox adjunxit: Tu scis, Domine, quia mulier sum simplex, et cum sapientibus et insipientibus habeo conversari et loqui; peto etiam, ut lingua mea in tacendo et loquendo secundum beneplacitum tuum regatur. Tunc Christus linguam sibi tetigit, et ex illa hora in suis verbis talem recepit efficaciam et virtutem, ut vere in lingua sua Deus cognosceretur: et illa felix visio tantam sibi de doloribus Christi impressionem reliquit, ut, quandocumque vellet, inde haberet devotionem et compunctionem, et sic speculatam revelationem, quasi videret Deum coram se in cruce pendentem.

et Christi, de cujus passione

9 xiii. Sicut mihi narravit Margarita sanctissima, sæpe sæpius meditando corde amarissimo vulnera Christi, parum sibi videbatur fecisse, nisi corde et corpore esset cum Christo in cruce confixa: cui semel Christus plagatus apparuit, et ambas manus et unum de pedibus sic affixit mentaliter, ut illum sentiret dolorem, quasi esset carne plagata, et quamvis inexistimabilem pœnalitatem haberet, desiderans cum Christo amplius conformari, fortiter clamabat, dicens: O domine Jesu Christe, vulnera mihi reliquum pedem et latus, ut dolorem quinque vulnerum tuorum perfecte cognoscam: cujus fervens desiderium Christus adimplens, in pede et latere tantam vim sibi doloris infixit, quod Famula Domini, ut mihi retulit, mirabatur, quomodo anima non exhalabat a corpore, tanta pœnalitate percusso. Et Christus ad eam dixit: Filia, noli timere, quia ego tecum sum, et virtutem tibi tribui talia sustinere.

meditari jussa, cum eo patitur libenter,

A. Petro Florentino.

10 xiv. Cum semel Ancilla Christi Deum rogaret instanter, ut aliquod signum certum mereretur accipere dulcedinis vel doloris, si ejus dilectio Christo foret accepta: et hanc orationem devote continuans, cum e vicino instaret solennitas passionis Dominicæ, subito percussa fuit E immenso dolore in omni particula corporis, et in universis juncturis ossium, sic ad interiora pertransiendo, ut nulla interius vel exterius pars remaneret absque ingenti pœnalitate transfixa. Et dum sic tota dissipata jaceret, ejulando clamabat, nec voces ad plenum poterat præ dolore formare. Supervenit abbatissa cum monialibus, ignorantes, unde tanta infirmitas, et tam cito processisset: putabant enim eam statim deficere: quia nec revelare, quod senserat, audebat, nec aliquod remedium sibi fieri sustinebat: et sic permansit usque ad mane Dominicæ Resurrectionis. Et dum infirmaria ex præcepto abbatissæ sibi aliquid comestibile præparasset, et sibi præparata portaret, sic eam invenit incolumem, acsi nihil mali sensisset: quare cursu concito currit ad abbatissam; nuntiat, quæ invenerat; veniunt moniales videre prodigium, et, quam statim morituram reliquerant, sanam videbant. Unde plenæ stupore, immensas laudes Domino reddiderunt: et quando hæc Margarita mihi narrabat, dixit, quod numquam alicui viventi causam illius infirmitatis, nisi mihi soli revelavit. Quare cum esset in prædicto dolore intolerabili, in aurora diei cœpit aliquantulum cogitare de resur- F rectione Dominica, et statim omnis pœna abscessit, et tanta consolatione divina perfunditur, quod mihi non poterat explicare sermone.

miroque dolore percutitur in signum dilectionis.

ANNOTATIO.

a *Ad imitationem Jacobi Gen. 32 ℣ 26:* Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. *Porro, si hæc aliaque cuipiam mirabilia appareant: cogitet Deum mirabilem esse in Sanctis suis. Deinde, si mirabilia multa, tempore legis Moysaicæ facta, propter auctoritatem sacræ Scripturæ necesse est credere, mirari non debemus plura contigisse in lege gratiæ, cum Deus id expressis verbis promiserit per Joelem cap. 2 ℣ 28:* Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt *etc.*

A. PETRO FLORENTINO.

CAPUT III.

In visione per annulum sponsa a Christo assumitur; aliisque gaudet visionibus: mira ejus in loquendo gratia, et concursus consilia petentium ab ea: labores ejus, quos Christus benigne solatur.

Annulo desponsatur a Christo.

xv. Et quia Christi crux scala est ascendendi ad ejus contemplandum divinitatem, cœpit Margarita per continuam crucis meditationem ad altiora mentem erigere; et, sicut mihi dixit, jam amor suus ita erat transformatus in Christum, ut præter Christum nihil posset diligere. Et dum semel Dilecti sui præsentiam avidius anhelaret, apparuit ei Sponsus ejus cum multa jucunditate, annulum pretiosum in manu tenens, et dixit ei: B Veni, Sponsa dilecta, accipe arrham desponsationis æternæ: et annulo eam digito subarrhavit. Margarita vero respiciens annuli pretiositatem, vidit, quod ibi gemma non erat, sed loco gemmæ erat crux designata: et non sine causa, quia assidua meditatio crucis eam Christo legitime desponsavit. Et dixit ad Christum: Domine mi, quare hic annulus gemmam non habet? Respondit Christus: Gemma hujus annuli est Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui te custodit, gubernat, et regit.

aliisque fruitur visionibus.

12 xvi. Ex quo Margarita se sensit Christo Domino desponsatam, dilecti Sponsi die noctuque requirebat amplexum. Unde mihi narravit, quod semel orando, vidit in spiritu palatium speciosum, et ornamentis variis decoratum, et dum pervenit ad palatii januam, vidit multitudinem domicellorum *a*, cum venustate multa ad ejus excubantium fores, quibus Margarita dixit: Carissimi, nuntiate mihi, ubi est Sponsus meus. Qui responderunt ei: In aula regia residet. Et dum festina imperialem aulam, introisset, ecce C Speciosus forma præ filiis hominum cum multa jucunditate sibi obviam venit. Margarita vero de tanta illius visionis gloria quasi alienata, sibi dixit: Nolo, Domine mi, ultra in mundum reverti *b*, quia hic habeo, quidquid desidero. Cui Christus respondit: Carissima filia, nondum venit tempus, quod te velim assumere. Et Margarita ait: Domine, quando ego veniam ad nuptias tuas, quod vestimentum mihi facies? Respondit Christus: Vestimentum tuum erit rosarum. Et Margarita ait: Domine, et ego quale vestimentum tibi portabo? Respondit Christus: Rubeum. Et Margarita de tali consolata promissione, invenit se in loco, ubi prius orabat, cum multa pace mentis et corporis.

et consolationibus divinis.

13 xvii. Margarita, quamvis corporaliter esset in terra, civis jam cælestis effecta, multum desiderabat de cælesti patria non solum mente gustare, sed etiam oculata fide videre. Unde retulit mihi, quod, dum semel oraret, ducta fuit in spiritu, et vidit sanctam civitatem Jerusalem ex parte exteriori tantum: et erat tantæ venustatis et gloriæ, quod nullo modo credebat posse sermonibus explicare: et vidit Christum juxta januam stantem, quem Margarita suppliciter exorabat, ut liberum haberet civitatis ingressum. D Cui Christus sic ait: Dilecta filia, hic modo intrare non potes, quia si intrares, postmodum non valeres habitare in terra; sic omnia tibi in fastidium verterentur: et tuum esse ibi necessarium est adhuc pro salute multorum.

xviii. Cum tempore quodam haberet copiam Sponsi, nec ad modicum sustineret pacifice esse absque consolatione Dilecti, quotidie orando, lacrymando, suspirando, interpellabat ad Christum: unde semel sibi oranti Christus apparuit, dicens: Quid tantum ploras, quid tantum clamas ad me? Si possibile esset, nec in cælo vel alibi me stare permitteres *c*, nisi tecum. Cui Margarita respondit: Domine mi, talem recipio de præsentia tua gustum, quod statim, quod te non sentio, puto deficere, et semper dubito, ne demeritis meis gratiam tuam amittam. Cui Christus ait: Carissima filia, et mihi multum dilecta, gratiam meam numquam perdere potes, quod nusquam te desero sine me: et manum suam Christus accipiens, manu super manum ejus, multa affabilitate de hoc sibi perpetuam fecit promissionem, et in hujus doni confirmationis signum subito splendor maximus circa eam de cælo descendit, et tanta E repletur suavitate cælesti, quod anima ejus liquefacta dulcedine, tota inebriata et consolata remanserit.

Gratia ejus loquendi, et concursus eam consulentium.

14 xix. Cum fama sanctitatis ejus circumquaque diffunderetur, de remotis et propinquis partibus fiebat ad visitandum eam virorum ac mulierum concursus; ubi comites et barones, prælati et Religiosi, tracti dulcedine verborum suorum, non dedignabantur suam adire præsentiam, et sibi secreta illorum consilia propalare: et tantam gratiam Christus verbis suis contulerat, ut, quotquot eam audierant, omnes redierant ad propria consolati. Ego autem hoc audiens a pluribus fide dignis, et quamvis sibi familiaribus, sed adhuc ignorans divina consilia circa eam, secretam collocutionem *d* super hæc habuimus ad invicem, dubitans ne frequentia mundanorum eam retraheret a familiaritate divina: unde semel ad dubii mei declarationem hoc mihi narravit, dicens, qualiter per magnum tempus anima ejus illo timore fuerat stimulata, et frequenter rogabat Christum, ne permitteret eam in tanta varietate consiliorum errare, nec de tanto concursu gentium F mentis elationem incurrere: et ecce Christus sic oranti apparuit, dicens: Non dubites, filia, quia tecum in omnibus semper sum, nec in perpetuum derelinquam: volo quod te non subtrahas, sed omnibus consolationem impendas: ego ponam verba mea in ore tuo, et per verba tua penetrabo corda audientium, ut cognoscant me in te sine dubio loqui. Et quod sit verum, ego omnes attestor, qui gratiam colloquendi secum habuerunt, ut testimonium perhibeant veritati prædictæ.

labores ejus Christus benigne solatur.

15 xx. Hæc sanctissima Margarita, apis argumentosa, usque ad ætatem decrepitam fabricæ monasterii B. Joannis sollicite insudavit: quot vero labores, verecundias, et pœnalitates, mendicando et discurrendo receperit, sicut mihi multoties referebat, nescirem ad plenum verbis exprimere. Nam dum semel prædictis anxietatibus multum esset confecta, et anxio corde multum clamaret ad Christum: Christus cum ingenti lumine gloriosus apparuit in sede imperiali, et circumcirca eum Sanctorum et angelorum erat exercitus copiosus: Margarita vero dilectum suum in tanta gloria et lumine videns, cœpit ire

ad

A ad thronum ejus cum fiducia multa, et dum sic iret, audiebat sub murmure Sanctos ad invicem colloquentes; Quomodo mulier illa vadit cum tanta securitate ad Christum, cum nos, qui sumus in gloria confirmati, cum timore ac reverentia semper illum aspicimus? Sed Margarita tota confisa de contemplatione Dilecti, jam verbis illorum nequaquam perterrita, sed iter cœptum prosequendo, pervenit ad thronum Dei, et ibi genuflexit et coram ejus pedibus adoravit. Tunc Christus se inclinans, elevavit eam, dicens: Veni, electa mea, quia non es verecundata coram mundo in omni vili officio et labore mihi servire fideliter, nec ego verecundabor tibi ostendere amicitiam meam, et te in conspectu totius cælestis curiæ honorare: et, his dictis, Christus amplexatus est eam, et sibi dedit osculum pacis, ubi tantæ suavitatis saporem gustavit, ut putaret se beatitudinis seculum commutasse *e*. Multa quidem alia diversis temporibus ab ea recepi, quæ utilissima essent posteris transmittenda: sed quia non considerabam sic ejus mortem propinquam, et sperans adhuc ejus habere præsentiam, non fui sollicitus memoriæ commendare: hæc autem, quæ suprascripta sunt, non de verbo ad verbum, sicut mihi interpolatim et prolixe narrabat, sed quoad veritatem sententiæ, ut melius novi, simpliciter ordinavi ad laudem D. N. Jesu Christi. Amen.

ANNOTATA.

a *Id est, aulicorum: vox enim* domicellus *pro servis domesticis alicujus principis usitata fuit medii ævi scriptoribus, ut videre est in Glossario Cangii.*

b *Ita Petrus Marc. 9:* Bonum est nos hic esse, *etc.:* non enim sciebat quid diceret. *Idem* B. Margaritæ *tum hic, tum in aliis quibusdam visionibus contigisse existimo, quod mens dulcedinis et amoris vehementia a sensibus abducta, non reflectat ad desideria sua, sed directe tantum prosequatur Dilectum suum. Hinc exponi potest, cur in illis visionibus quædam occurrant, in quibus nimia apparet in petendo aut respondendo libertas.*

c *Mira sane hæc sunt verba: verumtamen hisce non reprehenditur frequens oratio, cum Apostolus nos jubeat* sine intermissione *orare: at videtur improbari nimia cupiditas fruendi perpetuis consolationibus ac visionibus, qua Sancti quoque excedere possunt.*

d *Hinc conjicio, Petrum hunc Beatæ fuisse a sacris confessionibus.*

e *Id est, in beatitudinem ingressam esse. Ceterum, quæ auctor ait a se prætermissa, partim referentur ab auctore sequente.*

D

REVELATIONES
ET MIRACULA.

Auctore Joanne presbytero Faventino, ex Ms. monasterii ejusdem.

PROLOGUS.

Auctor exponit, qua occasione ex ore Beatæ audiverit

Ut infra scriptæ revelationes et gratiæ, desursum exhibitæ sorori Margaritæ, quæ una cum S. Humilitate, abbatissa S. Joannis Euangelistæ, perrexit ad fundatum Florentiæ hoc ipsius Apostoli sanctissimi monasterium de civitate earum Faventia venerandum, scriptæ per me presbyterum Joannem notarium infra scriptum, sicut oretenus mihi dixit, juvent, et prosint, ac sursum corda sublevent de fastidioso hujus mundi carcere; voluit ea post multa rogamina E in scriptis relinquere, sub secreti sigillo imponens, quod numquam, dum viveret, alicui propalarem, ad honorem et laudem dulcissimi Jesu Christi *a*.

ANNOTATIO.

a *Huic lucubratiunculæ istiusmodi titulum præfixum invenio:* Revelationes et gratiæ, quas Dominus exhibuit sorori Margaritæ S. Mariæ de Faventia, priusquam de hoc mundo sanctissima Humilitas abbatissa migraret. *Verumtamen, si præcedentem consulamus Vitam, quædam sub hoc titulo relata contigisse videntur post mortem S. Humilitatis. At parum refert, quo tempore contigerint, cum de visionibus ipsis satis inter utrumque conveniat.*

CAPUT I.

Visiones et revelationes variæ: in quibus documenta aliqua Beatæ data. F

revelationes et visiones varias,

I. Cum sanctissima Humilitas, abbatissa præfata, B. Margaritæ magistram dederit, ut eam litteras doceret, monachaque unica ei diceret: Disce, adisce legere; abbatissa enim fies: mox magistram reliquit, credens firmiter, quod omnipotens Deus aperiret sensum ipsius, ad intelligendum Scripturam *a* penitus hinc ad mentem: cui cum ego Joannes prædictus legerem semel ei, petens eam, si vellet, me vulgariter legere: respondit: Minime, quia bene intelligo.

II. Una vice, dum Soror veneranda oraret, raptus fuit spiritus ejus in cælum ante Dominum Jesum Christum, et videns eum facie ad faciem *b*, dulcedinem de ipso sentivit immensam; cui D. Jesus dedit pulcherrimum annulum. At illa dixit: Annulus iste, quem, Domine, mihi dedistis, minime habet gemmam. In loco autem gemmæ crux erat pulcherrima. Et Dominus ad eam: Gemma annuli, quem tibi contuli, Pater est, Filius,

A. JOANNE PRESBYTERO. Filius, et Spiritus S. : et adjunxit : Spiritus enim S., qui docuit et inflammavit Apostolos, te doceat, fortificet, et inflammet.

III. Alia vice orans, vidit splendorem eximium, qui erat D. Jesus Christus, dicens ei : Quid vis tu? quia non me permittis *c* in cælo manere? Ipsa quoque respondit : Heu! Domine, timeo propter sollicitudines temporales, quas habeo, gratiam vestram perdere. At Dominus respondens, ostendit sibi mundum per quinque partes, dicens eidem : Si eris hic, id est, in Oriente, ostendendo eum digito, et ego tecum : et si tu illic aderis, id est, in Occidente, et ego tecum *d* : si eris in quarta parte, id est, in Meridie, et ego tecum ero : si eris in quinta parte, id est, post mortem tuam, et ego tecum, te suscipiens, et ad cælestia regna perducens. Et tunc dixit ei soror : Modo mihi hoc, Domine, promittatis, porrigens ei manum : et Jesus illi super manu propria hoc promisit.

3 IV. Dum alia vice oraret, raptus fuit spiritus *e* ejus, et ductus in cælum ante Dominum, sedentem super solium pulchrum, et in circuitu ejus populus magnus adstabat : ipsa quoque facie ad faciem Dominum adoravit, in eum prospiciens, et tunc surrexit de solio Dominus, elevans eam, et dicens : Surge, dilecta mea, quia enim pro meo amore, non erubescis facere vilia, et ego te non erubescam coram hoc populo in mea brachia elevare, dans osculum ei pacis.

hic relatas. *e*

V. Dum autem alia vice *f* in oratione persisteret, cogitans de nativitate ac infantia Salvatoris, tantam dulcedinem sibi Christus infudit, quod mihi verbis explicare non poterat : et sic nativitatis hujus dulcore potata, quasi ebria supplicavit Domino, dicens : D. Jesu Christe, qui mihi dedisti mellifluæ tuæ gratiosum consolamen infantiæ, infunde oculis meis lacrymas, et cordi meo dolorem, ut te, dulcis Jesu, pro me misera mortuum, flere desiderans, tuæ valeam passionis vulnera perscrutari : et tum raptus fuit spiritus ejus ante Crucifixum, aspiciensque illum, statim cœpit plorare, sentiens inde consolamen eximium, et dulcorem : incepit namque cogitare flens et plorans, quomodo, et quare pedes Domini crucifixi fuerint : secundo meditata fuit cum fletu et planctu de illa dura crucifixione innocentium manuum Domini; tertio, quomodo Judæi coronarunt caput Dominicum illa dolorosa corona spinea, multas lacrymas fundens, et dolens; quarto, quæ et qualis spongia cum aceto et felle imposita fuit ori melliflui Domini, plorans, et lacrymas incessanter fundens; quinto, quomodo crudelis lancea latus Dominicum vulneravit, et tunc maximum planctum fecit : post hæc visum fuit illi, quod idem Crucifixus resurgeret, loquens ei, et dicens : Quia de passione mea condoles, et omnia vulnera mea scrutaris, quære a me, quidquid vis petere, quia quæcumque mihi petieris, tibi dabo : Soror vero respondens, ait : Domine, nihil aliud peto, nisi gratiam vestram, quodque linguam meam secundum vestrum velle regatis : et tunc D. Jesus osculo pacis tetigit linguam ejus. Soror autem post hanc visionem dulcissimam in suis Horis omnibus, et orationibus diurnis et nocturnis, quandocumque meditari volebat de passione Dominica, immensam consolationem et lacrymarum compunctionem habebat, et in hujusmodi meditatione melliflua videbat semper facie ad faciem Dominum Jesum Christum.

4 VI. Orans autem alia vice, vidit in spiritu D. Jesum Christum, rogans *g* eum, qualenus eam de hoc mundo vocaret. Ipse quoque respondit, et dixit eidem, quod nondum tempus advenerat : et ait illa : O Domine, qualem vestem dabitis mihi, cum reliquero mundum istum? et respondit ei Jesus : Quam tibi dabo, Margarita, rosea vestis erit : at illa : Et ego quale vobis conferam vestimentum? Et ille : Vestimentum, quod mihi adduces, erunt folia rubicunda.

factasque ante mortem g

VII. Alia vice, dum orabat, vidit in spiritu Dominum, dicens ei : Domine Jesu Christe, scio firmiter, quod a me nullam virtutem habeo; vellem scire libenter, quæ major est virtus [ex iis,] quas mihi dedistis : respondit autem Jesus : Sancta obedientia sine mora *h*.

VIII. Cum autem in oratione dicta Soror alia vice staret, desiderans in quadam cellula monasterii S. Joannis per dies solitaria et inclusa existere, quia [extra] claustrum monialium dicti loci etiam foras ambulabat invite, ne divinam gratiam perderet humano colloquio, et sollicitudine temporali; et desiderium hoc nequiens exequi, cupiebat potius infirmari : tunc ante Dominum rapta fuit in spiritu, cui Dominus ait : Nolo te fore inclusam; sed volo, quod vadas extra, et moreris cum gentibus, et loquaris meum verbum eisdem; et ego mittam in illud meam gratiam et virtutem *i*.

5 IX. Orante vice alia dicta Sorore, raptus fuit spiritus ejus in cælum; et videbatur ei, quod esset in civitate pulcherrima, omnibus plena divitiis, delitiis, atque bonis; cumque accepisset illic cuncta, quæ voluit, volebat etiam unam coronam auream : et respiciens juxta se, mox vidit unum pulcherrimum domicellum, qui ait uni apothecario : Rex cælestis mittit tibi, dicendo, quatenus conferas isti sorori Margaritæ, quidquid expostulat; et tunc apothecarius ei coronam auream : [Dixit illa *k* :] Sed volo coronam de lapidibus pretiosis; ille vero statim dedit ei coronam hujusmodi sicut petivit.

S. Humilitatis :

X. Cum alia vice, quodam die Veneris sancto, flens et plorans et nimium dolens, juxta Crucifixum oraret, rogavit Dominum, dicens : Date mihi, Domine, ad resurrectionis hoc Pascha consolationem aliquam vel dulcedinis vel doloris, ut sciam, si me diligitis : vel ego vos diligo. Tunc D. Jesus amaritudinem contulit ei tantam, quod sibi videbatur, ut confracta essent omnia ossa ejus, et de nodis exirent a die Veneris sancto usque ad Pascha resurrectionis in mane : credebat namque B. Humilitas abbatissa, quod ipsa soror Margarita fuisset aliud malum passa, quod numquam ei, nec alicui propalavit *l*. Item alias multas gratias, et consolationes divinas habuit dicta Soror, quas mihi infrascripto dixit oretenus, et plurima tacuit, sicut mihi asseruit : quia loqui plurimum formidabat : sed noluit me inscribere plura, dicens, quod hæc bene sufficiunt ad laudem et gloriam dulcis Christi.

ANNOTATA.

a *Factum istud explicat Guiduccius pag. 154, attribuens humilitati* B. Margaritæ *quod non curaret litteras discere, quia nolebat aspirare ad præfecturam.*

b *Id est, magna claritate. Eadem visio refertur in Vita num.* XI.

c *Hanc visionem in Vita invenies num. 13, ubi quædam notata.*

d *Pars*

A d *Pars tertia videtur omissa.*
e *Hæc item in Vita num. 15.*
f *Consule Vitam num. 8.*
g *Fusius hæc exponuntur in Vita num. 12.*
h *Confer Vitam num. 4.*
i *Adi pro his Vitam num. 7.*
k *Desunt hic Ms. meo verba uncis inclusa, quæ addidi, ut sensum expleant, ut jam ante invenies factum. Porro pro hujusmodi dictis, quæ parum videntur sobria, consule notata ad cap. 3 Vitæ lit.* b.
l *Hæc quoque in Vita num. 14. Porro id nulli dictum moniali : at revelatum utrique scriptori.*

CAPUT II.

Pecunia, vinum, panis, multiplicata Beatæ meritis : apparitio S. Joannis Euangelistæ, eam inter labores consolantis.

B

Multiplicata pecunia, a b

XI. In primis *a* cum dicta soror Margarita inciperet facere murari monasterium, et ecclesiam Sancti prædicti ornari necessariis ornamentis, nec haberet nisi paucos denarios pro his operibus faciendis, in quibusdam legatiis *b* in unica sua capsula colligatos, confidit in B. Joanne Euangelista, et veniens ad accipiendum hos denarios, ut solveret operariis, cum eos disssolvit, multiplicati sunt in maxima quantitate : et hoc accidit ei pluries, cum ibat ad hanc capsulam occasione prædicta. Et sicut mihi asseruit, numquam decrescere videbatur, cumque, ne deficerent, formidaret, volens illos pro dictis reservare operibus, quia multimodis expensis pauci remanserant; et operarii tota die peterent sibi solvi, nec haberet aliunde pecuniam ad solvendum, et magna caristia *c* tunc temporis esset Florentiæ, ad aliquos amicos ob hanc causam, quasi flens, ambulavit cum magno rubore, rediensque cum paucis denariis, operariis illos dedit : qui conquerebantur et clamabant, dicentes : Quid est hoc, quod nobis dedisti? nolumus eos accipere, solve nobis, persolve; alioqui C dimittimus opus tuum. Soror vero audiens hunc clamorem, et nimium dolens, ivit ad capsulam supradictam, et aperiens eam, invenit in illa denariorum multitudinem copiosam, et ex his postmodum persolvit integre operariis universis, multimodas omnipotenti Deo gratias, et B. Joanni agens.

et panis in constructione murorum monasterii, d e

7 XII. Alia enim vice, cum vindemiarum tempore per civitatem et comitatum Florentiæ pro laborerio *d* monasterii ambularet, vinum purum et aquaticum adinvenit, per se utrumque recondens : volens autem hæc vina vendere, de utroque dedit emptoribus ad gustandum, nihil eis dicens, utrum essent merella *e* vel pura : qui cum bis de utroque gustassent, emerunt merellæ congium pluris tribus libris, quam puri, dicentes, quod numquam sic bonum, saporosum et pretiosum vinum biberunt, quale hoc aquaticum fuit, ignorantes illud esse merellum.

f g

XIII. Accidit alia vice, dum porta S. Joannis *f* civitatis Florentiæ muraretur, tunc temporis dicta Soror faciebat murari ad monasterium supradictum, habens tunc unicum muratorem *g*, et unicum servientem ipsius, in civitate Florentiæ permanentes; et B. Soror videns et meditans, quod hos operarios oportebat elongare viam usque ad januam *h* S. Galli, cum pransum ire volebant, dolensque de hoc, quod erat operi prædicto damnosum, dixit operario, quod laboraret, quodque non iret domum plus pransum, quia faceret sibi expensas et famulo, donec sic civitatis janua clausa staret. Soror autem habebat vasculum eleemosynis panis plenum pro solvendis laborariis *i* dicti loci, de quibus fecit expensas pro dictis operariis per decem dies et ultra : et post hos dies formidans B. Margarita, ne panis hujusmodi defecisset, respexit in vasculum, et vidit illud repletum panibus ad summum.

A. JOANNE PRESBYTERO. h i

in qua ei quoque apparet S. Joannes :

8 XIV. Alia vice, tempore caristiæ, cum aceret laborari ad monasterium, ante diem evigilans in solicitudine, dolensque in corde suo, doloremque ore proferens, et conquerens de B. Joanne, dixit oculis elevatis in cælum : O S. Joannes, quid est hoc, quod opera tua fiunt tantum tempore caristiæ? quis mihi hoc tempore manum porriget adjutricem? quis me volet videre hoc tempore caro? Et hæc, et his similia E dicens, vidit oculis suis B. Joannem Euangelistam sibi apparentem cum brachiis apertis, atque dicentem : An credis tu, Margarita, me velle, quod una persona compleat opus meum *k*? Scias namque quod nolo sic fieri : imo volo, quod monasterium meum compleatur a multis, ut multi salventur; et cum hæc diceret B. Joannes, vidit ibidem dicta Soror multitudinem virorum et mulierum adstantium, qui se recommendabant B. Joanni.

k

auctor repetit, unde hæc intellexerit.

9 Alias multas gratias et consolationes divinas habuit B. Margarita prædicta, quas mihi presbytero Joanni, rectori ecclesiæ S. Antonini subscripto, dixit oretenus, et plures gratias et miracula tacuit, sicut mihi asseruit; licet mihi aliqua dixerit, sed ea non scripsi, quia de ipsis loqui plurimum formidabat : sed noluit me plura inscribere, dicens, quod bene possunt prædicta scripta sufficere ad laudem et gloriam dulcissimi Jesu Christi. Et ego presbyter Joannes, natus quondam Michaelis notarii, Rector ecclesiæ S. Antonini de Faventia, imperiali auctoritate Faventiæ notarius, rogatus a venerabili abbatissa D. sorore Agnesia monasterii S. Joannis Euan- F gelistæ prædicti, ut deprecarer præfatam sororem Margaritam, quod aliqua de vita sua vellet facere scribi, quæ ad laudem Dei omnipotentis, et ad ædificationem proximi remanerent, quæ prædicta omnia, sicut audivi ab ore B. Margaritæ prædictæ, una semper præsens cum ea, scripsi, et publicavi, promittens ei sub pœnitentiæ sigillo, numquam hæc, nisi post obitum suum, viventi alicui propalare.

ANNOTATA.

a *Sequentibus in Ms. hic præponitur titulus :* Infra scriptæ sunt aliquot gratiæ, monasterio S. Joannis Euangelistæ præfato collatæ, meritis B. Margaritæ prædictæ, post obitum beatissimæ Humilitatis abbatissæ illius, quas ego dictus Joannes et infra scriptus scripsi, ut audivi ore ipsius.

b Legatia *vox est Italica, quæ qualitatem pecuniæ hic designat. Significat igitur paucos, quos habebat, nummos secundum species suas fuisse colligatos.*

c *Id*

A c *Id est, annonæ caritas.*

d *Pro operibus faciendis.*

e *Vocem hanc non inveni; attamen clarum est, vinum significari tenue propter aquam admixtam : unde antea vocatur* aquaticum. *Forsan a* mero *diminutivum illud deduxit auctor Italus, ut a vino* villum *deducitur.*

f *Extra hanc portam situm erat monasterium.* D

g Murator, *qui muros construit : sic* murari *ex sensu satis intelligitur.*

h *Id est,* portam. *Hæc autem porta longius distabat a monasterio.*

i *Operariis.*

k *Confer Vitam num. 6.*

DE BEATO JOANNE A CARAMOLA CONF.

ORDINIS CISTERCIENSIS CONVERSO

IN MONASTERIO S. MARIÆ DE SAGITTARIO

IN REGNO NEAPOLITANO

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS E

B

§ I. Notitia loci, cultus, Vitæ auctor.

ANNO MCCXXXIX. *Monasterii hujus origo.*

Ferdinandus Ughellus tomo 7 Italiæ sacræ agens de episcopis Anglonensibus, columna 123 prioris editionis, monasterium* S. Mariæ de Sagittario, *quod* B. Joannes a Caramola *virtutibus ac miraculis illustravit, in rem nostram ita describit, allegans vetus ejusdem cœnobii monumentum :* Anno MCC miraculose fundata est et condita hæc abbatia sanctæ Mariæ de Sagittario, Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Anglonensi in provincia Basilicatæ juxta oppidum Claromontis. Cum quidam venator per lustra sylvæ illius (est enim circumcirca abbatiam hanc sylva nemorosa, et sylvestribus arboribus densissima, puta abietibus, castaneis, fagis, quercubus, siliis *, cornoliis, et reliquis hujusmodi arboribus et frutetis; unde per consequens venationi est optima) feris insidiaretur, intendens emittere sagittam in cervum, veluti alter Eustachius a cervo monitus, et C cervi monitione perterritus; dum ea, quam emiserat sagitta, ad se ipsum regressa est, absque læsione tangens eum, illic prospexit imaginem Beatissimæ Virginis prope radices arboris castaneæ erectam.

* an. tiliis?

situs, ac dignitas

2 Qua prospecta visione perrexit ad episcopum Anglonen., qui cum clero se [eo] conferens, ecclesiam illic Beatissimæ Virgini dicandam ædificari, eamque Ordini nostro destinari satagit. Floruit abbatia hæc, et nimiæ fuit devotioni populo, aucta et magnifice dotata ab comitibus Claromontis, aliisque principibus, et ab Anglonensibus episcopis mirifice privilegiis ac donis ditata. *Reverendissimus Laurus, de quo infra § 2, descriptionem hanc e Ms. anonymi inseruit Vitæ* B. Joannis *cap. 5, et ibidem multa alia coacervavit de hoc loco. Inter alia vero pag. 10 indicat, monasterium vetus Sagittariense circa annum 1060 ædificatum, et patribus Benedictinis incolendum fuisse traditum, postquam antea memoraverat historiam venatoris, unde nomen traxerit. Hodiernum autem monasterium pag. 11 ex inscriptione, quam ibi affert, signatur fundatum anno 1152; sed ibidem dictus auctor meminit de triplici fundatione : unde fit, ut non habeamus compertum, ad quod tempus prædicta venatoris historia referri debeat.*

3 *Singulari autem titulo huc spectant, quæ habet Ughellus col. 107 :* Prima *inter alias abbatias, de quibus ibidem agit,* consistoriales, *ut vocat,* est sanctæ Mariæ de Sagittario Ordinis Cisterciensis, in territorio Clarimontano sita . . . , summæ apud vicinos populos venerationis. Locus quippe insignis, in quo trecentis decem et septem abhinc annis asservatur corpus B. Joannis de Caramola Tolosatis, Ord. Cisterciensis Religiosi conversi, integrum adhuc, et incorruptum. *Augustinus Lubin in Abbatiarum Italiæ notitia pag. 351 de Sagittariensi agens,* In ea, *inquit,* floruerunt plures viri sanctitate illustres : sed præcipue B. Joannes de Caramola Tolosanus. *Nomen* Caramola, *quo Beatum toties nuncupari audivisti, ita exponit Reverendissimus Laurus cap. 1 Vitæ* B. Joannis *nostri pag. 2 :* Cognominatur, *inquit,* a Caramola, non quod a progenitoribus tale cognomen duxerit; sed a monte Caramola, ubi per multos et multos annos vitam degit asperrimam. *Deinde cap. 7, pag. 23 scribit hunc* montem, intra Clarimontani territorii limites existentem, et a sacrosancto Sagittarii phano ad quartum circiter lapidem distantem, *a Beato incultum fuisse in maxima asperitate. Eremum vero, in quam Beatus in seculo degens secessit, et de qua inferius in lectione tertia Vitæ, describit Laurus cap. 3, ac sancti Sabæ nomine eamdem appellat. De parva etiam ejusdem eremi planitie tractat,* in qua, *inquit,* ad hodiernum usque diem est una a Dei Viro Joanne plantata olivarum arbor, ad quam quartanario morbo laborantes devote confugiunt, et sumentes cum fiducia de frondibus ejus, per Beati intercessionem ab infirmitate convalescunt, et glorificant Deum in Sancto suo. *Cap. 4, pag. 7 occasione eorum, quæ in hac solitudine passus est, narrat ista idem biographus :* Insuper, quia, dum ruens in duas altissimæ rupis partes, offenderat in easdem, in quas corruerat, miraculose amygdalæ

describuntur : Beati nomen, et eremus.

F

A læ duæ ortæ sunt, quæ tamquam matres aliarum, ad earumdem pedes astantium, ad hodiernum usque diem visuntur : cum nedum in alio ejusdem rupis loco, sed nec in circumvicino agro reperiantur. *Hisce de cœnobio Sagittariensi, ac de eremo, quam Beatus incoluit, antequam in illud fuerat admissus, prænotatis; probemus nunc publicum* Joannis *cultum ab immemorabili tempore ante famosum Decretum Urbani VIII.*

publicus Beati cultus probatur,

4 *Primo Ughellus col. 140 ejus* sacrum corpus, *inquit*, incorruptum honoratur a fidelibus, eaque in ecclesia, *monasterii videlicet S. Mariæ prædicti*, quotidie ad divinas laudes, ejus celebratur memoria. *Secundo, Vitæ ejus scriptor synchronus* Viri sancti, Viri sanctissimi *nomine ipsum vocat. Tertio, idem titulus honoris quam ei fuerit proprius, confirmatur ex eodem biographo, ubi hæc refert de Sancti nostri abbate, sic respondente cuidam homini, qui cupiebat videre corpus ipsius :* Non... corpus sacrum possum vobis ostendere *(latenter enim deposuerat illud, ne tantus thesaurus posset* subtrahi sibi furto :) sed de vestibus ejus tibi dabo particulam *etc. Quarto, laudatus scriptor* B *pauca quidem, sed magna fide scripta, et selecta narrat miracula, quæ patravit in favorem eorum, qui malis afflicti, et fiducia erga eum fulti, patrocinium ipsius implorarunt. Quinto Angelus Manrique tomo 3 Annalium Cisterciensium ad annum 1202, cap. 7, num. 9 memorat ista :* Sagittarium..., illustrat S. Joannes de Caramola, suo tempore a nobis memorandus; *qui plura fortasse de cultu ac miraculis ejus ad posteros transmissurus fuisset, si Annales suos eo usque potuisset vulgare. Sexto, ad sacros Fastos Ordinis Cisterciensis quod attinet, mirari subit, nullam a nobis de illo memoriam inveniri apud Henriquezium, tam profusum alioqui in multiplicandis Sanctorum titulis amplificatorem; nullam in Kalendario dicti Ordinis, quod Divione excusum est anno 1617; nullam denique apud Chalemotum. Sed Castellanus in suo Martyrologio eum eruit et detexit, hac die illum referens :* In sanctæ Mariæ de Sagittario in diœcesi Anglonensi in Basilicata, beatus Joannes de Caramola, Tolosanus, conversus Ordinis Cisterciensis.

C

idemque roboratur

5 *Septimo, quod apud nos est apographum Ms. Vitæ ejus, in lectiones proprias, antiphonas etc. dispertitum, argumento est, præcipuo quodam cultu illum gavisum fuisse. En tibi, lector, sequentia, quæ isti Vitæ apographo, de quo postea, sunt inspersa post dictas lectiones; sed quia mendose admodum scripta, conati sumus in gratiam lectoris, ut melius intelligat, quæ legit, spongiam, salva rerum substantia, iis adhibere.* Lectio i... ℟. Hic Isaiæ similis dictis et prophetiæ David fuit; ut humilis se junxit Hieremiæ. Dominam magnificam præmunit satis pie, heres non concipitur, concessæ non sunt viæ. ℣. Ait Vir propheticus, domina benigna, sobolem concipies : hoc tibi resigno, cara cunctis gentibus, Deo multum digna. Dominam. Lectio ii... ℟. Angelo de Rubio obitum prædixit : abbati Rogerio, Vade cito, dixit; sibi tu pronuntia, quod abstulit, dum vixit, cito solvat debitum cœnobio, quod scripsit. ℣. Jam sciat interitum sibi præparatum, et carnis ergastulum fore jam sublatum : præparet se famulum Domino commendatum. Cito. Lectio iii... ℟. O quam fuit abstinens hic pauper benignus : nec vinum nectareum petit Deo dignus, cui latex haustum præbuit, hic albet velut cignus. ℣. Silentium sic retinet, ut cælum semper ruminet mens ejus contemplatrix. Cui.

Auctore J. P.

ex ejus Officio

6 Lectio iv... ℟. Genuflectit centies in nocte Vir electus, non vincit hunc esuries, qua tectus numquam cernitur dormiens, semper experrectus. Apparet semper vigilans, flexus Deo dilectus. ℣. Testatur hoc cœnobium, fratres cuncti testantur, dant omnes hoc præconium, qui secum conversantur. Apparet. In secundo noc. An. Puer de Noha solvitur vulneris vetustate, malum brachii patitur, cujus asperitate sanitatem consequitur carnis deliberatæ. An. Sanctus hic sanctum consequens Ordinis præceptorem, vitam petit cæligenam, mundi spernens odorem. An. Amœnum mundus porrigit, credidit quod obscœnum : quod mundus dulce contulit, hic putavit ut fœnum. Ant. Hic Vir fidelissimus Sanctos est imitatus : refulsit Vir clarissimus supra petram fundatus. An. Patent cunctis miracula, per quæ mirificatur, obtinet tabernacula, cæli regno locatur. An. Gaudet chorus monasticus tanto Viro lætatus, merito civis cælicus est mundo migratus. E

proprio,

7 Lectio v... ℟. Hic contemplatus jugiter in præceptis divinis, caloris aut hyemis non laxatur pro minis : talentum namque conditur per te Sanctorum finis. Nam per hunc acquiritur gratia pro vicinis. ℣. Tanto ergo lumine animo gaudeamus, quo ducamur ad patriam cælicam, quam speravimus *. Nam per hunc. Lectio vi... ℟. Vitam ducit angelicam summus eremitarum, laudem sortitus cælicam, mundum spernens amarum. Tenens vitam monasticam, per viam semitarum pergit ad cæli gloriam per iter vastum viarum. ℣. Suum pergit ad Dominum, cæli scandit palatium, quod vivens acquisivit. Tenens vitam monasticam. Lectio vii... ℟. O stupendum miraculum! cunctis est patefactum, cum Vir habuit exitum, terræ se dixit aptum : ibi vult habitaculum, dixit hunc locum aptum. Novem diebus clauditur, mansit corpus intactum. ℣. Augusti mense conditur, quo magnus fervor oritur : corpus post hæc extrahitur, mira re suadente. Novem. Lectio viii... ℟. Ægrotus quidam manserat, ulcus pervetustatum, quem medicus reliquerat, cura jam desperatum. Devote namque petiit Virum sanctificatum, baculum cum tetigit, vidimus liberatum. ℣. Repente fit incolumis ab ulcere perpessus; fit sanitatis conscius, qui per languorem fessus. Devote. *Puncta, quæ post singulas lectiones apponimus, significant, quod post illas in nostro exemplari sequatur historia Vitæ, quam seorsim dabimus. Pergamus ad Antiphonas.* F

* f. speramus

antiphonis,

8 Ad Cant. Antiph. In cælorum rosario rosa novella ponitur : in Sanctorum collegio novus Sanctus colligitur. ℟. ix. Fit stupor cunctis maximus subita sanitate, vox hæc sonuit auribus, vallis signum contratæ *, per modum claret omnibus res tanta sanctitate. Basilicata rutilat mira tam novitate. ℣. Currunt undique populi, causam tanti miraculi vident in veritate. Basilicata. ℟. x. Sanatur quædam feminæ fistula veterata, de medici curamine penitus desperatæ, membra tum dum tetigit mulier infirmata, usque domum se transtulit, repente fuit liberata. ℣. Magna reddit magnalia S. Johannis gratia fidei re dotatis. Multa. ℟. xi. Obsessas a dæmonibus liberat mulieres, quod * vexantur a febribus, sanat cælestis hæres. O mira hominum cælica, quæ

* i. e. tractus vel regionis illius

* f. quot

AUCTORE J. P.

quæ tu meres gratis : perduc, collegium, gaudia, quæ tu speres. ℣. Esto pro nobis anxius ad Dominum tu precator, intercessor continuus cæli regis amator. O mira hominum. ℟. XII. Raucam vocem presbyteri vertit ad claritatem, possessæ per biennium vocis infirmitatem, tendit raucus ad tumulum postulans puritatem : flectit genu jam subditum, impetrat sanitatem. ℣. Nocte devote vigilat, replicat requisitum organum vocis, rutilat, se percipit exauditum. Flectit. Gloria Patri, et Filio.

et hymno :

9 AD LAUDES ANT. Laudes Domino dum tribuit, laudes est assecutus, sydus ut novum micuit, clauditur cælo tutus. HYMNUS. O virtutum congeries, sanctitatis materies, hymno brevi non caperis, tantum ample diffunderis. Per Mariæ dulces gressus perrexisti numquam fessus : dum diebus et noctibus mente stabas cælestibus. Nec Marthæ linquens semitas cunctis fraterna pietas, tuentes mundi devia, ciebas ad cælestia. Per ciborum inediam, carnis domans superbiam, panem tibi furfureum, potum præbebas aqueum. Gloria tibi, Domine. AD BENEDICTUS ANTIPH. O vir cunctis mirabilis, B cælos qui penetrasti : via nobis amabilis, per quam sic ambulasti, ut possimus ad gloriam scandere, quam volasti. AD PRIMAM ANTIPH. Sanctus hic Primam cecinit horis indesinenter : vita vivit feliciter, cælis gaudet potenter. AD III ANTIPH. Devotam namque Domino horam dat Tertiarum, cæli scandit ad æthera, [ad] solem tendit præclarum. AD VI ANTIPH. Hora sexta se macerat, tota devotione affligitur abstinentiis, certa redemptione. AD IX ANTIPH. Hora nona, qua Dominus sitiens expiravit, gratum reddit obsequium, Deo quod præparavit. In secundis vesperis. ANTIPH. In Dei fervens opere. *Plura in Ms. non invenimus.*

Ex dictis concludimus. Cælitum honorem ei deberi.

10 *Ex his, quæ de vitæ Sanctimonia, miraculis, ac publica veneratione* B. Joannis *collegimus, omnino videtur nobis probari, quod meritus sit ac possederit ab immemorabili tempore ante Decretum Urbani PP. VIII, characteres illos, qui a nobis requiruntur, ut in Opere nostro ponatur inter alios Cælites, hoc die occurrentes. Nec quidquam novimus obstare, quo minus ex sua illum satis longa, conformiter ad idem Decretum, possessione deturbemus. Honorem* C *itaque illum non tam damus Viro sancto, quam reddimus, dum illum ab aliis hagiologis non satis cognitum proferre conati sumus ad majorem lucem, præsentisque ac futuri temporis cognitionem. Alia, quæ ejus cultum illustrant, vide § 2, et 3. Superest, ut ad alia progrediamur, quæ ad nostrum propositum conducunt, ac expendamus valorem auctoris Vitæ, ejusque exemplaria.*

Auctor Vitæ

11 *Tam nomen biographi, quam vitæ institutum nos latet : neque enim occurrit quidpiam in decursu narrationis ejus, unde illa determinari possint. Se tamen fuisse Beato, de quo scribit, synchronum, indicat in Præfatione; quin immo, si non familiarem, notum se saltem fuisse ipsi testatur in fine historiæ suæ, dicens :* Secum, *id est, cum eo,* licet indignus colloqui merui. *Quo fit, ut et propterea, et quia in scribendis Beati gestis singularem adhibuit diligentiam, et in miraculis colligendis peculiarem delectum, magnam sibi fidem conciliet. Audiatur, quid dicat sub finem narrationis suæ, quantoque studio conatus sit, vera potius, quam multa de Beato scribere :* Nam ea tantum inscripsi, quæ notoria erant, quæ luce clarius D potuerunt meum animum informare *etc.; ne plura referam, quæ ibidem legi possunt : et deinde sic prosequitur :* Gesta quoque hujus Viri omni diligentia, qua potui, perscrutatus sum... Ferme omnes, quos oppressos dixi fuisse languoribus, videre volui, vidi, et vera singula conspexi. *Hæc habui dicere de Vitæ auctore : nunc intellige de ejusdem Vitæ exemplaribus.*

et ejusdem exemplaria.

12 *Edidit illam Ughellus superius citatus, columna 140 et sequentibus, hoc titulo :* Incipit Prologus de Vita et miraculis B. Joannis, Ordinis Cisterciensis conversi Religiosi Sanctæ Mariæ de Sagittario. *Deinde habemus exemplar Ms., cui præfiguntur ista characteribus rubris :* Incipit Prologus in Vitam et miracula beati Joannis *(sequentia nigro colore scribuntur)* a Caramola Cistercien. Ordinis conversi, cujus festum celebratur die XXVI Augusti in monasterio B. Mariæ de Sagittario, ejusdem Ordinis, in quo corpus ejus summa veneratione colitur, atque miraculis illustratur. *Exemplar porro illud debemus Ughello, sicut colligimus e nomine, quod eidem adscribitur. Mendosum valde est* E *exemplar illud, adeo ut primo nobis visum fuerit adhibere editionem laudati Ughelli, quam Ms. tam male exaratum. Sed postea mutato consilio præplacuit nobis qualecumque illud Ms. prælo subjicere, quia non tantum continebat vitam Beati, sed etiam Officium ejus proprium, quod Ughellus non habet. Jam vero utriusque Vitæ exemplar stylo, argumento ac rebus adeo est simile, ut ad eumdem primigenii auctoris fontem referri debeat. Paucula alia notanda supersunt; sed ea differimus ad finem paragraphi 3 ante Vitam a nobis edendam, de recentiore biographo nunc acturi.*

§ II. Recentior Vitæ scriptor; mirabilia Beati ex eodem relata.

Gregorius de Lauro abbas Sagittariensis

R*everendissimus et eximius Pater Gregorius de Lauro S. T. D., et Sagittariensis monasterii abbas, anno 1660 beati Joannis Joachim, abbatis ex Ordine Cisterciensi, Vitam* F *edidit; cujus Beati Acta apud nos illustrata jam pridem sunt tomo* VII *Maii, die* XXIX, *pag. 89 et sequentibus. Absolutis autem, quæ de laudato Joachino commemoranda susceperat reverendissimus iste, subtexuit Vitam* B. Joannis *nostri* ex Officio, quod quotannis in die festo ipsius Sagittariensi in ecclesia celebratur, *excellentissimo domino Carolo Sanseverino, Comiti Claromontis, et in Leucæ provincia pro Catholica Majestate proregi dedicatam, et eodem anno 1660 typis vulgatam. In Præfatione monet lectorem, facta quatuor a se adjecta esse, quæ in Officio non sunt, eorumque veritatem confirmans,* quatuor, *inquit,* prædictis tantum exceptis, quorum trium testis fui oculatus; ultimum vero a dignorum fide virorum, de visu testimonium perhibentium relatione didici..., de proprio ejus Officio colligemus, majorum inibi habitantium Cisterciensium adjuti traditione circa ea, quæ Beatus vivens perpessit *, et quæ communi omnium ore sunt prædicata, licet historiographi licentia in ejus Officio non apposita.

* *l.* perpessus est

14 *Sed Vita illa Scripturæ locis, Patrumque sententiis, ac concessionum, vel privilegiorum*

Vitam Beati edidit. Cur eam non demus, sed nonnulla tantum miracula.

A *rum diplomatibus liberaliter admodum infarta est, aliisque interpolationibus instructa; ut mirum videri neutiquam debeat, eamdem arceri ab Opere nostro. Persuasum quippe habemus, hagiophilo, antiquitatis ac sinceritatis amanti, magis placituras lectiones Vitæ antiquioris, quas postea dabimus, quam multarum rerum farraginem recentioris : tametsi ex hac etiam libaturi mox simus non pauca, quæ in rem nostram conducere judicaverimus. Promamus itaque ex ea miraculum, quo Beatum magnæ monachorum Sagittariensium egestati subvenisse memorat cap. 8, pane monasterii divinitus multiplicato,* ex firmissima majorem, *uti ad marginem ponit,* traditione. *Nos longiorem rei gestæ narrationem ad pauciora contrahemus.*

Subvenit magnæ egestati monasterii Sagittariensis :

15 Quodam, *ait,* anno tanta nivis in hyeme ingens copia cecidit, et consedit in Sagittarii solitudine, ut non absque vitæ discrimine peregrinantium evidentissimo ad sacram domum pateret accessus : nec Sagittarienses aliquo modo... egredi ad suorum victui necessaria procuranda valebant... Joannes solitam petendi causa eleemosynam,... cœnobium accessit... Cumque B abbatis cellam intrasset Joannes, benedictionem prius, ac deinde panis buccellam petiit ab abbate. Qui Joanni compatiens, suo cellerario imposuit, ut micas, quæ prævia diligentia in cella, ubi panis asservari consueverat, forte poterant inveniri, Dei Famulo daret. Patri abbati inquit cellerarius.., se multoties panis dispensam perlustrasse, et omnia panis fragmenta collegisse pro infirmorum fratrum sustentatione; et propter nivium copiam non valens aliunde infirmorum necessitatibus consulere, leguminibus, hordeo frumentoque coctis, sicut et nos, *ait,* reficimur, infirmi quoque ipsi... reficiuntur, jam sunt dies plures. *Instabat apud abbatem* Joannes, *qui* iterum suo cellerario præcepto mandavit ad cellam panis adire, secumque fratrem Joannem conducere. At (o mirabile dictu!) tanta panis copia in cella illa... a cellerario reperta est, ut numquam cæteris senioribus patribus similem extitisse videretur. *Hæc Laurus e traditione : vellem ex antiquiore biographo anonymo, ut certius de hoc miraculo constaret.*

infirmum ad extrema deductum

C 16 *Laudatus auctor cap. 22, pag. 56,* Religiosus, *inquit,* clericus Sagittariensis, Thaddæus nomine, cognomento Terracius, dum philosophiæ disciplinæ in Sagittariensi collegio operam daret, in dysenteriæ morbum cum mordacibus et abrasivis in ventre doloribus, ac cum febri ardentissima et vomitu incidit : qui ex toto deficiens, nimirum ob diuturnam sanguinis emissionem, continuatosque dolores et febrim, exhaustis sui corporis viribus jam positus erat in extremis absque sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti per modum viatici refectione : adeo frequenter vomitus infirmum angebat. Cumque lugentes patres summo ejus animam commendarent Altissimo, Thaddæus mente ad beatum Joannem a Caramola pro sua valetudine maxima cum devotione confugit. Et, ecce, quod ille, qui per duas ante horas usu caruerat linguæ, et qui mox migraturus attendebatur a patribus, e lectulo surgens dicit, se ad B. Joannis aram adire velle. Lætantur astantes, accinguntur infirmarii ad illum sustinendum.

sanitati restituit.

17 At ille, qui ad sellam prope lectulum existentem, nisi a duobus ad minus adjutus, approximari nequiverat, ecclesiam adeundo, tam infirmariorum, quam aliorum etiam baculi auxilium refutavit *. Pedetentim ad jam dictam aram perventus *, iterum B. Joanni se commendavit devotissime : ubi signatus in ventre sanctæ crucis signo cum eodem Dei Famuli pede, qui abscissus a corpore, sed cum sacro corpore, ut supra dictum est, conservatur; hauriens post Eucharisticam sumptionem ejusdem sanctæ reliquiæ lotionis poculum, statim febris aufugit, stat sanguis, excessivi cessant dolores, et sanum se reperit, nisi quod longa inedia, et larga sanguinis minutione debilis per aliquot dies remansit : et tam ipse, quam omnes cum gratiarum actione gaudentes et lætantes, Deo et humili servo suo Joanni gloriam et laudem dederunt.

Auctore J. P.

* *i. e.* recusavit

* *l.* cum pervenisse

uti et alios duos

18 *Ibidem cap. 23 narrantur ista :* Frater Cosmus, cognomento Vacca, conversus ejusdem sanctæ domus, cum ob sanguinis fluxum, [et] febrim acutissimam morti proximum se cerneret, ad beatum Joannem a Caramola sui patronum, tota devotione convertit : et sumpta maxima cum fiducia sacrarum beati Joannis reliquiarum ablutione, quam a Priore, Martio Frezza nominato, sibi asportare petierat, extemplo a sanguinis fluxu, et acutissima febri absolutum se E reperit, et sanum agnovit, non sine Prioris, et monachorum admiratione. *Similis sanatio per merita ejusdem Beati concessa est alteri, quam Laurus refert cap. 24, pag. 57 in hæc verba :*

periculose ægrotantes :

19 Frater Jo. Camillus Donadeus Castelluciensis, et Sagittariensis cœnobii oblatus, iisdem omnino infirmitatibus fatigatus ad id devenerat, ut nulla de eo spes haberetur salutis, et infirmus de dierum brevitate querebatur, aliquod expetiscens pro sua longævitate remedium. Tandem devotione ingenti, et humilitate non exigua, petiit Dei famuli Joannis a Caramola refici lotione. Prior antedictus sancti Viri Reliquias assumpsit, lavit, et demum sanguinis fluxum patientem, et febri acutissima adurentem cum amborum devotione ex ablutione potavit. Unde omnipotentis Dei, et Famuli sui gratia factum est, ut continuo sanitate potitus, Deo, et servo suo Joanni in propria ejus ara gratias ageret innumeras. *Hactenus reverendissimus Laurus, qui cap. 25 insignem alterius generis, Beato patrocinante, favorem narrat, suo tempore, et interposita etiam sua opera in communicando sacro velo, quo corpus* B. Joannis *tegebatur, patratum. En tibi ipsius textum.* F

mulierem ex abortu laborantem

20 Illustrissima et excellentissima domina, domna Delia e nobilissima Sanseverinorum prosapia, illustrissimi et excellentissimi domini, domni Joannis Sanseverini Saponaræ comitis uxor, ob geminorum abortum fatigata doloribus, ac febris æstu, atque horrore per multos dies gravissime cruciata, jam in mortis erat adducta periculum; siquidem per alios totidem dies nec somnum, nec quietem, et nec cibum capere poterat, et sensibus omnino fere carebat. Cujus martyrium ob amorem singularissimum, quo erga eam afficiebatur, in propriis comes sentiebat visceribus, adeo ut etiam ipse mox infirmandus videbatur præ nimia afflictione. Cumque frustra celeberrimorum remedia medicorum fuisset expertus, fide tandem magna ad merita beati Joannis nostri mente recurrit, eumdem devotissime deprecans, ut comitissæ uxoris suæ opportunitatibus dignaretur occurrere. In mei notitiam devenerunt hæc omnia.

sospitat.

21 Mane in cappellam Dei Famulo dicatam ex abbatialibus ædibus descendi, et aperto sacri thesauri ostio, luminaribus prius accensis, hym-

AUCTORE J. P.

no, antiphona, versiculo, et collecta solitis, conventualiter devotissime decantatis, ea devotione, et reverentia, qua decebat, et debebam, sacrum inde velum, quo beati viri Joannis a Caramola corpus tegebatur, deprompsi, et illud ad illustrissimum et excellentissimum comitem, bene reconditum, quadam mea epistola sociatum, transmisi; ut comitissæ, et comitis necessitatibus aliqualiter subvenirem. Nec utriusque fiducia frustrata est fructu suo : nam vix viderat, et coluerat comitissa sacrum Dei Famuli velum, quod extemplo tales vires acquisivit, ut surgens e cubili, illico per castrum incedere cœpit, ut testatur ipse devotissimus comes in sua epistola mihi directa, totidem continente. *Epistola hæc Italico idiomate conscripta subditur ibidem, et signatur data Saponaræ die* III *Octobris anno* MDCLIII; *post quam ita pergit Laurus :* Tunc omnes, qui aderant, rei admirabilitate stupefacti, gratias Deo ingentes dederunt, quod rem tantam suis oculis spectassent, et qui aberant, facti famam audientes, in perfectiori erga Dei Famulum devotione roborati, B gaudentes laudaverunt et glorificaverunt Deum in humili Servo suo.

Deiparæ statuam, et corpus suum ab incendio servat.

22 *Post alia vero, quæ habet cap. ultimo, dans rationem, cur plura admirabilia non adducantur, lego ista :* Ad tanti insuper Viri magis ac magis sanctitatem collustrandam, non est silentio concedendum illud præ cæteris admirabile, cujus apparentia signa oculorum sensu nunc usque percipiuntur. Etenim cum seculis præteritis sive bellorum furia, sive latronum studio, sive proscriptorum impetu, sive conspirantium invidorum ingenio, sive fortuito, et casu totum Sagittariense cœnobium, sacrum Virginis phanum, et beati Joannis a Caramola ara fuissent igne combusta a debacchante, et laxatis habenis devorante igne, nullum gloriosissimæ Deiparæ statua, et sacrosanctum Dei Famuli corpus detrimentum aliud passa fuere, quam istud tantum in brachio; illa vero solum in scabello pedum suorum, parvam combustionem; ut in ipsis, veluti in libro, tanti legeretur magnitudo miraculi. Addimus denique, quod cum Sagittarienses gravissimis se sentiunt opprimi necessitatibus ad beati Joannis a Caramola intercessionem recurrunt, C corpus sacratissimum ejus exponunt, et extemplo frænatur ignis, tempestas aquarum cessat; subvenitur opportunitatibus, et se ab omni periculo absolutos agnoscunt. *Hactenus Laurus.*

§ III. Beati post mortem apparitiones; illustratus ejusdem cultus, et vaticinia.

Consanguineis apparet, et ire eos jubet ad cœnobium Sagittariense :

A*pparitionem hanc, aliaque eamdem secuta admodum mirabilia refert Laurus identidem allegatus, cap. 15, a pag. 51*, ex majorum, *prout ad marginem notat*, traditione Sagittariensium. *Qualiscumque vero illa sit traditio, visum tamen est eam producere, sed decurtatam brevitatis causa :* Nono autem die a beatissimi viri Joannis obitu Sagittariensibus venerabilibus patribus, adhuc tristibus, jucunditate, et tristitia admixtum quoddam accidit admirandum. Etenim Sagittarium devenere beati Joannis a Caramola consanguinei quidam, preciosissimas corporis sacratissimi margaritas quærentes, et dicentes : Scitote, venerabiles D patres, quod separatim in Tolosana urbe habitantibus, et leniter dormientibus nobis apparuit quidam senex forma pulcherrimus, baculum manu gestans, et habitu indutus conversorum sacri vestri Cisterciensis Ordinis, et unicuique nostrum talia dixit : Ego sum Joannes vester consanguineus, et, si mei notitiam habere desideratis, ite ad monasterium Ordinis Cisterciensis, quod appellatur Sagittarium, in comitatu Clarimontis, provinciæ Lucaniæ. His dictis disparuit. Mane autem facto, unus alteri, et alii cæteris consanguineis nostris super hujusmodi visione verba fecimus, unusquisque nostrum sibi soli apparuisse autumans.

qui plenius de illo instructi in monasterio Grandis silvæ,

24 Congregatis tandem in unum omnibus nobis, ac omni maturitate visione considerata, decrevimus [quod] ad monasterium Grandis Sylvæ vestri Ordinis in nostra Tolosana diœcesi, nos conferre deberemus, meliorem, et clariorem de nostro Joanne habendi causa notitiam. Ubi cum aliqui ex nostris ibi se contulissent, quemdam conversum etiam Joannem appellatum invenerunt, quem præ cæteris omnibus alloqui concupiebant, E ob eximiam sanctitatis ejus opinionem, quam sanctissima ejus vita in fidelium pectoribus ingesserat, et in dies ingerit, et tamquam magnus habetur in conspectu Domini. Hic ergo beatus vir cum nostros vidisset, dixit illis : Vos estis Tolosani, et consanguinei cujusdam Fratris nostri conversi, quem tamquam mortuum, vel deperditum diu deplorastis. Ipse quidem, jam sunt anni plures, mortuus est mundo, et soli Deo vivit, ac multa, et magna Deus per ipsum operatus est, et in dies operari non desinit. Nostri autem admirantes audita, interrogaverunt eum, dicentes : Unde hoc habes, pater sancte? Mihi peccatori, inquit, ipse apparuit meo habitu indutus, et cum scire voluissem, cui monasterio inserviret, respondit, Sagittarii monasterio, in comitatu Claromontis, Anglonensis diœcesis, Lucaniæ provinciæ, in regno Neapolitano; et parum victurum se dixit.

tendunt ad Sagittarienses, et Beati corpus vident;

25 Redierunt nostri e Grandis Sylvæ cœnobio, a quibus talia auditis, ut hucusque veniremus, communi voto decrevimus expedire. Læto itaque, ac hilari animo peregrinati sumus F usque ad vos, venerabiles patres, inter vivos existere putantes eum; at quia ab humanis excessisse, iter agentes audivimus; vos propterea oramus suppliciter, ut nostri Joannis corpus nobis ostendere, et largiri dignemini, ut juxta propositum ad nostros atque nostrates illud traducamus. Sagittarienses vero patres, sacrum corpus exhumare responderunt, ut viderent; at alienare nequaquam. Eodem itaque nono die a transitu Viri sancti, hoc est, die quarto mensis Septembris anno MCCCXXXIX gementibus et flentibus monachis, consanguineis astantibus, et præ dolore lacrymantibus, facta fovea, atque tellure dejecta, tanta odoris suavitas processit e tumulo, ut omnium nares, et universum repleret Sagittarii ambitum....

cujus crus et brachium eis concedit abbas :

26 Tanto conterriti miraculo Sagittarienses patres, non solum Deo gratias egerunt innumeras; sed et sacrum sui Famuli corpus, ut inæstimabilem margaritam e cælo demissam custodire, ac nullatenus supplicantium consanguineorum votis annuere, votum firmaverunt. Verum cum Rogerius abbas deprecantibus illis partem aliquam concedere denegasset, decrevit tandem, crura tantum, et brachia Tolosanis elargiri.

Quæ

A Quæ, etsi omnem adhibuissent diligentiam, nullo ferreo instrumento valuerunt incidi, vel secari, quam eodem rudi gladiolo, quo et herbas excavare, et sportulas Homo Dei assolebat efficere. Quem gladiolum, una cum ejusdem corrigiæ annulo, quo utebatur, quando erat eremita, et beatissimæ Virginis Officii libro *(quod* tabulis coopertum in pergamenaceis paginibus * manuscriptum *esse dixerat Laurus cap. 13, pag. 48,)* inter cæteras reliquias sacrosanctas, Sagittarienses asservant.

* l. paginis

sed quidam sese opponunt, ne illa auferant.

27 Abbatis decreto non obstante, crus unum, et brachium Servi Dei Tolosanis subtraxere patres quidam, quibus præ cæteris ab abbate elargitio facta displicuerat : et illis statim discessis, communi Sagittariensium applausu, cum Dei laude, et gratiarum actione ad sacrum corpus reportarunt. Exstant ab immemorabili tempore usque ad præsens super altari, eidem Dei Famulo Joanni a Caramola dicato eodem certe in loco, ubi fuisse fertur Beati cellulam, ad latus ecclesiæ Septemtrionem versus. *Clausula hæc conducit ad majorem publici cultus ejus confirmationem : qui licet superius § 1 satis superque stabilitus a nobis fuerit;* B *corollarii tamen loco liceat hic subjungere sequentia, quibus illustretur magis.*

Illustratur e pictura radiata, elevatione corporis super altari etc.

28 Super hujus beati Viri capellæ ostium, quod occidentem respicit, *inquit Laurus pag. 53,* variis expressæ coloribus cernuntur effigies, beatissimæ Virginis Deiparæ, ad hujus dexteram sancti doctoris melliflui Bernardi abbatis, et a sinistris B. Joannis a Caramola cum. . . . radiis : quæ quidem imagines vetustatem plurimam præ se ferunt. Quando autem sacrosanctum corpus beati Viri super altare elevatum, nulla est mortalium penitus memoria. Quotannis a Sagittariensibus venerabilibus patribus sub die vigesimo sexto Augusti proprium ejus recitatur Officium ante ejusdem Dei Viri aram, procerum, magnatum, et populorum, gratias a B. Joanne impetraturorum multitudine concurrente non parva : et hoc etiam a tempore, in quo non est hominum memoria in contrarium. Singulo quoque die in majori Officio, tum ad Vesperas, cum ad Laudes, de eodem fit commemoratio specialis, quæ per idem tempus numquam deprehensa est intermissa; quæ talis est : Ad Vesperas Antiphona : Patent cunctis miracula *etc.* C *Vide § 1, num. 6 sub finem.* ℣. Justum deduxit Dominus *etc.* ℟. Et ostendit illi *etc.* Ad Laudes Antiphona : Gaudeat chorus monasticus *etc. num. 6 mox citato.* ℣. et ℟. ut supra. Oratio : Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Joannem confessorem tuum arctioris vitæ merito decorasti, tribue, quæsumus, ut, quem in terris cognovimus miraculis coruscantem, in cælis agnoscere mereamur pro nobis piissimum precatorem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

uti etiam ex antiquis diplomatibus B. Joannis cultus.

29 *Nec præterire possum, quod Beati ejusdem nomen summa in veneratione fuerit elapsis aliquot post mortem annis; sicut liquet ex hisce diplomatibus, quæ extant apud Laurum e monasterii Sagittariensis tabulario producta. Nam cap. 12, pag. 31 datur unum* anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio. . . pro honore Virginis gloriosæ, et sancti Joannis de Caramola. *In alio, quod signatur* datum. . . anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, die decima Maii, primæ Indict., *et in quo Sagittariensis cœnobii laudantur alumni, insigni hoc elogio honoratur pag. 37 :* Frater Joannes a Caramola fuit ibidem sanctificatus, multisque miraculis tam in vita, quam in morte claruit, et continuo claret, et maxime in terra Sinisii et Claromontis : ubi multos homines diversis languoribus et infirmitatibus infectos pristinæ sanitati restituit : cujus sanctissimum corpus de præsenti in prædicto monasterio esse dignoscitur.

Auctore J. P.

Ejusdem

30 *De Vita jam egimus § 1, ubi et nonnulla huc remisimus : quorum alterum est ad illum biographi locum in lectione 5, num. 4, ubi Beatus Margaritæ comitissæ Claromontanæ, quæ diu fuerat sterilis, multam sobolem nascituram prænuntiat. Laurus vaticinium hoc illustrat cap. 12, pag. 28 :* Ex antiquissimo, *inquit,* Caroli Magni Gallorum regis stemmate ortum ducens Margarita de Claromonte, Jacobi comitis Claromontis filia, et uxor nobilissimi viri Jacobi de Sancto Severino, Tricarici, et Clarimontis comitis (hic descendit a Targisio, e Normannorum principibus sanguine procreato : qui primus S. Severini comitatum sui juris effecit, ex quo de S. Severino cognomentum suos in posteros dimanavit : et Jacobus iste primus Sanseverinorum extitit, qui Margaritæ de Claromonte E matrimonii jure, post Ugonis de Claromonte fratris obitum, Clarimontanis imperaverit) cum per annos et annos fuisset sterilis *etc., de quibus in lectione citata.*

vaticinia

31 *De liberis vero, quos post B. Joannis vaticinium edidit laudata Margareta, hæc observat Laurus :* Fœminarum nomina non habemus. Mares fuere tres, qui ad nostram devenere notitiam. Rogerius veluti primogenitus in comitatu Tricarici et Clarimontis Jacobo Sanseverino genitori successit. Ugo Potentiæ comes, ac magnus regni protonotarius evasit : et Thomas Montiscagiosi comitatum possedit, pro Ludovico Andegavensi Neapolitano in regno proregis officium exercuit, Romanum Pontificem Urbanum hujus nominis sextum a Nuceriana obsidione liberavit, et Sagittario Rotundæ Maris et Trisagiæ tenimenta concessit. *Hæc de uno loco Vitæ, breviter memoratum Beati vaticinium perstringente. Alter vero, qui ibidem proxime sequitur, est prædictio mortis Angeli domini Rubii, quem brevi e vita migraturum enuntiavit; et de quo etiam agitur in dicto Commentario num. 5.* F

a Vitæ scriptore breviter perstricta,

32 *Reverendissimus idem abbas Laurus cap.* XI *historiam hanc ita amplificat et elucidat pag. 27 :* Erat sane ea tempestate in Lucaniæ provincia, Anglonensi diœcesi, et comitatu Clarimontis oppidum quoddam, Rubium nuncupatum, quod solvebat reginali curiæ annuas uncias duas, et tarenos quindecim, ut notatur in Cedulare reginæ Joannæ secundæ *(quod ad marginem apud Laurum scribitur* factum in ann. MCDLXVI, pag. 46 *etc.)* et sub eadem fuit habitatoribus penitus destitutum, dirutumque. Cujus oppidi baro, dominus Angelus de Rubio appellatus, multa sacræ domui per ipsum ablata reddere tenebatur. Nec Rogerius abbas præ erga illum reverentia admodum eum pro restitutione premebat. Cumque beatissimus Dei famulus Joannes Angelum, etsi sanum et incolumem, morti tamen proximum prævidisset, mox humillimis gressibus ad abbatem suum accedens, eum talibus verbis est allocutus : Vade cito *etc., quæ loco allegato habentur de imminente ejus morte.*

33 Quod

AUCTORE J. P. *elucidantur.*

33 Quod ita quippe factum est : quoniam infra breve temporis spatium de hac fuit luce subtractus, *uti dicit Vita : addit Laurus,* et tota familia extincta. Supervixit quidem Richardus de Rubio, et ut autumari fas est, ejusdem domini Angeli consanguineus, castri Episcopiæ baro; at parum. Nam ob Richardi de Rubio mortem, filiis non relictis Episcopiæ castrum ad Joannem Vincislaum de S. Severino Clarimontis comitem devolutum cum omnibus juribus, jurisdictionibus, hominibus, vassallis *etc. De Vita, quam prælo commissam mox exhibebimus, dicta hæc sunto. Breviter hic addimus, nostrum exemplar Ms. collatum esse cum edito apud Ughellum, uti patebit ex uncinis textui adjectis, ac e notulis marginalibus ad illum : deinde, partitionem ejusdem in numeros esse nostram : nec neglectam esse correctionem, ubi id videbatur opportunum. His itaque per totum hujus Commentarii decursum collectis præferre conati sumus lucem ipsi Vitæ; circa quam nonnulla etiam dabuntur in Annotatis. En tibi nunc eam, in lectiones, quas in Ms. invenimus, dispertitam.*

B

VITA

Auctore anonymo synchrono,

Ex Ms. cum editione Ughelli collata.

PROLOGUS AUCTORIS.

LECTIO I. *Auctor suam tenuitatem fassus.*

Ad describendum vitam cælibem, et stupenda miracula hujus cælestis Viri, et terrestris angeli, cujus tentamus historiam texere, alterius linguæ esset opportuna facundia, et alterius claritas intellectus. Ego enim, nisi illius ad Deum me juvet oratio, cui jam non per ænigmata, sed facie ad faciem loquitur, ad hoc impeditioris linguæ, et hebetis ingenii me censerem, et nisi moveret, immo me potius impelleret et grandis devotio, quibus ad C ipsum per Dei donum afficior, et affectus sum etiam, cum adhuc in carne ejus sanctissima anima teneretur, illius reminiscens dicti : Altiora te ne quæsieris, numquam ad hæc tamquam effrons meretrix prosilirem; sed per ea, quæ dicta sunt, et ne temporum tandem antiquitas deleret de mentibus hominum Viri hujus gloriosa gesta, quæ Deus dignatus est ante oculos nostros apponere diebus istis, quibus, quod non sine cordis amaritudine referendum est, omnium charitatem frigidam cernimus, si non dicimus jam extinctam, tamquam puer balbutiens locutus sum, et si non volans, reptans tamen more animalium reptantium super terram.

LECT. II. *vitam B. Joannis in seculo integerrimam,* a b

2 Johanni ergo dedit originem civitas Tholosana *a*. Nescio autem, quamobrem advenit Basilicatæ *b* provinciam, trahens moram continuam in * et circa comitatum, qui dicitur Clarimontis *c*, ubi aliquandiu inter sæculares permanens; sed non sæculariter vivens, honestissimam vitam duxit. Et ut inpræsentiarum innoteat *, quantæ puritatis extiterit cum ad huc per mundi hujus impedimenta decurreret, subticendum non existimo, quod vulgi publico divulgant * oraculo. Fertur enim, [quod] cum in sudo- D re sui vultus vellet suo * pane vesci, et conductus denario custos cuidam * vineæ poneretur, sine petita prius, et obtenta a domino spirituali licentia, etiam arripere unius uvæ botrum, tamquam a gravi facinore præcavebat. O mens timore casto repleta! cur tanto timore trepidas, ubi non est timore aliquatenus trepidandum? Pertimescisne furtum committere, ubi credis Dominum permissurum : sed sanctarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.

* Ughel. infra
c
* ibid. innotescat
* Ughellus divulgatur
* ibid. sicco
* ibid. cujusdam

LECT. III. *et in eremo severissimam,*

3 Sed cum jam spiritus, qui calere cœperat introrsum, satis fervesceret trahente fortiter ipso spiritu, omnia propter Christum post tergum relinquens, ut stercora, cursu concito ad convicinam, quæ erat, eremum properavit : ubi quanto austeritatis rigore se ipsum afflixerit, quanta alimentorum inopia corpusculi sui membra siccaverit, quantaque aspera pro Redemptoris amore pertulerit, difficiliter posset exprimi, et difficilius quidem credi. Ibi enim, ut aiunt, ex septeno passimate *d*, quod vix ad septenum prandiolum suffecisset, refectionem suam totius quadragesimæ coartavit. Ibi interdum nulla cibi sollicitudine fatigatur : eo vesci tantum suescebat E edulio, quod ei deferebant agricolæ, qui ad illum devotionis gratia divertebant. Ibi nonnulli viri Belial, suæ cupiditatis impetum exercentes, spe subripiendæ pecuniæ illum paupertatis verissimum sectatorem, qui propter * Christum sub cælo nihil aliud possidebat, crudeliter afflixerunt : quos tamdem, ut proderet, nullis potuit suaderi sermonibus, nullius precibus obtineri *.

d

* ib. præter
* ib. adduci

LECT. IV. *nec non vaticinia ejus memorat.*

4 Sed cum per tot bona adhæreret Altissimo, et jam secundum Scripturam cum eo spiritus unus esset effectus, pollere cœpit, ut firmiter creditur, gratia prophetiæ. Refert enim veritatis amica domina Margarita comitissa Clarimontis, quæ per annos et annos fuerat sterilis, et jam vehementer de sterilitate perpetua timescebat; quod, cum se pro impetranda progenie illius sæpe se precibus commendasset, ipse tamdem quodam die iis eam sermonibus est adfatus : Forti, inquit, animo esto : noli te plus mœrore consumere : [redde bona Ecclesiæ,] indubitanter tibi, quod multa, et grata tibi soboles est futura. Nonnihil autem post reserantur conclusa viscera, utriusque sexus fructus inde exit F uberrimus, Deo, matri, quæ genuit, et hominibus valde gratus. Sed et Angeli domini Rubii obitum ante dixit. Suo enim inquit abbati : Vade, dic illi Angelo, ut illius, quo tenetur monasterio nostro, solvat se cito vinculis debiti, quoniam satis brevis terminus est, quo est carnis debitum soluturus. Quod ita quippe factum est : nam infra * brevis temporis spatium de hac est luce subtractus.

* ib. Intra

LECTIO V. *deinde vero vitæ Religiosæ*

5 Sed cum diu in hac eremo duceret vitam angelicam potius quam humanam ordine, ut videtur, præpostero, sed non præpostero merito, relicta vita anachoritica, quæ est in perfectionis apice constituta, descendit ad cœnobiticam in monasterio Sagittarii Cisterciensis Ordinis, et qui magister esse meruerat, sub forma discipuli curvavit cervicem humiliter regularibus disciplinis. Ad cujus cœnobiticæ vitæ ima numquam de anachoriticæ vitæ vertice descendisset, nisi quia jam ingruens gravis invalitudo corporea; præsertim quædam genuum, et capitis concomitata dolore tumiditas, humanum auxilium cum instantia suadebat. Ubi oblivisci nesciens instru-

menta

A menta perfectionis prætcritæ, austeritatem solitam totis viribus custodivit. Nam annosus multa parcitate pane se sustentans, non replens, furphureo utebatur, et pro reprimendo æstuantis sitis ardore, raro aliud, quam aquæ poculum hauriebat.

6 Huic erat quidam (si dici mereretur) brevissimus lectulus quadratus, et concavus, et quadrupedalem mensuram vix transiens: ubi poterat solum contractus accumbere, tribuendæ quietis non gerens speciem, sed laboris: et nimirum * cum totum testetur cœnobium, quod nullus extiterit monachus, qui ipsum conspexerit dormientem. Hic tantum observabat silentium, ut non mereretur dici tam tacitus, quam elinguis *. Et tanta contemplationis sedulitate erat intentus, ut semper videret cum Maria sedere ad pedes Jesu. In carnis adhuc mole submersus, totius carnis gravedinem pertransibat.

perfectionem. et rigorem.

* *ib.* quippe cum

* *ib.* quam relinqui; *non recte.*

LECT. VI. *Res mira in Beati obitu:*

* *ib.* Deus

7 Cumque de tanto bono munerare eum divina largitas decrevisset, sustulit eum de hac valle miserabili lacrymarum, et concivem sibi cælestis patriæ fecit illum. In ipso autem suo felicitatis exitu (quid significet nescio, Dominus * B scit) tantus venti flantis impetus insurrexit, ut totam illius cellulam, totumque cœnobium concutere videretur. Sed (mirum dictu) ventus validus, qui totam, ut dictum est, cellam videbatur evertere, per foramina ipsius cellæ transgrediens, quinque faces magnas flatu subito potuisset extinguere, nullam ibi exiguarum ardentium lampadum extinguebat.

patrata. *e*

f

8 Robertus autem dictus Maccaronus habitator Sinisii *e*, cujus brachium vetus jam et dirum ulcus invaserat, adeo ut ipsius membri omni esset officio destitutus, perrexit ad quemdam barberium *f* pro alicujus medelæ subsidio implorando. Cui medicus ipse inquit: Perfodit tibi multum humoris malignitas sursum deorsumque brachium: nisi per incisionem veniamus ad radicem ulceris, nullam tibi possum medelam adhibere salutis. Interea transitus hujus Viri, qui in opinione omnium [hominum] magni meriti habebatur, cœpit undique resonare. Quo lætanter æger audito, Non, inquit, terrestrem medicinam suscipiam: de cælo credo quod sospitatem mihi Homo iste sanctissimus impetrabit: C sumptaque grandi, plusquam posset dici, fiducia, ad præfatum monasterium * accedit: Sancti cellam ingreditur: his et similibus verbis eum abbas adloquitur: Hoc est baculum, quod gestare solebat in manu: hæ sunt sportellæ, quas ipse contexuerat. Inter hæc verba, ægrotus se respicit mox, sospitemque se cernit *. Et tunc omnes astantes stupor maximus apprehendit, dum repente vident membrum tumefactum et tenue, mundum, et putridum [et] ulcerosum, solidum adeo, ut nullæ ibi miro modo ulcerationis imagines remanerent.

* *ibid.* monachum

* *ibid.* se respicit mox sospitem, et corruit

LECT. VII. *deinde,*

* *ibid.* Masella

* *ibid.* deciderent

9 Thomasella * quoque filia Johannis magistri Udonis de Sinisio, ita habebat brachium fistula inveterata depastum, ut frustatim defluerent * inde ossa. Cumque pater ejus eam ad jam dictum cœnobium deportaret, invento abbate, iis sermonibus orat eum: Ostende [nobis, ait,] corpus Sancti, si forte dignabitur filiam meam salvare. Non, inquit abbas, corpus sacrum possum vobis ostendere (latenter enim deposuerat illud, ne tantus thesaurus posset subtrahi sibi furto:) sed de vestibus ejus tibi dabo particulam: involvens illa membrum invalidum, si placuerit Domino, potens est in tua genita mirificare hodie Sanctum suum. Quo involuto, ibidem pernoctarunt. Credibile quidem est, ut ad vestimenti tactum mox salus evenerit. Sed quia usque quo domum redeant, brachium non detegunt, tunc solum inspiciunt plenissime ipsum salvum. Dominus insuper Johannes Capanus, sacerdos de ipsa terra Sinisii, biennio vocem habuit penitus suffocatam. Nulla ipsum longe lateque quæsita juvare potuit peritia medicorum. Erat autem, ut ait, ad tantam desperationem inductus, ut jam gyrovagare per mundum proponeret, erubescens in tantæ infelicitatis fato inter notos, et amicos sic turpiter conversari. Sed [humani auxilii] suffragio destitutus, ad Dei clementiam se convertit: supra Sancti hujus tumulum obdormivit, vocem pristinam impetravit.

A. ANONYMO SYNCHRONO.

10 Gentilis rursus puer de Noha *g* diuturno tremore brachii vexabatur adeo, ut si interdum pro experienda mensura læsionis suæ vas aqua plenum manu tentabat arripere; mox penitus fundebatur: sed hujus Sancti meritis est plenissime factus sospes. Quædam quoque de ipsa terra Nohæ mulier, quam vidi quidem; sed nomine nescio, patiebatur tumorem durum, et E veterem supra pedem: qui hujus Sancti virtute incomparabiliter citius est, quam fluat cera ab ignis facie, resolutus. Sed celebratum in Johanne dicto, Barono de Arimento, memoria dignum non omitto miraculum. Qui cum haberet sic tibiam morbidam, sic turpiter ulceratam, ut nesciam, quid ibi plus fuerit, de putrido videlicet, an de sano; confestim, ut sancti Viri hujus ingreditur cellulam memoratam, ad tactum herbarum, quas in suo solebat lectulo sternere, totius tibiæ horrenda læsio pertransiit: omnium * instanter ulcerum est solidata ructura *: tota corrosionis est concavitas adimpleta. Multa, et alia fecit Jesus per hunc Virum sanctissimum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis. Credite firmiter quicumque futuris temporibus venientes, quæ hic inserta sunt. Nam ea tantum inscripsi, quæ notoria erant, et quæ luce clarius potuerunt meum animum informare. Tot enim habent testes præmissa miracula, quæ dicta sunt, ut excludatur postremum, quot homines habent Sinisii, atque Noha. Postremum enim duorum dumtaxat F fide dignorum virorum, de visu testimonium perhibentium, relatione didici: quos sic vitæ honestas, et morum gravitas reddunt dignos, ut nullo modo existimem, ipsos potuisse mentiri. Cætera autem, quæ a singularibus accepi personis, vel quæ aliqua mihi potuissent nube fuscari, hic immiscere contempsi; ne contigisset forsan sub veritatis velamine mendacium subintrare. Gesta quoque hujus Viri omni diligentia, qua potui, perscrutatus sum: secum licet indignus colloqui merui: ferme omnes, quos oppressos dixi fuisse languoribus, videre volui: vidi et singula vera conspexi. Obiit autem, immo verius in cælesti patria natus est Vir iste dilectus, et electus a Domino, septimo Kal. Septembris, anno MCCCXXXVIII *h* Domini [nostri] Jesu Christi: qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

LECT. VIII. *ipso patrocinante, miracula.*

g

* *ib.* omnino

* *ib.* rosura

h

ANNOTATA.

a Civitas Tholosana. *Baudrandus Tolosas duas ponit in Hispania; alteram* in Vandalitia, in ipso limite Castellæ novæ, *quam vocat* oppidulum

A ANONYMO SYNCHRONO.

pidulum tenue : *alteram*, oppidum . . . in Ipuscoa provincia. . , satis cultum, ad radices Pyrenæorum montium. *Tertia est in Occitania provincia Galliæ, de qua dictus geographus plura, celebritate nominis notissima. Consuli etiam potest Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum. Etiamsi autem distincte non determinet biographus, quod Tolosa Galliæ dederit originem Beato ; omnino tamen censemus, eum agere de hac, non de illis : quia cum Tolosa Galliæ adeo præclara sit, et obvia magis ejusdem notitia ; non dubitamus, quin illa simpliciter posita, et quasi per excellentiam nominata sit ab illo præ duabus aliis synonymis oppidis minoris notæ. Et sic conformiter loquimur ad § 3 Commentarii nostri, ubi de Tolosanis Beati consanguineis.*

b *De Beati habitatione in hac provincia dictum in Commentario prævio.*

c *Ughellus col. 107 :* Oppida, *inquit*, celeberrima hujus diœcesis *(Anglonensis)* duo sunt, Clarimontium et Sinisium : quorum utrumque præclaram habet ecclesiam collegiatam, a Margarita comite Clarimontana, Jacobi comitis Tricarici ex familia Sanseverina uxore fundatam. B *His ad majorem istarum personarum notitiam adde dicta in Commentario prævio sub finem. Videri etiam potest Laurus cap. 12.* D

d *Vox hæc apud Ughellum desideratur : per quam hic intelligendus videtur panis recoctus. Vide Glossarium Cangii in vocibus* passimæ, et paximatium, *Rosweydum in Onomastico ad Vitas Patrum pag. 1045.*

e *De* Sinisio *jam diximus. Situm est in territorio Clarimontano.*

f Barberius *est barbitonsor, hic vero chirurgus.*

g Noha, *Geographiæ Blavianæ volumine 8 in mappa terræ Barianæ ac Basilicatæ, scribitur* Noia, *et quinque circiter milliaribus Italicis distat a monasterio S. M. de Sagittario.*

h *Annus hic clare ac distincte signatur in Ms., quod damus, et apud Laurum identidem citatum, cap. 14, pag. 50. In editione Ughelli notatur* MCCCXXXVIII ; *in qua facilius omitti potuit unum 1, quam superaddi in dicto Ms. In nova Ughelli editione tom. 7, col. 90, in notula marginali additur textui ejus* seu 1339, ut alii volunt. *Castellanus ponit etiam 1338. Nos vero cum non videamus aliquid satis firmi, quod cogat nos a Ms. isto et a Lauro deflectere ; superius in initio Commentarii nostri posuimus hunc etiam annum 1339.* E

DE B. VILLANA BOTTIA

FLORENTIÆ IN ETRURIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Beatæ cultus, corporis translationes, et Acta.

ANNO MCCCLX *Nomen Beatæ in Fastis annuntiatur :*

B*Eatam* Villanam, *mulierem Florentinam, vitæ sanctitate conspicuam, pauci annuntiant martyrologi, iique recentiores tantum, ita ut de legitimo Beatæ cultu dubius hærerem, nisi aliunde submissa nobis essent documenta, quibus cultus probari, ac stabiliri posset. Arturus a Monasterio in sacro* C *Gynæceo ad* XXI *Augusti ita habet ad propositum nostrum :* Beatæ Villanæ Nazarenæ, tertii Ordinis Dominicani, quæ virtutum exercitio, patientia, jejuniis, orationibus, amore in pauperes, et aliis pœnitentiæ operibus claruit. *Arturum sequitur Marchesius in Diario Dominicano, eamdem commemorans Beatam ad* XXI *Augusti : at longius ei texuit elogium, quod desumptum ex Seraphino Razzio, qui in Vitis Sanctorum et Beatorum Ordinis Prædicatorum a pag. 523 Vitam* B. Villanæ *Italice narravit, plurimaque hausit ex Actis, quæ edituri sumus. At nec Seraphinus, nec Silvanus Razzius, qui eamdem Vitam in Sanctis Etruscis recudit, Beatæ memoriam affigit* XXI *Augusti, ita ut ignorem, cur Arturus prædictam diem elegerit, nisi forte putaverit mortuam esse non diu post festum S. Laurentii, ut videtur innui in Vita num. 12, et clarius insinuatur apud Razzium, ideoque hanc diem certam pro incerta substituerit. Verum post pauca probabimus, non mense Augusto, sed Januario obiisse : nec eam referimus ad hanc diem, nisi propter translationem corporis, referendam inferius.*

2 *Raphael Badius, vir eruditus ex Ordine Prædicatorum, qui sub finem præcedentis seculi Florentiæ habitavit, scriptisque libris innotuit, varias majoribus nostris anno 1691 transmisit notitias ex Mss. conventus S. Mariæ Novellæ, ubi degebat, et sepulta est* B. Villana, *atque imprimis de morte Beatæ ita notat :* Hanc non obiisse mense Augusto, patet clare ex Necrologio antiquiori conventus S. Mariæ Novellæ, quod in carta pergamena asservatur in archivio sacristiæ, et incipit ab anno MCCXXX usque ad MCDXXXVI : siquidem pag. 14 ita legitur, nec aliqua alia ibi nominatur Villana, « Januarii die » XXIX : Domina Villana uxor... Petri Populi » sanctæ felicitatis MCCCLX, claruit miraculis. » Concordat Chronica prædicti conventus, *inquit Badius*, nam P. Fr. Modestus, chronista satis eruditus, ita scribit cap. 36, pag. 39 : Obiit anno MCCCLX, die vigesima nona Januarii, super cujus corpus nondum elatum scribunt pluisse manna ac floribus. *Hæc de die et anno obitus dubitare nos vix sinunt ; quæ autem in Vita cum his minus videntur concordare, in annotatis elucidabuntur.*

obiit 29 Januarii anni 1360,

F

3 *Præmisit Biliottus, teste Badio, varia de gestis* B. Villanæ, *quæ fusius referuntur in Vita, hæc vero de obitu sancto :* Tam Sancte demum vitam finivit, quod inter Beatas merito annumeretur. *Deinde ita prosequitur :* Habitum nostrarum Sororum moribunda suscepit, in qua etiam fuit sepulta inter antiquum ecclesiæ pontem et lateralem januam humili et temporario sepulcro. Ejus diem pia quadam observatione agi curavit

paucisque post annis coli cœpta :

Fr.

A Fr. Thomas Cavalcanges : et, ut imposterum commodius atque festivius ageretur, Silvestra quædam, olim uxor Ugonis Altovitæ cujusdam, domum quamdam in nova platea sitam, et centum florenos Laudum dimisit societate, cui postea Angela quædam Gioti, cujusdam Bonciani conjux, centum et quinquaginta alios, ad agros pro cœnobio emendos, in suo testamento legavit. Et tam hæc, quam Silvestra instituit, quod quolibet anno ipsius B. Villanæ die Missa de beatissima Dei Genitrice Maria ante ejus decantaretur sepulcrum, quo die processio a Fratribus, cereos accensos gerentibus, eo usque produceretur. *Habemus hinc, cultum inchoatum fuisse non diu post mortem Beatæ : nam, ut subdit, testamantum Silvestræ scriptum est anno 1367, Angelæ vero 1365. Hæc autem facta non crediderim sine consensu episcopi Florentini.*

cultus renovatus, sepulcrumque mutatum,

4 *Porro Laudatus Biliottus de veneratione Beatæ sic prosequitur :* At cum temporum longitudine varia illa officia obsolevissent, a Fr. Sebastiano Aubino... post annos circiter septuaginta renovata fuerunt. Renovatum quoque fuit ab eo- B dem ejusdem B. Villanæ sepulcrum : nam cum vetustum illud valde humile diruisset, alterum, et quidem dignius, eodem erexit loco, in quo sacra illa ossa reposuit, semotis tamen quibusdam reliquiis, quas argenteis thecis inclusas in sacrario collocavit. Novissime circa annum MCDLXXV, piæ Peregrini et Templi societates in marmoreo insignique sepulcro, Desiderii a Septignano sculptoris dignissimi manu elaborato, ejusdem beatæ Mulieris ossa reposuerunt, prout magni sub sepulcro characteres indicant. Supra novum hoc atque insigne sepulcrum, antiquum quemdam Crucifixum appenderunt, ante quem genuflexa piissima illa Mulier longius in nostra æde orare consueverat, quem quidem Crucifixum ibidem prius appenderat idem Fr. Sebastianus.

translatio alia corporis solemnis,

5 *Post hæc prædictus Badius subjecit ea, quæ cap. 51 narravit Biliottus de translatione magis celebri, quæ tertia dici potest, facta anno 1569, XXVI Augusti, per Angelum Malatesta conventus B. Mariæ Novellæ Priorem. Narrat autem ibidem, ossa B. Villanæ cum ossibus aliorum Beatorum die memorato translata fuisse ad sacrarium,* quousque, singulis altaribus et sepulcris novo loco dis- C positis, honoratius reconderentur. *Deinde translationem corporis ad novum sepulcrum cap. 52 ita refert Biliottus, loquens de sequente Priore Zenobio a Villa basilica Lucensis ditionis :* Cumque mense Novembri videret B. Villanæ sepulcrum patenti contra organa loco erectum, sacra illius ossa, quæ Fr. Angelus prædecessor suus anno MDLXIX, die vigesima sexta Augusti deposuerat in sacrario, die prædicti Novembris vigesima, in arca lignea cum aromatibus clausit, ipsamque arcam cordulis obligans, in altera ex nucis ligno confecta abscondit, quam mox multis clavis confixam, et Crucifixi signo notatam, in parietis ad hoc effecta concavitate inclusit. Testantur, qui affuerunt, arcam hanc inclusam esse post marmoream columnam, in qua nigrum crucis signum apparet, non longe ab angelo illo, qui ad jacentis statuæ B. Villanæ pedes erectus, conopæum sublevat, et læva tenet cum altero angelo titulum, qui incipit : OSSA VILLANÆ MULIERIS SANCTISSIMÆ etc. *Supple :* IN HOC CELEBRI TUMULO REQUIESCUNT, *ut notavit Papebrochius, dum erat Florentiæ.*

6 *Adducit post hæc Biliottus auctoritatem Alexandri Capocchii, qui in eodem monasterio vixit : verum satis erit ipsa Capocchii verba recitare, quæ laudatus Badius ita transcripsit :* Anno Domini MDLXIX apertum est sepulcrum B. Villanæ, domini Andreæ de Bottis, cujus sepulcrum fuit in pariete, ubi nunc est altare de Minerbottis : et translatum est apud capellam societatis Peregrini anno sequenti, id est MDLXX, die vigesima Novembris. Illud interim fuit expositum in sacristia in armagio * : fuerunt enim ossa ejus in una capsula lignea, involuta tamen in tribus linteis cum aromatibus, videlicet muschio, thure, croco, calamo, et garofolis, ligata cordulis, et prima capsula posita est in alia secunda capsa nucea, et clavis firmata, et Villanæ marmoreæ, ubi est tale signum crucis ✠, et supra capsam est imago Crucifixi. Et in deportatione corporis tam in prima vice quam in secunda Fratres processionaliter cum cereis et paramentis, sicut fit in magnis solemnitatibus, *comitati sunt.* Jam tertio est sepulta, et affuit multitudo maxima populi, et viri de societate Peregrini fuerunt induti cappis lineis cum luminaribus et cruce, et sic solemniter cantaveramus, E TE DEUM LAUDAMUS cum organis et gaudio : et sanctum caput ejus est reservatum, ut in capite argenteo reponeretur, per omnia benedictus Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis. Amen.

AUCTORE J. S. reservato seorsum capite,

* *i. e. armario*

sacerdos ad sepulcrum diuturno capitis dolore liberatus.

7 *Hanc translationem memorat quoque laudatus ante Seraphinus Razzius pag. 528, sed annum 1571 eidem assignat contra Capocchium, cujus auctoritas major esse debet, quod ibidem tunc habitaverit, ut ex ejus elogio apud Echardum tom. 2 de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag. 261 intelliges, reique gestæ interfuerit, ut ipse innuit per vocem,* cantaveramus. *Referunt et alii hanc translationem, quos adferre supervacaneum esset. Accipe itaque beneficium, non multo post collatum oranti ad sepulcrum Religioso, quod post præcedentia, et Capocchio, opinor, ita memorat Badius :* Fr. Dionysius Junctinus Florentinus, sacerdos Ordinis Prædicatorum, perpetuo dolore capitis per tres annos, orando ad sepulcrum, liberatus est MDLXXI, die XII Februarii. *Hactenus ex Biliotto, et Capocchio vir humanissimus Raphael Badius, cujus diligentiæ omnia fere, quæ de cultu Beatæ relata sunt, accepta referimus.* F

De cultu B. Villanæ perseverante,

8 *Idem Badius anno 1691, XV Octobris in aliis ad Papebrochium litteris quædam refert de cultu tunc temporis usitato, quæ inde huc transfero :* Ejus (B. Villanæ) manus simul junctæ asservantur in reliquiario æneo, vel de aurichalcho inaurato, non infabre elaborato, in sacrario, et Dominica ultima Januarii quotannis exponuntur cum capite beatæ Mulieris faciendo commemorationem mortis ipsius, quæ accidit XXIX die ejusdem mensis : non tamen cantatur amplius Missa de B. Virgine, ut antiquitus; sed ante Officiorum celebrationem fit mane privata processio a capitulo conventus, sito in proximiori claustro, usque ad altare, prope quod prostat sepulcrum B. Villanæ, a duodecim religiosis clericis nostri conventus, et a societatum Peregrini et templi viris sine saccis comitatis. Et in medio positi quique eorum cum faculis accensis, et progressi omnes per ecclesiam tacite, ante gradus prædicti altaris pervenientes, devote exosculantes reliquiarium, dictas includens sacras manus, regrediuntur unde venerunt, daturque singulis nova cerea facula parvi ponderis pro

AUCTORE J. S.

pro eleemosynario. Ita a sex annis et amplius servatum vidi, quod valde diversum est ab enarratis ab antiquo chronista *(Biliotto)* cujus tempore aliter forsan fiebat, et obiit post annum MDCVI annorum LXXVI. *Demum Papebrochius ipse de cultu Beatæ hæc notavit Florentiæ post Vitam descriptam :* Ejus festum agitur ultima Dominica Januarii, structo ante ejus marmoreum tumulum, ante quem perpetuo ardet lampas, altari extemporaneo : caput in busto æreo inaurato, cubiti in similis materiæ brachiis asservantur in sacristia.

et Crucifixo ejus in veneratione habito.

9 *Hinc sufficienter probatum confidimus, illam jam olim fuisse* B. Villanæ *venerationem, ut Operi nostro, tamquam* Beata, *inseri possit et debeat. Cum autem dicta sint aliqua de imagine Crucifixi, quæ olim supra sepulcrum Beatæ appensa fuit, quamque suo tempore in sacello proximiori publicæ venerationi expositam fuisse testatur Badius, juvabit ulteriorem istius imaginis notitiam hoc loco subtexere. Modestus Biliottus cap. 36 Chronici hæc scribit, teste Badio :* Ferunt B. Villanam suas preces nostro in templo assidue effudisse solitam ante vetustam quamdam Crucifixi imaginem, inter beatissimam Virginem et dilectum Joannem apostolum et euangelistam surgentem, quæ etiam miraculis claruit. Hanc ob B. Villanæ ad eam devotionem supra ejus appenderunt sepulcrum, supra quod etiam anno MCDLXXV a piis Peregrini et Templi societatibus renovatum, et novissime anno MDLXIX et MDLXX ob novam altarium accommodationem ex inferiori in superiorem ecclesiæ partem translatum semper mansit appensa, quousque hujus prioris P. F. Timothei Ricci tempore, secularium quidam, nescio quo affecti fastidio, inde eam removeri fecerunt, indecens esse oggancientes, tam deformem imaginem in tam pulchra ac renovata videri ecclesia : quibus cum contrairi non posset, Prior eam devotam imaginem in Puritatis ædicula evidenti contra altare loco appendit, juxta quam plures appensæ tabellæ et imagines multæ (vota vulgo appellant) pendentes, aptissimo sunt argumento, et Crucifixum illum a B. Villanæ diebus ad nostra usque tempora a populis in pretio habitum, et idcirco quovis pulcherrimo loco dignissimum.

C *Vita scripta*

10 *Acta* B. Villanæ *habemus conscripta ab auctore suppare Ordinis Prædicatorum, qui Florentiæ in conventu B. Mariæ Novellæ habitavit, atque adeo monumenta quædam ibidem invenire potuit, ex quibus Vitam conscriberet. Attamen auctor ipse non omnino videtur certus, cum duo ibidem eodem fere tempore floruerint, quibus Vita attribuitur, nec rationes desint pro alterutro. Echardus tom. 1 de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag. 899 illam attribuit Joanni Caroli, quia in fine Vitæ, quam se Florentiæ legisse testatur, leguntur hæc verba :* Explicit Vita B. Villanæ de Florentia, scripta per (me) fratrem Joannem Caroli... anno Domini MCDLII *etc., quæ sane nullum relinquere videntur dubium. Nihilominus sæpe jam laudatus Badius in citata epistola ita loquitur :* Vita Latina Ms. Latine composita a Mag. Fr. Hieronymo Joannis Ordinis Prædicatorum, theologo universitatis Florentinæ, qui oravit in concilio Florentino, et scripsit alia, de quibus Altamura in Bibliotheca Dominicana sub anno MCDLIV, et ego in Catalogo clarorum virorum collegii Florentini fol. 101. *De eodem quoque Echardus tom. 1 pag. 812. Porro Badius non ignoravit postrema Vitæ verba jam partim recitata, nam eadem et ipse adducit; Vitam tamen attribuit Hieronymo, qui senex erat, dum Joannes Caroli habitum Ordinis suscepit.* D

11 *Favet imprimis huic opinioni Vitæ præfatio, ubi auctor vocatur* Fr. Hieronymus, *et paullo post dicit :* In ea..., quam de B. Villana rogatu quorumdam scripturi sumus Historia. *Itaque ex Vitæ initio Fr. Hieronymus illius auctor est, ex fine Fr. Joannes. Deinde auctor num. 16 dicit, se adhuc vidisse quosdam ex iis, qui corpus Beatæ ante sepulturam custodierant, quod Hieronymum designat : nam Joannes Caroli,* natus... *anno* circiter MCDXXV, *teste Echardo pag. 898, videre non potuit eos, qui anno* MCCCLX *jam erant religiosi; potuit vero eos videre Hieronymus Joannis, qui obiit ex Echardo anno 1454, ætatis 67, vel 77; ita ut nasci debuerit circa annum 1377, vel 1387, illosque facile videre potuerit et cognoscere. Hinc colligo, Vitam Hieronymi Joannis auctoritate scriptam esse editamque, licet ille ad eam scribendam usus videatur Joanne Caroli; cui forsan suggessit materiam, ex quo factum fuerit, ut ille loquatur ex persona Hieronymi : nam Vitam per Joannem conscriptam, postrema ejus verba omnino evincunt.* E

a Joanne Caroli.

12 *Descripsit hanc Vitam propria manu Papebrochius noster,* ex codice membraneo Ms. conventus S. Mariæ Novellæ de Flora Ordinis Prædicatorum, in quo sermones B. Jordani supra Genesim, *ut notat, et observat etiam Echardus pag. 899, hæc adjungens :* Miror non editam *(hanc Vitam,)* Beata enim illa apud nostros S. Mariæ Novellæ condita celebris est, et ad ejus tumulum continuo lampas ardebat. Illius fuisse tertiariam Ordinis, non memini me legisse, at cujusdam, ni fallor, nostrorum ejusdem conventus matrem. *Verumtamen Arturus num. 1 adductus et Marchesius volunt, tertio Prædicatorum Ordini fuisse adscriptam, quod in annotatis ad Vitam breviter discutiemus, ubi de familia Beatæ elucidanda quoque occurrent aliqua. Nunc interim Vitam ipsam, more nostro divisam subjicimus.*

edendaque ex Ms.

F

VITA

Scripta a Joanne Caroli, Ordinis Prædicatorum, notitias suggerente, ut videtur, Hieronymo Joannis, cujus est præfatio.

Ex codice Ms. conventus S. Mariæ Novellæ Ordinis Prædicatorum Florentiæ.

PROLOGUS.

Præfatio de nuptiarum periculo. a

Universis Christi fidelibus per Ecclesiam toto terrarum orbe longe lateque diffusis Fr. Hieronymus a Prædicatorum minimus, salutem. Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus, olim sua præsentia nuptias sanctificans, novissime

A me diebus istis miris et stupendis prodigiis, quanta circumspectione eodem in statu vivendum sit conjugibus, manifestat. Nempe etsi sanctum sit matrimonium, approbatæ nuptiæ, plerumque tamen minus caute incedentibus ruina sunt, et occasio vitiorum. Quod tamen licet abunde pluribus exemplis valeat comprobari, in ea tamen,
b quam de B. Villana rogatu *b* quorumdam scripturi sumus, historia, luce clarius est videre, ad instructionem fidelium et laudem et gloriam Dei omnipotentis, qui de quocumque militantis Ecclesiæ statu cives non desistit cælesti Jerusalem aggregare.

ANNOTATA.

a *Non videtur dubitandum, quin hic sit Hieronymus Joannis, qui post amplissima Ordinis munia obiit Florentiæ anno 1454, 30 Augusti.*

b *Rogatus, opinor, Hieronymus per Joannem Caroli satisfecit rogantibus, et per vulgationem Vitæ, quod fortasse tempus ei non suppeteret; aut morbis vel senio laborem istum suscipere non auderet.*

B

CAPUT I.

Beatæ natales, pia pueritia, nuptiæ, secutaque hinc vanitas, mira ad novum fervorem conversio, vitæ austeritas, eximia pietas, misericordia in pauperes, incredibilis patientia, revelationes et prædictiones.

Beatæ pater, pietas in pueritia,

a b Florentissimam *a* civitatem nostram multa ab origine mercatorum copia refertam, immortalis fama et opulentissima divitiarum ac delitiarum abundantia testantur. In hac igitur non longe ante ista tempora vir quidam extitit, Andreas *b* nomine, non minori studio comparandis æternis mercibus quam terrenis avidissime inten-
C tus. Quamobrem cum operibus manuum illius, velut rectissimi Job, benedixisset dominus, ut rebus hujus sæculi ditissimus foret, filiorumque germine et plurima felicitate polleret, ceu negotiator euangelicus, ad conquirendam pretiosam margaritam se tandem totum visus est contulisse. Namque pio orationis studio prolem inter cæteras obtinuit Deo gratissimam, quam usitato in cognatione sua nomine Villanam nuncupavit. Hæc igitur ab ætate sua tenerrima tanto Spiritus S. est amore absorpta, ut ei jam ab ipsa infantia cuncta hujus seculi fastidio essent oblectamenta. Unde resecatis omnibus, quibus illa puellaris ætas demulceri solet, solius veri Dei et cælestis Sponsi Jesu Christi meditatione assidua pascebatur.

ac vita puellæ austera: studet Religionem

3 Et, ut sine ullo carnis pondere libera in cælum mens illius conscendere posset, tenerrimum corpus suum primo acerrima studuit maceratione castigare. Namque mordentissimo ad carnem cilicio semper utens, jejuniis, disciplinis, et orationibus noctes pene singulas ducebat insomnes. Si quando autem lasso corpusculo vel modicum quietis dari oportuisset, aut super nudam terram accumbere, capiti durissimum lapidem supponere consuéverat, aut hoc ipsum a parentibus agere prohibita, arenam clandestine per universam lectuli mollitiem spargere, quam mane facto, secretius colligens abscondebat, ut de abscondito cubili suo soli cuncta cernenti Deo ejus innotesceret famulatus. Verum prospiciens, quod in patenti domo latere diu sancta ejus gesta non poterant, ad sacratissimæ religionis solitudinem cœpit mens illius totaliter aspirare. Matura igitur deliberatione præhabita, ne sanctum illius propositum patris blandimenta delinirent, clanculo discedere cogitavit; et in religiosissimo quodam sanctimonialium feminarum monasterio se perpetuo divinis mancipare obsequiis.

A. JOANNE CAROLI.

clam patre ingredi; sed detecta ad nuptias cogitur. Ex nuptiis ad vanitatem prolapsa,

4 Die igitur quadam, cum sero factum esset, et pater illius cum omni familia ad solita declinassent quietis loca; sola hæc Dei Electa, patris refrigerium, domus solatium, Villana suo deprehenditur abesse cubili. Pavent omnes, excitatur pater, et stupore vehementi domus universa luminaribus accensis evertitur *c*, donec c
drachma perditum reperitur : namque oportuno tempore, ut sine ullo strepitu clandestine, quo E
prædiximus, confugeret, prope fores domus quodam in manseolo *d* se condiderat, ubi aulæ pur- d
gamenta jactabantur. Quo deprehenso, pater ejus, quem mundana prosperitas adhuc magis delectabat, nobilissimo cuidam juveni eam illico desponsavit, quamvis modis omnibus reluctantem. Celebratis igitur ex more nuptiarum solenniis, in ipsis maritalibus amplexibus cœpit dispensatione divina mens illius sic evagari, ut omnis pene fervor tepesceret in ea vitæ prioris. Qua ex re amodo pereunti sæculo magis quam Deo placere studens, velut secunda Magdalena, ad amplioris vitæ præconia surrectura, venustissimum corpus suum, olim cinere et cilicio exultans, gemmis et auro, omnique stratus mollitie nititur de cætero confovere.

miro modo convertitur,

5 Talis est enim mutatio dexteræ Excelsi *e*, e
quod electos suos in adeo sæpe manifestum dedecus prolabi sinit, ut tandem suæ fœditatis horrore perculsos, ceu lacrymantem Petrum, familiarius sibi jungat. Nam cum die quadam pretiosissimam togam, gemmis et ostro micantem indueret, seque omni, quo poterat, studio monilibus et auro perornaret, ut statuto tempore cum maritatis ceteris in pari cultu delubra visitaret, F
ex more arrecto speculo, ænigmatice *f* prospexit, f
quantum apud Deum interioris animæ plenitudo jam fuisset deformata : nempe, cum iterum atque iterum *g* lumina studiosius infigeret, teterrimi g
spiritus imaginem se gestare, non hominis, in ipsis vestibus manifeste deprehendit.

pristinamque austeritatem et pietatem auget.

6 Quare illico lacrymis perfusa, superboque illo habitu gemmis et auro micante rejecto, mox ad ecclesiam fratrum Prædicatorum se contulit, ibique ad pedes devoti cujusdam et religiosi viri salutarem peccaminum suorum accepit pœnitentiam : sicque novam omnino volens inchoare vitam, prioribus tenebris depulsis, ferrea pridem zona ad mamillas super nuda se præcinxit, quæ tanta illius corpusculo tenacitate adhæsit, ut emortuo tandem vix sine carnibus posset avelli. Dein mordenti cilicio, et vestibus asperrimis atque vilibus contenta, jejuniis, vigiliis, et orationibus universum vitæ suæ tempus consumebat. Si quando autem vacare illi contigisset, sacræ Scripturæ libros, et Patrum collationes, ac gesta Sanctorum tanta cum auctoritate legebat, potissime autem Pauli epistolas, ut plerum-

A. JOANNE CAROLI.

que in ipsa lectione absorpta, corporalium sensuum usu pene privaretur, neminem, quamvis loquentem, percipiens, vel astantem oculis prospiciens apertis, quod eidem oranti et Missarum solenniis assistenti crebro contigisse plurimi testantur *h*, qui viderunt.

h

Ejus amor in Deum, vitæ solitariæ desiderium.

7 Tanto autem etiam Deo serviendi amore succendebatur, Vitas Patrum quandoque decurrens, ut multo tempore concupierit et ipsa ad deserti solitudinem se omnino transferre : quod et fecisset, si *i*, quæ imminebant urbi Florentiæ, seditiones et mala fuissent subsequuta. Namque solo hoc uno aditu, propter parentes id ipsum prohibentes, fugiendi sibi viam præparari posse reputabat. Tanto insuper ardore replebatur mens ejus, cum de divinis Scripturis sermo occurrisset, aut Dei verbum in sanctis ecclesiis proponebatur, ut etiam in ipso rigente corpore hujuscemodi Spiritus S. fervor ebullire videretur. Namque illico chlamydem abjiciens, caput præ torrente æstu detegere frequenter solebat.

i

B

fervor in concionibus et meditationibus sacris, apparitiones

8 Fertur autem confessori suo, eam de austeritate nimia et victus parcitate arguenti, dixisse : Ego cum epistolas Pauli lego, aut divinis assisto eloquiis, mente sic reficior, ut omnis illico diffugiat cibi corporalis appetitus : Ita Christi crucifixi meditatione absorbeor, ut nulla omnino sit asperitas tam dura, quæ non mihi amœnissima videatur. Nec deerant illi cælestium apparitiones sedulæ, et supernorum civium crebra solatia; quorum jucundissimo contubernio refocillari mens et afflicta caro videbatur : nam frequenter deprehensa est cum Christo et B. Virgine aliisque Sanctis innumeris intra domus suæ penetralia magna cum luce diutius consedisse. Unde quadam die adventanti ad se cuidam mulieri, Cur non prius venisti, inquit? reperisses enim virgines innumeras, quæ paulo ante hic mecum simul aderant, mira claritate fulgentes.

ei factæ, misericordia erga pauperes,

k

9 Alio quodam die puerulus quidam, flores ad eam forte missos deferens, quibus Sanctorum imagines perornabat, cum intra cameram *k*, se subito injecisset, vidit manifeste Flium Dei cum B. Virgine, ac B. Dominico, cui devotissima erat, pariter cum illa per cameram huc illucque pergentes, manibus ad alterutrum junctis, quemadmodum in choreis fieri solet : cui tandem sciscitanti, qui fuerunt, cum quibus loqueretur, injunxit, ne cuiquam homini, dum viveret, propalaret. Quantæ autem pietatis erga pauperes extiterit B. Femina, vix lingua posset explicare, cum in singulis quibusque amantissimum illi Jesum Christum facie tenus contemplari videretur, euangelicum illud jugiter mente sacratissima gestans : Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. Qua de re non ambigimus in specie pauperis Christum ei sæpius occurrisse. Nam cum semel ab ecclesia Prædicatorum rediret, in ipsa ecclesiæ platea ægrotum quemdam pauperem habuit obvium, quem longe majori studio, quam ceteros consueverat, refovens, mira cum devotione palam populis gestavit humeris, quoad illum debito in hospitali, quod de Pinzocheris *l* dicitur, collocavit. Quem quis dubitabit eumdem ipsum Christum exstitisse, in speciem pauperis transformatum, quem ita coram omnibus pudica Femina non erubuit amplexari *m*.

C

l

m

paupertatis amor, spiritus propheticus,

10 Hæc, quia ex euangelica doctrina noverat, pauperem Christum nec locum habuisse, ubi caput suum reclinare posset, arctissimæ paupertatis tanta cupiditate flagravit, ut frequenter ostiatim mendicare omnino proposuerit, nisi a parentibus et marito prohibita exstitisset. Quibus tamen in faciem resistens, dicebat manifeste : Ego jam dudum respectus omnes mundanos calcavi, nihil omnino curans, nisi Dominum meum Jesum Christum. Quia ergo, subactis terrenis omnibus, mens illius in æthera figebatur, meruit cælestium arcanorum scrutatrix fieri permagnifica. Nam prophetico spiritu soli Deo cognita futura sæpius prædixit, et prænuntiavit. Unde genitori suo longe antea revelavit, quot et quanta adhuc mala, et mundi hujus infortunia illum pati oportebat : quæ, sicut dixit, impleta sunt. Nempe, ut sæpe mercatores assolent, naufragium passus, ex maximis divitiarum copiis ad grandem inopiam est reductus. Affinitati et cognationi suæ, quæ tum temporis permaxime florebat, periodum sasignavit temporis vitæ hominis unius, naturali cursu in vita mortali degentis : quod rei eventus tandem comprobavit, nobili illa progenie de Boctis *n* omnino extincta. Alio quoque die astantibus nonnullis noti cujusdam obitum prænuntiavit, quem fama erat et opinio certissima incolumem adhuc superesse : quare illico mittentes, invenerunt illum eadem hora migrasse, qua dixerat.

D

n

E

vanæ gloriæ fuga,

11 Qua ex re, fama illius subcrescente, ne qua opinione sanctitatis attolleretur mens ejus, cum de cætero spiritu prophetico ageretur, ita pronuntiare futura cogitavit, ut non magis propheta, quam insulsa mulier, et quædam fatua putaretur. Unde contigit, ut novercæ cujusdam suæ mortem prædicere coacta, ne id prophetans dicere videretur, in angulis platearum, velut bannitores *o* solent, futuram novercæ mortem jam *p* præteritam nuntiavit. Dixerat enim intra se : Reputabor huic mendax, mihi *q* vero insaniens, et proclamans fatua apparebo; quod tamen, sicut prædixerat more prophetico tempora commutans intra paucissimos dies evenit. Et quia prophetarum cuneis aggregatam in cælis Dei Electam non ambigimus, intra candidatos martyrum exercitus hanc eamdem collocare non verebor. Nempe quamvis tyrannorum gladiis cum sanguine vitam minime fuderit, permulto languore ac diutino sui corporis cruciatum vere sustinuit passionis : languebat enim sæpissime diuque febribus, et acutissimis doloribus laborabat, quos quanta cum patientia et aviditate toleraret, referre incredibile est.

o

p

q

F

amor patientiæ.

12 Nam confessori suo sæpius inhibuisse fertur, ne pro se rogaret, ut ab his languoribus sanaretur. Alias etiam, se alleviatam sentiens in ægritudine, subito cum gemitibus Deum precari audita est, ne ita fieret, sed in duplo majore languore affligeretur. Cujus e cælo preces obaudiens Dominus, tanto æstu febrium corpusculum ejus illico afflixit, quod usque ad extremum fere deducta sit. Quibus in angustiis gratiarum actiones jugiter Domino persolvens, plerumque etiam in laudes devotissimas jubila voce erumpebat. Nec mirum : videbat enim manifeste crucifixum in carne Christum sibi assistere, cujus doloribus compatiens, suæ pœnalitatis oblita videbatur. Quo quidem disparente, subito adesse vidit magna cum luce Mariam Virginem, virginibus innumeris comitatam, inter quas devota illi Catharina speciosissimam coronam manibus gestabat, ei tandem perseveranti in patientia conferendam. Dicebat enim : Constans esto, dilectissima, quia hanc ego tibi coronam in cælis reservo. Consolabatur siquidem illam, non tamen afflictionem pœnarum; sed quoniam paulo

ante

A ante horridam multitudinem conspexerat dæmonum. Hæc insuper die quadam *r* suæ sospitatis impatiens, dum S. martyris Laurentii solemnitatem instare perciperet, Dominum deprecabatur, dolorum et pœnarum sui martyris in craticula patientis proprio in corpore particeps fieri. Unde subito febribus ardentissimis correpta, numquam suæ carnis tale sensit incendium: sicque variis pœnarum generibus voluntarie assumptis, sacrum ejus corpusculum martyrio consummavit.

ANNOTATA.

a *Florentiam significat, quam dudum mercimoniis atque opibus floruisse, passim notum est.*

b Andreas *cognomento* Botti, *vel* de Bottis, *licet infra num. 9 legatur* de Boctis, *mendose opinor: nam auctores, qui de* B. Villana *egerunt, omnes fere consentiunt, eam fuisse natam ex nobili stirpe* de Bottis, *vel* Bottiorum. *Seraphinus Razzius pag. 523 natam dicit* ex nobilissimo mercatore stirpis de Bottis. *Ab allegato sæpe Biliotto cap. 36 vocatur* Villana Botthia B Florentina nobilis. *A Capocchio autem in Commentario num. 6 dicitur,* sepulcrum B. Villanæ domini Andreæ de Bottis, *filiæ videlicet. Addi possunt Marchesius, et Paulus Minius in Discursu de Nobilitate Florentiæ, aliique, qui Beatam* de Bottis *nominarunt: ita ut res minime appareat dubia. Verumtamen Ugolinus Verinus poeta Florentinus, teste Badio in litteris,* B. Villanam *ortam affirmat ex familia* de Stradis, *dum lib. 3, pag. 81 ita canit:*

Est priscum Stradense genus, Stratæque propinquo
Oppidulo: ex ista mea conjux stirpe creata:
Sanctaque Villana Stradensi ex semine nata,
Quam sit grata Deo sua sint miracula testes.

Verum hæc præcedentibus non repugnant: nam potuit Beata matrem habere ex stirpe Stradensi, aut per affinitatem hujus cum Bottiana ex eadem stirpe descendere.

c Everritur, *opinor, legendum: sed* evertitur *est in apographo.*

d *Id est, loco exiguo.*

e *Non recte S. Scripturæ verba adhibet auctor: nam mutatio ex bono in deterius non est, nec dici potest,* mutatio dexteræ Excelsi, *cum Deus hu-* C *jusmodi mutationis causa non sit. Permisit quidem Deus hanc mutationem, ut* Villana *deinde, agnita fragilitate et inconstantia sua, ad majorem eveheretur pietatem: at hinc mutatio in pejus dexteræ Dei attribui non potest, cum solius sit inconstantis creaturæ: verum mutatio in melius dexteræ Dei mutatio recte dicitur, quia ab ejus gratia ortum habuit. Nec aliud scriptor iste voluit, ut puto, licet textum sacrum loco non suo adhibuerit.*

f *Ex turpitudine corporis apparente in speculo turpitudinem animæ per similitudinem agnovit.*

g *Razzius pag. 525, aliique recentiores, hoc narrantes, aiunt varia specula a* Villana *sumpta, atque in omnibus effigiem dæmonis apparuisse. Facile videbit lector, illam speculorum variationem ad hunc auctorem, ex quo sua hauserunt, nimis liberaliter additam.*

h *Id est, testati sunt Fr. Hieronymo, qui similia scriptori dictasse videtur; cum hic non vixerit illis, qui similia videre potuerant. Adi Commentarium num. 11.*

i Nisi *legit Razzius pag. 525. Verum sequentia favent lectioni nostræ. Attamen maritum deserere non licebat sine ejus consensu, de quo minus recte tacet auctor, si Beatæ propositum satis noverat.* A. JOANNE CAROLI.

k *Id est, cubiculum.*

l *Italice* delle Pinzochere.

m *Id sane argumentum non concludit. Razzius pag. 525 asserit, pauperem illum, redeunte* Villana, *non inventum in lecto, ubi eum deposuerat. Si id satis certum esset, rem melius probaret: at conjicio, Razzium illud de suo ex conjectura addidisse.*

n *Jam monui, legendum videri* de Bottis.

o *Id est, præcones a voce Italica* banditore.

p *Tamquam præteritam more prophetis usitato.*

q Illi, *opinor legendum.*

r *Refertur illud ad tempus incertum, ita ut hinc colligi non possit, defunctam esse non diu post festum S. Laurentii, ut putaverunt aliqui, quibus, re necdum examinata, assensit Janningus noster, in prætermissis ad 21 Augusti, seu tom. 4 ejusdem mensis pag. 399 memoratus. Nam obiisse Beatam 29 Januarii, probavimus in Commentario num. 2.* E

CAPUT II.

Supremus morbus, mors beata, secuta post mortem mirabilia, ac sepultura in templo Prædicatorum, ejusdemque Ordinis habitu.

Et quoniam paulo ante de reddenda corona facta mentio fuerat, dabatur intelligi de propinquo laboribus suis fore terminum *a* imponendum. Unde tandem febribus decumbens, omni postremo membrorum usu destituta est. Sicque cum die proximo se morituram cerneret, concupivit extremæ unctionis sacramento insigniri. Cui præsto antiquus adstitit hostis, simulato anachoretæ cujusdam habitu, se sanctum attulisse oleum commemorans: quem cum apertis parumper oculis agnovit, toto in se collecto spiritu, voce, qua potuit, exclamavit: Recede, recede, cruenta bestia, sciens dulcissimum animæ meæ Sponsum adesse Christum: alioquin alapa te percutiam. Qui statim confusus evanuit, seseque studiosius ad antiquas temptationum insidias accingit. Nam cum illam in extremo vidit articulo constitutam, iterum redit, et eam a Domino derelictam omnino nititur persuadere: addens, quod, si se illi dumtaxat commendare vellet, adorans eum, opem sedulo præstaret in adversis. Sed non immemor illa textus Euangelici, illico arguit eum esse sathanam, qui Dominum Jesum Christum temptans, ait: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, et ostendit ei omnia regna mundi, et omnem gloriam ejus. Quare solida mente in se consistens, eumdem a se ire compulit mira confusione superatum. F

Morbus Beatæ supremus, superatæque in eo tentationes. a

14 Appropinquante vero consummationis suæ tempore, aderant religiosi viri, Christi passionem prælegentes: qui cum ad eum locum pervenerunt, ubi dicitur, quod inclinato Jesus capite emisit spiritum, Dei Electa plicatis in cruce

beata mors secutusque mox odor suavissimus.

A. Joanne Caroli.

ce manibus, quas prius mutare nequibat, illo eodem momento ex hac luce migravit. Mox autem cœpit ex sacro corpore sanctæ suavitatis odor emanare, ut non ægrotantis aut defuncti corporis camera illa videretur, sed omnium aromatum apotheca: quo suavissimo odore diebus multis camera illa redolens, intrantibus cunctis mira jocunditatis solatia conferebat. Unde dicere solebat sponsus ejus, quod numquam adeo mœstus erat, quin prædictam cameram ingrediens totum se exhilaratum sentiret.

Corpus, veste Religiosa indutum ut ante mortem voluerat, splendescit, b

15 Et quia, dum viveret B. Patriarchæ Dominico devotissima fuerat, mandavit corpus suum cum habitu ejusdem Ordinis *b* apud ecclesiam FF. Prædicatorum S. Mariæ Novellæ de Florentia tumulari. Namque ad prædictam ecclesiam tanto afficiebatur amore, quod, si quando emergente casu illam personaliter visitare non posset, illo in die nusquam animo quieta maneret, quousque ab altissima domus suæ turri eamdem magna morula contemplaretur. Investito igitur dicto habitu per priorissam et alias de Pœnitentia S. Dominici, viderunt illico adstantes omnes B corpus suum in tanta claritate transformatum, ut in illud vix oculos defigere possent. Qua ex re corpus sacrum venerari mira cum devotione cœperunt.

aliisque mirabilibus inclarescens,

16 Unde diebus multis et noctibus custodientes illud, grandia experti sunt sanctitatis ejus testimonia. Nempe inter cæteras devotissima quædam mulier de Pœnitentia B. Francisci, quæ cum cæteris devotis mulieribus sacras vigilias circa dictum corpus observabat, rorantem e cælis florum multitudinem vidit super feretrum, in quo jacebat. Quapropter gratias Altissimo referens innumeras, elevatis in cælum manibus, aiebat: Nunc vero te, Villana, cognovi beata in cælo amœnitate perfrui: hæc enim verba tua sunt, quibus sciscitanti mihi, quid de cælis missura fores promisisti dicens: Cum ego ad virentia illa prata cælestis Hierusalem, Deo duce, pervenero, rosarum ac liliorum ad te munera destinabo.

multo tempore ante sepulturam servatur incorruptum.

17 Deportato ergo tandem sacro corpore ad ecclesiam FF. Prædicatorum, inhumatum jacuit in capella B. Catharinæ virginis diebus XXX et VII, ab omni penitus labe corruptionis alienum, quoad tumulo ex integro perfecto traderetur. C Cujus rei testes veracissimos superesse adhuc vidimus nonnullos nostræ Religionis professores, quorum custodiæ sacrum corpus eo tempore commendatum extiterat. Fuerunt autem, qui ob firmissimam ejus sanctitatis opinionem partim vestes, partim membra ipsa abscinderent: quæ sane membra (tanta est sanctitatis ejus virtus) dahuc intacta atque inviolata existunt.

Mira visio, seu apparitio Beatæ,

18 Nec est silentio transeundum, quod in hora transitus sui devotæ quædam mulieres, anachoriticam vitam ducentes super pontem quemdam fluminis, prope ecclesiam B. Gregorii de Florentia, vidisse testatæ sunt. Asserebant enim, nocte ipsa in oratione vigilantibus magna cum luce ac odoris fragrantia mulierem quamdam ornatu regio astitisse, quasi duobus cubitis a terra elevatam, quam licet primo intuitu B. Dei Genitricem crederent, diligentius observantes, electam Dei Villanam esse didicerunt, cum qua devotissimum sæpius contubernium illis exstiterat. Verum interrogata sæpius, numquid ipsa foret, respondisse fertur *c*: Ego nunc in cælis Margarita, non amplius Villana vocor. Cum igitur vellent ejus sanctissimos tenere pedes, elevari illam in aera viderunt, continueque magis ab D earum subtrahi conspectibus; sicque tandem per fenestram domus egressa, videbatur ad æthera mira cum claritate evolare, relicto in modum cometæ post se inæstimabili fulgore. Audivisse etiam se testatæ sunt Seraphim clamantia atque dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, pleni sunt cæli et terra gloria tua etc.

quæ per visionem aliam d

19 Sed quia Margaritam in cælis se vocari paulo ante prædixerat, devota nunc meditatione *d* considerandum est, unde sibi tale nomen accesserit. Referre consueverat devotissima quædam sui generis mulier, quod ei aliquando sanctos angelos deprecanti, ut illi, quanta cum gloria B. Villanam in æthera detulissent, manifestare dignarentur, subito illi cælestium spirituum unus affuit, qui diceret: Non quia sanguinis te illi jungit affinitas, sed quoniam tibi magnopere afficitur Dei electa Villana, totam sui exitus seriem et assumptionis gloriam propalabo. Denique appropinquante vitæ suæ termino, S. Patriarcha Dominicus, angelorum multitudine comitatus innumera, ne supremæ necessitatis hora Alumnæ suæ devotissimæ, quam vigili semper cura protexerat, deesse videretur, opem de cælo ferens, E languentis cubiculo protinus affuit, confortans eam, ne quo antiqui hostis pavore contremiscat. Quibus astantibus omnibus, tandem anima illa sanctissima carne soluta est, quam illico suscipientes ad cælestia, unde digressi sumus, regna festinare cœpimus gaudentes.

magis mirabilem

20 Remansit autem cum sacro corpore dux noster inclytus et auriga Dominicus, volens tam diu custodire illud, quousque suæ Religionis habitu vestitum cerneret. Cum ergo progredientes solis orbem intrare cœpimus, elevatis sursum luminibus, occurrentium nobis mulierum vidimus multitudinem innumeram, inter quas dilectissima Jesu Christo Magdalena priorem omnium se agebat, dicens: Hæc est illa Dei omnipotentis Sponsa, quam ego diebus singulis novo semper Christi amore instaurabam: et hæc dicens, animam sanctissimam juxta se miro cum honore collocabat, cœpto itinere proficiscens, non sine cantibus et vocum resonantibus melodiis: quibus, procedentes parumper altius, orbe ex altero multo dulciores percepimus concentus. Namque supernorum civium obviam illi copiosa multitudo festinabat: quorum ante omnes sese ingerebat Paulus doctor F gentium, cujus olim epistolas tanta cum aviditate legebat: quem illico ut vidit, protinus a nostra acie prosiliens, cucurrit, ejusque sanctissimo pectori tamdiu hæsit, quoad illi venerando cœtui nostra acies jungeretur. Aggregatis igitur cohortibus, dicebat illi Apostolus sic: A multis disseminata est doctrina mea, ab hac vero plenissime observata, atque hunc in modum de anima illa sanctissima sermonem diutinum protrahebat.

totamque symbolice intelligendam.

21 Quo expleto, prospicientes altius, reginam cœlorum vidimus, in ipso paradisi limine præstolantem, unde tota illa concio in festivum suæ laudis prorumpens hymnum, concito illuc gradu sanctam animam deduxit. Erat autem prope illam doctor inclytus Thomas de Aquino, cujus habitum intuita Villana, memor facta est Religiosi confessoris sui, qui olim magna cum instantia postulaverat, ut eumdem Reginæ cælorum attentissime commendare dignaretur. Quapropter flexis illico poplitibus, quod promiserat, adimplevit: statimque surgens, gradiebatur pariter cum B. Virgine, et Thoma de Aquino, au-

A audiens illos et interrogans, simulque deambulando proloquens de arcanis æternæ Trinitatis mysteriis. Quo completo sermone, placuit triumphanti Reginæ, ut anima illa pretiosa, una cum dilecta Magdalena, velut Sponsa Agni, novissima procederet, seque ante omnes summo Regi præsentaret. Præcurrentibus ergo illis, ceteroque subsequente comitatu, throno protinus divinæ Majestatis adfuimus, cui millia millium assistebant angelorum, cum quibus cœptum prosequentes hymnum, jubila voce pariter concrepare cœpimus et nos, dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, Deus Israel, pleni sunt cæli et terræ majestatis gloriæ tuæ.

exponitur. 22 Et hymno dicto, factum est silentium magnum in cælo, in quo anima illa sanctissima, post oblata pacis oscula ab eo, qui super solium in throno majestatis sedebat, audivit prolatam clarius istam vocem : Veni electa mea : quia propter insupportabilem patientiæ tuæ constantiam non amplius Villana vocaberis, sed eris una pretiosa margarita in armilla mei pectoris jugiter affixa ; et addidit : Volo ad eorum, qui te diligunt, solatium, ut ad B inferiorem mundi regionem nunc cum ipsa descendas, gloriam, quam modo assequuta es, tuis sodalibus ostensura. Quare, assumpta decenti angelorum comitiva, una cum beatissimis protectoribus suis, Paulo Apostolo, Petro martyre, Thoma de Aquino *e*, cum splendore, quo prædiximus, devotis super pontem feminis, eremiticam vitam ducentibus, se ostendit. Deinde impartito benedictionis munere domum ejus et civitatem Florentiam habitantibus, revertebatur ad cælestia. Cui se regrediens jungebat patriarcha Dominicus, asserens se tamdiu sacro illius corpori astitisse, quoad illud, suo vestitum habitu, ad ecclesiam Prædicatorum deportari debito cum honore vidit. Atque ita rursum intra cæli palatia occurrentibus illis denuo cæli civibus, miro est cum odore collata : ubi dilectissimus Sponsus ejus Jesus Christus in sæcula sæculorum vivit et regnat benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Auctor et tempus Vitæ scriptæ. 23 Explicit Vita Villanæ de Florentia, scripta per me Fr. Joannem Caroli de Florentia Ordinis Prædicatorum anno Domini MCDLII, completa die IX Augusti feliciter. C

ANNOTATA.

a *Hinc rectius colligemus, mortem Beatæ contigisse non diu post apparitionem S. Catharinæ, coronam eidem demonstrantis, quam post festum S. Laurentii.*

A. JOANNE CAROLI.

b *Hic locus est inquirendi, utrum Beata tertium S. Dominici Ordinem amplexa fuerit. Affirmat id indubitanter Arturus a Monasterio, quem Marchesius sequitur, ut vidimus in Commentario num. 1 : Echardus vero ibidem num. 12 prædictis non consentit. Modestus Biliottus in Commentario num. 3 citatus ita habet :* Habitum nostrarum sororum moribunda suscepit, in quo etiam fuit sepulta. *Seraphinus Razzius pag. 527 hæc scribit Italice :* Quia. . . tanto affectu ferebatur in habitum S. Dominici, quoniam in vita non potuerat illo se induere, (propter maritum) voluit saltem in morte illum obtinere, et cum illo ad sepulcrum portari. *Hæc Razzii verba consonant auctori nostro, et procul dubio veriora sunt, quam præcedentium dicta. Etenim scriptor Actorum non diceret, Beatam ex devotione erga S. Dominicum in habitu illo sepeliri voluisse, si illum in vita gestasset, et vel moribunda induisset. Opinio igitur de tertio Ordine non aliunde profluxisse videtur, quam quod in illius Ordinis habitu deinde picta fuerit ante sepulcrum marmoreum : in illo autem habitu depictam existimo, quia in eodem fuit sepulta : neque enim* E *ante mortem illo indutam fuisse, ex sequentibus clarum est.*

c *Hæc et alia quædam similia, in quibus scriptor utitur voce* fertur, *profluxisse videntur ex populari traditione, adeoque minus sunt certa, maxime cum referantur modo mirabili magis quam verisimili : singula tamen prudentis lectoris permittenda judicio censui.*

d *Plusculum meditationi suæ indulsisse auctorem, non pauci judicabunt, sequentiaque omnia usque ad finem pro meditatione pia fortasse habebunt, non pro vera historia. Verumtamen si hujusmodi visio revera cupiam oblata fuisse credatur, symbolice intelligenda sunt omnia, quemadmodum explicantur hujusmodi Apocalypseos mysteria.*

e *Razzius, qui hujus biographi vestigiis plerumque insistit, prudenter omisit symbolicam illam visionem : verum referens priorem visionem pro tribus comitibus hic assignatis substituit S. Dominicum et S. Catharinam Senensem; quod non modo a mente hujus auctoris alienum est, sed crassum quoque involvit anachronismum. Etenim obitus S. Catharinæ Senensis contigit anno 1380, id est, 20 annis post mortem* B. Villanæ : F *quo igitur modo statim post hujus mortem cum eadem potuit apparere? Razzium tamen aberrantem hic secutus est Marchesius, quem recte scribentem deseruit, ut Beatam tertio Ordini suo assereret.*



DE

A D

DE B. JOANNE BASSANDO CONF.

EX ORDINE PATRUM CÆLESTINORUM

IN MONASTERIO COLLISMADIENSI PROPE AQUILAM IN VESTINIS

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Conspectus loci; publica Beati veneratio.

ANNO MCDXLV. *Monasterium Collismadiense.*

Antequam ad alia progrediamur, quæ de hoc Beato dicemus, visum nobis est conspectum loci præmittere, in quo mortale corpus exuens ad felicem immortalitatem migravit. R. A. P. Augustinus Lubin in Abbatiarum Italiæ brevi notitia pag. 21 in rem nostram scribit ista : Aquila in Vestinis, episcopalis civitas totius Aprutii primaria, in monte ad subterfluentem Aternum fluvium. *Deinde ad Religiosas familias, quæ cum in hac civitate, tum in ejusdem territorio exstant, progreditur, et monasterium, in quo* B. Joannes *obiit, describit his verbis :* Abbatia tit. S. Mariæ de Colle medio, alias Colle madio, vulgo DE COLLE MAGGIO Aquilensi, hoc est prope Aquilam ad centum passus, Ord. S. Benedicti, ut asserit Cælestinus V Papa in sua Bulla; in qua dicit, in hac ecclesia diadematis imposita suo capiti insignia anno MCCXCIV. Vide Ughell. tomo I, pag. 426. In codice Taxar. Cameræ Apost. dicitur esse Ordinis S. Petri de Magella, et ipsi unitum monaster. monialium B. Mariæ ad Grangianum, seu Granum Ordin. S. Benedicti, per Nicolaum V Pontific. anno 2, hoc est MCDXLVIII.

de quo varia hic notantur, 2 Fundata est a prælaudato S. Petro Cælestino anno circiter MCCLXXXVII, et in tantam amplitudinem ab eo aucta, ut in ejus ecclesia præsentibus Carolo Andegavensi Neapolis, et Carolo Martello Ungariæ regibus, ac incredibili populorum numero, in Papam coronari voluerit. Hanc usque ad annum MDXXX incoluere Cælestini Galli; nunc Itali. Ibi asservatur corpus ejusdem Sancti, sicut et Beatorum Joan. Bassandi, et Bonanni. Abbas baro est Castri S. Benedicti in Perillis. *De S. Petro Cælestino longior inferius recurret sermo : cujus Acta jam pridem illustrata sunt apud nos tomo* IV *Maii, ad* XIX *ejusdem mensis diem, quo habetur in Martyrologio Romano. De* B. Bonanno *mentionem facit Cælestinus Telera in Historia sacra hominum sanctitate illustrium congregationis Cælestinorum, Ordinis S. Benedicti, Italice conscripta, pag. 335, occasione sibi oblata ex sepulcro* B. Joannis Bassandi; *scribitque, ejusdem Bonanni ossa esse deposita in capsa, et a fidelibus devote honorari, monachumque fuisse in monasterio S. Laurentii. Porro nescire se indicat idem historicus, an vixerit tempore monachorum antiquorum Benedictinorum; an Cælestinus fuerit : addit etiam ex fama, ubinam vixerit; quodque obierit cum opinione sanctitatis; ac reliquiæ ejus diu habitæ fuerint in veneratione; donec ad monasterium Collismadiense fuerunt translatæ. An vero* Beati *titulus, quo eum nuncupat Telera, stricto jure ipsi conveniat, non est hujus loci inquirere.*

3 *Huic autem monasterio jam a nobis descripto* B. Joannes *noster jussu Romani Pontificis Eugenii IV missus est, ut ad meliorem Religiosæ vitæ normam illud informaret. Anno vero uno ac duobus circiter mensibus eidem laudatissime præfuit ac profuit in devexissima senectute; et tamquam albus olor, ut ita loquar, divinis laudibus præcinens morti suæ, ibidem felicissime obiit, dictumque locum suavissimo egregiæ sanctitatis odore, multisque prodigiis illustravit, publicum idcirco, ac stricti nominis cultum promeritus, ut jam probaturi sumus. Tametsi vero ad hunc stabiliendum nobis non sufficiant hagiologi recentiores, qui Virum in sacris Fastis annuntiant et insigniunt titulo Beati; præmittimus tamen, quæ de ipso memorant, ut hinc saltem pateat non tam quid illi ab eisdem datum sit; quam quid debitum, ac solutum.* *suo regimine, morte ac miraculis illustravit :*

4 *Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum, die* XXV *hujus mensis hæc de illo refert :* B. Joannis Bassandi Cælestini, *addens in notis,* ex Kal. Lotharingiæ nuper nobis inde transmisso. *Hodierna vero die Menardus :* Aquilæ in Italia, depositio beati Joannis Bassandi Ordinis Cælestinorum. *Adde huic Bucelinum :* Aquilæ in Italia, depositio beati Joannis Bassandi, Prioris monasterii Collismadii, vitæ meritis præstantissimi. *Cultus ipsius publicus non satis innotuit Saussayo; cum ad diem* XXV *hujus mensis in elogio ejus, minoribus litteris excuso, et isti diei adjecto, non honoretur alio titulo, quam* beatæ memoriæ, *meritis beati Viri inferiore; etiamsi postea subdat Saussayus, quod* plenus sanctitatis meritis. . . piissime in Christo obdormierit. . . , *ac* signis plerisque refulserit emeritæ glorificationis. *In Serie autem Sanctorum, Beatorum, ac Piorum ad dictum modo diem, Martyrologus idem* piis *dumtaxat illum accenset. Miramur etiam, eum Castellano tam incognitum fuisse, ut nullam hujus Viri memoriam in Martyrologio ejusdem universali invenire potuerimus. Audi jam, lector, ac rationes intellige, quæ evincunt, beatissimo nostro Ascetæ Cælestino vere ac proprie convenire honores illos publicos, qui Cælitibus aliis impertiuntur in terris : quem in finem proponimus sequentia.* *memoria ejus in Fastis sacris :*

5 *Imprimis, quod insignem sanctitatis existimationem post se reliquerit; conficitur ex eo, quia a Vitæ suæ scriptore synchrono, ejusdem Cælestini Ordinis asceta, nec non tertio monasterii Collismadiensis post se præside, nunc bea-* *publicus Viri*

tu

A tus, beatissimus; *nunc* sanctus; sanctissimus *nuncupetur, immo etiam* gloriosissimus. *Nec vero sancti titulum, et invocationem prætermisit* epitaphium super ejus sepulchrum, *quod habetur infra post vitam a nobis excudendam. Secundo. Cum multum sit laudari a laudato viro; prodeat hoc loco Joannes Capistranus, ex Ordine FF. Minorum, qui et ipse Sanctus, totoque orbe celeberrimus, Beati nostri sanctimoniam egregiis laudibus extulit, ejusdem admirator, testisque ac præco æstimatissimus in paucis. Biographus laudatus hæc scribit num. 56 nostræ divisionis, quam postea semper citabimus :* Affuit et ille *inter alios, qui moribundum patrem* Joannem *præsentia sua honorarunt*, religiosus pater Joannes de Capistrano, prædicator egregius, qui prius viderat illum, et noverat, qualis erat... Postmodum vero credens illum migrasse, clausit digitis suis oculos ejus... Erat quippe in extasi *etc.*

cultus 6 *Post obitum vero beatissimi Viri, corpore ejus ad ecclesiam delato, antequam sepeliretur, panegyricam orationem de ipso habuit idem S. Joannes de Capistrano. Rem gestam hic apponere* B *juverit verbis biographi num. 60 :* Reverendus, *inquit*, ille pater Johannes de Capistrano sermonem egregium de conversatione ejus, de sanctitate, de modestia, de virtute coram plurimis ducentis * hominum millibus fecit, accipiens pro themate suo : Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes; actus ejus sanctissimos, et obitum illius gloriosum, particulariter et distincte, prout fuerat edoctus, et ipsum jam dudum agnoverat, patenter edisserens, et extollens illum summis laudibus justum, ut sanctum, utque Deo placentem, coram multitudine populorum. *Hæc de Sancto Sanctus : cujus Acta illustranda erunt ad diem* XXIII *Octobris, quo inscribitur Martyrologio Romano.*

* *al. additur circiter*

probatur 7 *Tertio. En tibi nunc alia, lector, indicia, quæ servis et amicis Dei, atque in osculo Domini mortuis propria sunt :* Finito vero sermone, *de quo modo egerat*, tantus, *inquit*, populi concursus accessit ad feretrum, tamque violenter irrupit, ut fuerit custodia necessaria armatorum, ne sacrum corpus everterent : quod labore cum maximo in capellam sancti Johannis C Baptistæ transtulerunt. Videbaturque vultus ejus ab intuentibus gratiosus, quasi subridens; articulos manus habens flexibiles : ut non mortuus, sed dormiens crederetur. Multi debiles et infirmi illic curati sunt, ad corporis sacri tactum sanitati pristinæ restituti. *Quæ de honorificis ejus exsequiis scribit biographus num. 61, patior hic sileri. Quarto. Insignem Viri sanctitatem, ejusque gratiosissimum in cælis patrocinium declaravit Deus plurimis miraculis, quæ referuntur apud auctorem Vitæ num. 65 et sequentibus : inter quæ duo potissimum consideranda veniunt : alterum quidem, quo mortuus triduanus beati Patris meritis ad vitam revocatus est, sicut narratur ibidem num. 79; alterum vero illud, quod narrat cap. 9 in initio :* Cum repositum foret in capsa lignea sacrum corpus, superque parvum altare Baptistæ Christi, quod est ad dextrum latus capellæ B. Johannis Baptistæ collocatum; fratres dubitare cœperunt, ne malus odor ex ejus corpore, in scandalum transeuntium, exhalaret. Qua de re capsam aperuerunt, calce viva beati Viri corpus cooperientes, illuc, ubi jacebat, reposuerunt. *Et mox, pauculis interjectis;* cum reverentia, *inquit*, pannis opertum sericis, in loco disposito statuerunt... Isto modo per decem et octo annos quievit : *donec tandem, aperta iterum capsa, integrum fuit repertum; ut ibidem pluribus refertur num. 83.* AUCTORE J. P.

variis 8 *Quinto. Magnam quoque ad probandum publicum hujus Viri cultum habent vim, quæ addit biographus. Etenim sacrum illud depositum* isto modo per decem et octo annos quievit, *ita tamen, ut singulari ac manifesto cultu honorari non desierit*, venientibus annuatim die sui obitus dominis Cameræ cum civibus Aquilanis, duosque cereos ante capsam sacri corporis offerentibus, et illic audientibus Missam. *Plura deinde sequuntur de præsenti materia. Sexto. Visum postea fuit, uti asserit Telera pag. 334, monachis ac magistratui, ut beato Patri fabricaretur honorifica sepultura, cui pretiosus adeo thesaurus includeretur, et viva conservaretur imposterum erga illum devotio. Dictum, factum. Intra paucos namque annos machina pulcra, uti refert Telera, e lapidibus elaboratis erecta fuit in medio sacello S. Joannis Baptistæ. Septimo. Ad propositum nostrum non mediocriter conducit status præsens corporis, vel is saltem, qui erat anno 1648, quo Telera librum suum vulgavit.* E *Usque in hodiernum diem, inquit pag. 335, conspicitur sacrum corpus situm in sublimi in plano altaris, inclusum capsæ crystallis circumdatæ : quam custodiunt duæ portæ ligneæ clavibus obseratæ : et ostenditur in præcipuis Ecclesiæ festis, vel quando occurrit præsentia personarum. Mirantur omnes pariter integritatem ac albedinem carnis, etiam in facie et in capite, in quo conspiciuntur etiam hodie capilli coronæ monasticæ. His adde, quæ P. Janningus noster post Teleram notata reliquit in suo Diario itineris Romano-Neapolitani ad rem nostram. Sic enim scribit ibidem fol. 3 verso :* In ecclesia Cælestinorum prope Aquilam, dicta Colle maggio conservatur... corpus integrum B. Joannis Bassandi, quod et vidi. Quiescit in sacello, quod est a cornu Euangelii altaris majoris. *Hæc ille : de cujus excursione in regnum Neapolitanum agitur in ejus Vita ante tomum* III *Julii pag. 3.*

9 *Octavo. Insigne præterea ad confirmandam, et ad posterorum memoriæ commendandam beati Confessoris publicam venerationem, sunt Antiphona, versiculus cum responsorio, et oratio propria, quæ habentur in exemplari Ms. Vitæ, quam dabimus, post epitaphium metricum, quod eidem subditur, hoc titulo prænotata :* Commemoratio de beato Johanne Bassandi Cælestino dicto de Francia, ANTIPHONA; *quæ sic sonat :* Ante thronum Trinitatis, causam nostræ paupertatis, Johannes Bassandi pater, repræsenta tu taliter, ut fons summæ pietatis a sordibus pravitatis, et ad regnum claritatis nos lux trahat Deitatis, et tuæ paternitatis nos abluat incessanter, quibus sordemus graviter : quo lætaris perenniter, ut ejus vultum lætanter concernamus perenniter. Amen. ℣. Beate Joannes Bassandi, audi rogantes servulos. ℟. Et impetratam nobis cælitus tu defer indulgentiam. ORATIO. Deus, qui nos ad æternitatis gloriam per Sanctorum tuorum exempla restauras; præsta nobis, quæsumus, ut beatissimi confessoris tui Johannis Bassandi, gloriosissimi Petri Cælestini imitatoris præcipui, precibus et meritis mundana quæque despicere, et præmiorum æternorum tandem cum ipso participes existere mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat *etc.* Amen. *argumentis* F

10 *Nono.*

AUCTORE J. P. ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. octavi.

10 *Nono. Quid, quod alteram Beati invocationem contineat metricum ipsius epitaphium, de quo supra, his verbis expressam :*

Te, Pater, oramus, nos cernas ac benedicas,
Et serves Aquilam, quæ tibi grata fuit.

Et cur quisquam dubitabit, an Viro huic debeantur honores publici, post probationes, quibus eosdem ipsi asserendos demonstravimus ; quæque, ut nobis quidem videtur, etiamsi id non probent singulæ, sufficiunt tamen ad evincendam possessionem publicæ venerationis ejus ? Hanc, quam vel vivus etiam habuit apud homines, post mortem confirmavit sequentibus signis, aliisque prærogativis, quas recensuimus supra, quæ argumento sunt, quod obierit tamquam verus ac singularis amicus Dei, quodque mors ejus pretiosa fuerit in conspectu Domini, ac placita ei fuerit anima illius. Maneat itaque B. Joannes *in antiqua illa et sufficiente possessione sanctitatis suæ, quam ducentis annis, si ex his abstrahas circiter viginti, habuit ante Decretum Urbani PP. VIII, in his utique reponendus, quibus ob temporis diuturnitatem non refragatur laudatum* B *Decretum, cui nos in omnibus obedire profitemur. Casus itaque hic vere exceptus ab illo decreto. His quæ de* Beato *ad Superos translato hactenus dicta sunt, retrogradientes ad res ab ipso in vita gestas, ordinem chronologicum earumdem contexamus, qui in biographo anonymo Latino desideratur.*

§ II. Chronotaxis Vitæ ; doctrina ; cœnobium Bisuntinum ; narratio quædam biographi castigata.

Datur hæc chronotaxis

Telera Vitam beati Patris, quam edidit, calculis chronologicis illustravit : cujus ordinem et exemplum sequemur et nos, ex eo delibaturi in commodum lectoris, et majorem Vitæ perspicuitatem, quæ de hac re annotavit ; eique addituri, si quid, quod sit operæ pretium, se obtulerit. Primam itaque lucem hausit in civitate Bisuntina anno Christi 1360, Sedem Petri moderante Innocentio VI summo Pontifice. Vixit in C *seculo annos 18, summa cum pietate et morum integritate. Induitur habitu Canonicorum Regularium Lateranensium in ecclesia S. Pauli ejusdem civitatis, quod accidit anno ætatis circiter 18 ; Christi 1378, quantum per calculos assequi licet. Hoc vivendi institutum sectatus * usque ad annum ætatis 30, Christi 1390, animum ad Congregationem PP. Cælestinorum appulit, et in celebratissimo S. Mariæ monasterio Parisiis monachum induit : in quo annis circiter 15 religiosissime versatus, fit supprior (quod nomen postea in ista Religione mutatum est in vicarium) annum maturæ ætatis agens 45. Prior Ambianensis monasterii creatus, anno salutis 1408, ætatis 48 illuc mittitur. Deinde electus est Prior cœnobii Parisiensis : et quamvis, uti refert Telera pag. 287, annus presse non notetur in Mss., quo illud officium ei collatum est, omnino tamen hunc affirmat haberi ex fundatione monasterii Ambianensis, quæ accidit anno 1408, nec non ex electione, qua ad regimen provinciæ admotus fuit anno 1411 : dicique oportere, quod transactis annis duobus ut minus in isto novo officio, Parisios reversus fuerit anno* D *1410, ubi anno tantum uno Prior exstiti, si hoc ait, verum est, sicut est verissimum, quod anno sequenti Provincialis fuerit.*

* pene *add. in Ms. Chiffl.*

12 *Legimus, inquit idem auctor pag. 288, electionem primam (ex quinque videlicet, quibus ad hoc in provincia Franciæ munus promotus est) factam esse Parisiis anno 1411, tempore ipsius prioratus, ætatis 51, professionis 21. Provinciæ præfecturam complevit anno 1414. Eamdem resumpsit anno 1417. Quo regiminis sui triennio illum Romam evocarunt gravia Religionis suæ negotia, egitque cum Martino PP. V. Provinciæ gubernatio quarta vice ipsi delata est anno 1432 ; quinta anno 1438 : cui muneri coronidem imposuit anno Domini 1441, ætatis 81. Dum autem anno 1440 exortum esset schisma in Ecclesia Dei, a Carolo VII Francorum rege mittitur ad Amadeum Sabaudiæ ducem, pseudo-papam sub nomine Felicis* IV, *dicti* V ; *apud quem ita egit rem communem Ecclesiæ, ut illud exstinxerit, ac pacem Ecclesiæ reddiderit. Deinde duobus circiter annis habitavit in monasterio Parisiensi, quieti solitariæ, ac paci animæ vacans, usque ad annum 1443. Evocatus ab* E *Eugenio PP. destinatur ad monasterium Aquilanum. Hujus rei notitia ad Beatum pervenit in fine, prout calculos computare se indicat Telera, anni 1443 : deinde Romam profectus, laudatum Pontificem convenit, et consulit super ejusdem cœnobii reformatione. Subdit Telera difficultates ea de causa exortas sub initium anni 1444, nec non Beati ad Aquilanos ingressum, ac regressum ad Romanum Pontificem (Consule de his Vitam apud nos cap. 5.) Sublatis autem obstaculis,* Joannes *Apostolica etiam auctoritate munitus, eodem anno 1444 gubernat monasterium Collismadiense, perfectiorique in illud inducendæ vivendi formæ sedulo invigilat. Anno denique 1445, ætatis 85, Religionis Cælestinæ 55, in dicto monasterio vitam claudit die* XXVI *Augusti : postquam ibidem præfuisset anno uno ac duobus circiter mensibus. Hæc vitæ partitio chronologica procedit secundum chronotaxim, quam laudatus Telera variis locis infarsit narrationi rerum a Beato gestarum. Quæ autem referebat Telera de gestis a Beato apud Amadeum, inferius examinabimus.* F

e Vita Italica,

quam edidit Telera.

13 *Bases autem sunt duæ apud Vitæ auctorem : quarum subsidio et Beati nativitas, et vitæ duratio, et Religiosæ professionis exordium ac finis figi possint. Et altera quidem exstat num. 13, ubi hæc sunt :* Cum autem Vir Domini pene usque ad trigesimum annum fuisset in Religione præfata *(apud Canonicos videlicet Regulares Bisuntinos)* versatus, . . . Religionem Cælestinorum . . . est ingressus. *Altera num. 49, ubi sic scribitur :* Octoginta igitur quinque agens annos a sua nativitate decursos, anno videlicet quinquagesimo quinto a Cælestinorum Religionis ingressu *ultimum morbum contraxit, et obiit, ut deinde narratur. Annosa porro illa annorum 85 ætas etiam signatur in metrico ejus epitaphio. Hinc in apographo nostro* ex Ms. D. Nicolai Belfortii, *et in alio Chiffletiano mendose scribi colligitur :* Octogesimo ætatis suæ anno ; a Religionis autem Cælestinorum ingressu quinquagesimo quinto.

Hac occasione dantur notitiæ

14 *Ad illa, quæ dicebantur in Chronotaxi de suscepto a* B. Joanne *vitæ Religiosæ instituto apud Canonicos Regulares Vesontionenses S. Pauli, et de quo biographus num. 11 et 12 ; censui nonnulla de eorum cœnobio hic observanda.*

Joan-

A *Joannes Jacobus Chiffletius in sua Vesontione parte 2, pag. 201 et sequentibus, statum ecclesiæ S. Pauli describens, varia in rem nostram tradit, e quibus suffecerit delibare sequentia :* Diximus, *ait,* in S. Donato, monasterium S. Pauli ab eo primum exstructum, atque institutum ad S. Columbani regulam Luxoviensem... Multa deinde damna passum sub Felice et Tetrardo impiis præsulibus : demum, Alberico abbate mortuo, a Rodulpho rege Hugoni primo, tunc suo capellano, collatum : qui illud, ut vidimus, anno MXLIV, reædificatum opimis dotavit proventibus, voluitque, ut ejus præfecto, non ABBAS (quod antea,) sed DECANUS nomen esset. *Decanos vero laudatus auctor mox enumerat, et sic deinde pergit :* Invecta est deinde in illud monasterium S. Augustini regula : a qua cum solutiores nonnulli abhorrerent, gravis orta est contentio, quæ anno MCXXXI ab Anserico archiepiscopo certis conditionibus definita est : simul constitutum, ut Decanus secularibus Canonicis præesset; Prior vero regularibus. Decanorum ab eo tempore nulla mentio. *Prioribus*
B *vero enumeratis;* Cum autem, *sicut subdit,* anno MCXXXII vetuisset Innocentius IV dato Cluniaci diplomate, ne quis, qui S. Augustini regulam sequi nollet, in B. Pauli cœnobium admitteretur; sensim defecere seculares Canonici, et anno MCCLII in Augustinianam normam domus tota consensit : cui eo nomine primus abbas præfectus est *etc.*

15 *De abbate autem hujus monasterii* * *undecimo hæc memorat Chiffletius :* Odo de Savigneyo, MCCCLXXXV, MCCCXC : obiit *etc.; unde colligitur,* B. Joannem Bassandum *ibidem sub hoc abbate floruisse; ac sub his decessoribus ejus primos Religiosæ vitæ annos exegisse; nimirum sub* Theobaldo de Nans, *qui ponitur abbas octavus, notato anno* MCCCLXXI : obiit XVI Cal. Maii MCCCLXXIX; *vel sub duobus saltem successoribus ejusdem proximis, videlicet* Hugone de Castellione Guietæ, *ac* Joanne de Valletraversa, *qui sine anno signantur. Atque hæc dicta sint secundum Chronotaxim modo exhibitam. E qua, uti etiam e Vita, corrigi potest error temporis ac loci chronologicus, qui apud Chiffletium exstat in abbate decimo quinto :* Ejus, *inquit,* tempore, nempe MCDXLIV, migravit ad Superos B. Joannes
C Bassandus, qui ex canonico Regulari S. Pauli Bisontinensis, factus fuerat Cælestinus in Italia. *(Citatur autem a Chiffletio Chopinus in Monastico.) Beatus quippe obiit anno 1445; a dictis vero Canonicis transiit ad Cælestinos Parisiis. De doctrina, qua* Joannes *supra plurimos alios ejusdem Ordinis ascetas præditus fuerit, nihil lego in ejus Vita, quam dabimus, admodum singulare.*

* de monasterio Bisuntino, in quo Beatus vixit.

Doctrinæ ejus specimina

16 *Hunc defectum supplet Telera cap. 10, a pag. 299, et ostendit,* Joannem *doctrina non vulgari præditum fuisse : quem in finem refert ea, quæ inter illum et Joannem Gersonem in hac materia peracta sunt. Petebat, inquit,* Bassandus *ab illo tractatum super versu illo :* Suscepit Israel puerum suum, *id est,* de susceptione humanitatis Christi, *ut ex ipso profunda, quæ ibidem absconduntur, mysteria intelligeret. Cui petitioni prompte respondisse Gersonem addit, et pertexta compositione, hunc eidem titulum indidisse (citat Telera primam partem Operum ejus, anno 1518 Basileæ editorum, num. 15 litt. P.)* Tractatus Joannis de Gerson ad Provincialem Cælestinorum super versiculo Cantici Mariæ, Suscepit Israel puerum suum : De susceptione humanitati Christi etc. Reverendo in Christo Domino Provinciali Cælestinorum F. Joanni Bassando, suus Joannes cancellarius Parisien. etc. *Quam vero de doctrina ejus præclare existimaret, non obscure in laudati istius tractatus decursu notatum reliquit, sic scribens :* Rursus attende, Pater oculatissime. *Et inferius significat, in aliis suis Operibus liberaliter se correctum fuisse a* B. Joanne, *dicens :* Sic, Pater optime, notasti mihi de quibusdam.

AUCTORE J. P.

17 *In fine autem ejusdem tractatus, sicut subdit Telera, honorifica hac clausula Beatum compellat :* Hæc habuimus, Pater religiosissime, simul et prudentia præstantissime, quæ currenti calamo, linguam animi ferventis exprimente volui, satisfaciens tuæ petitioni, notare per cedulam * istam sub anno Domini MCDXXVI. Canticum n. * hoc inchoabam, dum me in Capella visitavit benignitas tua mihi jure colenda. Vale, Vale. *Jam vero,* Joannem Bassandum *suas quoque vicissim ad Gersonem submisisse lucubrationes, refert Telera ex eo, quod tractatum quemdam in quatuor divisum partes ad Gersonem* E *direxerit, quarum secunda continuerit considerationes circiter 53, indicatque ita legi in quarta parte, num. 19 lit.* b, *ubi Gerson scribit ad* Bassandum, *explicans Euangelium :* Si quis vult venire post me etc. Epistola Provinciali Cælestinorum super Euangelio : Si quis vult venire post me. *Deinde subjungit ista :* Ecce n. per vestram reverendam Paternitatem, et carissimam devotionem missus est, et oblatus tractatulus sub quatuor particulis : in quarum secunda narrantur quasi punctatim considerationes circiter 53 sententiose, breviter, et ordinate.

ex Joanne

* schedulam

* i. e. nimirum

18 *Tractatum hunc Telera scribit non potuisse a se videri post longam diligentiam, quia a Cælestinis non fuerit conservatus, nec a Gersone Operibus suis insertus. Quod autem epistola modo memorata non ad alium fuerit directa Provincialem Cælestinorum, quam* Bassandum, *probat cum ex eo, quia colligitur fuisse scriptam versus annum 1419 vel 1420, quando* Joannes *fungebatur isto officio; tum quia Gersonius indicaturus fuisset nomen ipsius, ut distingueret hunc a* Joanne *alia occasione nominato. Ex his, quandoquidem duo isti viri docti lucubrationes suas vicissim alter ad alterum dirigebant, certum formari posse judicium affirmat Telera. quod Bea-* F *tus noster in lucem dare potuerit Opera majoris notæ; sed quod hoc prætermiserit vel defectu temporis, qui utpote assiduis Religionis occupationibus distinebatur; vel ex humili sui ipsius sensu, doctrinam suam impendisse contentus in meditando magnalia Dei, atque eum benedicendo in sua cella. In publica vero orbis luce, et magna sui nominis commendatione refertur in Vita a nobis edenda confecisse rem maximi momenti ; de qua nunc agemus.*

Gerson.

19 *Biographus anonymus num. 29 et sequentibus narrat,* B. Joannem *a Carolo VII Francorum rege accersitum fuisse, et ablegatum ad Amedeum Sabaudiæ ducem, hunc in finem, ut ipsum induceret ad renuntiandum pseudo-papatui, quem in apocrypho tunc temporis concilio Basileensi sub nomine Felicis V contra Eugenium IV legitimum Pontificem assumpserat; et rem sibi commissam tam egregie confecisse, ut eumdem pseudo-papam a fastu ad submissionem reduxerit, et ad tiaræ sibi indebitæ abrenuntiationem, uti pluribus licet videre loco mox citato. Factum hoc ad trutinam chronologicam expendamus,*

Combinare non possumus cum tempore.

AUCTORE J. P.

damus, et ostendamus illud non subsistere, quia cum eadem omnino pugnat. Concilium Basileense anno 1431 sub Eugenio PP. IV legitime congregatum in principio; sed postea schismaticum, anno 1439 eumdem Eugenium deposuit, eique supposuit Amadeum. Sedit hic in cathedra pestilentiæ a dicto anno 1439 usque ad annum 1449; quo demum anno sub Nicolao PP. V spurio se pontificatu abdicavit, prævii conditionibus tam in favorem suum, quam Cardinalium suorum, fautorum, asseclarum etc. Narrationem hanc in compendium contractam, quantum in rem nostram est satis, diffusius declaratam et confirmatam exhibent Odoricus Raynaldus Historiæ ecclesiasticæ tomo 18 variis locis, Labbeus tomo 13 in Historia Conciliorum Basileensis etc. a columna 1488, Spondanus in Continuatione Annalium Cardinalis Baronii tomo 2 ad annos supra indicatos. Consuli etiam potest Labbeus in Compendio Chronologico.

B 20 *His præmissis, expendamus factum, superius e biographo propositum. Nihil in eodem occurrit ex parte Eugenii PP. IV; nihil ex parte Caroli VII Francorum Regis, quod quidem ad tempus spectet, isti facto repugnans; cum hic regnarit ab anno 1422 ad annum usque 1461; ille autem ab anno 1431, usque ad annum 1447, uterque post Beati obitum, qui accidit anno 1445, superstes. Ubinam ergo hic hæret aqua? Hæret in anno abrenuntiationis ab Amadeo factæ, et in anno emortuali* B. Joannis Bassandi. *Hic quippe jam a quatuor omnino annis obierat, quando illa confecta est. Quonam igitur pacto cohærent cum ratione temporis, quæ biographus Beato attribuit num. 33 et 34 ita loquens :* Tantum apud illum ducem *(Amadeum)* sanctitas beati Joannis, ejusque fidelis sermo prævaluit, ut... compunctus verbis efficacissimis renuntiaret papatui *etc.? Quomodo contingere potuit,* ut, *sicut addit idem biographus,* omissis regum ambaxiatis, ac humilibus suggestionibus principum, humilitati cederet fastuosa sublimitas, tanti Patris? *Quomodo denique ipsi soli hæc res gesta ab eo tribuitur his verbis :* Suum prorsus fuit hoc opus tam stupendum, tamque gloriosum *etc.; cum Amadeus obduruerit in sua umbratili ac fumosa dignitate ab anno* C *Christi 1439 usque ad annum Christi 1449? Aliud omnino esset, si dixisset biographus, beatum Virum a Carolo VII antea missum fuisse ad Felicem pseudo-papam, et coram eo perorasse pro abdicatione spurii papatus, ac pace Ecclesiæ; in qua re, si forte acciderit, saltem non esset discordia facti ac temporis : sed cum indicet, arduum hoc negotium ab illo, et quidem solo, confectum et finitum; hoc est, quod cum vera temporis ratione nos conciliare non possumus, atque adeo a veritate alienum judicamus. Lubet his nonnulla superaddere de Ecclesiæ principibus, per quos hujus antipapæ abdicatio confecta tandem fuit.*

quod B. Joannes confecerit abdicationem pseudo-pontificatus

21 *Labbeus in Compendio Chronologico ad annum Christi 1439 hanc rem gestam adscribit Carolo regi sæpe jam memorato. Raynaldus ad eumdem annum num. 1 ponit eum interpretem concordiæ, et dein ista subdit num. 2 :* Porro non modo Carolus Francorum rex, ejusque filius Ludovicus... operam in Amedeo ad schisma damnandum urgendo navarunt; verum etiam Fridericus Cæsar, atque Henricus Anglorum, et Renatus Siciliæ reges studia sua conjunxerunt : adeo ut scribant nonnulli, Amedeum a Friderico compulsum, ut se obtenso pseudopontificatu D abdicaret : et sane Fridericum ipsum delendi schismatis cupidissimum exstitisse, ac feliciter curas in eam rem intendisse, ex pluribus supra allatis testimoniis perspicuum est. *Legi etiam potest Henricus Spondanus in Annalium Cardinalis Baronii Continuatione tomo 2, ad annum modo designatum, num. 1. Neque enim transcribemus, quæ ibidem memorat; cum jam dicta abunde sufficiant ad nostrum propositum.*

Amadei Sabaudiæ ducis.

§ III. Vitæ scriptor, Acta, eorumque exemplaria.

Scriptor Vitæ anonymus (quem ita appello, quia ejus nomen nullibi hactenus expressum legi) varios de se indicat characterismos, de quibus lectorem hoc loco monendum censeo. Nam primo, asceta fuit Ordinis Cœlestini. In Prologo enim num. 7, Venerabilium, *inquit,* quorumdam Fratrum nostri Ordinis. *Secundo, num. 5 affirmat, fuisse se Sancti discipulum, et oculatum virtutum ejus testem, his verbis :* Non igitur silenda sunt gesta fortia Patris, ut ingrati filii ejus atque discipuli, qui vidimus et agnovimus ejus sanctitatem mirabilem, docti, protecti, instructique sub illius magisterio, cum vitam duceret in humanis, taceamus laudes ejus. *Tertio, ibidem num. 7 sinceram in scribendo fidem suam profitetur, dum dicit,* illa præsenti codicello se describere, quæ tum visu, tum veræ relationis auditu, de beatissimo Patre... notissima *sibi* forent. *Quarto, fuit tertius in regimine monasterii Collismadiensis, ejusdemque reformatione, Beati successor :* Cui, licet indignus, *inquit,* tertius in regimine regularis observantiæ, sub reverendo Provinciali Franciæ, in Italiæ partibus successi : *ut mirum non sit, eum apud Collismadienses degentem, tum ex visu, tum ex auditu non pauca didicisse, ea præsertim, quæ ad miracula apud illos a beato Viro patrata spectant.* E

Laudatur biographus

23 *De virtutibus vero ipsius instrui commode potuit proprio marte, cum cap. 2, num. 20 referat ista :* Nempe qui in tanto Patre... VIDIMUS aliud, nisi perfectionis formam, normam justitiæ, pudiciciæ titulum, exemplum castitatis, paupertatis, humilitatis, patientiæ, obdientiæque ferventissimum zelum, totius quoque probitatis ac sanctitatis insigne? *Hæc sufficiant, ut æquum ac bene fundatum judicium feramus, non vulgarem ei fidem deberi. Dolendum tamen est, hunc ei nævum excidisse, de quo supra num, 20 tractatum est; cum aliunde multa sint, e quibus lucubratio ipsius commendari possit tamquam vera et sincera. Accipe, lector, de Vitæ exemplaribus, quæ subdo.* F

tamquam rerum valde gnarus, quas scripsit.

24 *Duo apud nos sunt exemplaria Italica, et unum quidem a Telera editum, ac toties jam citatum; alterum Ms., quod desumptum notatur e Mss. ecclesiæ Aquilanæ : utrumque sine Prologo, quem habent nostra apographa Latina : in neutro etiam invenio Beati epitaphium. Prologum etiam non habuit, vel omisit Menardus, qui in Observationibus ad suum Martyrologium Benedictinum lib. 2, pag. 670, et sequentibus in lucem dedit* B. Joannis Bassandi *Vitam et miracula. Illa Vita, sive hoc modo eam invenerit scriptam in ipso exemplari, quod habuisse se affirmat* ex cœnobio Cælestinorum Ambianensium,

Datur ratio

A sium, ubi extat Mss.; *sive ipsemet ad pauciora illud contraxerit; illa, inquam, Vita non est nisi Vitæ compendium. Miracula vero longe plura omisit quam dedit :* Mitto, *inquit*, alia octo et viginti miracula, quæ in ejus Vita recensentur. *Deinde subjungit Viri epitaphium metricum. In Ms. nostro Aquilano non invenio longam illam prodigiorum historiam, quæ alibi habetur. Superest, ut nonnulla observemus de quatuor aliis Latinis exemplaribus Mss., quæ habemus.*

Vitæ exemplarium,

25 *Duobus apographis adscribitur nomen* Chiffl., *id est,* Chiffletii, *quæ ut distinguam, unum vocabo Chiffletianum primum, aliud vero secundum. Exemplar alterum, quod ante me habeo, notatur desumptum* ex Ms. D. Nicolai Belfortii. *Parisiense, e quo Vitam Beati excudemus, transcriptum fuit e codice Ms. Patrum Cælestinorum Parisiensium, atque huc missum anno 1724. Ex his apographis quatuor, Chiffletianum primum ac Parisiense longe majorem habent inter se verborum ac sensuum convenientiam, quam alia duo; hæc quippe illis breviora sunt, magisque sibi consona.* B *Non dubitandum tamen, quin omnia quatuor referenda sint ad unum eumdemque primigenium fontem, auctorem, inquam, anonymum Cælestinum, de quo jam dixi. Utra vero apographa sint primigenia, seu genuina; an ea, quæ sunt longiora, an potius hisce contractiora, non habeo, unde definire possim. Et non multum id refert, cum similia sint in substantia historicæ narrationis. A vocibus illis,* Originis caducæ pondus, *incipit dictorum quatuor exemplarium Prologus. Finis vero omnium est in miraculo, quo mulier clauda ad tactum feretri* B. Joannis *sanatur,* multis civibus Aquilanis præsentibus cum Fratre Joanne de Capestrano. *In dictis apographis etiam habetur Viri epitaphium; si primum e Chiffletianis excipias, in quo illud non invenio. In solo autem Parisiensi exstant commemoratio, antiphona etc., quæ præmisi in Commentario prævio num. 9.*

Parisiensis præsertim, quod typis edimus.

26 *Hisce apponere alia quædam de exemplari Parisiensi visum est. Illi describendo occasionem præbuit Vita B. Roberti, Salentini, ex Ordine Cælestinorum, quam illustravimus tomo* IV *Julii, die* XVIII *ejusdem mensis a pag. 489 : ubi pag. 491 num. 10 et 11 varia inveniet lector,* C *quæ ad præsentem materiam pertinent, cum laudati Roberti, ac* B. Joannis *nostri Vitæ ex eodem codice sint transcriptæ. Ibidem inter alia dictum est de frequentissimis abbreviationibus seu litterarum compendiis, in Roberti Vita tunc occurrentibus, quæ etiam nunc identidem in Vita Ms.* Joannis *recurrerunt. Sed eas ad planiorem legendi normam reducere conatus sum, uti et illa ad communiorem,* in sompnis, *pro in somnis,* nunquam *pro numquam;* nichilominus *pro nihilominus;* hympnis *pro hymnis. Litteras item simplices in suas diphthongos converti. Collata est Vita Parisiensis cum exemplaribus Belfortiano, 1° ac 2° Chiffletianis, et more nostro divisa in capita nova, antiquorum tamen habita etiam ratione Editione Teleræ Italica usi etiam sumus. Nec desunt Annotata, quibus conati sumus elucidare ejusdem Vitæ, ac miraculorum contextum, quem subjicimus.*

D

VITA

Auctore anonymo synchrono, Ordinis S. Cælestini, ac Beati discipulo.

Ex codice Ms. Patrum ejusdem Ordinis Parisiis, cum aliis exemplaribus collato.

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor, præmissa narratione de misericordia Dei,

Originis cæducæ pondus, quod universorum conditor inobedientia Protoplasti mortales factos homines justa sententia comprehensos deferre censuit, ut suæ prævaricationis temerariæ E incommodum subserviret, per suam ineffabilem [charitatem] qua nos dilexit, passionis et mortis antidoto lævigare * disposuit, [et] abolere damnationis æternæ chirographum, infundendo gratiam, restituendo miseros pristinæ, quam creati receperant, libertati.

* allevare Ms. Belfort.

in redimendo homine

2 Redemptor igitur noster ex sinu Patris æterni progrediens, trabea carnis vestitus, tamquam sponsus de thalamo suo ex utero virginali, reservato matris pudore, circumdatus infirmitate, visitare dignatus est mundum; visus in terris et cum hominibus conversatus verbis, quæ spiritus et vita sunt; quæ desursum est, sapientiam docens, non terrenam, non animalem, non diabolicam; sed radicatam et fundatam in veritate Dei, castificans animas, erudiensque corda simplicia timere Deum, præceptis obtemperare divinis : palam faciens, quæ doceret, ut homines deos faceret factus homo. Baptizatus insuper a Joanne, tentatus a diabolo, quadraginta diebus et quadraginta noctibus agens pœnitentiam in deserto.

ac vocatione

3 Vocavit tandem ad se discipulos, eligens rusticos et simplices, ut hæc divina gratia clarius affulgeret, non potentes, non nobiles, non F legis peritos aut doctores, ut per indoctos homines perderet sapientiam sapientum, et scientiam prudentium reprobaret. Hos omni sapientia scientiaque replevit, ut forent potentes operibus et sermone; pastoresque essent idonei et rectores Ecclesiæ militantis, ac universum mundum sua prædicatione converterent.

Apostolorum.

4 Fuere nempe doctores martyrum, confessorum patres, virginum, viduarum, continentium, et conjugatorum intentissimi directores, docentes utilia, non in subtilibus humanæ sapientiæ verbis persuadentes Christi fidem hominibus, ut cultum summæ Deitatis, quem per idololatriam reliquerunt, simplicissimis eloquiis revocarent; docerent, inquam, per nimis artam viam mandatorum, quæ ducit ad vitam, spretis visibilibus hujus mundi, quæ fugacia sunt et caduca, perpetuam vitam adipisci, et gloriam gaudiumque illud ineffabile consequi, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, a Deo suis fidelibus repromissum.

5 Horum, inquam, fidem, et doctrinam, ac

A. ANONYMO. *quorum doctrinam alii Sancti secuti.* ac virtutes, Martyres sunt secuti, glorificantes Deum in corporibus suis, honore et amore Christi suum pretiosum sanguinem effundentes, et ambulantes per omnia digne Deo. Quorum exemplis vivis quidam, et exhibitione virtutum potentibus eruditi confessores, sancte, juste, pieque viventes, obsistentes hæresibus, in spiritu et virtute Domino servierunt : ut quotquot extitere sub Christiano schemate probati fideles, ab illis doctrinam salutarem hauserint avide : quam fidelibus populis subsequentibus ffuderunt abunde.

ad mundi contemptum aspirarunt. 6 Sic et Religiosi perfecti, quorum divinus amor corda tetigerat, edocti Scripturarum monimentis, priorum cum refriguisse caritatem vidissent multorum; ut ab illa perfectione apostolica quasi penitus exularent, cum beatissimo protocœnobita Marco, volentes peculiarius, secretius, atque devotius Altissimo, cujus initiati fide erant, sub humilitatis habitu deservire; fugerunt conversationem hominum, silvas incoluerunt, ædificarunt cœnobia disgregata penitus a cohabitatione hominum secularium, seque votis pertinacissimis astrinxerunt, in silentio et in B spe fortitudinem indicentes, ut contra spirituales nequitias pugnaturi, continentia, abstinentia, jejuniis, vigiliis, operationibus, meditationibus, et contemplatione divinorum, quæ sunt præsidia militiæ Christianæ, veluti quibusdam clypeis munirentur.

eorum præcipuos enumerat auctor : a b c d e f g h i k l m 7 Horum præcipui Paulus *a*, Anthonius *b*, Pachomius *c*, Moyses *d*, Sisois *e*, Arsenius *f*, Climachus *g*, Johannes *h*, Hilarion *i*, Pastor *k*, Nesteron *l*, post beatissimum Marcum Euangelistam *m* fuere, qui cum multis aliis sortis suæ præsens seculum contempserunt, et in locis desertis habitaverunt, Atissimoque placuerunt in conversationibus suis. Ascenderunt ab istis Religiosi perfecti, militantes sub regula et abbate : quorum primicerius, gloriosus confessor exstitit *n* Benedictus *n*, monachorum pater, cœnobitarum decus, regulam componens discretione præcipuam, sermone luculentam. Quem beatissimus *o* Petrus Cælestinus *o*, uti legitimus filius in omni observantia secutus, religione beata per eum instituta, dirigenda regula sui patris gratiosius honoravit, ut generaret filios emeritos sanctitate, C virtute clarissimos, qui tantum patrem gloriosissimum facerent in nostris seculis redivivum.

deinde vero ad B. Joannem pergit, ejusque vitam 8 De quorum numero beatissimus Johannes Bassandi, natione Francus de Burgundia, vir omni religione sanctissimus, orbi nostro gloriosus emicuit. Verum, ejusque gesta magnifica suis nota discipulis, quibus digne præfuit, ne damnoso sepeliantur silentio, palam facere mundo, justissimum reputamus, ut ex informatione vera tam virtuose exactæ vitæ proficiant in gymnasio disciplinæ monasticæ regularis, et seculares nihilominus ex ejus virtute suos actus modificent, pariterque consurgant ad opera pietatis. Quia conversatio ejus transeuntis ævi, fidelibus bene vivendi tribuit incentivum, virtutumque participium subministrat, ut, qualis foret beatus Johannes, stupenda miracula, per ejus merita in illius obitu, et post ejus obitum facta, luce clarius demonstrarent. Sanctus equidem fuit signis et prodigiis honorandus. Talis enim fuit ejus vita, quæ nisi miraculis claruisset, audientium fide careret.

miracula, ac res gestas 9 Tanta denique fuere miracula post ejus obitum demonstrata, quæ ipsum probarent indubie post labores virtutum continuos, post exercitia vitæ cœnobialis eximia, quibus a prima juventute Religionem Cælestinam, cujus vivens detulerat habitum, usque in senectam, et senium promovit, ædivicavit, reformavit; inter secreta Dei cubicula plenam cum electis mercedem recipere post laborem. Migravit enim a seculo nequam, decrepitus et grandævus, monachorum probatissimus, gemma cœnobiticæ disciplinæ, Francis et Italis cognitus fama virtutis : emeritus sanctitate, portentis, et signis ostensis per eum : ut singularis gloriæ sit in cælo, qui singularis meriti exstitit super terram. Non igitur silenda sunt gesta fortia Patris, ut ingrati filii ejus atque discipuli, qui vidimus et agnovimus ejus sanctitatem mirabilem, docti, protecti, instructique sub illius magisterio, cum vitam duceret in humanis, taceamus laudes ejus; quin potius relinquere scripta debeamus Patris illius vitam, conversationem et mores, quibus Altissimo placuit sub hoc sole. D

10 Quamvis istud opus, alium, quam me, quæreret prorsus opificem : nisi qua venerabilium quorumdam fratrum nostri Ordinis permotus, caritativaque admonitione suffultus; volens etiam pro gratia spiritali mihi collata benedictioni paternæ fideliter respondere, sategi mutuum adimplere votum; illaque præsenti codicello describere, quæ tum visu tum veræ relationis auditu de beatissimo Patre Joanne Bassandi, cui licet indignus tertius in regimine regularis observantiæ, sub reverendo provinciali Franciæ, in Italiæ partibus successi, notissima mihi forent; vereor tamen, ut peccator, chartæ et atramento manum porrigere, idque describere, quod ad doctiorem hominem pertineret, meoque impolito, seu verius polluto sermone chartam maculare potius, quam digne facta retexere tanti Patris. Fisus tamen precibus fratrum historiam ordior, rogans Altissimum, ut meritis tanti Patris, cui teneor obligatus, stilum dirigat, et in prosequenda tam devoti operis materia, mihi devotionis affectus, et virtus animi subrogetur. *in compendio narrat, fide dignus, quia Beato synchronus etc.* E

ANNOTATA.

a *S. Paulum primum eremitam in Ægypto dedimus tomo 1 Januarii, die 10 ejusdem mensis, pag. 602. Hunc vero celeberrimum virum intelligit sine dubio biographus. Sequentes hic proxime antiquos eremitas ex Opere nostro allegabo.* F

b *Acta S. Antonii magni, abbatis in Thebaide, illustravimus tomo* II *Januarii, die 17 a pag. 107.*

c *De S. Pachomio abbate apud Tabennenses in Thebaide vide tomum* III *Maii, die 14, a pag. 287.*

d *Celebris Moyses Æthiops,* qui ex insigni latrone *factus est* insignis anachoreta, *uti est in Martyrologio Romano; cum eodem dabitur ad diem 28 Augusti. Alii vero anachoretæ synonymi habentur apud nos die 7 Februarii, pag. 46; 23 ejusdem, pag. 377, et alius pag. 379, die 18 Junii, pag. 586.*

e *S. Sisoes anachoreta in Thebaide est apud nos tomo* II *Julii, pag. 280.*

f *Consuli de illo potest tomus 4 Julii, ad diem 19, pag. 605 et seqq.*

g *Adisis tomum 3 Aprilis, die 30, a pag. 834.*

h *Sanctum synonymum invenies tomo 5 Julii, die 21, pag. 164. Synonymos plures notat index*

apud

A *apud Rosweydum mox citandus.*

i *De S. Hilarione agit Martyrologium Romanum die 21 Octobris.*

k *Vide tomum 6 Julii, die 26, pag. 307.*

l *In Vitis Patrum apud Rosweeydum pag. 562 editionis secundæ invenies* abbatem Nisteronem magnum, qui erat amicus abbatis Antonii. *Plura in indice nominum propriorum ad dictum Opus assignantur.*

m *Res gestæ S. Marci Euangelistæ illustrantur tomo 3 Aprilis, die 25, pag. 344 et sequentibus. De illo etiam tractavimus in Historia chronologica Patriarcharum Alexandrinorum ante tomum* v *Junii pag.* * *1, ac deinceps. Quod vero hic dicitur* post beatissimum Marcum Euangelistam, *non ita intelligas, quasi Sanctus ille, Ægypti apostolus, proprii nominis ibidem eremita exstiterit, vel eremitarum pater; sed quod non solum semina jecerit multorum, qui veram Christi fidem Alexandriæ professi sunt; sed etiam eorum, qui sublimes et severas perfectionis Christianæ regulas amplexi fuere, (atque adeo eremitarum, qui postea in Ægypto floruere, quasi* B *prodromi) S. Marci, qui eos præcedebat primus, exemplo excitati, teste Eusebio Ecclesiasticæ historiæ lib. 2, cap. 16, pag. 53 editionis Valesianæ :* Tanta, *inquit,* multitudo virorum simul ac mulierum, qui fidem Christi illic *(Alexandriæ)* amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam severam, tamque philosophicam institutionem professa est *etc. Adde, quæ cap. 17 narrat ex Philone de ascetis in Ægypto, seu de Therapeutis et Therapeutriis. Videri potest Tillemontius Monumentorum eccl. tom. 2 in S. Marco.*

n *Habetur in Martyrologio Romano, et apud nos, die 21 Martii.*

o *Sanctus hic notatur in Romano Martyrologio ad diem 19 Maii, quo apud nos dantur ejus Acta.*

ANTIQUA CAPITUM AC TITULORUM DIVISIO.

Prologus in Vitam beati Bassandi, Cælestini discipuli.

Explicit Prologus. Incipit Vita.

Capitulum I. De loco suæ nativitatis, ac bona C indole et modestia

De ingressu Religionis Canonicorum Regularium. Cap. II.

De ingressu Religionis Cælestinorum, et prima conversatione ipsius : qualiter in ea profecit. Cap. III.

Qualiter Supprior fuerit ordinatus. Cap. IV.

Qualiter factus fuit Prior [Ambiani ac] Parisius. Cap. V.

Qualiter Provincialis Franciæ quinquies electus fuit. Cap. VI.

De visitationibus monasteriorum, et admonitionibus ejus devotis. Cap. VII.

De humilitate ejus in suis officiis. Cap. VIII.

De fama ejus penes Francorum regem et principes : et de legatione ad Felicem papam. Cap. IX.

De patientia ejus in adversitatibus suis. Cap. X.

De senectute Viri Dei quantum virtuosa exstiterit. Cap. XI.

De accessu ejus ad Italiam pro reformatione. Cap. XII.

De infirmitate ejus, qua feliciter obiit. Cap. XIII.

De sermone, quem fecit fratribus circumvallantibus lectum ejus. Cap. XIV.

De Visitatione episcopi Aquilani et dominorum Camere, ac comitis Monterii, et civium. Cap. XV. A. ANONYMO.

De obitu illius glorioso et sancto. Cap. XVI.

Qualiter duxerunt ad ecclesiam sanctum corpus, et de prædicatione. Cap. XVII.

De honore funeris ejus a clero, Religiosis et populo Aquilanis impenso. Cap. XVIII.

Sequuntur miracula ejus, quæ fecit post obitum suum per ejus merita Dominus Deus. Cap. XIX.

Qualiter suum corpus calce coopertum post annos octodecim inventum est integrum. Cap. XX.

De miraculis ejus devotissimis et stupendis. Cap. XXI.

CAPUT I.

Beati patria, indoles; canonicatus Regularis; ingressus in Ordinem PP. Cælestinorum; officium Supprioris. E

Noster igitur beatissimus in Christo pater Johannes ex Gallia, quoad Italos Transalpina, provincia Burgundiæ, famosissimaque civitate Bisuntina *a* traxisse fertur originem ex parentibus Catholicis et devotis. Genitor ejus inter majores Bisuntii optimus erat civis, qui de sua legitima conjuge suscepit multitudinem filiorum : ex quibus unus, velut alter David, inter ceteros fratres suos electus a Deo, separatusque tamquam adeps a carne, beatus Johannes floruit. Hic dum puerulus adhuc esset, edoctus a matre devotissima sacris monitis timere Deum, et abstinere ab omni peccato, præceptaque Dei sollicite servare; perpetuam mentis et corporis servavit castitatem, et factus adolescens bonæ indolis, verecundiam præferre modestia, a qua, juxta Tullium Ciceronem prima commendatio adolescentum proficiscitur, omnemque declinare lasciviam, ac velut manu fortis cum David leonem superbiæ, vir secundum cor Domini, ursumque luxuriæ, gratia divina suffultus, perimere. Cum enim adolescens esset ætate, senectus F mentis ejus erat immensa; dum se immaculatum ab hoc seculo nequam custodiret.

Cap. I. Patria ei fuit Bisuntium; indoles optima, et ad virtutem propensa: *a*

12 Verum dum prudentissimus juvenis attendisset, quam non est tutum cohabitare serpenti, simulque manifeste videret, inter pericula grandia vivere homines seculi pereuntis; ireque per abruptas vitiorum semitas, quæ ducunt ad mortem : denique sapienter intelligens, quam servire Deo, regnare est, perfectus volens esse Christi discipulus, aridum cum suo flore mundum despexit, terras deseruit cum terrenis, parentes, suaque derelinquens; caduca mundi bona, velut stercora arbitratus, ut lucrifaceret Christum. Igitur adolescens bonas cupiens facere vias suas, Ordinem Canonicorum Regularium cœnobii sancti Pauli de Bisuntio *b*, tractus a Patre luminum, subintravit : cujus habitum sumpsit, Christo salutari suo devotissimum exhibens famulatum. Quo in loco sub beatissimi Augustini regula tam inter canonicos et fratres proficere studuit, ut in hominem perfectum evaderet. Cujus vita devotaque conversatio Religiosorum confratrum animos ad regularem observantiam tenendam

II. fit Canonicus Regularis, ac Prior *b*

A. ANONYMO.

dam strictius informaret. Unde functus maturis annis, crescentibus aliis meritis, Prior congregationis est electus, gratus Deo et hominibus, indesinenter suum cum honore et virtute ducens felicissimum incolatum. Quem etiam processu temporis illi patres ad abbatialem dignitatem sui cœnobii promovissent, si perseverasset cum eis, illius prudentiam ac sollicitum proficiendi studium attendentes.

III. *deinde transit ad PP. Cælestinos Parisiis.*

13 Cum autem Vir Domini pene usque ad trigesimum annum fuisset in religione præfata versatus, et, ut erat providus atque sollicitus operator virtutis, cupiens animo perfectionis altiora contingere, votaque servare districtius, quæ sua labia distinxerunt, zelo regularis observantiæ mentaliter inflammatus, Religionem Cælestinorum Ordinis sancti Benedicti, satisfacientem moribus suis, ut dignum fuerat *, est ingressus. In quo tam virtuose, tamque devote, prout ipse vir erat rectissimus, in humilitatis spiritu coram omnibus Domino deservivit, ut in suo aggressu, quo paucis diebus habitum sanctitatis detulerat, statum discipulatus, celeri perfectione adepta, gratia plenus, et devotionis B pinguedine saginatus, transcenderet, magistrumque se esse virtutis ostenderet universis. Habuit siquidem patrem spiritualem idoneum Priorem de Parisius, fratrem Petrum Poqueti c Burgundum, virum perfectissimum atque doctissimum in schola monasticæ disciplinæ: qui doctor egregius juris civilis erat in seculo, cujusque doctrina sæpius a multis judicibus, et a parlamento d regio Parisiensi frequentius allegatur, seque divinæ servituti sub habitu Religionis Cælestinorum dicaverat.

* *Ms. Chiffl.* *primum* in monasterio Cælestinorum Parisiensium

apud quos singularibus perfectionis editis exemplis,

14 Sub tanto igitur ac tali viro profecit valde beatus Johannes, de quo sermo nobis est, vitam ducens austeram, lectioni, meditationi, orationi, contemplationive totaliter occupatus, atque nihil duxit negligendum, quod ad statum regularis observantiæ pertineret. Mundus illi crucifixus erat, et ipse mundo, progrediens jugiter de virtute in virtutem: ut mirum in modum cunctis exemplar virtutis ostenderet. In arce quippe suæ mentis firmus residens homo fortis cogitatus sinceros habuit; affectiones, inquam, ordinavit suas, ex quibus operationes virtuosissimas C derivaret, subreptivos, noxiosque ad petram Christum collidens, et satanam conterens in spiritu libertatis. O felicem illum, qui non opera modo, sed etiam conceptus mentis sinceros habuit, et in omni temperantia gratiosos. Apposuit enim mentem (ut ait Lucanus) ad virtutis manuum opus *, summosque labores: dum fortium virorum, qualis beatus Johannes exstitit, omnino sit virtute præstare: cui a patribus illis primis religionis perfectissimæ, qui jam in cælis nomina sua dederunt, omni patrimonio præstantior, virtutum gloria relicta est, ut omni actione heres dignus succederet, quorum supportaret onus, ut honorem pariter ex impensis laboribus arduis mercaretur.

* *Belfort.* ad virtutis opus manuum

IV. *fit Supprior,*

15 Decuit autem, ut lucerna ardens et fulgens non lateret sub modio; sed omnibus fratribus propositi salutaris statuta super candelabrum *: et Vir tantus, qualis esset interius ministeriis publicis, exterius monstraretur. Supprior igitur sacri cœnobii, de Parisius Ordinis sui effectus est: quod officium devotissimum, et plurimam requirens diligentiam, tam fideliter *, sollicite, et vigilanter complevit, ut esset in monasterio quasi mater. Omnes recurrebant ad eum, et ipse salutis monita dabat eis. Provisio namque Dei adjuvat hominem sine dilatione et pigritia laborantem. Vendicabat enim sibi se ipsum prudens nimis in officio suo pariter et discretus. In choro devotissimus, sollicitus ad opus Dei, providus in agendis, ut otio non marcesceret, habens animum numquam solutum, dura molliens, ardua exsequens, sciensque, qua via deberet ingredi; citoque videret singula et distincta. Nam rexit magni numeri congregationem fratrum, omni morum disciplina perfectus, absentibus Prioribus suis, atque præsentibus, ut in gymnasio disciplinæ velox esset magister, quem docuisset ars et usus. Cujus doctrina discipuli sacræ institutionis proficientes, maternoque affectu complexus omnes, ut senes, juvenes, professi, atque novitii per iter currerent in odorem unguentorum suorum.

* *Chiffl.* 4 *add.* luceret

* *Belfort.* feliciter

D

se ac alios promovens in virtute, variisque morbis probatus.

16 Et quoniam Religionis clavem sciret esse silentium, in silentio et spe fratrum medius fortissimus decertabat athleta, velut alter Machabæus castra militum Jesu Christi protegens, gladio suo cum vitiis et concupiscentiis sensualitatem suam conterens indefesse, ne proterviens deliciis enutrita contra spiritum lasciviret. Unde futurorum præscius [Omnipotens,] conscius secretorum, cum deliberasset in alto consilio suo E proferre tam indefessum virtutis operarium suo gregi, quatenus verbis et exemplis Religioni devote proficeret, sciens, quod in infirmitate virtus perficitur, voluit hunc Hominem tempore supprioratus flagello variæ infirmitatis per annos plurimos erudire, ut nec totus deficeret, nec in continuis Religionis exercitiis prævaleret, debilis plurimum ac depressus, quatenus ejus fortis animus insuperabilis abstinentiæ, nequaquam ad clementiam, condescensionemve discretam ingratus, dispensandis debilibus et infirmis, juxta sui moderamen officii, durus esset, [qui] futurus [erat] omnium pater, et regimini publico suis meritis prælaturus *.

* *al.* præferendus

ANNOTATA.

a *Vesontio, urbs Galliæ Lugdunensis, Sequanorum primaria, vulgo Besançon, et archiepiscopalis, ita nota est, ut ulteriore declaratione non indigeat. Librum de illa edidit Joannes Jacobus Chiffletius.* F

b *De hoc monasterio diximus in Commentario prævio § 2.*

c *Insigne de hoc venerabili viro elogium habetur apud Teleram a pag. 273.*

d *Vulgo* parlement; *Menagius in suo Dictionario etymologico Gallico ejusdem originem derivat a voce Latino barbara* parlamentum, *cujus etymon est* parlare. *Deinde ex annotationibus Budæi super Pandectis, in ultimam legem* de Senatoribus *scribentis, de institutione parlamenti Parisiensis, et cameris, ut vocant, diversis, e quibus constabat jam tum tempore ejusdem Budæi, hæc recitat Menagius:* Hæ tres primum fuerunt. Una in maximo tribunali constituta, quod PARLAMENTUM olim peculiariter ab actionibus, altercationibusque Advocatorum appellatum esse video. *Dictionarium Gallico-Latinum Trevortianum multa et curiosa de variis in Gallia erectis parlamentis lectorem docet.*

CA-

A

CAPUT II.

Prioratus Ambianensis ac Parisiensis monasterii; creatur quintum Franciæ Provincialis.

Exercitium quotidianum Viri Dei præcipuæ discretionis fuit semper, ut mensuram suam cognoscens, ordinatissimum faceret opus suum, in eo, quod cœperat, perseverans. Qua de re Patres Religionis altiori gradu promoventes illum, fundando monasterio per quosdam Picardiæ nobiles, in Ambianensi *a* civitate, beatum Johannem Priorem creaverunt, ut illic officinas convenientes juxta modum Religionis coaptaret, ut in agibilibus prudens erat, et cœnobium construi faceret gratiosum. Qui tantum onus B humiliter et obedienter suscipiens, illuc accessit, et omnia decentissime, prout sibi imperatum fuerat, ordinavit; super fratres illic degentes præsidens institutus. Nil tamen ex solito penso divinæ servitutis omittens, quin potius agens agebat decentia foris, se sibique commissos ad omne bonum dirigebat.

V. *Postquam eximiis meritis præfuisset Ambianensibus, a*

18 Constituebat enim primo quod vellet, et hanc spiritalem negotiationem, quam devotissime acceptaverat, diligenter exercuit, ac in ea perseveravit jugiter et profuit. Quantoque suo progrediebatur in ævo, quod virtuosum, quod sanctum, quod Deo placens operabatur, fideliter implens officium suum et per devote, ut plus operis in eo fuerit, quam fama detexerit. Simplex quidem et rectus, non illa simplicitate, quam hujus seculi homines ignorantiam dicunt, sive grossitudinem intellectus; sed animi puritate, nullo duplicitatis veneno quomodolibet maculata. Erat sæpius vacans sibi, cellaque residens, in contemplatione suspensus, assiduus in lectione, sedulus in oratione, meditationique frequenter intentus, austerus valde sibi ipsi, nec aliquando * de regula beati Benedicti constitutionibusve sacris relaxans, ut numquam sua jejunia C frangeret, corporeisve solatiis indulgeret, per omnia serus *, dissolitus numquam, laborantibus fratribus assistebat : ipsos etiam conlaborantes adjuvabat. Conventum seu mensam communem nulla ratione, seu quavis occasione dimittebat, nisi forte dum infirmitate gravissima gravaretur, aut caritatem supervenientibus hospitibus, quibus recipiendis jocundus erat juxta præceptum regulæ, exhiberet. Nulli dedit umquam relaxationis exemplum, mandatorum cultor, ultor vitiorum, prævaricationum acerrimus reprehensor, cunctis bene vivendi materiam subministrans.

ac dexteritate egregia.

* al. aliquid

* f. serius

19 Verebantur illum tepidi, negligentes, inertes, otiosi : sed prorsus diligebant eum ferventes, [et] devoti; quos [sincere] exhortabatur, ut juxta suæ vocationis modum indesinenter proficerent. Quidquid legebat, referebat ad mores, evitans prophanas vocum novitates et falsi nominis scientiam, nihilque aliud se scire arbitrabatur inter fratres, cum tamen esset legisperitus et sufficienter edoctus, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Sacros codices simplices et devotos fratribus exponebat suis, prout ei divinus spiritus suggerebat, ad conpunctionem et disciplinæ regularis zelum subditorum mentes accendens. Et cum esset rigidus et constans [in] jejuniis, vigiliis, atque silentio prosequendis; valde tamen compatiebatur infirmis. Habere siquidem ex anterioribus passionibus didicerat pietatem, quam penes alios misericors et benignus exhibuit : ut jocose sæpius inter fratres se diceret infirmorum Religionis omnium patriarcham. Paterfamilias etiam optimus in regendis monasteriis fuit, et congruo tempore fratrum necessitatibus procurandis, ædificiisve construendis providus speculator. Virtus quippe extulit Hominem, ac superiorem cunctis fratribus bene viventibus honoravit. Nihil igitur ejus virtute præstantius, nihil pulchrius, et optabilius omni homini cupienti status monastici prosequi modestiam : et, ut ait de Socrate Cordubensis *b*, totam philosophiam suam revocavit ad mores, et hac summa, quam frequenter sapientiam esse dixit, bona malaque distinguere; cum discretissimus esset, et in omni actione sua maturus. Et quidem in hac re nullus beato Johanne Bisuntio prudentior, melior, vel suavior habebatur. E

optimisque exemplis profuisset;

A. Anonymo.

b

20 Ex illo demum cœnobio juxta suorum voluntatem majorum demigrans, Prior monasterii de Parisius est effectus. In quo Vir beatus quantum sibi aliisque multis profecerit miro zelo suo, quo zelabat Vir beatissimus monachorum cœnobiticam disciplinam, cunctis patulo demonstravit; qua tam fervens, tam austerus, tamque virtuosus exstitit in medio fratrum, rector illorum in honore, doctus et unctus a Spiritu veritatis, ut forma factus gregis ex animo, inter patres potior omni gratia haberetur. Superavit enim cunctos infatigabilis ejus prudentia. Vitam nempe religiosam in puro sanctitatis speculo contemplabantur attentius, exemplar tam devotæ conversationis in eo atque tam salutiferæ contuentes, ut illum miro prosequerentur affectu. Nempe quid in tanto Patre, cujus memoria in benedictione est, vidimus aliud, nisi perfectionis formam, normam justitiæ, pudicitiæ titulum, exemplum castitatis, paupertatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæque ferventissimum zelum, totius quoque probitatis ac sanctitatis insigne? Sanctus Johannes igitur digne vocatus est in sortem Sanctorum, quorum optima documenta secutus, perfectionis culmen attigit, ut F illorum esset particeps gloriæ, qui numquam fuit exors sanctitatis.

inde assumitur ad præfecturam Parisiensem;

VI. *deinde vero vicibus quinque eligitur Franciæ Provincialis :*

21 Fultus igitur virtute perfecta, donisque multiplicibus gratiarum, quæ si defuerint, (ut ait Cassiodorus) negamus beatam vitam posse constare, dum extollant hominem collocentve superiorem mortalibus, constantem etiam faciant illum, ut nec ea, quæ bona, nec ea, quæ mala vocantur, cupiat nimis, aut etiam expavescat. In hac virtute perfectissimus pater Johannes effloruit, ut, quia prudens erat, temperans esset, et qui temperans, prudens foret : qui prudens, constans : qui constans, imperturbatus : qui imperturbatus, sine tristitia : qui sine tristitia, nomen beatitudinis sortiretur : ut nil beati Johannis virtute præstantius. Equidem quidquid ex virtutis imperio geritur, meretur perpetuum gaudium et futurum. Non valuit igitur Operatoris tanti sileri virtuosissimum opus, quin emitteret fructus honoris et gratiæ. Qua de re patres omnes Franciæ capitulariter congregati, ipsum quinquies in provincialem Priorem unanimiter elegerunt : qui toti Religioni Cælestinæ, suæ radios perfectionis emitteret.

22 Sta-

A. ANONYMO. *quod munus fructuose ac prudenter exercet.*

22 Statutus igitur in speculo generalis regiminis, novum frequenter superinduebat hominem, sollicite vigilans super custodiam suam, dum positus esset in signum, cui se deberent adjungere Priores, qui partem susceperant oneris: ut beatum Johannem doctorem sentirent esse virtutis. Et quoniam, ut ait Junius cælstis *c*, rerum omnium mater est usus; talem usus artem in eo conviscerat, ut caput artis penes eum fuerit docere, quæ faceret. Namque tam devote, tam pure, tamque efficaciter suos moderabatur sermones in capitulis, in collatione, inque patrum Religionis colloquiis, ut paucissimis uteretur verbis efficacissimis, explicando regulam, constitutiones, ordinationes, doctorumque libros, intermiscendo pios gemitus, et querelas humiliter annectendo, ferventissimeque proferendo antiquorum patrum sententias; ut omnium mentes audientium ad compunctionem, devotionemque, et regularem observantiam fideliter animaret. Nil umquam sibi placuit, quod non doceret: nil fuit palam locutus, quod audiens subditus fastidiret; nil operatus est, quod non virtutum B gratiam redoleret.

ANNOTATA.

a Ambianum, *alias*, Ambiani, *vulgo* Amiens, *urbs est Galliæ, ac provinciæ Picardiæ caput;* sic, *uti Baudrandus ait*, ab aquarum ambitu nominata.

b Cordubensis, *id est, Seneca (quod nomen additur inferius num. 29) ita hic appellatus a sua patria, quæ fuit Corduba, Hispaniæ Bæticæ urbs. Nicolaus Antonius de illo agit Bibliothecæ Hispanæ veteris tomo 1, lib. 1, cap. 7, pag. 22.*

c *In apographo 2 Chiffletiano* Junius Cælestis; *in Belfortiano* Junius Celestis; *et in utroque hoc exemplari ad marginem,* Julius Celsus forte legendum *indicatur. Verum, quid sibi velit hic locus intricatus in nostro exemplari, equidem non intelligo: nec assequor, quo fundamento nitatur observatio illa marginalis, quam retuli ex aliis duobus Mss.,* de Julio Celso: *cum hactenus non norim auctorem id nominis, qui ex hisce tricis lectorem expediat, et desideratam* C *ipsi afferat perspicuitatem.*

CAPUT III.

Visitationes monasteriorum; animi modestia in officiis; gratia apud regem Francorum; legatio ad Felicem pseudo-papam; qui dicitur Beati verbis papatui renuntiasse.

VII. *In corrigendis subditis erat prudens, fortis et suavis,*

Grave sui regiminis pondus, virtute vincens indomita Pater sanctus, divina suffultus gratia, æquanimiter toleravit, suscitans sensus suos et intellectum examinans, [ut] affectu dignissimo foris ministerium suum, quod in ædificationem acceperat, manciparet. Unde cum necessario provinciæ suæ monasteria visitaret, qui vidisset eum, quam sollicite, quam prudenter et discrete se gereret, arguendo, corripiendo, obsecrando, singularissimum illum in cura pastoralis regiminis judicasset. Priores et seniores obsecrabat, ut patres, et admonebat ut filios, quatenus haberent zelum flammeum caritatis, quo in monasteriis suis per virtutum opera Altissimo complacerent. Sic autem omnibus præfuit, ut bonis fratribus in nullo se præferret: et cum videret culpas subditorum expetere, potestatem sui prioratus agnoscens, ferventi spiritu corrigebat, increpabat, verbis usus asperis, sed caritatis dulcedine plenis, ut reverenter cum timore et tremore sua reciperetur correctio. D

24 Non parcebat ulli, penes quem numquam fuit personarum acceptio. Perspicax erat in cognoscendis fratrum moribus, conditionibus, inclinationibus, ut penes unumquemque procederet, prout cuique opus erat. Mirabiliter autem gratulabatur, cum fratres juvenes zelari devoto spiritu regulam et constitutiones videbat, per tales sperans regularem observantiam continue supportari. Noverat insuper juxta legislatoris doctrinam miscere temporibus tempora, terroribus blandimenta; ut dirum * magistri, pium patris monstraret affectum. Cum vero pedes, sive eques visitationis prætextu provinciam circuiret, sæpeque profundis noctibus ad cœnobia lassus et jejunus accederet, nullum ex officiariis impedire volebat, aut etiam, ut assolet, excitare; sed leviter suam refectionem percipiens, dabat membra sopori, matutinosque præveniebat nocturnos, ut ipsum in choro residere stuperent cuncti: mirabanturque sollicitum ejus animum, quod ad exemplum temperantiæ virtutisque dirigeret: ut suo tempore tantum Patrem nulli credamus in observantia regulari fuisse secundum.

sine exceptione personarum: post visitationum labores nemini difficilis; sed vel tunc

* *f.* durum E

25 Post Officium vero nocturnum ceteris fratribus redeuntibus ad dormitorium, frequenter devotus Pater remanebat in choro, compunctioni et orationi, contemplationive se totum adaptans, ut quasi semper, usque dum pulsaretur pro Prima, de loco suæ sedis minime se moveret. Multas regiones orbis, causa monasteriorum fundandorum missus a patribus religionis adiit. Sic Angliam, sic Aragoniam, sic Italiam penetravit, se totum in Religionis augmentum exponens, ut populis Deo serviens, numero et merito cresceret, ad laudem et gloriam summi Dei.

maxime regularis: varias in provincias se confert.

F

VIII. *Honores sibi oblatos*

26 Humilitatis fundamentum cum sit necessarium in omni structura spirituali, præter quod nil solidum, nil firmum seu fixum Religiosa tenet perfectio; virtutem hanc ita prætulit Pater sanctus, ut perfectissimus illius sectator existeret. Nam dum vocatus ab illustrissimo rege Martino, qui super Aragoniam atque Valentiam *a* regnabat feliciter, sacram capellam reliquiarum de Barchinona, ut illic ædificaret monasterium, suscepisset, et illic prioratus fungeretur officio, devotionisque causa simul et capellæ regalis privilegio, in pontificalibus rogaretur a tanto principe celebrare, prorsus abnuit, et regi devoto sua dulci admonitione, ne id faceret, satisfecit.

a

27 Cum autem quodam sui provinciatus * tempore necessitatis causa Romam ivisset; et Dominum Papam Martinum *b* adiisset; cognoscens Pontifex Summus ex fama Virum, regimen suæ Religionis illi commisit perpetuum. Quod onus Pater humilis humillime recusavit, dixitque: Reverendissime Pater, cum officium meum, quod invitus suscepi, non nisi per triennium prorogetur, extemplo coram vestra Beatitudine renuntiare sum paratus: dum non ad honorem, sed ad onus gravissimum id deferendum assumpserim.

singulari modestia animi

* *f.* provincialatus

b

A pserim. O Virum humilem et devotum! qui per humilitatis iter incedens, Christum fuit indesinenter secutus, ut ab illo didicerit humilitatem militatemve cordis perceperit.

recusat. 28 Non sic impii, non sic ambitiosi et superbi: qui videntes omne sublime, currunt ad sumendas animarum curas, tamquam sine curis remaneant, cum ad curas quocumque per fas, nefasque devenerint. Siquidem non respiciunt ad infirmorum regimen cum omni gratia dirigendum, sed assumunt super sanas oves tyrannidem, assumentes omne quod crassum est, debileque et infirmum projiciunt. Neque siquidem cum beato Johanne super humeros per compassionem tollunt animas, propter quas Dominus noster Jesus Christus mortuus est.

IX. *Carolus, Francorum rex Beatum accersit, ut adeat Felicem pseudo-papam,* 29 Inter fratres bene meritos emeritus Pater effulgens, disciplinam et sapientiam docens, famosissimus in omni religione penes suos et exteros quoque effectus est. Nempe, ut ait Seneca Cordubensis, abunde cognoscitur, quisquis teste fama laudatur. Publice igitur consecratus, ita celeberrime exstitit Pater sanctitatis, ut ejus fama permotus Carolus septimus Francorum rex *c* ipsum quantocius accersiret, præ sanctitate sua, B prudentiaque, qua valebat plurimum, eique legationem arduam nimis imponens, ut accederet ad illustrem ducem Sabaudiæ, dominum Amedeum cognatum suum *d*, qui se Felicem papam *e* in suis terminis faciebat appellari; quatinus illi suggereret piis verbis, ne generaret scandalum in Ecclesia Dei: cum electio sua judicaretur idonea non fuisse; velletque cæteris obtemperare fidelibus principibus maxime sui sanguinis, quos zelus domus Dei totaliter occuparat: quique Eugenium papam quartum, summum et verum pontificem, Christi vicarium reputabant.

eumque inducat ad renuntiandum papatui: 30 Ambaxiatæ * siquidem plurimorum regum, ducum et principum jam plures ad illum fuerant transmissæ, nec auditæ, vel potius exauditæ: cum se legitimum Romanum pontificem esse affirmaret: quem etiam doctores plurimi ac celebres defendebant. Igitur ad illum beatissimus Johannes accessit, eique reverentiam papalem nullam exhibuit: licet aliqui Cardinales ei nutibus et verbis suggererent, ut ejus oscularetur vestigia, seu obedientiam ex parte sui Ordinis, cui præerat, non negaret. Quod agere renuit, et se C legatum fuisse transmissum a Christianissimo rege, suisque consanguineis ad Sabaudiæ ducem, non ad papam asseruit.

(* i. e. legationes)

quam rem sibi commissam 31 Semotim ergo vocatus, secretum colloquium habuerunt: cum quo beatus Johannes verba protulit ex corde puro et conscientia, fideque non ficta, monens illum sinceriter, affabiliter, humiliter, periculum ostendens evidentissimum Ecclesiæ sanctæ Dei, pro qua Dominus noster Jesus Christus mortuus est. Fidelium pariter omnium explicavit voluntatem, detrimentum quoque suæ animæ patenter insinuans, obsecrans nihilominus puro cordis affectu, ne tantus princeps, qui dudum virtuosus extiterat, suumque direxerat cum judicio et justitia potentatum, quique visus esset præsens seculum reliquisse, atque processisse in diebus suis, sine pessimo suam senectutem terminaret; sed opinioni cederet amicorum, preces quorum, si foret sapiens, exaudiret. At ille beato Patri suam electionem justissimam allegabat, nec eam quæsisse, prout sui æmuli reputabant; sed a tota Basiliensi generali synodo, legitime in sancto Spiritu congregata *f*, vocatum fuisse ad summi pontificatus apicem, et electum.

A. ANONYMO. *f*

B. Joannes tam apposite ac fortiter perorat. 32 Cui beatus Johannes spiritu Dei repletus respondit: Et tu, pater, esto digne justeque fores in papam electus, intuens Christianos proceres votis penitus obviare tuis, Christianitatis quoque totius præcipuos et parentes tuos optimos regalium liliorum *g*, qui zelo fidei primum, tuique profectus et honoris moventur, ne aberres a semitis veritatis et pacis, deberes tale Christicolis exemplum ostendere, ne schisma gravissimum generetur inter eos, ut voluntarie rejiceres onus ingens, quod a principio nullus priorum sanctorum patrum deferendum libenti animo devoti atque humiles spiritu detulerunt. Quod fecit etiam laudabiliter beatissimus Cælestinus ad laudem et gloriam Dei, et ad suam conscientiam puriorem. Grandem siquidem meritorum cumulum tibi congregares, agens similiter, ut huic renuntiares oneri pariter et honori, terræque reges et principes gratularentur, ædificarentur, pacificarentur, populusque totius orbis serviens Deo lætaretur, periculum tam maximum evasisse. E

ut pseudo-papa desistat ab indebita sibi dignitate. 33 Tibi quippe nullo modo necessaria fuit dignitas papalis ista: ut illi renuntiando maturius haberes de vituperio cogitare, dubitareque, ne te subsannent communipulares tui, vel ambitiosi ecclesiasticarum dignitatum irriderent. Quoniam si nil umquam boni, præter illud optimum Deoque gratissimum opus fecisses; hæc illa renuntiatio tua laudis et gloriæ tibi famam esset procul dubio paritura. Quid plura? Tantum apud illum ducem sanctitas beati Johannis, ejusque fidelis sermo prævaluit, ut omissis regum ambaxiatis, ac humilibus suggestionibus principum, humilitati cederet fastuosa sublimitas tanti Patris, simulque compunctus verbis efficacissimis renuntiaret papatui, seque totum voluntarium ad omne opus pium, quod pacem et unitatem Ecclesiæ saperet, exhiberet.

Beati opera ad meliorem mentem reductus. 34 Suum prorsus fuit hoc opus tam stupendum, tamque glorificum, insperatum cunctis, memorandum seculis, summis fidelium laudibus attollendum. O beatum Virum nec labore victum, nec morte vincendum! qui tantæ auctoritatis fuit in conspectu ducis, quod per devotionem et Spiritum sanctum in eo loquentem, perunivit sanctam matrem Ecclesiam confusam, sub diversis F capitibus gementem et flentem: tantum ac tale dissidium ad unitatem et concordiam sua opera, suaque industria, ac facundia revocavit *h*. Multos etiam labores alios, zelo caritatis fraternæ permotus, beatus hic Johannes assumpsit: quibus et Altissimo placuit et spiritualia fratribus suis commoda reportavit.

ANNOTATA.

a *De Martino Aragoniæ rege agit Hieronymus Surita in Indicibus rerum ad ejusdem regni regibus gestarum, lib. 3, ad an. 1395, et Mariana lib. 19 Historiæ de Rebus Hispaniæ; qui mortem ejus innectunt anno 1410. Audiamus de ea Marianam libro citato, cap. 21:* Barcinone in virginum collegio, quod urbis muro conjunctum est, veterno oppressus, diem obiit pridie Kalend. Junii... Ex eo tempore Aragoniæ felicitas obscurata in Martino rege, virili Barcinonensium comitum prosapia intercisa, quæ. eatenus in sexcentesimum annum propagata erat *Hinc sequitur, ut, tametsi non notarit biographus, quo anno*

A. ANONYMO. *anno B. Joannes adierit regem Martinum, differri tamen id non possit ultra diem et annum modo signatos, secundum istos historicos.*

b *Electus fuit anno 1417, die* XI *Novembris : obiit 20 Februarii anno 1431, hujus nominis V.*

c *Regnare cœpit anno 1422 ; obiit 1461. Videsis Commentarium prævium § 2, ubi de illo plura.*

d *In Historia genealogica regiæ domus Sabaudicæ, quam Gallice edidit Samuel Guichenon, longa habetur collectio rerum gestarum Amedei, hujus nominis VIII, a pag. 444; et pag. 493 in ejus epitaphio dicitur* Tot regum nepos. *Uxorem duxit Mariam Burgundicam, Philippi Audacis, ducis ac comitis Burgundiæ, ac principis e regio Franciæ sanguine nati filiam, uti dicitur ibidem pag. 497.*

e *Diximus de eo alia § 2, quæ huc spectant.*

f *Immo vero in spiritu tunc temporis schismatico. Vide nostrum Commentarium.*

g *Respicit biographus ad lilia, quæ in gentilitio regum Francorum scuto exstant.*

B h *Pugnare hoc cum tempore, ostensum est in nostro Commentario supra § 2 : ubi etiam consule, quæ observavimus circa hanc biographi historiam, quam narrat in hac Vita a num. 29*

CAPUT IV.

Patientia in adversis ; venerabilis ejus senectus.

X. *Æquam mentem servat* Cum divina Scriptura testetur, meliorem esse patientem viro forti, eumque potiorem fore, qui suo animo dominatur, expugnatore urbium ; sciens devotus Pater, quoniam virtus est circa difficile ; constantis etiam sit et fortis animi rebus in asperis non turbari ; tantæ patientiæ extitit hic Johannes, ut quam magnanimus esset, menteque stabilis appareret. Sibimet ipsi namque tam magnifice imperavit, ut fundatus in solida petra, quæ Christus est, nullis adversitatibus aut persecutionibus frangeretur : ut ejus C doctrina quam salubris esset, quod præferret insigne patientiæ Christi fidelibus, appareret. Unde vice quadam Meduntæ *a* monasterium, quod triginta ferme miliaribus a Parisius distat, visitare cupiens, cum navigio vespere devenisset Meulentum *b*, in egressu naviculæ pede lapsus, ad fundum fluvii Sequanæ devenit.

in ferendis injuriis, 36 Cumque turbarentur, qui secum venerant, fratres, et seculares alii, qui astabant; rediit confestim ad littus, ac per mantellum sublevatus ex amne, totus aqua madefactus ereptus est. Unde cum illum utpote senem, validæ guerræ * temporibus iter conficere, municipii milites irriderent, reprehenderentque senem cupidum sub tanto viarum discrimine labores periculosos assumere, nescientes quid venisset; beatus Pater obticuit, patientissime ferens quæ sibi dicebantur opprobria, lætusque præsumptionem injustam recepit. Cum vero exacta visitatione sua regredi Parisius cogitaret, sub illis diebus castrum sancti Germani in Alaide *c*, quod in media quasi via situm est, noctu ab Anglicis capitur, et ita suum iter multiplici obice præpediunt. Naviculam igitur parvam conscendens a famulis monasterii Pisciacum *d* usque securissime D deductus est.

* i. e. belli

37 Quibus remissis, in aliam naviculam se transferens, ut conficeret securius iter suum, quam per terram, cum transisset pontem, satellites fortalicii prosequuti sunt illum navigio, revocantes eum ad littus : et omnia, quæ secum detulerat, abstulerunt. Insuper crudeles illi ministri sathanæ Virum sanctum viliter tractaverunt, percutientes eum crudeliter, et veluti captivum detinere volentes. Patientissime igitur omnia tulit, et cum humilitate loquens illis, et sævientes eos, sibique tantam injuriam irrogantes, æquanimiter supportavit. Fortis siquidem et constantis animi est, ut ait Tullius, in rebus adversis non turbari et asperis; sed æquam in omnibus servare mentem, quam prospera non dissolvant, nec adversa quomodolibet defatigent. *d opprobriis, ac verberibus :*

38 Scelus vero tale non remansit inultum : quin potius diebus octo transactis promotor satellitum et malorum incentor contra Patrem, a loci capitaneo hasta percussus, excusso cerebro pœnas luit, in detestationem facinoris, quod in beatum Virum commiserat, miserabiliter interemptus est. In aliis adversitatibus plurimis E atque periculis, tum in itineribus, tum in fluminibus, tum in mari, tum in periculis latronum, tum etiam in tolerandis contrariantium moribus, atque tentationibus satanæ, tribulationibusve multiplicibus, ab eodem satana procuratis, beatissimus Johannes eruditus omni religiosa sapientia, patientiam habuit. Humilis corde fuit, amplexus, quam numquam deseruit, caritatem : ut merito laudis præconio tam Deo proximum, cui pro simplis jam centupla recipit, efferamus. *quorum auctor præcipuus divinitus punitur.*

XI. *Plurimarum virtutum congeries,* 39 Laudabilis valde senectus diuturna beatissimi patris Johannis extitit sub hac luce : quem vita sancta, devotaque conversatio gloriosum reddidit et famosum. Unde sua senectus nec oblivione illorum, qui nunc sunt, neque reticentia succedentium esse poterit consepulta. Gravitatem quippe ejus, constantiam, fidem, præstantiam, desiderium, zelum in observantia regulari, curam atque prudentiam in administrationibus suis, omnium mortalium fama celebrabit, dum reliquerit filiis suis effigiem pietatis, devotionis et virtutis, quos ad bonam beatamque F vitam, dum vivens esset, promoverat.

quarum hic habetur ratio, 40 Cum enim, transactis virilibus annis cum gratia, senectutem decrepitam feliciter attigisset; non tamen quievit laborum anteriorum conscius, adjiciens jugiter aliquid grandi suo cumulo meritorum, quo felicem beato fine suum terminaret, quem in virtute direxerat, incolatum. Siquidem Religionis exercitiis delectabatur attentius, ut, cum renuntiasset ministeriis omnibus, tam obediens, tam devotus, tam majoribus voluntarie obsecundans, ipsisque subjectus extiterit, ut merito Vir virtutis eximiæ crederetur. Semper erat, cum discretione tamen, continue scrupulosus, nec sibi relaxabat aliquid de omnibus, quæ conveniunt observantiæ regulari : quin potius pensum divinæ servitutis augens, quasi novus dietim in spiritali exercitio videbatur, sequens indesinenter conventum, omnemque singularitatem vitæ laxioris effugiens.

venerabilem prorsus facit B. Joannis senectutem. 41 Prosequebatur omnes labores communes, præveniendo omnes obsequiis, ut assiduitate bona, seu virtuosa consuetudine tempus omne, quo nil pretiosius est, nequaquam relinqueret otiosum. Dicam unum, quod nullus eo-

rum

A rum, qui noverunt eum, est qui nesciat. Pluries enim dum jussu Prioris de Parisius, cum quo senectute gravis post immensos labores, ut quiesceret, versabatur, [contigit dum] pulsaretur tabula *e* regulariter ad laborem, ut ipsi Patri quidam celebraturi Missam confiterentur. Signum igitur audiens, promptus ab obedientiam, ad laborem paratus, fratres sine complemento principiatæ * *f* confessionis relinquebat, dicens, obedientiam meliorem esse quam victimæ *, cui non debeat ullum regulare, qualecumque sit opus, præferri. Nil obedientia quippe Regulares habent perfectius : qua sublata, conversatio monastica penitus est confusa. Neque mirum igitur, si Vir sanctus tali sermone loqueretur victorias, qui semper obedientissimus extitit, ut illa, quæ dudum præceperat, dum foret junior, observari ; senior effectus, verbo pariter et exemplo doceret efficaciter adimpleri.

* *Belf. et Chiffl.* 2 inceptæ
* *l.* victimas,

ANNOTATA.

a Medunta, *vulgo* Mante, urbs Galliæ in provincia Insulæ Franciæ,... in ipso limite B Vexini Francici, 12 leucis infra Lutetiam Parisiorum in occasum æstivum, Rothomagum versus *etc., uti scribit Baudrandus. Plura Hadrianus Valesius in Noticia Galliarum. Apud Sammarthanos in Gallia Christiana tomo 4, pag. 637 vocatur* oppidum diœcesis Carnotensis ad Sequanam, *et dicitur* abbatiam habuisse dicatam beatæ Virgini.

b *In apographis nostris Belfortiano, ac Chifletiano 2 mendose scribitur* Inculentum. *Baudrandus observat ista :* Mellentum, Meulan, *vulgo*, oppidum Galliæ in provincia Insulæ Franciæ, et in Vexino Francico, ad Sequanam fluvium, 3 leucis supra Meduntam, Lutetiam versus 9. *Consuli præterea potest dictus geographus in voce* Mulancum, *qua idem locus significatur.*

c *Ita etiam scribunt Ms. Belfortianum, et Chiffletianum utrumque : quo significatur :* Fanum S. Germani in Laia; *Gallice,* S. Germain en Laye. *Hadrianus Valesius pag. 266 ad voces* Ledia silva, *hæc observat :* Ledia silva olim dicebatur, quæ postea Lea, Leia, et Laia, Loia etiam vocata est, Laye. *Loci situm, etymon,* C *ac nobilitatem describens Baudrandus ad voces* Fanum S. Germani in Laia, *sic memorat :* Oppidum Galliæ in provincia Insulæ Franciæ, in colle, prope Sequanam fluvium, cum duplici palatio regio superbissimo, veteri nempe et novo, ubi sæpe regum secessus, prope Laiam sylvam, unde ei cognomen inditum, quatuor leucis distans a Parisiis in occasum, et una tantum a Pisciaco; estque celebre natalibus trium regum Francorum..., uti et pace ibi sancita; *sicut pluribus licet videre loco citato.*

d Pisciacum *modo memoratum, vulgo* Poissy, *clarum est natalibus S. Ludovici Francorum regis. Adisis in hoc tomo Commentarium prævium ad Acta ejusdem regis § 6 a pag. 287.*

e Tabula lignea. cujus percussione excitabantur monachi, malleo scilicet tabulam tundente, *notatur apud Cangium in Glossario; ubi et alii tabulæ ligneæ usus. Hic vero adhibita fuit ad opera obedientiæ.*

f *Id est, Vir beatus ita componebat integritatem confessionis cum promptissima obedientia, ut auditis et absolutis uno vel pluribus; non pergeret ad alium vel alios, confiteri volentes, auditurus etiam illos, si per obedientiam sibi id licuisset : et hoc, vel simili sensu* fratres sine complemento principiatæ confessionis relinquebat. *Sic vero cruda hæc biographi locutio mitigari potest. Quod si plus velit ; ei non assentior, factum mirandum potius, quam imitandum proponenti, et a Beati prudentia alienum.* A. ANONYMO.

CAPUT V.

Iter in Italiam pro reformatione cœnobii Collismadiensis ; ultimus morbus ; sermo ad fratres.

Mirificus hic beatus Confessor zelo zelans monasticam disciplinam semper doluit mausoleum *a* sui beatissimi patris ac sanctissimi Petri Cælestini carere filiis virtuosis, observantiaque regulari, quam sanctus Petrus instituerat, monasterium Collismadii *b* famosissimum defraudari. Martinum siquidem Papam beatus Pater Johannes prius impulerat, ut vel saltem cœnobium Collismadii regulariter aptaretur, et E illic statuerentur patres, qui devotiori regimine locum illum fideliter observarent *c*. Neque pro tempore fuit ab illo summo Pontifice, quem ob eamdem causam secretius interpellaverat, exauditus, causis plurimis et rationibus allegatis.

XII. *Reformationem monasterii Collismadiensis a Martino PP. V petit ;*

43 Dum tandem placuit bonitati divinæ, cum juste disponat omnia, cœnobium illud ad regularem observantiam revocari, sollicita quidem procuratione civium Aquilanorum *d*, mandatoque summi Pontificis Eugenii Papæ quarti; cum esset grandævus, et frequenter orasset Altissimum, ut idem monasterium ad manus patrum Franciæ deveniret; exauditus pro sua reverentia, jussu patrum ad summum Pontificem Eugenium senex quidem, et contritus laboribus, Romam venit : mandatum accepit, ut monasterium ipsum Collismadii regendum susciperet, aptaretque sua providentia, fratrum religionis propositique sui congregatione adunata, ad observantiam regularem. Dum autem pervenisset Aquilam, difficiles inveniens illos cives, conventualium suggestione totaliter immutatos, alios F etiam, qui prius litteris adhortativis Franciæ patres impulerant ad hoc inceptum negotium; ipse pater repedare disposuit Romam. Igitur iterum rediit, et summum Pontificem de suo regressu dolentem, ut sibi repetendi lares proprios daret licentiam cum benedictione Apostolica postulavit.

quam deinde ab Eugenio PP. quarto

44 Sed Deus aliter disposuit pro sua pietate : quod satis evidenti signo monstravit. Cum enim exiret de Collemadio, atque in porta monasterii se fratribus illius loci conducentibus cum precibus et orationibus commisisset; calcar unum de suis adhæsit portæ, quasi Dominus illum redire debere iterum moneret. Dum igitur Romæ staret venerabilis abbas sancti Pauli *e*, qui postmodum extitit Cardinalis, de legatione quadam rediit, audivitque Patrem Sanctum inauditum ab Aquilanis fuisse regressum. Quod ægre ferens, prout vir devotissimus erat, zelans observantiam regularem, et illam prosequens indefesse, dominum Papam adiit, illum exorans, ut non permitteret labores tantos, qui fructum tandem grandem facerent, deperire.

miro modo

45 Dominus vero Papa totus voluntarius ad- *impetrat,*

hoc

A. ANONYMO.

hoc ipsum, resumens animum, præcepit iterum Patri quantocius Aquilam remeare, duos illi notabiles viros associans, qui tractarent cum civibus Aquilanis reformationis jam dictæ negotium, et cum plenitudine potestatis, quidquid esset agendum, cum beato Patre disponerent. Post varios ergo tractatus, in unam voluntatem Pater beatus, et cives convenere pariter : sicque monasterium ipsum beato Patri regendum totaliter commiserunt, providentes illis auctoritate Sedis Apostolicæ, qui nollent observantiam regularem sectari. Pater igitur sanctus accinxit fortitudine lumbos suos, patri suo beatissimo Cælestino conjunctus, manus extendens ad fortia.

ac monasterium idem

46. Religionis onus plus quam antea tolerans virtuose, cum omni re necessaria fratribus monasterium vacuum invenisset, laboravit cum suis fratribus *f* sustinens paupertatem : a falsis fratribus passus insidias, perpessus injurias, minis et irrisionibus impetitus. Accidit autem, ut, adveniente quadragesimali tempore, dum fratres illi conventuales, qui ficte cum patribus devotis remanserant, consilium pariter inissent, ut in scandalum populi, vituperium beati Patris et fratrum B suorum, qui pauci adhuc erant, repente simul abscederent, et ita remaneret ecclesia sine Missis. Quarta igitur Dominica sacri temporis, qua Lætare Jerusalem in ecclesia decantatur, exierunt : et, ecce, provisione divina septem fratres continuo de Francia cœnobium per ecclesiam intraverunt, receptique sunt a beato Patre, et populo Aquilano cum gaudio et exultatione, confusis malevolis et rejectis, ut monasterium ab indisciplinatis fratribus totaliter mundaretur; liberaque regularis observantia remaneret.

gubernandum

47 Senio igitur confectus Pater infatigabilis animi prorsus, nusquam vincendæ virtutis, suæ conversationis altius mensuram extendit, exercitiis durioribus macerans carnem suam, ac sui fortitudine spiritus infirmum corpus ad opus dirigens salutare. Nec dubium fuit, quin ejus precibus devotissimis illud cœnobium Christus reformari voluerit sanctissimi Cælestini meritis, in quo sacratissimum ejus corpus repausat, qui præcipuus Religionis Cælestinorum extitit institutor, et Aquilanæ civitatis protector indesinens coram Deo, quatenus in præsentia tanti confessoris degentes fideliter attenti, beatæ conversatio- C nis operibus Deo vivo et vero sub humilitatis habitu deservirent : et frequentius locus ipse, quem confessor almificus de plenariæ absolutionis indulgentia *g* coronatus illic *h* in summum Pontificem, principio suæ assumptionis ornaverat, adiretur.

admittit.

48 Voluit enim gloriosus confessor Petrus beatum patrem Johannem, quem præcipuum in omni suæ religionis observantia filium semper habuerat, sibi jungi, suumque mausoleum tanti filii gloriosa præsentia copiosius honorari, quem post præsentis vitæ decursum, post ingentes virtutum labores, post exercitia suæ Religionis et munia, ad æternæ vitæ perpetua gaudia sublevaretur : et ita Petrus et Johannes simul ad templum cæleste ascendentes, orarent pro filiis, quos exemplis eorum salutaribus ad perfectionis vitæ frugem, sub eorum magisterio dignentur eorum precibus et meritis promovere.

XIII. *Beatus fluxu ventris laborat :*

49 Noster igitur beatissimus pater et præclarissimus heres Johannes, cum præfato sacro cœnobio Collismadii anno uno circiter præfuisset, Italis fratribus atque Francis omni virtute præcipuus, exemplar conversationis perfectissimæ D fideliter exhibens, caritate plenus, et fraterna dilectione sincerus; divinæ providentiæ placuit tantum ac talem Virum ex hoc seculo nequam sustollere, quem gloria cælesti dignissimum, intuitu grandium meritorum, agnoverat. Octoginta igitur quinque agens annos a sua nativitate decursos, anno videlicet quinquagesimo quinto a Religionis Cælestinorum ingressu, vigilia diei Assumptionis beatæ Virginis Matris Mariæ, in matutinali præsens Officio, ventris fluxu corporeis viribus cœpit repente destitui : nec omisit, ut erat ferventissimus, quin illa festivitate divinis assisteret; Missam devotissime celebraret, et refectionem perciperet in conventu. Demum invalescente morbo decubuit, indicans fratribus, qui secum erant, debere in Christo se resolvi, psalmis, hymnis, et orationibus muniens finem suum.

fratres de sua infirmitate tristes

50 Quod cum intellexissent fratres, tanto pastore, tamque necessario de proximo fore privandos, ad eum unanimiter accesserunt, fusisque lacrymis copiosis dixerunt illi : Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum parvum falsi fratres, qui tamquam rapaces lupi super oviculas tuas E desævient : nec erit ulterius, qui furiæ resistat illorum : qui, dum sanus eras, callide nos ejicere tentaverunt. Necessarium igitur erit, ut abscedamus et demus locum iræ, nostramque patriam celeriter, priusquam eveniat nobis in scandalum, repetamus.

consolatur,

51 Quibus Pater sanctus placido vultu respondit : Ne timueritis, fratres mei, siquidem obedientia sancta, qua vos divinæ servituti obligastis feliciter, et omnem captivastis in obsequium Christi propriam voluntatem, ut huc ad opus tam sanctum et meritorium veniretis, conservabit vos inconcussos et illæsos : ut non sit qui exterreat, aut a loco sacri hujus cœnobii vos expellat. Sed etiam ne recesseritis caveatis, ut inceptum dimiseritis hujus sanctæ reformationis negotium : quoniam ego semper vobiscum ero propior mortuus, plusquam vivus. O vocem hominis constantis, bene de Deo suo fideliterque sperantis! acsi cum celeberrimo doctore Ambrosio tantus Pater dixisset : Non ita vixisse inter vos me recolo, ut pudeat vobiscum iterum remanere : neque timeo prorsus mori; cum bonum Dominum habeamus. F

XIV. *et piis monitis*

52 O nimis felix meritique celsi, decus et honor bene viventium, monachorum religiosissimus pater Johannes : qui dum, quo viveret, dilexisset suos, et ad omne opus bonum fideliter promovisset, in finem dilexit eos, quos in carissimos filios atque discipulos, cum peregrinatus in terris, in omni disciplina regulari frequenter instruxit, et ut proficerent jugiter in timore Dei religionisque observantia, dum esset sanus et incolumis, admonuit. Unde cum finem suum appropinquare quantocius cerneret, se modice subtiliari * *i* a lectulo fecit, sermonem devotissimum faciens præsentibus et futuris, præsentia tangens, futura prospiciens, docens fratres, et admonens illos, ut indesinenter vocationem suam attenderent, et, ad quod venissent, frequenter cogitarent, perficiendo sacris virtutum operibus religiosa vota, quæ coram sacris altaribus sua labia distinxerunt.

** f. subtelevari*

i

ad religiosam

53 Inculcavit etiam sæpius ut sanctæ regulæ, sub qua militabant, et constitutionem religionis, cujus habitum ferebant, ut Religiosos decet plurimum, mandata servarent, cærimoniasque non

præ-

A prætermitterent regulares, omnemque relaxationem fugerent in observantia regulari. Monuit insuper eos, ut ferventes essent et diligentes in opere Dei : charitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam sectarentur : ut unanimes uno ore unitatem spiritus in vinculo pacis amarent, quatenus dilatato corde sancti desiderii passibus, juxta quod ait pater noster Benedictus, succinctis castitate lumbis currant viam mandatorum Dei.

perfectionem adhortatur : 54 Pariter etiam instruxit illos cum vitiis et concupiscentiis pro viribus domesticum domare hostem, timoreque divino configere carnem suam, quatenus discerent conterere sathanam sub pedibus suis, cujus propter virtutum experientiam non ignorare deberent astutias : et ut scalam nostri legislatoris regularem conscenderent per incrementa virtutum, ut Dominum Jesum innixum scalæ, tandem in præmium consequi mererentur. Sed etiam cum tanto fervore, cum tanto zelo religionis, cum tanta sinceritate spiritus devotissimi alloquebatur fratres ejus lectulum ambientes, fideliter admonens, B ut amarissimo fletu et gemitu se continere non valerent. O vere doctor optime observantiæ regularis, gladio spiritus, quod est verbum Dei, corda penetrans filiorum. Nil umquam docuit, quod opere non fecerit : nec perfectionis iter cum disciplulis exigens dixerat illis : Ite, sed venite : ut hæc verba salutifera multum per omnem modum fidelissima sint et vera, quod debeant fratres in corde perfecto recondere, cum fuerint ultima, doctrinam Patris concludentia salutarem.

ANNOTATA.

a *Tomo* IV *Maii, die 19, pag. 536 sunt ista :* Vincentius Spinellus circa finem Vitæ a se compositæ dicit, sacra *ejus* ossa Aquilæ servari in capsa argentea inaurata, quæ mausoleo marmoreo insigniter laborato includitur. *De Sancti ejusdem ossibus Aquila Collismadium translatis, ac miraculis ibidem per illa patratis, agitur die ac tomo citatis pag. 436.*

b *De hoc monasterio Commentarius prævius § 1. His addi possunt, quæ citata mox pagina 436 dicuntur :* Facta est autem translatio corporis prædicti confessoris almifici sub anno Do- C mini millesimo trecensimo vigesimo septimo, die quinto decimo Februarii. Reconditum autem fuit honorifice in capsa ferrea, vallata seris fortissimis, in ecclesia S. Mariæ Collemadii de Aquila : quæ quidem ecclesia est de Ordine ejusdem clarissimi confessoris : quam etiam ecclesiam idem ipse Sanctus ante suum papatum construxerat, et in papatu existens absolutionis plenariæ indulgentia decoravit. *Quia autem postea de ista indulgentia recurret sermo satis frequens, appono hic sequentia apud nos in annotatis pag. 437 :* Ipsam bullam vide infra in supplemento *(pag. 519)* estque etiam edita ab Ughello in episcopis Aquilanis col. 426, et apud Raynaldum, *(ut licet videre ad annum 1294, num. 14)* sub die III Kal. Octobris in festo S. Michaelis. *Variis quoque eadem indulgentia miraculis confirmata fuit, punitis eam contemnentibus, aut dubiam facientibus ; sicut apud nos pagina 519, quam designabam modo, legi potest.*

c *Telera pag. 311 refert, ea de re anno 1418 cum Martino PP. V tractasse* Joannem, *quando e Francia Romam profectus est. Lege Commentarium prævium § 2.*

d *De Aquila consuli possunt dicta ibidem § 1.* A.

e Joannes de Messina *nomine, monachus Benedictinus S. Justinæ, arctissimo cum Beato amicitiæ vinculo constrictus, ex Telera pag. 313.*

f *Difficultatibus compositis, uti refert Telera pag. 314, Collismadium B. Pater rediit versus finem Martii anno 1444, monachis duobus Gallis sociatus, atque istius monasterii possessionem adiit. Bullæ ab Eugenio PP. IV ad finem a* B. Joanne, *nec non a P. D. Luca Romano, tunc temporis Priore monasterii Collismadiensis, intentum, teste Telera pag. 313, data fuit die 6 Martii anni ejusdem 1444, cujus exemplar originale conservari affirmat in abbatia Sulmonensi.*

g *De hac indulgentia egimus supra lit.* b. *Cœlestinus PP. V illam dedit anno primo sui Pontificatus, id est, anno Christi 1294.*

h *In bulla sua superius indicata lit.* b, *sic loquitur Cœlestinus :* Nos, qui in ipsius Sancti *(Joannis Baptistæ)* decollatione capitis, in ecclesia S. Mariæ de Colle-madio Aquilensi, Ordinis S. Benedicti, suscepimus diadematis impositum capiti nostro insigne.., cupimus venerabilius E honorari. Ut igitur ipsius Decollationis festivitas in d. ecclesia præcipuis extollatur honoribus.., omnes vere pœnitentes et confessos, qui a Vesperis ipsius festivitatis vigiliæ, usque ad Vesperas festivitatem immediate sequentes, ad præmissam ecclesiam accesserint annuatim, . . . absolvimus a culpa et pœna *etc.*

i *Ita etiam lego in Ms. Belfortiano, ac duobus Chiffletianis; sed in primo ex his duobus supra vocem istam ponitur linea, vocis ejusdem, uti suspicor, abbreviatæ signum. Cum igitur* subtiliari *non intelligam quidnam hic significare velit, aut possit; posui ad marginem, legendum fortasse* subterlevari.

CAPUT VI.

Insignium virorum ad Beatum accessus ; obitus ; corporis expositio ; panegyris ; exsequiæ ; sepultura. F

Proxime decessurum, et ad Creatorem, qui fecit eum, accessurum beatissimum Patrem episcopus *a*, Monterii comes *b*, ac domini Cameræ *c*, cum multis aliis civibus Aquilanis attendentes venerunt omnes charitative visitare illum, ac seipsos totamque recommittere civitatem, benedictionemque tanti Patris recipere. Quæsierunt igitur, ut benediceret eis. Quod facere Pater humilis humiliter recusavit, episcopum rogans, ut potius illi benedictionem suam daret, quod et fecit : petens etiam se ab eodem Patre benedici : quem maximi reputabat esse meriti apud Deum. Benedixit igitur episcopum atque cives, quorum nonnulli suos annulos aureos in ejus digitis causa sanctificationis ponebant : ex quorum contactu postmodum ab infirmitatibus suis plurimi sanitatis beneficium perceperunt. Flebant omnes, qui aderant, propter recessum ejus, ac pias lacrymas ab oculis ob carentiam tanti Patris devoti effundebant. Ipse vero

XV. invisitur ab episcopo Aquilano, et aliis. a b c

A. ANONYMO. vero semper elevatis oculis, tacitus Dominum exorabat, signaculo crucis se muniens, videns in occulto velaminis, quo tandem pro suis meritis deveniret.

et susceptis Ecclesiæ Sacramentis. *d*

56 Unde lætabatur mente sub silentio verba paterna voce resonans : O quantum sunt illi, qui sunt in paradiso, felices! Affuit et ille religiosus pater Johannes de Capestrano *d* prædicator egregius; qui prius viderat illum, et noverat qualis erat. Qui dum sanctum Patrem trahere ultimum spiritum inspexisset, dixit illi : Cognoscis me Pater, At ille : Cognoscant te angeli sancti Dei. Postmodum vero credens illum migrasse, clausit digitis suis oculos ejus : et Altissimo spiritum ejus commendavit. Erat quippe in extasi, horaque sub illa certis personis apparuit : qui postquam ad eum venissent, quem mortuum se crediderant invenire, vivum, sed trahentem ultimum spiritum invenerunt. Ad se ipsum quippe redierat, et morti proximans in solo pectore vitalis spiritus ejus palpitabat. Receptis igitur ecclesiasticis Sacramentis, stetit quietus, expectans devotissime finem suum. B

XVI. *placidissime*

57 Quoniam mortales cunctos Dominus in luce creavit, ut capiant meritis gaudia summa poli; mortalis hic beatissimus Pater intelligens proximum esse finem suum, mente sanus, perseverans cum Deo, sui dissolutionem corporis expectabat. Agonizans igitur coram filiis, volvere cœpit oculos suos, ac se totum in se colligere, manu dextra tenendo crucem, et candelam ceream sacrosanctam in altera, semper in corde psalmos et orationes devote submurmurans. Qui dum psalmum illum : Laudate Dominum in sanctis ejus, ore sibilotenus decantaret, die sancti Ludovici *e* Regis Francorum, cum in matutinali Officio, Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo cantaretur, felix illa anima migravit a corpore, sedes petens æthereas, cum vivis et dantibus honorem Deo, gaudia felicia perceptura. Et sic plenus dierum ab infimis transiit ad superos gloriosissimus Pater : qui dum viveret in humanis, tam fervens in opere divino extitit, tam devotus, tam sollicitus, omni virtute plenus, ut suo ævo, quo laboravit sub sole, nullus regulari sub observantia degens illi valeat comparari. C

obdormit in Domino.

58 Nec miraculis caruit ejus vita, qui mirabilis omni proficienti sub habitu sanctitatis semper fuit, et pro sanctitate nimia venerandus. Primum certe miraculum quod Sanctus dedit, ipse est : ut maximus sanctus erat, qui velatus carne humana, corpore simul et mente castissimus, vires transcendit corporeas, nil quod ad omnem sanctitatem et castimoniam atque pietatem, quæ ad omnia valet, omittens. O beata, terque beata mors! Nec verius dicenda mors plane, quæ securioris meliorisque vitæ noscitur esse principium : ut inceperit venerabilis Pater nasci, cum tabernaculum suæ carnis, mansiones Altissimi ingressus, reliquerit.

XVII. *Honorifice exponitur corpus.*

* *Chiffl. 1 edd. tanti ac*

59 Rationi consonum valde fuit, ut sacratissimum * tam beati hominis corpus, quod organum sancti Spiritus dudum extiterat, honore cum debito tractaretur, cui reverentiam sui filii atque disciplui sub fideli obsequio gratiosius exhiberent. Quod et devotissime peregerunt. Modo siquidem Religionis assueto, dum habitu sacro penitus fuisset vestitum; deposuerunt illud in grabato, moreque gentis Italicæ, vultum discooperuerunt, et processionaliter ab infirmaria discedentes ad ecclesiam detulerunt, D statuentes illum in medio ecclesiæ, quatenus a multitudine conveniente ad indulgentiam proximam *f* videretur.

et habetur oratio panegyrica : *f* *g*

60 Reverendus autem ille pater Johannes de Capistrano sermonem egregium de conversatione ejus, de sanctitate, de modestia, de virtute, coram plurimis *g* ducentis hominum milibus fecit, accipiens pro themate suo : Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes, actus ejus sanctissimos, et obitum illius gloriosum, particulariter et distincte, prout fuerat edoctus, et ipsum jam dudum agnoverat, patenter edisserens, et extollens illum summis laudibus justum, ut sanctum, utque Deo placentem coram multitudine populorum. Finito vero sermone, tantus populi concursus accessit ad feretrum, tamque violenter irrupit, ut fuerit custodia necessaria armatorum, ne sacrum corpus everterent : quod labore cum maximo in capellam sancti Johannis Baptistæ transtulerunt : videbaturque vultus ejus ab intuentibus gratiosus, quasi subridens, articulos manus habens flexibiles : ut non mortuus, sed dormiens crederetur. Multi debiles et infirmi illic curati sunt, ad corporis sacri tactum sanitati pristinæ restituti. E

XVIII. *concursus ad funus : B. Coleta*

61 Sacris etiam tanti Patris funeribus Aquilanos deesse fas non erat, qui sperarent ejus precibus et meritis æternæ salutis itinera se dirigi, cujus se, dum adhuc viveret, civitatemque suam devotis et humilibus petitionibus commendarent; non defuerunt plane; sed cum episcopo civitatis, totoque clero ac Religiosorum copiosa multitudine, tenentibus cereos accensos in manibus, convenit universus populus, egeruntque solemnes ac devotas exequias, ejusque manus et vestigia devotissime osculati sunt. Aspiciebant siquidem ejus faciem gloriosam tamquam faciem vivi hominis dormientis, et admirabantur satis, illam nullo pallore mortis infectam; ita ut in laudes sanctitatis ejus omnes prorumperent. Nec unum tacere debemus mirabile, quod ejus præbet testimonium sanctitati. Religiosa quædam devotissima, præstantissimæque virtutis, nomine Coletta *h*; cujus industria, sive conversationis merito, monasteria plurima Religiosarum pauperum sanctæ Claræ, cujus habitum ipsa, dum virgo foret, de manu Papæ Martini quinti *i* receperat, ædificata fuere : quibus etiam auctoritate Sedis Apostolicæ præfuit, et manutenuit in continua paupertate, juxta beati Francisci legislatoris earum observantiam conversans. Quæ, dum esset juvencula, virgoque purissima, tanto zelo devotionis incanduit, ut omnes Ambianensis civitatis incolæ mirarentur. F *h* *i*

Beati obitum absens cognoscit :

62 Hæc enim beatum Johannem, tunc Priorem monasterii Ambianensis, ordinis Cælestinorum frequenter adibat : a quo salutis monita percipiens, dietim proficiebat in gratia sanctitatis. Adhortari quippe non desinebat illam, ut in salutari virginitatis proposito remaneret, verbis, dum poterat, libellis, dum non poterat, ipsam erudiens. Hæc igitur ad tantam perfectionem devenit, ut reclusorium apud castrum Corbeiacum *k*, unde traxerat originem *l*, subintraret : ac demum, revelatione sibi facta divinitus seu cælitus, Romam adiret, summo Pontifici revelationem exponeret, et ab eo reciperet habitum, veluti protulimus, sanctitatis, ut virginibus sacris diffusis per Galliam, formam bene vivendi et conversandi præberet. Habebat *k l*

nam-

ANONYMO

A namque prophetiæ spiritum, cui multa secreta cælestia divinitus revelata fuere : cujusque vita admirabilis fuit valde, ut ejus finis etiam miraculis extiterit gloriosus. Dum ergo beatus Johannes Aquilæ spiritum Deo reddidisset ^e^ illa trans Alpes Ambianis in suo monasterio residens, spiritu cognovit recessum beati Patris a seculo, suis cum lætitia dicens et pluribus aliis : Hodie reverendus Pater meus spiritualis transivit de mundo : cui cives Aquilani devotas et solemnes exequias exhibent, vestigia ejus devotissime osculantes. Notaverunt autem diem, quo beata virgo Coletta revelaverat, obitum sancti Patris, et a fratribus ex Aquila redeuntibus, qui funeri ejus astiterant, hæc ita esse, velut beata virgo retulit, cognoverunt * : Sic sic, honore tali dignus est, quem Dominus voluerit honorare : ut in memoria digne vertatur hominum, qui ad gaudium transit angelorum.

** Belfort. et Chiffl.* 2 usquequaque verum esse compertum est : *Epilogus biographi.*

63 Sed et nos, dilectissimi fratres, quid acturi sumus, qui tam beato privati pastore manemus? familia tua remansit vidua, beate Johannes : B luxit et elanguit parvus grex in colle sacro, dum perdidit conductorem suum, veritus dispersionem, ne periculum a lupis vespertinis incurreret. Sed hanc fiduciam habemus ad Deum, ut, qui te, dum fores nobiscum feliciter, inspiravit dare securitatis responsum, ut ad cælum vadens, filios non derelinqueres tuos, firmissimam teneamus spem, jam effectualiter te, beatissime Pater, rediturum, quod nobis felicissimæ vitæ conscius, vivus et sanctus promiseris. Pium est utique, gloriosissime Pater, tuum flere recessum, qui gravissimus extitit in hoc seculo captioso versantibus, quorum director fores, pastor et rector sub monastica disciplina.

64 Pium est et gaudendum tibi, quia ereptus es de venantium laqueis, relicto pondere carnis. In infirmis lætus et jubilans tuus gloriosus spiritus adiit peradisum, in quo perpetuo Sanctorum animæ jocundantur. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit in occulis divinæ majestatis, reddere unicuique secundum opera sua : illud, inquam, gaudium dare Sanctis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; illis ab initio seculi præparatum. Hujus tanti Patris, qui tibi placuit merito C castitatis, et summa perfectione virtutis, Jesu bone, precibus et meritis, hanc conservare digneris familiam tuam, pro cujus eruditione tibi fideliter serviens laboravit, et a te grandia præmia recepit, inque supernis et regione vivorum ipsi feliciter nos conjungere. Amen.

ANNOTATA.

a *Apud Ughellum tomo 1 Italiæ sacræ, col. 436 editionis Romanæ, præfuisse cathedræ Aquilanæ tunc temporis memoratur* Amicus Agnifilus : *de quo ibidem plura legi possunt.*

b *Ita etiam eum vocant Ms. Belfort., et Chiffl. 2. Italice a Telera pag. 317 vocatur* il conte de Montorio.

c *Præter varias hujus vocis significatione apud Cangium, notatur ab eo accipi* pro fisco imperatoris vel regis. *Hic forte accipitur pro urbis primoribus vel magistratu. Telera pag. 317* il Magistrato.

d *Lege, quæ de illa præmisimus in Commentario § 1.*

e *Incidit quidem apud nos hic dies in 25 Augusti; sed quia in Italia tunc celebratur festum S. Bartholomæi Apostoli, ideo apud Collismadienses dilatus fuerit dies S. Ludovici in 26 ejusdem mensis. Suspicor accidisse ut, hac re non observata ponatur a Saussayo dies 25 Augusti nostro Beato emortualis, et a Ferrario annuntietur etiam tunc memoria ipsius. Vide inter Prætermissos apud nos eodem die 25. Hinc etiam contigerit fortasse, ut in Vita nostra Italica Ms.* B. Joannis *idem dies 25 notetur.*

f *De hac indulgentia a S. Cœlestino V concessa, consule Annotata ad cap. 5. Dicitur* proxima *(funeri* B. Joannis :) *quia, ut supra vidimus inter Annotata ad cap. 5, incipiebat a primis Vesperis festi Decollationis S. Joannis Baptistæ, id est die 28 Augusti.*

g *Hanc vocem confeci ex abbreviata* plimis. *At Ms. Belfortianum, et Chiffletianum 2 legunt :* Coram ducentis circiter hominum millibus. *Forte legendum* coram plurimis hominum millibus, *ut et concionator intelligi posset, et ecclesia eos capere. Telera pag. 319 cum propter exsequias Beati, tum propter indulgentias convenisse scribens ad ducenta millia personarum, addit, hanc rem, si non fuisset scripta* E *ab auctore hujus historiæ, qui ibidem præsens fuit, non esse creditu facilem. Sed unde scit, biographum, tunc ibi adfuisse? Et fac adfuisse; manet tamen difficultas modo proposita, quæ est in voce* coram.

h *Alias* Coleta; *de qua fuse a nobis actum est tomo* I *Martii, die 6, a pag. 532. Hic in proxime sequentibus differt in modo narrandi hoc Ms a Chiffletiano 1 : quod cum eodem post pauca denuo sic fere consonat :* Cujus industria sive conversationis merito multa monasteria Religiosarum sanctæ Claræ, cujus habitum de manu Papæ Martini quinti, dum virgo foret, receperat, ædificata fuere. *At post hæc incido ibidem in Beati miracula. Anteriora in dicto Ms. intercciderint, vel deperdita fuerint, ut merito suspicari licet.*

i *Tomo* I *Martii proxime citato in Annotatis ad cap.* V *Vitæ B. Coletæ pag. 550 lit.* b *sunt ista :* Erat hic Benedictus XII, dictus XIII, in longo schismate antipapa successor Clementis antipapæ, quem S. Vincentius Ferrerius, cujus infra num. 84 fit mentio, doctrina, sanctitate, et miraculis illustris defendebat. *Quomodo igitur hic in scenam prodit Martinus V PP.? Sed nodo huic non male adhiberi posse* F *videtur hic cuneus, dicendo, Beatam illam, accepto velo a Benedicto pseudo-pontifice, dum schisma grassaretur, illo soluto in concilio Constantiensi, et Martino V ad Petri cathedram erecto, ac pro legitimo ejusdem successore agnito ab Ecclesia universa, voluisse iterum ab eo velari, tamquam vero Pontifice, sicut observat Menardus ad Vitam* B. Joannis *pag. 667. Sedit autem ab anno 1417 usque ad 1431. Favet huic explicationi, quod laudata Beata a Martino PP. V acceperit anno 1426 facultatem erigendi aliquod monasterium intra diœceses in Belgio designatas; ut licet videre § 1 Commentarii ad ejus Acta, tomo citato, pag. 532.*

k Corbeiacum, *al.* Corbeia, *vulgo* Corbie, *sic describitur apud Baudrandum :* Urbecula Galliæ in Picardia provincia. . . ad Somonam fluvium, . . . quatuor leucis distat ab Ambiano in ortum, et 8 a Perona in occasum *etc.*

l Traxit et sumpsit originem in Corbeia in vico Calceye, *ut dicitur apud nos tomo antea designato, pag. 535.*

CAPUT

A ANONYMO.

CAPUT VII.

Varia miracula ad Beati sepulcrum facta; apparitio ejus.

XIX. *Matrem quamdam,* Fuit in civitate Aquilæ quædam Domina nobilis, nomine Margareta, relicta quondam nobilis viri Puchi de Camponischis: quæ de præfato marito suo unicum filium elegantis formæ, dominum Georgium strenuissimum militem et audacem susceperat. Georgius hic bonæ indolis adolescens, liberalis in omnes, et in omnibus gratiosus, ita placuit nobilibus et civibus Aquilanis, ut illum miro prosequerentur affectu. Verum dum partialis esset regum naturalium liliorum *, et ob eam causam rex Alfonsus *a* timeret eum, suspectus * de voluntate et potentia ejus; qua de re illum mortali odio prosequebatur: factumque est, ut præfatus juvenis iret Nursiam *b*, ut se cum multis aliis nobilibus hastiludio exerceret.

* i. e. Francorum

* i. e. suspicax

B

66 Optimam igitur occasionem rex juvenem perimendi nactus, jussu ipsius a matricianis *c* in redeundo crudeliter est occisus. Unde mater in tantum doluit, ut pene totaliter desperaret, miserabilesque voces daret, et de Deo conquereretur, qui suum unicum filium tam crudeliter interimi permisisset. In domo sua juvenis mater per annos quinque desolata remansit, mortem filius impatientissime ferens, ut nec per idem tempus ecclesiam frequentaret, nec ullam consolationem recipere vellet. Beatus vero Johannes audiens incommodum mulieris, lectulo suæ infirmitatis decubans, quæ sibi cum margaritis pretiosos adaptabat cibos, ut sanitatem reciperet; illi mandavit, ut ad instantes indulgentias deberet accedere. Quæ, licet invita, reverita tamen Patris beatissimi sanctitatem, ad indulgentiam Collismadii venit. Accessit igitur flens ad capsam, iisque verbis fuit eum coram multis assistentibus allocuta:

de occiso unico filio desperatissime tristem,

C

67 Sancte Pater, te viventem in carne non vidi, qua de re nimis doleo; jussionem tamen, qua me vivens obligaveras, adimplevi. Ecce igitur veni, tuæ sanctitati me committens, ut sis intercessor mihi propitius ante Deum. Quod cum dixisset, super feretrum causa devotionis accubuit; ac subito pulsus tres a quatuor feretri partibus, ad quas se transtulit, audivit: quos etiam præsentes tam viri, quam mulieres audierunt. Ex quibus admirata nimis, ita mente divinitus mutata est, ut non amplius de morte filii turbaretur, homicidas intactos relinquens, quos, si voluisset, simili talione puniri fecisset. Quibus ob amorem Dei, meritis sancti Patris, quidquid in eam perperam egerant, indulsit penitus; et eos in suam caritatem recepit. Unde liquido patet, quanti meriti fuerit ante Deum, qui suis precibus mentes hominum ad crudelitatem pronas totaliter immutavit.

liberat odio immortali contra cædis ejus auctores.

68 Reatina *d* quædam mulier, Massia nomine, dum sic membris esset contracta, quod vix se movere possit; de terra sua venit cum Zammettis *e* sive potenciis ad corpus venerabilis Patris, jacens per spatium aliquod sub grabato, in quo repositum erat sacrum corpus: quæ libera surrexit et sana; relictisque bajulorum adminiculis, læta suam repedavit ad domum. Attalacozo *f* quidam juvenis a nativitate mutus Collismadium venit, et coram frequentia populi tunc ad indulgentias venientis accessit ad sacratissimum beati Viri corpus, genuflectens ante illud humiliter et devote: confestimque in loquelam prorupit meritis hujus Sancti.

Contracta, mutus laborans tibiis, curantur: annulus tactus fit sospitator.

D

Tempore longo domina quædam patiebatur inflationem tibiarum, ut ambulare vix valeret: quæ dum cum devotione ac fide multis precibus accessit ad corpus sacratissimum, mox fuit sanitatis beneficium consequuta.

Ea die, qua jacebat Viri beatissimi corpus in ecclesiæ medio, ut ab omnibus videretur; quædam mulier posuit annulum suum in digitis sancti Patris: per cujus tactum sanantur febres, et infirmitates aliæ, ut ipsamet retulit: prout etiam dixerunt, qui tactu prædicti annuli sanati sunt.

69 Retulit alia quædam mulier habens filiam unicam longo malignorum spirituum turbatam tremore, ut etiam mater cum domesticis aliquando stare non auderent in domo. Rogavit igitur Dominum, ut meritis hujus Sancti sanaret ab hujusmodi infestatione filiam suam; quæ confestim sanata fuit. Sed cum iterum ad corpus beati Patris redisset; rogavit filia Deum, et Sanctum ipsum, quod, si data sanitas esset ad salutem filiæ, vivens perseveraret in ea: sin alias, moreretur: factumque est, ut, cum domum rediissent, infirmata continuo moreretur.

Infestatio malignorum spirituum sublata: Beati apparitio:

E

Johannes iste beatissimus pater dum esset in Avinionensi monasterio, maximam familiaritatem habuit cum illius loci suppriore Petro *g* nomine: cujus nihilominus sanctitas humano judicio perfectioni sancti Patris valeret quoad plurima comparari. Dum ergo transisset e mundo; confestim illi venerabili suppriori festivus apparuit, ac post multa gratiosa colloquia, vidente suppriore, transiit jocundus ad superos. Notaverunt igitur diem et horam, ac venerabilem Patrem cognovit, postmodum illo sub tempore feliciter hinc migrasse.

70 Beatissimus Pater noster Johannes in gratia locuples, surdis auditum, claudis gressum nedum exhibuit; sed etiam malignos effugavit spiritus suæ merito sanctitatis. Quidam enim homo de Piczulo *h* Aquilensis diœcesis, Brictius nomine, per decem annos a spiritibus immundis vexatus, dum accessisset, ubi sacrum corpus jacebat, liberatus est coram multis.

surdi, et claudi sospitati: mirum ejus

F

Erat quædam alia domina de Reate, Bonaventura nomine, per unum annum a spiritu maligno vexata: quæ dum cum devotione ad sacrum corpus accessisset, confestim liberata est, et ab infestatione dæmonum totaliter quieta.

71 Referunt, qui viderunt, aliam dominam de Monte Regali *i* nomine Katherinam, vexatam a dæmone per medium annum fuisse: quæ cum accessisset ad sepulchrum Patris cum devotione maxima, liberata fuit coram multis.

adversus dæmones patrocinium.

Taceri non valuit sanctitas viri Dei, quin per signa gloriosaque miracula monstraretur. Quædam alia, nempe domina Nella nomine, quinque mensibus a quinque spiritus manifeste vexata, meritis sancti Patris, Dei gratia liberata fuit, præsentibus patre, matre, viroque suo, multis quoque simul astantibus aliis, qui tantum viderunt miraculum, et Deum in Sancto suo magnis vocibus laudaverunt. Alia quædam mulier de abbatia sancti Salvatoris *k*, Johanna nomine,

A ne, per unum annum extitit a spiritu nequam vexata : quæ dum accessisset ad beati Johannis corpus cum devotione et fide, sanata est.

discordes pacificati. ac varii infirmi sanati.

72 Verus fraternæ caritatis amator semper extitit beatus Johannes : unde cum maritus cujusdam mulieris ad tantam discordiam cum suo cognato venisset, ut, acceptis armis, mutuo se vellent occidere; mulier ipsa cum lacrymis Dominum oravit, ut per merita sancti patris Johannis a periculo mortis illos eriperet, et reduceret ad concordiam atque pacem : quod et factum est, ut petivit *.

* *Belfort. et Chiffl.* 2 quod non sine multorum admiratione factum est.

Longe lateque beati Johannis fama percrebuit, ut omnes ejus benedictionem perciperent. Unde quædam mulier de castro Rigufredi *l*, Reatinæ diœcesis, per annos sexdecim in manibus sic erat contracta, ut cum * difficultate comedere posset, et manum ad os porrigere. Facto igitur ad Sanctum voto, tacta etiam capsa, ubi sacrum corpus jacebat *, sana liberaque ad propria est reversa.

* *Belfort. et Chiffl.* 2 *add.* magna

* *Belf. et Chiffl.* 2 sacri ejus corporis

Domina quædam ex Aquila, uxor Antonutii pectinarii *m*, Katherina nomine, dum esset in tibiis B et cruribus debilitata valde, et ambulare vix posset; cum devotione beati Viri corpus deosculans, sana repedavit ad domum.

cæcus, infirma, vexata a dæmone sospitati;

73 Johannes quidam de Castro Murronis *n* dum in quoddam castanetum ad incidenda ligna die quadam intrasset, casu contigit unam spinam ejus oculum occupare : unde totaliter perdidit visum. Qui subito cum magna devotione promisit ad sepulchrum beati Viri cum candela venire : quod et fecit, statimque sanus et incolumis recessit.

Die tertia Novembris, obitum sancti Patris sequentis, quædam mulier de Aquila, Petruria nomine, uxor Marini de Picha, dum per quatuor menses infirma sic esset, ut de lectulo surgere non valeret; ad Viri beati corpus se portari fecit, seque eidem recommendavit humiliter et devote : unde meritis hujus Sancti sana recessit et libera.

Erat quædam puella sexdecim annorum de comitatu Reatino, Sancta nomine : quæ dum tam crudeliter a maligno spiritu vexata fuisset, ut mirabiliter tremeret, et tam horribiliter ejularet, ut domum, in qua morabatur, totum etiam castrum C verteret in stuporem : duxerunt igitur eam pater et mater, aliique ejus consanguinei ligatam ad corpus beati Johannis, et subito factam sanam ac liberam ad propria reduxerunt.

infirma alia, uti et surda.

74 Alia quædam vidua de Paganita *o*, dum in corde et stomacho per tempus infirmaretur graviter usque ad mortem; audita fama sancti Viri, devotione, qua potuit, recommendavit se tanto Patri, deferre promittens eidem unum cor de cera. Quæ gratia Dei, meritis hujus Sancti, fuit totaliter liberata.

Mulier quædam de civitate Regali *p*, Philippa nomine, cum per annos quatuor surda fuisset, dolorem etiam capitis pateretur; audita fama sancti Viri, cum magna devotione perrexit ad sepulchrum ejus, ac confestim fuit a præfatis infirmitatibus omnimode liberata.

ANNOTATA.

a *Alphonsus rex Neapolitanus, hujus nominis primus, mortuo patre suo Ferdinando, Aragoniæ et Siciliæ rex, a Joanna regina Neapolitana in filium ac regnum adoptatus fuit; ac deinde per eam ab hac dignitate amotus, quam transtulit in Renatum Andegavensem. Hinc intelligi potest, quomodo Alphonsus esset affectus in Renatum, contra quem bella gessit, et Neapolim recuperavit; quomodo in Francos, atque adeo adversus Georgium, de quo hic biographus, Gallis, uti indicat, faventem. Thomas Fazellus de Rebus Siculis lib. 9 posterioris decadis, cap. 9, gesta Alphonsi contra Renatum describit, uti et alia, quæ ad Alphonsum pertinent, mortem ejus innectens anno 1458 : ad quem annum Henricus Spondanus, Baronii continuator, tom. 2, num. 4, virtutes ejus ac vitia commemorat, aliosque assignat auctores, qui de ipso scripserint. De Renato autem agitur locis variis in ejusdem indice assignatis.* A. ANONYMO.

b Mursia, *urbs parva ditionis Ecclesiæ in Umbria, et patria celeberrimi abbatis S. Benedicti, medio fere intervallo sita est inter Aquilam ad ortum, et Spoletum ad occasum, ex Baudrando.*

c *Quid sibi velit hæc vox non satis assequor; nisi suspicari liceat, eam accipi pro* Neapolitanis : *nam cum Neapolis sit regni istius* matrix *seu metropolis; suspicio non videtur improbabilis.* E

d Reate, *Rieti Italice, urbs episcopalis in Umbria est. Distat vero ab Aquilana civitate, sicut Telera indicat pag. 325, unius diei itinere.*

e Zammettis, sive potenciis *id est fulcris subalaribus.*

f *Telera pag. 325 scribit Italice* da Tagliacozzo, *id est,* ex *Tagliacozzo; additque territorium esse non longe distans ab Aquila.*

g *Fuisse hunc quidem ex Ordine Cœlestinorum, indicat Telera pag. 322; sed non inveniri cognomen vel patriam ejus scripta.*

h *Mss. duo* Piczuclo; *minus, ut opinor, recte : quia Telera pag. 326 scribit* Pizzoli : *quod sic etiam expressum invenio in mappa Aprutii Citerioris et Ulterioris apud Blavium.*

i *Vulgo* Monreale, *Telera pag. 326* Montereale; *urbs est Siciliæ parva admodum; sed archiepiscopalis prope Panormum.*

k Abbatia tit. S. Salvatoris de Aqua Pagana, et vulgo corrupte de Aqua Copana, Ordinis Camaldulensis, et diœcesis olim Camerinensis, nunc diœcesis Spoletinæ, *notatur apud Lubinum supra citatum, quem vide pag. 20. An autem abbatia ista sit, de qua hic, an alia synonyma, non certo nobis constat.* F

l *Ulteriorem hujus loci situm relinquo definiendum hujus diœceseos incolis; quem operosius inquirere, non est operæ pretium.*

m *In Italico Teleræ pag. 327 scribitur* moglie, *quod sumitur pro* muliere *et* domina. *Hic autem accipiendum videtur in priore significatione, quia additur nomen* pectinarii, *Italice* pettinaro, *quod significat eum, qui pectines facit.* Antonutius *vero est nomen diminutivum, ut vocant, ex* Antonio, *quod habet Telera citatus.*

n *Telera pag. 328* della terra del Morrone. *Est Mons Murronis in agro Sulmonensi, et Aprutio Citeriore, habitatio Petri de Murrone, postea vocati S. Cœlestini V.*

o *Telera pag. 329* de Paganica; *in mappa item Blaviana, quam citabam modo lit.* h, Paganica *etiam scribitur.*

p Civitareale *ad milliaria circiter 16 ab Aquila in monte Apennino notatur in mox dicta mappa.*

A ANONYMO.

CAPUT VIII.

Alia Beati miracula memorantur.

Multis et immedicabilibus vulneribus laborantem,

Benedictus Deus in donis, et sanctus in omnibus operibus suis! Beatissimum Patrem glorificavit in conspectu plebis, ut illum mirabilis fuisse sanctitatis ostenderet statibus diversis fidelium; clericis, laicis, et Religiosis gratiæ suæ dona, quibus Vir beatus illi placuerat, manifestans. Erat quidam religiosus eremita, Anthonius nomine, ex civibus Aquilæ oriundus, qui postmodum Religionem Cælestinorum senex et grandævus intravit. Hic dum per decem et octo annos inter scapulas plagas sexdecim incurabiles habuisset, ex quibus fœtor intolerabilis exibat, ut illius infirmitati nulli linei panni sufficerent ad plagas illas seu fistulas detergendas; facto voto beatissimo Patri, statim sanus est effectus penitus,
B ut nusquam de cætero prædictum dolorem sentiret. Qui laudabiliter in observantia perseveravit usque ad mortem in dicto monasterio de Collismadio.

alterum a frigiditate cerebri curat. a

76 In monasterio sanctæ Trinitatis de Meduntа *a*, Rothomagensis diœcesis, fuit quidam Religiosus juvenis Ambianensis, frater Michael nomine : qui tantam patiebatur frigiditatem cerebri, ut aliquoties stans in choro cum fratribus caderet subito, nec tamen alienaretur a mente. Qua de re sibimetipsi plurimum gravis erat. Audiens vero sanctissimi Patris obitum esse miraculis gloriosum, se totum ad orationem contulit, ut a tali sanaretur incommodo, quatenus valeret, ut ceteri, pensum divinæ servitutis exsolvere, nec esse oneri monasterio; sed officia solita, quemadmodum ceteri fratres, fortis exhibere et alacer. Die igitur quadam dum præsentiret incommodum solitum advenire, beatissimum exoravit Patrem, ut ipsius precibus et meritis liberaretur ab instanti morbo,
b guantum *b* quemdam, sibi datum a Priore domus, capiti supponens, qui fuerat sancti Patris : factumque est, ut ex illa hora liberaretur penitus ab infirmitate tam grandi : quam nullus alius medicus, per ante consultus frequenter, sanare
C valuerat.

Mulierem a sterilitate. c d

77 Antequam vero Pater sanctus ad Italiam properasset, dum esset provincialis Franciæ, contigit, ut per Beniense *c* in Burgundia castrum maximum, ut sit altera civitas Lugdunensis *d*, transiret. Qui dum se in hospitium recepisset, ac jejunus devenisset; illuc venit ad eum mulier honestissima de primoribus castri, secum ducens servitrices suas, comestibilia quædam, ut sanctum honoraret Patrem, quærendæ benedictionis obtentu deferentes. Colloquium igitur cum venerabili Patre habuit : necessitatem suam sibi exposuit, et, cum foret sterilis, petiit humiliter, ne fructu matrimonii privaretur. Compatiens ergo mulieri Pater sanctus, Dominum exoravit, fratresque suos, ut similiter orarent, permovit, et ipsa mulier, quod petierat, impetravit.

alteram spiritu blasphemiæ liberat: e

78 Nobilissima quædam fuit in Avinione *e* domina, quæ mirabiliter a blasphemiæ spiritu tentabatur, ita ut nefandissima ex iis, quæ sub fide nostra cadunt, et horribilissima cogitaret : doleret tamen, se tali tantaque tentatione pulsari. Quæ dum suum capellanum ad Virum sanctum, tunc viventem, et in Avinione stantem D
misisset; post aliorum Religiosorum consilia varia, Pater sanctus illi panem a se benedictum transmisit, monens, ut non curaret, nec adverteret suggestiones dæmonum : sed quod in mente cum deliberata ratione sentiret, id crederet, minime curans latratus canum, sed viam prosequens salutarem : quod et fecit, et omnino liberatam se ab illa periculosa tentatione sensit.

mortuum ad vitam revocat triduanum : f

79 In Marchia Anconitana *f* quidam vir devotus extitit : qui dum ab indulgentia Collismadii rediisset ad propria, sanctitatemque sancti Patris audisset, mortuo filio suo, tresque dies agenti sub funere, totum se ad beatissimum Patrem exorandum, ut idem resuscitaretur filius, recollegit. Oravit Sanctum cum lacrymis, ut ejus meritis filius mortuus vivus restitueretur eidem. Quod et factum est : filius equidem vivus ei redditus est : quem postmodum gratiarum actiones redditurus Patri beatissimo præsentavit.

alius a tremore corporis;

80 Sancti Viri fructuosa nimis fuit oratio, dum ageret in humanis. Unde quidam Religionis ejus supprior, dum ex itinere quodam nimis fuisset E
calefactus, atque magnum iter, unde gravatus fuit, plurimum pedes ambulans confecisset; ad monasterium rediens, usus frigidis valde cibis, nocte sequenti corde ac cerebro læsus tremere cœpit, ac de majore periculo dubitare. Qui dum adminicula diversorum medicorum petiisset, nihilque penes eum valeret industria, beatissimum Patrem adiit, seque recommittens orationibus ejus, nullum deinceps incurrit periculum meritis ipsius.

alius ab infirmitate oculorum fiunt incolumes.

81 Felix in gloria sanctus Pater Johannes regnare cum Domino signis et prodigiis exhibitis in terris monstravit. Unde civis quidam Aquilanus, dum gravissima suorum oculorum infirmitate valde nimis doleret; emisit votum, ut, si meritis beati Johannis servaretur, oculos argenteos sacro suo corpori præsentaret. Qui dum continuo sanatus esset, dubitare cœpit, ne non miraculose sanitati fuisset pristinæ restitutus; sed hoc evenisset a casu. Dum autem hoc in mente revolveret, infirmitas iterum ipsum corripuit : et ita cum grandi compunctione perficere votum promisit, indulgeri sibi postulans, et suffragium elargiri : qui statim perfecte liberatus est.

F

ANNOTATA.

a *De ea superius inter Annotata ad cap. 4, lit.* a.

b Guantus, *Italice* guanto, *Gallice* gant, *est chirotheca. Telera ponit pag. 331* un panno, *id est,* pannus.

c *Suspicor legendum* Belnense, *tamquam proxime accedens ad* Beniense; *ac perperam scribi hunc locum in tribus aliis apographis nostris. Hinc non arridet notula marginalis apud Menardum in Martyrologio Benedictino; ubi in Observationibus ad illud lib. 2, pag. 675, apponitur* f. Divionense : *quod mihi videtur contortum. Est autem* Belna *oppidum alias* Galliæ Celticæ D. Gregorio Turonensi, nunc urbs Burgundiæ Ducatus in Gallia, Beaune vulgo dicta incolis, Bone Italis, estque ampla et culta in Divionensi tractu, seu in Burgundia propria, et vino suo celebratur, 4 leucis distans ab Arari fluvio in Occasum, et 6 a Cabillone in Boream, Divionem versus 9. Dicitur etiam Belnum in actis mediæ ætatis, et ab ea tractus adjacens,

Bel-

A Belnensis aliquando vocatur, *ut scribit Baudrandus.*

d Lugdunum *Celtarum, vel Segusianorum, antiquitate, populi frequentia, et emporio clarissima, ac satis nota urbs, vulgo* Lion. *Plura geographi. An vero hæc comparatio biographi auxesim non contineat, aliis relinquo considerandum.*

e Avenio, *incolis Avignon, urbs est in Provincia Galliæ, sub dominio summi Pontificis, et aliquorum Pontificum sedes.*

f Marchia Anconitana. *De hac Italiæ provincia egimus ad hunc diem* XXVI *Augusti, pag. 840.*

CAPUT IX.

Corpus B. Joannis viva calce coopertum, post annos octodecim incorruptum; prodigia; veneratio publica; epitaphium.

B

XX. *Collismadienses, ne corpus male oleret, veriti, calce illud cooperiunt;*

Cum itaque repositum foret in capsa lignea sacrum corpus, superque parvum altare Baptistæ Christi, quod est ad dextrum latus capellæ beati Johannis, Baptistæ, collocatum; fratres dubitare cœperunt, ne malus odor ex ejus corpore, in scandalum transeuntium, exhalaret. Qua de re capsam aperuerunt, calce viva beati Viri corpus cooperientes, illuc, ubi jacebat, reposuerunt. Maluissent enim sanctum Patrem cum ceteris patribus et fratribus juxta morem Ordinis sepelire : sed hoc facere civium jussu prohibiti, cum reverentia pannis opertum sericis, in loco disposito statuerunt. Ad quod devotissime plurimi venientes, a diversis infirmitatibus fuere totaliter liberati ad famam et gloriam Sancti hujus.

quod post annos 18, reserata iterum capsa, integrum reperitur.

83 Isto modo per decem et octo annos quievit, venientibus annuatim die sui obitus dominis Cameræ cum civibus Aquilanis, duosque cereos ante capsam sacri corporis offerentibus, et illic audientibus Missam. Tandem cum aliqui cives publice mussitarent, Francos Collismadii patres velle in Franciam transferre sacrum corpus; dum illis id falso imponerent, moti suspicione hac, capsam in sacristiam transtulerunt. C Quam aperientes reverenter, sacrum corpus integrum repererunt. Unde valde gavisi dominos Cameræ vocaverunt, et alios multos cives, qui viderunt beatissimum Patrem illic repositum : ubi fratres illum a die sui obitus statuerunt, magnificantes Deum, qui signum integritatis corporis in sancto Patre virgine demonstravit.

et magna cum pietate honoratur.

84 Accurrit etiam totus populus Aquilanus, et cum devotione maxima, sancti Patris venerabile corpus suppliciter adorantes : factumque est, ut indulgentiarum tempore omni populo adventanti tantum prodigium monstrarent; ac mirarentur omnes, glorificantes Altissimum, sperantes, se meritis tanti Patris dona gratiarum posse consequi, voto et spe devotissimis penes Deum.

XXI. *Oblatus ad officium suum ineptus* a b

85 Hujus beatissimi Patris meritis sub ipsius revelatione corporis, mirabilia sunt ostensa. Siquidem Oblatus *a* quidam Burgundus ex castro Tornusii *b*, nomine Johannes, de Francia missus Collemadium venit; et illic in sibi commissis ministeriis fuit laudabiliter conversatus. Accidit autem, ut aliquod opus agens gravissimum rumperetur, debiliareturque plurimum, nec, ut erat solitus, aptus esset ad opera monasterii, quibus obligantur illius status homines, exequenda. A. ANONYMO.

ex hernia, valetudinem recuperat :

86 Verum cum devotus esset, accessit ad corpus beatissimi Patris tunc temporis discoopertum, pia querimonia suam allegans impossibilitatem in sibi commisso ministerio monasterii janitoris, quod quidem gravissimum est, ministrare : petens nihilominus gratiam, ut ipsius meritis liberaretur ab illa gravedine, quatenus liberius obedientiæ deserviret. Fusa igitur prece, confestim redditus est sanus atque incolumis, ut lætus et alacer injunctum opus liberatus omnino perficeret.

juvenis quidam Aquilanus

87 Omnis ætas gratiam sanitatis, meritis hujus gloriosi Patris percepit : quoniam ejus fama diffundebatur in omnes. Extranei quoque, finitimique simul ejus mausoleum cum devotione maxima visitabant, exolventes vota pia, commoditatis antidota reportantes. Inter quos erat quidam juvenis Aquilanus, viribus corporis destitutus; qui dum ad balnea, causa procurandæ salutis, ivisset, et illic se crederet plenariam consequi sanitatem; sic membrorum officio fuit totaliter destitutus, ut lecto decubans nullo modo sine magno dolore movere se posset, adjutus nihilominus auxiliis alienis, passus etiam dolores continuos. E

a magna corporis debilitate curatur; c

88 Dum autem parentem *c* quamdam haberet, quæ de visitatione beati Patris nuper revelati domum rediens, ipsum, mota caritatis intuitu, visitaret, consuluit devota mulier juveni, ut beato Patri votum peregrinationis emitteret, quatenus ipsius meritis a doloribus tantis, et invaletudine tam immensa liber esset, et sanitati pristinæ redderetur. Quod et fecit; et ita continuo beneficium sanitatis recepit, de lecto protinus exiliens, et sacrum corpus nullius adminiculo visitans, reddensque toto corde debitas gratiarum actiones.

ac mulier a spiritu immundo : d e

89 Contadina *d* quædam mulier Aquilana dum ab immundo spiritu graviter vexaretur; ad sanctum Bernardinum *e*, ut servaretur, adducta est. Quem Sanctus honorem deferens huic beatissimo Patri, sanare noluit, cum hoc, et etiam majus, suis meritis facere potuisset. Perducta igitur ad corpus Viri Dei, sana surrexit continuo, nec de cetero illam malignus spiritus invasit. F

alia ab apparente sibi Beato fit certior de salute filii.

90 Dum comes Manerii quadam die reverteretur a nuptiis, quemdam juvenem sibi obvium, permotus ira, laqueo propria manu suspendit. Qua de re mater nimium dolens, plures Missas cantari fecit, scire cupiens, an filius suus, sicut dicebat, innocenter occisus, esset in via salutis, et cum divina gratia transmeasset. Cum autem videret, nil sibi super eodem facto cælitus revelari; corpus beatissimi Johannis audiens noviter extractum, Collemadium venit : ad beatum Johannem preces fudit, ut de statu filii, qualis esset post necem corporis, certa foret. In somnis igitur illi beatus Johannes apparuit, eam certificans, quoniam in purgatorio suam pœnitentiam faceret, atque tandem ad gloriam transmigraret. Unde mulier confortata nimis, occisoribus filii totaliter immutata pepercit, et beati Viri meritis consolata remansit.

oculis laborans, et clauda Beati ope convalescunt.

91 Domina quædam Aquilana sic gravabatur in oculis, ut ex eis parum quid videret. Dum igitur venisset ad revelatum sacrum corpus, dedit

A. Anonymo.

dit sacristæ pannicellum lineum, ut superinduceret corpori Viri sancti. Quod cum fecisset, et illi mulieri pannicellum restituisset; illa cum devotione suos oculos ab eo tersit : clarissime vidit, et coram astantibus plurimis se visum recepisse totaliter acclamavit.

Die sacri obitus ejus dum processionaliter circumduceretur corpus beati Patris, multis civibus Aquilanis præsentibus cum fratre Johanne de Capestrano; venit quædam mulier clauda; quæ tangens feretrum Viri sancti, continuo extitit liberata *f*.

EPITAPHIUM SUPER EJUS SEPULCHRUM.

Hoc in mausoleo, Bassandi sancte Johannes,
Clauderis, in requie per secula cuncta beatus.
Ex Bisuntina tanti Patris extat origo.
De Francis Aquilam properavit corde volenti,
Eugenii quarti de mandato speciali :
Ut Collismadius foret * commansio sancta. (* f. fieret)
Consummans stadium, Cælestinum sibi patris * (* l. patrem)
B Adjungi quærit, gliscens requiescere secum :
Ut quorum fuerat mens una, foret locus unus.
Octo bis lustris plenus requievit in ævum,
Anno milleno centum quater et quadrageno,
His jungens quinque, Septembris septque Kalendas.
Te, Pater, oramus nos cernas ac benedicas,
Et serves Aquilam, quæ tibi grata fuit.

D

ANNOTATA.

a *Telera pag. 336 :* Un Oblabo del nostro Ordine, *id est,* Quidam Oblatus nostri Ordinis. *Per nomen* Oblatus *intelligo hic significari unum e laicis adjutoribus, quales sunt in monasteriis, ad opera mechanica, vel alia inferioris ordinis, quam peragant monachi sacerdotes, exsequenda. Porro de Oblatis multa collegit Cangius in Glossario.*

b *Latine vocatur* Trenorchium, *olim* Tinurtium : *oppidum est in Burgundiæ ducatu, et Matisconensi tractu, sicut notat Baudrandus. De variis nominum hujus loci efformationibus etc. Consuli potest Hadrianus Valesius.*

c *Id est,* consanguineam, *Italice* parente.

d *Telera pag. 337 habet :* Del contado dell' Aquila. *Quod sic interpretor :* Conterranea Aquilæ, *vel* e territorio Aquilano rustica.

e *Acta hujus Sancti illustravimus tomo* v *Maii, die 20, a pag. 257 *. Obiit Aquilæ anno 1444, ibidem miraculis mox ab obitu clarus.*

f *In Ms. Parisiensi, quod hic damus, sequitur post Vitam hæc clausula :* Explicit Vita beati Johannis Bassandi, Ordinis Fratrum Cælestinorum : cujus sanctum corpus requiescit in venerabili monasterio beatæ Mariæ de Collemadio prope Aquilam : Ad cujus sepulchrum multa fiunt miracula. *Et mox subnectitur Beati epitaphium, eodem titulo prænotatum, quod illud et nos modo excudi curavimus : sequunturque alia, quibus usus sum in Commentario § 1.* E

DE SANCTA ROSA VIRGINE

EX TERTIO ORDINE S. DOMINICI

LIMÆ IN PERUVIA, AMERICÆ PROVINCIA

G. C.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

F

§ I. Publica fama de felici hujus Virginis obitu mox in Europam delata, et authenticis insignium virorum testimoniis confirmata.

Anno MDCXVII. *Sanctissima B. Rosæ mors annuntiatur Romano Pontifici :*

Non diu post obitum hujus Virginis, qui anno Christi 1617 contigit, communis opinio de sanctitate ejus ex America in Europam transiit, et ubique divulgari cœpit, dum præsertim religiosi Ordines aliique illustres Americæ habitatores suam de hac eximia Virgine existimationem Pontifici Romano declararunt. Antonius Gonzalez de Acuna Dominicanus, de quo postea inter præcipuos Actorum scriptores agemus, illa testium vicinorum elogia in Latino Vitæ compendio, quod anno 1672 Romæ post septem priores editiones iterum typis vulgatum est, cap. 20 generaliter indicat his verbis : Non tantum sacra divi Dominici familia, litteris communi nomine datis, sanctam illam, admirabilem, clarissimis illustrem miraculis, et prophetico spiritu, inque omnibus divæ Catharinæ Senensi supparem dicit; sed et Limense cœnobium Patrum sanctæ Mariæ de Mercede, et Nicolaus Mastrillus Duran Provincialis Societatis Jesu communibus suorum votis, et sacer Ordo beati Joannis Dei, et Patrum Eremitarum sancti Augustini, et Minorum sancti Francisci, et ecclesiæ metropolitanæ Limensis nomine datæ litteræ summum Pontificem infimis precibus exorant, ut in Sanctos referat Rosam, et tutelarem Limæ concedat; ejus virtutes enumerant, ac notissimam sanctitatem, et admiranda prodigia. *Sed juverit hæc testimonia distinctius audire et excerpere ex ipsis litterarum fragmentis, quæ Seraphinus Bertolinus, inter biographos infra denuo memorandus, in Italica Sanctæ Vita, cap. 32 Latine exhibet, ac diverso charactere distinguit.*

2 *Eo ipso anno, quo S. Rosa Limæ ad Su-* *in comitiis*

peros

A *peros migravit, PP. Prædicatores provinciæ Peruanæ ad Ordinis sui comitia convenerunt, et in urbe Limana congregati de felici hujus Virginis obitu Fratres absentes ita monuerunt :* Denuntiamus, admirabilem quamdam Sororem nostram obiisse... Habitu tertii Ordinis nostri assumpto, ejus institutum, in domo paterna manens, et regulæ ac sancti Patris nostri Dominici constitutionibus inhærens, observavit, ut omnibus alia Catharina Senensis (quam ab ineunte ætate totis viribus imitari conabatur) in hoc terrarum orbe degens videretur. Orta fuit celebris hæc Virgo piis parentibus Limæ anno Domini MDLXXXVI, a quibus religiose educata, et maxime a divino Sponso ita illuminata, ut quintum annum agens ad perfectionis culmen assiduis jejuniis ac pœnitentiæ asperitate pertingere conaretur. Pertigit ergo mirabili abstinentia, pœnitentiaque insigni. Pro lectulo, equuleo variis testulis intertexto utebatur, argenteam coronam ad modum spineæ coronæ capiti circumpositam habebat; ferrea catena usque ad sanguinis effusionem corpus singulis noctibus crudeliter B affligebat. Patientia incredibili, humilitate rara, puritate tam animæ quam corporis fuit insignis.

FF. Prædicatorum egregie laudatur.

3 Divinis revelationibus admirabilis, orationi ac contemplationi semetipsam dedit, ut ad vitam unitivam summa cum animi tranquillitate et omnium admiratione pervenerit; ad cujus orationis exercitium eam per multum temporis sacra Deipara virgo singulis noctibus excitavit. Prædita fuit spiritu prophetico, quo multa futura prædixit, ac tandem ceteris virtutum generibus insignita, præclara sanctitatis suæ relinquens exempla, feliciter in eadem civitate obdormivit in Domino die XXIV Augusti. Humata est in hoc nostro Conventu ejusdem Limensis civitatis in Capitulo Fratrum. Adfuit illustrissimus archiepiscopus Limensis et illustrissimus episcopus de Guatimala, cœtusque cathedralis et secularis propriis humeris feretrum sanctissimæ istius Virginis magna animi devotione portantes; cujus purissimum corpus præ multitudine gentis, languentiumque omnium incredibili et inaudito affectu, illud tangere ac deosculari desiderantium, biduo insepultum remansit, et clarissimis miraculis illustratum. *Anno sequente, nimirum Christi 1618, comitia generalia ejusdem Ordinis celebrata sunt Ulyssipone in Lusitania, ubi PP.* C *Domicani congregati merito declararunt, hanc Virginem fuisse perfectam S. Catharinæ Senensis imitatricem.*

nec non ab aliis Ordinibus

4 *Neque solum PP. Dominicani tantam de Sorore sua conceperant opinionem sanctitatis, sed etiam alterius instituti vel professionis Ordines. inter quos Limanus Conventus Religiosorum sanctæ Mariæ de Mercede captivorum, datis ad Urbanum VIII Pontificem litteris, eamdem Virginem ornant his laudibus :* Rosam auream Sanctitatis vestræ manibus immittit quarta Dominica Quadragesimæ; iisdem hodie divus Dominicus Rosam pariter immittit auream, quæ ut auro cælesti abundavit, post aurum terrestre non abiit, fecitque mirabilia in vita sua. Hanc suo rosario implantavit Deipara promovendo eam ad gloriosum habitum Prædicatorum, in quo admiranda suorum heroicorum operum mysteria ipsam-met in rosetum apte transformarunt, et (ut de Eugenio dixit Cassiodorus) gerebat nomine, quam possidebat meritis dignitatem; sicque (ut in beata Agnete quondam mirabatur Ambrosius) ejus ne nomen quidem vacuum est luce laudis. Sic totus hic novus orbis sentit de benedicta virgine Rosa, cui (quod terra non potuit) cæli dedere nomen ROSA DE SANCTA MARIA. Crucem ipsius filo appenderunt rigores verberum, cilicia, clavi, aculei, zona ferrea, obsonia fellea.

AUCTORE G. C.

extollitur

5 Tota illius vita protestabatur cum Paulo, Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; siquidem nihil ei jucundum erat extra crucem; in hac unica cum dolorosis versabat mysteria tum gaudiosa tum gloriosa. Mirum, huic Rosæ tam humili sese inclinasse procerarum arborum cacumina, dum orabat in horto; sed mirabilius, quod eadem, sicut palma exaltata (vel juxta aliam lectionem MARITATA) fuerit in Cades, quando, pronuba cæli Imperatrice, Rosam sibi in sponsam cordis sui subarrhavit Filius Dei. Hæc filia Olivæ numquam oleo caruit, neque exstincta fuit in nocte lucerna ejus : nam gratiam in Baptismo semel accensam usque ad obitum nulla ei obtenebratio interpolavit. Prophetici sui spiritus æternum monumentum est Limense sanctæ Catharinæ Senensis monasterium, in quo demum et mater E virginis (uti hæc prædixerat) velum assumpsit, potita sacræ clausuræ horto concluso, quem Filia optarat sibi, dum quinquennis votum puritatis virginalis emisit. At Sponsus maluit ipsam speciosam in campis, ut plurimas adolescentulas odore secum traheret ad sequelam.

magnis elogiis :

6 Lima regum civitas felicissimam se arbitratur, dum Sanctitati vestræ supplex hanc virginem sibi dari flagitat tutelarem; ambit habere matrem, quam genuit filiam, civitas regum Reginam florum : ita huic Rosæ inscriptum nomen civitatis regum lepide solvet ænigma Menalcæ apud Virgilium; Dic, quibus in terris nascantur nomina regum inscripti flores? Hujuscemodi floribus quidni sperare liceat fructus honoris et honestatis? Nec tuis, beatissime Pater, gentilitiis apibus quidquam ad mellificandum offerri potest aptius hac Rosa, quam justis Ecclesiæ honoribus insigniendo, mira dulcedine fideles implebis universos. Hoc orant Præsentatus F. Didacus de Boerques commissarius Provincialis; Magister F. Gaspar de la Torre, Magister F. Ludovicus de Teca. *Quod in hoc elogio nunc obscurum apparet, illud ex Actis infra legendis facilius intelligetur. Brevitatis causa prætermit-* F *to duos libellos supplices, quos Magistratus aut senatus Limensis anno Christi 1631 et sequente ad impetrandum legitimum Civis suæ cultum Urbano VIII summo Pontifici obtulit.*

variæ Religiosorum familiæ

7 *Anno Christi 1633 plures Ordines religiosi ad flagitandam* Rosæ *beatificationem videntur conspirasse. Inter hos Ordo S. Joannis de Deo epistolam suam sic exorditur :* Beatissime Pater, venerabilis Rosa de Sancta Maria tertii Ordinis sancti Dominici, nata in hac Peruana metropoli, virgo fuit tam admirabilis virtutis in vita et post mortem, tam miraculis illustris, ut ad omnes Limæ incolas, qua seculares qua Regulares pertineat ejus procurare honorem et exaltationem. *Insuper ineunte Junio ejusdem anni nostra Societas in hac re promovenda operam suam conferre voluit, quando R. P. Nicolaus Mastrillus Duran, in regno Peruano Provincialis, Urbano VIII preces suas exposuit in hunc modum :* Ut communibus urbis et regni hujus desideriis mea meorumque adjungam, obligatione trahor, singularem cum ceteris favorem ac spirituale solatium in eo recepturus, si Virgo a

Deo

AUCTORE G. C.

Deo huic regioni data in peculiarem omnigenæ virtutis ideam, postque felicem suum transitum dotata cælitus tot eximiis prodigiis, per manus Sanctitatis vestræ honorem canonizationis ac titulum Limanæ tutelaris adepta fuerit, quo vigor ac stimulus addetur ejusdem patriotis, ut majori ardore imitentur fidem et virtutem sanctæ Virginis.

ad petendam ejus beatificationem quasi conspirant :

8 *Eodem tempore R. P. Provincialis Eremitarum sancti Augustini in hunc finem scripsit sequentia :* Hæc fertilis Rosa primus est partus, quem cum notoriæ sanctitatis auctario hæc patria cælo dedit, ceu fidei suæ primitias : tametsi enim inter hujus regionis vernaculos plurium et porro insignium servorum Dei veneremur memoriam, antecellit benedicta hæc Virgo in jure patriæ. Nata est in hac Peruana metropoli, in eadem adolevit et vixit, approbante simul natura et gratia. Sanctitas in ea annorum prætergressa est terminos, ac moriendo in ætatis vere demonstravit eximiis miraculis, quantum cursus suarum virtutum temporis velocitatem anteverterit. Ad ejus sepulcrum infirmi et ærumnosi vitam et salutem inveniunt. B *Mense Julio ejusdem anni Minister Provincialis Patrum Minorum S. Francisci, nomine sui Ordinis ac provinciæ, Pontifici Romano rationes ad concedendam publicam venerationem breviter proponit hoc modo :* Canonizationi ancillæ Dei Rosæ de sancta Maria tertii Ordinis Prædicatorum causas suggerunt vita ejus tam inculpata, mors tam gloriosa, miracula tam numerosa et eximia, denique summa et incomparabilis ædificatio hujus regni tam in fide novelli.

quibus additur ecclesia metropolitana Limensis :

9 *Die* XII *ejusdem mensis et anni preces religiosorum Ordinum testimonio suo confirmavit ecclesia metropolitana Limensis, et eidem Christi Vicario misit epistolam commendatitiam, quæ sic incipit :* Justum non est, universali horum regnorum acclamationi vocem deesse hujus ædis metropolitanæ pro apotheosi venerabilis virginis Rosæ de sancta Maria concivis nostræ, cujus vita admirabilis et post obitum prodigiosa miracula tantum in omnibus his regnis ascenderunt devotionis affectum, ut perspicue appareat, velle Christum Dominum nostrum eamdem pariter glorificare in terris, perque liberalissimas manus Sanctitatis vestræ dare nobis tutelarem et advo- C catam hujus patriæ suæ, cujus ex hoc primo fructu præclarus honor velut a capite harum amplissimarum regionum ad singulas pertingat. *Hic omitto Didacum de Corduba, Bonaventuram de Salinas, aliosque publicos istorum temporum scriptores, qui in suis libris honorificam venerabilis hujus Virginis mentionem fecerunt.*

Cardinalis Azzolinus coram Alexandro PP. septimo

10 *At præterire non possum relationem, quam Decius Azzolinus S. R. E. Cardinalis anno 1663 instituit coram Alexandro VII summo Pontifice, cujus hic est tenor :* Serva Dei Rosa de sancta Maria die XX Aprilis anno MDLXXXVI Limæ orta, Catholicos, honestos ac pios parentes habuit Gasparem Flores et Mariam de Oliva. Nomen ei ex baptismate Isabella ; sed propter roseam vultus speciem a matre Rosa nuncupata, ex suo ni Deiparam obsequio ROSA DE SANCTA MARIA voluit appellari. Sexus ætatisque ineuntis teneros adhuc sensus firmavit virtute robusta, et parentum monita simul ac vota adulta probitate et multiplici pietatis usu prævenit puella, juvenis excessit ; tantus enim ejus amor in Deum, tantus in Deiparam cultus, tanta sensuum et carnis castigatio, morum et cogitationum munditia, ut argentea corona caput redimita (adinstar spi- D neæ, quam Christus passus est) ferreaque catena virgineum corpus singulis noctibus dilanians, sicut lilium inter spinas, virginitatem custodierit, quam cum se tota et Deo vovit perpetuam et servavit.

pro eadem

11 Annum agens vigesimum, sancti Dominici tertio Ordini nomen dedit, cujus institutum in ædibus paternis, miræ pietatis et virtutum omnium exemplo coluit. Oratio, rerum divinarum contemplatio, jejunia, corporis afflictio, mundi contemptus, proximorum bonum, Deo per charitatem prorsus heroicam adhæsio ejus vita fuit, pro statu vitæ perfectissima. Ac proinde prophetico spiritu, exstasi, raptuque multiplici, signis, aliisque supernaturalibus donis a Deo aucta, in hereditatis suæ consortium tandem evocata, post prolixi morbi constantem in Domino tolerantiam, Ecclesiæ Sacramentis rite pieque susceptis, obiit die XXIV Augusti anno MDCXVII, insignem in ipsa morte suæ sanctitatis famam relinquens, quæ et in ejus vita et post obitum plurimis fuit signis a Deo cælitus confirmata.

E *graviter etiam*

12 De sanctitate, virtutum ac miraculorum fama, processibus auctoritate ordinaria confectis, et referente bonæ memoriæ Cardinale Peretto, in sacra Rituum Congregatione examinatis, decretum fuit die XXII Martii MDCXXV posse, si Sanctissimo videretur, ad specialem inquisitionem auctoritate Apostolica deveniri. Precibus inde regis Catholici, civitatis Limanæ, et Ordinis Prædicatorum prodiit commissio felicis recordationis Urbani VIII, et ejus vigore datæ fuerunt litteræ remissoriales et compulsoriales ad archiepiscopum Limanum, eoque impedito vel absente, ad episcopum Guamangæ cum duabus Dignitatibus. Confectus itidem coram archiepiscopo, decano et archidiacono ecclesiæ Limanæ processus in specie anno MDCXXXII die XII Julii, et XXIII * Julii anni MDCXXXIV Sacræ Rituum Congregationi Romæ exhibitus, servatis servandis, recognitus, apertus, et per interpretem a Cardinale de Torres (Peretto defuncto) subrogato explicatus. Verum supervenientibus anno MDCXXXIV novissimis ejusdem Urbani decretis, destitum hactenus in causa.

* al. XIII

perorat. F

13 Cum autem fama sanctitatis Servæ Dei, devota in eam populorum studia una cum divina signorum confirmatione indies augeantur, per procuratorem ad id specialiter constitutum humillime petitur a Sanctitate vestra admitti et signari commissionem, quæ proponitur pro reassumptione causæ in statu et terminis, in quibus reperitur, ad formam novissimorum decretorum. Et videtur esse locus gratiæ, cum omnia afferantur ex iisdem decretis requisita ; nempe supplicationes novem diversorum Ordinum ac illustrium virorum Limensium, tres regis Catholici, tres reverendissimi Cardinalis de Aragonia, binæ Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, fides decreti capituli generalis ejusdem Ordinis ad idem a Sanctitate vestra communi nomine petendum, mandatum procuræ in personam F. Antonii Gonzalez specialiter per solenne instrumentum constitutum, a Generali Ordinis confirmatum ; demum perseverantia et augmentum famæ sanctitatis, venerationis, et devotionis populorum, et miracula supra centum novemdecim ex processu remissoriali in specie, auctoritate Apostolica confecto, inter quæ habetur sanatio a lepra, et plurimæ a paralysi

aliisque

A aliisque gravissimis morbis.

illustrium virorum votis postea impletis.

14 *Post aliquot annos illa tot illustrium virorum vota valuerunt, quando nimirum Clemens IX Papa venerabilem* Rosam *numero beatarum virginum adscripsit, ut infra videbimus. Sed honorificus* Beatæ *titulus ei non est concessus, nisi post iterata gestorum miraculorumque examina, et plura Beatificationem præcedentia Romanæ curiæ decreta, quæ paragrapho sequente referemus, ut obtrectatores hæretici, vel imperiti harum rerum Catholici discant, quam lente, prudenter et accurate Sedes Apostolica in causis hujusmodi procedere consueverit.*

§ II. Processus ad impetrandum legitimum hujus venerabilis virginis cultum, ac ipsum diploma Beatificationis, quam Clemens IX Pontifex incolis urbis Limanæ gratulatur.

B

Varia proferuntur

C*um fama sanctitatis et numerus miraculorum quotidie crescerent, rex Catholicus ab Alexandro VII Pontifice petiit, ut causa venerabilis* Rosæ *Limanæ rursus examinaretur, quemadmodum liquet ex authenticis instrumentis, quæ serie temporis hic transcribere non gravamur, et quorum primum sic sonat :* Supplicante Eminentissimo de Aragona nomine regis Catholici ad Sanctissimum, ut reassumeretur in Sacra Rituum Congregatione causa Beatificationis et Canonizationis dictæ venerabilis Servæ Dei Rosæ de sancta Maria, tertii Ordinis de sancto Dominico, ad effectum postea signandi commissionem ad conficiendum Processum, particularem super non cultu, ad formam decretorum sanctæ memoriæ Urbani VIII, et remissis precibus a Sanctissimo dictæ Congregationi; eadem censuit, proponente Eminentissimo Azzolino, referendam esse causam, et statum illius in præparatoria hac die IV Augusti MDCLXIII.

16 *Eminentissimus Azzolinus mense Septembri ejusdem anni causam retulit, ut in fine paragraphi præcedentis audivimus, et post hanc re-*
C *lationem edita sunt duo decreta hujus tenoris :* Sacra Rituum Congregatio pro referenda causa Beatificationis et Canonizationis venerabilis servæ Dei Rosæ a sancta Maria tertii Ordinis sancti Dominici, cujus commissio, referente Eminentissimo Azzolino, signata fuit in congregatione habita coram Sanctissimo, die XXV Septembris proxime præteriti, iterum deputavit in relatorem eumdem Eminentissimum Azzolinum, si Sanctissimo visum fuerit, hac die XXIV Novembris MDCLXIII. Et facta de prædictis relatione Sanctissimo per Eminentissimum Ginettum præfectum in consistorio, Sanctitas sua benigne annuit die XXVI Novembris MDCLXIII. *Deinde aliud exprimitur his verbis :* Cum, referente Azzolino in congregatione habita coram Sanctissimo, die XXV Septembris proxime præteriti signata fuit commissio causæ dictæ Servæ Dei, hodie Sacra Rituum Congregatio pro conficiendo Processu particulari super non cultu ad formam decretorum deputavit Eminentissimum Vicarium in Urbe cum facultate, ipso impedito, subdelegandi aliquem episcopum, et cum aliis facultatibus desuper necessariis et opportunis, si Sanctissimo visum fuerit, hac die XXIV Novembris MDCLXIII. Et facta de prædictis relatione Sanctissimo per Eminentissimum Ginettum præfectum in consistorio, Sanctitas sua benigne annuit die XXVI ejusdem mensis.

Auctore G. C.

authentica instrumenta,

17 *Causa paulatim ulterius promota est anno sequente, quo legitur hujusmodi decretum :* Confecto coram Eminentissimo Urbis Vicario delegato a Congregatione Sacrorum Rituum Processu particulari super paritione decretorum a felicis recordationis Urbano VIII editorum in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis super non cultu, ejusdemque ac sententiæ ab eodem Eminentissimo latæ plena relatione facta per Eminentissimum Cardinalem Azzolinum, auditoque in voce ac scripto R. P. D. Promotore fidei, eadem Sacra Congregatio censuit ac decrevit, in hac causa posse ad ulteriora procedi. Hac die XV Martii MDCLXIV. Cui decreto, facta de præmissis relatione Sanctissimo per Eminentissimum Cardinalem Ginettum præfectum in consistorio, Sanctitas sua benigne annuit die XVII ejusdem mensis. E

quæ a sacra Rituum Congregatione

18 *Mense Septembri ejusdem anni Pontifex hanc causam excepit a quadam regula Urbani VIII, sicut patet ex sequenti decreto :* Sanctissimus dominus noster Alexander Papa septimus enixis supplicationibus excellentissimi domini Petri de Aragonia, regis Catholici Oratoris, benigne inclinans concessit, causam Beatificationis et Canonizationis dictæ venerabilis servæ Dei Rosæ prosequi, agi et discuti posse super illius meritis usque ad totalem determinationem, non obstante, quod a die obitus illius secuta die XXIV Augusti MDCXVII, non sint adhuc elapsi quinquaginta anni ad formam decretorum sanctæ memoriæ Urbani octavi, quibus expresse in hac causa derogavit, et ita servari, prosequi, agi, discuti, et terminari mandavit, dictis decretis, aliis constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Hac die XXVI Septembris MDCLXIV. *His addi potest decretum ejusdem anni, quod ita sequitur :* Piis et enixis precibus excellentissimi domini Petri de Aragonia, Majestatis Catholicæ Oratoris, Sanctitas domini nostri Alexandri Papæ septimi benigne inclinata annuit, ut in proxima Sacrorum Rituum Congregatione, habenda coram Sanctitate sua, proponatur causa Beatificationis et Canonizationis dictæ servæ Dei Rosæ a sancta Maria regni Peruani, super dubio, an constet de virtutibus tum theologalibus, tum cardinalibus. Hac die XII Novembris MDCLXIV. F

data sunt

19 *Videtur istud examen virtutum ac miraculorum satis diuturnum fuisse, quandoquidem primum anno 1666 de miraculis ita respondetur :* Proposito per Eminentissimum Azzolinum dubio, an constet de septem miraculis in vita, et sexdecim post obitum, in Sacra Rituum congregatione habita coram Sanctissimo, idem Sanctissimus, auditis prius et postea dimissis consultoribus, et deinde re plene discussa, assentientibus singulis Cardinalibus, conclusive approbavit miraculum instantaneæ sanationis Mariæ de Jesu puellæ novennis, cruribus impotentis et contractæ sine motu per triennium. Hac die XXIII Martii MDCLXVI. *Mense Maio anni 1667 Alexander VII Pontifex ex hac vita migravit, et ei Clemens IX successit.*

ante beatificationem.

20 *Interea Postulatores causæ tantopere negotium sibi commissum promoverunt, ut eodem anno 1667 sub Pontificatu Clementis IX Sacra Rituum*

AUCTORE G. C.

tuum Congregatio quatuor ex pluribus miraculis approbaverit in hunc modum : Iterum delato ad Congregationem Sacrorum Rituum dubio, an constaret de miraculis, ab omnipotenti Deo, qui facit mirabilia magna solus, operatis intercessione servæ suæ Rosæ a sancta Maria; eadem sacra Congregatio habita coram Sanctissimo, concludentes probationes haberi super quatuor ex allatis et relatis per Eminentissimum D. Cardinalem Azzolinum eventibus, eosque involvere rationem veri miraculi, et intercessione Servæ Dei patratos fuisse, declaravit; nempe instantaneæ perfectæque sanationis brachii, forti ac inveterata paralysi attracti Isabellæ Duranæ, ad contactum corporis Servæ Dei; brachii pariter biennio manci Mauri Didaci de Ayala, ad tactum sepulcri; pedum [et] crurum valida ac triennali paralysi aridorum Magdalenæ Chamiso, admotis ad ea reliquiis, nec non a gravissimis infirmitatibus Mariæ de Vera jamjam morituræ, ad amplexum imaginis ejusdem Servæ Dei. Hac die IV Octobris MDCLXVII.

Cultus publicus :

21 *Circa finem ejusdem anni 1667 prodiit sequens instrumentum ;* Sedente sanctæ memoriæ B Alexandro VII, cum in causa Beatificationis et Canonizationis servæ Dei Rosæ de sancta Maria tertii Ordinis S. Dominici, die III Martii MDCLXV Congregatio sacrorum Rituum declarasset, constare de sanctitate vitæ, nec non de virtutibus in gradu heroico : præterea die XXIII Martii MDCLXVI Sacra eadem Congregatio censuisset, septimum ex allatis miraculis, probationibus redundare ; subinde vero, die videlicet quarta proxime præteriti mensis, in simili Congregatione habita coram Sanctissimo domino nostro, approbatis aliis quatuor miraculis a Deo operatis intercessione ejusdem servæ suæ Rosæ : de mandato Sanctitatis suæ accitis ad Congregationem ordinariam dominis consultoribus, in ea Eminentissimus D. Cardinalis Azzolinus in eadem causa relator, die X Decembris MDCLXVII proposuit dubium, an videretur esse locus decreto Beatificationis in forma consueta edendo. Cumque Eminentissimi Patres audivissent consultorum sententiam in affirmativam unanimi suffragio collimare, censuerunt, si Sanctissimo visum fuerit, tuto posse quandocumque procedi ad solemnem C servæ Dei Rosæ Canonizationem, ac interim indulgeri, ut eadem in toto orbe BEATA nuncupetur, et de ea tamquam virgine non martyre in civitate et diœcesi Limana, necnon in universo utriusque sexus Ordine sancti Dominici Missa celebrari et Officium recitari possit die prima non impedita post vigesimam quartam Augusti, qua Dei Serva Limæ obdormivit in Domino anno MDCXVII. Facta autem de prædictis Sanctissimo distincta relatione, Sanctitas sua, se ad omnipotentem Deum preces assiduas effusuram respondit, ut sibi quidquid ad ejus gloriam magis conducibile sit, suo digito indicare dignetur. Die XXI Decembris MDCLXVII. *Tandem anno Christi 1668 legitimus cultus huic venerabili Virgini concessus est, et die* VIII *Februarii istius anni ante solennem Beatificationis constitutionem prodiit hoc decretum prævium :* Sanctissimus dominus noster Clemens IX ad pias preces excellentissimi domini Marchionis de Astorga, Catholici regis Oratoris, indulsit, ut in omnibus conventibus et monasteriis Ordinis Prædicatorum utriusque sexus totius orbis pro primo anno celebrari possit festum Beatificationis venerabilis servæ Dei Rosæ de sancta Maria civitatis Limæ in regno Peruano, tertii Ordinis sancti Dominici, cum octava solemni. Hac die VIII Februarii D MDCLXVIII.

diploma solenne

22 *Post tres ejusdem mensis et anni dies elapsos editum est solenne Beatificationis diploma, quod hic ex Bullario Dominicano sic fideliter transcribimus :* Clemens Papa IX ad perpetuam rei memoriam. Sanctæ matris Ecclesiæ, quæ virgo casta uni viro desponsata est Christo, gloriosa fœcunditas in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet; in sacris vero virginibus, quæ studiosa charismatum meliorum æmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat atque floret. Illarum, quæ accensis lampadibus exierunt obviam Sponso, et intraverunt cum eo ad nuptias, sublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet, ut quæ sequuntur Agnum quocumque ierit, luctanti cum seculi tentationibus infirmitati nostræ, adjutorii cælestis opem atque præsidium a Sponso jugiter impetrare dignentur.

beatificationis

23 In hanc curam Nos ex debito Pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ adstringimur, propensius incumbentes, piis Catholicorum regum aliorumque Christi fidelium votis, quibus E ancillarum Dei in cælis regnantium veneratio in terris promovetur, libenter annuimus, sicut matura deliberatione adhibita, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, Christianæ religionis robur, ac spiritualem fidelium consolationem atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque diligentissime discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum, Processibus, de Sedis Apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate et virtutibus in gradu heroico, quibus serva Dei Rosa de sancta Maria, virgo Limana tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem a Deo patrata fuisse asserebantur, Congregatio præfata coram nobis constituta unanimiter censuerit, quandocumque nobis videretur ad solemnem ejusdem servæ Dei Rosæ Canonizationem juxta ritum ejus S. R. E. tuto posse deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto orbe terrarum BEATA nuncupetur : F

a Clemente PP. nono

24 Hinc est, quod nos piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis Catholici, ac carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ reginæ viduæ, ejus genitricis, et totius Ordinis S. Dominici supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut memorata Dei serva Rosa de sancta Maria in posterum BEATÆ nomine nuncupetur, ejusque corpus et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de ea sub duplici ritu recitetur Officium, et Missa celebretur de virgine non martyre singulis annis juxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani, die vigesima sexta Augusti, quæ prima est non impedita post diem vigesimam quartam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit.

editum

25 Hæc vero in locis dumtaxat infrascriptis; nempe in civitate et diœcesi Limana, ac in universo Ordine sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, et, quantum ad Missas attinet,

A net, etiam a sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias, a die, quo eædem præsentes litteræ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis civitatis et diœcesis, ac Ordinis præfatorum, necnon in omnibus cathedralibus et metropolitanis Hispaniarum et Indiarum, solemnia Beatificationis ejusdem cum Officio et missa sub ritu duplici majore, die ab Ordinariis constituta, et intra sex menses promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romæ vero in ecclesia sancti Jacobi nationis Hispanorum intra bimestre, postquam tamen in basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint eadem solemnia, pariter celebrari permittimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac decretis super non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam B in judicio, quam extra illud, habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Sabinam sub annulo Piscatoris die XII Februarii MDCLXVIII, Pontificatus nostri anno primo.

concessæ ab eodem indulgentiæ, et directa ad Limanos

26 *Eodem anno Pontifex concessit indulgentias plenarias omnibus Christi fidelibus, qui pie visitarent ecclesias assignatas, in quibus festivitas hujus Beatificationis ingenti cum gaudio solenniter celebrata est. Imo Clemens IX illam novam* B. Rosæ *Limanæ gloriam gubernatoribus aliisque incolis Limanis gratulatus est hac epistola :* Quam imbecilles, incertæ, ac in rebus perscrutandis parum felices hominum cogitationes et judicia sint, ut inde quoque veritatis divinitus revelatæ beneficium magis agnoscere debeamus, omnibus pene temporibus et locis admonemur. Sed in primis regio ipsa, quam incolitis, mortalium inscientiæ præclarum exemplum eximie suggerit. Quoties * enim quisque fuit ex antiquis, aut etiam ante rem aperte detectam ex recentioris memoriæ sapientibus, qui summa, uti certe tam diu visum est, ratione, nec minori confidentia non asseruerit, sub æstu zonæ torridæ C habitari minime posse, et paucos quosdam secus existimantes insanire non judicaverit? Quis in terris inhospitalibus et nimio solis ardore deustis, veris comites rosas inquisivisset? Illud tamen esse plane verum, hodie nemo ignorat, nemo miratur. En Rosam vestram, aut jam potius communiter nostram, cælestes heroicarum virtutum odores halantem, ac luminis ætherei coloribus, non illis quidem ex specie tenus apparentibus, sed veris, ac indubia miraculorum insignum * fide probatis efflorescentem, e cælo moniti super candelabrum Ecclesiæ nuper extulimus, illamque post Apostolici oraculi declarationem incomparabili cum lætitia publici consensus exceptam, non solum urbis Romæ celebritas, sed etiam totius Europæ fideles populi, Beatis in patria clare Dei faciem pervidentibus, debito cultu simul hilares atque compuncti venerantur, ampliores quoque, si Domino placuerit, honores communibus votis eidem expetentes.

** forte Quotus*

** l. insignium*

solennis gratulatio.

27 Itaque vobis, dilecti filii, valde gratulamur hujusmodi primitias tam eximias istius agri Dominici, qui * Nos, quod eum adeo feracem et spei bonæ plenum experimur, eo magis et alacrius quidquid ab hujus Sanctæ Sedis auctoritate et amore paterno nostro, etiam pro illius adhuc exquisitiori cultura, et feliciori proventu, recte proficisci cum Domino poterit, usque benigne prolixeque præstituri sumus. Interim plures eodem respicientes gratias indulsimus, et insuper dona nonnulla adjecimus, uti cuncta planius explicabit dilectus filius Antonius Gonzales Ordinis Prædicatorum a vobis huc missus in hujusmodi beatæ Rosæ causa procurator, qui sane cunctis officii sui partibus pietate, fide, studioque cumulate satisfecit. Ceterum vobis, dilecti plurimum filii, atque tam istius Capituli et cleri quam laicalis status fidelibus universis, quos in Domino peramanter amplectimur, Apostolicam benedictionem paterne prorsus impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI Novembris MDCLXVIII, Pontificatus nostri anno secundo. *Illa Clementis IX benignitas incolis Limensibus animos addidit, ut brevi Canonizationem* B. Rosæ *postularent. Hanc autem impetrarunt ab ipsius successore post multa decreta prævia, quæ forte lectorem hic tædio afficerent, quandoquidem ab aliis jam superius allatis, et Beatificationem præcedentibus, non multum stylo numeroque differunt.* E *His igitur omissis, tantum paragrapho sequente referemus, quomodo legitima hujus Beatæ veneratio paulatim creverit, ac sese latius extenderit.*

** forte cui*

AUCTORE G. C.

§ III. Veneratio hujus Beatæ paulatim aucta et longe lateque extensa.

Clemens PP. nonus B. Rosam declarat

I*neunte anno 1669 Clemens IX Pontifex huic beatæ Virgini dedit titulum patronæ principalis, eamque pro tali ab omnibus Catholicis regni Peruani incolis coli permisit, ut videmus in decreto sequenti :* Clemens Papa IX ad perpetuam rei memoriam. Orthodoxorum regum de Ecclesia Dei multis nominibus optime meritorum studia, quibus Christianorum populorum erga Beatos regni cælestis incolas devotio atque pietas fovetur, Apostolico favore libenter prosequimur, sicut spirituali eorumdem populorum consolationi atque præsidio conducibile in Domino arbitramur. Cum itaque Nos per nostras in F simili forma Brevis die XII Februarii proxime præteriti emanatas litteras beatam Rosam de sancta Maria Limanam tertii Ordinis S. Dominici, multiplici virtutum decore florentem inter Beatas, Apostolica auctoritate, juxta hujus sanctæ Sedis ritum retulerimus, aliaque ad ejusdem beatæ Rosæ honorem et venerationem statuerimus et indulserimus, prout in eisdem litteris continetur :

principalem patronam

29 Et sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis Catholici, et carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ reginæ viduæ ejus genitricis, per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de Astorga, ejusdem Caroli regis apud nos et Sedem prædictam Oratorem, Nobis nuper expositum fuit, ipsi Carolus rex et Marianna regina, ut eidem beatæ Rosæ, quam cælestis Sponsus tot charismatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus, tantaque et tam late sparsa de unguentorum suorum odore imbuit fragrantia, ut ex Dei servis, quos occidentales Indiæ protulerunt, prima publici cultus honore per hanc sanctam Sedem decorari meruerit, venerationis fiat

AUCTORE G. C.

fiat accessio, et ex illius intercessione tanto potentius partium illarum populi patrocinium sperent, quanto populi ipsi illam celebriori intentiorique devotione colere atque honorare studuerint, ipsam beatam Rosam in patronam principaliorem civitatis Limanæ seu Regum, totiusque regni Peruani eligi et declarari summopere desiderent; Nos, quamvis constitutiones Apostolicæ et decreta Congregationis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum vetent beatorum hujusmodi non canonizatorum electiones in Patronos principaliores, ac requisita necessaria pro hujusmodi electione valida desint, nihilominus piis enixisque eorumdem Caroli regis et Mariannæ reginæ, magno in Ecclesiam Dei meritorum splendore fulgentium, precibus Nobis super hoc humiliter porrectis, pro præcipuo paternæ nostræ in eos caritatis affectu duximus annuendum.

totius regni Peruani :

30 Itaque memoratam beatam Rosam de sancta Maria in patronam principaliorem civitatis Regum seu Limanæ et totius regni Peruani præfatorum cum omnibus prærogativis, quæ patronis principalioribus debentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium eligimus et declaramus; B ipsiusque beatæ Rosæ festum in universo regno hujusmodi de patrona principaliori ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus illic degentibus de præcepto servari, et sicut alia festa de præcepto celebrari, ejusque Officium ab universo clero, tum seculari, tum Regulari, de principaliori patrona juxta Rubricas Breviarii Romani inibi recitari, auctoritate et tenore præfatis mandamus. Non obstantibus quibusvis decretis, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die secunda Januarii MDCLXIX, Pontificatus nostri anno secundo.

nomen ejus inscribitur Martyrologio Romano :

C 31 *Cum reverendissimus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum mense Octobri præteriti anni petiisset ab eodem Pontifice, ut nomen* B. Rosæ *Martyrologio Romano adderetur, Sanctitas sua benigne annuit, et formam hujus annuntiationis approbandam reliquit Sacræ Rituum Congregationi, quæ mense Januario anni sequentis respondit in hunc modum :* Cum Sanctissimus dominus noster Clemens nonus sub die XVIII Octobris proxime præteriti mandaverit apponi in Martyrologio Romano beatam Rosam de sancta Maria tertii Ordinis sancti Dominici cum verbis tamen approbandis a Sacra Rituum Congregatione, eadem Sacra Congregatio infra scripta verba approbavit, et imprimi posse concessit, nempe; LIMÆ IN REGNO PERUANO BEATÆ ROSÆ DE SANCTA MARIA TERTII ORDINIS SANCTI DOMINICI. Hac die XII Januarii MDCLXIX.

M. Episcopus Portuen. Card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. Secr.

Præterea Clemens IX cultum B. Rosæ *per Americam et Hispaniam propagavit, et hoc anno 1669, die* IX *Decembris animam Creatori reddidit.*

Clemens PP. decimus

D 32 *In hujus defuncti locum suffectus est Clemens X, qui vestigiis sui decessoris insistens, cultum ejusdem beatæ Virginis adhuc ad plures Europæ regiones extendit, ut discimus ex sequenti declaratione :* Alias felicis recordationis Clemens Papa IX subdata XIV Septembris, anno MDCLXVIII concessit universo Americæ et Indiarum clero tam seculari, tam * Regulari utriusque sexus cujuscumque provinciæ seu districtus, quod perpetuis futuris temporibus die XXVI Augusti quotannis sub ritu duplici recitetur Officium et Missa celebretur de beata Rosa a sancta Maria Limensi virgine tertiæ regulæ sancti Dominici, juxta Rubricas Breviarii et respective Missalis Romani. Anno deinde sequente MDCLXIX die XXX Octobris idem Pontifex hoc suum indultum benigne extendit in perpetuum ad universum secularem pariter ac Regularem clerum Hispaniarum.

* l. quam

ad plures Europæ provincias.

33 Denique post acceptam notitiam, quod præmemorata virgo Rosa jam omnium ubique populorum solemni plausu devotissime honorata, utrumque tam veterem quam novum orbem indies odoris sui fragrantia magis magisque implebat, idem Sanctissimus hoc ipsum indultum clementer ampliando, die IX Novembris ejusdem E anni MDCLXIX universo seculari et Regulari clero utriusque sexus in omnibus Augustissimo imperatori, regi Catholico, Domuique Austriacæ subjectis regionibus, provinciis et regnis, atque dominiis ubivis locorum constituto paterne concessit, ut supra, quod nempe singulis annis, die XXVI Augusti perpetuis futuris temporibus sub præfato ritu duplici recitetur Officium et celebretur Missa de eadem beata Rosa.

Beatæ hujus cultum extendit :

34 Porro Sanctissimus dominus noster Papa Clemens X, habita pariter notitia communis illius devotionis, qua totius regni Poloniæ, magni Ducatus Lithuaniæ, ditionum Russiæ atque Borussiæ, aliarum dictæ Coronæ subditarum regionum fideles venerationi ejusdem beatæ Rosæ afficiuntur, instantiis eminentissimi domini Cardinalis Ursini exoratus, illud ipsum Prædecessoris sui indultum benignissime extendit ad universum pariter utriusque sexus tam secularem quam Regularem Clerum Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæ, Borussiæ, ceterorumque dominiorum ad Poloniæ coronam pertinentium, concedens eidem universaliter et in perpetuum, quod quotannis die XXVI Augusti sub ritu duplici peragat F Officium et Missam de beata Rosa a sancta Maria juxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die XXVI Julii MDCLXX.

conceditur ei Missa

35 *Post unius mensis intervallum laudatus Clemens X facultatem recitandi Officium et celebrandi Missam de* B. Rosa *adhuc magis ampliavit, ut indicat decretum sequentis tenoris :* Crescente in dies mirabili populorum devotione erga beatam Rosam de sancta Maria virginem Limensem ex tertio Ordine sancti Dominici, ac virtutum illius fragrantia sese latius quaquaversus diffundente, Sanctissimus dominus noster Clemens Papa X, admissis excellentissimi domini Oratoris Marchionis de Astorga instantiis ex nomine Catholicæ majestatis sibi porrectis, universo tam seculari quam Regulari clero per totum terrarum orbem benigne indulsit pro futuris perpetuis temporibus, quod de prædicta beata Rosa possit ubique in ecclesiis quorumcumque tum Regularium tum secularium celebrare Missam per anni circulum sive ex voto, sive ex libera devotione, juxta Rubricas ac dispositionem Missa-

lis

A lis Romanis, tametsi nondum prædicta beata Rosa solemni Canonizationis ritu fuerit ab universali Ecclesia inter Sanctas relata. Et ad hunc effectum specialiter dispensavit in decretis tum felicis recordationis Urbani VIII, tum Sacræ Congregationis Rituum, et quibuscumque aliis huic indulto quomodocumque obstantibus. Hac die XXVII Augusti MDCLXX.

ac publica veneratio

36 *Cum tandem post varia Sacræ Congregationis decreta ac severum miraculorum examen* B. Rosa *numero sanctarum virginum adscribenda videretur, solenni ejus Canonizationi præmissum est sequens instrumentum :* Post binos in civitatibus Suessana et Panormitana Processus a judicibus per sacrorum Rituum Congregationem deputatis in vim remissorialium ab eadem expeditarum confectos, alterumque Antverpiæ auctoritate ordinaria a loci episcopo formatum, ac horum Processum relevantia in ordine ad solemnem Canonizationem beatæ Rosæ de sancta Maria tertii Ordinis S. Dominici, virginis Limanæ, diligenter pensiculata et accurate discussa ex mandato Sanctissimi domini nostri Clementis Papæ X in dicta Sacrorum Rituum ordinaria B Congregatione cum interventu consultorum ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Azzolini hujus causæ Ponentis, præmemorata Sacra Congregatio unanimi voto censuit ac declaravit, legitime constare de percrebrescente fama sanctitatis ac patrationis miraculorum, necnon de celebri devotione populorum, supplicique fiducia et pio recursu erga hanc Beatam a tempore, quo Sancta Sedes Apostolica eidem publicam indulsit in tota Dei Ecclesia venerationem.

per totum terrarum orbem,

37 Itidem ex productis ibidem novem miraculis quatuor approbavit, tamquam concludenter, plene et irrefragabiliter comprobata, ac supra totius naturæ creatæ vires indubie constituta. *Tum recensentur illa quatuor miracula, quæ hic prætermittimus, cum in ipsa Canonizationis Bulla postmodum repetantur. His igitur omissis, transcribere pergimus inchoatum instrumentum, quod ita concluditur :* Quibus probatis et approbatis eadem Sacra Congregatio censuit, quandocumque placuerit suæ Sanctitati, posse tuto procedi ac deveniri ad solemnem hujus beatæ Rosæ Canonizationem juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et sacrorum Canonum dispositionem, C illamque diffiniri Sanctam cum Deo regnantem, et universali Ecclesiæ colendam proponi. Die VII Octobris MDCLXX. Denique facta Sanctissimo domino nostro supradictorum omnium et singulorum relatione, atque audito desuper R. P. D. fidei Promotore, sua Sanctitas ejusdem Sacræ Congregationis sensum approbavit, prædictumque finale decretum expediri mandavit ad effectum solemnis Canonizationis dictæ beatæ Rosæ. Actum hac die IX præsentis mensis et anni. *Denique anno Christi 1671, die* XII *Aprilis editum est solenne Canonizationis diploma (jure merito copiosum Vitæ miraculorumque compendium dici potest) quod ad posthumam* S. Rosæ *gloriam reservamus, et post Acta ejus illustrata in plures paragraphos dividemus. Ceterum hæc authentica documenta excerpsimus ex Bullario Ordinis FF. Prædicatorum, cujus tomus sextus anno 1735 Romæ impressus est, ubi singula ordine annorum et mensium facile reperientur.*

38 *Nescimus, an post solennem* S. Rosæ *Canonizationem amplior Officii ecclesiastici extensio facta fuerit. At saltem novimus, Hispanis, eorumque subditis circa finem anni 1672 concessas esse Lectiones proprias secundi Nocturni cum hac oratione peculiari :* Bonorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui beatam Rosam, cælestis gratiæ rore præventam, virginitatis et patientiæ decore Indis florescere voluisti; da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Hæ lectiones propriæ, quæ concinnam Vitæ synopsin continent, legitime cum oratione jam relata simul approbatæ sunt, ut post illas exprimitur his verbis :* Sacra Rituum Congregatio supradictas Lectiones et Orationem proprias sanctæ Rosæ virginis Limanæ per Eminentissimum D. Cardinalem Bonam compositas et per eumdem diligenter revisas et relatas approbavit pro Indiis, regnis Hispaniarum et aliis locis, ubi ex concessione ejusdem Sacræ Congregationis jussu Sanctæ Sedis Apostolicæ extenditur facultas recitandi ejus Officium die festo dictæ Sanctæ. Hac die III Decembris MDCLXXII. *Cardinalis Brancatius episcopus Portuensis, et Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis secretarius hic nomina* E *sua subsignarunt. Quamvis in Belgio quotannis istud Officium proprium recitemus die* XXX *Augusti, tamen more nostro sequimur annuntiationem Martyrologii Romani, et ideo Vitam* S. Rosæ *hodie illustramus. Jam nonnulla de biographis hujus Sanctæ præmonenda censemus.*

AUCTORE G. C. et editur decretum canonizationis.

§ IV. Notitia plurium auctorum, qui gesta hujus sanctæ Virginis diverso idiomate conscripserunt.

Vita Hispanica;

Dum *de Beatificatione vel Canonizatione* S. Rosæ *agebatur in curia Romana, multi scriptores ex Ordine Prædicatorum Vitam illius diversis linguis ediderunt. Ex his utcumque ordine temporis aut editionis enumerabimus præcipuos, quorum notitia ad nos pervenit. Inter primos occurrit Joannes de Vargas Machuca, quem Jacobus Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum recensitis tomo 2 pag. 587 sic laudat :* F Frater Johannes de Vargas Machuca Hispanus, provinciæ sancti Joannis Baptistæ Peruanæ, cui nomen dederat, seu præclare gestis in ea muneribus, seu magnis ingenii dotibus, eruditione dicendique facundia et religione non leve contulit ornamentum. *Deinde singillatim recenset varia Ordinis officia, quibus in America functus est, et ex Antonio Gonzalez de Acuna narrat, illum anno 1649 in Europam trajecisse, ac demum anno 1657 laurea magisterii decoratum esse. Eodem teste, vulgavit Hispanice Vitam* Rosæ *Peruanæ, quam regio supremoque Indiarum consilio dedicavit. Cum post annum 1657 nulla amplius apud Echardum de viro isto fiat mentio, non omnino temere suspicamur, hanc lucubrationem ipsius ante prædictum annum 1657 prodiisse, et propterea auctorem illius inter biographos primo loco collocavimus.*

Italica

40 *Annis 1665 et 1668 gesta ejusdem Virginis edidit Italice Dominicus Maria Marchesius, postmodum ex Ordine PP. Prædicatorum ad cathedram Puteolanam evectus, quem laudatus Echardus tomo 2 proxime citati Operis pag. 730 et 731 exornat hoc elogio :* Frater Dominicus

AUCTORE G. C.

minicus Maria Marchese Siculus Parthenopæus nobili loco natus adolescens, insciis parentibus, vestem Ordinis induit Neapoli anno MDCXLIX in ædibus sancti Thomæ; quod ut pater et mater rescierunt, per vim e claustro abducere voluerunt, sed incassum; adeo constantem in proposito repererunt. Theologiam audivit in Hispania sub magistro Petro Godoy, tum Salmanticæ ingenti nominis sui fama regente, adeoque sub tanti viri disciplina emicuit, ut hinc ad suos redux ad docendum alios fuerit adhibitus. Bis regentem egit in Gymnasio sancti Thomæ, et Magisterii apicem obtinuit anno MDCLXXII. Non obstantibus illis studiis scholasticis, vir fuit disciplinæ regularis tenacissimus, orationi addictus, et hominis interioris curam gerens, ad anteriora semper extendebat seipsum. Priorem pluries sodales variarum domorum elegerunt; sed hæc munia subire constanter recusavit. Regimem tamen provinciæ Siciliæ, ad quod electus fuerat, effugere non potuit, Magistri Ordinis præceptis adactus.

bis edita :

41 Tandem ad sedem Puteolanam a rege Catholico Carolo II præsentatus, ab Innocentio XI B acceptatus fuit et confirmatus anno MDCLXXXVIII, die ultima Maii, et die octava Junii sequentis a Cardinali Marescotti consecratus. Ecclesiam suam optimis legibus ornare studuit, synodos regulariter coegit, visitationem suæ diœcesis quotannis obivit, verbo et exemplo gregem suum solicite pavit. In his totus erat, cum Neapoli existens in sua sancti Thomæ domo, a Deo vocatus, vitam hanc mortalem reliquit anno MDCXCII, die XI Februarii, ætatis LIX, ibidemque cum solemnibus exsequiis fuit sepultus. *Inter alia scripsit Italice Vitam* S. Rosæ *Limanæ, eamque Neapoli typis Hieronymi Fasulo bis imprimi curavit, ut Echardus ibidem testatur. Hac lucubratione ipsius caremus; sed in Diario Dominicano ejusdem auctoris habemus die* XXX *Augusti prolixam Actorum synopsin, quam consulere poterimus, si occasio sese obtulerit.*

Hispanica

42 *Etiamsi R. P. Leonardus Hansen anno 1664 Romæ Vitam ejusdem Virginis Latine bis ediderit, tamen eum hic prætermisimus, aut potius distulimus, ob recentiorem istius Operis amplificationem, quæ primum anno 1680 prodiit,* C *ut infra dicemus. Igitur serie editionis illustrissimum Marchesium proxime sequitur Antonius Gonzales de Acuna, quem jam supra sæpe laudavimus, et cujus elogium Echardus tomo 2 Operis memorati pag. 692 texuit his verbis :* Frater Antonius Gonzalez de Acuna Hispanus origine, patria Limensis, provinciæ Peruanæ Conventusque sanctissimi Rosarii Limensis alumnus, postquam per plures annos theologiam in universitate Limana doctor, ut vocant, cathedraticus professus fuerat, ab eadem legatus ad Regem Catholicum, Matritum se contulit. Hinc electus provinciæ suæ diffinitor Romam progressus est, ubi non prius a Magistro Ordinis F. Joanne Baptista de Marinis visus, quam ob dotes eximias rerumque agendarum peritiam gratus fuit et acceptus, inque partem regiminis (socium vocant) adscitus pro Indiis occidentalibus, quo munere etiam functus est sub successore F. Thoma de Roccaberti, in cujus electionem concurrerat, ut et sedit provinciæ Peruanæ diffinitor in Capitulo generali Romæ MDCLXX.

aliæ :

43 Non parum ad promovendam sanctæ Rosæ Limanæ tertii Ordinis sancti Dominici canonizationem contulit, qua vix peracta, ad instantiam regis Catholici Caracensis episcopus vulgo D DE CARACAS in insula Venitiola, vernacule VENEZUELA dicta, in novo orbe, consecratus Romæ mense Novembri MDCLXX, anno sequenti iter aggressus est, ecclesiam suam et sponsam aditurus. *Deinde præter alias ejusdem auctoris lucubrationes allegat opusculum, cui titulus est :* Compendium admirabilis vitæ Rosæ de sancta Maria Limanæ Ordinis sancti Dominici, ex prolixiori Vita a Fratre Leonardo Hansen anno superiori edita contractum, *quod anno 1665 primum Romæ typis Nicolai Angeli Tinassii excusum est. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana recentiore tomo 1 pag. 96, et ex eo Echardus meminerunt de fusiori ejusdem Sanctæ Vita, quam laudatus Latini compendii scriptor Hispanico idiomate ad prælum parabat. Utrum hæc umquam in publicam lucem prodierit, ignoramus.*

Vitæ compendium sæpe recusum :

44 *Porro Joannes Wilhelmus Lipman Dominicanus hanc primam Romanam compendii Latini editionem, qua caremus, anno 1668 Coloniæ recudi curavit, et amplissimo domino monasterii Brauweilerensis abbati nuncupavit.* E *Sed hic editor Coloniensis eidem opusculo alium titulum præfixit hoc modo :* Vita sponsæ Christi B. Rosæ de sancta Maria virginis Peruanæ, tertii Ordinis sancti Dominici, compendio enarrata per admodum R. P. F. Antonium Gonsalez sacræ theologiæ magistrum Ordinis Prædicatorum, juxta exemplar Romæ impressum. *Hoc autem compendium sæpius alibi recusum fuit, ut colligimus ex octava ejusdem editione, quam habemus, et cui typographus Romanus inter alia præmisit tale monitum :* Tertia quidem hæc est Romana hujus opusculi editio; sed octava, si præterea enumerentur illæ, quibus alibi in Italia, Germania et Polonia lucem rursus aspexit; ut interim prætermittantur plurimæ, quibus impressum est Gallice, Hispanice, Polonice et Indice; omnes enim ferme linguæ sui juris illud efficere voluerunt. Meis autem tantummodo typis quinque mille Latina illius exempla prodiverunt : cumque in præsentia nulla apud bibliopolas prostent venalia, exprimendum iterum formis fuit, ut plurimorum votis fieret satis. *Hac tertia editione Romana anni 1672 jam superius usi sumus, ac deinceps utemur, si sese occasio obtulerit.* F

Italica Vita prolixior.

45 *Anno 1666 Romæ typis Tinassianis Italice impressa est alia prolixior ejusdem Beatæ Vita, de cujus auctore Echardus tomo 2 pag. 619 hæc habet :* Frater Seraphinus Bertolini Etruscus Lucensis patria, et professione sacræ theologiæ magister, apostolicus Romæ apud sanctam Mariam Majorem pœnitentiarius anno MDCLXV, die XIII Maii allectus, scripsit de B. Rosa, *cujus Operis Italicus titulus et annus impressionis ibidem exhibentur. Deinde Echardus ibi de lucubratione illa sodalis sui tale fert judicium :* Scripta est stylo quidem eleganti, sed parum historico, quod multis non probatur; ac præterea de apparitionibus beatæ Rosæ factis minus sobrie illis loqui videtur, ut cum Jesum ipsum cum Rosa ludentem exhibet. *Juverit hujus censuræ, quæ de studio partium minime suspecta est, postmodum meminisse.*

Reliquæ

46 *Eodem anno Matriti apud Paulum del Val Acta hujus beatæ Virginis edita sunt Hispanice, quemadmodum Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana recentiore tomo 1 pag. 57 testatur his paucis verbis :* Frater Andreas Ferrer

de

A de Valdecebro Dominicanus, dum Compluti sodales cœnobii Matris Dei theologiam doceret, edidit Historiam mirabilis vitæ venerabilis matris et inclytæ virginis Rosæ de sancta Maria ex tertio Ordine sancti Dominici. *Hunc Operis titulum Latine interpretamur, licet Nicolaus Antonius eumdem Hispanice retulerit. Sed ampliorem hujus auctoris et lucubrationum ejus notitiam nobis subministrat Echardus, dum tomo 2 pag. 657 de eodem viro sic scribit :* Frater Andreas Ferrer de Valdecebro Teruelam Aragoniæ urbem haud incelebrem patriam habuit, et Matriti Ordinem professus est adolescens in Conventu sancti Thomæ, quem exinde præclaris animi virtutibus, eruditione multiplici, dicendique gratia ac facundia plurimum ornavit. Per solitos academiæ gradus ad magisterii apicem promoveri meruit : cum enim apud Indos occiduos et Americam profectus esset, in Collegio sancti Ludovici Tascalensi, vernacule LA PUEBLA DE LOS ANGELES, datus est sacræ theologiæ lector : nec interim apostolici deerat officio concionatoris atque facundissimi. Tum inde ad Hispaniæ
B provinciam, in qua creverat, reversus, magna nominis sui fama ac laude nobiliora seu scholæ seu sacri pulpiti munera obivit, Complutique annis MDCLXII et MDCLXIV in gymnasio nostro moralis theologiæ professor præsentatus agebat in ordine ad lauream, qua postea fulsit. Propositionum fidei censor etiam factus vivebat anno MDCLXXV, eloquentissimus et elegantissimus ætate sua apud Hispanos habitus ecclesiastes, editisque, quæ sequuntur, Operibus clarus. *Postea multas ejusdem viri lucubrationes enumerat, et inter illas exhibet Hispanicum memoratæ Vitæ titulum, quem supra Latinum fecimus.*

47 *Antoninus Mongitore in Bibliotheca sua* de Vitis *Sicula tomo 2, pag. 138 et 158 meminit de Petro Emmanuel, et Petro Scoto Prædicatoribus Panormitanis, qui annis 1668 et 1669 Vitam* S. Rosæ *Limanæ lingua patria conscripserunt. His adde Joannem Andream Faure Gallum, Hyacinthum de Parra Hispanum, et Josephum Lotello Italum, qui anno 1668 gesta ejusdem sanctæ Virginis vernacule vulgarunt, ut apud Echardum jam sæpe laudatum tomo 2 pag. 651, 701 et 625 licet videre. Præterea anno Christi*
C *1671 Joannes Baptista Feuillet Gallus, Antonius de Lorea Hispanus, et Joannes Baptista Wouters Belga eamdem materiam Gallice, Hispanice ac Flandrice tractarunt, eosque Jacobus Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum recensitis tomo 2 pag. 713, 715 et 702 inter biographos hujus Sanctæ numerat. Denique mox assignaturus fontem, ex quo plerique sua hauserunt, hic omitto nonnullos anonymos scriptores, qui Vitam vel gloriam posthumam* S. Rosæ *litteris mandarunt.*

48 *Multi biographi supra memorati Vitam* hujus Sanctæ *hodiernæ Sanctæ contraxerunt, aut in linguam vernaculam transtulerunt ex fusiori lucubratione Latina R. P. Leonardi Hansen Dominicani, quem supradictus Echardus tomo 2 jam sæpe citati Operis pag. 705 meritis laudibus ita extollit :* Frater Leonardus Hansen, Teuto Juliaci natus, Coloniæ vero adolescens ad Ordinem adscitus, per gradus omnes magisterium ascendit; theologiam Viennæ Austriæ publice docebat anno MDCXXXVIII; exinde pluries in comitiis Ordinis Romæ pro sua Teutoniæ provincia diffinitor generalis missus annis MDCXLIV et MDCLVI, quem tum ob egregias dotes, studium præsertim regularis disciplinæ ac eximiam pietatem, socium pro provinciis Germanis allegit sibi Magister Ordinis F. Joannes Baptista de Marinis, ac paucis post annis Provincialis Angliæ titulo decoravit. Ea ratione in electione duorum Ordinis Magistrorum sequentium F. Joannis Thomæ de Rocaberti et F. Antonii de Monroy annis MDCLXX et MDCLXXVII Romæ votum tulit, apud quos eodem socii munere functus eademque in existimatione habitus est. AUCTORE G. C.

49 Vir non eruditione tantum, sed mira humilitate conspicuus, omnium sibi conciliabat affectum; solitudinis amans semper aut legebat, aut scribebat, aut orabat, donec annis gravis, integro ad ultimam usque horam sensu, cum virtutum odore piam Deo reddidit animam XXVIII Martii MDCLXXXV, ætatis LXXXII in sanctæ Mariæ super Minervam sepultus. In lucem quædam dedit Opera, quæ sequuntur : Primo VITA MIRABILIS ET MORS PRETIOSA VENERABILIS SORORIS ROSÆ DE SANCTA MARIA LIMENSIS EX TERTIO ORDINE SANCTI PATRIS DOMINICI. Romæ (typis) Nicolai Angeli Tinassi MDCLXIV in duodecimo pagg. 452; ibidem eodem anno in quarto pagg. E 360. Exstat hæc Parisiis in Regia H 1717, illa apud nostros ad sancti Honorati. Eadem Romæ apud eumdem MDCLXXX in folio. Exstat Romæ in Casanatensi. *Deinde pauca alia ejusdem scriptoris opuscula recenset.* *subministrantur*

50 *Nullam ex his editionibus Romanis habemus; sed facile vices earum supplebit editio Lovaniensis anni 1668, quam R. P. Joannes Antonius D'Aubermont ex Ordine Prædicatorum sacræ theologiæ doctor post duplicem Romanam recudi jussit, ac nobili Cæsareæ Majestatis aulico nuncupavit, ut in epistola dedicatoria videre est. Porro Leonardus Hansenius in prologo lucubrationis suæ lectorem monet, ne sterile miraculorum silentium miretur; et uberem horum appendicem promittit, ubi per Sacram Rituum Congregationem licuerit. Tum de gestis sanctæ Virginis a se collectis et edendis ita præfatur :* Interim solius Vitæ historiolam accipe ex Remissoriali (quem vocant) Processu, juratisque testimoniis fide bona extractam, quæ et plenior foret, nisi virginis Rosæ ingeniosa et cauta humilitas (de qua infra cap. V) sic pleraque studuisset abscondere, quod neque familiarium intimis, neque domesticis curiose oculatis, nec ipsi denique pervigili matri innotuerint, præter paucula ista, quæ pene furtim et quasi per rimulas notari subinde potuerunt. Itaque non nisi comperta hic damus, quæ in his capitulis tametsi totidem videbuntur manipuli, spicilegium non excedunt. *notitiæ :* F

51 *Laudatus Hansenius postea promissis stetit, et Vitæ subnexuit copiosam miraculorum appendicem, cui præfixit hanc monitionem :* Tempus tacendi, tempus loquendi pone subjungit Ecclesiastes cap. III. Bonum factum. Ne de miraculis Rosæ scriberem, huc usque tempus tacendi attinuit calamum. Nunc majorum adnutu tempus loquendi successit. Ergo quod pollicebar in prolepsi, hic præsto, adjecta hac paucorum capitum mantissa, quæ ex authenticis Processibus signorum, gratiarum, miraculorum delectum exhibeat, non plenum catalogum. Dabunt alii copiosiora. *Hactenus ignoramus, quinam alii copiosiora dederint, nisi forsan intelligatur ipsa Canonizationis bulla, in qua recentiora quædam miracula referuntur, ut postea videbimus. Etiam nescimus, an Hansenius* *nos Vitam recudimus; quam Hansenius vulgavit,*

hoc

AUCTORE G. C.

hoc loco præsignificare voluerit tertiam suæ lucubrationis editionem, quæ postmodum auctior anno 1688 Romæ prodiit, et in qua forsan plura S. Rosæ miracula recensuit. Sed hac de re nihil certi pronuntiare possumus, cum editionem illam Romanam anni 1688 variis locis frustra quæsiverimus. Itaque contenti esse cogimur hac breviore miraculorum mantissa, quæ Lovanii anno 1668 recusa est, eamque in posthuma Sanctæ gloria recudemus, et annotationibus nostris illustrare conabimur. Cum vero subinde mendosa sit editio Lovaniensis, et illam cum Romana conferre non possimus, errores typographicos interdum ex conjectura corrigemus.

relictis duobus recentioribus: e quibus castigatur Baillet.

52 Post Hansenium Thomas Soueges Dominicanus, et Adrianus Bailletus famosus recentioris Legendæ auctor Vitam ejusdem sanctæ Virginis idiomate Gallico vulgarunt, aut potius in compendium redegerunt. Sed hi nullum nobis obsequium præstare possunt : nam Souegius, qui compendiosam S. Rosæ *Limanæ Vitam anno 1696 Ambiani edidit, ac Anno Dominicano ad diem* XXX *Augusti inseruit, brevitatis causa prætermittit pleraque ejus miracula post obitum patrata, vel* B *ea generatim commemorat. Bailletus autem hypercriticus Acta illius adhuc magis contraxit, omissique fere omnibus hujus Sanctæ tum viventis tum mortuæ prodigiis, tacite innuit, ea non magnam fidem mereri. Quinimo in Legenda sua Gallica, quæ Parisiis anno 1704 impressa est, ad diem* XXX *Augusti pag. 495 col. 1 audacter asserit, eas circumstantias, quæ de jejunio vel abstinentia sanctæ Virginis narrantur, in numero rerum incredibilium remanere, quamvis omnino veræ esse possent. At cur hic Aristarchus illas rebus incredibilibus annumerat, si veræ esse possint, ut ipse fatetur, et a testibus fide dignis affirmentur? Nihil igitur auxilii nobis exspectandum est ab his similibusque recentioribus biographis, et sola restant Acta ab Hansenio ante annum 1668 conscripta, quæ jam recudemus, et consuetis annotatis illustrabimus. His tamen ad confirmationem et ampliorem notitiam in posthuma Sanctæ gloria subjungemus ipsum decretum Canonizationis ex Bullario Romano, quod cum novissimo Bullario Ordinis FF. Prædicatorum conferemus.*

C

VITA

Auctore R. P. F. Leonardo Hansen Ordinis Prædicatorum.

Ex editione tertia, quæ anno 1668 Lovanii post Romanam secundam impressa est.

CAPUT I.

Sanctæ patria, parentes, nomen, et pia pueritia.

Lima *a* meridionalis Americæ, qua mari Pacifico *b* lambitur, nobile emporium, regnique Peruani metropolis, hanc novam in orbe novo enixa est Rosam anno Virginei partus MDLXXXVI, D mense Aprili, qui, quod erupturis floribus terram aperiat *c*, ab officio nomen traxit. Hujus mensis vigesimus dies beatæ Agneti de Monte Politiano *d* virgini Dominicanæ a cælesti rore, ac diversis repente enatis floribus notissimæ sacer est, idemque Rosæ huic natalis fuit. Itaque vernant hic omnia : siquidem et progenitores Virgini fuere Gaspar de Floribus, Maria ab Oliva; ille ex insula Hispanorum oriundus, cui a Portu divite *e* nomen est ; hæc Limæ nata; uterque stirpe non ignobili, sed opibus permodicis, nisi quod ingentis opulentiæ loco fuerit tali filiola cælitus ditari.

Hæc Sancta anno 1586 nascitur Limæ in Peruvia,

et in Baptismo accipit nomen Elizabethæ,

2 Nascenti Rosæ paterna domus obtigit in vico S. Dominici, ac pone quidem juxta Ædem S. Spiritus *f*, ut vel ipse locus videatur futuræ tum sanctimoniæ tum instituti signasse præsagium. Jurejurando testata est genitrix (in Processu Remissoriali) sibi fuisse hunc partum, ut felicissimum, ita facillimum, minimeque obnoxium illis angoribus, quibuscum solebat in parturitione reliquarum prolium dirissime conflictari. Nec minus adstupuit obstetrix, ut vidit hanc infantem secundarum involucris prodire gravem, et quasi E penulatam. Nimirum sic nascuntur Rosæ, congenitis integumentis undique velut amictu paludatæ. Ipso dein festivissimo Pentecostes die (qui Hispanis *g* æque ut Italis *h* ROSARUM PASCHA dicitur) baptizata est Rosa, primoque rore cælestis gratiæ permaduit; nec tamen Rosæ nomen tunc ei impositum, sed Isabellæ sive Elizabeth; nimirum ab avia materna Isabella de Herrera, cui inter lustrales aquas videbatur is honor deberi humano more.

quod mater ejus ob prodigium postea mutavit,

3 Porro ut Rosæ nomen, divinitus soboli destinatum, post trium mensium ambages demum erumperet, prodigium exspectabatur, quod tale fuit. Quiescebat in cunis trimestris parvula, quando cum ancillula et filiabus accita mater conspexit filiolæ vultum undique opertum repanda, sed paulo post disparente rosa. Obstupuere omnes; at ceteris altius icta spectaculo mater subito complexu tenerisque osculis dissuaviavit parvulam; « Mihi (inquiens) tu deinceps Rosa diceris, et » eris; nec alio posthac nomine te compellabo » : quasi cum Præcursoris matre protestaretur his Ambrosii verbis : « Habet vocabulum suum, F » quod agnovimus, non quod elegimus. » Rem tamen indigne tulit avia; doluit, suum nomen in tenera nepte sic obliterari, ac fere despici; unde placando huic jurgio nec annorum lustrum satis fuit, donec tandem controversiæ finem imposuit Sacramentale Chrisma, quo sanctissimus Limensium archipræsul Turibius *i* in parochia loci Quivi, dum Rosæ illiniebat confirmationis signaculum, omisso baptismali nomine, Rosam pronuntiare maluit, cujus fortasse jam tunc fragrantiam senserat in spiritu, quo plenus erat. Sane videbatur eum unctio docuisse de omnibus, ut neque errare posset in Rosæ nomine, cui exinde pariter et avia adquievit.

ita ut primum appellaretur Rosa,

4 Verumtamen lapsis aliquot annis, de Rosæ nomine aliam indixit litem ipsamet Virginis pavida conscientia, nimirum ut ita præberetur occasio locusque cælesti oraculo, quo Rosæ nomen ultimo erat confirmandum. Res ita evenit. Creverat puella, jamque suimet per ætatem compos, ut rescivit, se neutiquam in baptisterio sed in cunis traxisse hoc succedaneum nomen, suspicata est pro solo vanitatis lenocinio forsitan hoc sibi inditum fuisse nomen, quo vultus sui commendaretur

A. LEONARDO HANSEN.

A mendaretur forma ac venustas. Itaque hoc scrupulo saucia, et animo inquieta, sacellum Dei Genitricis in æde FF. Prædicatorum SS. Rosario dicatum adiit; illic lacrymose procubua misericordiæ Matri angorem suum exposuit, remedium poposcit. Nec Virgo rosa mystica virgunculam Rosam distulit consolari : siquidem in alto, sed inexplicabili intimæ illustrationis radio, pavidam affata, docuit, mire hoc suum nomen probari divino, quem gestabat, Puerulo; se vero de suopte nomine hoc insuper adjectum ei velle auctarium, quo ROSA A S. MARIA in posterum cognominaretur. Sic quæ trepidabat in nomine, firmabatur cognomine, secura et læta, quod utrumque cælitus datum possideret.

cui deinde cognomen a sancta Maria additum est.

5 Habent quidem hoc (Ambrosio teste) Sanctorum merita, ut a Deo nomen accipiant, sed qui ultra nomen etiam cognomen e cælo accipiant, raros puto. Admisit inseparatæ nomenclaturæ gratiam puella non sine excelso intimi dulcoris sensu, adeo ut die quadam a sanctissima Communione domum revertens, ardore insolito obtestaretur matrem, unicum hoc gemini favoris nomen Rosæ a sancta Maria sibi quam creberrime repeteret, ac frequentius occantaret; illo B se mirifice posthac delectari, mulceri, colliquescere. Hærebat parens mirata novitatem. At subjecit Virgo, nunc nunc redire se a pedibus Magnæ Deiparæ, huic rem cordi fuisse, hujus benedictione, et materno auspicio suam animam transisse in Rosam florido Jesulo Nazareno sacram; proinde si aliquando suspectum sibi fuerat Rosæ epitheton, jam illud in tuto esse, utpote divinitus approbatum; ideo frequenti hujus gratissimæ compellationis auditu velle se sui tum nominis tum officii sæpiuscule admoneri. Reliquum, quod sibi in illa sacra Communione acciderat, Virgo humilis verecunde subticuit, matrique sat fuit, Rosæ nomen, quod infanti prima imposuerat, cælo placuisse.

Puelle adhuc teneræ præbet indicium k

6 Sanctæ Catharinæ Senensis infantia ac pueritia tam dulcis omnibus ac blanda fuisse legitur, ut non Catharinam, sed Euphrosynam *k* plerique cœperint appellare. Eadem infanti Rosæ fuit indoles quieta, suavis, lepidula, et continuo serena, ut commune dumtaxat gaudium totius C domus videretur. Observarunt domestici, numquam in fasciis parvulam voce querula, aut stridulis vagitibus ædium turbasse silentium, numquam plorasse, nisi quod semel, cum mater nobilem matronam visitans foras extulisset Rosam, compesci a planctu non potuit, quoadusque ex aliena in propriam domum referretur, quasi jam tunc nosset publicum fugere, et aversari; unde ex tunc constituit parens infantem placidissimam deinceps, cum exeundum foret, secum non exportare.

futuræ sanctitatis ac patientiæ,

7 Trimula erat, quando in tenerrima indole promicare cœperunt supra ætatem robusta virtutum specimina. Et primum quidem tolerantiæ fuit animique inter dolores impavidi, fortis, tranquilli, ut liqueret Rosam esse, quam spinæ nec terrent, nec terunt, aut dejiciunt. Accidit, quod prægrandis arca dum incaute propereque clauditur, dextrum Rosulæ pollicem fortuito corriperet. Advolavit turbata mater, sed dissimulabat tranquilla filiola dolorem, abscondit manum, donec post dies aliquot putresceret sub unguiculo emortuus sanguis. Advocatur chirurgus, isque ut læso articulo tumidum pus educeret, acribus remediis totum pene unguem absumpsit, demum et unguiculi residuum, lento ac violento forfice radicitus avulsit. Vidisses immotam sub his cruciatibus Rosam, acsi non suus esset pollex, cui toties ferrum insæviebat. Obstupuit præ aliis Joannes Perez de Zumeta (id erat chirurgo nomen) haud capiens, unde tantillæ Virgunculæ tanta in iis tormentis obduruisset constantia : nam toto illo acerbissimæ curationis tempore nec gemitum ediderat, nec umquam expalluerat ad styli, sanguinis, novorumque vulnerum aspectum. Nondum Rosa quadrimula erat, cum mordax suppuratio in ejus auricula succrevit. Rursus igitur chirurgi manu, ac post lene emplastrum, denique et ferro opus fuit. Rosa, dum exesæ cartilaginis pars vitiata præscinditur, ea vultus animique firmitate vulnus excepit, qua nec intueri adstantes poterant sulcantem novaculam. Fluebat sanguis in humerum, nec Rosa exhorruit tincturam suam.

dum horridum chirurgi ferrum

8 Quadriennium vivendo expleverat cum summam capitis sui cutem species quædam impetiginis cœpit obcrustare. Mater obvio, sed imperito suasa consilio, modicos pulveres inspersit effectu plane improspero : nam ii, utpote olentes Hermeticam *l* pyxidem, affectas partes caustica sua acrimonia rodebant ita immaniter, ut certis in- E tervallis toto corpusculo tremuisse puellam tacite notarint domestici. Nec tamen hic jugis, et acerrimus dolor ab ea, vel minimum potuit exprimere gemitum aut molestiæ indicium, nisi quod a matre interrogata de dolore, cum totum negare non posset, modicum ac toleratu facilem esse respondit : sicque in iis tormentis cum sua matre pernoctavit silens, immota, quietissima.

aliosque cruciatus invicto animo sustinet.

9 Sed anxia parens, postridie revulso leniter cataplasmate, inhorruit, videns filiolæ verticem hinc bullis turgidum, inde fossulis profunde ulceratum, et « O (inquit) misera, siccine to- » tam hanc transegisti noctem sub hujusmodi » cruciatus voraci ardore? » Tacuit Rosa, nec urgenti aliud umquam replicuit, quam stetisse intra mediocritatem suos dolores. Accitus deinde chirurgus, plagæ sanandæ novæque cuti inducendæ quadraginta duos continuos insumpsit dies, tormento vix mitiori, quam quo prima nox Virginem lancinarat. Sed neque tunc Rosæ defuit par dolori tam moroso constantia, quantam ab illa imo ab ulla ætate sperari posse chirurgus dif- F fidebat. Idem Rosæ jam sexennis patuit robur sub ejusdem chirurgi forcipe, cum sibi ex intimo nare eximendus fuit phaseolus *m*, tertio demum tractu erutus. Dixisses hanc indolem uni patientiæ natam. Sed rudimenta hæc erant ac tempestiva præludia animi corpusculum proprium ceu alienum tractaturi. Superest, quod reliquam ejus pueritiam cursim delibemus.

et tantum quinquennis,

10 Rosæ quinquenni et adhuc inter pueritiæ infantiæque confinia constitutæ, notitia ac timor Dei sese insinuavit modo prorsus admirabili; quia inter ludos. Res ita contigit : Lusitabat cum ea natu major germanus frater, isque (casu an studio, incertum) luto imbuit rutilam pulcherrimamque innocentis puellæ cæsariem. Jocus erat, ac puerilis ridendi materies; at non ita placuit Virgunculæ, quam non contemptus, sed sordes offendebant. Itaque ludum abrupit; cui mox frater : « Hem (inquit) soror mea, si te » deturpati capillitii tui injuria tam serio affligit, » scito, cultos puellarum cincinnos inferni ru- » dentes esse, quibus illaqueantur juvenum in- » cautæ animæ, ut in gehennam æternam detra- » hantur. Ergo puta exosos Deo capillos, quos » tu amare videris. » Hæc ludibundus puer gestu

A. Leonardo Hansen.

stu velut concionatorio profatus, repetebat ludum; at puellæ animum altius hæc verba, quam pro dicentis impetu, suæve ætatis modulo penetrarunt; nec verba erant, sed tonitrua: nam repente mens illa capacissima simul immensum concepit horrorem inferni, simul apprehendit vastitatem æternitatis, simul divinam attentius reverita majestatem ponderabat secum omnis peccati fœdam infelicitatem.

accepta singulari divinitatis cognitione,

11 Hinc subito in se reducta cœpit odisse suosmet capillos, firmare animum adversus omnes offensas Dei, detestari occasiones, quæcumque inferno militarent; denique ordinato agmine tunc immigrarunt alta Dei æstimatio, filialis timor Numinis, cura salutis, abominatio peccati. Quis tot tamque seria exspectasset e ludo ac luto? Verum sub eodem radio progressa ulterius Rosa limpide agnovit, Dei auxilium sibi fore et necessarium, et jugiter implorandum. Hinc statim exarsit in ipsa conatus orandi, qui et formulam dictavit jaculatoriam, hanc videlicet: « Jesus sit benedictus. Jesus mecum sit, » Amen. » Dulcescebat exinde in corculo Virginis hic precandi modus, ut ab ea frequentanda
B nec dormiens cessaret, usque adeo nimirum Dei præsentia jam sensus Rosæ interiores undique occuparat.

perpetuam virginitatem

12 Demum sub hac tam præmatura ac sublimi Dei notitia quinquennis Rosa sensit, apertius trahi se ac præparari ad S. Catharinæ Senensis excelsa tirocinia: siquidem hujus exemplo confestim et ipsa virginitatis votum emisit inter hæc primula tenellæ ætatis crepuscula, quinto nimirum ætatis anno; quin et postea ejusdem Seraphicæ virginis imitatione sibimet capillos ad vivam usque cutem, inscia matre, præscidit, ne quid superesset funium, quibus contra juratum virginitatis propositum aut traheret, aut traheretur ad nuptias: jam enim satis didicerat ex ludicris, luti inquinamenta suo capillitio quandoque etiam serio posse insidiari. Hic igitur puerilis sui lusus et crepundiorum exitus fuit, ut mirabilis, sic felicissimus: nam rarus est hic gratiæ tractus, qui Rosam ab innocentibus jocis unico subitoque passu deduxit in illam maturitatem judicii, quo simul nosset æstimare Dei celsitudinem, æternitatis pretium, et virginei floris arcanam
C prærogativam.

Deo vovit.

13 Unum hic prætereundum non est, quod, qui deinde Virginis conscientiam moderati sunt, prudenter conjecere, superna hæc gratiæ allectamenta ipsi obtigisse sub illo primo usus rationis diluculo, quo juxta veriorem theologiam quilibet in Deum finem ultimum sese tenetur convertere pro suæ capacitatis modulo. Utut sit, Rosæ non tam diluculum fuit quam meridies, dum sic illustrata præferbuit et viam elegit quam debuit; attamen longe majus fuit, a via, quam elegerat, numquam postea ullius noxæ gravioris admissione per totam vitam exerrasse, quod ut iidem sui confessarii concorditer asseruerunt, ita patulum fiet ex iis, quæ sequuntur.

ANNOTATA.

a Lima *est celeberrima novi orbis civitas, quæ ab Hispanis vernacule* ciudad de los reyes, *id est* civitas regum, *vocatur. Joannes de Laet lib. 10 Indiæ occidentalis cap. 22 fusius illam urbem describit, et Franciscus de Echave in Opere de S. Turibio archiepiscopo Limensi, quod Antverpiæ anno 1688 Hispanice impressum est, novam ejusdem emporii ichnographiam repræsentat.* D

b *Mare pacificum novam Hispaniam et Peruam alluit. Idem est, quod mare Meridionale et Austrinum; sed latius extenditur, nempe usque ad terras Australes, novam Guineam et archipelagum sancti Lazari versus mare Indicum, sicut Baudrandus affirmat.*

c *Collector Vitæ hoc loco alludit ad sequens Ovidianum carmen:* Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

d *Majores nostri ad diem 20 Aprilis Acta hujus sanctæ Agnetis illustrarunt, ubi tomo secundo istius mensis pag. 796 miraculum de floribus in loco orationis ejus cœlitus inventis refertur. Canonizata est a Benedicto PP. XIII.*

e *Teste Baudrando,* Portus dives *est insula ampla Americæ Septemtrionalis, quæ ab Hispanis* la isla de Puerto rico, *et ab incolis* Boriquen *appellatur. Præcipuam vero et cognominem hujus insulæ urbem laudatus Baudrandus assignat his verbis:* Urbs Americæ Septemtrionalis episcopalis sub archiepiscopo sancti Dominici, munita cum arce duplici et portu capaci in parte Septemtrionali insulæ cognominis in parte boreali. Capta E
fuit et vastata ab Anglis anno 1595 et iterum a Belgis unitis anno 1615. Subest autem dominio Hispanorum, et dicitur etiam Fanum sancti Joannis de Portu divite. *Supra citatus Joannes Latius lib. 1 Indiæ Occidentalis cap. 1 et 2 originem, situm, et variam fortunam hujus insulæ ac urbis fuse describit.*

f *In supradicta civitatis Limensis ichnographia vicus S. Dominici et nosocomium sancti Spiritus, quod pro nautis ægrotantibus exstructum est, non longe ab invicem dissita assignantur.*

g *Pentecosten ab Hispanis vernacule* Pascua del Espiritu santo *communiter appellari audivi. Sed Dominica Palmarum, quam Galli vulgo* Pâque-fleurie *vocant, ab Hispanis* Pascua florida *vel* Domingo de Ramos *nominatur. An autem festum Pentecostes etiam apud ipsos interdum* Pascha rosarum *dicatur, ex indigenis aut copioso eorum Dictionario, non ita pridem edi cœpto, discere cupimus.*

h *Veneroni in Lexico suo Italico testatur, Pentecosten ab Italis vernacule* Pasqua rosata *vel* Pasqua di Maggio *vocari. Hinc biographi allusio* F
ad nomen S. Rosæ, *et hoc epitheton* rosata *saltem in idiomate Italico satis apta est.*

i *Hic venerabilis archiepiscopus Limanus die 23 Martii anno 1606 obiit, quem Innocentius XI Pontifex anno 1679 primum Beatis, ac deinde Benedictus XIII Sanctis adscripsit, ut apud illustrissimum Fontaninum in Codice Canonizationum pag. 578 et sequentibus videre est. Hinc patet, Majores nostros non potuisse Acta hujus sancti præsulis illustrare, cum judicium Sedis Apostolicæ illis exspectandum fuerit. Id itaque faciendum erit in supplemento Operis nostri ad diem 27 Aprilis, quo nunc in Martyrologio Romano annuntiatur.*

k *Biographus hoc loco alludit ad vocem Græcam* εὐφροσύνη *vel Dorice* εὐφροσύνα, *quæ* lætitiam *significat. Hinc etiam fortasse nomen acceperunt nonnullæ Sanctæ, quæ in Ecclesia Catholica coluntur.*

l *Cum Mercurius a Græcis vocetur* Ἑρμῆς, *ex illo nomine Græco hic adjectivum* Hermeticus *Latina inflexione compositum videtur, ita ut* hermeticus *idem sit ac* mercurialis. *Cum porro chymistæ argentum vivum per metaphoram appel-*

lent

A *lent* Mercurium, *ex sensu suspicor, hic per* pulveres hermeticam pyxidem olentes *indicari remedium mixtum argento vivo, cujus apud medicos et chirurgos frequens et jam passim notus est usus.*

m Phaseolus *aut* fasciolus, *ac etiam* faselus *est genus leguminis, quo lexicographi pisa vel fabas intelligi volunt. Ex adjunctis arbitror, hic significari tuberculum in naribus exortum, quod forsan metaphorice* phaseolus *a chirurgis vocatur, quia similitudinem pisi vel fabæ refert. Sic excrescentia cancrosa in naribus appellatur* polypus *a similitudine animalis, quod hoc nomen habet, ut Sennertus tomo 2 Operum medicorum pag. 347 ex Galeno tradit.*

CAPUT II.

B *Magna sanctæ Puellæ erga parentes reverentia, mirum obtemperandi studium, et laboriosa pro iis solicitudo.*

In concursu duorum præceptorum, quo simul honorare patrem et matrem, simul Deo magis quam hominibus obedire justum jussumque est, Rosæ frequenter ingenio et solertia opus fuit, ut neutrum offenderet. Trahebat cælestis Sponsus electam sibi Virginem per arcanas sanctimoniæ ac perfectionis semitas : ex adverso trahebat rudis et cruda mater Filiam morigeram ad pompas nugasque seculi, ad vanos corporis ornatus, ad mundi commercia. In his biviis, plusquam humanæ artis fuit, incolumi utrimque obedientia neque a Sponsi ductu vel latum unguem deflexisse, nec tamen abivisse umquam a maternis præceptis in Sponsi sequela.

Dum mater S. Rosam invitam

15 Accidit, quod coram honestis matronis Rosa, præsente genitrice, importunius rogaretur suo capiti circumdare textum e floribus sertum, quod illic forte odoris gratia in medio positum cunctis arridebat. Verecunde renuit modesta Virgo : C instabant molestæ feminæ, quibus complacitura mater jussit edicto parere filiam. Quam putas luctabatur hic cum obedientia vani ornatus pudicus horror! Vicit nihilominus Rosæ ingenium : nam serto clam ab ima parte suffixit oblongam acum, sicque corollam latenter aculeatam suo capiti non tam imposuit, quam impressit, validequе impegit, ut sibi non nisi tormentum esset, quod ornamentum aliis videbatur. Nimirum obedivit matri; at simul currebat in odorem Sponsi spinis coronati. Latuisset perpetuo nobile hoc stratagema, ni postea manu aliena sat operose extrahenda fuisset acus, quæ sub florido blandimento profunde sævierat. Incertum tamen, acus an ornatus exosi circuli dirius pupugerit Rosam, spinis quam sertis amiciorem.

corpus ornare

16 Aliud. Affectabat muliebri studio mater Filiæ manus vane poliri, ad delicati candoris elegantiam ac nitorem. Huic usui singulare genus suaveolentium chirothecarum emerat, ut iis more femineo Rosa saltem gestatione nocturna cogeret suas manus in adscititiam venustatem. Dixisses, non Virgini chirothecas, sed victimæ sartagines et ignem apparari, adeo exterrita diriguit, ingemuit, hæsitavit; donec ferocius materno compulsa imperio obtemperavit, munusque invisum admisit. Optabat numquam fieri noctem, ne sibi lectulus adeundus esset cum tali manuum obvolucro. Adrepsit tamen necessaria dormitionis hora, exstinctum est lumen, et pavida Virgo primum soporem vix libans, quas chirothecas induerat, pyrothecas *a* sentire cœpit. Videbantur fartæ Mulcibero : nec videbantur solum; sed reipsa urebant, torrebant, assabant utramque manum. Adstupuit novo huic frixorio inexperta Rosa, gaudebatque adesse licentiam, qua manus tormento tam noxio eximeret. Exemit, viditque luculentis e chirothecis promicare flammas; his denique totum collucere cubiculum, imminere palam incendium : at iis procul abjectis, mox ardor, flamma, cruciatus evanuit, et Rosa miræ suavitatis refrigerio cælitus perfusa dulcissime conquievit. Mane facto, crudeles chirothecas matri placidissime restituens, totam rei seriem candore simplici exposuit, manus fibratim ambustas ostendit, ac, ne deinceps ad hujusmodi revocaretur supplicia, obnixe rogavit. Verum incredula mater, dum pium hic Filiæ E commentum suspicatur, curiosius utramque inspexit manum, quas ut revera pustulatas, ustulatas, torridas comperit, ut contrectavit, demum adtremuit, desiitque in posterum Filiam obedientissimam ad eadem incendia durius invitare.

et vanos seculi mores imitari jubet,

A. Leonardo Hansen.

17 Verumtamen induciæ fuerunt istæ, non sincera pax : nam mater ad alias artes brevi conversa, nunc tentare Filiam, puellari usu se comeret, ut collo monilia, brachiis armillas, vultu cerussam pro more regionis admitteret; nunc instare severius, ut saltem formosam (qua tunc rutilabat adhuc) cæsariem erigeret calamistris, ut bysso, fimbriis, cæteroque cultu nonnihil sese ampullaret, fuco ac linimentis roseam oris pulchritudinem gratiose accenderet, gestu, habitu, illecebris nativi decoris juvaret honestatem; demum objurgare, percellere, cædere innocentem, quod rudis, incompta, et incomposita supino ac nimio mundi muliebris neglectu abiret a seculi genio, quod infra coæqualium sortem vilissima singularitate descenderet, quod spem opulenti splendidique matrimonii, quo ipsam natura formæque præstantia vocabat, ultro hypocrisi abjectissima corrumperet, sordideque præfocaret. F Sed Virgo memor propositi, ac suæ pulchritudinis obtundendæ, quam acuendæ, solicitior, hæc omnia defixis humi oculis excipiebat invicto silentio, et quotidianam hanc crambem usu ac dissimulatione surda concoquere assuescebat, quoadusque ultima materni præcepti violentia deerat, cui refragari aut lentius parere æquale nefas putabat.

filia subtiliter excogitavit modum,

18 Visum hoc matri opportunum compendium, quidquid vellet, extorquendi; proinde cum quadam vice obtrusisset Filiæ gestandam calanticam aureo sericoque reticulo interfulgidam, una præceptum addidit, ut obediendi religionem injiceret obluctaturæ. Hic Virgo inops subitanei consilii tantillam impetravit dilationem, dum adiret confessarium, cui anxie protestata est, nisi præceptum revocaretur, se non posse non morem gerere matri hoc gestamen imperanti : malle se huic quantumvis exosi ornatus redimiculo suum illigare verticem, quam resistendo solvere jus, quo matris obligabatur imperio. Subvenit ergo cordatæ Virginis pietati simul ac nodo prudens confessarius, ac matrem e vestigio conveniens graviter

quo matri obediret,

A. LEONARDO HANSEN.

graviter dehortatus est, cessaret tandem pretiosæ vanitatis inutili molestia tentare perplexam Filiam, quam ab infantia divinus Spiritus præparaverat secretissimis instinctibus ad ratam altioris sanctimoniæ sublimitatem. Extimuit mater; sicque et iste fluctus, ne fluctuaret obedientia, sponte detumuit.

ac Deum non offenderet.

19 Excogitavit tandem ingeniosa Virgo rationem idoneam, qua deinceps et matris substaret imperio, et nihilominus reliquam de corporis sui cultu vexam redimeret. Itaque tenerrimis blanditiis genitricem obsedit, donec permissionem eliceret, qua decolorem rudemque saccum ex obvia vilique materia assumeret pro amictu, quod vestimenti genus nec immodestum est, nec inusitatum feminis, quæ a pompis, et nuptiis alienæ, sub simplicissimo cultu solitariam nituntur sectari devotionem. Hoc itaque castissimo schemate obarmavit se Rosa, ut illius præsidio a se longius repelleret omnem secularem muliebris ornatus vanitatem. Nec fefellit eventus : nam sub ejusmodi luteo, nullaque tinctura infecto corporis sui tegumento Rosa tutissime latuit, usque ad vigesimum ætatis annum, quo tandem ad B Dominicanæ togæ candorem sublevata, facile perrexit reliquas eludere pomposi luxus insidias. Semel ergo sic abdicato exclusoque mundo muliebri, haud visum Rosæ difficile, in ceteris quamquam arduis parenti obedire. Unicum hujus paradigma dabo, unde conjiciatur de reliquis.

In aliis autem rebus b

20 Canta *b* in regno Peruano locus est metalli fodinis percelebris, at putris soli exhalationibus, et algore tetro admodum insalubris. Huc jussa Rosa cum parentibus secesserat, nec multo post, noxiis illis frigoribus impar, cœpit in manibus ac pedibus dira nervorum attractione laborare. Mater vim morbi præsentissimo (ut putabat) remedio depulsura, quorumdam animalium illic frequentium hispidas pelliculas arcte circumposuit patienti Filiæ; sed addito jussu, ne injussa illas a se revelleret, aut quoquomodo submoveret. Quatriduum effluxerat, quando applicitæ curæ recordata mater, silentem Filiam interrogavit, qui valeret, quidve egisset de pellium involucris? Respondit ægra, se quidem nihilo melius ac ante valere, pelles autem ita, ut mater adstrinC xerat, immotas adhuc sibi adhærere. Mirata simplicitatem parens, dum pelliculas dimovet, videt harum mordaci ardore pustulatim Virginis carnem vesicatam, accensam, et turgidis undique tuberculis ulceratam. Tum vero attonita, « Ut quid (inquit) tot dies noctesque exegi» sti sub his cruciatibus, nec abjecisti pelles, » quæ sic te excarnificabant? » Replicuit morigera Filia : « Et nonne diserte vetueras ma» ter, ne illas absque tuo nutu deponerem? » Obedivi. »

mira simplicitate et reverentia

21 Aliquando mater exploratura tam accuratæ obedientiæ pronitatem, mandavit Filiæ, quod sericos flores, quos tunc forte pingebat acu, præpostero filorum ductu formaret contra omnem artis ideam, rectumque ordinem. Paruit Rosa; obliquavit opus, flores absolvit. Tum mater velut substomachans; « Eia (inquit) non flores, sed » monstra florum. Quid egisti? Itane oscitasti » somnolenta, dum has ineptias tam deformes » tua imperita segnities abortiret? » Cui illa respondit mitissime, pariter quidem et sibi, quamquam indoctæ, visum fuisse talem pingendi modum oppido peregrinum ac devium, nec tamen ausam aliter, quam mater præscripserat, acum filumque ducere, aut proprio arbitratu conari D in adversa; sese nihilominus esse paratissimam suere ac dissuere, quæcumque juberet mater. Quoties sibi per diem ad nendi, suendi, texendive labores redeundum erat, numquam e scrinio, semper e manu parentis acum, fila, colum, ceteraque opificio necessaria demisse postulabat, credens id deberi filiali matris reverentiæ. At hæc importunitatem rata, interdum cum bile ac nausea rejiciebat filiam ad muliebris officinæ domesticum armarium, vociferans, tot interpellationibus opus non esse, familiaris officii instrumenta ultro patere feminis laboraturis. Cui Rosa; « Malebam (inquiebat) obsequi, debito adjunge» re lucrum explicitæ obedientiæ, et materni re» spectus humile tributum una cum penso depen» dere. » Tanti nimirum faciebat etiam leviores parendi occasiones.

obtemperabat matri

22 Triennio circiter ante felicem Rosæ obitum contigit, eam ab illustri matrona D. Maria de Usategui, consorte regii quæstoris D. Gundisalvi de la Massa, e paterno domicilio invitari ad suarum ædium gratuitum contubernium. Obtemperavit Virgo, quia parentes jubebant, imo ut Gundisalvo et uxori in omnibus morigeram se E exhiberet, imperabant. Hic igitur non mutata, sed duplicata fuit obediendi occasio : siquidem humilis Rosa paterno tecto, at non subjectione exemptam se reputans, qua promptitudine domi propriæ, eadem alienæ parebat, nec solum mandatis Gundisalvi aut uxoris, sed ad nutum quoque filiarum, domesticæque familiæ, usque ad infima domus mancipia. Hujus insigne specimen habes infra cap. 5 §. TESTABATUR *c*. Ubi leges c Rosam in ipso mortis articulo morigeram Gundisalvo.

aliisque superioribus

23 Sed longe mirabilior obedientia ultra mortem. Post Virginis obitum ancillula in Limensi S. Catharinæ monasterio argenteum cochlear per incuriam perdiderat. Fundatrix, eademque cœnobii tunc præfecta, jusserat omnes perquiri angulos, excuti scrinia, lustrari singula, sicubi amissum pignus inveniretur; quæsitum ubique et diu, geminatur cum quæstione anxietas, turbantur omnia, inventum nihil. Neque jam de argento, sed de fama cruciabatur solicitudo : nam periculum erat, nequa innocens temere in furti suspicionem veniret. Itaque præfecta Lucia de SS. Trinitate ad pendulam illic Rosæ jam defunctæ F imaginem conversa, sub ingenti cogitationum tumultu erupit in hæc verba : « Audito, Rosa be» nedicta, tibi ego præcipio sub illa obedientia, » quæ mihi in hoc cœnobio debetur ab omnibus, » faxis inveniatur argentum, quod perdidimus; in » sancta veritate protestor tibi, o Rosa, tuum erit » hanc curam suscipere, ut præsto sit cochlear, » dum a vesperis redeo. » Rediit, quæsivit, circumspexit; et ecce cochlear propalam in mensa cellulæ, ubi decies fuerat quæsitum. Nempe de obedientia Rosæ jam prædefunctæ remanserat tam celebris apud omnes conceptus, tam alta præsumptio, ut crederetur, vel post mortem obeditura superiori, cui numquam in vita subfuerat, videbaturque sat esse ad imperium, quod sua illic hospitabatur imago.

ac confessariis suis.

24 Ex his quilibet facillime æstimarit, quam accurate suis confessariis obtemperarit Rosa adhuc mortalis : nam ex quo vestem S. Patris Dominici assumpserat, ab ore suorum patrum spiritualium pendebat tota, et quidquid hi vel obiter innuissent, id Virgini non mandatum, sed cæleste oraculum videbatur. Quondam post la-

chrymarum

A chrymarum prolixa diluvia capitis exinanitione languebat non sine discrimine, nec tamen solitis moderabatur vigiliis; admonitus confessarius mandavit, a media saltem nocte horas omnino quatuor somno tribueret. Conabatur ad amussim parere Virgo; sed aliter assueta præscriptum horæ punctum seu dormiendo seu evigilando attingere non potuit, idque sat fuit, ut vehementi scrupulo torqueretur, velut rea violatæ obedientiæ. Notarunt hunc Rosæ spiritum domestici, et quotiescumque roganda erat, ut fomenta suo corpusculo admitteret, aut requiem captaret, aliave se ratione sineret indulgentius haberi, subjiciebant ita mandasse confessarium, statimque Rosa sine replica plane infantiliter obediebat.

Ceterum minimos matris nutus observans.

25 Sed redeamus ad matrem. Quod Rosa bibendi vices in triduum aut quatriduum differre sit solita, ex eo patuit, quod legem sibimet indixerat, dum parentibus cohabitabat, numquam bibere, nisi quoties veniam rogata mater expresse annuisset; quod si licentia in experimentum virtutis negabatur, plerumque in aliud triduum fraudabat sitim, non prius bibitura quam mater annueret : imo et questa est, ab ea sibi hanc B veniam non crebrius denegari. Porro reliquam ipsius erga parentes observantiam, amorem, pietatem nulla satis capit historia : quam solicita jugiter sategerit, ut genitorum suorum inopiæ provideret ex labore suarum manuum; quam officiosa, ut iisdem ex morbo decubuis ministraret, adsisteret, pharmaca, ceteraque necessaria compararet; quam denique attenta ac sedula, ut domesticas illorum præverteret offensas, placaret animos, mitigaret afflictiones, singulæ propemodum testantur paginæ in jurato Processu.

indefesso manuum labore,

26 Quæstor Gundisalvus (de quo supra, et frequentius infra) tacitus mirabatur exhaustam viribus Rosam, ac diurnis operibus extreme lassam, nihilominus in mediam usque noctem labori manuum insistere. Quæstoris conjux, ut semel infirmam vidit fatiscere, totoque latere imbecillem ac stupidam vix trahendo spiritui sufficere, graviter hortata est, labenti corpusculo tunc saltem ab iis laboribus tantillum vacationis indulgeret. Reposuit operosa Virgo, se parentum suorum necessitatibus absque scrupulo deesse non posse.

et solerti industria

C 27 Mirabilius est, quod Ludovica Urtado de Bustamante, vidua Bartholomæi Alphonsi de Lombrera vexilliferi, asseverat in Processu, Rosam tot sanctis exercitiis interdiu noctuque districtam, tot affatim morbis impeditam, tot supernis raptibus crebro absorptam, unico tamen die tot laborum pensa solitam absolvere, quot alia quævis etiam celerrima, peritissima, vix integro quatriduo absolvisset : et ne putemus ob tantam festinæ Rosæ velocitatem, (ut fit) hiulca, manca, imperfecta prodiisse opera; affirmat præ aliis testis sexagesimus octavus, illa singula tam consummatæ fuisse perfectionis, elegantiæ, curæ, ut plerumque metas humanæ artis et industriæ viderentur excedere.

egestatem parentum suorum sublevare conabatur,

28 Neque hic stetit anxius amor ac solicitudo filiæ, conantis omni ingenio parentum egestatem sublevare. In domestico horto areolas discreverat sativis violis cura sua manuque excolendis, quas simul, ut maturuissent, fasciculatim collectas ancillæ dabat venum exponendas; lucellum qualecumque illud matri afferebat. Interrogata aliquando a viro religioso (teste vigesimo primo) quantum commodi suis parentibus ex tenui isto flosculorum mercimonio accederet, respondit, illud quidem permodicum esse, ni Sponsus cælestis aliunde miris, at arcanis, modis suppleret.

A. LEONARDO HANSEN.

eos ægrotantes obsequio juvabat.

29 Si quando patrem aut matrem dejecisset corporis ægritudo, nil Filiæ antiquius, nil sanctius, nil solemnius erat, quam, sepositis omnibus, decumbenti servire, medicinas conquirere, suis manibus parare, inferre, bolatimque porrigere esculenta, refrigeria adaptare, applicare lenitiva. Tunc noctes transigebat insomnes, assidebat lectulo, stratum componebat, agebat omnia, præteribat nihil, quod solatium adferre posset. Interim precibus, gemitibus, suspiriis pulsabat ad cæli fores; neque incassum. At hoc commodius miraculorum historiæ reservetur. Unicum istud singularissimæ pietatis erga matrem, et extremæ commiserationis specimen sileri hic minime debet. In ultimo vitæ jamjam fugientis articulo, Rosa dolentem genitricem juxta se conspicata, neque ignara, quam immaniter hanc exanimaturus esset proximus ex Filiæ morte dolor, rogavit Sponsum, (isque ultimus precantis anhelitus fuit) matrem immodico mœrori imparem, ac facile succubituram, robusto E firmaret solatio, adque fatalem hunc ictum miseram obduraret suavipotenti manu.

et afflictos consolabatur.

30 Factum est, ac abundantius quidem, quam moribundæ Filiæ solicita pietas flagitarat : simul enim ut Virgo spiritum reddidit, matrem superne tanta solatiorum diluvia inundarunt, ut sub juramento fassa sit, diu cor suum capiendæ huic dulcedini augustum laborasse sub quadam tempestate gaudiorum, ac velut pectoris intersepta perrupturum, anhelis subsultasse tripudiis, ita quod in eodem Rosæ morientis conclavi quærendus sibi fuerit secretior angulus, in quo liberius sub tantæ lætitiæ suavissima divulsione palpitans respiraret. Cum vero in vicinum inde cubiculum vocaretur, sive a cadaveris tristi dimovenda spectaculo, sive ut cum aliis videret Aloysiam tunc forte rigentem in extasi, ire distulit, ne angulum suum tanti jubili conscium præmature desereret. Numquam sane officiosissima Rosæ pietas aut sollicitius, aut lautius refecit matrem.

ANNOTATA.

a *Hic alluditur ad duas voces Græcas* χεὶρ *et* πῦρ, *quarum prima* manum *altera* ignem, *significat. Unde dicit, sanctam Virgunculam* chirothecas, *quas jussu matris induerat,* pyrothecas *sensisse, id est, illas ex thecis seu tegumentis manuum thecas ignis factas esse. Biographus alibi sæpius adhibet alias hujusmodi allusiones et antitheses, quas eruditus lector facile observabit, quamvis de illis expresse non moneatur.* F

b *Non invenio in Peruvia locum* Canta *appellatum, nisi forte sit* Guanta *pagus Indorum, de quo Joannes Latius lib. 10 Indiæ Occidentalis cap. 28 meminit. Cum tamen locus ille dicatur hic* metalli fodinis percelebris, *verosimilius indicatur* Guanca *cognomento* Velica, *e cujus fodinis decies centena millia pondo hydrargyri vel argenti vivi quotannis eruuntur, et terrestri itinere Limam deducuntur, ut proxime citatus Latius lib. 10 Indiæ Occidentalis cap. 29 asserit.*

c *Eruditus lector observet, caput illud, quod hic citatur* quintum, *apud nos esse* quartum, *et sic deinceps editionem nostram uno Capite Hansenianam præcedere, quia duo priora Vitæ Capita nimis brevia in unum conflavimus. Hoc pro similibus citationibus, quæ postmodum occurrent, semel*

A. LEONARDO HANSEN.

semel monuisse sufficiat. Porro specimen obedientiæ hic assignatum apud nos infra num. 50 refertur.

CAPUT III.

Imitatio beatæ Catharinæ Senensis, et ingressus in tertium Ordinem sancti Dominici.

Dum S. Rosa renuit inire matrimonium. a

Variæ ac sine numero sunt viæ, anfractus, itinera, quibus æterna Sapientia selectas animas in sublime perfectionis cacumen facit eluctari. At eidem placuit electam Rosam de S. Maria peculiariter per seraphicæ Catharinæ *a* compendia ducere; quando vel maxime humana prudentia (plerumque inidonea spirituum ponderatrix) importune Virginem ad alias vocationum semitas divertere conabatur. In primis haud absurda spe tumida mater, jam a teneris filiolam nobili atque honestissimo connubio destinarat: B nec abludebant proposito egregia formæ venustas, acre judicium, suavitas erectæ indolis, moresque ad omnem civilitatis gratiam apprime tum facti, tum eruditi.

cui mater illam destinabat,

32 Ex adverso credebat innocens Rosa, tempestivo (de quo supra) capillorum excidio, ut quondam S. Catharina de Senis, amputasse spem matris, ac nuptiarum tendiculas; nec segnius interea pergebat sui vultus roseum decorem jejuniis deterere; eximiam corporis habitudinem facco pannoso deformare, publicos conspectus sugere, et, ne hominum placeret obtutibus, domi latere; adeo quod toto illo quadriennio, quo cum parentibus in Canta morabatur, nec pedem ultra domicilii limen extulerit, nec vicinum deliciarum hortum videre dignata fuerit, nisi quod semel dumtaxat ibidem, ad invisendas Indicarum operarum molas, jussa fuit matronarum filias comitari; quo ut pervenit, unico semper angulo immota consedit, nullo abrepta famosæ curiositatis spectaculo. Verum ne sic quidem effugere sat potuit, quin complures tum celebri virtutis opinione, tum pudici vultus majestate in sui admirationem, mox et honesti thalami ambitum C invita accenderet.

acriter objurgatur.

33 In his matrona quædam, genere et opibus clara, uni filio suo Rosam conjugem, sibi nurum, vehementer optabat, utique felici commercio plus bonorum adeptura, quam datura cum hærede filio. Placuit utrimque tam lauta conditio, præsertim quod Rosæ parentes ut facultatibus tenues, ita graves erant multitudine prolium: nam undecim numerabantur. Solus deerat consensus Virginis, quam voti sui memorem omnis mentio nuptiarum exanimabat; nec tamen impedimentum, quo lubens volens tenebatur, austeræ matri audebat detegere. Inde quos quantosque insultus, quæ domestica prælia, probra, convicia a parente, fratribus, agnatis sustinuerit æquanimis, at inermis Filia, nemo ad vivum propius aut comprehenderit aut æstimarit, quam quisquis ad sanctæ Catharinæ Senensis historiam respexerit, ubi Lapa mater tenacem propositi virginem inclementer objurgat, premit, exagitat, nisi quod in Rosam ultra verba, etiam verbera, calces, alapæ sævierint. Prævaluit tamen apud constantissimam puellam idea Seraphicæ magistræ suæ (ita virginem Senensem appellare consueverat) quam a teneris elegerat statu, habitu, D moribus imitandam; prout diserte in Processu testis sexagesimus octavus asseverat.

eique in novo S. Claræ cœnobio

34 Videbantur in hoc unum conspirasse omnia, ne Rosa Tertiariarum assequeretur habitum, quem tot votis ambiebat, tot suspiriis, tanto lachrymarum sumptu licitabatur: nam ecce alia oblata est religiosi instituti via, quæ quidem Rosæ displicere neutiquam potuisset, nisi unice ad S. Catharinæ Senensis alta vestigia fuisset cælitus destinata. Consurgebat illis diebus Limæ novellum S. Claræ monasterium, totius sanctitatis, rigoris, atque observantiæ sacrarium, auspicante illustrissima D. Maria de Quinnones, cui avunculus erat ille ipse famigeratissimus Dei servus, Limensium archiepiscopus tunc superstes, D. Turibius Alphonsus Mogroveio, de quo supra. Neque hujus incomparabilis viri admiranda sanctitas, pastoralis zelus, numerosa miracula ignorantur Romæ in Sacro Rituum Senatu, ubi de illius apotheosi pridem ac strenue agitur *b*. *b*

locus offertur;

35 His, inquam, auspicibus formabatur recens monasterium, et ultro invitabatur velut ad dignissimum tali flore plantarium Rosa, jam inter primas ejusdem fundatrices nominatim electa, censa, approbata. Quod ubi certius rescivit, ante omnia sategit explorare divinæ voluntatis E beneplacitum, suæque vocationis mysterium supremo Arbitro cernua commendavit, non recusans pro asylo suæ virginitatis, et coævo sibi strictioris vitæ desiderio arctissimam oblati cœnobii clausuram, arduumque vivendi genus amplecti; maxime, quod experimentis jam didicerat, vix aliter se importunas procorum molestias, parentum, fratrum, domesticorum adsultum, mundique immundi conspectum evadere. Sed en arcanum cælestis providentiæ obstaculum a matre fuit. Putabatur hæc prima omnium consensura, sive ob tanti archiepiscopi reverentiam, sive quod onusta prolibus, Filiam sine dote posset decentissime accommodare. Obstitit tamen, causata domus inopiam, quam Rosa manuum labore sustentabat. Obstabat simul ætate morbisque fatiscens avia, cui decumbenti unica a fomentis erat, assiduoque ministerio. Obstabant demum alia, providente Numine, quod florido S. Patris Dominici viridario hanc Rosam incomparabilem per tot ambages reservabat. F

sed ex voluntate divina,

36 Hoc ut magis innotesceret, binis e cælo prodigiis opus fuit; primum hoc ordine evenit. Qui Rosam viderant adeo cælestium avidam, adeo spiritualibus exercitiis, solitudini, macerationis corpori addictam, et seculi pertæsam, suadebant identidem alicujus monasterii ingressum, quo liberius vacaret Deo. Idem probavere demum confessarii, urserunt viri graves, et spirituum magisterio spectabiles, quorum concordi judicio ut suum Rosa humiliter submitteret, conscia et annuente avia, successum tentavit per germanum fratrem, divino interim (ut supra) arbitrio se remittens. Jam in SS. Incarnationis monasterio, (quod sub regula S. Patris Augustini militat) a sanctimonialibus Rosam exoptantibus, admissionem locumque internuntia fratris industria impetrarat, nilque deerat, quam ut relicta paterna domo, clam sine pompa ac strepitu ad cœnobium recta pergeret, valvis patulis admittenda, candidisque ibidem liliis interserenda. Ergo, proxima Dominica die ad pium hoc sui furtum electa, in viam se conjicit, unico germano suo lætissimi itineris assumpto comite, ac pone juxta S. Dominici vicinam ecclesiam transien,

A iens, in eam divertit cum fratre, ut illic in divæ Virginis sacello (cui a Rosario nomen et cultus est) maternam augustissimæ Deiparentis benedictionem, velut opportunum suæ profectionis viaticum præsumeret, exinde reliquum viæ alacrius decursura.

quæ declarata fuisse dicitur

37 Ceterum vix ad orationem humi genua fixerat, cum sensit pavimento sese immobiliter acclavatam. Sic hærentem et ultra condictum morosius cunctantem interpellavit frater, eundi tempus esse, longiori orationi commodius in monasterio spatium fore. At Rosa, quod loco movere se neutiquam posset, erubescens, unaque dissimulans, tentabat subinde, si quo modo re tanti prodigii secretissimo retinaculo explicaret. Interea bis, ter, ab ecclesiæ porta reversus frater cunctantem increpuit, moræ periculum exaggeravit, surgere conanti brachium subjecit: connituntur ambo, sed incassum. Rupem dixisses adnatam solo, aut ingentem plumbi massam, nulla trochlearum vi attollendam. Intellexit Rosa mysterium, nempe ex decreto cælestis Sponsi non esse, quod ipsa populosissimi illius B monasterii optato receptaculo furtim sese abderet, aliud de genere sui instituti provisum esse in secreto æternitatis consilio: denique summa rei erat, quod solius Catharinæ Senensis vestigia Rosam exspectabant spinis sepiendam. Igitur ut erat immobilis, ad S. Rosarii clementissimam Reginam conversa; « Promitto, inquit, tibi, me » recta ad matrem hinc redituram, ædesque pa» ternas, quoad jusseris, habituram pro ascete» rio. » Mirum dictu! repente quæ plumbum fuerat, se plumam sensit, nemine adminiculante surrexit, domum repetiit, matri ingenue rem, ut erat, detexit, proque monastica aliud clausuræ genus (quod cap. x referetur) de consensu parentis adinvenit.

per duplex miraculum

38 Alterum prodigium. Limanus ager ut psittacos, ita papiliones gignit, colorum varietate ac elegantia plane mirabiles, ut fere de utriusque gloria hi cum illis certare videantur. Forte Rosa in Seraphicæ magistræ suæ bicolori habitu attentius defixa, secum de capessendo Dominicani Ordinis amictu deliberabat anceps; cum ex iis papilionibus unus, solo nigro alboque colore pulcherrime striatus, leni, sed minime fortuito, C allapsu Virginem festive circumvolitavit; illa confestim rapta in mentis excessum, perspicue intellexit, quod animo dudum agitarat, nempe divinum id esse responsum de tertio habitu Prædicatorii Ordinis tandem assumendo.

statuit imitari S. Catharinam Senensem,

39 Nec fefellit eventus jam securam: nam paulo post, obstaculis undique submotis, facta est voti compos, inque Rosariano Deiparæ sacello, ubi quondam immobilis hæserat, solemni ceremonia, de manibus P. Magistri F. Alphonsi Velasquez, Ordinis Prædicatorum sui tunc confessarii (cui id P. Provincialis commiserat) induta est veste bicolori, quam in Senensi magistra dilexerat. Contigit hoc anno salutis MDCVI, ipsa S. Laurentii martyris festiva die, cui haud absurde aptaveris illud Tibulli lib. 2 eleg. 6: At laurus bona signa dedit, gaudete. .... Sane gavisa est Rosa, ut se vidit circumamictam varietate; cumque Laurentio novis ardebat ignibus; liquescebat in dulci jubilo, novaque Tertiaria reputabat se plus, quam nomine, beatam *c*.

cujus exemplo,

40 Nimirum cum infante creverat hoc desiderium: siquidem a quinto suæ ætatis anno S. Catharinæ Senensi jam sese addixerat, quod ex ore ipsiusmet Rosæ affirmant se percepisse testes secundus et vigesimus secundus in citato sæpius Processu. Ubi vero Seraphicam ejusdem vitæ historiam domi per capitula legi audivit, attentissima, tamquam soli legeretur sibi, medullitus se sensit inflammari ad sequelam, non quietura, donec et foris in habitu, et intus in fimbriis aureis, tantæ heroinæ ac magistræ discipula conformaretur. Verum si Rosæ perarduum fuit, vigesimo demum ætatis anno, per tot obstacula eluctari ad sacrum habitum, vix minori lucta ipsi constitit, eumdem usque ad mortem retinere. Retinuit tamen, quamquam varie tentata, ut alium assumeret: neque enim cessabat humana prudentia, divini ignara consilii, diversa suadere, offerre, ingerere, quasi meliora ac digniora. Ex his duo referam, quæ victrici ejus constantiæ validius incubuerunt.

A. LEONARDO HANSEN.

post superatas varias difficultates,

41 Quæstor Gundisalvus, vir optimus, quique apud Virginem sibi concreditam valebat autoritate, imo et domestico imperio, seu sponte, seu aliunde inductus, suggerebat reformatam sacri Carmeli regulam, quam Rosæ genio credebat aptius convenire; instabat, utique decentius in celebri Excalceatarum virginum parthenone, quam foris inter ultimas Tertiarias militaturam Deo, vacaturam spiritui, inhæsuram E contemplationi. Quod autem idonea careret dote, replicabat quæstor, se curam hanc totam sibi deposcere, acturum se omnia, ut a religiosissimo monasterio haud gravate admitteretur. Robustus hic fuit aries ad pulsanda Rosæ præcordia, maxime quod ipsa quoque mater, cui res angusta domi, contenta jam erat, pluriumque servorum Dei conspirabant arbitria. Rosa tametsi vocationis suæ tenax et certa, noluit tamen aut cerebrosa videri, aut palam tot peritissimorum benevola judicia immodesto supercilio aspernari. Itaque ut alias usa ingenio, selectis ex Ordine Prædicatorum quatuor præstantissimis theologis, rem permisit examini, pollicita id amplecti, quod ipsorum potiora suffragia diffinirent: utpote secura, Deum non permissurum, quod consonis horum calculis evocaretur ab humilioris instituti electa semita, quam Seraphica magistra de Senis felicissime præcalcarat.

et maturam deliberationem,

42 Voto respondit eventus: nam operante Numine, supradictorum theologorum quaternio F paribus utrimque votis pependit semper immobilis, stupuitque, neutri partium occurrere pondus, quo sese a tam constanti æquilibrio tandem explicarent. Vicit ergo constantia Virginis, quæ exinde fidentior, Gundisalvum aliosque suasores modesto ac gravi responso interpellavit; se quidem refloridis oblati Carmeli desertis mirifice et capi et allici, verumtamen solius divinæ, non humanæ inspirationis proprium id opus ac munus esse: Spiritum ubi vult spirare, aptam regularis status tum electionem, tum commutationem non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; sibi deinde alios superne impulsus non obtigisse hactenus, præter eos, quos habitu protestabatur; vivendum sibi, moriendumque esse sub charo S. Catharinæ Senensis schemate ac magisterio, adfore tamen aliquando tempus, quo hujus nominis atque instituti novum Limæ exsurgat monasterium; at nondum se scire, num forsitan illi divinitus sit reservata. Certe dignus erat hac Rosa Carmelus, digna Carmelo Rosa, nisi hanc Ordini hortulano Rosarii altior zephyrus commendasset.

43 Eliso igitur hoc ariete, superfuit alius; at

A. LEONARDO HANSEN.

tertium Ordinem S. Dominici

at omnium importunior, quia subtilior : nam per ipsos humilitatis cuniculos inferne adactus, quatiebat Rosam unius commotione scrupuli, qua patuit via cogitationi pavidissimæ, nimirum se sordidam peccatricem illo niveo Senensis Catharinæ velamento nimis indignam esse, plus eo vestis candore promitti foris, quam lateret intus, uni sibi deesse omnia, quæ extimo nitori respondeant : proinde habitum, qui Seraphicæ magistræ fuerat protestativum virtutis ac religionis symbolum, in se non nisi larvam esse, publicumque usurpatæ sanctimoniæ mendacium. Duplicabat angorem, quod alba vestis humano plausui videbatur ansam aditumque ultro concedere; nam Virgo gliscentem sui nominis celebritatem aversata, dolebat ex candido indumento aliis feminis internosci in publico, eminus se venientem monstrari digitis, notari oculis, laudari a prætereuntibus, ipsique S. Catharinæ Senensi nonnumquam ab obviis comparari. Tormenta hæc erant, quæ sacram illi vestem reddere exosam poterant, ac primo verecunde occultandam, denique et seponendam suggerebant, B usque adeo, ut suum familiare asylum (sacellum dico SS. Rosarii, in quo Rosa habitum assumpserat) cursim adierit, quasi denuo illic firmitate immobili radicanda, solitoque magnæ Deiparæ præsidio tentationem molestissimam depulsura.

tandem amplectitur.

44 Evenit, uti speraverat; nam ad aræ crepidinem defixis humi genibus, inter orandum placidissimo animi deliquio sensim diriguit. Notarunt precantis vultum circumstantes ejusdem tertii habitus Sorores, videruntque Rosam a sacræ imaginis obtutu supplici diu pendulam, initio quidem exalbescere pallore niveo, post intervallum decora suffusione rubescere, denique tota facie lucescere, ac scintillatim radiare. Conjectarunt subito, quod erat, permagnum aliquid actitari, velut sub iride Rosarii, cujus mysteria triplici hac tinctura distinguuntur. Et vere sic erat : nam Rosa sibi, ac genuino vultus colori demum reddita, erupit in jubilum victoriæ : « Eia, (inquit) Sorores, laudandus est » nobis Deus, qui nos Tertiarias, communi » solidæ charitatis vinculo, sibi dignatur adstrin- » gere, ac perpetim sociare. » Obscurum ænigma perfacile capiebant, quotquot prævii C conflictus consciæ fuerant. At Virgini Pæana *d* hæc erant debellatæ tentationis, quam ita fregit, ut numquam redierit. Tanto constitit victrici Rosæ candidum seraphicæ Catharinæ habitum et obtinere, et retinere constantissime. Porro, quam plene cum illo magistræ suæ virtutes induerit (quamquam id sequentibus capitibus reponamus) ad coronidem hujus capitis, unicum id argumentum esto, quod semel tacite spectanti, mirantique confessario visa fuerit Rosa, specie, vultu, lineamentis sic transformata, ut viva similitudine ipsissimam S. Catharinæ Senensis effigiem referret.

ANNOTATA.

a *Papebrochius noster ad diem 30 Aprilis Acta S. Catharinæ Senensis edidit, in quibus varia cum gestis hodiernæ Sanctæ concordant, ut tomo 3 istius mensis a pag. 851 legi potest.*

b *Examen apotheoseos istius diu durasse, colligi potest ex nota superiori ad caput primum littera* i, *in qua diximus, quo anno venerabilis antistes ille catalogo Beatorum et Sanctorum inscriptus fuerit.* D

c *Ab Hispanis passim* beata *vocatur femina, quæ sub modesto habitu vivit, et mundo renuntiasse censetur. Unde synodus Mexicana apud eminentissimum Cardinalem de Aguirre tomo 4 Conciliorum pag. 352 § 16,* Præcepit, ut nulla prædictarum mulierum, quas BEATAS vocant, habitum alicujus religionis approbatæ deferat. *In auctiore Cangii Glossario mulieres illæ, quas Hispani* beatas *vocant, Beguinis in Belgio comparantur.*

d Pæan *est carmen, quod in signum victoriæ plerumque canitur, ut colligimus ex hoc hemistichio Virgiliano;* lætumque Pæana canentes. *Sed cum hic nomen* Pæana *sit in accusativo singularis numeri, et Hansenius satis eleganter ac Latine vitam* S. Rosæ *conscripserit, non immerito dubitamus, an typographus pro* Pæan *non excuderit* Pæana. *Quod si forte biographus hanc vocem* Pæana *adjective usurpaverit, ac subintellexerit substantivum* carmina, *istud adjectivum apud auctores linguæ Latinæ nondum legimus.* E

CAPUT IV.

Vera animi submissio, benignitas, affabilitas, aliæque virtutes.

Virgo ex humilitate

In suo nihilo cominus ac penitissime agnoscendo, quam profunde jugiterque Rosa perstiterit occupata, omnis humillimæ suæ vitæ clamat actio. Paucas hic e plurimis compendio substringemus. Parum ei videbatur, quod domi, Filiam se oblita, ancillæ domesticæ vilissima quæque ministeria occupabat, nisi et infra ancillam sese demitteret. Mariana quædam serviebat in Rosæ paternis ædibus, Inda genere, agrestis conditione. Hanc sæpius in secreta domus parte oravit, exoravit, adegit Rosa, ut se dejectam humi, nunc pronam, nunc supinam calcaret pedibus, ac velut contemptibile peripsema studiose plantis detereret; quin flagitabat, superaddi sputa, calces, verbera, nihilque omitti, quod extremi contemptus saperet vilitatem. F Quod si Mariana conabatur parcere, aut, non nisi obiter, imperata exsequi, acrius instabat supplex Rosa; nec, nisi voti compos, humo se attollebat. Quotiescumque ob singularitatem vitæ a fratribus aut matre proscindebatur injuriis, credebat se iis, imo et decuplo gravioribus tam dignam esse, ut etiam ultro, quæ sibi imputabantur ad culpam, soleret in majus attollere, suumque reatum amplificare, ne præter, aut ultra meritum videretur affligi ac despici, quæ tantopere ambiebat ubique succumbere et conculcari.

morbos peccatis suis imputabat.

46 Assueverat morborum suorum (quos in ægro exhaustoque corpusculo sustinuit crebros et sævissimos) celare magnitudinem, ne quis subveniret. At quando præ nimio aut convulsionum laniatu, aut per symptomatum periculosam violentiam dissimulari non poterant, ingenue, quantis distabesceret cruciatibus, fatebatur, ut ex dolorum suorum immanitate æstimarent homines, quam foret Rosa coram Deo enormis ac peccatrix, quæ videlicet assidue tot scelerum justissimis vindiciis ab irato Numine meruisset flagellari.

A gellari. Hoc de se credebat ipsa, hoc itidem credi ab aliis peranxie cupiebat. Inde est, quod sæpius coram intimis ac familiaribus suis timida frequentabat hujusmodi voces; mirari se, cur Deus nondum horribili abysso demerserit infelicem mundum, qui tantam ferebat peccatricem. Item, suis demeritis illum apud inferos deberi locum, qui omnium sit infimus et summe infamis: vilissimum se terræ pondus, abominabile generis humani carcinoma, purulentam sentinam ac fæcem esse, indignam, cui luceant cæli, cui aspiret aer, cui tellus dorsum substernat: suo contagio inquinari elementa, suis piaculis gravari solum, amarescere oceanum. Quoties improsperum quidpiam aut domi aut foris accideret, non dubitabat suis id imputare delictis; cumque tam serio ista et sentiret et diceret, ferre non poterat, quod ejus innocentiæ gnari talia credere recusarent; gravius dolebat, si replicarent, ex mera humilitate similia dici; his regerebat, utique sibi, quæ sola se nosset, fidem habendam esse.

a laudibus suis abhorrebat.

47 Verum si eo procederent, ut refellendis hujuscemodi vituperiis encomia Rosæ laudesque opponerent, expavescebat misera, ac velut fulB minis ictu perculsa tremebat, pallore, silentio, gemitu mœstissime protestans se torqueri. Accidit, quod Gundisalvum quæstorem Michael Garzes Canonicus familiariter domi suæ inviseret; hic ille inter amica, ut fit, colloquia, delapsus ad varia, cœpit narrare perfunctorie, quæ Rosæ (tunc iisdem ædibus cohabitantis) mirabilem vitæ sanctimoniam, castigationem corporis, operumque et morum præstantiam commendabant. Forte de proximo conclavi hanc invita percipiebat Rosa confabulationem, sed laudum suarum nauseam non ferens, exsiliit præ dolore, inque cubiculum interius, ubi filiola quæstoris Michaela erat, sese proripuit; ibi mox liberrimo ejulatu, ac lacrymis suam amarissime sortem incusans, verberabat innoxium pectus; despuebat laudationis suæ cramben, caligabat pudore sui; utque cruciatum cruciatu simul pelleret et vindicaret, pugnum crebrius impegit capiti, ubi densioribus aculeis spinea corona (de qua intra cap. VIII) tempora clam obsederat. Quæ sic vulnerabatur ex laudum molestia, qua putas animi jucunditate exceperit C contemptum, probra, convicia? Sed pergamus.

innocens reprehensa veniam deprecabatur.

48 Quoddam perarduum heroicæ virtutis opus ad S. Catharinæ Senensis imitationem Rosa tentaverat, perfecerat: quod cum ipsius valetudini summe noxium et exitiale crederet domina Isabella Mexia, horrore pio stimulata, P. Magistrum F. Alphonsum Velasquez, confessarium Virginis, admonuit, ut acerba reprehensione factum, velut excessum temerarium improbaret, ac Rosam a similibus ultra vires tentandis absterreret. Increpuit ille Virginem, utpote nondum ex circumstantiis tunc assequens, quid laudis illa potius meruisset. Verum humilis Rosa velut culpam in opere sanctissimo agnosceret, veniam deprecata, spopondit emendationem, læta ibi se objurgari, ubi maxime plausum, vanamque gloriam metuerat.

coram confessariis minimos defectus suos exaggerabat,

49 Quandocumque ad confessariorum pedes in suimet accusationem procumbebat, ita mox obruebatur lachrymis, interpolabatur singultibus, dehiscebat profundis ex imo corde suspiriis, ut credidisses non nisi enormium flagitiorum ream esse, quæ sic plangebat. Comparebat velut altera in civitate peccatrix, verecundabatur, tundebat præcordia, trepidabat quasi jamjam erebi rictu absorbenda; nec tamen, in tanto humillimæ contritionis apparatu, sufficiens materia semper adfuit, in quam tuto proferri posset sacramentalis absolutionis sententia. Certe hoc postea uno ore fassi sunt confessarii, pluries laborandum sibi fuisse, ut, in tanta innocentissimæ vitæ puritate, scrutando reperirent, quod ad pœnitentiæ forum certo spectaret. Econtra non segnius laborabat Rosa, ut minimos quosque defectus in immensum exaggeraret, serioque ploratu ac gemitu posceret medicinam. Neque his contenta, præter frequentes in hebdomada exomologeses, insuper quotidianam sibi coram S. Patre suo Dominico indixerat confessionem, qua, velut in Capitulo correctionis, eidem culpas suas minutim exponebat, veniamque et remedium ab ejus suffragio humiliter postulabat.

A. LEONARDO HANSEN.

et se mancipiis inferiorem reputabat.

50 Testabatur Gundisalvi quæstoris uxor D. Maria Usatigui, quod ejus in ædibus dum triennium vixit Rosa, adeo sese omnium reputarit infimam, ut non soli patrifamilias et conjugi, sed tenellis quoque filiabus, imo servis, ancillis, mancipiis domesticis subjecta ad nutum, E singulorum æque placita, velut imperia, exceperit, favorem arbitrata, si quid sibi ceu precario in domum receptæ heriliter mandabatur; unde et pro modico aquæ haustu, flexis poplitibus, a Gundisalvo (si forte aderat) libandi facultatem sibi exorabat. Grandia sunt ac prolixa, quæ circa mansuetissimam Rosæ humilitatem notavit, edixitque Gundisalvi domus; sufficiat hoc postremum. Decumbebat agoni proxima, cum in ultimo vitæ suæ horario quadrante offertur ei pro confortatione cordis pretiosus liquor sorbendus e cyatho; negavit ægra se posse: verum, audito, quod ipse paterfamilias jusserat, se subditam recordata, paruit, sumpsit, exhausit, tenui voce adjiciens: Ite, nuntiate Gundisalvo domino meo, me, quod revera non poteram, ipso jubente potuisse, nec in ipsa mortis janua me fore immemorem, quid hero suo debeat subdita. Qua vero animi demissione tunc ad circumstantes conversa, petiverit condonari sibi, quidquid forsitan in eam domum aut familiam, seu pravo exemplo, seu tetricis ac inofficiosis moribus deliquisset, longiorem exigeret perio- F dum, nisi ad reliqua foret properandum.

Præter dotes corporis.

51 Diu nescivit Rosa, quidquam vel minimum in se reliquum esse, quod laudi pateret, aut pulchrum æstimari posset, donec femina quædam obiter manus Virginis conspicata (ut est muliebre ingenium ad similia lynceum, et insigniter oculatum) commendavit in iis candorem, decentiam, proportionem. Exhorruit Virgo ad improvisam tantilli præconii vanitatem, arreptaque viva calce cruciabiliter manum utramque deformavit, usque dum ardore mordacissimo pellis undique finderetur in rugas, bullulisque sparsim tumesceret, eo quidem dolore ac damno, ut per dies triginta et amplius vestire seipsam Rosa nequierit; unde ancilla Mariana in opem sibi advocanda fuit: hæc vero post Virginis obitum rem totam, ut gesta fuerat, manifestavit, quam Rosæ humilitas (ut alia majora et plurima) de more occultasset.

austeritatem jejuniorum.

52 Pridem studuerat humilis Virgo omni arte nativam speciosissimi vultus sui gratiam abolere, ne posset mortalibus oculis placere, idque non solum jugi inedia, dirisque macerationibus,

A. LEONARDO HANSEN.

bus, sed et aqua gelida creberrime toti corpori superfusa; videbatur jam assecuta, dum in exangui facie, præter obscurum pallorem, et maciem cavernosam nihil conspicuum apparebat. Verum ut comperit, his paulatim indiciis omnem austeritatem suorum jejuniorum a curiosis deprehendi, æstimari, extolli, plus sibi a vanæ gloriæ laudumque tinea, quam ab eximiæ formæ præstantia timendum rata, confugit ad solitum orationis præsidium, anxiisque precibus impetravit a Deo talem sibi aptari vultum, qui saltem abstinentiæ suæ rigores, ac tot jejuniorum extima signa mortalium oculis non venditaret. Mirum dictu! Mox rediit genis detritis vividus color, reddita faciei corpulentior plenitudo, fronti nitor, luminibus vigor, ut propemodum jurari potuisset, Rosam, quid sit jejunium, penitus ignorare.

a ita ut post diuturnum jejunium laute epulata crederetur,

53 Inde lepidum obvenit quibusdam Argis *a* per otium curiosis, qui in feria sexta Parasceves, forte in templi vestibulo confabulantes, observaverant Rosam cum matre domum ab ecclesia redeuntem. Transegerat Virgo totam illam Quadragesimam solo pane et aqua, sed præ- B sertim illis hebdomadæ sanctæ postremis diebus vix micatim aliquid cibi admiserat; insuper a summo mane præcedentis feriæ quintæ (cui nomen a Cœna Domini) continuo usque ad istius feriæ sextæ meridiem immota perstiterat in eodem S. Dominici templo, vigilias agens coram sacrosancta Hostia, tunc de more in S. sepulchri arculam solemniter illata, nec bolum aut aquæ guttulam toto illo triginta circiter horarum intervallo sumpserat. Dum igitur supradicti congerrones inde ad proprias ædes cum matre redeuntem vident, roseo vultu instar auroræ subvividam, aspectuque vegetam, amœnam, et minime decolorem, temere suspicati sunt, Virginem venire ab epulis ac lautitie; sonoreque ac libere in prætereuntem jocati, « En (inquiunt) » monialem opipare habitam! en, quam splen- » dide profitetur vultu, se cupediis ab aliquo » dapsiliter hodie refectam! Siccine jejunant » Beatæ? » Displicuit matri ineptissimæ censuræ temeraria dicacitas : at mire placuit humili Rosæ, sic sua latere jejunia, etiam usque ad tam ridiculam saginæ ac ingluviei calumniam. C Aculeus erat, qui Rosam non læderet, sed oblectaret.

aliasque virtutes

54 Par ei solicitudo et cura fuit abscondendi reliquos suorum charismatum thesauros, ne humanis laudibus paterent in prædam. Hinc factum est, quod pleraque illustria ejus opera, visiones, et arcanæ Spiritus deliciæ sic delituerint sub taciturnæ humilitatis abstruso inumbraculo, ut matris, sodalium, confessariorum assidua sagacitas, vix ad paucorum notitiam potuerit umquam penetrare. Quædam spiritu ac religione apprime celebris persona flagrabat annoso desiderio, penitius divinæ gratiæ magnalia explorandi, quæ in Rosæ prato celari jam ex toto non poterant. Itaque omni alio catoscopo *b* desperato, Virginis confessarium authoritate, qua valebat, induxit, ut ipse per anfractuosæ quæstionis obliquas ambages, si quæ posset, vel ab invita eliceret.

solicite abscondebat,

55 Diu recusavit, diu cunctatus est confessarius, haud ignarus, quam sibi id arduum futurum esset. Tandem opportunitate seu facta seu arrepta, tectis interrogationibus eminus circumivit Virginem; at ipsa, quo illæ tendebant, celerrime prægressa, occupavit indaginem, hisque mitissimis verbis abrupit molestiam : « Scito D » (inquit) mi Pater, me usque a teneris ar- » denter orasse Deum, ne sinat ulli mortalium » innotescere, si quid altissima sua misericordia » cœperit forsan intra animulæ meæ penetralia » dignanter operari. Annuit voto meo Inspe- » ctor cordium; proinde cessa scrutari, nec » inutili conatu me, teque lassaveris; secreti » hujus beneficium, quia concessit Dominus, » non auferat minister. » Nihilominus ubi semel iterumve, sub gravi onere conscientiæ, tum a confessariis, tum a doctore Joanne de Castillo (ut infra cap. XII) spiritus examini subjecta fuit, grandia ac miranda detexit, quia debuit; attamen ultra interrogata, ne quid responderet, cautelam, et parsimoniam verbis suis appendit in trutina. Unde quæ tunc verecunde invita aperuit, perpauca ac pene vulgaria crediderim, si conferantur iis, quæ Rosa sub divino secreti beneficio ac humilitatis sigillo retinuit obsignata.

et Deiparam adjutricem habuit hujus humilitatis,

56 Favit mirabiliter huic virtuti Deipara, humilium idea; siquidem ipsamet adjuvit Rosam instrumenta suæ mortificationis humiliter occultantem. Res ita se habuit. Ecclesiam S. Dominici de more precatura adierat, cum illic E existentem subita consternavit recordatio unius ex variis instrumentis domando corpusculo adaptatis, quod ipsa domi fortuito reliquerat loco patulo, ubi facile ab aliquo domesticorum absentis cubiculum ingressuro videri poterat. Expalluit confusa Virgo, timens hoc indicio deprehensum iri, quantum exercitiis pœnitentiæ soleret incumbere. Confestim igitur ad Virginem Matrem obsecrando conversa rogavit anxie, periculo succurreret, ipsumque instrumentum in altero locorum, quos ipsa mente designabat, reconderet. Statim evanuit metus, abscessit pavor, et Rosa ab oratione domum regressa, instrumentum suum reperit, non ubi reliquerat, sed ubi illud a Matre gratiæ recondi flagitarat.

quam cum blanda affabilitate conjungebat.

57 Tantam ejus humilitatem indivulse comitabatur suavissima mansuetudo, placida affabilitas, mite supercilium : mirati sunt quotquot eam noverant, numquam ab illius ore excidisse verbum duriusculum, obstreperum, criticum; numquam auditum sermonem jactantiæ, fastus, ostentationis; nihil in moribus aut motibus apparuisse tetricum vel subtriste, quod acidam saperet austeritatem. Tota serena, comis, benigna, F de se nesciebat altum sapere, sed tantum subjici omni humanæ creaturæ. Negasses Rosam esse, quæ adeo carebat spinis; at sustine : nam in semetipsam tota spinosa fuit, quod ex varia corporis sui castigatione, proxima quatuor capitula fuse docebunt.

ANNOTATA.

a *Hi curiosi* S. Rosæ *observatores per tropum vocantur* Argi, *alludendo ad Argum, filiæ Inachi custodem, quem poetæ plurimis oculis præditum fuisse fabulantur, et qui propterea a Græcis* πανόπτης, *id est*, omnia videns, *cognominatur. Hinc carmen illud Ovidianum :* Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

b *Nomen Græcum* κατάσκοπος *Latine significat* speculatorem, *vel* exploratorem. *Unde sanctus apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos cap.* XI ℣. *31 mentionem faciens de Raab meretrice, quæ exploratores exceperat, eos* κατασκόπους *appellat.*

CAP.

A

CAPUT V.

Prodigiosa Sanctæ abstinentia, et diuturna jejunia.

Exemplo S. Catharinæ Senensis

Fundamento tam profundo, lato, ac solido dignum fuit ac tutum, prægrandia, excelsa, ponderosa superstitui fastigia. Sane vim narrationis trascendunt, quæ de Rosæ jejuniis jejune satis innotuerunt: nam (ut diximus) latent plurima. Hoc summarie constat, Virginem per S. Catharinæ Senensis vestigia gradatim abstinendi jejunandique usum ferme ad ipsum usque inediæ culmen mirabiliter produxisse. Suo ordine dispiciamus singula.

a teneris annis ita assueverat abstinentiæ.

59 Nondum infantiæ pannos et annos pupula excesserat, cum sibi (quod illi ætatulæ peregrinum et grave est) omni fructuum esu interdixit. Sæpe obstupuit attenta mater, parvulam suam nulla talium cupediarum aut suavitate, B aut varia pulchritudine capi: nam fructus sibi datos mox aliis donabat, numquam vel primis labellis admovebat. Sexennis, feria quarta, sexta, sabbatho (ni mater aut medicus ad aliud cogerent) omni prorsus abstinebat obsonio, nil præter panem et aquam degustans. Anno ætatis quintodecimo votum emisit, toto vitæ suæ decursu abstinendi a carnibus, quoad permitterent ii, quibus obedire teneretur. Hoc in tenera puella canæ prudentiæ moderamen fuit, quo sic corpusculo detractum voluit, ut simul alieno in atque juri se imperio nil detraheret. Interim cautæ filiolæ ingeniosa non defuere stratagemata, quibus matri diu occuleret hunc severum abstinentiæ tenorem, ne ab ipsa valentioribus eduliis vesci cogeretur.

ut carnes aut jusculum digerere non posset.

60 Interdum nobiles matronæ, devotionis ergo, matrem cum Filia in suas ædes invitabant, epuloque sobrie instructo, rogitabant utramque secum una accumbere. Durissimum id erat frugali Rosæ, quam vel odor carnium offendebat. Sed parens, matronis, quam Filiæ complacendi studiosior, jubebat hanc omnino carnibus vesci, ne inurbana singularitate adstrictioris parC simoniæ, videretur mensæ honorem profanare. Parebat mœsta Filia, sed maximo inassueti stomachi supplicio: nam quidquid carnium reluctanti ingesserat, paulo post, captato secretiori angulo, totum superne reddendum erat, non sine miserabili cruciatu. Quod si aliquando æger ventriculus buccellam exosam nulla vi potuisset eluctari, paroxysmus *a* erat in foribus, ac nauseantem ardentissima febris invadebat. Nec mitiori successu obediebat medicis, si quando aut languentem, aut lentius convalescentem, tentabant esu carnium ad vires pristinas revocare: tantum enim aberat isthoc genere alimenti juvari infirmam, ut etiam a bolo, velut a toxico, recidiva magis debilitaretur, morboque redintegrato, non ægra, sed ægritudo vires acciperet.

a

et post ea ex mandato degustata

61 Semel ex morbo sat ancipiti emerserat, utque citius instauraretur, ex præscripto medici, pauxillum carnis paventi ejus stomacho obtruserant; cum ecce repentina totius corporis lassitudo, mox tremor et deliquium prostravit miseram, subitumque pectori ac pulmonibus asthma incubuit, pressit, ac respirandi facultatem interclusit. Vix pluribus horis, hac sese angustia Virgo explicuit, ac per aliquot dies nec passum progredi, nec plantis consistere potuit, donec restituta sibi consuetæ abstinentiæ potestate, sensim et ipsa restitueretur sibi. Jam peneconvaluerat, et denuo invitam ad carnis ferculum compulerunt: denuo item rediere prædicta symptomata, nec remedium nisi ab usitato panis et aquæ pastu superfuit.

A. Leonardo Hansen.

identidem in morbum recideret,

62 Laborabat frequenti ischiade *b*, ac plerumque ea dolorum vehementia, quæ stomachi undum everteret. Sub hoc tormento integros *b* quandoque cum noctibus dies sine cibo transigebat: verum sedato nonnihil cruciatu, mox instabat domesticorum pietas, ut a carnibus jusculum admitteret. Ipsa, hoc urbanissime recusato, potius deposcebat familiarem sibi adferri dapem, panem et aquam: his allatis, velut pollucibiliter deliciatura, panis medullam intingebat frigidæ, eaque sumpta, post modicum surgebat e lecto, quasi refecta, satisque opipare recreata. Quæstor Gundisalvus domi suæ bis terve hoc medicamine, non anaretico *c*, sed plane ana- *c* choretico, vidit Rosam convalescere, protestans neutiquam se capere, unde huic jejunio vis nu- E triendi inesset.

sicut frequens experientia docuit.

63 Ibidem alia vice observatis in Virgine manifestæ debilitatis nimiis indiciis, voluit idem paterfamilias, quod ex ala coctæ aviculæ quid modicum sumeret, quo labentem stomachum nonnihil erigeret. Rosa tot jam edocta malis, attamen urgenti conabatur obtemperare. Vix bolum glutiverat, cum præsaga periculi, comiter mensam reliquit, in vicinum conclavi oratorium se proripuit, valvas adduxit; cumque de more sub seram noctem pallidula inde prodiisset, quæstori et conjugi subtrepide fassa est, minimum abfuisse, quin exiguum id, quod ex avicula gustaverat, morte lueret, præ dira pectoris obstructione, quæ miseram prope suffocarat.

Unde arbitrio ejus relinqui debuit

64 Impulerunt cruda hæc experimenta commiserantem quæstorem, ut Virginis confessarios, medicos, parentes, sigillatim ac pene adjurato obsecraverit, ne deinceps imperato carnium esu, Rosam in vitæ discrimen adductam vellent; sufficere tot eventuum tragica specimina in testimonium promptæ ultra vires obedientiæ; crudele ac Deo palam ingratum fore, F quidquid ulterius tentaretur ad oppugnandam Rosæ abstinentiam, a qua tam perspicue illius vita pendebat. Audebat et Rosa sub tali advocato liberius præoccupare medicos, ne, quam sanam vellent, carnium edendarum objectu trucidarent; imo et alia quæcumque vegetioris succi esculenta se admissuram negabat, ita visum esse Numini, cui ipsæmet naturæ leges famulantur ad nutum. Alludebat forsitan supernæ (quam recolebat) visioni, qua Christus, increpanti blandientique medius, Rosam docuerat, velle se ab ipsa tam rigidis abstinentiæ exercitiis constanter honorari, sibi illius vitam ac valetudinem curæ cordique fore, nec diffidendum, quin ille, qui pro ea suam in cruce vitam prodegerat, qui extrema fusi pretiosissimi sanguinis gutta ipsam tam caro emerat, qui in ejus animam tot gratiæ thesauros, tantamque cælestium donorum opulentiam congesserat, demum et terreno suo corpusculo id præstiturus sit, jamque præstiterit, quo carnis edulio carere possit. Ergo cedat Æsculapius *d*, quiescite, o *d* medici; nam divinum est mysterium hoc, quod cernitis.

A. LEONARDO HANSEN. *sumendus vilis et modicus cibus.*

65 Tardius matri persuasum fuit, ut Filiæ tam severam tenuissimi victus rationem formamque æquanimiter indulgeret. Quoties aut nimiam in exangui vultu maciem, aut vires infra mediocritatem dejectas notabat, unam hanc rigidam castigatissimæ parsimoniæ diætam, instar atrocis delicti, vocabat in crimen, vociferabatur impatiens, ac pene illismet, quibus olim in S. Catharinam Senensem Lapa mater, tonabat verbis; singularem, obstipam, ac sui ipsius carnificem proclamitans. Cumque nec sic proficeret, imperiosa præcepit, quotidie secum deinceps accumberet communi mensæ cum familia, visura demum, quid, quantumque manducaret. Vicissim a parente Filia supplex impetravit, saltem ea sibi permitti ac parari fercula, quæ non modo ingerere, sed et digerere posset. His ultro citroque velut ex pacto mutuo constitutis, prudens Filia culinariam ancillam Marianam, suarum partium fecit. Huic dextre, ac sub fide silentii extorsit, ut sibi in singula prandia solam pararet offam ex panis frustis et herbarum pugillo, at sine sale et condimento, simplici aqua B decoctam, pauculis dumtaxat uvis passis nonnumquam inspersis, ut matri, in singulos bolos attentæ, videretur genialiter obsonare ac dulciter, ubi rarus bolum augebat acinus. Sed diversissimum erat, quod reipsa gerebatur: nam herbæ, quas sibi Virgo in pastum singulari cura selegerat, amarissimæ erant, et agresti saporis malignitate torquebant palatum. His deliciis gustum mulcebat, quibus, ne simile condimentum abesset, persæpe cineres admiscebat.

quem herbis amarissimis

66 Audierat in vicina sylva pronasci herbam insigniter præ ceteris amaram: hanc sibi clam adferri, ex ea deinceps insipidum pulmentarium sibi jussit apparari, et ne tam exquisitæ provisionis annona deficeret, herbam eamdem suo hortulo implantavit, suis manibus solicite coluit, persuadens matri, valere in usum medicinæ. Semel curiosa parens in horti sepimento vasculum reperit felle vervecino plenum; statimque suspicata id quod erat, Filiam interrogavit, cur eo loci id abscondisset, aut cui bono? Rosa deprehensam se videns, simpliciter respondit, illo se uti ad offulam suam inspergendam. Egregium sane stimulandæ orexi proritamentum. C Innotuit postea (revelante ancilla Mariana) Rosam omni fere diluculo, quo sacra Synaxi reficienda non erat, austero hoc fellis promulsidario in Dominicæ Passionis memoriam os totum imbuere solitam. Præcipue tamen sextis feriis, velut ex acetosa spongia cum Christo in cruce pransura, ex eodem felle et panis crustula sibi componebat electuarium, mordaci aceto et copiosis lachrymis stillatim superfusis; suo idiomate GASPACHOS *e* appellitabat hoc genus embammatis, quia frigidum sumebatur. Deficiente fellis copia, succedebant in vicem folia quædam amarissimi fruticis, quorum suctu et masticatione, Christi in morte sitibundi hyssopum, male jurulentum, saucia cogitatione recolebat.

occulte condiebat.

67 Fruticat in illo occiduarum Indiarum fertili tractu planta mirabilis, GRANADILLA *f* vernaculis dicitur; Latinis rei tam sero visæ proprium adhuc deesse nomen crediderim, nisi quod supplente periphrasi FLOREM PASSIONIS vocitet fidelis Europa. Hic mirifico naturæ lusu, pleraque Dominicæ mortis nostræque redemptionis instrumenta, velut in exigui proscenii compendium, sese conspicue explicant: nam inter foliola, cruentis maculis venuste dispuncta, assurgit columnula flagellati Dei statumen; huic D inferne spinea corona circumjacet, superne tres clavi infixi prominent, foliorum ambitum quasi filatim pendula flagella interstingunt, medium sinum acervatim implent granula eximii saporis. Itaque Rosæ in cibum placuerunt hujus benedicti floris non grana, quia dulcia; sed pampini, quia amarissimi: his decoctis vescebatur libentius, quod et succi amaritudine, et floris sui cognatione, aptius Parasceven, quam prandium repræsentarent.

Jejunia ejus erant adeo frequentia

68 Transeundum nunc ad jejunia, tametsi dubitari haud immerito possit, ab ipsa esurie, an a talibus cibis durius esse tormentum potuerit. Monuere, qui de Rosæ virtutibus post obitum solemniter testificati sunt, duplex jejuniorum ei fuisse genus, unum commune, quo semel in die pertenuem panis et aquæ libabat refectiunculam, at non nisi sub noctem: alterum vero appellabat suum, quo per totum diem noctemque penitus gustabat nihil. Primum, tametsi prope quotidianum esset, præsertim ultimis vitæ annis, quos in Gundisalvi quæstoris ædibus consummavit; peculiare tamen quotannis, ad E normam Dominici instituti, septem illos continuos menses observabat, qui festo exaltatæ S. Crucis, et Paschati Resurrectionis interfluunt, Ordinis jejunio consecrati. His igitur mensibus, etiam herbarum panisque diminutione accuratius se macerabat, donec ineunte Quadragesima, omnem sibi omnino subtraheret panem, solis malorum aureorum seminibus parcissime victitans; nam ex iis non ultra quinque sumebat sextis feriis, adjecto solo vervecini fellis haustu, ut hac lautitie quinque plagarum Christi acerbitatem præsentius ruminaret.

diuturnaque

69 Residuo anni tempore panis mensuram tam sibi curtam indixerat, ut quod unicæ diei sat esse credebatur, integro vix octiduo totum absumeret. Dum Rosa adhuc domi propriæ, suum, de quo infra, reclusorium inhabitabat, Gundisalvi quæstoris uxor ei hebdomadatim mittebat rudioris panis octo placentulas, ut diætim una ad minus necessario victui tota impenderetur. Sed evoluta septimana, ac superveniente totidem recentium panum demenso, inveniebatur, Rosam ex octo panibus permodicis, unum dumtaxat cum dimidio per totam illam hebdomadam comedisse, restitutis nimirum sex reliquis cum F dimidio, qui in penu superfuerant.

et cibus tam parcus,

70 Nescio, jejunium an plane inediam appellavero, quod sequitur. Observatum fuit, Virginem cum pane unico, illoque sat exiguo, et aquæ vasculo, integram dierum quinquagenam transegisse absque omni alio cibo aut potu, nimirum a Paschate Resurrectionis usque ad Pentecosten. Item alio anno, totam ejusdem quinquagenæ intercapedinem decurrit prorsus sine potu, ne guttulam [quidem] aquæ sorbens. Ubi vero quæstoris eam domus contubernalem excepit, nil novum fuit, si complures continuos dies absque ullo omnino alimento transmittebat: plerumque etiam feria quinta solebat ibidem se domestico oratorio includere, nec inde se movere usque ad Sabbatum: ita quod infra hoc triduum plane insomnis, non modo carebat omni cibo potuque corporali, verum etiam (quod quæstorem Gundisalvum maxime rapiebat in admirationem) toto illo tempore remanebat uni affixa angulo, ut neque ad momentum pro quacumque necessitate ab illo discederet. Nempe corpusculum ex inedia vacuum sustentabat pinguedo

A guedo spiritus, cui cælestium meditatio sagina erat.

ut merito inedia vocari posset.

71 Aliquando communicanti solæ species sacramentales tantum roboris contulerunt, ut in fortitudine cibi illius toto octiduo nullum aliud nutrimentum admiserit. Semel extra consuetum tempus quid modicum sumere coacta, cum illud stomacho retinere non posset, reddidit, ac velut intemperantiæ rea, seipsam decem dierum rigida inedia damnavit.

Denique vel in simplicis aquæ potu adinvenit, quo, sive biberet, sive abstineret, gustum fraudaret : nam ut aucium ardori levamen ac refrigerium subtraheret, integras hebdomadas transigebat sine potu ; bibitura vero, non frigidam sed calentem sorbebat lympham, metuens in aqua subgelida tantillum invenire deliciarum. Causam rogata, aliam dabat, nimirum hac ratione se mederi somnolentiæ, quam aquæ præsertim frigidæ haustus provocaret. Alia minora præterire hic liceat, cum putem ista sufficere, ut de inimitabili hujus Virginis frugalitate, victusque parcimonia nil vulgare conjiciatur.

Longe mirabilius fuit, quod notarunt domeB stici, Rosam plus virium semper hausisse a jejuniis et longa inedia, quam a cibo corporali : verum (ut infra narrabimus) etiam hoc ipsi, cum magistra sua S. Catharina Senensi commune fuit, quod os famelicum vulnerato Christi lateri applicuerit : siquidem extra hunc favorem et favum tam Discipula quam magistra non norant aliud, quo saturari possent.

ANNOTATA.

a Paroxysmus *aliter vocatur* accessio, *vel* invasio, *teste Castello in Lexico medico, estque* deterius tempus totius circuitus, quod est a primo insultu morbi usque ad tempus consistendi, sive per tertium, sive per quartum, sive quotidie fiat.

b Ischias est arthritis coxendicis. Nomen habet a parte læsa : os enim, quod femoris caput excipit ἰσχίον, id est, coxa appellatur. *Ita Gorræus, qui in Definitionibus medicis pag. 198 fusius hunc morbum explicat.*

c *Illud medicamen dicitur* non anareticum. *id est,* non selectum, *quod epitheton, ex verbo Græco* ἀναιρέω, *id est,* eligo *vel* seligo C *componitur, ni fallor. Hic rursus inter adjectiva* anareticum *et* anachoreticum *est analogia, qualem biographus sæpius affectat, ut jam supra monuimus. Videtur autem hæc antithesis vel oppositio in eo consistere, quod anachoretæ cibo non* selecto, *sed primum obvio utantur.*

d Æsculapius *apud veteres erat deus sanitatis, aut medicinæ, de quo poetæ multa fabulantur, quæ non sunt hujus loci.*

e Gaspacho, *vel potius* gazpacho *ab Hispanis vocatur jusculum sive pulmentarium ex oleo, aceto, sale, pane tosto, aliisque rebus confectum, ut Franciscus Sobrinus in Dictionario suo Hispano-Gallico ad hanc vocem Gallice exponit. Ex hoc loco colligo, istud embamma frigidum sumi, et alibi reperi, eo vulgus et rusticos in Hispania vesci.*

f *Joannes de Laet jam aliquoties citatus lib. 10 Indiæ Occidentalis cap. 2 de illo Peruviæ fructu post alia sic scribit :* Pulpa illius candida, et insipida. Planta similis est hederæ, eodem modo repens et scandens quocumque loco ponatur. Elegans fructu suo onusta propter ejus amplitudinem : florem fert similem albæ rosæ, in cujus foliis aliquæ velut Passionis Christi notæ (inquit Monardes) delineatæ conspiciuntur, quas magna diligentia istic pictas existimes, *etc.*

A. LEONARDO HANSEN.

CAPUT VI.

Cilicia, flagella et catenæ, quibus sancta Virguncula tenerum corpus afflixit.

Sancta divinam iram placatura

Mirum, in arido totque jejuniis extenuato corpusculo superfuisse locum, qui flagella exciperet ; sanguinem, qui verbera sequeretur. Nihilominus Rosæ tantus inerat castigandi corporis ardor ac studium, ut ei per confessarios modus fuerit imponendus. Initio, cum S. Catharinæ de Senis gestare cœpisset habitum, non contenta vulgaribus funiculis, duas sibi catenas ferreas aptarat in flagrum, hisque ad imitationem S. Patris sui Dominici per singulas noctes E tam dure ac dire sibi dorsum et scapulas cruentabat, ut rivi sanguinis in parietibus, in pavimento, in subligaculis fuerint notati. Credebat innocens Virgo, se suis peccatis has debere vindicias. At præterea publicarum miserta calamitatum, satagebat his modis ad exemplar suæ magistræ placare Numinis iram, mitigare justitiam : unde nunc pro ærumnis totius S. Matris Ecclesiæ, nunc pro angustiis periclitantis reipublicæ, cruentam sese victimam cædebat inclementissime, ut clementiam impetraret, plagisque plagas averteret.

pro publica regni Peruani

73 Siqua aut regno Peruano, aut urbi Limensi, patriæ suæ, flagella divinitus imminebant, suis conabatur flagellis divertere : nec animarum in purgatoriis flammis bullientium immemor, duplicabat ictus catenarum in nova cruoris profluvia, quæ rogi partem extinguerent. Pari sumptu connitebatur agonizantibus impetrare subsidia pro illo tanti momenti supremo momento, a quo pendet æternitas. Ceterum pro culpis alienis, pro compensandis peccatorum in Dei majestatem injuriis, pro eorumdem conversione an frugem meliorem, dici non F potest, quot flagellarum sulcis, quot vibicum livoribus seipsam indies exararit : nesciebat ferias quotidianus feriendi labor et dolor, quem sic dispensabat per diversas corporis partes, ut dum unius plagis detumescendi et coalescendi dabantur vices, transiretur ad alteram, ab hac vero postridie reditus fieret ad priorem vixdum coalitam : porro hæc verberum alterna, sed cruda vicissitudo tanto dirius cruciabat, quanto acrior sensus inerat partibus pridie læsis.

vel urbis Limensis necessitate

74 Assueverant domestici (quamquam inscia Virgine) ex ædium parte secretissima, per singulas noctes audire hos disciplinarum ictus ; at semel ultra solitum cohorruerunt, dum Rosa, nullo jam læsarum aut illæsarum partium discrimine, vehementius ac diutius in se totam desæviebat plagarum strepitu late sonoro. Occasionem dederat popularis quædam in Limana civitate turbatio, levibus (ut assolet) orta principiis. Vir apostolicus, ac Seraphici Ordinis jubar eximium, venerabilis Pater F. Franciscus Solanus, in vita et post mortem, constanti fama, san-

A. LEONARDO HANSEN.

a

sanctitatis ac prodigiorum gloria clarus *a*, pro concione obscurius forte nonnulla protulerat, quæ Limensium vulgus prave intellecta detorserat in sensum prorsus alienum. Hinc subitus pavor totam pervasit urbem, quasi, ex publico P. Solani vaticinio, terræ hiatu proxime absorbendam; quod tamen ille nec dixerat, nec somniarat *b*. Rosa periculi admonita, quo tum sancti Viri celebre nomen, tum marcentis Limæ nutabat tranquillitas, mœsta indoluit, noctemque illam horrisonis flagris in sua carne depurpuravit, ut proprii sanguinis hostimento sopiret communem populi sui turbationem, quæ cordatis periculosior quocumque terræ motu videbatur.

ferreo flagello aliisque modis,

75 Magister F. Joannes de Lorenzana confessarius Virginis, cum hunc disciplinarum rigorem imbecillitati corporis paulo æquius censuisset attemperandum, Rosa maximis ab eo precibus extorsit, quo saltem liceret sibi intra certum dierum spatium verbera quinquies mille sibi infligere, qui pie creditur esse numerus ictuum, quos in sua crudeli flagellatione Christus B excepit. Hac permissione obtenta, æque solicita erat Rosa, ut eum numerum non transiliret, quam ut impleret. Siquidem, ne transiliret, novam a confessario permissionem toties exorabat, quoties aut aliqua proximorum necessitas, aut causa publica videbatur peculiarem ab ea succursum exigere. Ut autem impleret, observabat attentissime, quot diebus, subinde ex infirmitate decumbens, ab usu quotidianæ disciplinæ fuisset impedita, subductoque diligenti calculo, ubi convaluisset, ita in proximam dierum periodum dividebat omissorum ictuum portiones, ut compensatione facta, permissum numerum quinque millium exacte adæquaret, nec segnius numerum, præsenti dierum periodo tunc respondentem, una absolveret. Pari obedentia suo confessario adquievit, quando nimiam ferreæ catenæ atrocitatem in aliud, ex filis contortum, at nodosum asperumque flagellum præcepit commutari, ut sui Ordinis communiori usui humilius sese conformaret. Proinde Rosa ferreum hunc scapularum vomerem sanctiusne posuerit, an sumpserit, in medio relinquo.

quibus ab ipsa pueritia assueverat,

C 76 Porro, quam avide in pœnitentiæ exercitia propenderit Rosa genius, jam inde ferme ab infantia seriis præludiis abunde ostenderat. Quadriennis erat, cum tenellos humeros (quibus flagellandis tunc adhuc deerant rudi puellæ funiculi) incepit vexare nunc crudorum laterum ponderibus, nunc gravis trunci onere, velut ex tunc conata bajulare crucem post Christum, sub infamis ligni molestia laborantem. Mariana, ancilla domestica, horum arcanorum sola aliquamdiu conscia, sola Virgini a secretis erat. Hanc itaque nunc in remotiorem horti angulum, nunc in solarium domus sevocatam, flexis humi geniculis precabatur, ut (quod suismet ipsa manibus tenella nondum poterat) humerulos suos vi laterum ibi sparsorum oneraret: sub ea mole, gravique obtritu, durabat parvula in oratione prolixa et laboriosa; tandem innuebat ancillæ, sine strepitu pondus auferret, ne forte superveniens mater furtivæ devotionis turbaret scenam, aditumque similia iterandi præcluderet.

tenerum corpus affligebat,

77 Aliis vicibus, sub eodem silentio, rogabat sibi gravari scapulam informi trabe, collectisque exiguis viribus, conabatur obnixa sufferre durissimam sarcinam, dum preculas suas bene longas absolveret. Æstuabat impar oneri, gemebat, obluctabatur, donec interdum victa premeretur usque ad solum. Rudimenta hæc D erant severioris militiæ, quam ætas maturior, ut promittebat animo, sic corpori minabatur. Nondum quartumdecimum annum egressa fuerat, cum notari cœpit inter alia pœnitentiæ opera, quod noctu perambulabat hortum nudipes, imposita sibi oblonga cruce, quam dum lividis gestabat humeris, semetipsam crebris genuflexionibus terræ allidebat, amarissimam Calvariæ viam æquis tum passibus, tum suspiriis dimetiens; nec ulla malignantis auræ intemperies, non horrida obscuritas, non frigora, non turbines ventorum, insuaves erant Virgini, undequaque suo corpusculo quidquid incommodorum poterat accersenti.

et ferrea catena se flagellare prohibita,

78 Inhibitum ei fuerat (uti supra attigimus) ne amplius ferream catenam in usum flagelli adhiberet. Ipsa rem sic interpretata est, non ut omnino sibi catena parceret, sed tantum non cæderet. Itaque hanc lumbis suis triplicato circumductu fortissime adstrinxit, extremis commissuræ ansulis seram immisit, claviculam abdidit, ubi recuperare nec ipsa posset. Occultissimum hoc E erat tormenti genus, quodque vel diu vel forte semper latuisset universos: nam Rosa, vel ipsam operum suorum secretariam Marianam, hujus insciam voluit; sed noluit Deus; unde sic demum patuit. Nocte concubia Rosam in strato acutissimus coxendicum dolor invaserat; sentiebat afflicta totum a catena malum esse, velut quæ per extritam pellem hinc inde carni nervisque profunda incumbebat; unde renes et latera ferri algor in atrocissimi doloris consensum attraxerat. Angebatur Rosa, quod se sola nec rumpere noxiam catenam, nec sine clave seram diffibulare poterat.

ea corpusculum tam arcte cinxit, ut carnem penetraret,

79 Crescebat interim sub indissolubili vinculo atrox ischiadis cruciatus, qui demum invitæ Rosæ, post longos gemitus, etiam miserandos ejulatus extorsit. Evigilans Mariana prosiliit, ægram sublevatura accessit, obsequium quodcumque in rem foret obtulit, simulque de morbo ac morbi causa perplexe interrogavit. Hic misera Virgo secretum suum prodere debuit, ut ab ancilla consilium modumque exquireret, quo solvatur catena, priusquam experrecta mater in F auxilium utrique accurrat. Tentarunt ambæ, quid possent, alternabat vices lucta et consultatio: sed neutri cedebat tenacis seræ firma contumacia. Meminerat ancilla, ejusmodi seras valida contusione nonnumquam aperiri: dum igitur abit quæsitura saxum, anxia Rosa, matrem aut vocari aut sponte mox affore timens, ad orationem confugit, quæ instar clavis, et cælum, et seram penetravit. Mira res! cum saxo rediens Mariana audit sonoro crepitu seram sponte dissilientem, laxatur sensim catena, deducitur, abstrahitur tota; sed passim avulsione opus fuit, quam cutis et cruor sequebantur. Hoc agone defuncta Rosa, quietem repetiit, ut eamdem ancilla repeteret, ac mane facto, velut nil grave passa, ad consuetos labores properavit.

et ideo illam confessarius etiam auferri jusserit.

80 Vix laceratæ cutis vulnera coierant, quando Rosa ad suam catenam rediit, pristinoque ferri tormento se rursus incinxit; donec tandem (incertum quibus indiciis) rescivit confessarius, qui continuo præcepit Virgini, catenam, ut erat, sine mora sibi transmitteret. Paruit illa, catenam denuo carni adnatam a lumbis revulsit, pannoque diligenter una cum sera obvolutam sacristæ

A cristæ B. Blasio Martinez tradidit, recta ad confessarium deferendam. Sacrista ex pondere suspicatus aureos inesse torques, aut pretiosa monilia, digressus a Virgine explicuit involucrum, ac dissimilium auro thesaurum reperit, catenam recenti imbutam sanguine, quam frustillatim adhærescens caro et pellicula variis locis conspicue satis interpunxerat. Hujus aliquot ansulæ seu circuli post Rosæ obitum apud D. Mariam de Usategui aliquamdiu asservati, mirabilem, at omnibus peregrinam spirarunt suaveolentiam, testes nimirum pœnosi sudoris, quem de Rosæ corpusculo imbiberant.

Deinde brachia vinculis constringebat,

81 Neque pulpæ brachiorum ab ejusmodi vinculis immunes erant: his enim Rosa, ad cruciatum, arcta quædam ligamina circumdederat, quæ perpetim torquebant complicatos musculos; at tum vel maxime vexabant lacertos, quoties aut aliquid de terra levandum, aut brachia sursum extendenda erant. In his nexibus clam dolorosis meditabunda, vinctum in horto Getsemani Sponsum comitabatur ad ædes Caiphæ, Annæ, et Pilati. Nec adeo has alligaturas, quamquam strictissimas, pellis obduxerat, quin B videre eas potuerit Mariana, quando medebatur laceris Rosæ scapulis: nam sæpe postulabatur hoc genus officii, eo quod jugiter in Rosæ dorso patebant scissuræ, quibus, ex intervallo, jussa Mariana inspergebat ignotos pulveres, ne saniem conciperent, chartaque bibula obducebat, repetitis postridie tunsionibus renovandas. Porro dum brachia et lumbos vincula nervique arctabant, manipulatim urticæ ac minutuli sentes morsu creberrimo vexabant pectus, axillas, latera, ne qua pars vacaret a cruciatu, dum forte cilicium adhuc deerat præ inopia. Sic nempe Rosa in sentibus configurabat se lilio inter spinas.

hispidum cilicium gestabat.

82 Verum ubi pro ingenti munere ditatam se vidit brevi cilicio, quasi purpuram, byssum, trabeamve nacta, sibi suæque tremulæ carni gratulabatur de novo pœnitentiæ baltheo, rigoris paludamento. Initio quidem illud tametsi asperum, minus tamen, quam Virgo optaverat, latum, sinuosumque videbatur, utpote quod vix duorum palmorum mensuram excedebat. Sed paulo post aliud successit ex religiosæ personæ liberali dono, quod Rosam undequaque contentam reddidit. Manicatum hoc erat, atque a C collo et humeris infra genua propendebat; hispidum, ex crassioribus equorum setis prædense contextum, vix non loricæ gravitatem æquabat. Ponderosa hæc asperitas ut suapte grossitie fere implicabilis, ita duritie implicabilis, cuivis robustiori pœnitentiæ alumno sufficere potuisset ad summam austeritatem, nec tamen Rosæ sat fuit: nam infixis undique brevissimis acubus, hirsutam interulam diligentius in se armavit. Herinaceum credidisses, non rosam. Virgini tamen hæc rudissima gausapina non tam cilicium, quam abolla videbatur, eaque per complures annos est usa, donec ob frequentem sanguinis vomitum, alieno coacta fuit imperio, noxiam hanc exuere cataphractam.

et singula corporis sui membra

83 Aliam tamen ipsa adinvenit castigandi corpusculi rationem, quam priori clam substitueret, minori forsan valetudinis damno, at non leviori molestia. Saccum villis crassissimis gravem sibimet in formam indusii aptaverat, et ne posset deprehendi pilosa ruditas, extremis manicis carbasina integumenta obduxerat. Sub hoc pondere æstuabat, rigebat, lassabatur extenuata viribus Rosa, incessu non nisi difficillimo gradum promovebat, et sive consederat, sive genua humi fixerat, ægre se attollebat in pedes; pœna erat quicumque motus; languebant artus, velut sub sarcina; sibique videbatur plumbeo magis, quam cannabacco stromate subuculata. Infimæ dumtaxat pedum supererant plantæ, quas neque cilicium nec disciplinæ verbera attingebant; nihilominus reperit solicita carnis suæ domitrix, quo et illis propriam dispensaret cruciatuum portionem. Igitur quoties domi coquendis panibus accendebatur clibanus, prensabat occasionem Rosa, nudatisque plantis calcabat immota summum fornacis orificium, ubi vis ardoris vehementior erumpebat. Meditabatur illic sensu acerrimo dira gehennæ incendia, quæ sibi deberi plus quam serio autumabat. Sic demum a planta pedis usque verticem capitis nil ei residuum fuit, quo voluntarios cruciatus exciperet.

A. LEONARDO HANSEN.

peculiari tormento cruciabat.

84 His blandimentis Rosa demulcebat tenue illud corpusculum, cui alias a crebris infirmitatibus sat pœnarum erat, ut infra suo loco videbitur; neque animus illi deerat tentandi etiam his majora, ni prudentes confessarii vetuissent, E qui identidem, interposito moderaminis præcepto, discretam virium rationem habendam occlamitabant. Sane quam corpori suo Rosa amica non fuerit, supremum hoc paradigma esto, quod Virgo cautissima nec delicias spiritus usque ad corporis solatium exundare sinebat. Perpaucis Dei amicis id curæ fuisse legitur, de unico Gregorio Lopes Mexicano c id Rosa legerat, statimque sibi imitandum sumpsit. Igitur usque ad hanc subtilissimam divisionem carnis et spiritus, elegerat conformari Sponso crucifixo, quatenus ille nec gloriam animæ in suum adhuc mortale corpus, nec gaudia partis superioris in inferiorem derivari permisit, ne passionem impediret. Sentiebat et Rosa ex mirifico cælestium sapore ac pergustu suum dulcescere spiritum, inebriari mentem, saginari animum; sed interim cavebat, et (quoad potuit) obstabat, ne in talium epularum quantulamcumque communionem aut sympathiam admitteretur miserum corpus, quod soli passioni et cruciatui destinarat: et, si eam Rex introducebat in cellaria sua, ipsa suum corpus jubebat foris stare. Existimo rarum hoc divortium sublimioribus Rosæ operibus posse F accenseri.

ANNOTATA.

a *Hic venerabilis et Apostolicus vir post Hansenianam hujus Vitæ editionem anno 1675 in numerum Beatorum relatus est, quem deinde Benedictus XIII anno Christi 1726 solenniter catalogo Sanctorum adscripsit, ut in Actis ejus apud nos ad diem 24 Julii illustratis, sive tomo* v *istius mensis a pag. 847 licet videre.*

b *Sanctus Franciscus Solanus concionem de spirituali animæ ruina instituerat, quam populus Limanus de materiali et subita urbis suæ ruina perperam interpretabatur, ut in memoratis Actis ejus cap. 6 retulimus.*

c *Iste Gregorius Lopez cognominatur* Mexicanus *habitatione, ni fallor, cum Nicolaus Antonius in recentiore Bibliotheca Hispanica tomo 1, pag. 417 de illo scribat sequentia:* Gregorius Lopez, cujus patria in obscuro est (alii Matritensem existimant, natumque anno MDXXXII, alii Lusitanum, ut Georgius Cardosus in Hagiologio suo XIII Martii pag. 164, qui

A. LEONARDO HANSEN.

qui ortum ait in oppido Linhares Beiræ provinciæ) cum ex Hispania in Septemtrionalem Americæ plagam, Mexici nempe regnum transfretasset, insigni apud eas gentes vixit morum innocentiæ ac sanctitatis fama *etc. Deinde ibidem breviter virtutes ejus et lucubrationes recenset, quibus hæc subjungit :* Vitam ejus testis oculatus in litteras misit Franciscus Losa parochus cathedralis Mexicanæ ecclesiæ, quem secuti sunt peculiaribus suis historiis Alphonsus Ramon Mercinariorum sodalis, et Ludovicus Munos causarum procurator in Matritensi curia. *Arnaldus d'Andilly tomo 1 Diversorum Operum pag. 157 et sequentibus hanc Francisci Losæ testis oculati lucubrationem Gallice interpretatus est.*

CAPUT VII.

Aculeata corona, qua caput suum cinxit.

B Decebat charam B. Catharinæ Senensis discipulam, in schola patientiæ ad magistræ suæ prototypon laureari. *Capiti suo imposuit coronam* Mira hæc Sanctorum est ambitio, qua malunt Christi spineam, quam auream coronam in hujus vitæ exilio circumferre. At rosis præcipue nec tutum, nec decorum est, spineo carere sepimento. Verum ad rem. In ipso adolescentiæ ac pueritiæ confinio, Rosæ corculum acerbissime compunxerat devota ac tenerrima compassio ex avidissimo obtutu piæ imaginis, quæ muto præconio clamitabat, ECCE HOMO. Hærebat in illo plexili senticeto, quod Christi verticem cruente insederat; pudebat sub spinoso Capite se membrum videri delicatum. Itaque primam sibi tunc coronam (de secunda agetur paulo inferius) ex ductili stanno complicuit, quæ seu funium, seu virgularum mutuo implexu contortarum, spiram effigiabat. Huic per certa intervalla nonnullos indiderat claviculos introrsum præacutos, eoque diademate clam sibi caput non sine vulnere obcingebat, sub vittis victima coronata.

86 Annos complusculos duravit, et induruit pia Virgo sub hoc oneroso capitis spineto; verum id nonnisi puerile fuit tirocinium robustioris tormenti, quod ex secunda corona, aculeis nonaginta et novem armata, imminebat. *nonaginta novem aculeis armatam,* C Hanc posteriorem, decimo circiter ante obitum anno, hoc est, paulo postquam Dominicani Ordinis togam sumpserat, sibi imposuit, nec nisi cum vita deposuit : nimirum, ut cœperat attentius contemplari spineam sui Redemptoris coronam, in caput S. Catharinæ Senensis mirabiliter translatam, minime sibi quiescendum duxit, nisi eamdem pariter in suum inde verticem, æmulatione qua posset religiosiori, accerseret; nec sibi videbatur totum seraphicæ magistræ induisse habitum, nisi et spineam induisset illius coronam.

87 Novo igitur ardore, ac patiendi desiderio, lamellam argenteam sibi flexit in circulum, *cujus forma describitur.* huic ab intus ex eodem metallo tres infixit aculeorum ordines, ita ut quælibet series triginta et tres contineret aculeos, videlicet pro numero annorum Christi, quos mortalis pro mortalibus explevit in terra. Certe nil excogitari potuisset aut pro capitis (ut appellant medici) pia matre magis pium, aut duræ matri durius *a*, nisi hanc duritiem ipsa pietas suggessisset. Porro D ne capilli, qui post rescissionem breviores succreverant, profundiori obstarent aculeorum impressioni, ad vivam usque cutem novacula crinem omnem submoverat, aliquid tamen inculti cincinni relictum in fronte, quo corona interdiu obtegeretur, ut matrem lateret. Quamquam permodici hujus capillamenti in sincipite residui alius quoque usus fuerit, ad nova dolorum incrementa. Verum de hoc in sequenti capitulo, ubi ad Rosæ vigilias transibit succincta narratio.

88 Dentatum hoc sertum quam dire momorderit, quam cruciabiliter omni ex parte pupugerit velatum sacræ puellæ caput, *et qua Virgo studiose utebatur.* cui torquendo unica sat fuisset acicula, ex eo fas est conjicere, quod spinæ non simul omnes, sed aliæ post alias, binæ, ternæ, pluresve, successione molestissima, nudatam invadebant cutem, proque occasione ac varietate motuum, singulæ obliquabantur in singulis vulnerum angustiis. Compertum est, sub hoc densissimo pungentis metalli vepreto, ipsam loquelam Virgini fuisse dolorificam : quid si tussi concutiebatur pectus? si sternutatione exonerabatur miserum caput, aut alia fortius excreandi importuna necessitas E vultum orisque habitum violentius commovebat?

89 Verum hæc Rosæ ludicra videbantur, et *ut se quotidie* artis digna succursu, quo sævirent inclementius. Itaque, ubi coronæ seu bracteæ extrema coibant, decussatim tænias innexuit, quarum attractu non solum cohibebat cuspidatum hunc circulum, ne aut loco exerraret, aut sponte laxaretur, verum etiam quoties lubebat dolorem intendere, tæniarum capita strictius adducendo, ipsi tormento suo vim faciebat, præcipue vero sextis feriis placebat Virgini hoc pœnarum epimetron, in memoriam Sponsi, sentibus coronati. Maluisset, pro conformiori similitudine, gestare coronam ex spinis agrestibus, eaque de re serio tractaverat cum confessario; at is dissuasit, quod vereretur facile sub putri aculeo, gravem in Rosæ capite purulentiam posse succrescere. Adquievit et ipsa, considerans, ejusmodi coronam nec sub velo sat commode celari posse, punctis sine ordine prominentibus, nimiumque suo cruciatui decedere, si non omnia usque ad unum acumina introrsum vergerent. Idcirco lamella utendum fuit, eaque argentea, quo et solidius adjaceret vulnerandæ cuti, et infixas spinulas tenacius retineret. Nec fefellit eventus : nam post Virginis F obitum aurifaber, cui injunctum erat aliquot bracteolæ spinas evellere, (forsitan ut devotis personis eas flagitantibus in domum usumve cederent) adhibitis forcipibus, adeo singulas invenit firmas, ut extrahi nulla potuerit, quamquam ad ferri tractum huc illuc inflecterentur. Ut intelligas tam suas Rosæ patienti non cessisse spinas, quam his non cessit illa.

90 Nec tamen contenta hoc quotidiano cruciatu, modum reperit, quo nova indies vulnera aperiret : *magis magisque torqueret;* nam coronam mane circumdatura capiti, numquam eodem figebat loco, quo pridie steterat, sed mutato paulisper situ, in aliam aliamque partem transponebat redimiculum, ut alterna variatione immitius pungeret, atque in intacto dolorem renovaret. Porro qualibet sexta feria hoc addebat in cumulum, ut usque ad auricularum cartilagines imumque occiput coronam demitteret, quo tempora (ubi caro mollior, sensusque delicatior) prædensa stimulorum obsidio et molestius incingeret, et profundius sauciaret.

A ciaret. Idem Sabbato repetebat, compassura Virgini Matri, cujus animam in morte Filii doloris gladius pervaserat.

donec hoc tormentum, quod domesticos diu latuit.

91 Diu familiares, domesticos, ipsamque matrem latuit hoc tam cruenti pectinis vepretum : quis enim sub vitta ac velo cautissimæ Virginis, aut notasset, aut quæsivisset tam ferale supplicium? Ipse confessarius, qui Rosæ arcanum hoc pœnitentiæ genus permiserat (nam citra illius nutum Virgo morigera nihil aggrediebatur vel minimum) obiter dumtaxat aculeati gestaminis conscius, neque coronam viderat, neque vel tenui suspicione attigerat peregrinas inventiones, quibus hanc Rosa in se consueverat atrocius irritare. Sed tandem Numinis providentia rem diutius occultari non sivit, effecitque, ut tantæ virtutis exemplum, in plurium opportunam notitiam promanaret. Casus erat : germanum Rosæ fratrem ob puerile delictum pater quærebat ad virgidemiam; interjecit se blandiuscule Rosa, patris iram propitiatura; is vero dum Filiam sibi obstantem impetuose dimovet, fortuito manus errore, impegit leviter in caput Virginis, ea parte, B qua tecta corona sæviebat : mox improvisum ictum tres sanguinis rivi secuti, frontem innocentis Filiæ decursim purpurarunt, manifesto satis indicio, qualis herinaceus sub candido ejus tegmine clam nidularetur.

et tandem casu detectum est.

92 Hic Rosa magis se proditam quam percussam dolens, dupliciter erubuit; conata tamen dissimulare quod erat, caute in secretius cubiculum se subduxit, coronam festina seposuit, cruorem quasi ludibunda abstersit, impositisque panniculis, qui sauciæ plagæ stillicidium imbiberent, caput solitis velamentis confestim operuit. Verum hac solerti fuga trepidam matrem nec fefellit nec effugit; cum Mariana ancilla e vestigio Filiam secuta, de vulnere interrogat; causam, cur levi ex tactu sanguis eruperit, sciscitatur; denique excusante Rosa, et nequidquam deprecante, suspicacior vittam solvi, caput nudari imperat : quod ut vidit in orbem undique immaniter dispunctum, facile conjecit, unde hæc signa tam cruento inessent zodiaco. Verumtamen siluit, haud ignara, Filiam, si spinetum suum prodere aut abjicere cogeretur, facile alia et quidem longe truculentiora mox adinventuram, quibus verticem pergeret divexare. Itaque C tunc, velut inscia mysterii, calente vino caput filiæ leniter abluit, quantum læsis partibus sat fore ad medelam aut credebat, aut credere simulabat, aliud interim adversus ipsam coronam remedium excogitatura.

Joannes de Villalobos noster nonnihil mitigavit. b

93 Nec mora : delata fuit rei series ad eum, qui certius coronæ usum Virgini prohiberet; nempe ad unum ex Patribus spiritualibus, quorum ductui Rosa obtemperabat. Is erat R. P. Joannes de Villalobos *b*, Rector Limensis collegii Societatis Jesu, Vir sanctimonia ac religione celeberrimus, et animarum per tutiora compendia perfectionis deducendarum auriga peritissimus. Huic ut innotuit quod gestum erat, extemplo mandavit Rosæ, quidquid illud esset, quo caput suum hactenus spinose discruciaverat, sibi adferret. Attulit illa coronam suam, ne quidem tantillo sibi indulto spatio, quo notas sanguinis inter cuspidum acumina satis abstergeret. Allatam prudens ac pius Pater non sine horrore et commiseratione intuitus, rigidiorem esse censuit, quam quæ illi sexui, ætatisque teneritudini conveniret. Proinde rationibus adortus est Virginem, ut omnino severissimum crudelis instrumenti usum dissuaderet. Illa advertens, ratione, non imperio secum agi, suas vicissim rationes humiliter opposuit; demum in hoc utrimque conventum est, quod poscenti sua redderetur corona, sed mitigata. Sicque providus ac discretus Pater, arrepta lima hinc inde prominentiores coronæ aculeos hebetavit, obtudit, defricuit, si non satis, attamen nec parum hoc temperamento se putans assecutum.

A. LEONARDO HANSEN.

Hæc aculeata corona

94 At Rosa pluris faciens coronam, quam regnum, gaudebat hanc se recuperasse salvo spinarum numero, ac saltem non nisi modice ea castigatione exarmatam. Igitur respexit denuo ad pristina dolorum supplementa, jamque pœnoso tæniarum attractui etiam hoc addebat, ut interdum illiso pugno coronam tunderet, quo altius in caput penetraret : neque enim diligens lima sic detriverat aculeos, ut suo non fungerentur cruentandi officio. Patuit hoc vice quadam, cum Rosa, fortuito in terram lapsu caput leviter ad vicinum pluteum impegit, ubi confestim ob coronam vertici validius impactam, copiosus sanguis defluxit in humerum. De Christi serto spineo canit Ecclesia : « Felix spina, cujus aculei E » vires frangunt regis tartarei. » Rosa nostra idipsum experiri meruit et in suo : nam quotiescumque hostis tartareus appropinquabat Virgini, suggesturus fœda ac sordida, aliis ad eum procul abigendum catapultis opus non fuit, quam quod vigil Rosa ter digito pulsaret suam coronam, in SS. Triadis reverentiam. Tympanum erat, cujus levi tactu perculsus dæmon fuga turpissima declinabat certamen. Suavius, ac forte mirabilius est, quod de hujus coronæ virtute post obitum Virginis compertum est.

tangentem spirituali gaudio replevit

95 Quidam religiosissimus Dei servus, paulo post elatæ Rosæ exequias, domum Gundisalvi quæstoris adierat, eo dumtaxat animo, ut instrumenta, quibus Rosa virgineam carnem vivens domuerat, devote contrectaret. Oblata ei cum anulo fuit corona spinis horrida, vixque his manus applicuerat, cum repente æstuare cœpit inusitato quodam divini amoris incendio, colliquescere in intimo fundo spiritus, dulcescere gustu admirabili supernarum deliciarum, tamquam ex illismet spinis paradisi uvas, ex tribulis ficus collegisset in animæ palatum. Verum de hoc prodigio commodior redibit tractatio infra cap. XI, cum de pronubo Rosæ anulo agendum erit : hic F sufficiat innuisse, quam serio ac festive cælum ipsum huic coronæ applauserit, quando in honorem tam rigidæ compunctionis, unctionem distillavit tam suavem ac pretiosam.

post obitum sanctæ Virginis,

96 Non pigeat, hic denuo reflectere oculos in spiniferum S. Catharinæ Senensis prototypon, quod Rosa nostra spinis coronata sic imitari visa est, ut plene idipsum non tam expresserit, quam in se transtulerit. Paucis accipe hujus rei notabile argumentum, quod in Rosæ funere observatum est. Dum defunctæ cadaver prostabat in feretro, disposuerat cælestis illa (cui nihil fortuitum) providentia, ut deesset florida corolla, quæ de more caput virgineum circumdaret. Instabat hora funeris ad sepulturam efferendi; at videbantur fugisse terreni flores, velut indigni, qui Rosam coronarent jam cælestem. Ergo in confusa illa trepidaque hinc urgentium, inde cunctantium perplexitate, recurrendum denique fuit (non sine instinctu Numinis) ad coronatam S. Catharinæ Senensis imaginem, quam Rosa, dum viveret, ornare consueverat : hujus itaque sertum proprium, omnibusque publice notum,

A. LEONARDO HANSEN.

notum, tantisper transfertur in Discipulam; sub hoc Rosa effertur Gundisalvi domo ad tumulum, ut quæ viva seraphicam magistram ad vivum expresserat gestamine senticoso, eamdem et mortua repræsentaret evidentius sub communi utrique corona. Probarunt factum quicumque myseritum agnoverant, certi non ab humano studio, sed necessitatis fortunato potius quam fortuito consilio hoc singulare virtutis testimonium Virgini obtigisse.

et ipsa propter illam in cælo coronari visa est.

97 Huc demum et illud videtur pertinere, quod, dum mortualis pompa sic Rosam coronabat in terris, ostento non absimili Beatorum curia eamdem coronavit in cælis, ut utrimque deprehendatur, successisse in ipsammet S. Catharinæ Senensis coronam. Res ita innotuit : mox a felici Rosæ transitu, persona quædam eximiæ sanctitatis ac nominis in visione imaginaria conspexit inter angelorum myriades gloriosam sanctarum Virginum catervam, recta gradientem ad thronum SS. Trinitatis : in medio agminis fulgebat Rosa palmam manu præferens, niveoque candicans amictu, sed nondum ut reliquæ coronata : siquidem ad divini illius throni crepidinem stabat B virgo Deipara, coruscam in dextera coronam tenens, qua Rosam suis ipsa manibus inauguratura, solemnem hanc Virginum processionem exspectabat. Nimirum simillimo ritu olim S. Catharina Senensis excepta fuerat in cælis, cum reliquit terras, ut sic in magistram ac Discipulam a spinea usque ad auream coronam nulla superesset difformitas. Felices spinæ, quibus de tali manu tale successit in cælis diadema!

ANNOTATA.

a *Hoc loco biographus alludit ad medicam vel chirurgicam piæ duræque matris appellationem, de qua Castellus in Lexico medico apud nos pag. 322 sic disserit :* Membrana dura, inviolata, crassa, cuticularis (idem enim significant) est, quæ primum calvariæ ossibus exemptis, aut saltem apertis, cerebrum in orbem contegens apparet (quæ vulgo DURA MATER appellatur) cui altera tenuis mollisque subnectitur, quæ PIA MATER nominatur.

b *Hujus viri elogium apud Joannem Nadasi nostrum in Anno dierum memorabilium Societatis* C *Jesu ad diem 29 Martii pag. 174 legi potest.*

CAPUT VIII.

Durus S. Rosæ lectulus, et nocturnæ vigiliæ.

Ingeniosa Virgo varios excogitavit modos,

Tanta ei corporis macerandi cura fuit, ut nec pauculas nocturnæ quietis horas tormento vacuas esse permiserit : hinc strati sui voluit eam esse duritiem, quæ somnum abigeret magis, quam vocaret; quin et eo tandem processit ars atque industria, ut qui dormituræ lectulus, idem et equuleus esset. Ita nimirum nec indulgebatur quidquam afflicto corpori, et demebatur somno, quod orationi accederet. Suboluit tempestive attentæ matri, quo Filia tenderet : nam pene ab infantia utrumque, et durius cubandi, et austeritatem dissimulandi studium notarat in puella; unde aliquamdiu hanc secum eodem in lectulo accubare jussit per noctem, ut arte artem deluderet. Paruit Rosa, sed eo ingenio, D quo nihilominus obedientiæ ac pœnitentiæ merita in illomet lecto materno dexterrime conjungeret : vix enim obrepserat matri sopor, cum Virgo culcitræ partem, cui incubuerat, sensim removebat, donec substratæ tabulæ corpusculum exciperent, capiti vero lignum, aut prope absconditus later cervicali subducto succederet. Idem S. Catharinæ Senensi cum Lapa matre certamen, idem stratagema fuit.

quibus ipsa durissime cubaret,

99 Læta successu Rosa, pergebat securior non tantum nudare sibi tabulas, quibus indormisceret, sed et rudius saxum circumspicere, quod cervici supponeret : verum post longas ambages, tandem interrupit Filiæ solertiam expergefacta mater, ac velut deprehenso immani facinore puellam increpuit, adjecto callidæ obstinationis convicio : Si sic ei constitutum erat matrem fallere, iret porro, sibique deinceps suopte arbitrio lectum, quem vellet, contabularet, dum tamen capiti saltem humanius cervical concederet, ipsisque tabulis unicum simplicis straguli induceret operimentum. Ad hanc vocem tripudiabat Rosæ animus, maternam permissionem, E tametsi jurgio ac bile acidam, pro dulci blandimento arripuit, conditionem avida manu acceptavit, matrique pro tam liberali indulgentia gratias egit tenerrimas. Exinde mox conquisitis, et in sui cubiculi capaci angulo compaginatis tabulis rude stragulum injecit; bina insuper pulvinaria in speciem imposuit; parvoque labore grabatum, uti genitrix permiserat, absolvit. Verum quoties nox appetebat, remotis pulvillis succedebat truncus undique impolitus, ac lapilli in hunc usum interdiu sub lecto absconditi, disponebantur sub stragulo, ut ea inæqualitate offenderetur corpus, cui prædura tabularum planities in deliciis fore timebatur. Quantum hæ scruporum sub stragulo extantium dissitæ cotes jacentem Rosam dispunxerint, facilis conjectura est, sane in ipsis solidis asseribus conspicue apparuerunt impastinata lapillorum vestigia, ipsæ tabulæ scrobiculatim hinc inde extritæ protestabantur satis, quam molliter his incubuerit macilenta Rosa.

et matrem hæc observantem

100 Cæterum lapilli sparsim ac mobiliter dispositi facile cedebant moli, quoties in aliud latus vertendum erat corpusculum. Igitur addenda videbantur tum duriora tum stabiliora in equulei supplementum; nempe tria ligna tortuosa, indolata, nodosa tabulis imposuit, ac inter commissuras tenuioribus paxillis firmavit sub F stragulo, ne cederent. Attamen per diem hosce truncos exemptiles seorsim occultabat sub thoro, ne mater aut ex inæqualitate straguli hos deprehenderet, aut palam expositos traheret in legitimæ suspicionis argumentum. Unica demum Mariana ancilla secreti conscia fuit, quam validis obtestationibus adegit Rosa, ne proderet; et si cubiculum everrendum esset, hæc ligna suo loco vel immota relinqueret, vel actutum reponeret. Diu placuit ferventi Rosæ crudelis hæc supinæ torsionis catasta, placuissetque diutius, si fuisset atrocior, hoc est, si acutius et omni ex parte sæviisset : nam inter lignorum vacua spatia nil erat quod incubuam satis cruciaret.

pie falleret;

101 Subiit ergo nova ac postrema lectuli dirissime asperandi cogitatio. Tabulis arcte commissis ligna omnino septem instravit justis intervallis, quæ, ne laxarentur, bubulis loris apte distrinxit. Porro singulas distantium lignorum intercapedines præacutis tegularum fragmentis, co-

ctilium

A cilium patinarum frustulis, testarumque fractarum triquetris sic implevit, ut singulorum pars mucronata obverteretur corpori, ac ea quidem confertissima densitate, qua nutare aut cedere nulla posset; cum inferne sat prohiberent subjecti asseres, nequa excideret; costasque obsiderent ligna, ne laxaretur phalanx. Quis credet videri denique potuisse dignum hujuscemodi pratum, in quo Rosa quiesceret? nec defuit strato tam nobili dignum cervical; sed de hoc infra. Eidem coaptatæ lodices, at cilicinæ, setosæ, instarque subcerniculi aut cribri, ut simul et ipsæ pungerent, et testarum puncturas non impedirent, sed obiter absconderent. Insuper ad hujus lectuli caput occulte ampullam felle plenam appenderat, nec ante ad somnum sese componebat, quam isthoc sorbillo amaricasset fauces, in memoriam Sponsi felle ac myrrha potati.

quam lecti duritiem

102 Aliquando fassa est Rosa, in lectuli sui aditu hoc felleum libamen sibi non adeo cum sumeret, quam si citius evigilabat, fuisse molestissimum: tunc enim sentiebat palatum usque ad tonsillas *a* et epiglottidem *b* aruisse penitus, linguam præ siccitate vix non immobilem, gutturis bronchos *c* undique accensos, ita quod siccatis faucibus supplicium esset ipsa respiratio. Proinde nil mirum quod ([ut] postea innotuit) Rosam cetera intrepidam sæpius horror pavorque medullitus pervaserit ad unius sui tam immitis lectuli cogitatum: tremebat, æstuabat, sudabat misera, priusquam vel spondam attingeret, memor, quales ipsam expectarent ibidem plumæ, quot minaces cristæ arrigerentur illic in suam lanienam, quo sibi cruciatu distabescendum, quoties in alterum latus revolvendum esset lassum corpusculum; denique sciebat, inde se neutiquam surrecturam absque omnium membrorum gelido stupore, ac velut ex ossifragio, coxis, humeris, cruribus, brachiis miserrime divaricatis; unde cuidam matronæ post annos complures familiariter interroganti, quomodo lectum adeo horribilem, [ac] arduum potuerit vel nocte unica tolerare, respondit cum lepore (uti solebat) et gratia, alem se ex eo accubitu dolorem capere, quantus utique sufficere posset in satisfactionem pro quavis amicissima persona Deo offerendam.

a b — B — *c*

Christus ei apparens approbavit.

C 103 Contigit subinde, Rosam velut justo pavori pene imparem, diutius hærere in ancipiti, lectumne tot pœnarum fertilem inscenderet. Verum dubitanti et prope exanimi subvenit Christus, visibili blandaque specie se Virgini objiciens, ipsamque placidissime his verbis compellans: « Memento Filia, longe duriorem, angustiorem, » horribiliorem fuisse lectulum Calvariæ, in quo » mortis somnum pro te cepi. Nosti, quid fellis » ibidem propter tui amorem exhauserim: scis, » quæ illic non testeæ, sed ferreæ cuspides mihi » manus pedesque terebrarint, donec ipsam » mihi extunderent dilectam animam. Hæc recole, » hæc pœnali strato tuo in trutina oppone, » et videbitur tibi sub charitatis dictamine lectulus » noster floribus. » Mirum, quam alte Virginis animum hæc verba penetrarint, quantum ei roboris constantiæque affuderint, ne ab horrido illo patientiæ exercitio resiliret. Sane per ipsos decem et sex annos in hujus agonis acerbissimo tormento invicta perseveravit, et (quod mireris amplius) conscia demum atque invita, sed tamen connivente matre. Conata quidem hæc fuit semel iterumque Filiam a tantæ austeritatis excessu divertere, et lectum immanem frustatim dissipare, sed immisso divinitus conscientiæ stimulo, nec manum ausa est adhibere, nec imperium. Maluit itaque per confessarios tentare successum; verum et hi velut in magnæ perplexitatis negotio videbantur trepidare, nec certi quidpiam resolvebant; idque perspicuum satis indicium erat, Deo sic placitum esse, in asperrimi lecti tolerantiam electam Rosam dilecto suo Sponso concrucifigi.

A. Leonardo Hansen.

Unde pulvinar, quod capiti subjicere jussa erat.

104 Dicendum nunc de cervicali. Tentabat Rosa gradatim abjectis mollioribus, ad exemplum S. Catharinæ Senensis, eo pertingere, ut, inscia matre, demum informe saxum capiti dormitura supponeret; unde initio grossioris panni incommodum volumen in cervical adhibuit, deinde paulatim crudum laterem, denique petram polygonam *d* et undique scabram. Verum hanc mater, ut animadvertit, sustulit; filiæque pulvinar obtrusit lana vacuum, sed cum jussu, ut illud farciret. Tacuit Rosa, pulvinar suscepit, infarsit, sed non lana, uti credebat mater: vim segmentorum collegit, quæ de fabri lignarii dolabra excidunt; his pulvinum implevit, impleto indormivit. Nec tamen diu latuit matrem solertia, fartum corripuit, lignea inde retrimenta projici, lanam substitui, lanam ingeri, diserte et cum clamore præcepit. Obedivit Rosa, sed non ultra litteram; cervicali infarsit lanam, at non solam; qua inter lanam extimumque pannum, ubi facies decumbentis excipienda erat, tortiles juncos clam occuluit, quos veteris sportæ fragmento in hunc usum detraxerat. His Rosæ dormientis vultus immodice dispungebatur, adeo quod mater in genis ac fronte Filiæ persæpe notarit extemporanea hæc stigmata, nec tamen originem divinare poterat, jam secura de lana, quæ cervical implesset; donec fortuito casu manum cervicali incuriose imponens contrectavit hostem in latebra, juncos deprehendit, extraxit. Vidisses hic denuo Lapam matrem filiæ Catharinæ probra, convicia, criminationes acervantem; vix temperatum a verbere. Sic Rosa, quod dura sibi quæreret, durissima sufferre debuit.

d — E

nova industria identidem durius reddidit,

105 Exinde mater in virtute sanctæ obdientiæ præcepit Filiæ, rursum vacuaret suum cervical, lanamque reponeret, at lanam solam. Iterum obedit Rosa, sed ultra litteram; nempe duplicavit lanam, arreptoque bacillo, tantam ejus copiam non tam ingessit, quam impressit cervicali, ut hoc suberis tandem duritiem exæquarit. Sic videbatur sibi rediisse ad ligneum illud pulvinar, quod pridem sibi mater subtraxerat. Fuerat is truncus ex arbore, quam illic pacay *e* vocant indigenæ, excavatus in medio, ut caput Virginis collumque exciperet. Huic per edictum maternum proscripto successerat nodosorum stipitum fascis, in extremitate funibus collectus. Verum et hunc mater abegerat. Tandem ut in postremum hoc mere laneum cervical incidit, ulterioris inops consilii, sic Filiam affata est: « Sane paruisti, Rosa mea, paruisti: siquidem hic » modo nil nisi lanam reperio. Satis est, imo » plusquam satis: nam tibi et lanam in lanienam » scivisti convertere; quid ultra imperem? Ne » matris præceptum flocciflceret, hos floccos condensasti » in solidæ petræ duritiem. Age ut vis, » nec si tibi mortem consciveris, te amplius interpellabo. »

F

ita ut mater totum ejus lectulum dejecerit,

106 Demum advenit matri tempus optatissimum, quo sibi de Patrum confessariorum permissu licuit pœnosum Rosæ lectulum manibus avidissimis dissipare. Qui conscientiæ Virginis præerant

A. LEONARDO HANSEN.

erant, tribus circiter ante illius obitum annis consideraverant, ipsam viribus nimium attenuari, corpusculum tot flagris, jejuniis, morbis exhaustum, arduo tam asperi lecti supplicio non amplius par fore, et, si fomenta illi persuaderi nequeant, saltem tormenta debili aut subtrahenda esse, aut moderanda. Itaque Rosæ lectulum ærumnis trium lustrorum gravem cupidæ matri dedunt in direptionem ac prædam. Quo animo id acceperit Filia pœnitentiæ, quam vitæ studiosior, non facile dixerim; at alacris mater, velut signo ad assultum dato, sævissimam illam catastam non aliter ac hostilem arcem invasit, truncos, ligna, tigna dejecit, luxavit asseres, et non sine præcipiti manuum offendiculo testacea fragmenta sublegit, sparsit, tandemque in vicinum urbi fluvium, ne ad usum redirent, abjecit; prius tamen eorum numerum inire voluit, reperitque acuminata frustula parum abesse a trecentis.

eamque minus incommode dormire coegerit.

107 Ergo aliter post hæc Rosæ jacendum, et dormiendum fuit; vix tamen blandius aut commodius: nam tabulas suas asseresque repetiit: his sine culcitra paleave simplex ac detritum peripetasma instravit; sicque, vocato somno, exanguia membra deinceps composuit ad soporem. B Attamen et pauper hic thalamus ei videbatur sapere delicias; unde postremis vitæ annis, quos in Gundisalvi quæstoris domo exegit, in humili sella collecto corpusculo, sedentaria noctes suas transegit, capite paulisper reclinato ad columnam lecticæ, in qua Gundisalvi minorennes filiolæ acquiescebant. Ita brevissimum somnum Rosa libabat magis, quam capiebat, præsertim hyberno tempore, quo plerumque ex nocturnis frigoribus sic tremebat, rigebat, stupebat, ut surgens pedibus consistere vix posset. Interdum nimio algore excitata, roris marini ramusculis ad ellychnium accensis, obiter hoc fumo tantillum fugitivi caloris, quo se foveret, nitebatur concipere. Novercali corporis odio, nec vigil insidere usquam pulvino voluit, sed vel stans peragebat labores suos quousque poterat, vel cum necessario sedendum erat, duro palo utebatur pro sellula.

At illa solitam cubandi duritiem repetens,

108 Interim prioris sui lectuli memor et cupida, assidue tundebat confessariorum aures, querebatur, se vitam suam otiose perdere, dum a pristinis pœnitentiæ exercitiis in vita cogebatur C feriari, omni se patientiæ merito vacuam ex tanta Patrum indulgentia remanere, S. Patri suo Dominico indies occantari titulum Rosa patientiæ, se vero, adempta sibi patientia, nec Rosam esse, nec tanti Patris Filiam; denique sinerent eam, quæ nil boni ageret, saltem mala pati, corpusque affligere. Tantum effecit, quod unus ex confessariis indulsit Virgini, ut per totam illius et proximi anni (qui Rosæ postremus fuit) Quadragesimam, ex pristini rigoris forma denuo sibi lectulum instrueret e lignis, testis, tegulis constipatum. Fecit confestim Rosa, ut sibi permissum erat, summæque curæ summum adjunxit secretum, adeo ut neque post suum obitum (nam tunc primum res innotuit) secundus iste pœnarum lectulus usquam potuerit inveniri. Credibile est, ipsammet, statim ut cum Quadragesima expirabat utendi facultas, ultro solvisse catastam, dispersisse testarum fragmina, projecisse paxillos et ligna, ne quid innotesceret; quamquam diligens perquisitio utrobique, tum materna, tum quæstoris, in domo non defuerit.

109 Sed nec Rosam morti jam vicinam deseruerat hoc pene coævum durissime cubandi desiderium. D Semianimis in suo illo extremi doloris extremo lectulo dolebat, altero illo se carere lectulo extreme dolorifico. At quis tam crudelem equuleum apparasset innocentulæ jamjam morituræ? Saltem optabat ex illo, cui incumbebat, humaniori stratu, humi deponi, ac nudo in pavimento mori. Verum ut neque hoc se impetraturam a domesticis intellexit, adstantem germanum fratrem ultimis affata verbis rogavit, cervicalia ut submoveret; his in partem retractis, gaudebat moribunda, quod se lecticæ tabulis sentiret occipite humerisque acclinem, mirificeque contenta, quod crucifixo Sponso qualitercumque commoreretur in duro ligno, felicem spiritum paulo post in manus Creatoris placidissime exhalavit. Nec defuerunt, qui in morientis pallido vultu notarint ipsissimam. Christi in cruce exspirantis effigiem, quod alio loco, et tempore, in S. Catharina Senensi, itidem lecto decubua, fuerat observatum.

et in ea usque ad mortem perseverare cupiens.

longas vigilias protrahebat.

110 Porro quisque ex tanta usualis strati duritiæ haud difficulter intelliget, quantum Rosa vigiliis dederit, cui ipsemet lectus soporem adimebat. E Fassa est aliquando seraphica Catharina beato Raymundo f confessori suo, cum nullo hostium æque ut cum somno, operiosius sibi fuisse confligendum; quem eo tandem reduxit, ut horis omnino duabus contentus esset. Rosam Catharinæ discipulam idem certamen exercuit, eadem victoria cohonestavit: nam et ipsa somnum suum intra duarum horarum angustias coercuit, et aliquando etiam minus spatii indulsit importuno exactori. Unde sic diurnum nocturnumque tempus distribuit, ut ex utroque duodecim horas universim orationi seponeret, alias decem impenderet labori manuum, quo parentes sustentabat, reliquas corporis necessitatibus et brevi quieti deputaret. Hanc vigilandi facilitatem juvere longæ inediæ, cilicii, lectique carduetum, frigidæ omnisque potus diutina abstinentia, profunda meditatio et applicatæ mentis ad superna tenax defixio.

et dæmoni somnolentiam immitenti

111 Nec tamen suas artes partesve omisit versutus hostis, quin Virginem, tunc maxime, quando ad nocturnam orationem surrexerat, molestissime niteretur revocare ad somnum. Rosæ permagno stetere hæc prælia: nam, sive genibus humi fixis inchoabat preces, videbatur inesse F plumbum gravatis palpebris; sive erecta stabat, capiti vertigo ponderosissima obtinniebat languidam somnolentiæ cantilenam; sive pansis brachiis procubuisset in terram, adgliscebat soporiferi corporis suave blandimentum. Pudebat Rosam adversario succumbere tam ignavo, pugnabat etiam cadendo, illidebat cervicem parieti, tundebat sibi latera, si quo modo extunderet irrepentem lethargum: vincebat tandem, at non sine agone; triumphabat, sed in cruce: nimirum prostabat in Virginis cubiculo par humanæ staturæ crux lignea, e cujus brachiis utrimque prominebant clavi fortes ac solidi, ut sufficerent corpori sustinendo. His igitur ambas manus applicabat in somnum pugnatura, ab horum tenaci complexu pendulum librabat corpusculum, dum Deiparæ Virginis Officium absolveret, his cuneolis findebat impetum somni, erudiebatur ad excubias, crucifigebat hostem, nec nisi victrix obrigidos lacertorum tendines retrahebat a charis victoriæ manubriis: sic palmam obtinebat, sed palmis callosis.

acriter resistebat.

112 Invenit et alium pugnandi modum. In cellulæ

A cellulæ pariete oblongum fixerat clavum paulo altiorem, quique Rosæ verticem palmi fere interstitio superaret; huic adversus somni insidias modicum id capillitii, quod obtegendæ coronæ in fronte residuum superfuerat, implectebat strictissime, eoque tormento accersebat vigiliam, recitabat preculas, somnolentiam strangulabat. Ne tamen sic pendula paucis capillis totam corpusculi molem committeret, utcumque summis pedum digitis insistens, tangebat terram, sed ægre satis, ac per alternas successiones nutante lubrico fulcimento. Colligito, lector, ex tam atroci remedio, quam fuerit juvenculæ importuna somni vexatio : in lecto, muricibus ac tribulis, foris autem clavis pugnandum fuit, et Rosæ seu dormire vellet, seu vigilare, tormenta subeunda erant.

ANNOTATA.

a Tonsillæ *sunt extremæ faucium partes circa radicem linguæ, gulam utrimque attingentes. Medici inflammationes faucium cum tumore* tonsillas *appellant, quas Græci nominant* παρίσθμια *per similitudinem, de qua Lexicon medicum Castelli pag. 373 consuli potest.*

B b *Græce* ἐπιγλωττὶς *(quasi Latine dicas* superlingua*) est membrana cartilaginosa rotunditatis oblongæ, in interiori gutturis parte collocata, et exoritur a radice linguæ, quæ Græce* γλῶττα *appellatur. Teste Castello, dicitur etiam* lingula, ligula, *id est,* laryngis lingua : *est enim corpus quoddam simile linguæ alicujus fistulæ, ubi arteria et larynx inter se connectuntur, et velut operculum omni tempore, quo animal respirat, apertum stans, quo transglutit, laryngi accumbens etc.*

c Bronchus *Græce* βρόγχος, *est corpus quoddam cartilagineum Galeno secundum asperam arteriam, quod sic nominatur, quia maxima ex parte constat cartilaginibus, quas Græci* βρόγχια *appellant. Hinc* bronchocele *dicitur magnus et rotundus gutturis tumor, qui in aspera arteria exoritur.*

d Polygonus, *id est,* multos angulos habens *ab adjectivo Græco* πολύγωνος, *quod componitur ex adverbio* πολὺ, *id est,* multum, *et voce* γωνία,

C *quæ* angulum *significat. Hinc* τρίγωνος triangularis *et similia originem habent.*

e *Suspicor, esse eamdem speciem arboris, quam Joannes Latius lib. 16 Indiæ occidentalis cap.* XI Pekey *appellat, et de cujus trunco sic scribit :* Truncus interdum ita crassus est, ut vix trium quatuorve hominum complexu ambiri possit *etc. Citatus Latius lib. 10 ejusdem Operis cap. 2 meminit de alia similis fere nominis planta, de qua tradit sequentia :* Est et altera herba Peruviæ familiaris, quam indigenæ vocant Payco, cujus folia (inquit Monardes) plantaginis foliis forma et colore simillima sunt; resiccata valde tenuia, impense acria, calidaque. Ejus pulverem ex vino sumptum nephriticum dolorem a flatibus aut frigida causa provenientem dicunt tollere *etc. Sed ignoramus, an truncus hujus plantæ tam magnus sit, ut ad hunc usum adhiberi possit.*

f *Majores nostri ad diem 7 Januarii, sive tomo 1 istius mensis a pag. 404 Acta hujus Sancti illustrarunt.*

A Leonardo Hansen.

CAPUT IX.

Amor solitudinis, fuga conversationum, et perangustum cubiculum.

Sancta puellares ludos exosa

Ut olim S. Catharinam Senensem adhuc pusillam, solitudinis amor usque ad speluncæ quæsitionem abripuit; sic Rosam vel a prima infantia docuit solitarios angulos domi quærere, mundique commercia devitare. Conveniebant ad eam e vicinis domibus parvulæ, at lusitandi gratia, quod illius ætatis primum studium : afferebant singulæ suas pupas, quibus vestiendis, comendis, ornandis, femellarum pueritia communissimo sexus genio addicitur. Has innocenti æmulatione ostentabant silenti Rosæ, hortantes, ut et suam promeret, aut formaret. Negabat illa, se pupam vel habere, vel etiam contrectare velle; quod audisset, malignum [spiritum] aliquando per pupam (fortasse idolum fuerit) garritum edidisse. Mox puparum lusu coæqualibus relicto, abdebat se in secretum angulum, quasi arcanis cogitationibus quietius vacatura.: illic interdum deprehensa a fratre, ac interrogata, quidni mallet, puerulis festive nugantibus colludere, quam in pulverulento, ac pulicibus referto angulo desidere? Verbis supra ætatem sensatis respondit : « Sinito hic me delitescere solam cum » Deo : nam illic inter pupas, an pariter adsit » Deus, quis novit? » E

a teneris annis amabat solitudinem.

114 Cum annis crescebat latendi studium; unde in horto umbrosas platanos muro proximas conspicata, locum elegit, ubi auxiliante Ferdinando fratre, oratoriolum ab omni domesticorum prospectu semotum efformaret. Illic plexili ramorum, palmitum, virgultorum circumductu, modicum inclusit spatium, ac superne frondosis arcubus affabre concameravit. Intus humile altariolum muro applicuit. Crucem ex densiori charta, flosculis, plumisque versicolorem imposuit, et quidquid sacrarum imaginum conquirere poterat, in hanc suam basilicam solicite comportabat. Videbatur huic angello Rosula universas suas inclusisse delicias, adeo totos in eo hærebat dies solitaria : illuc velut ad orandi, meditandique secessum a prandio, a lectulo, a cœna properabat; ibi domesticis se subducebat tumultibus, jocis, fabulis, uni sibi cœloque vacans; extra hunc paradisum nusquam ei bene esse poterat, adeo ut domi abiret in proverbium : « Hortum adeas, si Rosulam quæris. » Verum quia isthoc solatio non nisi interdiu licebat frui, paulo grandior facta, impetravit a matre aliud intra ædes cubiculum, in quo seorsim a cæteris prolibus solitaria pernoctaret. Tempestiva hæc fuere in tenella indole præludia, ut quid maturioresset molitura, ex his præambulis conjiceretur. F

ad quam obtinendam

115 Paulatim eo statura et ætas Rosam provexerat, ut idonea esset honorario comitatu stipare matrem foras egressuram, maxime cum invisendæ erant digniores matronæ. At Filiæ suam unice eremum amanti molestissimum erat, tam videre, quam videri in publico; unde nunc prece, nunc lachrymis ambiebat matrem obsecrando, ne secum se abduceret. Stupebat ista, nondum assequens, unde idipsum, quod reli-

quæ

A. LEONARDO HANSEN.

quæ juvenculæ ultra modum exambire solent, uni Rosæ tam exosum esset. Itaque invitam aliquoties adegit imperio, certa, edicto sine replica obedituram. Semel cum a matre invitaretur ad secum obeunda foris urbanarum salutationum officia, Virgo juxta domesticum furnum transiens, saxum a clibani orificio studiose sibi attraxit in pedem, eoque vulnere et contusione obtinuit, ut non ficte claudicans residere domi sineretur. Et verius et venustius hoc vulnere pedis rubuit Rosa nostra Peruana, quam quod de Rosis Cypriis fabulata est antiquitas, nimirum has non ante rubuisse, quam ex Cypriæ deæ sauciato calcaneo fortuitus eas cruor aspersisset *a*.

a

sæpius utebatur astuto stratagemate,

116 Porro et aliud Virgo excogitavit stratagema, ut solitudinis amans, redimeret vexam prodeundi in publicum. Quoties a matre præsensit, se invitandam ad visitationis obsequia, clam Indico pipere, quod mordacissimum est, cilia palpebrasque sibi oblinebat, quo quidem affrictu mox ardebant oculi, rubebant, stillabant, velut si acris e capite defluxio eos suffudisset. Ita dum mater egressura vocabat Filiam in comitatum, sufficiebat ostendisse fluidos, noxioque pruritu tumentes oculos, tamquam perferendæ apertæ luci tunc minime pares. Unde miserata parens, ne affectis luminibus liberior foris noceret aer, indulgebat filiæ optatissimam solitudinis ac latibuli facultatem. Durum sane effugium; at Rosæ præ ipsa pupilla oculi charior erat sua anachoresis, longoque tempore ipsi valuit hæc solertia, donec tandem suspecta frequentia rem prodidit genitrici, quod ita accidit.

B

quod tandem detexit mater,

b

117 Condicto mutuo domina Ludovica Vargas Carvajal cum Maria de Oliva statuerant, assumptis utrimque filialibus, vehi ad celebrem divæ Virginis stationem, cui a Monte Serrato *b* nomen est; venit præfixa dies, et rheda cum D. Ludovica ejusque filia Isabella Alexia substitit ante fores. Præparata mater advocat Rosam; at hæc prodit turgentibus rursum oculis, palpebrisque subtristi rubore inflammatis, ut facile constaret, visum ea defluxione accensum, et nimio dolore nictitantem, auræ solisque pericula neutiquam laturum. Hic demum in se reflexa mater, postquam se Ludovicæ comiter excusarat, pensitare cœpit attentius, quid sibi velit, quod Rosæ oculos tunc potissimum obsideret importuna ista defluxio, quandocumque honestarum matronarum visitatio, aut domi excipienda, aut foris exequenda instabat. Hinc in Filiæ vultum curiosius intenta, vidit, non fingi, quod apparebat; nam et ruboris incendium, et doloris acrimoniam, crebra stillicidia tacite affirmabant. Denique materna licentia propius os naresque applicuit, odorem sensit, exertaque lingua mordacitatem sævissimi collyrii lambendo deprehendit.

C

cujus iram molli responso lenivit.

118 Quis enarret scommata, clamores, dicteria, quæ tunc in Filiam detonuit mater? « Quorsum (inquit) hæ fraudes? cui bono » tam ineptæ præstigiæ, si libuit matris oculos » deludere, at ludere cum propriis oculis quale » nefas, quantum periculum? Tam cito oblita » es, nuperrime Ferdinandi Perez mancipium, » simillimo abusu allii et piperis, omnino visum » usumque oculorum perdidisse? » Breviter ac modeste respondit Virgo « Satius foret, o mater, » et me cæcam esse, quam vana et secularia » affatim videre. » Icta responso genitrix, permisit Filiæ, quantum vellet latere domi, tantum ne amplius sibi oculos periculoso hoc defrictu obpiperaret. Tam caro constitit Rosæ optati secessus tarda licentia, quam illo pretio perpaucæ sibi emptam (pleræque ademptam) vellent. D

Cum cuperet in angusto tugurio domi sola degere.

119 Usque adeo Rosæ placebat desertum, displicebat publicum, ut non solum privata palatia, communiaque urbis spectacula mordicus devitarit, verum et generales celebrium processionum circuitus, ac populosas supplicationes curiose spectare defugerit. Fatebatur, sibi permolestum, ac grave esse, inter feminarum colloquia cernere pomposas vestes, pallia, fasciasque pretiosas, interesse otiosis fabulis, distineri reciprocis tot inanium urbanitatum ritibus: præcipue tamen dolebat, se neque in domestico sui recessus asylo tutam a visitationibus, liberamque esse. Jam desierat matrem ad ejuscemodi officia foras comitari, sed ne ipsa domi visitaretur, effugere cupiebat, nec poterat. Mansuetudo, comitas, modestia Virginis trahebat notas feminas, ut specie honoris eum accedebant ad matrem, postularent videre et Filiam, quam suavis odor virtutis, honestas indolis, admiratio sanctitatis, quam plurimis etiam illustribus commendarat invitam. Neque his facile E accessus poterat denegari, quantumcumque se Rosa absconderet; deplorans jacturam pretiosi temporis. Et quamvis sermo nonnisi de Deo esset, protestabatur utilius sibi ac jucundius semper fore, cum Deo, quam de Deo loqui.

matre id recusante.

120 Igitur, aspirante Numine, sublimiorem speculata est viam, qua sese ab iis impedimentis viriliter explicaret: parentes verecunde supplex oravit, permitti sibi in extremo horti angulo locum solitarium pro architectanda cellula, quam cupiebat unicæ dumtaxat staturæ suæ capacem, cum exigua fenestella, quæ lumen exciperet, ostioli clavem sola (si vellet) mater teneret: ibi se labori manuum, orandi meditandique studio, et collectioni spiritus absque ullo minimi temporis dispendio utilissime vacaturam. Addebat rationes solidas ac ponderosas, quas cælum ac zelus divini obsequii dictarant. Verum negabat mater, se permissuram Filiæ, quod tali sepulchro vivam se abderet. Post cassas preces, et obstinatas repulsas, Virgo de more confugit ad cælitum auxilia, Deum in primis Deique Matrem assidue invocans, ut maternum sibi consensum potenti afflatu elicerent: F nec dubitavit exaudiri; verumtamen altius mota, in certitudinis experimentum, cælitus arrham quasi pignoratitiam exspectavit et obtinuit, quæ talis fuit. Habebat in paupere thesauro coronam precariam ex corallis; hanc prompsit, ut in sacello SS. Rosarii imaginem divæ Virginis speciosus hic torques ornaret. Ergo notum Religiosum adiit, coronam porrexit, collo imaginis quantocyus immittendam. Neglexit ille, quod scala sibi deesset, qua ad sublimem in ara imaginem pertingeret.

confugit ad intercessionem Deiparæ,

121 Postridie ad sacellum Virgo rediit Missam auditura, cumque notasset suam imagini coronam deesse, magnis precibus majorem (quem vocant) sacristanum exoravit, ut tandem ipse coronam imaginis collo circumdaret, sua interesse plurimum, ut id fiat, velle se pretioso hoc vinculo suaviter captivare Matrem Virginem, ut ita Filiolus vadem seu fidejussorem se interponat. Postrema hæc verba ænigma erant, quod tunc quidem sacristanus non satis assequebatur; fecit tamen quod Rosa petiit, scalaque applicita, coronam haud sine labore

circum-

A circumdedit collo imaginis, ac scalam removit. Adfuit demum statuta dies, qua Rosa obtentæ gratiæ fidejussorem intuitura, festinavit ad ecclesiam S. Dominici: et ecce SS. Rosarii sacellum ingressa, vidit coronam suam, a collo divæ Virginis solutam, pendere palam de manu parvuli Jesu. Idem viderunt quotquot promiscue aderant in sacello; at mysterium ignorabant, quod supponerent, coronam per ipsummet sacristam e collo Deiparæ in digitos Filioli fuisse translatam. Sacrista prodigii admonitus venit, vidit, adstupuit, certus, nec se nec suorum ullum attigisse coronam a die, qua collo divæ Virginis circumducta fuerat. Sola Rosa conscia miraculi, signique tacita interpres, exultabat arcano jubilo, sat intelligens, quo ista spectarent; nempe Regina SS. Rosarii supplici Rosæ gratiam (quam optabat) spoponderat; Filius tandem fidejubebat pro Matre; sicque corallinum illud sponsionis vinculum ab exsoluta Matre in se transtulerat.

et per amicos ad matrem missos fit voti compos,

122 Rosa ex hoc mirabili ostento jam sui voti secura, ac pene compos, gravem ac honorificam adornavit legationem ad matrem: hanc obierunt magister et cathedraticus P. F. Joannes de Lorenzana, Gundisalvus de la Massa B quæstor regius, et quæstoris uxor Maria de Usatigui. Festus erat dies beatissimæ Virginis in templo purificatæ, quando internuntia hæc trias, Mariæ de Oliva (gratulando magis, quam flagitando) exposuit Rosæ suæ constans desiderium fabricandi sibi cellulam angustam ac solitariam, in qua sine confessarii permissu nullius admitteret conspectum aut alloquium. Mater, quæ in illam usque horam ad ejusmodi voces Apenninis cautibus durior fuerat, statim ut cera liquefacta cessit, nec vel momentum temporis aut deliberationi, aut dilationi in re tam ardua deposcens. Nimirum, sic exolvit promissa fidejussor Deus, qui non minus parentis cor, quam coralium Filiæ gestabat in manu sua.

ibique piis exercitiis inhærens,

123 Porro obtenta hac permissione, quam putas festivo dulcique gaudio diem illum transegit Rosa? Videbatur in se quadrare id, quod canebatur de justo Sene: Responsum accepit Simeon. Audebat cum eodem cantillare jucundum hoc celeusma: Nunc dimittis, velut quæ portum suorum desideriorum jam pene C attigisset, fruitura deinceps secretis amplexibus infantis Sponsuli, qui ducit in solitudinem, locuturus ad cor. Denique sentiebat Rosa, se compellari primo illius diei Responsorio: Adorna thalamum tuum Sion. Certe non nisi thalamum pollicebatur cellula, quam sibi designabat Rosa, longumque putabat, exspectare diei sequentis diluculum, quo opus inchoaret. Nec mora, postridie adornavit thalamum, comportavit in hortum tabulas, intraque pauculos dies perfectum stetit solitariæ devotionis breve, arctum, humile sacrarium. Tuguriolum erat quinque pedes longum, quatuor pedes latum; dixisses arcam potius aut cistam grandiusculam, nisi modica ad latus fenestella esse domunculam clamitasset. Unus ex confessariis Virginis obiter habitaculi angustiam perstrinxit, cui Rosa lepide replicuit, tantum inesse spatii, quantum sibi Sponsoque cælesti abunde sufficeret.

cælitus accepit duplex privilegium;

124 Nempe, ut dicebam, thalamus erat, quem Virgo filia Sion adornarat. Nacta hanc eremum felix Rosa, hoc sategit, ne quis illic temporis punctus sibi efflueret sine fructu; hic totos hærebat dies addita majori noctis parte; hic aptissime per varia pietatis exercitia dispensabat horas; hic liberrimo contemplationis usu ascensiones in corde sua disponebat, propemodum ignara, in corpore an extra corpus degeret. Huc postquam se recluserat, cuidam probatæ sanctitatis matronæ in raptu visa est sub specie ac figura lucidissimæ stellæ, cujus radios et quaquaversum scintillantem claritudinem opaca parietum angustia cohibere nequaquam poterat. Lima, alio nomine dicta Civitas Regum, debuit et suam habere stellam, ad arcta Salvatoris cunabula tacite invitantem. Obiter hic attigerim, quod in Rosa, dum vixit, plurimi observarunt, mirifice oblectatam fuisse aspectu sereni cæli, adeo ut puella omnis astrologiæ penitus ignara, magnam interdum noctis partem immota soli si derum spectaculo dulciter inhæreret: nimirum nova Regum stellat amabat sphæram suam; eo anhelabat, hanc unice deperibat siderea indoles, nec facile, a cælestium flammularum nocturno obtutu avelli poterat mens cælo nata: fatebatur, cæli siderumque diutina contemplatione se instaurari ac refici; quin et aliis suadebat, clarum sereni firmamenti aspectum inter potiora, quæ spiritum elevant allectamenta, posse numerari. Usque adeo non aberravit religiosa matrona, E quæ Rosam, stellis amicam, in stellæ figura agnovit, cui tunc pro firmamento exiguum cellæ latibulum erat.

A. Leonardo Hansen.

ut nempe Missis procul celebratis interesset,

125 Qui Virginis in templa et res sacras ardentem affectum noverant, mirabantur ipsam jugiter suo reclusoriolo sic adhærescere, ut ferialibus diebus vix aliquando ecclesiam adiret, proinde a nonnemine interrogata fuit, quomodo cor ejus pientissimum sufferre posset, quod non saltem ad interveniendum Missæ sacrificio, tantisper omni mane tuguriolum suum relinqueret mox repetendum? Audi candidissimæ simplicitatis responsum, et obstupesce. Subjecit Rosa, neutiquam id suo reclusorio imputandum, sed quia mater (quacum sola jusserant confessarii primis annis ecclesiam adire) domesticis impediebatur curis, ne omni die ad Missam exiret, sibi tamen divina bonitate prospectum esse, ut in cellula residens, non unicam, sed complusculas quotidie Missas videret, audiretque. Quæsitum de modo, et compertum, id superne datum fuisse Virgini, quod spiritu (non secus acsi corporaliter præsens adfuisset) F intererat quotidie Missis singulis, quotquot in vicino sancti Spiritus xenodochio legebantur; nec solum istis, sed et iis, quæ procul celebrabantur in dissita S. Augustini ecclesia, quæ non minus quatuor aut quinque platearum anfractu seu interjectu distabat a Rosæ domicilio. Reclusæ Virginis arctissimæ solitudini magnum id, prodigiosumque fuisse solatium, nemo ibit inficias.

et culices,

126 Aliud Rosæ jam solitariæ privilegium a culicibus fuit, imo obsequium. Ubi anachoretica Virginis cella constiterat, soli humiditas et arbuscularum frequentia infinitam culicum multitudinem aut gignebat, aut trahebat in amicum suo generi umbraculum. Molestum hominibus animal si quod aliud: nam unica sua proboscide, et tubicinem agit et militem, cum non minus feriat tubo, quam tuba ac bombo sopitos infestet; horum examina et agmina immigrabant Rosæ tugurio, præsertim, quando vel per diem siccantes radii solis, aut sub vesperum serenæ noctis algores tenuissimis corpusculis imminebant. Nec tamen in tot culicum legionibus vel unicus

fuit

A. LEONARDO HANSEN.

fuit, qui Rosam in sua cellula umquam attingeret. Scatebant his undique parietes, personabat ostiolum, implebatur fenestra perpetuo commeantium refluxu; sed cavebant singuli, ne Rosæ insiderent, ac velut ex condicto suæ parcebant hospitæ.

quamvis aliis adventantibus infesti.

127 Accidit, quod vel mater, vel ex permissione confessarii nonnullæ religiosiores personæ, Rosam in angusto suo habitaculo, de divinis collocuturæ, inviserent: has vero, mox ubi ad januam aut fenestellam consedissent, hostiliter invadebat culicum exercitus; his faciem et manus obsidere festinabat importuna societas: repellebatur unus, succedebant quaterni, et plerumque ex insidiis etiam incautorum sanguinem hauriebant, relicto pruritus ac tuberculi vestigio. Mirabantur, sub Ægyptia hac plaga, Rosam integros dies immotam consistere; at stupebant magis, postquam observarunt, in ejus vultu ac manibus nec minimum hujus cruentæ molestiæ signum apparere. Subrisit Virgo, matrique et aliis respondit: « Quando huc intra- » vi, cum culicibus amicitiam, pactumque B » inii, ne umquam me turbarent aut affligerent, vicissim in nullo me ipsis nocituram. » Stetimus utrimque pactis, nec solum com- » muni hoc tecto fruimur sine hostilitate; sed » insuper iidem in decantandis Deo laudibus stre- » nue pro modulo suo me juvant. »

eam non pungerent.

128 Plane sic erat. Nam quotiescumque Rosa primo diluculo reserabat cellulæ portam, et laxabat fenestellæ valvulas, culicibus (quotquot intus ad parietes densi pernoctarant) præcipiebat: « Eia amici, ad laudes omnipotentis » Dei »; confestim illi concentu lenissimo erumpebant in bombos, sparsique in gyros varie miscebant arguta murmura, phalange tam ordinata, ac in se flexibus aptissimis retorta, ut credidisses aut chorum aut choreas esse, quibus ratio dux præsideret. Hoc perfuncti officio, evolabant ad pastum: similiter, ubi ad solis occubitum repetebant hospitalem domunculam, rursum instabat Rosa, ut, priusquam se quieti darent, secum tantisper serotinas laudes communi depangerent Creatori. Mox hilares susurri certatim implebant angulos, organique pneumatici modulos gestiebat æmulari volatilis harmonia, donec, jubente Rosa, simul omnes conti- C cescerent velut sub una lege nocturni silentii. Tantum in vilissimas bestiolas imperium statu innocentiæ reservatum fuerat, quem quidemi Rosa tam prope attigit, ut in solitudine cellæ versaretur tamquam in paradiso.

sicut experientia compertum est.

129 Soror Catharina de S. Maria tertii Ordinis S. P. Dominici, ac D. Eleonoræ de Castro annosa contubernalis, Rosam in sua eremo visitabat; sed culicum insolentiam non ferens, unum, qui sanguine jam turgebat, manu occidit. Rosa miranti similis, « Quid agis (inquit) » charissima soror? Meos mihi hospites truci- » das? » At Catharina: « Dic potius hostes, non » hospites, ecce enim quam sanguine meo ple- » nus sit iste culex. » Replicuit illa: « Quid ve- » ro magni est, tantillum animalculum nostro » pavisse sanguine, dum ejus Conditor nos suo- » met toties pascit cruore? Ergo ne perrexeris » meos interimere culices, et ego vicissim tibi » spondeo, quod æque tecum uti mecum pa- » cem colent. » Factum est; nam nullus deinceps ibi culex Catharinam punvit aut suxit. Idem matri, quæstori Gundisalvo, hujus consorti, aliisque accidisse constat, ne dubitari D posset de innocentis Rosæ in domesticos sibi culices admirando imperio. Paulo aliter id experta est soror Francisca de Montoya, itidem S. Patris Dominici alumna Tertiaria. Hæc inter sacra cum Rosa colloquia, viso tot muscarum famelico assultu, nonnihil extimuit. Quod ubi advertit Rosa, « Ne (inquit) metuas, soror; » ad SS. Trinitatis honorem soli tres hodie cu- » lices te pungent; deinceps (ut ergo) immu- » nis eris. » Contigit, prout Virgo prædixerat: Franciscam ter culex adrosit, exinde illo die semperque in posterum libera ab his fuit, præsente Rosa. Quod hoc miræ immunitatis privilegium secessus ille solitarius e cælo possederit, bene est; quod vero id ibidem aliis Rosa communicare potuerit, singulare fuit.

dum illa usque ad mortem in simili vitæ genere perseveravit.

130 Ultimo vitæ suæ triennio, in Gundisalvi quæstoris domo, paris fere solitudinis desertum sibi Virgo diffinierat, totosque cum noctibus dies, vel in domestico oratorio latebat abdita, vel in ultimo ædium cubiculo arctis sese cancellis jugiter cohibebat, omnia præstruens, omnia interponens, ut inutiles visitationes devitaret. Nonnumquam de confessariorum, ipsiusque Gundisalvi permissu, maternam adibat domum, E ut pristinæ cellulæ suavi eremo per aliquot dies frueretur; ac sæpe coram intimis gravissime questa est, jugi se dolore affici, quod sexus ac seculi conditio sibi non permitteret, in asperrimos montes procul secedere, ibique cavam rupem inquirere, ubi remota ab omni humano commercio, vitam degeret. Laudabat assidue priscorum eremicolarum felicissima tempora, suspirabat ad omnem Nitriæ ac Thebaidis c mentionem, et, ut verbulo absolvam, migrarant in Rosam ignita S. Catharinæ Senensis desideria, quibus olim antra deserti haud perfunctorie depoposcerat. c

ANNOTATA.

a *Rosa est flos sacer Veneri, quæ dum Adonidem ab apro læsum nudis pedibus opem latura accurrit, spinæ aculeo vulnerata est in pede, et suo cruore tinxit rosam, ex quo sanguine rosæ, quæ prius albæ fuerant, deinde rubrum colorem induerunt, ut fabulosa poetarum historia tradit. Auctor ad hanc Cypriæ deæ seu Veneris fabulam alludit.* F

b *Non tantum in Hispania est celebris istius nominis imago Deiparæ, sed etiam in urbe Limana, sicuti apud Franciscum de Echave superius citatum in Opere Hispanico de S. Turibio pag. 227 legitur.*

c *Sunt celebres Ægypti solitudines, quas olim sancti anachoretæ incoluerunt.*

CAPUT X.

Mirabilis cum Christo desponsatio exemplo S. Catharinæ Senensis.

Hæc Virgo imitata S. Catharinam Senensem

Ex Historia vitæ B. Catharinæ Senensis Rosa didicerat, virginem seraphicam, adhuc mortalem, Christo Sponso fuisse mirabiliter subarrhatam. Currebat et ipsa per hujus sponsæ vestigia in odorem Sponsi, sed inter adolescentulas, ut sibi videbatur; neque enim illa animi

sui

A sui profunda demissio permittebat, quod usque ad singularem sponsæ dignitatem, tantæque celsitudinis titulum auderet ultro aspirare. Et tamen in Rosæ thesauris eminebant virginea puritas et abyssalis humilitas, quæ propriam his nuptiis dispositionem parant, dotemque constituunt : quo fit, quod raris ejusmodi hymenæis peculiari jure præsideat augustissima angelorum Imperatrix, utpote supremæ tum puritatis, tum humilitatis privilegio Virgo singularis; quæque ut in ceteris, ita celebrius in his duobus nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

humilitate et pudicitia sic Deo placuit,

132 Humilitatem Rosæ jam cap. v utcumque tractavimus; puritas hic tractanda foret ante cælestes nuptias; verum de hac nobis ad compendium sufficiat concors depositio confessariorum, quotquot generalem Virginis exomologesim exceperunt; hi fuere undecim; nimirum sex ex Ordine Prædicatorum, quinque ex Societate Jesu, singulique seorsim (velut uno ore, ac sub fide juramenti) testati sunt, Virgineum Rosæ candorem ea semper nituisse puritate, ut neque veniali macula ullius lasciviæ umquam B fuerit attaminata; nec in tota ipsius vita, vel semel ei obrepserit fœda aliqua cogitatio. Nempe hyblæam *a* Rosam non tangit scarabæus *b*. Itaque tam rarum pudicitiæ donum, tam humilis ac pura virginitas, a primo ætatulæ suæ quinquennio jam Christo sacrata per votum, flos simul et dos erat futuro Sponsi Nazareni connubio : Rosa quantum amabat lilium inter spinas, tam abjecte sentiebat de seipsa; unde prodigiis opus fuit, quibus a longe præpararetur ad mysterium, erigeretur ad consensum.

a b

ut post obscura quædam præludia.

133 Primum (ex iis, quæ innotuerunt) hoc fuit : quando bicolor ille papilio (de quo sup. cap. iv) superne advolans insedit Rosæ, notatum est, quod aliquamdiu per sinistrum Virginis latus reptando oberrabat, donec recta e regione cordis constitisset; illic videbatur morosius et amorosius occupari : nam instar apis favo construendo intentæ, vertebatur in breves gyros, quasi penicillo quidpiam delineans. Expleto opere, disparuit, et ecce cordis effigiem plene ac scitissime formatum in veste Rosæ, quam a papilione ibi depictam, relictamque, conspicue observarunt puellæ, quotquot in eodem conclavi C laborabant; at hæ ignorabant arcanum symbolum cordis, virgineo cordi inaratum; sola Rosa sentiebat (sed obscurius adhuc) clamantem eminus Sponsum : Præbe mihi cor tuum. Conjectabat se a variegato papilione non solum ad concolorem Senensis Catharinæ habitum, verum etiam insigniri eodem emblemate cordis, quod olim cum sponsa Senensi Sponsus æternus permutarat. Nihilominus remotiora hæc erant, quam ut tanti thalami spem certam invergerent, et tamen (ut postea claruit) eminus ista felici sponsalitio præludebant.

alteram

134 Paulo apertius alterum, quod sequitur. Post assumptam tertii Ordinis candidam vestem, nocte quadam in somnis ostensa fuit Rosæ pulcherrima ac decentissima Viri species : pene suggerebat animus cælitem quemdam esse, imo ipsummet Speciosum forma præ filiis hominum, nisi quod habitus latomum fingebat, seu marmorum cædendorum nobilem artificem. Et revera is erat; sed tunc festinus et amans venerat, tamquam Virginem illic sponsam sibi quæsiturus. Rosa, cui nec per somnium ulla umquam placuerat nuptiarum cogitatio, sentiebat intus, uno isto conjugio nihil felicius in tota sibi vita posse obtingere. Gratiæ sympathia hæc erat, quæ Rosam docebat amare secreta, quæ non noverat. Annuit ergo oblato fœderi castissima turtur, ac data utrimque maritali fide, gratiosus ille Sponsus, tamquam necessarium iter peracturus discessit, prius tamen novæ suæ Consorti aliquot ibidem marmora certo numero incidenda, formanda, polienda commisit, dum peregre rediret. Quod vero conjugum sit relinquere patrem et matrem, ut sint duo in carne una, monuit Rosam suam Neonymphus, alendorum parentum curam posthac ipsa deponeret, aliunde se illis provisurum, ne quo egeant.

A. LEONARDO HANSEN.

mirabilem

135 Visus deinde ex itinere rediisse Sponsus; at Rosa, quæ interim opus suum lapidarium ex toto nondum absolverat, pudore suffusa, multis excusare se conabatur, quod necessitatibus parentum impedita, quod rudis adhuc illius artis, quæ tam inusitata esset femineis manibus, lino dumtaxat ac lanæ assuetis. Hic Sponsus subridens, « Ne credideris (inquit) dilecta mea, so» lam te de feminis esse, quam duris hisce labori» bus occuparim » : statimque proximi conclavis E ostio latissime diducto, ostendit Rosæ lapidariam officinam peramplam ac speciosam, quam solæ implebant virgines arduo labori gnaviter intentæ; his pro acu malleus et scalprum, pro lana durissimi lapides et saxa erant; his tundendis, æquandis, et ad normam affabre conquadrandis instabant totæ, secabant, excavabant, lævigabant, defricabant, et, ut ferramenta citius durior lapis admitteret, hunc affatim emolliebant crebro suarum lachrymarum stillicidio. Quodque sat mirabile videbatur, inter hos impolitos saxorum cumulos et pulverulentas operas, vestis erat singulis virginibus, non plebeia ex more opificii, sed pretiosa, fulgida, solemnis, quæ nuptiale convivium, aut publicam theatri pompam saperet magis, quam sudoriferam officinam.

mysticamque visionem,

136 Mirabatur Virgo virgines operi tam insueto implicitas, at significabatur virtus occupata in arduis; circumspiciebat singularum artificum marmora jam elaborata, absoluta, seposita, quorum nulli ad perfectionem exactissimam quidquam deerat. Tandem Rosa nictu fortuito in se reflexa, vidit eodem, quo reliquæ ibi vir- F gines, splendidissimo amictu se pariter circumdatam inclaruisse, et quæ illactenus suo dumtaxat habitu Dominicano simpliciter canduerat, repente se deprehendit in cyclade gemmis et auro distincta, ut ad easdem illic operas se quoque nosset auctoratam. Quot, quantaque mysteria, ex unica hac visione didicerit Rosa, particulatim apparebit in sequentibus : hic ad solius cum Lapicida depacti sponsalitii eventum festinat historia.

quæ in sacello Rosariano

137 Jamque post ejusmodi præambula supererat ultimum, quo demum hic Sponsus manifeste ac palam se insinuaret vigili Rosæ, et, exuto latomi schemate, Virginem ad connubialem thalamum apertius invitaret. Ita accidit, et quidem hoc ordine : Dominica Palmarum, annuo ritu peracta benedictione, distribuebant ramos sacristæ per chorum et ecclesiam, dum adornatur solemnis processio. Interea, cum aliis sororibus tertiariis expectabat ibidem et Rosa palmam suam; geniculata in Rosariano divæ Virginis sacello. At sive incuria, et errore properantis sacristæ, sive (quod potius crediderim) singulari Numinis consilio, accidit, quod hac vice Rosa

sine

A. LEONARDO HANSEN.

sine ramo fuit, omnino quidem præter morem; nam annis superioribus in palmarum distributione (utpote Filia Ordinis) prætérita numquam fuerat.

coram imagine Deiparæ

138 Hac igitur novitate confusa Virgo, ut assolent teneriores conscientiæ, extimuit, ne aliquo forsan obliquo animi motu indignam se reddidisset illius ramiferæ processionis consortio. Circuivit tamen cum reliquo fideli populo; at mœsta et verecunda; peractoque circuitu, recta sacellum Rosarianum (suum portum) repetiit: ibi ad pedes Deiparæ Virginis cor suum effudit per undantes lachrymas, seipsam reprehendens, si forte palmam benedictam, aut nimis ambitiose concupierat, aut per inertiam non quæsierat. Deinde in vultum augustissimæ Dei Parentis intenta, ut vidit hunc sibi serenum et solito dulcius adblandientem, resumpsit animum; jamque complacebat sibi in eo, quo fuerat contristata; et « Absit (inquit) quod a mortali ma- » nu palmam accipiam; tu Domina, tu palma » exaltata in Cades, me ramo ditabis immar- » cescibili. »

explicata est

B 139 Ad hæc verba, mox vidit cæli Reginam, vultu exporrecto et hilari, converti in parvulum (quem ulnis gestabat) Filium, ac inde velut a fausto oraculo suavius respicere in Rosam; hæc ignoto perculsa gaudio, vertit oculos in parvulum, ipsumque similiter arridentem sibi conspexit. Inter hos duos mellifluos vultus, æstu reciproco, oberrabat Rosa, festinabat ab uno ad alterum, deliciabatur in alterno spectaculo, et quo sæpius ad alterutram redibat, faciem inveniebat dulciorem. Pluries in eadem S. imagine (ut infra narrabitur) demulserat hujuscemodi suavis annictus orantem Rosam: at numquam eo, quo tunc dulcedinis excessu, ea familiaritatis aura ac gratia, illo reconditi favoris singularissimo fulgetro; ita quod sentiebat jam in animæ suæ fundo, magnum aliquod secum agi, nec suum procul abesse Lapicidam. Affectus erant, quibus nondum invenit nomina inops mortalium ruditas.

Christus illam sibi desponsaverit.

C 140 Quid multa? Erupit tandem puerulus Jesus in hoc canticum dramatis; « Rosa cordis » mei! tu mihi sponsa esto. » Penetrarunt medullas Rosæ hæc verba, et, velut ictu improviso, exanimis in se recidit, brevique lucta confusorum affectuum, simul et dehiscebat tremula in abyssum sui nihili, et natabat sublimis tumore lætitiæ, nec tamen succumbens tantæ dignationis miraculo animus inveniebat, quid responderet, ni succurrissent verba humilitatis purissimæ: « Ecce ancilla Domini. Ecce (inquit) » ancillam, ecce mancipium tuum, o Rex ma- » jestatis æternæ; tua sum, tuam me profiteor, » tua ero. » Plura parabat dicere; sed continuo revolvebatur in eamdem parœmiam sobria liquescentis animulæ ebrietas; et infans amor, quod eloqui non poterat, balbutire gestiebat. Certe non erravit, quicumque ille fuit, puerum qui pinxit amorem.

eique magnos gratiæ thesauros dederit.

141 Sed quæ olim in Canæ Galileæ nuptiis interlocuta virgo Mater, hic minime tacuit, eo vel maxime, quod sola ipsa hujus sponsalitii paranympha aderat, sola Rosam promoverat, Filiumque pronuba exoraral. Itaque, et ipsa novellam sponsam affata; « Vide (inquit) o » Rosa, eximium favorem, quo te Filius meus » dignatus est. » Epithalamium id fuit, quod non Davidis plectro, sed ore proprio, Sponsi Mater accinuit. Laborabat sub gaudiorum mole, nec se capiebat Rosa, experta verissime dici: « Sit licet ignis amor, non leve pondus » habet. » Æstuabat, arctabatur, jam palmæ oblita Virgo, pro qua successerat Lilium convallium tam speciosum, tam pretiosum. Denique jucundissimum ipsi erat, quod eodem die ac loco, et palmam et Rosam amiserat, utpote post hoc connubium non amplius sua. Subsecuta deinde opulentissimi Sponsi nuptialia antidora: nam (ut in examine, de quo infra cap. XIV, fateri compulsa fuit) de intimis gratiæ thesauris rara quædam seraphici amoris incendia descenderunt in Rosam, secumque traxere longo ordine divitias inæstimabiles variorum charismatum, quibus animam Sponsæ ditabat, illustrabat, ornabat, profusa tam nobilis Sponsi magnificentia: pignora erant, et monilia, datæque fidei pretiosi arrhabones, humanis verbis inexplicabiles: unde et Virgo de his a suo examinatore pressius interrogata, nec negare ausa, simplicissime per solam vocabulorum inopiam se excusavit. D

Rosa in memoriam tanti beneficii

142 Porro ut jugiter tanti beneficii mnemosynon versaretur ante oculos, domum reversa, cœpit extemplo cogitare de conflando connubiali anulo, quem cordis digito, in nuptiarum suarum gratam memoriam, gestaret perpetim ac palam; advocatoque in consilium unico germano fratre, paucis desiderium suum explicuit, mysterium celavit. Ille, arrepto circino, justam anuli formam delineavit in charta, debitæque proportionis addidit palam figuram circuli, cui Virgo parvulum Jesum optarat insculpi. Supererat, ut de lemmate, quod anuli convexo inscriberetur per gyrum, convenirent. Hic Rosa fratrem intuita, exspectabat, quid ille decerneret. Is nil moratus, veluti si arcanis Rosæ nuptiis arbiter interfuisset, hæc eademmet verba circumscripsit annulo: « Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. » Obmutuit, stupuitque repentino gaudio Rosa, ut vidit, non deliberatione, sed impetu, raptim incidisse fratrem in symbolum, quod unica ac propria totius negotii periocha; in lemmate, quod Christus ipse dictarat, et ore proprio gratiose expresserat: sciebat, illud humanitus non potuisse aut fratri suo, aut ulli mortalium innotescere, altioris id instinctus fuisse dictamen; proinde novo jubilo subsultans, in dulcissimo prodigio ludentem Sponsi manum tacite adorabat. E F

jussit fieri annulum connubialem

143 Annulum deinde ex hoc jam chariorem, ejusdem majoris hebdomadæ feria quinta in ecclesiam detulit, magnisque precibus a patre sacrista impetravit eidem locum in arcula, quæ illo triduo SS. Eucharistiæ repositorium est, et sepulti Redemptoris monumentum. Illic volebat suum hoc amoris pignus tantisper cum Sponso mortuo tumulari, ut cum eodem resurgente pariter rediret ad lucem: sic protestabatur amabili Sponso, se nec illo defuncto solutam esse a lege viri, cum quo et mortis thalamum cupiebat sortiri communem. Denique solemni die Paschatis, hic annulus ex triduano Dominici sepulchri contubernio jam sacratior, gratiorque, ad Rosam rediit; et coram illamet divæ Virginis imagine Rosariana, ubi contractum fuerat sanctum connubii fœdus, cordialem Rosæ digitum inclusit, non sine novo prodigio: nam ceremonia tam secreta fuit, quod nec proxime Virgini adgeniculans mater, quidquam vel minimum adverterit, quamquam ad omnia Filiæ intentissima.

A

cujus attactus post obitum Virginis

144 Post Virginis obitum una cum reliqua ipsius permodica supellectile anulus remansit penes uxorem Gundisalvi quæstoris, istudque memorabile accidit anno MDCXVIII, mense Februario, in dicti quæstoris ædibus. Vir ille sanctitatis fama conspicuus (de quo supra in fine capitis 8) dum Rosæ defunctæ coronam spineam devotionis ergo contrectarat, diutius hæsit in anulo; quem, ut sibi a D. Maria de Usategui porrectus fuerat, modicæ chartæ involutum stringebat intra pugnum. Et en, quidquid sentire ex attactu coronæ cœperat, longe validius sensit ab anulo; supernos attactus præpotentes, dulces, delicatos; lumina inusitata, excelsa, pretiosa; ardores Spiritus usque ad animæ liquefactionem efficaces, blandos, subtiles. Videbantur analecta esse nuptialis convivii, quo Rosa cum Sponso fruebatur in cælis.

quemdam Dei servum ita affecit,

145 Paulo post, hic servus Dei, velut internis stimulis erupit in voces : « Benedictus » Deus, qui tam mirabilis est in Rosa sua. Laudetur SS. Trinitas, cui in excelso gloriæ fastigio, inter præcipuos paradisi cives assistit Rosa.

B

» Rosa dilecta! Rosa prælecta! Rosa candidissimi Agni sponsa! magna es, sublimis es, gloriosa, præfulgida, incomparabilis es in triumphali Sanctarum agmine. » Permulta similia ructabat identidem corde pleno, affectu suavissimo, at corpore prorsus immobili : nam intimus ille jubilus, ut linguam et os sedentis laxaverat, ita reliqua membra ligarat, adeo quod nec valebat de sella surgere, nec brachia aut crura stupore obrigida movere. Dextera manus, quæ anulum implicuerat, sedis costæ laterali innitebatur, at fixe, velut acclavata. Sinistram cordi apposuerat, contra immodicam palpitationem exundantis lætitiæ; sed et illa insolubiliter videbatur adglutinata : conabatur semel iterumve fortunatus homo se excutere de sedili, disjungere tibias, aut brachia saltem attrahere, nec quidquam horum poterat. Interim pergebat lingua, quæ sola mobilis erat, prosequebatur nunc Dei, nunc Rosæ encomia, dum simul persona tota cum nimia interni sui gaudii vehementia luctabatur.

ut præ spirituali gaudio se non caperet,

146 Quæstoris uxor, devoto spectaculo jam diu oblectata, maritum advocat, quasi ad perfunctoriæ salutationis debitum officium : nam hospes, qui consederat, illis in ædibus notissimus

C

et charus erat. Accedens quæstor Gundisalvus, hominemque comiter salutans, vidit hunc minime assurgere, mox vidit nec posse. Hic resalutandi pariter et excusandi formulas tentabat proloqui, sed frustra : relabebatur enim in eadem Dei et Rosæ præconia; inde querula suspiriorum dulcedine accusabat violentiam gaudiorum, quæ felicis Rosæ anulus ingerebat : « O (inquit) » amores! o quæ flammulæ! qui fervores! quam » torrent suaviter, quam repunt tenere per medullas! o ignes! o deliciæ! o animæ æstuantis vincula tenacissima, nexus perjucundi, » amplexus ineluctabiles! » Gundisalvus commiserantis et gratulantis affectui medius, rogabat num placeret anulum (unde hæc lætitiæ tormenta erant) manumittere, ut illo sedilis et gaudii se carcere expediret? Tacuit homo, demum annuit; sed explicare manum, implexosque exerere digitos nequaquam potuit. Auxilium offerebat quæstor : admisit.

ac immobilis hæreret.

147 Mirum dictu! brachium viri Gundisalvus obstipum reperit ac inflexibile, dexteram algido sudore madidam, ut in mortuis solet, digitos circa anulum ita contortos, implexos, nodoseque incurvos, ut vi ac mora opus fuerit, qua sensim explicarentur. Hinc itum ad sinistram, quæ ut pectori avelleretur, pari anhelitu laborandum fuit. Sed, deposito anulo, cessarunt gaudia, cessarunt vincula, surrexit liber e sella, qui paulo ante tenebatur in captivitate lætitiæ nuptialis. Videbatur anulo restituto simul exuisse manicas et pedicas, quamquam fateretur, longe melius sibi fuisse in illa deliciarum compede, quam in miserantis amici præpropera solutione. Denique fidem silentii obsecravit, et abiit. Quod si in aliena manu tanta potuit nuptialis Rosæ anulus, ipsæmet nuptiæ quid non potuerint in Sponsæ anima?

A. LEONARDO HANSEN.

ANNOTATA.

a Hybla *est mons Siciliæ thymo abundans. Hinc apud antiquos celebrantur apes Hybleæ, sicut patet ex hoc carmine Virgiliano :* Hyblæis apibus florem depasta salicti.

b *Non satis assequor, cur Hansenius rosas cognominet* Hyblæas, *nisi forsan hoc epitheto meliores aut magis odoriferas designare voluerit : nam scarabæi vel cantharides odore cujuslibet rosæ exstinguuntur, ut apud Ulyssem Aldrovandum in Opere de Insectis lib. 4 pag. 464 refertur his verbis :* Canthari ac scarabæi et hujus generis insecta plurima ita fœtoribus et sordibus, ex quibus originem duxerunt, delectantur et illis sustentantur, ut contra odorum suavitate plane exanimentur et pereant, ideoque rosis insidentes scarabæi vel cantharides torpescere vel tandem emori dicuntur. *Deinde Aldrovandus ibidem pag. 469 id auctoritate veterum confirmat in hunc modum :* Mirum, quod tanta vivendi scarabæis insit facultas, ut etiam divisi vivant, rosarum tamen odore moriantur, ut tradidit Aristoteles, itemque Plinius.

E

c *Quanto gaudio spirituali vir iste delibutus fuerit, dum acutam* S. Rosæ *coronam contrectaret, apud nos superius num. 95 breviter relatum est.*

CAPUT XI.

F

Assiduum orationis studium, et intima cum Deo conjunctio.

Sancta Rosa vacabat

Si, qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo, I Cor. 6, fas erit inde conjicere, quam sublimem unionis divinæ gradum Rosa attigerit, quæ orationis familiaritate jugiter soli Deo inhærebat. Adhuc infantem interna unctio Spiritus orare docuerat, fervorem indiderat, quem plerumque nec ipsa nocturna somnia distrahere ad alia objecta potuere. Hinc sæpissime per noctem audita est dormiens, numerato, totidemque verbis reddere precatiunculas, quibus per diem prolixius invigilarat. Crescebat cum ætate religio, cum statura corporis elevatio mentis in Deum : nam et pueriles ipsius annos exercebat seria meditandi frequentia; subitisque et præcocibus incrementis, excelsa contemplationis peritia eo maturuit ac pertigit, ut circa duodecimum ætatis annum deprehensa fuerit jam conscendisse illum orationis gradum, quem unitivum mystica theologia appellat. Sic compertum

A. Leonardo Hansen. tum in examine, de quo infra cap. XIV.

duplici orationum generi. 149 Porro duplici assueverat orandi modo: prior, isque præcipuus erat, quando ex occupato simul tum corpore, tum animo, quietissime se totam collegerat ad loquendum cum Deo; alter, quando inter labores manuum, externasque occupationes, mentem immobiliter figebat in Deum. Priori, (ut supra attigimus) cujusvis diei naturalis horas non minus duodecim seposuerat. Posterior ei continuus erat, et quantum nostræ mortalitatis via permittit, nulli interruptioni obnoxius, nisi dum ad horam patiebatur visiones, de quibus capite sequenti.

quarum unum erat assiduum 150 Rarum hoc et singulariter admirandum in Virgine donum fuit omnipotentis dexteræ, quod sive dormiret. Rosa, sive vigilaret, numquam et nusquam mentis suæ oculo elabebatur cælestis Sponsi præsentia; dum nebat, texebat, dum sericos acu pingebat flores, dum aliis colloquebatur, dum comedebat, legebat, ambulabat, in templo, in horto, domi, foris, in platea, in cellula, ubique obversabatur interno obtutui cominus (ac velut in speculo) amabilis illa Majestas, B cui serviunt angeli, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Et, quod omnem tum rationem, tum admirationem supergreditur, occupabat divina hæc præsentia interiores Rosæ potentias, sine notabili abstractione a sensibus, ita quod, dum Deo loquebatur intus, absque impedimento simul alia quæque necessaria cum domesticis tractaret foris; respondebat ad interrogata seriatim, apposite, ordinate: conversabatur expedite, disponebat agenda, agebat disposita, facilitate, attentione, promptitudine, qua solent, qui unice negotiis exterioribus intendunt.

quo sic cum Deo conjungebatur, 151 Nempe in S. Catharina Senensi simillimum gratiæ paradigma præcesserat, quando streperis culinæ officiis damnata, construxit in intimo animæ recessu felicissimum illud imperturbabilis quietis conclave, quo nulla exteriorum tumultuum importunitas penetrabat. Sic Rosa, tota foris, et tota intus, dum exterius satagebat circa frequens ministerium, simul in secretissimo cordis thalamo deliciabatur cum Sponso. Hinc pluries in ipsa observarunt quæstoris filiolæ, quod, cum inter suendum Rosa filum et C acum trahebat sursum, una cum brachio videbatur et animus elevari in exstasim, brevique morula in sublimi suspensa manus, redibat ad opus, nec aberrabat acus a puncto, quem reliquerat.

ut exteriora objecta eam non distraherent, 152 Aliud æque mirabile huic dono accessit in cumulum, quod inter orandum non facile movebatur objectis, quæ ad ipsam minus pertinebant, tamquam si ad hæc sola obtorpuissent Rosæ externi sensus. Hinc sæpe in ea notarunt religiosæ feminæ, quod sicubi in populosissimo templo angulum occuparat, e regione majoris aræ, attentius precatura, sedebat per horas immota, defixis in aram oculis, nec prætereuntes videbat, nec ad repentinos circa se strepitus deflectebat obtutum; imo si quid videbatur recta incurrere in pupillas, non attrahebat nictu cilia, non claudebat palpebras, non declinabat vultum; ut putasses cæcam esse, quando vel maxime aquila erat, acie irretorta suum admirans solem.

eique diu velut immobilis inhæreret. 153 Hinc et illa Virginei sui corpusculi rupea immobilitas, dum in templo, in sacello Rosarii, in domestico oratorio fundendis precibus vacabat: nam quo loco, situque, ad orandum initio se composuerat, eodem post horas, post diem integrum, post solidum cum die binoctium, D reperiebatur omnino invariata. Sic Gundisalvi uxor, quandoque pomeridiana hora quarta invenit Rosam eodem geniculatam angulo, quem in puncto meridiei, ad meditationis exercitium occuparat. Sic in ecclesiis, ubi aut quadraginta horarum supplicationi, aut alias SS. Eucharistiæ Sacramentum prostabat adorandum, Rosa (quem summo mane insederat) loco velut impetrita durabat in vesperam, sine refectione, sine motu. Sic in quæstoris domestico oratorio, cum sese occludebat Rosa a mane feriæ quintæ usque ad Sabbatum (nonnumquam et usque in Dominicam) primo rogabat D. Mariam de Usategui, ne toto illo temporis interstitio evocaretur, quidquid demum occurreret, si vel ipsa Rosæ mater veniret Filiæ locutura: causam rogata, candide respondit, se toto illo temporis spatio immobilem de pavimento surgere in pedes non posse, ne quidem ad oratorii januam aperiendam, si quis forte pulsaret ad limen.

Divina attributa contemplans, 154 Tres dietim horas selegerat, quas sigillatim mane, meridie, vespere solis gratiis Deo reddendis insumebat. In his affectu tenerrimo E recolebat singula Dei in se beneficia, mirabatur ejus erga se dignationem, adorabat munificam prodigamque tot donorum, gratiarum, charismatum liberalitatem: et sane habebat quotidie nova, quæ ex pugillaribus attentissimæ gratitudinis recitaret. Familiare quoque sibi effecit quoddam orandi genus altissimum, luminosum, ignitum, quo nominatim gloriosa Dei attributa mente pervolvens, singulis proprium latriæ cultum exhibebat. Verumtamen, ut in his alieno potius, quam suo fideret ingenio, pium doctumque e Societate Jesu theologum adiit, divinorum epithetorum sinceram e sacris Paginis nomenclaturam sibi in epitomen colligi flagitavit. Obsecundavit ille, collegitque pluscula; sed Virgini pro affectus magnitudine videbantur pauca: fascem cupierat, non fasciculum. Itaque a P. magistro F. Joanne de Lorenzana *a* grandius supplementum obtinuit, donec summa numeri ad centum quinquaginta pertingeret. Hæc ordine aptissimo in quindecim decades secrevit, unicuique decadi versum subjecit: Gloria Patri etc. Sicut erat etc. Porro affirmabat hanc orandi formulam terrori esse dæmonibus; utique numquam id F affirmatura, nisi experimento suo comprobasset. Denique in his Dei attributis pene tota movebatur sui cordis systole atque diastole, tantumque in iis profecerat, ut modeste aliquando fassa sit, etiam inter nendum, ad singulas acus puncturas, novo se Deum encomio compellare.

et cum Deo vel de Deo semper loquens. 155 Insuper notatum fuit, adeo Virginem orationi adhæsisse, ut familiares sermones, quibus erga alios utebatur, simul vim orationis plerumque continerent; quodque interrogantibus responsum dabat, simul idioma erat mentis in Deum elevatæ: exempli gratia, si cum aliis feminis hortum intranti, operosius laudabatur viridarii amœnitas, respondebat comiter: « Venustus ac pulcher est hortus, Deus illi flores adaugeat. » Verum ipsa præcipue indigitabat hortum animæ, cui a Deo precabatur florida augmenta virtutum: sicque ingeniose uni parœmiæ duplicem sensum includens, altero satisfaciebat alloquenti, altero Deum alloquebatur ipsa. Observatum id crebro, inque diversissimis materiis, quarum vix ulla effugiebat hanc spiritualem et sanctam æquivocandi solertiam, ne quid Rosæ ori excideret, quod non esset oratio.

156 Ac-

A

cantu aviculæ in exstasim rapitur,

156 Accidit, quod die quadam ab ecclesia domum rediens, ut sensit male sibi esse, pulmentum sibi ex aqua tritoque pane obiter parare constituerat; utque focum accenderet, ardentem aliunde titionem fuerat mutuata. Dum revertitur, audit e pergula canoram aviculam. Substitit Rosa, non dedignata volucrem auscultare tantisper, utpote Dei laudes (ut sibi imaginabatur) modulo suo cantillantem. Pergebat avicula modulari, variabat lepidæ vocis argutias, duplicabat gargarismos *b;* Rosa subito pudore in se reducta, objurgavit seipsam : « Quid » (inquiens) « rudis ista bestiola meum suumque Creatorem » laudat, pastus sui oblita; et ego parando mi- » hi cibo occupabor? Quantulum est, quod huic » donavit animalculo naturæ Auctor, et en to- » tis præcordiis, totis viribus, ei rependit lau- » dis tributum; ego vero de pastu cogito, nec » solicitor, quid retribuam Domino pro omni- » bus, quæ retribuit mihi! » Hinc conversa ad titionem, quem manu gerebat, undequaque extinctum vidit, mirata se tanto tempore illic substitisse, dum totus paulatim extingui titio potuerit. Credebat, se nec dimidium horæ quadrantem in aviculæ musica hæsisse attentam, et forsan horæ integræ effluxerant. Proinde in se denuo retracta, cœpit et ipsa laudare Deum, eo fervore, qui sensim Rosam abripuit in extasim, nec ab ea usque ad vesperam sese explicuit, cum mane, tribus circiter ante meridiem horis, aviculæ melodiam cœpisset auscultare.

B

et alios tum per se,

157 Paradoxum foret, si Rosa quod aliis tanto conatu suadebat, sibimet ipsi non æque serio persuasisset. Quidquid hortabatur proximos, quidquid inculcabat, unum orationis studium erat. Ad hujus exercitium scholamque, inter alios Ferdinandum germanum suum fratrem nitebatur allicere, promittens laborem exiguum, fructum eximium atque inæstimabilem fore. Ille de fructu nil dubitans, laborem difficultatemque majorem credidit, quam Soror aut prædicabat, aut credi vellet; quidquid de saluberrimi exercitii facilitate jactabat Virgo, meras ipse hyperbolas, femineæque simplicitatis fabulas interpretabatur : nec tamen destitit Rosa docere fratrem, qua methodo ac ratione, inter medias seculi occupationes, animum teneret in oratione defixum. Pari solicitudine pios libros, quotquot de oratione peritius tractare noverat, et legebat ipsa, et legendos aliis facunda efficacitate consulebat. In his eminebant Ludovici Granatensis erudita Opera *c* de oratione ac meditatione, quibus assidue evolvendis, revolvendisque, Rosa hebdomadam diviserat, variisque, colorum signaculis, quid sibi quoque die legendum, distinxerat.

C

tum per suos confessarios,

158 Nec minore cura Patres confessarios, quotquot adire poterat, monebat, rogabat, obsecrabat, ut suos pœnitentes omni suadela et arte inducerent, ad mentalis orationis subeunda gymnasmata; adverterent, magnam hanc esse pharmacopœam, omni adversus peccata antidoto instructissimam, orationis usu purgari spiritum, religari animarum vulnera, hac aperiri cellam Sponsi unguentariam, omnisque ceromatis apothecam. Nec Rosa his contenta, ipsos quoque divini verbi præcones frequentissime compellabat, suos auditores ad orationis exercitamenta inflammarent, usum piarum meditationum populariter inveherent, disciplinæ hujus utilitatem, suavitatem, præstantiam, omni argumentorum vi, totoque facundiæ suæ connisu, privatim ac publice commendarent.

A. LEONARDO HANSEN.

ad studium orationis hortatur;

159 Peculiariter afficiebat Rosam parthenici Rosarii devota recitatio; at sub eo ritu ac norma, qua illam primitus, ex instructione Deiparæ, tradiderat mundo S. Pater Dominicus *d*, hoc est, cum innexa decadatim consideratione mysteriorum nostræ redemptionis. Amabat hanc precandi formulam, quod in ea coaluissent mentalis simul et vocalis oratio, singulæque hujus partes et affectus, petitio, vox laudis, gratiarum actio etc. Hinc Rosa velut armillam brachio circumligarat, parvum ex minutissimis orbiculis rosariolum : cujus granula occulte trahebat ad singulas salutationes angelicas, etiam ubi alloquiis et conversationi se reperiebat implicitam. Profuit sane permultis hoc exemplum, Rosæque ardens hortatio, ut frequentandis Dei laudibus familiarius adsuescerent.

quin imo plantas arboresque,

160 Quin imo, hic orandi affectus in Rosa tantæ energiæ fuit, ut vel ipsas insensibiles plantas, stupida ligna, mutosque stipites, ad laudem, reverentiam, adorationem Deo exhibendam mirabiliter inclinarit. Rem adfero inauditam. Matutino crepusculo Rosa de more ad cellulam suam anachoreticam reditura, simul ut horti januam pandebat, eminus conspectas arbores, virgulta, herbulas omnes invitabat, ut secum benedicerent Creatori : « Benedicite universa germinantia in » terra Domino. » Et ecce, moveri subito in euphoniam et concentum ramusculos, collidi frondibus frondes, plaudere omni ex parte streperos foliorum susurros, motitari humiliorum plantularum capita; ipsa legumina, flores, frutices, corymbos agitatione varia quodammodo animari, in placidam hymnidici murmuris harmoniam. Neque id satis : ipsa simul arbusta flectebant ramos in terram, velut osculatura solum, in Conditoris sui reverentiam.

E

non sine prodigioso miraculo,

161 Accidit, quod mane quodam probatæ fidei persona se Rosæ hortum adeunti comitem adjunxerat; vix intrarant, cum ad solitum Rosæ invitatorium, vidit certatim incurvari arbores, adeo quod summitatum cacumina terram attingebant, lenteque verrebant solum, velut profundæ adorationis solemnissimo ritu. Obstupuit socia, præsertim quod videret, id Rosæ peregrinum, aut novum non esse; nam aliunde quoque innotuit hujus prodigii conspicua frequentia, ut illud Virgo nec celare conata sit, nec negare potuerit; subjungebat tamen : « Vide, num amari dignus » sit ille admirabilis mundi artifex; vide, an » laudari, coli, adorari mereatur a nobis illa » æterna Majestas, cui terrenum hoc germen, » rudes trunci, cuncta vegetabilia modo, quo » possunt, laudis canticum adsusurrant, pronæ » venerationis tributum pendunt. »

F

excitat ad laudes divinas,

162 Aliud suppar, et finio. Anno, qui Rosæ ultimus fuit, per totam Quadragesimam sole occiduo advolabat prope adversus Rosæ cubiculum avis parvula, sed mire vocalis ac sonora; ibique vicinæ arboris frontem occupabat, quasi dato signo eruptura in cantum. Rosa, conspecto hoc suo vespertino choraule, sese et ipsa parabat ad laudes Deo modulandas. Exin, quasi tessera data, invitabat aviculam metro, quod hunc in usum composuerat, fere hoc sensu.

Laxa fibras philomela
Dulce prome canticum :
Pangat hymnum vox anhela,
Collaudemus Dominum.
Tuum lauda Creatorem;

Meum

A. LEONARDO HANSEN.

Meum ego Salvatorem :
Deum utriusque nostrum
Collaudabo. Pande rostrum,
Pande guttur cantillando :
Alternantes concrepando,
Melos demus vocibus.

163 Confestim avicula tractu vocis lenissimo inchoabat argutulam cantilenam, ac sensim vocalior assurgebat in epiphonema; multisque flexibus sinuosam absolvens oden, Virgini cedebat vicem. Tacenti aviculæ succedebat Rosa, ac voce, qua præstabat, tinnula suavissimaque prosequebatur divinas laudes, ingenio ad miraculum fœcundo, ac prompto. Mox conticescente Rosa, ex abrupto carmen suum resumebat avicula, duplicabat intercisionum minutias, tremulis arteriolis volubiles confundebat accentus, deprimebat, elevabat, torquebat facillimas lubricæ voculæ argutias, et repente, velut ad pausæ signum, interquiescebat. Subintrabat continuo æmula vox Rosæ, instaurabat jubilum, magnificabat ineffabiles perfectiones altissimi Numinis, attollebatur urgente spiritu, languescebat B facundis suspiriis, demum prærupto suo silentio, antiphonascum suum revocabat ad cantum.

quas diu cum avicula

164 Ita in Dei laudibus alternabat Rosa et avicula : idque non perfunctorie, sed integro labentis horæ spatio, tanta lege ac ordine, ut canente avicula, ne quidem mutiret Rosa, et vicissim Rosa modulante, avicula attentissima nec pipiret. Tandem in puncto horæ sextæ pomeridianæ, quasi perfuncta officio, avolabat, postridie ad idem reditura. At Virgo piorum rhythmorum ex tempore ferax, odei proscenium claudebat hoc fere epilogo :

alternatim decantat.

Ut tamen te, o Rex, me cuncta stringunt jura;
Cum tu Creator sis, et ego creatura.

Deinde ad adstantes socias lepide conversa, subdebat :

Avicula me deserit, subit Succentor meus;
At semper mecum permanens, sit benedictus Deus.

Latine hæc satis efferri non possunt, quæ in Hispano Rosæ idiomate, propriis numeris venustius illigabantur. Sat esto, quod Rosæ ea oraC tionis vis fuerit, qua volucres cæli, qua terræ germina sibi attraxit in alternam adorandi societatem.

ANNOTATA.

a *Laudes et munia hujus præclari viri apud Echardum in Bibliotheca Prædicatorum tomo 2 pag. 417 referuntur, et alia occasione hic infra num. 177 elogium ejus repetitur.*

b *Verbum Græcum* γαργαρίζω *proprie significat liquorem ore haustum sæpe ad gurgulionem seu guttur revocare. Hinc* gargarismus *a voce Græca* γαργαρεών, *qua medici indicant eam gutturis partem, qua faucibus adjacet, et quam nonnulli* plectrum *sive* vocis refractorium *appellant, quia ad vocis modulationem facit, ut Castellus in Lexico medico pag. 231 affirmat. Inde satis colligitur, quid* gargarismis *istius aviculæ canentis indicetur.*

c *Laudatus Echardus tomo 2 Bibliothecæ Prædicatorum pag. 285 et sequentibus gesta et scripta piissimi Ludovici Granatensis enumerat.*

d *In Commentario prævio ad Vitam S. Dominici tomo 1 Augusti pag. 423 et sequentibus fuse disputavimus, quis fuerit primus Rosarii institutor.* D

CAPUT XII.

Ariditas spiritualis et variæ mentis afflictiones, quibus sancta Rosa exercetur.

Quod auro fornax, id justis electis tribulatio : præcipue, ubi obviandum periculo, ne magnitudo revelationum extollat. Hæc Paulo, hæc Rosæ fornax divinitus obtigit, sed diverso igne. Illum stimulus carnis subjecit colaphis; hanc carbones desolatorii coxerunt in internæ derelictionis pœnali sartagine. Uterque præ angustia clamavit in cælum, utrique responsum cælitus : « Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infir» mitate perficitur. » Ad rem. Usque ad gradum perpetis cum Deo unionis Virgo ascenderat, simulque cœpit in dies singulos atrocissima pati E mentalium obtenebrationum intervalla, quæ non obiter, sed solidis plerumque horis eo deprimebant miseram, ut sæpe nescierit in gehenna esset, an in purgatorii diro carcere, vel quibus in ergastulis retrusa caligaret. In ictu oculi se inveniebat illic, ubi nulla suavissimi Numinis memoria, nullus divinæ præsentiæ gustus, nullum cujuscumque solatii aderat vestigium, umbra, mentio. Desertum erat obscuritatis, languoris, hebetudinis, regio mortis, nox deliquii, antrum ultimæ calamitatis; in eo quam longinquus Virgini Deus, tam procul ipsa sibi.

Velut aurum in fornace,

166 Jacebat sub tenebrarum immani pondere gemens Rosa, nec ad objecta supernaturalia, imo neque ad naturalia sese valebat attollere. Conabatur intellectus vel minimas Deitatis arripere stricturas *a*, sed omne lumen diffugerat; cupiebat voluntas amare, sed congelata obtorpuerat; laborabat memoria e multis aliquam saltem præteritorum favorum imaginem menti adducere, nec poterat. In pœnarum cumulum recordabatur, velut in nebula, aliquando se novisse Deum, et F dilexisse; at sentiebat, se nunc eumdem nec nosse, nec diligere, utpote quem velut peregrinum, absentem, alienum, extraneum, vixque de fama notum, eminus, raptim, tenuiter adnictabat. Hoc vero omnium molestissimum erat, tam procul exulare a Dilecti notitia. Tentabat deinde, saltem per vestigia illum quærere in creaturis; sed nec illa, nec istæ apparebant sub lineamento, quo solita analogia repræsentarent Creatorem. Interea terror et angor strenue obibant partes suas. Vociferabatur cor afflictum, Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Sed in vacuo animæ exinanitæ, respondebat nemo, nec echo quidem. Redibat ad luctam conatuum; sed consopitus erat omnis affectuum calor, obtusa omnis ratio, omnem undique pietatis sensum profundissimus obsederat lethargus. Quid ageret sub his tormentis Virgo tam divulsa in se, quam avulsa a Dilecto?

sic Sancta internæ tribulationis igne probatur, a

167 Verum præcipua dolorum pars erat, quod hi faciem præferebant, quasi æternum duraturi, nec finem ullum promittebat vasta miseria, nusquam patebat hujus labyrinthi exitus, videbatur

ac tantis terroribus angebatur.

A tur quasi muro adamantino obstructum effugium: unde perplexa Rosa, non reperiebat, quo ab infernali pœna damni hanc suam infelicitatem secerneret. Conabatur inde venari tristissimum solatium, quod putabat sub his cruciatibus se sensim interituram: neque enim videbantur tales, qui sine totali destructione fragilis creaturæ subsistere diu possent; at tunc ei importune occurrebat animæ suæ immortalitas, quam nulla pœnarum vis interimere, nullus infernus extinguere sufficeret. Interdum prope erat, ut inconpitos clamores ederet imploratura auxilium; at reprimebat cassos impetus, memor, neminem posse calamitati tam inexplicabili succurrere, sibique deesse verba idonea, quibus eam proximis vel tenuiter adumbraret, sed neque in orbe toto reperiri doctorem adeo disertum, profundum, et eruditum, qui hujus pœnæ gravitatem aut speculatione assequi, aut animo complecti posset.

ut alioquin ad patiendum promptissima

168 Per ipsos quindecim continuos annos quotidie, minimum semel, in hanc desolationis caliginem demergebatur pavens ac tremens Rosa, nec minus hora integra, quandoque diutius, B palpitabat sub hoc agone; tantumque abfuit, quod ulla hos terrores mitigarit assuetudo, ut pene adauxerit: nam ubi postridie Virgo relabebatur in idem chaos, denuo sub eadem luridæ æternitatis larva recurrebant horridi pavores, nec mœrenti suggerebat ligata memoria, quod inde pridie emersisset. Unde iterum anima ejus in malis tabescebat, iterum diffugiebat omne evadendi solatium, iterum exanimem abyssi operiebant, et Rosa tota jam spinea, imo spina, rigebat in ima voragine tribulationum. Attamen quibusdam diebus velut per rimulam irrepebat afflictæ lentum tantillæ spei crepusculum, quo utcumque suspicaretur, hoc animi supplicium fine [non] cariturum; sicque videbatur purgatorii magis, quam inferni, ærumnam sustinere. Nihilominus et tunc sævissime urebat Sponsi morosa absentia, affligebat durissimi exilii cruda relegatio, contristabat amarissime viduitatis longum divortium, et quod reliquam superabat molestiam, tunc quoque conabatur et nosse, et amare, sed neutrum poterat; cæcutiebat mens confusa, oberrabat, palpabat, impingebat orbata lumine; C quærebat, pulsabat, gemebat spiritus contribulatus, nec audiebatur; exaruerat cordis fundus, distabuerat vigor, nulloque vitali motu, nullius affectus sapore divinis afficiebatur.

hunc amaritudinis calicem a se transferri peteret.

169 Denique tantus fuit istarum figurarum horror, tanta horroris acerbitas, quod Rosa, tametsi ad quidvis sufferendum a teneris impavida, unicum hunc amaritudinis calicem a se transferri enixe petierit, tamquam suis viribus omnino superiorem, ac simpliciter intolerabilem; unde rogabat Sponsum, dignaretur potius ipsam deducere per vias ordinarias suorum electorum, nec ultra permitteret sic amantem dehiscere ad ima profundi, ubi non est substantia. Et revera, ut durum sit, animam separari a corpore, durius revelli a semetipsa, durissimum fuit revelli a Dilecto post experimentum unionis, ac suavissimorum amplexuum, siquidem, Augustino teste, quod corpori est anima, hoc amanti animæ Deus, illique minor est pœna ab amando, quam ab amando desistere aut repelli. Nihilominus Rosa, ut agnovit sic placitum esse ante Deum, virili planeque heroico spiritu amplexa tormentum, « Non mea (inquit) voluntas » fiat, sed tua. » Sicque constanter ad secuturæ diei similem equuleum sese præparabat, numquam secura, in quam horam is pavidam expectaret.

A. LEONARDO HANSEN.

Talis erat hæc mentis afflictio,

170 Tam abstrusa, monstrifica, ignota erat harum desolationum figura et natura, ut vix demum reperti fuerint theologi perspicaces et gnari, qui de illarum crasi *b* quidpiam certi præsumerent diffinire. Initio Rosa diversos adibat confessarios, si quid forte remedii, levaminis, aut saltem consilii dare nossent; at illi nec satis assequebantur, quid Virgo dicere conaretur; nec peregrina tot ænigmatum involucra cogitatu sat capaci adæquabant. Unus respondebat, aut deliria esse, aut insomnia. Alius rem ad lemures et spectra imperite rejiciebat. Non defuit, qui nugas, aut sane dæmonum præstigias, et vana terriculamenta suspicaretur. Æquiores, fumantis melancholiæ, seu atræ bilis esse paroxysmos interpretabantur, quodque cerebrum inedia ac vigiliis attenuatum nimis, pateret horridis luridorum phantasmatum incursibus, ex adustione vitiati splenis, aut fœculenti sanguinis corruptione. At Rosa, quod certo sciret, hanc calamitatem non esse a corpore, tristabatur gra- E vius, neminem se invenire, qui vel morbum intelligeret, vel in tantæ perplexitatis charybdi cynosuram aliquam ostenderet. Ingemiscebat deinde ruditati suæ, quod præ inopia sterilis (ut putabat) ingenioli, ac loquendi inscitia, non poterat afflictionem suam idoneis vocabulis explicare. Sic ergo incurabilitatis suæ culpam imputabat totam sibi.

ut quidam putarent, esse morbum corporis,

171 Unum supererat exile solatium, quod mater, sicut auxiliari non poterat, ita hos Filiæ terribiles agones penitus ignorabat; turbanda alias, et turbatura, si rescivisset. Verum et hoc Virgini tandem novæ vexationis auctarium fuit: nam ut aliquoties in vultu Filiæ notarat parens, eam statis horis interdiu expallescere, angi, palpitare, ac mortali sudore propemodum congelari; importune, quod repentinæ ægritudinis id genus esset, curque dissimularet, rogabat: et quo minus Filia, quid pateretur, eloqui poterat, eo vehementius miseram urgebat mater, instabat, adjurabat, quasi internum tormentum alio tormento investigatura. Excusabat puella, se ipsam non satis habere compertum, quid in anima sua pateretur; sed mater sonti- F cum *c* morbum suspicata (præsertim quod eadem nonnullorum confessariorum erat seu crisis, seu imperita credulitas) medicum advocat, ejusque curæ inutili suam, tot undique tribulis vexatam, Rosam commendat. Protestabatur innocens Virgo, incassum hujusmodi sumptus, labores, tempus disperdi, malum suum nequaquam in corpore, sed intus in spiritu sævire ac dominari; sed audita non fuit. Proinde videns, frustra se repugnare, nec fidem suis dictis haberi, tacuit; ac medicinæ se subjecit, quam sciebat nil profuturam. Nempe hoc unum adhuc defuerat tantæ suæ calamitatis fastigio, quod insuper cogebatur, velut male sana, ad nauseam catapotia *d*, pharmaca, phlebotomias *e* admittere.

quem ipsa explicare non posset.

172 Nitebatur subinde Rosa, ubi de hac suæ desolationis fornace fidentius loquendum erat, adinvenire similitudines, quibus utcumque rem adumbraret; sed mox fatebatur, se actum agere. De igne hoc nostro elementali aiebat ridendam esse comparationem, quia is nonnisi pœnam sensus, quam vocant, infligere aptus est. Videtur aliquid hujus attigisse Augustinus, quando invenit se longe a Deo in regione dissimili-

A. LEONARDO HANSEN.

militudinis : aliquid item in se percepisse Rex citharœdus ps. 54, quod appellavit pusillanimitatem spiritus et tempestatem, vel quod Paulus emphatice vocat anathema a Christo. Sed plura sentiebat in se Rosa, quam verba ista exprimerent; aiebat terrores illos, horridasque imagines talem sibi inferre dolorem, qui millies et millies sufficeret cor, vitam, animam eripere; nec se illi sustinendo parem umquam fuisse, nisi quatenus prodigiose manu Omnipotentis conservabatur in vita.

et alii illam, sicut S. Antonium eremitam.

173 Fuit, qui putarit Virginem deduci a Deo per scrupeas vias S. Antonii eremitæ, quem inferni monstra formis terrificis agitarunt. Verum is conflictus erat, non afflictio, aut fuga roboris. Creditur, S. Catharinam Senensem aliquando idem, quod Rosa, passam esse : de B. Henrico Susone *f* id, velut compertum, tradit historia. Visa est ad hujus doloris aliquam similitudinem aut proportionem assurgere ille, quem a mordacissimis scrupulis patitur mens delicata, cum cælum sibi vectibus clausum, Deum hostiliter aversum, infernum rictu immani patulum suspicatur anima, sibimet ad modicum derelicta. B Denique vivacius hunc Rosæ cruciabilem horrorem effigiebat Christi in supremo judicio vultus asperatus, rugosus, ipsisque dæmonibus terribilis, dum cogitatur velut jamjam dicturus horrendum illud : ITE MALEDICTI. Has rugas, hoc tonitru, hunc pavorem videbatur sibi experiri mœstissima Rosa, dum laborabat sub hora sui deliquii; adeo post varias, at numquam sat æquas comparationes, effari aliud non poterat quam : « Dolores inferni circumdederunt me, » præoccupaverunt me laquei mortis. »

visibiliter a dæmonibus terreri suspicarentur.

174 Bis Virgo compulsa fuit edicere alteram hujus scenæ partem, videlicet, qualis sibi soleret post hujusmodi nubila illucescere Phœbus : fieri enim non posse, quin Sponsus ille dulcissimus, post tam diram ac tenebricosam eclipsim, insigniter recreet, ac reficiat animam, tot doloribus humiliatam. Ad hæc verba maluisset Rosa aut tacere, aut arte ac dissimulatione sermonem alio deflectere; sed ut vidit evadere se non posse, ingenue candideque fassa est (quantum per congruorum vocabulorum penuriam potuit) magnalia Dei, quæ sibi post tristissimam ærumnam obtingebant, ut in momento se videbat re- C positam in unione, qua exciderat, aut se excidisse putarat; ut repente sentiebat totam simul animam collucere et inflammari. Verum de his opportunius in descriptione examinis capite sequente. Libeat interim mirari lusum æternæ Sapientiæ, quæ ad fructum uberiorem electas animas sic mortificat et vivificat, deducit ad inferos, et reducit.

ANNOTATA.

a Stricturæ *proprie dicuntur scintillæ, quæ de ferro candenti micant, quando ignita ferri massa malleo tunditur. Unde satis clarum est, hic eam vocem pro scintillis usurpari.*

b Κρᾶσις *apud medicos Græcos idem est quod* temperamentum, *vel* temperies, *id est, proportio quædam primarum qualitatum existentium in elementis, ex quibus corpus mixtum et conflatum est. Apud Grammaticos autem accipitur* crasis *pro contractione duarum syllabarum in unam coalescentium, et ea vox originem habet a verbo* κεράννυμι, *quod* misceo *vel* tempero *significat. Videtur itaque hoc loco vox* crasis *pro mixtione desolationum accipi.* D

c *Daniel Sennertus tom. 2 Operum medicorum pag. 219 cap. 31 de epilepsia, hunc morbum cognominat* sacrum, magnum, puerilem Herculeum, caducum, comitialem, lunaticum *ac denique* sonticum, *quæ omnia epitheta affirmat esse synonyma, et de quibus obiter rationem reddit. Nobis sufficit ex his epithetis distinctius morbum illum nosse, cujus causæ et remedia apud ipsum legi possunt.*

d Catapotia *proprie sunt* pilulæ *a nomine Græco* κατάποσις, *id est,* deglutitio : *teste enim Gorræo in Definitionibus medicis pag. 215, est medicamentum, quod non diluitur, sed ita, ut est, devoratur aut deglutitur. Formatur fere in pilulas, quo facilius deglutiri possit, et in ventriculo dilui, indeque transire in venas.*

e Phlebotomia *est venæ sectio, vel sanguinis detractio, incisa vena. De hujus remedii laudibus ac necessitate Gorræus et Castellus ad vocem Græcam* φλεβοτομία *consuli possunt.*

f *Bollandus noster ad diem 25 Januarii, sive tomo 2 istius mensis a pag. 652 Acta illius venerabilis Henrici Susonis illustravit.* E

CAPUT XIII.

Severum doctorum virorum examen circa spiritum et visiones hujus Virginis.

Præter alios spiritualis vitæ magistros

Arcanum gratiæ lumen, quod ab infantia Rosam deduxit per vias rectas, simul reflexu admirabili certitudinem indiderat attractus vere divini, minimeque fallacis, ita quod de rectitudine semitæ, per quam ibat, ambigere non posset, quamvis hanc parum tritam, verisque et obscuris vestigiis vix notabilem comperisset. Nec tamen (quantumvis certa) videri volebat, quod erat; unde humillima Rosæ modestia, grave, serium, perque intervalla repetitum examen suæ vocationis ac spiritus, recusare non præsumpsit. Inter alios præcipui, quos bona sors huic subtilissimæ explorationi destinavit, fuere doctor Joannes de Castillo, et P. magister F. Joannes de Lorenzana, cui in Rosam totum, usque ad extrema, competebat imperium. F Fuere et alii; at succedanei, quique ex occasione dumtaxat pœnitentiæ Sacramentalis, interdum studiosius intimas ejus animæ latebras pervestigarunt. De primis duobus, pauca hic præfari necessum est, ut ex horum sanctitate et peritia, vis, pondus, fides maturissimi examinis aptius innotescat.

duo ex præcipuis

176 Doctor Joannes de Castillo, professione medicus, statu quidem secularis; at exercitio, conversatione, spiritu, plane religiosus, Limæ illis diebus inter selectos Dei servos eximius habebatur. Philosophiæ ac medicinæ studiis ad summum apicem eruditus, insuper in omnia metaphysices adyta summo ingenii acumine penetrarat : celebris ob id in scholis, in exedris, in doctissimorum virorum congressibus; præsertim quod mira perspicuitate conceptus sublimes et altissimos propriis terminis nosset explicare. Vita ipsius merum erat pietatis speculum, ita quod putaretur virtutes singulas in gradu heroico possidere. Mysticam theologiam non nudis speculationibus; sed vivis, et altissimis experimentis exacte didicerat, suisque principiis,

regu-

A regulis, et capitibus methodice digestam, egregie callebat; adeo quod famosus ille nostri seculi mystagogus Didacus Alvarez de Paz *a* Societatis Jesu, in Peruano tunc regno Provincialis, dum suas de oratione, meditatione, et contemplatione præclarissimas lucubrationes apparabat, hunc virum in plurimis sibi duxerit consulendum, ipsumque tomo 3 de contemplatione lib. 3 circa punctum, an voluntas ferri possit in incognitum, suppresso nomine (siquidem adhuc in vivis erat) allegat, velut orationis ac solidæ perfectionis magistrum, tantumque digito intento non demonstrat. Scripsit (jubente Didaco Alvarezio) Castillus iste nobilem tractatum de iis, quæ sibi inter contemplationum radios ac lumina occurrerunt. Vidit librum, et obstupuit Myrensis archiepiscopus, talium rerum scientissimus, illumque transcribi fecit, Romano Pontifici coram offerendum. Hæc de doctore Castillo tunc superstite, post alios juridice testatus est Petrus de Ortega Sotomayor, ex Limensi cathedratico primario, canonico magistrali, archidiacono metropolitano, et sancti Officii consultore B episcopus Truxilli *b*, dein Arequipæ *c*, denique Cusci *d*. Addebat, plura de hoc viro, ac grandiora se prolaturum in publicum, dummodo ultra illum supervivere contingat. Nunc (sed brevius) ad alterum.

a

b c d

actiones S. Rosæ examinarunt,

177 Pater magister F. Joannes de Lorenzana Ordinis prædicatorum (testante eodem illustrissimo præsule) eumdem cum D. Castillo, aut saltem non inferiorem obtinebat sanctimoniæ, publicæque opinionis gradum. Eminebant in ipso, certabantque de primatu, excelsa vitæ perfectio et scholasticæ theologiæ profunditas; concurrebant ardens contemplandi studium et activa gubernandi dexteritas; vis perspicacis ingenii et alta judicii maturitas; fuga seculi et usus negotiorum. Hinc successive tot sive scholarum, sive cœnobiorum, ac provinciarum in eum confluxerant præfecturæ: nam regiæ Universitatis Limanæ matutinus erat cathedraticus theologiæ, quam primus invexit regno; et in Peruano sanctæ Inquisitionis tribunali censor, quem vocant qualificatorem; item Conventus Limensis Prior; deinde provinciæ S. Joannis Baptistæ Vicarius generalis, tandem provincialis et visitator; æque in C rebus tum Ecclesiæ, tum reipublicæ versatissimus; omni hominum ordini, summis, mediis, infimis charus et admirandus; ad quem, velut ad commune urbis oraculum, ardua quæque negotia certatim adferebantur ex consiliis antistitum, ex regio audientiæ (ut vocant) senatu, ex consistoriis, judiciis, dicasteriis, ex interno extimoque foro; quia donum consilii mirifice in tanto viro eminere, sentiebant omnes. Porro quantus fuerit Lorenzana in ea, quam jure scientiam Sanctorum dixeris, mystica theosophia, quantus in sapore et experimento rerum cælestium, quam exercitatus in altissimæ contemplationis disciplina, quam oculatus ac lynceus in prudenti spirituum discretione, hoc unum (si reliqua deessent) judico sufficere, quod divina providentia singulariter ipsi spiritum Rosæ commiserit gubernandum. Una hic commemorandi forent, laude non multum impari, P. Didacus Martinez Societatis Jesu, Patres magistri F. Alphonsus Velasquez, F. Ludovicus de Bilbao, et F. Joannes Perez: at primorum duorum examen tot ac tanta complectitur, ut ex reliquis nil addi possit.

178 Modo ad rem pressius. Assedere primo examini, honestatis gratia, Rosæ mater et D. Maria de Usategui. Coram his D. Castillus, integro trium horarum spatio, Virginem in domestico cellulæ horto, velut indagine cinctam, per varias quæstiones distinuit, animæque venis diligentissime pertentatis, omnia sana ac salva invenit. Primo interrogata, a quanto tempore cælestes stimulos, et tranquillum orationis spiritum concepisset, respondit simplicissime, temporis quidem se non meminisse, eo quod a prima pueritia se repererit fundendis precatiunculis apprime deditam, ac tota mente ad serios meditandi conatus erectam, ut nihil occurrere sibi dulcius potuerit, quam Deo loqui, Deum cogitare, inhiare supernis. Non puduit fateri ista coram matre, quæ quam vera diceret, nimis conscia erat. Interrogata de successivis in hoc studio profectibus, an pari semper applicatione animi, facilitate, collectione, ac imperturbatæ mentis serenitate oraverit, respondit, usque ad duodecimum circiter ætatis annum, se varia inter orandum temperie, difficultatum subinde vicissitudines percepisse, at breves, et modicas; plerumque animo E libero et quietissimo perrexisse in Deum, at interdum quoque cum imbecillitate corpusculi, cum somnolentia et distractionibus luctandum fuisse, verum ab illo tempore in posterum expeditius se orare, eo quod inter initia sentiret mirabiliter a Deo introrsum attrahi totam animam cum singulis potentiis, gustuque indicibili intellectum, voluntatem, memoriam, divinæ pulchritudini sic intus affigi, ut nec sponte se phantasmatum intercursu divellere, nec occupationibus sensuum externorum distrahi possit a complexu, et admiratione præsentis in anima dulcissimi Numinis.

A. Leonardo Hansen.

quorum unus, Joannes Castillus,

interrogavit eam de modo contemplationis,

179 Instabat doctor, an non suæ imaginativæ vim aliquam adhiberet, dum reliquæ internæ potentiæ sic inhærebant sapori Dei, an, et quo, quantove connixu, labore, fulcro, in hac suspensione dulcissima se sustineret? Negavit Rosa laborem, vim, connixum adesse a parte sua, ultro ad tractum quasi magneticum potentias sequi, et suo centro obverti cum suavitate, cujus vel unica stilla infiniti Oceani amaritudinem corrigeret, ac dulcoraret; inde notabiliter in cor suum descendere calores et æstus perjucundos, quos explicare non possit; hinc radiare continuo in animæ suæ fundo præsentiam serenæ, amabilis, propitiæ Divinitatis, hanc certo F se illic deprehendere; nec alio oblectari se posse, quam quod experimentali hac certitudine, sentiret intra se Deum. Quæsivit doctor, num forte de mystica theologia libros lectitaret, qui aut methodum artemque hujus introversionis docuissent, aut saltem illius naturam, signa, proprietates, effectus dissertando exponerent? Negavit inops Virgo talium librorum sibi adesse copiam aut usum, in his solam experientiam et praxim sibi fuisse pro codice; ideoque se intima animi sui sensa, uti vellet, apposite efferre non posse, ruditati suæ ne nomen quidem, si quod proprium extaret, hujus intuitivæ orationis innotuisse.

de oratione unionis.

180 Tunc Castillus, ut erat in hac schola versatissimus, aggressus est propriis notionibus explicare Virgini secretam hujus excelsæ illustrationis hieraticam *e*, nempe asceticæ disciplinæ magistris hoc genus contemplandi ORATIONEM UNIONIS dici: hic intellectum formari specie, non adquisita, sed superne infusa; neque converti ad corporea phantasmata, sed imaginibus vacuum, *e*

spiritualis

spiritualis formæ luminosa puritate imprægnari : hic Deum immediato, intimoque illapsu implere sacrarium fidelis animæ; hic partem affectivam increati Amoris decidua flamma igniri et candescere, atque in palato voluntatis felicem beatæ fruitionis prægustum inchoari. Plura addidit ex mysticæ theologiæ aphorismis, de simplificatione cordis, de cynosura purificatæ intentionis, de nuditate affectuum, de indifferentia resignata, de arcanis introductionibus, de abysso luminis, de sapore omnis discursus intuitu cælestium, de fonte vitæ, de aliis, quæ Rosæ talium capaci et placuere supra modum, et profuere deinceps, ut suis confessariis, ex hoc vocabulario, se nosset clarius, atque significantius explicaret.

et gradibus, quibus ad hanc ascenderat.

181 Perrexit doctor, et studiose in viam purgativam resiliens quæsivit, quam diu, quibus industriis, quanto sudore pugnandum sibi fuerit in pravas animi inclinationes, in vitiorum armata latibula, in morbos indomitarum effræniumque passionum? Respondit, vix se meminisse talium certaminum, ab infantia se magno B Dei favore sensisse faciles, et summe connaturales propensiones in virtutem, absque ullo tumultu passionum; a prima Dei notitia repletam se fuisse timore et horrore peccati, et si quis motus indeliberatus adversus rationem nitebatur assurgere, repente ex apprehensione divinæ præsentiæ citra conflictum evanuisse. Interrogata, quid solatii captaret ex creaturis, si contingeret animum contemplandi labore fessum nonnihil remittere, aut per eutrapeliam *f* tantisper relaxare? Respondit, nulla re creata recreari se posse, in hoc solo et unico omne suum oblectamentum consistere, quod tanta cum certitudine sentiebat in anima sua præsentem Deum, quem si vel ad momentum e conspectu perderet, id sibi acerbius omni jactura, dirius omni gehenna videri. Petiit doctor, quandoquidem in eum gradum nonnisi per tribulos et spineta ascenditur, num saltem aliunde persecutiones et ærumnas passa fuerit? Annuit Virgo; sed ob reverentiam matris illic præsentis ad singula non descendit, contenta dixisse generatim, se a domesticis, ob vitæ singularitatem, varias molestias, insultus, vexationes tolerasse.

C

Inde dilapsus ad memoratos animi angores,

182 Verum ab iis opportuna digressione incidit in horrendas illas visiones, figuras, pavores, de quibus capite superiori actum est, magnisque precibus exoravit doctorem, ut sibi illius desolationis ac supplicii naturam, originem, criticam, propriamque interpretationem docte elucidaret. Non recusavit Castillus edicere, quæ sentiebat : « Quando (inquit) in illa obtenebratione » videbaris tibi exitum finemque sperare posse, » scito animarum in carcere purgatorii lugentium, dilationes pœnosissimas te delibasse; at » quando nulla tibi affulgebat spes evadendi, » et quidam æternitatis fumus pervadebat horroris caliginem, ipsissimus inferni typus erat. » His pœnis eruditur anima ad sui notitiam, » dum in lucis ac tenebrarum vicissitudine discit experimento sui nihili, quid a seipsa, » quid a Deo habeat, quidque inter illa et ista » intersit. Hujus antibari *g* molestissimo pondere tenetur spiritus in suo æquilibrio, ne extollatur in donis Altissimi. Eclipsis hæc docet æstimare divinæ familiaritatis præstantiam, » et dignationem pure gratuitam, sufflaminat timoris donum. Hac fornace probatur aurum, » nitescit charitas, loricatur mascula virtute robustus amor, assuescens diligere non tam de- D » licias Dei, quam Deum. Memini (inquit) de » nonnullis præcipuis ac sanctissimis Dei amicis (quorum nomina publicis Ecclesiæ tabulis adscripta sunt) eadem legisse, quæ de te » commemoras; neque defuere ex iis, qui rogarint Dominum, ut ab hujus terroris atroci » tormento ipsos demum immunes vellet, libenter se quodvis aliud pœnarum genus subituros. » Denique huc respexisse Davidem cum gemeret : « Dicitur mihi quotidie, ubi est » Deus tuus? Anima mea sicut passer solitarius » in tecto; Ad nihilum redactus sum, et nescivi etc. »

jussit illam revelare divinas illuminationes,

183 His cursim explicatis, vicissim rogavit Virginem doctor, post illas inferni tenebras et horrores qualiter sibi fuerit. Hic Rosa exterrita, quasi colubrum pressisset pede, resilivit, expalluit, obmutuit, probe conscia, si respondendum sit, quanta et rerum copia, et verborum inopia sibi foret laborandum. Urgebat interim doctor, instabat bis, ter; at nihil elicuit. Tandem severius attracto supercilio; « Advertito (inquit) » o Rosa, hic tergiversandi ac silendi locum E » non esse; tua res agitur : si quid dissimulaveris, si quid celaveris in examine, Dei beneficium negasti; ni totum, quod exquiro, dixeris, nec ego te, nec tu me, quantum sat » est, intelliges, et figurarum (quas partim ex» plicui, partim explicaturus sum) ænigmata sensumque integre non assequeris. » Paruit humilis Rosa, cui metus et pudor totum verecundo rubore vultum accenderat, veniamque præfata, si quod paradoxum rudi, et incautæ excideret, sic orsa est; « Dum in ima caliginosæ derelictionis » voragine absorptam me puto et lugeo, en repente, in ipso pristinæ unionis meridie, velut » in Sponsi brachiis me deprehendo; restituor » quasi numquam excidissem; sentio avidos liberrimi amoris impetus, ut cum rapidi amnes » disruptis obicibus, non fluendo, sed tuendo, » sese evolvunt per cataractam; aspirat mox gratiarum placidus Auster, et fluunt aromata; » immergitur anima divinæ bonitatis immenso pelago, et metamorphosi ineffabili e se descendens, transformatur in Dilectum, fitque unum » cum illo. »

ac cælestes visiones,

184 Jussa ulterius dicere, novo pudore hæsit, rubuit, titubavit; attamen subjecit, inter hos F favores arctissimæ unionis, se sibi videri immobiliter radicatam in Deo, securam in ejus amicitia, confirmatam in gratia, sentire donum quoddam inexplicabile, fundamentale, solidum, quo reputabat se impeccabilem, ut ille qui fidenter aiebat : « Quis nos separabit a charitate Christi? certus sum, quia neque mors, etc. » Verumtamen hic protestabatur Virgo, numquam se ulli mortalium hoc dicere ausam, et ne nunc quidem id dicturam fuisse, nisi coegisset rigor præsentis examinis, et si forte errasset in phrasi locutionis, quam necessitas omnia efferendi expresserat, censuram correctionis demisse flagitabat. Laudavit simplicem obedientis Rosæ candorem doctor, præcepitque, ne trepidaret, nihil hactenus erratum esse, tantum ad reliqua procederet. Processit Rosa, dixitque voce humili ac intercisa, plerumque post illas horrendas tenebras conspicue sibi ostendi humanitatem Christi, nunc virili, nunc infantili aut puerili facie blandam, formosam, affabilem; sæpius et Virginem Matrem, decoram, amabilem, dulciterque familiarem. Interrogata de modo et qualita-

te

A te visionis, imaginaria sit an intellectualis, diuturna an momentanea, facie ad faciem, an oblique per transparitiones? Respondit, propria illa differentium visionum nomina sibi quidem adhuc ignota esse, at gloriosam Christi humanitatem exhiberi sibi in transitu quodam vicino et claro, sicut cum fulgidum aliquod sidus moroso tractu procurrit in cælo; nec totam illius videri staturam, sed solo vultu, et pectore tenus. Attamen majestatem Deiparæ paulo diutius obtutui suo solitam indulgeri.

quibus recreata fuerat,

185 Unde subintulit Castillus, imaginarias esse visiones; petiitque ulterius, qua igitur forma apprehenderet Divinitatis præsentiam? Laborabat hic Rosa, ut verba reperiret idonea, sed tandem per solos terminos remotionis, eminentiæ, et causalitatis, utcumque se explicuit, insinuans lumen esse absque figura, mensura, fine: unde patuit ex ea parte, visionem pure intellectualem esse, incomprehensum, et omnia comprehendens, subtile, stabile, mundissimum, summe multiplex summeque unum, summe distans et summe propinquum, intimum et ambiens, B nobile, excelsum, et nulli prorsus creaturæ vel tenuiter comparabile, quodque magis in vitalium quarumdam effluxionum mirandis et immediatis effectibus, quam in suamet substantia deprehendi possit ab animo. Sed quinam hi effectus? « Teneritudo (inquit) robusti gaudii super omne gaudium imaginabile, cognatio filiationis divinæ, interior renovatio vetustatis in ipsa animæ essentia, impletio sinuum voluntatis, vita et alacritas omnium affectuum, firma, sancta, lepida, et demum undequaque ineffabilis. »

et has omnes a Deo provenisse judicat.

186 Videbat sibi doctor satisfactum in eo, quod maxime scrutabatur, haud ignarus, in materia unionis quo plura dicuntur, minus dici. Unde ad faciliora effatu prudenter digrediens, inquisivit de exercitiis mortificationis ac pœnitentiæ. Rosa, quod putaret in hoc genere se pauca, et admodum vulgaria præstare, obiter de suis jejuniis, ciliciis, disciplinis, et reliquis austeritatibus nonnulla edixit, absente matre, quodque in his non suo, sed confessariorum arbitratu, modum ac mensuram constituisset. Denique post multa ultro citroque de sui diffidentia, de ardore fidei, de securitate spei, de stimulis superni C amoris ventilata et sagacissime explorata, conclusit doctor, sinceram ac tutam esse viam, qua Virgo ambulabat, nullam hic subesse vaferrimi dæmonis imposturam, tales affectus, effectus, lumina, ab illusione aut principe tenebrarum nequaquam esse. Pluries deinde Virginem, non tam examinaturus, quam collaturus, fidenter convenit; nova semper inveniens, quæ miraretur et approbaret.

cui judicio consenserunt Joannes de Lorenzana

187 Idem Patri magistro de Lorenzana sensus fuit, postquam crebriori et per partes interciso examine spiritum Virginis diligentissime exploravit. Prolixum foret singula membratim prosequi. Unum hoc superioribus addidisse sufficiat, quod, ubi Rosam in via illuminativa probare cœpit, adstupuit responsis puellæ simplicis atque illiteratæ, cum de arcano SS. Trinitatis mysterio, de hypostatica Verbi unione, de sacramento Altaris, de gloria Beatorum, de libro vitæ ac prædestinationis, de natura gratiæ, aliisque fidei ac theosophiæ secretis interrogata, promebat axiomata tam profunda ac solida, conceptus tam acutos ac sublimes, sententias tam perspicuas, breves, fœcundas ac ponderosas, verba tam propria, apposita, clara, succincta, ut alius examinator non dubitarit fateri ingenue, numquam se in tam luminosum et perspicax ingenium incidisse; laudabatque Patrem luminum, qui tanta, sapientibus ac prudentibus abscondita, humilibus, parvulis, indoctis revelabat. Idem hoc deinceps admiratus est in methodo confitendi, qua Rosa utebatur, ea sermonis tum perspicuitate, tum proprietate ac circumspectione, ut sibi videretur Lorenzana non feminam audire, sed annosum utriusque theologiæ professorem; tanta erat verborum proportio, gravitas, ac mensura, sine parergo, sine circuitu, sine confusione ac superfluitate. Hinc fuit, quod vocatus ad excipiendam Virginis confessionem, dicente subsacrista, in templo ipsum expectari a Rosula seu Rosella, velut irreverenter locutum increpuit; « Tibi (inquit) Rosula videtur, quæ coram Deo Rosa est, ac grandis quidem? Veniet dies, qua universi intelligent, quam sit eximie alta, quam magna, et spectabilis hæc Rosa. »

A. LEONARDO HANSEN.

et Ludovicus de Bilbao Dominicani.

188 Lorenzanæ suppar magister, et primarius cathedraticus F. Ludovicus de Bilbao, notavit eadem in Rosa, dum ejus confessiones excipiebat; E nempe vario et ipse examine scrutabatur Virginis spiritum. Fassus est postea, multoties inter arcana illius fori alloquia se obmutuisse ad profunditatem et eruditionem solidorum discursuum, quibus Rosa prompte, facillime, et ex ordine satisfaciebat quæstionibus præarduis et abstrusis, ac subito se agnovisse spiritum altiorem, qui in Virgine loquebatur. Sane apud omnes (quotquot tunc Limæ vivebant) multorum opinione sanctimoniæ et perfectionis fama celebres, ea sensim invaluerat constantissima opinio, Rosam spiritu Dei agere et agi, dono sapientiæ abundare, scientia cælitus infusa gubernari. Hinc Ludovica de Melgareyo femina sanctissima tanti Rosam faciebat, ut, sicubi cum ea concurrisset, nonnisi flexis humi genibus exciperet repugnantem honorari; si qua transeuntem observasset, gestiebat animo illic os oculosque affricare, ubi Rosa vestigium fixerat; et si ad absentem litterulæ sibi formandæ erant, has nudo solo ingeniculata scribebat.

qui sanctitatem Virginis semper magni fecerunt.

189 Præcipue vero Castillus et Lorenzana, de Rosæ viis perfectissimis aliquoties mutua collatione instituta, concordes mirabantur hæc duo singularissima: primum, quod brevissimo compendio, F et quasi transsultu, gradum illuminativum, mox et unitivum possederat, absque eo, quod gradum purgativum vix obiter attigisset, quia nimirum ab infantia benedictionibus dulcedinis præventam, ii semper comitati erant purissimi affectus, in quibus nil terrenum sorduerat operosius depurgandum. Alterum, quod in illo horrendo, solisque inexpertis parum formidabili obtenebrationum tormento ea fuerit Rosæ fortitudo, animositas, constantia, ut fragilis virgo non solum ferendo esset, verum etiam, præmissa spontanea resignatione, quasi cum Deo certaret, tristiusne ille affligere, an illa affligi vellet, dummodo per omnia divino beneplacito victoria ac triumphus remaneret. Cordatissima est, planeque extrema hæc sui abnegatio; sed simul difficillima taliter amanti, cui felicius videtur non esse, quam non amare. Immarcescibilem fateri oportet Rosam, quam ejuscemodi spineta non suffocant.

A. LEONARDO HANSEN.

ANNOTATA.

a *In Bibliotheca Societatis nostræ pag. 355 et sequentibus virtutes et lucubrationes hujus pii viri in prolixo ipsius elogio recensentur.*

b Truxillum *est urbs Americæ in parte septemtrionali Peruviæ, episcopalis sub archiepiscopo Limensi, quæ ab aliis ejusdem nominis oppidis distinguitur, ut in Annotatis ad Vitam S. Francisci Solani tomo 5 Julii pag. 870 olim monuimus.*

c Arequipa *est urbs meridionalis Americæ in regno Peruviæ episcopalis sub metropoli Limana, quæ distat a mari 12 leucis; a Lima autem 120 in meridiem, et 75 a Cusco, de qua posteriori civitate nunc aliquid notandum est.*

d Cusco *erat urbs primaria Americæ ante adventum Hispanorum, et sedes regum. Nunc est episcopalis sub archiepiscopo Limensi, a cujus metropoli 120 leucis Hispanicis in ortum distat. Joannes Latius lib. 10 Indiæ occidentalis cap. 30 antiquum et modernum hujus civitatis* B *statum pluribus describit.*

e Hieratica *Græce* ἱερατική, *teste Plinio lib. 13, cap. 11, est quoddam subtilius chartæ genus, in sacris voluminibus scribendis usitatum ab* ἱερὸς *id est* sacer. *Hinc quoque* ἱερατικὸς *adjectivum Latine* sacerdotalis *aut* rebus sacris destinatus *explicatur. Opinor hic voce* hieratica *artem sacram contemplationis indicari.*

f *Nomen Græcum* εὐτραπελία *idem fere significat apud Græcos, quod apud Latinos* urbanitas, lepor, festivitas. *Aristoteles eamdem vocem pro erudito convicio accipit. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 72 art. 2 agens de eutrapelia, videtur hanc Aristotelicam interpretationem secutus esse. Hoc loco honestam animi recreationem seu relaxationem significari, ex adjunctis abunde colligitur.*

g *Hoc nomen ad inflexionem Latinam detortum est, et componitur ex præpositione Græca* ἀντὶ contra, *et voce* βάρος pondus, *quod Galli vernacule dicunt* contre-poids, *quasi* contra-pondus, *quod Latini proprie* libramen *vel* libramentum *appellant.*

C

CAPUT XIV.

Mira familiaritas hujus Virginis cum Christo, Deipara, et S. Catharina Senensi.

Huic Virgini libros legenti, Animo, cui amarescunt terrena, dulcescunt cælestia, seseque ultro insinuant. Hoc Rosæ obtigit, cui tota conversatio in cælis erat. Legebat quandoque interdiu libellos spirituales, et seligebat studiose capitula præsenti affectui temporique magis accommodata; immorabatur tantisper lineolis, ubicumque prædulce Jesu nomen occurrisset: nam e singulis horum characterum apicibus quasi igniculos et amorosos aculeos in corde sentiebat. Neque hoc satis: ipsemet parvus Jesulus, digiti statura vix procerior, sæpe apparebat amanti Rosæ in eadem pagellæ planitie: stabat pusillus ac nudus Amor, mox inambulabat passu levissimo, ac interim obtutu serenulo, tenero, suavi adblandiebatur Virgini, ingerebat se, utpote VERBUM attenta Rosæ lectione dignissimum, in quo omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei. D

191 Familiarius est, quod sequitur. Dum Rosa *manibus operanti,* nendo occupabatur in telæ consutura, en iterum dilectum Jesulum nentis pulvillo infantiliter et quietissime insidentem: illic nutibus taciturnis loquebatur ad cor Dilectæ; huic arridebat; huic protendebat breves ulnas velut amplexum offerens; hanc ardentibus ocellis jugiter adurebat, omnique gestu, motu, flexu, protestabatur amorem *a*. Quis porro netrici inter hæc solatia fuerit sensus lætitiæ, æstiment, quibus vacat: plus miror, tunc Rosæ oculos superfuisse, quibus filum, acum, telam videret. Et videbat tamen, quia sic mulcebant hi favores, ut ab exteriore opere attentionem, nec totam avocarent, nec partem exdividerent. Has cum Jesulo Sponso delicias Virgini frequentes obtigisse, imo fortasse quotidianas argumento est, quod si ille tardaret interdum, nec solito more adesset, Rosa querulis, at submissis vocibus, quasi secum perplexe sermocinans, ita lamentabatur: « Hora » est, et nondum approperat? Duodecima so- » nuit, et nondum adest? me infelicem, quæ E » illo nunc careo! o felicem animam, quæ pe- » nes se illum nunc distinet! » Cumque amor poesim doceat, Rosa pariter has querelas familiari metro illigarat, hoc fere sensu:

Heu mihi! Dilectum quis detinet? Ecce moratur:
Hora duodecima est, nec tamen ille venit.
Langueo, deficiunt oculi, præcordia frigent,
Implexas alibi dum trahit ille moras.

192 Accidit, Rosam infirmari ex dolore gutturis, et en totus ille Desiderabilis, cujus guttur *et sæpius ægrotanti* suavissimum prædicatur Cant. 5, apparet Virgini, invitat ad ludum, utrimque victoriæ fructus relinquitur victoris arbitrio. Confestim jacitur alea *b*, favet sors Virgini, lucratur, vincit; nec mora, fructum exigit, memor fortasse ex Canticis, quod ait Sponsa: Fructus ejus dulcis gutturi meo. Quid multa? Dolores sui gutturis mitigari poscit infirma, et impetrat. Verum divinus Collusor (quasi jacturam non ferens) rediit, ludum instauravit, jactuque feliciori victor evasit. Victoriæ præmium fuit Rosæ patientia, adauctis repente doloribus, qui totam ei noctem fecere insomnem. At Virgini placuit secum disquirere, primo an secundo lusu F plus lucri fecisset, cum longe ardentius faveret Sponso, quam sibimet; unde tam victam esse, quam vicisse, par gaudium fuit miranti æternam Sapientiam, quæ ludens in orbe terrarum, protestatur delicias suas esse cum filiis hominum. Mater advertens Filiæ decumbenti pristinos rediisse dolores, et quidem cum auctario, suspicata periculum, extimuit. Sed cordata Filia, ut metum eximeret, blande modesteque detexit secretum, nempe merum hunc Sponsi ludum esse; dumque verbis humillimis enarrat successum, visa est (ut quondam Stephanus) vultu prorsus angelico aliquamdiu radiare.

193 Alia vice, cum diutius ac fere ad me- *Jesus sub varia forma* diam usque noctem in solitaria horti cellula substitisset Rosa, invasit fatigatam subitaneus languor ac virium defectio. Sperabat, transitoriam fore debilitatem, sed durabat ultra consuetam periodum. Sentiebat ægra incerti mali certa incrementa; sed sera nox erat, qua nec medicum advocare, nec domesticorum ullum ad opem importune lubebat accersere: agnoscebat electuario vel sorbitiuncula se indigere, qua utcum-

que

A que stomacho succurreret, ac vires instauraret; at Sabbatum erat, ac mane proximo ad sacram Synaxim accessura, cavebat jejunio, si forte medietas noctis jam prætererat. Quoquo se verteret, prævidebat aut virium defectu, aut sumptione cujuscumque fomenti impeditum iri, ne postridie sacra Communione frui liceret. Quid hic remedii inter saxum et sacrum? Confugit Rosa familiari fiducia ad cælestem Sponsum adjutorem in opportunitatibus; hujus pharmacopœiæ se commendat, medicinam corroborativam petit, impetrat, nec aliunde, quam ex illo pretioso myrothecio vulnerati lateris, ubi quondam S. Catharina Senensis avide suxerat *c*. Hanc nectaream sanguinis et aquæ mamillam non ori, sed cordi Virginis benigne applicuit: hic illa debilitati suæ pharmacum, hic vitalem succum invenit et traxit. Porro visionem neque cassam aut inanem fuisse, nec pure imaginariam, probavit effectus: nam Rosa mox convaluit, redierunt corpusculo vires, agilitas, robur, quo postridie templum adiit, Panem angelorum manducavit, satura, vegeta, sana domum repetiit; utique experta, quam sint Sponsi ubera meliora vino, quam fragrantia unguentis optimis. Magna profecto Rosæ dignitas, matris ac magistræ Senensis fuisse, non modo filiam ac discipulam, sed et collactaneam. Verum ad alia.

194 In domo cujusdam illustris feminæ, Rosa de more post sancta colloquia veniam petiit secedendi tantisper ad orationem. Matrona honoris gratia secedenti comitem adjunxit septennem puellam, e mancipio domi suæ natam. Hæc, ubi Rosam meditationi implicatam reliquerat, clam sese proripuit ad matrem suam, in vicino conclavi laborantem: inde post horæ spatium erepsit, visura num Rosa ab oratione surrexisset. Et ecce, vidit juxta Virginem puerulum Jesum amictu polymito cærulei purpureique coloris decentissime tunicatum, quem ut conspexit fulgida claritate circumdatum, ac radiis undique coruscantem, non ausa conversationem interrumpere, substitit eminus, contenta permissione dulcissimi spectaculi, cujus arcana pro ætate non dum capiebat, nec, antequam Rosa migrasset e vivis, rem detexit. Idem in ædibus D. Isabellæ Mexiæ contigisse, quæ vidit, retulit filia Isabellæ; nimirum procul inter secretiores ædium porticus ambulabat Rosa, et cum ipsa Jesus in statura octennis pueri, sed amictus jam lumine sicut vestimento. Spatiabantur ambo pariter consertis manibus, gressu gestuque tenere amantium; miscebant secretissima invicem colloquia, hærebant in mutuis vultibus, tamquam rerum aliarum aut obliti, aut incurii; sed Parvuli incessus gravior erat, quam puerorum esse soleat, majestas inerat, et quacumque fixisset pedem, subitaneo lumine resplendebat pavimentum.

195 Zelus, ut intensi amoris præco simul et explorator est, ita vel ipsummet Sponsum cælestem curis sollicitat, rivalem non patitur, ne flosculum quidem. Rosa nomine florebat et opere: nam ut altaribus nulla anni parte deessent flores, diligentissime procurabat, discretis hunc in usum areolis, quarum uni basilicum (plures ozimum *d* dicunt) implantarat. Hunc forte colebat studiosius, quod odore ac nomine regius, Regi seculorum immortali et invisibili aptius conveniret in tributum. Respondebat planta cultricis industriæ, et quo prodibat lætior, magis lætificabat. Verum, ut breve est a floribus gaudium, Rosa mane quodam invenit basilicum suum non modo siccum ac marcidum, sed radicitus evulsum ac mortuum. Cadaveri adgemuit Rosa, et abiit; sed occurrit eunti visibilis Christus, blandeque affatus Virginem; « Quid doles? inquit; an non ego Flos campi melior » tibi sum, omni basilico, totoque floreto paradisi? et ut scias me tuum esse basilicum, ego » alterum illum his manibus eradicavi, fregi, » projeci. Flos es, ac florem amas? Ecce me. » Didicit Rosa, vel ad zelotypiam usque amari se a Sponso, et pro tantæ gratiæ crebriori experimento facile exposuisset in prædam, quidquid florum sibi residuum erat. Utique plenam hæc fidem faciunt illi religiosissimæ cujusdam mulieris extaticæ visioni, cui in raptu protestatus est Christus, se Rosam gestare in intimo sui divini cordis penetrali; cum sciret, vicissim in ejus virgineo corculo se solum tranquillissime habitare.

196 Porro quam affabili, serena, frequenti apparitione Rosam suam dignata fuerit augustissima cælorum Imperatrix, sat inde conjicere fas erit, quod ab undecimo suæ ætatis anno ad extremum usque non defuerit umquam Virgini hoc pretiosum assiduæ familiaritatis solatium. In E Rosariano beatissimæ Virginis sacello Rosa plane domestica evaserat, illic totos hærebat dies; illic Ordinis sui habitum, illic Jesulum Sponsum nacta, divelli a loco non poterat. Ibi altaris ornandi curam, ibi totius nitoris œconomiam sibi devote assumpserat, ibi quotidianum sibi cum Deipara ex sedulo ministerio commercium erat, ac mutua conversatio. At vicissim angelorum Regina Famulam suam eo honore dignata est, ut fere officia cubiculariæ ipsi exhibuerit, mane Virginem excitando a somno. Tanti favoris occasio hæc fuit: Rosam a multo tempore continuis integrisque noctibus adeo destituerat necessarius somnus, ut valetudini suæ non parum fuerit timendum, si medelam respueret. Hinc opus fuit confessariorum imperio, qui Virgini præcepere vespertinum lactucæ ac soporiferorum seminum usum; deinde et temporis spatium, quo dormiret; horam, qua mane surgeret, præscripserunt.

197 Conabatur obedire infirma, sed prævalente serotinarum vigiliarum assuetudine, non obediebat somnus, seu veniendum, seu abeundum esset. Præsertim mane, dum instabat surgendi hora, incipiebant soporifera modicum operari, somnumque lentissimum vi attrahebant in cerebrum. Cruciabatur ingenti scrupulo Rosa, quod exacte ad præscriptam horam evigilare non poterat, ut summe cupiebat. Ergo luctam et afflictionem suam Deiparæ, ceu veræ Stellæ matutinæ questa est, ut subveniret. Subvenit illa, imo et venit: siquidem exinde, ubi imminuisset surgendi hora, en in puncto aderat conspicua Dei Mater, et voce melliflua compellabat sopitam Rosam: « Surge ad orationem Filia; surge: » nam instat hora. » Sic placide experrecta videbat cominus, et (uti fassa est) facie ad faciem illud gloriæ sidus gratiosum, illam frontem decora majestate plenissimam, illum gloriæ et amœnitatis paradisum, agnoscebat vocem, venerabatur præsentiam, tacite secum disquirens: « Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat » ad me? » O gratum surgendi tintinnabulum!

198 Semel evenit, quod veniente Domina, profundius dormiebat Rosa: primus hic somnus erat, ac nonnisi paulo ante cœperat. Excitata Virgo respondit; Surgo Domina, nunc surgo: conseditque erecta in lectulo, sed prægravante

somni

Margin notes: B; C; *c*; *familiariter ac mirabiliter apparuisse dicitur.*; *d*; A. LEONARDO HANSEN.; *Etiam cum Deipara,*; *quæ illam e somno ad orationem excitabat,*; F

A. LEONARDO HANSEN.

somni pondere, oculisque caligantibus, recidit misera in cervical. Accessit denuo augustissima Excitatrix, et (quod ante non consueverat) protensa nivea manu, pulsavit latus dormientis, agitavit familiarissimo attactu resupinum corpusculum, iterumque ait : « Surge Filiola, ne » pigriteris; rogasti me, et ecce ad solitas pre- » ces te voco : surge (inquam) Filiola mea, » surge, jam hora sonuit. » Longe suavius erat Rosæ, filiolam vocari a tali Matre, quam Rosam. Cessit hujus compellationis dulcedini somnus; at simul discessit suavissima Excitatrix : nam ut Rosa diduxit graves palpebras, ut respexit, agnovit Deiparam, sed a tergo : jam enim suspensis vestigiis abire cœperat, velut perfuncta amico officio. Heu tantilla soporis indulgentia, quantam subinde jacturam infert! Quam doluit Rosa, pro illa vice maternum sibi vultum ereptum fuisse, dum cunctabatur! empyrei favores delicati sunt; ni prompte strinxeris, elabuntur.

et S. Catharina Senensi amice conversabatur.

199 Ex quo semel a Christo (ut compertum postea) Catharina Senensis cælitus Rosæ missa, ac data fuit magistra, frequenter hæc charam Discipulam visibiliter convenit in terris, præsertim dum occupabatur in perlegenda seraphicæ B magistræ regula, quam sibi e Cusco (procurante Fr. Joanne Miguel Ord. Prædicatorum religioso laico) transmitti demum impetrarat. Mutua harum Virginum conversatio tam amica et crebra fuit, ut sicut Moysi, post longam cum Deo in monte confabulationem, remansere in vultu luminum vestigia; ita viderentur ex vultu B. Catharinæ in faciem Rosæ transiisse lumina, quæ hanc illi per aliqua oris lineamenta propemodum assimilarint. Hinc apud Limenses suos Rosa, vulgariter altera Catharina Senensis appellabatur; præcipue ab obitu, quando in mortuali feretro Rosæ facies liberius videnda omnibus patuit. Ceterum de miris deliciis, favoribus, officiis, quibus hæc seraphica magistra demulsit Rosam suam, crebior et commodior infra redibit sermo locis propriis.

ANNOTATA.

a *Hi similesque lusus amatorii forte non placebunt iis, quorum judicium seu censuram de* C *hujusmodi ludis in Commentario prævio num. 45 verbis Echardi retulimus.*

b *Souegius in Gallicis* S. Rosæ *Actis tomo 2 Augusti pag. 651 tantum dicit, Christum nocte sub forma lusoris ei apparuisse. Porro probabilius existimamus, hæc et similia potius imaginationi sanctæ Virginis repræsentata esse, quam re ipsa contigisse. De apparitionibus hujusmodi consule Papebrochium nostrum tomo 6 Maii pag. 246 et sequentibus, ubi habet* Parergon de Sanctarum exstaticarum secundum species naturaliter præhabitas durante raptu quandoque motarum dictis factisque ad historicarum quæstionum decisiones non transferendis.

c *Hic eximius favor apud nos tomo 3 Aprilis pag. 894 in Actis S. Catharinæ Senensis narratur. Idem hic de Sancta nostra refertur. Sed hoc loco maxime mihi placent sequentia auctoris verba :* Hanc nectaream sanguinis et aquæ mammillam non ori, sed cordi Virginis benigne applicuit *Christus, de quo sermo est. Eodem modo plura, quæ hoc capite de familiaritate* S. Rosæ *cum Christo narrantur, spiritualiter intelligi velim.*

d Ozimum *est planta jam passim per Europam nota, de qua Calepinus in Dictionario octolingui sic scribit :* Ozimum item regia herba sive basilica, aut basilicum a Liguribus vocata, fragrantissimi et vehementissimi odoris, unde nomen accepit, nempe a verbo ὄζω, quod est redoleo. D

CAPUT XV.

Familiaritas cum angelis custodibus, et varia certamina adversus dæmones.

Sancta tam familiariter utebatur obsequio angelorum,

Sanctos angelos esse ipsissimum cor Dei, sensit Bernardus serm. 12. Psal. QUI HABITAT : Ubi hæc verba ; « Apponis erga eum cor tuum, Job. 7, adaptat missioni angelorum ad hominis custodiam. Rosa angelum suum non modo custodem, sed et congerronem *a*, habuit amicissimum; imo pararium *b*, symmistam *c*, dinomilum *d*, ut etiam hinc adverteret, quam dulciter Christus apposuerat erga eam cor suum. Inde Virgini cum E suo angelo tam domestica fiducia, ac necessitudo, ut illo soleret uti veredario *e*, quotiescumque ad horam consuetam Sponsus non comparebat. Metrico sui idiomatis rhythmo *f* tunc familiarius affabatur angelum, hoc fere sensu :

Vola ephebe cælice ; dic nostro Creatori :
Me sine vita vivere, me præstolando mori.
Cur ille tardet, Rosa dum ardet,
Velociter inquirito :
Roga ; festinet, cœlos inclinet,
Ad me descendat, vultum ostendat,
Quia amore langueo.

ut animi deliquium passa,

201 Nocte quadam occlusis horti januis, Rosa de more vigilabat in angusta sui eremi cellula, sensitque se viribus repente destitui, adeo ut gravem timeret syncopen : unde in domum sese recipere ad matrem constituit, collato prius consilio cum angelo suo tutelari. Mater (quæ horti clavem jugiter tenebat secum) ut notavit in vultu Filiæ signa instantis deliquii, sine mora promptis a marsupio duobus denariis, jussit ancillæ, adiret subito vicinioris propolæ apothecam, emeret saccharum, carbonem, et libum F Indicum, quod CHOCOLATE *g* vocant indigenæ, jam et Europæis tam usu quam nomine sat notum : quippe in aqua calida resolutum cum triente sacchari, stomacho simul et cordi potenter succurrit *h*.

per eos potum sibi

202 Filia, ne sui causa is sumptus fieret, obnixe rogavit matrem, affirmans, sibi non defuturam chocolatam. Replicuit mater : Putasne in tota hac domo vel micam chocolatæ reperiri? Negavit Rosa; at subjecit, hanc brevi adfore ex domo quæstoris. Infremuit parens, etc. « Aut » nugaris (inquit) aut somnias : quis enim in- » tempesta hac hora calentem chocolatam ad te » mittet? vel unde in quæstoris domo procul » hinc dissita innotuisse potuit, te subitanea de- » bilitate languidam isto medicamine indigere? » Tu in horto occlusa, utique non habuisti, » quem illuc mitteres, neque ex hac domo ullus » abiit, qui tuam necessitatem quæstori indica- » ret. Igitur vade, ancilla, jussa exequere. » Denuo supplex obstitit Rosa, certo asseverans, quæstoris mancipium jamjam cum præparato medicamento adfuturum. Ita fuit : nam matre adhuc disceptante cum filia, pulsatur ad

fores.

A fores. Servus erat quæstoris, intromitti petiit, afferre se a quæstoris consorte, quod Rosæ traderet. Vas erat argenteum calenti chocolata plenum. Obstupuit parens; at Rosa confestim servum expediens, heræ suæ renuntiare jussit, opportune beneficium venisse.

opportunum acceperit.

203 Hic Mater confusa multiplici prodigio, sciscitari, quid Gundisalvi uxorem moverit, ut tali profundæ noctis hora vernam ædibus emitteret; quisnam aut Virginis languorem illi dominæ aut certum adventum emissi mancipii nuntiasset Rosæ. Tandem supremo obedientiæ præcepto adegit filiam, ediceret, unde sciverit, tali hora e domo quæstoris sibi adferri chocolatam. Respondit subridens filia: « Ne mireris, dulcissima mater: nam sæpe hujusmodi officiis me » dignatur angelus meus tutelaris. Mox ubi in » mea cellula cœpi deficere, misi angelum, qui » D. Mariæ de Usategui suggereret, me illo, » quem vidisti, succursu indigere. Perfecit ille, » quod mandaveram; ac certa eram, illum of» ficio non defuturum. Hac fiducia cellulam re» liqui, ad te huc veni, consedi expectatura » hic servum quæstoris, et cum parente benefi-
B » cium divisura. » Mirata est mater præsentaneum et velox Angeli obsequium; at magis, ut vidit filiam non mirari, utpote his usu ac frequentia dudum assuetam.

januam clausam aperiri jusserit,

204 Alia vice in eadem horti cellula ultra mediam noctem exspectabat, dum in ædes vocaretur pro more ad nocturnam quietem: solebat enim circa horam, quæ medium noctis antecedit, descendere mater ad aperiendum horti ostium, ut filia inde abducta, ad suum cubiculum sese reciperet. Verum pro illa vice mater, vel quod crederet, se filiam ab horto jam reduxisse, vel quod aliis distracta minus applicuisset animum, oblita fuerat hortum ad horam consuetam exituræ Virgini aperire. Dum ergo se vidit frustra exspectare, dum hæsitat, quid agendum, prospiciens per fenestellam, vidit cominus umbram candidam, motu decoro agilem, aspectuque non injucundam, quæ Virginem, ut se versus domum sequeretur, invitabat. Facile ex internis criteriis, quæ a sancta Catharina Senensi didicerat, agnovit Rosa latentem sub umbra tutelarem angelum; itaque cum illo se fidenter in
C viam conjecit. Pervenere ambo ad horti januam, quæ ad umbræ tactum mox sponte patuit sine clavi. Denique umbraticus ille ductor sequentem Rosam ante genitricis cubiculum stitit, et disparuit. Forte hanc petebat umbram, quæ ambiebat a Domino custodiri ut pupilla oculi, et sub umbra alarum ejus protegi; ne miremur lucis angelos umbræ speciem assumpsisse, dum gerebant officium.

et cuidam iter agenti custodiam angelicam procuraverit.

205 Occasio angelicæ custodiæ exigit, sequentem historiolam hic subnecti, qua forte patebit, non proprium dumtaxat, verum et alienos tutelares angelos sibi ad nutum habuisse obsequiosos. Religiosus quidam per ardua, et prolixa itinera prælatum ecclesiasticum associaturus, necessitatem suam Virgini aperuit, precum suffragia pro avertendis periculis flagitavit. Promisit Rosa, ut erat ad subveniendum proximis mire liberalis et prompta, hominemque proficiscentem Deo, et custodi angelo impense commendavit. Perrexit ille securus promissi, quod non ignoraret, quid Rosa valeret apud Deum, et angelos. Nec spei eventus defuit: nam e Lima
i usque Potosium *i*, per varios casus, per mille rerum discrimina, iter habuit tutissimum. At exinde sensit, simul oratione Virginis, et angelica tutela se repente destitui: nam Truxillum petens, in ejus convallibus gravissima quæque passus est, et vix evasit incolumis. Limam redux, amare questus est de Virgine, tandem et coram Virgine, quod in medio viæ ipsum destituisset orationum suarum præsidio. Non negavit Rosa, id verum esse; tantum interrogavit, unde id nosset: Respondit ille, se Lima Potosium usque, vallante angelica custodia, feliciter aut calcasse, aut declinasse obvia quæque pericula; verum Potosio Truxillum eunti adversa fuisse omnia, ita ut aliud suspicari nequiverit, quam Rosam ab oratione promissa, et angelum suum a tutela commissa interea destitisse. Subjecit Rosa: Non vane conjectasti; at scito, illa tibi accidisse incommoda, quia non ille eras, qui esse solebas. Deinde fidentius ad specialia descendens, monuit hominem de arcanis, ipsi soli notis, quæque a tanta distantia non nisi divinitus, aut angelo internuntio, Virgini potuerant innotuisse.

A. Leonardo Hansen.

Invidi dæmones variis modis, ac sub diversis formis

206 Quantum vero Angelicam hanc puellam amabant, ambiebant, mulcebant sancti angeli, tantumdem ei clam, palam, vi ac fraude nocere conabantur furiæ infernales. Torquebat dæmonem illa hortensis cellula, tot cæli deliciis E plena; dolebat superbus, illic se non timeri ab imbelli juvencula, imo ea solitudine ultro ad monomachiam se provocari. Itaque Virginem per tenebras aggressus est tenebrio. Forma ingentis molossi erat, villosa, tetra, picea: lucem, qua videretur, dabant solæ rubentes flammæ, quas naribus, oculis, auribus affatim protrudebat. Hac specie circuibat orantem Rosam latratu horrisono, rictu immani, ferociterque dentato, lingua fœdissime exerta, odore sulphureo, simulque pendulas aures, caudam, villos arrigebat, quasi impetum facturus; nec solum terrere venerat, sed et nocere, si posset; nam (ut vidit ab immota se despici) rabido morsu pertentabat virgineum illud corpusculum; assultu, dente, ungue sæviebat, qua poterat; tandem ausu furibundo, quam discerpere non poterat, raptabat per solum, trahebat, versabat, ceu lacerum aliquod peripsema; donec impavida, sed temeritatis pertæsa Virgo, exclamavit ad Sponsum, « Ne tradas bestiis animas confiten- F » tes tibi. » Nec alio fuste ad abigendum hunc Cerberum *k* opus fuit: nam continuo elumbis, k victus, fractus resiliit, fugit, evanuit, et Rosa prorsus illæsam, indemnemque se admirata, corde tranquillo ad orationem rediit.

hanc Virginem impugnarunt;

207 Semel a domestico Gundisalvi quæstoris oratorio, ad interius cubile se Virgo recipiebat: per viam adrepens ex insidiis cacodæmon, quanta vi potuit, improvisum ei celaphum impegit, majori tamen sonitu, quam nocumento: subrisit enim intrepida Virago, insuper alteram maxillam dare parata, si hostem conspicuum palam habuisset. Alio loco et occasione in ædibus D. Isabellæ Mexiæ ignavus hostis Rosam a fronte, et cominus aggredi formidans, a tergo eminus rude saxum in eam libravit, connisu tam impetuoso ac valido, ut euntem solo tenus prostraverit. Rosa nec læsa, nec territa, agilior surrexit, quam ceciderat; vilissimoque diabolo pudendam imbecillitatem exprobravit. Ille Victricis animositate confusus, rabiem, qua puellæ nocere non poterat, in ejusdem libellos spirituales turpissime effudit. In his Rosæ eximie charus erat Ludovici Granatensis codex, quod ad medita-

meditationum digerendos articulos diligentius utebatur. Hunc miser corripuit, laceravit, ac procul in spurcitiarum sentinam abjecit, rem magnam se præstitisse ratus, quod tantæ Amazoni quidquam saltem armorum furto ignobili sublegisset. Nihilominus Virgo et librum suum recuperavit, et pudefecit reduncum depeculatorem, quem non alio quam improbæ felis, aut SCABIOSI nomine dignabatur.

sed illis semper impavida restitit,

208 Alia vice, postquam in eodem oratorio preces absolverat, incumbente vespere, secretius in altissima ædium parte cubiculum adiit, solitaria meditatione dulcedinem ruminatura, quam in oratorio gustarat inter preces. Verum illic populosissima glirium orchestra, imo hippodromus erat; procurrebant decuriatim, saltitabant, pugnabant, sursum deorsum per muros, armaria, tegulas; confuso venatu turbabant omnia, nec sperari quietiora poterant, cum fœdis ac lucifugis bestiis nox ipsa locique faveret conditio. Itaque Rosa, mutato consilio, in infimam domus partem descendit, profundioris silentii quæsitura latibulum. Cella erat penuaria, ubi tunc instru- B menta vindemiæ, canistra, lebetes, et id genus utensilia asservabantur. Huc Rosa ut intravit, arrectis horrore subito pilis, agnovit, ibidem sese a SCABIOSO ad pugnam expectari. Nec pavori cedens, mandavit transeunti illac ancillulæ, candelam sibi adferri; qua lata, dimisit ancillam, præcipiens, ne cui domesticorum diceret, ubinam Rosa lateret; nec se, diutius solito ibi fortasse moraturam, evocaret ad cœnam, donec ultro ipsa prodiret.

ita ut eam numquam terrere,

209 Abierat ancilla, et Rosa vix januam clauserat, cum repente audivit, simul a foris inducto pessulo, sese a cacodæmone velut captivam obserari. Mox intra penum occlusa animadvertit, porriginosum hostem suum in prægrandi sporta, quam labri fundus occultabat, licentius tumultuari. Puduit generosam Virginem præsentis ibi luminis uti solatio, aut qualicumque præsidio. Candelam igitur ultro extinxit ipsa, statimque latentem inimicum e sporta in arenam provocans « Heus tu (inquit) porce scabiose, adesdum, » hic te expecto : prodi, si audes; expe- » rire, si quid vales; age in hoc vile corpus- » culum, quæ tibi Deus permiserit, certe in C » animam nil poteris; a cælesti Sponso hæc mi- » hi securissima fiducia est. Congredere, cornuta » bellua, eia congredere. » Nec mora; prosiliit ferocissimus hostis gigantea mole, qua contremuit cella, nil tremente Rosa; Virginem per humeros corripuit, strinxit, contorsit, quasi in minutissimas partes membratim laceraturus obluctantem; utque terrores duplicaret, fecit eam experiri contactu, quam pilosis, hispidis, ericinis lacertis esset; his inermem jactando, trudendo, premendo miserrime concutiebat, ut jam singula Virgini ossa viderentur commolita, luxatæ scapulæ, nervi distracti; at sub fragili carne vigebat infractus animus, et corculum in Deo fixum ridebat, despuebat, laxabat furentem cyclopis insaniam. Pluribus horis duravit obscurissima lucta, ingenti probro adversarii, qui victoriam desperans, vel unicum saltem gemitum, aut metus indicium extorquere tentebat, nec poterat.

multo minus vincere,

210 Interea quæstoris uxor, familiam de Rosa interrogans, ab ancillula didicit, quo ipsam loco reliquerat cum candela, quodque diserte vetuerat evocari ad cœnam. Accessit, vidensque nulla ex parte promicare lumen, subduxit pessulum, taciteque abiit, cunctationis exitum præ- D stolatura. Tandem media nox dispescuit longum certamen; prodiit Virgo quam lassitudine anhela, tam vultu hilaris, ac ultra morem lætissima; ut nemo dubitarit, magnum aliquid inter illas tenebras gestum esse. Postridie Gundisalvi uxor non destitit, donec, enarrante Rosa, universam rei seriem prolicuisset, ubi inter alia et hoc notatum fuit, quod hujuscemodi conflictuum duri agones constantissimæ Virgini neque peregrini erant, aut minus frequentes; nec umquam formidinis sensum expresserant.

vel ad impudicitiam excitare potuerint,

211 Aliquando in hortum oratura processerat, cum de vicinarum arborum opaco vidit obvium sibi antagonistam, non jam terrificum; sed blandum, candidum, ac pene in angelum lucis transfiguratum : nam species illi humana erat; sed formosa, decens, urbana. Doluit Virgo, illic præter consuetudinem apparere hominem, ubi supra erat sine teste, sine comite. Interim cœpit eminus ille nutibus procum, mox et procacem agere. Hic Rosa, mendacem larvam sonoris vocibus detestata, lemuri dorsum obvertit; et quæ in ceteris conflictibus generose steterat, in solo E isto (quia de castitate erat) a nobili fuga victoriam mendicavit. Ut vero horti januam, volando magis, quam currendo pervenerat, in propinqua porticu substitit, correptaque ferrea catena, nudas sibi scapulas flagris acerbissimis cruentavit : inter fluentes tum sanguinis, tum lachrymarum rivos, Sponso suo querula, quod ipsam ad tempus destituerat, dum in ejuscemodi angustias incideret : numquam enim sibi, præsente ipso, tam periculosam larvatæ impuritatis imaginem fuisse occursuram. Sed confestim Sponsus gloriosus Virgini se stitit conspicuum, dixitque : « Audi Rosa, ni tecum ego fuissem, tunc » victoriam reportasset? » Grande id fuit victrici solatium, grandis et eruditione plenissima lectio. Similiter hæc sunt, et plane germana iis, quæ B. Catharinæ Senensi, in certamine haud quidquam dispari, contigerunt, quando videlicet huic respondit Christus : « Dum pugnabas, » dum vincebas, intus eram, in tuo corde spe- » ctator aderam et fidus adjutor. » F

cum inspirationes diabolicas a divinis statim distingueret.

212 Eminebat in Rosa (confessariis attestantibus) mirabile donum internoscendi sinceras visiones ab illusionibus sathanæ, et distinguendi sanctas inspirationes a versutis suggestionibus antiqui serpentis, quod Apostolus discretionem spirituum vocat. Quodque admirere magis, a prima pueritia hoc insigni munere dotata fuit, quo sibi et aliis mirifice profuit, ut nulla umquam Virgini occurrerit tam fallax adversarii tentatio, nulla tam fraudulenta seductoris vafricies, quam non clare, statimque primo in limine deprehenderit, arguerit, exarmarit. Mirum, quot quantasque uno hoc telo victorias contra stygios dolos reportarit. Adhuc juvencula examinanti confessario erudite recensuit dignoscendorum spirituum regulas ab effectibus. Aiebat, illustrationes vere divinas esse, cum in anima relinquunt humilitatem, affectum reverentiæ, agnitionem propriæ vilitatis, ordinem ac unitatem cordis, gaudiumque in Deo. Ex adverso contrarias his impressiones, tumorem, confusionem divisi cordis, complacentiam sui, et inquietudinem erga Deum, nonnisi picem improbi authoris redolere. Id porro erat, quod Christus beatam Catharinam Senensem; hæc Rosam absque alio magistro edocuerat.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a Congerro *vocatur is, cum quo familiariter versamur et facete confabulamur, qui a Græcis* συνόμιλος *vel* συνομιλήτης *appellatur. Utitur eo nomine Latino Plautus in significatione tam vili, ut angelis non conveniat.*

b Pararius *est ille, qui stipulationibus aut contractibus faciendis intervenit, et quem poeta Martialis* proxenetam *vocat a nomine Græco* προξενήτης, *id est, licitator, mediator, conciliator, sive interpres duorum inter se stipulantium, aut spondentium, aliumve contractum ineuntium. Radix est in verbo Græco* προξενέω, *quod significat* conciliatorem contractuum ago.

c Symmysta *proprie in lingua Latina est* consacerdos. *Cum vero illa significatio hic locum non habeat, recurrendum est ad Hierolexicon utriusque Macri, qui ad vocem* Symmysta, *Græce* συμμύστης, *affirmat, hoc nomen interdum accipi pro* secretario, *vel eo, qui est alteri a secretis.*

B d *Significationem hujus appellationis in variis lexicis frustra quæsivi. Sed tandem deprehendi, nomen* dinomilus *compositum esse ex adverbio Græco* δὴν *id est* diu, *et verbo* ὁμιλέω, *hoc est,* colloquor *aut* conversor. *Biographus itaque isto nomine composito indicare voluit, angelum cum* S. Rosa *diu conversari vel colloqui consuevisse, ni fallor.*

e *Antiqui* veredos *appellabant equos velocissimi cursus, quibus in venatione utebantur, aut ipsas rhedas, quas equi tales vehebant, ut alii malunt. Hinc* veredarius *ab aliquibus pro rhedario accipitur. Veredos etiam adhibebant veteres principum tabellarii, qui mutatis per stationes equis, iter velocissime conficiebant, atque inde* veredarii *dicti sunt. Quidquid sit de certa horum nominum significatione, potuisset scriptor Actorum supersedere plerisque his synonymis, quæ non satis apte angelis tribui videntur.*

f *Dum Hansenius hic asserit, sanctam Virginem* metrico sui idiomatis rhythmo *angelum allocutam esse, satis indicat, hanc allocutionem versibus Hispanicis compositam fuisse : nam* S. Rosa *idiomate Hispanico utebatur, utpote ex Hispanis*
C *oriunda, quamvis Limæ nata.*

g *Joannes de Laet lib. 7 Indiæ occidentalis cap. 2 agens de fructu Indico, qui vulgo* cacao *vocatur, ejusque figuram æri incisam repræsentans, de usu illius addit sequentia :* Sed principalis usus est in potu, quem ex illis conficiunt (CHOCOLATEN vocant) insanum in modum ab incolis harum regionum dilectum, et in summo pretio habitum, cum iis, qui non assueverunt, spuma supernatans et fæcum instar ebulliens merito nauseam moveat. Hoc potu indigenæ hospites suos etiam magnates excipiunt; hunc Hispani, sed magis Hispanæ, ita depereunt, ut postquam semel illi assueverunt, se sine illo vivere posse negent. *Tum post varios illius præparandi modos hæc subjungit :* Etiam pastam quamdam ex iis componunt, quam pectoris et stomachi vitiis atque catarrhis mederi volunt, licet apud eos, quibus hæc opinio non est veluti agnata, difficulter inveniat fidem.

h *Non dubito, quin hic potus sanctæ Virgini nostræ, ex jejuniis ac pœnitentiis attenuatæ, profuerit. Sed inde ad quemlibet non est extendenda consequentia, cum Latius capite mox citato sic moneat :* Immodicus usus potionis e cacao confectæ plurimarum infirmitatum et morborum causa est, quia generat obstructiones, corrumpit colorem, et inducit cacochymiam et similes pravos affectus. A LEONARDO HANSEN.

i Potosium *est urbs Americæ in regno Peruano ad radices montis Potosii, et argenti-fodinis inclyta, cujus situm, sterile solum, divitias ac fodinas proxime citatus Latius lib.* XI *Indiæ occidentalis cap. 8 et sequente singillatim describit.*

k Cerberus *triceps canis et custos inferni, quemadmodum poetæ fabulantur, hic accipitur pro ipso dæmone, ut ex sensu patet.*

CAPUT XVI.

Persecutiones, ægritudines, aliæque adversitates patienter toleratæ, et in mira quadam revelatione prævisæ.

E Rosis spinæ non tarde accedunt, sed connascuntur. Idem huic Virgini accidit; nondum primæ infantiæ cunas reliquerat, quando rosarum speciem, nomen, spinas induit. Nonum ætatis mensem attigerat, cum lactanti matri aruerunt ubera, lac defecit, et ne aliunde nutrix conduceretur, obstabat res angusta domi : en primos infanti tribulos. Conabantur pulte liquidiori supplere lactis inopiam; sed perdifficilis ingestio os parvulum diductione cruciabat. Nec tamen plorabat Rosula, sed, proprii pollicis inutili suctu, famem tacita fraudabat magis, quam solabatur. Adeo a teneris discebat pati prius, quam vagire aut loqui. Crevit ætas, sed pariter cum ætate afflictio; nam vix ambulare ac fari cœperat, cum quotidie, ob muliebrem aviæ, matrisque de nomine Rosæ controversiam, innocens Puella utriusque persecutioni se vidit miserrime implicitam. Sive enim invocata sub Rosæ nomine accurrisset domesticis, aut matri, frendens avia in parvulam virgis sæviebat; sive ad Isabellæ nomen respondisset vocantibus, irata mater expediebat virgidemiam, cædebat immeritam. Sic, alternante feminarum bile, F patiens Virguncula quoquo se verteret, incidebat in pœnam, et ob hoc ipsum, quod non peccarat, luebat. *Virguncula passa est persecutiones*

214 Quam suavis erat indoles Filiolæ, tam aspera conditio matris, ut pene videretur sola patientiæ biga par illud dissimillimum conjunxisse, Virginis modestia, sobrietas, devotio, seculi fuga, silentium, vigiliæ, impatienti matri mera delicta erant, quibus castigandis non clamores, scommata, convitia, non demum pugni sufficiebant, et calces : nodosus ex malo cydonia *a* baculus persæpe ad manum fuit; hoc Puellam jam grandiusculam frequentius delumbare solebat, præsertim quando comperta fuit, exemplo S. Catharinæ Senensis, rutilam sibimet cæsariem præscidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici, postquam nimirum innotuit ejus vitæ singularitas, cælestium visorum frequentia et commercium, ac præcipue illa humanis viribus evidenter superior abstinentia, qua facile arguebatur, tam modico ac fere nullo alimento, juvenculam naturaliter in vita sustentari non posse. Timuerunt germani fratres, ne forte propediem soror, magno familiæ suæ dedecore, ad sanctæ *ab austeris domesticis,* *a*

In-

A. LEONARDO HANSEN. b

Inquisitionis b tribunal raperetur, velut suspecta de imposturis ac fraudibus, aut sacrilegi mendacii fictæque sanctimoniæ palam vel rea, vel convincenda. Hos itaque timores quotidie ingerebant cum jurgio, his minis exagitabant undique derelictam. Nec verebatur ultro improvida mater, publice coram suis et alienis confundere Filiam, proclamando uti hypocritam, fallacem, simulatricem, omnisque sinceræ virtutis inanem et vacuam.

et incredulis confessariis,

215 Accessit in persecutionis cumulum incredula quorumdam confessariorum seu oscitantia, seu ruditas; dum initio, quod sibi persuaserant, nitebantur et Virgini persuadere, videlicet, ipsam itinere non recto, aut saltem non tuto incedere, vertigine cerebri, aliisque noxiis intemperiis laborare, frivolas illusiones esse, quas ipsas supernas illustrationes credebat. Hæc et similia quamcumque aliam exanimassent, at minime Rosam, cui intus patientia pro chalybe erat, eoque amplius, quod ex hujuscemodi præduris afflictionum cautibus deprehendebat manifestius, se per ipsissimas B. Catharinæ Senensis vias deduci ad Sponsi unionem. Hinc B vice quadam ab illustri femina interrogata, cur non rogaret seraphicam magistram suam, ut his ærumnis potenti illius suffragio eriperetur, heroice respondit; « Quid putas, ad ea mihi regeret seraphica mater mea? Quæsitura utique, egone aliam mihi exoptem semitam, præter illam, quam ipsamet gloriosa calcavit? Absit a me tam ignava desidia. » Sciebant ambæ, quidquid Rosa a B. Catharina peteret, continuo impetraturam, idque patebit infra; sed generosa Discipula pluris faciebat magistræ dolorosa stigmata, quam delicata solatia; pudebat Crucifixi sponsam, vel per momentum extra crucem ac passionem reperiri.

quibus successerunt morbi

216 Et sane, aut numquam, aut raro deerat grandi ejus patientiæ grandis materia, siquidem vacantem a cruce externa, gravior occupabat interna; cessantique foris persecutioni, agminatim corporis ægritudines succedebant. In Canta ex dira nervorum attractione triennium lecto decubuit, cruciatu immenso, gemitu nullo, nisi quod compassione acerbius, quam C passione torquebatur ex illorum incommodo, quorum ministeriis carere non poterat. Unde in hac, aliisque suis infirmitatibus solebat dicere: « O quam salubris, quam jucunda et felix sors foret, crebriori ægritudine divexari, dummodo proximorum abesset incommodum! » Sæpe Virginis guttur et fauces, ex inferiorum musculorum inflammatione, acutissima invadebat angina c, cui interdum periculosior succrescebat cynanche d: sæpius totis pulmonibus et bronchis decertandum fuit cum asthmate e: sæpissime permolesta ischias utrique coxendici graviter incumbebat, non segnius interim costas vellicante pleuritide f. Stomachi, pericardii g, intestinorum dolores, sine lege, sine numero, frequentes convulsiones invehebant; istique morbi, qui prosternendo cuivis robustissimo sat erant singuli, plerumque bini, terni, quaterni simul, ex diversis oppositisque causis, in languidulam irruebant, mirantibus interdum medicis, ubinam in exsucco, arido, exhaustoque corpusculo tam diversi ardores incendium fomitemque reperirent. Virgo sat perite sentiebat, non tam a noxa vel intemperie humorum, quam a benevola Sponsi manu hæc sibi agonalia festa provenire.

omnis ferme generis, h

217 Febres tum ephimeras h, tum reliquas D contumaciores, ipsa assuetudo pene in jocum verterat, non item articulares illas manuum, pedumque fidiculas, quibus notissima (attamen pavenda) chiragræ, podagræ, arthritidis nomina insederunt. Hic morbus, quod vitæ minus putetur insidiari, pro quantitate miseriæ commiserationem, pro magnitudine doloris remedium nusquam invenit aut levamen; nec forte alius est, qui diuturnam infirmi patientiam aut citius abigat, aut voracius absumat. Hunc tamen Rosa et hospitio frequenti æquanimiter excepit, et cum invicta tolerantiæ virtute, pacifice uno communi lectulo conjacere fecit. Prodigiosum erat videre, tenerrimam Virginem ardentibus juncturis, tumentibus nodis, inflatis articulis, lancinantibus ex consensu musculis et ligaminibus, inter extremos dolorum laniatus decumbere quietam, serenam, placidam; nec gemitu ac levi suspirio cruciatus suos accusantem. Si rogabatur, qui valeret: nonnisi bene sibi esse respondebat; vel, comparatione suorum scelerum, permodicum esse, quod patiebatur. Aliis, de morbi atrocitate sciscitantibus, E aiebat, suave ac melleum esse, quidquid a manu tam dulcis Sponsi veniebat; aliis, de inferorum pœna cogitandum esse; hac una meditatione acutissimos quosque hujus temporis dolores obtundi. Sæpius conversa ad Sponsum: « Domine (inquit) auge, auge dolorem, dummodo augeas et amorem. »

quos vocabat cœlestes favores,

218 De his aliquando familiarius devotæ cuidam personæ collocuta, universam hanc morborum seriem inter pretiosos ac illustriores sibi a Deo collatos favores recensuit, subjecitque, nisi hos ipsamet experta fuisset, numquam persuadere sibi potuisse, unicum miserabile corpus tantorum ac tam multiplicium dolorum capax fore; neque putare se, ullum cujuscumque partis aut membri superesse cruciatum, quem ipsa non senserit; nihilominus semper e cælo sibi adfuisse præsidium et robur, quo universa imperturbate sustineret; numquam sibi obrepsisse impatientiæ motum, quo vel latum pilum discesserit a resignata conformitate ac amussi divinæ voluntatis. Proinde se sui pudere, quod tantis cæli beneficiis nondum, uti par erat, responderit: atque ex hoc capite, se creaturarum F omnium, quotquot per orbem vivunt, merito ingratissimam esse reputandam, ex quo nimirum viderat, eo se modo tractari a Domino, quo ipse nonnisi amicissimos suos tractare solet, nec tamen se pro dignitate redamare tam amabilem, et amantem Deum: et forsan hic ei sensus erat, quando cum doloribus una augeri amorem flagitabat.

quosque ex mira quadam visione præsciebat,

219 Huc plane referenda videtur celebris illa visio, quam inter diviniores Rosæ excessus tanti fecere graves mysticæ theologiæ professores. Eam hic, prout ipsamet Virgo paucis ante obitum diebus doctori Castillo ex fide pacta narravit, nudo simplicique adtexam filo. « Suspensa (inquit) in unitivo quietissimæ contemplationis lumine, vidi fulgorem admirabilis excellentiæ, decoris, ac majestatis, quem sine termino quaquaversus diffuderat omnipræsens ac subtilis immensitas. Hujus amœni fulgoris centrum insederat arcus multicolor, splendidus, ac multiplici luminum pictura gratiose variegatus, supraque istum alius extendebatur arcus, paris cum inferiori pulchritudinis, ac majestatis; et hunc in convexi me-

» ditullio

A. LEONARDO HANSEN.

A » ditullio conspicue exornabat gloriosa crux » nostri Salvatoris, purpurata, madida, locisque clavorum perforata, et Crucifixi titulo » triumphali insignita. Porro interiorem arcum » impleverat humanitas Domini mei Jesu Christi radiosa, clara, prælucida, tanto gloriæ » amictu circumdata, quantum in ea numquam » alias fueram conspicata; placuitque ipsius dulci bonitati, conferre mihi vires extraordinarias, ac mire vivaces, quibus acie irretorta » liberrime et prolixe intuerer magnificentissimum Regem meum in toto decore suo: non » enim, uti alias, ex obliquo, aut solo capite » ac pectore tenus, sed integrum, ac totum » cernebam a vertice ad plantas usque, et ex » directo facie ad faciem. »

sibi postea tolerandos esse,

220 Interrupit hic Virginem doctor, sciscitando, cujus coloris fuerint illi arcus? Respondit: multiplicis ac peregrini, adeo quod nulli prorsus colori in mundo isto visibili possit vel tenuissime aptari comparatio, nisi quod arcuum venustas omnium possibilium colorum varietatem ac gratiam in se collegisse videbatur B cum infinita quadam excellentia, et dignitate. Inde pergebat Rosa: « Persensi ex vicina Christi humanitate suaviter in animæ meæ fundum defluere inexplicabiles flammas et gloriæ » stricturas, adeo quod existimarim, a mundo » corruptibili me penitus jam solutam, et ad » perpetuæ fruitionis beata gaudia translatam esse. Post hæc, ille Speciosus forma præ filiis » hominum bilancem, et nescio quæ pondera » disposuit in propatulo: mox populosæ angelorum phalanges festivo ornatu, ac nitore illustres accessere, decora cum reverentia sese inclinantes Domino majestatis; accessere item » copioso numero felices animæ, similique adorationis ritu Salvatorem reveritæ, seorsim » constiterunt.

et uberioris gratiæ noverat præcursores,

221 » Angeli, correpta bilance ac ponderibus, » cœperunt onerare trutinam, afflictiones afflictionibus exaggerantes in cumulum, velut earum molestiam ad amussim exploraturi. At conantibus intercessit Christus, officiumque, » velut angelico sublimius arbitrio, sibimet » assumens, manibus propriis stateram levavit in » æquilibrio, et de cumulis impositis afflictiones distribuit præsentibus animabus, inter quas C » et mihi portionem seposuit gravissimæ adversitatis. Deinde ponderibus denuo impositis, cumulabantur ex adverso gratiæ super gratias; » cumque accedentes angeli pararent libram attollere, rursum intercessit Christus, velut » omnipotenti suo brachio dignam functionem » accuratius peracturus; et ad proportionem distributarum afflictionum, pretiosos illos gratiarum acervos inter præsentes animas attentissime divisit; neque me præteriit: siquidem » et mihi, ad pondus concessæ adversitatis, gazam inæstimabilem superfluentium gratiarum » admensus est. Notavi adstantes animas eodem » gratiæ thesauro tam distentas, et ad summum » usque refertas, ut ore et oculis exundaret arctata plenitudo. »

sicut ipsa paucis ante obitum diebus

222 His peractis, sonoram decentissime extulit vocem Salvator: « Noverint (inquit) universi, quod tribulationem subsequitur gratia; sciant, absque pondere afflictionum ad » gratiæ cumulos non perveniri: agnoscant, juxta ærumnarum incrementa augeri pariter charismatum mensuram. Nolint errare; unica » hæc, et vera est scala paridisi, nec præter » crucem alia superest, qua in cælum ascendatur. His auditis, (pergebat Rosa) invasit me » validissimus impetus, quem verbis effari nequeo, prosiliendi in medium fori, ut publice fortissimisque clamoribus vociferarer ad » omnem hominum ætatem, sexum, statum: » Audite populi, audite gentes universæ, ex » ore Christi vobis denuntio, non adquiri gratiam sine prævia afflictione, ærumnis supra » ærumnas concumulatis opus est, ut ad intimum » divinæ naturæ participium, ad gloriam filiorum Dei, ad perfectam animæ pulchritudinem pertingatur. Idem me stimulus urgebat » impetuosissime ad prædicandam divinæ gratiæ » venustatem; angebar, sudabam, anhelabam, » videbaturque anima corporeo carcere teneri » jam non posse, quin, eo relicto, sola agilior » erumperet, clamatura per mundum: O si nossent mortales, quid sit gratia, quam formosa, » nobilis, pretiosa, quantas in se complectatur » divitias, quas opes, jubilos, delicias, utique ambirent omnes affligi et pati, ultro postularent cuncti molestias, persecutiones, ægritudines, tormenta pro solo gratiæ opulentissimo E » lucro assequendo; hoc sanctæ patientiæ mercimonium est, et utile fœnus: nemo quereretur de cruce, si hanc tantorum thesaurorum » agnoscerent legitimam stateram. »

doctori Castillo explicuit.

223 Interpellavit doctor, cupiens explorare magis, sub quali specie aut figura Virgini apparuisset gratia? Prompte respondit Rosa, nil eam cum corporeis figuris habere commune, at longe minus cum colore, aut quavis creata pulchritudine; naturam ei omnino divinam esse, attamen bene se observasse, quod gratia res sit alia a Deo, tametsi Dei imaginem mirabiliter contineat, animamque constituat deiformem. Tandem interrogavit doctor, quo genere locutionis, intellectuali an vocali Christus verba superius recitata protulerit? Respondit Virgo, nescire se, quo illa nomine apud talium rerum peritos appelletur, modum tamen locutionis hunc fuisse, quod ab ore Christi promanabat clarus et purissimus sapientiæ conceptus, qui animæ fundum penetrans, significabat intus, quæcumque vellet intelligi. Hæc illustris visio, tempestive Rosam præparavit ad ultimos illos extremæ suæ paralysis *i* dolores, qui præmaturam ei mortem intulerunt. Proinde cum de felici Virginis transitu F agetur infra, opportunus de his redibit sermo: neque enim unico capitulo tota Rosæ patientia potuit explicari.

ANNOTATA.

a Malus Cydonia, *quam alii* cotoneam *cognominant, est arbor passim nota, de qua Plinius lib. 15 cap. 11 sic scribit:* His proxima amplitudine mala, quæ vocamus COTONEA et Græci CYDONIA; ex Creta insula advecta. *Nunc arbor illa in variis regionibus obvia est, et ab Hispanis* membrillo, *Gallis* coignier, *ab Italis* cotogno, *Germanis* quittenbaum, *ac Belgis denique* queenboom *appellatur. Porro adjectivum generis masculini, quod ab auctore vel typotheta huic malo perperam addebatur, in femininum commutavi.*

b Inquisitio *est tribunal in America, Lusitania, Hispania et aliis quibusdam regionibus usitatum, verosimiliter ab* inquirendo *dictum, quia administratores hujus sacri officii in hæreticos, hypocritas, aliosque sacrilegos inquirunt.*

c Angina

A. LEONARDO HANSEN.

c Angina *sic dicta, quod angat guttur viamque spiritui præcludat, est genus morbi acutissimi, quo fauces anguntur, ita ut ægre respiretur.*

d Cynanche, *(scribitur a Græcis* κυνάγχη *et interdum* συνάγχη *) differt ab angina in quibusdam circumstantiis, quas curiosus hujusmodi rerum lector apud Gorræum in Definitionibus medicis pag. 253 et sequente reperiet.*

e Asthma, *Græcis* ἄσθμα, *est obstructio pulmonis, frequentem et difficilem sine febre respirationem inducens, qualem hi habent, qui velociter cucurrerunt, ut Gorræus in Opere mox citato pag. 58 docet.*

f Pleuritis, *quam Plinius* lateris compunctionem *vocat, est inflammatio membranæ costas succingentis, quam Græci* πλευρὰν *appellant, cum febri acuta, dolore pungente, respirationis difficultate et tussi. Varias hujus morbi species vide pag. 378 apud Gorræum proxime citatum, si lubet.*

g Pericardion *est tunica crassa, dura, a cordis basi nata et ipsum undique ambiens, quam* B *propterea vulgus* capsulam cordis *appellat. Vox Græca* περικάρδιον *oritur ex præpositione* περὶ circum *et substantivo* καρδία, *quod* cor *significat.*

h *Per* febres ephimeras *vel potius* ephemeras *intelliguntur* diurnæ *vel quotidianæ, a radice* ἐπὶ per *et* ἡμέρα dies, *quasi per diem durans.*

i Paralysis *(a verbo Græco* παραλύω resolvo *vel* debilito*) est nervorum resolutio, cum nervi et corporis partes omnino sensus et motus expertes sunt. De variis ejus speciebus medici jam sæpe laudati ad hanc vocem consuli possunt.*

CAPUT XVII.

Ardens ejus amor erga Jesum sponsum suum.

Sancta tanto divini amoris igne flagrabat. *a*

Quanta in Rosæ pectore flagraret divini amoris Ætna *a*, placuit Deo interdum visibilibus signis palam facere, dum ex vultu orantis jussit splendores et flammulas scintillare. Nocte quadam Rosæ dormiendum fuit in uno conclavi C cum socia virgine; hæc circa gallicinium evigilans, vidit per tenebras frequentia micare lumina in cubiculo; mox pavide circumspiciens, advertit, non aliunde esse, quam a facie orantis in angulo Rosæ; hæc enim lectulo suo clam, ad fundendas preces, in pavimentum sese demiserat, et ubi maxime in obscuro se latere credebat, prodebatur lucidis igniculis, per os oculosque inter orandum evibratis, testante prodigio, quantum incendium fervebat intus. Hoc ipsum Rosæ insciæ pluries coram diversis accidisse, compertum est. Nec minus ejusdem ardoris indices ac favillæ erant, ignita illa suspiria, quibus, veluti flabellis, cor illud succensum et æstuans, simul difflabat calores suos, simul eosdem validius succendebat. Crebrum hoc ei in ore erat: « Domine, ecquis te non amaret? Ego vero, mi bone Jesu, quando te » digne amare incipiam? Heu me, quam procul disto a perfecta, intima, robustissima tui » dilectione! necdum scio congrue te amare. » Quis pudor! ad quid mihi cor istud, si nondum id pro tuo amore totum diffluit in cineres? » Nimirum propria hæc * est superno amori hydrops, ut solum id sitiat, quo magis D abundat.

** immo proprius hic*

ut hic foras erumperet.

225 Hoc affectu calescens Rosa, pro impetrando divino amore, ex ipsa divini amoris ignita pharetra nonnullas jaculatorias collegit, in formam precatiunculæ, quam lubet hic verbatim transcribere, quia cunctis ea placuit, multis usu profuit, amandique tum signis, tum stimulis scatet. Hic ei tenor est: « Domine mi » Jesu Christe, Deus et homo, vere conditor » et Redemptor noster, quod umquam te offenderim, equidem mente discrucior; quia es » qui es, et quia te amo super omnia. Mi vere » Deus, et Sponse animæ meæ, tota lætitia cordis mei: ego, ego amare te desidero, benignissime Jesu, amore illo perfectissimo, amore » efficacissimo, sincerissimo, ineffabili, intensissimo, incomparabili, incomprehensibili, irrefragabili, invictissimo, quo simul universi » cives empyrei te diligunt. Insuper concupisco » amare te, o Deus cordis ac vitæ meæ. Deus, » delicium meum, amare te velim, quantum » te amat sanctissima Mater tua, Domina mea, » Virgo purissima; quinimo te, o salus, o gau- E » dium animæ meæ, te, inquam, opto amare » quantum tu ipse, mi Deus, te amas. Concremer ego, deficiam ego, consumar ego igne » tui divini amoris, o mi benignissime Jesu. » Rudis ista rhetorica est in auribus seculi; at schola divini amoris hic suam agnoscit, reperitque phrasim.

in omni publica conversatione:

226 Noverat ingeniosa Virgo ceteras in se virtutes abscondere: sola charitas, quia flamma est, premi ac celari nequaquam poterat. Hinc Rosæ colloquia, salutationes, responsa, jugiter amoris divini mentione condiebantur. Si cum familiaribus, matronis, virginibus sermocinandum, prima Rosæ vox erat: « Amemus Deum nostrum, amemus. » Si de quacumque persona absente proferendum encomium, rem totam Rosa hoc absolvebat compendio: « Deum » fortiter ac serio amat. » Quotiescumque sacramentaliter confessura procubuerat ad confessarii pedes, munita crucis signaculo, erumpebat in hæc verba: « Dominus tecum, mi Pater. » Deus sit amor noster. O quis donet, ut eum » perfecte diligamus! Heu! qui eum non diligunt, bonitatem ignorant. » In omni conver- F satione unicum Rosæ oblectamentum erat ac solatium, de amore divino aut audire, aut loqui; inculcare supremam obligationem diligendi Numen, quod tantopere nos dilexit et diligit; varios distinguere titulos, modos, stimulos hujus dilectionis; denique omne aliud dissertationis argumentum, quantumvis diversissimum, comi dexteritate huc inflectere, ut amor et amabilitas Dei in thema reliquorum discursuum succederet, quo obtento, mirabile erat audire Virginem, alias taciturnam, verbis aptissimis, at vehementer ignitis, ratiocinantem de debito charitatis, de affabili bonitate Dei dignantis amari, de pulchritudine majestatis tam dignæ amari: tantum hic Rosæ non deerant vocabula emphatica *b*; *b* hic solum abundabat fluida ejus facundia, hic ei inardescebat spiritus, acuebatur vox, fulgurabant oculi, succendebantur præcordia, nemoque præsentium dubitare poterat, ex abundatia cordis os loqui.

dum autem se solam esse existimabat.

227 At vero cum sola erat in recessu tugurioli, aut cum putabat a nemine se observari, tenerius simul atque liberius prosa, versu, sermone,

A mone, cantu ructabat solemnissima quæque seraphici amoris axiomata. Quæstor Gundisalvus una cum uxore et liberis aliquando domi suæ clam auscultabat Rosam loco solitario divinos amores piis clamoribus fervidius celebrantem. Summa contentæ vociferationis hæc erat : Invitabat per ordinem singulos creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris, elementa, cælos, angelos, plantas, animalia compellabat, identidem replicando : « Amemus Deum, Deum » amemus, amor Deus, Deus amor. » Nec perfunctorie hæc dicebat ; duabus ac interdum tribus horis uno defixa loco cælumque respiciens, his vocibus immorabatur, eo calore et impetu, ut audientium corda ad amorem et compunctionem ignara commoverit.

liberius affectui suo indulgebat.

228 Subinde non inveniens modum, quo sibi inter hos fervores aut temperaret aut satisfaceret, citharam (quam pulsare numquam didicerat) arripiebat de proximo pariete forte pendulam, tactuque chordarum moderabatur impetum vocis, suaviter cantillando saucii querimonias amoris, ut omni ritu gestuque sese Dilecto B suo ostentaret amantem. Contigit aliquando, citharæ omnes deesse chordas, nihilominus Rosa citharizabat, intenta magis interius sonanti decachordo psalterio cum cantico. Videbatur, sub his innocentissimis symphoniæ conatibus, Rosa cum puello suo Amore repuerascere, et oblita omnium dolorum, indulgebat simplici teneritudini intimorum affectuum : bulliebat corde, et existimans, nullos e vicino sibi imminere arbitros, tantilla evaporatione ferventem spiritum solabatur. Accidit tamen, quod abrepta dulcore, intrantes et exeuntes domesticos non observarit. Unde pluries de cantantis ore auditi sunt versus isti, numeris Hispanicis illigati, quos utcumque latine reddiderim :

En, inter flores pulchrescis et inter olivas
Jesule ; nec molli spernis adesse Rosæ.

Lepores erant, quibus Virgo liberius adblandiebatur dignationi sui Dilecti, qui Rosam pauperem, utpote matre Oliva et patre de Floribus natam minime fastidierat, ex quo ab ea se tam tenere amari permiserat. Multa de similibus amantis Rosæ vaporariis, de anteroticis *c* ad sponsum aspiriis, et eclogis dicenda superessent, forte non indigna relatu ; sed properandum ad C solidiora.

Etiam vehementer ideo dolebat,

229 Vehementissimæ dilectionis comes et testis est zelus : nec hujus in se ardores Virgo celare poterat ; hinc tantopere urebatur, sicubi privatim, aut publice quidquam committeretur, quod Dei honorem vel in minimo violaret ; certe nec levissima dissimulabat. Imprimis otiosas in ecclesia fabulas (nobilitatis rusticum malum) adeo detestabatur, ut, quamquam timida, verborumque parcissima, continere se non posset, quin loquaces, ob loci reverentiam, debitæ urbanitatis admoneret, ea tamen moderatione, humilitate, prudentia, ut obsecrare potius, quam corripere videretur. Domi, quotquot de familia erant, cavebant, ne quas coram Virgine proferrent ineptias ; verebantur censorium Rosæ adhuc parvulæ supercilium ; noverant puellam, ad suas tam atroces et crebras injurias patientissimam, ea sola tolerare nequaquam posse, quibus vel tenuiter Deum offendi existimaret. Hic illi a prima pueritia sensus fuit ; nam ubi ceteræ proles, pro garrulo rudis ætatis genio, aut sordes loquebantur, quas nondum intelligebant, aut cantilenas amatorias aliunde forsan auditas innoxie repetebant, plorabat Rosa, fugiebat, puerile flagitium deferebat matri, querebatur offendi Deum, quodque alia ratione castigare satis non poterat, in se ipsa lachrymis amarissimis vindicabat.

A. LEONARDO HANSEN.

Deum peccatis offendi

230 Mendacia, quæ puerorum assiduis jocis et loquacitati abesse vix umquam solent, tam dire execrabatur, ut proprium suum apophthegma esset : « Nec pro cælo, nec pro terra mentien» dum, quia Deus veritas est. » Hinc, si quidpiam falsum etiam bona fide narrabatur aliis, pro accurato veritatis zelo, placidissime corrigebat referentem, interloquendo comiter, non sic, sed tali modo rem accidisse ; non istud, sed illud factum aut dictum fuisse. Accidit una circiter hora ante felicem Virginis ad meliora transitum, venire illuc religiosum quemdam sacerdotem, quem illa videre ante mortem desideraverat ; huic intranti una ex adstantibus feminis bona fide dixit : « Opportune venis, o Pater ; » jam enim Rosa vocari te jusserat. » Audiit moribunda, deque veritate scrupulosius solicita, attenuatum spiritum collegit in vocem : « Non » (inquit) erremus ; te quidem videre ante E » meum obitum desideravi, idque solum dixi, » nil ultra. » Nimirum tanta ei inerat cura veritatis, quia Deus est veritas. Lachrymas, quia unice ad Dei ærarium pertinere didicerat, non patiebatur alio a quoquam inutiliter profundi, cupiens has soli divinæ majestati in tributum ab omnibus reservari. Unde quadam occasione videns plorantem matrem, quasi divinæ quæsturæ correpta zelo, « Hem (inquit) o mater, quid » agis ? Gazam prodigis soli Numinis thesauro » inferendam ? Quin tu potius memineris pre» tiosum hunc liquorem deberi soli Deo in ab» lutionem nostrorum peccatorum. » Tanta Virgini zeloti cura fuit, ne quid vel honori vel tributo cælestis Sponsi decederet.

et maxime lætabatur ob conversionem cujusdam peccatricis,

231 Ejusdem amicissimi zeli genuina soboles erat immensum illud gaudium, quo vernabat Rosa, quotiescumque Dei honorem et obsequium insigni aliquo successu videbat promoveri. Limense emporium fama impleverat, quamdam mulierem Deo solemniter dicatam, fracto religionis vinculo, e Cantabria profugisse in Indias, ac sub virili habitu in civitate Guamanga *d* diu errabundam ; denique miro Dei beneficio rediisse ad cor, jamque in dicta civitate, F resumpto sacro schemate, sub religiosa clausura inter sanctimoniales degere. Hæc ut Rosæ innotuerunt, vidisses flammigerum ejus zelum tot succendi affectibus, quot rerum species in diversa sensum abripiebant. Doluit primum de sacrilega injuria, qua divinus honor facinore tam fœdo ac publico fuerat violatus ; at simul ei tripudiabat animus in victoria divinæ gratiæ : compatiebatur lapsæ peccatrici, simulque effuse lætabatur, in ea miram Domini bonitatem ac misericordiam publice ab omnibus celebrari ; huic festum diem agebat Rosa, non sic lætatura, si totius Americæ sceptrum sibi, imperiumque sorte vel dono obtigisset. Denique metuebat simul ac sperabat conversæ peccatricis constantiæ ac stabilitati : verum in solatii cumulum adfuit superna revelatio, qua Rosam Christus ipse securam reddidit de seria reductæ monialis pœnitudine, adjungens, eam non modo perseveraturam, sed insignem quoque sanctimoniæ gradum adepturam.

232 Nil erat, quod satiaret Rosam, amores suos Sponso testificari cupientem, unde jugiter

A. Leonardo Hansen. febrique concionatoris in se translata.

giter apud confessarios lamentabatur, ingratam se esse tam suavi Numinis in se bonitati, nescire se modum apte colendi tam excelsam amicitiam; dumque agebat omnia, nihil se egisse querebatur. Accidit, unum ex suis confessariis graviter infirmari, ac tempore quidem valde importuno; siquidem instabat propinquus dies, quo illi habendus erat solemnis ad populum sermo. Misit igitur, qui Rosæ nuntiarent, improvisa ægritudine se obrui, nec vires sibi futuras ad prædicandum; dolere se ob notabilem defectum, qui festivitatem ex parte obscuraturus erat; maxime cum ingens illustrium personarum multitudo ad concionem (de qua fructus eximii sperabantur) fuisset invitata. Rosa tristi nuntio exterrita, post brevem deliberationem respondit : « De Dei honore et » obsequio hic agitur. Eia itote, dicite infirmo, » certissime ipsum statuta die prædicaturum; » tempestive aderunt vires, ut possit, tametsi » non sine conditione alteri onerosa. » Conditio autem hæc erat, quod Rosa interea sui confessarii febres in se reciperet, prout olim sanctæ Catharinæ Senensi contigit. Nec dubitavit Virgo pacisci cum Deo sub tali onere : malebat enim alienis febribus torreri per omnes medullas, quam quod ex concionis defectu gloria Dei in mutila festivitate detrimentum pateretur. Evenit, uti Virgo prædixerat : paucis ante concionem horis prædicator convaluit, officioque præclare functus est. Interea Rosam torquebat febris non sua. Nec tamen sermone abesse voluit, quia febrilem æstum facile superabat exæstuans divinæ gloriæ zelus.

spirituales vestes Christo nascituro præparabat.

233 Inquietissima vis amoris nihil non comminiscebatur, quo serviret unice dilecto. Compererat, Dictante historia, sanctam Catharinam Senensem aliquando latenti sub forma pauperis Christo dedisse vestem; excogitavit ergo et amans Rosa, methodum ac rationem, qua Christum indumento, spiritualibus laciniis operose contexto, devotissime amiciret. Nusquam is sibi occurrebat pauperior, quam ubi in Bethlehem nascebatur parvulus, nudus, cum inopi Matre extorris diversorio, algens in stabulo, panniculis obvolutus in vili præsepio. Huc igitur artes artusque omnes intendebat Rosa, ut piorum operum singulari ac pretiosa consutura dignas Amori infantulo vestes præpararet. Lubet hic simplicius ex ipsis Rosæ pugillaribus recitare formulam, qua sibimet Virgo hoc opus præfineibat; at ne labente memoria quidquam præteriret, hoc ordine singula notarat in pagella : « Jesus. » Anno MDCXVI, favente et auxiliante Jesu » Christo, suaque benedicta Matre, incipio » parare vestimentum dulcissimo meo Jesu nascituro, tremulo, nudo, egeno in Bethlehem. Indusiolum sunto 50 Litaniæ, 900 » Rosaria, 5 dies inediæ in reverentiam SS. Incarnationis. Panniculi constanto 9 stationibus » ad SS. Eucharistiam, novem trientibus psalterii rosariani, et 9 diebus jejunis, pro numero mensium, quos in utero purissimæ Matris exegit. Stragulis, 5 dies esuriales, 5 » stationes, totidemque integra rosaria impenduntor pro honore sui Natalis. Fasciam præbento quinque coronæ Domini, 5 dies inediæ, todidem stationes in reverentiam suæ » circumcisionis. Fimbrias ac limbos tam straguli, » quam fasciolarum ambiunto 33 sacræ Communiones, 33 interventus Missarum, 33 » horæ mentalis orationis, 33 Orationes dominicæ, angelicæque Salutationes; totidem » vicibus recitatio Symboli Apostolorum, cum » Gloria Patri, et antiphona Salve Regina; » item 33 trientes rosarii Mariani, 33 dies » jejuniorum, et tria millia verberum, in » venerationem suæ ætatis, quam vixit in terris. Denique pro crepundiis, puerulo offeram » meas lachrymas, suspiria, actus amoris, » cumque his animam et cor meum, ut nihil » mihi remaneat, quia convenit nihil me possidere. » Constat, ex devotæ Rosæ mystica officina pluries hoc vestimentorum genus prodiisse : nam subinde amicissimis personis eadem liberali dono cedebat offerenda, applicanda, circumponenda Jesulo nudo, amori suo. Et quid non egit, ut is ab omnibus diligeretur? Placuit hic Rosæ ardor Salvatori, tamtamque propagandi sui amoris sollicitudinem ingenti miraculo obsignavit Deus, quod capite sequenti seorsim narrandum sepono.

ANNOTATA.

a Ætna *mons ignivomus Siciliæ, cujus nomen hic metaphorice ac hyperbolice flagranti* S. Rosæ *cordi tribuitur.*

b Per vocabula emphatica *intelliguntur verba valde significantia vel efficaciter expressiva, quemadmodum colligimus ex figura rhetorica, quæ Græce dicitur* ἔμφασις, *et est expressio cum energia, quando verbis subest tacita significantia, quæ pronuntiatione vel gestibus indicatur.*

c Anteroticis, *id est, quasi* redamatoriis, *a verbo composito* ἀντεράω *vel* ἀντερῶ, *quod significat* redamo *vel* vicissim amo.

d Guamanga *est episcopalis civitas Americæ meridionalis inter Limam ad occasum et Cuscum ad ortum sita, et nonaginta leucis utrimque distans. Joannes Latius lib. 10 Indiæ occidentalis cap. 28 et 29 pluribus hanc urbem describit, et circa distantiam ejus a Lima et Cusco nonnihil aliter disserit.*

CAPUT XVIII.

Manifestum sudantis imaginis miraculum precibus ipsius impetratum, ut homines ad amorem Christi excitarentur.

Rosa in oratorio hospitii sui

In domestico Gundisalvi quæstoris oratorio inter alias sacras imagines, tum venustate, tum reverentia celebris eminebat illa, quæ virilem Christi vultum scitissimis coloribus ac lineamentis exprimebat in tela. Huic Rosa peculiari devotione erat addictissima, hanc effigiem (quotiescumque diducto velo prostabat in altari) fixis obtutibus, avidissimis oculis hauriebat, ac fere sorbebat intentissima contemplatione; nimirum sentiens cor suum concalescere, dum illius aspectui inhærebat. Anno igitur MDCXVII, die XV Aprilis (qui Sabbatum erat) ad vesperam, circa pulsum angelicæ Salutationis, Rosa cum uxore Gundisalvi et filiabus in prædicto oratorio de more insistebant orationi; detecta erat venerabilis illa Salvatoris effigies, cui ad utrumque latus binæ ardebant candelæ in altari, ac tertia procul inde lucebat seorsim in mensula.

Hic

A. Hic Virgo ultra solitum cœpit vehementius succuti amoris stimulis, ut nec voci temperare jam posset, quin erecta in pedes, fervidissime ac sonore affaretur sacram imaginem, quasi sola in oratorio fuisset.

ferventer orans coram picta Christi imagine.

235 Summa vaporantis alloquii hæc erat: « Domine, o quando te omnes diligent, prout » diligi mereris? Quousque patieris hominum » peccatis te irritari, atque irreverenter haberi? » O quis det, ut cuncti agnoscant, quanti » quantoque amore dignus sis, ut capiant, non » pœnarum servili formidine, non mera spe » mercenaria præmiorum, sed propter te aman- » dum te esse? Eia fac Domine, fac te ama- » ri, ut decet, excute pharetram, vibra qua- » quaversum ignita purissima tui amoris jacula, » erumpant ubique luculenta cordium incendia. » Tibi, tibi famulentur universi; tibi sese » enervet omne pectus piæ violentia charitatis; » tibi omnium affectuum sudent balsama, tibi » (inquam) tibi, amabilissime Jesu, qui tanto » humani generis amore bullis et æstuas. » Inter has similesque voces, quæstoris uxor clam ex oratorio in vicinum atrium se proripuit cum fi- B liabus, ne forte loquenti Virgini instreperent, aut liberiores hos impetus respectu importunæ præsentiæ impedirent.

precibus ex ea elicit sudorem,

236 Una tamen filiarum, non abnuente matre, irrepsit, quasi candelas emunctorio in altari purgatura: statimque velut subitaneo pavore Rosam interpellans; « Quid video? inquit; » En vultum Salvatoris totum sudor operuit. » Audivit hæc foris mater; et confestim ingressa, vidit copiosas sudoris guttulas, instar minutissimorum unionum, tota sacratissimæ imaginis facie conspicuas lucere ac prominere: subnascebantur aliæ aliis, et mutuo attritu resolvebantur in fluxum, diversisque lineis per pictos capillos, et barbam stillatim decurrebant. Attonita spectaculo, nec ausa propius accedere, misit qui maritum domo forte absentem citissime advocaret; is enim secretarium Joannem de Tineo, tunc e portu Callaoensi *a* Limam reversum, negotiorum causa convenerat. Venerunt ambo, ignari quid rerum ageretur; vixque oratorium ingressi, ubi uxor cum Joanne de Benavides et Petro Chiandro familiaribus taciti expectabant, C viderunt, non sine ictu pietatis, effigiem undequaque velut roris antelucani guttulis confertim madidam et obductam; jamque stillæ ad ipsum usque marginem ligneum, qui picturam includebat, defluxerant, ac novæ identidem guttæ a fronte, maxillis, oculis succrescebant.

quem multi testes oculati

237 Obest miraculorum fidei præceps credulitas, prodest circumspecta dubitatio, ut severitate examinis, ceu politutæ defrictu simul exploretur soliditas, et clarescat veritas. Ita hic evenit: nam Gundisalvus imprimis Angelinum Medorium Romanum, qui imaginem pinxerat, in ædes suas advocavit, ut sudoris originem, si forte a natura colorum esset, investigaret. Adfuit pictor, limpidissimi humoris claritatem miratus, digito guttas aliquot delibavit, fricuit, naribus admovit; cumque nihil aut olidum aut oleaceum posset deprehendere, lustratis diligenter omnibus, edixit, supernaturale sibi omnino videri, quod in imagine gerebatur; coloris, odoris, tactus, aliarumque circumstantiarum experimenta neutiquam fallere, naturæ artisque industrias tali prodigio longe abesse.

238 His minime contentus quæstor fidum hominem Andream Lopes ablegat, jubetque e vicino Societatis Jesu collegio accersiri nominatim Patres Didacum Martinez, et Didacum de Penalosa; sic tamen ut neutri, ad quid ea hora vocarentur, indicaret. Venit P. Penalosa cum socio Francisco Lopez coadjutore; nam impeditus erat P. Martinez, et tertia noctis hora imminebat. Intravit uterque, ac brevi oratione præmissa, ad altare propior accessit, sudantem adhuc vultum diu, attenteque contemplatus, demum petito gossipio leviter humorem abstersit. Verum, quo plus detergebatur, plus novi sudoris erumpebat: rursus ergo Penalosa gossipium, qua siccum erat, applicuit; rursum guttulis guttæ, rivis rivuli successere. Dehinc chartam adhibuit, visurus, an forte ex coloribus oleo temperatis, unctuosa aliqua pinguedo humori inesset: commaduit charta, sed paulo post siccabatur: unde pure aqueum esse collegit. Quatuor continuis horis et ultra duravit pium ostentum, cunctis per gyrum admirantibus, quod nullo colorum aut venustatis detrimento, vultus ille sacerrimus, post sudores pulchrior, vividiorque solito appareret. Nec adeo evanuit hic sudor, quin sub barba, usque ad oram marginis, vestigia reliquerit, multis post annis et E lustris palam conspicua. Supererat publicæ authoritatis legale examen et disquisitio, ut evidentius innotesceret miraculi certitudo. Itaque Limanus archiepiscopus D. Bartholomæus Lobo Guerrero *b*, capiendis legitimis informationibus *b* judicem constituit doctorem Joannem de la Rocca, parochum et archidiaconum metropolitanum, qui coram notario Jacobo Blanca presbytero, auditis omnium (qui spectaculo interfuerant) unisonis testimoniis, rei gestæ seriem ex ordine totam excepit, ac tabellioni rite in protocollum referendam commisit.

A. Leonardo Hansen. severe examinarunt.

Hoc prodigio territam familiam metu liberat,

239 Interea Gundisalvum, uxorem, familiam gravissimus invasit timor, ne forte ob aliquod suum, aut domesticorum occultum scelus, hoc in suis ædibus portentum accidisset, aut impendentem aliquam divinæ ultionis cladem miseris comminaretur. Verum his facile Rosa, totius arcani probe conscia, occurrit, voce tranquilla et placida jubens, ne timerent: nihil terrificum, nil sinistrum, horridumve portendi; totum hoc, quidquid fuerat miraculi, eo dumtaxat spectare ac tendere, ut Salvator, quam F enixe cupiat amari ab omnibus, ipsomet sudorifero vultu, æstuque præter ordinem luculento manifestaret; proscenium istud solius fuisse divini Amoris, reciprocos hominum amores invitantis; non unico ore, sed poris omnibus clamasse in imagine Redemptorem: « Redamate » amantem vos. » Quis enim perciperet laxari in hunc clamorem poros, nisi cum sudant? Nondum Rosa loqui desierat, cum Gundisalvi uxori in memoriam recurrerunt ignita alloquia, quibus Virgo imaginem affata fuerat ante sudorem; conferebat anteriora postremis, et mire invicem consonare deprehendit. Nec minus aperte, quotquot sudoris spectaculo coram fruiti erant, fatebantur, se sub illius intuitu novos, acutos, insolitos sensisse divini amoris stimulos, idque erat, quod Virgo tam ardenter et anxie flagitarat. Non satiantur sic amantes orare jugiter: « Flammescat igne charitas, accendat ardor pro- » ximos. »

suumque brachium læsum eo sudore liniri jubens,

240 Neque hic stetit miraculum, quin partu novi miraculi et suam certitudinem assereret, et Rosæ brachium fidemque liberaret. Paucis ante diebus (nempe feria secunda Paschatis) Rosa, lapsu

A. LEONARDO HANSEN.

lapsu fortuito terræ allisa, brachium graviter offenderat; chirurgi, tumidis ac liventibus indiciis territi, judicarunt, aut Virginem deinceps mancam ea parte remansuram, aut saltem curationis laborem admodum prolixum incertumque fore, periculum longe minus fuisse intercessurum, si ossa in partes diffracta crepuissent. Rosa patiendi assuetudine ac desiderio fortis, hæc quasi de alieno brachio dicta tranquille excipiebat : nihilominus die quadam familiariter cum Gundisalvi uxore de prodigio sudantis imaginis conferens, repente se sensit exciri ad fiduciam recuperandæ sanitatis, modo gossipium, quod prodigioso imaginis sudore madueral, contusis brachii sui nervis ac musculis applicaretur. Quæstoris uxor, quasi de Virginis ore verbum rapiens, confestim gossipium attulit, fascias solvi, floccos imponi jubet. Cunctabatur Virgo, metuens, præpropere sibi dolores eripi, quos pro Sponsi amore diutius tolerare optabat; causabatur se citra confessarii permissionem nil præsumpturam. Ne tamen oblatam remedii gratiam videretur aspernari, continuo ipsamet confessarium adiit in æde S. Dominici : candore, quo B solebat, rem exposuit, nutum expectavit. Confessarius nil differendum esse edixit, iret, properaret, gossipium apponeret, seseque divino favori submitterret. Factum, ut ille imperaverat.

statim Sancta sanatur,

241 Meridiei punctus erat, quando D. Maria Usategui propriis manibus, Rosæ domum reduci brachium nudavit, gossipium circumduxit, alligaturam reposuit. Mox Virgo in oratorium se proripuit, ac inde post duas circiter horas egressa brachium undequaque sanum et flexile ostentavit. Gavisa domina, de modo ac mora curationis inquisivit; cui Rosa : « Vix (inquit) » in oratorio ad preces coram sacra imagine me » composueram, quando attractu prævalido sen» si, redire ad sua loca distortos nervos, detu» mescere pulpos * c, distringi musculos, nec » tamen prodire statim volui, donec cælesti » medico grates ex debito persolvissem : in his » nonnihil me distinui : tolle jam gossipium, » tolle fascias, quia in tuto sunt omnia. » Beneficium tam repentinum totas ædes excitavit in securæ gratulationis lætitiam; mirabantur omnes, et præcipue chirurgi, qui pridie metuerant C oleum et operam perdi; siquidem intractabile viderant brachium, et in omnem medelam contumax, ut non vererentur tamquam de incurabili ambigue mussitare.

c
* *forte* pulpas

et hospiti timenti, ne ideo imago transferatur,

242 Exinde gravior tempestas formidinis Gundisalvo incubuit, sed novo Rosæ solatio mox dissipanda. Serpebat incertus per urbem rumusculus, sacram imaginem de privato oratorio auferendam iri, velut publico ac celebriori loco dignissimam. Torquebat hæc fama quæstorem, consortem, filias; quod ægerrime paterentur domesticum hunc thesaurum quotidiano suo ac suorum conspectui, devotioni, gaudio subduci : præsertim, quia pluries a Rosa didicerant, gratiosam hanc Salvatoris effigiem toti domui salutarem esse; in ea divinam misericordiam secretius operari sua magnalia; frequenter ab illa benedictionem supernæ dulcedinis emanare. Sed animosa Virgo, ut comperit anxium Gundisalvum hac formidine cruciari; « Ne quidquam » dubites, ait, mi pater » (nam ipsum et uxorem parentum nomine honorare consueverat) » ne, inquam, timueris : non enim hujusce» modi ostenta nobis indulsit benignus iste Sal» vator, tamquam propediem his ædibus abitu» rus; nobiscum ille habitare dignabitur, certus D » esto. Quod si ob gratiam nuperrimi miraculi » pictura illa hinc auferenda est, totum simul » oratorium cum reliquis ejusdem sanctis iconi» bus auferant necesse est, quia pleræque miris » in nos beneficiis certant, scatentque arcanis » prodigiis. »

affirmat e prædicit, illam in domo ejus mansuram.

243 Ita esse pridem conjecerant ex affectu, devotione, reverentia; quam peculiariter modo huic, modo illi ibidem imagini, Rosa impendebat, velut inde favoris divini copiosior eam aura afflasset. Prostabat in altari oratorii imago Jesu parvuli, venustis coloribus adumbrata : in hanc Virgo sæpissime jaciebat ardentes oculos; huic mittebat crebra ex imo pectore suspiria; hanc deperibat; nec toto cautissimæ suæ modestiæ velo sufficiebat intimos erga illam fervores abscondere. Observat hæc tacite Maria de Usategui, prudentique solertia demum a Virgine per ambages elicuit, quid rerum illic lateret. Fatebatur ingenua Rosa, ad omnem illius picturæ intuitum novo se perfundi calore et gaudio, subsultare præcordia, inflammari spiritum, eo quod divinus ille Puerulus videbatur sibi E nunc blando arrisu salutem dicere, nunc suavi radiorum effluxu animam transfigere, aliquando etiam curta brachiola foras protendere, velut in amplexum Rosæ jamjam ultro procursurus. Hæc narrans inardescebat, nec cohibere se poterat, quin fortius vocem attolleret in parænesim : « Eia » (inquiebat) o mater, æstimato hunc cæle» stem parvulum; famulare huic Domino, co» le, venerare, ama hunc Regem gloriæ, qui » sine intermissione ex pusilla icone, tam gran» dia in nos dona congerit, paratus majora et » plura effundere, modo velimus capere. » Redibat inde protinus ad eam, de qua supra, virilem Servatoris nostri effigiem; asserebat, hac se medullitus instaurari ac refici, nonnullosque in anima et corpore effectus experiri simillimos iis, quos in sumptione SS. Eucharistiæ percipiebat. Denique ingemiscebat querula, tam raros et paucos esse, qui Dominum tam suavem toto ac puro affectu redamarent; hunc sibi dolorem videri prorsus intolerabilem; optabat sibi obtigisse sexum, facundiam, vires, quibus universo terrarum orbi solum Jesu Christi amorem persuaderet; nempe idipsum olim seraphica sua mater ac magistra optaverat, et tandem F inter hos ardores increpabat seipsam, quod non arderet satis.

ANNOTATA.

a Callao *est famosus Americæ portus, qui duabus leucis ab urbe Limana distat, et quem Latius mox citatus lib. 10 ejusdem Operis cap. 23 distincte describit.*

b *Hic in metropolitanam Limensis urbis cathedram S. Thuribio successit, et sacras* S. Rosæ *reliquias solenniter ad honorificentiorem locum transferri permisit, ut infra videbimus.*

c *Cum nusquam hoc nomen in masculino genere invenerim, propter oscitantiam typothetæ dubito, an non potius* pulpas, *quam* pulpos *hic sit legendum : nam* pulpa *est pars carnosa in animali, quam medici* musculum, *Græci* μῦς *ob similitudinem, quam cum mure excoriato habet, ut Gorræus in opere jam sæpius citato pag. 307 tradit.*

CAP.

A

CAPUT XIX.

Tener ejus affectus erga duas Deiparæ imagines.

Supradictis pene gemella sunt, quæ hic narrabimus; at prælibanda sunt ex multis paucula de singulari prærogativa celeberrimæ hujus imaginis, quæ inde ab introductæ Christianæ fidei primis initiis prima toti Peruano regno per publica beneficia innotuit, et privatim Rosæ nostræ tam eximie chara fuit atque propitia. Statua est ex ignoto ligno, ad humanæ staturæ proceritatem, affabre sculpta in formosam effigiem magnæ Deiparæ, parvulum Jesum gestantis in ulna, manuque altera mundo Rosarium suum porrigentis. Hanc Christiani conquirendarum Indiarum auspicem ex Hispaniis secum advectam, inter prima Limanæ urbis molimina, primo ibidem veræ religionis templo (qui a sanctissimo Rosario coævum nomen est) solemni ritu collocarunt, adstructo Fratrum Prædicatorum insigni cœnobio. Prosperrimum id propagandæ illic fidei nomen et exordium fuit: nam simul in hoc templo, quod unicum tunc extabat, sub tutelari præsidio divæ Virginis, ad titulum S. Rosarii, constituta fuit parochia: hic primus instructis catechumenis patuit fons lustralis, quo infideles ad veri Numinis cultum adducti, cœpere per sacri baptismi januam intromitti ad caulam ovium Christi; hinc demum ad alias, quæ paulatim fundabantur, sacras ædes tota Sacramentorum administratio promanavit, ac velut ex uno augustissimæ cælorum Reginæ parthenico roseto, ver nascentis fidei in omnem circuitum floride se diffudit *a*.

Erat Limæ inclyta statua Deiparæ

B

a

245 Anno MDLIII juxta Caxaguanam *b* in Cusco ac finitimis provinciis, gentilium Indorum plusquam ducenta millia sub signis erant, ut Catholicum exercitum, sexcentis non amplius capitibus numerosum, proculcarent potius, quam profligarent. Aderant Christianæ phalangi aliquot religiosi ex Prædicatorum Ordine, ac implorata in opem Regina sanctissimi Rosarii, dum utrimque concurrunt acies, visa est utrimque in aere conspicua diva Virgo sub suæ Limensis imaginis notissimo agalmate *c*, virgam distringens in hostes, ac, ni cederent, internecionem comminitans. Perculsi superno spectaculo idololatræ, pacem armorum experimento prætulerunt, et obstinatione una cum ferro excussa, certatim jugo fidei cum gaudio succollarunt. Exinde crevit sacræ imagini popularis veneratio, cumque fama tanta miraculi, regnum ac universam regionem pervasit mirifica salutiferæ devotionis propago.

b

quæ quondam in aere apparens, Indos terruerat,

C

c

246 Demum anno MDCXLIII sexto Idus Maii, rex Catholicus regnum suum Peruanum cælesti Virginis matris præsidio firmius contra impendentia pericula communiri exoptans, mandavit, hanc ab universis incolis, publico ritu, eligi Protectricem; simulque ad aliquam hujus sacram imaginem (quæcumque illa esset toti regioni celebrior, ac de fama beneficiorum illustrior) publici refugii perennem tesseram communi voto collectam firmissime stabiliri. Factum est: cum archiepiscopo prorex, et uterque, tum ecclesiasticus, tum secularis regni senatus, inito consilio, collatisque suffragiis, Limanam D. Virginis sanctissimo Rosario præstantis imaginem elegerunt, et quotannis feria secunda post Dominicam, QUASI MODO GENITI *d*, instituta publica supplicatione (cui tum ipsi, tum singulorum Ordinum Regulares, et universa tribunalium dicasteria *e* interveniunt) camdem in suo apud FF. Prædicatores sacello invisunt. Eadem, ubi festiva processione effertur in publicum (quod annue fit in die octava SS. Rosarii mense Octobri) a dispositis per forum chiliadibus crebra scloporum displosione salutatur, fulgente in singularum cohortium explicitis vexillis nomine, tessera, figura imaginis Rosarianæ. Nec reliquum anni tempus vacuum est a perpetuo concursu, præsertim quoties aut terræmotus, aut epidemiæ *f* contagium, aliave, seu publica seu privata necessitas admonet cives præsentanei sui asyli. Hæc obiter de Rosea imagine, nunc ad Rosam.

et quæ regni Peruani protectrix electa

A. LEONARDO HANSEN.

d

e

f

247 A teneris hic Rosæ (quamquam nil minus quam ferreæ) magnes fuit ac siderites *g*; adeo hæc sacra imago trahebat, adeo firmabat virgunculam. Nonnulla attigimus supra; succedant alia. Quando in isto Rosarii sacello Rosa coram Virgineo hoc simulacro Dominicani Ordinis habitum suscepit, adfuit publicæ functioni plorans mater, viditque filiam, blando favore Deiparæ elevari in cælum, unde perfusa gaudio facile compescuit lachrymas, cœpitque tacito applausu felici puellæ gratulari. Sublime augurium et observatu dignum; nam quæ tanto suffragio dignabatur novitiam suam excelsa supra sidera, hic operabatur ut felix cæli porta. Quoties Rosa sibi aut aliis grande aliquod ac peculiare e cælo subsidium postulare constituisset, supplex ad aram sanctissimi Rosarii procumbebat in preces, illic vultum charæ imaginis speculabatur attentissima, et non sine ingenti fiducia post teneros affatus, ab illius faciei pendebat oraculo. Sæpe quæstoris uxor notavit, Rosam a sacello reducem aliquid novi solatii ipso premendi conatu prodere: plerumque enim bulliebat lætitiæ fervor, ut familiarem et pie curiosam observatricem latere indicia, aut fallere ex toto non possent; quare domestico necessitudinis jure audebat verecundam ultro compellare dicendo: « Hodie, o Rosa, ut video, rursum pluerunt » favores. » Cui modesta Virgo levi subrisu aiebat: « Continuo affabilis illa cæli Regina favori» bus cumulat miserrimam hanc peccatricem. » Memor deinde, eamdem Gundisalvi uxorem assedisse examini, de quo supra cap. XIV, atque ex eo plura et potiora rescivisse de arcanis suis cum hac imagine commerciis, visionibus, alloquiis, paulo fidentius deinceps huic matronæ fassa est magnam eorum partem, quæ examinatori suo pridem aperuerat eo candore, quo debebat.

multis beneficiis S. Rosam cumulavit.

g

E

F

248 Inter alia de modo, quo Deiparam in hac imagine sibi loquentem percipiebat, interrogata, simplicissime respondit, mirabile hoc genus allocutionis sine idiomate, sonitu, motuque labiorum pure sympatheticum *h* esse, ac solum iconis vultum varia serenissimæ frontis eradiatione, velut quibusdam notis ac nutibus, tam apposite, dextre, et perspicue exprimere sensa et affectus pro re nata, ut nulla exquisitissimorum verborum facundia melius præstare id possit: eamdem vultui divini Filioli vim inesse; utrimque velut in vivo ac animato libro se responsa distincte legere multo significantius, quam si mutis characteribus descripta vel picta decerneret; his

ut ipsa ingenue fatebatur.

h

his velut fiduciariis intimorum conceptuum indicibus excitari in anima sua quamdam attentionem luminosam, qua sine discursu penetret limpideque percipiat singula; denique in utriusque figuræ labiis, genis, oculis quoddam velut arcanæ affabilitatis horologium inesse, signorumque congruam diversitatem nulla linguarum peritia explicabilem, humana tamen locutione longe certiorem. Fama erat, Rosam impetrare omnia, quæcumque apud sacram imaginem ab augustissima Rosarii Regina serio flagitaret. Hinc, sæpe rogata, ut hoc illudve peteret, si videretur reipublicæ, aut cujusquam privatæ salutis esse, curam in se haud gravate recipiebat : deinde a sacra imagine rediens bonos successus tanta securitate pollicebatur, quasi concessæ gratiæ diploma recepisset.

Sancta supplex coram hac imagine discordiam,

249 Accidit permissu Dei, quod invidus sathan cuidam regulari communitati Limæ inseverat discordiarum zizania. Excrescebat infelix lolium, quodque initio nonnisi opinionum prælium fuerat, ipsa repugnandi dulcedine paulatim degenerabat in amarulentiam voluntatum,
B non sine scissura pacis et offensa Numinis, cui extra fines pacis habitare non lubet. Innotuit Virginis confessario gliscens malum, isque Rosæ injunxit, SS. Rosarii sacellum adiret, ibique coram Deiparæ imagine periclitantis illius congregationis necessitatem Matri misericordiæ fusis precibus commendaret, nec curam dimitteret quoadusque gratiam et succursum impetrasset. Paruit Virgo, ad obsequia charitatis mire proclivis, sacellum adiit, preces fudit, sed mœsta præter consuetudinem, animoque saucia domum rediit. Postridie reversa ad pedes sacræ imaginis diutius procubuit, ferventius oravit, lachrymas addidit, prolixæque moræ æquanimi patientia favorem expectavit a solo Deiparæ vultu pendula, nec surrectura de loco, donec exauditam se intelligeret. Tandem repentina hilaritate perfusa, in pedes se erexit, et gratiis Virgini matri devotissime persolutis læta domum properavit. Quæstoris uxor utraque vice frontem Virginis domum redeuntis tacite observarat, ac diversitatem mirata, quid novæ rei gereretur, interrogavit. Huic Virgo succincte, quantum oportuit eam scire, respondit.

C

in Religioso cœtu exortam, precibus dissipavit

250 Verum paulo post a confessario solicitius examinata, nec ausa quidquam reticere, totam ingenue seriem exposuit, ut pridie inter simplices preces utrumque tum Deiparæ, tum Filioli vultum invenerat non modo chalybis instar prædurum, asperum, inexorabilem, sed et severe minacem, austerum, ac manifesta indignatione caperatum : ut frustra conata fuerat Filium emollire per Matrem ; ut tristissima domum redierat post insolitam hanc repulsam : deinde, ut postridie multis demum lachrymis Dei Matrem flexerat ad intercessionem, negante Filio placari se posse illi cœtui tam obstinate discordi ; ut tremuerat afflictum cor suum, percipiendo alternos Matris Filiique affatus, quibus illa gratiam, hic justitiam ac pœnas urgebat ; ut denique Matris suavissimæ prævalidis gemitibus cesserat exarmata ira Filii ; ut iste jam placatior, benigno arrisu Matrem, deinde et Rosam indulgentissime respexerit : exinde gratiam in tuto jam esse, ne dubitaret confessarius ; brevi effectum manibus contrectandum. Ita evenit : nam paulo post mirabiliter coaluerunt divisi animi, evanuit pomum discordiæ, dissiliit sathanæ cuneus, qui fissuras diduxerat. Notent, quicumque religiosis com-

munitatibus divisionis machinas invergunt, quam D
abominabilem Deo, quam gratam cacodæmoni, quam perniciosam proximis operam præstent. Sed ad alia.

ab alia picta et domestica Deiparæ effigie

251 Non abs re fuerit paucis subnectere, quæ Rosæ cum alia Deiparentis, imagine non sculpta sed picta, in Gundisalvi oratorio contigerunt. Repræsentabatur coloribus in tela Genitrix Virgo, dormientem parvulum Jesum complexa sinu. Rosæ videbantur in hac imagine omnia spirare, ac vivere, sæpiusque fatebatur, hanc apud se peculiariter magno in pretio esse, quod inde suavissimis interdum solatiis fuerat delibuta ; Jesuli somnum, et Mariæ vigilias ignem suis medullis injicere, ut nec parvuli mansuetissimum soporem audeat interrumpere, nec tamen vigilem Matrem possit sine canoro succensi cordis alloquio prætereire ; at sub hoc affectuum duello animam suam liquefieri ex arcano Dilecti alloquio, quasi dicat : « Ego dormio, et cor » meum vigilat. »

etiam varios favores obtinuit

252 Accidit, quod in oratorio Maria de Usategui, coram Rosa et duobus familiaribus instituta de beneficiis beatissimæ Virginis spirituali E
collatione, incideret in magnalia, quæ ad imaginem Deiparæ in Atocha *i*, vico Matritensibus vicino, manus superna dignatur operari ; i
Rosa in præsentem imaginem defixis oculis avide, quæ dicebantur, ouscultabat : sed cum matrona sensim ad alia diverteret, insolita verborum emphasi interpellavit Rosa ; « Perge, (inquiens) » o mater, perge de hoc argumento plura, » quæ nosti, disserere. » Matrona facile animadvertit inter imaginem et Rosam singulare quidpiam geri ; unde digressis aliis, secreto extorsit a Virgine, cur interpellasset, utique mysterium subesse, quod rescire sua intererat, omnino se scire id velle. Rosa, ut prodigium, quod viderat, non suo, sed matronæ merito tribueret ; « Imo (ait) mysterium suberat ; nam interea, » dum tu miracula narrabas absentis imaginis de » Atocha, hæc præsens edebat signa inusitatæ » lætitiæ, movebat in nos columbinos suos ocel- » los, attollebatur novo corpulentiæ typo ex- » tra telæ superficiem, velut inde ad nos exi- » tura cum sopito Filiolo, spargebat arcanas » dulcedines, renitebat, radiabat augustior, nunc » parvulo suo, nunc nobis materne adblan- F
» diens. Et nonne sub tanta gratia dignum » erat, Reginæ nostræ laudibus diutius immora- » ri ? »

cumque ad illam ornandam flores deessent.

253 Sed redeundum tantisper ad sacellum Rosarii, cui Rosa toto anno per omne Sabbatum flores, quos ipsa coluerat, fasciculatim aut mittebat aut deferebat. Mirati sunt, quicumque Rosæ hortulum norant, ejus areolis numquam deesse flores, quos altari dedicaret : sive enim hoc germen alibi subtulisset consueta variantis anni temperies, sive ardentior Sirius *k* ubique torri- k
da siccitate hoc terræ solatium corruperat, semper in modico Rosæ viridario intacti vernabant pulluli *l*, quos in proximum Sabbathum cælesti l
Anthophoræ *m* consecraret. Maluisset auro gem- m
misque rigentem cycladem subinde offerre sacræ imagini florum loco, sed obstabat inopia. Verumtamen et hanc supplevit ingeniosæ devotionis industria : nam, ut quotannis Reginam sanctissimi Rosarii bis spirituali veste amiciret, materiam, artem, formam excogitavit longe pretiosiorem ad modum, quem supra cap. 18 descripsimus.

254 Unius idea reperta fuit in Virginis pu-

gillaribus

A gillaribus, hoc tenore : « Memoria pro vestimento, quod ego Rosa de S. Maria, indiguum mancipium Reginæ angelorum, ordior contexere Virgini Dei matri, auxiliante Domino. Primo tunicam interulam conficiunto 600 Salutationes angelicæ, totidemque vicibus recitanda antiphona SALVE REGINA, cum 15 diebus jejuniorum, in reverentiam purissimi gaudii ex nuntio angelico, quod in suis castissimis visceribus humana carne induendum erat æternum Patris Verbum. Secundo pannum hujus amictus contexunto 600 Salutationes angelicæ, totidem vicibus SALVE REGINA, 15 Rosaria, et 15 dies jejunii, in reverentiam lætissimi gaudii, dum visitabat cognatam suam Elizabeth. Tertio oras ac fimbrias huic vestitui circumdato 600 Salutationibus angelicis, toties SALVE etc. (ut supra) in reverentiam altissimi gaudii, dum pariebat Filium suum Dominum meum Jesum Christum. Quarto fibulas apponunto 600 Salutationes (ut supra) in reverentiam intimi gaudii, dum benedictum Filiolum suum offerebat in templo. Quinto collari impenduntor 600 Salutationes, SALVE, jejunia (ut supra) in reverentiam felicissimi gaudii, dum amissum triduo Filium invenit in templo inter doctores disputantem. B Sexto ramusculum Virgineis suis manibus gestandum componunto, 33 orationes Dominicæ, totidem Salutationes angelicæ, cum versu, GLORIA PATRI, SALVE REGINA, totidemque rosariis laudum divinarum, et rursus totidem rosariis de laudibus Virginis, in reverentiam 33 annorum, quos Dominus meus Jesus vixit in terris. » Et paulo infra : « Jam hoc vestimentum confectum est; benedictus sit Deus; ejusque Mater sanctissima prægrandi sua pietate suppleat defectus meos, et ausui det veniam. Laus tibi Christe. » Simile, at multo operosius vestimentum divæ Virginis consuere cœpit prima die anni MDCXVI. In hujus textura sumptuosa Dominicarum orationum, et angelicarum Salutationum numerum Virgo non jam centuriis (ut supra) sed chiliadibus diffiniebat. Verum singula quæque suæ devotionis exercitia minutim prosequi non vacat, præsertim cum ex innumeris innotuerint pauciora.

ei spirituali vestimentum contexuit.

C

ANNOTATA.

a *Honorius Philoponus Benedictinus eamdem Christianæ fidei originem Ordini suo adscribit, ut patet ex epilogo Operis sui de Navigatione ad Indiam occidentalem, quod anno 1620 edidit, et in quo pag. 96 habet sequentia :* Intentum meum hoc loco tantum est, ut demonstrem monachos sancti Benedicti primos, et primates archiepiscopos et vicarios sanctissimi domini Papæ fuisse in totam Americam (de quibus in hunc usque diem soli et ambitiose nimis aliqui glorientur) et ibidem episcopos, præpositos, decanos, parœcianos novi orbis consecrasse, ordinasse, et instituisse ecclesias; nempe qui super alios clericos et Ordinum Fratres supremum habuerunt in ordinandis et instituendis Americanis ecclesiis et monasteriis officialatum, jurisdictionem et spiritualem principatum; quod tibi jam satis supra demonstravimus testibus. *Ex testimonio Thomæ Bozii, aliorumque hic scriptor superius asserit, abbatem Montis Serrati primum cum aliis Benedictinis in America fidem prædicasse, quod alia occasione inferius annotabimus.*

A. LEONARDO HANSEN.

b *Suspicor, eumdem locum indicari a Joanne Latio, dum lib. 10 occidentalis Indiæ cap. 29 sic scribit :* Hinc transitur ad Limatambo, ubi plurima rudera visuntur regalium ædificiorum : distat novem leucis a Cusco. Hinc per Bilacongæ vasta juga descenditur in vallem Xaquixaguanam (quam Garcilassus vocat Sacsahuanam) inter altissimos montes angusto spatio conclusam, in qua veteres Peruviæ reges hortos suos et viridaria habuerunt *etc.*

c *Vox* ἄγαλμα *pure Græca est, quam necdum apud Latinos usitatam legi, et quæ* simulacrum *vel* ornamentum *significat. Ex hac significatione periodus illa satis intelligitur.*

d *Designatur Dominica in Albis, cujus Missa inchoatur his verbis :* Quasi modo geniti infantes *etc.*

e Dicasterium *Græce* δικαστήριον, *pro foro judiciali proprie sumitur a verbo Græco* δικάζω, *id est,* judico. *Hic videtur accipi pro congregationibus judicum, qui huic supplicationi intererant.*

f Epidemia *est morbus populariter vagans vel inter populum sparsus, ab* ἐπὶ in, *et* δῆμος populus, *quasi* in populo versans. *Hac appellatione plerumque designatur pestis vel contagiosa lues, quæ etiam propterea* morbus epidemicus *aliquando vocatur.* E

g Magnes *a Græcis dicitur* siderites, *estque lapis occulta naturæ vi ferrum ad se trahens, a voce Græca* σίδηρον, *qua ferrum significatur.*

h *Adjectivum* sympathetica *provenit a nomine appellativo* sympathia, *quod a præpositione* σὺν cum, *et* πάθεια passio *componitur, et verbum de verbo* compassionem *vel* condolentiam *significat. Hic autem pro* convenientia affectuum *sumitur, sicut* ἀντιπάθεια *pro* repugnantia affectuum, *de quo Castellus consuli potest.*

i *Ad hanc celeberrimam Deiparæ imaginem fit magnus populi concursus, ut ipse vidi, quando illam prope Matritum veneratus sum.*

k Sirius *est astrum seu signum zodiaci, quod a Latinis* canicula *appellatur, et magnum calorem efficit. Hinc* dies caniculares *nomen accipiunt. De situ et etymologia ipsius inter astrologos disputatur.*

l Pulluli *inter alias significationes accipitur pro stolonibus, qui ex arborum radicibus enascuntur, a verbo* pullulare, *quod est stolones aut germen emittere. Hic ab arboribus ad flores transfertur.* F

m *Biographus Deiparam hic vocat cœlestem* anthophoram, *id est,* floriferam *vel* flores ferentem, *ab* ἄνθος flos, *et participio* φορὸς ferens. *Hinc Bacchus apud poetas Græcos* ἀνθοφόρος, *id est,* floriger *appellatur.*

CAPUT XX.

Devotio ipsius erga salutiferum crucis signum, et imaginem S. Catharinæ Senensis.

Solitariæ in horto cellulæ (de qua supra) prima et fere tota supellex crux erat Virgine procerior altiorque, ut plenius tum Calvariæ supplicium

Sancta virgo crucis signum,

A. LEONARDO HANSEN.

supplicium meditanti ingereret, tum piis novæ Magdalenæ complexibus commodius stringi posset. Illam quot osculis Rosa dissuaviarit, quot lachrymis humectarit, quot ignitis suspiriis adusserit, quam tenacibus ulnis ad livorem usque sibi interdiu noctuque adstrinxerit, quam crebra et supplici adoratione coluerit, non omnino domesticos latuit, qui interdum per rimulas insciam observabant. Sicubi in templis, sacellis, ædibus frequens vivificæ crucis simulachrum incurrisset in oculos, singula mæsto obtutu et calente gemitu salutabat. In omni familiari consessu, conversatione, societate, crux siqua prostabat, Rosæ sol, ipsa cruci heliotropium *a* erat; ad hujus aspectum cor Virginis pulsu validiori, et concitato videbatur in horologium transmutari. Præcipue in majori Dominicæ Passionis hebdomada, a cruce fidelium adorationi palam exposita divelli non poterat; huic assidebat immobilis, hanc dilapso frequentiori populo cominus tenerrimis basiis obterebat, in hanc eminus acclavabat oculos, nec alio vel ad momentum respicere poterat. Quin usque adeo menti Virginis inse-
B derat sanctæ crucis religio, ut, ubicumque a fortuita trabium commissura, in fenestrarum clathris, in decussatis sepium bacillis, in ostiorum cardinibus, in vectibus, in ipsis demum festucis ac paleis, aut alio quovis rejectaneo figura crucis occurrisset, hanc sine attenta ac tacita veneratione nusquam præteriret.

ubicumque positum erat,

256 Subinde Rosam ad sacras ædes processuram comitabatur honestatis causa germanus frater, doluitque toties sibi cum ea subsistendum esse, quoties Soror ibidem ad stipulas de terra sublevandas sese inclinabat. Animadvertit fortuitas crucis figuras esse, quas in projectis stipulis, aura vel casus effinxerat; has autem Rosa jacere humi, et commeantium pedibus neglectim proculcari non ferebat. Hinc Ferdinandus (id fratri nomen erat) tot morarum impatiens, ac velut superfluæ pietati Sororis admurmurans; « Putasne » (inquit) decere Virginem, toties in publico ad » levandas paleas explicare faciei operimentum? » Quid cogitabunt, quid dicent obvii, hærere te » in plateis, ut transversas ubique stipulas, sta- » tuo * labore divarices? Quod si hac ratione
C » crucis figuræ prospectum cupis, utique ingentem tibi sumpsisti operam, imo ridiculam, cui » a prætereuntium sannis ac sarcasmis totum sit » præmium. »

* *f.* stato

venerabatur, ac etiam exprimebat in plantis.

257 At graviter modesteque replicuit Virgo; « Ah, frater, nimio dolore crucior, dum video, » contemptim jacere solo, et calcaneis proteri » qualemcumque rudissimum typum illius adorandæ crucis, in qua innocens Agnus Dei, » suæmet vitæ inæstimabili pretio nos redemit. » Scio, hæc retrimenta sine scrupulo aut culpa » promiscue calcari ab aliis, horum incuriam nec » damnare ausim, nec arguere præsumo; sed » neque illis displicere merito queat meæ devo- » tionis simplicitas. Denique subsannent, rideant, » cogitent de me, ut lubuerit, ego quoad pote- » ro, non cessabo a cura, ne crux Domini mei, » vel in abjecta, vilissimaque stipula usquam con- » culcetur. » Addebat, mirum dictu! ad istud (quod puerile, nimisque femineum aliis videbatur) crucis honorandæ studium se stimulis tam excelsis ac seriis excitari, ut repugnandi modus aut ratio numquam sibi ad manum sit; proinde et hoc inter alia complura condonandum esse ardori suorum affectuum, maxime si verum foret, quod aliunde obscura persuasione acceperat, ex sacris indulgentiarum thesauris aliquod reposi- D tum esse lucrum fidelibus, quicumque hoc simplicitatis religioso obsequio sanctæ cruci reverentiam exhiberent.

quarum unam, quæ in horto proreginæ exaruerat, b

258 Rosa in suo hortulo plantaverat libanotim *b*, (rosmarinus vulgo dicitur) ejusque tres arbusculas distinctis cespitibus ita in crucis formam coegerat, ut singulæ glebæ seorsum accuratam montis Calvariæ figuram undequaque exprimerent. Gaudebat, inter flores et odorifera plantaria pariter et crucem oculis suis continuo obversari. Placuit multis novum amœnitatis artificium, quod, irrigante gratia, sub hortulanæ devotione feliciter adoleverat. Verum, operante magistro P. F. Alphonso Vasquez Rosæ confessario, ex tribus unica dumtaxat Rosæ hortulo mansit residua, siquidem is alteram poposcit sibi, alteram proregina dono ejusdem obtinuit, summaque cura penes se nutrire studuit; sed incassum: vix enim dies perpauci effluxerant, cum crucifer cespes apud proreginam funditus exaruit, manifesto indicio, propriam sibi defuisse crucis et Calvariæ hortulanam. Narravit Virgini confessarius dolorem proreginæ; at subrisit Virgo, monuitque, hujuscemodi cruces inter seculares aulæ E pompas, et assidua mundi commercia virere non posse: vetuit tamen emarcidum arbusculæ cadaver projici, jussitque ad se remitti propediem resuscitandum.

mirabiliter pristino virori restituit.

259 Vix in quartum diem exsucca plantula penes Rosam fuit, cum speciosior, quam ante fuerat, undique reviruit, novis ramusculorum comata pullulis, novo radicularum ac medullarum succo rediviva, plexilique virgularum obedientia in pristinam crucis figuram reformata; cui Rosa ornamentum, ex tractabili ficulneæ medulla, complusculos cælestes genios ordine aptissimo circumposuit, et crucis basi accubuam sanctæ Mariæ Magdalenæ icunculam perite adjecit, sicque renatam, ornatam, pampinatam remisit confessarius proreginæ, miranti, libanotim suam sub Rosæ manibus tam celeriter, tam amœne, tam plene revixisse. At Virgo id totum gloriæ crucis tribuebat, quod et S. Catharinam Senensem jugiter fecisse meminerat.

Ad imaginem S. Catharinæ Senensis ornandam

260 Digrediendum nunc ad hujus seraphicæ magistræ imaginem, crucis ac stigmatum characteribus insignitam, quacum Rosæ plurimum fuit commercii, nec sine prodigiis. Limæ ab annis F centum et amplius floret sub invocatione B. Catharinæ Senensis devota secularium confraternitas; huic solemne est, quotannis ter in publici circuitus festivam processionem sublimi gestatorio efferre conspicuam sanctæ suæ tutelaris statuam, coronis, floribus, multoque gemmarum fulgore ac pretio decenter adornatam. Porro, quæ statuæ ornamenta conquireret, tractaret, circumponeret, una hac Rosa (dum vixit) nulla reperiebatur aptior, dignior, peritior; quia prototypo nulla aut devotior aut similior. Ita cunctorum suffragio uni Rosæ delatum hoc religiosæ pietatis officium. Ipsa diligenter collectis undequaque monilibus, velis, torquibus, floccis, lemniscis, omnique pretiosa supellectile (cujus nulla umquam pars amissa fuit, quin tota rediret ad dominos) operi strenue incumbebat, assumptis fidissimis adjutricibus in laboris ac meriti participium.

prodigiose pecunia subministratur.

261 Sed dum circuibat charam iconem, dum vestiebat, dum plicas distinguebat, temperare sibi a lachrymis, ab osculis, ab alloquiis præ ardore non poterat; affabatur, venerabatur, dis-

suaviabat

A suaviabat sacram imaginem, acsi præsentem e cælis haberet magistram suam. Quadam vice inter suspiria, exciderunt Virgini (at perfunctorie, et submisse) hæc verba : « Nosti utique, mater » mea dulcissima, quod si XV aut XVI pataco- » num *c* mihi facultas esset, vestirem te, pro » genii mei dictamine, novo candidiori amictu. » Et ecce post paululum, sociabus nil minus cogitantibus, adfuit illustris feminæ Hieronymæ de Gama ancilla Æthiopissa, cumque pecunia litterulas attulit, quarum hic tenor : « Salve Rosa » soror. Conjicio, te nunc in exornando glo- » riosæ matris Senensis simulachro occupari ; en » XVI patacones, quos penes me reperi, his » utere ad seraphicæ imaginis ornatum, si opus » est. Vale. » Suspexit in cælum Rosa, et « O » (inquit) suavissime Jesu, quam fidelis ami- » cus es ! » Mox nivei candoris Attalicam *d* emit, novamque iconi vestem aptavit. Dum Rosa oblongam trabeam (scapulare dicimus) iconi amiciendæ consuit, mittit in conclave, ubi hæc stabat, Philippam de Montoya concivem suam, ut inde serici fili glomerem sibi apportaret. Ivit B illa, viditque imaginis vultum insolito splendore fulgidius radiare. Expavit insperato gaudio, remque trepida ad Rosam in proximo cubiculo mentem retulit. Verum hæc minime admirans, respondit paucis : « Numquid vidisti, soror, » quam sereno indicio dignatur approbare sera- » phica nostra mater, quod agimus? Placet ei, » quod ambæ in elaborando ipsius scapulari ju- » cunde occupamur. »

et flores, quos illa tempestas anni non ferebat,

262 Alio tempore optabat Rosa, caryophylli *e* copiam ad manum esse, qua sacram imaginem condecoraret. Abnuebat præsens anni temperies, quæ in illis regionibus mense Maio id genus flosculorum ignorat. Quæsitum diu in Rosæ hortulo, sicubi forte in caryophyllorum areola, vel noduli apparerent, propediem erupturi in florem; at inventum nihil. Iteratur bis, ter, frustrata perquisitio; sed eo vespere nec spes residua fuit. Nihilominus Rosa, quod futurum erat, spe bona percipiens, aiebat : « Potens est Dominus con- » cedere, quod optamus; quinimo, hac ipsa no- » cte, in honorem SS. Trinitatis una hæc » virgula » (digito monstrabat surculum nulla fœ- » cunditatis nota tunc usquam turgidum) « tria » nobis caryophylla protrudet. » His dictis, C feminas (Catharina, et Francisca Montoya vocabantur) dimisit domum ridentes, quod illo anni tempore, ex languido, sterilique frutice caryophylla expectaret, imo promitteret.

in horto sanctæ Virginis inveniuntur.

263 Postridie summo mane (siquidem is processioni decretus erat dies) properarunt ad Rosam, ut quod in ornanda imagine reliquum erat, cum ea perficerent. Rosa tunc in oratione defixa venientibus innuit, hortum adirent, atque in nomine sanctissimæ Trinitatis tria inde caryophylla confestim sibi adferrent, sacræ iconi coaptanda. Replicuit Catharina : « Tu vero, cha- » rissima, non meministi, nos heri tecum inutili » quæsitione floris totum aliquoties hortum » permeasse, nec usquam vel nodulum in stylis, » aut dentilum *f* reperisse in scapis, qui huic in- » tegro mensi pubem ullius flosculi polliceatur ? » Verum institit Rosa efficaciori imperio : « Itote, » sorores, trinum, quem dixi, florem matur- » rimum, decussatum, repandum ocyus adfer- » te. Quid hæsitatis? Quid cunctamini? Qui » virgam Aaronis florere jussit, providit et no- » bis. » Iverunt, et, ut Virgo dixerat, invenerunt tria caryophylla de illomet, quem pridie Rosa indicarat, cauliculo, trepidæ carpserunt, apportarunt, suæque diffidentiæ veniam precatæ, cum Rosa in gratiarum actionem Deo se prostraverunt, simul admirabundæ ac lætæ, quod illa die sacra imago cum ornatu tam peregrino in publicum erat proditura. Quodque mirabilius est, ab eo tempore, quoad Rosa supervixit, ejus hortulo nulla [anni parte recentia caryophylla defuerunt.

A. LEONARDO HANSEN.

Deinde B. Catharina cuidam ornatus adjutrici

264 Alia vice Rosa ad vestiendam sanctæ Catharinæ iconem cum aliis adjutricibus vocarat Mariam Euphemiam de Parejas viduam. Huic periculose infirmabatur ancilla domestica, Francisca nomine, quæ simul nutricis fungebatur officio, et tunc quidem viduæ filiolum Josephum lactabat; sed medicus vi crescentis morbi perterritus mandarat pridie, ne infans ab ægra lac sugeret. Attamen Euphemia ægram suam domesticis anxie commendans, ad Rosam perrexit, communi pietatis officio suam operam adjunctura. Finitis demum omnibus, ac imagine decenter exornata, Rosa fatigatis sociabus compatiens, « Ite (inquit) respirate, lentaque deambulatio- » ne pariter vos reficite : nam lassæ estis. » Re- E spondit Euphemia : « Deambulare me jubes, cum » non ignores, quæ me domi meæ exspectet af- » flictio? Quin tu potius apud hanc seraphicam » matrem, qua polles et gratia et fiducia, vi- » tam ac valetudinem ancillæ meæ exora. » Annuit Rosa, statimque ad præsentem imaginem, amica, qua solebat, familiaritate conversa, dixit : « Heus tu, gloriosa mater, num acerbam » hujus feminæ afflictionem non vides? Succur- » re huic necessitati, nec distuleris solatium; » nunc experiar, quam chara sint tibi stigmata » nostri Redemptoris; per illa te obtestor, peri- » clitanti Franciscæ salutem impetra. » Dixit, viduamque consolata, bene sperare jussit; S. Catharinam Senensem, cui modo ipsa famulata erat, famulæ suæ discrimini minime defuturam. Recta domum festinavit Euphemia, illic Franciscam suam, depulso periculo, convalescentem invenit, adeo ut postridie, jubente medico, rursus infanti nutritias, ut ante, præbuerit mamillas.

duplex beneficium contulit.

265 Aliquando eadem, quæ supra, Francisca de Montoya Rosam in exornanda S. Catharinæ Senensis icone per totam noctem adjuverat, completoque opere, dum nonnihil quie- F tura discedebat, ut post aliquot horas festivæ processioni interveniret, Rosa digressam B. Catharinæ impensius commendavit, rogans, ut ipsam tueretur ab imminenti periculo. Nec sine fructu abiit solicita intercessio : nam dum gyrantem processionem hinc inde pro magnifico applausu, vario fragore excipiunt sulphurata missilium ignium crepitacula, unum istorum recta Franciscæ oculum petiit, inque supercilium impegit, nullo tamen Franciscæ damno; non quod deessent nocendi vires : nam idem a Francisca impetu obliquo resiliens, aliam corripuit feminam, eique cum togæ laciniis intimam subuculam raptim succendit. Francisca sat certa, se incolumitatem suam Rosæ orationibus debere, Virgini eventum retulit, ac pro benevola cura gratias egit. Cui Rosa : « Quid ni curam tui peculiarem » haberet seraphica nostra mater per totum hunc » diem, posteaquam tu integram hanc noctem » in ejus obsequio mecum laboriosam exegisti? »

ac sanctam Rosam arthritide,

266 Beata Catharina in reliquas imaginis suæ vestiarias et excultrices tam munifica, utique in suam Rosam illiberalis non fuit. Unicum paradigma

A. LEONARDO HANSEN.

digma dabo, et finiam. Anno MDCXVI, mense Augusto, Rosa B. Catharinæ iconem, in præcipua S. Patris Dominici solemnitate circumferendam, de more vestierat; eamdem transacto festo devestiendam in domo Gundisalvi quæstoris exspectabat. Allata est, ac oratorio domestico illata, ut ibi pretioso ornatu, quem commodato a diversis Rosa acceperat, exueretur. Verum biduo vel triduo ante, horrenda arthritis *g* dexteram Virginis manum per omnes articulos importunissimo cruciatu invaserat, ut non modo operi vel tenuiter attingendo prorsus inutilem reddiderit, verum etiam præ immanitate monstruosæ inflationis, medicum terruerit, gravioris mali atheromata *h* suspicantem. Intumuerat manus ad æqualitatem doliolorum, quibus mella selectissima ex Hispaniis Limam deferuntur; ut jam neque digitorum ullus moveri, multo minus forficem, aut quidvis aliud tenere posset, vel apprehendere.

quæ manum ejus invaserat,

267 Dies erat S. Laurentii martyris, quando sub vesperam medicus, inspecta manu, purulentam meliceridem *i*, aut aliud quodcumque genus apostematis subesse ratus, lenta cataplasmata *k* decrevit applicanda, jussitque in diem B posterum distrahendo sanguini, venam in lævo brachio aperiri scalpello. Gundisalvus, qui forte cum medico aderat, tristi manus spectaculo æger, oratorio abscessit, velut nimiæ compassioni impar. Sed magis dolebat Rosa, quod illo die, qui sibi anniversarius erat assumpti Dominicani habitus, prohiberetur seraphicæ matris suæ festivum habitum solito religionis ministerio contrectare. Itaque coram sacra imagine (quæ adstabat mensulæ imposita) procubuit, breviterque oravit. Mox consurgens, hilariori voce poposcit forfices ab uxore Gundisalvi, quæ illic cum aliis ad opus substiterat. Hæc lusum aut jocum arbitrata, subrisit, interrogans, qua manu hos arripere velit, sat sciens in dextra sic tumere digitos, ut nullis forficum ansulis immitti queant, sicque velut per ludum, angustiores, quos reperire potuit, forfices porrexit. Nec mora; hos Rosa digitis induit, opus arripuit, cœpitque sedulitate liberrima gemmas, torques, monilia suo, quo adhærebant, ordine disnectere, fila ligaminum apte dissuere, nodos incidere, ornatum per partes concinne deponere, imaginem C nudare. Exclamavit denuo matrona : « Quid agis » Rosa? Parce manui ad ista jam inutili; noster » hic labor, et cura esto. » Pergebat alacris Virgo, nec aliud replicuit, nisi quod idem ille, qui sibi manus dederat, quas vestiendæ sacræ imagini impenderet, tunc dextram sanarat, qua eidem devestiendæ famularetur.

confestim liberavit,

268 Post horulam supervenit quæstor, vidensque Rosam utraque manu expeditissime operantem, adstupuit, ac leniter interpellans, « Itane » (inquit) dextra tua valet, ut ad ista sufficiat? » Cessa, videamus manum. » Vidit, illamque sinistræ nihil absimilem reperit, sanam, valentem, agilem. Marcebat stupore lætissimo quæstor, ac tacite in uxorem respiciens, pendebat attonitus ab ore narrantis, ut Virgo se in preces, ipso abeunte, prostraverat, ut brevissimo intervallo sana in pedes se erexerat, strenue laborem, forficibus postulatis, fuerat auspicata. Maluit deinde ab ipso Virginis ore modum repentinæ curationis ediscere; respondit illa, se brevi illo, quo coram imagine orarat, spatio sensisse reducem in articulos vigorem, illosque detumuisse statim violento spiraculo, ut solet aere plena vesica, dum premitur, sicque una cum tumore D omnem pariter evanuisse dolorem.

sicut ipsa Virgo candide fassa est.

269 Accersitus postridie medicus examinavit manum, deinde Virginem; quæ, quod pridie dixerat, simplicissime confirmavit, totam rei gestæ seriem grato animo in suæ seraphicæ magistræ favorem, et gratiam refundens. Accessit beneficio, quod exinde numquam in posterum arthritis manum illam invasit, quoad Rosa supervixit. Verum præstantius fuit alterum, quod intus Rosæ animam dulcorabat eodem illo momento, quo foris convalescebat manus; fassa est, modico illo tempore, quo cum S. Catharina Senensi de curanda sua dextera supplex egerat, simul in intimos cordis sui recessus largum insolitæ suavitatis rorem depluisse, qui etiam inde exciderit in corpus. Nec mirum si medicinæ cælestes a centro ad superficiem soleant operari, ac prius animam, quam corpus attingere. Sed mirum est, hæc Rosæ nequaquam fuisse mira, utpote cui a beata Catharina Senensi ceu matre, pene quotidiana erant ex mutuis commerciis solatia.

ANNOTATA.

a *Sancta nostra hic metaphorice* heliotropium E *vocatur a flore, quem Græci* ἡλιοτρόπιον *appellant, eo quod ad solem se convertat, ex* ἥλιος, *id est,* sol, *et* τρέπω verto *vel* converto, *sicut passim notum est.*

b Libanotis, *Græce* λιβανοτὶς, *est frutex spirans odorem thuris, a* λιβανωτὸς, *quo apud Græcos* thus *significatur. Est herba passim nota, cujus varias species apud Dioscoridem explicatas curiosus lector inveniet.*

c Pataco *est species monetæ, Hispanis vulgo dicta* patagon *vel* real de a ocho, *quia æquivalet octo solidis argenteis, quos ipsi* reales de plata *appellant. Ceterum de valore hujus monetæ, quam Galli* un ecu *vocant, Cangius in auctiore Glossario ad vocem* pataco *consuli potest.*

d *Omnia pretiosa in supellectile vel vestitu dicta sunt* Attalica, *ab Attalo Pergami rege, qui pecunia et splendida supellectile abundabat, ut Plinius lib. 8, cap. 48 testatur. Unde per* Attalicam *hic vestis pretiosa vel magnifica intelligitur.*

e Caryophyllum *est flos odoriferus, quasi* καρύου φύλλον, *id est,* nucis folium *appellatum, qui* F *a Gallis* giroflée, *et ab Hispanis* sanamunda *nominatur.*

f *Hanc vocem apud scriptores Latinos non reperi. Quare suspicor, hic* dentilum *pro denticulo scriptum vel usurpatum esse, quia flores e scapis acuminati prodeunt instar parvorum dentium seu denticulorum. Hæc est mera conjectura nostra, cui certiorem hujus vocis significationem libenter præferemus.*

g Arthritis *a Latinis vocatur* morbus articularis, *cujus species peculiares sunt ischias, podagra, chiragra, et alii morbi hujusmodi, ut apud Gorræum in Definitionibus medicis pag. 50 fusius explicatur.*

h *Laudatus Gorræus pag. 8 Operis proxime citati de hac specie tumoris ita scribit:* Ἀθέρωμα est tumor concolor, doloris expers, in quo aliquid pulticulæ, quæ ἀθήρα vocatur, simile : tunica quadam membranosa concluditur, cum quo simul aliquando lapidosa quædam duraque corpuscula, et alia instar sulphuris ramenta reperiuntur. *Quomodo autem atheroma differat a meliceride, mox dicemus.*

i *Castel-*

A i *Castellus pag. 520 Lexici medici de meliceride habet sequentia :* Meliceris, μελικηρὶς, humorem melli similem membrana conclusum habens, species est apostematis, ut et ἀθέρωμα et στεάτωμα, quorum hoc ab adipe, illud a pulticula intra membranam conclusa nomen habet. Meliceride dissecta, inibi contentus humor non aliter, quam mel e favis diffluit. *Porro Gorræus in Definitionibus medicis pag. 8 differentiam in istud ac præcedens apostema assignat his verbis :* Est autem ἀθέρωμα oblongum, eminens, durumque, quod, ut digitis non facile cedit propter humoris crassitiem, sic, ubi cesserit, haud prompte revertitur; quibus quidem notis distinguitur ἀπὸ τῆς μελικηρίδος, quæ rotundior, humilior, latior, molliorque est, et facilius, ut digitis cedit, sic postea recurrit.

k *Teste eodem Gorræo pag. 214* κατάπλασμα est medicamentum molle et consistentia mediocre, quod repellendo, concoquendo, digerendo, resolvendo, laxando, vacuando, detergendo, calefaciendo, siccando, dolorique sedando adhibetur. *Deinde ibidem indicatur, quomodo* cataplasma *ab* B *emplastro differat.*

CAPUT XXI.

Fervida pietas erga sanctissimam Eucharistiam, pro cujus fide se ad martyrium accingit.

Si talia acciderunt Rosæ, virginem Senensem vestienti ex aliena substantia, longe mirabiliora accepit ab illo mirabili Sacramento, in quo Christum vestiunt aliena accidentia. Hunc cibum paravit in dulcedine sua pauperi Deus, attamen recolendum, cui dixerit : « Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me. » Rosa nondum ultra pueriles annos creverat, jamque hunc manducabat; sed ipsam confessarii jam spiritu grandem repererant, quando tam tenellæ suæ ætati permiserunt accubitum in sacro Convivio, quod præbet delicias regibus. Quinimo de illorum consensu, his quot hebdomadis puella re- C ficiebatur divino hoc pabulo; maluisset frequentius; at tunc nondum ei licebat sine matre adire ecclesiam. Quam bene mellifluus Bernardus in suo exclamat jubilo : « Qui te gustant esuriunt! » nam Rosæ a frequenti Communione adeo increvit pascentis Sacramenti esuries, ut paulum adultiori sacra Synaxis ter in singulas hebdomadas fuerit permittenda.

Sancta sæpius communicabat Corpori Domini

271 Neque id satis erat : nam siqua interveniebat aut festæ diei celebritas aut solemnis statio, etiam quater, imo quinquies intra septimanam divino hoc Edulio avidissime fruebatur. Confessarii, quo penitus animæ statum nosse cœperant, facilius hanc ei frequentiam indulgebant, unanimiter attestantes in processu, tam limpidam se invenisse in ejus spiritu munditiem, tamque nitidam innocentiæ puritatem, tantam insuper Eucharistiæ famem, tam robustum devotionis calorem, ut exinde numquam ausi fuerint a participatione tanti mysterii Virginem distinere. Unde facile obtinuit, ut tum in Paschale, tum in solemnitate Corporis Christi quotidie per totas octavas sibi licuerit vesci hoc delicato Pane angelorum. Qua in re, ut humanum effugeret plausum, nec de singularitate notari posset, singulis his diebus studiosissime variabat horam, nunc maturius nunc serius ad sacram Communionem accedendo : cælestis enim thesaurus (monente Gregorio) absconditur, ut servetur; et qui facit, quod nemo, mirantur omnes.

ex consilio confessariorum suorum,

A. Leonardo Hansen.

272 Hic vero notatu dignum est, quod Virgo in tanta communicandi frequentia, simulque tanta immaculatæ suæ conscientiæ serenitate, nihilominus, quotiescumque ad divinum epulum accedendum erat, toties sacramentalem confessionem præmittebat; nec perfunctorie, sed ea solicitudine examinis, eo contritionis stimulo, eo gemituum ac lachrymarum apparatu, acsi per hebdomadas et menses utroque Sacramento penitus caruisset. Pridie sacræ Communionis asperius emacerabat corpusculum flagellis et rigido jejunio, ut famem animæ comitaretur esuries corporis : venturo Sponso adornabat secretum mentis thalamum affectibus reverentiæ, humilitatis, ac desiderii; accendebat piarum meditationum lumina præcipue ex Ludovici Granatensis libello, qui de Oratione inscribitur; vaporabat habitaculum cordis sui pretiosis odoribus ignitarum aspirationum, totamque omnium suarum potentiarum ac virium familiam colli- E gebat in obsequium chari hospitis postridie ad ipsam diversuri. His vero exercitationibus tantum insumebat studium et curam, ac si per totam vitam suam pro illa dumtaxat unica vice communicandum sibi fuisset. Porro in ipso ad tremenda illa mysteria accessu quis fuerit Virgini attentissimæ devotionis ardor, quæ vultus gestuumque religiosa compositio, quod bullientis spiritus incendium, aliter describi non potest, quam si ipsammet quis Catharinam Senensem, Eucharistico bolo excipiendo procubuam, huc transcribendo delineet. Verum angelico ad hoc opus foret tum calamo tum penicillo. Nec tamen omnino id latere permisit Altissimus, dum pluries in vultu Rosæ visibiliter scintillare fecit interioris flammæ indices, evibrationes atque stricturas, tunc, cum anima sumptione divinæ Hostiæ succendebatur.

idque semper faciebat cum tanto fervore,

273 Quadam feria secunda Pentecostes in sacello Rosarii sacris operante P. Fr. Antonio Rodriguez prædicatore generali, Rosa cum aliis fidelibus adgeniculabat cancello altaris, Eucharistiam receptura. Ad hanc ubi sacerdos cum F sacratissima Hostia pervenit, faciem Virginis totam flammeam vidit, et medullitus expavit, nondum gnarus, quid indicaret mira hæc et improvisa coruscatio. At postea ex crebriori ejusdem prodigii successu didicit, Rosam esse, cui ad sacratissimæ Hostiæ contactum interior subito micabat amoris rogus, tam vividus ac potens, ut vel exteriorem faciem mutaret in facem. Magister Fr. Ludovicus de Bilbao post Missam in eodem sacello, dum Virgini sacram Synaxim porrigit, notavit sæpius vultum ipsius cælesti splendore perfusum, ita quod præ fulgoris vehementia sibi tremuerint oculi, velut impares illi sidereæ claritati, quam gratiæ venustas conspicue accenderat, et Panis angelorum in angelicam (uti aiebat) pulchritudinem mirifice transformarat.

ut sacerdotes ei sacram Hostiam porrigentes,

274 Magister Fr. Joannes de Lorenzana simillimo ostento feliciter perculsus occasionem inde obtinuit penitius Rosam cognoscendi, quam illactenus numquam de facie noverat. Litarat et ipse in Rosarii sacello, et post Sacrificium, promiscuo populo ibidem communicaturo Sacramentum distribuebat. Ad Rosam ut venit, (quæ

faciem ipsius coruscantem viderent.

ut

A. LEONARDO HANSEN.

ut sanctam Hostiam sumeret illo momento vultum, ora pallii reducta, detegebat) vidit speciem humana formosiorem, claram, niveam, fulgentem, ac cælesti quadam pulchritudine obradiatam. Transivit, certus, ejuscemodi coruscum decorem a mortalitatis nostræ regione non esse. Mox cogitabundus ait intra se : « Quæcumque » est hæc Virgo ; sublimi apud Deum gratia pol- » leat necesse est : utinam animæ suæ tam lucidæ » ac flagrantis intimum statum nosse liceat. » Factus est deinde voti compos, dum minime cogitabat : nam superna providentia hunc postea Rosæ non modo confessarium dedit, sed et præceptorem, cui Virgo obedientiam, usque ad mortem velut regulari suo superiori exhibuit.

et alius externum ardorem sentiret.

275 P. Fr. Bernardus Marques, dum adhuc novitius sacrificantibus in sacello Rosarii subinde ministrabat, ac de more post sacerdotem ablutionis scyphum communicantibus circumferebat, quotiescumque coram Rosa cum scypho substitit, sensit a Virgine tamquam e clibano aut fornace vaporare ardores, ut interdum putarit sibi manum comburi, qua pateram seu porrigebat, seu resumebat. Verum tunc mysterii ob B ætatem ignarus, taciteque mirari contentus præteribat, sed post annos xv ab obitu Virginis, jam sacerdos judicioque maturior, prodigium, uti acciderat, sub fide juramenti enarravit, adjiciens, ex ejusmodi sacris ardoribus sibi juvenculo rude cor nihilominus concaluisse arcana veneratione præsentis Sacramenti, quod suscipi tanta religione et æstu viderat.

Ipsa Virgo explicare non poterat

276 Voluit Deus per extima hæc et sensibilia, utcumque manifestari foris, quanta devotionis pyra flagrabat intus. At huic cum accedebat corporaliter is, qui ignem venit mittere in terram, non aliter atque inter Seraphim videbatur sibi Rosa, ceu tota empyrea ambulare in medio lapidum ignitorum. Hinc in ipsius anima mirabiles illi effectus, tamque isti Sacramento connaturales ac proprii, quos nemo novit, nisi qui accipit. Jubentibus confessariis obtemperans Virgo, conabatur ex his nonnullos indicare ; sed pene in singulis hærebat verbis, causata vocabulorum inopiam, nec aliter de iis fari noverat, quam quod ineffabiles dictitaret. Aiebat tamen, ex virginea Dei carne in animam suam diffundi quamdam admirabilem mansuetudinem cælestis C Agni, simulque vegetari se inusitato robore ex nobilitate hujus nutrimenti, instaurari ac refici vires per quamdam velut novam transsubstantiationem sui spiritus in hoc divinum alimentum, suave, succosum, potentissimum ; interea clarescere in corde suo placidam altioris sphæræ serenitatem, pacem, temperiem nulla comparatione explicabilem. Porro de immensitate gaudii ex arcta unione cum Sponso amicissimo, de fruitionis altitudine, de spirituali sapore veræ dulcedinis, ubi gustatur in suo proprio fonte, de fructuum præstantia, copia, sagina, deque similibus, pigebat tentare quemcumque sterilis elocutionis modum ; sat erat in his, aut plane elinguem fieri, aut compendio protestari, nil esse jucunditatis, lætitiæ, jubili, in istoc mundo inferiori, quod vel umbratenus assimiletur gaudio istius pretiosi Convivii, ubi infinita animæ fames incidit in pastum Deo dignum, in cibum filiorum, in mamillam Verbi incarnati, quod solum esurientes replet bonis.

277 Ex ore Virginis hæc audierat confessarius P. M. de Lorenzana, qui adstans eidem jam moribundæ, dum pro extremo viatico sacram Hostiam in ecstasi sensim deglutiebat, hæc pauca D subjecit : « Filia, nunc fruere Sponso tuo, ac » sola cum solo deliciare, quia vere dulcissimus » est ; pete, ut more suo iisdem nunc bonis te » repleat, quibus solebat. » Alius itidem Rosæ confessarius meminerat dicere solitam, quod in sanctissima Communione sibi videbatur ipsummet e cælo solem in pectus recipere : nam quidquid sol visibilis operatur in mundo, dum luce et calore omnia recreat, dum terram floribus et fructibus obornat, dum maria unionibus, montium viscera gemmis ac pretiosis metallis ditat, dum aviculas cæli lætificat, plantas et animalia vegetat, omnesque vasti hemisphærii angulos diffusa amœnitate collustrat, succendit, deaurat, id totum in nudis animæ suæ spatiis efficere dominicæ Carnis realem præsentiam. Et forsitan ob id Virgini datum fuit divinitus, quod plerumque species sacramentales in ejus stomacho ad septem vel octo horas perdurarent, antequam ventriculi calore dissolverentur ; nempe ut interea sub hoc divino Sole fortius incalesceret devotum pectus, et vivifica Sacramenti conjunctione vegetius foveretur.

omnes in se effectus hujus cælestis Cibi,

E

quo sic confortabatur ac satiebatur,

278 Ne isti solares effectus omnino laterent abditi, providit Christus, dum ex ipsismet foras redundare fecit usque in Rosæ corpusculum duo prodigia, robur et saturitatem. Robur ex S. Communione deprehendit in filia mater : nam quotiescumque Rosa sacram Synaxim receptura templum adibat cum parente, ex pridianis jejuniis, flagris, ac vigiliis tam fessa, attenuata ac debilis erat, ut sæpe per viam [in] angiportis hinc inde fuerit utrique subsistendum, quoad lassa Virgo recuperaret anhelitum. Sed divinæ buccellæ refecta Pabulo, cum a templo redibat domum, præibat matrem, et hortabatur sequi, velut si in fortitudine Cibi illius usque ad montem Horeb *a* fuisset ambulandum. Corporalem vero ex Eucharistico passu saturitatem ipsamet Rosa tum confessariis, tum domesticis fassa est. Nam reversa domum, et vixdum evoluta palliolo, recta properabat ad secretum cubiculi, ibi in seram usque noctem se recludens, meditabatur suscepti beneficii magnitudinem, neque in ullius prodibat conspectum aut conversationem.

a

ut diu alimento corporali non indigeret.

279 Rogata cibum sumere, maxime quod pridiano exhausta jejunio videretur refectione indigere, meminissetque diem Dominicum a lege F jejunii exsortem esse, respondebat, præ ingenti satietate a Mensa Domini, alium se cibum admittere nondum posse ; adeo ut citra extremam vim et cruciatum, nec panis bolum glutire, nec aquæ guttulam sorbillare se posse adverteret. Ut ergo ita esse reipsa comprobarunt, desiere cibi mentionem importune ingerere ; sicque Virgo, cum sua saturrima inedia usque in vesperam, subinde in sequentem usque diem perseverabat. Accidit, quod Rosa per integram quamdam octavam, permissu confessarii, dictim altaris Sacramento pasceretur, et tunc quidem integro illo octiduo ab omni abstinuit corporali alimonia, eo quod superna illa saturitas non tantum reliqui edulii omnem abegerat appetitum, sed plane cujuscumque alterius alimenti reddiderat pro illo tempore incapacem. Simillima hæc sunt iis, quæ de S. Catharina prodit vitæ suæ historia ; ut pateret evidentius, uno utramque spiritu excelluisse.

Summa cum reverentia

280 Ceterum quanta religione solita fuerit Rosa venerari hoc Sacramentum, sicubi aut immolabatur in Missæ sacrificio aut prostabat ad-

orandum

A orandum in altari. utcumque supra attigimus. Missas quidem auscultabat omnes, quotquot in æde FF. Prædicatorum celebrabantur; his intererat usque ad meridiem tanta quiete ac silentio, quanto nec lapis in suo defigitur centro. Et revera proprium Rosæ centrum sacra Hostia erat, ubicumque eam poterat visu assequi; huc toto ferebatur amoris pondere, adeo ut horis integris vix (aut forte ne vix quidem) nictu unico cilia dimisisse, multo minus faciem vel ad momentum ab ara deflexisse notata sit. Noti ignotique pone transibant coram geniculata Virgine, ac fere incurrebant in oculos, nec tamen ipsa quemquam tunc norat, nec vel leviter movebat palpebras, intensissima iis, quæ gerebantur in altari, quorum intuitum forsitan alieni objecti intercursus nec obiter eclipsabat.

et immotæ mentis attentione

281 Idem Virgini erat immotæ attentionis tenor, quando in hierotheca expositum venerabile Sacramentum adorabatur a populo, ut fit in publicis XL horarum supplicationibus: illic, a mane usque ad vesperam continua et prorsus immota geniculatione hærebat Rosa oblita prandii, neque vel guttulam acceptabat in refrigerium, B contenta jubilo atque deliciis, quas percipiebat ex corporali Sponsi præsentia. Sic per totam, quæ festo SS. Corporis Christi appendet, solemnem octavam, integros illos dies transigebat coram patulo extantis Sacramenti tabernaculo, mirantibus præcipue confessariis, unde tam extenuato corpusculo vires suppeterent ad genuflexiones tam prolixas, continuas, arduas, cum dierum inedia sustinendas. Videbatur fortitudo lapidum fortitudo ejus, et caro ejus ænea, id quod invictissimus Job sibi deesse querebatur. Porro quatuor postremis vitæ suæ annis in majori (quam vocamus) hebdomada, quamdiu sacrum Christi corpus adorabatur clausum de more in monumento, nec noctu inde recedebat affixa tumulo Rosa; nec loco, ubi feria quinta genua fixerat, surgebat, donec postera die Parasceves divinus ille Thesaurus (cum quo semper erat cor suum) transferretur ritu solito ad tabernaculum. Interim esuriei, sitis, lassitudinis immemor, totâ occupabatur cum dilecto, ea quidem veneratione ac reverentia, ut toto XXIV horarum decursu, nec sedere coram illo, nec muro contiguo tantisper acclinari præsu-C meret.

adorabat hoc venerabile Sacramentum

282 Neque segnior erat ad cultum hujus adorandi mysterii, etiam quando extra conspectum erat. Quotiescumque in colloquio, seu proprio seu alieno ore nominabatur sanctisssimum altaris Sacramentum, Rosa, capitis totiusque corporis profunda inclinatione; reverentiam testabatur. Sicubi audisset eminus campanis signum dari ad ejus adorationem, vel sacris ejusdem solemniis tintinnabula præsonare, subitanea intimæ lætitiæ signa cohibere non poterat, quin cor et caro sua exultarent in Deum vivum. Succendebatur vividior in facie color, et exultabat spiritus ejus in Deo salutari suo. Auscultandis vero de ineffabili hoc mysterio solemnibus panegyricis nusquam satiari poterat, illosque semel auditos, pene verbatim post annorum interstitia recitabat mira felicitate memoriæ.

et ad illius ornatum strenue laborabat;

283 Nullus ei manuum labor jucundior erat, quam quo altare, tabernaculum, aut in majori hebdomada S. Sepulchrum veniebat exornandum. Hinc tanto devotionis studio suebat lintea, quæ CORPORALIA dicimus, mappas et pallas altarium, operimenta calicum bombycina, et quidquid textile ad sacram hanc supellectilem spectare poterat, omni pietatis ingenio, arte, elegantia conficiebat. Insuper vivis floribus neutiquam contenta, pretiosiores e filis sericis fingebat versicolori artificio; addebat ejusdem sumptus et operis ramusculos prasinos *b*, porraceos, herbidos, omnique viroris amœnitate variegatos. Non probabatur matri sumptuosa Filiæ devotio, ægreque ferebat tantum temporis subduci aliis Rosæ laboribus, qui parentes, et inopem familiam sustentabant. Itaque Virgo, ut matri satisfaceret, post diurni laboris pensum, aliquam noctis partem conficiendis altarium ornamentis seponebat. Verum et hoc patri spirituali (forsitan suggerente et exaggarante matre) visum Filiæ vires excedere; sed huic graviter respondit Rosa: « Nolim haberi tam delicata, ut pro » Sponsi mei ornatu unicæ noctis labor aut ni- » mius mihi sit aut molestus: quæ enim tam » socors aut otiosa fuerit nupta, cui durum sit » noctem impendere ornamento et cultui, quo ma- » ritus eget, ut postridie decenter in publicum » prodeat? »

A. LEONARDO HANSEN.

b

E

Imo. cum classis Calvinistarum

284 Denique erga SS. Eucharistiæ mysterium is Rosæ affectus erat, quo maluit pro illo sanguinem vitamque expendere, quam flores. Nec longe abfuit præsentanea occasio. Anno MDCXV mense Augusto, circa litora Peruana in oceano Pacifico hostilis comparuit Batavorum *c* classis, oramque totam improvisa exterruit. Ubique conclamatum ad arma, et interim clerus uterque (ut fit in publicis periculis) divina imploraturus præsidia, Limæ per omnes ecclesias sanctissimum Corporis dominici Sacramentum exposuerat palam, ad imbelli multitudine adorandum. Tandem, ipso B. Mariæ Magdalenæ sacro pervigilio, visa est formidabilis illa hæreticorum classis, acie disposita, in ipsum Limensis emporii portum (Callao indigenis dicitur) recta procurrere, velut in urbis excidium militares suas copias effusura in terram. Mox tota urbe trepidatum est, jussique cum civibus ecclesiastici arma corripere: siquidem certum erat, Calvinianum hunc hostem non solis incolarum fortunis et jugulis, sed et sacrorum profanationi, templorum spoliis, religionis exterminio sævissime inhiare. Inter hæc Rosa, quæ cum honestis matronis in ecclesia S. Dominici exitum horum tumultuum expectabat, soli metuebat prostanti in ara divinissimo Sacramento, cui utique sacrilegæ manus perfidæ gentis parcituræ non erant, fortasse nec pedes, quin illud ausu horrendo protererent, humique projectum rabie blasphema proculcarent.

c

F

ad littora Peruana appulisset.

285 Tristius interea nuntium supervenit usque ad Rosam, nempe inimicos fidei, ex alto navium in lembos, inde in arenam prosultare manipulatim, et ad portas civitatis globatim procedere. Inanem hunc rumorem ipsa publici timoris caligo pepererat; sed tamen sexum inermem, qui cum Rosa in templo substiterat, sic perculit, ut propemodum exanimaret. Sola Rosa, tantum abfuit, quod sibi metueret, fugamve aut latibulum circumspiceret, ut potius triumphanti similis ingentis lætitiæ signa cohibere nequiverit, rata nimirum adesse felicissimam, totque suspiriis optatam horam, qua posset pro honore prostantis ibidem sanctissimi Sacramenti vitam animamque profundere. Itaque socias obiter secum in D. Hieronymi sacellum traxit, illic exporrecto in hilaritatem vultu, pavidas hortari cœpit ad subeundum secum martyrium, occasio-

nem

nem hanc nimis pretiosam esse ac fortunatam, videlicet non quomodocumque, sed sub ipso sanctæ Hostiæ conspectu hostiam cadere, coram et pro divina illa Victima victimam cædi, pro exposito Christi Corpore animam exponere.

pro defensione ac veritate sacræ Eucharistiæ

286 His facie rutilante prolatis, exemit vagina forfices, sibique vestem, qua longior in terram defluebat, alacriter præcidit, manicisque in cubitum usque replicatis, quod reliquum erat tunicæ, intra cingulum, usque ad talos attraxit, cothurnos subere sublevatos exuit. Interrogata, quid ageret, quid sibi vellet hac novitate? « Ad agonem (inquit) me succingo; mi-
» hi nolo impedimento sint panni luctaturæ ac
» morituræ pro Sacramento; in brevi hac veste
» expeditior conscendam superiorem aræ crepi-
» dinem; illic pro Christi corpore corpus meum
» vulneribus objiciam, nec cedam, donec im-
» piorum bipennibus undique perfossa cadam,
» quinimo precabor hostes, ne uno ictu repente
» me conficiant, sed lenta crudelitate articula-
» tim copusculum hoc totum deartuent, inque
» modicissima frustula partes singulas commi-
B » nuant; ut dum in me excarnificanda occupa-
» buntur, differant saltem injurias, quas eheu!
» postea irrogabunt præsenti Sponso meo. »

sanguinem fundere parabat,

287 Hæc ita pronuntiabat, ut ex oculorum scintillis, ex impavidi vultus constantia, ex vivaci tono heroicæ vocis, ceteroque gestu animosæ Viraginis facile conjiceretur, Rosam pro Eucharistico altaris Agno leænam induisse: nec circumstantes feminæ suismet credebant oculis, videntes Amazonem, quæ hactenus non nisi viva mansuetudinis idea fuerat. Mirabantur, Virginem modestissimam in publico revoluto circa humeros pallio, veste curta, projectis crepidis, liberrimis brachiis, alto præcinctu, solisque rosarii globulis precariis ferociter obarmatam, spe martyrii ultro lacessere fatalem horam, ac morti pugnacissime minitari. Interim ipsa velut moræ jam impatiens, nunc experiri incessum, nunc ad aram sacramque Hostiam, mox ad ecclesiæ fores prospectare, si qua venirent hostes, quibus velocior ad altare convolaret, certa ibidem occumbere; jam venis arteriisque omnibus bulliebat Virgini sanguis effundi avidus; verum dum exspectat, dum agoni se præparat, dum socias exemplo, gestu, hortatu invitat, nuntiatur ho-
C stem longius abire a littore, et ita erat: nam
d archithalassus *d* morbo correptus, receptui cecinerat, ac paulo post a suis in rupe portui opposita sepultus est. Rosa, disploso aliorum metu, cœpit verecundari ipsa de brevitate truncatarum vestium, et ut decenter rediret domum necesse fuit in prædicto sacello noctem expectare cum dolore erepti martyrii, quamquam gratularetur patriæ liberatæ, ac præcipue inviolatæ templorum religioni.

et sæpe pro eadem martyrium subire cupiebat.

288 Defuit ergo non martyrio animus, sed animo martyrium, toties et ante, et postea votis ardentissimis exoptatum: nam crebro deflebat sortem suam, quod pro conditione sexus infidelium regiones adire non poterat, pro Christo millies mortem quæsitura: dolebat, se non illis temporibus locisque natam, ubi tyrannica persecutio Christianorum sanguine orchestras, fora, amphitheatra purpurabat; inæstimabilis sibi videbatur illorum felicitas, quibus datum fuerat ultima gutta sanguinis obsignare fidei characterem; sæpe cum gemitu dicebat familiari D. Franciscæ Urtado de Bustamante: « Utinam idonea ratio
» modusve occurreret adornandi fugam ad bar-
» barorum provincias, ut illic ab idololatris pro D
» Jesu Christo immanissime trucidemur. » Denique, cum aliud non poterat, oblectabat se imagine ac meditatione suppliciorum, quæ sigillatim omnia pro Sponsi amore desiderabat in se experiri. Ita cupiebat cum S. martyre Ignatio mundus Christi panis inveniri, pro illa charitate, qua Christus Panis angelicus fit panis hominum.

ANNOTATA.

a *Scriptor Vitæ hoc loco alludit ad historiam Eliæ, cui persecutionem Jezabelis fugienti cibus ab angelo allatus est, et qui in fortitudine cibi illius usque ad Horeb montem Arabiæ pervenit, ut lib. 3 Regum cap. 19 legimus.*

b *Græce* πράσινος *idem est, quod Latine* viridis *a colore porri, quod Græce* πράσον *appellatur.*

c Batavi *sunt veteris Germaniæ populi, qui nunc vulgo vocantur* Hollandi, *et quos biographus hoc loco designat.*

d Archithalassus, *id est,* princeps maris, *quod nomen ex* ἀρχὴ principatus, *et* θάλασσα mare *compositum est, et quo hic præfectus illius classis indicatur.* E

CAPUT XXII.

Eximius zelus pro salute periclitantium animarum.

Rosa solicita de salute barbarorum.

Quæ tam mascule ardebat circa mysterium, quo verum Christi Corpus velatur, non poterat mystica ejusdem membra negligere, sicubi videbat hæc ancipiti perdendæ salutis discrimini patere. Noverat æstimare animas ex infinito pretio, quo redemptæ sunt; hinc, quoties ad interiora meridionalis Americæ montana flectebat oculos, cruciabatur medullitus, illachrymans perditioni tot barbarorum, qui, post illa
nivosa altissimarum costarum *a* juga, formicatim *a*
innumeras, sed inaccessas convalles populabant, avita adhuc idolomania obcæcati. Deplorabat in-
consolabiliter vicinum Chili *b* regnum, ubi die- *b*
tim per myriades peribant animæ; ex quo feroces
incolæ, excusso regis et religionis jugo, red- F
ierant ad pristinæ gentilitatis vomitum. Nec solis suis occiduis Indis condolebat, sed quidquid nationum vastissimi Chinarum tractus, aut Orientis imperia continent, Rosæ quotidiana plangendi materies erant. Optabat visceratim discerpi, ac retis instar obpandi latissimæ viæ, qua tot miserabiles animæ ruebant ad infernum. Hic nimirum spiritus erat seraphicæ suæ magistræ, quæ et ipsa optaverat (si fieri posset) suopte corpusculo obturari gehennæ fauces, ne tam populosæ animarum catervæ illuc deinceps immigrarent, suæque frustrarent lytrum redemptionis.

unum ex confessariis suis hortabatur,

290 Accidit, unum ex Rosæ confessariis tractare de sua missione ad annuntiandum vicinis barbaris Euangelium. Hunc itaque ambire Virgo, hortari, stimulare verbis ardentissimis, obsecrare serio, nil metueret, maturaret iter, subveniret pereuntibus, Deo acceptius obsequium præstari non posse, apostolici pectoris et dignitatis id esse munus, cui divina adsistentia deesse nequeat; denique in tanti sudoris mercedem ac solatium sat fore, si vel unicum apud infideles infantem per Baptismi januam ad superos transmitteret.

A mitteret. Econtra ille experimentum quærens ejus, qui in Virgine loquebatur Christus, velut ambigenti similis extenuabat vires suas ceu tanto ministerio parum idoneas; exaggerabat difficultatem operis, famem, sitim, ferarum pericula, æstum, lassitudines, exilia, demum et venena, quibus gens illa truculentissima minimeque hospitalis in exteros fidei præcones sævire solebat. Verumtamen subdebat, plurimum se præsidii ac spei in Rosæ orationibus, jejuniis, ceterorumque bonorum operum fido suffragio collocasse.

ut imparvide missionem apud Indos institueret,

291 Hic Virgo, tametsi de suis piis operibus humillime sentiret, nihilominus, ut iturienti quantacumque poterat calcaria figeret, concepta ingenti fiducia promisit, universo exercitiorum suorum merito se illi in sancta expeditione succursuram, dummodo is vicissim pro rata ipsam participem vellet totius spiritualis lucri, quod ex infidelium conversione erat reportaturus. Annuit confessarius, utpote sat conscius, quanta coram Domino spirituum ponderatore esset Virgo, cum qua de mutuo fœnore paciscebatur. Sic tandem utrimque ex pacto conventum est, quod B Rosa huic confessario medietatem cederet omnium fructuum, quos interea ex toto bonorum operum exercitio se concumulaturam sperarat: ac vicissim ille dimidium lucri transcriberet Virgini ex conversione animarum, quas sua prædicatione in viam salutis erat attracturus.

et alios viros aptos excitabat ad idem opus,

292 Eodem fervore spiritus nitebatur pia Virgo religiosos viros (quotquot aptos noverat) ad gentilium conversionem succendere: præsertim sui Ordinis Fratres rogabat, monebat, obtestabatur, huc huc suos in litteris profectus intentione tempestiva destinarent; hunc generosum, præclarum, sublimem studiis suis finem scopumque præfigerent, ut residuis Americæ plagis, quidquid idololatriæ usquam supererat, profligent; ut in horreum Domini copiosos Indorum manipulos comportent; ut millenas animarum chiliades ab æternæ damnationis, voragine eripiant; non nimis hærendum esse in subtilitatum apicibus; non languendum circa inutiles vocularum controversias; male locari tot scholarum labores, tot noctes insomnes, tot disputationum clamorosas raucedines, si tantis parta sudoribus erudi- C tio proximorum saluti, fideique propagationi non impendatur, si ad metam inertis otii, ad vanitatem plausumque inanis pompæ, vel in temporario laureatæ frontis honore prætumidæ conquiescat, oscitet, desideat.

illud per se factura, nisi sexus obstitisset.

293 Asseverabat gravi sensu et impetu, se nisi feminam natura finxisset, hoc primum in votis fuisse habituram, ut decursa studiorum litterariorum encyclopedia, se totam missioni euangelicæ devoveret, cupida adire gentes ferocissimas, belluinas, anthropophagas *c*, dummodo suis Indis, adhuc gentilismo implicitis, opem ac remedium sua catechesi, sudore, sanguine impertiret. Nec sinebat Virginem tantæ commiserationis affectus quiescere: unde rationem excogitavit, qua (nisi morte præventa fuisset) sperabat in apostolicæ missionis negotio supplere per alium, quod per semetipsam præstare non poterat. Nimirum conceperat animo, adoptare sibi aliunde pupillum inopem, et undique desolatum, quem a primis unguiculis ipsa materno studio ad virtutem et litteras educaret ex piis familiarium sibi matronarum eleemosynis: huic puero mox a teneris proposuerat firmiter ac sensim implantare avida euangelicæ missionis desideria, cum parvulo gradatim adultura, ac interim providere, ut in pietate sacrisque disciplinis accuratissime formaretur, donec grandior factus ac sacerdotio rite initiatus jam censeri posset idoneus operarius ad laborandum in conversione gentilium. Tunc vero statuerat Virgo, hoc unicum ab alumno exigere diuturnæ alimoniæ maternæque solicitudinis præmium, iret, properaret ad gentes Christianæ legis ignaras, trophæum salutis in medio barbararum nationum erigeret, et quotquot posset animas a restibus diaboli strenue explicaret. Hoc supplemento credebat Rosa utcumque satisfactum iri generoso ardori suo, quo ultra femineam mensuram ac modum avida sitiebat salutem proximorum.

A. LEONARDO HANSEN.

Etiam malos Christianos monebat,

294 Nec tepidior ei zelus et cura fuit erga periclitantes Christianos, si quos noverat aut per culpam mortalem a statu divinæ amicitiæ infeliciter excidisse, aut capitali aliquo vitio ad certum interitum illaqueari. Pro his vere miseris quotidie cruenta sibi infligebat verbera, gemebat, suspirabat coram offenso Numine, nullique parcebat lachrymarum sumptui, ut talibus sinceram scelerum pœnitentiam vitæque seriam emendationem a Deo exoraret. Aiebat; si quoquo modo sibi licuisset prædicatoris fungi officio, utique se opertam horrido cilicio, nudipedem, squalidam interdiu noctuque per omnes Limensium vicos, et compita circumlaturam crucifixi Redemptoris imaginem, et ubique per fora, per trivia, per angiportus identidem clamore lugubri vociferaturam: « Resipiscite, o re- E
» sipiscite, peccatores; recedite a viis pessimis,
» quibus pecudum instar ducimini ad macellum
» stygii lanionis; fugite, declinate lubrica infe-
» licissimæ æternitatis præcipitia, qui unico eo-
» que incertissimo fugacis vitæ momento distatis
» a gehenna; agnoscite periculum, cui vos im-
» plicuistis, misereamini vestrarummet animarum,
» oves perditæ, quas bonus Pastor per spinas
» et tribulos, per sudores sanguineos, per vul-
» nera et crucem requirit, ut salvet; o festinate
» reverti ad hunc propitium Redemptorem, quem
» si nunc spernitis, nulla supererit in inferno
» redemptio. »

aut moneri curabat, u resipiscerent.

295 Hæc plerumque misericors Virgo tam luculento offerebat pectoris incendio, tantoque inflammati cordis affectu, ut non raro audientes compunxerit; F neque jam Rosa privatim inter familiares, sed Jonas inter Ninivitas videretur reipsa ordiri pœnitentiæ concionem. Aderat forte P. Fr. Antonius Rodriquez, titulo, gradu, officio prædicator generalis: ad hunc conversa Virgo, pari tum fervore tum fiducia (quam regebant modestia et charitas) sic illum affata est:
« Adverte, o Pater, quod divina clementia te
» esse concionatorem voluit, ut perditos ac
» obstipos peccatores ad frugem reducas. Igitur
» caveto, ne tuæ facundiæ dives talentum in
» plausibilibus acutorum conceptuum flosculis inu-
» tiliter consumas; apage hos inanium argutia-
» rum calamistros, facessant theatricæ ostentatio-
» nis cothurni et phaleræ; memineris, a Domino
» te constitutum piscatorem hominum, robustius
» tibi laxandum est rete in capturam peccato-
» rum; hoc age, obsecro, hoc unicum stude
» et conare, ut quam plurimas flagitiosas animas
» vorticibus eximas, ut ab ima vitiorum cha-
» rybdi perituros evoces, et ad salutaris pœni-
» tentiæ securum litus educas. »

296 Evehit, dum adhuc matri cohabitabat Rosa, juvenem genere, quam moribus nobiliorem

A. Leonardo Hansen.

et juvenem, qui libidinoso animo ad se venerat,

rem Vincentium Montesium Venegas in eadem platea haud procul a Rosæ ædibus sortiri domicilium. Is miratus Virginis eximiam pulchritudinem ; at una certus, nuptias sperari non posse, quærebat occasionem, qua saltem oculos liberius pasceret Rosæ dulcissima venustate. Igitur matrem adiit, prætexens aliquot sibi ex tenui carbaso pretiosis collaribus opus esse, hæc se velle a Rosa confici, quam constabat eo opificio victum parentibus lucrari. Sedebat labori manuum cum puellis intenta Rosa, cui mater innuit, audiret Vincentium, deque pretio ex more, et æquo coram se convenirent. Juvenis coram Virgine sedere jussus, comiter ex urbano ritu sciscitari cœpit, qui valeret, venisse se pro demandando opere conficiendorum aliquot collarium : petiit in singula quot ulnæ melioris telæ forent necessariæ, quibus impendiis, quo loco aptius emenda materies, intra quod tempus absolvi possit opus.

divinitus edocta redarguit.

297 At Virgo divinitus edocta secretum, quod corde premebat Vincentius, efflictim misereri cœpit fœtentis animæ, in qua stagnabant lubricæ juventutis impura desideria ; oculisque cum gemitu in cælum elevatis, « O (inquit) bone » Jesu ! quam longa nimis est patientia tua ! » tu vero, nobilis Vincenti, ignosce, et locum » da veritati, quam tibi dictura sum. Longe alias, » quam de collaribus, cogitationes versat cor » tuum ; vis ingenue tibi dicam, ad quid vene» ris ? At parco rubori tuo ; juveniliter agis, » et doleo vices tuas. Dole etiam tu, ac resi» pisce. Mendacium est, quidquid ad Deum non » ducit ; animam interimit, quidquid carni pe» tulanti lenocinatur. Agnosce, Vincenti, pericu» lum tuum, corrige animum vanæ oblectationis » nimio venatu districtum ; stude cautius am» bulare in semitis mandatorum Dei, ne pereas : » en, quidquid coneris tegere, non latuit Spon» sum meum intentio tua. »

et ad pœnitentiam adducit.

298 Hac improvisa Virginis concione ictus Vincentius, dejecit oculos, seseque introspiciens, aliquantisper obmutuit. Denique jam mutatus ab illo, qui paulo ante fuerat, sic Virginem affatus est : « Sentio in te loqui Christum, » qui solus me tibi sic detegere potuit, ut in» tima pravi cordis mei penetrares ; cedo igitur » pio et ignito hortatui tuo, sequar invitantem » ad meliora Deum, tu illum mihi propitium » fac reddas, ut, quod hodie in me cœpit, » perficiat. » Addixit Virgo suarum precum fida subsidia, comiterque dimisit hominem, qui exinde juvenilibus desideriis valefaciens, gravem ac sobriam vivendi rationem instituit, adeo ut singulis octiduis minimum semel animam suam Pœnitentiæ sacramento expiare, ac divino Epulo reficere adsueverit, lætus incidisse in Rosam, quæ et cælitus infelicis animæ suæ statum didicerat, et salubres aculeos seriæ compunctionis noverat opportune suffigere minus exspectanti.

Præterea mulierem iracundam corrigit,

299 Prodigium erat, siqua persona cuicumque vitio obnoxia Rosam accessisset, nec ab ea melior discessisset. Maria de Mesta, pictoris Medori Angelini conjux, impatientiæ ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo jam pene sibimet ipsi facta erat intolerabilis : quavis re minima turbabatur ac turbabat, manu prompta, minax clamoribus, et sonora rixandi intemperie totarum ædium implacabilis tempestas. Detumescente animi procella, dolebat interdum ac damnabat ipsamet suæ ferocitatis effrenem impotentiam ; at biliosa complexio, et assuetudo callum vitio induxerat. Aliorum suasu, an casu incertum, semel Rosam in hortensi cellula degentem invisit. Confestim Virgo, arrepta occasione, gravem ac nervosum de tranquillitate animi sermonem instituit, breves ac salubres acquirendæ mansuetudinis aphorismos *d* præscripsit, æquanimitatis ac patientiæ apta consilia ingessit, sicque instructam a se dimisit. Mira res ! femina ab illo die sedatior ac mitior, visa est induisse tractabile pacis ingenium, tolerabat corde quietissimo domesticos tribulos ac molestias, et, si repentino aliquo flamine succendebatur bilis, hanc sola recordatione mansuetissimæ Virginis, mira facilitate sopiebat, brevique eo pervenit in patientiæ studio, ut jam ultro a Deo plus ac plus adversitatum postularet. Sane Rosam verecundæ taciturnitatis amantissimam solus animarum zelus disertam fecerat ; nec umquam ei facundia defuit, qua sequelam virtutis, fugamque vitiorum efficaciter persuaderet.

Religiosi cujusdam vilem passionem e

300 Virum quemdam professione Religiosum illa non minus sordida, quam fatua ac monstruosa fumantis tabaci *e* ingluvies usque ad præsentissimam corporis animæque perniciem deduxerat, ita ut de utriusque remedio conclamatum fere putaretur. Os homini intus omnino fuligineum, camini speciem referebat, olidæ nares mucebant cremore favillaceo, atra nebula vexatum cerebrum stillabat in pectus, et obstructis pulmonibus raucum asthma vocalem obsidebat arteriam, nec tamen cessabat miser a noxio suctu accensæ fistulæ. Protestabatur medicus, dissuadebant, rogabant amici, demum prælati regulares severissimis inhibitionibus addidere mulctas, præcepta, dirarum ac censurarum fulmina ; sed incassum, quia contumax vitium, triginta et trium annorum possessione ac mora, nimium invaluerat, nec videbatur aliud pereunti superesse remedium, nisi quod Rosa post tot aliorum hortamenta, consilia, invectivas, post tot Superiorum correptiones, minas, clamores, suam exereret ardentioris facundiæ mirabilem suadam, hominique loqueretur ad cor, et ejus saltem animæ salutem omnipotenti Numinis dexteræ commendaret.

ac inveteratam consuetudinem.

301 Facile annuit Virgo, miserta periclitantis ; maxime quod sciret, ipsum non jam obstinatione voluntaria, aut obedientiæ contemptu, sed sola infirmitate resistendi violento ac annoso vitio, sic obbrutuisse in absurditate intemperantiæ omnium vecordissimæ. Et ecce, a Virginis alloquio vix quinque dies effluxerant, quando virum invasit omnimoda tabaci nausea, mox et horror, ac vehemens abominatio, ita ut deinceps non modo facillime sese abstinuerit sorbitione tubi cretacei *f*, sed neque amplius sufferre potuerit odorem hujus infaustæ fornaculæ, quam deliciis et cupediis humanæ fatuitatis accensere is solus potuit, qui Job 41 sic depingitur : « De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ » succensæ : » et denique hic etiam per Europam invenit, qui secum fumos helluentur.

morbosque inde ortos oratione sua tollit.

302 Rosa in unico sanavit hanc insaniam, curatura plurimos, ubi rite fuerit implorata. Neque hic stetit Virginis beneficium : simul cum vitio inveteratum asthma pectoris, hæmorrhagiam *g*, flatuumque tormina depulit, quibuscum miser ille per annos plus minus quatuordecim fuerat colluctatus. Quin et usque ad animam transiit energia saluberrimæ correctionis : nam mens illa ad sobrietatem mirabiliter revocata, cœpit tractare attentius æternæ salutis negotium, emun-

A emundare conscientiam, reformare ignavos mores, veternum excutere, gratulantibus cunctis, qui umquam antea in tabe illius vitii putrescentem defleverant. Nempe sic Rosam exaudierat, qui novit totum hominem sanum facere in Sabbatho.

et alium morti proximum..

303 Unum addidero et finiam. Pater F. Petrus de Loaysa Dominicanus, probe conscius zeli et charitatis, qua flagrabat misericors Rosa in opem periclitantium proximorum, indicarat Virgini, decumbere in cœnobio, cumque mortis angoribus trepide luctari N. ejusdem instituti Religiosum, a medicis pridie derelictum; addebat, torqueri ægrum urentibus scrupulis, affligi non certitudine vicinæ mortis, sed incertitudine vitæ melioris, eo quod meritis se vacuum agnosceret, contremiscere pavidum, ac sudare ad continuam severi Judicis, quem aditurus erat, memoriam; denique subverendum esse, ne nimia formido graviori periculo implicet desolatum.

qui ob imminens Dei judicium nimis anxiabatur,

304 Intime hæc sauciabant cor Virginis, prompto compassionis affectui tam flexile ac morigerum : unde actutum injunxit Petro, infirmum adiret, suoque ex nomine juberet fidentius sperare de immensa optimi et benignissimi Numi- B nis misericordia : se quidem precaturam pro felici ipsius transitu, at simul ex nunc offerre se de suorum piorum exercitiorum qualicumque censu, quidquid moribundo ad supplendam meritorum vacuitatem opus sit, imo totum is sibi vendicet, et, si quod bonum opus a Rosa umquam per totam illius vitam hactenus prodierat, integre a se in ægrum dono liberrimo translatum velle, hoc ipse, velut suum, Judici exhibeat, desinatque interim abjecte et humiliter sentire de magnifica liberalitate Altissimi. His ad plenitudinem solatii adjecit, velle se (modo Deus permiserit) ab obitu conveniri a defuncti anima, ut si forte ulterioribus suffragiis eguerit, statim adjuvetur.

de salute æterna securum reddi jubet.

305 Fideliter universa ad infirmum retulit Petrus, et confestim immodicus ille pavor gaudio lætioris spei locum cessit; acceptavit æger munificam Rosæ largitatem, haud ignarus, quantum opulentiæ in dono tot meritorum lateret; sicque munitus demum salutaribus Sacramentis, conceptaque ingenti salutis fiducia, tranquil- C lum, placidum, serenum spiritum reddidit Creatori, pactus ante cum Petro, quod tam ipsum, quam Rosam a morte inviseret, si eam sibi facultatem Dominus indulgeret. Verum post fratris decessum non levis cura momordit Petrum, quid esset, quod juxta condictum defuncti anima non comparebat. Sed exemit solicitudinem Petro secura Rosa, dixitque cum defuncti anima feliciter ac bene agi, jam illam regioni lucis adscriptam frui perenni refrigerio, ut ei nequaquam opus fuerit redire ad alterutrum, pro stipe suffragiorum emendicanda. Nimirum tanto viatico illam hinc abeuntem ditarat profusa misericordis Rosæ liberalitas, cui nil tam pretiosum aut charum esse potuit, quod animarum saluti non impenderet.

ANNOTATA.

a Costæ *sunt in humano corpore ossa illa, quæ spinæ cohærentiam, intestinaque suo complexu coercent, ut notum est. At hic videtur, nomen illud usurpari pro clivis aut lateribus montium; quo sensu Persius* costam montis *appellavit.*

A. Leonardo Hansen.

b Chile *vel* Cile *est ampla Americæ regio, per quadringentas leucas Gallicas a Septemtrione in Meridiem extensa, quæ terminatur a Septemtrione Peruvia, ab Occidente mari Pacifico, a Meridie Magellanica regione, et ab Oriente Tucumania. Joannes Latius lib. 12 Indiæ Occidentalis cap. 1 et sequentibus ampliorem hujus regionis descriptionem exhibet, ei mappam geographicam præfigens.*

c Anthropophagæ *vocantur illæ nationes, quæ carnibus humanis vescuntur, ex origine Græca* ἄνθρωπος, *id est,* homo, *ac verbo* φάγω, *quod est* comedo.

d Aphorismus, *Græce* ἀφορισμὸς, *est sententia, quæ omnes rei proprietates brevissimis verbis complectitur. Alii propterea definitiones appellant, quales in re medica sunt aphorismi Hippocratis. Hoc nomen etiam ad brevem notitiam aliarum scientiarum transferri potest.*

e *Hæc herba Indica, jam per Europam passim nota et usitata, primo nomen accepit ab Americana ejusdem nominis insula, in qua potissimum crescebat. Medici Lugdunenses apud Menagium in Dictionario etymologico ad vocem* tabac *de hac herba sic scribunt :* Quemadmodum E hortis omnibus magno est ornamento, ita facultatibus insignibus celeberrima est herba, quam PETUM ab Indis vocari refert Thevetus, Nicolaus Monardus PICIELT; Oviedus in Hispaniola insula PETEBECENUC. Hispani TABACO nominarunt ab insula quadam ejus nominis, in qua frequentissima reperitur. Galli, quod Joannes Nicotius, regius aliquando in Lusitania orator, ejus semen primus ad reginam, regis Galliæ matrem detulerit, illiusque facultates docuerit NICOTIANAM et HERBAM REGINÆ nuncuparunt. *Porro Menagius in eodem Opere ad vocem* Nicotiane *hac occasione satyricum epigramma contra Catharinam de Medicis reginam Galliæ refert. Similia de nomine hujus herbæ in Trivultiano linguæ Gallicæ Dictionario legi possunt. Hinc colligimus, cur Baudrandus in Geographia sua insulam* Tabago *etiam* Nicotianam *vocaverit.*

f *Tubus ex creta confectus est instrumentum, quo fumus tabaci bibitur, sicut Europæi æque ac Indi jam norunt.*

g Hæmorrhagia *Græce* αἱμοῤῥαγία *est copiosus immoderatusque sanguinis effluxus, ab* αἷμα sanguis, *et* ῥέω fluo. *De variis hujus morbi causis et* F *effectibus consule medicos obvios, si lubet.*

CAPUT XXIII.

Corporalia misericordiæ opera proximis impensa.

Sancta esurit. ut egenos pascat,

Mirabitur, quisquis legerit, Rosæ pauperrimæ funus publicis mendicorum Limensium ejulatibus, threnis, lachrymis fuisse celebratum, vociferante egenorum turba, veram pauperum nutricem ac matrem fato acerbissimo, et præmaturo sibi ereptam fuisse. Quid enim tenuium parentum inops filia partiri aliis indigentibus potuit, vix sibi, alendisque genitoribus sufficiens? et tamen sibimet necessaria subtrahens dispersit, dedit pauperibus, ac memor cælestis Lapicidæ, qui (ut relatum supra cap. XI inter dotalia pacta solicitudinem alendorum parentum a Rosa in se transtulerat) ipsa de consensu matris manum suam aperuit inopi, et palmas

A. LEONARDO HANSEN.

mas suas extendit ad pauperem, cum his dividendo eleemosynas, quas insperato receperat. Semel cujusdam occulta seu arcta necessitas ad virginem relata fuit, sed cum aliud, unde subveniret, ad manum non esset, octo dierum alimoniam (contenta interim solo pane et aqua) sibi detraxit pro egentis subsidio.

et telam sibi datam inter inopes distribuit.

307 Alia vice Gaspar Flores Virginis pater sat grande volumen candidioris telæ (donatum, an emptum nescio) domum attulit, ut inde conjux Maria de Oliva sibi, gregique tot filiorum de omnibus, quæ ad munditiem spectant, copiosius provideret. Illa sciens filiam Rosam, pro ægritudinum frequentia ac munditiei studio, pluribus ex eodem lino indigere, seorsim huic notabilem illius telæ partem (XXXVI ulnæ erant) attribuit, ut ipsamet sibi pro arbitratu ad usus proprios sudaria, pepla, fascias, gremialia, vela, mantilia, tegmina, vittas, cervicalia, mappas, omnemque necessariam candidi nitoris supellectilem formaret, ac sueret. Rosa, vel admirata munus tam copiosum et affluens, vel ut humilius parenti gratias ageret, « Mihine (in- » quit) omnem hanc lini portionem donas ma- B » ter? » Respondit illa : « Tibi, filia; utere prout » lubet, fac inde, quæ vis. » Arripuit Virgo postrema hæc verba, statimque nec palmo illius telæ retento sibi, totam donavit secreto duabus virginibus tam genere, quam virtute nobilibus, at pauperrimis, quasque noverat, clam domi ingentem rerum omnium penuriam pati.

matrique id ægre ferenti

308 Mater, ut vidit filiam nil minus, quam de conficiendis sibi linteis cogitare, suspicata quod erat, causam quæsivit, cur traditam sibi telam candidam, subtilem, bonam tardaret suis aptare usibus? Respondit filia : « Jam aptata est, » ut aptari melius non possit, quinimo nunc » primum illa decore canduit, ex quo in eleemo- » synam conversa est. » Replicuit mater : « At » ego tuis impendi usibus præceperam, solicita, » ne quid desit, quando infirmaberis. » Subrisit Virgo et « Nonne (ait) potestatem mihi di- » serte fecisti utendi, ut vellem? Usa sum, nec » mihi deinceps, ubi decubuero ex morbo, » quidquam defuturum puta : Dominus abunde » providebit. » Ita plane accidit : nam paulo post a maternis ædibus translata in dominæ Mariæ Usategui contubernium, pietate matronæ linea C supellectile adeo non eguit, ut etiam abundarit. De hac Virginis in divinam providentiam admiranda fiducia seorsim capitulo sequenti.

(hujus etiam pallam pauperi virgini dederat)

309 Possidebat Rosæ mater in suo mundo muliebri duas pallas, seu oblonga et a vertice in terram usque demissa pallia, femineum ac decens tegumentum, quotiescumque proceditur in publicum. Horum alterum domi forte in sedili a matre depositum conspicata Rosa, libere corripuit, et inopi cuidam virgini donum fecit. Mater, ubi frustra totis ædibus suum requisivit pallium, suspicionibus indulsit, pene usque ad temerarium judicium, quod vicinorum aliquis clam irrepsisset domui, pallamque neglectim a sede pendulam sublegisset. Filia, ne quos innocentes oneraret furti imputatio, lepide affata matrem, « Quid (inquit) jacturam tuam incertum- » que authorem dubitabunda incusas? Ecce me » pallii tui furem domesticam, sed innoxiam, » quia plus tibi proderit amissa palla, quam si » intactam possideres. Hanc interim ego dona- » vi Montoyæ pauperrimæ, quæ, quod hujus- » cemodi veste careat, ecclesiam decenter adire, » Missisque et concionibus adsistere non potest. » Tibi, o Mater, alterum superest pallium no- D » vum adhuc fere intactum, quod priusquam vel » modicum veterascat, divina bonitas non uno, » sed pluribus te palliis ditabit. »

remunerationem cum fœnore promittit.

310 Evenit, quod Virgo prædixerat; nam exigui temporis interlapsu, vir illis in ædibus numquam antea visus, nec aliunde cuiquam illic domesticorum notus, intravit, Rosæ matrem poposcit, eidem quadraginta libras argenteas pro novo pallio coemendo porrexit, abiit. Similiter iisdem fere diebus D. Maria de Sala ultro per famulum misit serici subtegminis aptam materiam, quanta conficiendæ novæ pallæ sat erat. Denique ejusdem materiæ totidem ulnas, quæ pallio muliebri sufficerent, devota persona obtulerat Limano Fratrum Prædicatorum Conventui; hic Rosæ matrem ea donavit : sic intra pauculos dies Maria de Oliva pro unico suo pallio, quod Rosa egenæ Montoyæ dederat, tria recepit nova ac meliora, didicitque animosius fidere tum vaticinio Filiæ, tum providi Numinis largitati.

Egenam ægramque nobilis prosapiæ virginem

311 Extra mœnia in extremis Limanæ urbis promœriis habitabat Joanna de Bobadilla et Azevedo, virgo illustris parentelæ, sed orphana, ac virtute, quam censu ditior : nam amissis parentibus, in arcto res erant, miseramque sat E premebat occulta frugalis œconomiæ angustia. Accesserat in afflictionis cumulum vorax et purulentus sub mamilla cancer *a*, qui lividis ac tabificis incrementis vergebat in carcinoma *b*, et, tardante remedio, exitium minabatur. Joanna, tam inops consilii, quam periculo et calamitati impar, non inveniebat rationem, qua discrimini occurreret citra pejus discrimen : nam ut eo, ubi habitabat ultra amnem, quotidie accerseret ex urbe medicum, obstabat viæ longinquitas; nec enim tunc (uti hodie) Limæ amplitudo usque ad illa ulteriora trans fluvium spatia procreverat; sive ad lentam curam migraret tantisper in civitatem, deerant peregrinæ et inopi sumptus, quibus semestre hospitium conduceret. Fuit, qui gratis offerret ædes suas; at honesta et timida virgo se ignotam ignotis credere noluit. Demum oranti in templo S. Dominici Rosæ innotuere omnia, sibique hanc desolatam et perplexam reservari mox intelligens, modum, quo subveniret, prompte invenit.

in domo materna curari jubet.

312 Joannam secreto adiit, metum anxietatemque ponere jussit, vacare in maternis ædibus locandum pretio conclave idoneum, et usui F peropportunum, eo concederet, ac de menstruo locationis sumptu pacisceretur cum matre, sibi deinde curam procurandæ solutionis totam relinqueret. Patuit Joanna, et insperatum beneficium verecunda hilaritate acceptavit. Hilarior tamen fuit Rosa, quod talem nacta esset, cui tam occulte, et pie viscera suæ misericordiæ impertiret; sicque fidens divinæ providentiæ, reperit, quod in singulos menses clam Joannæ adferret in exactam solutionem hospitii, pacta dumtaxat silentii fidem. Post menses quatuor aut quinque Joanna integre convaluit suumque foris habitaculum sana repetiit, hoc unum dolens, quod hospitæ palam referre grates minime liceret. Verum post Rosæ obitum, soluta promissæ taciturnitatis vinculo, beneficium liberrime omnibus, prædicavit.

et quibuslibet infirmis,

313 Rosæ, quoad matri convixit, nil jucundius accidere poterat, quam si permitteretur, cujuscumque sortis aut conditionis pauperes personas morbis afflictas, paternis inferre ædibus,

ut

A ut illic suismet manibus assidue ministraret languentibus : nec solius tecti, cubilis, strati, sed et medicamentorum, ciborumque solatio egentes affatim reficere conabatur. Sicubi in vicinia aut nota domo rescivisset, quodcumque vile mancipium ex ægritudine decumbere, ac negligentius haberi, sibi confestim illius deposcebat curam, multisque precibus exorabat matrem, annueret, languentem in suas ædes deportari ad curam solicitiorem. Recusabat interdum austera parens, quod existimaret, Filiam raro sanam ac jugiter valetudinariam, priusquam in aliorum curam se intromitteret, debere charitatis ordinem a semetipsa auspicari, suæque magis, quam alienæ valetudini prospicere. Subinde tamen, ne misericordem immisericorditer contristaret, ei indulsit pro domestica sua tenuitate operari, quæ posset, non quanta vellet.

314 Mox illa primo obvium mendicabulum invitabat ad lares proprios, huic abstergebat, ungebat, alligabat purulenta ulcera, hujus mundabat vestes, reficiebat laceros pluderones *c*, repurgabat subnatas plicatim sordes, lavabat pedes et impetiginosum verticem, nullique ministerio deerat, quo illius fami, siti, pressuræ levamen adferret. Nec (quod fere illi regioni præter morem est) ullum Virgini discrimen erat originis aut nationis, quin ex æquo et indifferenter egentibus Hispanis, et Indis, Æthiopibus, candidis, mixtisque (quas Mulatas *d* vocant) prompta charitate succurreret. Pari commiseratione vernaculas, peregrinas, serviles, ingenuas, notas, ignotas, agrestes, et indigenas prosequebatur, solo evidentioris indigentiæ respectu habito. Inter has vero mendicas ac miserabiles nulla tam pannosa aut sordida, nulla tam deformis aut ulcerosa, nulla aspectu horribilis aut intolerabilis fœtore, quam Rosa vel dedignari posset, vel præ nausea aversari. Nulla ægritudo tam putrida ac fœda, nullum ulcus tam tetrum aut saniosum, nulla scabies tam crustosa aut fluida, cui Rosa medelam, famulatum, curam offerre, cui virgineas admovere manus, dimovere spurcitiem, applicare, mundare, mutare emplastra *e* defugeret. Hac ambitione pia Virgo obibat mulierum valetudinaria, quotiescumque honestæ comitivæ aderat occasio; quærebat per ambulacra infirmas præ ceteris horridas, magisque porriginosas, his mira alacritate componebat lectulum, eluebat vasa, parabat edulia, neque tam vile, tetricum, abjectum obsequium commodari infirmis poterat, quod non ipsa ultro prensaret.

eliamsi sordido morbo laborarent, *c* B *d* *e* C

315 Accidit, die quadam ab infirmæ mulieris cura Virginem tantisper ad maternas ædes divertere : sensit curiosa mater in veste filiæ insolitam mucidi putoris graveolentiam : inde conjecto in illius togam attentiori oculo, notavit, hinc inde respersim aliquid purulentarum sordium fortuito adhæsisse pannis ex aliena sanie, quam Virgo in detersione ulcerosæ mulieris inscia contraxerat. Indignata parens substomachabatur filiæ; « Quorsum (inquit) hæc tuimet incu» ria? Non quidem ad hoc tibi religiosus iste » candicat amictus, ut eum alienis spurcitiis de» venustes, neque te Rosam appellavimus, ut » sic oleres : quando te murinis ac suaveolen» tibus chirothecis uti jubebam, repugnasti par» vula : at nunc adulta, si musco fragrare non » vis, muco saltem ne fœteas alieno. » Subrisit Virgo, blandeque subintulit : « Christi bo» nus odor sumus, dum ministramus infirmis; » charitas delicata non est, nec proximum fasti» dit, memor, nos omnes ex eodem esse luto ac » cœno; mortalitate hæreditaria cuncti putresci» mus, nec est, qui suæ corruptionis non circum» ferat sentinam : itaque, mater, parum putato, » quod tunicam obiter maculavi improvida : » longe fœdius ipsum Redemptoris vultum rheu» mata, sputa, salivæ turpium carnificum, pro » nostris sceleribus deformarunt. »

officiosissime inservit.

A. LEONARDO HANSEN.

316 Aliud in hoc genere vix imitabile præstitit Rosa, quod silendum non est. Decumbebat in ædibus viduæ D. Isabellæ de Mexia quædam ex domesticis famulabus, putri humore, febriumque æstu prætumida; hujus ministerium et curam, utpote in familiari domo permissu matris, sibi Rosa assumpserat. Contigit, ex medicinæ consilio ægrotanti phlebotomiam adhiberi, extractumque vena sanguinem in angulo seponi, dum medicus ad eum inspiciendum rediret. Tardavit is ultra biduum, atque interea sanguis ab ipsa scaturigine jam notatus de putredine, horridius obputruit, seroso virore, flavis nigrisque maculis ac ramosa sanie undequaque pinguis et decolor. Tandem adfuit medicus, obiterque examinato sanguine, ac notatis in eo periculosi morbi criteriis, fœtentem massam de more projici imperavit. Rosa pro compassionis affectu diligentius pelvim, qua coagulus sanguis asportabatur, intuita, sensit ab imo fundo sibi everti stomachum, alterari in faucibus salivam, totisque se visceribus in vomitum propendere. Dissimulavit, ut potuit, famulumque propere cum pelvi abeuntem rogavit, hanc sibi ferendam tradi, se non tantum vacuaturam, quod inerat, sed insuper vas ipsum nitide mundaturam.

et semel de nausea sua E

317 Facile consensit homo, tali se putore exonerari. At Virgo sibimet indignata, quod horruisset, cum pelvi clam secessit in angulum foras, ibique semetipsam dure objurgans, « Ita» ne (inquit) strenue ac serio studuisti dilectio» ni proximi, ut nauseæ tibi sit miserabilium » infirmitas? Hoccine te docuit seraphica tua ma» gistra? Sic nondum didicisti omni hac putre» dine te viliorem esse ac putridiorem; veni de» licata, veni tenellula, experire melius, disce » plenius, num te deceat sic fastidire miseram » et coæqualem tuam, in qua non minus, quam » in te ipsa, splendet imago tui Creatoris. » His cum fremitu in se prolatis (obstrue nares lector) pelvim ori apposuit, totumque illum saniosum cruorem (dicam, an cruentam saniem) ausu heroico sensim epotavit; mox panno, ne quid in labiis residuum notari posset, os abstersit, ac pelvim elutam, defricatam, nitidam reportavit. Latuit ejus matrem generosum facinus, at Isabellæ (Deo mirabiliter disponente) innotuit, quæ et pannum, quo Virgo labia deterserat, fortuito demum inventum, studiosius in facti memoriam asservavit. Deinceps nemo (opinor) dubitabit, Rosam B. Catharinæ Senensis fuisse germanam discipulam.

eximiam victoriam reportat. F

318 Hinc sane credibiliora fiunt, quæ sequuntur. Quæstori Gundisalvo, tum communione officii, tum pari virtutis et amicitiæ studio necessarius intimeque familiaris erat Joannes de Tineo Almianza, regiæ (quam vocant) cameræ chartophylax *f*, et Quitensis *g* tribunalis supremus circitor *h*, vir pietate ac religione spectabilis. Hic, ut erat in quæstoris ædibus frequens ac pene domesticus, ibidem ex negotiorum occasione Rosam persæpe viderat, sæpius de illius sanctimonia vitæque singularitate mira audierat, ita

Ægrotantem hospitis sui amicum invisens, *f g h*

A. LEONARDO HANSEN.

ita de Virgine sublimiter, ut dignum erat, sentiebat, præsertim quod sciret, Gundisalvum Rosæ precibus meritisque pluries gravissimis infirmitatibus fuisse liberatum. Contigit, Joannem ex cruciatibus stomachi periculose ægrotare, ita ut accito confessario, tamquam vitæ incertus animam per exomologesim duxerit expiandam. Interea memor viscerum charitatis, quibus erga ægrotos norat Virginem abundare, summis precibus egit per quæstoris conjugem, ut Rosam adduceret in tanto sibi periculo bene precaturam. Evicit tandem illa, accedente confessarii nutu, ut Virgo quæstoris uxori se comitem fore promitteret ituræ ad ægrum invisendum. Obstabat, quod Rosæ pro pudore virgineo durum et insolitum erat, viri, quamquam familiarissimi et infirmi, subire conspectum; at superabat tum pia commiseratio, quæ negare justa solatia ægris nesciebat, tum humilis obedientia, quam Rosa Mariæ de Usategui, velut secundæ matri, deberi agnoscebat.

cum statim morbo liberat;

319 Itaque his tuta præsidiis, cum honestissima matrona et pedissequis in viam se conjicit, prius tamen ad ædem sancti Dominici Missæ sacrificio interesse voluit, ac interim præmisit, B qui nuntiaret ægro, se, uti petierat, a templo mox ei cum matrona adfuturam. Sensit infirmus illomet puncto temporis, quo nuntium acceperat, dolores suos mitigari. Intravit denique Rosa jacentis cubiculum, salutavit ægrum, sed ea compassionis ac misericordiæ dulci affluentia, ut nec circumstantibus sanis ambiguum fuerit, loqui in modestissima Virgine Deum totius consolationis. Verum Joannes vultu Rosæ observato, notavit in eodem majestatem angelicam, tesseram pacis, et vivam spem incolumitatis. Nec mora; confestim omnis dolor evanuit, infirmum somnus, qui omnino diffugerat, placide corripit, mox altum obdormiscens (Virgine interim cum comitibus domum reversa) integre sanus evigilavit. Compendium id fuit, quo Rosa celeri adjuta miraculo, nec deesset operi misericordiæ, nec in alienis ædibus præter Virginum morem diutius hæreret. Nec minor ipsi cura fuit citissime abeundi, ut plausum effugeret, quem merito timebat.

imo charitas ejus ad bruta animalia se extendebat.

320 Plura hujuscemodi curationum miracula in alium tantisper locum tempusque differo; hic, ubi de sola Rosæ misericordia agitur, unum adjicere fas esto, sed lepidum : nam usque C ad bruta animantia clemens Rosæ suavitas et tenera extendebatur commiseratio : siquidem teste Salomone Prov. 12 « Novit justus jumentorum » suorum animas, viscera autem impiorum cru» delia. » Erat Mariæ de Oliva in suo domestico gallinario miræ pulchritudinis pullus gallinaceus, ludebat in ejus tergore et alis versicolor et amœna striatarum plumarum varietas, collum quædam velut purpura decore incinxerat, postrema corporis pro pennarum arcuata venustate in iridem videbantur desinere; denique toti domui una hæc speciosa bestiola in deliciis erat, gaudebantque omnes hanc a matrefamilias nutriri et asservari in spem sobolis, quando crevisset : nam sperabatur illi simillimos fore pullos, quos procrearet. Crevit pullus, sed ea inerat ventricoso pigritia, ut jugiter cubarit humi, et vix umquam visus sit ultro in pedes attolli, numquam auditus cucurire. Pertæsa mater, quod crederet frustra ab ignavo progeniem exspectari, in mensa coram marito et filiis constituit, illo vespere pullum cetera inutilem jugulare, ac postridie comedendum apponere. D

ut lepido exemplo demonstratur.

321 Hic adstans juvencula Rosa miserta est bestiæ, et innocenti simplicitate conversa pueriliter ad avem; « Canta, (inquit) mi pulle; » canta, ne moriaris. » Vix Puella verbum protulerat, cum sub oculis omnium pullus repente assurrexit in pedes, alisque fortiter excussis, canore et hilariter cucurivit. Mox altis ac prætumidis passibus totum conclave perambulans, ad Rosæ nutum pluries toto distento pectusculo alacriter cantavit. Risere, quotquot aderant, revocata subito mortis sententia, plaudebat cantu repetito pullus cum plaudentibus, spatiabatur velut alte præcinctus, colloque arrecto stridulus identidem renovabat domesticorum acclamantium cachinnos. Exinde sæpius per diem sonoris cantibus implevit viciniam; numerabat vices familia, et nonnumquam quindecies cantasse brevi horarii quadrantis spatio, deprehendit. Neque spem matrisfamilias fefellit, cui nimirum paulo post a pulcherrimo hoc gallo pulcherrimi fuere pulli. Tantum vel in bruti animalis salutem valuit unica vox miserentis Rosæ. Profecto et hic quæri posset : Quis dedit gallo intelligentiam, qua obediret sanctæ Puellæ jubenti jugulum dare cantui, E ne daret cultro? Sed ad graviora.

ANNOTATA.

a Cancer *est morbus atra bile effervescente proficiscens, tum alias corporis partes, tum frequenter mammas mulierum infestans. Dicitur* cancer *a similitudine cancri piscis, eo quod paulatim serpat, vel pertinaciter hæreat instar cancri, qui aliquid chelis suis apprehendit. Alii hanc appellationem a figura cancri animalis desumunt, inter quos Castellus in Lexico medico tradit sequentia :* Venæ in ea parte manifeste apparent, sanguine nigro et crasso plenæ atque tumentes, ita tumori circumpositæ, ut cancri figuram referre videantur. Siquidem tumor ipsi cancri corpus, venæ tumidæ crassæque ejusdem pedes oculis repræsentant.

b Carcinoma *est species cancri, de cujus periculo et remediis obvii medici consuli possunt. Etiam hoc nomen metaphorice pro vili vel fœdo homine sumitur, quo sensu humilis Virgo nostra* F *superius num. 46 se ipsam* abominabile generis humani carcinoma *appellavit.*

c *Vocem* pluderones *apud scriptores Latinos et Græcos frustra quæsivi. Tamen ex sensu conjicio, per eam hic viles vestes indicari.*

d Mulati *ab Hispanis vocantur ii, qui ex parentibus Africanis et Indis mixtim nati sunt; qui vero ex Hispanis et Americanis* Mestizi *nominantur, ut in auctiore Cangii Glossario ad has voces fusius videre est.*

e Emplastrum, *Græce* ἔμπλαστρος, *teste Gorræo, est* medicamentum in massam coactum, quod præmollitum vulneribus imponitur. *Differt a cataplasmate, quod emplastra crassiora et sicciora sint, ut laudatus Gorræus in Definitionibus medicis pag. 214 asserit.*

f *Tum in negotiis ecclesiasticis, tum in secularibus* chartophylax *est custos chartarum seu præfectus scriniorum, qui privilegia et similia asservat.*

g Quito *est provincia et urbs Americæ, in qua est conventus juridicus et episcopalis cathedra, quemadmodum Joannes Latius lib. 10*

Indiæ

A *Indiæ occidentalis cap. 6 et 8 fuse exponit.*

h Circitor *vel* circuitor *olim a præfecto Romæ constitui solebat, ut urbem circuiret vel custodibus ejus invigilaret. Suspicor, hic ob similitudinem officii virum illum vocari* circitorem, *quia observare debebat, an ministri tribunalis Quitensis munere suo fungerentur.*

CAPUT XXIV.

Magna hujus Virginis in Deo fiducia, cujus fructum sæpius in suis suorumque necessitatibus experta est.

Sancta firmiter Deo confidens,

A prima pueritia Rosam suam prævenerat Christus in benedictionibus dulcedinis, edocens confidere in adjutorio Altissimi; unde per totam deinceps vitam securissima erat, se jugiter B in protectione Dei cæli commorari. Hinc tantopere afficiebatur initio Psalm. 69 « Deus in ad» jutorium meum intende, Domine ad adjuvan» dum me festina. » Hunc versum jugiter ferebat in ore, hunc inter labores manuum submissa vocula suaviter cantillabat, hunc sedens, stans, ambulans devotissime iterabat, nec satiabatur frequenti illius repetitione, præsertim cum aliunde rescivit postea, eumdem versum beatæ Catharinæ Senensi perpetim in usu, ac deliciis fuisse. Rogabat interdum Latinam horum verborum emphasim doctius ac profundius sibi enucleari; sed numquam in talem incidit interpretem, qui melius ipsa intimam favi hujus dulcedinem aut experimento nosset, aut aptis indiciis explicaret. Interrogata, cur ex tot millibus unice hunc versiculum amasset præ ceteris, respondebat : Seraphicæ matris suæ totum illo solatium contineri, singulas hujus syllabas turgere quodam arcano succo familiaris in Deum confidentiæ, nec suo palato aliud his tam propriis verbis sapidius posse occurrere. Tria potissima erant, de quorum assecutione Virginem dubitare non sinebat cælitus concessa fiduciæ certi- C tudo. Primum æterna sua beatitudo; alterum perpetua et numquam interpolanda Dei amicitia; postremum infaillibilis ex alto succursus in quibusvis tum necessitatibus, tum repentinis periculis. Transeundum per singula.

per cælestem revelationem.

323 Quærebat Sponsi pietas occasionem, qua charam Virginem privilegio singulari securam redderet æternæ felicitatis; quapropter semel eam permisit nonnihil concuti pavida formidine circa prædestinationis suæ arcanum, omni animæ tremendum. Angebatur innocens Rosa, considerans perire se posse; caligabat trepida, recogitans judiciorum Dei abyssum multam; sed non tardavit festinus ad adjuvandum Dominus, quin cor illud contritum et humiliatum opportune recrearet, blando affatu sic eam alloquens : « Filia, ego neminem condemno, nisi volen» tem condemnari; igitur ex nunc tranquillo » animo esto. » Dici non potest, quam sublimem, invictam, solidam fiduciam hæc paucula cordi Virginis impresserint : plus enim ipso proferendi modo, quam verbis sibi significari intellexit, nec deinceps eam permisit Sponsus in æternæ salutis anchora fixam, ullo incertitudinis fluctu turbari.

A. LEONARDO HANSEN. sicut doctori Castillo indicavit,

324 Doctor Joannes Castillus aliquando inter alia sciscitabatur ex Virgine, an prædestinationis suæ certam notitiam cælitus revelatam accepisset? Rudis juvencula hæsit ad PRÆDESTINATIONIS scholasticum vocabulum, cujus propriam vim, ac etymon haud satis assequebatur; nec de illo aliud audierat, quam significari mysterium impenetrabile, nec temere ulli mortalium perscrutandum. Itaque simplex ac timida negavit tandem, quidpiam sibi innotuisse de prædestinationis subtilissima notione. Verum, ubi prudens examinator per idoneas periphrases *a* dilucidius, quid sciscitaretur, explicuit, Rosa diffiteri amplius nec debuit, nec potuit, superna illustratione admodum tempestive se didicisse, quod ab æterno electa erat ad cælestem gloriam, idque miro Dei beneficio se tanta certitudine tenere, ut limpidiorem hujus revelationem nequeat desiderare. *a*

ac in articulo mortis ostendit,

325 Manifestius hæc patuere in ultimo Rosæ moribundæ decubitu : siquidem felicissimi sui transitus ad beatam requiem adeo certa erat, ut etiam præscierit, ab omni purgatorii mora immunem se fore. Cumque nonnemo præsentium E dixisset, prægrandem et omnino rarissimam esse hanc gratiam, sat prospere agi cum animabus hinc migrantibus, dum pro residua mortalis vitæ scoria detergenda ad purgatrices flammas mittuntur, se sibi id optare animitus; statim Virgo præ ingentis fiduciæ alacritate se ipsa robustior, animose respondit : « Ego vero Sponsum ha» beo, qui prægandia et rara dare potest, ne» que pusilla aut mediocria dumtaxat per diffi» dentiam ab illo speranda sunt. » Hinc vicinam mortem non aliter ac certam paradisi janitricem læta aspexit : nam ut primum Rosæ denuntiarunt medici, naturam succubuisse morbo, nec aliud restare præter decretorium diem; impavida, nihilumque turbata respondit, oppido se lætari tam grato nuntio, solum mirari se, cur metuerint citius exspectanti indicare.

aliamque mysticam visionem

326 Memorabilius est, quod Rosam, dum hortensem suam cellulam incolebat, salutis æternæ securam reddidit. Orabat Virgo, et in mentis excessu vidit circa se undique solum conspersum rosis. Admiranti, unde ver tam repentinum adfloruisset, en conspicuus adfuit parvulus Jesus purissimæ Genitricis innixus ulnis, ac F Rosam blande compellans, jussit extemplo sparsas rosas in repandam sinuosæ vestis laciniam colligere. Collegit illa, quas potuit, sinuque se pleno stitit divino Puerulo. Is ex omnibus unicam sibi in donum poposcit; qua gratanter accepta, subintulit : « Hæc Rosa tu es; hujus » providam curam mihi assumo : tu de reliquis, » ut magis volueris, disponito. » Intellexit Virgo sapiens, quorsum delicati Sponsuli verba tam seria ac pretiosa tenderent; gaudebat, se teneri in dextera Salvatoris velut rosam electam; meminerat, de quibus ille promiserat Joan. 10 : « Non rapiet eas quisquam [de manu mea; ego » vitam æternam do eis. »

certior reddita est de sua prædestinatione

327 Porro præ magnitudine gaudii, quod se videbat rosam acceptabilem tuto vernare in pugillo Parvuli, nesciebat, nec anxie quærebat, quid de reliquis ipsa rosis ageret, nisi quod brevi consilio subitaneum inde sertum confecit, ac cælesti Infanti reverenter imposuit, qui Virgini suavissime arridens, data benedictione, disparuit. Suspicata est postmodum, rosis ceteris, quas per terram sparsas viderat, significari pientissimas virgines per Limam sparsas,

A. LEONARDO HANSEN.

sas, quas tandem aliquando colligi oportebat in novellum sanctæ Catharinæ Senensis monasterium, ut illic religiosæ professionis nexu votivo colligatæ, Sponsum virginum casto famulatu coronent, vicissim ab illo gloria, et honore coronandæ. Ita accidit; verum non nisi post Rosæ obitum. Qua de re infra loco proprio cap. XXVI.

et confirmato gratiæ statu

328 Pari imperturbabilis certitudinis fruebatur solatio felix Rosa in securitate gratiæ, divinæque amicitiæ : nam præterquam quod post quindecennales illas horrendarum obtenebrationum eclipses (de quibus supra cap. XIII) quotidie in suo ad divinam unionem reditu nova illustratione comperiebat, sese in Sponsi favore confirmatam. Aliis quoque vicibus Rosæ promissum fuit a Domino, numquam se permissurum, quod vel ad momentum dulci amicitiæ suæ fœdere excideret. Quidam ex Virginis confessariis dono tam inæstimabili tacitus adstupuit. Is erat P. Frater Petrus de Loaysa Ordinis Prædicatorum, qui cupiens evidentius experiri, quam firmiter in tantæ promissionis fide sibimet constaret Virgo, in quadam ejus confessione B rem puerilem ac minimam cœpit attollere tamquam dubiam, ac solicitiori dignam examine, visurus, quid improvisus nec forte inutilis hic terror operaretur in Virgine, quam tanta (ut noverat) divinæ gratiæ securitas possidebat.

licet confessarius eam terrere conaretur.

329 Mirabatur cordata Rosa inusitatum rigidi censoris amphibolon *b*, permisitque illum ad satietatem loqui. At demum certa se Dei amicitiam non violasse, animadvertit, quo tenderet illa ambiguæ explorationis occulta industria : unde præfata veniam, modeste replicuit : « Juste » moneor, cum metu et tremore salutem meam » operari; atque utinam sic operer, uti debeo! » Peccatrix sum, equidem fateor, et ut fatear, » hic provolvor. Verum (quæ Sponsi mei » summa est benignitas) intra me sentio tam » infaillibiles suæ erga me non interruptæ hactenus dignationis syngraphas, ut facilius mihi » persuaserit quivis, me saxum esse aut paleam, » quam quod dulce Numen a me aversum sit. » Mi Pater, neque si vastos cælorum orbes quis » huic telluri complicuerit, in eam me sententiam flectet, qua credere possum, Dei per- C » missu me noxam mortalem commisisse; scio » quid ille mihi, tametsi indignæ, pollicitus » sit. Ego in Domino confido non quod ita » præservari merear, sed quia ille fidelis est in » omnibus verbis suis. » Adquievit conscius veritatis confessarius, breviter excusans, quod sola probandi spiritus gratia censoriam hanc disceptationem excitarat.

Tanta erat ejus in Deo fiducia,

330 Eadem vis confidentiæ in Deum a prima ætate Rosam adversus quaslibet mortalis vitæ difficultates, pavores, incommoda prævalide obarmarat. Maria de Oliva Rosæ mater, singulari complexionis indole, tenebras et spectra metuebat, nec facile aut noctu prodibat ad secretiora domus, aut ad vesperam sine comite sese proprio fidebat horto. Idem pavoris genius Rosam filiam ex materna crasi *c* velut hæreditarius insederat, nec tamen ideo Puella orationi dedita solitudinem ac loca obscuriora devitabat. Accidit quodam vespere in noctem proclivi et magis umbroso, quod Rosa adhuc tenera diutius moraretur in horto, quo se ad meditandum receperat. Mater filiam quæsitura venit, sed comite marito, quia (ut dictum est) ad nocturnos terrores timidissima erat.

quam ex similitudine quadam confirmaverat,

331 Rosa, ut vidit eminus, utrumque parentem ad se venire, processit obvia; sed euntem occupavit cælitus immissa cogitatio, quæ D deinceps omnem exarmavit formidinem, docuit fiduciam, infudit securitatem. Aiebat intra se : « Venit per hortum mater, nec more suo » trepidat, hoc solo jam impavida, quod maritum suum ad latus præsentem habeat; et » ego, quæ jugiter et ubique Sponsi mei præsentia munior; ego, quæ tam fidelem, solicitum, fortem comitem, non ad latus, sed » in corde circumfero, timebo in posterum a » timore nocturno? Confidit illa in homine » mortali, didicitque ad illius fragilem assistentiam tantisper solitos metus ponere; et non » confirmabit me pariter confidentia in Deo salutari meo, ut nil umbrosum deinceps expavescam? » Tam profunde animo Juvenculæ insedit robusta hæc cogitatio, tam funditus evacuavit congenitam formidandi proclivitatem, ut ex eo momento seipsam mirata sit Rosa, quod noctu, interdiu, domi, foris ad nullius periculi, monstri, belluæ pavebat occursum, unico præsentis Sponsi præsidio animosa.

ut bis in manifesto vitæ periculo

332 Nec defuit occasio, qua manifestaretur E illa heroica virginei pectoris soliditas inter discrimina ardua ac repentina. Degebat in quodam Indorum pago cum parentibus duodennis Filiola, ubi die quadam cum matre ac fratribus domum rediens, in patenti area obvium vidit taurum ferocissimum, qui elapsus stabulo, vinculisque partim ruptis, partim raptatis, cursu præcipiti illuc ruebat, unde veniebat cum comitibus Rosa. Exanimis subito pavore mater cum filiis, circumspiciebat fugam. Sola Rosa impavido gradu fixa perstitit, matremque, ne fuga periculum jam nimis propinquum irritaret, hortata est, una promittens, immanem belluam innoxie transituram. Nondum Rosa (fixis interim in cælum oculis) verba finierat, cum ferox ac torosum animal, terrifico mugitu instar turbinis prætervectum, procul in alias personas impetum fecit, velut si Rosam ejusve imbellem comitatum ne vidisset quidem. Palpitabant cæteris anhela præcordia etiam post periculum; at Rosa, nec mutato leviter colore, monuit, sperandum firmius in adjutorio Altissimi, et maxime tunc, quando periculi vicinitas omne effugium interclusit. F

nequaquam trepidaret,

333 Alia vice Limæ cum matre ac honestissimis matronis in quadriga revertebatur a festiva celebris ecclesiæ statione. Transcundum erat per amplissimum urbis forum, ubi tunc metu dilapsa clamosi populi multitudo ferocienti tauro spatium fecerat, confusaque vociferatione, et lapidum jactu furiosam bestiam pro voluptate spectaculi sævius irritabat. Prosultu, cursuque flexuoso dextrorsum, lævorsum properabat minax animal, cauda rigide arrecta, spumante ore, boatu horrisono, naribus ira fumantibus, arenas calcibus jactabat in aera, et sicubi in truncum, pannum, aut studiose objectum pileolum offenderat, atroci et crebra impactorum cornium vi infodiebat solo. Denique jam satis omnia terroribus impleverat taurus, quando venientem eminus rhedam conspicatus, recta in illam libravit cursum. Expalluerunt, quotquot cum Rosa erant feminæ, prosilire foras quæ citius poterant, spemque salutis in fuga collocabant; ipse auriga circumspectabat trepidus, qua parte tutius in terram descenderet, seseque in pedes conjiceret. Sola iterum Rosa, oculis in cælum jactis, et illico reductis, exemit trepidis metum,

A tum, stitit fugam velut minime necessariam affirmans, taurum usque ad rhedam neutiquam procursurum, sed via, qua veniebat, retrocessurum. Dixerat : et respondit eventus, stupentibus universis non magis tauri velocem absque nocumento reditum, quam Virginis animum quovis metu superiorem. At ipsa in summis periculis summe secura, accinebat cælesti Sponso : « Non timebo » mala, quoniam tu mecum es. »

et in domestica penuria panem,

334 Cui tanta inerat divinæ protectionis fiducia in vitæ periculis, utique in necessariis vitæ sperandis subsidiis minor esse non potuit. Die quadam in paternis ædibus defecit numerosæ familiæ panis, neque vel tempus coquendi supererat, vel nummi ad manum erant, ut aliunde procuraretur. Nuntiatum fuit Rosæ, vacua esse penuaria, neque vel crustam reliquam esse ab ultima pistura. Mirabatur Virgo tam celeriter absumi potuisse annonam, quam pridie posuerant, utique in biduum suffecturam. At jam certior facta penuriæ, nihilque territa, brevi labiorum motu visa est rem Deo commendare. Mox ingenti fiducia panariam arcam aperuit, plenamque reperit panibus, ultra domus illius morem candidis, azy- B mis, ac saporosis, testante eorumdem figura illic inusitata ac peregrina, hos nequaquam a domestico panificio prodiisse.

magnam mellis copiam,

335 Alio tempore in eadem domo (pernecessarium illis regionibus condimentum) mel defuit, ejusque cupa fundo tenus exhausta arescebat. Maria de Oliva, seu ignara, seu immemor penuriæ, bis ter in caveam misit, qui de vase omnibus noto mel adferrent. Renuntiarunt singuli, nonnisi vacuam sese ollam reperisse. Compatiebatur Rosa communi tot capitum necessitati, et secretissimo instinctu jussa sperare optime de Dei providentia, dixit matri : « Si mandas, » descendam ego in nomine Domini, visura » num quid residui mellis inveniam. » Descendit, ipsamque cupam invenit usque ad supremum labrum recenti melle plenam. Hæsit in spectaculo vere mellifluo tota domus attonita, eoque magis, quod novo prodigio mel cælitus datum integris octo mensibus toti familiæ sat fuit in usum quotidianum. Ecquis vidit umquam, a rosis suppleri apum officia?

et necessariam pecuniam mirabiliter obtineret,

C 336 Gasparem Flores patrem Virginis premebat molesta ægritudo corporis, simul marcebat afflictus mœrore animus ob quinquaginta librarum debitum, cui præ inopia solvendo non erat. Tristabatur perplexa mater; hinc importunitate creditoris, inde necessitatibus domus, et cumprimis ægri mariti, sensim impar. Utriusque angorem ut rescivit Filia, clave, qua solebat, cordialis in Deum confidentiæ tentavit opulentum æterni provisoris gazophylacium : vixque in templo preces fuderat, cum inde domum redeunti adstitit vir plane ignotus, at vultu modeste decorus, ac voce comis; hic Virginem obiter salutans, simul involutum strophiolo argentum porrexit, jubens illo præsentem necessitatem parentum sublevari; nec aliud moratus, illico abscessit. Videbatur ex pondere et permodico involucri tumore parum metalli inesse sudariolo : at ubi Rosa id domi explicuit, ipsam argentearum librarum quinquagenam, quam pater debebat, reperit, ægrique lectulum cum nummis adiens, identidem repetebat, plurimum divinæ bonitati fidendum esse, hanc modo succurrisse medio peropportuno, quantum sufficiat ad amoliendam duri creditoris molestiam. Videbantur Gaspari narrari insomnia, donec Filia explicato linteolo, quinquaginta libras, uti acceperat, prompte adnumeravit.

ac inops Virgo speraret,

337 Ejuscemodi peregrinis ac inexspectatis subsidiis pluries egena domus recreata fuit, ne sanctæ Filiæ constans ac robusta in Deum confidentia fraudaretur. Hoc nimirum suæ quondam novellæ Sponsæ inter paraphernalia *d* et antidora *e* pollicitus erat cælestis Lapicida (de quo supra cap. XI) adeo quod Gundisalvi quæstoris uxor, quæ Virginis arcana præ aliis noverat, rem in familiare adagium converterit, dicere solita : « Numquid iterum empyreus Lapicida tuo » monitu excussit loculos? » Quinimo erga locupletissimum hunc Sponsum ea erat Rosæ fiducia, ut ausu liberali Virgo pauperrima frequenter et palam in se receperit providere de toto sumptu ad excitandum a fundamentis novum sanctæ Catharinæ Senensis monasterium, dummodo in diebus suis appelleret, quod solum tunc deerat, regiæ permissionis diploma. Verum ex quo in hujus mentionem incidimus, seorsim capite sequenti narranda sunt, quæ circa fundandum illud monasterium Virgini cælitus et promissa et ostensa fuerunt : hic breviter, quod præsenti capiti sufficit, superestque in coronidem, subnecto E et finio.

a se novum monasterium fundari posse.

338 Domi Rosa cum devotis virginibus mira ac seria fiducia sermocinabatur de fundatione prætacti monasterii; at mater fastidio impar, Filiam, quasi manifeste insomniis rerum impossibilium delirantem, objurgavit coram omnibus : « Desine (inquit) ineptire fatua, memento non » esse plebeiæ sortis, aut patrimonii vulgaris » negotium, cœnobia fundare; tu vero ea præ» fidentia loqueris, acsi in tantæ fabricæ sum» ptuosa impendia tibi in promptu jam essent bis » centies mille libræ argenti. » Humiliter replicuit modesta Filia : « Utique si ad mortalem opem, » si ad hominum manus respicerem, faterer ul» tro, impossibilia esse, quæ tracto; at scito, » mater, me altius collocasse fiduciam meam; » illum ipsum, in quo omnes thesauri, fidejus» sorem habeo; hujus liberalitati diffidere mihi » jam non licet. Successum videbunt hi oculi tui; » lætaberis, imo tuopte experimento probabis, » quod dico. »

ANNOTATA. F

a *Græce* περίφρασις, *idem est, quod apud Latinos* circumlocutio, *quæ huic examinatori adhibenda fuit, cum sancta Virgo terminos scholasticos non intelligeret.*

b Amphibolon, *Græce* ἀμφίβολον, *hic significat sermonem ambiguum, ab adverbio* ἀμφὶ utrimque, *et verbo* βάλλω jacio *vel* ferio, *quasi* utrimque feriens.

c *Ex* crasi, *id est, temperie vel indole materna, sicut hanc vocem Grecam superius explicui.*

d Paraphernalia *vel* parapherna *in jure dicuntur ea, quæ sibi propria habet uxor, a* παρὰ præter, *et* φέρνη dos, *quasi diceres* præter-dotalia.

e Antidora, *Græce* ἀντίδωρα, *sunt remunerationes, quæ pro dono alicui facto redduntur, ab* ἀντὶ contra, *et* δῶρον donum, *quasi* contra-donum, *seu donum dono relatum.*

A. LEONARDO HANSEN.

CAPUT XXV.

Prophetia de futuro S. Catharinæ Senensis cœnobio, quod Limæ postea fundatum fuit.

Describitur monasterium Limense,

Illustrioribus Limensis emporii ornamentis demum accessit nobile, spatiosum, elegans beatæ Catharinæ Senensis monasterium, numeroso sacrarum virginum collegio dicatum sub regulari S. Patris Dominici instituto. Anno salutis MDCXXII (hoc est, quinquennio post Rosæ beatum ad superos abitum) fundatrice illustri et opulenta vidua D. Lucia Guerra de la Daga, loco situque commodissimo stetit in Lima celebre hoc cœnobium, et introducto candidi velaminis novitio gynæceo, cœpere Divina celebrari. Crevit subitis B ac prodigiosis augmentis recens parthenon, ita quod hodie ultra ducentas numeret sanctimoniales, sponso Deo, sub inviolabilis clausuræ religiosa custodia, militantes. Viget in hoc casto pietatis sacrario diurnus et nocturnus Dei cultus, devota festorum pompa, canonicus Officiorum ordo, jugis virginei chori psalmodia, sacræ supellectilis ac ecclesiæ accuratus nitor, apparatuum magnificentia copiosa.

quod post obitum S. Rosæ construi cœpit,

340 Nec ab extimo decore quidquam dissidet interior exactæ observantiæ pulchritudo, orationum, mortificationum, exercitiorum assiduitas, perfectionis studium, uniformis morum puritas et sanctimonia, disciplinæ rigidus tenor, perque omnes angulos viva et prorsus angelica virtutum omnium exemplaria. Porro celeberrimo tot illustrium heroinarum contubernio digne apteque respondet augusta nobilissimæ fabricæ amplitudo, fontes, horti, viteta, porticus, dormitoria, peristylia, officinæ; item possessiones, latifundia, servitia, proventus annui et instructissima totius abundantiæ œconomia, sic quod inclytum hoc monasterium intra primam annorum quadragenam tot cæli benedictionibus C perpetim irrigatum, exemplo, fama, splendore in eum profecerit gradum, quo possit grandioribus præcipuisque totius Europæ monasteriis æquiparari.

et cujus ædificationem ipsa Sancta,

341 Denique illud est, quod integro fere ante fundationem decennio toties Rosæ, nunc per symbola et figuras, nunc manifeste in propria forma ac typo fuit divinitus præmonstratum. Istud est, quod Virgo tam secure, ac fidenter, tam crebro et palam, tam libenter ac libere dulci suæ patriæ vaticinando promittebat, ea quidem asseverationis firmitate atque constantia, quasi illud jam constructum ante oculos habuisset. Sola temporis et anni, quo construendum erat, circumstantia, ob altiores divinæ sapientiæ fines, Virginem diu latuit, seroque didicit, se illud corporeis oculis non visuram; cetera complures, qui visuri essent, digito monstravit personas, quæ illic Deo famulaturæ essent, (ac inter has matrem propriam) designavit, numerum diffinivit; locum prædixit; futuræ ibidem fabricæ plantam * ac systema in tabella delineavit; primum incruenti Sacrificii mystam nominatim expressit: quid multa? Primam futurarum monialium præfectam (priorissam dicimus) ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, osculo pacis quodammodo initiavit. At pressius, et seriatim currendum per singula. D

* vox Hispanica est, Latinis ichnographia

per crebras visiones

342 Dudum expertus propheta monuit, intelligentia opus esse in visionibus, Daniel. 10. Hanc vero in negotio, de quo agimus, Rosæ non defuisse ad assequendum in symbolicis prævisionibus genuinum ostenti sensum, patebit ex sequentibus. Consederat solitaria in horto domestico colligendis floribus intenta Virgo, jamque effrondibus rosis gremium impleverat, cum, arrectis in cælum oculis, et arcano intus dictante spiritu, cœpit non sine devotis suspiriis jactare in altum singulas rosas, velut superno eas hortulano commendans. Supervenit germanus Virginis frater, ac sororem innocenti ludo se oblectare, nec serium quidquam subesse autumans, accessit familiariter, quidque ageret, interrogavit. Illa mysterium celans, « Hoc, (inquit) quod vides » me agere; » perrexitque, ut ante, jactare in sublime rosas. Germanus nil ultra simplicem jocum et animi oblectamentum suspicans, replicuit: « Spargam et ego rosas in aera, et forte, quam » tu, jaciam altius. » E

et varias revelationes

343 Atticuit Virgo, sed loqui cœpere prodigia: nam ecce, quas frater sursum projecerat, levissimo delapsu mox revolvebantur in terram; ex altera parte, quas Rosa in sublime sparserat, hærebant in aere, ibidem in conspicuam sanctæ crucis figuram aptissime coibant, eidemque cruci a succedentibus rosis decorus per circuitum formabatur limbus. Mysterii intelligentia hic fratri defuit, non item Rosæ, quæ postea a consciis prodigii interrogata, quidnam putarit hoc aerio rosarum suppendiculo portendi, respondit candore impavido, his præsignificari futurum apud Limenses suos insigne sanctæ Catharinæ Senensis monasterium; in hoc quam plurimas præstantis sanctimoniæ rosas certatim commigraturas, ut in cruciformem arctioris vitæ regulam coaptatæ, e sublimi perfectionis gradu terram despiciant, ipsisque hic mundus crucifixus sit, et ipsæ mundo.

cælitus edocta

344 Alia vice oranti Rosæ divinitus ostensum fuit miræ amœnitatis pratum, undique liliorum candore ac rosarum purpura (tametsi sparsim et sine ordine) variegatum. Placebat Virgini bicolor tot vernantium plantularum venustas et gratia, maxime ubi deintus responsum F accepit, omnes et singulas uni Dilecto candido ac rubicundo servari in coronam. At displicuit, patere spatiosum ac nobile pratum cuilibet viatori; imo communem et publicum illic tam jumentorum, quam hominum quaquaversus commeantium, frequentari transitum: proinde serio metuebat, flosculos tam decoros, tam eximias terræ gemmulas, prætereuntium vestigiis improvide conculcari. Sed simul timorem exemit superna irradiatio, Rosam erudiens, tempus fore, quo selectum illud germen floridæ propaginis colligatur in unum S. Catharinæ Senensis hortum conclusum, septoque proprio segregetur a profani seculi commercio; rosis porro liliisque significari puras ac Deo dilectas Limensium virginum animas, quæ quidem hinc inde per urbem sine ordine sparsim habitabant, et suo tempore in cælum claustrale fore congregandas, ubi tutissimæ sint ab omni secularis calcanei protritu, soliquc æterno Numini fragrent odorem suavitatis, donec inde translatæ in Sponsi paradisum, eidem nectantur in immarcescibilem gloriæ coronam. Dum his cælestium decretorum arcanis avidissime

A me inhiat auscultatque Rosa, videbatur interim suis manibus floridum hoc sertum paulatim connectere, Sponsoque imponere, qui vicissim ostendit, illud sibi gratissimum, et intime charum esse. Rosam ingenti solatio perfudit hæc visio, quod oblique per eam intelligeret, suo præcipue labori ac merito hoc donari a Deo, quod Lima tali aliquando sacrarum virginum asceterio, velut monili pretioso, erat condecoranda. Et quotiescumque hoc suave ostentum suis referebat, una testabatur, florituras in illo monasterio præclaras Dei famulas, quæ virtutum odore ac sanctitatis fama gloriose excellant.

asseveranter suo confessario

345 P. Magister Fr. Ludovicus de Bilbao Virginis confessarius, tametsi reliquis ejus dictis plurimum deferret, huic tamen ejusdem vaticinio scrupulosius addubitabat, eo quod ad humana respiciens, ne quidem e longinquo videre poterat vel minimam verisimilitudinis stricturam, quæ tanti molirainis ullum aliquando successum promitteret. Quin potius omnis undequaque tum ratio, tum regiminis potestas videbatur inexorabiliter obstitura, præsertim cum pro conditione B temporis abunde sat monasteriorum esset in civitate novella, cujus tunc ætas primam annorum centuriam nondum expleverat, plurimumque adhuc distabat ab ea, qua hodie tumet, amplitudinis vastitate. Animadvertit Rosa, patrem incredulum de eventu ambigere, ac grandi fiducia sic eumdem affata est: « Quid hæsitas, mi pater? » Te vivo ac vidente, stabit in urbe hac illud, » quod sæpe dixi, B. Catharinæ Senensis mona» sterium. Pone, suppone, ut volueris, obsti» tura velantium imperia; adde his in obnixum » universam hanc nostram Americam, imo to» tum potius terrarum orbem; adjunge per hy» pothesim totius orci vires, artes, potentiam; » denique finge animo, quidquid obstaculorum » potes concipere; attamen te superstite, te vi» vo et oculato teste, monasterium, quod dixi, » exstruetur, habitabitur, florebit. Locum tibi » designavi, illic erit. Et te quidem æterno suo » decreto selegit Deus, qui primus ibidem sa» crosanctam litabis Hostiam in solemnitate: quia » primus illic fabricandæ ecclesiæ lapis ritu cele» berrimo collocabitur in fundamentis. Tunc me» mineris, hæc modo fuisse tibi prædicta a vili » muliercula. » Totum evenit, prout Virgo præ- C dixerat: nam anno MDCXXII accedens ad eam functionem Ludovicus, inter solemnia, sub Missa recordatus est vaticinii, peractoque Sacrificio, palam adstantibus enarravit, quam asseveranter, clare, diserte ante complures annos Rosa superstes, quod illa die locoque gesserat, prænuntiarit.

aliisque multis prædixit,

346 Aliquando coram domesticis inter familiaria colloquia, dum B. Catharinæ Senensis tractabantur gloriosæ prærogativæ et justa encomia, sensim ad futurum sub ejus tutelari nomine monasterium devolutus est sermo. Hic Virgo primum ingenue fassa ac protestata est, se quidem illud mortalibus oculis minime conspecturam; attamen quotquot illic adstabant reliqui, certissime illius intuitu, præsentia, solatio fruituros. Res cum risu excepta ab omnibus; nec deerant, quibus Rosa videretur, præ nimio in seraphicam matrem studio, insanire; maxime postquam is, qui in se ceperat exorare Madriti facultates regias novæ fundationi necessarias, Limam vacuus rediit, ne spem quidem permissionis umquam obtinendæ secum apportans. Terruissent hæc quamcumque aliam, aut saltem eripuissent loquendi fiduciam; sed Rosam nec terreri, nec timidiuscule silere permittebat ipsa supernæ revelationis firmissima certitudo, adeo ut, quod verbis idoneis adstruere satis non poterat, expressis in assula notis architectonicis conaretur evidentius adumbrare. Unde arrepta coram incredulis tabella et cera, futuri monasterii extemporaneum formavit archetypon, ea tum peritia, tum securitate, ut spectantes rapuerit in stuporem. Describebat brevi linearum ductu murorum ambitum, qui sub prima futuri cœnobii exordia minus spatii complexurus erat; notabat angulos, flexus confines; quo loco templum, quo situ porta, officinæ, porticus, dormitoria forent disponenda; nec aliud dolebat, quam quod cæteri non æque, ut ipsa, totam monasterii imaginem in vivo radio præsentem habebant.

A. Leonardo Hansen.

et matri suæ incredulæ prænuntiavit,

347 Indignabatur præ ceteris Rosæ mater, nec æquo ferebat animo tam crebram, et seriam domi forisque mentionem fieri novelli cœnobii, quod Filia tam asserte et imperterrite notis atque ignotis præfigurabat. Nullus apparebat negotii tam ardui procurator, nemo fundator, nemo fautor aut suasor, nullibi auspex vel patronus; E abhorrere omnes, tamquam rem humanitus impossibilem; taxare Virginem tamquam aut chimeris delusam, aut affectui pertinaciter indulgentem. Ipsemet doctor Joannes de Castillo (quem Rosa ob notam viri sanctimoniam tanti faciebat) conabatur Virginem ab hac persuasione divertere, quod opinaretur difficultates plane insuperabiles fore. Idem quæstoris Gundisalvi, idem confessariorum erat judicium. Hinc mater anxia, sibique et familiæ probrum metuens, arguebat Filiam, quod contra tot prudentum arbitria plus sola ipsa sapere velit, quam oporteat; concordi omnium peritorum sententiæ obstinate refragandum non esse; Rosam ceu vanam prophetidem cum dedecore propediem vulgi fabulam fore; denique rationi, non contumaciæ in his parendum esse; promissum monasterium citius in Utopia *a* aut spatiis imaginariis, quam Limæ constituendum.

eam ibi monialibus adscribendam esse,

348 At Rosa tot contradictionibus alacrior, voce humili, sed læta replicuit: « Eia, mater » dulcissima, hic demum cessent verborum pu» gnæ, tu magno tuo emolumento experieris, » quam durum sit contra stimulum calcitrare: in F » sanctæ Catharinæ Limensi monasterio, quod » prædico, tu ipsa inter primas candidum san» ctimonialium indues habitum; illuc tu velabe» ris, ibi solemniter profiteberis, ibi Religiosa, » vitæ reliquum consummabis. » His auditis, adeo exarsit mater, irritari se putans, ut filiam a conspectu suo abegerit, altum vociferans, « Ego» ne monialis ero? Ego, ad quam regularis vitæ » ac status nulla umquam cogitatio aditum inve» nit, ego necessariæ dotis inops, cantandi ac » psallendi ignara, curis sæcularibus innutrita, » spiritu vacua, clausuræ impatiens, onusta plu» ribus, ego in claustrum me abdam? Hac ætate » velabor, profitebor religionem severam, arctam, » difficilem? Apage, sat nugarum, ad Calendas » Græcas *b* hæc impleta videbimus. »

sicut anno Christi 1629 contigit.

349 Initium anni MDCXXIX non vidit Calendas Græcas *c*, vidit tamen Mariam de Oliva sanctimonialem in novello sanctæ Catharinæ Senensis monasterio, ubi post mariti obitum sexagenaria religiosis S. Patris Dominici filiabus devotissime aggregata, cum sacra Ordinis veste nomen Sororis Mariæ de S. Maria assumpsit, exactoque probationis anno, solemnia vota emisit, ac plena

a

b

c

A. LEONARDO HANSEN.

na dierum, sancto fine quievit. Carebat inops vidua dote legitima, quæ quater mille libris argenti in singulas ibidem velandas erat diffinita. Verum, ne Mariæ obstaret egestas, providerat omniscia cura Numinis inspirans fundatrici, ut in ipso fundationis programmate reservarentur loca nonnulla gratuite receptionis digniorum, sed inopum personarum; eoque privilegio gavisa est Rosæ mater.

Cum futura memorati cœnobii fundatrix

350 Superest de ipsamet cœnobii fundatrice, ac prima ejusdem præfecta memorabile ac luculentum Rosæ vaticinium. Illustri matronæ Isabellæ de Mexia domi famula erat Mariana nomine, cui graviter ægrotanti Rosa (utpote illis in ædibus pene domestica) more suo ex charitate ministrabat. Ea occasione honestæ feminæ tum Isabellam, tum ægram invisuræ frequentes accedebant. Die quadam, inter alias adfuit prænobilis, nec virtute minus, quam parentela et opibus clara, D. Lucia Guerra de la Daga. Hæc Rosam (de qua memoranda audierat) illic infirmæ Marianæ servitio pie districtam conspicata, eidem cœpit devotius affici, et captata affandi occasione, B post mutuos ultro citroque urbanæ comitatis ritus, impense Virginem rogavit, sui meminisse ut velit in quotidianis ad Deum precibus, sanctisque exercitiis.

occasione quadam S. Rosam invisisset.

351 Rosa jam intus moneri se sentiens, affectu reciproco matronam vinxit, offerendo modicum id, quod posset; illaque fortius instante, promisit, se in singulas hebdomadas peculiariter certum diem selecturam, quo ipsam Deo commendaret. Lucia hoc solatio dives, ac domum reversa, quiescere non potuit, dum Rosam, plane jam suam, denuo conveniret. Venit cum prætextu commendandi maritum et filiolam: nam Virginis apud Deum suffragio tunc forsitan magis indigebant. Rosa, velut si Luciæ cor penitius inspexisset, eamdem familiarius, quam pridie complexa, nil de marito, nil de filiola filiisve tunc respondit; matronam vero novo sibi beneficio implicuit, ipsamque tandem, non in lucrum unicæ per quot hebdomades diei, sed plene in omnium suorum exercitiorum amicam communionem, et participium, arcano Dei impulsu stimulata, admisit.

sensit, se excitari ad fundandum monasterium,

C 352 Necdum sat capiebat ipsamet, unde, aut cur ita ageret, donec præter morem oculis a terra in vultum Luciæ attentissime conjectis, cœpit exultare spiritu, suffundi colore inusitatæ lætitiæ, palpitare calidis præcordiis, ac demum hilaritate modestissima Luciam deosculans, « Euge, (inquit) mater, ingenti suo operi te Deus reservavit. » Idque crebrius liquenti gaudio replicans, simul decenti osculo attonitam, minimeque repugnantem dissuaviabat. Dici non potest, ex Virginis spiritu quos quantosque mox spiritus hauserit felix matrona: diriguit, sensitque Rosæ tum affatu, tum afflatu mutari se medullitus; serpebant dulciter per omnes animæ suæ venas ignotæ flammulæ; cor in varias deliberationes repente dilatatum erigebatur totum ad cælestia, quasi pulsu citatiori vociferans: « Domine quid me vis facere? » Sic affecta, domum rediit, per viam sic Deum alloquens: « Domine, si ex tuo æterno placito, tuique nominis gloria est, quod ego a seculari isthoc ad religiosum aliquando statum transeam, perge operari in me, quod mirabiliter cœpisti; en toto cordis affectu meipsam tibi offero una cum prolibus et universa mea substantia; tuum erit dimovere obstacula, quibus me tam ineluctabiliter nosti implicitam. » D

etsi maritus et numerosa proles adhuc viverent.

353 Exinde in mulieris animum velut connexo agmine immigrarunt simul religiosi status efficax desiderium, simul spes vivacissima, simul indubia certitudo pertingendi ad hanc metam, evadendi retinacula, perrumpendi innumeros obices, quos sola divina manus poterat dimovere. Nondum tunc Lucia trigesimum ætatis annum excesserat; superstes erat maritus, in plurimos (uti videbatur) annos victurus; circumstabat matrem soboles numerosa, quatuor nempe filii et una filiola; premebat magnarum opum vasta œconomia, nec tamen hæc religiosæ vocationis certitudinem in animo Luciæ seu convellere potuerunt, seu delibare; adeo quod de sanctioris propositi executione cum suis tam secura tractare solebat, acsi, dispositis omnibus, de proximo velum sibi imponendum exspectaret.

Dein confessario suo, quem Rosa obscure præmonuerat,

354 Accidit interea, R. P. Joannem de Villalobos, qui tunc Societatis Jesu novitiatui Limensi Rector præerat, ad ædes D. Isabellæ de Mexia divertere, ubi in Rosæ colloquium incidens, postquam de certitudine futuri monasterii E beatæ Catharinæ Senensis varius utrimque alternarat sermo, didicit a Virgine, se illic pridie locutam esse cum Lucia de la Daga annis quidem juvene, at maturitate indolis gravi; de ea nunc plura se nolle dicere. Intellexit vir religiosus ac prudens, quorsum Rosa tum loquendo, tum reliqua subticendo alluderet; tacuit tamen, donec post Rosæ obitum Lucia, pro more sacramentali confessione animam expiatura, accederet.

nobilis hæc matrona propositum suum indicat,

355 Hic matrona confessario detexit, se magni ac perardui moliminis opus animo versare, undationem novi monasterii sub sanctæ Catharinæ Senensis tutela ac nomine; huc se impelli divinis stimulis, quibus omnino parendum sit; huc se vires, opes, cogitationes omnes conversuram. Vicissim confessarius, illo temporis puncto memor verborum, quæ pridem a Rosa audierat, Luciam edocuit, illud ipsum esse, quod Virgo matronæ promiserat, quando eidem prædicabat, magno cuidam operi ipsam a Deo reservari. Proinde non diffideret vaticinio tantæ Virginis; rem tam arduam validissimis obstaculis, remoris, ac difficultatibus haud carituram, F verumtamen in ipso tempestatum summo furore ac motu, tranquillissime sperandum fore in superno auxilio, quod Rosa jam Sponso immortali conregnans, facillime sit exoratura.

et post mortem mariti ac liberorum executioni mandat.

356 Ita fuit: nam Luciæ, maritum paulo post et proles omnes ex ordine Deus ab hac luce evocavit, obstacula novæ fundationis undequaque innumera et potentissima sustulit, duros repugnantium animos ad favorem pii operis flexit. Supererat Luciæ nobilissima parentela, quæ viduam, generis, ætatis, opumque intuitu ad secundas nuptias ita urgebat, ut pene adigeret. Verum ipsa Rosæ prædictionis memor, et consilii tenax restitit, vicit, triumphavit, rebusque ex voto, imo supra votum feliciter compositis, novo sanctæ Catharinæ Senensis monasterio auspicando, struendo, dotando amplissimas suas facultates, denique et se ipsam dedit, et cum sacro velo nomem sororis Luciæ de sanctissima Trinitate assumens, prima novelli sui asceterii præfecturam gessit, ac religionis spiritum, quem ab osculo Rosæ pridem conceperat, hortatu, cura, exemplo mirifice in subditas moniales propagavit, ac demum sanctimoniæ fama celebris,

ibidem

A ibidem extremum clausit diem. Hunc successum habuit Rosæ prædictio; unde factum est, quod sanctæ Catharinæ Senensis monasterium Limæ, ex eventu, apud consciam plebem sæpissime Rosæ monasterium (hoc est diu ante vaticinio Rosæ prænuntiatum) promiscue amet appellari.

ANNOTATA.

a Utopia *est confictum regionis nomen, quo scriptores quidam utuntur, dum rem nullibi factam vel futuram significare volunt; ab* οὐ, non, *et* τόπος, locus.

b Ad Calendas Græcas *ex proverbio usurpatur pro* numquam, *quia Græci non habent Calendas more Latinorum.*

c *Biographus hac phrasi sat clare asserit, ineunte anno 1629 prophetiam* S. Rosæ *impletam vel eventu probatam fuisse.*

CAPUT XXVI.

B

Prædictiones de variis rebus futuris et arcanis, quarum veritatem eventus probavit.

Idem (de quo paulo ante) R. P. Villalobos Societatis Jesu jurata fide testatus est, suo se experimento spiritum propheticum deprehendisse in Virgine. Petierat a Rosa precum suffragium pro felici exitu occulti negotii, sed ardui, quodque, ut sileretur a cæteris, primus silebat ipse. At Rosa (quod numquam solita erat) in loquentis vultum oculis paulisper defixis, velut si illic tamquam in aperto codice legisset arcanum, verecunde subrisit, ac taliter respondit Patri, quod is haud obscure collegerit, illo momento cælitus innotuisse Virgini totam secretissimi negotii seriem; unde stupore attonitus ad P. Antonium de la Vega Loarsa ejusdem Societatis virum integerrimum rem detulit; qui R. P. Philippo de Tapia Callaoensis collegii Rectori simillimum cum Virgine accidisse, palam asseveravit.

Sancta pluribus personis

C 358 Filia quæstoris Gundisalvi Michaela de la Massa secretam quamdam cogitationem versabat animo, quam nulli mortalium communicarat, neque communicare decreverat. Huic Rosa familiariter se applicuit, totamque illam cogitationem velut ex pugillaribus accurate recitavit, ac saluberrimi documenti aphorismos miranti præscripsit. Maria de Mesta, pictoris Medori Angelini conjux, cum solo marito, nemine conscio, tractare de utriusque profectione in Hispanias, deque necessaria pecuniarum quantitate ad vitam illic honeste, et commode sustentandam. Inde Rosam adiit collocutura de aliis, quæ sibi tunc pressius instabant. Virgo sermone obiter deflexo etiam ad id, quod latere putabatur, ita respondit, acsi de eo pariter fuisset interrogata; nempe approbavit proficiscendi consilium, commemoravit summam pecuniariam, quam femina cum marito in reliquæ vitæ sustentaculum pari arbitratu constituerant, dixitque, hanc ambobus (eo quod prole carerent) sat fore. Mirata est mulier, fassa plus a Virgine dici non potuisse, si ipsa amborum secreto consilio tertia adsedisset.

arcanas cordis cogitationes

359 Longe mirabilius videbatur F. Joanni Miguel Ordinis S. Dominici religioso, cum e longinqua peregrinatione Limam reversus, atque in D. Hieronymi sacello Virgini seorsim colloquens, ab ea seriatim, et exacte sibi narrari audivit, quæ fratri procul in aliena regione acciderant, nec humanitus inde potuerant in Rosæ notitiam pervenire; quin et abditissimas suæmet conscientiæ latebras Virgini patuisse, evidenter agnovit. In templo sancti Dominici Rosa cum matre, honestisque feminis substiterat, Deo precibus commendatura extremum agonem Mariæ de Vera, quæ in ædibus Didaci de Requena argentarii decumbens, ultimam vitæ horam exspectabat. Supervenit triste nuntium, infirmam exspirasse. Territæ mulieres dolenter respexere in Rosam; hæc in cælum; at subito ad circumstantes reductis oculis, « Non plangamus, (inquit) » nam amica nostra mortua non est, vivit Ma» ria de Vera : tantum oremus Deum, ut con» valescat. » Vixit, convaluit, sed alio Rosæ miraculo, de quo in Mantissa.

A. Leonardo Hansen. aliasque res arcanas indicat,

360 Cuidam religioso Societatis Jesu, viro plane apostolico summisque virtutibus obornato insederat (nescitur unde) firma, tenax, et immobilis persuasio, illo se anno (qui erat MDCXV) E certissime ex hac vita migraturum; cuptebat sane dissolvi, et esse cum Christo : unde, captata occasione, dum semel quæstoris conjugi loquebatur, adstante Rosa, et utriusque orationibus humiliter et enixe commendabat suum ab hac vita transitum, velut ante proximi anni Calendas indubie futurum. Exhorruit Gundisalvi uxor; at Rosa leniter subridens, « Nequaquam, (ait) mi » pater, hic annus te nobis eripiet; ita tibi se» cura spondeo. » Ille ex adverso contendebat, rem fore certissimam, nec aliud sibi accidere posse felicius, quam si paulo post celebratum Missæ sacrificium juberetur spiritum suo reddere Creatori; id unum se ardenter optare, imo et sperare. Invaluit sensim apud optimum patrem instantis sui termini concepta opinio, ut a collegio ad novitiatum, seu tironum domicilium migrans, non sociis tantum, sed ipsius quoque arboribus, muris, tectis valedixerit, velut domum priorem numquam revisurus.

et cuidam putanti, se anno 1615, moriturum,

361 Cruciabant hæc piam Gundisalvi conjugem, quæ tantum suæ conscientiæ moderatorem dolebat præmature amittere; proinde in Rosam F quotidie anxia respiciens, quærebat millies, verane sint, quæ illa prædixerat de confessario suo diutius supervicturo. Vicissim millies replicuit Virgo, et matronam jussit securam esse. Nihilominus hæc trepidabat, quoties Missæ sui confessarii intererat, metuens ne ille sui desiderii compos illamet hora, peracto Sacrificio, abiret e vivis. Denique in sacratissimo divini Natalis pervigilio, dum matrona confessura patrem adibat, per ipsam Rosa eidem significari jussit, deponeret jam tandem inanissimam vicini sui obitus persuasionem, sciretque se grandioribus Dei obsequiis reservari, non moriturum prius, quam foris complures animas operosa conversione in viam salutis adduxerit, interque illas peculiariter eminere quinque præcipuas, suo apostalatu dignas, et vero Numini adquirendas. Hoc Rosa centies timidæ quæstoris conjugi ad solatium occantarat; hoc ipse demum eventus plene comprobavit : nam et pater post Rosam annis novem supervixit, et in conversione perditorum hominum, fructus, quos illa prædixerat, admirabiles reportavit; utpote, qui ex viris sui instituti primus adiit montana, quibus hodie nomen Sancta

longiorem vitam promitti jubet.

CTA

A. LEONARDO HANSEN.

CTA CRUX DE LA SIERRA *a*, ubi plurimas dæmoni animas eripuit, ac demum Limæ anno MDCXXVI santo fine quievit.

a

Duobus sacerdotibus Dominicanis,

362 Pater Fr. Bartholomæus Martinez Ordinis Prædicatorum, Limensis cœnobii sanctæ Mariæ Magdalenæ Prior, et Rosæ confessarius, eventu ambiguo luctabatur cum morbo gravissimo, et extreme periculoso, jamque corporis cura fere deposita, medicis suadentibus, accelerabantur ultima migrantis animæ remedia. Invisit ægrum P. M. F. Joannes de Lorenzana, conceptoque repentinæ fiduciæ instinctu, jussit infirmum bene sperare, eo quod illo momento in ecclesia viderat, coram SS. Hostiæ tabernaculo pro salute ægri luculentum ardere cereum, Rosam intelligens, quam illic ardentissimas fundere preces eminus observarat. Vix verba finierat, cum superveniens sacrista F. Joannes Fernandez ait, a Rosa in templo coram sanctissimo Sacramento geniculata illuc se missum, ut Bartholomæum certum faceret, ex illa ægritudine quantumcumque jam complorata, neutiquam sibi mortem imminere; bono proinde animo esset, valetudinem citius, quam sperari poterat, redituram, eo quod prius ipsum oporteat divinæ gloriæ in quodam singulari ministerio strenue famulari. Bartholomæus, cui Virginis anima intime perspecta erat, nil hæsitans, fidem dictis adhibuit, eadem hora metum, et morbum abjecit. B

qui periculoso morbo laborabant,

363 Magister F. Ludovicus de Bilbao, itidem per annos quatuordecim Virginis confessarius, sopitis, quas extinctas crediderat, febribus, timere sibi desierat : cum velut ex insidiis morbus rediit multo quam ante violentior, ac recidivum ad extrema reduxit pericula. Jam perplexi hærebant medici, et pharmaca adhibere destiterant; jam æger (cui natura vocem dederat sonoram, et liquidam) præ angustia obstructi pectoris, utrimque * languore, vix, quæ intelligerentur, proferre poterat; nihilominus, qua licuit vocis tenuitate ac nutibus mandavit, indicari Rosæ discrimen suum, quidque ipsa de morbi hujus successu et exitu sentiret, sibi liberrime renuntiare jussit, ut, si moriendum sit, continuo præparare se possit ad momentum, a quo pendet æternitas. Cetera Virginem obsecrabat, ne in hoc ancipiti se destitueret, aut quidquam saluti suæ congruum dissimularet; hoc, si ullum aliud, dicendæ veritatis tempus esse, nunc vel maxime ab ea se filialis benevolentiæ sancta obsequia exspectare. C

*an utriusque ?

pristinam sanitatem spondet,

364 Virgo, tametsi spiritualis sui patris angoribus condolebat, nihil tamen periculi commemoratione exterrita, paucis, at vultu alacri, respondit : « Ad serium illud ultimæ respirationis » nis momentum omni annisu, cura, solicitudine » ne se parare numquam intempestivum, semper » laudabile est ac salutare. Verumtamen in- » firmitas ista non est ad mortem, convalescet » infirmus, et in proximo sanctissimi Rosarii » triumphali festo coram universo populo diserte » e suggestu perorabit. Interim mittam illi me- » dicum meum, hunc ad lectuli caput jugiter » sub oculis habeat, nec de recuperanda vale- » tudine diffidat. » Misit deinde patri, quam unice habebat in deliciis, brevem parvuli Jesu iconem decenter vestitam, suum (uti aiebat) medicum, quem deinde a convalescente repetiit, nuntians, absque hoc sibi nimium se solitariam videri. Credidit Rosæ vaticinio Ludovicus, medicum devote coluit; vires omnium admiratione integerrime recuperavit. Unicum superat, in quo plurimum hæsitabat, nimirum haud videns, quemodo sibi obvenire jam posset concionandi munus in propinqua sanctissimi Rosarii solemnitate, quandoquidem pro illo anno hæ vices non suæ erant, sed sui Provincialis M. F. Gabrielis de Zarate : nam huic per sortem (ut ibi moris est) uno mense ante hoc sermocinandi onus obtigerat. Nihilominus et hoc in Ludovico impleri debuit : siquidem Provincialis paulo ante festum ægritudine correptus, prædicare non potuit, ignarusque vaticinii, sermonem habendum Ludovico demandavit. D

et novitium a comitiali morbo liberandum asserit.

365 Limæ in sancti Dominici cœnobio Joannes de Soto religionis habitum impetrarat; sed morbum comitialem, cui obnoxius erat, silentio presserat. In probationis anno fraus deprehensa Alphonsum Velasquez cœnobiarcham permovit, ut de patrum consilio clam statuerit, inutilem novitium honeste ad seculum remittere. Jam decreta erat executionis dies, et novitiorum magistro Petro de Loaysa injuncta dimissio; neque humanitus quidquam horum Rosæ innotuisse poterat. Adfuit tamen pia Virgo primo diluculo, et per Fr. Blasium Martinez sacristam rogavit, una cum Priore magistrum novitiorum ad se in templum descendere, priusquam opus conceptum exequeretur. Venere ambo, mirati, quid Virgo hora tam insolita ac præmatura sibi vellet. Respondit illa, se occurrisse supplicaturam pro novitio jamjam exuendo, simulque rogavit decretum expulsionis rescindi. Substomachans ad hæc patrum unus, replicuit : « Nescis, Rosa, quam » male hoc intercessionis beneficium colloces; » at scito, juvenem, pro quo rogas, emittendæ » professioni prorsus inidoneum esse. » Æquanimiter hanc repulsæ asperitatem tulit mitissima Rosa, attamen subjunxit : « Videbitur decretum » Altissimi diversum esse, vestroque fortius : » nam novitius ille ad solemnem professionem » rite pertinget, et Ordinem, pietatis, ac reli- » gionis exemplo, insigniter illustrabit. » Totum evenit, uti Virgo prædixerat. E

Quibusdam virginibus assignat

366 Tres germanæ sorores, Philippa, Catharina, et Francisca de Montoya Rosæ conversatione et exemplo erudiebantur ad pietatem. Ex his Philippa et Catharina desiderabant, spreto seculo, religiosum sancti Dominici habitum, ac tertii Ordinis amplecti institutum. Sola Francisca paulo tenacius adhærescebat mundo, totisque præcordiis abhorrebat a sæculi divortio; displicebat religiosa vestis, pannosa simplicitas; oblectabat nitidioris cultus fimbriata ostentatio, tenebat venusti capillitii femineus amor. Coarguebat interdum Rosa nimium Franciscæ in crispanda cæsarie studium, ac dicebat : « Hos tuos, quos » tanto nunc affectu colis capillos, ego recisos » aliquando visura sum, ne dubites. » Demum prædixit apertius, Franciscam (etsi tunc repugnantem) una cum germana sorore Catharina tertii Ordinis sancti Dominici monialem fore, at Philippam, quæ tunc ejusdem instituti flagrabat desiderio, in oblatas tandem honestas nuptias consensuram. Respondit successus vaticinio : nam Philippæ ardens religiosi status desiderium cunctis adstupentibus migravit in Franciscam; illa maritum, hæc sancti Dominici habitum una cum Catharina sorore obtinuit : capillos, pompam, seculum, fervore ac lætitia inenarrabili ejuravit. F

statum vitæ, quem postea eligerent,

367 Aliud nobile par virginum, Maria et Joanna Urtado de Bustamante, quamquam intima ac familiari Rosæ amicitia gauderent, nil mi-

nus

A nus, quam de amplectendo Religionis statu cogitabant. Attamen cum his, die quadam, in domestico horto coambulans Rosa, impetu superno ac repentino sic utramque affata est : « Scitote, bonæ sorores, vos ambas una cum avia » vestra Ludovica sanctimoniales fore in monaste» rio, quod dicimus SS. Trinitatis, et ego diem » illum victura, ac visura sum. » His tertia supererat germana soror, Francisca nomine, quam econtra tantum accenderat desiderium subeundi tertium Ordinem sancti Dominici, ut vix aliud cogitare libuerit, aut loqui. Communicato demum cum Rosa consilio, responsum ab ea retulit, quod postmodum eventus comprobavit : nimirum, ipsam nec S. Dominici, nec alterius Ordinis monialem, sed legitimi mariti conjugem fore. Ita accidit : nam anno MDCXV, nempe biennio ante Rosæ obitum, binæ sorores Maria et Joanna una cum avia in sanctissimæ Trinitatis monasterio velatæ sunt, ac prior, Mariæ de la O, altera Joannæ a Jesu, ultima Ludovicæ a Cruce nomen assumpsit. Francisca nupsit Hieronymo de Villalobos.

et præmonuit adolescentis cujusdam matrem,

B 368 Joanni de la Raya, et Mariæ Euphemiæ de Parejas unicus adolescebat filius Rodericus, quem ipsi a teneris destinarant sacræ militiæ Societatis Jesu tempore suo adscribendum. Crevit puer, at nullo religiosæ inclinationis indicio. Applicatus scholis, manifestius tam ecclesiasticum statum, quam litteraria quævis exercitia abhorrere visus est, quidquid ex adverso uterque parens seu palam cuperet, seu operosius suaderet. Afflicta mater, delitescentem in hortensi cellula Rosam adiit, dolorem exposuit, precum subsidia enixe flagitavit. Rosa, ut erat accelerandis mœstorum solatiis promptissima, statim quidquid suæ apud Deum orationes valerent, Euphemiæ addixit. Mox aliquantulum cælos intuens, postque brevem morulam in se reflexa, « Nil (inquit) ambigito, Rodericus tuus post menses ad» modum paucos religiosam induet togam, sed » non illam, quam tu unice volebas, Societatis » Jesu. »

quæ cupiebat, ut filius Societati nostræ nomen daret,

369 Sauciarunt postrema hæc verba Euphemiam; unde replicuit : « Ah! quam medullitus » mecum tristabitur maritus meus, ut audierit » filium nostrum illi Societati non fore aggregan» dum. » Respondit blande commiserans Virgo : C « Quin tu potius adora divinam providentiam, » quæ tibi hæc tempestive constare voluit, ut » sensim maritum ad justam æquanimitatem dis» ponas, ne frustra obstrigillet spiritui, ubi vult, » spiraturo. Sinite in Roderico operari divinam » potius voluntatem, quam vestram; et quam» primum filius tuus regulare institutum ample» xus fuerit, vide, me moneas, ut et ego Altis» simo grates referam pro beneficio, quo nos » affecit. » Tres circiter abiere menses, quando Rodericis inflammari se sensit impetuoso ac subito religiosæ vitæ desiderio, jamque ultro parentes, quandoquidem ita ipsis collibitum erat, incunctanter serioque agerent cum Patribus de sua in inclytam eorum Societatem admissione. Rescivit hoc Rosa, iterumque dixit Euphemiæ : « Certo certius religiosum videbis filium tuum; » at æque certum est, ipsum Societati Jesu ad» scriptum non iri : rudior seraphici Francisci » tunica illum expectat. »

370 Nil minus tunc aut cogitabat Rodericus; aut optabat cum marito Euphemia. Quin potius cum primoribus Societatis jam pertractata, conclusa, parata erant omnia, solæ consensuri P. Provincialis expectabantur litteræ; sed (Numine sic disponente) tardarunt illæ, atque interea Rodericus clam parentibus cœnobium sancti Francisci adiit, habitum petiit, admissionem obtinuit, monitisque, et demum flexis ad consensum parentibus, octiduo post, solemni ritu in pauperem Fratrum Minorum Ordinem adlectus est. Mater de novitii constantia mœste anxieque subdubitans, quod delicatum puerum tantis metuebat austeritatibus vix parem fore, denuo Rosam adiit, solicita, pusillanimis, inquieta, præsertim ex quo resciverat filium inter Quadragesimales rigores nonnihil infirmari. Sed Virgo diffidentiam mulieris leniter perstringens, « Tam » modicam (ait) fidem habes in auxilio Regi» næ sanctissimi Rosarii, cui novitium Rode» ricum commendavi? Scito, illum in ordine suo » perseveraturum, et suppone, te illum jam vi» dere professum. » Quid multa? Rodericus mox ut lineam subuculam cum lanea commutavit, convaluit, exacto probationis anno solemnia vota emisit, diuque in seraphica religione pius et exemplaris sacerdos supervixit.

A. LEONARDO HANSEN. illum Ordini Franciscano adscribendum esse.

E

et concubinæ prænuntiat legitimas nuptias,

371 Nobilis Hispani Leonardi de Roya mancipium Maria Perez cum hero clam vivebat in statu damnabili. Compuncta demum, suæque animæ salubrius prospectura, cum modum non videret, quo aut periculoso contubernio se explicaret, aut, servili conditione pressa, ingenui viri legitimas assequeretur nuptias, Rosæ calamitatem suam fidenter aperuit. Compassa Virgo, ancillam bene de Dei misericordia sperare jussit, fore, quod Leonardus rite ipsam uxorem duceret. Credidit afflicta mulier in spem contra spem, felicique experimento comperit, Rosam non ex vano promisisse solatium.

alterique mulieri reditum fugitivorum mancipiorum.

372 Mariæ de Mesta, Medori Angelini pictoris conjugi, duæ simul ancillæ Æthiopissæ domo aufugerant, earumque altera, Antonia nomine, etiam claves heræ tunc pernecessarias asportarat. Questa est Virgini jacturam suam, quodque domum rediens, aut arcam vestiariam, cujus clavis subducta erat, vi effringere, aut in diem posterum aliunde necessariam vestem mutuo petere cogebatur. At subito respondit Rosa : « Neutrum facies : nam reversa ad limen tui do» micilii, priusquam de sella prodeas, occur» ret tibi in ostio, qui Antoniam a fuga sponte » in ædes rediisse nuntiabit; alteram fugitivam, F » scito cras ad te reducendam. » Abiit Mesta, et in domus suæ limine, antequam gestatoria sella exscenderet, maritum in valvis obvium habuit, nuntiantem rediisse cum clavibus Antoniam. Vicissim marito reposuit Mesta : « Et crastinus » dies alteram nobis restituet profugam. » Utrumque contextum Rosa prædiverat, utrumque Mesta postridie impletum vidit.

Prædicit, hospitem suum in difficili negotio,

373 Decreverat Peruani regni excellentissimus prorex, Gundisalvum de la Massa, quæstorem implicare procul a Lima functioni honorificæ, at perarduæ, quæque virum exigebat summæ tum experientiæ, tum fidei ac integritatis. Misit igitur, qui Gundisalvi consensum elicerent, regiæ (quam vocant) audientiæ senatorem, et fisci procuratorem, quibus honoris et auctoritatis gratia proprium suum adjunxit confessarium. Quæstor legationis dignitate perculsus, simulque cum seriam proregis mentem, tum negotii difficultatem probe intelligens, spatium quasi deliberaturus petiit, maxime quod tunc ob classem propediem inde Hispanias petituram, expediendis infinitis litteris, suique officii

ficii

A. LEONARDO HANSEN.

licii ratiociniis distringebatur, ne domo vel ad unum diem abesse posset : revera autem hæc prætexebat, ut per longioris moræ inducias effugeret ipsum periculosæ plenum opus aleæ. Profecta classe, tres supradicti non junctim, sed singuli ad Gundisalvum rediere, ac pluries quidem : premebat enim negotii gravitas et regis obsequium.

cui prorex illum implicare statuerat.

374 Tandem xv Aprilis, quasi peremptorie monitus, postridie hora præfixa sese a prorege ad colloquium in palatio expectari, facile agnovit, jam nullum superesse exosæ profectionis effugium; unde illomet vespere post cœnam cogitabundus ac tristis, angorem sui animi solis conjugi Rosæque aperuit. Uxor metu dispalluit; sed neutiquam Rosa, quæ die postero ab oratorio veniens, quæstorem jamjam domo exiturum, ac proregi sese stiturum, vultu alacri affata est : « Vade, (inquit) nec formides, lætior ad nos » redibis e palatio, quam hinc exieris, et ne su- » perfluis te morer, securus esto; arduum illud » negotium, quod subvereris, in alium transfe- » retur, tu plane immunis eris. »

B

certo certius adhibendum non esse,

375 Dubitanti quæstoris conjugi, idem bis, ter constantissime inculcavit, adjiciens : « Nec » si videris utrumque mariti pedem immissum » stapedi, aut plateæ jam adequitantem, cre- » dideris profecturum. Manebit is tecum Limæ, » nec emittetur foras ad molestissimæ functionis » periculum. » Mira res : quæstor subito intromissus ad arcanum proregis colloquium, ab eodem variis sermonibus detentus per horam et dimidiam, illo momento temporis, quo jam adamantini decreti insinuationem pavidus expectabat, comiter dimissus est, nec prorex, toto seriæ confabulationis spatio, odiosam illam commissionem verbulo attigit, tametsi quatuor integris mensibus studuisset hanc, per supra memoratos, quæstori invito efficacissime persuadere. Eadem longo post tempore sic alteri injuncta fuit, acsi de illa numquam tractatum fuisset cum Gundisalvo.

et fratri suo, cujus longe distantis matrimonium prænoverat,

376 Ferdinandus Flores de Herrera germanus Rosæ frater, patris exemplo militiam secutus, usque in Chilæ regnum penetrarat, ubi et vexilliferi honore in sua centuria functus est. Huic, leucis plus minus quingentis Lima distanti, Rosa soror epistolam scripsit, (nam divinitus

C

didicerat, illum in Chile honesto matrimonii jugo succollasse.) Hac solicite hortabatur fratrem, quandoquidem hunc statum amplexus erat, Christiani patrisfamilias obligationi inter militares strepitus accurate satisfacere haud negligeret; domum suam ad Dei timorem ac pietatis observantiam studiose formaret; liberos, quos illi superna benedictio datura erat, optimis moribus imbuere, sancteque educare satageret; ac primum quidem matrimonii sui fructum filiolam fore, a Deo peculiariter signatam in facie, quam videlicet purpureus conspicuæ Rosæ character esset ornaturus. Hanc itaque, mox ab ortu, parens dicaret offerretque augustissimæ Deiparæ : siquidem hæc filiola, puritate et innocentia vitæ, multum placitura erat Altissimo. Ita evenit : nam post biennium circiter nata est Ferdinando prima hæc soboles, secumque ab utero matris attulit rosæ typum in vultu tam belle et accurate effigiatum, ut nec penicillo venustius depingi potuisset.

filiam ex eo nascituram per litteras commendat,

377 Adolevit cum hoc signo parvula, mirantibus, quotquot Rosæ litteras pridem viderant. Didacus Gonzales Montero, Christophorus de Aranda Valdivia, aliique centuriones ac Chilensis militiæ præfecti certatim adibant Ferdinandi ædes, devoto hoc spectaculo coram fruituri : nam et puella (juxta Rosæ vaticinium) mire a teneris propendebat in religionis ac pietatis exercitia. Tandem præmature utroque parente orbata, remansit sub tutela pupillari, donec Franciscus Lasso de la Vega, Chilensis regni gubernator et præses, ob Rosæ tunc defunctæ piam et usque in Chile celebrem memoriam, in se officium curamque suscepit ultro, ut orphanam suo sumptu e Chile Limam transmitteret, ubi aviæ Mariæ de Oliva (jam tunc moniali) in S. Catharinæ Senensis monasterio sanctissime convixit, ac singulari virtutum exemplo mirabiliter coruscavit.

D

Divinitus accepit notitiam de Æthiopissa non baptizata,

378 Isabellæ de Mexia nobili Matronæ ancilla erat Æthiopissa, Speranza nomine, quod ultro sibi (acsi Christiana esset) imposuerat. Hæc a promontorio Africæ (Hesperium olim, nunc Caput viride *b* appellatur) ab interiori Lybia *c* per mare Atlanticum abvecta in Indias, primum quidem in isthmo Panamæ *d* servierat; exinde Limam deducta, jam a sexennio ancillabatur Isabellæ. Accidit eam graviter infirmari : quapropter supplex Rosa tum Isabellam, tum suam matrem exoravit, concedi sibi Speranzam, in maternis ædibus suo ministerio commodius procurandam. Ut allata fuit, repente Virgo perplexum quid secum mussitans, demum aperte dixit matri : « Sentio, Speranzam non esse baptizatam. » Ægra ex adverso, malum pudorem obstinatione pejori obarmans, contendebat pervicaciter, in Panama se sacro Baptismo tinctam fuisse, et ut fidem conciliaret mendacio, fingebat nomina plurium, quos interfuisse jactabat; comminiscebatur patrinos numquam natos, locum, annum, ritum, omnia præter veritatem.

b

c

d

E

quæ se Christianam mendaciter finxerat.

379 Perfacile ipsi fuit, tum dominæ suæ, tum Mariæ de Oliva cæterisque imponere, adeo ut Rosam velut importune molestam arguerent. Verum ingemiscebat Virgo identidem suspirans ac palam deplorans infirmam non baptizatam. Supervenit, providente Numine, post dies undecim Gundisalvi quæstoris mancipium Franciscus, qui Speranzæ ex Africa Panamam, inde Limam jugiter comes fuerat : is interrogatus respondit simpliciter, se semper credidisse, quod utique intra hoc sexennium Speranza Limæ baptizata sit : nam quod in Panama Baptismus ei non obtigerit, habere se compertissimum. Hic tandem convicta mendacii, sed admirans, unde id Rosa potuerit divinare, sic coram omnibus orsa est loqui : « Dum ex Panama huc in ædes Isabellæ veni, » reliquæ ibidem Æthiopissæ me per ludibrium » EQUAM *e* appellitabant, quod baptizata non- » dum essem; at ego convitii impatiens, repli- » cui audacter, æque ut illas Christianam me esse. » Abinde, ne pudefierem, mendacium meum per- » tinacia tueri conata sum usque in hodiernum » diem. At nunc a Rosa (nescio quo modo) » deprehensam me fateor, et Baptismum flagito. » Confestim Virgo accivit vicinum S. Sebastiani parochum licentiatum Quixanum; huic rei seriem, infirma annuente, exposuit; baptizatur Speranza, moriturque postridie.

F

e

et artem legendi scribendique cælitus infusam habuit.

380 Nemo audebat interrogare lætam hoc successu Rosam, unde arcanum Speranzæ statum didicisset : nam hunc ei non potuisse humanitus Limæ innotescere, apud omnes in confesso erat : ex altera parte, Virgini cælitus infundi abstrusas notitias, pridem constabat matri, quæ inter alia, legendi scribendique scientiam, non acqui-

sitione,

A sitione, sed divina infusione irrorasse minorenni Filiæ grato experimento compererat. Res demum ita patuit. Docuerat mater filiolam Rosam utcumque singulas nosse alphabeti literas, jamque in eo erat, ut de iisdem in syllabas combinandis puellam instrueret, simulque in pagella rude exemplar dederat, ut inde calamo characteres formare disceret. Malebat Rosa totum hoc tempus orationi dare; sed mater suspicans, Filiolam puerili more discendi tædium ac laborem defugere, induxit confessarium, ut coram se Juvenculam de neglectu redargueret. Fecit ille bona fide, quod jussus fuerat; sed Rosa postridie, oratione præmissa, matrem adiit, librum oblatum expeditissime legit; insuper programma exhibuit sua manu eleganter conscriptum. Nempe melius docuerat unctio, quam Oliva, et idem, qui sanctæ Catharinæ Senensi artem legendi scribendique superne defuderat, dignatus est et Rosam pari infusionis compendio divinitus erudire. Porro, ne his minutioribus immoremur, tandem hoc Magistro, suæ mortis diem[1], locum, horam edocta, nemini dulcius, quam sibi suoque funeri B felix vates præcinuit. Verum id commodius proximo capitulo servatum esto.

ANNOTATA.

a Sancta Crux de la Sierra *est montana Americæ provincia, in regno Peruano sita, versus ortum et Paraguaiam extensis. Caput ejus vocatur* Fanum sanctæ Crucis de monte, *a quo provincia verosimiliter nomen accepit; est oppidum satis cultum sub dominio Hispanorum.*

b Caput viride, *quod ab Hispanis* el Cabo verde *nominatur, est promontorium Africæ in Nigritia regione, quod Dyonisius Ferdinandus Lusitanus anno 1446 detexit, et jam passim notum est.*

c Lybia *vel* Libya, *cum latissime sumitur, totam Africam significat. At Baudrandus interiorem et restrictiorem hujus nominis regionem describit his verbis :* Libya ulterior, quæ et interior, regio Africæ et pars amplissima regionis Ptolomæo, quæ in meridiem extensa erat inter Libyam citeriorem, oceanum Athlanticum et Æthiopicum atque Æthiopiam; a Nigro fluvio C in duas partes inæquales secta erat, et sub ipsa comprehendebantur Nigritarum regio, Garamantes, Getuli et Libya deserta *etc.*

d Isthmus Panamæ *est tractus parvus Americæ octodecim leucarum, quo America Septemtrionalis conjungitur Meridionali in provincia Terræ firmæ. In eo sita est Panama celeberrimum emporium Americæ Meridionalis, estque urbs episcopalis sub archiepiscopo Limensi.*

e *Apostolicus Societatis nostræ sacerdos, qui aliquot annis in America missionarium egit, et in ea adhuc vivit, mihi asseveranter narravit, inter mancipia jam ad Christiniam fidem conversa moris esse, ut populares suos nondum baptizatos cognomine equorum vel asinorum appellent, et cum iis conversari nolint.*

CAPUT XXVII

Prævia notitia sanctæ Rosæ de morbis et cruciatibus, quos circa finem vitæ sibi tolerandos didicit.

Cum Virgo in gravem morbum incidisset,

Duriusne premat certitudo mortis, an horæ ac diei incertitudo, problema sit; illic decretum, hic secretum affligit mortales, nisi quod solis Dei amicis mori sit lucrum, et insuper nonnullis horum, eximio favore Numinis, secretum diei et horæ reveletur. Hinc et Rosæ quotannis festum divi Bartholomæi (quo se morituram præsciebat) tam pretiosum et charum fuit; hoc studio singulari colebat devotius, nec suo contenta jejunio, aliquot innocentes puerulos induxit, ut secum in hujus festi pervigilio jejunarent; hi vero etiam post Rosæ obitum perrexerunt ejusdem Apostoli recurrentes vigilias spontaneo E celebrare jejunio, nec aliam norant piæ consuetudinis rationem dare, quam quod sic a Rosa fuerant instituti. Mirabatur curiosa mater, quid filiæ tam peculiare cum sancto Bartholomæo verteretur? Donec tandem audivit a Virgine, hunc sibi diem aliquando fore nuptialem, quo ad Sponsi thalamum esset evocanda.

et adstantibus brevi moritura videretur.

382 Adhuc mortalitati Virginis supererat circiter triennium, quando ex gravi morbo decubua, videbatur omnibus jam vitæ marginem extremum attigisse; nemo dubitabat, intra pauculos dies e vivis abituram : domestici velut jam mortuam plangebant, cum subinde, num adhuc spiraret, ambigerent. Adstitit inter alios confessarius P. magister Fr. Ludovicus de Bilbao, cœpitque voce lachrymosa affari Virginem iis formulis, quibus ad postremum agonem solicitius animari solent moribundi. Audiebat quiete et avide patris spiritualis ultima solatia gemens Rosa, illiusque hortatui prompte se accommodans, nunc contritionis actus ferventissimos, nunc humillimæ resignationis tranquilla suspiria, nunc anhela supernæ patriæ desideria facili conatu fre- F quentabat.

ipsa affirmavit, tunc obitum sibi nondum imminere :

383 Verum ut vidit circumstantes, velut re perdita liberius singultire, ipsumque confessarium lachrymas tenere non posse, cohibere nec ipsa potuit roseum commiserationis affectum : utque consolaretur ceteros, ita allocuta est patrem : « Depone metum, abige intempestivum » mœrorem, ac certus esto, me nequaquam ex » hac, licet tuo omniumque judicio complora» ta, ægritudine morituram. Heu! longius ab» est meta, ad quam propero; attingam demum, » sed non modo. Quod si nunc morerer, bis » mihi moriendum foret : nam, qui ultimo le» thum mihi allaturus est dies, procul distat; » nec opinandum, hanc Sponsi voluntatem esse, » ut bis moriar. » Mirabatur confessarius, hæc tanta cum securitate ac fiducia proferri a Virgine, quam sciebat nec temere loqui solitam, nec in re tam abdita quidquam asseveraturam, nisi diem sui transitus divina revelatione compertum habuisset.

nam mortis suæ tempus

384 Annum denique suæ ætatis trigesimum primum Rosa attigit, quem minime se finituram dudum prænoverat. Unde quatuor ante obitum mensi-

A. LEONARDO HANSEN.

mensibus, valens ac sana Gundisalvi uxorem sic allocuta est : « Scito, mater, me quarto abhinc » mense viam universæ carnis certo ingressuram. » Ultimæ infirmitatis meæ dolores, qui me con- » ficient, atrocissimi erunt, sed omnium erit im- » manissimum tormentum sitis, cui ut tunc sub- » venias, ex nunc obnixe et anxie te precor. » Memento, ne mihi, torridis faucibus aridisque » visceribus tua materna viscera imploraturæ, » lympham deneges, qua indigebo. Pollicere ho- » die, mater, quod in illo mortifero extremæ » sitis incendio me non destitues, quin poscen- » ti aquam præbeas. » Attonita his dictis matrona, et Virginem attente intuita, ut vidit tam serio cernueque supplicem, promisit fide bona, se poscenti daturam quoties et quantum aquæ foret petitura. Interim dolebat tam prope imminere decretorium Rosæ diem.

locum in domo hospitis.

385 Porro et locum (sed integro anno ante) eidem matronæ prædixerat : nam quodam vespere inter spiritualia colloquia subito præter morem interpellans Rosa, vultu amœnissimo modestisque lætitiæ signis diducto, in hæc verba B erupit : « Scito, mater, me non alibi, quam hic » in domo tua, et hoc loco naturæ debitum » soluturam; et, si videris, me in parentum » meorum ædibus ultima ægritudine corripi, non » ambigas, hic, non illic solvar mortalitatis no- » do. Nunc ergo per omnia nostræ amicitiæ ju- » ra te obtestor, ne, quando hic expiravero, » corpusculum meum aliis feminis committas ve- » stiendum, feretroque aptandum; soli tibi ac » genitrici meæ hanc curam pro amore Dei as- » sumito; vobis solis ultimum hoc pietatis in » me officium supplex commendo. »

et cruciatus eam præcessuros antea noverat.

386 In celebri arcuum visione (de qua supra cap. XVII) pius Salvator tempestive coram fulgido innumerabilium angelorum exercitu revelavit Virgini totam seriem immanium dolorum, quibus ultimo lancinanda ac præparanda erat ad beatam immortalitatem; hos tam acutos, sævos, multiplices fore, ut cæteri, quos illactenus pertulerat, istis collati, vix nomen doloris mereantur; singula exhausti sui corpusculi membra proprium habitura equuleum, ut nullum alteri aut succurrere possit, aut cruciatum naturali consensu partiri; sitim eamdem, quæ in cruce exanguem torsit Redemptorem, arida Rosæ viscera C faucesque occupaturam; intimas ossium medullas ardore intolerabili depascendas, nec ullum ex tot simul atrocibus morbis, solitum naturæ ordinem, periodum, leges, aut intervalla admissurum, eo quod præternaturalis futura sit tot mortalium tormentorum exlex congeries.

amicisque quibusdam ndicaverat.

387 Rosa ne tantæ amaritudinis calicem expavesceret, in sacello Rosarii, velut in horto Gethsemani, sese tum voluntati Patris æterni, tum adjutorio Virginis matris ardenter commendavit, quando, annuente Deipara, ibidem apertius didicit, prope adesse diem, quo totum hoc mortiferi promulsidarii *a* absynthium sibi strenue sic epotandum. Supervenit fortuito Joannes de Tineo Almansa familiaris, qui Virginem obiter salutans ejus se precibus commendabat. Vicissim Rosa flammante vultu (quem serium istud Deiparæ colloquium vehementer accenderat) precum subsidia ab illo flagitavit, perplexe aliqua interserens, quæ Joanni sat erant, ut intelligeret, tunc Rosæ præcisum vicini obitus sui diem fuisse revelatum.

Postquam matrem suam S. Dominico commendaverat.

388 Denique, triduo ante fatalem postremæ ægritudinis syncopen *b* Rosa ultimo adiit parentum ædes, forte clam valedictura suæ ibidem D hortensi cellulæ tot secum cælestium deliciarum consciæ. Illic se Virgo solitariam ac sine arbitris putans, cygnæos exorsa est modulos, suæque morti jam propinquæ dulciter præcantillavit. Observabat insciam e vicino angulo mater, audiitque filiam arguto fluidorum rhythmorum jubilo blandientem sancto Patri Dominico, cui impense commendabat Mariam de Oliva matrem suam, crebro inculcans ac repetens; hanc brevi (se moriente) mansuram solam; proinde huic orbæ ac derelictæ suam e cælo impenderet tutelam, quam tamdem adoptaturus esset in filiam. Percelluit matrem arcanus horror, et tunc quidem dissimulavit, forte subdubitans, non admodum seria esse, quæ metrice, ac per cantilenam efferuntur, non quia vera, sed quia obvia ; donec tertius dies (qui mensis Augusti primus erat) aperuit, non poetice, sed prophetice cantatos fuisse migraturi oloris threnos, ni mavelis dicere jubilos.

anno 1617 Calendis Augusti

389 Calendis Augusti, Rosa sub vesperam sana ac vegeta suo sese cubiculo incluserat, exspectatura illic promissos ultimi sui accubitus dolores, quorum anteambulationes, ac strategos *c* sentire jam cœperat. Et ecce, sub noctis me- E dium auditur miserrime ejulare. Accurrit quæstoris uxor cum filiabus et ancillis, inveniuntque ægram toto corpusculo extensam per solum; rigebant membra sine motu; sola pectoris anhela palpitatio, et languidæ vocis querula raucedo Virgini scintillam vitæ inesse arguebant. Instabat anxia matrona : interrogabat, ubi, quid potissimum doleret? quid demum haberet mali? sed Rosa præ tenuitate spiritus tunc respondere aliud non potuit, nisi quod verbis intercisis diceret, malum quidem se nullum habere, at ipsissimam mortem in intimis viscerum suorum penetralibus liberrime dominari. Interrogata, velitne advocari medicum? Cælestem, respondit, et obtinuit.

obruitur ignoto lethalique morbo,

390 E terra interim sublata in lectulum, nec movere se poterat, nec quiescere; frigidus sudor stagnabat in pallida fronte; luctabatur, velut ingenti mole pressa, spirandi facultas; discordes arteriarum temporumque pulsus certabant de palma vehementiæ, et incertis intervallis nunc tumor, nunc tremor exangue corpusculum oberrabant. Tantum in hoc Virgini bene F erat, cum subinde libero ore Jesu nomen tenerrime pronuntiabat. Mane facto, acciti confessarii infirmæ adstiterunt, mirantes vivum illud ac taciturnum omnium dolorum simulacrum. Adfuere et medici, statimque, explorata vi pugnantium morborum, hærebant in mutuo intuitu marcidi, fatentes, acervum tot cruciatuum omni humana patientia superiorem videri, neque dolores illos omnino naturales esse, altiores hic sævire paroxysmos, quos artis suæ experientia non agnoverat. Nimirum hic ille calix erat, quem Sponsus biberat, quem Sponsæ miscuerat, ac tamdiu ante præmonstrarat.

quem cum explicare non posset,

391 Confessariorum unus rogavit Virginem, saltem medico exponeret, quid sentiret : cunctantem adegit imperio, credens, ab humili modestia, non a tormentorum excessu provenire silentium. Audito præcepto, mox obedientia doloribus robustior fuit, et quamquam Rosa creberrimis experimentis, omnium pene morborum nomina didicerat, hunc tamen (utpote peregrinum) nonnisi per similitudinum periphrases explicare valens, ita respondit : « Scio, me » com-

A » commeruisse, quæ patior; at nesciebam, tantum pœnarum in corpus humanum cadere, » ac per singulos artus distribui posse; videtur » candentis ferri globus mihi per tempora adigi, et a summo vertice usque ad infimam » plantam dextri pedis ignitum veru transmitti, » cujus me vehementia quodammodo in altum » attollit; simili ardore transversim a sinistro » latere per meditullium cordis ignitus pugio » me pervadit; (observet lector, in hoc duplici » ac decussato ardoris tormento crucis formam » exprimi) caput meum candenti galeæ videtur » inclusum, illic sine intermissione validis puncturis, ceu malleorum ictibus, undique contunditur; ossa mihi sensim resolvuntur in pulverem; medullæ, instar cinerum, aruerunt; » singulas juncturas singuli obsident cruciatus, » quibus nec nomen, neque tormentum, cui eos » comparem, invenio. His quidem ad extrema » paulatim me deduci comperio, sed quia dolorum meorum intensione accessura est certa in » plusculos dies extensio, simul efflictim compatior labori ac molestiæ, qua domum istam, B » diutius, quam vellem, oneratura sum. Cetera » consummet in me Dominus totum, quod collibitum est sacrosanctæ voluntati suæ; ego neque mortem, nec morte diriora supplicia hæc » recusabo. »

et præsciret, inutilem fore medicorum industriam,

392 Auxere hi sermones vertiginem medicorum: fluctuabant in mutuo aspectu confusi, perplexi, attoniti: nam hinc notissima Rosæ virtus et sanctitas non sinebat, quemquam de dictorum suorum veritate ambigere; inde aberant indicia, quæ lethalis morbi suspicionem confirmarent, cum nec febrile quidquam pulsaret in venis, nec insolita tot simul alterationum vicissitudo ullum foras emitteret critirion *d* alicujus morbi, quem schola Æsculapii nosset. Ceterum Virgo clam suo confessario P. magistro de Lorenzana aperuit, frustra medicos in exploranda hujus morbi specie laborare; cum totus præter naturam esset, ac aforis immissus, via multiplici undequaque a peripheria ad centrum tenderet, mutuisque occursibus alii alios paroxysmi summa affectionum varietate intersecarent; proinde non alia hic, quam immedicabilis Jobi patientia sibi opus fore, ut quoC quo modo singulos crucifixi Sponsi sui dolores membratim experiretur. Ergo rogavit obnixe Gundisalvi conjugem, sibi permitterent saltem per aliquot dies sic jacere absque humano alloquio, forte ut sub solitario hoc silentio quietius intimos et inexplicabiles suos dolores intingeret ultimis doloribus crucifixi Amoris, cui se membratim confixam in cruce sentiebat.

tamen jussu matris

393 Verum interrupit qualemcumque istam crucis quietem superveniens Rosæ mater, quæ in tromissa, ingenti suo terrore infirmiorem reperit Filiam, quam sibi fuerat nuntiatum; itaque moleste et anxie urgebat ægram, diceret, qua parte gravius doleret. Breviter respondit Filia, omni ex parte sibi male esse, hoc solo dempto, quod vere hi crucis dolores erant. Sed neutiquam hoc responso contenta mater, ac forte persuasa, ex taciturnitate patientis Filiæ retardari opem medicinæ, voluit exponi sibi minutim singula; vidensque luctari infirmam, eo quod nesciret, unde incipiendum, aut quæ nomina danda morbo tam anonymo ac præternaturali, imperiosius per virtutem sanctæ obedientiæ adstrinxit Filiam eloqui secreta, quæ non noverat.

A. Leonardo Hansen. dolores suos per similitudinem exposuit.

394 Rosa, memor nullibi, quam in cruce ampliorem obedientiæ patere locum, ab ipsa mutuavit loquendi vires et spiritum, perque eadem similitudinum compendia (siquidem aptius non poterat) explicuit matri, se velut oblongo ignito jaculo a vertice usque ad calcaneum transverberari miris ardoribus, quibus totum sinistrum latus videbatur elevari; simillimo torre sese transversim penetrari a latere ad latus; hac ustulatione sibi ossa incinerari, (nimirum crucis holocaustum erat) medullas ac tendines frustillatim candenti forcipe evelli, passim per fibras oberrare acutissimum gelu, ipsaque tot flammularum antiperistasi *e* sævius irritari; mandibularum cardines, tamquam filo chalybæo arctissime strictos, ad omnem oris motum luxari a junctura; aures et tempora velut ingesto candenti orbiculo dispunctim torreri; os et fauces interius hiantibus plagis cruente ulcerari; guttur cum tonsillis, instar pumicum emarcuisse præ ariditate ac siti, (et quidni in cruce audiatur Sitio?) cranium, velut incudem, ictibus creberrimis ac lacertosis affatim contundi, nec ullum ex omnibus suppliciis vel ad momentum interquiescere. E « Hæc sunt, (inquit) mater mea dulcissima, quæ » tibi utcumque adumbrare potui, ut obedirem, » cetera ne ruditer quidem possum, nec si possem, caperes. » Flevit turbata mater, hoc maxime plorans, quod præter lachrymas non habebat, quo Filiæ dolores inungeret. Sed Virgo pietate saucia, conabatur has inutiles afflictæ matris lachrymas sistere, rogans cohiberi fletum, quasi Sponsi verbis diceret: « Nolite flere super » me. »

Deinde 17 die Augusti in eam irruerunt

395 Illuxit interea sextus Augusti dies, Christi Transfigurationi sacer; at Rosam is non in Thabor, sed in Calvariæ monte invenit, forliusque defixit. Videbantur intimi Virginis dolores advocasse in suum adjutorium reliquam naturalium morborum cohortem, ne aut ullum pœnarum genus tantæ patientiæ deesset, aut ulterius ambigeretur, infirmitatem Rosæ lethalem esse. Prima ad hoc festum accita comparuit lateris sinistri paralysis, qua totius corporis læva pars a summo deorsum enervata, in lethalem stuporem distabuit, ut inde inciperet Rosa per partes emori. Sola lingua, singulari Dei beneficio, intacta ad pietatis usum viguit usque ad extremum halitum, reliqua ex eo latere membra sic F obtorpuere, ut numquam ad officium redierint, quidquid demum unguentorum, defrictionum, fomentorum, magis ad cumulandam molestiam, quam ad conciliandum levamen, impenderetur. Ex solo pondere sentiebat ægra, adhuc se brachium pedemque alterum habere; cetera, sive erigenda tantisper in lectulo, sive in alterum latus vertenda, manibus egebat alienis, plus condolens aliorum incommodo, quam dolens ex proprio. Successere, aut potius accessere paralysi varia minoris notæ symptomata.

plures diversi generis morbi,

396 Verum xvii Augusti, inflammata utrimque costarum membrana notabilem adjunxit pleuritidem, huic se paulatim adsociavit raucum angusti pectoris asthma, ut ardores, qui intus velut in clibano assabant viscerum reliquias, non sine novo cruciatu levamen admitterent rari suspirii. Pleuritidem auxit ischiadum acerbus dolor, cholica *f*, hypochondriarum *g* dira convulsio, accensa in pede dextro nodosa arthritis; deinde continuæ febris caustica *h* intemperies reliquorum morborum confudit distinctionem, tamque potenti, varia, et concumulata uredine opus fuit, ut unica hæc Rosa fatali demum

A. LEONARDO HANSEN.

mum marcori succumberet; mirum, non succubuisse citius; at gloriosissimum martyrii genus est lente, imo articulatim mori.

quos inter dulcia ad Deum suspiria

397 Acervatos tot dolorum ac morborum cumulos æstimabat, acceptabat resignato animo serena, et constans Rosa, velut manu Christi admensos sibi ex illa mirabili statera, quam in visione arcuum attentissime observarat, secura, tantis afflictionibus successuros totidem cumulos gratiarum, nempe æternum illius gloriæ pondus, de quo Apostolus 2 Corin. 4; cui nomen, GRATIA CONSUMMATA. Hinc illa inter acerbissimos cruciatus placida ac suavis animæ quies : hinc illud fiduciæ ac spei infractum robur, quod multos, ac præcipue spirituales suos patres abripuit in stuporem; hinc illa festiva et blanda cum Dilecto soliloquia; « Domine plus, plus : imple » adorandum et sanctum beneplacitum justissimæ » voluntatis tuæ; imple trutinam, superaccumula » doloribus dolores, at memento, simul augere » meam patientiam. »

constantissime toleravit,

398 Suspirabat interdum, at sine gemitu : « Domine in adjutorium meum intende : nam » sine illo nil possum. » Subinde cum laterum B dolore urgebatur ad sanguinis vomitum, familiari idiomatis sui rhythmo alloquebatur Sponsum : « Domine, tantum ne in ira corripias me, nec » arguas in furore, dum vis, quod mea crimina » detergam hoc cruore. » Audita est aliquando Crucifixum, quem jugiter gestabat inter amplexus, dulci teneritudine sic affari : « Mi Jesu, » quando a te poscebam dolores, credebam il» los mihi mittendos, quibus a prima juventute » me exercuisti; at nunc aliter tibi visum est : » benedicta sit abundantia tam copiosa misericor» diæ tuæ. » Cuidam, ob rigidos paralysis stupores sibi familiariter compatienti, mira vultus animique serenitate respondit, aliquando se tractasse cum Deo de adoptando mendico puerulo, quem ipsa educaret in spem Euangelii inter barbaros propagandi (ut supra cap. XXXIII narratum est) verum nunc binos sibi datos esse, quorum unum sinistro genu, alterum lævo brachio exceperat portandum ac nutriendum. Hoc pene joco, indigitabat molem emortui genu et brachii, quibus graviori pondere sua paralysis insederat.

C

et in quibus semper mentis suæ compos,

399 Paulatim subverebatur (nec sine causa) Virgo sapiens, ne tot simul morborum continua et atrox violentia sibi rationis usum eriperet, totamque cerebri temperiem dissiparet; maxime ubi tot dies noctesque plane insomnes, tot motuum vicissitudines, tanta occipitis inflammatio, ac temporum inquietudo certam fere caliginem ac judicii eclipsim minabantur. Itaque humilis Rosa voce tremula flebilique supplex obsecravit domesticos, secum rogarent Deum, ut ex ea dumtaxat parte mitigaret vim morborum, qua menti, liberoque usui rationis nocere poterant. Respexit humilitatem Ancillulæ suæ divina pietas, illique integrum expediti judicii et linguæ vigorem peculiari prodigio inter assidua exhausti cerebri deliquia immunem servavit usque ad extremum halitum. Attamen sæpe inter hos angores Virginem ab usu exteriorum sensuum abduxit vel morbi vehementia, vel contemplationum excessus, adeo ut somno leniter sopita putaretur; unde nonnullis etiam de infirmæ salute paulo melius sperare collibuit, quod eam crederent pauxillum dormivisse.

400 Præ ceteris solicita mater laborabat persuadere Filiæ, hæc rediture valetudinis signa esse. Verum subridens, morique certa Virgo replicuit; nil minus, quam soporem fuisse, quod viderant, nec tales esse cruciatus suos, qui aut unici momenti starent induciis, aut cum somno possint vel tantillam inire societatem; proinde non dubitarent, brevi se consummandam iri, at prius amarum hunc passionis suæ calicem amore Sponsi ad imum usque fundum sibi exhauriendum fore. Crucis archipincerna sitis immanissime Rosam torquebat, imo torrebat indies vehementius. Itaque in Gundisalvi conjugem obtutu miserabili, cernuo, lachrymoso, frequenter, languide, dolorose respiciens, orabat supplex, tantillum aquæ ad refrigerium sibi porrigi, fel (cui pridem assueverat) cum aceto jam in deliciis reputatura, si impetrare potuisset. Matrona, quamvis commiseratione efflictim saucia, negabat, id sibi per medicos licere. Urgebat Rosa, meminisset datæ fidei, qua quarto abhinc mense promiserat valenti ac sanæ, quantum aquæ in ultima ægritudine flagitaret, se prompte daturam. At excusabat illa, se jam promissum implere non posse. Unde Virgini cruciabiliter arescenti unum id superfuit, cum moriente Sponso clamare : SITIO.

D *prævisum sitis tormentum pati coacta est.*

E

ANNOTATA.

a Promulsidaria *apud Latinos dicuntur vasa vel scutellæ, quibus promulsis continetur. Est autem promulsis cibus aut potus, quo orexis excitatur. Ex epitheto* mortiferi, *quod hic additur, satis patet, quale fuerit istud* promulsidarium.

b Syncope, *Græce* συγκοπὴ, *apud medicos est præceps omnium virium lapsus, de quo Gorræus et Castellus fusius agunt.*

c Strategus *est proprie dux exercitus a* στρατὸς exercitus, *et verbo* ἄγω, *hoc est,* duco. *Hic accipitur pro ducibus aut prodromis ultimi vel lethalis morbi, quemadmodum ex sensu liquet.*

d Critirion, *vel* criterion, *Græce* κριτήριον, *aliquando significat tribunal judicum vel controversiam a judicibus dirimendam, a verbo* κρίνω *quod est* judico. *Hoc loco per* criterion *indicatur, nullum foras prodiisse certum signum morbi determinati, de quo medici sive schola Æsculapii judicium ferret.* F

e *Græca vox composita* ἀντιπερίστασις, *simpliciter de verbo translata, Latine* circumobsistentia *dici posset. Est autem* antiperistasis, *teste Calepino,* reciprocatio, compressio undique circumfusa, per quam, ubi calidum est, inde frigus expellitur; ubi frigidum est, inde calor expellitur. *Ex hac descriptione et periodi adjunctis facile colligitur, quid ea vox hoc loco significet.*

f Cholica *vel* cholera, *a Græco nomine* χολὴ, *id est,* bilis *sic dicta, est morbus peracutus, ut Gorræus in Definitionibus medicis pag. 509 eum vocat, ubi plura de diversis ejus speciebus et causis legi possunt.*

g Hypochondrion, *quasi Latine dicas* subcartilagineum, *quia sub cartilagine positum est. Unde Gorræus pag. 484 operis proxime laudati illam corporis partem sic describit :* Ὑποχόνδριον appellatur tota illa corporis humani regio, quæ a mucronata cartilagine utrimque ad ilia usque protenditur. Nominis ratio est, quod ὑπὸ τὸν χόνδρον ἐστὶ, hoc est, cartilagini subjacet, postque eam sit. Nec vero musculi tantum, sed et interna subjectaque illis viscera eo pariter nomine appellantur,

lantur,

A lantur, quo sub notharum costarum cartilaginibus condita sint. *Hinc intelligitur, qualis fuerit dira illa* hypochondriarum *vel potius* hypochondriorum *convulsio.*

h Caustica, *id est urens vel inflammata intemperies, ex adjectivo* καυστικὸς, *id est,* vim urendi habens, *a verbo* καίω, *quod est,* uro, accendo *vel* cremo.

CAPUT XXVIII.

Ultimus Sanctæ morbus, felix obitus, et speciosa cadaveris forma, magnusque populi ad illud concursus.

Sancta sæpe de peccatis confessa,

Adfuit demum acceptabile tempus, quo Rosa, non tam Sirii, quam sitis ardoribus exsucca, dolorum spinas cum vita exereret, in Sponsi paradiso amœnius renascitura. Lethalia B decumbentis signa dissimulari jam non poterant, erantque Virgini acceptissima, quod his, quasi fidejussoribus, liberior sibi concedebatur campus, submota corporis cura, tractandi de sola anima. Igitur crebrius accitis confessariis, tenerrimam conscientiam exomologesi pluries iterata quam diligentissime expiavit, semel quidem generaliter de tota vita sua; deinde frequentius, at brevius, semper tamen cum sonoro pœnitudinis intimæ singultu et lachrymis se accusans; ita quod auditi gemitus non paucos compunxerint, mirantes Virginem in summis corpusculi tormentis adeo gemendi parcam, nunc in levissimis animi morbis enarrandis tam amare altumque ingemiscere.

extremis ecclesiæ Sacramentis munitur,

402 Post hæc, triduo ante felicem transitum, complicatis in supplicandi ritum manibus, voce flebili divinum Viaticum, extremamque Unctionem petiit. Ut audivit, epulum Eucharisticum sibi adferri, vivido colore suffusa, coruscantis auroræ instar gratiose rubuit; mox gaudio suo impar, in altissimam ecstasim *a* diriguit, attonitis, quotquot aderant, quod nihilominus apte ex- C pediteque responderet sacerdoti, qui de more, sacratissimam Hostiam manu tenens, interrogabat, quæ sub illo articulo solent interrogari. Suscepto divino Sacramento, pallida et exanguis nullo vel minimo labiorum motu sic fixa hæsit, ut diu inter adstantes dubitatum fuerit, num sacram Hostiam in stomachum transmisisset: denique P. magister de Lorenzana metuens, ne forte Virgo tam aridis, morboque adstrictis faucibus, glutire non posset, quæsivit solicite, quo statu res esset. Rosa ad confessarii vocem repente sibi reddita, respondit, jam Hostiam sacrosanctam per guttur ad intima descendisse. At ipse memor admirabilium effectuum, quos instar solis operari solebat in Virgine hoc vivificum Sacramentum, (ut fatentem ipsam retulimus supra cap. XXII) brevissime illam hortatus est, frueretur nunc Sole suo. Apposite, nam uno eodemque die in zodiaco sol mensi Augusti ex leone transibat in virginem, et Sol Eucharisticus, vere augustus, ultimo virginem Rosam virgineo suo corpore adimplebat. Certe et hæc Virgo inter morbum et mortem velut inter leonem et libram media erat *b* : nam illa quasi leo sic contriverat omnia ossa ejus, hæc æternum gloriæ pondus appendebat Virgini in statera, de qua cap. XVII. Sed ad alia.

A. LEONARDO HANSEN.

fidem Catholicam profitetur,

403 Quam immobilis riguit, dum sacrum Viaticum sumebat in ecstasi, tam alacri omnium sensuum officio extremam Unctionem moribunda excepit, vere oleum lætitiæ, quo sese potius ad triumphum, quam ad agonis conflictum sensit animari, utpote salutis adeo jam certa, quod insuper nosset absque purgatorii ignis contactu, se recto itinere ad Sponsi nuptias profecturam. Sæpius coram adstantibus, voce quantum potuit elata et clara orthodoxæ fidei professionem replicuit, non sine jubilo, ac pene addito cygnæo cantu, protestans; se, uti hactenus vixerat, ita jam mori filiam sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ: se credidisse semper et credere, quidquid credendum proponit ac docet magistra fidelium apostolica Sedes: numquam se (cum sui compos sit) ab hujus fidei solidissima firmitate recessuram. Proxima huic cura fuit, se palam ac devote S. Patris sui Dominici sobolem profiteri, unde candidum sui Ordinis intersigne, quod scapulare dicimus, foris super stragulas coram se continuo et patule extensum videre ac E videri voluit, tamquam proprium religiosæ militiæ vexillum, sub quo meruerat usque ad extremum spiritum: estque hæc vestis illa, qua Virgo Mater nascentem Fratrum Prædicatorum Ordinem, ceu pannis infantiæ, suismet manibus involverat *c*. Porro gavisa est Rosa cum a Patre Lorenzana suo confessario, quod numquam sciverat, tunc primum didicit, hunc perpetuum in Ordine morem esse, quod moribundis religiosis illo modo sacrum scapulare insternatur. Hinc Rosa moritura tenerius suum osculabatur scapulare, quo quasi viam lacteam sibi signari ad sedes empyreas sentiebat.

adversariis aut persecutoribus suis ignoscit,

404 Inviserat Rosam morti vicinam P. F. Bartholomæus Martinez prior Limensis cœnobii ad S. Mariæ Magdalenæ, vir admodum religiosus et Dominicanæ ibidem observantiæ vigil zelotes, cui per quinquennium Virgo conscientiæ suæ latebras solita fuerat aperire. Ab hoc ægra humillimis precibus flagitavit, sibi verbatim prælegi formulam exquisitissimam summeque efficacem, qua moribunda veniam a Deo exorare pro omnibus, qui Rosam in totius vitæ suæ decursu molestiis, damnis, ullove genere injuriarum F affecerant. Annuit pius Pater illiusque præeuntis verba sequebatur Virgo, Crucifixi iconem manu stringens; nec satiari poterat his verbis tenerrimis: « Pater ignosce illis. » His illanguebat tota affectuum dulcedine, horum repetitione inardescebat medullitus, nec fatigabatur orationis prolixitate, modo in eadem verba sæpius recurreret. Expleto hoc pietatis officio, blande ac suaviter Patri gratias egit, quod in opere tam pretioso ac serio aptam sibi methodum viamque recitando præiverat, qua utcumque imitaretur divinum in cruce Agnum pro suis adversariis extreme deprecantem.

ab omnibus vicissim veniam erratorum petit.

405 Hinc in se reflexa, domesticos Gundisalvi quæstoris acciri demise petiit, et quamquam ex his neminem verbulo, aut minimo umquam nutu offendisset, a singulis et omnibus voce lachrymosa ac supplici oravit sibi condonari, si qua in re ulli nocuerat sive incomposito morum exemplo, sive tarditate obsequiorum, aut tetrica singularitatis molestia; dolebat se ipsis adhuc fere per biduum oneri fore, rogabatque, ne prope terminum amittere velint longanimitatis suæ fructum, ac patientiæ meritum; haud

haud procul abesse horam, quæ domum Gundisalvi a fœtidæ Rosæ longo fastidio inutilique pondere liberaret. Nemo aderat, cui tantæ humilitatis verba lachrymas non excuterent : nam, ut tenerrime Rosam suam diligerent, sat fuerat singulis ipsam novisse, ejusque sanctitatem, innocentiam, animi demissionem, candorem, et obsequendi affectum tantis experimentis comprobasse.

et sepulturæ locum apud PP. Prædicatores flagitat.

406 Sciebat quæstor, Virgini (prout sub Dominicani Ordinis habitu, atque obedientia vixerat) in votis esse, non alibi, quam ad Fratrum suorum pedes sepeliri; at metuebat vir prudens, ne forte post Rosæ obitum de condendo tanti funeris thesauro lites inter parochiam et sancti Dominici conventum exurgerent; nec tamen audebat humillimæ Virgini honorificum illud periculum aperire. Tandem ingenioso consilio suggessit Virgini, quod legitimum obtinendæ apud FF. Prædicatores sepulturæ desiderium potius mendicando, quam testando notificaret per scripturam, in hunc usum a Gundisalvo jam præparatam. B Facile consensit ac subscripsit Rosa, existimans agi de solo humilitatis exercitio, eumque Ordinis sui morem esse. Alias de corporis sui aut cura, aut loculo ne quidem cogitabat, intenta soli spiritui, adeo ut familiares matronarum visitationes difficilius, quam nova dolorum auctaria admitteret; siquidem ut illas, tamquam onerosas ac superfluas, honesta sæpius excusatione rogabat impediri, ita hæc magis magisque gaudebat cumulari. Hinc inter acutissimos ischiadum cruciatus vox illa frequens : « Ure, preme, » stringe, Domine; ne parcas, quantumcumque pungas aut vellices, pro meo demerito » parum est. »

Deinde in crebras ecstases rapta est,

407 Notarunt plerique in Virgine, iisdem gradibus, quibus debile corpusculum fatiscebat in mortem, attolli spiritum in vigorem et securam hilaritatem, adeo ut pene horaria lætitiæ incrementa nec voce nec vultu satis potuerit dissimulare, velut protestans cum Apostolo : « Cum » infirmor, tunc fortior sum. » Quidam vir religiosus diris ejus torminibus compatiens hortabatur pati fortiter, terminum jam in prospectu esse, hoc æstu animam feliciter purgari a cruditate, ut Sponsi palatum æternum oblectet. Respondit Virgo : « At hoc ipsum est, quod Spon- C » sum rogo, ne cesset me exquisitis ardoribus » excoquere, donec ei maturescam in fructum, » qui recta hinc mensæ ipsius inferri mereatur. » Sub vitæ finem crebriora Virgini fuere dulcissimorum raptuum intervalla, quibus paratæ cælestis gloriæ sapores jam summis labiis prælibabat. Paucis ante obitum horis ab ejuscemodi prægustu in se rediens, ac suis gaudiis impar, P. Fr. Francisco Nieto cum aliis juxta ibidem vigilanti ingenue at secreto dixit : « Proh, Pater! » si residuæ vitæ meæ brevitas id permitteret, » quam excelsa, quam pretiosa, jucunda, exi» mia tibi de Dei suavitate, de læta ipsius cu» ria, de regione æternitatis narranda haberem! » Vado nunc cum tripudio ad perenniter con» tuendam pulcherrimam illam faciem, quam » toto peregrinationis meæ exilio quæsivi, to» to desideriorum æstu concupivi. »

accersitisque parentibus,

408 Aderat morienti Filiæ afflicta mater, aberat pater, quem lecto decubuum propria infirmitas continebat domi; attamen rogatu Virginis, quæ ultimam utriusque parentis benedictionem expectabat, ad Gundisalvi ædes portari se fecit. Hic ad primum conspectum attenuatæ et exanguis filiæ itum in singultus et lachrymas, D nec ulli circumstantium ea fuit pectoris durities, quam ista lugubris spectaculi teneritudo non emolliret in plorandi societatem. Interea fletuum nimbo utcumque discusso, Rosa placide summaque reverentia parentis manum deosculata est, simul blande ac imperturbate exposuit, sibi nunc modicissimam vitæ, quam parens dederat, partem superesse, in hujus extrema linea sese amborum benedictionem supplici demissione præstolari. Hanc ubi obtinuit, pari observantia in Gundisalvum ejusque uxorem respiciens, quandoquidem et hos uti secundos parentes coluerat, pariter ipsorum benedictione voluit ad arduum illud iter communiri. Deinde propius accitis, qui aderant, duobus suis germanis fratribus, seriam, gravem, ac sententiosam parænesim dixit, ac inter alia solicitam parentum curam, honorem, obsequium efficacissime commendavit; quasi ad crucifixi Sponsi exemplum dixisset : « Ecce mater tua. » His expeditis, advocavit ambas quæstoris filiolas, quas ob innocentiam rectamque indolem impense amaverat; his energia mirabili inculcabat timorem E Dei, virtutis studium, amorem parentum, quibus satagerent tanquillam et lætam conciliare senectutem. Nec minori emphasi reliquos per ordinem domesticos affata est, quemque decenter admonens officii, et Christianæ pietatis; videbatur non femina, sed apostolus prædicare.

post pia monita placide moritur.

409 Tantus in Rosa concionandi spiritus ac vigor, P. magistro de Lorenzana confessario persuaserat, ipsam ea saltem nocte haud morituram. Nox erat, et sancti Bartholomæi pervigilium *d*; unde confessarius solemni Matutinarum officio domi interfuturus, parabat discedere ad cœnobium, postridie rediturus. At Virgo sciens non integras quatuor horas sibi tunc superesse, postremam ab eo benedictionem enixe flagitavit, quasi paulo post ad Dominum migratura. Sed respondente illo commodius hanc differri posse in crastinum, tempus non defore, sat tempestive se postero mane adfuturum; Rosa graviter modesteque arridens subjecit : « Scito, mi Pater, hac » nocte cum ineunte S. Bartholomæi festo *e* me » abituram ad festa sempiterna : jam cælitus in» vitata sum ad splendidum illud ac solemne » convivium, jam præfixa est hora, et non vis, F » quod vadam, dum patent fores. » Hæc vultu tam sereno ac gratioso, tranquillitate tam secura et hilari proferebat, quasi jam in paradisi vestibulo expectaret cum lampade, dum media nocte clamor fieret : Ecce Sponsus venit. Et revera ubi medium noctis adfuit, Rosa hoc sese clamore sensit accersiri, candelam benedictam placidissimo nutu petiit, crucis signaculo, velut rem magnam aggressura, frontem, os, pectus communiit. Germano fratri, quid ageretur adhuc dubitanti, innuit se migrare, jussitque cervical subtrahi, ut, capite ad nudum lecticæ lignum acclinato, sentiret, in cruce se mori : denique sensibus plane integris, pleno judicio, fixis in cælum oculis, nullo vel minimo pavoris aut horroris signo in facie, dum postrema hæc verba, pronuntiabat : JESUS, JESUS, JESUS MECUM SIT, quietissime expiravit. Nimirum ut Rosa infans ab his verbis auspicata fuerat primam orandi formulam, ita his ipsis immortua, quasi tesseram suæ innocentiæ ac infantilis simplicitatis ad limen supernæ patriæ invariatam reportavit, anni sui trigesimi secundi quinto mense vix inchoato.

410 Eodem

A

Mox ab obitu apparet cuidam mulieri splendida,

410 Eodem festivæ noctis diluculo Aloysia de Serrano procul in ædibus parentum matutino somno implicita rescivit, deposuisse tunc Rosam cum S. Bartholomæo mortalitatis exuvias. Inter utramque pactum fuerat, quod, quæ prima ex hac luce migraret, Deo permittente, alteram sui transitus admoneret. Stetit promissis Rosa, et illamet nocte in forma corusci luminis Aloysiam suaviter excitans, sese ad lucis regionem tunc perrexisse indicavit. Verum de luminosis Rosæ post obitum apparitionibus sermo copiosior Mantissæ reservetur. Redeundum hic ad virgineum Rosæ cadaver, quod respirare credebatur, quando spirare desierat. Vividus faciei color, labella rubentia modiceque velut in suavem risum diducta, oculi integri, lucidaque amœnitate subfulgidi diu ambiguam reddidere præsentibus Rosæ mortem, donec adhibito speculo nullum in ea superesse halitum innotuit. Apud Rosam ut ultimus, sic primus hic speculi usus fuit.

et domesticos potius miro gaudio, quam dolore, afficit.

411 Dum vestitur tractabile cadaver, dum aptatur in feretro, dum floribus inspersum effertur in anterius conclave, spectante matre, ingerebatur universis luctuosa plangendi licentia, B nec tamen ulli præsentium libuit planctibus indulgere: siquidem repentino prodigio sic omnes pervasit arcanus quidam lætitiæ sensus, ut tota domus insperata metamorphosi devotis turgere solatiis, ac nuptiali propemodum gaudio innatare videretur. Matri quid acciderit, jam superius in fine cap. III relatum est. Idem reliquæ Gundisalvi familiæ, idem extraneis, quotquot aderant, intimæ ac secretæ jucunditatis inhæsit stimulus. Universim decem et novem personæ ingenuæ, præter domestica promiscui sexus mancipia, Rosæ morientis lectulum mœsto silentio ambierant, et ubi Virgo spiritum reddidit, singulæ occulta quadam spiritus suavitate a planctu in plausum ultro se adigi compererunt. Una præsentium, uti viderat exspirantis Rosæ grabatum numerosa angelorum corona circumdari, ita notavit, jam circa defunctæ feretrum eosdem alternante concentu festivissime tripudiare. Eadem quæstoris conjugi clam fassa est, aulam peramplam, in qua prostabat expositum Rosæ cadaver, undique totam micuisse luminoso illapsu cælestis gloriæ; jurato asseruit, religiosæ cui- C dam personæ triduo ante felicem Rosæ transitum a Christo fuisse revelatum, Virginis mortem fore admirabilem et sepulturam gloriosam; insuper vetuisse, ne Virginis funeri circumponantur panni atro colore lugubriter pullati, sed candidi, nivei, solemnes, quique non exequias indicent, sed triumphum. Denique invaluit eo usque prodigiosa lætandi sympathia, quod, dum exspectabatur diei adradiantis diluculum, nonnullæ ibidem devotæ feminæ sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices liberrime se oblectarint, protestantes non lesso illic, sed jubilo esse locum.

statimque tanta populi multitudo

412 Illuxit demum clarior dies, et ecce, quæstoris palatium subito hominum concursu plenum fuit, nemine vocante. Mirabantur domestici, unde, aut quo modo nuntium defunctæ et calentis adhuc Rosæ tota urbe diffundi potuerit hora tam intempestiva. Nec publici præcones, si vicatim emissi fora et compita stentoreis implessent clamoribus, primo mane tam densum collegissent populum, quantus ultro ex omni platea ad Gundisalvi ædes confluxit, nulla humana diligentia excitus. Adfuit inter primos vir gravissimus P. de Lorenzana, et in feretro similem dormienti Rosam conspicatus, vocem tenere non potuit, quin palam exclamaret: « Benedicti genitores, qui te procrearunt! benedicta » hora, quæ te nascentem excepit! benedicta » tu a Domino, felicissima Dominici Filia, quæ » nunc frueris vultu beatifico tui Creatoris! ob- » iisti, prout vixisti; baptismalem gratiam nulla » umquam lethali noxa interpunctam; immacu- » latam totius vitæ innocentiam, virginei cando- » ris infantilem, puritatem intulisti cælo: seque- » re, sequere nunc Agnum, quocumque ierit. »

A. LEONARDO HANSEN.

ad cadaver ejus ultro confluit,

413 Interea circumfusi promiscue nobiles, ignobiles, advenæ, cives, Indi, Hispani certatim rosaria sancto corpusculo applicuerunt, flosculos religiosæ jacentis vesti instratos carptim undique diripuere; hic manum, ille pedes raptim deosculari studebat; nec deerant, qui pio furto hinc limbum tunicæ, inde veli extremitates paratis forficibus modo clam, mox palam invaderent, ut brevi stipatoribus opus fuerit contra rapacem devotionem. Qui remotius substiterant, defixi hærebant in niveo et gratioso Rosæ vultu, quem florida corona, velique candor venustissime commendabat. Tentarant plu- E ries familiares matronæ, adductis palpebris oculos defunctæ Virginis obtegere; sed frustra: nam sensim eo redibant, unde attractæ fuerunt, solamque oculorum medietatem operiebant: quasi Limenses suos etiam post mortem Virgo pupillis columbinis amaret dulciter intueri.

ut domus armatis militibus custodienda fuerit.

414 Crevit accurrentium multitudo et cum multitudine importunitas, ut nec ostia domus sat laxa paterint confertim irruentibus, nec abituri exitum in tanta pressura invenirent. Omne atrium, ambulacra, angulos confusa turba impleverat, ut Gundisalvo necesse fuerit, posticum suarum ædium aperire, quo per aliam viam sese evolverent, qui venturis locum cedebant. Aliquamdiu remedium istud profuit, donec etiam illa ex parte ingressum tentare cœpit confluxus spectaculi avidissimus, qui neque insignioribus personis intromittendis aut emittendis spatium dabat. Igitur Peruani regni excellentissimus prorex armatæ suæ custodiæ prætoriam cohortem eo celeriter destinavit, portisque ædium adstare jussit, ne indigesta tot agminum collisio exardesceret in tumultum. Mirata est universa civitas, tantopere se totam sponte commoveri F ad cohonestandum funus pauperrimæ Virginis, obscurorum parentum humilis filiæ, quæque, dum vixit, adeo sese ab omnium oculis, notitia, plausu occultarat; sed impleri debuit, quod cælitus prædictum erat, fore sepulturam illius gloriosam.

ANNOTATA.

a *Hoc loco dicitur sancta Virgo in ecstasim diriguisse, eo quod ecstasis sit abstractio mentis a corpore, in quam homines abrepti velut obrigescunt et inflexibiles redduntur. Nomen Græcum* ἔκστασις *oritur ex verbo* ἐξίστασθαι, *quod est* obstupefieri, *vel* extra se rapi.

b *Hic allusio est ad signa cælestia mensis Augusti, in quibus tunc sol naturalis erat, et ad Solem Eucharisticum, tempusque, quo S. Rosa hunc percepit, et ex hec vita migravit, ut satis manifestum est.*

c *De veste, quam Deipara Ordini Prædicatorum dedit, in Commentario prævio ad vitam S. Dominici die 4 Augusti § 28, sive tomo primo*

A. LEONARDO HANSEN.

mo istius mensis pag. 460 et sequentibus sat fuse egimus.

d *Cum festum S. Bartholomæi in quibusdam locis die 24, in aliis die 25 Augusti celebretur, nondum scio, an Limæ istud ejusdem Apostoli pervigilium in diem 23, an 24 Augusti inciderit. Videtur tamen annua S. Bartholomæi festivitas ibi die 24 Augusti celebrari propter testimonium Clementis IX Pontificis, quod mox proferemus.*

e *Ex his aperte colligimus,* S. Rosam *ineunte ipso festo S. Bartholomæi obiisse, ac proinde sequitur, istud festum Limæ die 24 Augusti tunc celebratum fuisse : nam Clemens IX Pontifex in decreto Beatificationis, quod* § *2 Commentarii prævii retulimus, ibidem num. 22 diserte præcipit, ut de beata hac Virgine quotannis* sub duplici ritu recitetur Officium, et Missa celebretur.... juxta rubricas Breviarii et Missalis Romani die vigesima sexta Augusti, quæ prima est non impedita post diem vigesimam quartam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit. *Unde concludimus,* S. Rosam *festo S. Bartholomæi ad Superos migrasse, et consequenter istud festum Limæ tunc in diem vigesimam quartam Augusti incidisse.* D

GLORIA POSTHUMA

EX DIVERSIS MONUMENTIS, QUÆ COMMUNEM OPINIONEM DE SANCTITATE HUJUS VIRGINIS LEGITIME CONFIRMARUNT

B E

CAPUT PRIMUM

Gloria posthuma ex honorificis ejus exsequiis, posteriore sacri corporis translatione, et solicita ejusdem conservatione.

§ 1. *Tantus tamque confusus populi concursus ad funus hujus sanctæ Virginis, ut sepultura ejus in diem sequentem differri debuerit.*

Fama mortis ejus per urbem sparsa,

Toti jam Limæ, buccinante fama, innotuerat, Rosæ cadaver sub vesperam quæstoris domo efferendum esse ad sepulchrum; et ecce plateas, fora, vicos, qua transeundum, aliquot horis ante impleverat effusa populi multitudo. Viæ pro dignitate urbis spatiosæ et amplæ (a quæstoris domicilio usque ad sacram ædem Prædicatorum mille circiter passuum iter erat) nec tamen sat capiebant C numerosam plebem, tempestive per omnia compita agglomeratam; quam nec præco, nec templorum excelsa tintinnabula, sed sola cujusque singularis devotio invitarat.

præsul Limanus cum capitulo, Ordines religiosi,

2 Illustrissimus Limæ archiepiscopus prodierat, funebri pompæ honorem suæ præsentiæ impertiturus, sed usque ad Gundisavi ædes per densissimas spectatorum myriades eluctari diffidens, permeatu frustra tentato, maluit ad D. Dominici templum deflectere, ibique virgineum funus ad valvas expectare. Interim non secus atque ad publicam supplicationem longis agminibus diversisque viis ad ædes quæstoris confluxere pia variorum titulorum sodalitia, nemine aut jubente aut rogante, vel stipendium offerente. Processerunt et religiosorum mendicantium Ordines sub distinctis labaris *a* : mox et metropolitanum collegium ultro adfuit præter expectationem et morem, cum alias numquam (nisi dum effertur proprius archiepiscopus) soleat humandis corporibus intervenire.

3 Accessit demum amplissima senatorum curia ad obsequium, quod vix alteri, præterquam suis proregibus vita functis præstare consuevit. Ceterorum, qui eadem spontanea devotione confluxerant, illustrium ex omni equestri ordine virorum ratio aut numerus in conferta multitudine iniri non potuit; cunctisque unum fuit stuporis argumentum, illic se videre congregatos, quo nullus convocarat. Eadem matronarum, ceterique feminei sexus ambitiosa pietas, ac visendi ardor : quacumque funebris processio ducenda erat, utrimque palatiorum, ac domuum fenestras, pergulas, arcus occuparant numerosæ prospectantium facies, undequaque ex porticibus, muris, transennis eminus venturo spectaculo inhiabant centeni, milleni oculi; ipsa ædium tecta leniter accubua sub imbelli ac populosa omnis ætatis turba procul nigricabant. Tanti nimirum erat, obscuri et vix noti militis pauperem filiam efferri ad sepulturam. Certe numquam alias sic visa est universa Lima commoveri. F

ac senatus ad pompam funebrem conveniunt ;

et sacrum corpus per vices deferunt

4 Prodiit denique sub vesperum e Gundisalvi laxatis foribus mortuale pretiosi pignoris feretrum, cui spontaneos humeros primum supposuit capitulum metropolitanum, eo honoris obsequio, quod solis archiepiscopis vita functis præstare solet. Inde, post emensam gravi tardoque incessu primam plateam, ventum ad quadrivium, ubi feretro deposito, successit in piæ sarcinæ bajulatum senatus curiæ secularis. Post hunc devotissime succollarunt primores Ordinum religiosorum, partiendo vices per vicos et terminos compitorum. Muniebant utrimque portantium latera excellentissimi proregis armati stipatores, tum, ut per densam multitudinem vi et cla-

A clamore laxarent vias, tum vero ut a devota rapacitate populi reliquias poscentis protegerent virgineum cadaver: nam ut singuli velut in tumultu Rosam acclamabant SANCTAM, ita violentiores ac valentiores passim inhiabant sandapilæ; avidi paratique inde decerpere, quidquid possent, ni hastatorum bipennes quasi sepem objecissent.

ad templum PP. Prædicatorum,

5 Certe si cupidissimæ huic turbæ, quod libuit, licuisset, periculum erat, ne sacri corpusculi pars modica aut nulla ad templum perveniret. Nec tamen sub tam vigili ferreaque custodia caveri potuit, ne, ubi ad valvas ecclesiæ ventum est, cadaveri partes vestium, corona et palma deesse notarentur, ibidemque pro ablatis alia fuerint reponenda. Dum in templi limite (quod Rosa adhuc mortalis tam sedulo triverat) mortua sistebatur, ad aspersionem lustralis aquæ, quibusdam videbatur nova hilarescere jucunditate virginea facies, in niveo veli candore rosea, inque purissimi amictus nitida serenitate formosior, collo totoque corpore flexilis, ut pene exclamaretur: « Non est mortua puella, sed dor» mit. »

ubi tanta populi turba concurrit.

B 6 Illatam sacello majori excepit tumulus gradatim a pavimento elevatus; at illustriori ostento ibidem Virgo Deipara videbatur excepisse Rosam suam; nam sub iis fere motibus in alio sacello prodigiosæ imaginis, cui a Rosario nomen est, repente splendidus vultus micuit, spectantibus, qui propius adstiterant, universis. Mox eo confluxit torrens ingentis populi, et pavori gaudioque medius palam solvitur in lachrymas; invalescit supplicum clamor, ut non defuerint, qui suspicarentur imaginem portentoso insuper sudore commaduisse; sed re diligentius explorata, compertum fuit, nonnisi meros splendores esse, at insolitos, festivos, benignos, quibus Virgini ipsa Regina virginum publice applaudebat.

ut exsequiæ vix celebrari potuerint,

7 Sed redeundum ad Rosam in suo jam tumulo spectabiliorem, et reciproca accensi vultus suavitate renidentem: huc enim totus populi refluxus incumbebat; sed opportune tumulum circumsederant cœnobii Patres dignitate ac senio graviores, tum ne thesaurus ille diriperetur, tum ut eidem decenti ordine admoverent debiles et mancos, qui spe haud inani obtinendæ C curationis accedebant. Verum de his in Mantissa *b*. Paulo remotius constiterat hastatum proregis satellitium, ut confusam molem irruentis populi distineret, si posset. Vix tamen potuit, nam prementium tanta vis fuit, ut lessi mortualis cantoribus in altaris crepidinem eluctandum fuerit, ad lugubre officium utcumque solito cantu explendum.

et sepultura virginei cadaveris, *c*

8 Assistebant ritui funebrium Limanus archiepiscopus, regius senatus, quem audientiam *c* vocant, collegia metropolitanum et curiale, regularium prælati, et equestris ordinis nobilitas conspicue numerosa. Itaque dispositis omnibus, dum inchoandum erat Officium sepulturæ, quo Rosæ corpus e templo efferretur ad fossam in aula capitulari præparatam, subito per omnes latissimæ ecclesiæ angulos tanta insonuit promiscuæ multitudinis vociferatio, tam inconditus ac flebilis deprecantium ululatus, ut metu confusionis ac tumultus supersedendum, funebrique processione abstinendum fuerit, admonito populo, usque in posterum diem charissimi illius pignoris sepulturam differri.

9 Sub hujus promissionis ac certæ spei solatio persuasum multis, ut domum secederent, postridie ad tumbæ spectaculum commodius redituri. Sic agminatim et sensim dilapsa plebeia frequentia, proceribus aperiri cœpit liber aditus, spatiumque accedendi propius ad venerandum corpus Famulæ Dei, manusque innocentissimas deosculandas. Rursus interea succrevit curiosa multitudo, rursus etiam circa tumulum conglomerabantur impetuosæ turmæ, quas ut vidit archiepiscopus, gestu, signis (vox enim audiri præ sonoro strepitu non poterat) Patribus innuit, ut corpus Virginis in sacristiam deportarent.

A. LEONARDO HANSEN. quod adhuc spirare videbatur,

usque ad sequentem diem differenda fuerit.

10 Verum nec ibi sat tutum fuit, sequente ac premente turba. Igitur ad securiores pluribusque valvis disclusos recessus infra novitiorum adyta, comitante cum paucis archipræsule, transportandum fuit; instabant sequacium agmina, vim portis illatura, nisi religiosorum cuneus locique reverentia intercessissent. Demum etiam inde ultimo simplicium novitiorum oratorio illatum est, ibique sub excubitoribus a Priore constitutis pernoctavit. Hic tandem archiepiscopus, solitudine pium fervorem acuente, in genua procubuit, manui Virginis reverenter apprehensæ pluries devota oscula fixit, eamque non solum E in junctura, sed in singulis digitorum articulis, acsi viveret, tractabilem sensit. Aderant nonnulli e senatorio ordine, magnæque felicitatis loco habebant, posse illic de genu fimbriam virginei habitus osculari, nec ulli horum ea fuit pectoris constantia, quæ lachrymas temperaret.

ANNOTATA.

a Labarum *proprie olim vocabatur vexillum militare, auro intextum gemmisque intermicantibus splendidissimum, quod imperatoribus præferebatur. Alii volunt hoc nomen a voce peregrina deduci, et ea significari vexillum sacrum, quod in templis suspendebatur. Quidquid sit, sensus hoc loco satis indicat, pro quo vexillo vox ea hic usurpetur.*

b *Hansenius hic et alibi* mantissam *appellat appendicem miraculorum, quam Vitæ* S. Rosæ *subjunxit, ut in fine Commentarii prævii monuimus.*

c *Hispanice* audiencia *vocatur tribunal vel locus, ubi justitia administratur. Hic accipitur pro illa senatorum vel judicum congregatione,* F *quæ ad exsequias* S. Rosæ *convenerat. De aliis ejusdem vocis significationibus auctius Cangii Glossarium ad nomen* audientia *consuli potest.*

§ II. *Die postero astute procuratus plebis discessus, post eum clandestina sacri cadaveris sepultura, et exsequiæ postea solennius iteratæ.*

Postero die rursus in templo

Postridie, adlivente matutino crepusculo, jussi custodes, venerabile pignus e novitiorum domicilio in majus ecclesiæ sacellum, ubi pridie constiterat, retulerunt, inque ejusdem tumuli reclinatorium sublimarunt. Deinde laxatis templi foribus, admissus populus undatim irruit; cancellos omnes, subsellia, pegmata, scamna confertim implevit; felicem se quilibet arbitrabatur, sicubi loco editiori potuisset stationem occupare. Verum ubi æs campanum solito maturius funebri Missæ et solemni exsequiarum

A. LEONARDO HANSEN.

rum Officio signum dedit, subito reliqua templi capacissimi amplitudo supervenientibus angusta uit: neque enim (ut pridie) soli incolæ, sed et remotiores accolæ a sex et amplius leucis accurrerant, nemine invitante. Circumstetere denuo proregis stipatores; at ii, si pridie impetum plebis sustinere vix potuerunt, hac die ne vix quidem potuere.

ingens populi tumultus ortus est.

12 Certatim omnis ætas et sexus urgebat aditum; hic calculos precarios, ille cerea agnorum Dei amuleta, alius sudarium, numisma, coronulas, et quidquid charum ad manus erat, contingendo sacro corpori eminus cominus suppliciter prætendebat. Hinc turba languentium, aut mutili corporis vitio miserabilium pene cum jurgio flagitabat accessum, [ut] feretrum contrectando speratam apprehenderet sanitatem; inde infantes per obstantium capita sublimes mittebantur ad salutiferum contactum sacri cadaveris. Nec tanta militum ac religiosorum cautela, vigilia, custodia sat fuit, ne pluries Rosæ defunctæ vela, capilli, vestes frustillatim a solertioribus diriperentur, captandarum reliquiarum prætextu;
B adeo ut ante sepulturam de integro sexies fuerit revestienda. Tota deinceps cura erat salvandi exanime illud corpusculum, ne ante sepulturam importunis vellicationibus discerperetur: jam enim notatum erat, unum ei deesse digitum, ferro, an morsu occulte detruncatum, non liquet.

ita ut Missa funebris audiri non posset.

13 Inter hos motus collectis in chorum cœnobitis, proceditur ad solemne Missæ sacrificium, adsistente in pontificalibus ornamentis illustrissimo D. Petro de Valentia Guatimalæ *a* episcopo, qui advenerat, intromissus per sacristiæ posticum (nam aditus per oppletum multitudine templum haud patebat) Officium sepulturæ post Missam propriis manibus peracturus. Resonabat undequaque ecclesia perpetuis vocibus Rosam SANCTAM proclamantium, ita ut neque canentem religiosorum chorum foris audiret populus, neque ad chorum pertingeret vox sacerdotis aut ministrorum altaris: pulsu ac tintinnabulis signum dabatur choro, cum respondendum erat sacerdoti; sed frustra fuere omnia, prævalente secularium clamore: tandem necesse fuit cantores choro egressos, ipsummet altare, ubi litabatur, circumdare, ut e propinquo vicissim audirent, et audirentur. Sic ægre demum inter sonoros
C templi strepitus quasi canoro quodam silentio ac rituum nutu consummata fuere divina mysteria. Deinde antistes e throno progressus ad feretrum, thuris et lustralium aspersionum cæremonias inter consuetos psalmorum et responsoriorum modulos obibat decenti pompa, velut mox ad ultimam efferendi humandique sacri corpusculi processionem accingendus.

Tum signis decepta plebs facile credidit,

14 At rursus novis ac validioribus ingemuit clamoribus stipata turba, rursus densato cuneo undique irruebatur in suggestum tumuli; Rosam suam alii ultimo contrectare; alii extrema ejus manibus, si possent, aut vestibus dare oscula; alii saltem postremo eam intuitu eminus salutare importunissime contendebant; iterum laborabatur sub avido tot rosariorum, crucum, numismatum affrictu, denuo Virginis habitus tentabatur forficibus. Ergo prudens antistes ulterioris violentiæ proclivi metu conversus ad Priorem et graviores Patres, monuit, divertendum esse præsens periculum hac altera dilatione sepulturæ, sibi nequaquam id tempus videri idoneum, quo possit sacrum illud cadaver, per tot hominum globos ac manus, integrum deduci in fossam. Assensere consilio Patres, statimque nutu, signis, vocibus persuasum vulgo, Rosæ sepulturam ex placito illustrissimi præsulis in horam commodiorem consulto reservari. Gratissimis auribus hoc nuntium admisit turba, maxime ut vidit episcopum, depositis omnino pontificalibus ornamentis, rhedam conscendere, ac domum properare. D

sepulturam cadaveris iterum dilatam esse.

15 Favebat confirmandæ populari credulitati publicum argumentum ex constanti virginei cadaveris tum pulchritudine, tum suaveolentia miraculosa, quæ duo veluti fidejubebant, nullum fore seu deformitatis seu corruptelæ aut graveolentiæ periculum, si vel in plusculos dies sepultura differretur. Omnium hactenus patebat oculis invariata defunctæ Rosæ species, qualis a primo exhalati spiritus momento fuerat; per triginta et sex horas idem perstiterat placidissimi oris decor, labiorum venustas, oculorum semipatentium vivax fulgor, et manuum candor; inter tot suffitus, halitus, et lumina; sub aere tam humido, calido, et ex concurrentium refluxibus pulverulento, nulla Rosæ vultui inse-derat fuligo, nulla genas tinxerat flavedo vel horridus pallor; in maxillis, in naribus, in E palpebris nil flaccidum, decolor, triste, aut emaciatum; perseverarat eadem flexilium membrorum tractabilitas, eadem nivei vultus amœnitas; denique videbatur adhuc non mortua, sed sopita.

et hac spe domum discedit.

16 Porro mirifica cælestis odoris, qui a sacro corpusculo spirabat, fragrantia, ne quidem cessavit in sepulchro; nam post decem et novem menses (ut capite sequente narrabitur) exhumata Rosa, eumdem servabat ac præsentibus adhalabat odorem, quem quidem in die sepulturæ alii rosaceo simillimum, alii velut ex liliorum, rosarum, balsamorum, totiusque florilegii mixtura compositum perceperunt; verum cordatiores his, altiorem, suaviorem, nobisque paradisi exulibus peregrinum, et incognitum judicarunt. Hinc populus dilationis jam securus, imminente meridie, a templo diffluit ad ædes proprias. Evacuata utcumque ecclesia, de more adductæ pessulisque firmatæ sunt fores, nec alia sperari poterat tumulandæ Rosæ opportunior hora, quam qua totus religiosorum conventus regulariter pransurus existimabatur. Itaque ubi tantilla ab incursibus libertas fuit, repente adornatur funebris processio, silent campanæ, at F cantu submisso psallunt Fratres; deportantur in ædem capitularem pretiosa virginis Rosæ lipsana; illic in præparatam e cedro arcam reclinata, ferreis undique clavis occluduntur; denique fossa obturatur, et cocti lateres, tenaci calce revincti, insternuntur. Sic tandem in tuto locatis Rosæ exuviis, omnique precum et hymnorum ritu ex rubrica Ordinis peracto, itum ad refectionem.

Sed interea clam tumulatum fuerat.

17 Verum non diu stetit unda populi, quin post meridiem, velut ex induciis ad templum copiosior afflueret. Ast ubi illic quæsitum, oculis charum pignus abesse conspexit, turmatim in claustri peristylium *b* irruit, ædem capitulare implevit, et Rosam liberrima vociferatione *b* SANCTAM inclamans, dum plus non poterat, pulverem sepulchri terramque, reliquiarum loco, certatim asportavit. Inde continuo rhedarum ordine et commeatu, per mensem et amplius, personæ illustriores proficiscebantur ad paternam Rosæ domum, visuræ ac veneraturæ hortensem cellulam, quam Virgo solitudinis

studio

A studio inhabitarat; conquisitum undique apud Rosæ parentes, apud quæstorem Gundisalvum, si quid suorum utensilium, pannorum, aut pauperrimæ supellectilis obtineri posset, grata memoria asservandum.

et exsequiæ tranquillius repetitæ sunt

18 Augebatur quotidianis incrementis devota populi frequentia circa sepulchrum ob eximia, quæ palam inde crebrescebant, beneficia curationum; nec videbatur tantæ Virginis debitis honoribus satisfactum, quoadusque solemniores exsequiæ (quibus ipse prorex interesse poposcerat) nondum fuerant celebratæ. His igitur constituta dies XXVII Augusti, velut quæ proregi minus videbatur negotiis suis impedita. Sed quia hæc Dominica erat, quæ (nisi pro præsenti defuncto) lugubribus Officiis interpolari facile non debet, hortatu archiepiscopi eligitur dies vicinior minus impedita. Verum hæc deinde non vacavit proregi, sicque pluries inter hunc et archipræsulem variata die, tandem ambo in quartam proximi Septembris ex abrupto conveniunt, quod utrique postea tanto fuit jucundius, ubi intellexere, hanc diem, ex Romani Calendarii censu, alterius S. Rosæ Viterbiensis *c* anniversario B honori esse dedicatam, neque in illam se humano consilio, sed divino impulsu concorditer incidisse.

die quarta Septembris,

19 Adfuere igitur ambo die præfixa cum universo tum ecclesiastico tum sæculari magistratu. Rursum tota sedibus emota civitas sancti Dominici ecclesiam implevit. Dictum illic pro concione de felicis Rosæ mirabili vita et encomiis; peractum pompa funebri altaris ministerium: temperavit sonoras confusi populi inquietudines dolorifica sacri cadaveris absentia; sed nihilo segnius itum in vota, et dum ad aram sacerdos pio Numini commendabat defunctam, voce non impari sese populus commendabat Rosæ.

qua occasione sanctitas hujus virginis ubique innotuit.

20 Quando hæc agebantur Limæ, celeberrima Rosæ fama, rapido cursu totius pene regni oppida, vicos, municipia permeavit; ubique festivis applausibus ac publicæ lætitiæ signis novæ cælorum Civi acclamatum. Potosium trecentis leucis a Lima dissitum, illactenus Rosam neque de nomine noverat; verum ubi beatum Virginis transitum percepit, totum repente impulsu altiori in communem gratulationis impetum C efferbuit; sonuere in turribus æra campana, micuere luminaria; increbuere voces et laudum acroamata. Sic passim regio Peruana (etiam ubi Rosa, dum vixit, penitus ignorabatur) mortuam celebravit universali jubilo, acclamatione, votis, quod sibi cuncti populariter ab ea solatium, tutelam, suffragium pollicerentur. Nec fefellit pia fiducia, ut in appendice Mantissa summatim recensebitur.

ANNOTATA.

a Guatimala *urbs Americæ Septemtrionalis in Nova Hispania, quæ nomen suum provinciæ Guatimalæ dedit, estque episcopalis sub archiepiscopo Mexicano, a qua metropoli in ortum hibernum trecentis leucis distat. Ceterum Joannes Latius jam sæpe citatus lib. 7 Indiæ Occidentalis cap. 1 et 9 de urbe et provincia hujus nominis fuse disserit.*

b Peristylium *est locus columnis cinctus, Græce* περιστύλιον *appellatus, a præpositione* περὶ circum, *et nomine* στῦλος columna, *quasi diceres* circumcolumnium, *id est, locum circumquaque columnis clausum, qualis in monasteriis passim solet esse.*

A. LEONARDO HANSEN.

c *De hac sancta virgine Viterbiensi ad diem quartam Septembris cum Martyrologio Romano nobis agendum erit.*

§ III. *Jussu archiepiscopi Limani post annum et aliquot menses solenniter translatæ ejus reliquiæ ad locum honoratiorem et magis conspicuum.*

Cum corpus S. Rosæ loco nimis abdito quiesceret.

Ultimis exsequiis tam magnifice splendideque peractis, credebatur populum sensim a confluxu et importunitate destiturum, ut pleraque solent tractu temporis elanguescere; sed contra evenit: nam ipsa miraculorum celebritas et multitudo, indies ad invisendum Rosæ sepulchrum plures pluresque accersebat. Quin vulgaris tota urbe fremebat querimonia, sacrum Virginis corpusculum loco nimis abdito situm esse, ubi ob clausuræ leges, nec omnibus E horis, nec ab omni sexu visitari poterat. Idem paulatim cum querula plebe censuere nobiles, ac primores; demum et ecclesiarum prælati; præfecti regularium, senatores, aliique celsioris notæ privatis suffragiis in eam convenere sententiam: constantibus tam accolarum, quam incolarum votis condescendendum aliquando fore; de pretiosi illius pignoris in locum celebriorem translatione jam serio tandem esse cogitandum, Rosam communem Limensium thesaurum, piorum solatium, afflictorum remedium, publico deberi.

jussu archiepiscopi Limani

22 Sed exspectandum erat Limensis archiepiscopi officiosum arbitrium. Is vero de statu rei, ardentissimoque omnium studio admonitus, confestim eadem die XXVII Februarii MDCXIX decretum expediri jussit hujus tenoris: « Coram illustrissimo Dom. Bartholomæo Lobo Guerrero » archiepiscopo Limano, regiæ majestatis consiliario etc. lecta et inspecta fuit petitio etc. » Dixit, quod, attentis rationibus in ea relatis, » universalique et publica acclamatione, qua in » tota hac civitate et regno Rosa de S. Maria, F » monialis tertii Ordinis S. Dominici, proclamatur SANCTA, dabat facultatem, illius corpus e sepulchro, quod nunc occupabat, transferendi in alium decentem locum, intra S. » Dominici ecclesiam, ubi magis videbitur P. » magistro F. Augustino de Vega dicti Ordinis » Provinciali. Signatum ab eodem D. episcopo » coram me doctore Ferdinando Vecerril. Gratis. »

anno 1619 adhuc incorruptum

23 Ergo translationis actui designatur ipsum sancti patriarchæ Joseph pervigilium, dies nimirum XVIII Martii; citius enim novi conditorii fabrica cum suo ornatu absolvi non poterat. Ut obitus Virginis mortem Christi exspirantis in cruce per complura symbola expresserat, ita et sepulchrum ejus fore gloriosum, diu ante fuerat revelatum. Nunc vero etiam quædam resurrectionis Dominicæ reviviscebat imago; nam ut Christus parte feriæ sextæ, toto Sabbatho, et initio Dominicæ jacuerat in tumulo, sic Rosa parte anni MDCXVII, toto anno MDCXVIII, et initio anni MDCXIX quieverat in sepulchro, in quo et datum ei fuerat non videre corruptionem, et corpus æque odoriferum inde prodiit, sicut intrarat

A. LEONARDO HANSEN.

trarat. Solæ virgineæ manus tot osculis fidelium millies obtritæ, (forsan et avidorum ferro dentibusve undique pertentatæ) nonnihil de primo candore remiserant.

solenni pompa transfertur,

24 Hæc notata fuere ab iis, qui ipso translationis die summo mane effossum Rosæ cadaver e veteri tumba lignea transposuere in novam, itidem cedrinam, at intus forisque deauratam, et duplici sera præmunitam. Igitur omnibus rite ordinatis, die qua supra, domesticus religiosorum cœtus frequentissima undique ceterorum regularium caterva stipatus, a choro recta processit ad ædem capitularem, præeunte crucis vexillo cum acolythorum quaternione, binisque thuribulis, subsequente Provinciali in sacra diploide *a* cum sacris ministris, itidem pretiose tunicatis.

comitantibus illustribus viris,

25 Adfuit paulo post archiepiscopus cum suis, comitante S. Officii judice ordinario D. Feliciano de Vega canonico metropolitano, et archipræsulis vicario generali. Recitatis de more orationibus, dataque aspersione et suffitu, sex sacerdotes linteati, stolisque ac manipulis decorati, B arcam cedrinam sublevarunt in humeros; itum ad ecclesiam, conchiliatis peristromatis, holosericis aulæis, velis byssinis a summo deorsum obpalliatam. Premebat bajulantium vestigia archiepiscopus, inde reliqui ex ordine proceres, virique illustres. Ubi sub templi foribus tumba deaurata promiscuæ multitudini in conspectum venit, festivus undique clamor ad astra increpuit, confusæque vociferationes plaudentium, lachrymantium, implorantium, omnem reliqui cantus ecclesiastici auditum surripuerunt. Dum sarcophagus coram principe ara in sublimem tumulum huic usui sumptuose adornatum attollitur, archiepiscopus ad latus Euangelii consedit in throno; Provincialis, assumpta casula, cum ministris ad altare facturus accessit: phonasci et cantores ex dispositis odeis symphoniæ modulos inchoarunt; verum populus, uni Virginis tumbæ iconibus ac rosariis contingendæ intentus, circa tumulum laborabat. Hujus circuitum faces cereæ triginta occuparunt; tumbæ vero gradatim circumstabant in viginti novem argenteis candelabris totidem bilibres candelæ; totum denique contabulationis systema *b* contegebant phrygii operis peripetasmata *c*, et stragula auro C turgido late fimbriata. Denique universa hæc scena non tam funeris, quam triumphi videbatur.

et post varias ceremonias

26 Post decantatum Euangelium, in editiori suggestu comparuit facundus prædicator, dicturus ad populum. Is erat P. M. Fr. Ludovicus de Bilbao, primarius Limanæ universitatis cathedraticus, et in S. Officio censor, qui, ut pluribus annis Rosæ confessiones exceperat, ita plus ceteris illius spiritum, exercitia, arcana lumina, Sponsique favores habebat exploratos. Vidisses, mox omnes arrectis auribus diriguisse immobiles; et in multitudinis tam verbosæ frequentia, repentinum silentium desertæ solitudinis quietem figurabat, solo ardentissimo studio auscultandi. Dictum ibi de Virginis baptismali innocentia nullo umquam mortali piaculo violata, de illibato mundissimæ pudicitiæ flore, de pœnalium exercitiorum austera duritie, de miris illustrationibus, de seraphicis ardoribus, et quidquid intra horarii sermonis compendium substringi potuit. Rari erant, quos sub concione, tum sacri cadaveris præsentia, tum recens ac viva gestorum memoria non medullitus compungeret; multis etiam lachrymæ fluebant; ab omnibus, repetitum in suggestu Rosæ nomen, patulo, D sed taciturno reverentiæ gestu excipiebatur.

loco magis conspicuo collocatur.

27 Finita panegyri, et solemni Sacrificio ad aram consummato, archiepiscopus pontificalem assumens habitum, cum pedo et infula processit ad tumulum, sacris ministris, et quatuor ex metropolitano collegio dignioribus medius. Peracto ibidem reliquo precum, antiphonarum, psalmorumque ritu, Provincialis cum ceteris religiosorum Ordinum prælatis (sacerdotali singulos amiciente stola) tumbam e tumulo demissam suscepit in humeros, sicque adstante archiepiscopo, et circumstante diversorum tribunalium et civilis curiæ magistratu, illata fuit propriæ cryptæ ad dexteram summi altaris affabre in hunc usum elaboratæ, quæ tota intus oblita auro, reddebat fulgores, quos arcuato sinu recipiebat a luminibus. Eamdem foris muniebat ferrea crates itidem inaurata, et inclusi pignoris tam patula prospectui, quam raptui arcta et adversa. Sane devoto populo nil hac translatione gratius potuisse accidere, testatus est confluxus, qui exinde ut liberior, sic quotidie numerosior fuit; adeo ut tandem de alia translatione fuerit E cogitandum, ne vicini summi altaris ministeria interturbarentur quotidie immodesto concursu populorum, quos partim veneratio, partim miraculorum et gratiarum frequentia attrahebat.

ANNOTATA.

a Diplois *est vestis aut pallium duplex, ut patet ex ipsa etymologia Græca: quod enim Latini duplex aut duplicatum dicunt, Græci* διπλοῦν *appellant. Arbitror, hic significari trabeam sacram, seu sacerdotalem, quam vulgo* cappam chori *vocamus.*

b Systema *Græce* σύστημα *præter alias significationes hic videtur indicare compagem operis ex certis partibus coagmentatam, et derivatur a verbo Græco* συνίστημι, *quod est* constituo.

c Peripetasmata *sunt aulea sive tapetia, quæ ad parietes extenduntur ornatus gratia, et hinc etiam Græce* περιπετάσματα *vocantur, a verbo* περιπετάζειν, *quod* extendere *significat.*

F

§ IV. *Propter nimiam populi turbam mutatus iterum sepulturæ locus, et publicus plebis cultus ob decretum Urbani VIII prudenter impeditus.*

Iterum locus tumuli mutatur ob turbas plebis,

De altari ad altare tantisper se transire protestabatur S. Hieronymus, quando a suo tractatu de altari thymiamatis *a* transibat ad scribendam epistolam octavam virgini Demetriadi *b*. Idem videbatur circa virginem Rosam accurrentium sensus: nam ab ara maxima subito convertebantur ad propinquum Virginis sepulchrum, velut ad secundam aram. Hic perpetuus tumultus erat offerentium vota, suspendentium anathemata, deponentium grallas et scipiones: denique aliter consulendum fuit reverentiæ sacri tabernaculi prostantis in ara majori, ne huic assidue obverterentur dorsa hærentium ad Virginis sepulchrum, quod et locum presbyterii incommodabat: siquidem hoc in Ordine Prædicatorum, ad cornu

Epistolæ

A Epistolæ (ut vocant) construi solet. Ergo collocandis Rosæ exuviis alius demum commodior electus est locus, ipsum videlicet B. Catharinæ Senensis sacellum, ab ara maxima ad lævam sat dissitum. Videbatur tam simili Filiæ deberi iste sinus seraphicæ suæ Matris ad quietem, si tamen quies dicenda erat, quam tanti quotidie strepitus, et clamores devotæ plebis circumsonabant, licet minori impedimento rituum ecclesiasticorum, quibus solis aræ maximæ spatium esse liberrimum oportebat.

et legitime constituti judices

29 Interea Limam pervenere litteræ apostolicæ, quibus auctorati judices commissarii novum ibidem erexere tribunal ex formula a sacra Rituum Congregatione præscripta, ad effectum examinandi testes de vita, et gestis ancillæ Dei, sororis Rosæ a sancta Maria. Itaque examini datum initium anno MDCXXX, die XVII Maii; sed ob multitudinem testium (centum octoginta tres fuere) variosque morarum obices, usque in Maium anni MDCXXXII duravit perquisitio: cui de more ad complementum supererat visitatio tumbæ et reliquiarum Famulæ Dei. Igitur deputati inspectores Joannes de Texeda, et Joannes B de Vega doctores medici, Joannes de Valenzuela et Bartholomæus de Tivico secretarii cum Aloysio de Molina chirurgo.

fragrans Sanctæ corpus examinant,

30 Hi coram P. magistro F. Gabriele de Zarate tunc Provinciali, aperta arca lignea, repererunt virgineum corpusculum, expleto fere post obitum anno quintodecimo, consumptis undequaque indumentis, at ossibus integris, et adhuc sicca hinc inde carne obductis. Porro odorem exhalabant, non qui cadaverum esse solet, sed quo fragant siccatæ ad solem Rosæ. Juravit tamen primus medicorum, peculiarem simul interhalasse suaveolentiam, quæ præsentium non olfactum dumtaxat mirifice recrearit, sed et animos improviso solatio perfuderit, atque arcano devotionis sensu omnes demulserit.

primumque ejus sepulcrum visitant.

31 Hinc iidem inspectores aulam capituli adiere, lustraturi primum Virginis sepulchrum, e quo fideles certatim hauriebant pulverem ad varia morborum genera depellenda. Illic singuli successive manu immissa explorarunt cavam modicæ scrobis profunditatem, ex qua nonnisi quatuor aut quinque pondo terræ videbantur eruta C aut asportata. Ceterum aliunde plurimis constabat testimoniis, complures pulveris modios ex illomet foramine (quod unicum patebat, ubi Virginis defunctæ caput jacuerat) fuisse illactenus effossos, varieque per regnum distributos. Unde non levis conjectura fuit, ut S. Raymundi c, ita et Rosæ veteri sepulchro hoc datum esse divinitus, quod in locum sublati pulveris, alius continua scaturigine perpetim subnascatur.

Ob decretum Urbani VIII publicus cultus impeditur,

32 Accidit demum anno MDCXL, quod Ordinis Prædicatorum in Romana curia Procurator generalis, litteris privatis Limam scriptis admonuerit Patres, habendam esse rationem exactissimam apostolicæ Constitutionis Urbani VIII anno MDCXXXIV, die V Julii emanatæ, quæ incipit: CÆLESTIS HIERUSALEM CIVES etc. d. Doluerunt Patres, integro fere sexennii spatio nullum penitus exemplar, imo nec tenuissimam famam hujuscemodi Constitutionis in illum usque diem Limensibus innotuisse: sed quid mirum in tanta regionum distantia, perque tot hostium classes, piratarum insidias, et naufragiorum crebra discrimina? Verumtamen Patres ad primum saltem privatæ illius epistolæ conspectum subito parendum rati, ex norma dictæ Constitutionis, quidquid intempestivum venerabilis Rosæ cultum sapere forsan videbatur, eadem nocte aboleverunt.

A. LEONARDO HANSEN.

et incolis Limanis ægre persuasum fuit,

33 Repentina isthæc mutatio postridie devoto populo visa est intolerabilis; quærebat loco solito Rosam, asylum ac solatium suum; reposcebat a sancta Catharina Senensi alteram hanc Limensem Catharinam; impletur sacellum questibus, et quæ vulgi, sub pietatis obtentu, esse solet suspicandi judicandique temeritas, spargitur, Rosæ veneranda lipsana aut furto insciis Patribus sublecta, aut his consciis clam in Hispaniam destinata esse. Inde credula et ignara multitudo densatur concursu, invalescit fremitus, nec leve imminuit periculum innoxiis religiosis, dum rudis et impetuosa plebs jam ad convicia et minas ferociter progressa, primo affatu aut non capiebat, aut abnuebat capere facti rationem.

ut judicium Sedis apostolicæ exspectarent.

34 Tarde demum, nec sine labore persuasum est importunis, sic consulendum fuisse illustrioribus, qui ab apostolico throno sperantur Rosæ honoribus, nullum in Romanorum decretorum E obedientia detrimentum esse, inobedientiam sanctæ Virgini placere non posse, hujus pretiosas exuvias loco tutissimo sub primi sepulchri custodia Limensibus adservari; verum circa illas (summi Pastoris mente in similibus jam percepta) nihil extra lineam sacrorum rituum audendum fore vel permittendum. Ægerrime adquievit vis populi, hoc uno contenta, quod acceperat, Rosæ suæ reliquias in tuto esse.

ANNOTATA.

a Thymiama *est suffimen optimi odoris, quod Calmetus in Dictionario biblico sic describit:* Thymiama unguenti suaveolentis genus erat ex stacte, onyche, sive ungue odorato et galgano atque thure, omnibus æquali pondere constans. Res erat sacra et religiosa, quam in privatum usum adhibere capitali pœna vetitum. Mane et vespere singulorum dierum altari aureo in Sancto imponebatur, ejusque deferendi munus ad sa- F cerdotes hebdomadario officio fungentes spectabat.

b *Hæc fuit illustris virgo Romana, quam SS. Hieronymus et Augustinus impense laudant. Antonius Gallonius in Historia Italica sanctarum virginum Romanarum pag. 290 Acta illius exhibet, eamque titulo* Sanctæ *ornat. Sed nos annuam illius memoriam nullis antiquis Martyrologiis hactenus inscriptam legimus. Quare Majores nostri die 24 Februarii hanc virginem inter prætermissos collocarunt, donec quis legitimum sanctitatis ejus titulum probaverit.*

c *Acta hujus sancti Raymundi in Opere nostro ad diem 7 Januarii illustrata sunt, ubi tomo primo istius mensis pag. 414 etiam fit mentio mirifici pulveris, qui ex sepulcro ipsius erumpit.*

d *Constitutio Urbani VIII hic indicata legitur in Bullario Romano Laertii Cherubini tomo 5 pag. 283 et sequentibus. Sed anno 1625 illam præcesserat alia ejusdem Pontificis circa eamdem materiam, quæ apud citatum Cherubinum tomo 4 Bullarii pag. 299 legi potest.*

CAPUT

A. LEONARDO HANSEN.

D

CAPUT SECUNDUM

Gloria posthuma ex illustribus Sanctæ apparitionibus et diversis miraculis.

§ I. *Frequentes Sanctæ apparitiones ex testimonio plurium, quibus ipsa se conspiciendam præbuit.*

Sancta post obitum gloriosa

Aloysia de Serrano (cujus memini supra cap. XVIII) ut Rosæ adhuc mortali familiaris et chara fuerat, ita ab immortali meruit frequenti apparitione familiarius honorari. Inter eas hæc illustrior fuit, qua vidit coram divino solio augustissimam cæli Reginam stantem, ac miri fulgoris coronam manu gestantem, velut novam hospitem expectaret, ad illius solii limbum solemniter coronandam. Parte altera niveus candidarum virginum chorus mediam complexus Rosam tunc recens defunctam, hilari et canoro agmine deducebat ad Deiparam. Singulis virginibus singulæ erant in manibus palmæ, in verticibus coronæ; Rosa palmam deferebat, ut ceteræ, at nondum coronam. B

Aloysiæ de Serrano,

36 Aloysia gaudio ac stupori impar, dum reliquo inhiat coronationis spectaculo, disparuit visio. At postridie tertia Rosæ apparitio gaudium cumulavit. Nimirum vidit tunc Aloysia Rosam eodem, quo pridie, nuptiali ac festivissimo virginum agmine decore circumdatam, nec sola jam palma, sed et immensæ gloriæ corona insignitam, cui seorsim applaudebant dispositæ angelorum phalanges, et beata plurimorum Sanctorum caterva jubilo publico suavissime gratulabatur. Aloysia sibi reddita, at sibi non fisa, spiritualium suorum Patrum arcano examini utramque visionem exposuit: hi vero ex effectu concorditer decreverunt, fuisse immissam divinitus, omnique fallaciæ periculo caruisse.

alteri anonymo.

37 Quæstori Gundisalvo de la Massa (qui coram apostolicis judicibus id verbo scriptoque testatum reliquit) secreto fassus est vir, illis diebus mysticæ theologiæ peritia et contemplationis sublimitate clarus, quod intra tres hebdomadas ab obitu Rosæ proximas, minimum viginti et duabus vicibus conspicua sibi fuerit gloria hujus Virginis, intuitu nunc imaginario, nunc intellectuali; at inter reliquas visiones unam excelluisse pure intellectualem, qua puritatis suæ virgineus candor, cum sua inæstimabili dote et floridissima aureola *a* ostendebatur absque omni figura corporea, perque simplicem irradiationem tranquillæ notitiæ. Hunc revelationis modum ut plane defæcatum sensuque superiorem, ita ineffabilem fuisse talique objecto apprime dignum existimavit, et, ut par erat, æstimavit. C a

doctori Joanni Castillo

38 Doctor Joannes del Castillo medicus, anno post felicem virginis transitum quintodecimo juravit coram apostolico secundi examinis tribunali, sibi per visionem imaginariam apparuisse Rosam in medio cujusdam fulgidissimi luminis, quod ipsamet divinæ Majestatis claritudinem ac speciem referebat. In hujus amœnissimo centro comparebat Rosa amicta habitu S. Patris sui Dominici mirabiliter candente ac radioso, cujus incomparabilem decorem protestabatur se verbis assequi non posse. Facies virginis gratia ac splendore micabat infinito; corpus ejusdem undique circumdederant rosæ candidæ atque purpureæ sine numero; manum dexteram occupabat ramus, index nitidissimæ virginitatis; nec minus e ramo, quam de rosis continuo scintillabant densa gloriæ fulgetra. Quin et pluries sub ejuscemodi visione Rosa suaviter affata est spectatorem suum, multa ac sublimia illi edisserens de felicitatis suæ excelso fastigio, quæ humanæ linguæ idiomate efferri non possunt. E

sæpius apparuit.

39 Quidam ex Virginis confessariis, ab ore ejusdem doctoris accepit, plusquam quinquagies gloriosam beatæ Rosæ apparitionem sibi cælitus illuxisse. Ipsemet ultro in postrema anni MDCXXXI depositione coram iisdem judicibus persancte asseveravit, integro sex mensium spatio interdiu noctuque se divinitus admissum ad tantæ beatitatis spectaculum, ac toties, quoties mentem destinatis horis elevabat in adyta *b* contemplationis, ostensam sibi fuisse Rosam inter agmina beatorum. Ut paulatim cessavit hæc apparitionum gratiosa frequentia, non cessavit tamen ex lege urbanitatis Rosa per aliquot exinde dies cælesti ephebo suas vices committere. Angelus erat, tenera duodennis pueruli specie quotidie invisens doctorem ex Rosæ nomine, deque hujus ineffabili gloria semper novum aliquid edisserens. Sicque his demum visionibus comiter impositus est finis. b

et aliis visa est

40 Porro eamdem Rosam videre in Sponsi sui paradiso vernantibus rosis floride circumseptam, aureoque diademate redimitam, pluribus a Deo concessum fuit, præsertim viduæ cuidam, fama virtutum tunc celeberrimæ, cui se Rosa sæpius in cælesti lumine stitit conspicuam, non sine officioso angelicarum myriadum comitatu. Semel hanc in imaginaria visione sic allocuta est virgo: « Laborandum est, o mater: nam per» magna res est cæleste præmium. Mihi quidem » hic abunde retributum est pro eo, quod labo» ravi. » Dixit, facie in serenum risum festive diducta, ac niveo Dominicani habitus sui nitore admodum speciosa. Interdum huic visa est Rosa in hortis empyreis jucunde spatiari cum Christo, qui pauculis passibus ante se Virginem præmittebat. Aliquando conspiciebatur deliciari inter garyophyllos *c* et lilia, velut cum iis certans de floridæ amœnitatis immarcescibili prærogativa. F c

regnum Peruanum

41 Consideratione haud perfunctoria dignum puto, quod in his visionibus de Rosæ erga patriam affectu ac solicitudine compertum lego. Vidua supradicta, paucis a Virginis obitu diebus, privatim orabat in ecclesia, ac Rosæ, quam pluries in choro Beatorum conspexerat, Limanam civitatem, et regnum Peruanum supplex commendabat. Mox rapta, intellectuali visione conspi-

A conspicata est Rosam divina luce coruscam; audiitque blande respondentem sibi: « Plane sic » fiet, o soror, et quidquid consentaneum fuerit gloriæ hujus dulcissimi Numinis, quo fruor, » me petente, summa illa bonitas concedet. Probe memini eorum, quæ mihi, ut peterem, » fuere commendata. »

ac urbem Limanam Deo commendare,

42 Concordat huic visioni altera, quæ ex depositione jurata sororis Catharinæ de S. Maria refertur in Processu; nimirum; piæ cuidam personæ sæpius (at per soporem) apparuerat felix Rosa, edocens, quam jucundo bonoque statu res suæ erant. Bis tamen eidem, solito clarior illustriorque apparuit; primo, quando venerat illius animum confortatura inter adversitates, quas quidem tunc patiebatur gravissimas: secundo, cum supra Virginis sepulchrum manifeste eamdem vidit in aere, flexis poplitibus ritu supplicum intercedentem apud Deum pro Lima, dilecta patria sua. Nec mirum, duabus his vicibus Rosam solito fulsisse gloriosiorem: nam ubi in priori de patientia agebatur, ostendenda fuit eodem, quo seraphica Mater sua, patientiæ speB ciali privilegio decorata; in posteriori, quæ patriam concernebat, debuit utique ardentissimus erga concives amor post mortem luculentius rutilare. Porro, ut visionis sincera assereretur veritas, in muliere comperta fuerunt a peritis vera divinæ revelationis critiria, profundior humilitas, agnitio sui nihili, alta mentis tranquillitas, gaudium spirituale novis divini amoris incendiis inflammatum.

apparensque cuidam Christophoro de Ortega,

43 Prodigiosius est, ac plurium signorum benefico concursu fœtum, quod referam. Decumbebat in Limano SS. Rosarii cœnobio, jamque extremis agonibus se præparabat P. magister F. Augustinus de Vega Ordinis Prædicatorum tunc Provincialis Peruanus. Conclamatum erat de vita hominis, cessatum a pharmacis, et ab omnibus medicis desertus infirmus; sola Rosa, sui jam in paradiso secura, curam ægroti totam in se transtulit. Dormiebat procul suis in ædibus Christophorus de Ortega, homo secularis, ac fortunæ infra mediocrem; huic Rosa nocte concubia se clare visibilem objicit; mandat, primo diluculo cœnobium adeat, Provincialem moribundum conveniat, ei denuntiet, ex hac quantumvis complorata infirmitate nequaquam ipsum e C vivis abiturum; prius illi sub episcopali infula tantisper sudandum fore pro Dei gloria, antequam hujus mortalis vitæ molestiis exuatur.

moribundum PP. Prædicatorum Provincialem

44 His dictis, gloriosa Virgo disparuit. At Christophorus tantæ præsentiæ mira dulcedine ac cælesti gratiosæ dignationis affatu præpropere destitutus, erupit in clamores: « Ah! inquit, » S. virgo Rosa nunc a me recessit. » Expergefactus hac vociferatione filius Thomas de Mesa, qui prope dormiebat, a patre totam rei gestæ seriem percepit, sed incredulus, multis obtestatus est patrem, vanitati insomniorum temere ne crederet. Replicuit pater, se vero non per insomnia, sed expeditis, liberrimisque sensibus et vidisse et audisse Rosam hæc sibi serio præcipientem. Instabat filius, saltem interea quieti ac sopori se redderet. Negavit se posse Christophorus; sic visione ruminanda intentissime occupatus, vigili impatientia diem expectabat. Ut illuxit, monita a filio conjux, omnia dixit, egitque, ne maritus visionem relaturus domo abscederet; nunc obsecratione, nunc jurgio virum interpellans, ne ludibrium sibi ac familiæ ineptissima fallacis somnii narratione accerseret; nil fore certius, quam ipsum febrilis enthusiasmi *d*, aut delirii arguendum iri.

A. Leonardo Hansen.

d de longiori vita certiorem reddi jubet.

45 Verum Christophorus tam propositi sui tenax, quam de nocturni spectaculi veritate indubius, hilari fiducia cœnobium adiit, infirmum salutavit, imperata exposuit ea frontis constantia animique securitate, ut brevi vel sola dicentis alacritas omnem ambigentibus excusserit credendi formidinem. Mira res! non tardarunt manifesta experimenta conciliare dictis integram fidem: nam ab illo ipso momento, quo Christophorus loqui desierat, cœpit æger Provincialis morbi discessum lentis indiciis advertere; deinde virgini Rosæ se commendans, totus convaluit; denique ad episcopalem mitram assumptus in Paraguay *e*, satur vitæ, in Domino obdormivit.

e

Etiam visa est S. Rosa nonnullis personis,

46 Doctor Balthasar de Padilla metropolitanæ Limensis canonicus et pœnitentiarius, de mandato sui archiepiscopi domum viduæ cujusdam adierat cum notario sub juramenti fide excepturus, quæ de Rosæ vita ac prodigiis afferrentur. Dum igitur examen peragitur, apparet viduæ fulgida Rosa vultu hilari ac familiariter jucundo, E gestu vero ac nutu hortatorio, velut mulieri animum faciens ad dicenda, quæ poscebantur, et singula approbando ratificans, quæ de suis encomiis ad tabulas referebantur. Seorsim id postea anno MDCXXX vidua judicibus apostolicis aperuit, addens; Virginem tunc quidem sibi fuisse conspicuam eo vestimentorum schemate, quo vivens dignosci ac tegi consueverat, facie tamen multo lætiori, et exporrecta, quasi quæ pro obsequio gratiam spiraret.

quæ coram judicibus apostolicis

47 Alteri personæ, spiritualibus exercitiis gnaviter addictæ, obtigit alibi conspicari visione imaginaria B. Rosam eo loco, quem tunc deputati judices excipiendis testium de ea responsis ac depositionibus destinarant. Videbatur ipsamet Virgo conclave perambulare, cum cura omnia circumspicere, suis candidis manibus ordinate singula disponere, polire, adornare, simulque indicabat ista se agere, quod illic justa honoris ac veritatis tributa a mortalibus eo die erat receptura. Simillimum est, quod refert D. Maria de Usategui Gundisalvi quæstoris uxor, hoc addens, gloriosam Virginem in ea functione visam alacriter ipsa graphiaria instrumenta notariis dispo- F nere, chartamque digerere, protestando gaudium, quo ex divinorum in se beneficiorum juridica in terris comprobatione mulcebatur. Verum, an hæc visio a superiori diversa sit, an eadem, haud facile discreverim.

testimonii reddendi gratia comparebant.

48 Hic vero subticendum non est, quod anno MDCXXXI Mariæ de Bustamante in Limensi sanctissimæ Trinitatis monasterio professæ moniali accidit, ipsa jurato id referente. Bona fide hæc coram apostolicis judicibus in causa venerabilis Rosæ explicarat omnia, quæ norat. Verum ut sexus iste ad severam publici juramenti religionem facile trepidat, ac, velut inter fulmina censurarum, suæ conscientiæ metuit; post examen anxiam Mariam graves invasere scrupuli, ne forte aut per imperitiam respondendi, aut per linguæ memoriæve cespitationem plus vel minus, quam exacta veritas et rigor illius tribunalis exegerant, dictitasset. Fluctuabat misera inter saxum et sacrum; hinc urgebat animi inquietudo ad nonnulla ex dictis seu moderanda seu retractanda; sed, una cum reluctante summa verecundia obstabat, quod determinate, quid in suis dictis corrigere teneretur, nesciebat; inde

A. LEONARDO HANSEN.

de dictabat animus nulla opus esse retractatione; at interim delicatæ conscientiæ deerat secura tranquillitas.

causam Beatificationis suæ promovere,

49 Inter has angustias dum nocte quadam in sua cellula solitaria obdormierat, sensit alieno se motu, et imperio, at absque terriculamento blandissime a somno excitari. Excitata, consedit in lectulo, totoque sopore facile discusso, tacita et attenta mirabatur, ad quid, unde, et a quo illa hora fuisset in vigiliam revocata: dumque sic omnia versans animo, auscultat et hæsitat, ecce vox lenis ac dulcissima sedenti allabitur, ita inquiens: « Nihil dubites, Maria, » neque angaris: etenim Rosa vere sancta est. » Mirum dictu! eodem momento sensit Maria se scrupulo suo liberatam, evanuit inquietudo et timoris anxietas, rediit cordi suo tranquillissima malacia, ita ut noctis residuum potuerit sub placido lætæ securitatis silentio transigere, certa, tantam tamque repentinam animi quietem aliunde, quam de sursum infundi sibi non potuisse; sciebat præterea, scrupuli sui morsus nemini præterquam sibi ac cælo notos fuisse: cumque maxime nocturnis horis soleret ad omnem peregrinum strepitum expavescere, sub voce præmemorata non tantum nihil expavit, sed plane refecta est.

B

et amanuensi in eadem causa laboranti

50 Plura hujus generis superessent; at coronidem imponat Didacus Hyacinthus Pacecus Hispalensis *f*, qui Limæ ex quotidiano hypographicæ *g* artis lucello victitans, a Didaco Morales, in causa venerabilis Rosæ notario, exemplandis transcribendisque Processuum seu Actorum voluminibus adhibebatur. Itaque jussus fuit, in causa prædicta bis mille folia intra certum temporis spatium scribendo absolvere, eo quidem pacto, ne illo, cui semper assueverat, charactere uteretur fluido, laxo, facilique, sed alio morosiori, quadro, et adstricto, quem illic NOTHUM appellat amanuensium vulgus. Paruit scriptor; at primo die, quo laborem orsus est, præ difficultate insueti characteris, desperavit se umquam tot foliis exarandis parem fore: siquidem (ut diserte ipsemet coram judicibus apostolicis sub jurata fide deposuit) adeo sibi inter scribendum lassabantur digiti, stupebat brachium, divaricabantur nervi, ut sæpius exclamarit, vereri se, ne ex tanta fatigati pulsus attractione citius ipse deficeret, usumque manus perderet, quam injunctum opus absolveret.

C

vires ad celeriter scribendum

51 Igitur die quadam, cum a primo diluculo usque ad vesperam scribendo laborasset, enormiter fessus, totoque brachio dolens, cubitum se recepit, dubius, ne forte postridie ulteriori scriptioni inutilis surgeret. Sub eo tædio obdormiscens, vidit felicem Rosam ad se intrantem gradu placido ac festivo, vultu propitio ac læto, qui terrere nequaquam posset; et ut certius nosceretur, quæ esset, illa effigie, habitu, ornatu apparuit, prout ipsam in tabula scite depictam aliquot diebus ante scriba noster conspexerat. Tacuere ambo; sed Rosa leniter accedens, dextrum jacentis brachium inter cubitum ac pugnum comiter arripuit, valide at successive strinxit, diuque sic attinuit, nec nisi post moras admodum prolixas placidissime dimisit, simulque disparuit. Evigilans Pacecus, ac mysterii ignarus, volvebat animo, quid sibi voluerit hæc dulcis apparitio, quid brachii apprehensio, quid illa diuturna et tenax constrictio. « An forte (inquiebat) conscia meæ instabilitatis, et indolis, » qua facile ab una civitate in aliam, de regno » in regnum transcurrere soleo, constantiæ me » admonuit, firmitatem imperavit: »

D

miro modo subministravit.

52 Inter has cogitationum vicissitudines sese vestiens, sensit dextrum lacertum solito agiliorem; at necdum suspicatus, quid rei esset, prosequendæ scriptioni, uti pridie, se denuo totum applicuit. Scripsit ab aurora usque ad Salutationis angelicæ pulsum vespertinum, nulla digitorum lassitudine, nullo nervorum cruciatu, brachio levissimo ac supra morem expedito. Agnovit ex tunc salutiferæ apparitionis opportunum beneficium, perrexit totos reliquos dies scriptioni laboriosæ citra laborem impendere, comperit infatigabile robur manui suæ inditum ex imaginariæ visionis contactu virgineo; sicque consummavit opus bis mille foliorum, quæ amodo pauca sibi videbantur præ admirabili scribendi facilitate. Finito volumine, obstupuere omnes quotquot Pacecum noverant, ejusque quadrum characterem festine, fluide, indefesse tot chartis illitum considerabant. Hinc ad grandiora miracula transeundum.

ANNOTATA.

E

a Aureola *est vox ecclesiastica, quæ præmium quoddam merito redditum significat. Plerumque dicitur de præmiis cælitum, de quibus Josephus Angles apud Cangium in Glossario ad vocem* aureola *scribit,* quod in corporibus virginum, martyrum atque doctorum erunt insignia quædam, quibus hujusmodi aureolas in anima habere præ se ferent; quodque virgines in capite aliquam coronulam albam, martyres rubram, et doctores viridem gestabunt.

b Adytum *Græce* ἄδυτον, *est locus secretior templi, ad quem nulli est aditus, nisi sacerdoti. Hinc* ἄδυτον *dicitur quasi* inaccessibile, *ab alpha privativo, et verbo* δύω ingredior.

c Garyophyllus *idem est, quod* caryophyllus, *de quo supra in Annotatis egimus.*

d Enthusiasmus *proprie est divinus quidam vigor, qualem habent dicta aut scripta eorum, qui divino numine sunt afflati, ab* ἐνθουσιάζω, *quod significat* numine afflor. *Apud medicos accipitur pro fanatica perculsione vel stulta persuasione, ut Gorræus et Castellus tradunt. Hinc patet, quo sensu vox illa hic usurpetur.*

F

e Paraguay *sive Paraguaia proprie dicta provincia est inter Brasiliam ad ortum et Paraguaium fluvium ad occasum. Quamvis hæc regio fere urbibus careat, tamen episcopali dignitate insignitur sub archiepiscopo de Plata, et ejus episcopus in oppido Assumptionis commoratur.*

f Hispalis *est notissima Hispaniæ Bæticæ civitas, ex qua forte vir ille erat oriundus. Addidi* forte, *quia in America Septemtrionali est ejusdem nominis urbecula, in sinu Mexicano sita, quam Hispani olim construxerunt.*

g *Hic vir parvo* hypographicæ, *id est,* transcriptoriæ *artis lucro vivebat: nam* ὑπογράφω *significat transcribo. Hinc* ὑπογραφεὺς *est amanuensis, qui dictata excipit aut primum exemplar alicujus libri exscribit.*

§ II.

A

§ II. *Spiritualia beneficia, quibus sancta Virgo magnos peccatores ad pœnitentiam, et alios tepidos ad perfectiorem vitam adduxit.*

Per intercessionem S. Rosæ mortuæ

Quale quantumque divinæ omnipotentiæ molimen et opus sit conversio peccatoris, et quam alte cæli terræque creationem excedat, item quando ipsa miraculosa censenda sit, legat, qui voluerit, apud S. Thomam 1. 2. q. 113. art. 9. et 10. Ex his ad Rosam, celebrem peccatorum apud Deum causidicam, ut convertantur et vivant. Præsentatus P. F. Nicolaus de Aguero in sua encyclica ad totam Ordinis Prædicatorum provinciam Peruanam (cui tunc uti Vicarius generalis præsidebat) scripta die primo Septembris MDCXVII, dum admirabilem Rosæ vitam, obitum, B prodigia strictim suis denuntiat, inter alia refert, ad solum virginei corpusculi in feretro contactum quam plurimos repentino compunctionis stimulo ita fuisse perculsos, ut statim ibidem coram universa multitudine cœperint elatis vocibus detestari sua scelera, deplorare vitam anteactam, resolvi in gemitus ac singultus, humiliari coram Altissimo in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, mirante innumera circumstantium turba.

magni peccatores resipuerunt

54 Nonnulli (ut fit) liberioris vitæ, solo curiositatis spiritu adducti, ut defunctam pulcherrimam Virginem propius cum aliis contuerentur in sandapila, ad ictum primi intuitus exarserunt in subitum intimumque dolorem peccatorum, rigarunt ora lacrymis, protestantes, alio quam venerant spiritu se jam recedere, posthac emendationi vitæ ac emendationi morum se operam daturos efficacem. Forsitan idcirco providerat Deus, pater misericordiarum, quod toto fere biduo palam prostaret in tumulo inhumatum Rosæ suæ corpusculum, ut ejus spinæ tam multis fierent in salutem: nam juxta mellifluum Bernardum, « Felicius numquam pungeris, quam ubi com» pungeris. »

C *(his adde tepidos religiosos ad fervorem excitatos)*

55 Mater Virginis Maria de Oliva anno MDCXVIII XV Februarii coram deputatis judicibus inter alia recensuit, post exsequias Filiæ successivis intervallis ad se venisse compluscuias etiam ex regularium Ordinum familiis devotas personas, antea sibi penitus ignotas, quæ, ut suam notoriam egestatem liberali aliquo subsidio sublevaturæ accesserant, ita singulæ profitebantur, hac ratione se mera gratitudinis tributa pendere virgini Rosæ, cujus intercessionibus, vitæ suæ optimam se mutationem debere sciebant, lætæ, nunc alias se esse ab eo quod fuerant, eoque felicitatis, nonnisi post imploratum Rosæ in cælesti curia interventum, se pertigisse asseverabant. Certe operosius et forte rarius miraculum est, languidum ac tepentem in Dei obsequio spiritum repente ad seria religiosæ perfectionis studia erigi valideque succendi, quam criminosum ab enormitate sceleris ad qualemcumque frugem revocari: siquidem hic plerumque novit periculum suum, ille inertiæ ac securitati altius indormiscit.

56 Admiratione præ multis dignum est, quod de quodam insigni peccatore iisdem judicibus, eodemque mense et anno, ex certa sua (uti protestatur) scientia aperuit P. F. Bartholomæus Martinez, Rosæ quondam confessarius, et Limæ tunc cœnobio Fratrum Prædicatorum ad sanctæ Mariæ Magdalenæ præfectus. Quidam profligatæ conscientiæ vir assidue quidem cum aliis vivificæ pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta frequentabat, sed nonnisi in animæ suæ mortem et exitium: numquam enim toto sacrilegæ vitæ suæ decursu rite integreve confessus fuerat, ac longissima annorum serie in hoc luto computruerat. Accumulabantur sceleribus scelera; at videbatur omnis obcalluisse synteresis *a*; imo indies obbrutescebat magis, et prolapsa usque in profundum impietas contemnebat. Non defuit tamen aliena pietas, quæ miserrimum Rosæ recens tumulatæ commendaret.

A. Leonardo Hansen. *sicut probatur singulari conversione* *a*

pertinacis cujusdam peccatoris.

57 Mox ille quasi ab annoso lethargo evigilans, cœpit sentire intus sibilum illius auræ tenuis ac potentissimæ, qua Deus afflat corda obstinatorum, ut instar ceræ liquescant. Exhorruit infelix, ubi se circumspexit immersum labyrintho tam cænoso et ineluctabili; verum divina bonitas una cum acutissimis pœnitentiæ stimulis misericordiæ fiduciam ingerebat. E Quid multa? Generalem de totius vitæ suæ delictis exomologesim amarissimo doloris sensu perfecit; ex horrendis, omnemque modum ac numerum supergressis flagitiis nullum subticuit; et conscientiam, quam callus obduxerat, timor Domini in eam emollivit teneritudinem, ut deinceps minimos quosque excessus tamquam prægrandes pavidissime senserit, atque eluere festinarit.

et ut coram judicibus apostolicis

58 Idem P. Martinez in eodem examine sancte asseruit, sibi non tantum proprio in excipiendis confessionibus experimento, sed et aliunde ex concordi plurimorum confessariorum testimoniis constare liquido, post imploratum Rosæ in cælis auxilium, innumeros tum Limæ tum in universo regno, ex infima scelerum abysso emersisse in portum veræ pœnitentiæ, sinceraque confessione et lacrymis animam expiasse. Jam ante (nimirum XI Decembris anno MDCXVII) id ipsum judicibus indicarat P. Antonius de la Vega Loaysa Societatis Jesu, quondam sancti Officii commissarius, diversorumque collegiorum successive Rector, qui et singulariter ponderandum esse monuit, hoc genus beneficii inter validiora et excellentiora solidæ sanctitatis argumenta ex communi sanctorum Doctorum sententia merito computari. F Eidem relationi diserte in illo tribunali subscripsere P. Fr. Franciscus Nieto, et magister Fr. Joannes de Lorenzana, ambo Virginis olim confessarii, de quibus supra.

generatim testati sunt diversi confessarii,

59 Consonat his per omnia P. Fr. Petrus de Loaysa, additque duo notatu digna; primum est, paucis a Virginis obitu diebus tantam fuisse ejuscemodi conversionum frequentiam, quod Limæ in publicis officinis, ubicumque tortilia disciplinarum flagella, setarum cingula, et variæ sortis cilicia vendebantur, subito defecerint hæc mortificationis ac pœnitentiæ instrumenta ob emptorum multitudinem. Alterum, quod ipse ex plurimis ad seriam pœnitudinem tunc conversis duas noverat insignes peccatrices, quas probrosæ vitæ devia nodosis inferni retibus tenacissime implicuerant; sed ambæ ad odoriferam Rosæ famam compunctæ, ejusque validis coram Altissimi throno precibus commendatæ, nodos impuritatis feliciter exuerunt, et in calle virtutis constantem fixere pedem. Non potuit, uti in miraculosis corporum, ita in his animarum curatio-

A LEONARDO HANSEN.

nibus annotandis procedi usque ad singularia personarum nomina, imo nec decuit.

quos illam vitæ emendationem experientia docuit.

60 Sat esto, Limenses, aliosque in universa Peruana regione sacramentalis pœnitentiæ administros, communicatis generatim indiciis, adstupuisse tantæ morum mutationi in populo, a die, qua Rosa in Sponsi sui paradiso cœpit agere suorum civium advocatam. Vidisses certatim feminas, abjecto vestium luxu, simplicioris modestiæ habitum domi forisque ostentare; audivisses in regularium peristyliis et claustris nocturno tempore per omnes angulos cruentis flagrorum ictibus pœnitentiam, velut tympanistriam, acediæ ac tepori bellum indicere; comperisses confessariorum ubique sedilia planctu et gemitibus obsideri. Denique tam publice notum, tamque populariter crebrum fuit hoc prodigium, ut prænominatus Martinez vir gravissimus et religionis pietatisque fama inter eximios clarus, neutiquam in dicto tribunali dubitarit juratus asserere, videri sibi, quod a tempore, quo Peruvia nostris detecta patuit, nullus umquam claruerit prædicator, qui tot ac tantis stimulis gentes illas
B ad virtutem impulerit, tamque universalem pœnitentiæ spiritum, tam luculentum devotionis incendium excitarit. Mira res, tantum valuisse unius Rosæ salutiferos aculeos ad tantorum compunctionem.

Sancta feminam ad amorem Dei accendit.

61 Accidit, (referente apud judices conjuge quæstoris Gundisalvi) duas matronas considere obiter ad confabulandum. Harum altera correpto, qui forte patulus adjacebat, libello, vidit succincte in eo vitam, gesta, obitumque virginis Rosæ contineri. Cœpit ergo per otium lectitare, auscultante altera; sed huic fere evenit, quod olim duobus aulicis vitam S. Antonii abbatis fortuita curiositate legentibus *b* : nam dum altera, quasi fallendo tempori lectitabat, hæc velut subjectis cælestium flammarum tædis succendebatur; sentiebat tam inusitatis, ac plane divinis ardoribus paulatim se imparem fieri; dissimulavit tamen, ne pretiosæ lectionis ignitam dulcedinem intempestive abrumperet. Succrevit interim flamma charitatis, nec celari ulterius potuit arcanum incendium; exclamavit mulier, haud assueta sic in Deo liquefieri et bullire. Mirantur ambæ, in roseis illis brevium pagellarum foliolis
C tantum latuisse ignitabulum; sed Rosam merito dici lampadem amoris non sat intellexit, qui primus dixit, Philostratus *c*.

nostro Joanni de Villalobos,

62 Pater Joannes de Villalobos e Societate Jesu, Rector Limani tirocinii seu domus novitiorum, vir in ascetica palæstra exercitatissimus, de semetipso hæc recensuit eidem judicum tribunali; se Rosæ ultimos spiritus trahenti adfuisse prope mortem, eaque occasione clam petiisse a moribunda, confestim ubi ad Sponsi cælestem thalamum pertigisset, satageret impetrare sibi a Numine gratuitum illud ac singulare donum, quod ipse tunc mente volebat. Spopondit intrepide agonizans Virgo, ac paulo postquam expirasset; « Comperi (inquit) manifestis » indiciis, spiritui meo donum illud ob Rosæ » in cælis interventum fuisse mirabiliter impertitum. »

aliisque promissa dona impetrat,

63 At quæstor Gundisalvus sacramento affirmat, sibi fassos esse complures tum sæculares tum Regulares, quibus rogata Virgo idem in agone promiserat, statim ab ejus felici transitu se ex superno sancti Spiritus myrothecio *d* sensisse arcanas cordis sui unctiones, supernorum luminum stricturas insolitas, novi nominis calculos candidos, quos (ut monemur Apocal. 2 v. 17) nemo scit, nisi qui accipit. D Nimirum apophoreta *e* hæc erant, quæ Rosa promiserat, dum moriens ad solemne convivium se dixerat evocari. Confirmat ista (sed breviter) laudatus supra P. Antonius de la Vega Societatis Jesu, aliique. Sed ad emollitiones cordium obstinatorum, Rosa mediatrice factas, revertamur.

et in favorem cujusdam Francisci,

64 Francisco et Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuara mulier prædives et opulenta, sed animo in consobrinos implacabiliter averso et obstinato. Alebat idem Franciscus suis impendiis Limæ sex consobrinas, et duos consobrinos; sed neque illarum nec horum ulli afficiebatur pertinax femina, adeo ut neque dignaretur alloquio: quinimo, ubi testamentum suum condidit, perquam studiose cavit, ne quid ulli prædictorum (tametsi posteriores octo notorie indigerent) de suis facultatibus legaret, sed ne meminisset quidem. Accidit demum Francisco et Alexandro necessitas alio tantisper proficiscendi, relictis interim Limæ tot inopibus consobrinis.
E

qui patrocinium ejus imploraverat,

65 Hic Franciscus suis orphanis acerbe condolens, et quo se verteret ignorans, Rosam unicam suæ perplexitatis Ariadnam *f* imploravit, invenit: ipsa videlicet proxima ante discessum nocte, Virgini (cujus effigiem coram habebat) totam miserabilium ærumnam anxie commendans obsecrabat, suo apud omnipotentem cordium domitorem interventu emolliret saxeam illius aversi cordis duritiem, sanguinis ac humanitatis sensum obstipæ materteræ inderet, innocentibus ac pauperiei lubricitate periclitaturis succurreret. Mira res! Postridie summo mane Franciscum matertera accersit, quem toto viginti octo annorum spatio videre noluerat; venienti exposuit, noctem se duxisse inquietissimam, tristem, insomnem, jugiter sibi ante oculos obversante suorum consobrinorum desolatione; quos considerabat omni humana ope tam indigos, quam destitutos; itaque domum quantocyus repeteret, totam horum calamitosorum catervam in conspectum suum adduceret, velle se omnes amplecti ex ordine, domique suæ honeste alere.

testamentum obstinatæ materteræ mutat.

66 Insuper Francisco injunxit, una publicum notarium advocaret, aliud se coram eo testamentum, rescisso priori, condituram. F Franciscus tot simul gaudia non capiens, inque matertera matrem Rosam tacite devenerans, paruit festinus et lubens, catervam miserabilem adduxit. Hic itum in oscula, in dulces lachrymas, in teneros amplexus; recipiuntur in domesticum contubernium octo inopes, mutatur e vestigio inofficiosum testamentum, consobrinæ cum consobrinis totius opulentiæ scribuntur ex asse hæredes; ipsi denique Francisco (nam ordine presbyter erat) capellaniæ titulo centum quadraginta patacones (quos vocant) in annuum reditum assignantur, certis ædibus transcriptis in hypothecam. Rosis ad corda subigenda, mulcenda, concilianda vim philtri inesse obscure innuit Dioscorides *g*, clarius ostendit Rosa nostra Limana.

Mulierem ab instituto Dominicano abhorrentem.

67 Ludovica Barba nil minus versabat animo, quam candidum S. Patris Dominici assumere habitum. Ejus confessario Rosa, dum vixit, aliquando prædixerat, certoque asseverarat, Ludovicam omnino illomet habitu fore amiciendam, imo hunc ardentissime ambituram. Hoc ubi Ludovicæ ex ore sui confessarii innotuit, cœpit vaticinii eventum anxia metuere, habitum ipsum

cordi

A cordicitus abhorrere : imo, siqua eminus illius suscipiendi aut prætervolaret mentio, aut illaberetur cogitatio, velut ad Medusæ *h* conspectum obrigescebat pavida, repugnabat animo, cor obdurabat. Interim, Rosa clausit extremum diem; et quasi mors Vatis mors esset vaticinii, cœpit Ludovica evacuare inutilem metum, secura, numquam suæ menti incidere posse hujuscemodi propositum; facilius poetarum fabulosas metamorphoses, quam talem obfirmati sui cordis mutationem reipsa eventuram.

ad tertium S. Dominici Ordinem adducit,

68 At fefellit mulierem ipsa resistendi fiducia, ac pertinaciæ certitudo : ecce enim subito a morte Virginis elanguit illud contumaciæ robur, evanuit annosus horror, patuit ultro cordis janua cælesti inspirationi. Exclamavit cum Paulo : « Domine quid me vis facere ? » Inde Rosæ sepulchrum adiit, Virgini causam supplex commendavit, obtineret sibi a Sponso salubrem electionem illius status, qui maxime ipsam aptaret divinis obsequiis, promoveret in via æternæ salutis. Nec mora : exaudivit Ludovicam Rosa, Rosam Deus; ac repente illius cordi impluit ignitum at peregrinum desiderium sacri habitus Dominicani. B Æstuavit repente mulier, bulliit, arsit illo effectu, quem semper fugerat, et si umquam timuerat de eo vel leviter cogitare, gravius nunc timebat, pii propositi exequendi opportunitatem sibi aut elabi aut retardari. Discruciebatur suspicioso angore, quasi non posset appropinquare felix hora, quæ ipsam voti compotem efficeret. Igitur confessario suo eminus conspecto, festina accurrit, cor effudit, multisque lachrymis obtinuit accelerari gratiam, qua confestim adhuc illamet die in numerum Sororum Tertiariarum adlegeretur, assumpto nomine Ludovicæ de S. Maria. Porro ut primum in candido S. Patris sui Dominici habitu se circumspexit, solatiis ex alto copiosis tota permaduit, nec sufficiebat explicare animi sui contentissimam voluptatem, hoc unum dolens, quod tantæ felicitati diu obstiterat corde pavido et obstinato.

et aliam de sanctitate sua dubitantem

69 Ludovica de Mendoza, conjux Alphonsi Gonzalez de sancto Martino, paulo post sanctæ Virginis obitum, videns eamdem populariter tot encomiis celebrari, incredula, seu pro feminea resistendi dulcedine seu pii affectus contumaci algore, fidem sanctitatis ejus concipere aut nequibat, aut nolebat. C Quantulum enim (cogitabat) perfectionis gradum spatio vitæ tam exiguæ assequi potuit fragilis puella, annum ætatis trigesimum primum vix superegressa? Unde Rosæ inter plebeios natæ et educatæ, manuum suarum labore sustentatæ, in sæculari domo domestice moratæ ac mortuæ, tantarum virtutum schola patuit, aut schola tam sublimium contemplationum in promptu fuit? Clament miracula; at Ludovica dubitabat; acclament populi, magis ipsa obsurdescebat : ergo quæ ita cor suum, ne crederet, obloricarat, validiori pulsanda fuit ariete, ut se dederet.

morbo punit, ac mox pœnitentem sanat.

70 Repentino angore correpta est, ut manibus pedibusque se putarit demutilatam. Neque id satis : graviorem sensit in suo spiritu procellam; caligo, pavor, tempestas mentem obsederant; cor turbatum quodam velut terræmotu succutiebatur. Hic demum illa evidenter agnoscens, ab unica sua pertinaci incredulitate hos esse paroxysmos, subito manus dedit, duritiem posuit, animoque trepide in Deum elevato supplex protestata est, se credere, se corde toto fateri, quod Rosa vere Sancta sit. Et repente conquievit horrida commotio, siluit tempestas, rediit serena tranquillitas. Sic pro Sponsæ honore zelabat ille Sponsus, cui venti et mare obediunt. Verum a spiritualibus ad corporalia beneficia tandem hic descendendum.

A. LEONARDO HANSEN.

ANNOTATA.

a Synteresis *derivatur a verbo* συντηρέω, *quod* observo *et* revereor *significat. Unde conscientia, sive illa facultas animæ, quæ vitiis adversatur, et perpetrata peccata statim arguit, a Græcis dicitur* συντήρησις, *id est, quasi reverens observatio, quam nos communiter remorsum conscientiæ vocamus.*

b *Sanctus Augustinus lib. 8 Confessionum cap. 6 narrat historiam horum duorum aulicorum; qui legendo vitam S. Antonii abbatis ad imitationem exarserunt, ut ad diem 28 hujus mensis in Actis S. Augustini referetur.*

c *Apud Philostratum Epistola 27 rosæ vocantur* ἔρωτος αἱ λαμπάδες, *id est,* amoris faces. *Sed ille philosophus ethnicus non cogitavit de casto vel divino amore, qui hic* S. Rosæ *nostræ propter similitudinem nominis aptatur.* E

d Myrothecium *est* unguentorum repositorium, *quo nomine Græco etiam metaphorice usus est Cicero, dum in epistola ad Atticum scribit, se in commentario consulatus sui totum Isocratis myrothecium consumpsisse.*

e Apophoreta *hic accipiuntur pro donis : nam veteres munuscula, quæ convivis a cœna domum deferenda dabantur, apophoreta appellabant a verbo Græco* ἀποφέρειν, *quod* auferre *significat.*

f *Hic alluditur ad fabulas poeticas, in quibus fingitur Ariadna, filia Minois Cretensium regis, Thesea, quem diligebat, e labyrintho per filum extricasse. Vult igitur indicare biographus,* S. Rosam *huic Francisco in negotio tam perplexo fuisse auxiliatricem, sicut Ariadna Theseo fuerat in labyrintho, quem ope fili illius evasit.*

g *Oportet, Dioscoridem Anazarbæum id obscure prorsus innuisse : nam pervolvi capita 130 et 131 libri primi, ubi de effectibus rosarum agitur, et nullam philtri mentionem reperi. Est autem* philtrum, *Græce* φίλτρον, pharmacum concilians amorem, *quod derivatur a verbo* φιλέω, *hoc est,* amo. F

h *Poetæ fabulantur, crines Medusæ in angues conversos fuisse, qui eam vim haberent, ut omnes illud caput aspicientes obrigescerent, ac lapidescerent. Unde hæc biographi comparatio satis manifeste ad illam fabulam alludere cognoscitur.*

§ III. *Patrocinio S. Rosæ puella mortua ad vitam revocata, et plures teneræ ætatis ab infirmitate liberati.*

Puella semestris mortua.

Tametsi P. Antonius de la Vega Loaysa Societatis Jesu in suis facundissimis Responsis diserte ac sæpius monuerit deputatos judices, totam Rosæ vitam a primis incunabulis usque ad extremum halitum continui perpetuique miraculi loco censendam atque habendam esse, attamen visum ipsis progredi ad specialiora, quæque micuere post ejus vitam in beneficio alieno. Primum his merito sibi deposcit locum resuscitatio

A. LEONARDO HANSEN.

tatio mortuæ filiolæ semestris Magdalenæ de Torres. Huic pater erat Gregorius de Torres agricola, mater Joanna Michaela, ambo victitantes opere rustico in suburbanis Limæ ad viam Melambo. Hi cum anno MDCXXVII mense Octobri prope urbem rusticabantur in prædio Balthasaris de la Cona, ibidem febris cum diarrhæa *a* tenellam filiolam invasit, demum et extinxit inter materna brachia. Nil profuerant adhibita pro illius ætatis captu remedia, nil matris solicitudo et lachrymæ; charæ prolis animulam mors delibavit in ulnis afflictæ genitricis. Jacuit ab illo vespere usque in claram posteræ diei lucem exanime corpusculum sine calore, sine motu.

cujus mater opem S. Rosæ imploraverat.

72 Jam ad effodiendum tantillo cadaveri sepulchrum paratus adstabat sarculus, comportabantur flosculi, nectendi in modicam corollam. Sed mater, ipso noctis illius conticinio memor, aliquid penes se esse reliquiarum, quæ Rosam attigerant, inopiæ suæ scriniola excussit, particulam vestis cum ramusculo ginestæ *b* (cui Virgo olim indormierat) invenit: cum his properavit ad algidum cadaver, cœpitque longis et anxiis precibus Rosam invocare in auxilium: denique fide jam robustior, ac velut Rosæ vivificos e reliquiis odores prolicitura, patellæ carbones, his ramusculum et alterius particulæ aliquot filamenta imposuit: mox defunctam filiolam suffumigavit. Fumo vivi occludunt oculos, mortua aperuit: nam ecce, illo momento, quo suffitus infantem attigit, hæc revixit; et diductis ocellis, quos dolens mater pridie occluserat, lætam respexit. Interfuere spectaculo infantis pater, soror, aliusque juvenis, qui junctim in genua provoluti, suoque gaudio ac stupori impares, sublatis in cælum vocibus laudarunt Dominum in sua Rosa tam odorifera. Interim parvula Magdalena pauxillo aquæ, cui mater pulverem sepulchri B. Rosæ insperserat, avide epoto, sana consedit, ubi supina jacuerat, nec præteritæ infirmitatis ullum in ea superfuit vestigium.

et mancipium, quod defunctum credebatur,

73 Anno MDCXXXI Antonius Bran mancipium domicellæ Joannæ Barrettæ decumbebat ex febribus et angore pectoris, jamque per tres menses et amplius morbi contumacia variorum medicamentorum vim omnem eluserat, ac parum spei residuum erat. Observabatur ab uxore et consobrina, qui dum noctu circa infirmum excubabant, repente notarunt ambo, Antonium jacere sine motu, sine respiratione, ulloque vel minimo signo vitali: invocabant ægrum ex nomine proprio, vellicabant, pulsabant, sed nonnisi responsa mortis extundebant, a corpore jam gelido. Uxor horrore ac mœrore gravis cururrit ad heram, et cum ejulatu brevissime indicavit maritum suum efflasse animam. Exterrita domina lecto exsiliit, (nam juste media nox erat) cumque D. Ludovica Baretta sorore sua germana ad Antonii cubile properavit; illic Antonii consobrinus ad caput lectuli plangebat mortuum, et intrantibus feminis mœsta voce occurrit: « Nolite » (inquiens) vos incommodare: jam enim An» tonius noster spiritum reddidit Creatori. » Accedit propius Joanna, explorat, tangit, occlamat; sed ut extensum, frigidum, rigidum invenit, velut suæ jacturæ sat certa, sorori dixit: « Jam et hunc mihi servum tam utilem et » necessarium Deus abstulit, sit nomen ejus be» nedictum. »

74 Inde conversa ad caput lectuli, vidit appensam venerabilis Rosæ chartaceam imaginem ex iis, quæ Romæ Superiorum permissu excusæ, et in Indias delatæ fuerant. Hinc ingenti concepta fiducia cœpit invocare Rosam sonoris vocibus, ac libere flagitare resuscitationem sui mancipii. Mox correptam imaginem reverenter pectori jacentis imposuit, cumque tribus reliquis ibidem tristi silentio eventum exspectavit. Sic horæ dimidium tacitis circa lectulum votis exactum est; cum ecce Antonius, qui integro duarum horarum spatio algidus, pallidus, immobilis jacuerat, alto cum suspirio (quale admodum lassorum esse solet) oculos aperuit, circumspexit, ac miratus heram illo noctis incommodo tempore sibi adstantem, interrogavit, quid rei ageretur. Mox percepto, quid acciderat, animatus consedit in lectulo, nec solum incolumem, sed et sanum se vegetumque sensit, nec febris deinceps rediit: attamen urgentibus, quæ aderant, feminis, medicinam ante præparatam, tametsi jam superfluam, sumpsit, quievit, ac post qiduum lecto doloris valedicens, Rosæ sepulchrum adiit, totumque ibi diem in gratiarum actione transegit.

patrocinio hujus Sanctæ reviviscunt.

Elisabeth Duran vidua,

75 Elisabeth Duran, vidua Jacobi Carlos, a multo tempore siccum et inutile brachium gestabat fasciis obvolutum, cujus non solo inerti pondere, sed et jugi dolore vexabatur. Ut ergo audivit, Rosæ virgineum corpusculum, in æde FF. Prædicatorum feretro impositum, parari ad sepulturam, plena fide, ac duabus stipata filiabus, eo properavit, ut potuit; circumfusæ multitudini ultro se involvit, si quo modo ad tumulum Virginis penetraret: pervenit, filiabus aliisque viam aperientibus; iisdem auxiliis ægre in tumuli gradibus eluctata, brachium vultui Rosæ bis terve applicuit, mox eodem temporis puncto exclamavit: « Euge, brachium meum sana» tum est, et revixit brachium meum. » Utque miraculo fidem faceret, lacertum tum quaquaversus jactavit expedite, vivide et celeriter, spectante ac plaudente confertissimo populo. At præ omnibus vehementius obstupuit Melchior de Amusgo medicus, qui in turba fortuitus aderat, multoque tempore diversas, sed frustraneas mulieris brachio medelas applicuerat, fassus, illud humanitus curari non potuisse. Porro Elisabeth successu læta, exinde per complures annos palam visa est brachio suo uti ad quævis officia, quasi numquam languisset. Miraculum istud inibi tot habuit testes, quot Rosa tunc in feretro spectatores.

servus quidam Æthiops,

76 Licentiati Didaci Ayalas servus Æthiops (nomen expressum nusquam reperi) dextri brachii manusque usum ex plica et nervorum attractione dudum perdiderat; audita fama defunctæ Virginis, ad ecclesiam sancti Dominici cum aliis contendit, Rosæ precibus se commendavit, statimque, in signum obtentæ sanitatis, brachium alte sublatum et exporrectum toto templo circumtulit, rejectis vetustis pannorum involucris. Spectabat universus populus, et dum hinc una vox omnium erumpit in publicas Dei laudes, dum inde mixti consurgunt gratulantium clamores, nonnulli, qui servum familiarius noverant, manum ejus festive arreptam deosculati sunt coram turba, piaque curiosiate lustrabant vetusta signa, ubi attractio manum Æthiopis cum brachio in plicas tenacissime quondam curvaverat.

Georgius de Aranda presbyter

77 Verum a dextro ad brachium sinistrum. Presbyter Georgius de Aranda Valdivia ante clericatum in bellis Chilensibus contra infideles complura sinistro brachio exceperat vulnera, quæ deinde

A deinde male curata paulatim saniem, convulsiones, tumores attraxerant, ut jam præ inflatione brachium neque extendi potuerit, nec judicari. Usque in digitos proserpserat molestissimus tumor, ut afflictissimus sacerdos in Missa nec divinam Hostiam commode satis tractare, nec sine alterius brachii suffulcimento alterum potuerit elevare. Igitur ipso die, quo Rosa sepulta fuit, sub vesperam a religioso germano fratre adjutus, irrepsit in ædem capitularem, oravit ad sepulchrum Virginis, imploravit opem, subitoque obtinuit. Nam repente frigido sudore madidus, dum successive digitos, manum, brachium motu lenissimo pertentat, omnia sana, vegeta, flexilia reperit.

amissum brachii sui usum recuperant.

78 Mox religione ac lætitia tremulus, in ecclesiam (ubi tunc forte P. F. Christophorus de Azevedo Prior Panamensis cum plurimis sæcularibus substiterat) se proripuit, ibique coram altari SS. Rosarii elatis vocibus in gratiarum actionem procubuit. Accurrunt spectaculo, qui propiores aderant, atque inter hos Bartholomæus de Toro regius tabellio. Nec multum rogari se passus Georgius, coram eis (et plerisque notissimus pridem erat, tum ipse, tum brachii sui B stupor) fideliter totam rei seriem exposuit: simul rogati notarius et testes, priusquam aliquid in tabulas referretur, miraculum penitissime explorarunt; jusserunt Georgium in pedes se erigere; inspexere brachium omni tumore liberum, quod presbyter sursum, deorsum, dextrorsum, lævorsum, et in omne latus pari, qua dextrum, agilitate rotabat sine dolore; manum aperiebat, claudebatque promptissime; digitos stringebat, diducebat, motitabat celerrime; nec, quoad vixit, in his ullum pristini languoris vestigium notavit.

Alphonsus Diaz mendicus.

79 Alphonsus Diaz mendicus toti Limæ tunc notissimus, humili nixus fulcro, manumque et pedem ex attractione inutiles per solum trahens, non gradiebatur, sed serpebat humi, stipem per domos flebiliter quærens. Hic ipsa die, qua Rosam sepulturæ fossa operuerat, ad ædem sancti Dominici anhelus venit, in ea aliquamdiu amarissime lachrymatus, ac de loco sepulturæ sciscitans demum, ut potuit, in aulam capituli prorepsit, Rosæ sepulchro pronus incubuit, per horam sic oravit, gemuit, flevit, denique suC davit, ignarus se jam curatum esse. Supervenit is, cui cura erat Virginis sepulchrum latere coctili obtegere: jubet Alphonsum loco abscedere; negat iste, se posse; contendunt ambo, sed prior ille integris viribus Alphonso robustior, hominem circumplectitur, et repugnantem abstrahit, sensimque, at molliter in pedes erigit.

toti urbi Limanæ notissimus,

80 Hic primum sensit Alphonsus, se curatum esse; nihilominus ob longam standi desuetudinem proximo parieti acclinis, breviterque miratus seipsum erectum ac sine fulcro, simul in clamores, simul in lachrymas erupit, jubilans atque vociferans: « Benedictus Deus! valeo, » sanus sum: quod a quatuor annis circiter numquam potui, nunc possum: meis insisto talis: » plantas, quæ terram nosse desueverant, humi » nunc figo; laudetur Dominus in Sanctis suis. » Interim toto corpore sudabat adhuc, et quia sub plantis pro callo mollior caro succreverat, terram passibus nonnihil suspensis calcabat, idque alii infirmitatem rati, euntem subjectis brachiis juvare nitebantur. Renuit ille, protestans se jam sibi abunde sufficere. Fit concursus, et inter plaudentium hymnos, Alphonsus in ecclesiam reducitur, spectandus ab omnibus. Processit graviter, qui numquam aut festivior aut spectabilior ambularat.

A. LEONARDO HANSEN.

et duo Æthiopes

81 Dum Rosæ cadaver prostabat in tumulo, adrepsit puer Æthiops duodenni major, ac de attractorum pedum vitio, quam de nomine per urbem notior; dumque sub feretri tabulato orat (siquidem nec palmum a terra se erigere, nec ad sacri corpusculi attractum in gradus potuerat eluctari) repente prodiit alacer, erectus in pedes, quos ante nonnisi reptans miserrime per terram traxerat, dum nequidem grallis uti, sed dimidio corpore dumtaxat solum verrere licebat. Exsiliit deinde sanus, mediisque se turbis fidenter immiscuit, Rosam identidem suam liberatricem altis vocibus inclamans. Inde per octiduum visus est quotidie adire sepulchrum Virginis ad gratias palam et ex debito persolvendas.

mirabiliter contractione pedum liberantur.

82 Hujus exemplo alius puer, itidem Æthiops, simillimaque pedum invalitudine calamitosus (nisi quod grallis utcumque se librabat a terra, non tamen a parietum subsidio) post humatum Rosæ funus accessit juxta fossam, in angulum capitularis aulæ se projecit, oravit, et ultra duarum horarum spatium ibidem supplex E accubuit. Tandem in conspectu multitudinis, quæ aderat, lente se erexit, vociferans: « Sanus » sum, videor mihi posse incedere, sentio ti» bias meas carere impedimento; quinimo in » cursum pruriunt. » Respondit quidam ex vicinioribus: « Si ita est, surge in pedes, ambula, » et obtentæ gratiæ fidem facito. » Nec mora, neglectis grallis surrexit puer, stetit, ambulavit, neque præ lætitia seipsum capiens subsiliit, tripudiavit, denique turbam densissimam rogavit, tantisper in partem secederet, sibique spatium currendi daret. Obtinuit, ac susque deque per aulam, ceu levis caprea, cucurrit. Vix suis credidere oculis, qui puerum ante noverant; attolluntur in sublime voces laudantium Deum, accurrunt religiosi, adducunt puerum in ecclesiam, totoque personant templo canoræ gratiarum actiones.

Plures pueri c

83 Joannæ de Castillo viduæ filiolus erat bimus Franciscus Fernandez de Sigura, cataleptis *c*, palpitationibus ab anno integro frequenter ac periculose divexatus. Cassa et irrita fuere humana remedia, donec recursum fuit ad Rosam tunc F recens tumulatam. Huc igitur afflicta mater parvulum suum detulit, ad sepulchrum stitit, oravit. Filiolus interim ultro se sepulchro instravit ore prono, ibidem mox hilascere cœpit; cumque post sesquihoram interrogaretur a matre, num jacendo lassus erigi vellet, ac abduci, petiit adhuc paulisper ibi relinqui. Demum surrexit sponte, sanitatis indiciis lætus, neque ex eo tempore usque ad ætatis suæ annum decimum septimum (quo una cum matre hæc apud judices apostolicos testificatus est) hac aut alia quacumque infirmitate impetitus fuit.

diversis morbis oppressi d e

84 Rufina Brava filiolum genuerat Petrum Tamayo. Vix quintumdecimum a nativitate diem infans attigerat, cum deprehensus est hernia *d* miserabiliter laborare. Magis in dies laxabatur lacerum peritonæum *e*; propendebant viscera, nec nisi magno labore atque periculo retrudebantur introrsum, mox iterum proditura. Vagiebat continuo parvulus tanto dolori impar, ac sæpe toto triduo nauseabundus ubera nutricis omnino respuebat. Biennium fere applicandis remediis insumptum est magno impendio, profectu nullo. Denique biduo postquam Rosam vita functam terra

A LEONARDO HANSEN.

terra exceperat, ad illius sepulchrum delatus, fere per duas horas quietus insedit, dum mater cum cognatis feminis in templo hæsit, Deo et virgini Rosæ sobolem commendans. Redditus matri filiolus, occluso reticulo visceribusque repositis, inventus est sine hernia; solum in beneficii memoriam conspicua remanserat cicatrix, quæ tamen etiam firmabat reparati peritonæi integritatem, ne amplius rumpi posset.

per intercessionem ejusdem Virginis

85 Petro de Vega graviter a quatuor mensibus filiola quinquennis decumbebat ex febribus, neque mitius devenustabat parvulam asperrima quædam morosæ indolis conditio, cum annis in vitium periculose adultura. Hanc febrientem parentes anxii detulere ad tabulatum, ut Rosæ nondum sepultæ virgineum cadaver attingeret : attingit, statimque, pulso febrili paroxysmo, coram omnibus convaluit, nec relata domum novis morbi accessibus tentata fuit : quin et illa congenita indolis asperitaś, eodem simul correcta miraculo, in summam transiit mansuetudinem et suavitatem.

B

sanitati restituuntur.

86 Videbatur his prodigiis Rosa clamare de tumulo : « Sinite parvulos venire ad me. » Veniebant utique, ac certatim porrigebantur de manu in manum, ut ad salutiferum Rosæ contactum infirma pertingeret populorum innocentia, cum salute ad suos reportanda. Inter hos Franciscus Cardoso, novem mensium tenellus infans, continua febrium vicissitudine a tribus mensibus nunc rigens nunc æstuans, subito, ut sacro cadaveri admotus fuit, planctum simul et febrim posuit, mirante populo. Neque id solum, sed et postridie Æthiopissæ ancillæ ulnis implicitus infans, nutu gestuque indicavit, velle se in terram deponi : vix plantulis humum attigerat, cum cœpit ambulare solus per atrium, neque ab illo die indiguit ope, aut ulnis bajulæ. Nimirum tantas pridie vires adhalaverat Rosa puerulo tam diuturnis febribus cocto, et medullitus exhausto. Certe ex ore infantium et lactentium perfecit sibi laudem. Ad adultos revertamur.

ANNOTATA.

a Diarrhœa, *Græce* διάρροια, *Latine* profluvium, *est copiosior alvi fluor sine phlegmone et ulceratione intestinorum, sicut Castellus et alii medici fusius explicant.*

C

b Ginesta *vel potius* genista *est herba humilis et sponte nascens, sic dicta, quod in modum genu flexilis sit, ideoque vitibus ligandis idonea, vel quod genibus dolentibus medeatur. Aliqui putant esse* σπάρτιον *Græcorum, alii dubitant. Quidquid sit, ut herba illa apud varias nationes ex nomine suo cognoscatur, Hispani eam* hiniesta *vel* retama, *Galli* genest, *Itali* ginestra, *Germani* pfriemen *et Belgæ* brem *appellant.*

c Catalepsis *apud rhetores est figura, apud medicos est morbus, quam Gorræus in Definitionibus medicis pag. 213 sic describit :* Κατάληψις affectus est cerebri. Provenit a vehementi refrigeratione cum quadam siccitate; et posteriora cerebri potius occupat, cum in caro *(hic morbus est species lethargi)* anterior pars magis laboret. In apoplexia vero et morbo comitiali utraque, ut scribit Galenus lib. 4 de locis affectis. Manent autem per Catalepsim palpebræ apertæ, quæ per earum clauduntur, servaturque secundum naturam spiratio. *Unde colligitur, quid hic indicetur* cataleptis, *sive nomen illud sit adjectivum, sive substantivum.*

d Hernia, *Græce* κήλη, *quam vulgus* rupturam *vocat, est morbus scroti intumescentis, aut proprie sic appellatur, cum corpus aliquod in scrotum deciderit, erupto peritonæo, cujus ultimæ vocis explicationem jam dabimus.* D

e *Gorræus in Definitionibus medicis pag. 369 hanc corporis humani partem describit his verbis :* Περιτόναιον, peritonæum est membrana seu unica (utramque enim sortitur appellationem, sed membrana quidem ab essentia, tunica vero ab usu nuncupatur) totum ventrem infernum continens : huic enim toti περιτείνεται, hoc est, circumtenditur; unde et nomen habet. *Porro ulterior istius tenuissimæ membranæ descriptio ibidem legi potest.*

§ IV. *Plurimi adulti utriusque sexus, implorato hujus Sanctæ auxilio, periculis ac morbis erepti.*

E

Sancta Petro de Vega,

Anno ante Rosæ obitum Petrus de Vega lapsu præcipiti ac gravi laxarat juncturam ossis in scapula, simulque exinde usum brachii ex ea parte amiserat, nec nisi ad dolorem et onus lacertum sibi superesse jugiter querebatur. Demum nocte quadam recordatus, sibi in domo esse rosarium, quod paulo ante in feretro exanime Rosæ corpus attigerat, illud, ubi acutior doloris sensus erat, devote applicuit. Illico cessavit cruciatus, quiete obdormiit Petrus, ac mane evigilans, advertit inutili brachio rediisse vires, quæ, nullo alio adhibito remedio, sic crevere, ut intra dies paucissimos perfecte convaluerit, nullumque inter sinistri ac dexteri brachii agilitatem senserit residuum discrimen. Eumdem Petrum alia vice invaserat ischiadum atrox tormentum ac simul dolorifica inflatione tumuerat altera tibiarum. Pressus his malis, nec cibum sumere, nec somnum capere infelix potuit. Tandem Rosæ, et rosarioli sui memor, loca dolorum offricuit, quievit, posteroque diluculo expergiscens, undequaque se sanum invenit; tibiæ vero molestus tumor ita desederat, ut jurasses hanc numquam tumuisse.

F

Helenæ Æthiopissæ, *a*

88 Helenam Æthiopissam, Joannis Merinii mancipium, continua et copiosa subnascentium lumbricorum (quos vocant de Guinea *a*) scaturigo septenni fluxu ita viribus, egesto cruore, exesis visceribus, exhauserat, ut actum de illius vita omnino putaretur, maxime quatriduo ante Rosæ obitum, quando tot morbis ardentissima febris, et (mortale signum) inflatio talorum ac tibiarum accesserant. Toto septennio omnifaria tentata fuere medicamina; sed hæc morbum irritando, nova indies pernicie non ægram, sed ipsam ægritudinem adjuvabant. Denique hera utilissimi mancipii jacturam non ferens, Helenæ suasit ac persuasit, ad Rosæ, biduum ante sepultæ, monumentum Novenam exigeret (ita novendialem cum certis precibus stationem vulgo appellant.) Infirma, vitæ ac valetudinis percupida, majori animo, quam viribus, aggressa est opus.

quæ septem annis ægrotaverat,

89 At quarto mox die se perficiendo imparem protestata est : nam diuturno lassata morbo, exanguis cruentis et crebris egestionibus, perusta febri, destituta anhelitu, pedibus tumidis, adire se posse reliquis diebus Rosæ sepulchrum omnino

A no diffiderat. Nihilominus hinc spe, inde hera animante, resumpsit spiritum, ac residuis diebus accessum, quamquam difficillimum, continuavit modo, quo potuit, nullo interim convalescentiæ signo vel eminus comparente; quin potius majorem indies lumbricorum vim effundebat cum sanguine. Donec tamdem ultima nonæ diei statio ad Rosæ sepulchrum, in momento, simul universam tot morborum cacochymiam *b* funditus abstersit. Rediit domum Helena plane altera, nempe lumbricis ad unum vacua, pedibus sana, febrium ignara, sanguine, vigore, corpulentia mirabiliter instaurata, nulliusque deinceps ex his symptomatis conscia, valetudinem possedit integram ac diuturnam.

et cuidam servo moribundo

90 Navigabat cum P. F. Dominico de Leon Ordinis Prædicatorum famulus, et comes itineris Joannes, annorum quatuordecim adolescens, oppressus quartana febri, quam ipsa deinde maritima jactatio periculosius accenderat, ut die quadam paroxysmi violentia animam puero extudisse crederetur : nam subito clamore Dominicus ex superiori navis tabulato deorsum vocaB tus, ut moribundo suo famulo adsisteret; dum in opertum navigii sinum descendit, obvium habuit virum conjugatum Franciscum Flores, qui Joannem jam expirasse asseverabat. Perrexit tamen solicitus Pater; at famulum sine loquela, colore, spiritu, supinum et immobilem reperit; dubius, num viveret, pluries utramque jacentis auriculam validis clamoribus tentavit : at frustra se vitalia signa exspectare videns, ad Rosæ confugit præsidium, vitam puero supplex petiit, Novenam promisit : et ecce, illo momento respiravit Joannes, resedit, cibum sumpsit, attonitis, qui spectaculo intervenere, viris religiosis, P. Agnello de Oliva Societatis Jesu, P. F. Laurentio de Texeda Ordinis S. Francisci, et secularibus utriusque sexus non paucis. Stupuere quotquot in navi erant, præsertim ut viderunt paulo post comparentem in superiori tabulato sanum, incolumem, ac sine humano remedio integræ valetudini restitutum.

alterique mulieri sanitatem restituit.

91 Beatrix Gaves continuo quadriennio vexabatur molestissimi humoris jugi stillicidio, idque remediis pejus irritatum, spem curationis sustulerat. Ergo inops consilii, penetravit cum reliC qua turba in ædes quæstoris Gundisalvi, ubi tunc Rosa prostabat in feretro, jamjam efferenda; illic se Virgini toto cordis affectu commendavit, loculum tetigit, domum sana rediit, nec umquam deinceps ea defluxione se sensit infestari.

Quemdam F. Dominicanum periculo liberat,

92 Anno post Rosæ felicem transitum, Fr. Joannes Miguel Ordinis Prædicatorum, causa œconomiæ ac negotiorum, obequitabat vallem de Xauxa *c*; sed transeuntem juxta pascua vaccarum, circa locum Verastegui, improviso erumpens taurus, ferociter insecutus est. Extimuit, adactisque calcaribus fugam iniit Joannes, magnis vocibus periculum suum Deo et B. Rosæ commendans; at taurus velocior, jam prope aderat, nec ultra quindecim passus distabat ab homine. Perditus erat, ni Rosam denuo et multo ardentius invocasset. Mira res! Ad Rosæ nomen immanis bellua, ceu fulmine retroacta, substitit, Joannem lassitudine ac pavore exanimem torve intuens; nec loco se movit, donec is procul abiisset.

eidem piscanti favet,

93 Eidem aliud, sed lepidius accidit in amne, qui locum Misque *d* præterlabitur, et piscibus (maxime autem bocis seu candidoribus mænis *e*) abundat. Huc ille cum socio religioso F. Hieronymo Jambrano, alioque Indo piscatum ierat. Jaciebant pariter sua retia Hieronymus et Indus, atque hic prædam aliquam traxit, ille vacuo reti adfremuit. Hortabatur Joannes ut iterum jaceret, et ad singulos jactus elata voce « Eia (inquiebat) in nomine benedictæ Rosæ » cadat feliciter. » Parebat Hieronymus, sed non pisces; siquidem plus quam duodecies jacto reti nullum prendidit. Hic Joannes id, quod erat, suspicans, « Obsecro (ait) mi Hieronyme, » dic libere, nonne cor tuum hæsitat incredu» lum circa sanctitatem virginis Rosæ? » Affirmavit ille substomachans, tot certos exstare Cæliset, quorum nomini utilius dicari potuissent hi jactus, nec ad incerta nomina fuisse confugiendum. At Joannes replicuit : « Tu vero, » mi frater, de sanctitate Rosæ fidem indubiam » fac concipias, sicque in ejus nomine iterum ac » serio rete immerge, et mira conspicies. » Fecit, jecit, ac subito bocarum et armadillorum *f* tantam vim traxit, ut pondus impleti retis vix potuerit sustinere.

A. LEONARDO HANSEN.

monasterio fugitivum mancipium,

E 94 Liceat hinc brevissime divertere ad piscationem hominum. Anno MDCXXX intra Limense sanctæ Claræ monasterium ancillabatur Christina Angela, invitum mancipium. Contigit, huic ad fugam patuisse fortuito posticum cœnobili, quo, ceu elapsus nassa pisciculus, tacite se proripuit, et foris in urbe se occultavit. Raphaela de Esquivel monialis, tunc janitricis munere fungebatur; quæ fugæ istius damnum, offendiculum, dedecus, unico simul confuso metu complexa, cum, post plurium dierum quæstionem, profuga nusquam reperiretur, ad Rosæ opem confugit, suamque illi commendans angustiam, monasterio perditum mancipium restitui flagitavit. Porro eadem nocte Raphaela per soporem vidit Rosam candido amictu, facieque præfulgida gloriosam, dicentem sibi : « Crastino mane Christina recupe» rabitur. » Monialis a gaudio pulcherrimæ visionis evigilans, iterum (concepta jam ingenti spe) Virgini rem devote commendavit, rursumque dormivit. Mane facto, ancilla circa horam quintam ante meridiem inventa, reprehensa, reducta est.

aliisque apocham perditam restitui curat.

F 95 Non minori, quamquam dissimili, Rosæ beneficio rem amissam germani fratres Alexander et Franciscus de Coloma recuperarunt. Quingentorum coronatorum censum annuum Guamangensi sanctæ Claræ monasterio rite persolverant, ac de more apocham solutionis testem ab œconomo receperant. Post intervallum temporis illudmet debitum rursus exigitur; obtendunt solutionem germani fratres, quæritur apocha, sed nusquam apparet. Certus erat Franciscus illam se reposuisse in tali loculamento sui scrinioli; extimuit, ne forsan inde aliena fraude sublecta disparuerit; tum reditum centies ad idem scriniolum, chartæ omnes sigillatim excussæ, protractæ, repositæ : aderant omnia præter apocham. Anxius itaque Franciscus brevi oratione recurrit ad sibi notissima Rosæ præsidia; dehinc spe plenus Alexandrum rogat, nova ultimaque diligentia scriniolum oculis undequaque pervadat : respondet iste, operam perdi. Instat alter, flagitans suo id saltem dari solatio, ut iterum quærat. Quæsivit obiter, velut re desperata, et ecce in illomet loculamento, ubi ambo toties quæsierant, supra reliquas scripturas in propatulo reperitur apocha pulcherrimæ inscriptioni peregrinæ manus decenter involuta, non secus ac

A. LEONARDO HANSEN.

ac si illo momento clam ad scrinium fuisset relata. Sed revertendum ad valetudinaria.

Didacus de Arrasia Dominicanus.

96 Pater Fr. Didacus de Arrasia Ordinis Prædicatorum e Panamensi ad Limanum Conventum in summo æstu proficiscens, ex mutatione climatis, duplicem tertianam contraxerat, quæ ipsum per compendia brevi stitit in mortis vestibulo, jubente medico accelerari Sacramenta, maxime, quia et venter infirmi ex nimio aquarum haustu altum extumuerat, et quidquid medelæ seu ventri, seu febri adhibebatur, morbum augebat. Itaque ægrum extremi periculi admonuit P. magister Fr. Gabriel de Zarate tunc Provincialis. Verum Didacus, occulte supplices ad Rosam preces, ad Deum vota conceperat, jamque altius spe salutis, quam aquis tumebat. Tentandum supererat ultimum subducendo ventri remedium, sed violentum et acre, cui perferendo Didacus se parem fore diffidens, Rosam denuo ac instantissime implorat : et ecce, omisso illo remedio, detumuit venter, abscessit duorum mensium possessione radicata febris, et cum stupore omnium Didacus ad vota sua implenda lætus exsiliit.

B

et plures utriusque sexus

97 Isidora de Montalvo ætate gravis, insuper octo mensibus gravabatur febri continua et admodum violenta. Negabant medici, vetulam tot annis onustam, ac viribus effœtam, per methodica remedia morbo liberari posse. Ergo ab iis derelicta, ad Rosam pro vita ac valetudine appellavit, et illo temporis puncto integerrime convaluit, diuque incolumis supervixit.

febribus æstuantes, g

98 Josepham de Torres torrebat toto corpore volaticus ignis *g* ex putrido sanguine febribus inflammato : surgebant undique lucentes bullæ, triumque hebdomadarum spatio infirmam eo adduxerant, ut coram domesticis sine loquela, sine arteriarum pulsu jacens immobilis, putaretur efflasse animam. Circumstantes exterriti, Rosam alacriter implorarunt, obtineret Josephæ spatium, quo saltem accito jam sacerdoti possit sua peccata confiteri. Verum plus Rosa præstitit, quam rogabatur : nam subito ægra in se rediit, exomologesim rite peregit, ac brevi integram valetudinem recuperavit.

aut alio morborum genere

99 Mariam Indam, puellam duodennem e Chilensi regno oriundam, ac Limæ in monasterio Incarnationis famulantem, rigores, tormenta stomachi, demum et spasmi, gutturis angustiæ, convulsiones, eo redegerant, ut nec cibo potuve refici, nec minimum quid potuerit deglutire. Desperata a medicis muniebatur ultimis morientium Sacramentis. Verum sub ipsa extrema inunctione a presbytero et monialibus admonita fuit, virgini Rosæ angorem fide ac affectu, quo posset maximo, commendaret. Paruit, ac sine alio quocumque humano remedio cœpit ex illo momento convalescere, intraque paucul os dies ad consueta sui famulatus officia rediit.

C

corporisque incommodis laborantes.

100 Antonio de Umbela operario annosa paralysis brachium manumque attraxerat, ut nullis umquam remediis potuerint explicari. Auditis, quæ ad Rosæ sepulchrum quotidie coruscabant, prodigiis, eo demum se contulit, brachium sepulchro imposuit, breviter oravit, statimque manum diu clausam suaviter aperuit, mox et brachium explicuit, suæque artis exercitia sanus repetivit. Mariam Sanchez novennem fortuitus in terram lapsus ita afflixerat, ut exinde attractis tibiis, omnique erepto pedum usu, nec stare, nec sedere usquam potuerit; quin continuo jacendum fuit in lectulo. Totum triennium frustra datum remediis. Demum uterque parens, Novena ad Rosæ sepulchrum promissa, filiolam eo faciunt deportari, ac virgineo monumento pronam insterni. Adveniens nonus dies puellæ salutem, parentibus gaudium attulit : nam, ut sepulchro de more incubuit, repente sana in pedes se erexit, ambulavit, cucurrit ad patrem, qui manu apprehensam diu circumduxit per claustrum, inde domum. Præcurrebat ultro filia, quasi numquam pedibus languisset.

D

invocata sancta Rosa,

101 Maria Farsan triennis puella, dum anno MDCXVII indigestis cruditatibus periculose oppilata curatur a matre infusione argenti vivi, (quod alia femina suggesserat) inflatis mox tibiis, gressum perdidit, adeo quod ab umbilico deorsum velut emortua, solis manibus reptaret, tractis per terram cruribus. Sex menses integros sic dimidiata languit, donec in templo sancti Dominici exaltato in sandapila Rosæ corpusculo, illuc deportata fuit : ubi, ut defunctæ Virginis faciem bis terve attigit, repente inflatio detumuit, et parvula suis parentibus reddita, post biduum per ædes sana cucurrit, nulla interim alia medicina adhibita.

E

prompte ac mirabiliter

102 Agnes de Figueroa (Rosæ, dum vivebat, amicissima) immani cruciatu lancinabatur in coxendicibus, et ignara quid mali esset, jam eo devenerat, ut toto triduo vesicam exonerare non potuerit. Longa dolorum acerbitas pene mentem feminæ everterat, quando suggerente marito, sese efflictim multisque cum lachrymis cœpit charæ suæ Rosæ intercessionibus commendare; statimque, velut substratis prunis insideret, tota fervidissime æstuavit, ac subito infra unicæ Salutationis angelicæ moram, enixa est calculum magnitudine nucis avellanæ, punctim undique cuspidatum. Eodem momento cessavit dolor, consopita quievit Agnes, quæ diu neque dormire potuerat, nec jacere. Chirurgi et medici, quotquot viderunt calculum, testati sunt, illum haud aliter quam vel morte vel miraculo potuisse extrudi.

auxilium ejus experiuntur.

103 Ludovicus Rodriguez Mexicanus, opificio sartor, in ædibus viduæ Joannæ de Vargas dolorifica nervorum attractione laborabat, ita ut nec incedere, nec pedem humi figere per duos menses umquam potuerit. Adducti chirurgi, postquam viliora remedia sine profectu applicuerant, protestati sunt, hominem non aliter, quam unctione magistrali *h*, (quæ sumptu non mediocri paranda fuisset) curari posse. Flebat amare Ludovici mater, conscia tantis impendiis longe imparem fore suam, filiique inopiam. Itaque, vidua suggerente, cernua sursum rexpexit in Rosam, promittens una cum filio Novenam peragere ad sepulchrum; quam ubi exorsa fuit postridie, domum rediens, invenit filium pedi attracto jam solide insistere, et aliquantulum ambulare. Nondum ultimus novenarii dies illuxerat, et Ludovicus jam perfecte sanatus exibat domo, Virginisque sepulchrum invisebat. Simillimo beneficio et ipsa prænominata vidua ex utriusque pedis dira inflatione et cruciatu repente convaluit, mox ut Rosam auxiliatricem flebiliter invocavit, promisso simili dierum seu stationum novenario, quem et postridie, votivis onusta donis, est auspicata sanisque pedibus alacriter peregit.

F

h

Periculo eripit mulierem parturientem i

104 Isabellæ Morales parienti (jamque partum effuderat) secundæ *i* remanserant in utero. Expavit obstetrix, nullumque omisit remedium, ut membranam eliceret. Tribus horis laboratum frustra, rebusque jam desperatis, Isabella se

mori

A mori sentiens, ad lectum reportari petiit, decentius illic moritura. Adfuit vocatus interea confessarius, cumque omnia in pejus vergerent, monetur Isabella, ad Rosæ præsidium recurrere in discrimine tam complorato. Paruit, et illo temporis puncto, omissis aliis remediis, ultro secundæ prodierunt; totumque subito discussum est periculum.

Christophorum Perez in altam fossam

105 Christophorus Perez aulæ criminalis secretarius cum uxore et domesticis ad prædium suum in valle Lurigancho secesserat; hinc die quodam ad vicinos colles virore amœnissimos iter faciens, tellure ex pluviis madente et lubrica, cum equo in fossam sedecim palmis altam prolapsus est. Accurrit cum domesticis pavida conjux, viditque marito equum incumbere. Secuta fuerat labentes mollior terra, et pene utrumque operiebat. Dum equus (ut erat generosus et juvenis) terram nititur excutere, dum magnis conatibus tentat surgere, Christophorum gravius premit relapsu, et nonnumquam calcibus improvide ferit. Per quadrantem horæ sic jacuit Perez, neque, ut erat manibus pedibusque ex arthritide nodosus ac debilis, quidquam juvare seipsum potuit. B

cum equo delapsum.

106 Interim supra fossam ejulabant domestici, plangebat uxor, denique omnes Rosam in subsidium advocarunt. Audiit Christophorus, cœpitque et ipse sub equi terræque pondere Rosam invocare. Et en, confestim surrexit equus in pedes, homine intacto: descendunt in fossam vernæ, extrahitur Perez incolumis, quem alii intra horam moriturum libere clamitabant. Ipse vero solius Rosæ beneficio tam se illæsum professus est, ut nec phlebotomiam, nec quidquam fomentorum sibi adhiberi permiserit.

quemdam jam morti proximum.

107 Antonii de Terrabia grandævi mancipii ut lapsus miserabilior, ita mirabilior fuit sublevatio. Huic in extremo fere agone laboranti, Maria de Oliva, Rosæ mater, concubia nocte assidebat sola. Antonius dum conatur fessum mutare latus, ex lectulo perangusto in pavimentum decidit. Anxia mulier, quod nec servo moribundo, nec sibi vires essent quibus denuo in lectum sublevaretur, filiæ Rosæ validum e cælis imploravit auxilium, statimque, fide plena, utrumque ponderosæ sarcinæ brachium supposuit, Antonium senem, corpulentum, semianimem, acsi trium mensium esset infantulus, e solo sola C sustollit in lectum, accommodat, operit, ac tum demum admirabunda suomet operi tota adtremuit, experta, suam sibi Rosam adfuisse.

et alterum, cui venenum propinatum fuerat.

108 Claudat hoc capitulum Rosa, veneni cælica excantatrix. Limæ crudelis femina (cujus nomen in Processu ubique subticetur) maritum suum extreme oderat, et, ut ignarum e medio tolleret, clam ei toxicum in potu commiscuit, sed prævalidum, quod, antequam possent remedia circumspici, brevi mora hominem extingueret. Vix maritus pestem hauserat, cum, intercepto anhelitu, tympani instar extumuit; mox deliquio abreptus, alvo in fluxum soluta, sudavit algidus, tremuit, distortisque oculis nil nisi mortis ultimos spirabat angores. Verum sic per horæ quadrantem periclitanti opportune incidit Rosæ memoria, et dum virus per viscera cordi adserpebat, extremo conatu se colligens, erupit clamorose in has voces: « Sancta Rosa succurre, » et Novenam polliceor. » Expavit ad Rosæ implorationem uxor venefica, jamque veneni sui effectum desperans, seipsam lethali vulnere sauciavit. Maritus absque alio alexipharmaco *k* venenum eluctatus, postridie lectum deseruit, ac promissi memor, ad Virginis sepulchrum properavit.

A. LEONARDO HANSEN. k

ANNOTATA.

a Guinea *est ampla Africæ regio, ex qua magnus mancipiorum numerus in Americam transvehitur. An autem lumbrici istius regionis ab aliis differant, ignoramus. Ceterum Gorræus et Castellus ad vocem Græcam* ἕλμινθες *de variis lumbricorum generibus agunt, ibidemque explicant, quomodo hæc animalia in humano corpore nascantur et nutriantur.*

b Cacochymia *est vitiosus succus, aut abundantia vitiosi alicujus humoris in toto corpore. Quapropter Castellus in Lexico medico pag. 398* cacochymiam *in humano corpore, quasi* succorum vitium *dici affirmat.*

c Xauxa *est celeberrima totius Peruviæ vallis, quæ patet quatuordecim leucis in longitudinem, quatuor aut quinque in latitudinem, olim incolis frequens. Cingitur hæc vallis undique nivosis montibus, et ab urbe Limana triginta sex aut quadraginta leucas distat.* E

d *Joannes Latius lib.* II *Indiæ Occidentalis cap. 7 describens iter ab urbe Platensi versus Potosiam de urbecula* Misque *sic meminit :* Præterea circiter quinque et viginti miliaria a la Plata jacet oppidulum Misque, a quo multa vina ad Potosiam subvectantur. Intermedio itinere labitur fluvius, quem Hispani vocant De Condorillo, octo quidem leucas a la Plata, septemdecim autem a Misque. *Hic fluvius haud dubie diversus est ab amne hic indicato, qui urbeculam Misque præterlabitur, cum alius septemdecim leucis ab ea distet.*

e *De bocis et mænis, quæ sunt pisciculi marini ex genere halecum. Ulysses Aldrovandus in Opere suo piscario fuse disserit, ut lib. 2 cap. 39 et sequentibus videri potest.*

f *Ab Hispanis* armadillo *vocatur animal Americanum, quod osseis squamis veluti laminis quibusdam tectum est, et cujus figuram Joannes Latius lib. 15 Indiæ Occidentalis cap. 5 exhibet. Sed quandoquidem hoc animal est terrestre et ad magnitudinem porcelli accedit, illud hoc loco nequaquam indicatur. Hic itaque per* armadillos *intelliguntur pisces, qui mihi hactenus ignoti sunt.* F

g Ignis volaticus *et* volatilis *idem est, ni fallor. Ignis autem volatilis in auctiore Cangii Glossario vocatur* impetigo, *vel* lichen, *qui est morbus ab una parte corporis ad aliam volans, ut apud medicos jam sæpe citatos distinctius legi potest, et de quo clarior in textu expositio postea recurret.*

h *Primum hæsitavi nesciens, quid illa* unctione magistrali *significaretur. Sed postea inspexi librum, qui inscribitur* Medicina pharmaceutica, *et Bruxellis anno 1681 Flandrice impressus est. In hoc Opere pag. 143 lego,* remedium ab experto medico compositum et inventum compositionem magistralem *nominari. Deinde pag. 936 et sequentibus ejusdem Operis varia magisteria chirurgica vel chymica exponuntur, et* magisteria corallorum, perlarum, *aliaque hujusmodi memorantur. Adde, quod Trivultianum linguæ Gallicæ Dictionarium doceat nomen* magisterii *apud pharmacopolas et chymicos usitatum esse, et pro medicamine quodam eximio vel exquisito accipi.*

A. LEONARDO HANSEN.

Ex his omnibus conjicio, hic unctione magistrali *significari remedium quoddam vel unguentum pretiosum, quod huic morbo pellendo adhibendum fuisset, et cui tenues istius sartoris facultates non sufficiebant.*

i *Nomine* secundarum *appellatur illa membrana, qua fœtus in utero matris obvolvitur, et quæ ordinarie nascentem infantem sequitur, ut passim notum est, et in Opere nostro jam sæpius recurrit. Vocatur a Græcis* δευτέριον, *vel* χορίον, *quemadmodum Gorræus in Definitionibus medicis pag. 513 testatur, ac fusius explicat.*

k Alexipharmacum, *Græce* ἀλεξιφάρμακον, *est remedium, quod datur contra venenum. Componitur hoc nomen ex voce* φάρμακον, *quæ* medicamentum *vel* venenum, *et verbo* ἀλέξω, *quod* auxilior, *aut* arceo *significat, ita ut* alexipharmacum *Latine vocari possit* medicamentum auxiliare, *vel* venenum arcens.

B

§ V. *Paralytici aliique infirmi mirabiliter sanati, et mulieres in periculoso partu adjutæ, tactis ejusdem Sanctæ reliquiis.*

Cephalæa. a

A sanato morbo capitis, capitulum istud ordiamur. Eleonora Ruiz de Saudosa discruciabatur atroci cephalæa *a;* sed ne jubilæi lucrum amitteret, a Rosæ (quæ pridie sepulta fuerat) sarcophago, recta ad ædem metropolitanam sibi eundum fuit. Ivit; sed prius infirmo capiti particulam ex Rosæ vestimentis imposuerat, subque hujus galeæ fiducia iter ingressa, postquam in summa æde nonnihil consederat, advertit, omni se capitis dolore penitus liberatam. Philippa de Vargas ex intolerabili æstu febrium, simul toto sincipite diris velut aculeis incessanter dispungebatur: tandem ex Rosæ reliquiis particulam vertici applicuit, et obdormivit. Evigilans, non solis doloribus capitis, sed et tota febrium vexa se reperit penitus liberatam.

sive dolor capitis. b

110 Luciam a sanctissima Trinitate, sanctæ Catharinæ Senensis monasterio præfectam, a dextro tempore *b* gravis torquebat cranii dolor, cum intemperie cerebri et guttosa defluxione; sed ubi C modicam ex Rosæ habitu laciniam affectæ parti applicuit, illomet instanti distillationem stitit, dolorem fugavit. Eadem sub noctis conticinio quondam repentinis stomachi vulsionibus torta ac pene exanimis, subito, ut dictam particulam pectori affricuit, tormina sedavit. Maria de S. Joseph excalceata monialis, improviso in terram lapsu oculorum nervos utrimque graviter offenderat, ut neque dextrorsum, neque lævorsum oculos potuerit convertere, simulque in iisdem continuus sæviebat dolor. Tandem ex Rosæ reliquiis frustulum arripuit, et, « Experiar, (inquit) » num revera ea sit sanctitas Rosæ, quæ pas» sim deprædicatur. » Idem momentum fuit, quo frustulum oculos attigit, mobilesque et sanos reliquit, neque vel stupor illis, vel dolor umquam rediit.

lippitudo,

111 Virgo Lucia de Montoya ab ineunte pueritia fœdo ac fluido marcore oculorum, non sine excæcationis periculo, lippiebat. Aciei infirmitas ac palpebrarum jugis dolor puellam nec in apricum diei prodire, nec candelarum lumini propius accedere permittebant. Augebat morbum perpetua cephalæa; quibus incommodis dum solito D molestius die quadam gravaretur, a Rosæ indumento remedium ingenti fide quæsivit, et reperit. Habebat domi inter pretiosiora cimelia, particulam pallii, quod Rosam adhuc mortalem amicierat; hanc Lucia capiti reverenter admovit, eadem oculos defricuit, et illo temporis puncto, simul cum lippitudine omnem capitis dolorem abstersit, inque miraculi fidem, ipso adhuc suæ curationis die acum arripuit, et ante vesperam subtilioris telæ quatuor quadra consuendo absolvit; imo exinde oculos semper tam limpidos clarosque habuit, ut videretur numquam antea lippivisse.

et aliæ malæ oculorum affectiones, c

112 Apud Isabellam Mendoza tenebrosius cæcutiebat triennis parvula, Margarita nomine. Hæc altero oculorum (cui nebecula insederat) omnino cæca, altero obscure, vix modicum nictitando videbat; collyriis *c* nil proficientibus, credebatur paulatim omni videndi facultate caritura. Ejus hera (nam puella servilis conditionis erat) sæpius protestabatur, Margaritulæ suæ mortem, quam vitam utiliorem fore: siquidem ab anno et amplius, claræ lucis impatiens, clausis E plerumque oculis per ædes aberrabat. Quodam vespere cubitum ituram domesticæ feminæ cælitì Rosæ commendarunt, et particulam virginei indumenti fascia inter oculos puellæ alligarunt, sicque fasciatam composuere in lectulo. Mane facto, dum reducta fascia oculos Margaritæ inspiciunt, primo notant evanuisse nubeculam; deinde in altero oculo miratæ sunt claritatem; denique compererunt, hinc cæcitatem, inde visus debilitatem prorsus ablatam: parvula enim acie utrimque firma et irretorta sudum exinde aerem lucemque intuebatur cum voluptate.

dentium cruciatus, aliique morbi

113 Joannæ de Velasco mordax e capite salsugo gingivas impleverat; inde acerbissimus dentium dolor miseram nec somnum capere, nec ullo patiebatur loco consistere. Dilatabatur crescens malum, angebatur languens Joanna, donec recordata, particulam ex virginis Rosæ lineo velo se habere, eam ori applicuit, et subito omnis abscessit dolor, successit somnus, et evigilans mane Joanna se sanam demirata est. Viduæ Ludovicæ Faxardo morbus caducus binas proles, masculam annorum septemdecim, femellam mensium decem extinxerat. Superfuit trimus filiolus, nomine Franciscus de Contreras, quem idem morbus simili parabat exitio; nam puer interdum F continuis quindecim horis jacebat sine loquela et sensu, spumans ore, brachiis ac tibiis immane palpitans, interdum et occiput solo illidens. Anxia mater, jamque omni humano diffisa remedio, ad cælicam Rosæ pharmacopœiam ultimo recurrit, particulam scapularis aliunde quæsitam obtinuit, arbitrata filio profuturum, quidquid olebat Rosam. Et sane profuit; nam ut particulam Francisci tunc fœde spumantis tremulo pectori imposuit, in ictu oculi conquievit puer, in se rediit, consedit in lectulo, haustum aquæ petiit, convaluit; nec deinceps umquam hoc morbo tentatus fuit.

ad attactum reliquiarum S. Rosæ

114 Septennio circiter post felicem Rosæ transitum evoluto, Aloysiam de Escobar S. Claræ monialem tormento instabili discruciabat ignis volaticus, nunc tempora, mox genas, inde oculos aliasque partes non sine periculo oberrans. Varie diuque sudatum est in remediis; at majori semper damno, fructuque prorsus nullo. Denique abbatissa servatam ex Rosæ tunica particulam

A ticulam de scrinio protulit; ac vultui decumbentis, præmissa oratione, molliter illigavit, sicque per eam noctem quiescere jussit. Postridie fasciam solvens, totam Aloysiæ faciem ardore ac tumore undequaque, non secus ac manuum volas, reperit liberam, nullo vel minimo vestigio hesterni mali residuo. Eidem Aloysiæ tertiana febris aliquando diros ac vehementissimos stomachi dolores invexerat, adeo ut præ convulsionum angore, mortem sibi crederet imminere : sed confestim, ubi, alio quocumque omisso medicamine, ad Rosam confugit, dictamque particulam stomacho applicuit, simul cum dolore febris abscessit.

subito fugantur. 115 Eamdem prius opem adversus erysipelam *d* senserat Maria de Jesu excalceata Carmelitana; huic facies tota hoc inflammata morbo tumuerat, simul reliquum corpusculum febres exurebant. Denique, ut ægrotanti modica ex Rosæ indumento laciniola fuit applicata, desedit tumor, tepuere infesti calores, ut infirma mox somnum capere potuerit, e quo sana, extinctis cum erysipela febribus, evigilavit. Anno, quo Rosa in cælestem Sponsi paradisum transplan-B tata fuit, Joannem Rodriguez Samanes pictorem asthma inveteratum pene stringendo soffocabat. A triennio ferox malum pulmonibus et bronchis ponderose tenaciterque insederat, nec nisi tusses, et raucos sibilos, ægerrimam spirandi facultatem oppresso pectori indulgebat. Opportune Maria de Mesta quasdam Rosæ reliquias (a quibus ipsa pluries salutem hauserat) infirmo suo domestico obtulit, quando arctius laborabat. Has pectori devota fide adhibuit juvenis, dormivit quietissime, thorace libero, ac sine ronchis ; expergefactus, sensit laxata undique pulmonum vincula, nec ullam deinceps gravioris anhelitus in se comperit molestiam aut pressuram.

Vulnus manui inflictum, 116 Frater Joannes Garzia, laicus Ordinis Prædicatorum, quarto post Rosæ obitum die, Superiorum jussu hortensem Virginis cellulam intrarat, asportaturus inde modicum scabellum, cui Rosa, dum vixit, insidere solitaria consueverat. Verum ostioli angustia videbatur scabello negare exitum : unde laicus mucrone, quem attulerat, assulatim cœpit obstantia ligna incidere ; sed dum festinus instat operi, ferrum in-C cautus sinistræ manui immersit ea profunditate, ut una cum cute lacera caro penderet a junctura. Exterruit circumstantes atrocitas vulneris : nam ubertim manabat cruor, et ex hiatu ambiguum erat spectantibus, num quid forte nervorum aut venarum una truncatum fuisset. Solus non expavit saucius Joannes præsentis remedii conscius ; « Et habeo (inquit) efficax certumque cataplasma, quod illico mihi sanabit manum. » Simulque e sinu protulit recisam ex lineo Rosæ velo particulam, qua sinistram extemplo obvolutam adstrinxit fasciis, ea fide, securitate et constantia, ut inde mox in cellulam redierit, reliquum operis perfecturus. Vix horulam illic exegerat, cum rursus ad exspectantes providens, ultro dissolvit fasciam, ostendit manum undequaque sanam, incolumem, nec jam alterius chirurgi ope indigentem.

periculosus sanguinis fluxus, 117 Pictoris Angelini Medori conjugem Mariam de Mesta viginti circiter diebus exhauserat copiosi sanguinis fluxus admodum periculosus. Memor tandem, se ex Rosæ candidis indumentis reliquias possidere, has reverenter deosculans, et Virginis intercessioni efflictim se commendans, periculum evasit, pristinis viribus actutum restituta. Eidem alias fluida a capite distillatio scapulam immensis cruciatibus vellicabat, nec segnius in occipite sæviebat cephalæa ; sed ejusdem particulæ beneficio, post imploratum Rosæ auxilium, morbus uterque fugatus est. Gravius aliquando feminam afflixit inflati cruris acutus dolor, ut per quindenam et amplius nec interdiu usquam potuerit consistere, nec somnum etiam brevissimum noctu libare : recursum ad solitum Roseæ virtutis emplastrum : et applicitis cruri virgineis reliquiis, cessit inquietudo et dolor, successit cum placidissimo somno perfecta et stabilis valetudo. A. LEONARDO HANSEN.

et diuturna membrorum contractio e i 118 In convallibus Cinchæ *e* Magdalena Chimasso Inda, ex regulorum Chincensium (quos Caciquos *f* vocant) nobili prosapia, viro Hispano Francisco Morales matrimonio copulata, triennium et amplius ab umbilico deorsum adeo languebat attractione corporis, ut nonnisi lanato velleri potuerit insidere, nec aliter, quam cum eo huc illuc raptanda fuerit, et ad necessaria corporis officia manibus domesticorum deportanda : numquam sine his mutare latus, numquam se sponte erigere visa est. Denique post ingentes E sumptus frustra in remedia erogatos, e Chincha Limam in ædes Petri de Vega se fecit transportari, quod illic speraret medicos peritiores. Nec fefellit opinio : vix enim per mensem Limæ sic decubuerat, quando Rosæ tunc recens sepultæ odor sanctimoniæ, et publica miraculorum fama quotidie grandior ad ægram hanc penetravit. Concepta exinde fiducia, supplex nonnullas Rosæ ad se reliquias deferri petiit. Allatus fuit pertenuis ramusculus ex palma, quam Virgo in mortuali suo pegmate gestarat exangui manu ; item binæ candidi scapularis et veli particulæ.

eodem remedio statim curantur. 119 Hæc una cum sepulchri modico pulvere, Magdalena fide ac devotione, qua decuit, sibi arctissime circumligavit. Sic repente sopitis doloribus, ipsa etiam placito sopore totam noctem quietissime præter morem exegit. Evigilans, tametsi vegetas in redivivis partibus sentiret vires, dimovere tamen reliquias noluit, velut salutiferi effectus plenitudini quietem reliquæ illius diei perlubenter indulgens. At postridie, quidquid repugnarent famuli, quidquid reclamarent domestici, lecto se robusta proripuit, vestes F petiit, Rosæ beneficio se integerrime sanam constanter asseveravit. Dum adstantes horror ac frigidus stupor defigit immobiles, jam Magdalena suis insistebat pedibus ; mox, nemine juvante, liberrimis passibus incedebat per conclave. Demum ut vestimenta (quibus pene desueverat) impetravit, domo cum honesto comitatu exiit, rectaque ad sancti Dominici ædem solidis gressibus properavit, ubi visitato Rosæ sepulchro, domum inde post mensem ad suos in patriam, alia, quam exierat, rediit.

Etiam alii ægri, 120 Mariam de Morales viduam Marci Antonii non sola nervorum attractio, sed insuper varii aliorum membrorum cruciatus integro quinquennio acerbissime divexabant : nec hilum profuere remedia, quæ plurima tanto temporis ærisque impendio conquisierat. Tandem particulam, ex Rosæ indumento sibi residuam, alacri fide manuque arripuit, hac subito nervos attractionis vinculo exsolvit ; inde per reliqua membra eamdem circumferens, quo successivo ordine loca dolorum obibat contingendo, languor et cruciatus illico fugiebant, donec ad extremum se undique totam mirata est sanam. Alphonsi Bra-

vi

A. LEONARDO HANSEN.

vi legitimæ conjugi, Andreæ de la Massa, tonsillas, et guttur atrox angina, reliquum corpus ardentissimæ febres periculose inflammabant. Accesserat vehemens prurigo, qua semper unguis in ulcere, numquam somnus comparebat in oculis. Habebat domi villosam pelliculam, quæ quondam Rosæ apoplecticum obvolvebat brachium. Hanc igitur fiducia reverenti corripuit; molesto prurirui, ubi fortius urebat, applicuit; toto hunc corpore successive depulit, eodemque simul affrictu, tam febrium, quam anginæ suæ incendia restinxit.

qui vario morborum genere laborabant,

121 Uxor Basilii de Bargas, Francisca del Pulgar, a partu repente mariscarum *g* ulcerosis tuberculis gravissime torquebatur. Nec malo inveniebatur remedium; nec a malo requies. Demum annulo osseo, quem a Rosa acceperat, salutem debuit; hunc enim ut digito indidit, confestim morbus evanuit, nec in reliquis partubus (nam sæpius deinceps peperit) ulli mariscarum mordacitati subjacuit. Didaco de Requena dom æger decumbebat filius, æstu febrium et continuo sincipitis dolore pene exanimatus; parenti ad manum erat Rosæ cingulum, quo Virgo postremis vitæ annis tunicam adstrinxerat. Hoc filio præbuit, sævientæ paroxysmo, temporibus circumponendum. Paruit iste, caputque, ubi acutius dispungebatur, cinxit, et unico hoc ceromate *h* febrim simul cum cephalæa abegit. Andream Lopez a multo tempore permolesta, quamquam occulta, premebat infirmitas, nec morbi genus in Processu exprimitur, nisi quod multum diuque ægrum afflixerit. Verum, ut ad Rosæ opopanaceam *i* confugit, ejusque calceamenti ligulam prævia oratione sibi applicuit, e vestigio morbus abscessit.

et mulieres

122 Provinciæ de Guailas *k* in regno Peruano gubernator præerat D. Antonius de Contreras, eoque titulo vicum Jungai cum uxore Blanca de Zuniga incolebat. Hæc in octavum mensem gravida sensit manifestis indiciis, fœtum in utero suo immobilem desiisse vivere. Dum inter ea discrimina ac pavores Blanca in quintum usque diem miserrime distabescit, opportune marito gubernatori adferuntur e Lima nonnullæ ex Rosæ vestimentis reliquiæ, quas veteri amico Didacus de Cantoral mox ab obitu Virginis dono miserat. Has subito Antonius periclitanti conjugi apportans, ut (præmissa Rosæ dovota imploratione) ventri imponeret, facile persuasit. Vix mulieris uterum reliquiæ attigerant, cum intra breve spatium, quod recitandæ semel angelicæ Salutationi sufficeret, enixa est infantem mortuum, ac putrido virore totum sublividum. Paulo post effudit etiam secundas, comite fœtore, qui adstantes pene exanimabat. His sarcinis plane mortiferis exonerata Blanca respiravit, et quæ, suscepto pœnitentiæ sacramento, jam sese morti certissimæ præpararat, intra pauculos dies, abacta febri, lectum deseruit, integræque valetudinis beneficio diu potita est.

in partu

123 Eadem alia vice, cum partu infeliciori fœtum quadrimestrem abortivisset, retentis in utero secundis, per duos menses et quinque dies tantam vim corrupti sanguinis protrusit alvo, ut prope actum de sua vita existimarit. Memor itaque opis, quam alias Rosa præstiterat, rursus ad eam supplici devotione respexit, Novenam ad ejus sepulchrum Limæ peragere, et utrumque miraculum publico evulgare testimonio, pollicita. Et ecce, postridie cum ingenti fœtidi cruoris profluvio, una prodiere secundæ jam putræfactæ, sensitque Blanca, iterum se morti ereptam, et Limam profecta votum exsolvit.

periclitantes

124 Felicius Rosæ obstetricantem sibi in partu experta est opem Bernarda de la Sierra, uxor Joannis de Quixano Zevallos. Hæc ad portum Callao *l* marito cohabitans, ipsa die exsequiarum defunctæ Rosæ, anno MDCXVII cœperat angi sævis puerperii doloribus, quorum vi proles in utero transversim acta, dum neque retineri neque emitti potest, se una cum matre præsentissimæ mortis laqueo implicabat. Jam foras prodierat intestinum (evidens imminentis lethi indicium) et adhuc detorta infantis obliquitas suamet obstabat genesi, propiusque exitium, quam exitum reperiebat. Frustra pavidæ obstetrices ultimum suæ artis tentarant, quo prolem aptarent ad egressum; jam Bernarda inter summos cruciatus, tam sibi, quam soboli illum diem ominabatur extremum, quando improvisus Joannes de la Massa Bernardæ maritum domi conveniens dixit, se Lima pauculas ex Rosæ vestibus adferre particulas. Confestim tota domus in spem erigitur, parturientis germana soror Maria de la Sierra, susceptis reliquiis, periculo advolat; Bernardæ, quid ferat, raptim exponit; concipitur firma in Rosæ opem fiducia, funditur brevis precatio, imponuntur ventri periclitantis allatæ particulæ, et subito nullis obstetricum suppetiis dirigitur sponte in utero proles ad enixum, nascitur facilitate prosperrima, vixit, valuit, adolevit, pueroque in baptismate nomen fuit Petrus de Quixano. Nec silendum, quod in dextra nascentis palpebra conspicue apparuit Rosa ad vivum effigiata, diuque velut beneficii indelebile sigillum, remansit.

similem sacrarum reliquiarum vim senserunt.

125 Mercator Basilius de Vargas Hispalensis, dum negotiorum causa ab emporio Limensi Potosium tendit, per viam gravatur ex sincipite jugibus stillicidiis, quorum acrimonia sensim naribus cancrenam *m* minabatur; et jam quinque mensium spatio mordax humor eo usque invaluerat, ut os nasi perfregerit, cœperitque cartilaginem non sine cruciatu depascere. Nec ullum voraci malo inveniebatur remedium, donec ad Rosæ pharmacopœiam anxia pulsaret devotio. Habebat uxoris dono Basilius modicum lanæ ex pulvillo, in quo Rosa nere, aut flores acu pingere consueverat. Hanc rudi papyro obvolutam ut fronti obligavit, fontem corrosivæ defluxionis funditus exsiccavit, et plene convaluit. Erat huic Basilio collybistes Didacus de Burguinas, natione Cantaber *n*, qui anno MDCXIX in eodem vico Potosii quadam ignoti defluxus intemperie sensit sibi guttur intus adstringi, et foris extumescere. Nullæ proderant unctiones, nulli tenacissimum phlegma findebant gargarismi, quin nocte quadam, propemodum intercluso anhelitu, suffocaretur. Ergo a Basilio pugillum lanæ (de qua supra) petiit, collo circumligavit, et invocato Rosæ auxilio reliquum nocti quievit. Mane a contubernali suo repertus est jugulo catarrhis liberrimo, tumor omnis desederat, respirandi patula redierat facultas, statimque Basilio sua restituta est lana, de qua illud inter alia dignum est notatu, quod cujusnam aut villi aut velleris ea sit, discerni haud possit: nativo colore nec bombycem refert, nec gossipium, sed sparsis auri fulgoribus filatim interlucet; denique creditur ex eo pulvillo esse, in quo nenti Virgini pusillus Jesulus aliquando familiariter solebat assidere.

AN-

A

ANNOTATA.

a Cephalæa *vel* cephalalgia *est* dolor capitis, *ut ipsum nomen indicat : provenit enim ex radice Græca* κεφαλὴ, *quæ* caput *significat. Quomodo autem* κεφαλαία *et* κεφαλαλγία *inter se differant, apud Gorræum, Castellum, aliosque medicos obvios invenitur.*

b Tempora *sunt partes capitis a lateribus sincipitis inter oculos, et aures, et verticem, seu ossa cranii utrimque ad aures sita. Biographus hoc nomen sæpius usurpat in numero singulari, quamvis usitatius sit in plurali numero.*

c Collyria, *Græce* κολλύρια, *apud Latinos vocantur illa medicamenta, quæ oculis male affectis admoventur, ut Castellus in Lexico medico pag. 97 et sequente tradit. Duplex est hujus medicamenti genus, unum liquidum, alterum siccum, de cujus utriusque usu ac diverso nomine laudatum Castellum ibidem consule.*

d *Plerumque vocatur* erysipelas *in genitivo* erysipelatis, *estque neutrius generis, et si biographus hoc loco vocem illam aliter inflectat, et* B *alibi tamen communem hujus vocis inflexionem sequatur, ut postea videbimus. Quidquid sit hac de re, teste Gorræo in Definitionibus medicis pag. 157,* ἐρυσίπελας est tumor præter naturam in cute, a sanguine et flava bile calidioribus; vel a sanguine fervente tenuique proveniens. *Ibidem deinde varias hujus morbi causas et species earumque appellationes assignat.*

e *Joannes de Laet lib. 10 Indiæ Occidentalis cap. 25 hanc magnam et amœnam Peruviæ vallem pluribus describit, ut curiosus hujusmodi rerum lector ibidem legere potest.*

f Cacique *vel* cazique *est nomen dignitatis, quod Hispani generatim omnibus regulis aut præfectis Indorum tribuunt, etiamsi illud proprie in Mexico et insulis usitatum fuerit : nam veteres Indi gubernatores aut reguli Peruviæ olim* curacas *appellabantur, ut Dictionarium Trivultianum ad voces* cacique *ac* curaca *solerter observavit.*

g *Castellus in Lexico medico pag. 315 de* mariscis *ita disserit :* Mariscæ venulæ sedis sunt, C quæ aliquando foris extuberant, ore hiantes et stato tempore sanguinem melancholicum excernentes, alias hæmorrhoides dicuntur, quibus plus justo fluentibus, aqua inter cutem subsequitur. *Deinde Castellus pag. 469 eumdem morbum per synonyma explicat his verbis :* Sycosis, marisca, ficus, et ficatio est tumor a fici similitudine sic dictus, ulcerosus, rotundus, subdurus, rubicundus, dolorificus, ex quo aliquando exiguum et glutinosum quid, inæquale et graveolens egreditur.

h Ceroma, *Græce* κήρωμα, *est unguentum ex oleo et cera mixtum, quo veteres athletæ se ungere solebant, ut robustiores essent. Alii volunt istud oleum certa quadam terra vel arena mixtum fuisse. Tamen videtur hoc nomen oriri ex voce Græca* κηρὸς, *qua Latini* ceram *nominant.*

i Opopanax *est succus herbæ, quæ* panacea *vocatur, et componitur ex* πᾶν omne, *et verbo* ἀκέομαι sano. *Præterea apud Græcos* ὀπὸς *est* succus, *ita ut nomen* opopanacea *ex tribus vocibus Græcis componatur, et* succum omnia sanantem *significet.*

k *Jam sæpe citatus Latius lib. 10 Indiæ Occidentalis cap. 26 de situ provinciæ* Guailas *aut* Guaylas *obiter ita meminit :* Qui autem a Caxamalca per montana, ut vocant, petunt Limam, iis iter est per provinciam Guaylas, in qua pauci degunt Hispani, plurimi autem barbari, quibus sunt ingentes pecudum greges, e quarum lana varia pannorum genera texunt. Vicariatus est (corregiemento) imprimis utilis et locuples. A. LEONARDO HANSEN.

l Callao *est idem celebris portus Peruviæ, qui* Callao, *de quo supra mentionem fecimus.*

m Cancrenam *hoc loco poni pro* gangræna *suspicor : nam* gangræna *apud medicos est mortificatio vel putrefactio alicujus membri, sicut omnes passim norunt, quo sensu* cancreuum vulnus *in Glossario barbaro Cangii pro vulnere gangræna infecto legitur. Videtur hic eadem mortificatio vel corruptio imminens indicari.*

n Cantaber, *id est, natus in Cantabria, quæ jam communiter Biscaya nominatur, et cujus incolæ inter Asturiam, Castellam veterem, Navarram et Oceanum Cantabricum commorantur, et idiomate proprio, a vicinis populis prorsus diverso, utuntur.*

E

§ VI. *Pulvis erutus e loco, in quo Sancta sepulturam habuit, capitis dolores, febres, aliosque morbos depellens.*

Altius nonnihil hic repetenda sunt aliqua. *Prodigiosus pulvis.* Limensis SS. Rosarii conventus, ut religiosorum abundat numero, (plures trecentis plerumque numerantur) ita sepeliendis tot Fratrum successive decedentium cadaveribus nimis arctum foret unicæ capitularis domus spatium, nisi de industria talis aliunde terra illuc fuisset illata, quæ citissime funera sepulta absumat, ut subsecuturis locum concedant. In hunc usum procul ab agro Panamæ navigiis advecta gleba totum illius capituli pavimentum profunde infarsit, terra mollicula, tenuis, soluta et arenosa, sed innato calore subtiliter vorax; quo fit, quod illata corpora mox depulpet, ossiumque duritiem extemplo resolvat. Talis erat, quæ ibidem virgineum Rosæ corpusculum excepit. Sed mirum F dictu! unico totoque illo spatio, ubi sacrum istud cadaver immissum fuit, gleba mutavit indolem, ac fere pumicea soliditate in se coacta obduruit, ut solum ibi digitis levique manu teri aut frangi nequeat, quin ferro opus sit, ut excavetur. Non sic reliqua illius cœmeterii saburra, tritu facillima, tractabilis, fluida.

127 Porro in hoc Rosæ cenotaphio, ad perenne humani generis beneficium, vivam salutiferi pulveris latere scaturiginem id argumento fuit, quod anno MDCXXXII post exportatos inde totoque regno distributos terrarum cophinos, (et quidem ab ea dumtaxat parte foveæ, ubi caput Virginis collocatum erat) vix tria vel quatuor pondo, cavo scrobiculo eruta videbantur : Et cum P. F. Bernardus Marques pauculis ante diebus totum immisisset brachium foramini, paulo post succrescente intus pulvere, vix manum immergere totam potuit. Nunc ad curationum historiam. *e sepulcro S. Rosæ erutus.*

128 Decennem Æthiopissam quinquaginta argenteis Rosa emerat pro parentum domesticis servitiis. Mater abhorrebat inutile mancipium, utpote variis languoribus, ac præsertim crebræ dysen- *profuit plurimis ægris.*

A. LEONARDO HANSEN.

dysenteriæ obnoxium. At Rosa bono esse animo jussit, adfore tempus, quo puella divino beneficio integre convalesceret. Adfuit certe, verum post Rosæ obitum, quando petitus de Rosæ cenotaphio pulvis ancillulæ datus est cum frigida epotandus. Bibit, et continuo a morbis omnibus sanata est. Sexenni virgini Josephæ de Zarate musculos gutturales atrox undique inflammarat synanche, ut nec cibum glutire, nec os sine tormento potuerit aperire. Advocatur chirurgus Ortega, qui, ulcere inspecto, cancrenam se plagæ insinuasse deprehendit, negavitque puellam curari posse : nam erosæ carnes frustillatim ulceri excidebant; atque indies serpebat malum. Anxia mater filiolæ salutem oppido comploratam Rosæ ardenter commendavit; inde pauxillum terræ, quam de Virginis sepulchro in hunc usum avia Josephæ attulerat, in aqua dissolvit, ægræque, adhibito cochleari infudit. Puella, unico haustu facillime trajecto, statim liberrimo hiatu os diduxit : jamque bene sibi esse affirmavit, ac cibum petiit. Mater, ut cum avia patulas fauces diligentius inspexit, B cancrenam mortificatam reperit, plagæ magnitudinem demirata. Interim Josepha esculentis (quæ alacriter glutiebat) refecta, sine alterius medelæ adminiculo convaluit, promissamque Novenam fideliter exsolvit.

ut probatur sanatione subita

129 In Limensi sanctæ Claræ monasterio Soror Grimaneca de Valverde duplicis tertianæ ardoribus, et copioso sanguinis profluvio post insomnem quindecim dierum et noctium inquietudinem sibimet erepta, miserrime delirabat; solum exspectabatur lucidum mentis intervallum, ut extremis communiretur morientium sacramentis; nam medici, vitæ horas nonnisi octo ei residuas esse, constanter asseverabant. Igitur abbatissa Isabella de la Fuente, ad cæli præsidia confugiendum rata, in unius Rosæ thaumaturgis favoribus spem fixit; corrasos de Virginis sepulchro pulveres ingenti fide produxit, confessori innuit, ut eos in puram lympham excussos, infirmæ bibendos porrigat. Factum est, et en, Grimaneca repente sibi reddita, primo sensit aruisse penitus cruenta profluvia, inde et febres defervescere, sicque, nullo alio tentato remedio, post placidum soporem postridie mente et corpore sana fuit.

C

tum feminarum,

130 Ibidem soror Raphaela de Esquivel æstu bilioso torrida, et insuper arctata faucium angustiis, dum nimis phlebotomiis, et evacuationibus exhauritur, una judicii mentisque sanitatem perdiderat. Desperata a medico jussa est e communi valetudinario in aliud conclave deportari, ut a frequentiori alloquio libera, ultimis sacramentis percipiendis (si fieri posset) quietius aptaretur. Illic pulverem e Rosæ sepulchro, dilutum aqua bibendum porrexit solicita custos, et subito, discussa phrenesi, resipuit Raphaela, cibum petiit, liberisque faucibus alacriter manducavit, ac sine alio remedio integerrime convaluit.

tum virorum,

131 Pater F. Ferdinandus de Esquivel Ordinis Prædicatorum Limensis cœnobii ad S. Mariæ Magdalenæ Subprior, ab utroque peritonæi latere diram passus rupturam, hernia (quam enterocelam *a* vocant) acerbissime vexabatur, ut nec prædicare, nec iter agere potuerit, quantiscumque subligaculis ac fasciis conaretur dependula in scrotum viscera coarctare. Hoc ærumnoso tormento semi-lacer, at non minus fide alacer, vespere quodam Rosæ tumbam adiit, devote oravit, terramque inde arreptam inguinibus D applicuit, nec ab illo temporis momento pristini doloris ullum notare potuit vestigium : quin, resumpto prædicationis officio, ad laborem vegetior induruit, equitaturus, a terra in sellam agilissime se libravit, quatuor millia leucarum terra marique sine impedimento aut herniæ sensu robuste confecit, liber a ligaculis, ubi quotidianæ precis votivo penso se alligarat.

a

qui diversis malis affecti

132 Virginem Annam Cortes, ex continua duorum mensium febri simul in costarum membrana pleuritis, totoque sparsæ corpore liventes papulæ (quas dicunt epinyctidas *b*) lethaliter dispungebant : omnem cibi potusque orexin *c* gravis nausea peremerat; soporis et quietis spes aberat, laxis passibus ibatur ad mortem. Mater cum filiarum altera Laurentia Cortes, humanis remediis frustra tentatis, respexere demum ad cælestia; pulverem (quem olim, dum e sepulchro Rosæ collegerat, suavissime fragrare notarat) protraxit e scrinio, eamdemque tunc suaveolentiam denuo percipiens, in spem obtinendi auxilii fortior assurrexit. Ante infirmæ lectulum procubuere ambæ in genua, et in honorem Rosæ E orationem Dominicam cum angelica Salutatione recitarunt. Inde mater infusos aquæ pulveres languenti præbuit exhauriendos. Hausit, plus solito incaluit, quievit, ac postridie discussa pleuritide, abacta febri, detersis papulis, Anna incolumis surrexit. Costam Stephano de Cabrera fortuitus lapsus perfregerat : tumebat infirmo quassatum latus, furebat per incrementa, somnumque adimebat horribilis dolor. Sed statim ut Rosei sepulchri terram offensæ parti imposuit, placide consopitus, totam noctem quieti indulsit. Mane, ut se doloribus liberum sensit, inspecto ac palpato latere, omnem pariter fugisse tumorem lætus deprehendit.

c

vel doloribus oppressi,

133 Catharinam de sancta Maria, Ordinis S. Dominici monialem Tertiariam, diversa gravium morborum genera pene membratim a quadriennio occuparant. Costarum tormenta accreverant, dolores ischiadum, cor quotidie septies vel octies suis cruciatibus laborabat, stomachus bis per diem flaccescebat in deliquium, ut subito ad auroram festinato jentaculo fuerit instaurandus; reliqua viscera torrebat lentus calor, ac præcipue caput, crebris accendebatur ardoribus, denique ex profunda melancholia contumax et F adusta gravedo, sensim vergebat in tabem. His malis pressa Catharina, tertio post Rosæ depositionem die accessit ad tumulum, preces fudit cum lachrymis, pulveres scypho intritos ebibit, primoque sensit, depulso melancholiæ tabifico pondere, cor suum hilarescere et confirmari : mox et capitis restingui ardores, quos tunc patiebatur intensissimos; demum eadem hora totum illud multiplicium morborum collegium cessit Roseo pulveri, feminamque reliquit valentem et perfecte sanam. Simillimam ab his pulveribus experta est opem Isabella de Peralta in Limensi SS. Incarnationis monasterio professa monialis, quam, ab annis viginti præter assiduos præcordiorum dolores, apoplexia (maxime brumali tempore) quotidie exagitabat; sed illico ut cordi palpitabundo modicum illius terræ applicuit, utroque morbo se explicitam deprehendit.

eo reverenter accepto.

134 Ibidem Beatrix de Montoya sanctimonialis, stomachi dyspepsiam *d* annis viginti passa, demum convulsionum atrocitate ad extrema properabat; jamque ultimis sese munierat sacramentis, certa mori, nisi, trajecto in stoma-

d

chum

A chum terræ illius haustu, simul omnem inveterati doloris equuleum miraculo perfregisset. Presbyter Mauritius Rodriquez dicti monasterii confessarius, importuna vexabatur capitis vertigine, ac cephalæa, nullumque e pharmacopœia omisit remediorum genus; at tandem didicit, morbo suo unicum Rosæ sepulchrum pharmacopœiam esse. Inde igitur allatum pulverem non modo hausit, sed et vertici infricuit, unaque et vertiginem et dolores fugavit. Virgini Luciæ de Montoya hiabat profunda in umbilico plaga, magnitudine argentei Philippei *e*; at huic ubi Lucia modicum terræ e sepulchro Rosæ inspersit, tridui spatio plaga coaluit, relicta sola in beneficii memoriam cicatrice.

ad pristinam sanitatem redierunt.

135 In Cusco P. Fr. Blasio a Costa Lusitano, prædicatori generali, commissus fuerat sermo funebris ob felicem Rosæ transitum (qui ibi tunc innotuerat) prædicandus. Huic, dum incautus thema concionis habendæ ruminat inter prandendum, transversus in epiglottide bolus spiritum intercluserat. Accurrerunt periculo P. Fr. Joannes de Aguero præsentatus, et P. Fr. Thomas Marcos; B cumque nec liquidorum infusione, nec valida succussione dorsi, quidquam dimoveretur bolus, semianimem refectorio extractum hortati sunt ad edenda pœnitentiæ signa, ut sacramentalem absolutionem reciperet. Procubuit ille in genua, conatus confiteri; interim Aguerus pauxillum hujus salutiferæ terræ anhelo in aquæ vasculo obtulit, quo sumpto, statim fatalem bolum exspuit, ac mortem, cujus frigido sudore jam permaduerat, excreando evasit.

Id ulterius confirmatur

136 Catharinæ de Arriaga anno MDCXVIII die XXI Martii in plurium matronarum præsentia, rivi sanguinis fluxu prodigioso scaturiebant e naribus; videbatur nonnisi cum vita finiendum profluvium, adeo late pavimentum incessabilis cruor purpurarat. Denique una feminarum, terræ illius pugillum fronti Catharinæ illigavit, et illo momento, ad primum sacri pulveris attactum stetit sanguis, exaruit scatebra, nec deinceps hoc malum rediit. Adstitere miraculo notarius, unusque ex judicibus ad examinanda Rosæ prodigia ab archiepiscopo deputatis.

pluribus exemplis eorum.

137 Anno MDCXXXI in SS. Incarnationis monasterio ancillabatur puella Æthiopissa annorum plus minus viginti quatuor. Hujus fauces angina accenderat, carnem totam operuerant liventes C papulæ, insuper toto corpore vultuque inflata, tympano quam feminæ similior extumuerat; ore, naso, oculis ubertim fœda sanies profluebat, et si qua parte leviuscule attingebatur, decoriabatur, lacera pelle manum sequente. Sic putrescenti nulla spes vitæ supererat; unde confessione expiata, sacroque munita Viatico, et uncta Oleo, solam exspectabat horam, qua per tot ulcera emitteret animam. At confessarius in se beneficiorum Rosæ conscius hortabatur infirmam, tantæ cæliti ut se commendaret, missurum ejus sepulchri pulveres, ab his, ope Virginis, salutem speraret: missos ægra, liquore superfuso, devotissime hausit, et in ipso mortis vestibulo convaluit.

qui periculo mortis expositi.

138 Limæ puella innupta carnis voluptatem pudori male prætulerat. Instante partu, vix uni matri suæ delictum fassa, dum caret obstetricibus, ut celaret crimen, discrimen vitæ subiit, nec parere valens, nec retinere. Pavida mater, binos religiosos illac forte transeuntes rogavit, num quid pulveris e Rosæ sepulchro secum ferrent? Allatum pulverem filia, dolorum ac moræ impatiens, siccum abligurivit lambendo: eodem temporis puncto sobolem effudit; crediditque discussum omnino vitæ periculum; sed mater secundas in parturientis utero remansisse adverterat. Ergo recursum ad eosdem pulveres, et statim puella etiam secundas enixa est, sibi et infanti gratulata incolumitatem. Ibidem (longo post tempore) Æthiopissa olitrix, multis horis, eventu ancipiti, ac pene comploratio laborabat in partu. Casu id rescivit Mauritius Rodriquez presbyter, per forum olitorium transiens, suasitque Eleonoræ de Villa-forti, ut periclitanti sociæ terram e Rosæ tumulo petitam celeriter apportaret. Factum est, statimque ut parientis ventrem terra imposita attigit, fœtus brevi ac facillimo nixu erupit, matremque periculo simul et onere liberavit.

A. LEONARDO HANSEN.

vel diuturno morbo languentes.

139 Anno MDCXXXI FF. Antonius Montoya et Joannes de Estrada sacris Ordinibus initiandi mittebantur Guamangam. Per viam, hospitii causa, ad præfectum loci Guando diverterant. Et ecce, quarta circiter post meridiem hora quidam ex incolis præcipiti cursu adfuit, ac sonoro ejulatu rogabat Fratres (quos credebat jam E esse sacerdotes) cito accurrerent Cacique *f* Indæ, vicinis in ædibus animam agenti, ut moribundam saltem pœnitentiæ sacramento expiarent: neque enim alius tunc in oppido sacerdos aderat. Doluerunt religiosi, nondum se illo ordine insignitos esse, cui absolvendi potestas annectitur; nihilominus cum aliquot secularibus Hispanis Indum secuti sunt, ut saltem (quando plus non poterant) agonizanti mulieri adsisterent, litanias, preces, commendationem animæ super migrantem recitarent, dæmonumque insultus aqua lustrali abigerent. Ingressi domum repererunt Indam sine loquela aut motu supinam, obrigidam, sanguinea labiorum spuma horribilem, ac mortuæ quam vivæ similiorem. Frustra videbatur omne consilium, plangebant circumstantes Indæ, singultiebat maritus cum afflicta familia; sed Fr. Antonius memor, penes se esse nonnihil pulveris ex Rosæ cenotaphio, præfatus ad astantes paucula de Virginis apud Deum valore et gratia, de crebris ejusdem prodigiis, de concipienda præsentaneæ opis fiducia, demum arrepto cochleari dilutam terram decumbentis ori (quod ferro violente aperiendum fuit) operoso conatu infudit, et abiit, F suadens domesticis, Rosæ interea succursum ardentius implorarent. Post duas horas ad infirmæ habitaculum reversus cum sociis, maritum cum tota familia reperit in jubilo; ingressus cubiculum, vidit Caciquam hilariter insidentem lectulo, et avide manducantem; fatebatur ipsa disertissime, sibi insciæ Rosam saluti fuisse, huic se vitam debere; nec alius, tam extraneorum, qui cum Antonio accesserant, quam inquilinorum sensus fuit.

in curandis vulneribus.

140 Aliam, in Panamensi emporio, inflammata exulceratorum viscerum putredo cum sanguinis excretione prope ad extrema deduxerat; remedium aliunde nullum supererat; hausit eosdem pulveres, et in ictu oculi sese integerrime sanatam vidit. Didacus de Moreno Costilla Quitensis olim in bellis Chilensibus ab impacta ferrea clava immane vulnus capite exceperat, cui paulatim ex cura imperita spasmus *g*, suppuratio, stupor innascebantur. Limam itaque veniens, ut melioribus chirurgis se subderet, in S. Andreæ nosocomio per sex menses frustra sub variis unctionibus et emplastris laboravit. Demum exci-

A. LEONARDO HANSEN.

excitus fama prodigiorum, quæ ad Rosæ sepulchrum quotidie coruscabant, eo accessit, fusisque de genu devotis precibus, tegmen cum fasciis a capite resolvit, detracto malagmate *h*, terram ibidem excavatam vulneri inspersit, meliusque ab eo momento se habere sentiens, domum alacer properavit, ac post biduum solide vulnus coaluisse, sanamque induisse cutem deprehendit.

h

141 Abbatissa monasterii sanctæ Claræ in civitate Truxillo, ab annis circiter viginti miserrime torquebatur ex inflatione tibiæ, in qua sparsim plus quam quadraginta ulcerum hiabant ora, ciceris magnitudine, nec malo tam veteri idoneus reperiebatur Chiron *i*, præsertim ubi cruris affectum reliqui sanguinis secuta est intemperies cum molestissima febrilis rigoris atque ardoris vicissitudine. Itaque ægra de creberrimis Rosæ edocta miraculis, pulverem Lima sibi allatum in lympha cum fide bibit, et repente febrim, tunc frigore per medullas sævientem, funditus extinxit. Læta hoc successu, tibiam pariter eodem pulvere defricuit, statimque detumescere cœpit inflatio, coire chasmata *k*, relictis dumtaxat in beneficii memoriam nigricantibus signis, quæ ut ab extima cute diluerentur, aquam huic usui distillatam chirurgus Joannes de Lezana suggessit. Verum hac adhibita, mox rediit cum doloribus inflatio; rursum patuerunt hiulcæ fistulæ; expavit infirma, satisque intelligens, miraculi complementum non a chirurgo, sed a Rosa fuisse exspectandum, denuo eosdem pulveres recidivæ inspersit tibiæ; denuo hæc detumuit, et undequaque ulcera siccando conclusit. Prodigium hoc triplex abbatissæ salutem, toti monasterio stuporem et gaudium, Truxilli civibus cum gratulandi affectu novam devotionem instillavit.

tibiis,

i

k

B

142 Miles quidam, officio ac dignitate vexillifer, suo confessori P. Fr. Francisco Nieto fassus est, aliquando sibi instar dolioli tumuisse tibiam, sed auditis, quæ ad Rosæ monumentum indies crebrescebant, signis ac virtutibus, eo se perrexisse cum aliis, breviterque precatum, correpta sepulchri terra, perfricuisse obiter suram pedis immane turgidam, eodemque puncto temporis molestissimum tumorem plane desedisse. Triennis puerulus Alphonsus Cortes adeo languebat pedibus, ut eos, manibus reptans, per solum traheret ceu pondus inutile. Hunc mater Francisca de Leon plena fide ad Rosæ tumulum stitit, scrobi, unde eruebantur salutiferi pulveres, alternos immittere fecit pedes, deinde etiam domi singulas ejus corpusculi juncturas eodem pulvere defricuit, sicque Virginis intercessioni commendatum in lectulo composuit. Mane, parvulus exsilivit sanus, ambulavit, expediteque percurrit domum, acsi numquam pedibus languisset. Isabellam de Peralta pluribus annis ex acri capitis stillicidio cruciabat immanis gingivarum dolor; præcipue e molaribus unus cum crepuisset medius, nec chirurgis ad eum evellendum ars animusque sufficerent, interdiu noctuque vexabat miseram, ut nec dormire, nec cibum masticare potuerit. Monitu sui confessarii dictos pulveres denti, cum maxime furebat dolor, admovit, et illico dimovit omne tormentum, liberisque gingivarum * solida quæque esculenta manducavit.

ac pedibus,

C

* *adde* motibus, *vel quid simile.*

143 In monasterio SS. Incarnationis novitia Joanna de Ulloa, probationis anno prope expleto, dolebat anxia, se ad solemnem professionem pertingere non posse, eo quod durus pater (qui procul degebat in Potosi) cunctabatur circa filiæ dotem sese resolvere. Sæpe Joanna per litteras monebat genitorem, urgebat, instabat lachrymans; sed ille Marpesia caute durior, aut responsa denegabat, aut punctum, cui respondendum fuerat, obscuris inanium verborum ambagibus solertissime declinabat. Inops consilii Joanna, postremo confugit ad Rosam; inde arrepto calamo, cum ultimam patri scripsisset epistolam, Rosei monumenti pulveres magna fide inspersit paginæ, ut, si paternum cor exarata illic argumenta non emollirent, præstaret officium injectus pulvis. Mira res! Subito ex Potosi responsum, quo suavius desiderari non potuerat, adfuit; dotem et quidquid filia postulaverat, concessit emollitus pater, longaque dilatione feliciter abrepta, monialis, quod ad solemnia vota emittenda pertigerat, modico pulveri debere agnovit.

aliisque afflictionibus

D

144 Porro febricitantes, quos eorumdem pulverum haustus a vitæ periculo interdum extremo revocavit, hic sigillatim distinctis paragraphis recensere prolixum foret. Sat est summatim et obiter nomina perstringere. Joseph de Castro confestim ut bibit, noxias cruditates omnes evomuit, et valuit. Petri de Vergas cognata Joanna de Mendoza cum filiola hoc remedio febres abegerunt. Ejusdem ancilla dentium acutissimos dolores fugavit. P. F. Didacus de Palomino, Ordinis Prædicatorum, duplicem tertianam depulit. Maria Velasquez, uxor centurionis Didaci Ruiz de Campos, febrim continuam, unaque sanguinis fluxum mortiferum evasit Ursula de terra Felutpa, ancilla Marianæ de Sea, febrim cum diarrhœa; Francisca ancilla Angelæ de Aguirre tertianam, cum inveterato asthmate, in termino peremptorio incunctanter proscripserunt. Joannem de Palomares tertiana cum asthmate morti destinabat; paulo post, ejusdem conjugem a septem mensibus gravidam, ideoque pharmacorum, juxta medicinæ canones, incapacem idem corripuerat malum cum frequenti vomitu; denique unico post partum mense filiolum Hieronymum idem morbus stitit in vitæ limine; at successive his singulis eorumdem pulverum haustus repentinam salutem reddidit. Eamdem opem puer Joannes Ascensius, virgo Beatrix de Zuniga, adultus Antonius de Umblea effectu uniformi, at locis diversis comprobarunt. Quindecenni puellæ Catharinæ Indæ febrilis æstus omnem ademerat sensum, loquelam, et spem vitæ; insuper constrictis mandibulis aditum cibo intercluserat, ferro ad hiatum os diducendum fuit, ut ultimum remedium, pulvis e Rosæ tumulo sumptus, infunderetur nescienti, quid fieret. Postridie summo mane respirans Catharina, tot simul malis se ereptam experta et fassa est.

et corporis incommodis,

E

F

145 Denique ut multos globatim consarcinando compendium et finem faciam, sacramento coram judicibus firmavit Joannes Lobo presbyter, se diversissimis locis, Chuquisaque *l*, Potosii, Oruræ *m*, alibi, flagitantibus promiscue omnis ætatis, sexus, conditionis infirmis præbuisse hujus vivificæ terræ potum, unicoque isthoc catapotio palam in omnium conspectu tot fuisse curata languorum genera, tot quotidie febrientes integram valetudinem reportasse domum, ut nimia horum multitudo omnem superarit annotandorum nominum diligentiam, cassumque reddiderit catalogi laborem. Exclamet hic præ stupo-

eamdem hujus pulveris medicinam experti sunt.

l

m

A stupore Rex citharœdus : « Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam ? » Aio et pergo.

ANNOTATA.

a Enterocela *vel potius* enterocele , *Græcis dicta* , ἐντεροκήλη , *teste Gorræo*, est tumor scroti , delapso in id intestino. Accidit magna ex parte laxato , nonnumquam vero et abrupto eo meatu , qui a peritonæo ad testiculos pertingit. *Est autem species herniæ, de qua generatim superius egimus, et quæ sub se enterocelen , epiplocelen et hydrocelen continet, ut apud Castellum pag. 189 videre est.*

b *Medici papulas istas appellant* epinyctidas , *Græce* ἐπινύκτιδας , *quasi Latine dicas* nocturnas , *ab* ἐπὶ νυκτὸς , *id est*, sub noctem , *quia tempore nocturno plerumque proveniunt vel maxime cruciant, ut Gorræus testatur.*

c Orexis , *Græce* ὄρεξις , *Latine dicitur* appetitus *vel appetentia cibi et potus , ab* ὀρέγομαι , *quod est* appeto. *Gorræus et Castellus de modo et*
B *causis hujus appetentiæ fusius disserunt.*

d Dyspepsia , *quam Galli* indigestion *vernacule dicunt, a nobis Latine describi posset* depravata alimenti concoctio , *quam Celsus* cruditatem *appellat. Nomen Græcum provenit a particula* δὺς , *quæ difficultatem vel depravationem importat, et nomine substantivo* πέψις , *quod* concoctionem *significat. Variæ sunt hujus aut similis morbi species, nimirum* apepsia et bradypepsia , *de quibus medicos jam sæpe citatos consule.*

e Philippei *olim vocabantur a Philippo Macedone quidam aurei nummi , de quibus apud veteres frequens occurit mentio. Suspicor , hic ab Hansenio forsan designari nummum argenteum, jussu Philippi regis Hispaniæ cusum, quem biographus alibi* pataconem *vocavit, ut supra in Annotatis explicui.*

f Caciqua *verosimiliter est uxor alicujus reguli aut ducis Indi , sicut ex nomine* cazique *superius explicato colligi potest.*

g Spasmus , *Latine* convulsio , *est contractio nervorum, rigor , aut distentio. Oritur hoc nomen a verbo Græco* σπάω , *quod est,* convello.
C *De hoc morbo Gorræus et Castellus plura tradunt.*

h Malagma *est proprie fomentum vel emplastrum , quod ad rem duram emolliendam adhibetur. Provenit a verbo Græco* μαλάττω , *quod* mollio *significat : nam malagmate molliuntur apostemata et matura fiunt.*

i Chiron *est nomen proprium expertissimi medici, de quo veteres poetæ plurima fabulantur.*

k Chasma , *Græce* χάσμα , *idem est, quod Latine* hiatus , *aut* fissura , *provenitque a verbo* χασμάω *hoc est,* hio.

l Chuquisaca *eadem est cum urbe Argentea , vulgo* la Plata, *de qua Baudrandus tomo* I *Geographiæ suæ pag. 90 sic scribit :* Argentea et Argentina , LA PLATA , urbs Americæ Meridionalis in Peruæ regno et in præfectura Charcarum , cujus caput existit in montanis , et prope fluvium Picolmaium , archiepiscopali dignitate fulget , cui subsunt quatuor episcopi suffraganei. Urbs est nova ab Hispanis , quibus paret , excitata in valle seu tractu CHUQUISACA dicto (unde urbs ipsa sæpe sic vocatur , teste Laetio) estque valde culta , et dives , celebrisque fodinis argenteis.

m *Cum nomen istius urbis* Orura *diu apud geographos frustra quæsiverim , et Lovaniensis editio hujus Vitæ mendis scateat, haud immerito vereor , ne nomen illud hoc loco luxatum sit. Fieri tamen posset , ut hic assignetur locus dictus* Oruro *vel* Horuro , *de quo Joannes Laetius lib.* II *Indiæ Occidentalis cap. 9 circa finem meminit. Sed hanc notitiam ab Hispanis istorum locorum peritioribus exspectabimus.*

A. LEONARDO HANSEN.

§ VII. *Per pictas aut sculptas hujus Virginis imagines multa miracula patrata , et in ægros beneficia collata.*

Per attactas S. Rosæ imagines a

Perfidis nostri seculi iconoclastis hoc caput capitilavium a esto. Fidelibus Peruanis commune studium fuit , in prodigiosæ virtutis memoriam , passim per ædes Rosæ effigiem habere ; nec Limæ dumtaxat , sed toto regno invaluit usus non inutiliter ; nam imprimis , Vidua Aloysii Nugnez Maria de Vera, profluvio , febri , E dolore stomachi, et lethali vomitu ad ipsum mortis deducta vestibulum , ultimis sacramentis ad emigrandum se paraverat , judicante medico in diem posterum minime supervicturam. Interea a vicina sartoris conjuge Mariana Inda (quæ cum Rosa a teneris educata fuerat) Virginis pictam in tela effigiem petiit, allatam vultui applicuit, osculis devote libavit , demum in ejus amplexu dulciter consopita , dum mane expergiscitur , se undequaque sanam mirata , refectionem petiit , lectoque exsiliit ac imaginem festivius deveneratura , arulæ stratæ decenter imposuit , accensis luminaribus ; nempe credebat , hoc deberi tum privato beneficio , tum communi lætitiæ illius diei ; siquidem illo mane , solemni totius urbis jubilo, in æde metropolitana publicabantur litteræ apostolicæ , quibus undique fideles ad testificandum de notis Rosæ prodigiis compellebantur. Et ecce , imago , quæ pallentem Rosæ vultum semper retulerat , illo momento venuste in genis rubuit , velut publico civitatis tripudio serene congaudens. Accersitur una cum Apollonia conjuge Didacus de Requena , tamque conspicuo miraculo F diu obstupuit.

147 Simillimum in portu Callao eadem die circa aliam Rosæ imaginem accidit : hanc virgo Petronilla de Quisano, in ædibus centurionis Alvari de Lugares , circumpositis lemniscis ac floribus exornarat , utpote illia die comparituram in principis ecclesiæ pulpito , dum supradictæ litteræ compulsoriales collectæ multitudini prælegerentur. Usque in illam horam vultus imaginis is erat, qui Rosæ in suo mortuali feretro pallentis fuerat ; sed repente exanguis pallor in vividum colorem sub oculis spectantium transiit, omniumque animos hilaritatis suæ blando fulgore accendit. Pulchrius tamen eadem tot ægrorum beneficio ubique emicuit.

(harum quarumdam color miro modo mutatur)

148 Anno MDCXXXI mense Decembri , novenni puellæ Mariæ de los Reyes anno prope integro saniosa ac fœda porrigo b totum undequaque verticem occrustarat. Remediis diu incassum tentatis, demum in ædem sancti Dominici adducitur ; illic coram lignea Rosæ icone procumbens , lineam calanticam suo detractam capiti admovit suppliciter virgineo simulachro , ac rursum capiti imposuit. Post biduum , domi Melchiora de los Reyes caput filiolæ detegens , nul-

duæ puellæ. b

A. LEONARDO HANSEN

nullum in eo reperit impetiginis obduratæ vestigium; nitebat sana undique cuticula, densum fulgebat capillitium, videbatur puella non tam carere porrigine, quam semper caruisse. Ejusdem anni mense Novembri, aliam Mariam, decem mensium infantem orphanam, Hieronymus de Soto Alvarado in suis alebat ædibus, deformi lepra toto corpusculo horride maculosam; in ea curanda omnis ars medica desperarat; sed ancilla domestica Bernarda, in thaumaturgo Rosæ myrothecio efficax infanti malagma invenit; in æde S. Dominici siccarum rosarum foliola per ligneam Rosæ iconem sparsa collegerat: his domum allatis, clam singula leprosæ parvulæ operuit ulcera, sicque diligenter fasciatam in lectulo composuit ad soporem. Mane Hieronymum Bernarda admonuit, puellam ab omni lepra mundatam esse. Advolavit attonitus, nec suis credens oculis, teneram Mariam apostolicis judicibus coram exhibuit intuendam, ipsamque, in perenne beneficii monumentum, deinceps Mariam de Rosa appellari jussit.

aliæque nonnullæ feminæ c

149 Michaelæ de la Massa cum dirum sub brachio succrevisset apostema, chirurgi cantharides *c* intriverunt; mulier, quamquam mordacissimo dolori impar, horis non minus viginti novem tormento subjacuit: verum ubi postridie ad eosdem cruciatus redeundum fuit, arrepta chartacea Rosæ imagine (ex iis, quæ Roma in Peruviam illatæ fuerant) dolenti plagæ apposuit, et exinde quidquid acrimoniæ inspergebatur, omni doloris sensu caruit, tametsi pluribus adhuc diebus curæ illius acerbitas fuerit continuanda. Marianam de Requena opprimebat intolerabilis præcordiorum dolor, cui perpetuus erat fomes ab inordinata quadam mœstitia, sanguinisque melancholici ponderosa gravedine, quam sequebatur et suspiriorum violenta frequentia, et respirandi pœnosa difficultas. Irritum cadebat, quidquid sublevandæ molestiæ ingesserat medicina. Donec correptam Rosæ imaginem devotis osculis dissuaviatam, eamdem arcto complexu adstrinxit cordi. Exinde sensit, aliis sibi remediis opus non esse: nam unica Rosæ effigies et detergebat inveteratam mœstitiam, et dimovebat cardialgiæ *d* cruciatum. Ex Limano S. Catharinæ Senensis monasterio soror Angela de Haro continuis tribus mensibus lancinabatur cardiogmo, seu convulsione stomachi; sed cum, desperato omni alio medicamine, appressit pectori eamdem imaginem, abscessit dolor.

morbis eripiuntur.

150 Servilis conditionis femina Francisca, eodem correpta morbo, et insuper febrium onusta auctario, rugiebat noctibus, impar tormento: dumque ipso conticinio noctis gravius torquebatur, surgens hera, detractam parieti imaginem languenti attulit, stomacho superponi jussit, ac Rosæ opem imploravit. Francisca post imaginis amplexum sommo obruta, cum horis duabus quietissime dormivisset, sana evilgilavit, nec deinceps hoc modo infestata est. Sabastiana de Vega aliquando cum marito doctore Cypriano de Medina, regii tribunalis advocato, peregre Succacaram profectura, dum stapedi insistens, sellam nititur conscendere, mula recedente, varicavit, ac osse circa inguinem luxato, intolerabiles dolores passa est, ut neque in lecto mutare latus, neque robustiori cuiquam operi manum adhibere potuerit. Nocte quadam, acrius sæviente ossis cruciatu, papyraceam Rosæ imaginem, Romæ Superiorum permissu excusam, ac inde multiplicatis exemplaribus Peruviæ importatam, sibi ocyus adferri petiit. Hanc dum affectu religioso circumplectitur, obdormiscit inter preces, et mane experrecta, miraculum subito clamore testata est, marito indicans, perfecte se doloribus liberatam esse.

et tres puerperæ

151 Ancilla Elizabeth Biafora, prægnans ac vicina partui, dispungebatur immani costarum pleuritide, ardebat febribus, cruorem et saniem vomebat ore, et demum a medicis derelicta, ac munita sacramentis, properabat ad mortem cum extremo fœtus maturi periculo. Tandem, ut e sanctæ Catharinæ Senensis monasterio chartaceam Rosæ obtinuit imaginem, tota nocte dolenti lateri obpansam tenuit. Mane redeuntes medici, ut desperata matre, saltem nascituræ proli quoquo modo, si possent, consulerent, ancillam reperiunt sanam, valentem, cibosque sibi afferri postulantem. Inde, ubi vegeta lecto se proripuit, tertio post die feliciter infantem enixa est incolumem.

in periculoso partu

152 Anno MDCXXXII Angela de Albildo, conjux Francisci de las Cuentas, gravida portabat utero gemellas; at ubi ventum est ad partum, die Dominica XVI Maii duabus horis ante meridiem, altera prolium erupit sola, remanentibus intra puerperam secundis una cum fœtu residuo. Hoc parturienti mortale esse mussitabant circumstantes feminæ, jamque maritus, ultimum vale dicturus charissimæ conjugi, petebat aditum; sed impeditus planxit foris. Sub hac perplexitate calamitosa infertur Romanum Rosæ ectypon, sed intela, sistiturque ex adverso periclitantis infirmæ, ut commode ab ea videretur. Vix Angela, conceptis mente supplicibus precatiunculis, imaginem devote respexerat, cum subito novis pressa doloribus, partu celerrimo residuam sobolem cum secundis effudit in lectum, quo jacebat, deficiente spatio temporis, quo obstetricem nutu accerseret. Gemellæ erant filiolæ, sanæ, formosæ, corpulentulæ, ac in baptismo Mariæ et Franciscæ de Rosa nomen sortitæ sunt in beneficii memoriam.

prodigiose adjuvantur.

153 Anna Maria, filia viduæ Mariæ Morales, onustum fœtu mortuo gestabat uterum, ac prius sepultum, quam natum anxia circumferebat. Irruerunt dolores partus, at proles sine motu exanimis, frigida, ponderosa obstabat naturæ conatibus, matremque ultimo vitæ discrimini pariter implicabat. Sic misera per biduum suis colluctabatur angoribus, lenteque se mori sentiens, animam pœnitentiæ sacramento expiarat. Jam vultu pallida distabescebat lethalibus deliquiis, omnis arteriarum pulsus interquieverat, spes vitæ exciderat, quando afflicta mater promptam e scriniolo chartam, Rosæ effigie ruditer lineatam, attulit moribundæ filiæ. Itum deinde in preces et lachrymas; et ecce, in momento Anna mortuum puerulum, denique et secundas effudit, illicoque discusso periculo, respiravit. Fœtus corpore grandiusculus, cranio molli, pectusculo flaccido, nigris pedibus, jam cœperat membris extremis putrescere, ac fœtorem exhalabat intolerabilem, extincturus indubie matrem, ni Rosæ imago subvenisset.

Per similes imagines apoplexia,

154 Puellam Æthiopissam, Mariam nomine, in ædibus Didaci de Requena impetuosissimus apoplexiæ defluxus totam a summo deorsum pervaserat, nervis stupentibus, brachia et crura immaniter palpitabant; jam a quatriduo loquela exciderat, sensus aberat, ac opinione medicorum vitæ ultima imminebat hora. Sed materfamilias paginam itidem chartaceam, cui Rosæ imago

inerat,

A nerat, produxit; hac faciem infirmæ operuit, simulque Rosæ imploravit auxilium. Et en, subito conquievit pedum manumque distorta agitatio, surrexit reddita sibi puella, comedit, totamque morbi vim evanuisse indicavit. Hanc sacræ imaginis virtutem admirans Didacus, ejusdem in se experimentum fecit. Sub dextro poplite dolorificus ipsi obduruerat humor, quo multum impediebatur gradiendi facultas: igitur illammet Rosæ imaginem dolori leniter imposuit, et ad primum attactum e vestigio se liberum sensit. Didaci conjux Apollonia non alio, quam isthoc simplicissimæ imaginis cataplasmate stitit mordacissimum capitis stillicidium, quod sibi dentium fere radices utrimque eroserat. Eadem moniali Annæ Mariæ a Jesu adversus diuturnos et acutissimos dentium dolores medicina fuit.

arthritis cum dysenteria,

155 In autumno anni MDCXXX Franciscus Gutierez Magan, Hispalensis presbyter, gravi coxendicum dolore pressus, dum calidis emplastris nimium fidit, irritatum humorem descendere in dextrum pedem coegit, ubi arthriticum, quo laborabat, cruciatum vehementissime succen-B dit; turgebant venæ, rubebat, ardebat tumida et dire inflammata tibia, ut nec stragulum, nec lodicis tenue operimentum valuerit sustinere: et quia insimul cruenta dysenteria exhauriebat miserum, extrema sacramenta petiit, medico annuente: nam actum esse de vita uterque persuasum habebat. Flagitavit æger ultimo suo solatio apportari ex S. Catharinæ Senensis monasterio (cui erat a sacris confessionibus) pictam in tela Rosæ imaginem, allatam jussit appendi intra lectuli sui conopeum, et attractis cortinis, ita in præsenti effigie absentem Rosam affatus est: « Virgo sancta et gloriosa, quæ tantum » vales apud Altissimum, quo beate frueris, » respice in me, qui, si aliud de te numquam » merui, saltem genitricis tuæ sum confessarius; » illi, ut in monasterio ad sacrum habitum » susciperetur, opportunus adjutor fui; illius » solemnem professionem nigri veli benedictione » auctoravi. Tu ergo Sponsum tuum exora, » ut mearum immemor culparum, me valetu» dini, qua ipsi queam famulari, restituat. » His dictis, magna vi, at robustiori fide, utramque supposuit manum tumenti tibiæ, et veniam C precatus, usque ad picturæ marginem sublevavit ægerrimum pondus, postque brevissimi contractus morulam demisit lente in culcitram, et (quod dudum non potuerat) placido sopore per dimidiam horam quievit. Evigilans, hilari vociferatione accitis domesticis, pedem fasciis evolutum ostendit, podagra, tumore, rubore vacuum, sinistroque pedi nihil dissimilem. Valetudo redierat integra, neque in posterum sæva arthritis Francisco, ut antea, scipionis usum imperavit.

febris cum pleuritide,

156 Idem Franciscus patrinus erat Ludovici Cortes filioli Marianæ de Sea. Hunc mense Augusto anni MDCXXXI quinquennem puerum excoquebant febres, exanimabat pleuritis. Adhibitæ unctiones, phlebotomiæ, cucurbitulæ, clysteres; potiones magis puero obfuerunt: nam inde spuebat ore sanguinem, dolebat costis, auribus, stomacho, jecinore. Intravit medicus Franciscus Ximenes, primoque aspectu indissimulanter parvulum habuit pro deplorato. Supervenit Franciscus Gutierez, allataque Rosæ imagine, præivit ægro Ludovico verba, quibus se Virgini efflictim commendaret. His quanto potuit conatu pronuntiatis, infirmum dulcis corripuit somnus hora circiter dimidia, quo discusso, petiit admoveri sibi propius sacram imaginem, quod osculo eam cuperet revereri. Admotam innocenti basio devote salutans, illico recepit vires, cessavit pleuritis, evanuere febres, ac brevi temporis spatio, nulla alterius medicinæ ope perfectam recuperavit sanitatem.

A. LEONARDO HANSEN.

dolores capitis,

157 Catharina de Vera continuis viginti diebus atrocissimos cerebri temporumque sustinebat aculeos, ut nec cibum, nec somnum valens admittere, brevi putaretur mortis faucibus immigratura. Hoc proregis archiater, aliusque medicus Rocca sentiebant. Itaque, peracta sacra exomologesi, Franciscum de Coloma presbyterum obnixe rogavit Catharina, tantisper sibi afferret, quam domi suæ habebat, Rosæ effigiem. Attulit, intraque lecti cortinas prope infirmam collocavit. Mox illa, ut potuit, reverenter picturam deosculans, dum ei successive cervicem, tempora, vultum admovet, somnum (quo tribus fere dierum hebdomadibus caruerat) cumque somno dolorum inducias, denique perfectam valetudinem attraxit a sacra imagine. Anna Maria de Torres, non secus ac si torrem aut sudem ignitam cranio operiret, affligebatur acutis E in capite doloribus; obtenebrabatur oculorum acies, pulsabant accensa tempora, videbatur ardere cælum; neque mulier sat sui compos remanebat. Nihilominus, premente necessitate, ceu conscia periculi hoc sapuit, ut, omni alio medicamine omisso, in sola Rosæ imagine medelam quæreret. Invenit, ac præsentaneam quidem: nam ubi ectypon amplexa est, capitique applicuit, repente liberata est.

aliique morbi fugantur.

158 Anna de Herrera, quantum olim incredulitate obstinata pugnarat adversus Rosæ miracula, tantumdem postea, explorato in semetipsa beneficio, eorumdem tuba et buccinatrix fuit. Diu assueverat gratias ac quotidiana prodigia, quæ ad Virginis monumentum crebrescebant, aut contradicendo eludere, aut spernendo exsufflare. Sed correxit pertinacem nocturna in somnis visio: putabat horrisono terræ motu totam ab imis fundamentis everti Limam, interque hos pavores, vel invita se Rosæ commendabat præsidio, ac tanta quidem contentione vocis, ut de solo vociferandi conatu fuerit expergefacta. Tum vero patentibus oculis vidit Rosam F (quam ex visis hinc inde imaginibus noverat) in genua procubuam orare pro urbis suæ incolumitate. Dehinc Anna in Virginem animæquior, pristinumque errorem deprecata, illius se protectioni religiosius commisit. Nec diu capillata occasio defuit. A sinistro tempore divexabat Annam vehemens ac dolorosa defluxio, quæ sensim adeo caput obtudit, ut per triduum somni expers, de statu mentis se prolapsuram adverteret, ni Rosa succurrere festinaret. Igitur hujus arreptam imaginem sinistro tempori bis terve induxit, mox in cervical recidens obdormivit, ac media nocte evigilans, omnem fugisse dolorem comperit.

Denique plurimi febricitantes

159 De febribus id compertum est, ad sacræ imaginis tactum, imo conspectum citius abscessisse, quam fluat cera a facie ignis. Doctori medico N. de Rocca duodennis erat filiola, Maria nomine; huic febres et papulæ denuntiabant præmaturam mortis sententiam; at eamdem rescidit apportata Rosæ effigies, mox ut sub ægræ conspectum venerat. In Palama P. F. Joannes de Figueroa Ordinis Prædicatorum ex indigestis stomachi putredinibus lethali correptus febri,

bri, totius urbis medicis desperantibus, extrema migrantium sacramenta pie susceperat; jamque morituri lectulo circumfusi religiosi signum ultimi agonis vigiles exspectabant, ut secundum Ordinis ritum Deo et cælitibus abeuntem animam commendarent. Uno horum suggerente, affertur imago Rosæ ex Prioris cubiculo, quam ut æger aspexit, ut impacto osculo devote salutavit, verticique reverenter imposuit, actutum sensit corroborari nervos, redire vires. Mox et sepulchri mirificos pulveres ut cum jusculo ebibit, totius indigesti marcoris corruptam massam simul excrevit; inde febris destituta fomite ultro extincta est, quando ægrum extinctura credebatur.

ad pristinam valetudinem revocantur,

160 Alphonso de Yta, monasterii S. Catharinæ Senensis Limæ administratori, uxor erat Maria de Aspitia, quam duplici tertiana bullientem medici, extracto quinquies sanguine, aliisque prævalidis evacuationibus pene exanimarant. Jam infirma cibi somnique incapax ad ultimum vitæ marginem festinabat; sed stitit præcipitem allata ex monasterio Rosæ effigies, quæ, ut juxta Aspitiam aspicienda in lectulo collocata fuit, eodem adnutu prostravit febres, erexit in-
B firmam. Idem Philippo Ægidio tertiana duplici molestissime aggravato præstitit chartacea Rosæ imago, sub ipso frigoris paroxysmo capiti trementis imposita. In portu Callao licentiatum Joannem de Quisado continuis quadraginta diebus torrebant æstuosæ febres, neque ab humanis remediis spes ulla reparandæ salutis affulgebat. Infertur decumbentis conclavi picta Rosæ effigies, quam Joannes ut præviis devotis basiis capiti imposuit, pectorique fortiter adstrinxit, febrim extrusit, locumque reduci valetudini statim cedere compulit.

et erysipelate liberatur ipsa Sanctæ mater,

161 Claudat historiam ipsa, quæ Rosam genuit, Maria de Oliva. Hæc pauculis diebus postquam S. Catharinæ Senensis monasterium velanda intrarat, tota pene facie in erysipelatem deformiter exarsit; a naso usque ad dextram auriculam ebulliit inflammatus tumor, inde per caput et maxillas oberrabat inquieti ulceris velox incendium, cui febris, dyspepsia stomachi, aliaque cognata symptomata facile accesserunt. Sic afflicta, per octiduum lecto decubuit, quotidianis tot morborum incrementis haud leviter adtremiscens. Monasterii præfecta, ut Rosæ matrem
C amabat tenerrime, sic febrientis mœsta periculo, dum nocte quadam stipata monialibus infirmam visitat, post dulces affatus, sensim de apportanda Virginis benefica imagine quæstionem interjecit. Nec ægre assensit ægra, quin adductam lecto exciperet. Digressæ moniales, post horæ dimidium redierunt, videruntque Mariam dulci sopore vinctam, at simul copiosissimo sudore madidam. Postridie lecto exsiliens, dum Missæ sacrificio interventura ad odeum properat, præfectæ occurrit miranti ac sciscitanti, cur, et quo iret, præcipue autem, qui valeret? Hic fassa est Maria, sibi, dissuaviata pluries Filiæ sacra imagine, obrepsisse somnum, at sub noctis gallicinio vigilem innatasse sudoribus; hinc, tentato pulsu, deprehendisse febrium absentiam, denique per faciem ducta manu, nullum adusti tumoris palpasse vestigium, jamque se et integerrime valere, et vivaciter esurire.

quæ vidit, per iconem Filiæ suæ

162 Aliud. Eidem Mariæ de Oliva jam velatæ, angusta inter reliquas novitias obtigerat cellula, et hanc insuper sat incommode occupabat ingens lecticæ ligneæ catasta ad modum armarii, quam optabat a pavimento altius sublevari, et quatuor hypostyliis imponi, ut subtus caperet tres grandiores arcas, quæ cellulam D
alias reddebant multo angustiorem. Verum et machinæ pondus obstabat, ne femineis viribus attolleretur in hypostylia, et lata subjectæ crepidinis sponda, ne saltem loco, quem semel insederat, moveretur. Promiserat Isabella de Catanno novitiarum magistra, se proxima quaque die curaturam, ut intromissis quatuor robustis mancipiis super dispositos lateres attolleretur moles, et laxaretur tam Mariæ, quam cellulæ importuna angustia. Verum prævenit decennis ancillulæ pia diligentia; nam videns novitiam Mariam jugiter affligi, ea ad chorum cum ceteris digressa, manum audacter admovit operi, et, Rosæ opitulante effigie, perfecit. Rediit a choro Maria, vidensque machinam apposite elevatam, et arcas sub ea commodissime dispositas, obstupuit, capere non valens, cui in toto monasterio ad talia brevissimo tempore peragenda sufficere vires et animus potuerint.

etiam fieri alia mirabilia,

163 Agnes (id ancillulæ nomen erat) libere se solam peregisse totum professa est. Accurrunt moniales curioso spectaculo, jubetur edicere puella, rem tantam quibus tandem viribus effe- E
cerit. Respondit, ibidem se prius ante pendulam Rosæ imaginem procubuisse in genua, postulasse auxilium et robur, demum se lecto, qui cum catasta movendus erat, reverenter imposuisse imaginem, mox facili conatu in partem retracta machina, se quatuor illis locis ordinasse lateres, et denique in Rosæ nomine, dorso fidenter subjecto, ligneam iis molem imposuisse, quam dum attollebat, putasse non gravem machinam, sed levem paleam se portare. Mirabantur attonitæ moniales, sub sacræ imaginis valido præsidio id unicam potuisse decennem puellam, quod vix quatuor robusti bajuli credebantur sine sudore præstituri; sed crevit admiratio, quando novitiarum magistra (quæ juxta in suo cubiculo, reliquis ad chorum euntibus, remanserat) affirmavit, se vigilem, sub tanti operis vicino molimine, strepitum ne minimum quidem percepisse in tam alto dormitorii silentio. Rogaverunt Agnetem adstantes, denuo ipsis præsentibus tentaret vires suas, num elevandæ machinæ sufficerent. Tentavit, sed, acsi montem tergore excepisset, conatu irrito ridiculoque mox lassata destitit. F

quibus auctor epilogum subnectit.

164 Fas sit et mihi, hic desistere, dum tamen apis mellificæ (Bernardi) verbis mellifluis Rosam alloquar, Olivæ filiam, favorum matrem: « O stirps Olivæ fructifera, in Domo Dei ungens et lucens, fovens beneficiis, coruscans miraculis, fac nos ejus, qua frueris, lucis, suavitatisque participes. O odorifera Rosa, in æternum ante Dominum germinans, et florens, spargens ubique vivificum suavitatis odorem, cujus apud nos memoria in benedictione est, apud superos præsentia in honore, da canentibus te, tanta plenitudinis participatione non fraudari. Denique lætemur, et exultemus, quia cælestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostri, quæ suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, miraculis confirmavit. »

ANNOTATA.

a Capitilavium *olim dicebatur Dominica Palmarum propter causas, quas Macrius in Hierolexico pag. 120 allegat. Hic per usum monastícum*

A. LEONARDO HANSEN.

A *sticum vel recentiorem metaphoram accipitur pro reprehensione, sicut ex sensu patet.*

b Porrigo, *Græce* πιτυρίασις, *quasi* furfuratio, *est, quando quædam squamulæ tenues instar furfuris e capite decidunt. De vario morbi istius effectu plura apud Gorræum et Castellum invenies.*

c Cantharides *sunt animalia parva et venenosa, ex quibus tamen præstantissima medicamenta conficiuntur, ut passim notum est, et apud medicos accuratius legi potest.*

d Cardialgia *generatim est* cordis dolor, *de quo Gorræus ita scribit :* Καρδιαλγία est dolor et morsus oris ventriculi ab humoris acrimonia. *Plura ibidem de hoc morbo tradit, ac etiam ostendit, quomodo* cardialgia *differat a* cardiogmo.

CAPUT TERTIUM

Gloria posthuma ex Pontificio canonizationis diplomate, quod Vitam Sanctæ et pleraque ejusdem miracula breviter continet.

B

§ I. *Proœmium constitutionis Pontificiæ, gesta Sanctæ usque ad annum ætatis suæ vigesimum, et ingressus in Tertium Ordinem S. Dominici de Pœnitentia.*

E

Clemens X aliis gentibus, quibus Euangelium annuntiatum est.

Clemens Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cælestis Paterfamilias, cujus natura bonitas, voluntas potentia, et opus misericordia est, ubi ad magnam divinitatis cœnam invitatos Judæos, seipsos ut indignos eximentes, conspexit, ad vicos, et plateas civitatis accersentem hinc inde alios atque alios convivas servum fidelem transmisit. Verum nec pauperum multitudine, nec debilium, cæcorum, aut claudorum copia, nec his, qui prope, nec his, qui longe erant, contentus, ad regale epulum, in quo non pauca, sed omnia parata erant, et ad cælestem domum implendam, in ulteriores gentes destinatum nuntium progredi jussit. Undique ex Asia, Africa, et Europa sanctorum virorum, atque mulierum cujuscumque ætatis, conditionis, et gradus agmina collecta fuere. Sola esuriens languebat America, nec Domini volentis salutem omnium arcani mysterii conscia, nec
C ministri vocantis voces audire valens, donec venit plenitudo temporis, et per ministros fideles sedentium in tenebris, et umbra mortis auribus vox Patris intonuit *, illatumque est Euangelium ultra Indum, et Gangem *a*, et æquatorem *b*, et per omnes compitorum angulos famelici quæsiti gentiles, ut in parato convivio pinguium ac medullatorum cum Deo Abraham, Isaac, et Jacob in regia sua recumberent.

* al. insonuit

tandem addit incolas Americæ.

166 Tandem ultra totius antiqui orbis extremos fines longe lateque usque ad ultimas Atlantici oceani metas, et usque ad extimas occidentalium Indiarum oras, quæ maris (quod Pacificum dicitur) sepiunt immensa littora, iterum atque iterum fideli servo (per quem Prædicatorum Ordo, maximo hujus S. R. E. doctore et prædecessore nostro Gregorio *c* testante, significatur) excurrendum fuit, donec ad Peruviam perveniret, in quam una cum iis, qui regionem illam felici introitu ac successu, Deo et sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecerunt, primus ille penetravit Ordo *d*, qui singulari hujus sanctæ Sedis apostolicæ privilegio Prædicatorum titulo jam diu insignitus fuit, et ante alios Peruvianæ gentilitati sanctum Jesu Christi Euangelium annuntiavit, primusque ibi salutiferæ prædicationis verbum suo sanguine obsignando universam illam gentem ad cœnam Agni providi efficaciter invitavit, cujus voce, labore, et cruore aurifera illa terra exculta ad exhilarandam universæ, tam militantis, quam triumphantis Ecclesiæ cœnam inter ceteros Christianæ pietatis illius regionis flores Deo, angelis, et hominibus suaveolentem protulit Rosam, totius euangelicæ perfectionis exemplar, et primum ex orbe novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum : cum enim ad hoc nata, et data fuisset, eam omnium impartitor bonorum Spiritus sapientiæ, et intellectus implevit, adeoque suæ charitatis igne inflammavit, ut non tantum odore recrearet, sed etiam fulgore luceret in ea domus Dei parte, quæ in tenebris latebat, ut quasi stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena in diebus nostris, et quasi sol refulgens in perpetuas æternitates splendesceret. F

inter quos floruit S. Rosa.

167 Æquum igitur, et summopere rationi consentaneum judicamus, ut, quam Dominus noster Jesus Christus, cujus vices in terris gerimus, singulariter in dilectissimam a se sponsam assumptam, monilibus et coronis suis ornatam demonstrare dignatus est, nos quoque pro muneris nostri in universa Ecclesia debito, cui licet immerito præsidemus, ut venerandam a Deo præelectam, Sanctamque colendam apostolica auctoritate decernamus, ut a solis ortu usque ad occasum omnis lingua, et omnes populi confiteantur, quod magnus Dominus in omnibus operibus, et laudabilis valde in mirabilibus suis; quoniam etiam in diebus nostris non defuerunt misericordiæ ejus super nos : et licet paterne, culpis nostris exigentibus, corripiat, non tamen in perpetuum obliviscitur, sed in angustiis nostris multiplici nos electorum, et amicorum suorum præsidio custodire non desinit, qui meritorum, et suffragiorum suorum patrociniis nos muniat et defendat. Utque Christi Domini fideles intelligant, quam sit eximium hoc pietatis exemplum, quod in novo orbe in præsentibus calamitatibus, et periculis toti illuxit Ecclesiæ, illustriora ejus charismata, virtutes, et gesta ex multis

A. LEONARDO HANSEN.

multis magnalibus, quæ contulit illi Dominus, his nostris litteris proponenda duximus, ut ejus sanctitas, apostolicæ hujus Cathedræ testimonio comprobata, in universo mundo perpetuo magis illuvescat.

quæ anno Christi 1586 Limæ nata

168 Limæ, quæ est Meridionalis Americæ in regno Peruano metropolis, anno a reparata salute MDLXXXVI duodecimo Kalendas Maii, parentibus honestis Gaspare de Floribus, et Maria ab Oliva orta est hæc mystica Rosa in vico sancti Dominici juxta S. Spiritus ædem, et in ipsa solemni Pentecostes die, quam ROSARUM PASCHA dicimus *e*, sacro Baptismatis fonte purificata, ut pene videantur omnia fuisse infantis hujus futuræ sanctitatis indicia. Primævum illi nomen ab avia Elisabeth fuit, quod postea divinitus non solum a matre propter cæleste prodigium rosæ in facie ejus illico apparentis, sed etiam a Thuribio *f* archipræsule Limæ dignissimo (non absque cælesti, ut creditur, afflatu) in sacri Chrismatis unctione in Rosæ nomen commutatum, et a Deipara Virgine agnomine A SANCTA MARIA auctum fuit, ut hoc etiam testimonio abundantius comprobaretur, eximia sanctorum merita a Deo nomina sortiri. B

teneram suam ætatem

169 Infans sæpe visa est humi jacens fixis ocellis jucunde cælum intueri, quasi jam peregrina in terris, in civem cælestis Hierusalem eloquenti silentio, quo ex tunc prædita erat, adscribi postularet; jamque pupula intelligens meliorem esse patientem viro forti, suavis, lepida, et serena semper apparuit, nec umquam vagitibus, aut voce querula ædium audita est turbare silentium, aversata solum in publicum efferri. Ea fuit in teneris annis constantia, ut diros chirurgi cruciatus in pollice, aure, et naribus sine querela, et capitis pœnalem corrosionem ex impositis ad medicamen pulveribus ortam, sine querela invicto animo sustineret, ut ejus indoles jam ex tunc patientiæ nata esse crederetur. Vix quinquennis erat, cum a Spiritus sancti unctione interius edocta, virginitatis votum emisit, et ex fratris admonitu vanitatis sæculi conscia facta, ipsamet sibi comas ad vivam usque cutem, inscia matre, præscidit, ne quid funium superesset, quibus adversus devotam puritatem, aut traheret, aut traheretur ad nuptias; insignem illam heroinam Catharinam Senensem æmulata, quam sibi in ipso C rationis diluculo in sanctitatis exemplar, et magisterium delegerat, quam subinde magistram appellare non destitit. Addidit in præsidium primo alterum perpetuæ a carnibus abstinentiæ votum, quo cautius obstrictam Deo virginitatem custodiret, optime intelligens, sobrietatem docere sapientiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus.

variis corporis afflictationibus,

170 Quapropter jejunium adhuc parvula sic servavit, ut omni se fructuum esu interdiceret, quos sibi donatos mox aliis largiebatur. In hebdomadarum spatia protrahebat inediam, quæque in puerilibus annis insignem exercuerat abstinentiam, monialis postea eam sibimet jejunandi legem indixit, quæ plane supra naturam esset : nam integras quadragesimas transigebat sine pane, dietim quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Christi sese reficiebat; septem vero mensium ex Ordinis sui præscripto jejunium a festo sanctæ Crucis exaltatæ usque ad Pascha sic observabat, ut nonnisi ad vesperam exigua panis vilioris buccella, haustuque frigidæ aquæ sedaret famem et sitim. Sæpe, ac præcipue sextis feriis palatum, et viscera cruciabat felle verveciпо, quod in hunc usum potabile servabat, ut Christi sui in cruce sitibundi gustaret spongiam. Interdum, ut matri videretur lautius obsonare, amarissima Granadillæ folia, vel alias e sylva extremæ amaritudinis herbas, injectis ad speciem paucis uvarum siccarum acinis, in pulmentum adhibebat. Quando obedientiæ vi ad carnis esum cogebatur, duris symptomatibus torqueri visa est; nec quietem primam reparabat, donec ad pristinam abstinentiam læta redire permitteretur. Sic denique assueta jejuniis erat, ut ejus creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodesset medicamentum, quam panis et aqua : sic enim divina gratia curat, et sanat. D

prompta obedientia,

171 Ut loqueretur victorias, mirabilis fuit in Rosa obedientia, tum in sequendis divini Sponsi tractibus, quibus eam per arcanas sanctitatis semitas in unguentorum suorum currentem odorem trahebat, tum in duræ et rudis matris præceptis adimplendis, quibus eam ex adverso ad sæculi nugas, et vanos corporis ornatus impellebat; in tanta enim oppositorum mandatorum diversitate, arte excelluit plusquam humana non aberrando, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Hinc novit in florigero serto vera filia Hierusalem, jussa illud capiti imponere, celare acum tempora figentem, non solum intuita, sed imitata verum regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Chirothecarum suaveolentium in manibus obtemperans admisit amictum, e quibus adustionem veram experta, dum eas abjicit, vidit promicare flammas et totum collucere cubiculum. Pellibus ab ipsa genitrice pro reparanda valetudine circumligatis summe cruciata, silens et patiens sustinuit, vitam potius, quam obedientiam perdere parata; in omnibus enim, et per omnia a confessariis, parentum, et majorum nutibus pendens, mundi, et sui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit; et quod magis mirandum est, etiam vita functa, in cœnobio sanctæ Catharinæ, Luciæ præfectæ illius obedientiam præstitit. E

singulari veneratione erga parentes,

172 Sciens etiam Deo, parentibus, et magistris numquam reddi æquale, eximia prosequuta est genitores reverentia, pietate, et charitate. Labore manuum eorum inopiam levem reddebat, prudens, et providens in removendo quidquid eis ingratum, aut inquietum esse posset, in pacandis contentionibus, et sedandis animis mirifice discreta. Infirmæ eorum valetudini semper prompte et provide assistens, et ministrans visa fuit. Ad hoc per singulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat adinstar fortis illius mulieris, quæ de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis; debilis enim, languens, et sæpe ægrotans, ac orationibus, et aliis exercitiis detenta, aliarum artificum opera et celeritate et perfectione quam longe superabat. Nec prætereundum, quod in hac pietate erga parentes cursum vitæ suæ feliciter clausit : matrem enim prævidens pro sui obitus adventu summo mœrore afficiendam, Sponsum suum enixe precata, tantam divinarum consolationum sensibilem affluentiam ei obtinuit, ut postmodum jurejurando deposuerit, se in tam dilectæ Filiæ præmatura morte expertam fuisse cor suum nimis angustum, et incapax ad cælestia illa gaudia capessenda. F

sincero sui ipsius contemptu,

173 Humilis Virgo sibi videbatur nil agere, aut pati in Sponsi famulatu. Seipsam redarguebat

A bat supinæ ignaviæ, vociferabatur, se indignam communi aere, mirabatur, se vivam terræ hiatu nondum absorberi. Ad pedes confessariorum lachrymis plena singultiebat, minimos quosque defectus ita exaggerans, quasi atrocissimorum scelerum cumulatim rea foret. Publicas urbis, aut regionis calamitates suis imputab at demeritis, ægritudine creberrimas, et acutissimas acceptabat, et amabat, seu vindices, ac justa supplicia suæ in Deum perpetuæ ingratitudinis. Provocabat in se omnia mundi elementa ad vindicias injuriarum, quas eorum Creatori a se illatas querebatur. Credebat firmiter, et ita ab omnibus credi satagebat, omnium se creaturarum esse abjectissimam, et pestilentissimam, nævum execrabilem infelicis sæculi, orbis maculam, humani generis ultimum carcinoma. Hinc, si deprehenderet de virtutibus se tantillum commendari, cruciabatur misera, expallescebat, diffluebat lachrymis, dehiscebat illico se mergens in abyssum humilitatis. Accidit, quod e vicino ædium conclavi obiter audiret personas graves de Rosæ tamquam absentis mirabili vita honorifice, ac secreto confabulantes. Expavit, et contremuit, ex-
B anguis Virgo, angore, fletu, et mœrore contabuit, ac seipsam durissime objurgans, ter, quater illisit pugnum aculeatæ capitis sui coronæ. Fluxerunt sub velo sanguinis rivi, ut acrimonia doloris ingratissimum alienæ laudis obtunderet auditum. Familiaribus suis ingenue profitebatur humilis Rosa, plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennæ rogum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiorem, longeque deteriorem.

aliisque virtutibus illustravit,

174 Ducebatur inter hæc virtutum exercitia a Sponso tam ad exteriorem corporis, quam ad intimam spiritus solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, obsistentibus ex adverso importunis genitricis conatibus, quibus eam ad connubia terræ parare satagebat, ad quæ non solum verbis durioribus, sed etiam verberibus impellebatur. Sed vicit invictus Rosæ animus: prius enim Cantæ, ubi cum suis morabatur, per quadriennium semel tantum a matre jussa domo exivit: post exemplo suæ magistræ rigidiore inedia vultus venustatem imminuere, veste humili et despecta corporis agilitatem celare, hominumque prospectum, quoad poterat, declinare curavit.
C His sanctis artibus spes omnes nuptiarum elusit, non tamen quamcumque pugnam evasit. In statu enim vitæ deligendo diu, multumque luctandum fuit.

ac deinde tertium Ordinem S. Dominici,

175 Tandem obtinuit vigesimo ætatis anno, ut, consentiente matre, cooptaretur palam in filiam S. Dominici, assumpto S. Catharinæ Senensis habitu, quo candent Sorores tertii Ordinis vulgo de Pœnitentia. Eam namque severioris instituti S. Claræ primæ virgines monasterii Limensis in fundationis sodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimoniales postmodum S. Doctoris ecclesiæ Augustini illam jam domo ad hoc egressam præstolabantur sacro hoc amictu [induendam;] et nec frustra, ni ante aram beatissimæ Virginis sanctissimi Rosarii immobilem vi divina tamdiu detinuisset, quoad cœptum itineris propositum retractaret; unde cælitus admonita Ordinem Prædicatorum esse in sancta Ecclesia paradisum voluptatis divinæ, in quo ipsa velut Rosa cælestis ceteris ibi liliorum, et rosarum vernantibus plantis socianda, et inserenda erat, quod postea ex intimis præcordiis optans petebat, et voti compos facta, ante prædictam sibi summe gratissimam sanctissimi Rosarii aram, Alphonso Velasquez ejusdem Ordinis tunc a confessionibus ipsius virginis dante, anno Domini sexto supra millesimum et sexcentesimum in clara sancti Laurentii celebritate habitum suscepit.

A. LEONARDO HANSEN.

prius superatis quibusdam tum externis

176 Verum nec adhuc integra pax; suadebat enim postea quæstor Gundisalvus vir optimus, qui apud virginem Rosam sibi concreditam auctoritate, et domestico imperio plurimum valebat, reformatam excalceatarum virginum sacri Carmeli regulam in clauso cœnobio potius subire, quam inter postremas sancti Dominici tertiarias extra septa monasterii militare, se non tantum protectione, sed et opera et opibus adjumento futurum, pollicebatur. Theologorum scrutiniis in hac causa anceps sententia stetit, donec ipsa cælitus roborata constantissime status religiosi delectum non humanæ, sed divinæ inspirationis opus esse demonstravit, sibique vivendum usque ad extremum spiritum sub sanctæ Catharinæ Senensis magisterio, et tandem futurum tempus, quo ibi Limæ exsurgeret hujus nominis, et instituti monasterium, quod prophetico spiritu E
pronuntiatum fuisse, eventus ipse postea comprobavit.

tum internis impedimentis, amplexa est.

174 His omnibus superatis, ego gravior, quo intimior adhuc difficultas emersit: importune enim se ingerebat in humillima sui cognitione molesta cogitatio, quod ipsa peccatis sordida illo niveo, et sacro amictu nimis esset indigna; nec destitit pugna, donec ante ipsam sanctissimi Rosarii aram in placidissima ecstasi rapta, et pallens, et rubens, ac splendoribus fulgida apparens, et post sensibus reddita, in jubilum grati animi obtentæ victoriæ erupit. Tantæ molis erat pacifice seraphicæ suæ magistræ habitu, et instituto potiri, quam postea sic ad amussim expressit, ut non solum ab exteris altera Senensis Catharina non nisi magno humillimæ Virginis angore animi diceretur, sed et ipsi confessario in lineamentis, gestu, et vultu, sic in illam mirabili divini amoris metamorphosi commutata appareret, ut jam non similis, sed eadem prorsus esse videretur.

ANNOTATA.

F

a Indus *et* Ganges *sunt celeberrima flumina Indiæ Orientalis, ut passim notum est, et distinctius apud geographos obvios licet videre.*

b Æquator *est circulus quinque parallelorum maximus, qui globum in duas partes æquales dividit, æqualem utrimque versus polos mundi distantiam relinquens. Cum sol hunc attingit (quod bis evenit in anno) dies in toto terrarum orbe fiunt nocti æquales, unde* æquatoris *nomen ei inditum est. Nautæ æquatorem vulgo appellant* mediam lineam, *vel antonomastice* lineam, *quo sensu hic accipi videtur.*

c *Hoc loco designatur sanctus Gregorius Magnus et primus istius nominis Pontifex Romanus, qui explicans Euangelia lib. 2 homilia 36, sive in Parisiensi editione anni 1705, tomo* I *Operum suorum col. 1620 hæc habet:* Sed quis per hunc servum, qui a patrefamilias ad invitandum mittitur, nisi prædicatorum ordo designatur? *Nemo prophetice vel litteraliter hæc intelligat de Ordine Prædicatorum sive Dominicanorum, cui hic per figuram aptantur illa verba, cum sanctus iste Pontifex ibidem immediate addat sequentia:* De quo videlicet ordine,

quamvis

A. LEONARDO HANSEN.

quamvis adhuc indigni existimus, quamvis peccatorum nostrorum pondere gravamur, et nos tamen in istis diebus sumus, et cum de ædificatione vestra aliquid vobis loquor, hoc est, quod ago: servus enim sum summi Patris familias. Cum vos admoneo ad contemptum seculi, invitare vos venio ad cœnam Dei. *Unde patet, in hoc textu S. Gregorii generaliter de prædicatoribus Euangelii sive concionatoribus agi.*

d *Honorius Philoponus ex Ordine S. Benedicti, sicut superius ad caput decimum nonum Vitæ annotavi, multis argumentis contra alios Ordines religiosos contendit, quemdam Benedictinum cognomento Buil, natione Catalanum et antea abbatem Montis Serrati, primo cum duodecim Ordinis sui sociis in Americam trajecisse, ibique barbaris Euangelium prædicasse. Hic autem scriptor pro opinione sua allegat Thomam Bosium de signis veræ Ecclesiæ, et Gilbertum Genebrardum in Chronologia, aliosque auctores, quos curiosus lector apud ipsum pag. 25 et sequentibus citatos in fonte consulere poterit. Forsan hi competitores pro variis Americæ partibus* B *inter se conciliari possent. Sed non est nostrum lites illas componere vel dirimere.*

e *In Annotatis ad caput primum Vitæ monuimus, Pentescosten ab Italis* Rosarum pascha *dici; sed ibidem dubitavimus, an eadem phrasis apud Hispanos in usu sit. Hinc saltem una opinio nostra confirmatur; et altera dubitatio in eodem statu manet.*

f *Hic venerabilis antistes Limanus postea numero Sanctorum adscriptus est, ut in Annotatis ad proxime citatum Vitæ caput exposuimus.*

§ II. *Mira hujus Virginis desponsatio cum Christo, severiores corporis afflictationes, et tenera charitas erga Deum.*

Sancta post admirabilem visionem a

Oraculum illud divinum: SPONSABO TE MIHI IN FIDE *a* etiam cum hac dilecta, et electa Dei eximio privilegio impletum fuisse dignoscitur, ad quod eam per mirabiles favores C evehere dignatus est. Singularis fuit, quo Speciosus forma præ filiis hominum habitu marmorum cædendorum peritissimi artificis, festivus, et amans in somnis apparuit, ut virginem illic sponsam quæsiturus. Ubi Rosa in tanti connubii fœdus consensit, arduos ei cædendorum marmorum labores imposuit, et brevem terminum ad perficiendum opus, dum peregre rediret, indixit. Erubuit Virgo in sponsi reditu omnino impar suis viribus opificium adhuc infectum inveniri, cui dolenti reseravit ille amplam lapidariam officinam, in qua innumeræ electæ virgines cædendis, et poliendis marmoribus viriliter insudabant; sponsas esse ex nuptiali veste, et fulgore deprehendit, suarum lachrymarum stillicidiis saxa ad incisionem emollientes, et una cum illis consimili veste circumamicta novit, se ad tanti sponsalitii gradum per ardua præparari.

Christo desponsata

179 His igitur, et eo virginali candore nitens, ut numquam nec venialis impuritatis macula eam aspersam fuisse, omnes ejus a confessionibus jurati testes probaverint; apertius ad mysterium ventum est. Dominica erat palmarum, cum in ipso Rosarii sacello in sui nihili abysso D demersam sic affatus est: ROSA CORDIS MEI, TU MIHI SPONSA ESTO. Contremuit virgo ad dulces tam divini Sponsi voces, et simul audivit gratulantem sibi Deiparam, et dicentem: Eh Rosa, quali te dignatur honore meus hic Filius. Inæstimabiles divini amoris thesauri, et connubialia tanti Sponsi maxima in Rosa munera tam largiter depluerunt, ut ad ea imposterum occultanda humilioribus adhuc exercitiis continuo vacando, et de se abjectissime sentiendo, ac in omnibus sui contemptum sibi comparandum esse cognoverit, et reipsa opere compleverit.

crudeliter corpus suum

180 His donis aucta, et charismatibus cumulata ferventius Virago ista accinxit adhuc arctius fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum; deficientibus enim ad suæ fidei martyrium tyrannis, et tortoribus, se ipsa fortior, utriusque in se explevit ministerium. Saxa enim, et cruces, quibus parvula, usus flagellorum ignara, a Mariana ancilla, suarum mortificationum fere sola conscia, ad orationem, vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutavit, quas aptavit in flagra, quibus ad sancti E Dominici exemplum *b* singulis noctibus usque ad rivulorum sanguinis copiosam effusionem, vel pro ærumnis sanctæ Ecclesiæ, vel pro periclitantis regni, aut urbis Limensis necessitatibus, vel pro compensandis peccatorum injuriis, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda divina subsidia in extremo agone constitutis, cruentam se Deo victimam ad ejus justam iram avertendam offerebat, horrescentibus quandoque domesticis ad tam diros catenarum ictus, quarum usu interdicto, earum una sic triplicato ductu lumbos latenter diu præcinxit, ut numquam nisi maximorum cruciatuum ischiadis vi apparere potuerit, quæ postea nonnisi interveniente miraculo soluta fuit, cujus annulos post virginis obitum miram et peregrinam suaveolentiam spirare compertum est.

b

ac singula hujus membra cruciabat,

181 Nequa vero pars innocentis corpusculi vacaret a supplicio, pœnalibus vinculis brachia, et lacertos torquebat, urticarumque manipulis, ac minutulis sentibus pectus, axillas, ac latera arctabat, ut suo lilio inter spinas constituto omnino configuraretur hæc Rosa. Cilicii postea a collo infra genua protendentis asperitatem acubus F permixtis auxit, quo compluribus annis usa est, donec ob frequentem sanguinis vomitum exuere jussa fuit, cujus supplicii jacturam alia veste, minori valetudinis damno, sed non leviori molestia, compensavit: sub ea enim pœna erat ei quicumque motus; solæ plantæ ab his doloribus vacabant, quas tamen aut saxorum collisione, aut fornacis adustione a cruciatibus immunes esse non sinebat: et quod fere singulare est in divinarum consolationum affluentia, quibus solet sanctitas etiam in terris abundare, et piorum caro in Deum vivum jucundatur et exultat, ab eis corpus suum alienum, et jejunum esse cogebat. Memor ulterius, non decere sub Capite spinoso membrum delicatum inveniri, compuncta obtutu piæ imaginis muto præconio dicentis: ECCE HOMO, primam coronam capiti suo ex stanno peracutis claviculis infixit, et per aliquot annos non sine vulneribus cinxit, cui in majoribus annis successit secunda, nonaginta et novem aculeis armata, quam indies diversimode semper magis pœnalem arte familiaribus occultam reddebat, eamque nonnisi cum vita dimisit.

et orationis

182 Neque enim videbatur ei seraphicæ magistræ

A gistræ plene induisse habitum, nisi et spineam illius assumpsisset coronam. Hujus diadematis triplici actu * in sanctissimæ Triadis reverentiam dæmonum suggestiones illico fugare consueverat, satis instructa, tales spinas non violare, sed vallare has rosas. Strati sui duritiem eam esse voluit, quæ somnum magis abigeret, quam conciliaret, ita ut dormituræ idem esset lectulus et equuleus, cervical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc usum absconditi, quod cubile præacutis postea tegularum fragmentis, testarumque fractarum triquetris sic implevit, ut singularum pars mucronata obverteretur corpori : nec ante se ad somnum componebat, quam fellis haustu fauces amaricasset. Sic floridus erat hujus Sponsæ lectulus, et Sponso divino adeo gratus, ut eam quandoque propter hæc pene exanimem visibiliter apparens consolatus fuerit, proponendo ei duriorem et angustiorem suum lectulum Calvariæ. His artibus somnum suum intra duarum horarum angustias coercuit, et quandoque etiam minus spatii importuno exactori concessit : diurnum enim, nocturnumque tempus sic distribue-B bat, ut ex utroque duodecim integras horas orationi seponeret : alias decem labori manuum, quo parentes sustentaret, impendebat : reliquas duas brevi quieti somnoque deputabat, adversus cujus insidias clavum parieti infixerat, cui capillitium, quod ad tegendam coronam reservarat, strictissime implicabat, eoque tormento somnolentiam fugans, ad preces recitandas vigilias accrescere * consueverat.

* f. tactu

* f. accersere

ac solitudinis amans.

183 Æmulata sanctorum anachoretarum secessus, qui in eremi solitudine Christum Dominum receperunt, adhuc infans solitarios domi angulos quærebat, puellarum nugas fugiens, ut sola cum Deo suo delitesceret. Grandiuscula ex umbrosis arborum ramis oratoriolum cum altariolo construxit, illucque a mensa, et a lectulo surgens, ut ad orandi asylum properabat. Proverbium erat : Hortum adeas si Rosulam quæris. Domi in cubiculo sola in oratione pernoctabat. Exitus e domo pœnis etiam sibi, vel in pede saxo, vel in oculis mordacissimo pipere Indico, inflictis vitabat, tolerabilius judicans excæcari, quam vanitates sæculi prospicere. Pro arctiori recessu non sine magna lucta, et prævio C mirabili ostento Deiparæ et pueri Jesu in sanctissimi Rosarii sacello, tandem obtinuit a matre in extremo horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis, et quatuor latitudinis, ubi non solum manuum labori, sed potissimum collectioni spiritus, et contemplandi studio vacaret, tantum ibi solum inesse spatii gaudens, quantum sibi et Sponso cælesti sufficeret. In hac felici eremo ascensiones in corde suo disponebat, et supra se elevata videbatur potius extra corpus, quam in corpore degere.

piisque affectibus indulgens,

184 Sub specie stellæ, probatæ perfectionis matronæ in visu apparuit. Civitati enim regum c, qualis dicitur Lima, suum debebatur sydus, quod ad Christum Dominum regem regum dux esset. Divinitus prospectum fuit, ut ibi residens complures distantes Missas audiret, videretque non secus ac si corpore præsens fuisset. Innumeri culices hanc anachoreticam cellulam intrabant, nec tamen vel unus fuit, qui eam morderet, aut attingeret; esto etiam religiosas personas accedentes hostiliter invaderent. Hujusmodi bestiolas ad Dei laudes pro suo modulo personandas sic incitabat, et mirabiliter regebat, ut Rosa prope attigisse imperium statui innocentiæ reservatum, et in ea solitudine velut in paradiso morari crederetur. In hujus tugurioli recessu cum sola erat, aut a nemine se observari putabat, tenerius simul ac liberius prosa, versu, colloquiis, et cantu in solemnia quæque seraphici amoris et laudes erumpebat eo fervore et impetu, ut audientium corda ad charitatem et compunctionem ignara commoveret. Ex ipsa divini amoris ignita pharetra jaculatorias collegerat in formam precatiunculas, quæ legentibus placuere, et multis usu profuerunt. His interpellabat verum Deum, et Sponsum animæ suæ, lætitiam cordis sui, ac benignissimum Jesum amore illo perfectissimo, quo simul universi cives empyrei eum diligunt, se prosequi, et consumi toto corde protestabatur.

Ex impressis.

spiritualia dona Christo nascenti offerebat.

185 Adventante hujus sui dilecti in Bethleem natali, cum eum parvulum et nudum cum inope matre contemplaretur, piorum operum singularia ac pretiosa consutura dignas Amore infantulo vestes pluries præparabat : indusioli enim, panniculorum, temporis, quo delituerat, stragulæ, fasciæ, fimbriarum, et limborum, ac crepundiorum loco substituerat rosaria, stationes ad E sanctissimam Eucharistiam, jejunia, coronas Domini, orationes Dominicas, Salutationes angelicas, symboli apostolici recitationes, et plurium aliarum precum, flagellationes, lachrymas, interventus Missarum, et sanctissimæ Communionis sumptiones, quæ omnia frequentissime repetebat. Hisque sancti amoris exercitiis sic animam, et cor suum illi sacraverat, ut tota ipsius, veluti dilectisssima sponsa esset, et nihil sibi reservaret, quod Sponsus ejus omnino non possideret. In connubiali annulo, quem in tanti Sponsi mnemosynon cum ipsius infantis Jesu effigie elaborari mandaverat, fratri ejus, dum in eo delineando incumbit, quamvis tanti mysterii penitus ignaro, pro lemmate divino instinctu illa eadem Regis regum sponsalitia verba occurrerunt : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Annulus iste eam ab ipso Christo Domino vim supernam obtinuit, ut eum vir probatæ virtutis attrectans eximias divini amoris immissiones, excelsa lumina, et insuetos Spiritus sancti ardores usque ad animæ deliquium expertus fuerit corpore prorsus immobili, nec nisi annulo deposito potuerit surgere liber, qui sensibiliter in captivitate tam sanctæ nuptialis lætitiæ tenebatur. Quod si tantum F in aliena, quantum in ipsa Sponsæ anima divinæ illæ nuptiæ valuerunt!

Cum in contemplatione

186 Habitavit igitur hæc amantissima Domini confidenter, et quasi in thalamo tota die morabatur in eo : edocta enim in ipsa infantia interius ab ipso ferventer orare, etiam dormiens deprehensa fuit ore diurnas proferre preces, et cor ejus in oratione vigilare. Anno ætatis suæ duodecimo elevata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica theologia unitivum appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, ita ut nec in vigilia, nec in somno mentis ejus oculo cælestis Sponsi elaberetur præsentia, quæ ita suaviter occupabat interiores animæ illius vires, ut loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quæque necessaria expedite foris pertractaret.

per plures horas efixa hæreret,

187 Per horas immota ante aras, nec prætereuntes vidit, nec ad repentinos strepitus animum deflexit. A mane feriæ quintæ usque ad Sabbatum, quandoque etiam usque ad Dominicam, sic genibus flexis invariata mansit, ut nec e pavimento surgere potuisse, sincere jussa aperuerit.

EX IMPRESSIS. Attributa divina, distributa in numerum centum quinquaginta, per decades ad exemplum sanctissimi Rosarii recitando, dæmonibus terrori fuisse cognovit. Familiares ipsius sermones vim orationis ut plurimum continebant. A canora avicula excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, et in ecstasim rapta, ab ea nonnisi ad vesperam se explicuit. Ad orationis, et præcipue mentalis exercitium proximos allicere studebat. Confessarios exorabat, ut ad eam omni arte pœnitentes inducerent, ipsosque divini verbi præcones frequentissime hortabatur, ut ad ejus studium, veluti ad magnam adversus omnia peccata pharmacopœiam, suos auditores inflammarent, ac piarum meditationum usum populariter inveherent. Parthenici rosarii recitationem cum innexa decadatim mysteriorum consideratione, prout sanctus Dominicus instituerat *d*, singulariter diligebat, eo quod in ea coalescant mentalis et vocalis simul orationis affectus, petitiones, laudes, gratiarum actiones : et plurimis hæc Rosæ incitamenta profuisse, reipsa compertum fuit.

d

B 188 Prope obitum per Quadragesimam cum avicula mire canora, quæ sole occiduo ante suum cubiculum advolabat, alternavit Rosa cantica et laudes Dei quotidie per horam integram tanto ordine, ut, canente avicula, Virgo sileret, et, Virgine modulante, avicula attentissima * nec pipiret, quin et ipsas insensibiles plantas exemplo prorsus singulari ad laudes et ad orationem Dei, eo versiculo prolato, BENEDICITE UNIVERSA GERMINANTIA IN TERRA DOMINO, invitavit, et visibiliter sic inclinavit, ut arborum summitates terram attingerent, ac veluti solemni venerationis ritu Creatorem suum adorarent. Usque adeo verum est, quod is, qui adhæret Domino, unus spiritus est, et ei quoque obediunt omnia.

ac prodigiosa quædam patraret.

* *al.* attentissime

189 Ut probaretur, an spiritus ejus ex Deo esset, subtili virorum, tum doctrina, tum pietate et spirituum discretione excellentium, examini pluries subjecta fuit, ex quo claruit, ejus lumina et dona divina fuisse, et ab ipso rationis diluculo nihil ei dulcius occurrisse, quam de Deo cogitare, et supernis ejus beneplacitis inhiare; a duodecimo anno expeditissime introrsum ejus animam, a Domino cum suis spiritualibus potentiis attractam, divinæ pulchritudini inhæsisse, ut nulla re creata a charitate Christi umquam separari potuerit; ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propensiones sine passionum tumultu sensisse; a prima Dei notitia repletam fuisse timore Dei, et horrore peccati; nulla re creata potuisse recreari; totum suum levamen fuisse, sentire Deum in anima sua præsentem; acerbius omni jactura et gehenna ipsa videri ei, si vel ad momentum e conspectu eum perderet.

spiritus ejus seu methodus vivendi

C

190 Tum ex obedientia aperuit, quod certamen forte dedit illi Deus, ut vinceret, et sciret, quod potentior omnium est sapientia : horrendas enim visiones, pavores, et spiritus derelictiones, quas per quindecim annos summa constantia pertulit, enarravit, quæ veluti pœnales animarum in purgatorio lugentium dilationes, et quidem ipsius inferni typus videbantur, cum nulla ei spes evadendi affulgebat. Tunc patuit inter has derelictiones repente in ipso pristinæ unionis meridie, veluti in Sponsi brachiis, se deprehendisse restitutam, sensisse quoddam donum inexplicabile, solidum et fundamentale, quo videbatur sibi reddita impeccabilis, ut ille, qui dicebat : « Quis nos separabit » a charitate Christi? » Plerumque etiam post illas tenebras apparuisse ei humanitatem Christi Domini, necnon et sanctissimam virginem Deiparam, intellectuales etiam visiones, quibus in se præsentiam Dei experiebatur, per terminos remotionis, eminentiæ, et causalitatis, aliasque circumstantias explicavit; idque non a libris acceptum, sed Spiritu sancto interius docente assecutam fuisse, mirifice innotuit. Mortificationis etiam et pœnitentiæ exercitia, et in his non suo, sed confessariorum arbitratu modum constituisse, suarumque virium diffidentiam, fidei ardorem, spei securitatem, divini amoris incendia sic dilucide explicavit, ut sinceram ac tutam esse viam, qua hæc electa Dei Virgo incedebat, censores disparatis colloquiis, scrutiniis et censuris, unanimi spiritu, voto et sententia concluserint. D

per viros peritos examinatur,

191 Spiritu Dei agere, et agi Rosam, ut Dei filiam, fuit constans opinio omnium, qui tunc Limæ perfectionis et sanctimoniæ fama celebres erant, eamque dono sapientiæ abundare, et scientia cælitus infusa gubernari judicarunt : difficillimas enim de arcano sanctissimæ Trinitatis mysterio, hypostatica Verbi divini unione, sanctissimo Altaris sacramento, profundo prædestinationis abysso, natura gratiæ, ceterasque theologicas quæstiones sacrarum Litterarum professoribus proponentibus, tam sublimibus conceptibus, profundis sententiis, et verbis adeo propriis explicavit, ut laudarent omnes cum Servatore nostro Patrem omnipotentem, Dominum cæli et terræ, quod tanta, sapientibus ac prudentibus abscondita, humillimis parvulis et indoctis revelaret. E

et ab omnibus approbatur.

ANNOTATA.

a *Apud Oseam prophetam cap. 2 ℣. 20 leguntur hæc verba, quæ passim ab interpretibus sacræ Scripturæ explicantur de Catholica Ecclesia sponsa Christi, et hic ob spiritualem ejusdem desponsationis similitudinem* S. Rosæ *virgini Limanæ aptantur.*

b *In Actis S. Dominici ad diem quartam Augusti retulimus, hunc Sanctum consuevisse singulis noctibus ita corpus suum castigare.*

c *Lima ab Hispanis vulgo* Ciudad de los reyes, *id est,* Civitas regum *nominatur. Joachimus Brulius Augustinianus in Peruana sui Ordinis Historia lib. 6 cap. 1 agens de origine urbis Limanæ et gestis Pizarri ducis, rationem istius nominis exponit his verbis :* Civitatem regum appellavit in honorem Caroli V imperatoris, ejusque matris Joannæ, qui tunc simul Castiliam gubernabant : a quibus, rogante Pizarro, insignia novæ civitati sunt attributa tres coronæ et stella regum Magorum; duplex item aquila binæque columnæ cum epigraphe PLUS ULTRA, adjectis præterea duabus litteris I et K, quibus Joanna mater et Carolus imperator significaretur, omnia autem junctim indicarent, quod sicut reges Magi fidei nascentisque Ecclesiæ primitiæ fuerunt, ita Joanna Carolusque primordia darent ecclesiæ Peruanæ, patrocinium illius defensionemque suscipientes. *Deinde ibidem refellit opinionem eorum, qui aliam hujus appellationis causam assignant.* F

d *Quamvis hic Pontifex exordium Rosarii sancto Dominico tribuat, tamen aliqui pii doctique scriptores Catholici putant, hanc institutionem*

A *tionem antiquiorem vel recentiorem esse, sicut in Commentario prævio ad Acta S. Dominici § 19 et duobus sequentibus retulimus : nam Pontifices Romani pure historicas hujusmodi opiniones asserunt aut negant eadem fide, qua illas ab aliis acceperunt.*

§ III. *Familiaritas ejus cum Christo, Deipara, angelis, S. Catharina Senensi; certamina adversus dæmones, constantia in adversis, et ardens Dei amor.*

Sæpe familiariter huic Virgini

Conversatio hujus Virginis magis in cælis, quam in terris erat; et ubicumque sanctissimum nomen Jesu legendo occurrisset, tantisper immorabatur : inde enim amoris ignes in corde sentiebat; et ipse Jesus sæpe amanti Rosæ in paginæ planitie apparuit, eique suavi obtutu B abblandiebatur, ut verbum attenta lectione talis animæ dignissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei : sic etiam, cum occuparetur in telæ consutura, pulvillo ipsius sæpe quietissime insidebat, et ad cor hujus Dilectæ tacitis nutibus loquebatur, omnique gestu suum divinum protestabatur amorem. Frequentes et fere quotidianæ erant hujus sanctæ animæ deliciæ istæ, et interdum, moram faciente Sponso, querulis vocibus lamentabatur, donec veniret. Ludens cum eo, cujus guttur suavissimum est, obtinuit vincens curari a doloribus gutturis; perdens vero, iterum doloribus cum patientia donata fuit, quæ dum matri obediens narraret, visa est vultu angelico radiare.

Christus.

193 Illi jam languenti, et viribus deficienti omnique humano auxilio destitutæ occurrit idem ipse, qui est adjutor in opportunitatibus et tribulatione, et pretioso vulnerati lateris myrothecio eam, benigne applicatam ad hauriendam aquam salutis de fontibus Salvatoris, illico ægram sanavit *a*. Ab innocentibus virginibus visa est cum ipso Jesu sistere, quandoque etiam deambulare, et secretissima miscere colloquia tali cum majestate, ut, quocumque pedem fixisset C ille, pavimentum fulgenti lumine splenderet; utque talis rosa nulli alteri plantæ adhæreret, quam ei, qui est flos campi, et lilium convallium *b*, invenit basilicum, seu ozymum quem studiosius colebat reservatum ut plantam regiam ipsi Regi seculorum, siccum et eradicatum, cui de hoc dolenti ipse Christus apparens dixit, se suis manibus illum eradicasse et projecisse, ut ipse solus esset ejus verus basilicus. His ostendit verissimum, quod in ecstasi cuidam dixerat, id est, se Rosam gestare in intimo sui divini cordis penetrali, cum sciret vicissim in ejus virgineo corculo se solum tranquillissime inhabitare.

Deipara.

194 Adstitit etiam sæpe Regina cæli a dexteris ejus, ita ut ab undecimo ætatis suæ anno usque ad extremum non defuerit ei hoc pretiosum familiaritatis contubernium : in Rosariano enim sacello ex sedulo ministerio mutua cum illa erat ei conversatio, eoque honore hanc suam Famulam dignata est, ut cubiculariæ ipsi exhibuerit ministeria excitando eam illis vocibus : « Surge ad orationem, Filia, surge, nam instat » hora : » illique experrectæ se præbebat videndam facie ad faciem, majestate decoram, et gloriæ cælestis paradisum, exclamanti cum altera Elisabeth : « Unde hoc mihi, ut veniat ma» ter Domini mei ad me ? » *Ex impressis.*

angeli

195 Misit etiam Dominus angelum suum, qui præcederet Rosam, et visibiliter custodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat : fuit enim tam domestica fiducia hujus Virginis cum eo, ut habuerit illum non solum ut amicissimum, sed etiam ut pararium, aut veredarium, quotiescumque hora consueta Sponsus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus misit eum ad Mariam de Usategui, ut nuntiaret ei, se egere remedio, quod per famulum statim illa transmisit, vidente et agnoscente hoc a filia per obedientiam matre. Ab eodem etiam ab horti cellula, aperiente ipso seras portarum, ad genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Aliis etiam angelis mandavit Deus de illa : adstiterunt propter ejus preces cuidam religioso in periculoso itinere, donec iste in deterius mutatus fuit, cui cum ipsa virgine de hac derelictione conquerenti revelavit mysterium, et arcana singularia ipsi soli et Deo nota, et quæ a tan- E ta distantia solum ipso Domino, aut angelo revelante Virgini innotuisse potuerunt.

et S. Catharina Senensis apparuerunt.

196 Sæpe etiam, ex quo fuit ei a Christo Domino data in magistram sancta Catharina Senensis, hæc eam visibiliter conveniebat in terris, præsertim cum ejus regulam scrutaretur; adeoque crebra et amica fuit inter has virgines conversatio, ut ex vultu beatæ Catharinæ in faciem Rosæ transirent lumina, ita ut et vivens et defuncta per oris lineamenta hæc eam omnino repræsentaret *c*, præter innumeras delicias, favores, officia et virtutes, quibus ab ea ornata et aucta fuit.

Etiam Deus illam

197 Probavit Pater cælestis inter has spiritualis vitæ delicias hanc suam Electam, ut aurum in fornace, igne tentationum, afflictionum, persecutionum, et plurium ac gravium infirmitatum : luctabatur enim quam frequentissime cum æmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur, ex quibus sub tetra specie molossi unus eam orantem latratu horrisono terrere, et rabid morsu per solum illam raptans tentavit discerpere, donec clamavit ad Sponsum ; « Ne tradas » bestiis animas confitentes tibi. » Alias cola- F phum impegit, quandoque saxum rude in eam libravit, quod solo tenus Rosam, nec læsam, nec territam prostravit; libros ejus spirituales laceravit; sub gigantea mole alias hanc inexpugnabilem feminam, tremente cellula, corripuit, adeoque contorsit, ut ejus ossa comminuta, et nervi distracti viderentur.

a dæmonibus vexari.

198 Sed invictus Virginis animus insaniam hujus furentis hostis pluribus horis frustra certantis repressit et irrisit, donec victoriæ desperabundus evasit. Ad hortum oratura procedens in angelum lucis transformatum obvium blande habuit hunc antagonistam, quæ a nobili fuga victoriam mendicavit, cum de castitate certamen esset, arreptaque ferrea catena, acerbissimis ictibus nudas scapulas cruentavit, et inter sanguinis, lacrymarumque rivos conquerenti de absentia Sponsi, conspicuus ille ostendit, quod, nisi cum ea ipse fuisset, numquam victoriam reportasset. A primordiis pueritiæ spirituum discretionem obtinuerat, agnoscebatque, docente sua sancta magistra, quæ olim a Christo Domino hauserat, illustrationes a Deo esse, cum in anima sequitur humilitas, reverentiæ affectus, pro-

pri

EX IMPRESSIS.

* *forte* vilitatis

priæ utilitatis * cognitio, ordo, et unitas cordis, et gaudium in Deo; ex adverso his oppositas impressiones, timorem, divisi cordis confusionem, sui complacentiam, et inquietudinem redolere.

variisque adversitatibus

199 In ærumnis ab infantia fuit : nono enim mense ætatis suæ lacte destituta est, cujus defectus nonnisi cibo valde inepto compensari potuit. Vix fari cœperat, cum propter nominis controversiam virgis cædebatur ab avia, si Rosa, a matre, si Elisabeth vocata respondisset. Virginis hujus virtutes et mortificationes matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus castigandis non solum durissima verba, sed persæpe etiam sæva verbera adhibebat, præsertim cum rutilam cæsariem deprehensa fuit sibi præscidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici, quando ejus virtutes et cælestia dona innotuerunt, vano timore correpti, nec cum magno familiæ dedecore, ut de imposturis suspecta ad sacræ Inquisitionis tribunal raperetur. Accessit in cumulum tribulationis quorumdam confessariorum incredula vel oscitantia, vel ruditas, vel inscitia, dum ei co- B nabantur suadere, non esse rectum, aut tutum illud virtutis iter, vertigine vel alia noxia intemperie laborare, illusiones esse, quas ipsa illustrationes divinas credebat. Suadenti feminæ, precibus impetrare a sua seraphica magistra eripi ab his ærumnis, constanter renuit : pudebat enim Crucifixi Sponsam vel per momentum extra cruces reperiri, a quibus numquam vacavit; feriatam enim ab exteriori gravior occupabat interior, et cessanti foris persecutioni ægritudinum agmina succedebant.

et morbis affligi permitteret,

200 In Canta ex dira nervorum attractione per triennium lecto decubuit cruciatu intenso, gemitu nullo. Sæpe acutissima eam angina, asthma, permolesta ischias, pleuritis, stomachi, pericardii, et intestinorum dolores sine numero, et sine lege frequentes convulsiones invadebant, medicis ut plurimum stupentibus, quomodo in tam arido corpusculo vires esset ad perferenda, quæ prosternendo cuilibet robustissimo satis fuissent, Rosa optime penetrante, non tam intemperie, quam a benevola Sponsi manu hæc sibi agonalia festa provenire. Febres ephimeras, ac etiam reliquas contumaciores ipsa consuetudine C jam pene in jocum verterat. Chiragræ, podagræ et arthritidis morbi frequenter eam occupabant, quos cum invicta constantia toleravit. Hæc omnia inter illustriores a Deo sibi collatos favores recensebat. In sublimi enim et singulari mentis elevatione viderat Christum Dominnm dividentem lance ex cruce facta gratias et dona ad mensuram pœnarum, audivitque dicentem, sine pondere afflictionum ad gratiæ cumulos non perveniri, unicam veram scalam paradisi esse crucem, nec præter eam superesse aliam, per quam in cælum ascendatur.

tamen suscitabat in se

201 Languens et æstuans divini amoris ignibus, in nocte orans visa fuit ab alia virgine magnis luminibus coruscans, veluti igniculis per os oculosque evibratis, protestantibus, quantum incendium intus ferveret, quod alias pluries, ea inscia, coram diversis contigisse innotuit. Ceteras virtutes studiose celavit, magnam charitatis flammam tegere non valuit : ejus enim colloquia, salutationes et responsa continuo divini amoris memoria condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris gradatim compellabat, tum ignitis vocibus, tum pulsu citharæ, quem non didicerat, ut omni ritu, et gestu, actuque suo se Dilecto ostenderet aman- D tem. Eadem vi charitatis acta, ut vera sponsa, Domini zelavit honorem : irreverentiam enim ecclesiarum detestabatur, loquentes ibi otiose, humiliter et suaviter corripiebat. Domestici cavebant, ne coram ea ineptias proferrent; verebantur enim Rosæ adhuc parvulæ censorium supercilium. Immenso gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem insigni aliquo successu promoveri videbat, ut accidit in insigni peccatricis conversione. Eodem zelo precibus transtulit in se confessarii sui febrim, ut concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur; quo convalescente, torquebat Rosam febris non sua, nec tamen a sermone abesse voluit : febrilem enim ardorem facile superabat exæstuans divinæ gloriæ desiderium.

aliisque, ignem divini amoris,

202 Obsignavit hanc Dei amoris sollicitudinem Dilectæ suæ ipse Christus Dominus hoc insigni miraculo. Anno salutis MDCXVII, decimo septimo Calendas Maii, Rosa, vehementius amoris divini stimulis excitata, sonore et fervidissime venerabilem Salvatoris effigiem in oratorio quæstoris alloquebatur, cum statim totum vultum imaginis guttulæ sudoris operuerunt. Con- E vocati testes arte et doctrina celebres, qui, omnibus serio expensis, censuere, supernaturale esse, quod in icone gerebatur. Quatuor horis duravit pium ostentum, cunctis adstantibus admiratione et sancto horrore stupentibus; cujus sudoris vestigia per aliquot lustra conspicua mansere. Hoc esse tantummodo indicium, quam enixe cupiat Servator noster ab omnibus redamari, testata est ipsa virgo Rosa divini conscia secreti, timentibus domesticis, ne impendentis divinæ ultionis præsagium esset. Sudor ille brachio ipsius Rosæ ex confessarii imperio applicitus, quod antea solo collisum sic graviter læsum erat, ut chirurgorum judicio ex ea parte Virgo manca mansura esset, sanum et flexibile reddidit, stupente chirurgo, qui pridie censuerat omnem curam esse vanam, cum brachium omnino intractabile appareret.

quo præcipue ardebat,

203 Nondum pueriles annos excesserat, quando eam confessarii, spiritu jam grandem agnoscentes, manducandi frequenter Panem illum angelorum, qui præbet delicias regibus, facultatem dedere. Erat in ejus spiritu limpida mundities, nitida innocentiæ puritas, ac robustus devotio- F nis calor, et nihilominus cum tanto immaculatæ conscientiæ candore, quoties ad divinum Epulum accedendum erat, toties summe gemebunda et lachrymis perfusa sacramentalem confessionem præmittebat. Hanc sacerdotes communicaturi totam flammeam, et vultum ipsius cæiesti et vehementi splendore radiantem conspexere : quin et presbytero sacram Communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri clibanus, dum removebat pallium, ut divinam reciperet Hostiam; et vim erumpentis repentini ardoris adeo sentiebat pavidus sacerdos, ut sæpe manum retraxerit præ subito metu adustionis. Idem experiebatur in se minister sacrificantis, dum ex more scyphum ablutionis ei porrigebat, ut hoc etiam testimonio probaretur, hoc esse Sacramentum illud, quo Deus ipse venit ignem mittere in terram.

cum sacram Eucharistiam perciperet.

204 Jussa aperuit ex virginea Dei carne diffundi in anima sua mirabilem cælestis Agni mansuetudinem, vegetari spiritum suum inusitato robore, instaurari ac relici vires per quamdam veluti novam transformationem sui spiritus in

hoc

A hoc divinum alimentum : interea clarere in corde suo placidam altioris sphæræ serenitatem, pacem, temperiem, gaudii immensitatem ex arcta unione cum Sponso divino, fruitionis altitudinem, et spiritualem saporem veræ dulcedinis, quæ nulla prorsus comparatione explicabilia erant. Sacra Communione refecta, jejuna usque ad vesperam, subinde usque in sequentem diem, quandoque per octavam integram ea sola contenta ab omni alio cibo abstinuit. Veneratio ejus erga venerabile mysterium fuit adeo eximia, ut semel se accinxerit, videntibus aliis, ad subeundum martyrium, quod imminere rumor sparserat : defuitque tunc hostiæ martyrium, non hostia martyrio.

205 Summo etiam cultu prosequebatur sanctæ Crucis signum, ubicumque illud reperisset, ita ut ex plantis horti impressionem illius formaret, quarum una proreginæ dono data paulo post exaruit, Rosæ reddita post quatuor dies revixit, quod totum virtuti ejusdem sanctæ Crucis Virgo tribuit. Erga imagines beatissimæ Virginis miro fervebat devotionis affectu, et maxime circa eam, B quæ augustissimam rosarii Reginam exprimit, in cujus sacello habitum sui Ordinis suscipiens, ploranti matri visa fuit blando favore Deiparæ in cælum elevari. Fama erat Limæ, Rosam impetrare, quæcumque apud sanctam illam imaginem postularet. Tranquillitatem cujusdam communitatis, in qua invaluerat discordia, non sine lachrymis, et aliorum admiratione biduo orans obtinuit, plurimisque aliis ibi dignata fuit favoribus, alloquiis, et visionibus, quæ in examine obtemperans aperuit.

aut funderet preces,

206 Electa, ut aptior et dignior ad exornandum simulacrum sanctæ Catharinæ Senensis, quam ut matrem ex intimis præcordiis colebat, a lachrymis, osculis et alloquiis in eo obsequio non cessabat, et miro modo tantæ pecuniæ litterulas accepit, quantum ipsa pro veste ejus paulo ante optarat. Prædixit, præsignatam virgulam, nulla fœcunditatis nota tunc turgidam, in honorem sanctissimæ Trinitatis tres flores garyophyllorum producturam, quibus sacram imaginem condecoraret eo tempore, quo tali florum genere regio illa careret, quod frustra diu quæsitum fuerat; et oraculo correspondit eventus, mirantibus et diffidentiæ veniam petentibus sodalibus. C

quarum efficaciam Deus

207 Adjuverat eam in hoc munere Euphemia de Pareja, cujus famula Francisca sui infantis nutritia graviter ægrotabat. Rosa apud sanctam Catharinam precante, ista, depulso periculo, ita convaluit, ut postridie permissa fuerit a medico nutritias infanti, quas prohibita fuerat, præbere mamillas. Franciscæ quoque de Montoya ab eadem Sancta obtinuit, ut sulphuratum missilium ignium crepitaculum, quod vultum petiit, et [in] supercilium impegit, non noceret; esto adhuc resiliens valido ictu alterius feminæ vestes læserit et succenderit. Eadem Rosa anno Domini MDCXVI mense Augusti, cui post processionem delata fuerat imago devestienda, horrenda arthritide in dextera laborabat, quæ immani cruciatu invaserat articulos omnes, ita ut prædicto operi prorsus redderetur inutilis. Procubuit ante imaginem sanctæ Catharinæ in die B. Laurentii, et, brevi oratione peracta, accinxit se operi, mirantibus adstantibus, quæstore ipso vidente, manum paulo ante acerbissime læsam, tunc validam et agilem, medico ipso testante evidentiam miraculi; cui beneficio accessit, quod exinde numquam in posterum arthritis manum illam invasit : quod mirum non fuit ipsi Rosæ, quæ ab ipsa, ceu a matre, pene quotidiana ex mutuis consortiis solatia hauriebat.

diversis miraculis ostendit,

EX IMPRESSIS.

ANNOTATA.

a *In Vita S. Catharinæ Senensis apud nos tomo 3 Aprilis pag. 900 similis favor huic Virgini collatus narratur.*

b *Hæc verba sponsæ Canticorum 2 ℣. 1 ab Anselmo, Ruperto, aliisque sacræ Scripturæ interpretibus ad Christum transferuntur, ut apud Calmetum in explicatione hujus textus videre est.*

c *Veram et authenticam* S. Rosæ *Limanæ effigiem hactenus frustra quæsivi.*

§ IV. *Cura pro salute proximi, misericordia erga pauperes, spes in divino auxilio miraculis probata, et spiritus prophetiæ.* E

Zelata est etiam pro domo Dei salutem animarum : ipsa enim charitate, qua verum Christi Domini corpus, mysticum quoque diligebat. Quoties ad interiora meridionalis Americæ montana oculos vertebat, cruciabatur medullitus, illachrymans perditioni tot barbarorum, qui inaccessas illas post nivosa juga valles populabant. Sic etiam jugis planctus materies ei erant quæcumque aliæ infidelium nationes. Viros religios, et præsertim sui Ordinis Fratres, quotquot aptos noverat, ad gentilium conversionem hortabatur, et per Jesu Christi viscera obsecrabat, ut huic se operi accingerent. Unius ex suis confessariis missioni deputati animum ad maturandum opus inflammare studuit, et cum eo convenit, ut medietas omnium fructuum, quos interea ipsa et toto bonorum operum exercitio se cumulaturam sperabat, ei adscriberetur; et vicissim ille transcriberet ipsi Virgini fructus conversionis animarum, quas sua prædicatione in viam salutis erat attracturus. Hoc animo excogitavit, F inopem parvulum quasi in filium assumere, quem Christianæ vitæ rudimentis imbueret, et piis eleemosynis ad virtutes, et sacrarum litterarum plenam instructionem se evecturam sperabat eo pacto, ut is, idoneus factus et sacerdotio insignitus, ad apostolicas missiones pro conversione gentium properaret, ut, quod per se præstare non poterat, per alium suppleret; quod nisi immatura morte præventa fuisset, perfecisset. Pro periclitantibus Christianis, qui per culpam lethalem a statu divinæ amicitiæ infeliciter exciderant, nulli lachrymarum sumptui parcebat, et quotidie cruenta sibi vulnera infligebat, ut his vere miseris vitæ seria emendatio a Deo concederetur. Concionatores ipsos vehementer hortabatur, ut flagitiosas animas ab ima vitiorum charybdi *a*, ne perirent, ad securum pœnitentiæ littus toto conatu evocarent.

Hæc Virgo de conversione gentilium Indorum,

a

209 Divinitus edocta de pravo desiderio, quo Vincentius nomine juvenis, nobili genere oriundus, ad eam ficte accesserat, tanta cum charitate corripuit, ut fateretur, se agnoscere Christum Dominum in ea loquentem, et totus mutatus ab

resipiscentia malorum Christianorum

Ex impressis. ab illo, qui paulo ante fuerat, fretus et adjutus precibus ejusdem Virginis, juvenilibus desideriis et culpis vale faciens, sanctam vivendi rationem instituit. Prodigium erat, siqua persona cuicumque vitio obnoxia Rosam accederet, et melior ab ea non recederet. Mariam de Mesta impatienti, ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo jam sibimetipsi ex diuturna consuetudine factam intolerabilem, patientiæ ac mansuetudinis aphorismis sic instruxit, ut ab illa die emendatior ac mitior visa fuerit : eoque brevi in patientiæ gymnasio profecit, ut jam a Deo ultro plus adversitatis postularet. Religiosum cum mortis angoribus trepide ac periculose luctantem, urentibus scrupulis vexatum, sic juvit promissione suarum precum, et exhortatione, ac sponsione participationis suarum satisfactionum, ut confestim pavor lætæ spei locum cesserit, qui postea salutaribus sacramentis munitus ingenti salutis fiducia placidum et serenum spiritum reddidit Creatori, de cujus anima postea Rosa nuntiavit, cum ea feliciter ac benigne agi, jamque illam regioni lucis adscriptam frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio.

B

ærumnisque pauperum adeo erat solicita,

210 Ordinavit etiam Dominus in ea charitatem in corporalibus misericordiæ operibus, quibus proximos juvare studuit : nam inops hæc Virgo sibimet necessaria subtrahens dispersit, deditque pauperibus : ut enim occultæ cujusdam necessitati subveniret, octo dierum alimoniam solo pane et aqua contenta sibi pro egentis subsidio detraxit. Telam, a genitoribus ejus pro suis ægritudinum necessitatibus concessam, illico inter duas virgines virtute et genere nobiles, extreme tamen egenas, divisit. Dono dedit Montoyæ pauperrimæ virgini alterum ex palliis, quæ mater possidebat, prædicens ei, fore ut aliis novis loco veteris provideretur; quod mirabiliter re ipsa, ut Virgo prænuntiaverat, evenit. Divinitus admonita, Joannam de Bobadilla virginem nobilem, sed derelictam esse, quam vorax sub mamilla cancer torquebat, et tardante remedio exitium minabatur, domi recepit, menstruum locationis sumptum et medicaminum pretium ei providit, et post aliquot menses integre sanam restituit, hoc unum dolentem, quod non posset, obstante fide data, Virginis beneficium in grati animi obsequium, ea vivente, palam

C

referre. Nihil ei jucundius contingere poterat, quam si a matre permitteretur cujusque conditionis egenas, aut morbis afflictas mulieres paternis inferre ædibus, ut illic suis manibus assidue ministraret languentibus; quibus de quacumque re ad victum et medicamen necessaria exacte providere studuit. Inter has mendicas nulla erat tam intolerabilis aspectu, aut fœtore horribilis, quam Rosa dedignari, vel præ nausea aversari posset. Omnibus medelam, famulatum et curam afferebat.

ut omnibus succurrere conaretur.

211 Indignanti matri propter graveolentiam mucidi putoris, a Rosa in vestibus ex cura infirmæ contractam respondit : « Christi bonus odor » sumus, dum ministramus infirmis. Charitas » delicata non est, nec proximum fastidit. » Invicto animo vix imitabile suæ sanctæ magistræ exemplum *b* secuta in ædibus Isabellæ de Mexia nauseam stomachi heroico actu superavit. Noverat Joannes de Tineo Almanza, quæstorem Gundisalvum Rosæ precibus et meritis pluries a gravissimis infirmitatibus liberatum : ille ex cruciatibus stomachi periculose ægrotans obtinuit, ut Virgo ista post auditum sacrum decenter

b

associata eum inviseret; in cujus vultu majestatem angelicam intuitus, spem indubiam incolumitatis concepit, statimque omnis dolor evanuit : somnus, qui omnino diffugerat, blande corripuit infirmum. Citissime illa abscessit, ut plausum effugeret : iste vero sanus evigilavit. Usque ad bruta animalia clemens Rosæ suavitas, et tenera ostendebat et juvabat commiseratio. D

212 Tota hujus sanctæ Virginis spes in Deo erat, qui prævenerat eam in benedictionibus dulcedinis : hinc frequentissime decantabat Davidicum illud, sanctis Patribus et eremicolis familiare : « Deus in adjutorium meum intende, » Domine ad adjuvandum me festina. » Quæsivit sæpe horum verborum emphasim : sed nullus umquam profundiorem ei attulit explicationem ea, quam ipsa, intime Deo docente, in animo conceperat. Interrogata, cur unice hunc præ ceteris versiculis amaret, respondit, totum solatium seraphicæ suæ matris eo contineri, et singulas illius syllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentiæ succo turgere, nec suo palato aliud his propriis verbis sapidius posse occurrere. Cælitus data fuit ei fiduciæ certitudo assequendi tria maxima munera, æternam videlicet beatitudinem, perpetuam et numquam interpolandam Dei amicitiam, et infallibilem ex alto succursum in quibusvis tum necessitatibus, tum repentinis periculis. E

Præterea tantam conceperat fiduciam

213 Angebatur quondam innocens hæc anima, recogitans pavida formidine prædestinationis suæ arcanum omni animæ tremendum, quam Dominus ad adjuvandum festinus sic est affatus : « Filia ego neminem condemno, nisi volentem » condemnari : ex nunc tranquillo animo esto. » Alias in mentis excessu adfuit illi parvulus Jesus purissimæ Genitricis ulnis innixus, eamque blande alloquens jussit sparsas per solum rosas in sinuosæ vestis laciniam colligere; inde divinus Infans, una petita et gratanter accepta, subintulit : « Hæc Rosa tu es, hujus providam curam » mihi assumo; tu de reliquis, ut magis volue» ris, disponito. » His agnovit se teneri, in dextra Salvatoris, velut rosam electam, quam non raperet quisquam de manu ejus. De reliquis rosis subitaneum sertum contexens tremendo Jesu capiti imposuit, qui virgini arridens, eamque benedicens disparuit. Ceteris rosis indicari novit pias virgines Limenses, quas post suum obitum in novellum S. Catharinæ Senensis monasterium colligi oportebat. F

de divina providentia,

214 Eadem vi confidentiæ in Deum a prima ætate Rosa adversus quascumque mortalis vitæ difficultates et incommoda stetit impavida : cujus fidem, constantiam, et nutus visi sunt immanes tauri, in extremam aliunde rabiem exstimulati, revereri : nam adstupentibus, quotquot spectabant, ad invictæ Virginis conspectum eminus, et repente innocentibus parcere didicerunt. Cum enim esset duodecim annorum in quodam pago obvium habuit ferocissimum taurum illuc ruentem, et fugam meditantibus his, qui cum ea erant, fixis in cælum oculis dehortata est a fuga. Necdum verba finierat, cum ferox animal terrifico mugitu in alias procul personas impetum fecit, Rosa cum suo comitatu incolumi manente, quæ adhuc post periculum paventes socias monuit, sperandum firmius in adjutorium Altissimi, et tunc maxime cum periculi vicinitas omne effugium interclusit. Sic et alia vice taurus alter recta via in quadrigam, qua Rosa vehe-

ut eam sæpius in manifestis vitæ periculis

A vehebatur cum matre et aliis, cursum libravit: ceteris fugam tentantibus, sola Rosa, oculis in cælum jactis, prædixit, taurum usque ad rhedam non procursurum. Dixerat, et respondit eventus, stupentibus universis non tam reditum tauri, quam Virginis animum omni metu superiorem, quæ in summis periculis cælesti Sponso occinebat: « Non timebo mala, quoniam tu me» cum es. »

aliisque necessitatibus experta fuerit,

215 Minor non erat ejus fiducia in sperandis a divina providentia necessariis vitæ subsidiis. Defecerat olim in paternis ædibus numerosæ familiæ panis, nec erat, unde emerent. Illa brevi labiorum motu rem Deo commendavit, mox magna fide arcam panariam aperiens, plenam azymis ac saporosis panibus reperit, testante illorum figura peregrina, a domestico panificio non prodiisse. Pernecessarium in regionibus illis condimentum mel domi omnino defuerat: descendit ipsa in nomine Domini, secretissimo instinctu jussa optime sperare de Dei protectione, cupam invenit usque ad summitatem recenti melle plenam, tota domo stupente, eoque magis, quod B novo prodigio mel cælitus datum integris octo mensibus toti familiæ sat fuit in usum quotidianum. Infirmabatur Gaspar Flores, Virginis genitor, mœrens etiam ob quinquaginta librarum debitum, cui præ inopia solvendo non erat: tristabatur perplexa mater, importunitate creditoris augente angustias. Filia templum adit, preces fundit, eique domum redeunti vir plane ignotus occurrit, simulque involutum strophiolo argentum porrigit, et jubens præsentem parentum necessitatem illo sublevari, statim abscessit. Rosa involucrum explicante, ipsa librarum quinquagena, cujus pater debitor erat, apparuit; quod Gaspari narratum insomnium videbatur, donec Filia nummos, uti acceperat, adnumeravit. Hæc sunt subsidia, quæ Sponsus divinus parentibus ipsius sub specie cælestis Lapicidæ, huic novellæ Sponsæ inter paraphernalia, et antidora se ministraturum olim pollicitus erat.

et prædixerit multa futura,

216 Testimonio etiam Domini nostri Jesu Christi, quod est spiritus prophetiæ, fuit illustris; nam integro fere decennio ante fundationem, quandoque per symbola et figuras, alias manifeste et in proprio typo non solum fuit illi C divinitus demonstratum monasterium, quod Limæ sub S. Catharinæ Senensis patrocinio, numeroso sacrarum virginum collegio dicandum erat, sed etiam primam ibi futuram monialium præfectam, et cœnobii fundatricem Luciam Guerram a Daga ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, et osculo pacis quodammodo initiavit, dicens ei: « Euge mater ingenti suo te operi » Deus reservavit. » Ex Virginis spiritu hausit felix matrona divinos sensus, et religiosi status cæleste desiderium; sed obstabat superstes maritus, et numerosa familia, quos omnes paulo post Deus ab hac luce evocavit, necnon innumera et potentissima alia fundationis post obitum virginis impedimenta sustulit, durosque animos olim aversos ad favorem pii operis flexit. Quibus sublatis, Lucia amplissimis suis facultatibus cœnobium fundavit, dotavit, ac denique se ipsam dedit, cum sacro velo nomen sororis Luciæ de sanctissima Trinitate assumens, ac prima novelli sui asceterii præfecturam gessit, religionis spiritum mirifice propagavit, demumque sanctimoniæ fama celebris obdormivit in Domino.

217 Ipsa Maria Oliva Rosæ genitrix, quæ antea hoc ei vaticinanti Filiæ acerbe contradixerat, anno Domini MDCXXIX post mariti obitum in novello monasterio sexagenaria devote filiabus S. Patris Dominici aggregata fuit, et, assumpto cum habitu nomine Mariæ de S. Maria, emissa postmodum professione, optimo fine quievit. In quo etiam promissa Sponsi providentia affulsit: carente enim illa dote necessaria, unus ex reservatis ab ipsa fundatrice gratuitæ receptioni pro dignioribus, sed egenis personis locus ei obtigit, ceteraque omnia ad amussim etiam minima, ut S. virgo prædixerat, evenerunt Joannes Villalobos Societatis Jesu jurata fide testatus est, suo se experimento spiritum propheticum in ea deprehendisse, aperiente illi Virgine arcanum negotium, quod aliter ac cælitus innotuisse non poterat. Simillimum quid cum eadem Antonius a Vega, ejusdem Societatis vir integerrimus, sibi evenisse narravit. Secretam cogitationem, quam nulli umquam aperuerat, neque aperitura erat filia quæstoris, accurate ei Rosa recitavit, et saluberrima documenta præscripsit. Mariæ de Messa, uxori Medori Angelini pictoris, consilium, quod occultissime inierant, de E profectione in Hispanias commemoravit: summam pecuniariam, quam pro arbitratu constituerant, dixit ambobus sat esse, mirante muliere et attestante, plus a Virgine dici non potuisse, si in amborum colloquio tertia stetisset. Joanni Miguel Ordinis sancti Dominici Limam revertenti seriatim et exacte narravit ea, quæ illi in aliena regione acciderant, quæque humanitus non potuerant in Rosæ notitiam pervenisse; quin et abditissimas suæmet conscientiæ latebras Virgini patuisse evidenter agnovit. Plurima alia hujusmodi, ac etiam mirabiliora commemorantur hujus Sponsæ Christi vaticinia, quibus omnibus correspondebat eventus, comprobans in ejus anima plenitudinem gratiæ, non tantum sanctificantis, sed etiam gratis datæ Spiritum sanctum inhabitare.

Ex impressis. quorum veritatem eventus probavit.

ANNOTATA.

a Charybdis *est proprie gurges vorticosus in freto Siculo oppositus Scyllæ. Metaphorice propter similitudinem hic sumitur pro voragine spirituali, quo peccatores absorbentur, ut satis liquet.* F

b *Simile facinus heroicum S. Catharinæ Senensis in Actis ejus apud nos tomo 3 Aprilis pag. 892 et sequente legitur.*

§ V. *Ultimus Sanctæ morbus, pia mors, et honorificæ exsequiæ.*

Præscia mortis imminentis.

Præscia diei, quo ad Sponsi thalamum properare ex hac lacrymarum valle debebat, (quod matri celare nequivit) quotannis festum D. Bartholomæi apostoli, quod erat terminus suæ mortali peregrinationi constitutus *a*, singulari devotionis studio colebat, et in ejus pervigilio, suo non contenta jejunio, aliquos innocentes pueros, ut secum jejunarent adduxit, in eo etiam post ejus obitum perseverantes, eo quod sic a Rosa instituti fuissent. Triennio ante discessum gravi morbo decubuit, ut jam extremo funeri matura et deficiens cum a confessario,

EX IMPRESSIS. sario, ac domesticis collachrymaretur, quem intrepida jussit intempestivum abigere mœrorem, et certum esse, tunc se non morituram; quo dicto innotuit, sui transitus terminum divina revelatione compertum habuisse. Quin et quatuor ante obitum mensibus quæstoris Gundisalvi uxori atrocissimos suæ extremæ infirmitatis dolores futuros narravit, et immanissimam ei atque ardentissimam sitim instare prænuntiavit. Locum etiam integro anno antea eidem matronæ prædixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum persolvit, rogans, ne alteri feminæ præter ipsam, et genitricem suam corpusculum vestiendum, et feretro imponendum committeret.

incidit in morbum ignotum

219 Triduo ante suum extremum decubitum cellam hortensem adiit, et cygni more exorsa modulos decantando commendabat Deo, et sancto Dominico genitricem suam, quam desolatam relinquebat. Credidit mater audiens lusus esse metricos, sed Calendis Augusti prophetice ea prænuntiata fuisse cognovit : sub noctis enim medium audita fuit misere ejulare, et corpusculo super solum extenso, rigentibus membris inventa. Rogata, velletne medicum, respondit : B Cælestem. Frigidus stagnabat sudor, et in omnibus membris, et juncturis arctabatur doloribus et pœnis, quas olim ei Sponsus in visione ostenderat futuras multo graviores ceteris omnibus, quas in vita pertulerat. Jussa semel a confessario, alias a matre, enarrare suos dolores, licet omnium fere ægritudinum vim, et nomina per experientiam cognovisset, hunc tamen non nisi per similitudines candentis ferri tempora adigentis, et pugionis igniti a sinistro latere meditullium corporis transverberantis, in quo Crucifixi erat expressio, et candentis galeæ caput includentis, explicare non potuit, simulque singulos nervos, juncturas, ossa, ac medullas contundi, resolvi, et aruisse dixit, ac denique non habere nomen, nec nosse tormentum, cui eos compararet.

et doloribus acerbissimum,

220 Aperuit insuper confessario, frustra medicos in exploranda hujus infirmitatis specie laborare, quam nec pulsus, nec aliud extrinsecum signum indicaret, ac proinde non alia, quam immedicabilis Jobi patientia sibi opus esse, ut quoquomodo singulos Crucifixi sponsi sui dolores membratim experiretur. Rogavit, et obtinuit per C aliquot dies solitariam quietem et silentium, ut intimius suos dolores intingeret extremis cruciatibus crucifixi Amoris, cui se membratim confixam in cruce sentiebat. Augebantur in dies hujusmodi supplicia, ut mirum fuerit, eam tam potenti, varia et cumulata dolorum caterva citius deficiendo non succubuisse; sed paulatim resolvebatur, quia gloriosissimum martyrii genus ei erat lente et articulatim mori. Certa enim erat, has pœnas æternæ gloriæ pondus in ipsa operaturas; sciebat hunc esse calicem, quem Sponsus biberat, et ipsi, ut sponsæ miscuerat, ac tamdiu ante ei præmonstraverat : unde constanter et jucunde, velut e manu Christi Domini porrectum totum ebibit. Blanda et devotissima cum Dilecto miscebat colloquia, tantumque cum domesticis Dominum rogavit, ne dolores ei mentis liberum usum impedirent. Sitis immanissima præ ceteris, ut prædixerat, intime eam cruciabat, nec aquæ potus sitienti dabatur, obsistente medicorum præscripto; unde pœnaliter arescenti Virgini hoc etiam cum moriente Sponso tolerandum superfuit clamare : SITIO.

221 Propius accedente acceptabili tempore, quo Rosa ista e terris in Sponsi paradisum, depositis mortalitatis exuviis, transferenda erat, D pluries advocatis confessariis, tenerrimam conscientiam, et semel generaliter de tota vita exomologesi purgavit, semper cum pœnitudinis singultibus et lacrymis, ita ut compuncti audientes mirarentur in sævissimis cruciatibus non flentem, levissimas imperfectiones tam alte deflere. Triduo ante felicem obitum supplex voce flebili divinum Viaticum, et extremam petiit Unctionem : delato Eucharistico epulo instar coruscantis auroræ gratiose rubuit, et gaudio suo impar in altissimam ecstasim rapta fuit. Sacerdoti tamen sanctissimam Hostiam porrigenti, et de more roganti apte et expedite respondit. Sic et alacri omnium sensuum officio Oleum infirmorum moribunda accepit, quo potius ad triumphum, quam ad agonem sensit se animari.

cujus intervallo se piissime

ad mortem præparavit.

222 Sæpius etiam coram adstantibus voce clara orthodoxæ fidei professionem emisit, protestans, se, ut vixerat, ita mori sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ filiam. Sacrum sui Ordinis scapulare, ut proprium suæ religiosæ militiæ vexillum, quo Deipara virgo nascentem Prædicatorem Ordinem insigniverat, expansum su- E per stragulas videre voluit. Invisente eam Priore Dominicani cœnobii Limæ, cui per quinquennium alias suæ conscientiæ latebras aperuerat, humilibus precibus ab eo obtinuit perlegi * formulam exactam, qua jam moriens veniam a Deo exoraret pro omnibus, qui eam quocumque modo in suæ vitæ decursu læsissent, cujus verba voce sequebatur Virgo Crucifixum stringens, nec satiari poterat illis tenerrimis vocibus : « Pater » ignosce illis. » Anima vere tanto Sponso digna, quæ, ut esset plene cruciformis, divinum in cruce Agnum pro suis adversariis extreme deprecantem est imitata!

* al. prælegi

et post monita quædam adstantibus data

223 A domesticis quæstoris Gundisalvi voce humili et flebili oravit condonari, si qua in re ulli umquam nocuerat, lachrymantibus omnibus, qui ejus innocentiam et puritatem tot experimentis comprobaverant. Oblato chirographo, in quo sepulchrum apud suos religiosos postulabat, cum omni animi submissione, nihil minus, quam de sui corporis cura solicita, subscripsit. Sponsum rogabat, ne cessaret eam exquisitis ardoribus excoquere, donec ei maturesceret in fructum, qui ejus mensæ inferri me- F reretur. Sub hoc fine vitæ crebriora fuere raptuum dulcissima intervalla, in quibus excelsa et jucunda de suavitate Dei, ac læta de regione æternitatis libamina prægustasse innotuit. Ultimam utriusque parentis benedictionem summe exoptavit, eamque venerabunda recepit : sic et a quæstore Gundisalvo, ejusque uxore, quos veluti parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germanis suis fratribus inter salutaria monimenta, parentum curam et reverentiam serio commendavit, acsi diceret, unicumque illorum ad imitationem Crucifixi : ECCE MATER TUA. Ambas etiam quæstoris filias ob innocentiam ab ea summe dilectas, ad virtutes, et præcipue genitorum amorem et venerationem hortata est; reliquosque domesticos officii, ac Christianæ pietatis admonuit, ut jam non femina, sed apostolus prædicare videretur.

placide Creatori reddidit animam

224 A Joanne de Lorenzana postremo ejus confessario paranti se in nocte pervigilii S. Bartholomæi ad matutinarum officium accedere, sciens sibi non superesse amplius, nisi quatuor horas, supremam benedictionem ex corde efflagitavit,

gitavit,

A gitavit, monens ea ipsa nocte, ineunte festivitate *b* se ad festa sempiterna abituram. Quod vultu adeo sereno et læto protulit, ut appareret vere Virgo prudens et sapiens, in vestibulo paradisi exspectans cum lampade, ut dilectus ejus Sponsus veniret, cujus in intimo cordis vocantis vocem sentiens, candelam benedictam nutu petens, crucis signaculo frontem, os et pectus communivit, mandavitque subtrahi cervical, ut capite ad nudum lignum inclinato sentiret in cruce se mori. Spiritum denique suum in manus Patris commendans fixis in cælum oculis, ut cum Sponso intraret pronuntians JESUS JESUS JESUS MECUM SIT; quietissime exspiravit. Hæc verba, quemadmodum illi fuerant in infantia prima orandi formula, ita his ipsis in suæ infantilis innocentiæ testimonium decedens, Limæ ad limen supernæ patriæ evolavit, anno ætatis suæ trigesimo secundo, mense quinto vix inchoato.

Tanta populi multitudo concurrit

225 Virgineum Rosæ cadaver cum spirare desiisset, adhuc ex vivido vultus colore, et rubentibus labiis respirans credebatur, donec innotuit haud amplius inesse halitum ex applicito ori ejus B speculo, cujus sicut fuit hic ultimus usus, sic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes invasit arcanus lætitiæ sensus, ut mater ipsa aptans cadaver (sicut ei vivens Filia obtinuerat) et tota domus hilariter non exsequiis defunctæ, sed nuptiali gaudio interesse viderentur. Sic etiam extraneis, quotquot aderant, intime et secrete inhæsit jucunditatis stimulus. Mendicorum tantummodo Limensium ejulatibus et lacrymis publicis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turba, veram pauperum nutricem et matrem fato acerbissimo immature sibi ereptam fuisse.

ad incorruptum Sanctæ cadaver.

226 Visa fuit angelorum numerosa caterva, et ante obitum circa grabatum decumbentis, et post circa feretrum defunctæ, alternante concentu festive tripudiare. Quæstoris conjux aulam, in qua exposuerant Virginis corpus, undique luminoso illapsu cælestis gloriæ totam micare conspexit. Sic implebatur, quod Christus Dominus futurum esse revelaverat, mortem scilicet Rosæ et sepulturam ejus fore gloriosam. Devotæ feminæ sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices exultabant protestantes, non næniis, sed festis ibi locum esse debere. Mirabili consensu, et occul- C to instinctu maxima hominum multitudo, clarescente jam die, implevit quæstoris palatium. Confessarii coram feretro in voces jubilationis et benedictionum eruperunt, testantes cunctis, baptismalem gratiam nulla umquam lethali noxa ab ea interpunctam fuisse, sed immaculatam totius vitæ innocentiam, et virginei candoris infantilem puritatem cælo ad sequendum Agnum, quocumque ierit, intulisse.

celebratisque exsequiis, ad ejus tumulum.

227 Ad exsequias, vulgata jam fama, innumerabilis utriusque conditionis hominum multitudo convenit, et pia variorum titulorum sodalitia sponte, et religiosorum mendicantium Ordines processere; mox et metropolitanum collegium, et regius senatus cum omnibus magistratibus. Sacrum corpus deferebant insueto honore ecclesiæ cathedralis canonici, succedentibus in hoc munere certatim religionum superioribus. Ad Ecclesiæ valvas visus est vultus Virginis vividiori et venustiore colore rutilare, ut etiam de hac dictum a Christo Domino appareret: « Non » est mortua puella, sed dormit » Visum est etiam a plurimis simulacrum Deiparæ sanctissimi rosarii luce et splendoribus coruscare. Quo evulgato, plures alii advenientes prodigium non EX IMPRESSIS. solum eminus, sed etiam cominus sic se habere conspexerunt. Certatim omnis ætas et sexus coronis, rosariis et quacumque re devota, quæ ad manus fuisset, sacrum corpus contingere suppliciter conabatur.

ut locus sepulturæ postea murari debuerit.

228 Resonabat undequaque ecclesia valde ampla continuis vocibus Rosam BEATAM et SANCTAM acclamantibus, donec sepulturæ pretiosum depositum mandatum fuit. Post quæ, crescente devota populi frequentia ob eximia curationum beneficia, quæ in dies crebrescebant, solemniores exsequiæ celebratæ fuerunt, quibus prorex, et major multitudo interfuit festivis applausibus et publicæ lætitiæ signis, tam incolis, quam advenis novæ cælorum Civi acclamantibus. Paulo post, instantissime postulantibus primatibus civitatis, sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum, decreto archiepiscopi Limensis extractum, inventum fuit corruptioni non subjacuisse, et æque ex eo cælestem illum odorem prodire, quemadmodum, quando primo repositum fuit. In hac celebritate nemo erat, quem sub virginei cadaveris præsentia, recens gestorum E memoria medullitus non compungeret: multis lacrymæ devotionis fluebant: nomen ipsum Rosæ ab omnibus aperto reverentiæ signo recipiebatur. Depositum fuit decentissime corpus a dextera aræ majoris, verum ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus sacris exuviis collocandis eligendus fuit, ipsum videlicet sanctæ Catharinæ Senensis sacellum. Debebatur enim tam simili Filiæ sinus seraphicæ suæ matris ad quietem.

ANNOTATA.

a *Igitur* S. Rosa *præscivit, se festo S. Bartholomæi morituram esse, cum illud quotannis tamquam ultimum vitæ suæ terminum singulari pietate celebraret.*

b *Hinc confirmatur, post mediam noctem, ineunte ipsa S. Bartholomæi festivitate, Sanctam ad superos migrasse. Sed hinc nondum scimus, utrum die 24 Augusti an sequente obierit ob rationem, quam superius in Annotatis allegavimus.*

F

§ VI. *Multa spiritualia et corporalia beneficia post obitum hujus sanctæ Virginis per intercessionem ejus præstita.*

Patrocinio hujus Sanctæ jam defunctæ

Interea Limam pervenere litteræ hujus sanctæ Sedis apostolicæ, ut ex formula a congregatione Rituum præscripta examinarentur testes de vita et gestis hujus Ancillæ Dei; quod cœptum anno Domini MDCXXX, ob multitudinem testium, qui fuere numero centum octoginta tres, non potuit absolvi, nisi in mense Maio anno MDCXXXII. Fuere pro visitatione reliquiarum Rosæ de more deputati inspectores, qui, aperta arca lignea, repererunt virgineum corpusculum post quintum decimum expletum ab obitu annum, consumptis indumentis, ossibus integris et adhuc sicca hinc inde carne obductis, quæ odorem rosarum exhalabant.

Ex impressis. *multi tepidi ad fervorem,*

230 Maximis signis ostendere voluit omnipotens Deus, quam sublimem gloriæ gradum in cælis obtineat Rosa, quorum illa celeberrima, et crebra fuere, quæ cæli terræque creationem excedunt, conversiones scilicet peccatorum, quæ, a Deo precibus hujus Virginis obtentæ, insignes fuerunt : ad solum enim virginei corpusculi contactum in feretro quam plurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuere perculsi, ut statim elatis vocibus detestati fuerint sua scelera, prorumpentes in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante et mirante maxima circumstantium turba. Mater Virginis Maria de Oliva coram judicibus recensuit, post exsequias Filiæ complures ad se devotas accessisse personas, etiam religiosas antea ignotas, liberali subsidio suam egestatem sublevantes, et profitentes, se tributa pendere virgini Rosæ, cujus intercessionibus vitæ suæ optimam mutationem debere sciebant.

et peccatores ad pœnitentiam,

231 Bartholomæus Martinez quondam hujus Virginis confessarius ex certa scientia aperuit in judicio, quemdam profligatæ vitæ hominem, B longissima annorum serie sacrilege frequentantem sacramenta, Rosæ jam tumulatæ precibus commendatum fuisse, et mox, illum sensisse divinæ gratiæ motionem, qua cor ejus liquescens generalem totius vitæ exomologesim amarissime perfecit, et adeo conscientiam ejus timor Domini pervasit, ut postmodum quoscumque defectus, tamquam pergrandes excessus, eluere festinaret. Constat etiam, duas probrosæ vitæ peccatrices, ad Rosæ hujus odoriferam famam compunctas, jugum impuritatis feliciter excussisse, et in calle virtutis constanter fixisse pedem. Limenses et alii in universa Peruana regione sacramentalis pœnitentiæ ministri, communicatis indiciis, generatim stupuere de tanta mutatione morum in populo a die, qua Rosa in Sponsi sui paradiso recepta fuit : nam certatim feminæ, abjecto vestium luxu, simplicioris modestiæ habitum ubique sumpserunt; regularium claustra cruentis flagellorum ictibus undique pœnitentiam resonabant. Fuitque tam publice notum hoc prodigium, ut in tribunali jurejurando assertum fuerit, a tempore, quo Peruvia nostris detecta fuit, nullum umquam ibi claruisse concionatorem, qui C tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, et tam universalem pœnitentiæ spiritum, et devotionis incendium excitarit, ut Rosa suis aspectibus, contactibus et precibus.

aliique ad miram animi mutationem excitati sunt. * *forte* implacato

232 Francisco et Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuata mulier opulenta, sed animo implacabiliter in cognatos quamvis pauperrimos adversos et implicato *, quorum primus alebat suis impensis sex consobrinas et duos consobrinos, omnes in parva ætate constitutos. Impendebat utrique necessitas proficiscendi et relinquendi parvulos in summa egestate. Franciscus sacerdos erat : Rosæ patrocinium implorat : postridie matertera illum accersit, quem toto decem et octo annorum spatio videre abnuerat; consobrinos calamitosos jubet adducere, et advocato notario, rescisso priori inofficioso testamento, gratificato Francisco, instituit parvulos consobrinos ex asse hæredes, et Rosæ debitæ grates persolvuntur.

Ludovica Barba audierat a confessario, Rosam vaticinatam fuisse, se assecuturam habitum religiosum sancti Dominici, quem ipsa horrescebat. Diu parvifecit dictum Virginis, imo aversabatur eventum hujus oraculi. Tandem cælestis religiosæ vitæ inspiratio eam invasit, Rosæ sepul- D chrum adiit, ei causam supplex commendat, repente illius cordi ignitum sacri habitus Dominicani desiderium immittitur, in numerum Sororum tertiariarum adscribitur, divinis solatiis repletur, hoc unum dolens, quod tamdiu corde obstinato tantam felicitatem respuisset.

Ludovica de Mandoza encomia sanctitatis hujus Virginis nec credere, nec concipere esse vera poterat, aut volebat. Repentino angore correpta in manibus, et pedibus summe dolens, sensit, spiritum suum caligine et pavore concuti. Evidenter agnovit, ab unica sua incredulitate hæc provenire : supplex protestatur, se credere; et toto corde fateri, quod Rosa vere sancta sit; et repente conquievit tempestas, et sensit recedere atroces illos paroxysmos.

233 Præter prædicta spiritualia beneficia, multa alia et insignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus sanctitas et merita hujus Virginis satis superque comprobata sunt : ex processibus enim authoritate apostolica confectis, et formiter a sacra congregatione Rituum discussis, referente dilecto filio nostro E Decio Cardinali Azzolino *a* hujus causæ ponente, non solum constat de fama sanctitatis, et virtutibus theologalibus, et cardinalibus cum annexis in gradu horoico, sed præterea ex concludentibus probationibus tamquam rite et recte admissa fuere sequentia miracula. *Præterea plurimi* *a*

Maria Sanchez, alias de Jesu, novennis puella quæ cum sexennis esset, fortuito in terram prolapsa, ita nervis et ossibus offensa fuit, ut contractis cruribus, eorumque sensu deperdito, omni prorsus standi et ambulandi potentia deperdita, continuo immobilis affixa lectulo per triennium, crescente ætate, magis viribus destituebatur. Frustratis omnibus adhibitis naturalibus remediis, ejus parentes humili corde voverunt, eam in sepulchro prædictæ Virginis ad obtinendam ei salutem per novenam ponere; et in ultima novenarii die, dum votum persolverant, infantula supra sepulchrum statim in pedos surrexit, cunctis admirantibus, tam expedite deambulans, acsi numquam hujusmodi læsionem passa fuisset.

234 Isabelliæ Duran apoplexia in paralysim terminata brachium exsiccarat, omnemque illius usum a quinque circiter mensibus cruciabiliter ademerat; quod ad inutile pondus et continuos tantummodo dolores gestabatur ab humero prædensis fasciis obvolutum. Applicavit illud corpusculo Rosæ jamjam tumulando : mox fascias explicuit, palam clamitans, integerrime se curatam, publiceque in miraculi fidem robuste jactavit brachium gestu motuque expeditissimo, acsi numquam languisset. *diversis morbis afflicti,* F

Æthiopi cuidam servo Didaci de Ayala ex nervorum attractione et tenaci plica, brachium dextrum ac manus a pluribus annis denegebant officium. Itaque ad famam defunctæ Rosæ cum reliqua turba penetravit in ecclesiam divi * Dominici, commendavit se sanctæ Virgini, exporrexit illico sanatum brachium, illudque in sublime elatum magnis vocibus ostentavit multitudini circumfusæ. Qui servum familiarius noverant, accessere propius gratulabundi, nec dedignati, osculis fatigare manum beneficio Rosæ jam patulam et redivivam. * *al.* beati

235 Magdalena Chimisso nobilis Inda (utpote de stirpe regulorum Chincensium) ab umbilico deorsum corporis attractione, ariditate crurum, *implorato ejus auxilio.*

A rum et pedum misere per plures languebat annos, et non nisi in aliorum manibus huc et illuc poterat deferri. Omnibus frustra adhibitis medicamentis, in illo deploratæ salutis statu cor erexit ad superna, devote se commendavit dictæ Virgini, et ejus vestium allatis particulis tetigit partes læsas, atque in instanti perfectam recuperavit salutem, omnibusque admirantibus, propriis pedibus adiit immediate Prædicatorum ecclesiam, ibique publicas gratias dictæ Virgini reddidit. Maria de Vera dysenteria, febri maligna, dolore stomachi, et lethali vomitu per octo dies laborabat in extremis. Susceptis Ecclesiæ sacramentis, se commendavit prædictæ Rosæ intercessioni, cujus amplexa est imaginem, et statim sana visa est cum totali virium recuperatione, atque e lecto exsiliens illico altare ornavit, ibique apposuit imaginem, et ob recuperatam sanitatem gratias egit.

mirabiliter sanitatem recuperarunt, b

236 His igitur et plurimis aliis signis coruscante per orbem Rosæ sanctitate, ejus exigentibus meritis, felicis recordationis Clemens Papa nonus *b* prædecessor noster indulsit, ut hæc Dei Serva ubique terrarum Beatæ nomine nuncupa B retur, et, celebrata solemni ritu ejus beatificatione, eam civitatis Limæ et totius regni Peruani principaliorem patronam authoritate apostolica decrevit et declaravit, ejusque festum ab omnibus illic degentibus de præcepto servari mandavit, et ejus nomen apponi in Martyrologio Romano *c*. Nos quoque videntes eam ubique omnium populorum solemni plausu devotissime honoratam, hujusmodi patronatum pro omnibus provinciis, regnis, insulis et regionibus terræ firmæ totius Americæ, atque Philippinarum, et Indiarum fecimus extensum, formatisque auctoritate apostolica processibus de his, quæ supervenerant, eorumque validitate approbata, et percrebrescentibus venerationis et devotionis populorum piis affectibus, et novis ostensis et miraculis accedentibus *, ex quibus post maturam discussionem quatuor admissa fuere; duo scilicet ex processu Suessano *d*, et duo alia ex processu Panormitano *e*.

** aliquid deest.*

ut post severum examen f

237 Primum. In persona Joannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præservati: hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei, progressa in exquisitum marasmum *f* C cum ulcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac rosione gutturis pariter ulcerati, quibus accesserat febris putrida et maligna; unde æger, susceptis Ecclesiæ sacramentis, ad extremum vitæ fugientis agonem perductus jacuit sine motu, cessavit arteriarum pulsus, et consona trium medicorum voce jam in faucibus mortis hærere * conclamabatur: sed implorato beatæ Rosæ potente auxilio, modicum pulveris e sepulchro ejusdem Beatæ hausit e cochleari aqua resolutum, et illico salutem cum pristino vigore integerrime recuperavit. Alterum in Candida Rossetta, vexilliferi Aloysii il Secondo de Carvajal Hispani uxore, cui in præmortui fœtus miserabili partu nimius pro secundarum emissione conatus per triduum adhibitus una cum illis matricem foras extruserat, quæ deinde frigoribus instar marmoris obduruit, nigra, visuque horrida et prægrandis, utpote trium librarum pondere gravis. Molestissimo cruciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatæ hujus (cui impense Candida se commendarat) imagine papyracea ventri applicita, sensit in continenti ægra, matricem in alvum rediisse: unde confestim sana et robusta lecto exsiliit, ac per domum visa est præ gaudio saltitare.

** al. habere*

Ex impressis.

ex authenticis instrumentis refertur.

238 Alia itidem bina miracula ex processu Panormitano; videlicet unum in sanatione mirabili Fr. Seraphini Puglisi ex Ordine beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Vir iste religiosus maligna febri lethaliter exustus, ac decimo septimo suæ infirmitatis die omnino derelictus a medicis constanter asseverantibus, hora quinta aut sexta noctis proxime insequentis exspiraturum; jamque amissa loquela et visu luctans cum ultimo agone, mox ut opem beatæ Rosæ toto corde imploravit, eamdem habuit manifeste conspicuam, subitoque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium evasit. Novissimum denique in Angela Gabaja, quæ duplici febri tertiana continua et maligna, cum ingenti capitis ac stomachi dolore, flatuumque copia per dies XXVII dire excruciata, demum a medico palam conclamata properabat ad mortem, perque sex horarum spatium laborans in agone, hortatu matris invocavit opem B. Rosæ, oleoque ex lampade coram istius altari pendula desumpto, in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim et in continenti pristinæ saluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit restituta *g*. E

ANNOTATA.

a *Etiam § 1 Commentarii prævii retulimus elogium hujus Sanctæ, quod idem eminentissimus Azzolinus coram Alexandro VII Pontifice recitavit.*

b *Decretum Beatificationis et alia diplomata, quibus Clemens Pontifex hanc virginem numero Beatarum adscripsit, ejusque cultum extendit, in Commentario prævio exhibuimus.*

c *Mense Januario anni 1669 annuntiatio hujus beatæ Virginis Martyrologio Romano inserta est, ut ex num. 31 Commentarii prævii patet.*

d Suessa *est urbs episcopalis Italiæ sub archiepiscopo Capuano sita in regno Neapolitano, ubi hic processus institutus est.*

e Panormus *est notissima et præcipua Siciliæ civitas, ubi duo postrema miracula examen subierunt.*

f Marasmus, *Græce* μαρασμὸς, *a verbo* μαραίνομαι, *quod* tabesco *significat, apud medicos est tabis species, quæ contingit ex febri ardente adeo propagata, ut humorem totius corporis absumat. Si lubet, consule Castellum in Lexico medico, ubi pag. 314 et sequente hunc morbum variasque ejus species pluribus describit.* F

g *Instrumentum, quo hæc ultima quatuor miracula approbata sunt, in Commentario prævio num. 36 et sequente partim exhibuimus, partim hic repetendum assignavimus.*

§ VII. *Modus et ratio canonizationis, ac subscriptiones eminentissimorum S. R. E. Cardinalium.*

Clemens X Pontifex indicat,

Cum igitur jam nihil deesset eorum, quæ sacrosanctæ functioni canonizationis hujus dilectæ Christi Domini sponsæ Rosæ necessaria erant, ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præ-

scripto,

Ex impresso. scripto, rogantibus charissimis in Christo filiis nostris regina Marianna regente *a*, ac etiam Carolo II *b* itidem Hispaniarum rege, toto Ordine Fratrum Prædicatorum sancti Dominici, regno Peruano et omnibus provinciis Americæ, accedentibus etiam precibus venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum, et episcoporum regnorum Hispaniæ et Indiarum, justum et debitum esse censuimus, ut prædictam Beatam, quam ipse Dominus de die in diem magis clarificat e cælis, nos quoque venerationis officio laudemus et glorificemus in terris.

cur Rosam Limanam Sanctis adscripserit,

240 Propterea annuimus, ut hodierna die publice in sacrosancta basilica principis Apostolorum, Missæ sacro peracto, ejus canonizatio haberetur, eademque die in prædicta sacrosancta Vaticana basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ prælatis, officialibus et familiaribus nostris, clero sæculari et regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, repetitis ter pro canonizationis decreto nobis per dilectum filium Ludovicum tituli sanctæ Sabinæ Cardinalem B Portocarrero supplicationibus, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces Spiritus sancti gratia rite implorata, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, et fidei catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii et Spiritus Sancti, beatorum Apostolorum ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romana Curia existentium consilio, ac unanimi consensu, beatam Rosam de sancta Maria virginem Limanam, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentia plene constat, sanctam esse diffinivimus, ac sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore decernimus, diffinimus et adscribimus, statuentes, ab Ecclesia universali quolibet anno die trigesima Mensis Augusti *c* memoriam ejus inter sanctas virgines recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

concessisque indulgentiis.

241 Eadem authoritate omnibus et singulis vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis C in die festo ipsius sanctæ Rosæ ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta. His peractis Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, et sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari in honorem sanctæ Rosæ oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad altare sancti Petri apostoli Missam celebravimus cum ejusdem Sanctæ commemoratione, omnibus Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Deo pro illo virtutis exemplo gratias agit,

242 Cum omni igitur humilitate pro tam insigni beneficio benedicimus et glorificamus Deum Patrem omnipotentem, cui benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum: assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem Electæ suæ a peccatis nostris faciem avertens, misereatur nostri, et respiciat nos, quibus ostendit misericordiam suam in medio templi sui, D dum novum nobis propugnaculum totius Americæ contra antiquas diaboli insidias et infidelitatis errores dedit, et omnibus apud divinam suam Majestatem protectricem et advocatam concessit ad sanctæ Ecclesiæ tranquillitatem, fidei catholicæ incrementum, et infidelium lumen et conversionem.

et ubique promulgari jubet suum decretum,

243 Ceterum, quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri: volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem ubique fidem haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCLXXI, pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo. E

cui ipse ac plures S. R. E. Cardinales subscribunt.

244 † Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus episc. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. M. episcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

†

† Ego Ulderícus episcopus Tusculanus Cardin. Carpineus.

†

† Ego Virginius episcopus Albanensis Cardin. Ursinus.

†

†

†

†

†

†

† Ego Alderanus tit. S. Praxedis presbyt. Cardinalis Cybo.

† Ego Fredericus * tit. S. Petri ad Vincula presb. Card. Sfortia.

* al. Federicus

F

† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii presbyter Cardin. Odescalcus.

†

†

† Ego Aloysius tit. S. Alexii presb. Cardinali Homodeus.

† Ego P. tit. Sancti Marci presb. Card. Otthobonus.

† Ego Laurentius tit. S. Chrysogoni Cardin. Imperialis.

† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cælio presb. Card. Santacrucius.

† Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli presbyter Cardin. Spada.

† Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. presbyter Cardin. Albitius.

† Ego Octavius tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis de Aquaviva et Aragonia.

† Ego Carolus tit. sanctæ Priscæ presb. Cardinalis Pius.

† Ego Carolus tit. S. Eusebii presbyter Cardinalis Gualterius.

† Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo presbyter Card. Chisius.

†

Ex impressis.

A †
†
† Ego Jacobus tit. S. Pancratii presbyter Cardinalis Franzonus.
†
† Ego Petrus tit. sancti Calixti presbyter Cardinalis Vidonus.
†
†
†
†
†
† Ego Carolus tit. S. Anastasiæ presb. Cardinalis Bonellus.
†
† Ego Carolus tit. S. Susannæ presb. Cardinalis Caraffa.
† Ego P. tit. SS. XII Apostolorum presbyter Card. de Alteriis.
† Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam presb. Card. Rasponus.
†
†
B †
† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Ara cæli presb. Card. Robertus.
†
†
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Sixti presb. Cardinalis Rospigliosus.
† Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ presb. Card. Portocarrerus.
†
†
† Ego Joannes tit. S. Bernardi presb. Cardinalis Bona.

C

† Ego Camillus tit. S. Mariæ in Dominica presb. Card. Maximus.
† Ego Gaspar tit. S. Pudentianæ presb. Card. Carpineus.
†
† Ego Fridericus tit. S. Agathæ diaconus Cardinalis de Hassia.
† Ego Carolus sancti Cæsarei diac. Card. Carolus Barberinus.
† Ego Decius sancti Eustachii diac. Cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Paulus tit. sancti Nicolai diac. Cardinalis Sabellus.
†
†
† Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro diaconus Cardinalis Chisius.
†
† Ego Bonacursius S. Mariæ de Scala diaconus Card. Bonacursius.

E

ANNOTATA.

a *Maria Anna Austriaca, quæ pro Carolo II tunc regnum Hispaniæ administrabat, anno 1696 Matriti obiit.*

b *Carolus II rex Hispaniæ Philippo IV successit, et anno 1700 e vita migravit, ut omnibus notum est.*

c *Quamvis Officium proprium de* S. Rosa *quotannis ad diem 30 Augusti recitemus, tamen hodie Acta ejus illustravimus, quia die 26 hujus mensis in Martyrologio Romano Sancta illa annuntiatur, ut in Commentario prævio monuimus.*

F



INDEX HISTORICUS

IN TOMUM V AUGUSTI

A

B

Bal-

D

Eadanus

E

F

Fran-

Vitam

H

Henricus

I

J

Jocundus

K

L

Liberatus

M

Mutius

Pelagia

Porte-

† Stur-

U

W

Y

Z

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

B

Colu-

Ger-

N

O

Pala-

Studium

INDEX ONOMASTICUS

A

B

C

D

E

Faidi.

INDEX MORALIS

A

B

quod

E

Gangræna

præ-

S

Z

FINIS.

ANICII. — EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.





